sc.19.p61.

37
28 G
3

MAG 2145

Digitized by Google

Digitized by Google

SUMMA S. THOMÆ
HODIERNIS ACADEMIARUM MORIBUS ACCOMMODATA,
SIVE
CURSUS THEOLOGIÆ
Juxta mentem, &, in quantum licuit, juxta ordinem & litteram D. THOMÆ in ſua Summa, inſertis pro re nata Digreſſionibus in Hiſtoriam Eccleſiaſticam,

Ad Uſum Scholarum Thomiſticarum.

PARS TERTIA
COMPLECTENS TRACTATUS

DE INCARNATIONE
A Quæſt. 1. ad 59.

DE SACRAMENTIS IN COMMUNI, ET BAPTISMO
A Quæſt. 60. ad 72.

DE CONFIRMATIONE, ET EUCHARISTIA
A Quæſt. 73. ad 83.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ
A Quæſt. 84. uſque ad 15. Supp.

DE EXTREMA-UNCTIONE, ORDINE, ET MATRIMONIO
Supp. a Quæſt. 29. ad 67.

Opera & ſtudio F. CAROLI RENATI BILLUART, Revinienſis, Ordinis FF. Prædicatorum, S. Theologiæ Doctoris, necnon Provinciæ Gallo-Belgicæ ejuſdem Ordinis iterato Provincialis.

Simul prodeunt quædam ejuſdem Auctoris Diſſertationes, & Supplementum Curſus Theologiæ, ſive Opus poſthumum.



VENETIIS, MDCCLXXXVII.
TYPIS PETRI SAVIONI
In Via Mercatoria ſub Signo Navis.

SUPERIORUM PERMISSU AC PRIVILEGIO.

TRACTATUS DE INCARNATIONE.

D. Thom. 3. Par. a Quæſt. 1. ad 9.

PROOEMIUM.

In quo recenſentur variæ Hæreſes circa Incarnationis Myſterium.

HUnc Tractatum S. Thomas in duas partes dividit. Prima eſt de ipſo Incarnationis myſterio ſeu de ipſa unione divinitatis & humanitatis, & de his, quæ ad eam conſequuntur. Secunda eſt de his, quæ per ipſum Salvatorem acta ſunt, hoc eſt de myſteriis vitæ & mortis ejus. *Hoc magnum pietatis Sacramentum* juxta Apoſt. *Hoc ænigma ſacratiſſimum* juxta Cyrillum Alex. *Hanc mirabilem mixturam* juxta Aug. tam vere atque catholice, tam intelligibiliter, quantum homini licuit, expoſuit S. Doctor, ut fer, dum huic operi incumberet, ab ipſo Chriſto meruerit his vocibus approbari: *Bene ſcripſiſti de me, Thoma*. Duce igitur ſancto Doctore explicationem hujus myſterii, contra quod tot inſurrexerunt Hæreſes, ſecuri aggredimur. Hos varios ac multiplices errores ipſe S. Th. in c. 1. Matth. ad tres Claſſes revocat. Prima eſt errantium circa divinitatem Chriſti. Secunda errantium circa humanitatem. Tertia errantium circa utriuſque naturæ unionem.

Ad 1. Claſſem pertinent Cerinthus, Ebion, Paulus Samoſatenus, Photinus & alii, qui ſolam naturam humanam in Chriſto agnoſcunt; divinam autem per ſolam divinæ gloriæ participationem, quam operibus ſuis promeruit. Cerinthus, a quo Cerinthiani, Simonis Magi Diſcipulus Apoſtolis coætaneus, unus fuit ex his, qui anno circiter 69. deſcendentes de Judæa dogmatizabant Antiochiæ Circumciſionem & Legalia neceſſario eſſe obſervanda. Item unus fuit ex his, qui millenarium Chriſti Regnum poſt Reſurrectionem prædicabant. Docebat inſuper, ut refert Aug. lib. de Hæreſ. c. 8. *Chriſtum purum hominem fuiſſe*. Refert autem S. Polycarpus apud S. Irenæum l. 3. adverſus Hæreſes c. 3. quod cum Joannes Apoſtolus hunc Hæreſiarcham ad Balneum accedentem vidiſſet, receſſerit exclamando: *Fugiamus hinc, ne Balneum, in quo Cerinthus veritatis inimicus moratur, ſubito corruens nos opprimat*. Quo dicto, ſubito collapſa domus Cerinthum cum ſociis oppreſſit. Ebion ſub Tito Imperatore & Cleto Romano Pontifice anno circiter 72. Hæreſi Cerinthi addebat *Chriſtum hominem eſſe, non ex Virgine, ſed ex viro & fœmina natum*. Paulus Samoſatenus, a quo Pauliniſtæ, natione Syrus, Antiochenus Epiſcopus, vir ante Epiſcopatum pauper & mendicus, circa an. 273. ſub Felice 1. blaſphemabat *Chriſtum non ſemper fuiſſe, nec ante Mariam Virginem extitiſſe, ſed ex eo quo ex Maria natus eſt, initium habuiſſe, ac proinde non Deum, ſed purum hominem eſſe*. Teſte Aug. lib. de Hæreſ. c. 44. damnata fuit hæc Hæreſis cum ſuo Auctore in duobus Conciliis Antiochiæ habitis: in quorum 1. Paulus ſuam fidem ſimulans Patribus illuſit: in 2. autem de Hæreſi convictus & anathemate percuſſus a ſua ſede ejectus eſt. Photinus, a quo Photiniani, Sirmienſis Epiſcopus, acris ingenii ac multæ eruditionis vir, Pauli Samoſateni Diſcipulus, circa an. 347. ſub Julio I. eandem hæreſim inſtauravit, quæ rurſum damnata eſt in Concilio Mediolanenſi eodem anno, & ipſe exauctoratus in Sirmienſi anno 351. Elipandus Urgelitanus & Felix Toletanus Hiſpani dicebant Chriſtum non eſſe Dei Filium naturalem, ſed adoptivum tantum: unde Conſequens erat ipſum non eſſe verum Deum. Fuit proſcriptus iſte error in Concilio Forujulienſi anno 791. Ratisbonenſi 792. & Francofordienſi 794. Ad hanc Claſſem revocari poſſent *Ophitæ* ſive Serpentini, qui a. ſeculo juxta Auguſt. lib. de Hæreſ. cap. 17. eo dementiæ venerant, ut aſſererent *Serpentem illum, qui primos decepit Parentes, Chriſtum eſſe*, de Cœlo veniſſe, nobiſque tuliſſe ſcientiam boni & mali.

Ad 2. Claſſem pertinent Marcionitæ & Manichæi, qui cum dicerent omnem creaturam corpoream eſſe a malo Deo, ſeu diabolo, negabant conſequenter Dei Filium aſſumpſiſſe veram carnem, ſed tantum phantaſticam & apparentem, & omnia, quæ de ipſo narrantur in Evangelio pertinentia ad humanam naturam, ut Nativitatem, Circumciſionem, paſſionem, Mortem, &c. non vere ſed apparenter tantum contigiſſe. Ita etiam Baſilides circa an. 124. qui dicebat Simonem Cyrenæum loco Chriſti fuiſſe crucifixum. Ad hanc etiam claſſem revocatur error Apollinaris. Is fuit patria Laodicænus, vir doctus, filius alterius Apollinaris eruditiſſimi Presbyteri, qui pro Eccleſia multos edidit libros contra Porphyrium. Dogma hæreticum, quod ſenior Apollinaris tentaverat, promovit filius ejus circa an. 367 ſub Damaſo Rom. Pontifice, nempe *Chriſtum Corpus ſumpſiſſe quidem ex Virgine, ſed ſine anima*. Poſtea errorem ſuum revocans ſeu temperans addidit: *Sumpſiſſe quidem animam, ſed quæ mente careret, Verbumque Divinum ei fuiſſe loco mentis*. Ulterius progreſſi Apollinaris Diſcipuli dixerunt humanitatem eſſe conſubſtantialem divinitati, ideoque hanc eſſe patibilem, & revera paſſam eſſe cruciatus & mortem. Ex S. Athanaſ. lib. de Incarn. ex S. Epiphan. Hær. 77. Imo divinam Verbi ſubſtantiam in carnem eſſe converſam. Ex S. Gregor. Nyſſen. Opuſc. contra Apollinariſtas; ex S. Leone ſer. 9. de Quadrag. Gennadio lib. de Dogmat. Eccleſ. c. 2. Tandem Verbum non aſſumpſiſſe carnem ex M. Virgine, ſed e cœlo attuliſſe. Ex Gregor. Nazianz. Orat. 46. & aliis. Damnata eſt hæc hæreſis in Concilio Romano ſub Damaſo anno 373. in Antiocheno 378. & in 2. Conſtantinopolitano anno 381. Ad hanc iterum Claſſem revocandus eſt error Valentini, qui licet verum Corpus Chriſtum habuiſſe confiteretur, negabat tamen eum aſſumpſiſſe illud ex B. Virgine, ſed illud de cœlo allatum tranſiiſſe per Virginem quaſi per Canalem. Huc iterum revocandus eſt error Monothelitarum, qui voluntatem humanam in Chriſto negantes ſolam divinam confitebantur. In hac etiam claſſe reponendi ſunt hodierni Anabatiſtæ, qui negant Chriſtum habuiſſe veram carnem ex Maria Virgine aſſumptam.

Ad 3. Claſſem pertinet error Neſtorii Patriarchæ Conſtantinopolitani, qui circa an. 427. ſub Theodoſio juniore & Cœleſtino I dogmatizavit *duas in Chriſto eſſe perſonas, duos eſſe Chriſtos, unum Filium Dei, alterum Filium hominis; ac proinde B. Mariam Virginem, non Dei, ſed hominis Matrem eſſe, neque eſſe nominandam Theotokon, ſed Chriſtotokon*. Hæc Hæreſis a Cyrillo Alex. profligata, damnata fuit cum ſuo Auctore in Concilio Oecumenico Epheſino. Ad eandem Claſſem pertinet error Eutychetis, qui circa an. 441. ut unitatem perſonæ contra Neſtorium propugnaret, in oppoſitam Hæreſim incidit *negando duas in Chriſto naturas, & aſſerendo carnem in ipſo Incarnationis articulo in divinitatem fuiſſe commutatam, & ex utraque natura divina & humana unam coaluiſſe ſubſtantiam, ſicque Chriſtum ut Deum fuiſſe paſſum*. Hic error fuit damnatus ſub Leone I. in Concil. Oecumenico Chalcedonenſi. Ab hoc errore non multum abludunt Lutherani, qui dicunt attributa divinitatis communicari carni Chriſti, conſequenter Corpus Chriſti, non ſecus ac Divinitatem eſſe ubique: unde dicti Ubiquiſtæ. De his Hæreſibus ſaltem præcipuis latius infra.

DISSERTATIO I.

DE POSSIBILITATE ET COGNOSCIBILITATE INCARNATIONIS.

INcarnatio idem ſignificat ac inhumanatio: eſtque *unio ſeu unitio naturæ humanæ cum divina in una Verbi perſona*. Unde Verbum incarnari eſt hominem fieri juxta illud Joannis 1. VERBUM CARO FACTUM EST. Quamvis autem natura humana conſtet carne & anima, a carne tamen potius quam ab anima hoc Myſterium nomen accepit. 1. Quia nomine carnis totus homo ſæpe in Scriptura ſignificatur, ut Gen. 6. *Omnis caro corruperat viam ſuam*. Luc. 3. *Omnis caro videbit ſalutare Dei*. Et alibi. 2. Ad commendandam nobis humilitatem Salvatoris, & ejus in homines charitatem, qua motus tam vilem & abjectam carnem ad eos redimendos aſſumpſit. 3. Quia hoc no-

nomine inſinuatur Deum infirmitates noſtras, quæ voce carnis ſignificari ſolent, aſſumpſiſſe. Adde, quod cam, ſi vera ſit ac viva, ſit animata. Hoc vocabulum uſurpavit Concil. Nicænum in Symbolo, S. Leo Serm. 2. de Nat. S. Aug. l. 10. de Civit. Dei c. 29. & multi alii Patres.

ARTICULUS I.

Utrum Incarnatio Verbi ſit poſſibilis?

S. Thomas hic omiſit Quæſtionem de poſſibilitate Incarnationis; qua ratione, non ita conſtat. Forte quia ſuppoſita convenientia Incarnationis, quam probat infra, inſinuatur ejus poſſibilitas; vel quia nulla ſcientia probat, ſaltem ex neceſſitate, poſſibilitatem ſui objecti; ſed ſupponit ſeu per ſe notam, ſeu demonſtratam in ſcientia ſuperiori, vel aliunde certam, ut hic ſupponi debet certa poſſibilitas Incarnationis per fidem in Doctore Catholico; vel tandem quia præcipuæ difficultates, quæ militant contra poſſibilitatem hujus Myſterii, occurrunt & ſolvuntur in ſequentibus Quæſtionibus. Quia tamen in uſu habent Theologi, ut hunc Tractatum a Quæſtione poſſibilitatis hujus Myſterii ordiantur, conſuetudini morem gerentes,

Dico: Incarnatio Verbi eſt poſſibilis. Quantum ad fideles facile prob. ex eo, quod fide certum ſit hoc Myſterium eſſe peractum; ergo eſt poſſibile: ab actu enim ad potentiam valet argumentum affirmative. Aliunde quid difficilius unam perſonam in duabus naturis ſubſiſtere, quam tres perſonas in una natura, ſicut fit in Myſterio SS. Trinitatis. Quantum ad Infideles probatur 1. Illud cenſeri debet poſſibile, cujus impoſſibilitas nullo argumento demonſtrativo evinci poteſt. Atqui impoſſibilitas Incarnationis nullo argumento demonſtrativo evinci poteſt; cum enim ſit veritas fidei, & verum non opponatur vero, nullum fieri poteſt argumentum contra hanc veritatem, quod ſit demonſtrativum, ſed ſunt omnia ſolubilia argumenta, ut patebit ex ſolutionibus Objectionum.

2. Illud cenſeri debet poſſibile, in quo nulla apparet contradictio, juxta illud Archangeli ad Mariam Luc. 1. *Non erit impoſſibile apud Deum omne Verbum*, id eſt omne, quod mente concipi poteſt. Atqui in Myſterio Incarnationis ex nulla parte apparet contradictio. Non ex parte humanitatis aſſumptæ, quæ cum ſit realiter diſtincta a propria ſubſiſtentia, eaque prior, poteſt ab ea ſeparari divina ſupplente propriam. Neque ex parte Dei aſſumentis, quia cum ſubſiſtentia divina ſit infinita, poteſt terminare non ſolum propriam naturam, ſed etiam alienam. Neque ex parte unionis: hæc enim non conſiſtit in hoc, quod duæ naturæ confuſæ identificentur, ſed quod ſalva integritate utriuſque humana aſſumatur ad divinam, cui, quia eſt ſummum bonum, communicatio maxime convenit. Ergo.

Huc etiam faciunt quædam ſimilitudines, licet imperfectæ; ſic ſubſtantia ſpiritualis, anima ſcilicet rationalis, unitur naturaliter corpori in eodem ſuppoſito. (*In 3. d. 1. q. 1. art. 1. a.*) Ramus extraneus & diverſæ ſpeciei inſeritur trunco, una nempe radice, uno trunco, una arbore, diverſos ſpecie fructus proferente.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Deus non poteſt intrinſece mutari. Atqui ſi incarnaretur, intrinſece mutaretur. Ergo. Prob. Min. Mutari intrinſece nihil aliud eſt, quam ſe habere intrinſece aliter quam prius. Atqui per Incarnationem Deus aliter ſe haberet intrinſece quam prius; fieret enim intrinſece homo, quod prius non erat. Ergo. Pro ſolutione hujus argumenti nota, quod mutatio ſit actus exiſtentis in potentia prout in potentia. Unde ut aliquid mutetur intrinſece, requiritur, quod intrinſece recipiat ratione potentiæ paſſivæ terminum mutatione productum. Hoc poſito, relictis variis ſolutionibus ad argumentum, R. N. Min. Ad Probat. D. Maj. (*Hic qu. 16. ar. 6. ad 2. & in 3. d. 5. q. 1. art. 1. ad 1.*) Mutari eſt intrinſece ſe habere aliter quam prius, recipiendo in ſe aliquid diſtinctum ratione potentiæ paſſivæ, C. Maj. Pure terminando aliquam naturam, N. Maj. ex notamine. Porro Deus de novo factus eſt homo non recipiendo in ſe humanitatem ratione potentiæ paſſivæ, ſed illam pure terminando abſque ulla potentialitate, nihil perdens, nihil acquirens, ſed ſolum ſuam perfectionem diffundens, adeoque nullo modo in ſe mutatus, ſed tota mutatione ſe tenente ex parte naturæ aſſumptæ propria ſubſiſtentia carentis, & divinam acquirentis.

Hanc ſolutionem tradit D. Th. locis cit. Ubi dicit, quod ſicut *nulla mutatione facta circa ſcibile, incipit eſſe a me ſcitum per mei mutationem: & ſimiliter dicitur res ſcibilis non per potentiam paſſivam, quæ ſit in ipſa, ſed per potentiam, quæ eſt in ſciente. Sic eſt in propoſito ... Ideo Deus dicitur uniri non per mutationem ſui, ſed ejus cui unitur; & ſimiliter cum dicitur unibilis, hoc dicitur non per potentiam aliquam paſſivam in Deo exiſtentem, ſed per potentiam, quæ in creatura eſt, ut uniri poſſit.*

Quorum verborum ſenſus non eſt, ut imaginatur Valentia, quod humanitas ſit quid relativum quoad rem, ſicut ea, quæ S. Doctor affert hic in exemplum, ſed tantum quoad modum, ſeu denominet Deum ad modum relativorum tertii generis, in quantum ſcilicet non denominat Deum ratione alicujus potentiæ paſſivæ in ipſo exiſtentis, ſicut denominant aliæ formæ abſolutæ ſua receptiva creata, ſed ratione potentiæ paſſivæ, quæ eſt in ipſa natura humana ad hoc ut uniatur Deo, ſicut in relativis tertii generis res non dicitur ſcibilis per potentiam paſſivam, quæ eſt in ipſa, ſed in ſciente. Sicut ergo res ſcibilis abſque ſui mutatione per ſolam ſcientis mutationem dicitur ſcita; ita & Deus dicitur homo per ſolam naturæ humanæ mutationem, eo quod neceſſe ſit ſubjectum mutationis eſſe in potentia ad id, per quod mutatur.

Subſumes. Atqui Verbum eſt humanitati ſubjectum, & tantum terminus. Ergo. Prob. Ant. Verbum eſt habens humanitatem. Atqui habens formam in ſe eſt ſubjectum talis formæ. Ergo. R. N. Ant. ad probat. D. Maj. Verbum eſt habens humanitatem receptive, N. Maj. terminative, C. Maj. Et ad hunc ſenſum diſtincta Min. N. Conſeq. Itaque habere formam abſtrahit ab hoc, quod eſt eam habere receptive vel perſonaliter ſeu terminative. Habere formam receptive eſt eſſe ſubjectum illius, ſecus autem eam habere perſonaliter vel terminative. Porro Verbum habet humanitatem non receptive, ſed perſonaliter & terminative, utpote terminus ejus intrinſecus eam intrinſece complens & terminans. Repones. Natura humana non poteſt dici nec fieri intrinſeca Verbo, niſi recipiatur in illo. Ergo. Prob. Ant. Quod eſt extrinſecum alteri, non poteſt fieri intrinſecum niſi recipiatur in illo. Ergo. R. N. Ant. ad prob. N. Ant. Poteſt enim aliquid fieri intrinſecum alteri per hoc ſolum, quod ipſi conjungatur per intrinſecam ſui terminationem: ſic punctum fit lineæ intrinſecum.

Replicabis. Atqui ad mutationem non requiritur unio receptiva ratione potentiæ paſſivæ. Ergo. Prob. Subſumptum. Si per impoſſibile Angelus incarnaretur, mutaretur. Atqui tamen ejus ſubſiſtentia non reciperet, ſed terminaret dumtaxat naturam humanam. Idem dicendum de ſubſiſtentia humana, ſi crearetur ſeparata a natura, & poſtea illi uniretur. Item de anima rationali, quæ in Reſurrectione cum ſui mutatione unietur de novo materiæ. Similiter ſi intellectus divinus terminaretur nunc ad aliquid, ad quod prius non terminabatur, perficeretur & mutaretur. Ergo. R. N. Subſumpt. ad prob. D. Min. Angelus non reciperet naturam humanam, nec quidquam aliud, N. Min. Non reciperet naturam humanam, ſed aliquid aliud C. Min. Verum eſt ergo, quod ſubſiſtentia Angelica in caſu impoſſibili non reciperet naturam humanam, ſed eam tantum terminaret. Verum cum ſit entitas incompleta & modalis, ex unione ad naturam humanam compleretur & perficeretur, traheretur que ad ejus eſſe: unde ex tali terminatione reciperet, ſi non naturam, ſaltem completionem & perfectionem, ſicque mutaretur. Idem dicendum de ſubſiſtentia humana, ſi crearetur ſeparata, & de anima in ordine ad unionem cum corpore. Id vero dici non poteſt de ſubſiſtentia increata, utpote infinita & ſumme perfecta. Ad id vero, quod additur de intellectu divino, diſparitas eſt, quod cognitio ſit perfectio cognoſcentis, ſed terminatio licet ſit perfectio rei terminatæ, non tamen ſemper terminantis, cum per hoc nihil recipiat.

Urgebis. Ipſamet infinitas repugnat huic unioni ſeu terminationi. Ergo. Prob. Ant. Infiniti ad finitum nulla eſt proportio. Ergo. R. N. Ant. ad prob. D. Ant. Nulla eſt proportio æqualitatis in eſſe entis, C. Ant. proportio habitudinis & capacitatis ratione potentiæ obedientialis, qua finitum poteſt a Deo infinito perfici, N. Ant. hinc enim etſi non habeat infinitam perfectionem, habet tamen infinitam capacitatem divinæ plenitudinis ſuſceptivam.

Obj. 2. Deus non poteſt ſupplere vices ſubſiſtentiæ creatæ. Ergo. Prob. Ant. Subſiſtentia creata eſt actus & forma naturam humanam informans. Atqui Deus non poteſt ſupplere vices formæ informantis, utpote quæ ſit pars, adeoque quid incompletum eſſentialiter involvens imperfectionem. Ergo. R. D. Ant. Deus non poteſt ſupplere vices ſubſiſtentiæ creatæ ut informantis, Tranſeat: ut terminantis, N. ad prob. dico, quod licet ſubſiſtentia creata informet naturam, quia ut creata eſt modus & compars naturæ, id tamen non habet ex ſuo eſſentiali conceptu, ſed ſolum naturam terminare, ut patet in ſubſiſtentiis in divinis, quæ naturam divinam terminant abſque labe informationis; licet autem Deo repugnet ratio formæ informantis, quia forma informans, etſi naturam perficiat, ſe habet tamen ut pars ordinata ad componendum aliquid perfectius, ut patet in anima in ordine ad hominem, qui eſt quid ipſa perfectius, quod involvit imperfectionem impræſcindibilem; non tamen ipſi repugnat ratio terminantis,

Digitized by Google

tis, quippe qui non ordinantur ad totum magis completum, ſed naturam potius ad ſe ordinat & ad ſuum eſſe trahit, unde imperfectionem non involvit, ſed potius perfectionem diffundit. Dixi ad primum, Ant. Tranſeat: quia quidam Thomiſtæ, inter quos Gonetus, exiſtimant Deo non repugnare rationem formæ metaphyſicæ, eo quod non ſe habeat per modum partis, ut forma phyſica, ſed tantum per modum actus & conſtitutivi, adeoque nullam involvat imperfectionem. Alii tamen non concipiunt formam, qualiſcumque ſit phyſica aut metaphyſica, quæ non ſit para incompleta ad compartem ordinata, adeoque quæ non involvat in ſuo conceptu Imperfectionem.

Inſt. Deus non poteſt ſupplere vices humanitatis, animæ, intellectus, luminis gloriæ, &c. Ergo nec ſubſtantiæ. R. N. Conſeq. Quia hæc omnia important imperfectionem impræſcindibilem, utpote rationem naturæ potentialis actuabilia per ſubſiſtentiam, exiſtentiam, aut operationem; item & potentiæ ſeu habitus. Secus ſubſiſtentia, quæ importat tantum ex ſuo conceptu rationem termini ſeu actus terminantis naturam ultra non communicandam.

Obj. 3. implicat, ſecundum Philoſophos, produci effectum omnium perfectiſſimum. Atqui Chriſtus foret talis: ergo. R. D. Min. Chriſtus ratione divinitatis foret talis, C. Min. At ut ſic non eſt effectus, ſed Auctor & artifex. Chriſtus ut compoſitus, N. Min. Poſſet enim ſub hac ratione a Deo produci perfectior, quia poſſet produci perfectior humanitas.

Obj. 4. ex pluribus entibus completis non poteſt fieri unum ens per ſe: atqui natura tam humana quam divina ſunt entia completa: ergo ex his non poteſt fieri unum ens per ſe, qualis foret Chriſtus. R. D. Conſequens: ergo ex his ſub ratione, qua completa ſunt, non poteſt fieri ens unum per ſe, C. Conſeq. Sub alia ratione qua non ſunt completa, N. Conſeq. Porro ex divina natura & humana, quæ in ratione naturæ ſunt completæ, non fit natura una per ſe, ſed unum ſuppoſitum, quatenus natura humana, cum non ſit ſub hac ratione completa, trahitur ad unum eſſe & ſubſiſtere divinum.

ARTICULUS II.

Utrum lumine naturali poſſit demonſtrari aut cognoſci poſſibilitas Incarnationis?

Dico. Non poteſt lumine naturali demonſtrari aut evidenter cognoſci poſſibilitas Incarnationis. Prob. 1. auctorit. Ad Epheſ. 3. Incarnatio vocatur *Sacramentum abſconditum a ſæculis in Deo*. Concil. Toletanum XI. *Si ratione oſtendi poſſet, non eſſet mirabile: ſi exemplo, non eſſet ſingulare*. Aug. ad Voluſ. Ep. 3. *Demus Deum aliquid poſſe, quod nos fatemur inveſtigare non poſſe*. Ergo. Prob. 2. ratione. Hoc myſterium eſt extra omnem ſphæram & omnem proportionem luminis naturalis etiam Angelici. Ergo. Prob. Ant. Hoc myſterium eſt omnino ſupernaturale nedum in eſſe entis ſeu in ſua entitate, ſed etiam in eſſe veri & cognoſcibilis, cum nullam habeat connexionem cum aliqua cauſa aut effectu naturali, ex cujus cognitione aſcendat ad illud indagandum: licet enim nunquam exiſteret aut poſſibile foret, adhuc res naturales eodem modo forent quo nunc ſunt. Ergo. Quamvia ergo ſuppoſita fide poſſit hujus myſterii poſſibilitas aliquibus rationibus naturalibus probabiliter ſuaderi, & argumenta in contrarium probabiliter ſolvi, nulla tamen ratione petita ex naturalibus poteſt poſitive demonſtrari.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Articulo præced. probavimus rationibus naturalibus Incarnationem non involvere contradictionem: atqui probare aliquid non involvere contradictionem eſt probare illud eſſe poſſibile. Ergo. R. D. Maj. Incarnationem non involvere contradictionem probavimus negative & probabiliter, C. Poſitive & evidenter, N. In ſolvendis enim contradictionibus & argumentis, quæ proponuntur contra poſſibilitatem Incarnationis, non procedimus ex aliqua ratione a priori vel poſteriori poſitive demonſtrativa hujus poſſibilitatis, vel falſitatis objectionum, ſed ex probabilibus tantum & apparentibus, quod ſufficit, ut hoc myſterium non judicetur impoſſibile, non tamen ut cognoſcatur evidenter poſſibile; quandoque enim, ait Philoſophus, falſa ſunt probabiliora veris. Unde ſolutis omnibus argumentis Infidelium contra hoc myſterium, nemo poteſt ſibi certo perſuadere omnes ſuas ſolutiones eſſe demonſtrativas, & nullam implicantiam, præter ſolutas, reſtare ſolvendam: quia cum hoc Sacramentum tatam naturam excedat, ut dictum eſt, nullus intellectus creatus etiam Angelicus illud funditus penetrare poteſt. Hoc argumentum fuſius deductum require in Tract. de Deo Trino. Diſſert. Procem. a. 4. Concl. 2.

Obj. 2. Intellectus creatus cognoſcit Deum eſſe omnipotentem, adeoque poſſe facere quidquid non implicat contradictionem: atqui Incarnatio non implicat contradictionem. Ergo. R. D. Min. Incarnatio non implicat contradictionem, & hoc evidenter cognoſcit intellectus creatus, N. Et hoc evidenter non cognoſcit, C. Quamvis igitur intellectus creatus cognoſcat in communi Deum poſſe omne, quod non involvit contradictionem, non tamen cognoſcit diſtincte & in particulari, quæ ſunt, quæ non involvunt contradictionem, & an de iſtorum numero ſit Incarnatio.

Obj. 3. Intellectus perſpicax v. g. Angelicus comprehendit naturam humanam, adeoque priorem eſſe & diſtinctam ab ejus ſubſiſtentia. Ergo ea ſubſiſtentia ſecluſa a Deo eſſe aſſumptibilem. R. N. Conſeq. ulterius enim deberet ſcire ſubſiſtentiam divinam abſque labe imperfectionis poſſe vices ſubſiſtentiæ humanæ ſupplere, variaſque alias difficultates ſolvere, quibus ſecluſa fide ſuccumberet intellectus noſter. Adde intellectum lumine naturali certo ſcire non poſſe naturam a ſubſiſtentia ſeparari poſſe, aut ſaltem ſine hac vel illa ſibi propria ſubſiſtere poſſe.

Obj. 4. Deus ut auctor naturæ cognoſcit poſſibilitatem Incarnationis: atqui quod Deus præciſe ut auctor naturæ cognoſcit, poteſt lumine naturali cognoſci. Ergo. R. N. Maj. Deus enim non dicitur Auctor naturæ vel gratiæ ex parte virtutis productivæ vel cognoſcitivæ, ſed per ordinem ad effectum naturalem vel ſupernaturalem: cum ergo ex nullo effectu naturali poſſit cognoſci Incarnatio, non cognoſcitur etiam a Deo ut auctore naturæ.

Corollarium.

Ex dictis colliges exiſtentiam Incarnationis, ſecluſa revelatione, ſolis viribus naturalibus a fortiori non poſſe cognoſci; ſi enim poſſibilitas vim luminis naturalis tranſcendat, quanto magis executio, in qua rerum agendarum præcipua difficultas conſiſtit.

Dices 1. Angelus lumine naturali cognoſcit humanitatem Chriſti non terminari creata ſubſiſtentia, cum omnia naturalia cognoſcat. Ergo divina; nulla enim eſt alia, quæ poſſit creatam ſupplere. 2. Angelus cum intuitive cognoſcat humanitatem Chriſti, cognoſcit eam ut exiſtentem. Ergo agnoſcit exiſtere exiſtentia divina: atqui non minus eſt ſupernaturalis exiſtentia divina quam ſubſiſtentia: ergo. 3. Dæmones cognoverunt Chriſtum eſſe verum Deum & hominem, ut patet Luc. 4. *Scio te qui ſis, ſanctus Dei*. Et infra: *Non ſinebat ea loqui, quia ſciebant ipſum eſſe Chriſtum*. Porro hæc ſciebant, non lumine ſupernaturali per peccatum amiſſo. Ergo lumine naturali. Ad 1. R. Beatis Angelis fuiſſe revelatam Incarnationem, cum Verbum incarnatum juxta Apoſt. Heb. 1. orbem terrarum ingrediens adoraverint omnes Angeli Dei: & juxta Luc. 2. feſtivis acclamationibus ejus Nativitatem celebraverint. At ſecluſa revelatione, N. Conſeq. Argumenti. Etenim boni Angeli non videntes ſubſiſtentiam creatam in Chriſto prudenter dubitaſſent, an ſibi illa ſubſiſtentia occultaretur ob latentes Conſilii divini rationes. Ad 2. R. in eadem hypotheſi, ſcilicet ſecluſa revelatione, N. Conſeq. Non requiritur enim ad viſionem intuitivam, quod feratur in rem formaliter exiſtentem, ſeu quod exiſtentiam formaliter attingat; ſed ſatis eſt, quod feratur ad id, quod exiſtit, quamvis ipſam exiſtentiam non attingat: ſic v. g. oculus videt intuitive corpus coloratum, cujus tamen exiſtentiam non attingit. Ad 3. Equidem dæmones potuiſſent cognoſcere myſterium Incarnationis eſſe peractum ex Prophetiis, quas videbant impleri in Chriſto, ſicut & ipſi Judæi: unde Chriſtus, ut iſtis probaret ſe eſſe verum Meſſiam, remittit illos ad Scripturas. Joan. 5. *Scrutamini*, inquit, *Scripturas, illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me*; at iſta notitia fundata fuiſſet in medio naturam excedente, nimirum in revelatione, illud tamen dæmones non cognoviſſe probabilius eſt, Deo ex ſingulari providentia id eis occultante. Ita S. Ignatius Ep. ad Epheſios, ubi dicit Chriſtum eſſe natum ex Virgine, *ut partus ejus celaretur diabolo*. Idem ſentiunt S. Ambroſ. in c. 9. Lucæ, S. Aug. l. 9. de civit. c. 21. & S. Leo Serm. 11. de paſſione c. 3. qui hujus providentiæ rationem hanc adfert: quia *ſi crudelis & ſuperbus inimicus conſilium miſericordiæ Dei noſcere potuiſſet, Judæorum animos potius temperare, quam injuſtis odiis ſtuduiſſet accendere, ne omnium Captivorum amitteret ſervitutem, dum nihil ſibi debentis proſequitur libertatem*. Eandem rationem adfert Auctor infra q. 41. a. 1. & opuſc. 6. a. 1. Unde quando dæmon Luc. 4. dicebat Chriſto: *Scio te qui ſis, ſanctus Dei*: & quando dæmonia clamabant: *tu es Filius Dei*, hoc dicebant exploratorie tantum, dubitanter & tentando. Nec refert, quod de Chriſto dicatur; *Non ſinebat ea loqui, quia ſciebant ipſum eſſe Chriſtum*. Nam hæc particula *Quia* non hic ſumitur cauſaliter, ſed hiſtorialiter & recitative, ita ut ſenſus ſit, Chriſtus non ſinebat dæmones dicere ſe ſcire, quod ille eſſet filius Dei: & bene Chriſtus id prohibebat, quia mentiebantur, cum id revera non ſcirent, ſed tantum dubitarent & indagarent.

Petes, an & quibus revelatum fuerit futurum Myſterium Incarnationis? R. 1. Tertullianus lib. de Reſur. Carnis c. 6. & S. Aug. l. 9. de Geneſ. ad litt. c. 19. cenſent fuiſſe revelatum Adamo in eo ſopore, in quo ex coſta ejus Eva fuit formata, & dum dixit; *Hoc nunc os ex oſſibus meis & caro de carne mea ... relinquet homo patrem ſuum & matrem ſuam & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una*: hæc verba prophetico ſpiritu protuliſſe de Chriſto. Ex hoc etiam colligitur ex Apoſt. Epheſ. 5. ubi relatis his Adæ verbis addit: *Sacramentum hoc magnum eſt in Chriſto & in Eccleſia*. Ex quo infertur juxta Apoſt. Myſterium Incarnationis fuiſſe Adamo revelatum. Neque inde ſequitur ipſum præcognoviſſe ſuum peccatum, ad quod diluendum venturus erat Meſſias; potuit enim abſolute cognoſcere illius futurum adventum, ignorato modo ſeu fine illius. 2. Certo revelatum fuit hoc myſterium Abrahæ, ipſumque Meſſiam ex ejus ſemine naſciturum, prout ipſe vaticinatus eſt filiis ſuis Gen. 49. Idem cenſendum de aliis Patriarchis, Prophetis & aliis Viris ſanctitate conſpicuis. Illud etiam cognoſcere poterant Judæi tam ex Scripturis, quam ex Majorum traditione. 3. Ex Gentibus revelatum fuit S. Viro Job Idumæo, ut patet ex his ejus verbis c. 19. *Scio, quod Redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum, quem viſurus ſum ego ipſe. & oculi mei conſpecturi ſunt & non alius*. Item Balaam Num. 24. ubi prædixit Meſſiam venturum his verbis: *Orietur ſtella ex Jacob*. De Sybillis dicemus in ſingulari Digreſſione.

DISSERTATIO II.

DE EXISTENTIA INCARNATIONIS CONTRA JUDÆOS.

ARTICULUS I.

Præmittenda de Divinitate Meſſiæ.

PER Incarnationem, ut ex dictis pervium eſt, nihil aliud intelligitur, quam unio duplicis naturæ divinæ & humanæ in una Verbi divini perſona; eatenus autem probamus hanc unionem eſſe peractam, quatenus evincimus Meſſiam adveniſſe, quia ſupponitur Meſſiam prænuntiatum futurum eſſe Deum ſimul & hominem. Ut ergo id gratis ſuppoſitum non dicatur, noſtræque probationi ſua vis & firmitas non deſit, neceſſe eſt hic præmittere, quæ certo probant divinitatem Meſſiæ. Unde

Dico: Meſſias prænuntiatus in Scripturis futurus eſt non homo purus, ſed Deus & homo cum hominibus converſans. Prob. diſertiſſimis Scripturæ teſtimoniis: 1. Baruch 3. dicitur: *Hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius adverſus eum: hic adinvenit omnem viam diſciplinæ, & tradidit illam Jacob puero ſuo & Iſrael dilecto ſuo. Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt*. Neque dici poteſt ipſum viſum & converſatum cum hominibus non in perſona naturæ noſtræ unita, ſed miracula patrando: ſic enim Baruch nihil ſingulare promiſiſſet in futurum tempus, ſi quidem Deus jam antea miracula plurima ediderat. Neque proprie dicitur Deus converſari nobiſcum ſola miraculorum patratione, niſi aliquam nobiſcum in natura unionem habeat.

2. Iſa. 9 *Parvulus natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis, & factus eſt Principatus ſuper humerum ejus; & vocabitur nomen ejus, admirabilis, conſiliarius, Deus fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis*. Et ſic legitur non ſolum in noſtra Vulgata, ſed etiam in Textu Hebraico, in Paraphraſi Chaldaica, in Verſione Syriaca & Arabica.

3. Jerem. 23. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & ſuſcitabo David germen juſtum, & regnabit Rex & ſapiens erit, & faciet judicium & juſtitiam in terra. In diebus illis ſalvabitur Juda, & Iſrael habitabit confidenter, & hoc eſt nomen, quod vocabunt eum, Dominus juſtus noſter*. In Hebræo pro *Dominus* eſt JEHOVA, quod ſimpliciter dictum nulli creaturæ appropriatur, ſed illi ſoli deſignando conſecratur, qui natura verus eſt Deus. Neque dicas nomen *Jehova* in Scriptura quandoque per tranſlationem tribui creaturis. Sic Gen. 22. Mons, in quo Abraham obtulit Sacrificium Deo, dictus eſt *Dominus videt*, uſurpato nomine JEHOVA, quia Deus ibi vidit, & approbavit obedientiam Abrahæ. Id, inquam, non obſtat, quia ibi mons non eſt dictus ſimpliciter JEHOVA ſeu *Dominus*, ſed cum addito ſignificante aliquam operationem, nempe *Dominus videt*: quare non ipſam eſſentiam divinam in his rebus ineſſe ſignificat nomen JEHOVA, ſed tantum aliquam Dei operationem in eis eluceſcentem: & ita ſimiliter in quibuſdam aliis locis, quæ opponuntur. At in eo loco a nobis laudato JEHOVA ſimpliciter ponitur.

4. Iſa. 45. *Hæc dicit Dominus: Labor Ægypti, & negotiatio Æthiopiæ, & Sabaim viri ſublimes ad te tranſibunt, & tui erunt, poſt te ambulabunt, vincti manicis pergent, & te adorabunt, teque deprecabuntur: tantum in te eſt Deus, & non eſt abſque te Deus. Vere tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael Salvator*. Hic, qui loquitur, verus Deus eſt: *Hæc dicit Dominus*; & is, quem alloquitur, eſt etiam verus Deus in ſalutem Iſrael miſſus, Deus, inquam, abſconditus a nobis adorandus & exorandus, abſque quo non eſt Deus. Quod confirmatur c. 48. *Audi me Jacob & Iſrael, quem ego voco: Ego ipſe, ego primus, ego noviſſimus. Manus quoque mea fundavit terram, & dextera mea menſa eſt Cœlos ... Accedite ad me & audite hoc: non a principio in abſcondito locutus ſum. Ex tempore antequam fieret, ibi eram: & nunc Dominus meus miſit me & ſpiritus ejus. Hæc dicit Dominus Redemptor tuus ſanctus Iſrael: Ego Dominus Deus tuus, docens te utilia, gubernans te in via, qua ambulas*. Hic, qui eſt rerum omnium finis & principium, Cœli & terræ conditor, conſequenter verus Deus, ſe dicit a Domino ſuo miſſum in ſalutem & redemptionem Iſrael. Ergo verus eſt Deus de Deo vero.

5. Characteres divinitatis Meſſiæ tribuuntur in Scripturis. 1. Æternitas: Michææ 5. *Et tu Bethleem Ephrata parvulus es in millibus Juda. Ex te enim egredietur, qui ſit Dominator in Iſrael, & egreſſus ejus ab initio a diebus æternitatis*. 2. Adorationis cultus ei a Regibus exhibendus. Pſ. 71. *Adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes ſervient ei*. 3. Totius mundi imperium: ibid. *Dominabitur a mari uſque ad mare, & a flumine uſque ad terminos orbis terrarum*. 4. Nomen ejus erit benedicendum in æternum: ibid. *Benedictum nomen majeſtatis ejus in æternum, & replebitur majeſtate ejus omnis terra*. Plura alia in eandem rem Scripturæ teſtimonia omitto, ne longior ſim.

Dices, Deuter. 18. Deus promittens Meſſiam Moyſi dicit ei: *Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum ſimilem tui*. Atqui non eſſet ſimilis Moyſi, ſed longe major, ſi foret Deus. Ergo. R. Meſſiam ratione humanitatis prænuntiari fore ſimilem Moyſi, non ratione Divinitatis. Chriſtum autem noſtrum eſſe verum Deum probatum habes contra Arianos & Socinianos in Tract. noſtro de Deo Trino Diſſert. prœm. art. 3. Require ibi.

His ergo præmiſſis, & ſuppoſito Meſſiam prænuntiatum futurum Deum & hominem, Myſterium Incarnationis peractum eſſe, demonſtratum manebit, ſi Meſſiam adveniſſe evincamus. Duo itaque hic contra Judæos a nobis præſtanda ſunt. Primum, Meſſiam revera adveniſſe. Secundum, hunc eſſe Jeſum Nazarenum. Primum ſeorſim articulo ſequenti probabimus; utrumque ſimul articulo ſubſequenti.

ARTICULUS II.

Utrum Meſſias advenerit?

DIco: Meſſias a Prophetis deſideratus, a Judæis expectatus jam pridem advenit.

§. I. *Prima probatio ex vaticinio Jacob.*

JAcob morti proximus filiis ſuis benedicens, & eis ventura fauſta prædicens Judam ſic alloquitur Gen. 49. NON AUFERETUR SCEPTRUM DE JUDA, ET DUX DE FEMORE EJUS, DONEC VENIAT QUI MITTENDUS EST, ET IPSE ERIT EXPECTATIO GENTIUM. Atqui Sceptrum de Juda & de tota gente Judaica jam pridem ablatum eſt, & Duces ac Principes de ejus femore jam diu deſierunt. Ergo venit jam pridem ille, qui a Deo mittendus eſt, hoc eſt Meſſias. Minor in propatulo eſt, non probatione firmanda, ſed oculis ſpectanda & manibus palpanda. A tempore enim, quo Jeruſalem eſt everſa, & templum igne abſumptum a Veſpaſiano & Tito, 36. annis poſt Aſcenſionem Chriſti gens miſera e ſua Regione pulſa, extorris & profuga ubique ſub aliarum nationum imperio ſervit, omni ſupremæ poteſtatis jure & titulo exuta; nec enim leges condit, nec gladii jus exercet, nec monetam cudit, nec bella indicit, nec fœdera ſancit, nec quidquam attentat eorum, quibus eſt ſuprema poteſtas, ſed utique alieni juris eſt, inviſa, deſpecta, omnium ludibriis expoſita: & quod Religionem ſpectat, eſt ſine Templo, ſine Altari, ſine Sacrificiis, ſine Sacerdotibus. Idque totum conformiter ad Prophetiam Oſeæ c. 3. *Dies multos ſedebunt filii Iſrael ſine Rege, ſine Principe, ſine Sacrificio, ſine Altari, ſine Ephod & ſine Teraphim*.

Neque dici poteſt hoc ultimum vaticinium ſpectare

Digitized by Google

tempus captivitatis Babyloniæ, non præſentem ſtatum Judæorum: nam conſtat ex l. 4. Reg. c. 25. & 2. Paralip. c. 30. Judæos in captivitate Babylonica habuiſſe ſuos Reges & Principes, Sedeciam, Joakimum ſeu Jechoniam, &c. Item ex 1. Paralip. habuiſſe ſuos Pontifices & inter alios Joſedech: Item & ſuos Prophetas, ut notum eſt, Jeremiam, Baruch, Danielem, &c. Item & penes eos jus necis & gladii in reos ſuos remanſiſſe probat judicium Suſannæ. Adde tempore captivitatis Babylonicæ plures Judæos Jeroſolymis ſubſtitiſſe, qui nomine fratrum ſuorum captivorum hoſtias offerebant ad aram Domini, quæ everſo templo reſidua erat. Baruc. c. 1.

Præcluduntur effugia Judæorum.

NIHIL non tentant Judæi adhibitis etiam fabulis & figmentis, ut effugiant vim ineluctabilem hujus argumenti, quo demonſtratur ad oculum jam pridem adveniſſe Meſſiam. Itaque

Objiciunt 1. hoc oraculo Jacobæo non deſignari Meſſiam, ſed quemdam alium, ſcilicet vel Moyſen, vel Saulem, vel Davidem, vel Jeroboamum, vel Nabuchodonoſorem, vel Cyrum. R. ex ipſo textu Scripturæ conſtat Meſſiam & non alium deſignari. Hæ namque duæ dictiones: *Qui mittendus eſt*, &, *Ipſe erit expectatio gentium*, aperte Meſſiam deſignant. Prima: nam quoties *mittendus*, ſive *venturus*, ſimpliciter & antonomaſtice legitur in Scripturis, ut hic, toties Meſſias deſignatur. Sic Moyſes petens a Deo, ut quantocius Meſſiam mitteret Exod. 4. *Obſecro*, inquit, *Domine, mitte quem miſſurus es*. Sic Habacuc 2. *Quia veniens veniet*. Sic Matth. 11. Delegati Judæorum Chriſtum interrogant: *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Similiter his particulis, *Et ipſe erit expectatio gentium*, paſſim in Scripturis Meſſias deſignatur. Pſ. 21. *Adorabuntur in conſpectu ejus univerſæ familiæ Gentium*. Pſ. 85. *Omnes gentes quaſcumque feciſti venient*. Iſa. 2. *Fluent ad eum omnes gentes*. Cap. 11. *Ipſum gentes deprecabuntur*. Aggæi 2. *Movebo gentes & veniet deſideratus cunctis gentibus*. Et alibi pluries.

Confi. ex eo quod ipſe textus Hebraicus & præcipuæ Verſiones indigitent Meſſiam. Textus Hebraicus, cui tenacius adhærent Judæi, ſic ad Literam redditur: *Non recedet ſceptrum de Juda & Legislator de interpedes ejus, uſque quo veniat Siloh, & erit ei obedientia populorum*. *Siloh* autem idem eſt ac mittendus ſeu miſſus: unde Natatoria Siloe *interpretatur miſſus* Joan. 9. LXX. Interpretes & ipſi Judæi ſic vertunt: *Non deficiet Princeps ex Juda & Dux de femoribus ejus, donec veniant quæ promiſſa ſunt ei, & ipſe eſt expectatio Gentium*. Hæc verba *Donec veniant quæ promiſſa ſunt ei*, quæ ponuntur pro *Siloh* textus Hebraici, aperte ſignificant, donec adimpleantur promiſſiones factæ Abrahæ, Iſaac & Jacob Gen. 12. 26. 28. Meſſiam oriturum ex eorum ſemine. Idem habent Textus Samaritanus & Syriacus, ſed clariſſime Chaldaicus ab ipſis Judæis paraphraſtibus adornatus Meſſiam ex ipſo nomine deſignat; ſic enim habet: *Non auferetur habens Principatum in domo Judæ, neque Scriba a filiis filiorum ejus, donec veniat* MESSIAS, *cujus eſt Regnum, & ipſum expectabunt gentes*. Sic etiam intellexerunt veteres Rabbini a Galatino recenſiti.

Expendamus modo quos fingunt Judæi hoc vaticinio deſignari. Quidam dicunt Moyſen, qui fuit liberator Iſraelitarum e captivitate Ægyptiaca. Verum ante Moyſen nullus Rex aut Dux fuit in domo Juda, neque in tota gente Judaica; & poſt Moyſen Reſpublica Judæorum tempore Judicum, deinde Regum, potentiſſimos Principes habuit, ita ut iſtud vaticinium *Non auferetur*, &c. intellectum de Moyſe omnino ſit falſum. Adde, quod Moyſes non fuerit expectatio, ſed Dominator Gentium.

Alii dicunt nomine *Siloh* in textu Hebraico deſignari Saulem, eo quod in urbe Siloh fuerit a Samuele unctus in Regem. At nec Saul ipſe fuit expectatio gentium, nec tempore ipſius ſceptrum receſſit de Domo Judæ, quin potius poſt ipſum in Davide & ejus poſteris maxime floruit. Adde Saulem non in Siloh, ſed in Ramatha unctum fuiſſe in Regem 1. Reg. 8.

Alii dicunt Davidem, eo quod unctus fuerit in Regem eo tempore, quo Arca de Siloh ſublata eſt. Sed idem quod ante, poſt Davidem diu ſtetit & floruit ſceptrum in Juda. Inſuper diu antequam regnaret David, imo & ante Saulem, Arca de Siloh ablata erat 1. Reg. 4. Alii dicunt Jeroboam, eo quod in Siloh Rex creatus ſit. Et hoc falſum; fuit enim creatus Rex in Sichem 3. Reg. 12. Inſuper regnante Jeroboam ſuper decem Tribus, non ideo fuit extinctum Judæ Regnum, ſed manſit penes Roboam & alios Nepotes Davidis. Nec poteſt dici Jeroboam ſicut nec David expectatio Gentium.

Alii dicunt Nabuchodonoſorem, ſed qua veriſimilitudine non liquet. Nam 1. Nabuchodonoſor Rex impius & ſceleratus non poteſt dici expectatio, ſed potius execratio Gentium. 2. Jacob fauſta vaticinabatur ſuis filiis, Nabuchodonoſor autem graviſſima ſervitute Judæos oppreſſit. 3. Quamvis Nabochodonoſor Joakimum ſeu Jechoniam Judæorum Regem exauthoraverit, Sedeciam ejus patruum Regem inſtituit 2. Paralin. 36. & Nabuchonoſore mortuo, Evilmerodach ejus Succeſſor Jechoniam vinculis ſolutum ſolio reſtituit 4. Reg. 25. totoque Captivitatis tempore permiſſum fuit Judæis, ſe ſuis legibus regere, ut jam dixi ſub finem probationis. Alii tandem dicunt Cyrum, qui Judæos a captivitate liberavit, & ideo Iſaias c. 45. vocat illum Chriſtum: *Hæc dicit Dominus*, inquit, *Chriſto meo Cyro, cujus apprehendi dexteram, ut ſubjiciam ante faciem ejus gentes*. At 1. etſi Cyrus poſſit dici expectatio Judæorum, quia illos a captivitate liberavit, non poteſt tamen dici expectatio Gentium, ſed potius debellator. 2. Poſt Cyrum Reſpublica Judæorum mutato regimine Monarchico in Ariſtocraticum, ſtetit ſub Ducibus ſuæ gentis uſque ad Herodem, ut videbimus infra. Deus autem apud Iſaiam vocat Cyrum Chriſtum meum, id eſt unctum a me in Regem, alludens ad Reges Hebræorum, qui unctione conſecrabantur, ſive quia Cyrus erat Typus & Imago Chriſti; imago autem ſortitur nomen ejus, cujus eſt Imago: ſic dicimus de Imagine S. Petri, hic eſt S. Petrus. Inſuper plura dicit ibidem Iſaias de Meſſia, quæ Cyro accommodari non poſſunt: inter alia; *Vere tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael Salvator*.

Objectio ſeu effugium ſecundum. Hac prima ſtatione pulſi Judæi, alio confugiunt; minorem argumenti noſtri propoſitionem univerſo orbi notam negant, contenduntque Sceptrum apud ſuos etiam nunc ſubſiſtere. Id autem ut probent, fictitia Regna nobis obtrudunt, fabulis nectunt, quibus aurito ſuo gregi illudunt. Imprimis Rabbi Benjamin Tudelenſis venditat neſcio quem *Æchmalotarcham* e Tribu Juda oriundum, quem Judæi Patriarcham appellant, quemque in Aſia regnare fabulantur. At vetus eſt hæc fabula, quam Origenes II. Eccleſiæ ſæculo jam propalatam exſufflavit l. 4. de principiis c. 1. Equidem non negamus ætate Origenis ab excidio Jeroſolymitano non longe diſſita remanſiſſe apud Judæos aliqua præteritæ auctoritatis veſtigia, & quandoque, permittentibus Romanis, jure gladii in ſuos uſos fuiſſe, ut eis de ſua gente ſive Regem, ſive Ducem, ſive Principem, ſive, ut iſti barbare loquuntur, *Æchmalotarcham* negamus, idque nullatenus probare poſſunt. Temporibus autem Origene poſterioribus hæc umbratilis poteſtas ſic evanuit, ut nec ubi ſit, nec ubi fuerit dici poſſit; ſed & ipſe Bejamin Tudelenſis hujus fabulæ buccinator ſe ea, quæ narrat, ex auditu tantum ſcire fatetur, unde nugivendum ſe prodit, idque ſaniores Rabbini ut figmentum rejiciunt & irrident.

Altera eſt fabula, Judæos in Syria habere Regnum florentiſſimum, ſed nullum inde nuncium ad nos commeare; quia interjacet flumen Sabbathicum, quod cum ſola die Sabbathi ſit navigabile, Judæis iter agere illa die non licet. Belle quidem fictum. At unde ergo illi fabulatores florentiſſimum Regnum didicere? Aut cur alterius gentis & Religionis nuncios, quibus licet Sabbatho iter agere, hujus Regni incolæ non mittunt aut excipiunt? Verum neque nugatores juvat flumen Sabbathicum. Vel enim juxta Plinium lib. 31. hiſt. nat. c. 2. dicitur Sabbathicum, quia ſex diebus continuo fluit, ſeptimo quieſcit, & alveum ſuum ſiccum relinquit: vel juxta Joſephum l. 7. de bello Jud. c. 24. dicitur Sabbathicum, quia Sabbatho fluit, ſex vero diebus paulatim decreſcit, & tandem areſcit; donec recurrente Sabbatho, iterum more ſolito fluat. Utcumque autem res ſe habeat, facile fuerit fictitiis illis Judæis trans illud habitantibus ad nos commeare. Sed quidquid fuerit antiquitus de iſto fluvio, nullus hujuſmodi nunc videtur in Syria.

Succurrunt alii circulatores. Quidam dicunt reliquias decem Tribuum, quas Salmanazar Aſſyriorum Rex in captivitatem abduxit anno ante Chriſtum 721. partim in Æthiopia, partim in Aſia, regna obtinere, ſed mœnibus igneis circumſepta. Ita Rabbi Simeon Jalcut. E contra Talmud Jeroſolimitanum eas collocat regnantes in America, ſed nubibus expanſis protectas, & a cæteris mortalibus ſeparatas. Rabbi Abraham Perizol aliquos Judæos ſceptra tenentes verſus Orientem locat, ſed montibus immenſis concluſos oſtendit. Ita ariolantur nugarum venditores, quibus ſuos gregales paſcunt. At dicant velim, ſi iſti Judæi regnantes, vel mœnibus igneis, vel nubibus expanſis, vel montibus immenſis a cæteris mortalibus ſint ſeparati, qua arte nuncii ex his Regionibus inacceſſis ad ipſos pervenerunt, ut ſcirent, quæ nobis venditant? Apage putidas fabulas, quas diutius refellere pudet.

Inſtans quidam, Judæos ſi non re & actu, jure ſaltem adhuc nunc Regnum obtinere, cum per injuriam a Romanis eo ſpoliati fuerint. R. 1. hac interpretatione ſemel admiſſa, nullum erit adventus Meſſiæ ſignum fixum, quod tamen intendit Jacob in ſuo vaticinio. Pati enim titulo Ju-

Judæi, a quocumque & quovis modo Regno ſpolientur, dicere poterunt ſe jure obtinere Regnum, quo quantum ad actum tantum per injuriam ſunt privati. Intelligendum eſt ergo vaticinium Jacobæum, non de ablatione juris, ſed de ablatione actualis poſſeſſionis. 2. Falſum, quod aſſerunt Judæi, ſe per injuriam fuiſſe Regno privatos, ſi quidem nonniſi in pœnam perduellionis, ſæpius moniti ut arma deponerent, a Romanis fuerint Regno ſpoliati. 3. Gente toto orbe diſſipata, confuſis Tribubus, everſo templo, amiſſo Sacerdotio, ſine quibus Reipublicæ Judaicæ forma ſubſiſtere non valet, quale jus ad Regnum penes Judæos ſtare poteſt?

Objectio tertia, ſeu tertium effugium. Recentiores Judæi, omiſſis præfatis figmentis, aliud effugium, ſi minus nugatorium, non tamen magis ſolidum commenti ſunt. Obſervant vocem hebraicam *ſceveth*, quam Vulgata noſtra *ſceptrum* vertit, ſignificare ſimpliciter virgam; Virga autem in Scripturis ſumitur vel pro virga regiminis, ut Pſ. 44. *Virga directionis, virga regni tui*, vel pro virga tribulationis, ut Pſ. 2. *Reges eos in virga ferrea*. Dicunt ergo vocem hebræam *ſceveth* in vaticinio Jacob non ſignificare imperium, ſed tribulationem, quam paſſuri ſunt Judæi uſque ad Meſſiæ adventum, & ſenſum eſſe: *Non auferetur virga tribulationis de Juda, donec veniat, qui mittendus eſt*; ſicque Meſſiam nondum veniſſe, quia Gens Judaica etiam nunc patitur tribulationem & perſecutionem. R. 1. eſto vocem *ſceveth* ſeorſim ſumptam æque ſignificare virgam ac ſceptrum, eoque nomine poſſe intelligi vel virgam tribulationis, vel virgam regiminis; ſecus tamen ſi ex adjunctis ſignificatio ambigua determinetur ad virgam regiminis, ſicut contingit in præſenti caſu. Dicit enim Jacob; non auferetur ſceptrum, ſeu ut volunt, virga de Juda & Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus eſt. Certum eſt autem, quod ille Dux non defecturus de femore Judæ, donec veniat Meſſias, non erit Tyrannus, ſed Princeps beneficus ſuis contribulibus & ſuæ genti. Ergo per *ſceveth*, non virga tribulationis, ſed regiminis debet intelligi. Et ita intellexerunt antiquiores & doctiores inter Judæos, LXX. Interpretes & Paraphraſis Chaldaica, ut vidimus ſupra. 2. Falſum eſt Gentem Judaicam poſt Judæ vaticinium ſub virga tribulationis perpetuo gemuiſſe, ſi quidem & tempore Regum a Davide uſque ad Sedeciam 500. annis, & a captivitate Babylonica ſub primatibus uſque ad Herodem excluſo exterorum Principum Dominatu ſuis legibus ſteterit & floruerit. Unde Vaticinio Jacob ſua non ſtaret veritas, ſi de virga tribulationis, & non regiminis intelligeretur. 3. Jacob moriens & benedictionem filio Judæ impertiens, non infauſta & mala, ſed fauſta & bona ei ominatur, ut patet ex toto contextu prophetiæ; non ergo virgam tribulationis, ſed imperii illi prænuntiat.

Objiciunt 4. Promiſſionem factam Meſſiæ venturi ſub certo & deſignato tempore fuiſſe conditionatam, ſi nempe Judæi legem Dei ſervarent, pietatemque colerent, quod cum non præſtiterint, in aliud tempus dilatus eſt Meſſiæ adventus. R. 1. Quando Prophetiæ conditionate efferuntur in Scripturis, vel ibidem, vel alibi conditiones apponuntur & deſignantur. Quæ autem abſoluta efferuntur ſine conditionibus ibidem vel alibi appoſitis, non conditionate ſed abſolute ſunt intelligendæ; alioquin nulla foret Prophetia, quæ ſimili exceptione non poſſet eludi. Porro promiſſiones Meſſiæ venturi ſive in Jacobæo vaticinio, dum auferetur ſceptrum de Juda, ſive in Prophetia Danielis, poſt ſeptuaginta hebdomades, ſive in Aggæo & Malachia ſtante adhuc templo a Zorobabel inſtaurato & alibi, abſolutæ ſunt nullis adjunctis conditionibus, a quibus deſignati temporis ratio pendeat. 2. Meſſias venire debuit in remedium peccati. Ergo abſonum eſt ejus adventum eſſe dilatum ob peccata, ſicut abſonum foret adventum Medici differri ob ingraveſcentem morbum infirmi, cum potius inde debeat accelerari. 3. Meſſias venturus erat non ſolum in ſalutem Judæorum, ſed omnium hominum; ut quid ergo propter peccata unius populi tantum diſpendium omnibus aliis intuliſſet, eos ſuo adventu privando, quaſi gentes peccata Judæorum luere debeant? 4. Si adventus Meſſiæ ſit ob peccata Judæorum dilatus in aliud tempus, quam quod in Prophetis eſt deſignatum, dicant ergo, qui id effutiunt, quodnam ſit illud tempus. Incertum eſſe dicunt. Ergo in incerto fluctuamus, & evidenti periculo errandi circa adventum Meſſiæ, quod ſumma rei eſt, exponimur. Hoc autem eſt graviſſimum & non ferendum inconveniens.

Objiciunt 5. Hæc dictio *Donec* non ſemper ſignificat ceſſationem rei, de qua eſt ſermo, ſed quandoque ejus continuationem cum interventu alicujus alterius, cui dictio *donec* adjungitur. Sic Gen. 8. de Corvo dicitur: *Non revertebatur, donec ſiccarentur aquæ ſuper terram*: quo non ſignificatur corvum rediiſſe poſt ſiccatas aquas, ſed nec tunc rediiſſe, poſtquam ſiccatæ ſunt aquæ. Sic de Joſepho & Maria ſcribit Matth. c. 1. *Et non cognoſcebat eam donec peperit filium ſuum primogenitum*. Quibus non ſignificatur Joſephum poſt partum Mariæ illam cognoviſſe, ſed quod nec poſt partum illam cognoverit. Similiter, inquiunt, *Donec* in vaticinio Jacob non ſignificat ceſſationem Regni Judaici, dum veniet Meſſias, ſed ejus continuationem adveniente Meſſia; ita ut ſenſus ſit: non auferetur Sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, quando veniet Meſſias. Hanc autem interpretationem non ſolum Judæi, ſed etiam inſignes Scriptores Catholici, Cajetanus, Huetius & alii amplectuntur. R. Quamvis dictio *Donec* aliquando in Scripturis ſignificet rei continuationem, frequentius tamen ſignificat rei deſitionem; ſic Geneſ. 26. *Iſaac ibat proficiens atque ſuccreſcens, donec magnus effectus eſt*. Sic Judic. 4. *Filii Iſrael creſcebant quotidie, & forti manu opprimebant Jabin Regem Chanaan, donec delerent eum*; & alibi ſæpe: atque hic eſt vulgaris & communis ſenſus hujus vocis *Donec*. Hoc autem ſenſu debere intelligi in vaticinio Jacob patet 1. Quia Jacob in hoc vaticinio voluit deſignare tempus adventus Meſſiæ. Atqui juxta interpretationem, quam impugnamus, nullum eſt determinatum tempus hujus adventus; cum enim dicunt, non auferetur Sceptrum de Juda, quando veniet Meſſias, nullum huic adventui tempus determinatum aſſignant. 2. Quia veteres Judæi, ſcilicet Paraphraſis Chaldaica, Rab. Salomon, Rab. Kimchi, Joſephus l. 3. de Bello Jud. c. 28. & l. 7. Jud. 31. ſic intellexerunt hanc particulam, ut ſignificaret deſitionem Regni Judaici adveniente Meſſia: & hic ſenſus erat ita intimus & communis apud Judæos, ut dum intellexerunt Sceptrum a gente ſua defeciſſe in Herode, quidam ipſum Herodem, quidam Jo: Baptiſtam, alii, inter quos Joſephus, Veſpaſianum eſſe Meſſiam dixerint. 3. Hæc Judæorum interpretatio ſupponit Sceptrum in Juda ſubſiſtere adveniente Meſſia; dicunt enim, non auferetur Sceptrum de Juda, quando veniet Meſſias. Ergo quando veniet Meſſias, erit Sceptrum in Juda, quod non auferetur. Atqui gens miſera a 1700. annis & amplius infelici novit experientia ſceptrum in Juda non ſubſiſtere, ſecluſa omni ſpe illud recuperandi juxta Prophetiam Jerem. c. 19. *Contriti ſunt ſicut vas figuli, quod non poteſt ultra inſtaurari*: & alteram Iſa. c. 25. *Poſuiſti civitatem in tumulum; urbem fortem in ruinam, domum alienorum, ut non ſit civitas, & in ſempiternum non ædificetur*.

Opinio autem Cajetani & Huetii in immenſum diſtat ab interpretatione Judæorum. Docent quidem Doctores Catholici To *Donec* ſignificare, adveniente Chriſto, non deletionem, ſed continuationem Regni Judaici, ſed commutati in ſpirituale: quaſi dixiſſet Jacob: non auferetur Sceptrum de Juda, dum veniet Meſſias, quia veniens illud commutatum in ſpirituale poſſidebit æternum. Et hæc interpretatio ſalvat vim oraculi Jacobi. Si enim Judæ Sceptrum non niſi commutatum in ſpirituale ſit a Chriſto in æternum poſſidendum, tunc neceſſe eſt Chriſtum adveniſſe, quando hæc commutatio facta eſt: eſt autem facta hæc commutatio, quando deſiit eſſe temporale, & deſiit eſſe temporale, quando periit in Herode.

§. II. *Secunda Probatio ex 70. hebdomadibus Danielis.*

ANno ultimo captivitatis Babylonicæ, regnante Dario, cui eodem anno ſucceſſit Cyrus, ante Chriſtum natum 536. Danielem Prophetam orantem, & peccata populi ſui plangentem ſic affatus eſt Angelus Gabriel: *Septuaginta hebdomadæ abbreviatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper urbem ſanctam tuam, ut conſummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur juſtitia ſempiterna, & impleatur viſio & prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo & animadverte: Ab exitu ſermonis, ut iterum ædificetur Jeruſalem uſque ad Chriſtum ducem, hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ erunt. Et rurſum ædificabitur platea & muri in anguſtia temporum: & poſt hebdomades ſexaginta duas, occidetur Chriſtus, & non erit ejus populus, qui eum negaturus eſt. Et Civitatem & ſanctuarium diſſipabit populus cum duce venturo, & finis ejus vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, & in medio hebdomadis deficiet Hoſtia & ſacrificium. Et erit in Templo abominatio deſolationis, & uſque ad conſummationem & finem perſeverabit deſolatio*. Dan. c. 9. Subſumo. Atqui non alius quam Meſſias hoc vaticinio deſignatur, & tempus ibidem definitum ejus adventus jam dudum eſt elapſum. Ergo jam dudum Meſſias advenit. Utraque pars Minoris eſt probanda.

Prob. 1. pars. Hoc vaticinio ille venturus promittitur, qui prævaricationem conſummabit, qui delebit iniquitatem, qui juſtitiam ſempiternam adducet. Ecquis ille, niſi Meſſias? Item promittitur is, qui viſiones & prophetias implebit, & hic fuit Meſſias, ad quem omnes Prophetiæ diriguntur: is qui ungetur Sanctus Sanctorum, & ita paſſim deſcribitur Meſſias in Scripturis: is tandem, qui confirmabit pactum Dei cum hominibus, quo nota Iſaias c. 42. 49. Meſſiam deſignat. Ergo.

Prob.

Digitized by Google

Prob. 2. pars Min. In Scriptura duplex tantum invenitur hebdomadum acceptio, una dierum Levit. 23. Altera annorum Levit. 25. Septuaginta hebdomades dierum conficiunt 490. dies, ſeu 16. menſes: ſeptuaginta hebdomades annorum conficiunt 490. annos. Initium 70. hebdomadum Danielis ſumi debet *ab exitu ſermonis, ut iterum ædificetur Jeruſalem*, ut fert Prophetia; ille autem ſermo, vel intelligitur promiſſio facta a Deo Iſa. 44. & 45. Jerem. 27. & 29. Baruch 2. ipſi Danieli 9. & aliis. Vel intelligitur Edictum Regium de reſtaurando civitate datum, ſive a Cyro 1. Regni ſui anno, ſive ab Artaxerxe Longimano 7. ſui Regni anno, ſive ab eodem 7. Regni ſui anno. Vel *exitus ſermonis* intelligitur non ipſa promiſſio aut Edictum de reædificanda civitate, ſed completa ejus reædificatio, quæ contigit anno 23. Artaxerxis ſecundum aliquos; vel 32. ſecundum alios. Hæ ſunt enim diverſæ Auctorum opiniones. Atqui quovis modo accipiantur hebdomades ſive dierum ſive annorum, & a quocumque tempore ſumatur earum initium, certo certius eſt hoc anno, quo 2290. ab eo Danielis vaticinio numeremus, has 70. hebdomadas effluxiſſe. Ergo certo certius eſt Meſſiam advenisſe.

Solvuntur Objectiones Judæorum.

OBJ. 1. Judæi hoc vaticinio non indicari Meſſiam, ſed vel Cyrum Perſarum Regem, vel Zorobabelem, vel Jeſum Joſedech, vel Nehemiam Duces Iſraelitarum in reditu a captivitate, vel etiam Agrippam juniorem, qui fuit occiſus in excidio Jeroſolimitano. R. hanc objectionem aperte repugnare textui Vaticinii. 1. Quia in nullo ex aſſignatis reperiuntur characteres a Daniele deſcripti. Nullus enim ex his fuit Sanctus Sanctorum, juſtitia ſempiterna, auctor novi fœderis, qui peccatum deleret. 2. Quatuor primi, Cyrus, Zorobabel, Jeſus Joſedech & Nehemias vivebant tempore vaticinii, cum tamen ille, cujus adventus prænuntiatur ab Angelo, non ſit futurus niſi poſt ſeptuaginta hebdomades. 3. Zorobabel, Jeſus Joſedech & Nehemias non fuerunt occiſi; id etiam probabilius eſt de Cyro, & tamen Chriſtus in vaticinio prænuntiatus eſt occidendus. Falſum eſt quoque Agrippam Juniorem fuiſſe occiſum in excidio Jeroſolymitano, cum teſte Joſepho l. 2. de bello Jud. cap. 16. & Tacito l. 5. hiſt. Agrippa uſque ad finem vitæ amicitia fuerit junctus Romanis, & a Veſpaſiano amiciſſimus habitus.

Objiciunt 2. Has hebdomadas non eſſe annorum ſimpliciter, ſed vel decenniorum, ita ut unaquæque hebdomada 7. decades annorum id eſt annos 70. conficiat; vel hebdomades Jubilæorum, ita unaquæque 350. annos compleat; vel hebdomadas ſæculorum. R. id eſſe vacui cerebri figmentum, ſi quidem in Scripturis nonniſi dierum vel annorum hebdomades memorentur; & quæ in illo vaticinio prænuntiantur, ſcilicet everſio Civitatis & Templi, ſacrificia abolita, a mille ſeptingentis annis & amplius contigerint; cum tamen iſtæ hebdomades vel decenniorum, vel jubilæorum, vel ſæculorum nondum nunc pro minori parte effluxerint.

Inſtant. Danielis oraculo promittuntur tempora, quibus *finem accipiat peccatum, deleatur iniquitas, & adducatur juſtitia ſempiterna.* Atqui perinde nunc graſſantur omnia vitiorum genera. Ergo. R. Senſum hujus Prophetiæ non eſſe, quod adveniente Chriſto, nullum amplius futurum ſit peccatum, nullus iniquus, ſed omnes juſti; ſed quod hominum peccata, quæ Sacrificiis legis veteris expiari non poterant, ſanguine Chriſti eluerentur; quod uberiora auxilia ad ſectandam juſtitiam conferrentur; quodque tandem chyrographum peccati, quo diabolus genus humanum obſtrictum tenebat, Meſſias ſua morte deleret.

Objiciunt 3. ex vaticinio Danielis haberi quidem Meſſiam venturum poſt ſeptuaginta hebdomades, at non ſignificari venturum ſtatim poſt illas expletas, ſed indefinite & indeterminate venturum poſt illas. Addunt alii certum numerum ſeptuaginta hebdomadum poni pro incerto & indeterminato, ut ſæpe fit in Scripturis, v. gr. Matth. 18. *Non dico tibi uſque ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties.* Apocal. 7. *Ex tribus Juda duodecim millia ſignati, &c.* R. ad 1. Hoc Danielis vaticinio ſignificari Meſſiam venturum non poſt 70. hebdomadas completas, ſed intra illas & in medio ultimæ eſſe occidendum. Ad ſecundum. Quamvis in Scripturis aliquando ponatur numerus certus pro incerto, non tamen ſemper, neque in præſenti caſu: 1. Quia iſtæ 70 hebdomades diſtribuuntur per varios eventus, quibus ſuum tempus determinari neceſſe eſt, ut mox dicam. 2. Quia Daniel intendebat conſolari populum ſuum ſpe brevi venturi Meſſiæ; quæ fuiſſet autem conſolatio, ſi nullum tempus ejus adventus determinaſſet? 3. Quia oportebat tempus adventus Meſſiæ certo determinari, ne in incerto ſemper fluctuaremus, & evidenti periculo errandi in re ſumma exponeremur.

Illæ ergo 70. hebdomades ab Angelo in tres partes diſtribuuntur, & unicuique ſuus eventus aſſignatur. 1. Numerat 7. hebdomadas, quarum ſpatio, hoc eſt annis 49. ædificata eſt civitas: quamvis enim muri ob irruentes hoſtes 52. diebus fuerint erecti, non tamen plateæ, ut loquitur Angelus, ſtrata viarum, publica ædificia, fora, ciſternæ, aquæ ductus & alia, quæ deſtruxerat Nabuchodonoſor. Poſtea aſſignat 62. hebdomadas, quæ poſt 7. primas effluxerunt uſque ad occiſionem Chriſti; non quidem quod hic eſſet occidendus illis ſtatim finitis, ſed hebdomada ſequenti ſeptuageſima, in qua confirmabit pactum ſeu teſtamentum novum, prædicando, converſando, miracula edendo, tribus circiter annis, & ſic in medio hebdomadæ Septuageſimæ, id eſt exactis tribus primis annis cum medio, deficiet hoſtia & legis ſacrificium, ceſſabitque figura in ſacrificio crucis, & poſt hæc ſequetur abominatio deſolationis ut de facto evenit. Quod autem objici poſſet hanc Meſſiæ promiſſionem eſſe conditionatam, ſolutum eſt §. præced.

Objiciunt 4. Danielem non annumerari inter Prophetas, R. non annumerari inter Prophetas quoad modum vivendi; quia Judæi eos ſolos dicebant Prophetas, qui ſolitariam vitam agebant, annumerari tamen inter Prophetas quantum ad opus; Judæi enim illud habent pro Canonico & divinitus inſpirato, exceptis ultimis capitulis, ſicut habent libros Davidis & Salomonis, etſi eos inter Prophetas non recenſeant.

§. III. *Tertia Probatio ex Prophetis, Aggæo & Malachia, prædicentibus Meſſiam oriturum ſecundo Templo.*

CUM legerit populus Judaicus ſecundum templum a Zorobabele & Jeſu Joſedech reſtauratum, priori templo per Nabuchodonoſorem combuſto, majeſtate & magnificentia eſſe longe inferius, Deus Populum ſuum conſolaturus commendat hujus ſecundi templi prærogativas, quibus priſtinum ſuperaret, his verbis apud Aggæum c. 2. *Adhuc unum modicum eſt, & ego commovebo cœlum & terram & mare & aridam, & movebo omnes gentes, & veniet DESIDERATUS cunctis gentibus, & implebo domum iſtam gloria, dicit Dominus exercituum... Magna erit gloria domus iſtius noviſſimæ pluſquam primæ, dicit Dominus exercituum: & in loco iſto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.* Et Malachiæ ultimi Prophetarum c. 3. *Ecce ego, inquit Dominus, mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam, & ſtatim veniet ad templum ſuum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus teſtamenti, quem vos vultis: Ecce venit, dicit Dominus exercituum.* Subſumo. Atqui deſideratus cunctis gentibus, qui cœlum, terram & univerſos populos in unius Eccleſiæ fidem commovere debet, qui pacem animarum hominibus cum Deo reconciliatis daturus eſt, qui gloria & majeſtate ſua hoc ſecundum templum plus illuſtrare debet quam fuerit primum, tandem Dominator & Angelus teſtamenti, ille ipſe, inquam, Meſſias eſt, & non alius. Ergo venit Meſſias ſtante ſecundo templo. Ergo ante tempora Veſpaſiani & Titi, a quibus hoc templum ultimo everſum eſt.

Objiciunt Judæi, 1. majorem hujus ſecundi templi gloriam inde requirendam eſſe, quod Alexander Magnus aliquando ſupplex ad illud acceſſerit, & quod Herodes multis muneribus illud exornaverit. 2. Majorem illius ſecundi templi gloriam dictam eſſe, quod diutius duraverit quam primum. Primum enim duravit tantum 422. annis. Secundum 570. 3. Tandem in eo reponendam eſſe majorem ejus gloriam, quod extructum fuerit invitis & repugnantibus hoſtibus, primum autem ſumma pace. R. ad primum 1. neque Alexandrum, neque Herodem poſſe dici Deſideratum cunctis gentibus, neque Angelum teſtamenti ab Hebræis expetitum. 2. Alexander aut Herodes non plus contulit gloriæ huic ſecundo templo, quam unus Salomon, Alexandro & Herode major, contulerit primo. Ad 2. gloriam hujus ſecundi templi non repetit Deus a diuturnitate majori, ſed ex præſentia Meſſiæ deſiderati cunctis gentibus, & ex pace illius ab eodem omnibus concedenda. Ad 3. gloria, quam promittit Deus, futura eſt; illa autem, quæ fingitur ex difficultate operis, præterita eſt.

ARTICULUS III.

De peracto Incarnationis Myſterio in Jeſu Nazareno.

ARTICULO præc. invincibiliter demonſtravimus contra Judæos Meſſiam ſimpliciter adveniſſe; nunc huic veritati alteram adjungimus, utramque ſimul contra eoſdem probandam ſuſcipimus, ſcilicet & Meſſiam adveniſſe, & hunc eſſe Jeſum Nazarenum. Unde dico: Meſſias jam pridem advenit, & is fuit Jeſus Nazarenus Virginis Mariæ Filius a Judæis crucifixus.

Digitized by Google

§. I. *Prima Probatio Petita ex jam laudatis Vaticiniis Jacob & Danielis.*

JAcob & Danielis Vaticinia de Meſſia venturo ſunt adimpleta in Jeſu Nazareno. Ergo venit Meſſias, & is eſt Jeſus Nazarenus. Quantum ad Propheriam Danielis, omnes Meſſiæ venturi circumſtantiæ in eo notatæ apprime Jeſu Nazareno conveniunt, & manifeſte in eo ſunt adimpletæ. 1. Prænuntiatur a Daniele is, cujus adventu ceſſabunt Prophetæ; ceſſaſſe autem Prophetias in adventu noſtri Chriſti negare non poſſunt Judæi, aut dicant, qui inter illos Propheta ſurrexit ab iſto tempore. 2. Prænuntiatur is, quo occiſo, Civitas Jeruſalem & Sanctuarium diſſipabuntur, quod accidiſſe poſt mortem Chriſti ſub Veſpaſiano & Tito nemini non notum eſt. 3. Prænuntiatur is, quo adveniente deficiet Hoſtia & Sacrificium, utrumque defeciſſe adveniente Chriſto, vel inviti fatentur Judæi. 4. Prænuntiatur is, quo mortuo erit in Templo abominatio deſolationis uſque ad conſummationem & finem duratura; hanc experitur gens miſera, quæ Templo poſt occiſum Chriſtum noſtrum deſolato ubique erat deſpecta, inviſa, ſine patria, ſine Templo, ſine Sacerdote, ſine Sacrificio, ſine Principe. 5. Tandem tempore noſtri Chriſti abſolutus eſt numerus 70. hebdomadum, ſeu 490. annorum. Initium enim harum hebdomadum ſumi debet ab Edicto de reædificanda Civitate, ut expreſſe dixit Angelus Danieli: *Ab exitu ſermonis, ut iterum ædificetur Jeruſalem, uſque ad Chriſtum ducem*. Exiit autem illud Edictum anno 7. vel 20. Artaxerxis Longimani, ut patet 1. Eſd. & 2. Eſd. 1. & 2. A Regno autem Artaxerxis uſque ad ſeptuageſimam hebdomadam incluſive, in cujus medio occiſus eſt Chriſtus, Chronologi exacte computant 490. annos. Quantum ad Vaticinium Jacob pariter eſſe impletum in Chriſto prob. 1. Fuit expectatio gentium, ſeu ut in textu Hebræo legitur, ei fuit obedientia populorum, dum gentes ejus Religionis jugum ſponte ſubierunt, & ei per fidem & obedientiam adhæſerunt. 2. Natus eſt eo tempore, quo defecit ſceptrum in Juda, regnante ſcilicet Herode alienigena.

Obſervandum eſt non ſimul & ſemel collapſam eſſe totam Judæorum Rempublicam, ſed gradatim ad conſummatam ruinam perveniſſe. Imprimis Pompejus Jeruſalem armis expugnavit, Templum polluit, & Judæos Romanis vectigales fecit, Joſeph. l. 14. antiquit. c. 8. & de bello Judai. l. 1. c. 5. 2. Herodes Aſcalonita paulo poſt, anno ſcilicet ante Chriſtum quadrageſimo, invitis Judæis obtinuit precario Regnum Judææ a Romanis, quod 3. annis ipſi firmatum eſt, ducto in captivitatem Antigono Machabæorum Rege ultimo. Idem Antiquit. l. 14. c. 26. 3. Herodes exauthoravit Sanehdrim, omnibus Senatoribus, uno excepto occiſis, eiſque Plebejos ſubſtituit. Idem ibid. c. 17. 4. Auguſtus, Archelao, Herodis filio & ſucceſſore Viennam in exilium pulſo, Judæam in Provinciam redegit, miſſo ad eam adminiſtrandam Procuratore ſeu Præſide, primum Coponio, deinde Pilato, juſque gladii Judæis ademit. Idem l. 18. antiq. c. 1. & de bello Jud. l. 2. [illegible]. Unde Judæi tempore Paſſionis Chriſti Joan. 18. dicebant: *Nobis non licet occidere quemquam*. Et 19. *Non habemus Regem niſi Cæſarem*. 5. Tandem Civitate a Veſpaſiano per Titum everſa & Templo exuſto, tota Reſpublica penitus extincta eſt. Inter has igitur cadentis Reipublicæ Epochas natus eſt Chriſtus, anno ſcilicet 40. & ultimo Regni Herodis poſt expugnatam urbem a Pompejo, poſt conſtitutum Regem extraneum & exauthoratum Conſilium Sanhedrim, ante vero Judæam redactam in Provinciam ac extinctam penitus Rempublicam, adeoque eo tempore, quo jam defecerat ſceptrum in Juda, & erat proxime totaliter & conſummate defuturum. Sicque aperte in eo verificatur Jacobæum Vaticinium.

Verum ut hujus probationis vis & veritas tota pateat, duo ſunt hic diſcutienda, quæ inter Doctores Catholicos controvertuntur. I. quid nomine *Judæ* in Vaticinio Jacob ſit intelligendum; an ſola Tribus Judæ, an tota gens Judaica? II. utrum Herodes reipſa fuerit alienigena? Quamvis enim omnes agnoſcant Jacobi Vaticinium in Chriſto eſſe adimpletum, non tamen omnes id uno modo explicant.

Quantum ad 1. Qui volunt propheriam Jacob intelligendam eſſe de ſola Tribu Juda, dicunt vel Machabæos, qui diu ante Chriſtum regnarunt, fuiſſe de Tribu Juda ex parte Matris, vel penes hanc Tribum ſemper manſiſſe jus ſceptri uſque ad Herodem. Qui vero volunt in hac Prophetia intelligi totam gentem Judaicam, abſque difficultate oſtendunt perennitatem ſceptri in illa uſque ad Herodem.

Quantum ad 2. Qui volunt Herodem eſſe genere Judæum, dicunt, pulſo in exilium Archelao Herodis magni filio & ſucceſſore, Regnum Judææ fuiſſe a Romanis redactum & diviſum in quatuor Provincias ſeu Tetrarchias, & cuique Provinciæ ſeu Tetrarcham, ſeu Præſidem fuiſſe deſtinatum, dicente Luc. 3. *Anno quinto decimo Imperii Tiberii Cæſaris procurante Pontio Pilato Judæam, Tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre ejus Tetrarcha Iturææ & Trachonitidis Regionis, & Lyſania Abylinæ Tetrarcha, ſub Principibus Sacerdotum Anna & Caipha, factum eſt verbum Domini ſuper Joannem Zachariæ filium in deſerto*. (Herodes & Philippus erant filii magni Herodis, fratres Archelai) Itaque, inquiunt, ſceptrum a Juda ablatum eſt, vel ipſo Herode regnante, quia quamvis eſſet genere Judæus, tamen neque jure hæreditario, neque electione gentis, ſed jure fiduciario Regnum a Romanis obtinuerat: vel tempore diviſionis, præſidentibus præfatis Tetrarchis, qui a Cæſaris nutu in ſuæ Provinciæ regimine pendebant; neque erant, duo ſaltem Pilatus & Lyſania, proſapia Judæi; idque agnoſcebant Judæi, qui tempore Paſſionis Chriſti dicebant Pilato Joan. 18. *Nobis non licet occidere quemquam*. Et 19. *Non habemus Regem niſi Cæſarem*. Neque obſtat, quod Marcus c. 6. vocet hunc Herodem Regem, ſic enim vocat, tum quia poteſtas Tetrarchæ erat quaſi Regia: tum quia ſe accommodabat mori populi, qui adulatorie vocabat Herodem Regem, ne minor Patre videretur. Et aliunde certum videtur, quod Herodes nullam haberet poteſtatem in Judæam, ſed in Galilæam tantum, ut patet, tum ex Luc. cit. tum ex eo, quod Pilatus audiens Jeſum eſſe Galilæum ipſum ad Herodem tanquam ejus ſubditum remiſerit, tum denique quia alioquin Judæi, non Pilatum ſed Herodem Judicem appellaſſent in cauſa Chriſti. Si dicas ipſum Herodem gladio animadvertiſſe in Joannem, R. id feciſſe vel uſurpatione Juriſdictionis, vel in ſua Tetrarchia Galilææ. Non obſtat etiam, quod Pilatus dixerit Judæis de Chriſto Joan. 19. *Accipite eum vos, & crucifigite*; hoc enim dixit pro hac vice tantum, ut a condemnatione Chriſti, qua angebatur, ſe extricaret.

Alii, qui eamdem de genere Judaico Herodis ſententiam tenent, & exiſtimant in ejus nepotibus perſeveraſſe poteſtatem Regiam (Herodes Agrippa enim nepos Magni Herodis obtinuerat a Caligula, deinde a Claudio poteſtatem cum titulo Regis in præfatas Tetrarchias rurſus coadunatas, quod etiam ejus filio Agrippæ videtur fuiſſe conceſſum, uſque ad excidium Jeroſolymitanum) dicunt ſceptrum ablatum fuiſſe a Juda tantum anno poſt Chriſtum natum 70. in everſione Jeruſalem ſub Veſpaſiano & Tito. Neque id putant repugnare Jacobæo Vaticinio: quia, inquiunt, (Et ita nos ipſi dicimus) To *Donec* in magnis eventibus, & qui procul admodum ac longiſſime prænuntiantur, non denotat præciſe diem, menſem, aut annum, ſeu diſtinctum & determinatum tempus, ſed indiſtinctum & circa circumſtantias non incongrue dicimus: *Non ſuſcitabitur Anti-Chriſtus, donec mundi finis adveniat*. Quo loquendi modo non ſignificamus mundi finem obventurum, vel priuſquam ſuſcitetur Anti-Chriſtus, vel eo præciſe tempore, quo ſuſcitabitur, ſed eo circiter tempore Anti-Chriſtum ſuſcitandum, quo mundi finis adveniet. Ita pariter ſenſus hujus propoſitionis; *Non auferetur ſceptrum de Juda, donec veniat Meſſias*, eſt, quod eo circiter tempore, quo ſceptrum de Juda auferetur, Meſſias adveniet, ſive paulo ante, ſive paulo poſt.

Hæc dicta ſint, ut innoteſcat, non obſtante opinionum diverſitate circa propoſitas difficultates, Catholicos tamen omnes agnoſcere Jacobi Vaticinium in Chriſto eſſe impletum, & ex eo recte probari ipſum eſſe Meſſiam. Nunc quid de illis difficultatibus ſit probabilius, eſt expendendum.

PRIMA DIFFICULTAS.

Quid nomine Judæ in Jacobæa Vaticinio ſit intelligendum, an ſola Tribus Judæ, an tota gens Judaica?

DIco. Probabilius eſt nomine Judæ in Vaticinio Jacob, non ſolam Tribum Judæ, ſed totam gentem Judaicam eſſe intelligendam. Inprimis eſt SS. Patrum, S. Juſtini in Dialogo cum Tryphone Judæo, S. Athanaſii Lib. de Incarnat. S. Chryſoſtomi hom. 67. in Gen. Euſeb. l. 8. Demonſt. Evang. & l. 1. Hiſt. c. 6. S. Ambroſii Lib. de Bened. Patriarch. c. 4. S. Auguſt. l. 18. de Civit. Dei c. 45. S. Cyrilli Alex. l. 7. Glaphyrorum in Geneſ. & aliorum.

Prob. Longe ante Chriſtum ſceptrum defecit in Tribu Juda. Ergo Vaticinio Jacob deeſſet ſua veritas, ſi intelligeretur de ſola Tribu Juda, & non de tota gente Judaica. Prob. Ant. ex hiſtoria Judæorum. Omitto, ſoluta captivitate Ægyptiaca, cum populus Iſrael factus eſt ſui juris, per trecentos circiter annos tempore Judicum, nullum ex Tribu Juda, præter Othonielem & Abeſan, obtinuiſſe Principatum; quia ſcio Adverſarios reſpondere in Vaticinio Jacob non agi de initio, ſed de fine ſceptri in Tribu Judæ, & ſenſum eſſe, non eſſe ab ea auferendum, ex quo ſemel in ea fuerit, donec adveniat Meſſias. Scrutemur ergo ſequentia tempora.

A Da-

Digitized by Google

A Davide uſque ad captivitatem Babylonicam ſubſtitit ſceptrum in Tribu Juda, annis circiter 500. Nabuchodonoſor abducto in captivitatem Joachimo, ſeu altero nomine, Jechonia, loco ejus conſtituit Regem ſuper Judam & Jeruſalem Sedeciam Joachimi ſeu Jechoniæ Patruum, At poſtea ipſum Sedeciam, prius occiſis ejus filiis, deinde effoſſis ei oculis, pariter abduxit captivum in Babyloniam. Mortuo Nabuchodonoſore anno trigeſimo ſeptimo captivitatis, Evilmerodach ejus ſucceſſor iterum Joachimum ſeu Jechoniam ſublevavit ſuper Thronum, & ejus Thronum poſuit ſuper Thronum Regum, qui erant cum eo in Babylone 4. Reg. 25. Et hi ſunt duo ultimi Reges de ſtirpe David & de Tribu Juda.

Quantum ad Sedeciam, certum eſt ipſum nullos habuiſſe Regni hæredes & ſucceſſores, cum omnes ejus filii ante conſpectum ejus fuerint occiſi a Nabuchodonoſore, & Regum familiæ Davidicæ habeatur ultimus. De Joachimo ſeu Jechonia idem dicendum eſſe evincit Jeremiæ oraculum contra ipſum pronuntiatum c. 22. *Scribe virum ſterilem, virum, qui in diebus ſuis non proſperabitur. Nec enim erit de ſemine ejus vir, qui ſedeat ſuper ſolium David, & poteſtatem habeat ultra in Juda.*

Neque dicas filios aut nepotes Joachimi ſeu Jechoniæ non quidem ſediſſe ſuper ſolium David, nec habuiſſe poteſtatem regiam, habuiſſe tamen Ducalem, aut aliter ſupremam, ut patet in Zorobabele Joachimi ſeu Jechoniæ nepote per Salathielem. Contra eſt enim, quod Jeremias deneget poſteris Joachimi ſeu Jechoniæ non ſolum poteſtatem regiam, ſed & poteſtatem ſimpliciter qualemcumque ſupremam, quam a regia diſtinguit: *Nec erit*, inquit, *de ſemine ejus, qui ſedeat ſuper ſolium David, & poteſtatem habeat ultra in Juda*; poteſtas autem Ducalis ſeu aliter ſuprema eſt ſimpliciter & abſolute poteſtas.

Quod autem dicitur de Zorobabele, qui ſit nepos iſtius Jechoniæ per Salathielem, error eſt: non enim Zorobabel, qui reduxit Judæos e captivitate, & a quo ortus eſt Meſſias, fuit nepos iſtius Jechoniæ ſeu Joachim, ſed alterius Jechoniæ ejus Patrui, qui dicebatur etiam Johanan. Ita conſtat ex Genealogia Chriſti apud Matth. c. 1. ubi ſic legitur: *Joſias autem genuit Jechoniam & fratres ejus in tranſmigratione Babylonis*; erant autem tres fratres hujus Jechoniæ, ſcilicet Joakim, qui fuit Pater Joachim Jechoniæ, Sedecias, & Sellum ſeu Joakas: proſequitur Evangeliſta; *Jechonias autem*, abſque dubio Johanan filius Joſiæ, non Joachim Jechonias filius Joakimi, niſi velis mancam eſſe Genealogiam: Jechonias igitur ſeu Johanan *genuit Salathiel, Salathiel autem genuit Zorobabel*. Ergo Zorobabel abuſive recenſetur inter poſteros iſtius Joachim, ſeu Jechoniæ a Deo maledicti. Sed eſto fuerit Joachim Jechoniæ nepos, nihil nocet; vel enim fuit tantum ductor redeuntium e captivitate abſque principatu, qui Jeſu Joſedecho fuerat conceſſus, ut multi volunt; vel ſi fuerit etiam Dux & Princeps, ejus principatus in eo deſiit, nec ullum e Tribu ſua ſupremæ auctoritatis ſucceſſorem habuit. Notum eſt enim ex Joſeph l. 11. Antiq. c. 4. Judæorum Rempublicam, ſoluta captivitate Babylonica, regiminis Ariſtocratici formam induiſſe, rerumque ſummam penes ſummos Sacerdotes extitiſſe. Quin etſi id non ita conſtaret de tempore, quod anteceſſit Machabæos ſeu Aſſamonæos, ſaltem nemini dubium eſt Machabæos ſeu Aſſamonæos annis 150. & amplius ante Chriſtum natum obtinuiſſe ſupremam poteſtatem, quandoque Ducis, quandoque Principis, quandoque etiam Regis titulum præferentes.

Machabæos autem fuiſſe non de Tribu Juda, ſed de Tribu Levi apertiſſime evincitur ex Scriptura l. 1. Machab. c. 2. v. 1. Mathathias Machabæorum Pater dicitur *filius Joannis filius Simeonis Sacerdos ex filiis Joarib*. Et v. 25. Ipſe Mathathias dicit ſe ex Phinee oriundum: *Phinees*, inquit, *Pater noſter zelando zelum Dei, accepit teſtamentum Sacerdotii æterni*. Phineem autem & Joaribum fuiſſe Aaronis nepotes ideoque ex Tribu Levi habetur lib. Num. c. 25. & l. 2. Eſd. c. 11. Id etiam demonſtratur ex eodem l. 1. Machab. c. 13. & 14. ubi Simon filius Mathatiæ dicitur ſummus Sacerdos, magnus Dux & Princeps Judæorum. Nemo autem neſcit Sacerdotes extitiſſe non de Tribu Juda, ſed de Tribu Levi, Deo ita jubente Num. c. 16.

Neque obſtat, quod l. 1. Machab. c. 5. de Machabæis loquatur: *Et viri Juda magnificati ſunt valde in conſpectu omnis Iſrael & gentium omnium, ubi audiebatur nomen eorum*; quo loco deluſus eſt Annalium Parens Baronius. His enim verbis *Viri Juda* non ſignificantur viri de Tribu Juda, ſed fratres & ſocii Judæ Machabæi, qui præliabantur cum illo, ut indicat verſus ſequens: *Et exivit Judas & fratres ejus & expugnabant Eſau*, &c. Et apertius textus Græcus, qui tollit æquivocationem ſic vertens: *Et vir Judas & fratres* ejus glorificati ſunt valde.

Huic invincibili argumento duo reponunt Patroni adverſæ ſententiæ. Quidam dicunt Machabæos fuiſſe de Tribu Juda, ſi non ex parte Patris, ſaltem ex parte Matris: quamvis enim, inquiunt, eſſet prohibitum Tribubus inter ſe matrimonio jungi, id tamen Tribubus Judæ & Levi fuiſſe licitum probat matrimonium Aaronis cum Eliſabeth filia Aminadab de Tribu Juda, & Jojadæ Pontificis cum filia Joram etiam de Tribu Juda. Item cognatio Mariæ de Tribu Juda cum Eliſabeth de Tribu Levi. Et quamvis maternum genus apud Hebræos pro nullo habeatur ad genealogiam texendam, valet tamen in ordine ad ſceptrum, ut patet in Athalia & Debora. Sed contra 1. Incredibile eſt omnes ſummos Sacerdotes, Hebræorum Duces per 500. & amplius annos ſemper duxiſſe uxores ex Tribu Juda, nunquam ex ſua aut ex altera, vel ſemper prognatos ex Matre de Tribu Juda obtinuiſſe Principatum, non enim tunc hæreditario jure obtinebatur, in quo caſu ſatis fuiſſet primum Ducem duxiſſe uxorem de Tribu Juda, ſed plerumque electione concedebatur.

2. Dato hoc moraliter impoſſibili, non ideo ſequitur ſceptrum toto iſto tempore fuiſſe in Juda, quia revera apud Hebræos maternum genus non attenditur non ſolum ad texendam Genealogiam, ſed etiam in ordine ad ſceptrum, ſicut non attenditur in ordine ad Sacerdotium, juxta dictum Thalmudicum, *Familia Matris non vocatur familia*. Quemadmodum ergo ex eo, quod aliqui de Tribu Levi duxerint uxores de Tribu Juda, non ideo dicere poſſumus Sacerdotium fuiſſe in Tribu Juda, dicente Apoſt. Heb. 7. *Manifeſtum eſt, quod ex Juda ortus ſit Dominus, in qua Tribu nihil de Sacerdotibus Moyſes locutus eſt*. Ita ex eo, quod prognati ex Tribu Levi duxerint uxores de Tribu Juda, dici non poteſt ſceptrum in Tribu Juda fuiſſe.

3. Admiſſa hac Adverſariorum Reſponſione, ſequitur, quod neque in Herode, neque in ejus filiis ſceptrum a Juda defecerit, quia Herodes duxerat uxorem Mariannam de genere Machabæorum, ideoque ſecundum datam Reſponſionem de Tribu Juda; quam tamen ſequelam non admittunt adverſarii.

Quantum ad id, quod opponitur de Athalia & Debora, R. Athaliam tyrannice uſurpaſſe ſex annis ſceptrum nepotis ſui Joas Ochoſiæ Regis filii, qui ope Joiadæ Pontificis, extincta Athalia, Thronum conſcendit. Quoad Deboram, eſto ſimul cum Barac judicaſſet Iſrael, de quo non omnes conveniunt, id in ea ſingulare fuit & veriſimiliter ex extraordinario Dei munere ad tempus; confecto enim bello, auctoritatem ipſamet ſoli Barac conceſſit; ideoque in exemplum trahi non poteſt.

Alii reſpondent ſceptrum penes Tribum Juda ſemper ſubſtitiſſe, quatenus ipſa Tribus Juda, Machabæos in Principes eligebat, & ſervata proprietate Regni, ejus uſumfructum Tribui Levi concedebat, eo modo, inquiunt, quo dicitur ſceptrum Poloniæ eſſe penes Polonos, cujus proprietate ſervata uſum conferunt alicui extraneo, modo Gallo, modo Germano; alioquin ſequeretur Tribum Levi injuſte ac tyrannice uſurpaſſe Principatum. Sed contra 1. hæc Reſponſio ſupponit falſum, ſcilicet ſolam Tribum Juda conſtituiſſe Duces ſeu Principes ex Tribu Levi, cum conſtet ex l. 1. Machab. c. 9. & 14. omnes Tribus ad electionem Jonathæ & Simonis ſuffragatas fuiſſe: præterquam quod ſecutis temporibus non ſemper electione fierent Principes, ſed aliquando hæreditario jure, ut patet in Ariſtobulo, Hircano & alio Ariſtobulo. Ex quo ſequitur, quod Machabæi non tyrannice, nec injuſte Principatum uſurpaverint. Adde, quod ſceptri proprietatem & uſum amiſerat Tribus Juda in Jechonia, juxta oraculum Jeremiæ ſupra laudatum: *Scribe virum ſterilem*, &c. Inſuper ſi intelligatur Prophetia Jacob de ſolo jure ad regnum, nihil ex illa conficere poſſumus contra Judæos, qui contendunt ſolum uſum ſceptri a ſe eſſe ademptum, jus autem penes ipſos ſemper manere. 2. Ita ſit ut volunt: Jus Regni maneat penes Tribum Juda, non ideo verificatur vaticinium Jacob, ſi de ſola Tribu Juda intelligatur; quia Jacob non ſolum prædixit perennitatem ſceptri in Tribu Juda, ſed etiam Duces ſemper de ſuo femore naſcituros. At Machabæi non poſſunt dici de femore ſpecialis perſonæ Judæ nati, quantumvis precariam auctoritatem ab ejus Tribu habuerint; ſicut Poloni, quod eſt exemplum Adverſariorum, poſſent quidem dicere habere apud ſe jus ſceptri, Reges tamen exteri, quos conſtituunt, non poſſunt dici de ſanguine Polono prognati.

Supereſt una difficultas, nec ipſa contemnenda, quæ contra ſententiam noſtram opponi ſolet; hæc eſt. Jacob morti proximus unicuique filio propria prædixit. Dicitur enim ipſum ſingulis filiis benedixiſſe *benedictionibus propriis* Gen. 4. Atqui ſi oraculum de ſceptro ex ejus Tribu nunquam defecturo, ipſi directum, non ad ſolam ejus Tribum, ſed ad totam gentem pertineat, propria Judæ benedictio non fuiſſet. Ergo. Adde propoſitionem antecedentem & ſequentem in hoc oraculo ſpectare ſpecialiter Tribum Judæ; quidni media?

R. Equidem in hoc vaticinio propoſitionem antecedentem: *Te laudabunt fratres tui, adorabunt te filii Matris tuæ*; & ſequentem: *Ligans ad vineam pullum ſuum*, &c.

quo

quo indicatur fertilitas terræ, quam habitatura erat Tribus Juda, eſſe benedictionem propriam Judæ; at mediam non illi ſoli perſonaliter, ſed illi ut totam gentem repræſentanti adſcribere cogit veritas hiſtoriæ. Non ergo camit Judas benedictione propria, ſed ultra propriam accepit alteram toti genti communem. Cur autem benedictionem toti genti deſtinatam, potius Judæ, quam alteri dixerit Jacob? Multiplex adſertur ratio. 1. Quia Chriſtus ex illa Tribu erat oriturus, & Regnum temporale in ſpirituale atque æternum commutaturus, iſque honos interventu Tribus Judæ erat toti genti obventurus. 2. Quia ex Tribu Juda univerſus populus erat nomen accepturus, & præcipua Regni Judaici pars ac ipſa Regni Sedes Jeroſolyma, in ſorte Tribus Judæ futura erat. 3. Quia præ cæteris erat Regno deſtinata, & per quingentos annos ſceptrum habitura: quas Tribus Judæ prærogativas prænoſcens Jacob, Judæ nomen toti genti accommodavit, & partem populi nobiliſſimam pro toto populo poſuit, quemadmodum ſæpe in ſacris Litteris ponitur Jeruſalem ſeu Sion pro Judæis, Samaria pro Iſraelitis Babylon pro Chaldæis.

Brevius reſponderi poteſt, nomino Judæ intelligi quidem Tribum Judæ, ſed quatenus tantum in ea diutiſſime manſurum eſſet ſceptrum, & uſque ad tempus Chriſto proximum futurum eſſet in eo populo, qui a Juda paſſim denominaretur Judæus. In idem redit.

SECUNDA DIFFICULTAS.

Utrum Herodes fuerit genere Judæus, an alienigena?

Dico. Herodes, etſi Religione Judæus, genere tamen fuit alienigena. Ita ferme unanimiter cenſent SS. Patres, S. Juſtinus in dial. cum Tryphone, Origenes hom. 17. in Gen. Euſeb. l. 1. Hiſt. Eccleſ. c. 6. S. Epiphan. hæreſ. 20. Severus Sulpit. l. 2. hiſt. S. Hieron. in c. 3. Oſeæ, S. Auſt. l. 12. contra Fauſt. c. 47. S. Ambroſ. lib. de benedictionibus Patriarcharum, Theodoret. in Danie. c. 9. S. Cyrill. Alex. l. 7. Glaphyrorum in Gen. S. Eucher. Lugd. l. 3. comment. in Geneſ. Rupert. l. 5. comment. in Oſeam.

Ante hos omnes Joſephus, quo nemo melius cognoſcere potuit genus Herodis. Is lib. 14. Antiq. Judaic. c. 2. Antipatrum Herodis Patrem Idumæum dicit, & Nicolaum Damaſcenum ut adulatorem traducit, eo quod eundem Antipatrum Judæum genere poſuiſſet. *Amicus*, inquit, *Hircani Idumæus nomine Antipater vir perniciosus, natura factioſus & induſtrius, infenſus erat Ariſtobulo, eo quod ipſe ſtuderet partibus Hircani. Quamvis Nicolaus Damaſcenus hujus genus deducat a Principibus Judæorum, qui in Judæam venerunt ex Babylone; ſed hoc dicit in gratiam Herodis ejus filii, quem fortuna ad Judæum Regnum evexit.* Et l. 1. de bello Jud. c. 5. de eodem Antipatro dicit: *Erat autem genere Idumæus, & nobilitate & opibus gentis ſuæ Princeps.* Intelligit *Princeps*, non dominatione, ſed opibus; dicit enim l. 14. c. 18. de Herode ejus filio, quod ſit plebeio genere natus, & Regibus ſubjectus.

Obj. 1. Joſephus l. 20. Antiq. c. 6. refert, quod orta Cæſareæ inter Judæos & Syros rixa de civitatis jure, Judæi, ut illud obtinerent, contenderent Herodem Cæſareæ conditorem eſſe Judæum genere, nec id negaverint Syri. 2. Idem Joſephus l. 14. Antiq. c. 2. refert Nicolaum Damaſcenum coætaneum, Herodem genere Judæum dixiſſe. 3. Strabo l. 6. hiſt. Herodem vocat *Judæorum indigenam*. 4. Plures Judæi, Herodiani dicti, Herodem pro Meſſia habuerunt: reputabant ergo eum genere Judæum, cum nihil magis in Scripturis expreſſum ſit, quam Meſſiam ex gente Judaica, imo ex Tribu Juda & ex familia David eſſe oriturum. 5. Herodes dum concionem ad Judæos haberet, vocabat illos *contribules ſuos*, ut refert Joſephus l. 15. Antiq. c. 16. Ergo.

Ad 1. R. Joſephum ita quidem referre, at Judæos vera locutos fuiſſe non dicit; quin e contra aliis locis, ut vidimus, diſerte negat Herodem fuiſſe genere Judæum. Dixerint ergo obiter Judæi in contentione, Herodem eſſe genere Judæum, nec negaverint Syri, nihil probat, cum ibi non ageretur de genere Herodis, ſed de jure civitatis, quod pariter ſtetiſſet Judæis, etſi Herodes, Religione tantum fuiſſet, ut erat, Judæus. Ad 2. Joſephus ipſe, qui hæc de Nicolao Damaſceno refert, monet ipſum id adulatorie dixiſſe, ideoque nullam ipſi fidem eſſe adhibendam, ut vidimus in probatione. Ad 3. Strabo vocat Herodem Judæorum indigenam, quia natus eſt in loco, cujus incolæ erant Judæi Religione. Natus eſt enim Herodes inter Idumæos, ut mox dicam; Idumæi autem ab Hircano Judæorum Rege devicti circumciſionem & omnem ritum legis Moſaicæ admiſerant, ideoque Judæi Religione effecti, ut narrat Joſephus lib. 13. Antiq. c. 17. Aliunde potuit Strabo decipi in genere Herodis, ſicut deceptus eſt, cum dicit eum ad ſummum Pontificatum fuiſſe evectum. Ad 4. R. Herodianos, viliſſimam inter Judæos ſectam, ex adulatione Herodem ut Meſſiam coluiſſe. Nec mirum, cum ipſe Joſephus, vir aliunde veritatis amicus, l. 2. de bello Judai. c. 4. Veſpaſianum habuerit pro Meſſia, quamquam certo ſciret ipſum non eſſe genere Judæum. Nihil ergo inde evincitur pro genere Judaico Herodis: ſed inde evincitur eam tunc opinionem invaluiſſe apud Judæos, Meſſiam circa tempora Herodis naſciturum, ut revera natus eſt. Ad 5. Herodes vocabat Judæos contribules ſuos, quia ratione Religionis Judaicæ, quam profitebatur, erat populo Judaico aggregatus.

Inſt. Alienigenæ per Circumciſionem tam vere ſunt Judæi, quam Pagani per Baptiſmum ſunt Chriſtiani. Ergo. R. N. Ant. Diſparitas eſt, quod Judæi naſcantur, Chriſtiani autem fiunt, non naſcuntur, & inter eos nulla habetur ratio diverſæ originis, ut dicit Apoſt. Galat. 3.

Si objiciantur quidam Patres, longe plures eis opponimus. Quod autem poſſet opponi ex particula *donec*, qua videtur ſignificari prius venturum Meſſiam, quam deficiat ſceptrum de Juda, præventum eſt initio hujus articuli ante primam difficultatem. Inſuper addo, quod cum per gradus defecerit Judæorum Reſpublica, ut vidimus ibidem, poſſit etiam dici aliquo ſenſu Meſſiam veniſſe, priuſquam ſceptrum de Juda auferretur, ſcilicet totaliter & conſummate: ſiquidem id evenerit tantum in everſione urbis & diſperſione gentis: & quamvis ante id tempus abſolute loquendo ſceptrum ablatum fuerit in Herode, remanſit tamen ſemper quoddam veſtigium Reipublicæ, præſertim in ritibus Religionis & in antiquis ubique Nationis.

Obj. contra totam hanc probationem ex vaticinio Jacob deſumptam, ſive nomine Judæ intelligatur ſola Tribus Juda, ſive tota gens Judaica, ſive Herodes fuerit alienigena, ſive non, conſtat ſceptrum defeciſſe non ſolum in Tribu Juda, ſed in tota gente longe ante Herodem & Chriſtum noſtrum natum, nimirum in captivitate Babylonica. Ergo. R. N. Ant. Nam ut jam dixi, Nabuchodonoſor, abducto in captivitatem Jechonia, ejus loco Sedeciam Regem conſtituit; Sedecia extincto, Evilmerodach Nabuchodonoſoris Succeſſor Jechoniam iterum Regno reſtituit, conceſſumque fuit Judæis toto illo captivitatis tempore, ut ſecundum ſuas leges & ritus viverent, haberentque in ſuos jus vitæ & necis, ut patet ex judicio Suſannæ. Poſt captivitatem vero, reædificato templo, & forma regiminis in Ariſtocratiam mutata, Summi Sacerdotes Principatum obtinuerunt uſque ad Herodem, qui, expulſo Antigono Machabæorum ultimo, Regnum a Romanis obtinuit.

Petes 1. Si Herodes non fuerit ex genere Judæorum, ex quo ergo alio genere? R. juxta quoſdam fuiſſe genere Idumæum; juxta alios fuiſſe Aſcalonitam ſeu Philiſthæum; ſed iſtæ diverſæ opiniones conciliantur, ſi obſervemus cum Julio Africano apud Euſeb. l. 1. Hiſt. Eccleſ. c. 6. cum S. Ambroſ. l. 3. comment. in Luc. & S. Epiphanio hæreſ. 20. Antipatrum Herodis Patrem, & alterius Herodis, qui Aſcalone Templi Apollinis æditaus erat, filium, in prima pueritia a latronibus Idumæis in Idumæam fuiſſe abductum, ibidemque ad virilem ætatem degentem, hunc Herodem, de quo hic eſt quæſtio, procreaſſe. Unde iſte Herodes eſt dictus Idumæus a loco nativitatis, & Aſcalonita a Patris & avorum origine.

Petes 2. Quo ſenſus Chriſtus in vaticinio Jacob dicitur *Expectatio gentium*, & ab Aggæo c. 2. *Deſideratus gentibus*, cum ejus futuri adventus gentes nullam haberent notitiam? R. eo ſenſu id dictum eſſe, quo ſenſu res etiam inanimatæ dicuntur figurate expectare aut deſiderare, quæ illis ſunt neceſſaria, etſi illorum non habeant notitiam, ut *terra de cœlo pluviam expectare* dicitur Deut. c. 11. *Frumentum deſiderare nubes* Job. c. 37. *Area ſitire imbrem* Joel c. 1. Sic itaque gentes, ad quarum ſalutem adventus Chriſti erat neceſſarius, dictæ ſunt illum expectare & deſiderare, quamvis ipſis eſſet ignotus. Adde non eſſe verum univerſaliter adventum Meſſiæ fuiſſe ignotum gentibus, ut patet ex hiſtoria Job & Balaam.

§. II. *Secunda probatio ex Prophetiis prænuntiantibus circumſtantias Nativitatis, Vitæ & Mortis Meſſiæ adimpletis in Jeſu Nazareno.*

1. Meſſias debuit naſci Bethleem Mich. 5. *Et tu Bethleem Ephrata ... ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſrael, & egreſſus ejus ab initio a diebus æternitatis*; Jeſum Nazarenum natum eſſe Bethleem teſtatur Matth. 2. *Cum ergo natus eſſet Jeſus in Bethleem Juda.*

2. Meſſias erat oriturus ex Tribus Juda & ex familia David Iſa. 11. *Egredietur virga de Radice Jeſſe, &c.* Chriſtum noſtrum ex Davidis ſemine ortum probat ejus genealogia apud Matth. 1. Item naſciturus erat Meſſias ex Virgine Iſa. 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel*, &c. Id eſſe adimpletum

Digitized by Google

tum in Jeſu noſtro narrat Matth. 1. *Cum eſſet deſponſata Mater ejus Maria Joſeph, antequam convenirent, inventa eſt in utero habens de Spiritu S. . . . . Hoc autem totum factum eſt, ut adimpleretur, quod dictum eſt a Domino per Prophetam dicentem: Ecce Virgo in utero habebit filium.*

Scio Judæos multa opponere contra hoc Iſa. Vaticinium, quæ omnia diſcutere foret longioris otii. Inter alia dicunt vocem Hebræam *Haalma* non ſignificare neceſſario Virginem, ſed puellam adoleſcentulam, ſive Virginem ſive non. Verum obſervant Hebraicæ linguæ periti vocem hanc *haalma* cum articulo emphatico *ha* nullibi uſurpari in Scriptura, niſi pro puella Virgine. Unde Hieron. l. 1. cont. Jovin. *Oſtendant*, inquit, *Judæi in Scripturis alicubi poſitum haalma ubi adoleſcentulam tantum, non Virginem ſonet*. Aliunde Iſaias eo loco prænuntiat portentum ingens & inauditum: *Pete tibi ſignum a Domino*, inquit ad Achaz, *ſive in profundum Inferni, ſive in excelſum ſupra*. Quid vero novi & portenti haberet, ſi puella virum experta ſit filium paritura? Ita arguunt Tertull. lib. cont. Jud. c. 9. Origenes cont. Celſum, Euſeb. l. 1. Demonſt. Evang. & Hieron. in loc. cit. Iſaiæ.

3. Adventum Meſſiæ debuit præcedere, qui pararet vias ejus Malach. 3. Id præſtitit Jo. Baptiſta, qui fuit vox clamantis in Deſerto, & præceſſit Chriſtum in Spiritu & virtute Eliæ, ut ejus vias præpararet Matth. 2. & Luc. 1. Meſſiæ nomen futurum eſt Jeſus ſeu Salvator Iſa. 12. 51. 62. 63. Item Emmanuel Iſa. 7. Ita fuiſſe vocatum noſtrum Chriſtum narratur Matth. 1. & Luc. 1. Reges prædicuntur venturi ab Oriente Meſſiam adoraturi Pſ. 71. Id adimpletum in Chriſto legimus Matth. 2.

4. Meſſias venturus erat *ad medendum contritis corde & ad prædicandum captivis indulgentiam* Iſa. 61. Item ad ſalvandum nos & patranda miracula, *Deus ipſe veniet & ſalvabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt, tunc ſaliet ſicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum*, Iſa. 35. Hæc præſtitiſſe Chriſtum noſtrum experti ſunt ipſi Judæi, & paſſim teſtatur Evangelium.

5. Omnes circumſtantias Mortis, Paſſionis & Reſurrectionis Meſſiæ, quæ præſentibus & videntibus Judæis, atque in conſpectu orbis in Jeſu noſtro ſunt adimpletæ, ita diſtincte prænuntiant Prophetæ, ut non tam Prophetas quam Evangeliſtas egiſſe videantur.

Imprimis Sapiens c. 2. graphice deſcribit Impiorum conatus & oblocutiones adverſus Chriſtum, morte mque turpiſſimam illi ab eis definitam: *Tanquam nugaces æſtimati ſumus ab illo, & abſtinet ſe a viis noſtris tanquam ab immunditiis, & præfert noviſſima juſtorum, & gloriatur Patrem ſe habere Deum. Videamus, ſi ſermones illius veri ſint, & tentemus, quæ ventura ſunt illi, & ſciemus, quæ erunt noviſſima illius. Si enim eſt verus filius Dei, ſuſcipiet eum, & liberabit eum de manibus contrariorum. Contumelia & tormento interrogemus eum, ut ſciamus reverentiam ejus, & probemus patientiam illius. Morte turpiſſima condemnemus eum.* Hæc autem omnia contigiſſe in Chriſto noſtro, omnibus notum eſt.

Conſilium prævium Principum, Sacerdotum & Seniorum de Jeſu capiendo & tradendo morti prædixit David Pſ. 2. *Aſtiterunt Reges terræ & Principes convenerunt in unum, adverſus Dominum & adverſus Chriſtum ejus.* Chriſtus noſter venditus eſt triginta argenteis quibus emptus eſt ager figuli. Hoc prænuntiavit Zacharias c. 11. *Appenderunt mercedem meam triginta argenteos, & dixit Dominus ad me, projice illud ad ſtatuarium* (ſeu figulum) *decorum pretium, quo appretiatus ſum ab eis.* Jeſu noſter conſpuitur & in faciem cæditur: id non tacuerunt Prophetæ, Iſa. c. 50. *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus, faciem meam non averti ab increpantibus & conſpuentibus in me.* Thren. c. 3. *Dabit percutienti ſe maxillam, & ſaturabitur opprobriis.* Jeſus Nazarenus flagellis cæditur: & id a Davide prædictum Pſ. 34. *Congregata ſunt ſuper me flagella.* Pſ. 128. *Supra dorſum meum fabricaverunt peccatores.*

Chriſtus noſter a falſis teſtibus accuſatur. Ita Pſ. 34. *Surgentes teſtes iniqui, quæ ignorabam, interrogabant me.* Pſ. 26. *Inſurrexerunt in me teſtes iniqui, & mentita eſt iniquitas ſibi.* Manus ejus & pedes fuerunt perforati, ita prædictum a Regio Vate Pſ. 21. *Foderunt manus meas & pedes meos; & dinumeraverunt omnia oſſa mea.* Fuit crucifixus inter latrones. Sic Pſ. 53. *Cum ſceleratis reputatus eſt.* Diviſa ſunt ejus veſtimenta, miſſa ſorte in togam: & hoc prædicitur Pſ. 21. *Diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.*

Jeſu noſter pendens in Cruce fuit felle & aceto potatus. Ita prænuntiatum Pſ. 8. *Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto.* Irridetur a prætereuntibus capita ſua moventibus, & ei ſupplicia exprobrantibus. Pſ. 21. *Ego ſum vermis & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis. Omnes videntes me deriſerunt me, locuti ſunt labiis & moverunt caput: ſperavit in Domino, eripiat eum, ſalvum faciat eum quoniam vult eum.*

Jeſu noſtro moriente Sol paſſus eſt deliquium. Sic prænuntiavit Amos c. 8. *Et erit in die illa, dixit Dominus Deus, occidet ſol in meridie, & tenebreſcere faciam terram in die luminis.* Ejus manſuetudinem & patientiam in ſubeunda morte deſcribit Iſa. c. 53. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum. Sicut ovis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum. De anguſtia & judicio ſublatus eſt, generationem ejus quis enarrabit? Quia abſciſſus eſt de terra viventium. Propter ſcelus populi mei percuſſi eum.*

Jeſus noſter fuit ſepultus; nec id omiſit Iſa. c. 11. *Et erit ſepulchrum ejus glorioſum.* Reſurrexit; ita Pſ. 3. *Ego dormivi & ſoporatus ſum, & exurrexi, quia Dominus ſuſcepit me.* Aſcendit in Cœlum: ſic Pſ. 67. *Aſcendiſti in altum, cepiſti captivitatem, accepiſti dona in hominibus.* Miſit Spiritum S. & hoc annuntiavit Joel 2. *Effundam Spiritum meum ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri filiæ veſtræ.*

Si reſpondeant Judæi hæc omnia non eſſe prophetice dicta de Chriſto, ſed caſu & fortuito in eo contigiſſe; dicant ergo, de quo alio ſunt prophetice dicta, & in quo alio exitum habuerant. Quæ duo cum oſtendere non poſſunt, fateantur neceſſe eſt de noſtro Chriſto eſſe prænuntiata, in quo ad amuſſim impleta ſunt.

§. III. *Tertia Probatio ex his, quæ prænuntiata ſunt ex adventu Meſſiæ ſubſecutura, & quæ ex adventu Chriſti noſtri ſunt adimpleta.*

PRIMUM eſt vocatio Gentium & abolitio Idololatriæ: Gen. 20. ubi prædicitur Meſſias naſciturus ex ſemine Abrahæ: *In te*, inquit Deus, *benedicentur omnes cognationes terræ.* Et c. 22. *Benedicentur in ſemine tuo omnes Gentes terræ.* Et c. 49. dicitur Meſſias; *Expectatio Gentium.* Pſ. 2. *Poſtula a me, & dabo tibi Gentes & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Pſ. 71. *Dominabitur a mari uſque ad mare & a flumine uſque ad terminos orbis terrarum ... & benedicentur in ipſo omnes Tribus terræ, & omnes Gentes magnificabunt eum.* Iſa. 49. *Parum eſt, ut ſis mihi ſervus ad ſuſcitandas Tribus Jacob, & fæces Iſrael convertendas. Ecce dedi te in lucem Gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ.* Ibid. c. 19. *In die illa erit Altare Domini in medio Ægypti ... clamabunt enim ad Deum a facie tribulantis, & mittet eis Salvatorem & propugnatorem, qui liberet eos.* Ibid. c. 2. *Erit in noviſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes Gentes ... quia de Sion exibit Lex, & verbum Domini de Jeruſalem.* Ezech. 30. *Hæc dicit Dominus, diſperdam ſimulacbra, & ceſſare faciam idola de Memphis.* Zachar. 13. *Et erit in die illa, dicit Dominus exercituum, diſperdam nomina Idolorum de terra, & non memorabitur ultra, & Pſeudoprophetas, & ſpiritum immundum auferam de terra.* Lege in eandem rem Iſaiam a c. 42. ad 66. Jerem. c. 3. 4. 16. 31. Oſeam c. 1. 2. Joel c. 2. Amos c. 9. Mich. c. 4. Sophon. c. 2. & 3. Agg. c. 2. Zachar. 2. 3. 9. 13. & 14. Malach. c. 1.

Subſumo. Atqui Chriſtum noſtrum has primas Meſſiæ promiſſi partes adimpleviſſe vocando Idololatras ad verum Dei cultum per ſuos Apoſtolos & eorum Succeſſores omnibus eſt pervium, ita ut nunc in toto orbe vix ſit ulla natio, quæ verum Deum non cognoſcat & colat, & ſi ſit adhuc aliquis terræ angulus, in quo ſit ignotus, novis in dies miſſis Evangelii Prædicatoribus annuntiatur, ſicut hæc vocationis Gentium Prophetia in dies compleatur; donec in fine mundi conſummetur; juxta illud 1. Cor. 15. *Cum autem ſubjecta fuerint illi omnia, tunc & ipſe ſubjectus erit ei, qui ſubjecit ſibi omnia, ut ſit Deus omnia in omnibus.* Neque obſtat, quod inter colentes verum Deum ſint diverſæ Sectæ; ſufficit enim ad verificationem Prophetiæ, quod in qualibet ſecta verus Deus colatur. Sicut enim diverſæ ſectæ Samaritanorum, Saducæorum, Phariſæorum, Herodianorum & aliæ non officiebant veritati Religionis apud Judæos, ita diverſæ ſectæ Arianorum, Manichæorum, Neſtorianorum, Eutychianorum, Pelagianorum, Calviniſtarum, & Lutheranorum, non officiunt veritati Religionis inter Chriſtianos.

Dices. Ipſe Chriſtus Matth. 15. dicit mulieri Chananææ *Non ſum miſſus niſi ad oves, quæ perierunt domus Iſrael ... non eſt bonum ſumere panem filiorum & dare canibus.* Ergo. R. Quamvis Chriſtus fuerit miſſus ad ſalvandas Gentes, non tamen id per ſe, ſed per Apoſtolos præſtitit. Ipſe enim perſonaliter fuit miſſus ad populum Iſrael, ut in eo naſceretur, converſaretur, prædicaret & miracula faceret, quorum ipſe nihil per ſe fecit apud Gentes, ſed tantum per Apoſtolos. Unde fuit proprie Apoſtolus Judæorum, non Gentium, & ideo Paulus Rom. 15. Ipſum vocat, *Miniſtrum Circumciſionis*: & ſcribens ad Hebræos ſeu Judæos cap. 3. vocat eorum Apoſtolum. Quantum ad poſteriora verba, iis ſignificat nondum eſſe tempus auferendi Regnum Dei a Judæis & tradendi Gentibus. Id de-

mum fieri debebat poſt Chriſti Paſſionem per Apoſtolos, filiis, id eſt Judæis, panem illum rejicientibus, juxta illud Apoſt. Act. 13. *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, ſed quia repulitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes.*

Secundum. Adveniente Meſſia abolendum eſſe Sacerdotium Leviticum, & novum inducendum. Tribus conſtat Sacerdotium Leviticum, victimis offerendis, Sacerdotibus offerentibus, & loco Sacrificii: victimæ offerendæ erant certa genera animalium; Sacerdotes offerentes erant ex Tribu Levi & ex familia Aaron aſſumendi; locus Sacrificii erat, 1. Tabernaculum, deinde Templum Jeroſolymitanum, extra quod Sacrificium offerre prohibitum erat. Hæc tria ergo juxta Prophetarum oracula immutanda fore adveniente Meſſia, & eſſe mutata per Chriſtum noſtrum probare incumbit. Quantum ad Sacrificia. Imprimis nota eſt Prophetia Danielis c. 9. occiſo Meſſia, Sacrificia ceſſatura. *Poſt hebdomadas ſexaginta duas occidetur Chriſtus . . & in medio hebdomadis deficiet Hoſtia & Sacrificium.* Pſ. 49. *Audi populus meus, & loquar; Iſrael, & teſtificabor tibi, Deus Deus tuus ego ſum. Non in Sacrificiis tuis arguam te, holocauſta autem tua in conſpectu meo ſunt ſemper. Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos ..... immola Deo Sacrificium laudis, & redde Altiſſimo vota tua.* Quibus verbis ſignificat Deus ſe paratum eſſe ad Sacrificia ſuſcipienda, ſed velle aliud Sacrificium, quam quod Aaronico ritu celebratur pecudum mactatione. Lege Iſa. c. 1. Jerem. c. 2. Amos c. 5. Mich. c. 6.

Quantum ad Sacerdotes. Deus 2. omnes Judæos propter eorum ſcelera repellit a Sacerdotio, Oſeæ 4. *Conticuit populus meus eo quod non habuit ſcientiam: Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne Sacerdotio mihi fungaris; & oblita es Legis Dei tui, obliviſcar filiorum tuorum & ego.* Deinde Iſa. 66. declarat ſe Sacerdotes ex Gentibus, Africanis, Lydis, Græcis, Italis & aliis Nationibus, quæ Deum ignorant, aſſumpturum: *Ecce ego venio*, inquit, *ut congregem ex omnibus Gentibus & linguis, & venient & videbunt gloriam meam. Et ponam in eis ſignum, ut mittam ex eis, qui ſalvati fuerint, ad Gentes, in mare, Africam & Lydiam tendentes ſagittam, in Italiam & Græciam, ad Inſulas longe, ad eos qui non audierunt me, & non viderunt gloriam meam ... & aſſumam ex eis Sacerdotes & Levitas.*

Quantum ad Templum. In confeſſo eſt apud Judæos in ſolo Templo Jeroſolymitano licitum eſſe offerre Aaronica Legis veteris Sacrificia: & tamen Deus declarat futurum aliquando, ut grata ſint illi Sacrificia extra Templum Jeroſolymitanum, extra Judæam & in medio cæterarum Nationum oblata. Malac. c. 1. *Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra. Ab ortu enim ſolis uſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in Gentibus, in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum eſt nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum.* Iſa. 19. *In die illa erit Altare Domini in medio Ægypti ... & colent eum in Hoſtiis & muneribus, & vota vovebunt Domino & ſolvent.* Et quidem ſuppoſita vocatione Gentium, de qua probatione præcedenti, fieri non poſſet, ut Religio Meſſiæ eo Sacrificio ſtaret, quod in ſolo Templo Jeroſolymitano & a ſolis Judæis offerendum erat, cum non poſſent Gentes ex univerſo orbe ſtata die in hoc Templum convenire, Subſumo. Atqui ex Adventu Chriſti noſtri a mille ſeptingentis annis & amplius ceſſaſſe Sacrificia Legis Moſaicæ, Sacerdotes nullos amplius eſſe ex ſtirpe Aaron, nec eſſe poſſe, permixtis inter ſe Tribubus, & Templum Jeroſolymitanum eſſe ſolo adæquatum, patet omnium oculis. Ergo.

Objiciunt Judæi a Deo ipſo perennitatem eſſe promiſſam Sacerdotio Levitico Jerem. 33. *Hæc dicit Dominus: non interibit de David vir, qui ſedeat ſuper thronum domus Iſrael, & de Sacerdotibus & Levitis non interibit Vir a facie mea, qui offerat holocautomata, & incendat Sacrificium, & cædat victimas omnibus diebus .... ſicut enumerari non poſſunt ſtellæ Cæli & metiri arena maris, ſic multiplicabo ſemen ſervi mei & Levitas miniſtros meos.* R. Perennitatem Sacerdotii eo in loco promitti Tribui Levi, ſicut promittitur perennitas Sceptri domui Davidis: hæc enim duo in ea Prophetia junguntur. Conſtat autem ex aliis Scripturæ locis non promitti domui David perennitatem Sceptri abſolutam, ſed vel ad certum tempus, ſcilicet donec veniat, qui mittendus, vel conditionate, ſi poſteri David ſervent Legem. Ita ſimiliter perpetuitas abſoluta Sacerdotii non promittitur Tribui Levi, ſed vel uſque ad certum tempus ſcilicet Meſſiæ, vel conditionata, ſi Levitæ ſervent pactum; Alioquin cum certo conſtet Judæos a 1700. annis & amplius Sacrificio & Sacerdotio Levitico deſtitutos eſſe, non ſtaret Vaticinio Jeremiæ ſua veritas. Neque dicant Judæi utrumque & Sacerdotium & Sacrificium reſtitutum iri per ſuum, quem expectant, Meſſiam. Eſto ita eſſet. Ex quo tamen quod per 1700. annos utrumque ceſſaverit, falſum erit Dei promiſſum, quod fingunt abſolutum, quo pollicitus eſt futurum eſſe, ut de Sacerdotibus & Levitis non interiret Vir a facie ejus, qui offerret holocautomata, incenderet Sacrificium, & cæderet victimas omnibus diebus.

Tertium, Meſſias juxta vaticinia Prophetarum debuit Legem Moſaicam auferre, & novam condere: atqui id præſtitit Jeſus Nazarenus: ergo. Min. conſtat. Prob. Maj. 1. ex dictis. Si enim debuit Meſſias non Judæos tantum ſed omnes gentes in unius Religionis ſocietatem congregare, lex ſoli populo Judaico data tot diverſis gentibus accommodari non potuit: ſic v. g. Circumciſione, quæ inter hujus legis officia eſt præcipuum, non potuerunt initiari gentes, cum hæc inſtituta ſit, ut Judæos a gentibus diſtingueret; ſimiliter impoſſibile erat, ut ex omni parte Univerſi gentes confluerent ſtatis diebus ad Templum Jeroſolymitanum, extra quod omne Sacrificium erat ſacrilegum. Neceſſe ergo erat in hac hypotheſi converſionis Gentium, novam Legem condi, veteri abrogata. Item ſi debuit Meſſias Sacerdotio Aaronico ſublato novum inſtituere, debuit pariter vetere lege ſublata novam condere; cum enim pars maxima legis veteris poſita ſit in Cultu ac Religione Sacerdotii Levitici, eo ſublato, non poteſt ſubſiſtere.

Prob. eadem Maj. 2. expreſſis Scripturæ teſtimoniis, quæ prænuntiant novum & æternum fœdus, non cum ſolis Judæis, ſed etiam cum Gentibus. Iſa. 55. *Inclinate aurem veſtram, & venite ad me, audite & vivet anima veſtra, & feriam vobiſcum pactum ſempiternum, miſericordias David fideles. Ecce teſtem populis dedi eum & præceptorem Gentibus.* Et c. 61. *Dabo opus eorum in veritate, & fœdus perpetuum feriam cum eis, & ſcient in Gentibus ſemen eorum & germen eorum in medio populorum.* Vide ibid. c. 32. Ezech. 16. Oſeæ 2. Hoc autem pactum eſſe novum & diſtinctum ab eo, quod Deus inierat cum populo Iſraelitico, expreſſe docent Prophetæ, Baruch c. 2. *Et ſtatuam illis teſtamentum alterum ſempiternum, ut ſim illis in Deum, & ipſi mihi erunt in populum.* Jerem. c. 31. *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam Domui Iſrael & Domui Juda fœdus novum; non ſecundum pactum, quod pepigi cum Patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti, pactum quod irritum fecerunt, & ego dominatus ſum eorum, dicit Dominus, ſed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Iſrael, poſt dies illos dicit Dominus, dabo Legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam illam, & ero eis in Deum, & ipſi mihi erunt in populum.* Iſa. 2. *De Sion exibit lex & verbum Domini de Jeruſalem, & judicabit gentes & arguet populos multos.* Item Mich. 4. ex quibus liquidiſſime patet, novam legem temporibus Meſſiæ eſſe ſanciendam; legem a lege Moſaica populo Iſraelitico in egreſſu Ægypti data diſtinctam; legem non ſolis Judæis, ſed omnibus gentibus latam; legem denique non in tabulis lapideis, ſed in cordibus ſcriptam.

Adde ſæpe in Scripturis legis Moſaicæ ritus & ſolemnitates aliquando abolendos prænuntiari. Iſa. 1. *Neomenias & Sabbathum & feſtivitates alias non feram, calendas veſtras & ſolemnitates veſtras odivit anima mea.* Oſeæ 3. *Dies multos ſedebunt filii Iſrael ſine Rege, & ſine Principe, & ſine Sacrificio, & ſine Altari, & ſine Ephod, & ſine Teraphim.* Erat *Ephod* indumentum ſuperhumerale Sacerdotum; *Teraphim* erant imagines futura prænuntiantes. Vide ibid. c. 2. & Amos 5.

Objiciunt Judæi perennitatem Legis Moſaicæ eſſe aſſertam in Scripturis. Malach. ultimo: *Mementote Legis Moyſi ſervi mei, quam mandavi ei in Horeb ad omnem Iſrael præcepta & judicia. Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & terribilis, & convertet corda Patrum ad filios, ne forte veniam & percutiam terram anathemate.* Et idem noſter Chriſtus ne falſus propheta videretur, ſæpe proteſtatus eſt, ſe non veniſſe ſolvere legem, ſed adimplere. Et Deut. 4. dicitur: *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo: Cuſtodite mandata Domini Dei veſtri, quæ ego præcipio vobis.*

Ad 1. vel exponitur de 1. Meſſiæ adventu, & tunc per Eliam intelligitur Jo. Baptiſta, qui præivit Chriſto in ſpiritu & virtute Eliæ: vel exponitur de 2. adventu, & ſic quidem Legis Moſaicæ commendatur memoria recolenda, at non obſervantia; aut ſi obſervantia, hæc ſpectat præcepta moralia, quæ legi Evangelicæ ſunt communia, non cæremonialia, nec judicialia, quæ ſunt Legis Moſaicæ propria: & hoc ſenſu intellige, ſi quandoque in Scripturis Lex Moſaica dicitur æterna. Hanc ergo Chriſtus non ſolvit, abſolvit tamen; adimplevit, ſed adimplendo conſummavit ſubſtituendo antitypum figuræ. Ad 2. Præceptum non detrahendi verbo Dei adſtringit quidem Judæos, ſed non Deum ipſum. Verum nec ipſe detraxit verbo, quod locutus eſt Moyſi, ſed, ut dictum eſt, implevit.

In-

Inſtant. Ritus circumciſionis in Scriptura aſſeritur perpetuo duraturus. Gen. 17. *Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne maſculinum in generationibus veſtris tam vernaculus quam emptitius circumcidetur, eritque pactum meum in carne veſtra in fœdus æternum*. Ergo. R. 1. juxta linguæ hebraicæ peritos hanc vocem *æternum* expreſſam hebraica voce *Holam*, ut hic exprimitur, non ſemper ſignificare æternitatem proprie, ſeu durationem ſine carentem, ſed longum & diuturnum tempus, ut variis exemplis demonſtrat. 2. Eſto eo loci ſignificaret proprie æternitatem, nihil inde obtinent Judæi. Etenim hic duo adnotantur & diſtinguuntur, amicitia ſeu fœdus Dei initum cum Abraham, & ſignum hujus fœderis: Circumciſio non eſt ipſum fœdus, ſed ſignum fœderis juxta verſiculum præcedentem: *Circumcidetis carnem præputii veſtri, ut ſit ſignum fœderis inter me & vos*. Sit ergo amicitia ſeu fœdus Dei cum Abrahamo æternum, quod ſolum dicit Scriptura laudata; at ſignum hujus fœderis eſſe æternum negamus, nec ullo Scripturæ teſtimonio probari poteſt. Neque enim neceſſe eſt fœderis æterni ſignum eſſe æternum, cum ſæpe fœdus firmum & ſtabile ſigno fluxo & inſtabili firmetur, ut fœdus matrimoniale annulo, qui perdi poteſt aut deſtrui, permanente fœdere matrimoniali.

Urgent. Fœdus initum cum Abraham fuit initum cum ejus ſemine. Ergo. R. D. Ant. Fuit initum cum ejus ſemine fideli, quod fidem Abrahæ ſectaretur, & pactum non frangeret, C. Secus, N. Pacta enim mutua fide ſtant. Judæos autem hoc pactum irritum feciſſe teſtatur Scriptura, Jerem. 11. *Irritum fecerunt domus Iſrael & domus Juda pactum meum, quod pepigi cum Patribus eorum*. Oſeæ 6. *Sicut Adam tranſgreſſi ſunt pactum; prævaricati ſunt in me*. Pſ. 77. *Averterunt ſe, & non ſervaverunt pactum. Quemadmodum Patres eorum converſi ſunt in arcum pravum*. Poteſt iterum Antecedens diſtingui aliis terminis: fœdus initum fuit cum ſemine Abrahæ ſecundum ſpiritum, C. Secundum carnem, N. Vel cum ſemine Abrahæ circumciſo corpore, N. Circumciſo mente, C. Et hoc ſunt Chriſtiani, juxta illud Galat. 3. *Qui ex fide ſunt, ii ſunt filii Abrahæ*. Et Rom 9. *Non omnes, qui ex Iſrael ſunt, hi ſunt Iſraelitæ, neque qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes filii*.

§. IV. *Quarta probatio ex miraculis Chriſti comparatis cum miraculis Moyſis.*

ARGUMENTUM eſt ad hominem. Judæi probant divinam Moyſis miſſionem ex ejus miraculis: atqui miracula Chriſti ſunt numero, dignitate & aliis titulis longe præſtantiora: ergo vel divinam Chriſti noſtri miſſionem agnoſcant, vel Moyſen recuſent, neceſſum eſt. Prob. 1. pars Min. Judæi numerant 76. miracula Moyſis: hoc dato, quamvis poſſet negari, longe plura patravit Chriſtus, de quo Act. 10. dicitur: *Pertranſiit benefaciendo & ſanando omnes oppreſſos a Diabolo*. Unde Joannes cap. ultimo poſt recenſita plura Chriſti miracula, dicit: *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Jeſus, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe, eos, qui ſcribendi ſunt, libros*: & quamvis id ſit hyperbolice dictum, ſicut cum dixit Deus, quod multiplicarentur filii Abrahæ ſicut arenæ maris, attamen ſignificat maximam eſſe multitudinem.

Prob. 2. pars Min. Moyſes nulla edebat miracula niſi ex mandato Dei vel fuſis ad Deum precibus; quia non per virtutem ſibi innatam, ſed a Deo certis caſibus obtentam illa faciebat. At Jeſus per virtutem ſibi innatam & a ſe indiſtinctam, ubi vellet, quando vellet, etiam abſens, prodigia operabatur. Unde Matth. 18. dicit: *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cælo & in terra*. Quod ſi quandoque præmittebat orationem, id faciebat, non ex indigentia, ſed ut probaret veritatem ſuæ humanitatis, qua erat inferior Deo, & præberet nobis exemplum. Prob. tertia pars Min. Moyſes ſic miracula fecit, ut hanc poteſtatem aliis communicare non potuerit. At Chriſtus non ſolum ipſe miracula fecit, ſed & aliis miracula faciendi poteſtatem contulit: Matth. 10. *Infirmos curate, Mortuos ſuſcitate, Leproſos mundate, Dæmones ejicite, gratis accepiſtis, gratis date*.

Quidam hic proferunt Joſephi teſtimonium l. 18. Antiq. c. 4. Verum quamvis hoc teſtimonium eſſe genuinum ſit probabilius, ut oſtendam infra in Digreſſione ſpeciali; quia tamen ipſimet Scriptores Catholici inter ſe de illo diſputant, ipſeque Joſeph videatur loqui non ex propria ſententia, ſed ex ſententia eorum, qui adhærebant Chriſto, videtur inſufficiens hoc teſtimonium ad revincendos Judæos. Quapropter non immoror.

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones Judæorum.

PRÆTER argumenta hinc & inde propoſita & ſoluta, iterum objiciunt Judæi 1. Meſſiam Prophetarum vaticiniis prænuntiatum, urbem Jeruſalem & ipſum Salomonis Templum reſtauraturum, Judæoſque ex omni parte collecturum, ut illic veteri ritu ſacrificia offerant, ac in terra Patrum ſuorum beate ſecundum carnem vivant. Atqui nihil horum tempore Jeſu Nazareni experti ſunt, nec experiuntur modo, quippe qui adhuc miſere extorres & profugi ubique gentium vagantur ſine Templo, ſine Sacrificio, &c. Ergo. Probant Maj. ex Prophetis Amos, Jeremia & Ezechiele. Amos c. 9. Deum ſic loquentem inducit: *In die illa ſuſcitabo tabernaculum David, quod cecidit, & reædificabo illud, ſicut in diebus antiquis.... Convertam captivitatem populi mei Iſrael, & ædificabunt civitates deſertas, & inhabitabunt: & plantabunt vineas, & bibent vinum earum, & facient hortos, & comedent fructus eorum. Et plantabo eos ſuper humum ſuam, et non evellam eas ultra de terra ſua, quam dedi eis, dicit Dominus Deus*. Jerem. c. 29. *Reducam captivitatem veſtram, et congregabo vos de univerſis gentibus, et de cunctis locis, ad quæ expuli vos, dicit Dominus, et reverti vos faciam de loco, ad quem tranſmigrare vos feci*. Idem c. 31. dicit civitatem ſic inſtaurandam ut *non evellatur et non deſtruatur ultra in ſempiternum*. Ezech. 34. *Sicut viſitat Paſtor gregem ſuum in die, quando fuerit in medio ovium ſuarum diſſipatarum, ſic viſitabo oves meas, & liberabo eas de omnibus locis, in quibus diſperſæ fuerunt in die nubis & caliginis. Et educam eas de populis, & congregabo eas de terris, & inducam eas in terram ſuam, & paſcam eas, & in montibus excelſis Iſrael erunt paſcua earum*.

At quantum a vero aberrent Judæi, & vana ſpe deludantur, palam erit, ſi probemus juxta eoſdem & alios Prophetas, neque Jeroſolymam, neque Templum unquam eſſe inſtaurandum, neque populum Judaicum unquam colligendum. Iſa. c. 25. *Poſuiſti civitatem in tumultum, urbem fortem in ruinam, domum alienorum, ut non ſit civitas, & in ſempiternum non ædificetur*. Jerem. 19. *Hæc dicit Dominus exercituum, ſic conteram populum iſtum & civitatem iſtam, ſicut conteritur vas figuli, quod non poteſt ultra inſtaurari*. Amos 5. *Audite verbum iſtud, quod levo ſuper vos planctum. Domus Iſrael cecidit, & non adjiciet, ut reſurgat; Virgo Iſrael projecta eſt in terram, & non eſt qui ſuſcitet eam*. Daniel 9. *Et Civitatem & Sanctuarium diſſipabit populus cum Duce venturo, & finis ejus vaſtitas, et poſt finem belli ſtatuta deſolatio .... Et erit in Templo abominatio deſolationis, et uſque ad conſummationem et finem perſeverabit deſolatio*. Oſeæ 3. *Dies multos ſedebunt filii Iſrael ſine Rege et ſine Principe et ſine Sacrificio, et Altari, et ſine Ephod et Theraphin* (id eſt ſine Pontifice & Propheta) *et poſt hæc revertentur filii Iſrael, et quærent Dominum Deum ſuum, et pavebunt ad Dominum et ad bonum ejus, in noviſſimo dierum*. Si uſque ad noviſſimum diem manſuri ſunt ſine Sacrificio, ſine Altari, ſine Pontifice, nulla eſt ergo ſpes Templi reſtaurandi.

Ad ea ergo, quæ opponunt Judæi, R. Prophetas Amos, Jeremiam & Ezechielem, quos laudant in ſui erroris patrocinium, tempore captivitatis Babylonicæ prophetaſſe, & eos aliquo uſque ſpectaſſe reſtaurationem Jeruſalem & Templi, quæ facta eſt ſoluta captivitate, hic tamen non ſtetiſſe, ſed more ſuo a figura ad veritatem tranſvolaſſe, & in multis præſertim quæ ſpectant hujus reſtaurationis perennitatem, intendiſſe ſpiritualem Judæorum liberationem & myſticam Jeroſolymorum & Templi reſtaurationem, Eccleſiam ſcilicet a Chriſto inſtituendam & conſequendam. Id autem a nobis non eſſe gratis dictum, ut volunt Judæi, multiplex evincit ratio. 1. Quia hæc vaticinia litteraliter intellecta ſpectant, ut diximus, inſtaurationem Urbis & Templi ſub Cyro poſt ſolutam captivitatem factam: ſi ergo litteræ hæreamus, & perennitas hujus reſtaurationis promiſſa ad myſticæ Jeruſalem, Eccleſiæ ſcilicet inſtitutionem non referatur, non ſtabit his vaticiniis ſua veritas, cum conſtet Urbem & templum fuiſſe poſtea a Romanis incenſa & deleta. Neque dici poteſt Prophetas reſpexiſſe ad aliam perfectiorem Urbis & Templi reſtaurationem, quæ fieret per Meſſiam & in perpetuum duraret. Nam 1. contrarium expreſſe habemus Eſd. l. 1. c. 1. ubi dicitur mandatum fuiſſe a Cyro inſtaurationem ſoluta captivitate, *ut compleretur verbum Domini de ore Jeremiæ*. Ergo hanc inſtaurationem Jeremias & alii Prophetæ coætanei intendebant. 2. Quia alioquin aperte ſibi contradicerent Prophetæ, cum & Urbem & Templum ſemel deſtructa poſt primam reædificationem, nunquam reſtauranda, & populum nunquam colligendum diſerte prædixerint, ut vidimus.

2. Si quæ laudati Prophetæ prædixerunt de reſtaurandis Civitate & Templo, deque beatis temporibus Judæorum in priſtinas ſedes revocatis & collectis litteraliter intelligantur, ſequuntur abſurda & impoſſibilia. Enim vero Deus apud Iſaiam c. 54. dicit: *Sternam per ordinem lapides tuos, et fundabo te in ſapphiris, et ponam jaſpidem propugnacula tua*. Idem c. 2. *Et erit præparatus mons Domini in vertice montium, et elevabitur ſuper colles*. Quis hæc litteraliter dicta putet? Idem c. 66. *Et erit menſis ex menſe*,

Sabbathum ex Sabbatho, veniet omnis caro, ut adoret coram facie mea in Jeruſalem. Qui autem fieri poſſet, ut omnes gentes toto orbe diffuſæ quolibet menſe quolibet Sabbatho Jeroſolymam adeant adoraturæ? Addit Zachar. 14. convolaturas illuc omnes gentes ad celebrandam feſtivitatem Tabernaculorum, rem ſimiliter impoſſibilem, ſi non figurate intelligatur. Iſaias jam ſæpe laudatus deſcribens beata tempora Urbis Jeruſalem de novo inſtauratæ & populi ad eam reducis dicit c. 40. *Omnis vallis exaltabitur, omnis mons & collis humiliabitur, & erunt prava in directa & aſpera in vias planas.* Cap. 24. *Erubeſcet luna & confundetur ſol, cum regnaverit Dominus exercituum in Monte Sion & in Jeruſalem.* Cap. 11. *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit, vitulus & leo & ovis ſimul morabuntur, & puer parvulus minabit eos. Vitulus & urſus paſcentur, ſimul requieſcent catuli eorum, & leo quaſi bos comedet paleas.* Pſ. 97. *Flumina plaudent manu, ſimul montes exultabunt.* Hæc qui litteraliter & non allegorice intelligere voluerit, omnium cachinnis excipietur.

3. Deus per ſuos Prophetas promiſit liberationem & redintegrationem aliis populis ſimilem ac Judæis, quas tamen nec veniſſe nec venturas litteraliter agnoſcunt Judæi. Sic Ezech. 16. *Soror tua Sodoma & filiæ ejus revertentur ad antiquitatem ſuam, & Samaria & filiæ ejus revertentur ad antiquitatem ſuam, & tu & filiæ tuæ revertimini ad antiquitatem veſtram*, id eſt ad antiquas ſedes, opes & gloriam; tamen fatentur Judæi neque Samariam, neque Sodomam igne ſuccenſam, unquam temporaliter eſſe reſtituendas. Jerem. cap. 48. & 49. promittit Moabitis & Ammonitis parem ac Judæis liberationem, cum tamen hos populos nunquam a captivitate rediiſſe conſentiant Judæi. Hæc ergo ſpiritualiter & allegorice intelligenda ſunt. Quidni quæ ſimiliter promiſſa ſunt Judæis?

Pari modo promiſſio, quam Deus fecit dicendi Abrahæ & ſemini ejus terram Chanaan in poſſeſſionem æternam Gen. 17. Iſa. 60. Ezech. 37. intelligitur allegorice de perennitate cœleſtis Patriæ, cujus terra Chanaan fuit figura. Impoſſibile enim foret ſemen Abrahæ, quod Deus toto terrarum orbe diffundendum promiſerat Gen. 13. anguſto terræ Chanaan tractu contineri. Neque Deus Abrahæ fidem mercede ſat digna compenſaſſet, ſi illi & ejus ſemini unum terræ angulum in præmium conceſſiſſet. Eſt ergo ſpiritualiter intelligenda terra Chanaan, & ad cœleſtem Patriam, cujus fuit ſymbolum, referenda. Adde promiſſiones felicitatis terrenæ factas Judæis fuiſſe conditionatas, ſi nempe legem religioſe ſervarent, ſicut promiſſio Throni perennaturi in familia David.

Inſtant & ſubſumunt. Atqui neque noſter Jeſus Judæos profugos collegit ſpiritualiter, neque in unam Eccleſiæ ſocietatem adunavit. Ergo is non eſt verus Meſſias. R. noſtrum Jeſum per ſe & per Apoſtolos & eorum Succeſſores collegiſſe omnes veros Abrahæ filios, qui ſunt, non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum; non ex femore, ſed ex fide: etenim *qui ex fide ſunt*, inquit Apoſt. Galat. 3. *hi ſunt filii Abrahæ.*

Obj. 2. Meſſias Oraculis Prophetarum prænuntiatus futurus eſt Bellator, manu fortis, qui numeroſos ducet exercitus, atque, gentibus externis ſtricto gladio victis, magnaque ſtrage debellatis, Judæos quaqua parte diſperſos ab eorum ſervitute liberet. Ita paſſim Scriptura Num. 24. Pſ. 109. Iſa. 42 Jerem. 12. Joel. 2. Habacuc 3. Zachar. 9. & alibi pluries. Confectis autem bellis pacem toti orbi tam firmam allaturus eſt, ut nullo bello deinceps turbetur. Ita Pſ. 45. & 75. Iſa. 2. Mich. 1. & alibi. Atqui nullus huc uſque tantæ virtutis apparuit, nec talis fuit noſter Chriſtus. Ergo. R. Meſſiam hunc Bellatorem, Bella non temporalia, non carnalia, adverſus Gentis Judaicæ hoſtes, ut autumant Judæi, ſed ſpiritualia adverſus animæ hoſtes, peccata & vitia geſturum, ſubindeque pace inde ſecutam non eſſe carnis, ſed ſpiritus pacem, piam ſcilicet mentis & fidei ſecuritatem. Patet ex ipſo armorum genere, quo uſurus prædicitur iſte Bellator, nimirum virga oris ſui, ſpiritu labiorum, veritate, æquitate, juſtitia, judicio, prædicatione Evangelii & ſimilibus. Iſa. 11. *Percutiet terram virga oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium, & erit juſtitia cingulum lumborum ejus, & fides cinctorium renum ejus.* Oſeæ 1. *Domui Juda miſerebor, & ſalvabo eos in Domino Deo ſuo; & non ſalvabo eos in arcu, & gladio & in bello & in equis & in equitibus.* Sap. 5. *Dextera ſua reget eos, & brachio ſancto ſuo defendet illos, accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad ultionem inimicorum. Induet pro thorace juſtitiam, et accipiet pro galea judicium certum: ſumet ſcutum inexpugnabile æquitatem.* His porro armis & ſimilibus non niſi Bella ſpiritualia contra internos animi hoſtes geruntur.

Obj. 3. Meſſias deſignatus a Prophetis futurus eſt immortalis, & Regnum æternum poſſeſſurus: Iſa. 9. *Super Solium David et ſuper Regnum ejus ſedebit, ut confirmet illud et corroboret in judicio et juſtitia, amodo uſque in ſempiternum.* Daniel 7. *Dedit ei poteſtatem et honorem et Regnum, et omnes populi, tribus et linguæ ipſi ſervient. Poteſtas ejus poteſtas æterna, quæ non auferetur, et Regnum ejus, quod non corrumpetur.* Atqui Chriſtus noſter mortuus eſt. Ergo. R. Prophetas expreſſe prænuntiaſſe Meſſiam non ſolum moriturum, ſed & omnes ejus mortis circumſtantias accuratiſſime deſcripſiſſe, ut vidimus a. præced. §. 2. Manifeſtum eſt ergo Regnum ejus æternum, de quo loquuntur Prophetæ, non eſſe terrenum, ſed cœleſte, in quo cum illo regnabunt omnes Sancti in perpetuas æternitates.

Obj. ultimo, & ſummatim, plura alia in Scripturis prædici de Meſſia venturo, quæ non verificantur de Jeſu Nazareno. 1. Iſa. 2. dicitur Meſſias venturus *in noviſſimis diebus*. 2. Ibidem quod *fluent ad eum omnes gentes*. 3. Cap. 11. quod tunc *habitabit lupus cum agno*; & c. 2. quod mons domus Domini ſit exaltandus ſuper alios montes, &c. 4. Jerem. 3. quod ſit regnaturus ſuper Sedem David & in Jeruſalem. Malach. 3. quod Angelus præcedet ejus adventum, cap. autem 4. iſte Angelus dicitur Elias. Atqui hæc non ſunt verificata de Jeſu Nazareno. Ergo. R. ad 1. Chriſtum adveniſſe in noviſſimis diebus, quia totum tempus, quod ab ejus ortu ad finem mundi fluit, dicitur noviſſimum & ultimum: tum quia in eo adimpleta ſunt Prophetiæ; tum quia poſt ipſum nulla alia lex, nullus Legiſlator, nullus alius ſtatus Religionis ſuccedet. Ad 2. Fluxerunt ad eum omnes gentes, quatenus lux Evangelii ad omnes gentes diffuſa eſt. Ad 3. Jam dixi hæc non niſi figurate poſſe intelligi: habitavit ergo lupus cum agno, vitulus cum leone, &c. dum Apoſtoli converſati ſunt cum gentibus, quæ morum feritate has belluas æquabant, unde dicebat Chriſtus, *Mitto vos ſicut oves in medio luporum*; vel dum gentes depoſita morum feritate tanquam agni manſueti ad fidem adducti ſunt. Per montem Domini exaltandum ſuper alios montes exaltatio & ſublimitas Eccleſiæ deſignatur.

Inſt. Vel omnes Prophetiæ de Meſſia ſunt litteraliter intelligendæ, vel nullæ: non eſt enim potior ratio de una, quam de aliis. R. N. Ant. Cum enim Deus non poſſit mentiri, oportet omnia adimpleri, quæ dixit. Cum ergo multa certo ſint adimpleta, oportet & reliqua adimpleri; unde quæ verificari non poſſunt litteraliter, qualia ſunt, quæ proponuntur in inſtantia, & plura alia, ut quod flumina plaudent manu, quod montes exultabunt, & ſimilia, ſunt myſtice intelligenda.

Ad 4. ex dictis conſtat per Jeruſalem intelligi Eccleſiam, & per ſolium David intelligi non illud intra fines Palæſtinæ incluſum, ſed ſpirituale fundatum in fide & charitate, quam habuit David. Ad quintum, vel iſte locus Malach. intelligitur de ſecundo Chriſti adventu, quem præcedet Elias Theſbites. Vel intellitur de primo adventu, & tunc per Eliam intelligitur Jo. Baptiſta, qui venit in ſpiritu & virtute Eliæ, ut dicitur Luc. 1. & jam diximus prius.

DIGRESSIO PRIMA HISTORICA DE JOSEPHI TESTIMONIO.

Situe genuinum, an ſuppoſitum?

AD PRÆCEDENTEM DISSERTATIONEM.

Sic legitur l. 18. Antiq. c. 4. *Fuit autem hoc tempore Jeſus, vir ſapiens, ſi tamen virum illum oportet dicere, erat enim mirabilium operum effector, Magiſter hominum, qui vera libenter amplectuntur. Et plures quidem ex Judæis, plurimos etiam ex Gentibus ad ſe pertraxit. Hic erat Chriſtus* (vertit Hieronymus, Chriſtus hic dicebatur) *cumque eum a primoribus gentis ſuæ accuſatum Pilatus ad crucem damnaſſet, ab ea diligendo non abſtinuerunt, qui primum cœperant. Nam poſt tertiam diem redivivus ipſe apparuit, cum divini Vates hæc aliaque plurima admiranda de eo prædixiſſent. Neque ad hanc diem defecit denominatum ab eo Chriſtianorum genus.*

Dico. Probabilius videtur hoc Joſephi teſtimonium eſſe genuinum, & non ſuppoſitum. Prob. 1. Quia Scriptores antiquiſſimi & fide digniſſimi illud ut genuinum laudant ex vetuſtiſſimis & probatis codicibus, ſcilicet Euſeb. lib. 3. Demonſtr. Evang. pag. 124. & lib. 10. Hiſt. cap. 11. Hieron. in Catal. Script. Eccleſ. in Joſepho, Iſidorus Peluſiota l. 4. Ep. 225. Sozomenus l. 1. Hiſt. cap. 1. Nicephorus l. 1. c. 39. & alii plures. 2. Quia hoc teſtimonium eſſe genuinum conſtans fuit traditio a primis ſæculis uſque ad medium circiter 16. ſæculi, quo Gilanius & Oſiander primi hanc communem fidem tentarunt elevare. 3. Quia ſi Chriſtiani hoc teſtimonium Hiſtoriæ Joſephi aſſuiſſent, non defuiſſent ex Judæis aut aliis, qui toto illo tempore hanc fraudem detexiſſent, & Chriſtianis exprobraſſent. 4. Quia Joſephus meminit cum laude Jo. Baptiſtæ & S. Jacobi, quem Jeſu fratrem appellat. Ergo omnino veriſimile eſt ipſum in hiſtoria ſuæ Gentis texenda diligentiſſimum non ſiluiſſe de Jeſu,

qui

Digitized by Google

qui tot & tam ſtupenda miracula fecerat, & cujos occaſione tot commotiones in ſua Gente ortæ fuerent. 5. Quia notæ ſuppoſitionis, quas proferunt Recentiores, videntur inſufficientes, ut patebit ex earum ſolutione. Itaque

Objiciunt ſilentium veterum Patrum Juſtini & Tertulliani, qui in ſuis concertationibus contra Judæos illud teſtimonium nunquam protulerunt. R. 1. Argumentum negativum nullam vim habere contra rationes poſitivas. 2. Hi Patres forte inciderunt in codices corruptos, e quibus fraude Judæorum expunctum fuit hoc teſtimonium; quale repertum fuiſſe Romæ teſtatur Baronius ad an. Chriſti 34. n. 221. & quale aſſervari in Bibliotheca Sorbonicæ narrat Tournely. 3. Veteres contra Judæos efficacius adhibebant Vaticinia Prophetarum, quam teſtimonium Joſephi, utpote recentioris Auctoris, & cui poterant reſpondere Judæi, ſicut nunc poſſunt: Joſephum hæc dixiſſe non ex propria ſententia, ſed ex ſententia Sectatorum Jeſus Nazareni, qui ipſum habebant pro Chriſto; quod non multum urget Judæos.

Inſtant. Non ſolum antiqui Patres ſiluerunt de iſto teſtimonio Joſephi, ſed expreſſe dixerunt Joſephum nunquam agnoviſſe Jeſum pro Chriſto; ut Origenes Tom. 11. in Matth. Theodoretus, & alii. Atqui tamen teſtimonium laudatum dicit: *Hic erat Chriſtus*. Et: *Si tamen illum fas eſt virum dicere*: item Prophetas prædixiſſe ejus reſurrectionem, & alia plura miranda de eo. Ergo hoc teſtimonium non eſt genuinus Joſephi fœtus. R. N. Conſeq. Merito ergo negarunt iſti Patres Joſephum agnoviſſe Jeſum pro Chriſto, quia nec in Chriſtum credidit, nec Chriſtianos fuit, ſed omnia de Meſſia Vaticinia accommodavit Veſpaſiano, quem adulatorie Meſſiam dixit. Cum itaque hæc, quæ referuntur in objectione, dixit, non eſt locutus, ut dixi, ex propria ſententia, ſed ex fide diſcipulorum Chriſti, narrando quid ipſi ſentiebant de Jeſu, quem dicebant Chriſtum; & ideo Hieronymus vertit; *Hic dicebatur Chriſtus*.

Reponunt. Auctor hujus teſtimonii dicit plures ex Gentibus Chriſtum ſecutos fuiſſe, cum tamen una vel altera mulier ethnica legatur ei adhæſiſſe. Ergo. R. Joſephum reſpexiſſe ad tempus, quo vivebat, quo certe tempore magna Gentilium multitudo jam eum Chriſtum credebat; vivebat enim Joſeph anno poſt Chriſtum 96.

Urgent. Non eſt veriſimile Joſephum ſecta Phariſæum laudaſſe Jeſum, qui palam Phariſæos inſectatus fuerat. R. Non magis eſſe mirum Joſephum laudaſſe Jeſum Phariſæorum adverſarium, quam Veſpaſianum Gentis ſuæ capitalem hoſtem. 2. Joſephum non tam laudaſſe Jeſum, quam retuliſſe laudes Sectatorum illius.

Inſiſtunt ex Photio, qui opera Joſephi recenſens Codice 238. nihil de iſto celebri teſtimonio dicit: imo Codice 48. negat librum *De univerſo* eſſe Joſephi, quia ibi fit ſermo de æterna Chriſti generatione. Ergo ſuppoſititium reputat teſtimonium lib. Antiquit. tam diſertum in laudem Chriſti. R. Photium noluiſſe exacte diſcutere Judaicas Joſephi antiquitates, ſed ſola librorum argumenta deſcribere. Neque etiam hoc teſtimonium ignoravit; citato enim codice 238. iiſdem omnino verbis ac Joſephus loquitur de Chriſto, quamvis nomen Joſephi taceat; ſed cum id, quod addit ibidem de Jacobo, ſcilicet mortis ejus cauſa eveniſſe excidium Jeroſolymitanum, ſit exſcriptum ex Joſeph, licet etiam ejus non meminerit, ſolus enim Joſephus hoc dixit; ita quæ dixit de Chriſto, indubie ex Joſepho exſcripſit. Ad id, quod opponitur ex Codice 48. circa librum de Univerſo, Photius non loquitur affirmative, ſed dubitanter & ex aliena ſententia: *Quæ res*, inquit, *ambigendi fortaſſe cuipiam cauſam præbeat, ſitne hoc Joſephi opuſculum*. Inſuper potuit Joſephus credere, aut ſaltem referre, quæ diſcipuli Chriſti credebant de ejus ſapientia, virtute & reſurrectione, ut fert teſtimonium libri Antiquitatum, & non credere ejus divinitatem ſeu æternam generationem, ut fert liber *De univerſo*: in primo enim teſtimonio nihil de Chriſti divinitate affirmat, ſed dubitanter tantum & oratorio modo dicit, *Si tamen virum illum oportet dicere*. Denique Photii auctoritas non præponderat auctoritati Euſebii, Hieronymi & aliorum Patrum, quos laudavimus.

DIGRESSIO SECUNDA HISTORICA DE LIBRIS SYBILLINIS.

Utrum ſint genuini an ſuppoſititii?

AD PRÆCEDENTEM DISSERTATIONEM.

SYBILLARUM oraculæ continentur octo carminum libris, qui Sybillini dicuntur in Bibliotheca Patrum Tom. 8. Edit. Pariſ. 1624. Quidam & libros & oracula iis contenta rejiciunt ut figmenta Chriſtianorum. Quidam e contra & libros & oracula admittunt. Forte verius ac tutius erit inter duo extrema tenere medium. Unde

Dico. Sybillarum oracula non ſunt Chriſtianorum figmenta: neque tamen omnia carmina, quæ his octo libris Sybillinis continentur, ſunt genuina & incorrupta. Prob. 1. pars 1. Patres antiquiſſimi & commendatiſſimi hæc oracula laudant in probationem noſtræ Religionis, eaque a ſuppoſitionis nota vindicant. Atqui hæ ſunt legitimi operis notæ. Ergo.

Prob. Maj. 1. ex Origene lib. contra Celſum pag. 506. ſic ipſum perſtringente: *Neſcio, quid ei venit in mentem, ut cenſeret Sybillam a nobis ſtatiaſquam Jeſum appellandam fuiſſe Dei filiam, aſſeverans nos multa ejus verſibus inſeruiſſe maledica, non tamen indicans, quæ ſint illa, quæ inſeruimus. Indicaſſet autem, ſi antiqua habuiſſet incorruptiora exemplaria, in quibus non reperiantur quæ putat a nobis interpolata; quod tamen non facit*. 2. Ex Lactantio Firmiano l. 4. de vera ſapientia cap. 15. *His teſtimoniis* (Sybillarum, inquit) *quidam revicti, ſolent eo confugere, ut ajant, non eſſe carmina Sybillina, ſed a noſtris ficta atque compoſita: quod profecto non putabit, qui Ciceronem, Varronemque legerit alioſque veteres, qui Erythræam Sybillam cæteraſque commemorant, ex quorum libris iſta exempla proferimus. Qui Auctores obierunt, antequam Chriſtus ſecundum carnem naſceretur*. 3. Ex Conſtantino Imperatore in oratione ad Sanctorum cœtum apud Euſebium c. 18. ubi de Sybilla Erythræa hæc habet: *Divino quodam inſtinctu afflata verſibus ea, quæ erant de Deo futura, prædixit, notiſque & ordine primarum litterarum (quæ Acroſtichis dicitur) hiſtoriam de Jeſu adventu declaravit. Acroſtichis hæc quidem JESUS CHRISTUS DEI FILIUS, SERVATOR, CRUX*. Et c. 19. dicit: *Verum multi ſunt, qui nullam fidem ei adhibeant, idque cum fateantur Sybillam vatem Erythræam extitiſſe: imo vero ſuſpicantur aliquem noſtræ Religionis Profeſſorem Poeticæ non ignarum iſta carmina contexuiſſe; falſoque inſcripta eſſe & inter Sybillæ oracula numerata... Verum de hujus rei veritate ſatis conſtat, quippe noſtri homines tempora adeo accurate & magno ſtudio collegerunt, ut nemo poſſit ſuſpicari hoc Poema poſt Chriſti in terras deſcenſum editum fuiſſe; atqui illi propterea mendacii perſpicue convincuntur, qui iſta carmina non olim a Sybilla condita eſſe prædicant. Perſpicuum eſt enim Ciceronem iſtud Poema, cum forte perlexiſſet, in Latinum convertiſſe ſermonem, ſuiſque ſcriptis attexuiſſe*. 4. Ex S. Juſtino in Apolog. ad Antoninum Pium & in cohortatione ad Græcos, ex Clemente Alex. l. 6. Strom. ex S. Aug. Ep. 155. ad Martianum & l. 18. de Civit. c. 46. & 47.

Prob. 2. prima pars ex illuſtrioribus inter Gentiles Scriptoribus, qui longe ante Chriſtianorum tempora hæc Sybillina oracula laudaverunt. Varro de lingua Latina l. 5. & l. 1. de re ruſtica cap. 1. Cicero de Divinat. l. 1. n. 112. Livius l. 3. 4. 10. Decadis 1. decadis 3. l. 1. 6. 5. 9. & ſæpius. Cornel. Tacitus l. 15. Annal. Suetonius in Octavio Auguſto c. 31. & in Julio Cæſare c. 79. Plinius l. 13. c. 13. & plures alii, inter quos ſignanter Virgilius, qui Sybillæ Cumanæ de Chriſto Vaticinia Myſteriorum neſcius Salonio Aſinii Pollionis novi Conſulis filio accommodat Ecloga 4.

Ultima Cumæi venit jam Carminis ætas,
Magnus ab integro ſæclorum naſcitur ordo,
Jam redit & Virgo, redeunt ſaturnia regna,
Jam nova progenies Cœlo demittitur alto,
Tu modo naſcenti puero, quo ferrea primum
Deſinet, ac toto ſurget gens aurea Mundo,
Caſta fave Lucina...
Hoc duce ſi qua manent ſceleris veſtigia noſtri
Irrita; perpetua ſolvent formidine terras.

Prob. 2. pars 1. l. 1. Sybillino legitur Noe diebus tantum 41. manſiſſe in Arca. At conſtat ex Scriptura Noe anno ſolido in Arca fluctuaſſe. 2. Ibid. Mons Ararath, in quo quievit Arca, in Phrygia collocatur. At ex omnibus Geographis conſtat Arath eſſe montem Armeniæ. 3. Conſtans eſt Patrum Sententia Moyſen omnium Scriptorum ſive prophanorum ſive Sacrorum eſſe antiquiſſimum, & tamen Auctor tertii libri ſe Moyſe antiquiorem facit. 4. SS. Patres Sybillas Gentilium Propheti ſſas paſſim vocant, & ex Gentibus oriundas aſſerunt, & tamen Sybilla Erythræa ſe Nurum Noe dicit, & l. 8. Auctor ſe Chriſtianum dicit. 5. Eodem libro legitur Romam perituram anno a conditione ſua 948. æræ vulgaris 195. quæ tamen adhuc modo ſubſiſtit. Sunt & aliæ quædam falſa impermixta.

Obj. Contra 1. partem. Teſte Suetonio in Octav. Aug. c. 31. Sybillarum oraculæ a Cæſare Auguſto duobus forulis auratis abſconditæ ſunt ſub Apollinis Palatini baſi. Ergo ſuppoſititia ſunt, quæ laudantur a SS. Patribus. R. N. Conſeq. Quia ſecundum Lactantium l. 1. de falſa Relig. c. 6. ſolius Sybillæ Cumanæ oracula obſerrata fuerunt, non aliarum; ſed etſi etiam aliarum, non unum ſed plura erant in mundo exemplaria, quæ conſulere poterant SS. Patres. Unde cum anno ab urbe condita 671. concremato Capitolio, concremati fuiſſent libri Sybilli-

ni, miſſi fuerunt legati Erythræ, qui carmina Sybillina quærerent, ut teſtatur Lactantius ſupra ex Varrone. Neque Erythris tantum, ſed & in aliis Regionibus conquiſita fuiſſe prodit Tacitus l. 6. Annal.

Obj. 2. Si ſiot genuina Sybillina oracula de Deo & Chriſto, quæ laudantur a Patribus, cum hæc ſint clariora oraculis Prophetarum, feliciores forent Gentiles in aſſequenda Dei & Chriſti cognitione, quam Judæi, contra illud Pſ. 147. *Non fecit taliter omni nationi, et judicia ſua non manifeſtavit ais*, R. N. Sequelam 1. Quia Sybillinis oraculis plura falſa ſunt mixta veris. 2. Quia licet eſſent clariſſima, ea tamen non intelligebant Gentiles, Deo mentis oculos non aperiente ut intelligerent, ut patet de Virgilio ſupra. 3. Quia Judæis & non Gentibus lex Dei data eſt, Judæis & non Gentibus miſſi ſunt Prophetæ, quorum oracula ſunt certiora quibuſcumque oraculis Sybillarum.

DISSERTATIO III.

DE CONVENIENTIA, NECESSITATE ET MOTIVO INCARNATIONIS.

Div. Thom. Quæſt. 1.

ARTICULUS I.

De Convenientia Incarnationis.

EX multiplici capite poteſt attendi hæc convenientia: 1. Ex parte Dei. 2. Ex parte Generis humani. 3. Ex parte totius univerſi. 4. Ex parte perſonæ aſſumentis. 5. Ex parte naturæ aſſumptæ tam quoad ſpeciem quam quoad ſexum. 6. Ex parte temporis, quo facta eſt Incarnatio.

Dico 1. (*Hic q.* 1. *ar.* 1. 2.) Conveniens fuit Deo incarnari. Prob. (*Ib. in a. f. c.*) Illud opus eſt Deo convenientiſſimum, in quo relucent ejus perfectiones; ad hoc enim totus mundus conditus eſt, ut gloriam Dei manifeſtet, & ut per viſibilia, inviſibilia Dei conſpiciantur, & ideo dicitur, quod omnia propter ſemetipſum fecerit Dominus. Atqui in Myſterio Incarnationis mire relucent ac manifeſtantur perfectiones Dei, nempe Bonitas, Sapientia, Juſtitia & Potentia: Bonitas, quoniam non deſpexit proprii plaſmatis Infirmitatem; Juſtitia, quoniam rigoroſam exhibuit peccatorum ſatisfactionem, & homine victo non alio quam homine fecit vinci Tyrannum: Sapientia, quoniam difficillimi pretii adinvenit decentiſſimam ſolutionem & difficillimam juſtitiæ cum miſericordia conciliationem; Potentia, quia nihil eſt majus, quam Deum fieri hominem, & tam diſtantia jungere.

Prob. 2. (*Ibid. o.*) Convenit ſummo bono, qualis eſt Deus, ſe ſummo modo communicare. Atqui Deus per Incarnationem ſe ſummo modo communicat ad extra. Ergo. Maj. patet: quia cum bonum ſit per ſe ſeu ex natura ſua ſui diffuſivum & communicativum, ſequitur, quod ſummum bonum ſit ſumme communicativum. Prob. Min. Nullus major nec intimior excogitari poteſt modus communicationis, quam quod ex tribus, verbo, anima & carne, una fiat perſona, ſeu quo Creator & Creatura una perſona evadant, ut fit in Incarnatione. Quadrupliciter enim Deus ſe communicat ad extra in ordine naturæ, gratiæ, gloriæ & unionis hypoſtaticæ. In ordine naturæ dona ſua communicat, ſed naturalia. In ordine gratiæ communicat quidem ſupernaturalia, ſed creata. In ordine gloriæ ſeipſum communicat, ſed tantum in eſſe intelligibili. At in unione hypoſtatica ſeipſum communicat ſecundum eſſe proprium naturale & perſonale, ita ut verum ſit dicere *Deus eſt homo, homo eſt Deus*. In 1. communicatione facit hominem rationalem, in 2. Sanctum, in 3. Beatum, in 4. Deum. Ergo.

Dices 1. Videntur divinæ perfectiones obſcuratæ in hoc Myſterio, maxime divina Majeſtas ex tanta humiliatione & conjunctione ad vilem carnem. Ergo. R. Quod ſicut ſol illuminando lutum nihil ſordidum inde recipit, & ſicut anima corpori unita non fœdatur, ita nec Divinitas carni conjuncta. Adde, quod in omnibus humanitatis Chriſti humiliationibus ſemper aliquis ſplenduerit fulgor Divinitatis. Concipitur in carne, ſed de Spiritu S. Naſcitur, ſed de Virgine. Jacet in Præſepio, ſed a Regibus adoratur. Fugit in Ægyptum, ſed ibi Idola ſubvertit. Vivit Pauper, ſed miracula patrat. Rapitur a militibus, ſed eos prius proſternit. Crucifigitur, ſed terra concutitur. Moritur, ſed ſol obſcuratur. Sepelitur, ſed propria virtute reſurgit.

Repones. Magis eluxiſſet divina Bonitas, ſi Deus gratis peccata noſtra nobis remiſiſſet. Ergo. R. N. Ant. Majoris enim bonitatis eſt nobis inimicis ſuis filium ſuum dare, quam offenſas gratis remittere. Adde, quod non fuiſſent ſervata juſtitiæ jura.

Dices 2. Si Deo fuit conveniens incarnari; ergo non incarnari fuit inconveniens; quod non poteſt dici, cum Deus aliquod inconveniens facere non poſſit, & tamen potuerit non incarnari. R. D. Ant. Si Deo fuit conveniens ut neceſſarium & debitum incarnari, non incarnari fuit inconveniens, C. Si Deo fuit conveniens ut liberum, &c. N. Sic conveniens eſt ſervare virginitatem, non eſt tamen inconveniens uti matrimonio, quia utrumque liberum eſt. Incarnatio autem ſic Deo fuit conveniens, ut tamen ipſi eſſet libera.

Dico 2. Incarnatio fuit maxime conveniens generi humano. Patet ex multis commodis, quæ homini per Incarnationem obveniunt. A dæmonis & peccati ſervitute liberatur; verbis & exemplis Chriſti ad virtutem inſtruitur & incitatur; jus ad gratiam & gloriam ejus meritis acquirit; ejus natura ſublimatur ad uſque divinitatem cui fit quodammodo conſanguinea; facilius habet acceſſum ad Patrem per filium ejus, qui frater & caro noſtra eſt; facta eſt ipſi facilior & planior via ſalutis per abundantiores gratias & Sacramenta. Alias recenſet utilitates S. Doct. a. 2.

Dico 3. Incarnatio fuit conveniens toti univerſo. Patet ex præcedenti. Cum enim homo ſit quoddam univerſi compendium & epilogus, habet enim eſſe cum lapidibus, vivere cum plantis, ſentire cum Brutis, intelligere cum Angelis, fit inde, ut omnia cum homine per Incarnationem decorata ſint atque nobilitata. Et ideo dicitur ad Epheſ. 1. *Omnia in Chriſto eſſe inſtaurata.*

Dico 4. (*Ib. a.* 5. *et* 6.) Inconvenienter facta fuiſſet Incarnatio in principio & in fine mundi, ſed convenienter peracta eſt in plenitudine temporis. Prob. 1. pars. (*Ib. a.* 5. *o.*) Neque ante peccatum, neque ſtatim poſt peccatum conveniens erat Verbum incarnari. Ergo. Prob. Ant. Non ante peccatum; quia opus Incarnationis principaliter ordinatur ad reparationem generis humani per peccati abolitionem; non autem datur medicina niſi jam infirmis. Unde Chriſtus Matt. 9. dicit: *Non eſt opus valentibus Medicus, ſed male habentibus, non enim veni vocare juſtos, ſed peccatores.* Non ſtatim poſt peccatum: 1. ut homo, qui per ſuperbiam peccaverat, profunde humiliatus, magis agnoſceret morbi ſui gravitatem, naturæ & Legis infirmitatem, ac Medici neceſſitatem, ſicque ad eum clamaret & gratiæ quæreret auxilium. 2. Ut paulatim ad id, quod perfectum eſt, procederetur, in quo proceſſu eſt natura, ſecundo Lex, tertio gratia. Naturalis enim ordo eſt, ut ab imperfecto ad perfectum veniatur. 3. Propter dignitatem Verbi Incarnati: ut enim dicit Gloſſa ſuper c. 4. ad Galat. *Quanto major Judex veniebat, tanto præconum ſeries longior præcedere debebat*; qui ſcilicet per oracula, figuras, variaque Sacramenta veteris Legis tanti Salvatoris prænuntiarent adventum. 4. Ne fervor fidei temporis prolixitate tepeſceret. Ea eſt enim conditio hominum, ut non diu virtutum exercitio perſeverent, ut patet in Eccleſiæ progreſſu, quæ a primævo fervore tantum defecit. Unde Luc. 18. dicitur: *Filius hominis veniens, putas inveniet fidem in terra?* Ergo.

Prob. 2. pars 1. (*Ibid. a.* 6. 2.) quia Incarnatio eſt cauſa efficiens ejus perfectionis, quæ in nobis eſt per gratiam, *De plenitudine enim ejus omnes accepimus*, Joan. 1. Non decet autem, quod cauſa efficiens perfectionis tamdiu differatur, alias pauci perficerentur, & paucis profuiſſet Chriſtus. 2. Quia non conveniebat Verbum tunc incarnari, quando notitia Dei penitus excidiſſet, & ſpes de eo quaſi deſperata, & mores omnino eſſent corrupti; quod contigiſſet, ſi uſque ad finem mundi venire diſtuliſſet. 3. Ut manifeſtaretur divina virtus, quæ pluribus modis homines ſalvavit, non ſolum per fidem futuri, ſed etiam per fidem præſentis & præteriti. Conſequenter conveniens fuit etiam, quod eſt tertia pars, ut Chriſtus veniret *in plenitudine temporis*, ut ait Apoſt. ad Galat. 2. vel *In medio annorum*, ut dicitur Habacuc 3. non quidem mathematice, quaſi tot anni ſuperſint poſt Incarnationem, quot effluxerunt ante illam: id enim incertum eſt: ſed moraliter, in quantum non eſt facta neque in principio, neque in fine temporum; quod eſt enim inter duos terminos, dicitur in medio, quamvis magis diſtet ab uno extremo, quam ab alio. Intellige etiam plenitudinem temporis definiti a Deo; quia tunc Deus adimplevit Myſterium, quod præfinierat, adimplevit figuras, promiſſiones & dedit plenitudinem gratiæ.

Dices contra 1. partem. Charitas non tardat ſubvenire amico neceſſitatem patienti. Atqui Deus *Nimia charitate dilexit nos*, Epheſ. 2. Ergo. R. D. Maj (*Ibid. a.* 5. *ad* 1.) Charitas non differt ſubvenire amico, ſalva tamen negotiorum opportunitate & perſonarum conditione, C. Secus,

Digitized by Google

eus, N. Si enim Medicus ſtatim a principio ægritudinis medicinam daret Infirmo, aliquando minus proficeret, vel magis læderet, quam ſanaret. Et ideo etiam Dominus non ſtatim a principio Incarnationis remedium humano generi exhibuit, ne illud contemneret ex ſuperbia, ſi prius infirmitatem ſuam non agnoſceret.

Dices 2. Si Chriſtus citius veniſſet, plures fuiſſent ſalvati. Ergo. Reſpondet S. Doct. ad 2. quod Aug. dicat in lib. de ſex Quæſt. Paganorum Ep. 49. quod tunc Chriſtus voluit hominibus apparere, quando & ubi ſciebat eſſe, qui in eum fuerint credituri; ſed quod hanc reſponſionem retractaverit in lib. de perſeverant. c. 6. adducto exemplo de Tyriis & Sidoniis. Item c. 10. & l. 2. de Retract. c. 31. Unde ad argumentum: utrum plures ſalvati fuiſſent, ſi a principio veniſſet Chriſtus? R. eſſe valde incertum. Proximioribus fortæ magis profuiſſet ſanguis recens effuſus, qui remotioribus propter refrigeſcentem charitatem nihil profuiſſet. Aliunde ante Chriſti adventum non defuerunt auxilia gratiæ ad ſalutem ſufficientia ex ejus prævißis meritis.

De aliis convenientiis dicemus infra ſecundum ordinem D. Thomæ.

ARTICULUS II.

De neceſſitate Incarnationis.

§. I. *Utrum Incarnatio fuerit neceſſaria ad reparationem generis humani?*

Dupliciter (*Ibid. a. 6. c.*) aliquid dicitur neceſſarium ad finem. Uno modo ſimpliciter & abſolute, utpote ſine quo aliquid eſſe non poteſt, ſicut cibus eſt neceſſarius ad conſervationem vitæ. Alio modo ſecundum quid, quatenus per id melius & convenientius pervenitur ad finem, ſicut equus neceſſarius eſt ad iter.

Dico. (*Ibid.*) Incarnatio non fuit ſimpliciter neceſſaria ad reparationem generis humani, ſed tantum ſecundum quid. Primam partem docent unanimiter SS. Patres Athanaſ. Orat. 3. cont. Arianos, Gregor. Nazianz. Orat. 9. Theodoret. Serm. 6. cont. Græcos, Leo Magnus Serm. 2. de Nativ. Cyrillus Alex. Lib. de Incarnat. Gregorius Magnus l. 20. Moral. c. 26. Joannes Damaſc. l. 3. c. 18. Bernard. Ep. 190. & Serm. 11. in Cantic. Aug. l. 13. de Trinit. c. 10. & Lib. de Agone Chriſtiano c. 11. ubi dicit: *Sunt ſtulti, qui dicunt: non poterat aliter ſapientia Dei homines liberare, niſi ſuſciperet hominem, & naſceretur de fœmina, & a peccatoribus omnia illa pateretur. Quibus dicimus: poterat omnino, ſed ſi aliter faceret, ſimiliter veſtræ ſtultitiæ diſpliceret.* Ratio eſt; (*Ibid.*) quia Deus per ſuam omnipotentem virtutem poterat humanam naturam multis aliis modis reparare, vel illi condonando injuriam ſibi per peccatum illatam ut perſona offenſa & ſupremus Judex, vel acceptando aliqualem hominis ſatisfactionem, quoquo modo ſibi placuiſſet. Ergo. Prob. Ant. In his nulla involvitur contradictio, & Deus eſt liberrimus reſpectu operum ad extra.

Prob. 2. pars. (*Ib.*) Id melius & convenientius eſt ad reparationem generis humani, per quod homo melius & facilius promovetur ad bonum, & recedit a malo. Atqui hoc utrumque obtinet per Incarnationem. Ergo. Prob. 1. pars Minoris quinque rationibus. 1. Per Incarnationem magis certificatur fides, magis enim creditur Deo loquenti. 2. Spes magis erigitur. 3. Charitas magis incenditur, utraque per manifeſtationem tantæ Dei dilectionis erga nos. 4. Exemplum bonæ operationis nobis præbetur. 5. Plane divinitas participatur, in qua vera hominis beatitudo conſiſtit. Prob. 2. pars Minoris etiam quinque rationibus. 1. Quia homo per Incarnationem inſtruitur, ut diabolum contemnat & deteſtetur, ex eo quod per hoc Myſterium ſit humiliatus. 2. Innoteſcit humanæ naturæ dignitas, quam ſordibus peccatorum inquinare dedecet. 3. Præſumptio tollitur per hoc, quod gratia Dei nullis præcedentibus meritis in homine Chriſto commendatur. 4. Superbia per tantam humiliationem redarguitur & ſanatur. 5. Homo a ſervitute diaboli & peccati liberatur. Ergo.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. contra 1. partem. Deus neceſſario & ex natura ſua eſt juſtus, imo eſt ipſa juſtitia, nec omnino poteſt eſſe injuſtus, quia ſeipſum negare non poteſt, ut dicit Apoſt. 2. Tim. 2. Atqui juſtitia exigit punitionem peccati. Ergo neceſſaria fuit ſimpliciter Incarnatio, ut Chriſtus per pœnas peccato debitas juſtitiæ Dei ſatisfaceret. Ita Honor. Tournely, qui licet agnoſcat Deum poſſe de potentia extraordinaria reparare hominem abſque Incarnatione, tenet tamen non poſſe de potentia ordinaria temperata virtute juſtitiæ; quaſi vero potentia extraordinaria non debeat eſſe temperata virtute juſtitiæ. Forte poterit Deus de potentia extraordinaria aliquid injuſtum? Peccat ergo Tournely in ipſo limine: & dum dicit Deum non poſſe potentia ordinaria dimittere peccatum ſine ſatisfactione: quia non poteſt eſſe injuſtus & ſe negare, probat pariter id non poſſe potentia extraordinaria, quia Deus non poteſt etiam potentia extraordinaria facere injuſtum & ſe negare. Hoc præmiſſo,

R. 1. ad argumentum. S. Th. infra q. 46. art. 2. ad 3. idem argumentum iiſdem ferme terminis ſibi proponit, & ſic reſpondet. *Ad 2. dicendum, quod hæc etiam* (Dei) *juſtitia dependet ex voluntate divina ab humano genere ſatisfactionem exigente pro peccato; nam ſi voluiſſet abſque omni ſatisfactione hominem a peccato liberare, contra juſtitiam non fuiſſet; ille enim judex non poteſt, ſalva juſtitia, culpam ſine pœna dimittere, qui habet punire culpam in alium commiſſam, puta vel in aliam hominem, vel in totam Rempublicam, ſive in ſuperiorem Principem. Sed Deus non habet aliquem ſuperiorem, ſed ipſe eſt ſupremum & commune bonum totius univerſi. Et ideo ſi dimittat peccatum, quod habet rationem culpæ ex eo, quod contra ipſum committitur, nulli facit injuriam; ſicut quicumque homo remittit offenſam in ſe commiſſam abſque ſatisfactione, miſericorditer & non injuſte agit. Et ideo David miſericorditer petens dicebat:* Tibi ſoli peccavi: *Quaſi dicat: Potes ſine injuria mihi dimittere.* Hæc S. Doctor. Inde D. Maj. argumenti: Deus eſt neceſſario & ex natura ſua juſtus in actu 1. C. In actu 2. & quoad exercitium hujus juſtitiæ, N. Id enim juxta S. Th. pendet ab ejus liberrima voluntate. Ad hunc ſenſum, D. Min. Atqui juſtitia exigit ſimpliciter neceſſario punitionem peccati, N. Dependenter a divina voluntate & quantum illi placet, C. Et ut prævaniatur inſtantia; ne dicas cum Tournely Deum non eſſe tantum partem læſam, ſed judicem publicum & Rectorem univerſalem, cujus eſt bonum publicum tueri; reſpondet enim tibi S. Th. Deum ipſum eſſe ſupremum & commune bonum totius univerſi; & ideo ſi dimittat peccatum, quod contra Ipſum committitur, nulli nec etiam bono communi facit injuriam.

R. 2. D. Min. Juſtitia exigit ſatisfactionem pro peccato aliqualem, Tranſeat ad ſenſum præcedentis ſolutionis: rigoroſam, aut ſaltem condignam, N. Ita ipſemet objiciens qui fatetur Deum in exercitio juſtitiæ eſſe liberum quantum ad menſuram & gradum ſatisfactionis, ſeu pœnæ infligendæ, poſſeque mitiorem exigere, quam culpa mereatur. Ergo liberum illi fuit aliqualem creaturæ ſatisfactionem acceptare. Ergo non fuit neceſſaria Incarnatio. Sed unde velim ſcire Theologus Pariſienſis habet, quod Deus ſit liber circa condignitatem & non circa ſubſtantiam ſatisfactionis, utrumque enim exigit juſtitia, nec Deus poteſt ſe magis negare in uno quam in altero. Ficta ergo videtur hæc diſtinctio, & ad ſubterfugium excogitata.

Inſt. 1. cum eodem. Deus neceſſario odit peccatum, nec enim poteſt non odiſſe, quod ſuæ ſanctitati ac juſtitiæ adverſatur. Atqui iſtud odium in Deo nihil eſt aliud quam conſtans voluntas illud puniendi. Ergo. R. D. Maj. Deus neceſſario odit peccatum quamdiu remanet, C. Si deleatur, N. Poteſt autem illud delere vel condonando, vel aliqualem ſatisfactionem ab homine acceptando, vel alio modo ſibi noto & in theſauris divinæ omnipotentiæ latente.

Inſt. 2. Deus non poteſt magis peccatum impunitum remittere, quam poſſet præmium merito denegare. Atqui non poteſt ſalva juſtitia præmium merito denegare. Ergo. R. N. Ant. Diſparitas eſt, quod per meritum acquiratur merenti jus ad præmium: unde ſi eo fruſtraretur, violaretur ejus jus, & fieret illi injuria. At per peccatum non acquiritur peccanti, ſed perſonæ læſæ jus ad exigendam ſatisfactionem, quam ideo ſi remittat gratis, nemini facit injuriam.

Obj. 2. cum eodem auctoritatem S. Anſelmi, qui toto ferme libro *Cur Deus homo* duo contendit. Primum, Deum non potuiſſe lapſum hominis permittere, quin ſtatim ejus reparationem decreverit. Alterum eſt, hominem non debuiſſe nec potuiſſe alia plenæ atque condignæ ſatisfactionis, atque adeo Incarnationis via redimi ac liberari. Ut hæc duo probet, iſtud fundamentum ponit l. 1. c. 10. *Sicut in Deo quamlibet parvum inconveniens ſequitur impoſſibilitas, ita quamlibet parvam rationem, ſi majori non vincatur, comitatur neceſſitas.* Ex quo principio concludit c. 12. *Quapropter ſi non decet Deum aliquid injuſte aut inordinate facere, non pertinet ad ejus libertatem, aut benignitatem, aut voluntatem, peccantem, qui non ſolvit Deo quod abſtulit, impunitum dimittere.* Ergo. Si fides eſt objicienti in his, quæ tribuit D. Anſelmo, tria docet S. Doctor, quæ negat ipſe Tournely. Primum, Deum non potuiſſe hominis lapſum permittere, quin ſtatim ejus reparationem decreverit. Hoc negat Tournely Concluſione 2. præcedenti. Secundum hominem non potuiſſe liberari alia via, quam condignæ ſatisfactionis. Hoc negat Tournely q. 2. in 1. Probatione Concluſionis

& ali-

& alibi. Tertium, Deum non poſſe etiam de potentia extraordinaria peccatum remittere ſine ſatisfactione, ſi quidem nec de potentia extraordinaria poſſit Deus aliquid injuſtum & inordinatum: & hoc tertium negat Tournely Concluſione præcedenti. Unde hoc argumentum prout proponit, plus ipſi nocet, quam nobis, & ab ipſo prius eſt ſolvendum. Hoc præmiſſo,

Ad Anſelmi teſtimonium variæ ſunt Reſponſiones. Quidam ingenue agnoſcunt eum fuiſſe in hac ſententia, quam illi tribuit arguens, ſed ipſum in hoc eſſe deſerendum, utpote unanimi aliorum SS. Patrum ſenſui diſſentaneum. Alii ipſum intelligunt de neceſſitate ſecundum quid ſeu congruentiæ, vel de neceſſitate per reſpectum ad condignam ſatisfactionem. Alii tandem cum S. Bonaventura & Alenſi, quibus ſubſcribimus, dicunt Anſelmum loqui in hypotheſi decreti divini de reparatione hominum per ſatisfactionem condignam, conſequenter de neceſſitate hypothetica & conſequente, non abſoluta & antecedente. Id demonſtratur ex ipſo eodem opere: etenim l. 2. dicti operis c. 5. ſolvens hanc objectionem, quod ſi Deus cauſa vitandæ indecentiæ neceſſitetur reparare genus humanum per Incarnationem & ſatisfactionem Filii, gratia beneficii minuatur: reſpondet gratiam beneficii augeri; *cum aliquis ſponte neceſſitati benefaciendi ſe ſubdit*; & affert exemplum neceſſitatis ortæ ex promiſſione vel voto, quæ aperte eſt neceſſitas ex ſuppoſitione & conſequens. Et c. 17. oſtendit omnem neceſſitatem, de qua locutus eſt, divinæ ſubjacere voluntati, & nihil neceſſarium eſſe, niſi quia Deus ita decrevit. Ergo manifeſtum eſt Anſelmum loqui ex ſuppoſitione divini decreti, conſequenter de neceſſitate hypothetica & conſequente, non abſoluta & antecedente.

De eandem neceſſitate ex ſuppoſitione intelligendi ſunt quidam alii SS. Patres, dum dicunt Deum non potuiſſe ſine Filii ſatisfactione reparare hominem lapſum; conſtat enim ex Prob. Concluſionis ipſos unanimiter ſentire id potuiſſe ſimpliciter & abſolute. Id vero, quod dicitur Deum non poſſe facere, quod eſt inconveniens, verum eſt de inconvenienti privative ſeu contrarie, quando nempe fit aliquid contra id, quod convenit & oportet, non vero de inconvenienti negative, quando ſcilicet aliquid omittitur, quod certa ratione conveniret, cujus tamen faciendi nulla eſt obligatio. Cum ergo ſuppoſito lapſu hominis reparandi Incarnatio ſit conveniens divinæ bonitati & juſtitiæ, ſi eam non decreviſſet, omiſſum fuiſſet aliquid, quod eſt conveniens; ſed quia nullo jure ad eam volendam tenebatur, ſi eam non voluiſſet, nihil egiſſet contra quam conveniſſet & oportuiſſet: neque in hoc caſu defuiſſent divinæ ſapientiæ rationes & convenientiæ ſic agendi.

Nota enim bene, quod Deus non ſemper faciat aut debeat facere id, quod eſt melius, perfectius & convenientius ex parte operis, alias deberet facere mundum perfectiorem & perfectiorem in infinitum, ſed quod ſuæ voluntati, quæ eſt fons & regula totius rectitudinis, magis congruit in ordine ad fines, quos liberrime ſibi conſtituit.

Obj. 3. contra 2. partem. Gratis debemus dimittere debitoribus noſtris. Ergo convenientius Deus ſic egiſſet nobiſcum, ſic enim dediſſet exemplum. R. N. Conſeq. Alia enim eſt ratio privati hominis, alia judicis & Superioris. Illi laudabile eſt offenſam ſine ſatisfactione dimittere; Iſte vero miſericordiam juſtitia temperare debet, ne impunitate & facilitate veniæ laxentur habenæ peccatoribus. Cum ergo Deus ſit ſimul Pater miſericordiarum & ultionum Dominus, debuit unum attributum altero temperare; quod in Incarnatione mirabiliter effectum eſt.

§. II. *Utrum ad condignam ſatisfactionem pro peccato neceſſaria fuerit Incarnatio?*

NOTA 1. Licet abſolute & ſimpliciter non fuerit neceſſaria Incarnatio ad reparationem generis humani, ut vidimus §. præced. controvertitur tamen, utrum ſaltem ad ſatisfaciendum de condigno pro peccato non fuerit neceſſaria, ita ut homo purus non potuerit talem ſatisfactionem Deo exhibere. Nota 2. Sermonem eſſe de homine puro, non per excluſionem gratiæ, ſed per excluſionem Divinitatis, hoc eſt de homine non Deo. Item Quæſtio de peccato proprio vel alieno. Inſuper intelligimus hic Incarnationem late prout ſignificat aſſumptionem naturæ creatæ, ſive ſit Angelica, ſive humana.

Nota 3. Satisfactionem, quæ eſt recompenſatio ſeu redditio voluntaria alicujus debiti, aliam eſſe ſufficientem & perfectam, aliam inſufficientem & imperfectam. Perfecta attenditur penes duo. 1. Penes materiam ſeu pretium, quo fit compenſatio: 2. Penes formam juſtitiæ, quæ non conſiderat ſolum materiæ valorem, ſed etiam conditionem perſonæ ſatisfacientis. Itaque tunc eſt perfecta ex parte materiæ, quando res oblata adæquat debitum, ut ſi furatus fueris centum, offeras rem valentem centum. Si ſecus, erit imperfecta ex parte materiæ, cujus proinde defectus ſuppleri debebit ex gratia creditoris. Tunc eſt perfecta ex parte formæ ſeu modi juſtitiæ, cum ſervantur conditiones ſtrictæ & rigoroſæ juſtitiæ, quæ ſolent numerari quinque a Theologis: 1. quod ſit ad alterum: 2. quod ſit ex bonis propriis: 3. nec alio titulo debitis: 4. nec ſub dominio creditoris contentis: 5. quod creditor teneatur illam ſatisfactionem acceptare. Imperfecta erit ex parte formæ, ſi aliqua ex his conditionibus deſit. Perfectam ex parte materiæ tantum vocamus condignam ſeu de condigno; perfectam autem etiam ex parte formæ vocamus rigoroſam ſeu de toto rigore juſtitiæ.

Suppono ut certum hominem purum non poſſe Deo pro peccato offerre ſatisfactionem ſecundum totum rigorem juſtitiæ, quia nihil poteſt exhibere Deo ſive naturale ſive ſupernaturale, quod non ſit a Deo creditore collatum, & quod Deus teneatur acceptare. Inſuper ſi vix in Deo homine purificentur præfatæ conditiones, ut videbitur infra, quanto minus in homine puro. Reſtat ergo difficultas tantum de ſatisfactione de condigno ſeu perfecta ex parte materiæ & pretii æquivalentis.

Dico 1. Homo purus non potuit Deo ſatisfacere de condigno pro peccato mortali ſuo vel alieno; adeoque ad hujuſmodi ſatisfactionem neceſſarium fuit Deum incarnari. Ita Aug. in Enchir. c. 108. *Neque per ipſum liberaremur unum mediatorem Dei & hominum, hominem Chriſtum Jeſum, niſi eſſet & Deus*. Et S. Leo ſerm. 1. de Nativit. *Niſi eſſet verus Deus, non afferret remedium; niſi eſſet verus homo, non præberet exemplum*.

Prob. verbis & ratione S. Th. (*Ibid. ad 2.*) *Peccatum*, inquit, *contra Deum commiſſum quandam infinitatem habet ex infinitate divinæ Majeſtatis; tanto enim offenſa eſt major, quanto major eſt ille, in quem delinquitur. Unde oportuit ad condignam ſatisfactionem, ut actus ſatisfacientis haberet efficaciam infinitam, utpote & Dei & hominis exiſtens*.

Varii quidem varie hanc quandam infinitatem peccati, de qua S. Th. explicant. Quidam volunt eſſe infinitatem ſecundum quid tantum & objectivam, & ideo dixiſſe S. Thomam *quandam infinitatem*. Alii eſſe infinitatem ſimpliciter, hoc eſt abſolute, ſed non omnibus modis, nec in ratione entis, ſed tantum in genere moris, & ideo dixiſſe S. Thomam *quandam infinitatem*, ſed quovis modo intelligitur, currit ratio S. Doctoris.

Et quidem patet, ſi dicatur offenſa peccati infinita ſimpliciter, quam ſententiam elegimus in Tract. de Peccatis Differt. ultima a. 5. Quia injuria ſimpliciter infinita non poteſt condigne reſarciri per ſatisfactionem valoris finiti. Atqui ſatisfactio cujuſcumque creaturæ eſt valoris finiti. Ergo. Prob. Min. Valor & æſtimatio ſatisfactionis deſumitur ex perſona ſatisfaciente, quia perſona ſatisfaciens eſt ſubjectum ſatisfactionis; unde dicitur communiter: honor eſt in honorante; & ideo tanto major æſtimatur ſatisfactio, quanto eſt dignior & excellentior perſona ſatisfaciens, qua ratione ſatisfactio Chriſti eſt ſimpliciter infinita, quia perſona ſatisfaciens divina & infinita. Atqui Creatura ſatisfaciens quantumvis ſupernaturalibus donis exornata eſt finitæ dignitatis. Ergo.

Si autem juxta alteram intelligentiam dicatur injuriam peccati eſſe infinitam objective tantum & ſecundum quid, ſicut actus Charitatis dicitur infinitus objective, quia habet pro objecto Deum infinitum; nihilominus militat ratio D. Th. quæ ſecundum hunc ſenſum ſic proponitur. Injuria Deo per peccatum mortale illata, etſi ſit infinita tantum ſecundum quid, reparari condigne non poteſt per actum Pœnitentiæ aut Charitatis quantumvis ferventis puræ Creaturæ. Ergo. Prob. Ant. Gravitas injuriæ mortalis non conſiſtit ſolum in hoc, quod auferatur a Deo ratio ultimi finis, ad quod habet jus ſtrictum, ſed & inſuper quod hujus juris violatio & divinæ Majeſtatis depreſſio ac contemptus fiat a vili creatura ipſum offendere præſumente. Atqui per actum Charitatis quantumvis ferventis, quo Creatura in amicitiam Dei redit, & ipſum pro fine ultimo iterum amplectitur, non compenſat condigne injuriam de qua in Majori. Ergo. Prob. Min. Quia longe atrocius & gravius eſt, adeoque magis injurioſum ipſum vili creaturæ ſubjici, quam ſit ipſi honorificum creaturam hanc ei ſubjici, ſicut indignius eſt Regem ſubdito mancipari, quam ſit honorabile Regi mancipium ipſi ſubdi. Quapropter unde decreſcit valor ſatisfactionis, unde creſcit gravitas offenſæ. Ergo.

Dico 2. Homo juſtus poteſt condigne ſatisfacere pro peccato veniali. Prob. 1. Peccatum veniale eſt ab intrinſeco reparabile, quia non tollit gratiam, quæ eſt radix vitæ ſupernaturalis, nec converſionem ad ultimum finem, qui eſt principium vitæ humanæ, & ex quo reparari poteſt tanquam ex primo principio quidquid retardat ejus aſſecutionem: ſecus autem peccatum mortale. Atqui pro illo, quod reparari poteſt, poteſt etiam ſatisfieri; peccatum enim integre non reparatur, donec pro eo ſit ſatisfactum. Ergo homo juſtus, &c.

Prob. 2. Ideo a puro homine non poteſt reparari injuria

ſia peccati mortalis, quia per illud perſona infinita deprimitur & ſubjicitur vili creaturæ, juſque quod habet, ut ſit ultimus finis, ſimpliciter læditur, cui injuriæ humilistio cujuſvis creaturæ non æquiparatur, ut ponderavimus modo. Atqui per peccatum veniale perſona divina non ſubjicitur creaturæ, nec jus, quod habet, ut ſit ultimus finis, læditur ſimpliciter, ſed tantum ſecundum quid, in quantum Deus remanet ſemper finis ultimus hominis peccantis veniaſiter, & impeditur tantum extenſio finalizationis quoad actum, ut clarius patebit exſolutione Objectionum. Ergo.

Solvuntur Objectiones.

OBj. 1. contra 1. Concluſionem. Illa ſatisfactio eſt de condigno, quæ reddit perſonæ offenſæ totum, quod ipſi abſtulit. Atqui homo per actum Charitatis reddit Deo totum, quod ipſi abſtulerat per peccatum. Ergo. Prob. Min. Homo per peccatum a Deo abſtulerat quoad affectum ſcilicet rationem ultimi finis. Atqui id totum ei reddit etiam quoad affectum per actum Charitatis. Ergo. R. D. Maj. Illa ſatisfactio eſt de condigno, quæ reddit perſonæ offenſæ totum, quod illi abſtulerat per actum adæquantem gravitatem injuriæ, C. Maj. Per actum non adæquantem gravitatem injuriæ, N. Maj. Sic enim potius dici debet ſolutio ſeu reſtitutio quam ſatisfactio: & ad hunc ſenſum diſtincta Min. N. Conſeq. Hæc eſt igitur differentia inter reſtitutionem & ſatisfactionem, quod ad reſtitutionem ſufficiat reddere rem ablatam ſeu rei ablatæ æquivalentem, ut ſi furatus fueris centum, reddas centum. Ad ſatisfactionem autem injuriæ ſeu inhonorationis requiritur ulterius, quod res ablata reſtituatur per actum adæquantem gravitatem injuriæ, & quod tantum honoris perſonæ offenſæ reddatur, quantum ei fuerat ablatum. Sic v. gr. ſi Plebejus filiam Regis ipſo præſente & invito rapuiſſet, eam reddendo, ſatisfaceret quidem pro re ablata, ſed non pro injuria illata, & talis actus poſſet dici reſtitutio, non tamen condigna ſatisfactio, quia nempe illius Plebeii ſubjectio & humiliatio non adæquaret gravitatem injuriæ & inhonorationis Regi factæ. Similiter itaque licet homo per actum charitatis reddat Deo rationem ultimi finis quoad affectum, quam ipſi per peccatum abſtulerat, non tamen per actum, adæquantem injuriam & inhonorationem Deo factam, cum ſit longe atrocius Deum ſubjici creaturæ, quam ſit honorificum Deo creaturam ipſi ſubjici, ut explicatum eſt ſupra. Unde brevius poſſet diſtingui Min. ſic: per actum Charitatis homo reddit Deo totum, quod illi abſtulerat, & eo modo, quo illi abſtulerat, N. Et diverſo modo, C. Peccatum enim ſubjicit Deum ſummum viliſſimæ creaturæ: charitas autem ſubjicit viliſſimam creaturam Deo ſummo; ſubjicere vero Deum creaturæ longe majus eſt, quam ſubjicere creaturam Deo.

Inſt. Actus Charitatis eſt valoris adæquantis injuriam peccati. Ergo. Prob. Ant. Utrumque eſt tantum infinitas ſecundum quid. Ergo. R. N. Ant. Ad prob. N. Ant. ſecundum 1. ſententiam. Juxta ſecundam vero D. Ant. Utrobique eſt infinitas ſecundum quid, ſed in diverſo genere, C. Ant. Et in eodem genere. N. Ant. Ideo enim peccatum eſt infinitum ſaltem ſecundum quid, quia Deum infinitum deprimit, & in eo moraliter ſubjectatur, ut dictum eſt; charitas autem dicitur infinita ſecundum quid, non ex eo quod ſubjicit & reprimit, ſed ex eo cui ſubjicit, nempe Deo infinito. Sunt ergo illæ infinitates diſparatæ, & ex diverſo fonte manantes, ideoque una per aliam digne compenſari non poteſt.

Obj. 2. Per peccatum mortale non læditur jus ſeu honor Dei. Ergo ruit fundamentum noſtrum. Prob. Ant. Quia alias ſequeretur, quod in quolibet peccato mortali foret duplex malitia, alia injuſtitiæ contra honorem Dei, alia propria ex parte objecti, puta intemperantiæ in peccato gulæ. Atqui Conſequens falſum. Ergo. Prob. Min. Dum ſubditus tranſgreditur legem ſeu præceptum Regis, non ideo dicitur eſſe injurius ſeu injuſtus contra honorem Regis, quem non lædit, nec ad hujuſmodi honoris reparationem adſtringitur, niſi forte verbis contumelioſis legem aut Legislatorem affeciſſet. Ergo. R. N. Ant. ad prob. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod Princeps creatus ſit quidem Legislator, ſed non ultimus finis actuum humanorum; unde tranſgreſſio legis eſt quidem contra obedientiam, non tamen directe contra debitum honorem. Sed Deus eſt ultimus finis, & ad hoc ſtrictum jus habet. Unde in quolibet peccato mortali, cujus ultimus finis eſt creatura, violatur jus Dei, & ſumme inhonoratur, dum vili creaturæ in affectu peccantis poſtponitur. Advertendum tamen duplicem eſſe inhonorationem; alteram intentam, cum expreſſe intenditur contemptus Dei, ut in peccatis Blaſphemiæ & ſimilibus; alteram conſecutam, cum quidem læditur jus, id tamen non intenditur, licet revera eveniat; & ſic læditur jus divinum in quolibet peccato mortali.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Inſt. Si in quolibet peccato inhonoretur Deus, ergo debebit compenſari peccatum per honorationem contrariam. Ergo per Religionem & non per Pœnitentiam. Prob. Illatio; quia honorem exhibere Deo pertinet ad Religionem. R. N. ſecundam illationem. Ad prob. D. Exhibere honorem Deo ut primo principio pertinet ad Religionem, C. Deo ut offenſo & placando, N. Aliud eſt ergo reddere honorem Deo ut primo principio per modum cultus, quod pertinet ad Religionem: aliud reddere jus læſum in honore, quod pertinet ad juſtitiam, vel imperfectam ut in pœnitentia, vel perfectam ut in Chriſto. Ita contingit etiam inter homines; non enim pertinet ad eandem virtutem reddere honorem debitum alteri, & reſarcire jus honoris ablatum; hoc quippe pertinet ad juſtitiam, ſi quidem in reddendo illo honore, non tam reſpicitur honor ipſe, quam jus, quod læſum eſt in honore.

Repones. Inter Deum & hominem non datur juſtitia ſtricte dicta. Ergo nec injuſtitia. R. N. Conſeq. Ideo enim non poteſt dari inter Deum & hominem juſtitia proprie dicta, quia homo non poteſt reddere Deo æquivalent, poteſt tamen lædere jus ſupremum Dei & hac ratione committere contra Deum injuſtitiam; ſicut homo, qui ex paupertate non poteſt reddere quod furatus eſt, non poteſt hunc juſtitiæ actum exercere, licet tamen furando veram injuſtitiam commiſerit. Nec mirum quod homo non poſſit aliquando actum virtutis exercere, licet poſſit actum vitii oppoſiti; quia bonum ex integra cauſa, malum ex quovis defectu.

Obj. 3. Meritum condignum gratiæ remittentis peccatum eſt condigna ſatisfactio pro illo. Atqui homo purus poteſt a Deo conſtitui caput aliorum in ordine gratiæ, & ſub hac qualitate illis mereri condigne gratiam remiſſivam peccati. Ergo. Minor traditur a pluribus Thomiſtis, Joanne a S. T. 1. 2. q. 114 a. 6. Et hic diſp. 1. a. 2. ad 6. Aravio, Serra & aliis: nec in ea ulla apparet repugnantia. Prob. Maj. Abolere peccatum & extinguere omne debitum ex eo contractum eſt condigne ſatisfacere pro illo. Atqui meritum condignum gratiæ remittentis peccatum ipſum aboleret, & omne debitum ex eo contractum extingueret. Ergo. R. N. Maj. Alia enim eſt ratio meriti, alia ratio ſatisfactionis. Ratio meriti reſpicit præmium, ſeu retributionem, & pertinet ad juſtitiam diſtributivam: ratio autem ſatisfactionis reſpicit recompenſationem æqualitatis, pertinetque ad juſtitiam commutativam, qua jus alterius læſum reſarcitur & adæquatur. Et poteſt contingere, quod aliquis mereatur gratiam juſtificantem ſeu remiſſionem peccati pro altero, dandam ſecundum formam juſtitiæ diſtributivæ & in recompenſationem ſeu præmium meritorum ejus, nec tamen detur iſta remiſſio ſecundum formam juſtitiæ commutativæ reſarciendo ad æqualitatem jus læſum. Sic v. g. ſi Rex attendens ad egregia facta alicujus militis in eorum præmium velit remittere Petro crimen læſæ Majeſtatis, ſeu mille aureos, quos debet, illa remiſſio non fit per modum ſatisfactionis ad æqualitatem, ſed in recompenſationem & præmium meritorum iſtius militis: alius ergo eſt titulus meriti, alius ſatisfactionis. Unde ad Prob. D. Maj. Abolere peccatum, & extinguere omne debitum ex eo contractum per opera valoris adæquantis injuriam peccati, eſt ſatisfacere condigne pro illo, C. Maj. ſecus, N. Maj. Et ad hunc ſenſum, D. Min. Nunquam enim purus homo, ut dictum eſt, quantumvis elevatus & inde humiliatus tantum honoris Deo tribuit, quantum ipſi ablatum eſt per peccatum; unde in caſu poſito Deus tolleret ejus culpam non vi compenſationis ſibi factæ, ſed volens per condonationem peccati præmiare meritum ſibi exhibitum, ut patet in exemplo Regis adducto.

Obj. 4. contra 2. Concluſionem. Per peccatum veniale læditur vere & ſimpliciter jus Dei, ideoque fit ipſi injuria. Atqui hoc jus eſt infinitum. Ergo talis læſio reſarciri non poteſt ad æqualitatem per perſonam finitam, ut dictum eſt de peccato mortali. Prob. Maj. Deus habet jus, ut ſit finis ultimus cujuſcumque actus humani, non ſolum habitu ſed etiam actu. Atqui peccati venialis non eſt finis ultimus actu, ſed tantum habitu. Ergo. Patet Maj. Quia Deus ad illa omnia habet jus, ad quæ poteſt ſe extendere cauſalitas finis ultimi: cauſalitas autem finis ultimi non ſolum nata eſt extendi ad actus humanos ſecundum habitum, ſed etiam ſecundum actualem relationem. R. N. Maj. ad prob. D. M. Deus habet jus, ut ſit finis ultimus cujuſque actus humani, non ſolum habitu, ſed etiam actu, eodem modo reſpectu utriuſque, N. Maj. Diverſo modo, C. Maj. Et conceſſa Min. N. Conſeq. Eſt igitur Deus finis ultimus habitu operis, in quantum immediate finaliat operantem; eſt autem finis ultimus actu operis mediate, mediante ſcilicet finalizatione operantis. Nam finis ultimus non poteſt finalizare actum, niſi finaliaet ipſum operantem, quia finis ultimus eſt finis operantis, non ſolum operis, & eſt cauſa, cur efficiens cauſet & operetur. Unde cauſalitas cauſæ finalis non poteſt extendi ad ipſum actum, niſi mediante operante & finalizando ipſum.

ipſum. In hac igitur finalizatione operantis eſt radicaliter tota ratio divini juris, licet impediatur extenſio, qua derivatur in actum, ut fit in peccato veniali. Unde quamdiu non tollitur jus ſupra ipſum operantem, ſed tantum retardatur & impeditur, ne exeat in opus, non tollitur jus a Deo etiam quod habet, ut opus ad ſe referatur actualiter, quia manet radicaliter hoc jus, quamdiu operans manet ei ſubordinatus licet impeditus. Et ideo non requiritur, quod aliqua perſona cedat juri ſuo, ut ad æqualitatem ſatisfaciat, ſed quod retardationem ipſam tollat ex vi ipſius finalitatis habitualis ſeu ſubjectionis operantis ad Deum, in qua radicaliter conſervatur jus divinum, ut dictum eſt, etſi non explicetur.

Inſt. Deus vere remittit peccatum veniale: unde in Oratione Dominica dicimus: *Dimitte nobis debita noſtra*. Ergo vere injuria eſt, alias non eſſet materia remiſſibilis: iterum ergo gratis condonatur, non enim dicitur aliquid remitti, niſi quod gratis condonatur. R. ad 1. illationem, peccatum hoc ſenſu eſſe injuriam offenſivam Dei, quatenus eſt contra ejus legem, non tamen contra finem legis & amicitiam Dei; unde non eſt injuria ſimpliciter dicta, ſed tantum ſecundum quid. Ad 2. illationem, R. Deum gratis remittere nobis peccata venialia hoc ſenſu, quod det gratis nobis pretium, gratiam ſcilicet, qua condignam ei ſatisfactionem exhibeamus. Qua gratiæ collatione ſuppoſita, & ſimul pacto opus ex illa factum acceptandi, ſatisfactionem pro peccato veniali condignam exhibemus, quam Deus ſaltem ut juſtus Judex acceptare tenetur.

ARTICULUS III.

De motivo Incarnationis.

Utrum ſi homo non peccaſſet, Deus vi præſentis Decreti incarnatus fuiſſet?

DIxi, (*Ibid. a. 3. o.*) vi præſentis decreti, certum eſt enim Deum vi alterius decreti potuiſſe incarnari, etiamſi Adam non peccaſſet, cum Incarnatio nullam ſecundum ſe connexionem habeat cum peccato. Utrum autem Deus habuiſſet hoc decretum, incertum eſt, ut dicam in fine articuli. Tota quæſtio igitur eſt, utrum ſi Adam non peccaſſet, vi præſentis decreti Verbum incarnatum fuiſſet, ſeu utrum decretum præſens Incarnationis ſit ex alio motivo, quam Redemptionis generis humani, nec ideo connexum cum peccato. An e contra ſit ſolum aut principaliter ex motivo Redemptionis generis humani, & ideo cum peccato connexum?

Hoc ſecundum tenent Thomiſtæ & alii communius cum S. Th. Quamvis enim S. Doctor utramque ſententiam probabilem reputaverit in 3. d. 1. q. a. 3. hic tamen ſecundæ eſſe *magis aſſentiendum* dicit. Primum tenetur Scotiſtæ cum Scoto, diſtinguuntque in Deo duplex decretum; unum circa ſubſtantiam Incarnationis ex motivo naturam humanam nobilitandi & glorificandi, adeoque a peccato independens: aliud circa circumſtantiam paſſibilitatis ex motivo naturam reparandi, adeoque cum peccato connexum; unde juxta illos Adamo non peccante veniſſet Chriſtus, ſed non in carne paſſibili. Scotiſtis aliquo modo conſentiunt Suares, Iſambertus & quidam alii, ſed in hoc diſferunt, quod pro motivo primi decreti aſſignent ipſius Incarnationis excellentiam, & quod velint ſecundum decretum verſari etiam circa ſubſtantiam Incarnationis & non tantum circa circumſtantiam paſſibilitatis, ut ſic ſalvetur Chriſtum veniſſe propter nos, nec inconveniens reputant eundem effectum procedere a duplici cauſa totali. Contra hos omnes

Dico. (*Ib.*) Unicum motivum Incarnationis fuit Redemptio generis humani; unde Adamo non peccante, Verbum non fuiſſet incarnatum vi præſentis decreti. Prob. 1. (*Ibid.*) Ea, quæ ex ſola Dei voluntate pendent & proveniunt ſupra omne debitum naturæ, nobis aliunde innoteſcere non poſſunt, quam per Scripturam ſacram aut traditionem: atqui Scriptura ſacra & Patres non aliud aſſignant Incarnationis motivum, quam Redemptionem generis humani. Ergo. Patet Maj. Quia libera Dei voluntas ſibi ſoli nota eſt, nec alia via nobis innoteſcere poteſt quam revelatione, quæ habetur aut in Scripturis, aut in Traditione. Unde dicitur Sap. 9. *Quis hominum poterit ſcire conſilium Dei, aut quis poterit cogitare quid velit Deus?*

Prob. Min. 1. ex Scriptura. Ipſe Salvator Luc. 5. dicit. *Non egent, qui ſani ſunt, Medico, ſed qui male habent. Non veni vocare juſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam.* Cap. 19. *Venit Filius hominis quærere & ſalvum facere quod perierat.* 1. Tim. 1. *Chriſtus Jeſus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere.* Ad Galat. 4. *Miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, ut eos, qui ſub lege erant, redimeret.* Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum Unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Tandem non alia ratione a SS. Patribus veteris Teſtamenti expectabatur MESSIAS, nec alia ratione promittebatur, quam ut mederetur contritis corde, ut conſummaretur prævaricatio, et finem acciperet peccatum, & deleretur iniquitas, ut patet Iſa. 61. Dan. 9. & alibi.

Prob. Min. 2. ex Traditione. Concilium Nicænum in Symbolo, quod ubique canit Eccleſia, dicit: *Qui propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis: Et incarnatus eſt de Spiritu S. & homo factus eſt.* Hunc eſſe communem Eccleſiæ ſenſum confirmat, quod canitur in benedictione Cerei Paſchalis: *Felix culpa, quæ talem meruit habere Redemptorem! O certe neceſſarium Adæ peccatum:* nimirum ad hoc, ut veniret Filius Dei.

S. Irenæus l. 5. adverſ. hæreſ. c. 14. ait: *Si non haberet caro ſalvari, nequaquam Verbum Dei caro factum eſſet.* Cyrillus Alexand. dial. 5. de Trinit. circa medium: *Si non peccaſſemus, neque factus eſſet nobis ſimilis Filius Dei.* Hos ſpecialiter laudo, quia opponuntur nobis: omnes autem alios pariter loquentes proferre longum foret; ſufficiant duo quaſi capita utriuſque Eccleſiæ Græcæ & Latinæ. Aug. Serm. 8. de Apoſt. ait: *Si homo non peccaſſet, Filius hominis non veniſſet.* Et Serm. 9. *Nulla cauſa fuit veniendi Chriſto, niſi peccatores ſalvos facere, tolle morbos, tolle vulnera, nulla eſt medicinæ cauſa.* Chryſoſtomus Hom. 5. in Ep. ad Heb. *Propter hoc carnem aſſumpſit noſtram, propter miſericordiam ſolam, ut miſereatur noſtri: non enim eſt alia quæpiam cauſa diſpenſationis, quam hæc ſola.* Quid expreſſius? nec aliter poſſet loqui Thomiſta ad exprimendam mentem ſuam.

Reſpondent Scotiſtæ, Scripturam & Patres nihil aliud velle, quam quod ſecluſo Adæ peccato Chriſtus non veniſſet, ſicut reipſa venit in carne paſſibili ſeu tanquam Medicus & Salvator; non autem intendant, quod non veniſſet in carne impaſſibili propter gloriam Dei, deinde propter naturam humanam glorificandam & dignificandam. Sed contra; ſi valeret iſta Reſponſio, falſa foret Patrum locutio aſſerentium abſolute Chriſtum non venturum Adamo non peccante: id enim quod fieri poteſt duobus modis, ex eo quod uno ex illis non fiat, non poteſt dici abſolute & ſimpliciter non fieri; quia abſoluta negatio, cum ſit malignantis naturæ, & totum deſtruat, ut communiter dicitur, omnem modum rei faciendæ excludit. Ergo ſi Adamo non peccante veniret Chriſtus licet in carne impaſſibili, falſa foret Patrum locutio aſſerentium abſolute ſimpliciter & ſine reſtrictione Chriſtum non venturum Adamo non peccante, aut certe magna ſub eorum verbis lateret æquivocatio puritate & candore Patrum indigna. Sic v. g. falſum diceret, imo Hæreticus reputaretur, qui ſimpliciter & abſolute aſſereret, Corpus Chriſti non eſſe in Cœlo, vel in Sacramento, quamvis ibi non ſit in carne paſſibili. Sic iterum mentiretur, qui ſciens Regem venturum Pariſios, ſed ſine Rheda & armis, diceret ſimpliciter & abſolute ipſum non venturum. Ergo ſimiliter mentirentur Patres ſimpliciter abſolute & ſine reſtrictione aſſerentes Chriſtum non venturum Adamo non peccante, ſi revera Adamo non peccante veniſſet, quamvis non in carne paſſibili.

Nec valet, ſi dicas cum P. Henno, ideo Patres non mentiri, quia ſenſus ille aperte colligitur ex ſubjecta materia & circumſtantiis conſignificantibus. Utrumque enim falſum eſt. Et 1. non colligitur aperte ex ſubjecta materia, ſi quidem fundamentum hujus ſententiæ nuſquam ſunt rationes convincentes, niſi forte apud Scotiſtas, ſed mere ſolubilia argumenta, & quæ de facto ſolvuntur a Thomiſtis. Non etiam ex circumſtantiis conſignificantibus; nulla enim poteſt adſerri, quæ hunc ſenſum indicet, quod enim dixit Aug. *Tolle morbos & vulnera, & nulla eſt cauſa medicinæ;* unde Henno colligit ipſum loqui de adventu in carne paſſibili; quia, inquit, non fuit medicina, niſi patiendo. Futile eſt: potuiſſet enim Chriſtus nobis mederi abſque paſſione per unicum amoris actum. Sed & quid reſpondebit aliis Patribus? Quid Irenæo dicenti: *Si non haberet caro ſalvari, nequaquam Verbum Dei caro factum eſſet.* Quid Chryſoſtomo diſerte reſolventi: *Non eſt alia quæpiam cauſa diſpenſationis, quam hæc ſola.* Quomodo in his verbis deprehendit Henno circumſtantias reſtringentes Incarnationem Verbi in carne paſſibili? Et ſane mirum foret hunc ſenſum aperte colligi ſive ex ſubjecta materia, ſive ex circumſtantiis conſignificantibus, quem ſubtiliora ingenia S. Th. & tot inſignes Theologi non colligunt nec apprehendunt.

Prob. 2. Concluſio. Non datur in Deo decretum efficax Incarnationis, niſi in ſtatu Redemptoris & paſſibilitatis; atqui utrumque ſupponit peccatum ut motivum, ut fatentur Adverſarii: Ergo vi præſentis decreti, &c. Min. patet. Prob. Maj. Licet decretum conditionatum & inefficax reſpiciens ſolum impoſitionem ordinis in rebus, quale eſt v. gr. voluntas antecedens ſalvandi omnes homines, feratur ad rem ſecundum ſe conſideratam & in communi, abſtrahendo a circumſtantiis ſingularizantibus & a ſta-

tu

Digitized by Google

tu aſſequibilitatis, ſecus tamen decretum efficax & abſolutum, quod reſpicit non ſolum ordinem in rebus, ſed rerum exitum & in ſtatu aſſequibilitatis: atqui Chriſtus ſecundum eventum rei & in ſtatu aſſequibilitatis fuit Redemptor & paſſibilis. Ergo. Prob. Maj. 1. Decretum Dei efficax & abſolutum eſt actus perfectiſſimæ prudentiæ, ſeu regulatur per illam: atqui perfectiſſima prudentia ad omnes circumſtantias objecti attendit; prudentia enim verſatur circa agibilia, & eo exactius ad omnia ſingularia attendit, quo eſt perfectior. Ergo. 2. Quo efficacior eſt intentio alicujus objecti, eo plures in objecto circumſtantias individuales attingit: atqui decretum ſeu intentio efficax Dei eſt in ſummo efficaciæ. Ergo. Min. eſt certa. Maj. etiam patet; quia efficacia alicujus cauſæ conſiſtit in poſitione & productione effectus extra nihil & omnes cauſas, adeoque omnibus ſuis circumſtantiis & accidentibus inſtructi. Ergo. 3. Hæc eſt inter nos & Deum differentia, quod nos multa intendamus etiam quantum eſt ex parte noſtra efficaciter, licet nondum attentis omnibus circumſtantiis particularibus, ſive quia non omnes nobis ſimul occurrunt ſed ſucceſſive, ſive quia ex impotentia ſæpe cogimur alterius cauſæ concurſum expectare ad poſitionem circumſtantiarum, ſive quia ſæpe temere & præcipitanter decernimus; nihil ſimile autem in Deo contingit. Ergo.

Dices. Electio v. g. Petri ad gloriam eſt decretum efficax: atqui tamen non attingit in objecto omnes circumſtantias. Ergo. Prob. Min. Tale decretum non attingit, quo medio Petrus aſſumetur ad iſtam gloriam, an martyrio, quo genere martyrii, &c. quia iſta pertinent ad decretum ſubſequens. Ergo. R. D. Maj. Electio Petri ad gloriam eſt decretum efficax finis, C. Mediorum, N. Ad Min. ſimiliter, non attingit in objecto omnes circumſtantias mediorum explicite, C. Sufficit enim quod talem finem decernat per media convenientia obtinendum: omnes circumſtantias finis, & ſubjecti finaliſati, N. Attingit enim illud decretum talem gloriam, talem gloriæ gradum & hanc perſonam in individuo ſuis proprietatibus & circumſtantiis individuantibus veſtitam; non enim poteſt ordinare efficaciter aliquem ad gloriam, niſi ſupponat creationem illius; creatio autem ſeu productio terminatur ad perſonam individuatam & omnibus particularibus circumſtantiis perſonam ſpectantibus veſtitam. Sic ergo decretum efficax Verbi incarnandi, quod eſt ſubjectum finaliſatum, debuit terminari ad ipſum ut individuatum & cum omnibus circumſtantiis perſonam ſpectantibus in ſtatu exiſtentiæ, conſequenter ut Redemptorem in carne paſſibili, ſicut re ipſa evenit.

Nec obſtat, ſi dicas cum Henno. Poſſum decernere efficaciter ſolvere alicui centum florenos, abſtrahendo ab hoc quod ſolvam in argento, vel auro. Iſtud namque decretum eſt tantum de fine & ſubjecto finaliſato, non de mediis, & ſic ſufficit, quod attingat circumſtantias finis & ſubjecti, licet non mediorum. Inſuper diſparitas eſt, quod decretum efficax alicujus rei producendæ non poſſit abſtrahere a circumſtantiis illam ſpectantibus in productione & in ſtatu exiſtentiæ, ſecus decretum rem jam productam ſupponens, & dirigens tantum aliquid circa illam agendum. Cæterum ad clariorem horum omnium intelligentiam & ad faciliorem argumentorum ſolutionem, adverte, quod quamvis in Deo non ſint plures actus, quorum alii ſunt priores, alii poſteriores, ut in nobis, ſed ipſe unico ſimpliciſſimo actu omnia ſimul intelligat, velit, ordinet ac decernat: nihilominus propter imbecillitatem noſtram diſtingui ſolent in Deo diverſa inſtantia ſeu ſigna rationis, quæ quidem non diverſificentur ex parte Dei, ſed ex parte objectorum, idque juxta noſtrum modum concipiendi, & prout alia ab aliis aliquam habent dependentiam.

Porro in diſponendis illis ſignis maxima eſt Auctorum varietas. Nos ſic diſponimus. 1. Deus ſe & omnia poſſibilia in eſſentia ſua intelligens voluit gloriam ſuam per effuſionem ſuæ virtutis ac bonitatis ſuorumque attributorum manifeſtare. 2. Ad talem gloriam propalandam hunc mundum ex multis poſſibilibus elegit. 3. Creaturam intellectualem ad ordinem ſupernaturalem evehere conſtituit. 4. Inſcrutabili judiciorum abyſſo ejus lapſum permittere voluit. 5. Præviſo peccato mederi voluit. 6. Ad tale remedium Filium ſuum incarnari voluit. 7. In Chriſto quoſdam efficaciter elegit, aliis in maſſa perditionis relictis. 8. Omnia in ſignis prioribus decreta Chriſti ſubjecit, & ad ejus gloriam ordinavit. Secundum itaque hanc diſpoſitionem Deus decrevit Incarnationem propter ſeu ex motivo Redemptionis, ſeu ut dicit Joannes a S. Th. decrevit Incarnationem propter ſeipſam, non abſolute & ſecundum ſubſtantiam conſideratam, ſed quatenus valebat ad manifeſtandam gloriam Dei per viam miſericordiæ & juſtitiæ in redemptione hominum. Unde quando dicimus Redemptionem eſſe motivum Incarnationis, non facimus ſenſum præciſivum Redemptionis ab Incarnatione, ſed ſenſus eſt, quod Incarnatio ut redemptiva, ſed ut valens ad redimendum, ſit motivum volendi illam, non ipſa dignitas, ſeu ſubſtantia Incarnationis ſecundum ſe. Sicut quando dicimus unumquodque eſſe propter ſuam operationem, non eſt ſenſus præciſivus, ſed quod ſit propter ſeipſum ut operans. Et ſic dicit S. Th. 1. 2. q. 12. a. 5. quod *hoc ipſum quod eſt aliquid valere ad plura, eſt ratio eligendi illud*. Unde Redemptio ut præciſa ab Incarnatione non tam debet dici finis Incarnationis, quam materia, circa quam verſatur Incarnatio in ordine ad manifeſtandam per viam miſericordiæ & juſtitiæ gloriam Dei, qui eſt finis principalis & primarius.

Equidem multi etiam ex Thomiſtis aliter ordinant iſta ſigna, volentes Deum intendiſſe Incarnationem priuſquam prævideret peccatum, ſed Redemptionem elegiſſe ut medium, per quod executioni mandaretur Incarnatio juxta id, quod dicit S. Th. hic ad 4. *Sicut Deus prædeſtinat ſalutem alicujus hominis per orationes aliorum implendam, ita etiam prædeſtinavit opus Incarnationis in remedium humani peccati*. Verum in iſto ordine non poſſet vere & in rigore dici, Deum propter nos & propter noſtram ſalutem deſcendiſſe de Cœlis, neque Deum ſic dilexiſſe mundum, ut filium unigenitum daret, &c. Sed e contra, Deum ſic dilexiſſe unigenitum, ut mundum ſeu hominem cadere permitteret. Inſuper in iſta hypotheſi, quod Chriſtus veniret etiam Adamo non peccante, quod non admittunt hujus ordinis defenſores; quia quando aliquis finis poteſt per diverſa media obtineri, etiamſi unum ex his mediis non adhiberetur, intentio efficax illius finis nihilominus ſortiretur ſuum effectum; remedium autem peccati non erat unicum medium ad exequendum Incarnationis conſilium.

Ad S. Th. R. Quod S. Doctor velit tantum, quod ſicut Prædeſtinatio quoad decretum executivum ſupponit præſcientiam alicujus futuri, v. g. orationum, per quas eſt adimplenda; ita in Prædeſtinatione Chriſti non eſt inconveniens aliquid ſupponi ut futurum, ſcilicet peccatum, in cujus remedium prædeſtinatur Incarnatio. In hac autem comparatione nihil refert, an Redemptio ſe habeat ut medium, vel ut motivum. Et hanc eſſe mentem S. Th. patet tum ex argumento, tum ex modo loquendi in Reſponſione *per orationes & in remedium*.

Solvuntur Objectiones.

OBJ. 1. Incarnatio eſt primum opus Dei ad extra. Atqui non executione, ut patet. Ergo intentione, ergo ante præviſum peccatum & independenter ab illo. Prob. Maj. Prov. 8. dicitur: *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum*, ſeu juxta 70. Interpretes, *Dominus creavit me initium viarum ſuarum*, quod multi Patres intelligunt de Sapientia incarnata. Eccli. 24. dicitur: *Ego ex ore Altiſſimi prodivi primogenita ante omnem creaturam:* quod de Chriſto Domino intelligit Concil. Sardicenſe in Ep. ad omnes Epiſcopos. Item ad Coloſſ. 1. Chriſtus dicitur *Primogenitus omnis creaturæ*. Ergo. R. N. Maj. Ad Prob. N. ex locis citatis Scripturæ quidquam evinci contra nos. Et 1. quantum ad textus Prov. & Eccli. R. juxta Eſtium, Sa, Tirinum & alios Interpretes, ſermonem eſſe in his libris de Sapientia indiſtincte, id eſt non diſtinguendo creatam ab increata: ita ut quæ Sapientiæ tribuuntur, partim conveniant ſapientiæ creatæ, partim increatæ: nec enim omnia ſapientiæ increatæ, neque omnia creatæ convenire poſſunt. Enim vero quomodo poteſt intelligi locus Proverbiorum de Sapientia creata? Siquidem ibi dicatur, quod quando Deus condebat mundum, *erat cum eo cuncta componens*. Similiter locus Eccl. 24. intelligi non poteſt de Chriſto, ſiquidem poſt verba citata ſtatim ſubditur de eadem ſapientia: *Ego feci in Cœlis, ut oriretur lumen indeficiens*, ſcilicet ſolem, *Ego in altiſſimis habitavi & Thronus meus in columna nubis, gyrum Cœli circuivi ſola, & profundum abyſſi penetravi, in fluctibus maris ambulavi*, &c. Quomodo inquam iſta poſſunt adaptari Chriſto? Nec refert vox *creavit*, quæ legitur apud 70. Interpretes, frequenter enim in Scripturis uſurpatur creare pro generare, ut illud Pſ. 101. *Populus qui creabitur, laudabit Dominum*, intelligendum eſt ſine dubio, populus qui gignetur & naſcetur ex Parentibus via ordinaria.

Quoad Patres. Si hos textus revera intellexerint de ſapientia Incarnata, dico ipſos loqui, non de ſapientia incarnata formaliter & reduplicative ut incarnata, ſed materialiter tantum & ſpecificative, id eſt de ſapientia æterna, quæ eſt incarnata, ita ut quæ afferuntur, ipſi conveniant ratione divinitatis & non humanitatis. Ita interpretantur Cyrill. l. 9. Theſauri c. 7. Hieron. ad verba illa Prov. 8. Ad locum Apoſtoli R. 1. Quod Apoſt. ad Coloſſ. loquatur de Chriſto, modo ut Deo, modo ut homine & Deo: hæc autem verba, Primogenitus &c. intelliguntur de Chriſto ratione divinitatis, ratione cujus Apoſt. dicit, quod ſit *Imago Dei inviſibilis*, & quod *per ipſum & in*

ipſa

ipſe omnia creata ſunt. Vel primogenitus idem eſt ac unigenitus, ut dicitur Matth. 1. *Peperit filium ſuum primogenitum*, id eſt unigenitum. Ita Ambroſ. Theodoret. Theophilactus apud Tirinum. R. 2. Chriſtum vocari & eſſe Primogenitum omnis Creaturæ & primum omnium hominum Prædeſtinatorum, non quod ſit efficaciter intentus ante prævisum peccatum & voluntatem ſalvandi omnes homines ſaltem antecedenter; ſed quia in ordine voluntatis conſequentis & electionis efficacis eſt quidem primus prædeſtinatos. Item prædeſtinatus eſt ut caput, cæteri ut membra, & inſuper ejus Prædeſtinatio eſt cauſa finalis, meritoria & exemplaris noſtræ Prædeſtinationis, juxta illud Apoſtol. Rom. 8. *Quos præſcivit & prædeſtinavit conformes fieri imaginis filii ſui, ut ſit ipſe Primogenitus in multis fratribus*. Et ad Epheſ. 1. *Elegit nos in ipſo*, ſeu per ipſum *ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti*.

Dixi Hominum Prædeſtinatorum; quia quoad Angelos Chriſtus non eſt nec primus, nec caput quoad ad gloriam eſſentialem ſed tantum accidentalem, nempe aliquas revelationes, aliqua chariſmata gratiarum, ut dicit D Th. q. 29. de Verit. a. 7. ad 5. Si enim prævisum fuit Adæ peccatum ante decretam Incarnationem, prævidebatur ergo etiam dæmon ſuggerens. Ergo jam Angeli erant Beati; eo enim inſtanti, quo mali Angeli peccaverunt, boni fuere confirmati in gratia.

Inſt. 1. Chriſtus eſt finis omnium Prædeſtinatorum, & omnis creaturæ. Atqui finis prius intenditur quam ea quæ ſunt ad finem. Ergo. Prob. Maj. Ex Concil. Trid. Seſſ. 6. c. 7. ubi dicitur gloriam Chriſti eſſe finem noſtræ Prædeſtinationis; & ex 1. Cor. 1. ubi dicitur: *Omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei*. Ergo. R. quoad Prædeſtinatos, ſolutionem eſſe jam datam; quoad alias creaturas, D. Maj. Chriſtus ut incarnandus eſt finis omnium operum Dei, N. Maj. Chriſtus ut glorificandus eſt finis operum Dei, Subdiſtinguo: operum Dei jam productorum ſeu intentorum, C. Productionis ſeu intentionis eorum, N. Non enim Deus, ex prævia intentione Chriſtum glorificandi, omnia producere voluit, ſed totum univerſum prius intentum, & noſtram ſalutem prius volitam ordinavit in gloriam Chriſti. Unde Chriſtus debet potius dici finis rerum productarum, quam productionis earum. Et hoc ſenſu intelligendæ ſunt auctoritates allatæ.

Inſt. 2. Saltem Chriſtus eſt propinquior fini, nempe manifeſtationi gloriæ Dei, quam cæteræ creaturæ & ſalus hominum: atqui ordinate volens prius volt propinquiora fini quam remotiora. Ergo. R. D. Maj. Eſt propinquior fini in movendo ſeu in ordine cauſalitatis, N. In eſſendo ſeu in ordine perfectionis, C. Et ſic diſtincta Min. N. Conſeq.

Inferes. Ergo Deus plus dilexit hominem quam Chriſtum, finis enim magis diligitur eo, quod propter illum amatur. R. N. Illationem. Patet ex dictis; licet enim Deus voluerit Incarnationem Chriſti propter redemptionem hominis, ipſam tamen redemptionem ordinavit ad ipſius Chriſti gloriam, eique plura bona & commoda contulit, quam omnibus hominibus ſimul ſumptis: unde ipſum plus amavit. Ad probationem dico veram eſſe de fine ultimo, non autem de fine intermedio, ſeu, ut dicit Contenſon, de fine neceſſitatis reſpectu medii ex natura ſua ipſi ſubordinati, non autem de fine voluntario pietatis & charitatis; ſic v. g. qui ex charitate miniſtrat infirmo, non ideo plus diligit infirmum quam ſe. Adde Redemptionem, ut prævisam ab Incarnatione, non tam eſſe finem Incarnationis, quam materiam, circa quam verſatur, ut dictum eſt ex Joan. a S. Th.

Repones. Perverſitas ordinis eſt ordinare nobilius, & perfectius ad minus perfectum & minus nobile: atqui Incarnatio eſt quid nobilius & perfectius Redemptione ſeu ſalute generis humani. Ergo. R. D. Maj. Perverſitas ordinis eſt ordinare nobilius & perfectius ad id quod eſt minus perfectum & minus nobile tanquam ad finem ultimum ſui perfectivum, C. Maj. Tanquam ad finem intermedium perfectibilem & ulterius ordinatum ad bonum nobilius & ſupremum, N. Maj. Sic v. g. nulla eſt perverſitas, quod Deus ordinat Angelos ad noſtram cuſtodiam propter gloriam ſuam, quod Medicus viſitet infirmum peſte laborantem propter bonum Reipublicæ, quod Sacerdos celebret Miſſam pro ſanitate reſtauranda in ordine ad bonum commune & gloriam Dei. Sic autem eſt in noſtro caſu; ita enim Deus volt Incarnationem propter redemptionem generis humani, ut & ipſam redemptionem ordinet ad ipſius Chriſti gloriam, & ipſum Chriſtum ſicut & cætera ad gloriam ſuam. Et ſic ſolves auctoritatem Cyrilli l. 5. Theſauri c. 3. contra Arianos, ubi dicit: *Si propter nos factus eſt Filius, & non propter Filium nos, erimus nos ipſo multo præſtantiores*: id eſt ſi propter nos tanquam propter finem ultimum factus eſt Filius; patet ex ſequentibus terminis, & *non nos propter ipſum*.

Urgebis. Effectus ſequens ex efficacia intentionis Chriſti incarnandi non poteſt eſſe finis etiam intermedius, nec motivum talis intentionis: atqui redemptio eſt effectus intentionis Chriſti incarnandi, in Chriſto enim & per Chriſtum Deus nos elegit ad gloriam: ergo. R. D. Min. Redemptio ut volita per voluntatem conſequentem eſt effectus intentionis Chriſti incarnandi, C. Min. Ut volita per voluntatem antecedentem & providentiam generalem, qua Deus vult omnes ſalvos facere & redimere, N. Min. Hoc enim modo eſt finis & motivum, non effectus Incarnationis, ut probatum eſt. Poſtquam enim Deus decrevit permittere lapſum, voluit mederi & redimere; ad hoc autem tanquam medium elegit Incarnationem Chriſti, in qua poſtea aliquos efficaciter elegit ad gloriam, aliis relictis, ut jam vidimus.

Inferes, Ergo voluntas antecedens redimendi omnes homines, adeoque gratiæ ſufficientes ex illa manantes non erunt ex meritis Chriſti, quod eſt abſurdum. R. D. Conſeq. non erunt ex meritis Chriſti ut finis, Tranſeat: non erunt ex meritis Chriſti ut medii, N. Quia illa voluntas redimendi dependet a Chriſto ut a medio; vult enim Deus redimere per Chriſtum, licet poſſit etiam dici, quod omnia dependeant in executione a Chriſto ut a fine, ratione decreti in ultimo ſigno.

Porro ad abundantiorem ſolutionem totius hujus argumenti, quod præcipuum eſt, Nota 1. illud cum omnibus ferme inſtantiis ſuis poſſe retorqueri in Scotiſtas. Dicunt enim decretam fuiſſe Incarnationem quoad ſubſtantiam, ut Chriſtus *nos juſtificaret, glorificaret & naturam noſtram dignificaret*. Ita Henno ex Scoto & Scotiſtis. Infero 1. Ergo noſtra juſtificatio, glorificatio, naturæ noſtræ exaltatio eſt finis & motivum Incarnationis quoad ſubſtantiam; finis autem prius intenditur quam media, adeoque Chriſtus non eſt initium viarum Domini nec primogenitus omnis creaturæ. Infero 2. Ergo Deus plus dilexit hominem quam Chriſtum. Infero 3. Ergo eſt perverſitas ordinare perfectius ad minus perfectum.

Nota 2. Quod licet diſtinxerimus varia ſigna ſeu inſtantia in Deo, Deum tamen unico inſtanti reali & unico actu omnia ſimul velle & decernere, adeoque eodem actu & inſtanti reali decrevit mundum, permiſit peccatum, voluit Chriſtum ut Redemptorem & ut finem omnium ſuorum operum; unde licet Chriſtus pendeat a peccato ſeu Redemptione hominis tanquam a cauſa materiali perficienda, & hoc genere præcedat peccatum ſecundum modum noſtrum concipiendi, Redemptio tamen pendet a Chriſto tanquam a fine perficiente, & in hoc genere cauſæ finalis & perficientis præcedit Chriſtus ipſam redemptionem, ita ut ſimul volita dependeant ab invicem in diverſo genere cauſæ. Non enim exiſtimandum eſt Deum unum voluiſſe independenter ab alio, ſed voluit Redemptionem ut perficiendam per Chriſtum, & voluit Chriſtum ut perficientem ſeu ut redimentem: ita ut neutrum voluerit in ullo ſigno rationis ſine ordine ad aliud. Sicut in omni ſigno rationis Deus vult materiam ut actuabilem a forma, & formam ut actuantem materiam, aut in aliquo ſigno volt Deus formam priuſquam materiam ſeu independenter ab illa. Unde dicimus formam eſſe priorem in genere cauſæ formalis, materiam in genere cauſæ materialis. Ita ſimiliter in noſtro caſu proportione ſervata. Non ergo prædeſtinatus eſt Chriſtus ſimpliciter, ſed ut Redemptor, adeoque dicens ordinem ſeu ſub ordine ad naturam humanam reparandam, quæ ideo debebat ſupponi ut perdita.

Obj. 2. cum P. Henno. S. Cyrillus Alex. l. 5. Theſauri c. 8. dicit: *Præfundatur ante nos Chriſtus, & in ipſo nos omnes ſuperædificamur, idque ante initium mundi in præſcientia Dei*. Poſtea ſubdit: *Creator noſter Chriſtum ſalutis fundamentum etiam ante initium mundi formavit, ut ſi prævaricatione cideremus, in ipſo rurſus revocaremur*. Ergo ſupponit Chriſtum in intentione divina antequam prævideretur peccatum, alias non dixiſſet, *ut ſi prævaricatione caderemus*. Irenæus l. 5. cont. Hæreſ. c. 14. docet, quod prius in intentione Dei fuerit *ſalvans*, nempe Chriſtus, quam ſalvandi, ſcilicet homines. Ergo. R. hos Patres, quibus unanime innititur objiciens, certo tenere noſtram ſententiam: conſtat ex probationibus Concluſionis; imo quantum ad Cyrillum eo ipſo loco, quem objicit Henno, ſcilicet l. 5. Theſ. c. 8. ubi dicit: *Sed Deus, qui futura omnia novit, æternaliter quoque ſundavit, quaſi tam ad cognitionem ſuam Filium ſuum, hoc eſt fundamentum illud futurum conſtituit, ut nos ſuperædificati in ipſo a corruptione in incorruptionem reſurgamus; ſciebat enim mortales nos futuros propter peccatum, ac ideo ex miſericordia ſua ante ſæcula conſtituit, ut Verbum ſuum homo & initium viarum & fundamentum fieret*. Conſtat ergo juxta Cyrillum, quod quia Deus prævidit hominem caſurum, prædeſtinavit Chriſtum ut initium viarum ſcilicet ſupernaturalium ſeu naturæ reparandæ, & ut fundamentum totius ædificii ſupernaturalis. Itaque priora verba Cyrilli ob objectione laudata, & altera S. Irenæi intelligenda ſunt vel de prædeſtinatione Chriſti relative ad efficacem Præ-

de-

Digitized by Google

deſtinationem noſtram, quæ eſt decreto Incarnationis poſterior; vel quod Chriſtus ut glorificandus ſit prior, quia omnia ipſi ſunt ſubjecta, ut dictum eſt, non ut incarnandus. Ad poſteriora verba Cyrilli, *ut ſi prævaricatione caderemus*, &c. vult tantum innuere Deum miſiſſe Filium ſuum, ut redemptione ſemel poſita, dum poſtea cadimus, ejus meritis reſurgere valeamus. Objicit inſuper Henno Rupertum; potuiſſet addere Alenſem & quoſdam alios: ſed quid ſunt tam pauci contra nubem Patrum contrarie ſentientium?

Obj. 3. Si decretum Incarnationis ſupponat prævlſum peccatnm originale in Adam, ergo etiam omnia peccata actualia omnium poſterorum. Falſum Conſequens. Ergo & Ant. Prob. Sequela Maj. Tum qnia ſi propter originale, etiam propter actualia peccata redimenda venit Chriſtus; tum quia ex originali actualia orinntur; tum tandem quia pertinent ad ordinem naturæ ſicut peccatum originale. Prob. N. Multa peccata patrata ſunt in ipſum Chriſtum, utpote blaſphemantium in eum & crucifigentium; atqni iſta peccata non potuerunt prævideri ante Chriſtum. Inſuper multi homines naſcnntur ex meritis Chriſti, nempe il qui naſcuntur per miraculum. Ergo. R. D. Seqoelam Maj. Ergo omnia peccata actualia omnium poſterorum ſupponuntor prævisa ante decretum Incarnationis implicitę, C. Seq. Supponuntur prævisa explicite, N. Seq. & ſic diſtincta Min. N. Conſeq. Nec aliud evincitur ex probationibus Majoris. Ex eo enim quod propter actualia peccata redimenda venerit Chriſtus, evincitur tantum, quod prævisio eorum debuerit præcedere virtualiter ant formaliter, implicite aut explicite, non neceſſario explicite & formaliter quoad omnes circumſtantias: ſufficit ergo, quod ſit prævisum univerſale & generale peccatum, in cujus virtute omnia illa continentur, & ad omnia illa redimenda Deus decrevit mittere Redemptorem. Similiter ex eo quod peccata actualia ex originali deducantur & pertineant ad ordinem naturæ, ſolum inſertur, quod in virtute & implicite ac ſub ea præciſa ratione, qua pertinent ad ordinem naturæ, & a primo originantur, prævideantur, quod eſt implicite prævideri. Obſervandum itaque, quod cum inſtantia, quæ diſtinximns in Deo, & ea, quæ in ipſis ordinantur, ſint ad invicem connexa ſaltem ex determinatione voluntatis divinæ, & quædam ordinantur in uno inſtanti, quædam in alio, fieri oon poteſt, quod aliquid complete & perſecte prævideatur cum omnibus ad ſe pertinentibus in uno inſtanti. Sic effectus, qui pendet a pluribus cauſis, quæ ſunt ſibi Invicem cauſæ, non poteſt in una prioritate naturæ qua conſideratur ut dependens ab una cauſa, adæquate & complete cognoſci, donec conſideretur ut pendens ab altera cauſa, quæ in ſuo genere eſt etiam prior.

Obj. 4. Adam cognovit in ſtatu innocentiæ futuram Incarnationem Verbi: atqui in hoc ſtatu non cognovit peccatum ſuum futurum, alias triſtatus fuiſſet, quod repugnat illi ſtatui. Ergo peccatum non eſt cauſa ſeu motivum Incarnationis. Prob. Conſeq. Naturale eſt homini, cognito effectu, appetere cauſæ cognitionem, ita ut ſi ignoret non quieſcat, ſed triſtetur animus. Ergo ſi peccatum Adæ fuit cauſa motiva Incarnationis, cognita Incarnatione etiam peccatum ſuum cognovit. R. D. Conſeq. Ergo peccatum Adæ non eſt motivum primarium Incarnationis, C. Conſeq. Eſt enim gloria Dei: non eſt motivum proximum, N. Porro cognovit Adam Incarnationem eſſe ad conſummationem gloriæ, ut docet D. Th. 2. 2. qu. 2. a. 7. & hoc ſufficiebat, ut ab illo tolleretur anxietas, licet motivum proximum ignoraret: eo potiſſimum quod Incarnatio non penderet ab hac cauſa ex Intrinſecis, ſed ex determinatione Dei voluntaria.

Obj. 5. Si Adamo non peccante non veniſſet Chriſtus, ſequitur, quod Adamo non peccante nullus prædeſtinatus fuiſſet. Abſurdum Conſequens. Ergo. Prob. Maj. Nullus prædeſtinatos eſt niſi in Chriſto & per Chriſtum: atqui non veniſſet Chriſtus Adamo non peccante: ergo Adamo non peccante nullus prædeſtinatus fuiſſet. R. D. Maj. Si, &c. nullus prædeſtinatus fuiſſet vi præſentium decretorum, C. Vi aliorum decretorum quæ Deus habuiſſet, N. Chriſtus ergo eſt cauſa noſtræ prædeſtinationis prout nunc eſt, ſed non pront tunc fuiſſet.

Inſt. Gratia juſtitiæ originalis Adamo collata ante peccatum eſt effectus ejus prædeſtinationis, adeoque eſt ex meritis Chriſti, ſi quidem Adam non ſecus ac cæteri homines ſit prædeſtinatus in Chriſto & per Chriſtum. Ergo Chriſtus fnit prædeterminatus independenter a peccato. Prob. Ant. Illi gratiæ quamvis per peccatum mortificatæ, quia tamen per pœnitentiam revixit, correſpondet gradus gloriæ: atqui gratia, cui reſpondet gloria, eſt effectus prædeſtinationis & eſt ex meritis Chriſti. Ergo. R. N. Maj. Ad prob. D. Maj. Illi gratiæ correſpondet gradus gloriæ ratione reparationis factæ per Chriſtum, C. Secluſa iſta reparatione, N. Licet ergo verum ſit illi primæ gratiæ correſpondere aliquem gradnm gratiæ, quia tamen illa gratia ſemel mortificata non manſiſſet in acceptatione divina, niſi Deus ſtatuiſſet mederi peccato per Incarnationem, ideo ſolnm ut reparata profuit ad gloriam.

Obj. 6. Non eſt credibile Deum permiſiſſe peccatnm ex ſolo fine manifeſtandi gloriam ſuam, ſed potius ex fine Incarnationis præintentæ ex alio motivo. Ergo &c. R. cum Contenſon nos non poſſe nec debere præſcribere rationes, cur Deus voluerit peccatum permittere, judicia enim Dei abyſſus multa, præſertim cum hæbeamus ex Scriptura Incarnationem eſſe propter peccatum, neutiquam autem peccatum propter Incarnationem: non enim dicitur: ſic Deus dilexit Chriſtum, ut peccatum permiſerit, ſed e contra dicitur: ſic Deus dilexit mundum, ut Filium ſnnm unigenitum daret.

Inferes 1. Ergo Incarnatio erit bonum occaſionatum. 2. Ergo anima Chriſti debebit gaudere de peccato noſtro, & nobis gratias agere, quod illi dederimus occaſionem eſſendi. Quę videntur abſurda. R. D. primam illationem: Ergo Incarnatio eſt bonum occaſionatum proprie, N. Improprie, C. Dicitur proprie occaſionatum, quod eſt præter intentionem agentis & a caſu, hoc ſenſu Incarnatio non eſt occaſionata. Improprie dicitur occaſionatum, quod pendet ex aliqua occaſione, licet ſit intentum ab agente: & ſic Incarnatio eſt bonum occaſionatum, quia non eſt inconveniens, quod occaſione mali tantum bonum Deus eliciat.

Replicabis. S. Th. 1. p. q. 98. a. 1. docet in ſtatu innocentiæ fore matrimonium ad propagationem generis humani, quia tale boοum non debet eſſe occaſionatum ex peccato, ſed per ſe intentum. Ergo a fortiori Incarnatio quæ eſt majus annum propagatione generis humani, non debet aſſe bonum occaſionatum etiam improprie ex peccato, ſed per ſe intentum. R. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod propagatiu generis humani ſit bonum ex natura rei debitum, adeoque per ſe intendendum & non ex occaſione peccati. Incarnatio antem eſt bonum gratuitum & ex miſericordia Dei, adeoque ex peccato occaſionatum, quia miſeria eſt objectum miſericordiæ.

Ad 2. illationem. N. illam pro utraque parte. Neqne enim nos dedimus occaſionem eſſendi Chriſto per ſe & ex intentione noſtra, ſed per accidens ex intentione Dei, qui ex peccato Adæ, tanqnam ex occaſione Incarnationem Verbi decernere voluit. Unde non nobis debet gratias agere anima Chriſti, ſed ſoli bonitati & miſericordiæ Dei, quæ ex tanto malo tanqnam ex occaſiona produxit tantum bonum.

Repones. S. Anſelmus l. 1. *Cur Deus homo* c. 18. probat homines futoros eſſe Beatos, etiamſi Angeli non peccaſſent; quia alias homines poſſent lætari de peccato Angelorum. Ergo ſimiliter in noſtro caſu, Chriſtus poſſet lætari de peccato noſtro. Reſpondet P. Lemos Tract. 5. c. 4. hanc rationem S. Anſelmi non eſſe cogentem, ſed topicam tantum ſeu probabilem; non enim evincit, quod homines in illo caſu deberent gaudere de peccato Angelorum, ſed de miſericordia Dei, qui occaſione peccati Angelorum tantum bonum eis contuliſſet. Reſpondet Bancel S. Anſelmum loqui contra Hæreticos ſui temporis, qui volebant ruinam Angelorum eſſe medium neceſſarium a Deo intentum ad gloriam hominum, ex quo bene infert quod in illa hypotheſi homo deberet gaudere de ruina Angelorum, non ſic autem in noſtro caſu: non enim peccatum fuit medium neceſſarinm ad Incarnationem. Qnam volueris ſolutionem elige.

Obj. 7. Eſto Chriſtus venerit in Redemptionem generia humani, hæc tamen non fuit cauſa ſola nec principalis ejus adventus. Ergo. Prob. Ant. Prima & principalis cauſa motiva Incarnationis fuit gloria Dei, deinde nubilitatio & perfectio naturæ humanæ, conſommatio ordinia gratiæ, complementom univerſi, & ipſa myſterii hujus excellentia. Unde Eccleſia canit in Symbolo: *Qui propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cælis, & incarnatus eſt*. Ubi duæ afferontur cauſæ adventus Chriſti in carne. Prima, *propter nos homines*, ſcilicet nobilitandos, dignificandos & glorificandos, qnod fuit primo decretum independenter a peccato. Secnnda, *& propter noſtram ſalutem*, ſeu Redemptionem, quod fuit ſecundo decretum præviſo peccato. R. N. Ant. Ad 1. probationem ſeu primam cauſam allegatam, D. Cauſa principalis motiva remota fuit gloria Dei, C. Proxima, N. Hæc enim fuit Redemptio generis humani. 1. enim Deus intendit equidem gloriam ſuam, deinde præviſo peccato in ejus remedium elegit Incarnationem, ut per viam miſericordię & juſtitię gloriam ſuam magnificaret. Unde vi præſentis decreti ex ſolo fine glorię Dei, peccato non exiſtente, Chriſtus non fuiſſet incarnatus. Ad alias cauſas motivas propoſitas non negamus Deum his de cauſis & aliis potuiſſe incarnati, ſed vi præſentis decreti de facto ita fuiſſe negamus propter rationes allatas in probationibus. Ad id, quod opponitur ex Symbolo, R. To &,

non ibi ſomi multiplicative, ſed explicative, quaſi diceret propter nos homines, id eſt propter noſtram ſalutem, ſeu propter nos ſalvandos.

Inſt. Ex pluribus Scripturæ locis habemus Chriſtum veniſſe ut Concionatorem, Paſtorem, Regem, Ducem, Magiſtrum; atqui hæc officia videntur independentia ab officio Redemptoris; Ergo. R. D. Min. Hæc officia videntur independentia ab officio Redemptoris abſolute, C. Min. Ut in Chriſto, N. Min. Hæc enim officia ut a Chriſto exercita officium Redemptoris ſupponunt, & implicite involvunt. Et 1. concionatus eſt Chriſtus *Captivis Indulgentiam*, juxta illud Iſa. 61. *Spiritus Domini ſuper me... ut mederer contritis corde & prædicarem captivis indulgentiam*. 2. Paſtor miſſus eſt, ut quæreret & ſalvam faceret ovem quæ perierat, ut conſtat Luc. 15. & Ezech. 34. 3. Venit ut Rex & Dux ad ſalvandum populum; juxta illud Iſa. 33. *Dominus* Rex *noſter ipſe ſalvabit nos*. 4. Venit ut Magiſter, ut nos verbo & exemplo errantes ad viam ſalutis reduceret. Et ideo dicit S. Th. hic ad 1. *Quod omnes aliæ cauſæ pertinent ad remedium peccati*.

Obj. 8. Plura ſimul compendioſe. 1. Ad omnipotentiam divinę virtutis pertinet, ut & opera ſua perficiat, & ſe manifeſtet per aliquem effectum infinitum. Sed in ſola Incarnatione videtur perfici univerſum per hoc, quod ultima creatura, ſcilicet homo, primo principio conjungatur, & infinitum haberi effectum per hoc, quod infinite diſtantia jungantur. Ergo. 2. Per peccatum humana natura non eſt facta capacior gratię; ſed poſt peccatum eſt capax gratiæ unionis, quæ eſt ſumma gratia. Ergo & ante peccatum. Ergo etiam tunc Deus non ſubtraxiſſet ipſi bonum, cujus erat capax. 3. Beatior eſt accidentali beatitudine homo videns Chriſti humanitatem glorioſam oculis corporeis: atqui non fuiſſet minus beatus etſi non peccaſſet. Ergo. 4. Ideo ſupra diximus Deo convenire incarnari, quia eſt ſummum bonum, cui convenit ſummo modo communicari: atqui independenter a peccato eſt ſummum bonum: ergo, 5. Chriſtus ut homo eſt caput Eccleſiæ; fuiſſet autem Eccleſia etiam homine non peccante. Ergo. Confir. In ſtatu innocentiæ fuit Eccleſia. Ergo dicebat ordinem ad Chriſtum, alias Eccleſia Chriſti non fuiſſet ab initio. 6. In ſtatu innocentiæ matrimonium ſignificabat conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, intellige ſecundum carnem.

R. ad 1. ((*Ibid. ad* 2.) quod in ipſo modo productionis rerum ex nihilo divina virtus infinita oſtenditur. Ad perfectionem etiam Univerſi ſufficit, quod naturali modo creatura ordinetur in Deum ſicut in finem, hoc autem excedit limites perfectionis naturæ, ut creatura uniatur Deo in perſona. Ad 2. (*Ibid. ad* 3.) R. naturam humanam per peccatum non eſſe factam capaciorem gratiæ unionis, ſed indigentiorem adeoque aptiorem, ut in ea ſimul cum juſtitia exerceretur ſumma miſericordia. Porro licet Deus ſemper impleat capacitatem creaturæ naturalem, non tamen ſemper capacitatem obedientialem, qualem habet creatura ad unionem hypoſtaticam: unde N. ultimam illationem. Nec inconveniens reputat S. Doct. ibidem naturam humanam ad aliquid majus eſſe productam poſt peccatum; Deus enim permittit mala fieri, ut inde aliquid melius eliciat. Unde dicitur ad Rom. 4. *Ubi abundavit delictum, ſuperabundavit et gratia*. Et hinc patet Reſponſio ad 3. Ad 4. R. communicationem actualem ad extra Deo convenire per modum liberi, ut jam ſupra dictum eſt; adeoque nullum fore inconveniens, ſi de facto non ſe communicaret homini, ſicut nec ſe communicavit Angelis. Eſt ergo ſolum de ratione ſummi boni, quod ipſi ſit conſentaneum ſe communicare, non actualis communicatio. Ad 5. R. quod homine non peccante, Deus fuiſſet caput Eccleſiæ, cujus membra cum fuiſſent integra, ad inviſibilem Verbi gubernationem ſufficienter fuiſſent diſpoſita. Ad confirmationem dico in ſtatu innocentiæ fuiſſe Eccleſiam materialiter tantum & in potentia, in quantum perſonę illę futurę erant membra Chriſti, non tamen formaliter, quia ille ſtatus formaliter ut talis non pendebat a Chriſto venturo. Ad 6. R. verum eſſe Ant. Quia revera futura erat Incarnatio, & hoc Deus pręſciebat, qui mulierem viro conjungebat. Si vero non fuiſſet peccatum, ſolum ſignificaſſet unionem Dei cum Eccleſia ſecundum affectum & charitatem.

Petes, utrum non exiſtente peccato Verbum incarnatum fuiſſet vi alterius decreti? R. id incertum nobis eſſe, ut jam diximus, cum nullibi id nobis revelatum ſit, pendeatque ex mera Dei voluntate. Nec ſufficit quaſdam afferre congruentias, quia divina voluntas utpote liberrima illis congruentiis non aſtringitur. Etenim, ut bene advertit Contenſonus, quando Theologi afferunt congruentias divinorum operum, non tam ſunt accipiendę ut convenientę operis faciendi, quam operis facti: quia et ſi opus illud factum non eſſet, ejus negationis non deeſſent convenientię: v. g. quod Deus noluit aſſumere naturam Angelicam, conveniens eſt; & tamen ſi eam dignatus fuiſſet aſſumere, non deeſſet convenientiæ. Prima ergo convenientia operis alicujus faciendi eſt executio divinæ voluntatis, quam impleri ſumme decet, & cui, ſi oppoſitum decreviſſet, rationes non defuiſſent. Ita laudatus Theologus.

ARTICULUS IV.

Ad quæ peccata delenda venerit Chriſtus?

DICO 1. (*Ibid. art.* 4. *o.*) Chriſtus venit in mundum ad delenda omnia peccata, tam originale quam actualia, principalius tamen ad delendum originale. Prob. 1. pars Auth. 1. Joan. 2. dicitur: *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi*. Cap. 1. *Sanguis Chriſti emundat nos ab omni peccato*. Et ſæpius alibi. Id expreſſe definit Concil. Tolet. 6. Can. 1. Addi poteſt Concil. Trid. Seſſ. 6. c. 2. Prob. Ratione. Deus venit, ut homines ſalvaret. Ergo ut tolleret omnia peccata, non ſolum originale, ſed & actualia, quæ ſunt ad ſalutem obſtacula.

Prob. 2. pars; (*Ibid. in a ſ. c.*) Ex illo Joan. 1. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*. Quod exponens Beda juxta Gloſſ. ord. in hoc loco dicit: *Peccatum mundi dicitur originale peccatum, quod eſt commune totius mundi*. Prob. 2. (*Ibid. o.*) Chriſtus venit principalius ad delendum illud peccatum, quod eſt abſolute majus: atqui tale eſt peccatum originale reſpectu actualis. Ergo. Prob. Min. Licet peccatum actuale ſit intenſive majus, quia habet plus de voluntario; Originale tamen eſt extenſive majus, quatenus inficit totum genus humanum, actuale vero eſt proprium ſingularis Perſonæ: atqui peccatum, quod inficit totam naturam, eſt abſolute majus eo, quod inficit ſingularem perſonam; quia ut dicit Philoſoph. 1. Eth. 2. *Bonum gentis divinius & eminentius eſt, quam bonum unius*. Ergo.

Dico 2. Exiſtente ſolo originali peccato ſine actualibus, vi præſentis decreti veniſſet Chriſtus. Solis autem peccatis actualibus exiſtentibus ſine originali, probabile eſt, quod non veniſſet vi præſentis decreti. Prob. prima pars. Exiſtente ſolo originali peccato ſine actualibus remaneret prima & principalior ratio Incarnationis, ut modo dictum eſt. Ergo. Confir. Ideo venit Chriſtus ut totam naturam, quæ in Adamo perierat, reſtauraret: atqui independenter a peccatis actualibus tota natura per ſolum originale periit, & a jure ad gloriam excidit. Ergo. Prob. 2. pars; 1. Non exiſtente originali peccato, principalior ratio Incarnationis non ſubſiſtit, ut dictum eſt: atqui ceſſante fine primario & principali alicujus operationis, ceſſat operatio. Ergo. 2. Chriſtus vi præſentis decreti venit in carne paſſibili & mortali. Sed non exiſtente peccato originali, caro non fuiſſet paſſibilis nec mortalis; ut enim ait Apoſt. Rom. 5. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit & per peccatum mors*. Ergo vi præſentis decreti, &c.

Dices contra 1. partem ſecundæ Concluſionis. Peccata actualia integrant totale motivum Incarnationis cum originali, ut dictum eſt in 1. Concluſione. Ergo illis non exiſtentibus non veniſſet Chriſtus, deficiente enim motivo totali decreti, ceſſat ejus effectus. R. D. Ant. Peccata actualia ut ab originali tanquam a fonte dimanant & originantur, integrant, &c. C. Ant. Seorſim conſiderata, N. Ant.

Dices contra 2. partem. Quidam SS. Patres, inter quos Chryſoſt. hom. 3. in act. Apoſt. innuunt Chriſtum tanti facere animam, ut ſi unus tantum homo peccaſſet, veniſſet tamen in mundum. Ergo. R. Patres hoc modo loquendi nihil aliud velle, quam commendare immenſum Chriſti amorem & miſericordiam in ſingulos homines, ratione cujus erat ita affectus, ut pro uno peccatore, ſi Deus ita voluiſſet, libenter vitam dediſſet; ſed hoc non probat, quod Chriſtus vi præſentis decreti veniſſet. An vero vi alterius decreti pro ſolis actualibus peccatis veniſſet, nos latet; quia non eſt revelatum.

DIS-

DISSERTATIO IV.

DE QUIDDITATE INCARNATIONIS SIVE DE IPSA UNIONE HYPOSTATICA.

Div. Thom. Quæſt. 2.

ARTICULUS I.

Utrum unio Verbi incarnati facta ſit in natura, vel in Perſona?

NATURA hic ſumitur (*Q.* 2. *art.* 1. *o.*) pro perfecta rei eſſentia, quæ definitione eſſentiali explicatur; ſeu pro eo *quod quid eſt*: ita tamen quod non intelligatur natura ſola communis, ſed etiam ſingularis & individua, qualis eſt in Chriſto. Uniri vero in natura eſt ſic uniri, ut ex unione reſultet tantum una natura, ſicut ex corpore & animu, ex materia & forma, una tantum exurgit natura.

Perſona eſt *intellectualis naturæ & incommunicabilis ſubſtantia*. Uniri autem in perſona eſt uniri perſonæ non conſtituendo aliam perſonam ab ea, cui unitur; ac proinde unionem factam eſſe in perſona eſt naturas ſic fuiſſe unitas, ut unio ſeu unitio terminata fuerit ad unam perſonam in utraque natura ſubſiſtentem.

Neſtorius (*Ibid. a.* 6. *o.*) negavit unionem naturæ humanæ & divinæ in Chriſto factam fuiſſe in perſona, ſeu ex hac unione reſultaſſe unam perſonam, quæ ſimul eſſet Deus & homo; ſed dicebat Chriſtum eſſe perſonam creatam, atque purum hominem, cui erant unitum Verbum divinum unione accidentali ſeu morali: 1. Secundum inhabitationem in quantum ſcilicet divinum Verbum habitavit in illo ſicut in Templo, ſpecialiori tamen modo quam in aliis juſtis. 2. Per unitatem ſeu conformitatem affectus, quatenus hominis voluntas ſemper erat conformis voluntati Verbi. 3. Secundum operationem, qua dicebat hominem illum fuiſſe divini Verbi inſtrumentum. 4. Secundum dignitatem honoris, quatenus honor exhibitus Filio Dei exhibebatur etiam filio hominis non propter ſe, ſed propter eum, cui conjunctus erat. Ex hoc falſo principio ſequebatur 1. Verbum non eſſe vere incarnatum. 2. Duas eſſe perſonas in Chriſto, unam divinam, alteram humanam; duos Filios, alterum Dei, alterum hominis. 3. B. Mariam Virginem nec eſſe nec dici poſſe Matrem Dei, ſeu *Theotocon*, ſed Chriſti tantum, ſeu *Chriſtotocon*. 4. Proprietates utriuſque naturæ in Chriſto non poſſe de ſe invicem prædicari, ſicque non poſſe dici, Deus eſt homo, homo eſt Deus, Deus eſt natus, paſſus, mortuus, &c. His contraria quandoque viſus eſt verbotenus adſtruere Neſtorius, ſed ſenſu ſuo hæretico & juxta principium poſitum intelligebat, ut videbimus infra.

Eutyches (*Ibid.*) ardentiori zelo Neſtorium averſus in extremum errorem ex imperitia impegit, ut enim unitatem perſonæ in Chriſto propugnaret contra Neſtorium, unitatem etiam naturæ adſtruxit, dixitque, quod licet ante Incarnationem ſeu unionem fuiſſent duæ naturæ: poſt unionem tamen in unam coaluerint, ſive utriuſque confuſione & mixtione, ſive converſione unius, nempe humanæ in divinam, ſive compoſitione utriuſque tanquam partium imperfectarum. Qui ultimus modus tribuitur diſcipulis Eutychetis, & quem ſequuntur Armeni, nimis literaliter uſurpantes illud S. Athanaſii: *Sicut anima rationalis & caro unus eſt homo; ita Deus & homo unus eſt Chriſtus*. Unde dicebat Eutyches Chriſtum eſſe ex duabus naturis, non in duabus, nec eſſe nobis conſubſtantialem ſecundum carnem; Deitatemque paſſam, ſepultam, &c. Facta hiſtorica has hæreſes ſpectantia diſcutiemus in Digreſſ. ad calcem hujus Diſſertationis. Veritas Catholica, quæ totius Religionis noſtræ eſt fundamentum, media eſt inter hos duos extremos errores; diſtinctionem naturarum contra Eutychetem, unitatem perſonæ adverſus Neſtorium propugnat. Unde

Dico 1. (*Ib. a.* 1. *o.*) Unio Verbi incarnati non eſt facta in natura, ſicque natura divina & humana non coaluerunt in unam, ſed utraque inconfuſa & impermixta manſit integra, uni perſonæ Verbi unita.

Dogma fidei eſt definitum contra Eutychetem in Concil. Chalced. act. 4. & 5. Conſtantin. 2. Can. 7. & 8. & a S. Leone in celebri Epiſtola ad Flavianum, recepta & probata in Concil. Chalcedon. Sicque profitetur univerſa Eccleſia in Symbolo, quod dicitur Athanaſii: *Unus autem non converſione divinitatis in carnem, ſed aſſumptione humanitatis in Deum: unus omnino non confuſione ſubſtantiæ, ſed unitate perſonæ*.

Prob. ex Scripturis 1. quæ paſſim agnoſcunt Chriſtum Deum & hominem, ſeu duplicem eſſe in eo naturam. Ex veteri Teſtamento Baruch 3. *Hic eſt Deus noſter ... poſt hæc in terris viſus eſt & cum hominibus converſatus*. Iſa. 9. *Parvulus natus eſt nobis ... & vocabitur nomen ejus. Deus fortis*. Ibid. 45. *Hæc dicit Dominus ... poſt te ambulabant, vincti manicis pergent; & te adorabunt, teque deprecabuntur ... vere tu es Deus abſconditus*. His & ſimilibus loquendi formulis aperte exprimuntur Chriſtus Deus & homo. Confer articulum 1. præcedentis Diſſer. Ex novo Teſtamento. Philipp. 2. *Qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo; ſed ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens*. En duplex forma ſeu natura, Dei & ſervi, diſtincta non confuſa. 1. Joan. 1. *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectaverunt de verbo vitæ*. En iterum duplex natura diſtincta, una divina *de Verbo vitæ*, altera humana, quæ oculis videtur & manibus contrectatur.

2. Scriptura Chriſto contraria tribuit, quæ uni naturæ convenire non poſſunt. 1. Quod ſit natus in tempore, & tamen quod ſit ab æterno: Mich. 5. *Ex te* (Bethleem) *mihi egredietur qui ſit Dominator in Iſrael, & egreſſus ejus a diebus æternitatis*. 2. Quod a nobis diſcedat Joan. 16. & tamen quod nobiſcum maneat in æternum Matth. 28. 3. Quod de cœlo deſcendit & in terra verſatur, & tamen ſimul ſit in cœlo: Joan. 3. 4. Quod Pater ſit filio major Joan. 4. & tamen quod ſit unum cum Patre ibid. 10. Hæc & alia enuntiata de Chriſto ipſi convenire non poſſunt, niſi ſit ſimul Deus & homo.

Prob. ratione Auctoris (*Ibid.*) Tripliciter aliquid unum ex duobus vel pluribus conſtituitur. Uno modo ex duobus integris & completis, perfectis remanentibus: quod quidem fieri non poteſt niſi in his, quorum forma eſt vel compoſitio, ut acervus lapidum, vel ordo ut exercitus, vel figura ut domus ex multis lapidibus & lignis. Secundo modo fit aliquid unum ex perfectis, ſed tranſmutatis, ſicut ex elementis fit mixtum. Tertio modo fit aliquid unum ex aliquibus non permixtis & tranſmutatis, ſed imperfectis & incompletis, ſicut ex corpore & anima fiat homo, ex pluribus membris unum corpus conſtituitur. Atqui nullo ex his modis facta eſt in Chriſto naturarum unio. Ergo. Prob. Min. Non 1. modo, tum quia iſte modus unionis non eſt ad rem, ſed potius pertinet ad errorem Neſtorii, cum non ſit unio ſubſtantialis ſed accidentalis; tum quia ex ejuſmodi non fit unum ſimpliciter ſed ſecundum quid; remanent enim plura actu; tum quia formam talium non eſt natura, ſed magis ars, ſicut forma domus, & ſic non conſtitueretur una natura in Chriſto, ut volunt Eutychiani. Non 2. modo, tum quia quæ mixtione uniuntur, mutantur, & corrumpuntur, quod repugnat Verbo; tum quia mixtum nulli miſcibilium eſt idem ſpecie, caro enim ſpecie differt a quolibet Elementorum: & ſic Chriſtus non eſſet ejuſdem naturæ cum Patre, nec cum Matre, nec Deus, nec homo; tum quia ex his, quæ plurimum diſtant, non poteſt fieri commixtio, ſolvitur enim ſpecies unius eorum, puta ſi quis guttam aquæ dolio vini infundat. Et cum natura divina in infinitum excedat humanam naturam, non poteſt eſſe mixtio, ſed remanebit ſola natura divina. Tandem non 3. modo; tum quia utraque natura divina & humana eſt ſecundum ſuam rationem perfecta & completa; tum quia natura divina & humana non poſſunt conſtituere aliquid per modum partium quantitativarum, ſicut membra conſtituunt corpus, quia natura divina eſt incorporea: neque per modum materiæ & formæ, quia divina natura non poteſt eſſe forma alicujus præſertim corporis, a fortiori nec materia; tum quia Chriſtus non eſſet naturæ neque divinæ neque humanæ, differentia enim addita variat ſpeciem, ſicut unitas numerum. Ergo.

Dices circa 2. modum unionis potuiſſe fieri in Chriſto tranſſubſtantiationem ſeu converſionem naturæ humanæ in divinam, ſicut panis in altari tranſſubſtantiatur in Corpus Chriſti, licet ſit incorruptibile. R. S. Thomam ſuppoſuiſſe Eutychianos, contra quos ibi agit, non intellexiſſe nec prætendiſſe talem converſionem in alterutram naturam, ſed mixtionem in unam tertiam, & hoc probabilius eſt. Si tamen aliquando Eutyches aut aliqui Eutychiani intellexerunt tranſſubſtantiationem humanitatis in divinam, R. 1. hanc etiam involvere mutationem; Corpus enim Chriſti per panis in ipſum tranſſubſtantiationem etiam mutatur ſecundum quid, quoad ſcilicet modum exiſtendi, eſt enim ſub ſpeciebus, movetur, manducatur, &c. quo modo prius non erat; unde licet ſit incorruptibile, eſt tamen hoc ſenſu mutabile, & talis mutatio etiam Verbo repugnat. R. 2. quod poſt unionem

Chriſtus dictus ſit & fuerit homo verus, utpote qui natus ſit, comederit, biberit, paſſus ſit & mortuus, & quidem vere non phantaſtice, alias ejus ſatisfactio adeoque & Redemptio noſtra fuiſſet etiam phantaſtica & non vera. Ergo vere remanſit natura humana & non tranſſubſtantiata in divinam.

Dico 2. (*Ib. a. 2. o.*) Unio Verbi divini cum natura humana facta eſt in perſona Verbi, ſic ut in Chriſto ſit unica Verbi perſona, unuſque ſit & idem Dei & hominis Filius. Eſt iterum fidei dogma definitum contra Neſtorium in Concil. Epheſ. & confirmatum in Conc. Chalced. quodque univerſa profitetur Eccleſia in Symbolis fidei. In Symbolo Apoſt. *Credo .... & in Jeſum Chriſtum Filium ejus unicum Dominum noſtrum, qui conceptus eſt de Spiritu S., natus ex Maria Virgine.* In Symbolo Nicæno *Credo ... Deum verum de Deo vero...conſubſtantialem Patri....qui propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, & incarnatus eſt de Spiritu S. ex Maria Virgine & homo factus eſt.* Quibus verbis profitetur Eccleſia, unum & eundem, unam & eandem perſonam eſſe Filium Dei & hominis. Unde in Symbolo Athanaſii: *Unus omnino non confuſione ſubſtantiæ ſed unitate perſonæ.* Inſuper

Prob. ex Scripturis. 1. Juxta Scripturas Filius Dei factus eſt homo non converſione divinitatis in carnem, inſulſa foret hæc cogitatio, ſed aſſumptione humanitatis in Deum, Joan. 1. *Verbum caro factum eſt.* Phipp. 2. *Qui cum in forma Dei eſſet...formam ſervi accepit.* Galat. 4. *Miſit Filium ſuum factum ex muliere.* Porro ſi Filius Dei factus eſt homo, non ſunt ergo duo, Filius Dei & homo. Ergo unus & idem phyſice & perſonaliter, non moraliter tantum ſecundum affectum; amicus enim quantumvis intimus non dicitur factus alter amicus, vel ſanctus ferventiſſimo amore Deo junctus non dicitur factus Deus.

2. Scriptura uni & eidem Chriſto tribuit proprietates utriuſque naturæ divinæ & humanæ, ut patet ex 2. probatione ex Script. præcedentis Concluſionis. Ergo vera eſt perſona in duplici natura.

3. Ille, qui Joannis 6. dicebat: *Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi*, Joan. 16. *Exivi a Patre & veni in mundum*: Joan. 16. *Ego & Pater unum ſumus*: Ille, inquam, qui hæc dicebat de ſeipſo, erat homo, qui natus, circumciſus, flagellatus, paſſus, mortuus eſt: atqui ſi duplex fuiſſet Chriſtus, aut in eo duæ perſonæ, non potuiſſet ſic loqui ſine mendacio. Ergo. Prob. Min. Pronomen *Ego* denotat perſonam loquentem, adeoque perſonam humanam ſi ſit in Chriſto, homo enim erat, qui ſic loquebatur, ut dictum eſt: atqui falſum eſt Chriſtum ut hominem deſcendiſſe de cœlo, exiviſſe a Patre, eſſe unum cum Patre, &c. Ergo.

4. Quando duo ſuppoſita vel perſonæ diſtinguuntur, unum non dicitur alterum. Sic iſta propoſitio, album eſt dulce, non eſt vera, niſi quia albedo & dulcedo uniuntur in eodem ſuppoſito, puta lacte; falſa autem foret, ſi intelligeretur de dulcedine & albedine in diverſis ſuppoſitis, pota in melle & pariete: atqui vere dicitur de Chriſto: Deus eſt homo, homo eſt Deus, ut conſtat ex dictis, & ex illo Joan. 5. *Hic eſt verus Deus.* Ergo Chriſtus eſt unus in perſona. Quantum ad SS. Patres, longa ſerie citantur ab Auctoribus. Vide ſi lubet.

Prob. ratione. (*Ib.*) Juxta fidem Catholicam natura humana eſt vere & realiter in hoc myſterio unita Verbo. Atqui non in natura ut probatum eſt. Ergo in perſona tanquam in termino unionis. Patet Conſequentia, quia nulla alia poteſt excogitari unio Verbi, niſi in natura vel perſona, unio enim per affectum ſeu per eximiam gratiam perſonæ amatæ collatam, qualem Neſtorius fingebat in Chriſto, non eſt propria Verbo, ſed communis tribus perſonis, quia opera ad extra ſunt toti Trinitati communia. Inſuper hanc unionem Dei & hominis Apoſtolus vocat Exinanitionem Philip. 2. Non eſt autem exinanitio Dei, quod creaturæ rationali uniatur per gratiam. Prob. ab inconvenienti. Si ſint duæ in Chriſto perſonæ, nulla eſt Redemptio noſtra. Nulla enim ex his duabus perſonis potuit nos a peccato redimere: non divina, quia non potuit pati, nec pro nobis ſatisfacere; non humana, quia non potuit conferre operibus ſuis ſatisfactoriis valorem infinitum, qualis requirebatur ad Redemptionem noſtram. Ergo.

Conſectarium.

Ex dictis colliges B. Virginem vere, proprie & catholice dici *Theotokon* ſeu Deiparam, & non ſolum *Chriſtotokon* ſeu Chriſtiparam, ut contendebat Neſtorius, non quod genuerit divinitatem aut Deum purum; quis ita deſipit; ſed quod genuerit hominem, qui eſt Deus. *Miſit Deus*, inquit Apoſt. Galat. 4. *Filium ſuum factum ex muliere*: Et Rom. 1. ſcribit *Filium Dei factum eſſe ex ſemine David ſecundum carnem*. Id etiam definivit Concil. Epheſ. contra Neſtorium; atque hac nomenclatura B. Virginem donarunt SS. Patres Concil. Epheſino anteriores. S. Ignatius Epiſt. ad Epheſi., S. Juſtinus in Dial. cum Triphone, S. Irenæus l. 3. c. 11. Tertullian. lib. de præſcript. c. 13. S. Athanaſ. Orat. 4. contra Arian. S. Baſilius hom. 25. de humana Chriſti gener. S. Gregor. Nazanz. Ep. 1. Ad Clidonium, S. Hilar. l. 9. de Trinit. S. Ambroſ. lib. de Incarnat. cap. 5. S. Chryſoſt. hom. 2. in Matth. S. Hieron. lib. contra Helvid. & alii plures.

Solvuntur Objectiones Eutychianorum contra 1. Concluſionem.

Obj. 1. Auctoritatem S. Cyrilli, cui potiſſimum innitebatur Eutyches. S. Cyrillus poſt unionem non agnoſcit duas naturas, ſed *unam naturam Verbi incarnatam*, vel unam naturam Filii incarnati. Ita Epiſt. 1. ad Succeſſum, ubi ait: *Poſt unitionem non dividimus naturas a ſe mutuo, neque in duos ſecamus Filios, unus eſt & individuus. Sed unum dicimus Filium, & quemadmodum locuti ſunt Patres, unam naturam Dei Verbi incarnatam.* Similiter in Epiſt. ad Acacium Melitinenſem. Ergo.

Reſpondet S. Th. (*Ibid. a. 1. ad 1.*) S. Cyrillum ita locutum fuiſſe contra Neſtorium duas in Chriſto naturas completas propriis ſubſiſtentiis ſeorſim gaudentes aſſerentem, & hoc ſenſu negat Cyrillus duas in Chriſto naturas, unamque adſtruit, unitate ſcilicet perſonæ. Ita exponitur auctoritas Cyrilli in 5. Synodo generali act. 5. ſed & notandum maxime S. Cyrillum non dixiſſe ſimpliciter unam naturam, ſed *unam incarnatam*: & hoc veriſſimum eſt, cum ſola natura divina ſit incarnata. Quin imo cum dicit *incarnatam*, aperte ſignificat carnem eſſe hypoſtatice unitam Verbo, adeoque a Verbo diſtinctam, qua perimitur error Eutychetis. Hac expoſitione ipſemet Cyrillus in 2. Epiſt. ad Succeſſum amolitur calumniam a ſuis illis vocibus.

Inſt. S. Cyrillus dicit naturas in Chriſto poſt unionem ſola mentis conſideratione diſtingui. Ergo. Prob. Ant. Ep. 2. citata ad Succeſſum, arguens Neſtorianos, qui duas in Chriſto ſubſiſtentes naturas negabant, dicit *illos ignorare quæcumque non ſola mentis conſideratione diſtingui ſolent, ſed ea prorſus etiam in diverſitatem diſtractam ſeorſiariam ac privatim a ſe mutuo ſegregari*. Ergo juxta S. Cyrillum ea diverſa ſunt, & a ſe mutuo ſegregantur, quæ non ſola mentis conſideratione diſtinguuntur. Subſumitur; atqui natura humana & divina in Chriſto non ſunt diviſæ, nec a ſe mutuo ſegregatæ & ſeparatæ, ſed unitæ. Ergo ſola mentis conſideratione diſtinguuntur. R. Senſum Cyrilli non eſſe, quod naturæ per unionem ita fiant inter ſe permixtæ, ut una ſimpliciter remaneat, ſed quod uniatur non ſola affectione aut habitudine, ut fingebat Neſtorius, ſed ſubſtantivo aliquo nexu, ſcilicet perſona, unum per ſe faciente. Hunc eſſe ſenſum Cyrilli patet, tum ex eo quod contra Neſtorium ſcribit, tum ab exemplo animæ & corporis in homine quod adducit, quæ pariter ſola cogitatione diſtingui aſſerit, quia ſeorſim non ſubſiſtunt, quamvis compertum ſit diſtinctam eſſe realiter corporis & animæ ſubſtantiam.

Repones. Juxta Cyrillum cit. talis eſt unio naturæ humanæ & divinæ in Chriſto, qualis eſt animæ & corporis in homine. Sic etiam tradit S. Athanaſius in Symbolo: *Sicut anima rationalis & caro unus eſt homo, ita Deus & homo unus eſt Chriſtus.* Atqui ex anima & carne fit una natura in homine. Ergo ex humanitate & divinitate fit una natura in Chriſto. R. D. Maj. (*Ibid. ad 2.*) Talis eſt unio naturæ humanæ divinæ in Chriſto, qualis eſt corporis & animæ in homine quoad aliquid, C. Quoad omnia N. Itaque ex anima & corpore conſtituitur in unoquoque noſtrum duplex unitas, naturæ & perſonæ, naturæ quidem ſecundum quod anima unitur corpori ut forma formaliter perficiens ipſum, ita ut ex duobus fiat una natura, ſicut ex actu & potentia, vel materia & forma: & quantum ad hoc non eſt ſimilitudo; quia natura divina non poteſt eſſe corporis forma. Unitas vero perſonæ conſtituitur ex eis in quantum eſt unus aliquis ſubſiſtens in carne & anima: & quantum ad hoc eſt ſimilitudo; unus enim Chriſtus ſubſiſtit in natura divina & humana.

Obj. 2. Juxta Script. Joan. 1. VERBUM CARO FACTUM EST. Ergo divinitas converſa eſt in carnem. Probat. Conſeq. Cum dicitur Joan. 2. in Cana Galileæ aquam factam eſſe vinum, ſignificatur aquam converſam fuiſſe in vinum. Ergo ſimiliter. R. N. Conſeq. Ad probat. N. iterum Conſeq. Licet enim particula *Factum* aliquando importet converſionem, ut in caſu nuptiarum, non tamen ſemper; alias ſequeretur Chriſtum eſſe converſum in maledictum, ſi quidem Galat. 3. dicatur *factus pro nobis maledictum*. Significat ergo ſæpe acquiſitionem vel aſſumptionem alicujus de novo: ſic dicitur ad Heb. 6. *Jeſus Pontifex factus*, vel homo Rex factus, non per converſionem Jeſu aut hominis in dignitatem Pontificiam vel Regiam, ſed per hujus dignitatis aſſumptionem. Hoc ergo ſenſu dicitur VERBUM CARO FACTUM EST. Id autem conſtat

non

non ſolum ex ſubjecta materia, quod impoſſibile ſit divinitatem converti in humanitatem, ſed ex verbis immediate ſubſequentibus: *Et habitavit in nobis*. Nam, ut ait Chryſoſt. hom. 11. in Joan. *Id quod habitat non eſt idem cum eo quod habitatur, ſed diverſum. Nam alterum habitat in altero, alioquin non eſſet habitatio; nihil enim in ſeipſo habitat. Cæterum alterum dixit ſubſtantia*, id eſt natura.

Inſt. 1. Juxta plures SS. Patres, Juſtinum Apolog. 2. Ambros. l. 4. de Sacramentis c. 4. & alios, Verbum factum eſt caro, ſicut panis in Euchariſtia ſit Corpus Chriſti: atqui panis in Euchariſtia convertitur in Corpus Chriſti: R. SS. Patres paritatem in hoc tantum intendere, quod ſicut ſub ſpeciebus panis & vini eſt vera Caro & verus Sanguis Chriſti, ita vera Caro & verus Sanguis ſubſiſtat in Verbo.

Inſt. 2. Juxta Apoſt. Philipp. 2. Filius Dei *ſeipſum exinanivit*: ergo. R. ſeipſum exinaniviſſe, non converſione divinitatis in carnem, quod eſt impoſſibile, ſed aſſumptione humanitatis, ſeu ut ibid. dicit Apoſt. *Formam ſervi accipiens*, qua exinanitione major in Deo eſſe non poteſt.

Obj. 3. Duarum naturarum una non denominatur ex altera, niſi aliquo modo in invicem tranſmutentur, v. gr. lignum non dicitur ignitum, niſi ſit in ignem converſum, atqui natura divina & humana in Chriſto ab invicem denominantur: dicit enim Cyrillus ſupra, naturam *Verbi incarnatam*; & Greg. Nazianz. in Ep. 1. ad Clidonium dicit naturam humanam eſſe deificatam: ergo. R. (*Ibid. ad 3.*) has & ſimiles voces benigne eſſe intelligendas. Igitur ſicut Damaſcenus l. 3. Orthod. fidei c. 6. *Natura divina dicitur incarnata, quia eſt unita carni perſonaliter, non quod ſit in naturam carnis converſa. Similiter & caro dicitur deificata, non per converſionem, ſed per unionem ad Verbum, ſalvis ſuis proprietatibus naturalibus, ut intelligatur caro deificata, quia facta eſt Dei Verbi caro, non quia facta ſit Deus.*

Obj. 4. Si in Chriſto eſſent duæ naturæ, Chriſtus eſſet duo. Ergo. Prob. Sequela. Una natura non obſtante Trinitate perſonarum facit unum Deum. Ergo ſimiliter duæ naturæ non obſtante unitate perſonæ facerent duos Chriſtos. R. N. Sequelam. Ad probat. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod ad multiplicationem concretorum ſubſtantialium requiratur multiplicatio naturæ & ſuppoſiti. Porro licet in Chriſto ſint duæ naturæ, unicum tamen eſt Verbi divini ſuppoſitum ſubſiſtentiæ humanæ vices ſupplens.

Obj. 5. Plures Patres Tertul. Apolog. c. 12. Aug. in Ep. ad Voluſ. S. Leon. ſerm. 3. de natali Dom. loquentes de Incarnatione, mixtionis nomen uſurpare. Ergo. R. cum Cyrillo l. 9. adverſus Neſtorium cap. 31. quoſdam Patres mixtionis nomen uſurpaſſe, non eo quo ſumitur ſenſu, cum liquores dicuntur miſceri; ſed ut *ſummam unionem oſtenderent*. Id patet ex ipſo Patrum textu.

Objiciebant inſuper Eutychiani auctoritatem Julii Romani Pontificis duas naturas negantis in Epiſt. ad Dionyſ. Corinthiorum Epiſcopum. Sed Leontius lib. de ſectis act. 8. multis probat illam Epiſtolam non eſſe Romani Pontificis. Et ſuppoſito quod illius ſit, reſpondet Eulogius Alexan. apud Photium codice 230. ipſum naturæ nomen pro perſona uſurpaſſe.

Solvuntur Objectiones Neſtorianorum contra 2. Concluſionem.

OBJ. 1. Perſona Verbi non eſt aliud a naturā ipſius. Ergo ſi unio non ſit facta in natura, ſequitur, quod non ſit facta in perſona. R. D. Ant. (*Ibid. a. 2. ad 1.*) Perſona Verbi non eſt aliud a natura ſecundum rem, C. Secundum rationem & modum ſignificandi, N. Perſona enim ſignificat per modum ſubſiſtentis. Et quia natura humana ſic unitur Verbo, ut Verbum in ea ſubſiſtat, non autem ut aliquid addatur ei ad rationem ſuæ naturæ, vel ut ejus natura in aliud tranſmutetur, ideo unio naturæ humanæ ad Verbum Dei facta eſt, quatenus rationem perſonæ habet & non naturæ, & ſic in perſona & non in natura.

Obj. 2. Humanitas Chriſti eſt ſubſtantia: atqui de ratione ſubſtantiæ eſt, quod ſit ens per ſe ſubſiſtens. Ergo humanitas Chriſti per ſe ſubſiſtit, adeoque eſt perſona humana. R. D. Min. De ratione ſubſtantiæ eſt, quod ſit ens ſubſiſtens per ſe, perſeitate excludente inhæſionem alteri tanquam ſubjecto, C. Min. Perſeitate excludente ſubſiſtentiam per aliud tanquam per terminum, N. Eſt equidem de ratione ſubſtantiæ, quod ſit capax ſubſiſtendi ſubſiſtentia propria & connaturali, non autem quod actu ſic ſubſiſtat, ſed ſalvatur ratio ſubſtantiæ, ſi ſubſiſtat per aliam digniorem ſubſiſtentiam ſibi appropriatam & ſupplentem vices propriæ. Sic licet ſit de ratione accidentis, quod petat exiſtere in alio tanquam in ſubjecto, non tamen quod actu inexiſtat, ut patet in accidentibus Euchariſticis.

Inferes. Ergo Chriſtus non eſt perfectus homo. Prob. illatio. Subſiſtentia eſt perfectio & complementum naturæ: atqui ex dictis humanitas Chriſti caret propria ſubſiſtentia. Ergo. R. N. Illationem. Ad prob. D. Maj. (*Ibid. ad 3.*) Subſiſtentia eſt perfectio & complementum naturæ perficiens illam in ratione naturæ ſeu eſſentiæ, N. Maj. Perficiens illam ſeu potius conſtituens illam in ratione perſonæ & ſuppoſiti, C. In tantum enim perſonalitas pertinet ad dignitatem alicujus rei & perfectionem, in quantum ad dignitatem alicujus rei & perfectionem ejus pertinet, quod per ſe exiſtat; quod in nomine perſonæ intelligitur. Dignius autem eſt alicui, quod exiſtat in aliquo ſe digniore, quam per ſe exiſtat. Et ideo ex hoc ipſo natura humana dignior eſt in Chriſto, quam in nobis.

Obj. 3. Perſona eſt *rationalis naturæ individua ſubſtantia*. Atqui Verbum Dei aſſumpſit naturam humanam individuam; natura enim univerſalis non ſubſiſtit ſecundum ſe, ſed in nuda contemplatione conſideratur. Ergo. R. (*Ibid. a. 2. ad 3.*) admitto definitionem perſonæ, & explico. Itaque per individuam ſubſtantiam in definitione perſonæ intelligitur ſubſtantia, quæ ſeorſim per ſe exiſtat, & ſit incommunicabilis alteri, ut pars toti, vel ut natura ſuppoſito. Unde cum humanitas Chriſti reipſa communicetur Verbo divino, nec in ſe ſeorſim exiſtat, ſed in aliquo digniore, ſcilicet perſona Verbi, non eſt in Chriſto perſona humana, eſt tamen individua natura eo ſenſu, quo una numero natura eſt, & a reliquis diſtincta certis proprietatibus & accidentibus.

Obj. 4. Generatio terminatur ad ſuppoſitum ſeu perſonam. Ergo ubi ſunt duæ generationes, ſunt duæ perſonæ. Subſumo; atqui in Chriſto ſunt duæ generationes, altera æterna ex Patre, altera temporalis ex Matre. R. N. Conſeq. Idem enim ſuppoſitum ratione duplicis naturæ poteſt terminare duas generationes; quia licet ſuppoſitum terminet generationem ut quod, natura tamen terminat ut quo, ſeu ut terminus formalis & ſpecificus. Unde ad terminandam diverſam generationem, ſufficit realis diſtinctio naturæ duplicis cum diſtinctione virtuali ſuppoſiti, ut eſt in Chriſto. Quapropter ſuppoſitum Verbi, quatenus ſubſiſtit in natura divina, terminat generationem æternam: quatenus autem ſubſiſtit in natura humana, terminat generationem temporalem.

Inſt. Suppoſitum divinum non poteſt terminare etiam ut quod generationem Chriſti temporalem. Ergo. Prob. Terminus etiam ut quod actionis non poteſt eſſe ante actionem: atqui ſuppoſitum divinum erat ante generationem temporalem. Ergo. R. N. Ant. ac prob. D. Maj. Terminus actionis formaliter ſumptus non poteſt eſſe ante actionem, C. Maj. Materialiter ſumptus, N. Maj. Ad Min. pariter D. Suppoſitum divinum erat ante generationem temporalem materialiter reſpectu generationis temporalis, C. Formaliter, N. Suppoſitum igitur in perſona Verbi non terminat formaliter generationem temporalem prout eſt una ab æterno, ſed prout eſt unita humanitati, ita ut unio ſeu generatio intelligatur modo noſtro concipiendi præcedere perſonam Verbi, non prout eſt una, ſed prout eſt unita humanitati.

Repones. B. Virgo producendo Chriſtum genuit hominem: atqui homo non importat ſolam naturam, ſed naturam cum ſubſiſtentia. Ergo. R. D. Min. Homo importat naturam cum ſubſiſtentia propria vel aliena, C. Semper propria, N. Patet ex dictis.

Replicabis. Terminus generationis divinæ eſt perſona divina. Ergo terminus generationis humanæ eſt perſona humana. R. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod Perſona divina utpote infinita poſſit terminare generationem humanam, non e contra perſona humana generationem divinam. Inſuper poteſt dici ſeu denominari in Chriſto perſona humana ſeu perſona hominis, quatenus perſonat naturam humanam, eo ſenſu quo diceretur perſona divina, quia perſonat naturam divinam, licet tamen entitative & realiter ſit tantum divina.

Obj. 5. S. Chryſoſt. hom. 3. in c. 1. Ep. ad Heb. docet ex illo Pſ. 44. *Sedes tua Deus in ſæculum ſæculi*, oſtendi eſſe in Chriſto *duas perſonas & Deum & hominem*. Et infra: *Quoniam duæ ſunt perſonæ diviſæ per hypoſtaſim*. S. Leo in Ep. ad Flavianum dicit de Chriſto: *Unum horum coruſcat miraculis, aliud ſuccumbit injuriis*. Atqui unum & aliud, ſive alius & alius differunt ſuppoſito. Ergo. R. ad 1. N. Ant. Nunquam enim dixit Chryſoſtomus *in Chriſto duas eſſe perſonas*, ſed ſimpliciter eſſe duas perſonas. Id autem dum dicit, loquitur reſpective ad Deum Patrem & Filium incarnatum, non reſpective ad unum Chriſtum. Patet tum ex contextu, tum ex ſcopo Chryſoſtomi; contendit enim ex Pſalmiſta & Apoſtolo confutare duplicem errorem Judæorum circa Trinitatem, & circa Incarnationem, oſtendendo Patrem & Filium eſſe duas perſonas, & Chriſtum eſſe ſimul Deum & hominem, cum Judæi & diſtinctionem perſonarum in Trinitate, & divinitatem in Chriſto negarent. Et ſane ſi tam aperte Chryſoſtomus errorem Neſtorii profeſſus fuiſſet, & ipſe Neſtorius, & Joannes Antiochenus, & omnes Neſtorii fautores & amici, tantum patrocinium in ſui erroris defenſionem plenis buccis non ſemel advocaſſent, quod

tamen nullus fecit, nequidem muſſitando. Ad 5. *Ib. ad* 1. R. Ly *aliud* in rigore ſumptum & alicui attributum in recto, v. g. *Chriſtus eſt aliud & aliud*; differre ſuppoſita quatenus importat diverſitatem naturæ & ſuppoſiti. Si autem ſumatur paulo latius, vel ſi tribuatur alicui in obliquo, v. g. in Chriſto, aliud patitur, aliud miracula patrat, Importat tantum diverſitatem naturæ, non ſuppoſiti; hoc autem poſteriori ſenſu intelligenda eſt auctoritas S. *Leonis*, & aliæ, ſi quæ ſunt, aliorum Patrum.

Obj. 6. Ex eo quod in Scripturis tam Angeli quam homines vocentur quandoque Dii, non ſequitur, quod ſint veri Dii. Ergo ex hoc quod Chriſtus dicatur Deus, non ſequitur, quod ſit vere Deus. R. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod Chriſtus in Scripturis vocetur Deus eo modo ac Pater, æqualis Patri aſſeratur, eadem poteſtas & virtus ac Patri tribuatur, ei idem cultus ac Patri deferatur, & ab eo omnis inferioritas creaturæ removeatur, ut late probavimus Diſſert. Proœm. de Trinit. a. 2. §. 2. vide ibi: quæ omnia probant veram divinitatem; at Angeli & homines figurate vocantur Dii propter excellentem aliquam auctoritatem ſeu gratiam, quam Deus illis contulit. Unde Pſ. 81. ubi Judices vocantur Dii; *Ego dixi, Dii eſtis*, ſtatim ſubjungitur, *Vos autem ſicut homines moriemini*.

Obj. 7 Si una tantum ſit in Chriſto perſona, verum erit dicere, *Unus de Trinitate paſſus eſt*. Atqui id prohibuit Hormiſdas Papa. Ergo. R. D. Min. Id prohibuit ut falſum, N. Ut intempeſtivum, C. Quia hæc propoſitio tunc erat nova & diſſidiorum cauſa propter pertinaciam quorundam Monachorum Scytharum, qui eam neceſſario eſſe inferendam definitioni Concilii Chalced. contendebant. Sed poſtea diſſidiis ſopitis hanc propoſitionem probavit V. Concilium generale Can. 4. & Joannes II. in Ep. ad Juſtinianum.

Obj. 8. varios loquendi modos SS. Patrum, quorum quidam Chriſtum vocant, *Hominem Deiferum*, alii *Deificatum*, alii *Dominicum*, alii dicunt eſſe Templum Dei, inſtrumentum divinitatis, hominem eſſe aſſumptum a Deo; &c. R. hos & ſimiles loquendi modos equidem fuiſſe reprehenſos in Neſtorio, quia non agnoſcebat in Chriſto niſi unionem moralem divinitatis & humanitatis. At in viris non ſuſpectis erroris ſanum & Catholicum ſenſum patiuntur, Sic Chriſtus dicetur homo Deifer, Deificatus, Dominicus, propter arctiſſimam unionem hypoſtaticam inter divinitatem & humanitatem. Dicitur Templum Dei non ſenſu Neſtorii, ſicut Sancti dicuntur Templum Dei per gratiam, ſed ſenſu Apoſtoli Coloſſ. 2. *In quo ſcilicet inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* per unionem hypoſtaticam, Dicitur inſtrumentum divinitatis, non ſeparatum, ſed conjunctum. Dicitur hominem eſſe aſſumptum a Deo, ſumpto concreto pro abſtracto, id eſt humanitatem eſſe aſſumptam.

Obj. 9. contra Conſectarium. B. Virgo non genuit divinitatem. Ergo non eſt Mater Dei: R. N. Conſeq. Ut enim ſit & dicatur Mater Dei, ſufficit, quod genuerit illum, qui eſt Deus: ſicut ut mulier dicatur mater hominis, ſufficit, quod generet eum, qui homo eſt, licet non generet, quod in homine eſt præcipuum, ſcilicet animam.

Inſt. B. Virgo nec eſt, nec dici poteſt Mater Verbi divini. Ergo nec Filii Dei. Patet Conſeq. Quia Verbum divinum eſt Filius Dei. R. omiſſo Ant. N. Conſeq. Diſparitas eſt quod To *Verbum* formaliter ſignificet terminum generationis æternæ per divinum intellectum. At To *Filius* ſignificat indifferenter terminum generationis ſive æternæ ſive temporalis. Omiſi Ant. Quia multi promiſcuie & ſine ſcrupulo vocant B. Virginem Matrem Verbi, ſicut Matrem Dei, & ſenſu Catholico, intelligendo ſcilicet materialiter, quod ſit mater illius, qui eſt Verbum Patris.

Urgebis. Mater debet eſſe conſubſtantialis ſuo Filio: atqui B. Virgo non eſt conſubſtantialis Chriſto: ergo. R. D. Maj. Mater debet eſſe conſubſtantialis Filio ex parte, C. Maj. Ex tota, N. Maj. Ad cujus ſenſum diſtincta Min. N. Conſeq. Hujus quidem rei exemplum non habemus in natura; quia myſterium eſt ſingulare, & ſi exemplo conſtaret, ſingulare non foret, ut ait Aug. Ep. 2. ad Voluſ.

S. Thomas a. 3. ſequenti quærit, utrum unio ſit facta in hypoſtaſi ſive ſuppoſito, contra quoſdam, qui diſtinguentes perſonam ab hypoſtaſi fatebantur unionem eſſe factam in perſona, ſed non in hypoſtaſi. Sed cum nunc certo conſtet perſonam nihil aliud addere ſupra hypoſtaſim niſi determinatam naturam ſcilicet rationalem, adeoque in rationali natura hypoſtaſim, ſuppoſitum & perſonam eſſe unum & idem, hæc quæſtio reſoluta manet ex præcedenti.

ARTICULUS II.

Utrum Chriſtus ſit perſona compoſita?

CHRISTUS eſt nomen perſonæ, non ſecus ac Petrus. Unde quærere, utrum perſona Chriſti ſit compoſita, ſeu utrum Chriſtus ſit perſona compoſita, eſt quærere, utrum Chriſtus ſit compoſitus.

SS. Patres, ut tuerentur fidem Catholicam contra errores Neſtorii & Eutychetis, dixerunt perſonam Chriſti eſſe compoſitam ex duabus naturis: quia cum perſona importet officium ſubſiſtendi, ſi perſona ſit ſimplex in ratione & formalitate perſonæ, erit etiam unum ſimplex officium perſonandi ſeu ſubſiſtendi, & ſic poſt Incarnationem vel remaneret una natura, ut volebat Eutyches, vel forent duæ perſonæ duplicem naturam perſonantes inter ſe accidentaliter ſeu moraliter compoſitæ & unitæ, ut volebat Neſtorius.

Compoſitio poteſt ſumi dupliciter. (*In 3. d. 6. q. 2. a. 3. c.*) 1. Pro unione extremorum in aliquo uno communicante eſſe extremis unitis, & hæc non involvit imperfectionem. 2. Pro unione partium, ex qua cauſetur & reſultet eſſe totius, & hæc importat imperfectionem, ſcilicet quod eſſe totius ſit cauſatum & dependens a partibus. Pars proprie & ſtricta ſumpta eſt ens incompletum, ex cujus unione cum altero ente incompleto cauſatur totum, quod eſt perfectius qualibet parte. Extremum autem abſtrahit ab hoc, quod ſit ens completum vel incompletum. Loquendo itaque de compoſitione primo modo ſupra

Dico. (*Ibid. art. 4.*) Chriſtus eſt Perſona compoſita ex duabus naturis divina & humana. Prob. 1. ex Conciliis. In 6. Concilio Generali Act. 11. legitur: *Unam ejus ſubſiſtentiam compoſitam dicimus*. Idem fuerat antea definitum in 5. Synodo Generali can. 4. & poſtea in Lateran. ſub Martino I. can. 8. 2. Ex Patribus: Damaſcenus l. 3. Orthod. fidei c. 4. dicit: *In Domino duas quidem naturas, at unam duntaxat perſonam ex utriſque compoſitam agnoſcimus*. Item l. 4. c. 5. Pro eadem ſententia citantur D. Dionyſius c. 1. de divinis nomin. Aug. l. 13. de Trinit. c. 17. Gregor. Hom. 38. in Evang. & alii.

Prob. 3. (*Ib.*) ratione. Perſona Chriſti licet ſecundum quod eſt in ſe, & ut ab æterno in propria natura ſubſiſtit, ſit ſimplex ſicut ipſa natura, a qua non diſtinguitur realiter: Attamen formaliter prout eſt in Chriſto, non ſolum naturam divinam terminat, ſed etiam humanam, in illiſque duabus unitis ſubſiſtit. Ergo eſt in Chriſto ex illis compoſita. Patet Conſeq. ex prænotaminibus, quia illud dicitur compoſitum, quod conſtat ex pluribus realiter diſtinctis & unitis, quibus eſſe communicat.

Hinc colliges Chriſtum vere etiam dici compoſitum ex perſona Verbi & natura humana, quia etiam conſtat illis realiter diſtinctis & unitis; imo immediatius natura humana unitur perſonæ Verbi quam naturæ, ſi quidem non unitur naturæ niſi mediante perſona, ut dictum eſt. Non poteſt tamen dici compoſitus ex alia & alia ratione ſubſiſtendi, quia cum iſta diverſa ratio ſubſiſtendi non ſit niſi diverſa habitudo ejuſdem ſubſiſtentiæ ad diverſam naturam, adeoque relatio & quidem rationis ex parte Verbi, non poteſt fieri ex his compoſitio maxima ſubſtantialis, qualis eſt de qua agimus, utpote quæ debeat eſſe extremorum realiter diſtinctorum & ſubſtantialium unio.

Solvuntur Objectiones.

OBJ. 1. Perſona Chriſti eſt ipſamet perſona Verbi. Atqui perſona Verbi non eſt compoſita. Ergo. R. D. Maj. Perſona Chriſti eſt ipſamet perſona Verbi ut ſubſiſtens in ſola natura divina, N. Ut ſubſiſtens in natura divina & humana, C. Ad hunc ſenſum diſtincta Min. N. Conſeq. Plus ergo dicit perſona Chriſti quam perſona Verbi; licet enim ſit eadem utriuſque entitas, tamen poſt incarnationem non habet ſolum officium terminandi naturam divinam, ſed etiam humanam, unde eſt ſimul perſona Verbi & Hominis.

Obj. 2. Omne compoſitum conſtat ex partibus. Atqui neque perſona, neque natura divina poteſt eſſe pars. Ergo. Maj. patet; quia compoſitum eſt quoddam totum, totum autem conſtat ex partibus. Min. etiam patet, quia de ratione partis eſt, quod ſit ens incompletum, adeoque quid imperfectum. R. D. Maj. Omne compoſitum conſtat ex partibus ſtricte ſumptis pro entibus incompletis, N. Ex partibus late ſumptis pro entibus completis unitis in aliquo uno communicante eſſe illis, C. Patet ex notaminibus. Ad hunc ſenſum diſtincta Min. N. Conſeq.

Inſt. 1. ad rationem compoſitionis ſubſtantialis requiritur, quod unum componentium habeat ſe per modum actus, aliud per modum potentiæ. Atqui neque perſona neque natura Verbi habet ſe per modum actus aut potentiæ. Ergo. R. D. Min. Neque perſona, neque natura Verbi habet ſe per modum actus informantis, C. Min. per mo-

modum actus terminantis & ſuſtentantis naturam humanam, quæ ſe habet per modum potentiæ, N. Min. Et hoc ſufficit, ut perſona Chriſti dicatur compoſita.

Inſt. 2. Omne compoſitum eſt perfectius ſuis partibus ſeu extremis componentibus: atqui Chriſtus non eſt perfectior Verbo: ergo. R. Majorem eſſe veram tantum quando neutrum componentium eſt infinitum; hic autem natura & perſonæ Verbi eſt infinita, & ideo eminenter continet omnem perfectionem alterius componentis, & compoſiti. Inſt. 3. Omne compoſitum majus eſt qualibet parte ſeu extremo componente. Atqui id non poteſt dici de Verbo, quippe quod involvat imperfectionem. Ergo. Patet Maj. quia compoſitum non dicit unum tantum extremum, ſed utrumque. Ergo. R. D. Maj. Omne compoſitum eſt majus extenſive quolibet extremo componente, C. Maj. propter rationem allatam in probatione. Eſt majus intenſive id eſt perfectius, N. propter rationem allatam in præcedenti ſolutione.

Inſt. 4. Compſitum eſt ſaltem natum poſterius ſuis componentibus, fit enim ex illis. Atqui perſonæ Chriſti non eſt poſterior componentibus. Ergo. Prob. Min. Perſona Chriſti eſt ab æterno. Ergo R. N. Min. Ad prob. D. Ant. Perſonæ Chriſti materialiter, ſeu ut ſubſiſtens in ſola natura divina, eſt ab æterno, C. Ant. formaliter ſeu ut ſubſiſtens in utraque natura divina & humana, N. Ant. ut ſic enim non eſt ab æterno, ſed a tempore Incarnationis.

Obj. 3. Si Chriſtus dicatur & ſit vere compoſitus, Deus etiam dicetur & erit compoſitus. Falſum Conſequens. Ergo & Ant. Prob. Sequela. Quidquid dicitur de Chriſto propter communicationem idiomatum, dicitur etiam de Deo v. g. Deus eſt homo, homo eſt Deus. Ergo. R. N. Sequelam. Ad prob. D. Ant. Quidquid dicitur de Chriſto ratione humanitatis vel divinitatis ſeorſim ſumptæ, dicitur de Deo, C. Ant. ſic v. g. quia dicitur de Chriſto, quod ſit homo, natus, paſſus, dicitur etiam de Deo. Quidquid dicitur de Chriſto ratione utriuſque ſimul, ſeu de Chriſto reduplicative prout eſt aggregatum ex utroque reſultans, dicitur de Deo, N. alias diceretur etiam de Deo, quod duabus naturis conſtet. Ly *Compoſitus* autem dicitur de Chriſto reduplicative, ut eſt quoddam aggregatum ex utraque natura divina & humana.

Inſt. Non poteſt dici de Chriſto ſimpliciter, quod ſit creatura, ſed tantum cum addito, ſcilicet quatenus eſt homo. Ergo nec quod ſit compoſitus. R. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod eſſe creatum convenire poſſit & perſonæ & naturæ; juxta autem Regulam Dialecticæ, quando aliquod prædicatum poteſt convenire toti & parti tantum conveniat, non dicitur de ſubjecto ſimpliciter, ſed cum addito; v. g. non dicitur ſimpliciter de Æthiope quod ſit albus, ſed cum addito, ſecundum dentes. At vero eſſe compoſitum convenire non poteſt Chriſto, niſi ut cuidam aggregato ſeu ut ſubſiſtenti in duabus naturis.

Dices contra Corollarium. Perſona Verbi eſt medium, in quo natura divina & humana uniuntur: ſed medium, in quo extrema uniuntur, non eſt extremum componens: ergo. R. N. Min. Nihil repugnat enim id, quod eſt medium ſub una ratione, eſſe ſub alia etiam extremum componens. Sic v. gr. quantitas eſt medium, quo albedo unitur parieti, & etiam eſt id, quod unitur & albedini & parieti.

Repones Deus non dicitur compoſitus ex perſonis & natura. Ergo nec Chriſtus ex perſona & natura humana. R. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod perſonæ divinæ inter ſe non uniuntur, ſed potius opponuntur, neque etiam cum natura, quia ſunt ſimpliciter unum & idem cum illa.

ARTICULUS III.

Utrum unio naturæ divinæ & humanæ ſit aliquid creatum? ſive utrum detur nexus medius formalis inter utrumque?

NOTA unionem poſſe ſumi tripliciter. 1. Pro ipſa actione unientis, & ſic dicitur unitio potius quam unio. 2. Pro eo quod formaliter extrema conjungit, ſive ſit quid ab eis diſtinctum, ſive non. 3. Pro relatione, quæ ex ipſa conjunctione reſultat inter extrema. De unione primo modo ſumpta non eſt difficultas conſtat enim eam eſſe quid increatum utpote actum intellectus & voluntatis divinæ formaliter immanentem & virtualiter tranſeuntem. De unione tertio modo ſumpta conſtat etiam eſſe aliquod accidens ab extremis unitis diſtinctum, nempe relationem realem ex parte humanitatis, & relationem rationis ex parte Verbi. Tota difficultas eſt ergo circa unionem ſecundo modo ſumptam, ſeu circa fundamentum iſtius relationis, an ſit aliquis nexus medius ſubſtantialis formaliter uniens naturam humanam Verbo. Hoc volunt Scotus, Suares, Vaſques, & alii etiam quidam ex Thomiſtis, ſub hac tamen differentia, quod Scotus velit eſſe quid relativum extrinſecus adveniens; alii vero modum abſolutum ſubſtantialem. Contra quos

Dico. Non datur modus ſubſtantialis quaſi nexus medius formaliter uniens naturam humanam Verbo, ita ut nulla alia unio formalis ab extremis diſtincta reperiatur, niſi ipſa relatio conſequens ad immutationem paſſivam naturæ humanæ ex actione unientis. Prob. 1. ex D. Th. in 3. d. 2. q. 2. art. 2. Quæſtiunc. 3. ubi ſic dicit: *Sciendum eſt, quod in unione humanæ naturæ ad divinam nihil poteſt cadere medium formaliter unionem cauſans, cui per prius humana natura conjungatur, quam divinæ perſonæ. Sicut enim inter materiam & formam nihil cadit medium in eſſe, quod per prius ſit in materia quam forma ſubſtantialis,* (alias eſſe accidentale eſſet prius ſubſtantiali, quod eſt impoſſibile) *ita etiam inter naturam & ſuppoſitum, non poteſt aliquid dicto modo cadere medium.* Et infra dicit, quod *inter humanam naturam & divinam eſt neceſſe cadere unionem mediam, non ſicut cauſam, ſed ſicut effectum conſequentem.* Et ſubdit: *Unde unio eſt medium non ſicut aſſumptionem cauſans, ſed ſicut eam conſequens.* Ex quibus patet S. Doctorem excluſiſſe nedum entitatem completam quæ habeat rationem extremi uniendi, ut eſt v. g. calx inter lapides, filus inter pannos aſſutos, ut volunt quidam Thomiſtæ, ſed etiam modum medium formaliter unientem; tum quia dicit nihil cadere medium inter Verbum & humanitatem, ſicut nec inter formam & materiam, adeoque omne medium excludit: tum quia dicit unionem non eſſe ut cauſam, ſed ut effectum conſequenter: tum denique quia nullibi unquam mentionem fecit iſtius nexus medii, nequidem hic art. 7. ubi ex profeſſo agit de iſtiuſmodi unione, nullam aliam unionem formalem aſſignat, niſi ipſam relationem unitorum.

Prob. 2. Ratione. Per id Verbum unitur humanitati, per quod ipſam terminat & ſuſtentat; atqui Verbum ſeipſo, ſeu ſola perſonalitate, omni nexu formali excluſo terminat & ſuſtentat naturam humanam. Ergo. Maj. patet; quia Verbum unitur humanitati per modum termini & complementi ſupplens vices ſubſiſtentiæ creatæ, neque aliud eſt ipſum uniri humanitati, quam ipſam terminare. Prob. Min. Verbum non eſt minus actus purus & infinitus in ratione termini naturæ humanæ, quam in ratione principii productivi: atqui ex hoc, quod ſit actus purus & infinitus in ratione principii productivi, exercitium productivum ad extra non eſt aliquid realiter diſtinctum a virtute productiva, ſed actio immanens virtualiter tranſiens, quæ cum virtute ipſa identificatur. Ergo ſimiliter exercitium terminandi non eſt aliquid creatum a virtute terminandi, ſeu ab ejus perſonalitate diſtinctum. Quia vero non poteſt intelligi Verbum unitum humanitati, quin intelligatur humanitas unita Verbo, ſequitur, quod ſicut Verbum immediate per ſeipſum unitur humanitati, ita humanitas immediate per ſeipſam concipitur unita Verbo.

Confir. Subſiſtentia creata ſeipſa immediate unitur naturæ creatæ. Ergo a fortiori ſubſiſtentia increata, utpote actualiſſima in ratione terminandi. Ant. videtur certum, quia terminus ſeipſo terminat, ſubſiſtentia autem nullam aliam cauſalitatem habet circa naturam, quam eam terminare. Inſuper ſi ſubſiſtentia mediante modo ſuperaddito uniretur naturæ, pari ratione exiſtentia uniretur ſuppoſito mediante modo, & ſic modorum non eſſet modus, ſicut exiſtentia ſeipſa immediate rem facit exiſtere, ita & ſubſiſtere, ita & ſubſiſtentia ſeipſa immediate naturam facit ſubſiſtere, ſeu eam terminat. Neque dicas ſubſiſtentiam creatam ſeipſa terminare materiam, quia eſt modus: ſi id enim poſſit modus, qui eſt entitas valde debilis & imperfecta, quidni entitas infinita & actualiſſima, qualis eſt ſubſiſtentia Verbi.

Solvuntur Objectiones.

AD ſolutionem Objectionum Nota 1. Verbum & humanitatem poſt unionem hypoſtaticam coſubſiſtere & coexiſtere, cum antea non coſubſiſterent nec coexiſterent. Nota 2. Quod licet natura humana non poſſit dici rigoroſe & ſtricte mutata per Incarnationem, quia ad ſtrictam mutationem requiritur, quod res, quæ dicitur mutari, præexiſtat ad receptionem ſeu amiſſionem ejus, ratione cujus dicitur mutari, humanitas autem Chriſti eodem inſtanti producta & aſſumpta fuit a Verbo: poteſt tamen large dici mutata, in quantum cum haberet inclinationem naturalem ad propriam ſubſiſtentiam, tracta & aſſumpta fuit ad alienam, & prius natura intelligitur producta quam aſſumpta. Illa autem mutatio ſive tractio, ſive terminatio paſſiva eſt paſſio ſeu modus paſſionis ab agente in paſſo; nec poteſt dici formalis unio ſeu nexus medius formaliter uniens; quia unio ſeu nexus formalis uniens, ſi daretur, tantum reſpicit extrema, ut formaliter illa ad unitatem redigens; paſſio autem reſpicit agens, a quo paſſum immutatur. Cæterum ſi per nexum formalem medium nihil aliud intelligant adverſarii, quam iſtam tractionem ſeu mutationem paſſivam humanitatis, quæſtio eſt de nomine.

Obj. 1. Debet aſſignari fundamentum relationis inter

Ver-

Verbum & humanitatem; atqui illud non poteſt eſſe aliud quam modus ſubſtantialis ſuperadditus. Ergo. Prob. Min. Non eſt ipſa humanitas ſecundum ſe, alias omnis humanitas fundaret talem relationem. Non eſt ipſa perſonalitas Verbi, quia ipſa eſt terminus relationis. Ergo. R. N. Min. Ad probat. N. Conſeq. & aſſigno fundamentum nempe immutationem realem ſeu tractionem paſſivam humanitatis ad Verbum. Fundatur itaque hæc relatio in actione ſupernaturali unitiva virtualiter tranſeunte, quę relinquit modum paſſionis in humanitate, quod nihil eſt aliud, quam illam naturam paſſive fieri dependentem a Verbo, & in eodem eſſe communicantem. Unde agnoſcimus quidem modum ſuperadditum, ſed per modum paſſionis, non per modum formæ unientis.

Inſt. Fundamentum debet tamdiu manere, quamdiu manet relatio. At illa unio ſeu tractio paſſiva tranſivit cum actione uniente. Ergo. R. D. Min. Mutatio ſeu tractio paſſiva in fieri tranſivit, &c. C. Min. In facto eſſe, N. Manet enim in ipſa natura immutata & communicata Verbo, ſeu in ejus dependentia a Verbo; & hæc dependentia prout connotat actionem & paſſionem, unde emanavit, eſt fundamentum permanens relationis.

Obj. 2. & ſimul inſt. cum P. Henno. Si non daretur unio ab extremis diſtincta, non aliter ſe haberet Filius reſpectu naturæ humanæ, quam Pater aut Spiritus S. ac proinde Filius non eſſet incarnatus, vel omnes perſonæ eſſent incarnatæ. Falſum Conſequens. Ergo & Ant. Prob. Sequela; nam ſi Filius ſit naturæ humanæ intima præſens ab ea omnino indiſtans non ſolum per immenſitatem, ſed etiam per propriam perſonalitatem; ita etiam aliæ perſonæ ſunt intime præſentes tum per immenſitatem, tum etiam per propriam perſonalitatem. Ergo. R. D. Maj. Si non daretur unio ab extremis diſtincta, quæ ſit nexus medius formaliter ſuperadditus, non aliter &c. N. Sequelam: Quæ ſit immutatio & terminatio paſſiva humanitatis, vel relatio ad eam conſequens, C. Et diſtincta Min. ad ſenſum Maj. N. Conſeq. Solutio patet ex dictis.

Inſt. cum eodem. Si non daretur unio ab extremis realiter diſtincta, SS. Trinitas non cauſaret hoc myſterium. Falſum Conſequens. Ergo. Prob. Maj. Quia nihil in eo produceret, non quidem divinitatem aut perſonalitatem Verbi, cum ſint increatæ; non etiam humanitatem, cum actioni incarnativæ natura ſaltem præſupponatur. Ergo. Confir. Non datur cauſans aut producens niſi detur cauſatum & productum, cum ſint correlativa. Ergo. R. N. Sequelam Maj. Ad Prob. N. Ant. & aſſigno quid producat, ſcilicet ipſum Chriſtum exurgentem ex Verbo & humanitate unitis, ſive conſubſiſtentiam ſecundum omnes Theologos, & coexiſtentiam Verbi cum humanitate ſecundum Thomiſtas, quæ non eſſet ſine unione; ſicut in Sententia Thomiſtarum actio agentis ſeu unientis formam materiæ producit compoſitum, ſive utriuſque coexiſtentiam, quæ antea non habebatur. Unde ad confirmationem patet Reſponſio; datur enim cauſatum & productum non quidem abſolute & ſimpliciter, ſed ſecundum quid, id eſt de novo immutatum & communicatum. Non enim ad quamlibet actionem maxime unitivam requiritur, quod terminus ſimpliciter incipiat eſſe, ſed ſufficit, quod ſecundum quid & cum addito, ſicut Verbum, v. gr. per Incarnationem non incipit eſſe ſimpliciter, ſed incipit eſſe homo; ita terminus, quem producit actio unitiva non eſt quod aliquid ſit ſimpliciter, ſed quod ſit ſub alio, ſeu ex una parte terminatum ab alio, & ex alia parte terminans aliud, quod non erat ante.

Repones. In ſolutionibus datis aſſignatur quidem terminus totalis unitivæ, ſcilicet Chriſtus, ſeu compoſitum ex Verbo & humanitate, ſed non formalis, qui non poteſt eſſe alius, quam ipſe modus ſubſtantialis medius. Ergo. R. N. Ant. Et dico terminum formalem eſſe ipſum Verbum ut communicatum humanitati, ſicut modo dicemus.

Inſiſtes cum eodem. Non datur denominatio nova ſine nova forma. Atqui Verbum ante Incarnationem non dicebatur unitum, & poſt illam dicitur unitum. Ergo datur nova forma ſeu unio, non quidem in ipſo recepta cum illius ſit incapax, ſed recepta in natura humana & ad ipſum terminata. R. C. Totum. Nec enim nos negamus dari unionem, quæ antea non erat, ſed nexum medium formaliter unientem extrema. Porro iſta unio, a qua denominatur de novo Verbum unitum, eſt ipſa actio uniens humanitatem Verbo, & immutatio paſſiva, & dependentia ex illa actione reſultans; niſi velis dicere eſſe ipſam relationem unionis ex illa unione activa & paſſiva reſultantem.

Aliæ Objectiones facile ſolvuntur attentis prædictis, maxime in prænotaminibus ad ſol. Obj.

Corollaria.

Ex dictis colliges 1. Terminum totalem actionis incarnativæ ſeu unitivæ Verbi cum humanitate eſſe ipſum Chriſtum, quia terminus totalis actionis unitivæ duorum extremorum eſt compoſitum reſultans ex illis, ut patet in generatione hominis. Atqui Chriſtus eſt compoſitum reſultans ex unione activa Verbi & humanitatis. Ergo. Terminum vero quo formalem actionis unitivę eſſe ipſam Verbi perſonalitatem ut terminantem humanitatem; materialem ipſam humanitatem ut terminatam a Verbo. Quia in omni actione unitiva id habet rationem termini formalis, quod habet rationem actus & perfectivi; id vero eſt terminus materialis, quod habet rationem materiæ & perfectibilis. Atqui in prælata actione unitiva ipſa Verbi perſonalitas ſeu ſubſiſtentia ut terminans humanitatem habet rationem actus & perfectivi; ipſa vero humanitas rationem perfectibilis. Ergo.

Nec refert, quod Verbum dicatur ſuſtentans humanitatem, non eſt enim ſuſtentans paſſiva per modum ſubjecti recipientis, ſed activa per modum actus complentis & perficientis.

Unde ſequitur, quod etſi daretur modus ſubſtantialis medius, de quo ſupra, non eſſet tamen terminus formalis Incarnationis, ut falſo contendunt ejus Patroni, ſicut nec unio animæ cum corpore eſt formalis terminus generationis, ſed ipſa anima ut corpori communicata.

Colliges 2. actionem unitivam humanitatis cum Verbo, creationem animæ & productionem humanitatis, licet eodem temporis inſtanti fuerint, eſſe tamen tres actiones realiter diſtinctas; non quidem active ex parte Dei, cui omnia per unam & eandem actionem a ſe indiſtinctam operatur, ſed paſſive ex parte termini: quia diſtinctio realis & ſpecifica actionum deſumitur ex diſtinctione ſpecifica terminorum; atqui illarum actionum termini ſunt diſtincti formaliter & ſpecifice. Ergo. Prob. Min. Terminus formalis creationis animæ eſt ipſa anima, terminus formalis productionis humanitatis eſt ipſa humanitas, terminus formalis aſſumptionis ſeu actionis unitivæ eſt Verbi perſonalitas ut communicata humanitati, ut dictum eſt. Ergo. Nec refert, quod S. Leo & quidam alii videantur aſſerere oppoſitum; quia nihil aliud intendunt, quam quod illæ actiones fuerint ſimul tempore.

Dices 1. Creari & produci eſt accipere eſſe. Atqui anima & humanitas Chriſti acceperunt eſſe per aſſumptionem ſeu unionem, non enim habent aliud eſſe quam divinum. Ergo. R. D. Maj. Creari & produci eſt accipere eſſe ſive formaliter, ſive concomitanter, C. Semper formaliter, N. Explicatur. Creatio ſicut & productio habet duplicem terminum, unum primarium, qui eſt eſſentia, alium ſecundarium, qui eſt exiſtentia. Licet ergo creatio ſeu productio, quando eſt completa & non impedita utrumque terminum attingat, ſi tamen impediatur & remaneat incompleta accipiens complementum ab alio, non eſt neceſſe, quod formaliter ſeipſa attingat exiſtentiam, quæ eſt tantum terminus ſecundarius, ut dixi, ſed ſufficit, quod formaliter attingat terminum primarium, ſcilicet eſſentiam; ſecundario per aliam actionem ſimultaneam productio, ſicut fit in præſenti caſu.

Dices 2. Ex aſſertione noſtra ſequitur, quod prius natura ſit producta humanitas, quam unita Verbo. Sed hoc non poteſt dici. Ergo. Prob. Min. Quia alias B. Virgo non eſſet proprie Mater Dei, ſi quidem ejus Conceptio ſeu generatio ad ſolam humanitatem complete terminaretur prius natura, quam uniretur Verbo. Sicut, v. g. ſi ignis produceret calorem, & aliud agens illum uniret ſubjecto, diceretur quidem ignis producere calorem, ſed non facere calidum. R. N. Min. Ad Probat. Dico ita non obſtante B. Virginem eſſe proprie Matrem Dei: tum quia ſecundum S. Th. infra q. 32. a. 4. Mulier non dicitur generare hominem, quia elicit actionem generativam, ſed quia miniſtrat materiam, quod & fecit B. Virgo reſpectu Chriſti. Tum etiam quia, dato ſecundum Medicos mulierem etiam active concurrere ad generationem, non requiritur ad hoc, ut B. Virgo ſit Mater Dei, quod ejus actio univerit humanitatem Verbo, ſed ſufficit, quod in eo inſtanti, in quo humanitatem concepit, ipſa humanitas aſſumpta fuerit ad perſonalitatem Verbi: quia tunc ſuppoſitum Verbi cenſetur ultimate complere & terminare actionem generativam B. Virginis, cum præſtet perſonalitas Verbi, ſecluſis imperfectionibus, quod præſtitiſſet ſubſiſtentia propria, ſi reſultaſſet. Ad exemplum de igne dico, quod ſi actio ignis eſſet de ſe unitiva caloris cum ſubjecto aliquo, licet virtute divina aliud ſubſtitueretur, talis ignis nihilominus diceretur facere calidum. Unde cum generatio B. Virginis ſit de ſe unitiva humanitatis ſuppoſito creati, licet virtute divina ſubſtitutum ſit ſuppoſitum increatum, poteſt tamen dici genuiſſe Chriſtum ſeu Deum & hominem ſimul.

AR-

ARTICULUS IV.

Utrum unio humanitatis & divinitatis ſit ſubſtantialis, eaque omnium maxima?

S. THOMAS (*Ibid. a. 6. a.*) reſpondet hanc unionem non eſſe accidentalem, ſic ut ex pluribus entibus completis proprio eſſe gaudentibus reſultaret unum per accidens, ut volebat Neſtorius, neque eſſentialem, ſic ut ex pluribus reſultaret unica eſſentia ſeu natura, ut volebat Euthyches; ſed eſſe ſubſtantialem ſumpta ſubſtantia non pro eſſentia, ut aliquando ſumitur, ſed pro ſubſiſtentia & hypoſtaſi. Hæc omnia conſtant ex prædictis. Sed utrum aliquo ſenſu non poſſit dici iſta unio accidentalis, ſaltem prædicabiliter & logice, ut exiſtimavit Durandus?

Dico 1. Unio naturæ humanæ cum Verbo nullatenus eſt accidentalis, ſed abſolute ſubſtantialis. Prob. Unio rerum ſubſtantialium ad componendam unam perſonam neque eſt accidentalis prædicamentaliter ſeu phyſice, neque prædicabiliter ſeu logice. Atqui talis eſt præfata unio. Ergo. Patet Min. Prob. Maj. pro 1. parte. Non eſt accidentalis prædicamentaliter, quia & res unitæ & id in quo uniuntur, & ipſum compoſitum, omnia hæc, inquam, ſunt ſubſtantiæ ut patet. Ergo. Prob. Maj. pro 2. parte. Licet humanitas adveniat Verbo ut enti completo, & ſit extra illius eſſentiam, quia tamen trahitur ad Communionem ejuſdem eſſe ſubſtantialis, non poteſt dici accidens logicum reſpectu illius, nec prædicari de eo accidentaliter, ut dicit D. Th. ad 2. ſic v. g. licet corpus ſit extra eſſentiam animæ, & ipſi ut præexiſtenti reunietur, quia tamen ad ejus eſſe trahitur, non unietur illi accidentaliter, ſed ſubſtantialiter. Ergo.

Confir. Quando unio eſt accidentalis, vel per modum accidentis, id, quod unitur, etſi ſit ſubſtantia, non prædicatur per modum ſubſtantiæ & in quid, ſed per modum accidentis & in quale. Sic v. gr. homo non dicitur veſtis, ſed veſtitus; non dicitur albedo, ſed albus. Atqui humanitas prædicatur de Verbo per modum ſubſtantiæ & in quid, dicitur enim Deus eſt homo & Chriſtus eſt homo, ſicut dicitur Petrus eſt homo; homo enim ut docet D. Thom. q. 16. art. 6. prædicatur univoce de Chriſto & aliis hominibus. Ergo.

Dices. Accidens logicum definitur, quod poteſt adeſſe vel abeſſe ſine ſubjecti corruptione. Atqui humanitas poteſt adeſſe vel abeſſe a Verbo ſine ſubjecti corruptione. Ergo. R. Ant. intelligendum eſſe, quando id, quod unitur, adfert ſuum proprium eſſe, nec trahitur ad idem eſſe ſubſtantiale cum eo, cui unitur, ut v. gr. albedo reſpectu parietis; ſecus vero ſi trahatur ad idem eſſe. Sic v. g. Corpus poteſt adeſſe & abeſſe ab anima ſine animæ corruptione per ſolam corporis deſtructionem, & tamen non unitur animæ accidentaliter, quia trahitur ad eſſe illius. Adde, quod ut aliquid non ſit accidens, ſufficiat, quod abeſſe non poſſit abſque corruptione ſuppoſiti, ſi ſuppoſitum ſit capax corruptionis vel denominationis ſubſtantialis. Sic corpus non poteſt abeſſe ab anima abſque corruptione humani ſuppoſiti; ſimiliter humanitas non poteſt abeſſe a Verbo, niſi Verbum deſinat eſſe perſona hominis ipſeque Chriſtus ut compoſitum deſtruatur. Caterum ſi Durandus tantum voluerit humanitatem non eſſe de eſſentia Verbi, & hoc ſenſu dixerit unionem eſſe accidentalem, ſenſus retinendus eſt, ſed modus loquendi ablegandus, ne videamur convenire cum Hæreticis.

Dico 2. (*Ibid. a. 9. c.*) Unio hypoſtatica, ſi conſideretur ex parte eorum, quæ conjunguntur, non eſt maxima; ſi vero conſideretur ex parte ejus, in quo conjunguntur, eſt inter creatas uniones maxima. Prob. 1. pars. (*Ibid.*) Illa unio cenſetur minor ex parte extremorum, cujus extrema magis diſtant. Atqui extrema, quæ conjunguntur in hac unione, infinite diſtant. Ergo. Prob. 2. pars. (*Ibid.*) Tanto major eſt unio, quanto medium, in quo extrema conjunguntur, eſt magis unum & ſimplex, minuſque ab extremis unitis differt. Atqui medium in hac unione, nempe perſona Verbi, eſt quid ſimpliciſſimum & maxime unum, atque cum uno extremo, nempe natura divina, realiter idem & unum, cum altero vero, ſcilicet humanitate, & intime & ſubſtantialiter unitum, ita ut ei tribuat ſuum eſſe, ſuam unitatem & ſubſiſtentiam. Ergo. Unde dixit Bernard. l. 5. de Conſid. c. 8. *Inter omnia, quæ recte unum dicuntur, arcem tenet unitas Trinitatis, qua tres perſonæ una ſubſtantia ſunt, ſecundo loco illa præcellit qua a converſo tres ſubſtantiæ una in Chriſto perſona ſunt.*

Dices. Illa unio eſt major in ratione unionis, ex qua ſit aliquid magis unum. Atqui ex unione materiæ & formæ ſit aliquid magis unum. Ergo. Patet Min. quia ex unione materiæ & formæ ſit aliquid unum in natura, ſeu eſſentia & in ſuppoſito; ex unione autem hypoſtatica ſit unum tantum in ſuppoſito. Ergo. R. N. Maj. (*Ibid. ad 3.*) ad probat. D. Conſeq. Ergo ex unione materiæ & formæ ſit magis unum extenſive, quia ſolum reſultat duplex unitas naturæ & perſonæ, C. Conſeq. magis unum intenſive, N. Conſeq. Unitas enim div[inæ] perſonæ eſt major, quam ſit unitas & perſonæ & natu[ræ] in nobis; in quantum ſcilicet anima & corpus uniunt[ur] cum imperfectione partium, & in unionem creatam me[...] te ſolubilem: in unione autem hypoſtatica uniuntur natu[...] ræ in unitatem divinam ſimpliciſſimam & incorruptibilem.

ARTICULUS V.

Variæ difficultates expenduntur ex cæteris articulis D. Thomæ.

QUÆRITUR 1. utrum unio Verbi Incarnati ſit idem, quod aſſumptio? R. 1. (*Ib. a. 8. ſ.*) unionem ſumptam pro relatione certo diſtingui ab aſſumptione, quippe quæ eſt actio. R. (2. (*Ibid.*) unionem ſumptam pro actione uniente etiam differre ab aſſumptione; quia unio importat tantum conjunctionem extremorum, aſſumptio importat in aſſumente habitudinem termini ad quam; aſſumptio enim idem eſt ac ad ſe ſumptio. Unde omnis aſſumptio eſt quidem unio, ſed non e contra. Sic Pater & Spiritus S. dicuntur unire; non tamen aſſumere. Inſuper unio (*Ibid.*) importat relationem æquiparantiæ, & utrumque extremum æqualiter denominat. Sicut enim dicitur de humanitate, quod ſit unita, & de Divinitate. Secus autem aſſumptio, quæ cum ſit actio aſſumentis, unum extremum, nempe agens, denominat aſſumens, aliud nempe paſſum, denominat aſſumptum.

Quæritur 2. Utrum in Chriſto ejus anima ſit corpori unita? Reſponſio affirmativa (*Ibid. a. 5. a.*) eſt de fide contra quoſdam, qui volentes vitare hæreſim Neſtorii; dicebant carnem & animam in Chriſto non fuiſſe inter ſe unitas tanquam partes, quia ex tali unione exiſtimabant neceſſario reſultare perſonam creatam. Prob. autem Reſponſio; quia fide certum eſt 1. Chriſti corpus eſſe animatum, ut canit Eccleſia in Feſto Circumciſionis; *Animatum corpus ſumens*. Non poteſt autem dici corpus animatum, niſi ipſi unitur anima. (*Ibid.*) 2. Fide certum eſt Chriſtum eſſe ejuſdem ſpeciei cum aliis hominibus; ad rationem autem humanæ ſpeciei pertinet unio animæ & corporis. 3. Fide certum eſt Chriſtum eſſe conceptum & natum hominem; terminus autem Conceptionis & generationis humanæ eſt compoſitum ex corpore & anima. Ergo.

Quæritur 3. Utrum unio hypoſtatica facta ſit per gratiam? R. (*Ibid. a. 10.*) ſi gratia intelligatur donum aliquod habituale animæ vel humanitati inhærens, quo mediante facta ſit Incarnatio, ſic non eſt facta per gratiam ut patet ex dictis. Si autem gratia (*Ibid.*) intelligatur vel gratuita Dei voluntas, vel donum Dei gratuitum; primo ſenſu Incarnatio facta eſt per gratiam tanquam per cauſam efficientem: ſecundo ſenſu eſt maxima gratia, utpote nullis præcedentibus meritis conceſſa, ut dicemus infra.

Quæritur 4. Utrum gratia unionis ſit homini Chriſto naturalis? R. gratiam unionis, (*Ibid. a. 11. a.*) ſive intelligatur ipſa unio ſubſtantialis, ſive gratia habitualis, non eſſe naturalem hoc ſenſu, quod ſit cauſata ex principiis naturæ humanæ: poſſe tamen dici naturalem alio duplici ſenſu. 1. Quatenus humanitati fuit collata ab initio conceptionis cum ipſa natura, 2. Quia eſt cauſata a natura divina, quæ eſt natura Chriſti. Simpliciter tamen tam gratia unionis, quam gratia habitualis ſunt quid ſupernaturale. Quod tradit S. Doctor a. 12. de cauſa meritoria Incarnationis, diſcutiemus Diſſer. ſequenti.

DIGRESSIO PRIMA HISTORICA

De Neſtorianiſmo.

Ad Diſſert. præcedentem.

VENTILATIS iis, quæ ſpectant difficultates ſcholaſticas circa eſſentiam unionis hypoſtaticæ contra duplicem hæreſim Neſtorii & Eutychetis, nunc præcipua utriuſque ſectæ facta diſcutienda veniunt: & primo de Neſtorianiſmo. Unda

SECTIO I.

Synopſis hiſtorica Neſtorianiſmi.

NESTORIUS, Germanicia Syriæ oppidulo oriundus, monaſticam vitam in Cœnobio S. Euprepii prope Antiochiam profeſſus eſt cum Joanne poſtea Epiſcopo Antiocheno & Theodoreto. Mortuo Siſinnio Epiſcopo Conſtantinopolitano, & hujus urbis populo circa electionem futuri Epiſcopi in varias partes diviſo, aliis Proclum, aliis Philippum volentibus, Theodoſius Imperator Neſtorium tunc Antiochenæ Eccleſiæ Presbyterum ad Sedem Conſtantinopolitanam vocavit, virum eloquentiæ & doctrinæ fa-

ma

ma celebrem, qui aliunde ſpeciem ſanctitatis affectabat. Præceptorem habuit Theodorum Mopſueſtenum, a quo hæreſeos ſuæ virus de Incarnatione hauſit. Inauguratus eſt Conſtantinopoli anno 427. Statim poſt inaugurationem omnibus Hæreticis Arianis, Macedonianis, Quartodecimanis, bellum indixit, ut ſuæ hæreſi viam pateſaceret. Primus ejus nævus eſt, quod faveret Pelagianis, in quorum gratiam ſcripſerat ad Cœleſtinum Pontificem Romanum, ut patet ex hujus Pontificis reſponſo. Ipſo ſuæ ordinationis anno primo ſuam hæreſim diſſeminare cœpit, unionem duplicis naturæ in Chriſto non eſſe hypoſtaticam ſeu in perſona dixit, ſed accidentalem tantum ſeu moralem, ſcilicet, 1. Secundum inhabitationem: 2. Per conformitatem affectuum; 3. Secundum operationem; 4. Secundum dignitatem honoris. Ex quo ſequebatur. 1. Verbum non eſſe proprie incarnatum. 2. Duas eſſe perſonas in Chriſto. 3. B. M. Virginem non eſſe Matrem Dei, ſed hominis. 4. Non poſſe dici Deum eſſe natum, paſſum, &c. nec Deum, & hominem eſſe Deum, ut paulo latius explicui initio præcedentis Diſſertationis.

Hunc Hæreſiarcham Scriptis inſectati ſunt S. Proclus Epiſcopus Cyzicenus, Marius Mercator, Joannes Caſſianus, ſed maxime S. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, qui & Cœleſtinum I. Summum Pontificem hac de re monuit; hunc autem litteris etiam convenerat Neſtorius. Cœleſtinus igitur acceptis tum Neſtorii, tum Cyrilli Litteris, coegit Romæ Synodum an. 430. ex Epiſcopis, qui tunc in urbe vel in vicinia erant, in qua Synodo lata eſt ſententia excommunicationis in Neſtorium, niſi intra decimum a denuntiatione diem errores ſuos *aperta & ſcripta Confeſſione* damnaret. Inſuper Summus Pontifex litteris datis mandavit Cyrillo, ut in cauſa Neſtorii Sedis Apoſtolicæ vice fungeretur ad ſententiam contra eum latam executioni mandandam, & ad providendum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ. Dedit etiam Litteras Neſtorio, ut in ſaniorem mentem rediret, & aliis præcipuarum Sedium Epiſcopis.

Cyrillus his acceptis Litteris Synodum habuit Alexandriæ ex univerſa Diœceſi Ægypti eodem an. 430. 3. Novembris: ex qua per Legatos Synodica miſſa eſt ad Neſtorium, ut mandatis Cœleſtini obtemperaret; huic autem Synodicæ ſubjuncti ſunt 12. Anathematiſmi a Cyrillo editi. His morem non geſſit Neſtorius, quin imo 12. Anathematiſmos blaſphemus 12. Anathematiſmis Cyrilli oppoſuit, Joannem Antiochenum & Syriæ Epiſcopos contra capitula Cyrilli commovit, tanquam Apollinaris errore conſpurcata, atque Theodoſium Imperatorem in ſuas etiam partes inclinavit. Itaque œcumenicam Synodum Epheſi in Aſia minore indixit Imperator, miſſis hac de re Litteris ad Cœleſtinum Romanum Pontificem, & ad alios majorum Sedium Antiſtites, vocatiſque ex univerſis Diœceſibus Epiſcopis.

De Concilio Epheſino in cauſa Neſtorii.

CELEBRATUR S. Synodus an. 431. cui initio præfuit ſolus Cyrillus tum jure ſuæ Sedis a Romana ſecundæ, tum ut Sedis Apoſtolicæ Legatus ad executionem ſententiæ in Neſtorium latæ, donec Arcadius & Projectus Epiſcopi, & Philippus Presbyter a Cœleſtino Legati advenaſſent. Venit etiam Epheſum Neſtorius cum decem Epiſcopis ſibi addictis. Candidianum Comitem ad Concilium miſit Imperator, ut ordinem ſervari curaret. Huc etiam appulit Irenæus Comes, ut Neſtorium ſibi amicum comitaretur, & foveret. Moras ex induſtria trahente Joanne Antiocheno Neſtorii amico, & ipſo per Legatos annuente, incepta eſt Synodus 22. Junii. Decima Julii poſt actionem primam pervenerunt Epheſum, & excepti ſunt a Concilio prædicti Legati Summi Pontificis, qui cum Cyrillo ipſi Concilio præfuerunt. Damnationi & exauctorationi Neſtorii tanquam NOVI JUDÆ in 1. actione decretis ſubſcripſerunt Legati Pontificis in 3. actione.

Joannes Antiochenus ſtatim ab incepta Synodo Epheſum appulſus, in conciliabulo intra proprias ædes congregato, depoſitionis ſententiam adverſus S. Cyrillum & Memnonem Epheſiorum Epiſcopum dixit, quaſi ille Apollinaris & Eunomii hæreſes in ſuis Capitulis docuiſſet, iſte cuncta per violentiam in civitate gereret: & etiam Excommunicationis in alios Patres, niſi intra conſtitutam diem Cyrillo & Memnone relictis ad ſuas partes tranſirent.

Decima ſexta Julii actio 4. habita eſt, in qua Cyrillus & Memnon conqueſti ſunt adverſus Joannem Antiochenum pro ſententia in ipſos ab ipſo & congregabilibus lata. Semel & iterum citatus Joannes per tres Epiſcopos a Synodo miſſos, qui a militibus ejus ædes vallantibus indigniſſime accepti ſunt. Quod cum ad Synodum retuliſſent, Patres decreta a Joanne & ejus ſymmiſtis contra Cyrillum & Memnonem irrita pronuntiarunt.

Die ſequenti celebratur actio 5. in qua citato tertio per tres Epiſcopos Joanne Antiocheno, fertur in eum Sententia Excommunicationis, necnon in Epiſcopos eum eo in Schiſmatica Synodo collectos Eccleſiam turbantes. Utriuſque variæ ac contrariæ Geſtorum relationes miſſæ ſunt ad Imperatorem, Clerum, Populumque Regiæ Urbis. Princeps malis artibus Candidiani Comitis in Sanctam Synodum præoccupatus miſit Epheſum Joannem Sacrarum Legationum Comitem, qui ſepoſitis Cyrillo, Memnone & Neſtorio, omnibus autem aliis in unam Synodum congregatis, res pacifice ageret. Quo valide commota ſancta Synodus Imperatori querelam detulit: ſimul Libellum ſupplicem eidem Imperatori pro ſancta Synodo porrexit Regiæ Urbis Clerus, quibus tandem effectum eſt, ut juſſu Imperatoris convocatis Chalcedonem ſeptem ex utraque parte Legatis, & ipſis ſæpius auditis; Sententiæ contra Neſtorium latæ annuit Imperator, Maximiano Presbytero in locum Neſtorii Sedi Conſtantinopolitanæ ſuffecto.

De Pace inter S. Cyrillum & Joannem Antiochenum.

ANNO 432. Sixto ſummo Pontifice Theodoſius tentavit concordiam inter S. Cyrillum & Joannem Antiochenum. Quibuſdam interlocutionibus præmiſſis per Paulum Emiſſenum ad S. Cyrillum Alex. a Joanne Antiocheno miſſum, pacem tandem inierunt ſub his conditionibus: 1. Ut Joannes Antiochenus anathema diceret Neſtorio: 2. Ut ejus depoſitioni aſſentiretur: 3. Ut ordinationem Maximiani approbaret, quibus ſubſcripſit Joannes, fideique confeſſioni a S. Cyrillo miſſæ.

Hic obſervandum eſt S. Cyrillum, ex œconomia & ſtudio pacis reſtituendæ, ſiluiſſe de ſuis capitulis. Unde Orientales occaſionem ſuſceperunt dictitandi ipſum ea retractaſſe. Aliud notandum, Orientales noluiſſe admittere communicationem idiomatum; v. g. Deum natum, mortuum &c. ſed iſtud apud Theologos ut problema reliquiſſe.

Ex inita pace ſubierunt invidiam aliquorum Cyrillus & Joannes Antiochenus. Theodoretus & alii pauci vitio Joanni donabant, quod non exegiſſet condemnationem a Cyrillo ſuorum capitulorum. Alii Cyrillum nimiæ œconomiæ, ignaviæ & levitatis inſimulabant. Eccleſiarum pace compoſita, Theodoſius imperator lege lata publicam infamiæ notam Neſtorianis inuſſit, edicens, ut *Simoniani*, non *Chriſtiani* vocarentur, & libris Neſtorii flammis addixit, eumque a Monaſterio Euprepii turbare non deſinentem, hortante Joanne Antiocheno in exilium in Oaſim deportari juſſit, ubi exeſa vermibus lingua, quæ in Chriſtum & Deiparam tam horrendas blaſphemias evomuerat, ex hac vita migravit.

SECTIO II.

Utrum Neſtorius purus Hæreſeos jure aſſeri poſſit?

ALBERTINUS Calviniſta & alii quidam ejuſdem Sectæ Neſtorium equidem ignorantiæ, aut inconſtantiæ, & etiam pertinaciæ circa prolationem quorumdam verborum accuſant, at ab errore immunem fuiſſe contendunt. Contra quos dico: Neſtorius vere fuit Hæreticus. Prob. 1. Auctoritate œcumenicæ Synodi Epheſinæ, quæ ſic loquitur act. 1. *Deprehendentes partim ex Litteris commentariiſque ipſius* (Neſtorii) *partim e Sermonibus, quos nuperrime in hac Epheſiorum Metropoli habuit, quique teſtimoniis comperti ſunt, illum impie ſentire ac prædicare, Coacti per Sacros Canones & Epiſtolam ſanctiſſimi Patris noſtri, & comminiſtri Cœleſtini Romanæ Eccleſiæ Epiſcopi, lacrymis ſubinde perfuſi, ad lugubrem hanc contra eum Sententiam neceſſario venimus. Igitur Dominus noſter JESUS CHRISTUS, quem ſuis ille blaſphemis vocibus impetivit, per ſanctiſſimam hanc Synodum eundem Neſtorium Epiſcopali dignitate privatum, & ab univerſo Sanctorum conſortio alienum eſſe definit.* Hanc Sententiam S. Synodus ad Neſtorium tranſmiſit cum hac Inſcriptione. *Sancta Synodus ... NOVO JUDÆ: Agnoſce te propter impias prædicationes tuas & adverſum Canones contumaciam, vigeſimo ſecunde die menſis Junii præſentis juxta Eccleſiaſticorum Sanctionum decreta a S. Synodo depoſitum atque ab omni Eccleſiaſtico gradu alienum eſſe.* Idem jam definitum & decretum fuerat in Synodo Romana ſub Cæleſtino anno 430. & in Synodo Ægyptiaca ſub Cyrillo, ut vidimus in Synodi Hiſtoria.

Prob. 2. Teſtimonio veterum: S. Cyrilli in Anathematiſmis contra ipſum Neſtorium, & in Ep. ad Cœleſtinum Rom. Pontificem: S. Leonis Ep. 97. ad Leonem Auguſtum: Theodoreti l. 4. Hæretic. fab. cap. 12. Vincenti Lirin. in Commonit. 1. c. 17. Caſſiani l. 5. de Incarnat. c. 1. Liberati in Breviario cauſæ Neſtorianæ c. 4. Facundi Herm. l. 1. & aliorum, qui Neſtorium ut Hæreticum impugnarunt. Item Imperatores, Clerus, populuſque Conſtantinopolitanus, ac tandem univerſus orbis hunc ut Hæreſiarcham, & Chriſti atque Deiparæ hoſtem abominati ſunt. Summæ

ergo

ergo impudentiæ eſt hunc hominem, tot teſtimoniis probatum Hæreticum, velle ab hæreſi abſolvere.

Prob. 3. ex *ipſis* ejuſdem Neſtorii ſcriptis. Docuit hominem in utero Virginis formatum, alium eſſe ab Unigenito Dei Filio, & Incarnationem eſſe meram habitationem Dei Verbi velut in Templo ſuo, adeoque duas in Chriſto perſonas. Item Beatiſſimam Virginem Deiparam diſerte negavit. Sic in Anathematiſmo 1. contra Cyrillum: *Si quis eam, qui eſt Emmanuel, Deum verum eſſe dixerit, & non potius nobiſcum Deum, hoc eſt inhabitaſſe eam, quæ ſecundum nos eſt, naturam per id, quod unitus eſt noſtræ, quam de Maria Virgine ſuſcepit: Matrem etiam Dei Verbi & non potius eius, qui Emmanuel eſt, nuncupaverit, &c. anathema ſit*. Fere idem in aliis anathematiſmis. Sermone 3. *Verbum ergo Deus non eſt natus ex Maria, ſed in illo, qui ex ea natus eſt, manſit*. Sermone 7. *Non per ſeipſum Deus eſt quod in utero figuratum eſt*. In libro ejus prolato actione 1. Concil. Epheſ. Quaternione 21. *Hic eſt qui triduo mortuus fuit. Hunc autem tanquam divinæ Majeſtatis cooperatorem cum Divinitate adoro*. Et Quaternione 16. *Propter geſtantem geſtatam veneror: propter latentem adoro apparentem*. Sermone 1. *Matrem habet Deus? Ergo excuſabilis Gentilitas Matres Diis ſubintroducens ... Non, vir optime, Maria peperit Deum*. Legatur inſuper ipſius Epiſtola ad Cyrillum, quæ extat 1. p. Concil. Epheſ. c. 9. & ad Cœleſtinum ibidem c. 16. & 17.

Prob. 4. ex Symbolo Neſtoriano, quod Chariſius Presbyter obtulit Patribus Epheſinis, & relegitur actione 6. *Confitemur*, (inquiunt Neſtoriani) *Verbum hominem ſecundum naturam perfectum ex humana carne & anima rationali conſiſtentem aſſumpſiſſe ... quem ſecundum naturam noſtram, nobiſque ſimilem hominem exiſtentem, Spiritus S. virtute in utero Virginis formatum ... inexplicabili quodam modo ſibi conjunxit*. Audis hominem exiſtentem, conſequenter perſonatum ſibi conjunxiſſe. Ergo duplex eſt perſona hominis & Dei, nec unio facta eſt in perſona, ſed duæ perſonæ ſunt moraliter & accidentaliter conjunctæ.

Solvuntur Objectiones.

OBJ. contra 1. Probationem deſumptam ex auctoritate Concilii Epheſini. Hoc Concilium, maxime tunc cum Neſtorium condemnavit, non erat Oecumenicum. Ergo. Prob. Ant. 1. Tunc nondum advenerant Legati ſummi Pontificis. 2. Joannes Antiochenus cum ſuis Epiſcopis Orientalibus aberat, aberat & ipſe Neſtorius Epiſcopus Conſtantinopolitanus, pluresque conteſtati fuerant ſe habituros ut irritum quidquid abſentibus Orientalibus adverſus Neſtorium decerneretur a Synodo. 3. Cyrillus, qui huic Synodo præerat, graves inimicitias gerebat adverſus Neſtorium; erat turbarum Auctor, teſte Theodoſio Imperatore: Sententiam ſuam contra Neſtorium jam dixerat in privata Synodo Alexandrina: erat Epheſi ſimul Judex, accuſator & teſtis: tandem ſuam culpam agnovit, cum petiit abſolvi ab excommunicatione, quam Joannes Antiochenus cum ſuis in eum tulerat. R. 1. dato Ant. N. Conſeq. Eſto enim Synodum Epheſinam tunc non fuiſſe œcumenicam, inde equidem aliquo aſque minuitur vis probationis noſtræ, at non omnino elevatur; validum enim eſt argumentum hunc eſſe hæreticum, quem ducenti Epiſcopi conciliariter congregati ut talem damnarunt, maxime ſi addes ut talem fuiſſe prædamnatum a Synodo Romana & Alexandrina. Sed R. 2. N. abſolute Ant. Ad 1. probationem, R. Ante adventum Legatorum S. Cyrillum, cui ſummus Pontifex vices ſuas commiſerat in cauſa Neſtorii; ut jam dixi & dicam infra, hujus nomine Concilio præfuiſſe. Aliunde Legati ratam habuerunt actione 3. Neſtorii condemnationem actione 1. decretam.

Ad. 2. Joannes Antiochenus ea induſtria moras trahebat, ut Neſtorio faveret; annuit tamen, ut ipſo abſente inchoaretur Concilium. Epheſum vero appulſus, pluries fuit interpellatus, ut relicto Conciliabulo, quod intra proprias ædes agebat, Synodo adeſſet. Item Neſtorius ter citatus comparere recuſavit. Inter Epiſcopos autem, quos ſecum Joannes adduxerat, juxta relationem Synodi, *alii erant extorres, otioſi Eccleſiiſque carentes: alii ante multos annos ob graves culpas a ſuis Metropolitanis depoſiti: cum ipſis etiam Pelagiani & Cæleſtini*, &c.

Ad 3. Cyrillus ante lapſum Neſtorii erat illi amicus, poſt ejus lapſum inimicus fuit erroris, non perſonæ. Theodoſius hæc dixit de Cyrillo, falſa amicorum Neſtorii relatione deceptus; at poſtea veritate comperta Cyrillum habuit ut ſtrenuum fidei defenſorem. Nihil obſtat Judicem pluries ſuper eandem rem ferre judicium; id quotidiana experientia conſtat. Falſum eſt Cyrillum fuiſſe accuſatorem & teſtem contra Neſtorium, accuſatores & teſtes erant ipſius Neſtorii ſcripta, & Clamores Cleri & univerſæ plebis Conſtantinopolitanæ.

Ad 4. quamvis ſententia excommunicationis, a Joanne Antiocheno in S. Cyrillum lata, eſſet notorie nulla, idque probe ſciret S. Cyrillus, attamen ex Oeconomia, & ne aliquid ſcrupuli remaneret in animis ſimplicium, petiit ab illa abſolvi.

Obj. 2. Neſtorius agnovit 1. Chriſtum non eſſe hominem ſolum, Serm. 12. 2. Non eſſe duos Filios, aut Dominos, aut Chriſtos, Serm. 11. 3. Naturas duas in unam Verbi hypoſtaſim conveniſſe, Ep. 2. ad Cœleſt. 4. B. Mariam Virginem recte dici poſſe Deiparam, Serm. 6. Ergo ab hæreſi immunis eſt. R. D. Ant. Hæc omnia agnovit Neſtorius ſincere & ſenſu Catholico, N. Ant. Verbotenus & ſenſu hæretico, C. Ant. Quoad 1. agnovit Chriſtum non eſſe hominem ſolum, non hoc ſenſu quod Deus eſſet homo & homo Deus, ſed quia homo nunquam extitit ſine Verbo, ipſi in ipſo conceptu copulatus nexu morali tantum, ut habitatum habitanti. Unde fiebat, ut eſſet homo Dei & Deus hominis, non Deus homo, nec homo Deus. Id patet ex Anathematiſmo 5. S. Cyrilli. *Simulant*, inquit, *ſe Incarnationis vocem admittere, verum incarnatum eſſe revera Dei Verbum non putant; hoc eſt hominem eſſe factum noſtri ſimilem. Verum aſſerunt ſic tanquam in uno quopiam homine ex Sanctorum numero, de Maria Virgine natum, habitaſſe unigenitum Verbum*. Ad 2. ſimiliter dixit non duos ſed unum Chriſtum, unum Dominum, non hypoſtaſi ſed mera conjunctione morali. Ad 3. ſic etiam dicebat unam Hypoſtaſim, ſeu unam perſonam unitate morali non naturali, ſumens nomen perſonæ, ut eſt vox juris, qua ratione v. g. conjuges dicuntur una perſona. Hinc V. Synodus Oecumenica anathemate 4. demonſtrat ex Neſtorii ſententia unionem naturarum duarum eſſe tantum, *ſecundum gratiam, vel ſecundum operationem, vel ſecundum dignitatem, vel ſecundum æqualitatem honoris, vel ſecundum auctoritatem aut relationem, aut affectum, aut virtutem*. Additque: *Neſtorianos Deum Verbum Filium & Chriſtum vocantes, & hominem ſeparatim Chriſtum & Filium nominantes, & duas perſonas evidenter dividentes; per ſolam nominationem & honorem & dignitatem & adorationem, unam perſonam & unum Filium & unum Chriſtum confingere*. Ad 4. dixit ſeu permiſit B. Virginem dici *Deiparam*, non quod Deum genuiſſet, ſed hominem unitum Deo & Verbi Dei templum. Patet ex ejus Ep. 1. ad Cœleſtinum, ubi dicit: *Ferri poteſt* hoc nomen *Theotocon*, . . . *propter inſeparabile templum Dei Verbi ex ipſa; non quia ipſa ſit Mater Dei Verbi*: *Nemo enim antiquiorem ſe parit*.

Inſt. Joannes Antiochenus, Theodoretus, Acacius Beroeuſis, quibus apprime notus erat Neſtorius, teſtantur ipſum hæretice non ſenſiſſe, ſed tantum elapſum eſſe in voces, quæ emendatione indigerent: additque Acacius multos Conſtantinopolim venientes aſſeruiſſe nihil a Neſtorio dictum, quod in ſenſu Nicænæ & Apoſtolicæ doctrinæ contineret contrarium. Ergo. R. laudatos Auctores ſingulari amicitiæ vinculo junctos Neſtorio in benigniorem partem ejus verba accepiſſe, maxime initio, cum non eſſet conſtans adhuc de ejus errore omnium opinio; quem tamen poſtea agnoverunt, maxime Joannes Antiochenus poſt initam pacem cum Cyrillo. Et Theodoretus, qui in Concilio Chalced. Neſtorio dixit anathema, & ipſum hæreſeos probavit Auctorem l. 4. Hæretic. fab.

Repones teſtimonium Socratis l. 7. Hiſt. Eccleſ. c. 32. ita ſcribentis: *Dum ejus* (Neſtorii) *libros luſtro, hominem imperitum reperio ... Nec tamen mihi videtur imitari Paulum Samoſatenum, aut Photinum, & Dominum omnino ſimplicem dicere hominem, ſed ſolum Deiparæ vocem tanquam larvam reformidare*: ergo. R. dato quod Neſtorius a Photino & Paulo Samoſat. in aliquibus diſſenſerit, aſſerebat enim hominem unitum eſſe Verbo per ſe hypoſtatico & Patri conſubſtantiali, Verbumque Deum fuiſſe perſonam ante Mariam ſubſiſtentem, quæ duo negabant Photinus & Paulus: cum his tamen conveniebat in hoc, quod Chriſtum vere eſſe Deum, Beatamque Virginem eſſe Dei Matrem negaret. Inſuper vix eſt audiendus Socrates, cum Theologum agit, quippe qui ex aula ſcriptor eſt, nec tanta ejus auctoritas, ut tot antiquitatis monumentis anteponi debeat.

SECTIO III.

De convocatione & præſidentia Concilii Epheſini.

Quis illud convocavit? Quis illi præfuit?

DICO 1. Concilium Epheſinum convocatum fuit auctoritate Cœleſtini I. Romani Pontificis.

Ad probationem ſuppono, quod probavi in Tract. de Trinit. Digreſſ. 1. ad Diſſert. procem. Sect. 1. Concluſ. 1. Prob. 3. ſolum Romanum Pontificem jus habere convocandi generalia Concilia, ſicut ſolus Rex jus habet convocandi comitia generalia Regni. Qualis enim eſt Rex in Regno quoad temporalia, talis eſt ſummus Pontifex in Eccleſia quoad ſpiritualia. Hoc ſuppoſito prob. Concluſio. Concilium Epheſi convocatum fuit ex conſenſu Cœleſtini. Ergo ejus auctoritate. Patet Conſeq. Quia licet abſolute loquen-

loquendo idem non ſit auctoritas & conſenſus: attamen reſpectu perſonæ, ad quam ſpectat auctoritas convocandi Concilium, idem eſt præbere conſenſum ad Concilii indictionem, ac illud per alium indicere; penes autem Romanum Pontificem eſt, ut ſuppoſuimus, Auctoritas convocandi Concilia. Ant. etiam patet, tum ex Epiſtola exhortatoria, quam Cœleſtinus ſcripſit ad Concilium, tum ex Legatis, quos ad illud direxit, tum quia monitus a Theodoſio de mente Concilii convocandi ipſi annuit, tum quia Cyrillus, cui Cœleſtinus vices ſuas commiſerat pro executione ſententiæ contra Neſtorium latæ, hac de cauſa petiit a Theodoſio juniore Concilium Generale, ut refert Evagrius l. 1. c. 3. Id etiam conſtat ex variis relationibus iſtius Concilii, in quibus dicit ſe conveniſſe *ſecundum Canones*: juxta vero Canonem antiquum, quem Julius Papa in Ep. ad Epiſcopos Antiochenæ Provinciæ Apoſtolicum dicit, quemque Alexandrina Synodus in Ep. ad Felicem a Nicæno 1. renovatum eſſe teſtatur, *Statuit præter ſententiam Romani Pontificis non poſſe Concilia celebrari*.

Dicere vero cum Natali Alexandro Concilium hoc congregatum fuiſſe *ſecundum Canones*, quia ſecundum Eccleſiæ morem congregatum fuit, in quantum priora Concilia, nempe Nicænum a Conſtantino, Conſtantinopolitanum 1. a Theodoſio ſeniore convocata fuerint; falſa eſt Reſponſio ex falſo ſuppoſito; probavimus enim in Tract. de Trinit. loco cit. Concilium Nicænum non fuiſſe convocatum a Conſtantino; niſi ex aſſenſu & auctoritate S. Sylveſtri. Quantum ad Conſtantinopolitanum 1. non fuit œcumenicum, niſi ex poſt facto. Vide ibid. Digreſ. 4. Et dato hoc ſuppoſito, non poteſt dici factum ſecundum Canones Eccleſiæ, quod eſſet factum directe contra jus & canones illius. Multa congerit idem Natalis Alexander tum ex ipſo Concilio, tum ex ipſo Cœleſtino & aliis, ut probet Theodoſium juniorem convocaſſe Concilium, juſſiſſe congregari Epiſcopos, &c. Hæc non inficiamur, ſed nobis & concluſioni noſtræ ſufficit id a Theodoſio factum fuiſſe annuente & conſentiente Cœleſtino.

Dico 2. Concilio Epheſino ſub ejus initium præfuit S. Cyrillus Alexand. nomine Cœleſtini Pontificis. Poſt actionem vero 1. præfuerunt Legati Cœleſtini, Arcadius & Projectus Epiſcopi, & Philippus Presbyter. Prob. 1. pars ex ipſo Concilio actione 1. quæ ibidem dicitur habita *conſidentibus in ſanctiſſima Eccleſia, quæ appellatur Maria, Religioſiſſimis & ſanctiſſimis Epiſcopis Cyrillo Alexandriæ, qui & Cœleſtini quoque ſanctiſſimi Romanæ Eccleſiæ locum obtinebat, & Juvenali Jeroſolymorum*, &c. Ex Menna Conſtantinopolitano Epiſcopo in Profeſſione fidei, quæ inſerta eſt in conſtituto Vigilii Papæ; ibi enim de Synodo Epheſina loquens, ſic ait: *In qua in Legatis ſuis atque Vicariis, id eſt Beatiſſimo Cyrillo Alexandrinæ urbis Epiſcopo Arcadio & Projecto Epiſcopis & Philippo Presbytero, Beatiſſimus Cœleſtinus Papa ſenioris Romæ præſediſſet*. Sic etiam Evagrius l. 1. Hiſt. c. 4. Liberatus c. 5. Brev. Nicolaus I. Ep. 9. ad Michaelem Imperatorem, & alii. Confir. cum Cœleſtinus vices ſuas commiſiſſet Cyrillo ad executionem ſententiæ contra Neſtorium latæ a Synodo Occidentali, & Neſtorii ipſius cauſa diſcuteretur in hoc Concilio Epheſino, atque ad exitum promovenda foret, Vicariam Romanæ Sedis poteſtatem Cyrillus ſervabat, donec abſolute depoſitus eſſet Neſtorius, ejus hæreſis confixa, ipſiuſque Eccleſiæ proviſum de Succeſſore, ut ferebat commiſſio.

Prob. 2. pars ex Ep. Cœleſtini Summi Pontificis ad ipſam Synodum Epheſinam: *Direximus* (inquit) *pro noſtra ſollicitudine ſanctos Fratres & Conſacerdotes noſtros unanimes nobis & probatiſſimos viros, Arcadium & Projectum Epiſcopos & Philippum Presbyterum noſtrum, qui iis, quæ aguntur, interſint, & quæ a nobis antea ſtatuta ſunt, exequantur*. Idem conſtat ex Ep. ejuſdem Cœleſtini ad Theodoſium Imperatorem, & ex alia ad Cyrillum. Item ex interlocutionibus Legatorum act. 3. & ex interlocutione Cyrilli ibidem. Major difficultas eſt, utrum poſt Legatorum S. Sedis adventum iterum cum ipſis præfuerit S. Cyrillus? Pro quo

Dico 3. Probabilius videtur S. Cyrillum, advenientibus Legatis, cum illis etiam præfuiſſe Concilio, ſaltem in iis, quæ propriam ſuam cauſam non ſpectabant. Prob. 1. Commiſſio contra Neſtorium ipſi data a Cœleſtino nullibi legitur retractata, nec cenſetur retractata per aliorum Legatorum deputationem, ut vult Natalis Alexander ex regula juris, *poſteriorem procuratorem dando, prohiberi*. L. 31. *Si quis* §. ult. de procurat. Valet enim dumtaxat hæc regula in iis, in quibus non convenit plures ſimul procuratores conſtitui.

Prob. 2. Actio 3. dicitur habita *conſidentibus in ſanctiſſima Eccleſia, quæ appellatur Maria, piiſſimis, Deoque dilectiſſimis Epiſcopis Cyrillo Alexandrino, qui & Cœleſtini quoque ſanctiſſimi Romanæ Eccleſiæ Archiepiſcopi locum obtinebat, & Arcadio Epiſcopo, Romanæque Sedis Legato & Projecto Epiſcopo, qui & ipſe quoque Romanæ Eccleſiæ legatus erat, & Philippo Presbytero & Legato & Juvenale Jeroſolymitano*, &c. Nec obſtat, ſi dicas cum Natali Alexandro has voces, *qui & Cœleſtini locum obtinebat*, non importare tempus præſens, ſed præteritum præteritaſque ſeſſiones: quia in prima actione, in qua præſens & de facto præſidebat Cyrillus, eædem voces uſurpantur, ut vidimus ſupra.

3. Quia in relatione Concilii miſſa ad Imperatores, Patres vocant Cyrillum Concilii caput; *Ne*, inquiunt, *ſancta noſtra Synodus ſuo deſtituatur Capite*.

Tandem fatetur ipſe Natalis Alexander, contra quem hic agimus, Cœleſtinum in Ep. ad S. Cyrillum data poſt jam indictam Synodum non leviter innuere prorogationem datæ antea commiſſionis pro illo ſacro conſeſſu.

Dices cum eodem Natali S. Cyrillum auctorem egiſſe in hoc Concilium contra Joannem Antiochenum & ejus conciliabulum; atqui non potuit eſſe præſens in ſua cauſa. Ergo. R. 1. Ex hoc argumento ſequi nequidem fuiſſe Judicem S. Cyrillum, quia etiam nemo eſt Judex in ſua cauſa. Unde R. 2. Cyrillum pro hac particulari cauſa non egiſſe neque Præſidem neque Judicem. Sed inde non probatur non egiſſe utrumque quoad alia. Dices 2. cum eodem. S. Cyrillus actione tertia non ſe connumerat Legatis S. Sedis. R. id modeſtiæ ejus tribuendum eſſe.

SECTIO IV.

De Epiſtolis & Anathematiſmis S. Cyrilli.

Utrum hæc Scripta ſint erroris pura?

DICO. Hæc S. Cyrilli ſcripta ſunt ab omni labe erroris pura. Eſt contra Orientales, qui illa acriter aliquando impugnarunt ut Apolliniſtarum errore conſpurcata. Prob. 1. ex Epiſtolis Cœleſtini ad Cyrillum per Poſſidonium miſſis, quibus Pontifex fidem Cyrilli commendat his verbis: *Magnus ſane hic fidei noſtræ triumphus eſt, quod nimirum & noſtra tam valide probaveris, & his oppoſita per divinarum Scripturarum teſtimonia tam fortiter expugnaveris*. Extant 1. parte Concil. Epheſ. c. 28. Idem in Litteris ad Neſtorium, quæ extant 1. p. Concil. Epheſ. c. 18. *Alexandrinæ* (inquit) *Eccleſiæ Sacerdotis fidem & probavimus, & probamus: & tu admonitus per nam eadem ſentias nobiſcum*.

2. Concilium Epheſ. in relatione ad Imperatores: *Ac principia quidem* (inquit) *Cyrilli Religioſiſſimi Sanctiſſimique Archiepiſcopi Epiſtolas de fide conſcriptas cum hac expoſitione contulimus, collatiſque dogmatibus ac ſententiis conſentaneas reperimus, nec ulla re Doctrina ejus a pia illa expoſitione diſcrepantem*. Idem ſignificant Patres in relatione ad ſummum Pontificem. Similiter capitula ſeu anathematiſmos Cyrilli Epiphanius Eccleſiæ Alexandrinæ Archidiaconus tempore S. Cyrilli, in Ep. ad Maximianum Conſtantinopolitanum Epiſcopum, aſſerit ab Epheſina Synodo fuiſſe approbata. Idem aſſerit Joannes Sebaſtenſis Epiſcopus in Synodicis ad Leonem Aug. litteris. Idem Liberatus in Breviario. Idem Vigilius Papa in decreto, quo Ruſticum & Sebaſtianum Romanæ Eccleſiæ Diaconos exauctoravit. Quinta Synodus Theodoreti ſcripta quædam tanquam impia damnavit, & Ibæ Edeſſeni Epiſtolam, quia erat contra S. Cyrillum & 12. ejus capitula.

Tandem actione 1. Concilii Chalced. cum Euſebius Dorylæi Epiſcopus porrexiſſet adverſus Eutychetem libellum, quo profitebatur *ſe omnibus conſentire, quæ ſapuit & expoſuit Beatiſſimus Cyrillus*, exclamavit S. Synodus: *Semper memoria Cyrilli, Cyrillo æterna memoria, ſi quis retractat anathema ſit. Si quis ſuper iſta inquirit, anathema ſit*. Exclamavit Julianus Legatus: *Apoſtolica Sedes ſic ſapit*: S. Synodus dixit: *Et hæc univerſalis Synodus ſic ſapit ... Nos ſicut Cyrillus credimus, ſic credimus, ſic credimus: Anathema ei, qui ſic non credit*.

Solvuntur Objectiones.

OBJ. 1. Joannes Antiochenus cum Orientalibus, Theodoretus Doctor Catholicus & a Concilio Chalcedonenſi ſuſceptus, Ibas Edeſſenus in Ep. ad Marim Perſam, quam a Synodo Chalcedonenſi probatam teſtantur Facundus Herm. l. 5. & 6. Liberatus cap. 13. Brev. Gennadius Conſtantinopolitanus Epiſcopus vir & orthodoxus & Sanctus, ut conſtat ex fragmentis a Facundo relatis, S. Cyrilli ſcripta impugnant ut Hæretica & Apollinaris errore conſpurcata. S. Iſidorus Peluſiota l. 1. Ep. 310. ſic ſcribit ad Cyrillum: *Multi ex iis, qui Epheſi coacti ſunt, te traducunt, ut inimicitias perſequentem & ulciſcentem, ac non ea, quæ Jeſu Chriſti ſunt, orthodoxe quærentem*. Ergo. R. Joannis Antiocheni & Orientalium teſtimonia in hac cauſa nullius eſſe ponderis, utpote qui a Concilio Epheſino uſque ad initam pacem hoſtes infenſiſſimi Cyrilli fuerint, licet tamen poſt initam pacem Joannes Antiochenus honorifice S. Cyrillum tractaverit. Idem de Theodoreto, qui licet ſub initio Cyrilli ſcripta impugnaverit, poſtea tamen ipſis uſus eſt in ſuis contra Apollinarium & Eutychetem Dialogis, & in Epiſt. 83. ad Dioſcorum, in

qua

Digitized by Google

qua ait: *Quod vero etiam Beatorum Alexandrini & Cyrilli ſcriptis utimur, atque etiam eorum verbis adverſantium audaciam retundamus, libri teſtantur*: & in priori libro numerat Cyrillum inter eos, quos *Orbis lumina & fidei Duces* ac *Magiſtros* appellat. Idem de Iba: de quo inſuper nego ejus Epiſtolam fuiſſe ſuſceptam in Concilio Chalced. nec in hoc Liberato & Facundo acerrimis trium capitulorum defenſoribus eſt credendum. De hoc fuſius alibi. Sufficit dicere modo Ibam ipſum, non ejus Epiſtolam, fuiſſe ſuſceptum a Concilio Chalced. poſtquam anathema dixit Neſtorio, & ſua adverſus Cyrillum & ejus Anathematiſmos dicta excuſavit. Quoad Gennadium Conſtantinopolitanum R. Librum ejus non extare, nec multum fidendum Facundo, ut diximus, & eo maxime, quod ipſemet in Præfatione conqueratur *de mendoſitate codicum & de incuria tranſlatorum*. Unde veriſimile eſt hunc librum, ex quo profert fragmenta Facundus, Gennadio eſſe ſuppoſitum; ſed dato eſſe genuinum ejus opus R. ipſum fuiſſe deceptum, & Cyrilli mentem non attigiſſe, ut dicit ipſe Facundus l. 2. his verbis: *Talia Gennadius de Cyrillo non ſcriberet, niſi dicentis intentionem minus intellexiſſet*. Quoad S. Iſidorum dico ipſum ſcripta Cyrilli non damnaſſe, ſed ut Patrem monuiſſe, Orientalium clamoribus turbatum: ipſum enim Cyrillus Patrem appellat & ut Patrem veneratur.

Inſt. S. Cyrillus ſua capitula ſaltem implicite retractavit. Ergo. Prob. Ant. S. Cyrillus ineundo pacem cum Joanne Antiocheno & Orientalibus ipſo non adegit, ut ſua capitula probarent, & calumnias in illa diſſeminatas retractarent. Ergo non injuſte Orientales illa damnarant, adeoque implicite Cyrillus ea retractavit. R. N. Ant. Cujus falſitas aperte patet ex Ep. ipſius Cyrilli ad Acacium Meliteneſem Epiſcopum, in qua de conditionibus pacis hæc habet Cyrillus; *Volebant omnia aboleri, quæ vel Epiſtolis, vel tomis, vel libris evulgaveram, & ſoli fidei, quæ a SS. Patribus Nicææ edita fuerat, conſentire. Ego vero ad iſta ita reſcripſi: expoſitioni fidei, quam Nicæni Patres ediderunt, adhæremus omnes... Quæ vero recte contra Neſtorii blaſphemias ſcripſimus, ea ejuſmodi eſſe, ut nulla nobis ratione perſuaderi poſſit, ut recte ſcripta eſſe negemus*.

Ad probationem dico S. Cyrillum id diſpenſatione quadam & œconomia egiſſe, ne Epiſcopi alioqui de fide recte ſentientes diutius extra Eccleſiæ communionem manerent. Id obſervavit Facundus Hermianenſis l. 6. p. 249. Edit. P. Sirmundi his verbis: *Sane quoniam B. Cyrillus, Orientalium Legatione ſuſcepta, magis quod a Conſacerdotibus ſuis expetebatur, feſtinavit implere, quam dictorum ſuorum, in quibus offenſi fuerant, ſufficientem purgationem facere, ideo putatus eſt, veluti priſtino errore damnato, Orientalium admonitione converſus: cum ille recuperandæ unitatis cupidus in defenſione dictorum ſuorum noluerit immorari, ne, cum probare diu contendit, quod non, ut putabatur, ab eo fuerint dicta, de quibus minus intelligentes aliter ſentiebant, controverſiæ, hac diſſenſione, terminus non daretur*.

Reponet. Ipſe Facundus eodem l. 6. dicit S. Cyrillum retractaſſe ſua capitula ſcribens his verbis: *Ipſam capitulorum ſuorum retractationem, non ideo eum* (S. Cyrillum) *poſt Synodum Epheſinam feciſſe aliqui crediderunt*. Et poſt pauca: *B. autem Cyrillus non ſolum fidei confeſſioni, quam ſicut neceſſariam crediderunt, illi* (Orientales) *dictaverant, expetitus ante ſubſcriberat, ſed etiam ipſa ſua capitula retractaret*. Ergo. R. Per *retractationem* Facundum intellexiſſe interpretationem ſeu expoſitionem. Patet cum ex ejus dictis prius laudatis, quibus alias ipſe contradiceret, tum ex eo quod ibidem ipſemet aſſerat Ibam in eo erraſſe, quod crediderit Cyrillum ſua capitula retractaſſe. En ejus verba: *Putaverat autem Reverendiſſimus Ibas Epiſcopus, quod idem B. Cyrillus, directa ſibi ab Orientalibus confeſſione, non communem errorem cognoverit, ſed proprium errorem correxerit. Quod neque nos, neque ſancta Chalcedonenſis Synodus approbavit*. In eodem errore facti verſatus eſt Theodoretus in ſua Ep. 112. ad Domnum Patriarcham Antiochenum.

Replicabis. Synodus Chalced. Theodoretum ſuſcipiens ipſum tantum adegit dicere anathema Neſtorio, non autem revocare, quæ contra duodecim capitula Cyrilli ſcripſerat. Ergo exiſtimavit Synodus illa jure a Theodoreto fuiſſe Impugnata. R. Synodum in hoc eadem ac Cyrillum œconomia uſum fuiſſe; ut teſtatur Leontius Byzantinus lib. de Sedis act. 6.

Obj. 2. Multa erant in capitulis Cyrilli reprehenſioni obnoxia. Ergo. Prob. Ant. In 1. Anathemate dicit, B. Virginem *carnaliter genuiſſe incarnatum Dei Verbum*. In 2. vocat hanc mirabilem unionem *naturalem*: & multa alia, quæ hæreſim Apollinaris ſapiunt. Ergo. R. Hæc & alia meras eſſe cavillationes Orientalium, quas ipſe Cyrillus diſſipavit in Apologetico pro 12. Capitulis. Ex quo ad duo objecta R. Ad 1. dixit B. Virginem carnaliter genuiſſe Verbum, non quod ceſſaverit eſſe Virgo, aut non genuerit ex virtute Spiritus S. ut calumnioſe interpretabantur Orientales: ſed *carnaliter* dixit, id eſt *ſecundum carnem*, ne putaretur aſſerere divinitatem ex B. Virgine natam, ut ex Catholicorum ſententia ſequi effutiebat Neſtorius. Ad 2. vocavit hanc unionem *naturalem*, intelligens non eſſe fictitiam aut imaginariam, ſed veram & realem: quo ſenſu ſcribit Apoſtolus: *Eramus natura filii iræ*, id eſt *revera*.

Obj. 3. Epiſtolas Cyrilli ad Succeſſum, in quibus dicit, unam eſſe naturam Verbi incarnatam; ſed hujus objectionis ſolutionem require ſupra Diſſ. præced. a. 1. Obj. 1. inter Eutychianas.

SECTIO V.

De fide Joannis Antiocheni & Epiſcoporum Orientalium in cauſa Neſtorii.

Utrum Joannes Antiochenus cum ſuis Orientalibus errori Neſtorii adhæſerit?

Dico. Quamvis Joannes Antiochenus & Orientales impenſe faverint perſonæ Neſtorii, ejus enim damnationi ſubſcribere recuſarunt, anathematiſmos Cyrilli contra ipſum exploſerunt, ipſam Synodum Epheſinam impugnarunt, Patres Synodicos inſectati ſunt, ut omnibus notum eſt, ejus tamen errori non adhæſerunt.

Prob. 1. ex ipſo Joanne Antiocheno in Ep. ad Neſtorium data ante Synodum Epheſinam, & poſt acceptas Cœleſtini & Cyrilli Litteras de ipſo ejuſque errore. *Etenim*, inquit, *ſi id, quod nominis* (*Deiparæ*) *ſignificatione effertur, non recipimus, reſtat, ut in graviſſimum errorem prolabamur: imo vero ut circa inexplicabilem illam Unigeniti Filii Dei œconomiam periculoſiſſime verſamur. Quandoquidem nomine hoc ſublato, vel potius hujus nominis notione repudiata, ſequitur mox illum non eſſe Deum, qui admirabilem illam diſpenſationem noſtræ ſalutis cauſa ſuſcepit; tum Dei Verbum neque ſe exinaniviſſe, neque in ſervi formam ſe ſe demittens, ineffabilem quamdam benignitatis magnitudinem humano generi exhibuiſſe... Hæc ego, complures religioſiſſimos tuæque pietatis ſtudioſiſſimos Epiſcopos apud me habens... ſcribere volui*. Unde conſtat Joan. Antiochenum cum aliis Epiſcopis Orientalibus admiſiſſe nedum vocem *Deipara*, ſed etiam vocis notionem, Chriſtumque verum eſſe Deum; quæ directe contradicunt hæreſi Neſtorianæ.

Prob. 2. ex concione, quam nomine Orientalium habuit Alexandriæ in feſto Nativitatis Paulus Emiſenus, illuc miſſus a Joanne & Orientalibus, ad pacem cum Cyrillo ineundam. *Non igitur*, inquit, *duos filios aſſerimus, neque merum hominem Emmanuelem, qui ex Deipara Virgine natus eſt, neque gratiam, veluti Prophetam, aut juſtum aliquem, plus aliis conſecutum. In ipſo enim complacuit omnem plenitudinem divinitatis inhabitare corporaliter, hoc ait, veluti in proprio corpore; ſi quidem corpus noſtrum ſibi proprium fecit*. Cui concionanti Paulus acclamavit: *Ecce fides hæc eſt... bene veniſti Orthodoxe Epiſcope*. Ergo.

Prob. 3. ex Cyrillo Ep. ad Acacium Melitenum, in qua ſic ait: *Quia vero ſanctiſſimi Orientales Epiſcopi, cum Epheſi eſſent, a nobis diſſentiebant, eaque de cauſa, quaſi blaſphemiarum Neſtorii laqueis irretiti tenerentur, ſuſpecti erant, ut eo crimine ſe liberarent, inculpatæque fidei amatoribus per omnia ſatisfacerent, ac Neſtorianæ impietatis expertes eſſe oſtenderent, Apologiam compoſuerunt, & id quidem admodum prudenter*. Et in Ep. ad Valerianum Iconii Epiſcopum: *Religioſiſſimi totius Orientis Epiſcopi, una cum Domino meo Joanne Religioſiſſimo Eccleſiæ Antiochenæ Epiſcopo, ſcripta dilucidaque Confeſſione palam fecerunt ſe prophanas Neſtorianorum vocum novitates æque ac nos condemnaſſe & anathematizaſſe, ſeque nullo unquam loco eas habuiſſe*, &c. Ergo.

Prob. 4. ex Sixto III. Pontifice Maximo in Ep. ad Cyrillum, in qua dicit: *Non ſe nulli veſtro* (Neſtorio) *ſanctus Frater noſter Joannes addiderat, non eius eſt blaſphema prædicatione deceptus: nam* (quantum rerum exitus docet) *ſuſpendit ſuam ſententiam, non negavit*. Ergo.

Obj. 1. S. Synodus Epheſina paſſim aſſerit Joannem & Orientales cum Neſtorio ſentire; ſic in relatione ad Imperatorem per Joannem ſacrarum largitionum Comitem ait ipſos noluiſſe damnationi Neſtorii ſubſcribere, eo quod *aperte quoque cum illo ſentiant*. In Synodica ad Clerum Conſtantin. *Cum Neſtorio ſentire nequaquam ceſſant*, & alibi. Similiter S. Cyrillus ad Teopemptum & alios Conſtantinopoli agentes: *Dignoſcuntur enim*, inquit, *Neſtorii dogmata, loqui, ſentire, confiteri*. Idem in Ep. ad Clerum Conſtantin. Ergo. R. tam Synodum Epheſinam, quam Cyrillum ita quidem ſuſpicatos fuiſſe, propter impenſum ab Orientalibus Neſtorii perſonæ patrocinium, propter impugnationem Cyrilli, receſſum a Concilio &c. ut dixi ſupra. Unde nec ſuſpicio, nec judicium eorum fuit in hac parte temerarium; falſum tamen fuiſſe & eos erraſſe in

hoc facto docuit rerum exitus, ut dicit Sixtus Papa. Unde ipſemet Cyrillus, diſcuſſis contentionum nebulis, priorem de illis ſententiam emendavit, ut vidimus.

Obj. 2. Joannes Antiochenus & Orientales S. Cyrilli capita Neſtoriana dogmatibus directe contraria impugnarunt, ipſum etiam Cyrillum & ipſam œcumenicam Synodum inſectati ſunt. Ergo vere fuere Hæretici. R. eos ita fegeſſiſſe non errore juris & odio fidei, ſed mero errore facti: rum enim falſo exiſtimarent ex una parte, Neſtorium ſolam vocem *Deipara* rejicere, non autem puram putemque hæreſim ſuſtinere; & ex alia parte anathematiſmo Cyrilli hæreſim Apollinaris redolere, ipſamque Synodum Epheſinam ipſis abſentibus non eſſe œcumenicam, cauſamque Neſtorii non ſatis diſcuſſam judicaſſe: inde factum eſt, quod & Perſonæ Neſtorii, non tamen errori patrocinati fuerint, & quod Cyrilli Capitula & Synodum impugnaverint. Ita reſpondit Facundus Herm. l. 6. de Synod. Chalced.

DIGRESSIO SECUNDA HISTORICA

De Eutychianiſmo.

Ad Diſſert. præcedentem.

SECTIO I.

Synopſis hiſtorica Eutychianiſmi.

EUtyches Presbyter erat & Archimandrita ſeu Abbas celeberrimi Monaſterii Conſtantinopolitani. Ardentiſſimo zelo contra Neſtorium pugnavit, ſed non ſecundum ſcientiam; ex imperitia enim in extremum errorem abreptus eſt; utque unitatem perſonæ contra Neſtorium defenderet, unitatem naturæ adſtruxit, ſive mixtione ſive confuſione, ſive converſione, ut jam dixi, & adhuc latius dicam infra. Nata eſt hæc hæreſis an. 44. S. Leonis 9. Theodoſii junioris 41. ab Epheſino Concilio 18.

Cum Flavianus Patriarcha Conſtantinopolitanus Concilium pro componendo diſſidio inter aliquos Epiſcopos coegiſſet, Euſebius Dorylæi in Phrygia Epiſcopus, porrecto Patribus Synodicis Libello, accuſavit hæreſeos Eutychetem, quem prius plures amice monuerat, & ad erroris revocationem hortatus fuerat. Citatus per deputatos Eutyches ut compareret, abnuit, hoc prætextu quod e Monaſterio nunquam exire decreviſſet citra mortis neceſſitatem. Iterum citatus idem reſpondit. Tertio citatus, ipſius nomine comparuit Abrahamius Monachus cum aliis Monachis, qui Archimandritæ ægritudinem mentiti dixerunt ſe habere in mandatis, ut pro ipſo reſponderent.

Citatus iterum per Deputatos Concilii ut perſonaliter compareret, petiit ſeptem dierum inducias: quo tempore abuſus, ad Imperatorem confugit, favente Cryſaphio Eunucho inter cubicularios Theodoſii primario & potentiſſimo, & Flaviani propter recuſatum Benedictionis aurum hoſte infenſiſſimo. Hujus ope obtinuit Eutyches, ut Concilium ingrederetur cum Patritio Florentino & Magno Silentiario, turbulentaque Monachorum phalange, ac prætorianorum militum manu ſtipatus.

De fide interrogatus duas naturas poſt adunationem confiteri renuit; quapropter ſententia in eum lata decrevit Synodus *Cum Apollinaris & Valentini perverſitatibus ægrotare . . . . & extraneum eſſe ab omni officio Sacerdotali & communione fidelium & prælatu Monaſterii.* Subſcripſerunt 32. Epiſcopi, Abbates 23. Damnatus Eutyches ad Romanum Pontificem appellavit, multaque ipſi tanquam injuriam paſſus mentitus eſt. Sed Leone de rei geſtorumque veritate per Flavianum certiore facto, Eutyches nihil obtinuit; unde novas turbas Conſtantinopoli molitus, ope Cryſaphi acta Synodi, quæ falſata mentiebatur, reſcindi ab Imperatore obtinuit. Qua de cauſa Imperator II. Concilium Conſtantinopoli ineunte Aprili an. 449. iiſdem Epiſcopis indixit, excluſo Flaviano a jure Præſidentiæ, in quo priora Synodi acta examinarentur. Huic Eutyches adfuit per Procuratores, tres ſcilicet Monachos. Faventibus Eutycheti Magiſtratibus in gratiam Chryſaphii, pluribus falſis teſtimoniis contenderunt Procuratores Hæreſiarchæ prioris Concilii acta contra Eutychetem per Notarios eſſe falſata.

De prædataria Synodi ſeu Latrocinio Epheſino in cauſa Eutychetis.

CUm non poſſet Eutyches communionem a S. Leone obtinere, inaudito Flaviano, Synodum aliam Epheſi congregandam obtinuit a Theodoſio ope Chriſaphii, qui primatum curavit ſpeciali Imperatoris Edicto conferri Dioſcoro Alexandrino. Advocavit etiam ad hoc Concilium Barſumam e Syria Archimandritam, virum ſceleribus exoſum, qui vices ageret omnium Monachorum de Epiſcopis Orientalibus querentium, ſimulque cum Epiſcopis Judex foret. Quæ duo tentavit contra Canones Theodoſius. S. Leo Romanus Pontifex invitatus per Imperatorem ad Concilium, cum illud nec impedire poſſet, nec intra Italiam congregare, miſit ad illud Legatos nempe *Julium* Epiſcopum, *Renatum* Presbyterum tituli S. Clementis, *Hilarum* Diaconum, quibus aſſociavit *Dulcitium* Notarium. In actis Concilii Chalcedonenſis pro Julio, legitur Julianus. Unde veriſimile eſt Julium Puteolanum quidem a Leone miſſum, ſed aliquo impedimento detentum fuiſſe, & Julianum Coenſem ejus loco ſubſtitutum fuiſſe. Adfuere quidem Concilio Legati, ſed non conſedere, vel ut refert Liberatus in Breviario c. 12. *aſſidere non paſſi ſunt, eo quod non fuerit data præſeſſio ſanctæ Sedis eorum. Inſuper etiam, quod non lecta fuerat ad Flavianum epiſtola in Eutychetis damnatione a Papa Leone ſcripta.* Et ſane quem locum tenuiſſent non lectis eorum legationis literis?

Cœpta eſt hæc Synodus an. 449. menſe Auguſto. Adfuere 130. Epiſcopi. Flavianus ſuo loco ſedere non eſt permiſſus, ſed quinto loco tantum, a jure ſuffragii Decreto Imperatoris excluſus cum aliis, qui Eutychetem prius Conſtantinopoli damnarant. S. Leonis Ep. exhibetur a Legatis, quam quidem ſuſcipi jubet Dioſcorus, ſed ejus lectionem quæſitis diverticulis eluſit. Introductus Eutyches ſuam cauſam egit, fideique dedit profeſſionem perplexam & ſimulationis plenam. Interceſſit Flavianus, ut Euſebius Dorylæi accuſator Eutychetis in Synodum admitteretur. Prohibuit Elpidius Comes. Unde perlectis geſtis in Conſtantinopolitana Flaviani Synodo, in Sacerdotii gradum & Monaſterii principatum reſtitutus eſt Eutyches, lata ſententia depoſitionis in Flavianum & Euſebium Dorylæi, cui cæteri Epiſcopi aliqui Orthodoxi metu fracti vique adacti ſubſcripſere. Quidam Venerabiles Epiſcopi pedibus Dioſcori advoluti in gratiam Flaviani, a militibus & Monachis Eutychetis, qui eum gladiis & fuſtibus foris aſtrabant, jubente Dioſcoro, repulſi ſunt.

Flavianus ad Sedem Apoſtolicam appellans indigniſſime excipitur, injuriis & verberibus afficitur, præcipuas partes agente Barſuma per ſuos Monachos, calcibus verberatur, inquit Evagrius, per vim ab Eccleſia extruditur, ita ut paulo poſt plagarum dolore animam efflaverit. In Legatos Apoſtolicos damnationi Flaviani conſtanter obſiſtentes deſævit etiam Dioſcorus, quos in cuſtodiam detruſit. Unus Hilarus fuga elapſus poſt varias circuitiones & fortunas tandem Romam appulſus, S. Leonem de omnibus Epheſi geſtis inſtruxit. Theodoſius lege data Epheſinum Latrocinium firmavit, quam poſtea reſcidit Marcianus Imperator. Mortuo Flaviano Theodoſius in ejus Sedem ſuffecit Anatolium, cujus ordinationem a Dioſcoro factam, ratam haberi cupiebat a Romano Pontifice. Illi non annuit S. Leo niſi poſt latam fidei profeſſionem ab Anatolio, cui jubet S. Pontifex, ut Dioſcori, Juvenalis, Euſtachii, Berytenſis nomina ad Altare non recitentur.

De Concilio Chalcedonenſi in cauſa Eutychetis.

THeodoſio e vivis ſublato Marcianus ejus ſucceſſor, ducta in uxorem Pulcheria Auguſta, S. Leoni mentem aperit de Synodo univerſali celebranda, quam ipſo Leone annuente indicit primo Nicææ, deinde propter Barbarorum imminentium metum & petentibus Legatis Pontificis, Chalcedone in Bithynia. Incepta eſt hæc Synodus an. 451. menſe Octobri in ſuburbiis Civitatis Chalcedonenſis in ampliſſima S. Euphemiæ Baſilica, illi præſidente S. Leone per Legatos, Paſchaſium Lilybæi Epiſcopum, Lucentium Aſculanum Epiſcopum, Bonifacium & Baſilium Presbyteros, quibus Julianus Coenſis auctoritate Pontificis adjunctus eſt. Adfuere Epiſcopi ferme 600. juxta S. Leonem Ep. 52. juxta alios ultra 600. Adfuere Magiſtratus Sæculares, ut tumultus compeſcerent. Dioſcorus, qui Concilio in prima actione aderat, prohibitus eſt ſedere ut Judex, juſſus in medio ſedere ut reus. Actorem egit Euſebius Dorylæi; ipſe & Flavianus a labe hæreſeos vindicati ſunt, & præter jus exauctoratos communioneque privatos pronuntiatum eſt. Decreta, ſi Imperatori placeret, eadem pœna in Dioſcorum Alexandrinum, Juvenalem Jeroſolymitanum & alios Auctores Latrocinii Epheſini. Hæc actione prima. Actione 2. lecta & probata eſt a majori parte celebris illa S. Leonis ad Flavianum Epiſtola, de qua infra.

Actione 3. Dioſcoro ſemel, iterum & tertio citato, ut compareret Synodo, ipſoque abnuente, ſententia depoſitionis in eum lata eſt. 1. Quod Eutychetem, ſimilia ſibi ſapientem, canonice excommunicatum a proprio Epiſcopo in communionem ſuſcepiſſet. 2. Quod Epiſtolam S. Leonis ad Flavianum legi prohibuiſſet in Synodo prædatoria Epheſina. 3. Quod S. Leonem a Communione abſcindere auſus fuiſſet. 4. Quod ter ad Synodum vocatus venire renuiſſet. Ex verbis primæ cauſæ damnationis patet Dioſcorum etiam damnatum fuiſſe propter hæreſim

Eu-

Digitized by Google

Eutychetis. Patet etiam ex actione 5. in qua cum Anatolius Conſtantinopolitanus dixiſſet Dioſcorum non eſſe propter fidem damnatum, illuſtriſſimi Judices ſic interlocuti ſunt: *Dioſcorus ait, quod ex duabus naturis eſt, ſuſcipio, duas non ſuſcipio:* (ſic dixerat in prima actione) *SS. autem Archiepiſcopus Leo duas naturas dicit eſſe in Chriſto inconfuſe, inconvertibiliter & indiviſibiliter unitas in uno Unigenito Filio Salvatore noſtro. Quem igitur ſequimini, SS. Leonem, aut Dioſcorum?* Ad hæc nihil repoſuit Anatolius. Unde colligitur priora verba ei incaute & imprudenter excidiſſe. Nec mirum, nonnihil enim favebat Dioſcoro, cujus Archidiaconus fuerat, & a quo ordinatus fuerat Archiepiſcopus Conſtantinopol.

Actione 4. omnes Epiſcopi S. Leonis Epiſtolæ ſubſcripſerunt. Poſt hæc tumultuantibus Monachis Eutychianis, & id potiſſimum petentibus, ut Dioſcorus Alexandrinus Concilio Judex adeſſet, 30. dierum induciæ ipſi conceſſæ ſunt, quibus elapſis, ni Concilii decretis parerent, omni gradu, dignitate & communione eſſent privandi.

Actione 5. Actum eſt de definitione fidei; magna circa hos terminos, *in duabus naturis inconfuſe, immutabiliter & indiviſe* Chriſtum ſubſiſtere, exorta controverſia; quæ utrimque deputatis Legatis & accedente Imperatoris juſſu compoſita eſt, editaque & recepta fidei definitio, quæ Symbolum Nicænum ac Conſtantinopolitanum, Epiſtolas Synodicas Cyrilli & memoratam S. Leonis Epiſtolam atque illa verba diſerte continebat; *Unum eundemque Chriſtum Filium Dominum Unigenitum in duabus naturis inconfuſe, immutabiliter, indiviſe, inſeparabiliter agnoſcendum.* Actione 6. præſente Marciano Imperatore, relecta eſt definitio fidei & omnium Epiſcoporum ſubſcriptione approbata.

Actione 8. Theodoretus juſſus eſt dicere anathema Neſtorio, quo præſtito, in ſuam Sedem reſtitutus eſt. Actione 9. & 10. idem de Ibs Edeſſeno Epiſcopo. Actione 11. & 12. Baſſiani & Stephani controverſia dirempta eſt; illo ex Sede Epheſina depoſito, iſto ſubrogato, judicatum fuit, ut neuter ſederet; tertius ordinaretur, utrique ſumptus ex Ærario Eccleſiæ ſubminiſtrarentur. Quod etiam actione 14. erga Sabinianum Perrenſem Epiſcopum Sede deſtitutum factum eſt.

Nota. Penſiones Eccleſiaſticæ ex Beneficiorum Eccleſiaſticorum redditibus nullibi in Eccleſiaſticæ antiquitatis monumentis memorantur ante Concilium Chalcedonenſe, quas Baſſiano & Stephano, item & Sabiniano decrevit ad ſummam 200. ſolidorum aureorum. Sed hæ penſiones ipſis conceſſæ ſunt propter paupertatem, & ut loquitur Synodus, *Nutrimenti gratia & conſolationis.*

Actione 15. abſentibus Sedis Apoſtolicæ Legatis, plures Canones ediderunt Patres. Græci numerant 30. Latini 20. Vigeſimum octavum, quo Sedi Conſtantinopolitanæ confirmantur Patriarchæ privilegia, quæ 150. Patres ſub Nectario Conſtantinopoli congregati olim ipſi contulerant, ut ſcilicet primo poſt Romanam Eccleſiam honore frueretur, juſque & poteſtatem haberet in Diœceſea Thraciæ, Ponti & Aſiæ & Barbarorum, inſuper Epiſcopos ordinaret, ſibi relegendum poſtularunt Legati actione 16. eumque, licet inſtantibus Patribus, approbare renuerunt. Ipſum quoque improbavit S. Leo, quin imo a Græcis ex numero Canonum expunctus eſt: cæteros conſenſu ſaltem tacito approbaſſe Summum Pontificem vult Natalis Alexander, quod alii negant, ſed quoſdam in poſterum obtinuiſſe firmamentum vel ex uſu, vel ex aliis Synodis.

Canones hujus Concilii diſciplinam ſpectant. Iis, nempe Canone 2. prohibentur Simoniacæ ordinationes ſub pœna depoſitionis in Clericos, excommunicationis in Laicos. Canone 3. prohibetur Clericis alienarum poſſeſſionum conductio, & ſæcularium negotiorum procuratio, exceptis cura neceſſaria pupillorum, rerum Eccleſiaſticarum procuratione, orphanorum & viduarum patrocinio. Canone 5. prohibetur, ut nullus fiat Clericus ſine titulo, titulus autem his temporibus non erat Patrimonialis ut nunc; ſed Eccleſia civitatis, vel Pagi, vel Martyrium, id eſt Oratorium, ubi Martyrum Reliquiæ colantur, quibus addicti Clerici in perpetuum eſſe debebant ad ſacra myſteria obeunda. Canone 9. prohibentur lites Clericorum adverſus conclericos ad ſæcularia tribunalia deferri. Canone 10. Clericis ſub gradus proprii periculo prohibetur, ne in duabus ſimul Eccleſiis conſcribantur, id eſt ne plura beneficia obtineant. Ibidem prohibentur penſiones cauſa permutationis. Canone 13. prohibentur Clerici peregrini in aliena civitate ſine commendatitiis proprii Epiſcopi Litteris miniſtrare. Canone 20. prohibentur Clerici ab una Eccleſia ad aliam migrare, multaque alia circa diſciplinam ſancita ſunt. Canone 28. de privilegiis Sedis Conſtantinopolitanæ decernitur, ut dictum eſt.

Synodi Chalcedonenſis hoſtes.

CONTRA Synodum Chalcedon. inſurrexerunt primum Monachi Alexandrini pro ſuo in Dioſcorum affectu: deinde Paleſtinæ Monachi excitante Theodoſio Monacho Eutychetis amico. Tantum fuit eorum in S. Synodum odium, et Catholicis Epiſcopis depoſitis ſuæ factionis alios in eorum Sedes intruſerint, & inſectati ſint omnes, qui anathema in Synodum dicere renuerunt. Hos & illos compeſcere tentaverunt Marcianus Imperator & Pulcheria Auguſta. Baſiliſcus Tyrannus, fugato Zenone & invaſo imperio, Timothei Æluri conſilio Synodum Chalcedonenſem impugnat, datis ad omnes ubique Epiſcopos Litteris, quibus & ipſam Synodum & S. Leonis Epiſtolam damnabat, huicque damnationi omnes & Clericos & Laicos ſub gravibus pœnis, depoſitionis pro Clericis, exilii pro Laicis aſſentiri jubebat.

Encyclicis Litteris ſubſcripſere Timotheus Ælurus, Petrus Cnaphæus Pſeudo Epiſcopus Antiochenus, Anaſtaſius Jeroſolymitanus & alii circiter quingenti Epiſcopi, maxime ex Aſiatica Diœceſi. Reſtiterunt Acacius Conſtantinopolitanus & Monachi Conſtantinopolitani, ita ut tumultuante plebe in Tyrannum ex urbe Regia fugere coactus ſit, Eutychiani coacto Concilio Acacium depoſuerunt.

Henoticon Zenonis.

ZENON, recuperato Imperio & reſciſſis Baſiliſci actis, auctore imo dictante Acacio, henoticum id eſt unitivum Edictum ad omnes direxit, ſtudio conciliandæ pacis. In eo non aliud Symbolum admittendum ſancit, quam Nicænum in Concilio Conſtantin. & Epheſino confirmatum. Approbat 12. Capitula Cyrilli: Neſtorium & Eutychetem damnat; ſed de Dioſcoro, de Concilio Chalcedonenſi, de Ep. S. Leonis ſilet: quin imo damnat anathemate S. Synodum, ſi expoſitæ in ſuo Edicto fidei ſit contraria. Cæterum fidem Chalced. Synodi tacito nomine profitetur, ſi quidem dicat: *Confitemur autem unigenitum Dei Filium & Deum vere hominem factum, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum conſubſtantialem Patri ſecundum Deitatem, eundemque nobis conſubſtantialem ſecundum humanitatem. Qui deſcendit & incarnatus eſt ex Spiritu S. de Maria Virgine Dei genitrice, unum eſſe non duos. Unius enim eſſe dicimus tum miracula tum paſſiones, quas ſponte ſua in carne ſuſtinuit. Eos vero qui dividunt, aut confundunt, aut phantaſiam introducunt, nullatenus ſuſcipimus.* Per phantaſiam intelligit errorem Eutychetis, qui carnem non veram ſed phantaſticam aſſerebat. Addit Zeno: *Quicumque vero aliter ſentit aut ſenſit vel nunc, vel quandocumque alias ſive Chalcedone, ſive in alia qualibet Synodo, eum anathematizamus; præcipue tamen Neſtorium & Eutychem, & eos, qui idem cum illis ſentiunt.*

Ex dictis evidens eſt Henoticum Zenonis eſſe rejiciendum, non quidem ut hæreticum, ſed ut hæreſi ſapiens, ſilendo de Dioſcoro, de Ep. S. Leonis, de Concilio Chalced. & de his vocabulis, *Ex duabus*, & *in duabus naturis*, quæ Catholicæ fidei contra Eutychianiſmum teſſera erant, & recipiendo ad Communionem Hæreticos abſque ulla fidei profeſſione & ulla hæreſeos abjuratione. Item hoc alio titulo rejiciendum eſt, quod decernat de fide, quod nulli Laico licet aut competit.

Si dicas Zenonis Henoticon nunquam fuiſſe ab Eccleſia reprobatum. R. Sufficienter fuiſſe reprobatum hoc ipſo, quo qui illi ſubſcripſerunt, damnati ſunt, Petrus Moggus, Petrus Fullo, Acacius; & Zeno ipſe poſt mortem e Sacris Dypticis expunctus eſt. Cæterum, quod Eccleſia hoc Edictum expreſſe non damnaverit, id œconomia factum eſt, ne ſcilicet Zenonis animum magis exacerbaret, & graviora inde mala orirentur.

Anaſtaſius Imperator Zenonis Succeſſor an. 491. fuit alter Concilii Chalced. hoſtis. Sub ejus Imperio fervebat inter Epiſcopos pertinaciſſima contentio. Quidam Decreta Concilii ad apicem tuebantur. Alii illud cum Epiſtola S. Leonis damnabant. Alii Zenonis Henotico mordicus adhærebant, licet inter ſe de una vel duabus naturis diſceptarent. Quæ cum videret Imperator, pro ſua contra Concilium prædicantes damnavit. Gravem inſuper in Orthodoxos Epiſcopos & Monachos Concilii Chalcedonenſis defenſores perſecutionem movit. Eum Symmachus Romanus Pontifex ob pertinaciam in Acacii communione ſervanda excommunicavit.

Acephali.

CUM Petrus Moggus in Sedem Alexandrinam eſſet reſtitutus a Zenone Imperatore, ejus Henoticum probavit, nec Concilium Chalced. juxta Henotici præſcriptum damnavit. Unde infenſi Eutychiani Alexandrini e Petri communione diſceſſerunt; *Ac propterea nominati*

ſunt Acephali, quod, capite, id eſt Patriarcha ſuo, disjuncti ſeorſim congregabantur, inquit Leontius lib. de Sectis actione 5. licet Liberatus dicat eos *Acephalos*, qui neque Cyrillo neque Joanni Antiocheno poſt concordiam initam adhærebant. Huic Sectæ vires addidit ſequenti ſæcul an. 512. Severus Antiochenæ Sedis invaſor ope Anaſtaſii Imperatoris, expulſo Macedonio legitimo Antiſtite. Severus enim Henoticon Zenonis ſuſcipiendo & Concilium Chalced. damnando, Acephalorum Dux factus eſt, & damnatus in Conſtantin. 40. Epiſcoporum. Acephali dicti ſunt etiam Hæſitantes & Monophiſitæ: item & Semi-Eutychiani, quia Eutychetis errorem emolliebant dicendo, *Quod etſi una prædicatur filii Dei natura, poſſet accipi eadem una natura ſecundum aliquod naturæ Patris eſſe conſubſtantialem, & item ſecundum aliquid noſtræ*. inquit Facundus l. 1. c. 6. Dicti ſunt etiam Jacobitæ a Jacobo Syro, ſic vocantur in Ægypto.

Theopaſchitæ.

A Petro Fullone orti ſunt. Is Petrus Monaſticam vitam profeſſus eſt in Cœnobio Acæmetenſium, in quo Fullonis artem exercuit: unde nomen *Fullonis* ſortitus. E Monaſterio propter Eutychianum Dogma & impugnationem Synodi Chalced. ejectus tandem per varias artes & maxime favente Zenone Antiochenam Sedem invaſit. Ipſam Divinitatem Filii unigeniti Cruci affixam effutiebat: unde ipſi adhærentes dicti ſunt Theopaſchitæ.

SECTIO II.

In quo ſitus ſit error Eutychetis?

Theodoretus l. 4. Hæret. fab. c. 13. & Vigilius Tapſenſis l. 3. referunt Eutychetem cenſuiſſe cum Valentino carnem Chriſti non in utero Virginis formatam, ſed e Cœlo fuiſſe deductam; & per uterum Virginis tanquam aquam per fiſtulam tranſiiſſe. Sed ipſe Eutyches, in Reſponſione facta Joanni Presbytero ad eum miſſo a Synodo Conſtantinopolitana ſub Flaviano, conqueritur de hac calumnia ſibi ab aliquibus impacta, aſſeritque ſe ab ea eſſe innoxium, Ita refertur act. 3. præfati Concilii relecta actione 1. Concilii Calced.

Certum eſt Eutychetem negaſſe in Chriſto poſt adunationem duas naturas, eumque eſſe nobis conſubſtantialem. Patet ex relatione præfati Ioannis Presbyteri ibidem, & ex actione ſeptima ejuſdem Concilii Conſtantinopolitani, ubi refertur Eutychetem reſpondiſſe Florentio Patritio interroganti: *Confiteor ex duabus naturis fuiſſe Dominum noſtrum ante adunationem: poſt adunationem vero unam naturam confiteor. Corpus Domini*, inquit S. Flavianus in Ep. ad S. Leonem, *humanum quidem vocat* Eutyches, *non tamen nobis conſubſtantiale*.

Sed difficultas eſt, quomodo Eutyches intellexerit has duas naturas ante adunationem coaluiſſe poſt adunationem in unam, an mixtione, an confuſione, an converſione unius in aliam, an tantum compoſitione, quo pacto anima & corpus componunt hominem ſalva integritate componentium. Hoc ultimum contendit Vaſques ex Gelaſio Lib. de duabus naturis, & ex Facundo Herm. l. 1. cap. ultimo. Sed ſi revera ſic intellexiſſet Eutyches, non negaſſet corpus Chriſti eſſe nobis conſubſtantiale, nec veritatem carnis atque animæ ejus, quod tamen negavit, ut patet jam ex dictis, & inſuper ex S. Leone ad Flavianum dicente de Eutychete; *Qui naturam noſtram in Unigenito Dei, nec per humilitatem mortalitatis, nec per gloriam Reſurrectionis agnovit*.

Dico. Videtur verius Eutychetem intellexiſſe ex duabus naturis factam eſſe unam in Chriſto, mixtione ſeu confuſione, aut etiam converſione unius in aliam, nunc uno, nunc alio modo, ſecundum quod varie urgebatur a Catholicis. *Neſciens* ignarus Archimandrita, inquit S. Flavianus ad S. Leonem, *quod dicit, neque de quibus affirmat*. Unde factum eſt, quod SS. Patres varie hanc hæreſim expoſuerint, modo mixtione, modo converſione. Concilium ipſum in ſuo Decreto non meminit niſi confuſionis & mixtionis. S. Leo ad Leonem Auguſtum de Eutychete; *Totum*, inquit, *Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum unius aſſeverat naturæ, tanquam Verbi Deitas ipſa ſe in carnem animamque converterit*. Gelaſius lib. de duab. nat. *Eutychiani dicunt unam eſſe naturam, id eſt divinam*. Et infra: *Jam vero, ſi (ut ipſi delirant)* ſcilicet Eutychiani, *adunatione una facta natura eſt, aut unius abolitio eſt, aut utriuſque confuſio*. Vigilius Tapſ. l. 2. adverſus Neſtorium & Euthychetem: *Eutyches reſpiciens unam perſonam, unam cenſuit eſſe naturam, & ob hoc humanam eſt denegare ... & ipſam Divinitatem aſſeruit paſſam*. Theodoretus in Dialogo *Inconfuſus* interroganti Orthodoxo: *Doce nos, quomodo unam poſt unionem dicas naturam; an quod una ex ambabus facta ſit? An quod altera deleta, altera remanſerit?* Reſpondet Eraniſtes Eutychianorum cauſam agens: *Ergo dicamus manſiſſe Divinitatem: ab hac vero abſorptam eſſe humanitatem: ut mare mellis guttam ſi acceperit, ſtatim etiam gutta illa evaneſcit, aquæ maris permixta*.

Cæterum, etſi Eutyches, ut patet ex dictis, non agnoverit illam naturarum compoſitionem, quam intendit Vaſques, non negaverim tamen quoſdam poſt ipſum Eutychianos argumentis Catholicorum agitatos iſtud unionis animæ & corporis in una hominis natura exemplum attuliſſe, ut ſuum loquendi modum aliqua ratione tuerentur; ulterius tamen progreſſos aſſeruiſſe non ſolum hoc ſenſu dici poſſe unam naturam, ſed ita unam, ut humana non remaneret. Aut ſi quidam ſic cenſuerint ſe ſacra unione hac, ſicut de unione animæ ad corpus, rigorem Eutychianiſmi in hoc emolliviſſe. Unde patet ſolutio ad Gelaſium & Facundum.

Dices. Eutyches confeſſus eſt Verbum incarnatum. Atqui Verbum Incarnatum non fuiſſet, ſi carnis ſit extincta natura commixtione aut converſione. Ergo. Et Joannes Presbyter ſupra citatus referens de Eutychete: *Confitebatur*, inquit, *perfectum Deum eſſe & perfectum hominem, qui natus eſt de Maria Virgine, non habentem carnem conſubſtantialem nobis*. Ergo. R. Hæreſiarcham ſenem ignarum, neſcientem quid diceret, neque de quibus affirmaret, ut jam obſervavi ex S. Flaviano, Incarnationem verbotenus admiſiſſe, & pugnantia locutum fuiſſe, ut patet in ipſis ejus verbis objectis.

SECTIO III.

De convocatione & Præſide Concilii Chalcedonenſis,

Quis illud convocavit? quis illi præfuit?

Dico 1. Concilium Chalcedonenſe auctoritate S. Leonis R. Pontificis fuit convocatum. Prob. 1. ex ipſo Concilio actione 1. jam laudata ſuperius dum de Concilio Epheſino, in qua Patres leguntur non permiſiſſe Dioſcorum ſedere inter Epiſcopos, quia ſine auctoritate Sedis Apoſtolicæ aliam Synodum celebrare auſus fuerat, *quod*, inquiunt, *nuſquam licitum, nuſquam factum*. Quomodo ergo ipſummet Concilium abſque auctoritate Sedis Apoſtolicæ convocatum dici poterit, cum aperte declaret id *nuſquam licitum, nuſquam factum*?

Prob. 2. ex Ep. Imperatoris Marciani ad S. Leonem, quæ extat 1. parte Concil. Chalced. c. 34. *Supereſt*, inquit Imperator, *ut ſi placuerit tuæ Beatitudini in has partes advenire, & Synodum celebrare, hoc facere Religionis affectu dignetur, noſtris utique deſideriis veſtra Sanctitas ſatisfaciet, & ſacræ Religioni, quæ utilia ſunt, decernet*. 3. Ex ejuſdem Leonis ad Marcianum Ep. ubi ait; *Litteras dedimus ad Fratres & Coepiſcopos noſtros, iiſque Concilium generale indiximus*. 4. Ex Ep. Epiſcoporum ſecundæ Myſiæ, ubi dicunt: *In Chalcedonenſium urbem multi S. Epiſcopi convenerunt per juſſionem Leonis Romani Pontificis*. 5. Ex Gelaſio S. Pontifice in Ep. ad Epiſcopos Dardaniæ; *ſolam*, inquit, *Apoſtolicam Sedem, ut Synodus Chalcedonenſis fieret, ſua auctoritate decreviſſe*.

Dicit *ſolam Apoſtolicam auctoritatem*, non ut excludat Marciani Imperatoris officia pro indictione Concilii Chalced. ſed ut innuat ſolum S. Leonem auctoritate potuiſſe hanc Synodum congregare, & de facto congregaſſe.

Tandem negari nuſquam poteſt hanc Synodum fuiſſe congregatam ſaltem ex aperto aſſenſu S. Leonis; atqui id ſolum, etſi nihil aliud probaret, ſufficit ad veritatem noſtræ concluſionis, ut vidimus ſupra de Concilio Epheſino. Require ibi.

Multa profert Natalis Alex. ex Epiſtolis Summi Pontificis & Imperatorum, ex ipſo Concilio & ex aliis Auctoribus, ut probet ipſum Imperatorem Marcianum convocaſſe hoc Concilium. Sed breviter reſpondemus his omnibus teſtimoniis nihil aliud probari, quam quod Imperator officia & miniſterium adhibuerit ad convocationem Concilii. Aut ſi probent Imperatorem juſſiſſe, & ex auctoritate egiſſe, nuſquam probant id factum fuiſſe inconſulto & non aſſentiente Pontifice; quod, ut jam dictum eſt, ſufficit nobis, in eo enim qui auctoritate pollet ad aliquid faciendum, ipſum in illud conſentire eſt illud ejus auctoritate fieri.

Dices nihilominus cum eodem, Marcianum in Epiſt. laudata ad S. Leonem poſt verba cit. addere, quod *ſi ſit hoc oneroſum, ut ad has partes adveniat, hoc ipſum nobis propriis Litteris tua Sanctitas manifeſtet, quatenus in omnem Orientem & in ipſam Thraciam & Illyricum ſacræ noſtræ Litteræ dirigantur, ut ad quemdam definitum locum, ubi nobis placuerit, omnes SS. Epiſcopi debeant convenire*. Ergo. R. 1. in Editione Concilii Dom. Bail non legi *ubi nobis*, ſed *ubi vobis placuerit*, & hic ſenſus eſt magis congruus. R. 2. Dato legendum eſſe *nobis*, id eſſe miniſterii, non auctoritatis niſi participatæ, ut diximus.

Dico 2. S. Leo Synodo Chalced. præfuit per Legatos

Digitized by Google

Paſchaſinum Lylibætanum, & Lucentium Aſculanum Epiſcopos, & Bonifacium Presbyterum, quibus adjunxit Julianum Coenſem, ſaltem ut conſiliorum participem. Prob. 1. ex Ep. 47. S. Leonis ad Synodum Chalced. *In his Fratribus Paſchaſino & Lucentio Epiſcopis, Bonifacio & Baſilio Presbyteris, qui ab Apoſt. Sede directi ſunt, me Synodo veſtra fraternitas æſtimet præſidere.* 2. Ex Ep. ejuſdem 43. ad Imper. Marc. *Nec me quoque, ut voluit veſtra clementia, ab illo credatis abeſſe Concilio, cum in his Fratribus, quos direxi, id eſt Paſchaſino & Lucentio Epiſcopis, Bonifacio & Baſilio Presbyteris, ſed & in fratre meo Juliano, quem eorum volui eſſe participem, etiam mea ſit æſtimanda præſentia.* Et in Ep. ad ipſum Julianum 71. juxta novam editionem S. Leonis, mandat ipſi, ut Legatis ſuis *curam & actionem conjungat in omnibus.* Et addit: *Quoniam ſcimus omnium illic actorum rerum majorem te quam noſtros habere notitiam: ut dum curam tuam illis conſiliumque ſociaveris, in nulla parte fallantur.* Nota, quod licet in his tribus Litteris legatur Baſilius ut delegatus, nullibi tamen in actis Concilii nominetur, forte quia licet revera miſſus, caſu tamen aliquo interveniente, non potuit Concilio adeſſe: & ideo nec nos in concluſione inter Legatos Præſidea numeravimus. 3. Ex ipſo Concilio in 3. primis actionibus, quæ ſic incipiunt. *Conveniente ſacro & univerſali Concilio ſecundum ſacram præceptionem in Chalcedonenſi urbe congregato, id eſt Paſchaſino & Lucentio Epiſcopis & Bonifacio Presbytero, locum tenentibus Archiepiſcopi Leonis*, &c. Et actione 6. Paſchaſinus definitioni fidei, tunc præſente Marciano, ſic ſubſcribit: *Paſchaſinus Epiſcopus Vicarius Domini mei atque univerſalis Eccleſiæ Epiſcopi urbis Romæ Leonis Synodo præſidens, ſtatui, conſenſi & ſubſcripſi.* Eodem fere modo Lucentius & Bonifacius ſubſcripſerunt.

Dices 1. In actione 12. in qua Baſſiani & Stephani cauſa judicata eſt, Anatolius Conſtantinopolitanus Epiſcopus, primus ſententiam dixit ante Legatos S. Sedis. Ergo Concilio præfuit. R. D. Conſ. Ergo Concilio præfuit Anatolius quoad hanc ſeſſionem, Tranſeat: quoad alias, N. Cum enim in ea actione ageretur de cauſa ſingulari & diſciplinam tantum ſpectante, utpote de ordinatione irregulari præfatorum Epiſcoporum, quæ notior erat Anatolio, forte ideo præſidentiam quoad hoc ipſi ſponte detulerunt Legati.

Inſt. 1. Synodus Sardiniæ poſt S. Leonem numerat Anatolium inter Præſides Concilii. Ergo R. hanc Synodum uſurpaſſe *præſidere*, pro *judicare*, ſi quidem non ſolum Leonem & Anatolium præfuiſſe dicat Synodo, ſed & *ſummos Sacerdotes, qui ibi concordes fuerunt.*

Inſt. 2. Taraſius Conſtantinop. actione 1. ſeptimæ Synodi vocat Anatolium Synodi Chalcedonenſis primum Exarcham. Ergo. R. D. Ant. vocat 1. Exarcham reſpective ad alios Antiſtites, C. Reſpective ad Sedem Romanam, N. Si quidem in eadem actione prima præfatæ ſeptimæ Synodi recitatur exordium actionum Synodi Chalced. in quo ſic habetur: *Conveniente ſancto & univerſali Concilio, id eſt Paſchaſino*, &c. ut vidimus ſupra.

Inſt. 3. Photius Lib. de ſeptem Synodis Anatolium inter Concilii Præſides primo loco recenſet. Cedrenus in Compend. Hiſtoriarum, Zonaras Tom. 5. Annal. Nilus Rhodienſis Lib. de Synodis, etiam ipſum Anatolium inter Præſides Concilii recenſent, poſt tamen Legatos S. Leonis. Ergo. R. Photio in hac cauſa nullam fidem eſſe adhibendam, utpote ſchiſmatico, & ſtudio Sedis Conſtantin. invidiaque in Romanam abrepto contra fidem omnium monumentorum antiquorum. Quoad alios, R. Fidem potius adhibendam ipſis actis Concilii, S. Leoni, etiam Vigilio Pontifici, Facundo Herm. Liberato Diacono, aliiſque Auctoribus coævis, quam iis, qui opponuntur a tempore Concilii nimium remoti. Niſi forte dicatur eos vocabulum *præſidendi* aut præſidis ſenſu latiori uſurpaſſe, prout dicitur de omnibus, qui in aliquo cœtu dignitate præeminent, & primi ſententiam dicunt, quamvis inter eos ſit, cujus major dignitas eſt.

Dices 2. Imperator Marcianus per Magiſtratus initio Synodi & per ſe ſexta actione & ſequentibus præfuit Synodo, ut teſtantur Patres in Relatione ad S. Leonem. R. Præfuit ad politiam & ordinem ſervandum, ne ſcilicet quid ſimile accideret, quod in Latrocinio Epheſino, C. Præfuit condendis fidei Decretis & Eccleſiaſticæ Diſciplinæ ſanciendæ, N. Sic enim ait pius Imperator actione 6. *Nos enim ad fidem confirmandam, non ad potentiam oſtendendam exemplo Religioſi Principis Conſtantini, Synodo intereſſe voluimus.* *Intereſſe* dicit, non *præſidere*.

Repones. Senatores a Marciano miſſi in 3. ſeſſione ſententiam depoſitionis tulerunt in Dioſcorum Alexand. Ergo. R. Ipſos non tuliſſe ſententiam juridicam & finalem, ſed tantum mentem aperuiſſe, ut patet ex verbis, *Juſtum nobis videtur*, & ex conditione appoſita, ſi Imperatori placeret. Sententia autem finalis & juridica lata eſt a Patribus Synodi actione 3. abſentibus Magiſtratibus.

SECTIO IV.

De Epiſtola Dogmatica S. Leonis ad S. Flavianum in Concilio Chalcedonenſi approbata.

IN actione 2. Concilii, recitata per Beronicianum S. Concilii Secretarium celebri illa S. Leonis epiſtola ad Flavianum, Reverendiſſimi Epiſcopi acclamaverunt: *Hæc Patrum fides: hæc Apoſtolorum fides: omnes ita credimus. Anathema ei, qui non credit. Petrus per Leonem locutus eſt. Apoſtoli ita docuerunt. Pie & vere Leo docuit. Cyrillus ita docuit.*

Ibidem Epiſcopi Palæſtini & Illyriciani moverunt dubitationem circa tria loca hujus Epiſtolæ; quam excutere conati ſunt Theodoretus & Aetius Archidiac. Conſtantinop. ſed fruſtra tunc; unde ipſis dubitantibus conceſſum eſt, ut intra quinque dies penes Anatolium Epiſcopum Conſtantinop. convenirent & docerentur. Quo facto dubietas omnis, quæ oriebatur ex obſcuritate linguæ Latinæ, quam non callebant, ablata eſt per Legatos, Epiſtolæque ſubſcripſerunt, ut teſtantur ipſimet actione 4. Eadem actione cum Judices ſæculares petiiſſent, ut Ep. S. Leonis ad examen revocaretur, id ægre tulit Paſchaſinus cum aliis Legatis, dixitque *Manifeſtum eſſe*, nec dubitari poſſe, quin Leonis epiſtola cum ſuperioribus Symbolis concordaret. Quod omnes Epiſcopi teſtati ſunt, ſeque illi epiſtolæ ſuſcripſiſſe. Excipiendi tamen ſunt 10. Epiſcopi Ægyptiaci, qui renuerunt in hac ſeſſione ſubſcribere Ep. B. Leonis, quoad uſque datus eſſet Alexandriæ Eccleſiæ Archiepiſcopus, depoſito Dioſcoro, citra cujus conſenſum, ut mos erat in Ægypto, inquiebant, non poterant ſubſcribere. Et cum inſtanter urgerent ſubſcriptionem cæteri Epiſcopi, aut eorum excommunicationem; tandem, datis fidejuſſoribus, promiſerunt ſe non exituros Conſtantinopoli quo uſque Alexandria reciperet Epiſcopum, teſtatique ſunt ſe non ex repugnantia contra fidem Catholicam, neque ex inobedientia ſanctæ Synodo ſubſcriptionem differre. Annuit S. Synodus.

Magna deinde contentio orta eſt ob verba Ep. S. Leonis, omiſſa in formula fidei actione 4. concinnata, quibus verbis ajebat: *Salvam utriuſque naturæ proprietatem in unam coiviſſe perſonam, inconvertibiliter, inſeparabiliter & inconfuſe.* Hæc verba inſerenda eſſe formulæ fidei contendebant Legati Pontificis cum aliquot Epiſcopis Orientalibus: jam definitæ fidei formulæ pertinaciter inſiſtebant alii, nihilque addendum clamabant, dicentes nihilominus, *Ut Leo credimus; qui contradicunt, Eutychiani ſunt. Leo recte expoſuit.* Tandem conſtitutis juſſu Imperatoris ſelectis Epiſcopis contentio compoſita eſt, & formulæ fidei inſerta ſunt prædicta verba S. Leonis.

Petes, ad quem finem curaverunt Legati, ut hæc Epiſtola in Synodo probaretur? Reſpondet ipſe S. Leo Ep. 65. ad Theodoretum, *Ut accedente totius Eccleſiæ conſenſu, irretractabilis eſſe definitio fidei*: non quod antea talis non eſſet, ſed ut talis videtur etiam ipſis Eutychianiſtis, nullaque ſupereſſet ipſis ratio eam retractandi. Et eodem motivo legitur fuiſſe examinatam & collatam Regulis fidei, non vero quod ullum in ea errorem ſuſpicaretur S. Synodus.

SECTIO V.

Utrum Theodoretus merito coactus ſit a Concilio Chalcedonenſi dicere Anathema Neſtorio?

THEODORETUS Cypri Epiſcopus, amicus Neſtorii, cui impenſe patrocinatus fuerat, pace inita inter Orientales & S. Cyrillum, ad Communionem ab aliis Epiſcopis receptus fuerat. Subinde a Dioſcoro in Synodo prædatoria depoſitus ad S. Leonem appellaverat, apud quem, cum ſuam fidem a labe Neſtorianiſmi purgaſſet, eum S. Leo in ſuam Communionem recepit, & Epiſcopatum ei reſtituit. His non obſtantibus, & quamvis ex Decreto Judicum Imperialium ſuſceptus eſſet in Concilium Chalced. Theodoretus, attamen Epiſcopis Ægyptiis, Palæſtinis & Illyricianis, quibus ſuſpecta remanebat ejus fides, tumultuoſe conclamantibus ipſum Hæreticum & Neſtorianum, atque ejus ejectionem poſcentibus, judicarunt Magiſtratus, ut, ſalvis juribus, non ſederet ut Judex. Hæc in actione 1. Actione 8. ejus cauſa ad examen revocata eſt, & ut a ſuſpicione Hæreſeos omnino ſe purgaret, placuit ſacro Conſeſſui, ut diceret Anathema Neſtorio.

Petiit Theodoretus, ut legerentur Libelli ſupplices, quos Legatis Pontificis & Imperatori obtulerat. Clamaverunt Patres: *Nihil legi volumus, modo anathematiza Neſtorium*: Theodoretus repoſuit: *Non ſolum Neſtorium & Eutychetem, ſed & omnem hominem, qui recte non ſapit, averſor.* Hæc ambigua viſa ſunt Patribus; unde rurſus poſtularunt, *Ut clare diceret Anathema Neſtorio & Dogmatibus ejus: Anathema Neſtorio & amantibus eum.* Repoſuit Theodoretus per ambages & fidei formulam, quæ non eſt viſa ſufficiens Patribus. Unde adhuc diceret,

clamaverunt: *Dic aperte Anathema Neſtorio, & qui ea, quæ ejus ſunt, ſapiunt*. Theodoretus prius ſuam fidem exponere aggeſſus eſt iterum: *Ego*, inquit, *niſi expoſuero quomodo credo, non dico; credo autem:* Hæc verba loquentem interturbarunt Patres his vocibus: *Iſte Hæreticus eſt; iſte Neſtorianus eſt; Hæreticum foras mitte*. Theodoretus tandem nolens pro hæretico haberi moram geſſit, dixitque *anathema Neſtorio & ei, qui non dicit Dei Genitricem Virginem Mariam, & qui in duos filios partitur unum Filium Unigenitum*, &c. Quæ cum dixiſſet Theodoretus, *omnes Reverendiſſimi clamaverunt: Theodoretus dignus eſt Sede ac Eccleſia: ortodoxum Eccleſia Paſtorem recipiat: Theodoreto Catholico Doctori redditur Eccleſia*. Et ita pro Theodoreto tulerunt ſententiam Sedis Apoſtolicæ Legati.

Quæſtio eſt, an juſtus fuerit hic agendi modus cum Theodoreto. Notandum hanc Quæſtionem maxime affinem eſſe Quæſtioni, quæ multum his temporibus controvertitur, ſcilicet an defenſores Janſenii merito compellantur damnare nedum 5. famoſas propoſitiones, ſed etiam ut excerptas ex libro Janſenii, & in ſenſu ab Auctore intento, hoc eſt in ſenſu obvio libri ſeu Auctoris qua talis: non enim agitur, quod bene advertas, de ſenſu mere interno ſeu perſonali auctoris, ſed de ſenſu obvio & naturali ejus libri.

Dico. Theodoretus ut a labe & ſuſpicione hæreſeos plene ſe purgaret, hæreſim & hæreſis auctorem Neſtorium damnare in Synodo merito coactus eſt. Prob. ſecundum antiquos Eccleſiæ mores, qui de hæreſi ſuſpecti erant, ſemper coacti ſunt & hæreſeos & auctoris ejus damnationi ſubſcribere: atqui Theodoretus merito ſuſpectus erat Hæreſis Neſtorianæ. Ergo. Patet Min. 1. Quia impugnarat 12. Capitula Cyrilli, quorum impugnationem non retractarat, etiam inita pace. 2. Quia ægerrime tulerat anathema dictum Neſtorio ſibi amico a Joanne Antiocheno, ut conſtat ex ejus Epiſt. ad ipſum Joannnem data. 3. Quia Synodus V. œcumenica damnavit ejus ſcripta contra S. Cyrillum pro Neſtorio. Nec refert eum a S. Leone in communionem fuiſſe ſuſceptum & in Sedem reſtitutum; timere enim poterant Patres, ne forte Summo Pontefici obrepſiſſet, & fucum feciſſet.

Prob. ergo Maj. 1. Ea diſciplina obſervata eſt erga Arianos, qui non ſolum Arianæ hæreſeos, ſed & Arii ipſius damnationi ſubſcribere coacti ſunt, & qui id recuſarent, ſcilicet Theonas & Secundus, abdicati ſunt. Ita refert ipſe Theodoretus l. 1. hiſt. c. 6. 2. Sic actum eſt cum Origeniſtis, ut refert S. Hieron. Ep. 65. 3. Sic actum eſt cum Pelagianis, ut conſtat ex ſanctione Honorii Imperatoris directa ad Aurelium Chartagin. Epiſcopum. *Religio tua*, inquit Imperator, *competentibus ſcriptis univerſos faciat admoveri... hanc ſibi definitionem eſſe præſcriptam, ut quicumque damnationi ſupra memoratorum* (Hæreticorum Pelagianorum) *quo patent mens pura, ſubſcribere, impia obſtinatione neglexerint, Epiſcopatus amiſſione mulctati... communione priventur*. De ejuſdem ſubſcriptionis neceſſitate ipſe Aurelius ad Epiſcopos Provinciæ Byſacenæ ſcribit. Ea de re etiam Marius Mercator in Commonitorio, qui dicit Epiſtolam Zozimi, qua *Pelagius & Cœleſtinus damnati ſunt, ſubſcriptionibus SS. Patrum eſſe roboratam.... cui Julianus & reliqui complices eius ſubſcribere recuſantes, non ſolum Imperialibus Legibus, ſed & ſacerdotalibus ſtatutis depoſiti ſunt*.

Eandem diſciplinam obſervavit S. Leo erga eoſdem Pelagianos, ut patet ex Ep. 86. ad Aquilejenſem Epiſcopum: *Damnet*, inquit, *apertis profeſſionibus ſuis, ſuperbi erroris Auctores*. Sic actum eſt cum aliis, qui Neſtorianæ Hæreſeos erant ſuſpecti, ut patet ex conditionibus pacis inter Cyrillum & Orientales. Sic actum eſt cum eis, qui Eutychianæ hæreſeos ſuſpecti erant. Ita etiam egit S. Leo cum Anatolio Conſtantinop. & cum Attico Presbytero, de quo ſic loquitur ad Anatolium, *non ſolum voce hæreticos ſed etiam propria manus ſubſcriptione damnaſſet*, &c. Sic etiam egit poſtea Hormiſdas cum Orientalibus, quos in communionem noluit recipere, niſi poſtquam Eutychetem, Dioſcorum, Timotheum, Ælurum, Petrum Mongum & Accacium propria ſubſcriptione damnaſſent, Ergo.

Porro nullatenus S. Leoni diſplicuit, quod ſic cum Theodoreto actum ſit, ut conſtat ex conſenſu Ipſius Legatorum, & ex ipſomet S. Leone Ep. 63. in qua Theodoreto gratulatur, quod omnis hæreſeos immunis demonſtratus ſit, & quod Apoſtolicæ Sedis de ipſo judicium fuerit confirmatum.

Prob. 2. Indeficiens eſt judicium Eccleſiæ circa facta dogmatica & circa facta cum jure connexa, ut probabimus dum de Eccleſia: atqui ſcripta Neſtorii eſſe hæretica, ſeu hæreſim continere, eſt factum dogmaticum: eſſe autem hæreticum eum, qui propoſitiones, vel ſcripta hæretica edidit, factum eſt cum jure connexum; ſi enim is non ſit hæreticus; ergo nec quæ vel dixit, vel ſcripſit, hæretica ſunt. Ergo tenebatur Theodoretus aſſentiri Concilio damnanti Neſtorium ut hæreticum. Adverte tamen dici hæreticum, qui hæretica dicit aut ſcribit, non attendendo ſenſum pure internum & mere perſonalem, quem habuit, vel habere potuit, hæretica ſcribendo, vel dicendo; de internis enim non judicat Eccleſia, ſed ſenſum externum & naturalem ſeu obvium verborum.

Solvuntur Objectiones.

OBj. 1. Non minus eſt indeficiens S. Pontificis judicium circa facta cum jure connexa, ſeu in declarando auctorem Catholicum, quam ſit indeficiens Concilii judicium in declarando Auctorem hæreticum: atqui S. Leo declaraverat Theodoretum Catholicum. Ergo Concilium huic judicio Pontificis indeficienti annuere debebat, nec ullam ſuſpicionem circa fidem Theodoreti habere poterat. R. D. Maj. Non minus eſt indeficiens S. Pontificis loquentis ex Cathedra judicium, &c. quam ſit indeficiens, &c. C. Maj. Non loquentis ex Cathedra, N. Ad cujus ſenſum, D. Min. Sanctus enim Leo privatis Litteris cum Theodoreto egit, ipſum in communionem recipiens, non vero diplomatibus ad univerſalem Eccleſiam directis, quod requiritur, ut cenſeatur loqui ex Cathedra, ut fuſius alibi dicetur. Non tenebantur ergo Patres Synodici agnoſcere Theodoretum omnino Catholicum, poterantque merito ſuſpicari ipſum obrepſiſſe ſummo Pontifici, adeoque jure ipſum adigere, ut anathemate contra Neſtorium prolato omnem a ſe hæreſis ſuſpicionem amoveret.

Obj. 2. Theodoretus non tenebatur credere Neſtorium hæreticum. Ergo immerito coactus eſt dicere anathema Neſtorio. Prob. Ant. Utrum Neſtorius hæretica ſenſerit, eſt quæſtio facti: atqui in quæſtionibus facti, fallibile eſt judicium Eccleſiæ. Ergo non tenebatur Theodoretus credere Neſtorium hæreticum, ſed ipſi ſufficiebat damnare impia Neſtorio imputata dogmata. In pari forma argumentantur Janſeniſtæ in favorem Janſenii. R. N. Ant. Ad prob. D. Maj. Utrum Neſtorius hæretice ſenſerit eſt quæſtio facti, ſi intelligatur de ejus ſenſu mere interno & perſonali, C. Maj. Si intelligatur de ſenſu propoſitionum ſeu ſcriptorum ejus, Subd. Eſt quæſtio facti meri, N. Maj. Eſt quæſtio facti dogmatici, C. M. Et ad hunc ſenſum, D. Min. N. Conſ. Eſt ergo quæſtio facti puri, circa quod Eccleſiæ judicium eſt fallibile, v. g. utrum Neſtorius interius & perſonaliter hæretice ſenſerit, talemque in ſe habuerit ſenſum, qualem ejus ſcripta præ ſe obvie ferebant; circa quod, inquam, & alia ſimilia facta deficiens eſt judicium Eccleſiæ, cum de internis nulla ſit ipſi poteſtas judicandi: ſoli enim Deo notum eſt cor noſtrum. Utrum vero propoſitiones ſeu ſcripta Neſtorii ſint vel non ſint conformia fidei, hæretica vel non hæretica, eſt quæſtio facti ſed dogmatici, circa quod eſt infallibile Eccleſiæ judicium, nec minus infallibile quam circa hoc factum: An Concilium Nicænum contineat veram fidem: an Editio Vulgata contineat verum Chriſti Evangelium? Dicitur autem talis quæſtio facti dogmatici, quia eſt de libro, vel ſcripto, vel propoſitione, quæ continet dogma verum vel falſum: ſicut dicitur apud litigantes *factum* ſcriptum aliquod continens ſuæ cauſæ rationes & momenta.

Item utrum ille, qui tales propoſitiones hæreticas vel talia ſcripta hæretica edidit, ſit hæreticus, eſt quæſtio facti cum jure connexi: & circa tales quæſtiones eſt etiam infallibile Eccleſiæ judicium. Si enim ſit hæretica hæc propoſitio: *Beata Virgo non eſt Mater Dei*; ſtatim ſequitur eum, qui illam aſſeruit, eſſe hæreticum. Et ſi is non ſit hæreticus, nec iſta propoſitio erit hæretica. Dicitur enim hæreticus quis, quia aſſerit propoſitiones hæreticas. Et quia Eccleſia eſt infallibilis in definiendo, an talis vel talis propoſitio ſit hæretica, quæ eſt quæſtio juris, ſi attendatur dogma contentum, vel facti dogmatici, ſi attendantur verba; conſequenter etiam eſt infallibilis in definiendo, an ille, qui talem vel talem propoſitionem aſſeruit, ſit hæreticus vel non, Intellige ſemper hæreticum materialem vel formalem, attento præciſe ſenſu naturali & obvio verborum ſeu propoſitionum, quod dicitur etiam ſenſus externus, non autem attento ſenſu mere interno & perſonali, quem in ſe habuit Auctor.

Inſt. Quæſtiones facti vel dogmatici vel cum jure connexi non ſunt revelatæ. Ergo Eccleſiæ judicium circa illas non eſt infallibile. Prob. Ant. Non eſt revelatum, quod ſcripta vel ſermones Neſtorii contineant dogma hæreticum, quod eſt factum dogmaticum, neque quod Neſtorius ſit hæreticus, etiam quoad externum & naturalem verborum ejus ſenſum, quod eſt factum cum jure connexum. Ergo. R. 1. N. Conſeq. Non enim probari poteſt a Chriſto collatam eſſe Eccleſiæ infallibilitatem circa revelata tantum: quin imo potius contrarium conſtat: cum alias mala oves paſcere poſſet, & portæ inferi prævalere poſſent adverſus eam. Habet ergo hanc infallibilitatem Eccleſia ex aſſiſtentia Spiritus S. qui docet eam omnem

ve-

Digitized by Google

veritatem maxime ſpectantem omnes Fideles & neceſſariam ad conſervationem Depoſiti fidei, qualis eſt ea, quæ involvitur in quæſtionibus facti vel dogmatici, vel cum jure connexi. R. 2. D. Ant. Quæſtiones vel facti dogmatici, vel connexi cum jure non ſunt revelatæ immediate in ſe, C. Ant. non ſunt revalatæ mediate ut partes in ſuo toto, N. Et hoc ſufficit, ut teneamur ipſis ſemel ab Eccleſia propoſitis aſſentiri etiam aſſenſu fidei,

Notandum itaque veritatem a Deo revelari dupliciter: 1. Immediate in ſe in particulari, v. g. hanc: *Deus eſt trinus in perſonis*: *Chriſtus eſt homo*. 2. Mediate in alio. Et hoc iterum dupliciter. Vel ut effectum in cauſa, ut hæc v. g. *Chriſtus eſt riſibilis*, revelata eſt in hac, *Chriſtus eſt homo* ut in ſua cauſa: vel ut partem in ſuo toto, ut hæc: *David in Adam peccavit*, revelata eſt in hac univerſali ut pars in toto: *Omnes in Adam peccaverunt*: & hęc, *Concilium Trid. eſt Regula fidei*, in hac, *Omne Concilium, legitime congregatum, eſt Regula fidei*. Quæ revelantur ut effectus in cauſa, non ſunt objectum fidei, ſed aſſenſus dumtaxat Theologici, quia effectus tantum virtualiter continetur in cauſa. Quæ autem revelantur ut partes in toto, ſunt objectum fidei, quia partes formaliter ſunt in toto, & veritas propoſitionis univerſalis per ſe petitur ex veritate propoſitionum particularium, quæ in illa formaliter continentur. In tantum enim propoſitio univerſalis eſt vera, in quantum propoſitiones particulares, quas continet, ſunt veræ: unde eo ipſo quo revelatur formaliter propoſitio univerſalis, revelantur etiam formaliter propoſitiones particulares, ſicque ad idem fidei lumen pertinent. Porro revelatum eſt univerſaliter omnem textum, omnem propoſitionem, omnem librum ab Eccleſia damnatum eſſe vere damnabilem, id enim comprebenditur ſub infallibilitate Eccleſiæ revelata. Ergo & hunc textum hujus hominis, puta Neſtorii, Plura de hac materia alibi.

Replicabis, Potuiſſet ſaltem Theodoretus uti diſtinctione dogmatis & perſonæ, dicendo ſcilicet anathema dogmatibus Neſtorii, v. g. his propoſitionibus: *Sunt in Chriſto duæ perſonæ*: *B. Virgo non eſt Deipara*: non autem perſonæ ipſius Neſtorii, quem has propoſitiones hæretico ſenſu non propugnaſſe exiſtimabat. Ergo. R. D. Ant. potuiſſet uti diſtioctione dogmatis & perſonæ dicendo anathema dogmatibus & non perſonæ, ſi attendatur præciſe ſenſus ejus internus & perſonalis, Tranſeat Ant. Si attendatur ſenſus ejus externus ſeu obvius ſenſus verborum ejus, N. Patet ex dictis, Eccleſia autem non quærit de ſenſu interno & perſonali, ſed de ſenſu obvio ſcriptorum ſeu dictorum. Dixi, tranſeat ad primam partem: quia cum verba ſint inſtituta ab hominibus ut ſigna ſenſus interioris, & per ea judicemus da ſenſu proferentis, temerarium & infundatum foret attribuere Auctori alium ſenſum, quam quem verba ejus præ ſe ferunt, maxime cum nihil ambiguitatis contineant, ſed aperte hæreſeos expreſſiva ſunt, & ut talia ab Eccleſia judicantur.

Repones. Non magis tenebatur Theodoretus credere Neſtorium Hæreticum, etſi ut talem damnatum a Concilio Epheſino, quam tenerentur Catholici credere Cæcilianum innocentem, etſi ut talem judicatum in Concilio Arelatenſi & a Melchiade Papa. Atqui Catholici non tenebantur credere Cæcilianum innocentem, ut docet plusies Aug. Ergo. R. 1. N. Min. Diſparitas eſt, quod in cauſa Cæciliani ageretur de mero facto, an ſcilicet Cæciliani ordinatio eſſet vitioſa. In cauſa autem Neſtorii agebatur de dogmate & facto dogmatico. R. 2. N. Min. Etſi enim in his factis fallibile ſit Eccleſiæ judicium, nulla tamen ſufficiens ratio ſubſiſtit, ut dicatur hic erraſſe. Unde temerarium eſſet negare Cęcilianum innocentem, neque conſtat Aug. contrarium cenſuiſſe.

Obj. 3. Theologi Catbolici & doctiſſimi tum antiqui tum recentiores, inter quos Binetus & Halloxius Soc. Jeſu, Huetius, Picus Mirandulanus, &c. ſuſceperunt defenſionem Origenis & ſcriptorum ejus. Atqui tamen ſcripta Origenis damnata ſunt ab Eccleſia, tum in Concilio Generali 5. Coll. 8. Anath. 11. tum in Concilio Generali 7. Act. 1. 3. & 7. Ergo, &c. R. D. Maj. Plures Theologi Catholici ſuſceperunt defenſionem Origenis quoad quæſtionem meri facti, C. Maj Quoad quæſtionem dogmatis vel facti dogmatici, N. Maj. & conceſſa Min. N. Conſ. Itaque variæ claſſes fuerunt Defenſorum Origenis. Alii ſic defendebant Origenem, ut ejus errores tuerentur, & hi ſunt damnati ut hæretici a quinta Synodo. Alii ſic defendebant, ut negarent ejus ſcripta continere errores ab Eccleſia proſcriptos, quos & ipſi damnabant; & illi etiam merito culpandi, utpote qui contradicerent judicio Eccleſiæ in facto dogmatico. Tales ſunt hodie plures Defenſores Janſenii. Alii ſic defendebant Origenem, ut aſſererent propoſitiones hæreticas, quæ in libris Origenis reperiuntur, non eſſe ab ipſo, ſed ab hæreticis intruſas in ejus libros vitiatos & interpolatos, maxime per Rufinum, ut probat Hieronymus. Et hoc eſt merum factum, de quo nec curat nec judicat Eccleſia, de libris prout ipſi offeruntur judicare contenta. Et hi Origenis Defenſores poſſunt excuſari, ſi quidem ipſe Origenes adhuc vivens conquerebatur de ſuorum operum interpolatione ab hæreticis. Alii tandem quædam tantum Originis dicta ſic defendunt, ut alia damnent, Unde Origenem abſolute non defendunt, nec ab omni errore purum aſſerunt, quin imo potius damnant. Et hi etiam videntur excuſandi, quia Eccleſia damnando Origenem non diſtinxit ſigillatim, quos in eo errores damnaret: imo Eccleſia utitur in Breviario quibuſdam lectionibus ex Origene deprompris, licet enim hæretice ſcripſerit Origenes, non tamen fuit hæreticus, ſcilicet formalis, quia ſuos errores pertinaciter non ſuſtinuit. Hæc omnia confer cum Janſeniſmo & ejus Defenſoribus.

DISSERTATIO V.

DE CAUSA TAM MORALI QUAM PHYSICA INCARNATIONIS.

Causam moralem voco cauſam meritoriam. Meritum vel ſumitur in abſtracto, & eſt jus ad præmium; vel in concreto, & eſt opus præmio ſeu retributione dignum. Duplex diſtingui ſolet, de condigno & de congruo. Meritum da condigno eſt illud, quod habet condignitatem ſeu proportionem cum ſuo præmio, adeoque eſt ejuſdem ordinis cum illo, ſpectatque juſtitiam ſaltem diſtributivam: ſic gratia fundat meritum de condigno gloriæ, juxta illud Apoſt. *De reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ*, &c. Meritum de congruo eſt illud, quod non habet æqualitatem proportionis cum præmio, ſed eſt ordinis inferioris; eſt tamen quædam congruitat, quædam decentia aut convenientia, quod ejuſmodi præmium conferatur.

Congruitas dupliciter accipi poteſt; uno modo prout fundatur in pura Dei miſericordia, ſine ullo jure vel debito ex parte operis. Alio modo pro congruitate fundata in amicitia & in opere gratuito procedente ad amico: amicitia enim, cum ſit pars potentialis juſtitiæ, fundat aliquod debitum etſi non ſtrictum, ſicut meritum de condigno: & hoc meritum da congruo ſecundo modo ſumptum ordinarie intelligitur, cum ſit ſermo de merito congrui. Etenim meritum congrui primo modo nonniſi late & improprie poteſt dici meritum. His notatis, de quibus fuſius dixi in Tract. de grat. Diſſert. ultima, ſit

ARTICULUS I.

Utrum Chriſtus aut meruerit aut mereri potuerit ſuam Incarnationem.

Suppono 1. tanquam certum de fide humanitatem Chriſti non meruiſſe unionem hypoſtaticam per merita illam tempore antecedentia: quia ut definitum eſt in Concilio Epheſino, Chalced. & aliis contra Photinum, Neſtorium & alios, humanitas nullo inſtanti reali extitit ante unionem; ſed eodem inſtanti reali fuit creata & verbo unita.

Suppono 2. quod ſi humanitas Chriſti extitiſſet in ſe cum gratia habituali prius tempore, quam uniretur Verbo, potuiſſet mereri Incarnationem, non quidem de condigno, quia cum opera non procederent a ſuppoſito infinito, ſed creato, non eſſent ejuſdem ordinis cum Incarnatione, quæ eſt opus infinitæ dignitatis; meritum autem de condigno exigit eſſe ejuſdem ordinis & habere æqualitatem cum præmio; ſed de congruo, quia ad meritum de congruo non requiritur æqualitas ad præmium, ſed ſufficit amicitia cum Deo,

Quæſtio eſt igitur de humanitate, ut conjuncta Verbo, ſeu de Chriſto ut ſic, an per opera ordine naturæ præcedentia vel ſubſequentia Incarnationem, illam meruerit, aut ſaltem mereri potuerit? Chriſtum reipſa ſuam Incarnationem non meruiſſe, imo nec de lege ordinaria potuiſſe mereri, ſat conveniunt Theologi. At quidam contendunt potuiſſe ſaltem de potentia abſoluta illam mereri maxime per opera eam ſubſequentia, quatenus Deus decreviſſet Incarnationem intuitu futurorum meritorum

torum Chriſti ; ſicut Rex confert militi nobilitatem ſeu arma intuitu futurorum ejus meritorum. Contra quos, ut ſerviamus Scholæ,

Dico (*Hic q. 2. a. 13. o.*) Chriſtus nec meruit, nec abſolute mereri potuit ſive de condigno, ſive de congruo ſuam Incarnationem. Prob. Principium meriti nec cadit, nec abſolute cadere poteſt ſub merito. Ita communiter admittitur a Theologis ex D. Th. hic & 1. 2. q. 114. a. 9. o. & q. 29. de verit. a. 6. Idque ratio evincit; meritum eſt cauſa efficiens præmii, quatenus efficit hominem præmio dignum, & ſe habet ad præmium ut medium ad finem & via ad terminum, proindeque prius exiſtens quam præmium; ſi ergo principium meriti cauſaretur a merito ſeu caderet ſub merito, idem eſſet & cauſa efficiens & effectus in eodem genere, idem prius & poſterius ſeipſo exiſtens, prius ut cauſans, poſterius ut cauſatum, quæ implicant. Atqui Incarnatio ſeu perſona Verbi communicata humanitati eſt principium & efficiens & formale totius meriti Chriſti; efficiens, quia nulla Chriſti operatio poteſt concipi niſi ut procedens a ſuppoſito tanquam a principio efficiente ut quod, cum actiones ſint ſuppoſitorum, & prius ſit eſſe quam operari. Formale, quia omnis valor illarum operationum eſt a perſona divina, tanquam a principio formaliter illas valorante, ut ita dicam, & dignificante. Si ergo aliquod opus Chriſti ſive natura antecedens ſive ſubſequens ejus Incarnationem illam cauſaret ſeu mereretur, ſequeretur 1. quod iſtud meritum eſſet cauſa & effectus in eodem genere cauſæ efficientis. 2. Quod eſſet cauſa ſui, quia eſſet cauſa ſui principii formalis. 3. Similiter Incarnatio eſſet cauſa & effectus ſimul, principium & principiatum ſeipſa prior & poſterior, quæ omnia ſunt implicatoria.

Confirm. 1. Implicat, quod id, quod jam eſt, alium moveat, ut ſit; atqui quando eſt meritum Chriſti præſens vel futurum, eſt jam Incarnatio præſens vel futura, nedum ordine intentionis, ſed etiam in ordine executionis, ſi quidem ut in re ponenda ſit principium & cauſa meriti. Ergo. Confirm. 2. Prius decreta fuit Incarnatio etiam quoad executionem, quam decreta, adeoque & quam previſa futura ejus merita. Ergo implicat ea potuiſſe Deum movere, ut eam decerneret. Prob. Ant. Sicut prius eſt eſſe quam operari, Ita & prius eſt decernere Chriſtum eſſe quam decernere eum operari: atqui Chriſtus habet eſſe per Incarnationem: ergo,

Solvuntur Objectiones.

OBj. 1. Apocal. 5. dicitur: *Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem & divinitatem.* Pſal. 44. *Dilexiſti juſtitiam & odiſti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* Ad Philipp. 2. *Humiliavit ſemetipſum ... propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.* Ergo Reſp. ad 1. per Ly *accipere divinitatem*, non ſignificari fieri Deum aut divinitatem acquirere, ſed eam palam agnoſci & celebrari; ſicut cum dicitur Chriſtum accipere ſcientiam, eſt publicari & agnoſci ſapientem eſſe juxta phraſim uſitatam Scripturæ. Ad 2. dico 1. juxta plures Patres Ly *propterea* non ſignificare cauſam meritoriam, quaſi Deus unxerit Chriſtum Deum, quia *dilexit juſtitiam*, ſed cauſam finalem, ita ut ſenſus ſit: *Dilexiſti juſtitiam, propterea*, id eſt & in hunc finem, ſeu ut juſtitiam diligeres *unxit te Deus*. Eo ſenſu quo dicitur Luc. 4. *Aliis civitatibus oportet me evangelizare, quia ideo*, id eſt, *ad hoc miſſus ſum*. Altera hujus loci interpretatio eſt, Ly *propterea* equidem ſignificare cauſam finalem, ſed To *oleo lætitiæ* equidem ſignificari divinitatem, ſed eam unctionem, qua Chriſtus poſt paſſionem immortalitate donatus, & ad dexteram Patris collocatus, Regni poſſeſſionem accepit. Ad 3. (*loc. 2. Epiſt. ad Philip.*) ſenſus eſt, quod propter humilitatem & obedientiam Chriſti Deus Pater manifeſtavit Mundo, quod haberet nomen Dei, ut omnes illud venerarentur. Unde ſequitur; *ut in nomine Jeſu omne genu flectatur*, &c.

Inſt. Baſilius hom. de humana Chriſti generatione dicit: *Digna fuit*, ſcilicet humanitas, *Unigeniti divinitati conjungi*. Ergo. R. D. Digna fuit dignitate meriti, N. Dignitate capacitatis, id eſt fuit capax, ut illi jungeretur, C. & N. Conſeq.

Obj. 2. Nihil repugnat humanitatem Chriſti pro priori naturæ ad aſſumptionem elicere aliquod opus ipſius Incarnationis meritorium de congruo, Ergo. R. N. Ant. Repugnat enim cauſam agere, priuſquam intelligatur exiſtens & ſubſiſtens; actiones enim ſunt exiſtentium & ſuppoſitorum; humanitas autem Chriſti pro priori naturæ ad aſſumptionem non intelligitur exiſtens & ſubſiſtens, ſi quidem exiſtat & ſubſiſtat per ſubſiſtentiam & exiſtentiam Verbi.

Inſt. Non repugnat accidens conſervari ſine ſubjecto & operari ſine illo, ut patet in myſterio Euchariſtiæ. Ergo nec naturam operari ſine ſuppoſito. R. N. Conſ. Diſparitas eſt 1. quod accidens exiſtat per propriam exiſtentiam, non autem humanitas Verbi. 2. Quod exiſtentia accidentis ipſi immediate conveniat, non mediante ſubjecto, licet connaturaliter ab ipſo dependeat, exiſtentia vero ſubſtantiæ non ipſi conveniat immediate, ſed mediante ſubſiſtentia in principiis Thomiſtarum.

Obj. 3. Actus charitatis & contritionis in juſtificatione impii, ſecundum probabilem plurium Thomiſtarum ſententiam, ſunt a gratia juſtificante: atqui tamen præcedunt illam in genere cauſæ materialis & diſpoſitivæ. Ergo non implicat, quod opera a Chriſto elicita intelligantur ipſum ſeu ejus Incarnationem præcedere in genere cauſæ meritoriæ. R. Data Maj. item & Min. de quibus dixi dum de juſtificatione, N. Conſ. Diſparitas eſt, quod materia & forma ſint ſibi Invicem cauſæ in diverſo genere, & ſic in præfata ſententia probabili actus charitatis & contritionis præcedunt gratiam ut formam juſtificantem in genere cauſæ materialis, & eam ut talem ſequuntur in genere cauſæ formalis. Secundum hanc enim ſententiam gratia habitualis conſideratur dupliciter: 1. Ut habet rationem auxilii actualis, & ſub hoc ſenſu cauſat efficienter actus charitatis & contritionis, neque ullo ſenſu ut ſic ab eis cauſatur aut præceditur, non datur enim mutua cauſalitas niſi inter cauſam materialem & formalem, efficientem & finalem ad invicem comparatas; efficiens autem omni modo eſt cauſa & prior formali & materiali, nec ab eis ullo modo cauſatur. Secundo modo poteſt conſiderari gratia ſanctificans, ut eſt forma quædam afficiens ſubjectum & illud reddens Deo gratum, & ſub hac ratione præcedit & ſubſequitur actus charitatis & contritionis; præcedit eos in genere cauſæ formalis, quia ab ea tanquam a forma dimanant; & eos ſubſequitur in genere cauſæ materiali & diſpoſitivæ, quia illi ad eam ſubjectum diſponunt. Porro ſi opera a Chriſto in priori naturæ elicita præcederent ut merita ipſius Chriſti ſeu ejus Incarnationis, principium meriti caderet ſub merito, & idem foret ſui ipſius cauſa in eodem genere cauſæ nempe efficientis; Chriſtus enim eliciens illa opera meritoria eſſet cauſa efficiens illorum, & viciſſim illa opera meritoria cauſarent Chriſtum in eodem genere cauſæ efficientis. Unde etiam illi actus contritionis & charitatis, de quibus modo in præfata ſententia, non dicuntur meritorii iſtius primæ gratiæ, a qua cauſantur, ſed alterius nempe primæ gloriæ. In alia autem ſententia, quæ eſt etiam plurium Thomiſtarum, illi actus charitatis & contritionis diſpoſitivi ad gratiam non ſunt ab ipſa gratia, ſed ab auxilio actuali.

Obj. 4. Potuit Deus decernere Incarnationem ſub aliqua ſubſiſtentia indeterminate & in communi, antequam illam decernat ſub hac determinata ſubſiſtentia Verbi. Atqui in illo priori poteſt concipi Chriſtus prius prioritate naturæ eliciens ex auxilio gratiæ opera meritoria ſubſiſtentiæ determinatæ. Ergo. R. N. Min. Quia merita non poſſunt concipi elicita a Chriſto niſi ſub ſtatu exiſtentiæ ſaltem futuræ; non poteſt autem concipi Chriſtus exiſtens nec futurus niſi ſub hac determinata ſubſiſtentia.

Obj. 5. Nihil repugnat merita Chriſti ut poſſibilia & in ſpe potuiſſe movere Deum, ut decerneret Incarnationem, ſicut merita alicujus militis poſſibilia & in ſpe poſſunt movere Regem, ut ipſum nobilitet. Ergo. R. D. Ant. Nihil repugnat merita Chriſti ut poſſibilia & in ſpe potuiſſe movere Deum, ut Incarnationem decerneret ut donum gratuitum, C. Ant. ut præmium & mercedem, N. Idem de milite. Sicut enim repugnat, quod quis puniatur propter demerita mere poſſibilia, ita & quod premietur propter merita mere poſſibilia. Quia ergo meritum cauſat præmium per modum cauſæ efficientis, in quantum facit ſubjectum præmio dignum, neceſſario ut cauſet, debet exiſtere aut præviſeri abſolute exiſtens in aliqua differentia temporis; nemo enim eſt dignus laude vel vituperio propter actiones mere poſſibiles. Idem cenſe de meritis conditionate futuris; ſequeretur enim ſimiliter hominem reipſa poſſe conſtitui dignum ſupplicio vel præmio per opera bona vel mala, quæ nunquam faciet, ſed faceret, ſi in iſtis circumſtantiis poneretur; quod tanquam abſurdum rejiciunt Auguſtinus, Proſper, &c. contra Semi-Pelagianos.

Inſt. Sæpe contingit inter homines, ut præmium antecedat meritum, ut dum quis anticipata ſolutione accipit mercedem ſub ſpe aut onere laboris futuri. Ergo. R. N. (*Q. 29. de verit. a. 6.*) ſuppoſitum Ant. quia opus illud debitum ſequens ſeu ſperatum non ſe habet ut meritum præmii anticipati, ſed ut dicit D. Th. per modum gratiarum actionis ſeu ſolutionis; proprietates enim meriti ſunt, ut a conceſſione præmii tollat rationem gratiæ, quod ſit objectum juſtitiæ remunerativæ, quod in præmiante inducat rationem juſtitiæ ſaltem late; quæ in præſenti caſu non reperiuntur. Vel dicas intercedere ibi contractum do ut facias, & tunc opus ſequens movebit ut finis ut ſit, non ut meritum quia eſt.

Obj.

Digitized by Google

Obj. 6. cum Suares. Unio hypoſtatica potuit duplici decieto decerni, uno intentivo, altero executivo. Atqui in hac hypotheſi nihil implicat Chriſtum meruiſſe ſuam Incarnationem quoad executionem ſaltem. Ergo. Prob. Min. In hac hypotheſi principium meriti non caderet ſub merito, & meritum foret prius præmio. Ergo. Prob. Ant. In hanc hypotheſi principium meriti foret Incernatio ut intenſa, & præmium Incarnatio ut executa, quam præcederet meritum fundetum in Incarnatione ut intenta. Ergo. Reſp. 1. Neg. ad prob. Neg. Anteced. non enim poteſt concipi actio meritoria procedere a Chriſto niſi ſub ſtatu ſobſiſtentiæ & exiſtentiæ, conſequenter niſi a Chriſto ut per Decretum executivum prærdinato. R. 2. N. ſecundam partem ejuſdem ultimi Ant. nempe in hac hypotheſi Incarnationem ut ſecundo decretam fore præmium. Quia de ratione præmii eſt, quod ſit aliquid realiter diſtiſtum a merito, ilias præmiator non forei ditior cum ſolo merito: merita autem Chriſti ut intenti ſunt marita Chriſti ut executi: Chriſtus enim ut executus non eſt alius a Chriſto intento. 2. Quia ſequeretur, quod prima gratia ut ſecundo decreto volita caderet ſub meritum, cujus eſſet principium ut prima intenta.

Inſt. Licet prædeſtinatio noſtra ed gloriam ſit ante præviſa merita, non tameu decretum executivum bujos prædeſtioationis. Ergo ſimiliter hic. R. N. Conſ. Diſparitas eſt, quod executio prædeſtinationis non ſit cauſa meritorum noſtrorum, ſed potius e contra merita ſunt cauſæ executionis prædeſtioationis. At vero Iucsinatio nedum quoad intentionem, ſed etiam quoad executionem eſt cauſa efficiens meritorum Chriſti.

Obj. 7. cum eodem. Licet principium meriti, quando abſolute datur, non poſſit cadere ſub merito, bene tamen quod datur tantum ſub conditione futuri meriti, ut ſi Rex v. g. concedat militi arma & equum enticipata ſolutione in compenſationem egregii facinoris eodem equo & armis futuri, Atqui Deus potait conſerre humanitati unionem Verbi ſub conditione meriti futuri per eam exercendi. Ergo. R. 1. Iſtud argumentum nimium probare, cum enim exemplo allato nihil fiat contra legem ordinariam, ſequeretur etiam poſſe de lege ordioaria principium meriti cadere ſub merito, adeoque hominem poſſe, imo de facto mereri primam gratiam, primum ſuum eſſe, ſuam creationem, & Chriſtum ſuam prædeſtinationem primam ſeu quoad intentionem, quæ tameu non concedit Adverſarius. R. 2. N. Maj. Et ad prob. ex paritate exempli adducti, dico diſparitatem eſſe, quod principium meriti in milite non ſint præciſe equus & arma; ſed bonus eorum uſus ſeu prudentia & valor militis: in Chriſto autem totale principium meriti tam phyſicum, quam morale, eſt unio hypoſtatica. Inſuper dona, quæ ab hominibus conceduntur, poſſunt dari imperfecte & quoad uſum tantum, donationa ſuſpenſa quoad poſſeſſionem abſolutam; & ſic imperfecte habita poſſunt cadere ſub merito, ut perfecte & abſolute habeantur; ſicque principium meriti formaliter ut tale non cadit ſub merito: ande miles in caſu allato per egregium facinus meretur abſolutam equi & armorum poſſeſſionem, quæ tantum antaa imperfecte & quoad uſum habebat. Unio autem hypoſtatica non poteſt ſic concedi quoad uſum & imperfecte, donatione ſuſpenſa, & quæ nulla ſit, conditione nou purificata, ſed hoc ipſo quo datur, ſimpliciter & abſolute datur; quia eſſa, ſi datur, abſoluta & ſimpliciter datur; alias, ut jam diximus, poſſet quis mereri ſuum eſſe & ſuam creatiooem.

Obj. 8. cum eodem. Finis potaſt eſte cauſa & effectus ſui medii. Ergo etiam meritum poteſt eſſe cauſa & effectus ſui principii. R. N. Conſ. Diſparitas aſt, quod finia non cauſet quia eſt, ſed at ſit, ſicque non cauſat per ſui exiſtentiam vel actualem vel ſaltem præviſam ut abſolute futuram in aliqua temporis differentia, ſed ſolum per eſte apprehenſum ut bonum & poſſibile. Unde reſpectu medii non aſt cauſans & cauſatum ſub eadem rationa; eſt cauſans ſecundum eſſe objectivum, & cauſatum ſecundum eſſe a parte rei. At vero meritum cauſat, quia eſt, aut prævidetur futurum abſolute in aliqua temporis differentia. Unde ſi cauſaret principium, a quo eſt efficienter & formaliter, cauſaret per ſuum eſſe actuale id, a quo accipit idem eſſe actuale, & ſic ferundum idem eſſe actuale foret prius & polterius exiſtentia actuali ſui priucipii, quod implicat.

Obj. ultimo. SS. Patres meruerunt de congruo Incarnationem. Atqui tamen Incarnatio eſt illorum meritorum principium. Ergo principium meriti, &c. De hoc argumento art. ſubſequente.

ARTICULUS II.

Utrum Chriſtus meruerit circumſtantias ſuæ Incarnationis?

CIRCUMSTANTIÆ Incarnationis eliæ ſunt præcedentes, aliæ concomitantes, aliæ conſeqaentes.

Dico 1. Chriſtus non meruit eas circumſtaotias ſuæ Incarnationis ſive præcedentes, ſiva concomitantes, quæ val iu aliquo genere ſunt cauſæ ſeu priocipia ſubſtantiæ Incarnationis ut executioni meudatæ, vel eam neceſſariu comitantur. Patet ex dictis. 1. Quie ſicut merita Chriſti ſupponunt ejus Incarnationem ut eorum principium, ſicque eam mereri non poſſunt, ita etiam ſupponunt eas circumſtantias, quæ ſunt cauſæ aut principia illius Incarnationis, aut eam neceſſario comitautur, & ſine quibus non eſſet. Ergo. 2. Non poſſunt infallibiliter prævideri a Deo merita Chriſti futura, niſi prius prævideatur Chriſtus futurus & exiſtens in aliqua differentia temporis. Ergo etiam niſi prius prævideantur ea, a quibus & cum quibus habet neceſſario eſſe; quæ proinde, cum ſe teneant ex parte principii meriti, non poſſunt cadere ſub merito.

Dico 2. Meruit tamen Chriſtus eas Incarnationis ſuæ circumſtanties, quæ nec influunt in ejus eſſe, nec eem neceſſario comitantur. Patet ab oppoſita ratione, cum enim illæ circumſtantiæ non ſint cauſæ aut principium meriti, nec ab illis dependeat Chriſti meritum, non eſt ratio, cur eas non meruerit, cum meruerit Chriſtus omne illud, quod congrueoter poteſt habere rationem præmii, hoc enim confart ad ejus majorem dignitatem & gloriam.

Dico 3. Chriſtus meruit circumſtanties Incarnationem conſequentes: quia illæ non prærequiruntur merito ipſius, nec ſe tenent ex parta priucipii merendi, ſed ad illud conſequuntur. Ergo.

Colliges ex 1. concluſione Chriſtum non meruiſſe concepi ex Spiritu S. naſci ex B. Maria, ex populo Judaico, tali loco, tali tempore, tali modo: quia hæc ſunt val principia Iocarnationis, vel circumſtantiæ neceſſario eam comitantes in executione. Colliges ex 2. concluſione Chriſtum meruiſſe prophetarum de ipſo prædictionem, annuntiationem per Angelum, etiem ut probabilius videtur Matris virginitatem. Quoad duo prima patet, quia non ſunt cauſæ aut principium Incarnationis. Patet etiam quoad 3. quia virginitas Matris non influit in Incarnationem magis quam albedo aut nigredo Matris, nec videtur circumſtantia cum Incarnationa neceſſario connexa, etſi enim Mater non foret Virgo, eadem numero eſſet Incarnatio. Colliges ex 3. concluſione Chriſtum meruiſſe concentum Angelorum, Paſtorum & Magorum adorationem, apparitionem ſtellæ, fugam in Ægyptum, curam & ſollicitudinem BB. Mariæ & Joſeph, eſſe mundi Judicem, Sacramentorum inſtitutorem, quia hæc omnia ſequuntur ad Chriſtum, adeoque ad principium meriti. Item & ſuam reſurrectionem noo ſolum quoad reunionem animæ ad corpus, quod omnes admittunt, & dicemus infra, ſed etiam probabilius quoad reunionem perſonalitatis Verbi ad totam humanitatem, quæ morte deſiderat. Licet enim partes humanitatis ſeparatæ ſemper manſerint unitæ Verbo, nihilominus tota humanitas non manſit unita verbo in triduo mortis, quia humanitas non dicit partes quomodocumque, ſed unitas, ſeu unum factas, & cum Chriſtus meruerit ſuam reſurrectionem, ut dicetur infre, hæcque reunio pertineat ad reſurrectionem, ſequitur Chriſtum eam meruiſſe.

Dices. Iſta reunio totius humanitatis ad verbum ſequitur ad reunionem animæ ad corpus vi primæ Incarnationis. Ergo. R. N. Conſ. Quia licet id, quod ſequitur ad id, quod eſt gratis conceſſum, non cadat ſub merito, quamdiu durat illud gratis conceſſum, ſecus tamen ſi deſinat illud gratis conceſſum.

Repones. Hoc ipſo, quo anima reunitur corpori, nihil eſt amplius, quod cadere poſſit ſub merito, quia totum non diſtinguitur a pertibus. Ergo. R. N. Ant. Ad prob. D. Totum phyſicum, C. Totum metaphyſicum, N. Id enim ratione ſuppoſiti diſtinguitur a partibus, ſcilicet materia & forma.

Petes, utrum Chriſtus meruerit ſuæ Incarnationis continuationem? Reſponſio communis, & maxime Thomiſtarum, eſt negativa contra Suarem & alios. Ratio eſt; quia continuatio Incarnationis eſt eadem indiviſibilis actio, qua inchoata eſt. Atqui ipſa Incarnationis actio non poteſt cadere ſub merito, ut primo facta. Ergo neque ut continuata. Prob. Maj. Incarnatio non continuatur ad modum rerum ſucceſſivarum & diviſibilium per additionem alicujus puta partis, gradus aut auxilii, ſed eſt tota ſimul, & menſuratur duratione omnino indiviſibili, ſcilicet æternitate participata, utpote immutabilis & permanentior viſione beata. Ergo. Confir. Qui ſemel obtinuit beatitudinem, totam ejus continuationem adeptus eſt, quie eſt indiviſibilis inceptio & continuatio ejus, eſt enim ex natura ſua vita æterna. Ergo potiori jure idem dicendum de Incarnatione.

Dices 1. Poterat Chriſtus mereri, ne humanitas dimitteretur a Verbo aut non annihilaretur. Ergo. R. N. Ant. Vel enim illa non dimiſſio, aut non annihilatio ſumitur ex parte Dei pro actione ejus increata, & hæc non cadit ſub merito; vel pro effectu ex parte humanitatis, &

tunc

Digitized by Google

tunc illa non dimiſſio, aut nun annihilatio nullo importat alium novum effectum realem, qui poſſit eadem ſub merito, ſed eſt eadem ipſa continuatio.

Dices 2. Chriſtus meruit extenſionem unionis hypoſtaticæ ad eas partes, quas acquirebat per nutritionem. Ergo & hujus unionis conſervationem. Prob. Conſ. 1. Mereri ea, quæ neceſſaria ſunt ad conſervationem, eſt mereri ipſam conſervationem; ſed extenſio unionis hypoſtaticæ ad illas partes erat neceſſaria ad ejuſdem unionis conſervationem. Ergo. Prob. 2. eadem Conſ. Ideo potuit mereri illam extenſionem, quia eſt poſterior merito Chriſti: atqui continuatio Incarnationis eſt etiam poſterior merito Chriſti: ergo. R. quoſdam negare Ant. quia poſita prima productione, ſicut debebatur conſervatio, ita & reſtauratio, ne periret. Aliis tamen videtur magis conſonum excellentiæ Chriſti aſſerere hanc extenſionem eſſe ipſi debitam, nedum ſequela naturali ex vi primæ unionis, ſed etiam titulo meriti, cum nihil obſtet. Unde dato hoc Ant. N. Conſ. Et ad 1. Prob. C. Ant. quoad ea, quæ ſunt neceſſaria conſervationi immediate & per ſe: N. vero quoad ea, quæ ſunt tantum remote & per accidens neceſſaria conſervationi, quales ſunt partes de novo advenientes reſpectu conſervationis Incarnationis; in tantum enim ſunt ipſi neceſſariæ, in quantum nutritio erat ipſi neceſſaria. Unde modo, Chriſto non indigente nutritione, ſine illa unio hypoſtatica continuatur. Ad 2. Prob. N. Min. Cum enim continuatio unionis primo factæ menſuretur, ut diximus, æternitate participata, quæ habet durationem omnino immobilem & permanentem, non eſt formaliter & ſecundum propriam durationem poſterior merito, ſed ſolum virtualiter per correſpondentiam ad tempus noſtrum.

Inferes. Ergo ſaltem iſtud virtualiter poſterius & ſuperadditum Incarnationi ut primo factæ poterit cadere ſub merito. R. N. Illationem; quia principium meriti, cum ſit cauſa efficiens præmii, debet realiter diſtingui ab illo.

ARTICULUS III.

Utrum ſancti Patres meruerint Incarnationem?

DICO 1. *Hic q.* 2. *a.* 11. *c.*) SS. Patres veteris teſtamenti non meruerunt, nec mereri potuerunt de condigno Incarnationem, nec circumſtantias ejus intrinſecas. Eſt communis & certa. (*Ibid*) Prob. Meritum de condigno adæquari debet cum præmio in valore & virtute. Atqui meritum antiquorum Patrum non poteſt adæquari in valore & virtute cum Incarnatione. Ergo. Patet Maj. Id enim importat condignitas. Prob. Min. In homine non datur aliud principium merendi, quam gratia adoptionis. Atqui unio hypoſtatica, cum ſit in eſſe perſonali, ita tranſcendit gratiam adoptionis, ut ſit alterius & ſuperioris ordinis, ſicut eſſe perſonam divinam reſpectu illius, qui eſt tantum participative Deus. Ergo. Confirm. Unio beatæ mentis ad Deum, ſeu in eſſe intelligibili, hoc eſt gloria cœleſtis, eſt præmium proportionatum & condigniſſimum gratiæ adoptionis; dicitur enim ſemen gloriæ. Atqui unio in eſſe perſonali & divino, qualis eſt Incarnatio, tranſcendit unionem in eſſe intelligibili, eſtque ſuperior ad illam. Ergo. Hinc paſſim in Scriptura Incarnatio dicitur opus miſericordiæ, ſic ad Tit. 3. *Apparuit benignitas & humanitas Salvatoris noſtri Dei, non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum miſericordiam ſuam ſalvos nos fecit.* Luc. 1. *viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitavit nos oriens ex alto.*

Dices cum S. Bonaventura. Antiqui Patres meruerunt de condigno apertionem Regni cœleſtis, alias non meruiſſent gloriam: atqui cœlum non eſt apertum niſi per adventum Chriſti: ergo illum meruerunt. R. D. Maj. Antiqui Patres meruerunt de condigno apertionem Regni cœleſtis quoad remotionem impedimenti, quod ſe tenebat ex parte cujuslibet particularis, ſcilicet indignitas perſonalis, qualiter nos meremur nunc, C. Maj. Quoad remotionem impedimenti, quod ſe tenebat ex parte naturæ peccato originali vitiatæ, N. Maj. Solutio eſt D. Th. in 3. D. 18. q. 1. *a.* 6. Quæſtiunc. 2. ad 2.

Repones cum Medina. Extrinſeca Dei ordinatio illorum meritorum ad Incarnationem potuit ſupplere illorum improportionem. Ergo. R. N. Ant. illa enim intrinſeca ordinatio non elevaret illa opera ſupra ordinem gratiæ, adeoque non tribueret illis valorem alterius rationis, quam ſecundum ſe haberent.

Replicabis. Poſita illa extrinſeca Dei ordinatione & promiſſione retribuendi Incarnationem illis operibus, Incarnatio foret illis operibus debita. Ergo eam mererentur de condigno. R. D. Min. Foret eis debita ex fidelitate Dei, qui promiſſis non deeſt, C. Min. Ex condignitate operis, N. Min. & Conſeq.

Dico 2. (*Ibid.*) Antiqui Patres meruerunt de congruo Incarnationem. Eſt etiam communis.

Prob. (*Ibid.*) Congruum erat, ut Deus exaudiret deſideria & preces amicorum ſuorum, qui ipſi obediebant, atqui SS. Patres erant amici Dei, deſiderabant & petebant Incarnationem. Ergo.

Sed difficultas eſt, utrum illud antiquorum meritum fuerit de congruo ſtricte, an late? Plures Theologi, tam domeſtici quam extranei, contendunt eſſe de congruo ſtricte, fundanturque in S. Th. qui hic a. 11. o. dicit: *Ex congruo meruerunt SS. Patres Incarnationem deſiderando & petendo. Congruum enim erat, ut Deus exaudiret eos, qui ei obediebant.* Quæ verba intelligunt de congruo ſtricte. Sed quia Incarnatio ſeu Chriſtus eſt principium totius meriti SS. Patrum, ſicque ſequeretur, quod principium meriti caderet ſub merito, ut hunc nodum ſolvant, in varias explicationes abeunt.

Quidam dicunt Incarnationem ut intentam, hoc eſt Chriſtum, & ejus merita ut intenta, eſſe principium meritorum SS. Patrum per modum cauſæ finalis tantum, quatenus Deus intendens incarnationem Chriſti vi illius intentionis elegit merita antiquorum Patrum tanquam media ad executionem Incarnationis. Unde incarnatio in intentione eſt principium meritorum SS. Patrum, & merita Patrum ſunt principia Incarnationis in executione; adeoque principium meriti ſub ratione, qua eſt principium meriti, non cadit ſub merito, ſeu, quod idem eſt Incarnatio & meritum Patrum ſunt ſibi invicem cauſæ in diverſo genere, Incarnatio in genere cauſæ finalis, merita Patrum in genere cauſæ efficientis moralis, quod non repugnat. Verum obſtare videtur, quod nullum ſit aut concipi poſſit meritum in antiquis Patribus, quod non ſit non ſolum propter Chriſtum aut Incarnationem tanquam cauſam finalem, ſed etiam quod non ſit ex ipſo Chriſto ſeu ex ejus meritis tanquam ex cauſa efficiente morali; nullum eſt enim, aut concipi poteſt pro hoc ſtatu meritum in homine, quod non accipiat valorem ſuum & vim merendi ex meritis Chriſti, ſeu cui Chriſtus non meruit gratiam, qua ejus opera ſint meritoria apud Deum, ut docet hic Auctor ad 2. & omnes admittunt, juxta illud Jo. 1. *Omnes de plenitudine ejus accepimus.* At vero nec ſunt nec concipiuntur merita in Chriſto moraliter efficientia merita noſtra, niſi prout Chriſtus conſideratur ut exiſtens aut abſolute futurus in aliqua differentia temporis, conſequenter in ſtatu executionis, & non intentionis tantum; actiones enim ſunt ſuppoſitorum & exiſtentium. Si ergo merita Patrum cauſent Incarnationem in executione in genere cauſæ efficientis moralis, & Incarnatio viciſſim in executione cauſet merita Patrum in eodem genere cauſæ efficientis, evidens eſt, quod principium meriti cadat ſub merito operis ab ipſo procedentis, quod Incarnatio ſit cauſa & effectus in eodem genere, ſeipſa prior & poſterior, &c.

Alii dicunt antiquos Patres meruiſſe de congruo Incarnationis executionem, non prout decretam & præviſam, ſed ut executam in tempore. Sed neque iſte dicendi modus probatur, quia nihil ſit in tempore, niſi eo modo quo Deus per ſuum decretum executivum decrevit ab æterno fieri. Unde vel Patres meruerunt de congruo executionem Incarnationis ut præviſam & decretam a Deo, vel eam non meruerunt ut executam in tempore. Paritas eſt in noſtra Prædeſtinatione; ideo enim per merita aſſequimur in tempore gloriam, quia Deus ab æterno decreto ſuo executivo voluit ſic aſſequendam. Alii tandem dicunt non repugnare principium efficiens tantum meriti cadere ſub merito, ſed id non cohæret cum principiis poſitis. Enim vero quod cauſat per modum efficientis neceſſario exiſtit, quod autem jam exiſtit, non poteſt ſibi mereri, ut exiſtat. Inſuper meritum etiam cauſat per modum efficientis; idem ergo eſt cauſa & effectus in eodem genere cauſæ.

Verius ergo arbitror cum doctiſſimo Sylvio, antiquos Patres non meruiſſe Incarnationem Chriſti, niſi de congruo late ſumpto pro impetratione Incarnationis exequendæ ex divina bonitate. Et hoc tum propter rationem datam, quod Incarnatio & merita Chriſti ſint fundamentum & principium totius meriti, non effectus: tum quia alioquin ſequeretur 1. Patres meruiſſe aliquid melius, quam Chriſtus ipſe meruit. 2. Quod Incarnatio non eſſet opus puræ miſericordiæ, meritum enim de congruo ſtricte importat aliquod jus ſaltem amicabile ad præmium tanquam ad recompenſationem & retributionem. 3. Quod Chriſtus eſſet Patribus debitor ſuæ Incarnationis, item gratiæ & gloriæ, quæ conſequuntur ad Incarnationem. Hæc autem ſunt abſurda.

Ad D. Th. Quidam ipſum intelligunt de merito quarumdam circumſtantiarum Incarnationis, veluti quod tali tempore, de tali populo naſceretur. Alii intelligunt de congruo late ſumpto, ita ut mereri idem ſit quod impetrare, & meritum accipiatur pro opere quo fiebat, ut attenta divina bonitate congruum eſſet, ut exaudiret illos, qui ei obediebant *propter veritatem Dei ad confirmandas promiſſiones Patrum*, Ita reſpondet laudatus Sylvius.

Et

Et revera S. Doctorem alterutro ſenſu, maxime ſecundo, eſſe intelligendum patet: 1. quia hic a. 11. o. generaliter reſolvit, quod Incarnatio non poſſit cadere ſub merito, quia eſt principium meriti; hæc autem ratio non minus militat pro merito de congruo ſtricte, quam pro merito de condigno. 2. Quia ibidem ad 3. negat B. Virginem meruiſſe Incarnationem. *Quod B. Virgo*, inquit, *dicitur meruiſſe portare Dominum omnium, non quia meruit ipſum incarnari, ſed quia meruit ex gratia ſibi data illum puritatis & ſanctitatis gradum, ut congrue poſſet eſſe Mater Dei.* Et in 3. d. 4. q. 3. a. 1. ad 6. ait: *Quod Beata Virgo non meruit Incarnationem, ſed ſuppoſita Incarnatione, meruit, quod per eam fieret, non quidem merito condigni, ſed merito congrui.* Ex quo manifeſtum eſt juxta S. Doctorem, quod nec merito congrui B. Virgo meruerit Incarnationem. Nullatenus autem eſt veriſimile id ipſum conceſſiſſe Patribus S. Virgine longe inferioribus.

Inſt. Meritum de congruo ſtricte illud eſt, quod fundatur in amicitia mutua merentis & præmiantis, atqui SS. Patres, qui petebant Incarnationem, erant amici Dei: ergo. R. Maj. eſſe veram, quando nihil obſtat rationi meriti; hic autem obſtat, quod Incarnatio ſit principium meriti, & non poſſit eſſe ejus effectus.

ARTICULUS IV.

Quæ fuerit cauſa phyſica Incarnationis.

DIco 1. Nulla creatura fuit aut eſſe potuit cauſa principalis efficiens Incarnationis, ſed ſolus Deus. Prob. 1. ex Scriptura. Habacuc 3. de Incarnatione dicitur: *Domine opus tuum.* Et Pſ. 135. dicitur, quod Deus facit mirabilia ſolus. Omnium autem mirabilium maximum eſt Incarnatio. Ergo. Ratio etiam evincit ad tantum ac tale miraculum requiri virtutem infinitam.

Quæſtio eſt potiſſimum de cauſa inſtrumentali reſpectu B. Virginis.

Dico 2. B. Virgo non fuit cauſa inſtrumentalis conjunctionis humanitatis cum Verbo. Hæc concluſio inſinuatur ex auctoritatibus cit. non enim proprie diceretur Incarnatio opus ſolius Dei, ſi B. Virgo alio cooperata fuiſſet etiam inſtrumentaliter. Adſtipulatur auctoritas D. Th. infra q. 31. art. 5. & qu. 32. a. 4. o. ubi ait: in ipſa Conceptione Chriſti B. Virgo nihil active operata eſt, ſed ſolam materiam miniſtravit.

Prob. ratione. Concurſum inſtrumentalem ad conjunctionem humanitatis cum Verbo ideo aliqui adſtruunt ad ſalvandam Maternitatem Dei in B. Virgine. Atqui ad id non requiritur. Ergo perperam ei tribuitur. Prob. Min. Ut B. Virgo vere ſit & dicatur Mater Dei, ſufficit, quod exercuerit in Conceptione Chriſti illum concurſum, quem Matres aliæ exercere ſolent in Conceptione ſuorum filiorum. Atqui hunc exercuit B. Virgo erga Chriſtum, abſque eo quod debuerit eſſe cauſa inſtrumentalis reſpectu illius Incarnationis. Ergo. Prob. Min. in ſententia Ariſtotelis & D. Th. Mater non concurrit active in generatione prolis, ſed paſſive tantum miniſtrando materiam humano conceptui, & hoc, in loco ad eum conceptum naturali, vi ſeminis virilis elaborandum ad perfectam organizationem. Atqui id totum præſtitit B. Virgo reſpectu Chriſti, excepto quod materia, quam miniſtravit, non virili ſemine, ſed myſtico ſpiramine fuerit elaborata uſque ad perfectam organizationem & ultimam diſpoſitionem ad recipiendum animam rationalem, ex cujus unione cum corpore reſultare debebat connaturaliter ſubſiſtentia creata tanquam terminus completivus generationis, ſed loco illius in eodem inſtanti ſubſtituta fuit ſubſiſtentia Verbi, quæ ultimo complevit & terminavit concurſum paſſivum B. Virginis & operationem activam Spiritus S. ſupplentis vices viri. Ergo. Et eſto ſecundum Medicos Mater concurreret active, eodem modo ratiocinandum foret de concurſu ejus activo, ac diximus de concurſu ejus paſſivo.

Confir. Eſto B. Virgo foret elevata ut inſtrumentum Incarnationis, non ideo foret Mater Dei, tum quia concurſus Matris eſt principalis, tum quia creatura etiam inanimata poteſt de potentia Dei abſoluta ad id elevari, quæ tamen non foret ideo Mater Dei.

Dices. Ambroſ. Ep. 82. & Bernard. Hom. 4. dicunt per B. Virginem carnem fuiſſe junctam Divinitati. Et Iſichius Hom. 2. de Deipara vocat illam *Inſtrumentum Incarnationis.* Ergo. R. Ambroſium & Bern. intelligendos eſſe de junctione, non effectiva, ſed diſpoſitiva, quatenus ſubminiſtravit & præparavit materiam, quæ efformata in humanitatem juncta fuit Verbo. Iſichius autem nomen inſtrumenti ſumpſit late pro omni eo, quod concurrit aliquo modo ad productionem alterius.

Dico 3. Tota Trinitas Incarnationem operata eſt. Inſinuatur in Scriptura ad Galat. 4. *Miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere*: en Pater. Ad Philipp. 2. *Semetipſum exinanivit formam ſervi accipiens*: en Filius. Matth. 1. *Quod in ea natum eſt, de Spiritu S. eſt*: en Spiritus S. Ergo: Prob. ratione. Omnia opera Dei ad extra ſunt toti Trinitati communia. Ergo. Prob. Ant. Deus operatur ad extra per omnipotentiam. Atqui omnipotentia eſt communis tribus perſonis non minus quam eſſentia. Ergo non poteſt una perſona operari ad extra, quin operetur & altera, adeoque opera Dei ad extra toti Trinitati ſunt communia. Unde ſequitur Filium dupliciter ſe habuiſſe ad Incarnationem, effective per potentiam, & terminative per ſubſiſtentiam; Pater autem & Sp. S. effective tantum.

DISSERTATIO VI.

DE PERSONA ASSUMENTE.

D. Thom. Quæſt. 3.

ARTICULUS I.

Utrum proprium ſit perſonæ Divinæ naturam alienam terminare?

DIco, (*Hic q. 3. a. 1. ad 2.*) Ita proprium eſt perſonæ divinæ naturam alienam terminare, ut id repugnet omni perſonalitati creatæ vel creabili.

Prob. (*Ib.*) Perſonalitas finita non poteſt terminare niſi naturam propriam. Atqui omnis perſonalitas creata vel creabilis eſt finita. Ergo. Patet Min. Prob. Maj. Perſonalitas finita habet ſuam limitationem & ſpeciem a natura, cujus eſt complementum & terminus, ita ut ſubſiſtentia equi, verbi gratia, non diſtinguatur a ſubſiſtentia hominis, niſi quia illa eſt equi, iſta hominis. Ergo non poteſt loco alterius ſubſiſtentiæ ſubrogari, nec niſi propriam naturam terminare. Ant. eſt certum, cum enim ſubſiſtentia ſit modus & terminus naturæ, non dat ſpeciem naturæ ſed eam ſupponit, & ab ipſa ſpecificatur, ſicut totum quod eſt terminus & complementum partium, ab ipſis limitatur & ſpecificatur. Patet etiam Conſ. Quia hoc ipſo quo ſubſiſtentia deſumit ſpeciem a natura, & talis eſt ſpeciei, quia talem naturam terminat, implicat, quod eadem manens terminet aliam naturam, aliam foret eadem ut ſupponitur, & non foret, quia eſſet alterius naturæ & ſpeciei, ſicut implicat totum inveniri & communicari extra ſuas partes, quia ab ipſis ſpecificatur, reſultat, & limitatur.

Aliter autem dicendum de ſubſiſtentia divina, quæ ratione infinitatis nullo genere, nulla ſpecie clauditur. Unde ſicut natura divina continet formaliter eminenter omnium naturarum poſſibilem perfectionem, ita & ſubſiſtentia divina terminando naturam ſic infinitam continet formaliter eminenter omnium ſubſiſtentiarum poſſibilium virtutem, adeoque apta eſt quaſcumque naturas terminare.

Confir. Subſiſtentia, quæ poſſet terminare duas naturas, poſſet terminare infinitas, adeoque eſſet infinita in ratione terminandi, ubi enim pluralitas non facit differentiam, nec illam faceret infinitas, ſi eſſet poſſibilis, ut ait Ariſtot. 4. phyſ. textu 76. ex quo infert, quod ſi duo corpora poſſent eſſe ſimul in eodem loco, poſſent & infinita ſi darentur. Atqui nulla ſubſiſtentia eſt infinita niſi increata. Ergo.

Prob. 1. & ſimul præcluditur evaſio adverſariorum, qui diſtinguunt inter potentiam naturalem & ſupernaturalem, inter potentiam ordinariam & extraordinariam. Nulla perſonalitas creata poteſt naturaliter terminare alienam naturam. Ergo nec ſupernaturaliter aut de potentia Dei abſoluta. Ant. eſt certum, Prob. Conſ. Juxta communem Philoſophorum doctrinam in cauſis formalibus non currit diſtinctio potentiæ ordinariæ & extraordinariæ. Atqui ſubſiſtentia creata habet rationem formæ & actus ſubſtantialis naturæ, quam terminat. Ergo ſi non poſſit naturaliter, &c. Min. eſt certa. Maj. ultra quod communiter traditur a Philoſophis, patet ex hoc, quod cauſa formalis non cauſat niſi communicando ſeipſam; effectus enim formalis eſt ipſa forma communicata, in quo differt a cauſa efficiente, quæ producit aliquid a ſe diſtinctum. Ergo quantumcumque applicetur a cauſa ſupernaturali, nihil amplius efficiet niſi communicare ſeipſam. Neque dicas poſſe augeri vim ejus cauſandi, quia non cauſat, ut dictum eſt, niſi ſeipſam communicando. Unde quamvis augeatur, nihil aliud efficiet niſi ſeipſam communicare. Et aliunde cum formæ ſubſtantiales non ad-

mit-

mittant magis & minus, ſi quid ipſi addant, non erit amplius eadem forma, ſed alia.

Salvuntur Objectiones.

OBj. 1. Terminare plures naturas non arguit infinitatem in perſona terminante, Ergo. Prob. Ant. Perſonalitas divina prout ab eſſentia diſtincta non eſt infinita. Atqui tamen ut ſic de facto plures terminat naturas, divinam ſcilicet & humanam, & infinitas terminare poſſet. Ergo terminare alienam naturam non arguit infinitatem. Prob. Ant. Si perſonalitas divina, prout diſtincta ab eſſentia, eſſet infinita, ſequeretur aliquam infinitatem competere Filio, quæ non competeret Patri, & viciſſim. Atqui hoc dici non poteſt. Ergo. R. N. Ant. Ad Prob. D. Maj. Perſonalitas divina, prout ab eſſentia diſtincta, non eſt infinita infinitate perfectionis. Tranſeat Maj. Non eſt infinita infinitate terminativa, N. Maj. Igitur perſonalitas divina duo præſtat naturæ alienæ quam terminat, 1. Perſeitatem independentiæ; & quia hoc eſt perfectio, id præſtat ratione ſubſiſtentiæ abſolutæ, quam implicat, & in qua tranſcendentaliter imbibitur. Aliud autem, quod præſtat, eſt perſeitas incommunicabilitatis; & quia id non dicit perfectionem, illam præſtat ratione illius, quod explicat: & ſub illa ratione licet non ſit infinita infinitate perfectionis, eſt tamen infinita in ratione terminandi, tum quia naturam infinitam terminat, tum quia poteſt terminare in infinitum ſincategorematice. Unde patet Reſponſio ad probationem: ſicut enim licet a pluribus reputetur inconveniens, quod perfectio aliqua competat Patri & non Filio & e contra, non tamen quod aliqua entitas non explicans perfectionem, v. g. filiatio conveniat Filio, quæ non conveniat Patri; ita ſimiliter non eſt inconveniens, quod aliqua infinitas terminativa, uni perſonæ conveniat, quæ alteri non conveniat. Confer Tractatum de Trinit. Diſſert. 3. a. 5.

Inferes. Ergo Pater non eſt in omni linea infinitus. R. D. illationem, Pater ratione paternitatis non eſt in omni linea infinitus, C. eſt enim ſub hac ratione infinitus in ſola linea paternitatis: ratione naturæ, N. Sub hac enim ratione eſt formaliter infinitus in linea naturæ & identica in omni linea; quia natura divina cum omnibus, quæ ſunt in Deo ſive abſolutis, ſive relativis, identificatur.

Inſt. Terminare naturam alienam non eſt effectus infinitus. Ergo non exigit infinitatem in cauſa. R. D. Ant. non eſt effectus infinitus in ratione entis, C. In ratione effectus formaliter, N. Ant. & Conſeq. ſic licet effectus creationis ſit ens finitum, quia tamen in ratione effectus formaliter eſt infinitus, exigit cauſam infinitam.

Repones. Sol continet eminenter effectus cauſarum inferiorum, & tamen eſt aliquid finitum. Ergo a pari non repugnat dari aliquam ſubſiſtentiam creatam ſuperioris ordinis, quæ eminenter contineat virtutem perſonalitatum inferiorum. R. N. Conſ. & paritatem. Diſparitas eſt 1. Quod ſol cauſet per modum cauſæ efficientis; ſubſiſtentia vero per modum cauſæ formalis, ut dictum eſt, 2. Sol continet aliarum cauſarum effectus eminenter imperfecte quoad rationes genericas tantum, puta viventis aut corporis corruptibilis; ſubſiſtentia vero terminans plures naturas, earum ſubſiſtentias deberet eminenter continere quoad rationes earum ſpecificas & individuales, quod non magis poteſt, quam poſſit natura, cujus eſt terminus, & a qua ſpecificatur, continere aliarum naturarum rationes ſpecificas & individuales. Hoc ſoli ſubſiſtentiæ divinæ competit, quæ cum terminet naturam eminenter continentem omnes rationes ſpecificas & individuales aliarum naturarum, continet ideo omnes perfectiones ſpecificas & individuales aliarum ſubſiſtentiarum.

Obj. 2. Non implicat contradictionem, ut ea, quæ ſunt naturaliter determinata ad unum effectum vel terminum, ſupernaturaliter extendantur ad alia: v. gr. quod idem corpus ſit in diverſis locis, idem accidens in diverſis ſubjectis, eadem forma in diverſis materia. Ergo ſimiliter, R. Dato Ant. cum ſuis exemplis, N. Conſ. Diſparitas eſt, quod ea, quæ afferuntur, habeant ex ſe ſpeciem & determinationem: unde ex eo, quod extendantur ad alia, a quibus ſpecificationem non habent, non amittunt ſuam ſpeciem & determinationem, ſed ſolum variantur termini eorum materiales. At vero ſubſiſtentia habet limitationem & ſpeciem a natura, quam terminat. Unde ſi aliam terminaret naturam, ſuam ſpeciem amitteret.

ARTICULUS II.

Per quid immediate terminetur natura humana in Chriſto? An per aliquid abſolutum, vel per aliquid relativum?

SUPPONO ex Tract. de Trinit. præter tres ſubſiſtentias relativas & incommunicabiles dari inſuper in Deo ſecundum ſe, & ut perſonis præintellecto, ſubſiſtentiam abſolutam, per quam natura divina per ſe ſubſiſtit, non quidem incommunicabiliter ſicut perſonæ, ſed communicabiliter. Exiſtimavit Durandus unionem humanitatis immediate factam eſſe ad ſubſiſtentiam abſolutam Dei, mediate autem ad proprietatem relativam Filii, quia exiſtimavit proprietates relativas non eſſe ſubſiſtentias.

Dico. (*Ib. a. 2. & 4. a.*) Ratio formalis terminandi naturam humanam eſt ſubſiſtentia relativa, ſeu, Verbum terminavit naturam humanam formaliter & proxime per propriam perſonalitatem ſeu ſubſiſtentiam relativam, per quam conſtituitur in ratione perſonæ diſtinctæ a Patre & Spiritu S. non per ſubſiſtentiam abſolutam & communem.

Prob. 1. Auctoritate Concilii Tolet. 6. & 11. in confeſſione fidei, ubi ſic habetur: *Incarnationem fidei tota Trinitas operata eſt, quia inſeparabilia ſunt opera Trinitatis, ſolum tamen Filius formam ſervi accepit in ſingularitate perſonæ, non in unitate naturæ divinæ, in id quod proprium eſt Filii, non quod Trinitati commune eſt.* Et in Synodo 6. Act. 8. dicitur ex S. Dionyſio c. 2. de Divin. Nomin. *Quod Pater & Spiritus S. nihil in Incarnatione habent commune, niſi benigniſſimam voluntatem.* Prob. ratione inſinuata in præfatis auctoritatibus. Si Verbum terminaret naturam humanam formaliter & proxime per ſubſiſtentiam communem & abſolutam, Pater & Spiritus forent incarnati non minus quam Filius. Atqui falſum Conſequens. Ergo & Ant. Prob. Sequela. Quod convenit alicui perſonæ Trinitatis ratione alicujus attributi abſoluti & communis, convenit toti Trinitati: ſic quia creatio, conſervatio, gubernatio, imo & ipſa actio unitiva Incarnationis conveniunt uni perſonæ ratione omnipotentiæ, conveniunt omnibus. Ergo.

Dices cum Durando humanitatem non ſolum eſſe unitam immediate ſubſiſtentiæ abſolutæ, ſed etiam mediate proprietati relativæ Filii; unde fit, quod Filius ſolus ſit incarnatus, non Pater & Spiritus, niſi cum addito, in quantum ſcilicet ſunt hic Deus, non autem in quantum ſunt tales perſonæ. Sed contra inſtatur ratione jam facta. Quæ competunt Deo ratione alicujus attributi abſoluti & communis, competunt perſonis, & de illis abſolute & ſine addito prædicantur: ſic quia creare convenit Deo ratione potentiæ, abſolute & ſine addito de qualibet perſona prædicantur. Ergo ſi terminare naturam humanam conveniat Deo ratione ſubſiſtentiæ communis & abſolutæ, conveniet & omnibus perſonis, & de illis poterit dici ſimpliciter & abſolute, quod ſint incarnatæ & homines factæ. Quod autem dicit Durandus Patrem & Spiritum S. poſſe dici incarnatos cum addito, hoc eſt in quantum ſunt *hic Deus*, temeritate non vacat, cum nullus Patrum ita loqui auſus fuerit.

Hinc ſequitur 1. etiam explodendam eſſe alteram ſententiam, quæ dicitur eſſe Victoriæ, Soto, &c. nimirum, Verbum terminare humanitatem per ſubſiſtentiam abſolutam & communem, non quidem præciſe & abſolute ſumptam, ſed ut modificatam proprietate relativa Filii: quia in hac ſententia ut in priori ſequeretur pariter Patrem & Spiritum S. eſſe incarnatos. Prob. Sequela. Quod convenit alicui perſonæ ratione alicujus attributi communis etſi appropriati & proprietate relativa modificati, convenit omnibus; v. g. quia creare convenit Filio ratione omnipotentiæ, quæ omnibus communis eſt, non poteſt ratione illius etiam ut ipſi appropriatæ & relativa proprietate modificatæ quidquam creare, niſi Pater & Spiritus S. ſimul creent. Ergo pariter non poteſt terminare naturam humanam ratione ſubſiſtentiæ communis etſi ipſi appropriatæ & proprietate relativa modificatæ, niſi Pater & Spiritus S. ſimul eam terminent.

Sequitur 2. Verbum terminare mediate & ſecundario humanitatem per ſubſiſtentiam communem & naturam; quia ſubſiſtentia perſonalis immediate terminans identificatur cum abſoluta & natura. Ne tamen inde inferas Patrem & Spiritum S. poſſe dici mediate incarnatos, eo quod identificentur ipſi naturæ & ſubſiſtentiæ communi, id enim non ſufficit, ſed deberent identificari cum termino immediato ſcilicet perſonalitate Verbi, a qua e contra realiter diſtinguuntur. Sequitur. 3. Subſiſtentiam communem & eſſentiam divinam poſſe dici rationem radicalem & remotam terminandi naturam humanam: quia inde oritur in ſubſtantia relativa vis infinita & perfectio terminandi. Sequitur 4. merito olim damnatos fuiſſe Hermogenem & Praxeam, de quibus Aug. & Epiphan. lib. de Hæreſ. item & Sabellianos ſeu Patripaſſianos, qui

dog-

dogmatizabant Filium non potuiſſe incarnari & pati abſque Patre, cum quo eſſet ejuſdem naturæ. Sequitur 5. Nihilominus Patrem & Spiritum S. eſſe in humanitate Chriſti, non ſolum ratione Immenſitatis, ſed etiam per concomitantiam ratione Incarnationis, ita ut ſi per impoſſibile perſonæ divinæ non forent ubique ratione immenſitatis & infinitatis, forent tamen in humanitate Chriſti ratione Myſterii Incarnationis. Ratio eſt. Verbum eſt in humanitate ratione hujus Myſterii, Verbo identificatur divinitas, divinitati identificantur perſonæ divinæ, ergo perſonæ divinæ ratione hujus myſterii ſunt per concomitantiam in humanitate Chriſti.

Si dicas: Pater & Spiritus S. non ſunt concomitanter in Euchariſtia ratione Conſecrationis, alias ſequeretur, quod manducaremus & ſacrificaremus Patrem & Spiritum S. quod falſum eſt. Ergo nec in humanitate Chriſti. Prob. Sequela. Manducamus & ſacrificamus id, quod in Euchariſtia eſt per concomitantiam, ſcilicet divinitatem Verbi. Ergo. R. N. Ant. Ad prob. N. Sequelam. Ad prob. D. Manducamus & ſacrificamus, quod eſt per concommitantiam immediatam, C. Mediatam, N. Natura autem Verbi eſt in Euchariſtia per concomitantiam immediatam, in quantum pari paſſu procedit cum Verbo, & equæ immediate comitatur corpus, quod Verbum hypoſtatice ſuſtentat, ac ipſum Verbum. Pater autem & Spiritus S. ſunt ibi mediante divinitate ut ſic, & divinitas mediante divinitate Verbi, ſeu Verbo.

Salvuntur Objectiones.

OBj. 1. Deitas poteſt immediate communicari humanitati, abſque eo quod ipſi immediate communicentur perſonæ. Ergo ruit fundamentum concluſionis. Prob. Ant. Natura divina de facto communicatur Filio & non Paternitas. Ergo ſimiliter. R. N. Ant. Ad prob. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod oppoſitio relativa, quæ reperitur inter perſonas divinas, impediat quin una alteri communicetur. At vero inter humanitatem & perſonalitates Patris aut Spiritus S. nihil obſtat, quominus iſtæ illi communicentur, ſi & ipſa natura immediate communicaretur.

Obj. 2. Perſonalitas Verbi identificatur cum natura. Ergo non poteſt humanitas immediate uniri perſonalitati, quin & ipſi naturæ. R. D. Ant. Perſonalitas Verbi identificatur cum natura ſub diſtinctione virtuali, C. Sine diſtinctione virtuali, N. Hæc autem virtualis diſtinctio ſufficit, ut filiatio immediate terminet, non natura; ſicut ſufficit, ut natura communicetur, & non Paternitas.

Inſt. 1. Quia viſio beatifica terminatur ad eſſentiam divinam ut eſt in re, non poteſt non terminari ad relationes, ut docetur in Tract. de viſione beatifica: atqui perſonalitas Verbi, ut eſt in re, terminat naturam humanam. Ergo non poteſt eam non terminare natura quacum identificatur, licet virtualiter ab ea diſtinguatur. R. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod viſio Dei cum ſit intuitiva, quidditativa & beatifica, ex hoc multipici capite exigit attingere omne, quod in Deo eſt, ut probatur loco citato: at vero humanitas terminata ſubſiſtentia Verbi non exigit terminari abſoluta: communicatio autem alicujus rei fit ſecundum exigentiam termini, cui fit communicatio. Adde, quod humanitas terminetur etiam ad naturam & ſubſiſtentiam communem, ſed mediate, ratione ſcilicet ſubſiſtentiæ Verbi.

Inſt. 2. Humanitas terminata per ſubſiſtentiam relativam, exigit terminari per abſolutam. Ergo. Prob. Ant. Humanitas exigit non ſolum perſeitatem incommunicabilitatis, ſed etiam perſeitatem independentiæ: atqui ſubſiſtentia relative confert tantum perſeitatem incommunicabilitatis; altera autem perſeitas habetur a ſubſiſtentia abſoluta, ut diximus art. præced. & in Tract. de Trinit. R. N. Ant. Ad probat. D. Min. Subſiſtentia relativa ratione ejus, quod explicat, confert tantum perſeitatem incommunicabilitatis, C. Ratione ejus, quod implicat, N. Cum enim identificatur cum eſſentia divina, quæ ipſi tranſcendentaliter imbibitur, implicat & continet omnimodam perfectionem adeoque & perſeitatem independentiæ: quod ſufficit, ut illam communicet humanitati, ſicut ſufficit, ut illam communicet perſonæ divinæ, quam conſtituit.

Obj. 3. Natura divina, quæ eſt communis tribus perſonis ut modificata paternitate, eſt principium generans. Ergo ſimiliter ſubſiſtentia abſoluta, licet communis tribus perſonis ut modicata ſubſiſtentia relativa, eſt ratio terminandi humanitatem. R. N. Conſeq. Diſparitas eſt 1. quod generatio non ſupponat tres perſonas Trinitatis, cum ſit generatio unius, unde tribus convenire non poteſt, ſed ſolum ei quæ eſt ingenita. At terminatio naturæ humanæ ſupponit tres perſonas; unde ſi fiat primo per ſe ratione alicujus abſoluti, omnibus convenit. 2. Generare eſt agere; unde debet aſſignari hujus actionis notionalis principium quo, quod eſt natura, & principium quod, quod eſt perſona; at vero terminare humanitatem non eſt actio in illam, ſed purus terminus, & ideo id, quo fit

hæc terminatio, non debet eſſe natura, ſed perſonalitas, cujus proprium eſt terminare naturam.

Obj. 4. ſecundum Thomiſtas. Humanitas exiſtit formaliter per exiſtentiam divinam abſolutam & tribus perſonis communem, ut dicemus infra ad q. 17. D. Th. Quidni ergo ſubſiſtat per ſubſiſtentiam communem? R. Diſparitatem eſſe, quod unio humanitatis ad exiſtentiam divinam non ſit immediata, ſed ex conſequenti tantum & mediante perſonalitate Verbi.

ARTICULUS III.

Utrum Deus ſecundum ſe abſtrahendo a Perſonalitatibus relativis poſſit naturam alienam aſſumere?

QUæstio duplici ſenſu intelligi poteſt. 1. An ſi natura divina intelligeretur ſine relationibus perſonalibus, ita ut conſideretur hic unus Deus, non trinus in perſonis, qualem imaginantur Ethnici, poſſet naturam alienam aſſumere? 2. An ſuppoſito, quod ſint in Deo tres perſonæ, ut fides docet, poſſet tamen natura divina, ſeu hic Deus ut communis tribus perſonis, ratione ſubſiſtentiæ abſolutæ, aſſumere alienam naturam?

Dico 1. (*Ibid. a. 3. c.*) Hic Deus unus, abſtractis perſonalitatibus, poteſt intelligi aſſumens naturam alienam. Prob. (*Ibid. in a. ſ. c. & ad 2.*) Quia in hac hypotheſi remaneret Dei omnipotentia, per quam facta eſt Incarnatio, remaneret & una perſonalitas Dei, ut Judæi intelligunt, ad quam poſſet terminari aſſumptio; ſicut nunc dicimus eam terminari ad perſonam Verbi. Ergo.

Dico 2. Deus trinus in perſonis poſſet ratione ſubſiſtentiæ abſolutæ aſſumere naturam alienam, ſubſiſtentiis relativis eam ſecundario tantum terminantibus. Eſt communis inter Thomiſtas, qui agnoſcunt in Deo ſubſiſtentiam communem & abſolutam, diſtinctam a ſubſiſtentiis relativis, per quas conſtituuntur perſonæ. Prob. Quod eſt Deo ratio ſubſiſtendi in natura propria, poteſt eſſe illi ratio ſubſiſtendi in natura aliena. Id per ſe manifeſtum eſt; non enim alia de cauſa ſubſiſtentia relativa Verbi eſt illi ratio ſubſiſtendi in natura humana, quam quia eſt illi ratio ſubſiſtendi per ſe primo in propria natura: atqui ſubſiſtentia communis & abſoluta eſt Deo ratio ſubſiſtendi in propria natura: id probatum ſuppono ex Tract. de Trinit. Diſſert. 4. a. 3. Ergo.

At ſtatim obvia ſe offert difficultas. Iſta natura humana terminata per ſubſiſtentiam abſolutam foret homo & non perſona, quod implicat. Prob. Aſſumptum. Perſona per ſe ſubſiſtit incommunicabiliter: atqui ſubſiſtentia abſoluta non confert perſeitatem incommunicabilitatis, ſed independentiæ tantum: ergo. R. N. Aſſumptum. Ad prob. D. Min. Subſiſtentia communis & abſoluta non tribuit incommunicabilitatem formaliter & per ſe, C. Min. Concomitanter & mediate, N. Min. Hoc ipſo enim quod natura humana uniretur primario & immediate ſubſiſtentiæ communi & abſolutæ, uniretur etiam ſecundario & mediate ſubſiſtentiis relativis, a quibus haberet incommunicabilitatem.

Dices inſuper. Patres & Concilia non cognoverunt aliam unionem poſſibilem naturæ creatæ in Deo, niſi vel in natura vel in perſona: unde arguebant, quod ſi non eſſet in natura, ergo eſſet in perſona, vel nulla. Ita Concil. Tolet. 6. & 11. S. Anſelmus lib. de Incarnat. c. 4. D. Th. q. præcedenti a. 2. o. atqui unio naturæ creatæ facta ſubſiſtentiæ abſolutæ & communi, non eſſet unio, neque in natura, neque in perſona. Ergo. R. 1. ad Maj. Equidem Patres & Concilia non meminiſſe niſi duplicis unionis, in natura ſcilicet vel in perſona, non quidem quod aliam impoſſibilem judicarent, ſed quia hæretici, contra quos agebant, Neſtoriani ſcilicet & Eutychiani, de illa tantum duplici unione contendebant. Unde ex conceſſis, ſeu ut dicitur argumento ad hominem, contra illos inferebant unionem eſſe factam in perſona, ex hoc quod non eſſet facta in natura. R. 2. ad Min. hanc unionem in noſtro caſu equidem non fore ad perſonam immediate & per ſe primo, quia hic Deus ſic conſideratus perſona non eſt, ex conſequenti tamen neceſſario foret etiam ad perſonam, quia terminaretur primo ad ſubſiſtentiam abſolutam, ſecundario & mediate terminaretur ad ſubſiſtentias relativas, ut jam diximus.

ARTICULUS IV.

Utrum plures perſonæ divinæ poſſint ſimul vel diviſim aſſumere eandem numero naturam humanam?
Et e contra
An plures humanitates poſſint ſimul ab eadem perſona divina aſſumi?

DIco 1. (*Ib. a. 5. a.*) Quælibet ex perſonis divinis potuit terminare naturam humanam, eique hypoſtatice uniri. (*Ibid.*) Prob. Aſſumere naturam alienam con-

venit Deo ratione omnipotentiæ ut principii aſſumentis, & ratione perſonalitatis ut termini aſſumptionis. Atqui quælibet ex perſonis divinis habet omnipotentiam & perſonalitatem propriam in terminando infinitam. Ergo. Nec refert, quod ſi Pater incarnaretur, eſſet ſimul Pater & Filius; id enim foret ſecundum diverſas naturas, quod non repugnat, neque pareret confuſionem in re, ſed ad ſummum in ſermone, quo ſenſu intelligenda ſunt verba Anſelmi lib. de Incarnat, c. 4.

Dico 2. (*Ib. a. 6. o.*) Plures perſonæ divinæ poſſunt eandem ſimul naturam humanam terminare, eique hypoſtatice uniri. Eſt communis contra Scotiſtas. (*Ibid.*) Prob. Non eſt repugnantia neque ex parte perſonarum terminantium, neque ex parte naturæ terminabilis. Ergo nulla. Prob. Ant. pro 1. parte. Perſonæ divinæ non ſe excludunt a convenientia in eadem natura, cum omnes terminent ſimul eandem naturam divinam. Ergo. Prob. pro 2. parte., 1. Tota ratio facti in hoc myſterio eſt potentia facientis ut dicit Aug. Ep. 3. ad Voluſ. Ergo de illo judicandum eſt magis ſecundum conditionem perſonæ aſſumentis, quam ſecundum conditionem naturæ aſſumptæ. Subſumo. Atqui non repugnat ex parte perſonæ aſſumentis, ut dictum eſt. Ergo nec ex parte naturæ aſſumptæ. Conf. Natura humana eſt terminabilis a perſona divina, non ratione potentiæ naturalis, ſed obedientialis. Atqui ex parte hujus potentiæ non oritur repugnantia, ſi ex parte termini non oriatur. Ergo.

Dices 1. Ideo natura divina poteſt terminari tribus ſubſiſtentiis, quia eſt infinita. Ergo non valet conſequentia ad naturam creatam, quæ finita eſt. R. infinitatem eſſe rationem, cur divina connaturaliter terminari poſſit tribus ſubſiſtentiis, & ut quid diſtinctum ab illis.

Dices 2. Ex hac Concluſione ſequitur 1. naturam humanam fore communicabilem ulteriori ſuppoſito, ut ſupponitur, & incommunicabilem, quia de ratione ſubſiſtentiæ eſt reddere naturam incommunicabilem ulteriori ſuppoſito. 2. Eſſe ſimul adæquate terminatam & non adæquate terminatam, utpote ulterius terminabilem. 3. Pendere a duplici termino totali & adæquato, quod non minus repugnat, quam eundem effectum produci a duabus cauſis totalibus, idem accidens eſſe in diverſis ſubjectis, idem corpus in diverſis locis circumſcriptive, eandem lineam terminari diverſis punctis. Ergo.

R. ad 1. eſſe de ratione ſubſiſtentiæ creatæ reddere naturam incommunicabilem ulteriori ſuppoſito, ut dicemus infra, non autem de ratione ſubſiſtentiæ infinitæ, ut patet in divinis. Unde quod habet natura divina connaturaliter ex intrinſecis, quod poſſit communicari pluribus perſonis, hoc habet natura creata participative ratione potentiæ obedientialis, quæ eſt quodammodo infinita.

Ad 2. dico in hoc caſu naturam fore adæquate terminatam intenſive, ſed non extenſive, & ſic ulterius adhuc eſſe terminabilem extenſive. Sic Paternitas in creatis adæquate intenſive terminatur per unicum filium, eſt tamen adhuc terminabilis extenſive per plures alios, ſi adveniant. Per *intenſive* autem intelligimus perfectionem terminationis. Per *extenſive* modum terminationis. Unde adæquate intenſive terminatum per aliquid, ſed non extenſive, non erit quidem perfectius terminatum per aliud, ſed tantum pluribus modis terminatum, Igitur una perſona divina terminando naturam divinam eminenter habet poſſe terminare naturam creatam contentam in divina: & ſicut terminando naturam divinam relinquit locum alteri perſonæ, ut poſſit ſimul terminare eandem naturam, non quia terminat eam omnimoda perfectione, ſed quia non omni modo ſeu omni extenſione; Pater enim terminat ut perſona ingenita, Filius ut genita, Spiritus S, ut ſpirata: ita ſimiliter terminando eminenter naturam creatam, relinquit alteri perſonæ locum, ut poſſit ſimul terminare, non quod perfectiſſime non ſuppleat quidquid perfectionis perſonalitas creata conferre poſſet, ſed quia ſola non communicat omnem modum terminationis eminentialis, quo ſuppleri poteſt: neque affert omnem modum eminentialem continendi, qui eſt in alia perſona; adeoque non exhaurit totam terminabilitatem naturæ ab alio ſuppoſito eminentiali.

Et hinc patet ſolutio ad 3. licet enim verum ſit eundem omnino effectum non poſſe pendere a duplici cauſa totali & adæquata, quando omni modo eſt totalis & adæquata, tam quoad rem quam quoad modum, ita ut una nihil amplius etiam quoad modum cauſet quam altera. Secus tamen ſi aliquid amplius tribuat, aut idem novo modo; tunc enim non eſt omnibus modis totalis & adæquata, ſed ſolum quoad aliquid, videlicet quoad ſubſtantiam effectus, non quoad modum ſeu extenſionem. Patet in relatione paternitatis de qua ſupra, vel in relatione ſimilitudinis unius albi ad aliud album. Porro quælibet perſonalitas divina terminat & quidem adæquate intenſive ſeu quoad perfectionem naturam aſſumptam, ſed non adæquate extenſive ſeu omnibus modis, ut dictum eſt de terminatione divinæ naturæ.

Quoad exempla objecta, patet reſponſio ad 1. Ad 2. de accidente poſſet negari Ant. ſi intelligatur ſupernaturaliter. Sed hoc dato, N. Conſeq. quia accidens individuatur a ſubjecto, non autem natura a perſonalitate. Ad 3. & 4. corpore bilocato circumſcriptive; & duplici puncto terminante lineam, diſparitas eſt, quod tam unus locus circumſcriptive reſpectu ejuſdem quantitatis ſeu corporis, quam unum punctum reſpectu ejuſdem lineæ, ſint termini totales & adæquati non ſolum intenſive, ſed etiam extenſive, cum alter locus & aliud punctum non contineat eminenter virtutem novo modo terminandi idem corpus ſeu eandem lineam. Sicut quælibet perſona alio & alio modo terminando naturam divinam poteſt terminare eminenter alio etiam & alio modo naturam creatam in illa contentam. Eſt hæc ſubtilis doctrina Cajetani, quam communiter adoptant noſtri Thomiſtæ.

Inſt. Divina perſona non poteſt aſſumere humanitatem propria perſonalitate terminatam, ut dicemus Differt. ſeq. Ergo nec terminatam aliena. R. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod humanitas terminata propria perſonalitate ſiſtat in ſe; ſi autem terminaretur ulterius aliena perſonalitate, ſiſteret in ſe, & non in ſe, ſed in alio, quod implicat. At quod terminata aliena perſonalitate ſiſtat in alio, non implicat quod ſiſtat in altero alio, novo modo. Sed de hac difficultate latius Differt. ſeq. a. 1. §. 2.

Dices 3. D. Anſelmus lib. de fide Trinit. & Incarnat. c. 4. dicit: *Quapropter impoſſibile eſt, Deo incarnato ſecundum unam quamlibet perſonam, illum ſecundum aliam quoque perſonam incarnari*. Ergo. R. Etſi a quibuſdam admittatur Anſelmum in hoc nobis adverſari, poſſe tamen intelligi hoc ſenſu, quod velit non poſſe plures perſonas eandem naturam aſſumere, ſic ut ex illa aſſumptione reſultet tantum una perſona. Patet ex ejus ſcopo, qui eſt probare Patrem & Spiritum S. non aſſumpſiſſe humanitatem, quia in Chriſto eſt unica perſona, & una perſona non poteſt reſultare ex natura pluribus perſonalitatibus terminata.

Dico 3. (*Ibid. art. 7. o.*) Una perſona divina poteſt ſimul plures naturas humanas aſſumere. Prob. (*Ibid.*) Neque omnipotentia Dei, neque vis terminativa ejus eſt coarctata aut exhauſta per unam naturam creatam, cum utraque ſit infinita. Ergo. Confir. De facto una Verbi perſona terminat naturam divinam & humanam. Ergo a fortiori poteſt terminare plures humanas.

Dices. Hinc ſequitur, quod duæ naturæ corporeæ ſe penetrarent. R. N. Sequelam: quia ad veritatem Concluſionis non requiritur, quod ſuppoſitum divinum aſſumat in eodem loco duplicem illam naturam, ſed ratione immenſitatis poſſit hic unam aſſumere, alteram Romæ. Sed & conceſſa ſequela ſupernaturaliter, nihil ſequitur abſurdi ſecundum Thomiſtas.

Dico 4. (*Ib. a. 6. ad 1. & a. 7. ad 2.*) Si plures perſonæ divinæ aſſumerent unam naturam humanam, aut una perſona aſſumeret plures naturas, in utroque caſu diceretur unus homo, non plures homines. Prob. Ad multiplicationem nominis concreti ſubſtantivi requiritur multiplicatio formæ & ſuppoſiti. Atqui homo eſt nomen concretum ſubſtantivum, & in 1. caſu non multiplicaretur forma, in 2. non multiplicaretur ſuppoſitum. Ergo. Maj. patet ex Regula Dialecticorum, quæ inter nomina concreta ſubſtantiva & adjectiva ſtatuit hoc diſcrimen, quod ad multiplicationem nominum ſubſtantivorum requiratur multiplicatio formæ & ſuppoſiti, ad multiplicationem autem nominum adjectivorum ſufficit multiplicatio ſubjecti. (*Ib. a. 7. ad 2.*) Ratio autem hujus diſcriminis, juxta Auctorem, eſt quia nominibus eſt utendum ſecundum quod ſunt ad ſignificandum impoſita, quod quidem eſt ex conſideratione eorum, quæ apud nos ſunt, hoc eſt quod debet attendi ſecundum uſum communiter receptum inter homines. Porro ſecundum uſum communiter receptum nomina concreta ſubſtantiva non multiplicantur niſi multiplicatis forma & ſuppoſito; & e contra adjectiva multiplicantur multiplicato ſolo ſubjecto: ſic, v. g. quia in divinis eſt unica natura, licet ſint tria ſuppoſita ſeu tres perſonæ, dicitur unus Deus, e contra, quia in Chriſto eſt unum ſuppoſitum, licet duæ naturæ, dicitur unus Chriſtus, non duo. Item in divinis non dicuntur ſubſtantive tres omnipotentes, ſed unus omnipotens; non tres æterni, ſed unus æternus, prout uſurpavit S. Athanaſius in Symbolo contra Arianos: ſi autem ſumantur adjective, recte dicuntur tres omnipotentes, tres æterni. Item in humanis homo habens plures artes non dicitur plures artifices, habens plures filios non dicitur plures Patres: e contra vero ſi poneretur una albedo in duobus ſubjectis, dicerentur duo alba. Ratio (1. *p. q. 39. a. 4.*) ulterior hujus differentiæ hæc adfertur etiam ex D. Th. quod nomina adjectiva ſignificent formam per modum accidentis ſeu adjacentis ſubjecto. Unde cum accidens ſicut habet eſſe in ſubjecto, ita & habet, ſaltem quoad nos, ſuam unitatem aut pluralitatem a ſubjecto, conſequenter nomina concreta adjective ſignificantia unitatem vel multiplicitatem

ſu-

Digitized by Google

ſumunt a ſubjecto. At vero nomina concreta ſubſtantiva ſignificant juxta modum connaturalem ſubſtantiæ per ſe ſtantis ſeu ſubſiſtentis: Modus autem ſubſtantiæ proprius & connaturalis eſt afferre ſuum ſuppoſitum, hoc ipſo quod eſt per ſe ſubſiſtens. Unde ad multiplicationem nominis concreti ſubſtantivi requiritur pluralitas naturæ & ſuppoſiti: naturæ quidem ut principii formalis, ſuppoſiti ut conditionis.

Dices 1. D. Th. in 3. d. 1. q. 2. a. 5. ad 2. & 3. expreſſe docet contrarium ſecundæ parti Concluſionis. Ergo. R. S. Doctorem hic a. 7. ad 5. hanc retuliſſe ſententiam & retractaſſe.

Inſt. S. Doctor 1. p. q. 36. a. 4. & q. 39. art. dicit unitatem & pluralitatem nominis ſubſtantivi attendi ſecundum formam ſignificatam per nomen. Ergo. R. cum Cajetano, Ferrarienſi, Gonetio & aliis Thomiſtis, S. Thomam ibi velle pluralitatem nominis ſubſtantivi attendi ſecundum formam, tanquam ſecundum cauſam ſufficientem, ſi nomen ſumatur in abſtracto ut humanitas, ſi autem ſumatur in concreto, attendi ſecundum formam tanquam ſecundum cauſam requiſitam, non tamen ſufficientem, niſi accedat ſaltem ut conditio, multiplicatio ſuppoſitorum; patet, quia ibid. q. 36. art. 4. ad 2. dicit Patrem non eſſe duo principia, licet ſit duplex ratio principiandi, quia eſt unicum ſuppoſitum.

Repones. S. Doct. hic a. 6. ad 1. dicit, quod in caſu primæ partis Concluſionis non foret unus homo ſimpliciter, ſed tantum ſecundum quid. Ergo. R. N. Ant. Non enim dixit S. Doctor non fore *unum hominem* ſimpliciter, ſed non fore *unum* ſimpliciter. Sicut in divinis eſt quidem *unus Deus* ſimpliciter propter unitatem naturæ, non tamen eſt *unus* ſimpliciter, ſed cum addito, *unus Deus*; quia unus maſculine inſinuaret unam perſonam, ſicut unum neutraliter importat unitatem naturæ. Ita S. Th. loco cit. & 1. p. q. 31. art. 2. ad 4.

Dices 2. Sicut una perſona poteſt aſſumere duas humanitates, ita & poſſet aſſumere unam humanitatem & naturam Leonis ſimul, ut dicemus Diſſert. ſeq. Ergo ſicut in 1. caſu foret unus homo, ita in 2. foret unum animal. Subſumo. Atqui repugnat unum & idem animal pertinere ſimul ad diverſas ſpecies, utpote quæ contrahuntur per differentias oppoſitas. Ergo. R. conceſſo Ant. & illatione, D. Subſumptum: repugnat unum & idem animal unitate naturæ pertinere ad diverſas ſpecies, C. Subſumptum; unum & idem animal unitate ſuppoſiti, diverſum autem in natura, N. Subſumpt. & Conſeq.

Dices 3. Perſona eſt nomen concretum ſubſtantivum. Atqui non multiplicata natura multiplicatur ex ſola multiplicatione ſuppoſiti, ut patet in divinis, ubi ſunt tres perſonæ cum una natura. Ergo. R. D. Maj. Perſona eſt nomen concretum ſubſtantivum naturæ, N. Perſonæ, C. Hic autem agimus de concretis naturæ, in quibus importatur natura & ſuppoſitum, non de concretis perſonæ, in quibus tantum habetur ratio perſonalitatis.

Dices in caſu primæ partis Concluſionis forent tres habentes humanitatem: atqui homo idem eſt ac habens humanitatem. Ergo forent tres homines. R. D. Min. Homo idem eſt ac habens humanitatem quoad rem ſignificatam, C. Min. Quoad modum ſignificandi, N. Homo enim ſignificat ſubſtantive, habens humanitatem adjective. Unde licet in Deo ſint tres habentes Deitatem, non tamen ſunt tres Dii. Similiter licet quoad rem ſignificatam homo idem ſit ac ſuppoſitum naturæ humanæ, forent tamen in hoc caſu tria ſuppoſita naturæ humanæ & unus homo; quia terminus numeralis præfixus huic termino *ſuppoſitum*, illud tantum multiplicat; præfixus autem huic termino *homo* multiplicat etiam humanitatem, quam homo de formali ſignificant.

Inſt. In eo caſu ſequeretur, quod idem homo poſſet eſſe vivens & mortuus, parvus & magnus, albus & niger &c. Atqui. Ergo. R. Hæc non repugnare ratione diverſi corporis & naturæ.

Corollaria.

EX dictis colliges 1. Quod ſi Pater aſſumeret naturam jam aſſumptam a Filio, aſſumeret etiam omnia pertinentia ad eſſe talis naturæ; probabilius tamen non aſſumeret etiam mediate unionem hypoſtaticam Filii, neque pertinentia ad ejus eſſe perſonale; quia hæc nullam habent dependentiam aut connexionem neceſſariam cum natura aſſumpta. Colliges 2. Quod cum radix communicationis idiomatum ſit identitas ſuppoſiti, in caſu quo tres perſonæ aſſumerent eandem humanitatem, oriretur communicatio idiomatum inter hunc Deum & hunc hominem quoad prædicata eſſentialia & communia: item inter hunc hominem & tres perſonas quoad prædicata notionalia, quia ubique reperiretur identitas ſuppoſiti, non tamen inter ipſas perſonas quoad prædicata perſonalia, quia ſemper inter ſe differrent ſuppoſito. Hinc in illa hypotheſi verum eſſet dicere, hic homo eſt Pater: non tamen Pater eſt Filius. Colliges 3. Quod ſi Pater incarnaretur ex Maria Virgine, ex qua Filius eſt incarnatus, Pater eſſet Filius Matris ſui Filii & Frater ſui Filii, non tamen B. Virgo foret ſimul Mater & avia Chriſti, quia non eſſet Mater ejus Patris ſub ea ratione, qua eſt Pater Filii ſui, ſcilicet ſecundum naturam divinam, ſed ſecundum humanam tantum.

Quæritur, utrum fuerit convenientius Filium incarnari quam Patrem aut Spiritum S. R. (*Hic q. 3. a. 8. o.*) affirmative. Prob. 1. (*Ibid.*) Quia ſicut per Verbum omnia facta ſunt; ita conveniens erat, ut per Verbum omnia repararentur: Artifex enim per formam artis conceptam, qua artificiatum condidit, ipſum, ſi collapſum fuerit, reſtituit. Hæc ratio eſt etiam S. Aug. Tract. 17. in Joan. 2. Quia congruum erat, ut per eum, qui eſt Filius Dei naturalis, efficeremur Filii Dei adoptivi. 3. Ut homo, qui per appetitum inordinatum ſcientiæ peccaverat & perierat, per eum, cui attribuitur ſapientia, repararetur.

Dices. Potentia creandi attribuitur Patri. Atqui Incarnationis effectus eſt quædam mundi recreatio. Ergo magis decuiſſet Patrem incarnari quam Filium. R. (*Ibid. ad 2.*) primam creationem eſſe factam a potentia Dei Patris per Verbum: unde & recreatio per Verbum fieri debuit a potentia Dei Patris, ut recreatio creationi reſponderet.

DISSERTATIO VII.

DE NATURA ASSUMPTIBILI ET ASSUMPTA, NEC NON DE ORDINE ASSUMPTIONIS.

D. Thom. QQ. 4. 5. & 6.

ARTICULUS I.

De natura aſſumptibili.

§. I. *Utrum omnis natura completa ſit aſſumptibilis a Verbo?*

DICO 1. (*Hic q. 4. a. 1. a.*) Convenientius fuit naturam humanam aſſumi a Verbo quam aliam quamcumque. Prob. (*Ibid.*) Hæc major convenientia in natura humana poteſt attendi ſecundum duo, ſcilicet ſecundum dignitatem & ſecundum neceſſitatem; ſecundum dignitatem, quia cum ſit rationalis & intellectualis, nata eſt attingere aliqualiter ipſum Verbum per ſuam operationem, cognoſcendo ſcilicet & amando ipſum: ſecundum neceſſitatem, quia lapſa per peccatum originale indigebat reparatione. Atqui hæc duo ſimul ſoli naturæ humanæ conveniunt. Ergo. Prob. Min. Creaturæ irrationali deeſt congruitas prædictæ neceſſitatis. Ergo. Prob. 2. pars Ant. prima enim patet: 1. Tota natura Angelica non cecidit ſicut humana. 2. Cecidit irreparabiliter non quidem abſolute, ſed juxta modum divinæ providentiæ conſentaneum, ut diximus in Tract. de Angelis. 3. Cecidit propria voluntate, natura autem humana voluntate aliena; unde hæc minus quam illa miſeratione eſt indigna. Ergo. Verum iſtæ ſunt convenientiæ rei factæ, non faciendæ, ut jam diximus alibi; ultima enim & veriſſima hujus diſpenſationis cauſa ſunt inſcrutabilia Dei judicia. Poterat enim, ut modo dicemus, naturam Angelicam aſſumere & liberare, & ſi voluiſſet, congruentiæ non defuiſſent.

Dico 2. Abſolute loquendo quælibet natura completa etiam irrationalis & Angelica eſt aſſumptibilis a Verbo. Quoad Angelos, de quibus eſt major difficultas, eſt expreſſe D. Th. hic ad 3. Prob. Talis aſſumptio non repugnat neque ex parte divinæ perſonæ, cujus vis terminandi eſt infinita, neque ex parte naturæ creatæ, quæ eum diſtinguatur a ſua ſubſiſtentia, etiam in Angelis, ut patebit ex Sol. Obj. poteſt ea privari dum habetur, aut impediri antequam habeatur, & a divina præveniri. Neque repugnat ex parte ignobilitatis cujuſvis naturæ; ut enim dicit Greg. Nyſſ. orat. catechetica cap. 27. *Ex æquo diſtat omnis creatura a Deo*. Unde Tertullianus lib. de carne Chriſti cap. 4. docet Verbum divinum potuiſſe prodire de vacca aut ſue, ſi voluiſſet. ita ut hoc tantum fit

turpe & indecens Deo, ſi de noſtro ſenſu judicamus Deum, non vero ex rei veritate: ſic ſecluſa fide indecens exiſtimaremus divinam Majeſtatem aſſumere carnem noſtram, flagellari, conſpui, mori, &c. & tamen vere indecens non eſt. Quin imo de facto Verbum aſſumpſit naturam irrationalem & inſenſibilem, cum triduo mortis manſit unitum hypoſtatice cadaveri, communicans ei ſuam perſonalitatem, non quidem ſub ratione perſonalitatis, ſed ſub ratione ſubſiſtentiæ conſtituentis non perſonam ſed ſuppoſitum, quia creatura irrationalis eſt incapax denominari perſona.

Solvuntur Objectiones.

OBj. 1. Sola illa natura poteſt aſſumi, quæ diſtinguitur a perſonalitate. Atqui juxta D. Th. natura in Angelis non diſtinguitur a perſonalitate. Ergo. Prob. Min. S. Doctor 1. p. q. 3. art. 3. dicit: *Quod in his, quæ non ſunt compoſita ex materia & forma, in eis non differt ſuppoſitum & natura.* Et q. 7. de Pot. art. 4. *In Angelis quodlibet ſuppoſitum eſt ſua natura.* Et potiſſimum 4. cont. Gent. c. 55. *Convenientius aſſumpta eſt natura humana quam Angelica, quia in homine aliud eſt natura, aliud perſona, cum ſit ex materia & forma compoſitus, non autem in Angelis, quia immaterialis eſt.* Ergo. R. Cum S. Th. expreſſe aſſerat concluſionem noſtram hic ad 3. manifeſtum eſt verba in objectione laudata non eo ſenſu intelligenda, quo intelligunt adverſarii. Itaque obſervandum eſt cum noſtri Thomiſtis Cajetano, Medina, Alvarez, Gonet, Contenſon & aliis ſuppoſitum poſſe ſumi dupliciter. 1. Formaliter pro termino complente naturam: 2. Radicaliter pro ipſo naturæ individuo; cum enim ſuppoſitum formale reddat naturam ſingularem & incommunicabilem, oritur ex principiis naturam non ſpecificantibus ſed individuantibus; & cum in ſubſtantiis immaterialibus juxta D. Th. idem ſit principium ſpecificativum & individuativum, ſuppoſitum radicale in illis ſeu individuum non diſtinguitur a natura, ſecus in ſubſtantiis materialibus, in quibus principium ſpecificativum aliud eſt ab individuativo; eſt enim in illis materia ſignata quantitate. Quandoque ergo S. Th. loquitur de ſuppoſito radicali, quandoque de formali. Dum loquitur de ſuppoſito radicali, ut in locis in argumento citatis, vere dicit illud non diſtingui a natura in ſubſiſtentiis immaterialibus; dum vero loquitur de ſuppoſito formali ut hic ad 3. vere etiam dicit, illud diſtingui a natura. Enimvero ſi S. Doctor in locis objectis ſentiret ſuppoſitum formale nullatenus diſtingui a natura, non dixiſſet convenientius fore aſſumi naturam humanam quam Angelicam, ſed Angelicam aſſumi eſſe omnino impoſſibile. Cum ergo dicat alterum fuiſſe convenientius, utrumque judicat poſſibile. Recte tamen advertit majorem eſſe convenientiam ex parte naturæ humanæ, in qua ſuppoſitum etiam radicaliter diſtinguitur a natura; tanto enim major eſt congruentia aſſumendi, quanto major eſt ſuppoſiti a natura diſtinctio, quippe quæ eſt veluti aſſumptionis regula.

Inſt. S. Th. locis cit. aſſerit formas ſpirituales completas eſſe ſuppoſita ſubſiſtentia, quia individuantur a ſeipſis. Ergo. R. D. Ant. Suppoſita ſubſiſtentia radicaliter & ut quo, C. Formaliter & ut quod, N.

Obj. 2. S. Th. hic in calce articuli ſic concludit: *Unde relinquitur, quod ſola natura humana ſit aſſumptibilis.* Ergo. R. S. Th. loqui de aſſumptibilitate ſecundum congruentiam, non ſecundum potentiam Dei abſolutam. Patet ex textu.

Obj. 3. Si Deus aſſumeret naturam irrationalem, v. g. naturam equi aut canis, indecentiſſima foret communicatio idiomatum, quæ ex tali aſſumptione ſequeretur. Atqui Deus nihil poteſt facere indecens. Ergo. R. D. Maj. Indecentiſſima foret communicatio idiomatum ſecundum ſenſum noſtrum præciſe, C. Secundum rei veritatem aut ſenſum fide regulatum, N. Patet ex dictis in probatione Concluſ. Monet tamen recte Cajetanus, quod licet Deus abſque ullo majeſtatis ſuæ dedecore poſſit etſi viliſſimam creaturam aſſumere, impudentiæ tamen foret deſcendere ad particularia propter periculum infirmitatis noſtræ.

Obj. 4. Natura irrationalis non poteſt elevari ad viſionem & amorem Dei. Ergo nec ad eſſe ejus perſonale. Prob. Conſeq. 1. Quia operari ſequitur ad eſſe. 2. Quia quod ad minus elevari non poteſt, non etiam poteſt a fortiori elevari ad majus: majus eſt autem aſſumi ad ſubſiſtendum in divina perſona, quam ad videndum ſeu amandum Deum. R. N. Conſeq. Ad 1. Probat. D. Ant. operari ſequitur ad eſſe eſſentiæ, C. Ad eſſe perſonale, Subd. Ut ad principium quo & formale, N. Ut ad principium quod, ſeu conditionem, C. Juxta autem conditionem principii quo ſequitur operatio. Ad 2. Probat. dico veram eſſe majorem de minori & majori ejuſdem ordinis, non autem quando ſunt diverſi ordinis. Unde licet ſit minus volare, quam intelligere, homo tamen eſt capax intelligere, & non volare: videre autem ſeu amare Deum, & uniri ipſi hypoſtatice ſunt diverſi ordinis. Inſuper patet falſitas Conſequentiæ ex corpore Chriſti mortuo, quod tamen manſit unitum Verbo triduo mortis.

Obj. 5. Natura incapax effectus formalis eſt incapax formæ. Atqui creatura rationalis eſt incapax effectus formalis ſubſiſtentiæ Verbi, ſcilicet ſanctitatis. Ergo. R. 1. Et inſto in corpore Chriſti mortuo ut ſupra. R. 2. De Maj. De effectu formali primario, C. De effectu formali ſecundario, N. Sanctitas autem eſt effectus tantum ſecundarius ſubſiſtentiæ divinæ: primarius eſt naturam humanam reddere ſubſiſtentem.

§. II. *Utrum Verbum aſſumere potuerit naturam propria ſubſiſtentia terminatam, ea retenta?*

SUPPONO 1. ut certum de fide Verbum non aſſumpſiſſe de facto perſonalitatem aut perſonam creatam: quia fide certum eſt unam eſſe in Chriſto perſonam divinam, ut probavimus contra Neſtorium. Suppono 2. etiam ut certum, neutram eſſe aſſumptibilem a Verbo. 1. Quia perſonalitas eſt ultimus terminus in ratione ſubſiſtendi, termini autem ultimi non poteſt dari ulterior terminatio. Quia de ratione perſonæ eſt, quod ſit incommunicabilis alteri ut ſuppoſito; definitur enim rationalis naturæ individua, id eſt incommunicabilis ſubſtantia. Suppono 3. Verbum potuiſſe aſſumere naturam creatam propriæ perſonalitati conjunctam, deſtruendo per aſſumptionem hanc perſonalitatem; ſicut enim poteſt impediri propria perſonalitas, ne reſultet in natura, ita poteſt ea natura privari, dum jam debet.

Solum ergo difficultas eſt, an natura creata propria perſonalitate terminata poſſit ea retenta aſſumi a Verbo, ita tamen ut hæc perſonalitas non aſſumatur. Licet enim ſit de ratione ſubſiſtentiæ ſeu perſonalitatis reddere ipſam perſonam, hoc eſt compoſitum ex natura & perſonalitate, alteri ſuppoſito incommunicabilem, non omnes tamen conveniunt de ratione ſubſiſtentiæ ſeu perſonalitatis eſſe quod reddat naturam, quam afficit, incommunicabilem alteri ſuppoſito vel perſonæ. Sic natura divina ſubſiſtens perſonalitate Patris remanet communicabilis perſonæ Filii: ſic humanitas Chriſti eſt adhuc aſſumptibilis a perſona Patris ſeu Spiritus S. ut diximus. His non obſtantibus juxta communem Theologorum ſententiam

Dico. Natura creata propria perſonalitate ſubſiſtens non poteſt ea retenta aſſumi a Verbo etiam de potentia Dei abſoluta. Ita communiter Theologi, quamvis non conveniant in aſſignanda ratione hujus implicantiæ. Prob. 1. Patres & Concilia, maxime V. generale Collat. 8. Can. 5. ex unione divinæ naturæ ad humanam inferunt unam eſſe perſonam in Chriſto. Atqui hæc illatio nulla foret, ſi Verbum potuiſſet aſſumere naturam humanam propria perſonalitate ſubſiſtentem eam retinendo. Ergo.

Prob. 2. Implicat eandem naturam ſimul ſubſiſtere in alieno ſuppoſito & non ſubſiſtere in alieno ſuppoſito, terminari in ſe & non in ſe, ſed in alio. Atqui ſi natura creata retenta propria perſonalitate aſſumeretur a Verbo, ſimul ſubſiſteret in alieno ſuppoſito & non ſubſiſteret, ſimul terminaretur in ſe & non in ſe, ſed in alio. Ergo. Maj. patet. Prob. Min. Subſiſteret in alieno ſuppoſito nempe Verbo, & in ipſo terminaretur, ut ſupponitur, & non ſubſiſteret neque terminaretur, quod probatur: quia de ratione ſubſiſtentiæ propriæ eſt reddere ex propriis & intrinſecis naturam ſubſiſtentem, non utcumque (id enim competit alienæ etiam ſubſiſtentiæ) ſed in ſe, id eſt ſiſtentem & terminatam in ſe & non in alio, non ſolum tanquam in ſubjecto, (id enim habet eſſentialiter ſubſtantia prout diſtinguitur ab accidente) ſed in alio tanquam in ſuppoſito. Ergo.

Dices. Natura divina terminata & ſubſiſtens perſonalitate Patris, ea retenta, ulterius terminatur & ſubſiſtit perſonalitatibus Filii & Spiritus S. Item natura humana ſubſiſtens perſonalitate Verbi remanet aſſumptibilis ab aliis perſonis divinis, ut diximus ſupra. Ergo ſimiliter natura creata retenta propria perſonalitate poteſt aſſumi a Verbo. R. N. Conſeq. Diſparitas patet ex probatione, quia ex pluribus ſubſiſtentiis propriis ſequitur unicus effectus, qui eſt ſubſiſtere & terminari in ſe, licet pluribus modis: & ex pluribus ſubſiſtentiis alienis ſequitur pariter unicus effectus, qui eſt ſubſiſtere & terminari in alio, pluribus tamen modis. Sicut autem non implicat ſubſiſtere in ſe pluribus modis, ita nec ſubſiſtere in alio pluribus modis. At ex ſubſiſtentia propria & aliena ſequitur duplex effectus repugnans. Effectus enim formalis ſubſiſtentiæ propriæ, cum ſit ex intrinſecis, eſt ſubſiſtere & terminari in ſe & non in alio; effectus autem ſubſiſtentiæ alienæ eſt ſubſiſtere & terminari in alio & non in ſe, quæ, ut patet, implicant.

Petes 1. Utrum hæc propoſitio: Deus aſſumpſit hominem, in rigore ſit vera? R. (*Id. a. 3. o.*) Hanc propoſitionem non eſſe veram in rigore ſermonis: quia homo eſt

no-

nomen perſonæ ſignificans humanitatem ut ſubſiſtentem. Unde hæc propoſitio, *Petrus eſt homo*, eſt vera, quæ tamen eſſet falſa, ſi diceretur, *Petrus eſt humanitas*. Atqui Deus non aſſumpſit perſonam, ut probatum eſt. Ergo.

Dices. Modus ille loquendi paſſim uſurpatur a SS. Patribus & Conciliis, imo canit Eccleſia, *Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem non horruiſti Virginis uterum*. R. (*Ib. ad* 1.) Hujuſmodi locutiones non eſſe extendendas tanquam proprias, ſed pie exponendas ubicumque e Sacris Scriptoribus ponuntur, ut dicamus hominem aſſumptum, quia ejus natura aſſumpta eſt, accipiendo partem pro toto per Synecdochen, & quia aſſumptio terminata eſt ad hoc ut Filius Dei ſit homo.

Petes 2. Utrum decebat aſſumi naturam abſtractam ab omnibus individuis? R. (*Ib. a. 4. o.*) Negative: tum quia nulla datur talis natura niſi per intellectum, tum quia hoc ipſo quo natura aſſumitur ad perſonam, individuatur.

Petes 3. Utrum decebat aſſumi naturam in omnibus individuis? (*Ib. a. 5. o.*) Negative: 1. Quia inde ſequeretur, quod eſſet tantum unus homo in rerum natura, adeoque Chriſtum non eſſe primogenitum in multis fratribus, nec Salvatorem hominum. 2. Quia ſalus hominum fuit ſufficienter reparata per aſſumptionem unius naturæ.

Petes 4. Utrum decebat aſſumi naturam ex ſtirpe Adæ. R. (*Ib. a. 6. o.*) Potuiſſe Deum aliunde naturam humanam aſſumere, convenientius tamen fuit aſſumere ex ſtirpe Adæ: & hoc propter tria. 1. Quia hoc videtur pertinere ad juſtitiam, ut ille ſatisfaciat, qui peccavit. 2. Quia hoc pertinet ad majorem hominis dignitatem, dum ex illo genere victor diaboli naſcitur, quod per diabolum fuerat victum. 3. Quia per hoc magis oſtenditur potentia Dei, dum naturam infirmam & corruptam ad tantam virtutem & dignitatem promovit. Non decuit (*Ib. ad* 2.) tamen hanc ſingularis Adæ naturam aſſumere, quia illa erat peccato corrupta, debebat autem Chriſtus eſſe a peccatoribus ſegregatus, qui mundare venerat omnes peccatores.

Petes 5. Utrum humanitas conjuncta Verbo appetat appetitu innato propriam ſubſiſtentiam? Nota appetitum innatum eſſe inclinationem ſeu propenſionem ab Auctore naturæ inditam, qua quæque res ad bonum ſibi proportionatum propendet abſque ulla cognitione, per quas ultimas particulas diſtinguitur ab appetitu elicito. Sic lapis ſuſpenſus habet appetitum innatum in centrum. Dupliciter conſiderari poteſt: in actu primo; & eſt ipſa rei natura ſecundum ſe veluti inclinata in proprium bonum: & in actu ſecundo, & eſt operatio ſeu quaſi operatio naturæ tendentis in bonum: ſic gravitas in lapide eſt appetitus innatus in actu 1. in centrum; gravitatio autem eſt appetitus in actu 2. Suppono in humanitate Chriſti Verbo conjuncta eſſe appetitum innatum in actu primo ad propriam ſubſiſtentiam; quia, ut dixi, eſt ipſa humanitas ſecundum ſe; quatenus ex ea nata eſt ſequi naturaliter propria ſubſiſtentia, ſi ſepararetur a Verbo. His ſuppoſitis R. humanitatem Chriſti non habere appetitum innatum in actu ſecundo ad propriam ſubſiſtentiam. Ita Cajet. Joannes a S. Th. & communiter Thomiſtæ contra Vaſq.

Prob. Quando aliquid perficitur per aliquam perfectionem continentem formaliter eminenter, quidquid omnino eſt in eo, ad quod naturaliter inclinatur, ibi quieſcit appetitus eo modo ac quieſceret in eo, quod naturaliter appetit, adeoque quantumvis cum eo habeat convenientiam, quod eſt appetitus in actu 1. in illud tamen amplius actu non movetur. Atqui perſonalitas divina non ſolum terminat naturam humanam tanquam perfectior ſubſiſtentia ſuccedans propriæ, ſicut anima rationalis ſuccedit ut forma perfectior in materia alteri formæ, ex quo non impeditur appetitus innatus materiæ in aliam formam, ſed tanquam continens totam perfectionem propriæ ſubſiſtentiæ, quia infinita eſt. Ergo. Min. eſt certa. Maj. etiam patet. Quia ideo appetitus quieſcit in propria perfectione, quia eſt conveniens & proportionata ſuæ inclinationi. Ergo ſi totum hoc eſt in altero, etiam ibi quieſcit: ſic ſi eſſet aliquid continens quidquid eſt in centro reſpectu lapidis, lapis in illo quieſceret ſicut in centro. Confir. ab inconvenienti. Quia alias ſequeretur, quod humanitas appeteret dimitti a Verbo, ſi quidem Verbum non poſſit ſtare cum propria ſubſiſtentia humanitatis. Adde, quod foret etiam in ſtatu violento.

Dices. Intellectus videns Deum in ſe appetit adhuc ipſum cognoſcere naturali modo ex effectibus. Item accidens perfectius exiſtens ſeparatum quam inhærens appetit tamen inhærentiam. Ergo. R. ad primum, 1. Poſſet negari Ant. 2. Hoc dato, diſparitas eſt, quod in ſe non ſit incompatibilis cum cognitione ex effectibus, ſicut ſubſiſtentia Verbi eſt incompatibilis cum ſubſiſtentia propria humanitatis. Ad 2. R. accidens ſeparatum non recipere aliquam formam continentem perfectionem inhærentiæ, ſed Deum dumtaxat ſuſpendere inhærentiam ſupplendo concurſum ſubjecti: unde per hoc non tollitur quin appetat inhærentiam.

§. III. *Utrum ſubſtantiæ incompletæ & accidentia poſſint aſſumi a Verbo?*

Dico: Generaliter inter naturas incompletas, illæ ſolum ſunt aſſumptibiles ad unitatem ſubſiſtentiæ vel exiſtentiæ divinæ, quæ ſunt intrinſece capaces propriæ ſubſiſtentiæ vel exiſtentiæ, & pro illo ſtatu quo ſunt capaces. Quæ vero nec ſubſiſtentiæ nec exiſtentiæ propriæ ſunt intrinſece capaces, non ſunt aſſumptibiles. Ratio eſt: quia ſubſiſtentia & exiſtentia divina aſſumunt naturam aliquam, non eam per modum formæ conſtituendo, ſed illam terminando in ratione puri termini. Ergo ſupponunt terminabilitatem in natura aſſumpta. Ergo naturæ, quæ non ſunt ſecundum ſe determinabiles ſeu capaces propriæ ſubſiſtentiæ & exiſtentiæ immediate, ſed mediante alio, neque etiam ſunt capaces immediate divinæ ſubſiſtentiæ ſeu exiſtentiæ loco propriæ ſubrogantæ, ſed tantum mediante illo, in quo ſubſiſtunt vel exiſtunt. Hinc

Sequitur 1. Materiam primam omni forma denudatam non eſſe aſſumptibilem, ſed ſolum mediante aliqua forma: quia juxta Thomiſtas materia prima ſine forma non eſt capax exiſtentiæ, cum non poſſit habere ultimum actum, qui eſt exiſtentia, niſi habeat primum, qui eſt forma, ut fuſius docetur in Phyſica. Sequitur 2. animam rationalem eſſe aſſumptibilem, quia cum a ſolo Deo per creationem producatur, eſt capax immediate propriæ ſubſiſtentiæ & exiſtentiæ, adeoque & divinæ propriam ſupplentis, imo de facto in triduo mortis remanſit unita Verbo. Quoad alias autem formas materiales & corruptibiles pendet ex diverſis principiis philoſophicis, qui enim tenet eas non poſſe ſubſiſtere ſeparatas a materia, negant eas poſſe aſſumi. Qui autem opinantur eas divinitus poſſe ſine materia ſubſiſtere, ſicut accidentia exiſtere divinitus poſſunt ſine ſubjecto, conſequenter dicunt eas poſſe aſſumi.

Sequitur 3. Nullum accidens eſſe immediate aſſumptibile ad ſubſiſtentiam divinam, quia non eſt capax per ſe ſubſiſtentiæ propriæ. Quod patet: tum quia ſubſiſtentia eſt terminus ultimus & complementum eſſentiale ſubſtantiæ ergo ad ſubſiſtentiam aſſumi non poteſt niſi ſubſtantia: tum quia ſubſtantia eſt modus exiſtendi ſubſtantiæ proprius, ſicut inhærentia accidenti; atqui modus inhærentiæ eſt ita accidenti proprius, ut non poſſit communicari ſubſtantiæ. Ergo.

Dixi *immediate*; quia certum eſt accidentia poſſe aſſumi ad ſubſiſtentiam Verbi mediante ſubſtantia, cui inhærent, & ita de facto voluntas, intellectus, cæteræque hominis proprietates aſſumptæ ſunt a Verbo mediante humanitate.

Utrum autem accidentia ſaltem ſint immediate aſſumptibilia ad exiſtentiam divinam, utrimque eſt probabile. Quidam negant, quia exiſtimant accidens non poſſe exiſtere exiſtentia ſubſtantiæ, ſicut fieri nequit ſubſtantiam exiſtere exiſtentia accidentis. Alii e contra affirmant id fieri poſſe, quia cum accidens ſecundum ſe ſit capax exiſtentiæ, videtur aſſumi poſſe ad exiſtentiam divinam ſupplentem vices propriæ, non quatenus eſt accidentalis, ſed præciſe quatenus eſt exiſtentia ſecluſis imperfectionibus: ſicut ſubſiſtentia divina unita corpori ſupplet vices ſubſiſtentiæ corporeæ, non quatenus corporea eſt, ſed quatenus præciſe eſt ſubſiſtentia, quam divina eminenter continet.

Ad rationem contrariam poteſt dici exiſtentiam divinam eſſe eminenter accidentalem; exiſtentiam vero nullam dari accidentalem, quæ ſit eminenter ſubſtantialis. Nec inde ſequitur Deum denominandum album, ſi v. g. aſſumeret ad ſui exiſtentiam albedinem, quia accidentia non denominant ſubjectum, niſi quatenus ipſi inhærent: Deo autem in noſtro caſu non inhærent: unde dicendum foret dumtaxat; Deus habens albedinem.

Sequitur 4. partes integrales, ut manus, caput, pes, &c. dum ſunt unitæ toti, non poſſe aſſumi, niſi aſſumatur totum; ſecus ſi ſepararentur. Prima pars patet; quia ut unitæ exiſtunt & ſubſiſtunt exiſtentia & ſubſiſtentia totius, non enim Thomiſtæ agnoſcunt ſubſiſtentias ſive exiſtentias partiales in toto. Non poteſt autem eadem pars ſubſiſtere duplici ſubſiſtentia ſui totius & Dei, & repugnat divinam ſubſiſtentiam venire in compoſitionem unius ſubſiſtentiæ totalis cum aliis ſubſiſtentiis partialibus, eſto gratis concederentur. Secunda pars etiam patet; quia illæ partes a toto ſeparatæ ſunt capaces propriæ ſubſiſtentiæ & exiſtentiæ, a ſubſiſtentia & exiſtentia totius diſtinctæ.

ARTICULUS II.

De natura aſſumpta.

Dico 1. generaliter. Verbum hypoſtatice aſſumpſit omnes partes pertinentes ad integritatem & perfectionem humanitatis, ſive informentur vita totius, ſive non. Prob. Secundum fidem Catholicam paſſim in Scripturis

traditam, a Conciliis & Patribus unanimiter aſſertam, quamque tenet, tuetur & cantat univerſa qua late patet Mater Eccleſia, Chriſtus eſt verus, integer & perfectus homo. Ergo veram, perfectam & integram humanitatem, non mutilatam, mancam aut imperfectam hypoſtatice aſſumpſit. Ex hac generali poſitione fluunt ſequentes. Unde

Dico 2. (*Hic q. 5. a. 1. c.*) Verbum hypoſtatice aſſumpſit verum corpus, non phantaſticum aut umbratile. Eſt de fide definitum in Concilio Nicæno, Epheſ. Conſtantinop. Chalced. &c. contra Marcionitas & Manichæos, qui tribuebant corpus phantaſticum Chriſto, ne diceretur ſordibus uteri muliebris inquinatus, & quia putabant omne corpus eſſe a malo principio, ideoque malum. Item contra Simonem, Saturninum & Baſilidem, qui dogmatizabant non Chriſtum, ſed Simonem Cyrenæum fuiſſe crucifixum, quem ideo Chriſtus in ſuam transformaverat figuram, & cujus ipſe induerat effigiem. Prob. ex Scriptura. Joan. 1. VERBUM CARO FACTUM EST. Ep. 1. Joan. c. 4. *Omnis ſpiritus, qui confitetur Jeſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt: & omnis ſpiritus, qui ſolvit Jeſum Chriſtum, ex Deo non eſt.* Rom. 1. *Qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundum carnem.* Matth. 20. Chriſtus ipſe de ſe loquens; *Ecce*, inquit, *aſcendimus Jeroſolymam, & filius hominis tradetur, & occidetur, & tertia die reſurget.* Poſt ſuam Reſurrectionem veritatem ſui corporis Diſcipulis probaturus dicit: *Palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.*

Ex his & pluribus aliis, quæ ſequenti Concluſione referemus, ſic arguit Tertullianus l. 3. contra Marcion. c. 8. Si Chriſtus putative homo dicatur, eadem ratione putative Deus aſſeretur; non enim evidentius Scriptura Deum teſtatur, quam hominem. Ergo. Item ſic D. Th. (*ib.*) poſt Irenæum l. 5. cont. hæreſ. c. 20. & Aug. l. 83. Quæſt. Q. 1. Verbum, quod eſt ipſa veritas increata, non poterat committere fictionem aut mendacium. Atqui pluries ſe dixit & probavit hominem, veritatemque ſui corporis diſerte aſſeruit ſuis diſcipulis de eo dubitantibus. Ergo.

Prob. 2. aliis argumentis SS. Patrum. 1. Chriſtus juxta Apoſt. 1. Tim. 2. eſt verus mediator Dei & hominum, qui interceſſione & ſubjectione ſua vere hominibus obtinuit reconciliationem cum Deo. Atqui ſi non eſſet verus homo, non poſſet intercedere & ſe ſubjicere Deo. Ergo. Ita S. Irenæus l. 5. adverſus hæreſ. c. 20. 2. Nihil (*Ibid.*) certius habetur in Scriptura, quam quod Chriſtus corpus ſuum crucifigendum tradiderit, & ſanguinem ſuum fuderit in pretium redemptionis noſtræ. Atqui pretium redemptionis noſtræ non fuit ſpecie tenus ſolutum, nec nos ſumus putative redempti. Ita S. Iren. l. 5. c. 1. Et Doctor Angelicus hic. 3. In Scripturis texitur Genealogia Chriſti, nominantur ejus Parentes, familia, Tribus, tempus, locus, modus nativitatis; dicitur natus, circumciſus, parentibus ſubditus, flagellis cæſus, cruci affixus, mortuus, reſurgens & aſcendens in Cœlum. Hæc autem omnia ſunt falſa, ſi verum corpus non habuit. Ita S. Ignatius Ep. ad Trallianos, S. Irenæus l. 5. c. 1. Tertull. l. 3. cont. Marc. c. 8. 4. Si Chriſtus in corpore phantaſtico & umbratili tantum apparuit, nullum foret diſcrimen inter ejus Incarnationem & Apparitiones veteribus Patriarchis & Prophetis factas; unde ſequeretur, quod ſicut hi quod futurum erat prophetice videbant, ita apparitio Chriſti in Incarnatione prænuntiaret adventum Meſſiæ venturi, quem etiamnum cum Judæis expectare deberemus. Ita S. Iren. l. 5. c. 1. confer Concluſionem ſequentem, ex qua præſens Concluſio confirmatur.

Obj. 1. Philip. 2. Chriſtus dicitur *In ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Et Rom. 8. *Deus Filium ſuum miſit in ſimilitudinem carnis peccati.* Sicut ergo vere peccati carnem non aſſumpſit, ita nec veram humanam carnem, ſed ſpecie tenus & apparenter tantum ſimilem. R. (*Ib. ad* 1.) duplicem eſſe ſimilitudinem. Unam ſecundum externam apparentiam, ſecundum quam v. g. imago dicitur ſimilis ſuo prototypo. Alteram ſecundum internam rei veritatem, ſecundum quam v. g. unus homo dicitur ſimilis alteri homini propter veritatem naturæ ſpecificæ in utroque, & ſic Gen. 5. Adam dicitur genuiſſe Seth *In ſimilitudinem ſuam.* Priori ergo modo Chriſtus dicitur factus in ſimilitudinem carnis peccati, quia ſecundum externam apparentiam videbatur caro peccati ut noſtra, tametſi eſſet puriſſima. Poſteriori modo Chriſtus dicitur factus in ſimilitudinem hominum, quia in eadem natura ſpecifica cum aliis hominibus convenit. Patet ex adjunctis, ſequitur enim, *Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem.*

Inſt. Chriſtus ipſe damnavit carnem 1. Cor. 15. *Caro & ſanguis Regnum Dei non poſſidebunt.* Ergo eam non aſſumpſit. R. per carnem illic intelligi opera non ſubſtantiam carnis. Ita Tertull. l. 5. cont. Marcion. c. 14.

Repones. Veritas carnis eſt indigna Deo. Ergo. Reſpondet 1. Tertull. lib. cit. c. 10. Si indigna Deo veritas carnis, etiam indigna ipſi ſimilitudo carnis. 2. Licet nulla res digna ſit quam Deus induat, tamen quamcumque induerit, ipſe dignam facit.

Obj. 2. Filius Dei, ſeu juxta Aug. & plures alios, Angeli ejus nomine apparuerunt veteribus Patriarchis & Prophetis in carne, ambulabant, loquebantur, manducabant, & tamen non erat vera caro, ſed ſpecie tenus. Ergo ſimiliter Chriſtus in Incarnatione. R. N. Conſeq. 1. Quia ex apparitionibus Verbi vel Angelorum Patriarchis & Prophetis in carne umbratili ſequitur e contra, quod apparitio Verbi incarnati debuerit eſſe in vera carne, ut veteres figuræ implerentur. Conſule ultimam probationem. 2. Quamvis Angeli ſub ſpecie humana viderentur ambulare, loqui, manducare, has tamen actiones vitaliter non eliciebant, ut aperte teſtatur Angelus Tobiæ c. 12. *Videbar quidem*, inquit, *vobiſcum manducare & bibere, ſed ego cibo inviſibili & potu, qui ab hominibus videri non poteſt, utor.* Inſuper de illis non dicitur, quod ſint nati & mortui, nullus ex illis aſſeruit veritatem ſuæ carnis. Hæc autem omnia contigerunt in Chriſto.

Dico 3. (*Ib. art. 2. c.*) Verbum aſſumpſit ex B. Virgine corpus terrenum ex carne & ſanguine ſicut noſtrum. Eſt etiam de fide contra Valentinianos, qui dicebant Chriſtum corpus e cœlo detuliſſe, & per B. Mariam Virginem ceu per canalem tranſmiſiſſe. Prob. ex illo Apoſt. ad Rom. 1. *Factus ei ex ſemine David ſecundum carnem*: & ex illo ad Galat. *Deus miſit Filium ſuum factum ex muliere.* Atqui non poteſt dici ex ſemine David ſecundum carnem, neque factus ex muliere, ſi ſolum per eam quaſi per fiſtulam tranſiiſſet nihil ex ea aſſumens. Ergo. Item in Genealogia Chriſti, quam deſcribit Matth. c. 1. dicitur *Filius David, Filius Abraham*; ibidem Joſeph dicitur vir Mariæ, *De qua natus eſt Jeſus.* Luc. 1. *Ecce concipies in utero & paries Filium, & vocabis nomen ejus Jeſum.* Matth. 1. & Joan. ultimo Maria dicitur mater Jeſu. Atqui ſi carnem ex B. Virgine non aſſumpſiſſet, ſed e Cœlo detuliſſet, quæ per B. Virginem tanquam per canalem tantum tranſiiſſet, Chriſtus non vere diceretur Filius David, Filius Abraham, nec ex Maria natus, & Maria non vere diceretur conceptura & paritura Chriſtum, neque Mater illius. Ergo.

Obj. 1. 1. Cor. 15. dicitur: *Primus homo de terra terrenus, ſecundus homo de Cœlo Cœleſtis.* Ergo. (*Ib. ad* 1.) Chriſtum dici hominem Cœleſtem, non quod corpus e Cœlo detulerit, ſed ratione divinitatis adjunctæ & donorum cœleſtium, quibus etiam ut homo exornaturus eſt: item & quia ejus corpus virtute cœleſti fuit formatum.

Inſt. Joan. 3. Chriſtus ait: *Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de Cœlo Filius hominis, qui eſt in Cœlo*; & c. 6. *Ego ſum panis, qui de Cœlo deſcendi.* Non potuit autem dici Chriſtus deſcendiſſe de Cœlo ratione divinitatis, quæ ubique præſens eſt. Ergo ratione corporis. R. Chriſtum dici deſcendiſſe de Cœlo ſecundum divinitatem & ſecundum humanitatem, ſed diverſo ſenſu. Dicitur deſcendiſſe de Cœlo ſecundum divinitatem, non quidem per motum localem, quaſi Cœlum dereliquerit, aut in terra non eſſet, ſed per aſſumptionem humanitatis, quæ poteſt dici ſummus deſcenſus, ſumma demiſſio, imo, ut ait Apoſtolus, exinanitio Verbi. Chriſtus dicitur de Cœlo deſcendiſſe ſecundum humanitatem, quia virtute de Cœlo in utero Virginis efformata eſt. Item quia vita Chriſti tota cœleſtis & divina fuit.

Obj. 2. Matth. c. 1. dicit Chriſtum in Maria natum, non ex Maria natum, quo ſignificatur carnem non ex Maria, ſed aliunde ſumpſiſſe. Item Chriſtus ipſe profitetur ſe neque Matrem neque fratres habere; Matth. 12. *Quæ eſt*, inquit, *Mater mea? Et qui ſunt fratres mei?* Et nunquam Mariam Matrem appellaſſe legitur, ſed mulierem ſimpliciter, ut Joan. 2. *Quid mihi & tibi mulier?* R. Ad 1. N. Ant. Ibidem enim expreſſe Matthæus dicit; *De qua* (Maria) *natus eſt Jeſus, qui vocatur Chriſtus.* Et Luc. 1. *Quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Inſuper futilis eſt hæc diſtinctio inter has particulas *in ea* & *ex ea*, cum ſit utriuſque idem ſenſus: in ea enim erat, quod ex ea erat, inquit Tertull. lib. de carne Chriſti c. 20. Ad 2. Chriſtus non negat ſibi eſſe Matrem & fratres ſecundum carnem, ſed ſignificat ſe eos non agnoſcere dum occupatur in divino Patris ſui miniſterio, præſertim ſi ſint illi remora, ſeque eis anteponere matrem & fratres ſpirituales. Unde ſubdit Evangeliſta: *Et extendens manum in diſcipulos ſuos, dixit, ecce mater mea & fratres mei. Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in Cœlis eſt, ipſe meus frater & ſoror & mater eſt.* Similiter cum dixit: *Quid mihi & tibi eſt mulier?* Non negavit Mariam eſſe Matrem ſuam, ſi quidem ibidem Evangeliſta conceptis terminis eam vocet Matrem Jeſu: *Et erat Mater Jeſu ibi.* Sed cum Mater peteret miraculum, quod erat divinitatis opus, quam ex matre non habebat, negat ſe ea ex parte cum matre habere commercium. Ita Aug. lib. de Symbolo c. 4. Sic cum David dixit Joab & Abiſai 2. Reg. 16. *Quid mihi & vobis eſt filii Sarviæ,*

non

Digitized by Google

non eos negavit ſuos conſanguineos, ſed in præſenti negotio de quo egebat ſe cum illis ſentire. Tandem quod Chriſtus B. Mariam Virginem nuſquam expreſſa vocaverit Matrem ſuam, inde factum eſt, inquit Epiphan. hæreſi 79. ne forte aliquibus deret occaſionem errendi, & credendi ipſum ex Maria modo ordinario eſſe genitum. Cæterum hanc meternitatam ſat aperte indicat, cum ſe vocat Filium hominis: & dum in cruce moriens ſufficit in ſuum locum Joannem Matri & Matrem Joanni Aliunde Evangeliſtæ pluries vocant illam expreſſe Matrem Jeſo.

Dico 4. (*Ib. a. 3. & 4.*) Verbum aſſumpſit animam intellectualem. Eſt iterum de fide contra Apollinarem, qui primo negaveret Chriſto animam, deinde priorem ſententiam retractans conceſſit ipſi animam, ſed mente carentem, dicens Verbum ipſi eſſe loco mentis. Definita eſt in Concilio Epheſ. Can. 13. Petet etiem ex Scriptura Matth. 26. *Triſtis eſt anima mea*, Luc. 23. *Pater in manus tuas commendo Spiritum meum*; & alibi, Si vero animam habuit; ergo & intellectum, qui eſt animæ proprietas naturaliter ab illa fluens, Adde ex 1. Concluſione, quod Verbum aſſumpſerit verem & integram humanitatem, erat enim verus & integer homo; non eſt autem vera & integra humanitas ſine anima intellectuali.

Dico 5. Verbum aſſumpſit hypoſtatice dentes, ungues & capillos. Eſt contra Vaſqueſium & Fraſſen. Petet 1. Quia hæ partes informantur animæ ſaltem quoad gradum vegetativum, ſi quidem nutriantur & creſcant per intus ſumptionem. 2. Quia aliquo ſenſu pertinent ad integritatem corporis, cum futuri ſint in corporibus glorioſis. Et dato quod non ita requirentur ad integritatem corporis ſicut partes organicæ, ſunt temen neceſſarii ad meliorem corporis conſtitutionem, ornementum & utilitatem, dentes enim deſerviunt ad edendum, capilli ad caput fovendum, ungues ad extremitates membrorum protegendas.

Confir. Corpus Chriſti in Euchariſtia eſt cum dentibus, capillis & unguibus. Ergo illas partes ſibi vivens in terris hypoſtatice univit, Patet Conſeq. Quia nullas partes habet in Euchariſtia, quas non habuit hypoſtatice unitas vivens inter nos: & ideo, v. g. Chylus, quem in ſtomacho habebat Chriſtus in ultima Cœna, dum conſecravit, non eſt in Euchariſtia, quia non erat hypoſtatice unitus Verbo, utpote non pertinens ad integritatem ejus.

Dico 6. Verbum non aſſumpſit hypoſtatice lacrymes, ſudorem, ſalivam & alias ſuperfluitetes ſeu partes excrementitias corporis humani. Ratio eſt: quia nec ſunt partes corporis, nec ad ejus perfectionem & integritatem pertinent. Unde non remanebunt in corporibus glorioſis, nec ſunt in Euchariſtie, Ideoque dicendum illas ſubſtitiſſe in Chriſtu ſubſiſtentia propria, quia mediante tantum fuerunt aſſumptæ.

Specialiter de Sanguine.

Dico 7. Verbum aſſumpſit hypoſtatice ſanguinem naturalem. Eſt contra Durandum. Dixi *naturalem*; quia juxta D. Th. quodlib. 5. a. 5. poteſt diſtingui duplex ſanguis, unus nutrimentalis, alter naturalis. Nutrimentalis eſt humor quidem in colore ſanguinis ſimilis a chylo proxime generatus, nondum ſufficienter decoctus & depuratus, qui ideo ſanguinis naturam nundum attigit. Sanguis naturalis eſt propria & eſſentialiter ſanguis, fit ex priori per majorem decoctionem & elaborationem virtutis afformetivæ ſanguinis. Dicitur naturalis, non quod ad nutritionem animalis non deſerviat aliquo modo, ſed quia ultra hoc munus pertinet inſuper ad integritatem naturæ animalis. Huic diſtinctioni contradicunt Medici. Sed quidquid ſit, noſtra aſſertio eſt de ſanguine naturali, vero & proprio tantum.

Prob. 1. ex Scriptura. Ad Hebr. 2. dicitur: *Quia ergo pueri*, id eſt homines, *communicaverunt carni & ſanguini*, id eſt componuntur ex carne & ſanguine, *& ipſe* Chriſtus *ſimiliter participavit eiſdem*, nempe carni & ſanguini. Atqui immediate ſibi ad hypoſtaſim aſſumpſit carnem. Ergo & ſanguinem. Confirm. ex aliis Scripturæ locis, in quibus Redemptio noſtra tribuitur ſanguini Chriſti, ut 1. Joan. 1. *Sanguis Jeſu Chriſti Filii ejus emundat nos ab omni peccato*. Item 1. Petri 1. & alibi. Nulla autem eſt ratio, cur ſanguini potius redemptio noſtra attribuatur quam lacrymis, v. g. niſi quia ille eſt unitus hypoſtatice Verbo, non lacrymæ. Nec dicas ideo eſſe, quia Chriſtus illum obtulit Patri; nam lacrymas & ſudores pariter obtulit Patri. Unde licet lacrymarum effuſio operata ſit etiem ſalutem noſtram, non tamen id lacrymis ipſis aut ſudoribus tribuitur, ſicut tribuitur ipſi ſanguini & non ſolum ejus effuſioni.

Prob. 2. Auctoritate Clementis VI. Extrav. *Unigenitus* de pœnitentiis & remiſſionibus, ubi dicit unam guttam ſanguinis Chriſti *propter unionem ad Verbum* habuiſſe valorem infinitum. Non poteſt autem intelligi de unione mediata, alias idem poſſet dici de lacrymis aut ſudore.

Prob. 3. Ratione fundamentali. Verbum hypoſtatice aſſumpſit quidquid pertinet ad integritatem & perfectionem humanitatis. Atqui ſanguis ſaltem verus & naturalis pertinet ad integritatem & perfectionem humanitatis. Ergo. Prob. Min. 1. Ex Concil. Trid. Seſſ. 13. cap. 3. ubi ſanguis dicitur pars Chriſti his verbis: *Corpus ſub ſpecie panis & ſanguinem ſub ſpecie vini .... animamque ſub utraque, vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, qua partes Chriſti Domini ... inter ſe copulantur*. 2. Sanguis ita eſt animali neceſſarius, ut ſine illo ſubſiſtere non poſſit. Item eſt & organum & inſtrumentum univerſale, quo anima plures functiones vitales in corpore exercet. Sic iraſcimur dum ſanguis fervet, timemus dum contrahitur, gaudemus dum diffunditur, &c. 3. Sic ſe habent ſanguis & alii tres humores ad parvum mundum, qui eſt homo, ſicut quatuor elementa, quorum qualitates exprimunt præfati humores, ad magnum mundum. Atqui elementa ſunt partes magni mundi, & ad ejus integritatem & perfectionem pertinent, Ergo. 4. Sanguis ſecundum Theologos erit in corporibus glorioſis. Ergo pertinet ad integritatem corporis. Confirm. Si Verbum non aſſumpſit hypoſtatice ſanguinem, non eſt per concomitantiam ſub ſpeciebus vini. Falſum Conſequens. Ergo. Prob. Sequela. Illud eſt per concomitantiam in Sacramento, quod unitur realiter & ſubſtantialiter cum termino primario Conſecrationis. Atqui ſi Verbum non aſſumpſit hypoſtatice ſanguinem, non unitur realiter & ſubſtantialiter cum ſanguine, qui eſt terminus primarius in Conſecratione Calicis. Ergo. Ex hac Concluſione colliges tres alios humores, nempe pituitam, melancholiam & bilem, etiam fuiſſe, ut jam diximus, hypoſtatice aſſumptos. Item & ſpiritus vitales ac animales, qui ſunt velut radii ſanguinis puriſſimi & defæcatiſſimi, neceſſarii ad operationes vitales exercendes, ita ut ſine illis corpus vix poſſit operari.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Sanguis non eſt animatus. Ergo nec Verbo unitus. R. 1. N. Ant. ſecundum Thomiſtas. 2. Dato Ant. ſecundum alios, N. Conſeq. Ut enim ſit Verbo unitus, ſufficit, quod ſit pars humanitatis pertinens ad illius integritatem & perfectionem, ſive ſit animatus ſive non.

Inſt. 1. Sanguis non eſt pars actu corporis humani, ſed tantum in potentia. Ergo Prob. Sanguis deſervit nutritioni corporis humani: atqui corpus non nutritur ſuis partibus. Ergo. R. N. Ant. Ad prob. D. Ant. (*In 4. d. 44. q. 1. a. 2. quæſtiunc. 2. ad 3.*) Sanguis deſervit nutritioni corporis humani quoad partes ſolidiores, C. Ant. Quoad omnes, N. Ant. Unde licet reſpectu illarum partium ſolidarum ſanguis non ſit pars actu, ſed tantum in potentia, eſt tamen pars actu fluida reſpectu totius hominis ſeu totius corporis viventis. Sicut elementa, licet ſint tantum partes in potentia reſpectu mixtorum, ſunt tamen partes actu reſpectu totius univerſi. Inſt. 2. Sanguis utpote fluxibilis non continuatur cum aliis partibus corporis, quæ ſunt influxibiles. Ergo non eſt pars actu corporis. R. D. Ant. Non continuatur immediate, &c. C. Mediate, N. Habet enim quaſdam partes craſſiores, fibras ſcilicet, quæ continuantur venis, venæ carni.

Inſt. 3. Sic ſe habet ſanguis ad corpus humanum ſicut oleum ad lucem: atqui oleum non eſt pars actu lucis. Ergo. R. N. Maj. Sed ſe habet ſicut oleum ad lampadem ardentem, oleum autem eſt pars actu lampadis ardentis. Inſt. 4. Si ſanguis eſſet de integritate corporis humani, poneretur in Euchariſtia ſub ſpeciebus panis vi verborum & non ſolum per concomitantiam: atqui falſum Conſeq. Ergo. Prob. Sequela: Corpus integrum ponitur vi verborum ſub ſpeciebus panis. Ergo. R. N. Maj. Ad prob. D. Ant. Corpus integrum quoad partes ſolidas ponitur vi verborum ſub ſpeciebus panis. C. Corpus integrum quoad partes fluidas, N. Et ratio eſt, quia vi verborum conſecrationis panis ponitur corpus Chriſti ſub ejus ſpeciebus, non utcumque, ſed ſub ratione cibi, cui aptæ ſunt partes ſolidæ, non fluidæ, ut eſt ſanguis.

Obj. 2. Quod Verbum ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit, ut docent omnes Theologi poſt Damaſcenum: atqui dimiſit ſanguinem. Ergo. Prob. Min. In pluribus locis ſervantur aliquæ particulæ ſanguinis Chriſti, & inter eas celebris eſt illa ampulla vitrea, quæ aſſervatur in Eccleſia S. Mariæ Magdalenæ apud S. Maximinum, in qua ſæpius ſacer ille cruor terra mixtus ebullire viſus eſt in die Paraſceves circa horam tranſitus Salvatoris. Ejuſdem ſanguinis veritatem teſtatur Leo III. de ſanguine Mantuæ aſſervato, teſte Platina & Baronio ad an. 804. Julius II. de Sindone Taurinenſi. Idem etiam conſtat de Spina Sacelli Regii Pariſienſis & ferro lanceæ Romæ aſſervato ſanguine tinctis. Atqui ille ſanguis non remanet unitus hypoſtatice Verbo. Ergo. Min. admittitur communiter a Theologis contra Valentiam, alias ſequeretur carnem Præputii, ſi apud nos remanſerit, ut multi volunt, dentes, pilos, qui ex corpore Chriſti deciderunt, remanere Verbo

hypo-

Digitized by Google

hypoſtatice unitos, quod nemo admittit. Sequeretur iterum aliquam naturam Verbo hypoſtatice ordinatam remanere in terris alibi quam in Euchariſtia, quod non eſt etiam admittendum. Et ſane cum tales partes non dicant amplius ordinem ad humanitatem Chriſti, non eſt ratio, cur dicantur iterum unitæ Verbo. Ergo.

Huic argumento varie varii reſpondent. Quidam dicunt illum ſanguinem, qui viſitur in terris, fluxiſſe ab imagine Crucifixi Beryti a Judæis confoſſa, cujus ſanguinis copia in varias Eccleſias tranſmiſſa eſt, ut habetur in Martyrologio Romano 9. Novembris & docet S. Th. infra q. 54 a. 1. ad 3. At licet id verum ſit de quibuſdam particulis, non tamen de omnibus v. g. de ferro lanceæ, ſpina coronæ, Sindone Taurinenſi ex immediato contactu Chriſti Corporis tinctis; nec de particulis in ampulla Maximina ſervatis, quæ collectæ dicuntur a B. Maria Magdalena tempore Paſſionis. Neque dicas eſſe ibi tantum colorem: color enim non communicatur ſine ſubſtantia, cui inhæret. Alii dicunt hunc ſanguinem eſſe nutrimentalem. Sed unde conſtat tot ſanguinis particulas, quæ in tot locis aſſervantur, & ex variis Chriſti corporis partibus manarunt, non fuiſſe niſi ex nutrimentali? Adde non omnes admittere hanc diſtinctionem ſanguinis nutrimentalis & naturalis. Unde his ſolutionibus omiſſis. R. D. Maj. Quod Verbum ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit moraliter loquendo de partibus ad integritatem corporis neceſſariis, C. Phyſice loquendo de particulis minimis, ſine quibus ſtat integrum corpus, N. Ita intelligendus venit D. Th. inf. qu. 54 a. 2. ad 3. dum dicit totum ſanguinem, qui de corpore Chriſti fluxit, in corpore Chriſti reſurrexiſſe: hoc, inquam, verificantur moraliter de toto ſanguine, qui fuit neceſſarius ad integritatem corporis in ſtatu Reſurrectionis, non vero phyſice de toto omnino, etiam minimis particulis non neceſſariis. Unde Pius II. in Bulla ad Abbatem S. Mariæ Xantonenſis Diœceſis, quam vidiſſe ſe ait Sylveſter in Roſa aurea Tract. 3. q. 31. dicit fidei veritati non repugnare aſſerere Redemptorem noſtrum de ſanguine in cruce effuſo, ob ipſius Paſſionis memoriam & Fidelium conſolationem, partem aliquam in terris reliquiſſe.

Ex dictis colliges ſanguinem Chriſti etiam in triduo mortis manſiſſe hypoſtatice unitum Verbo: tum quia reſumendus erat in corpore reſurgente; hac enim ratione caro & anima inter ſe ſeparatæ manſerunt unitæ Verbo: tum quia alias ſi conſecratus fuiſſet Calix in triduo mortis, divinitas non fuiſſet per concomitantiam ſub ſpeciebus vini, quod eſt contra Trid. Seſſ. 13. cap. 3. Secus dicendum de præputio & ſanguine effuſo in Circumciſione, quia non erant reſumenda in Reſurrectione.

Nota contrariam ſententiam quoſdam Ordinis FF. Minorum aliquando prædicaſſe circa an. 1352. ſub Clemente VI. & an. 1462. ſub Pio II. contentionemque acrem inde ortam inter præfatos FF. Minores & FF. Prædicatores oppugnantes. Re delata ad ſum. Pontificem Pium II. utrimque coram ipſo & cœtu Cardinalium diſputatum eſt, Pio II. & majori parte Cardinalium in favorem ſententiæ Prædicatorum opinantibus. Non fuit tamen Quæſtio definita, *Ne multitudo Minorum, cujus erat contra Turcas prædicatio neceſſaria, offenderetur.* Imo Pius II. xv. die ante mortem conſtitutione edita vetuit, ne quis opinionem Minorum proſcriberet ut hæreticam, donec Quæſtio per ſanctam Sedem definiretur. Ita Spondanus ad an. 1462. Porro hæc FF. Minorum ſententia licet nondum hac uſque fuerit proſcripta, e ſcholis tamen eſt eliminata, utpote *Nec pia, nec ſecura*, inquit Suares.

ARTICULUS III.

De Ordine aſſumptionis.

DIco 1. (*Hic q. 6. a. 3. c.*) animam, corpus & humanitatem Chriſti ſimul tempore fuiſſe aſſumpta a Verbo. Eſt definitum in Concilio V. generali contra Origenem, qui dicebat animam Chriſti fuiſſe cum cæteris animabus creatam initio mundi, atque ſuis operibus meruiſſe hypoſtatice uniri Verbo, eique de facto unitam fuiſſe antequam carni in utero Virginis uniretur: verba Concilii ſunt hæc: *Si quis dicit aut ſentit animam Domini præextitiſſe, unitamque eſſe Dei Verbo ante Incarnationem & Nativitatem ex Virgine, anathema ſit.* Ratio autem Concluſionis (*Ib.*) eſt; quia vel debuiſſet corrumpi prior ſubſiſtentia, vel duplex fuiſſet ſubſiſtentia in Verbo, quod utrinque eſt inconveniens. Adde falſum eſſe animas creari antequam uniantur corporibus.

Dico 2. (*Ib. a. 5. a.*) Secundum ordinem intentionis prius natura fuit aſſumpta tota humanitas, quam partes, ſecus in ordine executionis, quia ſecundum intentionem facientis prius eſt completum quam incompletum, & per Conſequens totum quam partes: e contra vero in executione prius ſunt partes quam totum.

Dico 3. (*Ib. a. 1.*) Secundum ordinem executionis prius natura fuit aſſumpta anima, mediante qua aſſumptum eſt corpus, ac tandem totum ſeu tota humanitas ex utroque reſultans. Ratio eſt: quia cum anima rationalis ſit per ſe ſubſiſtens, ipſi prius competit ſubſiſtentia quam carni, quæ aliunde non eſt humana niſi per formam. Atqui ſubſiſtentia divina ſupplens locum propriæ eundem ſervavit ordinem; nullum enim eſt fundamentum hunc naturalem invertendi ordinem, nec multiplicanda ſunt miracula ſine neceſſitate. Ergo.

Dices quoties aliqua inter ſe uniuntur mediante aliquo, ſeparato illo medio diſſolvitur unio; ſic ſeparata ſuperficie a corpore, ab ipſo removetur etiam color. Ergo ſi Verbum aſſumpſit corpus mediante anima, illa anima ſeparata a corpore in triduo mortis, ab ipſo etiam remota eſt ſubſiſtentia Verbi, quod eſt falſum. (*Ib. ad 1.*) R. Ant. verum eſſe de medio neceſſario, non vero de medio quoad aptitudinem & congruentiam; ſic ſi inter aliquos cauſatur amicitia mediante aliquo, eo remoto, adhuc remanet amicitia.

DISSERTATIO VIII.

DE GRATIA CHRISTI SECUNDUM QUOD EST SINGULARIS HOMO,

Div. Thom. Queſt. 7.

PRæter gratiam unionis, quæ eſt gratia ſubſtantialis, de qua jam huc uſque, alia eſt in Chriſto accidentalis, ut probabimus infra, quæ nempe eſt gratia habitualis: & hæc dupliciter conſideratur, vel quatenus Chriſtum ut perſonam ſingularem ſanctificat, & vocatur perſonalis; vel prout eſt Chriſto principium alios ſanctificandi, & dicitur Capitalis. De gratia habituali perſonali hic diſſerit S. Doctor: de Capitali Quæſt. ſeq. Ita & nos. Sed prius occurrit hic difficultas; an non per ipſam gratiam unionis formaliter ſanctificetur humanitas Chriſti, & quomodo?

ARTICULUS I.

De ſanctificatione Chriſti per gratiam ſubſtantialem unionis,

NOta. Sanctitas juxta S. Th. (2. 2. *q.* 81. *a.* 8.) tria importat, ſeu ea tribus coaleſcit. Primum eſt munditia, ſeu ab omni labe puritas, ſanctus enim Græce dicitur *Agios*, quaſi ſine terra. Secundum eſt firmitas in bono; ſanctum enim quaſi lege ſancitum ſeu firmatum. Tertium eſt ſumma conjunctio & applicatio ad Deum reſque divinas. Ad quod ultimum duo prima requiruntur; mens enim ſine munditia conjungi nec applicari Deo poteſt, & cum conjungatur & applicetur Deo ut ultimo fini & primo principio, firma & immobilis debet eſſe applicatio. *Sic ergo ſanctitas*, concludit S. Doctor, *dicitur*, [...]*quam mens hominis ſeipſam & ſuos actus applicat Deo*, ſeu dirigit ad Deum. Et hæc dupliciter accipi poteſt. 1. Quatenus eſt virtus proxime operativa boni indiſtincta realiter a Religione. 2. Pro conjunctione amicabili ad Deum fundante radicaliter rectificationem & regulationem operum ad Deum. Primo ſenſu ſanctitatem accipit D. Th. loco cit. Nos hic ſecundo ſenſu eam accipimus.

Suppono 1. ſanctitatem divinam attributalem per communicationem idiomatum non minus prædicari de Chriſto, quam alia attributa, ſicut enim Chriſtus dicitur omnipotens, ita & Sanctus ſanctitate divina. Suppono 2. ſolam gratiam ſubſtantialem unionis ſufficere ad effectum negativum ſanctitatis, nempe impeccabilitatem, quia ut dicetur infra, illi homini Chriſto ratione perſonæ, quæ eſt principium quod operationum ejus, & non ſolum ex aliqua extrinſeca providentia, repugnat, quod influat in peccatum.

Difficultas eſt ergo in duobus. Primum, an iſta gratia unionis ſeu unio perſonalis radicaliter tantum præbeat ſanctitatem animæ Chriſti, quatenus eſt radix & principium, cui debetur gratia habitualis. An e contra ſanctificet etiam formaliter, id eſt vere, proprie, & actualiter independenter a gratia habituali. Non enim quando dicimus hic *formaliter*, intelligimus, quod Verbum habeat rationem formæ, reſpectu humanitatis, ſed quod per gratiam unionis vere, proprie, actualiter & non ſolum radicaliter ſanctificet humanitatem. Quod diligenter adverte ad tollendam quorumdam æquivocationem, qui ideo negant hu-

humanitatem a Verbo formaliter ſanctificari, quia non exercet munus formæ.

Alterum, in quo verſatur difficultas, eſt, dato quod gratia unionis poſſit formaliter ſanctificare humanitatem Chriſti, an ille effectus formalis proveniat a divinitate, vel a perſonalitate ejus relativa, vel ab ipſa unione. Sit itaque

§. I. *Prima difficultas reſolvitur.*

DICO. Humanitas Chriſti formaliter ſanctificatur per ipſam gratiam ſubſtantialem unionis. Prob. 1. Cyrillus l. 4. in Joan. c. 29. dicit *Chriſtum unctum eſſe, non ſicut alios Sanctos & Reges, ſed quia Verbum caro.* Nazianzenus orat. 36. ubi exponit hoc nomen *Chriſtus*, ait: *Chriſtus dicitur propter divinitatem, ea enim unctio eſt humanitatis, non operatione ut in aliis Chriſtum ſanctificans, ſed totius unguenti præſentia.* Idem Damaſcen. lib. de imaginibus, & Concil. Francoford. in Ep. ad Epiſcopos Hiſpaniæ: *Chriſtus natura unctus, nos per gratiam, quia in illa plena fuit divinitas*, Idem autem eſt *unctus* ac *ſanctus*: unde juſti vocantur *uncti*, ſeu *Chriſti*, juxta illud Pſ. 104. *Nolite tangere Chriſtos meos.* Ergo. Nec illa teſtimonia intelligi poſſunt de ſanctificatione per Verbum in ſenſu cauſali & non formali; ſic enim nulla eſſet differentia inter ſanctificationem Chriſti & noſtram: niſi penes majorem & minorem gratiam, Chriſtuſque ſanctificaretur operatione divina ſicut nos: quod tamen utrumque negant Patres in præfatis teſtimoniis.

Prob. 2. Ratione. Humanitas Chriſti per unionem ad Verbum præciſis quibuſcumque aliis vere & proprie ſanctificabatur, & quidem perfectius, quam homo ſanctificatur per gratiam habitualem. Ergo præter ſanctitatem accidentalem; quæ provenit a gratia habituali, admittenda eſt in Chriſto ſubſtantialis, ſic dicta, quia immediate provenit a Verbo Dei ſubſtantialiter unito, & divinam naturam quæ eſt ſanctitas per eſſentiam includente. Prob. Ant. Ideo homo per gratiam habitualem habet quod ſit formaliter ſanctus, quia 1. per illam trahitur ad eſſe divinum, & ipſi conjungitur. 2. Conſtituitur Filius Dei, hæres regni illius, ipſi gratus & dilectus. 3. Diſponitur radicaliter ad bene ſupernaturaliter operandum. 4. Quia gratia habitualis habet repugnantiam cum peccato: atqui hæc quatuor multo perfectius conveniunt gratiæ unionis, Ergo, Maj. patet. Non enim hic agimus, ut jam monui, de ſanctitate prout eſt virtus quædam ſpecialis proxime operativa, quæ a Religione realiter non diſtinguitur, de qua S. Th. 2. 2. q. 81. a. 8. ſed de ſanctitate prout importat conjungi Deo & eſſe ipſi gratum in ordine ſupernaturali, qualis ſcilicet habetur per gratiam habitualem præciſe.

Prob. Min. 1. Per gratiam unionis humanitas Chriſti perfectius trahitur ad eſſe divinum, ipſique conjungitur, quam per gratiam habitualem; per illam enim trahitur ad eſſe divinum in ſe, & ei conjungitur ſubſtantialiter perſonaliter; per iſtam vero trahitur ad eſſe divinum participative tantum, eique conjungitur accidentaliter & per affectum. 2. Per gratiam unionis, Chriſtus ut homo fit Filius Dei naturalis & hæres, ipſi gratus & dilectus; cum enim *amare* in Deo ſit diffundere bonum, majus bonum humanitati conferre non potuit, quam ſeipſum illi ſubſtantialiter dare, adeoque nec magis amare, per gratiam autem habitualem homo conſtituitur Filius Dei adoptivus tantum. 3. Per gratiam unionis Chriſtus conſtituitur principium quod operationum Theandricarum, quæ ſunt infinite meritoriæ. Conſule obj. 4. §. ſequent. 4. Unio hypoſtatica majorem habet incompoſſibilitatem cum peccato, quam gratia habitualis, ut dicemus infra, dum de impeccabilitate Chriſti. Ergo.

Confirm. Eſſe Filium Dei naturalem importat maximam ſanctitatem: atqui Chriſtus ut homo, eſt Filius Dei naturalis formaliter & proxime per gratiam unionis, & non per gratiam habitualem, quæ importat tantum filiationem adoptivam & ſanctitatem ſecundum affectum. Ergo. Prob. Maj. Eſſe Filium Dei naturalem importat conjunctionem ſupremam animæ ad Deum, ſupremam communicationem ſupernaturalem, quæ ipſi animæ fieri poteſt, vi cujus doni communicati animæ Chriſti, ipſa manet ſupernaturaliter diligibilis a Deo & ipſi grata juxta illud Matth. 17. *Hic Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Ergo.

Favet etiam S. Th. in pluribus locis, 1. Opuſc. 2. c. 214. ubi poſtquam dixit hominem per gratiam habitualem conjungi Deo ſecundum affectum, & ideo fieri ipſi gratum, addit; *alia vero eſt conjunctio hominis ad Deum non ſolum per affectum aut inhabitationem, ſed etiam per unitatem hypoſtaſis ... Et hæc ... eſt propria Jeſu Chriſti ... & gratiſſimum Deo facit, ita quod de ipſo ſingulariter dicatur, hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* 2. In catena, Joannis 10. ad illa verba: *Quem Pater ſanctificavit & miſit in mundum*: dicit ex S. Hilario 7. de humanitate: *Præcedit cæteros per id, quod ſanctificatus in Filium eſt, B. Paulo dicente, quod prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute ſecundum Spiritum ſanctificationis.* Ponit ergo S. Doctor ex S. Hilario præcellentiam ſanctificationis Chriſti in eo, quod accepit ſanctificationem filiationis naturalis & non adoptivæ, quod utique factum eſt per gratiam unionis. 3. Hic art. 1. probans neceſſitatem gratiæ habitualis in Chriſto, eam non repetit ex ejus ſanctificatione, ſed aliunde: ſupponit ergo illum aliunde eſſe ſanctificatum ſcilicet per gratiam unionis. Unde infra q. 22. a. 2. ad 3. dicit gratiam unionis ſanctificare abſolute humanitatem Chriſti.

Ex quibus colliges, P. Henno propter quædam D. Thom. verba, quæ mox referemus & explicabimus, immerito dixiſſe ſtylo de vico, Thomiſtas in hac quæſtione *Doctori ſuo naſum contorquere.*

Solvuntur Objectiones.

OBJ. 1. S. Th. in 3. d. 13. q. 1. a. 1. ait: *Deitas autem non eſt formaliter ſed effective perficiens ipſam* (ſcilicet animam Chriſti) *unde oportet aliam formam creatum in ipſa ponere qua formaliter perficiatur, & hæc eſt gratia.* Et ad 3. *Lux ſolis & lux candelæ, utrumque eſt active illuminans, ſed Deitas & gratia non ſic ſe habent, ſed unum illuminat active, alterum formaliter.* Ergo. R. S. Th. ibi loqui de ſanctificatione & accidentali & participativa, non de ſubſtantiali ſeu perſonali: illa enim non formaliter, ſed effective eſt a Deitate ut a forma derivante talem participationem & gratiam habitualem cauſante; hæc vero, quæ eſt ſubſtantialis & ſecundum filiationem naturalem, formaliter eſt ab ipſa Deitate. Unde S. Doctor ib. ad 5. dicit, quod Chriſtus ex ipſa ſola unione ad Verbum ſine gratia habituali peccare non poterat, *& ſibi gloria debebatur*, adeoque gratus & dilectus a Deo in ordine ad gloriam, quod eſt ſanctitas.

Obj. 2. Sanctitas formalis eſt effectus formalis & primarius gratiæ habitualis: atqui effectus formalis & primarius alicujus formæ non poteſt ab alio quam ab ipſa forma præſtari, cum ab illa non diſtinguatur, ſed ſit ipſa forma communicata. Ergo. R. D. Maj. Sanctitas formalis accidentalis eſt effectus primarius gratiæ habitualis, Tranſeat Maj. de qua modo: ſubſtantialis ſeu perſonalis ſanctitas, N. Et hæc ſanctitas, quia eminentior eſt, eſt diſtinctus effectus formalis, & a diſtincta forma provenit; ſicut vegetativum hominis, quia eſt eminentius quam vegetativum plantæ, eſt diſtinctus effectus formalis, & a diſtincta forma provenit.

Inſt. Quod conſtituit animam radicaliter ſanctam, non poteſt illam ſimul talem formaliter reddere; ſicut quia homo per animam rationalem eſt radicaliter riſibilis; non eſt per eandem formaliter talis, ſed ſolum per riſibilitatem: atqui anima Chriſti conſtituitur radicaliter ſancta per gratiam unionis, utpote quæ eſt radix gratiæ habitualis qua formaliter ſanctificatur. Ergo. R. D. Maj. Quod conſtituit animam radicaliter ſanctam ſanctitate accidentali, non poteſt illam formaliter ſanctificare ſanctitate accidentali, C. Maj. Sanctitate ſubſtantiali, N. Maj. Nihil enim repugnat idem eſſe radicem reſpectu alius & formam reſpectu alterius.

Obj. 3. Gratia unionis non poteſt reddere hominem formaliter beatum. Ergo nec formaliter ſanctum. R. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod beatitudo formalis conſiſtat in actione vitali, ſcilicet in viſione & amore Dei, ſanctitas autem ſeu ſanctificatio in conjunctione ad Deum ordinata radicaliter ad bene operandum. Porro actio maxime vitalis non poteſt communicari alicui, niſi ab illo procedat: unde per gratiam unionis ſuppleri non poteſt actio viſionis beatæ. At vero conjunctio ad Deum fieri poteſt nedum per habitum & ſecundum affectum, ſed multo perfectius ſecundum ipſas naturas in eſſe perſonali.

Inſt. Ex eo quod divinitas uniatur humanitati, non conſtituit illam formaliter omnipotentem, æternam, &c. Ergo nec formaliter ſanctam. R. N. Conſeq. Diſparitas eſt ex dictis, quia illæ perfectiones non conſiſtunt in conjunctione ad Deum ſicut ipſa ſanctitas, eſt aliunde humanitas eſt incapax illorum attributorum.

Ob. 4. & ſimul inſt. Si Verbum aſſumeret Leonem, ipſum non ſanctificaret formaliter: atqui tamen ipſi conjungeretur. Ergo ſanctitas in iſta conjunctione cum Deo non conſiſtit. R. D. Min. Ipſi conjungeretur conjunctione ſuppoſitali præciſe, C. Min. Conjunctione requiſita ad ſanctitatem, N. Non enim in qualicumque conjunctione ad Deum reponimus ſanctitatem, ſed in conjunctione fundante radicaliter rectificationem & regulationem ad Deum in operationibus ſuis, ideoque moralibus liberis & regulabilibus per rationem, quorum eſt incapax natura Leonis.

Inferes. Ergo gratia unionis non eſt formaliter ſanctificans. Prob. Illatio. Forma unita ſubjecto omnem illi ſuum formalem effectum tribuit: atqui ex conceſſis, ſi Verbum uni-

uniretur naturæ irrationali, ipſam non ſanctificaret. Ergo. R. N. Illationem. Ad prob. D. Maj. Forma unita ſubjecto capaci omnem, &c. C. Maj. Subjecto incapaci, N. & D. Min. ad ſenſum Maj. N. Conſeq. Patet in ipſo Chriſto. Sic v. g. effectus formalis gratiæ habitualis eſt reddere Filium Dei adoptivum, & tamen hunc effectum non habet in Chriſto; quia cum ſit Filius Dei naturalis, adoptionis eſt incapax. Sic ſi Verbum uniretur naturæ irrationali, illam perſonatam non redderet, ſed ſuppoſitatam tantum, licet perſonam conſtituere ſit effectus formalis Verbi. Neque dicas hæc eſſe vera de effectibus formalibus ſecundariis, non autem de effectu formali primario, qui nihil eſt aliud, quam ipſa forma communicata. Sanctitas autem eſt effectus formalis primarius gratiæ unionis, ſi ab ea præſtetur, ſicut eſt effectus primarius gratiæ habitualis. R. D. ut ante: Effectus formalis primarius eſt ipſa forma communicata ſubjecto capaci, C. Incapaci, N. Patet ex jam dictis. Sic effectus formalis primarius perſonalitatis Verbi eſt perſonam conſtituere, & tamen unita naturæ irrationali perſonam non conſtituit ſed ſuppoſitum; effectus formalis primarius filiationis divinæ eſt eſſe relatum, & tamen unita humanitati illam non refert, ſed tantum ſubſiſtentem reddit. Inſuper his datis, N. quod aſſumitur, ſcilicet ſanctitatem eſſe effectum formalem primarium gratiæ unionis. Sicut enim effectus formalis primarius gratiæ habitualis eſt hominem deificare accidentaliter ſeu reddere participem divinæ; naturæ; reddere autem ſanctum & gratum Deo in ordine ad gloriam, effectus ſecundarius: ita reddere naturam deificatam ſubſtantialiter & perſonaliter conjunctam Deo, eſt effectus formalis primarius gratiæ unionis. Sic autem conjungere, ut ſit grata & dilecta Deo ſupernaturaliter cum ordine radicali ad recte operandum, in quo conſiſtit ſanctitas, eſt effectus formalis ſecundarius gratiæ unionis, adeoque ab illa ſeparabilis de potentia Dei abſoluta.

Obj. 5. Non poteſt divinitas Chriſti humanitatem formaliter ſanctificare, niſi ſe habeat reſpectu illius per modum formæ intrinſecæ: atqui divinitas reſpectu humanitatis non ſe habet nec ſe habere poteſt per modum formæ intrinſecæ. Ergo. Min. patet. Prob. Maj. Sanctitas, quam tribuimus animæ Chriſti ex gratia unionis, non eſt pure moralis & per ſolam denominationem extrinſecam a ſanctitate divina, ut voluit Vaſques & poſt ipſum Platel, ſed eſt intrinſeca, vera & phyſica, alias foret imperfectior ſanctitate accidentali gratiæ habitualis, nec per illam excludi poſſet peccatum intrinſece animam maculans: atqui talem realem & intrinſecam ſanctitatem non poteſt divinitas conferre humanitati, niſi ſe habeat reſpectu illius per modum formæ intrinſecæ. Ergo. Prob. Min. Animam ſanctificari realiter intrinſece eſt eam intrinſece realiter mutari, & habitualiter intrinſece diſponi ut objectum gratum & dilectum Deo in ordine ad gloriam, & radicaliter ad operationes rectas: atqui talis mutatio ac diſpoſitio realis intrinſeca non poteſt haberi abſque forma intrinſeca. Ergo. R. N. Maj. ad probat. admiſſa Maj. contra Vaſquem & ejus aſſeclas, N. Min. Ad probat. D. Min. Talis mutatio ac diſpoſitio realis intrinſeca non poteſt haberi abſque forma intrinſeca intrinſece informante, N. Min. Abſque forma ſeu potius actu intrinſece terminante & unito, C. Min. & N. Conſeq. Sicut enim humanitas Chriſti realiter intrinſece mutatur, & realiter formaliter ſubſiſtit per ſubſiſtentiam divinam, licet ab ea non informetur intrinſece, ſed tantum terminetur, ita per eam & divinitatem conjuncta realiter intrinſece mutatur & diſponitur, realiter formaliter ſanctificatur abſque informatione.

Inſt. Sanctitas non poteſt haberi abſque forma intrinſece informante. Ergo. Prob. Ant. Non poteſt tolli peccatum abſque forma intrinſece inhærente: atqui ad ſanctitatem pertinet quod ſit expulſiva peccati. Ergo Prob. Maj. Peccatum ineſt animæ per modum formæ privativæ intrinſece inhærentis: atqui talis privatio non poteſt tolli niſi ſuperveniat forma oppoſita intrinſece inhærens, ſicut v. g. cæcitas non poteſt tolli niſi per potentiam viſivam informatem, non per formam terminantem. Ergo. R. N. Ant. Ad probat. D. Maj. Peccatum ineſt animæ per modum formæ privativæ alicujus partis aut alicujus accidentis, N. Maj. Per modum formæ privativæ deordinantis totum ſuppoſitum & illud avertentis ab ultimo fine, C. Maj. Unde N. Min. & Conſeq. Fateor ergo, quod privatio, quæ eſt alicujus partis aut particularis accidentis, ut eſt cæcitas v. g. non poſſit tolli niſi per formam intrinſece informantem: ſecus vero ſi ſit privatio, qualis eſt peccatum deordinans totum ſuppoſitum; illa enim non ſolum poteſt tolli per formam informantem v. g. gratiam habitualem, ſed multo melius per formam eminenter operantem & terminantem naturam, ordinantemque totum ſuppoſitum ad Deum; hæc enim eminenter continet quidquid continet gratia habitualis in ordine ad expulſionem peccati, ad quod habet effectus omnino repugnantes, ut dicemus, dum de impeccabilitate Chriſti in corollariis. Vide ibi.

Obj. 6. Si divinitas ſanctificaret formaliter humanitatem, vel hoc faceret per ſanctitatem increatam, vel creatam. Neutrum dici poteſt. Ergo. Prob. Min. Non per ſanctitatem creatam, alias non divinitas, ſed ſanctitas creata formaliter ſanctificaret. Non per ſanctitatem increatam, alias Chriſti humanitas eſſet Dea; quandoquidem cui competunt proprietates, qualis eſt ſanctitas increata reſpectu Dei, competat & eſſentia. Ergo. Ita P. Henno. R. N. Min. pro prima parte. Ad probat. D. Ant. Alias eſſet Dea, ſi ſanctificaretur per divinitatem tanquam per formam informantem, C. Ant. Si ſanctificaretur per divinitatem tanquam per actum præciſe terminantem, N. Ant. Et ad probat. ſimiliter, D. Min. Cui competunt proprietates ratione formæ intrinſece informantis, competit & eſſentia, C. Ratione formæ ſeu actus pure terminantis, N. Patet ſolutio ex dictis.

Obj. 7. Humanitas Chriſti ratione gratiæ unionis non eſt acceptabilis ad gloriam. Ergo non eſt ſancta. Prob. Ant. Poteſt Deus de potentia abſoluta humanitati unitæ Verbo denegare gloriam. Ergo. R. N. Ant. Ad probat. D. Ant. Poteſt Deus humanitati unitæ Verbo denegare gloriam quoad rem & de facto, Tranſeat Ant. Quoad jus N. Ant. Hoc autem ſufficit, ut humanitas Chriſti dicatur ſancta. Patet in ipſa gratia habituali, quæ formaliter ſanctificat hominem, quatenus dat jus ad gloriam, & facit hominem Deo gratum, licet de potentia Dei abſoluta homo ille poſſet de facto non acceptari ad gloriam.

Repones. Gratia unionis non eſt Deo ratio diligendi hominem in ordine ad beatitudinem. Ergo etiam quoad jus ſeu jure illæſo poteſt ipſi eam denegare. Prob. Ant. Vel gratia unionis eſſet ratio diligendi Deum neceſſario, vel libere; non neceſſario, quia Deus nihil extra ſe neceſſario diligit; non libere, quia bonum infinitum, quale eſt gratia unionis, neceſſario diligitur. Ergo. R. N. Ant. Ad probat. N. Min. pro 2. parte. Ad probat. D. Bonum infinitum infinito modo communicatum neceſſario diligitur, C. Finito modo communicatum, N. Divinitas autem ſeu divina ſanctitas finito modo communicatur humanitati, ſcilicet juxta capacitatem ejus.

§. II. *Secunda difficultas reſolvitur.*

DIco. Humanitas Chriſti formaliter ſubſtantialiter ſanctificatur non per ipſum modum unionis, neque per ipſam perſonalitatem ratione illius, quod addit ad perfectiones abſolutas, ſed per ipſam divinitatem, quam includit perſonalitas.

Prob. 1. pars: 1. Quia non datur ſecundum nos talis modus unionis. 2. Etſi daretur, non ideo formaliter ſanctificaret, quia non foret forma ſanctificans, ſed tantum applicatio formæ ſanctificantis; ſicut v. g. unio gratiæ habitualis cum anima formaliter eam non ſanctificat, ſed ſolum ipſi conjungit formam ſanctificantem. Similiter unio albedinis cum pariete non eſt formaliter dealbans, ſed ipſa albedo. Prob. 2. & 3. pars ſimul. 1. Humanitas a divinitate ungitur juxta illud citati Nazianzeni: *Chriſtus dicitur propter divinitatem, ea enim humanitatis unctio eſt*: atqui ab eo formaliter ſanctificatur, quo ungitur. Ergo.

Prob. 2. Humanitas Chriſti formaliter ſanctificatur per ſanctitatem divinam: atqui perſonalitas Verbi ratione ſui non eſt ſanctitas divina, ſed ipſa divinitas ſub conceptu naturæ. Ergo. Prob. Min. 1. Juxta probabilem plurium Thomiſtarum ſententiam, quam ſecuti ſumus in Tract. de Trinit. perſonalitates divinæ ratione ſui, ſeu ratione illius, quod addunt ad eſſentiam, non dicunt bonitatem ſeu perfectionem. Ergo nec ſanctitatem. Prob. 2. Ideo ſola gratia habitualis inter alias qualitates ſupernaturales nos formaliter ſanctificat (dicitur enim cauſa formalis noſtræ juſtificationis, Trid. ſeſſ. 6. cap. 7.) quia eſt participatio divinitatis ſub conceptu naturæ. Ergo ſola divinitas ſub conceptu naturæ eſt ſanctitas divina, non vero perſonalitas, ut ab ea virtualiter diſtinguitur. Prob. Ant. Forma ſanctificans eſt radix donorum ſupernaturalium pertinentium ad ordinem gratiæ, terminat amorem divinum in ordine ad gloriam, & dat radicaliter vim Deum redamandi & recte agendi: atqui hoc eſt conceptus naturæ. Ergo ideo gratia habitualis, &c. quia &c. Confer de gratia.

Solvuntur Objectiones.

OBj. 1. Gratia unionis ut talis formaliter ſanctificat humanitatem, ut dictum eſt: atqui perſonalitas Verbi ratione illius, quod addit ad divinitatem, eſt gratia unionis. Ergo. Prob. Min. Gratia unionis eſt donum ſubſtantiale perſonaliter communicatum humanitati: atqui perſonalitas Verbi ratione illius, quod addit ad divinitatem, eſt donum ſubſtantiale perſonaliter communicatum humanitati. Ergo. R. D. Maj. Gratia unionis complete ſumpta formaliter ſanctificat humanitatem, C. Maj. Incomplete ſumpta, N. Maj. Et ad hunc ſenſum, D. Min. N.

Con-

Conſeq. Igitur perſonalitas Verbi ut terminans humanitatem pro priori natura ad unionem cum natura divina non eſt gratia unionis conſummate & complete, ſed incomplete tantum & vialiter, hæc enim complete conſiſtit in unione cum divina natura: & ideo perſonalitas præciſe ratione ſui non ſanctificat formaliter ipſam humanitatem ſed vialiter tantum inchoative ſeu unitive, in quantum eſt vinculum uniens naturam humanam cum divina, ratione cujus formaliter humanitatem ſanctificat.

Inſt. Per ſubſiſtentiam Verbi humanitas eſt Deo grata & dilecta, habetque jus ad gloriam & hæreditatem. Ergo. R. D. Ant. Per ſubſiſtentiam Verbi ratione illius, quod explicat, humanitas eſt Deo grata, &c. N. Ant. Ratione illius, quod implicat, nempe naturæ divinæ, quæ eſt prima radix videndi & amandi Deum, in quo ratio ſanctitatis conſiſtit, C. Ant. & N. Conſeq.

Urgebis. Per ſubſiſtentiam Verbi ratione illius, quod explicat, humanitas eſt Deo grata & dilecta. Ergo. Prob. Ant. Perſonalitas Verbi ratione illius, quod explicat, terminat amorem divinum: atqui. Ergo. R. D. Ant. Eſt Deo grata gratitudine ſimpliciter, Tranſeat: Gratitudine ſanctificante, N. Et ad Prob. D. Perſonalitas Verbi ratione illius, quod explicat, terminat amorem divinum ut communicantem ſubſiſtentiam divinam tantum, C. Ut communicantem naturam divinam, N. Sola autem communicatio naturæ divinæ facit humanitatem ſanctam ſeu gratam gratitudine ſanctificante, ut dictum eſt.

Repones. Per ſubſiſtentiam Verbi directe & ratione illius, quod explicat, humanitas habet incompoſſibilitatem cum peccato. Ergo & ſanctitatem. Prob. Ant. Subſiſtentia Verbo eſt filiatio Dei, quæ ex propria differentia reſpicit Deum Patrem, a quo procedit Filius. Ergo & directe excludit averſionem a Deo, in quo conſiſtit peccatum. R. dato Ant. N. Conſeq. Impeccabilitas enim eſt tantum affectus negativus ſanctitatis, non completa ſanctitas.

Obj. 2. Sanctitas formalis eſt unio & conjunctio creaturæ rationalis cum Deo: atqui per ſubſiſtentiam Verbi humanitas formaliter conjugitur Deo. Ergo. R. D. Maj. Formalis ſanctitas eſt conjunctio cum Deo ſub quocumque conceptu, N. Maj. Sub conceptu naturæ, C. Et ad hunc ſenſum, D. Min. N. Conſeq. Patet ex dictis.

Obj. 3. Per id ſanctificatur formaliter humanitas Chriſti, cui immediatius unitur: atqui immediatius unitur ſubſiſtentiæ divinæ quam naturæ. Ergo. R. D. Maj. Si ſit forma ſanctificans, C. Secus, N. Patet ex dictis.

Obj. 4. In ſanctitate includuntur duæ rationes ſeu conceptus inadæquate diſtincti. Primus eſt eſſe radicem actionum vitalium intelligendi & amandi Deum. Secundus eſt eſſe objectum congruum dilectionis divinæ amicabilis. Atqui licet divinitas poſſit communicari humanitati ſub hoc ſecundo conceptu abſque intrinſeca informatione, non poteſt tamen communicari ſub primo abſque intrinſeca informatione, quod repugnat Deo. Ergo nec ſanctitas. R. N. Min. Quamvis enim divinitas non communicetur humanitati per modum formæ intrinſece informantis, hoc ipſo tamen quo illi unitur intrinſece & ſubſtantialiter per modum termini mediante ſubſiſtentia, eam ſufficienter elevat ad ordinem ſupernaturalem, ut poſſit, mediante auxilio tranſeunte, elicere actiones vitales vitalitate ſupernaturali, licet non ita connaturaliter ſicut per gratiam habitualem, ut infra dicemus.

ARTICULUS II.

Utrum in anima Chriſti fuerit gratia habitualis?

QUIDAM negarunt exiſtimantes gratiam habitualem in Chriſto eſſe ſuperfluam, eo quod eſſet ſanctificatur per gratiam unionis, ut dictum eſt. Sed hæc ſententia communiter rejicitur ad minus ut temeraria. Igitur

Dico. (*Hic q. 7. a. 1. c.*) Gratia habitualis fuit in Chriſto. Prob. 1. (*Ib. in a. ſ. c.*) ab auctoritate. Iſaiæ 11. dicitur: *Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini*, qui in homine eſſe dicitur per gratiam habitualem. Ib. 61. *Spiritus Domini ſuper me, eo quod unxerit Dominus me.* Quæ verba de ſe dicta declarat Chriſtus Luc 4. & juxta communem expoſitionem ſignificant, ideo Spiritum S. eſſe in anima Chriſti per gratiam habitualem, quia per unionem hipoſtaticam uncta eſt gratia increata. Aug. l. 15. de Trinit. c. 26. *Dominus ipſe Jeſus*, inquit, *Spiritum S. non ſolum dedit ut Deus, ſed etiam accepit ut homo, propterea dictus eſt plenus gratia. Et manifeſtius de illa ſcriptum eſt in actibus Apoſt. c. 10. Quoniam unxit eum Deus Spiritu S. non utique oleo viſibili, ſed dono gratiæ, quod viſibili ſignificatur unguento, quo Baptizatos ungit Eccleſia.* Illud autem donum, quod per unguentum baptiſmi ſignificatur, eſt gratia habitualis. D. Bernard. hom. 4. in *Miſſus eſt*, Super hæc verba Luc. *Ideoque quod naſcetur ex te ſanctum*, dicit: *Procul dubio ac ſingulariter ſanctum fuit & per Spiritus ſanctificationem, & per Verbi aſſumptionem.*

Prob. 2. (*Ib.*) Ratione. Oportuit, ut anima Chriſti præter unionem phyſicam cum Deo aliam haberet per cognitionem & amorem ſupernaturalem; in his enim operationibus Beatitudo conſiſtit: atqui ad connaturalem illorum actuum elicentiam, qualis animam Chriſti decebat, neceſſaria fuit gratia habitualis. Ergo. Prob. Min. Tunc agens operatur connaturaliter, quando habet in ſe naturam ſeu formam permanentem, per quam inclinatur in actum, atqui anima Chriſti non potuit inclinari intrinſece permanenter ad actus vitales ſupernaturales niſi per gratiam habitualem. Ergo. Prob. Min. Non potuit anima Chriſti intrinſece permanenter inclinari in actus vitales ſupernaturales ratione propriæ entitatis: patet, quia eſt entitative naturalis; neque per gratiam unionis; quod probatur. Id, ratione cujus anima Chriſti inclinatur intrinſece permanenter in actus ſupernaturales, debet eſſe principium operativum quo radicaliter; eſt enim natura vel tenet locum naturæ: atqui gratia unionis non eſt principium operativum quo radicaliter. Ergo. Prob. Min. Principium operativum quo radicaliter vel identificatur cum agente quod, vel illud phyſice informat: atqui utrumque repugnat gratiæ unionis, ſive ſpectetur ex parte ſubſiſtentiæ Verbi, ſive ex parte divinitatis. Ergo.

Neque dicas animam Chriſti permanenter inclinari in actus ſupernaturales per virtutes infuſas. Nam virtus eſt diſpoſitio perfecti, id eſt ſubjecti jam diſpoſiti per naturam, ut ex Ariſtotele docet S. Th. 1. 2. q. 110. a. 3. adeoque diſponit ſubjectum conformiter ad naturam aliquam præexiſtentem ſui ordinis: conſequenter virtus ſupernaturalis, ut ſit in ſtatu connaturali & perfecto, exigit præexiſtentiam gratiæ habitualis.

Prob. 3. alia ratione. Oportebat animam Chriſti eſſe perfecte & conſummate ſanctam: atqui ad id requirebatur gratia habitualis. Ergo. Prob. Min. Ut anima Chriſti eſſet perfecte & conſummata ſancta, neceſſe erat, quod haberet omnem perfectionem ſibi connaturaliter debitam ex vi unionis hypoſtaticæ, ſicut in naturalibus, ut Petrus v. g. ſit completa & perfecte homo, non ſufficit, quod habeat eſſentiam hominis, ſed inſuper exigit inſtrui omnibus potentiis, quæ connaturaliter ad eſſentiam conſequuntur: atqui gratia habitualis erat connaturaliter debita Chriſto vi unionis hypoſtaticæ. Ergo. Prob. Min. Homini juſto vi gratiæ habitualis, per quam conſtituitur Filius Dei adoptivus, debentur connaturaliter virtutes infuſæ. Ergo Chriſto vi unionis hypoſtaticæ, per quam conſtituitur Filius Dei naturalis, a fortiori debentur connaturaliter virtutes infuſæ: ſi virtutes, ergo & gratia habitualis, quæ eſt illarum radix.

Ex his itaque habes gratiam habitualem in Chriſto non fuiſſe ſuperfluam, ſed neceſſariam ad duo, ſcilicet ut eſſet complete & conſummata ſanctus, & ut connaturaliter eliceret actus ſupernaturales & meritorios. Dixi *connaturaliter*, quia abſolute loquendo poterat ſine gratia habituali hos actus elicere: vi enim gratiæ unionis erat Deo gratus, libere poterat operari, & ratione auxilii tranſeuntis ſupplentis vices gratiæ habitualis, elevari ad eliciendos actus ſupernaturales & meritorios, nihil enim amplius requiritur.

Si dicas nullum actum vitalem ordinis naturalis, v. g. nullam intellectionem aut volitionem naturalem poſſe abſolute elici ſine anima. Ergo pariter nullus actus vitalis ordinis ſupernaturalis ſine gratia ſpirituali, quæ in ordine ſupernaturali tenet locum naturæ ſeu animæ. R. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod anima ſit ratione ſui natura ſubſtantialis; unde fit, quod omnis vitalitas ab ipſa dependeat radicaliter. At gratia habitualis non eſt ratione ſui natura vitalis ſubſtantialiter, ſed ſubſtitutiva tantum, & ut elevans ad ordinem ſupernaturalem; poteſt autem Deus elevare ad ordinem ſupernaturalem vel tranſeunter per gratiam actualem, vel permanenter per gratiam habitualem; unde licet ut actus ſupernaturales connaturaliter eliciantur, dependeant a gratia, non tamen abſolute & eſſentialiter.

Obj. contra Concluſionem. Si Chriſtus haberet gratiam habitualem, foret Filius Dei adoptivus; eſt enim filiatio adoptiva effectus formalis gratiæ habitualis. Falſum Conſequens. Ergo. R. N. Sequelam: tum quia filiatio adoptiva non eſt effectus primarius gratiæ habitualis, ſed ſecundarius tantum, forma autem poteſt eſſe ſine effectu ſuo ſecundario: tum quia etſi eſſet effectus primarius, non tamen communicaretur Chriſto, quia non eſt ſubjectum capax filiationis adoptivæ. Neque etiam poteſt dici genitus ratione gratiæ habitualis, quia licet per eam participet naturam divinam, non tamen per modum naturæ, quæ primario debet intendi, ſed per modum proprietatis ad gratiam unionis conſequentem: ſic quamvis Spiritus S. communicetur natura divina, quia tamen per ſe primo non intenditur ſub conceptu naturæ, illius proceſſio non eſt generatio.

Inſt. Saltem per gratiam habitualem eſſet Deus per participationem, quod, cum ſit Deus per eſſentiam, non mi-

ous

Digitized by Google

nus ei repugnat, quam eſſe Filium adoptivum, ſapitque errorem Arii vel Neſtorii. Ergo. R. quod cum divinitas Chriſto competat ratione naturæ, & ſit duplex in eo natura, divina & humana, non repugnat eum eſſe & dici Deum per eſſentiam ratione divinæ naturæ, & Deum per participationem ratione naturæ humanæ gratia exornatæ, quia tamen unio hypoſtatica eſt in eo principalis, & ut præſcindatur occaſio erroris, dicitur ſimpliciter Deus per eſſentiam. At vero filiatio adoptiva convenit alicui ratione ſuppoſiti; unde cum ſit in Chriſto unicum ſuppoſitum divinum, quod eſt filius naturalis, nec eſt, nec dici debet filius adoptivus.

Petes 1. quandonam Chriſtus habuerit gratiam habitualem? R. habuiſſe a primo inſtanti ſuæ Conceptionis; quia, ut jam dictum eſt, ſequebatur connaturaliter ad unionem hypoſtaticam. Unde Luc. 1. non dicitur: quod ex te naſcetur erit ſanctum, ſed *Quod ex te naſcetur ſanctum*.

Petes 2. utrum gratia habitualis ſit proprietas unionis hypoſtaticæ? R. non eſſe proprietatem phyſicam, ſed moralem dumtaxat: quia proprietas phyſica neceſſario dimanat ab aliqua natura, quæ reſpectu illius ſe habet per modum principii radicalis. Nihil autem eſt aſſignabile in gratia unionis, quod ſit natura & principium radicale, ex quo neceſſario reſultet gratia habitualis; cum enim ſubſiſtentia Verbi aut divinitas non uniatur humanitati per modum formæ, non conſtituit cum illa naturam. Unde in tantum gratia habitualis dici poteſt proprietas gratiæ unionis, in quantum connaturaliter ei debebatur propter rationes ſupra dictas, quod eſt eſſe proprietas moralis.

Petes 3. utrum Chriſtus in 1. inſtanti ſuæ Conceptionis ſe diſpoſuerit per actum liberi arbitrii ad gratiam habitualem ipſi tunc infuſam. R. Affirmative cum Auctore (*Hic qu. 34. a. 3. 2.*). Quia iſte modus ſanctificationis per actum proprium, ut in adultis, eſt perfectior, quam ſanctificari per actum alienum, ut in parvulis. Quod autem opponi poteſt hunc actum liberi arbitrii eſſe a gratia habituali, ſicque non poſſe eſſe diſpoſitionem ad illam, ſolutum habes ſecundum varias Thomiſtarum ſententias in Tract. de gratia Diſſert. de juſtificatione.

ARTICULUS III.

Utrum omnes virtutes fuerint in Chriſto?

VIRTUTES ſunt in triplici differentia; aliæ ſunt intellectuales, aliæ morales, aliæ Theologicæ. De intellectualibus hic non agimus; tum quia non ſunt ſimpliciter virtutes; tum quia de illis agit S. Th. q. 9. ſub nomine ſcientiæ. Virtutes morales ſunt duplicis generis. Quædam ſunt ordinis naturalis, quæ noſtris actibus acquiruntur. Aliæ ſunt per ſe infuſæ non ſecus ac Theologicæ, & deſerviunt fini ſupernaturali.

Dico 1. (*Hic a. 2. 3. & 4. a.*) Omnes virtutes ſupernaturales, ſive Theologicæ, ſive morales, per ſe infuſæ, ſunt in Chriſto, excepta fide, ſpe & pœnitentia. Prob. 1. pars. (*Ibid. a. 2. a.*) Virtutes ſupernaturales, per ſe infuſæ, ſive Theologicæ, ſive morales, conſequuntur ad gratiam habitualem ut proprietates ejus: atqui gratia habitualis fuit in Chriſto ab inſtanti conceptionis & quidem in ſummo gradu perfectionis. Ergo & prædictæ virtutes. Confirm. Habitus virtutum dantur ad connaturaliter operandum, imo habitus ſupernaturales dantur ad ſimpliciter poſſe operari. Ergo ut Chriſtus connaturaliter operaretur & eliceret opera ſupernaturalia, indiguit habitibus virtutum ſupernaturalium. Prob. 2. pars, (*Ib. a. 3. & 4. o.*) Virtutes, quæ repugnant unioni hypoſtaticæ & viſioni beatificæ, non fuerunt in Chriſto: atqui fides, ſpes & pœnitentia repugnant unioni hypoſtaticæ & viſioni beatificæ. Ergo. Patet Maj. Quia anima Chriſti ab inſtanti ſuæ conceptionis fuit unita Verbo, & vidit ac poſſedit divinam eſſentiam. Prob. Min. Fides eſt de rebus obſcure cognitis, ſpes de bono nondum habito, pœnitentia de peccato non alieno ſed proprio, quod eſt incompoſſibile cum unione hypoſtatica, ut infra videbimus. Ergo.

Dices. Chriſtus habuit ſpem, juxta illud Pſ. 30. quod Chriſto appropriatur: *In te Domine ſperavi*: & docet D. Th. hic a. 4. o. his verbis: *Habuit tamen* (Chriſtus) *ſpem reſpectu aliquorum, quæ nondum erat adeptus, licet non habuerit fidem reſpectu quorumcumque: quia licet plene cognoſceret omnia, per quod totaliter fides excludebatur ab eo: non tamen adhuc plene habebat omnia, quæ ad ejus perfectionem pertinebant, puta immortalitatem & gloriam corporis, quam poterat ſperare*. Ergo. R. tum Scripturam, quam S. Th. debere intelligi de actu ſpei large ſumpto pro ſimplici deſiderio. Expreſſe enim S. Doctor probat in corpore ejuſdem articuli, in Chriſto non fuiſſe virtutem ſpei, quia cum ejus primarium & formale objectum ſit ipſe Deus non poſſeſſus, Chriſtus autem ab initio fruitionem Dei habuit, *ideo*, inquit, *virtutem ſpei non habuit*. Potiori tamen jure hoc deſiderium in Chriſto gloriæ ſui corporis dicit actum ſpei, quam ſimile deſiderium in Beatis 1. 2. qu. 18. art. a. ad 4. eo quod gloria corporis erat a Chriſto laboribus obtinenda, non autem ab aliis Beatis. Quia tamen labores illi voluntarie fuerant ſuſcepti, & in ſeipſo habebat ſufficientem gloriæ corporis ſui cauſam, ſcilicet gloriam animæ, actus ille, quo gloriam corporis expectavit, non fuit actus proprius ſpei, ut a ſimplici deſiderio diſtinctus.

Si petas, a quo habitu ſeu virtute ille actus proceſſerit? R. proceſſiſſe ab habitu charitatis, qua Chriſtus ſeipſum diligens proprium bonum deſiderabat: poſſeſſo enim primario & formali objecto ſpei, adeoque ea excluſa, ſufficienter diſponebatur Chriſtus per charitatem ad eliciendum actum circa objectum ſecundarium ſpei, ſcilicet gloriam corporis, immortalitatem, nominis exaltationem, &c.

Dico 2. Virtutes morales naturales per ſe acquiſibiles fuerunt in Chriſto. Ita communiter Theologi. Prob. Appetitus ſenſitivus Chriſti, cum eſſet ejuſdem rationis ac noſter, non erat ratione propriæ entitatis complete & perfecte inclinatus ad actum naturalem honeſtum; unde forma ſuperaddita indigebat, qua compleretur, ut prompte ac ſuaviter in quacumque materia virtutum actus eliceret: atqui hæc non poterat eſſe alia quam virtus moralis per ſe acquiſibilis. Ergo. Prob. Min. Non unio hypoſtatica, cum enim non ſit operativa, non poteſt eſſe forma inclinans ad actus honeſtos; non gratia habitualis, nec virtutes infuſæ eam conſequentes; hæ enim ſolum inclinant ad actus ſupernaturales. Ergo. Confirm. Erant in intellectu Chriſti ſcientiæ naturales. Ergo & in ejus voluntate virtutes morales. Patet Conſeq. tum a puritate rationis, tum quia voluntas Chriſti non minus debet perfici circa bonum, quam ejus intellectus circa verum.

Dices 1. Chriſtus, cum ſit ſupremus operans in genere virtutis, debuit ſemper perfectiſſime operari: atqui perfectiſſime operari eſt operari ex motivo ſupernaturali. Ergo. R. D. Min. Perfectiſſime operari eſt operari ex motivo ſupernaturali tanquam ex fine operantis, C. Tanquam ex fine operis, N. Alioquin ſequeretur Chriſtum non exercuiſſe actum alterius virtutis, quam charitatis. Nullum eſt ergo inconveniens Chriſtum eliciuiſſe actus naturales ex objecto vel fine operis honeſtos, ſubordinatos tamen fini ſupernaturali charitatis, ut fini operantis, ſi quidem gratia non deſtruat naturam, ſed perficiat & attollat.

Dices. 2. Virtutes morales acquiſitæ ponuntur ad refrænandas paſſiones immoderatas: atqui Chriſtus non habuit nec habere potuit paſſiones immoderatas, cum illæ oriantur a fomite, qui in Chriſto non fuit. Ergo fruſtra admittuntur in illo virtutes morales. Unde & a Beatis eas removet S. Th in 3. d. 33. q. 1. a. 4. R. D. Maj. Virtutes morales ponuntur ad refrænandas paſſiones ſecundario & ex conſequenti, ſi nempe eas immoderatas reperiant, C. Primario, N. Primario enim & præcipue dantur, ut diſponant & inclinent potentias ad bene, prompte & expedite agendum in genere moris, & ſic admittuntur in Chriſto, ſicut fuerunt in Adamo in ſtatu innocentiæ, in quo nullum effrænem paſſionum motum ſentiebat: ſicque eas remanere in Beatis docet S. Th. 1. 2. qu. 67. a. 1. Unde in 3. cit. negat dumtaxat eas remanere quoad id, quod eſt in eis materiale, quatenus ſcilicet non amplius occupantur in iis, in quibus occupabantur in hac vita: puta juſtitia in communicationibus, fortitudo in hoſtibus ſuperandis, temperantia in moribus carnalibus moderandis.

Dices 3. Nec liberalitatem, quæ verſatur circa divitias, nec eutrapeliam, quæ verſatur circa jocos, nec Phylotimiam, qua appetuntur parvi honores, in Chriſto fuiſſe, quippe qui & pauper fuit & ludos nunquam exercuit, & honores refugit. Ergo. R. N. Ant. (*Ib. a. 1. ad 3.*) Tum quia non eſt neceſſe omnem virtutem in actum prorumpere, quando prudentia id vetat. Tum quia virtus exerceri poteſt & agendo & contemnendo; conſiſtit enim in medio rationis ſecundum dictamen prudentiæ; adeo ut poſſit exerceri liberalitas divitias aſpernando, ſicut eas diſtribuendo; Eutrapelia jocos flocci faciendo, ſicut eos exercendo; ſimiliter Phylotimia circa parvos honores.

Petes, utrum has virtutes morales per ſe acquiſibiles Chriſtus habuerit per infuſionem, vel propriis actibus acquiſiverit? R. Videtur probabilius habuiſſe per infuſionem, & non propriis actibus acquiſiviſſe. Prob. Chriſtus his virtutibus nunquam caruit. Ergo 1. inſtanti ſuæ Conceptionis eas habuit vel per infuſionem, vel propriis actibus. Subſumo. Atqui non ſecundum. Ergo primum. Ant. admittit Contenſon hac in parte nobis contrarius, & bene, quia privatio illarum virtutum ad tempus mala eſt, ſicut poſſeſſio earum bona eſt, bonumque ſimpliciter reddit habentem in ordine morali naturali: in Chriſto autem nullus defectus admitti debet, exceptis iis, qui ad finem Incarnationis conducunt, qualis eſt, v. gr. Carentia gloriæ corporis ad tempus; talis autem non eſt privatio virtutum. Nec obſtat, quod dicatur Luc. 2. de Chriſto, quod proficiebat ætate & ſapientia & gratia apud Deum & homines: (*Hic*

a. 13.

Digitized by Google

a. 13 *ad* 3.) id enim non intelligitur de acquiſitione ſucceſſiva habitus illarum virtutum, ſed de earum operibus; Chriſtus enim ſecundum ætatis progreſſum perfectiora & virtuoſiora agebat, ut ſe probaret hominem.

Prob. itaque ſubſumptum, Chriſtus non potuit abſque miraculo, cujus nullum eſt fundamentum, & quod non agnoſcunt Adverſarii, unico inſtanti ſuæ Conceptionis elicere actus etiam internos omnium omnino virtutum moralium. Ergo eas ſuis actibus non acquiſivit. Prob. Ant. Potentiæ animæ Chriſti erant eaſe finitę ac limitatę virtutis, ſicut noſtrę, abſtrahendo ab infirmitate cauſata per peccatum. Ergo non potuerunt ſine miraculo, uno inſtanti ſimul tendere in tot objecta diſtincta & diſparata, qualia ſunt objecta materialia omnium virtutum moralium.

Neque refert nobilius & perfectius eſſe acquirere per ſe, quam recipere ab alio; id enim dumtaxat verum eſt, quando carentia formæ non magis derogat dignitati ſubjecti, quam ei accreſcat perfectionis ex ejus acquiſitione, ut contingit in caſu. Magis enim derogaret dignitati Chriſti, quod caruerit ad tempus virtutibus, quam accreſceret ei perfectionis ex earum acquiſitione. Neque etiam obſtat ſcientias naturales non fuiſſe infuſas Chriſto. Diſparitas eſt enim 1. Quod ſcientię naturales non reddant ſubjectum ſimpliciter bonum, ſicut virtutes morales. 2. Quia ſi ſcientiæ naturales fuiſſent infuſę Chriſto, intellectus ejus agens, cujus officium eſt abſtrahere ſpecies intelligibiles a ſenſibilibus, perpetuo fuiſſet otioſus. Secus de potentia acquiſitiva virtutum, ſuppoſita illarum infuſione; eadem enim eſt potentia acquiſitiva virtutum & elicitiva actuum illarum.

ARTICULUS IV.

Utrum in Chriſto fuerint dona Spiritus Sancti & gratiæ gratis datæ?

DIco 1. (*Ib. a.* 5. *&* 6. *a.*) Omnia Dona Spiritus S. fuerunt in Chriſto. Prob. 1. Ex illo Iſa. 11. *Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus ſapientiæ & intellectus, Spiritus conſilii & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini.* Hæc autem ſunt ſeptem Dona Spiritus S. Ergo.

Prob. 2. (*Ib. a.* 5. *a.*) Dona Spiritus S. ſunt perfectiones potentiarum animæ, ſecundum quod ſunt natæ moveri a Spiritu S. Atqui anima Chriſti perfectiſſime movebatur a Spiritu S. ſecundum illud Luc. 4. *Jeſus autem plenus Spiritu S. regreſſus eſt a Jordane, & agebatur a Spiritu in deſertum.* Ergo. (1. 2. *q.* 68. *a.* 5.) Adde dona conſequi gratiam & charitatem, quæ fuerunt perfectiſſimę in Chriſto. Prob. 3. (*Hic a.* 6. *o. & ad* 1.) ſpecialiter, & explicatur de dono timoris, de quo eſt aliqua difficultas. Timor reſpicit duo objecta, quorum unum eſt malum terribile imminens; aliud eſt illud, cujus poteſtate malum poteſt inferri, ſicut aliquis timet Regem, in quantum habet occidendi poteſtatem: non autem timeretur ille, qui poteſt nocere, niſi haberet quandam eminentiam poteſtatis, cui de facili reſiſti non poſſit; ea enim, quæ in promptu habemus, repellere non timemus. Et ſic patet, quod aliquis non timetur niſi propter ſuam eminentiam. Malum terribile eſt objectum primarium timoris, ut eſt paſſio & fuga illius mali, primarius ejus actus, ſi ſit malum culpæ, eſt timor filialis; ſi ſit malum pœnæ propter culpam, eſt timor ſervilis. Objectum autem primarium timoris, ut eſt donum, eſt eminentia potentis inferre malum, & actus ejus primarius reverentia iſtius eminentiæ, quia habitus Virtutum & Donorum proprie & per ſe reſpiciunt bonum, malum autem ex conſequenti.

Sic igitur dicendum (*Ibid.*) quod in Chriſto fuit timor Dei, non quidem ſecundum quod reſpicit malum ſeparationis a Deo per culpam, neque etiam ſecundum quod reſpicit malum punitionis pro culpa; ſed ſecundum quod reſpicit divinam eminentiam, prout ſcilicet anima Chriſti quodam affectu reverentiæ movebatur in Deum a Spiritu S. acta, quod eſt actus primarius timoris, ut eſt Donum, ſicut dictum eſt. Hujus timoris reverentialis exempla habemus in Scriptura, ut dum Joannes Baptiſta, non audens tangere ſanctum Dei verticem, clamat cum timore, *Sanctifica me Salvator*; ſimiliter cum Petrus dixit: *Exi a me Domine*, &c.

Dico 2. (*Ib. a.* 5. *&* 8. *a.*) In Chriſto fuerunt omnes gratiæ gratis datæ. Prob. (*Ib. a.* 7. *a.*) Gratiæ gratis datæ ordinantur ad fidei & ſpiritualis doctrinæ manifeſtationem; oportet enim eum, qui docet, habere ea, per quæ ſua doctrina manifeſtetur, alias ſua doctrina eſſet inutilis. Atqui ſpiritualis doctrinæ & fidei primus & principalis Doctor eſt Chriſtus.

Prob. ſpecialiter (*Ibid. a.* 8. *a.*) de Dono Prophetiæ, de quo eſt difficultas. Propheta dicitur quaſi de procul fans, vel procul videns. Ille igitur eſt, & dicitur Propheta, qui cognoſcit & annuntiat ea, quæ procul ſunt tam ab ipſo ſecundum ſuum ſtatum, quam ab ipſis quibuſcum converſatur. Unde ſi Deus aut Beatus annuntiaret ea, quæ procul ſunt a noſtra notitia, non ideo eſſet Propheta, quia non eſſent procul ab ejus notitia ſecundum ſuum ſtatum. Atqui Chriſtus non ſolum fuit comprehenſor, ſed etiam viator, & plurima cognovit & annuntiavit, quę ab ipſo procul erant ſecundum ſtatum viatoris, ut traditionem ſuam, Mortem & Reſurrectionem Matt. 16. & 20. Everſionem Jeruſalem, ſigna extremi judicii, negationem Petri & plura alia. Ergo. Unde de eo prædicitur Deut. 18. *Prophetam ſuſcitabit vobis Deus de fratribus veſtris*; & ipſe Chriſtus de ſe dicit Matth. 13. & Joan. 4. *Non eſt Propheta ſine honore niſi in Patria ſua.*

Cum ergo objicitur Prophetiam non ſtare cum Beatitudine, ex illo 1. Cor. 13. *Tunc*, id eſt in Patria, *Prophetiæ evacuabuntur*, id verum eſt de Beatitudine completa, quæ non compatitur ſtatum viatoris, Chriſtus autem ſic erat comprehenſor ſecundum partem ſuperiorem, ut eſſet etiam viator ſecundum corpus paſſibile. Non etiam obſtat, quod juxta S. Th. 1. 2. q. 174. a. 2. de 3. Prophetia ſit cognitio obſcura & ænigmatica; & ex 4. Reg. 3. & S. Greg Hom. 9. ſuper Ezech communicetur per modum motionis coruſcantis: (*Ib. ad* 1.) hæc enim vera ſunt de prophetia prout communicatur ordinarie & ratione ſubjecti, non ratione ſui: ex ſe enim prophetia eſt indifferens, ut ſit clara vel obſcura, ut communicetur tranſeunter vel permanenter. Fuit autem in Chriſto clara & permanens ratione conjunctionis ad Verbum.

ARTICULUS V.

De perfectione gratiæ Chriſti.

PErfectio gratiæ attenditur penes ejus plenitudinem & infinitatem. Plenitudo gratiæ (*Ib. a.* 9. *a.*) eſt duplex: altera intenſiva, quæ ſumitur ex ejus perfectione ſeu radicatione in anima: altera extenſiva, quæ ſumitur ex ordine ad varios effectus, quos producere poteſt. Item utraque plenitudo eſt (*Ib. a.* 10. *o.*) vel abſoluta, vel reſpectiva tantum. Abſoluta eſt, quando tanta habetur, quanta haberi poteſt de potentia Dei ordinaria. Reſpectiva eſt, quando talis ac tanta eſt, quantam exigit ſtatus & officium ſubjecti, cui tribuitur. Prima dicitur plenitudo formalis ſe tenens ex parte gratię; ſecunda ſubjectiva.

Dico 1. (*Ib a.* 9. *o.*) In Chriſto fuit omnis plenitudo gratiæ. 1. Fuit (*Ib.*) abſoluta plenitudo quoad intenſionem. Tunc enim eſt plenitudo abſoluta formæ quoad intenſionem, quando eſt in ſummo gradu perfectionis de potentia Dei ordinaria poſſibili, ſicut v. g. calor in igne. Atqui hanc gratiæ plenitudinem habuit Chriſtus. 1. Quia quod propinquius eſt principio influenti, eo magis participat de ejus influxu, ut aer propinquior ſoli & igni eſt calidior & lucidior. Atqui nulla poteſt eſſe major unio cum Deo, quam unio hypoſtatica Chriſti. Ergo. 2. Quia gratia data eſt Chriſto ut capiti, ex quo ad omnes alios transfunderetur. Sicut ergo nihil eſt lucidius ſole, ex quo omnis lux diffunditur, ſic Chriſti gratia debuit eſſe in ſummo.

2. Fuit plenitudo abſoluta (*Ibid.*) quoad extenſionem. Tunc habetur plenitudo abſoluta formæ quoad extenſionem, quando ſe extendit ad omnes effectus ſibi proprios; ſic vita eſt plene in homine, quia in eo ſunt omnes modi vivendi, non in brutis, quæ non vivunt vita intellectuali. Atqui gratia in Chriſto ſe extendebat ad omnes effectus ſibi proprios & connaturaliter poſſibiles. Ergo. Prob. Min. Gratia collata eſt Chriſto tanquam cuidam univerſali principio in genere habentium gratiam. Atqui virtus primi principii alicujus generis univerſaliter ſe extendit ad omnes effectus illius generis, ſicut quia ſol eſt univerſalis cauſa generationis, ejus virtus ſe extendit ad omnia, quæ cadunt ſub generatione. Ergo.

3. Fuit in Chriſto plenitudo gratiæ reſpectiva ſeu ſubjectiva tam quoad intenſionem, quam quoad extenſionem; quia fuit talis & tanta quoad utramque, quantam exigebat ſtatus capitis & officium Redemptoris. Et cum nullus ſtatus ſublimior, nec dignius officium poſſit dari de potentia Dei ordinaria, ſequitur plenitudinem gratiæ abſolutam & reſpectivam in Chriſto coincidere, non ſic in aliis Sanctis.

Dico 2. (*Ib.* a. 10.) Plenitudo abſoluta gratiæ, non reſpectiva, eſt propria Chriſto. (*Ibid.*) Ratio 1. partis eſt, quia ſolus Chriſtus habet gratiam in maxima excellentia & intenſione, quæ haberi poteſt de lege Dei ordinaria. Ergo. (*Ib.*) Ratio 2. partis eſt, quia plures Sancti, potiſſimum B. Virgo, habuerunt gratiam ſtatui & officio ſuo proportionatam & convenientem: & hoc ſenſu B. Virgo dicitur, *Gratia plena*. (*Inf. q.* 35. *a.* 5.) Ex his colliges gratiam habitualem Chriſti ſuperaſſe intenſione omnem gratiam Angelorum & hominum ſimul ſumptorum. Quia gra-

tia eſt in Chriſto tanquam in capite, a quo in omnes creaturas, Angelos & homines derivatur, tanquam lux a Sole. Sicut ergo Sol plus lucis habet intenſive, quam quævis ſydera inferiora; ita Chriſtus plus habet gradus gratiæ, quam omnes Angeli & homines ſimul.

Dico 3. (*Hic a. 11. 9.*) Gratia habitualis Chriſti non eſt infinita phyſice & in ratione entis: quia gratia habitualis Chriſti, phyſice & in ratione entis, eſt in anima Chriſti ut in ſubjecto. Atqui anima Chriſti eſt creatura quædam habens capacitatem finitam. Ergo. Omitto alia argumenta, quibus Phyſici probant non dari infinitum actu.

Dices. Chriſtus habet gratiam ſine menſura, juxta illud Joan. 3. *Non enim ad menſuram dat Deus ſpiritum*, Filio ſcilicet; ergo infinitam. R. (*Ibid. ad 1.*) hæc Scripturæ verba verificari tripliciter, 1. De dono, quod Deus Pater Chriſto dedit, ſcilicet divinam naturam. 2. De dono, quod datum eſt humanæ naturæ, ut uniatur divinæ perſonæ. 3. De dono gratiæ habitualis, quatenus eſt infinita moraliter, ut jam dicam.

Dico 4. (*Ibid.*) Gratia habitualis Chriſti poteſt dici infinita moraliter in ratione gratiæ, quatenus 1. habet juxta connaturalem ſuum ſtatum quidquid pertinet ad rationem ſui, 2. Eſt in ſummo gradu excellentiæ conferibilis ſecundum divinam ordinationem & potentiam ordinariam, licet poſſet augeri ſecundum abſolutam potentiam, 3. Quia extenditur ad omnes effectus ſui generis, imo ad infinitos ſyncategorematice. His adde, quod ratione conjunctionis ad Verbum habeat dignitatem quamdam & excellentiam infinitam ſecundum moralem æſtimationem. Nam ratione iſtius conjunctionis habet, quod ſit principium quo operationis infinite meritoriæ & ſatisfactoriæ, quæ infinitas licet ſit a ſuppoſito divino, ut a principio quod, refunditur tamen moraliter & ſecundum æſtimationem in ipſam gratiam, quæ eſt principium quo hujus actionis infinite meritoriæ.

Dices. Gratia Chriſti non ſe extendit ad omnes effectus gratiæ, puta ad merendam Incarnationem Patris, aut Spiritus S. gratiam primis hominibus & Angelis. Ergo ex hac parte non poteſt dici infinita moraliter. R. non extendi ad effectus aſſignatos, non defectu virtutis ſufficientis, ſed defectu divinæ ordinationis ad illos.

ARTICULUS VI.

Utrum gratia habitualis Chriſti de potentia Dei abſoluta poſſit augeri?

SUPPONO 1. gratiam habitualem Chriſti non poſſe augeri de potentia Dei ordinaria, quia juxta illam eſt in ſummo, ut diximus, & in hoc probando totus eſt S. Th. in hoc a. 12. Suppono 2. eam etiam non poſſe augeri ſecundum dignitatem moralem, quam habet ex perſona Verbi, cui conjungitur, quia ut ſic eſt infinita, ut diximus.

Quæſtio eſt ergo tantum de augmento phyſico ſeu intenſivo ipſius gratiæ ſecundum potentiam Dei abſolutam. Partem negativam tuentur Scotiſtæ, & ex Thomiſtis Cajetanus & Nazarius propter quædam D. Th. Teſtimonia. Affirmativam tenent alii communius & D. Th. conformius. Unde

Dico, Gratia habitualis Chriſti poteſt augeri intenſive de potentia Dei abſoluta. Prob. 1. auctoritate D. Th. S. Doct. int. q. 10. a. 4. ad 3. ubi loquens de viſione beatifica animæ Chriſti, an potuiſſet creſcere de potentia Dei abſoluta, ſic ait ad 3. *Dicendum, quod ſicut ſupra dictum eſt de gratia, quod non poteſt eſſe major gratia, quam gratia Chriſti per reſpectum ad unionem Verbi. Idem etiam dicendum eſt de perfectione divinæ viſionis, licet abſolute conſiderando poſſit eſſe aliquis gradus ſublimior ſecundum infinitatem divinæ potentiæ.* Quibus verbis expreſſe tradit noſtram ſententiam, & explicat, quo ſenſu dixerat in hoc præſenti articulo, non poſſe eſſe majorem gratiam, quam gratiam Chriſti, nempe moraliter & de potentia Dei ordinaria, ut patebit modo ex ſequenti auctoritate. Item S. Doctor hic ad 2. ſibi proponens hoc argumentum; *Augmentum gratiæ fit per divinam virtutem, virtus autem divina nullo termino coarctatur. Ergo gratia Chriſti potuit eſſe major.* Reſpondet: *Ad 2. dicendum quod virtus divina licet poſſit facere aliquid majus, quam ſit gratia habitualis Chriſti, non tamen poſſet facere, quod ordinaretur ad aliquid majus, quam ſit unio perſonalis ad Filium unigenitum a Patre, cui unioni ſufficienter correſpondet menſura gratiæ ſecundum definitionem divinæ ſapientiæ.* Ergo ſecundum D. Thom. licet Deus non poſſit gratiam Chriſti augere valore extrinſeco, & moraliter ordinando eam ad aliquid majus, nec etiam eam augere intenſive de potentia ordinaria, quia eſt in ſummo, non abſolute, ſed juxta illam potentiam ordinariam, ſeu ut dicit D. Th. juxta definitionem divinæ ſapientiæ, quæ propter unionem hypoſtaticam talem menſuram gratiæ taxavit; abſolute tamen de potentia extraordinaria, & juxta aliam definitionem, poſſet illam intenſive augere; hæc enim omnia important verba D. Th. ſi bene perpendantur & conferantur cum præcedentibus.

Prob. Ratione fundamentali deſumpta ex D. Th. 2. 2. q. 24. a. 7. o. ubi agit de augmento charitatis. Non repugnat gratiam habitualem Chriſti augeri intenſive, neque ex parte ipſius gratiæ, neque ex parte cauſæ illius, neque ex parte ſubjecti. Ergo ex nullo capite, adeoque poteſt augeri de potentia Dei abſoluta. Prob. Antec. 1. Non ex parte gratiæ, quia eſt participatio divinæ naturæ, quæ cum ſit infinita, eſt in infinitum ſyncategorematice participabilis. 2. Non ex parte cauſæ ſcilicet Dei, qui eſt infinitæ virtutis. 3. Non ex parte ſubjecti, quia ſubjectum ſcilicet anima Chriſti recipit gratiam ſecundum potentiam obedientialem: ergo potentia obedientialis creaturæ, licet ſit finita entitative categorematice & in actu, eſt tamen infinita ſyncategorematice. Ergo. Prob. Min. Omnis potentia paſſiva commenſuratur activæ, ita ut ſi potentia activa ſit infinita, oportet, quod potentia illi obediens in quantum talis ſit obediens infinite ſyncategorematice, alias ſi ſolum ab ea poſſit moveri uſque ad finitum terminum, non erit potentia obedientialis ad infinitam potentiam ut talem; atqui potentia obedientialis eſt potentia ad obediendum infinitæ potentiæ creatoris. Ergo. Unde D. Th. tum loco cit. tum q. 29. de verit. a. 3. ad 3. loquens de iſta capacitate creaturæ ad gratiam dicit: *Quod potentia obedientiæ ſecundum quod poteſt recipere aliquid a Deo, non impletur, quia quidquid Deus de creatura faciat, adhuc remanet in potentiam ad recipiendum a Deo.*

Solvuntur Objectiones.

OBJ. 1. S. Th. toto hoc præſenti a. 12. probat gratiam habitualem Chriſti non poſſe augeri, neque ex parte formæ ſeu gratiæ, quia eſt in ſummo, neque ex parte ſubjecti, quia ab initio conceptionis fuit in termino. Ergo. R. Hæc intelligi debere de potentia Dei ordinaria, & non extraordinaria, ut ipſemet S. Doctor ſe explicat ibi ad 3. & inf. q. 10. a. 4. ad 3. prout retulimus in probationibus Concluſionis. Imo ex ipſomet corpore articuli patet; neque enim abſolute dicit gratiam Chriſti non poſſe augeri ex parte ſubjecti, quia eſt in termino, ſicut in aliis Sanctis, quam ex parte formæ: atqui tamen certum eſt gratiam ex parte ſubjecti, quod eſt in termino, poſſe de potentia Dei abſoluta augeri. Ergo.

Inſt. Intelligit S. Doctor Chriſti gratiam ex parte ſui non poſſe augeri de potentia Dei abſoluta. Ergo. Prob. Ant. S. Doctor intelligit gratiam Chriſti eſſe in ſummo gradu, quo major nec eſſe, nec intelligi poteſt: atqui quod dari poteſt de potentia abſoluta, intelligi poteſt. Ergo. Prob. Maj. S. Th. probat menſuram gratiæ, ſicut menſuram cujuslibet formæ, deſumi per ordinem ad ſuum finem, qui eſt unio rationalis creaturæ ad Deum: atqui, inquit, *non poteſt eſſe, nec intelligi major unio, quam quæ eſt in perſona.* Ergo intelligit gratiam Chriſti, &c. R. N. Ant. Ad prob. N. Maj. Ad prob. D. Maj. S. Doctor probat menſuram gratiæ deſumi per ordinem ad ſuum finem intrinſecum, N. Maj. Extrinſecum, Subdiſtinguo: per ordinem ad finem extrinſecum abſolute, N. Ut ſubeſt definitioni ſapientiæ divinæ, C. & conceſſa Min. N. Conſeq.

Explicatur. Duplex eſt finis gratiæ, unus intrinſecus, qui eſt unio ipſa accidentalis & participativa Dei; & hæc pertinet ad eſſentiam gratiæ, unde ſumitur latitudo intenſiva: alter eſt extrinſecus, ut viſio beatifica, & ipſa unio perſonalis ad Deum, quam conſtat eſſe extrinſecam gratiæ, ſi quidem poſſit abſolute fieri ſine gratia habituali, aut cum minori, quam ſit in Chriſto, ut ſi Infantem baptizatum aſſumeret cum illo parvo gradu gratiæ, in quo eſt. Clarum eſt ex verbis D. Th. ipſum loqui de fine extrinſeco, ſcilicet de ipſa unione perſonali, qua quidem majus intelligi non poteſt. Sed cum dicit menſuram gratiæ deſumi per ordinem ad illum finem, hoc intelligendum eſt non abſolute, ſed juxta definitionem & ordinationem divinæ ſapientiæ, quæ immediate & proxime talem menſuram illi taxavit, ut ipſe ſe explicat in Reſp. ad 2. jam cit. Unde relinquitur, quod ſecundum aliam definitionem divinæ ſapientiæ non repugnet abſolute diverſam menſuram & majus augmentum dari in illa gratia. Igitur gratia Chriſti propter unionem perſonalem fuit ſumma pro eo ordine, in quo producitur, quod eſt connaturaliter eſſe ſumma; habuit enim rationem capitis ſuper alios in genere gratiæ; & hoc eſt eſſe ſumma ſecundum definitionem divinæ ſapientiæ, quæ omnibus formis connaturales terminos præfixit juxta connaturalem ordinem, in quo eas condidit. Unde petit connaturaliter gratia Chriſti, quod omnes aliæ gratiæ in illo ordine ſint illi inferiores & ſubjectæ, non tamen quod non poſſit abſolute in alio ordine & ſtatu rerum produci alia gratia ſublimior & intenſior in Chriſto, vel etiam in pura creatura præter connaturalem ordinem.

Repones. Si gratia Chriſti poſſet abſolute augeri, poſſet

Digitized by Google

fi.t dări major unio cum Deo; quod tamen expreſſe negat S. Th. Ergo. R. D. Ant. Poſſet dari major unio accidentalis & participativa; C. Ant. Major unio ſubſtantialia, N. Et de hac tantum negat S. Th. poſſe dari aut intelligi majorem. Summatim; ad hæc itaque & alia D. Th. loca, in quibua dicit gratiam Chriſti non poſſe augeri, duplex eſt ſolutio adhibenda. Vel enim loquitur de augmento extrinſeco gratiæ, ſecundum quod eſt infinita moraliter & reſpective ad unionem perſonalem, unde haurit æſtimabilitatem infinitam: vel ſi loquatur de augmento intrinſeco & intenſivo, intelligendus eſt ſecundum connaturalem ſtatum & modum a divina ſapientia præfinitum, non per ordinem ad abſolutam Dei potentiam; juxta explicationes, quas ipſemet S. Doctor dedit locia cit. in Probationibua, ubi ait; quod id, *quod dictum eſt de gratia, quod non poteſt eſſe major, quam gratia Chriſti, dictum eſt de gratia per reſpectum ad unionem Verbi, licet poſſet dari ſublimiar gradus ſecundum infinitatem potentiæ divinæ.*

Obj. 2. Gratia Chriſti habet quidquid pertinere poteſt ad rationem gratiæ. Ergo augeri non poteſt etiam de potentia Dei abſoluta. Ant. eſt D. Th. hic ſupra a. 9. Prob. Conſ. Quia ſi augeretur, illud augmentum pertineret ad rationem gratiæ. Ergo ante illud non habebat quidquid pertinebat ad rationem gratiæ. R. ut ante D. Ant. Gratia Chriſti habet quidquid pertinere poteſt ad rationem gratiæ moraliter conſideratæ & per reſpectum ad unionem Verbi, C. Phyſice conſideratæ & ſecundum intenſionem intrinſecam, Subdiſtinguo: Habet quidquid pertinere poteſt ad rationem gratiæ ſecundum definitionem divinæ ſapientiæ & connaturalem modum, quem petit in hoc ſtatu, C. Secundum potentiam abſolutam, N. Et pariter N. Conſeq. Ad ejus probat. claritatia cauſa, D. iterum. Ergo ante non habebat quidquid pertinebat ad rationem gratiæ quantum ad omnem modum intentionis abſoluta impoſſibilem, C. Quantum ad omnem modum ſibi connaturalem, proportionatum ac debitum pro iſto ordine rerum, N.

Inſt. In Chriſto fuit plenitudo gratiæ, ut dictum eſt. Atqui quod plenum eſt, nihil ultra recipere poteſt. Ergo. R. D. Maj. In Chriſto fuit plenitudo gratiæ juxta connaturalem ſuum ſtatum & de potentia Dei ordinaria, N. Ad cujus ſenſum, D. Min. N. Conſeq.

Reponea. Capacitas obedientialis Chriſti fuit totaliter impleta per gratiam. Ergo in eo fuit plenitudo gratiæ etiam per reſpectum ad abſolutam potentiam. Ant. eſt D. Th. hic a. 9. & prob. ratione. Capacitas obedientialis eſt finita, cum oriatur & conveniat naturæ. Ergo poteſt per limitatam formam totaliter impleri. Conveniens autem fuit impleri per gratiam Chriſti, quæ eſt in ſummo. Ergo. R. D. Ant. ut ſupra. Capacitas obedientialis Chriſti fuit totaliter impleta reſpectu potentiæ Dei abſolutæ, N. reſpectu finia præfixi a definitione divinæ ſapientiæ, C. Et ad prob. D. Capacitas obedientialis eſt finita entitative & cathegorematice, C. obedientialiter & ſincategorematice, N. Obedit enim & ſubjicitur potentiæ infinitæ, quæ ſecundum ſuam virtutem infinitam poteſt operari in creatura non tot quin plura.

Obj. 3. In ſingulis qualitatibus poſſibilis eſt certus terminus augmenti, ultra quem augeri nequeunt. Atqui is competebat gratiæ Chriſti, quæ erat in ſummo. Ergo. Ant. eſt D. Th. hic ad 1. R. C. Ant. in ſingulis qualitatibus poſſibilis eſt certus terminus augmenti, ultra quem augeri nequeunt ſecundum connaturalem ſtatum talis formæ, quæ commenſuratur ſubjecto, cujus propria paſſio eſt, C. Ant. Et hoc ſenſu dixit hic S. Doctor ex Philoſopho, quod *Omnium natura conſtantium terminus eſt & ratio magnitudinis.* Secundum ſtatum potentiæ Dei abſolutæ, N. Ant. hic enim non eſt terminus *Natura conſtantium*, ſed ultra omnem naturam. Imo dato Ant. pro qualitatibus naturalibus, negatur de gratia; tum quia non eſt propria paſſio animæ, tum quia recipitur in ea ſecundum potentiam ejus obedientialem: & inſuper eſt participatio divinæ naturæ infinite participabilis: unde petit nullum habere terminum ſincategorematice.

Inſt. Gratia habet intrinſecam limitationem generis & differentiæ. Ergo & limitatum gradum intentionis. R. D. Conſ. ergo & gradum intentionis limitatum actu ſeu categorematice, C. Id enim ſufficit ad eſſentiam finitam: limitatum in potentia & ſincategorematice, N.

Obj. 4. cum Henno. Chriſti gratia non poteſt eſſe aucta in infinitum, alias eſſet ſimpliciter infinita. Ergo nec poteſt augeri in infinitum, potentia enim ordinatur ad actum. R. D. Conſ. Ergo non poteſt augeri in infinitum categorematice, ita ut tandem deveniatur ad infinitum actu, C. Conſ. Non poteſt augeri infinitum ſincategorematice, N. Non poteſt enim ita perfici quin & plus in infinitum.

Obj. 5. cum eodem. Nulla eſt implicantia, quod Deus det Chriſto tantam gratiam, quantam poteſt ipſi dare. Atqui ſi dediſſet talem, non eſſet amplius augmentabilis. Ergo. Prob. Maj. Si foret implicantia, eſſet ideo, quia potentia Dei exhauriretur & limitaretur. Atqui falſum Conſeq. Ergo. Prob. Min. 1. Potentia Dei non dicitur exhauſta & limitata ex hoc, quod non poſſit producere impoſſibile. Atqui gratia perfectior perfectiſſima foret impoſſibilis. Ergo. 2. Poſſet Deus ſi vellet etiam circa illam gratiam potentiam ſuam per totam æternitatem exercere, aliquos nempe gradus deſtruendo & novos producendo: Ergo. R. 1. hoc argumento duntaxat probari potuiſſe dari Chriſto gratiam, quæ non poſſet augeri: at de facto datam fuiſſe non probatur. R. 2. N. Maj. ad prob. data Maj. N. Min. ad 1. prob. C. Maj. Potentia Dei non dicitur exhauſta & limitata ex hoc, quod non poſſit producere impoſſibile, ſuppoſito quod aliud reſtat poſſibile produci, C. Si nihil aliud ſit poſſibile produci, N. Non igitur ideo præciſe infertur exhauſtam & limitatam eſſe Dei potentiam, quia non poſſet producere gratiam perfectiorem perfectiſſima, quod eſt impoſſibile, ſed quia nihil ultra reſtaret poſſibile produci, unde limitaretur & exhauriretur divina potentia, a qua provenit rerum poſſibilitas. Inde patet Reſponſio ad 2. probationem; licet enim Deus poſſet deſtructia prioribus gradibus novos producere, non tamen perfectiores; & ſic nihil ulterius & perfectius reſtaret producendum, quod eſt divinam potentiam eſſe limitatam, & ex illa parte exhauſtam. Inſuper permiſſi ſecundam Majorem, quia non ex hoc ſolo capite repugnat, ſed etiam ex parte gratiæ, quæ eſt participatio divinæ naturæ plus & plus in infinitum participabilis. De his & ſimilibus argumentia vide plura in Phyſica de Infinito.

Obj. 6. cum eodem. Si Chriſti gratia poſſet augeri, Chriſtus per opera ſua meritoria illius augmentum conſecutus fuiſſet; quandoquidem haberent illius opera meritoria omnem condignitatem ad tale augmentum requiſitam. Atqui, &c. Ergo. R. N. Sequelam Maj. quia Chriſtus erat comprehenſor & in termino: gratia autem in termino, etſi multa bona opera facit, non creſcit, nec meretur ſuum augmentum, ut patet in Beatis & in animabus in Purgatorio; meritum enim ſolum datur in Viatoribus.

Inſtat præfatus Auctor. Chriſtus licet comprehenſor meruit gloriam Corporis, Reſurrectionem, nominis exaltationem. Ergo & augmentum gratiæ ſi eſſet poſſibile. R. N. Conſ. Diſparitas eſt, quod quia carentia gloriæ corporis ad aliquod tempus conducebat ad finem Redemptionis, eam Chriſtus ab initio non habuit, adeoque eam potuit mereri; ab initio autem habuit gratiam in ſummo ſecundum connaturalem ſtatum, adeoque reſpectu illius fuit comprehenſor & in termino; unde eam mereri non potuit.

DISSERTATIO IV.

DE GRATIA CHRISTI SECUNDUM QUOD EST CAPUT ECCLESIÆ.

Div. Thom. Quæſt. 8.

ARTICULUS I.

Utrum Chriſtus ut homo ſit caput Eccleſiæ, tam quoad corpus quam quoad animam?

SIcut Eccleſia dicitur (*Hic q. 8. a. 1. o.*) unum corpus myſticum per ſimilitudinem ad corpus naturale hominis, quod ſecundum diverſa membra habet diverſos actus: ita Chriſtus dicitur caput Eccleſiæ myſtice ſeu moraliter, metaphora deſumpta per Analogiam ad caput naturale in corpore humano. Unde eo perfectius erit caput, quo magis aſſimilabitur capiti humano. Certum eſt autem Chriſtum ut Deum eſſe caput nedum Eccleſiæ, ſed & totius mundi. Eſt ergo quæſtio de Chriſto ut homine. Unde

Dico 1. (*Ib. a. 1.*) Chriſtus ut homo eſt caput Eccleſiæ. Intellige tamen Ly *Ut* non omnino reduplicative, ſed potius ſpecificative, id eſt ut homo ſubſiſtens perſona divina. Prob. ex Scriptura. (*Ib. in a. ſ. c.*) Apoſt. ad Epheſ. 1. dicit de Chriſto: *Suſcitans illum a mortuis, & conſtituens ad dexteram ſuam in Cœleſtibus, ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam.* Apoſtolus autem loquitur ibi de Chriſto ut homine, ut Deus enim non fuit ſuſcitatus a mortuis. Prob. (*Ib. o.*) Proprium & per ſe conſtitutivum capitis, ut differt a cæteris membris, conſiſtit in tribus prærogati-

vis: 1. eſt ordo, ſcilicet ſupereminentia ſuper alias partes; caput enim eſt prima pars corporis incipiendo a ſuperiori & ſupereminens cæteris: 2. eſt perfectionis plenitudo, in eo enim reſident omnes ſenſus tam interiores quam exteriores, in aliis autem membris ſolus tactus. 3. eſt virtus ſeu influxus in membra, tum interius influendo motus & ſpiritus animales in alia membra, tum exterius dirigendo & gubernando illa in ſuis motibus propter vim ſenſitivam & motivam ibi dominantem. Atqui hæ tres prærogativæ reperiuntur ſpiritualiter in Chriſto ut homine reſpectu Eccleſiæ. Ergo, Prob. Min. 1. Primatum obtinet inter cæteros homines non quidem tempore, ſed dignitate, quatenus eſt primus Prædeſtinatorum, omnes receperunt gratiam per reſpectum ad ipſum, & ejus gratia eſt eminentior ex conjunctione ad Verbum, 2. Eſt in eo plenitudo gratiæ, ut diximus. 3. Influit gratiam in omnia membra Eccleſiæ, juxta illud Joan. 1. *de plenitudine ejus omnes accepimus*, eſt enim cauſa meritoria & efficiens inſtrumentaliter omnium noſtrarum gratiarum. Ergo.

Dices 1. Caput eſt membrum corporis. Atqui Chriſtus non eſt membrum Eccleſiæ. Ergo nec caput. R. D. Maj. (*Ib. ad* 2.) Caput naturale eſt, &c. C. Caput morale ſeu metaphoricum, N. Ut enim advertit Auctor, in metaphoricis locutionibus non oportet attendi ſimilitudinem quantum ad omnia; ſic enim non eſſet ſimilitudo, ſed rei veritas. Unde v. g. licet Chriſtus ſit agnus, non ſequitur, quod ſit Brutum. Eſt ergo, juxta S. Doct. (*In* 3. *d.* 13. *q.* 2. *a* 1. *ad* 6.) diſcrimen hoc inter caput naturale & morale ſeu myſticum, quod caput naturale dependeat a cæteris membris & a toto corpore, ut nutriatur & vivat, & ideo eſt membrum. At vero caput morale Eccleſiæ, ſcilicet Chriſtus, nullatenus dependet a membris & a corpore, ut ſpiritualiter vivat, ſed e contra; & ideo concludit S. Doctor loco cit. non poſſe dici proprie membrum Eccleſiæ. Licet tamen alibi in c. 12, 1. ad Cor. & q. 29. de verit. a. 4. ad 6. conceſſerit Chriſtum poſſe dici membrum Eccleſiæ ſub alia ratione minus propria, quatenus ſcilicet eſt unitus corpori, ſeu quatenus ſecundum humanitatem recipit influxum a Deo tanquam a præcipuo capite totius Eccleſiæ. Et hoc ſenſu quidam intelligunt illud Apoſt. 1. Cor. 12. *Vos eſtis corpus Chriſti & membra de membro*, referendo ly *Membro* ad Chriſtum, licet alii velint ſenſum eſſe, Corinthios eſſe aliquam partem membrorum corporis Chriſti, juxta quod in multis textibus Græcis habetur, *Et membra ex parte*.

Dices 2. Cor influit in caput & in alia membra. Ergo Chriſtus debet dici cor Eccleſiæ & non caput. R. (*Hic ad* 3.) Quod caput habet manifeſtam eminentiam reſpectu exteriorum membrorum, ſed cor habet quandam influentiam occultam: & ideo cordi comparatur Spiritus S. qui inviſibiliter Eccleſiam vivificat & unit; capiti comparatur ipſe Chriſtus ſecundum viſibilem naturam, ſecundum quam homo homini viſibiliter præfertur.

Dico 2. (*Hic* a. 2. c.) Chriſtus non ſolum ſecundum animam, ſed etiam ſecundum corpus eſt caput hominum, & quantum ad animas & quantum ad corpora. Ratio 1. partis eſt, (*Ib.*) quia tota Chriſti humanitas eſt inſtrumentum divinitatis conjunctum, operans noſtram ſalutem opera que nobis ſalutaria. Sic tamen intellige, ut ſit unus & idem influxus utriuſque, non duplex ſeorſum. Ratio 2. partis eſt, (*Ib.*) quia Chriſtus non ſolum influit in animam gratiam tam habitualem quam actualem, &c. ſed etiam influit in corpora noſtra duplici modo; 1. Secundum quod facit nunc ea eſſe arma ſeu inſtrumenta juſtitiæ in operibus exterioribus virtutum; 2. Quia in Patria influit in ea immortalitatem & cæteras gloriæ dotes.

ARTICULUS II.

Utrum Chriſtus ſit Caput omnium hominum?

DOcet S. Th. (*Ib. a.* 3. *c.*) Chriſtum eſſe caput omnium hominum, ſed diverſimode: quorumdam actu, aliorum in potentia; quorumdam ſemper, aliorum ad tempus: quamdiu ſcilicet vel recipiunt vel recipere poſſunt ſecundum Legem Dei ordinariam aliquem influxum a Chriſto. Ut certa ab incertis ſeparemus.

Suppono 1. (*Ib.*) Chriſtum eſſe caput in potentia omnium hominum viatorum etiam infidelium: quia nullus eſt viator, qui non poſſit per gratiam a Chriſto capite derivatam juſtificari & ſalvari. *Illi, qui ſunt infideles*, inquit Auctor (*Ib. ad* 1.) *etſi actu non ſint de Eccleſia, ſunt tamen de Eccleſia in potentia, quæ quidem potentia in duobus fundatur; primo quidem & principaliter in virtute Chriſti, quæ eſt ſufficiens ad ſalutem totius humani generis; ſecundo in arbitrii libertate*. In hoc ergo differt caput naturale a Chriſto capite myſtico, quod illud poſſit tantum membra jam habita conſervare & movere, Chriſtus vero præterea poſſit potentia ſibi conjuncta alia ſibi procreare, reſpectu quorum ideo dicitur caput in potentia. Ab hac ſuppoſitione non excludendos exiſtimamus pueros in uteris maternis; pertinent enim inchoative ad vitam viatorum, & conſequenter ad vitam ſalvandorum: & licet non ſint immediate capaces remedii, quod miniſterio hominum confertur, ſcilicet Baptiſmi, ſunt tamen capaces mediate, quatenus extrahi & expediri poſſunt.

Suppono 2. (*Ib.*) Chriſtum non eſſe caput nec actu nec potentia damnatorum & puerorum in Limbo, quia illi non uniuntur Chriſto, nec uniri poſſunt etiam per fidem, ſaltem ſecundum præſentem juſtitiam & potentiam Dei ordinariam, ratione ſtatus perpetuæ damnationis. Quod autem dæmones dicantur credere, intelligendum eſt de fide naturali, quæ nec eſt a Chriſto, nec ordinatur ad vitam æternam. Poſſet tamen dici illorum caput, eo ſenſu quo Gubernator eſt caput Civitatis propter excellentiam & dominationem exteriorem in eos. Suppono 3. (*Ib.*) Chriſtum eſſe actu caput hominum beatorum in Cœlo & exiſtentium in Purgatorio; quia ſunt nobiliſſima membra Eccleſiæ, illi triumphantis, hi patientis, in hos gratiam ſanctificantem, in illos gloriam influente Chriſto. Suppono 4. Chriſtum eſſe caput omnium hominum viatorum exiſtentium in gratia, quamdiu in illa exiſtunt, ſive ſint Prædeſtinati, ſive Reprobi; quia pro illo ſtatu Chriſto uniuntur per fidem & charitatem, ab eoque vitam ſupernaturalem accipiunt. Sic manus abſcindenda a corpore remanet illius membrum quamdiu non abſcinditur.

Unde merito damnatæ ſunt in Concilio Conſtantienſi Seſſ. 15. hæ tres propoſitiones Joannis Hus. 1. *Unica eſt ſancta univerſalis Eccleſia, quæ eſt Prædeſtinatorum univerſitas.* 2. *Præſciti non ſunt partes Eccleſiæ, cum nulla pars ejus ab ea finaliter excidat, eo quod prædeſtinationis charitas, quæ ipſam ligat, non excidit.* 3. *Præſcitus etſi aliquando ſit in gratia ſecundum præſentem juſtitiam, tamen nunquam eſt pars ſanctæ Eccleſiæ, & prædeſtinatus ſemper manet membrum Eccleſiæ, licet aliquando excidat a gratia adventitia, ſed non a gratia prædeſtinationis.*

Hæc ſunt partim certa, partim communiter recepta inter Theologos, ſed in tribus eſt difficultas: 1. An Chriſtus ſit caput actu fidelium in peccato mortali exiſtentium? 2. An ſit caput actu infidelium ſaltem baptizatorum, & quorum hæreſis eſt occulta? 3. An ſit caput primorum Parentum pro ſtatu innocentiæ? Quæ triplex difficultas triplici §. reſolvetur. Unde ſit

§. I. Prima Difficultas reſolvitur.

DIco. (*Ib.*) Chriſtus eſt actu caput fidelium omnium etiam in peccato mortali exiſtentium, imperfecte tamen & ſecundum quid. Prima pars eſt communis contra quoſdam Theologos, qui licet admittant fideles peccatores eſſe partes Eccleſiæ, negant tamen eſſe ejus membra adeoque & Chriſti, qui eſt Eccleſiæ caput. Sed nunc eſt neceſſario ab omnibus tenenda, ſi quidem oppoſita ſententia ſit damnata a Clem. XI. in Bulla *Unigenitus* contra Queſnellum, cujus propoſitiones infra referemus.

Prob. itaque 1. Ex D. (*Ib. c.*) Chriſtus, inquit, eſt caput omnium hominum, ſecundum diverſos gradus: 1. enim & principaliter eſt caput eorum, qui actu uniuntur ſibi per gloriam. 2. Eorum, qui actu uniuntur ſibi per charitatem. 3. Eorum, qui actu uniuntur ſibi per fidem. Ergo. Prob. 2. Ratione. Fideles, etſi in peccato mortali exiſtentes, participant actu influxum Chriſti capitis in aliquo vinculo permanenti, nempe in fide, quam ex ejus meritis habent, & qua permanenter ipſi & aliis membris uniuntur in uno credito. Ergo.

Confir. Chriſtus eſt actu caput Eccleſiæ. Ergo & omnium pertinentium ad illam. Subſumo. Atqui fideles peccatores actu pertinent ad Eccleſiam. Ergo. Prob. Subſumptum. 1. Ex Scriptura Matth. 3. Eccleſia comparatur areæ, in qua ſimul cum tritico paleæ comburendæ reperiuntur: & cap. 13. comparatur ſagenæ miſſæ in mare, in qua piſces boni & mali congregantur. Cap. 25. comparatur decem Virginibus, quarum quinque ſunt fatuæ ſine oleo charitatis. 2. Eccleſia definitur a Theologis ex Nicolao Pontifice & Innocentio cap. Firmiter, *Collectio ſeu Congregatio fidelium*.

Prob. 2. pars 1. ex D. Th. (*Ib. ad* 2.) *Qui vero*, ait, *his ſubduntur peccatis* (ſcilicet mortalibus) *non ſunt membra Chriſti actualiter ſed potentialiter, niſi forte imperfecte, per fidem informem, quæ unit Chriſto ſecundum quid & non ſimpliciter, ut ſcilicet per Chriſtum homo conſequatur vitam gratiæ, fides enim ſine operibus mortua eſt, ut dicitur Jacob. 2. Percipiunt tamen tales a Chriſto quemdam actum vitæ, qui eſt credere, ſicut ſi membrum mortificatum moveatur aliqualiter ab homine.* Quibus verbis S. Doctor utramque partem noſtræ concluſionis docet & probat.

Prob. Ratione. Ut quis ſit perfecte membrum Chriſti, requiritur perfecta unio cum Chriſto, quæ eſt per charitatem, & perfecta participatio vitæ ſpiritualis, quæ eſt in hac vita per gratiam & in altera per gloriam. Ergo fideles in

pec-

peccato mortali exiſtens non eſt perfecte membrum Chriſti. Adde, quod ſit ſimpliciter membrum Diaboli. Ergo non perfecte membrum Chriſti.

Solvuntur Objectiones.

OBJ. 1. contra 1. partem concluſionis. Multi Patres, Cyprianus Ep. ad Magnum, Hieron. ad Epheſ. 5. Aug. l. 5. cont. Petil. c. ult. & l. 2. cont. Creſcon. dicunt malos non pertinere ad Eccleſiam. Ergo. R. laudatos Patres vel loqui de perfectis membris Eccleſiæ, quæ vivunt vita perfecta per charitatem; vel malorum nomine intelligere infideles; vel tandem ſumere Eccleſiam reſtricto ſenſu, prout eſt congregatio ſolorum juſtorum.

Obj. 2. Peccatores ſunt membra Diaboli. Ergo non Chriſti. R. D. Conſeq. Ergo non Chriſti ſub ea ratione qua ſunt diaboli, C. Sub alia ratione & imperfecte, N. Patet ex dictis.

Inſt. Nullatenus ſunt filii Dei. Ergo nec membra Chriſti. R. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod homo filius Dei adoptivus conſtituatur per gratiam ſanctificantem, membrum autem Chriſti per ejus influxum, quem habet peccator fidelis.

Repones. Peccator fidelis eſt membrum mortuum. Ergo nullum influxum recipit a capite. R. D. Ant. Eſt membrum mortuum ex aliqua parte, C. Ex omni parte, N. Recipit enim adhuc a capite aliqualem influxum ſcilicet fidei, quæ eſt principium vitæ ſpiritualis: ſic in naturalibus membrum privatum gradu vitæ ſenſitivæ remanet tamen membrum, quamdiu retinet gradum vitæ vegetativæ. Unde S. Doctor hic ad 2. comparat peccatores fideles membris *mortificatis*, non mortuis.

Subſumes. Atqui ad rationem membri requiritur, quod vivat vita perfecta totius, ſcilicet ſenſitiva. Ergo. Prob. Subſumptum. Ideo capilli, ungues, ſanguis, humores non ſunt membra corporis, quia non vivunt vita ſenſitiva, licet vegetativa polleant. Ergo. R. N. Subſumptum. Ad prob. D. Ideo capilli, &c. non ſunt membra corporis perfecta, quia, &c. C. Ant. Non ſunt membra imperfecte, N.

Obj. 3. Eccleſia eſt ſancta. Et Cant. 4. dicitur tota pulchra & ſine macula. Ergo. R. D. Ant. Eccleſia eſt ſancta ratione puritatis fidei Sacramentorum, &c. C. Ratione membrorum ſuorum. Subdiſtinguo; nobiliorum qui ſunt juſti, C. Omnium, N. Unde quando dicitur Cant. 4. ſine macula, & alibi ſine ruga, intelligitur ſecundum D. Th. (*Ibid. ad 2.*) de Eccleſia triumphante.

Obj. 4. Peccatores pertinent ad Civitatem Babylonicam, juxta Aug. l. 14. de Civit. c. 28. Ergo non ad myſticam Jeruſalem, ſcilicet Eccleſiam, utpote quæ ſunt Civitates contrariæ, alia confuſionis, alia pacis. R. D. Conſ. Ergo non ad myſticam Jeruſalem ſub eadem ratione, C. Sub diverſa ratione, N. Nihil enim obſtat, quod unus & idem civis ſub diverſa ratione pertineat ad duas Civitates, etſi inter ſe inimicas, puta ad unam ratione nativitatis, ad alteram ratione domicilii.

Conſectaria.

EX dictis colliges 1. Chriſtum eſſe caput Fidelium Excommunicatorum & Schiſmaticorum præciſe, quia licet hi ſeparentur ab Eccleſia quoad unitatem charitatis, & illi quoad communionem precum & Sacramentorum, utrique tamen ſervare poſſunt fidem, licet verum ſit ſchiſma facile dilabi in hæreſim, & vix fore ullum Schiſmaticum, qui non fuerit Hæreticus. Unde dixi *Schiſmaticorum præciſe*. Colliges 2. Chriſtum eſſe caput Catechumenorum, quia licet ſecundum exterius Eccleſiæ regimen non reputentur membra Eccleſiæ ante Baptiſmum, attamen ratione fidei interioris, quæ ſæpe adjunctam habet charitatem cum voto Baptiſmi, ad Eccleſiam pertinent, & e Chriſto capite influxum recipiunt.

Colliges 3. Inter propoſitiones Queſnellianas juſte damnatas eſſe, quæ recenſentur numero 73. 74. 75. 76. 77. & 78. 1. *Eſt Nota Eccleſiæ Chriſtianæ eſt, quod ſit Catholica, comprehendens & omnes Angelos Cœli, & omnes Electos & juſtos terræ & omnium ſæculorum.* 2. *Quid eſt Eccleſia niſi cœtus Filiorum Dei manentium in ejus ſinu, adoptatorum in Chriſto, ſubſiſtentium in ejus perſona, redemptorum ejus ſanguine, viventium ejus ſpiritu, agentium per ejus gratiam, expectantium gratiam futuri ſæculi?* 3. *Eccleſia, ſive integer Chriſtus, incarnatum Verbum habet ut caput, omnes vero ſanctos ut membra.* 4. *Eccleſia eſt unus ſolus homo compoſitus ex pluribus membris, quorum Chriſtus eſt caput, vita, ſubſiſtentia & perſona; unus ſolus Chriſtus compoſitus ex pluribus Sanctis, quorum eſt ſanctificator.* 5. *Nihil ſpatioſius Eccleſia Dei, quia omnes Electi ac juſti omnium ſæculorum illam componunt.* 6. *Qui non ducit vitam dignam Filio Dei & membro Chriſti, ceſſat interius habere Deum pro Patre & Chriſtum pro capite.* 7. *Separatur quis a populo electo, cujus figura fuit populus Judaicus & caput ejus Jeſus Chriſtus, tam non vivendo ſecundum Evangelium, quam non credendo Evangelio.* His enim propoſitionibus reſpective conſideratis, & ad invicem collatis, aperte negat Queſnellus fideles peccatores eſſe de corpore Eccleſiæ, & Chriſtum eſſe eorum caput.

§. II. Secunda Difficultas reſolvitur.

CONSTAT inter Theologos, infideles, qui nunquam fuere baptiſati, ut ſunt Pagani & Idololatræ, non eſſe actu membra Chriſti nec Eccleſiæ. Sed difficultas eſt de Hæreticis, qui ſunt baptiſati, maxime ſi eorum hæreſis ſit occulta. Cajetanus vult eos eſſe actu membra Chriſti ratione characteris baptiſmalis; Bellarminus, quia eſt occulta eorum hæreſis. Contra quos

Dico. Chriſtus non eſt actu caput Hæreticorum etiam occultorum. Eſt D. Th. tum hic o. ubi verbis jam citatis recenſet tantum tres claſſes eorum, quorum Chriſtus actu eſt caput, ſcilicet eorum, qui ipſi uniuntur per gloriam, per charitatem & per fidem. Tum in 3. d. 13. q. 2. a. 2 Quæſtiunc. 2. o. ubi conſtituit triplicem unitatem Eccleſiæ, materialem in fide per convenientiam in uno credito; formalem in charitate per convenientiam in uno amato; complectivam in Spiritu S. omnia replente; atqui Hæretici etiam occulti nullo ex his modis aut Chriſto uniuntur, aut ad unitatem Eccleſiæ pertinent. Ergo.

Prob. 1. Hæretici etiam occulti non ſunt actu membra Eccleſiæ. Ergo Chriſtus non eſt eorum caput actu. Prob. Ant. 1. Fides eſt fundamentum Eccleſiæ ad Epheſ. 2. Matth. 16. ad Coloſſ. c. 2. Auguſt. lib. de unitate Eccleſiæ c. 4. loquens de Hæreticis occultis ait: *Multi tales ſunt in Sacramentorum communione cum Eccleſia, & tamen non ſunt in Eccleſia.* 3. Eccleſia definitur congregatio Fidelium. Ergo. Prob. 2. De ratione capitis actualis eſt non ſolum ſupereminentia & perfectio, ſed præcipue influxus vitalis in membra: atqui Chriſtus nullum actualiter influxum vitalem, vitalitate ſcilicet ſupernaturali, habet in Hæreticos etſi occultos. Ergo. Prob. Min. Fundamentum & initium vitæ ſupernaturalis eſt fides, qua carent Hæretici etiam occulti. Ergo.

Si dicas Chriſtum influere in eos per gratias actuales: R. Talem influxum non ſufficere ut Chriſtus dicatur caput illorum, 1. quia non eſt vitalis, ſed tantum diſpoſitio ad vitam; 2. quia non eſt quid permanens; vinculum enim uniens membra alicujus corporis tum inter ſe, tum cum capite, debet eſſe aliquid commune & permanens, ut patet in naturalibus & etiam civilibus; ſic non dicitur aliquis de corpore alicujus familiæ, licet ſoleat illam aliquando inviſere. 3. Quia alias Chriſtus eſſet etiam caput Infidelium non baptiſatorum, ſi quidem in eos pariter influat gratias actuales: quod tamen non admittunt Cajet. & Bellarmin.

Solvuntur Objectiones.

OBJ. 1. cum Cajetano. Chriſtus influit in Infideles baptiſatos aliquid ſpirituale permanens, nempe characterem baptiſmalem. Ergo. R. D. Ant. Aliquid ſpirituale permanens, quod ſit vitale & uniens in uno credito vel amato, N. Quod non ſit vitale nec uniens in uno credito aut amato, C. Ant. & N. Conſ. Si enim ratione talis influxus Chriſtus foret caput actu Infidelium baptiſatorum, foret etiam actu caput damnatorum baptiſatorum; idquidem concedit Cajetanus, ſed expreſſe negat S. Th. hic in fine corporis.

Repones cum eodem. Innocentius III. cap. *Veniens* de Presbytero non baptiſato dicit non ſolum per Sacramentum fidei, ſed etiam per fidem Sacramenti, nos effici membra Chriſti. Ergo ſolus character baptiſmalis conſtituit membrum Chriſti. R. N. Conſ. quæ male infertur ex ſententia Innocentii; ex ea enim tantum ſequitur, quod non ſolum Baptiſmus, ſed fides interior cum illius voto, ut in Catechumenis, conſtituat nos membra Chriſti; non autem dicit, quod id faciat Baptiſmus abſque fide interius recepta.

Inſt. cum eodem. Hæreticus vi characteris baptiſmalis punitur ab Eccleſia: atqui non poſſet puniri ab Eccleſia niſi ut membrum illius. Ergo. Prob. Min. Non pertinet ad Eccleſiam judicare de iis, qui extra ipſam ſunt, ut docet Apoſt. 1. Cor. 5. Ergo. R. D. Min. Non poſſet puniri ab Eccleſia, niſi eſſet membrum illius actu vel debito, C. Min. Actu præciſe, N. Sufficit enim, ut Eccleſia habeat jus illos puniendi, ſi ipſi non pareant, quod ratione characteris baptiſmalis & Profeſſionis Chriſtianæ in Baptiſmo emiſſæ, teneantur ipſi parere. Sic Rex jus habet puniendi militem fugitivum. Unde ſententia Apoſtoli intelligenda eſt de iis, qui ita ſunt extra Eccleſiam, ut nunquam intra ipſam fuerint.

Obj. 2. cum Bellarmino. Summus Pontifex lapſus in

hæreſim occultam remanet adhuc Eccleſiæ membrum. Ergo Chriſtus remanet etiam caput ejus actu. Prob. Ant. Pontifex lapſus in hæreſim occultam remanet adhuc caput Eccleſiæ, ut docent Cajetanus, Soto, Cano, Suarez & alii. Ergo & ejus membrum. R. N. Ant. Ad prob. N. Conſ. Diſparitas eſt, quod caput conſtituatur in ratione capitis per influxum in membra, membrum autem conſtituatur in ratione membri per receptionem influxus in ſe. Unde quia Pontifex in hæreſim occultam lapſus retinet adhuc juriſdictionem, per quam influit in Eccleſiam eam regendo, ita etiam retinet rationem capitis; quia tamen non amplius recipit influxum vitalem fidei aut charitatis a Chriſto inviſibili & primario capite, non poteſt amplius dici Chriſti, nec Eccleſiæ membrum.

Inſt. Repugnat eſſe caput alicujus corporis, & non eſſe membrum illius, ſi quidem caput ſit præcipuum corporis membrum. Ergo. R. D. Ant. Repugnat, &c. reſpectu capitis naturalis, C. Reſpectu capitis moralis, N. Inſtantia eſt in Chriſto, qui eſt caput morale Eccleſiæ, & non tamen ejus membrum, ut diximus. Ratio diſcriminis igitur eſt, quod caput naturale non poſſit influere in alia membra, niſi recipiat vitæ influxum ab anima. At vero caput morale, qualis eſt Pontifex, poteſt juriſdictionem & imperium exercere in Eccleſiam & ejus membra, licet anima Eccleſiæ, quæ eſt charitas, non informetur, nullumque influxum vitalem recipiat. Uno verbo Papa conſtituitur membrum Eccleſiæ per fidem particularem, quam poteſt perdere: & caput Eccleſiæ per juriſdictionem & poteſtatem cum hæreſi interna compoſſibilem.

Obj. 3. In eodem agro juxta Matth. 13. creſcunt triticum, palea & zizania, id eſt juſti, peccatores & hæretici. Sed per agrum illum intelligitur Eccleſia. Ergo. R. 1. ad Maj. loco cit. Matt. nullam mentionem fieri palearum, ſed tantum tritici & zizaniorum, & zizania Chriſtum ipſum interpretatum fuiſſe *ſcandala*, & eos, *qui faciunt iniquitatem*. 2. Ad Min. Eam negat Aug. lib. Quæſt. Evang. in Matth. q. 11. *Quoniam*, inquit, *Dominus agrum ipſum, non Eccleſiam, ſed hunc Mundum interpretatus eſt*.

Obj. 4. cum Tirino. Si ſola hæreſis interior ſufficit, ut quis non ſit amplius membrum Eccleſiæ, & a contra ſola fides interior ſufficit, ut ſit membrum Eccleſiæ, ut in Catechumenis, Eccleſia erit inviſibilis: atqui falſum Conſ. Ergo. Prob. Sequela. Tam hæreſis interior, quam fides interior ſunt inviſibiles: atqui qui exterius apparent membra Eccleſiæ, poſſunt eſſe hæretici interiores; & e contra qui videntur exterius eſſe extra Eccleſiam, poſſunt habere fidem interiorem: Eccleſia autem componitur ex ſuis membris. Ergo. R. N. Sequelam. Ad probat. D. Min. Qui exterius apparent membra Eccleſiæ, poſſunt eſſe hæretici interiores, aliqui, C. Omnes collective, N. Sicut enim Eccleſia tota non poteſt deficere in fide, ita nec omnia membra ejus collectiva. Unde ſemper viſibilis apparebit Eccleſia in collectione membrorum cum capite viſibili, ſcilicet Romano Pontifice. Adde tales hæreticos interiores poſſe dici membra apparentia Eccleſiæ, quam exterius & viſibiliter profitentur, unde etiam in ipſis remanet viſibilis.

§. III. *Tertia difficultas reſolvitur*.

SUPPONIMUS Chriſtum eſſe caput antiquorum Patrum, qui in lege naturæ vel ſcripta fuerunt; etiam primorum parentum poſt lapſum, quia etſi tempore Chriſtum præceſſerint, gratiam tamen medicinalem & Redemptionem receperunt dependenter a Chriſto venturo. Unde ſolum eſt difficultas de primis Parentibus in ſtatu innocentiæ.

Dico. Chriſtus non eſt caput primorum parentum pro ſtatu innocentiæ. Eſt contra Scotiſtas, Suarem & noſtrum Gonetum illis hic conſentaneum diſp. 14. a. 3. §. 3.

Prob. 1. Primi Parentes prius concipiuntur prædeſtinati ad ſtatum innocentiæ, quam Chriſtus ſit prædeſtinatus. Ergo non habent gratiam illius ſtatus ex influxu Chriſti, adeoque nec Chriſtus eſt illorum caput pro illo ſtatu. Prob. Ant. Chriſtus non fuit prædeſtinatus niſi ex præviſione peccati Adæ. Niſi enim Adam peccaſſet, Chriſtus non veniſſet, ut late probavimus dum de motivo Incarnationis. Ergo, Quæ illic diximus, confirmanda ſunt cum hic dicendis, magnam enim habent affinitatem.

Prob. 2. etiam in hypotheſi, quod Chriſtus eſſet venturus Adamo non peccante. De facto ex vi præſentis decreti nulla gratia a Chriſto capite, quæ non ſit ab ipſo ut Redemptore & ex morte ejus derivata: atqui Redemptio & mors Chriſti non pertinuerunt ad ſtatum innocentiæ. Ergo. Min. admittitur ab adverſariis, qui dicunt Adamo non peccante Chriſtum non fuiſſe venturum ut Redemptorem & paſſibilem. Et patet etiam ex Aug. lib. de corrept. & grat. c. 11. dicente: *In illis bonis* (Adam) *Chriſti mortem non egebat*. Major prob. 1. ex illo ad Hebr. 10. *Una oblatione*, id eſt morte ſua, *conſummavit in æternum ſanctificatos*. Itaut quicumque ſanctificatus eſt per Chriſtum, una illa oblatione ſanctificatus eſt, aut ſi ab illa deficit, a ſanctificatione Chriſti extraneus eſt. Ergo nulla eſt gratia a Chriſto capite, quæ non ſit ex ejus morte derivata.

Prob. 3. eadem Maj. Perfectiſſimum, univerſaliſſimum, & efficaciſſimum meritum Chriſti ex genere operis, in quo alia merita tanquam in perfectiſſimo opere & cæterorum fine conſummantur, eſt paſſio & mors ejus, dicente Joanne c. 15. *Majorem charitatem*: &c. & Paulo ad Rom. 5. *Commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis, quia cum peccatores eſſemus, ſecundum tempus Chriſtus pro nobis mortuus eſt*. Super quem locum D. Th. *In hoc*, inquit, *quod dicit commendat, immenſitatem quandam divinæ charitatis aſſignat*. Atqui referre gratiam aliquam interioribus operibus & meritis, dum denegatur perfectiſſimo, & univerſaliſſimo, efficaciſſimo operi & merito, abſurdum videtur; quin imo, inquit Joannes a S. Th. temerarium, niſi accedat vel urgentiſſima ratio vel revelatio, cum id a ſola Dei voluntate pendeat. Ergo de facto & vi præſentis decreti nulla eſt gratia a Chriſto capite, quæ non ſit ab ipſo ut Redemptore & ex morte ejus derivata. Confir. Chriſtus ſibi ipſi per mortem ſuam meruit gloriam corporis, juxta illud Luc. 24. *Nonne ſic oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam?* Et illud ad Philipp. 2. *Factus eſt obediens uſque ad mortem. Propter quod Deus exaltavit illum*. Ergo a fortiori quibuſcumque aliis meruit, per mortem ſuam meruit.

Solvuntur Objectiones.

OBJ. 1. S. Th. hic a. 3. docet Chriſtum eſſe caput omnium hominum. Ergo & primorum Parentum. R. D. Ant. Eſſe caput omnium hominum quantum ad perſonas, C. Quantum ad omnem ſtatum & tempus perſonarum, N. Fuit ergo Chriſtus caput primorum Parentum, ſed non pro ſtatu innocentiæ.

Inſt. cum Suareſio. S. Doctor ibid. dicit, *quod Chriſtus eſt caput omnium hominum ſecundum totum tempus mundi*. Ergo, S. Th. non comprehendit ſolum omnes perſonas, ſed, etiam omne tempus, adeoque & tempus innocentiæ. R. N. Ant. Non enim ita loquitur S. Th. ſed hæc ſunt verba ejus: *Sic ergo dicendum eſt, quod accipiendo generaliter ſecundum totum tempus Mundi, Chriſtus eſt caput omnium hominum*. Ubi Ly *ſecundum totum tempus Mundi*, non afficit Ly *omnium hominum*, ſed Ly *generaliter accipiendo*: ita ut ſenſus ſit: *Accipiendo generaliter corpus myſticum Eccleſiæ ſecundum quod ejus membra non ſunt ſimul, ſed per totum tempus Mundi, Chriſtus eſt caput omnium illorum*. Inde tamen non licet inferre: *Ergo eſt caput illorum pro omni tempore & pro omni ſtatu*. Fundatur hæc intelligentia in ipſo textu S. Th. dixerat enim S. Doctor corpus Eccleſiæ myſticum in hoc differre a corpore naturali, quod *membra corporis naturalis ſunt omnia ſimul; membra autem corporis myſtici non ſunt omnia ſimul, quia corpus Eccleſiæ conſtituitur ex hominibus, qui fuerunt a principio mundi uſque ad finem*. Quando igitur ſubdit: *Sic ergo accipiendo generaliter ſecundum totum tempus mundi, Chriſtus eſt caput omnium hominum*: Senſus manifeſtus eſt, quod accipiendo corpus myſticum, cujus membra conſtituuntur ex hominibus, qui ſunt a principio mundi, Chriſtus eſt caput omnium, non tamen pro omni tempore.

Repones. S. Th. in c. 1. Joan. Lect. 10. dicit de Chriſto, quod *de plenitudine ejus acceperunt omnes juſti; qui fuerunt & erunt, & etiam omnes Angeli*. Et infra ibid. dicit, quod *plenitudo gratiæ, quæ eſt in Chriſto, eſt cauſa omnium gratiarum in intellectualibus creaturis*. Hinc utramque auctoritatem Henno male citat ex Lect. 10. ſuper c. 2. ad Hebræos. R. hanc utramque auctoritatem eſſe intelligendam ut priores, nempe de omnibus perſonis & gratiis, ſed non pro omni ſtatu & tempore. Quomodo autem id ſit intelligendum de Angelis? Dicemus art. ſequenti.

Obj. 2. cum eodem Suareſio & Hanno auctoritatem D. Aug. conc. 3. in Pſ. 36 ubi dicit: *Caput noſtrum Chriſtus eſt, & corpus illius capitis nos ſumus. Numquid ſoli nos & non etiam illi, qui fuerunt ante nos? Omnes qui ab initio ſæculi fuerunt juſti*, &c. Ergo. R. hunc textum non referri integrum, ſubdit Aug. *Illum enim venturum eſſe crediderunt, quem nos veniſſe jam credimus, & in ipſius fide & ipſi SANATI ſunt, in cujus & nos*. Quæ verba aperte indicant Auguſtinum loqui de omnibus ſanandis adeoque lapſis, non vero pro ſtatu innocentiæ.

Obj. 3. Adam in ſtatu innocentiæ habuit fidem Chriſti ſaltem ut conſummatoris gloriæ. Ergo Chriſtus eſt ejus caput. R. D. Ant. habuit fidem Chriſti, id eſt de Chriſto ut objecto, C. Id eſt de Chriſto & per Chriſtum, N. Sic Angeli, dum eſſent viatores, ut docet D. Th. 1. p. q. 64. a. 1. ad 4. habuerunt fidem de Chriſto, & tamen non fuerunt juſtificati per Chriſtum, ut dicemus art. ſeq.

Inſt. ex conceſſis, Adam habuit fidem Chriſti ut conſummatoris gloriæ. Ergo ut ſuperioris & perficientis ipſum in glo-

gloria, adeoque & capitis. R. D. ultimam partem Conſequentiæ, adeoque ut capitis aliquando futuri, quatenus aliquando foret conſummator gloriæ, Tranſeat: ut capitis actu influentis in eum pro ſtatu innocentiæ, de hoc enim agitur, N. Dixi, *Tranſeat*; quia cum illa conſummatio gloriæ non eſſet futura per influxum intrinſecum gratiæ & gloriæ, ſed ſecundum perfectionem illius extrinſecam, non poteſt dici hac ratione proprie caput.

Obj. 4. Chriſtus eſt finis ſtatus innocentiæ. Ergo & caput. Patet Conſ. Quia finis habet prioritatem, perfectionem & cauſalitatem ſupra id, quod ſibi ſubordinatur, quæ conditiones conſtituunt rationem capitis, ut obſervatum eſt ſupra ex D. Th. Prob. Ant. Omnia, quæ de facto creata ſunt, tam in eſſe naturæ quam in eſſe gratiæ, ſunt ordinata ad Chriſtum, & ipſi ſubjecta. Ergo & illa ſtatus. Ant. conſtat ad Heb. 2. ubi Apoſt. illud Pſ. 8. *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus*, intelligens de Chriſto, ſubdit; *In eo enim quod omnia ei ſubjecit, nihil dimiſit non ſubjectum ei*. Et fortius 1. Cor. 15. *Cum dicat omnia ſubjecta ſunt ei, ſine dubio præter eum, qui ſubjecit ei omnia*. Ergo. R. 1. N. Conſ. Quia caput ultra finalem influxum petit alium per modum efficientis ſaltem moraliter & meritorie, aut per modum gubernantis. Neutrum autem Chriſtus habuit reſpectu ſtatus innocentiæ, bene tamen primum reſpectu omnium juſtorum a lapſu ad Incarnationem: quia licet merita Chriſti in intentione fuerint finis gratiæ Patrum, tamen in exercitio prævisa meruerunt illam tanquam effectum, ut diximus ſupra de merito Incarnationis. R. 2. N. Ant. ad prop. D. Ant. omnia, quæ de facto creata ſunt, &c. ſunt ordinata ad Chriſtum ſub omni ſtatu, N. Ant. ſub aliquo ſtatu, C. Ant. & N. Conſ. Explicatur. Deus 1. ſecundum providentiam generalem (quæ poteſt dici ſpecialis qua ſupernaturalis) prædeſtinavit Adamum in ſtatu innocentiæ & integritatis; prævisſo ejus peccato prædeſtinavit ſecundum providentiam ſpecialem & efficacem Chriſtum in ejus remedium; deinde in ſigno poſteriori omnia per providentiam generalem prædeſtinata ſubjecit Chriſto Redemptori, atque ad ejus gloriam ordinavit. Unde ſequitur Chriſtum eſſe finem gratiæ productæ in ſtatu innocentiæ ut reparandæ, non tamen gratiæ illius ut producendæ, ſeu ſub illo ſtatu producendæ, adeoque nec illius ſtatus. Et hoc ſenſu verificatur, quod omnia ſubjecta ſunt Chriſto. Vide Q. citatam de motivo Incarnat. Obj. 1.

Obj. 5. Gratia Adami in ſtatu innocentiæ eſt ex meritis Chriſti. Ergo Chriſtus eſt caput Adami quoad illum ſtatum. Prob. Ant. Gratia Adami pro ſtatu innocentiæ eſt effectus ejus prædeſtinationis. Atqui prædeſtinatio Adami ſicut & noſtra eſt ex meritis Chriſti. Ergo. Prob. Maj. Illi gratiæ Adæ in ſtatu innocentiæ correſpondet gradus gloriæ. Atqui gratia cui correſpondet gloria, eſt effectus prædeſtinationis. Ergo. R. N. Ant. ad prob. N. Maj. ad probat. D. Maj. Illi gratiæ Adæ pro ſtatu innocentiæ ut primo datæ ſeu reduplicativa ut eſt illius ſtatus, correſpondet gloriæ gradus, N. Maj. ut reparatæ & ſecluſo illo ſtatu, C. Maj. Et conceſſa Min. ad ſenſum Maj. N. Conſ. Dico igitur, quod illa gratia reduplicativa ut illius ſtatus & prout in illo ſtatu, non erat effectus prædeſtinationis Adæ, quia prout in illo ſtatu non ordinabatur efficaciter ad gloriam, ſed tantum ut reparata, adeoque præſuppoſitiva perdita & extra hunc ſtatum innocentiæ, & conſequenter prout in illo ſtatu non pertinebat ad cauſalitatem & prædeſtinationem Chriſti, ſed tantum ad providentiam generalem, quæ in tantum poteſt dici ſpecialis, in quantum ſupernaturalis, non tamen in quantum efficax.

Inſt. illi gratiæ Adæ reduplicativa prout eſt gratia illius ſtatus correſpondet gradus gloriæ. Ergo. Prob. Ant. In Prædeſtinato, qui amittit primam gratiam, illa gratia amittenda eſt effectus prædeſtinationis, & illi reſpondet gradus gloriæ, non ſolum reduplicativa pro ſtatu reparationis, ſed pro primo ſtatu, in quo collata eſt. Ergo ſimiliter, &c. R. N. Ant. ad prob. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod in Prædeſtinato gratia ut primo collata datur ex efficaci intentione perducendi ad gloriam per talia media, id eſt per gratiam amittendam & recuperandam; prædeſtinatur enim, ut pœnitens futurus, non ut innocens: unde illi gratiæ ut tali poteſt correſpondere gradus gloriæ. At vero Adamo non eſt collata gratia pro ſtatu innocentiæ ex efficaci intentione perducendi ad gloriam ſub illo ſtatu, ſed ex providentia generali: amittendus enim erat ille ſtatus, & ex illius amiſſione dependebat Decretum Chriſti venturi & prædeſtinandi, ex cujus virtute & meritis omnes prædeſtinamur. Unde illi gratiæ ſub illo ſtatu reduplicative nullus reſpondet gradus gloriæ.

Obj. 6. cum Henno. Chriſtus eſt caput Eccleſiæ. Atqui cœpit Eccleſia in terra, cum primo primi parentes cœperunt eſſe ſancti. Ergo. Prob. Min. ex Aug. in Pſal. 128. *Nunquid modo & non olim eſt Eccleſia? Ex quo vocantur Sancti eſt Eccleſia in terra*. Ergo. R. D. Min. Cœpit Eccleſia in terra materialiter, cum primo primi parentes cœperunt eſſe Sancti, C. Min. formaliter, N. Min. in tantum enim Eccleſia extitit in primis parentibus pro ſtatu innocentiæ, in quantum erant perſonæ, quæ aliquando futuræ erant membra Chriſti. Et hoc ſenſu intelligenda eſt auctoritas Aug. vel dicendum, quod loquatur de Eccleſia prout eſt Congregatio Fidelium habens Deum pro capite.

Obj. 7. cum eodem. Debemus Chriſto concedere quidquid facit ad majorem ejus dignitatem, & eſt ſine ullo inconvenienti poſſibile. Atqui quod primi parentes habuerint gratiam in ſtatu innocentiæ dependenter a meritis prævisis Chriſti facit ad majorem ejus dignitatem, & eſt ſine ullo inconvenienti poſſibile. Ergo. Prob. Min. Chriſtus abſtrahendo a ſtatu poſſibili fuit decretus antequam decerneretur Adam. Ergo ſine ullo inconvenienti potuerunt, &c. R. N. Min. ad prob. N. Min. cujus falſitas patet ex dictis de motivo Incarnationis. Inſuper ad Maj. Dico nos debere concedere Chriſto quidquid facit ad majorem ejus dignitatem, in quantum ipſe voluit & præordinavit, non autem contra ejus voluntatem & præordinationem. Porro ipſemet declaravit, quod *Non venerit vocare Juſtos ſed Peccatores*; Quod non eſſet *Opus bene habentibus Medico, ſed male habentibus*. Fruſtra ergo contra ejus intentionem adulamur plenitudini ejus influxus, dum aſſerimus Juſtis, ſicut Peccatoribus profuiſſe.

Obj. 8. cum eodem. Chriſtus fuit caput Angelorum. Ergo & primorum parentum. R. N. Conſeq. Diſparitas patebit ex dicendis art. ſequenti. Unde ſit

ARTICULUS III.

Utrum Chriſtus ſit caput Angelorum?

CHRISTUM eſſe caput Angelorum aliquo modo, puta quoad externam gubernationem, ſicut Papa dicitur caput Eccleſiæ, non videtur poſſe negari ſine errore; tum propter apertiſſima Scripturæ teſtimonia, ad Coloſſ. 2. Matt. 4. ad Heb. 1. Matt. 14. ad Epheſ. 1. & SS. Patrum, quorum quædam modo referemus: tum quia eſſet negare Chriſtum eſſe Principem ac Dominum Angelorum, atque totius Eccleſiæ triumphantis, quæ ex hominibus & Angelis conſtat. Sed difficultas eſt, quomodo ſit caput Angelorum, an vere & proprie, an tantum improprie, an influendo in eis gratiam & gloriam eſſentialem, an tantum accidentalem?

Dico 1. (*Hic a. 4. c.*) Chriſtus eſt vere & proprie caput Angelorum, tamen minus perfecta quam hominum. Prob. (*Ibid. in a. ſ. c.*) 1. pars 1. ex Scriptura: ad Coloſſ. 2. dicitur Chriſtus *Caput omnis Principatus & poteſtatis*. Atqui Apoſtolus ibi loquitur de Chriſto ut homine, ſi quidem ibidem dicit, quod in ipſo *Habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*, & quod *Deus ſuſcitavit illum a mortuis*. Prob. 2. ratione, (*Ibid. c.*) Ubi eſt unum corpus, neceſſe eſt ponere & unum caput. Atqui unum eſt corpus myſticum Eccleſiæ conſtans hominibus & Angelis, & hominum Chriſtus eſt caput. Ergo & Angelorum. Maj. patet ex naturalibus & politicis. Min. pro 2. parte patet ex dictis. Quoad 1. partem prob. 1. ex c. 15. Luc. ubi ad unum ovile dicitur pertinere nonaginta novem oves relictas in Deſerto, quibus ſignificantur Angeli, & ovem perditam, quam Paſtor quærebat, qua ſignificatur genus humanum. Ergo.

2. Prob. eadem pene ratione. Una multitudo ordinata in unum finem ſecundum diſtinctos actus ſive officia dicitur unum corpus politicum ſeu morale ad ſimilitudinem corporis naturalis. Atqui Eccleſia ut ex Angelis & hominibus conſtituta facit multitudinem ſecundum diverſos actus & officia ordinatam ad unum finem, ſcilicet poſſeſſionem gloriæ, aliter enim & aliter ad id collaborant Angeli & homines. Ergo.

Prob. 3. altera ratione. (*Ib.*) Chriſtus ut homo habet reſpective ad Angelos conditiones capitis. Ergo. Probat. Ant. Ratione unionis ad Verbum Angelis præeminet, & perfectius quam ipſi dona gratiæ participat. Item in eos influit ſi non gratiam & gloriam eſſentialem, ut dicemus, ſaltem accidentalem. Ergo. Prob. Ant. quoad ultimam partem, de qua eſt difficultas. Eſt in eis cauſa gaudii illius, quod percipiunt ex Sedium ſuarum reparatione, influit in eis clariorem notitiam plurium myſteriorum fidei, ut colligit Hieronymus ſuper c. 5. Ep. ad Epheſ. ex illis Verbis. *Ut innoteſcat Principibus & Poteſtatibus in Cœleſtibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei*. Idem aſſerit S. Dionyſius cap. 7. de Cœleſti Hierarch. ubi ait, Chriſtum exercere in Angelos actus Hierarchicos eos perficiendo, purgando & illuminando circa myſteria fidei, ut clarius cognoſcant, quæ obſcurius alioquin intelligerent. Idem docet S. Th. q. 29. de verit. a. 7. ad 5. Et in 3. D. 13. qu. 1. quæſtiunc. 2. ut dicemus infra. Item influit in eos gratias accidentales neceſſarias ad implendum miniſterium circa ſalutem hominum, ad quod deputati ſunt. Ergo.

Se-

Secunda pars Concluſionis patet ex dictis, & patebit ex dicendis in Concluſ. ſeq. & in Sol. Obj. Quia ſcilicet Chriſtus influit in homines gratiam & gloriam eſſentialem, in Angelos autem accidentalem. Item magis conformis eſt in natura cum hominibus quam cum Angelis. *Ergo*.

Dico 2. Chriſtus ſic eſt caput Angelorum, ut in eos non influat gratiam & gloriam eſſentialem, ſed accidentalem tantum. Eſt contra Scotiſtas & quoſdam Thomiſtas. Prob. 1. pars auctoritate. 1. Ex c. 2. ad Heb. ubi Apoſtolus diſſerens de excellentia Chriſti ſuper Angelos ſic dicit: *Qui enim ſanctificat, & qui ſanctificantur, ex uno omnes. Propter quam cauſam non confunditur eos vocare fratres, dicens; nuntiabo nomen tuum fratribus meis . . . Et iterum: Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Deus: Quia ergo pueri communicaverunt carni & ſanguini, & ipſe ſimiliter participavit eiſdem.* En quibus verbis ſic argumentor. Omnes, qui ſanctificantur a Chriſto, vocantur pueri & fratres Chriſti. Atqui Angeli non poſſunt ſic vocari. Ergo. Prob. Min. Illi vocantur ab Apoſtolo pueri & fratres Chriſti, qui communicaverunt carni & ſanguini. Atqui id non poteſt dici de Angelis. Ergo.

Nec poteſt reſponderi Apoſtolum non loqui de omni ſanctificatione, ſed tantum de ſanctificatione redemptiva. Contra enim eſt 1. quod id gratis dicatur. Quia ſi fuiſſet alia ſanctificatio per Chriſtum quam redemptiva, qua fuiſſent ſanctificati Angeli? Apoſtolus, qui eo loci intendebat probare excellentiam Chriſti ſuper Angelos, eam certe non omiſiſſet, alias valde diminute proceſſiſſet in eo, quod intendebat.

Huic auctoritati adde Parabolam Paſtoris Matt. 18. & Luc. 18. qui reliquit 99. oves, id eſt, juxta Patrum interpretationem, novem Choros Angelorum, ut quæreret ovem, quæ perierat, id eſt hominem. Item adde verbum Angeli Luc. 1. *Evangelizo vobis gaudium magnum*, &c. non omiſiſſet ſane *& nobis*, ſeu *Angelis*, ſi ipſis ſicut hominibus natus fuiſſet Salvator. Unde S. Bernard. hom. 3. ſuper *Miſſus*, hæc verba Iſaiæ expendens: *Parvulus datus eſt nobis*, &c. ait. *Non Angelis quoque, qui cum magnum haberent, parvulum non requirebant: Nobis ergo natus eſt datus quia nobis neceſſarius*. Huc faciunt etiam verba Chriſti jam citata art. præced. *Non veni vocare Juſtos, ſed Peccatores: non eſt opus bene habentibus Medico ſed male habentibus*.

Quoad D. Th. expreſſa eſt ejus ſententia in duobus locis; 1. Q. 29. de verit. a. 7. ad 5. ubi dicit: *Angeli non ſunt viatores quantum ad præmium eſſentiale, & ideo quantum ad hoc nihil eis meruit Chriſtus. Sunt autem aliquo modo viatores reſpectu præmii accidentalis, in quantum nobis miniſtrant, ad quod valet eis meritum Chriſti*. 2. In 3. d. 13. q. 2. a. 2. quæſtiunc. 1. ubi dicit: *Non influit Angelis removendo prohibens, aut merendo gratiam, aut orando pro eis, qui jam Beati ſunt: ſed in his, quæ ad actus hierarchicos pertinent, ſecundum quod unus Angelus illuminat alium, purgat & perficit*.

Prob. 3. iiſdem rationibus, quibus probavimus ſ. præcedenti Chriſtum non fuiſſe caput primorum parentum. Prima. Decretum Incarnationis Chriſti ſupponit prævisum Adæ peccatum in executione, ut dictum eſt; ergo & diabolum ſuggerentem, eo enim factum eſt; ergo & diabolum prius lapſum atque deſertorem gratiæ, in qua conditus fuerat; ergo & Angelos bonos in ea gratia perſeverantes & glorificatos. Ergo Incarnatio ut prævisa non potuit illis cauſare hanc gratiam & gloriam.

Secunda. His ſolum meruit Chriſtus ſaltem gratiam & gloriam eſſentialem, qui indiguerunt morte Chriſti, & pro quibus mortuus eſt, cum ejus merito non moverunt Deum niſi morte conſummata, ut dictum eſt. Atqui Angeli non eguerunt morte Chriſti, & pro illis non eſt mortuus Chriſtus. Ergo. Maj. probata eſt ſ. præc. Min. communiter aſſeritur a Patribus. Aug. in Enchir. cap. 61. ait: *Qui proprio filio non pepercit, ſed pro omnibus tradidit illum; non enim pro Angelis mortuus eſt Chriſtus*. Bernar. Serm. in fer. 4. Hebdom. ſanctæ dicit: *Mihi* (paſſio Domini) *data eſt, quia alteri dari non potuit: numquid Angelo? Sed ille non eguit. Numquid diabolo? Sed ille non reſurgit*. Id etiam patet ex conſequentia Apoſtoli 1. Cor. 5. *Unus pro omnibus mortuus eſt: ergo omnes mortui ſunt*. Ergo pro ſolis mortuis mortuus eſt. Atqui Angeli nunquam fuerunt mortui. Ergo. Huc etiam faciunt auctoritates allatæ in prima probatione.

Dices contra iſtam rationem. Chriſtus meruit ſibi gloriam corporis, & Angelis gratiam & gloriam accidentalem: atqui non iſta meruit per mortem ſuam. Ergo. Prob. Min. Quia alias Chriſtus diceretur mortuus pro ſeipſo, quod eſt damnatum in Concilio Epheſ. can. 10. & mortuus pro Angelis, quod negamus. Ergo. R. N. Min. cujus falſitas pro Chriſto patet ex illo Luc. 24. *Nonne hæc oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam?* Et ad Philip. 2. *Factus eſt obediens uſque ad mortem, propter quod Deus exaltavit illum*, &c. Ad prob. N. Sequelam. Etſi enim Chriſtus & ſibi & Angelis morte ſua gloriam accidentalem meruerit, non tamen ideo poteſt dici mortuus pro ſe, nec pro Angelis; tum quia ipſe non indiguit abſolute morte ſua etiam ad hanc gloriam accidentalem, utpote quæ ipſi titulo connaturalitatis debebatur: tum quia non ex motivo hujus & Angelorum gratiæ ſeu gloriæ accidentalis fuit decreta per ſe primo mors Chriſti & Incarnatio, ſed tantum conſequenter & per accidens, primario autem propter Redemptionem generis humani.

Reſpondet Henno Chriſtum morte ſua meruiſſe omnem gratiam reconciliatricem, ſed non præciſe ſanctificantem. Sed contra 1. Probavimus ſupra nullam gratiam omnino etiam præciſe ſanctificantem derivari a Chriſto niſi per mortem ejus, qua ut diximus ex Apoſtolo, *in æternum conſummavit ſanctificatos*. 2. Chriſtus ipſe, qui non la reconciliatione indiguit, non tamen niſi per mortem ſuam ſibi gloriam accidentalem meruit, ut diximus modo ex Scriptura. Quo igitur fundamento dici poteſt alios meruiſſe gratiam ſanctificantem aliunde quam morte ſua?

Reſpondent quidam Thomiſtæ, inter quos Contenſon, Angelos duplici titulo habuiſſe gratiam & gloriam eſſentialem. Titulo mortis ejus; ſicut Chriſtus duplici titulo obtinuit gloriam corporis, ſcilicet titulo connaturalitatis & meriti, ut dicebamus modo: imo & gratiam habitualem, ſcilicet titulo connaturalitatis & phyſicæ diſpoſitionis. Et ideo Chriſtus non dicitur mortuus pro Angelis, quia non ſimpliciter morte ſua meruit illis juſtificationem, ſed tantum novo titulo. Sed contra. Peto, ad quem finem, & cui bono novus ille titulus habendi gratiam, ſuppoſito primo? Et quidem ad bonum Angelorum nihil confert; nam ſine tali novo titulo eandem haberent gratiam & gloriam. Nihil etiam confert ad gloriam Chriſti, quia non facit Angelos ab ipſo dependentes niſi quoad titulum ſine re; eo enim ſecluſo idem haberent, quod habent cum ipſo. Unde gratis pro illis Chriſtum mortuum eſſet, ſicut ſi homines aliunde quam per mortem ejus ſanctificarentur, gratis mortuus fuiſſet Chriſtus pro ipſis, juxta illud Apoſt. ad Galat. 2. *Si enim per legem juſtitia; ergo gratis Chriſtus mortuus eſt*. Adde, quod illi duo tituli ſint inter ſe pugnantes & ſeſe excludentes; titulus enim puræ miſericordiæ & meræ liberalitatis excludit omnem rationem juſtitiæ, quam tamen importat titulus meriti. Unde damnatur hæc 69. propoſitio Queſnelli: *Fides, uſus, augmentum, præmium fidei, totum eſt donum puræ liberalitatis Dei*. Tandem probavimus prima ratione decretum Incarnationis ſupponere ſanctificationem eſſentialem Angelorum. Quod autem Chriſtus gloriam corporis & gratiam habitualem duplici titulo, connaturalitatis ſcilicet & meriti ſeu phyſice diſpoſitionis habuerit, confert ad magnam ejus gloriam, quia uterque iſte titulus eſt per ipſum, & ab ipſo oritur, nec iſti duo tituli ſunt inter ſe pugnantes.

Secunda pars Concluſionis patet ex dictis in 1. probat. 1. Concluſionis, & ex auctoritatibus D. Th. relatis in 1. probat. 2. Concluſ.

Solvuntur Objectiones contra 1. Concluſionem.

OBj. 1. Caput debet convenire cum membris in natura: atqui Chriſtus non convenit cum Angelis in natura, imo ab eis ſpecie differt. Ergo. R. D Maj. (*Ib. ad* 1.) Caput naturale debet convenire cum membris in natura, C. Maj. Caput morale ſeu myſticum, Subdiſtinguo. In natura generica, C. Specifica, N. Et ad hunc ſenſum, D. Min. N. Conſ. Fateor itaque caput naturale exigere convenientiam cum membris in natura ſpecifica, non quidem ut rationem ſui conſtitutivam in ratione capitis, ſi quidem id exigant etiam alia membra, ſed ut quid præſuppoſitum. Aliter tamen dicendum de capite morali, alias ſequeretur Deum non eſſe caput Angelorum, ſi quidem Angeli plus diſtent ab eo, quam Chriſtus ab Angelis, ſufficit itaque capiti morali, ut conveniat cum membris in natura generica, quomodo conveniunt Chriſtus & Angeli nempe in gradu intellectuali: quin imo poſſet dici eos convenire in natura ſpecifica ordinis ſupernaturalis, quia eandem ſpecie habent participationem divinæ naturæ ratione gratiæ habitualis. Poſſet etiam reſponderi 2. diſtinguendo aliter Maj. Caput ex omni parte perfectum & abſolutum debet, &c. C. Maj. Caput minus perfectum, N. Fatemur autem Chriſtum hac ratione eſſe caput Angelorum minus perfecte, quam hominum.

Inſt. Chriſtus eſt caput illorum, qui pertinent ad Eccleſiam, quæ eſt corpus ejus: atqui Angeli non pertinent ad Eccleſiam. Ergo. Prob. Min. Eccleſia eſt congregatio fidelium: atqui Angeli non habent fidem. Ergo. R. N. Min. Ad prob. D. Maj. (*Ibid. ad* 2.) Eccleſia ſecundum ſtatum viæ eſt congregatio fidelium, C. Secundum ſtatum Patriæ, N. Ut ſic enim eſt congregatio comprehendentium. Chriſtus autem non ſolum fuit viator, ſed comprehenſor, & ideo non ſolum fidelium ſed & comprehendentium eſt caput.

Obj.

Obj. 2. Chriſtus non fuit caput primorum Parentum ſuo ſtatu innocentiæ. Ergo nec Angelorum. R. N. Conſ. Diſparitas eſt, quod nihil primis Parentibus ſub illo ſtatu influxerit: Angelis autem influat gratiam & gloriam accidentales.

Inſt. Nihil quoad accidentalia influxit primis Parentibus pro ſtatu integritatis. Ergo nec Angelis. R. N. Conſ. Diſparitas eſt 1. quod Chriſtus conferat Angelis per influxum phyſicum gratias accidentales & actiones hyerarchicas purgando, illuminando, &c. gaudium autem accidentale de ſedium ſuarum reparatione objective & indirecte per juſtificationem & glorificationem Sanctorum, quorum nullum fieri poteſt reſpectu ſtatus innocentiæ, qui & aliorum hominum & Chriſti realem exiſtentiam præceſſit. Et ſuppoſito quod Chriſtus in Angelis etiam per viam merui influxerit, ut ſonant verba D. Th. altera eſt diſparitas, quod licet hi non ſint juſtificati per Chriſtum, ſunt tamen miniſtri Redemptionis ejus, juxta illud Hebr. 1. *Omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis*: unde ad Chriſtum ſpectat gratias & præmia accidentalia ipſis tribuere propter miniſterium: at vero Adam in ſtatu innocentiæ neque erat redemptus a Chriſto, nec miniſter Redemptionis: unde nec ut redempto libertatem, nec ut mortuo vitam, nec ut miniſtro mercedem & præmia accidentalia tribuere debuit.

Subſumes. Atqui ille influxus Chriſti in Angelos quoad ſola accidentalia non ſufficit, ut ſit illorum caput. Ergo. Prob. Ant. Illorum dumtaxat Chriſtus eſt caput, in quos influit ea dona, quibus conſtituuntur membra Eccleſiæ vel militantis vel triumphantis, quæ ſunt gratia, charitas, fides ſeu viſio beatifica. Ergo. R. D. Subſumptum: Ille influxus in Angelos quoad accidentalia tantum non ſufficit, ut ſit illorum caput ex omni parte abſolutum & perfectum, C. Ut ſit ſimpliciter & abſolute tale, N. per tale enim influxum ſalvantur conditiones requiſitæ ad veri capitis rationem etſi minus perfecti, ut concedimus in concluſione. Quin imo non eſt de ratione capitis etiam naturalis, a fortiori moralis, ut influat formam ſubſtantialem, per quam membra conſtituuntur in ratione membri, ſic v. g. caput naturale non influit in membra animam ſeu formam ſubſtantialem, ſed tantum aliquem motum vitalem accidentalem.

Inſeres. Ergo Chriſtus debet etiam dici caput Infidelium. Prob. Illatio, Influit etiam in eos gratias accidentales, Ergo, R. N. Illationem. Ad prob. D. Ant. Influit etiam in eos gratias accidentales ejuſdem rationis ac in Angelos, N. diverſæ rationis, C. & N. Conſ. Ideo igitur Influxu gratiarum accidentalium eſt caput Angelorum, quia gratiæ, quas in illos influit, ſunt permanentes & vitales, communicanturque membris viventibus, & cum aliis in uno ſaltem amato unitis. At vero gratiæ actuales, quas influit in Infideles, non ſunt permanentes nec vitales, ſed diſpoſitio ad vitam, ſcilicet fidem, quæ eſt fundamentum vitæ ſupernaturalis, unde non communicentur ſubjectis viventibus, & cum Eccleſiæ membris in uno eradito vel amato unitis.

Obj. 3. Chriſtus non eſt ſponſus Angelorum, ut docet S. Th. in 4. d. 49. q. 4. a. 4. Ergo nec eorum caput. R. N. Conſ. Inter enim ſponſum & ſponſam requiritur convenientia axioma, non vero inter caput & membra, ut diximus.

Obj. 4. Chryſoſt. hom. 1. in Ep. ad Epheſ. & Theophilactus ipſum ſecutus, negant Chriſtum eſſe caput Angelorum. Ergo. R. hos Patres negare Chriſtum eſſe caput Angelorum ea proprietate, qua caput naturale dicitur reſpectu membrorum, quia ſcilicet non convenit in natura ſpecifica cum Angelis; non tamen negare eſſe caput abſolute ſecundum alios reſpectus eſſentiales capiti. Dicit enim ibid. Chryſoſt. *Quod Deus unum omnibus poſuerit caput ſecundum carnem, nempe Chriſtum & Angelis & hominibus*.

Solvuntur Objectiones contra 2. Concluſionem.

OBj. 1. ab auctoritate Scripturæ. 1. ad Epheſ. c. 1. dicitur Deum propoſuiſſe in Chriſto *inſtaurare omnia, quæ in cælis ſunt, & quæ in terra*. Et ad Coloſſ. 1. quod per eum *reconciliavit omnia, ſive quæ in terris, ſive quæ in cœlis ſunt*. 2. Apocl. 12. dicitur de Angelis, quod *vicerunt eum* (ſcilicet diabolum) *propter ſanguinem Agni*. 3. Ad Rom. 5. dicitur; *ſi enim unius delicto mortui ſunt multi, multo magis gratia Dei, & donum in gratia unius hominis Jeſu Chriſti in plures abundavit*. Atqui non in plures homines, ſi quidem quot homines redimuntur gratia Chriſti, tot mortui ſunt delicto Adæ. Ergo in plures Angelos. 4. Ad Heb. 2. dicitur, quod *decebat eum, propter quem omnia & per quem omnia, qui per multos filios in gloriam adduxerat, auctorem ſalutis eorum paſſionem conſummare*. Atqui non homines in gloriam adduxerat ante paſſionem. Ergo Angelos. 5. Jo. 14. dicitur; *Nemo venit ad Patrem niſi per me*. Ergo nec Angeli.

R. ad 1. (*In hunc locum lect. 3.*) ſenſum Apoſtoli eſſe inſtaurari omnia, quæ in cœlis ſunt, non quod pro Angelis mortuus ſit Chriſtus, ſed quia in redimendo hominem reintegratur ruina Angelorum. Pſ. 109. *implebit ruinas*. Ad verba Apoſt. ad Coloſſ. ſimiliter dico reconciliaſſe omnia, quæ ſunt in cœlis & quæ ſunt in terris, dum inimicitias, quas peccatum fecerat inter Angelos & homines, ſolvit, & illorum ruinas reparavit. Ita Aug. c. 61. Enchir. Ad 2. dico Evangeliſtam non loqui de Angelis, ſed de hominibus. Patet ex textu; Poſt narratum enim prælium Angelorum cum diabolo, ſubdit: *Quia projectus eſt accuſator fratrum noſtrorum ... Et ipſi vicerunt eum propter ſanguinem Agni ... & non dilexerunt animas ſuas uſque ad mortem*. Ubi manifeſtum eſt Evangeliſtam non loqui de Angelis, ſed de fratribus ſuis accuſatis, qui non dilexerunt, ſeu qui oderunt animas ſuas uſque ad mortem, quod non poteſt competere Angelis, qui nec fratres ſunt noſtri, nec animas habent. Quin imo prælium, de quo hic fit mentio, juxta Eſtium, Riberam & alios, non eſt illud, quod factum eſt initio mundi, quando Diabolus & Angeli ejus ejecti ſunt de Cœlo, ſed quod vel fit in Eccleſia, vel futurum eſt extremis temporibus, vel factum eſt in Chriſto pro nobis moriente. Ad 3. (*In hunc locum lect. 5.*) R. Quod ly *plures*, ſecundum expoſitionem Aug. non ſumitur ibi comparative, ſed abſolute, ut idem valeat ac multi. Equidem juxta S. Ambroſium ly *plures* comparative ſumitur; ſed tunc facit alium ſenſum, ut etiam advertit ibid. S. Th. Etenim ſecundum Ambroſ. per ly *unius delicto* non intelligitur peccatum originale, quod per propagationem ad poſteros deſcendit, ſed peccatum Idololatriæ quod per imitationem ad poſteros Adæ propagatur: & reſpectu hujus delicti, quod abundavit in multos, ſed non in omnes, gratia Chriſti abundavit in plures, quia pro peccatis fidelium etiam mortuus eſt. Ad 4. (*In hunc locum lect. 3.*) R. Quod ly *adduxerat* ſumendum ſit ſecundum voluntatem, non ſecundum executionem, ita ut idem ſit ac adducere decreverat ſcilicet homines, & non Angelos. Quo ſenſu dicit Iſaias 9. *Parvulus enim natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis*; hoc eſt ſecundum prædeſtinationem & intentionem, non ſecundum executionem: vel ponitur verbum præteritum pro futuro, ut fit ſæpius in Scriptura propter certitudinem prædeſtinationis & prophetiæ. Ad 5. (*In hunc locum lect. 2.*) R. Quod nemo ſive Angelus, ſive homo veniat ad Patrem niſi per Filium, ſed diverſo modo, homo per Filium carne velatum, Angelus per Filium ut eſt Deus.

Obj. 2. ab auctoritate Patrum. D. Hieron. in c. 1. ad Epheſ. dicit, *Quod abſque peccato nullus ſit, & ſydera ipſa non ſint munda coram Deo, omniſque creatura paveat creatoris adventum. Unde crux Salvatoris non ſolum ea, quæ in terra, ſed etiam ea, quæ in Cœlis erant, purgaſſe perhibetur*. Greg. l. 1. c. 2. in l. 1. Reg. *Nullus* inquit, *hominum neque Angelorum eſt ſanctus niſi per Chriſtum*. Bernard. Serm. 22. in Cant. dicit: *Qui erexit hominem lapſum, dedit ſtanti Angelo, ne laberetur, ſic illum de captivitate eruens, ſicut hunc a captivitate defendens, & hac ratione fuit æque utrique redemptio, ſolvens illum & ſervans iſtum*.

Ad Hieron. Reſpondet Sylvius hic ipſum non loqui aſſertive, ſed aliorum opinionem referens: Unde ſtatim ſubjungit aliam expoſitionem, quam variis Scripturarum auctoritatibus confirmat. Hæc ſolutio admitti poteſt, quia in Præfatione admonet Hieron. ſe tam propria quam aliena dicturum, tam ſuos quam veterum Scriptorum commentarios allaturum. Reſpondet Vaſq. Diſp. 49. c. 5. hæc verba Hieron. continere *manifeſtum errorem contra fidem, tametſi non conſtet*, inquit, *utrum ex propria, an ex alterius ſententia docuerit*. Ergo juxta Vaſqueſium non conſtat, an Hieronymus fuerit hæreticus necne. Hanc Reſponſionem ut temerariam & tanto Doctori injurioſam egregie conſutat Joannes a S. Th. Quocirca dicendum eſt hæc verba Hieronymi quatenus ſunt illius, ſanum & catholicum ſenſum continere. Et quidem imprimis non dixit Hieronymus: *Nullus Angelus eſt abſque peccato*, ut male intelligit Vaſquez, ſed verba Scripturæ retulit, quæ leguntur c. 15. & 25. Job. Hæc autem juxta Interpretes intelliguntur de homine, & ſequentia, ſcilicet ſydera ipſa non ſunt munda coram Deo, de Angelis, qui dicuntur non mundi negative, propter limitationem naturæ & carentiam quarumdam cognitionum, propter quod indigent purgatione. Quod ſi in verbis, *nullus abſque peccato eſt*, intelligantur Angeli, tunc peccatum non debet ſumi ſtricte pro culpa morali reſpectu Angelorum, ſed late pro quocumque defectu naturæ, quo ſenſu monſtra dicuntur peccata naturæ. Quando ergo dicis crucem Salvatoris purgaſſe ea, quæ ſunt in Cœlis & in terra, verum quidem eſt, ſed diverſo ſenſu juxta conditionem ſubjectorum, purgavit quæ in terra ſunt a peccato, quæ autem in Cœlo a neſcientia, vel aliis defectibus, quæ Chriſtus tollit in Angelis exercendo erga eos tres actus hierarchicos, qui ſunt perficere, illuminare & purgare. Et ſane per purgationem a peccato S. Hieronymum non intellexiſſe malum mora-

le

le patet ex ipſios verbis in caput ſequens ejoſd. Ep. ubi dicit, quod *omnis creatura Domini ſui cruore purgata ſit*, non autem omnis creatura eſt capax mali moralis.

Ad S. Greg. Dico ipſum quoad Angelos loqui de Chriſto ut Deo, quoad homines de Chriſto ut Deo ſimul & homine. Ad S. Bernard. Similiter reſpondendum patet ex verbis, citata in obj ctione præcedentibus: *Quoniam*, inquit, *quod erat Angelis* (ſanctificatio ſcilicet) *factus eſt & nobis*. Supponit ergo, quod antequam Chriſtus fieret homo in Redemptionem noſtram, jam eſſet ſanctificans Angelos, otique ut Deus. Clarius ſe exulicat idem S. Doctor ſerm. 1. de Circumciſione: *Idem*, inquit, *& Angeli Salvator & hominis, ſed hominis ab Incarnatione, Angeli ab initio creaturæ*. Sumit autem *Redemptionem* generaliter & late prout importat tam præſervationem quam liberationem a captivitate, ut patet ex textu objecto. Similis eſt danda reſponſio ſimilibus fere verbis Sanctis Fulgentii.

Obj. 3. Ab auctoritate D. Th. S. Doctor lect. 10. in c. 1. Joan. dicit Angelos etiam de plenitudine Chriſti accepiſſe, cujus verba ſupra retulimus. Et ibid. infra dicit, quod *plenitudo gratiæ, quæ eſt in Chriſto, eſt ſumma omnium gratiarum, quæ ſunt in omnibus intellectualibus creaturis*. Et q. 7. præced. a. 9. dicit, quod *plenitudo gratiæ data fuit Chriſto, ut univerſali principio in genere habentium gratiam*. Ergo. R. Quod cum S. Th. in his locis non explicet quam gratiam Angeli acceperint a Chriſto, ſed tantum loquatur generaliter de gratia ut ſic & in genere: in locis vero in probat. adductis expreſſe neget Angelos e Chriſto gratiam & gloriam eſſentialem habuiſſe, his potius quam illis ſtandum eſt. Unde ad 1. dico Angelos accepiſſe de plenitudine Chriſti gratias accidentales. Ad 2. dico hæc verba *omnium gratiarum & in omnibus intellectualibus creaturis* ſecundum diſtributionem accommodam intelligenda eſſe, ita ut quibuſdam accidentalem gratiam tribuerit. Cum enim S. Doctor ibi loquatur de efficientia phyſica gratiæ per Chriſtum, ut patet ex contextu, certum eſt ipſum non loqui de gratia & gloria eſſentiali Angelorum, cum tunc Chriſtus ut homo non exiſteret. Ad 3. R. S. Thomam hoc, quod dixerat in hoc a. 9. explicare & limitare ad naturam humanam art. ſeq. 11. ejuſdem q. dum dicit: quod confertur gratia Chriſto ſicut cuidam univerſali principio gratificationis in natura humana. Quod ſi intelligatur etiam de natura Angelica, ſolvendum eſt ut ſupra de univerſalitate accommoda.

Ob. 4. a ratione. Chriſtus fuit prædeſtinatus ante Angelos. Ergo nihil obſtat, quin Angeli fuerint prædeſtinati per ipſum & ex meritis ejus, & conſequenter quin ex eodem capite habuerint gratiam eſſentialem & gloriam, quæ ſunt effectus prædeſtinationis. Prob. Ant. Chriſtus eſt primus omnium prædeſtinatorum: dicitur enim de ipſo Pſ. 39. *In capite libri ſcriptum eſt de me*, & quod ſit *primogenitus omnis creaturæ* ad Coloſſ. 1. R. 1. Dato An. juxta Scotiſtas, N. Conſ. quia in illa Sententia licet ſit prædeſtinatus ut conſumator gloriæ ante Angelos, non tamen ut Redemptor & paſſibilis; probavimus autem nullum Chriſti meritum vi præſentis decreti vim habere niſi per mortem ejus. Sed R. 2. N. Ant. Ad Prob. dico, quod Chriſtus ſit primus omnium Prædeſtinatorum prioritate perfectionis & dignitatis, non autem cauſalitatis, niſi forte finalis. Poteſt enim dici finis, non quidem prædeſtinationis Angelorum, cum fuerint prædeſtinati independenter a Chriſto & prius ipſo, ſed Angelorum prædeſtinatorum, quatenus Angelos in priori ſigno prædeſtinatos ordinavit Deus in finem gloriæ Chriſti, ut diximus de motivo Incarnationis. Quin imo poteſt dici finis prædeſtinationis, ut ita dicam, accidentalis Angelorum, quatenus Angeli fuerunt prædeſtinati non ſolum ut eſſent Beati, quod factum eſt independenter a Chriſto, & ſpectat prædeſtinationem ad gratiam & gloriam eſſentialem, ſed etiam ut eſſent Miniſtri Redemptoris ſeu Redemptionis noſtræ; & ſub hac conſideratione Chriſtus eſt non ſolum finis hujus illorum prædeſtinationis, ſed etiam eſt cauſa efficiens & meritoria gratiarum accidentalium ad id munus pertinentium. Et hoc alterutro ſenſu dicitur Chriſtus *primogenitus omnis creaturæ*. Adde, quod hæc Appoſtoli verba dicantur de Chriſto ut Filio Dei.

Inſt. Juxta volgare axioma, *Primum in unoquoque genere eſt cauſa cæterorum*. Atqui Chriſtus eſt primus in genere habentium gratiam eſſentialem. Ergo. R. hoc axioma pati explicationem: ſic enim homo, v. g. eſt primus in genere animalis, & tamen non eſt cauſa aliorum animalium. Intelligitur ergo prædictum axioma vel hoc ſenſu, quod primum in unoquoque genere ſit cauſa cæterorum, non ſemper efficiens, ſed vel exemplaris vel finalis: diximus autem Chriſtum etiam eſſe cauſam finalem Angelorum prædeſtinatorum, licet non prædeſtinationis eorum, niſi ad gratias accidentales. Vel intelligitur, quod primum in unoquoque genere rerum naturalium & neceſſario contingentium ſit cauſa cæterorum, non autem ſi agatur de rebus, quæ pendent ex mero Dei beneplacito, quæ omnem naturæ ordinem tranſgrediuntur, quale eſt opus Incarnationis & prædeſtinatio Angelorum.

Obj. 5. Angeli in via habuerunt fidem Chriſti venturi, ut docent Theologi cum D. Th. 1. p. q. 57. a. 5. ad 1. Ergo & per Chriſtum. Patet Conſ. quia fides, quam antiqui Patres habuerunt de Chriſto, eam per Chriſtum ſeu ex ejus prævisis meritis habuerunt. R. D. Ant. Angeli habuerunt fidem Chriſti venturi ut Redemptoris & Glorificatoris ſui, N. Niſi intelligatur quoad glorificationem accidentalem & conſummationem externam gloriæ. Unde N. Conſ. & ad probat. Diſparitas eſt in ſolutione.

Inſt. Si Angeli in via & executione ſuæ prædeſtinationis habuerunt fidem Chriſti venturi, decretum prædeſtinationis eorum ſupponebat decretum Chriſti venturi. Ergo ruit tota hujus Articuli doctrina. Prob. Sequela Ant. Prædeſtinatio non fit in tempore, niſi eo modo, quo fuit decreta ab æterno: atqui in tempore prædeſtinatio Angelorum facta eſt ex conceſſis per fidem Chriſti venturi, ſaltem ut Redemptoris hominum & Conſummatoris gloriæ Angelorum. Ergo decretum prædeſtinationis eorum ſupponebat decretum Chriſti venturi. R. 1. N. Conſ. Quia etiam dato in ſententia Scotiſtarum, Chriſtum prius Angelis fuiſſe prædeſtinatum ut Conſummatorem gloriæ & Redemptorem hominum, non tamen inde ſequeretur Angelos habuiſſe fidem & gratiam eſſentialem per ipſum, ſi quidem, ut probavimus, omne ejus meritum includatur & conſummetur in morte illius; non fuit autem prædeſtinatus ut Redemptor moriturus propter Angelos, ut dictum eſt. Sed R. 2. N. ſequelam, ad prob. D. Min. atqui prædeſtinatio Angelorum in tempore quoad gloriam eſſentialem facta eſt per fidem Chriſti venturi, N. quoad gloriam accidentalem, C. eodem ſenſu D. Conſ. Explicatur. Prædeſtinatio Angelorum etiam ut in mente divina dupliciter poteſt conſiderari; uno modo abſolute & quoad ſubſtantiam, alio modo ſecundum habitudinem, quam habuit ad prædeſtinationem hominum, quorum futuri erant ſocii & concives in gloria, ac redemptionis miniſtri. Sub prima conſideratione completa & perfecta eſt prædeſtinatio Angelorum ante prævisionem Chriſti & abſque fide illius: quia tamen non ſiſtebat in nuda ſubſtantia juſtificationis & glorificationis, ſed ulterius ob rationem dictam erat perfectibilis per accidentalia dona, ſub hac conſideratione completa eſt accidentaliter per Chriſtum & fidem Chriſti. Sic ſimiliter in executione, ita ut fides Chriſti ſe habuerit tantum concomitanter in eorum juſtificatione & glorificatione eſſentiali. Ex quo ulterius habes, quod licet actui fidei, quem Angeli habuerunt in via, ſi ſecundum ſubſtantiam conſideretur, & quatenus erat actus fidei aliorum myſteriorum, v. g. Trinitatis, aliquis gradus gloriæ eſſentialis correſpondeat, ſecus tamen ſi conſideretur ut terminatus ad Chriſtum, quia ſub hac ratione non ingrediebatur prædeſtinationem eorum eſſentialem, ut dictum eſt.

Obj. ultimo. Homines habent ex meritis Chriſti gratiam & gloriam eſſentialem, quia eſt caput illorum. Atqui eſt etiam caput Angelorum, ut probavimus. Ergo. R. D. Maj. Quia eſt caput illorum præciſe, N. Quia eſt tale caput, ſcilicet principaliter ordinatum ad redemptionem & juſtificationem eorum, C. Hoc autem non currit in Angelis.

Inferes. Ergo Chriſtus non erit ſimpliciter caput Angelorum, ſed ſecundum quid tantum, quod repugnat tot teſtimoniis Scripturæ & Patrum ſupra relatis. R. D. Illatum. Non erit ſimpliciter, id eſt omnibus modis & omnino perfecte, C. Id eſt vere & abſolute, N. licet enim ſit de ratione capitis naturalis, ut vitam eſſentialem influat in membra, non tamen eſt de ratione capitis moralis. Patet in ſummo Pontifice reſpectu Eccleſiæ, in Rege reſpectu Reipublicæ. Unde quamvis Chriſtus non influat in Angelos gratiam & gloriam eſſentialem, quia tamen in eos influit & ſecundum gubernationem exteriorem, & ſecundum communicationem donorum accidentalium, dicimus eum ſimpliciter id eſt vere & abſolute caput Angelorum, licet non omnibus modis, nec ita perfecte ſicut hominum.

Petes, utrum Chriſtus ut homo ſit etiam caput rationalium creaturarum? R. Negative proprie loquendo; quia nihil ſupernaturale in ipſas influit, naturalia autem a Deo, ut auctore naturæ accipiunt. Unde Aug. Ep. 113. *Meruit nobis Chriſtus, ut juſtificemur, non ut homines vel liberi eſſemus*. Nec refert, quod in Scripturis dicatur *Primogenitus omnis creaturæ & omnia ei ſubjecta eſſe*. Id enim poteſt intelligi, vel quia eſt finis omnis creaturæ ſenſu quo alibi explicuimus, ad rationem autem capitis plus requiritur quam influxus finalis, ut etiam diximus. Vel quia poteſtatem habet in omnem creaturam, unde magis proprie dicitur earum Dominus quam caput. Vel quia per ly *Omnis creatura* intelligitur homo, qui participat aliquid de omni creatura, juxta illud, *Prædicate*

Evan-

Digitized by Google

Evangelium omni creaturæ. Inſuper prima auctoritas, quæ eſt Ep. ad Coloſſ. c. 1. intelligitur de Chriſto, ut eſt Filius Dei ſubſiſtens in natura divina, ut legenti textum patebit.

ARTICULUS IV.

Per quam gratiam Chriſtus conſtituatur caput Eccleſiæ?

DICO. (*Hic a. 5.*) Gratia Chriſti capitalis non eſt ipſa gratia unionis præciſe, ſed gratia habitualis ut connotans gratiam unionis. Eſt contra Vaſquem & quoſdam Recentiores. Prob. (*Ib.*) Ea gratia in Chriſto eſt capitalis, per quam influit, ſeu ſaltem conſtituitur potens influere in membra Eccleſiæ gratiam & juſtificationem, influxu ſcilicet morali per opera infinite meritoria; atqui illa gratia per quam, &c. non eſt gratia unionis ſed gratia habitualis, ut connotat gratiam unionis. Ergo. Maj. eſt certa; ratio enim influxus in membra eſt id, quod maxime attenditur in capite, & quidem influxus moralis in hoc capite Chriſto: quia licet influat etiam inſtrumentaliter phyſice, non tamen hoc influxu præciſe conſtituitur caput, ſi quidem antiquorum Patrum caput fuerit, in quos non potuit influere inſtrumentaliter phyſice, cum tunc nondum exiſteret. Difficultas itaque eſt in Minori. Prob. 1. Per id unumquodque agit, per quod eſt in actu, ita ut idem ſit actus quo eſt in actu & quo agit, ſic idem eſt calor, quo ignis eſt calidus & quo calefacit, & per id agit in alios, per quod eſt eminentius illis in actu; agens enim eſt præſtantius patiente: atqui Chriſtus ut homo non conſtituitur in actu natura ſcilicet ſupernaturalis per gratiam unionis, ſed per gratiam habitualem, qua intrinſece informatur, ut ſupra probavimus; & ratione gratiæ unionis habet hæc gratia maximam eminentiam, & talem, ad quam nulla pura creatura pertingere poteſt, ut etiam alibi diximus. Ergo. Hic ſiſtit ratio Auctoris.

Prob. 2. prima Min. & magis illuſtratur ratio D. Th. Per eam gratiam Chriſtus ut homo influit ſeu conſtituitur potens influere moraliter gratiam in membra Eccleſiæ, quæ eſt ipſi principium quo illis merendi & condigne pro illis ſatisfaciendi, hoc eſt, eliciendi actus ſupernaturales infinite meritorios & condigne ſatisfactorios: atqui Chriſto homini principium quo operandi non eſt gratia unionis, cum illum non informet phyſice, nec cum eo identificetur, ſed gratia habitualis, a qua intrinſece informatur, & quæ eſt principium operativum quo radicaliter, ut dictum eſt; infinitatis autem in valore operum & condignitatis in ſatisfactione principium formale eſt gratiæ ipſius conjunctio ad gratiam unionis. Ergo illa gratia per quam &c. non eſt gratia unionis præciſa, ſed gratia habitualis connotans gratiam unionis.

Ultra hanc præcipuam capitis prærogativam, aliis etiam duabus gaudet gratia perſonalis Chriſti reſpective ad gratiam hominum & Angelorum. Eſt enim prior, non quidem tempore, ſed dignitate & eminentia, utpote finis; eſt etiam perfectior, utpote maximam habens plenitudinem, ut dictum eſt.

Solvuntur Objectiones.

OBJ. 1. Gratia unionis eſt prior & perfectior gratia habituali & gratia aliarum creaturarum; & ab illa, non a gratia habituali derivatur valor meriti & ſatisfactionis Chriſti pro hominibus, utpote infinitus. Atqui hæ tres conditiones conſtituunt rationem capitis, ut dictum eſt. Ergo. R. D. Maj. per ſingulas partes. Gratia unionis eſt prior & perfectior gratia habituali ſimpliciter & in ordine hypoſtatico, C. Maj. Secundum quid & in ratione principii operativi quo, N. Maj. Prioritas enim & perfectio ſub illa ratione ſoli gratiæ habituali Chriſti competit, quæ intrinſece informat animam Chriſti, & in ea habet rationem naturæ in ordine ſupernaturali. Prioritas autem & perfectio in ratione principii operativi maxime attenditur in gratia capitis, quia caput eſt in genere activi & operativi in membra, ut patet. Similiter D. ultimam partem Maj. Omnis valor meriti & ſatisfactionis Chriſti derivatur a gratia unionis remote tanquam a præſuppoſito & connotato, C. Maj. Proxime tanquam a principio effectivo, N. Maj. & intellecta Min. ad ſenſum Maj. N. Conſ. Verum eſt ergo, quod omnis fons & origo, unde promanat valor infinitus in operibus Chriſti, ſit ipſa gratia unionis ſeu perſona divina unita humanitati; quia tamen non eſt operativa quo illorum operum, ſed tantum conditio conſtituens agens ut quod, non poteſt niſi mediante principio quod hanc infinitatem operibus communicare, nec ideo eſſe gratia capitis de cujus ratione eſt, quod ſit elicitiva quo illorum meritorum. Id autem præſtat gratia habitualis, ut connotat gratiam unionis: & 1. cum habeat rationem naturæ in ordine ſupernaturali, eſt radicaliter operativa quo actionum ſupernaturalium. 2. Quia ex conjunctione ad Verbum haurit ſupereminentiam, & quandam dignitatem moraliter infinitam, & illam communicat actionibus ab ipſa procedentibus. Ex quo colliges, quod licet gratia habitualis Chriſti ſit ejuſdem ſpeciei cum noſtra in eſſe phyſico, non tamen in eſſe moris; & quod gratia puræ creaturæ quantumvis perficiatur, non poſſit unquam ipſum conſtituere caput aliorum; ſi quidem hanc eminentiam habeat gratia Chriſti ex conjunctione ad Verbum.

Obj. 2. Si Chriſtus non haberet gratiam habitualem, foret nihilominus adhuc caput noſtrum. Ergo. Prob. Ant. Gratia habitualis non eſt ipſi abſolute neceſſaria, ut poſſit elicere actus meritorios, ut dictum eſt. Ergo. R. D. Ant. Si Chriſtus &c. foret adhuc caput noſtrum ratione perſonalitatis divinæ ſeu gratiæ unionis, N. Per illam enim non conſtituitur operativus meriti; ratione auxilii tranſeuntis ſeu alterius doni ſuperadditi ſupplentis vices gratiæ habitualis, C. Unde ubi habetur ipſa gratia habitualis, qua eſt connaturaliter operativus & influxivus, a fortiori per illam conſtituitur caput.

Obj. 3. Secundum Doctrinam traditam ſequitur, quod gratia Chriſti perſonalis & capitalis ſit eadem realiter ſub diverſa ratione; perſonalis quatenus ſanctificat Chriſtum, capitalis quatenus conſtituit eum potentem influere in alios: atqui id dici non poteſt. Ergo. Prob. Min. Gratia ordinata ad aliorum ſanctificationem non eſt gratia gratum faciens, ſed gratis data. Ergo. R. N. Min. Sicut enim eſt idem calor, quo ignis eſt actu calidus, & quo potens eſt alia calefacere; ita de gratia reſpectu Chriſti, ut dictum eſt in prob. Concl. Ad prob. D. Ant. Gratia primario ordinata ad aliorum ſanctificationem non eſt gratia gratum faciens, C. Secundario tantum, N. Ant. & Conſeq. Patet.

Inſt. Idem non poteſt eſſe particulare & univerſale; atqui gratia perſonalis eſt particularis; capitalis eſt univerſalis. Ergo. R. Ant. Idem ſub eadem ratione non poteſt eſſe particulare & univerſale, C. Sub diverſa ratione, N. Maxime ſi agatur ut hic de univerſalitate in cauſando; ſic idem calor ignis, quatenus eum actuat, eſt particularis; quatenus eum conſtituit potentem alia calefacere, eſt univerſalis.

Repones. In capite noſtro naturali, ſcilicet Adamo, aliud fuit peccatum ejus perſonale, & aliud originale, quod alios infecit. Ergo ſimiliter alia in Chriſto gratia, &c. R. N. Ant. Idem enim actuale peccatum Adæ, quatenus ipſius perſonam afficit, dicitur perſonale, & quatenus eſt cauſa, cur natura corrupta privata juſtitia originali nobis communicetur, dicitur in ipſo Adam peccatum originale.

ARTICULUS V.

Variæ quæſtiunculæ circa præſentem materiam ex cæteris articulis D. Th. breviter expendantur.

PETES 1. Utrum eſſe caput Eccleſiæ ſit proprium Chriſto? R. (*Ib. a. 6.*) eſſe caput ſecundum intrinſecum influxum gratiæ & juſtificationis eſt proprium Chriſto; quia, ut diximus, hoc habet ex gratia habituali ut conjuncta Verbo. Eſſe (*Ib.*) autem caput ſecundum exteriorem gubernationem poteſt aliis convenire a Chriſto, ſed differenter. Chriſtus enim eſt hoc ſenſu caput ſecundum omnem locum, tempus & ſtatum; alii autem homines dicuntur capita ſecundum ſpecialia loca, ſicut Epiſcopus ſuarum Eccleſiarum; vel ſecundum determinatum tempus, ſicut Papa eſt caput totius Eccleſiæ, ſcilicet tempore ſui Pontificatus; vel ſecundum determinatum ſtatum prout ſcilicet ſunt in ſtatu Viatoris. Altera eſt differentia, quod Chriſtus ſit hoc ſenſu caput Eccleſiæ propria virtute & auctoritate; alii vero dicuntur capita in quantum vicem gerunt Chriſti, juxta illud 2. Cor. 5. *Pro Chriſto legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos.*

Dices. Concionatores & Sacramentorum Miniſtri cauſant gratiam interius. Ergo. R. quoad Concionatores eos cauſare gratiam perſuadendo exterius, non autem influendo interius. Quoad Miniſtros Sacramentorum, influere quidem gratiam non ratione virtutis ſibi inſitæ, ſed ratione Sacramenti, quod adminiſtrant; Chriſtus autem virtute ſibi inſita ex conjunctione ad Verbum.

Petes 2. Utrum Lucifer Princeps Dæmoniorum ſit caput omnium malorum? R. (*Ib. a. 7. o.*) Non eſſe caput malorum influendo interius in eorum voluntatem: cum enim omnis actus elicitus voluntatis ſit naturalis, & non poſſit quoad hoc violentiam pati, nihil ipſum cauſare interius effective poteſt, niſi ipſa voluntas, vel naturæ ſeu ipſius voluntatis Auctor, qui eſt Deus. Eſt autem Diabolus caput malorum quoad externam gubernationem, quatenus per ſuggeſtiones & tentationes eos reducendo ad peccatum adducit ad ſuum finem, qui eſt averſio a Deo.

Dices 1. Diabolus incitat ad malum, non ſolum per ſuggeſtiones & tentationes exteriores, ſed etiam interiores. Ergo non eſt ſolum caput malorum quoad externam gubernationem. R. per externam gubernationem Diaboli S. Doctorem non eam ſolum intelligere, quæ eſt viſibilis, qualis eſt Principum & Prælatorum, ſed illam omnem, quæ eſt extra eſſentiam animæ & voluntatis, in quam Diabolus illabi non poteſt, ut docetur 1. 2. q. 9. & q. 80. a. 1

Di-

Dices 3. contra 2. partem: non omnes peccant ex ſuggeſtione Diaboli, ſed aliqui ex proprio motu voluntatis. Ergo. R. N. Conſ. (*Ib. ad* 2.) Quia diabolus primus omnium peccavit; & peccatum ſuum velut ſignum aliis omnibus ſequendum propoſuit. Ad rationem vero capitis ſecundum externam gubernationem ſufficit, ſi iſto modo alios in ſuum finem adducat, ut patet in Gubernatore vel Duce exercitus, qui non ſemper ſuggerit ſingulis ſubjectis, ut ſuæ voluntati obediant, ſed proponit omnibus vexillum militiæ, vel ſuæ voluntatis ſignum, ad cujus ſequelam aliqui excitantur inducti, alii nullo perſuadente, ſed propria ſponte.

Utrum vero Adam poſſit etiam dici caput malorum? videtur quod non. Quia licet mediante generatione traducat in poſteros peccatum originale, a quo actualia derivantur, id tamen non fit ex intentione ipſius directa.

Pates 3. Utrum Antichriſtus poſſit etiam dici caput omnium malorum? R. (*Ib a.* 8.) eſſe caput non quoad prioritatem temporis, cum ſit tantum in fine temporum venturus, neque quoad influxum, cum in peccatores ipſo anteriores influere non poſſit, ſed tantum quoad perfectionem & eminentiam malitiæ, ita ut omnes mali, qui eum præceſſerunt, ſint quaſi imago & figura Antichriſti.

DISSERTATIO X.

DE SCIENTIA BEATA ANIMÆ CHRISTI.

Div. Thom. Quæſt. 10.

OMITTIMUS hic q. 9. D. Th. in qua quærit 1. an Chriſtus habuerit ſcientiam creatam ut ſic? 2. An beatam? 3. An infuſam? 4. An acquiſitam; quia hanc & duas ſequentes Diſſert. a tribus ultimis particulis incipiamus. Quod vero 1. articulum hujus Quæſtionis nonæ S. Doctor in illo articulo non loquitur de ſcientia ſtricte ſumpta, ſed generaliter ſumpta pro quacumque creata intellectus cognitione. Pro quo ſuppono ut certum de fide fuiſſe in Chriſto ſcientiam ſeu intellectionem creatam. Definitum eſt enim contra Monothelitas 6. Synodo Act. 4. omnia in Chriſto eſſe duplicia, id eſt duas naturas, & *unamquamque proprietatem naturalem habere ... humanam omnia, quæ humanam ſunt abſque ullo peccata*. Ergo & intellectionem creatam. Patet enim ex Script. Joan. 8. dicit Chriſtus de Patre, *Scio eum, & ſermonem ejus ſervo*; ſervabat autem ſermonem ejus per actiones creatas ut homo. Ergo ſciebat eum per ſcientiam creatam. Inſuper oravit Chriſtus, meruit, & alia multa fecit ut homo, quæ ſicut non ſine actu voluntatis creaturæ, ita nec ſine actu intellectus creati fieri potuerunt.

Suadetur ratione. (*Hic q. 9. a.* 1. 2.) Chriſtus aſſumpſit perfectam humanitatem: atqui ad perfectionem humanitatis requiritur, quod actu intelligat intellectione ſibi propria & naturali. Ergo. Prob. Min. 1. Natura humana eſt in potentia ad intellectionem: atqui quod eſt in potentia ad aliquid, imperfectum manet ſi non reducatur ad actum. Ergo. 2. Intellectus eſt propter intellectionem creatam ut finem, omnis enim potentia eſt propter ſuam operationem; atqui potentia fruſtrata ſuo fine eſt imperfecta. Ergo.

Utrum autem intellectus Chriſti humanus potuerit de potentia Dei abſoluta intelligere per increatam Dei intellectionem? R. negative. Patet ex Ep. Agathonis Papæ relata act. 4. VI. Synodi, ubi ſic habetur: *Non poteſt Angelica natura divinam habere voluntatem aut humanam, neque humana natura voluntatem Dei vel Angeli*. Ergo nec Dei cognitionem, cum eadem ſit ratio de cognitione ac de voluntate. Prob. ratione. Intelligere eſt actus vitalis ſeu eſt vivere & quidem gradu perfectiſſimo: atqui implicat intellectum creatum vivere vita ſeu actu alieno. Ergo. Patet Min. quia vivere eſt moveri ab intrinſeco tanquam a principio radicali vitæ; implicat autem naturam divinam uniri humanitati ut principium radicale vitæ ejus, alias deberet ipſi uniri ut forma phyſice eam informando, quod repugnat. Ergo. De his late Joannes a S. Th. Diſp. 11. a. 1. Et nos de beatitudine a. 4 §. 1. Require ibi.

ARTICULUS I.

Utrum ſcientia beata fuerit in Chriſto, & quando?

SICUT in Chriſto triplicem agnovimus gratiam, unionis ſcilicet, perſonalem & capitalem, ita & ſcientiam triplicem agnoſcimus, utpote beatam, quæ eſt viſio Dei beatifica, infuſam & acquiſitam. De prima modo Quæſtio. Unde

Dico 1. Chriſtus habuit ſcientiam beatam. Colligitur (*Hic q. 9. a.* 2. *c.*) ex variis Scripturæ locis. Joan. 17. dicit Chriſtus: *Pater, quos dediſti mihi, volo, ut ubi ego ſum, & illi ſint mecum, ut videant claritatem meam, quam dediſti mihi*. Item repetit c. 13. & 14. Item ib. c. 3. ſic habetur: *Nemo aſcendit in Cœlum, niſi qui deſcendit de Cœlo, Filius hominis qui eſt in Cœlo*, id eſt in Paradiſo ſeu ſtatu beatitudinis. Item colligitur maxime ex verbis præcedentibus ejuſdem cap. ubi Chriſtus volens perſuadere Nicodemo ſibi ut teſti oculato eſſe credendum, dicit ipſi: *Quod ſcimus, loquimur, & quod vidimus, teſtamur*: atqui loquebatur & teſtabatur ut homo: ergo ſciebat & videbat ut homo. Quomodo enim potuiſſet teſtari ut homo, ſi non vidiſſet ut homo? Si quidem vox teſtimonii debeat correſpondere cognitioni. Iterum Joan. 8. dicit Chriſtus de Patre: *Scio eum, & ſermonem ejus ſervo*. Ut homo ſermonem ſervabat: ergo ut homo eum ſciebat: & quidem non ſolum cognitione quoad an eſt, quam potuit habere per ſcientiam infuſam, ſed cognitione quoad quid eſt, ſcientia enim eſt de quidditate; talis autem cognitio Dei quidditativa non habetur niſi per ſcientiam beatam.

Suadet etiam ratio petita ex unione hypoſtatica, (*Ib.*) Ratione unionis hypoſtaticæ Chriſtus conſtituitur inſtrumentum excellens per modum capitis influentis gratiam & gloriam in membra Eccleſiæ: aſſumitur ad ſupremum eſſe, & intime conjungitur cauſæ ac fonti totius gratiæ; atqui hoc triplici titulo exigebat ſcientiam beatam. Ergo. Prob. Min. ex 1. titulo. Id, quod eſt in potentia, reducitur ad actum per id, quod eſt in actu. Ergo decebat eum, qui influit gloriam per modum capitis & inſtrumenti excellentis eam actu in ſe præhabere. Nec refert de ratione inſtrumenti non eſſe, ut habeat actu formam, quam producit, quia agit in virtute cauſæ principalis. Etſi enim id verum ſit de inſtrumento ut ſic, ſi tamen agatur de inſtrumento excellentiſſimo, quod ſit capax illius formæ, ut eſt Chriſtus beatitudinis, convenit, ut illam actu in ſe præhabeat. Unde S. Th. non infert quidem hoc eſſe neceſſe, ſed quod oportuit, quia decebat. Prob. Min. ex 2. titulo. Decebat naturam ad ſupremum eſſe elevatam ad ſupremam operationem elevari: atqui hæc eſt viſio beata. Ergo. Prob. (*Hic q. 7. a.* 1) Min. ex 3. titulo. Quanto aliquid receptivum eſt propinquius cauſæ influenti, tanto magis & perfectius participat ejus influxum. Ergo vi conjunctionis intimæ Deo fonti totius gratiæ per unionem hypoſtaticam Chriſtus participavit perfectiſſimam gratiam, quæ eſt gratia conſummata per gloriam. Confirm. Quod dignius eſt, quod excellentius, concedendum eſt Chriſto, ſi non repugnat fini Incarnationis: atqui viſio beatifica eſt quid dignius & excellentius, nec fini Incarnationis, ſcilicet Redemptioni generis humani, repugnat: ſufficiebat enim ad Redemptionem generis humani Chriſtum fuiſſe viatorem quoad gloriam corporis paſſibilis. Ergo.

Dico 2. (*Hic q. 34. a.* 4.) Chriſtus a. 1. inſtanti ſuæ conceptionis habuit ſcientiam beatam. Prob. (*Ib. in a. f. c.*) ex illo Pſ. 64. *Beatus quem elegiſti & aſſumpſiſti*, quod ſecundum Gloſſam refertur ad humanam Chriſti naturam: atqui humanitas Chriſti a primo inſtanti ſuæ creationis aſſumpta fuit a Verbo. Ergo. Prob. etiam ex Rationibus præcedentibus. Viſio beata competebat Chriſto homini, quia vi unionis hypoſtaticæ caput Eccleſiæ, aſſumptus erat ad eſſe ſupremum, & intime conjunctus cauſæ gratiæ: atqui hæc omnia habuit in primo inſtanti conceptionis per unionem hypoſtaticam. Ergo. Confir. pariter ut ſupra. Quod dignius, quod excellentius eſt, fini Incarnationis non repugnans, concedendum eſt Chriſto: atqui dignius & excellentius eſt animæ Chriſti ab inſtanti conceptionis fuiſſe beatam, quam aliquando beatitudine caruiſſe, neque hoc fini Incarnationis repugnat, ut dictum eſt. Ergo.

Obj. 1. Concedere debemus Chriſto id, quod eſt perfectius: atqui perfectius eſt habere gloriam ex meritis, quam ſine meritis, & merita Chriſti nonniſi morte ejus fuerunt conſummata, ut dictum eſt ſuperius. Ergo. Unde Luc. 24. dicitur: *Nonne oportuit pati Chriſtum & ita intrare in gloriam ſuam?* Et Apocal. 5. dicitur Chriſtum, qui occiſus eſt, accepiſſe gloriam & divinitatem. Et Joan. 17. *Clarifica me, Pater, claritate, quam habui, antequam mundus eſſet apud te*. R. C. Maj. (*Hic q. 17. a. 3. a*) concedendum eſt Chriſto id, quod perfectius eſt, niſi ſit tale quid, cujus carentia magis dignitati Chriſti & perfectioni præjudicet, quam per meritum accreſcat, C. Maj. ſecus, N. Maj. unde nec gratiam, nec ſcientiam, nec beatitudinem animæ, nec divinitatem meruit, quia cum meritum non ſit, niſi ejus quod nondum habetur, oporteret, quod

Chri-

Chriſtus aliquando iſtis caruiſſet, quibus carere magis diminuit dignitatem Chriſti, quam augeat Meritum. Ad auctoritates Scripturæ R. has & ſimiles intelligendas eſſe vel de corporis gloria, vel de Reſurrectione, vel de manifeſtatione divinitatis & nominis exaltatione.

Obj. 2. Summum gaudium ſtare non poteſt cum ſumma triſtitia: atqui Chriſtus tempore Paſſionis ſumme triſtatus eſt, juxta illud Matt. 26. *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem*. Ergo tunc gaudium beatificum non habuit, adeoque nec viſionem beatam, ex qua tanquam proprietas neceſſario reſultat. R. Juxta ſententiam communem ex D. Th. (*Hic q. 46. a. 8. in 3. 2. 14. q. 2. a. 3. & alibi.*) D. Maj. Summum gaudium ſtare non poteſt cum ſumma triſtitia naturaliter, C. Maj. ſunt enim contraria. Supernaturaliter, Subdiſtinguo. Si ſint in eadem potentia circa idem omnino objectum, C. Si ſint in diverſis potentiis & circa diverſa objecta. ſeu idem objectum ſub diverſa ratione, N. & D. Min. ad ſenſ. Maj N. Conſeq. Igitur anima Chriſti ſecundum partem ſuperiorem ſumme gaudebat ex viſione beatifica, & ſecundum partem inferiorem ſumme triſtabatur de peccatis hominum & ſua paſſione. Item ſumme gaudebat de paſſione, ut erat utilis Redemptioni hominum, & triſtabatur de illa, ut erat naturæ diſſentanea, quod non repugnat de potentia Dei ſaltem abſoluta: cujus ratio a priori eſt; quia ſecundum Philoſoph. 7. Ethic. omni triſtitia impedit delectationem per quandam redundantiam, quatenus nocumentum unius potentiæ in aliam reſtat; talis autem redundantia ſubjiciebatur imperio & liberæ voluntati Chriſti: unde tunc impedivit; ne gaudium partis ſuperioris difflueret in inferiorem; & e converſo, ne dolor inferioris irrueret in ſuperiorem.

ARTICULUS II.

Utrum anima Chriſti per ſcientiam beatam comprehenderit divinam eſſentiam, aut ſaltem eam clarius videat, quam quælibet alia creatura?

Dico 1. (*Hic q. 10. a. 1. c.*) Chriſti anima non comprehendit, nec comprehendere poteſt divinam eſſentiam. Ratio eſt: quia comprehendere divinam eſſentiam eſt eam cognoſcere in quantum cognoſcibilis eſt: atqui anima finita qualis eſt anima Chriſti non poteſt cognoſcere divinam eſſentiam in quantum eſt cognoſcibilis; eſt enim infinite cognoſcibilis. Ergo. Unde damnata eſt ut erronea in Concil. Baſileen. Seſſ. 22. antequam diſſolveretur, hæc propoſitio Auguſtini de Roma Archiepiſcopi Nazareni, *Anima Chriſti videt Deum tam clare & intenſe, ſicut Deus videt ſeipſum*. Et hæc damnatio approbata fuit a Nicolao V. qui ſucceſſit Eugenio IV.

Dices. Iſidorus c. 39. alias 42. in Exod. dicit *Sola ſibi integra nota eſt divinitas & humanitati ſuſceptæ*. Et ne putetur error Typographi, notat Iſidori Scholiaſtes octo manuſcripta ſic habere. Ergo. Reſpondent quidam legendum eſſe *humanitas ſuſcepta*. Verum licet ita legatur l. 1. de Summo bono c. 3. qui locus male citatur ad marginem D. Th. legitur tamen prout referimus loco cit. in Exod. Unde R. (*Ibid. ad* 1.) Iſidorum ſic loquutum fuiſſe propter excellentiſſimam cognitionem Chriſti, integramque dixiſſe, non quod fuerit divinitatis comprehenſiva, ſed quod fuerit maxima inter poſſibiles de Lege Dei ordinaria. Sylvius exiſtimat id poſſe intelligi de humanitate ratione divinitatis, ſecundum interpretationem D. Th. in 3. d. 14 q. 1. art. 2. quæſtiunc. 5. ad 2. Pater Nicolai opinatus Iſidorum hoc dixiſſe ex opinione apud aliquos tunc recepta, quod per intellectum divinum intelligeret anima Chriſti. De quo art. præced. Plura hoc ſpectantia require Tract. de Deo, Diſſert. 4. art. 9.

Dico 2. (*Ib. a. 4. c.*) Anima Chriſti clarius videt divinam eſſentiam, quam ulla alia creatura. Ratio eſt, quia perfectio viſionis Dei attenditur penes majorem intenſionem luminis gloriæ, ut traditur de beatitudine. Atqui Chriſti animæ ratione unionis ad Verbum lumen gloriæ perfectiſſimum fuit communicatum, licet tamen non ita perfectum, quin de potentia Dei abſoluta potuerit dari perfectius, utpote quia finitum, ut dicit Auctor ad 3. Ergo.

Dico 3. Fuit tamen viſio Chriſti beata ejuſdem ſpeciei cum viſione Beatorum. Colligitur ex Ep. ad Rom. 8. ubi dicimur *Cohæredes Chriſti*. Et patet, quia procedit a potentia & lumine ejuſdem ſpeciei ac noſtra, verſaturque circa idem formale objectum.

ARTICULUS III.

Utrum Chriſtus per ſcientiam beatam cognoſcat omnia in Verbo?

Dico 1. (*Ibid. a. 2. c.*) Chriſtus per ſcientiam beatam non videt omnia poſſibilia in Verbo. Prob. (*Ibid.*) Cognoſcere omnes effectus poſſibiles in cauſa vi cognitionis ipſius cauſæ, eſt ipſam cauſam comprehendere: atqui anima Chriſti, ut dictum eſt non poteſt Deum, qui eſt cauſa omnium poſſibilium, comprehendere. Ergo. Prob. Maj. Cognoſcere omnes effectus poſſibiles vi cognitionis cauſæ eſt cognoſcere quouſque talis cauſa poteſt & non ultra. Ergo eſt adæquate eam cognoſcere adeoque comprehendere. Utrum autem per ſcientiam infuſam extra Verbum omnia poſſibilia cognoverit? Reſpondebimus infra negative, dum de ſcientia infuſa.

Dico. (*Ib. a.* 2. & 3. c.) Anima Chriſti per ſcientiam beatam cognovit in Verbo omnia præſentia, præterita & futura, nedum habitualiter, ſed etiam actualiter. Prob. 1. pars: (*Ib. a. 2. c.*) Anima Chriſti per ſcientiam beatam cognovit omnia, quæ ad ſuum ſtatum pertinent; ſed exiſtentia ſecundum quamcumque temporis differentiam ad ejus ſtatum pertinet. Ergo. Maj. patet ex dictis in Tract. de Deo Diſſert. 4. a. 10. §. 2. Hæc enim ſcientia conceditur omnibus Beatis, cum debeat ſatiari omnis naturalis eorum appetitus. Ergo a fortiori, Chriſto. Prob. Min. Chriſtus qua homo eſt caput Eccleſiæ, finis univerſi, Dominus Cœli & terræ, Judex vivorum & mortuorum. Atqui pertinet ad caput habere notitiam membrorum, ad finem intellectualem cognoſcere media ad ſe ordinata, ad Dominum cognoſcere ſubditos ſuos, ad Judicem cognoſcere omnia, quæ ſpectant ad ſuum Tribunal, quales ſunt omnes & ſingulæ actiones & cogitationes. Et licet aliquæ ſubſecuturæ ſint extremum judicium, quia tamen pertinent vel ad præmium in Beatis vel ad pœnam in damnatis, cognoſci debent a Judice, cujus eſt vel pœnas imponere, vel præmia diſpenſare.

Secunda pars eſt contra quoſdam, qui propter rationes ſolvendas in argumentis volunt animam Chriſti non cognoſcere omnia actualiter, ſeu uno actu omnia ſimul, ſed quaſi habitualiter, hoc ſenſu quod omnia in Verbo ſint ita præſentia, ut anima Chriſti poſſit quodlibet eorum quando placuerit cognoſcere, licet non poſſit omnia ſimul; ſicut dicitur quis perfectus Theologus, qui licet omnes concluſiones Theologiæ ſimul non contempletur, poteſt tamen pro libitu, quam voluerit contemplari. Contra quos

Prob. 2. pars concluſionis: 1. Ex Aug. qui ultimo de Trinit. c. 16. de homine in ſtatu Beatitudinis loquens & a fortiori de Chriſto ſic ait: *Non erunt volubiles noſtræ cogitationes, ſed omnem ſcientiam noſtram uno ſimul conſpectu videbimus*. Prob. 2. Ratione. Scientia beata, qua Chriſtus præterita, præſentia & futura cognoſcit, menſuratur æternitate, quæ nullam ſucceſſionem aut mutationem admittit. Unde omnes actiones & intellectiones Angelorum & hominum, licet quoad durationem propriam ſint ſucceſſivæ, ſunt tamen præſentes ſimul in Verbo ſecundum nunc æternitatis. Ergo. 3. Chriſto debet concedi omnis perfectio poſſibilis: atqui quod omnia in aliqua temporis differentia exiſtentia cognoſcat ſimul, eſt perfectio poſſibilis. Ergo. (1. *p. q.* 12. *a.* 10.) Prob. Min. Quod intellectus noſter non poſſit omnia ſeu plura ſimul cognoſcere, provenit ex eo, quod illa per plures ſpecies cognoſcat: atqui Chriſtus omnia in Verbo per unam ſpeciem cognoſcit. Ergo. Confir. hæc ratio. Si eſſet in caſu poſito aliqua repugnantia, ideo quia cognitio Chriſti deberet eſſe infinita, aut quia ipſe Chriſtus debuiſſet habere attentionem infinitam: atqui neutrum ſequitur ex ſententia noſtra, ut patebit ex ſol. Object. Ergo. Non eſt ratio, cur illæ potius cognoſcantur a Chriſto, quam iſtæ, cum omnes æqualiter repræſententur in Verbo. Ergo. Quod autem hæc noſtra aſſertio ſit D. Th. patet ex eo, quod art. præced. æquiparat ſcientiam Chriſti beatam ſcientiæ viſionis Dei quoad naturam ſcibilium: atqui Deus ſcientia viſionis omnia ſimul in aliqua temporis differentia exiſtentia actualiter cognoſcit. Ergo.

Solvuntur Objectiones contra 1. Concluſionem.

Obj. 1. Ex cognitione omnium poſſibilium in Verbo non ſequitur comprehenſio divinæ omnipotentiæ. Ergo ruit fundamentum noſtræ concluſionis. Prob. Ant. 1. Omnia poſſibilia poſſunt cognoſci in Verbo majori & minori claritate: atqui minori claritate cognita non comprehenduntur. Ergo. Prob. Maj. Tum quia ſingula poſſunt cognoſci majori & minori claritate. Ergo & omnia collective; tum quia quæ continentur virtualiter in Angelo inferiori, minori claritate cognoſcuntur ab ipſo, quam ab Angelo ſuperiori, & ab illo, quam a Deo. Ergo. Prob. 2. primum Ant. Ex cognitione omnium, quæ formaliter in Deo continentur, v. g. omnium attributorum, non ſequitur comprehenſio illius. Ergo nec ex cognitione omnium, quæ eminenter in ipſo continentur, ſcilicet poſſibilium.

Prob. 3. Ex cognitione omnium poſſibilium extra Verbum non ſequitur comprehenſio divinæ omnipotentiæ. Ergo nec ex cognitione eorum in Verbo. Prob. 4. Ex cognitione omnium, quæ Deus videt per ſcientiam viſionis, non ſequitur illius ſcientiæ comprehenſio. Ergo. Prob. 5.

Ex cognitione omnium poſſibilium in Verbo non ſequitur comprehenſio intenſiva illius, ſed tantum extenſiva, quæ non repugnat. Ergo. Prob. 6. Cognita omnipotentia ſub omni connexione ad creaturas reſtat adhuc cognoſcibilis ſub connexione identitatis cum cæteris attributis: ergo,

R. N. Ant. Ad 1. Prob. N. Maj. Ad 1. Prob. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod nulla ſit repugnantia ſingulos effectus diviſive poſſe cognoſci in divina eſſentia ſecundum plures, vel pauciores rationes, adeoque minori vel majori claritate, minori vel majori penetratione divinæ eſſentiæ: repugnat autem omnes collective cognoſci, niſi cognoſcatur omni modo, non ſolum quoad ſubſtantiam, ſed etiam quoad omnes modos & rationes poſſibiles, alias non omnia omnino poſſibilia cognoſcerentur contra hypotheſim concluſionis: poſito autem quod omnes ſic omnino cognoſcantur, cognoſcitur per conſequens omnipotentia Dei omni modo, quo eſt participabilis, nec majori claritate penetrari poteſt, adeoque comprehenditur. Ad 2. probat. ejuſdem Maj. ſimiliter N. Conſeq. Quia cognitio effectuum in Angelo inferiori ut in cauſa, ut ſit adæquata, non debet eſſe major, quam cognoſcibilitas iſtius Angeli, & cum hæc non ſit maxima & ſumma, poteſt dari altera major & clarior. At cognitio omnium effectuum poſſibilium in omnipotentia Dei debet adæquare illius omnipotentiæ cognoſcibilitatem, qua major dari non poteſt, utpote ſumma & infinita. Ad 2. Prob. principalis Ant. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod ea, quæ formaliter continentur in Deo, poſſint cognoſci quidditative, abſque eo quod neceſſarium ſit ea cognoſci comprehenſive, quia ſunt de apparentibus manifeſte, ita ut viſa eſſentia, quamvis debili & finito modo, ea, quæ formaliter in Deo inſunt, cognoſcantur. At vero quæ eminenter tantum continentur in Deo ut in cauſa, non poſſunt cognoſci quidditative, niſi ſimul & comprehenſive, quia non ſunt de manifeſte apparentibus, ſed latent in cauſa; unde eorum cognitio non habetur niſi vi penetrationis cauſæ: ideoque ut omnes effectus poſſibiles in cauſa eminenter contenti cognoſcantur, requiritur adæquata illius cauſæ penetratio, adeoque & ejus comprehenſio.

Ad 3. N. Conſeq. Non enim infertur comprehenſio cauſæ niſi ex cognitione effectuum in ipſa & ex ipſa; quia niſi iſto modo cognoſcantur, cauſa non cognoſcitur quantum eſt cognoſcibilis, quod requiritur ad ejus comprehenſionem. Ad 4. N. iterum Conſeq. Diſparitas eſt, quod omnes effectus exiſtentes aut futuri non ſint terminus adæquatus ſcientiæ viſionis, cum per eandem ſcientiam poſſit Deus plures producere & videre: at vero omnes effectus poſſibiles collectivo ſunt terminus adæquatus omnipotentiæ Dei. Ad 5. D. Ant. Ex cognitione omnium poſſibilium in Verbo non ſequitur comprehenſio intenſiva illius explicite, Tranſeat; implicite, N. Non poſſunt enim attingi omnes effectus poſſibiles in cauſa infinita, niſi omnis & infinita ejus participabilitas penetretur adæquate, quod eſt eam comprehendere, & ad quod requiritur lumen infinite intenſum. Ad 6. N. Ant. Videns enim omnes creaturas poſſibiles in omnipotentia Dei illam intuitive cognoſcit: implicat autem eam intuitive cognoſci, niſi cognita connexione, quam habet cum cæteris attributis quibuſcum identificatur.

Inſt. contra 4. reſponſ. Omnes effectus poſſibiles non ſunt terminus adæquatus cognoſcibilitatis omnipotentiæ; reſtant enim adhuc cognoſcendi effectus impoſſibiles. Ergo. R. N. Ant. Ad prob. Dico effectus impoſſibiles non poſſe cognoſci neque in ſe, neque in omnipotentia Dei, ſed cognoſci per effectus poſſibiles, ſicut negationes cognoſcuntur per formas oppoſitas.

Obj. 2. Anima Chriſti videt per ſcientiam beatam quidditative omnipotentiam Dei. Ergo videt in ea omnes effectus poſſibiles. Prob. Conſeq. Cognoſcens quidditative aliquam eſſentiam debet cognoſcere omnia ejus eſſentialia ſine quibus ſtare non poteſt: atqui omnes creaturæ poſſibiles ita ſunt omnipotentiæ eſſentiales, ut una deficiente non ſtet eadem omnipotentia. Ergo. Prob. Min. Unica creatura poſſibili v. gr. una formica deficiente, omnipotentia non eſſet participabilis eo modo, quo nunc, nam de potente producere hanc formicam fieret non potens, de continente illam non continens. Ergo. R. N. Conſeq. Ad prob. D. Maj. Cognoſcens quidditative aliquam eſſentiam debet cognoſcere omnia ejus eſſentialia formaliter in ea contenta, C. Virtualiter eminenter in ea contenta, N. Hoc enim pertinet ad comprehenſionem. Stat autem quod quis videat quidditative hanc omnipotentiam, & non penetret illam, quod eſt comprehendere, quia juxta principium D. Th. infinitum nequit a finito adæquari, bene tamen infinitum poteſt a finito attingi. Porro ratio radicalis diſparitatis datæ inter formaliter & virtualiter contenta hæc eſt, quod quæ in Deo ſunt formaliter eandem habent cognoſcibilitatem, utpote ejuſdem actualitatis actus puri & ejuſdem indiviſibilis eſſe; unde probant Thomiſtæ contra Scotiſtas unum attributum non poſſe videri ſine alio. At vero quæ ſunt in Deo virtualiter tantum, ſcilicet poſſibilia, habent diverſam cognoſcibilitatem, quia juxta inæqualitatem perfectionum creaturæ, poſſibilis diſtinguitur inæqualis cognoſcibilitas in potentia, in qua virtualiter exiſtit; magis enim relucet virtus divina in perfectiori creata, quam in imperfectiori, ita ut qui perfectiorem ſeu plures penetrat in divina virtute, debet habere perfectiorem viſionem & perfectius lumen.

Obj. 3. Ad Coloſſ. 2. dicitur de Chriſto: in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ. Ergo. R. hæc verba in tota ſua latitudine verificari de Chriſto ratione divinitatis. Confer quæ dixi in Tract. de Deo, Diſſert. 4. c. 9. & 10. §. 4.

Solvuntur Objectiones contra 2. Concluſionem.

OBJ. 1. ab auctoritate. Marc. 13. dicitur: *De die autem illa nemo ſcit, neque Angeli in cælo; neque Filius, niſi Pater*. Pſ. 34. *Quæ ignorabam interrogabant me*. Jerem. 11. *Non cognovi quia cogitaverunt ſuper me conſilia*. Ex Patribus. Cyrillus in pluribus locis, & præſertim l. 9. Theſauri c. 4. *Verbum*, inquit, *humanam ignorantiam ſuſcepit; & ut homo ignorat diem judicii, imo & ignorabat, ubi corpus Lazari erat*. Similia habent Hil. Athanaſ. Nazianz. item Ambroſ. l. de Incarn. c. 7. dicit de Chriſto; quod *expers agnitionis infantia per humanam utique imprudentiam, quod adhuc non didicit, ignorabat*. Ergo.

R. ad 1. (*Hic n. 2. ad 1.*) quod Chriſtus dicatur ut homo neſcire diem judicii, quia non facit ſcire, nec poteſtatem revelandi accepit a Patre, ſicut Confeſſarius dicit ſe neſcire ea, quæ audivit in confeſſione, quia non ſcit ut revelet. Item ſicut a contrario ſenſu legitur Gen. 22. *Nunc cognovi quod timeas Deum*; id eſt nunc cognoſcere te feci. Dicitur autem Pater ſcire, quia hujuſmodi cognitionem tradidit Filio. Unde in hoc ipſo quod dicitur *niſi Pater*, datur intelligi, quod Filius cognoſcit & non ſolum quantum ad divinam naturam, ſed etiam quantum ad humanam: quia, ut Chryſoſt. argumentatur homil. 71. in Matth. Si Chriſto homini datum eſt, ut ſit Judex, & ſciat, qualiter oporteat, judicare quod eſt majus, multo magis datum eſt ei ſcire quod minus eſt, ſcilicet tempus judicii. Ex hoc autem quod dicitur, *nec Angeli*, non ſequitur, quod Angeli ſicut Chriſtus ſciverint ſine facultate revelandi, quia non eſt neceſſe, quod ſit omnimoda paritas. Origenes tamen hom. 30. in Matth. hunc locum exponit de Chriſto ſecundum corpus ejus, quod eſt Eccleſia, quæ hoc tempus ignorat. Quidam autem dicunt hoc intelligendum de Filio Dei adoptivo, non de filio naturali. Ad locum Pſ. ſenſus eſt, *quæ ignorabam*, id eſt quæ non feci, ſeu quorum non ſum conſcius. Ad locum Jerem. *Non cognovi*, id eſt diſſimulavi, non manifeſtavi me ſcire, &c. Ad Cyrillum, ſenſus ejus eſt, quod Verbum aſſumpſerit naturam ignorantem, id eſt eam naturam, quæ ſecundum rationem ſuæ ſpeciei eſt ignorans, non tamen quod eam aſſumpſerit cum ignorantia; item quod Chriſtus diſpenſatione quadam ita ſe geſſerit, tanquam multa ignoraret; patet ex verbis ſequentibus in Cyrillo. Eodem modo intelligendi ſunt Hilarius, Athanaſius, Nazianz. Ad Ambroſ. Dico eum tantum velle Chriſtum didiciſſe & profeciſſe per ſcientiam experimentalem, quo nempe modo res ab initio ſciebat, licet alio modo ſciret, nempe ſcientia beata & infuſa.

Obj 2. Si anima Chriſti omnia in quacumque differentia temporis exiſtentia cognoſceret, ſequeretur 1. quod eſſet æque perfecta ac ſcientia viſionis Dei. 2. Quod illam comprehenderet, utpote comprehens objectum ejus adæquatum: atqui neutrum poteſt admitti. Ergo. R. D. primam Sequelam: (*Hic a. 2. ad 3.*) eſſet æqua perfecte extenſive ſeu quoad numerum ſcibilium, C. Intenſive ſeu quoad intenſionem & claritatem viſionis, N. Quantitas ſcientiæ non ſolum attenditur ſecundum numerum ſcibilium, ſed etiam ſecundum claritatem cognitionis. Quamvis igitur ſcientia animæ Chriſti, quam habet in Verbo, parificetur ſcientiæ viſionis, quam Deus habet in ſeipſo quantum ad numerum ſcibilium: ſcientia tamen Dei excedit in infinitum, quantum ad claritatem cognitionis, ſcientiam animæ Chriſti; quia lumen increatum divini intellectus in infinitum excedit lumen creatum quodcumque receptum in anima Chriſti.

Inſt. S. Th. immediate poſt verba relata addit: *Licet abſolute loquendo ſcientia divina excedat ſcientiam animæ Chriſti, non ſolum quantum ad modum cognoſcendi, ſed etiam quantum ad numerum ſcibilium, ut dictum eſt*. Ergo. R. S. Th. in his verbis loqui de ſcientia Dei in tota ſua latitudine, prout eſt ſimplicis intelligentiæ & viſionis; eſt enim utraque una ſimplex ſcientia etiam abſque virtuali diſtinctione, habens idem objectum formale, ſcilicet divinam eſſentiam, & ſolum ex connotatione diverſi objecti materialis diſtincta. Verum eſt ergo, quod abſolute loquendo ſcientia divina excedat ſcientiam animæ Chriſti etiam quantum ad numerum ſcibilium, quia illa attingit non ſolum omnia exiſtentia, ſed etiam omnia poſſibilia,

quæ

quæ non attingit ſcientia Chriſti. Et unde fluit prima reſponſio ad Sequelam argumenti. Cum enim ſit omnino eadem ſcientia ſimplicie intelligentiæ & viſionis in Deo, qui ſola exiſtentia attingit, non attingit objectum ejus adæquatum, & conſequenter comprehendit illam. Altera ſolutio eſt, non objectum adæquatum ſcientiæ viſionis, quatenue in Deo, non ſint tantum omnia exiſtentia quoad an eſt, ſed etiam quoad quid eſt, ad quæ non ſe extendit ſcientia Chriſti æquali perfectione ac ſcientia Dei, utpote longe minori claritate & penetratione pollens, ut dictum eſt ex D. Th.

Obj. 3. Anima Chriſti non poteſt cognoſcere actu infinita; atqui intellectionee & affectiones Angelorum & hominum per totam æternitatem ſunt infinitæ. Ergo. Prob. Ant. 1. Cognoſcere infinitum repugnat definitioni infiniti. Ergo. Prob. Ant. Infinitum definitur a Philoſoph. 3. Ethic. cujus quantitatem accipientibus ſemper eſt aliquid extra accipere. Ergo. 2. Infinitorum ſcientia eſt infinita: atqui ſcientia animæ Chriſti non eſt infinita. Ergo. 3. Infinito non poteſt eſſe aliquid majus: atqui plura continentur in ſcientia divina abſolute loquendo quam in ſcientia animæ Chriſti, ut dictum eſt. Ergo. R. N. Ant. (*Ib. a. 3. ad 1.*) Ad prob. 1. D. Ant. Cognoſcere actu infinitum ad modum cogniti ſeu infiniti repugnat definitioni infiniti, C. Cognoſcere actu infinitum ad modum finiti ſeu cognoſcentis repugnat, &c. N. Ant. Igitur infinitum quantitative, ſi accipiatur pars poſt partem in actu, ſicut eſt impertranſibile tam realiter quam ſecundum deſignationem, ita eſt impertranſibile ſecundum cognitionem, & ideo dicitur, quod ut ſic ſit ignotum, & implicat, quod pertranſeundo cognoſcatur. Sed ſicut materialia poſſunt accipi ab intellectu immaterialiter, ita infinita poſſunt ab intellectu accipi non per modum infiniti, ſed quaſi finite, ita ut ea, quæ ſunt in ſeipſis infinita, ſint in intellectu cognoſcentis finita. Et hoc modo anima Chriſti ſcit infinita, in quantum ſcit ea non diſcurrendo per ſingula ſed per unam ſpeciem, & prout in aliquo uno ſcilicet Verbo exiſtunt, ſeu repræſentantur. Ad 2. Probat. (*Ibid. ad 2.*) Ant. D. Maj. Infinitorum ſecundum eſſentiam ſcientia eſt infinita, C. Maj. Infinitorum ſecundum aliam rationem, ſed finitorum ſecundum eſſentiam, ſcientia eſt infinita, N. Maj. Scientia enim dicitur finita vel infinita ex finitate vel infinitate proprii objecti, & non ex alia finitate vel infinitate. Proprium autem objectum intellectus eſt quod quid eſt, ſeu eſſentia; & ideo ſi eſſentia eſt infinita, ſcientia eſt infinita; ſi e contra eſſentia eſt finita, ſcientia eſt finita. Unde cum infinita ſcita ab anima Chriſti ſint finita ſecundum eſſentiam (clauduntur enim in aliqua ſpecie) licet infinita ſecundum multitudinem, non inferunt ſcientiam animæ Chriſti eſſe infinitam ſimpliciter. *Ad 3.* Probat. (*Ibid. ad 3.*) Ant. D. Maj. Infinito ſimpliciter quoad omnia non poteſt dari majus, C. Maj. Infinito ſecundum aliquod determinatum non poteſt dari majus, Subdiſtinguo: in illo ordine, C. extra illum ordinem, N. Ad explicationem nota infinitum non eſſe ſubſtantiam, ſed accidens rebus, quæ infinitæ dicuntur; & eſſe proprietatem infiniti, quod infinito non ſit aliquid majus. Unde ſicut infinitum multiplicatur aut coarctatur ſecundum diverſa ſubjecta, ita neceſſe eſt, quod proprietas infiniti multiplicetur aut arctetur ſecundum ſubjecta infiniti, ita quod conveniat unicuique illorum Infinitorum ſecundum idem ſubjectum: ſic proprietas infiniti poſiti in linea arctatur ad illam lineam, poſiti in ſuperficie arctatur ad illam ſuperficiem. Sic igitur ſi accipiamus unam lineam infinitam, in illa non eſt aliquid majus infinito: & ſimiliter ſi accipiamus aliam quamcumque aliarum linearum infinitarum manifeſtum eſt, quod uniuſcujuſque earum partes ſunt infinitæ. Oportet ergo, quod omnibus illis partibus infinitis non ſit aliquid majus in illa linea; tamen in alia linea & in tertia erunt plures partes etiam infinitæ præter iſtas. Id patet in numeris; nam ſpecies numerorum parium ſunt infinitæ, & ſimiliter ſpecies numerorum imparium, & tamen numeri pares & impares ſunt plures quam pares.

Inſt. contra 1. reſponſ. Repugnat infinita actu produci. Ergo repugnat infinita actu cognoſci, alias plus poſſet cognoſcare intellectus, quam Deus poſſet facere. R. 1. D. Ant. Repugnat infinita actu produci in propria duratione, C. In nunc æternitatis cum ſucceſſione in propriæ durationibus, N. R. 2. N. Conſeq. Multa enim poſſunt ſimul cognoſci, quæ non poſſunt ſimul produci, ut ſunt partes temporis & motus; ſic ſimul cognoſco quatuor quadrantes unius horæ, quæ non poſſunt ſimul produci. Non eſt ergo mirum, ſi multitudo infinita poſſit ſimul cognoſci, licet non poſſit ſimul produci: & ſi iſtud argumentum valeret, probaret, quod nec Deus ipſe poſſit actu infinita videre, quia illa ſimul producere non poteſt.

Inſt. contra 2. reſponſ. Cognitio, qua ſimul cognoſcuntur infinita objecta ſecundum multitudinem, etſi finita ſecundum eſſentiam, debet eſſe infinita. Ergo. Prob. Ant. 1. Cognitio, qua duo ſimul attinguntur, eſt perfectior illa, qua unum ſolum objectum cognoſcitur & ſic deinceps. Unde experientia convincimus eo majorem requiri attentionem, quo plura cognoſcuntur objecta. Ergo quæ ſe extendit ad infinita objecta, erit perfectionis infinitæ. Prob. 2. Primum Ant. Cognitio, qua ſimul attinguntur infinita objecta, æquivalet infinitis cognitionibus ad ſingula diviſive terminabilibus; Ergo eſt infinita. R. N. Ant. Ad Probat. D. Ant. Cognitio, qua ſimul duo cognoſcuntur per plures ſpecies, eſt perfectior illa, &c. C. Ant. Qua duo cognoſcuntur per unam ſpeciem, N. Ant. & eo magis ſi cognoſcantur non ex penetratione cauſæ, ſed ex libera Dei revelatione. Sic autem eſt in Chriſto, qui infinita futura videt in Verbo per unicam ſpeciem ſcilicet divinam eſſentiam, quæ quatenus eſt ſpeculum ſine macula, liberum quidem & non neceſſarium, revelat quæcumque vult Chriſto, præterita & futura. Ad 2. Prob. D. Conſequ. Ergo eſt infinita ſecundum quid, id eſt altioris ordinis, C. ſimpliciter, N. Unum enim individuum altioris ordinis non ſolum æquipollet, ſed excedit infinita individua inferioris ordinis. Sic Sol eſt perfectior omnibus generalibus & corruptibilibus, etiamſi Mundus eſſet æternus; ſic homo eſt perfectior omnibus brutis, etiamſi forent infinita ſecundum numerum. Unde cum viſio beatifica ſit ſuperioris ordinis ad ſingulas viſiones quarumcumque ſingularium in infinitum, æquipollet illis, imo excedit illas, abſque eo quod ſit infinita ſimpliciter.

Obj. 4. D. Th. a. 3. concedit tantum animæ Chriſti cognoſcere infinita in potentia, quatenus comprehendit potentiam creaturæ, in qua infinita in potentia continentur, quam ſcientiam dicit eſſe per modum ſimplicis intelligentiæ, negat autem expreſſe eam cognoſcere infinita actu. R. S. Th. loqui de infinitis ſubſtantiis, quæ non ſunt infinitæ niſi in potentia etiam per totam æternitatem, non de infinitis accidentibus maxime ſpiritualibus, quales ſunt intellectiones & affectiones hominum & Angelorum, quæ per totam æternitatem ſunt infinitæ actu, non hoc ſenſu quod omnes exiſtant ſimul in propria duratione, ſed quod æternitas indiviſibilis extendatur ad omnes. Patet 1. ex ratione, quam affert S. Th. *quia*, inquit, *non ſunt infinita actu... eo quod ſtatus generationis & corruptionis non durat in infinitum. Unde eſt certus numerus non ſolum eorum* (ſcilicet ſubſtantiarum permanentium) *quæ ſunt abſque generatione & corruptione, ſed etiam generabilium & corruptibilium.* 2. Quia S. Doctor a. 2. præced. a. 2. dicit animam Chriſti ſcire quæcumque ſcit Deus ſcientia viſionis, ſcit autem Deus infinita actu, ut docet 1. p. q. 14. a. 12.

DISSERTATIO XI.

DE SCIENTIA CHRISI INFUSA.

Div. Thom. Quæſt. 11.

ARTICULUS I.

Utrum in Chriſto fuerit Scientia infuſa præter Beatam?

NOTA 1. Objectum poſſe cognoſci vel in Verbo, vel in ſeipſo. Cognoſcitur in Verbo per ſcientiam beatam, cognoſcitur in ſeipſo immediate per ſcientiam infuſam vel acquiſitam. Nota 2. ſcientiam non ſecus ac virtutem dupliciter dici infuſam, per ſe ſcilicet & per accidens. Infuſa per ſe eſt illa, quæ non niſi a Deo cauſari poteſt; infuſa per accidens eſt illa, quæ propriis actibus poteſt acquiri, de facto tamen non acquiritur, ſed a Deo ſolo infunditur, & eſt ejuſdem ſpeciei cum acquiſita; talis fuit, v. g. Adami ſcientia quam Deus ipſi ab initio indidit. Nota 3. Animam rationalem eſſe capacem duplicis ſtatus, nempe conjunctionis ad corpus & ſeparationis ab illo, & in utroque ſtatu ſpecialem habere cognoſcendi modum connaturalem. In ſtatu conjunctionis cognoſcit per converſionem ad phantaſmata e ſenſibus hauſta. In ſtatu ſeparationis cognoſcit per ſpecies infuſas, ſicut Angeli, quia tunc deficiunt organa ad depromendas ſpecies.

Dico. (*Hic q. 9. a. 3. o.*) Præter ſcientiam beatam fuit in Chriſto ſcientia infuſa. Prob. (*Ibid.*) Decebat, ut natura humana aſſumpta a Verbo imperfecta non eſſet. Atqui ſi caruiſſet ſcientia infuſa, fuiſſet imperfecta. Ergo. Prob. Min. Omne, quod eſt in potentia, & imperfectum

ctum niſi reducatur ad actum. Atqui anima Chriſti erat in potentia ad cognoſcenda objecta in ſe, non ſolum per ſpecies a phantaſmatibus abſtractas, ſicut in ſtatu conjunctionis, ſed etiam per ſpecies a Deo infuſas, ſicut in ſtatu ſeparationis. Ergo. Patet Min. Quia Chriſtus erat non ſolum viator, ſed etiam comprehenſor, cui proinde ut tali competebat modus cognoſcendi animæ ſeparatæ per ſpecies infuſas. Quod ait S. Doctor qu. 20. de Verit. art. 3. ad 1. *Cum Chriſtus eſſet comprehenſor & viator, habuit utrumque per modum conſiderandi, unum quo Angelis conformabatur, ut ſine diſcurſu conſideraret, alium quo per converſionem ad phantaſmata.*

Confirm. 1. Intellectus Chriſti non debuit minus perfici, quam intellectus Angelicus: atqui in Angelis ſecundum Aug. l. 11. de Civit. c. 7. ponitur duplex cognitio, una ſcilicet matutina, per quam cognoſcuntur res in Verbo: & alia veſpertina, per quam cognoſcuntur res in propria natura per ſpecies ſibi inditas. Ergo præter ſcientiam divinam increatam eſt in Chriſto ſecundum ejus animam ſcientia beata, qua cognoſcit Verbum & res in Verbo, & ſcientia infuſa ſive indita, per quam cognoſcit res in propria natura per ſpecies intelligibiles humanæ menti proportionatas. Confirm. 2. Juxta ſæpe traditum principium debetur Chriſto ratione unionis hypoſtaticæ omnis perfectio poſſibilis non repugnans beatitudini ſeu fini Incarnationis: atqui ſcientia infuſa eſt poſſibilis, nec repugnat beatitudini ſeu fini Redemptionis. Ergo.

Ex dictis colliges 1. Scientiam infuſam Chriſti ſe extendiſſe ad ſupernaturalia & naturalia, ſeu in eo fuiſſe duplicem ſcientiam infuſam, unam ſupernaturalem, qua objecta ſupernaturalia attingebat, alteram naturalem, nempe ex parte objecti, qua objecta naturalia cognoſcebat. Evincitur iſtud corollarium ex omnibus probationibus noſtræ Concluſionis. 1. Quia anima Chriſti erat in potentia ad cognoſcenda & ſupernaturalia & naturalia per ſpecies infuſas. 2. Quia ſic cognoſcunt Angeli. 3. Quia perfectius eſt multis modis poſſe demonſtrare ſive naturalia ſive ſupernaturalia, quam uno. Id totum & præcedentia docet D. Th. Opuſc. 2. c. 216. his verbis: *Quia nulla perfectio creaturis exhibita animæ Chriſti, quæ eſt creaturarum excellentiſſima, deneganda eſt, convenienter præter cognitionem, qua Dei eſſentiam vidit & omnia in ipſa, triplex alia cognitio eſt ei attribuenda. Una quidem experimentalis ſicut aliis hominibus, in quantum aliqua per ſenſus cognovit, ut competit naturæ humanæ. Alia divinitus infuſa ad cognoſcenda omnia illa, ad quæ naturalis cognitio hominis ſe extendit vel extendere poteſt . . . Sed quia Chriſtus ſecundum humanam naturam non ſolum fuit reparator naturæ, ſed etiam gratiæ propagator, affuit etiam ei tertia cognitio, qua pleniſſime cognovit quidquid ad myſteria gratiæ poteſt pertinere.*

Dices. Anima Chriſti per ſcientiam infuſam ſupernaturalem poteſt attingere objecta naturalia; licet enim ſcientia inferioris ordinis non poſſit attingere objecta ſuperioris ordinis, attamen ſcientia ſuperior poteſt attingere ea, quæ ſunt inferioris ordinis, adeoque ſupernaturalia, ſicut cognitio intellectualis materialia, infinita finitum, increata creaturam attingit. Ergo ſuperfluit ſcientia infuſa naturalia, R. D. Conſeq. Ergo ſuperfluit ſcientia infuſa naturalis, ut plura ſciantur, C. Conſeq. ut ſciantur alio modo, N. Conſeq. erat enim anima Chriſti in potentia, ut ſciret naturalia, nedum per ſcientiam naturalem acquiſitam, nedum per ſcientiam ſupernaturalem infuſam, ſed etiam per ſcientiam naturalem infuſam.

Colliges 2. ſcientiam infuſam fuiſſe Chriſto ab inſtanti conceptionis, tum quia ipſi debebatur ratione unionis hypoſtaticæ, tum quia non fuit nobis utile, quod aliquo tempore Chriſtus ea careret. Neque refert Chriſtum illo inſtanti habuiſſe actum viſionis beatificæ; non enim repugnat duos actus, quorum alter ad alterum refertur, atque quodam modo ſubordinatur eſſe ſimul; ſic intellectus ſimul & ſemel principia cognoſcit & concluſiones ex illis elicit, voluntas ſimul intendit finem, & media eligit. Ergo pariter potuit anima Chriſti elicere actum viſionis beatificæ & ſcientiæ infuſæ, quæ ad viſionem ſequitur, eique quodam modo ſubordinatur.

Obj. 1. contra Concluſionem. Per ſcientiam beatam & naturalem acquiſitam expletur omnis potentialitas animæ Chriſti. Ergo infuſa ſuperfluit. Prob. Ant. Per ſcientiam beatam expletur potentialitas obedientialis, per acquiſitam potentialitas naturalis. Ergo, R. N. Ant. ad Probat. D. Ant. Per ſcientiam beatam expletur potentialitas obedientialis animæ Chriſti quoad numerum ſcitorum, & ſimiliter per acquiſitam potentia naturalis, C. Ant. quoad modum ſciendi, N. Ant. & Conſeq. Igitur erat potentia obedientialis in Chriſto nedum ad cognoſcenda objecta ſupernaturalia in Verbo, ſed etiam ad cognoſcendum ea extra Verbum in ſeipſis per ſpecies infuſas ſecundum modum connaturalem cognoſcendi animæ ſeparatæ & Angelorum, quatenus erat comprehenſor. Similiter & propter eandem rationem erat in eo potentia ad cognoſcendas res naturales in ſeipſis, nedum per ſpecies abſtractas a ſenſibilibus, ſed etiam per ſpecies infuſas. Repones. Non datur in Deo duplex modus cognoſcendi res in Verbo & in ſeipſis per ſpecies infuſas. Ergo nec in Chriſto. R. N. Conſeq. Diſparitas eſt 1. quod repugnet intellectui divino ſpecificari ab objectis creatis, non intellectui Chriſti. 2. Quia repugnat dari in intellectu divino & infinite perfecto modus cognoſcendi minus & magis perfectus, non intellectui creato Chriſti: modus autem cognoſcendi res in Verbo perfectior eſt, quam modus cognoſcendi eas in ſeipſis per ſpecies infuſas.

Obj. 2. Scientia infuſa non erat debita animæ Chriſti. Ergo etſi ea caruiſſet, nullum ſequitur inconveniens. Patet Conſeq. Quia carentia negativa alicujus perfectionis, ſive carentia perfectionis non debitæ, non eſt imperfectio, quæ debeat relegari ab humanitate Chriſti, ſiquidem nulla res dicatur imperfecta ex eo, quod careat perfectione quæ ipſi non debetur. Sic homo caret facultate volandi, & tamen inde non dicitur imperfectus, Angeli carent notitia quarumdam, imo ipſe Chriſtus caret notitia omnium poſſibilium, & tamen inde non ſequitur inconveniens, nec dicuntur imperfecti. Prob. ergo Ant. Et 1. ſcientia infuſa ſupernaturalis non debetur intellectui creato & naturali Chriſti, cum de ratione formæ ſupernaturalis ſit eſſe ſupra exigentiam & debitum naturæ creatæ & creabilis. 2. Neque ſcientia infuſa naturalis, quia non connaturale eſt animæ, dum eſt unita corpori, ut intelligat per ſpecies infuſas, ſed ſolum poſtquam eſt a corpore ſeparata, ut docet D. Th. q. unica de anima a. 15. ad 14. Et q. 8. a. 17. ad 2. Ergo. R. N. Ant. ad prob. N. Ant. pro utraque parte. Ad prob. 1. partis D. De ratione formæ ſupernaturalis eſt eſſe ſupra exigentiam naturæ creaturæ præciſe ſecundum ſe & in puris naturalibus conſideratæ, C. Ut elevatæ ad eſſe perſonale Verbi & ad ordinem gratiæ, N. Hoc enim titulo eſt ipſi connaturaliter debita non quidem omnia omnino perfectio ſupernaturalis poſſibilis, ſed omnis perfectio ſupernaturalis connaturaliter poſſibilis & proportionata ſecundum ordinem ad unionem hypoſtaticam. Ad probat. 2. partis ſimiliter D. Non eſt connaturale animæ puri viatoris, dum eſt conjuncta corpori, ut intelligat per ſpecies infuſas, C. Animæ viatoris ſimul & comprehenſoris, N. Ratione enim elevationis ſupra corpus ortæ ex ſtatu beatitudinis, ut dictum eſt, connaturale erat animæ Chriſti cognoſcere ſine converſione ad phantaſmata, ut docet D. Th. hic a. 1. ad 2. & a. 2. o. & q. 20. de verit. a. 3. ad 1.

ARTICULUS II.

Utrum Chriſtus per ſcientiam infuſam omnia cognoverit?

PER ly *Omnia* hic non intelligimus poſſibilia, de quibus in fine articuli, ſed ſolum omnia in aliqua temporis differentia exiſtentia, ſcilicet præterita, præſentia & futura, ſive naturalia ſive ſupernaturalia. Dico. (*Hic q.* 11. *a.* 1. *o.*) Chriſtus per ſcientiam infuſam cognovit omnia tam naturalia quam ſupernaturalia.

Prob. 1. pars. (*Ib.*) Perfectio animæ Chriſti exigebat, ut omnis ejus potentialitas eſſet reducta ad omnem actum non quidem abſolute poſſibilem, ſic enim potentia obedientialis eſt inexplebilis, ſed ad omnem actum convenientem ſecundum ſtatum ſuum & per ordinem ad unionem hypoſtaticam, ſeu ſecundum ordinem divinæ ſapientiæ, cujus eſt limitem & menſuram præfigere ſupernaturalibus & potentiæ obedientiali juxta conditionem ſtatus & exigentiam rerum: atqui duplex eſt in Chriſti anima potentialitas, una naturalis ad cognoſcenda omnia naturalia, nedum per ſpecies acquiſitas, ſed etiam infuſas, quatenus eſt comprehenſor, & obedientialis ad cognoſcenda omnia ſupernaturalia etiam per ſpecies infuſas; hoc patet ex dictis art. præced. Ergo Chriſtus per ſcientiam infuſam, &c. Excipit S. Th. in hoc o. eſſentiæ divinæ cognitionem, non quamcumque, novit enim Chriſtus per ſcientiam infuſam longe perfectius divinam naturam, quam Philoſophi, quam animæ ſeparatæ, imo quam Angeli. Intelligit ergo S. Doctor cognitionem divinæ eſſentiæ, quæ eſt viſio ejus, qua Deus videri non poteſt per ullam ſpeciem, ut docetur in prima parte; ſed videtur ſcientia beata per ſeipſum immediate.

Conſectaria notatu digna.

COLLIGES 1. ex dictis Chriſtum per ſcientiam infuſam cognoviſſe omnia naturalia non ſolum in communi quoad rationes genericas & ſpecificas, ſed etiam diſtincte & in particulari quoad rationes individuales. Prima pars patet, tum explicatione Concluſionis, tum ex eo quod Chriſto ut Judici, capiti & ſupremo Domino totius univerſi, omnium univerſum ſpectantium cognitio ipſi competeret. Secunda pars etiam patet; quia dignitas Chriſti exigebat, ut ea, quæ cognoſcebat, perfectiori modo poſſibili cognoſceret: atqui modus cognoſcendi res, non ſolum in communi, ſed etiam diſtincte & in particulari eſt perfectior,

ctior, quam modus eas cognoſcendi in communi tantum, utpote ſimilior divinæ cognitioni. Ergo. Confirm. Angeli ſecundum D. Th. 1. p. q. 55. & 56. cognoſcunt res naturales diſtincte & in particulari, quia eas cognoſcunt per ſpecies infuſas exemplatas a divina eſſentia, prout habet rationem ſpeciei intelligibilis, ſub qua ratione repræſentat omnes res naturales ſecundum proprias & individuales earum rationes: atqui Chriſtus per ſcientiam infuſam cognoſcit res naturales per ſpecies ſimiliter exemplatas a divina eſſentia, nec ejus cognitio eſt imperfectior cognitione Angelica. Ergo.

Dices 1. Scientia non eſt de ſingularibus. Ergo. R. D. Ant. Scientia procedens ex lumine naturali primorum principiorum non eſt de ſingularibus, C. Quia ſingularia prout ſubſunt tali lumini non ſunt certa & immutabilia. Scientia procedens ex lumine certo & infallibili divinæ revelationis, N. Quia ſingularia prout ſubſtant tali lumini ſunt certa & infallibilia, & ea ratione noſtra Theologia ad ſingularia ſe extendit.

Dices. 2. Cognitio omnium ſingularium non pertinet ad perfectionem intellectus Chriſti. Ergo. Prob. Ant. non intellectus ſpeculativi, quia ſpeculatio non eſt de ſingularibus; non etiam intellectus practici, quia dato quot agibilia ſingularia ad ipſius perfectionem pertineant, multa ſunt alia ſingularia, quæ non ſunt agibilia, v. g. arenæ maris quæ latent in aquis & in viſceribus terræ, uno verbo, omnia factibilia. R. N. Ant. ad probat. Dico 1. cognitionem omnium ſingularium pertinere ad perfectionem, ſi non intanſivam, ſaltem extenſivam intellectus ſpeculativi. 2. Omnia omnino ſingularia pertinere ad perfectionem intellectus Chriſti practici, non quatenus eſt homo particularis, ſed quatenus eſt filius & Dominus totius univerſi, cui omnia ſubjecta ſunt.

Dices 3. Non videtur poſſibile humano intellectui cognoſcere omnia ſingularia, quæ fere ſunt infinita, cum ad hoc infinitæ fere ſpecies requirantur. Ergo R. Chriſtum per ſcientiam infuſam paucis admodum ſpeciebus omnia ſingularia attingere, quia licet illæ ſpecies non ſint tam univerſales ac Angelicæ, non ſunt tamen tam particulares ac illæ, quæ depromuntur a ſenſibus, quia ſunt ſimilitudines derivatæ ab eſſentia divina, ut habet rationem ſpeciei intelligibilis; unde eadem ſpecies repræſentat clare & diſtincta naturam ſpecificam & omnia ejus individua.

Colliges 2. Chriſtum per ſcientiam infuſam cognoſcere cogitationes cordium & futura contingentia: quia id exigit ejus dignitas qua capitis, qua Domini, & qua Judicis univerſi.

Dices 5. Solius Dei eſt futura cognoſcere. Ergo R. D. Ant. Solius Dei eſt futura cognoſcere virtute propria, C. Virtute ab ipſo communicata, N. Dices 2. Non poteſt aſſignari modus, quo Chriſtus per ſcientiam inditam futura contingentia cognoſcat. 1. enim non cognoſcit illa in ſuis cauſis proximis, quia ſunt indifferentes & Indeterminatæ. 2. Non in prima cauſa, ſcilicet divina eſſentia determinata per ſuum decretum, hic enim modus pertinet ad ſcientiam beatam. 3. Non in teſtimonio Dei revelantis illorum futuritionem, hic enim modus pertinet ad Prophetiam vel fidem. 4. Denique non in ſeipſis immediate, quia non habent eſſe determinatum, ſed indifferens ad eſſendum & non eſſendum. R. his omnibus modis Chriſtum cognoſcere futura probabile eſt. 1. In cauſis proximis & in ſeipſis immediate: quia licet tam cauſæ proximæ futurorum contingentium, quam futura ipſa præciſe ſecundum ſe conſiderata, ſint indeterminata, tamen ut ſubſunt decreto Dei ſunt determinata. Unde ſicut eſſentia divina per ſuum decretum determinata futura contingentia in ſe & in ſuis cauſis repræſentat, ſic etiam poſſunt dari ſpecies infuſæ ab eſſentia divina exemplatæ, quibus futura contingentia & eorum cauſæ, ut ſubſunt divino Decreto repræſentantur. 2. In ipſo Dei decreto, non quidem viſo directe, hoc enim pertinet ad ſcientiam beatam, ſed indirecte per ſpeciem repræſentantem directe & immediate animæ Chriſti ſuam viſionem beatificam, mediate autem & indirecte, ipſam eſſentiam Dei, quæ eſt objectum & terminus viſionis beatificæ. 3. In teſtimonio Dei revelantis illorum futuritionem, nec iſte modus coincidit cum fide, aut Prophetia: non cum fide; quia talis cognitio in Chriſto non eſt obſcura, ſed clara, quatenus eſt ſubordinata cognitioni & ſcientiæ beatæ: non cum Prophetia; tum quia Prophetia datur tantum ad utilitatem aliorum; tum quia per Prophetiam præciſe cognoſcuntur tantum futura, non rationes futurorum, quas tamen Chriſtus per ſcientiam Infuſam attingebat, earum cauſas, affectus, & circumſtantias intelligens.

Repones. D. Th. 1. p. q. 14. a. 13. & alibi docet futura non poſſe cognoſci a Deo, niſi prout ſunt illi præſentia in ſua æternitate. Atqui Chriſtus non poteſt per ſcientiam infuſam illa cognoſcere ut præſentia in æternitate, quia non æternitas, ſed tempus diſcretum eſt menſura ſcientiæ infuſæ. Ergo. R. D. Th. loqui de ſcientia intuitiva, quam Deus habet de rebus, ut præſentibus ipſi in æternitate, quæ eſt menſura ſuæ cognitionis, non autem de abſtractiva, certa tamen & infallibili, quam habet ratione ſui decreti. Unde inferes ſcientiam infuſam, quam habet Chriſtus futurorum contingentium, non eſſe intuitivam, ſicut ejus ſcientiam beatam, ſed abſtractivam, claram tamen & diſtinctam: quia tempus diſcretum, quod eſt ejus menſura, ut dictum eſt, non coexiſtit præteritis & futuris ſicut æternitas, quæ eſt menſura ſcientiæ beatæ.

Colliges 3. Chriſtum per ſcientiam infuſam cognoſcere quidditative omnia etiam creata ſupernaturalia; id exigit ipſius dignitas, quatenus eſt cauſa vel effectiva, vel finalis omnium donorum ſupernaturalium, & Judex hominum. Imo probabilius eſt ea comprehenſive cognoſcere. Cum enim ipſi competat cognitio perfectiſſima, quæ poteſt eſſe, & decet; poſſibilis autem ſit comprehenſio illorum entium ſupernaturalium ab intellectu creato, quorum nempe cognoſcibilitas eſt creata & finita; & aliunde deceat ſummam Chriſti dignitatem omnia ſupernaturalia creata excedentem, probabilius eſt eum præfata comprehendere. Nec refert quædam entia ſupernaturalia, ut v. g. lumen gloriæ, viſionem beatificam, ipſam unionem hypoſtaticam ſuperioris & perfectioris immaterialitatis, quam ipſam ſcientiam infuſam; ſufficit enim, quod principium radicale cognitionis ſcientiæ infuſæ, quod eſt unio hypoſtatica, cujus eſt proprietas ſcientia infuſa, ſit æqualis immaterialitatis & perfectionis cum objectis; ex illo enim & principio proximo, quod eſt ſcientia, ſit unum principium adæquatum intellectionis.

Dices. Non poteſt cognoſci ſive quidditative ſive comprehenſive viſio beatifica, niſi cognoſcatur vel quidditative vel comprehenſive objectum & terminus ejus, ſcilicet eſſentia Dei & Trinitas: atqui nec quidditative, nec a fortiori comprehenſive poteſt cognoſci eſſentia Dei & Trinitas per ſcientiam infuſam. Ergo. Prob. Sequela Maj. Nulla relatio poteſt quidditative cognoſci, niſi quidditative cognoſcatur ejus terminus: atqui, &c. Ergo. R. N. Maj. ad probat. N. Maj. Sufficit enim, ut quidditative vel comprehenſive cognoſcatur relatio, quod cognoſcatur ejus terminus quoad an eſt, ſeu quod talis res ſit terminus talis relationis: alias nulla creatura quantumvis perfecta poſſet aliam comprehendere, cum omnis creatura dicat relationem ad Deum tanquam ad primum principium & ultimum finem.

Colliges 4. Chriſtum per ſcientiam infuſam cognoviſſe ſaltem mediate & indirecte omnia myſteria noſtræ fidei, etiam SS. Trinitatis quoad an eſt: quia ut dictum eſt, comprehenſive, aut ſaltem quidditative cognoſcebat fidem & viſionem beatificam. Ergo & eorum objecta quoad an eſt. Et licet nullus effectus creatus dicat habitudinem ad Deum ut trinum, tanquam ad cauſam, actus tamen fidei & viſionis beatificæ dicunt ordinem ad ipſum ut ad objectum, quod ſufficit, ut ex illis cognoſcatur exiſtentia Trinitatis.

Petes, utrum Chriſtus per ſcientiam infuſam cognoſcat etiam omnia poſſibilia? R. negative: quia cum in collectione omnium poſſibilium includantur ſpecies aliæ aliis excellentiores in infinitum, per nullam enim exhauritur divina virtus, neceſſe foret, quod Chriſtus vel haberet infinitas ſpecies, quod implicat, vel haberet aliquam, quæ illa infinita repræſentaret, quod etiam implicat; quia ad repræſentandum objecta infinita, nedum numero, ſed ſpecie & perfectione in infinitum creſcente diverſa, requiritur vis repræſentativa infinita, quæ nulli ſpeciei creatæ convenit, ſed ſoli Verbo increato. Imo dato talem cognitionem fore poſſibilem, non tamen congrueret Chriſto; tum quia foret inconveniens ſcientiam infuſam eſſe perfectiorem beata; tum quia non conveniret ejus modo connaturali operandi, qui eſt recipere ſpecies in minori univerſalitate, quam Angeli, ut docet D. Th. hic a. 6.

ARTICULUS III.

Aliæ difficultates breviter expenduntur ex cæteris articulis D. Thomæ.

QUÆRITUR 1. utrum Chriſtus potuerit uti hac ſcientia infuſa ſine converſione ad phantaſmata? Non eſt difficultas ex parte ipſiuſmet ſcientiæ infuſæ, quæ talis enim eſt independens a phantaſmatibus, ut patet; ſed ex parte intellectus, qui in hoc ſtatu conjunctionis eſt aſtrictus ad phantaſmata. R. (*Hic q. 11. a. 2. & ad 3.*) Chriſtum potuiſſe uti ſcientia infuſa ſine converſione & cum converſione ad phantaſmata pro voluntatis arbitrio. Ratio ejus eſt, quia Chriſtus erat comprehenſor ſimul & viator; quatenus comprehenſor non ſubditur corpori, nec ab eo dependet, ſed totaliter ei dominatur, & conſequenter habet ex illa parte modum intelligendi proprium Angelis & animabus ſeparatis, qui eſt ſine dependentia a phantaſmatibus: quatenus vero viator habet modum intelligendi proprium viatoribus, qui eſt per converſionem ad phantaſmata, qua potuit uti, ſi voluit, maxime circa res ſenſibiles.

Sed petes, in quo conſiſtat hæc converſio ad phantaſmata? R. non conſiſtare in eo, quod ſimul cum ſcientia infuſa utatur concomitanter phantaſmate; ſic enim poſſet dici quod ſcientia beata foret etiam per converſionem ad phantaſmata. Neque in hoc, quod uſus ſcientiæ infuſæ dependeat a ſpeciebus depromptis a phantaſmatibus, tanquam a principiis cognitionis, ut in nobis; ſed quod utatur phantaſmatibus ex imperio ejus formatis, tanquam miniſtris ſuæ cognitionis, hoc ſcilicet modo. Ex imperio ſcientiæ infuſæ, ſeu intellectus dominio ſupra phantaſiam, formatur in ea phantaſma de eodem objecto, de quo habet jam ſpeciem infuſam, & utitur illa ſpecie, non ut abſolute repræſentat ſuum objectum, ſed ut repræſentat illud cum aliqua comparatione ad illud phantaſma, ita quod phantaſma etiam ſpeculetur quatenus comparabile cum objecto repræſentatu per ſpeciem, & formatum ex ejus, ſcilicet ſcientiæ infuſæ imperio.

Quæritur 2. Utrum ſcientia infuſa Chriſti fuerit collativa, ſeu diſcurſiva? R, (*Ib. a. 3. a.*) hanc ſcientiam non fuiſſe diſcurſivam quoad acquiſitionem, quaſi a noto ad ignotum proceſſiſſet, fuit enim infuſa; potuiſſe tamen eſſe diſcurſivam, vel non diſcurſivam, quoad uſum. Quia Chriſtus ut comprehenſor potuit cognoſcere modo Angelico unico actu Concluſiones in principiis, effectus in cauſis; ſpecies enim infuſæ utpote univerſales & ab ideis divinis exemplatæ, natæ ſunt repræſentare principia velut Concluſionis fœta, & cauſas affectibus plenas. Potuit etiam ad modum viatorum diverſis actibus & cognitionibus Concluſiones ex principiis, effectus ex cauſis, proprietates ex eſſentia deducere; non quidem procedando a noto ad ignotum ſimpliciter, ut dictum eſt, ſed ad ignotum per eum actum, quem de novo elicit; eo modo quo interdum ſcientes ex cauſis concludunt effectus, non ut de novo addiſcant, ſed volentes uti ſcientia, quam jam habent.

Quæritur 3. Utrum ſciantia infuſa in Chriſto fuerit perfectior ſcientia Angelorum? R. ſub diſtinctione. (*Ib. a. 4. a.*) Si conſideretur ſecundum id, quod habuit a cauſa influenta, eſt multo excellentior, quam ſcientia Angelorum, & quantum ad multitudinum cognitorum & quantum ad ſcientiæ certitudinem, quia lumen Chriſto divinitus infuſum eſt multo excellentius, quam lumen, quod pertinet ad naturam Angelicam. Si vero conſideretur ſecundum id, quod habuit ex ſubjecto recipiente, ſeu ſecundum modum ſubjecti recipientis, eſt imperfectior ſcientia Angelica, quia juxta modum cognoſcendi connaturalem animæ humanæ ſpecies ejus ſunt minus unitæ & minus univerſales, quam Angelicæ, ut dicit Auctor art. 6. utpote commenſuratæ intellectui humano, qui eſt minus perfectus Angelico, licet aliunde magis multiplicentur. Item quia Chriſtus per ſcientiam infuſam poteſt cognoſcere cum diſcurſu & converſione ad phantaſmata, quod Angelis propter majorem immaterialitatem convenire non poteſt, ut dicit hic Auctor. Quod ſi contrarium docuerit in 3. diſt. 14. a. 3. q. 4. ſcilicet ſpecies infuſas animæ Chriſti non eſſe minus univerſales ſpeciebus Angelicis, id aperte hic a. 6. retractat.

Quæritur 4. Utrum ſcientia infuſa Chriſti fuerit habitualis? R. affirmative. (*Ib. a. 5 a.*) Quia licet ſcientia ejus beata, qua Dei eſſentiam & alia in ipſa videt, fuerit & ſit ſemper actualis adeoque perfectiſſima, utpote excedens modum naturæ humanæ, infuſa tamen, de qua hic loquimur, eſt ſecundum modum proportionatum & connaturalem naturæ humanæ, modus autem proportionatus & connaturalis naturæ humanæ eſt, ut recipiat ſcientiam per modum habitus, qua poſſit uti quando voluerit. Quod tamen non eſt ſic intelligendum quaſi aliquando ceſſaverit ab omni actu talis ſcientiæ, ſed quod non ſemper fuerit in actu ſecundo quoad omnia objecta; neque enim perfectio debita naturæ humanæ poſtulabat, ut ſemper actu omnia cognoſceret, ſed tantum pro loco & tempore. Quia tamen a corpore & phantaſmatibus independens erat, nec cederet actualitati ſcientiæ Angelicæ, videtur, quod ab inſtanti conceptionis fuerit ſemper in actuali cognitione quorumdam objectorum, corpore licet ac ſenſibus quieſcentibus ſeu alio intentis.

Quæritur 5. Utrum ſcientia infuſa in Chriſto fuerit diſtincta per diverſos habitus? R. quod, (*Ib. a. 6. c.*) licet ſcientia Chriſti infuſa ſit una generice, tamen diſtinguatur in habitus ſpecie diverſos: quia ut jam dictum eſt, recipit ſpecies in minori univerſalitate, quam Angeli, ita ſcilicet quod diverſas naturas ſpecificas per diverſas ſpecies intelligeret; in Chriſto autem, ſicut in nobis, diverſificantur habitus ſcientiarum ſecundum diverſa genera ſcibilium.

DISSERTATIO XII.

DE SCIENTIA CHRISTI ACQUISITA.

D. Thom. Quæſt. 12.

ARTICULUS I.

Utrum ſcientia per ſe acquiſibilis fuerit in Chriſto & quando? An infuſa per accidens, an propriis actibus acquiſita?

SCIENTIA per ſe acquiſibilis dicitur, quæ per ſe & connaturaliter poſſit a Deo infundi, qualiter v. g. Adamo fuit infuſa. Obſervandum (*Hic q. 9. a. 4. ad 3.*) ſcientiam per ſe infuſam naturalem, de qua præced. Diſſert. non ſolum differre ab hac ſcientia per ſe acquiſibili, de qua nunc, ex parte cauſæ efficientis, quia una a Deo ſolo infunditur, altera ab homine acquiritur; ſicut homo creatus & homo natus inter ſe differunt; ſed etiam eſſentialiter & ſpecifice, quia licet verſentur circa eadem objecta materialia, non tamen circa idem objectum formale. Objectum enim formale ſcientiæ per ſe acquiſibilis eſt quidditas rei materialis ut abſtracta a ſingularibus & proportionata phantaſmatibus, in quibus relucet. Objectum vero formale ſcientiæ per ſe infuſæ eſt quidditas nedum rei materialis, ſed etiam immaterialis, non ut abſtracta, ſed ut concreta ſingularibus, nec ſecundum proportionem phantaſmatum. Unde fit, quod per ſcientiam per ſe acquiſibilem directe tantum cognoſcatur univerſale materiale, non ſingularia, non Angeli, non ſupernaturalia, niſi indirecte & ad modum rerum corporearum. Per ſcientiam autem per ſe infuſam cognoſcuntur directe & quantum eſt ex ſuo genere ſubſtantiæ univerſales, & ſingulares, materiales & immateriales, earumque proprietates & accidentia.

Dico 1. (*Ib. a.*) Fuit in Chriſto ſcientia per ſe acquiſibilis. Prob. Conveniens fuit, ut omnis potentialitas animæ Chriſti naturalis reduceretur ad actum: atqui anima Chriſti erat in potentia connaturali ad ſcientiam per ſe acquiſibilem non minus, quam animæ aliorum hominum, quibuſcum eſt ujuſdem ſpeciei, Ergo. Confirm. Scientia beata fuit in Chriſto, quia erat in potentia ad intelligendum modo divino; fuit & ſciantia per ſe infuſa, quia erat in potentia ad intelligandum modo Angelico. Ergo & fuit in eo ſciantia per ſe acquiſibilis, qua intelligat modo humano.

Dices 1. Chriſtus per ſciantiam infuſam per ſe cognoſcit omnia, quæ cognoſcera poteſt per ſciantiam per ſe acquiſibilem. Ergo hæc ſuperfluit. R. D. Ant. Chriſtus per ſcientiam per ſe infuſam cognoſcit omnia, quæ cognoſcere poteſt per ſcientiam per ſe acquiſibilem, ſed non omni modo quo cognoſcibilia ſunt, C. Ant. & omni modo quo cognoſcibilia ſunt, N. Porro ad perfectionem intellectus Chriſti ſpectant non ſolum omnia cognoſcere, ſed omnia cognoſcere omni modo, quo ſunt cognoſcibilia; ſunt autem cognoſcibilia & in Verbo & extra Verbum per ſpecies per ſe infuſas ab ideis divinis exemplatas, & per ſpecies a phantaſmatibus abſtractas. Unde ſicut ad primum ponitur in Chriſto ſcientia beata, ad ſecundum ſcientia per ſe infuſa, ad tertium debet poni ſcientia per ſe acquiſibilis.

Dices 2. Duæ formæ ſolo numero diſtinctæ non poſſunt eſſe in eodem ſubjecto, atqui ſcientia per ſe infuſa & per ſe acquiſibilis ſolo numero differunt, differunt enim tantum ex parta cauſæ efficientis. Ergo. R. N. Min. & ejus probat. Patet ex obſervatione præmiſſa Concluſioni.

Dico 2. (*Ibid.*) Scientia per ſe acquiſibilis fuit in Chriſto propriis actibus acquiſita. Contrarium quod olim docuerat Auctor in 3. ſentent. d. 14. q. 3. a. 3. expreſſis terminis hic retractat. Probat. (*Ibid.*) Si Chriſtus ſcientiam per ſe acquiſibilem habuiſſet infuſam, intellectus ejus agens fuiſſet otioſus & fruſtraneus ad proprium & præcipuum ſuum actum, qui ei ſecundum ſtatum, in quo productus eſt, debitus & connaturalis erat: atqui hoc eſt inconveniens. Ergo. Patet Min. tum quia ſecundum vulgare axioma Damaſceni: Verbum aſſumpſit quidquid in natura plantavit, nedum quoad ſubſtantiam, ſed etiam quoad modum connaturalem: tum quia valde inconveniens foret, quod potentia animæ Chriſti perpetuo maneret fruſtrata proprio ac ſibi debito atque connaturali actu ſecundum ſtatum ſuum. Prob. ergo Maj. Chriſtus non eſt productus ſecundum humanitatem in ſtatu perfectionis, ſicut Adam in prima creatione, ſed juxta communem ſtatum & curſum naturæ: atqui ſicut juxta illum ſtatum conveniebat corpori, quod paulatim creſceret per actum virtutis augmentativæ, ita & animæ quod paulatim proficeret in cognitione naturalium per actum intellectus agentis, qui eſt abſtrahere ſpecies rerum intelligendarum a phantaſmatibus. Et hoc utrumque conjungit Evangeliſta dicens: *Et Jeſus proficiebat ætate & ſapientia*, Ergo. Confir. (*Ib.*) Chriſto convenit non

ſo-

ſolum habere omnes ſcientias, ſed eas etiam habere omni modo connaturaliter poſſibili & convenienti; atqui Chriſto conveniebat habere ſcientiam non ſolum modo divino per ſcientiam beatam, nec tantum modo Angelico per infuſionem, ſed etiam modo humano per acquiſitionem. Ergo.

Solvuntur Objectiones contra 3. Concluſionem.

OBj. 1. cum Scoto. Intellectus agens non fuit fruſtra in Adam, nec remanet fruſtra in Beatis; atqui nec in Adam, nec in Beatis abſtrahit ſpecies a phantaſmatibus; ſimiliter vis augmentativa ſeu nutritiva non eſt fruſtra in Beatis, licet tamen non reducatur ad actum. Ergo corruit præcipua ratio D. Th. pro Concluſione noſtra. Confir. Officium intellectus agentis non eſt ſolum abſtrahere ſpecies, ſed etiam illuſtrare principia, ut illis utatur ad Concluſiones: atqui ſuppoſita infuſione ſcientiæ per ſe acquiſibilis in Chriſto potuiſſet hunc actum exercere. Ergo non fuiſſet fruſtra. R. D. Min. Atqui nec in Adam, nec in Beatis abſtrahit ſpecies a phantaſmatibus, & illa actus debitus & connaturalis erat ſecundum ſtatum, in quo fuit creatus Adam, & in quo ſunt Beati, N. Min. Et ille actus non erat debitus & connaturalis ſecundum eum ſtatum, C. Min. & N. Conſeq. Vis ergo Rationis D. Th. non fundatur in hoc quod intellectus Chriſti abſolute foret fruſtra, ſed fruſtra reſpective ad connaturalem modum operandi juxta communem curſum & ſtatum, in quo Deus eum produxit, id enim dicitur fruſtra, quod caret actu ſibi debito pro ſtatu & tempore. Cum ergo Adam fuit creatus in ſtatu perfectionis, illi pro hoc ſtatu non erat debitus actus abſtractionis a phantaſmatibus, quo creſceret & proficeret in ſcientia, adeoque nec fruſtra in ipſo fuit intellectus agens, utpote qui non caruit actu ſibi debito pro hoc ſtatu. Idem dicendum de Beatis, qui non ſunt in ſtatu acquirendi ſcientiam, nec creſcendi ſecundum corpus. Hinc patet ſolutio ad confirm. D. enim Conſeq. Ergo non fuit fruſtra quoad omnem actum, C. Quoad præcipuum actum ſibi debitum pro ſtatu & tempore, N.

Obj. 2. cum Suares & Henno. Debemus a Chriſto omnem imperfectionem removere: atqui ſi ſcientiam præfatam ſucceſſu temporis & per proprios actus comparaſſet, fuiſſet in eo vera imperfectio. Ergo. Prob. Min. 1. Habuiſſet pro tempore antecedenti rerum aliquarum ignorantiam. 2. Potuiſſet ab homine magis ſtudio incumbente ſuperari. 3. In ſcientia per ſe acquiſibili fuiſſet miſerior Adamo qui ab initio creationis eam habuit infuſam. Ergo. R. 1. retorquendo argumentum in adverſarios, qui docent Chriſtum ſucceſſu temporis acquiſiviſſe ſcientiam experimentalem. R. 2. ad ſingula. Ad 1. habuiſſet pro tempore antecedenti rerum aliquarum ignorantiam quoad objecta, N. Quoad modum, Sub. Et illa ignorantia erat privativa, N. Non enim pro hoc ſtatu ipſi debebatur. Et erat negativa, C. Adeoque cenſeri non debet imperfectio, ſicut nec erat imperfectio quod in ætate infantili Chriſtus loquela careret, quia permittebat naturæ agere, quod cujuſque ſtatus proprium eſt. Ad 2. N. Ant. Quia fuit in Chriſto ingenium longe acutius & excellentius, quam in quolibet homine. Ad 3. N. iterum Ant. tum quia Adamum in infinitum ſuperavit per ſcientiam beatam & infuſam; tum quia Adæ creato in caput naturale hominum in ſtatu perfectionis conveniebat ſcientiam naturalem ab initio habere, non autem Chriſto producto ſecundum communem curſum in ſtatu imperfecto & ætate infantili.

Inſt. Chriſtus fuit etiam productus ut Doctor hominum. Ergo. R. ut Doctor in ſupernaturalibus, C. In naturalibus, N. Juxta illud Joan. 3. *Qui de terra eſt, de terra loquitur, qui de Cœlo venit ſuper omnes eſt, & quod vidit & audivit hoc teſtatur.* Vel ut ſupra; ut Doctor in ſtatu perfectionis, N. In ſtatu imperfectionis, C. Iterum dato Ant. N. Conſeq. Quia ratione ſcientiæ beatæ & infuſæ ſuperabundantem omnium ſcientiam habebat ad officium Doctoris, quod de Adamo dici non poteſt.

Obj. 3. cum iiſdem. Chriſtus ab initio ſuæ conceptionis habuit per accidens infuſas omnes virtutes morales per ſe acquiſibiles. Ergo & omnes virtutes intellectuales per ſe acquiſibiles. R. N. Conſeq. ob duplicem diſparitatem datam ſupra, dum de gratia habituali Chriſti, inter virtutes morales & intellectuales. Prima, quod morales reddant ſimpliciter bonum habentem in ordine morali, intellectuales autem tantum ſecundum quid. Unde magis imperfectum foret moralibus aliquando carere, quam accreſceret perfectionis eas acquirendo, e contra vero non plus derogat dignitati Chriſti virtutibus intellectualibus aliquando carere, quam ei accreſcat ex connaturali earum acquiſitione. Altera data diſparitas eſt, quod poſita infuſione ſcientiarum naturalium intellectus privaretur actu ſibi debito connaturaliter ſecundum præſentem ſtatum, in quo productus eſt, ſcilicet abſtractione ſpecierum a phantaſmatibus; ſecus autem poſita infuſione virtutum moralium, quia iiſdem actibus virtutes ſemel habitæ exercentur, quibus acquiruntur.

Obj. 4. cum iiſdem. Ex noſtra ſententia ſequitur, quod ſcientia per ſe acquiſibilis in Chriſto fuerit valde imperfecta, & ſcientia Adami longe inferior: atqui, &c. Ergo. Prob. Maj. Scientia acquiſita ea ignorat, quorum ſpecies non poteſt ſenſibus comparare: atqui multa ſunt, quorum ſpecies non potuit Chriſtus ſenſibus comparare, ut ſunt virtutes Cœlorum, quæ latent in abyſſis maris aut viſceribus terræ: dicere enim hæc ad ſenſus Chriſti miniſterio Angelorum fuiſſe adducta, vel Chriſtum ad illa, fingere eſt, & ſine fundamento miracula multiplicare; ergo. R. 1. N. Maj. ad prob. D. Maj. Scientia acquiſita ea ignorat, quorum ſpecies non poteſt ſenſibus comparare, & hæc pertinent ad cognitionem ſcientificam, N. Et hæc pertinent ad cognitionem experientalem, C. Similiter D. Min. Multa ſunt, quorum ſpecies non potuit ſenſibus comparare Chriſtus, & hæc ſunt individua ſingularia, quæ pertinent ad ſcientiam experimentalem, C. Et hæc ſunt quidditates rerum, quæ pertinent ad cognitionem ſcientificam, Subd. Si agatur de ſpeciebus immediatis, C. Mediatis, N. Potuit enim Chriſtus propter vim excellentiſſimam ingenii ex aliquibus ſpeciebus immediatis circa quaſdam rerum eſſentias ulteriores circa alias quidditates deducere, cognoſcendo ſcilicet effectus per cauſas, cauſas per effectus, ſimilia per ſimilia, contraria per contraria; & hoc eſt connaturale ſcientiæ acquiſitæ, quæ de ſe inclinat ad cognoſcendum plura per diſcurſum & formando quidditativam cognitionem unius ex alio; nec probari poteſt Adamum aliter ſciviſſe. Hinc S. Th. hic q. 12. a. 1. ad 2. ait: *Quod licet non fuerint Chriſti ſenſibus ſubjecta omnia ſenſibilia, fuerunt tamen ſubjecta ſenſibus ejus aliqua ſenſibilia, ex quibus propter excellentiſſimam vim rationis ejus potuit in aliorum notitiam devenire.* Unde inferes hanc Chriſti ſcientiam non fuiſſe imperfectam intra genus ſuum, cum de ejus ratione ſit eſſe diſcurſivam & ex uno immediato intellectu aliud diſcurſive deducere; in quo valde hallucinantur Auctores oppoſitæ ſententiæ. R. 2. intelligendo de ſingularibus, non etiam fuiſſe imperfectam ſcientiam acquiſitam Chriſti, nec inferiorem ſcientiæ Adæ; tum quia, ut dictum eſt ex D. Th. ex quibuſdam immediate repræſentatis etiam ſingularibus potuit alia colligere; tum quia uti potuit miniſterio Angelorum, ut ſenſibus adducerentur illa objecta, quæ magis convenientia erant, ut ex illis alia dignoſcerentur. Neque id gratis dicitur, Sicut enim corpori miniſtrarunt Angeli adducendo cibos in Deſerto, & ſicut primo homini adducta ſunt omnia animalia, ut nomen illis imponeret, quidni eorumdem Angelorum miniſterio Chriſto adducerentur ſingularia, non quidem omnia, ſed quæ Chriſtus judicabat expedire, ut ex eis alia colligeret, haberetque ſcientiam perfectam, nec ſcientia Adæ inferiorem?

Obj. 5. Omnis perfectio non repugnans fini Incarnationis debet tribui Chriſto: atqui habere ſcientiam infuſam ab initio eſt perfectio, quæ non repugnat fini Incarnationis. Ergo. R. D. Maj. Omnis perfectio non repugnans fini Incarnationis, nec aliud inconveniens involvens debet, &c. C. Si aliud inconveniens involvat, N. Unde ad Min. dico inconveniens eſſe, quod Chriſtus ab initio habuerit ſcientiam acquiſitam; tum quia intellectus ejus agens fuiſſet fruſtra quoad præcipuum ejus actum, tum quia fuit Chriſto connaturale pro ſtatu communi, in quo fuit productus, ut propriis actibus & ſucceſſive ſcientiam acquireret, tum quia perfectius eſt habere aliquid per ſe, quam per alium, maxime ſi carentia illius non præponderet perfectioni, quæ accreſcit ex illius acquiſitione, ut contingit in præſenti caſu, ſicut patet ex dictis. Pro cujus & aliarum inſtantiarum clariori intelligentia adverte, hoc inter perfectiones ſupernaturales & naturales in Chriſto eſſe diſcrimen, quod in ſupernaturalibus attendatur proportio cum unione hypoſtatica, & ideo ſtatim & cum omni plenitudine ſunt infuſæ: in naturalibus vero attenditur proportio cum natura humana & modo ordinario, quo ſolent acquiri, ut hinc magis eluceat veritas naturæ humanæ in Chriſto.

Obj. 6. Non decuit Chriſtum accipere ſcientiam ab Angelo vel homine docente. Ergo nec a rebus ſenſibilibus. R. N. Conſeq. (*Hic. q. 12. a. 3. ad 2.*) Nobilius eſt enim accipere ſcientiam a ſenſibilibus, quam ab Angelo vel homine docente; quia ut dicit Auctor, ille, qui addiſcit ab homine, non accipit immediate ſcientiam a ſpeciebus intelligibilibus, quæ ſunt in mente ipſius, ſed mediantibus vocibus ſenſibilibus tanquam ſignis intelligibilium conceptionum. Sicut autem voces ab homine formatæ ſunt ſigna intellectualis ſcientiæ ipſius, ita creaturæ a Deo conditæ ſunt ſigna ſapientiæ ejus: ſicut igitur dignius eſt doceri a Deo, quam ab homine, ita dignius accipere ſcientiam per ſenſibiles creaturas, quam per hominis doctrinam. Addo, quod licet Chriſtus hauriret ſpecies a ſenſibus, non tamen ab ipſis addiſcebat proprie, quia eas acquirendo ipſe ſe dirigebat, & eas ordinabat ex ſcientia ſuperiori.

AR.

Digitized by Google

ARTICULUS II.

Expeduntur breviter aliæ difficultates ex quator articulis Quæſtionis 12. D. Thomæ.

QUÆRITUR 1. Utrum Chriſtum per ſcientiam acquiſitam omnia cognoverit? R. (*Ibid. a.* 1. *c.*) Chriſtum per eam ſcientiam ſciviſſe, non quidem omnia ſimpliciter, quia non poſſunt omnia cognoſci per ſpecies abſtractas a ſenſibus, ſed omnia, quæ per actionem intellectus agentis cognoſci poſſunt, quia fuit excellentiſſima vis ingenii Chriſti. Nec obſtat, ut recte advertit hic Sylvius, quod nec litteras didicerit, nec Philoſophorum libros revolverit, nec omnium imo nec plurimorum experientiam habuerit; tanta enim erat vis animæ ejus, partim naturalis, partim ex lumine adjuncto ſcientiæ beatæ & infuſæ, ut ex rebus, quas experiebatur, colligere poſſet ſpecies & cognitionem aliorum, ut jam diximus art. præced. nec diſtraheretur, vel impediretur a conſideratione unius rei per aliam, ſed ſic poterat intendere pluribus, ac ſi tantum occuparetur circa unam.

Quæritur 2. Utrum Chriſtus in hac ſcientia profecerit? R. (*Ib. a.* 2. *c.*) Chriſtum in ea ſcientia profeciſſe & quantum ad habitum & quantum ad actum, ita ut per actionem intellectus agentis paulatim ſpecies abſtraheret, quarum acceſſu habitus ipſe perficiebatur. Patet ex dictis a. præc. hanc enim ſcientiam acquiſivit Chriſtus ſtudio & ſpecierum abſtractione ſicut alii homines. Unde dicitur Luc. 2. quod *Jeſus proficiebat ſapientia & ætate & gratia apud Deum & homines*, quod de ſcientia acquiſita intelligit Ambroſ. lib. de Incarnat. Dom. c. 7. & D. Th. hic in arg. ſ. c. Porro incepit (*Ibid. ad* 3. & 4.) Chriſtus hanc ſcientiam acquirere, cum primum cœpit uti ratione modo aliis hominibus connaturali, & ſemper habuit unam ſcientiam ſeu omnem ſcientiæ perfectionem ſingulis ætatibus accommodatam, ita ut nunquam aliquid ignoraverit etiam ſecundum ſcientiam acquiſitam eorum, quæ ſecundum tempus & locum ipſi conveniebant.

Quæritur 3. Utrum Chriſtus aliquid ab homine vel Angelo didicerit? R. negative, (*Ibid. art.* 3. & 4.) quia non erat conveniens Doctorem a Diſcipulis edoceri; Chriſtus autem erat Doctor & hominum & Angelorum. Unde cum Chriſtus vel ab Angelis vel ab hominibus aliquid audiebat, non ideo ab illis illuminabatur, quaſi illud neſciret, ſed habebat ſe inſtar Magiſtri, cui Diſcipulus ex libro legit id, quod prius ſciebat.

Dices Luc. 22. legitur Chriſtum fuiſſe ab Angelo confortatum. Sed illa confortatio non videtur aliter potuiſſe fieri, quam proponendo rationes, quæ dolorem lenirent, quod eſt Chriſtum fuiſſe illuminatum. Ergo. R. N. Min. & dico (*Ibid. a.* 4. *ad* 1. & *in* 3. *d.* 14. *q.* 1. *art.* 3. *quæſtiunc.* 6. *ad* 2.) Chriſtum fuiſſe confortatum quaſi per ſocietatem & compaſſionem, eo modo quo ex præſentia & colloquio amicorum homo naturaliter ſublevatur in triſtitia & afflictionibus, juxta illud Pſ. 68. *Suſtinui, qui ſimul contriſtaretur, & non fuit, & qui conſolaretur, & non inveni.* Addi poteſt, quod cum corpus Chriſti revera fuerit debilitatum ac ſanguine madens, Angelus confortaverit ipſum, vel ſanguinem abſtergendo, vel aliquo ſenſibili modo corpus fovendo, licet enim id Chriſtus per ſeipſum facere potuiſſet, potuit tamen etiam ad id miniſterio Angelorum uti, ad majorem carnis aſſumptæ manifeſtationem, quo fine voluit a matre nutriri & geſtari. Ita Cajetan. hic a. 4. & Joannes a S. Th. q. 12.

DISSERTATIO XIII.

DE POTENTIA ANIMÆ CHRISTI.

Div. Thom. Quæſt. 13.

ARTICULUS I.

Utrum humanitas Chriſti habuerit omnipotentiam ſimpliciter?

SUPPONO 1. Chriſtum per communicationem idiomatum eſſe & dici ſimpliciter omnipotentem, omnipotentia ſcilicet divina, ſicut eſt & dicitur ſimpliciter Deus. Sed difficultas eſt, utrum vi unionis hypoſtaticæ receperit in ſe intrinſece virtutem aliquam activam, quæ ſit omnipotentia ſimpliciter. Dico ſimpliciter; quia ſuppono 2. habuiſſe omnipotentiam ſecundum quid, id eſt excellentem virtutem activam in ordine ad illa omnia, quæ neceſſaria erant ad finem Incarnationis. Quæſtio eſt ergo de omnipotentia ſimpliciter & omni modo, utrum fuerit communicata Chriſto? Quidam de grege Lutheranorum, dicti Ubiquiſtæ a ſua hæreſi, tuentur partem affirmativam; dicunt enim humanitatem Chriſti ita eſſe Verbo unitam, ut ſit ubique ſicut ipſa divinitas, ſimiliter æterna & omnipotens. Unde exiſtimant potentiam humanitatis Chriſti eſſe ipſam Verbi omnipotentiam, ipſi ut homini formaliter communicatam, ita ut Chriſtus etiam ut homo ſit omnipotens ſimpliciter. Contra quos

DICO. (*Hic q.* 13. *a.* 1. *c.*) Humanitas Chriſti non habuit, nec habere potuit omnipotentiam ſimpliciter. Prob. (*Ib.*) Omnipotentia ſimpliciter eſt ſolius Dei proprietas: atqui in unione hypoſtatica naturæ manſerunt inconfuſæ & impermixtæ cum ſuis proprietatibus. Ergo. Min. patet ex dictis contra Eutychem. Prob. Maj. Potentia activa ſequitur ad naturam, & ipſi proportionatur ut ejus proprietas; in tantum enim aliquid agit, in quantum eſt in actu, eſt autem in actu per formam, quæ vel eſt natura, ut in naturis ſimplicibus, vel conſtituens naturam, ut in naturis compoſitis: atqui potentia activa omnipotens ſimpliciter ſoli naturæ divinæ proportionatur, ad eam ſequi poteſt ut proprietas. Ergo. Prob. Min. Omnipotentia ſimpliciter, id eſt quæ ſe extendit non ſolum ad omnes effectus poſſibiles, ſed etiam perfectiſſimo modo ad omnes modos poſſibiles (niſi enim hoc habeat, non erit omnipotentia ſimpliciter) proportionari non poteſt niſi naturæ, cujus eſſe eſt incircumſcriptum, illimitatum & infinitum in ratione entis; atqui talis eſt ſola natura divina. Ergo.

Confir. 1. Omne, quod a ſuperiori derivatur, recipitur in inferiori, modo imperfectiori; quidquid enim recipitur ad modum recipientis recipitur. Hinc licet viſio Dei, quæ eſt ipſi propria, communicetur creaturæ, non tamen communicatur infinito modo. Ergo ſi omnipotentia ſimpliciter, quæ eſt propria Deo, communicetur humanitati Chriſti, reperietur in illa inferiori modo, nec in ſua tota latitudine, adeoque nec omnipotentia ſimpliciter. Confirm. 2. Omnipotentia ſimpliciter attingit omne factibile implicationem non involvens: atqui id competere non poteſt humanitati Chriſti. Ergo. Prob. Min. Humanitas Chriſti non poteſt creare ſaltem ut cauſa principalis, neque etiam poteſt cauſare ſeipſam. Ergo.

Dices 1. Matt. 11. dicit Chriſtus ipſe: *Omnia mihi tradita ſunt a Patre meo*: & c. ult. *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo & in terra*: atqui omnis poteſtas eſt omnipotentia. Ergo. R. hæc & ſimilia loca intelligenda eſſe de Chriſto per communicationem idiomatum, ita ut ſicut homo dicitur Deus, ita etiam dicitur omnipotens. Dicit autem hanc poteſtatem ſibi datam poſt reſurrectionem, quia tunc potiſſimum virtus ejus enituit. Dicitur enim juxta phraſim Scripturæ familiarem, rem tunc fieri, quando innoteſcit. Poſſunt etiam intelligi hæc verba de Chriſto homine quoad poteſtatem excellentiæ, quam habuit ad regendum & imperandum in ordine ad prædicationem Evangelii; unde loco ultimo citato ſtatim ſubjungitur: *Euntes docete omnes gentes*, &c. Eodem modo ſolvas auctoritates Cyrilli, Damaſceni & aliorum Patrum.

Dices 2. Exiſtentia divina ſicut & clara cognitio ſui ipſius eſt proprium Dei; atqui tamen iſtæ proprietates communicantur naturæ humanæ ſalva ejus eſſentia. Ergo & omnipotentia. Confirm. Unio hypoſtatica facit humanitatem Chriſti ſanctam. Ergo & omnipotentem. R. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod licet omnia Dei attributa ſint divinæ naturæ propria, & perfectionem infinitam importent, non omnia tamen explicent modum, quo talis perfectio eſt in Deo, ut ſunt v. g. juſtitia, bonitas, exiſtentia, &c. Unde omnia iſta ſunt communicabilia creaturis, ſcilicet analogice, participative & cum diminutione. At vero omnipotentia non ſolum dicit perfectionem infinitam, ſed etiam modum, quo talis perfectio eſt in Deo, ſcilicet infinito modo; hoc enim ſi abſit, jam non eſt omnipotentia ſimpliciter; unde implicat eam, ut talem ſimpliciter, communicari creaturæ. Ad confirmationem, N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod ſanctitas conſiſtat in eo, quod anima Deo ſit injuncta & ipſi grata ſupernaturaliter; per unionem autem terminativam Verbi abſque ulla informatione intelligitur humanitas conjuncta Deo & ipſi grata. At vero non poteſt intelligi omnipotentia humanitati communicata, abſque eo quod eam informet, non minus quam intellectus aut voluntas; quia principium quo operativum vel eſt ipſa natura, vel forma eam conſtituens, vel proprietas ad eam conſequens.

AR-

ARTICULUS II.

De potentia humanitatis Chriſti circa immutationem creaturarum.

§. I. Exponitur Articulus D. Thom. qui eſt ſecundus hujus Quæſt. 13.

PRobat S. Doctor in hoc a. 2. Chriſtum ut hominem non habuiſſe omnipotentiam reſpectu immutationis creaturarum, ad cujus explicationem ſtatuit tres Concluſiones. Prima Concluſio eſt; *Si loquamur de anima Chriſti ſecundum propriam naturam & virtutem ſive naturalem, ſive gratuitam, potentiam habuit ad illos effectus faciendos qui ſunt animæ convenientes, puta ad gubernandum corpus & ad diſponendos humanos actus & etiam ad illuminandam per gratiæ & ſcientiæ plenitudinem omnes creaturas rationales ab ejus perfectione deficientes, per modum quo hoc eſt conveniens creaturæ rationali.* Quæ ultima verba diligenter adverte, ne fortè ex hac Concluſione inferas Chriſtum eſſe cauſam principalem gratiæ. Hanc Concluſionem non probat S. Doct. quia conſtat ex natura animæ, & ex dictis de gratia capitali Chriſti. Secunda Concluſio S. Th. eſt: *Si loquatur de anima Chriſti ſecundum quod eſt inſtrumentum Verbi ſibi uniti, ſic habuit inſtrumentalem virtutem ad omnes immutationes miraculoſas faciendas, ordinabiles ad Incarnationis finem, qui eſt inſtaurare omnia, ſive quæ in cœlis, ſive quæ in terris ſunt.* Id conſtat ex fine, ad quem datur inſtrumentum. Tertia Concluſio D. Th. Anima Chriſti, quatenus etiam inſtrumentum Verbi, non habet potentiam ad annihilationem creaturarum; quia annihilatio correſpondet creationi: *Et ideo ſicut ſolus Deus creare poteſt, ita ſolus poteſt creaturas in nihilum redigere, qui etiam ſolus eas in eſſe conſervat, ne in nihilum decidant.* Unde concludit S. Doctor: *Sic ergo dicendum eſt, quod anima Chriſti non habet omnipotentiam reſpectu immutationis creaturarum.* Difficultas itaque eſt valde controverſa inter Thomiſtas ex una parte, Scotiſtas & plures alios ex altera circa 2. Concluſionem D. Th. de quo virtute inſtrumentali ſit intelligendus, an de morali, an de phyſica. Eadem quæſtio movetur de cauſalitate Sacramentorum, ubi plura trademus & tradunt Auctores huc ſpectantia, & cum hic dicendis conferenda.

§. II. Utrum humanitas Chriſti ſit inſtrumentum phyſicum gratiæ, miraculorum & aliorum effectuum ſupernaturalium?

SUppono 1. Humanitatem Chriſti eſſe cauſam moralem etiam principalem gratiæ & miraculorum, quia illa de condigno meruit. Dico etiam principalem, quia non eſt alia cauſa meritoria aſſignabilis ſupra Chriſtum. Suppono 2. ex Tract. de gratia humanitatem Chriſti non eſſe cauſam principalem phyſicam gratiæ ſanctificantis. Quæritur ergo ſolum hic, utrum humanitas Chriſti ab executione Incarnationis fuerit nedum cauſa moralis, ſed & inſtrumentalis phyſica gratiæ & miraculorum aliorumque operum ſupernaturalium, quæ ad finem Incarnationis conducunt. Dixi ab executione Incarnationis: quia certum eſt humanitatem Chriſti ante executionem Incarnationis non fuiſſe cauſam phyſicam, ſed tantum moralem gratiæ antiquis Patribus collatæ, quia operari phyſice ſupponit neceſſario exiſtentiam phyſicam cauſæ.

Dico. Humanitas Chriſti ab Incarnatione peracta, ſive in terris degens, ſive modo in cœlo exiſtens, eſt & fuit cauſa inſtrumentalis phyſica gratiæ & miraculorum. Prob. 1. auctoritate. Luc. 6. dicitur de Chriſto, quod *virtus de illo exibat & ſanabat omnes*: & Chriſtus de ſeipſo Luc. 8. *Novi virtutem de me exiiſſe*: quod non videtur poſſe intelligi de virtute morali, quæ cum ſit ens rationis, non poteſt dici niſi valde improprie de corpore exire. Inſuper, juxta Scripturas, Chriſtus dedit Diſcipulis Spiritum S. *inſufflando*, Lazarum ſuſcitavit *clamando* & imperando, quæ omnia non moralem ſed phyſicam cauſalitatem ſonant, Joan. 1. dicitur; *Gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt*. Joan. 10. *Opera quæ ego facio*, &c. Ly facere autem importat proprie cauſalitatem phyſicam. Concil. 1. Epheſinum Can. 11. definit, quod *Caro Chriſti ſit vivificatrix propter unionem ad Verbum*. Non poteſt autem dici, quod caro Chriſti ſit vivificatrix moraliter, ſeu per modum meriti. Ergo phyſice. Hinc Cyrillus lib. 4. in Joan. c. 14. notat, quod Chriſtus in ſuſcitandis mortuis non ſolum verbo atque imperio uteretur, verum etiam carnem cooperatricem adhibebat, ut *oſtenderet*, inquit, *carnem quoque ſuam, quoniam Verbo conjuncta erat, vivificam eſſe*.

Ex his inſuper ſic arguo. Verba Scripturæ, Concil. & Patrum in proprio & obvio ſenſu accipienda ſunt, ſi inde nullum ſequatur inconveniens: atqui *virtutem ſanativam exire de corpore, facere, operari, vivificare, eſſe inſtrumentum*, & ſimilia, quæ leguntur in Scriptura, Conciliis & Patribus, proprio & obvio ſenſu important cauſalitatem phyſicam, non moralem: nec aliunde ſequitur inconveniens, ſi ſic intelligantur, ut patebit ex ſol. obj. Ergo. Quoad D. Th. manifeſte tradit noſtram ſententiam, tum ſupra q. 8. art. 1. ubi docet Chriſtum duplici modo cauſare gratiam, & *per meritum & per efficientiam*; tum hic art. 2. dicendo humanitatem Chriſti non poſſe eſſe inſtrumentum creationis, bene tamen operationis miraculoſæ, ubi clarum eſt ipſum loqui de inſtrumento phyſico, cum certum ſit humanitatem Chriſti poſſe eſſe cauſam moralem creationis per orationem & meritum. Videatur inſuper S. Doctor infra qu. 46. art. 6. q. 49. art. 1. q. 50. art. 62. art. 1.

Prob. ratione. Humanitati Chriſti eſt concedendum, quod nobilius & perfectius eſt, ſi vel in ſe vel fini Incarnationis non repugnat; atqui operari non ſolum moraliter, ſed etiam phyſice effectus ſupernaturales & miraculoſos eſt quid nobilius & perfectius, nec aliunde in ſe vel fini Incarnationis repugnat. Ergo. Prob. Min. pro 1. parte. 1. Agere dicit perfectionem. Ergo agere non ſolum moraliter, ſed etiam phyſice dicit majorem perfectionem. 2. Concurſus phyſicus eſt perfectior morali. Ergo. Prob. Ant. Concurſus moralis non tam agit, quam cauſæ actionem obtinet, concurſus autem phyſicus vere agit, & effectum veluti e ſinu ſuo emittit. Ergo. Quoad 2. partem Min. quod talis concurſus phyſicus non repugnet fini Incarnationis, evidens eſt, quin imo conducit; nec quod in ſe repugnet, etiam patet, ſi enim ignis inferni virtute ſibi divinitus tradita in ſpirituales creaturas inſtrumentaliter phyſice agit, quidni poterit ſacra humanitas virtute divinitatis, qua unita eſt, phyſice concurrere ad opera ſupernaturalia? Id amplius patebit ex ſol. obj. Confir. Juxta Scripturam & Patres Chriſtus eſt aliquo ſenſu inſtrumentum ad producendam gratiam, & patranda miracula: atqui non eſt inſtrumentum morale. Ergo phyſicum. Prob. Min. Chriſtus eſt cauſa principalis moralis horum effectuum. Ergo non inſtrumentalis.

Solvuntur Objectiones.

OBj. 1. D. Th. in 3. d. 16. q. 1. a. 3. dicit expreſſe *nullam fuiſſe virtutem in Chriſti anima ad immutandam legem vel curſum naturæ, ſive ad patranda miracula, niſi per modum orationis aut interceſſionis*. Ergo. Reſpondet Cajetanus S. Thomam hic & locis a nobis cit. retractaſſe hanc Sententiam. Reſpondet Joannes a S. Thom. S. Thomam ibi loqui de cauſa principali miraculorum. Sed fortè melius R. ex eodem S. Th. hic a. 3. animam Chriſti poſſe conſiderari dupliciter; uno modo ſecundum propriam naturam & virtutem, & hoc modo nullam habebat virtutem ad patranda miracula niſi per modum orationis aut interceſſionis. Alio modo poteſt conſiderari anima Chriſti ſecundum quod eſt inſtrumentum unitum Verbo Dei in perſona; & ſic habebat virtutem nedum moralem ſed etiam phyſicam patrandi miracula. Primum ſenſum itaque intendit S. Doctor laudatus in objectione. Secundum, locis a nobis citatis in Probatione.

Obj. 2. Omnia, quæ operata eſt humanitas Chriſti circa ſalutem noſtram, per Paſſionem & Mortem operata eſt ut diximus ſupra, & docet D. Th. infra q. 48. a. 6. Atqui Mors ſeu Paſſio non poteſt eſſe cauſa inſtrumentalis phyſica gratiæ & miraculorum. Ergo. Prob. Min. Quod non eſt, non poteſt operari phyſice; atqui Mors ſeu Paſſio non eſt nunc. Ergo. R. N. Min. Ad Probat. D. Maj. Quod non eſt neque formaliter, neque virtualiter, non poteſt operari phyſice, C. Quod non eſt formaliter, eſt tamen virtualiter, N. Similiter D. Min. Mors ſeu Paſſio Chriſti non eſt nunc formaliter in ſe, prout eſt aliquis motus in fieri, C. Min. Non eſt nunc in aliquo ſuo effectu phyſico ſeu virtute, N. Min. Remanet enim in cicatricibus ex illa relictis & qualitatibus glorioſis per illam acquiſitis. Unde dicitur Paſſio Chriſti operari noſtram ſalutem phyſice, quatenus humanitas Chriſti per illam determinata, immutata & modificata ſalutem noſtram phyſice operatur; ſicut Pater mortuus eſt vere cauſa efficiens Filii poſthumi, quia agit per virtutem a ſe relictam, ſcilicet ſemen a ſe deciſum.

Obj. 3. & ſimul Inſt. Præter exiſtentiam tres inſuper requiruntur conditiones ad rationem inſtrumenti phyſici. Prima ut realiter contingat ſubjectum, in quod agit, non enim poteſt agere in diſtans, v. gr. ſerra non facit cathedram, niſi lignum tangat. Secunda, ut habeat actionem præviam, qua agat diſpoſitive ad effectum cauſæ principalis, alias non eſſet cauſa, ſed purum vehiculum delativum virtutis cauſæ principalis: ſic ſerra ſcindendo lignum actione propria diſponit illud ad formam cathedræ. Tertia, ut recipiat aliquam virtutem a cauſa principali qua de impotente reddatur intrinſece potens: atqui deſunt hæ tres conditiones humanitati Chriſti ad productionem gratiæ ſeu miraculorum: ergo. Prob. Min. Pro 1. parte. Humanitas

Digitized by Google

nitas Chriſti exiſtens in Cœlo non contingit homines, quos juſtificat in terris, nec etiam dum erat in Mundo, tangebat phyſica illos, quos ſola voce ſanabat abſentes, ut ſervum Centurionis, filium Reguli, &c. Prob 2. pars Min. 1. Humanitas Chriſti nullam priorem diſpoſitionem agit propria actione utpote corporea in aoima, v. g. ad productionam gratiæ. Neque intelligibile eſt, quid prius produxerit tanquam diſpoſitivum in corporibus ad effectum miraculorum. 2. Quia multa miracula fecit Chriſtus, quę non niſi per creationem aut ſuſpenſionem divini concurſus patrata ſunt, ut cum columba in ejus Baptiſmo creata eſt, & cum ambulandn ſuper aquas denagatus eſt concurſus corpori ad gravitandum & aquis ad fluendum: atqui nulla creatura poteſt habere actionem propriam circa ſubjectum creationis, quod eſt nihilum, nec in concurſum Dei, cujus actio aſt ipſa ſubſtantia Dei, Ergo, Prob. 3. pars Min. Illa virtus derivata a cauſa principali in humanitatem Chriſti vel eſt ſpiritualis, & ſic non poteſt recipi in carne Chriſti; nam quidqoid recipitur ad modum recipientis recipitur. Val eſt corporea, & ſic non poteſt elevare homanitatem ad effectus ſpiritxales. Ergo nulla.

R. N. Min. Ad Probat. 1. partis, D. Humanitas Chriſti exiſtens in Cœlo non tangit homines, quos juſtificat in terris, rontactu ſuppoſiti, C. Contactu virtutis, N. Ant. & Conſeq. Hoc anim ſufficit ad rationem cauſæ phyſicæ, qoia, modo virtus cauſæ perveniat adſubjectum, nihil intereſt, quod cauſa ſit abſens t ſic ſol ſuppoſitaliter diſtans a viſceribus terræ, in ea tamen continuo agit contactu ſau præſentia virtutis & influxus: ſic magnes agit in ferrum diſtans ipſum attrahendo contactu virtutis, &c. Quod ſi ita in naturalibus, quanto magis in inſtrumentis divinæ potentiæ, quorum virtutem ipſa ubiqua præſens ſubjectis immutandis præſentem reddit?

Ad 1. Prob. 2. partis, dico non requiri ad rationem inſtrumenti, quod actione propria agat in ſubjectum diſpoſitive ad effectum cauſæ principalis ex parte rei operatæ, ſeu quod in ſubjecto aliquem priorem effectum producat, id enim proprium eſt tantum inſtrumentis cauſarum creatarum, quæ illis utuntur ex indigentia; ſed ſufficit, quod agat diſpoſitive ex parte modi operandi, hoc aſt quod habeat propriam actionem modificativam virtxtis principalis in ſe receptæ, qua actione conſtituatur in ratione cauſæ, & non ſit purum medium ſeu vehiculxm virtutis cauſæ principalis. Hanc autem propriam actionem habet & habuit humanitas Chriſti reſpectx miraculorum gratiæ, v, g, verbo, ſigno, geſtu, actx voluntatis, &c. Repones. Actio propria humanitatis circa gratiæ productionem, aut miraculorum patrationem, ut plurimum fuit corporea. Atqui corpus non potaſt agere in Spiritum. Ergo. R. D. Min, Corpus virtute propria non poteſt, &c. C. Min. Virtute cauſæ ſpiritualis maxime divinæ, N. Sic ignis aorporeus Inferni eruciat Dæmones & animas damnatorum.

Ad 2, Probat. ejuſdem 2. partis dico, quod ſi in aliquibus forte miraculis contigit creatio vel ſuſpenſio divini concurſus, de his non intelligitur concluſio noſtra, ſed tantum de illis, ad quæ ſe extendere poteſt cauſalitas inſtrumenti. Adde falſa eſſe exempla, quæ afferontur. Nam Columba illa non fuit ex nihilo creata, ſed ex præjacente aeris vel aquæ materia formata: ſimiliter inceſſus ſuper aqua, non ex ſuſpenſione divini concurſus, ſed ex virtute dotis agilitatis corporis redundate tunc permiſſæ provenieбat, ſicut ipſa Transfiguratio ex dote claritatis.

Ad Probat. 3. partis Min. Ante ſolutionem notandum varias eſſe Thomiſtarum ſententias circa hanc virtutem humanitati Chriſti communicatam. Quidam exiſtimat nihil aliud eſſe quam ipſam conjonctionem humanitatis Verbo, ex qua redditur potens ad omnia opera miraculoſa. Ita Contenſon poſt Aſturiſenſem. Sed id nobis probari vix poteſt, vel enim ax ipſa conjunctione aliqxid recipit intrinſecum, quod elevetor ad effectum miraculoſum, vel non; ſi nihil, ergo remanet intrinſeca impotens; ſi aliqxid, explicandxm eſt quid ſit. Unde. Alii exiſtimant eſſe qualitatem, ſed incompletam ex natura ſua fluentem & tranſeuntem; quia qualitas completa permanens conſtitueret cauſam principalem, ſed taman propter dignitatem ſubjecti habentem modum permanentis. Nec inconveniens reputat iſta ſententia, quod qxalitas ſecundum ſe incompleta & tranſiens habeat modum permanantis: ſicut ſecundum Philoſophos non repugnat, quod qualitas permanens ſecundum ſe habeat modum tranſeuntis, v. g. ſcientia in Tyrone; & ſecundum Theologos opinio, quæ eſt ſecondum ſe diſpoſitio tranſiens, in hæreticis habet modum permanentis; e contrario, gratia, quæ ſecundum ſe eſt qualitas permanens, in peccatore habet modum tranſeuntis; & lumen beatificum, quod eſt ex ſe permanens, communicatum D. Paulo babuit modum tranſeuntis. Ita Paludanus, Capreolus, Ferrarienſis, quos citat & ſequitur Gonet. Alii tandem volunt illam virtutem non eſſe qualitatem, ſed motionem Dei tranſeuntem elavantem humanitatem Chriſti ad rationem inſtrumenti gratiæ & miraculorum, nec ſolum dantem illi actom ſecundum, ſeu applicantem virtutem ad actum; ſed etiam conferentem ipſi virtutem activam in actu primo reſpecta effectus principalis agentis: quia de ratione inſtrumenti eſt, quod agat in virtute principalis cauſæ totam agendi vim illi conferentis; & in hoc diſtinguitur a Præmotione phyſica. Ratio illorum eſt, quia in aliis inſtrumentis naturalibus, puta ferra, calamo, &c. non videtur, qood artifex qualitatem aliquam completam ponat in inſtrumento, ſed ſolum motionem artificioſam, quæ inſtrumento totam vim in actu primo & ſecundo conferat ad effectum cauſæ principalis; licet enim, v. g. ſerra per ſuum acumen habeat in actu primo virtutem ſcindendi, non tamen artificioſe ſcindendi: ergo, inquiunt, idem dicendum videtur de inſtrumentis divinæ potentiæ ad effectus ſupernaturales, cum gratia non deſtruat naturam, ſed in quantum poſſibile eſt ei ſeſe accommodet, & eam perficiat. Ita Soto, Cajet. Zumel, Cabrera, quos citat & ſequitur Joannes a S. Th.

Nec refert, quod Charactat ſacramentalis videatur qualitas inſtrumentalis permanens; eſt enim hoc ſenſu qoalitas inſtrumentalis; quod conferat inſtrumento formam inſtrumenti, id eſt quod reddat miniſtrum aptum & idoneum, ut poſſit moveri a Deo ad actus ſupernaturales: ſicut v. g. acumen eſt forma permanens conferens ſecuri formam inſtrumenti; non eſt tamen qualitas inſtrumentalis conſtituens miniſtrum in ratione principii activi, ſive in actu 2. ſive in actu 1. reſpectu effectus ſupernaturalis, quod aſt de ratione inſtrumenti; ſicut acumen ſecuris, licet eam conſtituat principium activum ſciſſionis, non taman ſciſſionis artificioſæ. Nec etiam obſtat in illa ſententia, quod Chriſtus quando voluerit operatus ſit miracula, juxta illud Leproſi Matt. 8. *Domine ſi vis, potes me mundare*, quod videtur importare qualitatem miraculorum effectivam permanentem. Reſpondetur enim in illa ſententia, quod Chriſtus operabatur miracula, quando & quomodo volebat, non ex aliquo habitx aut virtute permanente, ſed ex aſſiſtentia divinę poteſtatis, ſeu ex hoc quod divina poteſtas præſto arat Chriſto, ut quotieſcumque vellet, movebatur actualiterar ab ipſo principali agente Deo; non quidem ſic quod hæc divina poteſtas ſubdaretur voluntati humanæ Chriſti, ſicut habitus ſubduntxr humanæ voluntati ad operationes ejus, ſed e contra quod humana Chriſti voluntas ſubjiceretur divinitati in omnibus & divinitas uteretur humanitate Chriſti tanquam inſtrumento conjuncto perſonaliter, ita ut quæ vallet divinitas, vellet & ipſa humanitas, & hoc ſenſu intelligitxr illud Matth. *Si vis, potes me mundare*.

Utraque hæc poſterior ſententia eſt probabilis: & juxta utramqxe R. hanc virtutem eſſe ſpiritxalem: & ad probat. in contrarium, D. Virtus ſpiritualis completa & permanens non poteſt recipi in corpore, Tranſeat; virtus incompleta & tranſiens, N. Diſparitas eſt, quod virtus completa & permanens eſt tantxm propter ſubjectum, cui inhæret. Unda debet ipſi proportionari; at e contra virtus incompleta & tranſiens, licet ea parte, qua eſt accidens, dependeat a ſubjecto, quia tamen eſt formaliter quid viale tendens ad aliud, debet illi potius quam ſubjecto proportionari; vis enim quatenus via utrique termino a quo & ad quem dumtaxat commenſuratur. Unde ad axioma: quidqxid recipitur ad modum recipientis recipitxr; verum eſt, ſi receptum habeat eſſe permanens & completum. Secus ſi habeat eſſe tranſiens incompletum. Dixi prius, Tranſeat. Ant Poſſet enim negari, qxia non videtur repugnare virtutem ſpiritualem ſubjectari in corpore, ex eo quod corpxs natum eſt obedire ſpiritui, non ſpiritus corpori; ſic anima rationalis etſi ſpiritualis ſxbjectatur in corpore, ſic virtutes morales etſi ſpirituales ſxbjectaotur in potentiis ſenſitivis animæ.

Inſt. Accidens ſpirituale qxtlecumque ſit permanens aut tranſiens non poteſt exiſtere exiſtentia corporea, exiſtentia anim debet proportionari ſobjecto quoad actum: atqui ſi reciperetur in ſubjecto corporeo, deberet exiſteru exiſtentia corporea. Ergo. Prob. Min. Accidens habet exiſtentiam a ſxbjecto, in qxo recipitur. Ergo. Prob. Ant. Accidens definitur; *Ens in alio exiſtens*. Ergo. R. N. Min. ad prob. N. Aot. ad probat. explico definitionem. Quando igitur dicitxr accidens ens in ſubjecto axiſtens, non eſt ſenſus, quod propriam axiſtentiam habeat a ſubjecto tanquam a principio formali, habet anim ſic a propria forma; unde ſine ſubjecto poteſt divinitus exiſtere; ſed ſenſus eſt, quod cum ſit debilior, exiſtentia indigeat ad exercitiom exiſtendi ſubjecto firmante & ſxſtentante illam debilem exiſtentiam. Porro ſi iſtud officium Deus in Euchariſtia poteſt accidenti præſtare ſine ſubjecto, quare non poſſet per ſubjectom corporexm, maxime cum accidens ſpirituale, de quo agimus, non recipiatur in corpore, quatenus

tenus

tenus corporeum formaliter, ſed quatenus eſt eus & ſubſtantia creata, quia in eo recipitur ratione potentiæ obedieutialis, quæ competit rebus creatis ſub generali ratione entis & ſubſtantiæ creatæ. Conſu diligenter, quæ dicam in Tract. ſeq. de cauſalitata Sacramentorom.

Obj. 4. Concil. Trid. Seſſ. 6. cap. 5. docet, quod nec Chriſti paſſio, nec bumanitas phyſice efficiont gratiam, ſed ſolum meritorie ſeu moraliter. Ite P. Henno de Sacramentis in genere diſp. 7. q. 2. a. 1. probat. 6. R. nullam hac de re mentionem fieri iu capite citato. Verom eſt qaidem eap. 7. haberi, quod cauſa meritoria juſtificationis noſtræ ſit Chriſtus, ſed nuſquam dicit Concilium, quod ſit tantum cauſa meritoria & non phyſica; definit enim Concilium, quod certa fide tenendum eſt, & certo conſtat inter Theologos, non quod inter ipſos controvertitur.

ARTICULUS III.

De Potentia animæ Chriſti reſpectu proprii Corporis & executionis ſuæ voluntatis.

POSTQUAM S. Th. egit de potentia animæ Chriſti circa immutationes aliarum rerum, agit de ejuſdem potentia in ordine ad ſeipſum. Dico 1. (*Hic a. 3. o.*) Anima Chriſti ſecundum propriam virtutem, quæ ipſi competit ut eſt anima humana, non habebat omnipotentiam immutandi proprium corpus a naturali diſpoſitione, v. gr. non poterat ſecundom hanc virtutem efficere, ne corpus gravitaret, ne nutriretur, ne pateretur, &c. tom quia, ut dictum eſt, ſecundom hanc virtutem non habebat potentiam immutandi exteriora corpora a corſu & ordine naturali: ergo nec ſuum: tom quia anima ſecundum propriam naturam habet determinatam proportionem ad ſuum corpus, ac per conſequens non omnia, ſed aliquid determinatum poteſt circa proprium corpus. Nec obſtat, quod eſſet beata, nec enim animæ beatæ habent hanc omnipotentiam. Inſuper Chiſtus non erat Beatus quoad omnia; aſſumpſerat enim corpus paſſibile, adeoque & corporis paſſibilit conditiones. Unde quod animæ beatæ poſſunt ſine miraculo propter dotes glorioſas corporis beati, non poterat Chriſtus ſine miraculo, quia non aſſumpſerat corpus glorioſum: & ideo inceſſus ſuper mare, claritas Transfigurationis, fueruut miracola, ut docet D. Th. Infra q. 45. a. 2.

Dico 2. (*Ibid.*) Si vero conſideretur anime Chriſti, ſecundum quod eſt inſtrumentum unitum Verbo, ſubdebatur ejus poteſtati omnis diſpoſitio proprii corporis, excepte annihilatione & conſervatione, ut art. præced. dictum eſt. quia tamen virtus actionis non propria attribuitur inſtrumento, ſed principali agenti, talis omnipotentia magis attribuitor ipſi Verbo Dei, qoam animæ Chriſti.

Dico 3. (*Ibid. a. 4. 2*) animam Chriſti babuiſſe omnipotentiam reſpectu ſuæ voluntatis circa ea, quæ voluit voluntate abſoluta adimplenda per ſe, idqoe virtute propria, quia non conveniebat ſapientiæ ajus, ut aliquid vellet per ſe facere, quod ſuæ virtuti non ſubjaceret. Circa ea autem, quæ voluit fieri per divinam virtutem, habuit omnipotentiam, non virtute propria, ſed quatenus erat inſtrumentum divinitatis. Tandem ea, quæ voloit non voluntate abſoluta, ſed conditionate aut inefficaci, non ſemper fuerunt adimpleta, ut patet de voluntate transferendi ab eo calicem Paſſionis. Sed difficultas eſt, an Chriſtus voluntate abſoluta voluerit aliquid per alios adimplendum, quod non fuerit factum. Unde

Dico 4. Nihil voluit Chriſtus voluntate abſoluta & efficaci per alios adimplendum, quod nou fuit factum. Eſt Sylvii cum pluribus aliis contra Cajet. Joan. a S. Th. Cabrera, &c. Prob. ex D. Th. S. Doctor infra q. 18. a. 5. docet voluntatem Chriſti humanam ſemper fuiſſe conformem divinæ, & quod *Chriſtus per voluntatem, quæ eſt per modum rationis, ſemper idem volebat quod Deus*. Et q. 21. a. 4. dicit, quod *Chriſtus nihil aliud voluit, niſi quod ſcivit Deum velle*. Unde concludit: *Et ideo omnis abſoluta voluntas Chriſti etiam humana impleta fuit, quia fuit Deo conformis*. Prob. Ratione. Imprudentiæ eſt velle voluntate abſoluta & efficaci id, quod certo conſtat non eſſe futurum; atqui Chriſtus ſciantia beata certo ſciebat omnia futura, ut diximus: ergo non voluit abſolute & efficaciter id, quod non erat, ſive per ſe ſive per alios, faciendum. Patet Conſeq. quia a Chriſtu removenda eſt omuis imprudentiæ labes.

Dices 1. Marc. 7. dicitur de Chriſto, quod *Ingreſſus domum, neminem voluit ſcire, & non potuit latere*. Ergo. R. hæc non de voluntate abſoluta, ſed conditionata ſeu inefficaci eſſe intelligenda, ita ut ſenſus ſit, Chriſtum ſe geſſiſſe exterius, ſicut qui latere volunt, ſe ſcilicet ſubducendu, ſed tamen per illam ſubductionem non potuiſſe latere, licet aliunde potuerit, ſi abſolute voluiſſet. Nec ullum ibi reperitur mendacium, quia id faciebat non animo fallendi, ſed nos inſtruendi de ſugienda ambitione & vana gloria.

Inſt. Agatho Papa circa præfata verba in Ep. quæ refertur in 6. Synodo act. 4. & quæ recepta eſt act. 8. ſic ait: *Erga ut ille hominum Conditer ac Redemptor in terris latere volens non potuit, niſi hoc ad humanam ejus voluntatem, quam temporaliter eſt dignatus aſſumere, redigatur?* Atqui hæc verba non poſſunt intelligi de voluntate conditionata & antecedente. Ergo. Prob. Min. Pontifex his verbis intendit probare præter voluntatem divinam in Chriſto eſſe humanam ex eo, quod voluntas divina ſemper impleatur, & non humana: atqui ſi intelligatur de voluntate humana Chriſti conditionata & antecedente, id non probat, ſi quidem voluntas Dei antecedens & conditionata non etiam ſemper implaator. Ergo. R. N. Min. ad probat. N. Maj. intendit enim probare Pontifex præter voluntatem divinam in Chriſto eſſe humanam, non ex rationa allata, ſed ex eo quod Chriſtus humana voluntate equidem conditionali & antecedente voluerit aliquid, quod non poterat propria ſuæ humanitatis virtute conſequi; cum tamen Deus nihil velit etiam voluntate antecedente & inefficaci, quod non poſſit per ſeipſum implere.

DISSERTATIO XIV.

DE DEFECTIBUS CORPORIS ASSUMPTIS A FILIO DEI.

Div. Thom. Quæſt. 14.

ARTICULUS I.

Utrum conveniens, an etiam neceſſarium fuerit corpus Chriſti ſubjacere defectibus?

DICO 1. (*Hic q. 14. a. 1. o.*) Conveniens fuit corpus Chriſti ſubjacere defectibus propter tria: 1. Ut pro nobis ſatisfaceret. 2. Ut veritatem humanæ naturæ comprobaret. 3. Ut nobis fieret exemplum virtutis. Eſt contra Hæreticos, qui dicti ſunt Phantaſiaſtæ & Aphthartodocetæ, qui auctore Juliano Halicarnaſſeo circa an. 476. dogmatizabant corpus Chriſti fuiſſe incorruptibile etiam ante Reſurrectionem. In quem errorem impegit Juſtinianus Imperator ſub finem vitæ, qui ideo Eutbychium Patriarcham contrarium ſentientem exulare juſſit. Quam hæreſim ultra rationes D. Th. impugnant omnia ſacræ Scripturæ teſtimonia, quæ Chriſtum eſuriiſſe, defatigatum, paſſum, mortuum probant. Hanc etiam impugnarunt Juſtinus Mart. Athanaſ. Baſil. Nyſſenus, Chryſoſt. &c.

Dices contra 1. rationem D. Th. Si Chriſtus corporis noſtri defectus aſſumpſit, ut pro nobis ſatisfaceret, ſequitur, quod etiam pœnas inferni ſuſtinuerit; eas enim promeriti eramus. Ita quidem cenſuit & blaſpemavit Calvinus. R. N. Sequelam; non enim requiritur ad ſatisfactionem pro peccato alterius, ut omnem pœnam ipſi debitam alter ſuſtineat, ſed ſufficit, quod reddat æquivalens, quod & ultra fecit Chriſtus. Et ſane ſi valeat conſequentia Calvini, ſequeretur Chriſtum debuiſſe in æternum ſufferre pœnas inferni, eas enim in æternum promeriti ſumus.

Dices 2. S. Hilarius Pictavienſis l. 10. de Trinit. ait: *Virtus corporis ſine ſenſu pœnæ vim pœnæ in ſe deſævientis excepit*. Clemens Alex. l. 6. Strom. c. 6. ait de Chriſto: *Ipſe autem, ut ſemel dicam, impaſſibilis erat*. Hieron. in c. 26. Matt. ait: *Erubeſcant, qui putant Salvatorem timuiſſe mortem, & Paſſionis pavore dixiſſe: Pater ſi fieri poteſt, &c.* Ergo. R. ad Hilarium S. Th. conari q. ſeq. a. 5. ad 1. eum ſano ſenſu explicare dicendo, quod Hilarius a carne Chriſti non veritatem doloris, ſed neceſſitatem excludere intendat, accipiendo neceſſitatem per comparationem ad cauſam primam horum defectuum, quæ eſt peccatum. S. Bonaventura in 3. diſt. 10. a. 1. q. 1. narrat ſe audiviſſe Guillelmum Pariſienſem dicentem ſe legiſſe librum, in quo Hilarius ſe retractavit, quamvis eum conetur exponere dicendo, quod loquatur de divinitate ipſa. Cæterum ſi non fallo, ſaltem valde obſcure hac in re videtur locutus Hilarius. Unde & in margine ſæpe notatur, quod caute ſit legendus, & Bellarminus & Vaſques aperte fatentur ipſius verba non poſſe ſano ſenſu explicari. Ad Clementem Alex. R. ejus opera inter apocrypha recenſeri a Gelaſio Papa in Concil. Romano, & in illis multas reperiri propoſitiones errorem ſapientes. Sylvius q. ſeq. a. 5. ipſum explicat ut Hilarium

de

Digitized by Google

de neceſſitate patiendi. Ad Hieron. R. ipſo m a Chriſto exclusiſſe timorem non abſolute, ſed cum animi turbatione.

Dico 2. (*Ibid. a.* 2. c.) Reſpective ad voluntatem divinam in Chriſto, aut voluntatem humanam deliberatam, illis defectus fuerant Chriſto voluntarii objective; tum quia eos voluntarie ſecundum duplicem hanc voluntatem acceptavit; tum quia poterat illos impedire, ſi voluiſſet. Reſpective autem ad ipſam naturam aſſumptam in Chriſto illi defectus erant neceſſarii, quia ſequebantur ex ejus principiis; naturam enim ejuſdem conditionis, non cum natura Adæ innocentis, ſed cum noſtra, aſſumpſit, juxta illud ad Rom. 8. *Miſit Deus Filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati*; id eſt, habentem corpus ejuſdem conditionis, cujus eſt caro peccatrix. Unde

Dico 3. (*Ibid. a.* 3. c.) Chriſtus non contraxit hos defectus ſicuti nos ex debito peccati, quo caruit, ſed voluntarie eos ſuſcepit. Quamvis enim ona mortis & aliorum defectuum cauſa ſit compoſitio ex contrariis; hæc tamen in ſtatu naturæ innocentis ſic impediebatur, ut homo nec morti, nec aliis defectibus ſubjacuiſſet, ſi non peccaſſet. At vero Chriſtus, licet hujus ſtatus puritatem aſſumpſerit, voluit tamen de ſtatu noſtro aſſumere paſſibilitatem provenientem ex compoſitione ex contrariis. Ergo.

ARTICULUS II.

Utrum Chriſtus omnes defectus corporales hominum aſſumpſerit?

DIco. (*Ibid. a.* 4. c.) Chriſtus non aſſumpſit omnes defectus corporales hominum. Prob. (*Ibid.*) Chriſtus aſſumpſit defectus humanos præciſe ad ſatisfaciendum pro peccato humanæ naturæ. Ergo illos tantum defectus aſſumere debuit, qui conſequuntur ex peccato communi totius naturæ humanæ, nec ſatisfactioni ſeu fini Incarnationis repugnant. Patet Conſeq. Quia ſatisfactio, quæ pœnalis eſt, debet reſpondere culpæ. Ergo culpæ communi pœna communis.

Hinc inferes 1. (*Ibid.*) Chriſtum aſſumpſiſſe famem, ſitim, defatigationem, mortem, &c. quia hi omnibus hominibus ſeu toti naturæ conveniunt communiter ex peccato communi primi hominis. Inferes 2. Chriſtum non aſſumpſiſſe lepram, febrem, cæcitatem, claudicationem, aut quemvis alium morbum; quia hi defectus non conſequuntur totam naturam immediate propter peccatum primi parentis, ſed cauſantur in aliquibus hominibus propter duas cauſas particulares & perſonales, ſcilicet vel propter exorbitantes paſſiones, potus, victuſve exceſſum; vel propter defectus virtutis formativæ. Quod ſi aliquando videantur cauſari ex intemperie aut infectione aeris, id ſemper refunditur in defectum virtutis formativæ, quæ ſi perfecta foret, qualis fuit in Chriſto ex Spirito S., illis poſſet reſiſtere. Inferes 3. (*Ibid.*) Chriſtum non aſſumpſiſſe ignorantiam, pronitatem ad malum & difficultatem ad bonum, etiam quatenus hi defectus originantur a corpore (ſub qua ratione hic conſiderantur ab Auctore) quia repugnant officio ſatisfaciendi & redimendi, quod eſt finis Incarnationis.

Dices 1. Chriſtus potuit ſeneſcere ac tandem ex ſenio mori, etiamſi nullus eum interfeciſſet: atqui ſecundum plures Medicos nemo mori poteſt abſque febri aut aliqua putrefactione. Ergo. R. 1. ad Min. Æque eſſe probabilem aliorum Medicorum ſententiam aſſerentium mortem poſſe accidere ſine morbo ex ſolo defectu caloris naturalis & humidi radicalis. R. 2. nos removere a Chriſto morbos, qui particularibus accidunt ex cauſis ſpecialibus aſſignatis, non illum, qui toti naturæ communis eſſet ratione mortis.

Dices 2. Chriſtus aſſumpſit mortem. Ergo a fortiori morbos. R. N. Conſeq. Quia mors ſequitur communiter naturam, ſive nude ſpectatam, ſive peccato corruptam, non autem morbi, qui proveniunt vel ex exceſſu, vel ex defectu individui.

Repones. Morbi ſequuntur etiam naturam peccato corruptam, ſeu ratione peccati. Sic ſi Adam non peccaſſet, abſque morbo vixiſſemus. Ergo. R. D. Ant. Morbi ſequuntur naturam peccati corruptam immediate, N. Ant. Mediantibus cauſis aſſignatis, C. Unde non iidem in omnibus: ſecus mors, fames, &c.

Dices 3. Iſ. 53. dicitur de Chriſto: *Vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit, & nos putavimus eum quaſi leproſum*, &c. Ergo. R. ſenſum horum verborum eſſe, quod Chriſtus in paſſione tulerit pœnas peccatis noſtris debitas, propter quas quaſi Leproſus videbatur, ſeu quod Judæi ab ipſo quaſi a Leproſo abhorrebant.

Dices 4. Chriſtus aſſumpſit deformitatem corporis, juxta illud Iſ. 53. *Non eſt ſpecies ei, neque decor ... & quaſi abſconditus vultus ejus & deſpectus*. Ergo. R. N. Ant. Et ad auctoritatem Iſaiæ dico eam eſſe intelligendam non de conſtanti corporis Chriſti habitudine, nec de nativa ejus oris ſpecie, ſed de Paſſionis illius tempore, dum mille Judæorum injuriis deformatum Chriſti corpus vix hominis ſpeciem referebat. Ita Juſtinus Mart. Cyprianus, Cyrillus Alex. Hieron. Aug. &c. Alii interpretantur de humanitate non ſecundum ſe ſpectata, ſed comparata ad divinitatem. Ita S. Cyrillus Alex. Aug. Bern. &c. Alii de humanitate intelligunt quoad rationem naſcendi, vivendi & moriendi, quam præ cæteris humillimam, abjectiſſimam & acerbiſſimam tenuit. Ita Hieron. & Chryſoſt. Uno horum ſenſuum intelligendi veniunt Tertull. Origenes, & Clemens Alex. qui ex iſto Iſaiæ oraculo videntur docere formam Chriſti fuiſſe deformem. Vel ſiue poſtponendi ſunt numeroſiſſimæ Patrum formæ aliter ſentientium.

Utrum autem e contra fuerit Chriſtus ſpecie excellenter liberali, vultuque inſigniter venuſto & egregio non conſtat. Illud enim Pſ. 44. *Speciosus forma præ filiis hominum*, cui quidam Theologi cum vulgo innituntur, intelligunt communius Patres de pulchritudine animæ. Sic Baſil. Alex. Theodoret. Irenæus, Aug. &c. Et quidem vere, cum dicatur *Speciosus forma præ filiis hominum, diffuſa eſt gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum*. Quis credat ideo Chriſtum a Patre benedictum ob egregiam vultus formam? Neque repugnare cenſendi ſunt Hieron. Chryſoſt. &c. dum in vultu Chriſti agnoſcunt fulgorem ac majeſtatem. Non enim de nativa vultus ejus pulchritudine loquuntur, ſed de quibuſdam divinis ac prodigialibus ſignis, in ejus facie interdum relucentibus, quibus v. g. Petrum traxit ad Pœnitentiam, quo tamen tempore nemo eſt, qui Chriſti faciem, totumque corpus ejus vulneribus & verberibus deformatum non fateatur. Vel de adventitia ac tranſitoria venuſtate loquuntur, qualis fuit in Stephano protomartyre. Act. 6.

Quapropter inter duas extremas ſententias, mediam tenentes viam, exiſtimamus dicendum ſpeciem externam corporis Chriſti non fuiſſe inſigniter venuſtam, neque inſigniter deformem, ut ſpectantium oculos ſola vel raperet, vel offenderet, ſed pulchram mediocriter, utpote ſtatui ſuo convenientem. Ita D. Th. in Pſ. 44. his verbis: *Pulchritudinem Chriſtus habuit, ſecundum quod competebat ad ſtatum & reverentiam ſuæ conditionis. Non eſt ergo intelligendum, quod Chriſtus habuerit capillos flavos, vel fuerit rubens, quia hoc non decuit eum*. Et in c. 53. Iſa. *Chriſto non erat aſpectus magnificus ſecundum quod dicitur, quod ſpecies Priami digna eſt imperio.*

DISSERTATIO VII.

DE DEFECTIBUS ANIMÆ A CHRISTO ASSUMPTIS, UBI DE EJUS IMPECCABILITATE.

Div. Thom. Quæſt. 15.

ARTICULUS I.

Utrum in Chriſto fuerit potueritve eſſe peccatum?

DIco 1. (*Hic. q.* 15. *a.* 1. *c.*) In Chriſto nullum fuit peccatum ſive actuale, ſive originale. Eſt de fide. Quoad Originale patet ex illo Luc. 1. *Spiritus S. ſupervenit in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi: ideoque quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei*. Ubi etiam inſinuatur ratio Concluſionis; quia Chriſtus non deſcendit ab Adam per ſeminalem propagationem. Adde, quod ab inſtanti Conceptionis fuit plenus gratia, veritate ac beatitudine, quibuſcum repugnat Peccatum Originale. Quoad actuale altra jam dicta conſtat etiam ex Scriptura Joan. 8. *Qui ex vobis arguet me de peccato?* 1. Per. 2. *Qui peccatum non fecit*. Ad Heb. 7. *Talis decebat ut nobis eſſet Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus a Peccatoribus*.

Prob. (*Ibid.*) utraque pars Ratione. Chriſtus ſuſcepit defectus noſtros triplici de cauſa. 1. Ut pro nobis ſatisfaceret. 2. Ut veritatem humanæ naturæ comprobaret. 3. Ut fieret exemplum virtutis, atqui ad hunc triplicem finem non modo peccatum non conducebat, ſed potius oberat. Ergo. Prob. Min. Peccatum 1. nihil operatur ad ſatisfactionem, ſed potius eam impedit. Etenim *Dona Iniquorum non probat Altiſſimus*, Eccli. 34. 2. Peccatum non demonſtrat veritatem naturæ humanæ, cum ſit contra illam,

lam, rationem nempe evertens, & Angeli mali peccaverint & peccent. 3. Peccatum non eſt in exemplum virtutis, cum ſit ipſi contrarium. Ergo.

Dices 1. Chriſtus fuit in Adam: unde dicitur Rom. 1. *Factus ex ſemine David*. Ergo contraxit peccatum originale; unde & illius remedium aſſumpſit, ſcilicet Circumciſionem. R. D. Ant. (*Ib. ad* 2.) Chriſtus fuit in Adam ſecundum corpulentam ſubſtantiam, C. Secundum ſeminalem rationem, N. Unde dicitur factus ex ſemine David materialiter, quia aſſumpſit carnem ex Virgine, quæ deſcendit ex David via ſeminali, non tamen formaliter ſeu active; aſſumpſit autem remedium non ut eo indigens, ſed ut humilitatis exemplum nobis præberet. Inſuper dato Chriſtum fuiſſe ab Adamo ſecundum ſeminalem propagationem, nihilominus in eo nec fuiſſe, nec eſſe potuiſſet peccatum originale, utpote repugnans nedum gratiæ habituali & beatitudini, quibus ab inſtanti Conceptionis fuit ornatus, ſed etiam ipſi gratiæ ſubſtantialis unionis.

Dices 2. Chriſtus moriens erupit ſi non in motus deſperationis, ſaltem in verba deſperationis dicendo: *Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* Matt. 27. Et in horto inordinate oravit dicens: *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat a me Calix iſte*. Ita impius Calvinus in harmonia ad prædictum caput. R. priora verba non eſſe deſperantis, ſed naturæ maximum dolorem patientis. Et certe ille non deſperat, qui jam beatitudinem eſt aſſecutus, certuſque eſt eam fore perpetuam, nec eſt impatiens, qui ex charitate liberrime patitur. Poſteriora verba ſunt voluntatis ſenſualitatis ſeu conditionatæ, non voluntatis rationis & abſolutæ.

Dices 3. 2. ad Cor. 5. *Qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*. Pſ. 21. *Longe a ſalute mea verba delictorum meorum*: & ſic pluries alibi. Ergo. R. (*Ib. ad* 4.) ſenſum priorum verborum eſſe, quod Pater æternus fecerit Chriſtum pro nobis peccatum, id eſt hoſtiam pro peccatis noſtris: ſicut Oſeæ 4. dicitur: *Peccata populi mei comedent*, ſcilicet Sacerdotes, id eſt hoſtias pro peccato oblatas. Ad poſteriora verba & alia ſimilia, (*Ib. ad* 1.) R. Chriſtum peccata noſtra vocare ſua, quia loquitur in perſona membrorum, quorum eſt caput, vel quia ſuſcepit illa diluenda quaſi propria forent.

Dico 2. Chriſtus de lege Dei ordinaria erat Impeccabilis. Patet ex dictis: quia per gratiam unionis infinite ſanctificabatur, habebat plenitudinem gratiæ & beatitudinem, quibus omnibus ſaltem de lege Dei ordinaria repugnat peccatum. id etiam evincitur ex ratione D. Th. ſuperiori Concl. adducta.

Hæc omnia conſtant inter Theologos Catholicos. Sed graviſſima reſtat difficultas: an etiam de potentia Dei abſoluta Chriſtus ut homo ſit impeccabilis? Non hoc ſenſu, quod Deus conferat vires ad peccandum, ut præpoſtere ſomniavit Vaſques; ſed hoc ſenſu, ſi Deus per potentiam abſolutam a Chriſto removeret gratiam habitualem & viſionem beatificam, an præciſe vi gratiæ unionis Chriſtus ut homo ſit impeccabilis, peccato non ſolum cum unione compoſito, ſed etiam peccato unionem deſtruente? Negant Scotiſtæ cum ſuo Duce & Durando, quorum ſententiam quidam graviſſimis ſtringunt cenſuris, a quibus abſtinemus; quia quod Eccleſia non damnat, nec nos damnamus. Attamen pro ſententia, quæ eſt communis Thomiſtis & aliis Theologis, ſit

ARTICULUS II.

Utrum Chriſtus ut homo vi præciſe gratiæ unionis ſit impeccabilis?

Dico. Chriſtus ut homo vi præciſe gratiæ unionis peccare abſolute non potuit, ſive peccato cum unione compoſito, ſive peccato unionem deſtruente. Prob. 1. auctoritate Patrum. Hilarius l. 10. de Trinit. circa medium dicit Chriſtum non potuiſſe peccare, *dum Chriſtus eſt, eo quod qui Chriſtus eſt non potuit amittere, quod Chriſtus eſt*. Anſelm. l. 2. *Cur homo Deus*, c. 10. dicit de Chriſto: *In quo peccatum eſſe non poterat, quia Deus erat*. Rupertus lib. de voluntate Dei c. 10 dicit, quod humanitas Chriſti, *non per creationem, ſed per aſſumptionem facta eſt creatura talis, quæ peccare non ſolum nolet, verum etiam non poſſet*. Aug. in Enchirid. c. 40. & alibi docet *Chriſtum eſſe impeccabilem per illam gratiam, qua a principio factus eſt homo Chriſtus*. Dionyſius Alex. in Ep. contra Paulum Samoſat. dicit, quod *Si Chriſtus non eſſet Deus, non eſſet alienus a poteſtate peccandi*. Ergo.

Dices cum Henno SS. Patres ita locutos fuiſſe, non quia unio hypoſtatica ſit eſſentialiter incompoſſibilis ſecundum ſe cum peccato, aut ſit ratio formalis impeccabilitatis in Chriſto; ſed quia ratione illius Chriſto debentur gratia & viſio beatifica, ratione quarum eſt formaliter proxime impeccabilis. Sed contra 1. Secundum hanc ſolutionem ſequitur, quod ſi Chriſtus non eſſet beatus, quod eſt abſolute poſſibile etiam ſecundum Scotiſtas, foret peccabilis: atqui hoc eſt directe contra omnia Patrum citata dicta, foret enim tunc adhuc Chriſtus & Deus, ideo autem ſecundum illos eſt impeccabilis, quia eſt Chriſtus & Deus. Contra 2. Secundum hanc ſolutionem, ſi Chriſtus non eſſet Deus & eſſet tamen beatus, ut contingit in Angelis & Beatis, foret impeccabilis: atqui hoc expreſſe negat Dionyſius Alex. cit. Ergo. Contra 3. Ideo ſecundum Damaſcenum l. 3. de fide. c. 19. & 20. & Synodum 6. generalem act. 8. & 11. actiones Dei non poſſunt eſſe peccata, quia ſunt Theandricæ, id eſt Dei viriles: atqui ex vi præciſe unionis hypoſtaticæ, ſecluſis aliis, habent quod ſint Theandricæ. Ergo. Et ſane mirum foret, quod ſancti Patres nunquam citaſſent beatitudinem in Chriſto tanquam cauſam veram ejus impeccabilitatis, ſi hæc ſit ſola cauſa illius, & ſemper citaſſent unionem hypoſtaticam tanquam veram cauſam, quæ revera non eſt cauſa ſecundum Scotiſtas.

Prob. ratione. Si humanitas aſſumpta & ſubſiſtens per divinum ſuppoſitum Verbi poſſet peccare, peccatum refunderetur in ipſum Verbum: atqui Conſequens eſt blaſphemum & repugnans fidei. Ergo præciſe vi unionis, &c. Prob. Sequela Maj. duplici medio. 1. Actiones ſunt ſuppoſitorum, non ſolum denominative, ut volunt Scotiſtæ cum Vaſquezio, ſed etiam elicitive. Ergo. Prob. Ant. 1. Ex Concilio Florentino, ubi Joannes Theologus ex Ordine Prædicatorum ſeſſ. 18. probat ex illo axiomate, eſſentiam divinam non generare, ſed Patrem ratione eſſentiæ: atqui Pater non denominative tantum, ſed & elicitive generat ut quod mediante eſſentia ut principio quo, alias generans non diſtingueretur a generato. Ergo. Nec valet, ſi dicas cum Henno id eſſe verum in divinis, non tamen in humanis. Contra eſt enim, quod Joannes Theologus aſſerat iſtud axioma ut commune, *juxta omnium Philoſophorum Scholam*, Seſſ. 19. idque aſſentientibus Latinis & Græcis ac toto Concilio, aſſertque exemplum de Jacob generante Joſeph.

Repones cum eodem, id quidem eſſe rationem definitionis, non tamen definitionem Concilii. Poteſt autem eſſe falſa ratio definitionis, etſi vera ſit definitio, ut patet ex 7. Synodo, ubi quidam ex Patribus, ut probaret Angelos poſſe depingi, aſſumpſit principium falſum, eos ſcilicet eſſe corporeos. Sed contra. Etſi verum ſit, hoc principium eſſe tantum rationem definitionis, adeoque non eſſe de fide, maximæ tamen eſt auctoritatis, utpote quod probarunt ſuo aſſenſu omnes Patres Latini, & quo convicti fuere Græci. Unde ſine urgenti ratione, vel niſi aliquod ſequatur abſurdum, illud negare, temeritate videtur non vacare.

Prob. 2. idem Ant. Si actiones Chriſti non ſint ſuppoſiti divini elicitive ut principii quod, ſequitur, quod ejus actiones meritoriæ nullum valorem a ſuppoſito divino hauriant; quod non erunt Theandricæ; quod Verbum non aliter concurrat ad actiones humanitatis quam Pater aut Spiritus S. quod Verbum in humanitate ſubſiſtens pro nobis vere non meruerit, ſatisfecerit, redemerit: quæ omnia videntur evertere veritatem noſtri myſterii. Ergo.

3. Licet Perſonalitas ſeu ſubſiſtentia non ſit operativa, ſuppoſito tamen, quod ex illa & natura exurgit, v. g. Petrum, eſt revera id, quod agit, quod loquitur, quod ambulat, quod generat, mediante natura & potentiis ut principio quo: hic eſt communis hominum ſenſus. Et ſane ſi id cogantur admittere Scotiſtæ in divinis, quare non in humanis? Quare non in Chriſto, cujus ſuppoſitum eſt divinum? Cæterum dato actiones eſſe ſuppoſitorum denominative tantum, non ideo evadunt Scotiſtæ: quia ex hoc ſaltem ſequitur, quod ſuppoſitum divinum poſſet denominari peccans, & Deus peccator æque proprie ac ſuppoſitum Petri, Petro peccante, dicitur peccator, & peccans: ſicut enim iſta propoſitio; *Verbum ut ſubſiſtens in humanitate nos redemit, pro nobis meruit, pro nobis ſatisfecit*, eſt vera in proprietate & rigore ſermonis, licet ſecundum Scotiſtas actiones ſint ſuppoſitorum denominative tantum; ita & iſta, *Verbum ut ſubſiſtens in humanitate peccat* humanitate peccante: quod ſane pias aures offendit, & negant SS. Patres. Nec refert, quod Deus poſſit dici crucifixus, mortuus, &c. ſine indecentia; quia ut advertit S. Th. ſup. q. 1. a. 2. ad 3. mors & ſimilia ſunt malum pœnæ a juſtitia Dei introductum & ad ejus gloriam ordinatum. Peccatum autem eſt indecentia moralis, eo quod ſit receſſus a divina bonitate, ſapientia & aliis regulis.

Prob. prima Sequela 2. medio. Humanitas regitur, movetur & gubernatur a Verbo in omnibus operibus ſuis, non ſolum tamquam a cauſa generali (ſub qua ratione omnia gubernat) ſed ut a cauſa ſpeciali movente & dirigente, ſicut anima regit corpus, ſicut ratio regit appetitum inferiorem. Ergo peccare non poſſet humanitas, quin ejus peccatum refundatur in Rectorem Verbi vel infirmitatem vel malitiam; ſicut dum excedit appetitus in motibus voluntariis, accuſatur ratio non cohibens, dum

dum peccat ſubditus, culpatur etiam annuens Prælatus; ita ut in hoc caſu duo forent peccata in Chriſto, unum voluntatis humanæ malum operantis, aliud divinæ malum permittentis. Prob. Ant. Quando duo uniuntur, maxime ſi uniantur in natura vel perſona, inferius ſubordinatur ſuperiori, conſequenter & ab ipſo regitur, vel ſaltem illi incumbit ſpecialis obligatio regendi, alias eſſet ordo præpoſterus: ſic potentiæ inferiores ab intellectu & voluntate reguntur, ſic membra ſubſunt capitis regimini: item in civilibus, ſic uxor a viro, liberi a Parentibus, famuli ab heris reguntur & gubernantur: atqui natura divina unitur in una Verbi perſona cum humana natura, & vi hujus unionis natura humana ſubordinatur divinæ tanquam inferius ſuperiori. Ergo. Confir. Concluſio duplici alia ratione. Humanitas Verbi vi præciſe unionis hypoſtaticæ eſt ſancta ſanctitate ſubſtantiali & infinita, atque intime ac immobiliter unitur regulæ rectæ operationis; atqui ſanctitas infinita excludit nedum omne peccatum, ſed etiam potentiam peccandi, quia quo major eſt ſanctitas, eo magis elongatur a peccato, & quod conjungitur immobiliter regulæ rectæ operationis, non poteſt ab ea deviare ſeu recedere, quod fit per peccatum, Ergo.

Solvuntur Objectiones.

OBj. 1. Non minus repugnat Verbo mors quam peccatum, ſicut enim eſt ſanctitas per eſſentiam, ita eſt vita per eſſentiam: atqui hoc non obſtante poteſt mori in natura aſſumpta & denominari mortuum. Ergo & peccare & denominari peccans. R. D. Maj. Non minus repugnat Verbo mors in propria natura quam peccatum, C. In alia natura, N. Et conceſſa Min. N. Conſeq. Ratio ſolutionis & Diſparitatis eſt, quod ut prius dicebam ex D. Th. mors ſit malum phyſicum tantum, ordinabile ad Deum & ad ejus gloriam. Unde nulla eſt repugnantia, quod cauſetur a Deo, ſeu ab eo toleretur, non quidem in natura propria, quia eſt vita per eſſentiam, ſed in aliena natura; nec ulla indecentia, quod in ea denominetur mortuus. At vero peccatum eſt malum morale, nullatenus ad Deum relatibile, ſed eſt ipſiſmet averſio & receſſus a Deo: unde ab ipſo cauſari repugnat, ſive in natura propria, ſive in aliena.

Obj. 2. Humanitas Chriſti eſt creata ex nihilo: atqui omnis creatura ex nihilo producta, eſt ab intrinſeco & eſſentialiter defectibilis. Ergo humanitas Chriſti eſt ab intrinſeco & eſſentialiter peccabilis. R. D. Conſeq. Humanitas Chriſti eſt ab intrinſeco & eſſentialiter peccabilis, peccabilitate ſeu potentia peccandi remota & impedita, C. Conſeq. Peccabilitate ſeu potentia peccandi proxima & expedita, N. Conſeq. Igitur potentia proxima & expedita peccandi non ſolum importat rationem creaturæ, factæ ex nihilo, neque ſolam entitatem voluntatis creatæ ſed & concurſum ad malum, negationem aſſiſtentiæ ſpecialis ad bonum, & remotionem omnis alterius impedimenti, quale nedum viſio beatifica in Chriſto, ſed & gratia unionis, ut probatum eſt. Et quia peccabilitas ſimpliciter dicta importat potentiam peccandi proximam & expeditam, ideo dicendum eſt Chriſtum eſſe ſimpliciter impeccabilem & quidem ab intrinſeco, non quidem hoc ſenſu, quod ex ſe & ex eſſentialibus id habeat, ſed per gratiam unionis ſibi intrinſecam, & ſuppoſitum ipſam intrinſece ſuſtentans, regens ac gubernans.

Inſt. 1. Humanitas Chriſti non obſtante gratia unionis eſt libera: atqui ad libertatem requiritur potentia proxima ad malum & bonum: ergo. R. N. Min. ad libertatem enim non requiritur indifferentia contrarietatis ad bonum & malum, ut patet in Deo, ſed ſufficit libertas ſeu indifferentia contradictionis ad hoc bonum eligendum vel non eligendum.

Inſt. 2. Indifferentia contrarietatis ſeu ſpecificationis eſt modus connaturalis & intrinſecus operandi creaturæ humanæ: atqui ſubſiſtentia Verbi ipſi unita non mutat modum ejus operandi intrinſecum & connaturalem: ergo. Prob. Min. Subſiſtentia Verbi ipſi unita non eſt ipſi principium operandi, ſed purus terminus: ergo. R. N. Min. Ad probat. D. Ant. Subſiſtentia Verbi unita humanitati non eſt ipſi principium *quo* operandi, C. Non eſt ipſius principii *quo* complementum conſtituens principium quod, N. Unde fit, quod illam in ratione operativæ immutet, non quidem poſitive illam elevando ad altiores operationes, nec illam determinando ad exercitium, ſed impediendo ea peccet, adeoque eam determinando quoad ſpecificationem.

Inſt. 3. Chriſtus habuit libertatem ſeu potentiam contrarietatis ad bonum & malum. Ergo. Prob. Ant. Chriſtus poterat non obedire præcepto Patris de morte ſubeunda: atqui non obedire eſt peccatum & malum. Ergo. Patet Maj. Quia libere obedivit & obediendo meruit. R. N. Ant. ad prob. D. Maj. Si ly *Non obedire* ſumatur privative pro privatione obſervationis præcepti, quod debet obſervari, N. Maj. Si ly *Non obedire* ſumatur negative pro ſola negatione actus ſeu obſervationis præcepti, quod non extat nec debet obſervari (de eo enim, cui nullum eſt præceptum impoſitum, etiam vere dicimus, quod præceptum non implet) C. Maj. ſed non obedire hoc ſenſu non eſt peccatum: unde, N. Conſeq. De hoc argumento fuſius infra dum de libertate Chriſti.

Inſt. 4. Chriſtus ut homo poteſt peccare ſi vult. Ergo poteſt abſolute peccare. Patet Conſeq. Ex hoc enim quod homo poſſit ambulare, ſi vult, bene ſequitur, ergo poteſt abſolute ambulare. R. N. Conſeq. ad probat. Diſparitas eſt, quod homo poſſit velle ambulare; Chriſtus autem ut homo non poſſit velle peccare.

Obj. 3. Verbum poteſt permittere peccatum humanitatis aſſumptæ: atqui poſita illa permiſſione humanitas peccare poſſet: ergo. Prob. Ant. Permiſſio peccati non eſt intrinſece mala, ſi quidem Deus quotidie permittat peccata hominum. Ergo. R. N. Ant. ad probat. D. Ant. Permiſſio peccati in natura non aſſumpta non eſt intrinſece mala, C. In natura aſſumpta, N. Diſparitas eſt, quod reſpectu actionum aliorum hominum Deus ſe habet ut cauſa & Proviſor generalis eas dirigens juxta exigentiam illorum & ſecundum providentiam generalem, ad quam pertinet permittere quædam mala; at vero reſpectu actionum humanitatis aſſumptæ ſe habet ut cauſa & Proviſor particularis, illas ponens tanquam actiones ſui proprii ſuppoſiti & conſequenter ut ſuo ſuppoſito ſpecialiter imputabiles, ab illo enim procedunt ut principio quod particulari, & ipſi incumbit humanitatem illam regere, ne peccet.

Inſt. 1. Nulla lege aut præcepto tenetur Verbum impedire peccatum humanitatis aſſumptæ. Ergo. Prob. Ant. Verbum eſt ſuperius omni lege & præcepto. Ergo. R. D. Ant. Nulla lege aut præcepto proprie dicto, &c. C. Ant. Improprie dicto, N. Ant. Ad id enim tenetur ex ipſa ſua natura, quæ eſſentialiter eſt ſancta & impeccabilis, peccaret autem, ſi voluntatis humanæ aſſumptæ permitteret peccatum.

Repones. Si eſſet aliqua obligatio Verbo impediendi peccatum humanitatis aſſumptæ, & eam in ſuis actibus dirigendi ne peccet, illa obligatio etiam competeret Patri & Spiritui S. atqui hoc dici nequit. Ergo. Patet Min. Quia talis obligatio, ſi quæ ſit, reſultaret ex unione humanitatis, quæ non eſt communis tribus Perſonis, ſed ſoli Verbo ſpecialis. Prob. Maj. 1. Quia obligatio reſpicit voluntatem ut ſubjectum: atqui voluntas Verbi eadem eſt ac voluntas Patris & Spiritus S. Ergo. 2. Impedire peccata, gubernare humanitatem, illam movere ad bonum per auxilia, &c. ſunt operationes ad extra, quæ ſunt communes toti Trinitati. Ergo. R. D. Maj. Si, &c. illa obligatio etiam competeret Patri & Spiritui S. indirecte & per accidens, ſeu ratione alterius, C. Maj. Directe & per ſe, N. Maj. Et ad hunc ſenſum, D. Min. N. Conſeq. Solus ergo Filius tenetur per ſe & directe ad impedienda peccata humanitatis aſſumptæ, quia iſta obligatio fundatur in unione hypoſtatica, quæ eſt ſoli Filio propria, & ratione cujus illam naturam ſpecialiter reſpicit ut ſuam, ejuſque actiones ut ſuas, ac proinde fundamentum obligationis eſt ipſi ſoli proprium, & conſequenter ipſe ſolus per ſe primo & directe obligatur. Quia tamen ejus voluntas, quæ eſt ſubjectum immediatum obligationis, eſt communis aliis Perſonis, ideo Pater & Spiritus S. indirecte & veluti per accidens, id eſt non ratione ſui, ſed ratione alterius Perſonæ, quacum communem habent voluntatem & potentiam, ad idem etiam obligantur. Et hac ſolutione ſatisfit probationibus Minoris & Maj. Adde tamen ad probationem 2. Maj. operationes ad extra eſſe communes toti Trinitati ſecundum providentiam generalem, non ſecundum curam ſpecialem, quæ incumbit perſonæ Verbi erga humanitatem aſſumptam, ut dictum eſt in præced. ſolutione.

Inſt. 2. Verbum, ut eſt ſuppoſitum divinæ naturæ, non meruit per actiones bonas naturæ aſſumptæ. Ergo per ejuſdem actiones malas non peccaret. R. N. Conſeq. Diſparitas eſt quod Verbum ut ſuppoſitum divinæ naturæ per actiones bonas naturæ aſſumptæ nihil obtulit alteri a ſe natura diſtincto & ſuperiori, a quo poſſit præmium accipere, & quod antecedenter non ſit ſuum, quod tamen requiritur eſſentialiter ad rationem meriti. At vero permittendo actiones inhoneſtas in natura aſſumpta conſentiret voluntate divina in actiones ſuæ bonitati & ſanctitati repugnantes, eaſque eligeret ut ſuas, adeoque peccaret.

Inſt. 3. Actio mala naturæ aſſumptæ, ut eſſet a Verbo, non eſſet peccatum. Ergo. Prob. Ant. Tum quia voluntas Verbi eſt eſſentialiter Regula omnis rectitudinis. Ergo quod ab ea procedit, non poteſt non eſſe rectum. Tum quia illa actio non eſſet offenſa Dei, nihil enim offenditur a ſeipſo, eſſentiale eſt autem omni peccato eſſe offenſam Dei. Ergo. R. ex illa ſuppoſitione impoſſibili, quod actio mala poſſet eſſe a Verbo, ſequi aliud impoſſibile, nempe hanc actionem eſſe ſimul peccatum & non peccatum, ni-

ſeu

ſenſam & non offenſam Dei, rectum & non rectum. Eſſet enim peccatum & offenſa Dei, quia eſſet actio inhoneſta diſconveniens naturæ divinæ eſſentialiter determinatæ ad bonum. Non eſſet, quia ab ipſo Deo & Regula totius rectitudinis procederet. Sicut v. g. ſi Deus per impoſſibile mentiretur, ſequeretur aliud impoſſibile, hoc ſcilicet, mendacium eſſe peccatum & non peccatum, rectum & non rectum: ex uno autem impoſſibili ſequi aliud impoſſibile non eſt inconveniens.

Obj. 4. Humanitas unita Verbo non peccat libere. Ergo poteſt peccare. Patet Ant. Quia hæc ejus contradictoria; *Humanitas unita Verbo peccat libere*; eſt falſa. Patet etiam Conſeq. Quia non peccare libere, ſeu libere non peccare ſupponit eſſentialiter poſſe peccare, ut conſtat ex eſſentia liberi, quod eſt ad utrumlibet. Etiam patet a pari, bene enim ſequitur, Deus non creat alterum mundum libere. Ergo poteſt creare. Ergo ſimiliter. R. D. Ant. Humanitas unita Verbo non peccat libere, ſi negative ſumatur ex omni parte, tam pro negatione peccati quam libertatis, ita ut ſit ſenſus, non peccat, nec ipſi liberum eſt peccare, C. Ant. ſi ſumatur negative tantum ex parte peccati, & affirmative ex parte libertatis, ita ut ſit ſenſus, non peccat, ſed ipſi liberum eſt peccare, N. Ant. & Conſeq. cum ejus probatione, quia procedit in hoc ſecundo ſenſu falſo. Ad paritatem autem dico; quod bene ſequatur vi materiæ, non vi formæ. Sic in eadem forma non ſequitur, homo non volat libere, ergo poteſt volare.

Obj. 5. Suppoſitum Verbi nullatenus influit in actiones humanitatis aſſumptæ. Ergo. Prob. Ant. Si influeret in actiones humanitatis aſſumptæ, ſpecie differrent a noſtris, atqui falſum Conſequens. Ergo. Prob. Sequela. Variato principio agendi variatur actio ab illo ſpecificata. Ergo. R. N. Ant. ad probat. N. Sequelam. Ad probat. D. Ant. Variato principio quo & formali agendi variatur actio, C. Ab illo enim ſpecificatur, quatenus totam vim agendi continet. Variato principio quod variatur actio, N. Subſiſtentia enim conſtituens ſuppoſitum concurrit tantum ut conditio ſeu complementum principii, quod agit.

Obj. 6. Habens gratiam habitualem poteſt peccare peccato ſi non cum illa compoſſibili, ſaltem illam deſtruente, Ergo pariter habens gratiam unionis. R. N. Conſeq. & paritatem. Diſparitas eſt 1. quod gratia habitualis non conſtituat ſuppoſitum, ſed ei advenit ſicut alii habitus. Unde plures actiones poſſunt procedere a ſuppoſito, quæ non oriuntur a gratia habituali, inter quas poteſt eſſe peccatum mortale gratiam expellens. At vero gratia unionis conſtituit ipſum ſuppoſitum, adeoque & principium quod omnium operationum, quæ ab humanitate Chriſti procedunt, quarum nulla proinde poteſt eſſe mala, alias refunderetur in ipſum ſuppoſitum tanquam in principium quod & Rectorem deficientem. Secunda Diſparitas eſt, quod gratia habitualis ſubjaceat flexibilitati liberi arbitrii, quia eſt habitus, & habitibus utimur cum volumus; nec hominem immobilitat in bono: ſecus vero gratia unionis, quæ nec eſt habitualis, nec accidentalis, ſed ſubſtantialis, & hominem immobilitat in bono, quatenus illum conjungit immobiliter primæ regulæ rectæ operationis, ſcilicet Deo, multoque perfectius quam viſio beatifica. Tertia Diſparitas eſt, quod gratia habitualis ſit tantum ſanctitas finita & participatio diminuta divinæ naturæ ac ejus ſanctitatis. Unde licet peccatum excludat, non tamen potentiam peccandi. At vero gratia unionis eſt ſumma & infinita ſanctitas. Unde non ſolum peccatum, ſed etiam peccandi potentiam excludit, quia cum importet eſſentialiter oppoſitionem peccato & elongationem ab illo, quo major eſt, eo majorem oppoſitionem & perfectiorem elongationem a peccato importat; oppoſitio autem & elongatio non ſolum a peccato, ſed potentia expedita peccandi, major & perfectior eſt quam a peccato actuali tantum.

Conſectaria.

EX dictis colliges 1. triplicem eſſe cauſam impeccabilitatis in Chriſto, nempe gratiam unionis, gratiam habitualem, quæ ratione conjunctionis ad gratiam unionis eſt in ſtatu naturali & permanenti, & viſionem beatificam. Colliges 2. in Chriſto nec originale peccatum, nec habituale perſonale, nec veniale, nec habitum vitioſum, nec ullam imperfectionem potuiſſe reperiri. Patet ex dictis: quia per gratiam unionis Chriſtus habet ſanctitatem ſummam, & qua major extra Deum dari non poteſt, quæ proinde compati non poteſt ullum defectum moralem, nec ullam propenſionem ad illum. Unde ſequitur 1. quod ſi Chriſtus ab Adamo ſeminaliter prodiiſſet, nihilominus peccatum originale non contraxiſſet. Nec refert, quod D. Th. ſupra dicat in Chriſto non fuiſſe peccatum originale, quia non fuit in Adamo ſecundum ſeminalem rationem; hæc enim ratio eſt quidem ſufficiens, ſed non adæquata. Sequitur 2. quod ſi Verbum aſſumpſiſſet naturam prius ſubſiſtentem prædictis defectibus ſordeſcentem, ipſa aſſumptione removerentur: nec in hoc caſu verum eſſet dicere demonſtrato Chriſto, *Hic homo peccavit*, licet tamen verum eſſet dicere demonſtrato Chriſto, *Hic homo creavit mundum*. Ratio diſparitatis eſt, quod communicatio idiomatum non ſit inter diverſa ſuppoſita ejuſdem naturæ, ut patet in divinis; quæ enim dicuntur de perſona Patris, non dicuntur de perſona Filii, ſed inter naturas ejuſdem ſuppoſiti: in primo autem caſu foret diverſitas ſuppoſiti, non in ſecundo.

Dices. Peccatum habituale non opponitur gratiæ unionis, neque contradictorie, quia oppoſitio contradictoria eſt affirmatio & negatio ejuſdem: formæ peccatum autem habituale non conſiſtit in negatione gratiæ unionis; neque privative, quia peccatum habituale non eſt privatio gratiæ unionis, quæ nulli creaturæ eſt debita, ſed gratiæ habitualis, & aliunde invenitur in puro homine, in quo non eſt privatio, ſed mera negatio gratiæ unionis; neque contrarie, quia cum gratia unionis ſit ſubſtantialis, ſubſtantiæ non datur contrarium. Ergo poteſt compati cum peccato habituali. R. peccatum habituale opponi gratiæ unionis oppoſitione privativa non quidem ſtricta, quæ tantum reperitur inter privationem & formam ſubjecto debitam, ſed large ſumpta pro incompoſſibilitate privationis cum forma ſive debita ſive indebita, ſic enim eſt incompoſſibile peccatum habituale cum gratia unionis, eo quod habeant effectus eſſentialiter repugnantes. Nam gratia unionis reddit animam ſanctam, mundam, Deo gratam, ac ſpecialiter amicam: peccatum habituale e contra eam reddit fœdam, immundam, inviſam ac objectum odii ſpecialis. Unde poteſt etiam dici, quod inter ſe opponantur contradictorie, non quidem contradictione formali, virtuali, propter effectus formales inter ſe repugnantes & contradictorie oppoſitos.

ARTICULUS III.

Utrum in Chriſto fuerit aut potuerit eſſe fomes peccati.

FOmes, qui alio nomine concupiſcentia dicitur, poteſt conſiderari dupliciter, in actu primo & in actu ſecundo. Durandus exiſtimavit fomitem in actu primo eſſe ipſum appetitum ſenſitivum ſecundum ſe ſumptum ut inclinantem ad objecta ſenſibilia præciſe. Verum id ſuſtineri non poteſt, alias fomes fuiſſet in Adamo in ſtatu innocentiæ, & foret in Beatis poſt Reſurrectionem: in illo enim fuit, & in iſtis erit appetitus ſenſitivus ſecundum ſe inclinans ad ſenſibilia. Item falſum dixiſſet Tridentinum fomitem eſſe ex peccato Originali. Fomes igitur (*Hic art. 2. c.*) in actu primo eſt appetitus ſenſitivus, ut connotat privationem ſubjectionis ad rationem, ſeu quatenus expeditus & propenſus ad actus circa objecta rationi contraria & illicita. Unde minus late patet, quam appetitus ſenſitivus ſecundum ſe, hic enim fertur ad omnia objecta ſenſibilia ſive licita, ſive illicita. Fomes in actu ſecundo eſt ipſe actus ſeu motus ipſius appetitus in objectum rationi contrarium & illicitum.

Dico 1. Fomes in actu ſecundo nec fuit, nec abſolute potuit eſſe in Chriſto. Prima pars eſt certa ex Synodo 5. generali Collat. 8. can. 12. ubi damnatur Theodorus Mopſueſtenus, quod dixerit *Alium eſſe Dei verbum, alium Chriſtum, a paſſionibus animæ & deſideriis carnis moleſtias patientem*; & ex Patribus S. Leone Ep. 10. dicente, quod Chriſtus non tentabatur illecebris, ex Aug. l. 2. contra duas Ep. Pelagian. c. 11. &c. Patet etiam ratione. Fomes in actu ſecundo, hoc eſt motus inordinati appetitus ſenſitivi non fuerunt in Adamo in ſtatu innocentiæ, non erunt in Beatis, non fuerunt in B. Virgine. Ergo a fortiori nec in Chriſto. Inſuper tales motus inordinati forent Verbo imputabiles & peccaminoſi. Ergo. Prob. Ant. tales motus forent ipſi ſaltem interpretative voluntarii. Ergo imputabiles ad peccatum. Patet Conſeq. quia cum motus ſint materialiter mali & contra rationem, nihil deeſt, ut ſint peccatum formale, niſi conſenſus. Prob. Ant. 1. Verbum poteſt illos motus impedire & debet, quia ratione conjunctionis ipſi incumbit obligatio regendi humanitatem nedum ut rationalem, ſed ut ſenſitivam. 2. Illi motus eſſent ab illo tanquam a ſuppoſito nedum denominative, ſed etiam elicitive, ut ſupra dictum eſt. Ergo. Hac ratione probata manet ſecunda pars ſcilicet illos motus non potuiſſe abſolute eſſe in Chriſto.

Dices 1. ex Apoſt. ad Heb. 2. Chriſtus *fuit tentatus per omnia*. Ergo & per motus inordinatos appetitus ſenſitivi. R. (*Hic q. 41. art. 1. ad 3.*) Fuit tentatus per omnia abſque peccato & indecentia morali repugnante ſuæ ſanctitati, C. Secus, N. Unde neganda eſt Conſequentia, ut patet ex probatione Concluſionis.

Dices 2. Fuit in appetitu Chriſti triſtitia de morte ſubeunda: atqui talis motus erat contra rationem. Ergo. Prob. Min. Mors erat illi præcepta, eam volebat ſecundum

rationem. Ergo, R. N, Min, ad probat. D. Ant. Mors illi erat præcepta, & eam volebat ſecundum rationem ſub ea ratione, ſub qua de ea triſtabatur, N. Sub aliaratione, C. Erat enim illi præcepta mors, & eam volebat ſecundum rationem ut erat redemptiva generis humani; de ea autem triſtabatur, quatenus erat malum naturæ, in quo nihil eſt inordinatum nec contra rationem.

Dico 2. (*Hic a. 2. o.*) Fomes in actu 1. non fuit in Chriſto, & probabilius eſſe non potuit abſolute. Prob. (*Ib.*) 1. pars: 1. Quanto virtus in aliquo fuerit magis perfecta, tanto magis in eo debilitatur vis fomitis ſeu fomes in actu 1. atqui in Chriſto fuit virtus ſecundum perfectiſſimum gradum. Ergo. Min. patet ex dictis. Prob. Maj. Fomes in actu 1. eſt inclinatio expedita appetitus ſenſitivi in objectum contra rationem: atqui virtus moralis, quæ eſt in appetitu ſenſitivo, minuit ejus inclinationem in id, quod eſt contra rationem, cum reddat ipſum appetitum rationi ſubditum, & tanto magis quanto perfectior eſt virtus. Ergo. (*Ibid.*) 2. Verbum aſſumpſit humanos defectus, qui ſunt ordinabiles ad ſatisfaciendum pro peccatis: atqui fomes in actu 1. non eſt ordinabilis ad ſatisfaciendum pro peccatis, ſed e contra inclinat in oppoſitum. Ergo. Confir. In Adamo non fuit fomes peccati in actu 1. quia per juſtitiam originalem appetitus ſenſitivus perfecte ſubjiciebatur rationi: atqui gratia unionis quantum ad hunc effectum & elongationem a peccato longe prævalet juſtitiæ originali. Ergo. Hæc pars magis elucescet ex Probationibus 2. partis.

Prob. 2 pars 1. Infinitæ ſanctitati repugnat nedum motus inordinatus, ſed etiam inclinatio ad illum: atqui Chriſtus ex gratia unionis eſt infinite ſanctus, ut dictum eſt. Ergo. Prob. Maj. Summa ſanctitas ſumme diſtat a peccato: atqui major eſt a peccato diſtantia non ſolum opponi peccato, ſed etiam ei quod ad peccatum inclinat. Ergo. Prob. 2. eadem pars. Fomes in actu 1. eſt inclinatio & propenſio appetitus ſenſitivi expedita & proxima ex parte actus primi ad motus inordinatos: atqui talis non potuit abſolute eſſe in Chriſto. Ergo. Prob, Min. Potentia in actu 1. expedita dicit carentiam impedimenti ex parte actus primi ad operandum: atqui in Chriſto fuit neceſſario impedimentum ex parte actus primi ad illos motus inordinatos. Ergo. Prob. Min. Unio hypoſtatica ſe tenet ex parte actus primi in ordine ad omnes operationes humanitatis Chriſti, cum hæc non poſſit intelligi in actu primo potens ad operandum, niſi intelligatur ſubſiſtens & exiſtens; non autem ſubſiſtit nec exiſtit niſi per Verbum: atqui unioni hypoſtaticæ eſſentialiter repugnant motus inordinati, ut patet ex 1. Concluſione. Ergo.

Dices 1. Fomes peccati ſeu propenſio ad quæcumque delectabilia ſive licita ſive illicita ſequitur ad appetitum ſecundum ſe, ita ut homo creatus in natura pura ſine juſtitia originali & peccato habuiſſet illam: atqui in Chriſto eſt appetitus ſenſitivus ſecundum ſe, & non habet juſtitiam originalem. Ergo. R. data Maj. D. Min. Et habet juſtitiam originalem nec donum prævalens, N. Sed habet donum prævalens ſcilicet gratiam unionis, C. & N. Conſeq.

Dices 2. contra 2. partem, S. Th. probat non eſſe in Chriſto fomitem in actu 1. quia habet virtutes in ſummo gradu: atqui de potentia Dei abſoluta potuit aſſumi humanitas ſine illis virtutibus. Ergo. R. D. Maj. S. Th. probat, &c. quia habet virtutes in ſummo gradu, & hæc eſt ratio ſufficiens, ut excludatur de facto fomes a Chriſto, C. Et hæc eſt ratio adæquata, ut in eo abſolute non poſſit eſſe fomes, N. Unde N. Conſeq.

A R T I C U L U S IV.

De cæteris animæ defectibus aſſumptis a Chriſto.

QUÆRITUR 1. Utrum in Chriſto fuerit ignorantia? R, negative; (*Ibid. art. 3. o.*) quia in Chriſto fuit plenitudo ſcientiæ, ut ſupra dictum, eſt.

Quæritur 2. Utrum anima Chriſti fuerit paſſibilis? Notandum (*Ibid. a. 4. a.*) ante Reſponſionem paſſiones animæ eſſe duplicis generis, aliæ ſunt corporales, quibus anima patitur ad corporis læſionem; cum enim ſit forma corporis, conſequens eſt, quod unum ſit eſſe animæ & corporis, & ideo corpore perturbato per aliquam corpoream paſſionem, neceſſe eſt, quod anima per accidens perturbetur. Aliæ ſunt animales, quæ vel ſunt actus animæ, vel principalius animæ quam corporis, ut affectiones appetitus ſenſitivi, & hæ propriiſſime dicantur paſſiones animæ. Hoc notato R. (*Ibid.*) utraſque paſſiones fuiſſe in Chriſto. Quoad primas: quia corpus Chriſti fuit paſſibile & mortale. Ergo neceſſe fuit, ut ejus anima hoc modo eſſet paſſibilis. Quoad ſecundas; quia affectiones appetitus ſenſitivi pertinent ad naturam hominis. Ergo fuerunt in Chriſto.

Obſervandum eſt (*Ibid.*) has paſſiones fuiſſe in Chriſto aliter ac in nobis quantum ad tria. 1. Quantum ad objectum; quia in nobis plerumque feruntur ad illicita. 2. Quantum ad principium: quia frequenter in nobis præveniunt judicium rationis. 3. Quantum ad effectum; quia in nobis quandoque hujuſmodi motus non ſiſtunt in appetitu ſenſitivo, ſed nonnunquam pertrahunt rationem, & conſenſum obtinent. In Chriſto autem nihil iſtorum poterat; in quo omnes motus appetitus ſenſitivi oriebantur ſecundum diſpoſitionem rationis, vel poſitive moventis, vel prævidentis & permittentis: quia erat ſemper in actuali uſu rationis, & perfectam habebat dominium ſuper omnes ſuos affectus, ut definitur in 6. Synodo gener. act. 18. Unde cum apud veteres legitur in Chriſto non fuiſſe paſſiones, intelligendi ſunt de paſſionibus pravis ut in nobis: ſic enim loquebantur propter Stoicos, qui paſſionum nomine non niſi motus animi pravos intelligebant. Et hæ dicuntur perfectæ paſſiones; prout autem fuerunt in Chriſto, dicuntur propaſſiones.

Quæritur 3. Utrum in Chriſto fuerit dolor ſenſibilis. R. affirmative; (*Ib. a. 5. o.*) tum ex illo Iſa. 53. *Vere dolores noſtros ipſe tulit*; tum quia ad veritatem doloris ſenſibilis requiritur & ſufficit læſio corporis & ſenſus læſionis: atqui corpus Chriſti læſi poterat, quia erat paſſibile & mortale; nec ei defuit ſenſus læſionis, cum ejus anima perfecte habuerit omnes potentias naturales. Ergo. Quæ poſſunt objici ex Hilario, Clemente Alex. require Diſſert. præced. art. 1. obj. 2. conſule etiam Sylvium hic.

Quæritur 4. Utrum in Chriſto fuerit triſtitia? R. affirmative; (*Ib. a. 6. o.*) tum ex illo Matth. 26. *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem*; tum quia objectum ſeu motivum triſtitiæ eſt nocivum, ſeu malum apprehenſum ſive per rationem, ſive per imaginationem: atqui anima Chriſti potuit interius apprehendere nocivum & quantum ad ſe ut mors ejus & paſſio, & quantum ad alios, ut peccatum Diſcipulorum & occidentium ipſum. Ergo potuit triſtari, aliter tamen ac nos, ſecundum tria diſcrimina ſuperius aſſignata petitione ſecunda. Conſule etiam Diſſert. 10. de ſcientia beata Chriſti art. 1. obj. 2.

Quæritur 5. Utrum in Chriſto fuerit timor? Nota 1. hic non agi de timore, ut eſt in voluntate, de quo ſupra dum de dono timoris, ſed de timore, ut eſt actus appetitus ſenſitivi refugientis malum difficile, poſſibiliter tamen evitabile. R. (*Ibid. art. 7. o.*) fuiſſe in Chriſto timorem; tum ex illo Marc. 14. *Cœpit Jeſus pavere & tædere*: tum quia potuit apprehendere malum ut futurum difficile vitabile, v. g. mortem.

Dices. S. Th. in capite articuli dicit ex Philoſopho timorem eſſe de malo futuro quidem ſed evitabili: atqui Chriſtus ſciebat mortem non eſſe ſibi evitabilem: ergo. R. S. Th. intelligendum eſſe de timore per modum actus perfecti & efficacis, qui inducit ad conſulendum de medio evadendi, & ad quem auditores debent induci a Rhetore, ut dicit Philoſophus 2. Reth. c. 5. *Timor ad conſulendum inducit, non enim de re conſulit, de qua nulla ſpes apparet*. Non vero de timore, qui a Damaſceno l. 3. c. 13. vocatur naturalis, ab aliis ſimplex diſplicentia, qui eſt actus animæ naturaliter refugientis malum, & ſeipſam vireſque ſuas contrahentis contra illud. Et hanc eſſe mentem D. Th. patet ex hoc, quod in o. ejuſdem art. diſtinguens duplicem motum, unum de malo certo futuro, alium de malo cum incertitudine, hunc de Chriſto negat, illum ipſi tribuit.

Quæritur 6. Utrum in Chriſto fuerit admiratio? R. ſub diſtinctione. (*Ibid. a. 8. o.*) Reſpective ad ſcientiam experimentalem fuit in Chriſto admiratio, non reſpective ad ſcientiam divinam beatam & infuſam. Prob. Admiratio eſt intenta animæ applicatio ad aliquid novum & inſolitum; atqui ſecundum ſcientiam divinam beatam & infuſam non fuit illi aliquid novum, ſecundum autem ſcientiam experimentalem poterat eſſe aliquid novum, in quantum non omnia quotidie occurrebant. Ergo. Unde Matth. 8. dicitur: *Audiens Jeſus* (ſcilicet verba Centurionis) *miratus eſt*. Conſule Sylvium hic.

Quæritur 7. Utrum in Chriſto fuerit ira? R. (*Ib. a. 9.*) affirmative ex illo Pſ. 68. *Zelus domus tuæ comedit me*, quo incenſus ejecit vendentes & ementes de Templo. Unde & Marc. 3. dicitur: *Circumſpiciens eos cum ira*. Ratio eſt; quia ira eſt effectus triſtitiæ, quatenus ex malo ſibi vel aliis illato quis triſtatur, & inde intendit vindictam; atqui in Chriſto fuit triſtitia, & potuit appetere vindictam ſecundum ordinem juſtitiæ; ſic enim ira non eſt peccatum, & vocatur ira per zelum. Ergo.

Quæritur 8. Utrum Chriſtus fuerit viator & comprehenſor? R. affirmative. (*Ib. a. 10. o.*) Fuit comprehenſor, quia beatitudinem animæ obtinebat; videbat enim clare Deum, & eo fruebatur. Fuit viator, quia quantum ad aliqua beatitudo ipſi deerrat: nam anima ejus erat paſſibilis, & corpus paſſibile ac mortale, ut dictum eſt. Quod ut melius intelligas, nota animam Chriſti poſſe conſiderari dupliciter.

1. In,

Digitized by Google

1. In ordine ad Deum, quatenus ſcilicet per id, quod eſt ipſi proprium, id eſt per intellectum & voluntatem fertur in Deum: & hoc modo Chriſtus erat comprehenſor ſecundum animam, quia ferebatur in Deum, eum clare videndo & amando. Alio modo poteſt conſiderari anima Chriſti ſecundum ordinem ad corpus, ſeu quatenus eſt forma corporis; & hoc modo Chriſtus erat viator ſecundum animam, quia informabat corpus paſſibile & mortale, ipſaque erat paſſibilis tum paſſione corporali, quæ provenit ex læſione corporis, tum paſſione animali, quæ vel eſt propria animæ, vel principalius eſt animæ quam corporis, ut dictum eſt Petitione ſecunda.

DISSERTATIO XVI.

DE CONSEQUENTIBUS UNIONEM QUANTUM AD EA, QUÆ CONVENIUNT CHRISTO SECUNDUM ESSE ET FIERI, SEU DE COMMUNICATIONE IDIOMATUM.

D. Thom. Quæſt. 16.

POSTQUAM S. Th. in præcedentibus egit de myſterio Incarnationis quantum ad eſſentiam & ſubſtantiam unionis, atque de aliis ad illam pertinentibus, nunc incipit agere de conſequentibus ad unionem. Et in hac quæſtione agit de conſequentibus ad unionem quantum ad eſſe & fieri, hoc eſt de modo loquendi de hoc Myſterio. Doctoris enim Catholici partes ſunt, non ſolum veritates fidei ſcita, ſed etiam modum loquendi de illis per communicationem Idiomatum. Unde ſit

ARTICULUS I.

Utrum admittenda ſit in Chriſto Communicatio Idiomatum?

NOTA 1. *Idioma* græce idem eſt ac latine *Proprietas*. Unde communicatio Idiomatum eſt communicatio Proprietatum. Non tamen ſic intelligimus, quod proprietates naturæ, ſint realiter communicatæ humanitati, & e contra, quaſi humanitas ſit facta æterna, omnipotens, &c. & divinitas ſit facta mortalis, paſſibilis, &c. ſi quidem contra Eutychem definitum ſit naturas inter ſe manere inconfuſas & diſtinctas cum ſuis proprietatibus, ſed ſic intelligimus, quod ratione unionis hypoſtaticæ attributa divina poſſint de homine prædicari, & attributa humana de Deo. Unde definiri poteſt communicatio Idiomatum: *Naturæ divinæ & humanæ earumque proprietatum de ſe invicem mutua prædicatio*. Dico, naturæ divinæ & humanæ; quia licet in rigore vi vocis communicatio Idiomatum importet tantum communicationem proprietatum, tamen uſus invaluit apud Theologos, ut etiam tribueretur mutuæ prædicationi naturarum in concreto. Nota 2. Idiomata ſeu Proprietates, de quibus hic eſt quæſtio, eſſe triplicis generis. Primi generis ſunt, quæ conveniunt Chriſto ratione ſolius divinitatis independenter ab unione hypoſtatica, ut ſunt eſſe æternus, omnipotens, immenſus, &c. Secundi generis ſunt, quæ ipſi conveniunt ratione ſolius humanitatis independanter ab unione, ita ut puro homini convenire poſſint, ut eſſe paſſibilis, mortalis, mortuus, &c. Tertii generis ſunt, quæ Chriſto conveniunt ratione utriuſque naturæ ſimul, ut eſſe mediator, Redemptor, mereri ſeu ſatisfacere ex rigore juſtitiæ.

Nota 3. Communicationem Idiomatum in Chriſto fundari tum in unione hypoſtatica, ratione cujus unum & idem ſuppoſitum duplicem habet naturam divinam & humanam; tum in eo, quod nomina concreta, licet primario formam ſignificent, eam tamen ſignificant in obliquo, & ſuppoſitum in recto, pro quo ſupponunt; ita ut homo v. g. ſit ſuppoſitum habens humanitatem, Deus ſuppoſitum habens divinitatem. Unde cum in Chriſto ſit unum & idem ſuppoſitum habens naturam divinam & humanam, verum eſt dicere *Deus eſt homo*, & e contra; quia facit hunc ſenſum, *ſuppoſitum habens divinitatem eſt ſuppoſitum habens humanitatem*, quod eſt verum. Sicut eſt verum dicere, album eſt dulce; quia ſenſus eſt, ſubjectum habens albedinem eſt ſubjectum habens dulcedinem. Hinc ſequitur ulterius communicatio proprietatum, quia ſi ſit idem ſuppoſitum habens utramque naturam ut propriam & ſuam, & importetur in recto, poſſunt de illo prædicari utriuſque naturæ proprietates. Unde verum eſt dicere deſignato Chriſto, Deus eſt natus, mortalis, paſſibilis, &c. quia ſenſus eſt, hoc ſuppoſitum habens divinitatem eſt natum, mortale, paſſibile, &c. Ratione naturæ humanæ; ſeu eſt habens naturam natam, mortalem, paſſibilem, &c. Et e contra verum eſt dicere deſignato Chriſto, homo eſt immortalis, æternus, omnipotens: quia ſenſus eſt, hoc ſuppoſitum habens humanitatem eſt immortale, æternum, &c. ratione nempe ſuæ naturæ divinæ, ſicut verum eſt dicere, homo eſt corporeus, homo eſt animalis, quia eſt idem ſubjectum habens corpus & animam.

Hæc eſt communis Doctrina Theologorum & Philoſophorum, cui ſolus contradicit Vaſques, volens in nominibus concretis ſuppoſita importari in obliquo, & formam in recto, ut dum dico *Deus*, ſenſus ſit, *natura divina exiſtens in ſuppoſito*. Verum ſecundum hanc doctrinam falſum eſſet dicere, Deus eſt homo, quia falſum eſt, quod natura divina exiſtens in ſuppoſito ſit natura humana exiſtens in ſuppoſito: & ſic nulla eſſet communicatio Idiomatum, quæ tamen neceſſario eſt admittenda, ut modo dicemus. Item falſum eſſet dicere, Deus generat, quia falſum eſt dicere, natura divina exiſtens in ſuppoſito generat. Igitur

Dico. (*Hic q. 16. a. 4. & 4.*) In Chriſto admittenda eſt Idiomatum communicatio. Eſt de fide. Prob. 1. Ex Scriptura tribuente homini, quæ ſunt propria naturæ divinæ, & e contra. Sic 1. Cor. 2. Dominus gloriæ ſeu Deus dicitur *Crucifixus*. Ad Rom. 8. Filius Dei dicitur pro nobis *Traditus*. Joan. 8. Dicitur Chriſtum hominem eſſe antequam Abraham fieret. Similiter in Symbolo Apoſt. legitur, Filium Dei unicum de Spiritu S. conceptum, de Virgine natum, paſſum, crucifixum, mortuum & ſepultum.

Prob. 2. ex Concilio Epheſino definiente contra Neſtorium B. Virginem eſſe vere Matrem Dei; quia ille homo, cujus eſt Mater, eſt vere Deus. Item ex Patribus, qui communiter communicationem Idiomatum uſurpant, & neceſſario admittendam affirmant. Patet etiam ratione fundamentali hujus communicationis, de qua modo. Ubi enim eſt unitas ſuppoſiti in duabus naturis, tam naturæ, quam proprietates earum, poſſunt de ſe invicem prædicari in concreto, quia concretum in recto ſignificat ſuppoſitum, & ſupponit pro illo, ut dictum eſt. Ergo. Ex dictis colliges Regulam generalem communicationis Idiomatum eſſe hanc.

Regula Communicationis Idiomatum.

CONCRETA de concretis (*Ibid. a. 5. o.*) tam naturarum quam proprietatum poſſunt de ſe invicem prædicari regulariter loquendo: quia in talibus prædicationibus ſervatur idem ſuppoſitum ſeu ſubjectum. Abſtracta vero de abſtractis, abſtracta de concretis & concreta de abſtractis non poſſunt de ſe invicem prædicari ſaltem formaliter: quia non ſervatur in illis prædicationibus idem ſuppoſitum, ſeu idem ſubjectum. Hinc verum eſt dicere, Deus eſt homo, homo eſt Deus; Deus eſt natus, paſſus, mortalis, homo eſt immortalis, æternus; mortalis eſt immortalis, æternus; eſt temporalis. Falſum autem eſt dicere, Deitas eſt humanitas, immortalitas eſt mortalitas, Deus eſt humanitas. Neque etiam in ſenſu ſaltem formali poteſt dici, hic homo eſt divinitas; divinitas eſt hic homo: voco ſenſum formalem, qui habetur vi diſpoſitionis terminorum: quia tamen materialiter & per accidens ſuppoſitum hujus ſubjecti & hujus prædicati *homo* eſt ipſa divinitas, inde ſit, quod in ſenſu materiali & identico veræ ſint iſtæ propoſitiones.

Dixi in 1. parte Regulæ, *Regulariter loquendo*: quia varias patitur exceptiones. 1. Excipiuntur attributa negativa negative ſumpta. Unde falſum eſſet dicere, hic homo, ſeu Chriſtus eſt incorporeus, ſumpto ly *incorporeus* negative pro remotione omnis corporeitatis, ſecus ſi ſumatur poſitive pro forma incorporeitatis. 2. Excipiuntur attributa ſoli naturæ, vel ſoli ſuppoſito convenientia. Hinc non poteſt dici, *Verbum fuit aſſumptum*, nec *homo aſſumpſit*, licet vere dicatur, Verbum aſſumpſit, & humanitas fuit aſſumpta. 3. Ut paucis plura comprehendam, excipiuntur attributa, vel quæ repugnant ſubjecto, ut eſſe purus homo, filius adoptivus; vel quæ ſunt ambigua, & conveniunt cum modo loquendi Hæreticorum: vel quæ differenter conveniunt naturæ & ſuppoſito, & tamen huic ſuppoſito divino repugnant ut eſſe *creatura*: vel quæ important appellationem, ratione cujus ſuppoſito non conveniunt, aut tollunt eam, ratione cujus conveniunt, ut Chriſtus quatenus homo eſt immortalis. Notant inſuper Auctores has & alias varias exceptiones non ſemper

& ſolum eſſe expendendas juxta Regulas Dialecticæ, ſed colligendas ex uſu, vel ex doctrina Patrum. De his plura, & non parum intricata in Auctoribus.

Dices: Canit Eccleſia, *In ligno quando mortua vita fuit*. R. Eccleſiæ locutionem eſſe metaphoricam; quia nomine vitæ ſignificatur Deus, qui eſt vita per eſſentiam. Ad ſolvendas & intelligendas aliquas Patrum locutiones, quæ videntur ſupradictis contrariæ, advertendum, quod ſicut ſumunt aliquando concreta pro abſtractis, ut quando canit Eccleſia: *Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem*; ita etiam aliquando ſumunt abſtracta pro concretis, ut quando dixit Fulgentius Q. 2. ad Ferrandum, *Divinitatem paſſam*, id eſt Deum.

ARTICULUS II.

Breviter diſcutiuntur cæteri Articuli D. Thomæ.

QUÆRITUR 1. Utrum hæc propoſitio; *Deus eſt homo*, ſit vera & propria: item utrum ſit eſſentialis & per ſe. R. (*Ibid. art. 1. o.*) ad 1. affirmative. Prob. Ly *Deus* in hac propoſitione ſupponit pro perſona Filii: atqui vere & proprie dicitur de perſona Filii quod ſit homo; ſpecies enim vere & proprie prædicantur de quolibet ſuo ſuppoſito. Ergo. Patet Maj. Quia ex Regula Dialecticæ talia ſunt ſubjecta quoad ſuppoſitionem, qualia permittuntur a ſuis prædicatis: & ideo v. g. in hac propoſitione *Deus generat*, ly *Deus* ſupponit pro perſona Patris. R. ad 2. cum diſtinctione Cajet. Si ly *Deum* in hac propoſitione ſupponat pro perſona Filii ut ſubſiſtente in natura divina, propoſitio erit accidentalis logice, quia ſubjecto ſic accepto prædicatum convenit contingenter. Phyſice tamen non erit accidentalis, ſed ſubſtantialis, quia prædicatum non eſt accidens phyſicum, ſed ſubſtantia & quidem ſubſtantialiter unita ſubjecto. Unde ratione Neſtorianiſmi tutius dicitur prædicatio ſubſtantialis, quam accidentalis. Si vero ly *Deus* in hac propoſitione accipiatur pro perſona Filii ut ſubſiſtente in natura humana, prout ex communi uſu Chriſtianorum accipitur, apud eos enim Deus in hac propoſitione idem eſt quoad rem ac Jeſus, ac Chriſtus, ac Emmanuel: tunc propoſitio erit eſſentialis & per ſe, utpote prædicatio ſpeciei de ſuo individuo, non minus quam hæc, Petrus eſt homo, non quidem ratione formæ ſignificatæ per ſubjectum, ſed ratione ſuppoſiti.

Petes. Utrum homo prædicetur univoce de Deo & de nobis in hoc myſterio? Dico de Deo, quia certum eſt prædicari univoce de Chriſto, de Jeſu, de Emmanuele & de nobis. R. quod ſi ad univocationem requiratur tantum, quod prædicatum retineat eandem omnino ſignificationem, homo prædicetur univoce de nobis & de Deo etiam ſupponente pro perſona Filii ut ſubſiſtente in natura divina. Si vero, ut quidem volunt, ad univocationem requiratur, quod prædicatum ultra eandem ſignificationem retineat etiam eundem modum conveniendi ſubjecto, tunc homo prædicatur univoce de nobis & de Deo tantum ſupponente pro perſona Filii ut ſubſiſtente in natura humana. Patet ex dictis.

Quæritur 2. Qualis ſit hæc propoſitio, *Homo eſt Deus?* R. (*Ib. art. 2. o.*) talem eſſe, qualis eſt præcedens: quia ſubjectum *Homo* in hac propoſitione ratione ſui prædicati ſupponit eo modo, quo *Deus* in priori, non autem indeterminate, ut quidam volunt, alias verum eſſet dicere, *Homo non eſt Deus*, quod refugiunt aures catholicæ.

Quæritur 3. Utrum Chriſtus poſſit dici homo dominicus? R. Negative; (*Ibid. art. 3. o.*) quia ſignificaretur, quod ſuppoſitum divinum non eſſet realiter & eſſentialiter dominus, ſed tantum denominative & participative: qua ratione etiam non debet dici, *Deifer*, *Deificatus*, &c. Unde Aug. hunc modum loquendi correxit l. 1. Retract. c. 19. licet addat id poſſe *Nonnulla ratione defendi*, ſcilicet ratione humanitatis, quæ poteſt dici dominica, quatenus eſt diſtincta a ſuppoſito divino, & ad illud ratione unionis pertinet. Et ita explicandi ſunt quidam Patres, qui tales modos loquendi uſurparunt. Utrum autem autem poſſit dici Chriſtus homo divinus? affirmat Auctor ad 3. Quia licet Ly *Divinum* ſit nomen adjectivum, uſus tamen invaluit, ut dicamus divina non ſolum denominative quæ ſunt Dei, ſed etiam eſſentialiter quæ ſunt ipſemet Deus. Unde dicimus, *Verbum divinum*, *perſonam divinam*.

Quæritur 4. Quid ſit dicendum de iſtis propoſitionibus. *Deus factus eſt homo: Homo factus eſt Deus?* R. (*Ibid. art. 6. o.*) primam eſſe veram & propriam. Patet ex illo Joan. 1. *Verbum caro factum eſt*; & ex illo Symboli, *Et homo factus eſt*. Ratio eſt, quia unumquodque dicitur fieri aut factum eſſe id, quod de novo de ipſo prædicatur. Atqui de Deo ſeu Verbo, quod eſt ab æterno, de novo prædicatur homo. Ergo. Secunda vero propoſitio eſt falſa: (*Ibid. art. 7. o.*) quia cum ſubjectum *Homo* ſupponat in hac propoſitione pro perſona Verbi, ſenſus eſſet, quod ſuppoſitum ſeu perſona, quæ ab æterno eſt Deus, facta eſſet in tempore Deus, ſeu quod aliquis homo præexiſtens factus eſſet Deus. Quod utrumque eſt falſum. Notat tamen S. Doctor, quod hæc propoſitio, *Homo eſt Deus*, poſſet admitti in hoc ſenſu improprio, aliena actione factum eſt, ut homo ſit Deus.

Dices: Deus eſt factus homo. Ergo per converſionem homo eſt factus Deus. R. non eſſe ibi bonam converſionem, quia totum prædicatum non convertitur. Unde debet dici: ergo is, qui eſt homo, factus eſt Deus, quod eſt verum.

Quæritur 5. Utrum hæc propoſitio ſit ſimpliciter concedenda, *Chriſtus eſt creatura?* R. Negative (*Ibid. art. 8. o.*) ad evitandam ſuſpicionem hæreſis Arianæ. Addo: & quia eſt falſa, ut docet S. Doct. in 3. d. 11. q. 1. a. 2. his verbis: *Chriſtus non poteſt dici creatura, non tantum ad vitandum errorem Arii, ut quidam dicunt, ſed etiam ad vitandam falſitatem*. Ratio eſt, quia licet prædicata, quæ non ſunt nata convenire perſonæ niſi ratione naturæ vel partis ejus, ſicut pati, mori, &c. poſſint ſimpliciter dici de Chriſto, quamvis habeant repugnantiam ad perſonam æternam, ea tamen, quæ nata ſunt convenire perſonæ non ſolum ratione naturæ ſed etiam ratione ipſius perſonæ, ſi habeant repugnantiam ad perſonam, non poſſunt de ipſa ſimpliciter prædicari, ſed cum addito, alias verum eſſet dicere ſimpliciter: *Chriſtus incepit eſſe*, *Chriſtus non ſemper fuit*, &c. Porro eſſe creaturam, ſicut eſſe factum ſimpliciter ſeu creatum eſt tale; creatio enim eſt rerum ſubſiſtentium, & reſpicit eſſe ſeu ſubſiſtere. (*Ibid. ad 1.*) Quod ſi aliquando Patres ſic locuti fuerint, in eorum dictis ſubintelligenda eſt determinatio *In quantum homo*.

Dices: De Chriſto prædicatur ſimpliciter homo. Ergo & creatura. Prob. Conſeq. De quocumque prædicatur inferius, prædicatur & ſuperius. Atqui creatura eſt ſuperius ad hominem. Ergo. R. N. Conſeq. Ad Probat. N. Min. cum Auctore, qui in 3. d. 11. q. 1. a. 2. ad 2. dicit, quod *creatura non ſit ſuperius ad hominem, quia creatura magis reſpicit eſſe quam naturam*; homo autem, quando prædicatur, magis ſignificat naturam, quam eſſe ſeu exiſtentiam; non enim formaliter eſt homo, quia habet eſſe, ſed quia habet naturam humanam.

Quæritur 6. Utrum hæc propoſitio; *Hic homo*, deſignato Chriſto, *incepit eſſe*, ſit vitanda? R. affirmative (*Ibid. a. 9.*) propter duplicem rationem, tum ob Arianiſmum, tum ob falſitatem. Licet enim perſona Verbi, pro qua ſupponit *Chriſtus*, inceperit eſſe homo; non tamen inceperit ſimpliciter.

Quæritur 7. Quid dicendum de iſtis propoſitionibus: *Chriſtus ſecundum quod homo eſt creatura*; *Chriſtus ſecundum quod homo eſt Deus*; *Chriſtus ſecundum quod homo eſt perſona?* R. (*Ibid. art. 10. o.*) primam eſſe magis concedendam quam negandam. Secundam e contra magis eſſe negandam quam affirmandam: (*Ibid. art. 11. o.*) quia terminus in reduplicatione poſitus magis tenetur pro natura, quam pro ſuppoſito. Ad 3. R. (*Ibid. art. 12. o.*) quod ſi homo ſumatur omnino reduplicative, ita ut Ly ſecundum reduplicet rationem formalem cur ſit perſona, ſit falſa, quia ſignificaretur, quod in Chriſto foret perſona creata, cujus radix eſſet ipſa humanitas. Admittitur tamen ut vera, ſi Ly homo teneatur pro ſuppoſito, vel ſi ſpecificative ſumatur, hoc modo Chriſtus ut in humanitate ſubſiſtens eſt perſona. Sed nullatenus eſt uſurpanda, quia favet Neſtorianis.

DIS-

DISSERTATIO XVII.

DE PERTINENTIBUS AD UNITATEM IN CHRISTO QUANTUM AD ESSE.

Div. Thom. Quæſt. 17.

ARTICULUS I.

Utrum Chriſtus ſit unum vel duo?

DIco. (*Hic q.* 17. *a.* 1. 2.) Chriſtus tam maſculine quam neutraliter eſt unus & unum, non duo. Prima pars eſt de fide contra Neſtorianos, qui admittebant in Chriſto duas perſonas: unus enim maſculine ſignificat perſonam. Unde in Symbolo S. Athanaſ. *Non duo tamen, ſed unus eſt Chriſtus*: & in Nicæno, *Credo in unum Dominum Jeſum Chriſtum*: Et ita definitur in Concil, Epheſ. can. 13. Prob. utraque pars. (*Ib.*) Licet unum neutraliter ſit naturæ ſignificativum, & ſint duæ naturæ in Chriſto, attamen unitas vel pluralitas in Chriſto, ſive neutraliter, ſive maſculine non eſt accipienda ſecundum naturas, ſed tantum ſecundum ſuppoſita. Atqui unum eſt ſuppoſitum in Chriſto. Ergo. Prob. Maj. Non poteſt dici Chriſtus unus vel plures, unum vel plura, niſi ſecundum quod poſſunt de illo prædicari unus vel plura, unum vel plura. Nam unumquodque dicitur tale, in quantum de illo prædicatur tale, & ſi non prædicatur, non eſt tale: ſic Petrus non eſt homo, ſi de illo non prædicatur homo; & e contra eſt homo, ſi de illo prædicatur homo. Atqui non ſunt aliqua duo, quæ poſſunt prædicari de Chriſto; humanitas enim in abſtracto non prædicatur de Chriſto, ſed tantum in concreto ratione ſuppoſiti. Ergo unitas vel pluralitas in Chriſto ſive maſculine ſive neutraliter non eſt accipienda ſecundum naturas, ſed ſecundum ſuppoſita. Confir. Licet in Petro ſint duo, corpus & anima, quia tamen de illo non prædicantur, Petrus non eſt duo, ſed unus & unum.

Dices 1. Secundum Aug. & alios Patres, Chriſtus eſt aliud & aliud. Atqui aliud & aliud ſunt duo. Ergo. R. (*Ib. ad* 2.) intelligendos eſſe in ſenſu cauſali, ſic ut ſignificent Chriſtum habere aliam & aliam naturam, ut expreſſe tradit Nazianzenus in Ep. ad Cledonium his verbis: *Si oportet compendioſe dicere aliud quidem & aliud, ea ex quibus ſalvator eſt*. Unde ad Min. D. aliud & aliud ſunt duo, ſi Ly aliud tribuatur ſubjecto expreſſo in recto, C. quia tunc importat diverſitatem naturæ & ſuppoſiti, cum enim ſit relativum ſubſtantiæ, proprie refertur ad ſuppoſitum: ſi Ly aliud tribuatur ſubjecto in obliquo, ut, *In Chriſto aliud eſt divinitas, aliud humanitas*; *in Chriſto aliud flagellis ſubjicitur, aliud miraculis coruſcat*, N. Quia *aliud* ſic attributum importat tantum diverſitatem naturarum, quod verum eſt; in Chriſto enim eſt humanitas, ſed tamen Chriſtus non eſt humanitas. Unde dum S. Doctor q. 2. a. 3. dicit Ly aliud non importare diverſitatem ſuppoſiti, hoc intelligebat ſecundum quod Chriſto a Patribus tribuitur, qui nempe intelligendi ſunt in ſenſu cauſali, ut diximus.

Dices 2. Tres perſonæ divinæ dicuntur unum neutraliter ob unitatem naturæ: Ergo Chriſtus debet dici duo neutraliter ob diverſitatem naturæ. R. (*Ibid. ad* 5.) N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod in Myſterio divinæ Trinitatis natura divina prædicatur etiam in abſtracto de tribus perſonis, & ideo ſimpliciter poteſt dici, quod tres perſonæ ſint unum. Sed in Myſterio Incarnationis non prædicantur ambæ naturæ in abſtracto de Chriſto; & ideo non poteſt ſimpliciter dici, quod Chriſtus ſit duo.

Dices 3. Album non eſt unum, ſeu duo, licet albedo non poſſit de albo prædicari in abſtracto. Ergo nulla eſt ratio D. Th. R. N. Conſeq. Quia album habet duo eſſe, ſubſtantiale ſcilicet & accidentale: unde oritur, quod ſit duo. In Chriſto autem nullum eſt principium ut poſſit eſſe duo; non ſuppoſitum, quia unicum eſt; non naturæ, quia una, ſcilicet humanitas, non prædicatur de eo in abſtracto, & aliunde non habet duo eſſe.

Petes, utrum poſſet dici, *Chriſtus eſt divinitas & humanitas ſimul?* Ex una parte multi Patres ſic locuti ſunt, Leo, Aug., Bern. &c. Ex alia parte damnatur in Concil. Conſtant. ſeſſ. 15. hæc propoſitio Joannis Hus, *Duæ naturæ Divinitas & humanitas ſunt unus Chriſtus*. R. 1. hanc propoſitionem eſſe damnatam in ſenſu non collectivo ad ſenſum Quæſtionis, ſed in ſenſu diviſivo ad mentem Joannis Hus, ita ut ſecundum ipſum Chriſtus eſſet ſeorſim humanitas, & ſeorſim divinitas, quod eſt dividere Chriſtum. R. 2. hanc propoſitionem, *Chriſtus eſt divinitas & humanitas ſimul*, collective non eſſe veram in ſenſu proprio & formali: quia Chriſtus plus includit, quam ſignificent natura divina & humana ſimul, nempe perſonalitatem ſeu perſonam; & licet divinitas ſit perſona, tamen divinitas & humanitas ſimul formaliter & reduplicative non eſt perſona, ſicut licet divinitas ſit æterna, attamen divinitas & humanitas ſimul reduplicative non eſt aliquid æternum. Unde Patres, qui hunc modum loquendi uſurparunt, intelligendi ſunt in ſenſu identico vel cauſali, ita ſcilicet quod ſignificent, vel quod Chriſtus non eſt aliud quam perſona ex humanitate & divinitate compoſita, vel quod ſit perſona compoſita ex humanitate & divinitate unitis in hypoſtaſi. Vel dicendum, quod abſtracta pro concretis uſurpaverint.

Quod autem poſſet opponi totum non diſtingui a ſuis partibus, verum eſt de compoſito phyſico, non de compoſito metaphyſico, quod ſupra partes phyſice componentes addit ſubſiſtentiam.

ARTICULUS II.

Utrum in Chriſto ſit unica exiſtentia eaque divina.

DIco: (*Hic a.* 2. 2.) In Chriſto eſt unica Verbi exiſtentia. Eſt contra Scotiſtas, Suarem & alios. Eſt tamen certo D. Th. in hoc art. ubi ex profeſſo inquirit: *Utrum in Chriſto ſit unum eſſe tantum?* & reſpondet affirmative.

Reſpondent quidam Adverſarii, qui S. Doctorem in ſuas partes vel invitum trahere conantur, per eſſe intelligere ſubſiſtentiam. Sed contra 1. S. Doctor q. 2. ex profeſſo diſputaverat de ſubſiſtentia, & unam in Chriſto ſtatuerat. Ergo vel jam actum agit, vel de illa hic non diſſerit, ſed de exiſtentia, de qua nullibi niſi hic ex profeſſo agit. 2. S. Doctor hic ad 1. loquens de eſſe, de quo egit in corpore, dicit, quod *Perſonam aut hypoſtaſim conſequitur, ſicut habentem eſſe*: atqui eſſe ſubſiſtentiæ ſeu ſubſiſtentia non ſequitur perſonam, ſed eam conſtituit. Ergo. Inſuper S. Doctor Quodl. 9. duplicem articulum inſtituit. In 1. quærit, utrum in Chriſto ſit una tantum hypoſtaſis, & in ſecundo utrum ſit tantum unum eſſe, & reſolvit affirmative ſicut hic. Evidens eſt autem, quod in hoc 2. articulo non loquatur de ſubſiſtentia, de qua egerat in primo. Quod etiam patet ex his verbis hujus articuli 2. *Licet ipſum eſſe*, inquit, *non ſit de ratione ſuppoſiti, pertinet tamen ad ſuppoſitum & non eſt de ratione naturæ*. Subſiſtentia autem eſt de ratione ſuppoſiti, ſiquidem ipſum conſtituat formaliter. Itaque

Prob. Concluſio 1. ex Ep. Sophronii recepta & approbat in 6. Synodo Gener. Act. 11. ubi ſic dicit de Chriſti humanitate: *In illo itaque* (ſcilicet Verbo) *& non per ſemetipſam habuit exiſtentiam unam*. Reſpondent Suares, Henno & alii ejuſdem ſententiæ: Sophronium ibi oſtendere, quod humanitas nullo tempore reali extiterit in ſemetipſa, antequam uniretur Verbo; ex eo autem, quod eodem inſtanti reali, quo extitit in rerum natura, extiterit in Verbo, non ſequitur extitiſſe exiſtentia Verbi, cum illa toto cœlo diſtant, exiſtere in Verbo & exiſtere exiſtentia Verbi. Sed contra. Etſi verum ſit Sophronium ibi oſtendere humanitatem Chriſti non habuiſſe exiſtentiam prius tempore, quam uniretur Verbo, nihilominus ſimul docet, quod non habuerit aliam, quam ipſius Verbi, ſi quidem dicat habuiſſe *Exiſtentiam unam*; quod ultimum verbum ad propoſitum ſuum omittit Henno. Item addit Sophronius perſonam Chriſti compoſitam ex unitate ſubſiſtentiæ, *Habere unum eſſe & permanere unum*: permanentiam autem ſeu durationem Suares non diſtinguit ab exiſtentia.

Prob. 2. (*Ib.*) Ratione a priori. Perſona exiſtit ut quod, ſeu ut ſubjectum exiſtentiæ, natura vero non ut quod, ſed ut quo radicaliter: atqui implicat, quod una perſona eaque divina, qualis eſt in Chriſto, exiſtat duplici exiſtentia ſubſtantiali. Ergo. Prob. Min. 1. Videtur repugnare, quod perſona increata Verbi exiſtat exiſtentia creata. 2. Exiſtentia eſt ultima rei perfectio & actualitas, qua ſiſtitur extra omnes ſuas cauſas, & in qua ſiſtunt earum cauſalitates; id enim importat formaliter exiſtentia. Ergo implicat, quod perſona habens unam exiſtentiam ſit capax ulterioris exiſtentiæ; alias prior non erit ultima actualitas, ſed habebit rationem potentiæ reſpectu ſecundæ exiſtentiæ. Confir. Si humanitas Chriſti exiſteret propria exiſtentia creata, ſequeretur 1. quod etiam ſubſiſteret propria ſubſiſtentia. 2. Quod non poſſet terminari ſubſiſtentia Verbi. 3. Quod non eſſet unum ſubſtantiale & per ſe cum Verbo, ſed plura. Ergo. Prob. 1. ſequela. Exiſtentia, cum, ut dictum eſt, ſit ultima rei actualitas, qua eſt extra omnem dependentiam ſuarum cauſarum, ſupponit ſubſiſtentiam; ſubſiſtentia enim eſt quoddam complementum ſubſtantiale, quod debet haberi a cauſis; & aliunde dictum eſt, quod perſona non natura ſit id, quod exiſtit. Ergo. Prob. 2. ſequela. Quod habet ultimum actum, non

po-

poteſt ulterios terminari r atqui: ergo. Prob. 3. ſequela. Ut humanitas exiſtens propria exiſtentia faceret unum ſubſtantiale & per ſe cum perſona Verbi propria exiſtentia exiſtente, necaſſarium foret, quod una exiſtentia ſe haberet per modum potentiæ, & altera per modum actus: atqui omnino rapugnat conceptui exiſtentiæ ſubſtantialis etiam creatæ, quod ſit in potentia ad aliam ſubſtantialem exiſtentiam, ut jam dictum eſt: alias eſſet & non eſſet ultima actualitas. Ergo.

Prob. 3. a poſteriori. Si humanitas Chriſti prius natura exiſteret propria exiſtentia, quam aſſumeretur a Verbo, B. Virgo non foret mater Dei: atqui falſum & hæraticum Conſequens. Ergo. Prob. Sequela Maj. Ut B. Virgo ſit vere & dicatur Mater Dei, terminus concurſus illius in generatione Filii debat aſſe homo Deus: atqui ita non foret in caſu Majoris: ergo. Prob. Min. In illo caſu prius natura quam Verbum uniretur humanitati, totaliter eſſet terminatus concurſus B. Virginis. Ergo terminus hujus concurſus non foret Deus homo. Prob. Ant. Concurſus cujuſvis cauſæ cenſetur totaliter terminatus & completus, quando effectus, quem producit, aſt exiſtens; cum, ut ſæpe jam dictum eſt, exiſtentia ſit ultimus terminus dependentiæ effectus a cauſis, totaliter ipſum extra illas conſtituens. Ergo in caſu Majoria concurſus B. Virginis totaliter eſſet terminatus prius natura, quam Verbum humanitati uniretur.

Solvuntur Objectiones,

OBj. 1. Prius humanitas Chriſti extitit, quam ſit aſſumpta a Verbo. Ergo propria exiſtentia, &c. Prob. Ant. 1. Prius eſt eſſa productum, quam eſſe aſſumptum: atqui productio alicujus rai terminatur ad ejus axiſtentiam: ergo. 2. Vera eſt hæc cauſalis; *Ideo aſſumitur, quia eſt*, falſa vero hæc: *Ideo eſt quia aſſumitur*. Ergo. 3. Prius anima unitur corpori, quam humanitas uniatur Verbo. Ergo corpus & anima prius exiſtunt, quam uniantur Verbo. Hæc Henno. R. 1. hoc argumentum, quod eſt adverſariorum præcipuum, unico flatu diſſipari, dicendo nempe prioritatem, quæ hic intercedit, non eſſe niſi prioritatem & ordinem rationis, eodemque inſtanti reali hæc omnia facta eſſe, animam ſcilicet creatam, corpori unitam, humanitatem productam & a Verbo aſſumptam: unde non eſt quærenda exiſtentia creata, ubi divina communicata eſt: ſicut in ſententia Thomiſtarum materia prima creata fuit prius prioritate rationis, quam totum ſit productum, & tamen non habuit aliam exiſtentiam quam totius, quocum ſimul realiter fuit concreata. Cæterum inſiſtendo his rationis prioritatibus & præciſionibus, R. 2. N. Ant. ad 1. probat. D. Ant, Prius (intelligendo ſemper de prioritate rationis) eſt eſſe productum complete, vel incomplete, quam eſſe aſſumptum, C. Semper complete, N. Similiter ad Min. Productio alicujus rei completa terminatur ad ejus exiſtentiam, C. Incompleta, N. ſeu ſubd. Terminatur ad ejus exiſtentiam formalitar vel concomitanter habendam, C. Semper formaliter per ipſam actionem habendam, N. Conſule Diſſert. 3. art. 3. Ad 2. probat. ſimiliter D. Iſta cauſalis eſt vera, *Idea aſſumitur quia eſt*, ſi intelligatur quia eſt vialiter & in fieri, C. Quia eſt in facto eſſe complete, N. Habet enim exiſtantiam & ſubſiſtentiam per aſſumptionem: unde nego falſam aſſe hanc cauſalem, *ideo eſt quia aſſumitur*, ſi intelligatur de exiſtantia in facto eſſe, & non tantum in fieri, ſeu de tendentia ad exiſtentiam. Ad 3. N. Conſeq. Quia ex prioritate rationis male infertur: prioritas exiſtentiæ, quæ eſt prioritas temporis.

Inſt. cum eodem. Vel Chriſtus aſſumpſit naturam humanam habentem eſſe extra cauſas, vel exiſtentem in cauſis. Si primum: ergo habebat exiſtentiam actualem. Si ſecundum: ergo Chriſtus potius aſſumpſit cauſas humanitatis quam humanitatem. R. aſſumpſiſſe naturam humanam habentem eſſa extra cauſas per propriam Verbi exiſtantiam ipſi ſua aſſumptione communicatam.

Obj. 2. cum eodem. Tota ratio Concluſionis noſtræ innititur hoc principio, quod exiſtentia ſequatur ad ſubſiſtentiam, non ſubſiſtentia ad exiſtentiam: atqui falſum eſt iſtud principium. Ergo. Prob. Min. Non poteſt concipi quomodo poſſit natura prius ſubſiſtere quam exiſtere. Ergo. Prob. Ant. Subſiſtere eſt ipſummet exiſtere per ſe. Sicut ergo implicat, quod quis velociter currat, qui ſimpliciter non currit, ita quod exiſtat per ſe, ſi ſimpliciter non exiſtit; nec unquam dabitur diſparitas, inquit confidenter laudatus Theologus. R. 1. retorquendo argumentum. Exiſtere per ſe eſt ipſum ſubſiſtere, ex Adverſario: ergo non poteſt concipi naturam ſubſtantialem prius exiſtere per ſe quam ſubſiſtere. Ergo ſi Verbum aſſumpſit naturam per ſe axiſtentem, aſſumpſit ſubſiſtentem: quod eſt Neſtorianum. R. 2. N. Min. Ad probat. D. Ant. Subſiſtere adæquate ſumptum eſt ipſummet exiſtere per ſe, C. Ant. Inadæquate ſumptum, N. Igitur plus dicit ſubſiſtere, ſi adæquate ſumatur, quam ſubſiſtentia; ſubſiſtere enim importat ſimul ſubſiſtentiam & axiſtentiam. Unde licet verum ſit, quod ſubſiſtere ſit exiſtere per ſe, falſum eſt tamen, quod ſubſiſtantia ſit exiſtentia etiam in ſententia adverſariorum, qui dicunt ſubſiſtentiam eſſe modum exiſtantiæ. Subſiſtentia itaque ex ſuo conceptu eſſentiali importat tantum perſeitatam independentiæ ab alio tanquam a ſubjecto, & incommunicabilitatis ad aliud ſuppoſitum, cui cum adveuit exiſtentia, dicitur ſubſiſtere ſeu exiſtere per ſe. Unde natura cum ſola ſubſiſtentia pro priori ad exiſtentiam nondum concipitur actus exiſtans per ſe, nec ſimpliciter exiſtens, ſed in via tantum ad exiſtentiam per ſe: & ideo eſt diſparitas de curſu veloci, quod qui currit velociter, revera currat: qui autem habet ſubſiſtentiam tantum pro illo priori, revera nondum cenſeatur exiſtere, niſi vialiter aut concomitanter per exiſtentiam advenientem.

Obj. 3. cum eodem. Si eſſat unica exiſtentia humanitatis & Verbi, humanitas, quatenus eſt ens in actu, non diſtingueretur a Verbi: atqui: ergo. R. D. Sequelam: non diſtingueretur a Verbo: quoad eſſe exiſtentiæ, C. Quoad eſſe eſſentiæ, N. Et hoc ſenſu S. Th. in QQ. diſput. q. de unione Verbi a. 4. ad 1. dicit, quod eſſe humanæ naturæ non ſit eſſe divinæ naturæ.

Obj. 4. Unio non eſt facta in aliquo abſoluto communi toti Trinitati, alias tres perſonæ dicerentur incarnatæ, atqui exiſtentia eſt quid abſolutum commune omnibus perſonis. Ergo. R. D. Maj. Unio non eſt facta in aliquo abſoluto communi primario & immediate, C. Alias, ut bene infertur, ſequeretur, quod tres perſonæ forent incarnatæ: ſecundario & mediate, N.

Obj. 5. Nulla divina perfectio poteſt actuare naturam creatam. Ergo. R. D. Ant. Per modum formæ intrinſece informantis, C. Per modum termini intrinſece terminantis, N. Item eſt ac de ſubſiſtentia. Exiſtentia anim ex ſuo formali conceptu non petit actuare informative, ſed tantum terminative; eſt anim actus ultimus terminans: licet tamen exiſtentia ereata utpote accidens non poſſit actuare ſine informatione.

Obj. 6. Epiphanius quidam in 7. Synodo act. 6. dicit naturam diſtingui ab hypoſtaſi, quod natura dicat humanitatem exiſtentem, hypoſtaſis autem addat ſubſiſtentiam: & Damaſc. l. 3. de fide c. 3. dicit Verbum aſſumpſiſſe humanitatem non privatam exiſtentia. Ergo. R. ad 1. intelligendum eſſe de exiſtentia radicali. Ad 2. verum eſt Verbum aſſumpſiſſe humanitatem non privatam exiſtentia, quia habuit exiſtentiam aſſumentis; non dixit autem Damaſcenus humanitatem non eſſe privatam propria exiſtentia.

DISSERTATIO XVIII.

DE PERTINENTIBUS AD UNITATEM IN CHRISTO QUANTUM AD VOLUNTATEM.

Div. Thom. Quæſt. 18.

ARTICULUS I.

Utrum in Chriſto ſint duæ voluntates?

EX variis principiis promanavit error negantium in Chriſto duas voluntatea. (*Hic. q. 18. a. 1. c. o.*) Quidam dixerunt Verbum Chriſto fuiſſe loco mentis; unde in eo negabant voluntatem humanam ſicut & intellectum, & hic erat error Apollinaris. Huc etiam poteſt reduci error Manichæorum aſſerentium phantaſticam humanitatem a Chriſto aſſe aſſumptam. Alii ſtatuentes unicam in Chriſto naturam ſive confuſam, ſive compoſitam, unicam etiam ſtatuebant voluntatem; & hic erat error Eutychetis. Alii aſſerentes duas perſonas & vocantes ſuppoſitum humanum cum natura humana hominem Chriſtum propter conjunctionem affectivam ad divinum ſuppoſitum, ponebant etiam unam voluntatem in Chriſto homine; & hic erat error Neſtorii. Alii tandem duas in Chriſto naturas aſſerentes in una perſona, ſed opinantes, quod natura humana in Chriſto nunquam moveretur proprio motu, ſed ſolum ſecundum quod mota eſſet a divinitate, negavarunt in Chriſto eſſe duas voluntates & duas operationes

ſeu

ſeu volitiones, ſed unicam ſcilicet divinitatis; & hic eſt error Sergii Conſtantinopolitani, Macarii Antiocheni, Cyri Alexandrini & aliorum, qui dicti ſunt Monothelitæ a ſua hæreſi: de quibus impræſentiarum agimus.

Dico. (*Ib. & q. ſeq. 19. a. 1. a.*) In Chriſto ſunt duæ voluntates & duæ operationes ſeu volitiones, divina & humana. Eſt de fide contra Monothelitas deciſa 1. in Concil. Lateran. ſub Martino I. deinde in 6. & 7. Synodo generali, ac tandem in Florentina: quorum verba infra referemus. Prob. ex Scriptura Luc. 22. *Pater ſi vis, transfer Calicem iſtam a me, verumtamen non mea voluntas, ſed tua fiat.* Matt. 26. *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* Joan. 5. *Non quæro voluntatem meam, ſed voluntatem ejus, qui miſit me.* Et alibi ſimilia. Prob. 1. pars (*Hic ib.*) ratione, qua uſi ſunt Patres & Concilia. Verbum aſſumpſit naturam humanam perfectam & integram: ad perfectionem autem naturæ humanæ pertinet voluntas, quæ eſt naturalis ejus potentia ſicut intellectus: & aliunde per aſſumptionem naturæ humanæ nullam diminutionem paſſus eſt Filius Dei in his, quæ pertinent ad divinam naturam, cui competit voluntatem habere. Ergo. Hinc fluit 2. pars. (*Q. 19. cit.*) Operationes ſequuntur formas, quæ ſunt agendi principia. Ergo ubi ſunt diverſa principia, nempe diverſæ naturæ & diverſæ voluntates, ſunt diverſæ operationes. Confirm. utraque pars. Chriſtus fuit obediens & meruit: atqui neutrum voluntate aut operatione divina tantum. Ergo & humana.

Ad quorum majorem elucidationem & corroborationem diſtinguendum eſt cum Sophronio in Synodica & S. Maximo in Scholiis ad Ep. 4. S. Dionyſii, triplex genus operationum in Chriſto. Quædam ſunt mere divinæ ut creatio, conſervatio, &c. Quædam ſunt mere humanæ, quas Chriſtus exercebat virtute propriæ formæ ac virtutis, ut comedere, bibere, flere, pati, &c. Aliæ ſunt mixta, in quibus agit utraque natura, divina ut cauſa principalis, humana ut inſtrumentum, quales ſunt Reſuſcitatio Lazari, cœci illuminatio, &c. (*Ib.*) Sed in illis iterum diſtinguendum eſt: licet enim mortui ſuſcitatio, cœci illuminatio ut eſt a natura divina, ut cauſa principali, & ab humana, ut cauſa inſtrumentali mota, ſit una tantum operatio; altera tamen & formaliter diſtincta reperitur illic ex ipſa forma & virtute humanitatis proveniens, puta clamare, tangere, ſpuere, loqui, velle, imperare, &c. Sicut artificioſa conſtructio ſcamni eſt eadem operatio artificis & ſecuris; ſciſſio tamen ſecundum ſe eſt actio diſtincta & propria ſecuri ſecundum ejus formam.

Solvuntur Objectiones Hæreticorum.

OBJ. 1. S. Dionyſius in Ep. ad Cajum, ſecundum alios c. 12. de Divin. Nomin. aſſerit *unam eſſe in Chriſto Dei-virilem operationem.* Ergo. R. Monothelitas hunc locum interpolaſſe, & Dionyſium non dixiſſe *unam*, ſed *novam Dei-virilem operationem.* (*Ib. ad* 1.) Porro per novam Dei-virilem ſeu Theandricam operationem non unicam operationem ſimpliciter ſignificat Dionyſius, ſed duas adæquate diſtinctas, ſine compoſitione aut confuſione, & unam tantum unitate ordinis & ſubordinationis, in quantum divina utitur humana, & humana participat virtutem divinæ. Solet etiam aliquando ſola actio Chriſti humana vocari alio ſenſu *Dei-virilis* ſeu Theandrica propter nempe valorem & dignitatem, quam haurit a ſuppoſito divino agente ut quod, ſeu propter communicationem Idiomatum; ſed ultra illam hoc ſenſu ſumptam datur de Chriſto altera phyſice & entitative divina, divinæ voluntati correſpondens.

Obj. 2. S. Athanaſius lib. de ſalutari adventu Chriſti dicit, Chriſtum extitiſſe *ſine voluntatibus carnalibus, & ſine humanis cogitationibus, in imagine novitatis. Voluntas enim erat ſolius divinitatis.* R. cum c. Maximo S. Athanaſium loqui de Incarnatione Chriſti, non vero de ejus vita, ita ut ſenſus ſit, Incarnationem & Nativitatem Verbi eſſe opus non commercii carnalis, ſed ſolius Dei voluntatis. Obj. 3. S. Greg. Nazianz. Orat. 2. de Filio dicit *velle ejus* *totum Deificatum.* Et S. Cyril. l. 4. Comment. in Joan. dicit *unam cognatam operationem.* Ergo. R. SS. Patres ita locutos fuiſſe propter utriuſque operationis arctiſſimam unionem, qua fit, ut ſicut natura aſſumpta dicitur Verbi propria, ita & ejus actio dicatur deificata ſeu divina, divinæque cognata. Ita S. Maxim. in Ep. ad Nicandrum.

Obj. 4. Inſtrumenti & ejus, quod movet, unica eſt operatio: atqui humanitas eſt inſtrumentum a divinitate motum: ergo. R. D. Maj. (*Ib.*) Si intelligatur de operatione, quæ inſtrumento a cauſa principali imprimitur, C. Maj. ſi intelligatur de actione inſtrumenti, quæ ex propria forma oritur, N. Sic conſtructio artificioſa cathedræ eſt eadem operatio & artificis & ſecuris, ſciſſio tamen ligni eſt actio diſtincta ſecuri propria. Vide annotationem ante Sol. Obj.

Obj. 5. Unius eſt una voluntas: atqui Chriſtus eſt unus: ergo. R. D. Maj. Unius tam ſuppoſito quam natura una eſt voluntas, C. Unius ſuppoſito tantum & natura duplici, N. Et ad hunc ſenſum, D. Min. N. Conſeq. Inſt. Unius agentis una eſt voluntas. Atqui Chriſtus eſt unum agens: ergo. R. D. Maj. Unius agentis ut quo & ut quod eſt, &c. C. Unius agentis ut quod, ſed duplicis agentis ut quo, N. Quia voluntas ſequitur ad naturam ſeu principium quo, non ad ſuppoſitum: & ſic D. Min. N. Conſeq. Urgebis Voluntates inferunt ſecum volentes: ergo unius volentis una eſt voluntas. R. N. Ant. Alias ſequeretur, quod in Trinitate unicum foret volens, quia eſt unica voluntas. Ita S. Maxim.

Obj. 6. Voluntas in quolibet ſuppoſito eſt primum movens in ſuo ordine: atqui unicum fuit in Chriſto tale primum movens: ergo. Prob. Min. Humanitas movebatur a divinitate. Ergo. R. N. Min. Ad Prob. (*Hic a. 1. ad 1. & 2.*) D. Ant. Humanitas movebatur a divinitate ut inſtrumentum mortuum, N. Ut inſtrumentum agens per propriam voluntatem, C. Sicut ergo, licet v. g. voluntas Sanctorum moveatur a Deo, non impedit, quin hæc voluntas in eis dicatur primum movens reſpectu propriarum actionum, etſi ſecundum reſpectu Dei, ita & in Chriſto.

ARTICULUS II.

Quædam Quæſtiunculæ circa voluntatem Chriſti breviter reſolvuntur.

QUÆRITUR 1. Utrum fuerit in Chriſto voluntas ſenſualitatis? R. (*Ib. a. 2. c.*) In Chriſto fuit ſenſualitas ſeu appetitus ſenſitivus, qui participative dicitur rationalis, & voluntas, quatenus natus eſt rationi obedire. Patet, quia Chriſtus aſſumpſit humanitatem integram, adeoque naturam animalis, ad quam ſequitur appetitus ſenſitivus ſeu ſenſualitas. Advertendum tamen nullum in parte ſenſitiva Chriſti actum indeliberatum præveniſſe ejus rationem; quia in eo nulla fuit carnis rebellio, ſed ſumma totius partis inferioris ad ſuperiorem ſubjectio, & quidem perfectior quam in Adamo innocente; ut jam dixi.

Quæritur 2. Utrum fuerit in Chriſto duplex voluntas rationis. R. (*Ib. a. 3. a.*) Si per voluntatem intelligatur potentia, una fuit in Chriſto voluntas rationis; duplex, ſi intelligatur actus, nempe una, quæ eſt natura, altera, quæ eſt ratio: quia eadem potentia fertur ad objectum vel ſimpliciter & abſolute, vel cum ordine ad aliud ut in media cum ordine ad finem, vel ad finem ex ordine mediorum, utrumque enim continetur ſub ratione boni; ſi priori modo, dicitur voluntas ut natura; quia non per modum rationis, ſed per modum naturæ movetur, ſicut cum refugit, quæ ſunt naturæ nociva, vel proſequitur, quæ ſunt naturæ convenientia; & vocatur *Thelyſis* a Damaſceno; Poſteriori modo dicitur voluntas rationis, quia fertur in objectum comparando & deliberando, & vocatur ab eodem *Bulyſis.*

Quæritur 3. Utrum fuerit in Chriſto contrarietas voluntatum? R. Negative. (*Ib. a. 6. a.*) Eſt de fide deciſum in Concilio gener. 6. act. 4. & prius in Concil. Later. ſub Martino I. Can. 15. Ratio eſt 1. (*Ib.*) Quia contrarietas eſt oppoſitio in eodem circa idem. Unde deficit contrarietas, ſi unum ſecundum unam rationem ametur, & ſecundum alteram rationem rejiciatur. Ideoque quamvis voluntas ſenſualitatis, ſeu voluntas ut natura refugeret mortem ut nocivam naturæ, voluntas autem divina & voluntas rationis appeteret ut bonam generi humano, non eſt contrarietas. Quia volebat Chriſtus voluntate divina & rationis, ut voluntas ſenſualitatis & naturæ moveretur ſecundum inclinationem ſuam, ita ut tamen illi ejuſque motibus perfecte dominaretur, nec moveretur, niſi in quantum voluntas divina & rationis permitteret.

Quæritur 4. Utrum voluntas Chriſti ſemper fuerit conformis voluntati divinæ? R. (*Ib. a. 5. a.*) Voluntas rationis ſaltem abſoluta & efficax ſemper fuit conformis voluntati divinæ etiam in volito materiali, non tamen voluntas ſenſualitatis & naturæ. Primas pars (*Ib.*) patet ex illo, quod dixit: *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu*; quibus verbis explicat voluntatem ſuam divinæ voluntati conformari ex electione & deliberatione circa idem volitum, quod ſecundum voluntatem ſenſualitatis & naturæ refugiebat. Patet etiam ratione: quia id decet ſummam Chriſti perfectionem & ſanctitatem. Hinc ſequitur (*Ib.*) ſecunda & tertia pars. Poterat enim appetitus ſenſitivus, ſeu voluntas ſenſualitatis, ſicut & voluntas ut natura eſt, aliud velle, quam ipſe Deus & voluntas Chriſti ut rationalis: utraque enim movebatur motu proprio naturali, illa proſequens, quæ ſenſibus erant commoda, & refugiens, quæ erant incommoda, iſta appetens bona naturæ, & refugiens noxia, ita tamen ut ſemper eſſent conformes divinæ voluntati & voluntati rationis hoc ſenſu, quod nihil appetebant aut refugiebant, niſi quod divina voluntas & voluntas rationis permitterent velle aut refugere.

Petes, utrum non poſſint admitti in voluntate Chriſti, ut ratio eſt, quidam actus inefficaces & imperfecti, non conformes divinæ voluntati in volito materiali? R. Nullam in hoc videri repugnantiam. Sic poterat Chriſtus volun-

luntate rationis refugere inefficaciter mortem non præciſe ut nocivam naturæ, ſed etiam ſecundum quod ex ea ſecutura erant varia peccata. Sic ex ſumma charitate volebat ſalutem omnium : ſed & hi actus poſſunt dici etiam conformes divinæ voluntati, nempe efficaci.

ARTICULUS III.

Utrum in Chriſto fuerit liberum arbitrium?

Dico. (*Ibid. a.* 4.) In Chriſto fuit liberum arbitrium, hoc eſt libertas a coactione & a neceſſitate; utrumque enim importat liberum arbitrium, ut docet S. Doctor q. 6. de malo & alibi : & nos diximus dum de Actibus humanis. Eſt quoad libertatem a neceſſitate contra Calvinum, Lutherum & Janſenium *l.* 9. *de* Grat. Chri. *c.* 9. & l. 7. c. 15. & videtur quoad hanc etiam partem de fide definita in 6. Synodo Act. 4 ubi definitur fuiſſe in Chriſto omnes proprietates naturæ humanæ, adeoque & libertatem a neceſſitate. Prob. ex Scriptura. Iſa. 7. dicitur de Chriſto; *Ut ſciat reprobare malum, & eligere bonum.* Et 15. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit.* Ex S. Aug. Tract. 119. in Joan. *Quis ita dormit quando voluerit, ſicut Jeſus mortuus eſt, quando voluit? Quis ita veſtem deponit quando voluerit, ſicut ſe carne exuit quando voluit?* Idem Tract. 37. Item Cyrill. l. 7. in Joan. c. 7. Chryſoſt. in c. 53. Iſa. Greg. Cyprin. & alii. D. Th. hic ad 3. *Licet voluntas Chriſti ſit determinata ad bonum, non tamen eſt determinata ad hoc vel illud bonum: & ideo pertinet ad Chriſtum eligere per liberum arbitrium confirmatum in bono, ſicut ad Beatos.*

Prob. Ratione: tum ea, quam hic adfert D. Th. nempe in Chriſto fuiſſe voluntatem rationis, quæ eſt in unum cum ordine ad aliud, quod non eſt ſine electione, quæ eſt liberi arbitrii; tum quia Chriſtus aſſumpſit humanitatem perfectam & integram; non datur autem perfecta & integra humanitas ſine libertate.

Obj. 1. Difficilem auctoritatem D. Th. in 3. d. 18. q. 1. a. 2. ad 5. ubi poſt adhibitam ſolutionem prius allatam ex præſenti artic. ad 3. ſubdit : *Vel dicendum, quod etiamſi eſſet determinatum ad unum numero ſicut ad diligendum Deum, quod non facere non poteſt; tamen ex hoc non amittit libertatem aut rationem laudis & meriti, quia in illud non coacte ſed ſponte tendit: ita eſt actus ſui dominus.* Reſpondent plures, vel S. Doctorem hanc ſententiam hic retractaſſe, vel illic loqui non ex propria ſententia, ſed aliorum tum temporis probabili, ſi quidem priori ſolutione ſæpius uſus fuerit, hac autem ſemel tantum. Miſſis his ſolutionibus, R. S. Doctorem velle tantum amorem beatificum in Chriſto quantumvis neceſſarium, ut fertur ad Deum ut in ſe bonum, & regulatur ſcientia beata, fuiſſe tamen liberum, vel ut fertur ad Deum ut eſt ratio diligendi creaturas, vel ut regulatur ſcientia infuſa. Nec obſtant hæc verba: *Quia in illud non coacte ſed ſponte tendit.* Quia To *non coacte ſed ſponte*, idem eſt ac *non neceſſario ſed libere.* Sæpiſſime enim a S. Th. & veteribus *coactum* ſumitur pro *neceſſario*, & *ſpontaneum* pro *libero.* Sicque ita ſumi patet ex verbis ſubjunctis; *Et ita eſt actus ſui dominus*, quod verum non foret, ſi intelligat de actu neceſſario. Eoque verior eſt hæc explicatio, quod juxta S. Doctorem liberum arbitrium non verſetur circa Deum ut ultimum finem. De hoc argumento paulo latius dixi in Tract. de Act. hum. Diſſert. de voluntario libero Art. 3. Confer.

Obj. 2. Liberum arbitrium ſe habet ad utrumque. Atqui voluntas Chriſti fuit determinata ad bonum, quia non potuit peccare. Ergo. R. D. Maj. Liberum arbitrium ſe habet ad utrumque contrarietatis, N. Contradictionis, C. Et ita fuit Chriſtus, imo etiam fuit liber quoad ſpecificationem, non quidem contrariam ſed diverſam ſeu diſparatam; juxta ſolutionem D. Th. ad 3. ſupra cit.

ARTICULUS IV.

Concordia libertatis Chriſti cum ejus impeccabilitate.

QUæ articulo præced. diximus, conſtant inter Catholicos: ſed gravior modo, imo graviſſima difficultas eſt, quomodo ſolvatur libertas Chriſti in actibus præceptis aut prohibitis cum ejus impeccabilitate. Vel enim potuit Chriſtus ab actu præcepto abſtinere, aut prohibitum committere, vel non potuit. Si potuit: ergo potuit peccare. Si non potuit : ergo in eis non fuit liber, adeoque non meruit, maxime in morte ſubeunda, cujus mandatum habebat a Patre. Utrimque Syrtes. Mirum ſane quot in placita excurrerint Auctores, ut nodum hunc ſolverent. Unde

§. I. Referuntur variæ ſententiæ circa præceptum moriendi, & impugnantur.

PRIMA SENTENTIA.

QUidam negant Chriſto fuiſſe impoſitum ſtrictum & rigoroſum moriendi præceptum, ſed latum & improprium, prout ſignificat inſinuatam Dei voluntatem, quo decreverat ipſum pro ſalute hominum moriturum, præceptum, inquam, non obligans, ſed dirigens, ut ſunt regulæ quarumdam Religionum quæ tamen ſunt materia obedientiæ. Id aperte docet D. Th. 2. 2. q. 104. a. 2. o. ubi dicit : *Voluntas Superioris quocumque modo innoteſcat, eſt quoddam tacitum præceptum, & tanto videtur obedientia promptior, quanto expreſſum præceptum obediendo prævenit, voluntate Superioris intellecta.* Et hoc, inquiunt, genus mandati videtur magis congruere amori Patris in Filium, ſiducia de ejus virtute ac dignitati ipſius Filii. Deinde cum Chriſtus eſſet abſolute impeccabilis, non videtur fuiſſe capax præcepti proprie dicti, quod ubique includit comminationem culpæ & pœnæ proprie dictæ.

Impugnatur.

1. JUxta regulam generalem ab Aug. traditam, & a Theologis communiter admiſſam, verba Scripturæ ſunt in proprio ſenſu accipienda, quando inde nullum ſequitur inconveniens. Atqui Scriptura ſignificat præcepta impoſita fuiſſe Chriſto : & ſi præceptum in proprio ſenſu accipiatur, nullum ſequitur inconveniens. Ergo. Secunda pars Minoris patebit infra. Prima pars autem exprimitur illo Joan. 10. *Hoc mandatum accepi a Patre.* Joan. 14. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio.* Joan. 15. *Si præcepta mea ſervaveritis... Sicut & ego Patris præcepta ſervavi.* Ubi eodem modo vocat præcepta ſibi a Patre impoſita, quo ea, quæ ipſe Apoſtolis impoſuit, quæ erant proprie dicta. Ergo. Nec obſtat, quod dum 2. Reg. 16. dicitur: *Dominus præcepit Semei, ut malediceret David* : ibi intelligatur præceptum late & improprie: quia in hoc caſu præceptum proprie dictum involveret abſurdum, non in noſtro.

2. In Chriſto fuit *vera* & ſtricta obedientia ex qua mortuus eſt. Atqui vera & ſtricta obedientia habet pro objecto formali verum & ſtrictum ſuperioris præceptum. Ergo. Majorem probat S. Th. infra q. 47. a. 2. & patet ex Scriptura ad Philipp. 2. *Humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem.* Ad Rom. 5. *Sicut per unius inobedientiam peccatores conſtituti ſunt multi, ita per unius obedientiam juſti conſtituti ſunt multi.* Unde Bernard. ſerm. ad milites Templi c. 13. dicit. *Quod ne perderet obedientiam, perdiderit vitam.* Prob. Min. 1. Objectum formale obedientiæ eſt voluntas Superioris qua talis, & ut a non Superiore diſtinguitur. Atqui voluntas ſimpliciter ſolum dirigens aut conſulens non eſt Superioris qua talis, & ut a non Superiore diſtinguitur, ſed ſola voluntas obligans, in qua conſiſtit proprium præceptum; æqualis enim. imo & inferior poteſt æque velle & dirigere conſilio ſicut Superior. Ergo. 2. Inobedientia & obedientia dicuntur in ordine ad idem converſive & averſive. Atqui inobedientia dicitur per averſionem a præcepto proprie ſumpto. Ergo obedientia per converſionem ad præceptum proprie ſumptum. Unde in ſecundo teſtimonio comparatur obedientia Chriſti inobedientiæ Adæ: hæc autem fuit per averſionem a præcepto. Ergo illa per converſionem ad verum præceptum. Ad id ergo, quod aſſerunt Adverſarii ex D. Th. R. S. Doctorem ibidem ex profeſſo probare objectum formale obedientiæ eſſe ſtrictum præceptum Superioris. Nec verba, quæ opponuntur, contraria ſunt. Qui enim voluntate Superioris intellecta prævenit obediendo expreſſum ejus mandatum, vel in voluntate Superioris intelligit verum præceptum licet tacitum tantum, ut enim dicit S. Doctor, voluntas Superioris quocumque modo innoteſcat (ſcilicet ut præcipiens) eſt quoddam tacitum præceptum; ut ſi Superior graviter conqueratur de iis, qui ſine cauſa abſunt a Choro, quamvis terminis expreſſis non præcipiat illis frequentationem Chori, præcipit tamen tacite & vere. Vel intelligit ſolum deſiderium abſque voluntate præcipiendi & obligandi. Primo modo inobediens eſt promptior, vera & proprie dicta obedientia, quia ibi eſt verum præceptum licet tacitum. Secundo modo eſt etiam promptior, non quidem in actu formalis & ſtrictæ obedientiæ, ſed in præparatione animi, qui enim abſque ullo præcepto voluntati Superioris morem gerit, oſtendit voluntatem promptiſſimam & paratiſſimam, ſi illi præcipiat.

Ad id, quod opponunt de regulis quorumdam Religionum, quæ licet non ſint præcepta ſtricta & obligantia, ſunt tamen materia obedientiæ, R. illas regulas licet non obligent ad culpam, obligare ad pœnam. Ea autem parte, qua non obligant, ſicut non ſunt præcepta, nec leges, ſed mera ſtatuta, ſeu exhortationes & directiones, ita nec ſunt materia obedientiæ proprie dictæ.

Si forte dicas præceptum moriendi Chriſtum etiam obligaſſe ad pœnam tantum, non ad culpam. Infero 1. Ergo potuit Chriſtus operari actiones pœna & reprehenſione dignas, quod etiam maxime repugnet ejus perfectioni & ſanctitati. Infero 2. Ergo non eſt mortuus ex obedientia : ſi quidem in hac hypotheſi præceptum non caderet ſupra mortem, ſed ſupra pœnam, caſu quo non moreretur. Unde quidam hujus ſententiæ Patroni apud Pletellium vo-

volunt præceptum Chriſto impoſitum moriendi nullam omnino importare obligationem ſive ad pœnam, ſive ad culpam, ſed merum conſilium. At inde ſequitur aperte graviſſimum abſurdum, ſcilicet nullatenus Chriſtum ex obedientia mortuum eſſe contra expreſſa Scripturæ teſtimonia; ut enim ex dictis patet, eo magis minuitur obedientia, quo magis attenuatur præceptum, adeoque omnino tollitur, ubi nullum eſt præceptum. Adde, quod etiam repugnet ſummæ Chriſti perfectioni & ſanctitati eum conſilia Dei Patris æterno decreto innixa poſſe omittere & negligere.

3. Evertendo præcipuum hujus ſententiæ fundamentum. Ideo negant hujus opinionis aſſertores impoſitum eſſe Chriſto proprium & ſtrictum moriendi præceptum, quia exiſtimant hujuſmodi præceptum Chriſto, qui eſt impeccabilis, auferre libertatem moriendi: atqui id omnino falſum eſt. Ergo. Prob. Min. Præceptum ſupponit neceſſario actum, ad quem datur omnino liberum, ita ut ſi hanc ejus libertatem deſtrueret, ſuam propriam naturam adeoque & ſeipſum deſtrueret. Ergo. Patet Ant. Tum quia non alia ratione imponitur præceptum, niſi ut ſubditus liber, qui in utramque partem ferri poterat, contineat ſe, & in partem unam prorumpat, a qua poterat abſtinere, ita ut fruſtra & ſtulte præciperetur habenti neceſſitatem agendi, ſic igni non præcipitur ut comburat, cordi ut moveat, &c. Ergo.

4. Hæc ſententia limitat indebite meritum & libertatem Chriſti, quæ tamen e contra extendi debent quantum fieri poteſt. Prob. Si verum ſit non fuiſſe poſitum Chriſto præceptum proprium & rigoroſum moriendi, quia ex illo deſtrueretur ejus libertas adeoque & meritum in moriendo: ergo nec liber fuit, nec meruit in obſervatione omnium præceptorum naturalium, quæ reſpectu omnium hominum adeoque & Chriſti ſunt ſtricti & rigoroſi juris. Id quidam concedunt, ſed quam infundate, &, ut videtur, quam injurioſe Chriſto!

SECUNDA SENTENTIA.

ALii comminiſcuntur Præceptum verum & proprium impoſitum fuiſſe Chriſto de morte ſubeunda quoad ſubſtantiam tantum, non quoad circumſtantias illius, puta tempus, locum, motivum, intentionem actus, &c.

Impugnatur.

1. CONTRA illam militat argumentum tertio loco factum contra priorem opinionem. 2. Secundum hunc modum ſequitur Chriſtum nec ſibi, nec nobis meruiſſe ex eo præciſe, quod mortuus ſit, ſed ſolum ex eo, quod mortuus ſit tali loco, tali tempore, hoc vel illo affectu ſeu motivo, &c. Quia juxta hanc opinionem circa has circumſtantias tantum fuit liber, non circa mortem quoad ſubſtantiam; præceptum enim ſecundum eos aufert libertatem. Quod quam ſit abſurdum patet tum ex communi ſenſu fidelium, qui tribuunt redemptionem ipſi Chriſti morti, non ejus circumſtantiis, tum ex ipſa Scriptura idem ſignificante. Dicitur enim Iſa. 53. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longævum*. &c. Et ad Philipp. 2. *Factus eſt obediens uſque ad mortem, propter quod & Deus exaltavit illum*, &c.

Si dicas non obſtante præcepto circa mortem quoad ſubſtantiam, remanere tamen libertatem adeoque & meritum circa illam, quatenus non ex neceſſitate præcepti, ſed ex arbitrio pendebat, ut actu interno, ipſam mortem quoad ſubſtantiam, tali fervore, tali motivo eligeret; libertas autem & meritum maxime penſantur ex actibus internis. Verum hæc reſponſio 1. conando ſalvare libertatem Chriſti evacuat ejus obedientiam. Si enim circa actus internos ſit liber Chriſtus, de eis non habet præceptum juxta adverſarios, nec conſequenter obedientiam. 2. Quis ſanæ mentis dicat eum, qui damnatus eſt ad mortem, mori libere, quia ejus arbitrio relinquitur ut hoc vel illo motivo, hoc vel illo fervore pœnitentiæ moriatur. 3. Sequitur in illa opinione Chriſtum non meruiſſe per obedientiam, quippe qui non fuit liber circa rem præceptam, ut præceptam, quod eſt objectum obedientiæ, ſed ſolum circa circumſtantias non præceptas. Hoc autem conſequens eſt contra communem Eccleſiæ ſenſum & expreſſe contra Apoſt. ad Rom. 5. dicentem: *Sicut per inobedientiam unius* (ſcilicet Adami) *multi conſtituti ſunt peccatores, ita per obedientiam alterius* (ſcilicet Chriſti) *multi conſtituti ſunt juſti*. Et ad Philipp. 2. *Factus obediens uſque ad mortem* ... *propter quod & Deus exaltavit illum*.

Si reponas cum Platellio, Chriſtum nihilominus fuiſſe liberum circa rem præceptam ut præceptam ſub præcepto disjunctivo inducente obligationem ad hunc vel illum actum acceptationis ex variis ſub disjunctione imperatis, ac proinde verum & liberum obedientiæ actum exercuiſſe & per illum meruiſſe. Sic B. Virgo vere obediebat legi præcipienti par turturum, aut duos pullos columbarum, determinate offerendo par turturum, quamvis non obligaretur ad id determinate. Verum hæc omnia vera ſunt ſupponendo præcepto nullam induci neceſſitatem, ſecus ſi ſupponas contrarium. Ponamus enim legem imponere neceſſitatem abſolutam B. Virgini offerendi turtures aut columbas, libere quidem eliget turtures, ſed non poterit dici libere obedire legi. Similiter ſit homo damnatus mori ſuſpendio vel ferro, & eligat ferrum, equidem dicetur libere mori ferro, ſed non ſimpliciter libere mori. Supponit autem hæc ſententia præceptum auferre libertatem Chriſto: unde in ea verum erit dicere: Chriſtus hunc vel illum actum poſuit libere, ſed tamen obedientiam ſimiliter non poſuit libere; libere hoc vel illo actu acceptavit mortem, non tamen libere acceptavit mortem ſimpliciter.

Dices. Præcepta, quæ hominibus imponuntur, attingunt tantum ſubſtantiam actus. Ergo ſimiliter in Chriſto. R. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod voluntates hominum non ſint ita promptæ ad obediendum. Unde ut ſuavia ſint, quæ ipſi imponuntur, præcepta, & conditioni fragilitatis humanæ accommoda, feruntur tantum in ſubſtantiam operum, non in modum aut varias circumſtantias. At vero promptiſſima erat Chriſti voluntas ad omnia Patris præcepta implenda. Unde ut perfectiſſima foret ejus obedientia, majuſque meritum ipſi acceſceret, debuit obligari ad actum obedientiæ perfectiſſimum, adeoque non ſolum ad ſubſtantiam actus, ſed etiam ad omnes circumſtantias ſe extendentem. Inſuper hæc inſtantia non ſalvat priora inconvenientia, ſcilicet Chriſtum non meruiſſe per mortem & per obedientiam.

TERTIA SENTENTIA.

ALii exiſtimant præceptum moriendi fuiſſe impoſitum Chriſto dependenter ab ejus conſenſu, quo ſe prius ad illud acceptandum obtulit, aut ſub conditione, quod, quando vellet, poſſet diſpenſationem obtinere. Ita noviſſime Tournely.

Impugnatur.

1. HÆc ſententia meritum obedientiæ in Chriſto, vel omnino evacuat, vel ſaltem valde attenuat. Vix enim ulla eſt obedientia ſubditi, cui nihil præcipitur, niſi prius explorata & exſpectata ejus voluntate, vel cujus arbitrio ita præceptum relinquitur, ut poſſit ad libitum diſpenſationem obtinere. 2. Hæc ſententia opus Redemptionis noſtræ refundit in voluntatem humanam Chriſti magis quam in voluntatem divinam; quod eſt inconveniens.

Communibus argumentis ſimul impugnantur hæ tres Sententiæ.

1. NULLUM habent fundamentum in Scripturis. 2. Nituntur falſo ſuppoſito, nempe præceptum deſtruere libertatem, cum e contra eam neceſſario ſupponat, ut diximus. 3. Inutiles ſunt ad conciliandam libertatem Chriſti cum ejus impeccabilitate circa præcepta naturalia, quæ nec ſunt impropria, nec pendent ab acceptatione Chriſti, nec diſpenſationem patiuntur. 4. Sublato omni præcepto, remanet mortem Chriſti cum omnibus ſuis circumſtantiis eſſe a Deo voluntate abſoluta præfinitam, Chriſtuſque ſciebat hanc voluntatem, cui non minus repugnabat, non conformari, quam peccare. 5. Nodum non ſolvunt, ſed abrumpunt. Nulla enim eſt difficultas conciliandi libertatem cum impeccabilitate, ſi non ſit verum præceptum, aut pendeat a voluntate acceptantis. Janſenius exiſtimavit voluntatem Chriſti fuiſſe neceſſitatam ad impletionem præcepti, remanſiſſe tamen ſufficienter liberam ad meritum, quia fuit libera a coactione, quæ libertas juxta ipſum ſufficit ad merendum, ſed hanc ſententiam articulo præcedenti & latiſſime in Tractat. de Act. human. exploſimus. His itaque variis rejectis ſententiis, ſit

§. II. *Vera Sententia ſtabilitur*.

DICO 1. Admittendum eſſe in Chriſto verum & rigoroſum præceptum moriendi nedum quoad ſubſtantiam, ſed etiam quoad circumſtantias mortis, nec ab ejus voluntate quoad impoſitionem aut continuationem dependens. Id innuunt omnes Scripturæ citatæ contra 1. ſententiam. Item Luc. 22. *Filius hominis, ſicut definitum eſt, vadit*. Act. 4. *Convenerunt adverſus puerum ſanctum tuum Jeſum Herodes & Pontius Pilatus facere, quæ manus tua & conſilium tuum decreverunt fieri*. Heb. 10. *Ingrediens mundum dicit* . . . *Ecce venio ut faciam, Deus, voluntatem tuam*. Pſ. 39. *In capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam: Deus meus volui & legem tuam in medio cordis mei*. Id etiam evincunt perfecta Chriſti obedientia, & quæ huc uſque diximus contra priores ſententias.

Dico 2. Stante hoc præcepto & Chriſti impeccabilitate ipſum

ipſum nihilominus liberrime mortuum fuiſſe. Patet ex his omnibus, quæ diximus, & maxime quia moriendo obedivit, & obediendo meruit, ad quod utrumque requiritur libertas & quidem indifferentiæ. Hanc libertatis in ſe concordiam cum præcepto operis ipſe Chriſtus expreſſit Joan. 10. his verbis: *Ego pono animam meam, & iterum ſumo eam. Nemo tollit eam a me; ſed ego pono eam a meipſo, & poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam. Hoc mandatum accepi a Patre.*

Sed quo tandem pacto hæc, quæ tot Theologis extra ſcholam D. Th. videntur incompoſſibilia, conciliari poſſunt? Ut intelligas, ſequentia prius attende. Suppono 1. duplicem diſtingui libertatem, nempe quoad exercitium & quoad ſpecificationem. Libertas quoad exercitium dicitur libertas contradictionis; conſiſtit in hoc, quod quis poteſt idem velle & non velle, amare & non amare. Libertas quoad ſpecificationem vocatur libertas contrarietatis aut diverſitatis, & conſiſtit aut in hoc, quod quis poteſt unum velle vel ejus contrarium v. g. amare & odiſſe, bene agere & peccare, & hæc eſt libertas quoad ſpecificationem contrariam: vel in hoc, quod poſſit unum vel ejus diverſum velle, v. g. ex multis mediis ad conſecutionem finis ordinatis hoc vel illud velle, & hæc eſt libertas quoad ſpecificationem diſparatam. Suppono 2. ſolam libertatem exercitii ſeu contradictionis ſufficere ad ſalvandam eſſentiam liberi arbitrii, quia per illam homo eſt ſufficienter dominus ſui actus, & reperitur perfecta libertas in Deo & Angelis quoad bonum, in quibus non eſt libertas contrarietatis ad malum. Unde ſuppono 3. potentiam ſeu libertatem peccandi, quæ eſt contrarietatis ad libertatem bene agendi, non requiri ad veram libertatem arbitrii, ſed potius nævum & defectum eſſe libertatis, ſeu ut dicit S. Th. ſignum libertatis, ſicut morbus eſt ſignum vitæ. Suppono 4. Tò Non *mori* poſſe ſumi negative pro mera negatione mortis præciſe ſecundum ſe, vel privative pro privatione mortis ut præceptæ. Similiter non obedire poteſt ſumi negative pro mera omiſſione obedientiæ præciſe, is enim, cui nihil præcipitur, vere non obedit; vel privative pro omiſſione obedientiæ ut debitæ, ſeu pro inobedientia.

Suppono 5. ſive mori, ſive non mori ſecundum ſe, non habere ex intrinſecis neceſſariam connexionem cum voluntate Chriſti, nec cum fine a Chriſto efficaciter intento. Suppono 6. præceptum eſſe quid mere extrinſecum voluntati, eamque nullatenus interius immutare; ita ut voluntas, quæ ante præceptum ſupponitur libera, adveniente præcepto remaneat libera, cum non detur præceptum de neceſſariis. Suppono 7. Deum præcipiendo mortem Filio ſimul voluiſſe, ut illam ſubiret libere, quia voluit, ut illam ſubiret obediendo & merendo, quæ non ſtant ſine libertate. Suppono 8. communes & veriſſimas Thomiſtarum diſtinctiones in materia *de auxiliis*, ſcilicet potentiæ antecedentis & conſequentis, potentiæ poſitionis ſeu futuritionis, & poſſibilitatis, ſenſus diviſi & compoſiti, neceſſitatis infallibilitatis ſeu conſequentiæ & conſequentis ſeu abſolutæ. Potentia antecedens ſeu poſſibilitatis reſpicit objectum præciſe ſecundum ſe, ſimiliter ſenſus diviſus. Potentia conſequens poſitionis ſeu futuritionis reſpicit objectum ut in re cum ſuis omnibus circumſtantiis, ita & ſenſus compoſitus. Neceſſitas infallibilitatis ſeu conſequentiæ eſt, quando uno poſito aliud neceſſario infertur, etſi ſit in ſe liberum, ut ſi dicas: Deus prævidet Petrum peccaturum, ſequitur neceſſario neceſſitate conſequentiæ, ergo Petrus peccabit, licet tamen Petri peccatum non ſit neceſſarium in ſe. Petrus currit, neceſſario ſequitur: Ergo movetur; non tamen motus eſt neceſſarius; & hæc neceſſitas non nocet libertati. Dicitur iterum alia neceſſitas antecedens, alia conſequens. Neceſſitas antecedens eſt, quæ antecedit omnino exercitium noſtræ libertatis: & hæc illi nocet. Conſequens eſt, quæ ſupponit exercitium libertatis noſtræ vel formaliter vel æquivalenter, id eſt in aliquo continente illam eminenter, ut eſt v. g. voluntas ſeu decretum efficax Dei, in quo ceu in primo libero ac radice totius libertatis creatæ & participatæ continetur eminenter libertas humana. Unde neceſſitas orta ex tali voluntate, ſicut orta ex ipſa libertate, non ipſi nocet, diciturque Conſequens quoad effectum conſervandi illæſam libertatem.

His omnibus ſuppoſitis ſic ſolvimus nodum difficultatis, quæ hoc brevi argumento continetur. Chriſtus impeccabilis, ſtante præcepto moriendi, non potuit non mori, non potuit non obedire. Ergo nec libere mortuus eſt, nec libere obedivit. R. D. Ant. Non potuit non mori & non obedire negative, N. Privative, C. Unde N. Conſeq. Quia ad libertatem moriendi non requiritur, quod potuerit recuſare mortem ut præceptam, & non obedire privative ſeu contrarie, id eſt inobedire; ſed ſufficit, quod potuerit recuſare mortem ſecundum ſe, quod eſt poſſe non mori negative, & poſſe non obedire negative; quia, ut diximus, potentia peccandi, ſive libertas quoad ſpecificationem non requiritur ad libertatem arbitrii. Quod autem ſtante præcepto potuerit non mori negative Chriſtus, certum videtur, cum, ut dictum eſt, præceptum ſuperveniens, utpote voluntati extrinſecum, eam non immutet, ſupponatque a contra neceſſario liberam. Idem valet, ſi ſic diſtinguas: Non potuit non mori, ſeu non obedire potentia conſequente, potentia futuritionis, ſeu poſitionis, in ſenſu compoſito, C. Potentia antecedente, potentia poſſibilitatis, in ſenſu diviſo, N. Cave tamen, ne ſimiliter dicas Chriſtum poſſe peccare, ſeu inobedire potentia antecedente & in ſenſu diviſo; tum quia potentia peccandi eſt de ſe mala; tum quia importat ſenſum compoſitum nempe conjunctionem præcepti cum ejus tranſgreſſione, non ſic potentia non moriendi præciſe.

Inſt. Poſſe non mori ſtante præcepto moriendi eſt poſſe tranſgredi præceptum. Ergo. R. ut ſupra: poſſe non mori privative, C. Negative, N. vel Poſſe non mori potentia conſequente, futuritionis, in ſenſu compoſito eſt, &c. C. Potentia antecedente, poſſibilitatis, in ſenſu diviſo eſt, &c. N.

Repones. Chriſtus non potuit negationem mortis a præcepto dividere; non enim potuit auferre præceptum. Ergo non potuit non mori etiam in ſenſu diviſo. R. D. Ant. Non potuit dividere negationem mortis a præcepto poſitive, C. Præciſive, N. Sufficiebat autem ad ejus libertatem, ut negationem mortis ſecundum ſe conſideratam præciſam a præcepto poſſet ponere, alias ſequeretur, quod Angeli libere mandata Dei non exequerentur.

Replicabis. Actu non mori ſtante præcepto eſt actu tranſgredi & peccare. Ergo poſſe non mori ſtante præcepto eſt poſſe tranſgredi & poſſe peccare. Patet Conſ. Quia quod facit actus actu, facit potentia poſſibiliter, ut fert commune axioma; ſic quia actu eſſe hominem eſt eſſe actu animal rationale, ita poſſe eſſe hominem eſt poſſe eſſe animal rationale. R. D. Conſeq. ut ſupra. Ergo poſſe non mori privative, ſeu potentia conſequente, &c. eſt, &c. C. Poſſe non mori negative, ſeu potentia antecedente, &c. eſt poſſe, &c. N. Ad axioma objectum dico valere duntaxat, quando actus & potentia ſibi correſpondent: potentia autem antecedens non moriendi ſtante præcepto non eſt potentia correſpondens actui, quo Chriſtus non moriendo tranſgrederetur præceptum, ſed meræ negationi mortis ſecundum ſe. Unde ſicut non valet: *Acta non ponere actum præſcitum a Deo eſt acta falſificare ſcientiam Dei. Ergo poſſe non ponere actum præſcitum a Deo eſt poſſe falſificare ſcientiam Dei.* Ita nec in noſtro caſu. Ad exemplum, diſparitas eſt, quod eſſe animal rationale ſit eſſentiale conſtitutivum hominis. Unde nulla poteſt concipi potentia ad eſſe hominem, quin ſit ad eſſe ſimul animal rationale: omiſſio autem mortis in Chriſto non eſt eſſentialiter privatio ſeu tranſgreſſio, ſed hoc ei accidentaliter advenit ratione præcepti ſuppoſiti.

Obj. 1. Chriſtus libere obedit præcepto. Ergo potuit non obedire, adeoque peccare. R. D. Ant. Chriſtus libere obedire libertate contradictionis, C. Libertate contrarietatis, N. Unde D. Conſeq. Ergo potuit non obedire negative, C. Privative ſeu contrarie, N. Chriſtus itaque libere obedivit, non hoc ſenſu quod potuerit facere contra obedientiam ſeu contra præceptum, ſed hoc ſenſu quod potuerit non facere, quod aliunde præcipiebatur. Sicut dicimus hominem poſſe potentia antecedente reſiſtere gratiæ efficaci, non hoc ſenſu quod poſſit impedire efficaciam gratiæ, ſed hoc ſenſu quod poſſit non facere id, ad quod determinatur per gratiam; quia remanet indifferentia judicii, & Deus vult id, quod fit per gratiam, fieri libere; ita in noſtro caſu non obſtante præcepto.

Inſt. Membra contradictionis debent eſſe ejuſdem rationis: atqui poteſt facere rem præceptam ut præceptam, in hoc enim ſita eſt obedientia. Ergo poteſt eam non facere ut præceptam. R. per libertatem contradictionis non intelligi hic contradictionem proprie dictam, ſed libertatem quoad exercitium, alias libertas contradictionis confunderetur cum libertate contrarietatis, quæ eſt ad ſpeciem. Huc recurrunt fere omnia argumenta, quæ fiunt contra Præmotionem phyſicam quaſi libertati averſivam; hæc conſulat licet ex dictis, maxime ex ſuppoſitionibus factis facilem habebit ſolutionem.

Hæc de libertate Chriſti circa præceptum mortis, ſed ingraveſcit difficultas circa præceptum dilectionis Dei & alia præcepta naturalia Decalogi maxime negativa. Etenim de præcepto Dilectionis non poteſt dici ut ſupra Chriſtum potuiſſe non amare etiam negative, ſi quidem non ſecus ac Beati neceſſitabatur ad amandum etiam quoad exercitium: neque de aliis præceptis, v. g. non mentiendi, poteſt dici, quod aliquo ſenſu potuit mentiri.

Huic difficultati quidam ſuccumbunt, fatenturque Chriſtum in horum præceptorum obſervantia non fuiſſe liberum, nec ideo meruiſſe: quorum ſententiam ab omnibus rejiciendam eſſe dicit Lemos Tom. 2. Panopl. Tract. 5. c. 5. n. 174. Et quidem merito, juxta eam enim evacuatur magna pars meritorum Chriſti, ſi quidem pluribus actibus im-

Digitized by Google

implevit præcepta juris naturalis. Et eſt contra D. Th. in 3. d. 18. q. 1. a. 5. ubi ait, quod *Chriſtus meruit omnibus actibus ſuis*. Sit itaque

§. III. *Solvuntur Objectiones contra Libertatem Chriſti circa præceptum dilectionis Dei & alia præcepta naturalia.*

OBJ. 1. Amor Dei in Chriſto erat neceſſarius etiam quoad exercitium, utpote conſequens claram & intuitivam Dei viſionem. Ergo Chriſtus non fuit liber circa præceptum naturale amandi Deum. Hujus argumenti duplex eſt apud Thomiſtas ſolutio, utraque probabilis. Prima Solutio diſtinguit in Chriſto duplicem dilectionem, utramque ad Dei bonitatem in ſe & ratione ſui terminatam, unam regulatam ſcientia beata & neceſſariam, alteram regulatam ſcienta infuſa & liberam. Cum enim amor ſequatur cognitionem, duplicem ſcientiam duplex amor comitutur. Ita Capreol. Ferrar. Med. Soto, Joannes a S. Th. Contenſ. quam etiam reputat probabilem Gonet in Manuali. Unde juxta hanc ſolutionem diſtinguenda eſt probatio Min. ſic: amor Dei in Chriſto regulatus ſcientia beata erat neceſſarius, C. Regulatus ſcientia infuſa, N.

Inſt. 1. Vel illi duo actus amoris diſtinguuntur ſpecie, vel numero. Neutrum dici poteſt. Ergo. Non ſpecie, quia ab eodem habitu charitatis, qui eſt ſpeciei athomæ, non ſecus ac fides & ſpes, procedunt, & circa idem omnino objectum formale verſantur; non enim diverſa apprehenſio dat ſpeciem actui, ut docetur in Phyſica. Non etiam numero; quia duo accidentia ſolo numero diſtincta non poſſunt eſſe ſimul in eodem ſubjecto: cum enim ſit materialis eorum diſtinctio, ab ipſo ſubjecto tanquam a materia diſtinguuntur & individuantur. Unde requireretur, quod amor regulatus ſcientia beata ceſſaret, ut daret locum amori regulato ſcientia infuſa, quod eſt impoſſibile, quia primus amor eſt neceſſarius etiam quoad exercitium. R. hos amores diſtingui inter ſe ſpecie non ſubſtantiali propter rationes factas, ſed modali: quia ſicut libertas actus eſt modus diverſus ſpecie a modo neceſſitatis, ita actus liber ſpecie modali differt a neceſſario, & hoc ſufficit, ut poſſint ſimul eſſe in eodem ſubjecto.

Inſt. 2. Si amor regulatus ſcientia infuſa ſpecie modali diſtinguatur ab amore regulato ſcientia beata, erit a fortiori idem dicendum de amore viatorum regulato per fidem reſpective ad amorem regulatum viſione beatifica, ſubindeque charitas viæ non permanebit in Patria, contra illud Apoſt. 1. Cor. c. 13. *Charitas nunquam excidit*. Ergo. R. illud Apoſtoli eſſe intelligendum de charitate habituali, quæ in Patria perdurat, non de actuali. Quod patet tum ex ipſis Angelis, quorum amor actualis viæ fuit diſtinctus ab amore Patriæ, alias non fuiſſet in illis niſi unicum inſtans pro via & pro termino, quod communiter rejicitur; tum ratione, quia mutatio actus liberi in neceſſarium non eſt denominatio pure extrinſeca, ſed aliquid intrinſecum ab ipſa potentia vitali effluens, ideoque dum de libero mutatur actus in neceſſarium, debet eſſe novus voluntatis partus, nova a principio vitali proceſſio, adeoque novus actus. Altera ſolutio diſtinguit in eodem actu amoris duplicem terminationem, alteram ad divinam bonitatem ut in ſe conſideratam, prout eſt ratio diligendi Deum ejuſque perfectiones neceſſarias, alteram ad divinam bonitatem, ut eſt ratio diligendi creaturas, cum quibus non habet neceſſariam connexionem; ſub prima formalitate ſeu terminatione eſt neceſſarius, ſub ſecunda eſt liber. Licet enim actui reſpectu ejuſdem objecti ſecundum eandem rationem convenire nequeant libertas & neceſſitas, nulla tamen videtur repugnantia reſpectu diverſorum objectorum, vel ejuſdem ſecundum diverſas rationes. Sic idem amor increatus Dei eſt neceſſarius reſpectu propriæ bonitatis ut in ſe, & liber reſpectu creaturarum ſeu ejuſdem divinæ bonitatis ut eſt ratio diligendi creaturas. Ita Aſturicenſis, Nazarius, Alvares, Aravios, quos citat & ſequitur Gonet in Clypeo, item Joannes a S. Thom. hanc ut præcedentem Sententiam probabilem ſuſtinens.

Inſt. 3. Quod eſt proprium amori increato propter ſuam infinitatem, non poteſt tribui amori Chriſti creato: atqui quod idem actus amoris increatus ſit neceſſarius & liber reſpectu duplicis terminationis ad diverſa, hoc habet ratione ſuæ infinitatis. Ergo. R. N. Min. Habet quidem Deus ratione infinitatis, quod actus identificetur cum voluntate; quod autem terminetur duplici terminatione libera & neceſſaria ad diverſa, habet non ratione infinitatis, ſed ex hoc, quod perfectiones divinæ intrinſecæ habeant neceſſariam connexionem cum Deo, non vero creaturæ ſeu bona Deo extrinſeca.

Inſt. 4. Dilectio, qua Chriſtus meruit, adeoque quæ fuit libera, competebat Chriſto ut viatori ſecundum D. Th. q. 79. a. 3. Atqui dilectio regulata per ſcientiam beatam non competit Chriſto ut viatori, ſed ut comprehenſori. Ergo. R. D. Min. Dilectio regulata per ſcientiam beatam ut proponentem Deum diligendum neceſſario & ſecundum perfectiones neceſſarias convenit Chriſto ut viatori, C. Min. Regulata per ſcientiam beatam proponentem Deum diligendum libere, & ut eſt ratio diligendi creaturas, N.

Inſt. 5. Non eſt credibile Chriſtum nihil meruiſſe amando Deum ut eſt in ſe & propter ſe, ſed ſolum amando creaturas, cum meritum charitatis debeat potiſſimum conſiſtere in præcipuo ejus actu, qui eſt amor Dei in ſe & propter ſe. Ergo. R. id nullatenus eſſe incredibile; cum enim amor Dei in ſe non eſſet Chriſto liber, ſed neceſſarius, ipſi ut comprehenſori competebat, cujus non eſt mereri.

Obj. 2. Saltem inſtante tempore, quo urgebat præceptum diligendi Deum, non potuit Chriſtus non diligere quoad exercitium. Ergo. R. ut ſupra de præcepto mortis: non potuit Chriſtus non diligere privative ſeu contrarie, C. Negative, N. Seu, non potuit potentia conſequente, C. Antecedente, N. Amor enim ſeu non amor ſecundum ſe non habet magis neceſſariam connexionem cum voluntate ex intrinſecis urgente præcepto, quam non urgente, ut pote quod ſit quid voluntati extrinſecum, ut dictum eſt. Unde neceſſitas ab illo promanans eſt neceſſitas infallibilitatis tantum & conſequentiæ, non conſequentis.

Obj. 3. Ex amore neceſſario finis voluntas neceſſitatur eligere media ad hujus finis aſſecutionem neceſſaria, ſi nondum habeatur, vel ad ejus conſervationem, ſi jam poſſideatur. Atqui voluntas Chriſti neceſſario amat Deum ultimum finem, & aliunde ad hujus finis conſervationem neceſſaria eſt adimpletio omnium præceptorum. Ergo. R. 1. Hoc argumentum nimis probare. Ex eo enim ſequitur omnia Angelorum & Beatorum opera etiam externa miniſteria a Deo imperata non eſſe libera, ſed neceſſaria, quod nemo concedit. R. 2. D. Maj. Ex amore neceſſario finis voluntas neceſſitatur eligere media ad hujus finis conſervationem neceſſaria eſſentialiter & extrinſeca ratione ſui, C. ut eſt v. gr. fuga peccati ad conſervationem amoris Dei. Accidentaliter & ratione præcepti extrinſeci neceſſaria, N. Præceptum enim, ut ſæpius dictum eſt, nihil immutat circa intrinſeca rei præceptæ, nec intra voluntatem: unde remanet eadem indifferentia judicii de bonitate rei præceptæ & de medio ſecundum ſe; nec ſequitur neceſſitas ex præcepto niſi infallibilitatis & conſequentiæ. Unde ad Min. ſic D. Adimpletio præceptorum formaliter & reduplicative ſumpta eſt neceſſaria, &c. C. Specificative ſumpta pro actibus, quibus adimplentur præcepta, Subd. Eſt neceſſaria ex ſe eſſentialiter, N. Accidentaliter ratione præcepti extrinſeci, C. Nec obſtat, ſi dicas ex voluntate efficaci conſervandi vitam hominem hic & nunc neceſſario uti hoc cibo, ſi nullum ſit aliud medium. Item ex voluntate efficaci ſalutis neceſſitatur quis ad Baptiſmum; licet neutrum ſit medium neceſſarium ab intrinſeco. R. hoc utrumque exemplum magis nocere, quam prodeſſe adverſariis: in utroque enim finis non amatur neceſſario ſed libere. Unde ex ejus amore efficaci ſequitur tantum neceſſitas mediorum hypothetica & infallibilitatis ſeu conſequentiæ, non abſoluta & conſequentis: ſicut ex eo quod Petrus libere currat, non ſequitur, quod neceſſario neceſſitate abſoluta & conſequentis moveatur, ſed neceſſitate tantum hypothetica, infallibilitatis & conſequentiæ; ſicut enim libere currit, ita libere movetur. Equidem verum eſt, quod Chriſtus non libere ſed neceſſario amet Deum ut ultimum finem, ſed inde ſequitur dumtaxat, quod neceſſario neceſſitate abſoluta amentur media, quæ ex ſe & intrinſecis habent neceſſariam connexionem cum iſto fine, ſecus ſi tantum habeant connexionem ex accidenti, puta ex præcepto extrinſeco; hæc enim amantur neceſſario neceſſitate dumtaxat infallibilitatis & conſequentiæ. R. 3. Majoris explicationis gratia ad principale argumentum, D. Maj. Ex amore neceſſario finis neceſſitatur voluntas eligere media neceſſaria ad ejus conſervationem, media reduplicative ut talia, C. Media ſpecificative conſiderata & ſecundum abſolutam rationem, attentis præciſe meritis objecti, N. Similiter D. Min. Adimpletio præceptorum reduplicative ut talis eſt medium neceſſarium, C. Specificative ſumpta, N. Patet ex dictis.

Obj. ultimo. Chriſtus nullam habuit potentiam aut libertatem ad mentiendum, v. g. Ergo non mentiri non fuit ipſi liberum. Ergo obſervantia hujus præcepti, *Non mentieris*, non fuit ipſi libera. R. Conceſſo Ant. D. Conſeq. Ergo non mentiri non fuit ipſi liberum, ſi ly *non mentiri* ſumatur negative pro mera ceſſatione ab actu mentiendi, C. Si ſumatur pro actu poſitivo, quo veritatem dicebat, ſeu quo ſe huic præcepto ſubjecit, N. Iſte enim actus poſitivus, cum proponeretur ſub indifferentia judicii ſeu propriis meritis, & aliunde eſſet actus obedientiæ & humilitatis, qui neceſſario exigit libertatem, non poterat eſſe neceſſarius neceſſitate abſoluta. Unde ad ultimum conſequens proportione ſervata, D. Ergo obſervantia hujus præcepti *non mentieris* negative ſumpta pro ceſſatione ab

actu mendacii non fuit libera, Tranſeat r Sumpta pro a-ctu, quo voluit huic legi ſe ſubjicere, ſeu quo actum poſitivum mendacio contrarium eliciebat, N.

DIGRESSIO HISTORICA

De Monothelisſmo,

AD ARTICULUM I. PRÆCEDENTIS DISSERTATIONIS.

SECTIO I.

Synopſis Hiſtorica Monothelisſmi,

ERROREM Monothelitarum in negatione duplicis voluntatis & duplicis operationis in Chriſto ſitum eſſe ſpecialiter oſtendemus Sect. ſequenti,

Auctores & Fautores Monothelisſmi.

THEODORUS Pharanitanus primus hujus Hæreſeos Parens videtur, ſed quam Sergius Patriarcha Conſtantinop. circa an. 625. Heraclio Imperatori ſibi amicitia devincto inſtillavit, quam ille imprudens Imperator ſtatim publico Edicto comprobavit, vetans duas dici in Chriſto operationes.

Cyrus Alexandrinus Epiſcopus in Conciliabulo an. 633. novam edidit Capitula, quorum ſeptimo aſſerebat *Eundem unum Chriſtum & Filium operari Deo decibilia & humana, una Dei virili operatione ſecundum Dionyſium*, Dionyſii textum interpolans, & pro *novi Dei virili operatione*, ſubſtituens *unam*, quam fraudem alij Monothelitæ ſecuti ſunt.

Contra Sergium & Cyrum inſurrexit Sophronius Monachus, deinde Hieroſolymorum Patriarcha. Encyclicam Epiſtolam ad Honorium ſum, Pontificem & ad Sergium dedit, qua duas in Chriſto operationes aſtruens Monothelitas anathemate configebat. Sergius ideo errorem non depoſuit, ſed tenit. Datis anim ad Honorium litteris, perniciosæ œconomiæ viam aperiens, ſignificat opportunum fore & neceſſarium, ut neque una neque duæ in Chriſto operationes deinceps dicerentur ob emergens ex illarum vocum uſu ſcandalum; cui nimia facilitate annuit Honorius, redditis ad ipſum duabus Epiſtolis, de quibus infra,

Heraclius, Auctore Sergio, an. 639. aliud promulgavit edictum (quod dictum *Ecteſis*, extat Secretario 3. Concilii Lateran.) quo prohibebat, ne quis unam aut duas in Chriſto operationes diceret, cum interim ipſe in ea Ecteſi unicam in Chriſto voluntatem diſerte aſſereret, effutiens ſe in hoc ſequi SS. Patres. Hanc Ecteſim confirmavit Sergius, & ſuſcipiendam decrevit in Conciliabulo Conſtantinop.

Mortuo Sergio, illi & in ſede & in errore ſucceſſit Pyrrhus Monachus, qui Conciliabulo coacto Ecteſim etiam probavit, ſed mortuo Heraclio Pyrrhus in ſuſpicionem venit machinatæ cum Martina Imperatrice mortis in Conſtantinum Heraclii Filium, quo, poſt 4. Imperii menſes, e vivis ſublato, facta eſt conſpiratio populi adverſus Pyrrhum, qui aufugit Chalcedonem, deinde in Africam an. 644.

Paulus alter Monothelita in ejus ſedem ab Imperatore Conſtante intruſus errorem ita diſſimulavit ſpe confirmandæ ſedis contra Canones obtentæ, ut a Theodoro Papa ſuæ fidei laudem, non tamen ſedis confirmationem obtinuerit, Sed tandem a Legatis Theodori adactus ut profeſſionem fidei ad ipſum dirigeret, ſcripta ad Pontificem Epiſtola Monothelitam apertum ſe prodidit. Interea Pyrrhus in Africa extorris Regionem hanc ſuæ Hæreſeos veneno inficere conabatur. Ipſi reſtitit S. Maximus Abbas, qui habita cum illo diſputatione coram Epiſcopis Africanis & Gregorio Præfecto Africæ, eum adegit, ut ſe victum fateretur, Romamque cum S. Maximo ſe conterens pedibus Theodori Papæ advolutus, errorem abjuravit, ſed ficto animo, ut ſcilicet ſedem ſuam recuperaret: paulo poſt enim ad vomitum reverſus eſt,

Paulus autem Sedis Conſtantinop. invaſor, a Theodoro admonitus ut errorem ejuraret, dolum excogitavit, ut & famæ ſuæ conſuleret, & Hæreſim ſtabiliret. Auctor fuit Conſtanti Imperatori, ut edictum promulgaret, quo indiceretur ſilentium unius vel duarum voluntatum, ut hoc ſaltem ſilentio videretur damnata Catholica veritas de duabus in Chriſto voluntatibus. Edictum ſuum, quod dictum eſt *Typus*, promulgavit Conſtans an. 648. ubi ait: *Quapropter ſancimus nobis ſubtactas.... Non habere licentiam invicem a præſenti, de una voluntate, aut una operatione, aut duarum voluntatum, aut duarum operationum qualemcumque proferre altercationem aut contentionem aut vitam*. Tandem ſilentium idem imperat, quod ante ortam controverſiam ſervabatur, Extat Typus Secretario quarto Concil. Lateran.

Mortuo Paulo Monothelita, Pyrrhus Sedem Conſtantinop. iterum conſcendit, cui ſuccedit Petrus ejuſdem ſectæ homo. Tempore 6. Synodi anno 668. Macarius Patriarcha Antiochenus, ſectæ Monotheliticæ erat caput, cujus etiam Diſcipuli Stephanus Presbyter & Polychronius Præſtigiator hæreſim ſumma pertinacia propugnabant. Viguit etiam hæc hæreſis poſt 6. Synodum apud Chaldæos uſque ad Paulum V. Item apud Armenos & Maronitas habitantes prope Libanum uſque ad an. 1182. ſed nunc ſunt Catholici.

Impugnatores Monothelisſmi.

SOPHRONIUS Monachus, poſtea Hieroſolymorum Antiſtes, & S. Maximus Abbas, ut jam dixi, in hoc bello maxime claruerunt. Extat Dialogus S. Maximi cum Pyrrho, quo hæc hæreſis funditus evertitur. Impiam Heraclii Ecteſim reprobavit Severinus Papa. Hanc iterum & Hæreſim ipſam damnavit Ioannes IV. in Synodo. Pyrrhum ad vomitum reverſum anathematis & depoſitionis ſententia confixit Theodorus Papa. Refert Theophanes ipſum huic ſententiæ ſubſcripſiſſe calamo in Calice tincto, uſus ſanguine Chriſti loco atramenti, ut hoc novo & terribili exemplo Monothelitis & ejus fautoribus majorem terrorem incuteret.

Hæc iterum Hæreſis cum Ecteſi Heraclii & Typo Conſtantis damnata fuit a Martino I. in Concil. Romano 105. Epiſcoporum. Quam ob cauſam ira percitus Imperator S. Pontificem Roma vi Conſtantinopolim accerſivit, qui Cherſonam in exilium pulſus ærumnis & inedia confectus obiit. Juſte autem damnatum fuiſſe Typum Conſtantis hinc conſtat, quod Principis Laici non eſt res fidei decernare, & quia Dogma Catholicum ſimili forte cum Heretico involvebat. Tandem ultimo confoſſa eſt hæc Hæreſis in 6. Synodo generali, tertia Conſtantinop. in Trullo ſeu Palatio Imperatoris congregata an. 680. cui præfuit Agatho Papa per ſuos Legatos. Adfuit autem præſens perſonaliter ipſe Imperator Conſtantinus Pogonatus Conſtantis filius cum proceribus: non quidem rebus fidei, ſed ordini ſervando, tumultibuſque impediendis intendens. Adfuerunt Epiſcopi ſecundum aliquos 289. ſecundum alios 166. Hanc Synodum mortuo Agathone confirmavit ejus Succeſſor Leo II.

Nota. Ab origine Monothelisſmi ad hanc uſque Synodum, ſcilicet 60. annorum ſpatio circiter, ſederunt Romæ Pontifices Honorius I. Severinus, Joannes IV. Theodorus, Martinus I., Eugenius, Vitalianus, Adeodatus, Donus & Agatho.

Actione 4. lectæ ſunt duæ Epiſtolæ Dogmaticæ, una Agathonis, altera Synodi Occidentalis ad Conſtantinum. Obſervandum enim Agathonem congregaſſe Romæ Concilium 125. Epiſcoporum Occidentalium, qui etiam ſuo nomine miſerunt ad Concilium generale Legatos, ſcilicet Joannem Epiſcopum Portuenſem, Abundantium Epiſcopum Civitatis Paternenſis, Joannem Epiſcopum Civitatis Rhegitanæ. Actione 9. damnatus eſt Macarius Antiochenus cum Stephano. Actione 13. lata eſt damnationis ſententia in Monothelitas, cum quibus damnatus eſt Honorius, non ut Hæreticus, ſed ut Hæreſeos fautor, ut dicemus infra. Actione 15. Polychronius Monachus Macarii Diſcipulos petit, ut Chartula, in qua ſcripta erat hæc propoſitio: *Qui non confitetur unam voluntatem & unam Dei virilem operationem, non eſt Chriſtus*, ſuper mortuum poneretur, ſe eum ſuſcitaturum in probationem ſuæ fidei. Conditione accepta, hominis recens defuncti cadaveri admovetur charta extra locum Concilii, & cum Polychronius per plures horas, ſpectante populo, præſtigiatorem egiſſet, auribus cadaveris inſuſurrans, nec quidquam obtinere poſſet, impotentiam ſuam fateri coactus eſt: Populo exclamante: *Novo Simoni Anathema; Polychronio ſeductori populi Anathema*. Actione 14. & 15. edita eſt & promulgata fidei profeſſio, & ingeminatum Anathema in Theodorum Pharanitanum, Sergium & Honorium, Pyrrhum & Paulum, Cyrum, & Petrum, Macarium, Stephanum & Polychronium.

Rogaverat Georgius Patriarcha Conſtantinop. Act. 16. ut non anathematizarentur nominatim Prædeceſſorum ſuorum perſonæ, ſcilicet Sergius, Pyrrhus, Paulus & Petrus. Abnuit ſacer Conſeſſus. Anno 711. Philippicus Bardanes, invaſo Imperio, ſpem fecit Monothelitis reſurgendi, ſed eo ad ordinem redacto, & Anaſtaſio Catholico Principe ad Imperii faſtigium evecto, ſpes omnis evanuit.

SECTIO II.

In quo ſitus ſit error palmaris Monothelitarum:

VASQUES hic diſp. 73. c. 1. contendit Monothelitas non negaſſe duas voluntates in Chriſto, ſumpta voluntate pro facultate ſeu potentia, ſed in hoc eorum errorem ſitum eſſe, quod negarent actionem voluntatis humanæ, ſolius divinæ operatione admiſſa: ſicque D. Th. &

Scho-

Digitized by Google

Scholaſticos non rectè intellexiſſe errorem Monothelitarum, quem ipſe primus detexit. At mirum fortaſſe videbitur hunc Theologum aliunde eruditiſſimum attigiſſe præ ceteris errorem Monothelitarum, qui hiſtoriam Monotheliſmi eo uſque ignoravit, ut Typum Conſtantis hominem Hæreticum Pauli Conſtantinopolitani Diſcipulum fecerit. Sic legitur in ejus Commentariis in 3. p. S. Th. diſp. 73. c. 1.

Dico. Palmaris error Monothelitarum in eo poſitus fuit, quod unicam in Chriſto propugnarent voluntatem & unicam operationem ſeu volitionem. Fatemur tamen inconſtantes fuiſſe in exponendo ſuo errore. Prob. 1. cum D. Th. hic (*Hic q.* 18. *a.* 1. *o.*) ex Ep. Agathonis Papæ definientis contra Monothelitas dari in Chriſto *duas naturales voluntates & duas naturales operationes*; ubi clare diſtinguit voluntatem ab operatione, alias nugatoria foret repetitio: quibus verbis ſubſcripſerunt Patres 6. Synodi act. 8. Ex eoque probat ſanctiſſimus Pontifex dari in Chriſto duas voluntates, quia voluntas ſequitur naturam. Unde arguit Hæreticus inconſequentiæ, in quam eos non incidiſſe contendit Vaſques: *Deus perfectus*, inquit Agatho, *& homo perfectus eſt Chriſtus Jeſus; Ergo naturalibus proprietatibus utramque naturam perfectam neceſſe eſt eſſe, & duas in eo operationes & voluntates.*

2. Ex actione 8. ſextæ Synodi, ubi interrogatus Hæreticus a Patribus: *An Chriſtus humanam habuerit voluntatem & impeccabilem?* Quibus verbis evidenter ſignificatur voluntas ut potentia, non ut actus; actus enim non eſt peccabilis aut impeccabilis, ſed peccatum vel non peccatum. Simpliciter reſpondet Macarius Hæreticus; *Nos voluntatem humanam in Chriſto non dicimus.* In eodem actione iterum interrogatus a Synodo & Imperatore: *Si confitetur duas naturales voluntates & duas operationes in Incarnationis diſpenſatione Dei noſtri?* Reſpondit impia obſtinatione: *Non dico duas naturales voluntates & duas operationes in Incarnationis diſpenſatione Domini noſtri Jeſu Chriſti, nec ſi membratim incidar, & mittar in mare.* Secunda pars patet ex Ep. citata Agathonis, ubi de his Hæreticis dicit: *Tam varie, tamque confuſe locuti ſunt, ut vix ſatis conſtet, quo ſenſu errorem ſuum aſſeruerint.* Item S. Maximus in diſputatione cum Pyrrho ipſi exprobrat, ſic eum alloquens: *Nihil me ita a tuo Anteceſſore* (Sergio) *alienavit, ut mutabilitas ejus & inconſtantia, id eſt in alias alio tempore tranſire ſententias, & in nullo ſenſu permanere.*

Dices 1. cum Vaſquesio. Monothelitæ expreſſe conceſſerunt in Chriſto duas naturas integras. Ergo nulla ſpecie probabilitatis negare potuerunt duas facultates ſeu voluntates. R. C. totum: & dicimus Hæreticos inconſequenter locutus fuiſſe. Mirum eſt ſane id videri inconveniens Vaſquesio; utque Hæreticos ab hac inconſequentia eximat, non videri ipſi inconveniens aſſerere Th. omneſque Scholaſticos ignoraſſe errorem horum Hæreticorum. Inſuper, numquid æquali inconſequentia peccant admittendo duplicem facultatem, ut vult Vaſques, & negendo duplicem operationem?

Dices 2. cum eodem. Agatho Papa in Ep. citata dicit: *Voluntas motus eſt naturæ, quoniam motus eſt animi*: in quibus verbis Vaſques contendit eſſe definitionem voluntatis, quam negabant Monothelitæ. R. 1. Id quidem aſſerere Vaſquesium, ſed illud non probare. 2. Dato quod hoc loco Pontifex per *voluntatem* intellexerit volitionem, non ſequitur, quod alibi non poſuerit voluntatem pro facultate, ut patet ex probat. Concluſionis.

Dices 3. cum eodem. Macarius in Confeſſione fidei, quæ habetur actione 8. fatetur Verbum aſſumpſiſſe *carnem animatam anima rationali & intellectuali.* Ergo, inquit Vaſques, concedens potentiam intellectûs concedere videtur potentiam voluntatis; hæc enim mutuo ſe conſequuntur, & unum ſine alio fruſtra concederet. R. N. Conſeq. Eo quod, ut jam dixi, inconſequenter loqueretur homo Hæreticus; quod, licet Vaſquesio videatur magnum inconveniens, nos pro nullo reputamus. Et numquid etiam operatio ſequitur facultatem, numquid fruſtra eſt potentia ſine actu? Numquid inutilis eſt intellectui voluntas ſine operatione? Ergo velit nolit Vaſques, etiam in ſua opinione Hæretici inconſequenter locuti ſunt.

SECTIO III.

Quis convocaverit Concilium ſextum generale? Quis illi præfuit?

Dico 1. Hoc Concilium congregatum fuit auctoritate Agathonis Papæ, promovente & miniſterialiter concurrente piiſſimo Imperatore Conſtantino Pogonato. Prob. Congregatum fuit ex conſenſu Agathonis. Ergo ejus auctoritate. Patet Conſeq. ex his, quæ diximus de convocatione Concilii Epheſini. Vide. Patet Ant. ex litteris Agathonis ad Imperatorem & ex miſſione Legatorum ad Concilium. Quod autem legatur Imperatorem juſſiſſe congregari Concilium, intelligendum eſt de promotione & miniſterio ſub auctoritate Papæ.

Dico 2. Agatho Romanus Pontifex præfuit 6. Synodo per ſuos Legatos Theodorum & Georgium Presbyteros & Joannem Diaconum. Patet ex actis Synodi act. 1. ubi dicitur: *Convenienti ſacra & univerſali Synodo, id eſt Theodoro & Georgio venerabilibus Presbyteris & Joanne venerabili Diacono, vice agentibus Agathonis ſanctiſſimi & beatiſſimi Archiepiſcopi antiquæ Romæ, &c. Georgio venerabili ac ſanctiſſimo Archiepiſcopo magnæ Conſtantinopolis, &c.* Ex actione 18. ubi actis Concilii ante omnes Patriarchas ſubſcribunt *Theodorus & Georgius Presbyteri S. R. E. & Joannes Diaconus locum gerentes ter Beatiſſimi & univerſalis Papæ urbis Romæ.* Ex Diurno Romanæ Eccleſiæ, ubi dicitur: *Sextum Concilium generale . . . cui Agatho Papa per Legatos ſuos & Reſponſales præfuit.*

Dices 1. Lambertus Scafnaburgenſis refert ex vener. Beda Georgium Conſtantinop. & Macarium Alexand. huic Concilio præfuiſſe. Idem Hincmarus Remenſis & Marianus Scotus. R. hos Auctores certo fuiſſe errorem paſſos contra apertam fidem actorum Concilii, ubi Legati Agathonis & ſemper nominantur primi, & primi ſubſcribunt. Hæc forte fuit eis cauſa erroris, quod Legati ſederent a ſiniſtris, Georgius & Macarius a dextris, non intelligentes ſiniſtram in Eccleſia eſſe honoratiorem.

Dices 2. In 11. primis actionibus Concilii & in 18. legitur: *Præſidente piiſſimo & Chriſto dilectiſſimo magno Imperatore Conſtantino.* Idem in Diurno Romanorum Pontificum & alibi. Ergo. R. Imperatorem dici præſediſſe Concilio, non ut controverſiarum fidei Judicem, ſed ut Eccleſiæ & Concilii defenſorem, non auctoritate & poteſtate, ſed loco & honore; quia ſcilicet primo & honorificentiori loco ſedebat. Unde poſt omnes Epiſcopos ſubſcripſit; & Epiſcopis ſubſcribentibus hac formula N. *Epiſcopus, definiens ſubſcripſi*, ipſe Imperator ſubſcripſit his verbis: *Conſtantinus in Chriſto Deo Rex ac Imperator Romanus legimus & conſenſimus.* Nec alias partes ipſi tribuunt Patres Concilii in Ep. Synodica ad Agathonem, quam hortatorie & adjutoris: *Conſtantino*, inquiunt, *nobis ad decernendum hortatore, qui divine imperat, quo adjutore impietatis errorem evertimus.*

SECTIO IV.

De Honorii Romani Pontificis damnatione in ſexta Synodo generali.

Circa hoc factum variæ ſunt opiniones. Quidam dicunt Honorium non fuiſſe damnatum in 6. Synodo œcumenica, ſed acta hujus Synodi, in quibus damnatur, eſſe interpolata a Græcis. Hujus ſententiæ videtur Auctor Baronius. Alii volunt fuiſſe damnatum ut Hæreticum. Alii tandem agnoſcunt fuiſſe revera damnatum, non tamen ut Hæreticum, ſed ut hæreſeos & Hæreticorum fautorem. Et hæc ſententia videtur communior & probabilior.

SUBSECTIO I.

Utrum Honorius fuerit damnatus in ſexta Synodo?

Dico Honorius fuit revera damnatus in 6. Synodo. Prob. 1. ex actis hujus Synodi. Actione 13. legitur: *Cum illis* (Sergio, Cyro, Pyrrho, Paulo, Theodoro) *ſimul projici a ſancta Dei Catholica Eccleſia ſimulque anathematizari prævidimus & Honorium, qui fuerat Papa antiquæ Romæ, eo quod invenimus per ſcripta, quæ ab eo facta ſunt ad Sergium, quia in omnibus ejus mentem ſecutus eſt, & impia dogmata confirmavit.* Actione 16. *Theodoro Pharanitano Hæretico anathema. Cyro Hæretico anathema. Honorio Hæretico anathema.* Item actione 18. in definitione fidei, & in ſermone acclamatorio ad Principem. Item in Ep. Synodica ad Agathonem Romanum Pontificem: *Anathematibus interfecimus, ex ſententia per ſacras veſtras Litteras de iis prius lata, Theodorum Epiſcopum Pharan, Sergium, Honorium, Cyrum, Paulum, Pyrrhum & Petrum.* Confirm. ex Conciliis Oecumenicis 7. & 8. In 7. act. 7. damnatur Honorius cum Monothelitis. In 8. act. 7. approbatur Epiſtola Adriani II. in qua refert, Honorio ab Orientalibus anathema poſt mortem dictum fuiſſe, quod accuſatus fuerat ſuper hæreſi.

Prob. 2. ex duabus Epiſtolis Leonis II. qui Synodum 6. confirmavit. In Epiſt. ad Conſtantinum Imperatorem, qua Concilium confirmat, poſt damnatos Theodorum Pharanitanum, Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, Paulum & Petrum Conſtantinopolitanos Præſules, ferit etiam anathemate Honorium, qui, inquit, *hanc Apoſtolicam Eccleſiam non Apoſtolicæ traditionis doctrina luſtravit, ſed prophana traditione immaculatam maculari permiſit.* Et in altera Ep. ad Epiſcopos Hiſpaniæ, in qua dicit: *Qui vero adverſus Apoſtolicæ doctrinæ puritatem* per-

Digitized by Google

perduellas extiterant, abeuntes quidem æterna condemnatione mulctati ſunt, id eſt Theodorus Pharanitanus, Cyrus Alexandrinus, Sergius, Pyrrhus, Paulus, Petrus Conſtantinopolitani cum Honorio, qui flammam hæretici dogmatis non, ut decuit Apoſtolicam auctoritatem, incipientem extinxit, ſed negligendo confovit.

Prob. 3. ex Vener. Beda Auctore coævo, qui lib. de ſex mundi ætatibus dicit: *Macarius vero cum ſuis ſequacibus ſimul & prædeceſſoribus Cyro, Sergio, Honorio, Pyrrho, Paulo & Petro anathematizatus*, Item ex Anaſtaſio Bibliothecario Præfatione in ſua Collectanea ad Joannem Diaconum, ex Adone Viennenſi in Chronico, & ex pluribus aliis.

Reſpondet Baronius acta 6. Synodi, ubi referunt damnationem Honorii, eſſe adulterata a Græcis, qui, ne viderentur ſoli ſui Patriarchæ damnati, nomen Honorii cum illis intruſerunt. Et inde teſtimonia ſequentia ſive 7. & 8. Synodi, ſive Leonis II. ſive aliorum, his ſolis actis adulteratis innixa, nullius eſſe ponderis, Addit laudatus Annalium Parens duas Epiſtolas Leonis eſſe ſuppoſititias. Rationes ſeu conjecturas, quibus & hanc actorum adulterationem & hanc Epiſtolarum ſuppoſitionem probare contendit, infra referemus & diluemus. Sufficit nunc oſtendere hanc actorum depravationem nullatenus fuiſſe poſſibilem.

Id autem ſic demonſtro. Exemplaria authentica actorum tradita ſunt quinque Patriarchis aut eorum vices gerentibus. Hoc conſtat ex act. 18. ipſius 6. Synodi, in qua Patres poſt Sermonem acclamatorium ſupplicarunt Imperatori his verbis: *Ad majorem Orthodoxæ fidei ſtabilitatem & confirmationem ut ſubſcripta exempla definitionis relectæ, præſente veſtra Sereniſſima Poteſtate, edantur quinque Patriarchalibus Sedibus, una cum pia veſtra ſubſignatione*, Sequitur: *Conſtantinus piiſſimus Imperator dixit; quod etiam nunc a ſancto & univerſali veſtro Concilio petitum eſt, pie conficiemus.* Subjungitur ibid. *Sciendum, quod juxta ea, quæ interlocutus eſt piiſſimus & Chriſtum diligens Imperator Conſtantinus, vel etiam pollicitus eſt, exempla definitionis cum ſubſignatione manſuetæ ejus Serenitati præbuit quinque Patriarchalibus Sedibus hoc modo.* „ Apoſtolicæ Sedi „ ſancti & Principis Apoſtolorum nempe Agathoni ſanctiſſimo Papæ ſenioris Romæ „. Et ſic de aliis quatuor Patriarchis proportione ſervata. Idem teſtatur Agatho Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diaconus, in eadem Scriniorum Theſaurarius, & ipſius 6. Synodi Notarius in Peroratione, quam publici juris fecit noſter Combefiſ. in Auctario Bibliothecæ Patrum.

Hoc ſuppoſito quæro, quandonam iſta acta depravata fuerint? Non durante Concilio, neque antequam Exemplaria traderentur Sedibus Patriarchalibus; hanc enim depravationem procul dubio non tuliſſent, præſertim Legati ſummi Pontificis, ſed contra eam reclamaſſent, tanquam injurioſam Honorio & ſanctæ Sedi. Non poſt tradita Exemplaria Patriarchalibus Sedibus; quamvis enim forte potuiſſent Græci adulterare Exemplar traditum Eccleſiæ Conſtantinop. aut illud, quod ſervabatur in Palatio Imperatoris, quod tamen non eſt veriſimile in piiſſimo & optimo Catholico Imperatore, ſaltem non potuiſſent adulterare exemplaria tradita aliis Sedibus & præſertim Legatis Sedis Apoſtolicæ, cum non eſſent amplius inter eorum manus, nec id paſſi fuiſſent Legati, ut jam dictum eſt. Stet ergo inconcuſſe acta Synodi ſextæ Leoni II. Agathonis Succeſſori per Legatos oblata, in quibus Honorius legitur damnatus, eſſe genuina & non depravata.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Agatho Papa & Romana Synodus, quam coegerat, in ſuis litteris ad Imperatores permittunt duntaxat Legatis ad 6. Synodum miſſis damnare eos, quos ipſe aut Synodus Lateranenſis ſub Martino I. damnaverant, inter quos non recenſetur Honorius. Hoc autem mandatum Legati indubie non fuerunt tranſgreſſi. Ergo adulterata ſunt acta Concilii, ubi Honorius legitur damnatus. R. 1. Id quidem objectum ab Auctoribus reperio; at id in Epiſtola ſive ſolius Agatonis ab Imperatores, ſive ipſius & Concilii Rom. ad eoſdem non reperio. Equidem in Ep. Agathonis hæc lego: *Licentiam proinde eis* (Legatis) *ſive auctoritatem dedimus apud tranquilliſſimum veſtrum Imperium, dum juſſerit ejus Clementia, ſimpliciter ſatisfaciendi, in quantum eis duntaxat injunctum eſt, ut nihil profecto præſumant augere, minuere vel mutare, ſed traditionem hujus Apoſtolicæ Sedis, ut a Prædeceſſoribus Apoſtolicis Pontificibus inſtituta eſt, ſinceriter enarrare.* Quidpiam ſimile legitur in Ep. ejuſdem Agathonis & Synodi Romanæ ad eoſdem Imperatores. Verum hæc ſpectant dogmata definienda, non perſonas damnandas. Unde Macarium, Stephanum & Polychronium, qui antea damnati non fuerant, damnarunt ſextæ Synodi Patres; nec tamen ideo limites ab Agathone & Synodo Rom. præſcriptos exceſſiſſe dicuntur. R. 2. Eſto alicubi mandatum fuerit Legatis non damnare niſi eos, qui jam prius fuerant damnati: duplicis generis diſtinguenda ſunt mandata Legatis dari ſolita: ſcilicet publica, quæ dicuntur *Patentalia* & ſecreta: Id probat Chriſtianus Lupus ex Regeſto & Epiſtolis Hormiſdæ, inter quas etiam nunc extat ſecreta inſtructio data Legatis ad Anaſtaſium & Juſtinum Auguſtos miſſis; item ex litteris SS. Gregorii & Leonis, idque prudentiæ eſt, & fieri ſolet in negotiis odioſis. Habebant ergo Legati in mandatis publicis & Patentalibus non damnare niſi eos, qui vel ab ipſo Agathone, vel a Martino I. jam damnati fuerant: et habebant in ſecretis, quod ſi Græci damnationi ſuorum Patriarcharum acquieſcere nollent, niſi damnaretur & Honorius, quem Monothelitis faviſſe merito conteſtabantur, pro bono pacis & Eccleſiæ tranquillitate ipſum cum aliis damnarent, Hanc porro permiſſionem ſecretam fuiſſe datam ſat aperte declarat Hadrianus II. in Ep. quæ lecta & probata fuit in 8. Synodo, ubi poſtquam dixit Honorio anathema dictum eſſe ab Orientalibus in 6. Synodo, ſubdit: *Quamquam & ibi nec Patriarcharum nec cæterorum Antiſtitum cuipiam de eo quamlibet fuerit proferendi ſententiam, niſi ejuſdem primæ Sedis Pontificis conſenſus præceſſiſſet, auctoritas.*

Inſt. 1. Patres 6. Synodi in Ep. ad Agathonem data poſt abſolutam Synodum, dicunt: *Anathematibus interfecimus, ex ſententia per veſtras litteras de iis prius lata, videlicet Theodorum Epiſcopum Pharan, Sergium, Honorium, Cyrum, Paulum, Pyrrhum & Petrum*: atqui certo conſtat Agathonem per ſuas litteras non tuliſſe ſententiam contra Honorium. Ergo apertum eſt acta hujus Synodi eſſe interpolata, & nomen Honorii in iis eſſe malitioſe inſertum. R. Juxta præcedentem ſolutionem, D. Min. Agatho non tulerat ſententiam contra Honorium abſoluta & per litteras publicas ſeu Patentales, C. Permiſſiva ſeu diſpenſatoria ſecundum inſtructionem ſecretam datam Legatis, N.

Inſt. 2. Agatho in ſua ad Imperatorem Ep. dicit: *Conſideret itaque veſtra tranquilla Clementia, quoniam Dominus & Salvator omnium, cujus fides eſt, qui fidem Petri non defecturam promiſit, confirmare eum ſuos fratres admonuit, quod Apoſtolicos Pontifices meæ exiguitatis Prædeceſſores ſemper feciſſe, cunctis eſt cognitum.* Ergo non eſt veriſimile dediſſe in mandatis ſecretis Honorium unum ex ſuis Prædeceſſoribus. R. Hæc Agathonis ſpectare SS. Pontifices, non ut ſunt perſonæ privatæ, ſed quatenus loquuntur ex Cathedra, ſeu ut ſunt Paſtores & Doctores omnium Chriſtianorum, proponentes toti Eccleſiæ aliquid judicando & definiendo in materia fidei & morum, ut dicemus alibi; Epiſtolæ autem Honorii privatæ ſunt ad privatum, nec omnes Fideles alloquuntur, nec quidquam decidunt, ſed monent duntaxat Sergium, ut abſtineat a voce unius vel duplicis voluntatis.

Inſt. 3. Idem Agatho paulo poſt ſubjungit: *Apoſtolicæ meæ parvitatis Prædeceſſores Dominicis doctrinis inſtructi, ex quo novitates hæreticas in Chriſti immaculatam Eccleſiam Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Præſules introducere conabantur, nunquam neglexerunt eos hortari, atque obſecrando commonere, ut a pravi dogmatis hæretico errore ſaltem tacendo, deſiſterent*: quibus manifeſte deſignat Honorium. Ergo. R. Honorium reipſa hortatum fuiſſe hæreticos, ut ſaltem tacendo ab errore deſiſterent, ſi quidem in Ep. ad Sergium præcipiebat ſilentium unius voluntatis & unius operationis, ſed id ſuo muneri non ſatis fuit, quippe qui ut Paſtor totius Eccleſiæ debebat ex officio naſcentem hæreſim comprimere, eam formaliter damnando, & non eodem ſilentio veritatem Catholicam cum errore involvendo, ut fecit; propter quod & non propter hæreſim eſt damnatus, ut dicemus infra, Hac alterutra ſolutione excipies quædam alia ſimilia encomia, quæ profert Agatho de ſuis Prædeceſſoribus. Adde, quod non ſemper loquatur de omnibus ſuis Prædeceſſoribus, ſed quandoque indefinite de Prædeceſſoribus ſuis, ſicque ſtat veritas ejus dicti, etſi unus ſit excipiendus. Item præſertim in 2. Epiſtola, quæ eſt etiam Synodi Romanæ, per Prædeceſſores ſuos non intelligit præciſe Romanos Pontifices, ſed omnes Epiſcopos Patriarchatui Romano ſubjectos.

Obj. 2. Theodorus, qui ob Monothelitiſmum ejectus fuerit e Sede Conſtantinop. damnatus fuit nominatim a 6. Synodo cum aliis Patriarchis Conſtantinopolitanis Monothelitis; atqui tamen ejus nomen non legitur in actis hujus Synodi. Ergo ſunt interpolata. Major innuitur ab Anaſtaſio Bibliothecario in vita Agathonis; & conſtat, quia 6. Synodus nominatim damnavit omnes Patriarchas Conſtantinopolitanos Monothelitas, Orthodoxos autem cum laude nominavit, & eorum nomina in ſacris Dipthycis retulit. Inde conjicit Eminentiſſimus Annalium Parens hunc Theodorum, qui mortuo Georgio in Sedem Conſtantinop. fuit reſtitutus, curaſſe, aut ſuum nomen ex actis expungeretur, & loco illius Honorii nomen ſubſtitueretur. R. 1. Non conſtare hunc Theodorum fuiſſe nominatim damnatum a 6. Synodo. Equidem damnavit omnes Patriarchas & Epiſcopos Monothelitas, qui obierant, &

vi-

vivos, qui pertinaces erant in errore: hanc autem Theodorum fuiſſe in errore pertinacem tempore Concilii non probatur; abſens erat a Concilio, & citatum fuiſſe a Patribus nulla eſt conjectura. R. 2. Eſto, ut multi volunt, fuiſſe nominatim damnatum a Concilio. Mortuo Georgio, qui in ejus locum ſubſtitutus fuerat, rediit Conſtantinopolim, & peracta ſeu ſimulata erroris pœnitentia reſtitutionem in priſtinam Sedem ab Imperatore obtinuit, potuitque pariter obtinere a Legatis, qui poſt Synodum ultra annum & medium Conſtantinopoli commorati ſunt, ut ſuum nomen ex Actis deleretur.

Obj. 3. Martinus I. in Concilio Lateran. prædamnans nominatim Patriarchas Orientales Monothelitas Cyrum, Sergium, &c. & Ecteſim Heraclii, atque Typum Conſtantis ut hæreſi faventia, ſiluit de Honorio. Atqui non eſt veriſimile ſanctiſſimum Pontificem excepiſſe Honorium ab anathemate, ſi eadem fuit ejus cauſa cum aliis damnatis. Ergo. R. Qua de cauſa Martinus I. ſiluit de Honorio nos latet, ſed id nobis certum eſt ejus ſilentium plus nocere Honorio, quam prodeſſe. Etenim cum Cyrus per Epiſtolam innuiſſet Zephyrinum Papam approbaſſe Ecteſim Heraclii, ſtatim inſurrexit Martinus, & falſitatis arguit Cyrum. At vero cum Secretario 4. ejuſdem Concilii recitata eſt Ep. Pauli Conſtantinop. qua tradit Honorium conſonantem cum Sergio, neque Martinus, neque ullus Epiſcoporum verbum protulit in defenſionem Honorii: dubio procul quod nihil haberent, quod in defenſionem ejus proferrent.

Inſt. Martinus in Ep. ad Eccleſias Antiochenam & Jeroſolymitanam, recenſens Auctores Monotheliſmi, ſcilicet Patriarchas Orientales, ipſis opponit Romanos Pontifices, *qui non permiſerunt nos fidei Theſaurum ſurripere*. Atqui ſi Honorius vel Monothelita vel Monotheliſmi fautor fuerit, Martinus mendacii arguiſſent Orientales, ipſi objiciendo Honorium. Ergo. R. Hæc verba S. Martini non referri ad Romanos Pontifices prædeceſſores ſuos, ſed ad ſeipſum & Epiſcopos Romani Patriarchatus in Synodo congregatos: *Non vero*, inquit, *id eſt hujus Apoſtolicæ Sedis Pontifices ... non permiſimus ... nos fidei ſurripere Theſaurum, ſed ipſos ... ſynodaliter condamnavimus, abique omnibus eorum hæreſim publicantes*.

Obj. 4. Binæ Epiſtolæ Leonis II. una ad Conſtantinum Imperatorem, ſecunda ad Epiſcopos Hiſpaniæ, quæ ſunt alterum aſſertionis noſtræ fundamentum, ſunt ſuppoſititiæ. Ergo. Prob. Ant. De prima: 1. quia in ea legitur Conſtantinum pro congreganda 6. Synodo ſcripſiſſe ad Agathonem, cum tamen ad Donum Agathonis prædeceſſorem tantum ſcripſerit. 2. Quia legitur hæc Epiſtola data nonis Martii Indictione 10. cum tamen dicat litteras, quibus reſpondet, advenisse Romam menſe Julio ejuſdem indictionis. Prob. de 2. Epiſtola; quia in ea leguntur hæc verba: *De diverſis conciliis huic S. Sedi Apoſtolicæ ſubjacentibus, Archiepiſcopi ſunt a nobis deſtinati*, ſcilicet ad 6. Synodum; cum tamen certum ſit nullum Archiepiſcopum ex Occidente, ſed tres tantum Epiſcopos ad Concilium 6. miſſos fuiſſe, & hoc quidem non a Leone, ſed ab Agathone. Ergo. R. N. Ant. Ad 1. Probat. primæ partis Ant. N. Conſtantinum non ſcripſiſſe ad Agathonem. Id ipſe Imperator teſtatur in ſuis litteris ad Leonem II. Idem colligitur ex Gregorio II. in Epiſt. ad Leonem Iſaurum, dicente Conſtantinum ſcripſiſſe perſuaſum a Georgio Patriarcha Conſtantinop. hic autem ſedere non cœpit niſi ſub Agathone. Et Chriſtianus Lupus teſtatur hanc Ep. Leonis II. ad Conſtantinum, juſſu Pauli V. tanquam legitimam 6. Synodi confirmationem, fuiſſe non pridem editam typis Vaticanis. Adde, quod quamvis Conſtantinus Litteras non direxiſſet Agathoni, ſed Dono; quia tamen Dono mortuo ad Agathonem pervenerunt, potuiſſet Leo II. dicere Conſtantinum ſcripſiſſe Agathoni. Ad 2. Probat. ejuſdem partis fatetur ipſe Baronius hujus Objectionis Auctor, errorem in notis numeralibus circa diem, menſem, Conſulem, &c. ex negligentia Scriptorum facile irrepere.

Ad Probat. 2. partis Ant. R. Miſſos fuiſſe ex Occidente Archiepiſcopos ad 6. Synodum, ſi non per ſe, ſaltem per ſuos Legatos. Adfuit enim Legatus Archiepiſcopi Ravennatis, & tres Epiſcopi miſſi ſunt, qui tenerent vices omnium Occidentis & Septentrionis Archiepiſcoporum. Quod autem legatur *a nobis*, idem valet ac *a Romanis Pontificibus*.

SUBSECTIO II.

Quo titulo Honorius fuerit damnatus in 6. Synodo.

DICO. Honorius non fuit damnatus in 6. Synodo ut Hæreticus, ſed tantum ut hæreſeos fautor. Prob. 1. pars. Honorius fuiſſet damnatus in 6. Synodo ut Hæreticus, maxime quia in Epiſtola 1. ad Sergium dixit: *unam voluntatem fatemur Domini noſtri Jeſu Chriſti*. Atqui non intellexit hæretice de una voluntate divinitatis & humanitatis in Chriſto, ſed catholice de una voluntate humanitatis, negans in ea eſſe duas voluntates contrarias Spiritus & carnis, ſicut in nobis peccato vitiatis. Ergo. Prob. Min. Ex ratione quam affert unius aſſertæ voluntatis: *Quia profecto*, inquit, *a divinitate aſſumpta eſt noſtra natura, non culpa; illa profecto, quæ ante peccatum creata eſt, non quæ poſt prævaricationem vitiata.* Quæ ratio optime probat non eſſe in Chriſto duas contrarias voluntates humanitatis, nullatenus autem non eſſe duas voluntates divinitatis & humanitatis. Sed & hanc eſſe ſuam mentem ipſemet aperte declarat: nam poſt pauca addit: *Non eſt itaque aſſumpta, ſicut præfati ſumus, a Salvatore vitiata natura, quæ repugnaret legi mentis ejus, ſed venit quærere & ſalvare quod perierat, id eſt vitiatam humani generis naturam. Nam lex alia in membris, aut voluntas diverſa non fuit, vel contraria, Salvatori, quia ſuper legem natus eſt humanæ conditionis.* Duas ergo in humanitate Chriſti contrarias voluntates dumtaxat negat Honorius, non duas divinitatis & humanitatis voluntates conſentientes.

Et ita Epiſtolam & ſenſum Honorii expoſuerunt inſignes in Eccleſia viri Joannes IV. S. Maximus & alii. Joannes IV. in Apologia pro Honorio ad Conſtantinum Imperatorem Heraclii Filium, poſito principio, quo utitur Honorius ad oſtendendam unam voluntatem in Chriſto, ſcilicet quod a *Verbo ſit aſſumpta natura non culpa*, de quo ſupra, ſic concludit: *Unde ſcientes, quod nullum in eo cum aſcriberetur & converſaretur, eſſet peccatum, decenter diximus, & veraciter confitemur unam voluntatem in ſanctæ ipſius diſpenſationis humanitate, & non duas contrarias mentis & carnis prædicamus, ſecundum quod quidam Hæretici velut in puro homine delirare noſcuntur. Secundum hunc igitur modum, jam dictus deceſſor noſter (Honorius) prænominato Sergio Patriarchæ percontanti ſcripſiſſe dignoſcitur: quia in Salvatore noſtro duæ voluntates contrariæ, id eſt in membris ipſius, penitus non conſiſtunt, quoniam nihil vitii traxit ex prævaricatione primi hominis.*

S. Maximus in Dialogo contra Pyrrhum, ubi cum Hæreticus Patriarcha dixiſſet: *Quid habet de Honorio dicere, qui ad Prædeceſſorem meum ſcribens, unam Domini noſtri Jeſu Chriſti voluntatem aperte dogmatizaverit?* S. Maximus reſpondet: *Qui illius Epiſtolæ fide dignus erit Interpres? Qui eam ex perſona Honorii compoſuit & vivit adhuc? ... An Conſtantinopolitani de corde ſuo loquentes?* Pyrrhus: *Qui eam compoſuit.* S. Maximus: *Ille idem igitur ad divum Conſtantinum quondam Imperatorem ſcribens rurſum ex perſona Sancti Papæ Joannis de ipſo: unam, inquit, voluntatem Domini diximus non divinitatis ejus & humanitatis, ſed ſolius humanitatis. Cum enim ſcripſiſſet Sergius eſſe, qui dicerent in Chriſto duas contrarias voluntates, reſcripſimus Chriſtum non habuiſſe duas contrarias voluntates carnis, inquam, & ſpiritus, ſed unam tantum, quæ naturaliter humanitatis ejus erat eſſentialis eſt. Id ita eſſe evidenter ex eo demonſtratur, quod membrorum & carnis facta eſt mentio, quæ divinitati quoque ejus non poſſunt attribui.* Idem S. Maximus in Ep. ad Marinum, quæ extat inter Anaſtaſii collectanea, juxta eumdem ſenſum explicat Honorium, & ſubdit ſe id eo certius habere, quod illud acceperit ab Anaſtaſio Abbate, qui acceperat a Joanne Sympono Honorii Secretario, qui hanc ejus Epiſtolam ſcripſerat.

Dices contra hanc explicationem. Eo ſenſo Honorius aſſeruit unam in Chriſto voluntatem, quo prohibuit duas dici operationes: atqui prohibuit duas dici operationes reſpectu divinitatis & humanitatis, ut patet ex his ejus verbis in Ep. 1. ad Sergium: *Utrum autem propter divinitatis & humanitatis, una an geminæ operationes debeant dici vel intelligi, ad nos iſta pertinere non debent.* Ergo. R. N. Maj. Nihil enim nos cogit eam concedere, ſed tantum quod Honorius inconſequenter locutus fuerit, quod non negamus. Quin imo magis inde evincitur ſententia noſtra de ipſo: quatenus enim negat duas voluntates contrarias in humanitate Chriſti, carnis ſcilicet & ſpiritus, Catholicus eſt. Quatenus autem prohibet dici duas operationes divinitatis & humanitatis, fautor eſt Hæreticorum. Et hæc œconomia ejus inſtituto conveniens videbatur, qua ſcilicet nec errorem aſſereret, & tamen inſtanti Sergio ſatisfaceret.

Inſuper eſto Honorium aſſeruiſſe unam voluntatem reſpectu divinitatis & humanitatis, dicam intellexiſſe unam unitate conſenſionis & concordiæ, non unam unitate naturæ: hoc eſt, negaſſe voluntatem humanitatis eſſe contrariam voluntatis divinitatis, qualiter in nobis peccato fauciatis invenitur, in quibus non ſolum caro adverſus ſpiritum, ſed ſpiritus adverſus Deum ſæpe inſurgit. Nec eſt, qui poſſit contrarium evincere: ut enim dicit Anaſtaſius in Præfatione ad ſua collectanea: *Eſto & ipſe* (Honorius) *Dictator* (hujus Epiſtolæ) *extiterit: Quis hunc illum interrogavit? Quis intentionem inveſtigavit? Quis hunc corrigere voluit, & ille percontanti aut emendare volenti reſtitit, vel contentionibus ferviens reſultavit?*

Scio quoſdam compendioſios hanc controverſiam dirimere, dicendo hanc Honorii Epiſtolam eſſe interpolatam, & ipſum non dixiſſe *unam*, ſed *novam* voluntatem. Idque probant ex S. Maximo in Ep. ad Marinum, in qua teſtatur ſe accepiſſe ab Anaſtaſio Abbate; Anaſtaſium autem a Joanne Sympono Abbate, qui juſſu Honorii hanc Ep. ſcripſerat, ipſum *Nullo modo mentionem feciſſe unius omnimodis voluntatis*. Verum hanc rationem eſſe leviorem agnovit ipſe S. Maximus, ſi quidem in eadem Ep. laboret in exponendo ſenſu catholico, quo Honorius dixit unam voluntatem. Inſuper Joannes IV. in Apolog. pro Honorio agnoſcit hanc eſſe ejus propoſitionem: *Fatemur unam voluntatem Domini noſtri Jeſu Chriſti*. Tandem Synodus 6. 7. & 8. ſummi Pontifices Leo II. & Hadrianus II. hanc Epiſtolam eſſe interpolatam nuſquam ſuſpicati ſunt.

Prob. utraque pars ſimul ex Ep. jam laudata Leonis II. ad Epiſcopos Hiſpaniæ, in qua cauſam damnationis Honorii refert, non ad hæreſim, ſed ad negligentiam illam comprimendam his verbis: *Qui vero adverſus Apoſtolicæ Doctrinæ puritatem perduelles extiterunt abeuntes quidem æterna damnatione mulctati ſunt, id eſt Theodorus Pharanitanus, Cyrus Alexandrinus, Sergius, Pyrrhus, Paulus, Petrus Conſtantinopolitani, cum Honorio, qui flammam hæretici Dogmatis, non ut decuit Apoſtolicam Auctoritatem, incipientem extinxit, ſed negligendo confovit*. Similiter idem in Ep. etiam laudata ad Imperatorem Conſtantinum: *Pariterque* (inquit) *anathematizamus novi erroris inventores, id eſt Theodorum Pharanitanum Epiſcopum, Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum, Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Subſeſſores* (Inſidiatores) *magis quam Præſules, nec non Honorium, qui hanc Apoſtolicam Eccleſiam non Apoſtolicæ traditionis doctrina luſtravit, ſed prophana proditione immaculatam maculari permiſit*. Vide Theodorum, Sergium, &c. damnari, ut *Perduelles adverſus doctrinam Apoſtolicam*, & ut *novi erroris inventores*, Honorium vero tantum, qui *incipientem hæreſim neglexit extinguere, & Eccleſiam immaculatam maculari permiſit*. Vide inſuper in ſol. Obj. ſimile teſtimonium Imperatoris Conſtantini Pogonati.

Prob. ſpecialiter 2. Pars. Honorius duarum operationum ſacras voces, naſcente hæreſi, ſileri juſſit, morem in hoc gerens Monothelitis, cum ipſis communicavit, illos laudavit, ipſos comprimere & damnare neglexit, cum id ipſi incumberet ex officio. Ergo merito damnatus eſt a 6. Synodo, ut hæreſis fautor. Patet Conſeq. Non enim alia ratione Heraclius in Ecteſi, Conſtans in Typo fuerunt damnati, quam quia duarum operationum vocabulum ſileri juſſerant. Sic etiam Arianorum fautor habitus fuiſſet, qui vocem *Homouſion* uſurpari prohibuiſſet, Neſtorianorum fautor, qui vocem *Deipara* de B. Virgine dici prohibuiſſet, maxime, ſi inſuper cum iſtis Hæreticis communicaſſet, & ipſos laudaſſet.

Antecedens autem conſtat ex Epiſtolis Honorii ad Sergium. In prima, quæ relata eſt actione 12. ſextæ Synodi, 1. laudat Sergium Monothelitarum Anteſignanum *novitatem vocabuli auferentem, quod poſſet ſcandalum ſimplicibus generare*. Deinde dicit: *Neque Evangelicas, neque Apoſtolicas Litteras, neque Synodales apices, unam vel duas energias explanaſſe ... Novas voces refutandas, quæ quidem noſcuntur ſanctis Dei Eccleſiis ſcandala generare*. Et tandem ſic concludit: *Hæc nobiſcum veſtra fraternitas prædicet, ſicut & nos ea vobiſcum prædicamus unanimiter, hortantes vos ut unius vel geminæ novæ vocis inductum operationis vocabulum aufugientes, unum nobiſcum Dominum Jeſum Chriſtum Filium Dei vivi Deum veriſſimum in duabus naturis operatum divinitus atque humanitus fide Orthodoxa atque unitate Catholica prædicetis*. In 2. Epiſtola ad eundem Sergium, quæ recitata eſt actione 13. ait. *Unius autem operationis vel duarum eſſe vel fuiſſe mediatorem Dei & hominum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ſentire & promere ſatis ineptum eſt ... Auferentes ergo ſicut diximus ſcandalum novellæ adinventionis, non nos oportet unam vel duas operationes definientes prædicare*. Ergo.

Solvuntur Objectiones.

OBJ. 1. Contra 1. partem concluſionis. Actione 18. Synodi 6. non ſemel dictum eſt *Honorio Hæretico anathema*. Actione 13. Patres ejus Epiſtolas execrantur, ut omnino *alienas ab Apoſtolicis dogmatibus & a definitionibus Conciliorum & cunctorum probabilium Patrum, ſequentes vero falſas doctrinas Hæreticorum*. Tum ipſum anathematizans, *quia in omnibus Sergii mentem ſecutus eſt, & impia dogmata confirmavit*. Actione 14. declarant duas Epiſtolas Honorii *in unam eandemque impietatem tendere* cum Opuſculis Hæreticorum. Dicunt Theodorum, Sergium, Petrum, & Paulum & Honorium, *Hæreſim in populum Catholicum ſpargere*. Ergo Honorius damnatus fuit ut Hæreticus, non ſecus ac Theodorus, Sergius & alii Hæretici ibi nominati. R. Honorium a 6. Synodo damnatum fuiſſe ut Hæreticum communione cum Hæreticis, favore & patrocinio impenſo Hæreticis & conniventia, negligendo hæreſim comprimere, non ut hæreticum ſententia & pertinacia. Similiter ejus Epiſtolæ declarantur ſont *alienæ ab Apoſtolicis dogmatibus & ſequi falſas Hæreticorum doctrinas*, non minus quam Epiſtolæ Sergii, quia convenit cum Sergio in modo loquendi, & in perniciosa œconomia obvolvendi ſilentio duarum voluntatum & duarum operationum ſacras voces, quæ œconomia dogmatibus Apoſtolicis adverſatur. Dicitur *in omnibus mentem Sergii ſecutus & impia dogmata confirmaſſe*, non conſentiendo, ſed connivendo, non approbando falſum dogma, ſed ſilentium indicendo de una vel duabus operationibus. Dicitur *in eandem impietatem tendere* cum Hæreticis, ſed diſpari modo; iſti pravi dogmatis aſſertione, ille Catholici dogmatis diſſimulatione. Dicitur non ſecus ac Sergius, Pyrrhus, &c. *Hæreſim ſpargere*; iterum diſpari modo, illi ſcilicet docendo, Honorius docentibus non reſiſtendo, eundem loquendi modo cum ipſis tenendo, & per ſilentii juſſionem ipſis connivendo: quibus modis ad hæreſim ſpargendam contulit. Porro hanc eſſe mentem Concilii invicte conſtat ex Leone II. ipſius Concilii confirmatore in duabus Epiſtolis, una ad Epiſcopos Hiſpaniæ, altera ad Imperatorem, quarum verba retulimus in Prob. concluſionis. Relege. Item conſtat ex ipſo Imperatore Conſtantino Pogonato, qui Concilio adfuit & mentem Patrum apprime noverat. Is in Edicto, quod legitur poſt Act. 18. dicit: *Super hæc omnia anathematizamus eos, qui ſupervacuorum & novorum dogmatum Hæretici Auctores atque fautores ſunt: dicimus autem Theodorum, qui fuit Pharanitanus Epiſcopus, & Sergium, qui fuit hujus a Deo conſervandæ noſtræ Regiæ Urbis Antiſtes ... Ad hæc & Honorium, qui fuit antiquæ Romæ Papa, horum hæreſeos in omnibus fautor, concurſor atque confirmator*. Aperte diſtinguit, ut patet, inter Hæreticos Auctores & propagnatores hæreſeos, & ſimplices ejus fautores. His annumerat Honorium, non prima.

Inſt. Honorius in controverſia de Chriſti voluntate & operationibus locutus eſt ſicut Hæretici Monothelitæ. Ergo cenſeri debet Hæreticus Monothelita. R. D. Ant. Locutus eſt ſicut Monothelitæ & in eodem ſenſu, N. Et in diverſo ſenſu, C. Verba enim Catholicis & Hæreticis quandoque ſunt communia: ſic *homouſion* fuit commune Paulo Samoſateno & Patribus Nicænis, ſed longe diverſo ſenſu uſurpatum.

Inferes. Ergo Honorius fuit illegitime damnatus. Prob. Illatio. Si Honorius non fuit Hæreticus, remanſit Pontifex; atqui ſummus Pontifex a nemine poteſt condemnari. Ergo. R. N. Illationem. Ad prob. Dico Pontificem mortuum non remanere Pontificem; quia poſt mortem non habet amplius juriſdictionem, ratione cujus eſſet Pontifex. Fuit autem damnatus Honorius poſt mortem.

Obj. 2. contra 2. partem. Quod Honorius ex œconomia & ſtudio pacis juſſerit ſileri de una vel duplici operatione in Chriſto, non debet ideo culpari & damnari tanquam Hæreſeos fautor. Ergo. Prob. Ant. Vigilius Papa in controverſia de tribus capitulis utrique parti ſilentium indixit uſque ad Synodi celebrationem, nec tamen ideo culpatur ut fautor trium Capitulorum. S. Baſilius magnus Macedonianis indulſit ſilentium de Spiritus S. divinitate, quo eos ad veræ fidei profeſſionem revocaret, nec ideo damnatur ut fautor Macedonianorum. Ergo. Similiter Honorius. R. N. Ant. Ad 1. Probat. N. Conſeq. Quia non eſt eadem ratio controverſiarum circa facta, & circa aliquod fidei caput. In controverſiis circa facta etiam dogmatica poteſt aliquando imperari ſilentium ſaltem ad tempus, ut fecit Vigilius. At in controverſiis circa aliquod fidei caput imperare abſoluta ſilentium, ut fecit Honorius, eſt cauſam fidei prodere, & errori contrario favere. Ad 2. Prob. Similiter N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod licet S. Baſilius vocem Deitatis taceret ad tempus, adhuc tamen aliis vocibus æquivalentibus e Scriptura petitis teſtimoniiſque eandem vim habentibus adverſarios ita premebat, ut nullo modo repugnare poſſent, ut teſtatur S. Gregorius Nazianz. At vero Honorius jubens ſileri vocem duplicis operationis ſeu voluntatis in Chriſto æquivalentia verba non adhibebat, nec Monothelitas impugnabat; qui e contra eodem modo ac illi loquebatur, & Sergio eorum Principi aſſentire palam profitebatur.

Inſt. Honorius non ſecus ac Baſilius veritatem catholicam verbis æquivalentibus expreſſit, ut patet ex ejus Ep. ſecunda ad Sergium, in qua dicit: *Quantum ad dogma Eccleſiaſticum attinet, utraſque naturas in uno Chriſto unitate naturali copulatas cum alterius communione operantes atque operatrices confiteri debemus, & divinam quidem, quæ Dei ſunt, operantem, & humanam, quæ carnis ſunt, exequentem*. Ergo. R. Hæc non ſatisfuiſſe Honorio, ut impugnaret & comprimeret Monothelitas, ſiquidem hi eadem verba, quæ ſunt S. Leonis, adhibebant, & ſub eis ſuam hæreſim occultabant, ut conſtat ex Ep. ſecunda Sergii ad Honorium, & ex confeſſione Macarii relata actione 8.

Sy-

Synodi 6. Sic ergo dicebant carnem aſſumptam a Verbo exequi, quæ carnis ſunt propria, ut intelligerent in eam præſtare ut motam a Verbo, tanquam ejus inſtrumentum mortuum: unde carnis operationem paſſionis potius quam actionis rationem habere aſſerebant. Honorius itaque verbis laudatis fidem de duabus Chriſti operationibus non ſatis clare pro tempore profeſſus eſt & explicuit, nec Hæreticum ſenſum ſufficienter excluſit.

DISSERTATIO XIX.

DE OPERIBUS CHRISTI MERITORIIS ET SATISFACTORIIS.

Div. Thom. Quæſt. 16.

QUæ tractat D. Th. 1. & 2. art. hujus quæſtionis de una vel multiplici operatione Chriſti, ſufficienter explicata manent ex præced. Diſſert. contra Monothelitas. Unde ad expoſitionem tertii & quarti art. ubi agit de merito Chriſti properamus, quæſtionem de ſatisfactione ejus propter affinitatem adjungemus. Sit itaque

ARTICULUS I.

De merito Chriſti.

An, quando & per quos actus Chriſtus meruit?

DIco 1. Chriſtus vere & proprie meruit. Eſt de fide definita in Concilio Trid. ſeſſ. 6. cap. 7. ubi expreſſe dicitur Chriſtum fuiſſe cauſam meritoriam noſtræ juſtificationis. Colligitur ex pluribus locis Scripturæ, quibus exaltatio Chriſti, Redemptio generis humani humilitati, obedientiæ, paſſioni, &c. Chriſti ut cauſæ meritoriæ tribuuntur. Sic ad Philip. 2. *Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem; propter quod Deus exaltavit illum.* Iſa. 53. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longævum.* Et *Pro eo quod laboravit, anima ejus videbit & ſaturabitur.*

Patet etiam ratione: quia in actibus Chriſti reperiuntur omnes conditiones, quas Theologi requirunt ad merendum apud Deum in Tract. de gratia. 1. Erant liberæ, ut probavimus Diſſert. præced. 2. Erant bonæ ex objecto & circumſtantiis juxta illud Joan. 8. *Quæ placita ſunt ei facio ſemper.* 3. Procedebant a ſubjecto juſto & grato. 4. Ordinabantur charitatis virtute ad gloriam Dei. 5. Erant viatoris: Chriſtus enim erat ſimul viator & comprehenſor, ut diximus ſupra Diſſert. 15. art. ultimo, petit. 8. 6. Ex parte Dei aderat acceptatio harum actionum ad præmium, ut patet ex verbis Iſaiæ ſupra citatis. Quamvis tamen aliqui Theologi, inter quos Joannes a S. Th. negent hanc conditionem requiri ad meritum Chriſti, ſed ſufficere, quod ipſe Chriſtus ſuas actiones ordinet ad præmium, quia ipſe eſt Deus, adeoque perſona ordinans eſt Deus, non ſic de aliis hominibus reſpective ad Deum.

Dices 1. Licet Chriſtus eſſet ſimul viator & comprehenſor, non erat tamen viator ſecundum animam, quæ fruebatur Deo, ſed ſecundum, quod erat mortale: atqui meritum debet eſſe ab anima, non a corpore: ergo. R. D. Maj. Non erat viator ſecundum animam conſideratam ſecundum ſe & in ordine ad Deum, C. Conſideratam ut eſt forma corporis, N. Patet ex dictis Diſſert. 15. cit.

Dices 2. Meritum importat imperfectionem in merente; qui enim meretur, expectat ſibi aliquid conferendum ab alio tanquam a ſuperiore: atqui id in Chriſto repugnat. ergo. R. D. Min. Id Chriſto repugnat ratione divinitatis, C. Ratione humanitatis, N. Mirabili itaque fœdere & ſuppoſitum divinum & humanitas concurrebant in Chriſto ad ejus meritum: ſuppoſitum divinum ad id, quod perfectionis eſt, conferens nempe infinitatem valoris: humanitas ad id, quod imperfectionis eſt, ſcilicet ad inferioritatem & ſubjectionem.

Dico 2. (*Hic q. 34. a. 3. o.*) Chriſtus meruit a primo inſtanti ſuæ conceptionis uſque ad finem vitæ. Eſt communis cum Auctore. Prob. 1. ex illo ad Heb. 10. *Ingrediens in mundum dicit, hoſtiam & oblationem noluiſti: corpus autem aptaſti mihi ... tunc dixi ecce venio. In capite libri ſcriptum eſt de me, ut faciam, Deus, voluntatem tuam.* Porro *ingrediens in mundum*, intelligitur ſecundum Interpretes primo inſtanti conceptionis, & bene, nam ante illud non eſt ingrediens ſed ingreſſurus, poſt illud non eſt ingrediens ſed ingreſſus. Atqui illa oblatio, qua ſe victimam in illo inſtanti obtulit Patri, erat meritoria, nihil enim illi deerat ad meritum. Ergo. Prob. 2. Ratione. Ab illo inſtanti uſque ad finem vitæ habuit vi ſcientiæ infuſæ uſum rationis independentem a phantaſmatibus, nulloque idea impedimento detinebatur. Ergo potuit ab illo inſtanti ad finem vitæ ſine interruptione actus meritorios elicere: idque feciſſe ſuadent ejus dignitas & ſanctitas.

Dices 1. Prius eſt eſſe quam operari. Ergo Chriſtus non meruit in 1. inſtanti. R. D. Ant. Prius eſt eſſe quam operari operatione ſucceſſiva, C. Inſtantanea, ſubd. Prius eſt eſſe natura, C. Tempore, N. Sic eodem inſtanti reali quod ſol exiſtit, illuminat.

Dices 2. Si Chriſtus a 1. inſtanti Conceptionis meruiſſet, nihil poſtea mereri potuiſſet: atqui. Ergo. Prob. Sequela. Illud primum meritum fuiſſet infiniti valoris, adeoque quodlibet præmium meruiſſet. Ergo. R. 1. Hoc argumentum nimis probare, ſcilicet Chriſtum non meruiſſe niſi in ultimo vitæ inſtanti. R. 2. N. Maj. ad probat. D. Illud meritum fuiſſet infiniti valoris, & ſeorſim ab aliis meritis ordinatum & acceptatum ad præmium, N. Et ſimul cum aliis ordinatum & acceptatum ad præmium, C. Non ergo ſingula Chriſti merita ſeorſim ordinabantur & acceptabantur ad præmium, ſed omnia ſimul morte conſummata.

Dico 3. (*Hic q. 50. a. 6. a. & ad 2.*) Chriſtus non meruit in inſtanti mortis ſuæ; nec a fortiori poſt mortem. Prob. Status viatoris de lege Dei ordinaria requiritur ad meritum, nec ab ea lege ſe exemptum indicat ipſe Chriſtus Joan. 9. his verbis: *Me oportet operari opera ejus qui miſit me, donec dies eſt: Venit nox quando nemo poteſt operari:* ubi per diem SS. Patres intelligunt tempus vitæ, per noctem tempus mortis: atqui Chriſtus in inſtanti mortis, a fortiori poſt mortem, non erat amplius Viator. Ergo. Prob. Min. Secundum Philoſophos viventia deſinunt per primum ſui non eſſe, in quo verum eſt dicere, nunc non eſt vivens & immediate ante erat. Ergo in inſtanti mortis, quod eſt extrinſecum vitæ, Chriſtus non erat amplius Homo vivens, adeoque nec Viator.

Dices 1. Chriſtus meruit per ſuam mortem: ergo. R. D. (*Ib.*) Ant. Chriſtus meruit per ſuam mortem in fieri, ſcilicet per Paſſionem, quæ tendebat ad mortem, C. Per ſuam mortem in facto eſſe, N. Poteſt etiam dici Chriſtum meruiſſe per mortem in facto eſſe non formaliter, ſed objective; quatenus vivens eam voluntarie acceptavit, & obtulit Patri. Hac ſolutione ultima ſolvitur inſtantia de Reſurrectione & de vulnere lateris, e quo quidam Patres dicunt fluxiſſe vitam, ſalutem, Sacramenta, niſi forte intelligas etiam & bene, fluxiſſe Sacramenta figurative, quia fluxit aqua, figura Baptiſmi, fluxit & ſanguis, figura Euchariſtiæ. Poteſt etiam dici ſecundum D. Th. (*Ib. o.*) quod licet hæc plaga, & quidquid contigit circa carnem Chriſti, anima ſeparata, non fuerit nobis meritorium, fuerit tamen nobis ſalutiferum efficienter ut inſtrumentum Divinitatis unitæ.

Inſt. Martyres merentur formaliter per mortem in facto eſſe. Ergo. Prob. Ant. Merentur aureolam formaliter per mortem: atqui illam non merentur, niſi mors ſit conſummata: ergo. R. N. Ant. ad probat. N. Min. Merentur enim aureolam in ultimo inſtanti intrinſeco vitæ, in quo verum eſt dicere, nunc vivunt & poſt non vivunt: licet non detur niſi morte conſummata.

Repones. Voluntarium in cauſa ſufficit ad meritum ſicut ad demeritum: atqui tam in Chriſto quam in Martyribus mors inſtanti extrinſeco vitæ eſt voluntaria in cauſis, quibus ſe voluntarie ſubjecerunt. Ergo. R. D. Maj. Voluntarium in cauſa ſufficit ad meritum, ſi adſint aliæ conditiones requiſitæ, inter quas eſt ſtatus viatoris, C. Secus, N.

Dices 2. Chriſtus in Cœlis orat pro nobis, juxta illud Rom. 8. *Interpellat pro nobis.* Ergo. R. N. Conſeq. Quia licet omnis oratio ſit impetratoria, non tamen eſt ſemper meritoria. Unde S. Th. 2. 2. q. 83. art. 16. docet peccatores petendo aliquid a Deo impetrare: & tamen ad 2. negat eos mereri. Ibid. a. 11. ad 1. docet Sanctos in Cœlo orare pro beatitudine corporis, eamque impetrare, & tamen non mereri. Tandem donum perſeverantiæ cadit ſub impetratione, non tamen ſub merito, ut docet ibid. S. Doctor 1. 2. q. 114. a. 9. ad 1.

Dico 4. (*In 3. d. 18. q. 1. a. 5.*) Chriſtus meruit per omnes actos liberos humanæ voluntatis. Dico *Humanæ voluntatis*, quia ratio meriti involvit aliquam dependentiam a præmiante; divina autem voluntas Chriſti nullam habet ſuperiorem, a quo dependeat. Prob. Concluſio, quia ſuppoſita libertate in actionibus Chriſti, nulla deeſt illis conditio ad meritum. Et quidem 1. ſunt viatoris, ut patet ex dictis. 2. Sunt undequaque bonæ, imo & theandricæ procedentes a ſuppoſito divino & ſubjecto infinite ſan-

ſto & grato atque impeccabili. 3. Sunt ex imperio ſommæ charitatis ordinaræ ad gloriam Dei; & ex hia capitibus quantumvis ex ſe naturales, fiebant ſupernaturales. 4. Tandam non deerat eis acceptatio ex parte Dei ad præmium. Ergo.

Hinc colliges 1. Chriſtum meruiſſe per actum dilectionis Dei, qui, ut probavimus, fuis liber Chriſto. Id etiam aperte teſtantur Patres tribuentes opus Redemptionis noſtræ (quod conſtat eſſe ex meritis Chriſti) eximiæ illius charitati, juxta illud Joan. 4. *Ut cognoſcat Mundus, quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi, ſic facio, ſurgite, eamus hinc*, id eſt ad paſſionem. Ecce quomodo actus obedientiæ fuit imperatus a charitate. Et ſane nullum eſt meritum ſaltem perfectum, quale fuit in Chriſto, quod non ſit a charitate, vel elicitive, vel ſaltem imperative, ut docet S. Th. (1. 2. *q.* 114. *a.* 4.) quia ejus eſt per ſe primo & formaliter reſpicere bonum divinum, ad quod ordinari debens opera, ut ſint meritoria. Colliges 2. Chriſtum meruiſſe per omnes actus etiam præceptos virtutum moralium, obedientiæ, humilitatis, patientiæ, &c. quia ut ſuperiore Diſſert. expoſuimus, in iis fuit liber. Colliges 3. Chriſtum meruiſſe per omnes actus ſuarum potentiarum, etiam partis ſenſitivæ & vegetativæ, imo & corporis, ita ut meruerit non tantum per auditionem, viſionem, ambulationem, gemitus, lachrymas, &c. ſed etiam per motum cordis, pulſum arteriæ, nutritionem, digeſtionem, ſomnum, ſitim, &c. Quia licet iſtæ actiones non ſint in ſe formaliter liberæ, ſuberant tamen ejus voluntati ratione dominii, quod habebat in ſuum corpus & ejus potentias. Unde prout ab ipſo permittebantur ob fines honeſtos, accipiebant aliquam honeſtatem moralem.

Dices 1. Chriſtus non habebat dominium in has potentias niſi ut inſtrumentum divinitatis: atqui inſtrumentum non movet libere, ſed ſecundum motum cauſę principalis. Ergo. R. D. Maj. Niſi ut inſtrumentum mortuum, N. Ut inſtrumentum vivum, C. Adeoque & liberum; quia Verbum illud movebat juxta naturam ſuam, hoc eſt per deliberationem rationis.

Dices 2. Ex hac doctrina ſequeretur Chriſtum meruiſſe ſpuendo & alias exercendo actiones mere naturales & neceſſarias, quod videtur indecens & abſurdum. R. omnia naturalia, quæ nobis videntur indecentia, non eſſe talia in oculis Dei, qui eſt illorum Auctor. Attamen cum illæ actiones non pertineant per ſe ad vitam vegetativam & ſenſitivam, ſed per accidens utramque conſequantur, poſſet veriſimiliter dici Chriſtum eas non ordinaſſe ad meritum. Unde ab illis abſtrahimus.

ARTICULUS II.

Quænam Chriſtus ſibi meruerit?

Dico 1. (*Hic q. 19. art. 3. o.*) Chriſtus meruit ſibi gloriam corporis, nominis exaltationem, & alia bona, quæ pertinent ad ejus excellentiam exteriorem, ut eſt aſcenſio, veneratio, &c. quæque accepit poſt ſuam paſſionem. Eſt contra Calvinum, qui ut amorem Chriſti erga nos magis extolleret, reprehendit ſcholaſticos, quod docuerint Chriſtum ſibi aliquid meruiſſe. Attamen

Prob. Concluſio evidentiſſimis Scripturæ teſtimoniis. Ad Philip. 2. de Chriſto dicitur: *Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem ... propter quod* (attende cauſalitatem meriti) *Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Jeſu omne genuflectatur*, &c. ad Heb. 2. *Vidimus Jeſum propter Paſſionem mortis gloria & honore coronatum*. Luc. 24. *Nonne oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam*, ſcilicet corporis. Joan. 17. *Opus conſummavi*, &c. *Nunc clarifica me*. Apoc. 5. *Dignus eſt agnus qui occiſus eſt*, &c. Adſtipulantur ſancti Patres Tertul. lib. de Corona Milit. Aug. Tract. 104. in Joan. Bernar. Serm. 3. de Aſcenſ. Prob. (*Ibid.*) Ratione. Perfectius eſt aliquid habere per meritum, quam ſine merito, quando cætera ſunt paria, hoc eſt quando inde majoris dignitatis non ſequitur detrimentum: atqui Chriſtus potuit mereri gloriam corporis & cætera bona extrinſecu, ſi quidem eis ab initio caruerit, proindeque merito ad illa tendere potuerit; nec ullum inde videtur ſequi majoris dignitatis detrimentum. Ergo illa meruit. Patet Conſeq. Quia debemus Chriſto concedere id, quod eſt perfectius & nobilius.

Dices 1. Juxta hanc doctrinam ſequitur, quod Chriſtus ſit mortuus pro ſe, & ſeipſum obtulerit pro ſe, quod damnatur can. 10. Concil. Epheſ. Ergo. R. N. Sequelam: quia iſtis locutionibus ſignificatur, quod Chriſtus paſſus ſit pro ſe ex primaria intentione & pro peccatis propriis, quod utrumque eſt falſum, & ultimum damnatum can. cit. ut patet ex ratione, quæ ibi adſertur; quod ſcilicet Chriſtus oblatione non eguerit, quia peccatum non fecit. Quod autem Chriſtus non ſit paſſus pro peccatis propriis, & quod primarius finis ejus Incarnationis fuerit Redemptio noſtra, ita ut ea ceſſante non veniſſet, bene ſtat potuiſſe ſibi conſequenter & ſecundario meruiſſe, ut patet de Angelis, quibus ut diximus meruit gratias accidentales.

Dices 2. Gloria corporis erat Chriſto debita titulo connaturalitatis. Ergo eam non meruit. R. N. Conſeq. Poteſt enim eadem res hoc duplici titulo obtineri, quia inter ſe non repugnant, idque maxime ſi res illa ſtatim ab initio non habeatur, ſed ſuſpendatur ejus aſſecutio, ut ſit caſu noſtro. Sic v. g. Filius Regis, cui ex titulo hæreditatis debetur Regnum, poteſt tamen egregiis factis illud demereri.

Dico 2. (*Ibid.*) Chriſtus nec gratiam habitualem, nec gloriam eſſentialem ſibi meruit. Ita communiter cum S. Th. Prob. 1. *pars*. Actus meritorii in Chriſto primo inſtanti conceptionis eliciti procedebant a gratia habituali: atqui principium meriti non cadit ſub merito, ut alibi diximus. Ergo. Prob. Maj. Illi actus meritorii eliciebantur a Chriſto connaturaliter, hoc enim, cum ſit quid perfectius, nec ſequatur inconveniens, non debemus denegare Chriſto: atqui ut connaturaliter elicerentur, debebant procedere a gratia habituali, ut a principio quo, ut diximus dum de gratia Chriſti: Ergo.

Prob. 2. pars. Gloria eſſentialis animæ, ſeu ſcientia beata ſe tenebat etiam ex parte principii meritorum Chriſti. Ergo illam non meruit. Prob. Ant. Meritum Chriſti regulabatur vel ſcientia beata, vel ſcientia infuſa: atqui ſi primum, habemus intentum; etiam ſi ſecundum, quia ſcientia infuſa ſupponebat beatam, ad quam ut proprietas ſequebatur. Ergo. Patet Maj. Quia meritum in Chriſto non poterat regulari fide, quæ in eo non erat.

Dices 1. Juxta D. Th. infra q. 34. a. 3. ſupra cit. Chriſtus in 1. ſuæ conceptionis inſtanti ſanctificatus fuit per proprium actum: atqui illi actui nihil deeſt, ut ſit meritorius gratiæ habitualis: ergo. R. D. D. Min. Si ab ipſa gratia non procedat, C. Si ab ipſa gratia procedat, ſicut de facto procedebat, ſecundum exigentiam connaturalem, N.

Reponea. S. Th. infra q. 48. a. 1. o. dicit ſic: *Reſpondeo dicendum, quod Chriſto data eſt gratia non ſolum ſicut ſingulari perſonæ, ſed in quantum caput eſt Eccleſiæ, ut ſcilicet ab ipſo redundaret in membra, & ideo opera Chriſti hoc modo ſe habent tam ad ſe quam ad ſua membra, ſicut ſe habent opera alterius hominis in gratia conſtituti ad ipſum ... Unde Chriſtus per ſuam paſſionem non ſolum ſibi, ſed etiam omnibus membris ſuis meruit ſalutem*. Atqui per ſalutem intelligitur gratia & gloria eſſentialis, quam membris ſuis meruit. Ergo. R. Quandoquidem D. Th. diſertis verbis in hoc, quem tractamus, articulo neget Chriſtum ſibi meruiſſe *Gratiam & beatitudinem animæ*, alio certe ſenſu intelligenda veniunt verba objecta, niſi patentiſſimam S. Doctori præbeamus contradictionem. Dico itaque S. Doctorem tantum velle, quod Chriſtus, quia eſt totius Eccleſiæ caput, & illi ſub hac ratione data eſt gratia, mereatur ſibi capiti, & nobis membris; ſicut homo particularis in gratia conſtitutus ſibi ſoli meretur, membra enim & caput unum conſtituunt. Non autem intendit, quod ea omnia, quæ nobis meruit, ſibi meruerit. Hic ſenſus patet ex textu & ex verbis in fine; notanter enim S. Doctor non dixit: *Non ſolum ſibi meruit ſalutem*, ſed ſimpliciter, *Non ſolum ſibi meruit*, id eſt Chriſtus non ſolum ſibi meruit aliquid, ſed etiam omnibus membris ſuis meruit ſalutem.

Dices 2. Debemus Chriſto tribuere, quod eſt perfectius & dignius: atqui perfectius & dignius eſt habere gratiam & gloriam ex merito, quam ſine merito, ut ſæpe diximus. Ergo. R. D. Maj. Si nihil obſtet, C. Si aliquid obſtet, N. Et ſic diſtincta Min. N. Conſeq. Obſtat itaque in præſenti caſu, quod inverteretur ordo connaturalis agendi: cum enim ſupponatur gratia & gloria eſſe in Chriſto a 1. inſtanti Conceptionis, & gratia ſit principium connaturale actionis meritoriæ, viſio autem beatifica ſeu ſcientia infuſa loco fidei ſit ejus Regula, ut Chriſtus utramque mereretur, deberet ejus actio meritoria nec eſſe a gratia, nec regulari ſcientia beata aut infuſa, quod non eſt connaturaliter operari meritorie.

Dices 3. Ideo ſecundum D. Th. hic Chriſtus non meruit gratiam habitualem & gloriam eſſentialem, quia debuiſſet aliquo tempore illis carere: atqui hæc ratio nulla eſt. Ergo. Prob. Min. Licet meritum natura debeat præcedere præmium, non repugnat tamen, quod ſimul tempore ſint, ut patet in augmento gratiæ, quod datur in præmium actus habitu intenſioris, quod ſimul eſt tempore cum illo actu. R. D. Min. Iſta ratio nulla eſt reſpectu meriti ut ſic, C. Reſpectu talis meriti, de quo eſt Quæſtio, N. Suppoſito enim quod gratia & gloria ſtatim ab initio in Chriſto fuerint, ut alibi diximus, actio ejus meritoria, non quidem abſolute, ſed connaturaliter & ſecundum

Digitized by Google

dum communem curſum ab aliis procedere debebat, ita ut ſi ab eis non procederet, nulla poſſet aſſignari ratio ſecundum communem & connaturalem curſum hujuſmodi diſpenſationis, niſi quia tunc in Chriſto non eſſent. Et hoc intendit S. Th. Adde, quod ſi non reguletur per ſcientiam beatam aut infuſam, debeat regulari per fidem, quæ eſt cum utraque incompoſſibilis.

Repones. S. Th. Quodl. 9. a. 8. docet Angelum in 1. inſtanti & fuiſſe beatum & beatitudinem meruiſſe, rationemque reddit, quia in inſtantaneis fieri & factum eſſe ſunt ſimul tempore. Ergo. R. S. Thomam ibi loqui ex aliorum ſententia, non ex propria. Etenim S. Th. eo in loco quærendo, utrum Angeli meruerint ſuam beatitudinem, tres refert ſententias; Primam aſſerentem Angelum in 1. ſuæ creationis Inſtanti fuiſſe beatum; Secundam, Angelus fuiſſe creatos in gratia, & in ea perſeverantes gloriam meruiſſe; hanc amplectitur S. Doctor: Tertiam, fuiſſe in puris naturalibus conditos, ſed ſimul converſis ad Verbum collatam fuiſſe beatitudinem & gratiam. Pro cujus ſententiæ defenſione tres refert dicendi modos, & ſolum approbat tertium relatum in objectione, ſed ut patet non ex propria ſententia, ſecundam enim elegerat, ſed tertia ſententia ſuppoſita, quam non ſequebatur. Ita Ferrar. 3. cont. Gent. cap. 110. Bergomenſis in Tabula aurea Dub. 154. citati apud Gonetum.

Inſt. Nihil repugnat etiam connaturaliter, quod tale Chriſti meritum reguletur per ſcientiam infuſam, & mereatur ſcientiam beatam. Ergo. Prob. Ant. Si quid repugnaret, eſſet, quia ſcientia infuſa ſupponit beatam, & ad illam ſequitur; atqui falſum Conſequens. Ergo. Prob. Min. ex D. Th. ſup. q. 9. art. 3. ad 2. ubi expreſſe fatetur ſcientiam infuſam eſſe diſpoſitionem ad beatam. Ergo. R. N. Ant. ad prob. N. Min. ad probat. Dico S. Th. loqui de diſpoſitione, quæ ſe habet per modum effectus ad bene eſſe formæ, non de ea, quæ ſe habet ut via ad formam ſimpliciter. Sic eodem ſenſu q. 7. a. 13. ad 2. appellat gratiam habitualem diſpoſitionem ad gratiam unionis.

Dices 4. Iſa. 53. dicitur de Chriſto; *Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit & ſaturabitur*: atqui illa viſio eſt beata, de qua Pſ. 16. *Satiabor cum apparuerit gloria tua*. Ergo. R. N. Min. Sed debet intelligi illud *Videbit* de viſione ſeminis longævi, id eſt converſionis Gentium; ut patet ex verbis immediate præcedentibus: *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longævum, &c.* Ex dictis colliges Chriſtum etiam non meruiſſe virtutes & dona, quæ ſimul cum gratia conferuntur, & ad eam ut proprietates conſequuntur; quia de lege Dei ordinaria, eadem via & actione, eſſentia & proprietates producuntur.

Quidam hic movent Quæſtionem, utrum ſaltem de potentia Dei abſoluta Chriſtus potuerit ſibi mereri gratiam & gloriam eſſentialem ut habitas in primo inſtanti Conceptionis? Negat Joannes a S. Th. Nugnu, Contenſon: affirmant Godoy, Gonet. Vide ſi lubet. Quæſtioni enim prorſus inutili immorari nec vacat, nec placet.

ARTICULUS III.

Utrum & quæ Chriſtus meruit Angelis & hominibus?

Dico 1. (*Ib. art. 4. 6.*) Chriſtus non tantum ſibi meruit, ſed & aliis: quia in Chriſto non ſolum fuit gratia, ſicut in quodam homine ſingulari, ſed ſicut in capite totius Eccleſiæ, cui omnes uniuntur ſicut capiti membra, ex quibus conſtituitur myſtica una perſona. Ergo meritum Chriſti ſe extendit ad alios in quantum ſunt membra ejus; ſicut etiam in uno homine actio capitis aliqualiter pertinet ad omnia membra ejus, quia non ſolum ſibi ſentit, ſed omnibus membris.

Dico 2. Chriſtus non meruit Angelis gratiam & gloriam eſſentiales, ſed tantum gratias accidentales. Conſtat ex dictis de gratia Chriſti capitali Diſſert. 9. a. 3. Requiſe. Dico 3. Chriſtus non meruit primis Parentibus gratiam ſtatus innocentiæ. Conſtat ex dictis ibidem art. 2. ſ. 3. Vide.

Dico 4. Chriſtus meruit aliis hominibus omnes gratias actuales diſponentes ad juſtificationem, ipſam gratiam juſtificantem, gloriam, auxilia omnia, dona ſupernaturalia, omnes denique noſtræ Prædeſtinationis effectus. Prob. Auctoritate. Ad Epheſ. 1. dicitur: *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui benedixit nos omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto*, id eſt per Chriſtum juxta S. Th. ex Ambroſ. & aliis Patribus. Joan. 1. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus & gratiam pro gratia*, id eſt omnem gratiam a prima uſque ad ultimam juxta phraſim hebraicam. Ita interpretantur Chryſoſt. ibid. hom. 13. Aug. Tract. 3. in Joan. Joan. 15. *Sine me nihil poteſtis facere*, nempe quod conducat ad ſalutem, ut explicat cum Patribus Trid. Seſſ. 5. & 6. D. Bern. Serm. 23. in Cant. *Quidquid virtutis*, inquit, *quidquid ſapientiæ habere, conſilii . . . depoſita in Chriſto*. D. Th. ſupra Q. 7. a. 9. dicit gratiam Chriſti plenam eſſe, eo quod attingit omnes effectus gratiæ. Prob. ex uſu Eccleſiæ, quæ ſive petat ſpiritualia quæcumque, ſive temporalia prout conducunt ad ſalutem, petit *per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*.

Prob. Ratione. Chriſtus nobis meruit ea omnia, quæ ad ſalutem & juſtificationem ſunt neceſſaria, quæque amiſeramus per peccatum originale: atqui hæc omnia aſſignata ſunt neceſſaria ad juſtificationem & ſalutem noſtram, eaque omnia amiſeramus per peccatum originale. Ergo. Patet Min. Prob. Maj. 1. Quia juxta Scripturam, ubi abundavit delictum, ſuperabundavit gratia. 2. Quia id pertinet ad officium perfecti & conſummati Salvatoris & Redemptoris, qualis fuit Chriſtus. 3. Quia hoc magis congruit excellentiæ & dignitati ejus, cui nempe nihil perfectionis debemus denegare, niſi vel in ſe repugnet, vel oppoſitum fuerit revelatum. Ergo.

Dices 1. Gratia & Juſtificatio noſtra ſunt omnino gratuitæ ſecundum Apoſt. ad Rom. 3. & 11. Ergo ex nullius meritis. R. D. Ant. Sunt gratuitæ reſpectu noſtri, C. Reſpectu Chriſti, N. Et hic eſt ſenſus Scripturarum, quem innuit ipſemet Apoſtolus 3. ad Rom. ait. *Juſtificati gratis*, inquit, *per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu*. Quibus verbis ſignificat noſtram juſtificationem reſpectu noſtri eſſe gratuitam, & reſpectu Chriſti remuneratoriam.

Dices 2. Adam non amiſit ſpem & fidem. Ergo. R. D. Ant. Non amiſit ſibi, C. Non amiſit nobis, N. Etenim, ait Concil. Arauſic. 2. can. 25. *Per peccatum primi Parentis ita fuiſſe attenuatum liberum arbitrium hominis, ut nec poſſit in Deum credere, nec ſperare*.

Dices 3. S. Th. infra q. 79. art. 7. ad 2. dicit, quod *Paſſio Chriſti effectum non habent, niſi in illis, qui conjunguntur illi per fidem & charitatem*. Ergo. R. S. Th. loqui de effectu completo, id eſt remiſſione culpæ & infuſione gratiæ, qui ſit effectus Sacramenti, de quo ibi agit.

Dices 4. Meritum debet exiſtere ante præmium, cum ſit præmii cauſa: atqui Chriſtus non extitit ante antiquos Patres. Ergo. R. D. Maj. Debet exiſtere in re, N. In præſcientia præmiantis, C. Cum ſit enim cauſa moralis tantum, ſufficit, quod exiſtat in præſcientia alterius.

Dices 5. Chriſtus non meruit ſuam Incarnationem. Atqui hæc erat maxime neceſſaria ad ſalutem noſtram. Ergo. R. noſtram concluſionem non procedere de Incarnatione; tum quia ipſa eſt principium meriti in Chriſto; tum quia non eſt effectus prædeſtinationis noſtræ, ſed ad illam præſupponitur.

ARTICULUS IV.

Utrum Chriſtus vere & proprie pro nobis ſatisfecerit, an improprie tantum & metaphorice?

Ille dicitur vere & proprie ſatisfacere, qui exhibet pretium æquivalens rei ablatæ ſeu injuriæ illatæ, per quod extinguitur debitum. Ita Chriſtum pro nobis Deo ſatisfeciſſe tenent omnes Catholici, ſcilicet ipſum tanquam vadem & ſponſorem noſtrum pœnas peccatis noſtri debitas tuliſſe ſanguinem fundendo & mortem oppetendo loco noſtro. Negant Sociniani, contendentes Chriſtum pro nobis ſatisfeciſſe improprie tantum & metaphorice, ſcilicet prædicatione, conſilio & exemplo, quibus & aliis, quæ ipſi commiſſa erant, adimpletis, Deus gratis peccata nobis remittit. Fatemur equidem Chriſtum eſſe mortuum pro nobis, hoc eſt commodo noſtro, quatenus ejus mors nos movet ad pœnitentiam, & ex certificamur Deum condonaturum nobis peccata, at non pro nobis, id eſt loco noſtro, luendo pœnas peccatis noſtris debitas. Et hic error ſequitur ex alio. Quamvis enim agnoſcant Deum punire peccatores pervicaces & in malo perſeverantes, volunt tamen eum reſipiſcentibus, gratis & nulla expoſtulata ſatisfactione condonare, ne alioquin fiat præjudicium ejus miſericordiæ. Contra quos cum univerſa Eccleſia

Dico. Chriſtus vere & proprie pro nobis ſatisfecit. Prob. 1. Juxta Scripturam Chriſtus redemit nos pretio ſoluto, ſcilicet ſanguine fuſo & morte oppetita. Ergo vere & proprie pro nobis ſatisfecit. Patet Conſequens ex notamine. Prob. Ant. 1. Cor. 6. habetur: *Empti eſtis pretio magno*. Cap. 7. *Pretio empti eſtis, nolite fieri ſervi hominum*. 1. Pet. 18. *Scientes quod non corruptibilibus auro vel argento redempti eſtis ... ſed pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati & incontaminati*. Hic pretium præfertur auro & argento, quibus redimuntur captivi, & aſſignatur quale ſit, pretioſus ſcilicet ſanguis Chriſti, cui noſtra redemptio tribuitur. Item Eph. *In quo habemus redemptionem per ſanguinem ejus, remiſſionem peccatorum*. Tit. 2. *Dedit ſemetipſum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate*. 1. Tim. 2. *Qui dedit ſemetipſum Redemptionem pro omnibus*:

Græ-

Græce, *pretium pro omnibus*. Galat. 3. *Chriſtus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum*, id eſt transferens in ſe maledictionem, ſeu punitionem peccatis noſtris debitam, Matth. 20. *Filius hominis venit dare animam ſuam redemptionem pro multis*: Græce, *pretium pro multis*. Heb. 7. Chriſtus dicitur *melioris teſtamenti ſponſor factus*; quo ſenſu autem ſit novi teſtamenti ſponſor, explicat Apoſtolus ibid. c. 9. *Ideo*, inquit, *novi teſtamenti mediator eſt, ut morte intercedente in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant ſub priori teſtamento, remiſſionem accipiant, qui vocati ſunt æternæ hæreditatis*. Similiter paſſim alibi.

Ex his præcluditur evaſio Socinianorum, qui dicunt hæc eſſe intelligenda de redemptione impropria, ſicut cum Exod. 15. Deut. 7. & alibi Deus dicitur redemiſſe populum ſuum. Et Act. 7. Moyſes dicitur miſſus Redemptor, licet nihil ſolverint. Diſparitas eſt enim aperta, quod in locis a nobis laudatis exprimatur Redemptio *perſoluto pretio*, ſecus cum Deus aut Moyſes dicitur Redemptor, Redemptio autem perſoluto pretio ſecundum ipſum Socinum eſt vera & propria Redemptio. *Redimere aliquem*, inquit lib. 2. de ſervatore c. 1. *nihil aliud proprie ſignificat, quam captivum manibus illius, qui illum detinet, dato pretio liberare*.

Neque dicas cum iiſdem pretium etiam intelligendum eſſe improprie, quatenus ſcilicet ad ejus præſentiam liberamur a Deo. Nam 1. Quis non videt hanc reſponſionem eſſe ſine ullo fundamento fictam, miſeram Scripturarum contorſionem, & merum effugium? Quod ſi ſemel admittatur, nihil erit in Scripturis, quod ad ſenſum improprium detorquere non liceat. 2. 1. Joan. 18. Hoc pretium comparatur, imo præfertur auro & argento, quod eſt verum & proprium pretium, quo redimuntur captivi. 3. Quia in Græco non ſolum dicitur Lytrum, ideſt pretium, ſed *Antilytrum*, id eſt pretium æquivalens, & vera debiti compenſatio.

Dicunt inſuper Sociniani particulam *pro*, græce *yper*, non ſemper ſignificare ſubſtitutionem unius pro alio, ſeu ſolutionem debiti, ſed ſæpe occaſionem ſeu cauſam finalem. Unde quando Chriſtus dicitur mortuus pro nobis, non eſt ſenſus, quod loco noſtro ſit mortuus, & quod ſolverit debitum noſtrum, ſed quod morte ſua magnum beneficium nobis contulit, conteſtans ſuam erga nos charitatem, promittens & certificans miſericordiam Dei condonaturam nobis peccata noſtra. Id autem probant 1. Quia 1. Joan. 3. jubemur animam pro fratribus ponere ad imitationem charitatis Chriſti, qui poſuit animam ſuam pro nobis; non debemus autem animam ponere pro fratribus, quaſi illorum loco in pœnis ferendis ſubſtituamur, ſed tantum in eorum utilitatem & commodum. 2. Quia eodem modo Chriſtus dicitur mortuus pro nobis, quo dicitur mortuus pro peccatis noſtris. At non dicitur mortuus pro peccatis hoc ſenſu; quod ſit mortuus loco peccatorum noſtrorum, ſed quod ſit mortuus, ut a peccatis nos avocaret, & de eorum remiſſione gratuita fidem & ſpem faceret. R. nos non facere vim in particula *pro* ſeu *yper* præciſe, ſed cum adjunctis & circumſtantiis. Unde contendimus, quod cum Chriſtus dicitur nos redemiſſe, non auro aut argento, ſed pretio ſui ſanguinis, ſe dediſſe redemptionem, ſeu pretium redemptionis pro nobis, nos redemiſſe de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, dediſſe animam redemptionem ſeu pretium redemptionis pro multis, & ſimilia, quæ dixi & modo dicam; contendimus, inquam, hæc non poſſe intelligi, niſi in quantum Chriſtus ſe vadem noſtrum dedit, loco noſtro paſſus eſt, & pro peccatis noſtris ſoluto pretio ſatisfecit: neque in Scripturis aut alibi hæ & ſimiles expreſſiones reperire eſt, quæ ſubrogationem unius pro alio in ſolvendo pretio & ſatisfaciendo non ſignificent.

Hinc evaneſcit, quod opponunt de præcepto ponendi animam pro Fratribus noſtris. Non enim jubemur ponere animam pro Fratribus ad eos redimendos, ad ſatisfaciendum pro ipſis, &c. ſed cum Chriſtus morte ſua duo præſtitit, primum & principale, quod morte ſua nos redemerit, & pro peccatis noſtris ſatisfecerit, alterum, quod exemplum mutuæ charitatis imitandum nobis dederit; ad hoc ſecundum, ubi urget neceſſitas proximi, hortatur nos Joannes Evangeliſta, non ad primum; cujus ſumus incapaces. Quod autem opponunt de peccatis abſonum eſt; quaſi vero eadem particula *pro* applicata rebus eandem vim ſignificandi habeat, ac applicata perſonis. Dum dico, *Satisfeci pro debito Petri*, erit forte ſenſus, quod ſim ſubſtitutus loco debiti? hoc eſt plane abſurdum. Sed ſi dicam, *Satisfeci pro Petro*, ſenſus apertus & obvius eſt, quod ſatisfecerim loco Petri. Quando igitur Chriſtus dicitur mortuus pro peccatis noſtris, particula *pro* ſignificat cauſam finalem, & ſenſus eſt Chriſtum eſſe mortuum pro peccatis noſtris expiandis. Quando autem dicitur mortuus pro nobis cum adjunctis, quæ retulimus & referemus, particula *pro* ſignificat Chriſtum fuiſſe loco noſtro ſubſtitutum, pro nobis ſolviſſe redemptionis pretium, ac pro nobis vere ſatisfeciſſe.

Inſtant Fratres Poloni. Si Chriſtus loco noſtro ſit mortuus, ut quid ergo nos adhuc morimur, & alias peccati pœnalitates adhuc patimur? R. quia non eſt mortuus, ut nos liberaret a morte temporali, ſed æterna, cui ſubjiciebamur; & ut nobis acquireret gratiam, qua tolerantia pœnalitatum hujus vitæ fieret nobis meritoria vitæ æternæ. Inferunt. Ergo debebat ſubire mortem æternam, cui ſubjiciebamur. R. N. Illationem, Quia mors ejus temporalis fuit valoris ſufficientis & ſuperabundantis, ut nos ab æterna morte redimeret, ut dicemus infra.

Confir. 1. Præcedens probatio ex Iſa. c. 53. ubi v. 4. dicitur de Chriſto: *Vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit* (græce: *Et ipſe peccata noſtra fert & pro nobis affligitur:*) *Et nos putavimus eum quaſi leproſum & percuſſum a Deo & humiliatum*. Verſu 5. *Ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra, diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & livore ejus ſanati ſumus*. Verſu 6. *Poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum*. Verſu 8. *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum*. Verſu 10. *Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate, ſi poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longævum*. Ergo Chriſtus pro nobis & loco noſtro ſubrogatus pœnas peccatis noſtris debitas portavit & luit, ſicque debitum noſtrum extinxit; nam *diſciplina pacis noſtræ ſuper eum & livore ejus ſanati ſumus*. Ergo nos redemit pretio perſoluto. Ergo vere & proprie pro nobis ſatisfecit. Id explicatius adhuc exprimit S. Petrus Ep. 1. c. 2. ad verba Iſaiæ alludens: *Peccata noſtra*, inquit, *ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, ut peccatis mortui, juſtitiæ vivamus, cujus livore ſanati ſumus*.

Reſpondent Sociniani in Hebræo pro *tulit* haberi vocem ambiguam, quæ æque ſignificat *ferre* & *auferre*; intelligi autem volunt Chriſtum abſtuliſſe languores noſtros, hoc eſt peccata & pœnas eis debitas, non tamen eas in ſe tuliſſe & paſſum fuiſſe. Idque inde probant, quod dum Chriſtus ſanaret morbos, dicitur a Matthæo c. 8. adimpleviſſe, quod dictum erat per Iſaiam dicentem: *Ipſe infirmitates noſtras accepit, & ægrotationes noſtras ipſe portavit*; & tamen Chriſtus morbos in ſe non tulit, nec aſſumpſit, ſed abſtulit tantum & ſanavit. Sed contra. Eſto Ly *tulit* apud Iſaiam ſignificet *abſtulit*: & hoc etiam veriſſimum eſt, Chriſtum abſtuliſſe languores & infirmitates noſtras, id eſt peccata noſtra & pœnas eis debitas; ſed quare & quomodo juxta Iſaiam peccata noſtra & pœnas eis debitas abſtulit? Quia illas *portavit*: Quia illas *pertulit in corpore ſuo ſuper lignum*: Quia propter illas *vulneratus eſt & attritus*: Quia *pro illis poſuit animam ſuam*: Quia *poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum*: Quia eum *percuſſit & humiliavit*. Vere ergo Chriſtus tulit & abſtulit peccata noſtra & pœnas eis debitas, ſed ideo abſtulit, quia tulit. Neque his quidquam officit textus Matthæi, dum dicit impletum fuiſſe Iſaiæ oraculum, quando Chriſtus morbos ſanabat, quos tamen non ferebat, ſed auferebat tantum: quia, ut patet ex dictis, utrumque conjunxit Propheta, & quod Chriſtus tulerit pœnas peccatorum, & quod eas abſtulerit, & quia peccati pœnæ aliæ ſunt animi, aliæ corporis, utraſque ſua Paſſione abſtulit Chriſtus, ſeu more ſuo auferri, quando expediret. Et ideo S. Matthæus dicit adimpletum fuiſſe Iſaiæ oraculum, inadæquate ſcilicet & ex parte ablationis pœnarum corporalium.

Confir. 2. ex illo Pſ. 68. qui certo eſt de Paſſione Chriſti: *Quæ non rapui, tunc exolvebam*. Quæ verba ſignificant Chriſtum, licet non rapuerat peccando Dei honorem, reddidiſſe tamen ſua Paſſione, quem homo peccator rapuerat. Ita Aug. in hunc Pſ. *Non rapui & exolvebam; non peccavi & pœnas dabam*. Similiter alii Patres & Interpretes. Ergo pro nobis ſatisfecit ſoluto pretio.

Prob. 2. Chriſtus ſemetipſum obtulit in Cruce ut victimam & hoſtiam piacularem pro peccatis noſtris. Ergo vere & proprie ſatisfecit pro nobis. Prob. Ant. Chriſtus fuit verus Sacerdos & Pontifex novæ Legis, ut teſtatur Apoſtolus tota Ep. ad Hebræos, præſertim c. 7. Atqui munus Sacerdotis & Pontificis conſiſtit non ſolum in interceſſione, doctrina & exemplo vitæ, ut vult Socinus, ſed potiſſimum in immolatione & oblatione victimæ pro expiatione peccatorum, ut diſerte docet Apoſtolus Heb. 5. his verbis: *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis*. Et c. 8. *Omnis Pontifex ad offerendum munera & hoſtias conſtituitur; unde neceſſe eſt & hunc habere aliquid, quod offerat*. Dum autem Chriſtus nihil haberet extraneum Deo dignum, quod offerret, ſemetipſum obtulit in ſacrificium ut victimam & hoſtiam, quod non minus expreſſe docet idem Apoſt. Heb. 7. *Talis enim decebat, ut nobis eſſet Pontifex ſanctus, innocens, immaculatus, ſegregatus a peccatoribus & excelſior cælis factus, qui non habet neceſſitatem quemadmodum Sacerdotes*

prius

prius pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populi; hoc enim fecit ſemel, ſeipſum offerendo. Ib. c. 8. *Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum, id eſt non hujus creationis, neque per ſanguinem hircorum aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem introivit ſemel in ſancta, æterna redemptione inventa*. Ib. c. 9. *Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata*. Ib. c. 10. *Impoſſibile eſt ſanguine taurorum & hircorum auferri peccata: ideo ingrediens in mundum dicit: Hoſtiam & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi; Holocautomata pro peccato non placuerunt tibi, tunc dixi: Ecce venio*. Epheſ. 5. *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſeipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis*. Et ſic alibi pluries. Unde Apoc. 5. Chriſtus dicitur *Agnus occiſus*. Ergo Chriſtus ſemetipſum obtulit in Cruce ut victimam & hoſtiam piacularem pro peccatis noſtris.

Reſpondent 1. Sociniani Chriſtum non fuiſſe Sacerdotem in terra, ſed in Cœlo tantum, ideoque mortem ejus non fuiſſe verum ſacrificium, ſed tantum præparationem ad ſacrificium, quod offert in cœlis interpellando pro nobis. Id autem probare conantur 1. Quia Apoſt. Heb. 8. dicit, quod *Si Chriſtus eſſet ſuper terram, non eſſet Sacerdos, cum eſſent qui offerrent ſecundum Legem munera, qui exemplari & umbræ deſerviunt cœleſtium*. 2. Juxta eundem Apoſt. ib. c. 5. tunc Chriſtus obiit Sacerdotium, quando ipſi dictum eſt, *Filius meus es tu, hodie genui te*. Atqui id ipſi non fuit dictum niſi poſt reſurrectionem, ut colligitur ex Act. c. 13. 3. Idem Apoſt. ib. c. 10. dicit Chriſtum feciſſe oblationem, quando ingreſſus eſt, non in Mundum, cum ib. v. 9. dicat in eo ingreſſu abrogata eſſe legalia, quæ non fuerunt abrogata, quando ingreſſus eſt Mundum. Ergo intelligit Apoſtolus, quando ingreſſus eſt in Cœlum. 4. Idem ib. c. 2. dicit Chriſtum debuiſſe *Per omnia Fratribus aſſimilari, ut fieret Pontifex*, aſſimilatus eſt autem per mortem. 5. Idem ib. c. 7. dicit: *Talis decebat ut nobis eſſet Pontifex .... Excelſior cœlis factus*. Ergo priuſquam Cœlum aſcenderet, officio Pontificis non eſt functus. 6. Quia Chriſtus nunc in Cœlo ſe offert pro nobis ibid. Id autem foret inutile, ſi perfectam oblationem peregiſſet in terris. Ergo.

Sed contra. Nihil eſt manifeſtius ex Scripturis cit. & aliis Chriſtum in terris functum fuiſſe officio Sacerdotis ſemetipſum in Cruce immolando & offerendo. 1. Quia, ut modo dicebam ex Apoſt. Heb. 9. *Per proprium ſanguinem ſemel introivit in ſancta*, id eſt in Cœlum. Ergo antequam ingrederetur in Cœlum, proprii ſanguinis ſacrificium peregerat, ſicut Sacerdos veteris Legis victimam prius mactabat, deinde Sanctuarium ingrediebatur cum ſanguine, quem offerebat. 2. Ut etiam dixi ex eodem Apoſt. Heb. 5. Pontifex aſſumitur, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis, utique in terris; in Cœlo enim nullum ſacrificium fieri, nulla victima immolari poteſt. 3. Idem Apoſt. Heb. 9. ait: *Non enim in manufacta ſancta Jeſus introivit exemplaria verorum, ſed in ipſum Cœlum, ut nunc appareat vultui Dei pro nobis: neque ut ſæpe offerat ſemetipſum, quemadmodum Pontifex intrat in ſancta per ſingulos annos in ſanguine alieno, alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine Mundi, nunc autem ſemel in conſummatione ſæculorum ad deſtitutionem peccati per hoſtiam ſuam apparuit*. Quot verba, tot fulmina in Socinianos. 1. Jeſus introvit in Cœlum, ſicut Pontifex introibat in manufacta ſancta; non autem Pontifex introibat in ſancta niſi poſt perfunctum officium Sacerdotis in mactatione victimæ, cujus ſanguinem offerebat in Sanctuario. Ergo ſimiliter Chriſtus non niſi poſt mactationem victimæ in cruce introivit in Cœlum, ut nunc appareat vultui Dei pro applicando nobis hujus Sacrificii fructu. 2. Non ſæpe ſe offert, ſed ſemel. Ergo in cruce, non in Cœlo, ubi continuo ſe offert. 3. Si ſæpe ſe obtuliſſet, ſæpe paſſus fuiſſet. Ergo paſſione ſe obtulit. 4. Se obtulit cum apparuit. Ergo in terra, non in Cœlo ubi diſparuit. Item ib. c. 7. *Qui non habet neceſſitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, prius pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populi, hoc enim fecit ſemel ſe offerendo*. Ergo in terris, non in Cœlo, ubi quotidie ſe offert. Nihil ergo, inquam, manifeſtius eſt ex Scripturis, quam Chriſtum officio Sacerdotis functum fuiſſe in terris ſemetipſum offerendo in Cruce Hoſtiam piacularem pro peccatis noſtris. Hoc autem munus in Cœlo incruenta proſequitur repræſentando Patri ſuum Sacrificium & ipſum interpellando, ut illius fructus nobis applicetur, ut non jam ſemel dictum eſt. Et quia hæc duo Sociniani non diſtinguunt, omnes Scripturas confundunt. Ut ergo eorum tricis breviter ſatisfaciam,

Ad 1. ſenſus Apoſtoli eſt, quod ſi Chriſtus poſt mortem manſiſſet in terris, non eſſet Sacerdos, quia nulla ſupereſſet ipſi victima offerenda, non proprii corporis, quia jam oblata erat; non aliarum rerum terrenarum, id enim pertinebat ſecundum legem ad Sacerdotes de Tribu Levi, de qua non erat Chriſtus, ſed de Tribu Juda. Et hunc ſenſum aperte important verba Apoſtoli. Poteſt etiam dici, quod ſi poſt mortem manſiſſet in terris, nec aſcendiſſet in Cœlum, non fuiſſet Sacerdos complete, quia non obiiſſet ſecundum munus Sacerdotis, quod erat offerre in ſanctuario ſanguinem victimæ prius mactatæ. Ad 2. N. Ant. Hæc ſunt verba Apoſtoli: *Chriſtus non ſemetipſum clarificavit, ut Pontifex fieret, ſed qui locutus eſt ad eum, Filius meus es tu, hodie genui te*. Quibus verbis non ſignificat Apoſtolus, quando Chriſtus ſit factus Pontifex, ſed quod ſit factus Pontifex ab eo, qui dixit, *Filius meus es tu*. Unde dato, quod hoc non fuerit dictum ante Reſurrectionem, nihil juvat Socinianos. Veritas eſt tamen, quod antea dictum fuerit, nempe quando Jeſus baptizatus & transfiguratus fuit. Act. autem 3. hoc dicitur de Chriſto reſurgente, quia Reſurrectio eſt probatio & proſecutio generationis æternæ; cum enim Chriſtus eſſet Filius naturalis Dei vivi, jure æternæ generationis debuit revocari ad vitam.

Ad 3. Intolerabile eſt Socinianos interpretari Scripturas contra formaliſſima ejus verba. Apoſtolus conceptis terminis dicit: *Ingrediens in mundum*: & iſti dicunt: non ingrediens in mundum, ſed in Cœlum. Neque obſtat, quod v. 9. dicat Apoſtolus, Chriſtum tunc abſtuliſſe vetus teſtamentum; ſenſus eſt enim ipſum declaraſſe auferendum, imo & jam auferri, ſi non facto ſaltem jure, ſicut enim lucente ſole, neceſſe eſt umbram evaneſcere, ita præſente veritate debent ceſſare figuræ. Ad 4. Non dicit ibi Apoſtolus, quando Chriſtus ſit inſtitutus Pontifex, ſed quod ut eſſet Pontifex *Miſericors & fidelis*, compatiens infirmitatibus noſtris, debuerit eſſe particeps conditionis & mortalitatis noſtræ. Quod non prodeſt Socinianis. Ad 5. Iterum non dicit Apoſtolus Chriſtum non fuiſſe Pontificem, priuſquam elevaretur in Cœlum, ſed quod decebat eum elevari in Cœlum, ut illic pro nobis interpellaret & offerret ſanguinem effuſum in Cruce; ſicut Pontifex in veteri lege, ut jam pluries diximus, poſt mactationem victimæ ingrediebatur ſanctuarium, ut ejus ſanguinem offerret. Verum ſicut Levita erat Pontifex, antequam ingrederetur ſanctuarium, ita Chriſtus erat Pontifex antequam ingrederetur in Cœlum. Ad 6. Patet ſolutio ex dictis, ſcilicet Chriſtum ſe offerre in Cœlis, non mactandum ſed mactatum, ut repræſentatione Sacrificii peracti ejus fructus nobis applicetur.

Reſpondent 2. Sociniani Sacrificium Chriſti in Cruce equidem expiaſſe noſtra peccata, ſed per expiationem intelligunt liberationem a peccatis. Liberavit autem, inquiunt, non effective aut meritorie quaſi pretium pro illis ſolverit, aut pœnas eis debitas tulerit, quod eſſet proprie ſatisfacere; ſed triplici alio modo: 1. *Antecedenter*, quatenus mors Chriſti ſecundum Dei ordinationem erat conditio, quæ debebat præcedere gratuitam peccatorum remiſſionem. 2. *Exemplariter*, quia conſideratio mortis Chriſti nos movet ad pœnitentiam. 3. *Declaratorie*, quia per mortem ejus certificamur condonanda fore nobis peccata per Dei miſericordiam. Idque appoſite dictum putant; tum quia victimis antiquæ legis, quæ erant figuræ Chriſti morientis, nulla inerat vis effectiva & meritoria delendi peccata; tum quia expiare in Scripturis non ſemper ſignificat ſatisfacere ſoluto pretio, ſed quandoque *Liberare*, ut dum dicitur de Deo Deut. 21. & Pſ. 51. quandoque *Tegere*, ut Pſ. 31. quandoque *Declarare remiſſionem factam*, ut Levit. 13. & 14. Ergo. Sed contra. Præpoſtere Sociniani confundunt expiationem cum liberatione, hæc enim eſt effectus, illa cauſa; ideo quippe liberamur a peccatis, quia ſunt expiata. Chriſtum autem vere expiaſſe peccata noſtra, hoc eſt ſolviſſe pretium pro illis, & pœnas illis debitas loco noſtro luiſſe, pluſquam manifeſtum reliquimus ex Scripturis huc uſque laudatis.

Modi vero, quibus Sociniani hanc expiationem explicant, inſufficientes ſunt & abſoni. Ac 1. ſi *Antecedenter* tantum mors Chriſti expiavit peccata noſtra tanquam ſcilicet mera conditio prævia, expiatio hæc ſeu liberatio non minus tribuenda foret ejus vitæ, miraculis & reſurrectioni, quam morti, cum illa non ſecus ac mors præceſſerint & debuerint præcedere noſtram liberationem factam in cœlis ſecundum Socinianos, & tamen ſoli ejus morti liberationem noſtram tribuunt Scripturæ. Adde, quod mors & ſanguis Chriſti dicatur in Scripturis non mera conditio, ſed pretium liberationis noſtræ. Quantum ad 2. modum, non diffitemur Paſſionem Chriſti eſſe exemplum, quo moveamur ad pœnitentiam; ſed ibi non ſiſtit, alterius & principaliter eſt pretium noſtræ redemptionis, ut probavimus. Inſuper mortuus eſt Chriſtus pro peccatis omnium hominum, non ſolum præſentium & futurorum, ſed etiam eorum, qui illum præceſſerunt, quibus tamen ejus mors non potuit eſſe exemplum. Quantum ad 3. modum; Chriſtus dicitur in Scripturis citatis & aliis expreſſe peccata noſtra, non quia declaravit eſſe condonata, aut fore condonanda, ſed quia pœnas eorum tulit, & pro ipſis ſanguine ſuo pretium

ſol-

ſolvit, quod eſt proprie expiare & ſatisfacere. Item ſi mors Chriſti fuit tantum declaratio liberationis a peccatis, non plus nobis contulit, quam victimæ legales; nam mactatio victimarum erat etiam tunc ſignum & declaratio condonationis peccatorum. Item liberatio noſtra deberet pariter & magis adſcribi Reſurrectioni Chriſti, quam ejus morti, quia ſecundum Socinianos magis adhuc per Reſurrectionem, quam per mortem certificamur Deum nobis gratis condonaturum peccata noſtra.

Ad ea vero, quæ adferunt Sociniani in probationem ſui commenti, R. ad 1, id ipſis magis nocere, quam prodeſſe. Nam 1, ſicut victimæ legales vere expiabant legales immunditias, ut figura reſpondeat veritati, Chriſtus victima debet expiare animæ maculas. 2. Inter victimas legales & Chriſtum tantum debet intercedere diſcrimen, quantum inter figuram & veritatem ſeu realitatem. Quamvis ergo victimis legalibus ut figuris non erat vis expiandi delicta, hæc debuit competere Chriſto, qui erat veritas & realitas: & hoc diſcrimen aperte deſignat Apoſtolus Heb. 10. dicens: *Impoſſibile eſt ſanguine taurorum & hircorum auferri peccata, ideo ingrediens in mundum dicit, Hoſtiam & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi*. Quia ergo victimæ legales non poterant auferre peccata, venit Chriſtus, ut ſui corporis Sacrificio ea auferret. Item infra: *Et omnis quidem Sacerdos præſto eſt quotidie miniſtrans, ut eaſdem ſæpe offerat hoſtias, quæ nunquam poſſunt auferre peccata. Hic autem unam pro peccatis offerens Hoſtiam in ſempiternam ſedet in dextera Dei... una oblatione conſummavit in æternum ſanctificatos*. Hoc eſt ergo diſcrimen inter victimas legales & Chriſtum, quod illæ non poſſunt auferre peccata, quia erant figuræ, poſſet autem Chriſtus, quia eſt veritas. Ad 2. Nos non facimus vim in verbo *Expiare*. Eſto ergo quandoque ſignificet in Scripturis, aut liberare, aut tegere, aut declarare expiatum; certum eſt etiam, quod ſæpe & magis proprie ſignificet ſolvere pretium liberationis, ferre pœnas peccato debitas, adeoque proprie ſatisfacere; hoc autem ſenſu dictum eſſe de Chriſto probant, quæ huc uſque ex Scripturis protulimus. Ideo enim dicimus Chriſtum vere & proprie expiaſſe peccata noſtra, quia magno pretio nos emit; quia non auro aut argento, ſed proprio ſanguine nos redemit; quia dedit ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate; quia factus eſt pro nobis maledictum, ut nos de maledicto legis liberaret; quia venit dare animam ſuam pretium pro multis; quia vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, & attritus propter ſcelera noſtra; quia livore ejus ſanati ſumus; quia exolvit, quæ non rapueramus; quia dilexit nos, & ea hac dilectione Sacerdos & Pontifex tradidit ſeipſum oblationem & Hoſtiam Deo. Propter hæc, inquam, & plura alia ſimilia, quæ paſſim extant in Scripturis, dicimus Chriſtum vere & proprie expiaſſe peccata noſtra.

Prob. 3. ab inconvenientibus, quæ obiter attigimus in decurſu priorum probationum. 1. Si Chriſtus tantum prædicatione & exemplo vitæ pro nobis ſatisfecit, & tantum ſit paſſus & mortuus, ut morte ſua doctrinam & vitæ ſanctitatem confirmaret, fidemque & ſpem inde faceret condonandorum peccatorum, nec potiori jure, nec aliter eſt Redemptor noſter, quam Martyres veteris & novi Teſtamenti, qui eadem præſtiterunt, præſertim juxta Socinianos, qui ipſum ut merum hominem reputant: atqui falſum & abſurdum Conſequens; ſolus enim Chriſtus in tota Scriptura dicitur Salvator & Redemptor noſter, ſolus dicitur pro nobis mortuus, & hoc ita illi proprium eſt, ut nulli alteri convenire poſſit. Unde Apoſt. 1. Cor. 1. *Numquid Paulus crucifixus eſt pro nobis?* Neque dicas cum Socino Chriſtum ſingulariter dici pro nobis mortuum & eſſe Redemptorem noſtrum, tum quia primus omnium pro nobis mortuus eſt, tum quia morte ſua nos a morte eripuit. Primum enim eſt falſum, cum Martyres veteris Teſtamenti prius ipſo ſint mortui pro nobis, eo modo quo dicunt Chriſtum eſſe mortuum. Et eſto verum ſit de Apoſtolis & aliis ſequentibus, non erit aliud diſcrimen niſi ordinis inter ipſos & Chriſtum, ita ut vere poſſit dici eos eſſe mortuos pro nobis, ſed poſt Chriſtum. Ad 2. ſi non alia ratione pro nobis mortuus, quam quia morte ſua fidem & ſpem noſtram confirmavit, non magis nos a morte eripuit, quam alii Martyres.

2. Redemptio noſtra in Scripturis ſpecialiter tribuitur morti & ſanguini Chriſti; atqui ſi non ſit alio fine mortuus, quam ut doctrinam ſuam confirmaret, non eſt ratio, cur Redemptio noſtra magis tribuatur ejus morti, quam miraculis & ſanctitati vitæ, per quæ non minus quam per mortem doctrinam ſuam confirmavit. 3. Sociniani dicunt Chriſtum morte ſua nos redemiſſe, & pro nobis ſatisfeciſſe, quatenus non remittuntur peccata niſi bene viventibus; ad bene vivendum requiritur fides & ſpes; hanc fidem & ſpem erigit & firmat reſurrectio; hanc reſurrectionem anteceſſit & meruit mors Chriſti. Porro juxta iſtud ſyſtema noſtra redemptio potiori jure tribui poſſet reſurrectioni, utpote operi ad illam propinquiori; quam morti, quæ aliunde ad redemptionem non concurrit, niſi quia præceſſit reſurrectionem. Atqui nullibi in Scripturis tribuitur redemptio noſtra reſurrectioni Chriſti, ſed ejus morti. Ergo. Longam antiquorum Patrum ſeriem in probationem concluſionis texere poſſemus, ſed omittimus, quia illos parvipendunt Sociniani, cum non loquuntur ad ſalivam.

Solvuntur Objectiones Socinianorum.

OBj. 1. Chriſtus in Scripturis dicitur ſervator ob varias alias rationes, quam quia nos redemit ſoluto pretio: 1. Quia veritatem annuntiavit Marc. 1. Luc. 4. & alibi. 2. Quia veritatem hanc confirmavit morte ſua, Matth. 26. Heb. 13. & alibi. 3. Quia mortuus eſt, ut ipſum imitantes vitam conſequamur æternam, Rom. 13. Epheſ. 4. & alibi. 4. Quia ſua reſurrectione fidem & ſpem corroboravit, Joan. 20. Rom. 1. & alibi. 5. Quia vitam æternam daturus eſt nobis, Matth. 18. Joan. 7. & alibi. Ergo non eſt ſervator, quia dato pretio nos redemit. R. N. Conſeq. quæ prorſus eſt inepta; hi enim tituli non ſe deſtruunt, ſed inter ſe optime cohærent. Unde ſicut aſſignatos admittimus propter auctoritatem Scripturarum, ita Sociniani propter eandem auctoritatem coguntur admittere Chriſtum etiam eſſe ſervatorem noſtrum, quia nos redemit ſoluto pretio, cum id Scripturæ aperte teſtentur, ut vidimus. Dicendum itaque, quod omnia Chriſti opera ſpectent ſalutem noſtram, mors quidem ſpecialiter ut pretium redemptionis noſtræ, cætera qualia ſunt prædicatio, exempla, miracula, &c. ut allicientia moraliter liberam hominis voluntatem; ſicut enim homo libera voluntate venumdatus eſt ſub peccato, ita voluit Deus, quod licet ſit Chriſti morte redemptus, libere tamen hujus mortis meritum ſibi applicaret, ſicque venditioni reſponderet redemptio.

Inſt. 1. Mors Chriſti ſecundum Scripturam non fuit pretium redemptionis noſtræ. Ergo. Prob. Ant. Rom. 5. dicitur: *Si enim cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati ſalvi erimus in vita ipſius*: quibus verbis ſalus noſtra magis vitæ ſeu reſurrectioni Chriſti, quam ejus morti tribuitur. Atqui vita beata ſeu reſurrectio Chriſti non fuit pretium redemptionis noſtræ. Ergo nec mors ejus. R. N. Ant. Ad Prob. Fateor ſalutem tribui ab Apoſtolo vitæ ſeu reſurrectioni Chriſti, at vero reconciliationem tribuit ejus morti. Salutem igitur conſequimur per vitam Chriſti, quia per mortem ejus ſumus reconciliati. Ergo ejus mors eſt pretium noſtræ reconciliationis. Facit itaque Apoſtolus Antitheſim inter inimicos & reconciliatos, inter mortem & vitam, & arguit a majori ad minus, ita ut ejus ſenſus ſit; ſi cum eſſemus peccatores & inimici, ſumus reconciliati per Chriſti mortem, a fortiori nunc juſti amici & reconciliati ab ipſo vivente conſequemur ſalutem & vitam. Ita Aug. l. 13. de Trinit. c. 16. *In vita ſalvi*, inquit, *quia per mortem reconciliati. Quis enim dubitet daturum amicis vitam ſuam beatam, pro quibus inimicis dedit mortem ſuam?*

Inſt. 2. Reconciliatio, quæ fit ſola prædicatione & miniſterio verbi, non indiget pretio. Atqui noſtra reconciliatio facta eſt ſola prædicatione & miniſterio verbi. Ergo, Prob. Min. Apoſt. 2. Cor. 5. dicit: *Poſuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Chriſto ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos*, Ergo. R. N. Min. Ad Prob. N. Conſeq. Paulus enim tribuit quidem Apoſtolis miniſterium reconciliationis ob prædicationis officium, ſed ipſam reconciliationem tribuit Chriſto. Nam paulo ante dixerat: *Deus, qui nos reconciliavit ſibi per Chriſtum, & dedit nobis miniſterium reconciliationis*. Et iterum, *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi*. Non ergo ſola prædicatione, ſed etiam morte ſua Chriſtus eſt reconciliationis Auctor. Unde juxta Chryſoſt. Hom. 11. in 2. Cor. ſenſus Apoſtoli eſt: *Non eſt, quod exiſtimatis ſummam hujus rei* (reconciliationis) *auctoritatem penes nos eſſe, miniſtri tantum ſumus. Deus eſt, qui totum hoc efficit, qui per unigenitum ſuum terrarum orbem in gratiam recepit.*

Obj. 2. Deus eſt infinite miſericors: atqui infinitæ miſericordiæ repugnat ſtricta ſatisfactio; hæc enim eſt ex juſtitia, quæ repugnat miſericordiæ. Ergo. R. ſic Deum eſſe infinite miſericordem, ut ſit etiam infinite juſtus; & quamvis ex infinita miſericordia potuerit ſine ulla ſatisfactione condonare peccata, ut initio tractatus probavimus contra Tournely & paucos recentiores, voluit tamen eam in executione temperari juſtitia, ſicque verificatur illud Pſ. 84. *Miſericordia & veritas obviaverunt ſibi, juſtitia & pax oſculatæ ſunt*. Mire namque utraque relucet in opere redemptionis. Quod enim homini peccatori perſonaliter obligato ad pœnam & ſatisfactionem, & ſatisfacere impotenti, Deus dederit Filium ſuum vadem & ſponſorem, ejuſque ſatisfactionem pro peccatoribus acceptare dignatus fuerit, magna ſane & ſumma miſericordia eſt; quod autem ſatisfactionem a Chriſto ſpon-

ſore

fore eaegtrit, juſtitia eſt, Unde ad Min. D. Miſericordiæ infinitæ repugnat ſtricta ſatisfactio reſpectu ejuſdem ſubjecti, C. reſpectu diverſorum ſubjectorum, N.

Inſt. 1. Sic Deus eſt miſericors ergo peccatores, et eis reſipiſcentibus peccata gratis & nulla expoſtulata ſatisfactione remittat. Ergo. Prob. Ant. 1. in Abel, Noe & pluribus Sanctis veteris teſtamenti, qui ſalvi facti ſunt abſque Chriſti ſatisfactione. 2. Peccatoribus reſipiſcentibus & converſis ad Deum promittitur in Scriptorie remiſſio peccatorum nullius ſatisfactionis conditione appoſita, Deut. 4. Pſ. 32. Jerem. 9. Rom. 3. dicimus juſtificati gratis. Ergo. R. N. Ant. ſeu claritatis gratiæ, D. ot ante. Peccatoribus reſipiſcentibus Deus peccata remittit gratis, reſpective ad ipſos peccatores, C. reſpective ad Chriſtum ſponſorem, N. Ad 1. Probationem; Juſti veteris teſtamenti ſalvi facti ſunt virtute futuræ Paſſionis Chriſti, ſicut abſolvitur debitor ex fide data ſponſoris pollicentis ſolvere ſtatuto tempore. Ad 2. Probationem; promittitur venia pœnitentibus & converſis ad Deum, ſed ſuppoſita ſatisfactione Chriſti. Ad 3. Probationem; dicimur gratis juſtificati 1. quia Deus gratis nobis debit redemptorem. 2. Quia gratis acceptavit ejus ſatisfactionem. 3. Quia gratis, id eſt nullis præcedentibus noſtris meritis gratiam juſtificationis infundit. At non gratis reſpectu redemptoris, qui plene ſatisfecit juſtitiæ divinæ. Id ibidem in terminis exprimit Apoſtolus: *Juſtificati gratis*, inquit, *per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu, quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ.*

Inſt. 2. Apoſt. Epheſ. 4. hortatur nos, ut ſimus *invicem benigni, miſericordes, donantes invicem, ſicut & Deus in Chriſto donavit nobis*. Quod repetit Coloſſ. 4. atqui Apoſtolus hortatur, ut ſic condonemus proximo injurias, ut non repoſcamus vindictam, neque ab offendente, neque ab alio. Ergo ſic Deus nobis condonat. R. Apoſtolum in hoc facere paritatem, quod ſicut Deus condonat nobis immeritis, ita nos debemus condonare Fratribus licet immeritis, non vero in hoc, quod poſſimus exigere vindictam, ſicut Deus exegit a Chriſto, ſoli enim Deo vindicta. Quin potius Apoſtolus proponit exemplum Dei nobis inimicis condonantis cum periculo & detrimento proprii Filii, ut nos efficacius moveat ad condonandum Fratribus, ut explicat Chryſoſt. hom. 7. in Epiſt. ad Epheſ. hæc verba *Sicut Deus in Chriſto donavit nobis*, exponens: *Hoc quoque*, inquit, *magnum ænigma; non abſolute*, inquit, *ſed cum periculo Filii. Ut tibi ignoſceret, ſacrificavit Filium. Tu autem ſæpe videns condonationem, & ſine periculo & ſine ſumptu, non facis.*

Inſt. 3. Nullo ſenſu condonatio poteſt dici gratuita ex parte Dei, ſi Chriſtus plene pro nobis ſatisfecerit ſoluto pretio. Ergo. Prob. Ant. Ille creditor nullo ſenſu dici poteſt remittere gratis, quando totum debitum illi ſolvitur, ſive a debitore, ſive a ſponſore: ut ſi tibi creditori meo alter pro me ſolvat centum aureos, quos tibi debeo, nullo modo cenſeris mihi remittere gratis. Ergo. R. N. Ant. Ad Prob. D. Ant. In debitis realibus pecuniarum & aliarum rerum exteriorum, C. In debitis perſonalibus ortis ex læſione honoris ſeu injuria illatis, ut in noſtro caſu, N. Ratio diſparitatis eſt, quod in reſtitutione debiti realis attendatur æqualitas rei ad rem. Unde a quocumque ponatur iſta æqualitas, extinguitur debitum. At in reſtitutione debiti perſonalis orti ex læſione attenditur æqualitas perſonæ ad perſonam, ita ut ſicut injuria afficit perſonam offenſam, ita obligatio ſatisfaciendi afficiat perſonam offendentem, poſſitque perſona offenſa jure ſuo utens recuſare ſatisfactionem cujuſcumque alterius: ſicut enim offendens depreſſit offenſum, ita offenſus habet jus, ut ipſe offendens ad æqualitatem ſe deprimat, ut ſic fiat juſta compenſatio. Quapropter magna fuit gratia & miſericordia ex parte Dei, quod acceptaret humiliationem & ſatisfactionem ab altero exhibitam pro nobis perſonaliter obſtrictis & ſatisfacere non valentibus; maxime vero, quod ipſe nobis dederit proprium Filium, qui loco noſtri plene ſatisfecerit.

Inſt. 4. Quando creditor dat debitori id, unde ſatisfaciat, & ea intentione ut ſatisfaciat, non cenſetur propria ſatisfactio, ſed potius gratuita remiſſio; non enim tunc debitor habet proprie dominium in rem datam ea præciſe intentione, ut eam reddat, ſicque non ſatisfacit ex propriis: atqui juxta datam ſolutionem ſic eſt in præſenti caſu. Ergo. R. D. Maj. Non cenſetur propria ſatisfactio reſpectu debitoris, a quo nihil exigitur, C. Reſpectu ſponſoris liberi, a quo exigitur ſatisfactio ex propriis, N.

Inſt. 5. Non cenſetur gratuita remiſſio debiti, niſi remittatur ex ſola liberalitate creditoris. Atqui Deus non remittit nobis debita ex ſola ſua liberalitate, ſed propter ſatisfactionem Chriſti. Ergo. R. D. Min. Deus non remittit nobis debitum ex ſola ſua liberalitate reſpective ad Chriſtum, C. reſpective ad nos, N. Sola enim ejus liberalitas fuit, quod ſatisfactionem, ad quam eramus perſonaliter obſtricti, & cujus eramus incapaces, ab alio acceptaret, & potiſſimum quod daret ipſe nobis, qui plene ſatisfaceret. Item ex ejus ſola liberalitate eſt, quod gratia remiſſiva peccati, quam Chriſtus nobis quoad ſufficientiam meruit, de facto nobis applicetur.

Inſt. 6. In hoc caſu poteſt dici debitor commutatus, ſed non debitum gratis remiſſum. R. D. Sed non debitum gratis remiſſum reſpectu Chriſti, a quo exigitur ſatisfactio, C. Reſpectu noſtri, e quibus nihil exigitur, N. Bene ergo diſtingue inter debitorem, cui gratis remittitur, & inter ſponſorem, e quo repoſcitur ſatisfactio; reſpectu illius eſt miſericordia, reſpectu iſtius eſt juſtitia, quæ non repugnant inter ſe, quatenus reſpiciunt diverſa ſubjecta.

Inſt. 7. Si Chriſtus pro nobis ſatisfecit, cenſemur cum ipſo ſatisfeciſſe, quia ſumus ejus membra, & ipſe caput noſtrum. Ergo remiſſio debiti fit nobis ex juſtitia, & nullatenus ex miſericordia. R. D. Conſ. Remiſſio debiti fit nobis ex juſtitia reſpectu Chriſti capitis, qui ſolvit, C. Reſpectu membrorum, qui nihil perſonaliter ſolverunt, prout tenebantur, N.

Obj. 3. Inhumanum eſt & injuſtum, Innocentem capite plecti pro Reo, & ejus loco ſubſtitui. Atqui id fieret in ſatisfactione Chriſti, quem prætendimus. Ergo. R. D. Maj. Inhumanum eſt & injuſtum Innocentem plecti pro Reo, ſi non ſit ejus ſponſor voluntarius, C. Si ſit ejus ſponſor voluntarius, N. Chriſtus autem fuit noſter ſponſor voluntarius; oblatus eſt enim quia voluit.

Subſumes. Atqui nullus poteſt eſſe ſponſor alterius etiamſi voluntarius in crimine capitali. Ergo. Prob. ſubſumptum. 1. Quia id prohibetur jure divino, Deut. 24. *Non occidentur Patres pro Filiis, nec Filii pro Patribus, ſed unuſquiſque pro peccato ſuo morietur*. Et Ezech. 18. ipſe ſibi Deus hanc legem fecit: *Ecce omnes animæ meæ ſunt, ut anima Patris, ita anima Filii mea eſt, anima quæ peccaverit, ipſa morietur*. 2. Quia repugnat rationi & bono publico, quod ſceleſti & criminoſi, qui ſunt Reipublicæ peſtes, vivant in detrimentum boni communis, dum juſti & innocentes, in quibus potiſſimum ſita eſt Reipublicæ ſalus, pereant. Ergo. R. D. Subſumptum. Nullus homo purus poteſt auctoritate humana eſſe ſponſor alterius in cauſa capitali, 1. Quia neque ipſe, neque Judex habet dominium in ejus vitam, quamdiu eſt innocens. 2. Quia ex hujuſmodi ſubſtitutione inter homines puros ſequitur inconveniens allegatum in ſecunda probatione ſubſumpti. At cum Chriſtus ſe ſponte conſtituit hominum fidejuſſorem, hoc fecit auctoritate divina, quæ plenum habet dominium in vitam hominum; neque inde ſequitur detrimentum Reipublicæ, cum inde non multiplicentur crimina & criminoſi, ſed e contra adverſus omnia crimina afferantur remedia, & morum ſanctitas promoveatur: *Una enim oblatione* Chriſtus *conſummavit in æternum ſanctificatos*. Porro Deum legi prohibenti hujuſmodi ſubſtitutiones non ſe adſtrinxiſſe patet ex pluribus locis Scripturæ. Sic Exod. 20. & 34. dicitur: *Deus viſitans iniquitatem Patrum in tertiam & quartam generationem*. Thren. 5. *Patres noſtri peccaverunt, & nos iniquitates eorum portavimus*. Geneſ. 9. Chanaan maledicitur ob factum Chami Patris ſui. 2. Reg. 21. Filii Saulis & ejus nepotes ſuſpenſi ſunt propter ejus peccata. Ibid. 24. Ob culpam Davidis ceciderunt ſeptuaginta hominum millia. Neque obſtat, quod opponitur ex Ezech. id enim ſpecialiter ſpectat Judæos, qui conquerebantur ſe pœnas luere peccatorum Patrum ſuorum. Unde exierat inter ipſos hoc Proverbium: *Patres comederunt uvam acerbam, & dentes Filiorum obſtupeſcunt*: ibid. Quibus reſpondet Deus ſibi ex hac parte factum eſſe ſatis, ſeque non amplius ipſis imputaturum peccata Patrum ſuorum, ſed unicuique ſuum. Id autem non derogat juri divino pro aliis caſibus, nec ullatenus ſpectat Chriſtum, qui ſe voluntarie vadem dedit pro peccatoribus.

Inſt. Pœna ſequitur peccatum. Ergo qui non peccavit, puniri non debet. R. D. Ant. Pœna ſequitur peccatum proprium vel alienum imputatum, C. Semper proprium, N. Patet ex dictis. Quantum ad id, quod objiciunt, Chriſtum non potuiſſe pro nobis ſatisfacere, quia ſibimetipſi ſatisfeciſſet, diluetur articulis ſequentibus.

Obj. 4. Chriſtus non pertulit pœnam peccatis noſtris debitam. Ergo proprie non ſatisfecit pro nobis. Probat. Ant. Peccatis noſtris debetur pœna infinita & æterna, cuilibet peccatori mors temporalis. Atqui Chriſtus non pertulit pœnam infinitam & æternam, neque mortes innumerabiles debitas innumerabilibus peccatoribus præteritis, præſentibus & futuris. Ergo. R. N. Ant. Ad Prob. Dico Chriſtum pertuliſſe pœnam valore æquivalentem pœnæ infinitæ & æternæ, ac mortibus temporalibus innumerabilibus, utpote quæ fuit infiniti valoris, ut patet ex alibi dictis & infra dicendis.

Obj. 5. Antequam Chriſtus veniret in Mundum, Deus

erat nobis placatus, & offenſas condonaverat. Ergo Chriſtus pro illis non ſatisfecit. Prob. Ant. Antequam Chriſtus veniret in Mundum, Deus dilexit nos, & ex hac dilectione miſit Filium ſuum, juxta illud 1. Joan. 4. *Ipſe dilexit nos, & miſit Filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris*. Atqui non poteſt ſimul diligere & iraſci. Ergo erat placatus & offenſas condonaverat. R. N. Ant. Ad Prob. D. Min. Non poteſt ſimul diligere & iraſci ſub eodem reſpectu, Tranſeat: ſub diverſo, N. aliud itaque eſt affectu benevolo diligere naturam, aliud placari offenſis & illas remittere. Sic Pater bonus & juſtus diligit Filium delinquentem, quem tamen juſte corripit, nec prius illi placatur & condonat delictum. Deus ergo ex miſericordia diligebat naturam, quam ſalvare volebat, ſed mediante ſatisfactione pro peccatis, per quam fuit placatus & propitius, & hoc ipſum dicit textus citatus Evangeliſtæ.

Obj. 6. Ab inconvenientibus. Si Chriſtus plene & proprie ſatisfecit pro nobis, ſequitur 1. Quod plus illi debeamus, quam Deo Patri, qui non ſatisfecit pro nobis. 2. Quod ſatisfactiones noſtræ ſint ſuperfluæ. 3. Quod gratia & vita æterna ſint nobis ex juſtitia debitæ, & nemini poſſint denegari: atqui hæc ſunt abſurda. Ergo. R. ad 1. N. Sequelam: quia ſi multum debeamus Chriſto, quia ſatisfecit pro nobis, multum debemus Patri, qui nobis dedit illum. Sed dicendum nos æqualiter debere toti Trinitati, quia licet Incarnatio ſit terminative ſolius Filii, eſt effective totius Trinitatis. Ad 2. D. Sequelam. Superfluæ ſunt ſatisfactiones noſtræ, ut mereantur reconciliationem, C. Ut applicetur nobis iſta reconciliatio, N. Hæc Solutio magis patebit ex ſequentibus. Unde ad 3. N. Sequelam. Quamvis enim Chriſtus pro nobis ſolverit pretium æquivalens, imo & ſuperabundans, noluit tamen illud applicari niſi iis, quibus & quomodo ipſi placuerit. Quia igitur voluntate antecedente vult omnes ſalvos fieri, ſic vult illud omnibus ſufficienter applicari, ita ut nemini gratias ſufficientes deneget. Sed quia voluntate conſequente vult tantum aliquos ſalvari, iis tantum vult efficaciter applicari per gratias efficaces: & quidem aliquibus, ut parvulis Baptizatis independenter ab eorum operibus, quia non ſunt capaces; adultis vero dependenter ab eorum operibus liberis, ut re emptio, ſicut jam dixi, correſponderet venditioni, quæ fuit etiam per liberum arbitrium. Et ideo Apoſtolus Coloſſ. 1. dicebat. *Adimpleo ea, quæ deſunt paſſioni Chriſti, in carne mea*, non quoad ſufficientiam pretii, ſed quoad ejus applicationem, quæ non fit niſi dependenter a bonis operibus.

Lato admodum calamo præſentem materiam proſequuntur quidam Recentiores Theologi VVitaſſe, Boucat, Tournely, Berti, &c. Verum hucuſque dicta inſtituto noſtro ſufficiunt.

ARTICULUS V.

Utrum operationes Chriſti fuerint ab intrinſeco valoris ſimpliciter infiniti tam ad merendum, quam ad ſatisfaciendum?

NOta 1. Aliud eſſe meritum, aliud opus habere valorem ad merendum. Meritum enim importat jus actuale ad præmium: ut autem opus aliquod acquirat jus actuale ad præmium, ultra valorem intrinſecum requiruntur plura alia, ut quod ordinetur ad præmium, quod acceptetur a præmiante, &c. Unde conſulto in titulo dixi valorem infinitum ad merendum, non meritum infinitum. Nota 2. Quod alia ſit ratio meriti, alia ſatisfactionis. Meritum reſpicit præmium obtinendum a præmiante, adeoque bonum merentis, aut alterius, cui meretur. Satisfactio reſpicit jus alienum læſum reſarciendum, adeoque bonum offenſi, non ſatisfacientis. Hinc dicimur nobis mereri a Deo, Deo autem ſatisfacere pro injuriis ipſi a nobis illatis, poſſuntque ab invicem ſeparari meritum & ſatisfactio; ſic qui ſolvit creditori centum, quæ debet, ſatisfacit quidem creditori, ſed nihil apud ipſum meretur. E contra qui nullo titulo alteri obſtrictus, in ejus gratiam obſequium præſtat, apud ipſum meretur, & tamen non ſatisfacit ipſi. Quia tamen in operibus Chriſti ratio meriti & ratio ſatisfactionis ſimul reperiuntur; Chriſtus enim ſatisfaciendo Patri per actus virtutum ſimul etiam apud eum merebatur, cum illi actus haberent omnes conditiones ad meritum requiſitas, ut vidimus, ideo utrumque hic conjungimus.

Circa propoſitam difficultatem duplex eſt Sententia. Scotiſtæ volunt operibus Chriſti non ineſſe valorem infinitum ab intrinſeco & ratione ſuppoſiti divini, ſed tantum ab extrinſeca acceptatione Dei acceptantis illa ad valorem & præmium infinitum. Fatentur tamen ratione ſuppoſiti divini maximum habere valorem inadæquabilem a merito puræ creaturæ, ratione cujus congruum erat, ut a Deo acceptarentur ad infinitum valorem. E contra vero omnes alii Theologi tam domeſtici quam Extranei propugnant infinitum valorem operum Chriſti ab intrinſeco. Cum quibus

Dico: Operationes Chriſti non ſolum ex extrinſeca Dei acceptatione, ſed etiam ab intrinſeco fuerunt valoris ſimpliciter infiniti tam ad merendum, quam ad ſatisfaciendum. Ante Prob. ſuppono 1. Rem, a quocumque habet eſſe, habere & perfectionem. Porro quilibet effectus habet eſſe, adeoque & perfectionem a quatuor cauſis, efficiente, finali, materiali & formali. Quapropter cum operatio habeat ſuum eſſe a duobus principiis, quæ quatuor cauſas aſſignatas complectuntur, ſcilicet 1. a ſubjecto eliciente, quod etiam gerit vices cauſæ materialis, actus enim maxime immanens recipitur in ſubjecto, a quo elicitur, 2. ab objecto ſpecificante; quod habet rationem cauſæ formalis & finalis: ita ab his duobus principiis habet ſuum valorem & ſuam perfectionem. Suppono 2. Quod licet hæc principia actionis ipſi ſint extrinſeca, ab illis tamen intrinſece & realiter dependeat, quia dependentia ab illis & ordo ad illa eſt ipſi intrinſecus & realis. In operationibus itaque Theandricis Chriſti eſt ordo realis & intrinſecus ad objectum, a quo ſpecificantur, & ad principium, a quo eliciuntur. Principium eliciens eſt duplex *Quo* & *Quod*. Principium quo multiplex, ſcilicet ipſa natura humana, ejus potentiæ & habitus, ſed inter ſe ſubordinata: ad hæc omnia dicit ordinem actus egrediens. Principium quod unum eſt, ſcilicet ſuppoſitum, a quo elicitive, ut alibi diximus, procedunt operationes, non equidem per diſtinctum influxum, aut diſtinctam virtutem ab ipſa natura, ſed ex natura & ſubſiſtentia fit unum operans totale. Ita ut ſuppoſitum ſeu perſona ſit id, quod operatur, & natura id, per quod operatur; ſicut homine operante per manum ipſa manus & ipſe homo operantur, pendetque motus realiter ab utroque, non tamen per diſtinctum influxum, ſed eadem actione homo & manus operantur, homo ut *quod*, manus ut *qua*. Suppono 3. In operibus Chriſti hominis nullam eſſe infinitatem phyſicam; quia omnia principia quo, ſcilicet natura, potentia, habitus ſunt phyſica finita. Suppoſitum autem Verbi operans ut quod non tribuit illis ullam entitatem phyſicam, quæ non egrediatur ab ipſis principiis quo; non enim, ut dictum eſt, ſuppoſitum influit phyſice in illas operationes alia virtute aut cauſalitate, quam ipſius naturæ, cujus eſt ſuppoſitum; in tantum enim operantur, in quantum terminando naturam conſtituit totum, quod illa mediante operatur, & non ſeorſum. Suppono 4. duplicem valorem debere diſtingui in actionibus Chriſti; unum qui petitur ab objecto, & illo eſt finitus; alium qui petitur a ſubjecto eliciente, & hunc ratione ſuppoſiti dicimus eſſe moraliter infinitum. Unde

Prob. Concluſio 1. ab auctoritate. Clemens VI. in Extrav. *Unigenitus* l. 5. cit. 9. de Pœnit. & Remiſſ. loquens de Theſauro Eccleſiæ ait, *De cujus conſumptione, aut diminutione non eſt aliquatenus formidandum propter infinita merita Chriſti*. Et paulo ſuperius dixerat, Chriſtum non effudiſſe *guttam ſanguinis modicam*, *quæ tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius generis humani ſuffeciſſet*. Quibus ultimis verbis prævenitur evaſio Scotiſtarum, qui dicunt Pontificem velle merita Chriſti eſſe infinita ab extrinſeca acceptatione, non ab intrinſeco: ſiquidem expreſſe dicat Pontifex eſſe infinita *propter unionem ad Verbum*. Similiter S. Th. q. 46. a. 6. ad 6. dicit, quod Paſſio Chriſti virtutem infinitam habeat ex divinitate unita. Ex quibus ſic argumentor. Operationes Chriſti habent valorem infinitum ex unione ad Verbum. Atqui illa unio non eſt deputatio extrinſeca, ut eſt v. g. in moneta ad valorem ultra naturalem, ſed realis & intrinſecus ordo actionum illarum ad ſuppoſitum, a quo egrediuntur, & cujus ſunt aliquid. Ergo. Maj. eſt D. Th. & Clementis VI. Min. eſt nota lumine naturali.

Prob. Ratione, ſeu valor explicatur præcedens ratio. Æſtimabilitas moralis, ſeu valor tam meritorius quam ſatisfactorius actionum, non ſolum petitur ex objecto, aut ex principio quo, ſed etiam & maxime ex dignitate perſonæ operantis ut quod, eoque magis creſcit, quo major eſt dignitas perſonæ. Atqui perſona Chriſti eſt infinite digna. Ergo ejus operationes, licet ex conditione objecti & principii quo ſint finiti valoris, ex dignitate tamen infinitæ perſonæ, a qua procedunt, habent infinitam æſtimabilitatem moralem, valoremque tam meritorium quam ſatisfactorium infinitum ſimpliciter; pars enim infinita non finitatur ex comparte finita, ſicut nec totum inde conflatum, ut patet in aggregato ex Deo & Mundo. Min. eſt certa. Maj. Prob. 1. Ratione generali. Actiones ſcilicet immanentes ſunt a perſona, ut a principio activo & paſſivo, quatenus ab illa elicitive procedunt, & in ea immanent, eaque duplici ratione participant dignitatem perſonæ ut aliquid illius, ſi nempe perſonæ dignitas non ſe habeat pure concomitanter ad illas, ſed formaliter, ut fit in actionibus moralibus. 2. Specialiter de actionibus ſatisfa-

Digitized by Google

ctoriis & meritoriis; cum enim hæ præſtentur in obſequium & gratiam alterius, involvunt formaliter ipſam perſonam offerentem, quatenus non ſolum illas exhibet veluti in abſtracto, ſed per eas ſeipſam ſubmittit & offert ei, cui obſequium præſtatur, ita ut in ratione merendi & ſatisfaciendi non ponant in numero meritum & merens, ſatisfactio & ſatisfaciens, atque perſona ſe habeat ad illas actiones per modum formæ moraliter intrinſecæ, adeoque illimitate & in tota ſua latitudine tribuat illis ſuam dignitatem, & hæ actiones dicuntur reflexivæ ſupra ſuppoſitum. Hinc in Scriptura Gen. 4. dicitur: *Reſpexit Dominus ad Abel & ad munera ejus*, ubi habetur conſideratio perſonæ & operum, imo prius perſonæ, quam operum. Item in humanis magis æſtimatur in ordine ad præmium aut ſatisfactionem actio obſequioſa Ducis, quam plebeii, eſto foret ejuſdem ſpeciei. Similiter in ſupernaturalibus, actus ſupernaturales in juſto vim merendi & ſatisfaciendi majorem habent, quam in peccatore, licet ſint objecto, intenſione &c. pares.

Confirm. Sicut moraliter loquendo, offenſa eſt in offenſo, ita honor eſt in honorante, & ſatisfactio in ſatisfaciente. Ergo ſicut offenſa creſcit juxta dignitatem offenſi, ita dignitas operis honorifici & ſatisfactorii creſcit juxta dignitatem honorantis & ſatisfacientis. Unde colliges omnes Chriſti actiones etiam naturales fuiſſe Theandricas, ut jam diximus, & probabilius infiniti valoris, non quidem quatenus naturales, ſed quatenus ſubdinæ liberæ ejus voluntati eas referebat ex imperio charitatis in gloriam & obſequium Dei.

Reſpondent huic fundamentali rationi Scotiſtæ dignitatem operum creſcere juxta dignitatem perſonæ operantis, non arithmetice ſeu ad æqualitatem, ſed geometrice & ſecundum proportionem, ita ut ſi perſona ſit ſuperioris ordinis, ita & opus, ſuperetque dignitatem omnium operum inferioris ordinis. Sed contra 1. Dignitas perſonæ, quia eſt ſuperioris ordinis, tribuit operi, quod ſit etiam ſuperioris ordinis. Ergo quia eſt infinita, tribuit etiam operi, quod ſit infiniti valoris: A pari. 2. Quod ſe habet per modum formæ, tribuit ſe totum & in tota latitudine ſubjecto, quod informat, ſi ſit illius capax. Atqui, ut modo diximus, perſona in actionibus meritoriis & ſatisfactoriis ſe habet ut forma intrinſece moraliter informans, & illæ actiones, licet non ſint capaces infinitatis phyſicæ, quia principia earum quo ſunt finita, ſunt tamen hoc non obſtante capaces æſtimabilitatis ſeu dignitatis moralis infinitæ; quia illæ infinitates ſunt diverſi ordinis, & a diverſis principiis cauſantur.

Prob. 3. Concl. alia ratione. Opera Chriſti habent vim moralem merendi præmia majora & majora in infinitum ſincategorematice, & ſatisfaciendi pro peccatis gravioribus & gravioribus in infinitum ſincategorematice. Ergo habent valorem tam meritorium quam ſatisfactorium infinitum. Ant. eſt certum. Patet etiam Conſ. Quia, ſicut vis effective phyſice effectuum inæqualis perfectionis uſque in infinitum ſincategorematice arguit cauſam phyſice infinitam, ideoque Theologi probant omnipotentiam Dei eſſe infinitam, quia ad effectus ſincategorematice infinitos inæqualis perfectionis extenditur; ita vis effectiva moralis effectuum inæqualium ſine termino arguit actionem in genere moris infinitam.

Reſpondent Scotiſtæ ad Ant. Opera Chriſti hanc viam habere non ab intrinſeco, ſed ex extrinſeca acceptatione Dei, qua ille acceptavit ad præmia & ſatisfactiones infinitas ſincategorematice. Sed contra 1. Hæc Reſponſio eſt aperte contra Clementem VI. ſupra citatum, qui hanc vim tribuit operibus Chriſti propter unionem ad Verbum. Contra 2. Secundum hanc ſolutionem ſequitur, quod meritum aut ſatisfactio puræ creaturæ poſſet ita creſcere, ut tandem adæquaret valorem intrinſecum operum Chriſti. Neque dicas id fieri non poſſe, quia merita Chriſti ſunt ſuperioris ordinis. In moralibus enim accidere poteſt, ut quæ ſunt inferioris ordinis, quandoque adæquent ſive in valore, ſive in gravitate ea, quæ ſunt ſuperioris ordinis. Sic v. gr. actus miſericordiæ & juſtitiæ, licet ſint ſpecie inferiores ad actum charitatis, pluries tamen repetiti, aut magna intenſione eliciti poſſunt adæquare, imo & excedere in valore unum actum charitatis. Similiter peccatum charitati oppoſitum eſt gravius ſpecifice peccatis oppoſitis aliis virtutibus, & tamen hæc ſæpius repetita, aut intenſiſſimo conatu patrata, poſſunt adæquare, imo & excedere in gravitate unum peccatum contra charitatem.

Solvuntur Objectiones.

OBJ. 1. cum Henno. Vel opus humanum e Chriſto procedens remanet opus creatum, vel fit increatum. Si ſecundum, non eſt opus meritorium cum ſit opus Dei nihil mereri valentis: ſi primum, ergo eſt intrinſece finitum. Ergo finiti valoris. Patet ultima Conſ. Quia finitum ſecundum ſe non poteſt ſecundum ſe præciſe valere infinitum. R. ad Ant. Hoc opus eſſe creatum. Ad Conſ. D. Ergo eſt intrinſece finitum phyſice, C. Moraliter, N. Unde N. ſecundam Conſ. Et ad Prob. D. Finitum ſecundum ſe non poteſt ſecundum ſe præciſe valere infinitum, ſi ſit finitum phyſice & moraliter, C. Si ſit finitum phyſice, ſed infinitum moraliter, N.

Inſt. Valor iſte eſt etiam quid creatum & phyſicum: Ergo quid finitum. R. D. Conſ. Ergo quid finitum phyſice & in ratione entitatis, C. Moraliter & in ratione valoris, N. Valor itaque operum Chriſti nihil eſt aliud, ut patet ex dictis, quam ordo realis & intrinſecus illorum ad perſonam divinam, a qua procedunt, in qua immanent, & cui uniuntur ut formæ moraliter informanti, ex qua unione & informatione morali, ut diximus, licet entitative finita, habent tamen ſecundum æſtimationem moralem infinitam dignitatem & æſtimabilitatem. Igitur valor ille actionum Chriſti phyſice eſt finitus, moraliter tamen infinitus; valor enim & meritum ſunt modi morales, qui phyſicam actus perfectionem excedere poſſunt ut patet, v. g. in humiliatione Regis & plebeii, quæ licet ſint ejuſdem ſpeciei phyſice ſpectatæ, morali tamen æſtimatione maxima differunt; imo aliquo ſenſu ille valor poteſt dici phyſice infinitus, quatenus infinitam Verbi perſonam involvit, & in obliquo importat.

Inſtas. Ergo actio, qua B. Virgo obtulit Chriſtum in Templo, erat etiam infiniti valoris, adeoque ſufficiens ad Redemptionem generis humani, quod alibi negavimus. Prob. illatio. Hæc oblatio dicebat etiam ordinem intrinſecum ad perſonam infinitam, eamque in obliquo importabat, ut patet: Ergo. R. N. Illationem. Ad Probat. D. Ant. Hæc oblatio dicebat ordinem intrinſecum ad perſonam infinitam ut ad objectum tantum, C. Ut ad principium, ſubjectum & formam oblationis, N. Ant. & Conſ. Objectum enim quantumvis infinitum non dat actui, quem ſpecificat, infinitam dignitatem, utpote ipſi extrinſecum, uti patet in actu charitatis puræ creaturæ. Nec ideo dicimus actiones Chriſti habuiſſe valorem infinitum præciſe, quia per illas Chriſtus ipſe offerebatur ut objectum oblationis, (licet ex hoc capite non negemus aliquam oriri infinitatem ſcilicet objectivam & extrinſecam) ſed quia perſona Verbi erat principium quod ſubjectum, & forma moralis illarum, adeoque ex his capitibus intimius cum ipſis conjuncta, unumque totale meritum ſeu totalem ſatisfactionem moraliter cum ipſis componens. Non enim operatio appretiatur morali æſtimatione ſeorſim conſiderata a ſuo principio, e quo egreditur, & a termino, in quo identificatur, ſed hæc omnia ingrediuntur moralem æſtimationem actionis; ita ut ratione valoris non ponant in numero, ut diximus.

Obj. 2. & ſimul inſt. cum eodem. Majoris eſt valoris in Chriſto actus divinæ voluntatis quam actus humanæ voluntatis: atqui infinito non datur majus. Ergo actus humanæ voluntatis in Chriſto non eſt valoris infiniti. R. D. Min. Infinito in ratione entis non datur majus, C. infinito in certo genere, N. Porro in genere valoris moralis orti ex unione ad perſonam divinam agentem nihil datur majus. At in aliquo genere valoris poteſt dari majus. Unde major eſt valor actus voluntatis divinæ, quia nedum moraliter, ſed & phyſice eſt infinitus; & quia valor ejus moralis, non eſt emendicatus ab altero ut in actionibus Theandricis Chriſti, ſed auctoritative & principaliter ex ſe.

Subſumes: atqui in genere valoris operum Chriſti datur majus & minus. Ergo. Prob. Subſumptum. Actus amoris v. g. in Chriſto majoris eſt valoris, quam actus alterius virtutis: item majoris valoris eſt ejus Paſſio, quam unum ſuſpirium. Ergo. R. D. Subſumptum. In genere valoris objectivi ſeu eſſentialis datur majus & minus, C. In genere valoris perſonalis, N. Is enim in omnibus eſt æqualis.

Obj. 3. Valor meritorius aut ſatisfactorius non creſcit arithmetice juxta dignitatem perſonæ. Ergo ruit ratio Concluſionis. Prob. Ant. Actus charitatis v. g. æqualis intenſionis e viris in ſanctitate inæqualibus procedens æqualis eſt in valore. Ergo. R. N. Ant. ad prob. D. Conſ. Ergo valor non creſcit juxta dignitatem perſonæ, ſi dignitas tantum concomitanter ſe habeat ad valorem operis, C. Si per ſe conducat ad valorem operis, N. Eſt ergo diſparitas inter hominem juſtum & Chriſtum, quod juſtus utatur gratia habituali ad operandum quando vult, & non utitur quando non vult; habitus enim ſubſunt diſpoſitioni noſtræ, iis utimur quando volumus, & eo modo quo volumus. Unde ſicut plura opera facit juſtus, in quæ gratia nullatenus influit, ſed tantum concomitanter ſe habet, ita eo modo & gradu, quo vult, hæc gratia influit in opera ejus, & eo gradu, quo influit, ſignificatur opus, cæteris gradibus concomitanter tantum ſe habentibus. At vero perſona Verbi non ſubditur uſui liberi arbitrii, cum ſubſtantialis ſit, & non poſſit voluntas ſine perſonæ concurſu operari, ideoque dignificat ſecundum totum quod poteſt. Hac etiam diſparitate, ut prævenietur

inſtantia, ſit, quod v.g. faciant multas actiones puta mare naturales, quæ non ſunt majoris valoris in ipſis, quam in plebeiis, quia eorum dignitas, cum ſit accidentalis, non influit in omnes eorum actiones, ſed in morales tantum. Secus in Chriſto, ejus dignitas eſt perſonalis & ſubſtantialis. Unde ſicut perſona Verbi influit indiſpenſabiliter in omnes Chriſti actiones, ita & ejus individua & indiſtincta dignitas. Adde, quod omnes actiones naturales in Chriſto quatenus ſubditę voluntatis ejus dominio, & relutę ad Deum, fiant morales, & ſint in ſuppoſitum reflexive.

Repones. Deus agens ad extra eſt ſubſtantialiter infinitus: atqui tamen ejus actiones ut creatio, concurſus, &c. non ſunt infinitæ dignitatis. Ergo. R. D. Min. Si ejus actiones ſumantur prout exiſtunt in Deo, N. Sunt enim ſic ipſemet Deus, adeoque in omni genere infinitæ. Si ſumantur pro actione effecta, quæ recipitur in creatura, C. Sic enim ſunt extra Deum, ut ultræ tas creatæ, nec ſpecialiter ipſi uniuntur, nec ſunt aliquid ipſius perſonaliter. Unde ex hoc non haurîunt ſpecialem valorem.

Inſt. Etſi dignitas perſonæ Verbi per ſe conducat ad dignitatem actus, non poteſt tamen infinitum illi valorem tribuere. Ergo. Prob. Ant. 1. Quia non influit in illum niſi mediante humanitate ut principio quod & finito. 2. Quia non influit niſi ut unita humanitati, unitur autem finito modo. 3. Quia non ſatisfecit nec meruit ut Deus ſed ut homo. R. N. Ant. ad 1. prob. D. Ant. Perſona Verbi non influit valorem phyſicum & formalem in actum niſi mediante humanitate, C. Valorem moralem & perſonalem, Subd. Niſi mediante humanitate materialiter & præſuppoſitive tantum ad hunc valorem concurrente, C. Formaliter & per ſe ad hunc valorem concurrente, N. Igitur humanitas, ejus potentiæ & habitus per ſe influunt in actum bonitatem phyſicam & moralem objectivam, ſed eo poſito ex ſola dignitate perſonæ agentis formaliter oritur valor perſonalis & infinitus, humanitate & ejus acto phyſico materialiter tantum & præſuppoſitive ad illum ſe habentibus: unde non illis, ſed perſonæ dignitati adæquari debet. Ad 2. prob. D. Ant. Non influit niſi ut unita humanitati, ly ut reduplicante conditionem prærequiſitam, C. ly ut reduplicante cauſalitatem principii & cauſæ formalis valoris infiniti, N. Unio igitur non eſt principium & cauſa formalis, unde profluit ille valor infinitus, ſed ipſa perſona Verbi, præſupponens tamen unionem ut conditionem neceſſario requiſitam. Ad 3. probat. D. Ant. Chriſtus non meruit, nec ſatisfecit ut Deus, ly Ut reduplicante principium quo, C. Ant. reduplicante principium quod, N. Solutio patet ex dictis.

Urgebis, Deus ut principium quod non potuit humiliari. Ergo ut principium quod non ſatisfecit. R. D. Ant. ut principium quod non potuit humiliari in natura divina, C. In natura humana aſſumpta, N. Actiones autem ſunt ſuppoſitorum elicitive, ut diximus, & ex ſuppoſito dignificantur.

Obj. 4. Valor eſt proprietas ſequens ad bonitatem moralem operis; atqui bonitas moralis operum Chriſti erat finita, utpote conſequens entitatem finitam. Ergo. R. D. Maj. Valor eſſentialis ſeu objectivus proveniens ſcilicet ex objecto & circumſtantiis eſt proprietas ſequens ad bonitatem moralem, C. Valor perſonalis ex ipſa ſcilicet dignitate perſonæ operantis proveniens, N. Ad hunc equidem valorem perſonalem requiritur bonitas moralis ut conditio præſuppoſita: ut principium formale eſt ipſa perſona agens. Hinc valor objectivus in actionibus Chriſti eſt inæqualis pro inæqualitate objectorum & circumſtantiarum, valor autem perſonalis eſt æqualis & unus in omnibus.

Inſt. Juxta hanc doctrinam ſequitur, quod ſi Verbum aſſumpſiſſet humanitatem ſecundum ſtatum naturæ puræ, ſicut poterat de potentia abſoluta, illius actiones forent etiam valoris infiniti in ratione meriti & ſatisfactionis, cum etiam tunc foret perſona agens ut quod infinitę dignitatis: atqui falſum Conſequens. Ergo. Prob. Min. Iſtæ actiones in hac hypotheſi non forent ſupernaturales. Ergo nec meritoriæ nec ſatisfactoriæ in infinitum apud Auctorem ſupernaturalem. R. N. Min. ad probat. D. Ant. Non forent ſupernaturales ex parte principii quo, C. Ex parte principii quod, ſeu ſuppoſiti, N.

Obj. 5. Opera Chriſti dependebant ab acceptatione Dei ut eſſent meritoria & ſatisfactoria. Ergo ab extrinſeco. R. D. Ant. Ut eſſent meritoria & ſatisfactoria in actu ſecundo, hoc eſt ut de facto mereremur, &c. C. In acto primo, ſeu ut haberent valorem merendi, N. Et hoc ſenſu procedit noſtra Concluſio, ut patet ex terminis. Acceptatio Dei autem ſuperveniens non confert ipſis valorem merendi, ſed ſupponit. Utrum vero Deus debuerit neceſſario illa acceptare, dicemus infra.

Obj. 6. ab Inconvenientibus. Si opera Chriſti forent valoris infiniti tam ad merendum, quam ad ſatisfaciendum, ſequeretur 1. illum æque meruiſſe per unicam lacrymam ac per crudelem flagellationem, æque per unicam actionem ac per omnes ſimul. Sequeretur 2. opus Redemptionis noſtræ conſummatum fuiſſe in primo inſtanti incarnationis per unum actum tunc elicitum, & non per mortem ejus contra communem ſenſum Theologorum; ſequentiaque opera fuiſſe inutilia, cum primum utpote infinitum omne præmium exhauſiſſet. 3. Sequitur noſtras ſatisfactiones non eſſe neceſſarias ſed prorſus inutiles. 4. Sequitur Chriſtum plus meruiſſe; quam potuerit Deus remunerari, ſi quidem repugnet dari præmium infinitum actu. Ergo. R. ad 1. Jam diximus, quod licet valor perſonalis operum Chriſti ſit in omnibus æqualis & unus, valor tamen objectivus petitus ex objecto, fine & circumſtantiis ſit inæqualis & diverſus. Porro Chriſtus non ſolum valorem perſonalem, ſed & objectivum ordinavit ad meritum & ad ſatisfactionem. Unde N. Sequelam. Ad 2. N. Sequelam. Quia ad merendum de facto & ſatisfaciendum non ſufficit valor ſeu condignitas operum, ſed inſuper requiritur, quod merens vel ſatisfaciens ordinet opera ſua ad præmium & ad ſatisfactionem. Chriſtus autem ut gloriam Patris promoveret, & immenſum erga homines amorem oſtenderet, noluit ordinare primam aut quamlibet ſeorſim actionem ſuam ad completum præmium & completam ſatisfactionem, ſed omnes collective uſque ad mortem incluſive per modum unius integri pretii ordinavit ad Redemptionem noſtram. Ex quo patet, quod licet potuerit, attenta quantitate pretii, unico actu opus ſuum conſummare, non fecerit tamen, nec ideo opera ejus ſequentia fuiſſe inutilia. Ad 3. N. Sequelam. Quia voluit Chriſtus, ut ſatisfactiones & merita ſua quantumvis infinita ex ſe nobis applicarentur mediantibus propriis actionibus noſtris, juxta illud ad Coloſſ. 1. *Adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea.* Ut enim 3. p. q. 49. a. 1. ad 4. diſcurrit S. Th. ſicut ad perfectionem cauſæ primæ & univerſalis pertinet, quod non ſola operetur, ſed quod ſecundas cauſas operari faciat, ita ad abundantiam ſatisfactionum Chriſti (qui eſt quaſi cauſa generalis in hoc genere) pertinet ut non ſolum ipſe ſatisfaciat, ſed & alios ſatisfacere faciat. Ad 4. N. Sequelam ex multiplici capite. 1. Quia meritum infinitum actu non exigit neceſſario præmium infinitum actu, ſed ſincategorematice tantum, majus ſcilicet & majus in infinitum; hoc enim ſufficienter arguit valorem infinitum in merito; ſicut quod divina potentia poſſit quocumque dato effectu perfectiorem & perfectiorem producere, arguit ipſam eſſe infinitam actu, etſi quilibet illorum ſit finitus; eſt enim per accidens, quod non poſſit infinitum actu producere, quia implicat dari infinitum creatum. 2. Dici poteſt, quod infinitum Chriſti meritum potuiſſet premiari præmio actu infinito, non quidem pure creato, ſed involvens aliquid increatum, puta Incarnationem Patris, ſi ad illam Chriſtus merita ſua ordinaſſet. Quinimo plures Theologi ſuſtinent de facto Chriſtum meruiſſe & obtinuiſſe præmium actu infinitum, ſcilicet reunionem totius humanitatis ad Verbum in Reſurrectione, inſtitutionem venerabilis Euchariſtię, quę eſt ſacrificium infiniti valoris. Item quod detur ipſi pręmium ſecundum totum rigorem juſtitię, quod eſt moraliter quid infinitum.

Repones contra hanc ultimam rationem. Vis meritoria infinita ſincategorematice ea eſt, quæ nullo præmio exhauriri poteſt, ſed quocumque dato eſt adhuc pręmiabilis: atqui ſi merito Chriſti potuit reſpondere præmium actu infinitum, aut de facto illud obtinuerit, meritum Chriſti erit exhauſtum, utpote a præmio adæquatum. Ergo non infinitum. R. 1. D. Maj. Vis, &c. quæ nullo præmio finito exhauriri poteſt, C. Præmio infinito, N. ſic licet potentia generativa Patris ſit infinita, exhauritur tamen generatione Filii, quia eſt infinitus. R. 2. D. Min. Meritum Chriſti foret exhauſtum intenſive, C. extenſive, N. Hoc eſt, meritum Chriſti non poſſet extendi in hoc caſu ad aliud præmium æque vel magis perfectum, & ſub priori infinito ęquivalenter non contentum; unde eſſet exhauſtum intenſive: poſſet tamen extendi ad varia alia eminenter contenta in priori infinito, qualia ſunt omnia pręmia creata reſpectu increati & infiniti, ſi daretur. Unde non ſequitur, quod hoc poſito Chriſtus nihil nobis mereretur, ut quidam arguunt.

ARTICULUS VI.

Utrum ſatisfactio Chriſti fuerit ab intrinſeco non ſolum condigna, ſed etiam ſuperabundans?

REvoca in memoriam, quæ diximus ſupra Diſſ. 3. a. 2. §. 2. ſcilicet ſatisfactionem, quę eſt recompenſatio voluntaria debiti, aliam eſſe condignam, quando nempe res oblata adæquat debitum, aliam de toto rigore juſtitię, ſeu ad apices juris, quando ſervantur omnes conditiones ſtrictæ juſtitiæ. De 1. in hoc articulo: de 2. agemus in ſequenti.

Qui negant opera Chriſti eſſe ab intrinſeco valoris infiniti, negant pariter ejus ſatisfactionem eſſe ab intrinſeco condignam. Contra quos dico: ſatisfactio Chriſto fuit

ab

Digitized by Google

ab intrinſeco non ſolum condigna, ſed ſuperabundans. Prima pars ſequitur ex articulo præcedenti, ſi enim ſatisfactio Chriſti ſit infiniti valoris, non poteſt non eſſe condigna. Patebit inſuper ex probatione 2. partis.

Prob. 2. pars 1. ab auctoritate: ad Rom. 5. dicitur: *Non ſicut delictum ita & donum; ſi enim unius delicto multi mortui ſunt, multo magis gratia Dei & donum in gratia hujus hominis Jeſu Chriſti in plures abundavit.* Et ibid. *Ubi abundavit delictum, ſuperabundavit & gratia.* Chryſoſt. hom. 10. in eandem Ep. *Multo plura, quam debeamus, Chriſtus pro nobis exſolvit, tantoque plura, quanto aquam exiguam Pelagus excedit immenſum.* Et Concil. Triburienſe cap. 19. dicit in calice plus vini quam aquæ infundendum eſſe, ut ſignificetur valorem ſanguinis Chriſti eſſe multo majorem, quam ſit offenſa totius populi per aquam ſignificati. Huc recurrit auctoritas Clementis VI. citata art. præced.

Neque dicas hæc eſſe vera ratione acceptationis divinæ, non ab intrinſeco operum; tum quia, ut diximus, hæc interpretatio contradicit menti Pontificis; tum quia juxta probabiliorem ſententiam, quam ex Patribus ſupra propugnavimus, pura creatura non potuit de condigno ſatisfacere pro peccato generis humani; poſſet autem, ſi valor operum Chriſti ſit condignus non ex ipſis, ſed ab acceptatione Dei: tum quia Apoſt. Hebr. 10. dicit impoſſibile eſſe ſanguine Taurorum, id eſt ſacrificiis veteris Legis, auferri peccata, ſed ad id neceſſarium fuiſſe Chriſtum offerri & pati: at nulla eſſet vis argumenti Apoſtoli, ſi merita Chriſti ex ſola Dei acceptatione & non ex ſeipſis haberent valorem peccatis delendis ſufficientem, cum potuiſſet Deus ad hunc effectum acceptare ſacrificia veteris Legis.

Prob. 2. ex principiis articulo præcedenti poſitis, valorem nempe ſatisfactionis maxime attendi penes dignitatem perſonæ ſatisfacientis. Et quidem probatur facile in ſententia probabili, quod offenſa peccati ſit infinita tantum ſecundum quid; ea enim major eſt ſatisfactio infinita ſimpliciter. Sed & ſuppoſita altera opinione non minus probabili, quod offenſa peccati ſit infinita ſimpliciter. Probatur ſic: longe plus eſt perſonam divinam ſubjici phyſice & realiter Deo in ejus obſequium, quam Deum ſubjici creaturæ quoad affectum tantum moraliter & interpretative: atqui hoc ſecundum facit homo peccans moraliter, primum fecit Chriſtus. Ergo. Prima pars Minoris conſtat, ſecunda etiam eſt certa; verum eſt enim Chriſto ſatisfaciente perſonam divinam ſe in natura aſſumpta ſubjeciſſe Deo realiter, phyſice & quoad effectum, nam phyſice & realiter Deus orat, ſe humiliat, dolet, offertur, immolatur, moritur.

Solvuntur Objectiones.

OBj. 1. contra 1. partem. Valor ſatisfactorius operum Chriſti non adæquat gravitatem peccati mortalis. Ergo non eſt ſatisfactio condigna. Prob. Ant. 1. Plus diſplicet Deo peccatum, quam ipſi placeat ſatisfactio Chriſti. Ergo. Prob. Ant. Non minus Deo diſplicet peccatum, quam placeat ipſi ſua propria bonitas: atqui plus ipſi placet propria bonitas, quam ſatisfactio Chriſti. Ergo. Prob. Maj. Peccatum de ſe eſt deſtructivum divinæ bonitatis: atqui quantum amatur res aliqua, tantum diſplicet illius deſtructivum. Ergo. Prob. primum Ant. 2. Gravitas injuriæ Deo irrogatæ infinita eſt ex duplici capite, nempe ex infinita dignitate perſonæ offenſæ & ex infinita vilitate, ut ita dicam, perſonæ offendentis; eſt enim atrocior injuria ſervi in Regem, quam Regis in Regem: atqui ſatisfactio Chriſti eſt ſolum infinita ex parte perſonæ ſatisfacientis, non vero ex parte illius cui ſatisfit, cum ex ejus dignitate potius deprimatur, quam creſcat ſatisfactionis valor. Ergo. Unde Prob. primum Ant. 3. Si per impoſſibile unus Deus alium Deum offenderet, valor ſatisfactorius operum Chriſti adæquaret ad ſummum gravitatem offenſæ uni Deo irrogatæ ab alio Deo. atqui offenſa Deo irrogata a vili creatura eſt major, quam offenſa uni Deo irrogata ab altero Deo, ut patet ex argumento præcedenti. Ergo. Prob. idem Ant. 4. Peccatum mortale eſt majus malum quam ſatisfactio Chriſti ſit bonum. Prob. Ant. Peccatum eſt privatio omnis boni, omnis gratiæ, nedum exiſtentis ſed poſſibilis & infinitæ, gratiæ unionis hypoſtaticæ, gloriæ poſſibilis & infinitæ, &c. hæc enim omnia ſunt cum peccato incompoſſibilia: atqui ſatisfactio Chriſti non importat omne illud bonum, quo privat peccatum. Ergo.

R. N. Ant. Ad 1. prob. 1. N. Ant. Ad probat. omiſſa nunc Min. N. Maj. Ad prob. D. Maj. Peccatum de ſe eſt deſtructivum divinæ bonitatis moraliter & ſecundum prudentum æſtimationem, C. Realiter & phyſice, N. Et ad hunc ſenſum diſtincta Min. N. Con. Itaque cum bonitas divina ſit nedum moraliter, ſed phyſice infinita; plus amatur, quam diſpliceat id, quod eſt tantum deſtructivum illius moraliter. 2. N. Min. omiſſam, quia ut diximus art. præced. ſatisfactio Chriſti involvit perſonam ſatisfacientem, quæ, cum ſit infinite digna & amabilis utpote Deus, tam neceſſario diligitur a Deo quam propria bonitas.

Ad 2. prob. 1. D. Min. Atqui ſatisfactio Chriſti eſt tantum infinita ex parte perſonæ ſatisfacientis & non ex parte perſonæ, cui ſatisfit, & ille defectus (ſi tamen defectus eſt): ſuperabunde ſuppletur aliunde, C. Et non ſuppletur, N. Suppletur enim per hoc, quod per ſatisfactionem Chriſti perſona divina realiter ſubjiciatur Deo, per peccatum autem moraliter tantum & affective Deus ſubjiciatur creaturæ. Item per hoc, quod cum perſona ſatisfaciens non poſſet eſſe infinite ſuperior Deo, cui ſatisfit, voluerit eſſe infinite inferior, ſeu ſe depreſſerit in natura infinite Deo inferiore & infinite a Deo diſtante. 2. D. Conſ. Ergo valor ſatisfactorius non adæquat extenſive gravitatem peccati mortalis, C. Intenſive, N. Cum enim offenſa ſit infinita in ratione injuriæ ratione præciſe perſonæ offenſæ, continet eminenter ſeu æquivalenter omnem aliam injuriæ gravitatem poſſibilem. Unde licet injuria augeatur ex diſtantia offendentis ad offenſum, illud augmentum eſt extenſivum tantum, non intenſivum; ſicut quia Deus continet eminenter omnes perfectiones creaturarum, non eſt cum illis quid majus intenſive, ſed ad ſummum extenſive. Unde

Ad 3. probat. juxta hanc ſecundam ſolutionem, R. 1. D. Min. Atqui offenſa Deo irrogata a vili creatura eſt major extenſive, quam ea quæ irrogatur ab alio Deo, C. Intenſive, N. 2. Juxta 1. ſolutionem, N. Maj. Quia ratione ſubjectionis realis perſonæ infinitæ & depreſſionis in natura infinite diſtante injuriam irrogatam uni Deo ab altero Deo ſuperaret.

Ad 4. prob. 1. D. Ant. Peccatum eſt majus malum in ratione mali ſeu privationis, quam ſatisfactio Chriſti ſit bonum, Tranſeat: in ratione injuriæ Deo illatæ, N. De peccato autem ut eſt injuria & offenſa Dei reparanda per ſatisfactionem hic eſt quæſtio, non de ipſo ut eſt privatio boni, ſub qua ratione eſt potius malum hominis quam Dei. 2. Negari poteſt Ant. Ad prob. N. Min. Quia, ut dictum eſt, ſatisfactio Chriſti involvit perſonam divinam, quæ omnia bona continet. 3. N. iterum Ant. Ad prob. D. Maj. Peccatum eſt privatio omnis boni ut in homine adeoque finite participandi, C. Omnis boni ſecundum ſe & ſuam infinitatem, N. Unde fit, quod iſta privatio ſit finita ſimpliciter & infinita tantum ſecundum quid, adeoque minus malum quam ſit bonum ſatisfactio Chriſti, quæ eſt infinita ſimpliciter.

Obj. 2. contra 2. partem. Infinito non datur majus: atqui peccatum in ratione offenſæ eſt infinitum ſimpliciter ſecundum probabiliorem plurium Thomiſtarum ſententiam. Ergo ſatisfactio Chriſti illud non ſuperexcedit. R. 1. D. Maj. Infinito in ratione entis ſeu in omni genere non datur majus, C. Infinito in certo genere non datur majus, Subd. In illo genere, C. In alio genere, N. Sic ſi daretur linea infinita in genere lineæ, non daretur linea major: poſſet tamen dari major quantitas puta corporis infiniti, quod foret infinitum, nedum ſecundum longitudinem, ſed etiam ſecundum latitudinem & profunditatem: Peccatum autem & ſatisfactio Chriſti ſunt in diverſo genere & ordine: Peccatum enim eſt in genere mali moralis & in ordine creaturarum, ſatisfactio Chriſti in genere boni moralis & in ordine hypoſtatico, reductive in ordine divino. R. 2 D. eandem Maj. Infinito non datur majus formaliter, C. Materialiter, N. Explicatur. Cum ratio formalis infiniti ſit, quod careat fine & termino, nec ullum poſſit dari infinitum, qui terminum habeat, infinitum ſic formaliter ſumptum eſt ſemper æquale. Itaque unum non eſt ſic formaliter majus altero. Attamen res ſeu ſubjectum, ſupra quod cadit infinitas, poteſt unum eſſe majus altero, adeoque majus infinitum materialiter: ſic v. g. ſi darentur infiniti homines, darentur infiniti capilli: & licet multitudo capillorum non eſſet major formaliter multitudine hominum, quia utraque foret ſine fine & termino, major tamen materialiter foret multitudo capillorum quam hominum, ſi quidem quilibet homo plures haberet capillos.

Obj. 3. & ſimul inſt. Ideo ſecundum nos ſatisfactio Chriſti peccatum ſuperexcedit, quia peccatum ſubjicit Deum creaturæ moraliter tantum & interpretative, ſatisfactio autem Chriſti ſubjicit perſonam divinam Deo realiter & effective: atqui falſum eſt iſtud aſſumptum. Ergo. Prob. Min. Judæi crucifigentes Chriſtum Deum ipſum nedum moraliter, ſed realiter & phyſice creaturæ ſubjecerunt, humiliaverunt, occiderunt, deſtruxerunt. Ergo. Si dicas, quod non humiliaverint eum in natura propria, ſed in natura humana aſſumpta, dicam ego, quod etiam non ſe humiliaverit ſatisfaciendo in natura propria, ſed in natura aſſumpta, & ſic ſemper ſtat paritas & æqualitas. A. N. Min. Ad Prob. D. Ant. Ita tamen ut actio Judæorum in ratione injuriæ moraliter tantum affecerit Deum, C.

ita ut realiter & phyſice affecerit Deum in ratione injuriæ, N. Unde N. Conſ. Explicatur: duo in peccato diſtinguenda ſunt, malitia moralis, quæ petitur ab objecto, & ratio offenſæ ſeu injuriæ, quæ petitur ex dignitate perſonæ, in quam peccatur. Igitur Chriſto patiente a Judæis, actio Judæorum attigit phyſice & realiter perſonam Divinam in natura aſſumpta ut objectum, unde hauſit malitiam moralem graviſſimam & infinitam ſecundum quid ſeu extrinſece & objective, minus gravem tamen, quam malitiam peccatorum, quæ verſantur circa divinitatem in ſe, qualia ſunt peccata blaſphemiæ, odii Dei, &c. ut docet D. Th. inf. q. 80. a. 5. o. In ratione tamen offenſæ ſeu injuriæ infinitæ actio Judæorum affecit perſonam Divinam ut ſubjectum moraliter tantum, quatenus juxta æſtimationem moralem offenſa eſt in offenſo, & offenſus dicitur pati injuriam, ex quo creſcit injuria moraliter juxta dignitatem perſonæ offenſæ. At vero actio ſatisfactoria Chriſti phyſice procedit a perſona Divina ut principio quod, phyſice ſubjectatur in illa quatenus actio immanens, phyſice involvit illam ut formam moraliter informantem. Unde cum fiat comparatio ſatisfactionis Chriſti cum peccato in ratione injuriæ, non in ratione malitiæ moralis, ſtat, quod ſatisfactio Chriſti ſuperet in valore gravitatem peccati crucifigentium Chriſtum in ratione injuriæ ſeu offenſæ; quia plus eſt eſſe realiter principium quod & ſubjectum ſatisfactionis, quam eſſe ſubjectum injuriæ moraliter tantum.

Repones. Chriſtus non ſe humiliavit, ſeu ſatisfecit ut Deus, ſed ut homo. Ergo non realiter, &c. R. ut art. præcedenti, D. Ant. ſi Ly *ut* reduplicet principio quo, C. ſi Ly *ut* reduplicet principium quod, N.

Obj. 4. & ſimul inferes: ſi ſatisfactio Chriſti fuit ſuperabundans, injuſte Deus illam exegit; injuſte enim a debitore exigitur pluſquam debet. Ergo. R. N. Ant. Ad Prob. D. Injuſte exigitur a debitore pluſquam debet, ſi ſatisfactio æqualis ſit poſſibilis, C. Si non ſit poſſibilis, N. Sic pauper, a quo dives abſtuliſſet panem hordeaceum vitæ neceſſarium, non exigeret injuſte cibum pretioſiorem, ſi dives nullum alium haberet reſtituendum, hoc enim eſt per accidens: non poterat autem Chriſtus ratione dignitatis perſonæ niſi ſuperabundantem ſatisfactionem reddere.

ARTICULUS VII.

Utrum ſatisfactio Chriſti fuerit ex toto rigore juſtitiæ, ſeu ad apices juris?

NOTA. Ut ſatisfactio ſit ex toto rigore juſtitiæ & ad apices juris, præter condignitatem ſeu æqualitatem ejus ad offenſam multæ inſuper requiruntur conditiones, ut alibi jam obſervavimus. Variæ a variis aſſignantur, communius quoque ſequentes. Prima conditio rigoroſæ ſatisfactionis eſt, quod ſit ad alterum, quia rigoroſe ſatisfactio eſt actus juſtitiæ, juſtitia autem reſpicit æqualitatem, quæ neceſſario requirit extrema realiter diſtincta. Secunda, quod non intercedat gratia creditoris, ſeu quod non fundetur in gratia creditoris; gratia enim & juſtitia ſtricta opponuntur, nec poteſt dici rigoroſa ſolutio, quæ indiget favore aut gratia creditoris. Tertia, ut fiat ex bonis propriis debitoris, non creditoris aut alterius, ex pecunia enim & theſauro creditoris aut alterius deprompta nullus debita ſua ſolvere poteſt, cum iſtius pecuniæ dominium, quod ipſe non habet, in creditorem transferre non poſſit, adeoque nec fieri æqualitas. Quarta, quod id, quod offertur in ſatisfactionem, non ſit debitum aliis titulis multiplicantibus debitum: ſi enim debeam Petro centum ratione mutui & centum ratione cenſus annui; non ſatisfacio ſolvendo tantum centum. Dixi, titulis multiplicantibus debitum, quia ſi novus titulus novam obligationem ſeu novum debitum non inducat, ſed præcedens tantum confirmet, poſſum una ſolutione ſatisfacere: v. g. ſi voto me aſtringam reddere mutuum acceptum extreme indigenti, illud reddendo ſatisfacio obligationi religionis, juſtitiæ & charitatis. Quinta, quod creditor teneatur ex juſtitia acceptare ſatisfactionem, ita ut ſi nolit acceptare, maneat tamen extinctum debitum; ſi quidem totum, quod ablatum eſt, reſtituatur & ſervetur medium rei. Magis elucidabuntur hæ conditiones ex mox dicendis.

Dico, Chriſtus ſatisfecit ex toto rigore juſtitiæ & ad apices juris. Eſt communis inter Thomiſtas, quibus adhærent plures alii. Prob. Chriſtus ſervavit conditiones quinque aſſignatas ad rigoroſam ſatisfactionem. Ergo. Ant. non poteſt melius probari quam expendendo & ſolvendo rationes in contrarium. Unde

Solvuntur Objectiones.

OBJ. 1. contra 1. conditionem. Satisfactio rigoroſa debet eſſe ad alterum: atqui ſatisfactio Chriſti non eſt ad alterum. Ergo. Prob. Min. Chriſtus ſibi ipſi ſatisfecit non minus quam Patri aut Spiritui S. non enim ſolus Pater aut Spiritus S. eſt creditor ſeu offenſus, ſed Deus unus & trinus. Ergo. R. D. Maj. Satisfactio rigoroſa debet eſſe ad alterum natura, C. Maj. Ad alterum ſuppoſito, N. Et dico, quod ad ſtrictam juſtitiam non requiratur neceſſario diſtinctio ſuppoſitorum, ſed ſufficiat diſtinctio naturarum in eodem ſuppoſito, qualis reperitur in Chriſto. In tantum enim requiritur diſtinctio inter ſatisfacientem & creditorem, in quantum diſtingui debent jura utriuſque ad æqualitatem reducenda; poſita autem diſtinctione naturarum in eodem ſuppoſito ſalvatur diſtinctio jurium, quia ſalvatur diſtinctio voluntatum & libertatum, quæ ſunt fundamenta juris & dominii. Et ſane juſtitia ſtricta non magis petit eſſe ad alterum, quam obedientia & religio; ſicut enim nemo ſibi ipſi ſatisfacit, ita nec ſibi obedit, aut ſibi cultum exhibet; ſufficit tamen in Chriſto diſtinctio naturarum, ut in eo ſalvetur ratio ſtrictæ obedientiæ & religionis, quidni & juſtitiæ?

Inſt. Satisfactio rigoroſa debet eſſe ad alterum ſuppoſitum. Ergo. Prob. Ant. 1. Auctoritate Ariſtot. 5. Ethic. c. 1. 2. & D. Th. 2. 2. q. 58. a. 2. ubi dicit: *Quod juſtitia proprie dicta requirit diverſitatem ſuppoſitorum, & ideo non eſt niſi unius hominis ad alium; ſed ſecundum ſimilitudinem accipiuntur in uno & eodem homine diverſa principia actionum quaſi diverſa agentia, ſicut ratio & iraſcibilis & concupiſcibilis, & ideo metaphorice in uno & eodem homine dicitur eſſe juſtitia*. 2. Ratione. Quia non inter dominia exercetur juſtitia, ſed inter perſonas ratione dominii. 3. A pari. Secundum communem opinionem non datur juſtitia rigoroſe dicta inter Patrem & Filium, inter dominum & ſervum; quia licet ſint ſuppoſita phyſice diſtincta, ſunt tamen unum moraliter, juxta enim moralem æſtimationem Filius eſt aliquid Patris, ſervus domini. Ergo a fortiori ſi ſuppoſitum ſit phyſice unum. R. D. Ant. Satisfactio rigoroſa debet eſſe ad alterum ſuppoſitum formaliter vel virtualiter alterum, C. Ant. Semper formaliter alterum, N. Ant. Licet itaque in Chriſto ſit unum tantum ſuppoſitum ſecundum rem & formaliter, gerit tamen vices duplicis ſuppoſiti, ideoque eſt virtualiter multiplex; cum enim propter ſuam infinitatem poſſit ſubſiſtere in pluribus naturis, poteſt etiam præſtare, quæ facerent plura ſuppoſita, & quia quod eſt virtualiter multiplex, tantam habet virtutem, quantam haberet, ſi foret formaliter multiplex, ideo ſicut ſi foret formaliter multiplex ſuppoſitum in Chriſto, unum divinum, alterum humanum, facile conciperemus, quod ſuppoſitum humanum rigoroſe ſatisfaceret ex hac parte ſuppoſito divino; ita ex hoc quod ſit virtualiter multiplex, concipimus, quod Verbum ut ſubſiſtens in natura humana ſibi ipſi rigoroſe ſatisfecerit ut ſubſiſtenti in natura divina, ſerveturque conditio requiſita *eſſe* ſcilicet *ad alterum*. Enimvero in caſu, quo Verbum aſſumpſiſſet duas naturas humanas, quod poterat, ut probavimus ſupra, negari non poteſt, quin ut ſubſiſtens in una potuerit exercere juſtitiam ſtrictam erga ſeipſum ut ſubſiſtens in altera, ſi quidem in utraque natura reperiretur diſtincta libertas, diſtinctaque voluntas, adeoque diſtinctum jus & dominium. Ergo a pari nihil ex hac parte obſtat, quin Verbum ut ſubſiſtens in natura humana ſibi ex rigore juſtitiæ ſatisfecerit ut ſubſiſtenti in natura divina.

Inde patet reſponſio ad Probat. Ant. Et 1. Ad Ariſt. non eſt mirum hoc genus juſtitiæ ſtrictæ ignoraſſe, ad eamque requiſiviſſe diſtinctionem formalem ſuppoſitorum, quia fide deſtitutus non novit duas naturas diverſis voluntatibus & dominiis inſtructas poſſe in eodem ſuppoſito ſubſiſtere. Ad D. Th. loquitur de juſtitia, quæ inter plures creaturas exercetur, aut de ſuppoſito formaliter vel virtualiter altero. Ad rationem, R. juſtitiam ſtrictam exerceri inter perſonas formaliter, vel virtualiter diſtinctas. Ad paritatem, R. Ideo non dari juſtitiam ſtrictam inter Patrem & Filium, inter dominum & ſervum, quia non ſufficienter diſtinguuntur ſuppoſita, ſed quia bona unius ſunt alteri ſubordinata & a dominio alterius reguntur; unde ſi Filius emancipetur, fiatque ſui juris, poteſt ſtrictam juſtitiam erga Patrem exercere, ut omnes fatentur.

Repones. Eadem eſt ratio de offenſa & de ſatisfactione, quia, ut fert commune axioma, contrariorum eſt eadem ratio: atqui Chriſtus ut ſubſiſtens in natura humana non potuit ſeipſum offendere ut ſubſiſtentem in natura Divina. Ergo. R. D. Min. Chriſtus ut ſubſiſtens in natura humana non potuit ſeipſum offendere ut ſubſiſtentem in natura Divina, præciſe quia non eſſet ſufficiens alietas, ut ita dicam, ſeu diſtinctio ſuppoſiti, N. aliunde & quia ſuppoſitum divinum eſt impeccabile, C. Unde, D. Conſ. Ergo Chriſtus non potuit ſibi rigoroſe ſatisfacere pro peccato proprio, C. Pro peccatis alienis, N.

Urgebis. Chriſtus ſatisfaciendo vel obtulit divinitatem, & ſic nihil diſtinctum a Patre, vel ſuam perſonam, & ſic nihil diſtinctum a ſeipſo, vel humanitatem, & ſic infra debitum. Ergo. R. ut ſupra, Chriſtum ut ſubſiſtentem in natura humana ſeipſum obtuliſſe Patri & ſibi ut ſub-

ſiſte-

ſiſtenti in natura Divina; quia, ut diximus, Verbum ſubſiſtens in duabus naturis gerit vices duorum ſuppoſitorum. Et ſicut ut ſubſiſtens in natura Divina producit Spiritum S. creat, conſervat, &c. ſic ut ſubſiſtens in natura humana, obedit, patitur, moritur, &c.

Obj. 2. Contra 2. conditionem. Satisfactio rigoroſa non debet fundari in gratia creditoris, in quantum enim intercedit gratia ſeu favor creditoris, in tantum recedit ſatisfactio a rigore juſtitiæ. Atqui ſatisfactio Chriſti fundatur tota in gratia creditoris, ſcilicet in gratia unionis, cæteriſque Donis tam habitualibus quam actualibus, pendetque ab acceptatione Dei. Ergo. Reſpondetur communiter non quamcumque gratiam creditoris obſtare rigoroſæ ſatisfactioni, ſed eam ſolum, quæ ſupplet defectum valoris in ſatisfactione, vel ipſam debiti ſolutionem formaliter ingreditur, ita ut gratia data non ſolum juvet ad ſatisfaciendum, ſed etiam ſit illud ipſum, per quod ſatisfit; tunc enim collatio doni eſt virtualis condonatio debiti; ut ſi creditor videns debitorem impotentem ad ſolvendum dat ipſi ſummam debitam, ut per eam ſatisfaciat, vel ſumma inæquali ad debitum velit eſſe contentus. Si vero gratia creditoris præſuppoſitive tantum ſe habeat, ita ut licet collata fuerit in finem ſatisfactionis, tamen non ſuppleat defectum valoris ſatisfactionis, nec ex ea ſolum fiat ſatisfactio, ſed ea aliis labore & induſtria comparatis, tunc gratia rigoroſam non impedit ſatisfactionem: ſic, v. g. Debitor impotens ad ſolvendum, ſi a creditore gratis ſeu mutuo accipiat pecuniam, quam proprio labore & induſtria auget, poterit ex rigore juſtitiæ ſatisfacere creditori ex illis pecuniis labore & induſtria partis. Similiter, inquiunt, in caſu noſtro; licet humanitati Chriſti gratia unionis, divinorumque auxiliorum adjumenta liberaliter collata ſint, non tamen per ea ſolum ſatisfecit, ſed per actus proprios omnium virtutum debitum compenſavit, ita ut acceptatio ex parte Dei non ſuppleat aliquem defectum in valore horum operum.

Tametſi veram admittamus doctrinam hanc, videtur tamen inſufficiens ad ſolvendum argumentum, niſi aliquid ſuperaddatur. Enimvero inſtatur, quod gratia unionis, cæteraque dona, non ſolum præſuppoſitivo ſe habeant ad ſatisfactionem, ſed formaliter, ſi quidem ab ipſis gratiis actus virtutum in Chriſto vim ſatisfaciendi formaliter habeant, ita ut gratia creditoris nedum ſit ſuppletiva valoris, quin imo totius valoris ſit collativa. Unde R. Facilius & brevius ad argumentum, D. Maj. Satisfactio rigoroſa non debet fundari in gratia creditoris ex ea parte, qua ſumitur valor ſatisfactionis, C. Maj. Ex alia parte, N. Maj. Et ad hunc ſenſum, D. Min. Conſ. Explicatur. Suppono ut certum gratiam creditoris nullatenus obſtare rigoroſæ ſatisfactioni, ſi ex ea non petatur valor operis ſatisfactorii, quandoquidem valore ſatisfiat. Suppono iterum ex dictis, quod licet actiones Chriſti valorem aliquem habeant ex humanitate variis gratiis ornata ut a principio quo, valorem tamen infinitum & plene ſuperabundanterque ſatisfactorium habeant a Verbo ut principio quod. Jam autem neque unio hypoſtatica, neque ullum aliud donum ullatenus eſt gratia reſpectu Verbi, cum inde potius veluti deprimatur, quam elevetur, ſed tantum reſpectu humanitatis. Igitur valor ſatisfactorius in Chriſto non fundatur in gratia creditoris, nihilque ideo ex hoc capite obſtat, quin ſatisfactio ejus ſit ex toto rigore juſtitiæ.

Obj. 3. Contra 3. conditionem. Satisfactio debet fieri ex bonis propriis debitoris, non creditoris aut ſub ejus dominio contentis: atqui actiones, quibus ſatisfecit Chriſtus, utpote creatæ erant propriæ creditoria ſcilicet Dei, & ſub ejus dominio, ratione creationis & conſervationis. Ergo. Gravis eſt hæc difficultas, cui variis aliis ſolutionibus relictis, triplex probabilior adhiberi ſolet. Prima eſt ad ſatisfactionem honoris læſi non requiri hanc conditionem, *Quod fiat ex bonis, quæ non ſunt ſub dominio creditoris*, ſed poſſe fieri ex quibuſcunque, modo præſtet obſequium & honorem æqualem injuriæ illatæ. Nec enim ſatisfactio injuriæ fit ſicut in reſtitutione pecuniæ per abdicationem dominii alicujus rei a Debitore & tranſlationem illius in creditorem, ſed per humiliationem & ſubjectionem, ad quod non requiritur aliquod dominium ita proprium, quod omnino ſit exemptum a creditore. Si dicatur, quod in hoc caſu creditor non reciperet niſi ſuum, & quod de jure poſſet aliquid amplius exigere, quod eſt contra rigoroſam ſatisfactionem; Reſpondetur, quod licet hæc actio entitative foret creditoria, moraliter tamen ut ſatisfactio & honorans eſſet ſatisfacientis, quia honor eſt in honorante, & cum ſupponatur ad æqualitatem injuriæ, nihil ultra de jure exigere poſſet creditor.

Secunda ſolutio eſt, quod licet actiones Chriſti eſſent ſub dominio generali, Chriſtus tamen habebat in eas particulare dominium; dominium enim generale non tollit particulare, ſicut cauſa univerſalis non tollit particularem; ſufficit autem ad rigorem juſtitiæ, ut ſatisfactio fiat ex bonis contentis ſub dominio particulari debitoris, licet ſint etiam ſub dominio generali Creditoris, ut patet in Cive, qui Reipublicæ rem furto ablatam ſtricte & rigoroſa reſtituit, ſeu compenſat ex bonis propriis, licet in ea Reſpublica habeat generale dominium. Et certe ſi generale dominium Dei obſtaret, quominus de rigore juſtitiæ ſatisfeciſſet, ſequeretur, quod ſi Chriſtus per impoſſibile alterum hominem offendiſſet, non potuiſſet illi in rigore ſatisfacere, imo quod nullus homo alteri homini rigoroſe poſſet ſatisfacere; quia ſicut rigoroſa ſatisfactio exigit, quod non fiat ex bonis creditoris, ita nec ex alienis, quamdiu ſunt alterius, aut ſub ejus dominio remanerent. Sic ſervus neque domino neque alteri ſatisfacere poteſt ex bonis domini, quamdiu ipſius ſunt. Sicut ergo dominium generale & inabdicabile, quod Deus habet in opera noſtra, non impedit, quin aliis rigoroſe ſatisfacere poſſimus, ita nec quod Chriſtus ipſi rigoroſe ſatisfaciat.

R. 3. Subtilius quidem, ſed forte ſolidius ex fundamentis præjactis, D. Min. Actiones, quibus Chriſtus ſatisfecit, phyſica & entitative ſumptæ, ſeu quatenus procedunt ab humanitate ut principio quo, ſunt Dei creditoris & ſub ejus dominio, C. Quia ut ſic ſunt creatæ. Moraliter ſumptæ quoad valorem, ſeu quatenus procedunt a ſuppoſito Verbi ut principium quod, ſuntque ſuper illud reflexivæ, N. Ut ſic enim involvunt moraliter ipſum Verbum, nedum ut principium effectivum, ſed etiam ut principium formale, ut ſupra diximus. Unde ſicut ſuppoſitum Verbi non eſt ſub dominio Dei, ſed Deus ipſe, ita nec actiones ejus ſub hac præciſa ratione, quod ipſum moraliter involvant, quia ut diximus, ut ſic non ponunt in numero cum ipſo. Nec obſtat, ſi dicas, quod illæ actiones moraliter conſideratæ ſint vel aliquod creatum vel increatum. R. enim eſſe quid creatum quoad entitatem; quoad terminationem vero, ſeu terminative eſſe quid increatum; ſeu ſi mavis, ſunt quid creatum unitum increato, & ſub illa formaliſſima ratione uniti ad increatum non eſſe ſub dominio Dei, ſed ſolius Verbi ut ſubſiſtentis in natura humana.

Repones. Ipſa unio eſt a tota Trinitate. Ergo. R. D. Unio effectiva ſeu unitio, C. unio formalis & ut ita dicam effecta, N. Hæc enim eſt ſoli propria Verbo; unde ſolum dicitur incarnatum, non Pater aut Spiritus S. ſatisfecit autem ut unitum formaliter humanitati. Replicabis. Dominium, quod Verbum habet ſuper has actiones, ipſi competit, vel penes voluntatem increatam vel creatam: omne enim dominium fundatur in voluntate: atqui ſi penes voluntatem increatam, competit toti Trinitati, cum trium perſonarum ſit una voluntas: ſi penes creatam, dominium eſt creatum adeoque Dei. Ergo. R. Dominium hoc eſſe penes voluntatem creatam, non ſimpliciter & abſolute terminatam, ſed terminatam hoc ſuppoſito divino, & ſub hac formaliſſima ratione non eſſe Dei, ſed ipſum Deum.

Inſtes. Ergo Verbum ſibi ipſi ſatisfacit ex propriis; Verbum enim eſt perſona offenſa. R. D. illatum: Verbum ut ſubſiſtens in natura divina ſibi ipſi ſatisfacit ex propriis, N. Verbum ut ſubſiſtens in natura humana ſatisfacit ex propriis ſibi ut ſubſiſtenti in natura divina, C. Urgebis. Valor ſatisfactionis Chriſti non petitur ex Verbo ut ſubſiſtente in natura humana, ſed ut ſubſiſtente in natura divina. Ergo. Prob. Ant. Verbum ut ſubſiſtens in natura humana eſt finitum, ut ſic enim gerit vices ſuppoſiti finiti: atqui valor infinitus operum Chriſti non poteſt peti a ſuppoſito finito. Ergo. R. D. Maj. Valor ſatisfactionis Chriſti non petitur ex Verbo ut ſubſiſtente in natura humana, ly *ut* reduplicante conditionem præſuppoſitam, N. Licet ergo Verbum ſit unde profluit valor infinitus ſatisfactionum Chriſti, eum tamen communicare non poteſt niſi humiliatum & ſubjectum Patri, quod fieri nequit in natura divina, ſed humana. Unde ad Probat. Juxta eundem ſenſum, D. Maj. Verbum ut ſubſiſtens in natura humana non eſt infinitum, ly *ut* ſumpto reduplicative, C. Sumpto ſpecificative, N. Et hoc ſufficit, ut importatum in actione ſatisfactoria ſub ratione principii quod & formalis cenſeatur moraliter ipſi communicare infinitum valorem. Subſumes tandem contra omnes iſtas ſolutiones: atqui Verbum etiam ut ſubſiſtens in natura divina dependet a Patre, & eſt ſub ejus dominio. Ergo. Prob. Ant. Verbum ipſam ſuam ſubſiſtentiam & perſonalitatem accepit a Patre. Ergo R. N. Ant. Ad Probat. D. Ant. Verbum accepit ſuam perſonalitatem a Patre ſine dependentia, C. Cum dependentia, N. Quia Pater non libere, ſed neceſſario generat Filium in omnibus ſibi coæqualem & conſubſtantialem.

Obj. 4. Contra 4. conditionem. Satisfactio rigoroſa debet fieri ex bonis alias ſeu alio titulo non debitis: atqui omnes Chriſti actiones erant debitæ Deo variis aliis titulis, puta titulo creationis, conſervationis, ſervitutis ut ſupremo Domino, titulo gratitudinis, ut ſummo benefactori, titulo obedientiæ, religionis, &c. Ergo. R. 1. Ex eodem ſumper principio, D. Min. Actiones Chriſti ut

pro-

Digitized by Google

procedebant ab humanitate, debebantur Deo variis titulis; C. Ut procedebant a ſuppoſito divino, & ſuper illud reflectebantur, N. Nullum enim debitum ſuppoſitum Verbi contraxit, imo nec debiti capax eſt, ſed ſola humanitas; ſufficit autem ad rigorem juſtitiæ, quod bona non ſint debita ex illa parte, ex qua ſumitur valor ſatisfactionis, qui, ut diximus, deſumitur ex ipſo ſuppoſito divino. Reſpondent alii communiter hanc 4. conditionem eſſe intelligendam de ſatisfactione, cujus valor eſt finitus, non autem quando valor eſt infinitus; qui hoc ipſo quo eſt infinitus, eſt inexhauribilis a quocumque debito, quod ſemper fundatur in aliquo creato. Valet etiam hæc Solutio. Tertia Reſponſio etiam probabilis eſt, quod varii illi tituli non multiplicent materiam, ſed ſuper eandem cadant. Unde iiſdem actionibus potuit Chriſtus omnibus illis titulis ſatisfacere, ſicut qui deberet dare Petro centum nummos ex contractu, ex voto, ex ſententia judicis, unica ſolutione his omnibus titulis ſatisfaceret.

Inſt. Actiones Chriſti non ſufficiebant, ut ſatisfaceret obligationi gratitudinis pro omnibus beneficiis acceptis, tum quia non poterit reddere æquivalens, ſcilicet ſubſiſtentiam divinam, quam accepit, tum quia ipſa gratiarum actio beneficium eſt; tum quia tandem compenſatio gratitudinis debet plus reddere, quam ſit acceptum: ut enim docet D. Th. 2. 2. q. 106. a. 6. hæc reciprocatio debet eſſe gratuita, ſicut gratuita fuit beneficii collatio: ſi autem ſolum reddatur tantum quantum acceptum eſt, non erit gratuita, ſed debita compenſatio. Ergo. R. 1. Dato Ant. N. Conſ. Eſto enim Chriſtus non potuerit reddere æquivalens aut ſuperexcedens beneficia accepta, potuit tamen reddare honorem injuriæ illatæ æqualem, adeoque ſatisfacere ex rigore juſtitiæ. R. 2. N. Ant. Nullum enim beneficium accipit ſuppoſitum Verbi, ſed ſola humanitas: unde cum ſeipſum in humanitate offerat, & ſubjiciat Patri, reddit ultra quod accepit.

Obj. 5. contra 5. conditionem. Ad rigoroſam ſatisfactionem requiritur, quod creditor teneatur ex juſtitia illam acceptare, aut ſi nolit, remaneat extinctum debitum. Eſt enim contra omnem juſtitiam, quod debitor teneatur ad aliquid amplius quam ad reſtitutionem æqualem & rigoroſam ſatisfactionem: atqui Deus non tenebatur ex juſtitia acceptare ſatisfactionem Chriſti, & ipſo nolente eam acceptare fuiſſet extinctum debitum. Ergo. Prob. 1. pars Min. 1. Quia nullum juſtitiæ debitum poteſt cadere in Deum, importat enim obligationem ſtrictam & ſubjectionem ei, cui debetur, ex ejus voluntate ortam. 2. Quia offenſus non tenetur acceptare fidejuſſorem, nec unius ſatisfactionem pro alio, ſed poteſt velle, ut offendens ſit ipſemet ſatisfaciens, cum rationi ſit congruum, ut per eum, qui fecit injuriam, fiat & injuriæ reparatio. Hinc patet 2. pars Min. ſcilicet quod Deo non acceptante ſatisfactionem Chriſti pro peccatis hominum, remaneret inextinctum debitum in hominibus. Patet inſuper hac ratione, quod poſita Chriſti ſatisfactione poſſet nihilominus Deus hominem privare gratia, annihilare, damnare, &c. ratione ſupremi dominii, quod habet in ſuas creaturas. Ergo. R. D. Min. Deus non tenebatur ex juſtitia formaliter & propria dicta acceptare ſatisfactionem Chriſti, C. Ex juſtitia æquivalenter ſeu eminenter, N. Explicatur. Fateor itaque propter rationes factas omnem obligationem ſtrictæ juſtitiæ ortam ex voluntate alterius repugnare Deo, utpote ſuperiori ad omnes creaturas, ab eis independenti & omnium ſupremo Domino: non tamen ipſi repugnat obligatio orta ex propria voluntate. Sic Deus non obligatur creare mundum, aut hominem diligere; ſed ſuppoſito decreto creandi mundum tenebatur illum creare, ſuppoſito quod det gratiam creaturæ, obligatur illam amare. Ita ſimiliter Deus non tenebatur exigere ſatisfactionem pro peccatis hominum, nec conſtituere Chriſtum caput & fidejuſſorem illorum: ſed ſuppoſito quod velit ſibi ſatisfieri pro peccatis hominum, & illorum caput & fidejuſſorem conſtituerit Chriſtum Dominum, tenetur tum ex fidelitate, tum ex ſumma æquiſſimæ voluntatis rectitudine, quæ juſtitia eſt æquivalenter & eminenter, acceptare ejus ſatisfactionem, utpote debito æqualem & ſuperabundantem, ita ut ampliorem exigere non poſſit, quod bene adverte: licet enim ut ſupremus omnium Dominus poſſet hanc ſatisfactionem annihilare, recuſare, ulteriora exigere, non tamen unquam ut creditor læſus, & ratione injuriæ, cui ſatisfactum eſt ad æqualitatem, & cujus proinde debitum manet extinctum. Ex his patet reſponſio ad omnes probationes Minoris, & quo ſenſu intelligendum ſit illud S. Anſelmi lib. *Cur Deus homo* c. 19. *Neceſſe eſſe video, ut Pater Filio retribuat, alioqui injuſtus eſſe videretur ſi nollet*, neceſſitate ſcilicet ex ſuppoſitione, & procedendo ut Judex juſtus & creditor læſus, non abſoluta neceſſitate, ut explicuimus.

Dices. Secundum hanc explicationem ſemper ſtat ſatisfactionem Chriſti fundari in gratia creditoris. Ergo. R. ut ſupra, D. Ant. Fundatur in gratia creditoris præſuppoſitive & materialiter ſe habente. C. Formaliter ſe habente & ſupplente valorem ſatisfactionis. N. Unde N. Conſ. Talem enim gratiam nihil officere rigori ſatisfactionis conſtat ex uſu quotidiano hominum, inter quos, ſuppoſito ſemel pacto vel conſenſu creditoris, unus ex rigore juſtitiæ pro altero ſatisfacit.

Repones. Qui rigoroſam offert ſatisfactionem, quam tenetur creditor acceptare, non orat creditorem, ut ipſam admittat, debitumque remittat: atqui Chriſtus ſæpe oravit Deum, ut peccatum hominibus dimitteret. Ergo. R. D. Maj. Si oratio non ſit unum ex operibus ſatisfactoriis, C. Secus, N. Oratio autem Chriſti erat ipſa ſatisfactio, ſeu illam integrabat cum aliis bonis operibus. Voluit enim Chriſtus ex ſumma charitate pro nobis ſatisfacere omnibus generibus operum ſatisfactoriorum, orando, patiendo, moriendo, &c.

ARTICULUS III.

Utrum ſatisfactio Chriſti procedat a juſtitia commutativa?

PROBAVIMUS art. præced. ſalvari in ſatisfactione Chriſti conditiones requiſitas ad valorem rigoroſum juſtitiæ, nunc reſtat videre, a qua virtute in Chriſto elicita fuerit hæc ſatisfactio. Non enim virtus, quæ recompenſationem offert, confert recompenſationis valorem, ſed aliunde ſupponit: ſic v. g. liberalitas erogat pecunias, non tamen pecuniis confert valorem, ſed ſupponit. Probavimus itaque in ſatisfactione Chriſti reperiri ex perſona Verbi valorem rigoroſum & ſuperabundantem. Quærimus modo utrum Chriſtus ex virtute juſtitiæ commutativæ, an ex alia illum Deo obtulerit? Quidam volunt, quod ex pluribus virtutibus proceſſerit, ſcilicet ex charitate, religione, &c. alii ex juſtitia legali, alii ex commutativa.

Dico. Satisfactio Chriſti fuit actus juſtitiæ commutativæ. Eſt communior inter Thomiſtas. Prob. 1. ex Scriptura, quæ appellat hanc ſatisfactionem, emptionem, redemptionem, ſolutionem pretii, commutationem, quæ ſunt actus juſtitiæ commutativæ. Ergo. Prob. ratione. Ad actum juſtitiæ commutativæ requiruntur & ſufficiunt duo, ſcilicet ſtricta obligatio ad ſolvendum debitum, & perfecta æqualitas pretii cum debito: atqui ſatisfactio Chriſti habuit has duas conditiones. Ergo. Prob. Min. 1. Fuit perfecta æqualitas; quia, ut probavimus, nedum fuit æqualis debito, ſed ſuperabundans, & aliunde ſervat alias conditiones requiſitas ad rigoroſam ſatisfactionem. 2. Chriſtus ſtricte ex juſtitia tenebatur illam præſtare, quia ſe vadem & fidejuſſorem pro nobis præſtiterat. Ergo. Adverte tamen, quod licet ſatisfactio Chriſti ſit ſpecialiter & formaliter actus juſtitiæ commutativæ, contineat tamen eminenter honeſtatem aliarum virtutum, in ea quippe relucet magnificentia, quatenus offert ſuperabundans; Religio & gratitudo, quatenus his actibus ſatisfactoriis reddebatur honos & cultus Deo ut primo auctori & ſummo benefactori; miſericordia, quatenus non pro ſuis, ſed pro alienis peccatis ſatisfaciebat; idem diſcurrendo per omnes virtutes: ſed tamen quia per ſe & primario Chriſtus hanc ſatisfactionem offerebat ad reſarciendum jus divinum læſum ad æqualitatem, tanquam fidejuſſor generis humani lapſi, ideo dicimus hanc ſatisfactionem a virtute juſtitiæ promanaſſe, de cujus ratione eſt injurias illatas ad æqualitatem reparare ex ſtricta obligatione, ut diximus.

Solvuntur Objectiones.

OBJ. 1. Non datur juſtitia commutativa, niſi inter æquales. Unde juxta Ariſtot. & D. Th. non datur inter Patrem & Filium, Dominum & ſervum. Sed Chriſtus qua ſatisfaciens non erat æqualis Deo. Ergo. Prob. Min. Chriſtus ſatisfecit ut homo. Ergo. R. 1. D. Maj. Non datur juſtitia commutativa niſi inter æquales quoad jus & obligationem, C. Niſi inter æquales quoad omnia, N. Licet itaque non poſſit dari juſtitia commutativa v. g. inter Patrem & Filium, formaliter qua Filium, quia ut talis non eſt æqualis Patri in jure proprietatis, idem dic de ſervo; poteſt tamen dari, ſi Filius fiat ſui juris per emancipationem, quia tunc eſt æqualis Patri quoad jus & obligationem: Chriſtus autem ratione liberi arbitrii erat ſui juris quoad actiones humanas. R. 2. N. Min. Ad prob. D. Ex principio ſæpe repetito: Chriſtus ſatisfecit ut homo, ly *ut* reduplicante principium quo, C. Reduplicante principium quod, N. Ex principio quod autem deſumitur valor infinitus ſatisfactionis.

Obj. 2. Fidejuſſor non ſuſcipit in ſe majorem obligationem quam debitor principalis: atqui debitor principalis, nempe homo non tenebatur ſatisfacere Deo ex juſtitia commutativa. Ergo. Prob. Min. 1. Non datur virtus ad impoſſibile: atqui homo non poteſt reddere Deo æquale ſive pro offenſis, ſive pro beneficiis acceptis, quod tamen importat juſtitia commutativa. Ergo. 2. Obligatio ſatisfaciendi ex juſtitia commutativa oritur ex ipſius juſtitiæ vio-

violatione; atqui homo peccando non ſemper violat juſtitiam commutativam, alias in quolibet peccato, v. g. intemperantiæ, foret duplex deformitas, ſcilicet intemperantiæ & injuſtitiæ, adeoque duplex ſpecie diſtincta malitia in confeſſione accuſanda, quod nemo unquam dixit. Ergo. R. D. Min. Debitor principalis nempe homo non tenebatur ſatisfacere Deo ex juſtitia per accidens ratione impotentiæ, C. Per ſe defectu ſufficientis tituli obligatorii, N. Itaque ex peccato, ut modo dicam, oritur per ſe in homine peccatore titulus quantum ex ſe obligans ex juſtitia ad ſatisfactionem æqualem; ſed quia homo non poteſt reddere Deo æquale, quod requirit juſtitia commutativa, & nemo ad impoſſibile tenetur, hinc per accidens homo non tenetur ex juſtitia commutativa ſatisfacere Deo, tenetur tamen in quantum poteſt, & ideo ponitur in eo pœnitentia, quæ eſt pars potentialis juſtitiæ. In Chriſto autem non erat impotentia reddendi æquale, & cum aliunde obligaretur ſtricte quatenus fidejuſſor peccatorum, nihil ipſi deeſt ad ſtrictam juſtitiam. Et hinc patet reſponſio ad 1. prob. Min. Ad 2. N. Min. Per quodlibet enim peccatum mortale aufertur a Deo quoad affectum ratio ultimi finis, ad quod ſtrictum jus habet, tribuiturque creaturæ, quod ſumma injuſtitia eſt. Nec tamen inde ſequitur inconveniens, quod affertur in probatione, nempe duplicem illam difformitatem v. g. intemperantiæ & injuſtitiæ conſtituere peccatum duplici ſpecie, & accuſandum in confeſſione, quia illa injuſtitia eſt generalis quædam conditio omnium peccatorum, quæ non conſtituit actum peccaminoſum in diverſa ſpecie peccati, niſi quando per ſe & veluti directe tanquam objectum a peccatore intenditur. Paritas eſt in conditione generali inobedientiæ, quæ in omni peccato reperitur.

Inſt. contra 1. ſolutionem. Si in homine non datur juſtitia commutativa ad Deum, non datur etiam in Chriſto: atqui ex conceſſis, &c. Ergo. Prob. Maj. Gratia Chriſti in eſſe phyſico, & quatenus ex ea procedunt virtutes, non eſt alterius ſpeciei, quam gratia cæterorum: atqui ex conceſſis in cæteris hominibus non eſt radix juſtitiæ commutativæ ad Deum. Ergo nec in Chriſto. R. N. Maj. Ad prob. D. Maj. Gratia Chriſti, &c. non eſt alterius ſpeciei, &c. & tamen diverſus eſt ſtatus diverſumque ſubjectum, C. Et non eſt diverſus ſtatus diverſumque ſubjectum, N. Habet enim in Chriſto ſtatum perfectionis propter conjunctionem ad Verbum, & ſuppoſitum divinum eſt ejus ſubjectum quod: & cum ſit forma accidentalis perficiens ſubjectum ſecundum capacitatem ejus, non eſt mirum, quod in Chriſto, qui ad æqualitatem Deo reddere poteſt, effundat juſtitiam commutativam, & non in aliis hominibus. Sic eadem ratione v. g. in hominibus producit virtutes moderatrices paſſionum, non tamen in Angelis; in viatoribus fidem, non in Chriſto nec in Beatis; in nobis pœnitentiam, non in Chriſto; in nobis filiationem adoptivam, non in Chriſto. Unde ut præveniatur inſtantia, non ſequitur, ut quidam objiciunt, auctam eſſe potentiam obedientialem animæ Chriſti, ſed quod ratione ſtatus gratiæ & ſubjecti ejus appoſita ſit conditio, ſcilicet æqualitas ſatisfactionis ad injuriam, ratione cujus ſatisfacit ex juſtitia commutativa, & defectu cujus homo purus non poteſt ex hac virtute ſatisfacere.

Obj. 3. Debitore ſolvente ex juſtitia correſpondet ex parte creditoris debitum ex juſtitia, ut vel accipiat ſolutionem, vel ea maneat contentus: quomodo enim ſatisfacerem alicui ex juſtitia, niſi illis ſit ſatisfactum ex juſtitia? atqui Deus eſt incapax juſtitiæ commutativæ ad homines, quippe quæ neceſſario involvit ſubjectionem. Ergo. R. ex jam dictis, D. Maj. Correſpondet debitum ex juſtitia formali vel eminentiali, C. ex formali ſemper, Sub. Si extrema ſint ejuſdem ordinis, C. ſi ſint diverſi ordinis, N. Similiter, D. Min. Deus eſt incapax juſtitiæ commutativæ formalis ad hominem, C. Juſtitiæ eminentialis, quæ ut dicimus eſt ſumma rectitudo æquiſſimæ voluntatis, N. licet ergo in Deo non ſit formaliter juſtitia commutativa juſtitiæ Chriſti correſpondens; quia Deus non poteſt induere obligationem, nec debitor conſtitui, hoc tamen non impedit, quin in Chriſto ſit formaliter vere juſtitia commutativa, quia ad hoc ſufficit, quod ex parte Dei reſpondeat aliquid eminenter æquivalens; ſic quando extrema relationis non ſunt ejuſdem ordinis, ut Deus & homo, datur relatio realis hominis ad Deum, quamvis ipſi non correſpondeat relatio realis Dei ad hominem, quia Deus eſt illius incapax, utpote extra omnem ordinem creaturarum, & ad quem omnes creaturæ ordinantur, non ipſe ad illas: ita proportione ſervata in noſtro caſu.

Obj. 4. Satiſfactio Chriſti fuit actus juſtitiæ vindicativæ. Ergo non commutativæ. R. N. Conſ. Juſtitia enim vindicativa tam in judice æquam pœnam crimini rependente, quam in reo illam patiente, pertinet ad juſtitiam commutativam, ut dixi dum de juſtitia.

Ex dictis inferes juſtitiam commutativam Chriſti ſpecie diſtingui a noſtra, quia habet objectum formale diſtinctum. Objectum formale juſtitiæ noſtræ eſt debitum homini per rationem humano modo regulabile ad æqualitatem, ita ut nec ſit exceſſus, nec defectus. Objectum vero juſtitiæ Chriſti eſt debitum Deo regulabile ad æqualitatem, ſed non per rationem humano modo, quia ſuperat omnem regulam & menſuram humanam. Inferes ulterius, quod ſi Verbum dimitteret humanitatem Chriſti, hæc ſtatim amitteret juſtitiam commutativam ad Deum, quia tunc non poſſet eſſe principium ſatisfactionis æqualis & infinitæ.

Foret hic locus agendi de morte Chriſti pro omnibus adverſus Novatores: ſed quia hanc materiam ſecundum omnes ſuas partes adamuſſim expendimus in Tract. de Deo Diſſ. 7. art. 7. illuc Lectorem remittimus.

DISSERTATIO XX.

DE SERVITUTE, ORATIONE ET SACERDOTIO CHRISTI.

Div. Thom. QQ. 20. 21. & 22.

His tribus Quæſtionibus S. Doctor agit de his, quæ competunt Chriſto per comparationem ad Patrem: & 1. de ſubjectione ejus ad Patrem. 2. de oratione ejus ad Patrem. 3. de ejus ſacerdotio. Unde ſit

ARTICULUS I.

Utrum Chriſtus ut homo fuerit vere ſervus Dei?

Nota triplicem poſſe diſtingui ſervitutem, unam naturalem, alteram legalem, tertiam moralem. Naturalis ea eſt, qua quis ratione originis eſt alteri ſubditus, eique tenetur obſequi; ſic Filius eſt Parentum ſervus; omnis creatura Dei. Legalis eſt, quæ a lege introducta eſt, & eſt miſera quædam conditio eorum, qui bello capti, vel juſto titulo venditi alterius dominio ſubduntur juxta illud 2. Per. 2. *A quo quis ſuperatus eſt, hujus & ſervus eſt.* Moralis eſt ſervitus peccati juxta illud Joan. 8. *Qui facit peccatum, ſervus eſt peccati.* Diſcrimen eſt inter ſervitutem naturalem & legalem, quod hæc excludat ſervum a conſortio ſeu communicatione bonorum, honoris & ſedis cum domino, non vero ſervus naturalis; Filius enim, qui eſt naturaliter ſervus Patris, cum eo communicat in honore, bonis & ſede: Item juſti, qui ſunt Deo naturali ſervitute ſubditi, cum eo communicant in bonis, ſunt enim Regni cœleſtis hæredes. Certum eſt Chriſtum qua hominem non eſſe ſervum ſervitute legali nec morali, utraque enim ſummam ejus dignitatem ac ſanctitatem dedecet, nec aliunde bello captus, ſeu emptus, aut peccator fuit. Unde

Dico. (*Hic q. 20. a. 1. c.*) Chriſtus ut homo eſt vere ſervus Dei ſervitute naturali. Eſt communis Thomiſtarum cum auctore, & plurium extraneorum contra Vaſquem, Beccanum, &c. Videtur tamen quaſi quæſtio de nomine: conveniunt enim Auctores utriuſque ſententiæ Chriſtum ratione humanitatis a Deo dependere, illi eſſe ad omnia ſubjectum, Deumque proinde de illo ad libitum poſſe diſponere, eo tamen non obſtante humanitatem Chriſti ratione unionis hypoſtaticæ communicare cum Deo in bonis & honoribus. Unde ſumma Quæſtionis eo fere devolvitur: Utrum, ſuppoſita hac communicatione, Chriſtus ut homo poſſet nihilominus dici ſervus Dei; quod jam probatum manet ex notamine, ſed inſuper

Prob. Concluſio 1. ex Scriptu a Iſa. 42. *Ecce ſervus meus, ſuſcipiam eum.* 53. *Juſtificabit ipſe juſtus ſervus meus multos.* Quem primum locum Matth. c. 21. interpretatur de Chriſto. Joan. 14. *Pater major me eſt.* 20. *Aſcendo ad Patrem meum & Patrem veſtrum, Deum meum & Deum veſtrum.* Ex Patribus; Chryſoſt. hom. 7. in Ep. ad Philipp. *Si forma Dei perfectus Deus eſt, eſt & forma perfectus ſervus.* Aug. Ep. 178. *In qua cum infirmitate non ſolum ſubditum, ſed & ſervum evidentiſſime confitemur.* Athanaſius ſerm. 3. contra Arianos, ubi has voces *facti, conditi, ſervi,* &c. reſpectu Chriſti dicit: *Omnes hujuſmodi voces ratione humanitatis bene & proprie competunt.* Hæ autem diſertiſſimæ Patrum auctoritates evincunt Scripturam allatam non eſſe intelligendam in ſenſu improprio & metaphorico, ut vult Vaſques, qui enim eſt proprie, perfecte, evidentiſſime ſervus, non eſt talis improprie aut metaphorice.

Prob.

Prob. (*Ib.*) Ille vere dicitur ſervus alterius, qui minor eſt illo, qui ejus ordinationi ſubjacet, & qui ejus præceptis eſt obnoxius: atqui hæc tria competunt Chriſto ut homini. Ergo. Maj. eſt certa. Prob. Min. Chriſto conveniunt ea, quæ ſunt propria naturæ humanæ: atqui natura humana ex ſui conditione habet hanc triplicem ſubjectionem ad Deum. 1. Minor eſt ſecundum gradum bonitatis, quatenus bonitas convenit Deo quoad eſſentiam, naturæ autem humanæ per participationem tantum a Deo. 2. Dei ordinationi eſt ſubjecta ſecundum illud Sap. 16. *Creatura tibi factori ſerviens*. 3. Obnoxia eſt ejus mandatis tanquam ſupremi Domini & Legiſlatoris. Ergo. Hincque triplicem ſubjectionem Scriptura tribuit Chriſto. Primam Matt. 19. ubi Chriſtus dicit: *Quid me interrogas de bono? unus eſt bonus Deus*. Secundam Philipp. 2. Ubi dicitur Chriſtus formam ſervi accepiſſe. Tertiam ibid. ubi dicitur factus obediens Patri uſque ad mortem. Confirm. Deus eſt verus Dominus Chriſti hominis. Ergo Chriſtus eſt vere ſervus Dei. Patet Conſ. Quia Dominus & ſervus ſunt correlativa. Prob. Ant. Chriſtus ut homo pendet a Deo in eſſe, fieri & conſervari, eoque Deus uti poteſt ad quoſcumque uſus citra ejus injuriam: atqui id ſufficit, ut ſit verus ejus Dominus, non enim alia ratione eſt Dominus aliarum creaturarum. Ergo.

Solvuntur Objectiones.

OBJ. 1. Auctoritatem Concilii Francofordienſis & Adriani I. contra Felicem Epiſcopum Urgelitanum & Elipandum Archiepiſcopum Toletanum. Adrianus in Ep. præmiſſa Concilio ſic hos Hæreticos alloquitur: *Tanta vos temeritatis dementia deludit ... Ut adoptivum eum Filium quaſi purum hominem calamitati humanæ ſubjectum; & quod pudet dicere, ſervum eum impii & ingrati tantis beneficiis, liberatorem noſtrum non pertimeſcitis venenoſa fauce ſuſurrare. Cur non veremini queruli obtrectatores Deo odibiles, illum ſervum nuncupare, qui vos de ſervitute diaboli liberavit?* Et ipſum Concilium in Ep. ad Epiſcopos Hiſpaniæ: *Intelligite*, inquit, *in hac profeſſione veſtra duplices diabolicæ fraudis lateriſſe dolos ... Deum & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, quem Deum colimus & adoramus, ſervum prædicatis & adoptivum ... Conſiderate quale eſt ſcandalum inter paganas gentes, ut dicatur Deum Chriſtianorum ſervum eſſe, vel adoptivum: Nos per illum adoptivi ſumus, non ille nobiſcum adoptivus. Nos per illum a ſervitute liberati, non ille nobiſcum ſervus.* Ex quibus infert Vaſques noſtram ſententiam, quæ eſt D. Th. eſſe damnatam. R. Concilium & Pontificem his & ſimilibus loquendi formulis non negaſſe in Chriſto ſervitutem ratione ſolius naturæ humanæ, ſed duntaxat vel ſervitutem ratione perſonæ multiplicantem naturas & perſonas ad ſenſum Neſtorianorum, vel ſervitutem peccati.

Primus ſenſus patet ex eo, quod Felix & Elipandus, contra quos hic agitur, erant novi Neſtoriani, ut probabimus infra, ita ut ſicut filiationem adoptivam ponebant in Chriſto ratione ſuppoſiti creati adeoque multiplicantem in Chriſto ſuppoſita, ita & ſervitutem: eodem enim modo dicebant eum filium adoptivum & ſervum. Secundus ſenſus patet ex ipſis verbis Epiſtolæ Concilii: *Sed & hoc*, inquit, *volumus a vobis audire: an Adam primus humani generis Pater, ſi de terra Virgine creatus eſt, liber eſſet conditus ſive ſervus? Si ſervus quomodo tunc imago Dei? Si liber, quare & Chriſtus quoque non ingenuus de Virgine? ... Unde Adam fuit ſervus factus, niſi ex peccato, Apoſtolo Petro atteſtante, qui peccatum facit ſervus eſt peccati? Chriſtus autem non fecit peccatum, & ideo ſervus non eſt peccati, ſed magis Liberator & Redemptor eorum qui ſervi ſunt peccati.* Et columna præcedenti probat Chriſtum non eſſe ſervum, quia ſecundum S. Leonem aſſumpſit naturam non culpam. Quibus evidentiſſime patet illic agi de ſervitute peccati. Sed & Concilium & ſummum Pontificem agnoviſſe ſervitutem naturalem in Chriſto in ſenſu noſtro, patet ex ipſis Concilii & Pontificis verbis. Pontifex in cit. Ep. *In umbra Prophetiæ dictus eſt ſervus propter ſervilis formæ conditionem, quam ſumpſit ex Virgine.* Ibidem: *In ipſo articulo Paſſionis in quo ſervilis forma pati parata erat.* Concilium in Ep. cit. *Et ſi eum Propheta nominaſſet non tamen ex conditione ſervitutis, ſed ex humilitatis obedientia, quia factus eſt Patri obediens uſque ad mortem, Papa Leone dicente: aſſumpta eſt de Matre Domini natura, non culpa, creata ex forma ſervi ſine conditione ſervili.* Id eſt ſervitute peccati. Item & Carolus Magnus, qui Concilio aderat, in Ep. ad Elip. *In forma Dei Creator, in forma ſervi Redemptor.* Ex quibus patet Concilium agnoſcere in Chriſto ſervitutem ratione naturæ & tantum excludere ſervitutem ratione perſonæ aut peccati.

Multa reponit Vaſques: 1. negat Felicem & Elipandum fuiſſe Neſtorianos contra expreſſa verba Concilii, ut videbimus infra. 2. Dicit Concilium eodem modo negare Chriſtum eſſe ſervum, quo negat eum eſſe filium adoptivum, atqui nullo modo juxta Concilium poteſt dici filius adoptivus. Ergo. R. N. Maj. Aperte enim, ut vidimus, agnoſcit aliquam in Chriſto ſervitutem ſcilicet naturæ, nullam autem filiationem adoptivam. Altera diſparitas eſt, quod filiatio non poſſit eſſe niſi ratione perſonæ, ut dicemus, ſervitus autem poſſit eſſe ratione & perſonæ & naturæ.

Inſtat. Adrianus loca Scripturæ, quæ objiciebat Elipandus, ut probaret Chriſtum eſſe ſervum, explicat in ſenſu myſtico: atqui ſi aliquam naturæ ſervitutem in Chriſto agnoviſſet; de illa ſatius & facilius explicaſſet hæc teſtimonia, quam recurrere ad figuram & ſenſum myſticum. Ergo R. D. Min. Si illa teſtimonia in ſenſu litterali & hiſtorico procederent de ſervitute naturæ, C. Si procederent de ſervitute perſonæ, N. Offerebat ergo Elipandus ea Scripturæ loca, in quibus Job, Jacob, David dicuntur Dei ſervi etiam ratione perſonæ; volebatque iis ſignificari Chriſtum, cujus erant figuræ. Reſpondet Pontifex hæc loca litteraliter & hiſtorice intelligenda eſſe de iſtis Patriarchis & Prophetis, allegorice autem & myſtice de Chriſto, qui revera non erat ſervus ratione perſonæ, ut iſti.

Urget Felicem & Elipandum non ita fuiſſe dementes & blaſphemos, ut peccati ſervitutem Chriſto affingerent. Ergo, R. non mirum eſſe hunc Theologum, qui Anomæos in materia comprehenſionis Dei defendit potiuſquam Chryſoſtomum ab errore abſolvat, qui Monothelitas contra D. Th. & omnes fere Theologos ab aſſertione unius voluntatis excuſat, hic contendere novos Neſtorianos a dementia & blaſphemia eximere, quos tamen Concilium & ſummus Pontifex & dementiæ & blaſphemiæ accuſant. Adrianus in Ep. cit. *Tanta vos temeritatis dementia deludit.* Concilium in Ep. cit. *Tam ridicula, tam ſtulta hujus ſententiæ expoſitio apud vos.* Et in Sacro ſyllabo dicit Epiſtolam Elipandi eſſe *plenam blaſphemiis*, &c. Ad teſtimonia quorumdam Patrum, Athanaſii contra Arianos, Chryſoſt. Cyrilli, &c. quæ poſſent objici, ſimiliter reſpondendum eſt eos loqui vel de ſervitute perſonæ, perſonamque multiplicante, vel de ſervitute peccati, vel etiam de ſervitute pœnali, ſeu legali.

Obj. 2. cum eodem Vaſques. De ratione ſervi proprie dicti eſt 1. quod non communicet cum Domino in bonis, honoribus & ſede. 2. Quod ſit perſona diſtincta ab Hero: atqui Chriſtus in omnibus prædictis communicat cum Deo; nec eſt perſona ab ipſo diſtincta. R. ad 1. partem Ant. eam diſtinguendo. De ratione ſervi legalis eſt, &c. C. Servi naturalis, N. Patet ex notamine & ex confirmatione Concluſionis id non requiri ad veram & proprie dictam ſervitutem. Dato autem id requiri, tunc, ut monui, erit Quæſtio de nomine. Ad 2. partem Ant. fateor eſſe veram in humanis, ubi non reperitur diverſitas naturarum in una perſona, ſecus in Chriſto, in quo contrarium accidit; proindeque ratione naturæ humanæ poteſt dici ſervus. Quamvis enim, inquit S. Th. (*Ibid. ad 2.*) non proprie dicatur, quod natura ſit domina vel ſerva, poteſt tamen proprie dici, quod quælibet hypoſtaſis, vel perſona ſit vel domina vel ſerva ſecundum hanc vel illam naturam: quia ut dixerat initio Reſponſionis, Relatio ſervitutis vel dominii fundatur ſuper actione & paſſione, quæ licet competant naturæ ut quo, conveniunt tamen perſonæ ut quod; actiones enim ſunt ſuppoſitorum & ſingularium: & ſecundum hoc ſubdit, nihil prohibet Chriſtum dicere Patris ſubjectum vel ſervum ſecundum humanam naturam.

Obj. 3. Non poteſt dici de Chriſto, quod ſit proprie creatura. Ergo nec quod ſit ſervus. R. D. Ant. (*Ibid. ad 1.*) Non poteſt dici, &c. ſimpliciter & ſine addito expreſſo vel ſubintellecto, C. Cum addito ſecundum naturam humanam, N. Ita de denominatione ſervi. Non enim dicimus ſimpliciter, Chriſtus eſt ſervus, ſed cum addito expreſſo vel ſubintellecto, Chriſtus ut homo, ſeu ſecundum humanitatem, eſt ſervus.

Obj. 4. ad Cor. 15. dicitur de Chriſto: *Cum autem ſubjecta illi fuerint omnia, tunc ipſe filius ſubjectus erit illi*, ſcilicet Deo ſeu Patri: atqui, ut dicit idem Apoſtolus ad Hebr. 2. *Nunc necdum videmus omnia ſubjecta ei.* Ergo, R. (*Ibid. ad 3.*) ex D. Aug. 1. de Trinit. c. 18. Verba priora Apoſtoli intelligenda eſſe de ſubjectione Chriſti ad Deum, non in ſe ſed in ſuis membris. Nec Apoſtolus negat per poſteriora verba Chriſto non eſſe ſubjecta omnia quantum ad poteſtatem: *Data eſt enim ipſi omnis poteſtas in cœlo & in Terra.* Matt. ultimo, ſed totum quantum ad finalem impletionem ſuæ voluntatis in Electis.

Obj. 5. Nobilius copulatur humanitas Deo per unionem hypoſtaticam, quam ancilla viro per matrimonium: atqui ancilla conjuncta viro per matrimonium, deſinit eſſe ſerva. Ergo a fortiori Chriſtus reſpectu Dei. R. N. Conſ. Diſparitas eſt, quod ancilla per matrimonium fiat viro compar & æqualis; humanitas autem non obſtante unione hypoſtatica remanet ſemper creatura Dei, eique proinde ſubjecta.

Quæ-

Digitized by Google

Quæritur, utrum Chriſtus poſſit dici ſibi ipſi ſubjectus? R. ſub diſtinctione. (*Ib. a.* 2. *o.*) Si id intelligatur ratione diverſarum perſonarum, ita ut ſit alia perſona Chriſti dominantis, alia Chriſti ſervientis, Neſtorianum eſt. Si autem id intelligatur ratione diverſarum naturarum in eadem perſona, poteſt dici, quod Chriſtus ſit ſibi ipſi ſubjectus, cum determinatione tamen ſecundum naturam humanam, ne videatur induci pluralitas perſonarum juxta Regulam ſequentem, quam hic tradit S. Doct. in fine o. Regula notanda. Quæ conveniunt Chriſto ratione perſonæ ſeu naturæ divinæ, poſſunt ſimpliciter de illo prædicari ſine addito, ut eſſe Dominus, eſſe maximus, &c. Quæ autem ipſi conveniunt ratione humanæ naturæ, partim propter periculum erroris, partim propter rigorem ſermonis, non prædicantur de illo ſimpliciter ſed cum addito, ſecundum humanam naturam, niſi talia ſint, quæ nullam ambiguitatem importent, ut v. g. eſſe paſſum, mortuum, &c.

ARTICULUS II.

De Oratione Chriſti.

QUÆRITUR 1. utrum Chriſto competat orare? R. 1. (*Hic q.* 21. *a.* 1. *in a. ſ. c.*) Chriſtum de facto oraſſe. Conſtat ex Scriptura Matt. 14. 26. Luc. 6. Joan. 11. &c. R. 2. (*Ib. o.*) Chriſto, ſecundum quod eſt homo, convenit orare; quia oratio eſt quædam explicatio propriæ voluntatis apud Deum, ut eam impleat: atqui in Chriſto licet ſit voluntas divina, ſecundum quam omnia poteſt, eſt tamen alia voluntas humana, quæ non eſt per ſe efficax ad implendum ea, quæ vult niſi per virtutem divinam. Ergo Chriſto ut homini & ut habenti voluntatem humanam competit orare. R. 3. (*Ib. ad* 1. *&* 2.) Orationem non fuiſſe Chriſto neceſſariam abſolute ſicut nobis; quia cum eſſet Deus, poterat per ſe exequi, quæ peteret. Fuit tamen neceſſariam ex ſuppoſitione divinæ ordinationis, quatenus ſciebat eſſet divinitus ordinatum a Patre, ut quædam non niſi per orationem acciperet. Fuit etiam conveniens propter inſtructionem & exemplum noſtrum. Juxta hæc facile conciliari poſſunt variæ locutiones Patrum.

Quæritur 2. utrum Chriſtus nunc exiſtens in cœlo vere & proprie oret pro nobis? Nemo negat Chriſtum nunc in cœlis orare pro nobis improprie ſeu interpretative, quatenus exhibet ſuam humanitatem & merita Patri, quibus movetur Pater ad conferenda nobis beneficia. Sed quæſtio eſt, utrum vere & proprie oret expreſſe, petendo a Patre nobis ſalutaria. Negat Medina, Vaſques, &c. contra quos R. affirmative cum aliis Theologis. Prob. ex Script. ad Rom. 8. de Chriſto dicitur: *Qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis*. Heb. 7. *Semper vivens ad interpellandum pro nobis*, id eſt ad petendum, poſtulandum, &c. Id enim importat vox *interpellare*, juxta Aug. Ep. 59. Unde ipſe Chriſtus Joan. 14. *Ego rogabo Patrem*, quando nempe aſcenderit in cœlum, *& alium Paracletum dabit nobis*. Porro juxta Regulam Auguſtini hæ Scripturæ in proprio ſenſu accipiendæ ſunt, cum inde nullum ſequatur inconveniens, atqui imo illuſtrior fiat charitas Chriſti ergo nos. Inſuper Scripturas dicentes Chriſtum in terris oraſſe accipiunt Adverſarii in ſenſu proprio; quidni & eas, quibus enuncietur orare in cœlis? Subſcribunt SS. Patres, Greg. Magn. in 5. Pſ. Pœnit. *Quotidie orat Chriſtus pro Eccleſia*. Juſt. Lib. QQ. ad orthodoxos q. 135. *Confeſſionis noſtræ Pontifex pro nobis loquitur & rogat*. Ambroſ. in c. 8. ad Rom. *Semper cauſas noſtras agit apud Patrem, cujus poſtulatio contemni non poteſt*. Aug. in Pſ. 85. *Et modo orat pro nobis, orat in nobis & oratur a nobis. Ut Sacerdos noſter orat pro nobis, ut caput noſtrum orat in nobis, ut Deus noſter oratur a nobis*. Confir. Chriſtus etiam nunc in cœlis eſt advocatus noſter 1. Joan. 2. & Mediator noſter 1. Tim. 2. atqui proprium munus Advocati & Mediatoris eſt pro Cliente orare, intercedere, interpellare. Ergo.

Dices. Greg. Mag. l. 1. Moral. c. 24. meminit tantum orationis interpretativæ. Ergo. R. alibi meminiſſe etiam expreſſæ, ſed nec illic negavit expreſſam, quin imo juxta S. Th. in c. 7. ad Heb. Chriſtus exhibendo Patri humanitatem ſuam exprimit ſimul ſanctiſſimæ animæ ſuæ deſiderium pro ſalute noſtra, quod eſt orare proprie. Si qui autem ut Rupertus l. 9. de offic. c. 3. videantur id negare, intelligendi ſunt de oratione admodum ſupplici & ſubmiſſa, qualis a Chriſto fundebatur in diebus carnis ſuæ mortalis, nunc enim ſedenti ad dexteram Patris non convenit tanta ſupplicandi humilitas.

Inferes. Ergo poterit dici: *Chriſte ora pro nobis*; quod eſt in Eccleſia inauditum. R. Licet id abſolute poſſet dici, idque licere in privatis orationibus quidam concedant, ſique factum a S. Cypriano narrent, qui moriturus dixit Chriſto: *Ego peto a te, ut tu a Patre petas*: ita tamen orare maxime in orationibus publicis vetat Eccleſiæ conſuetudo propter vitandos errores Neſtorianorum & Arianorum, qui Chriſtum purum hominem reputabant. Non etiam in privatis orationibus exiſtimamus has voces eſſe uſurpandas, quia qui oratur, potiori quo pollet attributo honorandus eſt, & dum Chriſtum oramus, alloquimur eum, qui ſimpliciter eſt perſona divina, cujus, ut ſic, non eſt petere, ſed dare: & ideo dicimus *Chriſte, miſerere nobis. Chriſte, exaudi nos.*

Quæritur 3. utrum Chriſtus oraverit ſecundum ſuam ſenſualitatem? R. (*Ib. a.* 2. *o.*) quod Chriſtus non oraverit ſecundum ſenſualitatem, hoc ſenſu quod ejus oratio fuerit actus ſenſualitatis, oratio enim eſt actus rationis. Oravit tamen ſecundum ſenſualitatem hoc ſenſu, quod oratio ejus erat de objecto ſenſualitatis, quatenus nempe oratio ejus exprimebat Deo ſuæ ſenſualitatis affectum tanquam ſenſualitatis advocata. Et hoc ut nos inſtrueret de tribus: 1. ut oſtenderet ſe veram humanam naturam cum naturalibus ſuis affectibus ſumpſiſſe. 2. Ut oſtenderet, quod homini liceat ſecundum naturalem affectum aliquid velle, quod Deus non vult. 3. Ut oſtenderet, quod proprium affectum debet homo divinæ voluntati ſubjicere. Et ita oravit dum dixit: *Tranſeat a me Calix iſte: Veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.*

Quæritur 4. utrum Chriſtus oraverit pro ſe? R. (*Ib. a.* 3. *o.*) Chriſtum oraſſe pro ſe dupliciter; 1. ſecundum ſenſualitatem, exprimendo ſcilicet affectum ſenſualitatis, ut dictum eſt modo, vel etiam voluntatis ſimplicis, quæ conſideratur ut natura, ſicut cum oravit a ſe calicem Paſſionis transferri. 2. Modo oravit ſecundum rationem, exprimendo ſcilicet affectum voluntatis deliberatæ, quæ conſideratur ut ratio, ſicut cum petiit gloriam Reſurrectionis, ut daret nobis exemplum, & ut oſtenderet Patrem eſſe auctorem omnium bonorum, quæ ſecundum naturam humanam habebat.

Quæritur 5. Utrum oratio Chriſti ſemper fuerit exaudita? R. (*Ib. a.* 4. *o.*) orationem proprie dictam, quæ nempe procedebat a voluntate abſoluta rationis deliberatæ, fuiſſe ſemper exauditam; quia hæc voluntas ſemper fuit conformis divinæ voluntati, ita ut nihil vellet aut petere hac oratione, niſi quod ſciret Deum velle; & de hac oratione intelliguntur verba Joan. 11. *Quæcumque popoſceris a Deo, dabit tibi Deus*: Et *Ego autem ſciebam, quia ſemper me audis*. Et ad Heb. 5. *Exauditus eſt pro ſua Reverentia*. Oratio tamen improprie dicta, (*Ib. ad* 1. *&* 3.) quæ eſt nempe ſecundum motum ſenſualitatis ſeu voluntatis ſimplicis, quæ conſideratur ut natura, non fuit ſemper exaudita, ut patet de oratione Chriſti in horto, qua petebat a ſe transferri calicem. Porro orationem (*Ib. o.*) procedentem a voluntate abſoluta & rationis dicimus propriam, & procedentem a ſenſualitate ſeu voluntate ut natura impropriam; quia Oratio eſt voluntatis humanæ interpres, & ſola voluntas abſoluta rationis deliberatæ eſt ſimpliciter & proprie voluntas: voluntas autem ſecundum motum ſenſualitatis ſeu naturæ eſt tantum voluntas ſecundum quid, ſcilicet ſi aliud non obſtat.

Dices. Chriſtus oravit, ut peccatum crucifixoribus ſuis ignoſceretur, ut patet Luc. 22. atqui tamen non omnibus peccatum illud fuit dimiſſum, nam Judæi fuerunt pro illo peccato puniti. Ergo. Reſpondet S. Doct. ad 2. *Quod Dominus non oravit pro omnibus crucifixoribus, neque etiam pro omnibus, qui erant credituri in eum, ſed pro his ſolum, qui erant prædeſtinati, ut per ipſum vitam conſequerentur æternam.*

Hæc eſt doctrina, quam ſugillarunt ut Janſenianam quatuor Profeſſores Facultatis Theologicæ Duacenæ in ſua cenſura data 22. Auguſti 1722. & damnata Romæ 18. Julii 1726. quaſi S. Doctor ſua illa diſtinctione reſtrinxiſſet omnem orationem Chriſti ad quoſdam, cum tamen luce clarius ſit ex hoc articulo, & ex duobus præcedentibus, ipſum loqui de oratione proprie dicta, procedente a voluntate abſoluta & efficaci; ut invicte probavi in Tract. de Deo Diſſ. 7. a. 7. §. 4. Vide.

ARTICULUS III.

De Sacerdotio Chriſti.

PRÆCIPUA, quæ ſpectant Sacerdotium Chriſti, expoſuimus Diſſ. præced. contra Socinianos; quapropter hanc Quæſtionem 22. D. Th. breviter perſtringemus. *Sacerdos* juxta nominis Etymon eſt quaſi *ſacra dans*, id eſt offerens pro hominibus preces, dona, maxime Sacrificium.

Dico 1. (*Hic q.* 22. *a.* 1. *&* 2. *o.*) Chriſtus eſt vere Sacerdos & Hoſtia ſimul. Prob. 1. pars ex Scriptura. Pſ. 109. *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*. Ad Heb. 4. *Habemus Pontificem qui penetravit Cœlos Jeſum Filium Dei*. Item c. 7. & 8. & alibi, ut expoſuimus Diſſ. præced. contra Socinianos. His conformiter definit Trid. Seſſ. 22. c. 1. *Sacerdotem alium ſecundum ordinem Melchiſedech ſurgere Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*. Similiter Concil. Epheſ. Can. 10. Suffragantur Patres Aug.

in

Digitized by Google

in Pſ. 132. Epiph. hæreſ. 55. Tertull. lib. 4. contra Marcion.

Prob. (*Ib.*) Ille eſt vere Sacerdos, qui conſecratus eſt, ut tanquam mediator Dei & hominum offeret Deo dona, preces & ſacrificia pro peccatis & ſalute hominum: atqui Chriſtus conſecratus eſt non oleo materiali, ſed unctione divinitatis, obtulit Deo Patri pro hominibus dona, preces & ſacrificium incruentum in cœna, cruentum in cruce: ergo. Min. conſtat ex dictis contra Socinianos. Maj. etiam patet ex etymologia & notione Sacerdotis: item ex Apoſt. ad Heb. 5. dicente: *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in his, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis*. Unde colliges (*Ib. a. 3. ad 1.*) Chriſtum eſſe Sacerdotem ratione humanitatis, non ratione divinitatis; alias nulli vel ſibi ipſi offerret Sacrificium. Poteſt tamen propter communicationem idiomatum dici ſimpliciter Sacerdos.

Prob. 2. pars ex Scriptura. (*Hic a. 2; in c. ſ. c.*) Ad Epheſ. 5. dicitur: *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis*. Vide dicta contra Socinianos. Addit S. Doctor (*Ib. &* 1. 2. *q.* 102. *a.* 3. *ad* 8.) fuiſſe hoſtiam perfectam, pro quo erudite advertit in veteri Lege fuiſſe triplex genus hoſtiæ ſeu ſacrificii: nempe hoſtia pro peccato ſpectans ſtatum pœnitentium, hoſtia pacifica ſpectans ſtatum proficientium, & holocauſtum ſpectans ſtatum perfectorum, unde & totum comburebatur. Et quidem homo indiget ſacrificio ad tria, ad remiſſionem peccatorum, ad conſervationem gratiæ & ad conſummationem gloriæ. Hæc autem per humanitatem Chriſti oblatam nobis provenerunt, ut patet & probat S. Doctor ex Scriptura. Et ideo concludit; Chriſtus in quantum homo non ſolum fuit Sacerdos, ſed etiam hoſtia perfecta, ſimul exiſtens hoſtia pro peccato, & hoſtia pacifica & holocauſtum.

Dices. Sacerdotis eſt hoſtiam occidere: ſed Chriſtus non ſeipſum occidit, Ergo ipſe non ſimul fuit Sacerdos & hoſtia. R. D. Maj. (*Ib. ad.* 1.) Sacerdotis eſt hoſtiam occidere phyſice vel moraliter, C. Phyſice ſemper, N. Conſtat enim ex 2. Paralip. 29. v. 34. alios quam Sacerdotes poſſe peragere quædam officia Sacerdotalia, ut hoſtias jugulare, decoriare & ſimilia: ita ut ad rationem Sacerdotis & Sacrificii ſufficiat, quod hoſtia per aliquem ad nutum Sacerdotis occidatur, & ab ipſo deinde Sacerdote aſſumatur, & in Sacrificium offeratur. Ita docent Abulenſis ad c. 3. Joſue q. 12. Valentia hic q. 22. puncto 4. Suares d. 46. ſect. 1. Tom. 2. & aperte ſupponit S. Th. hic ad. 1. & inf. q. 48. a. 3. ad 3. Ad hunc itaque ſenſum, D. Min. Chriſtus non ſeipſum occidit phyſice, C. Id enim fecerunt ſacrilegi Judæi: moraliter, N. Voluntarie enim ſe morti obtulit, voluntarie ſuſtinuit occidentium impetus, quos facile poterat repellere, & vulneribus lethalibus percuſſus, quamvis etiam tunc potuiſſet mortem impedire, voluntarie tamen & vi propria, urgente redemptione generis humani & præcepto Patris, ipſi ut ſupremo vitæ & mortis auctori reddidit ſpiritum juxta illud Chriſti Joan. 10. *Nemo tollit eam* (animam) *a me, ſed ego pono eam a meipſo, & poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam*. In quo differt mors Chriſti a morte Martyrum, quæ ideo non habet rationem veri ſacrificii: licet enim, ut ipſi Chriſto, mors ſit voluntaria in cauſa, hoc eſt in tormentis ſponte ſuſceptis, in procinctu tamen mortis, poſito lethali vulnere, non eſt ipſis ſicut Chriſto liberum ſervare vel ponere animam.

Dico 2. (*Ib. a. 3. & 4. o.*) Effectus potiſſimum Sacerdotii Chriſti eſt expiatio peccatorum quoad culpam & quoad pœnam, Etenim Chriſtus morte ſua nobis meruit gratiam, qua deletur culpa, & plenarie ſatisfecit pro pœnis debitis, ut late dixi contra Socinianos; quem effectum ipſe, quia non erat peccator, non recepit.

Dico 3. (*Ib. a. 5. & 6. o.*) Sacerdotium Chriſti eſt æternum & ſecundum ordinem Melchiſedech juxta illud Pſ. 109. *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*; & ad Heb. 7. *Hic autem* (Chriſtus) *eo quod maneat in æternum, ſempiternum habet Sacerdotium*. Explicatur: (*Ib. a.* 5.) dicitur Sacerdotium Chriſti æternum ex multiplici capite: 1. Ratione effectus, qui eſt ſalus æterna hominum. 2. Quia nullum habuit in ſuo Sacerdotio ſucceſſorem. 3. Ratione officii, non ſolum quia ipſe ſemper interpellat & gratias agit & aget pro nobis, ſed etiam quia ipſe per miniſtros jugiter ſacrificat & ſacrificabit uſque ad finem mundi, quod dicitur quandoque *in æternum*. 4. Ratione unctionis nunquam perituræ, utpote quæ eſt ipſa unio hypoſtatica.

Dicitur Sacerdos (*Ib. a. 6. a. & ad* 1.) *ſecundum ordinem Melchiſedech*; non hoc ſenſu, quod fuerit Sacerdos ejuſdem rationis ac ordinis cum Melchiſedech, ſeu quod ab eo Sacerdotium participaverit; fuit enim longe excellentioris rationis & ordinis, ut modo dicam: ſed hoc ſenſu, quod Sacerdos Melchiſedech fuit ſpecialius figura Chriſti Sacerdotis, quam alii Sacerdotes veteris Legis. Præfiguravit (*Ib. o. ad 2. & 3.*) autem Melchiſedech excellentiam Sacerdotii Chriſti in pluribus: 1. in hoc quod panem & vinum obtulit juxta illud Gen. 14. *Melchiſedech Rex Salem proferens panem & vinum, erat enim Sacerdos Dei altiſſimi, benedixit ei*, ſcilicet Abrahæ: Aaron enim oves & boves offerebat, non panem & vinum, niſi ut partem & condimentum alterius Sacrificii. Exod. 29. & Num. 28. Chriſtus autem corpus & ſanguinem ſuum obtulit ſub ſpeciebus panis & vini. (*Ib. o.*) 2. Quia introducitur Melchiſedech in Scriptura *ſine Patre, ſine matre, ſine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens*; non quod reipſa iſta non habuerit, ſed quia contra morem in Scriptura Sacra iſta de eo non leguntur. Et per hoc, inquit Apoſt. ad Hebr. 7. *Aſſimilatur Filio Dei*, qui in terris eſt ſine Patre, & in cœlis ſine Matre, neque principium neque finem dierum habens ſecundum divinitatem, adeoque Sacerdos in æternum. (*Hic q. 23. a. 1. o.*) 3. Quia acceptis Decimis ab Abraham benedixit ipſi, & ſimul Sacerdotibus legalibus in ejus lumbis ſecundum ſeminalem rationem exiſtentibus, per quod figurabatur excellentia Sacerdotii Chriſti ſupra Sacerdotium legale, quatenus qui benedicit, major eſt illo, qui benedicitur. 4. Quia *Melchiſedech* idem eſt ac Rex juſtitiæ, fuit inſuper Rex Salem, id eſt Rex pacis: Chriſtus autem fuit Rex juſtitiæ & pacis.

DISSERTATIO XXI.

DE ADOPTIONE CHRISTI.

Div. Thom. Quæſt. 23.

ARTICULUS II.

Utrum Deo conveniat adoptare creaturam intellectualem?

NOTA duplicem eſſe filiationem, naturalem unam, adoptivam alteram. Filiatio naturalis eſt relatio, quæ convenit alicui, quatenus ex vi ſuæ originis recipit naturam generantis vel eandem numero, ut in divinis, vel ſpecie ut in creatis. Unde fundamentaliter ſumpta dicitur origo viventis a vivente in ſimilitudinem naturæ. Filiatio adoptiva (*Ib.*) eſt imitatio ſecundum quid filiationis naturalis, in quantum qui adoptatur, cum non habeat ex patre naturam, ipſi confertur quædam ejus proprietas, ſcilicet jus ad hæreditatem ac ſi eſſet verus filius. Unde communiter a Juriſperitis & Theologis definitur adoptio: *Gratuita & liberalis aſſumptio perſonæ extraneæ ad hæreditatem*, ita Inſt. *de Adoptionibus* ff. & C. eod. Tit. & Conc. Francoford.

Dico I. (*Ibid.*) Deo convenit adoptare: quia cum ſit infinitæ bonitatis, admittit creaturas ſuas intellectuales ad participationem ſuæ hæreditatis, quæ eſt ipſius Dei fruitio; hæreditas enim alicujus dicitur, per quam ipſe beatus eſt & dives; Deus autem dives eſt & beatus in quantum ſeipſo fruitur. Hæc (*Ib. c. 2. a.*) autem eſt diſparitas inter adoptionem divinam & humanam, quod Deus hominem, quem adoptat, idoneum facit per gratiæ munus ad ſuam hæreditatem: Homo autem non facit idoneum eum, quem adoptat, ſed idoneum ſupponit, & talem eligit adoptando.

Dico 2. (*Ib. c. 2. a.*) Adoptare eſt actio totius Trinitatis: quia eſt actio libera & ad extra, collatio ſcilicet gratiæ, quæ toti Trinitati convenit.

Dico 3. (*Ib. a. 3. o.*) Omnis creatura intellectualis poteſt adoptari; quia eſt capax gratiæ, per quam fit adoptio, & beatitudinis, in qua conſiſtit hæreditas, ut dictum eſt. Ex quo inferes Angelos eſſe Filios Dei adoptivos. Item primos Parentes in ſtatu innocentiæ, juſtos in veteri lege, & eos omnes, qui ſunt in gratia, quamdiu in illa permanent, etſi non ſint prædeſtinati. Nec obſtat, quod Apoſtolus ad Galat. 4. & 1. ad Rom. 8. opponat Chriſtianos juſtis antiquæ legis, quod hi acceperint ſpiritum ſervitutis in timore, illi ſpiritum adoptionis filiorum. Non enim opponit eos inter ſe ratione juſtitiæ perſonalis, ſed ratione legis utriuſque ſecundum ſe, ſeu ratione ſtatus utriuſque, hoc ſenſu, quod lex vetus erat lex timoris ſecundum ſe, nec ex ſe vim habens juſtificandi, lex autem nova ſit lex gratiæ, & in ſe continens vim juſtificandi.

Digitized by Google

ARTICULUS II.

Utrum Chriſtus quatenus homo ſit Filius Dei adoptivus.

§. I. *Prænotamina, ubi de Hæreſi Felicis Urgelitani & Elipandi Toletani.*

NOTA 1. Fide certum eſt Chriſtum ut Deum non eſſe Filium Dei adoptivum, ſed Filium naturalem Patris æterni ipſi conſubſtantialem. Quapropter de Chriſto ut homine difficultas procedit. Nota 2. Chriſtum qua hominem eſſe Filium Dei adoptivum, triplici ſenſu poſſe intelligi. 1. quod ſit purus homo. Et hæc fuit hæreſis Photini. 2. Ponendo in illo duo ſuppoſita, unum divinum, alterum humanum, ratione cujus ſit Filius Dei adoptivus. Et hæc fuit hæreſis Neſtorii. 3. Servata unitate perſonæ aſſerendo Chriſtum quatenus hominem eſſe Filium Dei adoptivum. Nota 3. Ly *Quatenus* in hoc tertio ſenſu poſſe intelligi tripliciter. 1. Prout reduplicat ſuppoſitum. 2. Prout reduplicat humanitatem. 3. Prout reduplicat utrumque. Si primum, error eſt Arii. Si ſecundum, ſenſus eſt Gabrielis, Majoris & Almaini, qui volunt humanitatem eſſe adoptatam, non tamen eſſe filiam. Si tertium, eſt opinio Durandi & Scoti, licet iſte oppoſitam reputet probabilem.

Nota 4. Felicem Epiſcopum Urgelitanum & Elipandum Archiepiſcopum Toletanum circa finem ſeculi 8. propugnaſſe Chriſtum qua hominem eſſe Filium Dei adoptivum.

Hoc dogma 1. damnatum fuit in Synodo Foro-Julienſi ſub Paulino Aquilejenſi Epiſcopo an. 791. Anno ſequenti 792. iterum damnatum fuit in Concilio Ratiſponenſi & ab Adriano I. ad quem ductus Felix ab Angilberto Abbate errorem ejuravit. Ita Alcuinus l. 1. contra Elipandum & Eginhardus in analibus ad an. 792. Item Annales Fuldenſes ad an. 792. Anno 794. concurrentibus Hadriano ſummo Pontifice & Carolo Magno, convocatum eſt Concilium Francofordienſe contra utrumque Hæreſiarcham Felicem relapſum & Elipandum, quorum error damnatus eſt in hujus Concilii canone 1.

Porro hæc Synodus, quæ conſtabat 300. circiter Epiſcopis ex Germania, Italia, Gallia, &c. & cui præerant Legati Hadriani SS. Pontificis Theophylactus & Stephanus, approbata fuit ſaltem quoad condemnationem hujus hæreſis, auctoritate Sedis Apoſtolicæ, Hadriano ſedente, & inter Eccleſiæ Concilia computata, & Hadriani Epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ contra Elipandum & conſortes, prævia hac de re fuſa diſputatione Romæ habita, inter Decretales inſerta fuit. Unde de hujus Concilii certitudine quoad hoc punctum nulla ſupereſſe debet dubitatio, ſiquidem non alia potiori auctoritate Concilia, Epiſtolæ Pontificum & Decretales apud nos admittuntur. Conſtat autem hoc Concilium 56. canonibus & quatuor Tractatibus. Primus Tractatus eſt Epiſtola Hadriani, qua reſpondet libello Elipandi. Secundus eſt liber dictus *Sacroſyllabus*, cujus Auctores creduntur Paulinus Aquilejenſis & cæteri Italiæ Epiſcopi. Tertius eſt Epiſtola Concilii ad Epiſcopos Hiſpaniæ. Quartus eſt Epiſtola Imperatoris ad Elipandum, qua ſignificat ipſi ejus damnationem in Concilio factam. Acta hujus Concilii Hæreticorum aſtutia diu latuerunt, ſed tandem Sirii (obiit 1578.) diligentia fuere reperta. Quapropter Durandus, Scotus, ſeu quivis alii, qui tunc Chriſti adoptionem propugnavere ultimo ſenſu, juxta duas poſteriores explicationes, nullatenus accoſandi ſunt Hæreſeos, quantumvis eorum ſenſu damnata fuerit Hæreſis Feliciana & Elipandina.

Fuit iterum damnata hæc Hæreſis a Leone III. in Concilio 56. Epiſcoporum Romæ congregato occaſione libelli quem Felix contra Alcuinum ſcripſerat. Et tandem in Synodo Aquiſgranenſi an. 799. in qua præſente Carolo Magno, Felix vi argumentorum Alcuini ibidem diſputantis victus errorem iterum ejuravit. Utrum conſtans in fide fuit, dubium eſt propter Schedulam poſt mortem ejus repertam ab Agobardo Lugdonenſi Archiepiſcopo, in qua Felix prius ſuum dogma inſtaurabat, contra quam ſcripſit idem Agobardus. Etiam dubiæ fidei in morte facit eum Ado Viennenſis in Chronico. Elipandum vero diu veritati obſtinate reſiſtentem ceſſiſſe tandem, & in communicatione Eccleſiæ mortuum narrant Legendarium Eccleſiæ Aſturicenſis, Chronicon dictus Luitprandi & alii.

Hanc Hæreſim primi impugnaverunt in Hiſpania contra Elipandum Etherius Uxamenſis Epiſcopus & Beatus Presbyter; contra Felicem tres libros ſcripſit Paulinus Aquilejenſis Patriarcha. Sed inter omnes hujus Hæreſis debellatores palmam tulit Alcuinus ſeu Albinus in Gallias a Carolo Magno vocatus ejuſdem ac Filiorum Præceptor, deinde Abbas S. Martini Turonenſis, ubi obiit anno 804. An Monachus profeſſione, an vita tantum non conſtat.

Quæſtio eſt inter Eruditos, quo ſenſu Felix & Elipandus filiationem adoptivam in Chriſto propugnaverint, an ſenſu Neſtoriano ponendo duplex ſuppoſitum; an tertio ſenſu tantum ratione humanitatis ſervata unitate ſuppoſiti. Unde ſit

§. II. *Utrum Felix & Elipandus filiationem adoptivam in Chriſto ſenſu Neſtoriano propugnaverint?*

DICO. Felix & Elipandus filiationem adoptivam in Chriſto ſenſu Neſtoriano propugnaverunt. Eſt contra Vaſquem. Prob. 1. Ex Concilio Francofordienſi in Ep. ad Epiſcopos Hiſpaniæ, in qua Patres Felicem & Elipandum ſic alloquuntur: *Nonne olim eadem Hæreſis veſtra in Neſtorio ab univerſali ſancta Eccleſia refutata eſt & damnata?* Prob. 2. Ex lib. Sacroſyllabo, ubi dicitur: *Non duo Filii, alius Dei & alius hominis*, ut (ſicut illi errando exiſtimant) *adoptivus ſit hominis Filius, & ſine adoptione Dei Filius*. Duos autem aſſerere Filios in Chriſto ipſiſſima eſt Hæreſis Neſtorii. 3. Paulinus Aquilejenſis lib. 1. contra Felicem: *Modo*, inquit, *Arium obvium amplectitur, modo prævium Neſtorium greſſu ſequitur*. 4. Alcuinus l. 1. contra Felicem: *Igitur ſicut Neſtoriana impietas in duas Chriſtum dividit perſonas... Ita & veſtra indocta temeritas in duos eum dividit Filios*. Et l. 1. adverſus Elipandum. *Quem* (inquit, ſcilicet Chriſtum) *vos ſine dubio cum Neſtorio in duos dividitis Filios & in duas perſonas per proprietatem & adoptionem; Non igitur idem Magiſter veſter Neſtorius invenitur duas perſonas palam in Chriſto confiteri, ſed omnia, quæ duabus neceſſe eſt ineſſe perſonis, proferre de Chriſto reperitur, adoptionem ſicut & vos humanitati adſcribens, & divinitati proprietatem Filii deſignans*. Ita paſſim Alcuinus. Idem teſtantur Jonas Aurelianenſis fere coævus l. 1. de cultu Imag. Sigebertus in Chronico ad an. 793. S. Antoninus 2. p. Chronici Th. 14.

Objicit 1. Vaſqueſius. Patres Concilii Francoford. cum de Felicis & Elipandi errore loquuntur, vocant eum *novum* & inauditum. 2. Si Felix & Elipandus fuiſſent Neſtoriani, non ita ſuæ ſententiæ confidiſſent, ut peterent a Carolo Magno Concilium, in quo probaretur: atqui tamen illud petierunt. Ergo. 3. Nec Hadrianus, nec Synodus Francofor. attulerunt contra Felicem & Elipandum teſtimonia Scripturæ probantia unitatem perſonæ in Chriſto, ſed ea ſuppoſita Filiationem adoptivam dumtaxat impugnarunt. 4. Elipandus in confeſſione fidei unam in Chriſto perſonam admittit his verbis: *Homo interior in una eademque perſona agglomeratus, atque carnis veſtimento indutus*. Ergo.

R. 1. generaliter in Quæſtionibus facti magis eſſe ſtandum Conciliorum, Pontificum & Auctorum coævorum teſtimoniis, quam levibus conjecturis, ut ſunt fere omnia Vaſquezii argumenta. R. 2. Ad ſingula. Ad 1. Errorem Felicis & Elipandi dici a Concilio novum, ſcilicet vel de novo ſuſcitatum, vel novum quoad modum explicandi, non quoad rem ipſam. Etenim etiam *vetus* ab eodem Concilio appellatur in lib. Sacroſyllabo, ubi dicitur: *Elipandum namque & Felicem novos hoſtes Eccleſiæ, ſed veternoſa fæce perfidiæ pollutos*. Et paulo ſuperius: *Hæreſim veternoſam illuſtrium fortium ſcilicet virorum calcibus mirabiliter inculcatam, catholicaque falce olim funditus detruncatam ſpinoſa molitur rediviva radice ſuſcitare de ſtirpe*.

Ad 2. R. non mirum Hæreticos ab Imperatore Concilii judicium expetiiſſe, quia vel non intelligebant modum, quo ſuam hæreſim exponebant reipſa cum Neſtorii hæreſi coincidere, vel ſperabant (quod Hæreticis non eſt inſolitum) ſe ſimulatione ſua fucum Synodo facere. Ad 3. R. falſum omnino eſſe, quod aſſerit Vaſqueſius, ut legenti acta Concilii patebit. Ad 4. R. Felicem & Elipandum verbotenus unam in Chriſto perſonam admiſiſſe, reipſa duas: unam, inquam, unitate morali eo modo, quo vir & uxor, quo duo amici dicuntur una perſona, ea ſcilicet verſutia, qua uſus eſt ipſe Neſtorius. Id patet ex verbis immediate ſequentibus: *Quia*, inquit Elipandus, *non per illum, qui natus eſt de Virgine, viſibilia & inviſibilia condidit: ſed per illum, qui non eſt adoptione ſed genere, neque gratia ſed natura*. Propter quæ verba Etherius & Beatus dicunt eum incurriſſe anathema pronuntiatum a S. Joanne his verbis: *Omnis ſpiritus, qui ſolvit Jeſum, ex Deo non eſt*. Quod & ipſe his verbis evidenter facit diſtinguens *illum & illum*, id eſt duos filios, duas perſonas.

Similiter Alcuinus refellit Epiſtolam Elipandi, & probat quod quamvis videatur agnoſcere unam perſonam, duas tamen revera defendat. Idem probat de Felice l. 5. *Tandem*, inquit, *illo pervenimus, ubi deſtruis quod ædificaſti, & confiteris quæ negaſti... Si ergo ſecundum tuam ſententiam verus Dei Filius bis genitus eſt & eſt verus Dei Filius in utraque Nativitate, paterna ſcilicet & materna, quomodo poteſt fieri, ut non ſint duo Filii ex Matre nati? unus quem tu aſſeris, Catholica voce, verum eſſe Filium Dei, alter quem tua perverſitas verum non eſſe Filium Dei affirmat? verum & non verum nullatenus unum eſſe poteſt*.

§. III. Utrum Concilium Francofordienſe rejecerit filiationem adoptivam in Chriſto, non ſolum in ſenſu Felicis & Elipandi, qui Neſtorianus erat, ſed etiam abſolute & quovis ſenſu?

OBſervandum rurſus, quod jam antea obſervavimus, quoſdam Auctores Catholicos ſuſtinuiſſe, ſalva unitate perſonæ, Chriſtum qua hominem eſſe Filium Dei adoptivum duplici ſenſu: 1. Ut Ly *quatenus* duplicet ſolam humanitatem, quæ licet non diceretur filia, eſſet tamen adoptata. Et hæc fuit, ut dixi, ſententia Gabrielis, Majoris & Almaini. 2. Ita ut Ly *quatenus* reduplicet compoſitum ex divino ſuppoſito & humanitate, & hæc fuit ſententia Durandi & Scoti. Quæſtio eſt igitur, utrum non ſolum ſenſu Felicis & Elipandi, qui Neſtorianus erat, ut vidimus, ſed etiam hoc duplici ſenſu aſſignato Concilium Francoford. filiationem adoptivam in Chriſto damnaverit? Et videtur ſtatim quod non, quia mens Concilii deſumi debet ex oppoſito errore, quem damnat: Felix autem & Elipandus Chriſtum eſſe Filium Dei adoptivum aſſerebant ſenſu Neſtoriano, ut vidimus. Ergo hunc ſolum ſenſum damnat Concilium, hoc tamen non obſtante citra injuriam & cenſuram Doctorum Catholicorum, qui vel acta Concilii ignoraverunt, vel non ſatis penetrarunt.

Dico. Opinio aſſerens Chriſtum quatenus hominem eſſe Filium Dei adoptivum ratione humanitatis etiam ſalva unitate perſonæ, aut humanitatem eſſe adoptatam etſi non filiam, videtur damnata a Concilio Francofordienſi. Prob. 1. Pars 1. Concilium in Ep. ad Epiſcopos Hiſpaniæ poſt initium dicit; *Si verus Deus & verus Filius, etſi verus Filius, nequaquam adoptivus, quia adoptivus ... non vere natura eſt Filius*. Hæc autem vox *nequaquam* idem eſt ac *nullo modo*. Atqui foret aliquo modo adoptivus Chriſtus, ſi talis eſſet ratione humanitatis, etiam ſalva unitate perſonæ. Ergo. 2. Ibidem: *Adoptivus ſi quidem non habet aliam ſignificationem, niſi ut Jeſus Chriſtus non ſit proprius Filius Dei*. Atqui aliam haberet ſignificationem ſi Chriſtus ut homo eſt Filius adoptivus, poſſetque componi adoptio cum filiatione propria in una perſona. Ergo. 3. Ibidem: *Unitas perſonæ, quæ eſt in Dei Filio & Filio Virginis, adoptionis tollit injuriam*. Ergo neque ut Filius Dei, neque ut Filius Virginis, ſeu ut homo, eſt adoptivus, etiam ſuppoſita unitate perſonæ; quin imo hæc eſt ratio ſecundum Concilium, cur non ſit adoptivus. 4. Hadrianus in Ep. ſic habet: *Materia autem cauſalis perfidiæ inter cætera rejicienda de adoptione Jeſu Chriſti Filii Dei ſecundum carnem*, &c. Ubi damnatur adoptio Filii Dei ſecundum carnem. Ex ibid. infra: *Animadvertite*, inquit Pontifex, *quia nihil vobis reſtat, ut ſecundum Divinitatem tantummodo credatis, dixiſſe Patrem, hic eſt Filius meus; ſed potius ſecundum humanitatem, ſuper quem Spiritum Sanctum dicitur deſcendiſſe*. Ergo non ſolum ſecundum Divinitatem, ſed etiam ſecundum humanitatem eſt Filius Dei naturalis non adoptivus.

Prob. 2. Pars: 1. in lib. Sacroſyllabo colum. 3. ſic legitur: *De Beata Virgine inenarrabiliter ſumpſit, non adoptavit carnem*. 2. in Ep. Concilii: *Hoc quod Joannes dicit, vidimus gloriam ejus quaſi Unigeniti a Patre, contra adoptionem carnis*. Per *carnem* autem hic intelligitur humanitas; tum quia intelligitur caro animata, quæ eſt humanitas, ut in his verbis: *Verbum caro factum eſt*; tum quia in primo teſtimonio eodem modo affirmatur aſſumptio, & negatur adoptatio carnis; affirmatur autem aſſumptio humanitatis. Ergo & negatur adoptatio humanitatis. Hanc etiam partem probant verba ſuperius citata: *Unitas perſonæ in Chriſto adoptionis tollit injuriam*. Ergo etiam in ejus humanitate.

Ad rationem oppoſitam R. D. Maj. Mens Concilii debet deſumi inadæquate ex oppoſito errore quem damnat, C. adæquate ſemper, N. ſed & ſumi debet ex verbis ejus proprie & rigoroſe acceptis: Concilium enim contra aliquem congregata, maxime dum diſputando procedunt, ut hic contingit, non ſemper ſolum ejus ſenſum damnant, ſed & omnem alium cum illo connexum, ut ſic ei omnes evaſiones & effugia occludant. Concilium autem, ut patet, dixit, quod diſtinctio perſonarum neceſſario ſequatur omnem modum adoptionis: *unitas*, inquit, *perſonæ adoptionis tollit injuriam*. Et *Adoptio nullam habet ſignificationem, niſi ut Chriſtus Filius proprius & naturalis non ſit*.

§. IV. Impugnatur rationibus Theologicis filiatio adoptiva Chriſti ſecundum humanitatem & adoptio humanitatis.

PRima ratio ſic proponitur (*Hic q. 23. a. 4. c.*) Adoptio duo neceſſario requirit, 1. quod non ſolum ipſa natura perſonæ, quæ adoptat, ſed etiam ipſa perſona, quæ adoptatur, ſit extranea adoptanti: 2. quod non habeat jus ad hæreditatem, ad quam adoptatur. Atqui Chriſtus quatenus homo licet ſit perſona naturæ Deo extraneæ, non tamen eſt perſona Deo extranea & habet jus ad hæreditatem Dei, Ergo. Min. eſt de fide. Maj. patet ex definitione adoptionis, quæ, ut diximus Art. 1. definitur *gratuita & liberalis aſſumptio perſonæ extraneæ ad hæreditatem*; quæ definitio traditur a jure locis citatis, admittitur communiter a Theologis & Juriſconſultis, a Concil. Francoford. & D. Th. hic a. 1. Hac etiam ratione patet humanitatem non poſſe dici adoptatam; tum quia non eſt perſona, cui ſoli convenit denominatio adoptionis; tum quia ratione unionis hypoſtaticæ, qua trahitur ad eſſe Divinum, habet jus ab intrinſeco ad hæreditatem Dei, quæ eſt viſio beatica. Quod quidem trahatur ad eſſe Divinum eſt magna gratia, ſed non omnis gratia eſt adoptio.

Secunda ratio. Chriſtus quatenus homo non ſolum materialiter & identice, ſed formaliter eſt Filius Dei naturalis. Atqui Filius naturalis alicujus non poteſt eſſe adoptivus reſpectu ejuſdem. Ergo. Maj. indiget explicatione. Et quidem certum eſt Chriſtum qua hominem in ſenſu materiali & identico, ſeu per communicationem idiomatum, eſſe Filium Dei naturalem, ſicut eſt, quod hoc ſeorſum homo ſit Deus: dicimus autem Chriſtum quatenus hominem etiam formaliter eſſe Filium Dei naturalem, ſic tamen ut Ly *quatenus* importet in recto non naturam humanam, ſed ſuppoſitum ſubſiſtens in natura humana, non reduplicative; alias ſenſus foret, quod eſſet Filius naturalis Dei, quia ſubſiſtit in natura humana, quod eſt falſum; ſed ſpecificative, ita ut ſenſus ſit: Verbum ſubſiſtens in natura humana eſt Filius naturalis Dei, quod eſt veriſſimum, ſiquidem per aſſumptionem humanitatis non amiſerit filiationem naturalem Dei. Et hoc ſenſu intelligendæ ſunt Auctoritates Scripturæ ad Rom. 8. Concilii Francoford. cit. & Patrum, quibus dicitur Chriſtus, qua homo, Filius Dei naturalis.

Prob. Min. 1. Auctoritate Concilii Francoford. cit. 1. Probatione §. præcedentis num. 1. & 2. 2. Ratione. Ille, qui adoptatur, non ſecundum naturam, ſed ſolo affectu conjungitur adoptanti, ut definit idem Concilium in ſua Ep. & patet ex ipſius vocis Etymologia; adoptare enim eſt optare ſibi in Filium eum, qui talis non eſt naturaliter. 3. Adoptio, ut dicebamus modo, ſupponit perſonam adoptatam extraneam. (*Ibid.*) 4. Filiatio adoptiva eſt quædam participatio ſeu imitatio imperfecta filiationis naturalis: atqui quod eſt tale per ſe & naturaliter, non dicitur tale per participationem. Ergo. Neque dicas eſſe tale per ſe & per participationem ratione diverſæ naturæ, quod non repugnat; quia, ut diximus ex definitione adoptionis, adoptio ſoli perſonæ convenit; & filiatio eſt proprietas perſonalis; filiatio enim non dicit ſolum genitum, ſed genitum per modum entis completi, ut docet D. Th. in 3. d. 8. q. 1. a. 5. ad 3. & a. 1. ad 5. Et ideo non dicitur natura humana filia, ſed homo Filius. Quapropter dicere Chriſtum eſſe Filium naturalem Dei ratione divinæ naturæ, & Filium adoptivum ratione humanæ naturæ, eſt ponere in eo duas perſonas.

Solvuntur Objectiones.

OBj. 1. Non minus opponuntur inter ſe ſervitus & dominium, quam eſſe Filium Dei naturalem & adoptivum: atqui Chriſtus eſt ſupremus Dominus & tamen eſt ſervus. Ergo licet ſit filius naturalis &c. Confir. Non minus opponuntur inter ſe eſſe ſanctum per eſſentiam & ſanctum per participationem, quam eſſe filium naturalem & adoptivum: atqui Chriſtus ut ſubſiſtens in natura divina eſt ſanctus per participationem. Ergo. R. D. Maj. (*Ibid. ad 3.*) Non minus opponuntur inter ſe ſervitus & dominium quam filiatio adoptiva & naturalis, ſi ſervetur identitas ſubjecti ſub eadem ratione, C. Secus, N. Porro ſervitus & dominium competunt ſuppoſito ratione voluntatis, adeoque & naturæ; & cum in Chriſto ſit duplex natura, divina & humana, non mirum, quod poſſit eſſe dominus ratione divinæ naturæ, & ſervus ratione humanæ. At vero filiatio non convenit ſuppoſito ratione naturæ, ſed immediate & ratione ſui, ut patet ex dictis & communi modo loquendi, ſecundum quem natura non dicitur filia. In Chriſto autem una tantum fuit perſona & conſequenter una filiatio eaque naturalis. Ad confirmationem R. eadem diſtinctione, quia ſanctitas convenit ſuppoſito ratione naturæ, non ſic filiatio.

Inſt. Filiatio convenit etiam naturæ ſaltem ut quo. Ergo. Prob. Ant. Relatio geniti convenit naturæ ut quo: atqui eadem eſt relatio geniti & filii, ut patet in divinis. Ergo. Prob. Maj. ex D. Th. in 3. D. 8. q. 1. a. 5. ad 1. ubi dicit, quod *Nativitas temporalis ſeu generatio paſſiva Chriſti eſt quædam relatio, quæ ſecundum rem fundatur in natura humana & ex hoc nominatur natum ſicut & homo*. Ergo. R. N. Ant. (*In 3. d. 8. q. 1. a. 1. ad 5.*) ad probat. D. Min. Eadem eſt relatio geniti & filii in divinis, C. Propter nempe ſummam identitatem ſubſtantialem: in creatis, N. Ad relationem enim geniti ſufficit generatio paſſiva qualiſcumque; ad relationem autem filii requiritur generatio paſſiva, perfecta & com-

Digitized by Google

& completa. Filiatio enim reſpicit ens completum in ſpecie generantis, ideoque & ſuppoſitum: unde vermes v. g. generati ex homine non ſunt filii hominis. Et hæc eſt notio filiationis, quam haurimus cum iſta ſolutione ex D. Th. loc. cit. in margine, ubi dicit: *ad filiationem requiritur pluſquam ad nativitatem vel ortum, ſcilicet ut quod exit per generationem a generante ſit completum in ſpecie generantis: & ideo fructus arborum, ova avium, & capilli, & alia hujuſmodi non habent rationem filiationis, quamvis dicantur naſci*. Et ibid. a. 5. ad 1. dicit: *Subjectum filiationis non poteſt eſſe natura, cum ſit ejus, quod habet complementum ſpeciei, ut ſupra dictum eſt*.

Repones. Sicut natura non poteſt dici filia, ita nec ſerva: atqui tamen hoc non obſtante ſervitus convenit naturæ, & Chriſtus ut homo eſt ſervus, ut diximus: ergo a pari. R. N. Maj. Et dico, quod natura poſſit dici ſerva, quia ſervitus, de qua hic eſt quæſtio, nihil aliud eſt quam dependentia creaturæ rationalis a Deo in eſſe, conſervari & operari. Unde ſicut hæc dependentia immediate convenit naturæ, ita & ſervitus; & ſicut natura poteſt dici a Deo dependens, creata, conſervata, Deo ſubjecta, ita & ſerva; licet tamen, ut diximus ex D. Th. ſupra, non ita proprie dicatur natura ſerva, quam homo ſervus, quia hæc denominatio magis proprie eſt ſuppoſiti, ſed tamen ratione naturæ. Id totum innuit S. Doct. hic ad 4. *Dicendum*, inquit, *quod eſſe creaturam, & etiam ſervitus vel ſubjectio ad Deum, non ſolum reſpicit perſonam, ſed etiam naturam, quod non poteſt dici de filiatione, & ideo non eſt ſimilis ratio*.

Urgebis. Concilium Francoford. non minus negat Chriſtum ut hominem eſſe ſervum Dei, quam filium adoptivum: atqui tamen aliquo ſenſu eſt ſervus Dei, ut fuſe diximus ſupra. Ergo. R. N. Maj. Loquens enim ſpecialiter de filiatione dicit, *Si filius nequaquam adoptivus*, id eſt, nullo ſenſu nullo modo, hæc enim eſt vis hujus vocis, *Nequaquam*, quam non adhibuit loquens de ſervitute. Inſuper admiſit ſervitutem naturæ in Chriſto. Pro quo vide Diſſert. præced. art. 1. Obj. 1.

Obj. 2. Filiatio adoptiva eſt effectus formalis gratiæ habitualis: atqui in Chriſto eſt gratia habitualis. Ergo. R. 1. Filiatio adoptiva eſt effectus formalis primarius gratiæ habitualis, N. Secundarius, Tranſeat. Etenim gratia eſt qualitas abſoluta, filiatio autem eſt relatio. Unde non poteſt filiatio eſſe effectus formalis ſaltem primarius gratiæ. ſed ejus effectus formalis primarius eſt reddere ſubjectum gratum & participem divinæ naturæ. Poteſt autem gratia eſſe ſine ſuo effectu formali ſecundario, maxime quando ſubjectum eſt illius incapax, ut contingit in præſenti; quia nempe ad adoptionem requiritur, quod perſone adoptata ſit extranea adoptanti: Verbum autem eſt intraneum Patri & Filius ejus naturalis. R. 2. D. Maj. Filiatio adoptiva eſt effectus formalis gratiæ collatæ per modum naturæ, C. Collatæ per modum proprietatis, N. Sicut enim ut natura det formaliter eſſe filium naturalem, debet conferri ad modum naturæ, id eſt ut per ſe primo terminans generationem (& ideo licet in Spiritu S. non minus quam in Verbo inveniatur natura divina, tamen Spiritus S. non dicitur Filius); ſic ut gratia habitualis det eſſe Filium adoptivum, debet dari per modum naturæ, non per modum proprietatis conſequentis ad naturam, quo tamen modo datur in Chriſto, in quo gratia habitualis ſequitur ut proprietas ad gratiam unionis.

Inſt. Sufficit extranea natura, etſi ſuppoſitum ſit ſecundum ſe intraneum, ut ſit ſubjectum capax filiationis adoptivæ per gratiam. Ergo. Prob. Ant. Natura extranea poteſt efficere, quod ſuppoſitum, quod ſecundum ſe eſt intraneum ſuo principio, fiat ipſi extraneum & capax filiationis adoptivæ. Ergo. Prob. Ant. Natura intranea poteſt efficere, quod ſuppoſitum, quod ſecundum ſe eſt extraneum principio, cui natura eſt intranea, fiat ipſi intraneum, & capax filiationis naturalis. Ergo a pari; natura extranea &c. Ant. patet in filiatione naturali Chriſti reſpectu B. Virginis. Humanitas enim, quia eſt intranea B. Virgini, unita Verbo facit Verbum intraneum B. Virgini & Filium ejus, licet tamen Verbum ſit ſecundum ſe & ante Incarnationem ſuppoſitum extraneum reſpectu illius & humanitatis. R. N. Ant. ad prob. N. Ant. ad prob. N. Conſeq. & paritatem. Diſparitas eſt, quod ut ſuppoſitum quod eſt extraneum, fiat intraneum, nihil debeat amittere de prædicatis poſitivis, ſed tantum quamdam privationem ſeu carentiam intraneitatis, quæ aufertur per adventum formæ intraneæ ſubſtantialiter illi unitæ: at vero ut ſuppoſitum, quod eſt intraneum, fieret extraneum, deberet amittere prædicata poſitiva & naturalia, per quæ erat ſecundum ſe intraneum, ſcilicet naturam habitam primo per ſe per generationem, ſicque non maneret idem ſed fieret aliud. Res exemplo allato in inſtantia clareſcit. Chriſtus itaque eſt ſuppoſitum intraneum Patri Filiuſque ejus naturalis per divinitatem ſecundum generationem æternam: & idem ſuppoſitum ante Incarnationem erat extraneum reſpectu B. Virginis. Facta autem Incarnatione, humanitas ſubſtantialiter illi unita facit illud per hanc intimam & ſubſtantialem unionem intraneum, & quaſi domeſticum Matri, ſaltem ad terminandam generationem, adeoque ad filiationem naturalem, abſque eo quod quidquam poſitivum amittat, ſed *Quod erat permanſit, & quod non erat aſſumpſit*, ita ut manſerit ſimul intraneum Patri & Matri abſque ulla incompatibilitate. Si autem eadem humanitas, quæ eſt extranea Patri, redderet etiam ipſum ſuppoſitum Patri extraneum, deberet ab illo auferre intraneitatem naturalem, quam habet reſpectu Patris, ſeu id per quod eſt illi naturaliter & ſecundum ſe intraneum, ſcilicet divinitatem per generationem æternam, quia eſſe intraneum & extraneum reſpectu ejuſdem privative opponuntur.

Obj. 3. Si Chriſtus non eſſet Filius Dei adoptivus, ideo maxime quia eſt Filius ejus naturalis: atqui hæc ratio nulla eſt. Ergo. Prob. Min. Filius naturalis in humanis poteſt adoptari a Patre proprio, ut conſtat ex jure civili L. *Qui liberatus ff. de adoptionibus*, ubi dicitur: *Qui liberatus eſt a patria poteſtate, hanc ſe reverti non poteſt niſi adoptione*. Ergo. 2. Si ideo Chriſtus non poſſet eſſe Filius Dei adoptivus, quia eſt Filius naturalis, ſequeretur, quod ſi Spiritus ſanctus aſſumeret naturam humanam poſſet eſſe Filius adoptivus (non enim foret Filius naturalis) quod tamen non admittitur. R. N. Min. Ad 1. probat. dico, quod jus iſtud civile Romanum non attenditur in filiatione, niſi jus ad hæreditatem. Unde filius, qui excludebatur ab hæreditate, non cenſebatur ſecundum hanc conſiderationem filius naturalis, ſicque poterat adoptari ſaltem ſenſu improprio; melius enim diceretur reſtitui in jus, quod amiſerat. At nihil tale in Chriſto accidere poteſt, qui ſive quoad jus hæreditatis, ſive quoad perſonam intraneam ſemper eſt Filius Dei naturalis & proprius. Ad 2. probat. N. Sequelam. Licet enim quia Chriſtus eſt Filius Dei naturalis, ſit ratio ſufficiens, cur non ſit Filius Dei adoptivus, non eſt tamen ratio ſola; altera enim eſt ratio, quod ſit perſona intranea Deo, & quod ab intrinſeco habeat jus ad hæreditatem, quod utrumque reperitur in Spiritu S.

Inſt. Chriſtus quatenus filius Virginis potuiſſet adoptari ab alio homine. Ergo & a Deo. R. N. Ant. Quia ſi Chriſtus ut filius Virginis conſideretur ratione ſuppoſiti, habet titulo creationis jus ad omnia, quæ homo poſſidet. Si in quantum homo conſideretur, habet idem jus titulo Redemptionis; meruimus enim amittere omnia uſque ad annihilationem per peccatum: *Adoptivus* autem juxta Concilium Francofurd. in lib. Sacro ſyllabo, *dicitur, cui nihil a Terra videtur*.

Obj. 5. Chriſtus quatenus homo non eſt Filius Dei naturalis. Ergo poteſt eſſe adoptivus. Prob. Ant. 1. Ut Chriſtus quatenus homo foret Filius Dei naturalis, filiatio deberet uniri humanitati ſub conceptu filiationis formaliter: atqui id fieri non poteſt, alias cum filiatio ſit formaliter relatio, conſtitueret humanitatem relatam. Ergo. Prob. 2. Chriſtus ut homo non poteſt dici Verbum aut imago Patris. Ergo nec filius ejus naturalis. 3. Si Pater aſſumeret humanitatem, non foret Pater quatenus, homo non enim quatenus homo ullum filium generaret. Ergo nec filius quatenus homo eſt filius naturalis. R. D. Ant. ex dictis in prob. Concluſionis: Chriſtus quatenus homo non eſt Filius Dei naturalis, ſi Ly *Quatenus* importet humanitatem in recto, C. Falſum eſt enim, quod humanitas in Verbo ſit Filius Dei naturalis; ſi Ly *Quatenus* importet ſuppoſitum in recto, id eſt Verbum ſubſiſtens in natura humana, Subd. Non eſt Filius Dei naturalis, To *Quatenus* ſumpto reduplicative, C. Ratio enim, cur Chriſtus ſit Filius naturalis Patris, non eſt, quia ſubſiſtit in natura humana: To *Quatenus* ſumpto ſpecificative, N. Ex eo enim, quod ſubſiſtat in natura humana, non deſinit eſſe Filius Dei. Unde verum eſt, quod ſubſiſtens in natura humana ſit Filius Dei naturalis. Hinc patet ad probationes. Ad 1. non requiritur, quod Verbum uniatur humanitati formaliter ſub conceptu relationis, ut ſenſu noſtro Chriſtus quatenus homo ſit Filius Dei naturalis; ſed ſufficit, quod non repugnat illi eſſe Filium Dei naturalem ex eo, quod ſubſiſtat in natura humana. Quin imo dato, quod uniatur humanitati formaliter ſub conceptu relationis, ut volunt quidem, non ideo tamen conſtitueret illam relatam, quia eſt hujus relationis incapax, ſicut eadem ratione non conſtituit naturam divinam relatam, etſi illi uniatur ſub conceptu relationis. Ad 2. R. Eodem ſenſu Chriſtum qua hominem poſſe dici Verbum & imaginem Patris, quo ſenſu dicitur Filius Dei naturalis: licet tamen ſpecialiori modo dicatur Filius, quia filiatio ſoli perſonæ convenit. Ad 3. dico, quod in hac hypotheſi, & hoc ſenſu prima perſona quatenus homo foret Pater æterni Verbi, ſicut modo Chriſtus eſt ejus Filius naturalis.

Obj. 5. ab auctoritate quorumdam Patrum. Hilarius

Digitized by Google

l. 2. de Trin. ait; *Ita poteſtatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur*. Cyrillus Alex. Dialog. 3. dicit, quod ſit *adoptatus nobiſcum*. Aug. lib. de Prædeſt. Sanct. c. 15. Quod gratia ſit Filius Dei. Facundus Hermianenſis quod *adoptionem Filiorum ſuſceperit*. Irenæus l. 3. contra Hær. c. 21. *Propter hoc Verbum Dei homo & qui Filius Dei eſt, Filius hominis factus eſt, commixtus Verbo Dei, ut adoptionem percipiens fiat Filius Dei*. S. Ildephonſus, Eugenius, Julianus Toletanæ Sedis Antiſtes in Miſſa Cœnæ Domini & in Miſſa de Aſcenſione, cenſuerunt Chriſtum eſſe Filium Dei adoptivum, & ita cenſuiſſe traduntur in Concilio Francoford. ubi dicitur *Melius eſt credere teſtimonio Dei Patris de Filio ſuo, quam Ildephonſi veſtri, etſi Ildephonſus veſter in orationibus ſuis Chriſtum adoptivum nominavit, noſter Gregorius Pontifex Romanæ ſedei in ſuis orationibus ſemper eum Unigenitum nominare non dubitavit*. Ergo. R. (*Ib. ad* 1.) Communi ſolutione Patres citatos plerumque uſurpaſſe vocem adoptionis in impropria locutione, ſcilicet pro aſſumptione humanitatis ad perſonam Filii. Ita S. Th. interpretatur Hilarium, licet Alcuinus & Hincmarus in Præfatione libri de Prædeſt. contra Gotteſchalcum, legendum putent *adoratur* pro *adoptatur*. Ut ut ſit, certum eſt Hilarium non agnoviſſe Chriſtum Filium Dei adoptivum: dicit enim de Chriſto l. 3. de fide; *Hic & verus & proprius eſt Filius, origine, non adoptione*. Et lib. 6. *Donavit adoptionis nomen plurimis, ſed iſte mihi Filius*. Primam interpretationem patitur Ipſius Cyrilli, qui alionde, ut omnibus notum eſt, duos Chriſtos & duos Filios contra Neſtorium impugnavit, maxime hom. Paſchali 8. in Ep. ad Acacium l. 12. Joan. & alibi. Ad Aug. (*Ibid. ad* 2.) dico nihil aliud velle, quam quod ſicut ſine meritis quilibet ſit Chriſtianus, ita ſine meritis habet iſte homo quod ſit Chriſtus. Patet ex Textu. Ad Facondum dico intelligendum eſſe eodem modo ac Hilarium de locutione impropria. Ad S. Irenæum R. Quod hæc verba *adoptionem precipiens* non referantur ad Chriſtum, ſed ad quemlibet fidelem, ſic enim habet: *Propter hoc Verbum Dei, homo, & qui Filius Dei, & Filius hominis factus eſt commixtus Verbo Dei, ut adoptionem percipiens* (ſcilicet homo quilibet alius a Chriſto) *fiat Filius Dei; non enim poteramus aliter incorruptelam & immortalitatem accipere, niſi adunati fuiſſemus incorruptelæ & immortalitati*. Idque magis patet ex verſione Sirmundi, quæ ſic locum hunc reddit: *Propterea enim Verbum Dei eſt homo, ut homo Verbum capiens adoptionemque conſecutus, Filius Dei efficiatur*. Ad S. Ildephonſum & alios R. Quod cum Elipandus in confirmationem ſuæ hæreſis eorum verba citaret, nec præſentes haberentur codices, ut de veritate allegationis conſtaret, reſponſum eſt a Patribus magis deferendum eſſe SS. Aug. & Greg. & ſimilibus quam Ildephonſo, Eugenio & Juliano, ſi tamen vera eſſent, quæ adferebantur ab Elipando. Hæc autem non eſſe vera maxime quoad Ildephonſum conſtat ex ejus libris adverſus eos, qui diſputabant de perpetua virginitate Mariæ, ubi ſic habet: *Non ergo illum ut cæteros adoptio Filios Dei facit Filium, ſed divinitatis natura illum in proprium Dei Filium exaltavit*.

Petes 1. Utrum Chriſtus ut homo ſit Filius naturalis totius Trinitatis? R. Negative. (*Inf. q.* 32. *a.* 3.) Prob. 1. Auctoritate Concilii Toletani II. in quo ex Aug. dicitur, hæc verba *Hic eſt Filius meus dilectus* eſſe de Patre æterno intelligenda, additque Concilium: *Neque enim Jeſus, etiam Spiritus ſancti Filius, aut ſuus etiam Filius credi aut intelligi poteſt*. Prob. Ratione. Licet non omnis genitus ſit Filius, ut dictum eſt, omnis tamen Filius eſt genitus: Generatio autem maxime perfecta & ad filiationem requiſita eſt origo viventis a vivente in ſimilitudinem naturæ vi ipſius generationis: atqui Chriſtus ſub quavis ratione non procedit e tota Trinitate in ſimilitudinem naturæ. Ergo. Prob. Min. In Chriſto poteſt attendi vel ſuppoſitum, vel natura humana, vel unitum ſeu compoſitum ex utroque: atqui quoad ſuppoſitum ſeu perſonam ſide certum eſt generari a ſolo Patre; quoad humanitatem etiam pluſquam certum eſt non procedere a tota Trinitate in ſimilitudinem naturæ: neque etiam, ut patet, ut compoſitum ſeu unitum. Ergo. Unde hoc compoſitum *Chriſtus* eſt quidem factum e tota Trinitate, non tamen genitum. Hinc D. Th. loc. cit. ait: *Nullo modo debet dici Chriſtus Filius Spiritus S. neque totius Trinitatis*; adde neque etiam ſui ipſius.

Dices. Prolatio horum verborum: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*, cum ſit actio ad extra, competit toti Trinitati. Et ita hanc vocem *complacui* intellexit Hadrianus I. Idem dic de traditione Filii in his verbis Rom. 8. *Qui etiam proprio Filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum*. R. Concil. Toletanum, ut dictum eſt, cum Aug. & Hierony. priora verba Patri ut ſoli loquenti adaptare & appropriare, licet non negemus hanc locutionem, quatenus eſt effectus ad extra, a tota Trinitate produci. Hadrianus autem ſolum vult totam Trinitatem reipſa complacuiſſe in Filio, non negat tamen ſolum Patrem dixiſſe *complacui*; nec uſquam probari poteſt ex illius verbis totam Trinitatem eſſe Patrem Chriſti. Ad 2. auctoritatem, ſimiliter fateor totam Trinitatem reipſa tradidiſſe Chriſtum, quia eſt actio ad extra; ſed tamen de ſolo Patre hic dicitur, quod illum tradiderit, ſicut ſolo reſpectu illius dicitur, quod ſit Filius.

Petes 2. Utrum Chriſtus ut homo ſit Filius naturalis B. M. Virginis? R. Affirmative, ita ut tamen Filiatio in Chriſto ſit tantum relatio rationis. Prima pars patet, tum quia dicitur ſæpe in Scriptura Chriſtum eſſe Filium hominis; tum quia B. Virgo eſt vere Mater Chriſti: tum tandem quia Chriſtus ut homo procedit a B. Virgine ut a vivente in ſimilitudinem naturæ, ejuſque generatio terminatur ad ſuppoſitum Chriſtus ſupplens vices ſuppoſiti humani. Patet etiam 2. pars, quia ſuppoſitum Chriſti, quod eſt divinum & ſolum ſubjectum capax filiationis, non eſt capax relationis realis ad creaturam: unde dicitur Filius B. Virginis eo ſenſu, quo Deus dicitur creator.

D I S S E R T A T I O XXII.

DE PRÆDESTINATIONE CHRISTI.

Div. Thom. Quæſt. 24.

A R T I C U L U S I.

Utrum Chriſtus ſit prædeſtinatus & ad quid?

DIco 1. (*Hic q.* 24. *a.* 1. *c.*) Chriſtus eſt prædeſtinatus. Prob. (*Ibid.*) Prædeſtinatio proprie accepta eſt Dei præordinatio ab æterno de his, quæ per gratiam facturus eſt in tempore: atqui per gratiam unionis factum eſt in tempore, quod homo eſſet Deus & Deus homo, & hoc eſt Chriſtus. Nec poteſt dici, quod Deus ab æterno non præordinaverit ſe facturum in tempore, quia ſequeretur, quod divinæ menti aliquid de novo accideret.

Dices. Chriſtus non dicitur ſimpliciter factus. Ergo nec prædeſtinatus. R. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod prædeſtinatio, cum ſignificet actum animi interiorem, faciat ſubjectum accipi formaliter; Chriſtus autem formaliter ſumptus eſt ſubſiſtens in duabus naturis. At vero *factum eſſe* applicat ſuum ſignificatum ſubjecto materialiter ſumpto: Chriſtus autem materialiter ſumptus eſt perſona Chriſti. Porro verum eſt, Chriſtum ut ſubſiſtentem in duabus naturis eſſe prædeſtinatum; at falſum, perſonam Chriſti eſſe factam. Conſule Solutionem Objectionis contra ſequentem concluſionem.

Dico 2. (*Ib. a.* 2. *c.*) Chriſtus ut homo prædeſtinatus eſt primario & principaliter ad filiationem Dei naturalem, ſecundario tantum ad viſionem beatificam cæteraque dona ſupernaturalia ipſi collata. Prob. 1. ex Apoſt. ad Rom. 1. *Qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundum carnem, qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute*, &c. In qua auctoritate, licet a Græcis Chryſoſt., Theophylacto &c. intelligatur *prædeſtinatus*, prout idem eſt ac *declaratus* Filius Dei, Auguſtinus tamen lib. de prædeſt. SS. cap. 15. quem ſequitur S. Thom. hic ad 3. convenientius intelligit, retenta uſitatiore ſignificatione Scripturæ, pro eo quod eſt deſtinare, definire, ſtatuere, ita ut ſenſus ſit, *Qui* (Filius) *factus ex ſemine David ſecundum carnem prædeſtinatus eſt Filius Dei*, ſive ut Filius Dei verus & naturalis; *in virtute*, id eſt in potentia & majeſtate veri Filii Dei; *ſecundum ſpiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum Jeſu Chriſti Domini noſtri*, id eſt ut haberet Spiritum ſanctificantem nos, quod poſt Reſurrectionem Chriſti ex mortuis declaratum eſt. Unde Aug. loc. cit. *Prædeſtinatus eſt Jeſus, ut qui futurus erat ſecundum carnem Filius David, eſſet in virtute Filius Dei*.

Prob. 2. Ratione. Chriſtus ut homo prædeſtinatus eſt ad id, quod ipſi ut homini convenit in tempore ex gratia. Atqui Chriſto ut homini convenit in tempore per gratiam unionis eſſe Filium Dei naturalem. Ergo. Maj. patet ex notione prædeſtinationis data ſupra. Min. etiam conſtat; licet enim perſonæ Chriſti ut ſubſiſtenti in natura divina naturale ſit eſſe Filium Dei naturalem, non tamen eſt ei naturale ſecundum naturam humanam. Id magis eluci-

dabi.

dabitut ex Sol. Object. Prob. 2. pars concluſionis, ſcilicet quod primario prædeſtinatus ſit ad filiationem Dei naturalem, & ſecundario tantum ad beatitudinem, &c. Ad id primario & principaliter Chriſtus ut homo eſt prædeſtinatus, quod primo & principaliter fuit intentum in decreto ejus prædeſtinationis & ex illo in tempore ſubſecutum: atqui primum & principale donum intentum & collatum Chriſto eſt filiatio Dei naturalis; primum quidem, quia ex illo Beatitudo & alia ſequuntur & ipſi debentur; principale, quia majus eſt eſſe & fieri Deum, quam frui Deo. Ergo.

Obj. Subjectum prædeſtinationis ſeu perſona, quæ prædeſtinatur, non debet involvere eſſentialiter terminum ejuſdem prædeſtinationis. Atqui Chriſtus ut homo includit in ſuo formali conceptu filiationem Dei naturalem, quam dicimus terminum prædeſtinationis Chriſti. Ergo. Patet Maj. Quia terminus prædeſtinationis eſt id, ad quod tendit & pervenit ſubjectum prædeſtinationis; nihil autem tendit aut pervenit ad ſeipſum, ſed ad aliquod poſterius a ſe diſtinctum: & ideo homo v. gr. non dicitur prædeſtinari ad animam rationalem, quam eſſentialiter involvit, ſed ad gloriam, ad quam tranſmittitur. Min. etiam conſtat; quia Chriſtus ut homo importat eſſentialiter ſuppoſitum Filii naturalis Dei: Chriſtus enim ut homo eſt Verbum, ſeu ſecunda perſona Trinitatis, quatenus diſtinguitur a prima & tertia, ut ſubſiſtens in humanitate. Ergo. Non levis eſt hæc difficultas, in cujus ſolutionem varios dicendi modos excogitaverunt Auctores, quibus relictis, utpote quia magis implicant quam expediunt difficultatem, R. ſimpliciter D. Maj. Subjectum prædeſtinationis non debet eſſentialiter involvere terminum prædeſtinationis ejuſdem ſecundum eandem rationem, ſecundum quam eſt ſubjectum, C. Secundum diverſam rationem, N. Similiter ad Min. Chriſtus ut homo includit in ſuo conceptu formali filiationem Dei naturalem ſecundum eam rationem, ſecundum quam eſt ſubjectum prædeſtinationis, N. Secundum aliam rationem, C. Unde N. Conſeq. Itaque Verbum ut ſubſiſtens ſeu ratione humanitatis eſt ſubjectum prædeſtinationis Chriſti, ita ut ſubjectum *quod* ſit Chriſtus ſeu hic homo, ſubjectum *quo* ipſa humanitas: Terminus autem *qai* Filius Dei naturalis, terminus *gao* filiatio Divina: ideoque ſubjectum *quo* & terminus *quo* realiter diſtinguuntur, ſubjectum *quod* & terminus *qui* formaliter ſea virtualiter diſtinguuntur, idemque Chriſtus ſecundum diverſam rationem eſt ſubjectum & terminus prædeſtinationis, ſubjectum ratione humanitatis, terminus ratione filiationis Divinæ. Id autem ſufficere, ut Chriſtus quatenus homo dicatur prædeſtinatus Filius naturalis Dei, patet, tum a ratione, tum a paritate. A ratione; quia prædeſtinatio, cum ſit actus mentis, ſicut præſcindere poteſt ea, quæ ſunt conjuncta, ita poteſt præciſe concipere hunc hominem ut in humanitate ſubſiſtentem, & ordinare ut ſit Filius Dei. Ex qua ratione infert S. Doctor hic a. 1. ad 3. quod licet poſſit dici, quod Chriſtus ut homo ſit prædeſtinatus Filius Dei, non poteſt tamen dici, quod Chriſtus ut homo factus ſit Filius Dei, quia nempe eſſe factum convenit perſonæ, non ſecundum præciſionem mentis ut *prædeſtinari*, ſed ſecundum quod eſt a parte rei; perſona autem Chriſti (quam importat Ly *Chriſtus*) ut eſt a parte rei, non eſt facta Filius Dei in tempore, ſed ſic erat ab æterno. A paritate: ſicut enim inter Chriſtum ut hominem & ipſum ut Deum invenitur ſufficiens diſtinctio ad rationem ſatisfacientis & creditoris, merentis & præmiantis, quidni ſufficeret formalis ſeu virtualis diſtinctio inter Chriſtum ut hominem & ipſum ut Filium Dei naturalem, ut quatenus homo ſit ſubjectum, quod prædeſtinatur ad eſſe Filium Dei naturalem ut ad terminum *qui* maxime cum intercedat realis diſtinctio inter ſubjectum *quo* quod eſt humanitas, & terminum *quo*, qui eſt filiatio.

Inferes. Ergo melius diceretur humanitatem eſſe prædeſtinatam ad filiationem Dei. R. N. (*Ib. a. 1. ad 2.*) Illationem; quia ſecundum hoc locutio Apoſtoli eſſet impropria propter duo: 1. quidem ratione communi. Non enim dicimus naturam alicujus prædeſtinari, ſed ipſum ſuppoſitum: quia prædeſtinari eſt dirigi in ſalutem, quod quidem eſt ſuppoſiti agentis propter beatitudinis finem. 2. Ratione ſpeciali; quia eſſe Filium Dei non convenit naturæ humanæ: eſt enim hæc falſa, humana natura eſt Filius Dei.

Inferes iterum: ergo ſaltem poterit dici, quod Chriſtus ut ſubſiſtens in natura Divina ſit prædeſtinatus ut ſit Filius hominis, ſicut dicitur, quod ut ſubſiſtens in natura humana ſit prædeſtinatus ut ſit Filius Dei. R. N. Paritatem: (*Ib. a. 2. ad 3.*) quia gratia non eſt facta Filio Dei ut eſſet homo, ſed potius humanæ naturæ, ut Filio Dei uniretur. Unde magis proprie poteſt dici, quod Chriſtus, ſecundum quod homo, eſt prædeſtinatus eſſe Filius Dei, quam quod Chriſtus, ſecundum quod eſt Filius Dei, ſit prædeſtinatus eſſe homo.

Inſt. contra 1. & principalem ſolutionem. Chriſtus ut homo ita in conceptu ſuo formali importat filiationem Dei, ut ab illa non poſſit præſcindi. Ergo Chriſtus ut homo non poteſt eſſe ſubjectum prædeſtinationis ad filiationem Dei. Prob. Ant. Chriſtus ut homo ſubſiſtit ſubſiſtentia Verbi prout diſtinguitur a ſubſiſtentia Patris & Spiritus S.; alias Pater & Spiritus S. dicerentur incarnati: atqui ſubſiſtentia Verbi diſtinguitur ab aliis ſubſiſtentiis ex conceptu relationis, per quam conſtituitur formaliter Filius: ergo. R. N. Ant. Ad Probat. D. Min. Subſiſtentia Verbi ab aliis ſubſiſtentiis Divinis diſtinguitur ex conceptu relationis implicite importatæ, C. Explicite importatæ, Subdiſtinguo: Inadæquate, C. Adæquate, N. Itaque ſubſiſtentia Verbi, prout diſtincta ab aliis, triplici munere gaudet: 1. Verbum genitum conſtituit ſub munere paſſivæ generationis: 2. perſonam ſub munere formæ hypoſtaticæ: 3. Filium ſub munere relationis; ut duo prima munia exercens diſtinguitur ab aliis ſubſiſtentiis Divinis, equidem ratione relationis, non tamen ut formaliter & explicite importatæ, ſed implicite tantum, quatenus ſub illis prioribus muneribus hoc tertium exigit & involvit: ſic igitur in ordine ad Chriſtum hominem, ſubſiſtentia Verbi 1. conſtituit eam in ratione perſonæ ſub munere formæ hypoſtaticæ; 2. Humanitatem unit cum Divina natura, prout exiſtit in Verbo per æternam generationem; 3. Unit cum eadem natura Divina, prout exiſtit in Verbo ut relato relatione filiationis. Unde Chriſtus ut homo conſtitutus per filiationem ſub munere ſubſiſtentiæ, quo, ut dictum eſt, ſufficienter diſtinguitur a cæteris ſubſiſtentiis Divinis, eſt ſubjectum prædeſtinationis ad filiationem ſub munere relationis.

Dices. Concilium Tolet. ſecundum in profeſſione fidei habet, Chriſtum, nec factum, nec prædeſtinatum eſſe. Ergo. R. Concilium loqui de Chriſto ut Deo: unde ſtatim ſubdit: *Per hoc tamen quod de Maria Virgine natus eſt, & natus & factus & prædeſtinatus eſſe credendus eſt.*

ARTICULUS III.

An & quomodo Prædeſtinatio Chriſti ſit cauſa noſtræ prædeſtinationis?

QUæſtio hæc non procedit (*Ib. a. 2. & 4. o.*) de prædeſtinatione noſtra prout eſt actus Dei; nullus enim ita inſanus eſt, ut exiſtimet actum Divinum cauſari ab alio, cum unico actu ſimpliciſſimo a ſe indiſtincto Chriſtum in nos prædeſtinaverit: ſed de prædeſtinatione ex parte objecti ſeu termini.

Dico. (*Ibid.*) Prædeſtinatio Chriſti eſt cauſa exemplaris, finalis & efficiens moralis ſeu meritoria Prædeſtinationis noſtræ. Eſt expreſſe D. Th. a. 3. quoad 1. partem: implicite quoad ſecundam & tertiam a. 4. Prob. 1. Pars. (*Ibid. a. 3. o.*) Prædeſtinatio noſtra poteſt conſiderari vel ſecundum bonum, ad quod prædeſtinamur, vel ſecundum modum conſequendi iſtud bonum: atqui utroque modo prædeſtinatio Chriſti eſt exemplar prædeſtinationis noſtræ. Ergo. Prob. Min. Quoad 1. Chriſtus prædeſtinatus eſt ad filiationem Dei naturalem, nos ad filiationem adoptivam, quæ eſt quædam participata ſimilitudo filiationis naturalis juxta illud Rom. 8. *Quos præſcivit.... hos prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui.* Quoad 2. natura humana in Chriſto nullis præcedentibus meritis unita eſt Filio Dei, ita & nos nullis præcedentibus meritis noſtris accipimus de plenitudine gratiæ Chriſti. Hinc Auguſt. de prædeſt. SS. c. 15. *Eſt præclariſſimum lumen prædeſtinationis & gratiæ Chriſtus Jeſus.* Obſervandum tamen prædeſtinationem Chriſti eſſe noſtræ exemplar heterogeneum & diverſæ rationis, tum ratione termini, qui excedit terminum noſtræ, tum ratione modi; prædeſtinationem enim Chriſti nulla præceſſerunt merita de condigno, noſtram præceſſerunt merita Chriſti, etſi non noſtra, ut dicemus modo.

Prob. 2. Pars. Eſto Deus prius voluerit voluntate antecedente ſalutem omnium, & in hunc finem Chriſtum prædeſtinaverit, poſterius tamen voluit voluntate conſequenti quorumdam electionem efficacem, quæ eſt prædeſtinatio, propter gloriam Chriſti; patet ex dictis de motivo Incarnationis: aliunde, ut modo dicebamus, Chriſtus eſt exemplar noſtræ prædeſtinationis; item ut alibi diximus, caput noſtrum. Porro non Archetypus ad Apographum, nec caput ad membra, ſed e contra Apographum ad Archetypum, membra ad caput ſeu ad finem ordinantur. Hinc illud Apoſtoli 1. Cor. 3. *Omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei.* Et Trid. ſeſſ. c. 7. definit cauſam finalem juſtificationis noſtræ eſſe gloriam Dei, & Chriſti. Eadem autem eſt ratio de prædeſtinatione.

Prob. 3. Pars. Chriſtus meruit omnes effectus prædeſtinationis noſtræ, ut probavimus ſupra dum de merito Chriſti a. 3. Ergo & ipſam prædeſtinationem noſtram, ut eſt actus divinæ voluntatis, non equidem entitative ſumptus, ſic enim eſt ipſemet Deus, ſed ſumptum ſecundum liberam terminationem active conſideratam, Conſeq.

patet ex differentia; quæ eſt inter cauſam phyſicam & moralem, quod illa immediate in effectum exercent ſuam cauſalitatem, iſta vero non immediate circa effectum, ſed circa affectum efficientis, ipſum alliciendo & inclinando in effectum. Confir. Merita Chriſti fuerunt præviſa & prædeſtinata a Deo antequam homines prædeſtinaret, ut diximus, dum de motivo Incarnationis. Ergo congruum erat dignitati & officio Redemptoris, ut moverent Deum ad prædeſtinandos homines. Hinc Apoſt. ad Epheſ. *Benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto*, id eſt per Chriſtum ſeu per merita Chriſti, ſecundum omnes interpretes; potiſſima autem hominis benedictio eſt ejus prædeſtinatio. Proſequitur Apoſt. *Sicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus Sancti... Qui prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum.* Hanc autem partem intellige etiam de prædeſtinatione comparativa, quatenus eſt acceptatio ſeu electio, non aliquorum tantum vage, ſed iſtorum in particulari præ aliis. Id ipſum probat ratio facta; & declarat ipſe Chriſtus alloquens Diſcipulos his verbis Joan. 15. *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos*: quæ verba Aug. de prædeſt. SS. c. 19. & de corrept. & grat. c. 7. intelligit de electione non ſolum ad gratiam Apoſtolatus, ſed etiam ad gloriam & regnum æternum dicens ultimo loco citato: *Illos ergo elegit ad obtinendum regnum ſuum*. Similiter S. Th. ad Epheſ. 1. lect. 1. Et ibi agitur de prædeſtinatione comparativa aliquorum determinate, ſcilicet Apoſtolorum ſeu Diſcipulorum præ aliis.

Dices 1. Prædeſtinatio noſtra eſt ita gratuita & ex mero Dei beneplacito pendens, ut Apoſtolus ad eam gratuitatem efficacius explicandam utatur exemplo luti in manu figuli, illud vel in vas honoris, vel in vas contumeliæ pro beneplacito efformantis; Auguſtinuſque de Prædeſt. SS. c. 15. dicat ita eſſe gratuitam ſicut ipſam prædeſtinationem Chriſti, quam nulla merita præceſſerunt. Ergo. R. Prædeſtinationem noſtram in Scriptura & Patribus dici gratuitam reſpective ad nos, non reſpective ad Chriſtum. Nec id obſtat, quin ſemper fuerit gratuita & pendens ex beneplacito Dei; non enim Chriſtus hos aut illos elegit ſeu petiit & meruit eligendos, niſi dirigente & movente voluntate Patris; proindeque ſemper ſtat totum negotium ſalutis primordialiter redaci in divinæ voluntatis beneplacitum gratuitum. Et ratione hujus primordialis voluntatis moventis & dirigentis Chriſtum in electione Prædeſtinatorum dicit Chriſtus Patri de Prædeſtinatis Joan. 17. *Tui erant*, addit: *Et mihi eos dediſti*, movendo ſcilicet voluntatem meam ad hos, meritorum oblatione præ aliis eligendos. Vel *Eos dediſti mihi* in tempore, quos elegeras ab æterno intuitu meritorum meorum.

Dices 2. Merita Chriſti ſunt effectus prædeſtinationis noſtræ. Ergo non cauſa meritoria; ut enim alibi dictum eſt, principium meriti non cadit ſub merito. Prob. Ant. Merita Chriſti ſunt media efficaciter conducentia ad ſalutem & prædeſtinationem noſtram. Ergo ſunt ejus effectus. Prob. Conſeq. Volitio medii efficaciter conducentis ad finem eſt effectus volitionis finis, & ab illa imperatur. Ergo. R. N. Ant. ad Prob. N. Ant. Ad rationem enim medii non ſufficit, quod efficaciter conducat ad finem, alias Deus, qui eſt primus motor, omnia attingens a fine uſque ad finem, foret medium, quod eſt abſurdum; ſed requiritur, quod ſupponat amorem finis, & ex illius intentione imperetur; Merita autem Chriſti prædeſtinata ſunt, ſi non ante voluntatem antecedentem ſalvandi omnes homines, ſaltem ante voluntatem conſequentem ſalvandi efficaciter aliquos, quæ voluntas conſequens eſt prædeſtinatio & prædeſtinatorum electio. Ideoque licet merita Chriſti poſſint dici media ſalutis volitæ per voluntatem antecedentem, non tamen volitæ per voluntatem conſequentem; ut ſic enim ipſa ſalus ſeu prædeſtinatio noſtra eſt medium ad gloriam Chriſti prius prædeſtinati ordinatam, ut diximus dum de motivo Incarnationis.

DISSERTATIO XXIII.

DE ADORATIONE CHRISTI ET CULTU IMAGINUM.

Div. Thom. Quæſt. 25.

ARTICULUS I.

Prænotamina ad totam Diſſertationem.

NOTA 1. nomen adorationis derivari vel ab *Ador*, quod eſt ſpecies frumenti in Sacrificiis adhiberi ſoliti, vel a præpoſitione *Ad* & verbo *Oro*, quia oratio ut plurimum comitatur, præcedit, vel ſequitur adorationem. At vero ſecundum vocis ſignificationem adoratio *Eſt honor exhibitus alteri propter ſuperiorem ejus excellentiam in proteſtationem noſtræ erga illum ſubmiſſionis*. Unde minus late patet quam honor, honoratur enim æqualis, at non niſi ſuperior adoratur. Nota 2. Adoratio tres actus complectitur 1. Actum intellectus, quo excellentiam alicujus apprehendimus. 2. Actum voluntatis, quo nos illi interius inclinamur, & aliquid actu interiore facimus, vel volumus facere actu exteriora in proteſtationem ejus excellentiæ & noſtræ ad eum ſubjectionis; non enim, quod advertas, ſolo actu exteriori, ſed & interiori perficitur adoratio, ita quippe Angeli adorant. 3. Actum exteriorem, ſcilicet ſignum aliquod exterius proteſtativum excellentiæ & noſtræ ſubmiſſionis, ut genuflexionem, incurvationem, inclinationem capitis &c. Secundus actus eſt maxime proprius & eſſentialis adorationi; primus enim poteſt eſſe ſine adoratione, & tertius cum irriſione; licet tamen ſi procedat ea Religione dirigente, ſit etiam vera adoratio.

Nota 3. Adorationem ratione excellentiæ, propter quam exhibetur, dividi analogice in tres ſpecies. Alia enim eſt excellentia divina, cui reſpondet prima ſpecies cultus ſeu adorationis, quæ dicitur a Theologis *Latria*. Alia excellentia creata naturalis, puta potentia, ſcientia, bonitas, &c. cui reſpondet ſecunda ſpecies adorationis, quæ dicitur cultus ſeu obſervantia civilis. Alia eſt excellentia creata ſupernaturalis, ut ſanctitas, dona ſupernaturalia, &c. cui reſpondet tertia ſpecies adorationis, quæ a Theologis vocatur *Dulia*: & quia inter ſanctas creaturas maxime præcellit Mater Dei, illi tribuitur a Theologis *Hyperdulia*, id eſt præſtantiſſima Dulia. Sed quia excellentia dicitur analogice tantum de Deo & de creaturis, ita etiam adoratio dicitur analogice de cultu Dei & creaturarum, ſive de Latria & Dulia. Nota 4. has adorationes ſeu cultus ſpecies quoad actus interiores optime diſtingui. Latria enim eſt ſumma voluntatis proſtratio & inclinatio cum apprehenſione infinitæ excellentiæ, Dei ſcilicet ut primi principii & ultimi finis. Cultus civilis eſt longe minor voluntatis inclinatio cum apprehenſione certæ excellentiæ humanæ. Dulia eſt media quædam voluntatis inclinatio cum apprehenſione excellentiæ pluſquam humanæ & minus quam divinæ. Quantum vero ad actus exteriores non ita facile diſtinguuntur, excepto enim Sacrificio, & iis, quæ ad ipſum referuntur, ut Templis, Altaribus, Sacerdotibus &c. (voluit enim Deus ſibi ſoli offerri Sacrificium juxta illud Exod. 22. *Qui immolat Diis occidetur, præterquam Domino ſoli*) omnes fere alii actus ſunt communes omni cultui Dei & creaturæ, Latriæ, Duliæ, obſervantiæ civili, ut v. g. genuflexio, incurvatio, inclinatio capitis, proſtratio, &c. Sic Abraham eodem actu incurvationis uſque ad terram adoravit Deum Gen. 17. Angelos Gen. 18. & homines Gen. 23. Unde diſtingui non poſſunt niſi ex intentione. Poteſt autem ſive Latria, ſive Dulia dupliciter conſiderari, vel quoad actum, quo colimus Deum aut Sanctos, vel quoad habitum, & eſt ſpecialis virtus, ſcilicet Religio, quando eſt de Deo; licet enim vegetur per actus omnium virtutum etiam Theologicarum, attendit tamen in eis ſpecialem rationem, ſcilicet cultum Dei, cum e contra virtutes Theologicæ habeant Deum ipſum pro objecto immediato.

Nota 5. hæc nomina *Latria* & *Dulia* eſſe voces græcas idem omnino ſignificantes, ſcilicet *Servitutem*, neque in lingua Hebræa ſeu Latina ullum eſſe vocabulum quo deſignetur cultus ſolius Dei, quod Aug. notavit de lingua Latina 10. de civit. c. 1. Hinc eſt, quod Patres vocabula *Adorationis* & *Religionis* nunc tribuant creaturis, nunc ipſis denegent. Attamen quamvis hæc vocabula *Latria* & *Dulia* ſecundum privatam eorum inſtitutionem non ſint propria Dei vel Sanctorum cultui, uſu tamen Theologorum effectum eſt, ut *Latria* ſignificaretur cultus Dei, *Dulia* cultus Sanctorum, *Hyperdulia* cultus B. V. Mariæ. Nota 6. adorationem in communi iterum dividi in adorationem abſolutam & relativam; abſoluta eſt, quando res adoratur propter ſeipſam, id eſt propter excellentiam propriam & intrinſecam: adoratio relativa eſt, quando res adoratur propter aliud, ſcilicet propter excellentiam, quæ eſt in alia perſona, ad quam habet habitudinem, puta vel quia illam repræſentat, vel quia illam tetigit, &c. Priori modo eſt adorabilis creatura rationalis tantum, quia illa ſola eſt capax honoris & excellentiæ honorabilis, poteſt tamen etiam adorari cultu relativo. Poſteriori modo autem, ſcilicet adoratione relativa ſunt adorabiles res etiam inferioris ordinis, quia cum adorentur propter aliud, adoratio non ſiſtit in illis, ſed redundat in perſonas, propter quas adorantur. Porro

non

non eſt neceſſaria iſta diviſio in adorationas realiter diſtinctas : unica enim & eadem adoratione adoratur Chriſtus & ejus Imago, ita tamen quod reſpectu Chriſti ſit abſoluta, reſpectu Imaginis relativa. His notatis ceu præambulis ad totam hanc Quæſtionem, ſit

ARTICULUS II.

Utrum una eademque adoratione ſit adoranda Chriſti divinitas & ejus humanitas?

DIco 1. Fide certum eſt hunc hominem, deſignato Chriſto, adorari cultu latriæ. Patet, quia hic homo, deſignato Chriſto, ſupponit pro perſona divina ſubſiſtente in natura humana; perſonæ autem divinæ in quacumque natura ſubſiſtat debetur latria. Hinc Joan. 5. v. 23. dicit de ſeipſo Deo & homine: *Ut honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem: Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui miſit illum*. Concluſio magis firmabitur ex ſequenti. Unde

Dico 2. (*Hic q. 25. a. 1. & 2. o.*) Eadem adoratione latriæ adoranda eſt divinitas Chriſti, & ejus humanitas. Prob. 1. ex Conciliis. Synodus V. generalis can. 9. dicit: *Si quis ...... ſic Chriſtum adorat, ſed non una adoratione Deum Verbum incarnatum cum propria ipſius carne, ſicut ab initio Eccleſiæ traditum eſt, anathema ſit*. Idem anathema iteratur in Synodo Lateran. ſub Martino I. act. ſeu Secretario 4. Septima Synodus act. 5. *cum adoratur Chriſtus, non ſeparatur humanitas a divinitate, ſed utraque ut unum adoratur latria*. Huc facit, quod definit Concil. Trid. ſeſſ. 13. can. 6. de adoratione Chriſti in Euchariſtia. Prob. 2. ex Patribus. S. Damaſcenus lib. 3. de fide c. 8. *Unus igitur eſt Chriſtus, Deus perfectus & homo perfectus, quem adoramus cum Patre & Spiritu una adoratione cum immaculata carne ejus*. Et l. 4. c. 3. *Non dicimus, quod carnem adoramus nudam: Sed carnem Dei, id eſt incarnatum Deum.* S. Cyrillus lib. ad Reginal. paulo poſt initium .... *unam naturam Dei Verbi incarnatam & admirabilem cum carne ſua una adoratione*. Idem docet Ambroſ. l. 3. de Spiritu S. c. 12.

Prob. 3. Ratione. (*Ibid. a. 1*) Proprie honor exhibetur perſonæ ſeu toti *rei* ſubſiſtenti, non enim dicimus, quod manus hominis aut pes honoretur, ſed homo: & ſi quandoque contingat, quod dicatur honorari manus vel pes alicujus, hoc non dicitur ea ratione, quod hujuſmodi partes ſecundum ſe honorentur, ſed quia in iſtis partibus honoratur totum ſeu homo: atqui humanitas conſtituit unum totum ſubſiſtens, idemque eſſe perſonale cum Verbo: ergo una cum Verbo partialiter terminat eandem quæ ipſi defertur, adorationem latriæ. Confir. Quando adoratur perſona, eadem ſimul adoratione adorantur omnia, quæ ſunt in illa ut aliquid ejus, maxime ſi eidem eſſe & eidem ſubſiſtere communicant, quamvis non ſint adorationis cauſa: atqui, ut modo dicebamus, humanitas eſt in Verbo ut aliquid ejus; eſt enim illius natura, non minus quam natura Petri eſt illius, eidem eſſe eidemque ſubſiſtere communicans. Ergo. Patet Maj. ex uſu. Quando v. gr. honoramus aliquem virum propter excellentiam animæ ejus, quæ ſanctitate & dotibus eximiis ſive ſupernaturalibus, ſive etiam naturalibus ornatur, licet anima ſit tota honoris exhibiti cauſa & non corpus, non tamen ſoli animæ exhibetur, ſed toti compoſito, adeoque & corpori. Ergo.

Ex his colliges 1. humanitatem Chriſti, ſeu Chriſtum ut hominem non dici adorari latria per communicationem idiomatum tantum, ſicut dicitur omnipotens, æternus, &c. ſed ita quod humanitas ſit vera res adorata. Colliges 2. hanc adorationem humanitatis non debere dici relativam, ſicut ea, quæ defertur imagini Chriſti, ſed propriam & abſolutam, quia adoratur perſona cujus eſt natura, totum cujus eſt pars, adeoque, ut dictum eſt, ipſa ut pars totius adorati terminat etiam adorationem, ſecundario tamen & minus principaliter, quia adoratur non propter ſeipſam, ſed propter Verbum conjunctum, ad quod ideo primario & principaliter terminatur adoratio.

Hæc omnia clare exprimuntur in his, quæ in prima Synodo Nicæna definita ſunt adverſus Paulum Samoſat. relata in Concil. Epheſ. part. 3. c. 6. *Confitemur Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ... Totum adorabilem etiam cum corpore, ſed non ſecundum corpus adorabilem: Totum adorantem etiam cum divinitate, ſed non ſecundum divinitatem adorantem: Totus quippe ergo eſt Deus etiam cum corpore non ſecundum corpus: Totus adorandus etiam cum corpore, non propter corpus*. Colliges 3. Humanitatem Chriſti poſſe dici coadorari cum divinitate, ut docet Epiphanius: non tamen Chriſtum qua hominem coadorari, quia homo ſignificat perſonam, & *coadorari* junctum perſonis importat diſtinctionem perſonarum. Ita Cyrillus in Scholiis de Incarnat. c. 26. & Concil. Epheſ. can. 8.

Dices 1. Soli Deo debetur adoratio latriæ: atqui humanitas Chriſti quantumvis Deo conjuncta neque Deus eſt, neque æqualem habet cum Deo excellentiam. Ergo illi non debetur adoratio latriæ. R. D. Conſeq. Ergo illi non debetur adoratio latriæ propter ſeipſam, C. Conſeq. Propter divinitatem ſubſtantialiter conjunctam, N. Hoc enim ipſo quo non adoratur propter ſeipſam, ſed propter divinitatem, ita ut divinitas ſit tota ratio adorandi, verum eſt dicere, quod ſolus Deus adoretur latria, ſitque una & eadem utriuſque adoratio, quia una & eadem eſt in utraque adorandi ratio, nempe una & eadem excellentia adorabilis, quæ eſt divinitas.

Dices 2. Damaſcen. orat. 1. de Imaginibus pag. 5. dicit: *Non materiam, ſed materiæ auctorem adoro ... materiam, per quam ſalus mihi parta eſt, colere non deſinam, non tamen ut Deum*. Ergo. R. neque in noſtra ſententia materiam ſeu humanitatem adorari ut Deum, Deus enim adoratur propter ſeipſum, & humanitas propter Deum, adeoque non eodem modo.

Dico 3. (*Ibid. a. 2. o. & ad 1.*) Humanitas ſecundum ſe ſumpta, & ut per intellectum præciſa a Verbo, poteſt adorari cultu inferiori ob perfectiones ſuas creatas, v. gr. ob gratiam habitualem, dona Spiritus S. &c. Ratio eſt. Quælibet excellentia poteſt eſſe ratio, ob quam exhibeatur cultus proportionatus: atqui in humanitate Chriſti præter divinitatem ei communicatam reperitur excellentia inferior orta ex gratia habituali & donis ſupernaturalibus: & cum iſta excellentia ſit ſuperior quælibet excellentia Sanctorum, ita etiam debetur ipſi ſuperior adoratio ſcilicet hyperdulia. Confir. Humanitas ſic præciſa poteſt amari & laudari. Ergo & adorari.

Dices 1. Modo dicebamus ſoli perſonæ, ſeu toti rei ſubſiſtenti proprie honorem deferri: atqui humanitas Chriſti ſic præciſa neque eſt perſona, neque totum ſubſiſtens. Ergo illa ut ſic præciſa non poteſt adorari. R. D. Conſeq. (*Ibid. o.*) Ergo illa ſic præciſa non poteſt adorari, ita ut ſit ſola res adorata, C. Conſequ. Ita ut ſit ſola ratio adorandi, N. Hoc enim ſolum intendimus, quod humanitas præciſa a Verbo ſit ſola & tota ratio adorationis hyperduliæ, quæ tamen terminatur ad perſonam ſeu totum ſubſiſtens, ut ad rem adoratam. *Ita quod*, inquit S. Doct. o., *una & eadem perſona Chriſti adoretur adoratione latriæ propter ſuam divinitatem, & adoratione duliæ propter perfectionem humanitatis*.

Inſtares. Ergo hic homo Chriſtus adoratur duabus adorationibus, quod paſſim damnant Concilia & Patres, ut patet ex 2. Concluſione. R. D. Illatum: ergo Chriſtus adoratur duabus adorationibus in una perſona, C. In duplici perſona, N. Et hoc ultimum dumtaxat damnant Concilia & Patres; agunt enim contra Neſtorianos & alios hæreticos, qui cum ponerent in Chriſto duas perſonas, etiam duabus adorationibus neceſſario adorandum eſſe aſſerebant; ita quod ſicut in quantum Deus nullo modo poſſet adorari dulia, ſic in quantum homo non poſſet adorari latria, ideoque non poſſet dari unica adoratio, qua ſimul adoraretur divinitas & humanitas, ſeu Deus homo. Contra hunc errorem igitur definiunt Concilia & Patres dari unicam adorationem latriæ, qua ſimul & adoratur & adorari debet divinitas & humanitas, Chriſtus qua homo & qua Deus. Utrum autem præter iſtam adorationem ſit alia, qua poſſit adorari humanitas ratione propriæ perfectionis, non negant Patres.

Repones. Quod eſt dignum ſuperiori honore, indecenter colitur inferiori: ſic Ludovicus XV. qui ſimul eſt Rex & Dux, inconvenienter honoraretur ut Dux tantum. Ergo. R. D. Ant. Quod eſt dignum ſuperiori honore, indecenter colitur inferiori, ſi ſuperior ei denegetur vel expreſſe vel virtualiter, puta quia diu differtur, vel inferior honor ita exhibetur, ut videatur excludi ſuperior, C. Secus, N. Id ipſum evincit exemplum Regis, qui alio modo honoratur in ſolio ſedens, alio in Palatio domeſtico converſans, qui alia jura, alias honoris ſignificationes exigit ut Dux Burgundiæ v. gr. quam ut ſupremus totius Regni Monarcha. Et numquid Rex geſtiret honorari & laudari ut miles ſingularis in bello ob heroica facinora, modo non denegetur honos aliunde debitus regiæ dignitati? Inſuper latum eſt diſcrimen; quod, quia homines vident, quæ parent, Reges poſſint & ſoleant præcipuum ſibi debitum honorem exigere ad dignitatis ſuæ ſecuritatem: Deus autem ſcrutatur corda: unde diverſos adorationis motus ex diverſa conſideratione ortos non deſpicit.

Nota. Quod D. Th. in fine o. a. 2. dicit latriam deberi Deo Patri propter deitatem, & duliam propter Dominium, quo gubernat creaturam, non ſic eſt intelligendum, quaſi Deus Pater duplici cultu ſpecie diſtincto debeat adorari, ſuperiori latriæ ut Deus, inferiori duliæ ut Dominus; dulia enim hic non ſumitur pro ſpecie diſtincta contra latriam, ſed pro dulia communiter ſumpta ad ſpecies duliæ & latriæ, ſicut diſpoſitio eſt genus ad diſpoſitionem & habitum, ut recte notat Cajet. hic. Sed ſenſus eſt, quod licet Patri, ut Deus eſt, conveniat cultus latriæ,

Digitized by Google

latriæ, qui eſt ipſi ſoli proprius, etiam quoad nomen, quia præter illum nullus eſt Deus aut Creator: ipſi tamen ut Domino convenit etiam cultus duliæ, qui licet ſit ſupremus (quia ipſe eſt ſupremus Dominus) & in re a latria indiſtinctus, convenit tamen quoad nomen cum cultu exhibito creaturis, quæ participant de dominio. Hoc autem exemplum adfert D. Th. non ut demonſtrativum aſſertionis ſuæ, quod perſona Chriſti poſſit duplici adoratione latriæ & duliæ adorari, ſed ut monſtraretur aliqua conſonentia hujus veritatis in eo, quod aliquid quaſi ſimile contingeret in perſona Patris, ſicque tolleret admirationem circa aſſertum de duplici adoratione perſonæ Chriſti.

ARTICULUS III.

De cultu Imaginum Chriſti, & Sanctorum.

§. I. *Synopſis Hiſtorica Iconoclaſtarum.*

I. JUDÆOS, Gentiles, Marcionitas, Manichæos, Theopaſchitas jam olim bellum indixiſſe Imaginibus teſtatur Synodus VII. act. 1. & 5. Anno 723. Serantapechys Dux Hebræorum, inſignis Præſtigiator, bellum hoc inſtauraturus Jezido Arabum Calipho diuturnum Imperium ſpopondit, ſi ex totius Regni ſui finibus Chriſti Sancto umque Imagines ejiceret. Huic Præſtigiatori facilius auſcultans Princeps imprudentiſſimus omnes Imagines, ſacraſque Picturas ubivis deleri publico Edicto juſſit. Sed ſpe diuturnioris Imperii fruſtratus poſt ſeſquiannum moritur. Ulidus ejus filius Sarantapechym ceu mortis Patris ſui reum & auctorem turpiſſima morte mulctat, reſtituto in priſtinum ſtatum Imaginum cultu.

II. Anno 726. vehementer contra ſacras Imagines excitata fuit perſecutio ab Imperatore Leone Iſaurico, qui a Conſtantino Nicoliæ in Phrygia Epiſcopo, ſed ob impietatem a ſuis Diœceſanis ſede expulſo, in Imagines incenſus, in id etiam impellentibus Judæis, quibus jurejurando ſe ub ſtrinxerat ſe illis conceſſurum quidquid poſtulaſſent, cum ad Imperium evectus eſſet (quod illi vaticinati fuerant) ſacrilegum tulit Edictum de abolendis ſacris Imaginibus; eas e Templis ejecit, Chriſtianos ipſi reſiſtentes crudeliſſime exilio, mutilatione, nece, incendio exagitavit: S. Germanum Conſtantinopolitanum Patriarcham pro cultu Imaginum verbis & ſcriptis ſtrenue pugnantem, Imperatoris impietati in Conciliabulo ſubſcribere recuſantem, e Sede & Regia urbe expulſum, prope centenarium ſtrangulari jubet Leo furens, ei ſubrogato Anaſtaſio Iconomacho. Tunc temporis Romæ ſedebat Gregorius II. qui Imperatorem fruſtra monitum, cum ſua Hæreſi, diris devovit in Synodo hac de cauſa Romæ coacta. S. Joannem Damaſcenum, Damaſci præfectum & in Aula Calyphæ Saracenorum, cui erat a Conſiliis, auctoritate & gratia pollentem, eo quod adverſus naſcentem hæreſim ſtrenue propugnaret, malis artibus perdere decrevit perfidus Leo. Cum intercepiſſet quandam ejus Epiſtolam, alteram characteribus ſimilem exarari juſſit, quaſi ad ſe a Damaſceno miſſam, & qua civitatis Damaſci proditio ipſi promitteretur; hanc ad Calypham miſit, qui S. Joanni Damaſceno characteres quidem ſuos agnoſcentis, ſed factum neganti extemplo juſſit amputari dexteram, quæ coram Virginis Deiparæ imagine orante eodem die miraculoſe reſtituta eſt, teſte Joanne Jeroſolymitano in vita ejuſdem S. Damaſceni. Anno 732. Gregorius III. Gregorii II. ſucceſſor, commonitoriis literis fruſtra ad Leonem Iſaurum miſſis, eum cum Hæreſi in Synodo altera Romæ coacta mille fere Epiſcoporum iterum damnat.

III. Leoni ſucceſſit anno 741. Conſtantinus ejus filius, regni & impietatis paternæ hæres, dictus eſt *Copronymus* ab excrementorum profluvio, quo ſacrum fontem fœdavit, dum baptizaretur; malum omen futuræ impietatis, qua Chriſti Eccleſiam aliquando deturparet. Hujus impietate & crudelitate exacerbatus populus eum exauthorare, & ei Artabaſdum Curopaletem ſufficere tentavit an. 742. ſed poſt biennium comparato exercitu Curopaletem fudit Copronymus, eumque cum filiis trucidavit. Deinde bello contra Saracenos proſpere confecto, bellum adverſus ſacras Imagines ardentius inſtauravit impius Imperator: eo fine convocavit Conſtantinopolim Concilium 338. Epiſcoporum qui a fide defecerant, ut auctoritate Concilii & Eccleſiæ ſacræ Imagines aboleri viderentur. Soluta itaque Synodo 8. Auguſti 754. Conſtantinus Copronymus cum Conſtantino quodam Monacho nefario, quem in Sedem Conſtantinopol. mortuo Anaſtaſio intruſerat, prolatis in medium ſacra Euchariſtia & ſanctis Evangeliis ſuper illis plebem ſolemniter jurare juſſit, quod nulquam imagines coleret, quod illas vocaret Idola, & ut talia execraretur. Prohibuit communionem accipere a Monachis, qui pene ſoli cauſam fidei propugnabant, omnibus fere Epiſcopis impio Tyranno moram gerentibus. Monachos & Moniales, qui vel matrimonio jungi, vel imagines execrari recuſarent, opprobriis, raptationibus & ludibriis affecit, ad ultimam paupertatem adegit, aut morte damnavit, cives plurimos excarnificatos interemit, Senatores graviſſimus & nobiliſſimos, quod imagines colerent, nervis in medio fori cædi juſſit ad internecionem: ipſum Conſtantinum Patriarcham, quod ſecretum ejus errorem Neſtorianum patefeciſſet, capite truncari juſſit, ipſique ſubſtituit Nicetam Eunuchum. Nota hoc Concilium falſo a quibuſdam vocari Epheſinum tertium, in hoc forte decepti, quod illi præfuerit Theodoſius Epiſcopus Epheſinus. Anno 769. Stephanus IV. Pontifex Maximus, coacta Romæ Synodo, cui interfuere 12. Galliarum Epiſcopi, pſeudo Synodi Conſtantinop. acta reſcidit. Anno 775. crudelem efflavit animam ſceleſtus Imperator, carbunculis crura depaſcentibus & febri inſolita ad inſtar ignis urente, qua ſe velut inferni flamma torreri miſere ejulabat ob violatum Deiparæ cultum, quam ideo deinceps coli juſſit.

IV. Copronymo ſucceſſit Leo ejus filius, initio regni ſimulatus Catholicus, ſed poſtea firmato regno apertus imaginum Impugnator, qui cum coronam pretioſiſſimam lapillis coruſcantem, quam in Eccleſiam majori conſecraverat Heraclius, inde detractam ſacrilego capiti ſuo impoſuiſſet, ex eo ipſo capite eruperunt ſtatim ac quaſi formicarunt venenati carbunculi, quorum tabo ingenerata febris ipſum brevi extinxit anno 5. Imperii ſui.

V. Leo moriens Conſtantinum filium tunc decem annis natum regni hæredem reliquit ſub pientiſſimæ Matris ejus Irenes tutela, cui cum nihil Religione eſſet antiquius, cultum imaginum pro viribus reſtaurari curavit. Paulo, qui poſt Nicetæ mortem Patriarcha Conſtantinop. inauguratus fuerat, in Monaſterium ſponte recedente, quod imaginum violationi ſubſcripſiſſet, ſuffecit Irenes Imperatrix Taraſium Laicum, quocum Synodum Oecumenicam ab Hadriano I. inſtanter petiit. Lætus annuit SS. Pontifex, miſſis Conſtantinopolim Legatis Petro Archipresbytero Eccleſiæ S. Petri & Petro Abbate S. Sabæ, qui in Synodo vices ejus & locum tenerent.

VI. Anno 786. Concilium primo congregatum fuit Conſtantinopoli in Baſilica SS. Apoſtolorum, ſed Iconomachis militibus illic ſeditionem agentibus in Nicæam urbem tranſlatum eſt, ibique an. ſequenti 687. 8. Kalendas Octobris inchoatum. Huic cum Legatis Sedis Apoſtolicæ & aliarum Sedium Patriarchalium, quarum Antiſtites jugo Saracenorum oppreſſi per ſe adeſſe non poterant, interfuerunt 355. Epiſcopi, plurimi Monachi & Archimandritæ: in eo Iconoclaſtarum impietas damnata eſt, ſacrarum Imaginum aſſerta veneratio tanquam Apoſtolica traditio, fidelibuſque ad Sanctorum memoriam & imitationem excitandam perutilis; reſciſſa acta Synodi pſeudo-ſeptimæ ſub Copronymo, ac tandem Salvatoris imago in medio conſeſſu Patrum prolata ab omnibus procumbentibus adoratur. Præter fidei definitionem edidit hæc Synodus 22. Canones circa diſciplinam, qua actione incertum eſt.

VII. Hadrianus primum hanc Synodum non confirmavit ritu ſolemni, datis ad Epiſcopos & Imperatores literis, ſuſcepit tamen & approbavit, non quidem quoad Canones, nec quoad ſingulas actiones, quaslibetve Epiſcoporum interlocutiones, ſed quoad decretum fidei tantum, quod ſeptima & ultima actione editum eſt. Ita obſervat cum aliis Chriſtianus Lupus in notis ad hoc Concilium c. 14. & merito: Canone enim 1. hujus Concilii recipiuntur generaliter cum Canonibus ſex priorum Conciliorum omnes Canones Apoſtolici & Trullani. Et Canone 8. decernitur Judæos baptizatos, ſi clam judaizant, impune ex Eccleſia dimittendos, pueros eorum non eſſe baptizandos, aut ſervos emendos; quod repugnat Gregorio Magno lib. 5. Ep. 45. & Canoni 56. Concilii Toletani 4. Item act. 4. videtur Synodus approbare ſententiam Joannis Epiſcopi Theſſalonicenſis aſſerentis Angelos eſſe corporeos. Unde merito Anaſtaſius Bibliothecarius advertit in præfatione ad Joannem IV. SS. Pontificem, *quædam in hac* (Nicæna) *Synodo ex Apoſtolorum & ſextæ univerſalis Trullani Synodi* (ſeu quini-ſextæ) *Canonibus & ſententiis inveniri, quæ penes nos* (Latinos) *nec habentur, nec admittuntur.*

VIII. Anno 790. cum acta Synodi 7. in Galliam perlata eſſent, nec tunc pro œcumenica toto paſſim Occidente adhuc haberetur, acriter confutata ſunt in libris illis 4. qui dicuntur Carolini, quia vel a Carolo Magno vel ejus nomine editi ſunt. Anno 794. congregatur Concilium Francofordienſe in cauſa Felicis & Elipandi, in quo pariter damnatur propoſitio afficta 7. Synodo, præſente Carolo Magno & Legatis Hadriani Pontificis: hac in Synodo excerptum eſt Capitulare ſeu Summa ex libris Carolinis, & a Carolo ad Hadrianum per Angilbertum Abbatem miſſum eſt, quod confutavit Hadrianus data ad Carolum Apologetica Epiſtola. Circa hæc tempora vivebat Claudius Taurinenſis alter in Occidente impugnator imaginum, teſte Jona Aurelianenſi lib. 1. Anno 824. Conventus Pariſienſis ſub Ludovico Pio pariter rejecit Synodum 7. Attamen definitionem ac doctrinam 8. Synodi

reve-

revera non fuiſſe damnatam in libris Carolinis, nec a Synodo Francoford. nec a Conventu Pariſienſi, infra demonſtrabitur.

IX. Hæc dum agerentur in Galliis, recrudeſcit in Oriente bellum adverſus ſacras Imagines. Anno 814. & ſequentibus ſub Leone Armeno, Michale Balbo & Theophilo ſucceſſive imperantibus, uſque ad Michaelem Theophili filiom, cujus mater religioſiſſima Theodora, mortuo Theophilo marito, cum una com filio quatuor tantum annos nato proclamata eſſet Auguſta, totum animum reſtitoendis ſacris Imaginibus applicuit, quæ ſolemoi ritu reſtitutæ ſunt an. 841. annua ſolemnitate, quæ *Orthodoxiæ* feſtum dicitur, in hujus reſtitutionis commemorationem inſtituta. Contra poſteriores hos Imperatores Iconomachos egregie pro cultu imaginum decertarunt S. Nicephorus Patriarcha, S. Theodorus Studita, Theophanes, celeberrimus ac ſanctiſſimus Methodius, cæteriqoe plurimi, quorum alii verberibus, alii exilio, alii morte variiſque tormentis molctati ſont. Hos impios Iconoclaſtas ſequentibus temporibus imitati ſunt VVicleſiſtæ circa an. 1373. & circa an. 1522. & ſequentibos Carloſtadios, Zvvingliani, Lutherani & Calviniſtæ.

§. II. *Aſſeritur cultus Imaginum Chriſti & Sanctorum.*

NOTA inter imaginem & idolum hoc eſſe diſcrimen, quod imago (ſic dicta ab imitando) ſit vera rei ſimilitudo, ſeu ut alii dicont, rei vere ſubſiſtentis ad eam repræſentandam expreſſa ſimilitudo: idolum vero eſt falſa ſimilitudo, ſeu ſimulacrom repræſentans vel id quod ſimpliciter non eſt, vel quod non eſt tale, qoalo colitur, juxta illud Apoſt. 1. Cor. 8. *Idolum nihil eſt*, ſcilicet quantum ad formam ſeu naturam, quę ab Idololaria creditur ibi ineſſe. Simulacrum videtur idem ſignificare ac idolum: ſimolacrum enim interpretantur multi a ſimolando dictum: idem videtur dicendum de To *ſcalptile*, quod ordinarie accipitur in malam partem. Differt etiam Imago a ſimilitudine tanquam inferius a ſuperiore, licet enim omnis imago ſit ſimilitudo, non tamen e contra; quia ſimilitudo ſignificat relationem inter duo ratione alicujus convenientiæ: imago autem ſignificat talem ſimilitudinem, quæ ad repræſentandum eſt expreſſa. Hinc inferes imagines Chriſti & Sanctorum non eſſe idola, ſimulacra, aut ſculptilia, neque etiam imaginem Dei & Angelorum; non enim hæ depinguntor ad repræſentandam naturam Trinitatis aut Angelorum, ſed vel formas, in quibus apparuerunt, vel quaſdam eorum proprietates, ot latius dicemus infra.

Suppono Sanctos in ſe dulia eſſe colendos propter ſpecialem eorum excellentiam, ſcilicet ſanctitatem inamiſſibilem & poſſeſſionem ſummi boni: B. Virginem hyperdulia propter ſuperexcellentem ejus dignitatem: cuilibet enim perſonæ debet exhiberi cultus excellentiæ ſuæ proportionatos, de quo & de invocatione SS. ſat dixi in Tract. de Relig. Diſſ. 2. art. 4.

Dico. Coltus Sacrarum Imaginum Chriſti & Sanctorum eſt licitos & pios. Prob. 1. ex vetori Teſtamento. Deus juſſit fieri figuras duorum Cherubinorom aureorum ex utraque parte Arcæ Exod. 25. & erigi ſerpentem æneum, quem qui aſpicerent ſanabantur N. 21. Atqui arca coli non poterat (maxima aotem veneratione colebatur a Judæis) qoin & duo iſti Cherobini tanquam partes Arcæ colerentur. Imo Hieronymus in Ep. ad Marcellam dicit Arcam veneratione habitam fuiſſe a Judæis propter Cherubim. Similiter ſerpens æneus, a quo ſalus expectabatur, & qui erat figura Chriſti pendentis in cruce, ut ipſemet teſtatur Joan 2. aſpecto ſaltem venerabundo colebatur. Ergo. Confir. ex Aug. l. 3. de Doct. Chriſt. c. 9. ubi dicit: Signa utilia divinitus inſtituta veneranda eſſe, quia honor eorum ad prototypom tranſit; atqui iſtæ imagines Cherubim & ſerpentis ænei erant a Deo ioſtitutæ & utiles. Ergo.

Prob. 2. ex Hiſtoria Eccleſiaſtica. Mulier Hemoroiſſa erexit Paneade, ſeu Cæſareæ Philippi æream ſtatuam Chriſti in memoriam collati ſibi a Salvatore beneficii, ad cujus baſim ereſcebat herba, quæ vim ſanandi haberet omnes morbos hoc ipſo, quo æger fimbriam veſtimenti ſtatuæ tetigiſſet. Ita refert Euſebius Cæſar. l. 7. c. 14. additque ſe eam ſtatuam vidiſſe, quæ ad uſque Juliani Apoſtatæ tempora perſtitit. Septima Synodus act. 4. meminit imaginis Chriſti, quæ a Nicodemo depicta, Gamalieli & poſtea Jacobo Apoſtolo relicta, imminento Jeroſolymorum excidio Berytom civitatem Syriæ in finibus Tyri & Sidonis tranſlata a Judæis percuſſa & perforata tantam ſanguinis & aquæ copiam effudit, ut ſuppoſitam hydriam impleverit. Tertullianus lib. de pudicitia teſtatur ſuo tempore, hoc eſt initio tertii ſæculi, in Calicibus depictum fuiſſe Chriſtum ſub figura boni Paſtoris. Lactantius, qui floruit ſub finem dicti ſæculi, in ſuo carmine de Paſſione Domini tradit imaginem Chriſti crucifixi in templis more noſtro fuiſſe collocatam. Multi hic referunt Chriſtum imaginem ſuæ faciei tribus linteis impreſſiſſe, quorum unum Abagaro Regi Edeſſę traditum fuit, ſecundum Veronicæ, tertium ſudarium, quod Taurini ſervatur. Item S. Lucam pinxiſſe imaginem B. Virginis. Sed hæ hiſtoriæ probabilibus licet nitantur teſtimoniis, plures aliunde & graves patiuntur inſtantias. Unde his relictis

Prob. 3. ex Conciliis & ſummis Pontificibus. Septima Synodus œcumenica ſub Hadriano I. altera Synodus Romana ſub Gregorio II. item altera Romana ſub Greg. III. de quibus ſupra, contra Iconoclaſtas congregatæ ſententiam noſtram definieront. Item Concil. Trid. Seſſ. 25. cap. de Invoc. Sanct. definit: *Imaginem Chriſti, Deiparæ Virginis & aliorum Sanctorum in Templis præſertim habendas & retinendas, eiſque debitam honorem & venerationem impertiendam, non quod credatur ineſſe aliqua in eis divinitas vel virtus propter quam ſint colendæ; vel quod ab eis ſit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus ſit figenda, velut olim fiebat a Gentilibus, qui in idolis ſpem ſuam collocabant; ſed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ repræſentant.*

Prob. 4. ex Patribus. Baſilius Magnus in Julianom citatus ab Hadriano in Ep. ad Imperatores in 7. Synodo act. 2. *Hiſtorias* (inquit) *imaginum illarum honoro & palam adoro: Hoc enim nobis traditum a ſanctis Apoſtolis non eſt prohibendum.* Chryſoſt. in Liturgia: *Sacerdos ad imaginem Chriſti caput inclinat.* Aug. ſupra citatus & lib. de conſenſu Evan. c. 10. tradit ſuo tempore multis in locis cerni Chriſtum depictum inter Apoſtolos Petrum & Paulum. Greg. l. 7. Ep. 53. ad Secundum dicit Imaginem Sacram honorandam eſſe etiam proſtratione ad terram, non tamen ut Deom. Theodoretus in Religioſa hiſtoria c. 26. teſtatur *ſancti Simeonis Stylitæ, Romæ paſſim in officinarum propylæis, erectas fuiſſe imagines, ut hanc ſibi tutelam ac præſidium adjungerent.* His adjunge SS. Germanum, Damaſcenum, Methodiom, Nicephorum, Theodorom Studitam, Theophanem & alios, qui ut ſupra notavimus ad agonem pro cultu Sacrarum Imaginom dimicaverunt. Plures alios antiquiores Patres citant 7. Synodus, Bellarminus, Natalis Alexan. & alii.

Prob. 5. Rationibus. 1. Apud omnes Gentes uſus & cultus Imaginum Regum, Imperatorum, Heroum, Parentum recipitur & probatur; filii enim lubenter venerantur ſuorum Parentum Imagines, ſubditi ſuorom Regum: & ita iſte uſus apud omnes invaluit, ot cenſeri poſſit Jus gentium: ergo a fortiori Sanctorum Imagines ſuperiori aliqua veneratione dignæ ſunt. 2. Arca & Propitiatorium erant digna veneratione, quia erant ſcabellum pedum Domini. Moyſi præcipitor ſolvere calceamentum de pedibus in ſignum venerationis, quia locus, in quo ſtabat, ſanctus erat propter præſentiam Angeli Exod. 3. Dies prima erat ſancta, & ſeptima eadem feſtivitate venerabilis, quia erant divino cultui conſecratæ Exod. 12. Codex Evangeliorum honore dignos eſt, quia ſignificat æternam veritatem, & verba vitæ continet: unde ejus Lectionem ſtantes, detecto capite, accenſis luminibus audimus. Hanc vocem JESUS veneramur, & ad ejus prolationem caput inclinamus, quia ſignificat Verbum incarnatum; hæc, inquam, omnia jure veneramur, & cultu Religioſo juſte proſequimor, annuentibos ipſis Hæreticis, propter ſcilicet relationem aliquam quam habent ad Deum. Ergo & Imagines, quæ vel ad Deum, vel Chriſtum, vel Sanctos relationem habent, quatenus eos repræſentant, & ſunt eorum Imagines, licite & pie colontur.

3. Variæ utilitates Eccleſię obveniunt ex uſu & cultu Imaginum. Ergo. Prob. Ant. 1. Inde Rudiores inſtituuntur; 2. Perſeverat memoria eorum, quæ geſſerunt Sancti; 3. Incitamur ad eorum venerationem, devotionem & Imitationem. Ita Concil. Trid. Seſſ. & c. cit. Tandem uſus imaginum nulla lege prohibetur; non naturali, ſi quidem eas permiſerit Deus in veteri Teſtamento, ut vidimus: non poſitiva, cum nulla extet in novo Teſtamento, ot alibi. Ergo.

Probat. ultimo ex miraculis, quæ Deus fecit in probationem cultus Imaginum, & in gratiam colentium eas. Hujus generis eſt herba, de qua ſupra, orta ex baſi ſtatuæ Chriſti ab Syropheniſſa poſitæ. Item illod, quod narrat Soaomenus l. 5. c. 20. ſcilicet cum Julianus Apoſtata ſtatuam hanc impie confractam inde amoviſſet, ut ejus loco ſuam ſubſtitueret, ignis e cœlo Juliani ſtatoam mox diſcerpſit, & caput a reliquo corpore avulſit. Item illud Imaginis Berytanæ a Judæis confoſſę, ex qua tantos ſanguis erupit, qui ægros ſanaret, ot teſtatur Athanaſios lib. de Paſſione Imaginis Domini. Gregorius Turonenſis de gloria Marty. c. 12. Regino in Chron. an. 804. Notiſſima ſont inſoper miracula, quæ ad imagines B. Virginis in Lieſſe, Loreti & alibi, ad imaginem S. Dominici in Soriano & aliorum Sanctorum patrata ſunt, & quotidie patrantur.

Nec obſtat, quod inferant inde Centuriatores Magdebur-

Digitized by Google

borganſes, ſcilicet aquam Jordanis, qua Eliſæus curavit lepram Noaman, ſputum, quo Chriſtus linivit oculos cæci, eſſe pariter colendo. Aliud enim eſt id, quo ſimpliciter tanquam inſtrumento fit miraculum, aliud id, ad cujus venerationem adſtruendam fit miraculum. Hujuſmodi ſunt, quæ attulimus: ut quid enim Deus Juliani ſtatuam evertit, niſi ut ejus impietatem in deſtruenda Chriſti ſtatua redargueret? Ut quid ex baſi ſtatuæ Chriſti ab Hemorhoiſſa poſitæ herba ſanans germinaret, niſi in confirmationem cultus huic ſtatuæ exhibiti? Ut quid tanta copia ſanguinis ex confoſſa Imagine Berytana, niſi in execrationem ſceleris confodientium?

§. III. *Solvuntur Objectiones Iconomachorum, tam veterum, quam recentiorum.*

OBJ. 1. Exod. 2. præcipitur: *Non facias tibi ſcalptile, neque omnem ſimilitudinem*. Idem reperitur Deut. 4. & 5. Levit. 26. Ergo. R. 1. (*Hic a. 3. ad 1.*) & communiter non prohiberi bia locis quamcumque imaginem aut ſimilitudinem ſimpliciter fieri, ſed ne fiant ſtatuæ & imagines adorandæ cultu latriæ, ut quædam numina more gentium. Ita etiam interpretantur præter Auctorem Auguſtinus, Irenæus, Damaſc. Et patet ex eo, quod ſemper adjungitur prohibitio adorationis. Sic poſt verba citata Exodi dicitur: *Non adorabis ea, neque coles*. Poſt verba Levitici ſequitur: *Ut adoretis eum*. Poſt verba Deuter. 4. *Ne forte ... errore deceptus adores ea, & colas, quæ creavit Dominus Deus tuus in miniſterium cunctis gentibus*. Et c. 5. *Non adorabis ea, & non coles*. Patet etiam ex his verbis præcedentibus immediate in Exod. & Deuteron. 5. *Non habebis Deos alienos coram me*: & ex his ſequentibus in utroque loco: *Ego enim ſum Dominus Deus tuus fortis Zelotes*. Quibus conſtat Deum tantum intendiſſe prohibere idololatriam ſeu cultum falſorum numinum. Quidam addunt per hæc verba: *Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem*: & per iſta: *Non adorabis ea, neque coles*; duo prohiberi. Primum ne quis Idolum ſibi fabricet tanquam Idolum formaliter, hoc eſt quod reputet eſſe Deum, vel Dei, qui tamen non ſit Deus, ſimilitudinem, etſi forte non faceret ad adorandum. Secundum ne ullum Idolum colat. Hic interpretationi favet S. Th. 2. 2. q. 122. art. 2. ad 2.

R. 2. Dato Judæis ad idololatriam valde propenſis hoc præcepto prohiberi omnes imagines, qua forte de cauſa ars ſtatuaria & ars pingendi erant Decreto Synagogæ ipſis interdictæ ſecundum Orig. lib. 4. contra Celſum, & Joſeph l. 17. antiquit. c. 8. hoc tamen præceptum non erat naturale, ſi quidem ipſemet Deus juſſerit fieri imagines Cherubinorum & ſerpentis, ſed tantum per accidens Judæis impoſitum ob periculum idololatriæ, in quam maximo propendebant, quo itaque periculo jam ceſſante ceſſare debet & præceptum.

Inſt. Clemens Alexand. & Tertull. docent hoc Decalogi præcepto quaſcumque imagines aut figuras prohiberi etiam reſpective ad nos. Ergo. Prob. Ant. Clemens Alex. l. 5. Stromat: dicit: *Moyſes multis ante ſæculis aperte legem ſanxit, nullam oportere ſculptilem, vel fuſilem, vel fictam, vel pictam imaginem ſimulacrumve facere ut ſenſibilia minime attenderemus, ſed ad ea tranſiremus, quæ percipiuntur intelligentia*. Lib. 6. ibid. damnat Pictores ut fures: & in Protreptico, *Nobis eſt* (inquit) *aperte vetitum artem fallacem exercere: non facies, inquit Propheta, cujuſvis rei ſimilitudinem eorum, qui ſunt in cœlo & quæcumque ſunt in terra infra*. Tertull. lib. de Spectaculis c. 23. *Jam vero* (inquit) *ipſum opus perſonarum, quæro, an Deo placeat, qui omnem ſimilitudinem vetat fieri; quanto magis imaginis ſuæ?* lib. de Idololatria c. 3. ait: *Diabolum ſæculo intuliſſe artifices ſtatuarum & imaginum & omnis generis ſimulacrorum*. Ibid. c. 5. ſolvens quod ſibi poterat objici, Deum ſcilicet juſſiſſe fieri ſerpentis ærei ſimulacrum, reſpondet eundem Deum, qui vetuit ſimilitudinem fieri, juſſiſſe fieri ſimilitudinem ſerpentis, & ſic in ſua lege diſpenſaſſe. Unde ſubjungit: *Nec facies adverſus legem ſimulacrum aliquod, niſi & tibi Deus juſſerit*. Lib. contra Hermog. c. 1. illi objicit ut grave crimen artem pingendi: *Præterea* (inquit) *pingit illicite, nubit aſſidue, legem Dei in libidinem defendit, in artem contemnit*. Et lib. contra Marcionem c. 24. dicit: *Quomodo Moyſen & Eliam Petrus cognoviſſet niſi in Spiritu? Nec enim imagines eorum vel ſtatuas populus habuiſſet & ſimilitudines lege prohibente*. Ergo. R. D. Ant. Clemens Alex. & Tertullian. docent hoc præcepto Decalogi prohiberi etiam reſpective ad nos quaſcumque picturas aut figuras effectas ad Idololatriam, aut cum ejus periculo, C. abſolute, N. Unde

Ad Clementem Alex. 1. loco, ſi non truncatus, ſed integer referatur, aperte loquitur de imaginibus falſorum Deorum. Dicit enim: *Rurſus autem non eſſe geſtandos annulos, neque Deorum imagines eſſe iis ſculpendas, ſicut Moyſes multis ante ſæculis*, &c. prout in Objectione. Inſuper loquitur de non effingenda Dei imagine, ſubdit enim immediate: *Ut Dei enim majeſtas vilis & contempta reddatur, efficit, quæ eſt in prompta, videndi conſuetudo*. Eſt autem apertum diſcrimen inter Dei imaginem & imagines Chriſti & Sanctorum, ut dicam infra, & ſatis communiter Patres priorum ſæculorum erant hujus opinionis, imaginem Dei non debere effingi, quia Deus eſt incorporeus, quæ ratio non currit de Chriſto & Sanctis. Ad 2. locum. Clemens Alex. damnat ut fures pictores & ſculptores, qui gloriabantur ſe eſſe inventores & primos auctores animalium & plantarum pictarum, quaſi Deus occulte non operaretur in omnibus, quod eſt quædam ſpecies furti reſpectu divinæ omnipotentiæ; ſubdit enim: *Qui ergo dixerit ſe aliquid excogitaſſe vel feciſſe in eis, quæ pertinent ad creationem, impii & nefarii incepti dabit pœnas. Nam generali & univerſa Dei providentia, per ea, quæ moventur propinquius, per ſubmiſſionem tranſmittitur ad ſingularia efficax operatio*. Ad 3. dicit vetitam eſſe artem pingendi & cujuſvis rei ſimilitudinem in ordine ad idololatriam, aut cum ejus periculo, ſubjungit enim verbis citatis: *Revera enim Cererem Praxitelis & Proſerpinam & Iacchum myſticum Deos exiſtimaremus; vel Lyſippi artes, vel manus Apellis, quæ divinæ exiſtimationis figuram præbuere materiæ. Sed vos quidem, ut ſtatua fabricetur pulcherrima valde elaboratis, ne autem propter inſenſibilitatem efficiamini ſtatuis ſimiles, non curatis*.

Ad Tertullianum: 1. loco aperte loquitur de ſimilitudine falſa, vel ad Idololatriam effecta; præmittit enim verbis citatis; *An Deo placebit auriga ille* (Bacchus) *tot animarum inquietator, tot furiarum miniſter, tot ſtatuarum velut Sacerdos coronatus, vel coloratus ut Leno, quem curru rapiendum diabolus adverſus Eliam exornavit?* Et poſt pauca de Saturno, Iſide, & iterum Libero ſeu Baccho, ſubdit verba quæ opponuntur: *Jam vero ipſum opus perſonatum*, &c. Ad 2. idem eſt ſenſus: dicit enim ibid. Tertullianus: *Idolum tam fieri quam coli probibet Deus. Quando præcepit ut fiat quod coli poſſit, tanto prius eſt ne fiat, ſi coli non licet. Propter hanc cauſam* (ut eradicandam ſcilicet materiam Idololatriæ) *lex divina proclamat, ne feceris Idolum*. Ad 3. de ſerpente æneo. Non ideo cenſet Tertullianus omnem imaginem præcepto Dei eſſe prohibitam, ſed eam ſolam, quæ populo rudi & in Idololatriam propenſo ſcandalum eſſe poſſet, cujuſmodi erat ſerpens æneus, niſi expreſſo Dei mandato erectus fuiſſet in figuram Chriſti venturi. Simulacrum autem adverſus legem factum, intelligit Tertullianus ſimulacrum ad idololatriam effectum: *Potes* (inquit ibid.) *verum Deum prædicare, qui falſos facis? facio, ait quidam, ſed non colo ... imo tu colis, qui facis ut coli poſſint*. Ad 4. contra Hermog. non aſſerit Tertullianus artes pingendi & ſculpendi eſſe abſolute & univerſaliter prohibitas, ſed quatenus tantum deſerviunt idololatriæ, aut eſt periculum, ne ad ejus uſum transferantur, alias ut licitas admittit: dicit enim ibid. *Si ita neceſſitas exhibitionis obtenditur, habent & alias ſpecies, quæ ſine exorbitatione diſciplinæ, id eſt ſine Idoli configuratione opem victui præſtent ... Cum igitur ad hæc artificiorum genera cohortemur, quæ Idolum quidem & quæ Idolo componunt, non attingant, ſint autem & hominibus communia ſæpe quæ & Idolis, hoc quoque cavere debemus, ne quid ſcientibus nobis ab aliquibus de manibus noſtris in rem Idolorum poſtuletur*. Ad 5. In ea fuit opinione Tertullianus, in qua ſunt adhuc quidam Theologi Catholici, Judæis in Idololatriam propenſis prohibitas eſſe quaſcumque imagines lege Dei vel Sinogogæ, ut ab ipſis removeretur omne periculum Idololatriæ. Hoc autem præceptum eſto eſſe divinum, ſi uſus imaginum ſecundum ſe ſpectetur, eſt poſitivum & cæremoniale; ſi ſpectatur periculum idolatriæ, eſt naturale. Cum ergo præcepta cæremonialia legis poſitivæ ſint abrogata, & nullum nunc inter Chriſtianos ex uſu imaginum ſubſit idololatriæ periculum. nihil contra nos ex hoc loco Tertulliani erui poteſt.

Subſumes. Atqui colere ligna, lapides, telam, ut faciunt Catholici, eſt vera idololatria. Ergo. R. D. Ant. Colere ligna, lapides, telam, &c. ita ut credatur ineſſe iis aliquam divinitatem, vel colere imagines creaturarum tanquam Deorum, more Gentium, eſt idololatria, C. Colere eos cum prototypis, quorum ſunt figuræ, cultu relativo & eo modo quo præſcribitur a Conciliis, N.

Inſt. Neque Judæi, neque Ethnici præſertim doctiores crediderunt ligna, lapides, &c. eſſe Deos, ſed in illis ſtatuis colebant verum Deum per illas repræſentatum, non ſecus ac Catholici. Ita Calvinus l. 5. Inſtit. cap. 11. idque probare contendit Dalæus ex Celſo Gentili Philoſopho apud Origenem l. 7. ex Athenagora Chriſtiano *in legatione pro Chriſtianis*, Ex Arnobio l. 6. adverſus Gentiles, ex Lactantio l. 2. divinarum Inſtit. c. 2. R. 1. Quoad Judæos apertum eſſe Calvini & Dallæi mendacium contra expreſſa Scripturæ teſtimonia. Etenim Exod. 32. Iſraelitæ videntes vitulum aureum dixerunt: *Hi ſunt Dii tui Iſrael*. Deuter. 32. *Immolaverunt dæmoniis, & non Deo, Deum, qui te genuit*,

genuit, dereliquiſti, & oblitus es Domini Creatoris tui, ipſi me provocaverant in eo, qui non erat Deus. Pſ. 105. *Fecerunt vitulum in Horeb, & adoraverunt ſculptile, & mutaverunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum; obliti ſunt Deum.* Idem Jerem. 2.

Quoad Gentiles, N. pariter Ant. & dico Paganos omnes quotquot Sacerdotum & Pontificum ſuorum doctrinam ſequebantur, exiſtimaſſe ſua ſimulacra eſſe Deos ſive immutatione ſubſtantiæ (quæ opinio apud vulgus invaluerat) ſive infuſione quadam & incorporatione Deorum in ipſa vi conſecrationis, ſicut animæ in corpore infunduntur: quæ opinio erat ut plurimum Eruditorum. Quamvis quidam Ethnicorum Philoſophi, ut ſe ab objectionibus Chriſtianorum liberarent, confuſionemque de tam abſurdo dogmate vitarent, communem Gentilium ſuperſtitionum emollire & diſſimolate contenderent, dicentes non ſimulacra, ſed iis repræſentata numina ab ipſis coli. Quod quam certum ſit, patet ex Scriptura & Patribus, quibus potius fides eſt adhibenda, quam quibuſdam Gentilium Philoſophis. Ex Scriptura. Dicitur enim Exod. 20. *Non facietis Deos argenteos, nec Deos aureos facietis vobis.* Levit. 19. *Nolite converti ad Idola, nec Deos conflatiles faciatis vobis.* 4. Reg. 19. *Et miſerunt Deos eorum in ignem, non enim erant Dii, ſed opera manuum hominum.* Jerem. 2. *Dicentes ligno: Pater meus es tu; & lapidi: Tu me genuiſti. Ubi ſunt Dii tui, quos feciſti tibi?* Sap. 15. *Quoniam omnia Idola nationum Deos æſtimaverunt, quibus neque oculorum uſus eſt ad videndum.* Baruch. 6. *Nunc autem videbitis in Babylonia Deos aureos & argenteos & lapideos & ligneos in humeris portari, oſtentantes metum gentibus ... Hi autem non liberantur ab ærugine & tinea ... unde vobis notum ſit, quia non ſunt Dii, ne ergo timueritis eos &c.* Daniel. 4. Daniel Regi interroganti, cur Bel non adoraret? Reſpondit; *Quia non colo Idola manu facta, ſed viventem Deum. Et dixit Rex ad eum. Nonne videtur tibi eſſe Bel vivens Deus? An non vides quanta comedat & bibat quotidie? Et ait Daniel arridens: Ne erres Rex: Iſte enim intrinſecus luteus eſt, & forinſecus æreus, neque comedit aliquando.* Similiter Pſ. 113. *In exitu Iſrael*, &c. Ex Patribus: S. Athanaſ. Orat. contra Gentes *Pro numinibus adorant, quos pretio a Sculptore redemerunt.* S. Aug. l. 8. de Civit. cap. 23. ubi de Triſmegiſto dicit: *At ille viſibilia & contrectabilia ſimulacra, velut corpora Deorum eſſe aſſerit. Ineſſe autem his quoſdam Spiritus invitatos, qui valeant aliquid, ſive ad nocendum, ſive ad deſideria eorum nonnulla complenda, a quibus eis divini honores & cultus obſequia deferuntur. Hos ergo Spiritus inviſibiles per artem quandam viſibilibus rebus corporalibus materiæ copulare, ut ſint quaſi animata corpora, illis Spiritibus dicata & ſubdita ſimulacra, hoc eſſe dicit Deos facere, eamque magnam & mirabilem Deos faciendi accepiſſe hominis poteſtatem.* S. Cyprianus l. 3. teſtimoniorum adverſus Judæos, Minutius Felix in Octavio, Arnobius lib. 1. adverſus Gentes, Cyrillus Alex. lib. 6. adverſus Julian. & alii.

R. 2. Dato quoſdam Ethnicos argumentis Chriſtianorum convictos ſenſiſſe ſimulacra ſua non eſſe Deos, nullus tamen erat, qui non exiſtimaret ſaltem eſſe imagines eorum, qui vere Dii eſſent, nec niſi per illa Deos poſſe adiri, aut aliquid ab eis poſſe impetrari. Porro ab his omnibus ſuperſtitionibus longe ſunt Chriſtiani, qui colunt imagines juxta præſcriptum Trid. ſupra cit. in Probationibus. Et ut præoccupetur inſtantia, quod quandoque aliquas imagines magis colant quam alias; non ideo quia alios aliis ſecundum ſe potentiores exiſtiment, ſed quia Deus ac Sancti ſpecialibus gratiis ac variis miraculis teſtantur ſe velle ſpecialiter in iis coli.

Obj. 2. Libri Carolini, Concilium Francoford. præſente Carolo Magno Can. 20. Conventus Pariſienſis ſub Ludovico Pio Caroli Magni filio, Jonas Aurelianenſis, Agobardus Lugdunenſis & alii Epiſcopi Galliarum hujus temporis reprobarunt & damnarunt definitionem Synodi 7. de cultu imaginum. Hic eſt Canon 2. Concilii Francoford. *Allata eſt in medium quæſtio de nova Græcorum Synodo, quam de adorandis imaginibus Conſtantinopoli fecerant, in qua ſcriptum ſerebatur; ut qui imaginibus Sanctorum, ita ut deificæ Trinitati ſervitium aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur: qui ſupra ſanctiſſimi Patres noſtri omnimodis adorationem & ſervitutem renuentes contempſerunt.* Ergo. Dicit autem Synodum Conſtantinopoli factam, quia illic primum fuit convocata, & poſtea Nicæam translata, ut obſervavimus. R. 1. Concilium Francoford. in cauſa tantum Felicis & Elipandi, qui adoptionem Chriſti aſſerebant, eſſe in Eccleſia receptum, nullatenus vero quoad condemnationem Synodi ſeptimæ, ſiquam tulerit, nec in hoc ab Hadriano juſſu approbatum, ſed e contra improbatum & impugnatum in Apologia, quam edidit contra Capitularia extracta ex libris Carolinis, quæ ad ipſum miſerat Carolus Magnus. Idem a fortiori dicendum de libris Carolinis, de Synodo Pariſienſi, Jona, Agobardo & aliis tunc temporis ejuſdem ſententiæ Galliarum Epiſcopis.

R. 2. cum Baronio, Bellarm. Perronio & aliis Concilium Francoford. a Synodo 7. quoad dogma ſeu fidei ſummam non diſſenſiſſe, ſed eam damnaſſe errore facti deceptum, credens ab ea definitum eſſe imagines non ſecus ac Trinitatem adorandas eſſe latria, ut patet ex Canon. cit. cujus tamen omnino contrarium definit 7. Synodus act. 7. dicens: *Illiſque* (imaginibus) *ſalutationem & honorariam adorationem exhibeant, non ſecundam fidem noſtram veram latriam, quæ ſolam divinæ naturæ competit.* Occaſio erroris fuit perverſa traductio actorum Synodi ſeptimæ, in qua ſubſcriptio Conſtantini Cypriorum Metropolitæ male ſic traducta legebatur: *Suſcipio & amplector honorabiliter ſanctas ſeu venerabiles imagines ſecundum ſervitium adorationis quod ſubſtantiali & vivificatrici Trinitati emitto.* De qua traductione conqueritur Anaſtaſius Bibliothecarius his verbis: *Interpres pene per ſingula relicto utriuſque linguæ idiomate adeo eſt verbum e verbo ſecutus, ut quid in ea editione intelligatur, aut vix, aut nunquam poſſit adverti, in faſtidiumque verſa legentium pene ab omnibus hac pro cauſa contemnatur.* Quapropter aliam traductionem ipſe Anaſtaſius tempore Joannis VIII. adornavit, in qua ſic latine reddit ſubſcriptionem Conſtantini Epiſcopi. *Conſtantinus ſanctiſſimus Epiſcopus Conſtantiæ Cypri dixit: His conſentio & concors ſum, ſuſcipiens & cum honore amplectens ſanctas ac venerandas imagines: atque adorationem, quæ per latriam, id eſt Deo debitam ſervitutem efficitur, ſoli ſuperſubſtantiali & vivificæ Trinitati impendo.* Cum igitur Auctor ſeu Auctores librorum Carolinorum & Patres Francofordienſes, qui his libris tenaciter adhærebant (idem dic de Synodo Pariſienſi, Jona Aurelianenſi, Agobardo Lugd. & aliis) exiſtimarent ſubſcriptionem hanc falſo traductam eſſe genuinum ſuffragium Conſtantini Epiſcopi, nec a Synodo improbatum legerent, quin e contra actis ejus inſertum, facile adducti ſunt ut crederent talem fuiſſe mentem Concilii, quam etſi aperta definitione non declaraſſet, tacita tamen hujus ſubſcriptionis approbatione ſufficienter proderet, & eo maxime quod indifferenter paſſim uteretur vocabulo adorationis reſpectu cultus imaginum, ſuamque definitionem concinnaſſe verbis contrariam ad faciendum fucum & ad errorem diſſimulandum, quam minus callidus Conſtantinus ſua ſubſcriptione prodidit. Item hunc facti errorem eo facilius & lubentius ebiberunt tunc temporis quidam Præſules Galli, quod 1. infenſi erant Græcis ob ſpretam a Conſtantino Orientis Imperatore ſororem Caroli Magni quam deſponderat, ut alteri nuberet. 2. Quia nondum reputabant Synodum 7. ut œcumenicam, ſed nationalem tantum Græcorum, cui nulli fere Occidentales adfuerant, & quam Hadrianus ſolemniter non confirmaverat, licet privatim approbaverat. 3. Quia inter eos aliqui & præcipui, licet Iconomachorum hæreſim non probarent, qui imagines omnes deſtruebant, ſed illarum uſum in Eccleſiis ad piam memoriam & rudium inſtructionem admitterunt, alieni tamen omnino erant ab illo ſpeciali modo venerandi imagines, puta incurvatione, oſculis, thymiamatibus, luminaribus, &c. quem approbaverat 7. Synodus, non quod ſecundum ſe judicarent illicitum, ſed quia indiſcretum & periculoſum exiſtimabant; timebant enim ne inde eadem ſuperſtitionis mala, quæ in Oriente graſſari audiverant, in Eccleſiam Gallicanam irreperent. Dico *aliqui*: non enim omnes Eccleſiæ Gallicanæ Epiſcopi erant hujus ſententiæ, ſi quidem 12. ex eorum cœtu ſacræ Scripturæ & Canonum peritiſſimi ad Stephanum IV. miſſi cum eo in Synodo Romana imaginum venerationem ſanxerant anno 769. In ſumma igitur certum eſt Concilium Francoford. nullatenus damnaſſe Doctrinam Synodi 7., ſed errorem falſo ipſi affictum. Unde nec dicunt ſe damnare definitionem Synodi, ſed quod in Synodo ſcriptum habebatur, ſubſcriptionem ſcilicet Conſtantini perverſe traductam, ad quam, præjudiciis ex libris Carolinis & aliunde occupati, magis attenderunt, quam ad ipſam Synodi definitionem, qua oppoſitum omnino decernitur, ſi tamen eam penes ſe haberent aut legitime traductam, quod non conſtat.

Quod libros Carolinos, Conventum Pariſienſem, Jonam, Agobertum & alios Galliarum Antiſtites, certum eſt etiam in eodem errore facti circa 7. Synodum verſatos fuiſſe. Quod autem videantur ulterius impugnare cultum reſpectivum imaginum a Græcis uſurpatum & a Synodo 7. probatum (quibus quoad hoc ſe junxerunt Angli) vero ſimile eſt, ut diximus, quod illum non damnaverint ut ſecundum ſe illicitum, ſed ut indiſcretum & periculoſum, cum & ipſi admitterent uſum imaginum ad piam memoriam, quæ eſt aliqua religioſa veneratio, ita ut tota controverſia inter illos erat de modo cultus, quoad ſpectat diſciplinam; non de cultu quoad ſubſtantiam, quod ſpectat dogma. Id fuſe conatur oſtendere Natalis Alex. ſæculo 8. Diſſert. 6. Sed quidquid ſit, nos morari

non

Digitized by Google

non debent neque libri Carolini, quos refutavit ipſe Hadrianus I, quouſque multi cum Bellarmino volunt a quodam Iconoclaſta fuiſſe confictos, utpote cuſos abſque ulla ſive loci, ſive Typographi nota, barbariem ubique ſpirantes alienam ab eleganti Caroli Magni ſtylo, atque apertiſſimis ſcatentes falſitatibus tam Religioſo Imperatore indignis. Neque conventus Pariſienſis ſub Ludovico Pio, qui nec ſibi auctoritatem Synodi arrogat, & ſuam de colendis imaginibus ſententiam Eugenio tunc ſummo Pontifici ſubjicit, ut conſtat ex Ep. Ludovici & Lotharii Imperatorum ad ipſum Eugenium. Nec a fortiori morari nos debent quidam particulares Epiſcopi, ſi quid ſorte a Doctrina Catholica alienum cenſuerint, utpote in hac parte nullius ponderis, & quibus omnibus opponimus duo Concilia Generalia, ſeptimum ſcilicet, nunc ubique receptum ut Oecumenicum, & Tridentinum.

Inſtat Dallæus. Non eſt credibile Theophylactum & Stephanum Legatos Hadriani in Concilio non aperuiſſe Patribus Francoford. veram mentem & genuinam definitionem Concilii 7. ſi revera illam ex errore facti non attingebant, neque ipſis indicaſſe hanc Synodum eſſe œcumenicam & ab Hadriano confirmatam, ſi id ignorarent. Ergo. R. Legatos Hadriani vel non ſatis perpendiſſe definitionem 7. Synodi, vel ſatis eruditos non fuiſſe, ut Epiſcoporum Germanorum & Gallorum ſcrupulos expellere, eorumve pertinaciam frangere poſſent, vel tandem prudenti œconomia eorum errorem circa utrumque factum diſſimulaſſe, ne iis Epiſcopis præconceptæ opinioni tenacius adhærentibus diro ſchiſmate ſcinderetur Eccleſia, Quod & ex parte fecit ipſe Hadrianus, qui cum Capitulari a Carolo Magno per Angilbertum Abbatem miſſo reſponderet, nuſquam Oecumenicæ Synodi nomen auctoritatemve objecit.

Obj. 3. Concilium Illiberitanum (*Elvire* civitas prope Granatum in Hiſpania) circa initium 4. ſæculi Can. 36. ſic habet: *Placuit Picturas in Eccleſia eſſe non debere, ne quod colitur aut adoratur, in parietibus depingatur.* S. Irenæus l. 1. contra Hæreſes c. 15. inter errores Carpocratis & Gnoſticorum numerat, quod haberent quaſdam Chriſti imagines, quas colebant. Idem refert Epiphanius in Hæreſi Carpocratianorum; & Aug. lib. de Hæreſibus c. 7. Item Epiphanius in Ep. ad Joannem Jeroſolymitanum, quam latinitate donavit S. Hieronym. narrat ſe cum perveniſſet ad vicum quemdam Palæſtinæ, qui dicitur Anablatha, inveniſſe ibi *velum pendens in foribus Eccleſiæ tinctum atque depictum, & habens imaginem quaſi Chriſti vel Sancti cujuſdam: non enim ſatis memini* (inquit) *cujus imago fuerit; cum ergo hoc vidiſſem in Eccleſia Chriſti, contra auctoritatem Scripturarum, hominis pendere imaginem, ſcidi illud*, &c. S. Greg. Magnus in Ep. ad Serenum Epiſcopum Maſſilienſem, ipſum quidem redarguit, quod fregiſſet imagines, negat tamen eſſe adorandas, ſed dicit ad ſolam rudium inſtructionem eſſe in Eccleſiis collocandas: *Frangi* (inquit) *non debuit, quod non ad adorandum in Eccleſiis, ſed ad inſtruendas ſolammodo mentes fuit neſcientium collocatum.*

R. 1. ad Concilium Illiberitanum cum Bellarm. & aliis non prohiberi illic abſolute uſum imaginum, ſed tantum ne in parietibus depingerentur, idque duplici ratione: 1. quia ſæpe parietum decruſtatione difformes & ridiculæ fiebant: 2. & præcipue, quia ſic depictæ auferri non poterant: unde accidebat, quod tempore perſecutionis Gentilium ludibrio exponerentur. R. 2. cum aliis, quibus hæc reſponſio Bellarmini diſplicet; ex Canone citato nihil aliud colligi, quam non fuiſſe probatum in hac Hiſpaniæ Provincia tunc temporis uſum actualem imaginum, non quod ſecundum ſe judicaretur illicitus, ſed quia hæc diſciplina judicabatur minus expedire pro tunc Chriſtianis inter Idololatras viventibus, ut mox fuſius explicabo. Ad SS. Irenæum, Epiphan. Aug. de Carpocratianis, R. Illos non reprehendere Carpocratianos, quod imagines Chriſti præciſe colerent, ſed 1. quod dicerent eas eſſe a Pilato factas. 2. Quod eas colerent ritu Gentilium ipſis ſacrificando, juxta illa Irenæi verba: *Et reliquam obſervationem circa eas ſimiliter ut Gentes faciunt*: id eſt ſacrificia, ut interpretatur Epiphanius. 3. Quia Chriſtum contumelia afficiebant, ejus imaginem adjungendo imaginibus Homeri, Pythagoræ, Platonis & Ariſtotelis. Ad alium locum S. Epiphanii reſpondetur communiter illam imaginem, quam dilaceravit, fuiſſe alicujus hominis prophani. Sed hæc reſponſio non videtur cohærere cum verbis Epiphanii, qui dicit fuiſſe imaginem Chriſti vel alicujus Sancti, licet non ſatis non recordetur cujus fuerit, Chriſti vel Sancti. Unde R. probabilius S. Epiphanium ideo hanc imaginem quaſi vel Chriſti, vel Sancti alicujus concidiſſe, quia non erat congrue expreſſa, & erat ſuperſtitionis alicujus aut erroris occaſio rudioribus, quod innuit hæc particula *quaſi*: & hac ratione fuiſſe contra Religionem & contra auctoritatem Scripturarum. Ideoque prudenter egit Epiphanius hanc imaginem auferendo, quod & nemo Epiſcoporum nunc non faceret in ſimili caſu juxta decretum Trid. ſupra cit. quo jubetur, ut *nullæ falſi dogmatis imagines, & rudibus periculoſi erroris occaſionem præbentes ſtatuantur ... omnis ſuperſtitio in Sanctorum invocatione, Reliquiarum veneratione & imaginum ſacro uſu tollatur ..... omnis denique laſcivia vitetur: ita ut procaci venuſtate imagines non pingantur, nec ornentur.* Addunt plurimi hanc narrationem Epiſtolæ Epiphanii ab Iconomachis fuiſſe aſſutam: tum quia cum Epiſtola nullam habet connexionem: tum quia Iconomachi tempore 7. Synodi hæc verba non protulerunt in ſuæ hæreſeos confirmationem, cum tamen alia ejuſdem Sancti ad Theodoſium proferrent, quæ ſuppoſitionis & mendacii a Synodo revicta ſunt. Cæterum Epiphanium nunquam impugnaſſe cultum imaginum ſecundum ſe & legitimum patet ex eo, quod communione conjunctus fuerit cum S. Gregorio Nyſſeno, Baſilio, Chryſoſt. qui uſum imaginum in ſuis Eccleſiis probabant.

Ad S. Gregorium, R. ipſum in Epiſtolis duabus ad Serenum negare tantum adorationem latriæ, quæ Deo exhibetur, imaginibus propter ſe eſſe deferendam, quippe quæ prohibetur hoc præcepto: *Dominum Deum tuum adorabis & illi ſoli ſervies*: ut dicit ipſe Greg. in Ep. 2. *Omne manufactum*, inquit, *adorare non licet, quoniam ſcriptum eſt; Dominum Deum tuum adorabis & illi ſoli ſervies*: Ita ut hæc particula *ſolummodo* in verbis oppoſitis ſit hujus tantum incompetentis adorationis excluſiva, non qualiſcumque honorariæ venerationis, quod & indicant hæc ejus verba ad Serenum Ep. 2. *Indica* (ſcilicet fidelibus, quibus fractione imaginum ſcandalo fuiſti) *quod non tibi ipſa viſio hiſtoriæ, quæ pictura teſte pendebatur, diſplicuerit; ſed illa adoratio, quæ picturis fuerat incompetenter exhibita.* Porro S. Gregorium approbaſſe uſum & cultum imaginum patet 1. ex ejus Ep. ad Januarium Calaritanum l. 7 ubi occaſione cujuſdam Judæi recenter baptizati, qui Synagogam vi invaſerat, & illic crucem ac imaginem B. Virginis collocarat, mandat Epiſcopo, ut Judæis Synagoga reddatur, *ſublata exinde cum ea, qua dignum eſt, veneratione, imagine atque cruce.* 2. Ex Ep. 54. l. 7. ad Secundinum data, in qua de imagine, quam illi mittebat, & quam ipſe a Pontifice poſtulaverat, ſcribit: *& nos quidem, non quaſi ante divinitatem, ante illam proſternimur, ſed illum adoramus, quem per imaginem, aut natum aut paſſum, ſed & in throno ſedentem recordamur.* Ubi diſerte profitetur Chriſtianos ante imagines proſterni ſolitos, non tamen quaſi ante Deum.

Objiciunt inſuper novi Iconoclaſtæ plures alios Patres, maxime 3. priorum Eccleſiæ ſæculorum, qui tempore contendunt nullum in Eccleſia fuiſſe uſum ſeu cultum imaginum, quos cum omnes ſigillatim exponere longum foret, hæc ſequentia ad eorum ſolutionem, præcedentiumque clariorem explicationem annotamus. 1. Duo accurate diſtinguenda ſunt in cultu imaginum, dogma ipſum & ipſius dogmatis uſus ſeu praxis. Dogma, ſcilicet eſſe licitum ac pium colere ſacras Imagines, immutabile eſt & ab Apoſtolis ad nos continua traditione derivatum dicimus. Hujus autem dogmatis uſus ſeu praxis, hoc eſt actu colere imagines, cum diſciplinam ſpectet, mutationi obnoxia eſt, non ſecus ac cætera diſciplinæ capita, ita ut Eccleſia ſtare poſſit, etiamſi nullas haberet imagines, quas actu veneraretur; aut eas ad tempus prohiberet ſecundum varias occurrentes circumſtantias, non quod in ſe ſint malæ, ſed quia quandoque eſſe poſſunt occaſio ſcandali aut erroris, &c. ſic Ezechias confregit ſerpentem æneum, quem Moyſes juſſu Dei erexerat, quia Judæis erat occaſio idololatrandi.

Nota 2. in primis Eccleſiæ ſæculis admodum infrequentem fuiſſe uſum Imaginum, in quibuſdam Eccleſiis nullum omnino, item & ſtatuarum vix ubicumque ullum. Id videtur conſtare 1. ex ſilentio Ethnicorum, qui alioquin non omiſiſſent hunc cultum improbare noſtris in confirmationem profanarum cæremoniarum, ſi palam ubique uſurpatus fuiſſet. 2. Ex ſilentio Judæorum imaginum hoſtium infenſiſſimorum, qui etiam certo uſum earum Chriſtianis objeciſſent, ſicut poſtea fecerunt, quod tamen tunc non feciſſe evincitur ex diſputationibus SS. Patrum contra Judæos, v. gr. ex dialogo S. Juſtini cum Triphone Judæo, ex lib. Tertull. adverſus Judæos, & aliis Patrum monumentis. Hujus autem diſciplinæ in prioribus Eccleſiæ ſæculis cauſa fuit, quod ſi uſus imaginum & ſtatuarum in omnibus Eccleſiis palam invaluiſſet, in iſtis naſcentis Eccleſiæ ſæculis Religioni noxius magis, quam utilis fuiſſet, 1. quia Ethnici exiſtimaſſent Chriſtianos non dereliquiſſe, ſed mutaſſe tantum idola. 3. Quia Chriſtianis inter idololatras & cum idololatris paſſim converſantibus periculum erat, ne circa imagines & ſtatuas cultum ſuperſtitioſum Gentilium erga ſua idola ebibiſſent.

Nota 3. ſeu potius recole diſtinctionem Art. 1. poſitam inter cultum abſolutum & cultum relativum. Nota 4. non eandem eſſe rationem imaginis Dei & Chriſti ſeu Sanctorum. Imagines enim Chriſti & Sanctorum poſſe depingi & coli:

coli ſide certum tenemus tanquam dogma deciſum in Conciliis Nicæno II. & Trid. idque admittunt omnes Catholici: de imagine autem Dei non ita conſtat, quia nullibi eſt definitum, & aliunde eſt incorporeus, cujus ideo natura corporeis coloribus figurari non poteſt, licet tamen aliis titulis poſſit depingi, ut infra dicam. Hinc tempore Concilii VII. nondum erat in uſu imago Dei, ut patet ex Epiſt. Gregorii II. ad Leonem Iſaurum, ex act. 3. ejuſdem Synodi, & ex S. Joan. Damaſ. Orat. 1. de imaginibus, ita ut quidam Theologi, ut Henricus, Toſtatus, Durandus exiſtiment nefas eſſe imagines Dei pingere, cujus tamen oppoſitum §. ſequ. oſtendemus.

Nota 5. aliquando irrepſiſſe abuſus in cultu imaginum, qui ad idololatriam vergerent. Item & aliam ſuperſtitionem invaluiſſe apud Chriſtianos, qui ad ſepulchra defunctorum imagines ipſorum ſuperſtitioſo cultu adorabant, contra quos ſcribit Aug. l. 1. de moribus Eccleſiæ c. 34. Hæc ſi attente perpendas, Lector, iiſque prudenti diſcrimine utaris, facile te poteris expedire a pluribus objectionibus ex Patrum antiquorum operibus petitis.

Obj. ultimo, Homo eſt imago Dei: atqui tamen homo non colitur religioſo cultu. Ergo multo minus lignum, lapis, tela aut quid ſimile, licet ſit Chriſti vel Sancti imago. R. (*Hic a. 3. ad 3.*) hominem utique, quatenus imago Dei eſt, eſſe veneratione dignum juxta Cyrillum Catecheſi 12. ubi ait: *Imago lignea terreni Regis honoratur, quanto magis rationalis imago Dei*: & Aug. Ep. 103. ad Maximinum Epiſcopum Donatiſtarum. Non tamen ſolet cultu religioſo coli; quia cum ſit creatura rationalis, quæ ſecundum ſe eſt capax honoris, periculum eſſet, ne propter ſe coli putaretur, quod non poteſt contingere de imagine ſculpta vel picta in materia mere corporea, quæ ſecundum ſe non eſt capax honoris.

§. IV. *Utrum imagines Dei & Angelorum poſſint depingi & coli?*

Dico. Poſſunt depingi & coli imagines Dei & Angelorum. Quoad Angelos certum eſt, utpote definitum Act. 6. ſeptimæ Synodi, ubi decernitur imagines non ſolum Chriſti & intemeratæ Virginis, *ſed etiam venerandorum Angelorum & omnium deinde Sanctorum Virorum* eſſe licitas, & honoraria veneratione colendas. Patet etiam ex Cherubinis Arcæ & ex S. Dionyſio, qui c. 15. Cœleſt. Hier. apud Sylvium indicat ſuo ſæculo uſum fuiſſe pingendi Angelos. Quoad vero imagines Dei & Trinitate, licet non æqua certitudine conſtet, quia non eſt definitum, videtur tamen etiam certum, cum eadem ſit ratio Dei & Angeli, uterque enim eſt incorporeus, ita cenſet communis opinio Theologorum, paucis exceptis, ut dixi ſupra, proinde videtur nunc temerarium id negare. Itaque præter dicta, inſuper

Prob. & explicatur Concluſio. Si quid obſtaret, quominus poſſint pingi Deus & Angeli, eſſet quia natura ſunt incorporei; natura autem incorporea non poteſt delineari coloribus ſenſibilibus, nec repræſentari per figuram corpoream: atqui hæc ratio non obſtat. Ergo. Prob. Min. Dum pinguntur Deus & Angeli, non pinguntur ad eorum formam ſeu naturam, ut eſt in ſe, repræſentandam, quaſi divinitatem ſeu ſubſtantiam ſpiritualem Angeli, ut eſt in ſe, imago ſeu ſtatua corporea poſſit repræſentare; hoc enim eſſet ſummæ impietatis & imperitiæ, noſciturque ab omnibus impoſſibile, ſed pinguntur propter alia duo: 1. ad repræſentandam figuram, in qua aliquando apparuerunt. 2. Ad exprimendas figurate & per analogiam eorum perfectiones, quod nullo ſenſu poteſt probari illicitum; quin imo uſus ipſe Eccleſiæ probat licitum & pium: nec Eccleſiæ uſus tantum, ſed & Scripturarum auctoritas: ſi enim Deus ipſe ſæpe ſe aſpectabilem præbuerit; ſi Angeli ſæpius ſub humana ſpecie apparere dignati fuerint; ſi ſacræ Scripturæ Dei perfectiones ſub membrorum corporeorum velaminibus nobis deſcribant; ſi illi attribuant oculos videntes æquitatem, aures intendentes vocem orationis noſtræ, brachium potens, viſcera miſericordiæ, &c. quidni poterit Eccleſia ea ſimiliter penicillo exarare, cunte monendo has imagines, perfectiones Dei ſeu Angelorum adumbrantes, metaphorice eſſe intelligendas?

Igitur pingi poteſt Deus Pater ut antiquus dierum, quia ſic apparuiſſe legitur Daniel. 7. In ſpecie humana, qualis apparuit Adamo & Evæ deambulans in Paradiſo terreſtri. Sub ſpecie flammæ ignis, qualis apparuit Moyſi, &c. Spiritus S. depingi poteſt ſub ſpecie columbæ, qualis apparuit in Baptiſmo Chriſti, vel ſub ſpecie diſpertitarum linguarum, qualis apparuit in die Pentecoſtes. Angeli vero depinguntur in ſpecie humana, quia ſic ſæpe apparuerunt. Pinguntur Juvenes, ut exprimatur eorum vigor & vita, quæ numquam ſeneſcit; appinguntur eis alæ, quia ſunt Dei nuncii celerrimi exequentes ejus mandata; affinguntur in veſtibus albis ad ſignificandam eorum puritatem & innocentiam, &c. Cæterum ſerventur imagines ſive Dei, ſive Angelorum, quas probat Eccleſia; nec aliæ excogitentur, quæ vel indecentiam, vel abſurditatem, vel ſtupendam novitatem præ ſe ferant, ut ſi v. gr. pingeretur Trinitas ſub ſpecie hominis habentis tria capita vel tres facies.

Dices. Iſ. 40. dicitur: *Cui ſimilem feciſtis Deum, aut quam imaginem ponetis ei?* Idem Deuter. 40. & Actuum 17. Ita quoque docent Patres, Clemens Alex. l. 5. Strom. Orig. l. 6. contra Celſum, Juſtinus Martyr. Apolog. 2. Aug. de Civit. l. 4. c. 9. Ambroſ. in Pſ. 118. & tandem D. Th. hic ad 1. his verbis: *Ipſi autem vero Deo, cum ſit incorporeus, nulla imago corporis poteſt poni; quia ut Damaſcenus dicit, inſipientiæ ſummæ eſt & impietatis figurare quod eſt divinum.* R. has omnes auctoritates intelligendas eſſe de imagine Dei, quæ ipſius naturam ſeu divinitatem figuraret; quia, ut dicunt, incorporeus eſt; non autem de iis, quæ vel ipſius apparitiones vel proprietates figurata exhiberent.

§. V. *Quo cultu Imagines ſint colendæ?*

Licet Eccleſia definiverit Imagines Sacras eſſe colendas, gravis tamen & intricata difficultas reſtat, quomodo & quo genere cultus ſint colendæ: circa quam triplex eſt potiſſimum Theologorum ſententia.

Expenditur prima ſententia & rejicitur.

Quidam dicunt nullo modo imaginem eſſe in ſe colendam, niſi improprie & abuſive, ſed ſolum coram imagine colendum exemplar, ita ut imago nullatenus ſit terminus, ſed tantum ſignum ſeu conditio, qua excitamur ad honorandum prototypum. Ita Durandus, Alphonſus a Caſtro, & quidam alii. Sed hæc ſententia communiter rejicitur a Theologis, & merito. 1. Quia conſtat ex Conciliis ſupra cit. imagines vere eſſe adorandas ſeu colendas: atqui hoc eſſet falſum, ſi ſe haberent tantum ut ſigna excitativa ad adorationem exemplarium: excitare enim ad adorationem non eſt adorari; ſic licet creaturæ ſæpe excitent mentes hominum ad adorationem creatoris, non tamen ideo dicuntur adorari. 2. Concilium 7. act. 7. dicit Imagines Chriſti eſſe colendas, ſed non latria: vult ergo aliquo alio cultu vel modo in ſe eſſe colendas, & non ſolum exemplar colendum, quod colitur latria. 3. Concilium ibid. definit imagines eſſe venerandas eo modo, quo veneramur Evangelium & ſacra vaſa: atqui iſta honorantur in ſe proprie, ut omnes fatentur; licet enim horum veneratio ſit relativa, terminatur tamen immediate ad hæc objecta, & ultimate ad id, ad quod habent relationem, & ratione cujus honorantur.

Dices 1. Res inanimata & inſenſibilis non eſt in ſe adorabilis. 2. Juxta ſententiam Baſilii in 7. Synodo ſæpe repetitam, & Patres, honor imaginis tranſit ad exemplar. Unde Hadrianus Ep. ad Imperat. dicit: *Non ipſum lignum adoratur, ſed quod in ligno ad contemplandum datur, & ita per recordationem veneratio exhibetur.* Idem legitur in Concilio Moguntino tempore Pauli III. can. 41. idque confirmant hi duo verſus, qui dicuntur compoſiti tempore 7. Synodi, quique leguntur Venetiis, & referuntur a Sabellico lib. 8. Æneadis 8.

Nam Deus eſt quod imago docet, ſed non Deus ipſa:
Hanc videas, ſed mente colas, quod cernis in ipſa.

R. ad 1. rem inanimatam non eſſe in ſe adorabilem propter ſe ſeu cultu abſoluto, poteſt tamen coli cultu relativo propter excellentiam alterius, ad quam habet aliquem habitudinem; ita ut ſit objectum quod colitur, non tamen ratio ob quam colitur. Quando autem Theologi docent imagines eſſe colendas, intelligunt omnes de cultu relativo, nunquam abſoluto, quod bene adverte. Ad 2. & ſequentia dico per hæc omnia nihil aliud ſignificari, quam quod veneratio non debeat ſiſtere in imagine, ſed tranſire ultimate & principaliter ad exemplar, & quod non adoretur ratione ſui, ſed ratione exemplaris, cum enim paſſim definiant ipſa Concilia & Patres vere adorandas imagines, ſibi ipſis contradicerent, ſi intelligeretur adoratio relativa, quæ immediate tranſiret ad exemplar, tunc enim non vere coleretur imago, ut probatum eſt.

Exponuntur duæ aliæ Sententiæ.

Secunda ſententia eſt, quod idem cultus debeatur imagini & exemplari, diverſo tamen modo; exemplari propter ſe, imagini propter exemplar, id eſt cultus abſolutus exemplari, relativus imagini, ita ut ex imagine & exemplari integretur unum objectum totale adorationis, exemplar principale & primarium, imago ſecundarium & ratione exemplaris. Unde juxta hanc ſententiam imagines Dei & Chriſti adorantur latria, imago B. Virginis hyperdulia, imagines Sanctorum dulia. Ita D. Th. hic art. 3. Cajet. ibid. Alexander, D. Bonavent. Albertus Magnus, Medina,

na, Richardos, Paludanus, Capreolus, Almain, Major, Marſilius, Thomas VVald. Soto, Turrecremata, quos citat & ſequitur Nugno. Fundatur hæc ſententia 1. in dictis Conciliorum, quæ docent honorem delatum imagini tranſire ad prototypum, ut modo dicebamus. Sic Synodus VII. act. 7. *imaginis enim honor ad primitivum tranſit, & qui adorat imaginem, adorat in ea depicti ſubſtantiam*. Sic Synodus Trid. Seſſ. 25. decreto de invocat. SS. *Honor, qui eis* (imaginibus) *exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræſentant; ita ut per imagines, quas oſculamur, & coram quibus caput aperimus & procumbimus, Chriſtum adoremus, & Sanctos, quorum illæ ſimilitudinem gerunt, veneramur; id quod Conciliorum præſertim vero Nicænæ Synodi decretis contra imaginum oppugnatores eſt ſancitum*. Quibus planis verbis docent eodem honore coli & imaginem & exemplar.

2. In ſententiis Patrum, qui eodem modo loquuntur. Ambroſ. lib. de Incarn. c. 7. *Nam cum in Chriſto imaginem Dei & crucem adoramus, dividimus eum?* S. Baſilius lib. de Spiritu S. ad Amphilochium c. 18. *Quoniam Rex dicitur Regis imago, non autem duo Reges, neque etiam poteſtas ſcinditur, neque gloria dividitur. Quemadmodum autem Principatus ac poteſtas nobis dominans una eſt, ſic glorificatio, quam illi deferimus, una eſt & non multæ: itaque imaginis honor ad exemplar primum refertur*. Ita ſimiliter Dionyſius c. 2. Cœleſt. Hier. Greg. Nyſſ. citatus ab Hadriano in Ep. ad Imperatores, Damaſcenus l. 4. de fide, Athanaſius lib. contra Arianos non longe a principio, Nicephorus Conſtant. in Dialogo *Orthodoxus*, Chryſoſt. apud Hadrianum Epiſtola cit.

Prob. 3. Ratione, quæ eſt D. Thomæ (*Hic a. 3. a.*), & quæ coincidit cum ea, qua uſi ſunt Concilia & Patres citati. Motus, qui eſt in imaginem, in quanto imago alterius eſt, eſt idem cum illo, qui eſt in exemplar: atqui imago non adoratur niſi formaliter ut imago alterius. Ergo idem eſt cultus imaginis & exemplaris. Maj. eſt Ariſtot. lib. de memoria & reminiſc. c. 2. Et patet; quia 1. imago formaliter quatenus alterius repræſentativa unum moraliter facit cum ſuo prototypo. 2. Quia una eſt in utroque ratio adorationis, ſcilicet excellentia prototypi. Ergo. Magis hæc ratio elucidabitur ex dicendis infra.

Confir. 1. Lux & color eadem viſione videtur; quia color videtur ratione lucis: atqui ſimiliter imago adoratur ratione prototypi. Ergo una & eadem adoratione adorantur. Confir. 2. Menſura adorationis cujuſque rei eſt ratio propter quam adoratur: atqui ratio, propter quam adoratur imago, non eſt alia, quam excellentia prototypi. Ergo.

Prob. 4. a contrario. Eadem eſt ratio imaginis & exemplaris reſpectu inhonorantis. Ergo & reſpectu honorantis. Ant. patet; qui enim imaginem Regis contumelia afficit, reus cenſetur læſæ Majeſtatis, ac ſi ipſum Regem contumelia affeciſſet. Unde S. Athanaſius Epiſcopus Theopoleos citatus act. 4. ſeptimæ Synodi dicit; *Qui contumelium infert imagini Imperatoris, pœnam juſtam perpetitur ac ſi eidem Imperatori contumelias irrogaſſet*.

Prob. 5. ex uſu Eccleſiæ ſic canentis: *O crux ave ſpes unica, auge piis juſtitiam*, &c. & adorantis lignum crucis feria 6. Paraſceves.

Tertia ſententia docet imagines in ſeipſis & proprie eſſe quidem adorandas, attamen honore minori quam exemplar, qui cultus ſeu honor analogice tantum & reductive pertineat ad ſpeciem cultus, qui debetur exemplari, ſicut imperfectum ad perfectum ſui generis, ideoque nullam imaginem adorandam eſſe latria. Ita Sanderus, Catharinus, Perexius, Bellarminus, Cabaſſutius & alii plures.

Pro hac ſententia militant etiam argumenta nec pauca, nec levia. 1. Synodus 7. Act. 7. definit expreſſis verbis imagines eſſe vere adorandas, non tamen ſecundum latriam: *Illis*, inquit ſcilicet imaginibus, *ſalutationem & honorariam adorationem exhibeant, non ſecundum fidem noſtram veram latriam, quæ ſolum divinæ naturæ competit*. Et ibid. Baſilius Ancyranus Act. 1. & Conſtantinus Cypri Epiſcopus Act. 3. abjurantes hæreſim pronunciant ſe recipere & colere imagines, non tamen veneratione latriæ. Similiter Damaſcenus l. 1. & 3 Apologetico, quibus jungi poſſunt S. Aug. Ep. 119. c. 11. & Greg. Magnus ad Serenum de quo ſupra, Concilium Senonenſe Can. 14. Moguntinum Can. 14. qui omnes & alii cum prohibeant adorari imagines, non cenſendi ſunt denegare omnem cultum imaginibus ut Iconomachi, ſed ſolam latriam. Nec dicas hæc eſſe intelligenda de adoratione latriæ ratione ſui ipſius, non ratione exemplaris. Etenim Concilium 7. poſtquam dixit veram latriam non eſſe exhibendam imaginibus, immediate ſubdit eſſe honorandas ſicut Sacra Evangelica & Sacra Vaſa, quod repetit Concilium generale 8. Act. 10. Can. 3. his verbis: *Sacram Imaginem Domini noſtri Jeſu Chriſti, & omnium Salvatoris æquo honore cum libro Evangeliorum adorari decernimus... dignum eſt ut.. derivative imagines honorentur & adorentur ut Sanctorum Evangeliorum ſacer liber atque typus pretioſæ Crucis*. Nemo autem unquam dixit Latriam deferri libro Evangeliorum ſeu Vaſis ſacris.

2. Latria eſt cultus proprius ſoli Deo; ſed quovis modo conſideretur imago etiam ut imago formaliter, non eſt Deus. Nec dicas latriam eſſe propriam Deo, quando exhibetur ratione ſui, non autem ſi exhibeatur ratione alterius. Nam hoc ipſo quo exhibetur ratione alterius, non eſt latria; latria enim eſſentialiter eſt ſummus cultus, qui exhibetur rei propter ſe, ſeu ut alii dicunt, qui exhibetur Deo ut primo principio. Implicat autem exhiberi ſummum cultum ut primo principio & propter aliud.

3. Imago ut imago diſtinguitur ab exemplari; nihil enim eſt ſui ipſius imago, & eſt ipſo inferior, longe enim majus eſt eſſe Chriſtum, quam eſſe imaginem Chriſti. Ergo non eodem, ſed minore cultu adoranda. 4. Impoſſibile eſt unam & eandem adorationem eſſe ſimul abſolutam & reſpectivam, differunt enim genera abſolutum & reſpectivum: atqui adoratio Chriſti eſt abſoluta, adoratio ejus imaginis eſt relativa, ut in confeſſo eſt apud omnes. Ergo. 5. Adoratio Chriſti eſt cauſa adorationis imaginis. Ergo non eſt una & eadem adoratio; cauſa enim & cauſatum diſtinguuntur. Patet Ant. Quia Chriſtus eſt cauſa adorandi imaginem. 6. Ab abſurdis: ſequeretur 1. Chriſtum ſi eſſet præſens non adorari majori adoratione, quam in imagine, ſeu quam ejus imaginem, cum utrobique etiam foret latria, quæ eſt ſumma adoratio. Conſequens autem eſt contra communem ſenſum, & contra experientiam, non enim tantus honor exhibetur imagini Regis, quam ipſi Regi perſonaliter præſenti. Sequitur 2. quod liceret vota nuncupare imagini, illi ſacrificare, in illam ſpem noſtram ponere, eadem enim ratio eſt de iſtis ac de adoratione. Hæc autem ſapiunt idololatriam, & damnantur a Conciliis, maxime Trid. cit.

Reſolutio Quæſtionis.

NOTA (*Hic art. 3. c.*) imaginem poſſe tripliciter conſiderari: 1. Materialiter ut eſt res quædam auro, ligno, tela conſtans, figura, coloribus, lineamentis aliiſque artis ornamentis decorata: ſic ſumpta imago nulla veneratione eſt digna. 2. (*Ibid.*) Poteſt conſiderari formaliſſime imago prout in actu exercito exercet officium imaginis, quod eſt actu exhibere exemplar, cujus vices gerit, & a quo ſub iſta formaliſſima ratione non diſtinguitur niſi penes diverſum eſſendi modum, eo fere modo quo ſpecies intelligibilis eſt ipſum objectum in eſſe intelligibili. Imago enim formaliter & reduplicative qua imago idem eſt, quod exemplar in eſſe repræſentativo, licet ut eſt res, addat materiam, figuram, colores, &c. & hic modus conſiderandi Imaginem eſt illi proprius, nec ita proprie convenit aliis rebus Sacris aut ſignis reſpectu Dei vel Sanctorum. 3. Quodam modo medio quidam iterum conſiderant imaginem nempe prout eſt res Sacra, cultui divino deputata, & in honorem Dei & Sanctorum inſtituta, habens vim eos ſignificandi ſeu repræſentandi; & ſic, inquiunt, conſideratur etiam ut imago formaliter non in actu exercito, ſed in actu ſignato, non ut actu repræſentans, ſed ut repræſentativa & ut habens relationem ad exemplar, a quo mutuat quandam ſignificationem & quaſi conſecrationem, eo fere modo quo codex Evangeliorum, ſignum crucis ceterus expreſſum, Vaſa Altaris, Reliquiæ Sanctorum propter relationem, quam habent ad res Sacras, dicuntur ſacra. Ita Suares, Sylvius hic & alii. Et licet S. Th. hic non meminerit iſtius modi, eum tamen agnovit alibi, inquit Sylvius, ſcilicet 2. 2. q. 99. a. 1. ubi docet aliquid dici Sacrum ex eo, quod ad divinum cultum ordinatur; & a. 3. rerum Sacrarum ordinem exponens 1. Recenſet perſonam Sacram. 2. Sacramenta, tum addit. *Poſt Sacramenta autem ſecundum locum tenent Vaſa conſecrata ad Sacramentorum ſuſceptionem, & ipſæ Imagines Sacræ & Reliquiæ Sanctorum, in quibus quodammodo ipſæ perſonæ Sanctorum venerantur*. His notatis

Dico 1. Loquendo de Imaginibus tertio modo conſideratis vera videtur tertia ſententia, & hoc ſenſu eſſe intelligendam innuit Bellarminus l. 2. de Imaginib. c. 24. in Reſp. ad 5. arg. ex ratione D. Th. Illam autem probant momenta, quæ ſuperius protulimus. Si objicias cultum imaginis etiam hoc tertio modo conſideratæ ultimare terminari ad Chriſtum ſeu Sanctum, Chriſto autem deberi latriam, Sancto Duliam: Reſpondet Bellarminus ibid. Chriſto quidem deberi latriam quando adoratur ut eſt in ſe, non autem quando adoratur ut eſt in imagine per participationem: quemadmodum qui honorat famulum Regis, honorat Regem, longe tamen aliter honorat Regem in propria perſona, quam in famulo.

Dico 2. (*Ibid.*) Loquendo de imagine ſecundo modo conſiderata formaliſſime ut imago eſt & in actu exercito, ſecunda ſententia videtur admittenda; quia tunc ex imagine & exemplari integratur unus terminus adorationis, ita

ita ut tamen exemplar in recto importatum, v. g. Chriſtus in imagine refulgens adoretur primario & propter ſe, imago vero in obliquo importata ſecundario & propter exemplar.

Unde ſequitur 1. Quod adoratio exemplaris ſit abſoluta, adoratio imaginis relative, & hac ratione inferior ad adorationem exemplaris, plus eſt enim adorari primario & propter ſe, quam ſecundario & propter aliud. Sequitur 2. Quod licet adoratio, quæ terminetur ad imaginem, ſit latria, quia eſt eadem individualiter cum adoratione exemplaris, non habet tamen ab imagine quod ſit latria, ſed ab exemplari, ſicut licet eodem actu viſionis beatificæ intellectus videat Deum & creaturas, non tamen eſt beatitudo formaliter, quatenus terminatur ad creaturas: unde adoratio prout terminatur ad imaginem, non eſt formaliter & reduplicative latria, ſed materialiter tantum ſeu ſpecificative. Et hæc ſententia ſic explicata forte non diſplicebit auctoribus tertiæ ſententiæ; illam probant, quæ ſuperius in ejus expoſitione adduximus. Cæterum

Solvuntur argumenta tertiæ Sententiæ in quantum militant contra hanc ſecundam Concluſionem.

AD 1. R. & Concilia & Patres intelligendos eſſe de latria abſoluta, non relative, ſed quod idem eſt de latria quoad ſubſtantiam & modum, non de latria quoad ſubſtantiam tantum. Dupliciter itaque poteſt accipi latria. 1. Ut ſignificat latriam ſimpliciter tantum, id eſt quantum ad ſubſtantiam. 2. Prout ſignificat latriam quoad ſubſtantiam & modum, ſimul importando & quod terminetur ad hanc rem, & quod terminetur ad illam ratione ipſius; hæc ſoli Deo & Chriſto convenit, illa ejus imagini. Hoc autem ſenſu intelligenda eſſe Concilia & Patres conſtat; cum enim aſſerant imagines Chriſti & Sanctorum eadem adoratione adorari ac ipſorum exemplaria ut vidimus in probatione hujus ſecundæ ſententiæ; & aliunde dicant non adorari latria, cum tamen exemplaria adorentur latria: ut contradictio vitetur, neceſſario dicendum eſt, imagines non adorari latria ratione ſui, latria abſolute, latria quoad ſubſtantiam & modum; adorari tamen latria ratione alterius, latria reſpective, latria quoad ſubſtantiam tantum: in quo nulla eſt contradictio. Poſſet etiam forte dici has auctoritates eſſe intelligendas de imagine tertio modo conſiderata. Ad inſtantiam in contrarium R. Concilia & Patres dicere imagines adorari ut codices Evangeliorum & ſacra Vaſa, ly *ut* dicente omnimodam paritatem, N. Aliquam, C. volunt ergo Concilia & Patres, Imagines, ſicut ſacra Vaſa, non adorari cultu abſoluto & ratione ſui, & in hoc eſt paritas quam intendunt, non tamen quod ſit diverſus honos qui exhibetur imagini & prototypo, ſicut eſt diverſus, qui exhibetur Vaſibus ſacris & Deo. Eſt enim, ut diximus, ſpecialis ratio de imagine, quæ ut eſt imago formaliſſime, eſt ipſum objectum in eſſe repræſentativo. Vel loquuntur de imagine tertio modo conſiderata prout eſt præſentativa tantum in actu primo.

Ad 2. R. eadem Solutione, D. Maj. Latria abſoluta, latria ratione ſui, latria quoad ſubſtantiam & modum eſt propria Deo, C. Latria relative, latria ratione alterius, latria quoad ſubſtantiam tantum, N. Et ad inſtantiam ſimiliter. D. Hoc ipſo quo exhibetur latria ratione alterius, non eſt latria abſoluta ſeu quoad ſubſtantiam, & modum, C. Non eſt latria relative ſeu quoad ſubſtantiam tantum, N. Similiter ad Probationem: latria eſt eſſentialiter ſummus cultus, qui exhibetur rei propter ſe ſeu ut primo principio, latria abſoluta ſeu latria quoad ſubſtantiam & modum, C. Latria relativa ſeu quoad ſubſtantiam tantum, N.

Ad 3. D. Ant. Imago ut imago diſtinguitur ab exemplari penes ipſum modum eſſendi, C. Penes rem ipſam, N. Eſt enim eadem res exemplar & imago, ſed ſub diverſo modo, exemplar in eſſe entitativo, imago in eſſe repræſentativo. Unde ſimiliter D. Conſeq. Ergo imago non eſt adoranda eodem cultu quoad modum, C. Quoad ſubſtantiam, N. Sive C. totum: adorari enim ratione alterius eſt quid inferius, & modus adorationis diverſus ab adoratione ratione ſui, licet poſſit eſſe quoad idem ſubſtantiam, adoratur autem imago ratione alterius, exemplar ratione ſui.

Ad 4. R. D. Ant. Impoſſibile eſt unam & eandem adorationem eſſe ſimul reſpectivam & abſolutam reſpectu unius & ejuſdem, C. Reſpectu diverſorum, N. Ad 5. N. Ant. Ad Probat. D. Ant. Chriſtus eſt cauſa adorandi imaginem, hoc ſenſu, quod Chriſtus ſeu adoratio Chriſti efficiat adorationem imaginis, N. Hoc ſenſu, quod ratione Chriſti, qui primario & propter ſe adoratur, imago ſecundario adoretur, C. Sed N. Conſeq. Licet enim color videatur ratione lucis, eadem tamen viſione videtur.

Ad 6. R. ad 1. Sequelam, quod ſi Chriſtus eſſet perſonaliter præſens, adoraretur adoratione majori individualiter, non ſpecifice; latria enim admittit infra proximam ſpeciem gradus & latitudinem. Ad 2. Sequelam, N. illam, illi enim actus ſunt ſupremus gradus latriæ, qui non niſi ſoli Deo ſecundum ſe deferuntur. Exiſtimat tamen Nugno hos actus etiam poſſe fieri ad imaginem, ſeu coram imagine, quia fierent ad imaginem in ordine ad Chriſtum & ratione illius, non autem quod crederetur ineſſe ei aliqua divinitas ſeu aliqua virtus, quod damnat Trid. ſeſſ. 25. decreto de invocatione SS.

Obj. inſuper maxime contra rationem D. Th. Adoratio imaginis & adoratio exemplaris ſe habent ut electio & intentio, adoratur enim imago propter rem imaginatam, atqui electio & intentio ſunt actus diſtincti. Ergo. R. N. Ant. Ad probat. D. Imago adoratur propter rem imaginatam, ly *propter* dicente cauſam finalem tantum, N. Dicente etiam cauſam formalem, C. Et ſub hac ratione hic conſideratur.

Inſt. Qui videt imaginem Chriſti male pictam, odit imaginem ut imago eſt, & tamen diligit Chriſtum. E contra qui videt imaginem Judæ bene ipſum exprimentem, diligit imaginem ut imago eſt, & odit Judam. Ergo non eſt idem motus in imaginem & in rem imaginatam. R. D. Ant. Qui videt imaginem Chriſti male pictam odit imaginem ut imago eſt materialiter, & diligit Chriſtum, C. Ut imago eſt formaliter & formaliſſime Chriſti, N. Odit itaque formam figuræ male proportionatam cum exemplari, vel diligit formam figuræ, quatenus eſt bene proportionata exemplari, veram que ad illud relationem habet; ſed hoc eſt conſiderare imaginem materialiter & ut res eſt, non formaliſſime, ut exercet officium imaginis, quod eſt exhibere in actu exercito exemplar gerendo ejus vices. Unde in hoc caſu odit imaginem Chriſti, quia imago eſt, non quia eſt imago Chriſti, & diligit imaginem Judæ, quia imago eſt, non quia eſt imago Judæ; fieri enim non poteſt, quod quis diligat imaginem Chriſti quia eſt imago Chriſti, quin ſimul diligat Chriſtum, quia Chriſtus eſt cauſa cur diligat imaginem.

Repones. Juxta hanc ſententiam ſequeretur, quod Verbum mentis Chriſtum repræſentans deberet adorari latria, eſt enim idem motus in ſpeciem intelligibilem & rem intellectam. Sequitur inſuper omnes res ſacras, Evangelia, Vaſa Altaria, imo omnes creaturas poſſe adorari latria; nihil eſt enim, quod non habeat aliquam relationem ad Deum, & in quo Deus non poſſit repræſentari ut principale objectum adorationis, quæ tamen omnia videntur inaudita. Ergo. R. Quoad Verbum mentis nullum videri inconveniens, ſi ratione rei, cujus eſt naturalis ſimilitudo, adoretur ut imago. Quoad alias res ſacras non diffiteor, quin abſolute loquendo Deus poſſit in ipſis & per ipſas repræſentari ut principale objectum adorationis, & illæ ſimul repræſentatæ ut aliquid Dei eandem adorationem ſecundario terminare, ut veſtes Regis ſimul cum eo ſecundario terminant adorationem, quæ ei exhibetur juxta D. Th. a. 4. ſeq. ... Vel ut Reliquiæ Sanctorum quandoque adorantur ſimul cum Sancto, cujus ſunt Reliquiæ, ut dicemus. Neque enim una eſt ratio, cur creatura cum Deo, vel cum aliquo Sancto cogitatione conjuncta adorari poteſt ſed plures aſſignantur. Prima eſt repræſentatio perfectior ac facilior, & hæc eſt in imagine. Secunda eſt contactus realis etiam præteritus, & hæc eſt in iis, quæ Chriſtum vel Sanctum tetigerunt, ut ſunt crux, clavi, veſtes. Tertia eſt, cum res, quæ adoratur, fuit aliquid ipſius ſancti, ut ſunt membra ejus corporis. Quarta eſt ſpecialis deputatio ad cultum divinum ut in vaſis ſacris, aut quævis ſpecialis pertinentia ſeu relatio ad rem ſacram vel Deum, ut codex Evangeliorum, ſignum crucis &c. Quintam addit Vaſques nempe generalem relationem cujuslibet creaturæ ad Deum ut ad ſuum auctorem intime ſibi præſentem, quam tamen alii negant. Cæterum licet quæ ſunt venerabilia ſecundo & tertio modo ratione contactus realis ad perſonam ſacram, vel quæ ſunt partes ejus, ſimul eadem adoratione ſoleant adorari ac ipſa perſona propter immediatam conjunctionem ſeu relationem ad illam, ut dicemus de Reliquiis Chriſti & Sanctorum. Item & maxime imagines, quæ non poſſunt conſiderari formaliter ut imagines niſi cum prototypis: non ſic tamen ſolent apprehendi & adorari, quæ quarto modo ſunt venerabilia, quæ non dicunt relationem immediatam ad ipſam Perſonam ſacram ſed mediatam tantum; ſic Vaſa ſacra dicunt immediatam relationem ad cultum divinum, mediante cultu ad Deum, codex Evangeliorum immediatam dicit conjunctionem ad verba ſignificantia veritatem, & his mediantibus ad ipſam eſſentialem veritatem; ſignum crucis immediate repræſentat crucem Chriſti, & ipſa mediante Chriſtum. Quoad omnem etiam rem mundi non ſacram concedit Vaſques, ut diximus, quod cum ſit opus Dei, & in ea Deus continuo ſit & operetur, poſſumus æque facile in ea Deum cogitare, quam Virum ſanctum in veſte, quam habuit, & ſic illum in ipſa & cum ipſa adorare eadem adoratione quod confirmat ex juramento, quod eſt actus Religionis,

& tamen fieri poteſt per quamcumque rem ut in ea relucet veritas divina. Fatetur tamen illas omnes res non ſacras non proponi communiter populo adorandas propter periculum Idololatriæ ratione ignorantiæ populi. Alii ut Nugnn dicunt, ut res aliqua adoretur ſimul cum Deo, non ſufficere conjunctionem illam generaliſſimam cujuslibet creaturæ ad Deum, ſed ſpecialem requiri, qualis eſt una ex quatuor aſſignatis.

Ex dictis videtur Bellarminum (quem exſcribit hic Honoratus Tournely) modum exceſſiſſe, dum dixit l. 2. de Imag. c. 22. *Hunc loquendi modum* (noſtræ Concluſionis) *non carere magno periculo... offendere aures Catholicorum, & præbere occaſionem Hæreticis liberius blaſphemandi*. Forte non attendebat, dum hæc ſcriberet Auctor præclariſſimus, hanc eſſe ſententiam S. Th. S. Bonavent. Alexandri de Heles, Alberti Magni & illuſtrium Scolaſticorum. Sed & obſervandum eſt, quod hunc loquendi modum ſugillet laudatus Bellarminus *præſertim in Concione ad populum* propter ſubtilitatem diſtinctionum, quarum non eſt capax populus imperitus quam modificationem cenſuræ adnectere non placuit ejus exſcriptori, cui vix unquam non placent, quæ illiberaliter dicuntur contra Scholam D. Thomæ.

Eadem ut videtur animi propenſione idem Tournely initio ejuſdem Quæſtionis inter obſervanda numero tertio ſic loquitur: *Multis diſplicet hæc D. Thomæ ſententia, quam parum idoneam exiſtimant Novatoribus noſtris ad unitatem fidei hac in parte revocandis. Quapropter illuſtriſſimus ac doctiſſimus Boſſuetius in Epiſtola de adoratione crucis ad virum Religioſum ſcripta die 6. Julii anno 1681. pag. 22. conſentit, ut ſi hæc Angelici Doctoris loquendi ratio quemquam offendat, ſupprimatur, nec ulla ipſius habeatur ratio*. Sinceritas hic iterum deſideratur in Theologo Pariſienſi; ſic enim habet Illuſtriſſimus & doctiſſimus Boſſuetius Epiſtola cit. *S. Thomas tribuit cruci cultum latriæ, qui eſt cultus ſupremus, ſed ſeipſum explicat dicendo quod ſit latria reſpectiva, quæ ex hoc ipſo non eſt amplius in ſe ſuprema, nec talis evadit, niſi quia refertur ad Chriſtum. Fundamentum hujus S. Doctoris eſt, quod motus, qui tendit in imaginem, ſit idem cum illo, qui tendit in archetypum, & quod utrumque ſimul uniatur*. Quis hunc ſenſum culpare poteſt? Nemo certe. *Si expreſſio diſpliceat, poteſt omitti, ſicut abſque heſitatione fecit P. Petau; Eccleſia enim non adoptavit hanc S. Thomæ expreſſionem. Sed magna erit imbecillitas & vanitas, ſi res, quæ ſenſum tam rationabilem habent, quemquam commoveant. Id profecto miſerum eſt imo & horribile, dum attenditur has tricas euſque progredi ut abrumpant unitatem* (1).

Non diſplicet ergo illuſtriſſimo ac doctiſſimo Boſſuetio *ſententia D. Thomæ*, quin e contra illam adeo veram exiſtimat, ut *eam a nullo poſſe culpari* certo aſſerat, adeo *ratiocinabilem*, ut imbecillitati & vanitati deputet, ſi quis inde commoveatur, *miſerum* dicat & *horribile*, ſi cavillando inde unitas abrumpatur. Si tamen expreſſio, non ſententia, auribus delicatulis diſpliceat, poteſt ſalvo ſenſu omitti, non quia mala aut falſa, non quia *illius aut S. Th. nulla ratio eſt habenda*, (hoc enim ambiguum eſt apud Tournelium) ſed quia *Eccleſia illam non adoptavit*. Quantum hæc diſtent a verbis Tournely, quæque fides ſit huic Theologo adhibenda, ubi de S. Thoma aut ejus Schola agitur, hinc & ex aliis, quæ alibi, obſervavimus, judicet æquus Lector.

Petes, utrum cultus imaginum cadat ſub præcepto? R. 1. datur præceptum negativum naturale nullam inferendi irreverentiam ſacris imaginibus: quia eſt intrinſece malum contra virtutem Religionis indebite & irreveranter tractare res ſacras, 2. Datur præceptum naturale affirmativum ſervandi debitum modum in cultu imaginum, ita ut dum coluntur, abſtineatur ab omni cultu ſuperſtitioſo & indebito. 3. Multi negant dari ullum præceptum affirmativum colendi imagines: non naturale, quia licet ex principiis fidei & rationis teneamur colere Deum & Sanctos, inde tamen non colligitur nos tali modo teneri eos colere ſcilicet per imagines: non poſitivum, quia neque in ſacris Litteris continetur, neque ex traditione colligitur. Quidam volunt ratione conſuetudinis eſſe modo in Eccleſia præceptum affirmativum aliquando colendi imagines. Cæterum certum videtur eum peccaturum ratione ſcandali, qui nunquam coleret imagines.

ARTICULUS IV.

De cultu Crucis & Reliquiarum.

Dico 1. (*Hic a. 4. & 6. a.*) Crux Chriſti, ſive ea, in qua pependit, ſive aliæ, quæ ad ejus ſimilitudinem effinguntur: item cæteræ Reliquiæ illius ac Sanctorum ſunt veneratione & cultu dignæ. Nomine Reliquiarum Chriſti & Sanctorum non intelligimus ſolum partes eorum corporum, ſed vel quæ ipſis conjuncta fuerunt veſtes, vel ea, quibus uſi ſunt, dum viverent, ut inſtrumenta, vel ea, quæ ad eorum corpora fuerunt admota ut ſemicinctia, vel ea, quæ fuerunt ipſis inſtrumenta ſupplicii ut catenæ Petri, &c. Unde non ſolum veram Chriſti crucem veneramur, ſed etiam ea omnia, per quæ, & in quibus ſalutem noſtram operatus eſt, Clavos, Lanceam, Tunicam, Faſcias, Lintea, Montes Sion, Olivarum, Calvariæ, Præſepe Bethleem, Monumentum, &c.

Prob. 1. ex Scriptura Gen. 50. Exod. 13. Oſſa Jacob & Joſeph cum magno honore conſervantur & transferuntur ex Ægypto. 4. Reg. 13. Oſſa Eliſæi ſuſcitant mortuum ex contactu. Iſa. 11. dicitur de Chriſto: *Et erit Sepulchrum ejus glorioſum*. Matt. 9. Hemoroiſſa tangit ſummam cum veneratione Chriſti fimbriam, & ſanatur. Act. 19. Fideles venerabundi tangunt ſudaria & ſemicinctia Pauli, & curantur. Prob. 2. ex Conciliis. Concilium Nicænum 2. Act. 7. definit imagines eſſe adorandas ad modum & formam venerandæ & vivificantis crucis. Concil. Trid. ſeſſ. 25. de invocatione SS. definit, *affirmantes Sanctorum Reliquiis venerationem atque honorem non deberi; vel eas aliaque ſacra monumenta a fidelibus inutiliter honorari, atque eorum opis impetrandæ cauſa Sanctorum memorias fruſtra frequentari omnino damnandos eſſe, prout jam pridem eos damnavit, & nunc etiam damnat Eccleſia*. Et initio capitis declarat hunc cultum eſſe *juxta Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ uſum a primævis Chriſtianæ & Religionis temporibus receptum*: adeoque eſſe Apoſtolicam Traditionem.

Prob. 3. Ex Patribus. Legatur S. Hieronym. contra Vigilantium, Ambroſ. hom. 91. 92. Greg. Nazianz. Orat. 2. Baſilius ſupra Pſ. 115. Aug. Serm. 11. de Sanctis, Damaſcen. l. 4. de fide c. 12. Chryſoſt. hom. 83. in Joan. Origenes hom. 6. in c. 15. Exod. Cyrillus Jeroſol. Catecheſi 13. Prob. 4. Ex miraculis factis ad præſentiam ſeu contactum Sanctæ Crucis & reliquiarum Sanctorum, quorum quædam refert Aug. l. 22. de civit. c. 8. Toti mundo nota ſunt miracula facta in Inventione, Exaltatione & Apparitione Sanctæ Crucis facta Conſtantino Magno cum his verbis, *in hoc vince*, ut referunt Euſebius, Sozumenus, Paulus Diaconus, &c.

Prob. (*Ibid. a. 6. c.*) Ratione fundata in verbis Auguſtini l. 1. de Civit. c. 13. Qui habet affectum ad aliquem, veneratur etiam ea, quæ de ipſo poſt mortem relinquuntur, non ſolum corpus aut partes corporis ejus, ſed etiam exteriora, puta veſtes & ſimilia: atqui manifeſtum eſt, quod non ſolum Chriſtum, ſed etiam Sanctos Dei in veneratione habere debemus, tanquam membra Chriſti, Dei filios & amicos & noſtros interceſſores. Ergo eorum Reliquias qualeſcumque honore congruo in eorum memoriam venerari debemus. Verba autem Aug. unde D. Thom. deſumſit hoc argumentum, ſunt hæc loco citato: *Si paterna veſtis & annulus ac ſi quidam eſt hujuſmodi, tanto carius eſt poſteris, quanto erga Parentes eſt major affectus, nullo modo ipſa ſpernenda ſunt corpora, quæ utique multo familiarius atque conjunctius, quam quælibet indumenta geſtamus*.

Obſervandum (*Ibid. a. 4. c.*) crucem, in qua Chriſtus pependit, duplici ratione coli: uno modo in quantum repræſentat nobis figuram Chriſti extenſi in ea: alio modo ex contactu ad membra Chriſti, & ex hoc quod ejus ſanguine eſt perfuſa; alias autem cruces, quæ effinguntur, veneramur tantum ut imaginem Chriſti crucifixi.

Dico 2. (*Ib.*) Si crux & aliæ Reliquiæ Chriſti & Sanctorum apprehendantur ſimul cum eo, cujus ſunt Reliquiæ, tanquam unum totale objectum, eodem cultu adorantur: Chriſtus quidem aut Sanctus primario & propter ſe; Reliquiæ ſecundario & propter Chriſtum aut Sanctum: ſicut inquit S. Doct. eadem veneratione veneramur Regem & ejus veſtimentum: unde concludit crucem qualemcumque adorari latria, ſcilicet reſpectiva, eo modo quem explicuimus ſupra de imaginibus, eadem enim eſt ratio de

Ra-

(1.) *S. Thomas attribue a la Croix le culte de latria, qui eſt culte ſupreme: mais il s' explique en diſant, que c' eſt une latrie reſpective, qui dès là en elle meme n' eſt plus ſupreme, & ne le devient, que parce qu'elle ſe rapporte a JESU-CHRIST. Le fondement de ce S. Docteur c' eſt, que le mouvement, qui porte à l' Image, eſt le meme, que celui, qui porte à l' Original, & qu'on unit enſemble l' un & l' autre. Qui peut blamer ce ſens? Perſonne ſans doute. Si l' expreſſion déplait, il n' y a qu'a la laiſſer là, comme a fait ſans heſiter le P. Petau: car l' Egliſe n' a pas adopté cette expreſſion de S. Thomas. Mais on ſera bien faible & bien vain, ſi on eſt étonné de choſe, qui ont un ſens ſi raiſonnable. En verité cela fait pitié, & quand on ſonge, que ces chicanes ſont pouſſé es juſqu' a rompre l' unité, cela fait horreur. Oeuvres de Boſſuet Tom. 5. pag. 277. Edition de Paris 1743.*

Reliqoiis hoc ſenſu conſideratis. Si vero Reliquiæ conſiderentur præciſe ſecundom relationem, quam habent ad Chriſtom, aut Sanctum, eujus ſuut Reliquiæ, quatenus fuerunt aliqoid illius, aut eum tetigerunt, oi diximus de imaginibus tertio modo conſideratis, tunc adorantur cultu inferiori, qoi analogice & reductive tantum pertinebit ad genus eultus Sancto exhibiti. Idem eſt ac de imaginibus tertio modo conſideratis.

Solvuntur Objectiones.

OBj. 1. Nullos pius filius venerator contomeliam Patris ſui, puta flagellum, quo flagellatus eſt, vel lignum, in qao fuit ſuſpenſus. Ergo. R. N. Conſeq. (*Ib. ad* 1.) Diſparitas eſt, quod flagellum & patibulum Patris conſideratur a filio ut opprobriom & malum Patris tantum, ſi enim fuiſſent Patri cauſa exaltationis & filio liberationis ex acerba tyrannide, illa in pretio haberet. Nos autem veneramur crucem, clavos, lanceam ſub ſecunda conſideratione, quatenus fueroot inſtrumeota triumphi Chriſti & noſtræ liberationis.

Inſt. Saltem præter veram crucem aliæ non videntur adorandæ. Ergo. Prob. Ant. Licet adoremus veros clavos, veram lanceam, verom præſepe, verum ſepulchrom, non tamen adoramus omnes alios clavos, omnes lanceas, omnia præſepia, omnia ſepulchra, &c. Ergo. R. N. Ant. *Ad Prob.* N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod iſta omnia oon repræſentant imaginem Chriſti ſicut crux; crux enim de novo facta non ſolum eſt imago primitivæ crucis, ſed etiam ipſius Chriſti, quem nobis ſtatim exhibet in ea extenſum; nullum enim nunc habet alium uſom apud nos poſt edictum Conſtantini, qui prohibuit ſontes crucifigi: imo nec iſta omnia ſunt imagines eorum, quæ fuerunt inſtrumenta Paſſionis Chriſti, ſicut crux eſt imago crucis, in qua pependit: ad imaginem enim non ſufficit omnis ſimilitudo, ſic frater non dicitur imago fratris, nec ovum imago alterius ovi; ſed requiritur, quod unom exprimatur ex altero ad ejos ſimilitudinem, ſicut nunc cruces omnes fiont ad exprimendam primam: at vero oon omnes clavi, lanceæ, præſepia fiunt aut eriguntor ad repræſentanda illa, quæ fuerunt inſtrumenta Paſſionis Chriſti, ſed ad alios uſus; ſi tamen in hooc finem erigerentur ſua veneratione non carerent, ut cum pinguntur in imagine cum cruce.

Repones. Si adoremus inſtrumeota paſſionis & alia, ratione contactus, ſequitur, quod pariter potuiſſent adorari labia Judæ, manus crucifigentium Chriſtum, aſinus cui inſedit, &c. atqui hæc ſunt abſurda. Ergo. R. Certum eſt rem ex contactu ad aliquam perſonam excellentem ſecundum communem æſtimationem hominum contrahere ordinarie aliquam dignitatem & venerabilitatem, qua fit, ut habeatur in majori pretio quam ante; ſed ad hoc requiritur, quod moraliter loqaendo cenſeatur participaſſe aliqualiter ejus excellentiam aut ſanctitatem, & quod nihil obſtet in ea veneratiom. Hoc notato, N. Sequelam argumenti; labia enim Judæ & manus crucifigentium nullatenus participaverunt ſanctitatem Chriſti, ſed potios malitiam eorum, qoorum erant membra & partes vitales, ita ut fuerint inſtrumenta immediata Paſſionis non tam ut erat paſſio, quam ut erat actio ſcelerata; poteſt enim ſub hac duplici ratione conſiderari Paſſio Chriſti: crux autem, clavi & aliæ res inanimea fuerant inſtrumenta immediata Paſſionis Chriſti, ut paſſio erat ſanctiſſima, mediate tantum actionis ſceleratæ Judæorum. Quantum ad Aſinum repugoat ipſi deferri adorationem, quia erat Brutum, & fuiſſet ignorantibus occaſio idololatrandi. Adde, quod Chriſtus non inſederit immediate Aſino, ſed veſtimentis ſuperpoſitis.

Urgebis: ex hac ſententia ſequitur, quod cruces, quæ ſunt in platea & locis indecentibus, vel quæ exprimuntur manu vel digito, debemus adorare, quod videtur abſurdum. R. equidem cruces non debere erigi in locis indecentibus: unde Theodoſius Imperator prohibuit, ne humi pingerentur vel ſculperentur, propter periculum eas pedibus calcandi, l. 1. cod. tit. 8. l. *cum ſit nobis*. Ubi tamen reperiuntur, veneratione dignæ ſunt, etiam cruces digito vel manu formatæ, ut docent Patres citati a Nogno, Dionyſius, Cyrillus Jeroſol. Athanaſ. Baſil. Chryſoſt. &c.

Obj. 2. Deus Deuteron. cap. ult. abſcondit corpus Moyſis, ne coleretur a Judæis. Chriſtus Luc. 11. & Matth. 23. arguit Judæos, quod ſepulchra Prophetis erigerent. Ergo. R. ad 1. id eſſe factum a Deo, ne corpus Moyſis coleretur ut Deus a Judæis, qoi valde erant propenſi ad idololatriam. Ita Chryſoſt. hom. 5. in Matth. Nec obſtat, quod non coluerint eum viventem ut Deum, ipſum enim tunc audiebant ſæpe dicentem unum eſſe Deum, ſe vero ſervum, poſt mortem ejus vero obliti ſermonum & memores mirabiliom, quæ fecerat, facile potuiſſent eum ceu Deum colere, ut fecerunt ſerpentem æneum.

Ad 2. R. Chriſtum his in locis non reprehendere Judæos præciſe quod ſepulchra Prophetis erigerent, ſed quod non imitarentur eos, quorum monumenta magnificabant, ſed potius Patres ſuos, qui prophetas occiderant, atque ita ſeipſos condemnarent; quærebant enim ipſum occidere. Unde dicit eos conſentire operibus majorum ſuorum. Ita Chryſoſt. hom. 75. in Matth. Ambroſ. & Beda in cap. 11. Luc.

Obj. 3. Concilium Illiberitanum can. 34. prohibet, ne cerei per diem accendantur in cœmeteriis: *inquietandi enim*, inquit, *ſpiritus Sanctorum non ſunt*. Et D. Hieronymus Vigilantio objicienti idololatriam eſſe accendere de die cereos coram Reliquiis, nihil aliud reſpondet, quam eos ſolos id facere, *Qui zelum Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam*. Et Aug. lib. de moribus Eccleſiæ c. 34. reprehendit ſepulchrorum & imaginum Adoratores. Ergo. R. ad Concil. Illiberit. ibi tantum prohibere ſuperſtitionem Gentilium, qui accenſis cereis & variis aliis ſuperſtitioſe adhibitis animas defunctorum avocabant quaſi illic adeſſent; talis enim evocatio eſt quædam inquietatio. Sic anima Samuelis evocata a Pythoniſſa dicit: *Quare inquietaſti me?* 1. Reg. 28. Ad Hieronymum: ibi tantum culpare eos, qui ſuperſtitioſe accendebant cereos coram Reliquiis Martyrum, putantes eos iis cereis accenſis illuſtrari, quia objecerat ei Vigilantius per ironiam: *Magnum honorem præbent hujuſmodi homines beatiſſimis Martyribus, quos putant de viliſſimis cereis illuſtrari*. Secluſa autem hac ſuperſtitione ibidem probat id eſſe pium & licitum: *Quicumque*, inquit, *accendunt cereos, ſecundum fidem ſuam habeant mercedem*, huncque uſum probat, ad quia Lectionem Evangelii accenduntur cerei. Idem probat in Epiſt. ad Riparium & in vita Paulæ. Ad Aug. R. ipſum eo loci non loqui de Sanctorum ſepulchris ſeu imaginibus, ſed quorumlibet defunctorum: damnat ergo eos, qui defunctorum manibus ad eorum ſepulchra ſeu imagines more gentium parentabant, offerentes eis panem & vinum aliaſque epulas, quibus deinde ſe ingurgitabant & inebriabant. Patet ex his ejus verbis: *Novi*, inquit, *multos eſſe ſepulchrorum & picturarum adoratores, novi multos eſſe, qui luxurioſiſſime ſuper mortuos bibant, & epulas cadaveribus exhibentes ſuper ſepultos, ſeipſos ſepeliant, & voracitates ebrietateſque ſuas deputent Religioni*. Quod autem non negaverit Auguſtinus religioſam venerationem ſepulchrorum Sanctorum patet ex his verbis Ep. 42. ad Madaurenſes: *Videtis imperii nobiliſſimi eminentiſſimum crimen ad ſepulchrum Piſcatoris Petri ſubmiſſo diademate ſupplicare*.

Obj. ultimo ſæpe falſas Reliquias venditari, & coli pro veris, quod jam ſæpe deprehenſum eſt, & inſinuat Aug. lib. de opere Monach. c. 18. ubi cum dixiſſet Monachos quoſdam circumferre Reliquias Martyrum, ſubdit, *Si tamen Martyrum*. Adde tot eſſe ejuſdem generis Reliquias, ut oporteat vel eundem Sanctum habuiſſe multa corpora, vel multas Reliquias eſſe falſas. Ita Calvinus. R. N. Ant. de Reliquiis, quæ auctoritate legitima in Eccleſiis venerationi Fidelium proponuntur, de his enim tantum loquimur; ſemper enim Eccleſia diligentiam adhibuit, ne fraudes irreperent, maxime poſt decretum Concilii Lateran. quo cavetur, ne ullæ Reliquiæ publice exponantur abſque ſufficienti examine & approbatione. Non mirum eſt autem Auguſtinum dubitaſſe de Reliquiis, quas privati quidam Monachi circumferrent. Quoad id quod additur de multiplicatione ejuſdem Reliquiæ, R. id accidere ex eo, quod diverſæ partes ejuſdem corporis ſint in diverſis locis, & a parte denominetur totum. Sic toti quadraginta Martyres (ut ſcribit Baſilius Orat. in 40. Martyres) dicebantur eſſe in variis urbibus, quia quælibet civitas habebat aliquam partem eorum. Et Theodoret. l. 8. de Martyribus advertit corpora Martyrum raro inveniri integra in ſepulchris, ſed in variis locis eſſe diſtributa. Cæterum dato poſſe abſolute loquendo aliquando falſas Reliquias irrepere pro veris, non ideo tamen ab omnium cultu abſtinere debemus; ſufficit enim ad earum cultum licitum moralis certitudo de earum veritate, ſicut eadem moralis certitudo ſufficit, ut adoremus Hoſtiam conſecratam, etſi poſſit accidere, quod non ſit conſecrata. Adde, quod ſæpe ſit error materialis tantum, ita ut dicantur reliquiæ unius Sancti, quæ tamen ſunt alterius.

Quæritur, utrum Mater Chriſti ſit adoranda adoratione latriæ? R. Negative. Prob. (*Ibid. art.* 5. *o.*) Non eſt adoranda latria abſoluta, quia eſt pura creatura; neque reſpectiva, quia cum ſit creatura rationalis, eſt propter propriam excellentiam adoranda. Ergo. Patet Ant. pro 1. parte. Prob. pro ſecunda. 1. Quia ſi creatura rationalis, quæ ratione ſui digna eſt veneratione, adoraretur latria reſpectiva, præberetur occaſio exiſtimandi, quod adoratio ipſi tribueretur ratione propriæ excellentiæ. 2. Quia adorari hyperdulia propter ſe eſt quid majus & nobilius, quam adorari latria propter aliud. Licet enim la-

tria ſit ſpecies cultus perfectior & dignior, quam dulia ſeu hyperdulia, in individuo tamen actus duliæ poteſt eſſe perfectior & dignior actu latriæ, ſicut v. g. licet juſtitia ſit virtus ſpecie perfectior temperantia, poteſt tamen actus temperantiæ ſummus eſſe in individuo, perfectior actu juſtitiæ infimo: & id contingit in actu relativo latriæ & abſoluto hyperduliæ; quia actus latriæ, licet quatenus abſolutus eſt, & terminatur ad Deum, ſit perfectior & perfectiſſimus; ut tamen eſt relativus, & terminatur ad creaturam inſenſibilem, non eſt perfectior, nec inde habet, quod ſit latriæ, niſi materialiter, ut diximus.

Dices. Conjunctior fuit Chriſto Mater ejus, quam crux. Ergo. R. C. Ant. N. Conſeq. (*Ibid. ad 3.*) Quia crux, cum ſit res inſenſibilis incapax ſecundum ſe honoris, non ratione ſui, ſed ratione alterius adorari debet: Beata autem Virgo, cum ſit ſecundum ſe honoris capax, honoranda eſt cultu, qui ei debetur ſecundum ſe, propter rationes allatas.

Repones. Honor Matris refertur ad Filium. Atqui Filius adoratur latria. Ergo. R. D. Ant. (*Ibid. ad 2.*) Honor Matris refertur ad Filium ut ad finem, C. Ut ad objectum, quod eadem adoratione ſimul adoratur, N. Adoratio autem imaginis refertur ad exemplar ſicut ad objectum ſeu terminum, qui eodem actu adoratur, ut diximus. Sunt tamen quidam Recentiores, quos tacito nomine refert Nugno, qui exiſtimant B. Virginem propter intimam ſuam conjunctionem ad Chriſtum ejuſque maternitatem poſſe ſaltem cultu interno adorari latria reſpectiva; ſed non videtur communis hæc opinio, magiſque ſtandum eſt communi praxi Fidelium & ſenſui Eccleſiæ, quæ B. Virginem veneratur cultu quidem inferiore ad divinum, quia eſt creatura, ſed ſuperiore ad alios Sanctos, ſcilicet hyperdulia, quia eſt excellentiſſima creatura, non ſolum ratione plenitudinis gratiæ, ſed etiam maternitatis Dei. Et ſic media via incedit inter duas hæreſes ſcilicet Antidicomarianitarum, qui nimis humiliter de illa ſentiebant apud Epiphan. hæreſi 77. & 78. & Collyridianorum, qui in aliud extremum declinantes honores divinos ipſi deferebant, Collyridas ſeu Placentas ei offerentes in Sacrificia: apud eundem Epiphan. Hæreſi 79.

Finem huic Tractatui hic ægre imponimus. Plurima enim utilia, pia & curioſa circa Myſteria vitæ & paſſionis Chriſti Salvatoris pluſquam angelice tractat S. Thom. 3. q. 26. ad 59. quibus immorari, quæque diſcutere maxima fuiſſet voluptas, nec minor utilitas; ſed quia de iis vix aut ne vix diſputatur in ſcholis, & præſens Tractatus jam nimium pro inſtituto noſtro excrevit, illa omittere cogimur, & Lectorem Chriſtianum & curioſum ad Auctorem noſtrum remittere.

S U M M A
DOCTRINÆ CATHOLICÆ
DE SACRAMENTIS IN COMMUNI
EX CONCILIIS FLORENTINO ET TRIDENTINO.

Decretum Concilii Florentini pro inſtructione Armenorum (*Sub Eugen. IV. anno 1439.*)

Novæ Legis (S. Thomas Opuſc. 5.) ſeptem ſunt Sacramenta: videlicet Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium, quæ multum a Sacramentis differunt antiquæ Legis. Illa enim non cauſabant gratiam, ſed eam ſolum per paſſionem Chriſti dandam eſſe figurabant: hæc vero noſtra & continent gratiam, & ipſam digne ſuſcipientibus conferunt. Horum quinque prima ad ſpiritualem uniuſcujuſque hominis in ſeipſo perfectionem; duo ultima, ad totius Eccleſiæ regimen, multiplicationemque ordinata ſunt. Per Baptiſmum enim ſpiritualiter renaſcimur; per Confirmationem augemur in gratia & roboramur in Fide: renati autem & roborati nutrimur divina Euchariſtiæ Alimonia. Quod ſi per peccatum ægritudinem incurrimus animæ, per Pœnitentiam ſpiritualiter ſanamur: ſpiritualiter etiam & corporaliter, prout animæ expedit per Extremam Unctionem: per Ordinem vero Eccleſia gubernatur & multiplicatur ſpiritualiter: per Matrimonium corporaliter augetur. Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & perſona Miniſtri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Eccleſia: quorum ſi aliquod deſit, non perficitur Sacramentum. Inter hæc Sacramenta, tria ſunt, Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo, quæ characterem, id eſt, ſpirituale quoddam ſignum a cæteris diſtinctivum, imprimunt in anima indelebile. Unde in eadem perſona non reiterantur. Reliqua vero quatuor characterem non imprimunt, & reiterationem admittunt.

Canones Concilii Tridentini de Sacramentis in communi. (*Seſſ. 7. 3. Martii 1547. ſub Paulo III.*)

I. Si quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non fuiſſe omnia a Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta; aut eſſe plura vel pauciora quam ſeptem; videlicet, Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium, aut etiam aliquod horum ſeptem non eſſe vere & proprie Sacramentum; anathema ſit.

II. Si quis dixerit, ea ipſa novæ Legis Sacramenta a Sacramentis antiquæ Legis non differre, niſi quia cæremoniæ ſunt aliæ, & alii ritus externi; anathema ſit.

III. Si quis dixerit, hæc ſeptem Sacramenta ita eſſe inter ſe paria, ut nulla ratione aliud ſit alio dignius; anathema ſit.

IV. Si quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non eſſe ad ſalutem neceſſaria, ſed ſuperflua; & ſine eis, aut eorum voto, per ſolam fidem homines a Deo gratiam juſtificationis adipiſci; licet omnia ſingulis neceſſaria non ſint; anathema ſit.

V. Si quis dixerit, hæc Sacramenta propter ſolam fidem nutriendam inſtituta fuiſſe; anathema ſit.

VI. Si quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non continere gratiam, quam ſignificant; aut gratiam ipſam non ponentibus obicem non conferre; quaſi ſigna tantum externa ſint acceptæ per fidem gratiæ vel juſtitiæ, & notæ quædam Chriſtianæ profeſſionis, quibus apud homines diſcernuntur fideles ab infidelibus; anathema ſit.

VII. Si quis dixerit, non dari gratiam per hujuſmodi Sacramenta ſemper & omnibus, quantum eſt ex parte Dei, etiam ſi rite ea ſuſcipiant; ſed aliquando & aliquibus; anathema ſit.

VIII. Si quis dixerit, per ipſa novæ Legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam; ſed ſolam fidem divinæ promiſſionis ad gratiam conſequendam ſufficere; anathema ſit.

IX. Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc eſt, ſignum quoddam ſpirituale & indelebile, unde ea iterari non poſſunt; anathema ſit.

X. Si quis dixerit, Chriſtianos omnes in verbo & omnibus Sacramentis adminiſtrandis habere poteſtatem; anathema ſit.

XI. Si quis dixerit, in Miniſtris, dum Sacramenta conficiunt & conferunt, non requiri intentionem ſaltem faciendi quod facit Eccleſia; anathema ſit.

XII. Si quis dixerit, Miniſtrum in peccato mortali exiſtentem, modo omnia eſſentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, ſervaverit, non conficere, aut conferre Sacramentum; anathema ſit.

XIII. Si quis dixerit, receptos & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos, aut ſine peccato a Miniſtris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Eccleſiarum Paſtorem mutari poſſe; anathema ſit.

T R A C T A T U S
DE SACRAMENTIS IN COMMUNI.

Div. Thom. Quæſt. 60. ad 66.

POST conſiderationem eorum (*Quæſt. 60. in Proœm.*), quæ pertinent ad myſteria Verbi Incarnati, conſiderandum eſt de Eccleſiæ Sacramentis, quæ ab Ipſo Verbo Incarnato habent efficaciam. Et 1. de Sacramentis in communi. 2. De unoquoque Sacramentorum in ſpeciali. De Sacramentis in communi quinque conſideranda ſunt. 1. Quid ſit Sacramentum. 2. De neceſſitate Sacramentorum. 3. De effectibus Sacramentorum. 4. De cauſa eorum. 5. De numero. Unde ſit

D I S S E R T A T I O I.
DE QUIDDITATE SACRAMENTI.

D. Thom. Quæſt. 60.

A R T I C U L U S I.

Utrum Sacramentum ſit in genere ſigni?

SACRAMENTUM (*Ib. n. 1. & ad 2. & 3.*) a ſacro & maxime occulto dictum, quaſi *ſacrum ſecretum*, multipliciter ſumi poteſt; vel pro eo quod habet in ſe ſanctitatem; vel pro eo quod dicit ordinem ad hanc ſanctitatem, ſive ſigni, ſive cauſæ, ſive aliam quamcumque habitudinem; ſicut a ſanitate, quæ eſt in animali, denominatur ſanum non ſolum animal, quod eſt ſanitatis ſubjectum, ſed dicitur medicina ſana in quantum eſt cauſa ſanitatis, & urina in quantum eſt ſignum ſanitatis. Unde olim apud priſcos Latinos Sacramentum ſumebatur pro pecunia, quam litigantes deponebant in loco ſacro, & quæ peribat ei, qui cauſa cadebat. Ita Cicero in Orat. pro Milone. Apud Juriſperitos ſumitur pro juramento. In Scripturis ſumitur frequenter pro ipſa re ſacra occulta: ſic Tobiæ 12. *Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt*. Apud Patres, Concilia, & Theologos ſumitur pro ſigno rei ſacræ; ſic etiam in Scriptura Epheſ. 5. conjunctio viri & mulieris dicitur *magnum Sacramentum*, id eſt, ſignum conjunctionis Chriſti cum Eccleſia: & 1. Tim. 3. Incarnatio dicitur *magnum pietatis Sacramentum*, hoc eſt, ſignum. Unde Hæretici inſundate nobis exprobrant novitatem hujus vocabuli. Signum inſtrumentale ſcilicet apud Logicos ex Auguſt. eſt id, quod præter ſpeciem, quam ingerit ſenſibus, aliquid aliud facit in cognitionem venire. Quæſtio eſt igitur, utrum Sacramentum, prout hic ſumitur, & prout de illo agunt Patres, Concilia & Theologi, ſit in genere ſigni, & non cauſæ, ſicque debeat definiri per ſignum tamquam per genus, & non per cauſam.

Dico. (*Hic a. 1. & 2. c.*) Sacramentum, hoc eſt, cæremonia illa ſacra a Deo inſtituta, quam Sacramentum vocamus, eſt in genere ſigni: ſicque recte definitur *ſignum rei ſacræ ſanctificantis nos*. Signum eſt genus, de quo in præſenti Art. cæteræ particulæ, differentiæ, de quibus art. ſeq. Prob. 1. Loquimur hic de Sacramento, prout eſt quid commune univocum Sacramentis veteris & novæ Legis: atqui ratio ſigni, non ratio cauſæ eſt quid commune univocum Sacramentis veteris & novæ Legis. Ergo. Prob. Min. Sacramenta veteris Legis non ſunt cauſa gratiæ niſi improprie & moraliter, propria autem ſunt ſigna. Ergo.

Prob. 2. De ratione Sacramenti, prout eſt a Deo inſtitutum, eſt, quod ſit aliquid externum ſenſibile dicens ordinem ad rem ſacram: atqui id non requirit ratio cauſæ, ſed bene ratio ſigni inter homines. Ergo Sacramentum jure reponitur in genere ſigni, & non cauſæ. Major eſt certa, quia Deus inſtituit Sacramenta tam veteris quam novæ Legis tamquam cæremonias exterioris Religionis & illius proteſtativas, ut patet in immolatione Agni Paſchalis, in Circumciſione, & in omnibus Sacramentis novæ Legis. Unde Aug. l. 19. contra Fauſt. c. 11. *In nullum*, inquit, *Religionis nomen coagulari homines poſſunt, niſi aliqua ſignaculorum aut Sacramentorum viſibilium conſortio colligentur*. Minor etiam patet; quia ratio cauſæ abſtrahit ab hoc, quod ſit ſpiritualis vel ſenſibilis; Deus enim, qui eſt prima cauſa ſanctificationis noſtræ, ſpiritus eſt, ſpiritualemque actum æque ac corporalem aſſumere potuit ad illam inſtrumentaliter cauſandam; ſecus autem de ſigno inter homines, quia connaturale eſt homini in hac via ſenſibus utenti, ut per ſenſibilia deveniat in cognitionem inſenſibilium.

Solvuntur Objectiones.

OBJ. 1. S. Th. in 4. d. 1. q. 1. a. 1. quæſtiunc. 3. approbans definitionem Sacramenti datam a Magiſtro Sent. quæ ait hæc, *Inviſibilis gratiæ viſibilis forma ut imaginem gerat & cauſa exiſtat*, dicit: *Definitio illa completiſſime rationem Sacramenti deſignat, prout nunc de Sacramentis loquimur: ponitur enim efficientia ſanctitatis in hoc, quod dicitur, et cauſa exiſtat, &c.* Et in Reſp. ad 5. *Sacramentum*, inquit, *non dividitur per Sacramenta veteris & novæ Legis ſicut genus per ſpecies, ſed ſicut analogum in ſuas partes, ut ſanum in habens ſanitatem, & ſignans eam: Sacramentum autem ſimpliciter eſt, quod cauſat ſanctitatem; quod autem ſignat tantum, non eſt Sacramentum niſi ſecundum quid, & ideo eſſe cauſam, poteſt poni in definitione Sacramenti, ſicut habens ſanitatem in definitione ſani*. Ergo. Reſpondent Dom. Soto, Cabrera, Joan. a S. Th. & alii S. Thomam re attentius inſpecta hanc ſententiam retractaſſe in ſua Summa, cum in hoc art. expreſſe doceat contrarium, & art. ſeq. item art. 5. q. ſequentis doceat Sacramenta veteris Legis eſſe proprie & univoce Sacramenta. Sed abſque eo quod recurramus ad retractationem R. 2. S. Thomam ibi agere vices commentatoris, variaſque Sacramentorum definitiones explicare, quæ cum continerent nedum quod in Sacramentis eſt formale, ſcilicet rationem ſigni, ſed etiam id, quod eſt materiale & adjunctum, ſcilicet rationem cauſæ, juxta illas dixit S. D. rationem Sacramenti, nimirum quoad materiale & formale, compleri per rationem cauſæ & ſigni, & id, quod ſignificat tantum, non eſſe Sacramentum niſi ſecundum quid, & analogice convenire cum Sacramentis novæ Legis. Hic autem partes Magiſtri agens, & tradens definitionem Sacramenti ſecundum id, quod in eo formale eſt tantum, aliter locutus eſt.

Obj. 2. Sacramentum non eſt ſignum naturale, neque ad placitum. Non naturale, naturaliter enim illæ cæremoniæ non ſignificant gratiam ſanctificantem. Non ad placitum, quia ſignum ad placitum eſt ens rationis, ſcilicet relatio ſignificationis ad ſignificatum; Sacramentum autem non eſt ens rationis. Ergo. R. N. Ant. pro 2. parte. Ad probat. D. Min. Sacramentum pro materiali non eſt ens rationis, C. Pro formali, N. Eſt enim ſignificatio relatio rationis ad ſignificatum, ut dictum eſt. Nec tamen dici debet ens rationis ſimpliciter & abſolute, ſed cum addito tantum, ſcilicet ſecundum ſuum formale: (*In 4. d. 1. q. 1. a. 1. quæſtiunc. 5. ad 1.*) quia concreta accidentalia & artefacta, qualia ſunt Sacramenta, licet conſtituantur per formam, non tamen ſupponunt in prædicatione pro forma, ſed pro materia ſeu ſubjecto: ſic falſum eſſet dicere ſimpliciter & abſolute, cathedra eſt figura, album eſt accidens, ſimus eſt curvitas naſi, &c.

Inſt. Signum dicitur ſimpliciter ens rationis: atqui Sacramentum ſecundum nos dicitur ſimpliciter ſignum. Ergo. R. N. Maj. Quia ſignum ſicut Sacramentum eſt concretum accidentale ſupponens pro ſubſtrato materiali, quod eſt ens reale. Falſum enim eſt dicere, ſignum eſt ſignificatio; quæ tamen ſignificatio eſt ipſum ens rationis.

Repones. Saltem juxta nos non ſunt Sacramenta niſi dependenter ab intellectu, quod eſt abſurdum; cum, nullo intellectu cogitante, Sacramenta permanenter ſint in Eccleſia ab inſtitutione Chriſti. Prob. Ant. Ex dictis Sacramenta conſtituuntur formaliter per ens rationis, quod nullum habet eſſe niſi per intellectum fingentem. Ergo. R. D. Ant. Non ſunt Sacramenta niſi dependenter ab intellectu quoad conceptum entitativum, C. Quoad conceptum denominativum, N. Vel ut ante: quoad ſuum formale, C. Quoad ſuum materiale. N. Illud autem materiale denominatur Sacramentum independenter ab intellectu; quia entia rationis ratiocinatæ, maximeque quæ ſequuntur ad denominationes extrinſecas ab aliquo actu humano provenientes, licet quoad eſſe actuale rationis non ſint niſi per intellectum, tamen ratione ſui fundamenti denominantur talia independenter ab intellectu: ſic, poſita ſemel inſtitutione Judicis

aut

ant Doctoris ; dicitur homo permanenter Judex aut Doctor ; poſita ſemel inſtitutione vocum ad ſignificandum, dicuntur ſigna in libro clauſo. Hic autem ſenſus communis atque doctrina fundatur in hoc principio D. Th. (*In 1. d. 1. q. 1. a. 3. ad 5.*) *Ea, quæ pendent a ratione ratiocinata, duplicem habent firmitatem, ſcilicet firmitatem ſui eſſe, & hanc habent ab intellectu; & firmitatem ſuæ veritatis, & hanc habent ex re, cui conformantur*, ſeu ex ſuo fundamento. Igitur hoc ipſo quod entia rationis habeant fundamentum proximum, ita quod non chymerice, ſed cum fundamento conveniant ſubjecto, habent ſufficiens eſſe ad denominandum abſolute & ſimpliciter ; quin quamvis non habeant formaliſſimum eſſe exiſtentiæ, quod tantum conſequuntur per intellectum, attamen independenter a cognitione habent convenire ſubjecto, non ficta, ſed mediante fundamento, quod ſubjectum habet, ut ipſi tribuatur tale ens rationis ; & ita in his entibus alia eſt ratio conveniendi & denominandi, alia exiſtendi.

Obj. 3. Genus, quod eſt ens rationis, non poteſt contrahi per differentiam realem : atqui differentia contrahens Sacramentum ut ſic eſt realis : ergo. Prob. Min. Differentia ſpecifica Sacramentorum novæ Legis a Sacramentis veteris Legis eſt, quod illa cauſent gratiam, non iſta, ut definit Conc. Florent. in Decreto Eug. IV. cauſare autem eſt quid reale. Ergo. R. N. Min. Ad Prob. N. Min. Et aſſigno aliam differentiam ſpecificam & eſſentialem, ſcilicet ſignificare gratiam tali modo, nempe præſentem dandam vi paſſionis Chriſti jam adimpletæ per ipſa ſigna ſacramentalia, quod non competit Sacramentis veteris Legis. Verum quamvis eſſe cauſativum gratiæ non ſit eſſentiale Sacramentis novæ Legis, non negamus tamen id ipſis per ſe competere, & non mere accidentaliter. Id autem varie a variis explicatur. Dom. Soto vult *cauſare* eſſe propriam paſſionem Sacramentorum novæ Legis; Serra id ipſis competere ratione materiæ : alii eſſe conditionem requiſitam ex inſtitutione Chriſti, aut ut modum complexivum ſignificationis eorum. Has intelligentias non improbo, ſed ſubjicio ſequentem. Sacramenta novæ Legis poſſunt conſiderari dupliciter. 1. Præciſa ſecundum rationem ſigni & talis ſigni ; ita ut attendatur ſolum id, quod eſt in latitudine ſigni, ſecundum genus & ſpeciem ſigni. 2. Secundum quod includunt non ſolum inſtitutionem ſigni, ſed talem inſtitutionem a Chriſto, qua voluit ; ut id, quod inſtituebat in ſignum gratiæ, foret etiam illius cauſa & ſuæ paſſionis inſtrumentum. Itaque conſiderando Sacramenta novæ Legis 1. modo, cauſare non eſt ipſis eſſentiale formaliter, quia cauſare eſt extra genus ſigni, ſed eſt tantum eſſentiale præſuppoſitive, quatenus ſignificant gratiam dandam, non utcumque, ſed dandam per ipſamet Sacramenta : quæ ſignificatio vera non foret, ſi non præſupponatur, quod cauſent gratiam. Conſiderando autem illa 2. modo, cauſare convenit ipſis per ſe eſſentialiter formaliter ; non equidem ex ipſa ratione ſigni & Sacramenti, ut dictum eſt, ſed ut ſunt novæ Legis & ſubordinata tali inſtitutioni Chriſti, qui voluit, ut eſſent ſimul Sacramenta & ſuæ paſſionis inſtrumenta. Igitur ad Conc. Florent. non dixit Sacramenta novæ Legis differre eſſentialiter formaliter in ratione Sacramenti a Sacramentis veteris Legis per hoc, quod priora cauſent gratiam : unde ut ſalvetur ejus auctoritas, ſufficit, quod per illud differant tanquam per adjunctum aut præſuppoſitum ex tali inſtitutione Chriſti, aut aliquo alio modo ex prædictis.

Inſt. 1. eſſe cauſativum gratiæ eſt eſſentiale formaliter Sacramentis novæ Legis in ratione Sacramenti : ergo. Probat. Ant. Eſt eſſentiale formaliter Sacramentis novæ Legis eſſe ſigna practica gratiæ : atqui practicare eſt cauſare ; praxis enim eſt operatio : ergo. R. 1. Argumentum nihil concludere, quia eſſe ſignum practicum convenit etiam Sacramentis veteris Legis, ut dicemus. R. 2. N. Ant. Ad Prob. D. Min. Practicare eſt cauſare per ſe vel per aliud, C. Semper per ſe, N. Signum dicitur ſpeculativum vel practicum ab intellectu ſpeculativo vel practico, quippe cujus eſt inſtrumentum ad manifeſtandum ſuos conceptus : intellectus enim conceptus ſuos per ſigna a ſe derivata explicat. Sicut igitur dicitur intellectus practicus, non quia per ſe cauſat opus, cauſatur enim per potentias exteriores, ſed quia cognoſcendo dirigit potentias exteriores ad illud efficiendum, & in ſola ſpeculatione objecti non ſiſtit : ita ſignum dicitur practicum, non quia facit opus, id enim, ut jam dixi, eſt extra latitudinem ſigni ; ſed quia ex mente inſtituentis ſignificat, non præciſe ad manifeſtationem ſignificati, ſic enim foret ſignum ſpeculativum tantum, ſed in ordine ad illius confectionem, ſive interim per illud ſignum ſive per aliud. Sic, v. gr. promiſſio exterior ſeu contractus aliquid dandi vel faciendi eſt ſignum practicum : attamen neque promiſſio neque contractus dat aut facit, ſed ſignificat tantum in ordine ad donationem aut confectionem ſignificati, & non ad ſolam ejus manifeſtationem.

Inſt. 2. Imagines ſacræ, concio, & alia plura ſignificant in ordine ad opus, excitant enim ad devotionem & ſanctitatem : atqui tamen non ſunt ideo ſigna practica. Ergo. R. D. Maj. (*In 4. d. 1. q. 1. a. 1. q. 1. ad 3.*) Significant in ordine ad opus per ſe & ex mente inſtituentis, N. per accidens & ex mente alterius agentis, C. Imagines enim & voces, quæ in concione adhibentur, ex inſtitutione ſua habent tantum repræſentare & manifeſtare ; ſed quin præſupponantur repræſentativa & manifeſtativa, aſſumuntur ab alio agente in ordine ad opus aliquod : at ſignum, quod dicitur practicum, habet ex mente inſtituentis, quod ſignificet non ſolum ad manifeſtandum ſignificatum, ſed etiam ut in finem dirigatur, & executioni mandetur.

Inſt. 3. Sacramentum dicitur a ſacrando, ſicut medicamentum dicitur a medicando ſeu a medicina : atqui hoc pertinet ad rationem cauſæ & non ſigni : ergo. R. N. Maj. (*Hic a. 1. ad 1.*) Quam licet admiſerit S. Th. in 4. d. 1. partes commentatoris agens, ut diximus, hic tamen illam negat, & docet Sacramentum dici a ſanctitate, quæ non ſignificatur per modum cauſæ efficientis. Medicina autem, a qua dicitur medicamentum, ſe habet ut cauſa effectiva ſanitatis ; unde omnia, quæ ab illa denominantur, dicuntur per ordinem ad unum primum agens.

Inſt. 4. Sanctitas, a qua dicitur Sacramentum, ſe habet etiam ut cauſa ſaltem formalis. Ergo ; ſicut medicamentum, quod dicitur a medicina ut a cauſa efficiente, ponitur in genere cauſæ & non ſigni, ita & Sacramentum. R. N. Conſ. Diſparitas eſt, quod quæ denominantur ab aliquo primo in genere cauſæ efficientis, poſſunt ab ea participare rationem cauſæ efficientis, quia hæc eſt communicabilis, ut patet in inſtrumentis & adjuvantibus ; quæ omnia induunt rationem cauſæ efficientis : at vero quæ denominantur ab uno principali in genere cauſæ formalis, non poſſunt vi talis denominationis importare rationem cauſæ, qui cauſalitas formalis ipſi ſoli formæ informanti convenit, alteri vero, quod non eſt forma, communicari non poteſt.

Inſt. 5. Cauſare eſt quid principalius in Sacramentis, quam ſignificare. Ergo Sacramentum debet potius poni in genere cauſæ, quam ſigni. R. N. Conſeq. Quia licet cauſare gratiam ſit quid principalius, & ex hoc capite poſſit dici Sacramentum ; ſicut medicina dicitur ſana, quin cauſat ſanitatem in animali : quia tamen non eſt quid commune univocum omnibus Sacramentis, nec ſecundum ſe requirit, quod ſit aliquid externum ſenſibile, quale debet eſſe Sacramentum, ut diximus, ideo non poteſt eſſe genus in definitione Sacramenti.

Inſt. 6 Character ſacramentalis & Corpus Chriſti in Euchariſtia ſunt Sacramenta ; atqui tamen non ſunt ſigna ſenſibilia. Ergo. R. Characterem ſacramentalem (*In 4. d. 1. q. 1. a. 1. q. 3. ad 3. & inf. quæſt. 63. a. 1. ad 2.*) & Corpus Chriſti in Euchariſtia non dici Sacramenta, niſi ſecundum quod conjunguntur ſignis ſenſibilibus, character ordinationi, corpus Chriſti ſpeciebus panis & vini.

ARTICULUS II.

Quale ſignum ſit Sacramentum?

ARTICULO præc. expedivimus, quæ ſpectant genus Sacramenti, in hoc quærimus de ejus differentia. S. Th. in hoc eodem Art. 2. reſolvit omne ſignum rei ſacræ qua ſanctificantis homines eſſe Sacramentum, ſicque reponit ejus differentiam in his particulis. *Rei ſacræ ſanctificantis homines*. Ad cujus majorem elucidationem dico : Sacramentum eſt ſignum ad placitum, practicum, ſacrum tam ex parte rei ſignificantis, quam ex parte rei ſignificatæ, permanens & ſtabile. Probantur & explicantur ſingulæ partes.

Signum ad placitum.

RATIO eſt : (*Hic art. 5. o.*) quia quamvis ratio Sacramenti fundetur in aliqua ſimilitudine rei ſignificantis ad rem ſignificatam ; v. gr. ablutionis corporalis ad ablutionem ſpiritualem in Baptiſmo : (quo ſenſu intelligendus eſt Aug. Epiſt. 23. dicens : *Sacramenta habent quamdam ſimilitudinem earum rerum, quarum ſunt Sacramenta, quam ſi non haberent, omnino Sacramenta non eſſent* : quin nempe Deus ſic & non aliter inſtituit) numquam tamen res corporalis poteſt ex natura ſua determinate ſignificare, præſertim modo ſacramentali & practico, rem ſpiritualem, qualis eſt gratia & ſanctificatio noſtra. Quod poſſet opponi, ſolutum eſt art. præc. Obj. 2.

Signum Practicum.

QUo ſenſu (*Art. 2. o. ad 1. & 2.*) intelligendum ſit practicum in ſigno, declaratum eſt art. præc. Obj. ſt. Inſt. 1. Prob. (*Ibid.*). Sacramentum nedum novæ Legis, ſed & veteris a Deo inſtitutum eſt non ad meram repræſentationem rei ſacræ ut imago aut figura aliqua, ſed ad ſanctificationem hominum, & ut illud ſuſcipientes

Digitized by Google

tea ejus uſu ſanctificarentur: *Signum rei ſacræ*, inquit Auctor, *in quantum ſanctificantis homines*. Ergo.

Signum ſacrum ex parte rei ſignificantis.

HOc eſt Cæremonia ſacra (*Hic art. 4. ad 2. & 2. 2. q. 102. a. 5.*) ad cultum Dei ordinata: quia ut dictum eſt, Sacramenta ſunt inſtituta tamquam cæremoniæ Religionis proteſtativæ. (*Ib.*) Et in hoc parum differt Sacrificium a Sacramento, quod Sacrificium immediate ordinetur ad cultum Deo exhibendum, Sacramentum vero ad diſponendum ipſos cultores. Unde ſuſcipientes quodammodo iis conſecrantur, non per veram cauſalitatem efficientem aut formalem intrinſecam, ſed per deputationem ſeu denominationem extrinſecam: ſicut conſecrari & ſanctificari dicuntur quæcumque cultui divino deputantur.

Si inferas: ergo Sacramentum pertinet ad virtutem Religionis, & conſequenter ad genus qualitatis, R. Id poſſe concedi ratione materiæ, non formæ; nihil enim obſtat, quin eadem res ſecundum diverſas conſiderationes pertineat ad diverſa prædicamenta. Sic in ſubjecta materia, Baptiſmus v. gr. ſi conſideretur ut actio, pertinet ad prædicamentum actionis; ſi in ordine ad ſignificandam gratiam, ad genus ſigni; ſi ut ordinatur ad cultum divinum ad virtutem Religionis. Attamen cum ſit cæremonia externa, non pertinet ad Religionem formaliter, ſed objective, ita ut ejus uſus debeat quidem eſſe religioſus, poſſit tamen non eſſe religioſus, ſicque eſſe Sacramentum ſine actu religioſo, ut in malo miniſtrante aut malo ſuſcipiente. Unde reponi debet in genere ſigni, & non in genere Religionis ſeu qualitatis.

Signum ſacrum ex parte rei ſignificatæ.

PATET ex definitione Sacramenti, quod dicitur *Signum rei ſacræ*. (*Hic a. 1. & 2. a.*) Sed difficultas eſt, cujus rei ſacræ; an ſanctitatis tantum imperfectæ ſeu legalis, ut opinantur Cano & Bellarminus; an perfectæ ſanctitatis per gratiam ſanctificantem? R. (*Ibid. a. 2. c.*) eſſe ſignum perfectæ ſanctitatis per gratiam habitualem, & quidem in ipſo uſu Sacramenti conferendæ, hoc eſt ſanctificationis actualis.

Prob. 1. pars. 1. Ex definitione Sacramenti tradita a D. Th. & communiter recepta, quod ſit *Signum rei ſacræ ſanctificantis homines*: Sanctificatio autem legalis ſeu alia quæcumque diſtincta a ſanctificatione per gratiam habitualem, non eſt niſi impropria ſanctificatio. 2. Quia aliud ſequeretur Eccleſiam & non ſolum Deum poſſe inſtituere Sacramenta, cum ipſa poſſit inſtituere & de facto inſtituat Cæremonias ſacras ſignificativas legalis & imperfectæ ſanctitatis, ut eſt diſpenſatio ab irregularitate, abſolutio ab excommunicatione, Tonſura Clericalis, &c. 3. Quia ſignificare ſanctitatem legalem convenit multis aliis, quæ non ſunt Sacramenta, ut patet in exemplis mox citatis, & in innumeris cæremoniis antiquæ Legis. Neque refert ſanctitatem legalem eſſe propriam ſtatus Legis Moſaicæ: ita enim erat illi propria, ut eſſet tamen diſpoſitio ad aliam perfectam, etiam in illo ſtatu acquirendam.

Prob. 2. pars. Quantum ad Sacramenta novæ legis admittitur ut certa, cum ſint proprie cauſa gratiæ, ut dicemus infra. Prob. de Sacramentis veteris Legis. 1. Ex D. Th. hic a. 2. definitore Sacramentum, quod ſit *ſignum rei ſacræ, in quantum hæc res ſacra eſt ſanctificans homines*, hoc eſt rei ſacræ formaliter & reduplicative ſanctificantis. Ergo in ipſo uſu. Et in 4. d. 1. q. 1. quæſtiunc. 1. ad 3. dicit Serpentem æneum non fuiſſe Sacramentum, quia *quamvis eſſet ſignum rei ſacræ ſacrantis, non tamen in quantum eſt ſacrans acta*. 2. Omnia Sacrificia, omneſque cæremoniæ Legis Moſaicæ, utpote umbræ futurorum, Chriſtum præfigurabant, adeoque & gratiam ſuo tempora dandam, & tamen non erant Sacramenta. 3. Tandem Sacramentum Legis novæ inſtitutum ad deletionem peccati Originalis, & circumciſio Legis ſcriptæ in eumdem finem, certo ſignificabant gratiam in ipſo uſo conferendam, ſine qua non potuiſſet deleri peccatum Originale: eadem autem eſt ratio de aliis Sacramentis.

Dices 1. Concilium Florent. in Decreto Eug. IV. definit Sacramenta veteris Legis non cauſaſſe gratiam, ſed ſolum per Paſſionem Chriſti dandam figuraſſe. 2. S. Th. hic a. 2. ad 1. dicit immolationem Agni Paſchalis eſſe Sacramentum, quia ſignificabat immolationem Chriſti, *qua ſanctificati ſumus*: non dicit, qua ſanctificati ſunt Judæi. 3. Art. 1. ad 2. dicit ſanctitatem ſignificari in Sacramentis *per modum cauſæ formalis vel finalis*, quæ autem confertur in ipſo uſu, eſt ſemper formalis. 4. In 4. d. 1. q. 1. quæſtiunc. 1. ad 4. dicit, quod *Sacramenta veteris Legis erant totaliter ſigna prognoſtica*. Ergo non conferebatur gratia præſens in eorum ſuſceptione. R. Ad 1. To *ſolum* in verbis Concilii excludere tantum a Sacramentis veteris legis vim propriam cauſandi gratiam, qualem habent Sacramenta novæ Legis; non autem ejuſdem gratiæ collationem in ipſo eorum uſu virtute Paſſionis Chriſti futuræ. Unde per *gratiam dandam per Paſſionem Chriſti* non intelligit gratiam dandam nunc nobis poſt Paſſionem Chriſti, ſed gratiam dandam tunc, merito tamen Paſſionis Chriſti futuræ. Ad 2. To *ſanctificati ſumus* in verbis D. Th. non eſt referendum ad nos ſolos homines, qui poſt Paſſionem Chriſti ſanctificati ſumus, ſed ad totum Genus humanum. Sicut cum dicimus, quod *ſanguine Chriſti redempti ſumus*, intelligimus totum genus humanum. Ad 3. S. Th. locutus eſt abſtrahendo a cauſa formali vel finali, non autem excludendo unam ad poſitionem alterius: quia nihil impedit, quin eadem gratia ſit ſimul cauſa formalis & finalis quæ enim eſt formalis, ſimul eſt finalis; & quæ eſt finalis, ſi actu habeatur, eſt etiam formalis: ſi vero actu non habeatur, non eſt defectu Sacramenti, ſed ſuſcipientis ponentis obicem. Unde non intellexit S. D. de gratia per modum cauſæ finalis ultimum, ſed in quantum eſt ſanctificans homines, hoc eſt ſuſcipientes, ut dicit in definitione Sacramenti: talis autem gratia in ipſo uſu Sacramentali confertur, ſi nihil obſtet ex parte ſuſcipientis. Dici etiam poteſt gratiam ſignificari ut cauſam finalem in ordine ad Legem antiquam ſecundum ſe, reſpectu cujus gratia eſt finis; ſignificari autem ut cauſam formalem reſpectu ſuſcipientis. Ad 4. Adhibenda eſt eadem ſolutio, ſcilicet Sacramenta veteris Legis eſſe totaliter prognoſtica reſpective ad ipſam legem, in qua omnia contingebant in figura futuræ legis novæ, non autem reſpective ad ſuſcipientes. Poteſt etiam dici ſenſum eſſe, quod in tribus ſignificatis, quæ S. D. ibi tribuit Sacramentis veteris Legis, ſcilicet Paſſione Chriſti, gratia & gloria, ſit aliquid futurum, licet non omne, quod in eis importatur, ſit futurum. Sic ſignificant Paſſionem Chriſti & gloriam ut futura, gratiam autem ſignificant equidem ut præſentem, ſed tamen in illo ſignificato importatur aliquid futurum, nempe Paſſionem Chriſti, quia ſignificant gratiam dandam vi Paſſionis Chriſti futuræ: unde ſunt prognoſtica *totaliter* quoad omnia ſignificata, ſed non quoad omnia importata in ſignificatis. Alterutram ſolutionem eſſe admittendam in ſenſu D. Th. liquet ex Reſp. immediate præcedenti, in qua diſerte dicit Serpentem æneum non fuiſſe Sacramentum, quia *quamvis eſſet ſignum rei ſacræ ſacrantis, non tamen in quantum ſacrans eſt acta*.

Signum ſtabile & permanens.

QUIA Sacramenta, ut dictum eſt, ſunt cæremoniæ Religionis, & ut dicit Aug. fundamenta ſtabilia Eccleſiæ, per quæ Fideles in una Religione permanenter colligantur. Ergo debent permanere, quamdiu permanebit Religio.

Conſectaria præcedentis Doctrinæ.

EX dictis colliges 1. Nos recte cum Auctore definiviſſe Sacramentum *Signum rei ſacræ nos ſanctificantis*. Intellige ſignum ad placitum, permanens & practicum actu gratiæ nos perfecte ſanctificantis. *Signum* eſt genus ſupremum, per quod Sacramentum convenit cum omnibus ſignis: *Signum rei ſacræ*, genus infimum, per quod convenit cum pluribus ſignis rei ſacræ, quæ non ſunt Sacramenta: *Nos ſanctificantis*, differentia, per quam ab illis differt.

Cum hac definitione coincidit hæc tradita in Jure D. 2. de Conſec. cap. *Sacrificium. Inviſibilis gratiæ forma viſibilis*. Item hæc communis: *inviſibilis gratiæ ſignum ſenſibile ad noſtram ſanctificationem divinitus inſtitutum*. A Trid. Seſſ. 13. cap. 3. definitur: *Symbolum rei ſacræ & inviſibilis gratiæ forma viſibilis ſanctificandi vim habens*. A Catech. Rom. *Res ſenſibus ſubjecta, quæ ex Dei inſtitutione ſanctitatis & juſtitiæ tum ſignificandæ tum efficiendæ vim habens*. Hæ duæ ultimæ definitiones proprie conveniunt tantum Sacramentis novæ Legis.

Dices. Sacramentum eſt ens ſeu aggregatum per accidens ex rebus & verbis, ex ente reali & rationis. Ergo non eſt definibile. R. D. Sacramentum eſt ens per accidens in genere phyſico, C. In genere morali ſeu artefacti, N. Ut enim dicatur ens per accidens, non ſufficit, quod plura contineat, ſed requiritur, quod illa contineat ſine ordine ad unum, ut acervus lapidum; Sacramentum autem plura continet, ſed cum ordine ad unam ſignificationem; unde eſt ens per ſe definibile in ratione ſigni ſeu artefacti. Sicut v. gr. domus, quia diverſas partes continet in ordine ad unam figuram, eſt ens per ſe definibile in ratione artefacti.

Colliges 2. Sacramenta non eſſe tantum ſigilla divinæ promiſſionis ſeu teſtimonia juſtitiæ acceptæ, ut volunt Hæretici. 1. Quia ſigilla & teſtimonia alicujus rei ea debent eſſe certiora & clariora: Sacramenta autem non ſunt clariora & certiora divinis promiſſionibus, quæ continentur in Scriptura ſacra, a qua e contra Sacramenta

ta habent ſuam certitudinem . 2. Qui fictus ſuſcipit Sacramenta , non certificatur de obtenta juſtitia . Ergo . Quandoque tamen dicuntur ſigilla a SS. Patribus , ſed hoc ſenſu quod Fideles ab infidelibus diſtinguant. Si dicas circumciſionem fuiſſe Abrahamo *Sigillum juſtitiæ fidei* , ut dicit Apoſt. Rom. 4. R. id verum eſſe ex ſpeciali Privilegio reſpectu Abrahæ tantum , eo quod eſſet futurus Pater credentium , non vero reſpectu poſterorum . Unde idem Apoſt. Rom. 3. varia privilegia & utilitates circumciſionis recenſens omittit , quod ſit teſtimonium juſtitię acceptæ , non omiſſurus , ſi ita eſſet .

Colliges 3. Plura , (*In 4. d. quæſt. 1. a. 1. quæſtiunc. 1. ad 3.*) quæ tamen ſunt ſigna rei ſacræ , excludi a ratione Sacramenti . 1. Excluduntur omnia Scripturæ verba , crocea , imagines ſacræ ; quia ſunt inſtituta tantum ad repræſentandum & non ad ſignificandum practice gratiam qua ſanctificamur . 2. (*Ib.*) Excluduntur tranſitus per mare rubrum , petra fundens aquas , manna , ſerpens æneus , & ſimilia ; quia non adhibebantur , ut aliquis ſanctificationis effectus actu perciperetur , ſed ſolum effectus alicujus beneficii temporalis , ut curatio , cibatio , refrigeratio , &c. 3. Excluduntur hæc Chriſti verba ad Magdalenam , *Remittuntur tibi peccata* , lotio pedum , deſcenſus columbæ , linguæ igneæ , inſuflatio in Diſcipulos : quia licet forte hæc fuerint ſigna practica gratiæ , non ſunt tamen inſtituta ut cæremoniæ religioſæ permanenter obſervandæ in Eccleſia . De lotione pedum fuſius infra , dum de numero Sacramentorum . 4. Excluduntur innumeræ cæremoniæ veteris Legis , quia ſignificabant tantum emundationem ab aliquo impedimento ſeu immunditia legali , ſeu ſanctitatem legalem & imperfectam , non perfectam per gratiam : vel , ut dicit Auctor (*Hic a. ad* 2.) ſignificabant ſanctitatem Chriſti , qua ſanctus eſt , non vero ſanctitatem , qua per ea ſanctificamur . Unde ſi aliquando a Patribus dicantur Sacramenta , eſt impropria locutio . 5. Excluduntur aſperſio aquæ benedictæ , conſecratio Altaris , & alia Sacramentalia : tum quia non ex ſeipſis nec ex inſtitutione divina , ſed tantum ex pietate operantis aut ex ſuffragiis Eccleſiæ vim aliquam habent in ordine ad ſanctitatem ; (*Ib. ad* 3.) tum quia ſignificant tantum diſpoſitionem ad ſanctitatem , & non perfectionem ſanctitatis ; res autem denominatur a fine & complemento . 6. Excluditur Sacrificium : quia Sacrificium primario ordinatur ad cultum ipſi Deo in ſe exhibendum , Sacramentum autem ad ſanctificationem hominum . Nihil impedit tamen , quin idem poſſit eſſe ſimul Sacrificium & Sacramentum ſub diverſa ratione ; & ſic eſt Euchariſtia in nova Lege : ſic etiam erat in antiqua immolatio Agni Paſchalis . Fuiſſ. Sacrificium conſtat , fuiſſe etiam Sacramentum tradit Auctor hic art. 3. & q. 73.

Colliges 4. Sacramenta noſtra univoce convenire cum Sacramentis antiquæ Legis in ratione Sacramenti : quia utrimque ſunt ſigna practica gratiæ ſanctificantis , ut explicatum eſt Art. 1. Obj. 3. inſt. 1. Et quod poſſet opponi ex D. Th. ſolutum eſt ibid. Obj. 1.

Petes , utrum Sacramentum ſit ſignum unius rei tantum ? R. (*Ib. a. 3. a.*) Sacramentum tria ſignificare , paſſionem Chriſti , gratiam ſanctificantem & gloriam . Prob. (*Ib.*) Sacramentum proprie dicitur , quod ordinatur ad ſignificandam ſanctificationem noſtram , ſeu rem ſacram , in quantum eſt nos ſanctificans ; patet ex dictis : atqui in ſanctificatione noſtra tria poſſunt conſiderari , videlicet ipſa cauſa ſanctificationis noſtræ , quæ eſt paſſio Chriſti , & forma noſtræ ſantificationis , quæ conſiſtit in gratia , & ultimus finis ſanctificationis noſtræ , quæ eſt vita æterna ; ergo Sacramentum hæc tria ſignificat . Itaque Sacramentum novæ Legis (*Ib.*) eſt ſignum rememorativum ejus , quod præceſſit , ſcilicet Paſſionis Chriſti , demonſtrativum ejus , quod in nobis efficitur per Paſſionem Chriſti , ſcilicet gratiæ , & prognoſticum ſeu prænuntiativum futuræ gloriæ juxta illud , quod ex eodem S. Doctore canit Eccleſia : *O ſacrum convivium in quo Chriſtus ſumitur , recolitur memoria paſſionis ejus , mens impletur gratia , & futuræ gloriæ nobis pignus datur* . Sacramentum autem veteris legis , licet etiam hæc tria ſignificet , primum tamen diverſo modo ; eſt enim prognoſticum , non rememorativum Paſſionis Chriſti .

Dices . Sacramentum non eſt ſignum ambiguum , alias præberet occaſionem fallendi : atqui quod plura ſignificat , eſt ſignum ambiguum ; ergo . R. D. Min. (*Ib. ad* 1.) Quod ſignificat plura , quorum unum non ordinatur ad aliud , eſt ſignum ambiguum , C. Quod ſignificat plura , ſecundum quod ex eis quodam ordine efficitur unum , N. Sic v. g. hoc nomen homo non eſt ſignum ambiguum , licet plura ſignificet , ſcilicet animam & corpus , quia illa ſignificat prout ex eis conſtituitur una natura humana . Similiter Sacramentum ſignificat tria præfata , ſecundum quod ordine quodam unum ſunt , ſeu unum efficiunt , ſcilicet ſanctificationem noſtram .

Repones . Analogum non deſinit eſſe analogum , & præbere occaſionem fallendi , licet plura ſignificet , prout dicunt ordinem ad unum . Ergo pariter Sacramentum . R. N. Conſ. Diſparitas , eſt , quod ex eo , quod analogum plura ſignificet , prout dicunt ordinem ad unum , non ideo denotat , quod ex parte ſignificati ſit unum ſimpliciter , ſed quod ſint plura ſimpliciter inæqualiter participantia unum principale commune , & ſic ſolum proportionaliter & ſecundum quid unum . At Sacramentum non ſignificat plura , prout ſimpliciter dicunt ordinem ad unum principalius commune , quod inæqualiter & proportionaliter participant ; ſed potius illa plura ſignificat , ut ex eis ordine quodam unum efficitur : unde ex parte ſignificati denotatur unum ſimpliciter , ſicut in ſignificato hujus vocis homo , ut dictum eſt .

Si quæras ulterius , quodnam ex his tribus principalius ſignificet Sacramentum ? R. ſignificare principalius hoc eſt expreſſius gratiam ſanctificantem ; quia illa formaliter & immediatius concurrit ad ſanctificationem noſtram , Paſſio Chriſti autem & gloria mediante tantum gratia concurrunt .

ARTICULUS III.

Utrum Sacramentum ſit res ſenſibilis ?

INTELLIGIMUS hic rem ſenſibilem , prout abſtrahit a re proprie dicta & verbo ; ita ut ſenſus ſit , utrum Sacramentum ſit ſignum ſenſibile , quodvis ſit iſtud ſenſibile , ſive res , ſive verbum . Dico 1. Omnia Sacramenta tam antiquæ quam novæ Legis conſtant de facto rebus ſenſibilibus . Patet 1. ex Scriptura , quæ omnia utriuſque Legis Sacramenta exponit per res ſenſibiles . 2. Ex definitione Sacramenti tradita in jure , & a Conciliis Florent. & Trid. probata , ſcilicet quod ſit *Inviſibilis gratiæ forma viſibilis* , 3. Ex Aug. Tract. 80. in Joan. dicente de Baptiſmo , *Accedit verbum ad elementum & fit Sacramentum* .

Dico 2. (*Hic art. 4. a.*) Ratio Sacramenti , ut eſt homini proprium atque accommodatum , neceſſario exigit , ut inſtituatur in rebus ſenſibilibus . Prob. (*Ib.*) Sapientia divina unicuique providet ſecundum modum ſuæ naturæ ; unde dicitur Sap. 8. quod *ſuaviter diſponit omnia* ; & Matt. 25. quod *dedit unicuique ſecundum propriam virtutem* : atqui connaturale eſt homini , ut Sacramenta , quibus utitur , inſtituantur in rebus ſenſibilibus . Ergo . Prob. Min. Connaturale eſt homini , ut per ſenſibilia perveniat ad cognitionem ſpiritualium & intelligibilium : atqui res , quæ per Sacramenta ſignificantur , ſunt ſpirituales & intelligibiles , quibus homo ſanctificatur . Ergo . Suadent plures congruentiæ . 1. Congruit homini , qui conſtat corpore & anima , ut habeat Sacramenta corporea cum Spiritu gratiæ . 2. Congruit omnipotentiæ Dei , quę oſtenditur in hoc , quod ſenſibilibus rebus ſalutis remedium præſtet . 3. Congruit juſtitiæ divinę ſeu humiliationi hominis , ut qui peccando ſubjecit ſe ſenſibilibus creaturis , in ſuo remedio etiam utatur rebus ſenſibilibus . 4. Congruit rationi Sacramenti prout eſt inſtitutum ut cæremonia Religionis ; Cæremonia enim Religionis exhibenda Deo ab hominibus debet eſſe ſenſibilis & exterior .

Dices . Deus potuit elevare actum internum , puta orationem internam , ut ſignificaret & cauſaret in nobis gratiam , id enim nullam involvit contradictionem : atqui iſte actus interior in hac hypotheſi foret Sacramentum ; foret enim ſignum practicum gratiæ : ergo . Quidam negant Majorem , & dicunt repugnare dari ſignum , quod non ſit ſenſibile ; quia juxta definitionem Aug. *ſignum eſt id , quod præter ſpeciem , quam ingerit ſenſibus , facit aliud in cognitionem venire* . Verum reſpondent objicientes id eſſe verum de ſigno inter homines uſurpari ſolito , & ad hunc ſenſum illud definiviſſe Auguſtinum , at non de ſigno in tota ſua latitudine , quod ſic debet definiri : *Id quod mediante ſui notitia in alterius cognitionem deducit* . Ut ut ſit de illa ſententia : nec enim nos ſcrutari delectat , quid omnipotentia Dei poſſit abſolute . R. data Maj. D. Min. Atqui talis actus interior in hac hypotheſi foret Sacramentum , proprium & accommodatum Angelo aut Spiritui ſeparato . C. Proprium & accommodatum homini , ut fert Concluſio , N. Solutio patet ex ratione Auctoris , qui etiam in Reſp. 1. ad 1. addit intelligibilia non habere , quod ſint ſigna (ſaltem prout inſtituuntur inter homines) niſi in quantum ſunt per aliud , id eſt per aliquid ſenſibile , manifeſtata .

ARTICULUS IV.

Utrum Sacramenta conſtent rebus & verbis , & quomodo res & verba in illis ſe habeant ?

POSITO quod Sacramentum ſit quid ſenſibile : quærimus nunc , quid ſit iſtud ſenſibile , an res & verba , & quomodo ſe habeant in Sacramentis ? Circa quod quadruplex

plex eſt difficultas breviter reſolvenda. 1. An in Sacramentis verba rebus convenienter adjungantur? 2. & 3. Utrum Sacramenta conſtent rebus & verbis tamquam ex materia & forma, iiſque ut partibus intrinſecis & eſſentialibus? 4. Utrum verba in Sacramentis ſint concionatoria, an conſecratoria? Et hæ omnes difficultates ſpectant potiſſimum Sacramenta novæ Legis, ut patebit ex mox dicendis.

§. I. *Utrum in Sacramentis verba rebus convenienter adjungantur?*

INTELLIGE res & verba vel formaliter vel æquivalenter, ut explicabitur modo in ſol. argumenti. (*Ib. a. 6. ad 2.*) Item intellige per *Res* non ſolum ſubſtantias phyſicas, ut eſt aqua in Baptiſmo, panis & vinum in Euchariſtia, oleum in Confirmatione; ſed etiam actiones morales, ut ſunt actus pœnitentis in Sacramento Pœnitentiæ, conſenſus mutuus contrahentium in Sacramento matrimonii.

Dico. (*Ib. a.*) In Sacramentis ſaltem novæ Legis verba rebus convenienter adjunguntur. Prob. 1 (*In arg. ſ. a.*) Apoſt. Epheſ. 5. dicit: *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & tradidit ſemetipſum pro ea, mundans eam lavacro aquæ in Verbo vitæ*. Et Aug. jam citatus Tract. 8. in Joan. *Accedit Verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Prob. ratione. (*Ibid. a.*) Sacramenta, quæ, ut dictum eſt, adhibentur ad hominum ſanctificationem, ut quædam ſigna, poſſunt tripliciter conſiderari, & quolibet modo congruit eis, quod verba rebus ſenſibilibus adjungantur. Ergo. Prob. Ant. 1. Poſſunt conſiderari ex parte cauſæ ſanctificantis, quæ eſt Verbum incarnatum, cui quodammodo Sacramentum conformatur in hoc, quod rei ſenſibili verbum adhibetur, ſicut in Incarnatione carni ſenſibili eſt verbum Dei unitum. 2. Conſiderari poſſunt ex parte hominis ſanctificandi, qui componitur ex corpore & anima, cui proportionatur Sacramentalis medicina, quæ per rem viſibilem corpus tangit, & per verbum ab anima creditur. 3. Conſiderari poſſunt ex parte ipſius ſignificationis ſacramentalis: juxta autem Aug. l. 2. de Doct. Chriſt. c. 3. & rei veritatem verba inter homines obtinuerunt principatum ſignificandi; quia verba diverſimode formari poſſunt ad ſignificandos diverſos conceptus mentis; & propter hoc per verba magis diſtincte poſſumus exprimere, quod mente concipimus. Ergo ad perfectionem ſignificationis ſacramentalis neceſſe fuit, ut ſignificatio rerum ſenſibilium per aliqua verba determinaretur. Aqua enim ſignificare poteſt & ablutionem propter ſuam humiditatem, & refrigerium propter ſuam frigiditatem; ſed cum dicitur, *Ego te baptizo*, manifeſtatur, quod aqua utimur in Baptiſmo ad ſignificandam emundationem ſpiritualem.

Dico (*Ib. a. 3.*) *in Sacramentis ſaltem novæ Legis*: eadem enim ratio non currit pro Sacramentis veteris Legis: quia juxta Aug. l. 19. cont. Fauſt. c. 16. alia debent eſſe Sacramenta rei præſentis, & alia rei futuræ: rem enim præſentem clarius manifeſtamus quam futuram. Sacramenta autem veteris Legis prænuntia erant tantum Chriſti venturi, & ideo non ita expreſſe ſignificabant Chriſtum ſicut Sacramenta novæ Legis, quæ ab ipſo effluunt, & quamdam ſimilitudinem ipſius in ſe habent, ut dictum eſt; & idcirco in Sacramentis veteris Legis non adhibebantur verba, quæ, ut diximus, principatum ſignificandi obtinent: unde nec in ritu Circumciſionis, neque in immolatione Agni Paſchalis ullum legimus verbum adhibitum. Utebantur tamen in veteri Lege aliquibus verbis in his, quæ ad cultum Dei pertinent; ſed erant cæremonialia, non ſacramentalia; ſaltem ut in pluribus.

Dices. Matrimonium in nova Lege perficitur ordinarie ſolis verbis, & poteſt perfici ſolis rebus ſine verbis, ut nutibus in mutis. Item Sacramentum Pœnitentiæ poteſt perfici ſolis verbis, ut in eo qui non habet niſi peccata linguæ confitenda, & contritionem ſuam ſolis verbis exprimit. Ergo. R. res & verba intelligi in Concluſione formaliter vel virtualiter ſeu æquivalenter, ut notavimus. Itaque per rem in Sacramentis intelligitur omne illud, quod vel eſt res propria, vel ponitur loco rei; per verbum intelligitur vel verbum proprium, vel quod ponitur loco verbi. Illud autem dicitur poni loco rei, quod ſe habet ut determinabile & complebile in ratione ſignificandi per aliud clarius ſignificativum: illud dicitur poni loco verbi, quod eſt alterius minus ſignificativi determinativum & completivum ad clariorem ſignificationem: quia, ut dictum eſt, verba habent principatum ſignificandi: & res in Sacramento ſe habet, ut modo dicemus, ut materiam, adeoque ut determinabilem; verbum autem ut formam, adeoque ut determinativum. Cum itaque in Sacramento Pœnitentiæ verba pœnitentis ſe habeant determinabilia ad clariorem Sacramenti ſignificationem per verba abſolutionis, ponuntur loco rerum, & ſunt res virtualiter. Idem dic de Matrimonio, in quo verba unius, ut habent rationem traditionis, determinantur per verba alterius, ut habent rationem acceptationis, ut dicemus ſuo loco: inter mutos autem nutus ſeu alia ſigna ſunt æquivalenter & virtualiter verba.

§. II. *Utrum Sacramenta novæ Legis conſtent rebus tanquam materia, & verbis tamquam forma, & ut partibus eſſentialibus?*

OBSERVANDUM has voces *materia* & *forma* reſpective ad Sacramenta non fuiſſe in uſu niſi circa an. 1215. uſurpatas primo a Guillelmo Antiſiodorenſi, cum nullibi ante ipſum, nec apud Magiſtrum ſent. reperiantur. Legimus quidem apud Aug. l. 1. de peccat. merit. c. 34. *formam Sacramenti*, & in Concilio Milevitano *formam Baptiſmatis*: ſed per formam intelligebant totum ritum ſeu cæremonias Sacramenti, non præciſe verba. Aliis ergo terminis exprimebant antiqui, quod nunc vocamus materiam & formam. Quandoque dicebant *myſtica Symbola*, quandoque *ſignum & rem inviſibilem*, quandoque *Sacramentum & rem ſacramentalem*, intelligentes per ſignum ſeu Sacramentum, quod nos per materiam & formam intelligimus, & per rem inviſibilem aut ſacramentalem, effectum Sacramenti; quandoque *verbum & elementum*, ut Aug. Tract. 80. in Joan. ſæpius *res & verba*. A tempore autem Guillelmi Antiſiodor. hæ voces *materia* & *forma* reſpective ad Sacramenta fuerunt communiter receptæ in Scholis, & uſu ac ſanctionibus Eccleſiæ conſecratæ, ut patebit modo. Unde

Dico. Sacramenta novæ Legis conſtant ex rebus & verbis tamquam materia & forma, & ut intrinſecis & eſſentialibus. Prima pars eſt definita a Concilio Florent. in Decreto unionis his verbis: *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, rebus tanquam materia, verbis tamquam forma, & perſona Miniſtri conficientis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia, quorum ſi aliquid deſit, non perficitur Sacramentum.* Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 3. ait: *Docet præterea S. Synodus Sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipue ipſius vis ſita eſt, in illis miniſtri verbis poſitam eſſe: Ego te abſolvo, &c... ſunt autem quaſi materia hujus Sacramenti, ipſius pœnitentis actus.* Longe antea S. Th. hic a. 6. ad 2. dixit: *Ex verbis & rebus fit quodammodo unum in Sacramentis ſicut ex forma & materia, in quantum ſcilicet per verba perficitur ſignificatio rerum.* Et Art. 7. c. *In Sacramentis verba ſe habent per modum formæ, res autem ſenſibiles per modum materiæ.*

Ratio hujus eſt, quam jam (*Hic a. 6. c.*) expendimus §. præc. Illud habet rationem materiæ, quod eſt determinabile & perfectibile per aliud; illud habet rationem formæ, quod eſt alterius determinativum & perfectivum: atqui in omnibus Sacramentis res determinantur per verba; res enim ſunt ex ſe indifferentes ad multa ſignificanda, per verba autem determinantur ad unum: ſic aqua eſt indifferens ad ſignificandam ablutionem aut refrigerationem; cum autem dicitur, *Te baptizo*, determinatur ad ſignificandam ablutionem ſpiritualem. Unde Aug. Tract. 80. jam cit. in Joan. *Detrahe verbum, quid eſt aqua niſi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Secunda pars ſequitur ex prima. Nam materia & forma ſunt partes eſſentiales cujuſvis compoſiti, ſive naturalis, ſive artificialis aut moralis. Et licet in artificialibus materia ſola ſit, pro qua ſupponuntur, quia eſt tota illorum ſubſtantia, non tamen ipſi ſola eſt, in qua eſſentialiter conſiſtunt: non enim v. g. lignum eſt tota eſſentia cathedræ, ſed forma eſt ipſi intrinſeca & eſſentialis per modum complementi eſſentialis, & ſine illa non ſalvatur eſſentia artefacti. Atqui ex dictis res & verba ſunt tamquam materia & forma in Sacramentis. Ergo. Unde Auctor infra q. 90. a. 2. ait. *Quodlibet Sacramentum diſtinguitur in materiam & formam ſicut in partes eſſentiæ.* Et in 4. d. 1. a. 3. ad 2. *Verba & res ſunt de eſſentia Sacramenti.*

Solvuntur Objectiones.

OBJ. 1. contra 1. partem concluſionis. Materia & forma compoſiti debent ſimul uniri: atqui in Sacramentis novæ Legis res & verba non debent ſemper ſimul uniri: valet enim Baptiſmus, v. g. ſi verba paululum præcedant aut ſubſequantur ablutionem. Ergo. Quidam negans Min. & contendunt ad validitatem Sacramenti res & verba ſaltem in parte debere eſſe ſimul in eodem inſtanti phyſico, Ita Gloſſa in Cap. *Detrahe* 1. q. 1. & Caj. t. tom. 1. opuſc. Tract. 16. Navarrus in Manuali c. 22. n. 12. & 27. Sed hæc ſententia communiter rejicitur. Unde R. D. Maj. Materia & forma compoſiti debent ſimul uniri ſimultate phyſica vel morali, C. ſemper ſimultate phyſica, N. Quamvis enim in compoſitis ſubſtantialibus materia & forma debeant ſemper uniri ſimul ſimultate phyſica, non tamen ſemper in compoſitis artificialibus: ſic prædicatum & ſubjectum ſunt materia & forma in pro-

ſo-

Digitized by Google

poſitione, & tamen non ſunt ſimul phyſice. Et id maxime verum eſt in compoſitis moralibus, ut eſt Sacramentum; talis enim ſufficit ſimultas, quale eſt compoſitum: cenſetur autem moralis ſimultas inter materiam & formam Sacramenti, ſi ſecundum communem loquendi modum ſalvetur veritas formæ, & cenſeatur ſecundum moralem æſtimationem afficere materiam. *Nan debet*, inquit Dom. Soto in 4. d. 3. q. unica, a. 8. *uſque adea ſtrictim hoc ſimul intelligi, ſad morali mada, hoc aſt ut bumanus uſus babet. Qui enim phyalam ori admavens ait, Ego biba, & cantinuo bibit, ſimul cenſetur id dicara & facere. Pari erga rationa ſi quis priur dicat: Ega ta baptiza, vel ega ta chriſmo, & pratinus margat vel chriſmate nagat, ſat aſt: illud enim praximum tempus cenſetur bumana mada præſens*. Cavenda eſt tamen nimia interpolatio, ſi enim tanta eſſet, ut ſpectata natura Sacramenti ſecundum uſum humanum verba non cenſerentur ſervare ſuam veritatem, & afficere materiam, non perficeretur Sacramentum. Vide pro praxi obſervationem in calce §.

Obj. 2. Significatio eſt forma Sacramentorum. Ergo non verba. R. D. Ant. Significatio eſt forma totalis Sacramentorum, C. Partialis, N. Significatio itaque gratiæ ſanctificantis eſt forma totius compoſiti ſacramentalis, ſed verba ratione clarioris ſignificationis ſunt forma partialis reſpectu rerum, quas ad unum ſignificandum determinant. Sicut humanitas eſt forma totalis hominis, anima forma partialis corporis.

Inſt. Si verba haberent rationem formæ reſpectu rerum, id haberent vel ratione ſignificationis ſibi naturalis & propriæ, vel ratione ſignificationis ſupernaturalis a Chriſto eis communicatæ: non primum, quia ſignificatio, quam naturaliter habent in quibuſdam ſaltem Sacramentis, eſt impertinens, ut determinet ſignificationem rei in ordine ad ſignificationem ſacramentalem, v. g. *Te abluo* in Baptiſmo: non ſecundum, quia ſignificatio ſacramentalis proveniens ex Chriſti inſtitutione eſt unica cadens ſupra res & verba, ſeu totum compoſitum. Ergo. R. Id verba habere ratione ſignificationis naturalis, non abſolute, ſed ut determinatioris & expreſſioris: neque adhuc præciſe ut talis, ſed ut aſſumptæ a Chriſto in ordine ad ſacramentalem ſignificationem; licet enim ſignificatio ſacramentalis ſit ex impoſitione Chriſti, ſupponit tamen in re, quæ eligitur ad talem ſignificationem, aliquam congruentiam & ſimilitudinem cum re ſignificata; & quanto amplior fuerit ſimilitudo, tanto expreſſior erit ſignificatio ſacramentalis: cum igitur verba expreſſius ſignificent quam *res*, ratione iſtius modi expreſſioris ut aſſumpta a Chriſto, complent & determinant ſignificationem rerum, & ideo verba ſunt forma, res materia.

Obj. 3. Contra utramque partem Concluſionis, Species ſacramentalis in Euchariſtia tranſacta conſecratione ſunt Sacramentum: atqui hoc Sacramentum non componitur ex verbis, verba enim conſecratoria tranſierunt. Ergo. Quidam non ignobiles Auctores propter hoc argumentum cenſent, quod quamvis Sacramentum Euchariſtiæ in fieri componatur ut cætera ex rebus & verbis tamquam ex materia & forma & ut partibus eſſentialibus, in facto eſſe tamen ſit excipiendum a concluſione; huc enim illi proprium eſt, quod non conſiſtat in uſu ſicut alia, ſed in re permanenti, ſcilicet in ſpeciebus conſecratis. Attamen non minus probabiliter cum aliis Reſponderi poteſt negando Min. Ad Prob. D. Verba conſecratoria tranſierunt formaliter, C. Virtualiter, N. Sic enim remanent in ſpeciebus, quæ virtute illarum ſunt conſecratæ. Et hoc ſufficit, ut Sacramentum dicatur ex illis componi; ſicut ad hoc ut mixtum dicatur componi ex elementis, ſufficit, quod virtualiter remaneant in mixto. Neque inde inferas melius dici Sacramentum componi ex rebus & illarum determinatione per verba, quam ex verbis; quia illa determinatio eſt illorum virtus; unde dicitur cum proprietate verba remanere virtualiter, & ex illis Sacramentum componi.

Inſt. Verba Conſecrationis ſunt cauſa efficiens Sacramenti Euchariſtiæ. Ergo non ſunt pars ejus eſſentialis. R. D. Conſeq. Ergo non ſunt pars ejus eſſentialis ſub eodem reſpectu, C. Sub diverſo reſpectu, N. itaque verba conſecratoria quatenus convertunt materiam panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti, ſunt cauſa efficiens Sacramenti; quatenus autem confuſam ſignificationem materiæ determinant ad eſſe Sacramenti ſeu ad ſignificationem ſacramentalem, ſunt ejus forma: nihil obſtat autem præſertim in moralibus, quod idem ſub diverſo reſpectu exerceat munus cauſæ efficientis & formalis. Sic conſenſus eſt cauſa efficiens & formalis contractus.

Repunes. Compoſitum non poteſt multiplicari, non multiplicata forma: atqui Sacramentum multiplicatur, non multiplicatis verbis: dum ſub una verborum prolatione conſecrantur multæ hoſtiæ, tot ſunt Sacramenta, quot ſunt hoſtiæ conſecratæ, & tamen una eſt verborum prolatio. Ergo, R. D. Maj. Compoſitum non poteſt multiplicari, non multiplicata forma formaliter vel virtualiter, C. Semper formaliter, N. Ad hunc ſenſum, D. Min. N. Conſeq. Dum ergo ſub iiſdem numero verbis conſecrantur plures hoſtiæ, forma multiplicatur virtualiter; ſicut dum ſimul baptizantur plures homines, forma Baptiſmi multiplicatur virtualiter.

Urgebis. Non multiplicatur compoſitum, non multiplicata forma formaliter; ſicubi ſunt duo homines, ſunt duæ animæ formaliter. Ergo. R. D. Ant. Non multiplicatur compoſitum phyſicum, non multiplicata forma formaliter, C. Compoſitum morale, N. Ex uno enim conſenſu virtualiter multiplici poſſunt fieri decem contractus.

Obſervanda pro praxi circa ſimultatem materiæ & formæ in Sacramentis.

Dixi in ſolut. 1. Arg. ſecundum communem ſententiam ſimultatem moralem materiæ & formæ ſufficere ad validitatem Sacramenti: idque quia Sacramentum eſt compoſitum morale ex inſtitutione Chriſti ab hominibus exercendum & recipiendum, conſequenter humano & morali modo. Nec veriſimile eſt Apoſtolus, qui Act. 2. leguntur una die baptizaſſe tria millia hominum, ſic aſperſiſſe aut effudiſſe aquam, ut tangeret omnes baptizandos eodem inſtanti phyſico, quo formam proferrent. Dixi item tunc haberi ſimultatem moralem materiæ & formæ, quando ſpectata Sacramenti natura ſecundum communem loquendi modum ſalvatur veritas formæ, & cenſetur ſecundum humanum uſum afficere materiam, & unum morale ſignum conſtituere, ſecus, non haberi ſimultatem moralem, nec perfici Sacramentum. Unde pro diverſitate Sacramenti diverſa ſimultas, major vel minor, requiritur ad validitatem Sacramenti.

Itaque in Sacramento Euchariſtiæ requiritur major, imo phyſica ſimultas: quia hæc pronomina *hoc* & *hic* ſatis denotant materiam debere eſſe phyſice præſentem, ut verificetur forma. Minor requiritur in Sacramentis Baptiſmi, Confirmationis, Ordinis, & Extremæ Unctionis: quamvis enim eorum formæ importent tempus præſens; *Baptizo*, *ſigno*, &c. moraliter tamen loquendo tempus præſens admittit aliquam latitudinem, & cenſemus præſens, quod immediate præceſſit, vel immediate ſequitur: unde in his Sacramentis ſi inter materiam & formam intercedat parva morula, puta unius *Ave*, quibuſdam videtur adhuc perfici Sacramentum; ſecus, ſi longius tempus intercedat.

In Sacramento Pœnitentiæ, quod exercetur per modum judicii, certum eſt, quod materia, ſcilicet actus pœnitentis debeat præcedere formam, hæcque videtur poſſe longiuſcule differri. Quidam dicunt a ſero ad mane ſequentis diei, quidam ad tres aut quatuor horas; quidam ad horam; alii iſtas omnes moras longiores reputant: quia licet in judicio forenſi poſt examen & confeſſionem rei poſſit ita, imo ad plures dies, differri ſententia, non ſic tamen, inquiunt, in Sacramento Pœnitentiæ ſecundum communem prudentum ſenſum, ad quem debet attendi in præſenti materia: nemo enim diceret hodie confeſſum poſſe valide non iterata confeſſione poſt ulti-duum abſolvi, ſicut tamen fieri poteſt & fit in judicio forenſi.

In Sacramento Matrimonii cum ſit contractus, quamdiu perſeverat moraliter conſenſus unius, etiam poſt plures menſes poteſt accedere conſenſus alterius, ſicut in aliis contractibus: & hoc patet, quando Matrimonium contrahitur per procuratorem, nuntium vel litteras in locis diſtantibus.

Horum omnium ratio jam ſæpe dicta eſt, quod Sacramenta ſint quædam compoſita artificialia, non phyſica ſed moralia, ab hominibus exercenda & recipienda, ideoque de eorum conſiſtentia judicandum non ſecundum principia phyſica præciſe, ſed ſecundum principia moralia & judicium prudentum: prudentes autem judicant ſpectata cujuſlibet Sacramenti natura, parvam diſtantiam officere uni, nonniſi magnam alteri. Et hæc quantum ad valorem Sacramenti.

Nunc vero quoad *licitum*. Imprimis certum eſt in Sacramento Pœnitentiæ & Matrimonii licite poſtponi formam materiæ, cum aliter fieri non poſſit. In aliis vero Sacramentis, Baptiſmi, Confirmationis, Ordinis & Extremæ Unctionis, omnino illicitum eſt poſtponere totaliter formam materiæ, aut materiam formæ; ita ut a peccato mortali non videatur excuſandus, qui baptizando, v. g. partem ſaltem formæ non pronunciaret ante finitam ablutionem: quia ſecundum omnes peccat mortaliter, qui ſine cauſa Sacramentum exponit nullitati, ut miniſtrat dubium, dum poteſt certum; Sacramentum autem ſic collatum eſt dubium, cum plures & graves Auctores illud reputent nullum. Ergo. Unde quidam ſub conditione inferunt Sacramentum præſertim Baptiſmi & Ordinis ſic collatum eſſe repetendum.

Cæterum, conſultum eſt Sacramentorum Miniſtris, ut in

Digitized by Google

in omnium collatione curent adhibere majorem quam poſſunt materiæ & formæ ſimultatem. In Sacramentis Baptiſmi, Confirmationis, Ordinis & Extremæ-Unctionis, applicando materiam, formam proferant. In Sacramento Pœnitentiæ peracta confeſſione, impoſita & acceptata ſatisfactione, ſtatim abſolutionem impendant. In Matrimonio poſt expreſſum conſenſum unius, altere veſtigio ſuum exprimat. Cum enim materia & forma debeant conſtituere unum ſignum ſacramentale, conſultum eſt, ut meliori quo poſſunt modo conjungantur.

§. III. *Utrum verba Sacramentorum ſint promiſſoria & concionatoria, an conſecratoria?*

QUÆSTIO duplici ſenſu poteſt intelligi. 1. An in collatione Sacramentorum debeat neceſſario præmitti aut adhiberi promiſſio, ſeu concio explicativa promiſſionis, quæ concio vel promiſſio ſit pars eſſentialis Sacramenti? 2. Utrum verba, quæ ſunt forma Sacramentorum, ſint promiſſoria & concionatoria, non conſecratoria? utrumque videntur ſuſtinere Lutherani & Calviniſtæ, præcipue ſecundum; quoad primum enim non omnes conſentiunt.

Dicunt itaque verba Sacramentorum eſſe promiſſoria, quatenus ſi non expreſſe contineant promiſſiones divinas, ſaltem ad illas jam factas mentem revocant, & eas quaſi ſigillant. Dicunt concionatoria, quatenus alta voce prolata in audientium animis movent & excitant fidem juſtificationis promiſſæ, cui fidei & non Sacramento juſtificationem tribuunt, ut dictum eſt alibi. Tandem concedunt poſſe aliquo ſenſu dici conſecratoria, quatenus rem ab uſu profano ad ſacrum & religioſum transferunt, ſed non quatenus efficiunt quod ſignificant, gratiam ſcilicet & ſanctitatem: contendunt enim, & eſt apud illos dogma capitale, hominem non juſtificari per gratiam internam, ſed imputationem juſtitiæ Chriſti, ut vidimus de gratia. Hoc ultimo excepto, præſens controverſia foret levis momenti & quaſi de nomine, Catholici namque non negant concionem ſeu inſtructionem præmittendam eſſe Sacramento conferendo adultis, quia debent inſtrui de rebus fidei, ut cum fructu Sacramentum ſuſcipiant, juxta illud Chriſti ad Apoſtolos: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris*, &c. Sed negant hanc inſtructionem aut concionem pertinere ad eſſentiam Sacramenti, in idque conſentiunt quidam ex adverſariis. Item non negant Catholici verba Sacramentorum poſſe dici ſigilla & pignora divinarum promiſſionum, & aliquo ſenſu pertinere ad concionem, quatenus valent ad excitandam objective fidem & pietatem; ſed volunt, quod ſint inſuper conſecratoria, non ſolum quia rem transferunt ab uſu profano ad ſacrum, ſed etiam quia efficiunt, quod ſignificant, puta hæc verba *Te baptizo*, ablutionem ſpiritualem animæ a peccatis per gratiam. Et hæc: *Hoc eſt corpus meum*, præſentiam realem corporis Chriſti. Ex quo patet hanc controverſiam proprie pertinere ad Quæſt. de cauſalitate Sacramentorum; de qua infra. Attamen pro more ſcholarum

Dico 1. In collatione Sacramentorum non eſt neceſſario præmittenda aut adhibenda, ut pars eorum eſſentialis, concio, qua audientes inſtruantur de promiſſionibus divinis, de Sacramentorum inſtitutione & effectibus. Prob. 1. Eſſentialia Sacramentorum fuerunt a Chriſto determinata, ut dicemus infra, præcipue in Sacramentis Baptiſmi & Euchariſtiæ, quæ duo agnoſcunt Hæretici: atqui ſi concio præmittenda, aut adhibenda, eſſet ipſis eſſentialis, eſſentialia Sacramentorum non eſſent a Chriſto determinata; tot enim forent diverſæ conciones, quot forent diverſi concionatores. Ergo. 2. Infantes & amentes valide baptizantur, & id non negant Hæretici, quippe qui ipſi infantes baptizant: atqui ipſis non adhibetur concio, qua in ipſis excitetur fides juſtificationis promiſſæ; hujus enim ſunt incapaces. Ergo.

Reſpondet 1. Calvinus Baptiſmum tunc quidem non prodeſſe infanti, ſed profuturum tunc quando poterit intelligere ſignificationem. Sed contra 1. ſi concio ſit de eſſentia Baptiſmi, debet ab eo, qui baptizatur, percipi, ſicut ipſe ab aqua debet tangi. 2. Multi infantes moriuntur, antequam poſſint ſignificationem percipere. 3. Eſto tunc tantum proficiat, ſaltem non iteratur; ergo validus erat abſque concione.

Reſpondet 2. Nihilominus adhibendam eſſe concionem, quæ proderit ſaltem adſtantibus. Sed contra 1. Poteſt contingere, quod nullus ſit præſens præter baptizandum & baptizantem. 2. Non propter adſtantium, ſed propter recipientium utilitatem confertur Sacramentum. 3. Calvinus docet non eſſe rebaptizandos Catholicos, nec ſeipſum, ubi apoſtatavit, juſſit rebaptizari, quia validus eſt eorum Baptiſmus: atqui tamen Catholici non ſemper adhibent concionem, & nunquam ut partem eſſentialem Baptiſmi. Ergo. 4. Baptiſma Hæreticorum etiam circa formam errantium, modo litteraliter ſervaretur, ut validum ſemper ſuſcepit Eccleſia, ut conſtat ex Aug. l. 3. de Bapt. c. 15. ubi dicit integrum eſſe Sacramentum, ſi Evangelicis verbis fuerit conſecratum, ſive a Marcione, ſive ab Ario, ſive ab Eunomio, ſive a Valentino, qui omnes hæretice ſentiebant circa SS. Trinitatem, adeoque circa formam Baptiſmi. Ergo vel nulla concio eſt de eſſentia Baptiſmi, vel admittenda eſt concio hæretica & blaſphema tamquam pars eſſentialis Sacramenti, quod eſt altera blaſphemia.

Dico 2. Verba Sacramentorum non ſunt ſimpliciter promiſſoria & concionatoria, ſed conſecratoria, id eſt effectiva illius, quod ſignificant. Prob. 1. Verba Sacramentorum uſurpata & inſtituta a Chriſto nullam continent promiſſionem aut concionem; ut hæc, *Hoc eſt corpus meum*: Et hæc, *Ego te baptizo in nomine Patris*, &c. Ubi enim quæſo illic promiſſio vel concio? ſed duntaxat conſecrant materiam, quam afficiunt, aut ſanctificant perſonam, cui conferuntur: unde Chriſtus non dixit: *Euntes docete omnes gentes nomine Patris*; ſed, *euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris*, &c. 2. Aliud eſt miniſterium baptizandi, aliud evangelizandi, juxta illud Apoſt. 1. Cor. 1. *Non miſit me Deus baptizare, ſed evangelizare*: atqui ſi forma Baptiſmi foret concionatoria & non conſecratoria, idem foret miniſterium baptizandi & evangelizandi. Ergo. 3. Validus eſt Baptiſmus infanti collatus, ut jam dictum eſt, quamvis nullam in eo fidem excitet promiſſæ juſtificationis. Ergo. Quæ huic argumento reponit Calvinus, prævenimus ſupra. 4. Aug. cujus auctoritate abutuntur Heterodoxi, l. 3. de Bapt. c. 10. dicit: *Baptiſmus Chriſti verbis Evangelicis conſecratus, & per adulteros & in adulteris ſanctus eſt quamvis illi ſint impudici & immundi: quia ipſa ejus ſanctitas pollui non poteſt, & Sacramento ſuo divina virtus aſſiſtit*. Inde ſic arguo juxta Aug. & rei veritatem: Baptiſmus verbis Evangelicis ab infideli aut malo miniſtro collatus alicui indigno ſine fide aut charitate illud recipienti eſt validus. Ergo neque ex fide aut pietate miniſtri, neque ex fide & pietate recipientis pendet ejus valor & eſſentia. Ergo non eſt neceſſe ad ejus valorem & eſſentiam, ut verba evangelica ſint concionatoria, & alta voce proferantur, ut excitent fidem & pietatem in ſuſcipiente. In confirmationem utriuſque Concluſionis appello ad perpetuam traditionem Eccleſiæ, quæ ubi de Sacramentis agebatur, nunquam promiſſionis aut concionis, ſed conſecrationis ſeu benedictionis tantum meminit. Confer, quæ dicemus infra de effectu Sacramentorum.

Obj. 1. S. Petrus Ep. 1. c. 3. dicit: *Vos ſimilis formæ ſalvos facit baptiſma, non carnis depoſitio ſordium, ſed bonæ conſcientiæ interrogatio in Deum*. In Græco vox, quam Latinus interpres vertit *interrogationem*, ſignificat ſtipulationem ſeu pactum, quod nempe baptizatus init cum Deo. Ergo verba Sacramentalia ſunt verba pacti & promiſſionis. Ita Lutherus. R. 1. Eſto, loco *interrogationis* poni debeat *pactum* ſeu *ſtipulatio*, non ſequitur ipſum baptiſma eſſe illud pactum, neque hoc dixit S. Petrus; ſed quod baptizandus baptizanti interroganti, an renuntiet mundo & diabolo, reſpondens ſe renuntiare, ineat pactum cum Deo, ratione cujus tamquam diſpoſitionis & conditionis virtute Sacramenti ſit ſalvus. Sed R. 2. hunc textum aliunde ſatis obſcurum plus nocere quam favere Novatoribus. Ibi enim S. Petrus comparat Baptiſma Arcæ Noe: Arca autem Noe non fuit merum pactum aut ſignum pacti cum Deo, ſed revera continendo octo animas eas ſalvas fecit corporaliter: ita ergo Baptiſma non ſolum eſt pactum aut ſignum pacti cum Deo, ſed ſua virtute ſalvat animas ſpiritualiter, non abluendo carnis ſordes, ut lotiones & baptiſmata Judaica, ſed ſordes animæ ſeu conſcientiæ eam interrogando in Deum, id eſt, eam explorando, probando, & quaſi lixivio emundando, ſicque perfectam & mundam Deo exhibendo.

Obj. 2. Aug. Tract. 80. in Joan. dicit: *Unde tanta vis aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat? Niſi faciente verbo, non quia dicitur, ſed quia creditur*: atqui fides habetur ex concione: unde addit Aug. ex Apoſt. *Hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus*. R. (*Hic aſt. ad t.*) Senſum Aug. non eſſe verba Sacramentalia non eſſe pronuncianda, ut fatentur ipſi Hæretici, neque nullam vim ipſis ineſſe ſine fide actuali, cum S. Doctor contra Donatiſtas totus ſit, ut probet Baptiſma ſine fide datum & receptum valere. Senſus eſt igitur verbum operari in Sacramentis, *Non quia dicitur*, id eſt, non ſecundum exteriorem ſonum vocis, ſed *quia creditur*, id eſt, ſecundum ſenſum verborum, qui fide tenetur. Seipſum clare explicat Auguſt. verbis immediate ſequentibus: *Nam*, inquit, *in ipſo verbo aliud eſt ſonus tranſiens, aliud ſenſus manens*. Ex quo infert S. Th. quod licet non ſint eædem voces quoad ſonum apud omnes, quia tamen eſt idem ſenſus, ideo cujuſcumque linguæ verbis proferatur talis ſenſus, perficitur Sacramentum. Ad id, quod addit Aug. ex Apoſt. *Hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus*: Verum eſt hoc ſenſu, quod Apoſtoli hujus verbi Sacramentalis vim & efficaciam prædicaverint & annuntiaverint, Vel intelli-

gendum eſt de verbo generaliter ſive conſecratorio ſive concionatorio, ut explicabitur in ſol. ſequenti,

Inſt. Aug. poſt hæc verba : *Hoc eſt verbum fidei quod prædicamus* : ſubjungit : *Unde in actis Apoſtolorum fide mundans corda eorum. Et Petrus Apoſt. ſic nos Baptiſma ſalvos facit, non depoſitio ſordium carnis, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio, Hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus*. Et in fine ſermonis concludit : *Totum hoc fit per verbum, de quo Dominus ait, jam vos mundi eſtis propter verbum, quod locutus ſum vobis*. Atqui mundari per fidem, per conſcientiæ interrogationem, per verbum quod locutus eſt Dominus poſt ultimam cœnam, non eſt mundari per verbum conſecratorium, ſed concionatorium. Ergo verbum in Sacramento eſt concionatorium & non conſecraturium. R. data Min. N. Conſeq. Quia Aug. ibi non loquitur de verbo præciſe ut ſacramentali, ſed generaliter de verbo ſive fidei ſive Sacramentorum, quo mundamur. S. Doctor enim eo loci explicanda ſuſceperat hæc Chriſti verba: *Jam vos mundi eſtis propter verbum, quod locutus ſum vobis*: & facit ſibi Quæſtionem, cur non dixerit Chriſtus, jam mundi eſtis propter Baptiſmum, quo loti eſtis: cui reſpondet dicendo, quia ſive in Sacramentis, ſive extra, ſemper verbo mundamur; ſi enim fiat mundatio in Sacramentis, vis mundandi oritur ex verbis; ſi extra, fit neceſſario per fidem; fides autem ex auditu, auditus per verbum Dei; unde mundatio ſemper ex verbo oritur. In eo igitur loco, cui maxime confidit Calvinus, S. Aug. loquitur modo de verbo ſacramentali, modo de verbo concionatorio, & ſine æquivocatione, quia utriuſque verbi characteres diſtinguuntur. Et ſic concludit: *Totum hoc fit per verbum, de quo Dominus ait: Jam vos mundi eſtis propter verbum, quod locutus ſum vobis*: non reſtringit verba Chriſti ad ſermonem ejus poſt ultimam cœnam, ſed intelligit de verbo generaliter; ita ut ſenſus ſit in Auguſtino; vos mundi eſtis propter verbum meum, ſive quod me concionante audiſtis, ſive quo in Baptiſmo ſanctificati eſtis.

Urgebis ex S. Ambroſio, qui lib. de Myſteriis cap. 11. dicit : *Aqua ſine prædicatione Dominicæ crucis ad nullos uſus futuræ ſalutis eſt ... ſicut ergo in illum fontem Moyſes miſit lignum, ita & in hunc fontem Sacerdos prædicationem dominicæ crucis mittit, & aqua fit dulcis ad gratiam*. Ergo. R. Ambroſium per prædicationem dominicæ crucis intelligere verbum conſecratorium, & non concionatorium; non enim concio mittitur ſeu dirigitur in fontem, ut loquitur Ambr. ſed in audientes. Unde l. 4. de Sacramentis c. 4. *Ubi*, inquit, *acceſſit conſecratio, de pane fit caro Chriſti*.

Objiciunt inſuper Hæretici Sacramenta a SS. Patribus vocari ſignacula, ſigilla, pignora. Sed neque nos id negamus, addant dumtaxat ſigilla, ſignacula, &c. practica & effectiva illius quod ſignificant, & conveniemus ſaltem quoad rem.

ARTICULUS V.

Utrum res & verba in Sacramentis novæ Legis ſint & debuerint eſſe a Chriſto determinata : ſiſque proinde ſit neceſſe uti?

Dico 1. Res & verba in Sacramentis novæ Legis ſunt de facto a Chriſto determinata, ideoque neceſſe eſt illis uti. Prob. Chriſtus eſt Auctor Sacramentorum novæ Legis, ut infra dicemus : atqui ille dicitur Auctor compoſiti, qui illius materiam & formam inſtituit atque determinat. Ergo.

Dico 2. (*Hic a. 5, & 7. c.*) Res & verba in Sacramentis novæ Legis debuerunt a Chriſto determinari. Prob. (*Ib. a. 5.*) de Rebus. In uſu Sacramentorum duo poſſunt conſiderari, ſcilicet cultus divinus & ſanctificatio hominis, quorum primum pertinet ad hominem per comparationem ad Deum, ſecundum e converſo pertinet ad Deum per comparationem ad hominem. Atqui licet poſſit eſſe in poteſtate hominis determinare ſibi res, quibus Deum colat, non tamen ad ipſum pertinet ſuo judicio aſſumere res, quibus ſanctificetur, ſed ad ſolum Deum. Ergo. Prob. Min. Sanctificatio hominis eſt in poteſtate Dei ſanctificantis. Atqui non pertinet ad aliquem determinare, quod eſt in poteſtate alterius. Ergo. Prob. (*Ib. a 7.*) a fortiori de verbis. In Sacramentis requiruntur res determinatæ a Chriſto. Ergo multo magis determinata verba. Prob. Conſ. In Sacramentis verba ſe habent per modum formæ, res ſenſibiles per modum materiæ, ut dictum eſt. Atqui in omnibus compoſitis ex materia & forma principalius ad eſſe rei requiritur determinata forma, quam determinata materia. Ergo. Prob. Min. In omnibus compoſitis ex materia & forma principium determinationis eſt ex parte formæ, quæ eſt quodammodo finis & terminus materiæ; materia enim requiritur determinata, ut ſit proportionata determinatæ formæ. Ergo.

Solvuntur Objectiones.

Pro ſolutione Objectionum nota ad veritatem Concluſionis noſtræ ſufficere, ſi res & verba a Deo ſint determinata immediate vel mediate, in genere vel in ſpecie. Obj. 1. contra 1. partem. Salus animæ eſt magis neceſſaria, quam ſalus corporis. Atqui in medicinis corporalibus poteſt una res poni pro alia in ejus defectum. Ergo multo magis in Sacramentis, quæ ſunt medicinæ ſpirituales ad ſalutem animæ. R. N. (*Ibid. art. 5. ad 2.*) Conſ. Diſparitas eſt, quod res habeant naturaliter ſibi inditas virtutes conferentes ad corporalem ſalutem: & ideo non refert, ſi duæ earum eandem virtutem habeant, qua quis utatur: ſed ad ſanctificationem non ordinantur ex aliqua virtute ſibi naturaliter indita, ſed ſolum ex inſtitutione divina: & ideo oportuit divinitus determinari, quibus rebus ſenſibilibus ſit in Sacramentis utendum.

Obj. 2. Si ratio D. Th. valeret, probaret etiam in Sacramentis Legis naturæ materias eſſe a Deo determinatas. Atqui falſum Conſ. cum nihil ſit aſſignabile determinatum a Deo in Lege naturæ, quo deleretur peccatum originale. Ergo & Ant. R. D. Min. Atqui res Sacramentorum Legis naturæ non ſunt a Deo determinatæ, immediate, C. mediate, N. Dicendum igitur divina inſtitutione revelata Adæ, & ab ipſo poſteris indicata, præfixum fuiſſe homini, ut pro Sacramentis & deletione peccati originalis adhiberet proteſtationem exteriorem fidei : quo ritu autem quove ſigno illa proteſtatio fieret, interiori hominis inſtinctui determinandum a Deo relictum fuiſſe. (*Ibid. ad 3.*) Et ratio hujus diſparitatis cum Sacramentis novæ Legis eſt, quia ſicut in ſtatu Legis naturæ homines nulla lege exterius data, ſed ſolo inſtinctu interiori movebantur ad Deum colendum, ita etiam ex interiori inſtinctu determinabatur eis quibus rebus ſenſibilibus ad Dei cultum uterentur. Poſtmodum vero neceſſe fuit etiam exterius legem dari tum propter obſcurationem legis naturæ ex peccatis hominum: tum etiam ad expreſſiorem ſignificationem gratiæ Chriſti, per quam humanum genus ſanctificatur: & ideo etiam neceſſe fuit res expreſſius determinari, quibus homines uterentur in Sacramentis.

Inferes. Ergo magis arctatur via ſalutis in lege nova, quam in lege naturæ. R. N. Illat. (*ib.*) Quia res, quarum uſus eſt neceſſarius in Sacramentis novæ Legis, vel communiter habentur, vel parvo ſtudio adhibito haberi poſſunt. Adde, quod tunc pauciores eſſent fideles quam nunc, qui tale ſignum qualecumque adhibere valerent in ſuorum ſalutem. Inſuper abundantior gratia in nova Lege compenſat inconveniens allatum.

Obj. 3. Quorumdam Sacramentorum novæ Legis, ſcilicet Matrimonii & Ordinis, res non fuerunt determinatæ. Ergo. Prob. Ant. Utriuſque rem ſeu materiam mutavit Eccleſia; nam ante Conc. Trid. materia Matrimonii erat conſenſus contrahentium etiam ſine Parocho & Teſtibus, nunc autem debet fieri coram Parocho & Teſtibus, In Sacramento Ordinis primis ſæculis materia erat ſola manuum impoſitio, & ita nunc eſt apud Græcos etiam Catholicos; apud Latinos autem eſt porrectio patenæ cum pane, & calicis cum vino, ut decernit Eugenius IV. Ergo. R. N. Ant. Ad Prob. de Matrimonio, D. Ant. Eccleſia mutavit Matrimonii materiam, formaliter, N. materialiter, ſeu rem, quæ erat materia, C. Materia ergo Matrimonii a Chriſto determinata non erat quilibet contrahentium conſenſus, ſeu traditio per acceptationem determinata, ſed conſenſus efficiens legitimum contractum; elevavit enim Chriſtus contractum legitimum naturalem ad eſſe Sacramenti. Remanet nunc eadem formaliter materia, ſed tantum effecit Eccleſia, ut contractus, qui prius ſine talibus conditionibus erat legitimus, nunc non ſit legitimus; quod certe poteſt, dum validitas contractuum ejus auctoritati ſubjaceat. Sicut ergo qui nunc deſtrueret panem, aut vinum converteret in acetum, non diceretur mutare ſeu deſtruere materiam formalem Euchariſtiæ, ſed rem, quæ erat materia, ita & in noſtro caſu : deſtrueret autem aut mutaret formaliter, ſi faceret, quod panis manens panis, ſeu vinum remanens vinum, non eſſet materia Euchariſtiæ. Ad Prob. de Ordine, dato Ant. D. Conſ. Ergo materia ejus non fuit a Chriſto determinata in ſpecie, Tranſeat. In genere, N. Determinavit ergo tantum Chriſtus, quod Sacramentum Ordinis conferretur per aliquod ſignum ſenſibile ſignificativum poteſtatis, quæ traditur, & per verba hoc ipſum exprimentia. Utrum autem hoc ſignum ſenſibile deberet eſſe impoſitio manuum, aut porrectio inſtrumentorum, non determinavit, ſed determinandum reliquit judicio Apoſtolorum & Eccleſiæ. Ita juxta communiorem ſententiam. Quidam alii volunt etiam apud Græcos intervenire porrectionem inſtrumentorum, ſi non per contactum phyſicum, ſaltem per contactum moralem, mediante ſcilicet Altari, cui Ordinandi incumbunt. Alii volunt etiam nunc apud nos impoſitionem manuum eſſe ſolam materiam eſſentialem Ordinis. Cæterum quid-

quid

quid ſit de iſtis ſententiis, de quibus ſuo loco, nulla eſt, quæ non faveat noſtræ concluſioni, & argumentum oppoſitum non ſolvat. Eadem difficultas poſſet proponi de Confirmatione: de qua etiam ſuo loco.

Obj. 4. Contra 2. partem. Salus, quæ per Sacramenta quæritur, eſt una apud omnes: atqui voces non ſunt eædem apud omnes. Ergo. R. D. Min. (*Ib. a. 7. ad 1.*) Voces quantum ad ſonum non ſunt eædem apud omnes, C. quoad ſenſum, N. Igitur ut dicit Aug. Tract. 80. in Joan. verbum operatur in Sacramentis, non quia dicitur, id eſt, non ſecundum exteriorem ſonum vocis, ſed quia creditur, id eſt, ſecundum ſenſum verborum, qui fide tenetur: & hic quidem ſenſus eſt idem apud omnes, licet non eædem voces ſint quantum ad ſonum. Et ideo cujuſcumque linguæ verbis proferatur, perficitur Sacramentum, ut jam dictum eſt. Obſervat tamen Auctor (*ibid. ad 2.*) eam vocem eſſe adhibendam in Sacramentis, qua principalius & communius homines illius linguæ ſeu Eccleſiæ utuntur ad ſignificandum, ſeu cujus uſus in ſua Eccleſia ſolemnior & uſitatior eſt: ſicut inter res ſenſibiles illa ſumitur ad ſignificationem Sacramenti, cujus uſus eſt communior ad actum, per quem Sacramenti effectus ſignificatur. Attamen hic verborum magis communium uſus non eſt neceſſitatis abſolutæ pro validitate Sacramenti, modo ſalvetur ſenſus, ſed tantum congruentiæ, & obligationis ſub peccato pro Miniſtris.

Obj. 5. Verba in Matrimonio non ſunt determinata. Ergo. R. D. Ant. Non ſunt determinata in ultima ſpecie, C. in ſpecie ſubalterna ſeu in genere, N. Hæc enim requiruntur verba, quæ efficiant contractum legitimum, ſive verba ſint formaliter ſive virtualiter, ſcripturæ ſcilicet, nutus, &c.

Conſectaria.

EX dictis colliges 1. Quorumdam Sacramentorum materiam eſſe a Chriſto determinatam in ſpecie infima, quorumdam in ſpecie ſubalterna ſeu in genere: ſcilicet in Baptiſmo aquam elementarem, in Euchariſtia panem triticeum & vinum de vite, in Pœnitentia confeſſionem doloroſam pœnitentis, ſive verbis ſive ſignis fiat, in Extrema Unctione oleum, in Matrimonio conſenſum per verba vel nutus illum exprimentes. De Confirmatione multi idem cenſent, ſcilicet chriſma eſſe a Chriſto inſtitutum pro ejus materia. De Ordine vero communior opinio eſt, quod ejus materia ſit tantum determinata in genere, ut jam dictum eſt.

Colliges 2. Materiam Sacramentorum non eſſe determinatam a Chriſto in individuo, neque quoad accidentia; nihil enim refert, an hæc vel iſta aqua, v. g. adhibeatur in Baptiſmo, neque an ſit frigida vel calida, pluvialis vel fontalis, modo ſit naturalis apta ad abluendum: quod addo, quia gelata non ſufficeret.

Colliges 3. non omnium Sacramentorum formas eodem gradu eſſe in Evangelio explicitas. Formæ Baptiſmi & Euchariſtiæ ſunt omnino explicitæ: *Ego te baptizo*, *Hoc eſt corpus meum*, *Hic eſt ſanguis meus*; quia illa duo Sacramenta ſunt omnibus hominibus neceſſaria. In Sacramento Pœnitentiæ eſt etiam aliquouſque explicita, & clare ſaltem indicata his verbis, *quodcumque ſolveris*, &c. unde Eccleſia aſſignavit hoc verbum *abſolvo*. Et ita etiam debebat, quia eſt omnibus peccatoribus neceſſaria. In aliis vero Sacramentis, utpote minus neceſſariis, non explicite ponuntur in Evangelio, ſed ab Apoſtolis, qui ex Chriſto audierunt, per traditionem accepimus.

ARTICULUS II.

De mutatione formæ & materiæ in Sacramentis.

NOTA 1. (*Hic a. 8. c.*) quod circa omnes mutationes, quæ poſſunt in formis Sacramentorum contingere, duo videantur conſideranda: unum quidem ex parte ejus, qui profert verba, cujus intentio requiritur ad Sacramentum, ut dicetur infra; aliud ex parte ſignificationis verborum. Et circa hoc ultimum duplex diſtinguitur mutatio: una ſubſtantialis, quando non ſalvatur debitus & per ſe intentus verborum ſenſus, quo videlicet ipſius formæ aut Sacramenti proprios effectus ſignificatur; quia ſubſtantia formæ conſiſtit in ſenſu, ſiquidem verba operentur in Sacramentis ſecundum ſenſum, quem faciunt, ut jam dictum eſt. Altera eſt accidentalis, quando ſcilicet non tollitur debitus & per ſe intentus verborum ſenſus. Similiter diſtinguitur duplex mutatio materiæ: una ſubſtantialis, alia accidentalis. Subſtantialis, quando moraliter loquendo cenſetur alia nomine & ratione, etſi forte ſpecie phyſica non differat; ita ut attendatur ejus natura, non tam phyſice quam moraliter & ſecundum apprehenſionem hominum, præcipue in ordine ad ſignificationem, quam Chriſtus intendit. Unde licet forte maſſa cruda farinæ ſpecie phyſica non differat a pane, aut glacies ab aqua, cenſetur tamen mutatio ſubſtantialis in ordine ad Sacramentum. Erit autem mutatio accidentalis, ſi remaneat eadem ſpecies phyſice & moraliter, ut ſi aqua non ſit benedicta, ſi panis ſit fermentatus.

Nota 2. (*Hic a. 7. ad 3.*) Verba habere ſignificationem ex duplici capite: 1. ex impoſitione: 2. ex uſu & accommodatione hominum: unde fieri poteſt, quod vox, quæ unum ſignificat ex impoſitione, aliud ſignificet ex accommodatione & uſu hominum, propter ſcilicet ejus ſimilitudinem cum alia voce idipſum ſignificante. Similiter contingere poteſt, quod vox nihil ſignificet ex impoſitione & tamen aliquid ſignificet ex accommodatione: ſic qui ex defectu linguæ aut ex ignorantia idiomatis latini baptizaret dicendo, in nomine Patrias & Filias & Spirituas ſanctas; Patrias, Filias & Spirituas ex impoſitione vel nihil ſignificant, vel aliud ſignificant quam Patris, Filii & Spiritus ſancti; & tamen propter ſimilitudinem & diſpoſitionem relictam ut trahi poſſint ad eandem ſignificationem cum vocibus Patris, Filii & Spiritus ſancti, ex accommodatione & uſu hominum in his circumſtantiis idem ſignificant.

Circa præſentem materiam duo inquirimus. Primum, an & quæ mutatio ſive formæ ſive materiæ tollat veritatem Sacramenti. Secundum, quale ſit peccatum mutare materiam vel formam Sacramenti. Unde ſit

§. I. An & quæ mutatio formæ vel materiæ tollat veritatem Sacramenti?

DICO 1. (*Hic a. 8. c. a. 7. ad 3.*) Si miniſter per mutationem formæ ſacramentalis ex induſtria factam, ſive addendo, ſive ſubtrahendo; ſive corrumpendo, ſive quocumque alio modo, intendat inducere novum ritum ſeu novam formam eſſentialem ab Eccleſia non receptam, quamvis remaneat adhuc ſenſus legitimus, non videtur perfici Sacramentum, quia non videtur, quod intendat facere, quod facit Eccleſia, quæ tamen intentio requiritur ad validitatem Sacramenti, ut probabitur infra. Attende ad verba S. Doctoris: non enim dicit abſolute, quod *non perficiatur Sacramentum, quia non intendit*, &c. ſed quod videatur non perfici Sacramentum, quia non videtur intendere facere, quod facit Eccleſia. Et revera qui contra Eccleſiam agit, non videtur habere intentionem Eccleſiæ: & in foro exteriori præſumitur is non habere rectam intentionem, qui ex induſtria eſſentialia formæ voluit mutare, etiamſi non ita mutaverit, quin remaneat adhuc ſenſus ſubſtantialis. Et in hoc caſu iterandum foret Sacramentum, ſaltem ſub conditione.

Utrum vero qui ea intentione mutat formam Sacramenti poſſit habere intentionem generalem faciendi, quod facit Eccleſia? Videtur diſtinguendum. Si ex ignorantia aut errore exſtimet hanc ſuam mutationem ſeu ritum eſſe eſſentialem & non erroneum in vera Dei Eccleſia, videtur, quod cum hac mutatione & intentione poſſit compati generalis intentio faciendi, quod facit Eccleſia & ſubſiſtere Sacramentum; ſi tamen mutatio relinquat ſenſum ſubſtantialem, ſaltem ex accommodatione uſus: iſtæ enim duæ intentiones non ſibi formaliter contradicunt. Et ſic videtur contingere in Græcis Schiſmaticis, qui valide baptizant ſub hac forma: *Baptizetur ſervus Chriſti*, N. &c. ignoranter & erronee exiſtimantes hanc ſuam formam, & non noſtram, eſſe eſſentialem in vera Chriſti Eccleſia, ideoque, inquit Innoc. III. baptizatos a Latinis rebaptizare præſumpſerunt. Si vero ſciat ſuam mutationem ſeu ritum, quem intendit in forma ſacramentali, non eſſe eſſentialem in vera Chriſti Eccleſia, ſed ab ea reputari erroneum, videtur, quod tunc non poſſit permanere intentio generalis faciendi, quod facit vera Chriſti Eccleſia. Quomodo enim intenderet ſaltem practice facere, quod facit vera Chriſti Eccleſia, dum profert verba ut eſſentialia formæ, quæ ſcit non eſſe eſſentialia in vera Chriſti Eccleſia, ſed erronea ab ipſa reputari.

Dico 2. (*Ib. a. 8.*) Mutatio ſubſtantialis ſeu varians ſenſum ſubſtantialem propoſitionis intentum a forma ſacramentali, etſi eſſet debita intentio, irritat Sacramentum; ſecus ſi ſit tantum mutatio accidentalis, ſeu tollatur ſenſus ſubſtantialis formæ. Prob. Verba ſunt determinata a Chriſto tanquam forma eſſentialis Sacramentorum, non quoad ſonum, ſed quoad ſenſum, quem faciunt: ergo ſi ſit mutatio ſubſtantialis in illis, ſeu ſi tollatur ſenſus ſubſtantialis debitus & per ſe intentus, non remanet Sacramentum, cum non poſſit ſubſiſtere ſine ſua forma: ſecus a contrario ſi ſit tantum mutatio accidentalis. Idem intellige de mutatione ſubſtantiali & accidentali materiæ; quia mutata ſubſtantialiter materia compoſiti non remanet idem compoſitum. Quod adeo verum eſt, ut Eccleſia, quamvis mutare poſſit cæremonias Sacramentorum accidentales, id tamen facere non poteſt niſi ſalva eorum ſubſtantia a Chriſto inſtituta, ut decrevit Conc. Trid. Seſſ. 21. c. 2. Hinc qui baptizaret in aqua roſacea vel vino, qui con-

Digitized by Google

veniret in vino lymphato vel in pane hordeaceo, nihil conficeret. Secus ſi baptizaret in aqua benedicta, vel conſecraret in pane triticeo fermentato.

Dico 3. Quando ita mutantur verba formæ in Sacramentis, ut ſenſus eorum reddatur ambiguus, ex intentione miniſtri pendet, ut determinetur ad verum & legitimum ſeu falſum & erroneum ſenſum, adeoque ut validum ſit vel invalidum Sacramentum. Ratio eſt, quia dum propoſitio plures patitur ſenſus, in poteſtate proferentis eſt hoc vel illo ſenſu in illa uti, adeoque ex intentione ejus determinatur ad hunc vel illum ſenſum, & tollitur ambiguitas; ſicque fit validum & invalidum Sacramentum. Hinc ſi quis (*Ibid.*) formæ Baptiſmi adderet, *& Beatæ Virginis*, intendens eodem modo baptizare in nomine ejus ac in nomine Patris, &c. nullum eſſet Sacramentum. Item ſi baptizaret in nomine Patria & Filia, intenderet eſſe fœminas in Trinitate. Secus autem ſi in prima intenderet advocare ſuffragium Virginis, aut in ſeconda intenderet verum Eccleſiæ ſenſum, ſed ex balbutie aut imperitia ſic proferat. Et hoc ſenſu intelligitur reſponſio Zachariæ Pontificis d. 4. cap. *Retulerunt*, decidentis Baptiſmum collatum ſub hac ultima forma eſſe validum, ſi non intendebat Miniſter errorem aut hæreſim.

Obſervanda pro praxi circa varias modos, quibus contingit mutatio ſive ſubſtantialis ſive accidentalis in forma ſacramentali.

OCto modis contingit mutari verba formæ in Sacramentis. 1. Ex parte idiomatis, & hæc mutatio eſt accidentalis: cum enim verba in Sacramentis operentur vi ſenſus, quacumque lingua ſive Græca, ſive Latina, ſive alia proferantur, modo eundem ſenſum debitum reddant, conficitur Sacramentum, etiamſi, inquit Cajet. partim uno, partim alio idiomate proferantur.

2. Si verba uſitata mutentur in ſynonyma: & hæc mutatio eſt etiam accidentalis, modo tamen ſynonyma ſint ejuſdem omnino ſignificationis & æque diſtincta, alias mutatio foret eſſentialis & nullum Sacramentum. Si autem vox ſynonyma alias adhuc habeat ſignificationes, tunc ex aliqua particula adjuncta aut ex circumſtantiis tollenda eſt æquivocatio; quæ ſi remanet, determinandus eſt ſenſus, ut dixi, ex intentione proferentis. Hinc valeret Baptiſmus, ſi loco *baptiza* dicatur *ablua*. Item valeret, ſi dicatur *tingo* vel *intinga*: quia Patres, Tertull. adverſus Praxeam c. 26. Cypr. Ep. 22. ad Clerum Rom. & Ep. 25. ad Moyſen, Hieron. in cap. ult. Matt. & Iſidorus l. 6. Orig. c. 10. interpretantur To *baptiza*, quod eſt vox græca, per *tinga*. Dubium autem foret ſecundum aliquos, ſi diceretur *merga* vel *immerga*; quia non videtur æquivalere To *baptiza* ſeu *ablua*, cum ad abluendum non ſemper requiratur immerſio, inquit Soto. Exiſtimant tamen alii valere, quia contendunt hæc verba *Baptizo*, *Ablua*, *Tinga*, *Merga*, eſſe vere ſynonyma. Vide infra Diſſ. I. de Bapt. a. 1. Pro certo autem non valeret, ſi diceretur, *munda*, *purgo*; quia debet ſignificari peccatorum mundatio per modum ablutionis. Sicut nec valeret ablutio collata dicendo, *Ego te abluo a peccatis*; quia debet ſignificari in hoc Sacramento peccatorum mundatio per modum abſolutionis, ut facit Judex. Porro hic intellige ſynonyma, ſive ſint talia ex impoſitione publica, ſive ex accommodatione ſeu uſu communi.

3. Corrumpendo verba formæ: quæ corruptio, ſi neque proprie per accommodationem reduci poſſit ad verum ſenſum, erit ſubſtantialis & nullum Sacramentum, alias non (*Ib. ad 3.*) Obſervandum autem mutationem ſubſtantialem plerumque fieri, ſi corrumpantur verba ex parte principii dictionis, ut ſi loco *Patris* dicatur *Matris*; ſecus ſi corrumpantur ex parte finis, ut ſi loco *Patris* dicatur *Patrias*; quia apud nos variatio dictionis ex parte principii plerumque variat ſignificationem, non ſic ex parte finis. Verum licet ordinarie ſic accidat, non eſt tamen certa regula; poteſt enim ex utraque parte eſſe tam parva corruptio, ut ſenſum non auferat, & tam magna, ut auferat. Unde magis videtur attendenda quantitas corruptionis arbitrio viri prudentis. Hinc conficeret Sacramentum, qui ex imperitia ſeu impedimento linguæ loco *Patris* diceret *Patrias*, loco *corpus* diceret *capus*, loco *calix* diceret *calis*, loco *eſt* diceret *as*, &c. quia per accommodationem uſus trahi poſſunt ex diſpoſitione relicta ad verum ſenſum. (Hæc advertant ſcrupuloſi, qui ſæpe irreverenter & ridicule ponderant ſuper verba formæ, ſeu ea repetunt.) Non conficeret autem, ſi loco *Patris* diceret *Matris*, ſi loco *corpus* diceret *car*, &c.

Dices. Qui diceret in forma Baptiſmi, *Baptizo te in nomina Matris*, omnes intelligerent lapſum linguæ eſſe, & ipſum voluiſſe dicere *Patris*, cum in Trinitate non ſit mater; ſicut cum dicit *Patrias*, intelligitur *Patris*. Ergo in utroque caſu ex accommodatione redditur verus ſenſus, & conficitur Sacramentum. R. N. Conſeq. & paritatem. Diſparitas eſt, quod in hac voce *Patrias* ſecundum ſe conſiderata, etiam non attenta bonitate intelligentis, relinquatur diſpoſitio, ut per accommodationem uſus communis trahi poſſit ad eundem ſenſum cum voce *Patris*: in hac autem voce *Matris* ſecundum ſe conſiderata nulla ſimilis relinquitur diſpoſitio, ſed alium omnino ſenſum importat, & ſi idem ſenſus intelligatur per eam importari ac per vocem *Patris*, hoc totum provenit per accidens ex bonitate & perſpicacia intelligentis, & non ex ipſa voce ſecundum ſe juxta accommodationem uſus communis.

4. (*Ib. a. 8. a.*) Mutatio formæ fit per additionem alicujus termini, quæ ſi variet ſenſum debitum, erit eſſentialis; alias accidentalis: ſi vero additio ſit ſenſus ambigui, conſulenda eſt intentio miniſtri, an intenderit verum aut falſum ſenſum, & ſi falſum, an eam protulit ut partem formæ, an forte per modum appendicis aut precum. Hinc conficeret Sacramentum, qui baptizaret *in nomine Patris omnipotentis, & Filii unigeniti, & Spiritus Paracleti*. Similiter ſi adderet, *beata Virgo te adjuvet*. Item ſi adderet, *& in nomine Beatæ Virginis*, intendens tantum ejus patrocinium invocare, & non baptizare in nomine ejus ſicut in nomine Patris. Pariter conficeret Euchariſtiam Sacerdos, qui Calviniſtarum errore imbutus poſt legitime pronunciatam formam, *Hoc eſt corpus meum*, ſubjungeret, non ut quid eſſentiale formæ, ſed per modum precum, *& illud in Cœlis adoramus, cujus figuram tantum in terris nobis exhibet*; modo tamen retineat intentionem faciendi, quod facit vera Chriſti Eccleſia, quævis illa ſit. Non conficeret autem, ſi quis cum Arianis baptizaret, *In nomine Patris majoris & Filii minoris*, &c. De additione vero, quæ non corrumperet verum ſenſum, ſed tantum fieret cum intentione inducendi novum ritum in Eccleſia, vide primam Concluſionem & ejus explicationem.

5. Per ſubtractionem. (*Ib.*) Si, ut de præcedenti mutatione dictum eſt, tollat ſenſum debitum Sacramentalem, erit ſubſtantialis mutatio; alias, accidentalis tantum. Hinc qui in forma Baptiſmi ſubticeret *Ego* & in forma Euchariſtiæ *enim*, conficeret Sacramentum; ly *enim* quippe deſervit tantum ad ſeriem narrationis, & non ad ſignificandam converſionem panis in corpus Chriſti: ſecus ſi taceret aliquam perſonam Trinitatis, aut ly *meum* in forma Euchariſtiæ.

6. Per tranſportationem (*Ib. ad 3.*) verborum formæ, quæ, pariter ut ante, ſi tollat ſenſum ſacramentalem, erit mutatio ſubſtantialis; ſecus, accidentalis. Hinc conficeret Baptiſmum, qui diceret baptizando, *In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti ego te baptizo*: Non videtur autem conficere, ſi diceret, *Patris ego te baptizo in nomine Filii & Spiritus ſancti*.

7. Per interpretationem (*Ib.*) verborum formæ; quæ ſi tanta ſit, ut non cenſeantur moraliter loquendo verba in unam orationem convenire, erit mutatio ſubſtantialis; ſecus, accidentalis. Hinc ſi conſecrans poſt hæc verba, *Hoc eſt*, & ſternutaret, & poſtea ſubderet, *corpus meum*, conficeret Sacramentum; ſimiliter qui baptizando poſt hæc verba, *Ego te baptizo*, diceret confabulantibus, *tacete*, & ſtatim reliquam formæ proſequeretur, etiam conficeret Sacramentum. Vide Obſervationem in calce art. 4. Octava tandem mutatio eſt, ſi verba mutentur in nutus, ſcripturam aut alia ſigna, & hæc eſt ſubſtantialis, niſi in Matrimonio.

§. II. Quale ſit peccatum mutare materiam vel formam Sacramenti?

DIco 1. Mutatio ſive ſubſtantialis, ſive etiam accidentali formæ vel materiæ Sacramentorum, eſt ex genere ſuo peccatum mortale; quia eſt profanatio rei ſacræ, adeoque ſacrilegium: atqui ſacrilegium ex genere ſuo eſt peccatum mortale: ergo. Dixi ex genere ſuo: quia ex defectu plenæ deliberationis & ex levitate materiæ poteſt eſſe veniale.

Si petas, quando dijudicari poterit eſſe mortale peccatum, an veniale ex gravitate vel levitate materiæ? R. 1. Quando mutatio eſt ſubſtantialis facta cum plena deliberatione ſive ex induſtria, ſive ex ignorantia craſſa, ſive ex gravi negligentia, ſemper eſt peccatum mortale. Hic enim non datur parvitas materiæ, cum fiat ſemper gravis injuria rei ſacræ ſeu Sacramento, quod nullum redditur per mutationem ſubſtantialem. Dico ex ignorantia craſſa, ſeu ex gravi negligentia; ſi enim eſſet levis aut ignorantia aut negligentia, a mortali poſſet excuſari: at in Miniſtris ex officio raro excuſat ignorantia, cum ipſi ſcire teneantur ea, quæ ſunt ſui officii. R. 2. Quando mutatio eſt accidentalis, judicio prudentum æſtimanda eſt gravitas vel levitas materiæ, nec alia certa regula aſſignari poteſt. Hinc multi volunt peccatum veniale eſſe tantum ex levitate materiæ, ſi quis in forma conſecrationis omitteret *enim*, ſi in lingua vulgari baptizaret; ſi loco *baptiza* diceret *ablua*, &c. ſecluſo tamen contemptu; & ſcandalo; fore ve-

Digitized by Google

in mortale; ſi lingua vulgari conſecraret, ſi in forma Calicis omitteret, *qui pro vobis effundetur*, &c. Pro quo prudenter diſcernendo attendendum eſt ad rigorem uſus ſeu præcepti, quantitatem ſcandali aut contemptus.

Dico 2. Qui deliberate ſive in forma, ſive in materia, ſive in cæremoniis Sacramentorum non ſervat ritum & modum ſuæ Eccleſiæ, ex genere ſuo peccat mortaliter: quia facit contra præceptum Eccleſiæ in materia Religionis, adeoque eſt ſacrilegium. Ergo. Quando autem in individuo erit mortale aut veniale judicandum eſt ut in præcedenti Concluſione arbitrio prudentum, attendendo maxime rigorem uſus aut præcepti, ſcandali aut contemptus. Hinc ex communi ſententia peccaret mortaliter, qui ex induſtria non miſceret aquam vino; ſimiliter ſi Sacerdos latinus uteretur fermentato ſine gravi neceſſitate, aut uteretur forma Græcorum in Baptiſmo: item ſi Miniſter ex officio ſeu ſolemniter baptizaret ſine Catechiſmis & Exorciſmis, vel ſine lumine aut veſtibus ſacris conſecraret. Venialiter autem tantum peccaret, qui in adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ preces *miſereatur* & alias omitteret.

Dico 3. Peccat mortaliter, qui in adminiſtratione Sacramentorum utitur materia aut forma dubia & incerta, ubi certa haberi poteſt: in caſu vero neceſſitatis, ubi certa præſto non eſt, poteſt & debet uti materia ſeu forma dubia, ſaltem ſub intentione conditionata. Ratio 1. partis eſt: quia tunc ſine cauſa & neceſſitate exponitur Sacramentum periculo nullitatis & irriſionis: nec enim tua probabilis aut probabilior ſententia efficere poteſt, ut materia aut forma ſit valida, ſi revera non ſit ea a Chriſto determinata. Ergo. Hinc Innoc. XI. damnavit hanc propoſitionem: *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiori, niſi id vetet lex, conventio aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc ſententia probabili utendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis aut Epiſcopalis.* Eſt 1. inter Innocentianas.

Dices. Licitum eſt uti ſententia ſaltem probabiliori in aliis materiis. Ergo etiam cum agitur de Sacramentorum valore. R. N. Conſ. Diſparitas eſt, quod in aliis materiis, dum aliqua ſententia eſt probabilior, non eſt tantum probabilior ſpeculative & in ſe, ſed eſt etiam probabilior practice, ſeu eſt probabilius illam poſſe teneri; quia ſi forte ſit falſa, excuſatur coram Deo, qui eam tenuit, quod ſecutus fuerit id, quod veroſimilius erat verum, & fecerit quod in ſe eſt, ut attingeret veritatem, ſicque agendo nulla rei ſacræ irreverentia periclitatur. At vero licet, dum de Sacramenti valore agitur, aliqua ſententia de materia vel forma ſit probabilior ſpeculative & ſecundum ſe, practice tamen non eſt probabilior, ſeu non eſt probabilius illam poſſe teneri, quando oppoſitum eſt tutius; quia major probabilitas non efficit, ut materia aut forma ſit valida, ſi revera ita non ſit, adeoque extrahitur Sacramentum a periculo nullitatis & irreverentiæ. Cæterum ſi ſententia aliqua de materia aut forma Sacramenti ita eſſet probabilior, ut foret moraliter certa, & communiter haberetur vera, & oppoſita licet tutior vix haberet aliquid probabilitatis ſive ab intrinſeco ſive ab extrinſeco, multis videtur non condemnandus, qui priorem ſequeretur: tunc enim cenſetur materia aut forma certa; & alias continua foret perplexitas & impoſſibilis Sacramentorum praxis; cum nulla ſit ſententia, cujus oppoſita aliquid probabilitatis ſive ab intrinſeco ſive ab extrinſeco habere non poſſit.

Ratio 2. partis eſt: quia cum Sacramenta ſint propter homines inſtituta, minus malum eſt, ut Sacramenta pericula nullitatis exponantur, quam ut homo illis abſolute privetur; prodeſſe quidem poterunt, nocere non poterunt. De duobus autem malis minus eſt eligendum: & irreverentia, quæ alias ſubeſſet, abſtergitur ratione neceſſitatis & intentionis conditionatæ. Ergo.

APPENDIX I.

De repetitione materiæ ſeu formæ Sacramentalis.

Dico 1. Qui certus eſt de invaliditate Sacramenti defectu ſive materiæ ſive formæ, debet adhibita materia vel forma valida ipſum abſolute repetere: ſicut e contra qui certus de validitate Sacramenti ipſum repetit etiam ſub conditione, ſacrilegium committit; cum iſta repetitio ſit profanatio & irriſio Sacramenti, adeoque grave ſacrilegium.

Dico 2. Qui rationabiliter dubitat de valore Sacramenti, debet ipſum repetere ſub conditione: ita ex jure cap. *De quibus dubium*. Ratio repetitionis; quia minus periculum eſt facere repetitionem, ubi non eſſet facienda, quam omittere, ubi eſſet facienda: in 1. enim caſu eſt tantum periculum irreverentiæ Sacramenti, in 2. autem præter periculum irreverentiæ Sacramenti, quod remanebit nullum aut dubium, eſt etiam periculum damni proximi. Ratio conditionis eſt, ut vitetur in quantum poteſt repetitio formalis Sacramenti, ſi forte fuerit validum, & ejus reverentia ſalvetur.

Dico 3. Qui ſine rationabili fundamento, ſed ex levi dubio aut ſcrupulo temere repetit Sacramentum, aut formam ſuper eandem materiam etſi ſub conditione, grave peccatum ſacrilegii committit. Ita communiter. Ratio eſt: quia iteratio Sacramentorum permittitur ſub conditione a ſacris Canonibus ſolum in rationabili dubio: ſed quando non eſt dubium rationabile, appoſita conditio habetur pro non appoſita; deficiente enim ratione probabili dubitandi via poteſt dici ſerio & prudenter, *ſi non es baptizatus*, v. g. *Ego te baptizo: ſi non conſecravi, volo conſecrare:* ſed potius videtur dici, *ſive ſis baptizatus ſive non, ſive conſecraverim ſive non*, &c. *Ego te baptizo, conſecro*, &c. Adeoque ſub disjunctione intenditur nullitas Sacramenti: & ideo iteratio temeraria Sacramenti facta ex inani dubio eſt quædam ipſius irriſio. Ergo. Hinc caveant illi, qui ex quovis levi ſcrupulo ſtatim repetunt formam Sacramentorum, idque in conſuetudinem ducunt. Dixi tamen, *qui temere repetit*: ſi enim ut a moleſto ſcrupulo ſe expediat, & ne Deum offendat, repeteret, non conſuetudinarie ob rationem datam, ſed ſubinde, formam ſuper eandem materiam, non ſtatim videretur condemnandus ſaltem peccati mortalis; non enim eſt credibile, quod graviter Deum offendat per actionem, quam ideo ponit, ne ipſum offendat.

APPENDIX II.

De forma conditionali.

Forma conditionalis dicitur, quæ profertur ſub conditione, ut, *Si non es baptizatus, te baptizo*, cum forma abſoluta, contra quam diſtinguitur, ſine conditione proferatur, ut *ego te baptizo*. Formæ conditionalis 7. vel 8. primis Eccleſiæ ſæculis nullum fuiſſe uſum probant eruditi ex hoc, quod in variis dubiis de valore Baptiſmatis SS. Patres, Concilia & ſummi Pontifices juſſerint illud iterari nulla conditionis facta mentione, quam non omiſiſſent, ſi fuiſſet ex uſu adhibenda. Patet ex S. Cypriano Ep. 76. ex Conc. 2. Arelat. an. 314. Can. 8. ex Conc. Carthag. 5. an. 398. Can. 6. refertur Diſt. 4. c. *Placuit*. Ex duabus Ep. S. Leonis, una ad Leonem Ravennatenſem, altera ad Ruſticum Narbonenſem: referuntur eadem diſt. c. *Cum itaque*; & c. *Si nulla*. Ex Greg. Mag. Ep. 32. l. 12. hæc erat eorum ratio: *Quia*, ut dicit S. Leo Ep. 37. *non poteſt in iterationis crimen devenire, quod factum eſſe omnino neſcitur*. Vel ut dicit Greg. Mag. Epiſt. 32. *Non monſtratur iteratum, quod non certis indiciis oſtenditur rite peractum.*

Prima itaque formæ conditionalis mentio reperitur in Capitularibus Caroli Magni l. 6. n. 181. editis an. 807. his verbis: *De quibus dubium eſt, utrum ſint baptizati, an non, omnimodis abſque ullo ſcrupulo baptizentur, his tantum verbis: Non te rebaptizo, ſed ſi non baptizatus es, baptizo te in nomine Patris*, &c. Deinde Alexander III. qui ſedebat an. 1159. ſic decrevit: *De quibus dubium eſt, an baptizati fuerint, baptizentur his verbis præmiſſis: Si baptizatus es, non te baptizo; ſed ſi nondum baptizatus es, ego te baptizo*, &c. Refertur in Jure extr. de Baptiſmo c. 2.

Non tamen ubique obtinuit forma conditionalis, niſi cum Decretum Alexandri III. fuit in corpus Juris relatum a Greg. IX. qui ſedebat anno 1227. tempore enim Alexandri III. & poſt ipſum quidam Scholaſtici, quibus non innoteſcebat ejus Decretum, adhuc contrarium docebant, ut Magiſter ſentent. l. 4. diſt. 6. Petrus Cantor & alii. A tempore autem Gregorii IX. in omnibus Latinorum Eccleſiis invaluit uſus formæ conditionalis. Et 1. uſurpata eſt pro Sacramentis, quæ iterari non poſſunt propter characterem, quem imprimunt. Deinde tracta eſt ad alia etiam Sacramenta, præſertim Pœnitentiæ, quando nempe Confeſſarius dubitat, an formam protulerit, & quando Fidelis moribundus ſubito privatur uſu ſenſuum, nec poteſt ab eo haberi materia certa. De quo fuſius ſuo loco. Igitur ex uſu Eccleſiæ ubique recepto merito uſurpatur forma conditionalis propter rationes datas in 2. Concluſione præcedentis Appendicis. Prudenter tamen eſt adhibenda, nec niſi poſt accuratum examen Sacramentum ſit vere dubium, præſertim in Sacramentis, quæ ex natura iterari non poſſunt: in aliis enim tanta cautela non eſt adhibenda, ut advertit Dom. Soto.

DISSERTATIO II.

DE NECESSITATE ET EXISTENTIA SACRAMENTORUM.

Div. Thom. Quaſt. 61.

ARTICULUS I.

Utrum Sacramenta ſint neceſſaria ad ſalutem humanam?

NOTA. Senſus tituli poſſet eſſe duplex. Primus, utrum neceſſe ſit ad ſalutem uti Sacramentis poſt eorum inſtitutionem? De quo infra q. 65. a. 4. Secundus, utrum neceſſe ſit ad ſalutem inſtitui a Deo Sacramenta? Et de illo nunc agitur. Neceſſarium autem hic non ſumitur pro neceſſitate abſoluta, nec ſecundum Dei potentiam abſolutam; ſed pro congruentia & ſecundum connaturalem & ſuavem gubernationem. Certum eſt enim Deum potuiſſe abſolute aliis mediis hominem ſalvare. Item quæſtio eſt de homine poſt lapſum, abſtrahendo ab hoc vel illo ſtatu ante vel poſt Chriſtum.

Dico. 1. (*Hic q. 61. art. 1. c.*) Sacramenta ſunt neceſſaria, neceſſitate ſcilicet congruentiæ, ad humanam ſalutem. Prob. (*Ib. in arg. ſ. c.*) ex Aug. l. 29. contra Fauſtum c. 11. ubi dicit: *In nullum nomen Religionis ſeu veram ſeu falſam coadunari homines poſſunt, niſi aliquo ſignaculorum ſeu Sacramentorum viſibilium conſortio colligentur.* Atqui neceſſarium eſt ad humanam ſalutem homines adunari in unum veræ Religionis nomen. Ergo Sacramenta ſunt neceſſaria ad humanam ſalutem.

Adverte in hac auctoritate Aug. has voces *Signaculorum vel Sacramentorum* non ſumi disjunctive, ſed ut duo ſynonyma: alias eſſet defectuoſa D. Th. conſequentia. Nec etiam ly *coadunari* ſumitur præciſe pro communicare ſeu convenire in aliqua Religione, ſed pro eo quod eſt initiari ſeu ſuſcipere ac profiteri Religionem ejuſque ſanctitatem conſequi. Alias argumentum probaret etiam fuiſſe Sacramenta in ſtatu innocentiæ (quod negat S. D. art. ſeq.) ſiquidem in eo fuerit & fuiſſet communicatio in vera Religione, non tamen ſuſceptio Religionis nec ſanctitatis ejus conſecutio, ſed immediate a Deo per traductionem naturæ habebatur.

Prob. triplici ratione ſeu congruentia. (*Ibid. c.*) Prima petitur ex conditione humanæ naturæ, & ſic proponitur. Pertinet ad divinam providentiam, ut unicuique rei provideat ſecundum modum ſuæ conditionis. Atqui proprium eſt homini ut per corporalia & ſenſibilia in ſpiritualia & intelligibilia deducatur. Ergo convenienter divina Sapientia homini auxilia ſalutis confert ſub quibuſdam corporalibus & ſenſibilibus, quæ Sacramenta dicuntur. Secunda petitur ex ſtatu hominis lapſi. Ibi debet medicinale remedium homini adhiberi, ubi patitur morbum. Atqui homo peccando ſe ſubdidit per affectum corporalibus rebus. Ergo conveniens fuit, ut Deus per quædam corporalia ſigna homini ſpiritualem medicinam adhiberet. Prob. Conſ. ſi ſpiritualia nuda ei proponeremur, ejus animus corporalibus deditus per peccatum applicari non poſſet. Ergo conveniens, &c. Tertia ratio ſumitur ex ſtudio actionis humanæ. Actio humana præcipue circa corporalia verſatur. Ergo ne eſſet homini durum, ſi totaliter a corporalibus actibus abſtraheretur, convenienter propoſita ſunt ei corporalia exercitia in Sacramentis, quibus ſalubriter exerceatur ad evitanda ſuperſtitioſa exercitia, quæ conſiſtunt in cultu dæmonum, vel qualitercumque noxia, quæ conſiſtunt in actibus peccatorum. Sic igitur (*Ib.*) per Sacramentorum inſtitutionem homo convenienter ſuæ naturæ eruditur per ſenſibilia; humiliatur, ſe corporalibus ſubjectum cognoſcens, dum non per corporalia ſubvenitur. Præſervatur etiam a noxiis actionibus per ſalubria exercitia Sacramentorum.

§. Ubi vides S. D. concluſionem procedere & de homine ſecundum ſe ſeu ſecundum conditiones ſuæ naturæ ſibi relictæ (ſuppoſito tamen quod ordinetur ad finem ſupernaturalem) ut patet ex prima & tertia ratione: & de homine ſecundum ſtatum peccati generaliter, ut patet ex ſecunda ratione. Et quando infra art. 3. & 4. adhuc quærit de homine ſecundum ſtatum peccati non quærit de ſtatu peccati generaliter, ut hic facit; ſed determinate pro aliquo ſtatu peccati, puta ante Chriſtum in 3. Art. & poſt Chriſtum in 4. Nuſquam autem procedit Concluſio præſens de homine ſecundum ſtatum gratuitum & quodammodo præternaturalem innocentiæ originalis, de quo Art. ſeq. in eo enim homo quodammodo extrahitur extra conditiones ſuæ naturæ.

Dices. Gratia & Paſſio Chriſti ſunt ſufficientes ad ſalutem humanam. Ergo ſuperfluunt Sacramenta. R. (*Ib. ad 2. & 3.*) Quod gratia & Paſſio Chriſti ſunt ſufficientes in genere ſuo ſeu quoad vim ſanctificandi & ſalvandi, debent tamen homini applicari; applicantur autem ipſi convenienter per Sacramenta, ut probatum eſt,

ARTICULUS II.

Utrum etiam ante peccatum fuerint homini neceſſaria Sacramenta?

NULLUM in ſtatu innocentiæ de facto extitiſſe Sacramentum communis eſt Theologorum ſententia. Tum quia de illorum inſtitutione in hoc ſtatu tam in Scriptura quam in traditione altum eſt ſilentium: tum quia ille ſtatus breviſſimo tempore duravit, ideoque fuiſſent inutilia. Sed difficultas eſt, utrum vi ſtatus nullum in eo fuerit Sacramentum, ſeu utrum inſtitutio Sacramentorum habeat aliquam oppoſitionem ſeu repugnantiam cum ſtatu innocentiæ, non quidem ſecundum potentiam Dei abſolutam. Quis enim neget Deum abſolute potuiſſe in quovis ſtatu inſtituere Sacramenta? Sed ſecundum ſuavem & connaturalem providentiam. Affirmat S. Thomas & cum eo Thomiſtæ: negant plures alii, quorum aliqui ideo volunt, quod ſi ſtatus innocentiæ diu duraſſet, revera fuiſſent inſtituta in eo Sacramenta.

Dico. (*Ib. a. 2. c.*) Ante peccatum vi ſtatus innocentiæ nec neceſſarium, nec conveniens fuit inſtitui Sacramenta. Ante probationem nota rectitudinem & ordinem ſtatus innocentiæ in eo conſiſtere, quod mens perfecte Deo ſubeſſet, menti inferiores animæ vires, & ipſi animæ corpus; & in hac ſubjectione mentis ad Deum conſiſtit noſtra ſanctificatio; ſeu animæ perfectio per gratiam & ſcientiam ſeu notitias ſanctificationi neceſſarias; tanta autem erat Dei ſuperioris dominatio, & cauſæ inferioris ad Deum ſubjectio in iſto ſtatu, ut vi & exigentia hujus ſtatus ſuperius nullo modo dependeret ab inferioribus in ea dominatione exercenda, ſed per ſeipſum ſine mediis inſtrumentis extrinſecus ſufficienter moveret inferius, ac dirigeret in iis, in quibus pro illo ſtatu inferius per ſe ſuperiori debebat ſubjici, & ab eo perfici (hoc eſt, in perfectione animæ per gratiam & ſcientiam, ut dictum eſt) alias enim ſtatus innocentiæ non fuiſſet perfectus, ſi in illo non eſt talis perfecta ſubordinatio & ſubjectio mentis ad Deum, & partis inferioris ad ſuperiorem, nedum quidem in ratione entis (ſic enim ſemper ſubjicitur) ſed etiam in ratione ſupernaturali & morali ſanctificationis & in rectitudine virtutis. Nota inſuper, dum loquimur cum D. Th. de perfectione animæ per gratiam & ſcientiam, nos non intelligere qualemcumque ſcientiam naturalium, nec etiam omnium ſupernaturalium, ſed eam tantum, quæ gratiam comitatur in ordine ad ſanctificationem, & quæ correſpondet fidei ſive habituali, ſive actuali, quæ cum gratia confertur nunc per Sacramenta; in nullo enim ſtatu poteſt homo juſtificari ſine aliqua vel cognitione fidei, vel ſcientia ſupernaturalium. Nota tandem Sacramenta eſſe quædam inſtrumenta corporea, quæ nos manuducunt ad res ſupernaturales, ſcilicet ad gratiam ſanctificationis, & huic annexam ſupernaturalium cognitionem. Hic eſt enim unus Sacramentorum ſcopus & finis. His notatis,

Prob. Concluſio. (*Ib. c.*) Ea erat rectitudo ſtatus innocentiæ, ut in eo ſuperiora dominarentur inferioribus, & nullo modo dependerent ab eis, in iis ſcilicet, in quibus ſita erat ſeu exercebatur hæc dominatio & ſubjectio, & quæ ad eam pertinebant, ſicut enim mens ſuberat Deo, ita menti ſuberant inferiores animæ vires, & ipſi animæ corpus. Unde huic ordini ac rectitudini incongruum foret, ſi anima perficeretur quantum ad ſcientiam & quantum ad gratiam per aliquid corporale; hæc enim animæ perfectio pertinet ad hanc rectitudinem, & per eam habebatur. Atqui ſi in eo fuiſſent Sacramenta, homo accepiſſet ſuam perfectionem quantum ad gratiam & ſcientiam per aliqua corporalia & ſenſibilia: Sacramentum enim eſt aliquid corporale & ſenſibile ad ſanctificandos homines & ad eos inſtruendos de rebus ſupernaturalibus ordinatum. Ergo in ſtatu innocentiæ homo Sacramentis non indigebat, non ſolum in quantum Sacramenta ordinantur ad remedium peccati, ~~ſed etiam in quantum ordinantur ad remedium peccati,~~ ſed etiam in quantum ordinantur ad animæ perfectionem, Conſ. ceſſante fine primario Sacramentorum, ceſſare debent & Sacramenta. Atqui in ſtatu innocentiæ ceſſaret finis primarius Sacramentorum. Ergo. Prob. Min. Finis primarius Sacramentorum eſt ſanctificatio utentium & cultorum Dei. Atqui talis finis tunc ceſſaret. Ergo. Prob. Minor: in illo ſtatu homines naſcerentur ſancti & ſanctitas eſſet donum naturæ & non perſonæ. Ergo.

Sol-

Digitized by Google

Solvuntur Objectiones.

OBJ. 1. Sacramenta ſunt neceſſaria homini ſecundum conditionem humanæ naturæ, ſicut dictum eſt Art. præced. Atqui eadem eſt natura hominis ante & poſt peccatum. Ergo etiam ante peccatum homo indigebat Sacramento. R. D. Maj. (*Ib. ad* 2.) Sacramenta ſunt neceſſaria homini ſecundum conditionem naturæ, vel puræ & ſibi relictæ, vel peccato ſubjectæ, C. Maj. Ad ſtatum Innocentiæ elevatæ, N. Maj. Et ad hunc ſenſum, D. Min. Atqui eadem eſt natura hominis ante & poſt peccatum, & idem naturæ ſtatus, N. Min. Et diverſus naturæ ſtatus, C. Min. Quia ergo in illo ſtatu per ſubjectionem perfectam Deo, homo a Deo immediate ſanctificabatur, inconveniens fuiſſet illi ſtatui, ut hæc ſanctificatio acquireretur per inferiora inſtrumenta; hoc enim argoiſſet imperfectam ſubjectionem ex parte animæ & imperfectam dominationem ex parte Dei in animam: ſupernaturalium enim inſtructio per ſe petit deſcendere a ſuperiori, & non fieri per ſenſibilia tamquam per inſtrumenta manuducentia, niſi ratione infirmitatis naturæ, quæ perfecte Deo non ſubditur.

Inſt. 1. In eo ſtatu elevationis homo ſemper componeretur ex corpore & anima. Atqui ex hoc provenit quod connaturale ſit homini ut ſpiritualia cognoſcat per ſenſibilia. Ergo Sacramenta ſunt homini neceſſaria etiam ſecundum conditionem naturæ elevatæ. R. D. Min. Atqui ex hoc provenit, quod connaturale ſit homini, ut ſpiritualia naturalia cognoſcat per ſenſibilia, C. Min. Spiritualia ſupernaturalia, N. Min. & Conſ. Explicatur. Res ſpirituales quoad ſui cognitionem ſunt in duplici differentia. Aliæ enim ſunt, quæ naturali lumine cognoſci poſſunt, ut eſt exiſtentia Dei, natura Angelica, &c. Aliæ, quæ ſolum lumine ſupernaturali poſſunt cognoſci, ut ſunt gratia, habitus infuſi, Trinitas, & omnia myſteria noſtræ Religionis. Equidem modus connaturalis cognoſcendi res primi generis eſt per ſenſibilia in homine: quia eorum cognitio per ſe oritur a ſenſu, & inde aſcendit ad cor hominis: modus autem connaturalis cognoſcendi res ſpirituales ſecundi generis non eſt per ſenſibilia ut per media in homine; quia eorum cognitio non oritur per ſe ex ſenſibus, ſed ex ſuperiori revelatione fidei deſcendit. Quare ſigna ſeu media ſenſibilia ſolum per accidens poſſunt homini neceſſaria eſſe ad earum notitiam, quando ſcilicet homo aliquam repugnantiam patitur ex parte ſenſitiva in tali cognitione, ſicut patitur modo in ſtatu naturæ corruptæ, aut pateretur in ſtatu naturæ ſibi relictæ; ſecus autem in ſtatu innocentiæ, in quo inferiora perfecte ſubjiciebantur ſuperioribus.

Inſt. 2. Connaturale eſt homini in hoc ſtatu innocentiæ ut cognoſcat ſpiritualia etiam ſupernaturalia per ſenſibilia. Ergo. Prob. Ant. Connaturale eſt homini, ut cognoſcat etiam ſpiritualia ſupernaturalia per ſpecies hauſtas ex objectis ſenſibilibus, & per converſionem ad phantaſmata, niſi cognoſcat per immediatam revelationem, quæ certe non debuiſſet fieri ſingulis hujus ſtatus hominibus: nec etiam pueri naſcerentur cum ſcientia omnium ſupernaturalium, ſed per acquiſitionem & diſciplinam ſeu traditionem haberentur, ut docet D. Th. 1. p. q. 101. a. 1. Ergo. R. N. Ant. Ad prob. D. Conſ. Ergo connaturale eſt homini, ut etiam ſpiritualia ſupernaturalia cognoſcat per ſenſibilia, tamquam per objecta, C. Tamquam per inſtrumenta, quibus ſubjiciatur, N. Explicatur. Intellectum per ſenſibilia cognoſcere dupliciter intelligitur. Uno modo quantum ad acceptionem ſpecierum ab objectis, & hæc dependentia non eſt imperfectio in intellectu humano; tum quia hoc ipſi ex viſceribus naturæ connaturale eſt; tum quia id fit per vim & perfectionem intellectus agentis; unde proprie in hoc intellectus non ſubordinatur objectis; ſed potius ſibi ea ſubordinat. Alio modo intellectus perficitur e ſenſibilibus & per ea cognoſcit, quatenus per ea tamquam per media & inſtrumenta manuducitur ad res ſupernaturales, quarum cognitionem ex influxu ſuperiori habere debebat, ſed ex infirmitate & retardatione partis ſenſitivæ impeditur hunc influxum ſuſcipere, & ideo infirmitati ejus condeſcendendo, perfectionem illam, quæ ſibi ex influxu ſuperiori debebatur, accipere debet per media ſenſibilia. Nec enim, ut jam dixi, ſupernaturalia, quæ lumine fidei vel alio infuſo noſcuntur, habent per ſe ex ſenſibilibus accipi, ſed ex ſuperioribus deſcendere: non quod ſpecies infuſas ſemper ad id requirant, ſed quia inſtructio, & traditio hujuſmodi cognitionis potius petit fieri per Spiritum S. ordinantem ſpecies hauſtas ab objectis vel aliunde, quam ad illam per inſtrumenta ſenſibilia manuduci. Porro licet non ſit contra perfectionem ſtatus innocentiæ, quod homo dependeat ab illis rebus ſenſibilibus, a quibus ex natura ſua dependet; eſt tamen contra ejus perfectionem, quod homo dependeat ab illis rebus, a quibus ex natura ſua non dependet.

Replicabis. In illo ſtatu homo uteretur vocibus externis, ſcriptura, imaginibus & aliis ſignis tanquam inſtrumentis ad memoriam juvandum. Ergo in multis perfici debebat ejus mens per ſenſibilia. R. 1. Quod homo in iſto ſtatu uteretur his ſignis ad externam communicationem, & ad intelligenda ea, quæ ipſi non debebantur ſecundum propriam ſanctificationem ex rectitudine ſtatus, nec id repugnat, non vero ad ea intelligenda, quæ ipſi debebantur ſecundum interiorem & propriam ſanctificationem vi rectitudinis hujus ſtatus. R. 2. Quod uteretur illis tamquam inſtrumentis ſibi ſubordinatis. Si autem fuiſſent Sacramenta, ſoli Deo ſubordinata fuiſſent ut inſtrumenta Dei, non hominis, qui ideo illis ſubjiceretur.

Obj. 2. Variæ erant utilitates, propter quas congruum erat inſtituere Sacramenta in hoc ſtatu, v. g. ad proteſtationem fidei, ad coadunationem in una Religione, ad augendam gratiam. Ergo. R. ceſſante fine primario Sacramentorum, qui eſt ſanctificatio noſtra, ceſſare etiam rationem ponendi Sacramenta; & ſi forent ſigna ad proteſtandum fidem, ad coadunationem in una Religione, non forent tamen Sacramenta, quia non forent ad gratiam ſeu ſanctificationem noſtram ordinata. Ad augendam autem gratiam connaturalior foret modus per actus proprios, ſicut enim non acquirebatur per applicationem exteriorum ſenſibilium, ita nec debebat per eam augeri.

Obj. 3. In ſtatu innocentiæ fuiſſent Sacrificia. Ergo & Sacramenta. Patet Conſ. a paritate rationis: ideo enim homo in illo ſtatu uteretur Sacrificiis, quia homo conſtat anima & corpore, & in utroque debet Deum colere. Ergo pari ratione debet uti Sacramentis. R. N. Conſ. & paritatem. Diſparitas eſt 1. Quia Sacrificia ex ratione dicta ſunt de jure naturæ, adeoque in omni ſtatu debent eſſe: Sacramenta autem non ſunt de jure naturæ, ſed ex congruentia & ex beneplacito divino. 2. Quia cultus Dei externus eſt Deo debitus ex ſubjectione, quam habet homo ad Deum, non ſolum in ſpiritualibus, ſed etiam in corporalibus: ſanctificationem autem hominis fieri per ſigna ſenſibilia non eſt quid debitum naturæ humanæ, quando talem ſtatum habet, ut perfectiſſime Deo ſubjiciatur; quia tunc ex vi ſubjectionis hujus ſanctitatem habere debet.

Obj. 4. Matrimonium eſt Sacramentum juxta Apoſt. ad Ephes. 5. atqui matrimonium fuit inſtitutum ante peccatum, ut patet Geneſ. 2. Ergo. R. (*Ib. ad* 3.) Quod Matrimonium fuit inſtitutum in ſtatu innocentiæ non ſecundum quod eſt Sacramentum, ſed ſecundum quod eſt in officium naturæ. Ex conſequenti tamen ſignificabat aliquid futurum circa Chriſtum & Eccleſiam, ſicut & omnia alia, quæ in figura Chriſti præceſſerunt; quæ tamen non dicuntur Sacramenta, niſi improprie & alio ſenſu.

Ex dictis colliges, quod ſi etiam diu duraſſet ſtatus innocentiæ, nullum fuiſſet in eo Sacramentum. Sed petes, an perſeverante Adamo in juſtitia originali, & poſteris ejus peccantibus, fuiſſent inſtituta Sacramenta? R. Quod ſaltem non fuiſſent inſtituta ejuſdem rationis ac noſtra, vi præſentis Decreti. Quia noſtra vi præſentis Decreti ſunt in remedium peccati vel originalis vel actualis ex originali provenientis, & habent virtutem ex paſſione Chriſti, qui in hac hypotheſi juxta probabiliorem ſententiam non veniſſet. An vero fuiſſent inſtituta alterius rationis? Cum id pendeat ex beneplacito divino, nec quidquam hac de re ſit revelatio, res eſt dubia & incerta.

ARTICULUS III.

Utrum poſt peccatum ante Chriſtum debuerint eſſe Sacramenta?

NOTA 1. Naturæ per peccatum corruptæ triplicem diſtingui ſtatum. Primus eſt ſtatus Legis naturæ ab Adamo uſque ad Moyſem. Secundus Legis ſcriptæ a Moyſe uſque ad Chriſtum. Tertius Legis gratiæ a Chriſto ad finem ſæculorum. Primus dicitur Legis naturæ, non quia excluderet Legem ſupernaturalem; in ea enim obſervari debebant ſupernaturalia præcepta fidei, ſpei & charitatis: ſed quod in ea nulla eſſet Lex mandato Dei ſcripta; ſed Lex naturalis ſolo naturæ inſtinctu, & Lex ſupernaturalis ſola Dei inſpiratione quaſi per modum naturæ erant cognitæ.

Nota 2. Quod licet ſtatus Legis ſcriptæ rigoroſe tantum inceperit a Moyſe, ab Abrahamo tamen cœpit ſe inſinuare, & ſtatus Legis naturæ declinare per Circumciſionem, quæ erat quædam præparatio ad Legem ſcriptam. Nota 3. & ſuppone in utroque ſtatu Legis naturæ & ſcriptæ fuiſſe remedium, ſaltem pro peccato originali; cum conſtet ex Scriptura Adam & multos alios Juſtos ab ipſo fuiſſe emundatos. Id etiam colligitur ex voluntate Dei ſalvandi omnes homines. Videtur etiam eadem ratione ſupponendum, fuiſſe remedia pro peccatis actualibus, quævis fuerint. Quæſtio eſt igitur, utrum pro talibus remediis in utroque ſtatu Legis naturæ & ſcriptæ inſtituta

fue-

Digitized by Google

fuerint Sacramenta ; ſive ad delendum originale in parvulis, ſive actuale in adultis : ſub ea enim generalitate ſtatus & peccati videtur loqui D. Thomas, ut patet ex ipſius ratione in o. quæ eſt indefinita, & æque probat pro uno ac pro alio ſtatu, pro uno ac pro alio peccato. Licet plures videantur aliter intelligere, diverſaſque difficultates in hunc Articulum accumulent.

Dico. (*Ib. a. 3. o. & in 4. d. 1. q. 1. a 3. quæſt. 3.*) Poſt peccatum ante Chriſtum tam in lege naturæ, quam in lege ſcripta, tam pro peccato originali, quam pro actualibus debuerunt eſſe Sacramenta. Prob. 1. ex Patribus. Aug. lib. 5. contra Jul. c. 11. *Nec ideo*, inquit, *credendum eſt, ante datam circumciſionem, famulos Dei, quandoquidem eis inerat Mediatoris fides in carne venturi, nullo Sacramento ejus opitulatos fuiſſe parvulis ſuis: quamvis quid illud eſſet, aliqua neceſſaria cauſa Scriptura latere voluerit. Nam & ſacrificia eorum legimus, quibus utique ſanguis ille figurabatur, qui ſolus tollit peccata mundi.* Idem Innoc. III. cap. *Majores* de Baptiſmo & ejus effectu.

Prob. 2. (*Ib. a. 3. o.*) Sacramenta ſunt ſigna ſenſibilia inviſibilium rerum, quibus homo ſanctificatur. Atqui poſt peccatum ante Chriſtum ſive in lege naturæ, ſive in lege ſcripta fuit conveniens hujuſmodi ſigna inſtitui tam pro deletione peccati originalis quam actualis. Ergo. Prob. Min. poſt peccatum nullus ſalvari poteſt niſi per fidem in Chriſtum Redemptorem, juxta illud Rom. 3. *Juſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu, quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ propter remiſſionem præcedentium delictorum .... ut ſit ipſe juſtus & juſtificans eum, qui eſt ex fide Jeſu Chriſti.* Et illud Act. 4. *Non eſt aliud nomen ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.* Atqui poſt peccatum ante Chriſtum conveniens fuit eſſe ſigna ſenſibilia, quibus homo hanc ſuam fidem in Redemptorem futurum proteſtaretur. Ergo. Minor patet ex his quæ diximus Art. 1. hujus Diſt. & ſuperius, nempe id eſſe conveniens homini 1. ratione naturæ corporeæ. 2. Ratione naturæ per peccatum ſenſibilibus ſubjectæ. 3. Ut per ſalubria ſignorum ſenſibilium exercitia a noxiis actionibus præſervaretur. 4. Ratione ipſiuſmet Redemptoris humanitate ſenſibilis. Propter has, inquam, rationes conveniens fuit, ut homini ante Chriſtum in utroque ſtatu legis naturalis & ſcriptæ explicaretur gratia & ſanctificatio per ſigna ſenſibilia proteſtativa Redemptoris futuri & fidei ejus, atque illis ſignis mediantibus huic Redemptori tamquam capiti & ſalutis auctori in Eccleſia ſeu Religione, quæ ſemper fuit viſibilis, conjungeretur.

Itaque (*Infr. quæſt. 70. a. 4. ad 2.*) ſicut adulti pro ſe preces & ſacrificia offerebant, ſic parentes fideles pro parvulis natis & maxime in periculo exiſtentibus aliquas preces Deo fundebant, vel aliquam benedictionem eis adhibebant; non enim erat neceſſe, quod eſſet actus formalis fidei, ſed ſufficiebat quælibet moralis & pia actio a fide promanans, etiamſi non informata charitate: quia talis proteſtatio fidei non conferebat gratiam ex opere ſeu merito operantis, ſed ex opere operato paſſive, id eſt, ad propoſitionem hujus ſigni Deus conferebat gratiam intuitu meritorum Chriſti futuri, ut dicemus in ſol. Obj.

Solvuntur Objectiones.

OBJ. 1. Paſſio Chriſti eſt cauſa Sacramentorum omnium. Ergo ante Chriſtum non debent eſſe Sacramenta. R. D. Ant. (*Hic a. 3. ad 1.*) Paſſio Chriſti eſt cauſa Sacramentorum, efficiens vel finalis, C. ſemper efficiens, N. Erat ergo cauſa finalis Sacramentorum, quæ ante Chriſtum fuerunt, quatenus ad ipſam ſignificandam ſunt inſtituta. Finis autem non præcedit tempore, ſed ſolum intentione ſuum effectum. Inſt. Paſſio Chriſti eſt cauſa efficiens omnium omnino Sacramentorum. Ergo. Prob. Ant. Nullum eſt Sacramentum, quod non habeat virtutem ex ipſa & per ipſam. Ergo. R. N. Ant. ad Prob. D. Conſ. Ergo Paſſio Chriſti eſt cauſa efficiens Sacramentorum omnium, meritoria & moraliter, C. phyſice, N. Dicitur ergo paſſio Chriſti cauſa Sacramentorum, quæ ante ipſam fuerunt, in quantum intuitu ipſius ut prævîſæ & quaſi ſub fidejuſſione inſtituta ſunt, & per illam gratia hominibus dabatur a Deo. Subſumes. Atqui meritum præcedit præmium. Ergo ante paſſionem Chriſti, quæ eſt Sacramentorum cauſa meritoria, nulla fuerunt Sacramenta. R. D. Subſumptum; meritum per modum ſolius diſpoſitionis ad præmium, ut ſunt actus noſtri reſpectu beatitudinis, præcedit præmium, C. meritum quod eſt ſimul finis præmii, ut erat paſſio Chriſti reſpectu Sacramentorum veteris Legis, N. ſufficit, quod præcedat in intentione, & quod intuitu ipſius ſub ſpe & fidejuſſione conferatur præmium.

Obj. 2. De ratione Sacramenti eſt, quod conferat gratiam ex opere operato, hoc eſt ultra meritum ſuſcipientis; alias foret inutile ad ejus ſalutem. Atqui ante Chriſtum nullum poterat conferre gratiam ex opere operato, quia hoc eſt proprium Sacramentis novæ Legis. Ergo. R. D. Ant. De ratione Sacramenti eſt, quod conferat gratiam ex opere operato paſſive vel active, C. Ant. Semper active, N. Ant. & Conſ. Conferri gratiam ex opere operato paſſive eſt, eam dari ſuſcipienti Sacramentum, ſolo Deo active eam conferente ad Sacramenti præſentiam, ipſo tamen Sacramento active non concurrente. Dari autem gratiam active ex opere operato eſt ipſa Sacramenta active concurrere ad ejus collationem. Primo modo Sacramenta ante Chriſtum gratiam conferebant: ſecundo modo noſtra. Inſt. Conferri gratiam ex opere operato eſt eam conferri ex meritis paſſionis Chriſti jam operatæ & poſitæ. Atqui. Ergo. R. non hoc ſolo ſenſu dici gratiam conferri ex opere operato, quia confertur ex meritis paſſionis Chriſti jam operatæ, ſed maxime hoc ſenſu, quod conferatur vi operis ut a Deo inſtituti, ultra meritum operantis, ut amplius dicemus infra: & hoc ultimo ſenſu Sacramenta veteris Legis cauſabant gratiam.

Obj. 3. Cum Sacramenta ſint ſupernaturalia & ex mero divinæ voluntatis beneplacito, nihil de ipſis eſt aſſerendum, niſi quod in Scriptura revelatum eſt. Atqui nullibi in Scriptura revelatur fuiſſe Sacramenta in lege naturæ, nec etiam in lege ſcripta ſaltem pro peccatis actualibus, ſed ſolam Circumciſionem pro originali. Ergo. R. quod tacente Scriptura ſufficiat nobis traditio per SS. Patres, Aug. Th. & alios. Inſuper rationes D. Th. magnam hujus ſententiæ probabilitatem faciunt; imo vi præſentis decreti & ſuppoſita Sacramentorum novæ Legis inſtitutione pene evincunt. Et numquid mirum foret, quod in nova Lege, ubi abundantior eſt gratia & expreſſior Chriſti cognitio, homo pro peccatis originali & actuali ſenſibilibus ſubjiceretur, & ab illis dependeret, in ſtatu autem legis timoris, in quo & rarior gratia & obſcurior Chriſti notio, homines ab hoc onere liberi fuiſſent? Tandem nec de illis ita ſilet Scriptura, quin aliquod eorum veſtigium in ipſa reperiamus. Etenim Job c. ult. inveniuntur ſacrificia pro remiſſione peccatorum amicorum Job: in Melchiſedech invenitur panis & vini oblatio: deinde in omni populo eſus Agni Paſchalis, quæ ſecundum D. Th. hic a. 3. erant vera Sacramenta. Inſt. Secundum SS. Patres in illo ſtatu ſcilicet naturæ ſola fides interior parentum ſine ullo ſigno exteriori ſufficiebat ad ſalutem parvulorum. Ita D. Greg. 4. Moral. c. 3. D. Bern. Ep. 77. D. Th. expreſſe in 4. d. 1. q. 2. art. 6. quæſtiunc. 2. Ergo. R. ad SS. Greg. & Bernard. ipſos non dicere ſolam fidem interiorem, ſed ſolam fidem; proteſtatio autem exterior fidei eſt etiam actus fidei, ut omnes fatentur cum D. Th. 2. 2. q. 2. & 3. Unde per Ly *ſolam* non excludunt fidei proteſtationem exteriorem, ſed tantum ſacrificia, quæ non erant neceſſaria pro parvulis, ſicut erant pro adultis: id patet ex eorum verbis. Ad D. Th. dicendum, quod ſi forte inclinaverit in hanc ſententiam loco citato, eam certo retractaverit in poſterioribus operibus, ut patet primo ex præſenti Art. in o. & ad 2. ubi expreſſe ait, quod in utraque lege ante Chriſtum neceſſaria fuerint Sacramenta, & quod Sacramenta, quæ erant in Lege ſcripta, comparabantur ad ea, quæ fuerunt ante Legem, ſicut determinatum ad indeterminatum. Item in *Reſp.* ad 3. admittit Sacrificium Melchiſedech in lege naturæ, Agni Paſchalis in Lege ſcripta, & alia hujuſmodi fuiſſe vera Sacramenta. 2. Aperta eſt mens D. Th. pro noſtra ſententia inf. q. 70. a. 4. ad 2. item q. 4. de malo a. 8. ad 12.

Verum nec eſt quod confugiamus ad retractationem D. Th. ut ipſum explicemus. Cum enim loco cit. in objicit, quod ſufficiebat fides ſine omni exteriori ſigno, intelligit de ſigno ſpecialiter & in particulari a Deo determinato, ut erat in Lege ſcripta; non autem de alio ſigno per inſpirationem Dei internam vel per inſtinctum determinando. Ita ſeipſum explicat loco cit. 3. partis q. 70. art. 4. ad 2. Poſtquam enim admiſit ante circumciſionem non requiri aliquod ſignum fidei proteſtativum, utpote determinatum a Deo in particulari; *Quia*, inquit, *nondum homines fideles ſeorſim ab infidelibus cœperant adunari ad cultum unius Dei.* Subdit. *Probabile tamen eſt, quod parentes fideles pro parvulis natis & maxime in periculo exiſtentibus aliquas preces Deo funderent, vel aliquam benedictionem eis adhiberent, quod erat quoddam ſignaculum fidei; ſicut adulti pro ſeipſis preces & ſacrificia offerebant.* Imo in eodem objecto commentario in 4. eadem Diſt. q. præc. quæſtiunc. 3. expreſſe ait: *Ante legem ſcriptam erant quædam Sacramenta neceſſitatis, ſicut illud fidei Sacramentum, quod ordinabatur ad deletionem peccati originalis; & ſimiliter pœnitentia, quæ ordinabatur ad deletionem peccati actualis.* Quo nihil expreſſius. Unde conſtat S. Doct. intelligendum eſſe ſenſu expoſito: niſi velis ipſum apertam contradictionem docuiſſe in duabus ſibi immediate ſuccedentibus quæſtionibus.

Rationes. Gubernari per inſtinctum interiorem perfectius eſt,

eſt, quam per ſigna ſenſibilia. Atqui tamen ſtatus legis naturæ erat imperfectioc, quam ſtatus legia gratiæ. Ergo. R. D. Maj. perfectiua eſt gubernari iuſtinctu interiori ad intelligenda myſteria gratiæ, C. ad inſtituenda ſigna quibus ea myſteria iutelligantur, N. perfectius euim aſt ea a Deo inſtitui immediate.

Petes, quot & quæ fuerint Sacramenta ante Chriſtum. Quantum ad legem naturæ, R. id eſſe incertum tacente Scriptura & ſilentibus Patribus. S. Thomas tamen hic ad 3. Agnoſcit Sacrificium Melchiſedech fuiſſe Sacramentum: item alibi ſacrificia amicorum Job: & infra q. 66. a. 1. ad 7. dicit, quod *oblationas & dacimæ tam in lega natura quam in Lega Moyſis ordinatæ fuerint in figuram, & ideo araat Sacramenta*. Ultra progredi faa nobia non eſt, ſed ſufficere debet non deſuiſſe tunc Sacramenta in remedium peccati ſive originalis ſive actualis; *quamvis quid illad aſſet, aliqua neceſſaria cauſa, Scriptara ſacra tacere voluerit*: inquit Aug. Quantum ad Legem ſcriptam, R. plura fuiſſe in ea Sacramenta, quam in Lege Evangelica, ut tradit Aug. 19. contra Fauſtum c. 13. bis verbis: *Sacramenta vetaris Legis ablata ſunt, quia impleta: & alia ſunt inſtituta, virtute majora, utilitate meliara, actu faciliara, numera pauciara*. Id etiam patet; quia variæ purificationes, variæ expiationes a peccatis in ea erant varia Sacramenta; quę tameu uui Sacramento Pœnitentiæ in lege Evangelica correſpondebant: item multa inter ſe differentia unicum Euchariſtiæ repræſentabant. Variæ hujus rei congruentiæ afferuntur a Theologis, de quibus Gonet D. 2. n. 100. Hanc inter alias affert ex Hugone Victorino, quod Sacramenta Legia ſcriptæ erant umbræ, & Sacramenta Legis gratiæ veritatis corpora. Plures autem ſunt umbræ quam corpora.

Ea autem omnia Legis ſcriptæ Sacramenta, (1. 2. *q.* 102. *a.* 5.) cum eſſent cæremoniæ, quibus homines quodammodo deputabantur ad cultum divinum, reduci poſſunt ad tria genera. Primum eſt, quo homines conſtituebantur & deputabantur in ſtatu colendi Deum; & ſub illo continebatur Circumciſio pro totu populo, & conſecratio Sacerdotum pro Miniſtris. Secundum, quod conſiſtebat in uſu rerum, quæ ad Dei cultum pertinebant, & ſub illo continebatur uſus Agni Paſchalis pro toto populo, & eſus panum propoſitionis pro Miniſtris. Tertium, per quod removebantur impedimenta cultus divini per ipſos exercendi; & ſub eo continebantur expiationes pro peccatis pro toto populo, & pro ſolis Miniſtris ablutio manuum & pedum, raſio capillorum, &c.

Hæc poro (*Ib.*) erant typi & figuræ Sacramentorum novæ Legis. Sic circumciſio erat figura Baptiſmi, eſus Agni Paſchalis & eſus panum propoſitionis erant figura Euchariſtiæ, expiationes a peccatis & alię cæremoniæ ad id ordinatæ erant figura Pœnitentiæ, conſecratio Sacerdotum erat figura Ordinis. Sacramentis autem Confirmationis, (*Ib.*) Extremæ Unctionis & Matrimonii nullum tunc Sacramentum correſpondebat; quia Confirmatiu eſt Sacramentum plenitudinis gratiæ, quæ nondum advenerat in Lege ſcripta. Extrema-Unctio eſt immediata præparatio ad introitum gloriæ, cujus aditus nordum tunc patebat. Matrimonium tandem eſt ſignum conjunctionis Chriſti cum Eccleſia, quæ nondum tunc erat, adeoque erat tantum in officium naturæ & non ut Sacramentum. Unde dabatur Libellus Repodii, quod aſt contra rationem Sacramenti. Circumciſionem fuiſſe verum Sacramentum inſtitutum in remedium peccati originali, & cauſaſſe moraliter gratiam dicemus infra in Tract. de Baptiſmo contra quoſdam Theulogos oppoſitum ſentiautes.

ARTICULUS IV.

Utram poſt Chriſtum dabuerint eſſe Sacramenta?

DIcen. (*Ib.* a. 4.) Poſt Chriſtum debuerunt eſſe Sacramenta a veteribus diſtincta. Prob. (*Ibid.*) utraque pars ex auctoritate Aug. l. 19. contra Fauſt. cit. in Reſp. 2. ad petitionem præc.

Prob. 1. pars. (*Ib.*) Sicut antiqui Patres ſalvati ſunt per fidem Chriſti venturi, ita & nos ſalvamur per Fidem Chriſti jam nati & paſſi. Atqui antiqui Patres debuerunt per ſigna ſenſibilia proteſtari ſuam Fidem de Chriſto venturo ut ſalvarentur, ſicut diximus Art. 3. Ergo & nos debemus noſtram Fidem ſimiliter proteſtari de Chriſto nato & paſſo, ut ſalvemur. Subſumo. Atqui ſacramenta ſunt quædam ſigna proteſtantia Fidem, quia homo juſtificatur. Ergo poſt Chriſtum debuerunt eſſe Sacramenta.

Prob. 2. pars. (*Ib.*) Oportet aliis ſignis ſignificari futura, prętérita & præſentia: ut enim Aug. dicit 19. contra Fauſtum c. 16. eadem res aliter annuntiatur facienda, aliter facta, ſicut ipſa verba *paſſurus & paſſus* non ſimiliter ſonant. Ergo oportet quædam alia Sacramenta eſſe in nova Lege, quibus ſignificentur ea, quæ præceſſerunt in Chriſto, pręter Sacramenta veteris Legis, quibus prænuntiabantur futura. De numero, & ordine Sacramentorum novæ Legis dicemus cum Auctore in alma Diſſ. præſentis Tractatus.

DISSERTATIO III.

DE PRINCIPALI EFFECTU SACRAMENTORUM QUI EST GRATIA,

Div. Thom. Quæſt. 62.

ARTICULUS I.

Utrum Sacramenta novæ Legis gratiam cauſant ex opere operato?

COncertatio hic nobis eſt cum Hæreticis recentioribus. 1. Cum Socinianis & Anabaptiſtis, qui nullam in Sacramentis virtutem ſeu efficaciam agnoſcuot, ſed ea habent pro nudis & ſterilibus ſignis externæ profeſſionis Fidei Chriſtianæ, & diſtinctionis Fidelium ab Infidelibus. 2. Cum Lutheranis & Calviniſtis, qui quamvis Socinianos impugnent, & verbis magnificis videantur quandoque extollere virtutem & efficaciam Sacramentorum, ita ut crederes ipſos hac in parte catholice ſentire, nihilominus nullam in eis vim aliam agnoſcunt, quam excitandi objectivu fidem, qua ſola volunt nos juſtificari. Quamdiu enim adhærebunt ſuo capitali dogmati, nos ſcilicet non juſtificari per gratiam ſeu juſtitiam internam, ſed per imputationem externam juſtitiæ Chriſti, & eam nobis imputari per ſolam fidem ſeu fiduciam, qua firmiter credimus nos eſſe juſtos, de quo iu Tract. de Gratia: fateautur neceſſe eſt noſtra ſacramenta ad nihil aliud valere, quam ut excitent in nobis hanc fidem juſtificativam. Imo dum ad Sacramentum fidem præviam requirunt, ſupponere debent nos eſſe juſtificatos ante Sacramenti ſuſceptionem, ſicque Sacramenta non eſſe niſi ſigna ſterilia juſtificationis acceptæ.

Obſervandum 1. cauſam ut ſic dividi iu cauſam per accidens & cauſam per ſe. Cauſa per accidens eſt conditio, ſine qua effectus non poneretur, iu eum tamen non influit; ſic eſt v. g. approximatio ignis ad lignum cumburendum, vel ſiccitas ligni. Cauſa per ſe aſt, quæ aliquo modo influit iu effectum. Et eſt duplex, phyſica & moralis. Iterum utraque duplex, principalis & inſtrumentalis. Cauſa principalis phyſica eſt quæ virtute propria per realem influxum effectum producit; inſtrumentalis phyſica eſt, quæ virtute a cauſa principe ſibi tranſeunter communicata effectum producit. Sic pictor eſt cauſa principalis phyſica tabellæ, penicillus cauſa inſtrumentalis phyſica. Cauſa principalis moralis eſt, quæ merito proprio movet & allicit cauſam efficientem phyſicam, ut det eſſe rei, ita ut juxta hominum exiſtimationem ipſi attribuatur, quod cauſa efficiens ponat effectum. Inſtrumentalis moralis eſt, quæ id præſtat virtute ſibi a cauſa principali morali communicata; v. g. Filius Regis de Patre bene meritus eſt cauſa principalis moralis, cur Rex concedat veniam reo; Legatus autem ſive Epiſtola, quam ad Patrem dirigit, ut ſuo nomine hanc a Patre gratiam impetret, eſt cauſa moralis inſtrumentalis. Non eſt hic quæſtio de cauſa principali phyſica aut morali gratiæ: certum quippe eſt, quod ſolus Deus ſit cauſa principalis illius phyſica, ut diximus in Tract. de Gratia, & humanitas Chriſti cauſa principalis moralis, ut diximus iu Tract. de Incarnat.

Obſervandum 2. duplicem diſtingui modum producendi gratiam, ſcilicet ex opera operantis, & ex opere operato. Gratiam produci ex opera operantis eſt illam conferri a Deo intuitu operis, quatenus ab operante laudabiliter & meritorie procedit, ſive intuitu fidei, pietatis & meriti operantis. Gratiam produci ex opere operato aſt eam a Deo conferri intuitu operis, non ut procedit laudabiliter ab operante, ſed ut eſt a Chriſto inſtitutum ſeu aſt eam produci vi & efficacia operis externi per virtutem ſibi ſupernaturaliter communicatam ultra meritum miniſtrantis & recipientis, non tamen ſine diſpoſitionibus ex parte ſubjecti recipientis requiſitis, non quæ habeant vim effectivam effectus, aut operi externo ſeu Sacramento vim conferant, ſed quæ ſe habeant per modum removentis obicem gratię & conditionis, ſine qua Sacramentum effectum ſuum non produceret. Et quia hæc diſpoſitio

Digitized by Google

tio in ſuſcipiente non debet neceſſario eſſe ultima, ſed ſufficit, quod tollatur obex, hoc ſemel poſito Sacramentum vi operis applicati confert gratiam, ut dum ex attrito facit contritum. Quod ſi contingat diſpoſitionem eſſe ultimam, ultra gradum gratiæ huic diſpoſitioni correſpondentem, confertur alter gradus correſpondens operi externe applicato ſeu Sacramento.

Hinc colliges, quam falſo, quam calumnioſe Hæretici effutiunt nos nullam diſpoſitionem requirere in ſuſcipiente Sacramentum, ut per illud juſtificetur. Quam calumniam merito retondit Conc. Trid. Seſſ. 14. de Pœnit. cap. 4. his verbis: *Falſo quidem calumniantur Catholicos Scriptores, quaſi tradiderint Sacramentum Pœnitentiæ abſque bono motu ſuſcipientium gratiam conferre, quod numquam Eccleſia Dei docuit*. Non minus inſulſum eſt, quod dicunt nos per iſtas particulas *Ex opere operato* intelligere Sacramenta conferre gratiam virtute ſua naturali & tamquam cauſas primarias & principales. Hæc ſunt putida mendacia, & larvæ, quas liberaliter fingunt, ut habeant, quod oppugnent, & nobis exprobrent. Quis enim Catholicorum ſomniavit unquam aquæ ex natura ſua vim inesse ſanctificandi animam; aut eam, & non Deum eſſe cauſam principalem gratiæ? Probat hic S. Th. (*Hic q. 62. a. 1.c.*) & cum eo omnes Catholici Sacramenta non eſſe cauſam principalem gratiæ, quia non agunt ex virtute ſuæ formæ, nec aſſimilant ſibi effectum, quod eſt proprium cauſæ principalis. His igitur calumniis depulſis,

Dico, Sacramenta novæ Legis gratiam conferunt ex opere operato non ponentibus obicem. Prob. Gratiam conferri per Sacramenta ex opere operato nihil eſt aliud, ut patet ex dictis, quam eam conferri vi & ratione operis ſacramentalis poſiti & applicati, ut eſt a Deo inſtitutum, & non vi & ratione fidei ſeu meriti ſive miniſtrantis ſive ſuſcipientis, licet requiratur in ſuſcipiente diſpoſitio removens prohibens. Atqui hujuſmodi cauſalitatem Sacramentis novæ Legis tribuunt Scripturæ, Concilia, Patres, ratio Thologica, & ſi denegetur, ſequuntur inconvenientia; Ergo. Prob. Minor per ſingulas partes.

Ex Scriptura.

De Baptiſmo Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in Regnum Dei.* Epheſ. 5. *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ.* Tit. 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus ſancti.*

Reſpondet Calvinus hæc teſtimonia, maxime primum, quod eſt expreſſius, non eſſe intelligenda de vero Baptiſmo aquæ, ſed figurate de renovatione interiori per Spiritum S. ita ut per aquam ſignificetur ipſe Spiritus S. qui nos ſpirtualiter purget & mundet inſtar aquæ, ſeu ſicut aqua mundat corpus: ſicut in his verbis Matth. 3. *Ipſe vos baptizabit in Spiritu S. & igne*, ſignificatur per ignem metaphorice Spiritus S. Sed contra. Huic Calvini interpretationi oppono 1. conſtantem traditionem Eccleſiæ, quæ ab exordio hunc textum Joan. 3. ſemper intellexit de Baptiſmo aquæ, & ex eo ejus neceſſitatem collegit. 2. Si iſte textus deberet intelligi metaphorice, non de Baptiſmo aquæ, ſed tantum de Spiritu S. eodem modo poterunt intelligi omnes alii Scripturæ textus, ubi fit ſermo de Baptiſmo, & ſic baptiſmus aquæ non poterit probari ex Scriptura, quod non admittit Calvinus. 3. Non juvat Calvinum comparatio cum textu Matth. 3. Tum quia Eccleſia ſemper baptizavit in aqua, nunquam in igne, quæ praxis eſt optima interpretatio verborum Scripturæ, & probat priora eſſe intelligenda litteraliter, poſteriora metaphorice. Tum quia in poſteriori textu To *Igne* ſequitur To *Spiritu S.* ſicque eſt hujus explicatio, ſumiturque vel pro ipſo Spiritu S. vel igne charitatis: at in priori textu To *Aqua* præcedit To *Spiritu S.* & ſic non poteſt eſſe ejus explicatio. Tum tandem, quia Scriptura debet intelligi litteraliter, ubi nullum eſt inconveniens; nullum eſt autem ſi Baptiſmus conferatur in aqua, ſecus quod conferatur in igne. Adde, quod To *igne* in ſecondo textu poſſit intelligi litteraliter de igne, qui ſuper Apoſtolos apparuit die Pentecoſtes. Ita Damaſcenus l. 4. Fidei c. 10. vel de igne Purgatorii, ut intelligunt Orig. Tract. 9. in Matth. & Hom. 24. in Luc. Hilarius & Hieron. in commentariis ad hunc locum. Confer. Diſſ. 1. de Bapt. Art. 3. Obj. 1.

De Confirmatione Act. 8. *Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum S.* De Euchariſtia Joan. 6. *Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam ... caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus.* De Pœnit. Joan. 2. *Accipite Spiritum S. quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* De Extrema Unctione Jacobi 5. *Inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* De Ordine 1. Timot. 4. *Noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per Prophetiam cum impoſitione manuum Presbyterii.* De matrimonio licet non habeatur expreſſe in Scriptura, conſtat ex perpetua Eccleſiæ traditione illud numerari inter Sacramenta, ſicque eandem eſſe rationem de illo ac de aliis. Inſuper gratiam ejus commendavit Chriſtus, dum præſentia ſua nuptias in Cana Galileę cohoneſtavit, ac ſanctificavit, ſicut gratiam Baptiſmi commendavit, cum aquas Jordanis ſanctificavit, ut dicunt SS. Patres, Cyrillus, Maximus, &c. In his igitur omnibus ſacræ Scripturæ textibus habemus, quod gratia, Spiritus S., remiſſio peccatorum, vita æterna tribuantur non fidei ſeu merito miniſtrantium ſeu ſuſcipientium Sacramenta, ſed ipſi operi externo ſeu Sacramento externe peracto. De his iterum fuſius, dum de quolibet Sacramento in particulari.

Ex Conciliis.

Concilium Conſtantinop. 1. in ſymbolo Fidei, quod canit Eccleſia: *Confitemur unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum.* Conc. Milevit. Can. 2. *Parvuli qui nihil peccatorum in ſeipſis adhuc committere non potuerunt, ideo veraciter in peccatorum remiſſionem baptizantur, ut in iis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt.* Concil. Arauſ. II. Can. 25. dicit: ſecundum Fidem Catholicam gratiam per Baptiſmum accipi. Concil. Florent. in Decreto Eugenii, *Novæ Legis 7. ſunt Sacramenta ... quæ multum a Sacramentis differunt antiquæ Legis. Illa enim non cauſabant gratiam, ſed eam ſolam per paſſionem Chriſti dandam eſſe figurabant: hæc vero noſtra & continent gratiam & ipſam digne ſuſcipientibus conferunt:* Conc. Trid. ſeſſ. 13. Can. 6. *Si quis dixerit Sacramenta novę Legis non continere gratiam, quam ſignificant, aut gratiam ipſam non ponentibus obicem non conferre, quaſi ſigna tantum externa ſint acceptę per fidem gratię & juſtitię, & quædam Chriſtianę profeſſionis, quibus apud homines diſcernuntur Fideles ab Infidelibus, anathema ſit.* Et Can. 8. conceptis terminis: *Si quis dixerit per ipſa novę Legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, ſed ſolam fidem divinę promiſſionis ad gratiam conſequendam ſufficere, anathema ſit.*

Ex Patribus.

Justinus in Apolog. dicit nos per Baptiſmum renaſci in aqua eo modo, quo *Genitali flatu* progenerati ſumus. Tertull. de Baptiſmo cap. 4. *Supervenit ſtatim Spiritus de cœlis, & aquis ſupereſt, ſanctificans eas de ſemetipſo: & ita ſanctificatæ vim ſanctificandi combibunt.* Et de Reſurr. carnis c. 8. *Caro abluitur, ut anima emaculetur. Caro ungitur, & anima conſecratur. Caro ſignatur, ut anima muniatur. Caro manus impoſitione adumbratur, ut anima Spiritu illuminetur. Caro corpore & ſanguine Chriſti veſcitur, ut anima de Deo ſaginetur.* Greg. Nyſſ. Orat. in Baptiſm. *Baptiſma peccatorum expiatio eſt, remiſſio delictorum, renovationis & regenerationis cauſa.* Chryſoſtomus Hom. 25. in Joan. *Quod eſt matrix embrioni, hoc eſt fideli aqua, ſiquidem in aqua fingitur & formatur:* Ambroſ. l. 1. de Sacram. c. 4. *Qui per hunc fontem tranſit, non moritur, ſed reſurgit.* Aug. l. 4. contra Creſconium c. 16. dicit: *Non eorum meritis a quibus miniſtratur, nec eorum quibus miniſtratur, conſtare Baptiſmum, ſed propria ſanctitate atque veritate propter eum, a quo inſtitutus eſt.* Item idem Aug. vim & efficaciam Sacramentorum ſtupendam & inexplicabilem agnoſcit. Tract. 80. in Joan. exclamat: *Unde tanta virtus aquæ, ut corpus tangat & cor abluat?* Et l. 19. contra Fauſtum c. 11. *Sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimum ... ſine qua non poteſt perfici pietas*]. Similiter Nyſſenus Orat. cit. de Baptiſmo: *Oſtende mihi modum nativitatis, quę fit ſecundum carnem, & ego tibi vim regenerationis, quæ ſecundum animam fit, exponam ... Ubique divina vis & efficacia incomprehenſibilis eſt, nullaque vel ratione vel arte explorari poteſt.* Nulla profecto foret ratio mirandi vim Sacramentorum, nec difficilis foret ejus explicatio, ſi fidem dumtaxat objective excitarent, & gratiam ex ſeipſis ſeu ex opere operato non efficerent. Plures alios SS. Patres, ne longior ſim, omitto. Illos ordine recenſet Bellarm. l. 2. c. 6. & 7.

Ex Ratione Theologica.

Petitur ex Baptiſmo parvulorum. Baptiſmus infanti collatus eſt validus, & confert illi gratiam regenerantem; non ex fide aut merito miniſtrantis: collatus enim a malo Miniſtro, Infideli vel Pagano validus eſt, fatentibus Hæreticis, non ex fide, merito, aut diſpoſitione ſuſcipientis, hujus enim eſt incapax. Ergo ex ſeipſo ſeu ex opere operato.

Si dicant Hæretici infantes baptizari in fide Eccleſiæ, quæ ſupplet fidem, quæ ipſis deeſt: ita quidem; ſed quid inde eliciant pro ſuo dogmate, non video. Ideone ſequitur inde, quod Baptiſmus juſtificat, quatenus excitat objecti

Digitized by Google

jectіve in ſuſcipiente fidem juſtificativam ? Minime : & hoc eſt eorum dogma . Inſuper in eorum principiis fides juſtificans non eſt illa fides communis , ſed perſonalis & unicuique propria, qua firmiter credit ſibi remiſſa eſſe peccata propter Chriſtum , & ſe per imputationem ejus juſtitiæ eſſe juſtum. Nihil ergo infanti prodeſt illa Eccleſiæ fides niſi per Baptiſmum, qui eſt Sacramentum Fidei.

Ab Inconvenientibus,

SI Sacramenta non cauſent gratiam ex ſeipſis & ex opere operato, ſed tantum excitent objective fidem , ſequitur 1. quod Baptiſma collatum infanti , aut collatum lingua Latina ei, qui hoc idiome ignorat , nullius ſit efficaciæ , conſequenter quod plures, qui ad Calvini partes tranſmigrant , debeant rebaptizari , quod tamen non fit. 2. Quod Baptiſmus Chriſti non ſit majoris virtutis, quam Baptiſmus Joannis, contra Scripturam Matth. 3. Iſte enim perinde ac ille poterant excitare fidem. 3. Quod baptizati a Joanne non debuerint rebaptizari Baptiſmo Chriſti , contra Apoſt. Act. 19. 4. Quod Baptiſmus non ſit neceſſarius neceſſitate medii ad ſalutem, cum per aliud poſſet excitari Fides, 5. Quod Sacramentum aliquando conferat gratiam adſtantibus, in quibus fidem excitet, & non ipſi ſuſcipienti , in quo forte fides non excitatur . Hæc autem ſunt abſurda. Ergo.

Solvuntur Objectiones.

OBj. 1. plura Scripturæ teſtimonia , quibus juſtificatio tribuitur Fidei; ut illud Rom. 1. *Juſtus ex fide vivit* . Rom. 3. *Arbitramur juſtificari hominem per fidem ſine operibus Legis* : Item Matth. 16. Act. 16. & alibi . Ergo. R. 1. retorquendo argumentum. Scriptura juſtificationem tribuit Sacramentis: ergo fides non juſtificat. Neganda eſt itaque Conſequentia argumenti ; quia Scriptura non dicit, quod ſola Fides juſtificet; equidem fides habet ſuas partes in juſtificatione hominis, ſed non excludendo Sacramenta. R. 2. hæc & ſimilia Scripturæ teſtimonia tripliciter intelligi . 1. Fides dicitur juſtificare , quia eſt radix & fundamentum juſtificationis. Ita Trid. Seſſ. *6. c. 8.* 2. Quia Scriptura loquitur de fide , charitate perfecta & formata . 3. Quia fides ſumitur pro Lege Evangelica , quæ dicitur fides Chriſti, loco citato ad Rom. 3. Lex autem Evangelica non continet tantum præceptum credendi, ſed ſperandi, diligendi , bene operandi & ſuſcipiendi Sacramenta. Cum autem Apoſt. Rom. 3. dicit , *ſine operibus Legis*, intendit tantum excludere opera antiquæ Legis facta ſine fide & gratia , ut patet ex toto contextu.

Inſt. Sicut dicitur in Scripturis Sacramenta juſtificare , ita dicitur verbum Dei ſeu Evangelium juſtificare ; ut Rom. 1. dicitur , quod Evangelium *ſit virtus Dei in ſalutem omni credenti* . Atqui verbum ſeu Evangelium non eſt virtus Dei , ſeu non juſtificat aliter quam excitando fidem. Ergo. R. N. Min. Per verbum Dei enim ſeu per Evangelium intelligitur ibi tota Lex Evangelica , quæ continet non ſolum verbum concionatorium , ſed etiam conſecratorium ſeu Sacramenta . Pro his & ſimilibus argumentis vide Diſſ. 1. hujus Tract. a. 4. §. 3. & in Tract. de gratia Diſſ. 7. a. 4. §. 1. & præſertim 2.

Obj. 2. ex Patribus. Aug. l. 19. cont. Fauſt. c. 16. dicit Sacramenta nihil aliud eſſe, *niſi quædam quaſi verba viſibilia, ſacroſancta quidem, verumtamen mutabilia & temporalia*. Ergo concionatoria , quæ diverſe mutantur ad excitandam fidem. R. N. Conſ. Quia ibi Aug. agit de Sacramentis , quatenus ſunt ſigna, quibus ſignificatur Chriſtus; ſic autem ſunt mutabilia : alia enim erant in antiqua Lege, quæ ſignificabant Chriſtum venturum ; alia ſunt in Lege Evangelica , quæ ſignificant Chriſtum natum.

Inſt. S. Bernardus Serm. 1. de Cœna dicit : *Sicut inveſtitur Canonicus per librum , Abbas per baculum , Epiſcopus per annulum , ſic diviſiones gratiarum diverſæ ſunt traditæ Sacramentis* . Atqui liber reſpectu Canonici , baculus reſpectu Abbatis, annulus reſpectu Epiſcopi ſunt ſigna mere ſpeculative , nihil dignitatis in eis cauſantia . Ergo ſimiliter Sacramenta. R. N. Conſ. (*In 4. d. 1. q. 1. a. 4. quæſtiunc. 1. ad 1.*) S. Bernardus enim ibi comparat Sacramenta cum libro , baculo & annulo , non quoad cauſalitatem , ſed quoad rationem ſigni tantum , ita ut ſicut diverſis ſignis dantur diverſæ dignitates , ita diverſis Sacramentis dantur diverſæ gratiæ . Non dicit autem S. Doctor, Sacramenta nihil aliud habere , quam rationem ſigni : imo in eodem ſermone pluries aſſerit Sacramenta operari gratiam.

Obj. 3. Novitatem & barbariem hujus vocis *opere operato* , quæ uſurpatur paſſive , cum operari ſit verbum activum ſeu deponens. R. S. Th. in 4. d. 1, q. 1. a. 5. hanc vocem uſurpaſſe , & 50. ferme annis ante ipſum Innoc. III. l. 3. de Myſteriis Miſſæ c. 5. At eſto ſit nova , res per eam ſignificata non eſt nova . Quantum ad barbariem, R. cum Aug. in Pſ. 138. *Melius eſt , ut reprehendant nos Grammatici , quam non intelligant populi*. Hanc ergo vocem adhibuerunt Theologi , ut melius exprimerent virtutem Sacramentorum , quam etiam Eccleſia ſuam fecit in Conc. Trid. Neque ita abhorret a conſuetudine linguæ latinæ: dicit enim Apoſt. Heb. 13. *Talibus hoſtiis promeretur Deus* . Non raro dicimus *interpretatum , conſolatum*, &c. paſſive. Sed eſto non redoleat puriorem latinitatem : ſi unicuique arti ſint ſua propria vocabula , quidni pariter liceat in Theologia ?

Obj. 4. Si Sacramenta conferant gratiam ex opere operato , nulla requiritur diſpoſitio in ſuſcipiente . Falſum Conſequens . Ergo . R. D. Maj. Nulla requiritur diſpoſitio in ſuſcipiente tamquam cauſa efficiens gratiæ , aut tamquam principium , a quo Sacramenta vim habeant , C. Tamquam mera diſpoſitio removens prohibens , ſeu conditio ſine qua non, N. Solutio patet ex prænotaminibus.

Inſt. Juxta Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 6. Sacramenta conferant gratiam majorem vel minorem pro majori , vel minori diſpoſitione ſuſcipientium . Atqui hujuſmodi diſpoſitio non videtur mera conditio ſine qua non , ſed etiam cauſa efficiens . Ergo . R. N. Min. Agunt enim Sacramenta ad modum agentium naturalium , quæ plus vel minus efficiunt ſecundum majorem vel minorem capacitatem ſeu diſpoſitionem ſubjecti ; quæ tamen diſpoſitio nihil efficientiæ habet , ut patet in igne , qui efficacius comburit lignum ſiccum quam viride , licet ſiccitas ſit mere removens prohibens, ſeu conditio ſine qua non , & non cauſa efficiens.

Repones. Concedere tantam virtutem Sacramentis eſt exponere periculo idololatrandi plebem , quæ ſpem collocabit in Sacramentis . R. hanc objectionem eſſe riſu potius quam ſeria confutatione dignam . Numquid Chriſtus adſtantes expoſuit periculo Idololatriæ , quando luto ſanavit cæcum , & mulierem tactu fimbriæ ? Nullum eſt ergo periculum idololatriæ in populo , dum illum docemus Sacramenta eſſe mera inſtrumenta Dei , quibus principaliter agit, eis nullatenus alligatus.

ARTICULUS II.

Utrum Sacramenta novæ Legis gratiam cauſent moraliter tantum, an etiam phyſice?

ARTICULO ſuperiori probavimus contra Hæreticos Sacramenta novæ Legis vere cauſare gratiam , non principaliter , ſed inſtrumentaliter : nunc quærimus , in quo genere cauſæ, an moralis tantum , an etiam phyſicæ; de qua Quæſtione utrimque diſputatur in Scholis Catholicis ſalva fide.

Sacramenta novæ Legis eſſe inſtrumenta moralia gratiæ non videtur negandum : quia excitant & movent cauſam phyſicam gratiæ, ſcilicet Deum, ad ejus productionem ut ſubordinata cauſæ principali morali gratiæ. Chriſtus enim eſt cauſa principalis moralis ſeu meritoria gratiæ, & valorem ſui meriti ſeu virtutem paſſionis ſuæ Sacramentis moraliter applicuit; hoc eſt, diſpoſuit ; & pepigit , ut quoties Sacramenta rite adminiſtrarentur , cenſerentur vice, nomine & in perſona ipſius adminiſtrata, ac ejuſdem valoris & pretii eſſent , ac ſi ipſe paſſionem Patri pro gratia obtinenda offerret . Ergo cenſenda ſunt inſtrumenta moralia Chriſti in producenda gratia . Sed & poſſunt etiam dici inſtrumenta moralia Dei , in quantum Deus determinavit Chriſtum ad inſtituenda Sacramenta, & promiſit ſe daturum gratiam ad poſitionem illorum: unde Sacramenta movent Deum ut cauſam phyſicam gratiæ ad ejus efficientiam , prout ſunt etiam ipſi Deo ut cauſæ principali morali ſubordinata: ſicut ſi artifex induceret aliquem , ut ſe invitaret ad artefactum per oblationem pecuniæ , oblata pecunia foret inſtrumentum morale & ipſius artificis & alterius ipſum conducentis . Suppoſito Sacramenta novæ Legis eſſe inſtrumenta moralia gratiæ; quæritur ulterius utrum ſint etiam inſtrumenta phyſica? Negant Scotus & Scotiſtæ , quibus adhærent Vaſques, Dalugo , Becanus, Juenin , Tournely , &c. Affirmant S. Th. & omnes Thomiſtæ , uno aut altero excepto; & plures extranei , Bellarm. Suares , Valentia , Fonſeca , Ripalda , Ruardus, Tapper, Hambertus , & plures alii : cum quibus

Dico: Sacramenta novæ Legis ſunt cauſæ inſtrumentales gratiæ, non ſolum moraliter , ſed etiam phyſice . Prob. 1. ex Scripturis Art. præc. laudatis . Joan. 3. dicimur renaſci ex *aqua*. Ad Tit. 3. ſalvari *per lavacrum regenerationis* . Epheſ. 5. nos mundari *lavacro aquæ* , &c. Hæ autem particulæ *ex*, *per* , & caſus ablativus ſignificant cauſam propriam & phyſicam ; ut cum dico ſcripſi calamo , domus conſtructa eſt per artificem, natus eſt ex ſemine, &c. Equidem non negamus has particulas etiam aliquando ſignificare cauſalitatem moralem tantum, quando nempe manifeſtum eſt ſermonem eſſe de ſola cauſalitate morali & non phyſica, ut cum dicitur; precibus obtinuit

tinuit

tinuit gratiam, per ſententiam Judicis reus occiditur, per præcepta & leges, ſeu præceptis & legibus pax Reip. ſervata eſt, &c. At negare non poſſunt Adverſarii iis etiam particulis ſignificari proprie & litteraliter cauſalitatem phyſicam, ut patet in exemplis 1. loco prolatis. Quando igitur dubium eſt, de qua cauſalitate ſit ſermo, ut in noſtro caſu: quæro, quare illæ particulæ omnes & ſemper intelligendæ ſint de cauſalitate morali & impropria, & nunquam de cauſalitate phyſica & propria? Eſtne veriſimile Scripturam per has voces ſemper intendiſſe cauſalitatem moralem & impropriam, nunquam phyſicam & propriam, & id nullibi explicuiſſe? Nonne e contra longe ſatius eſt juxta regulam communiter receptam, ubi res eſt dubia, intelligere Scripturam in ſenſu naturali & obvio de cauſalitate propria & phyſica, ſi nullum ſequatur abſurdum, ut revera nullum ſequitur: ſicut patebit ex ſolo Obj.

Prob. 2. ex Patribus etiam Art. ſuperiori laudatis. S. Leo ſerm. 4. de Nativ. dicit; *Omni homini renaſcenti aqua baptiſmatis inſtar eſt uteri virginalis, eodem Spiritu replente fontem, qui replevit & Virginem.* Et Serm. 5. *Virtus Altiſſimi, quæ fecit ut Maria pareret Salvatorem; eadem facit, ut regeneret unda credentem.* Chryſoſtomus Hom. 25. in Joan. *Quod eſt matrix embrioni, hoc & Fideli aqua.* Nyſſenus Orat. de Bapt. comparat aquam Baptiſmi ſemini, ex quo generatur homo. Cyrill. Alex. l. 2. in Joan. c. 41. aquæ ferventi, quæ calefacta ab igne, non aliter quam ignis urit. Iſtæ autem comparationes cauſalitatem phyſicam exprimunt, nec ſine violentia ad cauſalitatem moralem trahi poſſunt. Item Tertull. lib. de Bapt. c. 4. dicit aquas Baptiſmi *vim ſanctificandi combibere.* S. Aug. ſerm. de Epiphania hanc vim eſſe *rore ſubtiliorem.* S. Th. eſſe *fluentem & incompletam*: hæc autem de virtute phyſica tantum verificari poſſunt, & non de morali: cum enim iſta ſit ens rationis ſeu denominatio extrinſeca, quis dicat eam eſſe rore ſubtiliorem, in aqua baptiſmali combibi, eſſe fluentem & incompletam? Item Nyſſenus in Oratione cit. dicit virtutem & efficaciam Baptiſmi eſſe *incomprehenſibilem, nullaque ratione vel arte explorari poſſe.* Aug. l. 19. contra Fauſtum eſſe *inenarrabilem.* Unde Tract. 80. in Joan. ſtupens & mirans exclamat: *Unde tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat.* At ſi foret tantum virtus moralis, non eſſet incomprehenſibilis, nec inenarrabilis, neque locus foret admirationi & exclamationi; nihil enim eſt intellectu facilius & inter homines uſitatius, quam quod exhibitione chirographi Regii tale beneficium ſeu talis pecuniæ ſumma conferatur.

Reſpondet 1. Tournely, has ſimilitudines non debere plus æquo urgeri, alias efficerent Sacramenta eſſe cauſas naturales gratiæ. Sed contra, ſancti Patres quæ in exemplis, quibus utuntur, tribuunt vi naturæ, in Sacramentis adſcribunt virtuti Spiritus S. Unde non eſt timendum inconveniens, ſi iſtæ ſimilitudines urgeantur, ſecundum quod eorum verba ſonant. Reſpondet 2. & ante ipſum P. Henno, comparationes iſtas teneri quoad effectum, non vero quoad modum efficiendi. Volunt itaque tantum Patres Sacramenta vere cauſare gratiam in nobis abſtrahendo a modo cauſandi, an phyſice, an moraliter tantum. Sed contra. 1. Hæc reſponſio directe pugnat cum textis laudatis: dicunt SS. Patres *ad inſtar*, id eſt eodem modo. Ergo a modo cauſandi non abſtrahunt. 2. Si non intelligunt modum cauſandi per virtutem phyſicam in Sacramentis, ſicut intelligunt in exemplis, quæ proferunt, omnino impropria, imo falſa erit eorum locutio; qui enim, v. g. precibus, ſuaſione, aut ſtipendio oblato movet Sacerdotem ad celebrandum, eſt cauſa moralis ſacrificii; improprie autem omnino, imo falſo diceretur perfeciſſe ſacrum ad inſtar Sacerdotis. 3. Si non intellexiſſent modum operandi per virtutem phyſicam non potuiſſent vere dicere eam combibi in aquis, eſſe rore ſubtiliorem, fluentem & incompletam, incomprehenſibilem & inenarrabilem; hæc enim de ſola virtute phyſica in Sacramentis, & non de morali vera ſunt, ut jam ponderavimus, nec niſi inepte & ridicule exclamaſſet Aug. *Quæ tanta vis aquæ*, &c. ſicut inepte & ridicule exclamaret qui diceret; Quæ tanta vis Chirographi, ut eo oblato ſolvatur pecunia.

Reſpondet P. Henno, *Ridiculam a contra fore Patrum admirationem, ſi mirarentur Sacramenta gratiam cauſare phyſice: nam ſi poſſunt phyſice*, inquit, *id etiam poſſet muſca per potentiam obedientialem. Quis autem miretur, quod aliquid poſſint Sacramenta circa gratiam, quod poteſt muſca.* Sed contra. Equidem poſſet muſca, quod nunc poteſt aqua, ſi Deus muſcæ contuliſſet virtutem, quam aquæ contulit, & illud merito in muſca mirandum foret, quod nunc in aqua miramur. Audiat retorſionem argumenti. In ſententiam Scotiſtarum potuiſſet ſtatuere Deus conferre gratiam ad motum ſeu internecionem muſcæ, ſicut ſtatuit conferre ad ablutionem aquæ? *Quis autem miretur, quod aliquid poſſint Sacramenta circa gratiam, quod poteſt muſca?* Hæc ergo reſponſio frigida eſt admodum & plane inſufficiens.

Inſtat & cum ipſo Tournely. Miramur ſolem ſtetiſſe ad vocem Joſue, cum tamen vox Joſue ad id tantum moraliter concurrerit. Sed contra 1. An vox Joſue phyſice vel moraliter ad id concurrerit, Scriptura non exprimit; & ideo nihil inde certi pro Adverſariis. 2. Sed eſto vocem Joſue ad id concurriſſe moraliter tantum, non miramur vim vocis Joſue, ſed miramur Deum ad vocem Joſue, velut ad ſignum, ſoli moram injeciſſe, neque id miraremur, ſi quotidie contingeret. At vero Aug. & alii Patres non mirantur Deum ad poſitionem Baptiſmatis conferre gratiam, ſed mirantur ipſam vim aquæ, quæ tanta eſt, ut corpus tangat, & animam abluat, quamque dicunt incomprehenſibilem & inenarrabilem. Sit ergo verum eſſe, quod dixit celebris Eſtius poſt ventilatam hanc quæſtionem in utramque partem, ſententiam noſtram, ſi attendantur SS. Patrum dicta, eſſe probabiliorem.

Probatur 3. auctoritate & rationibus D. Th. 2. S. Doctor Art. 1. hujus Quæſt. quærens, utrum Sacramenta novæ Legis ſint cauſa gratiæ? imprimis docet, quod per aliquem modum cauſent gratiam. Deinde quærens, per quem modum, ſic dicit; *Quidam dicunt; quod non ſunt cauſa gratiæ aliquid operando, ſed quia Deus Sacramentis adhibitis in anima gratiam operatur: & ponunt exemplum de illo, qui afferens denarium plumbeum, accipit centum libras ex Regis ordinatione; non quod denarius ille aliquid operetur ad habendam prædictæ pecuniæ quantitatem, ſed hoc operatur ſola voluntas Regis.* En ipſiſſima ſententia Adverſariorum, illam autem rejicit S. Doctor; ſic enim proſequitur, *Sed ſi quis recte conſideret, iſte modus non tranſcendit rationem ſigni. nam denarius plumbeus non eſt niſi quoddam ſignum regiæ ordinationis de hoc, quod pecunia recipiatur ab iſto.... Secundum hoc igitur Sacramenta novæ Legis nihil plus efficiunt, quam ſigna gratiæ: cum tamen ex multis Sanctorum auctoritatibus habeatur, quod Sacramenta novæ Legis non ſolum ſignificant, ſed cauſant gratiam.* Rejecta itaque hac ſententia, noſtram ſic adſtruit. *Et ideo aliter dicendum, quod duplex eſt cauſa agens, principalis & inſtrumentalis. Principalis quidem operatur per virtutem ſuæ formæ, cui aſſimilatur effectus; ſicut ignis ſuo calore calefacit: & hoc modo nihil poteſt cauſare gratiam, niſi Deus... Cauſa vero inſtrumentalis non agit per virtutem ſuæ formæ, ſed ſolum per motum, quo movetur a principali agente: unde effectus non aſſimilatur inſtrumento, ſed principali agenti, ſicut lectus non aſſimilatur ſecuri, ſed arti, quæ eſt in inſtrumento artificis. ET HOC MODO SACRAMENTA NOVÆ LEGIS gratiam cauſant. Adhibentur enim ex divina ordinatione hominibus ad gratiam in eis cauſandam. Unde Aug. cont. Fauſtum l. 19. c. 19. dicit.* Hæc omnia ſcilicet ſacramentalia fiunt & tranſeunt, virtus tamen Dei, quæ per iſta operatur, jugiter manet. *Hoc autem proprie dicitur inſtrumentum, per quod aliquis operatur. Unde ad Tit. 3.* Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.

Sit cæcus aut præjudiciis occupatus, qui hic non agnoſcit cauſalitatem phyſicam Sacramentorum eſſe de mente S. Th. ſic enim & non aliter loquuntur Thomiſtæ. His igitur verbis S. Doctor non ſolum concluſionem noſtram aſſeruit, ſed compendio comprehendit, quæ huc uſque diximus ex Scriptura & Patribus: & inſuper rationem fundamentalem concluſionis poſuit. Hinc enim ſic arguo. Juxta S. Thomam, Concilia & Patres, Sacramenta novæ Legis ſunt pluſquam ſigna gratiæ. Atqui in ſententia Adverſariorum non tranſcendunt rationem ſigni, Ergo. Prob. Minor. Sacramenta non ſunt actus morales meritorii aut ſatisfactorii, neque finis, qui propria bonitate moveant Deum ad conferendam gratiam, ſed illum tantum movent quatenus ſunt ſigna ſuæ ordinationis & promiſſionis qua ſtatuit, ut quoties adhiberentur, conferrent gratiam, ſicut chyrographum aut ſigillum Regis movet ipſum ad conferendum beneficium, tamquam ſignum ſuæ voluntatis & ordinationis. Ergo. Neque dicas movere Deum ad conferendum gratiam virtute meritorum Chriſti, quæ continent: non enim in hac ſententia concipi poteſt Sacramenta continere merita Chriſti, niſi quatenus ſunt ſigna ordinationis & promiſſionis Dei vel Chriſti, qui promiſit & ordinavit, ut quoties rite adhiberentur, conferretur gratia, quam nobis ſua paſſione promeruit. Neque enim putandum eſt merita Chriſti contineri in Sacramentis, ſicut pecuniæ in burſa aut accidens in ſubjecto, ut dicemus infra; craſſa hæc eſt imaginatio: ſed & fatentem Adverſarium habemus. Audiatur Honoratus Tournely hic in fine Art. 2, *Sacramenta*, inquit, *certe & efficaciter movent Deum ex pacto, quo ſe libere obſtrinxit, ad gratiam conferendam iis, qui digne ut oportet iis utuntur, in quo uno verum moralis cauſalitas & efficacia poſita eſt.* Hoc autem, ut manifeſtum eſt, nihil aliud eſt, quam ſignum pacti ſeu promiſſionis divinæ; ſicut ſigillum aut chyrographum Regium eſt ſignum voluntatis –

Digitized by Google

tis Regis; qui ordinavit, ut ad *ejus* exhibitionem ſolveretur ſumma, vel conſerretur hoc officium.

2. S. Th. a. 3. ejuſdem quæſt. probat gratiam contineri in Sacramentis novæ Legis duplici modo: uno modo ſicut in ſigno; altero modo ſicut in cauſa, non principali, ſed inſtrumentali, nempe *ſecundum quamdam inſtrumentalem virtutem, quæ eſt fluens & incompleta in eſſe naturæ.* Quod ſoli cauſalitati phyſicæ competere poteſt. Et hinc ſic argumentor. Juxta S. Th. item juxta Conc. Florent. in Decreto unionis, & Trid. ſeſſ. 7. can. 6. gratia continetur in Sacramentis alio modo, quam ſignificatum in ſigno; dicunt enim Concilia Sacramenta novæ Legis continere gratiam, quam ſignificant; ergo aliter continent, quam ſignificando: item eam continere aliter, quam Sacramenta veteris Legis, quæ tamen erant ſigna gratiæ; atqui gratia non continetur in Sacramentis novæ Legis continentia locali, ut aqua in vaſe, gratia enim cum ſit aliquid ſpirituale, non occupat locum. Neque continentia formali, ut accidens continetur in ſubjecto, quia cum ſit qualitas ſpiritualis permanens & completa, non poteſt inhærere ſubjecto corporeo. Ergo continentia virtuali, ut effectus in cauſa, non principali, ut dictum eſt, ſed inſtrumentali, ſicut planta virtualiter continetur in ſemine, effectus artis in inſtrumento artificis: & hoc ſenſu Sacramenta dicuntur a Patribus & Theologis vaſa gratiæ, quo ſenſu arma dicuntur in Scriptura vaſa mortis & indignationis. Subſumo. Atqui ſi Sacramenta ſint tantum cauſæ morales gratiæ, non poſſunt dici continere gratiam aliter quam ut ſigna ſignificatum; ſicut v. g. chyrographum Regium, quamvis ſit cauſa moralis infallibilis & efficax collationis pecuniæ, non poteſt tamen dici, quod pecuniam contineat aliter, quam ſignum dicitur continere ſignificatum. Ergo.

3. S. Th. a. 4. ejuſdem q. probat in Sacramentis dari virtutem inſtrumentalem ad inducendum ſacramentalem effectum, quæ proportionatur inſtrumento, quod non operatur *niſi in quantum eſt motum a principali agente, quod per ſe operatur. Et ideo virtus principalis agentis habet permanens & completum eſſe in natura; virtus autem inſtrumentalis habet eſſe tranſiens ex uno in aliud & incompletum, ſicut & motus eſt actus imperfectus ab agente in patiens.* Et ad 1. *Dicendum*, inquit, *quod virtus ſpiritualis non poteſt eſſe in re corporea per modum virtutis permanentis & completæ, ſicut ratio probat. Nihil tamen prohibet in corpore eſſe virtutem ſpiritualem, inſtrumentalem, in quantum ſcilicet corpus poteſt moveri ab aliqua ſubſtantia ſpirituali ad aliquem effectum ſpiritualem inducendum.* In his autem manifeſtum eſt non poſſe intelligi niſi cauſalitatem inſtrumentalem phyſicam. Et Art. 6. vim cauſandi gratiam, quam denegat Sacramentis veteris Legis, adſcribit Sacramentis novæ Legis: loquitur autem ibi de cauſalitate phyſica, ut evidentiſſime patet ex ejus ratione, quæ eſt hæc. Si Sacramenta veteris Legis cauſarent gratiam, id haberent ex ſe ſeu propria virtute, vel ex Paſſione Chriſti. Non ex ſe, alioquin non fuiſſet neceſſaria Paſſio Chriſti: Non ex Paſſione Chriſti, quia *nondum erat.* Denegat ergo Sacramentis veteris Legis cauſalitatem, quæ exigit exiſtentiam realem cauſæ: cauſalitas autem, quæ exigit exiſtentiam realem cauſæ, eſt indubie phyſica, cum, ut cauſæ morales cauſent, non debeant neceſſario exiſtere in re, ſed ſufficit, quod exiſtant in apprehenſione intellectus, ut patet in cauſalitate finis. Ex his iterum ſic formo argumentum. Juxta S. Th. Conc. Florent. in Decreto unionis, SS. Patres & Theologos Sacramenta novæ Legis cauſant gratiam nobiliori & perfectiori modo, quam Sacramenta veteris Legis. Atqui Sacramenta veteris Legis cauſabant gratiam moraliter; erant enim ſigna proteſtativa fidei in Chriſtum venturum, ad quorum poſitionem Deus conferebat gratiam intuitu futurorum meritorum Chriſti. Ergo.

Si dicas in hoc differre, quod Sacramenta novæ Legis cauſant gratiam ex opere operato, non Sacramenta veteris Legis. Contra. Gratiam conferri per Sacramenta ex opere operato poteſt intelligi dupliciter, active & paſſive, active, quatenus Sacramentum confert gratiam per virtutem phyſicam ſibi tranſeunter communicatam, ultra meritum & diſpoſitionem ſive miniſtrantis ſive ſuſcipientis: & hoc eſt quod Adverſarii Sacramentis novæ Legis denegant. Paſſive, quatenus ad poſitionem Sacramenti independenter etiam a merito vel diſpoſitione miniſtrantis & ſuſcipientis, tanquam a cauſa efficiente ſeu meritoria, Deus confert gratiam; & ſic Adverſarii intelligunt Sacramenta novæ Legis cauſare gratiam. Atqui hoc etiam modo Sacramenta veteris Legis, ſaltem Circumciſio, cauſabant gratiam. Ergo. Prob. Subſumptum. Ad poſitionem Circumciſionis Deus conferebat gratiam remiſſivam peccati Originalis independenter a diſpoſitione ſuſcipientis, qui ſæpius erat infans illius diſpoſitionis incapax, item & conferentis, ſiquidem juxta Aug. Ep. 203. collata a Samaritano infideli & idololatra valebat. Sufficiebat ergo, quod quiſquis per Circumciſionem proteſtaretur Fidem Eccleſiæ in Chriſtum venturum, ad quam proteſtationem, non ut erat actus perſonalis, ſed ratione objecti, ut dicam infra, Deus conferebat gratiam. Scio quoſdam Adverſariorum negare Circumciſionem eſſe inſtitutam in remedium peccati Originalis, & per eam conferri gratiam, Sed de hoc infra.

4. Juxta S. Th. hic a. 5. q. 27. de Verit. a. 4. & Quodlib. 12. a. 14. Sacramenta novæ Legis & humanitas Chriſti eodem genere cauſæ concurrunt ad productionem gratiæ; quia humanitas Chriſti eſt inſtrumentum conjunctum divinitati ad gratiam producendam, & Sacramenta ſunt inſtrumentum ſeparatum: inſtrumentum autem ſeparatum movetur per conjunctum, ut baculus per manum. Unde, ut ait S. Doct. n. 5. cit. oportet, quod virtus ſalutifera a Divinitate Chriſti per ejus humanitatem in ipſa Sacramenta derivetur. Atqui humanitas Chriſti concurrit inſtrumentaliter phyſice ad productionem gratiæ, ut probavimus cum S. Doct. in Tract. de Incar. Diſſert. 13. a. 2. §. 2. Ergo R. P. Franciſcus Henno ex oppoſito principio contra nos ſic arguit: *Non eſt tribuenda nobilior cauſalitas Sacramentis, quam Chriſti humanitati.. ſed nec Chriſti Paſſio nec Humanitas phyſice efficiunt gratiam, ſed ſolum meritorie, ſeu moraliter, ut docet Trid. Seſſ. 6. cap. 5.* Ergo. Notentur hæc verba: *Ut docet Trid. Seſſ. 6. cap. 5.* Pace doctiſſimi viri, ne verbulum quidem hac de re legitur in laudato capite, & qui id alicubi in Trid. repererit, erit mihi alter OEdipus. Equidem Trid. cap. 3. docet *homines juſtificari, dum per meritum Paſſionis Chriſti gratia illis tribuitur.* Et c. 7. quod cauſa meritoria juſtificationis noſtræ ſit Chriſtus: id & nos aperte ore profitemur. At dixitne Concilium Chriſtum ſeu ejus humanitatem *non cauſare gratiam phyſice, ſed ſolum meritorie ſeu moraliter?* Nunquam, nullibi inquam. Definivit Concilium, quod certo conſtat inter Theologos, Chriſtum eſſe cauſam meritoriam gratiæ: an inſuper ſit etiam cauſa phyſica, quod controvertitur inter Theologos, intactum reliquit. Hanc obſervationem omittere non licuit, ne quis hac falſa citatione deceptus exiſtimaret D. Th. ſententiam & noſtram de cauſalitate phyſica humanitatis Chriſti eſſe a Concilio proſcriptam.

5. Sacramentum Pœnitentiæ cauſat phyſice gratiam. Ergo & alia Sacramenta; eadem enim eſt ratio omnium. Prob. Ant. 1. Ex D. Th. qui in 4. d. 14. q. 2. a. 4. dicit, quod *Pœnitentia, ut eſt Sacramentum, effective tollat peccatum ex parte maculæ, quia gratiam tribuit, ſicut inducens albedinem aufert nigredinem.* 2. Quia forma Sacramenti Pœnitentiæ eſt per modum ſententiæ judicialis: Judex autem per ſe reum abſolvit, & non alium excitat aut movet ad abſolvendum. Item verba Conſecrationis phyſice concurrunt ad tranſubſtantiationem. Atqui juxta S. Th. infra q. 79. a. 4. & rei veritatem verba Conſecrationis eo modo concurrunt ad tranſubſtantiationem, quo alia Sacramenta concurrunt ad ſuos effectus. Ergo. Major eſt D. Th. a. 4. cit. Et patet, quia quando Chriſtus in ultima Cœna conſecravit, operatus eſt phyſice ſuis verbis illam tranſubſtantiationem. Atqui verba Conſecrationis proferuntur in perſona Chriſti a Sacerdote. Ergo: Ex his & pluribus aliis, quæ omitto, ne tædium afferam, vide Lector, quam parum ſobrie, quam & contumelioſe P. Bernal a Patre Henno laudatus dixerit eos, qui cauſalitatis phyſicæ aſſertionem S. Doctoris tribuunt, eſſe *ignorantes, ineptos Philoſophos, ſumme ſtupidos, & incredibilis oſcitantiæ*: quamque falſo ipſe Henno pronuntiavit S. Th. *nullibi aſſeveraſſe Sacramenta eſſe cauſas gratiæ phyſicas.* Mirum eſt hunc Theologum pro more ſuo non advocaſſe in ſubſidium aliquem textum D. Th. obtorto collo intellectum, ut ſolam cauſalitatem moralem Sacramentorum S. Doctori affingaret.

6. Tandem. Cauſalitas phyſica non eſt deneganda Sacramentis, ſi ſit poſſibilis. Atqui eſt poſſibilis. Ergo. Utraque præmiſſa eſt probanda. Prob. Maj. Tum quia admiſſa cauſalitate phyſica in Sacramentis, cum omni proprietate & rigore explicantur dicta Scripturæ, SS. Patrum & Conciliorum. Tum quia confert ad dignitatem Sacramentorum. Quod probatur 1. Agere eſt perfectio. Ergo agere non ſolum moraliter, ſed etiam phyſice, dicit majorem perfectionem. 2. Concurſus phyſicus eſt perfectior morali, quia concurſus moralis non tam agit, quam actionem cauſæ obtinet, concurſus autem phyſicus vere & proprie agit, atque effectum velut e ſinu ſuo emittit. Ergo. Unde falſum eſt, quod paſſim ſupponit Tournely, cauſalitatem moralem eſſe æque propriam, perfectam & efficacem ac cauſalitatem phyſicam. Prob. Min. 1. A priori. Deus, cum ſit ſupremus omnium Dominus, poteſt aſſumere quamlibet creaturam & inſtrumentum ad producendum omne, quod non creatur, ſive ſpirituale ſive corporeum; id namque nullam involvit implicantiam, & ita docet S. Th. infra q. 75. a. 4. Atqui gratia non creatur, ſed educitur de potentia obedientiali animæ, ut docuimus in Tract. de Gratia Diſſert. 6. art. 2. Ergo, 2. A poſteriori. Ignis infernus eſt cor-

corporeus, & tamen elevatur a Deo ad producendum affectum ſpiritualem, ſcilicet verum dolorem in Dæmonibus & animabus ſeparatis: unde Aug. dicit, quod torqueat miris ſed veris modis. Ergo nihil vetat idem dici de Sacramentis reſpectu gratiæ. 3. Patebit Min. ex Sol. Object.

Solvuntur Objectiones.

OBJ. 1. Ab auctoritate SS. Patrum, Cyp. Ambroſ. Hieron. Aug. &c. qui expreſſe docent productionem gratiæ ſoli Deo eſſe tribuendam. Ergo. R. SS. Patres intelligendos eſſe de cauſa principali gratiæ, non inſtrumentali. Sicut enim Adverſarii volunt inde non excludi cauſalitatem moralem gratiæ a Sacramentis, ita nos eodem jure volumus non excludi cauſalitatem inſtrumentalem phyſicam.

Inſt. S. Hieron. ſuper c. 6. Matth. dicit, quod *ſicut Sacerdos antiquæ Legis leproſum mundum vel immundum facit, ſic & hic alligat vel ſolvit Epiſcopus vel Presbyter*. Atqui Sacerdos antiquæ Legis non mundabat phyſice leproſum. Ergo. R. Hoc argumentum eſſe objicientibus ſolvendum: neque enim Sacerdos antiquæ Legis mundabat etiam moraliter leproſum, ſed tantum lepram a non lepra diſtinguebat. Illic itaque Hieron. inculpat dumtaxat Sacerdotes, qui arrogabant ſibi poteſtatem vel damnandi innocentes, vel abſolvendi nocentes, ut patet ex toto contexu.

Inſiſtes. S. Th. hic art. 4. ad 1. dicit, quod *ſicut in ipſa voce ſenſibili, eſt quædam vis ſpiritus ad excitandum intellectionem hominis, in quantum procedit a conceptione mentis; hoc modo vis ſpiritualis eſt Sacramentis, in quantum ordinantur a Deo ad effectum ſpiritualem*. Atqui vis in voce exiſtens ad excitandum hominis intellectum, eſt moralis tantum. Ergo. R. N. Min. Quamvis enim ſignificatio vocum ſit quid morale pendens ab inſtitutione hominum, ſuppoſita tamen inſtitutione vox habet vim phyſicam immittendi ſuas ſpecies in ſenſum auditoris, & per eas conceptionem loquentis in ipſum transfundendi. Ita & ſimiliter inſtitutio Sacramentorum ad ſignificandam & cauſandam gratiam eſt quid morale dependens a voluntate Chriſti; at ſuppoſita hac inſtitutione habent vim phyſicam cauſandi gratiam in anima. Quædam alia quoad S. Th. vide in Tract. de Incarnat. Diſſ. 3. a. 2 §. 2.

Obj. 2. Ex quadruplici conditione requiſita ad cauſam inſtrumentalem phyſicam ſic, Ad rationem cauſæ inſtrumentalis phyſicæ quatuor requiruntur. 1. Debet exiſtere; quod enim non eſt, operari non poteſt. 2. Debet realiter contingere ſubjectum, in quod agit, non enim poteſt agere in diſtans; ſic ſerra non facit ſcamnum, niſi tangendo lignum. 3. Debet habere actionem præviam, qua agat diſpoſitive ad effectum cauſæ principalis; alias non eſſet in genere cauſæ, ſed purum medium delativum virtutis cauſæ principalis. 4. Debet recipere aliquam virtutem a cauſa principali, qua virtute reddatur de impotente potens ad effectum cauſæ principalis. Atqui hæ quatuor conditiones deſunt Sacramentis novæ Legis reſpective ad gratiam, Ergo. Prob. Minor diſtincte per ſingulas partes.

Deeſt Exiſtentia.

PRob. Quando Sacramenta producunt gratiam, non exiſtunt amplius. Ergo. Prob. Ant. Sacramentum non producit gratiam, niſi quando eſt omnibus ſuis numeris abſolutum, perfectum & completum. Atqui non eſt perfectum & completum, niſi poſtquam ultima ſyllaba fuit pronuntiata; hac autem pronuntiata evaneſcit, nec exiſtit amplius Sacramentum. Ergo. Hoc argumentum multum extollunt Adverſarii; eo nos *mire implicari*, atque ad *ambages & anguſtias reduci* decantat Tournely: huic non niſi *verba & voces, futilia & inconceptibilia* e nobis reponi aſſerit Henno. An ita ſit comprobemus. Igitur R. Hanc difficultatem eſſe trivialem, & omnibus entibus ſucceſſivis, qualia ſunt Sacramenta, excepta Euchariſtia, communem, nec ipſis Philoſophiæ Tyronibus incognitam. Enim vero per motum localem acquiritur phyſice ubi permanens, per alterationem producitur phyſica forma ſubſtantialis; & tamen *ubi* non habetur, niſi ceſſaverit motus; & dum forma ſubſtantialis producitur, non eſt amplius alteratio: quamdiu enim eſt motus non eſt terminus, & quando eſt terminus non eſt amplius motus. Ratio eſt, quia entia ſucceſſiva deſinunt per inſtans extrinſecum ſeu per primum ſui non eſſe, in quo verum eſt dicere, jam non ſunt, & immediate ante erant; in inſtanti enim non poteſt eſſe pars fluens, quod tamen eſt de ratione motus ſeu entis ſucceſſivi. Attamen, & hoc bene adverte, iſtud inſtans, quod dicitur ipſis extrinſecum, hoc ſenſu quod non ſit pars fluens, ad ipſa pertinet ut terminus & complementum intrinſecum, ſicut punctum in linea, & ſuperficies in corpore. Et quamvis non exiſtant amplius in ratione entis ſucceſſivi, dum effectus producitur, ratione tamen hujus complementi intrinſeci vere dicuntur illum producere. Hæc, inquam, docentur Diſcipuli in ſcholis; quibus ideo nec *Mire implicamur*; *nec ad ambages & anguſtias reducimur*; quæque non tantum *verba & voces*, *futilia & inconceptibilia*; neque *invertimus notionem cauſalitatis phyſicæ, quam Philoſophia ſuppeditat*, ut iterum exprobat Tournely: ſed e contra tradimus eectam notionem cauſalitatis entium ſucceſſivorum, quam tradunt communiter Philoſophi. Itaque. Ad Arg. D. Ant. Quando Sacramentum producit gratiam, non exiſtit amplius, ſic tamen ut aliquid ſui remaneat, C. Sic ut nihil ſui remaneat, N. Quamvis enim deſierit in ratione motus & entis fluentis, remanet tamen ejus moratum eſſe ſeu terminus, qui eſt ipſi complementum intrinſecum, & in quo vi motus immediate præcedentis producitur gratia; ſicut vi motus localis immediate præcedentis in inſtanti ejus intrinſeco producitur *Ubi*, vi alterationis immediate præcedentis in inſtanti ejus extrinſeco producitur forma ſubſtantialis.

Inſt. Sacramenta ficte ſuſcepta recedente fictione producunt gratiam. Atqui tunc nec exiſtunt, nec in aliquo ſui remanent. Ergo. R. 1. cum pluribus Sacramenta, quæ imprimunt characterem, ficte ſuſcepta, recedente fictione, cauſare phyſice gratiam; quia remanent in charactere, quem Deus elevat, ut, recedente fictione, producant gratiam. Id etiam probabile reputat Joannes a S. Th. de aliis Sacramentis, in quantum relinquunt in voluntate determinationem, qua ſe ſubjicit Sacramento, quæ determinatio ut virtus Sacramenti phyſica operatur recedente fictione; ſicut ex amore finis manet in voluntate determinatio phyſica, qua ſe determinat ad media. Primam partem hujus Reſponſionis *Plane abſurdam* pronuntiat Honoratus Tournely. At debuiſſet Religioſus Cenſor parcere ſaltem Doct. Angelico, cujus eſt iſta Reſponſio in 4. q 4. d. 3. a. 2. Quæſtiunc. 3. his verbis. *Ad 3. Quæſtionem dicendum, quod in Baptiſmo imprimitur character, qui eſt immediata cauſa diſponens ad gratiam & ideo cum fictio non auferat characterem, recedente fictione, quæ effectum characteris impediebat, character, qui eſt præſens in anima, incipit habere effectum ſuum, & ita Baptiſmus, recedente fictione, effectum ſuum conſequitur.*

Inſtat Theologus Sorbonicus. Character non eſt pars, ſed effectus Sacramenti, neque ſpiritualis regeneratio ad characterem, ſed ad Baptiſmum tamquam ad cauſam refertur. R. quidem characterem non eſſe partem, ſed effectum Sacramenti: at juxta S. Th. eſt effectus immediate diſpoſitivus ad gratiam; quæ ergo abſurditas, ut, recedente fictione, quæ effectum characteris impediebat, character, qui eſt præſens in anima, incipiat habere effectum? Cæterum hæc eſt doctrina S. Th. quam nullus, ut puto, excepto Tournely, *Abſurdam & plane abſurdam* dicet. Nihilominus regeneratio ſpiritualis tribuitur Baptiſmo & non characteri, quia non eſt a charactere niſi ratione Baptiſmi.

Repones. Quando Sacramentum ſuſcipitur ſine fictione, gratia non confertur mediante charactere. Ergo nec quando ficte ſuſcipitur. R. Juxta Reſponſionem D. Th. poſſet negari Ant. ſiquidem dicat, quod character ſit immediata cauſa diſponens ad gratiam. Sed dato Ant. N. Conſeq. Quia enim Sacramentum non ſuſcipitur ficte, influit formaliter per ſeipſum in gratiam: unde non opus eſt recurrere ad influentiam virtualem mediante charactere; ſecus, quando ficte ſuſcipitur. R. 2. ad principale argumentum cum aliis. Eſto nullum Sacramentum ficte ſuſceptum conferret phyſice gratiam recedente fictione, ut probabilius eſt de Sacramentis non imprimentibus characterem, nihil inde contra Concluſionem noſtram, quæ intelligenda eſt de Sacramentis, quando concurrunt omnes conditiones requiſitæ ad cauſalitatem phyſicam, quarum prima eſt realis exiſtentia cauſæ. Neque inde inferas cum Tournely *Nullum eo in caſu locum habere quotquot generatim ex Scripturis & Patribus pro phyſica Sacramentorum efficientia congeſſimus*. Quidni enim Scriptura & Patres locuti ſint de Sacramentis ſecundum quod uſu communi recipiuntur & recipi debent ſalviſque rerum naturis & conditionibus requiſitis?

Deeſt contactus phyſicus.

PRob. Sacramenta non tangunt phyſice animam, quæ eſt ſubjectum gratiæ, ut patet in aqua Baptiſmi, & maxime in Sacramentis Pœnitentiæ & Matrimonii præſertim quando celebratur inter abſentes. R. D. Ant. Sacramenta non tangunt phyſice animam contactu ſuppoſiti, C. Contactu virtutis, N. Et hoc ſufficit ad cauſalitatem phyſicam. Modo enim virtus cauſæ perveniat ad ſubjectum, nihil refert, quod cauſa ſit abſens a ſuppoſito. Sic ſol ſuppoſitaliter diſtans a viſceribus terræ, in eis tamen continuo agit contactu virtutis & influxus. Sic magnes attrahit ferrum, ſuppoſitaliter diſtans, contactu virtutis. Et quamvis non ita eſſet in naturalibus, ſic tamen foret in inſtrumentis divinæ virtutis, quorum virtutem ipſa virtus divina ubique præſens ſubjectis immutandis, prout vult, præſentem reddit.

Deeſt

Deeſt actio prævia diſpoſitiva ad effectum cauſæ principalis.

PRob. Sacramentum eſt quid materiale & corporeum, cujus actio propria eſt corporea. Atqui agens materiale & corporeum non poteſt actione propria operari diſpoſitive ad productionem gratiæ in anima. Ergo. R. D. Min. Agens materiale non poteſt actione propria operari diſpoſitive ad productionem gratiæ, ex parte rei operatæ, C. Ex parte modi operandi, N. Explicatur. Non eſt de ratione inſtrumenti phyſici, quod actione propria agat in ſubjectum diſpoſitive ad effectum cauſæ principalis ex parte rei operatæ; hoc eſt, non eſt neceſſe, quod in ſubjecto producat aliquem priorem effectum; qui diſponat ad effectum cauſæ principalis; id enim proprium eſt dumtaxat inſtrumentis cauſarum creatarum, quæ eis utuntur ex indigentia; ſic artifex utens ſecuri ad faciendam cathedram indiget, ut propria actione ſcindat; ſed ſufficit, quod agat diſpoſitive ex parte modi operandi, hoc eſt quod habeat propriam actionem modificativam virtutis principalis in ſe receptæ, qua actione conſtituitur in genere cauſæ, & non eſt purum vehiculum ſeu purum medium delativum virtutis cauſæ principalis. Hanc autem actionem propriam habent Sacramenta; ſic aqua corpus abluit, & mediante hac ablutione, per virtutem ſibi communicatam, animam abluit.

Inſt. S. Th. 1. p. q. 45. a. 5. ex hoc principio: quod inſtrumentum debeat propria actione operari diſpoſitive ad effectum cauſæ principalis, probat nullam creaturam poſſe eſſe inſtrumentum creationis; quia creatio eſt productio totius entis de nihilo. Ergo intelligit de actione diſpoſitiva ex parte rei operatæ. Unde pro exemplo adfert ſecurim, quæ proprie actione agit diſpoſitive ex parte rei operatæ ad effectum artificis. R. N. Conſeq. Quia hoc ipſo quod inſtrumentum debet habere actionem præviam, ſive producat aliquid diſponens ad effectum cauſæ principalis, ſive non, bene probatur, quod non poſſit eſſe inſtrumentum creationis; quia cum illa actio creata ſit accidens, neceſſario petit eſſe in aliquo ſubjecto, & eſſe illius immutativa, non totius productiva, ut eſt creatio. Adfert autem S. Th. exemplum ſecuris, ut ex eo quod manifeſtius eſt, manuducat ad concludendum univerſaliter, quod omnia inſtrumenta debeant operari diſpoſitive ad effectum cauſæ principalis ſive ex parte rei operatæ, ut inſtrumenta naturalia, ſive ex parte modi operandi ut inſtrumenta ſupernaturalia. Nam S. Doct. 2. 2. q. 78. a. 1. ad 1. expreſſe docet Deum poſſe elevare actum interiorem hominis ad patranda phyſice miracula; cum tamen certum ſit actum interiorem hominis non operari diſpoſitive ex parte rei operatæ ad patranda miracula.

Subſumes. Atqui gratia creatur. Ergo non poteſt dari inſtrumentum phyſicum ad illam. R. N. Subſumptum: gratia enim non creatur, ſed educitur de potentia obedientiali animæ, ut probavimus in Tract. de Grat. Diſſert. 6. art. 2. Quia producitur ut accidens inhærens, ut conſtat ex Trid. Seſſ. 6. Can. 11. Quod autem producitur ut inhærens, non creatur, ſiquidem fiat dependenter a ſubjecto & cum illius immutatione. Vide loco cit.

Deeſt virtus participata a cauſa principali.

PRob. Illa virtus vel eſſet ſpiritualis, vel corporea. Non ſpiritualis quia non poſſet recipi in ſubjecto corporeo, quale eſt Sacramentum; quidquid enim recipitur, ad modum recipientis recipitur. Non corporea, quia non poſſet elevare Sacramentum ad effectum ſpiritualem. Ergo nulla. Ante Reſponſionem obſervandum varia eſſe Auctorum placita circa naturam hujus virtutis ſacramentalis. Suares cum quibuſdam aliis confugit ad potentiam obedientialem omnibus rebus creatis congenitam, immediate activam omnium effectuum ſupernaturalium mediante ſolo concurſu generali Dei ſimultaneo. At jam probavimus in Tract. de Viſione beatifica hanc potentiam obedientialem activam eſſe chymericam; tum quia foret ſimul naturalis & ſupernaturalis, quod implicat; foret naturalis, quia, ut dicunt, eſt omnibus congenita; foret ſupernaturalis, quia quælibet potentia ſpecificatur ab actu, ad quem datur, & eſt ejuſdem ordinis cum illo: tum quia per hujuſmodi potentiam invertitur omnino ordo gratiæ, & plura ſequuntur inconvenientia. Hac enim poſita fruſtra ponuntur in homine virtutes ſupernaturales infuſæ, fruſtra character ſacramentalis, fruſtra lumen gloriæ ad viſionem beatificam, fruſtra gratia ſufficiens, quæ det poſſe ad actum primum. Suppoſita enim in homine potentia obedientiali immediate operativa cujuslibet effectus ſupernaturalis, mediante ſolo concurſu generali ſimultaneo, quæ ſit cuilibet congenita, homo connaturalius per illam eliciet actus ſupernaturales, quam per habitus ſupernaturales ſeu qualitates infuſas ſuperadditas. Imo ſequeretur omnes res creatas eſſe Sacramenta, quia eſſent omnes aptæ & conſtitutæ in actu primo ad producendum gratiam mediante ſolo concurſu ſimultaneo ſupernaturali. Vide latiſſime contra hanc potentiam obedientialem activam Joan. a S. Th. hic Diſ. 24. a. 8. dub. 8.

Alii dicunt Sacramentum conſtitui inſtrumentum phyſicum gratiæ, non per virtutem aliquam intrinſece receptam, ſed per ſolam ſubordinationem extrinſecam ad Deum, & per ſpecialem ejus aſſiſtentiam. Sed hanc opinionem rejicit S. Th. hic a. 4. o. & in ſol. a. 1. & merito. Vel enim per illam ſubordinationem extrinſecam & ſpecialem aſſiſtentiam Sacramentum recipit aliquid intrinſecum quo intrinſece mutetur, vel nihil; ſi nihil, ergo remanet, ut ante intrinſece impotens ad effectum ſpiritualem producendum; ſi aliquid, reſtat explicandum quid ſit.

Alii volunt hanc virtutem eſſe qualitatem Sacramentis communicatam, non quidem completam & permanentem, quia qualitas completa & permanens conſtitueret cauſam principalem, ſed incompletam & fluentem: quia non ſolum movet Sacramentum in actu ſecundo, ſub qua ratione eſt motio, ſed ei confert virtutem agendi, & ipſum conſtituit in actu primo activum: virtus autem conſtituens ſubjectum activum ſeu illi conferens vim agendi eſt in prædicamento qualitatis ſcilicet potentia vel habitus, ſi ſit completa; vel ad illud reductive pertinet, ſi ſit incompleta. Huic opinioni favet S. Th. in 4. d. 1. q. 1. a. 4. quæſtiunc. 2. o. & ad 1. his verbis: *Unde & virtus hæc, quæ eſt in Sacramentis, reducitur ad id genus, in quo eſt virtus completa principalis agentis, quæ eſt qualitas; vel in quo eſſet, ſi in genere eſſet, quia virtus increata non eſt in aliquo genere.* Idem docet d. 8. q. 2. a. 3. o. ita Palud. Capreol. Ferrarienſ. & alii, quos citat & ſequitur Gonet.

Alii tandem volunt illam virtutem non eſſe qualitatem, ſed motionem Dei tranſeuntem elevantem Sacramentum ad rationem inſtrumenti phyſici gratiæ; nec ſolum dantem illi actum ſecundum ſeu applicantem tantum virtutem ad actum, ſed etiam conferentem ipſi virtutem activam ſeu in actu primo reſpectu effectus principalis agentis: quia de ratione inſtrumenti eſt, quod agat in virtute principalis cauſæ totam agendi vim illi conferentis, & in hoc diſtinguitur a præmotione phyſica. Ratio illorum eſt, quod in aliis inſtrumentis naturalibus, puta ſerra, ſecuri, calamo, &c. non videtur, quod artifex qualitatem aliquam completam vel incompletam ponat in inſtrumento, ſed ſolum motionem artificioſam, quæ in inſtrumento totam vim in actu primo & ſecundo conferat ad effectum cauſæ principalis. Licet enim v. g. ſerra per ſuum acumen habeat in actu primo virtutem ſcindendi, non tamen artificioſe ſcindendi, ſed hanc habet per motionem artificis. Ergo idem dicendum videtur de inſtrumentis divinæ potentiæ ad effectus ſupernaturales, cum gratia naturam non deſtruat, ſed in quantum poſſibile eſt, ei ſe accommodet. Ita Cajet. Soto, Zamel, Cabrera, quos citat & ſequitur Joan. a S. Th.

Nec obſtat, quod character ſacramentalis videatur qualitas inſtrumentalis permanens: eſt enim dumtaxat hoc ſenſu qualitas inſtrumentalis, quod conferat inſtrumento formam inſtrumenti, id eſt reddit miniſtrum aptum, ut poſſit moveri a Deo ad actus ſupernaturales; ſicut v. g. acumen eſt forma permanens conferens ſecuri formam inſtrumenti. Non eſt tamen qualitas inſtrumentalis conſtituens miniſtrum in ratione principii activi ſive in actu primo ſive in actu ſecundo reſpectu effectus ſupernaturalis; ſicut, licet acumen ſecuris eam conſtituat principium activum ſciſſionis, non tamen ſciſſionis artificioſæ.

Huic ſententiæ etiam favet S. Th. qui continuo explicat virtutem inſtrumentalem Sacramenti per motum, quo movetur a Deo. Sic hic Art. 1. o. *Cauſa vero inſtrumentalis*, inquit, *non agit per virtutem ſuæ formæ, ſed ſolum per motum, quo movetur a principali agente.* Similiter Art. 4. & in 4. d. 1. qu. 1. art. 4. q. 27. de verit. art. 4. & alibi. Ad id autem quod præcedens ſententia objicit ex S. Th. admittit hæc poſterior ſententia hanc motionem reductive pertinere ad qualitatem; tum quia reducitur ad genus ſui principii, quod eſt virtus completa in principali agente, ut dicit S. Doct. cit. in objectione: tum quia etiam reducitur ad genus termini ad quem datur, qui eſt gratia, ut dicit ibid. ad 1. & 3. utroque enim modo reductive pertinet ad prædicamentum qualitatis; licet tamen ſi motus conſideretur ſecundum quod importat ordinationem moventis ad motum, ponatur in prædicamento paſſionis. Sunt iterum verba S. Doct. ibid. ad 1.

Hæ duæ poſteriores ſententiæ ſunt probabiles, nec multum diſcrepant. Ambæ enim conveniunt hanc virtutem reductive pertinere ad qualitatem: & in hoc tantum videntur differre, quod juxta 1. ſententiam reducatur ad genus qualitatis, quia eſt in ſe qualitas incompleta: juxta 2. vero, quia eſt motus a qualitate ut a principio, & ad qualitatem ut ad terminum. Quapropter quam voluerit, Lector eligat, non magni refert. Itaque

Ad arg. R. hanc virtutem eſſe ſpiritualem, ſaltem eo modo quo ens incompletum, viale, & tranſiens poteſt eſſe ſpirituale; quin ut dicit Auctor q. 27. de verit. jam cit. a. 2. ad 5. *Virtus illa neque poteſt dici corporea, neque incorporea, proprie loquendo: corporeum enim & incorporeum ſunt differentiæ entis completi; ſed proprie dicitur virtus ad incorporeum, ſicut motus dicitur magis ad ens, quam ens.* Et ad prob. in contrarium, D. Ant. (*Hic a. 4. ad 1.*) Virtus ſpiritualis completa & permanens non poteſt eſſe in ſubjecto corporeo, C. Ant. Virtus ſpiritualis vialis & incompleta, N. Ant. Ratio diſparitatis eſt, quod cum accidens completum & permanens ſit tantum propter ſubjectum, cui inhæret, & non propter aliud, ad quod continuo tendat, debet ipſi ſubjecto proportionari: e contra virtus vialis & incompleta, licet ea parte, qua eſt accidens, dependeat a ſubjecto; quia tamen eſt quid viale tendens in aliud, debet illi proportionari potius quam ſubjecto, via enim qua via utrique termino a quo & ad quem commenſuratur. Unde ad axioma: *Quidquid recipitur*, &c. verum eſt, quando receptum habet eſſe permanens & completum, ſecus ſi habeat tantum eſſe incompletum & viale, tendens ac elevans ſubjectum ad aliquid nobilius & ſupernaturale; tunc enim non debet eſſe ſecundum modum, ſed *ſupra* modum ſubjecti. Adde pro altera ſolutione hanc virtutem ſacramentalem non recipi in ſubjecto corporeo, quatenus eſt corporeum formaliter, ſed quatenus eſt ens & ſubſtantia, ut dicam modo.

Inſt. 1. Accidens ſpirituale, ſive ſit tranſiens ſive permanens, non poteſt exiſtere exiſtentia corporea, exiſtentia enim proportionatur ſubjecto quod actuat. Atqui ſi virtus ſacramentalis reciperetur in ſubjecto corporeo exiſteret exiſtentia corporea. Ergo. Prob Min. Accidens habet exiſtentiam a ſubjecto, in quo recipitur: definitur enim *ens in alio exiſtens*, ſeu *cujus eſſe eſt in ſubjecto*. Ergo. R. 1. diſtinctione mox inſinuata, D. Min. Si virtus ſacramentalis reciperetur in ſubjecto corporeo, quatenus eſt corporeum, formaliter exiſteret exiſtentia corporea, Tranſeat Min. Si reciperetur in ſubjecto corporeo, quatenus eſt ens & ſubſtantia, N. Min. Sic autem virtus ſacramentalis recipitur in Sacramento, quia in eo recipitur ratione potentiæ obedientialis paſſive, quæ competit omnibus creatis ſua ratione generali entis creat & ſubſtantiæ creatæ. Dixi, Tranſeat Minor, Unde R. 2. N. Min. Ad probat. N. Ant. & explico definitionem datam accidentis. Quando ergo accidens definitur *ens in alio exiſtens*, ſeu *cujus eſſe eſt eſſe in ſubjecto*, non eſt ſenſus, quod accidens habeat propriam exiſtentiam a ſubjecto tamquam a principio formali, habet enim a propria forma, unde ſine ſubjecto poteſt divinitus exiſtere, ut in Euchariſtia; ſed ſenſus eſt, quod cum ſit debilior exiſtentia, indigeat ad exercitium exiſtendi ſubjecto firmante & ſuſtentante illam. At vero ſi illud officium Deus in Euchariſtia poteſt accidenti præſtare ſine ſubjecto, quare non poſſet per ſubjectum corporeum? Maxime cum, ut dictum eſt, in eo non recipiatur, ut eſt, formaliter corporeum, ſed ut eſt ens & ſubſtantia.

Inſt. 2. Accidens corporeum etiamſi viale non poteſt ſubjectari in ſubjecto ſpirituali. Ergo a pari nec ſpirituale in corporeo. R. N. Conſeq. diſparitas eſt 1. quod accidens corporeum, cum ſit extenſum, exigat ſubjectum extenſum; & quamvis divinitus poſſit ſeparari a quantitate actuali, non tamen a radicali, quam proinde debet ſupponere in ſubjecto: at accidens ſpirituale non exigit ſubjectum ſpirituale & inextenſum, ut ipſum eſt, poteſt enim eſſe totum in toto, & totum in qualibet parte, ut videre eſt in anima rationali, quæ corpus informat. 2. Diſparitas eſt, quod accidens ſit perfectio ſubjecti, in quo recipitur, corpus autem natum eſt perfici a ſpiritu & ei obedire, non ſpiritus a corpore: natura enim inferior per elevationem ad ſuperiorem nobilitatur & perficitur; ſed natura ſuperior dejecta ad inferiorem deprimitur & deſtruitur.

Conſectarium.

Ex dictis colliges, quo loco ſit habenda opinio, quam noviſſimus Scriptor Laurentius Berty tribuit Ægidio Romano, & cui ipſe ſubſcribit: nimirum Sacramenta eſſe cauſam inſtrumentalem phyſicam gratiæ, non directam, quæ per motionem principalis agentis attingat effectum, ut dolabra ſcamnum; ſed indirectam, quæ propria actione producit aliquid phyſica, cui virtute ſupernaturali effectus ſupernaturalis, ſcilicet gratia, conjungitur: eo modo quod inſtrumenta agricolæ non habent vim vegetativam, nec illam tribuunt ſemini, ſed hæc efficiunt circa terram, quibus jungitur vegetatio ſatorum.

Verum conſideranti patet hunc modum non recedere a cauſalitate morali, nec puto ullum eſſe Scotiſtam, qui illi ſubſcribere renuat. Quod enim inſtrumenta agricolæ ſint cauſa indirecta phyſica vegetationis ſatorum, ideo eſt, quia id, quod phyſica efficiunt, ex natura ſua diſponit phyſice terram ad vegetationem. At id, quod phyſice efficiunt Sacramenta, v. g. ablutio corporis, nullatenus ex natura ſua phyſice diſponit ad ablutionem animæ, ſed tantum moraliter, quatenus Deus ordinavit, ut ad poſitionem hujus Sacramenti, ſeu effectus ejus phyſici, infunderet gratiam, ſicque non aliter cauſat, quam ut ſignum divinæ ordinationis, quod eſt mera cauſalitas moralis. Unde perperam laudatus Theologus arbitratur huic ſententiæ eſſe adhærendum, *quod videntur ſatis perſpicua, & poſſit Thomiſtarum & Scotiſtarum argumentationibus confirmari, & ab harum neutris aliquid patiatur incommodi*: cum enim non recedat a ſententia Scotiſtarum, eadem patitur incommoda, & eiſdem argumentationibus impugnatur.

ARTICULUS III.

Quam gratiam cauſent Sacramenta novæ Legis, an primam vel ſecundam?

PRIMA gratia dicitur, quæ nullam aliam ſupponit in ſubjecto, cui infunditur, ut dum primum juſtificatur peccator. Secunda, quæ ſupponit aliam præexiſtentem & illam auget, ita ut non ſit diverſa gratia, ſed diverſi gradus ejuſdem gratiæ.

Inter Sacramenta novæ Legis quædam dicuntur *mortuorum*, quia ſunt per ſe primo inſtituta pro iis, qui privati gratia ſunt ſpiritualiter mortui per peccatum: & hæc ſunt Baptiſmus & Pœnitentia. Alia dicuntur *vivorum*, quia per ſe primo ſunt inſtituta pro iis, qui jam ſpiritualiter per gratiam vivunt. Et hæc ſunt alia quinque Sacramenta.

Dico 1. Sacramenta mortuorum per ſe cauſant primam gratiam: Sacramenta vivorum per ſe cauſant ſecundam. Prob. Sacramenta per ſe cauſant id, ad quod per ſe primario ſunt inſtituta a Chriſto, omne enim, quod competit Sacramentis, eſt ex libera Chriſti inſtitutione. Atqui Sacramenta mortuorum per ſe primario ſunt inſtituta ad cauſandam primam gratiam, Sacramenta vivorum ad cauſandam ſecundam. Ergo. Prob. Min. Illa Sacramenta ſunt inſtituta per ſe primario ad cauſandam primam gratiam, quæ per ſe primario ſunt inſtituta ad delendum peccatum mortale, ſive originale, ſive actuale; quæ autem ſupponunt peccatum deletum, non ſunt inſtituta per ſe primario ad cauſandam primam gratiam, ſed ſecundam; peccatum enim mortale deletur per primam gratiam. Atqui Sacramenta mortuorum, ſcilicet Baptiſmus & Pœnitentia, ſunt per ſe primario inſtituta ad delendum peccatum ſive originale ſive actuale; cætera vero Sacramenta ſupponunt peccatum deletum, & ad alios effectus ordinantur, puta ad conſervationem vel augmentum gratiæ. Ergo.

Conf. Ideo Baptiſmus & Pœnitentia dicuntur Sacramenta mortuorum, quia ſupponunt ſubjectum mortuum per peccatum & privatum vita ſpirituali gratiæ; cætera dicuntur vivorum, quia ſupponunt ſubjectum vivere vita ſpirituali gratiæ. Ergo gratia, quam illa producunt, eſt prima, & quam iſta cauſant, eſt ſecunda. Conf. 1. pars. Si Baptiſmus & Pœnitentia ſupponerent in ſubjecto gratiam ex vera contritione obtentam, non eſſet homini facilior via ad juſtificationem cum Sacramentis, quam ſine Sacramentis: quod dici nequit. Sed de hoc argumento & objectionibus uberius alibi.

Dices contra 1. partem. Greg. Magnus Hom. 26. dicit: *Non debemus nos per paſtoralem auctoritatem ſolvere, niſi quos Auctorem noſtrum per ſuſcitantem gratiam cognoſcimus vivificare.* Ergo. R. ſenſum S. Gregorii eſſe, quod Sacerdotes non debeant Sacramentaliter abſolvere niſi eos, qui per gratiam actualem excitantem ſunt rite diſpoſiti, ideoque incipiunt vivificari, diſpoſitive ſcilicet.

Dico. Aliquando & per accidens Sacramenta mortuorum cauſant ſecundam gratiam, & Sacramenta vivorum primam. Prima pars communiter admittitur, & patet in eo, qui perfecte contritus accedit ad Sacramentum Baptiſmi vel Pœnitentiæ: in illo enim hæc Sacramenta non cauſant primam gratiam, cum illam jam ſupponant ex contritione perfecta. Ergo ſecundam: non enim manent ſine effectu. Secunda pars, quæ patitur difficultatem, 1. videtur inſinuata Jacobi 5. ubi de Extrema Unctione dicitur: *Si in peccatis ſit, remittentur ei.* 2. Eccleſia in Collecta Petit, ut Euchariſtia *ſit abſolutio ſcelerum*. 3. Eam expreſſa docet S. Th. in pluribus locis. De Extrema-Unctione in 4. d. 23. q. 1. a. 2. Quæſtiunc. 1. ad 1. de Euchariſtia infra q. 79. a. 3. de Confirmatione q. 72. a. 7. ad 3. his verbis: *Si aliquis adultus in peccato exiſtens, cujus conſcientiam non habet, vel ſi etiam non perfecte contritus accedat, dummodo non fictus accedat, per gratiam collatam in hoc Sacramento* (Confirmationis) *conſequitur remiſſionem peccatorum.*

Prob. ratione 1. Juxta Trid. ſeſſ. 7. Can. 7. Sacramenta gratiam conferunt non ponentibus obicem. Atqui qui ſolum attritus poſt Confeſſionem, in qua bona fide putat ſe abſolutum, cum tamen non ſit ex malitia Sacerdotis, accedit ad Sacramentum Altaris, non videtur ponere obicem. Ergo recipit gratiam, non ſecundam, cum ſit tantum attri-

titus, ergo primam. Sic tamen ut non ſit duplex gradus gratiæ, ſed ûnus cum duplici formalitate, nimirum nutrientis, quæ eſt per ſe, & vivificantis, quæ eſt per accideos. Prob. 2. Sacramenta mortuorum per accidens poſſunt cauſare ſecundam gratiam, ut communiter admittitur. Ergo ſimiliter Sacramenta vivorum poſſunt per accidens cauſare primam. Itaque veriſimile eſt, quod quamvis Chriſtus inſtituerit Sacramenta vivorum primario, ut conferrent ſecundam gratiam, & voluerit, quod per ſe & ex intentione non aſſumerentur ad obtinendam primam gratiam; ſecundario tamen inſtituerit, ut conferrent primam gratiam in caſu, quo non eſſet diſpoſitio ſufficiens ad ſuum proprium & primarium effectum, ſcilicet ſecundam gratiam, bene tamen eſſet diſpoſitio ſufficiens ad primam gratiam, ut in caſo probationis & aliis ſimilibus: ſicque quod ſolum requiſierit pro Sacramentis vivorum recipiendis ſtatum gratiæ prudenter exiſtimatum, idque & divinæ bonitati & hominum conditioni, pro quibus inſtituta ſunt Sacramenta, valde conſonum videtur.

Solvuntur Objectiones contra ſecundam partem ſecundæ Concluſionis.

Obj. 1. Effectus Sacramentorum novæ Legis, qui pendent ex ſola inſtitutione Chriſti, nobis tantum innoteſcere poſſunt, vel ex Scripturis, vel ex Conciliis & traditione Eccleſiæ, vel denique ex ratione evidenti petita ex ſingulari conditione & propria natura ejus Sacramenti, de quo agitur. Atqui ex nullo illorum capitum probari poteſt peccata mortalia per accidens remitti in ipſa reali Euchariſtiæ ſumptione. Ergo. Ita Honoratus Tournely q. 7. de effectibus Euchariſtiæ, Concl. 2. Qui tamen q. 4. de effectibus Sacramentorum in genere Art. 1. *§. An per ſingula*, &c. ſtatuit hanc Concl. *Sacramenta vivorum poſſunt per accidens primam conferre gratiam, & Sacramenta mortuorum ſecundam*. Et in probatione; *Si quis eo quo par eſt pietatis ac religionis affectu ad ſacram menſam accederet, cum aliquo tamen mortali peccato, cujus poſt diligens examen ſe reum eſſe ignorat, Euchariſtica Communio per accidens primam in eo produceret ſanctificantem gratiam*. Quomodo hæc conciliari poſſunt, viderint quorum intereſt. Interim R. 1. Ad Min. Concluſionem noſtram aliquod fundamentum habere in Scriptura & in praxi Eccleſiæ, aperteque tradi a S. Th. ut patet ex 1. probatione. 2. Data Minori, D. Maj. Effectus Sacramentorum nobis tantum innoteſcere poſſunt certo & infallibiter vel ex Scripturis vel ex Conciliis, &c. C. Maj. Probabiliter, N. Maj. Hoc ipſo enim quod neque Scriptura, neque traditio, neque Eccleſia huic ſententiæ, etſi nihil circa illam aſſeruerint, & a D. Th. & gravibus Theologis ſatis communiter defenditur, eſtque inſtitutioni & fini Sacramentorum conſona, poteſt abſque ullo vitio ſuſtineri ut probabilis.

Obj. 2. Sacramenta id ſolum cauſant quod ſignificant. Atqui Sacramenta vivorum ſignificant tantum ſecundam gratiam & non primam. Ergo. R. 1. D. Maj. Sacramenta id ſolum cauſant per ſe, quod ſignificant, C. per accidens, N. Nihil enim obſtat, quin cauſalitas per accidens extendatur ultra ſignificationem, ut patet in Sacramentis mortuorum. 2. D. Min. Sacramenta vivorum ſignificant tantum ſecundam gratiam ex primaria & directa inſtitutione, C. ex ſecundaria & indirecta inſtitutione, N. Chriſtus igitur inſtituit Sacramenta vivorum primario ut conferrent ſecundam gratiam, ſic tamen ut ſi illam per accidens non invenirent in ſubjecto aliunde ad eam diſpoſito & non ponente obicem, illam per accidens cauſarent.

Inſt. 1. Contra utramque ſolutionem. Sacramenta vivorum ſupponunt eſſentialiter vitam ſpiritualem per primam gratiam; ſunt enim inſtituta ad illam firmandam, roborandam, conſervandam & nutriendam, ſicque illam ſupponunt. Ergo nullo modo illam ſignificare aut cauſare etiam per accidens poſſunt. R. D. Ant. ut ante: Sacramenta vivorum attenta primaria & directa inſtitutione ſupponunt eſſentialiter, &c. C. attenta ſecundaria & indirecta inſtitutione, N. ſolutio patet ex dictis.

Inſt. 2. Euchariſtia eſt inſtituta per modum cibi & potus ſpiritualis. Atqui cibus & potus non poſſunt etiam per accidens ſuſcitare mortuos. Ergo. Unde Concl. Florent in Decreto unionis dicit *omnem effectum, quem materialis cibus & potus quoad vitam agunt corporalem, hoc idem quoad ſpiritualem hoc Sacramentum operatur*. Et Catechiſmus Rom. parte 2. de Euchar. n. 51. *Conſtat*, inquit, *quemadmodum mortuis corporibus naturale alimentum nihil prodeſt, ita etiam animæ, quæ ſpiritu non vivit, ſacra Myſteria non prodeſſe*. R. D. Min. Cibus & potus materialis non poſſunt etiam per accidens ſuſcitare mortuos, C. Min. Cibus & potus ſpiritualis, N. Diſparitas eſt 1. Quod cibus & potus materialis non ſunt in ſe vitales, & convertuntur in ſubſtantiam aliti, ideoque illud vivens ſupponunt. At cibus ſpiritualis, qui fontem ipſum vitæ continet, non convertitur in ſubſtantiam aliti, ſed convertit alitum in ſe, ipſumque vivificare poteſt. 2. Diſparitas eſt, quod in mortuo ſpiritualiter remaneant ſemina & initia vitæ ſpiritualis, nempe fides, ſpes & attritio, ſicque accedentem ad ſacram menſam cibus vitalis poterit vivificare: at in mortuo corporaliter nulla remanent ſemina ſeu initia vitæ animalis. Ad Conc. Florent. Ex hoc quod cibus ſpiritualis habeat omnem effectum cibi materialis, non ſequitur, quod non habeat alium. Ad Catechiſmum Rom. loquitur de effectus Euchariſtiæ, qui eſt per ſe & ex primaria inſtitutione.

Obj. 3. Obex ad effectum Sacramenti vivorum eſt peccatum mortale. Atqui non tollitur per attritionem exiſtimatam contritionem. Ergo. R. 1. D. Maj. Obex ad effectum Sacramenti vivorum eſt peccatum mortale, ſpectata primaria & directa ejus inſtitutione, C. ſpectata ſecundaria & indirecta ejus inſtitutione. Subd. Eſt peccatum mortale cognitum & non retractatum per ſinceram attritionem, C. ignotum vel retractatum per veram attritionem, N. 2. D. Min. Peccatum mortale non tollitur per attritionem exiſtimatam contritionem, ſolam, C. per attritionem cum Sacramento, N. Sacramentum enim vivorum prius prioritate naturæ ad effectum proprium tollit peccatum, ſicut in generatione prius natura tollitur forma corrumpenda, quam nova introducatur; ſequens enim non eſſet, niſi prior receſſiſſet. Unde Sacramentum ſupponit obicem ablatum ad ſuum proprium effectum.

Inſt. 1. Attritio ſolum exiſtimata ſeu putativa non ſufficit ad effectum Sacramenti mortuorum, puta Pœnitentiæ. Ergo nec contritio ſolum exiſtimata ſeu putativa ſufficit ad effectum Sacramenti vivorum, puta Euchariſtiæ. R. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod defectus attritionis ſit obex in omni peccatore ad juſtificationem, quia vera pœnitentia, quæ non habetur ſine attritione, fuit omni tempore neceſſaria ad juſtificationem. At poſita attritione exiſtimata contritione, & per eam habita vera pœnitentia, defectus actus contritionis eſt quidem obex effectui Sacramenti vivorum ſecundum primariam ejus inſtitutionem & per ſe, ſed non ſecundum ſecundariam ejus inſtitutionem & per accidens.

Inſt. 2. Chriſtus non requiſivit diſpoſitiones tantum putativas ad receptionem Sacramentorum, ſed veras & reales. Ergo. R. D. Ant. Chriſtus non requiſivit diſpoſitiones tantum putativas, &c. ut quis accedat dignus poſitive, C. ut quis accedat dignus negative, hoc eſt non indignus, ſeu ſine indignitate & obice. N.

Obj. 4 Effectus alicui cauſæ proprius non poteſt ab alia cauſa produci. Atqui prima gratia eſt effectus proprius Sacramenti mortuorum. Ergo. R. D. Maj. Effectus alicui cauſæ proprius non poteſt ab alia cauſa produci in cauſis naturalibus, Tranſeat: in cauſis ex libera inſtitutione, N. Sicut enim Chriſtus inſtituit Sacramenta mortuorum primario ut cauſarent per ſe primam gratiam tamquam effectum proprium, & ſecundum quod communiter admittitur, ſecundario ut cauſarent per accidens ſecundam gratiam, qui eſt effectus proprius Sacramentis vivorum; Ita inſtituit Sacramenta vivorum primario ut cauſarent per ſe ſecundam gratiam tamquam proprium effectum, & ſecundario ut cauſarent per accidens primam, qui eſt effectus proprius Sacramentis mortuorum. Igitur prima gratia non eſt omnimode effectus proprius Sacramenti mortuorum, nec ſecunda Sacramentis vivorum, ſed tantum ex ſuppoſitione, quod Sacramenta mortuorum non reperiant primam gratiam in ſubjecto, & quod Sacramenta vivorum illam reperiant.

ARTICULUS IV.

Utrum Sacramenta æqualem cauſent Gratiam: & quæ diſpoſitio requiratur ex parte ſuſcipientis ad ejus conſecutionem?

§. I. *Prima difficultas reſolvitur.*

Dico 1. Abſtrahendo a diſpoſitione ſubjecti. Sacramenta ſpecie diſtincta ex ſe inæqualem conferunt gratiam: ſolo numero diſtincta, æqualem. Prob. 1. pars. Juxta Conc. Trid. Seſſ. 7. Can. 3. Sacramenta novæ Legis non ſunt inter ſe paria, ſed *unum altero eſt dignius*: & hoc manifeſtum eſt in Euchariſtia, quæ realiter in ſe continet fontem omnis gratiæ. De ceteris vide Auct. infra Q. 64. a. 3. Atqui cauſa nobilior & dignior ex ſe nobiliorem producit effectum. Ergo. Prob. 2. pars. Sacramenta operantur ad inſtar cauſarum naturalium. Atqui duæ cauſæ naturales ſolo numero diſtinctæ, v. g. duo ignes ex ſe æqualem omnino calorem producunt. Ergo & duo Sacramenta ſolo numero diſtincta, v. g. duo Baptiſmata ex ſe abſtrahendo a diſpoſitione ſubjecti æqualem gratiam producunt.

Dico 2. (*Hic q. 69. art. 8. o.*) Attenta diſpoſitione recipientium, idem ſpecie Sacramentum æqualem gratiam æqualiter diſpoſitis confert ex opere operato, inæqualem

inæ-

inæqualiter diſpoſitis. Eſt expreſſe D. Th. loco cit. in marg. ubi ait de Baptiſmo: *Quidam cum majori, quidam cum minori devotione ad Baptiſmum accedunt, & ideo quidam plus, quidam minus de gratia novitatis accipiunt: ſicut etiam ab eodem igne accipit plus caloris, qui plus ei appropinquat, licet ignis quantum eſt de ſe æqualiter ad omnes ſuum calorem diffundat.* Ex quo formatur argumentum ut ſupra. Sacramenta operantur ut cauſæ naturales. Atqui cauſæ naturales operantur proportionate ad diſpoſitionem ſubjecti; ſic, ut ſiſtamus in exemplo D. Th. idem ignis plus calefacit proximum, minus remotum, majorem calorem producit in ligno ſicco, minorem in viridi; æqualem in æqualiter ſicco & proximo. Ergo. Eſt etiam Trid. ſeſſ. 6. Can. 7. ubi poſtquam dixit baptizatis conferri gratiam juxta menſuram, quam partitur Spiritus S. addit: *Et ſecundum propriam cujuſque diſpoſitionem & cooperationem.*

Dices. Si plus gratiæ recipit magis diſpoſitus, illud plus provenit ex ipſius diſpoſitione. Ergo non ex Sacramento. R. D. Ant. Illud plus provenit ex ipſius diſpoſitione tamquam ex conditione ſine qua non, C. Tamquam ex cauſa efficiente, Subd. Si ſermo ſit de gratia non ſacramentali cauſata ex opere operantis, Tranſeat. Si ſermo ſit de gratia ſacramentali cauſata ex opere operato, N. Quando itaque in ſuſcipiente eſt diſpoſitio de ſe ſufficiens ad augmentum gratiæ, duplex recipit augmentum, unum correſpondens diſpoſitioni tamquam merito, alterum correſpondens Sacramento. At ſi diſpoſitio non ſit ex ſe ſufficiens ad augmentum, unum tantum recipit ex Sacramento, cui diſpoſitio concurrit ut conditio ſine qua non. Confer Tract. de Grat. Diſſ. 6. a. 3.

§. II. *Secunda Difficultas reſolvitur.*

Dico 1. In Sacramentis mortuorum ad percipiendum primarium eorum effectum, ſcilicet primam gratiam, requiritur & ſufficit in adultis diſpoſitio, quæ ſit ſaltem attritio ſupernaturalis actualis vel virtualis. Prima pars, quod requiratur in adultis diſpoſitio actualis vel virtualis & deteſtatio peccati, quæ ſit ſaltem attritio, patet 1. ex Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 5. & Can. 9 ubi definitur impium non juſtificari, niſi diſponatur per motum liberi arbitrii. Idem docet S. Th. 1. 2. q. 110. a. 2. hac ratione, quod formæ fixæ & permanens ſecundum communem providentiæ curſum non introducuntur niſi in materia diſpoſita. Adde, quod homo per peccatum fuit averſus a Deo per actualem converſionem ad creaturam. Ergo non poteſt dici converſus, nec juſtus, niſi per deteſtationem peccati & motum contrarium voluntatis avertatur a creatura & convertatur ad Deum. Vide: Tract. de Grat. Diſſ. 6. art. 3. Secunda pars, quod ſufficiat attritio, eſt expreſſe D. Th. in 4. d. 6. q. 1. a. 3. ad 5. ubi ait: *Ad hoc, quod homo præparet ſe ad gratiam in Baptiſmo percipiendam, præexigitur fides, ſed non charitas; quia ſufficit attritio præcedens, etſi non ſit contritio.*

Prob. Ratione. 1. Juxta Trid. Sacramenta conferunt gratiam non ponentibus obicem. Atqui attritus non ponit obicem gratiæ, ſed e contra poſitum retractat. Ergo. 2. Si requiratur contritio ad Sacramentum mortuorum, nunquam cauſarent primam gratiam, & ſic non erunt Sacramenta mortuorum, nec inſtituta ad delendum peccatum. Patet Sequela: quia contritio nunquam eſt ſine gratia, cum ſit ultima diſpoſitio ad illam. Sed fuſius de hac materia in Tract. de Pœnitentia.

Tertia pars, quod ſufficiat attritio virtualis, patet: tum quia in entibus moralibus, qualia ſunt Sacramenta, non requiritur coexiſtentia phyſica diſpoſitionum, & formæ, ſed ſufficit moralis, ut alibi diximus: tum quia alias forent continui ſcrupuli & anxietates, dum quis paulo ante abſolutionem bene diſpoſitus & attritus ex diſtractione naturali ſuæ attritioni non attenderet. Dixi *In adultis*: quia in infantibus & perpetuo amentibus nulla requiritur diſpoſitio actualis, quia ſunt illius incapaces. Inſuper ubi non eſt peccatum propria voluntate commiſſum, non videtur propria voluntate retractandum.

Dico 2. In Sacramentis vivorum ad percipiendum primarium eorum effectum, ſcilicet augmentum gratiæ, non requiritur neceſſario diſpoſitio actualis vel virtualis, ſed ſufficit habitualis, ſcilicet ſtatus gratiæ. Unde etiam ſi aliquis in actuali ſuſceptione peccet venialiter, puta culpabili diſtractione vel aliter, nihilominus recipit hunc effectum. Ita Soto, Joannes a S. Th. Serra, & communius Thomiſtæ cum extraneis contra Caiet. Contenſ. & quoſdam alios. Ex diſertis terminis D. Th. infra q. 79. art. 8. ubi quærens, an per peccatum veniale impediatur effectus Euchariſtiæ? Primo diſtinguit inter peccata venialia, quæ ſunt præterita, & peccata venialia, quæ ſunt actu exercita. De primis dicit, quod nullo modo impediant effectum hujus Sacramenti. De ſecundis dicit, quod impediant quidem effectum ſecundarium hujus Sacramenti, qui eſt actualis refectio ſpiritualis dulcedinis; quia nemo delectatur de re, quam actu non conſiderat; ſed non impediant primarium effectum, qui eſt augmentum gratiæ; & ideo dixi in Concluſione *primarium effectum*. Hæc ſunt verba S. D. *Secundo autem modo peccata venialia* (id eſt, actu exercita) *non ex toto impediunt hujus Sacramenti effectum, ſed in parte: dictum eſt enim, quod effectus hujus Sacramenti non ſolum eſt adeptio habitualis gratiæ vel charitatis, ſed etiam quædam actualis refectio ſpiritualis dulcedinis: quæ quidem impeditur, ſi aliquis accedat ad hoc Sacramentum per peccata venialia mente diſtractus: non autem tollitur augmentum habitualis gratiæ vel charitatis.* Omnes præclari ingenii nervos intendit Contenſon, ut ab hac auctoritate ſe expediat, ſed in caſſum. Neque enim S. Doctor loquitur de peccatis venialibus, quæ ſunt præterita, ſed de iis, quæ ſunt actu exercita; neque de diſtractione naturali, ſed venialiter culpabili. An autem intelligendus ſit S. D. non ſolum de diſtractione venialiter culpabili ex negligentia aut tepiditate, ſed etiam de ea, quæ ultro & ex induſtria eſt quæſita aut admiſſa? Videtur reſpondendum affirmative: cum generaliter loquatur S. Th. de omnibus peccatis venialibus, & id probat ratio ſequens. Niſi forte dicatur hujuſmodi diſtractionem plene deliberatam, licet ex objecto venialem, fieri mortalem ob reverentiam debitam huic Sacramento. Equidem non diffiteor hac de cauſa eſſe debitum decentiæ, imo & legale ſub peccato veniali adhibendi actualem devotionem, et eſſe debitum obligans ſub mortali, ita ut dicta diſtractio plene deliberata evadat mortalis, licet ita contendat laudatus Theologus, ego affirmare non auſim. Quod autem S. Th. dicit de Euchariſtia, a fortiori dicendum eſt de aliis Sacramentis vivorum, quæ non requirunt tantam reverentiam & diſpoſitionem.

Prob. Concluſio ratione. Sacramenta conferunt gratiam non ponentibus obicem. Atqui qui eſt in gratia & venialiter mente diſtractus, aut titillante vana gloria ad Sacramentum vivorum accedit, non ponit obicem gratiæ. Ergo. Prob. Min. 1. Solum peccatum mortale eſt obex gratiæ, non veniale, compatitur enim cum gratia. 2. Si is, qui ex negligentia aut tepore eſt venialiter diſtractus, poneret obicem gratiæ, hoc ipſo peccaret mortaliter; ponere namque obicem primario & ſubſtantiali effectui Sacramenti, & advertenter reddere & ſumere Sacramentum informe, ſecundum communem ſententiam eſt peccatum mortale. Atqui falſum Conſequens, nec illud admittunt Adverſarii. Ergo. Conſ. Euchariſtia quandoque confertur phreneticis in Articulo mortis, Extrema-Unctio ſæpe moribundis uſu rationis privatis, Confirmatio infantibus; in quibus omnibus non eſt devotio ſeu diſpoſitio actualis & virtualis. Atqui tamen in eis cauſatur augmentum gratiæ; alias fruſtra hæc Sacramenta conferrentur, imo nec liceret conferre, utique certo & ſcienter informia. Ergo.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. S. Th. in 4. d. 2. q. 2. a. 1. Quæſtiunc. 3. dicit: *Cum hoc Sacramentum* (Euchariſtiæ) *perficiat conjungendo fini, ad hoc quod effectum ſuum plene habeat in ſumente, oportet, quod adſit actualis devotio.. Abſque peccato mort. poteſt effectus hujus Sacramenti impediri; ita quod aliquis augmentum gratiæ non conſequatur, nec tamen reatum peccati mort. incurrat.* Ergo. Reſpondet Serra S. Th. ſeniorem & doctiorem in Summa mutaſſe ſententiam: cum loco a nobis cit. non ſolum in corpore Art. ſed ad 1. & 2. oppoſitum diſerte doceat. At Serra exiſtimat idem in utroque loco docuiſſe, ſed hic in ſumma clarius locutum fuiſſe. Non enim S. D. in 4. dicit peccata venialia ex toto impedire effectum hujus Sacramenti: ſed, *Ad hoc quod effectum ſuum plene habeat in ſumente, oportet, quod adſit actualis devotio.* Plene autem habere effectum ſuum eſt conferre non ſolum habitualem gratiam, ſed etiam actualem refectionem dulcedinis ſpiritualis: ad ſic autem plene habendum ſuum effectum, etiam in ſumma docet requiri actualem devotionem. Unde cum in 4. addit: *Abſque peccato mort. poteſt effectus hujus Sacramenti impediri, ita quod aliquis augmentum gratiæ non conſequatur, nec tamen reatum peccati mortalis incurrat.* Per augmentum gratiæ non intelligit quodcumque augmentum gratiæ habitualis, ſed augmentum, quod gratiæ provenit ex additione ſpiritualis refectionis actualis, quando virtute hujus Sacramenti charitas excitatur in actum, & ferventior fit ob majorem diſpoſitionem actualis devotionis. Ita laudatus Serra.

Inſt. 1. S. Th. infra q. 80. a. 8. ad 6. de Euchariſtia, dicit: *Maxima devotio requiritur in ſumptione hujus Sacramenti, quia tunc percipitur Sacramenti effectus.* Si maxima, ergo actualis. R. S. Th. loqui vel de debito decentiæ aut etiam legali ſub peccato veniali, quod non negamus, vel de effectu adæquato hujus Sacramenti.

Inſt. 2. S. Doct. infra q. 8. a. 2. o. dicit: *Habentibus uſum liberi arbitrii non contingit eſſe infuſionem gratiæ ſine actuali motu liberi arbitrii in Deum & in peccatum:* ergo,

Digitized by Google

go. R. S. Th. ibi loqui de infuſione gratiæ extra Sacramentum. De quo alibi.

Opponunt inſuper Adverſarii S. Bonaventuram, qui in Brev. p. 6. c. 9. dicit, quod *Qui tepide, indevote, & inconſiderate accedit, judicium ſibi manducat & bibit; quia tanto Sacramento contumelia facit*. Ergo. R. Neque ipſos Adverſarios hæc verba admittere ſine modificatione & explicatione. Videtur ergo dicendum vel S. Bonaventuram non tam thelogice quam concionatorie & per piam exaggerationem locutum fuiſſe; vel intelligere de indevotione, quæ ſit tanta ut evadat mortalis.

Quantum ad quoſdam alios Patres, qui videntur requirere devotionem actualem, maxime pro receptione Sacramenti Euchariſtiæ, nullatenus nobis opponuntur. Nos enim etiam requirimus ex decentia, imo ex debito ſub veniali propter reverentiam, quæ ſpecialiter debetur huic Sacramento, in quo Chriſtus realiter continetur. Imo neceſſariam omnino dicimus pro conſequendo effectu ejus adæquato, ſcilicet non ſolum augmento gratiæ habitualis, ſed etiam ſpirituali refectione actuali. Nec aliud evinci poteſt ex Patribus.

Obj. 2. Ad omnem actionem, conſequenter ad infuſionem gratiæ requiritur mutuus contactus agentis & paſſi. Atqui mutuus contactus inter Deum & hominem adultum eſt per motum liberi arbitrii. Ergo. R. D. Maj. Ad infuſionem gratiæ ex opere operantis requiritur, &c. C. Ex opere operato, N. Tunc enim ſufficit, ut non ponatur obex gratiæ. Vel dic adeſſe motum liberi arbitrii in voluntaria ſuſceptione Sacramenti, qui ſufficit pro Sacramentis vivorum.

Inſt. Gratiæ infuſio fit juxta menſuram actus & diſpoſitionis actualis recipientis. Ergo. R. D. ut ante, Gratiæ infuſio ex opere operantis, C. Ex opere operato, N. Hæc enim fit etiam juxta menſuram gratiæ habitualis, quæ eſt diſpoſitio ſufficiens ad Sacramenta vivorum. Licet verum ſit, ubi tantum eſt hæc diſpoſitio habitualis & nulla actualis, minimum concedatur augmentum gratiæ, ſicut concederetur v. gr. infanti baptizato, cui Confirmatio aut Euchariſtia conferretur.

Obj. 3. Qui ſe præbet indignum gratia, non creſcit in gratia. Atqui peccans venialiter ſe præbet indignum gratia. Ergo. R. D. Maj. Qui ſe præbet indignum gratia indignitate mortali, non creſcit in gratia, C. Indignitate veniali, Subd. Ex opere operantis, C. Ex opere operato, N.

Inſt. Per peccatum veniale nemo fit ſanctus aut ſanctior. Ergo. R. D. Ant. ut ante. Per peccatum veniale nemo fit ſanctus aut ſanctior ex opere operantis, C. Ex opere operato, Subd. Attenta ratione mali in peccato veniali, C. Attenta actus ſubſtantia, N. Itaque actus venialiter malus poteſt conſiderari vel ſub formalitate mali, & ſic non concurrit ad infuſionem gratiæ; vel ſecundum ſubſtantiam, prout eſt libera ſuſceptio Sacramenti, & ſic concurrit tamquam diſpoſitio ſufficiens ad infuſionem gratiæ ex opere operato.

Obj. 4. Specialiter pro Sacramento Euchariſtiæ. Hoc Sacramentum datur per modum cibi & potus nutrientis. Atqui cibus & potus materialis non nutrit nec auget ſine actu vitali nutriti. Ergo nec iſte cibus & potus ſpiritualis ſine actu vitali animæ. R. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod cibus & potus materialis convertatur ab alio in ejus ſubſtantiam, ideoque indigeat actu vitali. At cibus ſpiritualis e contra convertit recipientem in ſe, juxta illud dictum Aug. *Nec tu me mutabis in te ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me*. Unde ut nutriat & augeat, non requirit actualem devotionem in recipiente, ſed ſufficit, quod non ponat obicem.

Obj. 5. Si in qualibet ſuſceptione Euchariſtiæ ſine actuali devotione cum ſolo ſtatu gratiæ augeatur gratia, ſequitur, quod gratia & charitas tot Sacerdotum, quos par eſt credere celebrare in ſtatu gratiæ, ſit maxime intenſa. Atqui id non eſt veriſimile, cum tanta gratia & charitas ut plurimum nullatenus ſe prodat exterius, nec intus erumpat in actus ferventiſſimos. Ergo. R. 1. Argumentum poſſe retorqueri in Adverſarios. Admittunt enim ad augmentum gratiæ ſufficere actualem devotionem etſi exiguam, & non requiri maximam: in qua ſententia ſic argumentor. Si in qualibet ſumptione Euchariſtiæ cum exigua devotione actuali augeatur gratia, ſequitur, quod gratia & charitas tot Sacerdotum, quos par eſt credere celebrare cum aliqua ſaltem exigua devotione actuali, ſit valde intenſa. Atqui, &c. ut in præcedenti argumento. Ergo. R. 2. Non eſſe dubitandum, quin plurimi ſint Sacerdotes, quorum maxime intenſa eſt charitas, quæ licet non ſe prodat exterius per inſignia opera, quæ non ſemper occurrunt, ſe prodit tamen in officiis ſolito occurrentibus, & in hoc maxime quod ſe conſervent in gratia contra continuo inſurgentes tentationes. Illa enim charitas non eſt parva nec otioſa, quam aquæ multæ tot tentationum non poſſunt extinguere. Quod autem in actus ferventiores ſæpe non erumpat intus, provenit ex quotidianis peccatis venialibus, quæ fervorem charitatis remittunt. In aliis vero per peccata mortalia amittitur gratia, quæ poſtea difficile ad eundem gradum recuperatur. His adde, accedenti ad Euchariſtiam ſine ulla actuali devotione tenuiſſimum, ut jam dixi, gradum gratiæ conferri.

ARTICULUS V.

Utrum gratia ſacramentalis addat aliquid ſupra gratiam communiter dictam, & quid?

GRATIA communiter dicta eſt gratia conſiderata ſub ea præciſe ratione, qua facit hominem Deo gratum, & habet annexas quaſi proprietates virtutes & dona in potentiis animæ; & quam ideo Auctor vocat gratiam virtutum & donorum. Quæſtio eſt utrum gratiæ, quæ confertur per Sacramenta, ad illam aliquid addat, & quid?

Dico 1. (*Hic q. 62. a. 1. o.*) Gratia ſacramentalis addit aliquid ſupra gratiam communiter dictam, ſeu gratiam virtutum & donorum. Prob. 1. (*Ibid. in a. ſ. c*) Si gratia ſacramentalis non adderet aliquid ſupra gratiam virtutum & donorum, fruſtra Sacramenta habentibus gratiam, dona & virtutes, adhiberentur. Atqui in operibus Dei nihil fit fruſtra. Ergo. Neque dicas ad hoc tunc deſervire Sacramenta, quod gratiam augeant; ad id enim augmentum ſufficeret idem Sacramentum ſæpius iteratum. Prob. 2. (*Ibid. o.*) Gratia communiter dicta ſive gratia virtutum & donorum datur ad generalem ordinationem actuum animæ; Sacramenta autem ordinantur ad aliquos ſpeciales effectus in vita Chriſtiana exercendos quaſi ex officio & ratione ſtatus; ſic Baptiſmus ordinatur ad ſpiritualem generationem, qua mortui peccatis vivimus in Chriſto tamquam ejus membra: Confirmatio ut tamquam milites Chriſti firmiter ſtemus in fide: Euchariſtia ut ſpiritualiter nutriamur, augeamur & perficiamur; & ſic de cæteris. Atqui ad hos ſpeciales effectus requiritur gratia ſpecialis. Ergo.

Conf. 1. Si per quodlibet Sacramentum non conferretur aliqua gratia ſpecialis, ſed ſolum gratia communiter dicta, Sacramenta noſtra nonniſi ritu externo differrent, nec plura debuiſſent inſtitui, ſed unum ſuffeciſſet. Utrumque dici non poteſt. Ergo. Conf. 2. Qui juſtificatur extra Sacramentum, recipit gratiam communiter dictam, virtutes & dona, & tamen non recipit gratiam ſacramentalem. Ergo.

Dico 2. Gratia ſacramentalis non eſt habitus realiter diſtinctus a gratia communiter dicta virtutum & donorum, neque ſolum auxilium ſpeciale tranſiens, ſed novus modus intrinſecus perfectionis ſeu ſpecialis vigor gratiæ communiter dictæ ſuperadditus, cum ordine ſeu exigentia & jure ad auxilium actuale ſuo tempore conferendum. Ita Jo. n. a S. Th. Cabrera, Nugno, Serra, Contenſon, & alii contra Cajet. Soto, Gonet, & alios, quoad 2. partem Concluſionis. Prob. prima pars. Effectus ſpeciales, ad quos ordinatur gratia ſacramentalis, non ſunt realiter & ſubſtantialiter diſtincti ab effectibus gratiæ communiter dictæ virtutum & donorum, ſed modaliter tantum, quatenus fiunt quaſi ex officio, & ratione ſtatus connaturaliter & ex ſpeciali vigore. Ergo ad illos non requiritur novus habitus realiter diſtinctus ab habitu gratiæ habitualis communiter dictæ. Prob. Ant. Sic effectus, quem cauſat Pœnitentia ſanando, Baptiſmus regenerando, Extrema-Unctio alleviando, ſubſtantialiter fit per habitum gratiæ virtutum & donorum; & quamvis Baptiſmus remittat totam pœnam, nihil eſt tamen ibi ſubſtantiale diſtinctum, ſed modaliter tantum, ſecundum majorem ejuſdem gratiæ extenſionem: ſic etiam effectus Euchariſtiæ, qui eſt nutrire & augere animam ſpiritualiter, fit ſubſtantialiter per actus ferventiores virtutum: effectus Confirmationis, qui eſt firma Fidei confeſſio, eſt ſubſtantialiter actus fidei; effectus Sacramenti Ordinis, qui eſt debita Sacramentorum executio, eſt ſubſtantialiter actus Religionis: tandem effectus gratiæ matrimonialis, qui eſt caſte vivere, fidem mutuam ſervare ſeque mutuis officiis juvare, & ſubſtantialiter actus, vel juſtitiæ, vel charitatis, vel caſtitatis. Ergo. Conf. Gratia ſacramentalis eſt gratia ſanctificans; qui enim illam recipit, vel ſanctificatur, ſi ſit peccator, vel fit ſanctior ſi jam ſit juſtus. Atqui ſi eſſet habitus realiter diſtinctus a gratia habituali communiter dicta, non eſſet ſanctificans. Ergo. Prob. Min. Proprium eſt gratiæ habitualis communiter dictæ ſanctificare, imo eſt ejus effectus formalis. Ergo non poteſt per alium habitum realiter diſtinctum præſtari; effectus enim formalis eſt ipſa forma communicata.

Secunda pars colligitur ex D. Th. qui hic A. 2 ad 1. dicit: *Gratia virtutum & donorum ſufficienter perficit eſſentiam animæ quantum ad generalem ordinationem actuum animæ; ſed quantum ad quoſdam effectus ſpeciales, qui requiruntur ad vitam Chriſtianam, requiritur ſacramentalis gratia*, quæ nempe perficiat eſſentiam animæ in ordine

dine ad illos ſpeciales effectus. Ergo juxta S. Th. gratia ſacramentalis eſt quid intrinſecum & permanens, perficiens eſſentiam animæ. Auxilium autem actuales non eſt quid intrinſecum permanens, perficiens eſſentiam animæ, ſed applicans tantum potentiam ad actum. Et in Reſp. ad 3. dicit, quod *gratia ſacramentalis habet ſe ad gratiam communiter dictam, ſicut ratio ſpeciei ad genus*, ſpeciei ſcilicet incompletæ & modalis (gratia enim eſt ſpeciei atomæ) eo modo, quo v. g. qualitas magis & minus intenſa, digitus erectus & digitus inflexus diſtinguitur. Certum eſt autem ſpeciem modalem & incompletam addere aliquid intrinſecum generi. Neque valet, ſi dicas cum Cajet. & Soto S. Th. loqui de gratia, prout abſtrahit ab actuali & habituali: manifeſtum eſt enim tam ex corpore Articuli, quam ex ſolutionibus argumentorum ipſum loqui de gratia habituali ſanctificante.

Prob. ratione. Sacramenta, ut dictum eſt, ordinantur ad diverſos & ſpeciales effectus pertinentes ad vitam Chriſtianam efficiendos ab homine. Atqui ad id ſecundum conſuetum providentiæ rurſum non ſufficit auxilium Dei actuale tranſiens, ſed requiritur aliquid in homine intrinſecum & permanens per modum principii, cui correſpondeat & connaturaliter proportionetur auxilium iſtud tranſiens & operatio, ad quam datur: exigit enim ſuavis & conſueta rerum diſpoſitio, & connaturalis agendi modus, ut in omnibus cauſis principalibus, qualis eſt homo reſpectu ſuorum actuum, operatio ſupponat in operante principium operationum ſibi connaturale & proportionatum. Ergo gratia ſacramentalis non addit ſolum ſupra gratiam communiter dictam auxilium tranſiens, ſed modum quemdam intrinſecum & permanentem per modum principii, quem dicimus perfectionem & vigorem ſpecialem gratiæ communiter dictæ cum ordine & exigentia auxilii actualis ſuo tempore conferendi. Neque dici poteſt, quod iſtud ſpeciale auxilium ſupponat gratiam communiter dictam tamquam principium cui connaturaliter correſpondeat; alias ſequeretur, quod gratia ſacramentalis daretur pariter extra Sacramenta, & quod nihil quidquam adderet etiam per modum actualis auxilii ad gratiam communiter dictam.

Conf. Gratia ſacramentalis, maxime ſecundum Thomiſtas, procedit effective a Sacramentis. Atqui auxilium actuale non efficitur a Sacramentis. Ergo. Hujus rei aptum exemplum habemus in gratia juſtitiæ originalis comparata ad noſtram. Erat eadem entitative & ſubſtantialiter cum noſtra; habebat tamen quemdam modum perfectionis, quemdam vigorem, quo perfecte ſubjiciebat partem ſenſitivam rationi & corpus animæ, quem non habet noſtra. Itaque ut ad ſingula deſcendamus, Gratia ſacramentalis Baptiſmi eſt gratia habitualis cum perfectione & vigore ſpeciali ad novam vitam in Chriſto inſtituendam, ad remiſſionem totius culpæ & pœnæ, & ad rite ſuſcipienda alia Sacramenta, cum ordine, exigentia & jure ad auxilia actualia huic adeptæ regenerationi conſervandæ & ejus actibus neceſſaria. Gratia ſacramentalis Confirmationis eſt gratia habitualis ſeu ejus augmentum, pariter cum ſpeciali vigore & robore ad fidem alacriter & fortiter etiam in vitæ diſcrimine propugnandam, cum ordine & jure ad auxilia his actibus neceſſaria. Gratia ſacramentalis Euchariſtiæ eſt gratia habitualis cum pari vigore & ordine ad auxilia pro anima ſpiritualiter nutrienda & ſpecialiter Deo unienda per ferventiores actus virtutum. Gratia Pœnitentiæ eſt gratia habitualis cum pari vigore & ordine ad auxilia neceſſaria pro peccatis plangendis, delendis & cavendis. Gratia Extremæ Unctionis eſt gratia habitualis cum pari perfectione & ordine ad auxilia pro tollendis reliquiis peccatorum, morbo alleviando aut patienter ferendo, & præparatione animæ ad felicem mortem contra extremos tentatoris impetus. Gratia Sacramenti Ordinis eſt gratia habitualis cum pari vigore & ordine, &c. ad recte exercendum cultum divinum & Sacramenta adminiſtranda. Gratia Matrimonii eſt gratia habitualis cum pari vigore & ordine, &c. ad fidem mutuo ſervandam, ad conjugaliter & caſte vivendum, & ad onera Matrimonii ferenda.

Neque te moveat, quod dicamus *cum jure ad auxilia gratiæ*, quaſi id derogaret gratuitudini gratiæ: iſtud enim jus fundatur in ſola liberali & gratuita Dei promiſſione, qui fidelis eſt in ſuis promiſſis, nec deeſt in neceſſariis: unde nihil officit gratuitudini gratiæ, ſicut illi non obeſt, quod gratiam communiter dictam ſequatur jus ad communia auxilia.

Dices 1. S. Th. hic a. 3. Nulla facta mentione de aliqua perfectione intrinſeca & permanente, dicit tantum *gratiam Sacramentalem addere ſupra gratiam communiter acceptam auxilium divinum*. Atqui auxilium divinum non eſt quid permanens. Ergo. R. 1. Non eſſe inſolitum apud S. Th. per *auxilium divinum* intelligi aliquid habituale & permanens: ſic 1. 2. q. 109. a. 1. dicit *requiri auxilium gratiæ ad hoc, quod homo reſurgat & quantum ad habituale donum & quantum ad interiorem Dei motionem*. R. 2. D. Min. Auxilium divinum formaliter in ſe non eſt quid permanens, Tranſeat: Radicaliter in ſuo principio connaturali, N. Cum igitur auxilium actuale juxta conſuetam providentiam & connaturalem modum agendi debeat correſpondere alicui principio operativo, hoc ipſo quo S. Th. dixit gratiam ſacramentalem ſuperaddere auxilium divinum ad ſpeciales effectus, implicite intellexit connaturale ejus principium. Vel dicendum, quod per auxilium intellexit qualemcumque confortationem ſpecialem ſupra gratiam communiter dictam, quam ideo non nominavit gratiam, eo quod non ſit gratia realiter diſtincta, ſed tantum modus gratiæ.

Dices 2. Effectus, ad quos ordinatur gratia ſacramentalis, non ſunt diverſi ab actibus gratiæ virtutum & donorum, v. g. proteſtari fidem, qui eſt effectus Confirmationis, eſt actus fidei. Imo quandoque contingit, quod aliquis ſine Sacramento Confirmationis fidem fortius profiteatur, quam confirmatus. Ergo. R. 1. Hoc argumento probari pariter non requiri auxilium ſpeciale, quod non admittunt Objicientes. 2. D. Ant. Effectus, ad quos ordinatur gratia ſacramentalis, non ſunt diverſi ſubſtantialiter ab actibus gratiæ virtutum & donorum, C. Modaliter, N. Hi enim vi gratiæ ſacramentalis eliciuntur quaſi ex officio & ratione ſtatus tamquam a membris viventibus Chriſti per derivationem ſpecialem ejus gratiæ capitalis. Unde quod non confirmatus fortius proteſtetur Fidem, quam confirmatus, hoc provenit ex majori conatu & intenſione, ſed non agit ex officio & ratione ſtatus, neque ut membrum vivens Chriſti per ſpecialem derivationem a gratia ejus capitali.

Inſt. Quare non ſufficit, quod gratia ſacramentalis ad ſuos effectus ſuperaddat gratiæ communiter dictæ jus ad auxilium ſpeciale? R. Vel illud jus eſt quid intrinſecum permanens, vel non: ſi primum, habemus intentum; ſi ſecundum, recurrunt rationes noſtræ.

Ex dictis colliges gratias ſacramentales eſſentialiter inter ſe differre ſpecie; reſpectu vero gratiæ, accidentaliter modaliter tantum: ſicut v. g. inflexio & erectio inter ſe eſſentialiter differunt, reſpectu vero digiti accidentaliter modaliter tantum.

Petes, an gratia ſacramentalis poſſit conferri extra Sacramenta? R. de Lege ordinaria non conferri: quia tamen Deus gratiam non alligavit neceſſario Sacramentis, nihil repugnat eam dari extra Sacramenta.

Inferes itaque ex dictis, quod quamvis Deus aliis, qui Sacramenta non ſuſcipiunt, non ſoleat auxiliis deeſſe, quibus adjuvantur in iis operibus, ad quæ tenentur; ſpeciali tamen titulo adeſt illis, qui Sacramenta ſuſcipiunt ratione ſpecialis perfectionis gratiæ & juris, quod ipſis tribuunt Sacramenta ad auxilia ſpecialia pro actibus ſpecialibus Sacramentorum neceſſaria. Vides, amice Lector, quanta cura quiſque invigilare debeat, ne amittat gratiam ſacramentalem; vel ne illa indignum ſe præbeat Sacramenta indiſpoſitus recipiendo.

S. Th. a. 3. hujus Q. docet gratiam contineri in Sacramentis novæ Legis, non ſolum ut ſignatum in ſigno, ſed etiam ut in effectum in cauſa inſtrumentali. Art. 4. docet in Sacramentis novæ Legis eſſe virtutem cauſativam gratiæ, quia ponendo, quod ſint cauſæ inſtrumentales gratiæ, neceſſe eſt ponere, quod in eis ſit quædam virtus inſtrumentalis tranſiens & incompleta ad inducendum ſacramentalem effectum. *Art.* 5. docet Sacramenta novæ Legis habere virtutem ex Paſſione Chriſti; tum quia Sacramentum eſt inſtrumentum ſeparatum, humanitas Chriſti inſtrumentum conjunctum; de ratione autem inſtrumenti ſeparati eſt, quod moveatur per conjunctum, ſicut baculus per manum: Tum quia Sacramenta novæ Legis præcipue ordinantur ad duo, ad tollendos defectus peccatorum, & ad perficiendum hominem in his, quæ pertinet ad cultum Dei ſecundum Religionem Chriſtianam. Atqui Chriſtus liberavit nos a peccatis noſtris, præcipue & ſpeciali modo per ſuam Paſſionem, non ſolum efficienter & meritorie, ſed & ſatisfactorie; item per Paſſionem ſuam initiavit ritum Chriſtianæ Religionis, offerens ſeipſum Deo oblationem, & hoſtiam. Ergo. His non immoramur, quia ſufficienter explicata ſunt *a.* 1. & 2. hujus Diſſert.

ARTICULUS VI.

Utrum Sacramenta veteris Legis gratiam cauſarent.

DIco 1. (*Hic a. 6. o.*) Sacramenta veteris Legis non cauſabant gratiam ex opere operato active, ſicut noſtra: hoc eſt, non habebant in ſe virtutem inſtrumentalem phyſicam effectivam gratiæ, ſicut Sacramenta novæ Legis. Prob. (*Ibid.*) Illam virtutem non habebant ex ſe, ſic enim nec noſtra haberent; & alias non fuiſſet neceſſaria Paſſio Chriſti ſecundum illud ad Galat. 2. *Si ex lege eſt juſtitia, Chriſtus gratis mortuus eſt*. Neque ex Paſſione Chriſti ſeu ex Chriſto, a quo tamen omnia Sacramenta vim habent: *Non enim eſt aliud nomen ſub cœlo*

lo datum, in quo oportcat nos ſolvos fieri. Prob. Chriſtus nondum exiſtebat. Atqui quod non exiſtit, licet poſſit movere ſecundum quod eſt mante apprehenſum, ut finis non exiſtens ſed apprehenſus movet, non poteſt tamen movere phyſice ſecundum uſum exteriorum rerum, quaſa ſunt Sacramenta; ſicut enim cauſa efficiens non operatur phyſice antequam ſit, ita non utitur tunc aliquo reali inſtrumento ad efficiendum. Ergo.

Et hoc ſenſu intelligimus Apoſt. Galat. 4. dum vocat Sacramenta veteris Legis *infirmo & egena elementa*: & quædam SS. Patrum teſtimonia, quibus deprimunt hæc Sacramenta: item Conc. Florent. dum in Decreto unionis dicit Sacramenta veteris Legis a Sacramentis novæ Legis differre, quod *illa non cauſabant gratiam, ſed eam ſolam per Paſſionem Chriſti dandam figurabant: Hæc autem continent gratiam, & ipſam digne ſuſcipientibus conferunt*.

Quamvis autem (1. 2. *q.* 101. *a.* 4. *q.* 10. *a.* 5. *ad* 5. *q.* 103. *a.* 2.) hæc ſit præcipua differentia inter Sacramenta utriuſque Legis, ſunt tamen aliæ pluras. 1. Noſtra ſunt pauciora, faciliora, & a Chriſto immediate inſtituta. 2. Sunt diverſi ritus, & in veteribus nulla forma determinata ſervabatur. 3. Erant ſigna noſtrorum & ad tempus inſtituta.

Dico 2. (*in* 4. *d.* 1. *q.* 2. *a.* 6. *q.* 1. *ad* 2. & 3.) Circumciſio conferebat gratiam parvulis ex opere operato paſſive. Supponit concluſio Circumciſionem fuiſſe inſtitutam in remedium peccati. De quo infra. Prob. Gratiam conferri ex opera operato paſſive eſt eam conferri ad poſitionem operis, eo tamen non concurrenta effective, ſed ſolo Deo operante ultra meritum recipientis & miniſtrantis. Atqui Circumciſio ſic conferebat gratiam parvulis. Ergo. Prob. Min. Non Circumciſio ipſa, ſed ſolus Deus ad poſitionem Circumciſionis vi pacti & promiſſionis efficiebat gratiam (ut patet ex præcedenti Concl.) ultra meritum infantis recipientis, erat enim incapax, & ultra meritum miniſtrantis, 1. quia ut docet Aug. Ep. 203. & S. Th. in 4. cit. in marg. Circumciſio collata ab infideli ſeu malo miniſtro valebat, modo haberet intantionem faciendi, quod Deus hoc ſigno inſtituerat, ſeu quod vera Dei Eccleſia faciebat, ſicut nunc de Baptiſmo, ut dicemus infra. 2. Quia ſi gratia penderet a ſanctitate & merito Miniſtri, valde incerta foret ſalus infantis. Neque dicas non eſſe magis incertam quam in ſententia noſtra, quæ requirit intantionem internam in Miniſtro: longo enim facilius eſt habere illam intentionem, quam ſanctitatem. 3. Quia nullus privatus, & ne recurras ad meritum Eccleſiæ, nec ipſa Eccleſia poteſt alteri mereri infallibiliter & de condigno primam gratiam, hoc enim eſt proprium capitis, ut diximus in Tract. de grat. & dato quod poſſit impetrare aut mereri de congruo, non tamen niſi medianta motu illius, cui gratia conferenda eſt, cujus eſt incapax parvulus; alioquin Eccleſia ſicut tunc, ita & nunc poſſet parvulos ſuos ſine cæremonia externa per ſolum actum internum ſanctificare, ſicque non indiguiſſet nec indigeret Sacramentis pro parvulis. Sed veritas eſt, quod, etſi per impoſſibile nullum eſſet maritum, nulla charitas in Eccleſia, & Miniſter conferendo Baptiſmum, idem die da Circumciſione, intenderet facere quod facit Eccleſia, perficeret Sacramentum & gratiam conferret.

Dices S. Th. infra q. 70. a. 4. o. dicit Circumciſionem juſtificaſſe ex fide ſuſcipientis aut miniſtrantis. Ergo non ex opere operato etiam paſſive, ſed ex opere operantis. Verba ſunt D. Th. *In Circumciſione conferebatur gratia non ex virtute Circumciſionis, ſed virtute fidei Paſſionis Chriſti, cujus ſignum erat Circumciſio, ita ſcilicet quod homo, qui accipiebat Circumciſionem; profitebatur ſe ſuſcipere talem fidem, vel adultus pro ſe, vel alius pro parvulis. Unde Apoſt. dicit Rom. 4. quod Abraham accepit ſignum Circumciſionis ſignaculum juſtitiæ; quia ſcilicet juſtitia erat ex fide ſignificata, non ex Circumciſione ſignificante*. R. D. Ant. Juxta S. Th. Circumciſio juſtificabat ex fide ſuſcipientis aut miniſtrantis ad inſtar Sacramenti independenter a merito utriuſque, C. Ant. Ex fide tamquam ex merito alterutrius, N. Ant. & Conſeq. Quando enim dicimus Circumciſionem conferre gratiam ex opere operato, & non ex opere operantis, non excludimus abſolute opus operantis, ſed excludimus illud ut meritum gratiæ: fides autem miniſtrantis applicata parvulo per Circumciſionem, ut eſt actus perſonæ, nullatenus eſt meritoria gratiæ; ſed ad ejus proteſtationem ſeu applicationem per Circumciſionem, tamquam ad ſignum divinæ promiſſionis, Deus confert gratiam, & hoc ſenſu intelligimus Circumciſionem conferre gratiam parvulo ex opere operato paſſive, & non ex opere operantis. Audiatur S. Th. loco cit. in 4. clare ſeipſum explicans, & expreſſis verbis ſententiam noſtram aſſerens. *Ad* 2. inquit, *dicendum, quod fides aliena non juvabat in quantum erat actus perſonæ, ſed ex parte illa, qua reſpiciebat objectum ſuum, ſcilicet Chriſtum, quod erat medicina totius naturæ, in quo habebat quamdam ſimilitudinem cum Sacramentis noſtris, in quantum juſtificabat ex objecto quaſi* EX OPERE OPERATO, NON AUTEM EX OPERE OPERANTE. Et ad 3. *Formatio & informatio fidei ſunt conditiones ejus ex parte operantis, non autem ex parte objecti, & ideo informitas fidei in Parente non impediebat effectum ſalutis in filio. Impediebat autem in ipſo, quia informitas illa proveniebat ex aliquo quod erat contrarium ſaluti, ſcilicet ex peccato mortali*. Apertum eſt ergo S. Th. per fidem, cujus intuitu conferebatur gratia, nihil aliud intelligere, quam proteſtationem fidei in Chriſtum per Circumciſionem, aut ſi velis, ipſam fidem ut proteſtatam, applicatam & ſignificatam per Circumciſionem, quicumque interim eſſet Miniſter, aut quidquid interius crederet, modo intenderet facere, quod Deus hoc ſigno inſtituerat, erat enim ibi tota fides requiſita: ſicut nunc quidquid interius credat Miniſter Baptiſmi, modo conferat Baptiſmum cum debita intantione, perficit Sacramentum.

Quantum vero ad Circumciſionem pro adultis & alia Sacramenta veteris Legis, res videtur valde ambigua & obſcura. Multi tenent ea non conferre gratiam niſi ex opera operantis, ſicut quodvis aliud opus bonum, ſic ut ultra meritum operantis nihil gratiæ conferant, nec accedentem attritum faciant contritum. E contra Cabrera, Soto, Eſtius poſt Hugonem & S. Bonaventuram volunt Circumciſionem (idem videtur dicendum de aliis Sacramentis) conferre gratiam adultis, non ſolum ratione meriti, ſed, ut dicit Soto, ratione fidei inſtar Sacramenti, quatenus per Circumciſionem applicatur; quod nos modo dicebamus ex opera operato paſſive; ita ut juxta hunc Theologum accedens attritus fieret contritus, arbitratur que hanc eſſe opinionem D. Th. infra q. 70. a. 4. ad 5. ubi S. Doctor docet per Circumciſionem remitti adultis non ſolum peccatum originale, ſed etiam actuale, quod falſum eſſet, ſi ſupponeretur contritus, & ex attrito non fieret contritus. Item quia Sanctus Thom. ibidem non aliam ponit differentiam inter Circumciſionem & Baptiſmum, quam quod Baptiſmus liberat ab omni reatu pœnæ, quia in eo confertur copioſior gratia, non Circumciſio. Et in corpore Articuli, quod Baptiſmus conferat gratiam ex virtute Paſſionis Chriſti peractæ, Circumciſio autem in fide Chriſti venturi, id eſt, Baptiſmus phyſice & ex opere operato active, & Circumciſio moraliter & ex opere operato paſſive, ut explicuimus.

Verum eſto, ut pluribus placet, non eſſe tribuendam Sacramentis veteris Legis hanc prærogativam, quod, ſicut Sacramenta novæ Legis, faciant ex attrito contritum; attamen omnem gratiæ cauſalitatem ſic tribuere merito operantis, ut nihil reſervetur Sacramento; videtur repugnare notioni veri Sacramenti, qualia ſunt Sacramenta veteris Legis. Nam Sacramentum verum debet differre a non Sacramento, noſque aliter ſanctificare quam non Sacramentum; alias ut quid illud diceretur Sacramentum & non iſtud? Atqui ſi Sacramenta veteris Legis cauſent tantum gratiam ex opere operantis, ſic ut tota gratiæ cauſalitas competat merito operantis, & nulla Sacramento, nullatenus differunt a non Sacramentis; quodvis enim aliud opus bonum, quod non eſt Sacramentum, eodem prorſus modo confert gratiam. Neque dicas, quod ſanctificent ſanctitate legali; id enim non ſufficere ad rationem Sacramenti probavimus Diſſert. 1. a. 2.

Reſpondet Joan. a S. Th. Sacramenta veteris Legis differre ab aliis bonis operibus & cæremoniis Religionis, quod Sacramenta eſſent ſigna practica gratiæ, continentia promiſſionem & pactum Dei. At vero quodcumque opus bonum, quævis alia cæremonia Religionis ex fide per charitatem operante peracta erat pariter ſignum practicum gratiæ continens promiſſionem & pactum Dei; promiſit enim Deus gratiam cuilibet operi bono procedenti ex fide per dilectionem operante, ut vidimus in Tract. de Grat. & hinc

Conf. Si Sacramenta veteris Legis cauſent tantum gratiam modo dicto, ſequitur, quod fuerint inſtituta in gravamen potius quam in utilitatem populi; ſiquidem ſine illis non minus quam cum illis poſſet obtineri gratia.

Reſpondet laudatus Joan. a S. Th. ex Apoſt. Rom. 3. dicenta: *Quid ergo amplius Judæo eſt? Aut quæ utilitas Circumciſionis? Multum quidem per omnem modum. Primum quia credita ſunt ei eloquia Dei*. Sed contra. Evidens eſt ſenſum Apoſtoli eſſe, quod credita ſint eloquia Dei non Circumciſioni, prout eſt Sacramentum reſpective ad gratiam, ſed Religioni Judæorum, cujus Circumciſio erat teſſera, ſicque remanet, quod ipſa ut Sacramentum ſit inutilis, & a fortiori alia Sacramenta. Sed & verius arbitratur Eſtius reſponſionem, quam hic facit Apoſtolus, non ſpectare ſecundum membrum ſuæ interrogationis, hoc ſcilicet, *Aut quæ utilitas Circumciſionis*; illi enim reſpondet Cap. ſeq. ſed primum, hoc ſcilicet, *Quid ergo amplius Judæo eſt?*

Videtur itaque dicendum Sacramenta veteris Legis moraliter aliquid gratiæ ex opere operato conferre paſſive, & non

non totum haberi ex merito operantis; ſive dicas Deum eorum intuitu aliquem gratiæ gradum conferre ultra illum, qui debetur merito; ſive Deum eorum intuitu augere vel devotionem, vel fidem, vel attritionem, vel contritionem, quod eſt ſaltem concurrere mediate ad gratiam; ſive aliquid aliud quod volueris, modo in eis ſalvetur ratio Sacramenti prout diſtinguuntur a non Sacramentis, nec in ratione Sacramenti ſit inutilis.

DISSERTATIO VI.

DE ALTERO EFFECTU SACRAMENTORUM, QUI EST CHARACTER.

Div. Thom. Quæſt. 63.

CHARACTER eſt vox græca ſignificans notam vel ſignaculum, quo vel unum ab alio diſtinguitur, vel ad aliquod officium deputatur: ſic pecudes ſolent charactere diſtingui; ſic qui deputabantur militiæ, ſolebant antiquitus inſigniri aliqua nota corporali, quæ dicebatur character militaris. A Theologia uſurpatur pro ſignaculo quodam ſpirituali per Sacramentum animæ indelebiliter impreſſo, quo Fideles deputantur ad ea, quæ ſunt cultus divini. De illo quærimus 1. utrum & per quæ Sacramenta conferatur. 2. Quid ſit ſeu ad quod Prædicamentum pertineat, Deinde varias circa illum Quæſtiunculas reſolvemus.

ARTICULUS I.

Utrum & quæ Sacramenta novæ Legis characterem conferant?

DIco 1. (*Hic q. 63. a. 2. 6.*) Quædam Sacramenta novæ Legis conferunt characterem. Eſt de fide deciſa a Conc. Florent. in Decreto unionis, a Trid. ſeſſ. 7. Can. 9. contra VVicleffiſtas, Lutheranos & Calviniſtas, qui abſolute negat ullum characterem per Sacramenta imprimi; contenduntque Innoc. III. qui obiit annó 1216. eſſe primum illius inventorem. Quidam Concluſionem probant ex illo 2. Cor. 1. *Qui unxit nos Deus, qui & ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris*. Et ex quibuſdam aliis ſimilibus Scripturæ locis. Alii vero arbitrantur nihil certo evinci poſſe ex Scripturis, quia recte intelligi poſſunt de ſola gratia. Ut ut ſit,

Prob. Concluſio ex Traditione. S. Dionyſ. de Eccleſ. Hierarch. c. 2. dicit Deum accedenti ad Baptiſmum tradere ſui participationem: & addit: *Perficiens ipſum divinum & communicatorem divinorum per characterem*. Hinc S. Th. in 4. d. 4. q. 1. a. 1. dicit, quod *a Dionyſio prima traditio characteris nobis advenit*, ſcilicet proprio nomine, ſcripto expreſſa. S. Cyrillus Jeroſ. in Præfat. ad Catecheſes: *Magnum*, inquit, *ſane eſt propoſitum hoc Baptiſmo, captivitatis liberatio, peccatorum remiſſio, mors peccati, animæ regeneratio, veſtimentum candidum, ſignaculum ſanctum & indelebile*. Et Catecheſi 4. *Spiritus S. tempore baptiſmatis animam obſignat*. Quibus verbis S. D. aperte diſtinguit characterem ſicut & gratiam a ritu externo ſicut effectum a cauſa, & ab ipſa gratia, quod ille ſit indelebilis & non gratia. S. Baſilius Hom. 13. in S. Baptiſma: *Quomodo*, inquit, *vindicabit te Angelus? Quomodo eripiet ex hoſtibus, niſi agnoverit ſignaculum? Quomodo dicturus es tu, Dei ſum, ſi notas ac inſignia non exhibeas?* S. Chryſoſt. Orat. 2. in Ep. ad Epheſ. dicit nos in anima ſignari per Baptiſmum, quomodo Judæi in corpore per Circumciſionem ſignabantur. Signum autem Circumciſionis erat perpetuum. Idem dicit S. Epiphan. Hæreſi 8. S. Ambroſ. l. 1. de Spirit S. c. 6. *Etſi*, inquit, *ſpecie ſignemur in corpore*, ſcilicet per Sacramentum ſeu ritum externum, *Veritate tamen ſignamur in corde*, ſcilicet per characterem. Videantur inſuper S. Joan. Damaſc. l. 4. Orthodoxæ fidei c. 9. Greg. Nazian. Orat. 40. S. Aug. Ep. 23. *Conſecratio*, inquit, *reum facit Hæreticum, extra Domini gregem habentem dominicum characterem*. Ep. 50. ſub finem, malo Chriſtiano interroganti, cur non iterum baptizaretur ad ablutionem peccatorum, reſpondet: *Quia non facio injuriam characteri Imperatoris, cum errorem corrigo deſertoris*. Tract. 5. in Ep. Joan. de malo Chriſtiano: *Characterem*, inquit, *impoſitum habet, ſed deſertor vagatur*. Lib. 6. contra Donatiſtas c. 1. *Satis oluit Paſtoribus Eccleſiæ Catholicæ toto orbe diffuſæ, per quos poſtea plenarii Concilii auctoritate originalis conſuetudo firmata eſt, etiam ovem, quæ foris errabat, & Dominicum characterem a fallacibus deprædatoribus ſuis foris acceperat, venientem ad Chriſtianæ unitatis ſalutem, ab errore corrigi, a captivitate liberari, a vulnere ſanari, characterem tamen Dominicum in ea agnoſci, potius quam improbari*. Tandem Aug. contra Donatiſtas paſſim probat malos non ſecus ac bonos recipere verum Baptiſma, illudque nec iterari nec amitti poſſe. Cum ergo ficte accedens non recipiat gratiam, & actus ipſe tranſeat, apertum eſt eſſe aliquid aliud, quod recipiunt mali, quodque manet in illis indelebiliter. Hoc autem quid eſt aliud quam character?

Huic ergo traditioni innixus Innoc. III. Cap. *Majores* Tit. 24. de Bapt. loquitur de charactere impreſſo per Baptiſmum tamquam de re nota & communiter recepta in Eccleſia; ſicque nonniſi per evidentem falſitatem poteſt induci tamquam primus Auctor illius. Ex eadem Traditione Conc. Florent. in Decreto unionis, & Trid. Seſſ. 7. Can. 9. hoc dogma definierunt. Verba ſunt Tridentini: *Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptiſmo, Confirmatione & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc eſt ſignum quoddam ſpirituale & indelebile, unde ea iterari non poſſunt, anathema ſit*.

Ratio Concluſionis a priori nulla eſt præter inſtitutionem Chriſti, quæ nobis innoteſcit per Traditionem & definitiones Eccleſiæ. Ratio congrua Auctoris eſt hæc. (*Ib.*) Quicumque deputatur ad aliquid certum, conſuevit ad illud conſignari, ſicut milites, qui adſcribebantur ad militiam, antiquitus ſolebant quibuſdam characteribus inſigniri. Atqui Fideles per quædam Sacramenta deputantur ad aliquid ſpirituale agendum vel recipiendum pertinens ad cultum Dei. Ergo congruum eſt, ut ad hoc aliquo charactere ſpirituali conſignentur.

Dico 2. (*Ibid. art. 6. a.*) Tria tantum Sacramenta, ſcilicet Baptiſmus, Confirmatio & Ordo conferunt characterem, non alia quatuor. Per tria aſſignata conferri characterem jam vidimus definitum a Trid. Per hæc autem ſola conferri, & non per alia quatuor, pariter definivit Conc. Florent. in Decreto unionis his verbis: *Inter hæc Sacramenta tria ſunt, Baptiſmus, Confirmatio & Ordo, quæ characterem, id eſt ſpirituale quoddam ſignum imprimunt indelebile in anima; unde in eadem perſona non reiterantur. Reliqua vero characterem non imprimunt, & reiterationem admittunt*.

Suadetur 1. (*Ibid. in a. ſ. c.*) ratione, quam inſinuant Concilia. Sacramenta, in quibus imprimitur character, non reiterantur, eo quod character eſt indelebilis. Atqui tria tantum Sacramenta aſſignata non reiterantur, alia autem quatuor admittunt reiterationem. Ergo. 2. Character, (*Ibid. o.*) ut dicemus Art. ſeq. eſt potentia, per quam homo ordinatur ad ea, quæ ſunt divini cultus, ſicque ad agendum vel recipiendum quæ ſpectant divinum cultum; omnis enim potentia eſt activa vel paſſiva. Atqui ſolum per tria Sacramenta aſſignata confertur potentia ad agendum vel recipiendum ea, quæ pertinent ad cultum divinum, & non per alia quatuor. Ergo. Prob. 1. pars Minoris. Ad agentes pertinet Sacramentum Ordinis, quia per illud confertur homini potentia ad alia Sacramenta conficienda & miniſtranda. Baptiſmus pertinet ad recipientes, quia per illum confertur potentia valide recipiendi alia Sacramenta: unde dicitur janua aliorum Sacramentorum. Confirmatio pertinet ad agentes & recipientes, quia per illam confertur potentia ad congruenter recipienda alia Sacramenta & ad profitendam ex officio fidem Chriſti tamquam ejus miles. Sicque per Baptiſmum homo adſcribitur familiæ Chriſti, per Confirmationem adſcribitur ejus militiæ, & per Ordinem deputatur ad ſacra miniſteria obeunda. Prob. 2. pars Minoris. Quamvis cætera Sacramenta ordinentur ad cultum divinum per modum actionis; omnium enim ſuſceptio ſeu adminiſtratio eſt exercitium cultus divini: non tamen conferunt potentiam ad aliquid ulterius agendum vel recipiendum, pertinens ad cultum divinum. Sic per Pœnitentiam, per quam homo liberatur a peccato, non confertur ipſi de novo aliqua potentia ad aliquid agendum vel recipiendum in ordine ad cultum divinum ſaltem ſacramentaliter, etſi moraliter, ſed dumtaxat reſtituitur in priſtinum ſtatum. Similiter Euchariſtia non ordinatur ad aliquid agendum vel recipiendum ſacramentaliter, cum ſit potius finis & conſummatio omnium Sacramentorum. De duobus aliis Sacramentis, ſcilicet Matrimonio & Extrema Unctione, mentionem non fecit Auctor; quia res eſt evidens: Matrimonium enim non dat poteſtatem ad aliquid ſpirituale ſacramentaliter, ſed tantum ad corpus conjugis. Pariter per Extremam-Unctionem non confertur homini potentia ad aliquid ulterius agendum vel recipiendum ſacramentaliter in Eccleſia militante, cum ſit potius janua ad egrediendum ex illa. Ergo.

Sol-

Solvuntur Objectiones Hæreticorum.

OBj. 1. De charactere altum eſt ſilentium in Scripturis. Ergo non debet admitti. R. Dato Ant. N. Conſeq. Tacente enim Scriptura ſufficit nobis Traditio, & ex Traditione definitio Eccleſiæ.

Inſt. 1. Plures veteres Theologi negant characterem, aut ipſum ut rem dubiam proponunt. Ergo. R. 1. Iterum ut ante: Dato Ant. N. Conſeq. Fides enim non ex privatorum opinionibus, ſed ex Eccleſiæ definitionibus pendet. 2. N. Ant. Quidam enim veteres Scholaſtici diſputant tantum vel de natura characteris, an ſit quid relativum vel abſolutum, & in quo Prædicamento ſit reponendum; vel de vi probationum, an admittendus ſit ut dogma Fidei, aut ut opinio probabilior tantum; quia tunc Eccleſia nihil adhuc definierat.

Inſt. 2. S. Aug. qui apertius videtur indicaſſe characterem, intelligit per characterem ipſum Sacramentum, vel fidem Trinitatis, ut in Sermone ad Plebem Cæſarienſem de Emerito Donatiſta. Ergo. R. Aug. loqui in ſenſu cauſali, quatenus per Sacramentum ſeu invocationem Trinitatis in ritu exteriori Baptiſmi imprimitur character in anima.

Inſt. 3. Aug. dicit ibid. quod *character exterius agnoſcatur*; & revera character ſecundum nos eſt ſignum diſtinctivum; ſignum autem eſt quid ſenſibile & exterius. Ergo. R. characterem agnoſci exterius ea cauſa: hoc ipſo enim, quo cognoſcimus aliquem eſſe baptizatum, ſcimus ipſum eſſe charactere inſignitum.

Inſt. 4. Aug. ibid. dicit, quod ſi Donatus, quando ſchiſma fecit, *baptizaret in nomine Donati, deſertoris characterem infigeret*. Atqui nullus fuiſſet character Donati. Ergo. R. Aug. argumentari ex hypotheſi. Volebat probare vim baptiſmi non pendere a fide & probitate Miniſtri; quod ut probaret, ſic arguebat: Si Donatus inſtituiſſet Baptiſmum, a quovis conferretur in nomine Donati, imprimeret characterem Donati. Ergo Baptiſmus a Chriſto inſtitutus a quocumque in ejus nomine collatus imprimit characterem Chriſti. Quæ argumentatio bene concludit ex hypotheſi. At vero ſicut Aug. non credebat, quod Baptiſma inſtitutum a Donato fuiſſet verum Baptiſma; ita nec credebat characterem ab eo Baptiſmate impreſſum eſſe verum characterem. Et ideo ſubjungit immediate: *Ego quanda vocarem ad unitatem, ſi invenirem deſertoris characterem, exterminarem .... anathematizarem*. *Nunc vero ipſe deſertor characterem fixit Imperatoris ſui*. Quis nempe Donatus conferebat Baptiſmum in nomine Chriſti.

Obj. 2. Probamus quædam Sacramenta iterari non poſſe; quia imprimunt characterem. Ergo non poſſumus probare ea imprimere characterem, quia iterari non poſſunt; alioquin committeremus circulum vitioſum. R. 1. Concluſionem noſtram non in hac ſola ratione fundari. 2. Non eſt circulus vitioſus, cum probationes procedunt in diverſo genere cauſæ; ſic enim probamus cauſam per effectum, & effectum per cauſam, & ita hic contingit, Probamus Sacramenta non poſſe iterari ex charactere tamquam ex effectu, & probamus characterem imprimi ex illis Sacramentis tamquam ex cauſa.

Inſt. 1. Tonſura non iteratur, neque Matrimonium cum eadem perſona, & tamen neutrum imprimit characterem. Ergo male infertur quædam Sacramenta imprimere characterem ex eo, quod non iterantur. R. ad 1. Nihil repugnare Tonſuram iterari, & de facto olim iteratam fuiſſe in cujuslibet ordinationis ſuſceptione refert Morinus p. 3. Sacr. Ordinat. Exerc. 15. Unde quod nunc non iteretur, facit ſola Eccleſiæ conſuetudo. Ad 2. Matrimonium iteratur cum diverſis perſonis, & hoc ſufficit, ut non imprimat characterem. Quod autem non iteretur cum eadem perſona, provenit ex vinculo, quod non niſi morte alterutrius conjugis diſſolvitur.

Inſt. 2. Ideo Baptiſmus iterari non poteſt, non quia imprimit characterem, ſed quia 1. eſt inſtitutus in remedium peccati Originalis, quod eſt unicum. 2. Quia eſt janua ad Eccleſiam & ad alia Sacramenta, quæ ſemel aperta iterum aperiri non debet. 3. Quia ei promittitur vita æterna, promiſſio autem Dei eſt certa. R. has rationes eſſe inſufficientes. Prima, quia qui ficte recipit Baptiſmum, non conſequitur remiſſionem peccati Originalis, & tamen non iterum baptizatur. Secunda, quia Hæreticus Eccleſia exiit; ergo redeunti iterum aperienda eſt janua, non per Baptiſmum, ſed per Pœnitentiam. Tertia, Euchariſtiæ annexa eſt promiſſio vitæ æternæ, & tamen Euchariſtia ſæpe iteratur.

Obj. 3. Sacramenta veteris Legis non imprimebant characterem. Ergo nec Sacramenta novæ Legis. R. N. (*Ib. ad 3.*) Conſeq. Quia major eſt excellentia & virtus Sacramentorum novæ Legis, quam veteris. Hæc enim non habebant in ſe ſpiritualem virtutem ad aliquem ſpiritualem effectum, ut habent Sacramenta novæ Legis. Addo per circumciſionem, cujus nota erat perpetua, populum Judaicum ab aliis ſufficienter diſtingui.

Obj. 4. Qui nunc deputantur militiæ corporali, non notantur charactere. Ergo ut ſervetur proportio, nec qui deputantur militiæ ſpirituali. R. 1. N. Ant. Nam etiam hodie milites notantur charactere diſtinctivo, ſi non in corpore, ſaltem in veſtibus. 2. N. Conſeq. Quamvis enim hæc proportio inter utramque militiam ſit congrua, non tamen eſt neceſſaria; ſed in his tota ratio facti eſt voluntas facientis. 3. Per characterem ſpiritualem magis relucet excellentia Sacerdotii Chriſti & Sacramentorum, eorumque vis & efficacia, & res ſuaviori modo diſponuntur. Unde congruum eſt illum conſtituere in his, qui Sacramentis initiantur, etiamſi non ponatur in adſcriptis militiæ ſæculari.

Ex dictis colliges juxta Eccleſiæ definitiones tria de charactere eſſe fide tenenda. Primum, per tria tantum Sacramenta, Baptiſmum ſcilicet, Confirmationem & Ordinem imprimi. Secundum, quod ſit ſignum indelebile animæ impreſſum, de quo redibit ſermo infra. Tertium, quod Sacramenta, quæ illum imprimunt, non debeant iterari. Cætera, quæ characterem ſpectant, permittuntur diſputationibus Scholæ.

ARTICULUS II.

Quid ſit Character?

VARIÆ ſunt circa hanc difficultatem Auctorum ſententiæ. Durandus vult characterem eſſe tantum denominationem extrinſecam ſeu relationem rationis, ſicut cum quis deputatur a Rege ad aliquod miniſterium. Alii volunt eſſe quidem quid reale, non tamen abſolutum, ſed relativum, ſive relationem realem ab extrinſeco advenientem. Tribuitur communiter Scoto, reclamante tamen Patre Hennó. Cæteri Theologi communiter docent characterem eſſe quid reale abſolutum de Prædicamento qualitatis: ſed cum ſint quatuor paria ſeu ſpecies in hoc Prædicamento, ſcilicet habitus & diſpoſitio, potentia & impotentia, paſſio & patibilis qualitas, forma & figura, diſputatur, ad quam ſpeciem pertineat. Bellarm. Suares, Vaſques & quidam alii volunt pertinere ad 1. ſpeciem, & eſſe habitum: S. Thomas cum ſuis vult pertinere ad 2. ſpeciem, & eſſe potentiam: alii ad 3. alii ad 4. revocant.

Dico 1. Character non eſt mera denominatio extrinſeca ſeu relatio rationis. Prob. 1. Juxta Conc. Florent. & Trid. Character eſt ſignum ſpirituale indelebiliter animæ impreſſum & inhærens. Atqui id non niſi abuſivo dici poteſt de denominatione extrinſeca ſeu ente rationis. Ergo. 2. Character eſt principium agendi vel recipiendi. Atqui id dici non poteſt de denominatione extrinſeca ſeu ente rationis. Ergo. 3. Ex quolibet Sacramento tam novæ quam veteris Legis reſultat denominatio extrinſeca, & tamen nec Sacramenta veteris Legis, nec omnia novæ imprimunt characterem. Ergo. 4. Hæretici negantes characterem ſunt damnati. Atqui non eſt veriſimile eos negaſſe denominationem extrinſecam in ſuſcipiente Sacramentum. Ergo. Propter has rationes hæc ſententia multis videtur erronea, aliis tamen reclamantibus.

Dices. Cum Rex deputat aliquem ad aliquod miniſterium, nihil reale illi imprimit, ſed exurgit tantum denominatio extrinſeca. Ergo ſimiliter in Sacramentis. Et hic eſt facilior modus explicandi quæ ſpectant characterem, quam eum reponere in qualitate intrinſeca, quæ vix intelligi poteſt. R. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod Rex in miniſtro, quem deputat, ſupponat capacitatem ad miniſterium, non conferat. Deus autem in iis, quos eligit, non ſupponit capacitatem & idoneitatem, ſed eligendo eos capaces & idoneos efficit; ſicut diligendo non ſupponit bonitatem, quam diligat, ſed eam infundit; quia amor ejus eſt effectivus. Ad id, quod additur de majori facilitate explicandi characterem: R. Theologum non debere attendere ad id, quod facilius eſt, ſed ad id, quod conformius eſt ſenſui & modo loquendi Eccleſiæ.

Dico 2. (*Ib. a 2. ad 3.*) Character non eſt relatio realis. Prob. 1. (*Ib.*) Non poteſt aſſignari fundamentum hujus relationis. Non enim eſt ipſa eſſentia animæ aut aliqua ejus facultas; alioquin omnes animæ haberent characterem. Non gratia, dona aut virtutes; malis enim & peccatoribus imprimitur character. Non ipſa actio ſacramentalis, hæc enim tranſit remanente charactere, non poteſt autem remanere relatio realis ſine ſuo fundamento proximo. Si dicas actionem ſacramentalem remanere virtute, aſſignandum eſt, quid ſit iſta virtus remanens; nihil autem aliud eſſe poteſt, quam ipſe character. 2. Character eſt ad agendum vel recipiendum, quæ ſunt cultus divini. Atqui relatio non eſt ad agendum vel recipiendum, ſed totum ejus eſſe eſt ad aliud ſe habere. Ergo. 3. Relatio non terminat immediate actionem realem, ſed reſultat ex poſito fundamento & termino. Atqui character immediate efficitur & imprimitur per actionem ſacramentalem. Ergo.

Dico 3. Character eſt qualitas ſecundæ ſpeciei, nimirum

rum

Digitized by Google

rum potentia. Prob. 1. pars, ſcilicet quod ſit qualitas. Character non eſt ſubſtantia, ſed accidens inhærens animæ: non eſt quantitas, eſt enim quid ſpirituale: non eſt relatio, ut dictum eſt; neque actio aut paſſio, quæ cito tranſeunt, character enim eſt permanens & indelebilis: neque ubi, ſitus, quando aut habitus: hæc enim ſunt modificationes entis corporei, ſeu denominationes ab extrinſeco. Ergo reſtat quod ſit qualitas. Patet Conſeq. a ſufficienti enumeratione omnium Prædicamentorum. Prob. 2. pars, (*Ib. in art. ſ. c. ad 1. & 2.*) ſcilicet quod ſit potentia. 1. Character non eſt forma aut figura; hæc enim ſunt determinationes quantitatis materialis, character autem eſt quid ſpirituale: non eſt paſſio aut patibilis qualitas, quæ ſunt qualitates ſenſibiles & cito tranſeunt; character autem eſt ſpiritualis & indelebilis: non eſt habitus aut diſpoſitio; de diſpoſitione patet, quia eſt facile mobilis; probatur de habitu, de quo eſt difficultas. Nullus eſt habitus, qui ſe poſſit habere ad bene & male; nam habitu virtutis nemo male utitur, & habitu malitiæ nemo bene; atqui character ad utrumque ſe habet; quidam enim eo utuntur bene, quidam male. Ergo.

Dices cum Suare. Dum D. Th. dicit, quod nullus habitus poſſit ſe habere ad bene vel male, & quod nemo bono habitu male utitur, nec malo bene: vel intelligit de bonitate aut malitia ſimpliciter in genere moris, vel de bonitate aut malitia in materia propria cujuſcumque habitus. Si 1. falſum eſt D. Thomæ principium, ſi quidem habitibus intellectualibus, v. g. ſcientia & arte quis poteſt bene vel male uti in genere morali. Si 2. falſum eſt D. Thomæ aſſumptum, ſcilicet quod character ſit ad utrumque in propria materia; ſi quidem, quovis modo quis utatur charactere, conficiat ſemper Sacramentum. Ergo non concludit arg. D. Th. Sed contra. Quovis ſenſu intelligatur S. Th. concludit ejus argumentum. Et 1. ſi intelligatur de bonitate aut malitia in propria materia: quia propria characteris materia ſeu objectum non eſt ſola phyſica Sacramenti confectio, ſed ut pertinet ad cultum divinum & ad perfectionem vitæ Chriſtianæ; adeoque in hac propria materia ſe habet ad bene & ad mala, qui enim ſacrilege utitur illo, male utitur ad cultum Dei & perfectionem vitæ Chriſtianæ. Et ſic jam iſto ſenſu concludit arg. Si vero ſecundo ſenſu intelligatur, ſcilicet de bonitate vel malitia ſimpliciter in genere moris, etiam concludit: quia licet verum ſit de habitibus intellectualibus mere ſpeculativis, aut phyſice tantum practicis, ut eſt ſcientia & ars, quod poſſumus illis uti ad bene vel male moraliter; falſum eſt tamen de habitibus intellectualibus practicis moraliter. Porro character, cum non ſit qualitas intellectualis mere ſpeculativa, ſed in ordine ad opus ſeu practica, nec tantum phyſice practica, ſed etiam moraliter, quia, ut jam dictum eſt, eſt in materia morali ſcilicet cultus divini & perfectionis vitæ Chriſtianæ, ſi ad bene vel male in tali genere morali ſe habeat, ut de facto ſe habet, non erit habitus, ſed potentia: adeoque etiam hoc ſenſu concludit argumentum.

Prob. 2. (*Ib. o.*) Character eſt id, per quod homines per ſe primo ordinantur ad ea, quæ ſunt divini cultus ſecundum ritum Chriſtianæ Religionis: cultus autem divinus ſecundum ritum Chriſtianæ Religionis conſiſtit vel in recipiendo aliqua divina, vel in tradendo aliis: ſic per Baptiſmum & Confirmationem diſponimur ad recipienda alia Sacramenta, per Ordinem ad ea aliis tradenda. Atqui ad utrumque requiritur per ſe primo potentia; nam ad tradendam requiritur potentia activa, ad recipiendum potentia paſſiva. Ergo. Intellige potentiam phyſicam & phyſice operantem, & non tantum moraliter, ut quidam volunt. 1. Quia potentia moralis, qualis eſt v. g. in Judice vel Prætore, eſt relatio rationis ſeu denominatio extrinſeca tantum; character autem non eſt relatio rationis aut denominatio extrinſeca, ut probavimus. 2. Sacerdos conſecrans aut abſolvens concurrit inſtrumentaliter phyſice ad tranſubſtantiationem & abſolutionem, ut etiam ſuperius diximus. 3. Quia de potentia morali, qualis eſt in Judice ſeu Prætore, non poteſt dici quod ſit impreſſa animæ & quod ſit indelebilis, ſicut Concilia dicunt de charactere.

Si dicas cum Henno, quod operatio phyſica ſit ſuperflua, quia ad confitendum v. g. fidem coram Tyranno ſufficiunt habitus fidei & fortitudinis. R. hac ratione probari pariter eſſe ſuperfluum Sacramentum Confirmationis, ſine illo enim cum ſolis habitibus fidei & fortitudinis poſſet quis abſolute confiteri fidem coram Tyranno. Dicendum itaque, quod quamvis Chriſtus ſine Sacramentis & charactere potuiſſet abſolute nos ſalvare, voluit tamen per inſtitutionem Sacramentorum & impreſſionem characteris nos aptiores reddere non ſolum moraliter, ſed etiam phyſice ad ea, quæ ſunt divini cultus. Ecquis enim dicat Sacerdotem non aliam habere poteſtatem ſupra corpus Chriſti verum & myſticum, quam Prætor habeat ſupra cives. Dico 4. (*Ibid.*) Character non eſt per ſe directe in ſecunda ſpecie qualitatis, ſed reductive tantum. Prob. (*Ib.*) Hæc ſpiritualis potentia eſt inſtrumentalis; ſicut ſupra dictum eſt de virtute, quæ eſt in Sacramentis. Atqui virtus, quæ eſt in Sacramentis, non eſt in genere ſeu ſpecie per ſe & directe, ſed reductiva tantum, eo quod ſit quoddam incompletum. Ergo ſimiliter character non eſt per ſe directe in ſpecie qualitatis, ſed reductive tantum. Major patet, quia habere characterem Sacramenti competit Miniſtris Dei, Miniſter autem ſe habet per modum inſtrumenti, ut dicit Philoſophus 1. Polit.

Dices. Ideo virtus Sacramentorum, cui S. Th. comparat characterem, non ponitur directe per ſe in genere vel ſpecie, quia habet eſſe fluens & tranſiens. Atqui character habet eſſe permanens. Ergo non concludit ratio D. Thomæ. R. Virtutem Sacramentorum non ideo præciſe poni indirecte & reductive in genere vel ſpecie, quia habet eſſe fluens & tranſiens, ſed, cum ſit hujuſmodi, habet eſſe incompletum & imperfectum in ſuo genere ſeu in ratione virtutis: imperfectum autem reducitur ad perfectum ſui generis. Ex hoc autem, quod character ſit potentia inſtrumentalis & miniſterialis, eſt quid imperfectum in ſuo genere, hoc eſt in ratione principii & potentiæ; & in hoc facit vim S. Th. ideoque ſubſiſtit ejus paritas cum virtute Sacramentorum.

Contra 3. Concluſionem plurima proponuntur argumenta: ſed quia, ut ait Soto, hæc Quæſtio eſt in viſceribus metaphyſicis abſtruſa, & ideo cunctis moleſtior, quam Theologis neceſſaria, ideo ab his abſtinemus. Videri poſſunt apud Gonet, fuſiſſime apud Joan. a S. Th. Hic tamen notare juvat cum eodem Soto, quo ſenſu intelligenda ſint varia, quæ dicuntur de charactere. Dicitur enim quod ſit potentia, relatio, figura, lumen, ſignum, res & Sacramentum. Itaque ſecundum quidditatem & eſſentialem definitionem eſt qualitas, quæ eſt potentia ſupernaturalis: & hæc potentia eſt fundamentum relationum, quibus efficimur Chriſto ſimiles, Infidelibus diſſimiles: dicitur ſignum ratione Sacramenti ſenſibilis: dicitur lumen & figura metaphorice: dicitur tandem res & Sacramentum; res, quia cauſatur a Sacramento; Sacramentum, quia ratione Sacramenti ſenſibilis, ut dictum eſt, eſt ſignum ulterius gratiæ.

ARTICULUS III.

Variæ Quæſtiunculæ circa characterem breviter reſolvuntur.

PEtes 1. Utrum character ſit participatio Sacerdotii Chriſti? R. affirmative: (*Ib. a. 3. o.*) quia character, ut diximus, eſt id, per quod Fideles deputantur ad recipiendum vel tradendum ea, quæ ſunt cultus divini ſecundum ritum Chriſtianæ Religionis. Atqui omnis ritus Chriſtianæ Religionis derivatur a Sacerdotio Chriſti. Ergo.

Si quæras, utrum in Chriſto ſit character? R. negative. Quia character dicit poteſtatem diminutam, miniſterialem & participatam; in Chriſto autem eſt tota poteſtatis plenitudo & Sacerdotium ſupremum. Adde, quod notare characterem ſit proprium ſervorum, militum, membrorum & poſſeſſionum: Chriſtus autem eſt caput, Rex & Dominus omnium.

Petes 2. Quodnam ſit ſubjectum immediatum characteris? R. 1. (*Ib. a. 4. o.*) Character non ſubjectatur immediate in eſſentia animæ, ſed in ejus potentia. Quia character, ut diximus, eſt quoddam ſignaculum, quo homo inſignitur ad ſuſcipiendum vel tradendum aliis, quæ ſunt divini cultus. Atqui divinus cultus in quibuſdam actibus conſiſtit, & ad actus ordinantur potentiæ animæ, ſicut eſſentia ordinatur ad eſſe. Ergo character non ſubjectatur immediate in eſſentia animæ, ſed in ejus potentia.

Si dicas juxta definitiones Conciliorum Florent. & Trid. characterem imprimi in anima; R. imprimi in anima mediate, quia imprimitur in ejus potentia. R. 2. (*Ibid. ad 3.*) Character immediate ſubjectatur in intellectu practico, non in voluntate. Prob. (*Ibid.*) 1. pars. Character ordinatur ad ea, quæ ſunt divini cultus. Atqui cultus divinus conſiſtit in quadam proteſtatione fidei per exteriora ſigna. Ergo convenienter ponitur character in ea potentia, in qua eſt fides. Subſumo. Atqui fides eſt in intellectu, & quidem practico. Ergo. Prob. 2. pars. Voluntas eſt principium bonæ aut malæ operationis. Ergo & qualitates ipſi inhærentes reſpiciunt bonum aut malum. Subſumo. Atqui character, ut dictum eſt, abſtrahit a bono & malo. Ergo.

Dices. Exhibere cultum Deo eſt actus Religionis, quæ eſt in voluntate. Atqui character ordinatur ad cultum Dei. Ergo. R. D. Maj. Exhibere cultum Deo, ſi conſideretur cultus Dei ex parte noſtra ſeu ſubjecti, eſt actus Religionis, C. Si conſideratur ex parte objecti ſeu rerum, quibus exercetur hujuſmodi cultus, N. Explicatur. Cultus Dei poteſt conſiderari dupliciter: 1. Ex parte noſtra ſeu ſubjecti, & tunc eſt reverentia, quam Deo exhibemus, religioſe nos ſubjiciendo illi, eſtque ſic actus Religionis.

Secundo modo poteſt conſiderari ex parte objecti, ſeu rerum, quibus exercetur hujuſmodi cultus. Res autem illæ ſunt quidam ritus aut cæremoniæ, quibus ut valide factis proteſtando excellentiam Dei ſecundum fidem, quam de illo habemus, colitur. Et tales ritus, tales cæremoniæ, ut valide ſacramentaliter fiant, non ſunt actus Religionis, ſed reſpiciuntur a charactere. Unde non dixit S. Doct. quod character ordinetur ad cultum divinum, ſed ad ea, quæ ſunt cultus divini.

Petes 3. Utrum character ſit indelebilis? Quamvis hanc Quæſtionem a Conciliis Flor. & Trid. definitam jam oſtenderimus: attamen ad majorem elucidationem iterum examini ſubjicimus. Pro quo obſervandum eſt To *indelebilis* poſſe duplici ſenſu intelligi. 1. Reſpective ad omnipotentiam Dei, & hoc ſenſu certum eſt characterem poſſe deleri, ſicut ipſa anima & ejus potentiæ, in quibus ſubjectatur, poſſunt deſtrui a Deo. 2. Secundum Legem communem & attenta characteris natura. Et hoc ſenſu procedit Quæſtio. Unde

R. (*Ibid.*) Character eſt indelebilis. Prob. 1. (*Ibid.*) Character ſacramentalis, ut diximus, eſt participatio Sacerdotii Chriſti. Atqui Sacerdotium Chriſti eſt æternum, juxta illud Pſ. 109. *Tu es Sacerdos in æternum*. Ergo. Prob. 2. (*Ibid. ad* 1. *&* 2.) Character non poteſt deſtrui phyſice a ſuo contrario, quia cum ſit potentia, non habet contrarium; neque moraliter in pœnam peccati, quia etiam peccatoribus imprimitur; neque per accidens ad deſtructionem ſui ſubjecti, quia ejus ſubjectum ſcilicet anima ſecundum partem intellectivam eſt ſecundum ſe incorruptibilis. Ergo.

Dices. Gratia eſt participatio divinæ naturæ, quæ eſt æterna & immutabilis. Atqui hac non obſtante gratia non eſt indelebilis. Ergo nec character, quamvis ſit participatio æterni Sacerdotii Chriſti. R. D. Maj. (*Ib. d. ad* 3.) Gratia eſt participatio divinæ naturæ per modum formæ completæ C. Per modum formæ inſtrumentalis ut character, N. Gratia igitur eſt forma completa & datur animæ, ut eam mediante operetur tamquam cauſa principalis juxta ſuum liberum arbitrium, & ideo datur juxta conditionem animæ libere & mutabiliter operantis. At vero character eſt virtus inſtrumentalis, & ideo ſequitur conditiones agentis principalis, a quo natus eſt moveri; agens autem principale, ſcilicet Deus, eſt immutabile.

Replicabis. Sicut gratia, ſic charactere utimur, quando volumus. Ergo nulla diſparitas. R. D. Ant. Sicut gratia, ſic charactere utimur, quando volumus, ſed diverſo modo, C. & eodem modo, N. Etenim 1. homo gratia utitur ut cauſa principalis, charactere vero ut cauſa inſtrumentalis; & ideo gratia dependet a mobilitate voluntatis, non vero character. 2. Homo gratia utitur quando vult bene tantum, non vero quando vult male, tunc enim deſtruitur gratia; charactere vero utitur quando vult bene & male. Unde gratia habet contrarium ſcilicet peccatum per quod deſtruatur, non vero character.

Hinc colliges (*Hic q.* 64. *art.* 1. *c.*) characterem manere poſt mortem in Cœlo & in Inferno: quia quamvis poſt hanc vitam non maneat exterior cultus, remanet tamen finis hujus cultus; & ideo poſt hanc vitam remanet character in bonis ad eorum gloriam, in malis ad eorum ignominiam ſicut etiam character militaris remanet in militibus poſt adeptam victoriam, in his qui vicerunt ad gloriam, in his qui ſunt victi ad pœnam. Ex quo ulterius colliges, quod ſi Sacerdos reſuſcitaretur, non eſſet iterum baptizandus, neque confirmandus, neque ordinandus: ſecus de conjugibus reſuſcitatis, qui iterum forent copulandi, quia vinculum conjugale morte diſſolvitur ſecundum Apoſt. 1. Cor. 7.

DISSERTATIO V.

DE CAUSA SACRAMENTORUM.

Div. Thom. Quæſt. 64.

DUPLEX eſt Sacramentorum cauſa, inſtituens & exequens ſeu miniſtrans: de utraque in hac Diſſertatione agemus. 1. Et breviter de inſtitutore Sacramentorum. 2. Et fuſius de eorum Miniſtro.

ARTICULUS I.

Utrum omnia novæ Legis Sacramenta ſint immediate inſtituta a Chriſto?

SUPPONO 1. (*Hic q.* 64. a. 1. c.) Solum Deum per auctoritatem propriam eſſe Auctorem principalem omnium Sacramentorum; quia ille ſolus poteſt auctoritate propria conferre rebus ſenſibilibus virtutem cauſandi gratiam; quæ eſt ſuæ naturæ participatio. Suppono 2. Ex communi ſententia Theologorum Sacramenta tam legis naturæ quam legis ſcriptæ fuiſſe immediate a Deo inſtituta. Moyſen autem & Angelos fuiſſe tantum illorum ſicut & ipſius legis promulgatores. In lege ſcripta patet de Circumciſione Gen. 17. de aliis in Exodo & Levitico. Idem dicendum eſt de Sacramentis legis naturæ; cum nullum ſit fundamentum dicendi, quod Deus alicui fecerit poteſtatem illa inſtituendi. Neque refert, quod tunc homines determinarent ſigna ſenſibilia, in quibus conſiſtebant Sacramenta; quia qui hæc ſigna determinabant, non eis conferebant vim ſignificandi aut cauſandi gratiam, quod requiritur ad inſtitutionem Sacramenti, ſed ſolus Deus, qui ſtatuerat ſanctificare homines per ſigna ſenſibilia ab ipſis determinanda. Determinabant igitur tunc homines materiam Sacramenti, ſed Sacramentum non inſtituebant.

Quæſtio eſt itaque de Sacramentis novæ Legis. Non omnia eſſe a Chriſto immediate inſtituta contenderunt quidam antiqui Theologi. Hugo Vict. & Magiſter ſent. cenſuerunt Extremam-Unctionem poſt Aſcenſionem Chriſti ab Apoſtolis fuiſſe inſtitutam. Alexander Alenſis & S. Bonavent. docuerunt Confirmationem inſtitutam fuiſſe ab Eccleſia in Concilio Meldenſi ann. 845. cum tamen in ejus Canonibus nihil de inſtitutione Confirmationis legatur: ſed dumtaxat Can. 44. prohibeatur Chorepiſcopis Confirmationem conferre. Can. 45. vetatur Epiſcopis propter ſacrum Chriſma aliquid muneris accipere. Can. 46. præcipitur, ut nemo ſacrum Chriſma niſi in feria quinta majoris hebdomadæ conficere præſumat. Contra hos itaque juxta ſententiam nunc communiter receptam,

Dico. (*Ibid.* a. 4. *ad* 1. *&* 3.) Omnia novæ Legis Sacramenta fuerunt immediate a Chriſto inſtituta. Prob. 1. Argumento in Scripturis fundato. Si cui mortalium Chriſtus contuliſſet poteſtatem inſtituendi Sacramenta, maxime Apoſtolis, qui poſt Chriſtum lapidem angularem ſunt Eccleſiæ Fundatores. Atqui non contulit Apoſtolis. Ergo nemini. Prob. Min. Apoſtoli in Scripturis pluries ſe dicunt Miniſtros & Diſpenſatores Sacramentorum, nuſquam Inſtitutores. Sic 1. Cor. 3. dicit Apoſt. *Quid igitur eſt Apollo? quid vero Paulus? Miniſtri ejus cui credidiſtis*. Et c. 4. *Sic nos exiſtimet homo ut Miniſtros Chriſti, & Diſpenſatores myſteriorum Dei*. 1. Petri 4. Omnes Eccleſiæ Rectores vocantur *Diſpenſatores multiformis gratiæ Dei*. Ergo. Conf. 1. S. Lucas Act. 1. narrat Chriſtum poſt Reſurrectionem per 40. dies converſatum fuiſſe cum Apoſtolis, loquentem de regno Dei, id eſt de Eccleſia Dei ædificanda & adminiſtranda; ædificatur autem & adminiſtratur Eccleſia per Fidem & Sacramenta. Unde S. Leo ſerm. 1. de Aſcenſ. c. 2. dicit; *Non ergo ii dies, dilectiſſimi, qui inter Reſurrectionem Domini, Aſcenſionemque fluxerunt, otioſo tranſiere decurſu; ſed magna in eis confirmata Sacramenta, magna ſunt revelata Myſteria*. Conf. 2. Nullum eſt Sacramentum, cujus mentio non habeatur in Scripturis, ut jam alibi vidimus, & infra probabimus, dum de ſingulis agemus. Ergo par eſt eorum inſtitutionem immediate ad Chriſtum referre. Item Sacramenta veteris Legis, infirma & egena elementa, fuerunt immediate a Deo inſtituta, quidni Sacramenta novæ Legis longe præſtantiora & efficaciora.

Prob. 2. Ex Patribus. S. Ambroſ. l. de Sacram. c. 4. *Auctor Sacramentorum*, inquit, *quis eſt, niſi Dominus Jeſus? de Cœlo iſta Sacramenta venerunt*. Aug. l. de vera Relig. c. 17. *Ab ipſa Dei ſapientia homine aſſumpto, a quo in libertatem vocati ſumus, pauca Sacramenta ſaluberrima conſtituta ſunt, quæ ſocietatem Chriſtiani populi, hoc eſt ſub uno Deo liberæ multitudinis continerent*. Idem Ep. 118. ad Januarium. Hæc autem intelligi debere de inſtitutione immediata patebit ex modo dicendis.

Prob. 3. Auctoritate Concilii Trid. ſeſſ. 7. Can. 1. qui ſic legitur: *Si quis dixerit Sacramenta novæ Legis non fuiſſe omnia a Jeſu Chriſto inſtituta ... Anathema ſit*. Ubi quamvis particula *immediate* ſit omiſſa, eam tamen eſſe de mente Concilii ſequentibus momentis evincuntur. 1. Ex communi ſenſu & modo loquendi ille dicitur inſtituere, qui per ſe immediate inchoat, ſtatuit, determinat, inſtituit: ſicut ille dicitur præcipere, qui per ſe immediate præcipit. Unde ſicut quæ præcipit Eccleſia, non dicuntur præcepta a Chriſto, licet Eccleſia præcipiat auctoritate a Chriſto delegata; ita nec Sacramenta dicerentur inſtituta a Chriſto, ſi eſſent inſtituta ab Eccleſia, quamvis auctoritate a Chriſto delegata.

Si dicas: Chriſtus dicebatur operari miracula, quæ Apoſtoli ejus virtute operabantur; Deus dicitur efficere, quæ

per cauſas ſecundas efficit. Ergo ſimiliter poteſt dici inſtituiſſe Sacramenta, quæ Apoſtoli vel Eccleſia ejus auctoritate inſtituerunt. R. N. Conſeq. Quia ex uſu loquendi, dum nomino cauſam efficientem, abſtraho a cauſa immediata vel mediata, dum autem nomino inſtitutorem, intelligitur is, qui ſtatuit, determinat, & eſt Auctor immediatus, ſicut dictum eſt de eo, qui præcipit. Non enim, v. gr. de ritibus & cæremoniis Sacramentorum ab Eccleſia inſtitutis dicimus, quod Chriſtus illos inſtituerit, quamvis Eccleſia ſtatuerit poteſtate ſibi a Chriſto commiſſa, & hoc maxime verum eſt juxta modum loquendi Concilii. Nam

2. Concilium ſeſſ. 14. Can. 1. definit Extremam Unctionem, de qua eſt præcipue difficultas, fuiſſe inſtitutam a Chriſto, & a Jacobo promulgatam: non dicit explicite a Chriſto immediate inſtitutam, & nullus dubitat ſic intellexiſſe: nam ſi eſſet inſtituta immediate a S. Jacobo & eo mediante a Chriſto, non eſſet ratio, cur ſola promulgatio tribueretur Jacobo, & inſtitutio ſoli Chriſto. Ergo pariter cum ſuperius dixit omnia Sacramenta eſſe inſtituta a Chriſto, intelligit *immediate*. 3. Eccleſia aliqua Sacramenta inſtituiſſet, poſſet eorum ſubſtantialia mutare, ſicut poteſt mutare eorum ritus, quos inſtituit. Atqui id diſerte negat Trid. ſeſſ. 21. cap. 2. declarans eſſe in Eccleſia poteſtatem mutandi ritus Sacramentorum *ſalva eorum ſubſtantia*. Ergo.

Suadetur (*Ibid.*) Concluſio congruentiis; ratio enim a priori eſt voluntas Chriſti. 1. Non erat congruum Sacramenta inſtitui ab hominibus propter utilitatem Fidelium, ne ſpem ponerent in homine, a quo haberent Sacramenta. 2. Ne propter diverſitatem Sacramentorum Schiſma in Eccleſia orietur, ſicut contigit illis, qui 1. Cor. 1. dicebant: *Ego ſum Pauli: Ego autem Apollo: Ego vero Cephæ*: 3. Ne in Eccleſia eſſent multa capita. 4. Chriſtus eſt fundator Eccleſiæ; Eccleſia autem fundatur per Fidem & Sacramenta, priuſque debet eſſe fundata quam inſtituantur Miniſtri in ea operaturi.

Obj. 1. Aug. l. 3. de Doct. Ch. c. 9. dicit de Sacramentis: *Ipſe Deus & Apoſtolica tradit Diſciplina*: 2. Idem Ep. 118. ad Januarium recenſens Baptiſmum & Euchariſtiam ut inſtituta a Chriſto, addit: *Et ſi quid aliud commendatur in Scripturis*. Quibus verbis videtur agnoſcere tantum duo Sacramenta a Chriſto inſtituta, aut ſaltem nonniſi ea, quorum inſtitutio refertur in Scripturis: 3. Auctor Sermonis de ablutione pedum apud Cyprianum, *Ipſe ſummus Sacerdos*, inquit, *ſui & Sacramenti inſtitutor & Auctor in cæteris Spiritum S. habuere Doctorem*. Ergo. R. ad 1. ſenſum Auguſtini eſſe, quod quæ Dominus tradidit ut inſtitutor, eadem Apoſtoli tradiderunt ut Promulgatores. Ad 2. Aug. ex pluribus refert duo Sacramenta exempli cauſa, & alia ſignificat, non quæ inſtituuntur, ſed quæ commendantur in Scripturis, ſive eorum inſtitutio referatur, ſive non: omnia autem commendari in Scripturis jam diximus, dum de effectu primario Sacramentorum, & iterum dicemus dum de ſingulis. Ad 3. dum iſte Auctor ait *Homines in cæteris habuiſſe Spiritum S. Doctorem*, non intelligit in cæteris Sacramentis: alioquin eſſet contra ipſos incipientes, qui ultra Euchariſtiam agnoſcunt alia Sacramenta, ſaltem Baptiſmum eſſe a Chriſto immediate inſtitutum, ſed in *cæteris*, quæ ſpectant Euchariſtiæ celebrationem, ut ſunt ritus, liturgiæ, jejunium &c. quæ ex Apoſtolica traditione habemus.

Petes 1. Utrum concluſio noſtra ſit de Fide: R. propter argumenta eduſta ex Trid. Bellarm. Becanus, Vaſques, Gonet & alii plures tenent partem affirmativam: negativam Eſtius; Soto, Card. Gotti, Tournely, Bert & alii, præſertim duo inſignes Theologi Flandri, qui Concilio interfuerunt, Jodocus Raveſtein in Apologia Decretorum Concilii adverſus Kemnitium, & Ruardus Tappetus in explicatione Articulorum Facultatis Theologicæ Lovan. hac ducti ratione, quod Concilium in ſua definitione non dixerit *immediate*: & quamvis ratiocinationibus Theologicis clare, ut nobis videtur, evincamus hanc eſſe ejus mentem, id tamen ad definitionem fidei ſufficere negant: carpuntque Bellarminum, quod dixerit inutilem fore definitionem Concilii, ſi non intelligeretur *immediate*: quia nullus unquam negavit Sacramenta eſſe a Chriſto mediate inſtituta: proferunt enim plures Hæreticos, qui affirmant Sacramenta quædam neque mediate neque immediate eſſe a Chriſto inſtituta, ſed eſſe otioſas ſuperſtitiones, commenta & deliramenta humana vel diabolica. His attentis, videtur probabile quidem, at non certum, concluſionem noſtram eſſe de fide; neque qui eam negaret, incurreret notam hæreſeos, ſed temeritatis tantum.

Petes 3. Utrum Chriſtus poteſtatem excellentiæ, ſecundum quam inſtituit Sacramenta, potuerit puro homini communicare? Chriſtus (*Ibid. o.*) in Sacramentis duplicem habuit poteſtatem, unam auctoritatis ſupremæ, quæ ipſi competit ſecundum quod Deus, & per quam agebat ut Auctor principalis in inſtitutione Sacramentorum: hanc nulli puræ creaturæ potuiſſe communicari, ſicut nec ipſam eſſentiam divinam, indubium eſt. Aliam habuit poteſtatem miniſterii principalis ſeu excellentiæ, quæ ipſi competit ſecundum quod homo conjunctus Verbo. Hæc excellentiæ poteſtas quatuor importat: (*Ib. & a. 3. o.*) 1. quod ejus meritum operetur in Sacramentis ad eorum effectum: 2. quod Sacramenta in ejus nomine adminiſtrentur: 3. quod potuerit inſtituere Sacramenta: 4. quod potuerit effectum Sacramenti, ſcilicet gratiam, ſine Sacramento, ſed ſolo imperio conferre. Quæſtio eſt, utrum hanc poteſtatem excellentiæ potuerit puro homini hypoſtatice Verbo non unito communicare?

R. Chriſtus (*Ibid. a. 4.*) poteſtatem excellentiæ, ſecundum quam inſtituit Sacramenta, potuit puro homini communicare, non tamen in ea perfectione & eminentia, quæ ſibi competit. Prob. 1. Pars. (*Ibid.*) Nulla eſt implicantia. 1. Quod Deus tantam gratiæ plenitudinem puro homini conferat, ut mereatur aliis gratiam non ſolum de congruo, ſed etiam de condigno, licet non rigoroſo, quod nullam ſupponit gratiam. 2. Et quia gratia ex ejus merito conferretur, quod Sacramenta in ejus nomine adminiſtrentur. 3. Quod poteſtate delegata & dependente a ſuprema inſtituat ſigna ſenſibilia, quibus annectat vim cauſandi gratiam. 4. Quod independenter ab his ſignis ſenſibilibus ſeu Sacramentis poſſit ſolo imperio & nutu, ſic diſponente Deo, conferre gratiam: in his, inquam, nulla apparet implicantia. Atqui in his ſita eſt poteſtas excellentiæ, ut patet ex notamine, Ergo. Conf. Quamvis ut homo dicatur inſtituere Sacramentum, non ſufficiat, quod determinet rem ſenſibilem, cui non ipſe, ſed Deus annectat vim ſignificandi ſeu cauſandi gratiam, ut fiebat in Lege naturæ; ſufficit tamen, ſi homo habeat poteſtatem huic ſigno ſenſibili a ſe determinato conferendi vim ſignificandi ſeu cauſandi gratiam. Atqui non repugnat, quod Deus puro homini poſſit talem poteſtatem delegare, cum in hac hypotheſi Deus ſemper eſſet Auctor & cauſa principalis gratiæ, homo vero cauſa miniſterialis tantum, principali ſubordinata. Ergo. Hanc doctrinam ante S. Th. tradiderat Aug. Tract. 5. in Joan. ubi ait: *Potuit Dominus, ſi vellet, poteſtatem dare alicui ſervo ſuo, ut daret Baptiſmum vice ſua, & transferre a ſe baptizandi poteſtatem, & conſtituere in aliquo ſervo ſuo; & tantam vim dare Baptiſmo tranſlato in ſervum, quantam vim haberet Baptiſmus datus a Domino. Hoc noluit ideo, ut in illo ſpes eſſet Baptizatorum, a quo ſe baptizatos agnoſcerent.*

Prob. 2. pars 1. Chriſtus ut homo eſt inſtrumentum conjunctum; purus homo quavis gratia polleret, eſſet inſtrumentum ſeparatum. 2. Chriſtus ratione hujus conjunctionis ad Divinitatem eſt principium meriti & ſatisfactionis infiniti valoris, quod puro homini competere non poteſt. Ergo quamvis poteſtas excellentiæ quoad ſubſtantiam poſſit communicari puro homini, non tamen in ea perfectione & eminentia, quæ eſt in Chriſto. Et quamvis Auctor hanc modificationem explicite non appoſuerit, clare tamen indicat ibid. ad 3. dicens, quod ſi Chriſtus hanc poteſtatem excellentiæ aliis communicaſſet, nihilominus *Ipſe eſſet caput principaliter, alii vero ſecundario*.

ARTICULUS II.

Quis ſit Sacramentorum Miniſter?

DICO. 1. (*Ibid. a. 7. o.*) De Lege ordinaria ſolus homo, non Angelus, eſt Sacramentorum Miniſter. Prob. In Scripturis, ubi agitur de Sacramentis, ſoli homines deſignantur eorum Miniſtri. Sic Chriſtus Luc. 22. ſolis hominibus dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*. Solis hominibus Matth. 28. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris*, &c. Solis hominibus Joan. 20. *Accipite Spiritum S., quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, Apoſt. Heb. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus*. Act. 20. *Poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*. Jacobi 5. *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Eccleſiæ*. Ergo. Ratio a priori (*Ibid.*) nulla eſt alia præter voluntatem Chriſti. Congruentiæ ſunt. 1. Miniſter principalis Sacramentorum eſt Chriſtus ut homo, ex cujus paſſione virtus Sacramentorum derivatur. Ergo conveniens erat, ut Miniſter minus principalis non foret ipſi ſuperior ſecundum naturam, qualis eſt Angelus. 2. Eccleſia eſt viſibilis, Sacramentis viſibilibus coadunatur, recipientes Sacramenta ſunt viſibiles: ergo congruum erat ut etiam per homines viſibiles adminiſtrarentur.

Dixi *de Lege ordinaria*: (*Ibid.*) quia de Lege extraordinaria & potentia Dei abſoluta Angeli poſſunt eſſe Sacramentorum Miniſtri. Sicut enim Deus virtutem ſuam non ſic alligavit Sacramentis, quin poſſit ſine Sacramentis effectum Sacramentorum conferre; ita etiam virtutem ſuam non ſic alligavit Eccleſiæ miniſtris, quin etiam Angelis poſſit virtutem tribuere miniſtrandi in Sacramentis. Et ita quandoque contigiſſe teſtantur variæ Hiſtoriæ. Sic teſte

Nice-

Digitized by Google

Nicephoro l. 11. c. 20. S. Amphilochius ab Angelis conſecratus fuit Iconii Epiſcopus, hancque Conſecrationem ratam habuerunt cæteri Epiſcopi. Teſte Clemente VIII. in Bulla Canonizationis S. Agnetis de Monte Politiano Angelus ei ſæpe porrexit Euchariſtiam. Teſte Petro de Natalibus l. 8. c. 130. & Molano ad 29. Sept. Baſilica S. Michaelis ab ipſo fuit conſecrata. Si dicas Angelos non vere loqui, cum tamen verba ſint neceſſaria ad Sacramenta. R. Angelos non vere loqui locutione vitali, poſſe tamen in aſſumpto corpore loqui locutione ſignificativa, quod ſufficit ad Sacramentum. Quod autem dixi tam in Concluſione, quam in exceptione de Angelis, idem propter eaſdem rationes dicendum eſt de animabus ſeparatis. Cæterum (*Ibid.*) obſervandum eſt, quod, quia boni Angeli ſunt nuntii veritatis, ſi aliquod ſacramentale miniſterium a bonis Angelis perficeretur, eſſet ratum habendum; quia deberet conſtare hoc fieri voluntate divina. Si vero dæmones, qui ſunt ſpiritus mendacii, aliquod ſacramentale miniſterium exhiberent, non eſſet ratum habendum.

Quidam ulterius anxie quærunt, utrum homo Beatus miraculoſe reſurgens in corpore glorioſo, aut apparens in aſſumpto, eſſet miniſter ordinarius, an extraordinarius Sacramentorum? R. Breviter fore miniſtrum extraordinarium, hoc ſenſu quod ſoli viatores ordinarie conficiant Sacramenta; quia propter neceſſitatem & frequentiam Sacramentorum Miniſter ordinarius debet nobiſcum ordinarie converſari: non fore tamen Miniſterium extraordinarium hoc ſenſu, quod indigeret potentia extraordinaria, ſed ſufficeret ordinaria vi inſtitutionis Chriſti abſque nova commiſſione; quia retineret characterem, & poſſet adhibere eſſentialia Sacramenti, ſcilicet materiam & formam, & ita ſupponit S. Th. hic ad 2. ſicque ut conferens Sacramentum pertineret ad Eccleſiam militantem, quamvis illud recipere non poſſet; quia recipere Sacramenta pertinet ad illos, qui gratiam non habent, vel habitam augere poſſunt, quod non competit Beatis. Neque refert Chriſtum in inſtitutione Sacramentorum allocutum fuiſſe Viatores, ut vidimus ſupra, non enim ideo ad ſolos viatores poteſtatem reſtrinxit: ſicut licet ſolos præſentes ſit allocutus, non tamen ad ſolos præſentes poteſtatem coarctavit; ſed abſolute conceſſit præſentibus & eorum ſucceſſoribus, nulla appoſita conditione ſtatus viæ.

Sic dicas inſuper inde ſequi, quod Sacerdos vel Epiſcopus damnatus cum corpore, poſſet conſecrare aut ordinare. R. Poſſe quidem; at Deus hujus poteſtatis exercitium non permittit: ſicut multa poſſunt dæmones, quæ Deus fieri non permittit.

Dico 2. Non omnes Chriſtiani habent poteſtatem adminiſtrandi omnia Sacramenta. Eſt de fide contra Lutherum, qui quamvis fateatur neminem niſi legitime vocatum poſſe uſum ſacri Miniſterii ſibi arrogare, contendit tamen poteſtatem Miniſterii omnibus baptizatis, etiam mulieribus & pueris, eſſe conceſſam: cum e contra Calvinus eam ita reſtringat, ut ne quidem urgente neceſſitate permittat Laicis baptizare. Veritas catholica eſt neminem eſſe idoneum Sacramentorum Miniſtrum, excepto Baptiſmo in caſu neceſſitatis, & matrimonio, in ſententia Auctoris, niſi qui per legitimam Ordinationem ad id acceperit poteſtatem.

Prob. 1. ex Conc. Trid. 7. Can. 10. ubi definitur: *Si quis dixerit Chriſtianos omnes in verbo & in omnibus Sacramentis adminiſtrandis habere poteſtatem, anathema ſit*. Prob. 2. Juxta Scripturam diverſa officia in Eccleſia diverſis committuntur, *Ut non ſit ſchiſma in corpore*: 1. Cor. 12. Et ideo Chriſtus in Eccleſia conſtituit quoſdam Apoſtolos, quoſdam Paſtores, quoſdam Doctores *in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti*. Epheſ. 4. Neque quiſquam hunc honorem ſibi vindicare poteſt, niſi *Qui vocatur a Deo tamquam Aaron*. Hebr. 5. Atqui ſi omnes fideles haberent poteſtatem adminiſtrandi & conficiendi quodlibet Sacramentum, nullum eſſet diſcrimen inter membra Eccleſiæ, omnes haberent eundem actum, idem officium, nulla foret inter eos ſubordinatio & compago, omneſque ſibi aſſumerent hunc honorem non ſpecialiter a Deo vocati tamquam Aaron. Ergo. Neque dicas Apoſtolum loqui de uſu, non de poteſtate. Loquitur enim de poteſtate, quam Apoſtoli a Chriſto, Aaron a Deo acceperunt; idque confirmat exemplo Chriſti ibid. Hebr. v. 5. qui, inquit, *Non ſemetipſum clarificavit, ut Pontifex fieret, ſed qui locutus eſt ad eum: filius meus es tu: ego hodie genui te*. Chriſtus autem non uſum tantum, ſed & poteſtatem a Deo accepit.

Prob. 3. ex perpetua praxi Eccleſiæ, quæ nunquam ad Sacramentorum adminiſtrationem, excepto Baptiſmo, niſi legitime ordinatos admiſit. Unde celebris Oſius Cordubenſis apud Athanaſium in Ep. ad Imperatorem Conſtantium dicit: *Non te immiſceas rebus Eccleſiaſticis, nec nobis his de rebus præcepta mandes, ſed a nobis potius hæc ediſcas. Tibi Deus imperium tradidit, nobis Eccleſiaſtica concredidit*. Ergo. Prob. 4. Si in veteri Lege, non fuit licitum ſe immiſcere ſacris Miniſteriis, niſi iis, qui erant de Stirpe Aaron; unde Rex Oſias 2. Paralip. 26. fuit ſevere punitus, quod uſurparet Sacerdotum munia: quidni a fortiori in nova Lege, in qua ſacratiora ſunt Miniſteria? Item in omni Republica, in omni Regno bene ordinato non omnes idem officium, eandem poteſtatem accipiunt a Rege, ſed diverſi diverſam; quidni a fortiori in Eccleſia inter omnes Reſpublica ordinatiſſima?

Obj. cum Hæreticis. Omnes Chriſtiani ſunt Sacerdotes; omnes enim 1. Petri 2. dicuntur *Genus electum, regale Sacerdotium*. Et Apocal. 1. S. Joan. dicit: *Fecit nos Regnum & Sacerdotes Deo Patri ſuo*. Ergo. R. D. Ant. Omnes Chriſtiani ſunt Sacerdotes vere & proprie per ordinationem ad ſacra munia obeunda, N. Metaphorice, quatenus offerunt Deo ſpirituales Hoſtias, quæ ſunt bona opera, C. Ita ſeipſum explicat S. Petrus ibid. v. 5. *Ipſi*, inquit, *tamquam lapides vivi ſuperædificamini, domus ſpiritualis, Sacerdotium ſanctum, offerre ſpirituales Hoſtias, acceptabiles Deo per Jeſum*. Adde Fideles dici Sacerdotes eodem ſenſu, quo ibidem dicuntur Reges: manifeſtum eſt autem dici Reges metaphorice, quatenus dominantur ſuis cupiditatibus.

Inſt. 1. Chriſtus in ultima cœna Luc. 22. omnibus Fidelibus in perſona Apoſtolorum præſentium dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*. Atqui per hæc verba Apoſtoli ſunt inſtituti veri Sacerdotes. Ergo. R. D. Maj. Si hæc verba intelligantur de ſola receptione Euchariſtiæ, C. Si intelligantur de ipſa Conſecratione, N. Alioquin omnes Fideles non ſolum poſſent, ſed etiam tenerentur conſecrare, cum ibi ſit præceptum: quod tamen negant ipſimet Hæretici. Sed de hoc alibi.

Inſt. 2. Omnes Chriſtiani ſunt Fratres Chriſti. Atqui Chriſtus eſt vere & proprie Sacerdos. Ergo & omnes Chriſtiani. R. D. Maj. Omnes Chriſtiani ſunt Fratres Chriſti per adoptionem, C. Per naturam, N. Non autem eadem ſunt jura Fratrum adoptatorum & naturalium: imo neque Fratres naturales in familia bene inſtituta habent eundem locum & eadem munia.

Inſt. 3. Chriſtus Matth. 20. damnat iſtam diverſitatem graduum inter Paſtores & Plebem. Dicit enim: *Qui voluerit inter vos major fieri, ſit veſter Miniſter*. Ergo. R. N. Ant. Ad Prob. Chriſtus ibi commendat humilitatem increpando immoderatam cupiditatem Filiorum Zebedæi; non vero evertit Hierarchiam Eccleſiaſticam. At, ut jam monui, hæc materia iterum redibit ubi de ſingulis Sacramentis.

Petes, utrum Miniſter active concurrat ad effectum Sacramenti: R. affirmative: (*Ibid. a. 3. c.*) quia eadem eſt ratio miniſtri & inſtrumenti; utriuſque enim actio exterius adhibetur, & ſortitur effectum ex virtute principalis agentis, quod eſt Deus. Atqui Sacramenta active concurrunt ad effectum. Ergo & miniſtri. Et ideo Sacerdotes dicuntur vere abſolvere, baptizare, &c.

ARTICULUS III.

Utrum per malos miniſtros Sacramenta valide conferri poſſint?

PEr malos Miniſtros intelligimus eos omnes, qui non ſunt in ſtatu gratiæ, tam Infideles & Paganos quam Fideles, tam Hæreticos quam Catholicos, ſive ſint excommunicati, ſuſpenſi aut degradati, ſive non. Poſſet equidem proponi duplex Quæſtio, altera de probitate, altera de fide Miniſtri, ut facit auctor hic a. 5. & 9. & plures alii; ſed propter affinitatem, utramque conjungimus: utriuſque enim ſunt fermo eædem rationes, & una ſequitur ex altera. Si namque fides non requiritur in Miniſtro ad validitatem Sacramenti, ſequitur, quod non requiratur ſtatus gratiæ, qui ſine Fide haberi non poteſt.

Sæculo 3. exortus eſt error aſſerens non eſſe vera Sacramenta ab Hæreticis & Schiſmaticis collata. Hujus erroris primus Auctor fuit Agrippinus, unus ex Prædeceſſoribus S. Cypriani in Sede Carthaginenſi circa an. 217. ut teſtatur Aug. l. 2. de Bapt. c. 7. & 8. & Vincentius Lirinenſis in Commonit. c. 9. Hunc Agrippinum ſecutus eſt S. Cyprianus cum pluribus Epiſcopis tum Aſiæ cum Africæ; licet etiam multi reluctarentur. Hinc acris concertatio inter Cyprianum & Stephanum Papam circa validitatem Baptiſmi ab Hæreticis collati. De qua abunde infra in Digreſſ. Hiſtorica.

Seculo 4. Ineunte, Donatiſtæ ut prætextum haberent rejiciendi conſecrationem Cæciliani in Epiſcopum Carthaginenſem factam a Felice Aptunginato, quem traditionis ſacrorum Codicum inſimulabant, dixerunt Sacramenta collata ab Hæreticis extra Eccleſiam, aut ab improbis intra Eccleſiam, eſſe nulla. Deinde ſuum dogma emollientes diſtinxerunt inter peccatorem occultum & publicum; & Sacramenta ab occulto peccatore, non a publico valida eſſe dixerunt. Ita refert Aug. l. 2. contra Ep. Parmen. c. 13. Poſtea Albigenſes & Valdenſes Sacramenta a quocumque malo Miniſtro collata rejecere. Ulterius proceſſit VVi-

Digitized by Google

cleſiſtę ea tantum Sacramenta valida cenſuerunt, quæ a Miniſtris prædeſtinatis conferrentur. Contra quos omnes

Dico. (*Hic a. 5. & 9.*) Mali Miniſtri etiam Hæretici, imo & Pagani valide conficiunt Sacramenta, modo alioquin omnia ad illorum validitatem neceſſaria adhibeant, materiam ſcilicet, formam & intentionem faciendi, quod facit Eccleſia. Concluſio quantum ad Paganos ſpectat tantum Baptiſmum; hoc enim ſolum Sacramentum poteſt ab illis confici. Quantum ad peccatores & hæreticos ſpectat etiam alia Sacramenta, ſi ſint legitime ordinati. Unde Sacerdos vel Epiſcopus peccator ſeu hæreticus valide baptizat, confirmat, conſecrat, &c.

Prob. 1. ex Scriptura. Joan. 1. de Chriſto dicitur: *Hic eſt, qui baptizat in Spiritu ſancto*. Quibus verbis non ſignificatur Chriſtum ſolum eſſe miniſtrum Sacramenti; ſi quidem etiam ejus Diſcipuli baptizabant, ſed poteſtatem Baptiſmi ad ipſum ſolum pertinere, miniſterium autem ad Apoſtolos. Atqui malus miniſter non poteſt impedire poteſtatem Domini. Ergo. Ita ratiocinatur Auguſt. Tract. 5. in Joan. addens: *Quid tibi facit malus miniſter, ubi bonus eſt Dominus?* Conf. Qui baptizati erant Baptiſmo Joannis, iterum debebant baptizari Baptiſmo Chriſti; qui autem erant baptizati a Juda Baptiſmo Chriſti, non iterum baptizabantur. Ergo Baptiſma Chriſti a perverſo etiam miniſtro collatus eſt validus, quoniam ſemper eſt Baptiſma Chriſti, qui baptizat in Spiritu S. Ita Aug. ibid. *Dedit Judas*, inquit, *& non baptizatum eſt poſt Judam: dedit Joannes, & baptizatum eſt poſt Joannem: Quia ſi datus eſt a Juda, Baptiſmus Chriſti erat; qui autem a Joanne datus, Joannis erat ... Sic ergo quos baptizavit ebrioſus, quos baptizavit homicida, quos baptizavit adulter, ſi Baptiſmus Chriſti erat, Chriſtus baptizavit. Non timeo adulterum, non ebrioſum, non homicidam: quia columbam attendo, per quam mihi dicitur*, Hic eſt qui baptizat.

Prob. 2. Ex traditione conſtanti Eccleſiæ. Hæc autem Traditio conſtat 1. Ex ſolemni Reſcripto Stephani Papæ, quod refert S. Cyprianus Ep. 74. ad Pompejum his verbis: *Si quis a quacumque hæreſi venerit ad vos, nihil innovetur, niſi quod traditum eſt, ut manus illi imponatur in Pœnitentiam*. 2. Ex Aug. qui l. 2. de Bapt. contra Donat. c. 9. dicit: *Conſuetudinis robore tenebatur orbis terrarum, & hæc ſola opponebatur inducere volentibus novitatem*. 3. S. Cyprianus ipſe agnovit hanc conſuetudinem & traditionem in Eccleſia, eamque impugnare conatur; Ep. 71. ad Quintum, *Non eſt*, inquit, *de conſuetudine præſcribendum, ſed ratione vincendum*. Epiſt. 74. ad Pompejum; *Conſuetudo ſine veritate, vetuſtas erroris eſt*. Ep. 73. ad Jubajanum: *Sed dicet aliquis: Quid ergo fiet iis, qui in præteritum de hæreſi ad Eccleſiam venientes ſine Baptiſmo admiſſi ſunt?* Quo in loco, inquit Aug. l. 2. de Bapt. c. 9. *Aperte indicat fuiſſe aliam conſuetudinem Eccleſiæ*. Et c. 7. probat contra eundem Cap. hanc conſuetudinem eſſe *Ex Apoſtolica Traditione* derivatam, quia *quæ per univerſam cuſtodiuntur Eccleſiam, nonniſi ab ipſis tradita & commendata creduntur*.

Prob. 3. Ex Conciliis, quæ ſuis definitionibus Traditionem hanc firmarunt, & Concluſionem noſtram decretorie aſſeruerunt. Concilium Arelatenſe anno 314. can. 8. *De Afris*, inquit, *quod propria lege ſua utuntur ut rebaptizent, placuit, ut ſi ad Eccleſiam aliquis de hæreſi venerit, interrogent eum Symbolum; & ſi perviderint eum in Patre, & Filio, & Spiritu S. eſſe baptizatum, manus ei tantum imponantur ... Quod ſi interrogatus non reſponderit hanc Trinitatem, baptizetur*.

Concilium generale Nicænum 1. an. 325. Can. 19. decernit rebaptizandos eſſe Paulianiſtas, qui formam Baptiſmi non ſervabant, ut tradunt Aug. lib. de Hæreſibus c. 44. Hieron. in Dialogo adverſus Luciferianos, & Innoc. I. Ep. 22. ad Epiſcopos Macedoniæ c. 5. Canone autem 8. jubet Catharos ſeu Novatianos, qui formam ſervabant, admitti per ſolam manuum impoſitionem. Ex quo evidenter ſequitur omnium Hæreticorum Baptiſma, præter Paulianiſtarum & eorum, qui non ſervabant formam, ex mente Concilii eſſe admittendum.

Concilium Conſtantinop. 1. ſecundum generale an. 381. Can. 7. decernit non eſſe rebaptizandos Arianos, Macedonianos, Novatianos, Sabbatianos, Teſſareſdecatitas & Apollinariſtas; ſed Eunomianos, Montaniſtas ſeu Phryges & Sabellianos: quia nempe primi ſervabant ritum eſſentialem Sacramenti, non poſteriores. De Eunomianis teſtantur Sozomenus l. 6. c. 26. & Theodoretus l. 4. hæret. Fab. De Montaniſtis Greg. Naz. Orat. 14. de Pace. De Sabellianis Aug. Hier. Innoc. I. paulo ſupra citati. Conc. Conſtantienſe Seſſ. 45. damnat hunc Art. 4. VViclefi: *Si Epiſcopus vel Sacerdos exiſtat in peccato mort. non ordinat, non conficit, non conſecrat, non baptizat*. Conc. Trid. ſeſſ. 7. Can. 12. *Si quis dixerit miniſtrum in peccato mortali exiſtentem, modo omnia eſſentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, ſervaverit, non conficere Sacramentum, anathema ſit*. Et ibidem Can. 4. de Bapt. *Si quis dixerit Baptiſmum, qui etiam datur ab Hæreticis in nomine Patris & Filii & Spiritus S. cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia, non eſſe verum Baptiſmum, anathema ſit*.

Prob. 4. ex ſummis Pontificibus. Præter Stephanum jam laudatum, qui tam conſtanter reſtitit Cypriano & aliis rebaptizantibus, Siricius deſinente ſæculo 4. Ep. ad Himerium Tarraconenſem. *Prima itaque*, inquit, *paginæ tuæ fronte ſignaſti, baptizatos ab impiis Arianis plurimos ad Fidem Catholicam feſtinare, & quoſdam de Fratribus noſtris eoſdem denuo baptizare velle, quod non licet: cum hoc fieri & Apoſtolus vetet, & Canones contradicant*. Innoc. I. ineunte ſæculo 5. Ep. ad Victricium Rothomagenſem can. 8. dicit: *Ut venientes a Novatianis vel Montenſibus per manus tantum impoſitionem ſuſcipiantur: Quia quamvis ab Hæreticis, tamen in Chriſti nomine ſunt baptizati*. Nicolaus I. ad conſulta Bulgarorum c. 104. *A quodam Judæo*, inquit, *ne ſcitis utrum Chriſtiano, an Pagano, multos in Patria veſtra baptizatos aſſeritis; & quid debis ſit agendum conſulitis. Hi profecto ſi in nomine ſanctæ Trinitatis ... baptizati ſunt, conſtat eos non eſſe denuo baptizandos*. Cap. Romanus de Conſecr. Diſt. 4. dicitur: *Romanus Pontifex non hominem judicat qui baptizat, ſed Spiritum Dei ſubminiſtrare gratiam Baptiſmi, licet Paganus ſit, qui baptizat*. Eugenius IV. in Decreto unionis: *In caſu neceſſitatis etiam Paganus & Hæreticus baptizare poteſt*.

Prob. 5. (*Ibid.*) Rationibus Theologicis. Miniſtri Sacramentorum inſtrumentaliter operantur in Sacramentis; eſt enim eadem ratio inſtrumenti & miniſtri. Atqui inſtrumentum non agit ſecundum propriam formam aut virtutem, cui intendat aſſimilare effectum, ſed ſecundum virtutem principalis agentis, a quo movetur, & ideo accidentarium eſt inſtrumento, in quantum eſt inſtrumentum, qualemcumque formam habeat, præter id quod exigitur ad rationem inſtrumenti. Sicut per accidens eſt, quod corpus medici, quod eſt inſtrumentum animæ habentis artem, ſit ſanum vel infirmum; quod fiſtula, per quam tranſit aqua ſit argentea vel plumbea. Ergo quamvis miniſter Sacramenti ſit ſine fide vel gratia, valide confert Sacramentum. Conf. (*Ib. a. a. 5. ad 2.*) Artifex poteſt operari per inſtrumentum carens vita & a ſe ſeparatum quantum ad corporis unionem, modo ſit conjunctum per quamdam motionem; ſic enim agit non ſolum per manum, ſed etiam per ſecurim. Ergo pariter Chriſtus, qui eſt principalis Artifex Sacramentorum, poteſt in illis agere per fideles & bonos miniſtros tanquam per membra viventia, & per infideles & malos tamquam per inſtrumenta mortua.

Ad has Auctoris rationes reducuntur pro majori parte argumenta, quibus Aug. premebat Donatiſtas. Illos etiam urgebat ſic ex eorum principiis. Ideo ſecundum Donatiſtas Baptiſmus Hæretici eſt nullus, quia Hæreticus Spiritum S. quem non habet, aliis dare non poteſt. Atqui hæc ratio fundamentalis ex eorum principiis eſt nulla. Ergo. Prob. Minor. Secundum Donatiſtas Baptiſmus peccatoris occulti eſt validus. Atqui tamen peccator occultus non habet Spiritum S. Ergo.

Arguebat inſuper ab abſurdis. 1. Si virtus & validitas Sacramenti ex meritis Miniſtrorum pendeat, erunt diverſa Sacramenta pro diverſitate meritorum in Miniſtris. 2. Erit perpetuo incertitudo & anxietas circa ſalutem; quis enim poteſt eſſe certus de fide vel probitate Miniſtri? 3. Juſtior debet eſſe, qui a meliore Sacramentum recipit.

Solvuntur Objectiones ab auctoritate.

PRo ſolutione Objectionum diſtinguendum eſt 1. inter Hæreticos, qui formam Sacramenti adulterant, & inter eos, qui illam ſervant. Eccleſia rejicit Sacramenta collata a prioribus, recipit a poſterioribus. Diſtinguendum 2. inter Sacramentum, & effectum Sacramenti ſeu gratiam. Miniſter hæreticus confert Sacramentum & effectum Sacramenti quantum eſt ex ſe, & ſi non ſit obex ex parte recipientis: ſed quia recipiens conſentiendo hæreſi miniſtrantis, aut abſque hujuſmodi conſenſu recipiendo ab eo Sacramentum extra caſum neceſſitatis, peccat mortaliter, inde ponit obicem gratiæ; & ideo recipit quidem Sacramentum, ſed non effectum Sacramenti. Ex defectu hujus diſtinctionis non ſatis explicatæ exarſit famoſum illud diſſidium inter Stephanum Papam, & S. Cyprianum cæteroſque rebaptizantes, ut obſervat Aug. l. 6. contra Donatiſt. c. 1. *Non ob aliud*, inquit .... *viſum eſt quibuſdam etiam egregiis viris Antiſtibus Chriſti, inter quos præcipue eminebat B. Cyprianus, non eſſe poſſe apud Hæreticos vel Schiſmaticos Baptiſmum Chriſti, niſi quia non diſtinguebatur Sacramentum ab effectu vel uſu Sacramenti: & quia ejus effectus atque uſus in liberatione a peccatis & cordis rectitudine apud Hæreticos non inveniebatur, ipſum quoque Sacramentum non illic eſſe putabatur*. His obſervatis,

Obj. 1. Ex Scripturis. 1. Eccleſ. c. 34. dicitur: *Qui baptizatur a mortuo, quid proficit lavatio ejus?* 2. Aggæi 2. dici-

dicitur contaminati *Quidquid tetigerit pollutus in anima*. 3. Eccl. 10. *Muſcæ morientes perdunt ſuavitatem unguenti*. 4. Sap. 1. *Spiritus Sanctus diſciplinæ effugit fictum*. Jerem 23. *Quid paleis ad triticum?* Id eſt, quid impiis ad Euchariſtiam. 6. Pſ. 140. *Oleum peccatoris non impinguet caput meum*. 7. Matt. 7. *Non poteſt arbor mala bonos fructus facere*. 8. Joan 10. *Peccatores Deus non audit*. 9. Ibidem 9. Mali ſunt *ex Patre diabolo*. Chriſtus autem non influit niſi in membris ſuis. Ergo. R. 1. Hæc omnia, quæ ſunt Donatiſtarum argumenta, in ipſos poſſe retorqueri, quippe qui concedebant peccatores ſaltem occultos valide Sacramenta conficere; quibus tamen aptari poſſunt omnes hi textus laudati. R. 2. breviter ad ſingula. Ad primum. 1. Qui baptizatur a peccatore ſeu hæretico, baptizatur quid a mortuo tamquam ab iſtrumento, at baptizatur a Chriſto vivente tamquam a cauſa principali. Ita Aug. l. 2. contra Ep. Petil. c. 7. Inſuper fatemur baptizato ab hæretico non prodeſſe Baptiſmum, niſi tranſeat ad corpus Chriſti, quod eſt Eccleſia. Ita Auguſt. l. 2. contra Creſcon. c. 28. 2. Textus Scripturæ non refertur fideliter; habetur enim: *Qui baptizatur a mortuo, & iterum tangit eum, quid prodeſt lavatio illius?* Cujus ſenſus litteralis eſt: qui lotus eſt ab immunditia legali orta ex contactu mortui, quid prodeſt ei lavatio, ſi iterum tangat mortuum? Senſus ſpiritualis, quid prodeſt emundatio a delictis ei, qui relabitur in illa? Ad 2. contaminari dicitur, quod tangit pollutus, *Si ſolus ſit tactus, & non interveniat invocatio nominis Dei; nam ſi ſit invocatio nominis Dei, ipſa invocatio ſanctificat & quod pollutum eſt*. Ita Optatus Milevit. l. 6. n. 3. hoc eſt, contaminatur, quod tangit pollutus ut pollutus, non quod tangit, ut Dei Miniſter. Secundum ſenſum litteralem dicitur hic *pollutus*, qui corpus mortui attigerat juxta Legem Num. 19. Ita Hieron. in Aggæum. Ad 3. Muſcæ morientes, id eſt, impii perdunt ſuavitatem unguenti, ſcilicet bonum odorem, qui eſt in optima fama viventium; non vero perdunt Dei virtutem, per quam agunt in Sacramentis. Ita Aug. l. 2. contra Parmen. c. 10. Ad 4. Spiritus S. effugit fictum dantem: ſed non acceptantem & credentem. Ita Aug. ibidem. Ad 5. Jeremias ibi loquitur contra eos, qui ſomnia ſua ſacris Oraculis coæquabant, ut patet ex textu, *Propheta*, inquit, *qui habet ſomnium, narrat ſomnium: & qui habet ſermonem meum, loquatur ſermonem meum vere: quid paleis ad triticum, dicit Dominus?* Ad 6. hæc verba non ſpectant Miniſtros Sacramentorum; alioquin nullus homo poſſet ea miniſtrare, cum nullus ſit, qui non ſit peccator: ſed Pſalmiſta loquitur de adulatore, & dicit, quod malit ſanari miſericordi increpatione, quam perverti blanda adulatione. Patet ex textu: *Corripiet me juſtus in miſericordia & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum*. Ita Aug. l. 2. cont. litt. Petil. c. 103. Ad 7. Malus Miniſter non operatur in Sacramentis de ſuo, ſed ex virtute Chriſti: unde non operatur ut arbor mala, ſed ut miniſter & operarius Chriſti. Ita Aug. ibid. c. 6. Ad 8. hæc verba ſunt cæci a Chriſto illuminati, *Qui oculos corporis jam quidem reſtitutos habebat, ſed ut oculi cordis nondum patebant*. Unde ignoranter locutus eſt, nullus enim peccator convertitur, quin a Deo exaudiatur. Ita Aug. l. 2. contra Ep. Parmen. c. 8. Ad 9. D. N. Chriſtus non influit niſi in membris ſuis, ut ea ſanctificet, C. ut per ea tamquam per inſtrumenta ſeparata alios ſanctificet, N.

Obj. 2. Ex jure. 1. Canone 44. & 46. eorum, qui dicuntur Apoſtolici, prohibetur ſub pœna depoſitionis admittere Baptiſma Hæreticorum. 2. 1. q. 1. C. *Qui perfectionem*, & cap. *Ventum eſt* ex Innoc. I. dicitur, quod *qui perfectionem Spiritus, quam acceperant, perdiderunt, non ejus dare plenitudinem poſſunt* in Ordinationibus. Et idem Innoc. Ep. 18. ad Alex. admittit Baptiſma Arianorum ut validum, non eorum Ordinationem. 3. Ibid. cap. *Manifeſtum* 169. ex S. Leone dicitur per impietatem Dioſcori omne Sacramentorum lumen eſſe extinctum in Eccleſia Alexandrina. 4. ibid. q. 7. C. *Daibertum*, & cap. *Per illicitam* Urbanus II. & Damaſus jubent iterari Ordinationem factam ab Hæreticis. Et in Concil. Rom. ſub S. Greg. VII. Can. 5. Ordinationes ſimoniacæ declarantur *infirmæ & irritæ*. 5. 24. q. 1. C. *Schiſma* Pelagius Papa dicit: *Non eſt Chriſti corpus, quod Schiſmaticus conficit, ſi veritate dirigimur*. 6. Ibidem C. *Audivimus* Alexander II. declarat, quod quicumque eſt ab unitate Eccleſiæ alienus, execrare poſſit, conſecrare autem, excommunicare & reconciliare non poſſit. Ergo.

R. ad 1. Hos Canones non eſſe Apoſtolorum, ſed collectionem quamdam Canonum ex diverſis Conciliis antiquis ſive legitimis ſive illegitimis probavimus Diſſ. 1. de jure Digreſſ. 1. Hos autem, de quibus hic agitur, verisimile eſt fuiſſe deſumptos ex Conc. Iconienſi vel Synnadenſi, in quibus rebaptizantium error fuit aſſertus. Ad 2. Innocentius in utroque loco nihil aliud docet, quam quod Hæretici non poſſint dare plenitudinem gratiæ ſeu Spiritus S. eis, quos ordinant, neque honorem ſeu executionem miniſterii. Primum, quia qui ſic ordinantur, participando hæreticis peccant, & ſic ponunt obicem gratiæ. Secundum, quia licet eorum ordinatio ſit valida, tamen eſt eis prohibitum ordinare & qui ab eis ordinantur, ſuſpenduntur ab executione ordinum. Ad 3. S. Leo intelligendus eſt quantum ex parte Hæreticorum & quantum ad fructum Sacramentorum, qui non percipiebatur a communicantibus hæreſi. Ad 4. quidam reſpondent Urbanum II. iteraſſe ordinationem Daiberti factam a Nezelone, non propter defectum fidei in ipſo Nezelone, ſed quia qui Nezelonem ordinaverant, non erant Epiſcopi, ſed Chor-Epiſcopi. Reſpondent alii Urbanum II. iteraſſe Ordinationem Daiberti non quoad ſubſtantiam, ſed quoad executionem miniſterii tantum, hoc eſt, illi contuliſſe facultatem exercendi munus ſuæ Ordinationis, a quo ſuſpenſus erat, quia fuerat illicite ordinatus ab Hæreticis. Eadem ſolutione expediendum eſt C. *Per illicitam*. Quantum ad ordinationes ſimoniacas, eſſe validas quantum ad ſubſtantiam patet, tum ex eo quod nova & antiqua jura eas mulctent ſuſpenſione executionis Ordinis; ergo eas ſupponunt validas: tum quia in Conc. Rom. Tom. 9. Conc. pag. 1100. Nicolaus II. declarat, quod gratis ordinati a Simoniacis *In acceptis ordinibus permaneant*; ergo ſupponit ordinationes ſimoniacas eſſe validas. Itaque Greg. VII. declarat ordinationes ſimoniacas *infirmas & irritas*, non quantum ad ſubſtantiam, ſed quantum ad executionem Ordinis. De quo fuſius ſuo loco. Ad 5. Pelagius non intelligit Euchariſtiam, ſed corpus Chriſti myſticum ſcilicet Eccleſiam, vultque apud Schiſmaticos non eſſe verum Chriſti corpus myſticum, nec ullam cum ipſis ineundam eſſe ſocietatem, ſubjungit ſiquidem immediate: *Nec enim diviſum Chriſtum poterit quiſquam ſine Apoſtoli reprobatione confingere: unum, ut ſæpe dictum eſt, quæ Chriſti corpus eſt, conſtat eſſe Eccleſiam, quæ in duo vel in plura dividi non poteſt: ſimul enim cum ab ea quiſque receſſerit, eſſe deſinit in Eccleſia*. Ad 6. ſenſus eſt, quod qui eſt ab unitate Eccleſiæ alienus, non habeat jus conſecrandi, excommunicandi, reconciliandi, quia eſt ſuſpenſus: ſi tamen exerceat actus a juriſdictione independentes, ſunt validi, licet illiciti. *Multa*, inquit Aug. l. 5. de Bapt. c. 15. *contra jus dantur, nec tamen ideo vel nulla vel non data dicuntur*.

Obj. 3. ex SS. Patribus. 1. S. Ambroſ. lib. de Myſteriis c. 4. dicit: *Non ſanat Baptiſmus perfidorum, non mundat, ſed polluit*. 2. S. Hieron. in c. 3. Sophon. dicit non ſolum verba, ſed vitam & merita Sacerdotum eſſe neceſſaria ad Euchariſtiam ſeu Conſecrationem. 3. S. Aug. pluribus in locis docet Hæreticos & malos Miniſtros non poſſe dare remiſſionem peccatorum, conſequenter non conferre Sacramentum validum: Sacramentum enim validum confert gratiam, ſi non ponatur obex ex parte recipientis. Et verba Aug. l. 3. de Bapt. contra Donatiſt. c. 18. de malis Miniſtris. *Tales ipſi Cypriani temporibus baptizabant... remiſſionem tamen peccatorum non dabant, quæ per orationes Sanctorum id eſt per columbæ gemitus datur... Non enim raptoribus ac fæneratoribus diceret Dominus; ſi cui dimiſeritis peccata, dimittentur illi; ſi cui tenueritis, tenebuntur. Foris quidem nec ligari aliquid poteſt, nec ſolvi, ubi non ſit, qui aut ligare poſſit aut ſolvere; ſed ſolvitur, qui cum columba fecerit pacem, & ligatur, qui cum columba non habet pacem, ſive aperte foris ſit, ſive intus eſſe videatur*. Et l. 5. c. 21. *Conſentimus Cypriano Hæreticos remiſſionem dare non poſſe, Baptiſmum autem dare poſſe, quod quidem illis & dantibus & accipientibus valeat ad perniciem tamquam tanto munere Dei male utentibus: ſicut etiam maligni & invidi, quos & intus eſſe ipſe teſtatur, remiſſionem peccatorum dare non poſſunt, eos tamen Baptiſmum dare poſſe omnes fatentur*. 4. Conſtat S. Cyprianum, Firmilianum cum plurimis tum Orientis cum Africæ Epiſcopis etiam conciliariter congregatis rejeciſſe Baptiſmum Hæreticorum ut invalidum, iiſque adhæſiſſe ſanctos Dionyſium Alexand. Baſilium, Athanaſium, Optatum Milevitanum, & Cyrillum Jeroſolym. probabilius videtur. Ergo.

R. ad 1. S. Ambroſius loquitur non de miniſtrante, ſed de recipiente, & dicit, quod ſi ſit perfidus, id eſt, ſi non teneat rectam fidem, Baptiſmo non mundatur ſed polluitur. Ad 2. S. Hieron. alludit ad ſignificationem vocis *Euchariſtia*, quæ ſignificat gratiarum actionem, & dicit ad hanc, ut legitima ſit & Deo grata, requiri non ſolum verba conſecrationis, ſed etiam probitatem Sacerdotis. Ad 3. Nemini dubium eſſe poteſt, quin Aug. habuerit rata Sacramenta collata a malis miniſtris, quicumque fuerint non ſolum ex locis cit. in Concluſione, ſed ex aliis innumeris, maxime ex 7. libris integris contra Donatiſtas, qui ad validitatem Baptiſmi requirebant fidem in Miniſtro: ſi namque S. Doct. non requirat fidem in Miniſtro, quomodo requireret gratiam, quæ fidem ſupponit? Manifeſtum eſt igitur textus objectos habere alium ſenſum, quam quem illis tribuunt Objicientes. Itaque

Reſpondent plurimi cum Eſtio S. Aug. loqui de gratia ſeu

ſeu remiſſione peccatorum, non quæ virtute Sacramenti confertur, ſed quæ per orationes Sanctorum & gemitus Columbæ, id eſt, Eccleſiæ impetratur. Sed hæc ſolutio, licet non improbanda, difficile aptatur omnibus verbis objectis. Reponunt alii S. Aug. arguere contra Donatiſtas ex eorum principiis, ſeu ut dicitur, argumento ad hominem; quaſi diceret: vos Donatiſtæ rejicitis Baptiſma Hæreticorum & peccatorum publicorum, quia non poſſunt dare Spiritum S. quem non habent, & ſine quo nullum pietatis Sacramentum eſſe poteſt. Atqui peccatores occulti etiam non habent Spiritum S. & tamen admittitis eorum Baptiſma. Ergo etiam admittere debetis Baptiſma Hæreticorum & peccatorum publicorum. Sed neque hæc Reſponſio videtur clare & adæquate ſatisfacere argumentationi. His igitur ſolutionibus in ſua probabilitate relictis, R. ſenſum Auguſt. eſſe, malos miniſtros, ſive Hæreticos, ſive Schiſmaticos, ſive peccatores, non conferre per Sacramenta gratiam iis, qui conſentiendo eorum ſive hæreſi, ſive ſchiſmati, ſive malitiæ, ponunt obicem; ſicque non defectu poteſtatis in miniſtro, ſed defectu diſpoſitionis in ſubjecto; ſi enim malus bono Sacramentum conferret, gratiam ipſi communicaret. Hanc ſolutionem ex ipſis textibus laudatis & aliis eruo. Lib. 3. cit. poſtquam S. Doct. dixit Chriſtum non dediſſe raptoribus & fœneratoribus poteſtatem ſolvendi & ligandi, ſubjungit: *Sed ſolvitur, qui cum Columba fecerit pacem; & ligatur, qui cum Columba non habet pacem*; Intelligit ergo Chriſtum non dediſſe raptoribus & fœneratoribus poteſtatem ſolvendi eos, qui cum Columba non habent pacem, id eſt, malitiæ ſuæ conſentientes; dediſſe autem poteſtatem ſolvendi eos, qui cum Columba fecerint pacem, id eſt, qui a malitia ſeu ſchiſmate & hæreſi revertuntur ad Deum & unitatem Eccleſiæ. Lib. 5. c. 25. cit. dicit hæreticos baptizando non dare gratiam accipientibus, *qui tanta munera Dei male utuntur*, & ut ſubdit, *qui fratres, a quibus diliguntur, oderunt, & in ipſo odio baptizantur, quibus tamen poſtea correctis non rurſus Baptiſmus datur; ſed ipſa venia, quam tunc accipere non merebantur, in vera converſione præſtatur*; imo in ipſis verbis, *eos Baptiſmum dare poſſe omnes fatentur*. Item l. 6. c. 4 clariſſime ſe explicat dicens malum, *ſicut perniciose habet* Baptiſmum, *ita etiam perniciose tradere, non quia tale aliquid tradit, nec quia talis tradit, ſed quia tali tradit*. Sic enim legendum eſt, & non cum Lovanienſibus, *quia talis tradit*, contra omnia Exemplaria edita & MSS. ut obſervant Patres S. Mauri, & evincit, quod immediate ſequitur: proſequitur enim Aug. *Nam cum malus tradit, id eſt, in unitatis vinculo, veraci converſione mutato, inter bonum Sacramentum quod traditur, & bonum fidelem cui traditur, tradentis malitia non ſeparat*. Hæc ſunt plane decretoria, & in aperto ponunt mentem Aug. juxta ſolutionem datam. Vide ibid. c. 6. neque obſtat, quod e veſtigio addat: *Et cum illi veraciter ad Deum converſo peccata dimittuntur, ab eis dimittuntur, quibus ipſe veraci converſione conjungitur*. Id enim dicit vel de gratia obtenta non per Sacramenta; ſed per orationes Sanctorum in unitate Eccleſiæ; vel ſi de gratia ſacramentali, intelligit per fideles bonos ipſam Eccleſiam, in cujus & Chriſti ejus capitis nomine & virtute miniſtri conferunt gratiam: Eccleſia enim in bonis potiſſimum conſiſtit. Gratia ergo confertur a bonis id eſt ab Eccleſia ſeu nomine Eccleſiæ, cujus boni ſunt potior pars: non quod mali miniſterio ſuo eam non conferant, ſed quia eam non conferunt nomine ſuo ſed Eccleſiæ; nec ut ſuum ſed ut Eccleſiæ bonum.

Ad 4. Eccleſia per ſummos Pontifices, per Concilia & innumeros Patres Rebaptizantium errorem proſcripſit, ideoque cum illa S. Cypriani & Collegarum auctoritatem in hac cauſa reſpuimus, & Auguſt. de Ep. Cyp. ad Jubajanum loquenti L. 2. contra Creſcon. c. 32. ſubſcribimus. *Ego*, inquit, *hujus Epiſtolæ auctoritate non teneor; quia Litteras Cypriani non ut Canonicas habeo, ſed eas ex Canonicis conſidero, & quod in eis divinarum Scripturarum auctoritati congruit, cum laude ejus accipio; quod autem non congruit, cum pace ejus reſpuo... Non accipio, inquam, quod de baptizandis Hæreticis & Schiſmaticis B. Cyprianus ſanxit; quia hoc Eccleſia non accipit, pro qua B. Cyprianus ſanguinem fudit*.

Quantum ad alios SS. Patres in object. laudatos Dionyſium Alex. Baſilium, Athanaſium, Optatum, Cyrillum, quid cenſuerint in hac materia ſigillatim expendemus in Digreſſ. Hiſt. ad calcem hujus Diſſ. ponenda. Sed quidquid ſit, dicimus interim non ex paucorum opinione fidem Eccleſiæ eſſe æſtimandam, ſed ex communi, firma & conſtanti omnium aut plurimorum ſententia, maxime ex Decretis Conciliorum & ſum. Pontificum, ut docet Lirin. in Commonit. c. 39.

Solvuntur Objectiones a ratione.

OBJ. 1. Sacramenta ordinantur ad emendationem culpæ ac collationem gratiæ. Atqui infideles, Hæretici, peccatores, cum ſint immundi, non poſſunt alios a peccato mundare, ſecundum illud Eccl. 34. *Ab immundo quis mundabitur?* Neque conferre gratiam quam non habent, quia nemo dat quod non habet. Ergo. R. D. Min. (*Ibid. a. 5. ad 1.*) Mali miniſtri non poſſunt mundare, nec conferre gratiam virtute propria, C. Virtute Chriſti, N. Hoc enim per eos facit Chriſtus ſua poteſtate ſicut per quædam inſtrumenta, & ideo effectus conſequitur in ſuſcipientibus Sacramenta, non ſecundum ſimilitudinem inſtrumenti, ſed ſecundum configurationem ad Chriſtum. Ad id ergo, quod additur neminem dare quod non habet, quod erat commune dictum Rebaptizantium, pariter eſt diſtinguendum: Nemo dat, quod non habet neque actu neque virtute ſeu cauſalitate, C. Quod non habet actu, habet tamen virtute & cauſalitate, N. Quilibet autem homo habet Sacramentum & effectum Sacramenti virtute quatenus Deus poteſt illo uti tamquam inſtrumento ad efficiendum Sacramentum & producendam gratiam.

Inſt. 1. Chriſtus Joan. 20. Apoſtolis dixit: *Accipite Spiritum S., quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*. Ergo Miniſter debet habere Spiritum S, ſeu gratiam, ut per Sacramenta peccata aliis dimittere & gratiam conferre poſſit. R. 1. Hoc argumentum, quod eſt Donatiſtarum, contra ipſos militare: admittunt enim peccatorem occultum poſſe Sacramentum & ejus effectum conferre, & tamen non habet Spiritum S. R. 2. D. Conſeq. Ergo Miniſter debet habere Spiritum S. ut conferentem legitimam poteſtatem adminiſtrandi Sacramenta, C. Ut ſanctificantem ipſum, N. Nec plus probant verba Chriſti.

Inſt. 2. Sacramenta ſoli Eccleſiæ data ſunt. Atqui Hæretici ſunt extra Eccleſiam. Ergo non habent Sacramenta. R. D. Conſeq. Ergo non habent Sacramenta ut ſua, C. Ut Sacramenta Eccleſiæ, N. Sicut Scriptura ſacra, quæ apud illos invenitur, non eſt Scriptura Hæreticorum, ſed Eccleſiæ.

Inſt. 3. Hæreticus non eſt membrum Eccleſiæ. Ergo non poteſt eſſe Miniſter Eccleſiæ. R. N. Conſeq. Quia Deus poteſt uti inſtrumentis non ſolum conjunctis, ſed etiam ſeparatis, ut diximus ex Auctore in probationibus.

Inſt. 4. Caput non influit in corpus per membra mortua. Ergo nec Chriſtus per Hæreticos aut malos. R. D. Ant. Caput naturale, C. quia cum influxus ejus ſit vitalis, non communicatur niſi per membra viventia. Caput morale, quale eſt Chriſtus, N. Vel aliter. Chriſtus non poteſt influere per Hæreticos tamquam per membra, C. Nec enim ſunt membra Eccleſiæ. Tamquam per inſtrumenta, N. Poteſt enim per quodcumque voluerit, ſive vivens, ſive mortuum, effectum intentum producere.

Inſt. 5. Non eſt ſalus extra Eccleſiam. Ergo Hæretici, qui ſunt extra illam, non poſſunt ſalutariter conferre Sacramenta. R. D. Conſeq. Ergo Hæretici non poſſunt conferre Sacramenta ſalutariter ſibi, C. Salutariter ſuſcipientibus, qui non conſentiunt eorum hæreſi, & in neceſſitate recipiunt, N. Hi enim non ſunt extra Eccleſiam.

Inſt. 6. Hæretici non habent jus in Sacramenta Chriſti: quæ enim conventio Chriſti cum Belial? 2. Cor. 6. Ergo. R. D. Ant. Hæretici non habent jus in Sacramenta Chriſti, id eſt illa illicite & illegitime habent atque adminiſtrant, C. Id eſt illa non habent, N. *Aliud quippe eſt*, inquit Aug. l. 3. contra Donatiſt. c. 10. *non habere aliquid, aliud non jure habere, vel illicite uſurpare. Non itaque non ſunt ideo Sacramenta Chriſti & Eccleſiæ, quia eis illicite utuntur, non Hæretici ſolum, ſed etiam omnes iniqui & impii, ſed tamen illi corrigendi aut puniendi, illa vero agnoſcenda*. Et l. 5. c. 15. *Multa contra jus dantur, non tamen ideo vel nulla vel non data dicuntur*. Sic qui voto ſimplici caſtitatis eſt obſtrictus, non habet jus ineundi matrimonium, initum tamen valet. Neque qui Sacramentum ſuſcipit ab hæretico in neceſſitate ejus hæreſi non conſentiens, nullam habet ſocietatem ſeu conventionem cum Hæretico ut Hæreticus eſt, ſed ut eſt miniſter & inſtrumentum Auctoris Sacramentorum.

Inſt. 7. Qui eſt expulſus ab Eccleſia, non poteſt exercere munia Eccleſiæ. Atqui Hæretici ſunt expulſi ab Eccleſia. Ergo. R. D. Maj. Qui eſt expulſus ab Eccleſia, non poteſt exercere munia Eccleſiæ licite, Tranſeat: poſſet enim in caſu neceſſitatis licite baptizare. Valide, Subd. Si auferatur ab eo poteſtas, C. Si non auferatur. N. Nulli autem homini aufertur poteſtas baptizandi. *In quo baptizarentur Gentes*, inquit Optatus Milevit. l. 5. contra Parmen. *a Salvatore mandatum eſt: per quem baptizarentur, nulla exceptione diſcretum eſt. Non dixit Apoſtolis: Vos facite; alii non faciant. Quiſquis in nomine Patris & Filii & Spiritus S. baptizaverit, Apoſtolorum opus implevit*. Neque etiam aufertur Hæreticis legitime ordinatis poteſtas alia Sacramenta valide conferendi, quia remanet

cha-

character. Excipitur tamen Sacramentum Pœnitentiæ, quia ad illud requiritur juriſdictio, quæ ab Hæreticis aufertur.

Inſt. 8. Per Baptiſmum homines generantur Filii Dei. Atqui Filii Dei generari non poſſunt niſi e Chriſti ſponſa, quæ eſt Eccleſia. Ergo Hæretici, qui ſunt extra Eccleſiam valide non baptizant. R. N. Conſeq. Ii enim, qui baptizantur etiam ab Hæreticis, generantur Filii Dei ab Eccleſia, quia ejus ſunt Sacramenta, quæ miniſtrant Hæretici. Sicut enim, inquit Aug. l. 5. de Bapt. cont. Donat. c. 24. Sara ex utero Agar ancillæ jure conjugali genuit Abrahæ Iſmaelem; ſic Eccleſia utitur utero ancillæ, hoc eſt hæreſis, ut ex divino ſemine ſcilicet Baptiſmate, quod ejus eſt, Chriſto ſponſo ſuo filios procreet.

Inſt. 9. Sacramentum eſt actio Miniſtri. Ergo ſi actio Miniſtri ſit immunda & ſacrilega, ſic erit Sacramentum, conſequenter nihil proderit, ſed potius nocebit. R. Actionem mali Miniſtri eſſe malam in genere moris, non vero in genere ſigni a Deo inſtituti, in quo conſiſtit ratio Sacramenti.

Obj. 2. Specialiter de Paganis. Aug. l. 2. adverſus Parmen. c. 13. & l. 7. de Bapt. c. 53. videtur dubitare utrum Baptiſma collatum a Pagano ſit validum. Ergo. R. Aug. nihil hac de re voluiſſe affirmare; quia ut ibid. dicit, nondum erat in Eccleſia definita. Cum autem nunc a ſum. Pontificibus & Conc. Florent. ſit definita, nullus reſtat dubitandi locus. Aliunde quamvis Aug. rem tanti momenti nondum in Eccleſia definitam pro ſua modeſtia aſſerere non vellet; indicat tamen eodem Cap. 53. ſe ita affectum, ut haberet ratum Baptiſma *Ubicumque & a quibuſcumque verbis Evangelicis conſecratum*: & rationes, quas urget contra Donatiſtas, ut plurimum militant pro Baptiſmo dato a Pagano, ſicut pro dato ab Hæretico. Pro tota materia hujus Articuli confer Diſſ. 2. de Bapt. a. 2.

ARTICULUS IV.

Utrum mali Miniſtrantes Sacramenta peccent?

PRÆNOTANDA eſt (*Hic q. 64. a. 6. ad 3. & in 4. d. 24. q. 1. a. 3. qu. 5. ad 4.*) diſtinctio inter Miniſtrum ſolemnitatis ſeu ex officio, & Miniſtrum neceſſitatis. Miniſter ſolemnitatis ſeu ex officio dicitur, qui ſpeciali conſecratione ad Miniſterium Sacramentorum eſt deputatus, ut Sacerdos conſecrans aut abſolvens. Miniſter neceſſitatis eſt, qui nulla conſecratione deputatus Sacramentum miniſtrat propter neceſſitatem, ut Laicus baptizans.

Dico 1. (*Hic cit. a.*) Miniſter ſolemnitatis conficiendo vel miniſtrando Sacramenta in peccato mort. peccat mortaliter. Prob. 1. ex Scriptura. Non minus, imo magis requiritur mundities in Miniſtris Sacramentorum novæ Legis, quam antiquæ: hæc enim illorum erant figuræ tantum & umbræ. Atqui in Miniſtris Sacramentorum antiquæ Legis requirebatur mundities & ſanctitas ſub gravi peccato. Ergo. Prob. Min. Iſa. 52. dicitur: *Mundamini, qui fertis vaſa Domini*. Exod. 19. *Sacerdotes quoque, qui accedunt ad Dominum, ſanctificentur, ne percutiat eos*. Levit. 21. *Sancti erunt Deo ſuo, & non polluent nomen ejus*. Ibid. 22. *Omnis homo, qui acceſſerit de ſtirpe veſtra* (Aaronis) *ad ea, quæ conſecrata ſunt ... in quo eſt immunditia, peribit coram Domino*. Gravitas pœnæ indicat gravitatem culpæ. Ergo.

Prob. 2. ex jure. Extra *De temporibus ordinand.* Cap. ult. de malis Clericis decernit: quod ſi non pœnituerint, monendi ſunt: *& ſub interminatione divini judicii obteſtandi, ut in teſtimonium ſuæ damnationis in ſuſceptis etiam Ordinibus non miniſtrent*. Ibid. *De cohabitatione Clericor.* C. *Quæſitum eſt*, idem Pontifex pronuntiat *quemlibet Clericum, pro mortali peccato, quando ſeipſum conſtat eſſe ſuſpenſum*.

Prob. 3. ex Patribus. S. Dionyſius c. 1. Eccleſ. Hierar. dicit, quod *Malis non eſt fas tangere ſymbola*: id eſt, ſigna ſacramentalia. Aug. 2. contra Ep. Parmen. c. 10. *Omnia*, inquit, *Sacramenta cum obſint indigne tractantibus, proſunt tamen per eos digne ſumentibus*. Refertur C. *Omnia* 1. q. 1. Item in Pſ. 163. *Videant qualem rationem habituri ſunt cum Deo, qui Sanctis non ſancte utuntur*. Et Tract. 5. In Joan. *Ego dico & omnes dicimus, quia juſtos eſſe oportet tanti Judicis Miniſtros*. Greg. Magnus L. 1. Ep. 24. nunc 25. *Neceſſe eſt*, inquit, *ut eſſe munda ſtudeat manus, quæ diluere ſordes curat, ne tacta quæque deterius inquinet ... ſcriptum namque eſt: mundamini, qui fertis vaſa Domini*.

Vides quoſdam infundate diſtinguere inter malos conficientes Sacramenta & miniſtrantes tantum, ſcilicet Euchariſtiam, quaſi conficientes peccent quidem, at non miniſtrantes tantum: prolata enim teſtimonia ex Scriptura, Jure & Patribus afficiunt pariter miniſtrantes & conficientes. Quod & aperte ſignificat Auctor in 4. d. 24. q. 1. a. 3. quæſtiunc. 5. ad 2. ubi dicit quod immundi, *Qui tangunt res ſacras, quaſi ſuo officio fungentes, peccent mortaliter*. Idque ſuadet ejus ratio ſequens. Unde

Prob. 4. *ratione*. (*Ibid.*) Qui in peccato mortali conficit aut miniſtrat ſolemniter & ex officio Sacramentum, gravem irreverentiam committit contra Chriſtum Sacramentorum Auctorem & ipſam Sacramenti ſanctitatem, quam, quantum in ſe eſt, contaminat. Atqui hæc irreverentia eſt ex genere ſuo peccatum mortale. Ergo. Prob. Maj. Miniſter ſpeciali conſecratione deputatus ad Sacramentorum miniſterium; & ſe illorum Miniſtrum exhibens, tenetur hoc ipſo & vi ſtatus conformari tam Chriſto Sacramentorum inſtitutori, cui famulatur, juxta illud Lev. 19. *Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum*, quam ſanctitati Sacramenti, quod perficit, juxta iſtud aliud Iſ. 52. *Mundamini, qui fertis vaſa Domini*. Ergo.

Dices 1. D. Th. hic a. 5. ad 3. dicit bonitatem Miniſtri requiri tantum ex decentia. Ergo. R. D. Ant. D. Th. dicit bonitatem Miniſtri requiri ex decentia tantum, ut valide conferatur Sacramentum, ſeu ut dicit Cajet., ex parte operati, C. Ut licite conferatur, ſeu ex parte operis operantis, N. Quærit enim in hoc Art. 5. S. Th. utrum Sacramenta per malos Miniſtros valide conferantur, in hoc autem, quem verſamus, utrum licite!

Dices 2. Sicut miniſtratur Deo in Sacramentis, ita per opera charitatis. Atqui mali non peccant, ſi miniſtrent Deo in operibus charitatis, quin imo hoc eſt eis conſulendum. Ergo nec qui miniſtrant in Sacramentis. R. N. Conſeq. (*Ibid. ad* 1.) Diſparitas eſt, quod opera charitatis non ſunt aliqua conſecratione ſanctificata, ſed ipſa pertinent ad juſtitiæ ſanctitatem, ſicut quædam juſtitiæ partes; & ideo homo, qui ſe exhibet Deo Miniſtrum in operibus charitatis, ſi ſit juſtus, amplius ſanctificatur; ſi vero peccator, per hoc ad ſanctitatem diſponitur. Sed Sacramenta in ſeipſis ſanctificationem quamdam habent per myſticam conſecrationem, & ideo præexigitur in Miniſtro ſanctitas juſtitiæ, ut congruat ſuo miniſterio; unde incongrue agit & peccat, ſi in peccato exiſtens ad tale miniſterium accedat.

Dices 3. Confirmatus, profitens in peccato mortali fidem coram Tyranno, agit ex officio & ut ad hunc actum conſecratus: ſimiliter conjuges exercentes actum conjugalem, ad quem acceperunt poteſtatem & gratiam per Sacramentum. Atqui tamen nec ille nec iſti peccant. Ergo. R. D. Min. Nec ille nec iſti peccant, & eorum actiones ſunt ſacramentales, N. Et eorum actiones non ſunt ſacramentales, C. Concluſio autem noſtra eſt de Miniſtro conficiente vel conferente Sacramentum, adeoque de actione ſacramentali, id eſt de actione, quæ vel ſit factiva Sacramenti, aut proxime conducat ad ejus confectionem, vel quæ ſit *Sacramenti facti* diſtributiva: quod diligenter adverte pro pluribus caſibus infra deducendis. At vero neque profeſſio fidei coram Tyranno, neque actus conjugales ſunt actiones ſacramentales, ſeu actiones factivæ Sacramenti aut illius diſtributivæ.

Dico 2. (*Ibid. ad* 3.) Sacerdos & a fortiori Laicus exiſtens in peccato mortali non peccat ſaltem graviter baptizans in caſu neceſſitatis; ſecus miniſtrans in aliis Sacramentis. Ita communiter cum Auctore contra paucos. Prob. 1. pars. Quamvis ſanctitas Chriſti & Sacramenti ſit ratio formalis, ob quam Miniſter debeat eſſe ſanctus, obligatio tamen in Miniſtro habendi ſanctitatem non oritur ex ipſa Chriſti & Sacramenti ſanctitate præciſe ſecundum ſe, ſed ex illa per ordinem ad conſecrationem Miniſtri, quatenus cum ſe gerat ut perſonam ad hoc ſpeciali conſecratione deputatam, tenetur ex hoc ipſo conari, ut conformetur Chriſto, cui famulatur, & ſanctitati Sacramenti, quod perficit, ut dictum eſt. Atqui Sacerdos baptizans in caſu neceſſitatis, in quo poſſet baptizare Laicus, licet ſit ad hoc conſecratus, non tamen hic agit ut conſecratus, nec ſe exhibet ut Miniſtrum Chriſti & Eccleſiæ, ſed ſuccurrit neceſſitatem patienti, & per accidens deſervit principali agenti, non in actu aliquo Ordinis aut ſacræ poteſtatis, ſed in eo, in quo quilibet homo poſſet deſervire. Ergo. Conf. ab eo, quod contingit in humanis, Ruſticus, qui per accidens & in caſu neceſſitatis Regi deſervit, non tenetur miniſtrare cum eo ſpeciali ornatu & munditia, ſicut qui ex officio ad id eſt deputatus. Ergo ſimiliter. Dixi: *Non peccat ſaltem graviter*: quia cum poſſet elicere actum contritionis in inſtanti, hæc aliqualis indecentia non videtur omnino excuſanda.

Prob. 2. pars. (*Ibid.*) Tum quia alia Sacramenta non ſunt tantæ neceſſitatis ſicut Baptiſmus. Tum quia in iis Miniſter non poteſt agere niſi vi ſpecialis conſecrationis & ſpiritualis poteſtatis, conſequenter niſi ut publicus Eccleſiæ Miniſter, ut patet dum Sacerdos abſolvit pœnitentem morti proximum. Neque tamen inde ſequitur (*Ib.*) quod Miniſter ſit perplexus, & ſive abſolvat, ſive non abſolvat urgente neceſſitate, peccet; quia cum contritio ſit actus ſpiritualis & inſtantaneus, ut jam dixi, poteſt conteri, & ſic licite abſolvere.

Dices cum Patre Henno. Gravis videtur irreverentia, quod hoſtis Chriſti & ſervus Dæmonis præſumat in nomine

mini Chriſti ſcienter & advertenter immundus immonda tractare ea, quibus in Eccleſia nihil ſanctius, aut magis divinum habetur. Ergo. R. Neque S. Th. neque innumeros pœne Theologos cum ipſo ſentientes apprehendiſſe hanc irreverentiam eſſe gravem in eo, qui non ex officio, ſed in neceſſitate baptizaret, aut corpus Chriſti in terram projectum colligeret; ſicut nemo apprehenderet gravem injuriam eſſe Regi illatam, ſi Ruſticus illi in caſu neceſſitatis & per accidens inſerviret trita veſte amictus, etiamſi elegantiores habere poſſet.

Neque dicas cum objiciente S. Th. loqui de miniſtro neceſſitatis, cui ob inſtantem baptizandi mortem non ſuppetit tempus eliciendi contritionem. Nam 1. cum, ut dixi, contritio ſit actus interior, poteſt elici in inſtanti, ſicque non datur caſus, in quo non poſſit haberi: & hoc ipſum ibidem dicit S. Th. 2. Hæc evaſio aperte repugnat textui S. Doct. Propoſuerat ſibi argumentum, quod ſi malus Miniſter peccet adminiſtrando Sacramenta, contingeret aliquando quod eſſet perplexus & ad peccandum adactus; ſi enim non miniſtret, dum urgente neceſſitate tenetur, peccat; & ſi miniſtret, etiam peccat. Reſpondet S. Doct. quod iſtud inconveniens non currat, quia poteſt pœnitere: ſed ſuppoſito quod nolit pœnitere, non eſt inconveniens, quod ſit perplexus: & e veſtigio ſubdit: *In articulo tamen neceſſitatis non peccaret baptizando*. Vides ipſum loqui de eo, qui potuit & noluit pœnitere, qui *tamen*, id eſt hoc non obſtante, non peccat baptizando in neceſſitate; & rationem affert, non quia non potuit pœnitere, quod indubie dixiſſet, ſi ita cenſuiſſet, quia *Non ſe exhibet miniſtrum Eccleſiæ*. Id item aperte conſtat ex 4. ſent. d. 24. qu. 1. a. 3. Quæſtiunc. 5. ad 4. ubi dicit: *Quicumque* (in peccato exiſtens) *exhibet ſe in aliqua actu ut Miniſtrum Eccleſiæ, mortaliter peccat ... ſecus autem eſſet, ſi in aliqua neceſſitate aliquod ſacrum contingeret vel exequeretur in illo caſu, in quo etiam Laicis liceret: ſicut ſi baptizaret in articulo neceſſitatis, vel ſi corpus Chriſti in terram projectum colligeret*. Diceturne forte Henno colligenti corpus Chriſti projectum in terram non ſuppetere tempus eliciendi actum contritionis?

Inſt. Eadem eſt ſanctitas Chriſti & Sacramenti, ſive in caſu neceſſitatis, ſive extra miniſtretur. Atqui ex ſanctitate Chriſti & Sacramenti oritur in Miniſtro obligatio habendi ſanctitatem. Ergo. R. D. Min. Ex ſanctitate Chriſti & Sacramenti præciſe ſecundum ſe oritur &c. N. Ex ſanctitate Chriſti & Sacramenti per ordinem ad Miniſtrum ex officio, C. Solutio patet ex probat. Concluſionis.

Corollaria.

EX dictis in utraque Concluſione colliges 1. Sacerdotem miniſtrantem Euchariſtiam in peccato mort. peccare mortaliter: quia licet ejus actio non ſit factiva Sacramenti, eſt tamen illius diſtributiva, & ideo ſacramentalis, ad idque eſt ſpecialiter conſecratus, idque, ut diximus, evincunt non ſecus ac de conficiente Sacramentum omnes probationes primæ Concl. Non tamen exiſtimamus eum tot peccata committere, quot ſunt perſonæ, quibus abſque interruptione morali Euchariſtiam miniſtrat: quia licet ſint plures actiones phyſice diſtinctæ, eſt tamen moraliter unum convivium. Secus de Sacerdote plures Pœnitentes ſucceſſive abſolvente; quia quælibet abſolutio eſt judicium completum nullo nexu cum aliis abſolutionibus ſeu judiciis connexum. Conſule, quæ dixi de peccatis Diſſ. 2. a. 4. ubi etiam docui ſecundum probabiliorem mihi ſententiam celebrantem in malo ſtatu committere unum tantum peccatum contra quoſdam, qui dicunt committere duo, tria, aut etiam quatuor peccata, unum offerendo, aliud conſecrando, tertium ſumendo, quartum ſibi miniſtrando. Eſto enim iſtæ actiones phyſice diſtinguantur, conſtituunt tamen unum myſterium, in quo uniuntur. Cæterum quoad praxim ſufficit illi, ſi dicat in confeſſione ſe celebraſſe in malo ſtatu. Non pauci etiam tenent Sacerdotem audientem in peccato mort. non peccare mortaliter, ſi proponat pœnitere, & de facto pœniteat ante abſolutionem. Sed id nobis non probatur; quia auditio confeſſionis ſicut ipſa confeſſio videtur actio Sacramentalis, aut ſaltem proxime ad Sacramentum ordinata, non minus quam miniſterium Diaconi ad Sacrificium. De quo

Colliges 2. Probabilius Diaconum ſolemniter exercentem ſuum officium in peccato mort. peccare mortaliter; quia licet ejus actio non ſit factiva aut diſtributiva Sacramenti, eſt tamen aliquo modo ſacramentalis, quatenus ordinatur proxime ad Sacramentum. Unde Apoſt. loquens de Diaconis 1. Tim. 3. dicit: *miniſtrent nullum crimen habentes*. De Subdiacono, quamvis minus certum ſit, ita tamen plures probabiliter tenent, quia reputatur inter Ordines ſacros ut Diaconatus, & etiam ejus actio proxime concurrit ad Sacramentum: ſicque videtur definitum a Gregor. IX. cit. in probat. Concluſionis extra *de temporibus ordinandorum* cap. ult. Sub hoc Decreto etiam cenſemus comprehendi Clericos minorum Ordinum, cum ſit indefinite de omnibus Clericis: ſed quia eorum miniſterium remote tantum ordinatur ad Sacramentum, propter levitatem materiæ, excuſantur a mortali. Propter eandem rationem excuſantur a mortali, qui in malo ſtatu Euchariſtiam in vaſe vel vitro incluſam de loco in locum tranſportant, aut cum illa dant benedictionem: cum enim mediante tantum tangant Euchariſtiam, videtur levitas materiæ.

Colliges 3. Epiſcopum Chriſma aut Oleum infirmorum conficientem in peccato mort. probabiliter peccare mortaliter: quia licet ejus actio non ſit factiva nec diſtributiva Sacramenti, eſt tamen aliquo ſenſu ſacramentalis, quatenus materia Ordinis & Extremæ-Unctionis conficit ex poteſtate Ordinis in ſummo gradu. Ergo, infert Henno, peccator coquens panem, qui eſt materia Euchariſtiæ, peccat mortaliter. R. N. Illationem: quia in coctione panis non intervenit actio ſacra, qua fiat materia debita Euchariſtiæ, ſicut intervenit in confectione Chriſmatis & Olei infirmorum, ut ſint materia debita Sacramenti. Et hinc altera diſparitas, quod panis ex ſe non ordinetur ad Euchariſtiam, ſicut Chriſma ad Confirmationem, & Oleum infirmorum ad Extremam-Unctionem. Secus tamen eſt dicendum de collatione Tonſuræ, de Benedictione Eccleſiarum, Vaſorum ſacrorum, veſtium Sacerdotalium, Abbatiſſarum, Virginum, &c. quia hæ actiones & ſimiles nullatenus ſunt ſacramentales, neque jure divino, ſed Eccleſiaſtico tantum Epiſcopis competunt.

Colliges 4. Concionantem in peccato non publico non peccare mortaliter: quia prædicatio non eſt actio ſacramentalis: & quamvis pertineat ad eos, qui curam animarum habent, poſſet tamen ſtando in jure divino, & ſecluſo jure Eccleſiaſtico, committi Laicis. Equidem oppoſitum olim tenuit S. Th. in 4. d. 19. q. 2. a. 2. quæſtiunc. 2. ubi docet concionantem & corripientem ex officio in peccato mort. etiam occulto, peccare mortaliter. At recte monet eximius Sylvius S. D. non obſcure hanc ſententiam retractaſſe, partim 2. 2. q. 33. a. 5. & q. 60. a. 2. ad 3. Ubi docet corripientem ſeu judicantem ex officio in peccato mort. non peccare mortaliter; cujus tamen contrarium docuerat priori loc. cit. Partim quia lect. 1. in c. 6. 2. Cor. de ſolo peccatore publico dicit, quod prædicando peccet. Ita laudatus Sylvius. Peccaret autem mortaliter peccator publicus ob ſcandalum; quia inde veniret in contemptum Evangelii prædicatio. Colliges 5. contrahentes Matrimonium quamvis peccent ut recipientes indigne Sacramentum, non peccare tamen mortaliter ut conficientes; quia licet ſecundum nos ſint Miniſtri, non ſunt tamen ad hoc ſpecialiter conſecrati, ideoque non agunt ex officio.

ARTICULUS V.

Utrum Miniſter mortalis peccati ſibi conſcius tenetur confiteri antequam Sacramenta conficiat aut miniſtret?

NOn eſt quæſtio de Sacramento Euchariſtiæ ſive conficiendo ſive ſuſcipiendo tantum; certum eſt enim, ut infra dicemus, ex Apoſt. juxta Eccleſiæ traditionem, illi præmittendam eſſe confeſſionem. Item nemo negat, quin ſit ſalubre conſilium confeſſionem aliis Sacramentis conficiendis aut miniſtrandis præmittere; quia per eam ſecuriores ſumus de ſanctitate requiſita. At ſitne præceptum?

Dico. Miniſter ſibi conſcius peccati mortalis, ut eximatur a peccato irreverentiæ & indignæ tractationis, non tenetur præmittere confeſſionem Sacramentis conficiendis aut diſtribuendis: non tamen ſufficit attritio, ſed requiritur contritio ſaltem prudenter exiſtimata. Prob. 1. Ex Rituali Pauli V. Tit. 1. Ubi declarat non eſſe obligationem ſed meram convenientiam confitendi. *Sacerdos*, inquit, *ſi fuerit peccati mortalis ſibi conſcius, quod abſit, ad Sacramentorum adminiſtrationem non audeat accedere, niſi prius corde pœniteat. Sed ſi habet copiam Confeſſarii, & temporis locique ratio ferat, convenit confiteri*. Neque dicas cum quibuſdam To *convenit* eſſe ambiguum, & quandoque ſignificare præceptum, ut dum dicimus, convenit jejunare, convenit reſtituere, &c. Eſto enim ita ſit; ſaltem hic conſtat ex præcedenti propoſitione non ſignificare præceptum, ſed meram convenientiam; prius enim dixerat contritionem cordis eſſe in præcepto, ſi ita cenſuiſſet de confeſſione, eundem procul dubio terminorum rigorem ſervaſſet, & ſub iiſdem confeſſionis ſicut & contritionis, obligationem concluſiſſet; at non ita, poſt declaratum præceptum de contritione, terminis mutatis & minuentibus, de confeſſione dicit ſimpliciter *convenit*. Conf. ex Trid. quod requirit confeſſionem ad Euchariſtiam tantum. Ergo ſignum eſt ad alia Sacramenta non requiri: alias nulla fuiſſet ratio, cur potius pro Euchariſtia, quam pro aliis Sacramentis confeſſionis obligationem inculcaret.

Prob.

Digitized by Google

Prob. 2. Confeſſionis præmittendæ in caſu Concluſionis nullum extat præceptum ſive poſitivum, ſive naturale: non poſitivum; neque enim in Scripturis, neque in Conciliis, neque in Patribus reperitur: non naturale; quamvis enim ſit de jure naturæ, quod ſancta ſancte tractentur, ſanctitas habetur non per ſolam confeſſionem, ſed etiam per contritionem. Aliunde ſi eſſet præceptum Juris naturæ malo miniſtro præmittendi confeſſionem adminiſtrationi Sacramentorum, ſequeretur 1. Quod alia Sacramenta inſtitui non potuiſſent ſine confeſſione, quod eſt abſurdum. Sequeretur item, quod etiam urgente neceſſitate, ubi non eſſet copia Confeſſarii, Miniſter exiſtens in peccato mort. non poſſet adminiſtrare Sacramenta, quod eſt aliud abſurdum,

Conf. 1. Noluit Deus Sacramenta antiquæ Legis exponi periculo indignæ tractationis, ſed voluit tunc ut nunc ſancta ſancte tractari, ut patet ex Art. præcedent. Atqui ad vitandam hanc indignam tractationem & habendam ſanctitatem requiſitam Sacerdotes antiquæ Legis non tenebantur præmittere confeſſionem, quæ tunc non erat, ſed tantum contritionem reputatam talem. Ergo nec nunc. Hoc argumento non parum premuntur Adverſarii.

Conf. 2. Ab inconvenienti. Ex adverſa ſententia ſequitur, quod Paſtor non habens copiam Confeſſarii non poſſet audire confeſſionem ſui Parochiani, niſi iſte habeat neceſſitatem ſtatim confitendi, ſicut ipſe Paſtor propter præceptum præmittendi confeſſionem Eucharistiæ non poteſt celebrare non præmiſſa confeſſione, niſi ſit neceſſitas celebrandi. Conſequens, ut puto, a nullo admittitur. Ergo.

Dices. Qui ſibi conſcius peccati mortalis non præmiſſa confeſſione Sacramenta adminiſtrat, exponit ſe periculo Sacramenta irreverenter tractandi. Atqui id non licet ſine neceſſitate. Ergo. Prob. Ant. Suppoſita difficultate & raritate contritionis non poteſt eſſe certus ſe eſſe vere contritum. Ergo. R. N. Maj. Non voluit enim Deus, ut dixi, Sacramenta Antiquæ Legis exponi periculo indignæ tractationis, & tamen tunc non erat confeſſio, quæ periculum abſtergeret, ſed ſola contritio. Ad Prob. D. Ant. Non poteſt eſſe certus ſe eſſe vere contritum certitudine, quæ excludat omnem formidinem de oppoſito, C. Neque talis certitudo habetur per confeſſionem; certitudine qua prudenter exiſtimet ſe eſſe contritum, & quæ ideo ipſum eximat a periculo indignæ tractationis formalis, N. Si enim Sacerdotes antiquæ Leges poterant ſine confeſſione eſſe certi ſe eſſe in gratia, certitudine quæ abſtergeret periculum & peccatum indignæ tractationis formalis, quidni Sacerdotes novæ Legis in qua abundantiores ſunt gratiæ? Item ſi quis poſſit ex certis indiciis prudenter exiſtimare ſe ſincere diligere proximum, quidni Deum? Cæterum ſi quandoque contingat, quod ita prudenter exiſtimare non poſſit, non currit concluſio, ſed eſto non ſit certus ſe eſſe vere contritum, ſaltem per judicium reflexum erit certus ſe non exponi periculo formalis profanationis: ſicut quamvis nemo ſit certus ſe poſt confeſſionem eſſe juſtificatum, tamen per judicium reflexum eſt certus ſe in adminiſtrandis Sacramentis non exponi periculo formalis profanationis. Si dicas, per confeſſionem erit certior aut ſaltem minus incertus de ſua juſtificatione, adeoque minus erit periculum. Ita quidem, ſed quid inde? Tutius eſſet præmittere confeſſionem, quod ultro concedimus: at tutiora ſemper ſequi non tenemur, ut alibi probavimus. Et ut extra ſubjectam materiam non excurramus; certior erit de ſua juſtificatione per duas confeſſiones, quam per unam; per duos, tres, quatuor, quinque actus contritionis, quam per unum, neque tamen ad hæc tenetur.

Inſt. Votum confitendi includitur in contritione. Atqui non videtur habere ſincerum votum confitendi, qui cum poteſt confiteri, non confitetur. Ergo. R. D. Maj. Votum confitendi pro tempore quo obligabit præceptum confeſſionis, continetur in contritione, C. Confitendi ſtatim, N. Pariter D. Min. Non videtur habere ſincerum votum confitendi, qui cum poteſt confiteri, non confitetur, & urget præceptum confeſſionis, C. Si non urget præceptum confeſſionis, N. Ex hoc enim quod quis id, quod facere propoſuerat, non faciat ſtatim, quia non urget præceptum faciendi, non ſequitur, quod illud ſincere non velit. Opponunt inſuper Synodos Cameracenſem, Atrebatenſem & Iprenſem, quæ requirunt confeſſionem. R. in his contineri ſalubre conſilium, at non præceptum, cum non ſit veriſimile Synodos Diœceſanas plus requirere, quam rituale Romanum, quod univerſæ Eccleſiæ proponitur.

Quantum ad 2. partem Concluſionis, conſtat imprimis requiri contritionem, quia notum eſt attritionem ſine Sacramento non ſufficere ad juſtificationem. Non requiri vero contritionem in re, ſed ſufficere prudenter exiſtimatam. Prob. Status gratiæ in re non requiritur neceſſario, ut quis eximatur a peccato indignæ tractationis Sacramentorum, ſed ſufficit, quod prudenter exiſtimetur talis. Ergo ſimiliter contritio. Prob. Ant. 1. Qui poſt confeſſionem ſe reputat prudenter juſtificatum, ſi non ſit, vel ex malitia confeſſarii abſolutionem ſimulantis vel aliunde, & in hoc ſtatu Sacramenta miniſtret, a nemine cenſetur reus ſacrilegii ſeu indignæ tractationis Sacramentorum. Ergo. 2. Quia alioquin, cum nemo poſſit eſſe certus ſe eſſe in gratia, foret onus intolerabile, & infinitorum cauſa ſcrupulorum.

Si dicas Deum non requirere diſpoſitiones tantum putativas, D. Deus non requirit diſpoſitiones tantum putativas, ut quis poſitive dignus miniſtret, C. Ut ſine novo peccato miniſtret, N.

ARTICULUS VI.

Utrum liceat Sacramenta petere & recipere a malis Miniſtris?

INTER malos Miniſtros quidam ſunt ab Eccleſia tolerati, quidam non tolerati, ſed vitandi. Tempore D. Thomæ omnes excommunicati, ſuſpenſi, degradati, &c. erant vitandi: ſed nunc a tempore Concilii Conſtant. in Bulla Martini V. *Ad evitanda ſcandala*, ii ſolum ſunt vitandi, qui nominatim ſunt excommunicati, ſuſpenſi, degradati, &c. aut qui ſunt ita notorii percuſſores Clericorum, ut nulla tergiverſatione excuſari poſſint. Refertur hæc Bulla a S. Antonino 3. p. tit. 25. cap. 2. his verbis: *Ad evitanda ſcandala & multa pericula, quæ conſcientiis timoratis contingere poſſunt, Chriſti fidelibus tenore præſentium miſericorditer indulgemus, quod nemo deinceps a communione alicujus in Sacramentorum adminiſtratione vel receptione, aut aliis quibuſcumque divinis, vel extra, prætextu cujuſcumque ſententiæ aut cenſuræ Eccleſiaſticæ a jure vel ab homine generaliter promulgatæ, teneatur abſtinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Eccleſiaſticum obſervare, niſi ſententiam aut cenſura hujuſmodi fuerit in vel contra perſonam, vel contra Collegium, vel Univerſitatem, Eccleſiam, vel locum certum, vel certam terram a Judice publicata & denunciata ſpecialiter & expreſſe: Conſtitutionibus Apoſtolicis & aliis in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Salvo ſi quem pro ſacrilega manuum injectione in Clericum ſententiam latam a Canone adeo notorie conſtiterit incurriſſe, quod factum non poſſit aliqua tergiverſatione celari, nec aliquo ſuffragio excuſari, nam a communione illius, licet non denunciatus fuerit, volumus abſtineri juxta Canonicas ſanctiones.*

Hanc Bullam partim refert Conc. Baſileenſe an. 1435. Seſſ. 20. ſed exceptionem facit majorem, declarando eſſe etiam vitandos omnes notorie excommunicatos, quacumque de cauſa ſint excommunicati. Et hoc decretum Concilii Baſil. cum ſua exceptione inſertum in Concordato Leonis X. cum Franciſco I. refertur in Conc. Lat. V. Seſſ. 11. His tamen non obſtantibus *More & uſu Eccleſiæ receptiſſimum eſt*, inquit Soto in 4. d. 22. q. 1. a. 4. *at non vitamus niſi illas duas excommunicationum ſpecies, quas prædictum Concilium* (Conſtantienſe) *juſſit ... Et ita abſque ullo metu tenendum eſt*. Et vere omne notorie Hæretici, quales ſunt Lutherani, Calviniſtæ, &c. ſunt notorie excommunicati, nemo tamen cenſet illos eſſe vitandos.

Obſervandum eſt autem, quod qui nominatim condemnati ſunt de aliquo crimine, cui annexa eſt cenſura, ut excommunicatio hæreſi, cenſeantur pariter nominatim hac cenſura innodati, ideoque non tolerati. Obſervandum inſuper duplicem eſſe notorietatem, facti ſcilicet & juris; Facti, quando factum vel cenſura eſt ita manifeſta, ut nulla tergiverſatione celari, nec ullo juris ſuffragio excuſari poſſit, ut explicat Bulla Martini V. Notorietas juris, quando quis per ſententiam Judicis declaratur hoc crimen admiſiſſe, vel hanc cenſuram incurriſſe. In Gallia, ut notant Juenin, Tournely & alii, ſola notorietas facti, puta in percuſſione Clerici, non ſufficit ut quis ſit vitandus, ſed requiritur notorietas Juris. Nec male: cum enim plerumque ſit difficile diſcernere, an facta poſſint vel non poſſint aliqua tergiverſatione celari, vel aliquo juris ſuffragio excuſari, efficacius ſic juxta intentum Conciliorum occurritur ſcrupulis & anxietatibus timoratorum. His obſervatis,

Dico 1. Urgente mortis articulo licitum eſt petere & recipere quædam ſaltem Sacramenta a malo Miniſtro non tolerato, ſi toleratus abſit. De Baptiſmo ita definitur in jure 24. q. 1. cap. *Si quem* 40. ex Aug. l. 1. Bapt. cont. Donat. c. 2. his verbis: *Si quem forte cogit extrema neceſſitas, ubi Catholicum, per quem accipiat, non invenerit, & in animo pace Catholica cuſtodita, per aliquem extra unitatem Catholicam poſitum acceperit, quod erat in ipſa Catholica unitate accepturus, ſi ſtatim de hac vita migraverit, non eum niſi Catholicum deputamus. Si autem fuerit a*

corpo-

Digitized by Google

corporali morte liberatus, cum ſe Catholicæ congregationi etiam corporali præſentia reddiderit, unde nunquam corde diſceſſerat, non ſolum non improbamus quod fecit, ſed etiam ſecuriſſime veriſſimeque laudamus. De Pœnitentia pariter definivit Trid. Seſſ. 14. c. 7. ubi ait: *Ne hac ipſa occaſione aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis; atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis & cenſuris abſolvere poſſunt.*

Ratio horum eſt: quia quamvis adultus poſſit per ſolam contritionem cum voto Sacramenti ſine ipſo Sacramento ſalvari; longe tamen facilius, tutius & efficacius cum Sacramento ſalutem conſequitur: ideoque pia Mater Eccleſia ſaluti Filiorum conſulens non vult in tanto periculo, ubi de æternitate agitur, eos propter improborum culpam tanto præſidio fraudare. Adde, quod cum in mortis articulo urgeat præceptum divinum Baptiſmi & Pœnitentiæ, huic derogari non poteſt per præceptum Eccleſiaſticum, quo prohibetur communicatio cum excommunicatis. Quando ergo dicitur excommunicatus privari per Eccleſiam juriſdictione, id intelligitur extra mortis articulum, ut patet ex Trid. cit.

Propter eaſdem rationes videtur, quod in caſu, quo moribundo nec Euchariſtia, nec abſolutio poſſet conferri, liceret etiam petere & recipere Extremam-Unctionem a Miniſtro non tolerato: fieri enim poteſt, quod iſte moribundus ſit tantum attritus, & per Extremam-Unctionem ſicut per abſolutionem, fiat contritus. De Sacramento Euchariſtiæ multi etiam opinantur id licere in mortis periculo ob ſecundam rationem datam, nempe quod præceptum divinum de Euchariſtia ſumenda, quod tunc obligat, prævaleat præcepto humano. Ita Soto, Navarrus, Nugno, Suarez, Bonacina, quos citat & ſequitur Franciſcus a Jeſu Maria. Idem cenſet præfatus Auctor poſt Suarem & Cornejo de Matrimonio in caſu, quo moribundo eſſet maxime neceſſarium ſive ad ſalutem, ſive ad grave commodum temporale filiorum, ut ducat in uxorem concubinam & eo potiſſimum quod in noſtra ſententia Sacerdos non ſit Miniſter Matrimonii: ſimiliter cenſet cum iiſdem ratione boni communis de Sacramento Ordinis in caſu, quo in aliqua provincia remota eſſet penuria Sacerdotum, nec eſſet niſi unus Epiſcopus nominatim excommunicatus. Hos duos ultimos caſus refero, non affirmo.

Dico 2. (*Hic q. 64. a. 6. ad 2.*) Extra mortis periculum poſſum ex legitima & rationabili cauſa petere & recipere Sacramenta a quovis malo Miniſtro tolerato, ſive ſit Parochus ſive non, ſive ſit paratus ſive non, ſi tamen abſit bonus, qui poſſit & velit conferre. Ita communiter cum Auct. cit. ubi dicit: *Quamdiu Miniſter ab Eccleſia toleratur, ille, qui ab eo ſuſcipit Sacramentum, non communicat peccato ejus, ſed communicat Eccleſiæ, quæ eum tanquam miniſtrum exhibet.*

Ratio eſt: quia dum peto Sacramenta ex legitima & rationabili cauſa a malo Miniſtro, bono deficiente, utor jure meo petendo rem bonam & mihi utilem ab eo, qui poteſt bene eam præſtare; quod ſi male miniſtret, imputet ſibi, nec teneor ob ejus malitiam notabilem utilitatem meam prætermittere: ſicut ſubſiſtente legitima cauſa poſſum petere mutuum ab uſurario, juramentum a juraturo per falſos Deos, & ſimilia, ut alibi probavimus. Ergo.

Dixi *ex legitima cauſa, & ſi alius Miniſter bonus abſit*: quia ex præcepto charitatis & Religionis tenemur, ubi commode poſſumus, impedire peccatum proximi & irreverentiam Sacramenti.

Si petas, quæ ſit legitima cauſa aut notabilis utilitas. R. regulam certam & generalem non poſſe ſtatui. Ex communi tamen ſenſu poteſt dici, quod ultra caſus præcedentis Concluſionis, etiam eos, quos dubios aut probabiles tantum propoſuimus, inter legitimas cauſas recenſeri poſſunt præceptum audiendi Miſſam, communicandi in Paſchate, confitendi ſemel in anno, imo confeſſio & communio ter quaterve in anno, occaſio lucrandi Jubilæum aut Indulgentias in locis, in quibus raræ ſunt; item ſi non poſſim ſine gravi incommodo confiteri alteri præſenti licet bono. Attendi etiam debet ſtatus mali Miniſtri: ſi enim non ſit Paſtor, videtur graviorem cauſam requiri, quam ſi eſſet Paſtor ex officio obligatus, item majorem, ſi ſit gravioribus peccatis aut cenſuris obſtrictus.

Cæterum hic obſervandum eſt, quod quamvis omnibus ſit conſultum inter conſcientiæ Rectores digniorem & utiliorem eligere, nemo tamen teneatur, imo nemini liceat inquirere animo cenſorio in vitam Miniſtrorum; hujuſmodi namque inquiſitio foret odioſa pœnitentibus & injurioſa Miniſtris; ſed unuſquiſque reputari debet bonus, niſi probetur malus. Unde licite peto Sacramenta ab eo, quem ſcio pridie aut aliquamdiu antea peccaſſe, quia præſumere poſſum & debeo, quod reſipuerit, & ſufficienter ſe diſpoſuerit ad adminiſtrationem Sacramentorum: niſi forte ipſum noverim eſſe conſuetudinarium aut cauteriatæ conſcientiæ. Ad id, quod objici ſolet S. Hermenegildum recuſaſſe communionem ab Epiſcopo Ariano. Reſpondetur ita ſe geſſiſſe, quia impius Pater hujuſmodi communionem ab eo exigebat in ſignum profeſſionis Arianæ.

Dico 3. Attento jure Concilii Conſtantienſis in Bulla Martini V. probabilius non peccat, ſaltem graviter, qui in quovis caſu etiam ſine cauſa petit & recipit Sacramenta ab excommunicato tolerato, ſi prudenter judicet ipſum eſſe cum Deo reconciliatum. Quia ex dicto jure licet omnibus Fidelibus communicare cum excommunicatis toleratis ſicut cum aliis peccatoribus. Atqui poſſum in quovis caſu, etiam nulla urgente cauſa, petere & recipere Sacramenta a peccatore reconciliato. Ergo.

Neque ullo modo verum eſt, quod quidam dicunt, hoc jus intelligendum eſſe de Parocho excommunicato tantum non de alio quocumque, qui non tenetur ex officio miniſtrare: nullum namque indicium eſt in Bulla ſummi Pontificis hujus reſtrictionis, imo contrarium evidenter apparet: intendit namque Pontifex occurrere ſcandalis & ſcrupulis timoratorum ob communicationem cum excommunicatis, tam in temporalibus quam in ſpiritualibus; profecto admodum diminute & via ex parte occurreret, ſi de Parochis tantum intelligeret. Inſuper ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus: Bulla autem non diſtinguit inter Parochum & non Parochum, ſed unicuique Fideli concedit poſſe communicare cum quocumque excommunicato tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus.

Dixi, quod non peccet *ſaltem graviter*: quia videtur quædam diſſonantia & indecentia venialis petere Sacramenta ab excommunicato, quando adeſt non excommunicatus, qui æque utiliter poſſit conferre. Si tamen iſte excommunicatus non requiſitus ſe ingereret adminiſtrationi Sacramentorum, graviter peccaret; quia Bulla in nullo excommunicatos revelat, nec in eorum favorem data eſt, ſed Fidelium tantum.

ARTICULUS VII.

De intentione Miniſtri.

Hic primum cum Hæreticis, deinde cum quibuſdam Doctoribus Catholicis eſt decertandum. Hæretici nullam requirunt in Miniſtro intentionem faciendi, quod facit Eccleſia, ſed volunt, quod ritus ſacramentalis, ſive mimice & irriſorie repræſentatus exterius, ſicut hiſtriones in theatris aliorum perſonas & facta repræſentant & fingunt, ſive ab ebrio aut amente exercitus, ſit verum Sacramentum. Ita Lutherus L. de Capt. Babyl. *Non enim*, inquit, *in conferentis tantum, quantum in ſuſcipientis fide vel uſu ſita eſt virtus Baptiſmi, ſicut legitur exemplum de quodam mimo per jocum baptizato.* Et in Art. 12. inter eos, quos Leo X. damnavit: *Si Sacerdos*, inquit, *non ſerio, ſed joco abſolverit, tamen credat ſe eſſe abſolutum, veriſſime abſolutus eſt.*

Et quamvis Calvinus, Kemnitius & alii recentiores hoc Lutheri dogma emollire videantur, ac tantum rejicere intentionem internam, conſtat tamen ex eorum capitali dogmate eos nullam in Miniſtro requirere intentionem faciendi, quod faciat Eccleſia: uno ore enim omnes tenent Sacramenta nihil aliud eſſe quam ſigna, quibus excitatur in nobis fides, qua juſtificamur. Quovis autem modo frequententur, ſive mimice & irriſorie, ſive a ſtulto vel ebrio, ſecluſa quavis intentione faciendi, quod facit Eccleſia, ſemper ſunt ſigna, quibus fides in nobis excitari poteſt: idque probat Kemnitius 2. parte Exam. Conc. Trid. ad Can. 11. ſeſſ. 7. ex paritate cum verbo Evangelico: *Ex quo intelligitur*, inquit, *quod quemadmodum verbum Evangelii prædicatum ſine ulla intentione eſſe verbum Evangelii non deſinit, & qui ei aſſentitur, juſtificatur, quantumvis perverſam tam interiorem quam exteriorem, vel etiam nullam habeat intentionem Miniſter; ita neque deſinit eſſe Sacramentum, modo applicetur forma materiæ, etiamſi abſque intentione recta applicetur, ſed e contra cum perverſa interiori vel exteriori vel etiam nulla.*

Quidam Doctores Catholici improbato Sacramento exterius mimice & irriſorie frequentato, ſeu ab amente, ebrio, vel dormiente collato, dicunt requiri & ſufficere ad perfectionem Sacramenti, quod Miniſter exterius ſerio ritum peragat, quamvis interius ridere, fingere & jocari, aut actum materialiter ut naturalem & profanum exercere tantum intendat, & hanc intentionem vocant exteriorem, de qua §. ſubſeq. 1. itaque contra Hæreticos Dogma Fidei adſtruemus. 2. Contra Catholicos externæ intentionis defenſores diſputabimus. 3. De variis qualitatibus intentionis requiſitæ diſſeremus.

§. I.

§. I. Dogma Catholicum de intentione Miniſtri contra Hæreticos aſſeritur.

DIco. (*Hic q. 64. a. 8. o.*) Ad perfectionem Sacramenti requiritur in Miniſtro intentio faciendi, quod facit Eccleſia; ita ut Sacramentum exterius mimice & iriſorie ſeu a Miniſtro rationis impote collatum, ſit nullum. Prob. 1. ex Scripturis. Apoſt. 1. Cor. 4. dicit: *Sic nos exiſtimet homo ut Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.* Atqui nemo dicit Miniſtrum & diſpenſatorem Regia, qui non ſerio & ex rationis propoſito; ſed mimice & hiſtrionis inſtar, vel dormiens vel ebrius mandata & munera Regis diſpenſaret. Ergo. Item. Chriſtus non ſolum Sacramenta inſtituit, ſed etiam illorum poteſtatem Apoſtolis tradidit, juxta illud Joan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: quorum retinueritis, retenta ſunt.* Atqui poteſtas faciendi vel non faciendi non eſt niſi in iis rebus, quæ ex deliberatione & propoſito agunt. Ergo. Confirm. Si Judex vel dormiens, vel ebrius, vel exterius mimice ſententiam abſolutionis proferret, nulla cenſeretur ejus abſolutio. Ergo ſimiliter.

Prob. 2. ex Conciliis. Conc. Conſtant. ſeſſ. ult. in Conſtitutione Martini V. præſcribit, ut ſuſpectus de Hæreſi VViclefi interrogetur: *Utrum credat, quod malus Sacerdos cum debita materia & forma & cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia, vere conficiat, vere abſolvat, vere baptizet & vere conferat alia Sacramenta:* ubi ſupponit intentionis neceſſitatem. Conc. Florent. in Decreto Eugenii declarat, quod *Omnia Sacramenta tribus perficiantur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma & perſona Miniſtri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia.* Conc. Trid. ſeſſ. 7. Can. 11. ſic definit: *Si quis dixerit in Miniſtris dum Sacramenta conficiunt & conferunt, non requiri intentionem ſaltem faciendi, quod facit Eccleſia, anathema ſit.*

Prob. 3. (*Ibid.*) rationibus Theologicis. 1. quando aliquid ex ſe eſt indifferens & poteſt ordinari ad multa, ſi effici debeat, oportet, quod per aliquid determinetur ad unum. Atqui quæ in Sacramentis aguntur, ſunt ex ſe indifferentia, & poſſunt ordinari ad multa, v. g. ablutio aquæ in Baptiſmo poteſt fieri ex joco vel ſerio, poteſt exerceri ut naturalis & profana, nimirum ut ablutiva aut ſanativa corporis tantum, vel ut ſacra & religioſa; neque dici poteſt, quod determinetur ad eſſe ſacrum & religioſum per verba *Te baptizo*, &c. quia & hæc ſunt indifferentia, ut ſignificent naturalem ablutionem corporis, vel ſacram lotionem animæ. Ergo reſtat, quod res & verba debeant determinari per intentionem Miniſtri, nihil enim aliud eſt aſſignabile. (*Ibid. ad 1.*) Miniſtri Sacramentorum ſunt inſtrumenta Chriſti non inanimata, ſed anima & ratione prædita. Atqui hujuſmodi inſtrumenta non ſolum moventur, ſed etiam movent ſeipſa ex deliberatione & intentione. Ergo. 3. (*Ibid. in a. ſ. c. o.*) Ea, quæ ſunt præter intentionem, ſunt caſualia. Atqui non eſt dicendum de operatione Sacramentorum, quod ſit caſualis; id enim repugnat cum Miniſtri tum Sacramenti dignitati. 4. Collatio & miniſtratio Sacramentorum ſunt actus morales. Ergo humano modo, id eſt, ex conſilio & intentione peragendi. Ut quid enim Chriſtus conſtituiſſet homines Sacramentorum Miniſtros, niſi ut hominum & non brutorum more ſe gererent.

Prob. 4. ab abſurdis. Si vera eſſet Hæreticorum ſententia, ſequeretur 1. quod mater abluens domi infantem a ſordibus ſub invocatione Trinitatis, ut bene illi ſit, ipſum baptizaret. 2. Quod ſtultus infundens e feneſtra Catechumeno tranſeunti ſitulam aquæ, proferens jocando formam Baptiſmi, ipſum baptizaret. 3. Quod Sacerdos Lector menſæ apud Regulares, qui legeret cap. 26. Matth. omnes panes menſæ appoſitos, & omnes vini phialas conſecraret: hæc autem aperta ſunt abſurda. Ergo. Hæc argumenta pro majori parte redibunt §. ſeq. & alia adjicientur.

Solvuntur Objectiones Hæreticorum.

OBj. 1. ex hiſtoria Eccleſ. 1. S. Athanaſius admodum puer, ludens cum aliis pueris in littore maris, eos baptizavit. Hunc autem Baptiſmum ratum habuit S. Alexander Alexandriæ Epiſcopus, ut referunt Sozomenus l. 2. c. 17. Nicephorus l. 8. c. 5. Rufinus l. 1. Hiſt. c. 14. 2. Puer Hebræus pariter ab aliis pueris ludentibus in littore maris fuit baptizatus, quem Baptiſmum probavit Epiſcopus Conſtantinop. apud eumdem Nicephorum l. 3. c. ult. 3. S. Geneſius circa annum 285. mimice repræſentans in Theatro myſteria noſtræ Religionis, ſubito converſus, ab altero mimo baptizatus eſt; qui Baptiſmus non fuit iteratus, ideoque reputatus validus. 4. Ex Auguſt. Ep. ad Alipium 67 nunc 227. colligitur quemdam Dioſcorum Architheatrum nugaciter ludentem in Theatro & myſteria Religionis noſtræ ſubſannantem recepiſſe Baptiſmum, qui probatus fuit, ſiquidem *Omnis ab eo fuerit deleta nugacitas*, ut ſcribit Auguſt.

Reſponſioni præmitto ritum ſacramentalem poſſe dupliciter modo exerceri per jocum & ludum. Ut vere intendatur fieri, quod facit Eccleſia, quamvis ſecundario referatur ad ludum & animi oblectationem tamquam ad finem extrinſecum. 2. Sic ut omnino ſimulate & mimice repræſentetur, eo modo quo Judæi coram Chriſto genuflectebant, eumque Regem ſalutabant. Sacramentum hoc ſecundo modo collatum per jocum eſt nullum, quia ludus eſt actioni ſacramentali intrinſecus, ideoque integritati Sacramenti officit. At primo modo collatum eſt validum, non minus quam Sacramentum, quod Miniſter adminiſtrat lucri cauſa: ſicut enim intentio lucri eſt extrinſeca ſubſtantiæ operis, & ipſam non deſtruit, ita intentio ſe recreandi. Hoc præmiſſo,

Ad 1. R. 1. hoc factum magnæ ſuppoſitionis ſuſpicione laborare: ſi enim credamus Hieronymo in Chronico, S. Alexander non fuit ordinatus Epiſcopus Alexandriæ niſi an. 321 anno autem 325. S. Athanaſius jam Diaconus & doctrinæ fama celebris interfuit Nicænæ Synodo, & anno ſeq. 326. mortuo Alexandro ejus ſucceſſor renunciatus eſt; ex quo ſequitur Athanaſium anno ad minus 22. natum fuiſſe, tempore quo S. Alexander inauguratus fuit Epiſcopus Alex. Si vero alios audiamus, Pagium ad an. 311. & Patres Benedictinos S. Mauri in vita S. Athanaſii, S. Alexander creatus fuit Epiſcopus an. 313. Sed cum omnium conſenſu conſtet S. Athanaſium S. Alexandro ſucceſſiſſe in ſede Alex. an. 326. conſequenter tunc annum ſaltem 30. attigiſſe (juxta enim Canones & mores hujus temporis nullus ordinabatur Epiſcopus ante an. 40. nec uſquam legimus Arianos Athanaſio exprobraſſe, quod junior arripuiſſet Epiſcopatum, quod procul dubio non omiſiſſent, cum id exprobrarent Pauliniano S. Hieronymi Fratri) ſequitur ſaltem, quod an. 313. quo Alexander fuit conſecratus Epiſcopus Alex. S. Athanaſius attigerit annum ad minus 17. ideoque non eſſet admodum puer & impubes, ut ex Rufino narrant Socrates & Sozomenus, ſed capax perfectæ deliberationis & intentionis. Inſuper diverſitas Auctorum in circumſtantiis facti referendis indicat ſuſpicionem. Socrates refert Alexandrum prætereundo hunc ludum vidiſſe. Sozomenus, dum convivas ſolus expectaret. Nicephorus, dum in loco ſublimiori eſſet. Adde Rufinum, a quo alii hanc hiſtoriam exſcripſerunt, illam referre nullo alicujus probati Auctoris teſtimonio fultam. R. 2. data veritate hujus facti, S. Athanaſium intendiſſe ſerio facere, quod per Epiſcopum fieri viderat, licet id ad recreationem referret. Narrat enim Rufinus primus hujus hiſtoriæ ſcriptor, Alexandrum ex puerorum interrogatione deprehendiſſe, quod *Illi omnia ſecundum Religionis noſtræ ritum ſervaſſent*, quod Athanaſius nonnulli Catechumenos, ut erat ipſe, baptizaſſet, & habuiſſet intentionem faciendi *Quæ per Epiſcopum in Eccleſiis geri mos erat.*

Ad 2. R. pariter pueros baptizando hunc puerum Judæum intendiſſe facere, quod viderant fieri in Eccleſia, quamvis id retulerint ad recreationem ut ad finem extrinſecum. Narrat enim Nicephorus hunc puerum Hebræum non fuiſſe invitum, omnes cæremonias conſuetas adhibitas fuiſſe, trinam immerſionem cum invocatione Trinitatis obſervatam fuiſſe, pueros baptizantes deduxiſſe baptizatum in Eccleſiam, ubi communionis ſignum accepit, & Antiſtitem Conſtantinop. juſſiſſe, *Ut etiam in illo, quod deeſſet, juxta myſterii executionem compleretur.* Quod poteſt intelligi vel de Baptiſmo conferendo, quia jam annuerat, vel de Confirmatione. Ad 3. R. 1. multis videri fabuloſam hanc Baptiſmi S. Geneſii Hiſtoriam, 1. propter ſilentium veterum; Ado enim primus poſt 600. circiter annos hanc Hiſtoriam refert. 2. Propter Auctorum diſſonantiam: Ado narrat Geneſium baptizatum fuiſſe a Sacerdote Chriſtiano ad Theatrum vocato: alii ab altero mimo edocto ab Angelo: alii ab ipſo Angelo. 3. Propter narrationum ineptias: ineptum enim & omnino inveriſimile reputant, quod Sacerdos Chriſtianus mimi rogatu Theatrum conſcenderit, & ludentibus myſteria Religionis operas ſuas locaverit: item quod Angelus inter hiſtriones partes ſuas egerit, aut monuerit mimum, ut ſerio Geneſium baptizaret; cum e contra debuiſſet prius monere ut ſe ad fidem converteret, & a re ſacra in Theatro facienda potius abſtraheret. Reſpondent quidam S. Geneſium baptizatum fuiſſe Baptiſmo ſanguinis, & non fluminis. Et ſi præter Adonem, & alios, opponas Martyrologium Rom. in quo Baptiſmum & Martyrium S. Geneſii referuntur ut duæ actiones diſtinctæ; reſpondent Martyrologium Rom. non ſecus ac Breviarium non eſſe inconcuſſæ fidei, ſed correctioni ſubjacere. R. 3. Probabilius ſuppoſita veritate facti S. Geneſium baptizatum fuiſſe a Sacerdote Chriſtiano, non in Theatro, ſed extra paulo poſt ſuam converſionem, & ſtatim raptum a militibus ad Imperatorem Diocletianum, qui præſens aderat, cum fidem noſtram coram illo conſtanter confiteretur, capite damnatum fuiſſe.

Unde

Unde Martyrologium Rom. quod ſubitam S. Geneſii converſionem, Baptiſmum & Martyrium refert, de tempore & Miniſtro Baptiſmi ſilet.

Ad 4. R. Juxta recentiores Operum S. Aug. Editores, ex fide variorum Codicum, non eſſe legendum *Archibuater*, hoc eſt Comœdorum Dux, ſed *Archiater*, id eſt medicorum Princeps, qui cum Religioni Chriſtianæ ante converſionem ſæpe inſultaſſet, ſuſcepto Baptiſmo, *omni eſt ab eo deleta nugacitas*. R. 2. dato legendum eſſe, *Archibuater*, & hunc in Theatro ſæpe luſiſſe Chriſtianorum Ritus, non tamen inter ludendum & in theatro fuiſſe baptizatum, ſed extra in ſolemnitate Paſchali poſt votum pluries emiſſum & neglectum de ſuſcipiendo Baptiſmate, ut refert ibidem Auguſt.

Obj. 2. ex Patribus. 1. S. Aug. l. 7. de Bapt. c. 53. dubitabat, utrum Baptiſma ludicre & mimice collatum eſſet validum, dicitque expectandum *ea de re divinum judicium per alicujus revelationis oraculum*. Ergo antiquitus non erat ſaltem aſſerta neceſſitas intentionis faciendi, quod facit Eccleſia. 2. Idem Tract. 80. in Joan. dicit: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*. Nulla itaque requiritur intentio. De conſec. Diſt. 4. cap. *Baptiſmus* ex eodem Aug. Tract. 5. in Joan. dicitur: *Non timeo adulterum, non ebrium, non homicidam, ſed columbam attendo, per quam mihi dicitur: hic eſt qui baptizat*. 4. Chryſoſtomus Hom. 85. in Joan. dicit: *Neque Angelus, neque Archangelus quidquam in his, quæ a Deo data ſunt, efficiunt, ſed Pater & Filius & Spiritus S. omnia facit: Sacerdos & linguam & manus præbet: neque enim juſtum eſt propter alterius malitiam ad ſalutis noſtræ Symbola fide accedentes offendi*. Et ibidem comparat Sacerdotem impium aſinæ Balaam, per quam locutus eſt Dominus. Idem Iſidorus Peluſiota l. 2. Ep. 37. Ergo.

Ad 1. R. hoc, quod Aug. expectabat & optabat ſcilicet divinum judicium per alicujus revelationis oraculum, completum eſſe per definitiones & oracula duorum Conciliorum Generalium Florent. & Trid. per quæ nunc ſaltem, ſi non antiquitus, aſſerta eſt neceſſitas intentionis faciendi, quod facit Eccleſia. Vel dicas Auguſt. non dubitaſſe, an Baptiſma mimice & ſine ulla intentione faciendi, quod facit Eccleſia, collatum, eſſet validum: ſed an mimice baptizans poſſet habere hanc intentionem, ſicut diximus Athanaſium ludendo habuiſſe. Etenim ipſi mimi quamvis plerumque ficte omnino & ſimulate ſe gerant, ut v. g. dum ſe aut alios occidere ſimulant; poſſunt tamen interdum intendere facere, & revera faciunt aliquid quod ad delectationem animi referunt; ut dum convivium repræſentaturi veros cibos comedunt, & comeſtionem illam ad ſuam & aliorum oblectationem referunt. Juxta hanc interpretationem cupiebat definitionem & oraculum, non quod factum particulare; utrum hic vel iſte habuerit intentionem ſufficientem, id enim internum eſt & definitioni Eccleſiæ non ſubjacet, ſed generaliter quoad probationem vel improbationem Sacramenti hoc modo collati. Cæterum impudentiæ merito arguuntur Hæretici, qui nobis hic objiciunt Aug. dubitantem de tali Sacramento, nihilque de eo affirmare audentem abſque definitione & judicio Eccleſiæ, dum ipſi contra iteratas Eccleſiæ definitiones & judicia pertinaciter contendunt hujuſmodi Baptiſma eſſe validum.

Ad 2. R. Auguſtinum tantum illic velle demonſtrare aquam nude ſumptam abſque verbis Evangelicis non eſſe Sacramentum Baptiſmi: dicit enim: *Detrahe verbum, & quid eſt aqua niſi aqua! Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*. At non dicit verbum non debere accedere ad aquam per actionem humanam cum deliberatione & intentione. Ad 3. Non legitur in Aug. unde iſte Canon deſumptus eſt, *Ebrius*, ſed *Ebrioſus*, & ita nunc legitur in emendatis Decreti Editionibus: Ebrioſus autem non dicit actum, ſed habitum ſeu conſuetudinem, quæ non impedit, quin homo poſſit habere rectam intentionem, quando non eſt ebrius. Ad 4. Chryſoſtomus nihil aliud eo loci intendit, quam oſtendere improbitatem miniſtri non tollere virtutem Sacramenti, quæ eſt a Deo. Dicit Sacerdotem præbere manum & linguam humano ſcilicet modo cum deliberatione & intentione, non brutorum more. Adhibet comparationem cum aſina Balaam eodem ſemper fine, ut oſtendat dona ſacramentalia non eſſe ab hominibus, ſed a Deo, non excluſo tamen hominum miniſterio. Mens S. Doctoris patet ex his, quæ habet ibidem; comparat namque Sacerdotes miniſtris Principum, ſicut autem mandata miniſtri in ſomno vel ebrietate vel cum ludrica ſimulatione facta nullius ſunt roboris, ita nec Sacramenta a Sacerdotibus non humano modo, aut non ſerio collata. Idem eſt ſcopus Iſidori, qui loco cit. dicit, quod omnis, qui recipit Sacramenta, *ex improba Sacerdotis vita nullo damno afficitur*.

Obj. 3. a ratione. Verbum Dei concionatorium prolatum abſque ulla intentione vel etiam jocoſe efficax eſt. Ergo & verbum ſacramentale. R. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod verbum concionatorium ſit ſignum ſpeculativum tantum, & vim habeat a ſignificatione ſibi indita; unde eum retineat ſignificationem quovis modo & a quovis, etiam ſi a pſittaco proferatur, retinet etiam ſuam vim & efficaciam. At verbum ſacramentale non eſt ſignum ſpeculativum tantum, ſed etiam practicum, hoc eſt, ultra ſibi inditam ſignificationem habet efficere aliquid ſcilicet Sacramentum, & hoc habet ex inſtitutione Chriſti, qui voluit ut ad hunc effectum proferretur humano modo, niſi dicas Sacramentum poſſe perfici a pſittaco.

Inſt. 1. Ideo ſecundum nos Miniſter Sacramenti debet habere intentionem, quia eſt diſpenſator myſteriorum Dei. Atqui concionator eſt diſpenſator verbi, & tamen ut verbum ſit efficax, in eo non requiritur intentio. Ergo. R. Concionatorem proponentem verbum Dei mimice, vel dormientem aut ebrium & ſine ulla legitima intentione non eſſe actu diſpenſatorem verbi: verba ſunt tamen efficacia, id eſt, excitant conceptus in audiente: quia, ut dictum eſt, habent hanc vim ex ſignificatione ſibi indita, quæ remanet non obſtante Miniſtri diſpoſitione; ſecus verbum ſacramentale.

Inſt. 2. Miniſter Regis ſine ulla intentione per ſolam exhibitionem litterarum, aut denuntiationem mandati regii, ſuum officium implet, quavis intentione id faciat. Ergo ſimiliter. R. D. Ant. Miniſter Regis, qui ſit præciſe nuntius & delator mandati, C. Qui ſit miſſus cum poteſtate faciendi & non faciendi prout libuerit, N. Duplex itaque diſtinguendus eſt Miniſter in Civilibus. Unus, qui ſimpliciter defert voluntatem Regis aut Reipublicæ, & dicitur Nuntius, Præco, Orator, & ille quavis intentione, quovis modo prolat mandatum, ſufficit. Alter eſt, qui deputatur cum poteſtate faciendi & non faciendi ſecundum propriam deliberationem & judicium, qualis eſt Judex, Conſul, Prætor, & is debet agere ex deliberatione & intentione; nemo enim pareret mandato vel ſententiæ Judicis aut Prætoris dormientis, vel ebrii, vel mimice agentis: hujus autem ſecundi generis ſunt Miniſtri Sacramentorum.

Inſt. 3. Miniſtri Sacramentorum ſunt inſtrumenta. Atqui in confectione operis non attenditur intentio Miniſtri, ſed cauſæ principalis. Ergo. R. D. Maj. (*Ibid. ad* 1.) Sunt inſtrumenta animata, C. Inanimata, N. Et D. Min. ad ſenſum Majoris, N. Conſeq. Solutio patet ex probationibus Concluſionis. Quædam alia argumenta, quæ contra præſentem Concluſionem militant, proponentur & ſolventur §. ſeq.

§. II. *Quæ intentio requiratur & ſufficiat in Miniſtro ad perfectionem Sacramenti?*

PRobavimus §. præced. contra Hæreticos requiri in Miniſtro intentionem faciendi, quod facit Eccleſia, & hoc admittunt omnes Catholici. At gravis inter eos orta eſt controverſia a 200. circiter annis, quid ſit intelligendum per has particulas, *quod facit Eccleſia*. Plura namque ſpectari poſſunt in eo, quod facit Eccleſia, 1. Ipſe ritus externus præciſe & materialiter. 2. Ritus ut frequentatur ſacer & religioſus in Eccleſia, abſtrahendo ab hoc, quod ſit vel non ſit in ſe talis. 3. Ut eſt abſolute in ſe ſacer & religioſus ſeu Sacramentum. 4. Ut eſt cauſa efficax gratiæ & characteris. Et hinc diverſitas opinionum. Quidam ergo volunt perfici Sacramenta, modo Miniſter intendat facere & faciat exterius ſerio ritum externum, quamvis in corde non intendat facere, quod facit Eccleſia ſed fingere tantum, ſimulare aut irridere, vel exercere præciſe actum materialiter. Et hæc intentio vocatur *externa*, non quod non ſit interna, omnis enim intentio eſt actus voluntatis, ſed quia ejus objectum eſt totum externum, & per illud certo phyſice manifeſtatur; impoſſibile namque eſt, quod homo ſui compos ſponte faciat quod non vult facere. Alii dicunt ad integritatem Sacramenti requiri, quod Miniſter intendat ritum externum, ſaltem ſecundum quod frequentatur in Eccleſia, ſeu ut ſacrum & religioſum in Eccleſia Dei, quæcumque illa ſit. Et hæc intentio vocatur interna, quia ejus objectum, ſcilicet ratio rei ut ſacræ in Eccleſia, quæ poteſt abeſſe a ritu exteriori, non eſt exterior, ſed ſola mente concipitur, & per eam intentio non manifeſtatur certo phyſice. Alii exiſtimant requiri intentionem faciendi ritum externum ut abſolute in ſe ſacrum & Sacramentum, ſeu ut frequentatur in Eccleſia Romana. Alii tandem requirunt intentionem faciendi ritum externum, non ſolum, ut abſolute in ſe ſacrum, ſed etiam ut gratiæ productivum.

Primæ ſententiæ Auctor communiter dicitur Ambroſius Catharinus Ordinis noſtri, primum ſummi Pontificis Theologus in Conc. Trid. poſtea nominatus Epiſcopus Minorenſis, deinde Archiepiſcopus Compſenſis in Italia, cui ſubſcripſerunt Alphonſus Salmeronius Soc. Jeſu & Marius Scribonius Minorita. Sunt quidam, inter quos noviſſime Honoratus Tournely, qui conantur revocare ſententiam Catharini & Salmeronii ad ſecundum; contenduntque eos tantum

tum excluſiſſe intentionem faciendi ritum eternum ut abſolute in ſe ſacrum & Sacramentum atque ut gratiæ effectivum, non intentionem faciendi illum ut ſacrum & religioſum in Eccleſia Dei. At illuſtres Catherini Vindices, Vincentius Contenſon & Hyacinthus Serry primam ſententiam ex integro illi adſcribunt, & merito. Poſtquem enim Catherinus in Opuſculo *de intentione Miniſtri* dixit requiri in Miniſtro intentionem faciendi *quod Chriſtus & Eccleſia facit*, etiamſi ipſe nihil credat fieri, in quo a ſententia communi non recedit, proponit quæſtionem: *Si Miniſter omnia exterius faciat, quæ jubet Eccleſia, intus aliud ſervet animo, ita ut intendat deriſorie baptizare, ſatiſne hoc fuerit, ut completum dici poſſit Baptiſmi Sacramentum*. Hanc quæſtionem affirmative reſolvit, & auctoritate S. Th. atque multis aliis probare contendit. Hanc ſententiam ex Recentioribus præter Contenſonum & Serrium jam nominatos propugnant Farvacque, Decocq, Duhamel, Juenin, ſub aliqua tamen reſtrictione, ſaltem illuſtriores ejus Patroni Contenſon, Serry, Juenin, &c. Nolunt enim hanc externam intentionem ſufficere in omni caſo, ſed tum demum, quando Miniſter rogatus confert Sacramentum in loco ſacro, aliiſque circumſtantiis adhiberi ſolitis, ſicque ſe exhibet Eccleſiæ Miniſtrum, quia dicunt per has circumſtantias externum ritum de ſe indifferentem determinari ad eſſe ſacramentale. *Ritus externus*, inquit Juenin Diſſ. 1. de Sacram. q. 5. c. 2. a. 3. §. 1. *ex ſeipſo ad rem ſacram indifferens, determinetur ad eſſe ſacramentale ex loco, in quo celebratur, ex eorum petitione quibus applicatur, aut ex aliis circumſtantiis. Seria externi ritus celebratio*, inquit Serrius c. 14. Diſſ. de Miniſtri intentione, *a Catharino nobiſque hactenus propugnata, ut ad valorem Sacramenti ſufficiat, non illa ſolum eſt, quæ fora ludoque opponitur, ſed & illa, quæ in his circumſtantiis fiat, ex quibus Sacerdos determinatur ad agendum ut Miniſter Eccleſiæ ejuſque nomine*. Et quia hoc eſt commune eorum effugium, id exprimemus in Concluſione, & plerumque in probationibus, ac ſpecialiter ultimate confutabimus. Itaque

Dico 1. Ad veritatem & integritatem Sacramenti non ſufficit in Miniſtro intentio externa, ſed requiritur interna. Seu ut magis explicite loquar: non ſufficit, quod Miniſter actum externum ſerio ponat, ſi in corde habeat intentionem non faciendi illum ſaltem ut ſacrum & religioſum in Eccleſia Dei, quæcumque illa ſit, ſed fingendi tantum, ſimulandi aut irridendi, vel illum ponendi mere materialiter ut rem naturalem & profanam, etiamſi in circumſtantiis adhiberi ſolitis. Eſt eximior communior & probabilior.

Hanc Concluſionem probant omnia fere argumenta, quæ produximus §. præced. contra Hæreticos. Hæc inſtaurantur & alia proponuntur. Unde Prob. 1. ex Scripturis. Juxta Scripturas §. præced. citatas Miniſtri Sacramentorum ſunt diſpenſatores myſteriorum Chriſti & Eccleſiæ, eaque conficiendi vel non conficiendi habent poteſtatem. Ergo debent in nomine Chriſti & Eccleſiæ ea miniſtrare, debent baptizare, conſecrare, actum judicialem exercere, &c. At quomodo qui, actum externum ſerio & in circumſtantiis peragens, intus dicit, nolo facere, quod Chriſtus inſtituit & Eccleſia facit, nolo baptizare, conſecrare, abſolvere, &c. poteſt concipi, quod agat in nomine Chriſti & Eccleſiæ, vel baptizet, conſecret, abſolvat? præſertim cum opus externum ſerio peractum & in circumſtantiis ſit indifferens, ut amplius dicam infra, ut nomine Chriſti vel alterius peragatur, ut ſit ſacrum vel profanum, ut ſit abſolutio in foro externo tantum, an etiam in interno.

Reſpondent hos ritus non habere ab intentione Miniſtri, quod ſint ſacri & ſacramentales, ſed a Chriſto eorum inſtitutore, miniſtrorumque partes eſſe duntaxat opus divinitus imperatum exterius ſerio exequi, inſulſumque eſſe dicere, quod qui ritum externum ſerio ponit præſertim in circumſtantiis, non velit Sacramentum conficere, ſicut inſulſum foret, ſi admovens ignem ſtupæ diceret, nolo, quod ignis comburat ſtupam. Sed contra 1. Equidem ritus illi habent a Chriſto inſtitutore quod ſint ſacri & ſacramentales, ſed mediante Miniſtro tamquam inſtrumento animato & agente modo humano, ideoque cum deliberatione & intentione. Si ergo nolit conficere rem ſacram, ſacra non erit, non utetur poteſtate ſibi collata, nec aget in nomine Chriſti, ſicut qui accepiſſet a Deo poteſtatem faciendi miracula, ſi diceret exterius & ſerio mortuo, ſurge, & intus diceret, ne ſurgas, non uteretur poteſtate ſibi collata, nec ageret in nomine Dei, mortuuſque non reſurgeret. 2. Si ex ſola inſtitutione Chriſti res ſit ſacra, quare mimice peracta aut extra circumſtantias non eſt ſacra? quia, inquiunt, debet fieri humano modo, & cum animo ſerio agendi: ita eſt. Ergo non ex ſola inſtitutione Chriſti pendet, ut ſit ſacra, ſed etiam e Miniſtro, & inſuper ſit ſerio & humano modo extra circumſtantias, & tamen ſine intentione interna non eſt ſacra ſecundum Adverſarios. 3. Exemplum ignis admoti ſtupæ eſt prorſus ineptum; ignis namque ex ſua natura eſt neceſſario combuſtivus, & ritus ſacramentalis etiam ſerio peractus & in circumſtantiis non eſt ex natura ſua neceſſario ſacer, ſed opus morale, quod perficitur per voluntatem & intentionem agentis; pone, quod combuſtio ignis ſit opus morale, ſicut collatio Sacramenti, & igni ſtupæ admoto dicas, nolo ut comburas, non comburet. 4. Si iſtud exemplum valeat, poterit ſic argumentari Lutheranus: Ignis mimice admotus ſtupæ illam comburit; ergo Miniſter mimice peragens ritum externum conficit Sacramentum.

Prob. 2. ex Conciliis. Ad perfectionem Sacramenti juxta Concilia Florent. & Trid. §. ſuperiori laudata neceſſaria eſt in Miniſtro intentio faciendi, quod facit Eccleſia. Atqui qui habet tantum intentionem externam, non intendit facere quod facit Eccleſia, ſed fingere tantum & ſimulare, & tota diſparitas inter ipſum & hiſtrionem eſt, quod hiſtrio ſit deriſor apertus, iſte autem deriſor occultus. Ergo.

Si dices. Facit ritum externum, quem facit Eccleſia. Ergo intendit facere, quod facit Eccleſia. Contra 1. Eccleſia non facit ritum externum utcumque, materialiter ſcilicet ut rem naturalem & profanam, ſed ut ſacram & religioſam; hoc autem ille non intendit facere, ſed fingere tantum. Hiſtrio, qui mimice repræſentat actionem ſacramentalem, facit ritum externum materialiter, & tamen non intendit facere, quod facit Eccleſia, ſed deridere. Similiter mulier, quæ infantem domi lavat cum invocatione Trinitatis, ut bene illi ſit, facit ritum externum, & tamen non dicitur, quod intendat facere, quod facit Eccleſia. Item qui non poſtulatus & privatim formam profert ſupra materiam ſine intentione interna, aut qui neſcit hæc fieri ab Eccleſia, juxta Adverſarios non facit, quod facit Eccleſia, & tamen ritum externum facit. Quid ita? Quia cum dicitur aliquis facere, quod alter facit, id intelligitur formaliter & non materialiter.

Conf. 1. Laudata Concilia præter applicationem formæ ad materiam requirunt intentionem faciendi quod facit Eccleſia. Atqui intentio externa eſt inſeparabilis ab applicatione formæ ad materiam. Ergo præter intentionem externam, etiam requirunt, ſcilicet internam. Si dices intentionem externam etiam eſſe ſeparabilem ab actu externo, quando nempe mimice peragitur. Contra. Quando Concilium Florent. definit Sacramentum tribus perficit, ſcilicet materia, forma & intentione faciendi, quod facit Eccleſia, loquitur de materia & forma ſerio applicatis, his enim ſolum perficitur Sacramentum, & ultra hoc requirit intentionem faciendi, quod facit. Ergo præter intentionem externam, quæ eſt inſeparabilis a materia & forma ſerio applicatis, requirit internam.

Reſpondet Contenſonus hoc argumento, ſi valet, probari, quod ad perfectionem Sacramenti Miniſter etiam deberet intendere facere rem ſacram ſeu Sacramentum abſolute in ſe & ut productivum gratiæ, hæc enim Eccleſia facit: quod tamen non admittimus. Sed contra. Non admittimus quidem neceſſariam eſſe intentionem explicitam faciendi rem abſolute in ſe ſacram & veri nominis Sacramentum gratiæ productivum; at admittimus & ſuſtinemus requiri ad hæc intentionem implicitam, quatenus qui explicite intendit ritum ut in Eccleſia ſacrum, implicite intendit verum Sacramentum gratiæ productivum, quia hoc ſecundum continetur in primo. Sed qui intendit ritum externum materialiter tantum ut rem naturalem & profanam, non intendit etiam implicite illum ut ſacrum, quia hoc ſecundum non continetur in primo, cum ritus externus materialiter exercitus ſit indifferens; ut ſit ſacer & profanus.

Conf. 2. Conc. Trid. Seſſ. 14. c. 6. definit non perfici Sacramentum Pœnitentiæ, *ſi Sacerdoti animus ſerio agendi & vere abſolvendi deſit*. Ubi Concilium præter intentionem ſerio peragendi ritum externum, aliam requirit vere abſolvendi, id eſt, intentionem exercendi actum judicialem in foro interno & perficiendi rem ſacram, ut in Eccleſia fieri ſolet.

Reſpondent Juenin & Serry Concilium dumtaxat damnaſſe errorem Lutheri aſſerentis ratum eſſe Sacramentum mimice collatum, & validam eſſe abſolutionem joco datam. Sed contra 1. Per hæc verba *animus ſerio agendi*, proſcribitur error Lutheri de collatione mimica & jocoſa Sacramenti. Ergo aliquid aliud intendit ſacra Synodus per hæc ſequentia, *& vere abſolvendi*, nimirum intentionem internam; quod quamvis ex ſe pateat, ulterius inde probo, quod Lutherus non ſolum dogmatizabat Sacramentum jocoſe & mimice collatum eſſe validum, ſed etiam Sacerdotem non exercere actum judicialem, nec vere abſolvere a peccatis, ſed tantum declarare eſſe remiſſa, quod ſequitur ex communi eorum principio, ſolam fidem juſtificare, & patet ex eodem cap. Trid. ubi definit abſolutionem Sacerdotis *non eſſe ſolum nudum miniſterium vel annuntiandi Evangelium, vel declarandi remiſſa eſſe peccata ſed ad*

ſtat actus judicialis, quo ab ipſo velut a judice ſententia pronuntiatur. Primis ergo verbis damnatur primus error Lutheri, poſterioribus ſecundus. Ergo Concilium præter intentionem externam, quæ eſt in ſeria pronuntiatione formæ abſolutionis, exigit intentionem vere abſolvendi ſeu exercendi actum judicialem in foro interno, prout fit in Eccleſia Chriſti. 2. Qui ritum externum ſerio ponit, & intus in corde dicit, nolo abſolvere, eſto habeat animum ſerio agendi, quod mox examinabimus, non tamen habet animum vere abſolvendi, ſed ſimulandi tantum & ſubſannandi. Ergo. 3. Dato gratis Concilium damnaſſe dumtaxat jocoſam collationem Sacramenti, nihil inde obtinent Adverſarii: non enim Concilium damnat tantum jocoſam collationem, quæ exterius ſe prodat, ut autumant Adverſarii; ſed etiam internam; dicit enim, *ſi deſit animus ſerio agendi*: qui autem interius vult tantum ſimulare & fingere, licet id non manifeſtet exterius, non habet animum ſerio agendi.

Inſtant. Concilium poſt verba laudata ſubjungit: *Nec is eſſet niſi ſalutis ſuæ negligentiſſimus, qui Sacerdotem jocoſe abſolventem cognoſceret; & non alium ſerio agentem ſedulo requireret*. Manifeſtum eſt ergo Concilium loqui tantum de eo, qui ſic animum jocandi exterius prodit, ut pœnitens id dignoſcere poſſit. Unde Card. Pallavicinus L. 12. Hiſt. c. 10. ex his verbis infert ſententiam Catharini non eſſe e Concilio rejectam. Contra: D. Conſeq. Concilium loquitur tantum de eo, qui ſic animum jocandi exterius prodit, ut id pœnitens dignoſcere poſſit, quoad imputationem culpæ in pœnitente, C. Quia ſciens & volens ſe exponit aperto periculo nullitatis abſolutionis, quod non facit, qui neſcit eum jocari. Concilium loquitur tantum de eo, &c. quoad integritatem Sacramenti, N. Sive enim exterius prodat irriſionem, ſive ſolum interius irrideat, deeſt ipſi animus ſerio agendi & vere abſolvendi, quam requirit Concilium ad validam abſolutionem. Quantum ad illationem Pallavicini, eam ut legitimam cum pluribus aliis non admittimus, niſi intellexerit ſententiam Catharini, ſicut intelligunt eam Vaſques & Tournelius, ſcilicet non requiri intentionem internam ad effectum Sacramenti, vel intendat dicere non fuiſſe expreſſe damnatam a Concilio, quod fatemur, quia Concilium expreſſa intendebat damnandis Hæreticorum erroribus, non opinionibus inter Catholicos controverſis; & ideo dicimus damnatam fuiſſe ſententiam Catharini conſecutive tantum. Et hæc videtur mens Eminentiſſimi Scriptoris: nam l. 9. c. 6. dicit: *Equidem exiſtimo Catharini ſententiam falſam eſſe, ſed non ideo per Tridentinos Canones diſerte damnatam*.

Prob. 3. ex definitionibus ſum. Pontificum Alex. VIII. Sept. 1690. damnavit hanc propoſitionem: *Valide Baptiſmus collatus a Miniſtro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi obſervat, intus vero in corde ſuo apud ſe reſolvit, non intendo facere, quod facit Eccleſia*. Et 28. inter damnatas. In hac porro propoſitione manifeſte continetur ſententia, quam oppugnamus; eamque reprobat ſummus Pontifex aſſentiente Eccleſia. Mirum ſane quot & quanta effugia excogitaverint Adverſarii, ut hoc fulmen a ſua ſententia deflecterent.

Reſpondent 1. Juxta Canoniſtas Gallos nullum decretum Tranſalpinum in his Provinciis eſſe alicujus roboris, niſi ſit immediate emanatum a ſummo Pontifice; ideoque hoc Inquiſitionis decretum, in quo damnatur præfata propoſitio, non ligare Gallos. Ita Gaſpar Juenin. Sed contra 1. Quidquid ſit de Gallis, non ita cenſent aliarum Provinciarum Theologi & Canoniſtæ. 2. Quæro, quo jure iſte Theologus & ejus Symmiſtæ ſummo applauſu recipiunt, laudant, amplificant hujuſmodi Decreta, dum proſcribunt propoſitiones ipſis inviſas, ea autem rejiciunt, dum ipſi non favent? Pondus & pondus. 3. Errat Juenin, dum dicit hoc Decretum etſi Generalis inquiſitionis non eſſe a ſummo Pontifice immediate emanatum. Hic eſt tenor Decreti: *In Congregatione generali S. Romanæ & generalis inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis coram SS. Domino noſtro Alexandro divina Providentia Papa VIII. ac Eminentiſſimis, &c.* Deinde recenſitis 31. Propoſitionibus, inter quas num. 28. legitur ea, de qua agitur, ſubjungit: *Quibus mature conſideratis, idem Sanctiſſimus ſtatuit & decrevit 31. ſupradictas Propoſitiones tamquam temerarias, ſcandaloſas, &c. reſpective eſſe damnandas & prohibendas, ſicut eas damnat & prohibet*: Ergo immediate a ſummo Pontifice emanavit hoc Decretum. 4. Dato non a ſummo Pontifice, ſed ab Inquiſitione generali immediate emanaſſe approbante dumtaxat ſummo Pontifice, ideone contemnendum, & judicio quorumdam privatorum Theologorum poſtponendum? Hac igitur miſſa Reſponſione,

Reſpondent 2. Hanc propoſitionem, cum ſit indefinita & generalis, comprehendatque caſum, quo quis per jocum & irriſionem externam Baptiſma conferret, eſſe falſam, ideoque damnatam in cenſu Lutheri, cujus dogma quidam in Belgio renovabant, aut dicebantur renovare. Ita idem Juenin, Serry & alii. Sed contra 1. Falſum eſt hanc propoſitionem eſſe ſic indefinitam & generalem, ut etiam comprehendat caſum Baptiſmi per irriſionem externam collati: manifeſtum namque eſt ipſam loqui de eo ſolo, qui ſerio ritum externum agens intus apud ſe reſolvit, non intendo facere, quod facit Eccleſia. Id aperte indicant hæc tria vocabula quaſi de induſtria adhibita, ut præoccuparetur futilis hæc cavillatio: *Qui intus, in corde ſuo, apud ſe reſolvit*. Non ergo qui exteriori ſigno, vel irriſione, ſolutionem ſuam manifeſtat. Inſuper in ea ſermo eſt de eo, qui omnem ritum adhibet, ſeria autem applicatio formæ ad materiam pertinet ad ritum externum. 2. Ut quid novum decretum ad proſcribendum hæreticam aſſertionem, quæ tam aperte, tam expreſſe, tam ſolemniter damnata eſt in Concilio Trid., etiamſi a quibuſdam diceretur innovari? Numquid quotidie Catholici tranſeunt ad partes Hæreticorum, & eorum errores damnatos aſſerunt? Ideo efformantur nova decreta ad eos damnandos? 3. Sed & figmentum eſt, quoſdam Theologos in Belgio Lutheri errorem in hac parte renovaſſe, cum nullus hujus aſſerti Auctor aſſignari poſſit. Quin e contra Auctores propoſitionis damnatæ illam intelligebant de eo, qui ſerio ritum externum ponit, & in eo ſenſu eſſe damnatum agnoverunt, ideo ab ea propagnanda deinceps abſtinuerunt, ut teſtatur Henricus a S. Ignatio Theologus Belga l. 1. de Sacram. c. 11. ſub finem, & Franciſcus Henno alter Theologus Belga diſerte pronuntiat; *Dicta propoſitio deſumpta eſt ex Theſi cujuſdam Doctoris mihi cogniti & familiaris, qui præciſe Adverſariorum ſententiam ſuſtinebat*.

Reſpondent 3. Propoſitionem ſaltem comprehendere caſum, quo Miniſter metu gravi & injuſto adactus ſervaret ritum externum, & intus diceret, nolo baptizare. Item & caſum, quo non in circumſtantiis conſuetis, ſed privatim, non rogatus, neque in loco ſacro ritum externum ſerio adhiberet, cum intentione non faciendi, quod facit Eccleſia: in quo utroque caſu fatentur non valere Sacramentum, ideoque propoſitionem eſſe falſam & jure damnatam. Ita Serrius. Sed contra primum. Actus ex metu gravi etiam injuſte incuſſo remanet ſimpliciter voluntarius, conſequenter ex illo capite, ſi cætera adſint, propoſitio non eſt falſa, nec jure damnata quoad Baptiſmum, de quo loquitur, nec quoad alia Sacramenta, excepto Matrimonio, quod metu gravi injuſte incuſſo initum jure Eccleſiaſtico irritatur. Contra ſecundum. Propoſitio loquitur de eo, *qui omnem ritum externum obſervat*. Ergo de eo, qui miniſtrat in circumſtantiis, quæ requiruntur ad ritum externum & ad valorem Sacramenti. At de eo communi effugio latius infra.

Reſpondent 4. laudatum Serrium c. 12. propoſitionum loqui de eo, qui intra ſe diceret; *Non intendo facere, quod facit Eccleſia*: at negat in ſuo ſyſtemate Miniſtrum id intra ſe dicere poſſe, quia ſupponitur Miniſter ſerio & libere faciens quidquid Eccleſia facit; implicat autem, ut qui ſerio & libere facit, quod facit Eccleſia, intus intra ſe dicat, non intendo facere, quod faciat Eccleſia. Ergo, ſed contra 1. Non ſibi conſtat præclarus Auctor: dixerat enim c. 7. *Miniſtrum impium libere ſerioque omnique ſemoto joco Sacramentum publice miniſtrantem, illud idem auſ latenus irritare, tametſi ſecretam occultamque irritandi voluntatem animo gerat, ac ſecum ipſe mente interna deliberet, non intendo facere quod facit Eccleſia*. 2. In hac ſuppoſitione volvitur ſyſtema Catharini, & propugnatur ab omnibus ejus defenſoribus, nam quæſtio eſt, an Miniſter, qui ritum externum ſerio peragit, & interius dicit, non intendo facere, quod facit Eccleſia, perficiat Sacramentum: ſupponitur ergo in eo ſyſtemate Miniſtrum ſic intus dicere poſſe; quod ſi id negetur, nulla erit controverſia, tunc enim Miniſter intendit non ſolum exterius, ſed & interius facere, quod facit Eccleſia, jamque non externam ſolum, ſed etiam internam intentionem habebit. 3. Sed & in hoc hallucinatur Serrius, quod putet ritum externum ſerio peractum eſſe id, quod facit Eccleſia, quam cum ponit Miniſter, non poteſt ſerio dicere, non intendo facere, quod facit Eccleſia. Hallucinationem deteximus probatione 2. Inſuper ritus externus poteſt ſpectari dupliciter: 1. ut res naturalis & profana, qualis præciſe eſſet, ſi non eſſet inſtitutus a Chriſto in ſignum ſacrum. 2. Ut cæremonia ſacra & religioſa in Eccleſia, & hoc eſt, quod facit Eccleſia, ut dixi loco cit. liquet autem Miniſtrum poſſe velle facere exterius rem naturalem & profanam, & interius dicere, nolo facere, quod facit Eccleſia, ſed volo ſimulare tantum.

Reſpondent 5. Poſt damnatam hanc propoſitionem pluras Theologi apprime Catholici & eruditione præſtantes ſententiam Catharini libris editis ſuſtinuerunt, ſcilicet Juenin, Genetrus, Natalis Alexander, Summa Alexandrina juſſu Benedicti XIII. Romæ edita. Item hæc ſententia perſæpe defenditur Romæ in publicis circulis, probante, ut illic moris eſt, ſacri Palatii Magiſtro. Hæc autem nec fierent, nec permitterentur, ſi hæc ſententia decreto Alexandri VIII. eſſet inuſta. Ita iterum Serrius, qui religioſe

profi-

profitetur ſe, quo tempore illud decretum editum eſt, Conſultores, qui in terenda ſententia Judices fuerant, interrogaſſe, num Catharini ſententiam eo decreto proſcribere voluiſſet, eoſque id pernegaſſe. Sed contra 1. huic integræ Reſponſioni ſufficeret reponere non omnes libros continentes quaſdam propoſitiones damnatas ſemper damnari a S. Sede, vel quia non ſemper illi deferuntur, vel propter alias rationes. 2. Ad ſingula. Quid Juenin cenſeat ſte decreto Alexandri, & qua veneratione illud proſequatur, vidimus ſupra. Nego Genettum tueri opinionem de intentione externa ſaltem in Editione 7. Pariſienſi 1695. quam lego. Natalis Alex. poſtquam multa ſcripſit de ſententia Catharini, concludit, quod ſi caſus occurrat, *in hoc ambiguitate* conſulendus ſit Epiſcopus. Summa Alexandrina vult tantum non requiri intentionem producendi effectum Sacramenti, non ipſum ritum ut factum in Eccleſia. Catharini ſententiam ſæpe defendi Romæ in publicis circulis negat Erudit. P. Lambertus Gaud Ordinis noſtri in Academia Avanionenſi Doctor aggregatus & Profeſſor publicus in Diſſertatione Theologica, quam ſolide adornavit adverſus Theologum Pariſinum, illuſtrem ſcilicet Sarrium eruditionis præſtantia & fama ubique notum, & poſt inquiſitiones ad da ra factas refert ex teſtimonio duorum Sacerdotum Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ, quorum alter ab annis 15. alter ab annis 30. Romæ commorantur, eſſe in urbe neminem, qui opinionem de externæ intentionis ſufficientia vel tueri publice, vel privatim dictare audeat. Ad ultimum ſuppoſita veritate proteſtationis Serii, quam pro ſinceritate & Religione colendiſſimi viri in dubium revocare fas non eſſe arbitror, reſpondeo illos Conſultores Romanos intellexiſſe ſententiam Catharini eo ſenſu, quo illam intelligunt Vaſques, Tournellus & alii, ſcilicet per illam non excludi intentionem faciendi ritum externum ut in Eccleſia factum, ſed faciendi Sacramentum formaliter in ſe & ut gratiæ productivum.

Confir. illa 3. Prob. ex damnatione hujus alterius propoſitionis ab Innoc. XI. an. 1679. *Non eſt illicitum in Sacramentis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore*. Atqui ſententia de intentione interna, quam propugnamus, eſt tutior quam ſententia de externa intentione, quam propugnant Adverſarii. Ergo. Prob. Min. Adverſarii conveniunt nobiſcum Sacramentum cum intentione interna collatum eſſe validum, & nos negamus cum majori parte Theologorum cum ſola intentione externa collatum eſſe validum. Ergo. Si dicas cum Contenſono nec noſtram ſententiam eſſe tutam, quia exponit periculo ſacrilegæ iterationis Sacramentorum. Reſpondeo nullum eſſe periculum iterationis ſacrilegæ, quando probabilius eſt Sacramentum eſſe iterandum: ſed alto eſſet æque probabile non eſſe iterandum, appoſita conditione abſtergitur periculum ſacrilegii. Verum & ipſimet adverſarii cogente veritate agnoſcunt noſtram ſententiam eſſe tutiorem, ſiquidem in caſu, quo quis eſſet baptizatus ſine intentione interna, dicant conſulendum eſſe Epiſcopum, vel ſummum Pontificem. Ita Natalis Alexander & Farvacques. Confugiunt equidem ad teſtimonia S. Aug. & S. Th. Innocentii IV. & plurium Theologorum tam veterum quam recentiorum, quibus conantur demonſtrare ſuam ſententiam eſſe probabilem & probabiliſſimam; ſed irrito conatu; hos enim Auctores nullatenus ipſis favere oſtendemus infra. Et quamvis concederemus eorum ſententiam eſſe probabilem, negare non poſſunt noſtram etiam eſſe probabilem, cum fatente Serrio c. 14. *Sit frequentior & communior in ſcholis*: & aliunde cum ſit tutior, ſtat vis argumenti.

Prob. 4 ex communi ſenſu & praxi Eccleſiæ. In Rubricis Miſſalis Romani de defectibus in Miſſarum celebratione occurrentibus, §. 7. ſic legitur: *Si quis habeat coram ſe undecim hoſtias, & intendat conſecrare ſolum decem, non determinans quas decem intendit, in his caſibus non conſecrat, quia requiritur intentio*. Atqui in hoc caſu eſt intentio ritus externi, quæ a ſeria prolatione formæ ſuper debitam materiam inſeparabilis eſt, adſunt conſuetæ circumſtantiæ, & tamen non eſt Sacramentum. Ergo præter intentionem externam eſt neceſſaria interna. Item ſi decem deſignet, quas conſecrare intendit, illæ erunt conſecratæ, & non undecima, quamvis ſit præſens ut aliæ. Unde hoc? Non defectu ritus externi, qui adhibetur cum circumſtantiis debitis, ſed ratione intentionis interioris, qua dicit: [illegible] ſe nolle conſecrare hanc undecimam hoſtiam. Hoc argumentum ita contemnit Serrius, ut irriſorie vocet *Lepidos* Theologos, qui illud proponunt. At videamus, num forte non ſint lepidæ ejus reſponſiones. Itaque

Reſpondet 1. Rubricas Miſſalis Romani non eſſe Eccleſiæ definitiones, aut dicunt, leges, ex quibus peti poſſit argumentum decretorium; ſed privatorum quorumdam Theologorum reſolutiones de moribus & Rubricis ſcribentium. 2. Illam Rubricam intelligendam eſſe de eo, qui aliquo exteriori indicaret ſe nolle omnes ſigno hoſtias conſecrare. Sed contra. Ad 1. ſacra Cong. Rituum ſic decernit: *Denuo renovanda decreta alias facta mandat Congregatio in omnibus & per omnia ſervari Rubricas Miſſalis Romani, non obſtante quacumque prætexta & conſuetudine, quam abuſum declarat. Et facta relatione horum decretorum S. D. N. Urbano VIII. Sanctitas ſua annuit, & ab omnibus ubique ſervari & in Miſſali Romano noviter imprimendo apponi mandavit*. Ita legitur in capite Miſſalis ex Regiſtro decretorum ſacræ Rituum Congregationis. Neque dicas hoc decretum eſſe intelligendum, de Rubricis tantum cæremonias Miſſæ præſcribentibus, indefinite enim loquitur; imo dicit *per omnia* Rubricas eſſe ſervandas, non diſtinguens inter Rubricas & Rubricas, dicitque prætextum aut conſuetudinem contrariam eſſe abuſum. Adde plures Eccleſias particulares, quibus licet habere Miſſalia propria, inter quas Pariſienſem, has Rubricas ſuis Miſſalibus inſeruiſſe. Non ergo illæ Rubricæ cenſendæ ſunt opiniones privatorum Theologorum, ſed definitiones & leges Eccleſiæ Sacerdotibus præſcriptæ, & ab eis ſub peccato obſervandæ, ita ut Gavantus commentat. in Rubricas Miſſalis parte 3. tit. 11. prop. 2. expreſſe dicat Rubricas, quæ ſpectant panem, vinum, intentionem, &c. obligare ſub mortali.

Ad 2. Nemo non videt eſſe merum figmentum ad eludendum argumentum excogitatum. Ubi enim in Decreto vel minimum indicium hanc Rubricam eſſe reſtringendam ad illum, qui ſigno aliquo exteriori manifeſtat ſe non intendere conſecrare omnes undecim Hoſtias? Nullum plane; ſed propoſitio eſt indefinita, nulla diſtinctione reſtricta; ubi autem Lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus.

Reſpondet inſuper quidam Recentior 1. in his Rubricis contineri falſa & incerta. Incertum namque eſt, quod §. 3. legitur non confici Sacramentum Euchariſtiæ *ſi panis non ſit triticeus*; plures enim Theologi id negant. Falſum autem eſt, quod §. 5. legitur poſt verba Conſecrationis apud Latinos uſurpari ſolita: *Si quis autem aliquid diminueret, vel immutaret de forma Conſecrationis, non conficeret Sacramentum*: cum certum ſit Græcos non proferre omnia verba Conſecrationis Calicis, quæ proferunt Latini. 2. Multa, quæ ſunt dubiæ fidei, referuntur in Breviario Romano, quidni in Rubricis? 3. Conſilium hujus Sacerdotis foret inſulſum & ridiculum, ſi namque vult tantum conſecrare decem Hoſtias, cur undecimam non removet? ſi non removet, omnes conſecrat. Sed contra. Ad 1. Panem triticeum eſſe materiam Euchariſtiæ declaravit Concilium Florentinum in Decreto unionis. Unde id non dici debet incertum. Cæterum diſputant Theologi, quid nomine tritici ſit intelligendum. Ad 2. Rubrica non dicit ſimpliciter qualibet mutatione formæ non confici Sacramentum, ſed addit: *Si in ipſa verborum mutatione verba idem non ſignificarent*, quod ſubticuit Reſpondens. Ad 3. N. Conſ. Quod enim referantur dubiæ hiſtoriæ bonis moribus non repugnantes, nullum ſequitur inconveniens; at grave foret, ſi proponeretur & aſſereretur ſententia de nullitate Sacramentorum, quæ foret falſa aut dubia. Ad 4. Eſto ſit ridiculum & inſulſum Conſilium hujus Sacerdotis, non eſt ridiculum nec inſulſum quærere & definire, quid inde ſequatur, ut quid facto opus, ſi caſus contingat, ſicut contigiſſe certo teſtatur Doctiſ. Berti Sacerdoti Diœceſis Samminiatenſis, qui ex ſimplicitate & ignorantia reſolvit apud ſe undecimam Hoſtiam non conſecrare, ut communicaturo, quem noverat ſacrilege ad ſacram menſam accedere, abſque cæterorum ſcandalo porrigeret particulam non conſecratam, nec tamen hanc ex aliarum numero amovit, ne id communicaturus deprehenderet. Ita laudatus Theologus. Confirm. Praxis communis Eccleſiæ eſt, ut in dubio de valore Sacramenti cujuſcumque, etiam iterabilis, ut ſunt Sacramentum Pœnitentiæ & Extremæ Unctionis, iteretur Sacramentum ſub intentione conditionata, ita ut ſi primo collatum validum fuerit, ſecundo collatum ſub conditione ſit nullum. Unde autem nullum? non ex defectu intentionis externæ, hæc eſt inſeparabilis a ritu externo ſerio poſito in ſolitis circumſtantiis. Ergo defectu Intentionis internæ.

Reſpondent 1. Hoc Sacramentum denuo collatum ſub conditione eſt nullum, puta Sacramentum Pœnitentiæ, defectu materiæ ſcilicet peccatorum, quæ jam nulla ſunt, & defectu ſubjecti, quod jam ſupponitur abſolutum. 2. Conditionem debere exterius exprimi, ut jubet Alex III. Cap. *De quibus* Extra. De Baptiſmo & ejus effectu, ſicque Sacramentum iteratum, quod antea erat validum, eſt nullum defectu intentionis externæ. Sed contra. Ad 1. Peccata jam remiſſa, ſi denuo ſubjiciantur clavibus Eccleſiæ ex communi Theologorum ſenſu, ſunt materia abſolutionis, & homo juſtificatus ſive per contritionem perfectam, ſive per anteriorem abſolutionis, iteratæ abſolutionis eſt capax. Sed non ſiſtamus in Sacramento Pœnitentiæ. Dum iteratur Sacramentum Extremæ-Unctionis adhibetur nova materia & nova forma, & ſubjectum eſt capax

hujus Sacramenti iterati. Ergo eſt nullum, non defectu ſive materiæ, ſive formæ, ſive ſubjecti. Ergo defectu intentionis internæ, Ergo & alia Sacramenta, eſt enim eadem ratio de omnibus. Ad 2. Ex Canone laudato habemus quidem conditionem eſſe exterius exprimendam, non quod id ſit neceſſarium, ut impediatur iteratio Sacramenti alias validi, quaſi non ſufficeret conditio mente retenta, neque hoc dicit Pontifex; ſed quia ita convenit maxime ubi eſſet periculum ſcandali ex iteratione Sacramenti, ut dicam infra. Communis namque ſenſus & praxis eſt, quod abſolute ſufficiat, ſi conditio ſit tacita; neque puto id negari ab adverſariis.

Prob. 5. Auctoritate & rationibus invictiſſimis D. Th. quas §. præced. jam delibavimus. 1. S. Th. hic q. 64. a. 8. ubi ex profeſſo quærit, utrum intentio Miniſtri requiratur ad perfectionem Sacramenti, ſic ratiocinatur, Quando aliquid ſe habet ad multa, oportet, quod per aliquid determinetur ad unum, ſi illud effici debeat. Atqui ea, quæ in Sacramentis peraguntur, poſſunt diverſimode agi, ſicut ablutio aquæ, quæ fit in Baptiſmo, & hæc verba *Te abluo*, ſeu *baptizo*, etiam in conſuetis circumſtantiis poſſunt ordinari & ad munditiam corporalem, & ad ſanitatem corporalem, & ad ludum, & ad alia hujuſmodi. Ergo oportet quod determinetur ad unum, id eſt ad eſſe ſacramentale per aliud. Ergo per intentionem Miniſtri diſtinctam ab intentione ponendi præciſe actum externum ſerio & circumſtantiis ſolitis, conſequenter per intentionem ſaltem faciendi aliquid ut ſacrum in Eccleſia; nihil enim aliud eſt aſſignabile.

Si dicas S. Th. hic dictis immediate ſubjungere, quod *Hæc intentio* determinativa *exprimitur per verba, quæ in Sacramentis dicuntur*, Atqui intentio, quæ exprimitur per verba ſacramentalia, non eſt intentio interna faciendi, quod facit Eccleſia, ſiquidem hæc ſecundum nos poſſit abeſſe ab expreſſione verborum. Ergo. R. D. Min. Intentio, quæ exprimitur per verba ſacramentalia, non eſt neceſſario & indefectibiliter interna, C. Ordinarie & ſecundum moralem æſtimationem, N. Hoc ipſo enim quo quis ſerio & religioſe profert verba ſacramentalia ſuper legitimam materiam ex communiter accidentibus, certo moraliter conjicimus ipſum habere intentionem internam faciendi, quod facit Eccleſia. 2. S. Doct. ibidem ad 1. dicit, quod requiratur in miniſtro ea intentio, qua ſe ſubjiciat principali agenti, ut ſcilicet intendat facere, quod facit Chriſtus & Eccleſia: atqui qui ritum externum ſerio & in conſuetis circumſtantiis peragens apud ſe reſolvit, nolo facere, quod facit Chriſtus & Eccleſia, ſed ſimulare tantum aut rem profanam facere, non ſe ſubjicit Chriſto principali agenti, ut intendat facere quod facit Chriſtus & Eccleſia, ut patet. Ergo. Confir. hæc ratio. Miniſter non perficit Sacramentum, niſi velit uti poteſtate ſibi a Deo data ad conficiendum Sacramentum; accepit enim hanc poteſtatem, ut ea humano modo & libere utatur, Atqui qui conſcius actum externum poſſe peragi abſque eo quod ſit Sacramentum inſtitutum a Chriſto, ſic illum peragit etiamſi ſerio & in circumſtantiis, ut tamen velit intus ſimulare, aut ritum mere naturalem exercere, nolens facere, quod Chriſtus inſtituit & facit Eccleſia, ille non vult uti poteſtate ſibi a Deo tradita, ut patet. Ergo.

Si dicas cum Serrio id quidem non velle voluntate privata, velle tamen voluntate miniſteriali. Contra. Non vult voluntate miniſteriali, qui non vult eſſe Chriſti & Eccleſiæ Miniſter; ille autem non vult eſſe Chriſti & Eccleſiæ Miniſter, qui intus dicit, nolo facere, quod Chriſtus inſtituit & Eccleſia facit. Si reſpondeas iterum, quod ille non velit eſſe Chriſti & Eccleſiæ Miniſter voluntate privata, velit tamen voluntate miniſteriali, ibit cavillatio in infinitum: & ego pari jure dicam, quod Lutheranus joco miniſtrans Sacramentum non velit eſſe Chriſti Miniſter voluntate privata, velit tamen voluntate miniſteriali. Nec video, quam dabit Reſpondens diſparitatem ſufficientem.

3. S. Doctor ibid. a. 10. o. dicit: *Intentio Miniſtri poteſt perverti dupliciter: Uno modo reſpectu ipſius Sacramenti, puta cum aliquis non intendit conferre Sacramentum, ſed deriſorie aliquid agere, & talis perverſitas tollit veritatem Sacramenti, præcipue quando ſuam intentionem exterius manifeſtat*. Ergo etiam ſi exterius non manifeſtet, & omnia ſerio & in circumſtantiis peragat: quia particula *Præcipue* ſic caſum minus dubium exprimit, ut implicet magis dubium, ut omnibus pervium eſt. Senſus itaque S. Th. eſt, quod cum aliquis intendit in Sacramentis deriſorie agere, ſi exterius ſuam perverſam intentionem manifeſtet, tollat veritatem Sacramenti *Præcipue*, id eſt, non ſolum in ſe, ſed etiam in judicio Eccleſiæ; ſi autem non manifeſtet exterius, tollit etiam Sacramentum in ſe, ſed non in judicio Eccleſiæ.

4. S. Doct. in 4. d. 3. q. 1. a. 4. Quæſtiunc. 3. ad 3. & infra q. 66. a. 8. ad 3. docet, quod qui baptizaret per trinam immerſionem pronuntiando integram formam in qualibet immerſione, ſi intendat perficere Sacramentum poſt primam immerſionem, erit perfectum Sacramentum, ſecus ſi intendat perficere tantum poſt trinam immerſionem. Loquitur aperte S. Th. de eo, qui ritum externum ſerio & in circumſtantiis conſuetis peragit, quo non obſtante, ut ſit Sacramentum, vult pendere ab intentione Miniſtri non externa, quæ ſupponitur in ritu externo ſerio & in circumſtantiis peracto, a quo eſt inſeparabilis. Ergo interna. Neque dicas cum Serrio S. Th. loqui de illo, qui manifeſtaret exterius ſuam intentionem non perficiendi Sacramentum niſi poſt trinam immerſionem, ut fit apud Græcos, & fiebat olim apud Latinos: ne enim vel unum eſt verbum in utroque textu S. Th. quod hanc reſtrictionem indicet: nec exempla prolata ſunt ad rem. Apud Græcos enim non profertur integra forma in qualibet immerſione, ſed una tantum Trinitatis perſona nominatur, ſic etiam olim apud Latinos. Loquitur autem S. Th. de eo, qui integram formam in qualibet immerſione proferret. Vide utrumque textum.

5. Ibid. d. 12. q. 2. a. 1. Quæſtiunc. 3. ad 1. *In Sacramentis*, inquit, *eſt duplex intentio, una, quæ ordinatur ad perfectionem Sacramenti, & hæc eſt eſſentialis Sacramento*. Et Opuſc. 5. *Si non ſit debita forma verborum, & ſi non ſit debita materia, & ſi Miniſter Sacramenti non intendit Sacramentum conficere, non perficitur Sacramentum*. Et infra: *In Articulo neceſſitatis non ſolum Diaconus, ſed etiam Laicus & mulier, imo Paganus, etiam Hæreticus, poteſt baptizare, dummodo ſervet formam Eccleſiæ, & intendat facere, quod facit Eccleſia*. Quibus textibus ultra formam & materiam ſerio adhibitam, quæ pertinent ad intentionem externam, requirit aliam, conſequenter internam. 6. Non minor imo major requiritur intentio in conferente Sacramentum, quam in recipiente. Atqui juxta S. Th. infra q. 68. a. 7. ad 2. *Si in adulto deeſſet intentio ſuſcipiendi Sacramentum, eſſet rebaptizandus*. Sicut ergo ſi adultus interius diceret, volo ablui corporaliter, non ſpiritualiter & ſacramentaliter, non valeret Baptiſmus ipſius; ita ſi Miniſter interius dicat: volo abluere corporaliter non ſpiritualiter & ſacramentaliter, ipſe ſacramentaliter non baptizaret. Communes ad hæc omnia Adverſariorum Reſponſiones & effugia jam prævenimus inter probandum, ſed hæc ſpecialius & efficacius ſunt adhuc convellenda & præcludenda. Unde

Prob. 6. convellendo fundamenta adverſæ ſententiæ, & ejus effugia præcludendo. 1. Ideo ſecundum Adverſarios ſufficit ad valorem Sacramenti intentio externa in Miniſtro, nimirum quod ponat ſerio materiam & formam ſeu ritum externum, quamvis intentionem retineat, imo dicat intus: nolo facere, quod facit Eccleſia, ſed volo ſimulare, irridere, aut rem mere naturalem & profanam peragere, perinde ac ſi Chriſtus hunc ritum non elevaſſet ad rationem Sacramenti. Quia hoc ipſo quo actus externus ſerio ponitur, ſeu applicatur forma materiæ, neceſſario fit Sacramentum, ſeu quod facit Eccleſia; hoc ipſo enim quo in artificialibus compoſitis applicatur forma materiæ, neceſſario reſultat compoſitum, non obſtante quavis intentione agentis; ſic qui applicat colores telæ, imprimit ſigillum ceræ, adhibet ignem ſtupæ, quidquid interius dicat aut velit, tela pingitur, cera ſigillatur, ſtupa comburitur. Unde contraria Miniſtri voluntas in hoc caſu eſt inefficax, & ut ita dicam nolleitas. Atqui pluſquam falſum eſt illud aſſumptum. Ergo.

Prob. Min. multipliciter. 1. Actus externus, etiam ſerio peractus, eſt actus, ut dictum eſt ſuperius, indifferens ad multa, & poteſt ordinari ſive ad munditiem aut ſanitatem corporalem, ſive ad ſimulationem, ſive exerceri ut actus mere naturalis. Ergo reſtat adhuc determinandus per intentionem. Neque dicant materiam determinari ad eſſe ſacramentale per formam, v. g. in Baptiſmo, ablutionem determinari per hæc verba *Ego te abluo*, ſeu *baptizo*, quia etiam hæc forma eſt indifferens, ut ſignificet ablutionem ſacram vel profanam. 2. Verba in Sacramentis non habent rationem formæ independenter ab intentione interna Miniſtri. Ergo quantumvis ſerio applicentur materiæ ſine illa intentione, non efficiunt compoſitum ſacramentale. Prob. Ant. Verba in Sacramentis non ſunt forma formaliter ſcilicet, ſumpta materialiter vel in ſignificatione aliqua naturali & profana, ſed tunc demum quando ſumuntur ut ſacra; ſeu ut ſignificativa & effectiva ſimul rei ſacræ, ſunt enim ſigna non ſpeculativa tantum, ſed practica & efficientia, quod ſignificent. Atqui non ſunt ſignificativa, & effectiva rei ſacræ, ſi deſit intentio interna; id enim non habent ex ſe etiam ſerio prolata. Ergo per intentionem agentis. Et in hoc eſt maxima hallucinatio adverſæ ſententiæ, quod æſtimet verba hoc ipſo, quo ſerio proferuntur, eſſe formam Sacramenti; poſſunt equidem dici forma, ſed materialiter tantum & non formaliter, niſi accedat intentio Miniſtri determinantis ad ſignificationem ſacram & effectivam ſignificati. 3. Miniſter ſerio peragens ritum externum, ſed intus nolens face-

facere, quod Chriſtus inſtituit & Eccleſia facit, ſed volens e contra ſimulare, aut irridere, vel facere rem mere naturalem & profanam, non ſe ſubjicit Chriſto ut principali agenti, nec agit ut ejus & Eccleſiæ Miniſter ut patet, ſed tantum talis exterius apparet. Ergo non facit, quod Chriſtus inſtituit, nec quod facit Eccleſia; id enim facere non poteſt cum ſit inſtrumentum, niſi ut ſubordinatus cauſæ principali, & agens ut ejus & Eccleſiæ Miniſter. 4. Si admittenda ſit ratio adverſariorum, ſequitur, quod Mater ſerio abluens domi puerum, ſub invocatione SS. Trinitatis, ut bene illi ſit, perficiat Sacramentum, quod non concedunt. 5. Exempla, quæ adferunt, non ſunt ad rem: applicatio enim colorum ad telam, impreſſio ſigilli ad ceram, adhibitio ignis ad ſtupam, ſunt ex ſe determinatæ ad ſuos effectos, non vero ritus externus etiam ſerio peractus, ut probatum eſt. Nec vident inde firmari errorem Hæreticorum. Quamvis enim jocando & ridendo exterius applices colores telæ, ſigillum ceræ, ignem ſtupæ, erit pictio, ſigillatio, & combuſtio: ſi ergo valeant hæc exempla, ritus externus etiam mimice peractus erit Sacramentum, quod eſt Hæreticum dogma Lutheri. 7. Tandem omnes probationes noſtræ, quæ ſunt de ritu externo ſerio peracto, hoc adverſariorum fundamentum concutiunt. Relegantur.

His itaque rationibus preſſi & oppreſſi recentiores Adverſarii alio confugiunt, & ſyſtema Catharini attemperantes dicunt intentionem externam non ſufficere in omni caſu, in quo ritus externus ſerio peragitur, ſed quando ſerio peragitur in circumſtantiis adhiberi ſolitis, ut in Baptiſmo, ſi Miniſter rogatus illud adminiſtret, præſente Patrino, in Baptiſterio, indutus veſtibus ſacris, &c. Ex his enim circumſtantiis, inquiunt, ritus externus determinatur ad eſſe ſacramentale; & tunc Sacerdos ſe exhibet ut Miniſtrum Eccleſiæ. Ita Juenin & Serrius, ut vidimus in prænotaminibus ad Concluſionem.

Serrius tamen, ne videatur omnino recedere a D. Th. dicit ritum externum determinari ad eſſe ſacramentale, non præciſe a circumſtantiis, ſed ab intentione, qua Miniſter ſe determinat illam perficere in his circumſtantiis. Sed quis non videt id ad fucum eſſe dictum, & non obſtante diverſo modo loquendi rem eandem ſignificari? ſive enim dicas ex circumſtantiis, ſive ab intentione ut in circumſtantiis ritum determinari, patet non ex ipſa intentione, ſed ex ipſis circumſtantiis totam determinationem haberi, ſi quidem eadem intentio externa extra circumſtantias non determinaret. Et ita ſentire ipſum Serrium colligitur ex verbis ambiguis & quaſi inter ſe pugnantibus, quibus ſuam mentem exprimit: ait enim cap. 15. n. 2. *Ritum per ſe indifferentem* D. Th. *appellat extra debitas circumſtantias, qui ex ipſis circumſtantiis deſinit eſſe indifferens, determinaturque ad eſſe ſacramentale per intentionem Miniſtri*. Porro ſi ex ipſis circumſtantiis ritus externus deſinit eſſe indifferens, quomodo reſtat determinandus per intentionem Miniſtri. Sed & alibi hujus effugii oblitus non aliam ſibi eſſe mentem aperte ſignificat, dum diſerte affirmat, non ritum externum determinari ad eſſe ſacramentale ex intentione Miniſtri in his circumſtantiis, ſed e contra Miniſtros ipſos ex ipſis circumſtantiis determinari ad agendum tamquam Eccleſiæ Miniſtri, *Tales*, inquit ibid. n. 7. *tibi Miniſtros exhibet Catharinus ritum externum libere ſerioque celebrantes, in iis maxime circumſtantiis ex quibus determinantur ad agendum tamquam Eccleſiæ Miniſtri, illiuſque nomine*. Et c. 14. *Seria*, inquit, *externi ritus celebratio a Catharino, nobiſque hactenus propugnata, uti ad valorem Sacramenti ſufficiens; non illa ſolum eſt, quæ joco ludoque opponitur, ſed & illa, quæ in his circumſtantiis fiat, quibus Sacerdos determinatur ad agendum ut Miniſter Eccleſiæ ejuſque nomine*. Quamvis ergo in his Serrius imponat Catharino, qui numquam meminit circumſtantiarum, aperte ſaltem liquet juxta ipſum totam ritus externi determinationem ad eſſe ſacramentale, & Miniſtrorum ad hoc ut agant tanquam Eccleſiæ Miniſtri ejuſque nomine, eſſe a circumſtantiis. Poſito itaque hoc eſſe commune principium adverſariorum;

2. Præcluditur hoc ultimum eorum effugium. 1. Ritum externum a circumſtantiis & non ab intentione Miniſtri ad eſſe ſacramentale determinari, figmentum eſt, nullum habens neque in Scripturis, neque in Patribus, neque in Conciliis, neque in Pontificum definitionibus fundamentum, cujus nec meminerunt primi hujus opinionis aſſertores, ſed ab Antonio de Dominis ineunte præcedenti ſæculo primum excogitatum l. 5. de Repub. Eccleſiaſt. c. 12. & a Recentioribus uſurpatum. 2. eſt directa contra D. Th. qui diſertis terminis ubique docet ritum externum ſerio peractum determinari ad eſſe ſacramentale per intentionem internam Miniſtri, nec uſpiam meminit circumſtantiarum pro illa determinatione, ut ex ejus textibus laudatis patet. Enim vero intentio juxta S. Th. determinans ad eſſe ſacramentale alia eſt ab ea, qua Miniſter v. g. in Baptiſmo intendit ablutionem ut mundantem, aut ſanantem corporaliter, ut conſtat ex primo texto citato. Atqui Miniſter baptizans in circumſtantiis conſuetis poteſt non habere aliam intentionem, quam mundandi aut ſanandi corporaliter. Ergo non ea eſt intentio, quam requirit S. T. 3. Quæcumque dixi numero præcedenti contra ſyſtema Catharini de ritu externo ſerio peracto, militant etiam de illo peracto in circumſtantiis: in his namque ritus externus eſt adhuc indifferens, & poteſt Miniſter illum peragere, vel mere materialiter ut rem profanam, ſicut fieri ſolet in balneis, nihil cogitans aut intendens de Sacramento, vel ſimulare tantum externus & irridere, vel illum ut ſacrum in Eccleſia exercere: & ſicut, ſi intendat ut ſacrum, perficit Sacramentum, ita ſi non intendat, non perficit. Item Miniſter ſub his circumſtantiis retinendo intentionem non ſe ſubjicit Chriſto principali agenti, neque eſt aut agit ut ejus & Eccleſiæ Miniſter, ſed apparet tantum. Item verba in his circumſtantiis non determinantur ad ſignificationem ſacram & effectivam ſignificati, id namque pendet ab habente poteſtatem & voluntatem, ſicque non ſunt formaliter forma Sacramenti. Valent ergo circumſtantiæ dumtaxat quoad nos, quatenus his poſitis certi ſumus moraliter Miniſtros habuiſſe intentionem faciendi, quod facit Eccleſia, non vero quoad ſubſtantiam Sacramenti in ſe. Nam 4. juxta Eccleſiæ definitiones tria tantum ſunt eſſentialiter requiſita ad valorem & ſubſtantiam Sacramenti, ſcilicet materia, forma & intentio Miniſtri; circumſtantiæ autem non ſunt ex his tribus, ſicque elevare non poſſunt ritum externum ad rationem Sacramenti. 5. Si ritus externus determinaretur a circumſtantiis ad eſſe ſacramentale, ſequeretur 1. quod ebrius aut amens, maxime ſi non agnoſcatur talis, illum ſerio in circumſtantiis peragens conficeret Sacramentum, quod aperte Lutheranis favet. 2. Quod Paganus, qui de Eccleſia nihil unquam audivit, rogatus ſerio ablueret infantem in loco ſacro, prolatis formæ verbis, nihil aliud cogitans aut intendens, quam illum abluere corporaliter, ut fit in balneis, vere illum baptizaret, quod nemo, nec, ut puto, ipſi adverſarii admittunt, cum iſte Paganus nihil de Eccleſia cognoſcens, putanſque a ſe requiri ablutionem corporalem, nec implicite, nec explicite, nec directe, nec indirecte, nec in ſe, nec in alio poſſet intendere facere, quod facit Eccleſia: & tamen iſte Paganus haberet intentionem externam, quæ eſt inſeparabilis a ritu externo ſerio poſito, & adeſſent circumſtantiæ conſuetæ. 3. Sequeretur, quod circumſtantiæ eſſent aliquando eſſentialiter requiſitæ ad ſubſtantiam Sacramenti, quando nempe abeſſet intentio interna, quod dici non poteſt, cum circumſtantiæ ſint inſtitutæ ab Eccleſia, quæ nihil poteſt circa ſubſtantiam Sacramentorum. Tandem hoc effugium præcludunt omnes probationes noſtræ Concluſionis, ut in ſingulis notavimus; & inſuper, ut videbimus in ſol. obj. ſubjicit ſententiam adverſariorum omnibus fere difficultatibus, quas nobis objiciunt.

Dico 2. Ad veritatem Sacramenti non requiritur in Miniſtro intentio explicita producendi effectum Sacramenti, neque efficiendi rem abſoluto in ſe ſacram, ſeu veri nominis Sacramentum, neque faciendi, quod facit Eccleſia Romana, ſed ſufficit implicita, quod habetur in generali intentione faciendi, quod facit vera Eccleſia, quæcumque illa ſit. Eſt communis quoad omnes partes.

Prob. pars 1. Ex Aug. Ep. ad Boniſ. 98. alias 23. ubi de parvulis ab Hæreticis baptizatis dicit; *Non enim propterea illi non regenerantur, quia non ab illis hac intentione offeruntur*. 2. ex S. Th. h. q. 64. a. 10. ubi probat Miniſtrum, qui perverſam habet intentionem circa finem ſeu effectum Sacramenti, nihilominus efficere verum Sacramentum, ut ſi Sacerdos conficeret corpus Chriſti ad veneficia, aut baptizaret mulierem, ut ea abuteretur, *quia*, inquit, *prius non dependet a poſteriori*. Et ib. a. 9. ad 2. ait: *Licet Miniſter credat per id, quod agitur exterius, nullum ſequi interiorem effectum, non tamen ignorat, quod Eccleſia Catholica intendit per hujuſmodi, quæ exterius aguntur, præbere Sacramentum. Unde non obſtante infidelitate, poteſt intendere facere, quod facit Eccleſia, licet æſtimet id nihil eſſe. Et talis intentio ſufficit ad Sacramentum*.

3. Ex praxi & communi ſenſu Eccleſiæ, quæ recipit ut validum Baptiſmum verbis evangelicis collatum a Pagano, Judæo vel Hæretico, qui nullum intendunt ex eo effectum ſalutarem, quippe quem vel ignorant, vel negant aut irrident. Ita definivit Nicolaus I. Reſp. 104. ad Conſulta Bulgar. & refertur cap. *A quodam* Diſt. 4. de conſec. 4. Sacramentum ſemel valide collatum habet ex ſe, ſeu ex ſua inſtitutione vim & efficaciam producendi effectum ſicut aliæ cauſæ neceſſariæ, proindeque producit effectum, abſque eo quod miniſtrans de illo cogitet, aut illum intendat, imo etſi contrarium intenderet, ut qui ſemel admovit ignem ſtupæ, quidquid velit aut intendat, ignis comburit ſtupam.

Secunda pars eſt D. Th. in 4. d. 6. quæſt. 1. art. 3. quæſtiunc.

ſtiunc. a. ad 1. ubi dicit: *Quamvis ille, qui non credit baptiſmum eſſe Sacramentum, aut habere aliquam ſpiritualem virtutem, non intendat, dum baptizat, conferre Sacramentum; tamen intendit facere quandoque, quod facit Eccleſia, etſi illud reputet nihil eſſe; & quia Eccleſia aliquid facit, ideo ex conſequenti & implicite intendit aliquid facere, quamvis non explicite.* Inſuper conſtat ex dictis, quod Eccleſia habeat ratum Baptiſma collatum ab Atheo, Pagano, aut Judæo, qui tamen non intendunt perficere rem in ſe ſacram, ſeu quod habet rationem veri Sacramenti, cum potius hunc ritum ut cæremoniam ſuperſtitioſam reputent.

Tertia pars conſtat etiam ex dictis: quia Eccleſia recipit Baptiſma collatum a Calviniſtis, qui tamen non intendunt facere, quod facit Eccleſia Romana, quam Apoſtatam credunt, ſed quod facit Eccleſia v. g. Genevenſis, quam putant eſſe veram Chriſti Eccleſiam. Sufficit ergo intentio explicita faciendi, quod facit vera Chriſti Eccleſia quæcumque illa ſit: quia cum vera Eccleſia ſit Romana, & faciat veri nominis Sacramentum gratiæ & characteris productivum, in generali intentione faciendi, quod facit vera Eccleſia, implicite continetur intentio faciendi, quod facit Eccleſia Romana, & perficiendi rem abſolute in ſe ſacram verique nominis Sacramentum gratiæ & characteris effectivum. Requiritur autem intentio explicita faciendi, quod facit vera Eccleſia; quia hæc intentio in nulla alia continetur, non enim continetur in intentione faciendi præciſe ritum externum ſerio, cum poſſit hæc intentio eſſe abſque intentione faciendi, quod facit Eccleſia, ut probavimus. Non requiritur tamen, quod hæc intentio explicita faciendi, quod facit Eccleſia, ſit in actu ſignato, quaſi Miniſter debeat expreſſe ore vel mente dicere: Volo facere, quod facit Eccleſia, ſed ſufficit, quod ſit in actu exercito, nimirum quod advertens & volens faciat, quod novit ab Eccleſia fieri,

Solvuntur Objectiones contra 1. Concluſionem.

Objectiones ex triplici capite potiſſimum petuntur, 1. ex praxi & definitionibus Eccleſiæ. 2. ex SS. Aug. & Th. & quibuſdam Veteribus Scholaſticis. 3. ex Rationum momentis. Diligenter attendat Lector ad ſyſtema Recentiorum, qui dicunt intentionem externam extra circumſtantias adhiberi ſolitas non ſufficere, ſed tunc requiri internam ad veritatem Sacramenti; ſufficere autem in his circumſtantiis, ex quibus, ut ajunt, ritus externus determinatur ad eſſe ſacramentale: juxta enim illud ſyſtema vix ullum nobis opponunt argumentum, quod contra ipſos non poſſit retorqueri, ut patebit.

Objectiones ex praxi & definitionibus Eccleſiæ.

Obj. 1. Eccleſia ab omni retro antiquitate ſemper attente inquiſivit, quæ eſſent Sacramenta dubia, ſuſpecta, irrita. Irrita ſæpe pronuntiavit, quibus deeſſet forma vel materia: item quæ ab Ebriis aut Energumenis, vel mimice eſſent collata: Suſpecta, quæ ab Hæreticis de Trinitate male ſentientibus, &c. numquam vero inquiſivit, an requireretur interna intentio, nec pronuntiavit irrita eſſe, quæ illa deficiente conferrentur. Atqui nulla poteſt adferri ratio hujus ſilentii, quam quod hæc interna intentio non requiratur ad integritatem Sacramenti, ſed ſufficiat ritus externus ſerio peractus. Ergo. R. 1. retorquendo argumentum. Eccleſia antiquitus non inquiſivit, an requireretur intentio interna extra circumſtantias conſuetas, nec definivit eam requiri. Ergo non requiritur: quod negant Adverſarii. R. 2. N. Min. Ideo enim antiquitus de intentione Miniſtri non inquiſivit, nec definivit Eccleſia, non quia illam non judicabat neceſſariam, ſed quia de ea nulla tunc movebatur quæſtio, & habebatur ut certa moraliter hoc ipſo, quod ritus externus ſerio peragebatur. Ubi autem de ea mota fuit quæſtio, definivit ſaltem conſecutive ejus neceſſitatem in Concilio Florent. & Trid. & ut nobis videtur, expreſſe in condemnatione hujus propoſitionis, *valet Baptiſmus*, &c. atque in Rubricis Miſſalis Romani, ut patet ex Probationibus.

Inſt. 1. Eccleſia approbat Sacramenta collata a Judæis, Paganis & Hæreticis. Atqui eſt fundata ratio dubitandi, an hi habeant intentionem internam. Ergo illam non requirit. R. 1. Retorquendo argumentum. Eccleſia approbat Sacramenta collata a Judæis, Paganis, & Hæreticis privatim & extra circumſtantias; valet enim judicio Eccleſiæ Baptiſma, quod Pater Hæreticus conferret ſuo Infanti. Ergo intentionem extra circumſtantias Eccleſia non requirit. Quid ad hoc Adverſarii? 2. D. Min. eſt ratio fundata dubitandi, an hi habeant intentionem internam efficiendi veri nominis Sacramentum & producendi ejus effectum, C. Intentionem faciendi quod facit Eccleſia, N. Hæc enim jure præſumitur hoc ipſo, quod adhibent ſerio ritum in Eccleſia celebrari ſolitum. Nec aliud poſſunt reſpondere objicientes in ſuo ſyſtemate de neceſſitate intentionis internæ extra circumſtantias.

Inſt. 2. Eccleſia definivit contra Donatiſtas Sacramenta verbis Evangelicis conſecrata, nulla Miniſtrorum improbitate pollui ſeu impediri. Atqui ſub communi nomine improbitatis continetur omnis improbitas, conſequenter perverſitas intentionis; quæ eſt quædam improbitas. Ergo. R. 1. Nullum Sacramentum eſſe *verbis evangelicis* conſecratum, niſi per intentionem internam Miniſtri: Verba enim, *te baptizo*, *te ſigno*, &c. cum diverſam patiantur ſignificationem, non conſecrant materiam, niſi per intentionem faciendi rem ſacram, ut fit a Chriſtianis: alioquin Sacramentum collatum privatim & extra circumſtantias a Miniſtro, qui non haberet intentionem internam, deberet dici conſecratum verbis evangelicis & validum, quod negant objicentes. R. 2. Per improbitatem intelligendam eſſe improbitatem fidei & morum, non perverſitatem intentionis. Nulla enim fuit inter Donatiſtas & Catholicos controverſia de intentione Miniſtri, ſe de ejus moribus & fide. Unde ad Min. N. ſub communi nomine improbitatis comprehendi quamcumque improbitatem, cum certum ſit etiam fatentibus Adverſariis Miniſtrum, qui jocoſe confert Sacramentum, vel vitiat formam, aut extra circumſtantias retinet intentionem, nihil conficere, ſicque aliquam Miniſtri improbitatem officere Sacramentis.

Inſt. 3. Synodus Ebroicenſis 1576. Rothomagenſis 1581, Rhemenſis, Toloſana, Aquenſis circa idem tempus prohibent rebaptizari etiam ſub conditione baptizatos ab Hæreticis: *Quia*, inquit Rothomagenſis, *conſtabat Calviniſtas, in publico cœtu baptizare in forma verborum & materia a Chriſto inſtituta, nec de hoc facto ambigi poterat*: nihil de intentione, item Aquenſis. Ergo exiſtimabant ad Sacramentis veritatem ſufficere ritum externum ſerio peractum in publico cœtu, quævis intentio fuerit. Similiter Nicolaus I. Reſponſo 104. cit. ad Conſulta Bulgarorum definit Baptiſmum collatum a Judæo vel Pagano eſſe validum, ſi ſervaverit præſcriptam formam. De intentione iterum nihil. Ergo illam non exiſtimabat neceſſariam. R. 1. Retorqueo argumentum. Neque laudatæ Synodi, neque Nicolaus I. quidquam definiverunt de neceſſitate intentionis internæ extra circumſtantias. Ergo exiſtimabant illam non requiri. Conſequentiam negant objicientes, nos quoque negamus, quam inde inferunt. Unde R. 2. N. Conſ. quia hæc illarum Synodorum definitio facta eſt contra eos, qui requirebant intentionem internam, non tantum perficiendi ritum ut ſacrum, ſed etiam producendi gratiam remiſſivam peccatorum. Ita diſertis verbis Synodus Rothomagenſis ante verba laudata c. 4. de Sacramentis: *Quia*, inquit, *dubitabunt nonnulli de valore Baptiſmi ab hujuſmodi Hæreticis collati, eo quod non haberent intentionem baptizandi in remiſſionem peccatorum*. Unde hæc definitio excludit quidem neceſſitatem intentionis effectus ſacramentalis, non intentionis faciendi rem ut ſacram in Eccleſia. Ideo autem Synodi vetant rebaptizari ſub conditione publice, non occulte baptizatos, non quod ſupponant publice collatum validum quamcumque intentione fiat, ſed quia de Baptiſmo publice collato eſt certitudo moralis, quæ non eſt de Baptiſmo occulto, cum uni mulieri ſeu alteri privatim baptizanti non ita facile credatur. Ita iterum ſe explicat ibidem laudata Synodus Rothomag. Ad Nicolaum Papam, R. Nihil definivit ille de intentione, quia interrogatus fuerat de conditione Miniſtri, non de ejus Intentione, An ratus eſſet Baptiſmus a Judæo vel Pagano?

Inſt. 4. Baptiſmus a S. Athanaſio puero inter ludendum ſociis pueris collatus: item collatus puero Hebræo ab aliis pueris ludentibus: item collatus mimice S. Geneſio in Theatro, fuerunt rati habiti, nec iterati: item Baptiſma collatum a Ludovico Graufredo Parocho Maſſilienſi, qui morti proximus teſtatus eſt ſe quidem ritum externum baptizando ſervaſſe, ſed interius retractaſſe, quod agebat exterius, & infantes, quos baptizabat, Diabolo devoviſſe, hoc, inquam, Baptiſma Sorbonæ & aliorum Theologorum judicio habitum fuit validum. Similiter ordinationes Petri Lavardini Epiſcopi Cænomanenſis, quamvis pariter in extremis poſitus declaravit ſe nunquam habuiſſe intentionem ordinandi, probatæ fuerunt, nec Eccleſia eas iterari juſſit. Ergo. R. Tribus primis factis hiſtoricis jam ſatisfactum eſſe §. præcedenti. Unum addam mirum eſſe hæc ab Adverſariis nobis objici, cum & ab ipſis ſint ſolvenda, neque enim ipſi agnoſcunt cum Lutheranis valida eſſe Sacramenta, quæ joco externo aut mimice conferantur.

Quantum ad duo facta poſteriora, tot tinas patiuntur, ut ex his nihil, quod objicientibus faveat, extundi poſſit. 1. Hæc duo facta eſſe falſa & ſuppoſita aſſerit Erudit. P. Lambertus Gaud. in jam laudata Diſſertatione adverſus Serriam. De Gaufredo ipſum numquam fuiſſe Parochum Maſſiliæ, ſed ſimplicem Beneficiarum duntaxat in Eccleſia S. Mariæ ab Aquisfluentibus (*Dajaucoles*) probat

Google

bat ex teſtimonio D. Girand actualis Paſtoris hujus Eccleſiæ ex opere de tragicis hiſtoriis, & ex decreto Senatus Aquenſis contra dictum Ganfredum, in quo non Perochus aut Paſtor, ſed ſolum Beneficiarius Parochialis Eccleſiæ S. Meriæ ab Aquisfluentibus appellatur. Item probat Gaufredum morti proximum nunquam declaraſſe ſe infantes, quos baptizarat, in nomine diaboli abſque interna intentione baptizaſſe, 1. quia Auctor tragicorum Hiſtoriarum, qui ſecundo poſt Gaufredi mortem anno opus ſuum edidit, & in quo varia de iſto impio Sacerdote narrat, nihil habet de dicta declaratione, quam procul dubio, ſi vera fuiſſet, non omiſiſſet. 2. Quia licet Gaufredus de variis & enormibus criminibus accuſatus & interrogatus, nunquam de eo, de quo agitur, fuit interrogatus, ut conſtat ex teſtimonio viri digniſſimi, qui rogatus, acta judicialia ad Gaufredi cauſam ſpectantia, diligenter & attente perluſtrevit. Equidem verum eſt, quod mortuo Gaufredo ſparſus ſit rumor in vulgo hunc impium Sacerdotem infantes baptizaſſe in nomine diaboli, ſed veriſimiliter inde ortus eſt iſte rumor, quod Gaufredus confeſſus fuiſſet ſe Magdalenam Paludanam, jam in nomine Trinitatis baptizatam, iterum in Conventu Sagarum baptizaſſe in nomine diaboli. De Petro Lavardino probat laudatus Profeſſor Avenionenſis nullum hujus nominis ex illuſtri familia Lavardinorum inter Epiſcopos Cænomanenſes recenſeri: unum fuiſſe nomine Carolum, alterum nomine Philibertum a Ludovico XIV. an. 1648. deſignatum. Huic Philiberto equidem a quibuſdam ejus æmulis dictam declarationem fuiſſe affictam, & inde plures Diſſertationes de externæ intentionis ſufficientia a Doctoribus Pariſienſibus editas fuiſſe: at Sambovium hac de re conſultum, calumniam eſſe aſſeruiſſe; Nicolaum l' Herminier Doctorem Pariſienſem & ipſius Eccleſiæ Cænomanenſis Canonicum Theologum atque Archidiaconum R. P. Joſepho Roux Provinciæ noſtræ Toloſanæ Provinciali teſtatum fuiſſe, ex relatione eorum, qui cum Philiberto Lavardino vixerant, ipſum morti proximum declaraſſe quidem Pariſiis coram Parocho S. Sulpitii, qui ipſi ſacrum Viaticum miniſtrabat, ſe dolere quam maxime, quod a ſua Diœceſi abfuiſſet ſæpius ſine cauſa; at ne verbum quidem habuiſſe de declaratione alia, quam proinde puram putamque calumniam exiſtimabat.

2. Data veritate horum factorum. Equidem quorumdam Theologorum privatorum judicio, Sacramenta ſine intentione interna celebrata, fuerunt probata valida, & ab Epiſcopis quibuſdam iterari prohibita. Verum id non evincit Eccleſiæ ſenſum, nec veriſimile eſt, quod ita nunc ſentirent Epiſcopi poſt damnatam propoſitionem ab Alex. VIII. *Valet Baptiſmus*, &c. Inſuper ſi quidam Theologi & quidam Epiſcopi ita cenſuerunt, aliter alii Theologi & Epiſcopi. Plures enim, qui baptizati fuerunt a Gaufredo, ex rumore, quod eos baptizaſſet in nomine diaboli, iterum, ut communiter dicitur, baptizati ſunt. Illuſtriſquædam fœmina, quæ a Fuſio Paſtore Eccleſiæ S. Lucæ Pariſiis baptizata fuerat, retenta, ut dicebatur, intentione, iterum baptizari obtinuit, fatente ipſo Serio c. 6. num. 7. Epiſcopus Cænomanenſis Laverdini ſucceſſor, de cujus Ordinationibus ortum erat dubium, plures ex ſuis Presbyteris iterum ordinavit, ex his quæ leguntur apud Sambovium Tom. 3. Caſ. 17. Idem Tom. 5. Caſ. 3. refert quemdam Epiſcopum juſſiſſe rebaptizari, quos a Presbytero, qui ſuam intentionem retinuiſſe dicebatur, baptizatos fuiſſe rece verat.

3. Sacramenta collata, ut refertur in his factis hiſtoriis, potuerunt merito cenſeri a Theologis & Epiſcopis non iteranda, non propter ſufficientiam intentionis externæ, ſed ex duplici alia cauſa. 1. Quia cum voluntate impia devovendi infantem diabolo, aut non conferendi ipſi, ſeu ordinando, gratiam & characterem, poteſt ſubſiſtere intentio faciendi, quod facit Eccleſia, id eſt ritum, qui habetur in Eccleſia ſacer & religioſus, ut probat S. Th. hic a. 10. & nos ſupra probavimus. 2. Quia hujuſmodi Miniſtris, qui dicunt ſe non habuiſſe internam intentionem, non adhibetur fides, ſicut non adhibetur fides Miniſtro aſſerenti ſe adulteraſſe formam aut materiam Sacramenti, niſi id certis indiciis probet. Sicut item non adhibetur fides viro vel mulieri aſſerenti ſe non conſenſiſſe Matrimonio; non ſolum quia id aſſert in proprium commodum, quia non diligit uxorem, ut interpretatur Serius, ſed etiam ſi in propriam incommodum, quia vere, videntibus & ſcientibus aliis, diligit uxorem; ſed timet Deum offendere accedendo ad illam.

Neque dicas confeſſionem culparum in articulo mortis eſſe ſinceram, non enim mulieri morienti & confitenti ſe prolem concepiſſe ex adulterio fides adhibetur, niſi probet; neque quidquam cogit, ut adhibeatur fides ſceleratis morientibus, qualis v. gr. fuit Gaufredus, qui, ut fert hiſtoria, Buſto proximus, dicitur mortuus voluntate firmata in malo, confidens ſe poſt mortem aereis Poteſtatibus eſſe aggregandus. Eſt e contra fundata ratio timendi, ne quem in vita geſſerunt animum Eccleſiam irridendi, eundem retineant in morte.

Obj. 2. & ſimul Inſt. Innocentius IV. ſcribens in cap. *Si quis puerum*. 3. Decretal. 42. de Bapt. aperte definit ſufficere ad integritatem Baptiſmi intentionem externam, nec ulletenus requiri internam; dicit enim: *Non eſt neceſſe, quod baptizans ſciat, quid ſit Eccleſia, neque quod gerat in mente facere, quod facit Eccleſia, imo ſi contrarium gereret in mente, ſcilicet non facere, quod facit Eccleſia, ſed tamen facit, quod formam ſervat, nihilominus baptizatus eſt.* Hæc veluti pro ſe Secretoria alte decantant Adverſarii; at quam immerito, patebit ex dicendis.

Imprimis obſervandum eſt opera Innocentii IV. edita fuiſſe Lugduni, dum erat alius privatus Doctor, unde ejus ſententia, fatente ipſo Serio, quævis tandem illa ſit, eſt privati Doctoris, non Romani Pontificis, nec in juris Canonici partem venit, nunquam enim fuit inſerta decretis juris cap. *Si quis puerum*, quamvis oppoſitum quidam falſo ſcripſerint contra fidem omnium exemplarium. Obſervandum inſuper textum Innocentii non integra ad præſens inſtitutum referri, dum immediate ſubjungit. *Dummodo baptizare intendat*. His præmiſſis, R. Innocentium IV. excludere dumtaxat intentionem explicitem finis, ſeu effectus Sacramenti, non vero internam intentionem ipſius Sacramenti, ſeu ritus ut ſacri in Eccleſia, ſed e contra ipſum aperte & certo requirere. Quod ut manifeſtum fiat, neceſſe eſt integrum ejus textum referre. Dicit itaque: *Ad hoc ut aliquis baptizatus ſit, neceſſarium eſt, quod baptizans intendat* baptizare, non tantum balneare vel carnes lavare: *Nec tamen videtur neceſſe quoad effectum Baptiſmi, quod ſciat, quid ſit Baptiſmus, ſcilicet quod ibi infundatur gratia, vel quod ſit Sacramentum, nec etiam oportet, quod credat hoc ipſum, imo etſi contrarium credit, & totum reputat truffam & deceptionem, tamen Baptiſmus ſuum habet effectum. Item non eſt neceſſe, quod baptizans ſciat, quid ſit Eccleſia, nec quod gerat in mente facere, quod facit Eccleſia: imo ſi contrarium gereret in mente, ſcilicet non facere, quod facit Eccleſia, ſed tamen facit, quia formam ſervat, nihilominus baptizatus eſt*, dummodo baptizare intendat. *Unde ſi quis in caſu neceſſitatis conſtitutus, vel etiam ſine neceſſitate vadat ad Saracenum, & dicat, baptiza me, & doceat eum formam, & ille Saracenus baptizet, non credens per immerſionem aliquid fieri niſi madefactionem, & non intendat eum baptizare, vel etiam madefacere ſecundam intentionem petentis*, id eſt ut Baptiſmus operatur quidquid operari poteſt, *& ipſe baptizans tamquam miniſter conferat*, quod alii baptizantes conferunt, *licet non credat ipſum poſſe aliquid operari. vere baptizatus eſt: ſed ſi hoc non intenderet, non baptizaret. Nec eſt neceſſe, quod aliquando ſciat, quid in his Eccleſia intelligat, vel etiam quod ſciat vel credat Eccleſiam eſſe.*

Hæc qui attenta & non præoccupata mente legeris, aperte aſſertam fatebitur ab Innocentio neceſſitatem intentionis internæ ad eſſe ſacramentale, & excludam dumtaxat neceſſitatem intentionis ad effectum Sacramenti, ſicque Innocentium ſtare pro noſtra non pro adverſa ſententia. Etenim diſerte diſtinguit Innocentius inter *baptizare*, & *balneare ſeu lavare carnes*, & dicit, quod baptizans, ſi ſervet formam & intendat, *non balneare, aut lavare carnes*, ſed *baptizare*, Sacramentum perficiat. Ergo præter formam ſerio poſitam, præter ritum externum requirit Innocentius intentionem non externam, quæ eſt inſeparabilis a ritu externo, ſed internam, non balneandi aut lavandi carnes, hoc eſt ponendi actionem naturalem, ſed baptizandi, id eſt efficiendi actionem ut faciam in Eccleſia. Enim vero juxta Adverſarios qui ſerio ponit ritum externum, quamvis intus dicat, nolo baptizare, ſed volo balneare ſeu lavare carnes, perficit Sacramentum. At id expreſſe negat Innocentius, quod *ſi Miniſter non intendat conferre, quod alii baptizantes conferunt, non baptizet*: quibus verbis requirit intentionem implicitam effectus Baptiſmi, non explicitam quam prius excluſerat; non poteſt autem eſſe intentio implicita effectus Baptiſmi, niſi intentione explicita faciendi rem ut ſacram in Eccleſia, quia tantum ut ſacra & non ut profana producit effectum. Tandem ſi Innocentius eſſet intelligendus ad ſenſum Adverſariorum, neque eſſet neceſſaria intentio faciendi ritum externum, quia dicit non eſſe neceſſariam intentionem faciendi, quod facit Eccleſia: Eccleſia autem juxta Adverſarios facit tantum ritum externum, ſicque valebit Sacramentum ab Ebrio dormiente aut amente collatum. Quando ergo Innocentius dicit non eſſe neceſſe, quod baptizans gerat in mente facere, quod facit Eccleſia, imo quod ſi contrarium gereret in mente, ſcilicet non facere, quod facit Eccleſia, perficere Baptiſmum, excludit dumtaxat, ut jam dixi, neceſſitatem intentionis explicitæ finis ſeu effectus Sacramenti, ſeu ut ipſe formaliſſime dicit, *quod Baptiſmus operatur quidquid operari poteſt ſecundum intentionem petentis Baptiſmum*;

non

Digitized by Google

non vero neceſſitatem intentionis eſſe ſacramentalis, ſi quidem, ut dictum eſt, præter formam requirat expreſſe intentionem non balneandi aut lavandi carnes, ſed baptizandi. Senſus illius itaque eſt, quod quamvis Miniſter neſciat Baptiſmum producere aliquem effectum, neque quid ſit Eccleſia, & ideo ex illo privato errore nolit facere, quod facit Eccleſia quoad effectum Baptiſmi; ſi tamen intendat baptizare, & non balneare aut lavare carnes, hoc ipſo intendit ritum in Eccleſia ſacrum & implicite ejus effectum, ſicque Sacramentum perficit: neque enim iſta intentio deſtruitur per intentionem, quam habet ex privato errore, Eccleſia nihil eſſe, & Baptiſmum nihil producere.

Dices. Innocentius in 1. membro textus allati jam exclaſerat intentionem finis ſeu effectus Sacramenti: in 2. ergo membro, dum excludit intentionem faciendi quod facit Eccleſia, aliam intentionem excludit, ſcilicet ipſius eſſe ſacramentalis. Unde poſt 1. caſum, tanquam novum ſubjiciens, dicit: *Item non eſt neceſſe, quod baptizatus*, &c. R. Innocentium etiam in 2. membro aperte loqui de intentione effectus Sacramenti, loquitur enim de Miniſtro, qui *non intendit baptizare ſeu madefacere ſecundum intentionem petentis Baptiſmum, idest ut Baptiſmus operetur quidquid operari poteſt*. In utroque ergo membro caſus eſt de intentione effectus Sacramenti, ſed ſub diverſa ratione: in 1. membro eſt de Miniſtro, qui neſcit quid ſit *Baptiſmus*, & quod *ibi infundat gratiam*: in 2. membro eſt de Miniſtro, qui neſcit *quid ſit Eccleſia*, & ideo quaſi novum caſum ſubjicit. Finaliter itaque & ſummatim eo reducitur textus Innocentii, quod, ſive Miniſter neſciat quid ſit Baptiſmus & quod gratiam producat, ſive neſciat quid ſit Eccleſia, modo baptizare intendat, & conferat, quod alii baptizantes conferunt, & non tantum balneare aut lavare carnes, quidquid aliud in mente gerat, vere baptizet. Et hoc nos dicimus.

Objectiones ex SS. Aug. & Th. veteribusque Scolaſticis.

OBJ. 1. ex Aug. l. 7. de Bapt. cont. Donat. c. 53. ubi inter varios caſus hunc proponit: an ſit minus probandum Baptiſma, quod a Mimo repente converſo extra Eccleſiam ſuſcipitur, quam illud, quod in Eccleſia recipitur, ſi tradens & recipiens fallaciter ſeu ſimulato animo agant. En ejus verba: *Sed arbitremur etiam fallaciter aliquem dantem, cum & tradens & accipiens fallaciter agant in ipſa unitate Catholica; utrum hoc magis Baptiſma ſit acceptandum, an illud, quod in Mimo* (ludo) *datur, ſi quis exiſtat, qui fideliter ſubito commotus accipiat? In quantum ad ipſos quidem attinet homines, plurimum diſtat inter credentem in Mimo* (ludo) *& irridentem in Eccleſia; ad ipſius autem Sacramenti integritatem nihil intereſt*. Huic Quæſtioni reſpondet Auguſtinus ſupponendo, quod Baptiſma fallaciter datum & acceptum in Eccleſia ſit validum, & inde propendet, ut credat ſuſceptum a Mimo converſo extra Eccleſiam ſit etiam validum. *Si enim* inquit, *nihil intereſt ad integritatem Sacramenti in ipſa Catholica Eccleſia, utrum id aliqui fallaciter, an veraciter agant, cum tamen idem utrique agant; cur tantum intereſſit non video, quando ille, qui accipit, non ſimulatione palliatus, ſed Religione mutatus eſt. An plus valent ad confirmandum Sacramentum illi veraces, inter quos agitur, quam ad fruſtrandum illi fallaces, a quibus agitur & in quibus agitur? hi tamen ſi poſtea prodatur, non repetit, ſed aut excommunicando punitur illa ſimulatio, aut pœnitendo ſanatur.*

Neque dici poteſt cum Bellarmino & aliis quibuſdam S. Aug. non reſolutive, ſed dubitanter loqui, eo quod immediate ſubjungit. *Sed nobis tutum eſt in ea non progredi aliqua temeritate ſententiæ, quæ nullo in Catholico Regionali Concilio cœpta, nullo Plenario terminata ſunt.* Hæc enim verba referuntur ad Baptiſmum a Mimo extra Eccleſiam ſuſceptum, non ad Baptiſmum fallaciter in Eccleſia datum & acceptum; ex ſuppoſita enim validitate iſtius, ut jam dixi & patet ex textu, inclinatur ut credat alterum eſſe validum; atque adeo ſupponit primum validum, ut dicat, quod ſi ſimulatio prodatur, non repetatur, quod non dixiſſet, ſi de ejus valore dubitaſſet. Videtur ergo certum Baptiſma fallaciter & ſimulato animo traditum & ſuſceptum in Eccleſia habitum fuiſſe ab Aug. ratum & validum. Subſumo: atqui qui fallaciter & ſimulato animo baptizat, non habet intentionem interiorem, ſed exteriorem tantum. Ergo. R. D. Subſumptum. Atqui qui fallaciter & ſimulato animo baptizat fallacia & ſimulatione intentionis, non habet intentionem interiorem, C. Fallacia & ſimulatione fidei, N. Loquitur tantum Aug. non de ſimulatione ſeu fallacia intentionis, ſed fidei, vocatque illum fallacem, qui non habens rectam fidem de veritate aut efficacia Sacramenti, illam tamen ſimulat conferendo Baptiſma, quaſi ipſum crederet verum Sacramentum gratiæ productivum, ideoque fallit: hæc autem fallacia non impedit, quin poſſit intendere generaliter facere ritum ut in Eccleſia ſacrum.

Hunc eſſe legitimum ſenſum Aug. ex multis conſtat. 1. Tota controverſia inter Aug. & Donatiſtas, contra quos hic agit, fuit de fide & non de intentione Miniſtri. 2. Ne unum verbum in toto textu Aug. proferri poteſt, quod exprimat ſimulationem intentionis. 3. Dicit fallacem de quo loquitur, ſi ejus fallacia prodatur, puniri excommunicatione, nuſquam autem apparet in Eccleſia ſtatutam fuiſſe excommunicationem ſimulantibus intentionem, ſed bene Hæreticis occultis, cum deteguntur. 4. Opponit fallaciam, de qua loquitur, fidei; *An plus*, inquit, *diſtet inter credentem in Mimo & irridentem in Eccleſia*. Ergo intelligit fallaciam fidei & non intentionis. 5. Opponit fallaces veracibus. *An plus*, inquit, *valent ad confirmandum illi veraces, inter quos agitur, quam ad fruſtrandum illi fallaces, a quibus agitur*. Per veraces autem intelligit Societatem credentium, ut paulo poſt explicat dicens: *Ubi autem neque Societas ulla eſſet ita credentium, neque ille, qui ibi acciperet, ut crederet*, &c. 6. Paulo ſupra dicit: *Præteritis majorum ſtatutis, non dubito etiam illos habere Baptiſmum, qui quamvis fallaciter id accipiant, in Eccleſia tamen accipiunt, vel ubi putatur eſſe Eccleſia ab iis, in quorum Societate id accipitur*. At vero habemus quidem ſtatuta majorum de valore Baptiſmi collati abſque fide ſeu cum fallacia mentiente fidem, ſed nullum prorſus de valore Baptiſmi collati ſine intentione, aut oſtentant Adverſarii. 7. Tandem Aug. eodem ſenſu ſumit fallaciam in dante & accipiente, ut patet; non eſt autem veriſimile Auguſtinum exiſtimaſſe valere Sacramentum in adulto, qui non haberet intentionem illud ſuſcipiendi. Neque hic omittenda eſt retorſio ſolita argumenti. Aug. abſolute affirmat agentem fallaciter verum conferre Sacramentum, nec ullatenus requirit, quod conferat in circumſtantiis conſuetis: ſi ergo intelligat de fallacia intentionis, & inde probetur non requiri intentionem interiorem, perinde probatur contra Adverſarios eam non requiri extra circumſtantias.

Inſt. 1. S. Aug. fallaces agnoſcit in Eccleſia Catholica, veraces in hæreſi: *Quid ſit ſceleratius*, inquit loco citato, *in Eccleſia fallaciter accipere, an in hæreſi vel ſchiſmate ſine fallacia*. Atqui fallaces fallacia fidei non ſunt in Eccleſia Catholica, & veraces veracitate fidei non ſunt in hæreſi. Ergo. R. D. Min. pro utraque parte. Pro 1. fallaces fallacia fidei non ſunt in Eccleſia Catholica interius vere, C. Exterius & quoad apparentiam, N. Pro 2. parte; Veraces veritate fidei ſupernaturalis non ſunt in hæreſi, C. Veraces veritate fidei humanæ, N. Quamvis enim Hæreticus in uno, amittat fidem ſupernaturalem circa omnia alia fidei noſtræ Myſteria, quia nullum credit ex motivo divinæ revelationis; poteſt tamen habere fidem humanam de aliquo, etſi careat quoad alia, ut patet in Calviniſtis, qui habent fidem humanam de Myſterio SS. Trinitatis & Incarnationis, non de Myſterio Euchariſtiæ. De ejuſmodi autem veracibus loquitur Aug. qui fidem humanam habent de veritate & effectu Sacramenti, licet quoad alia errent, ſicut fallaces intelligit, qui circa veritatem & effectum Sacramenti errant, & tales veraces in hæreſi poſſe reperiri certum eſt.

Inſt. 2. Aug. per fallaces intelligit, non qui ſunt ſolum exterius in cœtu Fidelium, ſed qui ſunt de Eccleſia, ſeu habent fidem Eccleſiæ. Ergo. Prob. Ant. Intelligit eos, qui ſunt in unitate Catholica, *Tradens*, inquit, *& accipiens fallaciter in unitate Catholica*. Atqui qui ſunt in unitate Catholica, habent fidem Eccleſiæ, a fide enim Eccleſia habet quod ſit una. Ergo. R. N. Ant. ad Prob. 1. N. Min. in ſenſu Aug. ipſe enim l. 4. cont. Donat. c. 16. agnoſcit Hæreticum poſſe baptizari, & remanere *In unitate Catholica*. 2. D. M. qui ſunt in unitate Catholica interius & vere, habent fidem Eccleſiæ, C. Qui ſunt in unitate Catholica exterius & apparenter tantum, N.

Inſt. 3. Juxta Aug. non differt quoad integritatem Baptiſma collatum fallaciter in Eccleſia a Baptiſmo collato in ludo a Mimo. Atqui ſi intentio interna requiratur, erit inter utrumque differentia quoad integritatem; quia Baptiſma collatum a Mimo in ludo foret ſine intentione, collatum fallacia fidei foret cum intentione, ſicque differrent quoad integritatem. Ergo. R. 1. S. Aug. quamvis propenſus eſſet, ut crederet Baptiſma collatum Mimo converſo eſſe validum, id tamen noluiſſe affirmare, ſed ſuam ſententiam dubitanter propoſuiſſe. 2. N. Min. & ejus probationem. Poteſt enim contingere, quod quis ludendo habeat veram intentionem faciendi rem ſacram in Eccleſia, quam referat ad ſuam recreationem, ut dixi §. præced. de S. Atanaſio & aliis. 3. Si intelligatur hunc Baptiſmum collatum fuiſſe omnino jocoſe & mimice, tunc aberit intentio externa; non eſt enim intentio externa, quando Miniſter actionem ſerio non perficit. Ergo vel ſine ulla intentione erit validum iſtud Baptiſma, quod eſt Hæreticum, vel dicendum adfuiſſe internam. Adde retor-

ſionem

Digitized by Google

ſionem argumenti de Baptiſmo privatim collato, ad cujus integritatem objicientes requirunt intentionem internam.

Inſt. 4. Aug. revera dubitavit, an Baptiſma collatum Mimo omnino ludicre & jocoſe, adeoque etiam ſine externa intentione eſſet validum. Dicit enim laudato c. 53. *Utrum approbandus eſſet Baptiſmus, qui ſic daretur, divinum judicium per alicujus revelationis oraculum concordi oratione & impenſis ſupplici devotione gemitibus, implorandum eſſe cenſerem.* Ergo longe magis dubitavit de neceſſitate intentionis internæ. R. 1. retorſione argumenti, & ſubſumo. Atqui tamen juxta Adverſarios requiritur intentio interna in collatione privata Baptiſmi. Ergo & ab ipſis eſt ſolvendum argumentum. R. 2. Aug. non dubitaſſe, an Baptiſma collatum mimice & ſine intentione faciendi, quod facit Eccleſia, eſſet validum; ſed dubitavit, an mimice baptizans poſſet habere intentionem faciendi, quod facit Eccleſia. Vide Obj. 2. §. præced.

Inſt. 5. Aug. probat contra Donatiſtas ſanctitatem & conſcientiam Miniſtri non eſſe neceſſariam ad veritatem Sacramenti, iis rationibus, quæ pariter probant non eſſe neceſſariam ejus intentionem internam. Sic l. 3. contra litteras Petiliani c. 1. probat ſanctitatem & conſcientiam Miniſtri non eſſe neceſſariam, quia eſt occulta. Cap. 3. quia cum ſit occulta, ſalus Baptizatorum eſſet ſemper incerta. Ibid. Quia ſpes ponenda foret in homine. Cap. 5. Quia Baptizatorum origo & radix, non eſt homo baptizans, ſed Chriſtus. Atqui hæ omnes rationes militant pariter contra intentionem internam. Ergo. R. 1. retorquendo argumentum. Atqui hæ omnes rationes pariter militant contra intentionem internam, quam neceſſario requirunt Adverſarii extra circumſtantias. Solvant ergo priuſquam opponant. R. 2. N. Min. 1. enim longe major eſt incertitudo conſcientiæ & ſanctitatis Miniſtri, quam ejus intentionis. Illam nec certo ſcit ſe habere ipſe Miniſter, iſtam certo cognoſcit. Illa difficillime, iſta facillime habetur. Unde hoc ipſo quod Miniſter ſerio ſponte ritum externum peragit, ejus intentio eſt moraliter certa, non vero ejus ſanctitas & conſcientia; ideoque ſi requireretur Miniſtri ſanctitas & conſcientia, ſemper incerta eſſet ſalus Baptizatorum, ſecus ſi requiratur intentio; nec magis erit incerta ex neceſſitate intentionis, quam ſit incerta ex neceſſitate materiæ aut formæ, quæ poteſt ſecreto corrumpi. Hæc autem aliqualis incertitudo non officit certitudini morali, qua major non habetur in negotio ſalutis. 2. S. Aug. probat in ſententia Donatiſtarum præſertim Petiliani, contra quem agit, ſpem ſalutis fore ponendam in Baptizante, & hunc eſſe caput & originem Baptizatorum, quia Petilianus contendebat, quod ſanctitas baptizantis baptizatum mundaret & ſanctificaret etiam ut cauſa quaſi princeps, ita ut Chriſtus ad hanc ſanctificationem non concurreret, niſi forte ubi maculoſa peccatoris conſcientia ignoraretur. Hæc conſtant ex Aug. c. 5. citato: *An forte*, inquit alloquens Petilianum, *cum baptizantem perfidum ille, qui baptizatur, ignorat, tunc Chriſtus dat fidem, tunc Chriſtus eſt origo & radix & caput? O humana temeritas & ſuperbia! Cur non ſinis potius ut ſemper Chriſtus det fidem, Chriſtianum dando facturus? Cur non ſinis ut ſemper ſit Chriſtus origo Chriſtiani, in Chriſto radicem Chriſtianus infigat, Chriſtus Chriſtiani ſit caput?* Ita ut Quæſtio inter Aug. & Petilianum non tam eſſet de Sacramento conficiendo, quam de Sacramenti confecti virtute & efficacia. At vero nos neque ſomniando quid ſimile cogitamus. Profitemur cum Eccleſia Catholica Chriſtum eſſe cauſam principalem noſtræ ſanctificationis, Miniſtrum autem ad perfectionem Sacramenti concurrere per intentionem ut inſtrumentum, ſicut concurrit per materiam & formam, & etiam fatentibus ipſis adverſariis per intentionem extra circumſtantias. Unde ſicut in eorum ſententia neque ſpes ponenda eſt in homine, neque baptizans eſt origo, radix & caput Baptizatorum, ſic nec in noſtra: & utique dicimus cum Apoſt. *Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.*

Inſt. 6. Aug. l. 3. contra Creſconium c. 8. *Qua mente*, inquit, *operetur Miniſter, qua laboret intentione, non curant.* Ergo. R. 1. Et hoc eſſe ſolvendum ab Adverſariis, qui curandum de intentione dicunt, dum Sacramentum adminiſtratur extra debitas circumſtantias. 2. S. Aug. ibi loquitur de intentione, non quæ reſpiciat confectionem Sacramenti, ſed ejus effectum. Cum enim dixiſſet Creſconius: *Sicut qui plantat & rigat, non niſi fidelis colonus & diligens adhibetur?* Reſpondet Aug. *Quaſi vero quod infidelis colonus plantaverit, propter ejus infidelitatem, non germinet vis ſeminis.... qua mente operetur, qua laboret intentione, non curant.*

Obj. 2. ex D. Th. S. Doct. in 4. d. 6. q. 1. a. 2. quæſtiunc. 1. ad 2. cum ſibi propoſuiſſet hoc argumentum. *Intentio hominis non eſt alicui certa niſi ſibi. Si ergo requiratur intentio ad Baptiſmum, non erit certum de aliquo, quod ſit baptizatus, niſi apud eum qui baptizavit, & hoc eſt inconveniens, quod homo ſit in tanto dubio ſalutis.* Reſpondet. *Ad hoc dupliciter ſecundum diverſas opiniones reſpondetur. Quidam enim dicunt, quod ſi deſit mentalis intentio in baptizante, non confert Sacramentum Baptiſmi; tamen in adulto ſupplet fides & devotio effectum Baptiſmi... ſi autem ſit puer, creditur pie quod ſummus Sacerdos ſcilicet Deus, defectum ſuppleat & ſalutem ei conferat.... Alii dicunt, quod in Baptiſmo & in aliis Sacramentis, quæ habent in forma actum exercitum, non requiritur mentalis intentio, ſed ſufficit expreſſio intentionis per verba ab Eccleſia inſtituta, & ideo ſi forma ſervatur, nec aliquid exterius dicitur, quod intentionem contrariam exprimat, baptizatus eſt.* Et in hac præſenti quæſtione 64. art. 8 ubi quærit, utrum intentio Miniſtri requiratur ad perfectionem Sacramenti, num. 2. idem argumentum ſibi proponit, & ſimiliter reſpondet: *Circa hoc eſt duplex opinio. Quidam enim dicunt, quod requiritur mentalis intentio in Miniſtro, quæ ſi deſit, non perficitur Sacramentum; ſed hunc effectum in pueris, qui non habent intentionem accedendi ad Sacramentum, ſupplet Chriſtus, qui interius baptizat: in adultis autem, qui intendunt Sacramentum ſuſcipere, ſupplet illum defectum fides & devotio. Sed hoc ſatis dici quantum ad ultimum effectum, qui eſt juſtificatio a peccatis, ſed quantum ad effectum qui eſt res & Sacramentum, ſcilicet quantum ad characterem, non videtur, quod per devotionem accedentis poſſit ſuppleri, quia character nunquam imprimitur niſi per Sacramentum. Et ideo alii melius dicunt, quod Miniſter Sacramenti agit in perſona totius Eccleſiæ, cujus eſt Miniſter: in verbis autem, quæ profert, exprimitur intentio Eccleſiæ, quæ ſufficit ad perfectionem Sacramenti, niſi contrarium exterius exprimatur ex parte Miniſtri vel recipientis Sacramentum.* Ex his textibus manifeſtum eſt juxta S. Th. ad perfectionem Sacramenti non requiri intentionem mentalem ſeu internam, ſed ſufficere externam; rejicit enim mentalem, & dicit ſufficere intentionem Eccleſiæ expreſſam in verbis, quæ profert Miniſter, niſi contrarium exterius exprimatur; intentio autem Eccleſiæ expreſſa in verbis Miniſtri eſt exterior.

Hanc objectionem præ ſe ferre difficultatem non diffiteor: ſed in primis obſervandum quoad textum ex 4. ſentent. deſumptum probabilius videri ſecundam reſponſionem non proferri a S. Th. ut ſuam, ſed ut quorumdam Theologorum ſui temporis, ut fatetur ipſe Catharinus: tum quia in corpore ejuſdem Quæſtiunc. & ad 1. & 3. requirit non ſolam expreſſionem intentionis per verba, ſed præter materiam & formam ipſam intentionem baptizandi & ſacramentalia conficiendi: tum quia verba, quibus conſtat forma Baptiſmi, dicuntur in ea reſponſione inſtituta ab Eccleſia. Quis autem credat S. Th. ex propria mente dixiſſe formam Baptiſmi eſſe inſtitutam ab Eccleſia, cum ipſe doceat, & fide ſit certum, eſſe inſtitutam a Chriſto. Neque dicas formam Baptiſmi dici inſtitutam ab Eccleſia quoad modum & ordinem tantum: nam Apoſtoli ante Chriſti paſſionem eam uſurpabant ſecundum eumdem ordinem & modum, quem a Chriſto acceperant, &, ſicut nunc, baptizabant dicentes. *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus S.*

Neque etiam valet, ſi dicas S. Thom. in Summa loco cit. eandem reſponſionem proferre ut ſuam; nam non eſt omnino eadem utriuſque reſponſionis Doctrina. In 4. dicit non requiri intentionem mentalem, ſed ſufficere expreſſionem intentionis per verba ab Eccleſia inſtituta. In Summa dicit requiri intentionem Eccleſiæ. In 4. loquitur tantum de Sacramentis, quæ habent in forma actum exercitum: in Summa nullum excipit. Sed eſto foret eadem utriuſque textus Doctrina, nihil vetat aliter juniorem, aliter ſeniorem ſenſiſſe, ut de facto probabilius contingit in caſu. Verius itaque exiſtimo cum P. Gaud, quod ſi S. Doctor unam ex his duabus reſponſionibus adhibeat ut ſuam, prima potius quam ſecunda ſit illi adſcribenda: 1. quia erat communior tunc temporis, ſic enim cenſebant Magiſter, Alex. S. Bonaventura & alii; tum quia ipſe S. Th. in 4. d. 3. q. 1. a. 2. q. 3 ad 4. dicit, quod in caſu quo una perſona Trinitatis nominata puer vel Sacerdos moreretur, *creditur, quod inviſibilis Sacerdos ſuppleat defectum.* Hanc tamen ſententiam ſenior factus in Summa abdicavit. Cæterum quidquid ſit de texto ex 4. ſentent. deſumpto, remanet ſaltem difficultas in textu Summæ, ubi conſtat S. Doctorem loqui ex propria ſententia.

Solutioni præmitto 2. incredibile eſſe S. Th. his paucis verbis evertiſſe, quod toties & tam ex profeſſo alibi aſſeruerit, atque excludere neceſſitatem intentionis internæ, & ſufficientem exiſtimare ſolam expreſſionem verborum, cum in eodem loco diſerte aſſerat ritum externum ex ſe indifferentem debere determinari ad eſſe ſacramentale per intentionem Miniſtri, Miniſtrum tanquam inſtrumentum animatum debere per intentionem ſe ſubjicere Chriſto ut principali agenti: Art. 1. Miniſtrum, qui non intendit conficere Sacramentum, nihil efficere: in 4. diſtinct. 11. quæſt. 2. art. 2. quæſt. 3. ad 5. intentionem, quæ ordinatur ad perfectio-

ctionem Sacramenti eſſe eſſentialem Sacramento: opuſc. 5. ſi Miniſter non intendat Sacramentum conficere, non perfici Sacramentum, & hæreticum poſſe baptizare, dummodo ſervet formam Eccleſiæ, & intendat facere quod facit Eccleſia: infra q. 68. a. 7. ad 2. intentionem ſuſcipiendi Sacramentum eſſe neceſſariam in ſuſcipiente. Vide probationem 6. Incredibile eſt, inquam, Sanctum Thomam, qui hæc & ſimilia diſerte aſſerit, exiſtimaſſe ſolum ritum externum ſerio peractum, ſecluſa quavis alia intentione, eſſe Sacramentum, niſi velis S. Doctorem palpabiles, non ſemel, ſed pluries, non in diſſitis locis, ſed in eodem loco, contradictiones aſſeruiſſe. Sed etſi verum ſit, quod prætendunt adverſarii,

Præmitto 2. hunc nodum, in quo vim maxime faciunt, eſſe etiam ab ipſis ſolvendum. Dicunt enim non ſufficere externam intentionem, ſed requiri internam, quando Miniſter privatim non rogatus, nec in loco ſacro, atque extra alias circumſtantias adhiberi ſolitas Sacramentum miniſtrat. Atqui S. Th. non diſtinguit inter Sacramentum cum circumſtantiis, vel ſine circumſtantiis collatum, ſed dicit abſolute & generaliter de omnibus Sacramentis & quovis modo ſerio collatis, *in verbis, quæ profert Miniſter, exprimi intentionem Eccleſiæ, quæ ſufficit ad perfectionem Sacramenti, niſi contrarium exterius exprimatur*. Ergo ſi per hæc verba rejicit neceſſitatem intentionis internæ, objicientes habent D. Th. ſibi æque ac nobis contrarium, & quidquid dicent, ut ab hac difficultate ſe extricent, pro nobis dictum habebimus. Interim inter varias ſolutiones, duas propono, quæ mihi videntur probabiliores.

Quidam ergo reſpondent S. Th. per intentionem Eccleſiæ, quam dicit ſufficere ad perfectionem Sacramenti, non intelligere intentionem, quæ ſit in ſola Eccleſia & non in Miniſtro, ſed etiam quæ ſit interius in Miniſtro faciendi, quod facit Eccleſia, & quam idcirco vocat intentionem Eccleſiæ; quia quod primum & proxime Eccleſia intendit, eſt facere ritum ſacrum: qui hunc ergo intendit, intendit facere, quod facit Eccleſia, & habet intentionem Eccleſiæ. Enimvero ſi per intentionem Eccleſiæ, quam S. Doctor dicit ſufficere ad perfectionem Sacramenti, non intelligeret etiam internam intentionem Miniſtri faciendi, quod facit Eccleſia, ſed ſolam intentionem, quæ habitualiter in Eccleſia reperitur, manifeſte ſibi contradiceret in eodem articulo, in cujus corpore & in reſp. ad 1. & 3. requirit in Miniſtro intentionem etiam internam faciendi, quod facit Eccleſia, ut probavimus. Hæc ſolutio, quamvis non ſit communis, ſat tamen mihi arridet, eam præ cæteris amplectitur Eruditiſs. Profeſſor Avenionenſis in laudata Diſſ. poteſque meo ſenſu ſuſtineri adverſus oppugnantes inſtantias. Igitur

Inſt. 1. S. Th. primam opinionem, quæ requirit intentionem mentalem in Miniſtro, rejicit: poſtquam enim eam retulit, dicit: *Alii melius dicunt*. Ergo per intentionem Eccleſiæ non intelligit intentionem mentalem, ſeu internam Miniſtri. R. D. Ant. Opinionem, quæ requirit intentionem mentalem, rejicit, præciſe quia requirit intentionem mentalem, N. Quia dicit, quod ſi deſit intentio mentalis, Chriſtus ſuppleat defectum Sacramenti in infantibus, in adultis autem eorum devotio, C. Patet ex textu. Sibi objecerat S. Doctor, quod ſi requireretur intentio interna Miniſtri, ſalus foret incerta. Hinc objectioni adhibet duas reſponſiones, in quibus ſupponit neceſſariam eſſe intentionem internam, & tamen non ideo eſſe incertam ſalutem. 1. Quia licet requiratur intentio mentalis, attamen juxta quoſdam Deus vel devotio ſuſcipientis ſupplet defectum Sacramenti, & ſic non eſt incerta ſalus. 2. Rejecta hac reſponſione quantum ad id quod dicit Deum aut devotionem ſuſcipientis ſupplere defectum Sacramenti, verius & probabilius dicit, quod in verbis, quæ profert Miniſter, exprimitur intentio Eccleſiæ, quæ ſit etiam interna ipſius Miniſtri intentio faciendi, quod facit Eccleſia, & quod hæc intentio ſufficit ad perfectionem Sacramenti, ubi contrarium non exprimitur exterius; & ſic etiam tollitur anxietas circa veritatem Sacramenti. Quamvis enim non ſit omnimode & phyſice certum, Miniſtrum habere intentionem internam, quam verba exterius exprimit, id tamen eſt moraliter certum, & hoc ſufficit ad ſedandam animi anxietatem; non enim major habetur certitudo in negotio ſalutis, ut jam dixi, neque prudenter timentur anxie pericula remota & rariſſime contingentia, ſolique Hæretici certitudinem abſolutam & inconcuſſam ſalutis adſtruunt. Sicut ergo Pœnitens credit ſine anxietate ſe eſſe abſolutum, quia quamvis abſolute fieri poſſit, quod Sacerdos abſolvens vitiaverit formam abſolutionis, quæ ſecreto profertur, eſt tamen moraliter certum eam integre fuiſſe prolatam, ita in caſu de intentione. Non enim eſt minus certum, Miniſtrum ſponte ſerio ritum externum peragentem habere intentionem internam faciendi, quod facit Eccleſia, quam certum ſit ipſum formam vel Baptiſmi, vel Pœnitentiæ pronuntiaſſe,

Replicabis, S. Th. in 2. Reſponſione loquitur de intentione, qua ſtante poteſt Miniſter exterius exprimere contrarium & irritare Sacramentum. Atqui Miniſter, qui habet intentionem internam faciendi quod facit Eccleſia, nihil poteſt exterius exprimere contrarium, quod irritet Sacramentum; etſi enim joco illud conferret, perficeret tamen Sacramentum, ſtante illa intentione interna faciendi Sacramentum. Ergo. R. N. Min. Poteſt enim Miniſter cum illa intentione interna, ſive ex errore, ſive ex ignorantia, ſive ex inadvertentia vitiare exterius formam Sacramenti, aut adhibere materiam illegitimam, & ſic cum ſua intentione nihil efficere. Alii reſpondent, quod quando S. Th. dicit, quod in verbis, quæ profert Miniſter, exprimitur intentio Eccleſiæ, quæ ſufficit ad perfectionem Sacramenti, non intelligat, quod ſufficiat hæc intentio Eccleſiæ verbis Miniſtri expreſſa ad perfectionem Sacramenti ſimpliciter & quoad ſe, ſed quod ſufficiat ad perfectionem Sacramenti ſecundum humanam certitudinem & quoad nos, ex hoc enim vitiatur inconveniens objectum in argumento quod quilibet eſſet incertus ſuſcepti Sacramenti. Hoc ipſo enim quo videmus Miniſtrum ſponte ſerio applicare formam materiæ, nec exterius contrariam intentionem demonſtrare, moraliter certi ſumus de veritate Sacramenti, ut modo dicebam, nec alia certitudo requiritur ad tollendam anxietatem, ſicque reſponſio adæquate ſatisfacit argumento. Unde ſic in forma diſtinguo: intentio Eccleſiæ in verbis Miniſtri, ſi contrarium exterius non exprimatur, ſufficit ad perfectionem Sacramenti, quantum ad humanam exiſtimationem & moralem certitudinem, C. Sufficit ad perfectionem Sacramenti in ſe & ſecundum ſe ſumpti, N. Similiter S. Th. excludit intentionem mentalem tanquam neceſſariam, ut habeatur certitudo moralis, C. tanquam neceſſariam, ut perficiatur Sacramentum, Subdiſtinguo ut ante: ut perficiatur Sacramentum in ſe, N. ut perficiatur in judicio Eccleſiæ & conſcientia ſuſcipientis, C. Hæc ſolutio eſt Cajetani, Soto, Nugno, Cabrera, Vincentii, Baronii, Goneti, Eminentiſſ. Gotti, Suarez, Valentiæ, Becani, Berti & communior tam apud Thomiſtas quam apud Extraneos.

Hanc autem eſſe mentem S. Th. colligitur non ſolum ex his, quæ habet in corpore ejuſdem articuli, & in R. ad 1. & 3. & alibi ut vidimus, ubi aperte requirit intentionem internam; neque ſolum ex ipſo argumento, cui debet correſpondere ſolutio, ut mox dicam; ſed ex ipſis verbis objectis, dicit enim non ſufficere quoad nos intentionem Eccleſiæ verbis miniſtri expreſſam, ſi contrarium exterius exprimatur. Ergo cenſet non ſufficere quoad Deum, ſi contrarium interius Miniſter exprimat; ſicut enim contraria intentio exterius expreſſa neceſſariam intentionem deſtruit quoad nos, ita contraria intentio interius expreſſa deſtruit intentionem neceſſariam quoad Deum.

Neque dicas, quod contraria expreſſio reddat prolationem formæ non ſeriam, ſed ridiculam, ſeria quippe eſt, quia eſt conformis internæ intentioni, & ideo ſeria, quia ſincera. Inſuper ſi contraria intentio exterius expreſſa reddat quoad nos prolationem formæ non ſeriam, ſed ridiculam. Ergo interius expreſſa reddit prolationem formæ apud Deum non ſeriam, ſed ridiculam, & per illam Miniſter non ſe ſubjicit Chriſto ut principali agenti.

Inſt. inſuper. Quando S. Th. dicit in 1. Reſponſione quoſdam Auctores mentalem ſeu internam intentionem requirere ad perfectionem Sacramenti, loquitur de perfectione Sacramenti ſimpliciter & in ſe ſumpti, ſic enim intelligebant iſti Auctores. Ergo quando rejecta illa opinione, dicit intentionem Eccleſiæ verbis Miniſtri expreſſam ſufficere ad perfectionem Sacramenti, intelligit etiam de perfectione Sacramenti in ſe & non ſolum quoad nos. R. N. Conſ. quia non rejicit primam ſententiam, quatenus requirit intentionem mentalem ad perfectionem Sacramenti, in ſe, ſed quatenus ſuppoſita illius neceſſitate dicit nihilominus haberi certitudinem ſalutis (de qua erat argumentum) per hoc, quod Deus ſuppleat effectum Sacramenti, ut paulo ante dictum eſt. Unde in 2. Reſponſione, ſuppoſita etiam neceſſitate mentalis intentionis ad perfectionem Sacramenti in ſe, dicit haberi nihilominus, ſed aliunde, certitudinem moralem ſalutis, nempe per expreſſionem ſeriam intentionis Eccleſiæ in verbis Miniſtri, quod ſufficit, ut certi moraliter ſimus Miniſtrum habuiſſe intentionem mentalem neceſſariam, & Sacramentum eſſe peractum, niſi contrarium exterius exprimatur.

Repones. S. Th. in argumento, quod ſibi opponit, & quo vult probare non requiri intentionem internam Miniſtri ad perfectionem Sacramenti, loquitur de perfectione Sacramenti, de qua loquitur in titulo articuli, alioquin Theſim, quam iſto argumento impugnandam ſibi proponit, non attingeret. Atqui in titulo articuli agit de perfectione Sacramenti in ſe, ut omnes fatentur. Ergo & in argumento, quod ſibi opponit. Subſumo; atqui debet in Reſponſione agere de eadem perfectione, de qua

agit

agit in argumento, alioquin illud non ſolveret. Ergo in reſponſione agit de perfectione Sacramenti in ſe & non quoad nos tantum. R. D. ultimum Conſequens. Ergo in reſponſione agit de perfectione Sacramenti in ſe, ut probet illam non eſſe incertam, ſi omnia exterius rite peragantur, C. Agit de perfectione Sacramenti in ſe, ut probet eam conſiſtere in his ſolis exterioribus, N. Solutio mihi plane evidens eſt ex argumento. Senſus enim alicujus reſponſionis æſtimari debet ex objectione, cui reſpondetur. Objicit autem ſibi S. Th. quod ſi intentio mentalis requiratur ad perfectionem Sacramenti, cum illa intentio non ſit nota, nemo eſſet certus ſuæ ſalutis ſeu Sacramenti ſuſcepti. Reſpondet ſicut nos reſpondemus Adverſariis, quando idem argumentum nobis objiciunt, quod quamvis intentio mentalis ad perfectionem eſſentialem Sacramenti requiratur, non tamen ſequitur, quod nemo ſit certus ſuſcepti Sacramenti, quia hoc ipſo quo Miniſter pronuntiat verba ſupra materiam, nihil contrarium exterius exprimendo, certi ſumus moraliter eum habere intentionem mentalem requiſitam, & ideo eſſe perfectum Sacramentum. Et hic eſt planiſſimus ſenſus reſponſi collati cum argumento, in quo non magis S. Th. intentionem internam negat, quam nos negamus, cum eidem argumento reſpondemus. Tandem ut iterum repetam, nec repetere piget, advertant Adverſarii in his omnibus ſe ſuo gladio transfigere. Quando enim Miniſter privatim & extra circumſtantias ritum externum ſerio peragit ſine intentione interna, in verbis, quæ profert, exprimitur intentio Eccleſiæ, nec contrarium, ut ſuppono, exterius exprimit, & tamen fatentibus Adverſariis hæc intentio Eccleſiæ ſic expreſſa non ſufficit ad perfectionem eſſentialem Sacramenti, ſed requiritur intentio interna Miniſtri.

Obj. 3. Celebres quoſdam veteres Scolaſticos, qui Cajetano præiverunt, & pro intentione externa ſteterunt. Magiſter ſententiarum in 4. d. 27. docet, quod conſenſus externus verbis expreſſus ſine interno faciat Matrimonium. Petrus Paludanus in 4. d. 6. q. 2. dicit opinionem de intentione externa poſſe defendi, & argumenta in contrarium ſolvit. Sylveſter verbo Baptiſmus Tit. 3. nn. 12. dicit opinionem de externa intentione ſuſtineri poſſe & hanc S. Th. defendere. Ergo. R. 1. Eſto hos & quoſdam alios antiquos Scholaſticos intentioni externæ faviſſe, ſunt privati Theologi, qui Conciliorum Decretis, ſummi Pontificis definitioni, Eccleſiæ praxi & aliis probationibus noſtris præponderare non valent. R. 2. Ad 1. Magiſter ſententiarum in 4. d. 6. expreſſe docet ad integritatem Baptiſmi requiri intentionem baptizandi: in loco vero objecto loquitur de Matrimonio quoad forum exterius; ut ipſum explicat S. Th. ibid. in expoſitione textus. Ad 2. Licet Paludanus concedat hanc opinionem defendi poſſe, dicit tamen ibidem contrariam eſſe tenendam ut communiorem & tutiorem. Ad 3. Equidem Sylveſter fuit dubius inter utramque opinionem, vult tamen, quod ſi quis ſit baptizatus ſine interna intentione, ſit rebaptizandus ſub conditione. Neque dicit S. Th. tenere ſententiam de externa intentione, ſed *videtur*, inquit, *tenere*.

Objectiones a Ratione.

TÆDIOSUS forem, ſi omnia argumenta, quæ a ratione protulerunt externæ intentionis defenſores, exſcribere vellem; plura ex jam dictis ſolutionem habent, quapropter præcipua dumtaxat proponam.

Obj. 1. Miniſtri Sacramentorum ſunt in Republica Chriſtiana tanquam perſonæ publicæ, quæ nomine Chriſti & Eccleſiæ ſacra munia obeunt. Ergo in eis neceſſaria eſt & ſufficit intentio, quæ ipſis, ut ſunt perſonæ publicæ, competit. Subſumo. Atqui intentio ritus externi a Chriſto inſtituti ſerio peragendi competit eis ut ſunt perſonæ publicæ, alia autem interior contraria competit eis, ut ſunt privatæ perſonæ. Ergo. R. Omiſſo Ant. D. Subſumptum: intentio ritus externi ſerio peragendi a Chriſto inſtituti, ut a Chriſto inſtituti & in Eccleſia ſacri, competit eis ut ſunt perſonæ publicæ, C. Ritus externi ſerio peragendi materialiter ut ritus naturalis & profani, ſeo irriſorie, N. Patet ex dictis Prob. 2 Omiſſi Ant. Qui enim in caſu neceſſitatis baptizat ſine ſolemnitate, item Judæus, aut Paganus, aut Hæreticus baptizans, non ſe gerunt ut perſonas & miniſtros publicos Eccleſiæ, ut docet Auctor hic a. 6. ad 3. Neque miniſtrans extra circumſtantias, ut docent objicientes. Ergo iis ſaltem foret neceſſaria intentio interior.

Inſt. 1. Miniſtri Sacramentorum ſunt in Eccleſia ſicut Legati Principum in Republica civili, ſicut judex conſtitutus a Rege in ferenda ſententia, ſicut Mandatarius reſpectu mandati ſuperioris, ſicut Notarius reſpectu contrahentium. Atqui acta Legati nomine Regis exterius peracta ſunt valida, quidquid ipſe legatus interius contradicat; ſic v. g. valide transferret dominium alicujus Provinciæ nomine Regis, quamvis ipſe interius non conſentiret; ſic Aman quamvis hæc verba, *Sic honorabitur quem Rex honorare voluerit*, contrario animo proferret nomine Regis, verumtamen honorem Mardochæo exhibuit. Sententia Judicis ſolemniter prolata valet, etſi ipſe interius nollit abſolvere. Mandatarius exterius indicando mandatum ſuperioris, aut faciendo quod juſſit, v. g. dando eleemoſynam præſcriptam, valide ſuum munus adimplet, etſi interius obluctetur animo. Contractus a Notario publico interius reluctante peractus eſt validus. Ergo. R. Duplicis generis diſtingui Miniſtros ſeu deputatos ab aliis ad certa negotia, ut jam obſervavi ſuperius. Quidam ſunt meri nuntii deferentes dumtaxat aliorum voluntatem. Alii deputantur cum poteſtate pro ſuo judicio & arbitrio faciendi vel non faciendi. Hujus ſecundi generis ſunt Miniſtri Sacramentorum, ut probatum eſt. Legatus itaque ſeu Miniſter Regis vel Reipublicæ, ſi ſit primo modo deputatus, valent ejus acta exteriora ſine intentione, & talis erat Aman in caſu; ſecus ſi ſecundo modo ſit deputatus: Idem dicendum de mandatario. Sententia Judicis, ſolemniter prolata ſine intentione abſolvendi, valet dumtaxat in foro exteriori, non interiori, niſi quando accedente Reipublicæ conſenſu firmatur, quod dici non poteſt de Eccleſia reſpectu Sacramenti, quod de ſe eſt nullum. *Juxta unanimem Theologorum ſententiam*, inquit Card. de Lugo Diſp. 8. ſect. 2. n. 8. *nullus actus legitimus validus eſt in foro conſcientiæ, quando fit abſque interno conſenſu, licet in foro exteriori exiſtimetur validus . . . Et de hoc nulla eſt controverſia apud Theologos & Juriſtas*. Notarius non facit contractum, ſed ſcribit tantum: faciunt autem contractum ipſi contrahentes, ſine quorum conſenſu interno eſt invalidus. Adde pro retorſione ſolita, his argumentis probari, non requiri intentionem internam in Miniſtro, qui privatim & extra circumſtantias Sacramentum adminiſtrat, quod negant objicientes.

Inſt. 2. Poterat Chriſtus ſic inſtituere Sacramenta, ut valeant independenter ab intentione Miniſtri. Atqui ſic fieri congruebat. Ergo. Prob. Min. Sic enim magis manifeſtaretur Dei potentia & ſapientia, & magis innoteſceret Deum eſſe cauſam principalem, hominem vero ſolum inſtrumentalem. Ergo. R. 2. Hoc argumento probari ſic etiam Chriſtum inſtituiſſe Sacramenta, ut privatim extra circumſtantias collata valeant ſine intentione interna, eædem enim congruentiæ currunt: unde nimis probat in ſententia objicientium. R. 2. N. Min. & ejus probationem. E contra enim magis eluceſcit divina virtus & ſapientia, quod ſic per hominem tanquam inſtrumentum cauſet gratiam, ut ejus modum agendi connaturalem conſervet, atque hoc magis dignitati Sacramentorum & Miniſtrorum congruit, neque per hoc minuitur in Deo ratio cauſæ principalis, nec in Miniſtro ratio cauſæ inſtrumentalis.

Obj. 2. Nihil aliud requiritur in Miniſtro, quam quod intendat facere, quod facit Eccleſia. Atqui qui ſerio facit ritum externum, intendit facere, quod facit Eccleſia, quidquid intus intendat. Ergo. Probat. Min. Eccleſia facit ritum externum. Ergo. R. 1. Retorqueo argumentum. Qui Sacramentum miniſtrat privatim extra circumſtantias ſine intentione interna, facit ſerio ritum externum, & tamen fatentibus Adverſariis non intendit facere, quod facit Eccleſia. Idem dic de muliere abluente domi infantem cum prolatione verborum. Unde R. 2. N. Min. Ad Prob. D. Ant. Eccleſia facit ritum externum materialiter ut naturalem & profanum, N. Ut ſacrum & a Chriſto inſtitutum, C. Sic autem non facit Miniſter ſine intentione interna. Vide probationem ſecundam.

Inſt. 1. Impoſſibile eſt, quod Miniſter ſerio peragens ritum externum, non faciat Sacramentum, quantumvis animo obluctetur. Ergo. Prob. Ant. Peragendo ſerio ritum externum applicat formam materiæ. Atqui ex applicatione formæ ad materiam neceſſario reſultat compoſitum, etiamſi renitente voluntate interna agentis, ut applicata forma Cathedræ ligno, neceſſario fit Cathedra, applicatis & diſpoſitis coloribus in tela, neceſſario fit pictura; appoſita forma ſigilli ceræ, fit neceſſario ſigillatio, quantumvis agens intus contradicat. Ergo. Patet Maj. Quia verba ſacramentalia ſunt forma, & res ſenſibiles materia. Eſt ergo in tali Miniſtro duplex voluntas contraria: una abſoluta qua vult ponere, & de facto ponit ritum: altera conditionata qua non vellet fieri Sacramentum, & hæc ſuperatur a prima: ſicut nauta, qui ſimpliciter & abſolute vult projicere merces in mare, urgente tempeſtate, & conditionata vellet non projicere, quæ ſecunda voluntas ſuperatur a priore abſoluta. R. 1. Totum argumentum pariter probare, ſi quid probet, non ſolum non requiri intentionem internam ad perfectionem, quando ritus extra circumſtantias ſerio peragitur, aut dum mater abluit domi infantem cum prolatione verborum, quod negant Adverſarii, ſed etiam quod Sacramentum collatum ab Ebrio, Amente, vel Mimo valeat: ſit enim Ebrius, Amens, aut Mimus, qui jocando diſponat lignum in formam

Ca-

Digitized by Google

Cathedræ, applicet colores tabellæ, imprimat ſigillum ceræ, quantumvis interius contradicat, reſultat Cathedra, pictum, ſigillatio. Vide probationem 2. & 6. R. 2. N. Ant. Ad Prob. N. Maj. Ad Prob. D. verba ſacramentalia ſine intentione interna prolata ſunt forma materialiter, C. Formaliter, N. Cum enim etiam ſerio prolata ſint adhuc indifferentia ad ſignificationem ſacram vel profanam, non determinantur ad ſignificationem ſacram, ſub qua ſunt formaliter forma Sacramenti, niſi per intentionem internam Miniſtri. Et in hoc, ut jam obſervavi, maxime hallucinatur adverſa ſententia. Quantum ad id, quod additur de duplici voluntate contraria, verum eſt, quod quando verſantur circa idem objectum, abſoluta ſuperat conditionalem, ſicut contingit in nauta circa eaſdem merces. At ſecus ſi verſentur circa diverſa objecta, & utraque ſit abſoluta, ut in caſu: intentio enim externa verſatur circa opus indifferens, interna circa opus ut ſacrum, utraque eſt abſoluta, poſſuntque ſimul conſiſtere, nec una ſuperatur ab altera.

Inſt. 2. Verba ſacramentalia, imo totus ritus externus ſunt ſigna ſacra ex inſtitutione Chriſti. Atqui ſignum ſemel inſtitutum, ſi exterius proferatur aut exhibeatur, ſignificat id, ad quod ſignificandum eſt inſtitutum. Ergo. Item ſunt medicamenta, medicamenta autem ſanant independenter ab intentione interna medici. R. 1. Hoc argumento probari verba ſacramentalia ſerio prolata ſuper materiam præſentem, non ſolum a Miniſtro privatim agente & intus reluctante, ſed etiam ab Ebrio, Amente, Mimo, Pſittaco eſſe ſacra & conficere Sacramentum, quod eſt hæreticum & abſurdum. Unde R. 2. D. Maj. Verba ſacramentalia ſunt ſacra ſigna ex inſtitutione Chriſti dependenter ab intentione interna Miniſtri. Independenter ab illa, N. Inſuper eſto vera eſſet Minor de ſignis mere ſpeculativis, falſa eſt de ſignis practicis, quæ efficiunt, quod ſignificant, qualia ſunt ſigna ſacramentalia; iſta enim non habent ex ſe, ſed ex voluntate illius, cui data eſt poteſtas efficiendi, quod ſignificant; ſic autem in Sacramentis eſt Miniſter. Ad 2. diſparitas eſt, quod medicamentum a natura habet vim ſanandi. At ritus externus non eſt ex ſe determinatus ad eſſe ſacramentale, ſed debet ad id determinari per intentionem internam Miniſtri; ſemel vero determinatus & perfectus, tunc ad inſtar medicamenti, ſanat independer ab ulteriori intentione Miniſtri.

Inſt. 3. Hoc ipſo quo quis vult conficere ſacramentum, etiamſi intus nolit conferre effectum Sacramenti, confert tamen. Ergo ſimiliter hoc ipſo quo vult facere actum externum, etiamſi intus nolit facere Sacramentum, facit tamen. Item qui adhibet ſigna, quæ ſcit eſſe magica, etiamſi ea nihil æſtimet & animo derideat, facit tamen quod Magi faciont. Ergo ſimiliter. R. ad 1. N. Conſ. Data eſt mox diſparitas, quod Sacramentum valide confectum ſit ex ſe determinatum ad cauſandam gratiam, agit enim tunc ut aliæ cauſæ neceſſariæ. At opus externum non eſt ex ſe determinatum ad eſſe ſacramentale, ſed ad id debet determinari per intentionem Miniſtri. Ad 2. R. Quod ſi illa ſigna, quæ ſcit eſſe magica, nolit intus adhibere ut magica, ſed ſimulare tantum & irridere, non facit quod Magi faciunt. Adde retorſionem utriuſque argumenti contra intentionem internam, quam requirunt Adverſarii in collatione privata Sacramentorum.

Inſt. 4. Juramentum promiſſorium ſerio emiſſum exterius ſine voluntate jurandi eſt verum & validum juramentum. Ergo ſimiliter Sacramentum ſine intentione illud conficiendi. R. N. Ant. Ad rationem enim juramenti veri & validi requiritur animus jurandi ſeu vocandi Deum in teſtem, ut probavimus ex communi ſententia in Tract. de Religione Diſſ. 5. a. 1. Quia juramentum eſt invocatio divini Numinis, invocatio autem importat, non ſolum actum intellectus, qui eſt locutio interna, ſed etiam actum voluntatis, quo optamus & intendimus Deum adeſſe nobis teſtem.

Inſt. 5. Juramentum promiſſorium ſine animo jurandi obligat. Ergo eſt validum. R. D. Ant. Obligat in foro externo, C. In foro interno, Subdiſtinguo: obligat vi juramenti, N. Obligat ob ſcandalum & damnum, quod evenire ſolet promiſſario, ſi non ſervetur, & ſecundum aliquos ob reverentiam, quæ debetur divino Numini, etiam exterius tantum invocato, C.

Inſtes. Ergo qui ſic jurat, & qui juramentum hujuſmodi violat, non eſt perjurus, quod videtur damnatum in hac propoſit. proſcripta ab Innocent. XI. *Si quis jurat ſe non feciſſe aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra ſe aliquid aliud quod non fecit . . . revera non mentitur, nec eſt perjurus.* ille enim non jurat animo vocandi Deum in teſtem falſi, quod exprimit, ſed veri, quod in mente retinet. Ergo. R. propoſitionem damnatam non agere de eo, qui juramentum fictum violat, ſed de eo, qui juramentum facit, & ille licet non ſit perjurus ſtricte, quia ille dicitur ſtricte perjurus, qui vel falſum jurat, vel verum juramentum violat: eſt tamen ſecundum quid & latiori ſenſu perjurus. 1. Quia eſt perjurus exterius: 2. quia dicitur perjurium minus ſtricte omne juramentum illicitum, juramentum autem fictum eſt juramentum illicitum. Inſuper ad falſitatem & damnationem propoſitionis copulativæ ſufficit, quod una pars ſit falſa, qualis eſt certo hæc in dicta propoſitione, *revera non mentitur*. Addam, &, quamvis forte ad nauſeam, repetere non deſinam totam hanc inſtantiam de juramento probare contra ipſos Adverſarios: ſi enim juramentum ſolemne ſine animo jurandi ſit verum juramentum, & obliget; etiam juramentum privatum ſine animo jurandi eſt verum juramentum, & obligat. Ergo ſi quid valeat hæc paritas, probat Sacramentum privatim collatum & extra circumſtantias ſine animo interno illud conficiendi, eſſe validum, quod eſt contra Adverſarios.

Obj. 3. Atheus, Paganus, vel Judæus poſſunt valide conferre Baptiſmum, ut diximus Concluſione 2. Atqui perficiendo ſerio ritum externum non poſſunt habere intentionem internam faciendi rem ſacram, ſiquidem illam ut cæremoniam ſuperſtitioſam reputent, & Eccleſiam impiorum conventum. Ergo. R. D. Min. Non poſſunt habere intentionem faciendi rem ſacram, abſolute in ſe ſacram, C. Ut ſacram in Eccleſia, N. Quamvis enim irrideant Eccleſiam, & ejus cæremoniam ſuperſtitioſam & impiam in ſe credant; non ignorant tamen eam frequentari in Eccleſia ut ſacram, & religioſam. Unde dum intendunt facere quod facit Eccleſia, eamque cæremoniam paragere eo modo, quo fieri ſolet in Eccleſia, non obſtante eorum privato errore, habent intentionem internam, & perficiunt Sacramentum: *Si vero*, inquit Doctor noſter Angelicus hic a. 9. ad 1. *patiatur fidei defectum circa ipſum Sacramentum, quod exhibit, licet credat per id, quod agitur exterius, nullum ſequi interiorem effectum, non tamen ignorat quod Eccleſia Catholica intendit per hujuſmodi, quæ exterius agit, præbere Sacramentum. Unde non obſtante infidelitate poteſt intendere facere quod facit Eccleſia, licet æſtimet id nihil eſſe; & talis intentio ſufficit ad Sacramentum.*

Inſt. Epiſcopus ordinaturus proteſtatur ſe nolle ordinare Excommunicatos; & tamen hi vere ſunt ordinati, ſi quidem illos Eccleſia ſuſpenſione mulctet, ac non reordinare jubeat. Ergo. R. 1. Hoc argumentum militare contra Adverſarios, qui dicunt ritum externum ſerio peractum non ſufficere ad Sacramentum, ſi contrarium exterius exprimatur. R. 2. Epiſcopum id proteſtari ad terrorem tantum. At ubi compertum exiſtimat nullum adeſſe Excommunicatum vult omnes præſentes ordinare: & ſic non vi ritus externi præciſe, ſed vi internæ intentionis ſunt ordinati.

Obj. 4. Ab inconvenientibus. Si vera ſit ſententia noſtra, ſequitur 1. quod nemo poſſit eſſe certus ſuſcepti Sacramenti, nec ideo ſuæ ſalutis, ubi Sacramentum eſt neceſſarium neceſſitate ſalutis, quia intentio interna nulli poteſt eſſe nota & certa. Unde S. Th. in 4. d. 5. q. 2. a. 2. quæſtiunc. 1. dicit, quod ea, quæ pertinent ad ſubſtantiam Sacramenti, debeant eſſe certa; & inde negat bonitatem Miniſtri eſſe de ſubſtantia Sacramenti, quia non eſt certa. Sequitur 2. quod Eccleſia poſſit deficere. Ponamus enim Parochum ritum externum ſerio peragendo, non intendere baptizare infantem; hic infans fit Sacerdos, fit Epiſcopus, fictitius ſcilicet, diu vivens omnem Clerum ſuæ Diœceſis renovat, nulli erunt in ea Sacerdotes, nullum ſacrificium, nulla peccatorum abſolutio, nullus Clerus, proinde nulla Eccleſia, quæ ex Clero tanquam ex potiori parte conſtat. Quod autem in una Diœceſi contingit, in pluribus & in omnibus contingere poteſt, ſicque Eccleſia deficere. Sequitur 3. quod valor Sacramenti penderet a probitate Miniſtri, qua intentionem hanc ſecundum nos requiſitam adhibeat: diximus autem ſupra probitatem in Miniſtro non requiri. 4. Sequitur, quod ſalus hominis, Spiritus S. gratia, virtus ſanguinis Chriſti ab hominum arbitrio pendeat, quod plus poſſent nocere homines, quam juvare Chriſtus, & hominem non ſolum plantare & rigare, ſed etiam incrementum dare. 5. Sequitur, quod innocentes plecterentur propter malitiam aliorum. Ergo.

R. 1. Retorquendo argumentum integrum, Juxta adverſarios requiritur intentio interior dum Sacramentum confertur privatim extra circumſtantias conſuetas. Ergo qui ſic baptizatur, incertus erit ſuſcepti baptiſmatis, et ſi revera defuerit intentio iſta; factus Sacerdos & Epiſcopus, nullum ſacrificium perficiet, nullum abſolvet, nullum ordinabit, ſicque deficere poterit Eccleſia, valor Sacramenti pendebit a probitate Miniſtri, ſalus hominis & gratia ab ejus arbitrio, plus poterit nocere homo quam Chriſtus juvare, & dabit homo incrementum, innocenſque plectetur propter malitiam aliorum. Ergo neganda eſt neceſſitas intentionis internæ extra circumſtantias. Item in omni ſententia Catholica requiritur ad perfectionem Sacramenti certa materia & certa forma; hæ autem ſic vitiari poſſunt, ut vitium nulli niſi Miniſtro pateat. Ergo idem quod prius nullus ſuſcepti Sacramenti erit certus,

po-

Digitized by Google

poterit Eccleſia deficere, valor Sacramenti pendebit a probitate Miniſtri, ſalus hominis ab ejus arbitrio, plus poterit homo nocere quam juvare Chriſtus, homo incrementum dabit, & innocentes plectentur propter aliorum malitiam. Hæc devorent & ſolvant Adverſarii priuſquam illa nobis objectent. Interim

R. 2. Ad 1. D. Sequitur ex noſtra Sententia, quod nemo poſſit eſſe certus ſuſcepti Sacramenti certitudine phyſica & omnimoda, C. Certitudine morali, N. Hoc ipſo enim quo Miniſter ſponte ſerio ritum externum peragit, certum eſt moraliter ipſum habere intentionem internam faciendi, quod facit Eccleſia, quam verbis exprimit; hæc enim facillime habetur, nec abeſſe poteſt, niſi ex mera malitia Miniſtri, quæ ſupponi non debet, niſi certis indiciis conſtet. Neque alia certitudo haberi poteſt in ſententia adverſariorum de neceſſitate intentionis internæ extra circumſtantias, & in omni ſententia Catholica de neceſſitate formæ & materiæ. Major autem certitudo morali non requiritur nec reperitur, ut jam dixi, in negotio ſalutis. Quis ſcit enim, an amore vel odio dignus ſit? Et ita docet ipſe Serrius in Vindiciis Catharini c. 4. Ad D. Thomam. Ex eo quod debeant eſſe moraliter certa, quæ ſpectant Sacramenti ſubſtantiam, recte infert S. Doct. non eſſe neceſſariam Miniſtri probitatem, abſque eo quod ex eodem principio liceat inferre non eſſe neceſſariam intentionem: quia cum ſanctitas difficile habeatur, & multi appareant probi, qui intus ſunt mali, imo ipſe, qui nullius criminis eſt ſibi conſcius, coram Deo aliquando non ſit juſtificatus, longe minor haberi poteſt certitudo de probitate Miniſtri, quam de ejus intentione, quam verbis exprimit, quæ facillime habetur, & quæ non deeſt niſi ex ſpeciali & expreſſa malitia, quæ ſupponi non debet ſine gravibus indiciis, ut jam dixi.

2. Ad 2. De fide certum eſt ex promiſſionibus Chriſti Eccleſiam non poſſe deficere; de fide non eſt hunc hominem eſſe baptizatum. Ergo ex hoc, quod poſſit contingere hunc hominem non eſſe baptizatum, inſulſum eſt inferre Eccleſiam poſſe deficere, quaſi priori caſu poſito non habeat Chriſtus, unde ſtet promiſſis. Ita ſolvit ſimile argumentum S. Th. in 4. d. 24. q. 1. a. 2. q. 3. neque ideo recurrimus ad miraculum, ut quidam ſugillant, ſed ad communem providentiam, qua Deus ſuam Eccleſiam, quam indefectibilem inſtituit, gubernat. Niſi dicas eſſe miraculum, quod Deus non permittat Eccleſiam deficere ex adulteratione formæ aut materiæ in Sacramentis. Ad 3. D. Sequeretur, quod valor Sacramenti dependeret a Miniſtri probitate ſpeciali, qua intentionem internam adhibet, C. Sic etiam dependet in omnium ſententia a probitate ſpeciali, qua materiam & formam integram adhibet. A probitate Miniſtri generatim ſumpta pro recta ejus conſcientia & ſanctitate, de qua fuit Quæſtio inter Aug. & Donatiſtas, & nos ſupra, N. Ad 4. etiam D. Sequeretur, quod ſalus hominis & gratia abſolute ſumpta penderet ab arbitrio hominum, N. Poteſt enim Deus ſine Sacramentis & quo voluerit modo ſalutem & gratiam conferre: Salus & gratia ut obtinenda per Sacramenta, C. ſic etiam pendet ab hominum arbitrio quoad poſitionem formæ & materiæ; nec reputatur inconveniens. Unde non ſequitur, quod homo plus poſſet nocere, quam Chriſtus juvare, cum poſſet Chriſtus independenter a Sacramentis gratiam conferre, & homo virtutem Sacramenti ſemel valide peracti impedire non poſſit. Nec etiam ſequitur, quod homo det incrementum principaliter, quod Paulus voluit excludere, ſed inſtrumentaliter tantum. Ad 5. Suſcipiens Sacramentum eſt vel juſtus, vel obnoxius peccato originali aut actuali. Si hoc ſecundum, Deus non punit innocentes permittendo defectum intentionis in Miniſtro. Si primum, quod inde puniatur innocens, eſt per accidens & præter Dei intentionem; ſicut dum permittit non adeſſe, qui Sacramentum conferat, vel adeſſe, qui adulteret materiam aut formam, non ſemper eſt ex intentione puniendi, ſed propter altiores & ſecretiores rationes ſibi ſoli notas, ſemper juſtas.

Obj. ultimo. Non minor requiritur intentio in ſuſcipiente Sacramentum, quam in conferente. Atqui non requiritur intentio interior in ſuſcipiente, quia Innocentius III. cap. *Majores* extra de Baptiſmo; Concil. Tolet. IV. & D. Th. in 4. d. 6. q. 1. art. 2. q. 3. dicunt valere Baptiſmum metu ſuppliciorum ſuſceptum; Baptiſma autem metu ſuppliciorum ſuſceptum ſine intentione interiori ſuſcipitur. R. 1. More ſolito inde probari contra objicientem non requiri intentionem interiorem in Miniſtro conferente privatim & extra circumſtantias. R. 2. N. Maj. Cum enim Miniſter ſit agens, ex cujus intentione ritus externus eſt determinandus ad eſſe ſacramentale, major in eo requiritur intentio, quam in ſuſcipiente, qui eſt patiens, & cujus intentio non eſt determinativa ritus externi ad eſſe ſacramentale, ſed diſpoſitio quædam ad illum. Nec in hoc ſibi conſtat Serrius, cujus eſt hoc argumentum. Nam juxta ipſum c. 12. non valet Sacramentum collatum a Miniſtro metu mortis, & tamen contendit hic, quod Sacramentum ſimili metu ſuſceptum valeat. Ergo minor in ſuſcipiente requiritur intentio, quam in conferente. Item c. 4. docet, quod licet amens aut dormiens poſſit valide baptizari, non tamen poſſit valide baptizare; quia, inquit, in conferente deſideratur intentio abſoluta, in ſuſcipiente ſufficit conditionata. Ergo minor in ſuſcipiente, quam in conferente. R. 3. N. Min. Sed de illa art. ſeq.

§. III. *De qualitate intentionis internæ requiſitæ ad integritatem Sacramenti.*

SUpposito ex §. præced. requiri ad perfectionem Sacramenti intentionem internam in Miniſtro, ſeu intentionem faciendi ritum externum, qualem Eccleſia frequentat, & ut in ea ſacrum & religioſum: quærimus, qualis debeat eſſe illa intentio? Nam multiplex ſolet diſtingui intentio. 1. Dividitur in actualem, virtualem, interpretativam & habitualem. Actualis eſt, qua quis actuali & expreſſa volitione vult aliquid, ut dum aliquis actu vult baptizare, conſecrare, recitare Horas. Virtualis eſt, quando quis vi intentionis actualis præteritæ aliquid agit. Interpretativa dicitur, quæ nec eſt, nec fuit, ſed præbet fundamentum exiſtimandi, quod eſſet, ſi cogitaretur, aut rogaretur, aut caſus contingeret. Habitualis dicit puram concomitantiam alicujus habitus aut conſuetudinis abſque ullo ſive actuali, ſive virtuali influxu voluntatis in actum, ut ſi juſtus dormiens recitet preces. Hæc fuſius deduxi in Tract. de ultimo Fine Diſſert. 1. a. 5. vide.

2. Intentio diſtinguitur in explicitam, qua aliquid intenditur in ſeipſo, & implicitam, qua aliquid intenditur non in ſeipſo, ſed in alio, in quo continetur, de qua etiam dixi loco citato. 3. Alia eſt intentio in actu ſignato, ut cum quis dicit expreſſe ore vel mente, volo hoc facere, volo celebrare, volo baptizare. Alia in actu exercito, ut dum quis abſque eo quod dicat expreſſe, volo facere, facit tamen ſciens & advertens quid faciat. 4. Alia eſt intentio abſoluta, quæ a nulla conditione pendet; alia conditionata, qua aliquid intenditur non abſolute, ſed dependenter ab aliqua conditione.

Jam dixi in 2. Concluſione præcedentis §. intentionem faciendi, quod facit Eccleſia, ſeu ritum in ea ſacrum, & eo modo, quo illum frequentat, debere eſſe explicitam, quia in nulla alia priori intentione continetur. Intentio enim ritus externi eſt indifferens, ut ſit ritus ſacer vel profanus, ut ſincere peragatur vel irriſorie. Intentionem autem ritus ut abſolute in ſe ſacri, ſeu Sacramenti in ſe productivi gratiæ non neceſſario debere eſſe explicitam, ſed ſufficere, ſi ſit implicita, quia continetur in intentione explicita faciendi ritum ut in Eccleſia ſacrum, talis enim ritus eſt Sacramentum & cauſa gratiæ. Certum eſt inſuper non requiri intentionem in actu ſignato, ſed ſufficere intentionem in actu exercito: hæc enim æquivalet primæ, cum impoſſibile ſit, quod aliquis ſui compos, ſciens & volens faciat aliquid & non velit facere. Reſtat igitur difficultas de prima & quarta diviſione. Unde

Dico 1. Ad integritatem Sacramenti non ſufficit intentio interpretativa, nec habitualis: non requiritur actualis: requiritur & ſufficit virtualis, ſi tamen Miniſter ſit ſui compos. Prob. 1. pars. Quia intentio interpretativa non eſt de facto intentio, ſed diſpoſitio ad illam, & foret duntaxat, ſi de ea actu rogaretur, aut cogitaretur. Neque obſtat, quod videatur ſufficere in ſuſcipiente Sacramentum: v. g. in adulto, qui in articulo mortis ſui impos valide recipit Extremam Unctionem, de qua ſuſcipienda forte nunquam cogitavit. Præterquam quod enim, ut jam dixi & dicam, requiratur major intentio in Miniſtro, quam in ſubjecto, adultus Catholicus, qui voluit ſalutem, voluit implicite omnia media neceſſaria & utilia ad ſalutem, conſequenter Extremam Unctionem. Unde hæc intentio in illo non eſt mere interpretativa, & poteſt aliquo ſenſu dici virtualis implicita quoad ſuſceptionem Sacramenti.

Prob. 2. pars intentio habitualis, ut dixi, eſt quæ ſolam concomitantiam habitus aut conſuetudinis importat, ſine aliqua deliberatione aut intentione præcedente, aut quæ ſi præceſſit, nullatenus neque actualiter neque virtualiter influit in actum, imo contrariam intentionem patitur, ut patet in eo, qui cum habitu charitatis peccat venialiter. Atqui ex tali intentione non fit actus humanus, cum poſſit haberi in dormiente, ebrio, vel amente. Ergo.

Si dicas S. Th. hic a. 7. ad 5. docere *Intentionem habitualem* ſufficere ad perfectionem Sacramenti. R. S. Doctorem per intentionem habitualem intelligere virtualem, ut manifeſte patet ex textu; dicit enim: *Licet ille, qui aliud cogitat, non habeat intentionem actualem, habet tamen habitualem, quæ ſufficit ad perfectionem Sacramenti; puta cum Sacerdos accedens ad baptizandum*, intendit facere *circa baptizandum, quod facit Eccleſia. Unde ſi in ipſo actu exercitio illius cogitatio ad alia rapiatur*, ex virtute primæ intentionis *perficitur Sacramentum*. Ubi evidens eſt has particu-

lat ex *virtute primæ intentionis* ſignificare intentionem virtualem. Unde non pauci arbitrantur propter cognationem utriuſque vocabuli abbreviati ex oſcitantia Exſcriptorum mendum irrepſiſſe, & loco *virtualem* poſitum fuiſſe habitualem, præſertim cum in quibuſdam exemplaribus anni 1540. legatur *virtualem*. Cæterum ſi S. Th. revera ſcripſit habitualem, ſecutus eſt morem ſuo tempore ſatis communem, quo ſæpe intentio virtualis vocatur habitualis, ut patet ex S. Bonavent. in 2. d. 41. a. 1. q. 3. & ex Richardo in eandem diſt. a. 1. q. 2. eo quod intentio virtualis per modum habitus remanet.

Prob. 3. pars. Quia, inquit Auctor, (*Hic q. 64. a. 8. ad 3.*) habere intentionem actualem non eſt poſitum in poteſtate hominis, cum enim vult multum intendere, præter intentionem ejus cogitatio ad alia divagatur: non poteſt autem dici, quod intentio, quæ eſt homini impoſſibilis, ſit neceſſaria conficiendo Sacramento. Et ita ſtatuit Rituale Romanum, & apprehendit communis ſenſus Theologorum.

Prob. 4. pars. 1. Non ſufficit intentio habitualis & interpretativa: non requiritur actualis; ergo requiritur & ſufficit virtualis. 2. Quia virtualis dicitur, quæ vi actualis præcedentis influit in actum, proindeque ſufficit ad actum humanum.

Sed difficultas eſt, quid ſit illa virtus primæ intentionis? Reſpondi in Tract. de ultimo Fine loco citato eſſe quandam determinationem relictam ex prima intentione; illam autem determinationem eſſe aliquod dictamen ortum ex primo, unum enim oritur ex altero.

Quantum ad durationem ibidem dixi probabilius durare, quamdiu per contrariam intentionem non revocatur, quia non videtur aliud aſſignabile. Vide ibidem. Sed quia ut etiam ibidem obſervavi, quamvis duret virtualis intentio, non tamen ſemper influit in opus agentis habentis illum; operæ pretium eſt pro praxi & pro tollendis variis ſcrupulis, ſcire, quando influit in opus, & operans agit ex illa; quod non ita facile dignoſci poteſt. Reſpondi loco cit. tunc dignoſci virtualem intentionem influere in opus, & agens ex illa agere, quando quis ſui compos & moraliter agens, etſi nihil de priori intentione cogitet, eſt tamen in ea mentis diſpoſitione, ut reflectens ſupra ſe, vel ab aliis interrogatus, quid aut quare agat, ſtatim quaſi ſuſcitata priori intentione, abſque novo voluntatis actu, allegaret ſuam primam intentionem, & reſponderet, hoc facio propter hoc, baptizo, recito Horas, &c. At ſi ſupra ſe reflectens, vel ab aliis interrogatus quid agat, omnino neſciret, vel indigeret novo voluntatis actu, ſignum eſt, quod intentio virtualis non influat in opus, & quod ſe habeat tantum concomitanter.

Prob. 5. pars. 1. Quia quantumvis amens, ebrius aut dormiens, ante amentiam, ebrietatem aut ſomnum prævidetit, aut etiam intenderit conferre Sacramentum in ebrietate, amentia vel ſomno, hæc tamen præcedens intentio non influit in actum ſaltem modo libero & humano, ſed vi imaginationis & impreſſione muſculorum in cerebro. Non enim homo vi prioris intentionis ſe libere applicat ad agendum, ſed vi imaginativæ, & actus conſequitur ex ea neceſſario ut effectus phyſicus, non ut effectus humanus. Unde patet, quod non remaneat intentio virtualis, aut ſaltem quod opus non fiat ex illa. 2. Sed eſto remaneat intentio virtualis, hæc ſola non ſufficit ad confectionem Sacramenti, ſed inſuper requiritur, quod actio ſacramentalis ſeu applicatio formæ ad materiam ſit actio humana, qualis non eſt in Miniſtro ſui non compote. 3. Requiritur ulterius, quod verba in Sacramentis ſint verba formaliter, id eſt ſignificativa ſeu explicativa conceptus operantis, in ebrio autem, amente vel dormiente ſunt verba materialiter tantum ut in Pſittaco. 4. Item Miniſter Sacramentorum eſt Diſpenſator Myſteriorum Dei; debet autem Diſpenſator eſſe compos ſui, & diſpenſationem gerere ex judicio & ratione.

Dices contra hanc ultimam partem. 1. Amens, ebrius aut dormiens in neceſſitate valide ſuſcipit Sacramentum, ſi ante amentiam, ebrietatem aut ſomnum intenderit illud ſuſcipere. Ergo etiam valide confert. 2. Qui poſt actualem intentionem voluntarie diſtrahitur in actuali collatione Sacramenti, illud valide conficit. Ergo ſimiliter ebrius, amens aut dormiens. 3. Qui intendit aut etiam prævidet ſe in ebrietate commiſſurum homicidium, ſi ſe inebriat & occidat, reus eſt homicidii. Ergo hujuſmodi intentio ſufficit ad actionem humanam. 4. Qui per procuratorem contrahit matrimonium, ſi antequam procurator contrahat, incidat in amentiam, validum eſt matrimonium, & tamen contrahens eſt Miniſter. 5. Ordinatio Novatiani Antipapæ facta a tribus Epiſcopis vino temulentis habita eſt valida, cum non fuerit iterata. Ergo. R. ad 1. N. Conſeq. Diſparitas eſt 1. Quia, ut jam dixi, miniſtrans eſt agens, ſuſcipiens eſt patiens, major autem requiritur intentio in agente, quam in patiente. 2. Intentio Miniſtri requiritur ut determinativa actus externi ad eſſe ſacramentale, in ſuſcipiente autem requiritur intentio dumtaxat ut diſpoſitio ſubjecti. 3. Miniſtrans non ſuſcipiens debet proferre verba formaliter, quod non poteſt amens, ebrius aut dormiens. 4. Miniſter eſt diſpenſator, qui debet agere ex judicio & ratione, ſecus ſuſcipiens. Unde vir prudens licet quandoque ſua bona diſpenſet amantibus, nunquam tamen per amentes.

Ad 2. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod voluntarie diſtractus ſit ſui compos, potentia ejus manet integra & ſoluta, verba ejus ſunt formalia, actus ejus humanus, ex prævia deliberatione & intentione determinatur, & movetur ad media propria illius operis, quod conficit: nihil horum autem reperitur in ebrio, amente vel dormiente. Ad 3. N. iterum Conſequentiam. Quamvis enim admitteretur in ebrio conficiente ritum externum eſſe intentionem virtualem conficiendi Sacramentum, ſicut in ebrio occidente hominem, & hæc in ebrio ſufficiat, ut homicidium dicatur, & ſit ipſi voluntarium & imputabile, non tamen ſufficit, ut ſit Sacramentum; quia ad peccatum ſufficit, quod ſit voluntarium in cauſa, vel aliquo modo, voluntate enim peccatur, & malum ex quovis defectu. At Sacramentum non perficitur ſola voluntate Miniſtri, ſed actione humana, ſeu morali applicatione formæ ad materiam, pronuntiando verba formaliter & agendo ut diſpenſator judicio & ratione, quorum eſt incapax ebrius. Adde, quod non ſolum non liceat homini occidere hominem, ſed teneatur vitare occiſionem, quod non facit ebrius in caſu, & ideo jure imputatur illi homicidium. At miniſtrans non ſic tenetur vitare ritum externum, & ſic eſt diſpar ratio.

Ad 4. Dato Ant. N. Conſeq. Quia Concluſio noſtra intelligenda eſt de Sacramentis, quæ Miniſter per ſeipſum perficit, & non per procuratorem, ut eſt matrimonium: cum enim mandatum ſeu conſenſus datus procuratori non ſit revocatus, ut ſuppono, remanet virtualiter, & aliunde cum contrahens & procurator ſint una perſona moraliter, dum procurator ſui compos libere conſentit, altera parte etiam libere conſentiente, adſunt omnia requiſita ad integritatem matrimonii; alioquin ſequeretur, quod dormiens vel ebrius tempore, quo procurator contrahit ejus nomine, invalide contraheret, quod eſt abſurdum. Neque refert, quod ſi amens per ſe contraheret, nihil efficeret; ſed neque dormiens aut ebrius, ſi per ſe contraheret, aliquid efficeret, qui tamen valide contrahit per procuratorem. Diſparitas ergo eſt, quod actus amentis non ſit actus humanus, actus autem procuratoris, qui eſt ſui compos, eſt humanus; etiam ut imperatus & procedens, ſecundum æſtimationem moralem, a mandante; ad hoc enim ſufficit, quod iſte libere mandaverit & non revocaverit, quia hoc ſolum mandatum ex parte mandantis eſt cauſa illius contractus, & ab illo ſolo mandato habet contractus, quod ſit actus humanus & liber reſpectu mandantis, & cæteri ejus omnes actus præter revocationem ſunt impertinentes. Ad 5. N. Ant. Ideo enim non fuit iterata ordinatio Novatiani, non quia habebatur valida, ſed quia nunquam fuit habitus legitimus Pontifex. Et eſto fuiſſet valida, dicam hos tres Epiſcopos non ita fuiſſe vino temulentos & ebrios, quin potuerint adhuc formare intentionem.

Dico 2. Sacramentum collatum cum intentione conditionata de præſenti vel præterito, ut ſi non ſis baptizatus, aut ſi vivis, te baptizo, eſt validum, ſi conditio ſubſiſtat, invalidum ſi non ſubſiſtat: quia ſi conditio ſubſiſtat, intentio tranſit in abſolutam; ſi non ſubſiſtat, nulla eſt intentio. Sacramentum vero collatum cum intentione conditionata de futuro contingenti, ut abſolvo te, ſi cras reſtituas, eſt invalidum excepto forte Matrimonio: quia dum adhibetur materia & profertur forma, intentio ſuſpenditur, dum vero adimpletur conditio, non ſunt amplius materia & forma, quibus conſtituitur Sacramentum.

Dices. Abſolutio ab Excommunicatione facta ſub conditione de futuro contingenti, puta ſi cras reſtitueris, eſt valida. Ergo & abſolutio a peccatis. R. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod abſolutio ab Excommunicatione tota pendeat a voluntate abſolventis, & non a verbis, aut aliquo alio exteriori ſigno, quod tantum adhibetur, ut humano modo innoteſcat abſolventis intentio. At abſolutio ſacramentalis conſiſtit in verbis, quæ non ſunt amplius, dum purificatur conditio, & quorum efficacia, dum proferuntur, impeditur per ſuſpenſionem intentionis.

Dixi 1. *De futuro contingenti*: quia conditio neceſſario futura, ut *te abſolvo, ſi ſol cras oriatur, ſi ſit futurum judicium*; cenſetur moraliter præſens propter certitudinem eventus, nec homo ſerio agens cenſetur velle conſenſum ſuum pendere a conditione, quam ſcit neceſſario & infallibiliter ponendam; ſed tantum oſtendere certitudinem adminiſtrationis. Si tamen revera intenderet ſuſpendere Sacramentum, donec conditio purificetur, nihil efficeret. Dixi 2. *Excepto forte Matrimonio*: quia cum Matrimonium ſit con-

Digitized by Google

contractus, quando ponitur conditio, cenſetur adhuc moraliter adeſſe ejus materia & forma, ſcilicet traditio & acceptatio corporum, ſeu conſenſus reciprocus & traditionem & acceptationem corporum ut in aliis contractibus. Dum enim vendo equum tibi acceptanti, ſi pater meus conſenſerit, dum accedit conſenſus Patris, cenſetur moraliter perſeverare mens & tuus conſenſus & contractus perfici. At vero qui hodie aliquem abluit ſub conditione de futuro, puta ſi cras reſtituat, poſita conditione non cenſeturetiam moraliter abluere craſtina die, nec alter ablui. Et ita apprehendit ſenſus communis, juxta quem actus interiores, ut intentio, conſenſus, &c. cenſentur moraliter perſeverare, non actiones exteriores. Adde ad Baptiſmum non ſufficere ablutionem moralem, ſed requiri phyſicam, cum e contra in Matrimonio ſicut in aliis contractibus ſufficiat conſenſus moralis. Plura de contractu conditionali in Tract. de Contractibus Differt. 1. a. 7. ſ. 1. Cæterum non deſunt, qui contendunt, quod, poſita conditione, debeat renovari conſenſus reciprocus, qui eſt materia & forma Sacramenti, eo quod tunc non exiſtat amplius phyſice, niſi renovetur.

Petes 1. Utrum conditio debeat exterius exprimi? R. Secundum communem praxim & ſenſum Theologorum negative: quia hoc ipſo quod opponitur, ſive exterius exprimatur, ſive non, æqualiter ſuſpendit intentionem.

Si dicas: Abſolutionem v. gr. non fore tunc ſenſibilem, nec verba concordare menti. R. ad 1. Abſolutionem reddi ſenſibilem per verba ſenſibilia, quæ proferuntur. Ad 2. N. Ut enim verba menti abſolventis concordent, non eſt neceſſe, quod exprimant totum, quod intendit, ſed ſufficit, quod non exprimant ſeu ſignificent aliud, quam quod intendit: in caſu autem non ſignificant aliud, quam quod intendit, quia non ſignificant ſacramentaliter & practice, niſi ut ſubſunt intentioni abſolventis.

Petes 2. Utrum intentio errans perficiat Sacramentum: v. gr. Miniſter putat baptizare maſculum, & eſt fœmina, vel baptizare filium Petri, & eſt filius Joannis? R. Si intentio Miniſtri feratur ad præſentem quicumque ſit, ut ſolet & debet eſſe, validum eſt Sacramentum, excepto Matrimonio. Patet, quia adeſt ſufficiens intentio: ſi tamen Miniſter ita reſtringeret ſuam intentionem, ut non intenderet baptizare, niſi hunc in individuo maſculum & non alium, & eſſet puella, nihil perficeret defectu intentionis. Dixi: *Excepto matrimonio*; quia cum Matrimonium ſit contractus conſiſtens in traditione & acceptatione corporum in individuo, error circa perſonam eſt error circa ſubſtantiam rei, & ideo irritat contractum.

Petes 3. Utrum ad integritatem Sacramenti requiratur attentio tam in Miniſtrante, quam in ſuſcipiente? R. Negative, excepta forte Extrema Unctione: quia neque ex Scriptura, neque ex Conciliis, neque ex definitionibus Pontificum, neque ex Patribus colligi poteſt neceſſitas attentionis tam in Miniſtro quam in ſuſcipiente ad perfectionem Sacramenti. Unde miniſtrans aut ſuſcipiens voluntarie diſtractus valide miniſtrat aut recipit, peccat tamen propter irreverentiam factam Sacramento, etiam mortaliter, ſi ſit contemptus aut periculum errandi in forma vel materia. Dixi: *Excepta forte Extrema-Unctione*: quia cum ejus forma ſit deprecativa, & ad orationem requiratur attentio, ut alibi docuimus, quidam volunt, quod Miniſter voluntarie diſtractus non oraret, adeoque Sacramentum non conficeret, quod tamen alii negant dicentes formam hujus Sacramenti non eſſe orationem, ut eſt opus operantis, ſed ut eſt Sacramentalis.

DIGRESSIO HISTORICA

De Controverſia inter S. Stephanum Papam & S. Cyprianum circa Baptiſma Hæreticorum.

AD ART. 3. DISSERT. PRÆCEDENTIS.

SUPPONO 1. Plures fuiſſe Hæreticos, qui ab aliis Sectis & etiam a Catholicis baptizatos rebaptizabant. Hi fuerunt Hemerobaptiſtæ, Cœlicolæ, de quibus, in Cod. Theodoſ. Tit. 8. Marcionitæ & Montaniſtæ apud Epiphanium hæreſi 42. Donatiſtæ, quos multis libris exagitavit Auguſtinus, Ariani, de quibus idem Aug. hæreſi 49. Et tandem Anabaptiſtæ. Suppono 2. inter Catholicos Agrippinum Epiſcopum Carthaginenſem primum dogmatizaſſe rebaptizandos eſſe ab Hæreticis baptizatos. Ita conſtat ex Cypriano Ep. 71. ad Quintum & Ep. 73. ad Jubajanum: ex Aug. l. 2. de Baptiſmo ad Bonifac. c. ultimo & alibi: & ex Vincentio Lirin. in Communit. n. 9. ubi hæc habet: *Quondam igitur venerabilis memoriæ Agrippinus Carthaginenſis Epiſcopus primus omnium mortalium contra divinum Canonem, contra univerſalis Eccleſiæ regulam, contra ſenſum omnium Conſacerdotum, contra morem & inſtituta majorum rebaptizandos cenſebat*: Quidam autumant Tertullianum Agrippino præiviſſe, ſed obſcura ſunt Tertulliani verba. Suppono 3. S. Cyprianum Agrippini ſucceſſorem non immediatum, & Firmilianum Epiſcopum Cæſareenſem, cum pluribus Orientis & Africæ Epiſcopis circa medium tertii ſæculi, Agrippini ſententiam ſecutos, revera cenſuiſſe & propugnaſſe baptizatos ab Hæreticis eſſe rebaptizandos. Hanc ſuppoſitionem ut minus veram contra unanimem Theologorum ſenſum impugnare aggreſſus eſt nuperus Scriptor Raymundus Maſſorius Ord. Minorum Conventualium.

Verum quantum ad Firmilianum conſtat 1. ex ejus Ep. inter Cyprianicas 75. quæ quamvis deſideretur in Editione Manutiana, reperitur tamen in omnibus aliis Editionibus & in vetuſtiſſimis codicibus, adeoque immerito rejicitur ut ſuppoſititia a laudato Auctore. 2. Conſtat ex Dionyſio Alex., apud Euſeb. l. 7. Hiſt. Eccleſ. c. 5. 3. Ex S. Baſilio Ep. 1. ad Amphilochium. Quantum ad S. Cyprianum pariter conſtat ex Euſebio l. 7. Hiſt. Eccleſ. c. 5. ex Baſilio prius citato, ex S. Hieron. adverſus Luciferianos, ex Aug. qui in libris cont. Donat. paſſim laudat Epiſtolas Cypriani ad Quintum, ad Pompeium, ad Jubajanum, ad Magnum, & ad Stephanum, eaſque ut genuinas recipit.

Opponit recens Scriptor Auguſtinum aliquando dubitaſſe, an illæ Epiſtolæ eſſent Cypriani, an non potius a Donatiſtis confictæ, ut l. 1. Contra Creſcon. c. 32. l. 2. c. 31. Ep. 93. alias 48. ad Vincentium Rogatiſtam & 108. alias 256. ad Macrob. ideoque diſputationem ejus contra Donatiſtas fuiſſe hypotheticam: ſcilicet facta hypotheſi Cyprianum revera has ſcripſiſſe litteras. Auguſtinus ex illis arguit Donatiſtas, quod ob rebaptiſmum a communione Eccleſiæ deceſſerit, cum in Litteris Cypriano tributis unitas Eccleſiæ maxime commendaretur. R. Auguſtinum non tam ſuam quam quorumdam dubitationem referre, aut ſi ſuam, adeo tenuis eſt, ut hypothetico ſyſtemati ſtabiliendo non ſufficiat. Quod patet 1. quia Ep. laudata ad Vincentium poſtquam dixit: *Quanquam non deſint qui hoc Cyprianum prorſus non ſenſiſſe contendant*; addit: *Nos tamen non negamus illud ſenſiſſe Cyprianum*. Et l. 6. de Baptiſ. c. 55. loquens de Epiſtola Cypriani ad Stephanum dicit: *Nam & ipſam in iſto actu Conſacerdotum lectam eſſe dixit, quod factum omnino non dubito*. 2. quia in Epiſtola cit. ad Vincentium probat duplici momento has Epiſtolas eſſe Cypriani; tum ob ſtyli ſimilitudinem cum aliis ſcriptis Cypriani; tum quia in his maxime commendat Eccleſiæ unitatem, nec vult quemquam aliter ſentientem a communione removeri. *Neminem judicantes*, inquit, *aut a jure communionis aliquem, ſi diverſum ſenſerit, amoventes*, apud Aug. l. 2. de Baptiſmo c. 6. quod eſt aperta damnatio Donatiſtarum, qui a Catholicis recipientibus baptiſma Hæreticorum tanquam ab immundis ſe ſeparaverant. Porro ſi iis Epiſtolis Cypriani damnantur Donatiſtæ, quomodo a Donatiſtis fabricatæ dici poſſunt, ut fingit recens Criticus? 3. In libris de Baptiſmo Aug. urget paſſim Epiſtolas Cypriani tanquam germanas, nullum dubitationis indicium proferens. 4. Aug. excuſans errorem Cypriani non dicit eas ipſi immerito affingi, quod peremptorium fuiſſet pro juſtificatione Cypriani, nec omiſiſſet Aug. ſi ita res eſſet, ſed dicit, vel Deum hanc ei veritatem non aperuiſſe, vel nondum in Concilio plenario tunc fuiſſe eliquatam, aut ipſi non ſatis innotuiſſe univerſalem Eccleſiæ conſuetudinem, vel hanc labem luce charitatis & falce Martyrii eluiſſe. Hujus noſtræ ſuppoſitionis veritatem eruditiſſimus Scriptor Laurentius Berti Auguſtinianus adverſus novum ejus impugnatorem lato & docto calamo propugnat l. 31. c. 13. a quo hæc pauca delibavimus.

His itaque ſuppoſitis, plures quæſtiones facti de iſta concertatione inter Stephanum & Cyprianum cæteroſque tum Africæ cum Orientis Epiſcopos ipſi conſentientes controvertuntur inter eruditos. 1. Utrum Cyprianus, cum aliis Epiſcopis ſibi conſentientibus hanc de Baptiſmo hæreticorum iterando quæſtionem ad fidem vel ad diſciplinam tantum pertinere exiſtimaverit? Et utrum S. Stephanus illam ex Cathedra tamquam de fide definierit? 2. An Stephanus Cyprianum, Firmilianum & alios ejuſdem ſententiæ de facto excommunicaverit, an tantum excommunicare minatus fuerit? 3. An Cyprianus & Firmilianus errorem depoſuerint? 4. An hi & cæteri rebaptizantes ab omni culpa excuſari poſſint? 5. An ipſe Stephanus in errorem oppoſitum de non rebaptizandis ullis hæreticis lapſus fuerit? 6. An fint alii Patres, qui ſententiæ rebaptizantium adhæſerint? 7. Tandem quodnam ſit iſtud concilium plenarium, a quo toties S. Aug. contra Donatiſtas dicit definitam fuiſſe hanc de non rebaptizandis hæreticis controverſiam? quas omnes quæſtiones Sectionibus ſequentibus expendemus.

Digitized by Google

SECTIO I.

Utrum Cyprianus & ejus Collegæ exiſtimaverint controverſiam de Baptiſmo ad fidem pertinere, eamque ut talem definiverit Stephanus?

DIco 2. Cyprianus cum Collegis ſibi conſentientibus non exiſtimavit controverſiam de Baptiſmo Hæreticorum pertinere ad fidem, ſed ad diſciplinam tantum. Prob. 1. Id pertinet ad diſciplinam tantum & non ad fidem, quod unicuique liberum eſt credere, & cujus eſt diverſa & libera praxis inter Catholicos ſalvo vinculo pacis. Atqui controverſiam de Baptiſmo Hæreticorum talem exiſtimavit Cyprianus cum ſuis Collegis, Ergo. Maj. patet, quia circa ea, quæ ſunt fidei, non eſt libertas, ſed ea credere & agere omnes tenentur; una enim fides, quamvis poſſit eſſe diverſa diſciplina. Prob. Min. Cyprianus in Ep. ad Stephanum ait: *Cæterum ſcimus, quoniam quod ſemel imbiberint nolle deponere, nec propoſitum ſuum facile mutare, ſed ſalvo inter Collegas pacis & concordiæ vinculo quædam propria, quæ apud ſe ſemel ſint uſurpata, retinere: qua in re nec nos vim cuiquam facimus, aut legem damus, cum habeat in Eccleſiæ adminiſtratione voluntatis ſuæ arbitrium unuſquiſque Præpoſitus, rationem actus ſui Domino redditurus.* In Ep. ad Jubajanum: *Hæc tibi breviter*, inquit, *pro noſtra mediocritate reſcripſimus nemini præſcribentes, aut præjudicantes, quominus unuſquiſque Epiſcoporum, quod putaverit faciat, habens arbitrii ſui liberam facultatem.* Et in præfatione Concil. Carthag. ubi aderant 87. Epiſcopi dicit: *Supereſt, ut de hac ipſa re, ſinguli quod ſentiamus, proferamus, neminem judicantes, aut a jure communionis aliquem, ſi diverſum ſenſerit, removentes.*

Reſpondent quidam S. Cyprianum præ humilitate noluiſſe alicui legem imponere; quia quæſtio, quamvis eam crederet eſſe fidei, non erat tamen ſatis diſcuſſa & eliquata, ſed ita obſcura, ut cuique in re nondum univerſalis Eccleſiæ judicio definita, liberum eſſet ſentire quid vellet. Sed contra 1. Cyprianus dicit Epiſcopos habere libertatem ſentiendi & faciendi quidquid libuerit *In adminiſtratione Eccleſiæ*, & ea retinere ſalvo concordiæ vinculo, quæ *uſu ſunt uſurpata.* Hæc profecto non fidem, ſed meram diſciplinam ſpectant. 2. S. Cyprianus ſuam ſententiam de rebaptizandis Hæreticis reputabat dubiam, vel certam: ſi dubiam, quomodo ſanctiſſimus & humillimus Antiſtes in re ſibi dubia tam mordaci ſtylo contrariam ſententiam & reſcriptum Stephani Papæ lacerabat? Si certam, quomodo vir prudens conſultus in re ſibi certa ad fidem pertinente potuiſſet reſpondere unicuique liberum eſſe ſentire & tenere quod vellet? Potuiſſetne Athanaſius ante Concilium Nicænum dicere liberum eſſe Arianis ſentire, quæ vellent de conſubſtantialitate Verbi, Cyrillus Neſtorianis de Divinitate Chriſti ante Concil. Epheſinum?

Prob. 2. S. Cyprianus admittit baptizatos ab Hæreticis, qui abſque rebaptiſmo in communione Eccleſiæ admiſſi moriuntur, poſſe ſalvari. Ergo non exiſtimabat rebaptiſmum ad fidem pertinere. Prob. Ant. ex Aug. l. 2. de Bapt. contra Donatiſtas c. 13. ubi de Cypriano loquens dicit: *Sed cum arbitraretur eos, qui extra Eccleſiæ communionem baptizarentur, Baptiſmum non habere, credidit eos tamen in Eccleſiam ſimpliciter admiſſos, propter ipſius unitatis vinculum, poſſe ad veniam pervenire.* Idque probat ex ipſius Cypriani Ep. ad Jubajanum, in qua dicit: *Sed dicet aliquis, quid ergo de his qui in præteritum de hæreſi ad Eccleſiam venientes ſine Baptiſmo admiſſi ſunt? potens eſt Dominus miſericordiæ ſuæ indulgentiam dare, & eos, qui in Eccleſiam ſimpliciter admiſſi in Eccleſia dormierunt, ab Eccleſiæ ſuæ muneribus non ſeparare.*

Prob. 3. Firmilianus in Ep. ad Cyprianum proſcindens reſcriptum Stephani, & volens probare eum injuſte comminatum fuiſſe excommunicationem contra rebaptizantes dicit: Apud Romanos *circa celebrandos dies Paſchæ & circa multa alia divinæ rei Sacramenta eſſe aliquas diverſitates, nec obſervari illic æqualiter omnia, quæ Hieroſolymis obſervantur: ſecundum quod in cæteris quoque plurimis Provinciis multa pro locorum & hominum diverſitate variantur: nec tamen propter hoc ab Eccleſiæ Catholicæ pace atque unitate aliquando diſceſſum eſt.* Ergo juxta Firmilianum ſicut controverſia de die Paſchatis & diverſitas rituum in Sacramentis pertinent ad ſolam diſciplinam, ita & rebaptizatio tunc temporis credebatur ad meram diſciplinam pertinere.

Prob. 4. Ex S. Baſilio, qui cum eſſet ejuſdem ſententiæ cum Cypriano, in Ep. ad Amphilochium dicit: *Sed quoniam nonnullis Aſiaticis omnino viſum eſt propter multorum œconomiam & diſpenſationem eorum baptiſma ſuſcipi, ſuſcipiatur.* Et infra de Encratis: *Quod hoc univerſali œconomiæ ſit impedimento futurum, rurſus conſuetudine utendum eſt, & ſequi oportet Patres, qui quæ quoad nos pertinent providerunt.*

Prob. 5. Ex Aug. qui l. 2. de Baptiſmo contra Donat. c. 9. dicit in hac quæſtione actum eſſe de conſuetudine, & ſolam conſuetudinem Cypriano objectam eſſe, cui, cum non eſſet recepta in Africa, nec eſſe univerſalis Eccleſiæ ipſi innotuerat, reſiſtebat: *Conſuetudinis robore*, inquit, *tenebatur orbis terrarum, & hæc ſola opponebatur inducere volentibus novitatem.* Et infra: *Hanc autem fuiſſe conſuetudinem Eccleſiæ, quæ poſtea, multis diſcuſſis ambagibus, perſpecta veritate plenaria Concilia confirmata eſt.* Inſuper Aug. Ibid. c. 3. agens de opinione S. Cypriani ad ipſum excuſandum dicit *Concilia plenaria ſæpe priora poſterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur, quod clauſum erat.* Palam eſt Aug. loqui de rebus non ad fidem ſed diſciplinam ſpectantibus, cum in rebus fidei Concilia plenaria ſint irreformabilia.

Obj. S. Cyprianus exponit ſententiam ſuam de rebaptizandis baptizatis ab Hæreticis, tanquam pertinentem ad fidem: 1. Quia Ep. ad Jubajanum dicit a Chriſto non eſſe datam Hæreticis poteſtatem baptizandi: de fide eſt autem eum non poſſe baptizare, qui non habet a Chriſto poteſtatem baptizandi. 2. Ibid. dicit in baptiſmate eſſe originem fidei & ſpem ſalutis. 3. Ibid. eadem fide credit nullum eſſe Sacramentum ab Hæreticis collatum, qua credit unum eſſe Deum, unam fidem, unam Eccleſiam. Ergo. R. 1. Communi ſolutione ad totum argumentum, familiare eſſe his, qui opinionem aliquam tenent in re Theologica, eam probare ex Scripturis; quæ autem proferunt ex Scripturis, ſunt quidem fidei, et non ideo conſequentia, quam inde inferunt. Sic Aſiatici probabant ſuam opinionem de celebrando Paſchate Luna 14. in quamcumque diem incideret, ex teſtimoniis veteris & novi Teſtamenti, & tamen omnium conſenſu hæc converſia non ſpectabat fidem, ſed diſciplinam. Ut autem certius dignoſcatur, quæ ſit mens eorum, qui diſputant, magis attendenda eſt eorum praxis quam ſpeculatio; ſi enim, non obſtante diſſidio ſpeculationis, cenſeant cuique liberum eſſe ſentire quid velit, & non obſtante diverſa praxi, ſervent ejuſdem communionis vinculum, manifeſtum eſt eos exiſtimare ſuum diſſidium ſpectare diſciplinam & non fidem, ut patet in Quarto-decimanis. Cyprianus itaque & ejus collegæ multa proferebant ex Scripturis, ut probarent diſciplinam ſuam, non quidem revelatam eſſe & eſſe fidei, ſicut revelatum eſt & eſt fidei eſſe unum Deum, unam fidem, Hæreticos non habere Spiritum S. &c. ſed eſſe fidei conformiorem & tenendam: ſicque momenta probationum reputabant fidei, ſicut ab omnibus reputantur, at non res his probatas ſeu concluſionem illatam. Itaque R. 2. ad ſingula. Ad 1. eſt quidem de fide, quod qui non habet poteſtatem baptizandi, non poſſit baptizare: at non dicit Cyprianus eſſe de fide Hæreticos non habere poteſtatem baptizandi. Ad 2. ſimiliter dicit Baptiſmum eſſe originem fidei & ſpem ſalutis, et non dicit controverſiam baptiſmatis eſſe originem fidei & ſpem ſalutis. Ad 3. N. Ant. Equidem Cyprianus ex eo, quod non ſit fides & Eccleſia apud Hæreticos, inferebat non eſſe apud eos Baptiſma, ſed illationem non habebat ne certam de fide, ſicut habebat non eſſe apud Hæreticos veram fidem & veram Eccleſiam.

Inſt. Cyprianus Ep. ad Pompeium 74. vocat opinionem Stephani errorem. Ep. cit. ad Jubajanum dicit ſuam ſententiam eſſe e Spiritu S. revelatam, eſſe fidem & veritatem Eccleſiæ. Ergo. R. ad 1. Cyprianus vocat ſententiam Stephani errorem, ſed non contra fidem: non enim hoc ipſo quo aliquid eſt verum, ejus contrarium eſt hæreticum. Ad 2. D. ut ante. Dicit ſuam ſententiam eſſe revelatam, eſſe fidem Eccleſiæ formaliter & expreſſe, N. Illative & arguitive, C. Vel ſumit revelationem & fidem latiori ſenſu pro omni veritate cujuſcumque ordinis, quæ a Deo, qui eſt prima veritas, manifeſtatur. Addam ad cumulum pluribus videri neque ab ipſo Concilio Nicæno quæſtionem hanc fuiſſe deciſam de fide, ſed tantum per Trid. ſeſſ. 7. Can. 11. in dogma fidei tranſiiſſe. 1. Quia quamvis Concilium Can. 19. jubeat rebaptizari Paulianiſtas, & vetet rebaptizare Novatianos, non tamen anathemate ferit eos, qui aliorum Hæreticorum quam Paulianiſtarum Baptiſma receperint, quod tamen feciſſet, ſi hanc quæſtionem ad fidem pertinere cenſuiſſet. 2. Quia poſt Concilium Nicænum erant adhuc in Oriente & in Africa, qui Hæreticorum Baptiſma rejiciebant, ut patet ex S. Baſilio, qui Cypriani & Firmiliani diſciplinam ſectabatur.

Repones. Noverant Cyprianus & Collegæ neceſſitatem Baptiſmi ad fidem pertinere. Ergo exiſtimabant ad fidem pertinere quæſtionem de rebaptizandis invalide baptizatis, quales eſſe dicebant baptizatos ab Hæreticis. R. D. Conſeq. Ergo exiſtimabant ad fidem pertinere quæſtionem de rebaptizandis invalide baptizatis, ſi tenerent tanquam dogma fidei eſſe invalide baptizatos, C. Secus, N. Porro cum Cyprianus & Collegæ apprime ſcirent ſuam opinionem de invaliditate Baptiſmi Hæreticorum non eſſe ſolemni Eccleſiæ decreto definitam, illam non appre-

hen-

hendant tamquam certum fidei dogma, ſed ut quid fidei conformius, conſequenter non exiſtimabant quæſtionem de rebaptizandis ſic baptizatis ad fidem pertinere, ſed permittebant cuique ſentire quid vellet, & conformiter ad ſuum ſenſum iterare vel non iterare hujuſmodi Baptiſmum pro diverſa Eccleſiarum diſciplina.

Dico 2. Senſerit necne Stephanus controverſiam de Baptiſmo Hæreticorum pertinere ad fidem, quod incertum nobis eſt, eam ſaltem ex Cathedra tanquam dogma fidei non definivit. Prob. Ad definitionem alicujus fidei dogmatis ex Cathedra requiritur, quod Summus Pontifex illud toti Eccleſiæ ſolemni ritu, tanquam fide divina credendum ſub anathemate proponat, ut dicemus alibi. Atqui talis non fuit definitio Stefani circa præſentem controverſiam, non enim damnavit rebaptizationem tanquam contrariam traditioni dogmatis, ſed conſuetudinis, neque ſuam definitionem toti Eccleſiæ fide divina credendam propoſuit, ſed dumtaxat per privatas litteras S. Cypriano & Collegis direxit.

Dices cum Honorato Tournely: 1. Eccleſia in Concilio plenario, de quo ſæpe Auguſtinus probavit ſententiam Stephani, & eam tanquam de fide definivit. 2. Stephanus excommunicationem comminatus fuit contra rebaptizantes: id autem non feciſſet in re ad meram diſciplinam ſpectante. 3. Vincentius Lirinenſis in Commonit. c. 9. id affirmat. Ergo. R. ad primum. 1. N. Conſeq. Eſto enim Concilium plenarium hanc quæſtionem tanquam fidei dogma definiviſſet, non ſequitur, quod Stephanus ita prius eam definierit. 2. Probabile eſt multis, ut modo dicebam, Concilium Nicænum, quod Tournelius exiſtimat ab Aug. laudatum, eam ut de fide non definiviſſe. Ad 2. N. Min. In rebus enim ad diſciplinam ſpectantibus poteſt Papa comminari anathema contra Refractarios, ut fecit Victor contra Quarto-decimanos. Ad 3. N. Dixit enim tantum Vincentius de Stephano: *Sanxit nihil innovandum, niſi quod traditum eſt*; ſunt autem Traditiones ſolam diſciplinam ſpectantes.

SECTIO II.

Utrum Stephanus Papa de facto excommunicaverit S. Cyprianum, Firmilianum & alios Rebaptizantes?

Dico. Stephanus Papa comminatus eſt quidem excommunicare S. Cyprianum, Firmilianum & alios rebaptizantes, ſed de facto non excommunicavit. Baronius id concedit de S. Cypriano, negat de Firmiliano & aliis Rebaptizantibus. Sed de utroque & aliis Prob. 1. S. Cyprianus Ep. 74. ad Pompejum de decreto Stephani loquens, inter plura alia, quibus S. Pontificem perſtringit, dicit: *Dat honorem Deo, qui Hæreticorum amicus & inimicus Chriſtianorum Sacerdotes Dei veritatem Chriſti & Eccleſiæ unitatem tuentes abſtinendos putat? Si ſic honor Deo datur ... abjiciamus arma, manus demus in captivitatem, tradamus Diabolo ordinationem Evangelii, &c.* Non dicit Cyprianus *abſtinet*, aut *abſtinuit*, ſed *abſtinendos putat*, qua phraſi non ſignificatur Excommunicatio lata, ſed ferenda, & loquitur indiſtincte de omnibus rebaptizantibus.

Prob. 2. Aug. l. 5. de Bapt. c. 25. *Stephanus*, inquit, *abſtinendos putaverat qui de ſuſcipiendis hæreticis priſcam conſuetudinem convellere conarentur: iſte autem* (Cyprianus) *quæſtionis ipſius difficultate permotus & ſanctis charitatis viſceribus præditus, in unitate cum eis manendum qui diverſa ſentirent. Ita quamvis commotus, ſed tamen fraterne indignaretur: vicit tamen pax Chriſti in cordibus eorum, ut nullum inter eos Schiſmatis malum oriretur*. Et lib. de unico Bapt. c. 14. *Cum ergo*, inquit, *Stephanus non ſolum non rebaptizaret Hæreticos, verum hoc etiam facientes excommunicandos eſſe cenſeret ... tamen cum eo Cyprianus in unitatis pace permanſit ... nec ullo facta eſt a Cypriano & eis, qui pariter de Baptiſmo ſapiebant, ab illorum Communione diviſio*. Si ergo vicerit pax Chriſti, ſi unitatis pax permanſerit, ſi nulla facta ſit communionis diviſio, nullum ortum ſchiſma, nulla certo lata fuit Excommunicatio: & loquitur Aug. non ſolum de Cypriano, ſed etiam de eis, qui pariter ſentirent.

Prob. 3. Argumento negativo. Euſebius l. 7. Hiſt. Eccl. c. 3. S. Hieron. Dialogo adverſus Luciferianos, Vincentius Lirin. in Commonit. c. 9. referentes hoc diſſidium, nihil habent de Excommunicatione lata, ſive in Cyprianum, ſive in Firmilianum, ſive in alios, quam procul dubio ut ſingularem & præcipuam hujus controverſiæ circumſtantiam, ſi revera lata fuiſſet, non omiſiſſent. Confirm. Cum Donatiſtæ continuo opponerent Catholicis exemplum Cypriani, qui Hæreticos rebaptizaverat, Catholici, qui contra illos pugnabant, præſertim Aug. non omiſiſſent reponere Cyprianum ideo fuiſſe excommunicatum, ſi ita res eſſet, & tamen de illa Excommunicatione lata altum apud illos ſilentium.

Prob. 4. & ſpecialiter de Firmiliano. S. Dionyſius Alex. in Ep. ad Sixtum Stephani Succeſſorem, apud Euſeb. l. 7. Hiſt. Eccleſ. c. 4. loquens de Stephano dicit. *Antea quidem Litteras ſcripſerat de Heleno & Firmiliano, de omnibus denique Sacerdotibus per Ciliciam, Cappadociam, cunctaſque finitimas Provincias conſtitutis, ſeſe ob eam cauſam ab illorum communione diſceſſurum quod Hæreticos rebaptizarent ... de his omnibus ego ad illum Epiſtolam miſi rogans atque obteſtans*, ne ſcilicet Stephanus hos omnes a Communione ſepararet; quod omnino veriſimile eſt eum obtinuiſſe, cum ab illo tempore fuerit ſopitum ſolemne iſtud diſſidium, & de illo nihil amplius legatur apud antiquos.

Confirm. 1. Eccleſia Græca Firmilianum colit ut ſanctum die 28. Octobris; ipſe etiam affuit duobus Conciliis celebratis Antiochiæ an. 265. & 269. adverſus Paulum Samoſatenum, & Patres in Epiſt. Synodica ipſum vocant beatæ recordationis Virum. At ſi excommunicatus fuiſſet, neque ut ſanctum coleret Eccleſia, nec communicaſſent cum ipſo Patres Antiocheni, nec eum dixiſſent *Beatæ recordationis virum*, præſertim cum incertum ſit, an ſe retractaverit ante mortem, ſicque mortuus eſſet extra Communionem Eccleſiæ Romanæ. Confirm. 2. Si S. Stephanus Firmilianum excommunicaſſet, Cyprianum & omnes alios rebaptizantes eodem vinculo illigaſſet, una enim erat omnium cauſa, & dum aliquis error proſcribitur, lata in aſſertores Excommunicationis ſententia, moris eſt, ut omnes propugnantes eadem cenſura feriantur. Atqui, fatente Baronio, Cyprianus non fuit excommunicatus. Ergo.

Obj. 1. S. Cyprianus in Ep. ad Pompeium dicit Stephanum unitatis fuiſſe oblitum: *Ille utique*, inquit, *unitatis oblitus mendacia & contagia profanæ tinctionis uſurpat*. Ergo. R. Cyprianum ibi loqui de unitate Baptiſmatis & non de unitate Communionis. Patet ex textu: *Præcipit*, inquit de Stephano loquens, *nihil aliud innovari niſi quod traditum eſt: quaſi is innovet qui unitatem tenens unum Baptiſma uni Eccleſiæ vindicat, & non ille utique, qui unitatis oblitus mendacia & contagia profanæ tinctionis uſurpat.*

Inſt. Cyprianus in præfatione ad Concilium Carthag. dicit poſſe unumquemque ſentire libere, quod vellet, quia nullus eſt, qui ſe Epiſcoporum Epiſcopum conſtituat, & cæteros terrore tyrannico ad ſuum ſenſum adigat, indigitans his verbis Stephanum. Ergo. R. 1. Hæc verba obvio ſenſu intellecta optime poſſe referri ad Epiſcopos præſentes, quorum nullus ſe Epiſcoporum Epiſcopum dicebat, nec alios terrendo in ſuas partes trahebat. 2. Sed eſto his indigitari Stephanum, referuntur ad minas excommunicationis, & non ad excommunicationem de facto latam.

Obj. 2. Firmilianus in Ep. ad Cyprianum inter Cyprianicas 75. aperte dicit, & ſe Cyprianum & alios ejuſdem ſententiæ fuiſſe excommunicatos. *Quod nunc*, inquit, *Stephanus auſus eſt facere* (ſcilicet diſcedere ab unitate) *rumpens adverſus nos pacem*. Deinde alloquens Stephanum: *Lites*, inquit, *& diſſenſiones quantas paraſti per Eccleſias totius mundi? Excidiſti enim teipſum, noli te fallere, ſi quidem ille vere eſt Schiſmaticus, qui ſe a Communione Eccleſiaſticæ unitatis Apoſtatam fecerit, dum enim putas omnes a te abſtinere poſſe, ſolum te ab omnibus abſtinuiſti*. Poſtea refert Stephanum Epiſcopos a Concilio Carthag. Romam miſſos noluiſſe *ad ſermonem ſaltem colloquii communis admittere*, & præcepiſſe, *ne qui eos in domum ſuam reciperet, ut venientibus non ſolum pax & Communio, ſed & tectum & hoſpitium negaretur*. Ergo. R. Firmilianum iratum & plus æquo commotum in Stephanum propter litteras ejus increpatorias & minaces, & quod durius excepiſſet Legatos, minas exaggeraſſe, excommunicationem comminatoriam, quaſi revera lata fuiſſet, deſcripſiſſe, multaque alia falſa & injurioſa effutiiſſe in Stephanum, quæ hac in re omnem ipſi auferunt fidem. Vocat etenim ibidem Stephanum Schiſmaticum, illum comparat Judæ proditori, audaciæ, inſolentiæ, imprbitatis, imo & apertæ ſtultitiæ inſimulat. Quis credat Firmiliano hæc & plura alia irati animi impetu contra Stephanum ſanctiſſimum Pontificem effutienti?

Sed eſto verum eſſet, quod dicit de repulſa Legatorum, deque denegato ipſi hoſpitio, nihil inde probaretur. Id enim fecit Stephanus, ſi fecerit, œconomiæ cauſa, ne Legatos benigne recipiens illorum errori favere videretur, & ut efficacius illos ab errore revocaret: qua œconomia uſus eſt S. Epiphanius, dum recuſavit hoſpitari in ædibus S. Chryſoſtomi, licet invitatus, non quod ipſum excommunicaret aut excommunicatum crederet, ſed ut ipſum revocaret a patrocinio, quod credebatur impendere Origeniſtis, & ne his favere videretur. Inſuper ſi verba Firmiliani probarent ipſum de facto fuiſſe excommunicatum a Stephano, id pariter evincerent de Cypriano, quod negat Baronius, cujus eſt hoc argumentum. Dicit enim Firmilianus alloquens Cyprianum: *Quod nunc*

auſus eſt facere rumpens adverſus vos pacem . Item ſcribit, Stephanum *cum ſingulis vario diſcordiæ genere rumpentem modo cum Orientalibus , quod nec vos latere confidimus , modo vobiſcum qui in meridie eſtis* . His tamen non obſtantibus , juxta Baronium , Cyprianus non fuit excommunicatus. Ergo nec Firmilianus. Et ſicut quæ Cyprianum ſpectant , intelligit Eminentiſſimus Scriptor per exaggerationem dicta , ita & quæ Firmilianum ſpectant, intelligenda ſunt.

SECTIO III.

Utrum Cyprianus & Firmilianus errorem depoſuerint?

DIco 1. Cyprianum errorem depoſuiſſe incertum eſt, poteſt tamen præſumi. Ita Aug. Ep. 48. ad Vincent. Donat. *Cyprianum*, inquit, *correxiſſe iſtam ſententiam non invenitur. Non incongruenter tamen de tali viro exiſtimandum eſt , quod correxerit, & fortaſſe ſuppreſſum ſit ab eis, qui hoc errore nimium delectati ſunt , & tanto velut patrocinio carere noluerunt*. Et l. 2. de Bapt. c. 4. *Et fortaſſe factum* (id eſt Cyprianus ceſſit auctoritati) *ſed neſcimus : neque enim omnia , quæ illo tempore inter Epiſcopos geſta ſunt , memoriæ litteriſque mandari potuerunt , aut omnia, quæ mandata ſunt , novimus*. Confir. Cyprianus decretum Stephani impugnavit, tertiamque Synodum Carthaginenſem pro ſuo errore ſtabiliendo convocavit . Poſt hanc autem Synodum exorta eſt contra Eccleſiam perſecutio , quæ ſancti Martyris mentem alio diſtraxit ; poſt mortem ejus fuerunt in Africa rebaptizantes , qui ſe exemplo S. Martyris tuebantur , quibus Catholici præſertim Aug. procul dubio oppoſuiſſent ejus retractationem , ſi ea innotuiſſet.

Dico 2. incertum etiam eſſe, an Firmilianus ab errore Rebaptizantium receſſerit : quia nihil de ejus retractatione legimus in veterum monumentis; & aliunde certum eſt, quod iratus decreto Stephani multa contra ipſum injurioſe evomuerit ; quæ ejus in propugnando errore firmitatem oſtendunt , & poſt centum circiter annos , tempore Baſilii Magni , erant adhuc in Cappadocia rebaptizantes.

Obj. 1. S. Dionyſius Alexand. Ep. ad Steph. apud Euſeb. l. 7. Hiſt. Eccleſ. c. 4. ſcribit *Omnes Eccleſias Orientales rediiſſe ad concordiam*. 2. Aug. l. 3. contra Creſcon. ſupponit ut verum quod aſſerebat Creſconius, Orientales ſcilicet ſuum errorem depoſuiſſe . 3. S. Hieron. Dialogo adverſus Lucifer. dicit Africanos *Epiſcopos , qui cum Cypriano rebaptizandos ſtatuerunt Hæreticos ad antiquam conſuetudinem revolutos , novum emiſiſſe Decretum*. Ergo . R. ad 1. S. Dionyſium Alex. loqui de concordia , ad quam redierunt Eccleſiæ, quæ non propter errorem rebaptizantium, ſed propter ſchiſma Novatianorum , erant diſciſſæ , Patet ex Euſebio ibidem dicente : *Ad hunc igitur* (Stephanum) *Dionyſius per litteras ſcripſit , in quibus id tandem illi indicat, omnes ubique Eccleſias mollito jam perſecutionum furore , Novati turbulentam novitatem deteſtantes, inter ſe pacem iniiſſe*.

Ad 2. 1. Quod tempore Auguſtini 200. fermo annis Cypriano poſterioris Orientales errorem de Baptiſmo depoſuerunt, non probat, quod Cyprianus, Firmilianus & eorum Collegæ reſipuerint . 2. Aug. arguit ex conceſſis a Creſconio, argumento ut dicunt ad hominem , ſcilicet ; ſi Orientales, ut aſſeris, ſuum depoſuerint errorem, quare vos non deponitis ? Quare vos a Catholicis ſejunxiſtis, & non potius ſervatis communionem exemplo Cypriani , quam tantopere laudatis ? Utrum autem verum eſſet , quod dicebat Creſconius , non expendit Aug. Ad 3. non una eſt Reſponſio. Quidam reſpondent, inter quos Tournely , S. Hieronymum loqui de Epiſcopis Afris, qui Concilio Arelat. interfuerunt; ſed cum Concilium Arelat. celebratum fuerit anno 314. & 3. Concilium Carthaginenſe , in quo Epiſcopi cum Cypriano Hæreticos eſſe rebaptizandos ſtatuerunt , anno 258. id eſt 60. circiter annis ante Concilium Arelat. Epiſcopi , qui ſecundum Hieronymum Hæreticos rebaptizandos ſtatuerent , erant vel mortui vel extrema ſenectute gravati.

Alii minus fundatam reputant Hieronymi opinionem , 1. Quia extra ipſum in tota retro antiquitate nullum hujus novi decreti extat veſtigium ; quod ſi extitiſſet, frequenter eo uſi fuiſſent Aug. & alii contra Donatiſtas , cum tamen Aug. fateatur nullibi extare. 2. Quia Donatiſtæ auctoritate. 3. Concilii Carthaginenſis maxime gloriabantur , attamen ſi alicubi , maxime in hoc Concilio fuiſſet emiſſum iſtud novum decretum . 3. Quia tempore Concilii Arelat. 60. fermo annis poſt obitum Cypriani , vigebat adhuc apud Africanos mos rebaptizandi. Ex quibus inferunt, dimiſſo Hieronymo , potius ſtandum Aug. qui in Africa commorans res Afrorum melius noverat , quam Hieronymo Romæ vel Jeroſolymis exiſtenti . Vel dicendum Hieronymum ex eo quod videret ſuo tempora Afros admittere Baptiſma Hæreticorum ex odio contra Donatiſtas , inductum fuiſſe ut crederet Afros hunc errorem depoſuiſſe poſt Concilium 3. S. Cypriani . Alii tandem reſpondent Hieronymum loqui de Epiſcopis non habita ratione perſonarum , ſed Eccleſiarum , id eſt de Eccleſiis, quæ tempore Cypriani errorem rebaptizantium ſtatuerant, & tempore Hieronymi ab hoc errore receſſerant. Secundæ vel tertiæ Reſponſioni , prout placuerit , ſubſcribat Lector.

SECTIO IV.

Utrum Cyprianus, Firmilianus & iis conſentientes excuſari poſſint ab omni culpa?

CYPRIANUM & Firmilianum peccaſſe durius excipiendo decretum Stephani, ipſumque injuriis & dicteriis afficiendo , quem ut Eccleſiæ caput ſuumque ſuperiorem venerari debebant , videtur extra controverſiam . Vidimus ſupra, quæ contra Stephanum immerito protulit Firmilianus . Cyprianus vero Ep. ad Pompejum de eodem SS. Pontifice dicit: *Nam inter cætera , vel ſuperbe , vel ad rem non pertinentia , vel ſibi ipſi contraria , quæ imperite atque improvide ſcripſit , etiam illud adjunxit ut diceret*, &c. Item : *Fit autem ſtudio præſumptionis & contumaciæ , ut quis magis ſua prava & falſa defendat , quam alterius recta & vera conſentiat* , &c. Hæc contra SS. Pontificem non puto a quoquam excuſanda . Sed Quæſtio eſt, utrum ipſe eorum error ſit excuſabilis.

Dico . Error Cypriani & aliorum rebaptizantium ex multis capitibus excuſabilis , non videtur tamen juxta Aug. ab omni prorſus culpa immunis , maxime poſt Stephani decretum. Prob. 1. pars . 1. Cyprianus cum ſuis arbitrabatur cauſam de rebaptiſmo ad meram diſciplinam pertinere, ut probavimus , ideoque cuique Provinciæ in ea ſuas Leges condere , & proprios uſus habere . 2. Nihil innovavit Cyprianus cum ſuis Collegis, ſed hærebat conſuetudini inductæ *ab Agrippino & nonnullis per Africam Coepiſcopis etiam per Concilii ſententias* , qui majorum traditionem deſeruerant, quod niſi feciſſent , nec contra illam *tam ſancta anima ratiocinari auſa fuiſſet* . Ita Aug. l. 2. de Bapt. c. 8. 3. Rebaptiſmus probatus fuerat ab 80. circiter Epiſcopis , & rationes , quæ opponebantur , non erant tales, *Quibus illa talis anima moveretur*. Aug. ibid. & l. 1. c. 18. Et e contra rationes Cypriani tales erant , ut Aug. ipſe l. 2. c. 4. dicat ſe in ea ſententia fore dubium, niſi firmaretur *Eccleſiæ concordiſſima auctoritate* . Neque Cyprianus, neque ei conſentientes unquam ruperunt vinculum pacis, ut paſſim urget Aug. contra Donatiſtas. 1. Et maxime quia etiam poſt Stephani decretum non erat ſatis diſtinctum inter ſubſtantiam Sacramenti & ejus effectum , ſcilicet gratiam . Putabant enim rebaptizantes Stephanum decreviſſe & prætendere Baptiſma Hæreticorum iis conſentientibus conferre gratiam, apud ipſos eſſe *remiſſionem peccatorum* , & ſalutem poſſe obtineri *extra unitatem Eccleſiæ* , idque Stephano exprobrat Cyprianus , quod *effectum Baptiſmi Majeſtati nominis tribuat* ; patet etiam ex rationibus Cypriani & aliorum rebaptizantium, quas Art. 3. deduximus, idque expreſſe affirmat Aug. initio l. 6. de Bapt. dicens: *Nec ob aliud illis temporibus ... viſum eſt quibuſdam ... non eſſe poſſe apud Hæreticos vel Schiſmaticos Baptiſmum Chriſti , niſi quia non diſtinguebatur Sacramentum ab effectu Sacramenti*. Locum integrum retulimus Art. citato : ita ut ſi hæc diſtinctio clare explanata fuiſſet , veriſimile ſit , quod Cyprianus & ejus ſocii Stephano conſenſiſſent , maxime cum Cyprianus non neget baptizatos ab Hæreticis ad Eccleſiam redeuntes poſſe abſque novo Baptiſmo ſalutem conſequi *propter unitatem Eccleſiæ* , in qua recepti fuerunt , ut etiam vidimus ſupra ex Aug. l. 2. de Bapt. c. 14.

Prob. 2. pars ex Aug. l. 1. de Bapt. c. 18. ubi 1. vocat rebaptizantium praxim *humanæ infirmitatis errorem*. 2. Dicit hunc errorem *charitate unitatis* redditum fuiſſe venialem: *Quæ enim*, inquit, *charitate abſente cætera utiliter habentur , eadem præſente, quædam venialiter non habentur* . 3. Dicit , quod Cyprianus *ad Martyrii coronam meruit pervenire , ut ſi in ejus lucidam mentem ex humana conditione nebula irrepſerat , glorioſa ſerenitate fulgentis ſanguinis fugaretur* . 4. Dicit ejus errorem *Charitatis ubertate compenſatum fuiſſe, & paſſionis falce purgatum*.

Vir apertum facit textibus Auguſtini Gaſpar Juenin , cum dicit Aug. hæc referre non ad praxim & errorem Cypriani & aliorum rebaptizantium , ſed ad modum duriorem , quo Cyprianus excepit decretum Stephani . Enim vero quæ 1. & 2. numero retulimus, profert Auguſtinus non de ſolo Cypriano, ſed de omnibus rebaptizantibus & eorum errore ; dicit enim : *In qua* (quæſtione de rebaptiſmo) *ſi aliud alii & aliud alii adhuc de iſta quæſtione ſalva pace ſentirent . . . . humanæ infirmitatis errorem cooperiret charitas unitatis . . . qua enim abſente*, &c. ut ſupra. Apertum eſt hæc reſpicere non ſolum Cyprianum , ſed omnium errorem rebaptizantium , qui

in

in Communione Eccleſiæ manſerunt, quod apertius fit ex verbis immediate ſequentibus; proſequitur enim Aug. *Extant B. Martyris Cypriani in ejus litteris magna documenta, ut ad illum jam veniam, de cujus auctoritate iſti carnaliter blandiuntur*. Ergo prius non fuerat locutus de uno Cypriano, cum nunc ad illum jam ſpecialiter venit. Non minus manifeſtum eſt ea, quæ dicit ultimo loco, ſpectare errorem Cypriani, non ejus commotionem in Stephanum; *Quod ergo*, inquit, *ille vir ſanctus de Baptiſmo aliter ſentiens, quam res ſe haberet* (audis errantem, non inſolentem) ..... *Charitatis ubertate compenſatum eſt & Paſſionis falce purgatum*.

Prob. 2. Difficile videtur poſſe ab omni omnino culpa excuſari firma & perſeverans reſiſtentia S. Cypriani & aliorum rebaptizantium Stephano Pontifici ſanctiſſimo, quem ipſe Cyprianus alibi agnoſcebat, ut ſupremum Eccleſiæ caput & Rectorem, ſuperioremque ſuum.

SECTIO V.

Utrum Stephanus Decreto ſuo contra rebaptizantes in errorem oppoſitum lapſus ſit, approbando omnium promiſcue Hæreticorum Baptiſma?

DICO, Stephanus decreto ſuo contra rebaptizantes non approbavit omnium promiſcue Hæreticorum Baptiſma. Eſt contra Blondellum & Marcum Antonium de Dominis, Hæreticos; & ex Catholicis contra Launoium & Dupinium, qui contendunt Stephano *totum* luiſſe baptiſme quorumcumque Hæreticorum etiam abſque forma Evangelica collatum. Prob. 1. ex ipſo Stephani decreto, in quo maxime vim faciunt Adverſarii. Refertur a S. Cypriano Ep. 74. ad Pompeium his verbis: *Si quis ergo a quacumque Hæreſi venerit ad nos, nihil innovetur, niſi quod traditum eſt, ut manus illi imponatur ad pœnitentiam*. Id unum ergo voluit Stephanus, ut ſervaretur Traditio, quod etiam teſtantur Euſeb. l. 7. Hiſt. c. 3. Hieron. adverſus Lucifer. & Vincentius in Commonit. c. 9. Atqui eſt & ſemper fuit in Eccleſia traditum non omnium promiſcue Hæreticorum baptiſma, ſed illud ſolum, quod ſub forma a Chriſto inſtituta, id eſt ſub invocatione Trinitatis confertur, eſſe validum. Ergo. Hæ itaque particulæ, *a quacumque hæreſi*, reſtringuntur per has, *quod traditum eſt*, ad illos Hæreticos, qui formam Eccleſiæ ſervant. Id adhuc magis conſtabit ex ſol. Obj.

Prob. 2. ex Firmiliano & Cypriano. Firmilianus Ep. ad Cyprian. de Stephani decreto dicit: *Illud quoque abſurdum, quod non putant quærendum eſſe, quis ſit ille, qui baptizaverit, eo quod qui baptizatus ſit, gratiam conſequi potuerit invocata Trinitate nominum Patris & Filii & Spiritus S.* Et Cyprianus Epiſt. ad Pompeium etiam de Stephano loquens, dicit: *Aut ſi effectum Baptiſmi Majeſtati nominis* (ſcilicet invocationi Trinitatis) *tribuunt, ut qui in nomine* (id eſt auctoritate) *Chriſti ubicumque & quomodocumque baptizantur, innovari & ſanctificari judicantur*. Ex quibus patet Cyprianum & Firmilianum Stephani decretum intellexiſſe de baptiſmate collato a quibuſcumque Hæreticis, ſub invocatione tamen Trinitatis.

Prob. 3. Tota controverſia inter S. Stephanum & Rebaptizantes fuit de fide Miniſtri, nullatenus de forma Sacramenti, ut conſtat ex rationibus rebaptizantium, quas ſupra art. 3. diſcuſſimus. Ergo decretum Stephani contra Rebaptizantes ſpectat tantum fidem Miniſtri, non formam Sacramenti. Prob. 4. Sententia Stephani ea fuit, quæ nunc eſt & ſemper fuit in Eccleſia. Atqui Eccleſia nunquam approbavit, neque nunc approbat Baptiſma collatum ſine debita forma. Ergo Min. conſtat. Prob. Maj. 1. ex Aug. qui continuo in libris contra Donat. antiquam Eccleſiæ conſuetudinem decreto Stephani dicit eſſe vindicatam. Et l. 5. contra Gaudentium Donat. c. 8 *Dic mihi*, inquit, *utrum illo tempore, quando ſecundum vos* (Eccleſia) *omnium criminum reos ſine Baptiſmo recipiebat per Stephanum & innumerabiles ejus tunc orbe Collegas .. malorum contagione perierat, an non perierat*? 2. Ex Vincentio Lirin. in Commonit. cit. ubi de Stephano ait: *Intelligebat enim vir ſanctus & prudens nihil aliud rationem pietatis admittere, niſi omnia, quæ fide a Patribus ſuſcepta fuerant, eadem fide filiis conſignarentur ... Quis ergo tunc univerſi negotii exitus? Quis utique niſi uſitatus & ſolitus? Retenta eſt antiquitas, explosa novitas*. 3. Ex Facundo Herm. contra Mocianum dicente: *Stephani potius quam Cypriani ſententiam tenet Eccleſia*. Prob. 5. Si Stephanus in errorem oppoſitum errori Cypriani lapſus eſſet, tota tunc Eccleſia a fide defeciſſet, ſi quidem omnes tam Epiſcopi quam fideles ſententiæ vel Cypriani, vel Stephani adhærerent. Ergo.

Obj. Decretum Stephani, de quo probatione 1. quo decrevit venientes *a quacumque* hæreſi non eſſe rebaptizandos. R. has particulas *a quacumque hæreſi*, ut jam dixi, intelligendas eſſe in ſubjecta materia & ſub reſtrictione, quam indicant verba ſequentia, *nihil innovetur, niſi quod traditum eſt*, ideoque de venientibus a quacumque hæreſi formam legitimam ſervante. Præter dicta, Confir. hæc reſponſio ex Euſebio, Hieron. & Aug. qui eundem loquendi modum tenent, quos tamen nemo accuſabit approbaſſe Baptiſmum Hæreticorum ſine verbis Evangelicis collatum. Euſeb. l. 7. Hiſt. Eccleſ. c. 2. *Per id tempus*, inquit, *non mediocris controverſia exorta eſt, utrum eos, qui ex* qualibet hæreſi *convertuntur, Baptiſmo purgari oporteret; quippe antiqua conſuetudo invaluerat, ut in hujuſmodi hominibus ſola manuum impoſitio cum precationibus adhiberetur*. Hieron. contra Lucifer. dicit *Hilarium confiteri a Julio, Marco, Sylveſtro & cæteris veteribus Epiſcopis ſimiliter, in pœnitentiam* omnes Hæreticos *ſuſceptos*. Aug. l. 5. de Bapt. c. 5. *Homines*, inquit, *occulta neſcio qua inſpiratione Dei deteſtantur, ſi quis iterum Baptiſmum accipiat* ubicumque *jam acceperit*. Sicut ergo conſtat hos laudatos Patres, non obſtantibus particulis univerſalibus, nunquam admiſiſſe Baptiſma collatum ſine invocatione Trinitatis, ita quoque certo conſtare debet de Stephano, non obſtante particula, *a quacumque*, præſertim cum in ipſo decreto apponat particulas reſtringentes, & nunquam inter ipſum & Rebaptizantes fuerit controverſia de forma Baptiſmi, ſed de fide Miniſtri. Et hæc eſt ratio, cur Stephanus in decreto non diſtinguat inter Hæreticos, qui ſervarent formam, & eos, qui non ſervarent. Sed cum Cyprianus rejiceret omnium Hæreticorum Baptiſma propter defectum fidei, Stephanus nullum rejiciebat propter iſtum defectum.

Inſt. 1. Cyprianus Ep. 74. intellexit decretum Stephani de Baptiſmo ſub quacumque forma collato: dicit enim: *Effectum Baptiſmi Majeſtati nominum tribuunt, ut qui in nomine Chriſti ubicumque & quomodocumque baptizantur, innovati & ſanctificati judicantur*. Ubi particula *quomodocumque* indicat Baptiſmum ſub qualibet forma collatum. Ergo. R. ex ipſis verbis conſtare Cyprianum loqui de Baptiſmo ſub nomine Trinitatis, ut enim obſervavi in probationibus, exprobrat Stephano, quod tribuat effectum Baptiſmi *Majeſtati nominum*. Igitur particula *quomodocunque* in ejus verbis non plus ſignificat, quam particula *a quacumque hæreſi* in decreto Stephani; & ſenſus eſt Stephanum admittere venientes a quacumque hæreſi, quæ virtutem Baptiſmi tribuebat Majeſtati nominum Patris & Filii & Spiritus S. Niſi malueris dicere Cyprianum æſtu diſputationis abreptum exaggeraſſe, aut non attigiſſe mentem Stephani.

Inſt. 2. Cyprianus Ep. laudata exprobrat, quod Stephanus recipiat Baptiſma Marcionis, Valentini & Apelletis: *In tantum*, inquit, *Stephani fratris noſtri obſtinatio dura prorupit, ut etiam de Marcionis Baptiſmo, item Valentini & Apelletis & cæterorum blaſphemantium Deum Patrem contendat filios naſci, & illic in nomine Jeſu Chriſti dicat remiſſionem peccatorum dari, ubi blaſphematur in Patrem & in Dominum Deum Chriſtum*. Atqui iſti Hæretici non baptizabant in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis, cum eam negarent, ut dicit Cyprianus. Ergo. R. N. Min. univerſaliter ſumptam, ſcilicet omnes Hæreticos deſignatos temeraſſe formam Baptiſmi, & nullum ex qualibet ſecta baptizaſſe in nomine Trinitatis. Ad probat. N. Conſeq. Stare enim poteſt, ut Hæretici, qui negant Trinitatem perſonarum in una individua ſubſtantia, non obſtante hoc privato errore, baptizent tamen in nomine Trinitatis, ſicut qui negant Chriſtum eſſe Deum & Hominem, baptizant tamen in nomine Chriſti: idque palam fit in ipſis Arianis, qui licet negarent Trinitatem, attamen baptizabant ſaltem ut plurimum in nomine Trinitatis, & ideo eorum Baptiſma non rejicitur a Concilio Niczeno.

Quinam autem ex antiquis Hæreticis formam Baptiſmi adulterarent, & an omnes ejus ſectæ eandem formam ſemper obſervarent, obſcurum eſt & incertum. S. Irenæus l. 1. c. 18. n. 21. adulterationem formæ tribuit ſolum Marcitis & Colorbaſeanis: Concilium Nicænum ſolis Paulianiſtis; & Aug. l. 6. de Bapt. c. 25. dicit *facilius inveniri Hæreticos, qui omnino non baptizent, quam qui non illis verbis* (Evangelicis) *baptizent*. Scio quoſdam contendere ex Timotheo Presbytero apud Balſamonem Marcionitas non baptizaſſe ſub forma Evangelica. At imprimis inde non probatur omnes Marcionitas ita baptizaſſe, cum ut obſervavimus, non omnes & ſinguli alicujus ſectæ Hæretici eundem ſemper ritum in baptizando obſervarent, ut patet in Arianis. 2. Eſto Marcionitas omnes corrupiſſe formam, nihil adhuc evincitur, quia apertum eſt Cyprianum loqui de Baptiſmo collato *in nomine Chriſti*, id eſt Baptiſmo ritu a Chriſto inſtituto, conſequenter de Baptiſmo collato in nomine Trinitatis, non enim aliud Chriſtus inſtituit. Senſus ergo illius eſt; Stephanum decreviſſe Baptiſmum collatum in nomine Trinitatis a quibuſcumque Hæreticis etiamſi Marcionis, Valentini & Apelletis, qui blaſphemabant in Trinitatem, dare remiſſionem peccatorum, non inquirendo, an iſti vel alii Hæretici ſervarent formam debitam, quia de hoc non erat

quæ-

quæſtio; ſed culpando Stephanum, quod ſoli invocationi Trinitatis abſque fide baptizantium adſcriberet ſalutem. In quo, ut jam adverti, non fuit aſſecutus mentem Stephani, qui non de ſalute ſeu effectu Sacramenti, ſed de ipſo Sacramento decreverat.

Inſt. 3. Aug. lib. de unico Bapt. contra Petil. c. 14. *Stephanus*, inquit, *Baptiſmum Chriſti in nullo iterandum eſſe cenſebat, & hoc facientibus graviter ſuccenſebat*. Ergo, R. N. Conſeq. Quia ſolus ille Baptiſmus eſt Baptiſmus Chriſti, qui conſicitur in forma a Chriſto inſtituta.

Inſt. 4. Benedictus XII. apud Emericum in Directorio n. 2. qu. 17. refert Stephanum & Cyprianum in oppoſitos errores incidiſſe, quos correxit Concilium Nicænum. Ergo. R. Benedictum XII. hæc ſcripſiſſe dum eſſet tantum Cardinalis, mille & amplius annis poſt factum. Unde in ac quæſtione facti non eſt tanta ejus auctoritas, ut prævaleat veterum monumentis & probationibus noſtris.

Urget tandem Launojus, Eccleſiam cultu præſtantiora proſequi S. Cyprianum, quam S. Stephanum. Sed quid inde? Sanctitatem Cypriani dum viveret fuiſſe illuſtriorem, Doctrinæ præſtantiam & famam celebriorem, at nullatenus Cyprianum non errasse, & Stephanum erraſſe.

SECTIO VI.

An ſint alii Patres qui Rebaptizantium ſententiæ adhæſerint?

QUæſtio eſt de SS. Dionyſio Alex. Baſilio, Athanaſio, Optato Milevitano & Cyrillo Jeroſolym.

De S. Dionyſio Alexandrino.

IPſum Rebaptizantibus adhæſiſſe teſtatur Hieronymus de Script. Eccleſiaſticis c. 69. his verbis. *Hic in Cypriani & Africanæ Synodi dogma conſentiens, de Hæreticis rebaptizandis, ad diverſos plurimas miſit Epiſtolas, quæ uſque hodie extant*. Hieronymo ſubſcribunt Baronius, Natalis Alexander, Berti & alii plures. E contra Juenin, Tournely, & alii ex quibuſdam litterarum S. Dionyſii fragmentis, quæ apud Euſebium extant, conantur illum ab hoc errore vindicare ſequentibus momentis. 1. Quia in Ep. 3. ad Philamonem dicit ſe ab Heracla prædeceſſore ſuo accepiſſe *eos, qui ab Hæreticis veniebant .... poſt multos preces purgatos ad communionem admittendos eſſe, neqaquam exiſtimamus iterato baptiſmata eis opus eſſe*. 2. In Ep. ad Xiſtum dicit ſe noluiſſe rebaptizare ſenem quemdam atteſtantem Baptiſmum, quem ab Hæreticis acceperat, nihil commune cum noſtro habere, proindeque petentem, ut vero noſtro Baptiſmo initiaretur: *Quod equidem facere*, inquit, *non ſum auſus, ſed diuturnam illi communionem ad id ſufficere dixi*. 3. S. Baſilius in Ep. ad Amphilochium aſſerit S. Dionyſium ratum habuiſſe Baptiſma Pepuſenorum. 4. Et præcipue S. Dionyſius fuit mediator pro pace redintegranda inter rebaptizantes & Sedem Apoſtolicam, veriſimileque eſt ipſum ſuis precibus obtinuiſſe, ut Stephanus non ferret excommunicationem, quam comminatus fuerat, ut dixi ſect. 2. Prob. 4. 5. Rebaptizantes non leguntur advocaſſe in ſuum patrocinium S. Dionyſium, quod non omiſiſſent, ſi fuiſſet ejuſdem cum ipſis ſententiæ.

Reſpondent alii ad 1. S. Dionyſium loqui de Apoſtatis qui in vera Eccleſia Baptiſmum receperant, ut patet ex textu apud Euſebium. Ad 2. non dicit Dionyſius ſe noluiſſe rebaptizare hunc ſenem, quia ratum habebat ejus Baptiſmum; quod indubie dixiſſet, ſi revera ratum habuiſſet, ſed ſe non auſum rebaptizare, quia in communione Eccleſiæ diu fuerat, & Corporis Dominici particeps. Erat autem opinio rebaptizantium eos, qui admiſſi fuerant ad altare *per ipſum unitatis vinculum*, ſine novo Baptiſmo poſſe ſalutem conſequi, ut refert Aug. l. 2. de Bapt. c. 14. ut ſupra vidimus. Ad 3. Baſilius ibid. dicit Pepuſenos non baptizare in præſcripta forma, ſed in Patrem & Filium & Montanum & Priſcillam. Ex quo ſequitur, ſi valeat argumentum, S. Dionyſium admiſiſſe Baptiſma abſque verbis Evangelicis collatum, quod nullo modo eſt veriſimile. Quapropter dicendum Dionyſium ratum habuiſſe Baptiſma Pepuſenorum, non ubique & abſolute, ſed ubi juxta diverſam diſciplinam Hæretici non rebaptizantur; ſi tamen ſub Evangelica forma baptizarent Pepuſeni. Quamvis enim Montaniſtæ non ſervarent præſcriptam formam baptizando, iſte tamen error Pepuſenis quamvis ejuſdem ſectæ non tribuitur ab Epiphanio hæreſi 49. neque ab Aug. de hæreſibus n. 26. & 27. vel dicendum S. Baſilium minus accuratum fuiſſe in referenda ſententia S. Dionyſii, quod non abſque fundamento dicitur, cum in Epiſt. ad Maximum Philoſophum ipſi immerito affingat errorem Anomæorum, ut vidimus Diſſert. proœmiali de Deo trino a. 3. Ad 4. & 5. veriſimile eſt rebaptizantes advocaſſe patrocinium Dionyſii Alexand. Si quidem ipſe inſtanter interceſſerit pro ipſis apud S. Sedem ſcribens ſententiam Firmiliani *probatam in maximis Epiſcoporum Conciliis ... non ab Afris ſolum, ſed ſuperiorum Epiſcoporum temporibus in Eccleſiis populoſiſſimis & in Conciliis Fratrum apud Iconium & Synnada & apud alios quam plurimos*, ſancitum eſſe rebaptizandos eſſe Hæreticos, & eſſe periculoſum a communione tot ac tantorum virorum diſcedere. Sic, inquiunt, agit mediatorem Dionyſius. Porro ſi Stephano Papæ conſenſiſſet, debebat potius dare operam, ut rebaptizantes Pontificio decreto ſe ſubjicerent.

Quapropter exiſtimant potius aſſentiendum eſſe Hieronymo, qui Dionyſii Epiſtolas integras & ſuo tempore extantes legit, quam Recentioribus, qui tantum fragmenta referunt & legerunt, maxime cum illa fragmenta non aperte evincant Dionyſium improbaſſe rebaptiſmum, ut patet ex ſolutionibus.

Hæc ad inſtructionem ſtudioſi Lectoris in utramque partem. Urget pro una parte auctoritas Hieronymi, urget pro altera argumentum ab officio mediatoris petitum, cui non videtur plene ſatisfactum. Ad conciliationem autem utriuſque opinionis quidam dicunt Dionyſium primo quidem rebaptizantibus adhæſiſſe, ſed poſtea decreto Stephani ſe ſubjeciſſe.

De S. Baſilio.

VIdetur S. Baſilium in errorem rebaptizantium conſenſiſſe; quia in Ep. 1. ad Amphilochium 1. diſtinguit tres claſſes eorum, qui ab Eccleſiæ communione ſeparantur, ſcilicet Hæreticorum, Schiſmaticorum & Paraſynagogarum: Hæreticos vocat, qui in præcipuis fidei capitibus errant, ut ſunt Ariani, Manichæi, Valentiniani, Neſtoriani, Pepuſeni, &c. Schiſmaticos, qui propter Eccleſiaſticas cauſas inter ſe diſſident; Paraſynagogas, qui criminibus convicti ſe Canonibus ſubjicere recuſant, & conventus privatos agunt. Qua diſtinctione facta de eorum Baptiſmo ſic pronuntiat: *Viſum eſt ergo ab initio Hæreticorum quidem omnino rejicere*: & poſtquam dixit Pepuſenos baptizare in Patrem & Filium & Montanum & Priſcillam, addit: *Antiquis viſum eſt Cypriano ſcilicet & Firmiliano nos omnes Hæreticos uno calculo ſubjicere, Catharos & Encratitas & Hydroparaſtatas & Apotactitas*. Pro ratione ſubjungit; quia, *qui ſe ab Eccleſia abſciderant, non habent amplius in ſe gratiam Spiritus ... Et non poſſunt amplius Spiritus S. gratiam aliis præbere, a qua ipſi exciderunt*. Attamen addit: *Quoniam nonnullis Aſiaticis omnino viſum eſt propter multorum œconomiam & diſpenſationem eorum Baptiſmum ſuſcipi, ſuſcipiatur*. Et Ep. 2. ad eundem Amphilochium Can. 47. de Encratitis, Saccophoris & Apotactitis ſicut de Novatianis dicit: *Nos autem una ratione eos rebaptizamus. Si autem prohibita eſt apud vos rebaptizatio ſicut & Romanis alicujus œconomiæ gratia, noſtra tamen ratio vires obtineat*. Hinc concludit neceſſarium eſſe congregari Concilium, in quo iſta controverſia dirimatur.

Ex his manifeſtum videtur S. Baſilium cum Cypriano & Firmiliano, quos appellat, omnium Hæreticorum Baptiſma *rejicere*, & *omnes uno calculo ſubjicere*. Neque dici poteſt, ut quidam opinantur, S. Baſilium loqui de Hæreticis, qui non ſervabant formam Baptiſmi: 1. Quia ſolos Pepuſenos nominat, qui eam non ſervabant. 2. Quia omnium Hæreticorum Baptiſma cum Cypriano & Firmiliano rejicit, falſum eſt autem omnes Hæreticos temeraſſe formam præſcriptam. 3. Quia pro ratione reiterationis Baptiſmi non profert defectum formæ, ſed fidei & Spiritus gratiæ. 4. Tandem quia rejicit Baptiſma, quod ipſo fatente admittit Eccleſia Romana, nunquam autem Eccleſia Romana admiſit Baptiſmum, in quo non ſervata fuiſſet forma præſcripta. Quod poſſet opponi ex Concilio Niceno, in quo hæc controverſia fuit definita contra rebaptizantes, tamen poſterior fuit Baſilius, ſolvetur Sectione ſeq.

De S. Athanaſio.

QUibuſdam videtur S. Athanaſium rebaptizantibus eſſe accenſendum propter ſequentia ejus verba Orat. 2. contra Arianos. *Ariani in periculum veniunt amittendæ myſterii integritatis: Nam ſi in Patris & Filii nomine initiamur, illi autem verum non pronuntiant Patrem, utpote qui id, quod ex ipſo eſt, ejuſque naturæ eſt ſimile, negent: cum itam verum iidem negant Filium, aliumque nominant, quem ex nihilo creatum comminiſcuntur, qui fieri poteſt, ut prorſus vacuus ac inutilis non ſit Baptiſmus, qui ab illis datur, in quo quidem inſit Religionis ſimulatio* (ſecundum aliam verſionem: cum id non niſi ſpecies ſit & inane ſimulacrum:) *ſed revera nihil ad pietatem queat conferre? Nec enim Ariani in Patris & Filii nomine dant Baptiſmum, ſed in nomine Creatoris & rei creatæ, effectoris & rei factæ. Unde quemadmodum res creata alia eſt a Filio, ita Baptiſmus, quem illi dare putantur, a vero Baptiſmo alius eſt, etiamſi nomen Patris & Filii, ut præcipit Scriptura, proferre aſſimulent. Non enim qui dicit Domine, ille etiam dat, ſed is tantum, qui*

cum

Digitized by Google

cum nomine rectam quoque habet fidem .... Itaque multæ quæque aliæ Hæreſes nomina tantum pronuntiant, verum cum recte non ſentiant, ubi dictum eſt, nec ſanam habeant fidem, inutilis eſt aqua quam denent, quippe cui deſit pietas, ita ut quemcumque illi aſperſerint, impietate cadatur potiuſquam redimatur. Sic & ipſi gentiles, tametſi Deum in ore habent, Deum tamen convincuntur non colere, quia illum, qui verus & vere Deus eſt, Patrem ſcilicet Domini noſtri Jeſu Chriſti non agnoſcunt. Sic Manichæi, Phryges & Samoſatenſis Diſcipuli, quamvis proferunt nomina, nihilominus ſunt Hæretici.

Reſpondent quidam Athanaſium reprobaſſe Baptiſmum Arianorum, quia Baptiſmi formam non ſervabant; ſed id videtur falſum: 1. Quia Athanaſius non dixiſſet Arianos incurrere periculum nullitatis, ſed abſolute pronuntiaſſet nullum. 2. Quia Athanaſius agnoſcit Arianos legitimam formam ſervare: *Etiamſi*, inquit, *qui cum Ario ſentiunt quæ ſcripta ſunt recitent, proloquanturque ipſa nomina*. 3. Quia Ariani tunc ſaltem non accuſabantur violare formam Baptiſmi, alioquin in Nicæna Synodo eorum Baptiſma fuiſſet probatum, ſicut Baptiſma Pauliniſtarum, cum tamen Nicæna Synodus omnes Hæreticos ſuſceperit, exceptis Pauliniſtis, ut dicit Hieron. in Dialogo adverſus Luciferianos, & colligitur ex Concilii decretis. Unde R. cum pluribus aliis S. Athanaſium per hæc verba nihil aliud ſignificare, quam quod Arianorum Baptiſmos ſit inutilis & vacuus quoad effectum gratiæ in adultis, qui ipſorum Hæreſi communicant, non vero quoad ſubſtantiam & characterem. Hæc autem reſponſio innititur ſequentibus momentis. 1. Athanaſius dicit *Arianos venire in periculum amittendæ integritatis Baptiſmi*. Si autem cenſuiſſet eſſe nullum, dixiſſet eos amiſiſſe integritatem Baptiſmi, & non tantum venire in periculum amittendi. Dicit ergo eos hoc periculum incurrere, quia cum male ſentirent de Filio, quem creaturam eſſe dicebant, facile erat, ut ſuum errorem in formam Baptiſmi transfunderent, eumque conferrent in nomine Patris majoris & Filii minoris, quo caſu invalidum fuiſſet Baptiſma etiam quoad ſubſtantiam. 2. Dicit inutilem eſſe hunc Baptiſmum, quod *nihil ad pietatem queat conferre*, quod deſignat Baptiſmi effectum, non ſubſtantiam. 3. Athanaſius Ep. ad Rufinum, ubi agit de conditionibus Hæreticorum recipiendorum, non dicit baptizatos ab Arianis eſſe rebaptizandos, ſed conformiter ad Concilium Nicænum, cui interfuerat, cum ſola Pœnitentia & impoſitione manuum eſſe admittendos, & in Concilio Alexandrino an. 362. vult *nihil amplius ab illis exigi, quam ut execrentur Arianam Hæreſim, confiteanturque SS. Patrum in Nicæa fidem*. Quis autem credat Athanaſium, ſi nullum abſolute reputaſſet Arianorum Baptiſma, non juſſiſſe baptizatos ab illis rebaptizari more Cypriani & Firmiliani, ſed œconomiæ perniciosiſſimæ cauſa id omiſiſſe, ut quidam imaginantur? Quamvis enim rebaptizantes eos, qui ab aliis ſine rebaptizatione admiſſi erant in Eccleſiam, & communionis participes fuerant, quandoque non rebaptizarent, nullum tamen ipſi abſque rebaptiſmo admittebant. 4. Athanaſius ignorare non potuit neque decretum Concilii Arelatenſis de non rebaptizandis Hæreticis, pluribus enim annis in Gallia commoratus fuerat; neque decretum Concilii Nicæni de rebaptizandis ſolis Pauliniſtis & non aliis hæreticis, huic enim Concilio interfuerat; neque Siricium, cui erat coætaneus in Ep. ad Himericum Tarraconenſem, ut validum admiſiſſe Baptiſmum Arianorum, in qua addit ita a toto Oriente & Occidente obſervari. His non obſtantibus,

Inſt. Athanaſius laudata Oratione contra Arianos dicit 1. Eorum Baptiſma eſſe inane Religionis ſimulacrum. Ergo nullum quoad ſubſtantiam. 2. Eorum Baptiſma tam diverſum eſſe a vero baptiſmate, quam creatura diverſa eſt a Creatore. Ergo idem quod prius. 3. Ideo dicit nullum, quia carent fide, licet nomina proferant, ſicut Gentiles, licet Deum in ore habeant, vere tamen Deum non colunt. 4. Comparat Baptiſmum Arianorum Baptiſmo Pauliniſtarum, qui certo erat nullus etiam quoad ſubſtantiam. Ergo. R. Hæc omnia recte intelligi de effectu, non de ſubſtantia Baptiſmi. Unde ad 1. dicit Baptiſma Arianorum eſſe ſimulationem in Religione ſeu inane ſimulacrum, quia nihil ad pietatem confert iis, qui conſentientes errori Arianorum illud ſuſcipiunt. Ad 2. Eſt tam diverſum a vero Baptiſmate, quantum ad effectum gratiæ, quam creatura diverſa eſt a Creatore. Ad 3. Qui fidem non habet, licet nomina proferat, non dat Sacramenti effectum ſcilicet gratiam ſuſcipienti, qui ejus erroris eſt particeps, unde *inutilem aquam* habet, quippe cui deſit pietas; ſicut Gentiles inutiliter Deum in ore habent, quem non verum agnoſcunt, nec vere colunt. Ad 4. Comparat Baptiſma Arianorum Baptiſmati Pauliniſtarum, non quoad ſubſtantiam, ſed quoad effectum, quia non magis confert gratiam propter defectum fidei & pietatis in iis, qui adhærent Arianorum Doctrinæ, quam Baptiſma Pauliniſtarum. Movet autem nonnullos, quod Athanaſius hic dicat Pauliniſtas proferre nomina, cum tamen eorum baptiſma ſit a Concilio Nicæno reprobatum, quod adulterarent formam Baptiſmi, ſed advertendum S. Athanaſium non dixiſſe eos ſervare integram formam, ſed tantum nomina proferre: forte enim proferebant ſolum nomen Patris, aut etiam Filii & Spiritus S. ſed cum expreſſione ſui erroris. Vel dicendum tempore Epiſcopatus Athanaſii fuiſſe quoſdam Pauliniſtas, qui integram formam proferrent.

De S. Optato Milevitano.

Est etiam quædam difficultas in vindicando S. Optatum Milevitanum ab errore rebaptizantium propter verba ſequentia, quæ habet l. 1. contra Parmenianum. *Vides*, inquit, *frater Parmeniane, Hæreticos a domo veritatis ſatis exterres, ſolos habere varia & falſa baptiſmata, quibus inquinatus non poſſit abluere, immundus emundare... Bene clauſiſti hortum Hæreticis: Bene revocaſti claves ad Petrum... vobis vero Schiſmatici, quamvis in Catholica non ſitis, hæc negari non poſſunt, quia nobiſcum vera & communia Sacramenta traxiſtis*. Quibus verbis videtur manifeſtum S. Optatum rejeciſſe Baptiſma Hæreticorum, & tamen admiſiſſe Baptiſma Schiſmaticorum. R. S. Optatum loqui de Baptiſmo Hæreticorum, qui juxta formam Evangelicam non baptizabant. Veritas hujus reſponſionis patet. 1. Quia loquitur de Hæreticis, qui communia nobiſcum Sacramenta non traxerunt, & habent diverſa baptiſmata. Ergo & diverſa formas Sacramentorum. 2. Quia loquitur de Hæreticis, qui Symbolum vitiant, per Symbolum autem intelligebatur tunc temporis invocatio Trinitatis. Sic in Concilio Arelat. 1. can. 8. dicitur *Si ad Eccleſiam aliquis de hæreſi venerit, interrogent eum Symbolum, & ſi perviderint eum in Patre & Filio & Spiritu S. baptizatum*, &c. Sic Aug. lib. contra Donatiſtas c. 25. Cæterum, inquit, quis neſciat non eſſe Chriſti Baptiſmum, ſi verba Evangelica, quibus Symbolum conſtat, illic defuerint. 3. Quia S. Optatus l. 5. ad eundem Parmenianum ait: *In quo baptizarentur Gentes a Salvatore mandatum eſt, per quem baptizarentur, nulla exceptione diſcretum eſt. Non dixit Apoſtolis, vos facite, alii non faciant. Quiſquis in nomine Patris & Filii & Spiritus S. baptizaverit, Apoſtolorum opus impleverit*. Unde concludit: *Ergo nomen eſt, quod ſignificat, non opus*. Ibidem impugnat principium commune rebaptizantium: *Redeo nunc*, inquit, *ad illud veſtrum, quod dicitis: Qui non habet, quod det, quomodo dat? Hæc verba in Lege ſcripta non ſunt. Nam ſi, ut vultis, homo dat, Deus vacat: & ſi Deus vacat, & apud vos eſt omne, quod dandum eſt, ad vos ſit converſio, quos baptizatis in nomine veſtro tingantur*. Item ibidem producto Circumciſionis exemplo ſic ſcribit: *Semel factum ſervat ſalutem, ſi iterum fiat, poteſt afferre perniciem. Sic Baptiſma Chriſtianorum Trinitate conſeſtum confert gratiam, ſi repetatur facit vitæ jacturam ... Aqua igitur ſola & vera illi eſt, quæ non de loco, non de perſona, ſed de Trinitate condita eſt .... Non licet poſt Trinitatem in eadem Trinitate hoc iterum facere*, id eſt baptizare. Hæc ſane omnem nebulam circa mentem Optati depellunt, aperteque oſtendunt ipſum lib. 1. eorum tantum Hæreticorum baptiſma rejicere, qui non ſervant formam.

Nec refert, quod ibid. Aquam Praxeæ & Patripaſſianorum vocet mendacem, appellat enim mendacem, non quia non eſt verum Baptiſma, ſed quia ob defectum fidei in ſuſcipiente, non confert, ut dicit, vitam, criminum mortem, nativitatem immortalem & cœleſtis Regni comparationem, quam credenti Fides & Trinitas præſtat.

Inſt. 1. Optatus intelligit de Hæreticis, de quibus intelligebat Parmenianus; dicit enim l. 1. citato: *Dixiſti apud Hæreticos dotes Eccleſiæ eſſe non poſſe, & recte dixiſti; ſcimus enim Hæreticorum Eccleſias ſingulorum eſſe proſtitutas*. Atqui Parmenianus intelligebat de omnibus Hæreticis, rebaptizabat enim omnes. Ergo. R. Equidem Optatum intelligere & fateri omnibus Hæreticis deeſſe dotes Eccleſiæ, ut dixerat Parmenianus, at non omnibus deeſſe vera Sacramenta; hoc enim ultimum intelligit ſub reſtrictione de his, qui non ſervabant formam: *Bene hæc omnia*, inquit ibidem, *potuerunt ad ſolos Hæreticos pertinere qui falſaverant formam*. Et hoc ſufficiebat ſcopo Optati. Intendit enim in hoc primo libro probare Parmenianum rejiciendo Baptiſma Schiſmaticorum, perinde ac Hæreticorum, ſua etiam Sacramenta abjeciſſe, cum Donatiſtæ eſſent veri Schiſmatici. Quaſi diceret: bene dixiſti non eſſe vera Sacramenta apud Hæreticos, qui falſaverunt formam Sacramenti, ſed male negas eſſe vera Sacramenta apud Schiſmaticos, qui ſervant formam, ſeu ut ait, *qui nec poſſunt novum aliquid aut aliud agere, niſi quod jam dudum apud ſuam didicerant Matrem*. Alioquin apud te, id eſt apud Donatiſtas, qui ſunt Schiſmatici, nulla forent Sacramenta; & ideo ſubjungit: *Satis*

te

te miror, frater Parmeniane, cum Schiſmaticus ſis, Schiſmaticos Hæreticis voluiſſe jungere.

Inſt. 2. S. Optatus non minus fidem, quam invocationem Trinitatis exigit ad validitatem Sacramenti: cum enim l. 5. diſtinxiſſet tres ſpecies in celebrando Baptiſmo, primam in Trinitate, ſecundam in credente, tertiam in operante, dicit primam & ſecundam eſſe neceſſariam. Ergo. R. Optatum per *fidem credentis* ibi intelligere fidem adulti ſuſcipientis Baptiſmum, quem exiſtimat eſſe neceſſariam, non vero fidem miniſtrantis: ibi enim expreſſe diſtinguit perſonam operantis, ideſt conferentis Baptiſmum, a perſona credentis, & dicit perſonam operantis *ſimili auctoritate eſſe non poſſe* ac invocationem Trinitatis & fidem credentis ſeu ſuſcipientis Sacramentum.

De S. Cyrillo Jeroſolymitano.

ILLUM inter rebaptizantes quidam numerant, quia in præfatione Catecheſeon dicit: *Soli Hæretici rebaptizantur, ſi quidem prius illud non erat Baptiſma*, & ibi loquitur indiſtincte de omnibus. Reſpondent aliqui tunc temporis nondum inoleviſſe in aliquibus Eccleſiis Orientalibus morem rebaptizandi Hæreticos, eo quod non intelligerent eſſe per illationem definitum in concilio Nicæno ratum eſſe Baptiſma Hæreticorum: Cyrillum autem in Concilio primo Conſtantinopolitano, cui interfuit, ſuam priorem depoſuiſſe ſententiam, cum ſubſcripſerit Canoni 7. in quo eorum tantum Hæreticorum baptiſma rejicitur, qui formam adulterant. Reſpondent alii S. Cyrillum non loqui de omnibus Hæreticis, ſed de iis ſolum, qui formam non ſervant idque probant ex textu græco, in quo non habetur, ut fert verſio latina: *Si quidem prius illud non erat baptiſma*, ſed *ubi* vel *quando prius illud non erat baptiſma*. Hæc enim particula Græca *Epeidé*, inquiunt, non ſignificat *ſi quidem*, ſed *ubi*, *ſimul*, *quando*; ita ut ſenſus Cyrilli ſit ſolos hæreticos rebaptizari, non ſemper, ſed quando non conſequuntur verum Baptiſma ob adulteratam formam.

S E C T I O VII.

Quodnam Concilium plenarium totius Orbis intellexerit Auguſtinus, in quo toties dicit definitam & terminatam fuiſſe controverſiam de Baptiſmo Hæreticorum?

SUPPONO contra paucos hoc Concilium non eſſe neque Alexandrinum an. 362.; neque Contſtantinopolitanum I. an. 381. neque Capuanum an. 389. quia Concilium, de quo loquitur Aug. celebratum fuit poſt mortem Cypriani & ante nativitatem ipſius Auguſtini. Poſtea tamen inquit l. 2. de Bapt. c. 9. *Dum inter multos ex utraque parte tractatur & quæritur* (controverſia rebaptizantium) *non ſolum inventa eſt, ſed etiam ad plenarii Concilii auctoritatem roburque perducta eſt, poſt Cypriani quidem paſſionem, ſed antequam nati eſſemus.* Natus eſt autem Auguſtinus an. 355. Quæſtio itaque vertitur de Concilio Nicæno I. & Concilio Arelatenſi. Noriſius, Boſſuetius, Theologi Lovanienſes, Nicolai, Natalis Alexander & alii multi ſtant pro Concilio Nicæno; Marca, Sirmondus, Launoius, Patres S. Mauri & alii pro Concilio Arelatenſi. In utramque partem diſputant Habert, Juenin, Tournely & quidam alii; adeo difficile eſt hunc nodum ſolvere. Verum quæ tanta ſit utilitas in hujus nodi ſolutione, ut pro illa tanquam pro capitali fidei dogmate tam acri contentione inter ſe digladiarentur quidam Auctores, plane non video. Ne tamen omnino vacuus dimittatur Lector, quod probabilius nobis videtur, contractiori quo poterimus ſtylo exponemus. Igitur

Dico. Probabilius videtur Auguſtinum Concilium plenarium totius orbis, in quo toties dicit finitam eſſe controverſiam de Baptiſmo Hæreticorum, intellexiſſe Concilium Nicænum I. non Concilium Arelatenſe. Prob. 1. Concilium, de quo Aug. eſt plenarium totius orbis Concilium l. 1. de Bapt. c. 7. Ex univerſo orbe Chriſtiano, l. 2. c. 3. Univerſæ Eccleſiæ Concilium ibid. c. 9. Atqui hæc non conveniunt Concilio Arelatenſi, cui adfuerunt Epiſcopi Occidentis tantum; convocatum enim fuerat a Conſtantino, qui tunc ſoli Occidenti imperabat, imperante in Oriente Licinio Auguſto; neque illi ſive per ſe, ſive per ſuos Legatos præfuit ſummus Pontifex. Conveniunt autem Concilio Nicæno I. quod omnium conſenſu fuit primum generale ex toto orbe Catholico convocatum, & cui præfuit S. Sylveſter per ſuos Legatos. Ergo.

Confir. Auguſtinus Concilium, quod vocat plenarium & totius orbis, opponit Conciliis Provincialibus & Nationalibus. Atqui Concilium Arelatenſe fuit Nationale tantum, nempe imperii Occidentis, ut dictum eſt. Ergo. Prob. Ant. Aug. l. 1. de Bapt. c. 7. dicit, quod circa quæſtionem hanc de Bapt. Conciliorum in ſuis quiſque Regionibus diverſa ſtatuta nutaverint, donec plenario totius orbis Concilio, quod ſaluberrime ſentiebatur, etiam remotis dubitationibus firmaretur. Item l. 2. c. 3. & 4. Ergo. 2. Aug. in Ep. 43. alias 162. ad Glorium & Eleuſium, & Epiſt. 53. ad Generoſum meminit Concilii Arelatenſis: at nuſquam illud vocat plenarium aut univerſale, aut totius orbis, ſed ſolum *Judicium Arelatenſe*, *judicium aliorum Epiſcoporum*: & de Conſtantino dicit: *Alios Epiſcopos voluit apud Arelatum judicare*. Ergo.

3. Cæcilianus abſolutus fuerat a Melchiade Papa in Synodo Romana, ejus cauſa denuo tractata & judicata fuerat in Concilio Arelatenſi; hæc probe ſciebat Aug. qui ſæpe appellat judicium Arelatenſe contra Donatiſtas. Attamen dubitat, an cauſa Cæciliani, interpellantibus Donatiſtis, poſt judicium Melchiadis iterum fuerit judicata in aliquo Concilio plenario. Ergo non habebat Concilium Arelatenſe pro Concilio plenario. En verba Aug. Ep. cit. 43. alias 162. *Ecce putemus illos Epiſcopos, qui Romæ judicarunt, non bonos Judices fuiſſe; reſtabat adhuc plenarium Eccleſiæ univerſæ Concilium, ubi etiam cum ipſis Judicibus cauſa poſſet agitari, ut ſi male judicaſſe convicti eſſent, eorum ſententiæ ſolverentur. Quod utrum fecerit probent; nos enim non factum eſſe facile probamus ex eo, quod totus orbis non eis communicat: aut ſi factum eſt, et ibi ſunt victi, quod ipſa eorum ſeparatio manifeſtat. Sed tamen quid poſtea fecerint Imperatores litteris ſufficientiſſime oſtenditur. Judices enim Eccleſiaſticos tantæ auctoritatis Epiſcopos, quorum judicio & Cæciliani innocentia & eorum improbitas declarata eſt, non apud alios Collegas, ſed apud Imperatorem accuſare auſi ſunt, quod male judicarent. Dedit ille aliud Arelatenſe judicium, aliorum ſcilicet Epiſcoporum, non quia jam neceſſe erat, ſed eorum perverſitatibus cedens, & omni modo cupiens tantam impudentiam cohibere.* Ex his evidens eſt Aug. dubitaſſe, an cauſa Donatiſtarum contra ordinationem Cæciliani poſt judicium Romanum in aliquo Concilio plenario fuerit iterum judicata, quin potius cenſere & dicere loco plenarii Concilii datum fuiſſe a Conſtantino judicium Arelatenſe. Idque inde corroboratur, quod Aug. ex ſeparatione Donatiſtarum ab omnibus Catholicis probet judicium Melchiadis pro Cæciliano non fuiſſe reſciſſum. At ſi ſuppoſuiſſet hujuſmodi Concilium plenarium, ex eo maxime & non ex ſola ſeparatione Donatiſtarum, eorum damnationem probaſſet. Ergo manifeſtum eſt Aug. non habuiſſe Concilium Arelatenſe pro Concilio plenario. Argumentum videtur peremptorium.

4. In Concilio Nicæno Controverſia de Bapt. Hæret. reipſa fuit definita, ſi non formaliter & explicite, ſaltem illative & per neceſſariam conſequentiam. Nam can. 8. recipit Baptiſma Novatianorum; Can. 19. rejicit Baptiſma Paulianiſtarum, non alia de cauſa, quam quia Novatiani ſervabant legitimam formam, non Paulianiſtæ. Ex quo ſequitur Concilium approbare Baptiſmum quorumcumque Hæreticorum, qui formam Evangelicam adhiberent, & eorum tantum rejicere, qui illam adulterarent. Ita ipſemet Aug. de hæreſibus n. 44. *Iſtos ſane Paulinianos*, inquit, *baptizandos eſſe in Eccleſia Catholica Nicæno Concilio conſtitutum eſt. Unde credendum eſt eos regulam Baptiſmatis non tenere, quam ſecum multi Hæretici, cum de Catholica diſcederent, abſtulerunt, eamque cuſtodiunt.* Hier. in Dialog. contra Lucifer. ſcribit; *Nicænam Synodum omnes Hæreticos ſuſcepiſſe, exceptis Pauli Samoſateni Diſcipulis.* Siricius Papa circa an. 397. in Ep. Decretali ad Himericum c. 1. ait. *Quos* (Arianos) *nos cum Novatianis aliiſque Hæreticis, ſicut eſt in Synodo* (Nicæna) *conſtitutum, per invocationem ſolam ſeptiformis Spiritus, Epiſcopalis manus impoſitione, Catholicorum conventui ſociamus.* Et Innocentius I. ineunte ſæculo V. Ep. 22. ad Epiſcopos Macedoniæ c. 5. ait: *De ipſis tantum* (Paulianiſtis) *eſſe præceptum* (a Synodo Nicæna) *ratio ipſa demonſtrat.* Adeo vulgatum erat tempore Aug. ex decreto Synodi Nicænæ ſolos Paulianiſtas eſſe rebaptizandos, & non alios Hæreticos, qui legitimam formam retinebant. Nihil ergo obſtat, quominus nomine Concilii plenarii dicamus Aug. intellexiſſe Concilium Nicænum, cum id negent Adverſarii, maxime quia arbitrantur in eo Concilio controverſiam hanc non fuiſſe definitam.

Obj. 1. Concilium Arelatenſe fuit plenarium. Ergo. Prob. Ant. 1. Fuit *ex diverſis & pæne infinitis locis*, ut ſcribit Conſtantinus ad Chreſtum Syracuſanorum Epiſcopum. 2. Illi adfuerunt ſexcenti Epiſcopi, ut ſcribit Ado Viennenſis in Chronico. 3. Concilium Arelatenſe II. can. 18. de I. Concilio Arelat. dicit: *Ad quam urbem ex omnibus mundi partibus, præcipue Gallicanis ſub S. Martini tempore legimus celebratum fuiſſe Concilium.* Ergo. R. 1. Dato Ant. N. Conſeq. Non enim quærimus hic principaliter, an Concilium Arelatenſe fuerit plenarium, ſed utrum Auguſtinus illud intellexerit loquendo de Baptiſmo Hæreticorum. 2. N. Ant. Certo enim conſtat Concilium Arelatenſe non fuiſſe neque plenarium, neque generale aut œcumenicum, cum fuerit convocatum a Conſtantino, qui tunc ſoli Occidenti imperabat, nec ipſi præfuerit ſummus Pontifex per ſe vel per ſuos Legatos, nec inter Eccleſiæ Concilia generalia numeretur.

Ad

Ad 1. probationem 1. in Græco non habetur *ex infinitis*, ſed *ex diverſis, quæ neceſſum non eſt recenſere*. Unde Sirmundus vertit, *ex diverſis compluribus*. P. Nicolai *ex indicibilibus*. 2. Eſto ſit *ex prope infinitis*, ſcilicet *ex prope infinitis ſui imperii*, ne cogeretur in una Epiſtola ſingulos recenſere, & hic frequens eſt loquendi modus. Ad 2. dato 600. Epiſcopos Arelate conveniſſe, non ideo probaretur fuiſſe plenarium totius orbis Concilium; ſed N. Ant. Nam probabilius cenſent & probant Baronius, Natalis Alex. & alii fuiſſe tantum 200. Et ſane incredibile eſt longo majorem numerum Epiſcoporum conveniſſe ad Synodum Arelatenſem, quam ad Nicænam, quæ devicto Licinio ex toto orbe congregata eſt. Igitur codex Corbejenſis, a quo Ado hauſit errorem, corrigendus eſt ex codice Colbertino, qui fuit olim ipſius Eccleſiæ Arelatenſis, & in quo legitur ſimpliciter *Cœtus Epiſcoporum*, non *ſexcentorum*. Ad 3. Patres II. Concilii Arelatenſis locuti ſunt per exaggerationem ad commendandam Eccleſiæ Arelatenſis dignitatem. Neque enim Patres I. Concilii ita ſunt locuti in Ep. Synodica ad Sylveſtrum, ſed dicunt tantum *ſe ex diverſis Provinciis adveniſſe*.

Inſt. 1. Quamvis Concilium Arelatenſe non ſit generale & œcumenicum, potuit tamen ab Aug. intelligi nomine Concilii plenarii. Ergo. Prob. Ant. Aug. agnovit Concilia plenaria, quæ non erant generalia & œcumenica, ſic Concilium Bagajenſe Donatiſtarum vocat plenarium l. 2. contra Ep. Parmen. c. 5. & alibi. Similiter in codice Canonum Eccleſiæ Africanæ idem nomen ei tribuitur, ſicut & Conciliis Nationalibus. R. 1. Dato Ant. N. Conſeq. a potentia enim ad actum non bene concluditur affirmando. 2. D. Ant. Aug. agnovit Concilium Bagajenſe plenarium ſimpliciter, N. Concilium plenarium Donatiſtarum, C. Et eſto vocaverit Concilium plenarium ſimpliciter, nunquam tamen vocavit plenarium totius orbis aut univerſæ Eccleſiæ, ſicut vocavit id, de quo agitur. Eædem ſolutiones adhibendæ ſunt codici Canonum Eccleſiæ Africanæ.

Inſt. 2. Aug. per Concilium plenarium totius orbis intellexit Arelatenſe. Ergo. Prob. Ant. 1. Serm. 2. in Pſ. 32. dicit Cæcilianum purgatum fuiſſe & Donatiſtas victos *judicio univerſi terrarum orbis*. Hoc autem fuit Arelatenſe. 2. L. 2. de Bapt. c. 8. & 9. vocat illud Concilium tranſmarinum, Arelate autem & non Nicæa reſpective ad Afros eſt tranſmarina. Ergo. R. N. Ant. ad 1. probat. non dicit Aug. Cæcilianum purgatum & Donatiſtas victos *judicio univerſi terrarum orbis*; ſed de Cæciliano dicit: *Purgavit ſe in tranſmarino Concilio. Conſenſit huic judicio univerſus terrarum orbis*. Audis. Conſenſit judicio univerſus terrarum orbis, non judicavit. Ad ſecundam, N. Min. Nicæa enim reſpectu Afrorum eſt etiam tranſmarina ex ipſo Aug. qui l. 2. contra Creſcon. c. 37. dicit Bithyniam eſſe Africanis tranſmarinam; Nicæa autem eſt urbs Bithyniæ.

Obj. 2. Si dogma rebaptizantium fuiſſet Nicæni Concilii Generalis & Oecumenici decreto proſcriptum, id non ignoraſſent S. Athanaſius, qui illi adfuit, S. Baſilius, S. Optatus Milevitanus & S. Epiphanius. Atqui ii id ignorarunt. Ergo. Prob. Min. Athanaſius Orat. 2. contra Arian. S. Baſilius Ep. 1. & 2. ad Amphilochium, S. Optatus Milevit. l. 1. contra Parmen. propugnant dogma rebaptizantium, & S. Epiphanius in expoſitione Catholicæ fidei, dicit controverſiam de Baptiſmo Hæreticorum nondum eſſe *Synodali judicio deciſam*. Ergo. Hoc argumentum extollunt Adverſarii, ſed vitreum eſt. Nam R. 1. retorquendo illud. Si dogma rebaptizantium fuiſſet proſcriptum decreto Concilii Arelatenſis, quod juxta Adverſarios fuit plenarium totius orbis, ex omnibus mundi partibus congregatum, & cui adfuerunt 600. Epiſcopi duplo plures quam Concilio Nicæno, illud non ignoraſſent laudati Patres: atqui tamen ignoraverunt in ſententia Objicientium. Ergo. R. 2. D. Maj. Si dogma rebaptizantium fuiſſet Nicæni Concilii generalis decreto proſcriptum formaliter & explicite, id non ignoraſſent laudati Patres, C. Si fuiſſet proſcriptum illative tantum, N. Maj. & omiſſa Min. D. Conſeq. Ergo non fuit proſcriptum decretis Nicænis in mente laudatorum Patrum, Tranſeat, in mente Aug. N. Cum enim, ut diximus, hoc dogma in Concilio Nicæno non formaliter & explicite, ſed tantum illative proſcribatur, aliter de illo potuerunt ſentire laudati Patres, aliter Auguſtinus, & ipſe attenderet ad Conſequentiam, ad quam alii non attenderent. Hic autem quærimus non principaliter quid & quomodo definierit Nicænum Concilium circa Baptiſma Hæreticorum, ſed quid de illo ſenſerit Aug. Dato ergo præfatos ſanctos Patres cenſuiſſe nihil in dicto Concilio definitum fuiſſe, non ſequitur, quod ea fuerit Auguſtini ſententiam, ſicut nec fuit Hieronymi, Innocentii & Siricii, ut patet ex ſuperioribus. R. 3. De Athanaſio & Optato diximus Sect. præceden. ti, eoſque ab errore Rebaptizantium vindicavimus. Ad S. Baſilium, qui fuit Firmiliani Succeſſor, non ideo rejecit Baptiſma Hæreticorum, quod ignoraverit Decretum Nicænum, ſed quia exiſtimavit illud ſpectare non fidei dogma, ſed diſciplinæ variabilis ſecundum variam Regionum conſuetudinem. Ad S. Epiphanium: non dixit controverſiam de Baptiſmo non eſſe Synodali judicio deciſam, ſed non eſſe *Synodali judicio deciſum* rebaptizandos eſſe Arianos, prout quidam Catholici rebaptizabant, quorum ideo temeritatem arguit.

Urgebis tandem. Si Auguſtinus cenſuit Concilium plenarium, in quo finita fuit controverſia de Baptiſmo Hæreticorum, eſſe Concilium generale Nicænum, quare illud non nominavit, cum id maxime profuiſſet cauſæ, quam defendebat contra Donatiſtas? Et ego viciſſim quæro, ſi Auguſtinus cenſuit Concilium plenarium, in quo fuit finita controverſia hæc, eſſe Concilium Arelatenſe juxta Adverſarios, univerſale totius orbis ex infinitis locis, & omnibus mundi partibus convocatum, quare illud non nominavit, cum id pariter ſuæ cauſæ profuiſſet! Non nominavit ergo Concilium Nicænum; quia inter paſſionem Cypriani & ipſius Auguſtini Nativitatem erat primum & unicum Concilium plenarium totius orbis & univerſæ Eccleſiæ, quod neminem latebat.

DISSERTATIO VI.

DE SUBJECTO SACRAMENTORUM.

CIRCA ſubjectum Sacramentorum quatuor quæri poſſunt: 1. Quodnam ſit? 2. Utrum ad integritatem Sacramenti requiratur in eo intentio illud ſuſcipiendi? 3. Quæ diſpoſitio neceſſaria ſit, ut licite & cum fructu Sacramenta recipiat? 4. Utrum indigno petenti liceat miniſtrare Sacramenta?

Circa 1. nulla eſt difficultas. Certum eſt enim 1. ſolum hominem viatorem de lege ordinaria eſſe Sacramentorum ſubjectum; ſunt enim inſtituta a Chriſto ut media gratiæ & ſalutis adipiſcendæ, quod competit ſolis viatoribus, non Beatis indefectibiliter, nec damnatis irreparabiliter. Dixi de lege ordinaria; quia ita Inſtituit Chriſtus. An autem ſi voluiſſet, Angelos & Beatos quibuſdam Sacramentis ſubjicere potuiſſet? Nulla videtur implicantia. Certum eſt 2. Omnem hominem viatorem eſſe ſubjectum capax Baptiſmi. Patet ex uſu Eccleſiæ, quæ & infantes & amentes baptizat. Et ratio eſt, quia Baptiſmus eſt abſolutæ neceſſitatis ad ſalutem. De omnibus enim dixit Chriſtus Joan. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt intrare in Regnum Cœlorum*. Certum eſt 3. Solum hominem baptizatum eſſe ſubjectum capax aliorum Sacramentorum; quia per ſolum Baptiſma homo fit domeſticus Dei & membrum Eccleſiæ: & ita eſt janua ad alia Eccleſiæ Sacramenta. Certum eſt 4. Non omnem baptizatum eſſe ſubjectum capax omnium Sacramentorum: infantes enim & amentes perpetui non ſunt capaces pœnitentiæ; quia hujus Sacramenti materia ſunt actus pœnitentis; neque Extremæ Unctionis inſtitutæ ad delendas reliquias peccatorum actualium, neque Matrimonii, ad quod requiritur conſenſus deliberatus, cujus ſunt incapaces. Sunt autem capaces Confirmationis & Euchariſtiæ, cum olim utrumque illis conferretur; item maſculus Ordinationis, cum nihil obſtet.

Circa tertium, patet ex dictis Differt. 3. a. 4. §. 2. pro Sacramentis mortuorum requiri ſaltem attritionem: pro Sacramentis vivorum ſtatum gratiæ ſaltem prudenter exiſtimatum per Confeſſionem vel contritionem, ut dixi de Miniſtro Differt. 5. art. 5. eadem enim eſt ratio utriuſque: excepto tamen Sacramento Euchariſtiæ, ad quod requiritur Confeſſio. Adeas loca citata.

Reſtat ergo quæſtio de 2. & 5. Primum diſcutit Auctor infra q. 68. a. 7. de Baptiſmo. Secundum q. 80. art. 6. de Euchariſtia. Sed quia hæ duæ quæſtiones ſpectant etiam alia Sacramenta, eas hic examini ſubjiciendas duxi. Sit itaque

ARTICULUS I.

An & quæ intentio in ſuſcipiente Sacramentum requiratur ad ejus integritatem?

DICO 1. Excepta Euchariſtia, requiritur ad integritatem Sacramenti in ſuſcipiente intentio interna ſuſcipiendi illud, ut rem in Eccleſia ſacram, ſeu quam ſolet Eccleſia conferre, ideo qui ſe habet mere paſſive, ſeu ut dicunt neutraliter, neque volens, neque nolens, a

Digitized by Google

fortiori qui reluctatur, non percipit Sacramentum. Excipio Euchariſtiam, quia cum conſiſtat in re permanenti, independenter a quavis intentione tam ſuſcipientis quam miniſtrantis, remanet Sacramentum.

Prob. Concluſio auctoritate Conciliorum, ſum. Pontificum & SS. Patrum. Concilium Carthaginenſe 3. an. 397. Can. 34. dicit: *Ægrotantes ſi per ſe reſpondere non poſſunt, cum voluntatis eorum teſtimonium hi qui ſui ſunt periculo proprio dixerunt, baptizentur*. Ubi aperte requirit intentionem ſuſcipiendi Sacramenti. Concilium Arauſicanum I. an. 441. Can. 12. ſic ſtatuit: *Subito obmuteſcens, prout ſtatus ejus eſt, baptizari aut pœnitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis, aut præteritæ teſtimonium aliorum verbis habet, aut præſentis in ſuo nutu*. Ergo idem quod prius.

Innocentius III. cap. *Majores* de Baptiſmo & ejus effectu Extra. l. 3. tit. 24. in primis rejicit opinionem eorum, qui dicunt, quod *Sacramenta, quæ per ſe ſortiuntur effectum ut Baptiſmus & Ordo cæteraque ſimilia* (adverte obiter ſermonem non eſſe de ſolo Baptiſmo, ut fingit Vanroy) *non ſolum dormientibus & amentibus, ſed invitis & contradicentibus, etſi non quoad rem, quantum tamen ad characterem conferantur*. Hanc inquam opinionem rejicit: *Quia*, inquit, *qui fuiſſent inviti & reluctantes immerſi, ſaltem ratione Sacramenti, ad Juriſdictionem Eccleſiaſticam pertinerent. Unde ad ſervandam regulam Chriſtianæ fidei forent rationabiliter compellendi. Verum id eſt Religioni Chriſtianæ contrarium, ut ſemper invitus & penitus contradicens ad recipiendam & ſervandam Chriſtianitatem aliquis compellatur*. Deinde definit: *Illum, qui numquam conſenſit, ſed penitus contradicit, nec rem, nec characterem ſuſcipere Sacramenti*, &c. Tandem declarat: *Characterem non ſuſcipere dormientes & amentes, ſi priuſquam amentiam incurrerent aut dormirent, in contradictione perſiſterent, quia in eis intelligitur contradictionis propoſitum perdurare, ſecus autem ſi prius Catechumeni extitiſſent, & habuiſſent propoſitum baptizandi. Unde tales in neceſſitatis articulo conſuevit Eccleſia baptizare*.

Rituale Romanum Pauli V. vetat, ne Baptiſmus conferatur ei, *qui uſum rationis habuit ante amentiam, & nunquam oſtendit voluntatem Baptiſmi, aut intentionem, aut petitionem illius*.

S. Aug. l. 4. contra Donat. c. 24. *Si pro eo*, inquit, *qui reſpondere poteſt, alius reſpondet, non itidem valet* Sacramentum.

S. Th. infra q. 68. a. 7. ad 2. *Dicendum*, inquit, *quod ſi in adulto deeſſet intentio ſuſcipiendi Sacramentum, eſſet rebaptizandus; ſi tamen hoc non conſtaret, eſſe dicendum: ſi non es baptizatus, ego te baptizo*. Et in corpore ex profeſſo probat ad validitatem Baptiſmi requiri intentionem illud ſuſcipiendi. Inſuper q. 45. a. 4. o. *Si aliquis*, inquit, *ablutionem exteriorem reciperet, non intendens recipere Sacramentum, ſed ludum & dolum facere, non eſſet baptizatus*. Et in 4. d. 6. q. 1. a. 2. q. 3. *In adultis*, inquit, *& in habentibus uſum rationis, quibus poteſt eſſe contraria voluntas actu vel habitu, requiritur & contritio ſive devotio ad percipiendam rem Sacramenti, & intentio vel voluntas ad recipiendum Sacramentum. In pueris autem abſque utroque percipitur & Sacramentum & res Sacramenti; ſimiliter eſt in carentibus uſu rationis, niſi contraria voluntas habitu inſit, non actu*.

Ratio a priori eſt voluntas Chriſti ſic inſtituentis Sacramenta, quæ voluntas colligitur ex Doctrina & praxi Eccleſiæ, ut patet ex dictis, & ſequentibus rationibus & congruentiis. 1. Non eſt veriſimile Chriſtum voluiſſe de lege ordinaria juſtificare, Filium ac hæredem ſuum conſtituere adultum nequidem de ſua juſtificatione cogitantem, a fortiori reluctantem. Confer Tract. de gratia Diſſert. 6. a. 3. ubi probavimus hominem adultum non juſtificari per gratiam, niſi ad eam ſe diſponat per motum liberi arbitrii. 2. Cum quædam Sacramenta præſertim Baptiſmus & Ordo ad certum vitæ genus adſtringant, & graves obligationes imponant ſuſcipientibus, manifeſtæ rationi conſentaneum eſt, ut ad id non compellantur niſi volentes. 3. Chriſtus ſua Sacramenta inſtituit, ut humanis actibus perficerentur tam ex parte ſuſcipientium quam miniſtrantium; ita exigit dignitas Sacramenti, ſublimitas finis illius ſcilicet juſtificatio & ſalus hominis atque ipſius conditio, qui non more brutorum, ſed ratione debet regi & agere, maxime in ſalutis æternæ negotio; ideoque receptio Sacramenti non ſecus ac ejus collatio debet eſſe humana, & quamvis ſit paſſio, non tamen coacta, ſed voluntaria, ut ait Auctor q. 68. a. 7. cit. ad 1. Hanc autem intentionem debere eſſe internam, ideſt intentionem ſuſcipiendi rem ut ſaciam in Eccleſia, ſeu quod Eccleſia facit, nec ſufficere intentionem recipiendi rem profanam, aut ſimulandi, vel ludendi, eſt diſerte S. Thomæ in ſupplemento mox cit. & patet, quia intenderet recipere rem profanam, aut ſimulare vel ludere, non intenderet recipere Sacramentum.

Dico 2. Hæc intentio requiſita in ſuſcipiente ad valorem Sacramenti non debet neceſſario eſſe actualis; neque proprie virtualis, vi ſcilicet cujus moveatur ad ſuſcipiendum Sacramentum; ſed ſufficit, quod aliquando præceſſerit & non ſit revocata, ideoque moraliter perſeveret, exceptis Pœnitentia & Matrimonio. Vocatur a quibuſdam intentio interpretativa, ab aliis habitualis; poſſet etiam dici late virtualis, quia licet, ut dixi, ſuſcipiens vi illius non moveatur ad ſuſcipiendum Sacramentum, ex eo tamen quod præceſſerit, cenſetur voluntarie illud ſuſcipere. Patet Concluſio ex dictis: juxta enim Innocentium III. Paulum V. S. Th. & Eccleſiæ praxim, amentes aut aliter uſu rationis carentes baptizantur, ſi prius habuerint voluntatem ſuſcipiendi Sacramentum, & illam non revocaverint. Unde non requiritur tanta intentio in ſuſcipiente ac in miniſtrante: quia, ut jam notavi ſuperius, Miniſter cum ſit agens, debet habere intentionem, quæ ſit principium actus humani, & determinativa ad eſſe Sacramenti: ſuſcipiens autem eſt patiens, etſi voluntarius, & illius intentio non requiritur, ut ſit principium actus humani & determinativa ad eſſe Sacramenti, ſed tantum ut diſpoſitio ſubjecti, & ſic ſufficit, quod illam aliquando habuerit & non retractaverit. Excepi Pœnitentiam & Matrimonium: quia cum in iſtis Sacramentis actus ſuſcipientium ſenſibiliter expreſſi ſint illorum Sacramentorum materia, non ſufficit, quod aliquando præceſſerit voluntas ea ſuſcipiendi, niſi adſint iſti actus, ex quibus conſtituitur Sacramentum. Adde, quod in Matrimonio contrahentes ſint Miniſtri. Unde amens, quamvis ante amentiam habuerit voluntatem confitendi aut contrahendi, non poteſt abſolvi aut contrahere, quia non poteſt ponere actus, ex quibus conſtituitur Sacramentum, ſcilicet confeſſionem doloroſam, aut conſenſum ſenſibiliter expreſſum.

Dico 3. Quantum ad Sacramenta Baptiſmi, Confirmationis, Euchariſtiæ & Extremæ Unctionis, ſufficit intentio implicita ea recipiendi, incluſa, puta in vita Chriſtiana, vel propoſito vivendi chriſtiane. Quia hoc ipſo quo quis vivit aut proponit vivere pie & catholice, habet implicite & ſufficienter intentionem, ut ſibi conferantur omnia Sacramenta ſibi ad ſalutem neceſſaria aut valde utilia, qualia ſunt aſſignata. Excludo Pœnitentiam & Matrimonium propter rationes mox allatas in præcedenti concluſione, item & Ordinem; quia cum non ſit ita utilis particulari, & inducat magnam ſtatus mutationem graveſque obligationes, nemo poteſt cenſeri illud Sacramentum intendere in generali propoſito vivendi chriſtiane, niſi de eo aliquando voluntatem expreſſam habuerit, aut certe aliquid intendat, in quo includatur intentio Ordinis.

Cæterum pro explicatione utriuſque concluſionis obſervandum eſt hanc intentionem habitualem ſive explicitam, ſive implicitam ſuſcipiendi Sacramentum, non ſufficere, ut in omni caſu & modo ſuſcipiatur, ſed tunc ſolum & eo modo, quo chriſtiano more & rationabiliter poteſt & debet conferri ac ſuſcipi, ſcilicet in caſu neceſſitatis, in periculo mortis, in amentia perpetua, vel etiam extra caſum neceſſitatis, ſed cum advertentia & cognitione. Ratio eſt, quia homo vi ſuæ primæ intentionis, ſive explicitæ ſive implicitæ, non cenſetur prudenter velle Sacramenta ſuſcipere, niſi tempore, ritu & modo, quo conferri ſolent Chriſtianis. Unde etſi quis ante menſem vel aliquot dies habuiſſet intentionem ſive explicitam, ſive implicitam ſuſcipiendi Baptiſmum, Confirmationem, Ordinem, &c. valide non ſuſciperet in ebrietate, ſomno, amentia tranſitoria, ignorantia, &c. niſi forte ejus intentio expreſſe ſe extendiſſet ad hos caſus, tunc enim valide ſed illicite ſuſciperet.

Sed quid ſi non intendat quidem expreſſe Sacramentum ſuſcipere in ebrietate vel ſomno, prævidet tamen ſe in ebrietate vel ſomno baptizandum, confirmandum, ordinandum, &c. & in illa præviſione ſola, ſine intentione, ſe inebriat vel ſomno dat? R. illum invalide ſuſcipere Sacramenta. Ratio eſt, quia Intentio indirecta ſeu in cauſa non cenſetur ſe extendere ad id, quod ſequitur per accidens ad cauſam libere poſitam, niſi cum tenemur illud vitare, cum tali enim intentione poſſet ſubſiſtere contraria: v. g. honeſta mulier ob juſtam cauſam modeſto ornatu procedens in publicum, ex quo prævidet aliquem peccaturum, non cenſetur ullo modo velle hoc peccatum, ſed e contra non vult; cenſeretur tamen velle, ſi ob aliquas circumſtantias teneretur hoc peccatum vitare in proximo. Unde in caſu poſito talis homo vellet ſufficienter peccatum irreverentiæ in ſuſceptione Sacramenti, quia tenetur illam vitare, non tamen cenſeretur ſufficienter velle Sacramentum, quia non tenetur vitare, ſed potius ponere, non quidem in illo ſtatu, ſed bene diſpoſitus. Adde, quod poſſet abſolute habere intentionem contrariam ſuſceptioni Sacramenti.

Solvuntur Objectiones contra 1. Concluſionem.

Obj. 1. plura exempla eorum, qui inviti & reluctantes aut ſaltem neſcientes ordinati ſunt. Inter illa tria ſunt notiora & ſolutu difficiliora. Primum eſt Pauliniani fratris S. Hieronymi, de quo S. Epiphanius Ep. inter Hieronymianas 60. nunc 110. ait: *Ignorantem eum & nullam penitus habentem ſuſpicionem per multos Diaconos apprehendi juſſimus & teneri os ejus, ne forte liberari ſe cupiens adjuraret nos per nomen Chriſti, & primum Diaconum ordinavimus, proponentes ei timorem Dei, & compellentes ut miniſtraret.* Alterum exemplum eſt Baſſiani, qui Ep. ad Valentinum & Marcianum Imperatores, quæ extat act. 11. Conc. Chalced. narrans, quomodo a Memnone Epheſino Antiſtite fuerat ordinatus Epiſcopus Evazorum, dicit: *Ego autem non acquieſcebam, ſed ab hora tertia uſque ad ſextam coram altari me plagis affinit, & ſanctum Evangelium & altare ſanguine eſt impletum.* Tertium exemplum eſt Macedonii Eremitæ in vertice montis, de cujus ordinatione facta a Flaviano Antiocheno ſcribit Theodoretus in Hiſt. Religioſa c. 13. quod Flavianus Macedonium *de montis vertice per ſpeciem objectæ accuſationis abduxit, & ſub myſticum ſacrificium altari admovit, cooptavitque in numerum Sacerdotum: cumque peracta liturgia, hoc illi quidam indicaſſent* (ignorabat enim prorſus quid egiſſent) *primum quidem conviciis verbiſque aſperis proſcidit univerſos, deinde arrepto baculo, quo innixus propter ſenium incedebat, Pontificem ipſum, & alios, qui aderant, inſecutus eſt.* Proferunt item ordinationes Ambroſii, Paulini, Nepotiani, Auguſtini & quorumdam aliorum. Ergo.

R. duplici modo aliquem dici invitum & coactum reſpectu ſuæ ordinationis. 1. Sic, ut neque precibus, neque rationibus, neque minis victus unquam annuit, ſed ſemper obluctatur, vel omnino inſcius ordinatur; & hujuſmodi ordinatio eſt invalida. 2. Modo, ſic, ut præ humilitate ſe indignum reputans & reverentia erga ſacrum Miniſterium motus primum reluctatur, ſed tandem auctoritatis pondere, rationibus, ſuaſionibus, minis victus conſentit, & talis valide ordinatur, quia adeſt ſufficiens conſenſus: & ita in multis contingere ſcribit Aug. Ep. ad Donat. 204. nunc 173. *Multi*, inquit, *ut Epiſcopatum ſuſcipiant, tenentur inviti, perducuntur, includuntur, cuſtodiuntur, patiuntur tanta quæ nolunt, donec eis adſit voluntas ſuſcipiendi operis boni.*

Tales fuerunt Paulinianus & Baſſianus. De Pauliniano enim ſcribit ipſe Epiphanius ibid. *Valde quippe obnitebatur, indignum ſe eſſe conteſtans: vix ergo compulimus eum, & perſuadere potuimus teſtimoniis Scripturarum & perſuaſione mandatorum Dei.* Neque obſtat, quod os teneretur, non enim id coactionis, ſed potius neceſſarii conſenſus eſt argumentum: quia moris erat tunc, ut qui juraverat ſe non ſuſcepturum Ordines, non ordinabatur, ne perjurii reus eſſet, ut patet ex Baſilio Ep. ad Amphiloc. c. 10. Et id timebant, qui os Pauliniani tenebant, *Ne forte liberari ſe cupiens*, inquit Epiphan. *adjuraret nos per nomen Chriſti.* Nullum autem fuiſſet periculum perjurii, ſi voluntate numquam aſſentiente ordinati fuiſſent. Idem probat factum Baſſiani, ut quid enim tamdiu cæſus, niſi ut tandem præberet conſenſum? Talis autem conſenſus, licet ſit involuntarius ſecundum quid, eſt tamen voluntarius ſimpliciter, ut communiter docetur de his, quæ fiunt ex metu, & mox dicemus. Quod autem dicimus de his duabos ordinationibus, dicendum eſt a fortiori de ordinationibus Ambroſii, Paulini, Nepotiani, Auguſtini & ſimilibus, quæ referuntur. Quantum ad ordinationem Macedonii, quæ majorem patitur difficultatem, quidam dicunt ipſum conſenſiſſe iis omnibus, quæ religioſe peragebat circa illum Flavianus, & ideo implicite ſuæ ordinationi. At probabilius reſpondent alii ejus ordinationem fuiſſe irritam, niſi poſtea ipſo conſentiente iteratus ſit ritus ſacer: idque ſat innuit ipſe Theodoretus addens: *Scimus ſane haud laudandam multis viſum iri hanc narrationem.* Proferuntur inſuper Ordinationes S. Gregorii Thaumaturgi & S. Danielis Stylitæ, qui dicuntur ordinati abſentes. Verum inde probaretur etiam validam eſſe ordinationem abſque manuum impoſitione & materiæ applicatione, quod nemo admittit. Hæc igitur exempla nihil ad præſentem controverſiam conferunt, & dicendum has ordinationes vel factas fuiſſe divinitus miniſterio Angelorum, ut narratur de conſecratione Amphilochii Epiſcopi Iconienſis, vel poſtea fuiſſe ſuppletos ritus ordinationum.

Inſt. Civis poteſt invitus promoveri ad Conſulatum, ubi id exigit bonum commune. Ergo Catholicus Eccleſiæ ſubditus ad ſacri Ordinis gradum, ubi id poſcit utilitas Eccleſiæ. R. N. Conſeq. Diſparitas petitur 1. ex voluntate Chriſti, quæ nobis conſtat ex definitionibus, praxi, & communi ſenſu Eccleſiæ. 2. Promotio civis ad Conſulatum eſt tantum denominatio extrinſeca nihil ponens in promoto, & deputatio ad exterius miniſterium coactioni ſubjectum; homo enim hominem ad actus externos cogere poteſt. At Ordinatio ſacra, gratiam, characterem, poteſtatem Eccleſiaſticam ponit in anima, ubi Eccleſia non habet poteſtatem cogendi, quam licet dare potuerit Chriſtus, non dediſſe tamen conſtat ex probationibus concluſionis. Poteſt ergo Catholicus invitus deputari miniſterio altaris, ſicut civis regimini exteriori, & tenetur in neceſſitate conſentire & acceptare, & hoc probat paritas argumenti. At ſi renuat, peccat quidem, ſed nihil efficitur.

Repones. Qui recipit alapam, invitus recipit, & tamen recipit. Ergo ſimiliter de Sacramento. R. N. Conſeq. (*Hic qu. 68. art. 7. ad 1.*) Diſparitas eſt quod receptio Sacramenti ſit paſſio voluntaria, receptio autem alapæ paſſio coacta.

Obj. 2. Eccleſia approbat Baptiſma metu ſuppliciorum ſuſceptum, & ſic baptizatus cogit ad mores Chriſtianorum, ut patet ex Concilio Toletano circa baptizatos tempore Regis Siſebuti. Ergo. R. N. Conſeq. quia quæ fiunt ex metu, ſunt ſimpliciter voluntaria, neque obſtat voluntas contraria conditionata; vellet quidem non ſuſcipere Baptiſmum, ſed ne detrimentum pati tur, vult ſimpliciter & abſolute recipere. Patet in mercatore projiciente mercas in mare metu naufragii. Et quamvis ſic metu adacti poſſent retinere intentionem internam ſuſcipiendi rem ut in Eccleſia faciam, hoc ipſo tamen quod ritum externum, ut fieri ſolet, ſuſcipiunt ſicut alii, Eccleſia, quæ non judicat de internis, præſumit in foro exteriori voluiſſe ſuſcipere Sacramentum, & eſſe vere baptizatos, & ideo eos cogit ſtare Religioni Chriſtianæ, quam in baptiſmate perceperunt. Ita reſpondet Innocent. III. cap. cit. *Majores.*

Obj. 3. ipſe Innocentius ibid. dicit: *Tunc ergo characterem ſacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non invenit.* Ergo ſaltem non requiritur in ſuſcipiente conſenſus poſitivus, ſed ſufficit, quod non ſit in eo voluntas contraria, & neutraliter ſe habeat. Eandem ſententiam tenet Gloſſa. Ita Cajetanus. R. N. Conſeq. Utrumque enim requirit Innocentius, & conſenſum poſitivum & non reſiſtentiam extrinſecam. Definit enim dormientes & amentes non recipere characterem, ſi antea habuerint contrarium propoſitum, & non retractaverint, e contra recipere, ſi habuerint antea propoſitum Baptiſmi. Ergo requirit Innocentius non ſolum quod ſuſcipiens non ſit contrarius, ſed etiam quod ſit conſentiens. Quando itaque ſtatim concludit ſic: *Tunc ergo characterem ſacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non invenit obſiſtentem.* Per *obicem voluntatis contrariæ* intelligit non ſolum reſiſtentiam poſitivam, ſed etiam diſſenſum negativum ſeu carentiam conſenſus, ita ut ex negatione intelligenda & ſupponenda ſit affirmatio contraria; ſcilicet, cum obicem voluntatis contrariæ non invenit obſiſtentem, ſed voluntatem in conſenſu perſeverantem; alioquin ejus illatio non correſponderet utrique membro definitionis præcedentis, ex qua elicitur. Gloſſam non moramur, quia non eſt tantæ auctoritatis.

Obj. 4. ex Aug. 1. S. Doct. l. 4. Confeſſ. c. 4. narrat, quod quidam amicus febribus laborans, *cum deſperaretur, baptizatus eſt neſciens, mente neque ſenſu abſentiſſimus.* Atqui is non habuerat intentionem ſuſcipiendi Baptiſmum, cum ſcribat Aug. quod eum deflexiſſet ad ſuperſtitioſas & perniciosas fabellas. Ergo. 2. Tract. 26. in Joan. dicit. *Accipere quiſquam poteſt Sacramentum nolens, credere non poteſt niſi volens.* Ergo. R. ad 1. N. Min. Quamvis enim Auguſtinus dicat eum deflexiſſe ad perniciosas & ſuperſtitioſas fabellas, is tamen veram fidem, licet *nondum germanitas & penitus*, tenebat, ut ſcribit S. Doctor; erat Catechumenus baptiſmumque deſideraverat: cumque Auguſtinus Baptiſmum ejus irrideret: *Ita irridentem exhorruit ut inimicum, admonuitque mirabili & repentina libertate, ut ſi amicus eſſe vellet, talia ſibi dicere deſineret.* Quæ omnia ex ipſo Aug. ibid. probant falſam eſſe Minorem argumenti. Ad 2. Aug. loquitur de ſuſceptione Euchariſtiæ, ut patet ex textu; dicit enim: *Intrare quis Eccleſiam poteſt nolens, accedere ad Altare poteſt nolens, accipere Sacramentum poteſt nolens, credere non poteſt niſi volens.* Quod ſi contendas Auguſtinum loqui etiam de Baptiſmo, dicam ipſum ita loqui reſpective ad infantes, aut ad adultos ſecundum quid tantum invitos.

Obj. 5. Concilium Florentinum definit tria tantum concurrere ad perfectionem Sacramenti, materiam, formam & intentionem Miniſtri, nihil de intentione ſuſcipientis. Ergo non requiritur. R. N. Conſeq. Quia Concilium loquitur tantum de his, quæ ſunt communia omnibus Sacramentis: intentio autem ſuſcipientis non eſt neceſſaria omnibus Sacramentis, ſcilicet ſuſceptioni Euchariſtiæ & Baptiſmo pro parvulis & amentibus.

Inſt. 1. Quod eſt neceſſarium in uno ad ſubſtantiam Sacramenti, eſt neceſſarium in omnibus. Ergo. R. D. Ant. Quod eſt neceſſarium ut quid eſſentiale, C. Quod

eſt neceſſarium, eſt diſpoſitio ſubjecti tantum & conditio ſine qua non, Subdiſtinguo: ſi ſubjectum ſit capax illius, C, Si ſit incapax, ut ſunt pueri & amentes, N.

Inſt. 2. Quod non eſt eſſentiale uni Sacramento, non eſt eſſentiale alteri. Atqui intentio ſubjecti non eſt eſſentialis alicui Sacramento ex dictis. Ergo nulli. R. C. totum: non enim dicimus intentionem ſubjecti requiri eſſentialiter ad Sacramentum, ſed tantum ut conditionem ex parte ſubjecti.

Inſt. 3. Perfectio Sacramenti tota eſt a Miniſtro. Ergo. R. D. Ant. Tota eſt a Miniſtro ut a cauſa efficiente, C. Ut a conditione requiſita, N.

Inſt. 4. Non requiritur conſenſus hominis ut generetur. Ergo nec ut regeneretur per Sacramentum. R. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod generari ſit quid naturale, cujus ſubjectum neceſſarium eſt homo incapax conſenſus vel diſſenſus antequam ſit genitus. At regenerari per Sacramentum ſt quid morale naturæ ſuperadditum & indebitum, ſubjectum capax conſenſus & diſſenſus ſanctificans, conſtituens Miniſtrum in foro interiori, graves inducens obligationes. Hæc autem fieri non conveniebat abſque ejus conſenſu.

Inſt. 5. Baptiſmus eſt inſtitutus in remiſſionem peccati Originalis. Atqui peccatum originale ſine intentione & conſenſu contrahitur. Ergo ſine intentione & conſenſu remittitur. R. 1. Baptiſmum non eſſe tantum inſtitutum in remiſſionem peccati Originalis, ſed etiam actualis, quod proprio conſenſu committitur. 2. N. Conſeq. Ex hoc enim quod peccatum Originale contrahatur ſine conſenſu propriæ voluntatis, non ſequitur, quod ſine conſenſu debeat dimitti, ſed eo modo qui Deo placuerit. Placuit autem Deo, quod Adultis, qui ſunt capaces conſenſus & diſſenſus, non dimitteretur ſine proprio conſenſu, quatenus homo adultus ſine motu propriæ voluntatis non juſtificatur de lege ordinaria, ut dixi dum de gratia loco ſupra citato: neque convenit, ut ſine proprio conſenſu induat novum ſtatum & graves obligationes.

Petes, utrum fides requiratur in ſuſcipiente ad valorem Sacramenti? R. (*Infra q. 68. a. 8. o.*) Negative excepta Pœnitentia. Patet ex uſu & praxi Eccleſiæ, quæ ratum habuit Baptiſmum, quem Hæretici ſub legitima forma receperant. Et ita expreſſe reſolvit Aug. l. 3. de Bapt. c. 14. Ratio eſt, quia Sacramentum non perficitur per juſtitiam hominis dantis vel ſuſcipientis Baptiſmum, ſed per virtutem Dei. Excepi Pœnitentiam, quia, ut jam non ſemel dixi, ejus materia eſt actus pœnitentis ſcilicet actus contritionis ſeu attritionis, qui non poteſt eſſe ſine fide.

Si opponas Optatum Milevit. qui lib. 5. adverſus Parmen. dicit neceſſariam eſſe fidem ſuſcipientis ſicut invocationem Trinitatis, & Ambroſium, qui l. 1. de Spiritu S. c. 3. dicit ſine fide Trinitatis vacuum eſſe Sacramentum. R. ad 1. juxta Optatum neceſſariam eſſe fidem ſuſcipientis ſicut invocationem Trinitatis, ſed non in eodem gradu. Invocatio namque Trinitatis neceſſaria eſt ad ſubſtantiam Sacramenti, ſeu, ut dicit Optatus, *ſine qua res non poteſt geri*; fides autem ſuſcipientis eſt neceſſaria ad effectum Sacramenti; ſicque ly *ſicut* non dicit omnimodam paritatem. Ad 2. Ambroſius pariter loquitur de effectu; res enim, quæ non obtinet effectum, ad quem eſt inſtituta, recte dicitur vacua.

ARTICULUS II.

Utrum liceat miniſtrare Sacramenta Peccatori ea petenti?

PECCATOR (*Infra q. 80. a. 6. o. & in 4. d. 9. q. 1. a. 5. q. 1.*) vel eſt publicus, vel occultus. Publicus dicitur vel evidentia juris, quando ſcilicet in judicio eſt criminis convictus aut confeſſus, vel evidentia facti, quod nulla tergiverſatione celari poteſt. Hoc ultimum non ita facile dignoſcitur; non enim ſolum attendi debet numerus teſtium, ſed qualitas delicti, loci, perſonarum, quæ crimen noverunt, ita ut cenſeatur prudenter ad communem notitiam veniſſe, vel brevi perventurum. Peccator occultus dicitur, cui deeſt evidentia juris aut facti. Item peccator ſive occultus ſive publicus, vel publice petit, ut ſi cum aliis ad ſacram Menſam accedat; vel occulte, ut ſi privatim vel etiam palam ſeu ſolus petat, & Miniſter non paratus aut alio detentus honeſte prætexit ſuas occupationes ſine ſcandalo & diffamatione petentis.

Dico. (*Ib.*) Peccatori occulto occulte petenti, & publico ſive occulte ſive publice petenti, extra periculum mortis deneganda ſunt Sacramenta, excepta Pœnitentia, & in aliquo caſu Matrimonium. Eſt communis. Ita Rituale Romanum de Euchariſtia quoad utramque partem. Quantum ad 1. *Occultos vero peccatores*, inquit, *ſi occulte petant, & non eos emendatos noverit, repellat*. Quantum ad 2. *Arcendi ſunt*, inquit, *publice indigni, quales ſunt Excommunicati, interdicti, manifeſtique infames, ut meretrices, Concubinarii, Fœneratores, Magi, Sortilegi, Blaſphemi, & alii ejus generis publici peccatores, niſi de eorum pœnitentia conſtet, & publico ſcandalo prius ſatisfecerint.*

Notanda ſunt hæc ultima verba: *Niſi de eorum pœnitentia conſtet, & publico ſcandalo prius ſatisfecerint.* Ex quibus patet, quod non ſufficiat emendatio, ſed requiratur reparatio ſcandali per converſionis notitiam. Si tamen occulte petat, & Miniſtro præſentibuſque, ſi adſint, conſtet de ejus converſione, ſitque certum, quod converſio ſimul cum perceptione Sacramenti innoteſcet, videtur, quod tunc non ſit denegandum, cum nulla appareat amplius cauſa denegandi. Ratio utriuſque partis eſt, quia ex hoc quod Sacramentum denegetur peccatori occulto occulte petenti, vel publico publice aut occulte petenti, nulla ſequitur ejus diffamatio aut aliud inconveniens. Conſequenter Miniſter peccaret contra Religionem dando ſine urgente cauſa ſanctum canibus cum magna Sacramenti irreverentia, abuteretur ſuo Miniſterio, quod eſt illi datum ad ædificationem & non ad deſtructionem, & concurreret abſque neceſſitate peccato ſaltem externo alterius, internumque foveret, & ſi eſſet publicum, magnum generaret ſcandalum.

Dixi 1. *Extra mortis periculum:* quia cum Sacramenta ſint propter homines, in extremis extrema ſunt tentanda, & potius exponitur Sacramentum irreverentiæ, quam privetur homo in tanta neceſſitate Sacramento, quod prodeſſe poteſt. Debet tamen conari Miniſter in quantum tempus permittit & facultas adeſt, ut Peccator morti proximus det eo modo quo poteſt ſigna Pœnitentiæ etiam publica, ſi ſit publicus. Dixi 2. *Excepto Sacramento Pœnitentiæ:* quia Sacramentum Pœnitentiæ eſt omnibus peccatoribus ſecunda poſt naufragium tabula, ad quam ideo omnes peccatores etiam ſceleratiſſimi, ſive occulti, ſive publici confugere debent: idque probat praxis Confeſſariorum, qui omnes admittunt, & ſecundum diſpoſitionem cujuſque abſolvunt, differunt aut remittunt: neque inde nullum inconveniens natum eſt ſequi pro fama pœnitentis, aut tranquillitate Reipublicæ. Dixi 3. *Excepto etiam Matrimonio in aliquo caſu:* quia in vicinia Hæreticorum propter tranquillitatem Reipublicæ toleratur Matrimonium cum parte Hæretica, eique conſequenter peccatori publico miniſtratur Sacramentum. Id autem ad alios caſus non eſt extendendum, niſi ex gravi cauſa ab Eccleſia approbanda.

Multi etiam excipiunt caſum, quo Miniſter non niſi ex Confeſſione ſciret crimen petentis Sacramentum: quia numquam licet uti ſcientia Confeſſionis cum confuſione & rubore pœnitentis, ex quo redderetur Sacramentum valde odioſum. Et ita videtur definiviſſe Eugenius Papa cap. *Si Sacerdos* de officio judicis ordinarii extra l. 1. Tit. 31. c. 2. *Si Sacerdos*, inquit, *ſciat pro certo aliquem eſſe reum alicujus criminis, vel ſi confeſſus fuerit & emendare noluerit ... non nominatim poteſt eum removere a Communione ... Quia non ut Judex ſcit, ſed ut Deus.* Equidem S. Th. junior in 4. d. 9. q. 1. art. 5. q. 1. videtur docere oppoſitum ſecutus Doctores ſui temporis, Alenſem, Richardum, &c. Sed interpretatur Sylvius, ſcilicet ſi ex alia cauſa quam criminis auditi in Confeſſione poſſit honeſte ſe excuſare. Alii dicunt S. Th. ſeniorem factum tacite retractaſſe in Summa, quod junior docuerat in Sententias; quia infra q. 80. a. 6. cit. ubi ex profeſſo quærit, utrum liceat denegare corpus Chriſti peccatori petenti, & ubi ideo opportunum fuiſſet hanc priorem ſuam opinionem inſerere, omnino omittit.

Dico 2. (*Ib.*) Peccatori occulto publice petenti non eſt denegandum Sacramentum, ubi ſine ejus diffamatione & ſcandalo denegari non poteſt, ut ſi cum aliis accedat ad ſacram Menſam. Eſt etiam communis & certa, & ita definitur in jure 6. q. 2. c. *Si tantum* Extra. L. 1. Tit. 31. cap. *Si Sacerdos*, & cap. *Non prohibet* de Conſec. D. 2. Et ita ſemper obſervatum fuit in Eccleſia. *Nos*, inquit Aug. hom. 351. olim 50. inter 50. *a Communione prohibere quemquam non poſſumus ... niſi aut ſponte confeſſum, aut in aliquo ſive Sæculari, ſive Eccleſiaſtico judicio nominatum atque convictum.* Et Rituale Romanum de Euchariſtia, *Occultos*, inquit, *peccatores, ſi occulte petant, & non eos emendatos agnoverit, repellat: non autem ſi publice petant, & ſine ſcandalo ipſos præterire nequeat.*

Hujus Concluſionis varii varias afferunt rationes, ut quod Sacerdos ſit Miniſter publicus, ideoque debeat uti ſcientia publica. Quod baptizatus habeat jus ad Sacramenta, quibus non poteſt privari publice, niſi publice conſtet jus ſuum amiſiſſe. Item quod habeat jus, ne diffametur. His & aliis rationibus omiſſis, quæ graves & intricatas patiuntur Objectiones; arbitror juxta Auctorem (*Infra qu. 81. art. 2. o. & ad 2. & in 4. d. 9. q. 1. art. 5. qu. 1.*) rationem fundamentalem Concluſionis eſſe voluntatem Chriſti, quæ ex ejus facto nobis innoteſcit, cum corpus ſuum non denegavit Judæ, quem noverat peccatorem: quod factum Apoſtoli & Eccleſia apprehenderunt ut exemplum, quod ſequeremur: & hinc præceptum in Eccleſia, ut ex ejus traditione & praxi conſtat. Ita-

merito propter gravia inconvenientia, quæ alioquin ſequerentur. Vel enim Miniſter teneretur probare crimen, vel non: ſi primum, onus foret ipſi intolerabile & plerumque impoſſibile, eum vel ipſe ſolus crimen noſceret, vel teſtes, ut plerumque accidit, recuſarent ferre teſtimonium. Si ſecundum, datur anſa Sacerdotibus quemlibet impune diffamandi: & hinc jurgia, lites, ſcandala, turbatio Eccleſiæ & Reipublicæ, dum Miniſter juſtam, ſuſcipiens injuſtam diceret repulſam: & alii judicarent prave vel de Sacerdote, quod injuſte repellat eum, qui bene audit; vel de ſuſcipiente, quod gravi crimini ſubjaceat; vel etiam de Eccleſia, quod toleret Sacerdotes, viros probos & integræ famæ diffamantes.

Hæc mihi miniſtrat Angelicus Doctor locis cit. in margine: *Quia*, inquit q. 81. a. 2. o. *Chriſtus nobis debuit eſſe exemplum juſtitiæ, non conveniebat ejus magiſterio, ut Judam occultum peccatorem ſine accuſatore & evidenti probatione ab aliorum Communione ſepararet; ne per hoc daretur exemplum Prælatis Eccleſiæ ſimilia faciendi*. Et ad 2. *Ideo Chriſtus Judam non repulit a Communione, ut daret exemplum tales peccatores non eſſe ab aliis Sacerdotibus expellendos*. Et in 4. cit. *Quia alias daretur facultas malis Sacerdotibus pro ſuo libito punire maxima pœna quos vellent*. Neque dicas Chriſtum non dediſſe Judæ ſuum corpus, ſed ſimplicem panem: id enim falſum probabimus cum Auctore ad q. 81. citatam. Si ulterius dicas inde probari, quod etiam peccatori non petenti liceat dare Sacramentum, quia Judas non petebat. R. Quod cum Judas inter alios diſcumberet, nec poſſet ſine ſcandalo repelli, cenſendus ſit tacite petiiſſe, quod omnibus parabatur. Et hinc evaneſcunt omnes Objectiones.

Si enim objicias 1. quod peccator per peccatum amiſerit jus ad Sacramentum. 2. Quod poſſum manifeſtare furem ut reſtituat ablatum, etiamſi inde infametur. 3. Quod profanatio Sacramenti ſit majus malum quam diffamatio indigne accedentis. 4. Quod nunquam liceat concurrere ad peccatum alienum. 5. Quod præceptum ſit negativum, nolite dare ſanctum canibus. 6. Quod non poſſim reddere gladium volenti ſe vel alium occidere. 7. Quod poſſim aperire crimen volentis ſe occidere corporaliter, ut impediam, etiamſi inde diffametur. 8. Quod non liceat ponere Hoſtiam conſecratam in loco ſordido, neque dare petenti ad magiam. 9. Quod Sacerdos poſſit dare Hoſtiam non conſecratam. Hæc omnia, inquam, & alia hoc uno verbo ſolvuntur, quod in his omnibus non habeamus voluntatem Chriſti, ſicut habemus in caſu Concluſionis, quippe qui illam manifeſtavit ſuo facto in exemplum noſtrum, cedens hac in parte juri ſuo non quidem in favorem peccatoris, qui ideo non excuſatur, ſed in favorem Miniſtrorum & pro tranquillitate Eccleſiæ, & forte propter alias cauſas ſibi notas. Ad ſingula tamen ſuccincte R. Ad 1. Ut peccator non amiſerit jus ad Sacramentum, ſufficit, quod Miniſtro ſit obligatio ex voluntate Chriſti illi miniſtrandi. Ad 2. N. Conſeq. Quia manifeſtationem peccatoris ad Sacramentum accedentis prohibuit Chriſtus propter gravia inconvenientia, quæ non reſultant ex manifeſtatione furis. Ad 3. D. Profanatio eſt majus malum peccatori ſuſcipienti, C. Ipſi Miniſtro, N. Ipſe enim non peccat, nec profanat, ſed facit id, ad quod tenetur ex voluntate Chriſti. Ad 4. Miniſter non concurrit poſitive ad peccatum alterius, ſed permittit tantum ex juſta cauſa, quod in pluribus aliis contingit. Ad 5. præceptum eſt negativum conditionate, ſi Chriſtus non diſpenſaverit, & juri ſuo non ceſſerit: vel non eſt dandum ſanctum canibus ſine cauſa, ſicut non eſt occidendum ſine cauſa. Inſuper iſtud præceptum ad litteram eſt de non annuntiando Evangelio iis, qui inſtar canum illud dilacerant. Ad 6. N. Ant. Si ſubſit juſta cauſa v. g. ad evitandam mortem mihi intentatam. Aliunde non adeſt ibi voluntas Chriſti. Ad 7. Pariter id non prohibuit Chriſtus ſicut prohibuit manifeſtationem peccatoris occulti petentis publice Sacramenta. Adde, quod ex manifeſtatione volentis ſeipſum occidere non ſint nata ſequi inconvenientia ſicut ex noſtro caſu; tum quia eſt de raro contingentibus; tum quia facile poteſt probari furia aut amentia volentis ſeipſum occidere. Ad 8. N. Conſeq. Utrumque enim in caſu nec permiſit, nec præcepit Chriſtus, ſicut præcepit in caſu Concluſionis. Adde, quod ex cauſa liceret etiam ponere in loco ſordido, puta ne conculcaretur ab Infidelibus. Ad ultimum, N. Ant. Quia in Sacramento veritatis non debet haberi fictio & mendacium in facto, neque licet dare ſcienter occaſionem idololatriæ, etiamſi materialis tantum. Aliunde iſta ratio non currit pro Sacramentis aliis ab Euchariſtia.

DISSERTATIO VII.

DE NUMERO, ORDINE ET CÆREMONIIS SACRAMENTORUM, NECNON DE SACRAMENTALIBUS.

Div. Thom. Quæſt. 65.

ARTICULUS I.

De Numero Sacramentorum.

Dico. (*Hic qu. 65. art. 1. 2.*) Sacramenta novæ Legis ſunt 7. nec plura, nec pauciora; ſcilicet Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema-Unctio, Ordo & Matrimonium. Eſt de fide contra Lutheranos & Calviniſtas, qui duo vel tria tantum Sacramenta agnoſcunt; quidam enim Baptiſmum & Cœnam dumtaxat admittunt, alii addunt his duobus Confirmationem, alii Pœnitentiam, alii Ordinem: ita errantes inter ſe dividuntur.

Prob. 1. ex Scripturis, quæ de quolibet Sacramento mentionem faciunt, loca retulimus Differt. 3. a. 2. require. Item referemus, dum de ſingulis Sacramentis. Prob. 2. ex conſtanti Eccleſiæ praxi & ſenſu; Eccleſia quovis tempore damnavit eos, qui ſeptenarium Sacramentorum numerum temerabant: ſic ſæculo 3. damnavit Novatianos, qui Neophytos non confirmabant: ſæculo 4. Manichæos, qui nuptias damnabant: ſæculo 14. VVicleſiſtas Extremam Unctionem rejicientes: ſæculo 16. Lutheranos, Zuinglianos, Calviniſtas, quorum alii duo, alii tria tantum Sacramenta admittebant, ut dictum eſt. Confir. ex ſummo conſenſu Eccleſiæ Græcæ & Latinæ in ſtatuendo ſeptenario Sacramentorum numero. Hunc probant rituelia Græca edita a Jacobo Goar; demonſtrat Leo Allatius; item Jeremias Patriarcha Conſtant. qui in cenſura, qua perſtringit Auguſtanam Lotheranorum Confeſſionem, teſtatur in Eccleſia Græca ſeptem Sacramenta, nec plura, nec pauciora recipi.

Prob. 3. ex Conciliis. Concilium Londinenſe an. 1367. auctoritate Ottonis S. Sedis Legati celebratum, numerat 7. Sacramenta aſſignata. Concilium Florentinum in decreto unionis an. 1439. Sic definit: *Novæ Legis ſeptem ſunt Sacramenta: videlicet Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema-Unctio, Ordo & Matrimonium*: nullo Græcorum contradicente. Concil. autem Trid. ſeſſ. 7. Can. 1. ſic pronuntiat: *Si quis dixerit Sacramenta novæ Legis non fuiſſe a Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta; aut eſſe plura vel pauciora quam ſeptem, videlicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam-Unctionem, Ordinem & Matrimonium, aut etiam aliquod horum ſeptem non eſſe vere & proprie Sacramentum, anathema ſit.*

Prob. 4. ex Patribus. Tertullianus antiquiſſimus Scriptor l. de præſcrip. c. 40. meminit Baptiſmi, Confirmationis, Euchariſtiæ & ſummi Pontificatus, id eſt Ordinis: Pœnitentiæ l. quem inſcripſit de hoc Sacramento: item Ordinis lib. ad uxorem c. 7. & de præſcript. c. 41. ubi addit Ægrotorum curationem, id eſt Extremam Unctionem: Matrimonii l. 2. ad uxorem c. 8. Aug. l. 5. de Bapt. c. 20. memorat Baptiſmum, Euchariſtiam & Oleum, id eſt Extremam Unctionem. Item Oleum Ep. 119. Confirmationem l. 2. contra Litt. Petiliani c. 104. Ordinationem l. 2. cont. Ep. Parmeniani c. 13. & l. 1. de Baptiſ. c. 1. Pœnitentiam in Pſ. 146. Matrimonium l. 1. de nupt. & concupiſ. c. 10. Alii vero Patres modo unius, modo alterius prout occaſio ſe offerebat, meminerunt. Hinc Magiſter ſententiarum, qui floruit circa medium ſæculi 12. ſeptenarium Sacramentorum numerum tamquam rem in Eccleſia conſtanter & communiter receptam adſtruit nemine reclamante, quamvis in pluribus aliis multos habuerit impugnatores. Deinde S. Th. & omnes Scholaſtici, excepto uno Durando, qui matrimonium e numero Sacramentorum expunxit.

Prob. 5. (*Ib.*) ratione congrua Auctoris ex ſimilitudine vitæ ſpiritualis cum corporali. Ad vitam corporalem tum privatam cum publicam ſeptem ſunt neceſſaria. 1. Generandus eſt homo. 2. Augendus & roborandus. 3. Nutriendus. 4. Si infirmatur ſanandus. 5. Reliquiæ infirmitatum removendæ. 6. Quia eſt animal ſociale, conſtituendi ſuperiores, qui rempublicam & ſocietatem regant. 7. Quia eſt mortalis ne pereat ſocietas, neceſſaria eſt legitima maris & fœminæ conjunctio ad propagationem. Ita ad vitam ſpiritualem, quæ conformitatem aliquam habet cum corporali, ſeptem ſunt neceſſaria. 1. Per Baptiſmum renaſcimur. 2. Per Confirmationem augemur & roboramur

in fide. 3. Per Euchariſtiam ſpiritu nutrimur. 4. Per Pœnitentiam ſanamur. 5. Tolluntur reliquiæ peccatorum per Extremam Unctionem. 6. Per Ordinem conſtituuntur Superiores, qui Eccleſiæ ſocietatem regant. 7. Per Matrimonium fit religioſa prolium propagatio & Chriſtiana educatio, non enim eſt ſolum in officium naturæ, ſed eſt etiam Sacramentum gratiæ.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Neque in Scriptura, neque in Patribus invenitur ſeptenarius Sacramentorum numerus ordine & expreſſis verbis definitus: imo quidam Patres duorum tantum, alii trium, alii quatuor meminerunt. S. Dionyſius Areopagita de Eccleſiaſt. Hierarch. ubi prolixe tractat de Sacramentis c. 2. 3. 4. 5. Baptiſmi, Confeſſionis, Euchariſtiæ & Ordinis tantum mentionem facit, c. 7. obiter Pœnitentiæ, ſed nullatenus Matrimonii & Extremæ-Unctionis. Juſtinus in Apologia Baptiſmum & Euchariſtiam tantum nominat. Cyrillus in ſuis Catecheſibus & Ambroſius lib. de Sacramentis his addunt Confirmationem dumtaxat. R. N. Conſeq. Sufficit enim, quod in Scriptura & Patribus inveniantur res, ex quibus colligitur numerus ſeptenarius Sacramentorum, quod ita eſſe probavimus. Neque ullus Patrum unquam aſſeruit eſſe tantum vel duo, vel tria Sacramenta; ſed modo duorum, modo trium, modo plurium meminerunt, prout occaſio ferebat, & ſuo propoſito conveniebat. Sic Dionyſius non meminit Matrimonii, & Extremæ Unctionis, quia ex profeſſo non agebat de Sacramentis, ſed de actibus hierarchicis, ſeu officiis ſacris, quæ in Eccleſia ſolemniter & cum quadam conſecratione exercentur. Nec tamen omnino ſiluit de Extrema-Unctione, dum cap. 4. loquitur de Conſecratione *ſacri Olei*, quo nomine intelligitur non ſolum Chriſma, aut Oleum Catechumenorum, ſed etiam infirmorum. Juſtinus agit de Baptiſmo & Euchariſtia, quia intendebat retundere calumniam Gentilium, qui dicebant Chriſtianos baptizari malefica ſuperſtitione, & eos apponere in ſacra Menſa carnes infantium trucidatorum. Cyrillus & Ambroſius ibi inſtruunt Catechumenos, & ideo loquuntur de Baptiſmo, Confirmatione & Euchariſtia, quæ ſolebant tunc ſimul eis dari.

Inſt. ex Aug. 1. S. Doctor Ep. 118. nunc 54. & l. 3. de Doct. Chriſtiana c. 9. numerat tantum duo Sacramenta, Baptiſmum ſcilicet & Euchariſtiam. 2. Tract. 120. in Joan. dicit ex latere Chriſti fluxiſſe Sacramenta Eccleſiæ, quod & alii Patres dicunt. 3. Conſuetum erat antiquis Religionis Myſteria Gentibus occultare. At juxta Aug. in Pſ. 103. duo tantum Baptiſmus & Euchariſtia occultabantur: *Quid eſt*, inquit, *quod occultum eſt & non publicum in Eccleſia? Sacramentum Baptiſmi, Sacramentum Euchariſtiæ: Opera enim noſtra vident Pagani, Sacramenta vero occultantur illis*. R. ad 1. Auguſtinum alibi pluriurum Sacramentorum meminiſſe, ut probavimus: imo & in iis ipſis locis objectis alia eſſe quam duo nominata aperte indicat. Dicit enim 1. loco: *Sicuti eſt Baptiſmus Trinitatis nomine conſecratus, & communicatio Corporis & Sanguinis Domini, & ſi quid aliud in Scripturis Canonicis commendatur*. In 2. loco: *Sicut eſt Baptiſmus & celebratio Corporis Chriſti*; quo loquendi modo manifeſte patet hæc duo ex pluribus aliis proferri in exemplum. Ad 2. Sub duobus Sacramentis cætera comprehenduntur, quia Baptiſmus eſt janua aliorum Sacramentorum, Euchariſtia finis & præſtantiſſimum omnium. Aliunde Aug. loquitur ibi de ædificatione Eccleſiæ, ad quam concurrit *Sanguis Redemptionis*, per quem ſoluto pretio redempti ſumus, & Baptiſmus, per quem regeneramur. Ad 3. Duo numerat, ſed alia non excludit, imo alia aſſerit ibidem; dicit enim: *Munus Sacramentorum in Baptiſmo, in Euchariſtia, & in cæteris ſanctis Sacramentis*. Inſuper Baſilius de Spiritu S. c. 2. dicit *Olei unctionem* etiam occultari. Chryſoſt. hom. 58. in 2. Cor. inter ſecreta recenſet Ordinationem: ſi ergo valeat argumentum, debent Heretici agnoſcere Sacramenta Extremæ Unctionis & Ordinis.

Obj. 2. Lotio pedum eſt Sacramentum. Ergo ſunt pluſquam 7. Sacramenta. Prob. Ant. 1. Eſt ſignum ſenſibile, 2. Eſt ſignum gratiæ, Joan. 13. v. 8. *Si non lavero te, non habebis partem mecum*. v. 10. *Qui lotus eſt, non indiget, niſi ut pedes lavet, ſed eſt mundus totus*: quæ verba ſignificant mundationem a peccatis venialibus, quæ poſt gratiam baptiſmalem committuntur, & ſignificantur pulvere pedum. Et v. 7. *Quod ego facio, tu neſcis modo, ſcies autem poſtea*: quæ verba indicant ſignificationem myſticam in ea lotione latitare. Eſt ſignum a Chriſto inſtitutum & præceptum v. 14. *Si ergo ego lavi pedes veſtros Dominus & Magiſter, & vos debetis alter alterius lavare pedes: Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis*. Atqui hæc tria conſtituunt verum Sacramentum. Ergo. R. N. Ant. Namque lotionem pedum non fuiſſe a Chriſto Domino inſtitutam & præceptam tanquam Sacramentum certo conſtat ex ipſa Eccleſia, quæ ſeptem tantum agnoſcit Sacramenta, & cujus diſciplina varia & inconſtans circa hanc pedum lotionem evidenter probat, eam nunquam habuiſſe ut Sacramentum. Ambroſ. l. 3. de Sacram. c. 1. teſtatur Eccleſiam Romanam omnium Matrem eam non obſervare. Eccleſia Hiſpaniarum teſte Iſidoro l. 6. Etymolog. c. 7. non ſolum pedes, ſed caput baptizandorum lavabat Dominica Palmarum; unde hæc lotio dicta eſt *Capitilavium*. Eundem morem ſervatum fuiſſe in Galliis refert Alcuinus l. de Eccleſiaſticis officiis. Deinde Eccleſia Hiſpanica in Concilio Illiber. Can. 48. prohibuit lavari a Sacerdotibus & Clericis pedes eorum, qui baptizabantur. De Eccleſia Africana ſcribit Aug. ad Jan. Ep. 55. alias 119. c. 18. *Ne ad ipſum Sacramentum Baptiſmi videretur pertinere* (lotio pedum), *multi hoc in conſuetudine recipere noluerunt: nonnulli etiam de conſuetudine auferre non dubitarunt*. Ex quibus evidens eſt lotionem pedum nunquam habitam fuiſſe in Eccleſia ut Sacramentum a Chriſto inſtitutum & præceptum, ſed in quibuſdam ut cæremoniam Eccleſiaſticam. Inſuper ſi lotio pedum eſſet Sacramentum remiſſivum venialium, ut volunt, cur ſemel tantum in anno & non quotidie adhiberetur, cum ſint quotidiana peccata venialia? Cur ante Baptiſmum adhibebatur, cum peccata venialia non dimittantur ante mortalia, quæ per ſolum Baptiſmum diluuntur? Itaque

Ad prob. N. Quod ſit ſignum practicum gratiæ conferendæ vi iſtius lotionis, quod requiritur ad rationem veri Sacramenti, ſed ſignum fuit humilitatis & charitatis a nobis exercendæ pro remiſſione venialium, quarum virtutum per hanc lotionem Chriſtus dedit nobis exemplum, juxta illius verba: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci*, &c. Hæc igitur verba: *Et vos debetis alter alterius lavare pedes*, metaphorice ſunt intelligenda de præcepto humilitatis & charitatis. Iſta: *Si non lavero te, non habebis partem mecum*, non ſignificant gratiæ promiſſionem per hanc actionem conferendæ, ſed comminationem privandi Petrum vel conſortio & familiaritate Chriſti, vel ſacra menſa, quæ parabatur, vel Regno Cælorum, non quod hæc ablutio ut talis eſſet abſolute neceſſaria, ſed obedientia. Horum autem verborum: *Qui lotus eſt, non indiget, niſi ut pedes lavet, ſed eſt mundus totus*; ſenſus eſt, quod ſicut qui eſt lotus, eſt totus id eſt toto corpore mundus, nec indiget alio lavacro, niſi quo pedes lavet, qui pavimenti pulvere, quod calcat, iterato infecti ſunt: ſic vos, qui Baptiſmi lavacro eſtis toti mundi, ſolum leviori aliqua lotione indigent pedes, ideſt affectus animi veſtri, qui ex terrenarum rerum pulvere, in quo verſantur, ſubinde leves ſordes contrahunt: recte enim per pedes ſignificantur affectus, quia ſicut corpus pedibus, ita anima movetur affectibus. Hæc autem lotio perficitur contritione, Sacramento Pœnitentiæ, humilitate, charitate, &c. quorum hæc externa lotio Symbolum fuit. Quod addit: *Sed eſt mundus totus*; non ſignificat eum ex omni parte mundum eſſe, qui pedes adhuc immundos habet, ſed quod per Baptiſmum ita ſit mundus, ut poſſit ſimpliciter dici mundus & juſtus, etiamſi una aliqua parte adhuc parum ſit immundus. Ex quo ſequitur contra Sectarios, quod regenerati per Baptiſmum, aut reconciliati per Pœnitentiam, recte vocentur ſimpliciter & ſint juſti, quamvis peccata venialia committant. Ita Eſtius & Tirinus poſt S. Aug. Rupertum & Bernardum. Tandem horum verborum: *Tu neſcis modo, ſcies autem poſtea*; ſenſus eſt: Tu non intelligis modo cauſam & myſterium hujus lotionis, *ſcies autem poſtea*, cum myſterium hoc vobis expoſuero verſu 12. *Scitis quid fecerim vobis*, &c.

Inſt. Ambroſ. l. 3. de Sacramentis c. 1. dicit ritum illum lavandi pedes non ad humilitatem, ſed etiam ad ſanctificationem inſtitutum fuiſſe: *Ideo*, inquit, *lavat pedes, ut in ea parte, in qua inſidiatus eſt ſerpens, majus ſubſidium ſanctificationis accedat*. Et lib. de Myſteriis c. 6. *Ideo*, inquit, *planta ejus* (Petri) *abluitur, ut hæreditaria peccata tollantur: noſtra enim propria per Baptiſmum relaxantur*. S. Bern. ſerm. in cœna Domini 1. annumerat Sacramentis lotionem pedum. *Ad hoc*, inquit, id eſt ad communicationem gratiæ, *Inſtituta omnia Sacramenta, ad hoc Euchariſtiæ participatio, ad hoc pedum lotio, ad hoc denique ipſe Baptiſmus*. Deinde dicit pedum ablutionem eſſe revera Sacramentum ſignificans remiſſionem peccatorum venialium: *Nam*, inquit, *ut de remiſſione quotidianorum minime dubitemus, habemus ejus Sacramentum pedum ablutionem*. Denique probat ablutionem pedum fuiſſe factam non ſolum ad humilitatis exemplum, ſed etiam ut Sacramentum ad venialium peccatorum expiationem: *Vis*, inquit, *noſſe, quod pro Sacramento illud eſt, non pro ſolo exemplo factum? illud attende, quod Petro dictum eſt, ſi non lavero te, non habebis partem mecum ... Unde ſcimus, quia ad diluenda peccata, quæ non ſunt ad mortem, & a quibus plene cavere non poſſumus ante mortem, ablutio iſta pertineat? Ex eo plane, quod offerenti manus & caput pariter abluendum, reſponſum eſt: Qui lotus eſt, non indiget, niſi ut lavet pedes?* Ergo.

R. Ex

R. Ex dictis hos & alios Patres, qui ſimiliter loquuntur, ſumere Sacramentum latiori ſenſu pro omni ſigno gratiæ ſeu remiſſionis peccatorum, quamvis illam non efficiat, quod tamen requiritur ad rationem veri Sacramenti novæ Legis, quod eſt gratiæ ſignum non ſpeculativum tantum, ſed practicum, id eſt per ſe effectivum illius, quod ſignificat. Neque enim uſquam dicunt iſtam pedum ablutionem habuiſſe per ſe vim ſanctificandi, aut peccata venialia remittendi. Itaque ad Ambroſium 1. dicit illum ritum inſtitutum fuiſſe non ſolum ad humilitatem, ſed etiam ad ſanctificationem, ſignificandam ſcilicet, non tamen efficiendam, niſi per humilitatis & charitatis exercitium, cujus hæc lotio fuit ſymbolum & exemplum. 2. Per hæreditaria peccata non intelligit peccatum originale, quaſi per Baptiſmum non diluetetur, ſi quidem expreſſe dicat l. citato de Myſteriis & 3. de Sacramentis, *in Baptiſmo omnis culpa diluitur:* ſed per hæreditaria peccata intelligit concupiſcentiam, quam ab Adamo hæreditarie & ex naturali nativitate contrahimus, quamque vocant peccatum, quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat. Ita ſeipſum explicat S. Doctor in Pſ. 48. ubi quod l. de Myſteriis vocaverat *Hæreditaria peccata*, vocat *lubricum calcanei: Lavemus & pedes*, inquit, *ut calcanei lubricum poſſimus auferre, quo fida ſtatio poſſit eſſe virtutum, & ne paveat quis errore labatur, qui ſuo paratus eſt ſtare propoſito, & non metuat lubricum hæreditatis, qui cupit veſtigium tenere virtutis*. Senſus itaque Ambroſii in utroque loco eſt, quod poſt mundationem baptiſmalem requiratur adhuc alia, quia hæreditaria concupiſcentia continetur, ne effluat ad quotidiana peccata, & ipſa, ſi commiſſa ſint, emundentur, quæ emundatio ſignificatur quidem, ſed non efficitur per lotionem pedum, niſi mediante exercitio virtutum, quarum eſt ſymbolum. Ad Bernardum 1. annumerat lotionem pedum Sacramentis, prout Sacramentum late ſumitur pro ſigno rei ſacræ, quam tamen non efficit. 2. Eodem ſenſu dicit pedum ablutionem eſſe Sacramentum remiſſionis peccatorum quotidianorum, quia illam ſignificat, non quia illam efficit. 3. Denique non eſſe tantum inſtitutam in exemplum, ſed etiam ut Sacramentum ad venialium peccatorum expiationem, quia illam peregit Chriſtus, non præciſe ut ejus exemplo lavaremus pedes aliorum civiliter, ut olim fiebat in conviviis, ſed ex humilitate & caritate, quibus diluerentur peccata venialia.

Obj. 3. Sunt ſeptem Ordines, & quilibet ex S. Th. eſt Sacramentum. Ergo ſunt pluſquam ſeptem Sacramenta. R. D. Ant. Et omnes ſunt Sacramenta abſoluta ab Ordine ad unum principale, cui deſerviant, & quod participent, N. Ordinata ad unum ſcilicet Sacerdotium, cui deſerviunt, & quod participant, C. Ratione autem hujus Ordinis ad unum principale omnes Ordines dicuntur unum Sacramentum. Unde neganda eſt Conſequentia. Sed de hoc argumento alibi.

ARTICULUS II.

De comparatione Sacramentorum ad invicem.

HÆC comparatio poteſt attendi tripliciter: 1. penes ordinem, qui ipſis competit reſpective ad ſuos proprios fines. 2. Quantum ad dignitatem. 3. Quantum ad neceſſitatem. Dico 1. (*Ib. a. 2. o.*) Sacramenta reſpective ad fines proprios convenienter ſic ordinantur: Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, Matrimonium. Ita Florent. & Trid. Art. præced. citata.

Prob. (*Ibid.*) Sacramenta, quæ ordinantur ad perfectionem unius perſonæ, naturaliter præcedunt ea, quæ ordinantur ad perfectionem multitudinis, unum enim eſt prius quam multitudo. Atqui quinque prima ordinantur ad perfectionem unius, duo ultima ad perfectionem multitudinis. Ergo convenienter ultimo ponantur Ordo & Matrimonium; Matrimonium tamen poſt Ordinem, eo quod minus participat de ratione ſpiritualis vitæ; ad quam ordinantur Sacramenta. Inter ea vero, quæ ordinantur ad perfectionem unius perſonæ, naturaliter ſunt priora illa, quæ per ſe ordinantur ad perfectionem vitæ ſpiritualis, quam illa, quæ ordinantur per accidens, ſcilicet ad removendum accidens nocivum ſupervenieus, cujuſmodi ſunt Pœnitentia, & Extrema-Unctio: poſterior tamen eſt naturaliter Extrema Unctio, quæ conſummat ſanationem, quam Pœnitentia, quæ inchoat. Inter alia vero tria manifeſtum eſt, quod Baptiſmus, qui eſt ſpiritualis regeneratio, eſt prior, & inde Confirmatio, quæ ordinatur ad formalem perfectionem virtutis, & poſtmodum Euchariſtia, quæ ordinatur ad conſecutionem finis, & eſt cibus perfectorum & quaſi virorum, quales conſtituit Confirmatio.

Dices 1. Euchariſtia eſt nutrimentum, & Confirmatio eſt augmentum. Atqui prius eſt nutrimentum quam augmentum. Ergo. R. (*Ib. ad 3.*) quod nutrimentum & præcedit augmentum ſicut cauſa ejus, & ſubſequitur augmentum ſicut conſervans hominem in perfecta quantitate & virtute. Et ideo Euchariſtia poteſt præmitti Confirmationi, ut Dionyſius facit in lib. de Eccleſiaſt. Hier. & poteſt poſtponi, ſicut magiſter fecit in 4. quem ſecuti ſunt Scholaſtici & Concil. Florent. & Trid. nec immerito, quia Euchariſtia eſt, ut dixi, cibus perfectorum & quaſi virorum, quos conſtituit Confirmatio.

Dices 2. Pœnitentia præparat hominem ad Euchariſtiam. Atqui præparatio præcedit perfectionem. Ergo. R. D. Ant. (*Ib. ad 4.*) Pœnitentia præparat hominem ad Euchariſtiam per accidens ex ſuppoſitione peccati, C. Per ſe, N. Nam ſi aliquis eſſet ſine peccato mortali, non indigeret Pœnitentia ad ſumptionem Euchariſtiæ.

Dico 2. (*Ibid. a. 3. o.*) Sacramentum Euchariſtiæ eſt inter cætera excellentius & dignius. 1. (*Ibid.*) Quia in Sacramento Euchariſtiæ continetur ipſe Chriſtus ſubſtantialiter: in aliis autem Sacramentis continetur tantum quædam virtus inſtrumentalis participata a Chriſto. Atqui quod eſt per eſſentiam, eſt potius eo quod eſt per participationem. Ergo. 2. (*Ibid.*) Quia omnia Sacramenta ordinantur ad Euchariſtiam tanquam ad finem. Imprimis manifeſtum eſt, quod Ordo ordinetur ad ejus confectionem, Baptiſmus ad ejus receptionem, item & Confirmatio, qua quis perficitur in fide, quæ eſt optima diſpoſitio ad Euchariſtiam. Pœnitentia & Extrema Unctio etiam præparant ad Euchariſtiam ex occaſione peccati. Tandem Matrimonium ratione ſuæ ſignificationis attingit hoc Sacramentum, in quantum ſignificat conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, quam Euchariſtia perficit. Circa Extremam-Unctionem obſervandum eſt, quod quamvis verum ſit per Extremam Unctionem, quæ tollit reliquias peccatorum, hominem melius diſponi ad Euchariſtiam & ejus effectum, ideoque ſit licitum Extremam-Unctionem Viatico præmittere, ut non raro fiebat antiquitus, juxta cap. *Ab infirmo* cauſa 26. q. 7. ubi dicitur: *Sacra Olei Unctione inuncti ſecundum ſtatuta SS. Patrum communione Viatici reficiantur*. Quia tamen ſæpe contingit, quod ægrotantes in extremis non valeant recipere Communionem, conſuetudo obtinuit eos prius communicare, quam ungere.

Dico 3. (*Ib. a. 4. o.*) Tria Sacramenta ſunt ſimpliciter neceſſaria, Baptiſmus omnibus, Pœnitentia lapſis, Ordo toti Eccleſiæ, quia ubi non eſt gubernator, populus corruet Prov. 11. Cætera vero Sacramenta non ſunt ſimpliciter neceſſaria, ſed ſecundum quid tantum, id eſt utilia ut convenientius & commodius finis habeatur. De hac iterum materia, cum de ſingulis Sacramentis.

ARTICULUS III.

De Cæremoniis Sacramentorum.

CÆREMONIÆ Sacramentorum ſunt actus exteriores religioſi. Quædam ſunt Sacramentis eſſentiales, ut ſunt quæ verſantur circa materiam & formam, intentionem & poteſtatem Miniſtri, de quibus huc uſque egimus. Aliæ ſunt accidentales, quæ ritum eſſentialem vel præcedunt, vel comitantur, vel ſubſequuntur, & ſine quibus ſubſiſtit Sacramentum. De his generaliter conſideratis hic agitur; de iis enim, quæ quodlibet Sacramentum in particulari ſpectant, dicemus ſuis locis. Igitur de cæremoniis Sacramentorum ut ſic quatuor quærimus: 1. Quæ ſint earum utilitates? 2. Utrum myſticam & ſymbolicam ſignificationem contineant? 3. Utrum ſit in Eccleſia poteſtas eas inſtituendi? 4. Utrum ſit obligatio eas obſervandi? Unde

Dico 1. Variæ ſunt utilitates cæremoniarum in Sacramentis a Concilio Trid. & ejus Catechiſmo deſignatæ. Concilium ſeſſ. 22. de Sacrificio Miſſæ c. 5. ſic habet: *Cum natura hominum ea ſit, ut non facile queat ſine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem ſuſtolli, propterea pia mater Eccleſia ritus quoſdam, ut ſcilicet quædam ſubmiſſa voce, alia vero clariore in Miſſa pronuntiarentur, inſtituit. Cæremonias item adhibuit, ut myſticas benedictiones, lumina, thymiamata, veſtes, aliaque id genus, multa ex Apoſtolica diſciplina & traditione, quo & majeſtas tanti Sacrificii commendaretur, & mentes Fidelium per hæc viſibilia Religionis & Pietatis ſigna ad rerum altiſſimarum, quæ in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitarentur.* Catechiſmus parte 2. num. 10. *Ad materiam & formam*, inquit, *accedunt cæremoniæ, quæ tametſi prætermitti ſine peccato non poſſunt, niſi aliud facere ipſa neceſſitas cogat: tamen ſi quando omittantur, quoniam rei naturam non attingunt, nihil de vera Sacramenti ratione imminui credendum eſt. Ac merito quidem a primis uſque Eccleſiæ temporibus illud ſemper ſervatum eſt, ut Sacramenta ſolemnibus quibuſdam cæremoniis miniſtrarentur. Primum enim maxime decuit, ſacris Myſteriis*

viis eam Religionis cultum tribuere, ut ſancta ſancte tractare videamur. Præterea, quæ Sacramento efficiuntur, cæremoniæ ipſæ declarant, ac veluti ante oculos ponunt, & eorum rerum ſanctitatem in animos fidelium altius imprimunt. Deinde vero mentes illorum, qui eas intuentur & diligenter obſervant, ad ſublimium rerum cogitationem erigunt, fidemque in iis & charitatem excitant: quo major & diligentia adhibenda erit, ut fideles vim cæremoniarum, quibus ſingula Sacramenta conficiuntur, cognitam & perſpectam habeant.

Ex his habemus cæremonias valere; 1. Ut dignitas Sacramentorum commendetur, eiſque reverentia concilietur. 2. Ut Miniſtri videantur ſancta ſancte tractare. 3. Ut eorum, quæ in Sacramentis peraguntur, virtus, efficacia, myſterium magis innoteſcant, & quaſi ob oculos ponantur, & inde excitetur & nutriatur fides & pietas fidelium, eorumque mentes ad contemplationem ſupernaturalium erigantur. Falſo itaque & calumnioſe nobis imponunt Hæretici 1. Nos in his cæremoniis præcipuas cultus divini partes reponere. 2. Nos docere ab eis pendere eſſentiam Sacramentorum. 3. Nos eis tribuere vim ſanctificandi ſicut Sacramentis. Hæc ſibi fingunt monſtra, ut oppugnent. Pari jure calumniari poſſunt cæremonias, quas Chriſtus adhibuit in inſtitutione Euchariſtiæ, elevando oculos in Cœlum, benedicendo panem & frangendo; item in inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ inſufflando in diſcipulos, &c.

Dico 2. Cæremoniæ Sacramentorum non ſunt inſtitutæ ob ſolam decentiam cultus divini, neque ob ſolum commodum Miniſtrorum & adſtantium, aut fortuito; ſed etiam ob ſymbolicam & myſticam ſignificationem; quam continent. Ratio eſt: 1. Quia alioquin non eſſet ratio, cur ſpecialiter fidem & charitatem fidelium excitarent & augerent, eorumque mentes ad rerum ſublimium contemplationem erigerent, ut loquuntur Trid. & ejus Catechiſmus, cum hæc non niſi ratione myſticæ ſignificationis præſtent. 2. Omnes antiquæ Legis cæremoniæ erant ſymbolicæ & futurorum ſignificativæ. In nova Lege inſufflatio Chriſti in diſcipulos fuit Symbolica. Apocal. 8. incenſum eſt ſymbolum orationis: & multa alia. 3. Nemo eſt, qui tot cæremonias in Sacramentis adhiberi ſolitas, v. g. in Baptiſmo conſecrationem aquæ cum chriſmate; oblationem baptizandi ante fores Eccleſiæ; ſignum crucis applicatum fronti, pectori, oculis, auribus & humeris, exorciſmos, impoſitionem manuum ſuper caput baptizandi, tactum narium & aurium cum ſaliva, deguſtationem ſalis, abrenuntiationem Diabolo, Unctionem pectoris & ſcapularum, &c. nemo eſt, inquam, qui tot cæremonias ad ſolam decentiam, aut fortuito, aut ad ſublevamen Miniſtrorum & adſtantium inſtitutas reputet, cum ſint potius in eorum corporale gravamen; ſed omnes iis aliquid ſublime & divinum ſignificari apprehendunt.

Dices. Uſus cereorum primitus inſtitutus fuit in ſublevamen Chriſtianorum, qui noctu in locis ſubterraneis ſacra peragere cogebantur. Similiter uſus incenſi, ut depelleretur fœtor, qui ex his locis exhalabat. Ergo. R. Hos uſus non ad illos ſolos fines fuiſſe inſtitutos, ſed etiam in iis myſticam ſignificationem intendiſſe Eccleſiam. Juxta Hieronymum adverſus Jovin. accendebantur cerei, non ſolum ad depellendas tenebras, ſed etiam in ſignum lætitiæ & fidei vivæ. Thus, juxta Auctorem (*Infra q. 8. a. 5. ad 2.*), adhibetur non ſolum ad depellendum pravum odorem in reverentiam Sacramenti, ſed etiam ad ſignificandum effectum gratiæ, qua ſicut bono odore Chriſtus plenus fuit, & a Chriſto derivatur in fideles officio Miniſtrorum, & ideo undique thurificato Altari, per quod Chriſtus deſignatur, thurificantur omnes per ordinem. Plures alias ſacrificii cæremonias ſecundum myſticam ſignificationem ibidem explicat S. Doctor, alias alibi. De omnibus accurate ſecundum eundem ſenſum diſcurrit Durandus Epiſcopus Mimatenſis in *Rationali*.

Dico 3. Eccleſia habet poteſtatem inſtituendi cæremonias. Prob. 1. Juxta Aug. Ep. 54. alias 118. Apoſt. 1. Cor. 11. hanc poteſtatem indicavit dicens: *Cætera cum venero diſponam*: & inter hæc, quæ promittit Apoſtolus, agnoſcit Auguſtinus cæremoniam ſeu Legem de Euchariſtia jejune ſumenda.

2. Quovis tempore hanc poteſtatem in ſe agnovit & uſurpavit Eccleſia. Juſtinus in fine Apologiæ memorat ſacros conventus diei Dominicæ, ordinem precum, Benedictionem Antiſtitum, Diaconorum miniſterium, aquæ vinique oblationes, & ritum Euchariſtiæ conſecrandæ. Tertullianus lib. de Corona militis, abrenuntiationes, quæ fiunt in Baptiſmo, genuflexiones, ſignum Crucis fronti impreſſum, conſuetudinem ſtandi in orationibus a Paſchate ad Pentecoſten. Cyprianus Ep. ad Magnum, Cyrillus Jeroſ. Serm. ad Catechumenos laudant Exorciſmos Baptiſmi. S. Baſilius de Spiritu S. c. 27. cæremonias in Sacrificio Miſſæ uſurpari ſolitas. Idem probant antiquiſſima Eccleſiæ tam Græcæ quam Latinæ Ritualia & Liturgiæ. Unde Concil. Trid. ſeſſ. 21. cap. 2. *Declarat hanc poteſtatem perpetuo in Eccleſia fuiſſe, ut in Sacramentorum diſpenſatione ſalva eorum ſubſtantia, ea ſtatueret vel mutaret, quæ ſuſcipientium utilitati, ſeu ipſorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum & locorum varietate, magis expedire judicaret.*

3. Ratio, quam innuit Trid. aperte evincit. In omni Republica bene ordinata admittenda eſt poteſtas diſponendi, ordinandi, ſtatuendi, quæ pro rerum, locorum & temporum varietate ſunt neceſſaria vel utilia ad ejus conſervationem, promotionem, ornatum & decentiam, civiumque commodum & ſalutem temporalem. Ergo ſimilis poteſtas non eſt Eccleſiæ deneganda in ordine ſpirituali. Subſumo. Atqui ad conſecrationem & promotionem Religionis & cultus divini, ad Sacramentorum majeſtatem commendandam, eique reverentiam conciliandam, ad fidem pietatemque fidelium excitandam, fovendam, augendam conferunt cæremoniæ, ut dictum eſt. Ergo.

Dico 4. Miniſtri etiam ſecluſo ſcandalo aut contemptu tenentur ſub peccato ſervare cæremonias ſive ab Eccleſia univerſa, ſive a ſua particulari Eccleſia præſcriptas, in adminiſtratione Sacramentorum. Prob. 1. Trid. Seſſ. 7. Can. 13. verbis: *Si quis dixerit receptos & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos, aut contemni, aut ſine peccato a Miniſtris pro libito omitti, aut novos alios per quemcunque Eccleſiæ Paſtorem mutari poſſe, anathema ſit.* 2. Tenemur ſub peccato, etiam ſecluſo ſcandalo aut contemptu. obedire ſuperiori legitime præcipienti. 3. Si cuilibet Paſtori privato liceret pro libitu cæremonias Sacramentorum mutare, receptas abolere, antiquatas innovare, aut novas inducere, foret in Eccleſiæ diſciplina maxima confuſio & deformitas. Hinc inferes eum peccare mortaliter, qui omittit aliquam cæremoniam notabilem, puta ſi ſine veſtibus ſacris, aut lumine celebret; venialiter tantum, qui levem omittit.

ARTICULUS IV.

De Sacramentalibus.

SACRAMENTALIA hic dicimus, non quod ſint Sacramentorum cæremoniæ, aut ad Sacramenta pertineant, ſed propter aliquam ſimilitudinem cum Sacramentis, quatenus cum Sacramenta cauſant gratiam juſtificantem, ſacramentalia cauſant remiſſionem peccatorum venialium. Sex ſacramentalia communiter aſſignantur a Recentioribus Theologis hoc verſu comprehenſa.

Orans, tinctus, edens, confeſſus, dans, benedicens.

Orans ſignificat Orationem Dominicam aut alias preces ab Eccleſia præſcriptas, ſeu in Eccleſia ſolemniter recitata. *Tinctus* ſignificat aſſumptionem ſeu aſperſionem aquæ benedictæ. *Edens* ſignificat panem benedictum, qui ſolebat olim dari Catechumenis loco Euchariſtiæ, aut etiam baptizatis in die Paſchatis, & qui nunc adhuc datur in quibuſdam Eccleſiis diebus Dominicis inter Miſſarum ſolemnia. *Confeſſus* ſignificat confeſſionem generalem, quæ præmittitur Miſſæ, aut fit in Prima & Completorio. *Dans* ſignificat Eleemoſinam. *Benedicens* Benedictionem Epiſcoporum & Abbatum.

Verum cur largitio Eleemoſynæ & Oratio Dominica, niſi fiat nomine Eccleſiæ, aut in loco conſecrato, recenſeatur inter ſacramentalia potiuſquam quodvis aliud bonum opus morale, non video. Neque e contra video, cur inter Sacramentalia non numerentur aſperſio Cinerum, benedictio Palmarum & Candelarum, conſecratio Eccleſiarum & plura alia. Sed quidquid ſit de numero Sacramentalium, cum eis tribuatur a Patribus & Theologis vis remittendi peccata venialia, quæſtio eſt, quomodo illa remittant, an ex opere operato, an ex opere operantis?

Dico. Sacramentalia non remittunt venialia ex opere operato, ſed ex opere operantis tantum & per modum impetrationis. Prob. 1. Nullum eſt neque in Scriptura, neque in Conciliis, neque in Patribus fundamentum tribuendi Sacramentalibus vim remittendi peccata venialia ex opere operato. 2. Nullibi legitur Chriſtum dediſſe Eccleſiæ poteſtatem remittendi immediate venialia. Ergo nec inſtituendi Sacramentalia, quæ vi propria illa remittant. 3. Quamvis Eccleſiæ tribuatur poteſtas relaxandi pœnas temporales peccatorum per indulgentias, eo quod iſta relaxatio conſiſtat in ſola condonatione extrinſeca; attamen peccatum Veniale remitti non poteſt, quin tollatur ejus macula in anima, in qua Eccleſia nullam habet poteſtatem. Igitur Sacramentalia remittunt peccata Venialia ex opere operantis, in quantum excitant motus deteſtationis illorum, aut reverentiæ in Deum & res ſacras, quibus motibus obtinetur remiſſio venialium: hujuſmodi autem motus excitant non ſolum objective ſicut cruces,

ima-

imagines, prædicationes, &c. ſed etiam impetratoriæ, quatenus adhibentur nomine Eccleſiæ, quæ majorem habet vim impetrandi, quam perſonæ particularis: ſæpe enim Princeps concedit precibus totius Communitatis, quod denegat precibus unius particularis.

Ita colligimus ex Angelico Doctore, (*infra q. 87. a. 8.*) cujus ſunt hæc verba. *Triplici ratione aliqua cauſant remiſſionem venialium. Uno modo in quantum in eis infunditur gratia, quia per infuſionem gratiæ tolluntur venialia peccata, ut ſupra dictum eſt. Et hoc modo per Euchariſtiam & Extremam Unctionem, in quibus confertur gratia, peccata venialia remittuntur. 2. In quantum ſunt cum aliquo motu deteſtationis peccatorum: & hoc modo Confeſſio generalis, tunſio pectoris & Oratio Dominica operantur ad remiſſionem venialium peccatorum. 3. Modo in quantum ſunt cum aliquo motu reverentiæ in Deum & ad res divinas. Et hoc modo Benedictio Epiſcopalis, aſperſio aquæ benedictæ, qualibet Sacramentalis unctio: Oratio in Eccleſia dedicata, & ſi aliqua alia ſunt hujuſmodi, operantur ad remiſſionem venialium peccatorum.*

TRACTATUS
DE BAPTISMO.

Div. Thom. Quæſt. 66. ad 72.

SUMMA
DOCTRINÆ CATHOLICÆ DE BAPTISMO
EX CONCILIIS FLORENTINO ET TRIDENTINO.

Decretum (*Sub Eugen. IV. anno 1439. S. Th. Opuſc. 5.*) Concilii Florentini pro Inſtructione Armenorum.

Primum omnium Sacramentorum locum tenet ſanctum Baptiſma, quod vitæ ſpiritualis janua eſt: per ipſum enim membra Chriſti, ac de corpore efficimur Eccleſiæ. Et cum per primum hominem mors introierit in univerſos; niſi ex aqua & ſpiritu renaſcimur, non poſſumus, ut inquit Veritas, in Regnum cœlorum introire. Materia hujus Sacramenti eſt aqua vera & naturalis. Nec refert, frigida ſit an calida. Forma autem eſt: Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus S. Non tamen negamus, quin & per illa verba, (Baptizetur.) baptizetur talis ſervus Chriſti in nomine Patris & Filii & Spiritus S. vel, baptizatur manibus meis talis in nomine Patris & Filii & Spiritus S. verum perficiatur Baptiſma: quoniam cum principalis cauſa, ex qua Baptiſmus virtutem habet, ſit ſancta Trinitas; inſtrumentalis autem ſit Miniſter, qui tradit exterius Sacramentum, ſi exprimitur actus, qui per ipſum exercetur Miniſtrum, cum ſanctæ Trinitatis invocatione, perficitur Sacramentum. Miniſter hujus Sacramenti eſt Sacerdos, cui ex officio competit baptizare. In cauſa autem neceſſitatis non ſolum Sacerdos vel Diaconus, ſed etiam Laicus vel Mulier, immo etiam Paganus & Hæreticus baptizare poteſt, dummodo formam ſervet Eccleſiæ, & facere intendat, quod facit Eccleſia. Hujus Sacramenti effectus eſt remiſſio omnis culpæ originalis & actualis; omnis quoque pœnæ, quæ pro ipſa culpa debetur. Propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis injungenda eſt ſatisfactio, ſed morientes, antequam culpam aliquam committant, ſtatim ad Regnum cœlorum & Dei viſionem perveniunt.

Canones Concilii Tridentini de Baptiſmo (*Seſſ. 7. 3. Martii 1547. ſub Paulo III.*)

I. Si quis dixerit, Baptiſmum Joannis habuiſſe eandem vim cum Baptiſmo Chriſti, anathema ſit.

II. Si quis dixerit, aquam veram & naturalem non eſſe de neceſſitate Baptiſmi; atque ideo verba illa Domini noſtri Jeſu Chriſti, niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, ad metaphoram aliquam detorſerit, anathema ſit.

III. Si quis dixerit, in Eccleſia Romana, quæ omnium Eccleſiarum Mater eſt & magiſtra, non eſſe veram de Baptiſmi Sacramento doctrinam, anathema ſit.

IV. Si quis dixerit, Baptiſmum, qui etiam datur ab Hæreticis in nomine Patris & Filii & Spiritus S. cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia, non eſſe verum Baptiſmum, anathema ſit.

V. Si quis dixerit, Baptiſmum liberum eſſe, hoc eſt, non neceſſarium ad ſalutem, anathema ſit.

VI. Si quis dixerit, baptizatum non poſſe, etiamſi velit, gratiam amittere, quantumcumque peccet, niſi nolit credere, anathema ſit.

VII. Si quis dixerit, baptizatos per Baptiſmum ipſum ſolius tantum fidei debitores fieri, non autem univerſæ Legis Chriſti ſervandæ, anathema ſit.

VIII. Si quis dixerit, baptizatos liberos eſſe ab omnibus ſanctæ Eccleſiæ præceptis, quæ vel ſcripta vel tradita ſunt; ita ut ea obſervare non teneantur, niſi ſe ſua ſponte illis ſubmittere voluerint, anathema ſit.

IX. Si quis dixerit, ita revocandos eſſe homines ad Baptiſmi ſuſcepti memoriam, ut vota omnia, quæ poſt Baptiſmum fiunt, vel promiſſionis in Baptiſmo ipſo jam factæ, irrita eſſe intelligant, quaſi per ea, & fidei, quam profeſſi ſunt, detrahatur, & ipſi Baptiſmo, anathema ſit.

X. Si quis dixerit, peccata omnia, quæ poſt Baptiſmum fiunt, ſola recordatione & fide ſuſcepti Baptiſmi vel dimitti, vel venialia fieri, anathema ſit.

XI. Si quis dixerit, verum & rite collatum Baptiſmum iterandum eſſe illi, qui apud Infideles fidem Chriſti negaverit, cum ad Pœnitentiam convertitur, anathema ſit.

XII. Si quis dixerit, neminem eſſe baptizandum niſi ea ætate, qua Chriſtus baptizatus eſt, vel in ipſo mortis articulo, anathema ſit.

XIII. Si quis dixerit, parvulos, eo quod actum credendi non habent, ſuſcepto Baptiſmo inter Fideles computandos non eſſe; ac propterea cum ad annos diſcretionis pervenerint, eſſe rebaptizandos; aut præſtare omitti eorum Baptiſma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in ſola fide Eccleſiæ, anathema ſit.

XIV. Si quis dixerit, hujuſmodi parvulos baptizatos, cum adoleverint, interrogandos eſſe, an ratum habere velint, quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti ſunt; & ubi ſe nolle reſponderint, ſuo eſſe arbitrio relinquendos, nec alia interim pœna ad Chriſtianam vitam cogendos, niſi ut ab Euchariſtiæ, aliorumque Sacramentorum perceptione arceantur, donec reſipiſcant, anathema ſit.

Quæ Baptiſmi Sacramentum ſpectant, quatuor Quæſtionibus Auctor comprehendit. 1. Agit de Sacramento Baptiſmi ſecundum ſe. 2. De ejus Miniſtro. 3. De ſuſcipientibus illud. 4. De ejus effectu: quæ nos totidem Diſſertationibus diſcutiemus. Addit alias duas Quæſtiones de præparatoriis ad Baptiſmum, ſcilicet de Circumciſione, Catechiſmo & Exorciſmis: de quibus etiam dicemus.

viis eum Religionis cultum tribuere, ut ſuallu ſancte tractare videremur. Poteren, quæ Sacramento efficiuntur, cæremoniæ ipſæ declarant, ac veluti ante oculos ponunt, & earum rerum ſanctitatem in animos fidelium altius imprimant, Deinde vero mentes illorum, qui eas intuentur & diligenter obſervant, ad ſublimium rerum cogitationem erigunt, fidemque in eis & charitatem excitant: quo major & diligentia adhibenda erit, ut fideles vim cæremoniarum, quibus ſingula Sacramenta conficiuntur, cognitam & perſpectam habeant.

Ex his habemus cæremonias valere; 1. Ut dignitas Sacramentorum commendetur, eiſque reverentia concilietur. 2. Ut Miniſtri videantur ſancta ſancte tractare. 3. Ut eorum, quæ in Sacramentis peraguntur, virtus, efficacia, myſterium magis innoteſcant, & quaſi ob oculos ponantur, & inde excitetur & nutriatur fides & pietas fidelium, eorumque mentes ad contemplationem ſupernaturalium erigantur. Falſo itaque & calumnioſe nobis imponunt Hæretici 1. Nos in his cæremoniis præcipuas cultus divini partes reponere. 2. Nos docere ab eis pendere eſſentiam Sacramentorum. 3. Nos eis tribuere vim ſanctificandi ſicut Sacramentis. Hæc ſibi fingunt monſtra, ut oppugnent. Pari jure calumniari poſſunt cæremonias, quas Chriſtus adhibuit in inſtitutione Euchariſtiæ, elevando oculos in Cœlum, benedicendo panem & frangendo; item in inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ inſufflando in diſcipulos, &c.

Dico 2. Cæremoniæ Sacramentorum non ſunt inſtitutæ ob ſolam decentiam cultus divini, neque ob ſolum commodum Miniſtrorum & adſtantium, aut fortuito; ſed etiam ob ſymbolicam & myſticam ſignificationem; quam continent. Ratio eſt: 1. Quia alioquin non eſſet ratio, cur ſpecialiter fidem & charitatem fidelium excitarent & augerent, eorumque mentes ad rerum ſublimium contemplationem erigerent, ut loquuntur Trid. & ejus Catechiſmus, cum hæc non niſi ratione myſticæ ſignificationis præſtent. 2. Omnes antiquæ Legis cæremoniæ erant ſymbolicæ & futurorum ſignificativæ. In nova Lege inſufflatio Chriſti in diſcipulos fuit Symbolica. Apocal. 8. incenſum eſt ſymbolum orationis: & multa alia. 3. Nemo eſt, qui tot cæremonias in Sacramentis adhiberi ſolitas, v. g. in Baptiſmo conſecrationem aquæ cum chriſmate; oblationem baptizandi ante fores Eccleſiæ; ſignum crucis applicatum fronti, pectori, oculis, auribus & humeris, exorciſmos, impoſitionem manuum ſuper caput baptizandi, tactum narium & aurium cum ſaliva, guſtationem ſalis, abrenuntiationem Diabolo, Unctionem pectoris & ſcapularum, &c. nemo eſt, inquam, qui tot cæremonias ad ſolam decentiam, aut fortuito, aut ad ſublevamen Miniſtrorum & adſtantium inſtitutas reputet, cum ſint potius in eorum corporale gravamen; ſed omnes iis aliquid ſublime & divinum ſignificari apprehendunt.

Dices. Uſus cereorum primitus inſtitutus fuit in ſublevamen Chriſtianorum, qui noctu in locis ſubterraneis ſacra peragere cogebantur. Similiter uſus incenſi, ut depelleretur fœtor, qui ex his locis exhalabat. Ergo. R. Hos uſus non ad illos ſolos fines fuiſſe inſtitutos, ſed etiam in iis myſticam ſignificationem intendiſſe Eccleſiam. Juxta Hieronymum adverſus Jovin. accendebantur cerei, non ſolum ad depellendas tenebras, ſed etiam in ſignum lætitiæ & fidei vivæ. Thus, juxta Auctorem (*Infra q. 8. a. 5. ad 2.*), adhibetur non ſolum ad depellendum pravum odorem in reverentiam Sacramenti, ſed etiam ad ſignificandum effectum gratiæ, qua ſicut bono odore Chriſtus plenus fuit, & a Chriſto derivatur in fideles officio Miniſtrorum, & ideo undique thurificato Altari, per quod Chriſtus deſignatur, thurificantur omnes per ordinem. Plures alias ſacrificii cæremonias ſecundum myſticam ſignificationem ibidem explicat S. Doctor, alias alibi. De omnibus accurate ſecundum eundem ſenſum diſcurrit Durandus Epiſcopus Mimatenſis in *Rationali*.

Dico 3. Eccleſia habet poteſtatem inſtituendi cæremonias. Prob. 1. Juxta Aug. Ep. 54. alias 118. Apoſt. 1. Cor. 11. hanc poteſtatem indicavit dicens: *Cætera cum venero diſponam*: & inter hæc, quæ promiſit Apoſtolus, agnoſcit Auguſtinus cæremoniam ſeu Legem de Euchariſtia jejune ſumenda.

2. Quovis tempore hanc poteſtatem in ſe agnovit & uſurpavit Eccleſia. Juſtinus in fine Apologiæ memorat ſacros conventus diei Dominicæ, ordinem precum, Benedictionem Antiſtitum, Diaconorum miniſterium, aquæ vinique oblationes, & ritum Euchariſtiæ conſecrandæ. Tertullianus lib. de Corona militis, abrenuntiationes, quæ fiunt in Baptiſmo, genuflexiones, ſignum Crucis fronti impreſſum, conſuetudinem ſtandi in orationibus a Paſchate ad Pentecoſten. Cyprianus Ep. ad Magnum, Cyrillus Jeroſ. Serm. ad Catechumenos laudant Exorciſmos Baptiſmi. S. Baſilius de Spiritu S. c. 27. cæremonias in Sacrificio Miſſæ uſurpari ſolitas. Idem probant antiquiſſima Eccleſiæ tam Græcæ quam Latinæ Ritualia & Liturgiæ. Unde Concil. Trid. ſeſſ. 21. cap. 2. *Declarat hanc poteſtatem perpetuo in Eccleſia fuiſſe, ut in Sacramentorum diſpenſatione ſalva eorum ſubſtantia, ea ſtatueret vel mutaret, quæ ſuſcipientium utilitati, ſeu ipſorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum & locorum varietate, magis expedire judicaret.*

3. Ratio, quam innuit Trid. aperte evincit. In omni Republica bene ordinata admittenda eſt poteſtas diſponendi, ordinandi, ſtatuendi, quæ pro rerum, locorum & temporum varietate ſunt neceſſaria vel utilia ad ejus conſervationem, promotionem, ornatum & decentiam, civiumque commodum & ſalutem temporalem. Ergo ſimilis poteſtas non eſt Eccleſiæ deneganda in ordine ſpirituali. Subſumo. Atqui ad conſecrationem & promotionem Religionis & cultus divini, ad Sacramentorum majeſtatem commendandam, eique reverentiam conciliandam, ad fidem pietatemque fidelium excitandam, fovendam, augendam conferunt cæremoniæ, ut dictum eſt. Ergo.

Dico 4. Miniſtri etiam ſecluſo ſcandalo aut contemptu tenentur ſub peccato ſervare cæremonias ſive ab Eccleſia univerſa, ſive a ſua particulari Eccleſia præſcriptas, in adminiſtratione Sacramentorum. Prob. 1. Trid. Seſſ. 7. Can. 13. verbis: *Si quis dixerit receptos & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos, aut contemni, aut ſine peccato a Miniſtris pro libito omitti, aut novos alios per quemcunque Eccleſiæ Paſtorem mutari poſſe, anathema ſit.* 2. Tenemur ſub peccato, etiam ſecluſo ſcandalo aut contemptu, obedire ſuperiori legitime præcipienti. 3. Si cuilibet Paſtori privato liceret pro libitu cæremonias Sacramentorum mutare, receptas abolere, antiquatas innovare, aut novas inducere, foret in Eccleſiæ diſciplina maxima confuſio & deformitas. Hinc inferes eum peccare mortaliter, qui omittit aliquam cæremoniam notabilem, puta ſi ſine veſtibus ſacris, aut lumine celebret; venialiter tantum, qui levem omittit.

ARTICULUS IV.

De Sacramentalibus.

SACRAMENTALIA hic dicimus, non quod ſint Sacramentorum cæremoniæ, aut ad Sacramenta pertineant, ſed propter aliquam ſimilitudinem cum Sacramentis, quatenus cum Sacramenta cauſant gratiam juſtificantem, ſacramentalia cauſant remiſſionem peccatorum venialium. Sex ſacramentalia communiter aſſignantur a Recentioribus Theologis hoc verſu comprehenſa.

Orans, tinctus, edens, confeſſus, dans, benedicens.

Orans ſignificat Orationem Dominicam aut alias preces ab Eccleſia præſcriptas, ſeu in Eccleſia ſolemniter recitata. *Tinctus* ſignificat aſſumptionem ſeu aſperſionem aquæ benedictæ. *Edens* ſignificat panem benedictum, qui ſolebat olim dari Catechumenis loco Euchariſtiæ, aut etiam baptizatis in die Paſchatis, & qui nunc adhuc datur in quibuſdam Eccleſiis diebus Dominicis inter Miſſarum ſolemnia. *Confeſſus* ſignificat confeſſionem generalem, quæ præmittitur Miſſæ, aut fit in Prima & Completorio. *Dans* ſignificat Eleemoſinam. *Benedicens* Benedictionem Epiſcoporum & Abbatum.

Verum cur largitio Eleemoſynæ & Oratio Dominica, niſi fiat nomine Eccleſiæ, aut in loco conſecrato, recenſeatur inter ſacramentalia potiuſquam quodvis aliud bonum opus morale, non video. Neque e contra video, cur inter Sacramentalia non numerentur aſperſio Cinerum, benedictio Palmarum & Candelarum, conſecratio Eccleſiarum & plura alia. Sed quidquid ſit de numero Sacramentalium, cum eis tribuatur a Patribus & Theologis vis remittendi peccata venialia, quæſtio eſt, quomodo illa remittant, an ex opere operato, an ex opere operantis?

Dico. Sacramentalia non remittunt venialia ex opere operato, ſed ex opere operantis tantum & per modum impetrationis. Prob. 1. Nullum eſt neque in Scriptura, neque in Conciliis, neque in Patribus fundamentum tribuendi Sacramentalibus vim remittendi peccata venialia ex opere operato. 2. Nullibi legitur Chriſtum dediſſe Eccleſiæ poteſtatem remittendi immediate venialia. Ergo nec inſtituendi Sacramentalia, quæ vi propria illa remittant. 3. Quamvis Eccleſiæ tribuatur poteſtas relaxandi pœnas temporales peccatorum per indulgentias, eo quod iſta relaxatio conſiſtat in ſola condonatione extrinſeca; attamen peccatum Veniale remitti non poteſt, quin tollatur ejus macula in anima, in qua Eccleſia nullam habet poteſtatem. Igitur Sacramentalia remittunt peccata Venialia ex opere operantis, in quantum excitant motus deteſtationis illorum, aut reverentiæ in Deum & res ſacras, quibus motibus obtinetur remiſſio venialium: hujuſmodi autem motus excitant non ſolum objective ſicut cruces, ima-

imagines, prædicationes, &c. ſed etiam impetratoria, quatenus adhibentur nomine Eccleſiæ, quæ majorem habet vim impetrandi, quam perſona particularis: ſæpe enim Princeps concedit precibus totius Communitatis, quod denegat precibus unius particularis.

Ita colligimus ex Angelico Doctore, (*Infra q. 87. a. 8. c.*) cujus ſunt hæc verba. *Triplici ratione aliqua cauſant remiſſionem venialium. Uno modo in quantum in eis infunditur gratia, quia per infuſionem gratiæ tolluntur venialia peccata, ut ſupra dictum eſt. Et hoc modo per Euchariſtiam & Extremam Unctionem, in quibus confertur gratia, peccata venialia remittuntur. 2. In quantum ſunt cum aliquo motu deteſtationis peccatorum: & hoc modo Confeſſio generalis, tunſio pectoris & Oratio Dominica operantur ad remiſſionem venialium peccatorum. 3. Modo in quantum ſunt cum aliquo motu reverentiæ in Deum & ad res divinas. Et hoc modo Benedictio Epiſcopalis, aſperſio aquæ benedictæ, quælibet Sacramentalis unctio: Oratio in Eccleſia dedicata, & ſi aliqua alia ſunt hujuſmodi, operantur ad remiſſionem venialium peccatorum.*

T R A C T A T U S
D E B A P T I S M O.

Div. Thom. Quæſt. 66. ad 72.

S U M M A
D O C T R I N Æ C A T H O L I C Æ
D E B A P T I S M O
EX CONCILIIS FLORENTINO ET TRIDENTINO.

Decretum (*Sub Eugen. IV. anno 1439. S. Th. Opuſc. 5.*) Concilii Florentini pro inſtructione Armenorum.

PRimum omnium Sacramentorum locum tenet ſanctum Baptiſma, quod vitæ ſpiritualis janua eſt: per ipſum enim membra Chriſti, ac de corpore efficimur Eccleſiæ. Et cum per primum hominem mors introierit in univerſos; niſi ex aqua & ſpiritu renaſcimur, non poſſumus, ut inquit Veritas, in Regnum cælorum introire. Materia hujus Sacramenti eſt aqua vera & naturalis. Nec refert, frigida ſit an calida. Forma autem eſt: Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus S. Non tamen negamus, quin & per illa verba, (Baptizatur.) baptizetur talis ſervus Chriſti in nomine Patris & Filii & Spiritus S. vel, baptizatur manibus meis talis in nomine Patris & Filii & Spiritus S. verum perficiatur Baptiſma: quoniam cum principalis cauſa, ex qua Baptiſmus virtutem habet, ſit ſancta Trinitas; inſtrumentalis autem ſit Miniſter, qui tradit exterius Sacramentum, ſi exprimitur actus, qui per ipſum exercetur Miniſtrum, cum ſanctæ Trinitatis invocatione, perficitur Sacramentum. Miniſter hujus Sacramenti eſt Sacerdos, cui ex officio competit baptizare. In cauſa autem neceſſitatis non ſolum Sacerdos vel Diaconus, ſed etiam Laicus vel Mulier, imo etiam Paganus & Hæreticus baptizare poteſt, dummodo formam ſervet Eccleſiæ, & facere intendat, quod facit Eccleſia. Hujus Sacramenti effectus eſt remiſſio omnis culpæ originalis & actualis; omnis quoque pœnæ, quæ pro ipſa culpa debetur. Propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis injungenda eſt ſatisfactio, ſed morientes, antequam culpam aliquam committant, ſtatim ad Regnum cælorum & Dei viſionem perveniunt.

Canones Concilii Tridentini de Baptiſmo (*Seſſ. 7. 3. Martii 1547. ſub Paulo III.*)

I. SI quis dixerit, Baptiſmum Joannis habuiſſe eandem vim cum Baptiſmo Chriſti, anathema ſit.

II. Si quis dixerit, aquam veram & naturalem non eſſe de neceſſitate Baptiſmi; atque ideo verba illa Domini noſtri Jeſu Chriſti, niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, ad metaphoram aliquam detorſerit, anathema ſit.

III. Si quis dixerit, in Eccleſia Romana, quæ omnium Eccleſiarum Mater eſt & magiſtra, non eſſe veram de Baptiſmi Sacramento doctrinam, anathema ſit.

IV. Si quis dixerit, Baptiſmum, qui etiam datur ab Hæreticis in nomine Patris & Filii & Spiritus S. cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia, non eſſe verum Baptiſmum, anathema ſit.

V. Si quis dixerit, Baptiſmum liberum eſſe, hoc eſt, non neceſſarium ad ſalutem, anathema ſit.

VI. Si quis dixerit, baptizatum non poſſe, etiamſi velit, gratiam amittere, quantumcumque peccet, niſi nolit credere, anathema ſit.

VII. Si quis dixerit, baptizatos per Baptiſmum ipſum ſolius tantum fidei debitores fieri, non autem univerſæ Legis Chriſti ſervandæ, anathema ſit.

VIII. Si quis dixerit, baptizatos liberos eſſe ab omnibus ſanctæ Eccleſiæ præceptis, quæ vel ſcripta vel tradita ſunt; ita ut ea obſervare non teneantur niſi ſe ſua ſponte illis ſubmittere voluerint, anathema ſit.

IX. Si quis dixerit, ita revocandos eſſe homines ad Baptiſmi ſuſcepti memoriam, ut vota omnia, quæ poſt Baptiſmum fiunt, vel promiſſionis in Baptiſmo ipſo jam factæ, irrita eſſe intelligant, quaſi per ea, & fidei, quam profeſſi ſunt, detrahatur, & ipſi Baptiſmo, anathema ſit.

X. Si quis dixerit, peccata omnia, quæ poſt Baptiſmum fiunt, ſola recordatione & fide ſuſcepti Baptiſmi vel dimitti, vel venialia fieri, anathema ſit.

XI. Si quis dixerit, verum & rite collatum Baptiſmum iterandum eſſe illi, qui apud Infideles fidem Chriſti negaverit, cum ad Pœnitentiam convertitur, anathema ſit.

XII. Si quis dixerit, neminem eſſe baptizandum niſi ea ætate, qua Chriſtus baptizatus eſt, vel in ipſo mortis articulo, anathema ſit.

XIII. Si quis dixerit, parvulos, eo quod actum credendi non habeant, ſuſcepto Baptiſmo inter Fideles computandos non eſſe; ac propterea cum ad annos diſcretionis pervenerint, eſſe rebaptizandos; aut præſtare omitti eorum Baptiſmum, quam eos non actu proprio credentes baptizari in ſola fide Eccleſiæ, anathema ſit.

XIV. Si quis dixerit, hujuſmodi parvulos baptizatos, cum adoleverint, interrogandos eſſe, an ratum habere velint, quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti ſunt; & ubi ſe nolle reſponderint, ſua eſſe arbitrio relinquendos, nec alia interim pœna ad Chriſtianam vitam cogendos, niſi ut ab Euchariſtiæ, aliorumque Sacramentorum perceptione arceantur, donec reſipiſcant, anathema ſit.

Quæ Baptiſmi Sacramentum ſpectant, quatuor Quæſtionibus Auctor comprehendit. 1. Agit de Sacramento Baptiſmi ſecundum ſe. 2. De ejus Miniſtro. 3. De ſuſcipientibus illud. 4. De ejus effectu: quæ nos totidem Diſſertationibus diſcutiemus. Addit alias duas Quæſtiones de præparatoriis ad Baptiſmum, ſcilicet de Circumciſione, Catechiſmo & Exorciſmis: de quibus etiam dicemus.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO I.

DE SACRAMENTO BAPTISMI SECUNDUM SE.

Div. Thom. Quæſt. 66.

ARTICULUS I.

Quid ſit Baptiſmus.

BAPTISMUS eſt vox græca idem grammaticaliter ſignificans ac immerſio vel intinctio: & quia quæ lavantur, ſolent aquis immergi vel intingi, ideo apud Græcos & Hebræos Baptiſmus uſurpatur pro lotione ſeu ablutione: Judith 12. *Baptizabat ſe in fonte aquæ*. Luc. 11. *Quare non baptizatus eſt ante prandium*, Similiter lotiones legales Judæorum dicebantur Baptiſmata Marci 7. & Hebr. 9. Unde dictus Baptiſmus Joannis, & orta inter Judæos Secta Hemerobaptiſtarum, qui quotidie quovis tempore etiam hyemali ſe lavant: de quibus Juſtinus in Dial. cum Tryphone. Senſu metaphorico Baptiſmus ſignificat afflictionem, qua homo inſtar aquæ mergitur & abſorbetur. Luc. 12. *Baptiſmo autem habeo baptizari*: & inde Baptiſmi nomen Pœnitentiæ & Martyrio accommodatur; Pœnitentia enim dicitur Baptiſmus flaminis, Martyrium Baptiſmus ſanguinis. Item ſenſu metaphorico uſurpatur etiam Baptiſmus ad ſignificandam remiſſionem peccatorum & gratiarum copioſam effuſionem. Act. 1. *Vos baptizabimini Spiritu S.* Et Matth. 3. *Ipſe vos baptizabit in Spiritu S. & igni*. Tandem vox *Baptiſmus* aliquando adhibetur ad ſignificandum diluvium generale, & tranſitum maris rubri. 1. Cor. 10. *Omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube & in mari*. Præter vero has grammaticales, & metaphoricas ſignificationes, Baptiſmus uſu Scripturæ & Eccleſiæ ſignificat primum ex ſeptem Sacramentis. Poteſt autem conſiderari vel phyſice pro compoſito artificiali ex materia & forma, vel metaphyſice ſecundum quod conſtat genere & differentia.

Dico 1. (*Hic q. 66. a. 1. o.*) Sacramentum Baptiſmi phyſice conſideratum recte definitur: *Ablutio corporis ſub præſcripta verborum forma*. Quia Sacramentum, quod non conſiſtit in re permanenti, ſed in actione, ut eſt Baptiſmus, ibi perficitur, ubi perficitur ſanctificatio. Atqui non in aqua, ſed in applicatione aquæ ad hominem perficitur ſanctificatio. Ergo. Hanc Concluſionem poſuit S. Th. contra Hugonem Victorin. qui l. 2. de Sacram. parte 6. c. 2. ſcribit, quod ipſa aqua eſſet Sacramentum, ſic ipſum definiens: *Baptiſmus eſt aqua abluendis criminibus ſanctificata*.

Obſervandum eſt ablutionem hic non ſumi mere active, ſeu præciſe pro actione abluentis, ſed vel ut eſt motus includens ſimul actionem & paſſionem, vel, ut volunt Soto & Nugno, ut eſt paſſio tantum, prout ſcilicet recipitur in homine Baptiſmi capace. Unde D. Th. dicit Sacramentum perfici, ubi perficitur ſanctificatio, id eſt, in ſuſcipiente. Et hinc eſt, quod multiplicentur Baptiſmata, quando multi ſunt, qui baptizantur ab eodem.

Dico 2. Baptiſmus metaphyſice ſumptus recte definitur a Catechiſmo Rom. *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo*. Quidam addunt ad majorem explicationem, *expreſſivo ſanctiſſimæ Trinitatis*. Sacramentum eſt genus, cæteræ particulæ differentia. Variæ inſuper circumferuntur appellationes & definitiones Baptiſmi ſecundum varias ejus conſiderationes, ſive ex parte materiæ, ſive ex parte formæ, ſive ex parte effectuum, ſive comparate ad alia Sacramenta. Sic dicitur ſigillum, quia imprimit characterem, quo homo ſignatur & adoptatur in familiam Chriſti. Dicitur Sacramentum fidei, quia in illo fit profeſſio fidei. Dicitur illuminatio, quia fides, cujus eſt Sacramentum, intellectum illuminat: dicitur lavacrum regenerationis & renovationis, quia per illud homo acquirit primo eſſe ſpirituale: dicitur ablutio peccatorum, ſepultura hominis cum Chriſto, circumciſio non manufacta, ratione effectuum.

Obſervandum cum Auctore (*Ibid.*) in Sacramento Baptiſmi (idem dicendum de aliis Sacramentis præſertim quæ imprimunt characterem) tria importari, ſcilicet Sacramentum, rem tantum Sacramenti, rem & Sacramentum ſimul. Sacramentum tantum eſt ritus exterior, qui ſignificat & non ſignificatur: res tantum eſt gratia, quæ ſignificatur, & non ſignificat: res & Sacramentum ſimul eſt character, qui per ritum exteriorem ſignificatur, & gratiam interiorem ſignificat.

Ex dictis colliges 1. male a Sectariis Baptiſmum reponi in hoc, quod ſit ſignum nudum gratiæ ſuſceptæ aut cooptationis in ſocietatem Fidelium: pejus a Socino confundi cum Doctrina Evangelica. Colliges 2. noſtrum Baptiſma non ducere originem a luſtrationibus & baptiſmatibus Gentilium & Hebræorum, ut volunt Hæretici, & quidam Catholici: quia Baptiſmus eſt inſtitutus a Chriſto ut Sacramentum, quo homines in Eccleſiam Chriſti cooptantur, & illius familiæ adſcribuntur: luſtrationes autem ſeu Baptiſmata Paganorum non erant initiationes, quibus profanæ ſuæ Religioni nomen dabant, ſed cæremoniæ quædam ſuperſtitioſæ, quibus non ſolum ſua corpora, ſed templa, ſimulacra & victimas purificabant, quaſi bis ad ſacra peragenda digniores redderentur, idque non ſemel, ſed quoties ſacra inſtituebant. Similiter Hebræi non per luſtrationes, ſed per circumciſionem, quæ erat ſignum fœderis, populo Dei adſcribebantur. Luſtrationes autem frequentiſſime adhibebant, ut purificationes communes ob contractam immunditiam legalem, vel ob reverentiam ſacrorum: & erant ita frequentes apud illos, ut qui conveniebant Jo. Baptiſtam, utique Hebræi, non inquirerent de ipſa luſtratione ſeu baptiſmate, quia noverant eas eſſe apud ſe frequentiſſimas, ſed de auctoritate: *Quid ergo*, dicebant, *baptizas, ſi tu non es Chriſtus, neque Elias, neque Propheta*. Nihil ergo commune præter aquam habet noſter Baptiſmus cum luſtrationibus Paganorum aut Hebræorum.

ARTICULUS II.

De tempore inſtitutionis & obligationis Baptiſmi.

SUPPONO ex dictis de Sacramentis in communi, tanquam de fide certum, Baptiſma fuiſſe a Chriſto inſtitutum. Hic quærimus, quando fuit inſtitutum, & quando cœpit obligare? Circa utrumque magna eſt inter Patres & Theologos opinionum diverſitas. Quantum ad 1. quidam volunt Baptiſma inſtitutum fuiſſe duntaxat poſt Chriſti Reſurrectionem, quando ipſe Chriſtus dixit Apoſtolis Matt. ult. *Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos, &c.* Alii volunt inſtitutum fuiſſe ante Chriſti Paſſionem & Reſurrectionem; ſed quo præciſe tempore? Non conveniunt. Quidam dicunt fuiſſe inſtitutum tunc, cum Chriſtus dixit Nicodemo Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* Alii cenſent tunc fuiſſe inſtitutum, cum Chriſtus ibid. miſit Diſcipulos ad baptizandum. Alii tandem quando a Joanne fuit baptizatus in Jordane. Quantum ad 2. quando nempe lex Baptiſmi cœpit obligare, non minor eſt ſententiarum varietas. Quidam aſſignant tempus, quo Chriſtus de nocte Nicodemum eſt allocutus, ut ſupra. Alii diem Pentecoſtes, cum Lex Evangelica fuit ſolemniter promulgata. Alii demum dicunt Legem Baptiſmi obligaſſe ſtatim poſt Paſſionem & Reſurrectionem Chriſti. Utramque difficultatem duplici §. expendemus. Unde ſit

§. I. *Quandonam inſtitutus fuerit Baptiſmus?*

DICO, (*Hic q. 66. a. 2. o.*) Chriſtus Sacramentum Baptiſmi inſtituit ante ſuam Paſſionem, quando ſcilicet in Jordane fuit baptizatus. Prob. prima pars. 1. Chriſtus ante ſuam paſſionem baptizavit ſaltem per ſuos Diſcipulos, juxta illud Joan. 3. *Poſt hæc venit Jeſus & Diſcipuli ejus in terram Judæam, & illic demorabatur cum eis, & baptizabat*. Et c. 4. *Ut ergo cognovit Jeſus, quia audierunt Pharisæi, quod Jeſus plures Diſcipulos facit, & baptizat, quam Joannes, (quanquam Jeſus non baptizaret, ſed Diſcipuli ejus) reliquit Judæam, & abiit iterum in Galilæam*. Atqui non Joannis baptiſmate, ſed ſuo baptizabat. Ergo ante Paſſionem ſuam Baptiſma inſtituerat; uſus enim Sacramenti ſupponit ejus inſtitutionem. Prob. Min. 1. Ibi Chriſtus dicitur baptizare per Apoſtolos. Atqui ſi non ſuo, ſed Joannis baptiſmate baptizaret, potius, diceretur Joannes quam Chriſtus per Diſcipulos baptizare. Ergo. Unde Aug. Ep. ad Seleucianum 265. alias 108. *Ipſius*, inquit, *erat Baptiſmi Sacramentum, ad Diſcipulos autem baptizandi Miniſterium pertinebat*. 2. Ibidem c. 3. cit. v. 25. legitur, quod facta ſit inter diſcipulos Joannis & Judæos quæſtio, quæ purificatio an Joannis an Chriſti eſſet melior? Et quod conqueſti fuerint diſcipuli, plures accedere ad Baptiſmum Chriſti quam ad Baptiſmum Joannis. Atqui ſi Chriſtus & ejus Diſcipuli Baptiſmum Joannis conferrent, non erat locus quæſtioni, nec querelæ, ſed potius Diſcipuli Joannis congratulati fuiſſent, quod Chriſtus, quem Joannes paulo ante commendaverat ut Agnum Dei, Joannis Baptiſma probaret. Ergo. 3. Nullibi legitur baptizatos a Chriſto & ejus Diſcipulis fuiſſe rebaptizatos; legitur autem Act. 19. baptizatos Joannis Baptiſmate fuiſſe rebaptizatos. Unde hoc? niſi quia illi & non iſti Baptiſmo Chriſti erant baptizati: *Dedit Judas Baptiſmum*, inquit Aug. Tract. 15. in Joan. *& non baptizatum eſt poſt Judam: dedit Joannes*,

nes, & baptizatum eſt poſt Joannem; quia ſi datus eſt a Juda, Baptiſmus Chriſti erat.

Prob. 2. Baptiſmus eſt neceſſarius ad aliorum Sacramentorum receptionem, utpote eorum janua. Atqui Apoſtoli in ultima cœna receperunt Euchariſtiam, & ſecundum Trid. ſeſſ. 12. cap. 1. Ordinem Sacerdotalem. Ergo erant baptizati. Idque pluribus rationibus probat Aug. Ep. 44. alias 563. ad Eluſium c. 5. maxime ratione jam facta; & quia non decebat ſponſum dare Baptiſmum amici aut ſervi. Et Ep. cit. ad Seleucianum docet, quod quamvis non habeatur in Scripturis, credibile ſit tamen Chriſtum propriis manibus Apoſtolos baptizaſſe. Nicephorus vero l. 2. Hiſt. c. 3. refert ex Evodio Antiocheno Apoſtolorum ſucceſſore in ſuis commentariis, & præcipue in Ep. quam *lumen* inſcripſit, quod *Chriſtus manibus ipſe ſuis Petrum tantummodo baptizavit. Petrus vero Andream & filios Zebedæi: ii deinceps reliquos Apoſtolos: ſeptuaginta autem illos Petrus & Joannes Theologus dictus baptizarant.* Neque dicas contra hanc probationem Chriſtum diſpenſaſſe Apoſtolos, ut alia Sacramenta poſſint recipere ante Bapiſmum; nam 1. obſtant auctoritates allatæ. 2. Nullum ſive in Scripturis ſive in traditione fundamentum eſt aut indicium, nullave ratio adferri poteſt hujus diſpenſationis: e contra valde incongruum fuiſſet Apoſtolos prius Eccleſiæ prælatos excitiſſe, quam filios.

Prob. 2. Pars: (Ib.) 1. Tunc aliquod Sacramentum cenſetur inſtitui, quando accipit virtutem producendi gratiam; Sacramenta enim ex ſui inſtitutione habent, quod conferant gratiam. Atqui hanc virtutem accepit Baptiſmus, quando Chriſtus fuit in Jordane baptizatus. Ergo. Prob. Minor ex Patribus: Aug. ſem. 36. de temp. dicit: *Ex quo Salvator in aqua ſe merſit, ex eo omnium gurgitum tractus cunctorumque fontium venas myſterio Baptiſmatis conſecravit.* Ambroſ. l. 2. in Luc. c. ult. *Baptizatus eſt ergo Dominus*, inquit, *non mundari volens, ſed mundare aquas, ut ablutæ per carnem Chriſti, quæ peccatum non cognovit, baptiſmatis jus haberent.* Hieron. adverſus Luciferian. *Dominus noſter Jeſus Chriſtus non tam mundatus eſt in lavacro, quam lavacro ſuo univerſas aquas mundavit.* Greg. Nazianz. Orat. 39. dicit Chriſtum acceſſiſſe ad Baptiſmum, ut ipſum, a quo baptizaretur, afficeret ſanctitate, & in aqua veterem Adam ſepeliret. S. Maximus Hom. 7. de Epiphan. *Quod vero*, inquit, *fluentis Jordanis baptizatus Jeſus, non ſibi ſed nobis baptizatur, non ut purificetur aquis, ſed ut aquas ipſe ſanctificet, baptizatur novus homo, ut novi Baptiſmatis conſtituat Sacramentum.* Ergo. Et hinc refellitur reſponſio Eſtii & Gaſparis Juenin, qui dicunt Chriſti baptiſmate in Jordane aquas equidem fuiſſe ſanctificatas & ordinatas ad regenerationem hominum, non tamen fuiſſe donatas virtute ſanctificandi & regenerandi: enim vero Chriſtum ſic aquas Jordanis perfeciſſe, ut ejus Baptiſmatis haberent, ut ſanctitatem conferrent, ut veterem Adam ſepelirent, ut novo Baptiſmati conſecrarentur, ut novi Baptiſmatis Sacramentum conſtituerent: hæc, inquam, ſanctorum Patrum dicta aperte ſignificant aquas non ſolum eſſe ſanctificatas, ſed & ipſa virtute ſanctificandi fuiſſe donatas.

Prob. 2. Tunc Sacramentum inſtituitur, quando ejus materia conſecratur, forma deſignatur, & effectus inſinuatur. Atqui quando Chriſtus fuit in Jordane baptizatus, noſtri Baptiſmi materia fuit conſecrata, forma deſignata, & effectus inſinuatus. Ergo. Prob. Min. Materia Baptiſmi eſt aqua, quæ contactu carnis Chriſti fuit conſecrata, ut patet ex præcedenti probatione: forma eſt expreſſio SS. Trinitatis, quæ tunc fuit deſignata; tunc enim vox Patris intonuit, Filius in perſona aderat, & Spiritus S. in ſpecie columbæ apparuit. Tandem effectus fuit inſinuatus, dum aperti ſunt cœli; apertio enim Regni cœlorum eſt Bapiſmi effectus. Conſ. Antequam Chriſtus baptizaretur in Jordane, non legitur in Evangelio ipſum aut Diſcipulos baptizaſſe; ſtatim vero poſt, ante incarcerationem Joannis & initio Dominicæ prædicationis, legitur baptizaſſe, Joan. 3. Ergo congrue aſſignatur tempus inſtitutionis Baptiſmi in ipſo Chriſti baptiſmate, ſiquidem antea non erat, & ſtatim poſt miniſtrabatur.

Solvuntur Objectiones.

OBj. 1. contra 1. partem. Baptiſmus, ſicut & cætera Sacramenta novæ Legis, habet ſuam efficaciam a Paſſione Chriſti, unde Apoſt. Rom. 6. ait: *Quicumque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus.* Ergo Baptiſmus non fuit inſtitutus ante Paſſionem Chriſti; cauſa enim præcedit effectum. R. N. Conſ. (Ib. ad 1.) Alioquin nec Euchariſtia nec Ordo inſtituta fuiſſent ante Paſſionem Chriſti. Igitur ante Paſſionem Chriſti, completam ſcilicet, Baptiſmus habebat efficaciam ab ipſa Paſſione, in quantum eam figurabat; aliter tamen quam Sacramenta veteris Legis, nam hæc erant tantum figuræ; Baptiſmus autem virtutem intrinſecam habebat juſtificandi a Chriſto tunc exiſtente, qui jam Paſſionem acceptaverat & inchoaverat multa patiendo pro ſalute noſtra.

Inſt. 1. Chriſtus dumtaxat poſt Paſſionem & Reſurrectionem legem Baptiſmi edidit Matth ult. dicens; *Euntes docete omnes gentes, baptizantes, &c.* Ergo. R. N. Conſeq. (Ib. ad 2.) Quamvis enim Baptiſmus eſſet inſtitutus ante Reſurrectionem, non erat tamen in præcepto; quia tunc vigebant adhuc legalia, nec debebant homines multiplicibus figuris *vexari* per Chriſtum, qui venerat ſua veritate figuras impletas auferre. Voluit ergo tunc ſolum Chriſtus homines præcipue Judæos ad Baptiſmi exercitium libere aſſueſieri. At vero poſt Paſſionem & Reſurrectionem non ſolum Judæis, ſed etiam Gentilibus ſub præcepto neceſſitatem Baptiſmi poſuit, dicens: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes, &c.* Eodem ſenſu intelligendus eſt Ambroſ. dum l. 10. in Luc. dicit, quod Chriſtus Apoſtolis poſt Reſurrectionem in Galilæa congregatis *docendi & baptizandi tribuit poteſtatem*, id eſt, tribuit ſolemniter poteſtatem cum intimatione præcepti baptizandi non ſolum Judæos, ſed etiam Gentes.

Inſt. 2. S. Leo Ep. ad Epiſcopos per Siciliam congregatos c. 3. docet non ſolum poteſtatem, ſed & formam baptizandi traditam fuiſſe Apoſtolis poſt reſurrectionem tantum, & non ante: *Poſteaquam reſurrexit a mortuis*, inquit, *Diſcipulis ſuis, in quibus Præſules omnes Eccleſiarum docebantur, & formam & poteſtatem tradidit baptizandi, dicens: euntes ergo, &c. de quo utique eos etiam ante Paſſionem potuiſſet inſtruere, niſi proprie voluiſſet intelligi regenerationis gratiam ex ſua Reſurrectione cœpiſſe.* Ergo. R. ut ante, hæc intelligenda eſſe de ſolemni præcepto & intimatione Baptiſmi ſub tali forma conferendi, non ſolum Judæis, ut antea factum fuerat, ſed etiam Gentilibus, quod ante Paſſionem non fuerat, ut ſignificaret per ſuam Reſurrectionem gratiam regenerationis cœpiſſe palam fieri communem non ſolum Judæi, ſed etiam Gentibus. Et niſi S. Doctorem ſic intelligas, ipſum cum ipſomet conciliare non poteris: dicit enim ibid. c. 6. *Tunc regenerationis potentiam ſanxit, quando de latere ipſius profluxerunt ſanguis Redemptionis & aqua Baptiſmatis.* Porro ſi tunc in morte, quomodo poſt Reſurrectionem? dicendum itaque, ut omnia concilientur, Chriſtum in Jordane Baptiſmum inſtituiſſe, in Cruce conſummaſſe & confirmaſſe, ante Aſcenſionem lege lata præſcripſiſſe. Quidam addunt S. Leonem per *formam* intelligere modum, ritum & ordinem baptizandi.

Inſt. 3. Ante Chriſti Reſurrectionem & Aſcenſionem nondum erat datus Spiritus S. juxta Joan. 7. *Nondum erat Spiritus datus, quia Jeſus nondum erat glorificatus.* Fuit autem glorificatus per Reſurrectionem & Aſcenſionem. Ergo nec inſtitutus Baptiſmus Chriſti, qui eſt in Spiritu S. & aqua. Ita ratiocinantur & cenſent Tertull. & Chryſol. R. D. Ant. Ante Chriſti Reſurrectionem & Aſcenſionem nondum erat datus Spiritus S. viſibiliter, & ea gratiarum & donorum largitate, qua datus fuit die Pentecoſtes, C. Inviſibiliter, N. Quis enim dubitat Spiritum S. antea fuiſſe datum ſanctiſſimæ Dei Genitrici, Apoſtolis, Mariæ Magd. imo & pluribus Sanctis & Patriarchis veteris Teſtamenti? Solutio eſt Aug. ſer. 62. inter 83. Ad Patres laudatos in contrarium, ſalva eorum reverentia, eos dimittimus, & Aug. pluribuſque aliis adhæremus: eo magis quod ſecundum iſtud illorum argumentum nullum Sacramentum ante Domini Aſcenſionem inſtitutum fuiſſet, habuiſſetve efficaciam.

Inſt. 4. Ex ipſo Aug. qui Tract. 55. in Joan. docet cum pluribus aliis de latere Chriſti in Cruce Eccleſiæ Sacramenta fluxiſſe. Ergo. R. N. Conſeq. alioquin dicendum foret, quod etiam alia Sacramenta, præſertim Euchariſtia, tunc inſtituta fuiſſet. Senſus ergo eſt, quod latere Chriſti aperto conſummatum ſit totum meritum & pretium redemptionis noſtræ; ex quo Baptiſmus & alia Sacramenta ſuam ultimam perfectionem hauſerunt: ante enim mortem Chriſti, quamvis Baptiſmus ex ſua inſtitutione vim gratiam producendi habuerit, nondum tamen aperiebat januam Regni cœlorum, quæ per ſolam Chriſti mortem aperta eſt.

Inſt. 5. Ex Matth. 16. colligitur ante Chriſti Paſſionem prohibitum fuiſſe publicare Myſterium Trinitatis, & quod Chriſtus eſſet Filius Dei. Atqui id fuiſſet publicatum ex frequentatione Baptiſmi; Ergo. Unde Optatus Milevit. l. 5. contra Parmen. dicit Chriſtum neminem per ſe baptizaſſe, ſed per Apoſtolos millia hominum pœnitentia & remiſſione tincta eſſe peccatorum. *Sed*, inquit, *nemo tinctus fuerat in Trinitate, nemo adhuc noverat Chriſtum, nemo audierat eſſe Spiritum S. At ubi venit tempus plenitudinis, certo tempore dedit leges Baptiſmatis Filius Dei, & dedit viam, qua itur ad Regnum Cœlorum: etiam tunc præcepit, dicens: ite, docete, &c.* R. 1. N. Min. Ex aliquorum enim Baptiſmate non ſequitur aperta & publica Trinitatis annuntiatio. 2. N. Maj. Matt. enim 16. non prohibetur annuntiari Trinitatem, ſed tantum prædicare palam Chriſtum eſſe Filium Dei; quia nempe inde redemptioni noſtræ potuiſſet injici impedimentum, & Apoſtoli tunc adhuc inſtabiles & infirmi, atque ſcandalum in paſſione paſſuri, illi myſterio palam prædicando non erant idonei.

Ad

Digitized by Google

Ad Optatum. Senſus eſt, quod ante mandatum privatum baptizandi Judæos Apoſtolis datum nullus erat tinctus in Trinitate, quod verum eſt. Cum autem addit tunc datum fuiſſe baptizandi præceptum, quando Chriſtus Matth. ult. dixit: *Euntes docete, &c.* intelligit non de mandato privato reſpectu Judæorum tantum, ſed de mandato ſolemni baptizandi non ſolum Judæos, ſed etiam Gentes. Agnoſcit enim ipſe Optatus l. 5. contra Donat. in his Chriſti verbis: *Qui lotus eſt, non indiget niſi ut pedes lavet*, ipſos Apoſtolos Baptiſmo Chriſti fuiſſe baptizatos.

Obj. 2. Contra 2. partem Concl. Cum Chriſtus baptizaretur in Jordane, non inſtituit Baptiſmum neque in actu exercito, aliquem baptizando, neque in actu ſignato, præſcribendo ejus ritum aut formam proferendo. Ergo. R. huic argumento variis occurri ſolutionibus. 1. Chriſtus Baptiſmum inſtituit in actu ſignato, deſignando & conſecrando materiam, & formam determinando non verbis, ſed in figura per præſentiam Trinitatis in ſigno viſibili, ut dictum eſt. Sufficit autem ad inſtitutionem Sacramenti, ut materia determinetur, & forma demonſtretur, quibus ſuo tempore conferendum eſt. 2. Omnino credibile eſt etiam tunc Chriſtum inſtituiſſe Baptiſmum in actu exercito baptizando Joannem: Joanni enim dicenti Matth. 3. *Ego a te debeo baptizari*: reſpondit Chriſtus, *Sine modo*: quaſi diceret: fac quod peto, baptiza me, poſtmodum baptizabo te. Ita Hieronym. in c. 3. Matth. dicens: *Pulchre dixit, ſine modo, ut oſtenderet Chriſtum in aqua, Joannem a Chriſto in Spiritu baptizandum*. Pariter probabile eſt Chriſtum etiam ſuis diſcipulis formam Baptiſmi tradidiſſe, ad quam comprobandam teſtimonium Patris & Columbæ ſpecies acceſſere. Obſervandum enim hæc contigiſſe jam baptizato Chriſto, & cum aſcenderet de aqua, Matth. 3. & Luc. 3. forte ut dum baptizabat, Joannem aut diſcipulos de ritu & forma Baptiſmi inſtrueret: unde Ambroſ. l. 1. de Sacram. c. 5. dicit Spiritum S. deſcendiſſe, *cum Dominus noſter Jeſus Chriſtus formam baptiſmatis daret*.

Inſt. 1. contra 1. ſol. Sola deſignatio materiæ & formæ non ſufficit ad inſtitutionem Sacramenti. Ergo. Prob. Ant. Luc. 9. materia & forma Pœnitentiæ deſignatæ fuerunt in muliere peccatrice, contritio in lacrymis, ſatisfactio in operibus humilitatis, & forma in Chriſti verbis, *Remittuntur tibi peccata tua*. Atqui tamen tunc non fuit inſtitutum Sacramentum Pœnitentiæ, ſed juxta Trid. Seſſ. 14. c. 1. quando Chriſtus Joan. 22. inſufflans in Diſcipulos dixit: *Accipite Spiritum S. quorum remiſeritis peccata, &c.* Ergo. R. 1. D. Ant. Sola deſignatio materiæ & formæ abſque virtute eis tributa gratiam conferendi non ſufficit ad inſtitutionem Sacramenti, C. Cum virtute eis tributa gratiam conferendi, N. Chriſtus autem in domo Phariſæi nullam tribuit vim remittendi peccata, ſed ipſe ſumma qua pollebat auctoritate remiſit; at vero in Jordane ſecundum ſanctos Patres prius laudatos tribuit aquis vim peccata abluendi. 2. Inter Sacramentum Pœnitentiæ & Baptiſmi hoc eſt diſcrimen, quod Sacramentum Pœnitentiæ non exerceatur niſi a Judice in ſubditos, ſecus Sacramentum Baptiſmi: Chriſtus autem non in Domo Phariſæi, ſed Joan. 22. conſtituit Apoſtolos Judices ad abſolutionem peccatorum.

Inſt. 2. Inſtitutio Sacramenti eſt opus Legiſlatoris. Atqui Chriſtus in Jordane non geſſit perſonam Legiſlatoris, ſed pœnitentis & peccatoris. Ergo. R. Omiſſo Antecedente, N. Min. Nihil enim obſtat Chriſtum in Jordane & Legiſlatoris & pœnitentis perſonam ſuſtinuiſſe reſpective ad diverſa: Pœnitentis perſonam geſſit recipiendo Baptiſmum, Legiſlatoris tribuendo aquis vim regenerativam; ſicut in cruce ſuſtinuit perſonam pœnitentis, factus pro nobis maledictum, ſimul & perſonam Legiſlatoris, veterem Legem abrogans & novam condens.

Obj. 3. contra eandem partem. Probabilius videtur inſtitutum fuiſſe Baptiſmum, dum Joan. 3. Chriſtus dixit Nicodemo: *Niſi quis renatus fuerit, &c.* præſertim cum immediate poſt illud colloquium legatur Chriſtum baptizaſſe, velut procedens, inquit Eſtius, ad executionem inſtitutionis factæ. Ergo. R. N. Ant. Hæc enim verba ſignificant quidam neceſſitatem Baptiſmi in futurum, at non ejus inſtitutionem: ſicut hæc: *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, &c.* exprimunt neceſſitatem Euchariſtiæ, ſed non ejus inſtitutionem.

Si petas, quare Chriſtus voluerit baptizari? R. Quia decebat, ut qui omnem legem non ſolvere, ſed adimplere venerat, omnem juſtitiam adimpleret: Ita ipſe Chriſtus Matth. 3. Plures alias rationes adſciunt ſancti Patres. Quidam, ut contactu ſuæ carnis vim aquis mundandi conferret. Quidam, ut auctoritate ſua Baptiſmum Joannis probaret. Alii, ut ſuo exemplo oſtenderet non negligendum eſſe Baptiſmum, etiamſi ab inferiori conferatur.

§. II. *Quandonam Baptiſmus cœpit obligare?*

Dico. (*Ib. 6.*) Baptiſmus non fuit in præcepto ante Paſſionem & Reſurrectionem Chriſti. Prob. 1. (*Ib.*) Lex nova, ad quam pertinet Baptiſmus, non debuit obligare, antequam Lex vetus obligare deſineret; non enim debebant ſimul obligare, & nova debebat ſuccedere veteri tamquam lux umbræ & veritas figuræ. Atqui Lex vetus ante Paſſionem & Reſurrectionem Chriſti non deſiit obligare. Ergo. Prob. Min. 1. Chriſtus Matth. 8. præcipit leproſo mundato adire Sacerdotem, ut ſecundum Legem munus offerret. 2. Immolatio Agni Paſchalis fuit in præcepto uſque ad Chriſti Paſſionem, Luc. 22. *Venit dies Azymorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha. Et miſit Petrum & Jacobum, dicens: euntes parate nobis Paſcha, ut manducemus.* 3. Chriſtus non venit *ſolvere Legem, ſed adimplere*, Matth. 5. Non fuit autem Lex adæquate impleta, niſi quando Chriſtus in cruce dixit, *Conſummatum eſt*. 4. Lex duravit, quouſque Sacerdotium fuit translatum, Heb. 7. Non fuit autem translatum Sacerdotium niſi in cruce, cum Chriſtus tamquam ſummus Sacerdos ſemetipſum Deo hoſtiam obtulit. 5. Ita cenſent Aug. & Hieron. in mutuis Epiſtolis. Auguſtinus diſtinguit tria tempora reſpectu legalium: primum ante Paſſionem, in quo legalia nec mortifera nec mortua erant: ſecundum a Paſſione ad Evangelii promulgationem, in quo legalia erant mortua, ſed non mortifera: tertium poſt Evangelii promulgationem, in quo legalia erant mortua & mortifera. Et quamvis Hieron. ab eo diſſentiat quantum ad ſecundum, convenit tamen quantum ad primum. Ergo.

Prob. 2. (*ib.*) Non debuit Baptiſmus eſſe in præcepto, antequam totam ſuam perfectionem conſequeretur. Atqui hanc ſolum obtinuit in Paſſione & Reſurrectione Chriſti. Ergo. Prob. Min. Una ex perfectionibus Baptiſmi eſt, ut nos configuret Morti & Reſurrectioni Chriſti, Rom. 6. Atqui ante Mortem & Reſurrectionem Chriſti utrique nos poterat configurare. Ergo. Accedit authoritas S. Bernardi, qui Ep. 77. ad Hugonem ex profeſſo tractat hanc quæſtionem, & probat hæc Chriſti verba ad Nicodemum, *Niſi quis renatus fuerit, &c.* non importare Legem pro tunc; quia, inquit, *diurnum nocturnumque videtur, ut videlicet verbum abſconditum palam jam noceat, & ante Judex feriat, quam minetur*.

Obſervandum eſt hic, quod cum S. Th. dicit legalia ceſſaſſe in Paſſione Chriſti, veriſimilius debeat intelligi non de Paſſione præciſa a Reſurrectione, ſed de Paſſione completa per Reſurrectionem; ita ut, inquit Soto, triduum Paſſionis ſimul & Reſurrectionis habeatur pro uno puncto ſeu uno motu, cujus terminus a quo ſit mors ſeu Paſſio, & terminus ad quem Reſurrectio. Sicut juſtificatio noſtra, propter quam Chriſtus paſſus eſt & reſurrexit, eſt unus motus duos terminos includens, ſcilicet receſſum a peccato ut terminum a quo, & acceſſum ad gratiam ut terminum ad quem. Alioquin S. Doctor ex ceſſatione legalium male inferret Legem Baptiſmi obligaſſe *poſt Paſſionem & Reſurrectionem Chriſti*, ſed debuiſſet tantum dicere *poſt Paſſionem Chriſti*. Et ita interpretantur plures Thomiſtæ. Unde ad utrumque terminum ſcilicet Paſſionis & Reſurrectionis referendum eſt, quod Chriſtus dixit in cruce: *Conſummatum eſt*. Similiter dicendum Sacerdotium, quod fuit in morte translatum, non fuiſſe conſummatum & perfectum, niſi per Reſurrectionem, immortalitatem & indefectibilitatem reaſſumeret, & tunc ſolum adimpletam fuiſſe illam Davidis de Chriſto prophetiam: *Tu es Sacerdos in æternum*.

Dico 2. (*Ib.*) Videtur probabilius Baptiſmum fuiſſe in præcepto ſtatim poſt Paſſionem & Reſurrectionem Chriſti. Ratio eſt: (*ib. 4.*) quia, ut probavimus, Lex vetus umbra & figura novæ ceſſavit in Morte & Paſſione Chriſti; ea autem ceſſante, nova obligare cœpit; non enim umbra recedit, niſi adveniente luce, nec figura tollitur, niſi per veritatem & realitatem; ita ut corruptio unius ſit generatio alterius. Inſuper non eſt veriſimile Deum voluiſſe mundum dimittere abſque aliqua lege poſitiva. Atqui fundamentum totius Legis novæ eſt Baptiſmus, qui jam erat inſtitutus & in uſu. Ergo ſaltem quoad illum Lex nova tunc obligare cœpit.

Solvuntur Objectiones.

OBJ. 1. contra 1. concl. Joan. 3. Chriſtus ante Paſſionem dixit Nicodemo, *Niſi quis renatus fuerit, &c.* Atqui hæc verba videntur importare præceptum. Ergo. R. D. Min. (*Ib. ad 3.*) Hæc verba videntur importare præceptum pro futuro tempore, quando Lex nova obligabit, C. Pro præſenti tempore, N. Sic ſimili phraſi dixit Chriſtus Joan. 6. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Et tamen certo conſtat, his verbis non importari præceptum pro tunc, cum nondum eſſet inſtitutum Sacramentum Euchariſtiæ, ſed pro futuro tempore tantum.

Inſt. 1. Non dicit Chriſtus Nicodemo *oportebit*, ſed *oportet vos naſci denuo*. Atqui *oportet* deſignat tempus præſens & non futurum. Ergo. R. D. Min. *Oportet* deſignat tempus præſens quantum ad Legem ex tunc incipientem & obligantem, N. Quantum ad conditionem Legis

gis futuræ, C. Quaſi dixiſſet: oportet eos, qui meam Legem profitebuntur, dum obligabit, naſci denuo.

Inſt. 2. Aug. lib. de Fide ad Petrum c. 3. dicit: *Ex illo tempore, quo dixit Chriſtus, niſi quis renatus, &c. fit, ut nemo poſſit ſine Baptiſmo introire in Regnum Dei*. Ergo. R. To *Ex illo tempore* in ſenſu Auguſtini non ſignificare ex illo momento, quo Chriſtus hoc dixit Nicodemo, ſed ex illa Chriſti tempora. Comparat enim illud tempus ad tempus Legis veteris cum illa ceſſavit, & Lex nova incepit in morte & reſurrectione Chriſti: quaſi diceret, ex eo tempore quo Chriſtus Legem antiquam abrogavit & novam condidit, nemo ſine Baptiſmo ſalvari poteſt.

Inſt. 3. Judæi tenebantur credere Chriſto & amplecti ejus legem, ad quam præcipue pertinet Baptiſmus. Ergo, R. Equidem Judæos teneri credere Chriſto; id eſt, tenebantur credere Chriſtum eſſe Meſſiam, & eſſe vera, quæ prædicabat, non quidem ex aliquo præcepto Legis novæ, ſed veteris, Deut. 18. & ex Oraculis Prophetarum. Item tenebantur amplecti ejus Legem, ſed pro eo tempora, quo voluit illam obligare: non voluit autem illam obligare, niſi ceſſante veteri in ſua Paſſione.

Inſt. 4. Lex Baptiſmi ante Paſſionem obligabat Gentiles. Ergo a fortiori Judæos. Prob. Ant. Gentilis, qui tunc voluiſſet converti a gentilitate, debuiſſet baptizari. Ergo. R. N. Ant. ad prob. N. Ant. Gentilis enim tunc potuiſſet ſalvari profitendo vel Legem naturæ, vel Legem ſcriptam: ſed caſu quo neutrius remedium ad deletionem peccati adhibere voluiſſet, tunc debuiſſet baptizari.

Reponis; ſi tunc per Baptiſmum poterat deleri peccatum. Ergo non amplius obligabat Circumciſio. Ergo jam tum extincta erat Lex Moſaica. Ergo obligabat Lex nova ex dictis. R. D. primum illatum. Ergo ex tunc jam non obligabat amplius Circumciſio, ut erat remedium peccatio, C. Quatenus ad hoc enim tunc currebant ſimul Lex & Evangelium, ut docet Auctor 1. 2. q. 103. a. 3. ad 2. Non obligabat amplius, ut erat profeſſio Legis Moſaicæ, ad quam tenebantur omnes Judæi, N. Sicut ſi nunc aliquis per perfectam contritionem eſſet juſtificatus ante Baptiſmum re ſuſceptum, teneretur nihilominus baptizari ut aggregaretur Eccleſiæ.

Dices. Juxta S. Th. hic, Legalia ceſſarunt in Paſſione Chriſti, quando dixit, *Conſummatum eſt*. Atque ex dictis ceſſante Lege veteri nova cœpit obligare. Ergo ſtatim poſt Paſſionem & non ſolum poſt Reſurrectionem Lex nova obligavit, ut S. Th. & nos poſt ipſum diximus. R. cum S. Th. & nos poſt ipſum dicimus Legalia ceſſaſſe in Paſſione Chriſti, debet intelligi non de Paſſione præciſa a Reſurrectione, ſed de Paſſione completa per Reſurrectionem. Vide obſervationem poſt 1. Concluſionem.

Obj. 2. contra 2. Concl. Apoſtoli ipſi poſt mortem & reſurrectionem Chriſti obſervarunt Legalia. Ergo non erant mortua. R. N. Conſeq. Erant quidem tunc mortua, ſed non mortifera; & ideo quamvis nulla tunc amplius eſſet obligatio ea ſervandi, nondum erat tamen prohibita eorum obſervatio. Et ita decebat, inquit Aug. tum ne Lex antiqua crederetur mala & abominabilis, ſi ſtatim mortifera prohiberetur, ſicut Idolorum cultus; tum quia ſicut mortuos aliquamdiu ſervamus, ut majori cum honore ſepulturæ tradamus, ita decuit Legem antiquam aliquandiu ſervari, ut Mater Synagoga cum honore ſepeliretur.

Inſt. Apoſtoli non ſolum obſervarunt Legalia, ſed & obſervari juſſerunt, ut abſtinere a ſanguine & ſuffocato. Ergo. R. Apoſtolos ad tempus ex œconomia id præcepiſſe, ne Judæi, qui ſanguinem & ſuffocatum abominabantur, offenderentur, & eorum unio cum gentibus converſis impediretur. At hæc obligatio non ex Lege veteri, ſed ex ipſo Apoſtolorum præcepto oriebatur.

Obj. 3. Lex non obligat, antequam promulgetur. Atqui Lex nova non fuit promulgata niſi die Pentecoſtes. Ergo antea non obligabat. R. N. Min. Lex enim nova ſaltem quoad Baptiſmum incepit aliquo modo publicari per ſuam inſtitutionem, uſum & frequentiam, complete autem promulgata eſt quoad ſufficientiam in cruce, quando Chriſtus dixit, *Conſummatum eſt*, & morte ſua confirmavit novum teſtamentum, quod pridie in cœna condiderat, evacuato veteri. Diſtinguitur itaque duplex Legis promulgatio; una quam dicunt eſſentialem, ſeu potius quæ eſt conditio neceſſario & inſupplebiliter requiſita ad rationem Legis, ut quando princeps exiſtentibus in curia illam proponit & intimat. & talis Legis Baptiſmi promulgatio facta eſt inchoate ante Paſſionem Chriſti, complete in Paſſione, eaque ſufficit, ut Lex vim obligativam habeat. Altera eſt ſolemnior & accidentalis, ad tollendam ſubditorum ignorantiam propius ordinata, ut quando Lex per ſingulas Civitates aut Provincias a Præcone promulgatur, & hæc novæ Legis promulgatio facta eſt ab Apoſtolis Jeroſolymis die Pentecoſtes, & deinceps per univerſum mundum; unde ante illam Lex nova obligabat; qui tamen illam ignorabant defectu ſolemnioris promulgationis, excuſabantur a peccato eam tranſgrediendo.

Inſt. S. Bernardus Ep. 77. ad Hug. probat Legem Baptiſmi non obligaſſe niſi poſt ſufficientem & ſolemnem promulgationem, qua potuit pervenire ad ſubditorum notitiam. Ergo. R. Bernardum nihil aliud velle, quam quod ante ſolemnem & diffuſam hujus Legis promulgationem non peccabat, qui eam ex ignorantia tranſgrediebatur. *Ex eo tempore tantum*, inquit, *cuique cœpit antiqua obſervatio non valere, & non baptizatus quiſque novi peccati reus exiſtere, ex quo præceptum ipſum inexcuſabiliter ad ejus potuit pervenire notitiam*.

Inferes. Ergo a Reſurrectione Chriſti uſque ad Pentecoſten Deus reliquit pueros abſque remedio peccati originalis; non enim tunc amplius valebat Circumciſio, utpote abrogata ſecundum nos; Baptiſmus autem erat incognitus. Atqui id videtur repugnare divinæ bonitati. Ergo. R. 1. hoc argumentum eſſe ſolvendum ab Objicientibus; multi enim etiam poſt Pentecoſten ignorabant Baptiſmum, & Circumciſio, tunc, fatentibus Adverſariis, erat abrogata. Unde. R. 2. Baptiſmum ſcientibus fuiſſe peccati origin. remedium, ignorantibus Circumciſionem, non ut Sacramentum veteris Legis Chriſti præfigurativum, ſed ut remedium Legis naturæ, in quantum erat fidei proteſtatio; & ſub hac ratione arbitramur cum Soto, Medina, Capreolo, &c. valuiſſe uſque ad ſufficientem & diffuſam Legis novæ promulgationem. Et ita loqui debent Adverſarii.

Obj. 4. S. Th. hic ad 2. dicit Chriſtum *non ſolum Judæis, ſed etiam gentilibus impoſuiſſe neceſſitatem Baptiſmi ſub præcepto, dicens, euntes docete omnes gentes*. Atqui hoc dixit Chriſtus octavo tantum die poſt reſurrectionem. Ergo ſaltem tunc ſolum & non ſtatim poſt reſurrectionem obligavit Lex Baptiſmi. R. incertum eſſe, quando Chriſtus hæc verba protulerit. Quidam exiſtimant protuliſſe ipſa die reſurrectionis veſperi, ut innuitur Marci ultimo. Alii octava die poſt reſurrectionem, ut innuitur Matth. ult. Forte autem S. Th. fuit in ea opinione, quod hoc ſit a Chriſto dictum ipſa die reſurrectionis. Vel dicendum S. Doctorem tantum velle, quod Chriſtus mandaverit tunc Apoſtolis, ut Legem jam promulgatam & obligantem non reſtringerent ad Judæos, ut factum huc uſque fuerat, ſed etiam Gentibus intimarent.

Obj. 5. Trid. ſeſſ. 6. cap. 4. dicit, *Poſt promulgatum Evangelium ſine lavacro regenerationis aut ejus voto juſtificationem fieri non poſſe*: Ergo ante promulgatum Evangelium poterat ſine lavacro regenerationis fieri juſtificatio; ſicque tunc non obligabat Lex Baptiſmi. R. 1. N. Conſeq. quæ male infertur ex argumento negativo. Ex eo enim quod Concilium dicat poſt promulgatum Evangelium juſtificationem non fieri ſine Baptiſmo, non ideo dicit, quod ante promulgatum Evangelium fieret ſine Baptiſmo. 2. Sed eſto id diceret & ſupponeret, nihil inde contra nos. Fatemur enim, quod tunc temporis ante ſolemnem Legis promulgationem factam die Pentecoſtes, licet Baptiſmus obligarat, non tamen erat omnibus neceſſarius neceſſitate medii, ſed qui illam Legem ignorabant invincibiliter, ſalvari poterant vel ipſa Circumciſione ut erat proteſtatio fidei, ſicut jam dictum eſt, vel remedio Legis naturæ. Itaque admittere coguntur Adverſarii etiam poſt ſolemnem Legis promulgationem factam die Pentecoſtes: cum tunc adhuc multi etiam intra fines Judææ, a fortiori inter Gentes, Legem hanc Baptiſmi invincibiliter ignorarent. Unde textus Concilii intelligi non debet de promulgatione facta die Pentecoſtes, ſed de promulgatione poſtmodum ubique facta per Apoſtolos, quorum ſonus exivit in omnem terram.

ARTICULUS III.

De Materia Baptiſmi.

IN Sacramentis, quæ conſiſtunt in uſu rei ſenſibilis, duplex diſtinguitur materia, ſcilicet remota & proxima. Remota eſt ipſa res ſenſibilis, proxima eſt ipſius rei uſus & applicatio. Sic in Baptiſmo aquam dicimus materiam remotam, applicationem aquæ ad corpus ſeu ablutionem materiam proximam. De utraque per diſtinctos §§. agemus.

§. I. Utrum aqua ſit materia remota Baptiſmi?

MISSIS Gnoſticis, Archonticis & aliis ejuſdem furfuris Hæreticis, qui negaverunt Sacramenta ſenſibilia, fuerunt alii plures, qui rejecerunt ſpecialiter Baptiſmum in aqua. 1. Manichæi, rati aquam eſſe a malo principio, Baptiſmum in ea collatum noxium dixerunt: Aug. Hæreſi 46. Similiter Seleuciani & Hermiani: idem Hæreſi 59. 2. Pauliciani dicebant Baptiſmum ſola prolatione horum verborum, *Ego ſum aqua viva*, perfici. Euthymius in 2. parte Panopliæ tit. 21. 3. Lutherus in Sympoſiacis, id eſt, convivalibus colloquiis c. 7. dubitavit, an non Baptiſmus in vino collatus valeret. Lutheri dubium fulvit Beza docens Baptiſmum in quovis liquore col-

collatum, urgente neceſſitate, & abſenta aqua, eſſe validum. Pro aſſerendo Catholico Dogmate

Dico 1. (*Hic q. 60. a. 3. & 4. o.*) Omnis & ſola aqua vera & elementaris eſt materia remota Baptiſmi. Prob. 1. ex Scripturis. Juxta SS. Patres ſequentia veteris Teſt. loca de Baptiſmate figurative & prophetice ſunt intelligenda. Pſ. 28. *Vox Domini ſuper aquas, Dominus ſuper aquas multas.* Cant. 4. *Greges tonſarum, quæ aſcenderunt de aquæ omnes gemellis fœtibus* (Ezech. 36.) *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus iniquitatibus veſtris.* Ex novo Teſtam. ſunt aperta teſtimonia. Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non poteſt intrare in Regnum cœlorum.* Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes*, &c. Epheſ. 5. *Mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.* Act. 8. de Eunucho Candacis Reginæ: *Venerunt ad quamdam aquam, & ait Eunuchus: Ecce aqua, quid prohibet me baptizari.* Act. 10. *Numquid aquam quis prohibere poteſt, ut non baptizentur hi, qui Spiritum S. acceperunt ſicut & nos.*

Prob. 2. ex Patribus. Juſtinus Apol. 2. de iis, qui ad Religionem noſtram diſponuntur, dicit: *Deinde eo adducuntur a nobis, ubi eſt aqua ... Nam in nomine cunctorum rerum Parentis & Domini Dei & Servatoris noſtri Jeſu Chriſti & Spiritus S. in aqua tum lavantur.* Tertul. l. de Bapt. quem his verbis inchoat: *Felix Sacramentum aquæ noſtræ, qua abluti delictis priſtinæ cæcitatis in vitam æternam liberamur.* Aug. Tract. 15. in Joan. *Quid eſt Baptiſmus? lavacrum aquæ in verbo. Tolle aquam, non eſt Baptiſmus: Tolle verbum, non eſt Baptiſmus.* Innumeros omitto in re aperta.

Prob. 3. ex definitionibus Eccleſiæ Greg. IX. apud Raynaldum ad an. 1241. de his, qui in Norvegia baptizabantur cerevisia, reſcribit ad Archiepiſcopum Nidroſienſem: *Cum ſecundum doctrinam Evangelicam oportet ex aqua & Spiritu S. renaſci, non debent reputari rite baptizati qui cerevisia baptizantur.* Conc. Florent. in Decreto unionis: *Materia*, inquit, *hujus Sacramenti eſt aqua vera & naturalis.* Trid. ſeſſ. 7. can. 2. *Si quis dixerit aquam veram & naturalem non eſſe de neceſſitate Baptiſmi, atque ideo verba illa Domini Jeſu Chriſti, niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. ad metaphoram aliquam detorſerit, anathema ſit.*

Ratio a priori (*Ibid. a. 3.*) nulla eſt niſi voluntas Chriſti inſtituentis. At variæ ſunt congruentiæ. Prima (*Ibid.*) convenientia petitur ex ipſius Baptiſmi ratione, qui eſt regeneratio ſpiritualis, quod maxime congruit aquæ. Unde & ſemina, ex quibus generantur omnia viventia, ſcilicet plantæ & animalia, humida ſunt, & aquam participant; propter quod Thales Mileſius poſuit aquam omnium rerum principium. Secunda (*Ibid.*) convenientia ſumitur ex affectibus Baptiſmi, quibus aquæ proprietates conveniunt. 1. Aqua ſua humiditate lavat, ex quo conveniens eſt ad ſignificandam & cauſandam ablutionem peccatorum, quæ eſt effectus Baptiſmi. 2. Sua frigiditate temperat ſuperfluitatem caloris, & ex hoc competit ad mitigandam concupiſcentiam fomitis, quod eſt alter Baptiſmi effectus. 3. Sua diaphanitate eſt luminis ſuſceptiva; unde convenit Baptiſmo, non quia Baptiſmus active illuminat, ſed quia eſt Sacramentum fidei, per quam illuminamur. (*Ib.*) Tertia convenientia eſt ad ſignificandum Myſteria, quæ in Baptiſmo celebrantur, & quibus juſtificamur: ut enim dicit Apoſt. Rom. 6. & Coloſſ. 2. *Conſepelimur Chriſto in Baptiſmo, in quo & reſurreximus.* Hæc autem ſignificatio congruenter fieri non poſſet per terram propter ſuam denſitatem, neque per aerem propter ſuam raritatem, nec per ignem, quia nos combureret; fit ergo commodiſſime per aquam Baptiſmi, *in qua veluti in ſepulchro ſubmergentibus nobis capita, vetus homo ſepelitur, & ſubmerſus deorſum occultatur, & deinde rurſus novus aſcendit.* ita Chryſoſtomus ſuper illud Joan. *Niſi quis renatus.* Quarta convenientia aquæ in Baptiſmo (*Ib.*) eſt ratio ſuæ communitatis & abundantiæ. Cum enim Baptiſmus ſit generale Sacramentum univerſis neceſſarium, debuit ejus materia eſſe in promptu, ut abſque ullo diſpendio temporis, loci, aut pretii, applicatio eſſe facillima.

Dixi, (*Ib. a. 4.*) *Omnis & ſola aqua vera & elementaris.* Poteſt autem aqua amittere ſuam veritatem & ſimplicitatem dupliciter: 1. Per miſtionem alterius corporis, ut cum pulvis miſcetur aquæ, & magis abundat quam aqua, fit lutum. 2. Per alterationem, ut cum aqua convertitur in liquorem uvæ. Et hoc utrumque fieri poteſt, ſive per naturam, ſive per artem. Igitur in qualibet aqua, qualitercumque tranſmutata, modo non ſolvatur ſpecies aquæ, poteſt fieri Baptiſmus; ſi vero ſolvatur ſpecies aquæ, non poteſt fieri Baptiſmus. Intelligimus autem naturam & ſpeciem aquæ magis ſecundum communem hominum uſum & æſtimationem, quam ſecundum rationes phyſicas: ſicut v. g. quamvis forte farina ex aqua ſubacta, vulgo *pate*, ſpecie phyſice non differat a pane; quia tamen ſecundum communem hominum uſum & æſtimationem non eſt panis, non poteſt eſſe materia Euchariſtiæ. Similiter de aqua reſpectu Baptiſmi; quia ſicut Chriſtus inſtituit panem uſualem pro materia Euchariſtiæ, ſic inſtituit aquam uſualem pro materia Baptiſmi.

Hinc colliges 1. (*Ibid. ad 1. 2. & 4.*) Baptiſmum valide fieri poſſe in aqua ſalſa maris, in pluviali, fontana, fluviali, minerali, ſive turbida ſit ſive clara, ſive frigida, ſive calida, ſive benedicta ſive non. Item in lixivio, in aqua decoctionis carnium, piſcium, herbarum, modo non ſit facta tanta reſolutio corporum lixatorum in aqua, quod liquor plus habeat de aliena ſubſtantia, quam de aqua, quod ex ſpiſſitudine perſpici poteſt. Item in aqua ex grandine, nive, glacie, ante ablutionem reſoluta. Item in ſudore pavimenti vel parietum tempore pluvioſo; ſimiliter in aqua expreſſa ex luto: quia in his omnibus ſalvatur natura & ſpecies aquæ, ita ut verum ſit de illis dicere juxta communem hominum uſum & æſtimationem, eſt aqua naturalis. Colliges 2. (*Ib. ad 5.*) e contra invalidum eſſe Baptiſmum collatum in luto, vino, cerevisia pingui, lacte, oleo, ſaliva, ſudore, lacrymis, urina, glacie, nive, grandine nondum reſolutis, neque, quidquid dicant aliqui, in aqua roſacea, aut alia ex arboribus, herbis aut floribus diſtillata; quia illa omnia non reputantur aqua naturalis & uſualis, ſive interim ab illa ſpecie phyſica differant, ſive non. Aliqui dubitant de tenui cerevisia, ptiſana, the & ſimilibus decoctionibus herbarum, quia, inquiunt, juxta hominum æſtimationem videntur potus ab aqua ſpecie diſtinctus. Unde qui tenentur jejunare in pane & aqua, non poſſunt uti illis potibus. Attamen eadem videtur ratio de his ac de aqua levis decoctionis carnium, quam Auctor agnoſcit ſufficientem. Et quamvis cenſeantur potus ab aqua diſtinctus reſpective ad jejunium, in quo intenditur mortificatio; non tamen cenſentur aqua ſpecie diſtincta a naturali reſpective ad ablutionem, quæ intenditur in Sacramento.

Majus dubium eſt de aqua ex ſale reſoluta: quia ex una parte non videtur aqua naturalis & uſualis; ex altera videtur, quod ſit idem ac de aqua ex grandine vel glacie; hæc enim eſt aqua frigore condenſata, illa eſt aqua ſolis ardore condenſata. Cæterum in praxi, numquam extra caſum neceſſitatis eſt adhibenda aqua dubia, ubi certa haberi poteſt: in caſu vero neceſſitatis licite adhiberi poteſt omne id, de quo prudenter dici poteſt, forte eſt aqua: quia tunc neceſſitas extrema ſalutis & conditio appoſita abſtergunt injuriam Sacramenti, & ſatius eſt exponere Sacramentum nullitati, quam hominem æternæ damnationi; Sacramenta enim ſunt propter homines. Confer Tract. de Sacram. in genere Diſſ. 1. a. 6. §. 2.

Dico 2. (*Ib. a. 3. ad 5.*) Aqua Baptiſmo ſive privato ſive ſolemni adhibenda debet neceſſario, non neceſſitate Sacramenti ſed præcepti, eſſe conſecrata ſeu ſacro Chriſmate delibuta & benedicta illo anno, Sabbato ſancto aut vigilia Pentecoſtes, ſi haberi poteſt. Hanc Eccleſiæ praxim & legem utendi aqua benedicta & conſecrata in Baptiſmo ex Apoſtolorum traditione deſcendere colligitur ex eo, quod illius initium non invenitur. Hujus meminerunt Auctor Conſtit. Apoſt. l. 7. & 8. S. Baſilius lib. de Spiritu S. c. 27. S. Cyprian. Ep. 70. ad Januarium, S. Ambroſ. l. 1. de Sacram. c. 5. Aug. Hom. 27. & 30. & alii. Item Euchologium, quo a mille annis & amplius uſi ſunt Græci. Idem probant antiqua Baptiſteria, non alia ratione conſtructa, quam ut aqua ſolemni ritu conſecrata & benedicta decentius ſervaretur. Baptiſterii conſtructi a S. Pio I. electo Pontifice an. 142. alterius conſtructi a Conſtantino in Later. Baſilica meminit Anaſtaſius Bibliothecharius Thom. 1. Baptiſteriorum, quæ Hæretici incenderunt, meminit S. Athanaſ. Ep. Encyclica ad Epiſcopos. Unde mirum eſt hanc antiquam utriuſque Eccleſiæ Græcæ & Latinæ legem & conſuetudinem a noſtratibus Hæreticis ſugillari. Hoc eſt dumtaxat diſcrimen inter Græcos & Latinos, quod Latini bis tantum in anno aquam conſecrent, Græci vero quoties miniſtrandus eſt Baptiſmus.

Dixi, *Baptiſmo ſive privato ſive ſolemni.* Quidam negant de Baptiſmo privato; attamen, quamvis ſolemnitas ſpecialiter requirat aquam conſecratam, & inde augeatur obligatio talem adhibendi, id etiam videtur exigere natura Sacramenti. Etenim tam in privato quam in ſolemni Baptiſmo res ſancta peragitur, & aſſumitur aqua non ad quemcumque uſum, ſed ad ablutionem ſpiritualem. Inſuper, ut dicit Auctor loco cit. per aquæ benedictionem impeditur aſtutia dæmonis, ne impediat affectum Baptiſmi, quod etiam convenit Baptiſmo privato ſicut ſolemni. His autem de cauſis Lex poſita eſt.

An gravis vel levis ſit obligatio præfatam aquam adhibendi in Baptiſmo, diſputatur. Nobis videtur gravis, ſaltem pro Baptiſmo ſolemni, idque ſatis indicant tum Eccleſiæ ſolemnitas in conſecrando, tum cura in aſſervando. Pro praxi nota verba ſequentia Rit. Rom. *Si aqua benedicta tam imminuta ſit, ut minus ſufficere videatur, alia non benedicta admiſceri poteſt, in minori tamen quantitate:*

te : ſi vero corrupta fuerit, aut effluxerit, aut quovis modo defecerit, Parochus in fontem bene mundum acnitidum, recentem aquam infundat, eamque benedicat ex formula, quæ infra præſcribitur; ſed ſi conglaciata ſit, curetur, ut liqueſiat; ſin autem ex parte congelata ſit, aut nimium frigida, poterit parum aquæ naturalis non benedictæ calefacere & admiſcere aquæ Baptiſmali in vaſculo ad id parato, & ea tepefacta ad Baptiſmum uti, ne noceat infantulo.

Solvuntur Objectiones contra 1. Concluſionem.

OBJ. 1. Hæc Chriſti verba Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. &c.* in quibus maxime vim facimus, non ſunt intelligenda litteraliter de vera aqua, ſed metaphorice de ipſo Spiritu S. ita ut copula *Et* non ſumatur copulative, ſed explicative ſignificans *id eſt*, perinde ac ſi dixiſſet *in Spiritu aqueo*, ſeu in Spiritu mundante inſtar aquæ: non enim inuſitatum eſt Scripturam per duo unum exprimere: & Act. 17. *Vita & inſpiratio* idem eſt ac *inſpiratio vitæ*. Coloſſ. 11. *Per Philoſophiam & inanem fallaciam*, idem eſt ac *per inanes fallacias Philoſophiæ*. Ergo. Ita Calviniſtæ. R. 1. Nos non in hoc uno Scripturæ teſtimonio fundari, ſed in pluribus aliis aperiſſimis, quæ ſenſum metaphoricum non admittunt, præſertim Act. 8. & 10. Item in Traditione, definitionibus & praxi totius Eccleſiæ ab incunabulis. Unde tametſi hæc Calviniſtarum interpretatio, quæ falſiſſima eſt, foret legitima, nihil obtineret argumentum contra noſtram Concluſionem. R. 2. N. Aſſumptum. Hic enim duo omnino diſparata exprimuntur; unum exterius, ſcilicet elementum aquæ; aliud interius, nimirum gratia Spiritus S. nec eſt vel unus Patrum in tota retro antiquitate, qui aliter intellexerit. Reſervatum erat heſternis Hæreticis ſenſum metaphoricum illis verbis affingere. Non negamus aliquando Scripturam per duo unum exprimere; at inſanum foret dicere aut credere hunc eſſe ejus conſtantem in omnibus uſum. Niſi forte velis cum Sabellianis, ut intra ſubjectam materiam hæreamus, his nominibus *Patris & Filii & Spiritus S.* unam & eandem perſonam exprimi. Ut ergo legitimus verborum Chriſti ſenſus cognoſcatur, & an particula *Et* copulative vel explicative ſignificet, perpendendæ ſunt circumſtantiæ loci & temporis, ſubjecta materia, alia Scripturæ teſtimonia affinia, ſenſus Patrum & Eccleſiæ praxis. Porro in noſtro caſu ex circumſtantiis loci & temporis, ex ſubjecta materia, ex collatis aliis Scripturæ locis colligitur hic aquam poni pro elemento naturali, & ut quid diſtinctum a Spiritu. Volebat enim Chriſtus inſtruere Nicodemum de regeneratione ſpirituali mediante Sacramento ſenſibili in aqua; unde ſtatim poſt iſtud colloquium quaſi explicaturus & conſummaturus, quæ dixerat Nicodemo, legitur ibidem baptizaſſe cum Diſcipulis, utique Baptiſmo aquæ, quia, ut ſubditur ibidem, inde commoti ſunt Joannis diſcipuli, quod ejus Baptiſmum Chriſtus uſurparet; idque aperte confirmant alia Scripturæ teſtimonia in probationibus laudata. Idem colligitur ex traditione & perpetua praxi Eccleſiæ, qua nullus eſt certior Scripturæ Interpres. Immo nec nocent exempla allata: etenim inſpiratio vitæ eſt vita in inſpiratione ſenſibili collata: fallacia inanis Philoſophiæ eſt latens in argutionibus Philoſophorum deceptio. Ergo Spiritus aqueus, ſi ita loqui liceat, eſt Spiritus vi occulta operans in aquis.

Inſt. 1. Chriſtus ibi exprobrat Nicodemo, quod quæ dixerat, ignoraret: *Tu es Magiſter in Iſrael, & hæc ignoras?* Atqui ſi de vera aqua locutus fuiſſet, non erat ratio, cur Nicodemo ejus hac in re ignorantiam exprobraret: quomodo enim ſcire potuiſſet Nicodemus veram aquam eſſe neceſſariam ad renaſcendum? Ergo. R. 1. Juxta Aug. Tract. 12. in Joan. Chriſtum hæc non dixiſſe exprobrando, ſed docendo, & Nicodemi ſuperbiam ſanando. 2. N. Min. Manifeſtum eſt enim ex textu Scripturæ, quod Chriſtus loquebatur de regeneratione ſpirituali in aqua per Spiritum S. quamvis Nicodemus intelligeret de iterata nativitate carnali. Cum autem Nicodemus eſſet legis Doctor & Scripturas doceret, merito exprobrat illi Chriſtus, quod ignoraret Deum poſſe regenerare ſpiritualiter homines per aquam aut per aliquid aliud ſenſibile, cum id pluries teſtetur Scriptura. Ezech. 36. *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini, &c.* Pſ. 50. *Aſperges me hyſſopo, & mundabor: Lavabis me, & ſuper nivem dealbabor*. Item Pſ. 103. Zachar. 13. & inſuper Judæi proſelytum, qui ad eorum Religionem convertebatur, baptizabant, & eo Baptiſmo junctis variis aliis purificationibus quaſi novum hominem reputabant: ipſimet Phariſæi quotidianis ſuis purificationibus & Baptiſmis ſe purificabant: ad hæc ſi attendiſſet Nicodemus, facile intellexiſſet, præſertim Chriſto explicante, Deum poſſe quo voluerit modo etiam per aquam regenerare hominem ſpiritualiter; ideoque merito illi fuit exprobratum, quod cum eſſet Magiſter in Iſrael, hæc ignoraret, & tamquam extranea atque abſurda reputaret.

Inſt. 2. In his Chriſti verbis: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S.* Spiritus non intelligitur materia Baptiſmi; ergo nec aqua. R. inſulſam prorſus hanc eſſe ratiocinationem. Ecquis niſi mente captus cogitabit unquam Spiritum S. eſſe poſſe materiam alicujus Sacramenti? Itaque ſecundum ſubjectam materiam per Spiritum S. intelligitur cauſa efficiens, & quaſi Pater regenerationis; per aquam intelligitur quaſi Mater ſeu materia Sacramenti regenerationis. Ita SS. Patres.

Inſt. 3. Quando Joan. Bapt. Matth. 3. dixit: *Qui poſt me venturus eſt, fortior me eſt ... ipſe vos baptizabit in Spiritu S. & igni*, per ignem non intelligitur litteraliter ignis elementaris, ſed metaphorice Spiritus S. qui inſtar ignis corda charitate inflammat, & peccata deſtruit. Ergo ſimiliter de aqua, Joan. 3. R. N. Conſ. Nemo enim unquam, exceptis Hermianis & Seleucianis & forte quibuſdam aliis ejuſdem furfuris Hæreticis, ſomniavit ignem eſſe Baptiſmo adhibendum: cum e contra conſtet & Chriſtum & Apoſtolos, & omnem qua late patet Eccleſiam ſemper adhibuiſſe aquam. Ex qua praxi tamquam ex regula certiſſima dicimus verba Joan. 3. intelligenda eſſe de aqua naturali, & verba Matth. 3. de igne metaphorice ſumpto pro gratia & donis Spiritus S. Sunt quidam SS. Patres, qui illa verba Matth. 3. intelligunt litteraliter de linguis igneis, quæ apparuerunt ſupra capita Apoſtolorum die Pentecoſtes.

Inſt. 4. Ipſe S. Joan. Bapt. loco cit. Matth. diſtinguit ſuum Baptiſma a Baptiſmate Chriſti in hoc, quod ſuum ſit in aqua, Baptiſma autem Chriſti in Spiritu S. Ergo. R. D. Ant. Diſtinguit in hoc, quod ſuum Baptiſma ſit in aqua ſimpliciter, N. In hoc, quod ſit in aqua tantum ſine collatione Spiritus S. quam conferebat Baptiſma Chriſti, C. Quaſi diceret, ego baptizo vos aqua tantum, & corpora ſolum lavo, inde indicans vobis pœnitentiam, & ad eam vos exhortans; ſed qui poſt me venit, non ſolum corpora, ut ego, aqua, verum etiam animos veſtros effuſo Spiritus S. purgabit, divinoque illo igne inflammabit. Unde diſcrimen inter hæc duo Baptiſmata non eſt ex parte materiæ, in utroque enim eſt aqua, ſed ex parte virtutis & effectus.

Obj. 2. Stephanus Papa, creatus an. 751. dum in Galliis verſaretur, & apud Cariſiacum cum Pippino Rege moraretur, ad varia capita, de quibus interrogatus fuerat, 19. reſponſa dedit Monaſterio Britannico (*de Bretigny*) quorum undecimum ſic legitur Tom. 6. Conc. Labb. colum. 1652. *Si in vino quis, propterea quod aquam non inveniebat, omnino periclitantem infantem baptizavit, nulla inde ei adſcribatur culpa (infantes ſic permaneant in Baptiſmo) nam ſi aqua adfuit præſens, ille Presbyter excommunicetur & Pænitentiæ ſubmittatur; quia contra Canonum ſententiam agere præſumpſit*. Ergo. R. hoc reſcriptum eſſe ſpurium vel adulteratum. 1. Inveriſimile eſt ſummum Pontificem ignoraſſe, quæ neminem vel leviter Theologum latere poſſunt. 2. Nulla Canonum collectio, nullus Scriptor hujus reſponſi meminit. 3. Cum interrogatio eſſet de uno infante, dicitur in reſponſo in plurali numero, *Infantes ſic permaneant in Baptiſmo*. Unde nota marginalis in Conc. Labb. dicit: *Quod uncis claudimur, gloſſema eſt, aut e margine in textum a Librario temere intruſum, aut ex proximis Canonibus per incuriam tranſlatum*. Natalis Alex. ſæc. 8. c. 1. a. 6. ſic reſtituit textum. *Nulla ei adſcribatur culpa, ſi infantes permanent in Baptiſmo*. Simile aut forte idem reſponſum duo codices a Tournelin laudati tribuunt Siricio Papæ circa finem IV. Sæculi conceptum his verbis: *Presbyter, qui in vino baptizat pro maxima neceſſitate, ut æger non periclitetur, pro tali re nulla ei culpa adſcribatur: Infans vero ille, ſi in SS. Trinitate baptizatum eſt, in eo Baptiſmo permaneat*. Si ſit idem reſponſum, ut probabile eſt, ipſa contradictio attributionum & diverſitas narrationum manifeſte evincunt ſuppoſitionem. Si ſit aliud ſimile, R. ut ante; cum neque in ulla collectione Canonum, neque in Archivis Romanis inveniantur, neque hæc opinio unquam in Eccleſia Romana obtinuerit, aut de illa etiam tempore Siricii auditum fuerit, jure aſſerimus eſſe aut ſuppoſititium aut interpolatum. Adde hæc non eſſe definitiones ex Cathedra toti Eccleſiæ propoſitas tamquam de fide tenendas, ſed reſcripta privata ad quoſdam particulares.

Obj. 3. Joannes Moſchus circa initium 7. Sæculi in Prato ſpirituali c. 176. narrat quemdam Judæum, morbo periculoſo correptum, in deſerto baptizatum fuiſſe ab itineris comitibus arena ter ſuper ipſum projecta, & ſubito virtute hujus Baptiſmi convaluiſſe, quod indicant ejus validitatem. Idem aut ſimile factum narrat Nicephorus l. 3. c. 37. Ergo. R. N. Conſ. Ex utraque enim narratione oppoſitum concluditur. Refert Moſchus hunc Judæum ob ferventiſſimum Baptiſmi deſiderium ſanitati fuiſſe redditum, ſed cum perveniſſent Aſcalonem, *viſum eſt B. Dionyſio mittere fratrem illum ad ſanctum Jordanem*,

ibique baptizari. Nicephorus pariter, *Poſtquam*, inquit, *domum ſunt reverſi, rem tam ad Dionyſium Alexandriæ Epiſcopum retulerunt. Ille vero admiratione ſtupens, Eccleſiam conſuluit, cui viſum eſt aqua inſuper ad eum modum initiatum juxta Eccleſiæ traditionem abluendum eſſe*.

Obj. 4. in Baptiſmo ſignificatur ablutio. Atqui multa alia ſunt ablutiva, quam aqua, ut vinum, oleum, & hujuſmodi alia. Ergo non ſola aqua eſt materia Baptiſmi. R. N. Conſeq. 1. (*Ibid. n. 3. ad* 2.) Vinum & oleum non communiter aſſumuntur ad uſum ablutionis, ſicut aqua. 2. Non ita perfecte abluunt, quia ex eorum ablutione remanet aliqua infectio, ſaltem quantum ad odorem, quod non contingit de aqua. 3. Illa etiam non ita communiter & abundanter habentur, ſicut aqua. 4. Finaliter & præſertim aquam elegit Chriſtus, & non alios liquores. Cætera argumenta vide in Auctore.

§. II. *De materia proxima Baptiſmi.*

Certum eſt materiam proximam Baptiſmi eſſe applicationem materiæ remotæ, ſcilicet aquæ, ſeu ablutionem corporalem: ſed quæſtio eſt 1. quomodo fieri debeat iſta ablutio, an per immerſionem, an per effuſionem aut aſperſionem. 2. Utrum trina ſive immerſio, ſive effuſio, ſive aſperſio ſit de neceſſitate Sacramenti? Suppono: 1. duodecim primis Eccleſiæ ſæculis Baptiſma communius adminiſtratum fuiſſe per immerſionem. Id conſtat pro Eccleſia Græca ex S. Juſt. in Apol. 2. ex S. Baſilio de Spiritu S. c. 27. ex Euchologio Græcorum edito a Goartio & aliis. Pro Eccleſia Latina ex Tertul. de corona militis, ex S. Ambroſ. l. 2. de Sacram. c. 6. Hieron. adverſ. Luciſ. ex S. Greg. l. 1. Ep. 43. alias 41. ex his, qui de divinis officiis ſcripſerunt, Alcuino, Amalario, VValafrido, & pluribus aliis; tandem ex D. Th. qui hic a. 7. dicit tutius eſſe baptizare per immerſionem, quia hoc habet *uſus communior*. Obiit autem S. D. an. 1274. ſed quamvis immerſio communius adhiberetur in Baptiſmo, aliquando tamen adhibita fuit effuſio vel aſperſio; ut mox dicam, & patet ex modo loquendi D. Th. Suppono pariter communius olim, ſicut & nunc, adhibitam fuiſſe trinam vel immerſionem, vel effuſionem, vel aſperſionem. Conſtat ex Auctoribus laudatis pro immerſione, qui plerumque etiam exprimunt trinam immerſionem. Unde Auctor hic art. 8. o. dicit, quod qui trinam immerſionem non ſervaret, *peccaret graviter ... quaſi ritum Eccleſiæ non obſervans*. Iſte tamen ritus ſæculo 6. mutatus & interruptus fuit apud Hiſpanos, ut mox dicemus. His ſuppoſitis,

Dico 1. (*Ib. a. 7. 2.*) Validum eſt Baptiſma collatum ſive per immerſionem, ſive per infuſionem, ſive per aſperſionem. Eſt contra Græcos, qui poſt Synodum Florentinam, Auctore Marco Epheſino, inter alias ſeparationis ſuæ cauſas prætexerunt, quod Eccleſia Romana deſerendo Baptiſmum per immerſionem a vera fide defeciſſet. Prob. 1. Auctoritate & exemplis. 1. Ex prænuntiata Baptiſmi inſtitutione, Ezech. 36. *Effundam ſuper vos aquam mundam*. (*Ibid.*) 2. Veriſimile eſt Apoſtolos, qui una die quinque hominum millia baptizarunt, effuſionem aut aſperſionem adhibuiſſe. 3. Sanctus Cyprianus. Concilium Antiſſidiorenſe an. 578. Can. 18. Matiſconenſe II. an. 585. Can. 3. & alia probaverunt Baptiſmum per effuſionem collatum Clinicis, id eſt, decumbentibus in lecto. 4. Cum propter aliam neceſſitatem, puta propter perſecutionem, aut opportunam & inopinatam occaſionem, in privatis domibus Baptiſmus conferebatur, indubie effuſio aut aſperſio uſurpabatur. Et ita Paulus in carcere detentus Act. 16. dubio procul *cuſtodem carceris cum omni domo ſua baptizavit*. Legitur in vita S. Laurentii ipſum baptizaſſe Romanum militem aqua ex urna effuſa. Acta S. Gratiliani, S. Bacchi junioris, & S. Liudgeri edita a P. Martene referunt Baptiſmum per effuſionem collatum. Ergo.

Prob. ratione. (*Ibid.*) Aqua aſſumitur in Baptiſmo ad uſum ablutionis corporalis, per quam ſignificatur interior ablutio peccatorum, ita ut ablutio quidem ſit eſſentialis Baptiſmo, non modus ablutionis. Atqui ablutio per aquam poteſt fieri non ſolum immerſione, ſed etiam effuſione & aſperſione. Ergo. A ſæculo autem 13. uſus baptizandi per effuſionem ferme ubique invaluit, ſaltem apud Latinos: & ita præſcribunt varia Ritualia, Leodienſe, Rhemenſe, Cameracenſe, Mechlinienſe, Atrebatenſe, Iprenſe, & alia non pauca: (*Ibid.*) idque admodum convenienter propter varias rationes. 1. Quia quandoque eſt magna multitudo baptizandorum, ut Act. 2. & 4. 2. Aliquando non eſt ſufficiens aqua ad immerſionem. 3. Propter debilitatem Miniſtri, qui non poteſt ſuſtentare baptizandum. 4. Propter debilitatem baptizandi, cui poſſet imminere periculum mortis ex immerſione. His adde propter decentiam, nimirum ut conſulatur pudori mulierum & occurratur periculo Miniſtrorum.

Dixi in hac obſervatione, *ferme ubique*, quia ritus immerſionis non omnino eliminatus eſt ab Eccleſia Latina. Patet ex Rituali Romano Pauli V. ubi Tit. de forma Bapt. ſic legitur: *Baptiſmus licet fieri poſſit aut per infuſionem aquæ, aut per immerſionem, aut per aſperſionem; primus tamen vel ſecundus modus, qui magis ſunt in uſu, pro Eccleſiarum conſuetudine retineantur*. Patet item ex Actis Eccleſiæ Mediolanenſis, in qua ſervatur ritus immerſionis, & ex Synodo Beneventana an. 1693. ſub Cardinali Urſini, poſtea Benedicto XIII. qui propria manu parvulos in Baptiſterio mergebat. Dixi item, *apud Latinos*: quia licet Græci contra nos inſurgant, quod per infuſionem baptizemus, ut dictum eſt, ipſi tamen infuſionem non ſeparant ab immerſione, ita ut ſuper baptizandi, a parte inferiori immerſi, caput aquam infundant, ut patet ex Reſponſio Gregorii Protoſyncelli ad Marcum Epheſinum & ex Neophyto Rhodino in ſua vernacula Synopſi apud Goartium in ſuis ad Euchologium Græcorum notis. Unde, & ipſi ab antiquo immerſionis ritu etiam receſſerunt; antiquitus enim totum corpus mergebatur, ut dicam infra.

Cum autem dicimus Baptiſmum poſſe fieri per aſperſionem, non intelligimus aſperſionem, qualis fit in Eccleſiis, dum populus aſpergitur aqua benedicta, qua plures ſæpe non tanguntur, niſi forte in veſtibus, ſed quæ ſingulis adhibeatur, uni per unum, alteri per alterum. Ita appoſite obſervat doctiſſ. Sylvius.

Dices 1. Cornelius Papa cum Synodo Romana dubitavit de Baptiſmo per infuſionem collato Novatiano in lecto decumbenti: ſic enim de eo ſcribit ad Fabianum Antiochenum apud Euſeb. l. 6. Hiſt. c. 43. *In ipſo, in quo jacebat, lectulo perfuſus Baptiſmum ſuſcepit, ſi tamen hujuſmodi Baptiſmum ſuſcepiſſe dicendus eſt*. Deinde invehit in ejus ordinationem, *eo quod non liceret quemcumque ex iis, qui urgente vi morbi in lectulo, perinde ac ille, perfuſi fuiſſent, in Clerum aſſumi*. Similiter Magnus cum quibuſdam aliis apud Cyprianum Ep. 76. dubitat *an* Clerici *habendi ſint legitimi Chriſtiani, quia aqua ſalutari non ſunt loti, ſed perfuſi*. R. ad 1. Cornelium cum Synodo non dubitaſſe de validitate Baptiſmi Novatiani, alioquin propoſitum fuiſſet, an eſſet rebaptizandus, quod nuſquam factum eſt; ſed dubitavit de effectu Sacramenti, quia Novatianus nulla fide, nulla intentione recta baptizatus fuerat, neque ſuſceptis poſtea, ut moris erat, Sacramentis Confirmationis & Euchariſtiæ. His ergo de cauſis Cornelius carpit Baptiſmum Novatiani. Et quia ſic baptizati in infirmitate non tam proprio motu quam metu mortis initiabantur, & inſufficienter inſtructi myſteria fidei tradere & exponere, atque cætera Sacerdotii officia implere non poſſe videbantur, ideo irregulares cenſebantur, & ordinari prohibebantur: quibus de cauſis pariter improbat Cornelius Novatiani ordinationem. Hæc conſtant ex laudata Ep. Cornelii ad Fabianum. Ad 2. Incertum eſt, de quo dubitarent Magnus, an de valore, an de effectu Baptiſmi per infuſionem collati. Sed quidquid ſit, ejus dubium expunxit Cyprianus, non ſolum reſpondendo, ſed etiam probando hujuſmodi Baptiſmum valere.

Inſt. Cyprianus permittit cuique de hac re ſentire quid vellet, & permittit iis, qui judicant nullum hunc Baptiſmum, ſic baptizatos rebaptizare. Ergo. R. Modeſtiæ Cypriani tribuendum eſſe, quod rem nondum ſolemni Eccleſiæ judicio eliquatam uniuſcujuſque judicio permiſerit, conſequenter quod dixerit eos, qui judicant talem Baptiſmum eſſe nullum, debere rebaptizare; qui enim judicat aliquem Baptiſmum eſſe nullum, ſi ſibi conſtare velit, debet iterare.

Dices 2. In Baptiſmo conſepelimur Chriſto. Atqui Sepultura non poteſt ſignificari niſi per immerſionem. Ergo. R. N. Min. (*Ibid.*) Equidem per immerſionem expreſſius repræſentatur ſepultura Chriſti, ſed in aliis modis etiam repræſentatur, etſi non ita expreſſe. Nam quocumque modo fiat ablutio, corpus hominis, vel aliqua pars ejus aquæ ſupponitur; ſicut corpus Chriſti fuit ſub terra poſitum.

Dico 2. (*Ib. a. 8. o.*) Trina ſive immerſio, ſive infuſio, ſive aſperſio, non eſt de neceſſitate Sacramenti, ſed præcepti tantum. Prob. (*Ibid. in a. ſ. c.*) Cum in Hiſpania Ariani Trinitatem dividerent, treſque naturas diſtinctas aſſererent, & ideo trina immerſione baptizarent; item & Donatiſtæ Baptiſmum a Catholicis collatum iterarent: nonnulli Hiſpaniarum Epiſcopi in deteſtationem utriuſque erroris unicam immerſionem contra antiquum morem decreverunt: qua de re cum eſſet mota quæſtio, Leander Epiſcopus Hiſpalenſis conſultavit S. Gregorium, qui l. 1. Ep. 43. alias 41. ſic reſpondet: *De trina merſione Baptiſmatis nihil reſpondere verius poteſt, quam quod ipſi ſenſiſtis: quia in una fide nihil officit ſanctæ Eccleſiæ conſuetudo diverſa .... Reprehenſibile eſſe nullatenus poteſt infantem in baptiſmate vel ter & ſemel immergere, quando & in tribus merſionibus perſonarum Trinitas, & in una poteſt Divinitatis ſingularitas deſignari*.

Hæc S. Gregorii Reſponſum ſuum fecit Conc. Toleta-

num

Digitized by Google

num IV. an. 633. c. 6. ubi poſtquam laudata verba Greg. retulit, hæc addit: *Propter vitandum ſchiſmatis ſcandalum, vel Hæretici dogmatis uſum, ſimplam teneamus Baptiſmi merſionem*. Similiter Conc. VVormatienſe an. 868. can. 5. itaque infundate prorſus Alcuinus Ep. 70. negat hanc Epiſtolam eſſe S. Gregorii, cum ab utroque Concilio exſcribatur. Item eam ut S. Gregorii laudant S. Iſidorus Leandri frater in Catalogo Viror. illuſt. S. Idelphonſus Tolet. Epiſc. in ſuo Catalogo, & Joannes Diaconus in vita S. Gregorii.

Prob. 2. (*Ibid.*) Ad Baptiſmum per ſe requiritur ablutio aquæ, quæ eſt de neceſſitate Baptiſmi, modus autem ablutionis per immerſionem vel infuſionem, ut dictum eſt concluſione præcedenti, per accidens ſe habet ad Sacramentum. Ergo a fortiori quod ter vel ſemel fiat. Conſ. ex ratione S. Gregorii. (*Ibid.*) Sicut per trinam immerſionem ſignificatur triduum ſepulturæ Chriſti & Trinitas perſonarum, ita per unam ſignificatur unitas mortis Chriſti & unitas Deitatis. Non eſt autem de neceſſitate Sacramenti, quod ſignificet triduum Sepulturæ Chriſti; non enim ad hujus tridui ſignificationem fuit inſtitutum, ſed in ſignum gratiæ: quidem juxta Apoſtolum Rom. 6. per Baptiſmum ſepelimur Chriſto, at id ſignificatur per ſimplam immerſionem, ſicut reſurrectio per emerſionem. Quantum vero ad Trinitatem perſonarum in unitate ſubſtantiæ ſignificatur per formam; cum enim dicitur *in nomine*, ſignificatur unitas Deitatis; cum dicitur *Patris & Filii & Spiritus S.* ſignificatur Trinitas perſonarum. (*Ib. ad* 1.) Neque eſt neceſſe, quod in uſu materiæ hæc ſignificatio habeatur, quia cum Trinitas ſit agens principale in Baptiſmo, ſimilitudo autem agentis perveniat ad effectum ſecundum formam & non ſecundum materiam, ideo ſignificatio Trinitatis convenienter fit per verba formæ, nec requiritur ſignificatio per uſum materiæ, niſi ad majorem expreſſionem, quæ non eſt neceſſaria Sacramento.

Quia tamen (*Ib. c*) ceſſante cauſa unius immerſionis, iterum antiquus uſus invaluit, & nunc communiter uſurpatur trina immerſio vel infuſio, peccaret graviter aliter baptizans, utpote ritum Eccleſiæ non obſervans in re gravi. Et eſt 2. pars concluſionis.

Dices. Trina immerſio eſt ex præcepto Chriſti. Atqui quod eſt a Chriſto præceptum in hac materia, eſt indubie de neceſſitate Sacramenti. Ergo. Prob. Ant. Pelagius II. qui obiit an. 590. in Reſcripto ad Gaudantium Epiſcopum dicit: *Evangelicum præceptum, ipſo Domino Deo Salvatore noſtro Jeſu Chriſto tradente, nos admonet in nomine Trinitatis trina immerſione ſanctum Baptiſma unicuique tribuere*. Refertur de conſecr. d. 4. cap. *multi* 82. Similiter Tertul. Hieron. Baſ. &c. dicunt hunc ritum trinæ immerſionis originem ducere ex mandato Chriſti. Ergo. R. (*Ib.*) in tota Scriptura nullibi extare præceptum Chriſti de una vel trina immerſione. Itaque laudati Patres intelligunt mandatum Chriſti de trina immerſione in ſuo ſimili, in hoc ſcilicet quod Chriſtus præcepit baptizari in nomine Patris & Filii & Spiritus S. Unde voluut ſolum, quod Evangelicum præceptum in illud cadat, quod Baptiſmus fiat in nomine Trinitatis; quod autem ſubdunt de trina immerſione, congruentia eſt dumtaxat, quæ ex dicto præcepto colligitur. Patet ex ipſo Pelagio, qui poſt verba laudata immediata ſubjungit: *Dicente Domino Diſcipulis ſuis: Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris & Filii & Spiritus S.* non dicit amplius, *& in trina immerſione*. Item in eodem Reſcripto diſerte pronuntiat: *Si vero apud dilectionem tuam eorum, qui converti volunt, manifeſta confeſſione claruerit, quod in nomine Trinitatis fuerint baptizati, ſola reconciliationis impenſa gratia, catholicæ ſociare fidei maturabis*. Ubi iterum ſolam invocationem Trinitatis, non trinam immerſionem requirit. Refertur ibid. de Conſ. d. 4. cap. *Si revera* 30.

Inſt. Saltem ritus trinæ immerſionis eſt ex Apoſtolica traditione. Unde Can. 49. eorum, qui dicuntur Apoſtolici, deponitur, qui aliter per trinam immerſionem baptizaverit: & Conc. Conſtantinop. 1. Can. 7. jubet rebaptizari Eunomianos, quia non ſervabant trinam immerſionem. Atqui Traditiones Apoſtolicæ ſunt neceſſario ſervandæ. Ergo. R. 1. Hoc argumentum, ſi quid probet, probare ad ſummum trinam immerſionem eſſe de neceſſitate præcepti, non Sacramenti; non enim Apoſtoli inſtituerant Sacramenta. 2. D. M. Traditiones Apoſtolicæ circa fidem & mores ſunt neceſſario ſervandæ, C. Circa diſciplinam N. Multa enim circa diſciplinam ſtatuerunt Apoſtoli, quæ amplius non ſervantur, ut de abſtinentia a ſanguine & ſuffocato, de Ebrioſo, Bigamo, Neophito non promovendo ad Ordinem, non flectere genua in orationibus a Paſchate ad Pentecoſtem, & plura alia. Semel autem vel ter mergere pertinet ad diſciplinam, ut patet ex diverſo Eccleſiæ uſu in diverſis occaſionibus & temporibus. Ad Can. Apoſt. etiam, qui ſolum violat Eccleſiæ diſciplinam, poteſt jure plecti pœna depoſitionis. Sed neque iſte Canon, neque Conc. Conſtantinop. agunt de illis, qui ſolum trinam immerſionem omittebant, ſed etiam qui formam violabant, non baptizantes in nomine Trinitatis, ſed in morte Chriſti. Patet ex ipſo textu Canonis, ubi ſubditur: *Non enim dixit nobis Dominus, in morte mea baptizate, ſed euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris*, &c. Similiter Eunomiani, qui erant Ariani, in odium Trinitatis baptizabant in morte Chriſti & in una immerſione.

§. III. *Variæ Quæſtiunculæ circa utramque Baptiſmi materiam breviter reſolvuntur.*

PETES 1. Quæ quantitas aquæ requiratur ad validitatem Baptiſmi? R. eam requiri aquæ quantitatem, qua quis poſſit dici moraliter ablutus; quia aqua requiritur ad ablutionem. Hinc quidam volunt non ſufficere unam vel alteram guttam. Alii dicunt ſufficere, modo tamen fluat; quia corpus, ſaltem ea parte, quam illa gutta fluendo tangit, dicitur ablutum. Id quidem mihi videtur probabile; ſed quia alii contradicunt, & res non eſt certa, ſic baptizatus in neceſſitate ſub conditione eſt rebaptizandus, ſi ſupervixerit. Dixi, *modo tamen fluat*: & hinc

Petes 2. Quomodo aqua debeat tangere corpus? R. quod debeat tangere ſucceſſive mediante actione Miniſtri, ſive ſucceſſio oriatur ex motu locali aquæ ad corpus, ſive corporis ad aquam; quia ſi aquæ contactus non ſit ſucceſſivus, puta ſi gutta aquæ immota maneat in fronte, non poteſt dici homo moraliter ablutus. Talis autem requiritur ablutio ex inſtitutione Sacramenti, qua homo dicatur moraliter ablutus. Non eſt tamen neceſſe, quod revera abſtergat ſordes; hoc enim non obſtante eſt revera ablutio corporis. Addidi hunc motum ſucceſſivum debere fieri a Miniſtro ſeu mediante ejus actione, alioquin non poſſet vere dicere, *Ego te baptizo*. Unde colliges, quod ſi videns puerum cadentem aut ab alio projectum in flumen, vel aſperſum aut infuſum, proferam verba formæ, nullum fit Sacramentum, quia ego vere non abluo. Probabile eſt valere, ſi infantem ſubmittam aquæ e tecto defluenti proferendo formam. At valde dubium, ſi baptizetur nive vel glacie, a Miniſtro quidem applicata, ſed in corpore baptizati tantum reſoluta, quia videtur, quod iſte aquæ motus non ſit a baptizante, ſed a baptizato, mediante ejus corporis calore. Poſſe forte dici, quod ſit etiam ab applicante, quia ſi non applicaret, non reſolveretur. Sed ut dixi, id valde dubium eſt.

Petes 3. In qua parte corporis fieri debeat ablutio? R. (*Hic a. 7. ad 3. & infr. q. 68. a. 11. ad 4.*) debere fieri in capite, ita ut ſi fiat in alia parte, Baptiſma ſit dubium, & iterandum ſub conditione, quia caput eſt præcipua ſedes animæ, & in eo omnes ſenſus fundantur & maxime vigent. Et hæc eſt communis Eccleſiæ praxis, quam Ritualia præſcribunt, præſertim Romanum, tit. de baptizandis parvulis, his verbis: *Nemo in utero matrum clauſus baptizari debet, ſed ſi infans caput emiſerit, & periculum mortis immineat, baptizetur in capite, nec poſtea, ſi vivus evaſerit, erit iterum baptizandus*. (Quidam idem cenſent, ſi ablutio fiat in pectore vel ſcapulis, quæ ſunt partes notabiles; ſed id non eſt certum, neque præſenti Rituali ſatis conforme) *At ſi aliud membrum emiſerit, quod vitalem indicat motum, in illo, ſi periculum impendeat, baptizetur, & tunc ſi natus vixerit, erit ſub conditione baptizandus: ſi vero ita baptizatus deinde mortuus prodierit ex utero, debet in loco ſacro ſepeliri*. Hæc videntur quaſi exſcripta ex Auctore ſecundo loco cit. in margine, ubi plura dicam de infante ex utero matris nondum egreſſo.

Petes 4. An aqua debeat immediate tangere corpus? R. affirmative: quia alioquin non cenſetur homo vere ablui. Hinc inferes non valere Baptiſmum, ſi aqua tantum tangat veſtes, aut etiam pelliculam quam vocant galeam nativitatis; quia hæc juxta plures non eſt pars, ſed potius involucrum corporis. Unde debet dividi, ut aqua pertingat ad corpus; id ſaltem eſt tutius.

Utrum vero valeret, ſi aqua tantum tangeret capillos aut ungues, res eſt valde dubia. Si enim dubium ſit de digito vel pede, a fortiori de unguibus & capillis, qui licet anima totius vivant, videntur tamen potius excrementa vel ornamenta corporis quam ejus partes; neque qui in unguibus aut capillis tantum ablueretur, diceretur moraliter ablutus. Ideoque probabilius exiſtimo non valere.

Petes 5. Utrum valide conferatur Baptiſmus per ablutionem occiſivam? R. Duplex diſtingui debet ablutio occiſiva; una occiſiva ratione materiæ, puta ſi baptizaretur infans aqua ferventi aut venenata. Altera ex ſe occiſiva; ut ſi quis infantem morientem projiciat in altum puteum cum prolatione formæ & intentione baptizandi. De 1. caſu non eſt difficultas. Omnes enim conveniunt validum eſſe Baptiſma, quia calor aut venenum non impedit quin maneat vera ſpecies aquæ, & fiat vera ablutio etiam moraliter, ſicut panis venenatus non deſinit eſſe verus

Digitized by Google

panis & vere manducari. Neque obſtat, quod Chriſtus non inſtituerit pro materia Sacramenti actionem malam; hæc enim liceat ut occiſiva ſit mala, attamen ut ablutio præciſe non eſt mala, & ſub hac ratione Deus illam inſtituit pro materia Sacramenti, ad eamque ſub eadem ratione concurrit, ſicut concurreret ad ſacrilegam conſecrationem non ut eſt ſacrilega, ſed ut eſt actio a Chriſto inſtituta. De 2. ergo caſu eſt difficultas. Scotus cum ſuis, S. Antoninus, Sylveſter, Soto & plures alii negant in eo caſu validum eſſe Sacramentum: Quia Chriſtus pro materia proxima Baptiſmi inſtituit non quamcumque ablutionem, ſed ablutionem uſualem & moralem, ſeu quæ ſit & dicatur ablutio ſecundum humanum & communem ſenſum; ſicut pro materia Euchariſtiæ inſtituit panem uſualem, non farinam aqua ſubactam, vulgo *pata*, licet a pane phyſice non diſtinguatur. Atqui, inquiunt, qui projicit infantem in puteum, ex quo non poteſt emergi, ſecundum communem & humanum ſenſum non dicitur velle abluere, ſed occidere. Non quidem quod emerſio ſit neceſſario requiſita ad ablutionem, poteſt enim quis ſub aquis detentus vere & moraliter ablui, etiamſi ſuffocetur, ſed emergibilis eſt. Dum enim, addunt, quis e ponte projicit in fluvium canem mortuum ſordidum, non dicitur velle ipſum abluere, quia non eſt emergibilis; diceretur autem velle abluere, ſi canis eſſet vivus, quia eſſet emergibilis; licet forte per accidens ſuffocetur.

Addo, quod reponit contraria ſententia hanc projectionem in caſu determinari ex circumſtantiis, ut ſit & dicatur moraliter ablutio; quia nempe puer vel ſic eſt baptizandus, vel damnandus; unde videntes piam matrem projicientem in puteum prolem morientem, quam ſciunt non eſſe baptizatam defectu aquæ, cenſebunt & dicent illam projicere prolem ſuam, ut lavet & baptizet. Ad hanc, inquam, ſolutionem reſpondent Chriſtum pro materia proxima Baptiſmi inſtituiſſe ablutionem, quæ ſit humana & moralis, non per circumſtantias ipſius Baptiſmi, ſed quæ communiter & moraliter dicebatur ablutio ante Baptiſmi inſtitutionem, & cum hæc projectio non ſit ablutio moraliter ſeclusa inſtitutione Baptiſmi, non eſt inſtituta a Chriſto pro materia Baptiſmi. Aliam viam init recens Scriptor Giſlenus Daelman; cenſet hunc Baptiſmum eſſe invalidum, quia, inquit, Miniſter debet habere vel aquam vel baptizandum in ſua poteſtate, alioquin forma, *Ego te baptizo*, eſſet falſa: in caſu autem Miniſter nec aquam, neque baptizandum habet in ſua poteſtate.

Pro 1. ſententia.

Altera ſententia, quæ eſt Panor. Gabrielis, Nugno, Ledeſma, Suares, Layman, Bonac. ex recentioribus Gonet, Boudart, Berti, &c. tenet Baptiſmum in caſu eſſe validum; quia adſunt omnia requiſita ad ejus valorem, materia, forma & intentio Miniſtri. Contendunt enim per hanc projectionem infantem vere ablui, & quia revera abluitur, projiciens dicitur etiam ſecundum humanum ſenſum velle abluere, ſicut quia occiditur, dicitur velle occidere; utrumque enim vult, quia utramque facit, cum nemo ſponte aliquid faciat, quod non vult facere. Ad exemplum canis mortui projecti in aquas etiam volunt, quod vere lavetur, & ideo poſſe dici de projiciente, quod velit lavare, quia de facto lavat. Inſuper diſcrimen eſt, quod projectio infantis cenſeatur ulterius moralis ex circumſtantiis, ut dictum eſt. Neque concedunt Chriſtum requiſiviſſe ablutionem, quæ ante Baptiſmi inſtitutionem eſſet moralis, ſed quæ tunc erat, aut poſtea foret moralis. Ad fundamentum Doctoris Daelman reſpondetur videri falſum: quia ſi Miniſter ſuper infantem, prima ſune ſuſpenſum, ut poſſit in puteo mergi & emergi, ſed fracto fune immerſum, formam cum intentione baptizandi proferat, infans eſt ablutus & baptizatus, licet tunc nec baptizandus nec aqua ſit in poteſtate baptizantis. Similiter qui de ponte projicit canem vivum in aqua, ipſum lavat, & lavare moraliter dicitur; quamvis tamen tunc nec canis nec aqua ſint in ejus poteſtate. Sufficere ergo videtur, ut quis abluere dicatur, quod penes ipſum fuerit projicere vel non projicere in aquas.

Quamvis 1. ſententia propter primam rationem videatur mihi tantillum probabilior, cenſeo tamen caſum valde dubium. Sed quidquid ſit de validitate hujus Baptiſmi, certum eſt nunquam licere ſic baptizare infantem, etiamſi ſine Baptiſmo moriturum: quia hoc eſſet occidere innocentem, nunquam autem licet facere mala, ut eveniant bona.

Petes 6. Dum Baptiſmus ſub trina immerſione aut effuſione confertur, quandonam habeatur eſſentia Sacramenti? R. Quando Miniſter baptizat ſecundum intentionem Eccleſiæ, tunc habetur eſſentia Baptiſmi, quando poſita aliqua immerſione aut effuſione finitur forma; quia tunc habentur omnia eſſentialiter requiſita. Unde ſi infans moriatur poſt primam ablutionem & integre pronuntiatam formam, eſt vere baptizatus. Si autem baptizans non intenderet facere Sacramentum, niſi finitis tribus ablutionibus, nonniſi tunc eſſet Sacramentum ratione intentionis. Cæterum pro praxi & ad vitandum omnem ſcrupulum, obſervandum eſt, quod præſcribit Rituale Rom. ſcilicet ut ad primam ablutionem dicatur *in nomine Patris*, ad ſecundam *& Filii*, ad tertiam *& Spiritus S.*

Petes 7. Qui ritus olim obſervabatur in trina immerſione? R. 1. Erant baptiſteria intra ipſam Eccleſiam, vel ad ejus fores ad inſtar balnei vel piſcinæ, cum multis gradibus, profunda & ampla pluribus ſimul continendis apta. 2. Baptizandi, ſive infantes, ſive adulti, tam maſculi quam fœminæ, omnino nudabantur, quam nuditatem antiqui comparant nuditati, in qua creatus eſt Adam, eaque ſignificabatur baptizandum prorſus exuere veterem hominem. Multis tamen modis pudori mulierum conſulebatur, & Miniſtrorum periculo occurrebatur. Primis Eccleſiæ Sæculis erant Diaconiſſæ, quæ mulieribus nudandis & induendis aderant. Mulieres ſeorſim a viris, ſive in diſtincto Baptiſterio, ſive diverſo tempore baptizabantur. In aliquibus locis velum circa Baptiſterium extendebatur, ita ut Miniſter accederet ad baptizandum potius cum audiret, quam cum videret eſſe aliquem in aqua. Alibi aliter. 3. Baptizandi & baptizandæ erant toto corpore recti in aqua, excepto capite. Miniſter autem mergebat, vel inclinando caput in aquas, vel deprimendo manu appoſita ſuper humerum, aut inter ſcapulas; vel elevatos iterum deprimendo; toto enim corpore immergebantur. Et cum erant ponderoſiora corpora, Patrinus aut Matrina Miniſtrum juvabant. 4. Poſt trinam immerſionem ſub invocatione Trinitatis baptizati exibant e ſacro Fonte, & ſuſcipiebantur cum velamine, viri a Diaconis aut Patrinis, mulieres a Diaconiſſis aut piis mulieribus vel matrinis. 5. Tandem veſtiti confirmabantur ab Epiſcopo, & ſacra Euchariſtia reficiebantur.

ARTICULUS IV.

De forma Baptiſmi.

CIRCA formam Baptiſmi erraverunt plures Hæretici. 1. Quidam baptizabant in morte Chriſti ut conſtat ex Can. 49. vel 50 eorum, qui dicuntur Apoſtolici. 2. Gnoſtici, qui & dicti Marcoſiani a quodam Marco, baptizabant *in nomine ignoti Patris univerſorum, in veritatem matre omnium, in eo qui in Jeſum deſcendit, in unione & redemptione & communione virtutum.* Ita Irenæus l. 1. c. 22. & Euſeb. l. 4. Hiſt. Eccl. c. 11. 3. Montanistæ dicti Cataphryges, eo quod conventus ſuos agerent in Phrygia, baptizabant *in Patrem & Filium & Montanum ſeu Priſcillam.* 4. Paulianiſtas formam adulteraſſe patet ex Can. 19. 1. Concilii generalis Nicæni, ubi jubentur rebaptizari. Idem de Sabellianis conſtat ex Can. 7. Concilii 1. generalis Conſtantinop. 5. Ariani tempore Conc. Nicæni non videntur formam Baptiſmi corrupiſſe, cum in eo non jubeantur rebaptizari ut Paulianiſtæ. Unde quod Athanaſius orat. 3. & Hieron. adv. Lucifer. dicunt Arianos baptizare in Creatorem & creaturam, non intelligendum eſt de prolatione formæ, ſed de mente & ſententia proferentium. Poſtmodum vero fuiſſe quoſdam Arianos, qui non ſervabant formam, ſcribit Theodorus Lector l. 2. Collectaneorum, ubi dicit Deuterium Epiſcopum Arianum baptizaſſe quemdam nomine *Barbam* ſub his verbis: *Baptizatur Barbas in nomine Patris per Filium in Spiritu S.* Idem liquet ex eo, quod Brunichildis ſeu Bruna Athanagildi Gothorum Regis filia a Gothis Arianis baptizata, Gallias adveniens, ut Sigiberto Regi nuberet, fuerit rebaptizata, ut refert Aimonius Monachus Floriacenſis l. 3. Hiſt. Francorum c. 4. 6. Eunomianos, Arianorum germen, formam temeraſſe conſtat ex Can. 7. Conc. 1. generalis Conſtantinop. & ex Theodoreto l. 4. Hæret. Fab. c. 3. idem de Bonoſiacis aliquibus ex Greg. Mag. l. 9. Ep. 61. nunc l. 11. Ep. 67. & ex Pelagio II. in ſuo ad Gaudentium reſponſo: non tamen omnes Bonoſiacos formam adulteraſſe habemus ex Con. 2. Arelat. Can. 17. Item quoſdam Afros formam non ſervaſſe conſtat ex 1. Conc. Arelat. Can. 8. Tandem hodierni Hæretici, quamvis formam legitimam in baptizando adhibeant, eam tamen non reputant neceſſariam, quia exiſtimant non vi Sacramenti, ſed ſola fide ſuſcipientis juſtificationem haberi. Unde Lutherus de captivit. Babyl. c. de Bapt. & Zuinglius lib. de vera & falſa Relig. ſcribunt Baptiſmum ſub quacumque forma collatum eſſe validum.

His præmiſſis, quærimus 1. quæ ſit legitima forma Baptiſmi? 2. Quæ ſint in ea verba eſſentialia? 3. Utrum aliquando ab Apoſtolis collatum fuerit in nomine Chriſti? 4. Leviores Quæſtiones proponentur. Unde ſit

§. I. Quæ ſit forma legitime Baptiſmi?

APUD Latinos forma Baptiſmi eſt hæc: *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus S.* Iſta apud Græcos: *Baptizatur* vel *baptizetur ſervus Chriſti N. in nomine Patris & Filii & Spiritus S.* Dixi *baptizatur* vel *baptiza-*

Digitized by Google

ptizetur, quia antiqui Scholarum Magiſtri, inter quos S. Th. hic a. 5. o. exponunt formam Græcorum imperative vel deprecative per *baptizetur*. Plura vero recentiores Juenin, Tournely, Berti & alii contendunt eam eſſe enuntiativam per verbum *baptizatur*: idque probant ex antiquis Græcorum Euchologiis ab Arcudio & a noſtro Goartio editis, in quibus forma effertur enuntiative per verbum *baptizatur*: ſed quovis modo dicatur, non multum intereſt, ut dicemus modo.

Dico 1. (*Hic a. 4. o.*) Hæc Latinorum forma: *Ego te baptizo in nomine Patris*, &c. eſt legitima. Prob. ex Conc. Florent. in Decreto unionis, ex Trid. Seſſ. 7. Can. 4. ex Rituali Rom. & aliis, quæ illam formam præſcribunt ex praxi totius Eccleſiæ Occidentalis, quæ illam ſervat & ſemper ſervavit. Colligitur autem ex cap. ult. Matt. ubi Chriſtus tradens ritum Baptiſmi dixit Apoſtolis: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii & Spiritus S.* Et quamvis Chriſtus non dixerit hæc verba eſſe pronuntianda, ſic tamen ſemper intellexit Eccleſia, quæ eſt fidelis & infallibilis verborum Chriſti interpres. Ratio a priori nulla eſt præter voluntatem Chriſti ſic inſtituentis, quæ voluntas, ut dictum eſt, nobis innoteſcit ex praxi, doctrina & definitionibus Eccleſiæ. Ratio congrua: (*Ib.*) Convenit in Sacramento Baptiſmi exprimere cauſam illius inſtrumentalem, per quam perficitur exterius Sacramentum, & principalem, a qua tota virtus Sacramenti derivatur. Atqui per hæc verba, *Ego te baptizo*, tangitur cauſa inſtrumentalis, & per iſta *in nomine Patris*, &c. cauſa principalis. Ergo.

Neque refert, quod in formis aliorum Sacramentorum non exprimatur eorum cauſa; hinc quidem bene ſequitur, quod hæc expreſſio non ſit neceſſaria; non ſequitur tamen, quod non ſit conveniens, ſi fiat. Inſuper ſunt rationes ſpeciales pro Sacramento Baptiſmi: 1. Quia eſt profeſſio, & Sacramentum fidei, cujus objectum eſt Trinitas perſonarum in unitate ſubſtantiæ, quam ideo convenienter exprimit. 2. Quia eſt Sacramentum regenerationis, & ideo conveniebat exprimi ejus cauſam. 3. Eſt initium noſtræ juſtificationis, cui congruebat exprimere noſtrum ultimum finem & objectum noſtræ beatitudinis.

Dico 2. (*Ib. ad 1.*) Hæc Græcorum forma: *Baptizatur vel baptizetur ſervus vel ſerva Chriſti N. in nomine Patris & Filii & Spiritus S.* eſt etiam legitima & valida. Prob. 1. ex Eugenio IV. in Inſtructione Armenorum, ubi poſtquam dixit formam Baptiſmi eſſe hanc: *Ego te baptizo*, &c. ſubjungit: *Non tamen negamus, quin & per illa verba, baptizetur vel baptizatur manibus meis talis ſervus vel ſerva Dei in nomine Patris, &c. verum perficiatur Baptiſma.* Idem poſtea definierunt Leo X. Bulla *Accepimus nuper* data an. 1521. & Clemens VII. Bulla *Provisionis noſtræ* 1526. 2. Eccleſia Latina baptizatos a Græcis non rebaptizat: & quoties utriuſque Eccleſiæ unio tentata eſt & perfecta, nunquam Latini hac de re Græcis litem moverunt. 3. Hæc forma non differt ſubſtantialiter a noſtra: utraque enim exprimit actionem baptizandi & invocationem diſtinctam SS. Trinitatis.

Dices 1. Græcorum forma non exprimit perſonam baptizantem, ſicut forma Latinorum. Ergo. R. 1. Quod cum baptizans ſit tantum cauſa inſtrumentalis, non videtur neceſſe eam exprimere. 2. D. Ant. Forma Græcorum non exprimit perſonam baptizantem in actu ſignato, ſicut forma Latinorum, C. In actu exercito, ſeu ſaltem non ſubintelligitur, N. Si enim enuntiative dicatur, *baptizatur*, ſubintelligitur a me, ut ex confeſſione Simonis Theſſalonicenſis referunt Arcudius & Goartius laudati, & ſic perinde eſt *Ego baptizo*. Si dicatur, *baptizetur*, & intelligatur imperative, ſubintelligitur pariter a me; imo attentis circumſtantiis exprimitur in actu exercito perſona baptizans, ſicut ſi porrigendo librum amico dicam, hic liber ſit tuus, perinde eſt ac ſi dicerem, dono tibi hunc librum; ſi vero *baptizetur* intelligatur deprecative, neque etiam excluditur perſona baptizans; non enim eſt ſenſus, baptizetur a ſolo Deo & non per meum miniſterium, ſic namque nihil efficeret, quia ageret contra inſtitutionem Chriſti, qui voluit Baptiſmum conferri miniſterio hominum; ſed eſt ſenſus: baptizetur a Deo ſervus Chriſti hoc actu ſeu miniſterio meo: vel exhibeo Sacramentum Baptiſmi, ſuſcipiat illud ſervus Chriſti a Deo per meum miniſterium. Ita ut *baptizetur* ſit deprecatorium tantum reſpectu actionis externæ. Nota: cum dicimus hic, *Te baptizetur* ſumi imperative, non intelligimus imperium proprie dictum, quod eſt ad alium inferiorem, ſed late & improprie, quatenus miniſter hoc modo loquendi vult exprimere efficacem ſuam voluntatem efficiendi miniſterialiter Sacramentum & effectum Sacramenti, ſicut in exemplo prius allato, cum dico imperative, iſte liber ſit tuus, nihil aliud intendo quam donare librum ſeu exprimere intentionem efficacem donandi librum.

Reponis, Græci utuntur hac forma, ne videantur ſibi attribuere Baptiſmum. Ergo non ſubintelligunt a me, ſed a ſolo Deo. Et ideo S. Th. hic a. 5. ad 1. dicit Græcos *non attribuere Miniſtris actum Baptiſmi*. Ergo. R. D. Ant. Ne videantur ſibi ut cauſæ principali attribuere Baptiſmum, C. ut cauſæ inſtrumentali, N. Contrarium enim expreſſe tradunt Arcudius & Goartius jam laudati; & alias ſi intenderent excludere ſuum miniſterium, nihil efficerent, ut dictum eſt. Ad D. Th. intelligit Græcos non tribuere Miniſtris in actu ſignato actum Baptiſmi, ſicut tribuunt Latini; at non negat tribui in actu exercito, aut ſaltem ita ſubintelligi.

Dices 2. Alexander III. 3. decret. tit. de Bapt. c. 1. dicit: *Si quis puerum ter in aqua immerſerit in nomine Patris & Filii & Spiritus S. & non dixerit, ego baptizo te, non eſt puer baptizatus.* Ergo. R. Sum. Pontificem nihil aliud voluiſſe, quam actum baptizandi eſſe in forma exprimendum, ut dicam §. ſeq. id autem definiendo uſus eſt forma Latinorum, quia alloquebatur Latinos, & quia hæc forma eſt clarior, & magis correſpondet Chriſti verbis, *baptizantes eos*. Hinc autem Græcorum formam eſſe perantiquam probant Euchologia a mille & amplius annis ſcripta, quæ illam continent.

§. II. *Quæ verba ſint eſſentialia in forma Baptiſmi?*

Difficultas eſt potiſſimum in hoc §. de duobus, nimirum de expreſſione actus baptizandi hoc verbo *baptizo* vel *baptizatur*, & de expreſſione diſtincta trium perſonarum in Trinitate his verbis *in nomine Patris*, &c. Leviores alias difficultates expediemus §. ſubſequenti.

Dico 1. (*Hic a. 5. ad 1.*) Hæc verba, te baptizo, vel baptizatur ſervus Chriſti, vel æquivalentia, quibus exprimatur actus Baptiſmi, ſunt omnino neceſſaria ad valorem Sacramenti, ita ut Baptiſma collatum ſine illis, dicendo ſimpliciter *in nomine Patris*, &c. ſit nullum. Prob. 1. ex Alexandro III. immediate ante hunc §. citato, qui rem expreſſe definit. Hoc autem Reſcriptum Alex. III. datum fuit Petro Pontio ex Abbate Claravallenſi Epiſcopo Claromontano, qui cum hac de re Mauritium Epiſcopum Pariſienſem, & Stephanum Epiſcopum Tornacenſem conveniſſet, videretque illos diſſentientes; Mauritius enim rejiciebat Baptiſmum ſine his verbis *Ego te baptizo* collatum, Stephanus admittebat; ſum. Pontificem conſuluit, a quo præfatum Reſcriptum accepit. Ita Annales Ciſtercienſes ad an. 1176. Definitionem Alexandri III. confirmavit Alexander VII. damnando an. 1690. hanc propoſitionem: *Valuit aliquando Baptiſmus ſub hac forma collatus, In nomine Patris & Filii & Spiritus S. prætermiſſis iſtis: Ego te baptizo*: Eſt inter plures alias 27.

Prob. 2. ex conſtanti & perpetuo uſu Eccleſiæ Græcæ & Latinæ, quæ ſemper adhibuit verba actum baptizandi exprimentia, dicendo *baptizo*, vel *baptizatur*. Prob. 3. Ratione. (*Ib.*) Cum ablutio hominis in aqua propter multa fieri poſſit, puta propter refrigerationem, ſanitatem, luſum, &c. oportet, quod determinetur in verbis formæ, ad quid fiat; hoc autem non fit per hoc, quod dicitur *in nomine Patris & Filii & Spiritus S.* quia omnia in tali nomine facere debemus, ut habetur Coloſſ. 3. Ergo ſi in forma non exprimatur actus Baptiſmi, vel per modum noſtrum, vel per modum Græcorum, non perficitur Sacramentum. Hæc D. Th. Argumentatio videtur inefficax Laurentio Berti; quia, ut opinatur, ad Sacramentum Confirmationis non requiritur verbum exprimens actum, ut patet, inquit, ex forma Græcorum, quæ eſt ſignaculum donationis Spiritus S. At non advertit doctiſſimus vir in forma Confirmationis Græcorum implicite importari actionem confirmandi: cum enim dicitur: *Signaculum doni ſancti Spiritus*, ſubintelligitur *tibi datur*, vel *tibi do* ſignaculum, &c. ut dicam infra. Si autem nihil aliud in forma Baptiſmi diceretur, quam *in nomine Patris*, &c. actio baptizandi nec etiam implicite exprimeretur. Inſuper per hanc formam *ſignaculum Spiritus S.* determinatur materia ſeu chriſmatio ad eſſe Sacramenti.

Obj. Ex hoc quod Chriſtus dixit, docete omnes gentes non bene colligitur neceſſitas pronuntiandi inter docendum, *Ego vos doceo*. Item cum juſſit Dominus Moyſi projicere virgam, ut fieret ſerpens, Moyſes non debuit dicere, *Ego projicio virgam*. Similiter cum Eliſæus juſſit famulo ſuo ponere baculum ſuper faciem pueri ſuſcitandi, non debuit dicere famulus, *pono baculum ſuper faciem tuam*. Ergo ex illis verbis *baptizantes eos*, &c. male colligitur neceſſitas dicendi inter baptizandum: *Ego te baptizo*. R. 1. D. Conſequens. Ergo ex illis verbis male colligitur &c. Independenter a Traditione, praxi & definitionibus Eccleſiæ, Tranſeat: Accedente traditione, praxi & definitionibus Eccleſiæ, N. Hæc enim, ut jam dixi, eſt certa & infallibilis Interpres Scripturarum, & niſi in ea pedem immobiliter figamus, nulla ratione poterit evinci hæc verba *in nomine Patris*, &c. eſſe pronuncianda; non enim Chriſtus magis juſſit, ut baptizantes dicerent *in no-*

mine Patris, &c. quem juſſit, ut dicerent *Ego te baptizo*. 2. (*Ibid.*) Diſparitas eſt, quod docere ſeu explicare myſteria Fidei, ſit de ſe determinatum ad inſtructionem; actio autem abluendi non eſt de ſe determinata ad Baptiſmum ſeu ablutionem ſpiritualem. Ad alia duo exempla diſparitas eſt, quod non ſint in re ſacramentaria, quæ per aliquam formam conſecrari debet, ſed in patratione miraculorum, ad quam elementa certis verbis non conſecrantur.

Inſt. 1. Traditio his verbis *Te baptizo* formæ Baptiſmi inferendis non favet. Ergo. Prob. Ant. 1. Quinque primis ſæculis nulla ejus habetur mentio. Primus illius meminit Gregorius Magnus Sæc. 6. in ſuo Sacramentario; deinde Ordo Rom. & venerabilis Beda lib. variarum Quæſt. Q. 14. nec multo magis eſt antiquior forma Græcorum. 2. Quando in prioribus ſæculis agebatur de forma Baptiſmi, ſolliciti quam maxime erant SS. Patres de iſtis verbis, *in nomine Patris*, &c. non de aliis. Ergo. R. N. Ant. Ad primam Prob. N. Conſeq. Quamvis enim quinque primis ſæculis nulla hujus formæ habeatur mentio, quia ſcilicet nulla circa illam mota erat quæſtio, qui tamen 6. ſæculo illius meminerunt, non eam referunt ut recenter inductam, ſed ut antiquam, & a majoribus communi uſu obſervatam. Ad ſecundam prob. N. Pariter. Conſeq. Patres enim erant ſolliciti de verbis, circa quæ movebantur controverſiæ, & quæ Hæretici adulterabant, ut erant hæc *in nomine Patris*, &c. de his autem *Ego te baptizo* nullam legimus ortam controverſiam ante ſæculum 12. quam Alexander III. a Pontio Claromontano Epiſcopo conſultus diremit Decretali laudata.

Inſt. 2. Poſt datam hanc Decretalem plures inſignes Theologi, Petrus Cantor, Præpoſitivus & alii adhuc tenuerunt oppoſitam ſententiam. Ergo. R. eos errarſe. A contumacia tamen ſunt excuſandi, cum hanc Decretalem tunc ignoraverint; non enim facta eſt publici juris ex auctoritate Pontificia, niſi tempore Gregorii IX. in Collectione S. Raymundi circa medium 13. ſeculi.

Dico 2. (*Ib. n. 5. & 6. o.*) Baptiſma, etiamſi in nomine Chriſti collatum, nullum eſt ſine expreſſione diſtincta trium perſonarum SS. Trinitatis. Prob. 1. ex Matth. ult. ubi Chriſtus præſcribens Apoſtolis ritum baptizandi jubet eos baptizare *in nomine Patris & Filii & Spiritus S.* Apoſt. Epheſ. 5. dicit, quod Chriſtus Eccleſiam ſanctificavit *mundans lavacro in verbo vitæ*. Super quæ verba Chryſoſtomus Hom. 30. in hunc locum ait: *In verbo dixit, quonam? In nomine Patris & Filii & Spiritus S.*

Prob. 2. Ex perpetuo uſu & definitionibus iteratis Eccleſiæ. Canon Apoſt. 49. damnat eum, qui baptizat in morte Chriſti, & non in nomine Patris, &c. Conc. Nicænum I. generale jubet rebaptizari Paulianiſtas, non Catharos ſeu Novatianos, *quia*, inquit Innoc. I. Ep. 22. Tom. 2. Conc. *Paulianiſtæ in nomine Patris & Filii & Spiritus S. minime baptizabant, & Novatiani iiſdem tremendis venerandiſque verbis baptizabant*. Eandem rationem adferunt Aug. l. de Hæreſ. n. 44. & Greg. Mag. l. 11. Ep. 67. Propter eandem rationem Conc. Laodicænum jubet rebaptizari Montaniſtas: Conc. Arelat. II. Photinianos: Conſtantino. I. Eunomianos, Montaniſtas & Sabellianos, Pelagius Papa 6. ſæc. mandat Gaudentio Epiſcopo, ut rebaptizet eos, qui baptizati ſunt ſolummodo in nomine Domini, non eos qui baptizati ſunt in nomine Trinitatis. Refertur de Conſecr. d. 4. cap. *ſi revera* 30. Idem ibid. C. *Multi* 28. damnat eos, qui baptizant in ſolo nomine Chriſti, & dicit eſſe præceptum a Chriſto Matt. ult. baptizandi in nomine Trinitatis. S. Greg. l. 9. Ep. 6. Quinto jubet rebaptizari eos, qui in nomine Trinitatis non ſunt baptizati, ut ſunt Bonoſiani & Cataphryges. Zacharias Papa an. 748. ſcribit Bonifacio Epiſcopo non eſſe rebaptizandos, qui fuerint baptizati in nomine Patris, &c. ſecus baptizatos hac forma non ſervata. His & aliis adde Concil. Flor. & Trid.

Prob. 3. Unanimi Patrum utriuſque Eccleſiæ Græcæ & Latinæ conſenſu. Ne longior ſim, ex innumeris paucos ſequentes accipe. Inter Latinos Tertull. l. de Bapt. c. 13. Cyprian. Ep. ad Jubajan. Hieron. l. 4. Comment. in Matt. Aug. l. 3. de Bapt. c. 15. l. 6. c. 25. & alibi; Ambroſ. l. de Myſteriis c. 4. de Catechumeno dicit: *Niſi baptizatus fuerit in nomine Patris & Filii & Spiritus S. remiſſionem non poteſt accipere peccatorum*. Hujus verba ſpecialiter refero, quia citatur in contrarium, ut videbimus. Inter Græcos S. Juſtinus Apolog. 2. pro Chriſtianis. S. Baſilius l. de Spiritu S. c. 12. Athanaſ. orat. 2. contra Arian. & Epiſt. 4. ad Serapionem. Cyrillus vero Jeroſol. Catecheſi 16. Damaſc. l. 4. Orthod. Fidei c. 10. Theophylactus in Matth. Didymus l. 2. de Spiritu S. tradunt hanc formam a Chriſto fuiſſe præſcriptum Matth. ult.

Prob. 4. Ratione. (*Ib. n. 6 o.*) Sacramenta, ut ſuperius dictum eſt, habent efficaciam ab intentione Chriſti, & ideo ſi prætermittatur aliquid eorum, quæ Chriſtus inſtituit circa aliquod Sacramentum, efficacia caret, & eſt nullum, niſi ex ſpeciali diſpenſatione ejus, qui virtutem ſuam Sacramentis non alligavit. Atqui Chriſtus inſtituit Sacramentum Baptiſmi dari cum invocatione Trinitatis, ut probavimus ex Traditione, perpetuo uſu & definitionibus Eccleſiæ. Ergo quidquid deeſt ad plenam invocationem Trinitatis, tollit integritatem Baptiſmi. Nec obſtat (*Ib.*) quod in nomine unius perſonæ intelligatur alia, ſicut in nomine Patris intelligitur Filius, aut quod ille, qui nominat unam ſolam perſonam, poteſt habere rectam fidem de tribus: quia ſicut ad Sacramentum requiritur materia ſenſibilis, ita & forma ſenſibilis. Et ideo non ſufficit intellectus, vel fides Trinitatis ad perfectionem Sacramenti, niſi ſenſibilibus verbis Trinitas exprimatur. Unde & in Baptiſmo Chriſti, ubi fuit origo ſanctificationis noſtri baptiſmi, affuit Trinitas in ſenſibilibus ſignis, ſcilicet Pater in voce, Filius in natura humana, Spiritus S. in columba.

Obj. 1. Baptizare in nomine Trinitatis eſt baptizare in virtute & fide Trinitatis; ſicut ejicere dæmonia in nomine Dei eſt illa ejicere in virtute Dei. Ergo quemadmodum ex his verbis Marci 16. *In nomine meo dæmonia ejicient*, non colligitur neceſſitas pronuntiandi nomen Dei ejiciendo dæmonia, ita nec ex his *baptizantes eos in nomine Patris*, &c. colligitur neceſſitas ea verba pronuntiandi baptizando. Jam reſponſum eſt ſupra ad ſimile arg. Scripturam ſacram intelligendam eſſe non ſecundum privatum cujuſque ingenium, ſed ſecundum Traditionem & Eccleſiæ communem uſum ac definitiones. Traditione autem & Eccleſiæ communi uſu atque definitionibus docemur his verbis Matth. ult. non ſolum fidem & virtutem Trinitatis deſignari, ſed & præſcriptam formam pronuntiandam in Baptiſmo. Aliunde, ut etiam dixi, patratio miraculorum non debet conſecrari & determinari per certa verba, ſicut materia Sacramentorum. Deinde Baptiſmus eſt Sacramentum Fidei & Religionis Chriſti initiativum, qua Fide & Religione profitemur Trinitatem perſonarum in unitate ſubſtantiæ; debet ergo Trinitatis fides in eo exprimi. Alioquin ſi ſimpliciter abluas, aut ſimpliciter dicas, te baptizo, incertum erit, quam Fidem & Religionem profitearis, omiſſis enim his verbis *in nomine Patris*, &c perinde poteris hoc ritu profiteri Religionem Ethnicam vel Judaicam, ſicut Chriſtianam, ſicque Baptiſmus non erit ſignum ſenſibile, quo Religioni Chriſtianæ cooptamur.

Obj. 2. Stephanus Papa teſte S. Cypr. Ep. 73. ad Jubajan. agnovit validum eſſe Baptiſma collatum in ſolo nomine Chriſti. Similiter Nicolaus I. in Reſponſo ad Conſulta Bulgarorum c. 104. *Hic profecto*, inquit, *ſi in nomine SS. Trinitatis, vel tantum in nomine Chriſti, ſicut in Actis Apoſt. legimus, baptizati ſunt (unum quippe idem que eſt, ut S. exponit Ambroſius) conſtat eos non eſſe denuo baptizandos*. Ergo. R. ad 1. Primo incertum eſt, an Cyprianus loquatur de Stephano, dicit enim, *Quidam dicunt*. 2. Etſi de Stephano loquatur, diſputationis æſtu abreptus mentem ejus non attigit, de quo vide plura, quæ dixi in Tract. de Sacramentis in genere Digreſſ. Hiſt. Sect. 5. Ad 2 R. cum Soto, Bellarm. & communiter Nicolaum hæc dixiſſe non definiendo, ſed ex propria & privata ſententia: non enim de forma Baptiſmi interrogatus fuerat, ſed tantum de Miniſtro, an ſcilicet Baptiſma a Judæo vel Pagano collatum ſit validum, ad quod definitive reſpondet, quod autem de forma ſuo reſcripto inſeruit, privatam ſententiam propoſuit, quam putavit eſſe Ambroſii. Quando enim Pontifices ſuis reſcriptis obiter permiſcent, quæ non ſpectant ea, de quibus interrogantur, & citant Auctores, non cenſentur loqui ex Cathedra, ſed ut privati Doctores, nec majorem volunt ſibi adhiberi fidem, quam Auctoribus, quos citant.

Inſt. S. Ambroſ. l. 1. de Spiritu S. c. 3. dicit, quod ſicut Baptiſma collatum Eunucho Candacis Reginæ in ſolo Chriſto collatum validum eſt, ita & collatum in ſolo Spiritu S. *Si unum*, inquit, *in ſermone comprehendas, aut Patrem, aut Filium, aut Spiritum S. fide autem nec Patrem nec Filium nec Spiritum S. abneges, plenum eſt fidei Sacramentum*. Et rationem ſubdit: *Quia qui unum dixerit, Trinitatem ſignavit: ſi Chriſtum dicas, & Deum Patrem, a quo unctus eſt Filius, & ipſum qui unctus eſt Filius, & Spiritum S. quo unctus eſt, deſignaſti*. Ita etiam loquitur Beda in c. 10. Act. Difficultatem præ ſe ferre non diffiteor hunc Ambroſii textum, quo decepti Mag. Sent. & Cajet. in ſententiam oppoſitam abierunt. Huic autem duplex adhiberi ſolet reſponſio. Primo Reſponſio, quæ eſt Eſtii, Sylvii, Natal. Alex. Juenin, &c. dicit Ambroſium non agere ibi de forma Sacramenti, ſed de ejus effectu; vultque hunc effectum, quamvis in Scripturis uni tantum perſonæ tribuatur, quia tamen eſt opus ad extra, toti Trinitati convenire. Patet ex ſcopo S. Doctoris; ibi enim contendit probare contra Macedonianos Divinitatem Spiritus S. & cum objicerent dictum eſſe ab Apoſt. 1. Cor. 8. *Ex Patre ſunt omnia, & per Filium omnia*, ubi nihil de Spiritu S. & inde inferrent Spiritum S. non eſſe Deum,

reſpon.

reſpondet: *Ubi operatio aliqua divina aut Patris aut Filii, aut Spiritus S. deſignatur, non ſolum ad Spiritum S. ſed etiam ad Patrem refertur & Filium: nec ſolum ad Patrem, ſed etiam ad Filium refertur ac Spiritum*. Ad hoc autem probandum inducit exemplum Baptiſmi, cujus effectus tribuitur modo Spiritui S. ut 1. Cor. 12. modo Chriſto; ut Act. 19. non tamen aliis perſonis excluſis, ſed ſubintellectis.

Altera Reſponſio, quæ eſt iterum Nat. Alex. Hardoini, Habert, Tournely, &c. dicit S. Ambroſium agere non ſolum de operatione SS. Trinitatis, ſed etiam de fide ſuſcipientium Baptiſma, & velle dumtaxat, quod Catechumeni, quamvis de una tantum Trinitatis perſona interrogentur, ſi tamen rectam fidem de tota Trinitate teneant, verum & integrum recipiant Sacramentum. *Plenum eſt*, inquit, *fidei Sacramentum, ſi Patrem & Filium Spiritumque fatearis; ſi unum neges, totum ſubruis*: Fateri autem eſt credere, quod ſpectat ſuſcipientem. Proſequitur: *Et quemadmodum ſi unum in ſermone comprehendas, aut Patrem, aut Filium, aut Spiritum S. fide autem nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum S. abneges, plenum eſt fidei Sacramentum*. Id eſt, ſi in profeſſione ſincera fidei comprehendas unam perſonam, totam Trinitatem profiteris. Et tandem: *Ita quamvis Patrem & Filium & Spiritum S. dicas; Et, aut Patris aut Filii, aut Spiritus S. minuas poteſtatem, vacuum eſt omne Myſterium*. Et hæc iterum verba intelligi non poſſunt de forma Baptiſmi, alioquin Baptiſma collatum ab Hæretico errante circa Trinitatem nullum eſſet. Ergo de fide ſuſcipientium accipienda ſunt. Senſus itaque verborum in Objectione laudatorum eſt: qui ante Baptiſmum interrogatus de fide, ut moris erat, & ritu inſtructus, confeſſus fuit unam perſonam, v. g. credo in Dominum Jeſum Chriſtum, ut Eunuchus Candacis Reginæ, qui reſpondit ſimpliciter, *Credo Filium Dei eſſe Chriſtum*, totam Trinitatem profitetur & deſignat, modo corde nullam perſonam neget aut minuat, & hoc ſufficit ad ſuſcipiendum Sacramentum, non tamen ad conferendum, quia forma Sacramenti debet exprimi verbis a Chriſto inſtitutis.

Utraque reſponſio eſt probabilis, & forte utraque vera; non enim ſibi contradicunt, ſed potius ſeſe mutuo juvant. Cæterum alterutram eſſe veram certo conſtat: 1. Quia alioquin dicendum foret juxta Ambroſium valuiſſe & valere Baptiſmum collatum in ſolo Spiritu ſancto, quod nemo unquam dixit. 2. Quia Ambroſius l. de Myſteriis diſerte requirit invocationem diſtinctam Trinitatis, ut patet ex probationibus. Videri etiam poteſt l. 2. de Sacram. c. 3. 4. 5. & 7. Ad Bedam eodem modo reſpondendum eſt, ſiquidem ibi exſcribat dumtaxat verba Ambroſii. At in l. variarum Quæſt. q. 14. dicit: *Si quis baptizans dicit: Ego te baptizo in Chriſto Jeſu; & non dicat in nomine Patris & Filii & Spiritus S. non eſt vero Baptiſmus*.

Urgebis. S. Bernardus Ep. 403. alias 404. ad Henricum Archidiaconum Aurelianenſem interrogatus, an ratus eſſet Baptiſmus infanti periclitanti collatus ſub hac forma: *Baptizo te in nomine Dei & ſanctæ & veræ crucis*. Reſpondit ſic: *Ego vere hunc Baptiſmum puto; nec ſonum vocis veritati fidei & pietati intentionis præjudicare potuiſſe*. Addit: *Legimus ſane in Actibus Apoſt. non modo in nomine Patris & Filii & Spiritus S. verum & in nomine Domini Jeſu Chriſti aliquos baptizatos*. Ergo. R. 1. Veriſimile eſt hanc Ep. non eſſe S. Bernardi. Quia ut advertit Michael Baius in Opuſc. de forma Baptiſmi c. 4. una eſt ex triginta, quæ poſterius ſunt editæ, & quas incertum eſt eſſe S. Bernardi. 2. Quia ipſe P. Mabillon, qui vult eſſe genuinam, in Præf. ad S. Bernardi opera fatetur eam *in paucis manuſcriptis inveniri, nec in alio alio præterquam in Sorbonico Exemplari valde mutilo, a ſe repertam*. 3. Quia non eſt probabile S. Bernardum probaſſe Baptiſmum, præſertim quia collatum *In nomine ſanctæ & veræ Crucis*, qualem nemo unquam ſomniavit. Hanc enim rationem formæ prolatæ maxime attendit Auctor hujus Epiſtolæ dicens: *In eo quod addit ſanctæ & veræ crucis, manifeſte commendavit Dominicam paſſionem*. 2. Eſto hanc Epiſtolam eſſe S. Bernardi, R. S. Doctorem aliis detentum, & re minus attente conſiderata, obiter & probabiliter tantum hæc dixiſſe, non certo aſſeruiſſe: *Breviter*, inquit, *vobis de propoſita Quæſtione reſpondemus, ſine præjudicio tamen ſanius ſapientis*.

Obj. 1. In pluribus locis Act. Apoſt. legimus Apoſtolos contuliſſe Baptiſmum in nomine Chriſti. Ergo. R. Suppoſita veritate facti, Apoſtolos ex ſpeciali Chriſti revelatione & diſpenſatione in primitiva Eccleſia in nomine Chriſti baptizaſſe, ut nomen Chriſti, quod erat odioſum Judæis & Gentilibus, honorabile redderetur per hoc, quod ad ejus invocationem Spiritus S. dabatur in Baptiſmo. Ceſſante autem nunc cauſa diſpenſationis, ceſſat diſpenſatio, neque ab Apoſtolorum tempore ullam Eccleſia agnovit vel admiſit. Hæc Auctoris reſponſio, ut patet, eſt hypothetica & ex ſuppoſitione facti, quod non diſcuſſit. Et ita ſæpe reſpondet in factis, quæ ſibi objicit; quia cum eſſet Scholaſticæ methodo intentus, ejus inſtituti non erat facta diſcutere, quæ prolixiorem tractationem exigunt, & a ſubjecta quæſtione ſæpe divertunt. Hoc ergo facto ſuppoſito, docet, quid ſit reſpondendum. At controverſia nunc eſt inter eruditos de ipſo facto, & an revera Apoſtoli aliquando baptizaverint in ſolo nomine Chriſti? Pro quo ſit

§. III. *An Apoſtoli aliquando ex divina diſpenſatione baptizaverint in ſolo nomine Chriſti?*

PRo ſententia affirmativa citantur Albertus Mag. Altiſſiodor. Alenſis, Scotus cum Scotiſtis, Richardus, Paludanus, Durandus, Sylveſter, Turrecremata, Lyranus, Valentia, Toletus, Gonet, &c. Pro ſententia negativa Eſtius, Suares, Vaſques, Sylvius, plerique Recentiores. Natalis Alex. Juenin, Tournely, Berti, &c.

Dico. Utraque ſententia tum negans, quam affirmans eſt probabilis.

Momenta ſententiæ affirmantis proponuntur cum reſponſis adverſæ partis.

PRimum momentum ex Scriptura, quæ refert multos fuiſſe baptizatos in nomine Jeſu. Act. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti*. Cap. 8. *In nomine Jeſu Chriſti baptizabantur viri ac mulieres*. Ibid. *Baptizati tantum erant in nomine Domini Jeſu*. Cap. 10. Petrus *juſſit eos baptizari in nomine Domini Jeſu Chriſti*. Cap. 19. Baptizati Baptiſmo Joannis juſſi ſunt baptizari *in nomine Domini Jeſu*. His verbis demonſtratur forma, qua Apoſtoli ex diſpenſatione aliquando baptizabant: ſicut iſtis, *Baptizantes in nomine Patris*, &c. demonſtratur forma, qua præſcriptum erat ordinarie & ſecluſa diſpenſatione baptizare: non enim eſt ratio, cur in uno loco deſignetur forma Baptiſmi, & non in alio. Ergo.

Reſpondent quidam adverſæ partis Patroni, 1. equidem Apoſtolos baptizaſſe in nomine Chriſti, ſed non in ſolo nomine Chriſti, excluſis aliis Perſonis; neque contrarium evincitur ex laudatis Scripturis: ſicut enim, inquiunt, ex hoc quod Act. 2. & 8. legitur Apoſtolos prædicaſſe Jeſum Chriſtum: item ex hoc quod Matth. 3. & 1. Cor. 1. dicamur baptizati in Spiritu S. non ſequitur Apoſtolos ſolum Chriſtum prædicaſſe, & non alias Perſonas, nec ipſos baptizaſſe in ſolo Spiritu S. excluſis aliis Perſonis; ita neque ex hoc quod dicantur baptizaſſe in nomine Chriſti ſequitur, quod in ſolo ejus nomine, aliis excluſis, baptizaverint. Reſpondent 2. alii, baptizari in nomine Chriſti, ſignificare vel baptizari merito & virtute Chriſti, ſicut dicitur Marci ult. *in nomine meo*, id eſt, virtute mea, *dæmonia ejicient*: vel baptizari Baptiſmo a Chriſto inſtituto; vel tandem initiari & conſecrari in Chriſti cultum.

Secundum momentum petitur ex Patribus. Cyprianus Ep. 73. ad Jubajanum dicit Apoſtolos baptizaſſe Judæos in nomine Jeſu, Gentiles autem in nomine Patris & Filii & Spiritus S. *Alia enim*, inquit, *fuit Judæorum ſub Apoſtolis ratio, alia eſt Gentilium conditio. Illi qui jam Legis & Moyſis antiquiſſimum Baptiſma fuerant adepti, in nomine quoque Jeſu Chriſti erant baptizandi, ſecundum quod in Actibus Apoſtolorum Petrus loquitur & dicit: pœnitemini & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Domini Jeſu ... Denique ubi poſt Reſurrectionem Domini Apoſtoli ad Gentes mittuntur, in nomine Patris & Filii & Spiritus S. baptizari Gentiles jubentur*. Hilarius l. de Synodis; *Nepoſthomo Apoſtoli*, inquit, *reperiantur in crimine, qui baptizare in nomine Patris & Filii & Spiritus S. juſſi tantum in nomine Jeſu baptizarunt*. Theophylactus in cap. ult. Lucæ poſtquam petiit, quomodo Baptiſma in nomine ſolius Chriſti fieri intelligamus? reſpondet: *Quia Chriſti nomen in ſe continet & Patrem Ingenitum*, &c. Ferrandus Diaconus Sec. 6. Epiſt. ad Anatolium ſcribit: *In nomine Domini Jeſu Apoſtoli baptizabant, numquid quia Patrem & Spiritum S. tacebant, ideo negabant?*

Ad 1. reſpondet Tournely Cyprianum loqui non de forma Baptiſmi, ſed de profeſſione publica fidei illius, qui baptizandus erat. At non videtur hæc reſponſio ſatis conformis textui. Forte illi minus repugnanter reſpondetur Cyprianum dixiſſe Apoſtolos baptizaſſe in nomine Chriſti non excludendo alias perſonas: addit enim ibid. Cyprianus: *Jeſu Chriſti memoriam facit Petrus, non quaſi Pater omitteretur, ſed ut Patri quoque Filius adjungeretur*. Ad 2. reſpondent ſenſum Hilarii eſſe non eſſe tollendas has voces, quibus dicitur Apoſtolos baptizaſſe in nomine Jeſu propter pravam aliquorum interpretationem, quia non contradicunt his verbis, *baptizantes in nomine Patris*, &c. Patet, quia ſcopus Hilarii eſt probare non deferendum eſſe hoc vocabulum *Omouſion, quia vitioſe a nonnullis ſolet intelligi*: in cujus probationem affert id, quod dictum eſt in Scriptura de Baptiſmo, qui collatus eſt in nomine Jeſu quaſi contra mandatum baptizandi in nomine Trinitatis; ita ut apud Hilarium To *tantum in nomine*

Jeſu

Jeſu baptizabant idem ſit ac *tantum in nomine Jeſu baptizaſſe leguntur*. Ad 3. reſpondet Theophylactum non ſolum id, quod objicitur, dicere, ſed etiam quod *quando dicimus Baptiſma fieri in nomine Chriſti, non dicimus quod oporteat in ſolius Chriſti nomine fieri*. Ad 4. Laurentius Berti ſententiæ negativæ acerrimus vindex ingenue fatetur Ferrandum ſtare pro ſententia affirmativa; de ipſo enim dicit: *Nequeunt hæc verba*, Ferrandi, *in ſententiam noſtram trahi, niſi per vim & violentiam.*

Tertium momentum petitur ex cauſa legitima, quæ tunc aderat diſpenſandi in forma communi, ſcilicet, ut diximus ex Auctore, ut nomen Chriſti, quod erat odioſum Judæis, honorabile redderetur per hoc, quod ad ejus invocationem Spiritus S. dabatur in Baptiſmo, & inde convincerentur Jeſum Nazarenum eſſe verum Meſſiam, quod negabant. Reſpondent alii ſatis honori Chriſti conſultum eſſe, ſi ejus nomen pronuntietur in forma Baptiſmi cum nominibus Patris & Spiritus S.

Momenta ſententiæ negativæ cum reſponſis adverſæ partis.

PRimum momentum fundatur in hoc, quod Chriſtus Matt. ult. præcepit Apoſtolis, ut baptizarent *in nomine Patris*, &c. Ergo non eſt credibile eos hanc legem ſtatim violaſſe baptizando in ſolo nomine Chriſti. Si recurratur ad diſpenſationem, contra eſt, quod nullum in ipſa Scriptura extat hujus diſpenſationis veſtigium, & quod nulla eſſet ratio diſpenſandi. Quod enim dicitur ideo diſpenſatum fuiſſe, ut nomen Chriſti prius odioſum Judæis, honorabile & amabile redderetur, futile eſt: 1. Quia maxima erat Chriſti gloria aſſociari in forma Baptiſmi Patri ſummo Deo. 2. Quia nomen Trinitatis erat pariter Gentibus & Judæis odioſum. 3. Quia inde ſequeretur, quod etiam nunc deberet conferri Baptiſma in nomine Chriſti, cum Judæi etiam nunc ſicut olim ſint Chriſti hoſtes infenſiſſimi. Reſpondent prioris ſententiæ vindices, equidem Apoſtolis præceptum fuiſſe, ut communiter & ordinarie baptizarent in nomine Trinitatis; at id non obſtat, quominus cum ipſis ſit diſpenſatum, ut certis de cauſis ad tempus baptizarent in nomine Chriſti, ſi non univerſaliter, ſaltem in iis circumſtantiis, in quibus id exigebat honor Chriſti.

Ad 1. Prob. in contrarium reſpondent diſpenſationem legi in Scriptura, non quidem in actu ſignato, ſed in actu exercito: hoc ipſo enim quo legitur Apoſtolos baptizaſſe in nomine Chriſti, ſatis conſtat id feciſſe ex diſpenſatione divina, cum certum ſit ipſos non ſtatim violaſſe legem ſibi a Chriſto datam. Ad 2. Prob. N. Ant. ad rationem, R. magis eſſe honorabile Chriſto, ſi ejus nomen ſolum ponatur, quia tunc magis ad illud & ad ejus virtutem attenditur. Adde, quod illud conjungendo aliis Judæi cauſam fuiſſent non in ejus, ſed aliorum, quibus jungebatur, nomine Spiritum S. & gratias conferri. Ad 2. nomen Trinitatis apud Judæos magis erat ignotum quam odioſum; at ita Chriſtum oderant, ut ipſum crucifixerint. Ad 3. N. Sequelam: quia nunc Chriſti nomine per univerſum orbem prædicato & exaltato, non ſubſiſtit amplius ratio recedendi a præcepto communi: ſicut nunc plantata & firmata fide ceſſat frequentia miraculorum, quæ fidei ſeminandæ & firmandæ neceſſaria erant.

Secundum momentum habetur Act. 19. ubi cum Paulus incidiſſet in quoſdam, qui ſe Chriſtianos dicebant, & tamen ignorabant Spiritum S. interrogat illos: *In quo ergo baptizati eſtis?* Atqui hæc interrogatio inepta fuiſſet, ſi in ſolo Chriſti nomine, non appellato Spiritu S. potuiſſent baptizari. Ergo. Reſpondetur ex adverſa parte negando Min. Quia moris erat, ut Apoſtoli neminem tingerent, niſi prius ipſum docuiſſent myſteria fidei, præſertim Trinitatis, ejuſque virtute Baptiſmum operari. Unde quamvis baptizati fuiſſent in ſolo nomine Chriſti, debebant ſcire Spiritu S. & ejus virtute fuiſſe baptizatos, ſicque merito interrogat Apoſtolus; *In quo ergo*, id eſt in cujus virtute, *baptizati eſtis?*

Tertium momentum petitur ex Patribus, S. Cyp. Ep. laudata ad Jubajan. explicans hæc verba Petri Act. 2. *Baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Domini Jeſu Chriſti*: dicit: *Jeſu Chriſti mentionem facit Petrus, non quaſi Pater omitteretur, ſed ut Patri quoque Filius adjungeretur*. Aug. adverſus Maximinum Arianum lib. 3. c. 17. loquens de iis, quos Petrus juſſerat baptizari in nomine Domini Jeſu, dicit: *Si autem non nominatis Patre & Spiritu S. in nomine Jeſu Chriſti juſſi ſunt baptizari, non tamen intelliguntur baptizati niſi in nomine Patris & Filii & Spiritus S.* Reſpondent alii ad 1. ſenſum S. Cypriani eſſe, quod tunc non omiſſus fuerit Pater quoad virtutem, licet quoad nomen: alias Judæi baptizati fuiſſent in nomine Patris &c. ſicut Gentiles, quod tamen negat ibid. Cyprianus, ut conſtat ex probationibus prioris ſententiæ. Ad 2. ſimiliter reſpondent, ſenſum Aug. eſſe, quod non intelligantur baptizati niſi in nomine, id eſt niſi in virtute Patris & Filii & Spiritus S. quia Aug. vult ibi probare contra Maximinum, negantem Spiritum S. eſſe creatorem, quod quamvis hæc verba, *omnia per ipſum facta ſunt*, ſint tantum dicta de Filio, omnia tamen cenſeantur etiam eſſe facta per Spiritum S. quia una eſt utriuſque virtus; ſicut licet dicatur Baptiſmus collatus in ſolo Chriſti nomine, intelligitur tamen collatus in nomine, id eſt, in virtute Spiritus S.

Reponit Berti, cui hæc reſponſio diſplicet, quod ſi Maximinus negabat omnia facta eſſe per Spiritum S. negabat quoque eandem eſſe virtutem Filii & Spiritus S. conſequenter negabat in Baptiſmo, non nominato Spiritu S., Spiritum S. intelligi ex hoc, quod Filii & Spiritus S. ſit eadem virtus. Sed contra. Aug. arguit contra Maximinum ſuppoſita forma Baptiſmi, quæ ſola tunc erat in uſu ſcilicet cum expreſſione Patris & Filii & Spiritus S. quam negare non poterat Maximinus, juxta quam formam manifeſtum eſt Spiritum S. ſua virtute cum aliis concurrere ad Baptiſmum. In hac ergo hypotheſi bene arguit Aug. quod ſicut licet in Baptiſmo collato ab Apoſtolis non fuerit nominatus Spiritus, & tamen, ut conſtabat ex forma communi Baptiſmi, intelligebatur Spiritus S. ita quamvis in his verbis *omnia per ipſum facta ſunt*, non nominetur Spiritus S, eſt tamen intelligendus. Si quidam alii Patres proponantur, qui videntur, ſenſiſſe Apoſtolos nunquam baptizaſſe in ſolo nomine Chriſti, iis, inquiunt, opponendi ſunt alii Patres laudati pro 1. ſententia, & ſcholarum Magiſtri.

Quartum momentum eſt impugnatio fundamenti oppoſiti. Equidem inquiunt, in Act. Apoſt. dicuntur Apoſtoli baptizaſſe in nomine Chriſti, at non ſolius Chriſti, vel nomine Chriſti intelligitur merito & virtute Chriſti vel Baptiſmo Chriſti, ut dictum eſt prius. Reſpondent alii, quod ſicut hæc verba Matth. ult. *in nomine Patris*, &c. intelliguntur ſimpliciter, *invocato nomine Patris*, &c. ita hæc *in nomine Jeſu* intelligi debent *invocato nomine Jeſu*. Nec aliis Scriptura uſa fuiſſet, ſi voluiſſet ut baptizaretur *in nomine Chriſti*, ſicut baptizatur *in nomine Patris*.

Quintum momentum eſt ab inconvenienti. Juxta fidem eſt unum Baptiſma in Eccleſia. Atqui ſi aliquando valuiſſet Baptiſma in nomine Chriſti, forent diverſa Baptiſmata, quia nempe forent diverſæ formæ, ideoque diverſa compoſita. Ergo. Reſpondent Baptiſma dici unum, 1. Quia ſemel ſuſceptum iterari non poteſt. 2. Quia licet plures Miniſtri baptizent, unus eſt tamen Chriſtus, qui principaliter baptizat. 3. Quia ſeclusa ſpeciali diſpenſatione ad tempus, aliud non admittitur.

§. IV. Leviores quædam difficultates circa formam Baptiſmi breviter expediuntur.

PEtes 1. Quid ſit cenſendum de Baptiſmo collato in nomine Genitoris & Geniti & Procedentis ab utroque? R. (*Hic a. 4. ad 5. 1. p. q. 40. a. 2. & in 4. d. 3. q. 1. a. 2. q. 2. ad 5. Ib. 1. p. & in 4.*) probabilius eſſe nullum. Ita cum S. Th. & Thomiſtis, Scotus cum Scotiſtis, Eſtius, Sylvius, Suares & Communiter Theologi contra Cajet. & paucos alios, inter quos noviſſime Berti. 1. Quia hæc nomina non æquivalent nominibus Patris & Filii & Spiritus S. Hæc enim nomina Pater & Filius formaliter ſignificant relationes Paternitatis & Filiationis, quibus conſtituuntur divinæ Perſonæ, ſicque formaliter ſignificant Perſonas ſubſiſtentes. At Genitor & Genitus ſignificant formaliter actus notionales, qui ſunt fundamenta relationum. Unde quamvis idem ſignificent materialiter & quoad rem, non tamen idem ſignificant formaliter & eodem modo, ſicque non æquivalent & non ſunt proprie ſynonyma. (*Ibid. hic.*) Sicut ex parte materiæ aqua ſumitur ad Baptiſmum, quia ejus uſus eſt communior ad abluendum, ita ad ſignificandum tres perſonas in forma baptiſmi aſſumuntur illa nomina, quibus communius conſueverunt nominari perſonæ in illa lingua. Atqui nomina, quibus communius ſignificantur divinæ perſonæ ſunt Pater, Filius & Spiritus S. non Genitor, & Genitus, & procedens ab utroque. Ergo.

Dices. Eccleſia laudat & invocat Trinitatem ſub nominibus Genitoris Geniti & procedentis ab utroque, ut patet in hymno feſti corporis Chriſti, a S. Th. edito. Ergo. R. N. Conſeq. Licet enim extra Sacramentum poſſit laudari vel invocari Trinitas iſtis nominibus, eo quod materialiter & quoad rem idem ſignificent ac Pater, Filius, &c. non tamen in Sacramento a Chriſto determinate inſtituto, quia idem non ſignificant formaliter & eodem modo, ſicque non ſunt ſynonyma.

Petes 2. Utrum valeat Baptiſma collatum ſub hac forma: ego te baptizo in nomine SS. Trinitatis, vel in nomine Dei unius & trini, vel in nomine primæ, ſecundæ & tertiæ perſonæ? R. Negative, quia ut probavimus §. 2. Con. 2. debet fieri diſtincta expreſſio trium perſonarum Patris, Filii & Spiritus S. Inſuper iſta non idem ſignificans

ac

Digitized by Google

ac Pater & Filius & Spiritus S. poteſt enim eſſe Trinitas, poſſunt eſſe tres perſonæ, prima, ſecunda & tertia, abſque Patre & Filio & Spiritu S.

Petes 3. Utrum valeat Baptiſma collatum ſub hac forma, baptizo, aut baptizatur in nomine Patris, &c. abſque expreſſione baptizandi? R. negative: 1. Perſonam baptizandi eſſe exprimendam colligitur ex illo Matth. *Baptizantes eos.* 2. Forma debet ſignificari id, quod in Sacramento peragitur: in Sacramento autem applicatur materia ſubjecto determinato, quod non ſignificatur dicendo ſimpliciter. Baptizo aut baptizatur. Atque ideo debet ſignificari determinatum ſubjectum per *Te*, aut aliquid ſimile. 3. Debet exprimi diſtinctio inter baptizantem & baptizatum, ſicut inter generantem & genitum; eſt enim baptiſmus Sacramentum regenerationis. Unde Innoc. III. Extra de Bapt. cap. *Debitum* declarat neminem poſſe ſeipſum baptizare: iſta autem diſtinctio non ſignificatur, niſi exprimatur perſona baptizanda. Neque refert, quod hæc diſtinctio ſignificetur per ipſam applicationem materiæ ad alterum; quia, ut dictum eſt, forma debet ſignificare id, quod agitur: non enim in ſola materia, ſed maxime in forma conſiſtit ſignificatio Sacramenti.

Si dicas Stephanum III. in Reſcriptis Cariſiacis nullam deſignare perſonam in forma Baptiſmi, & Eugenium IV. in Decreto unionis declaraſſe perfici Sacramentum, *ſi exprimatur actus, qui per ipſum exercetur cum SS. Trinitatis invocatione.* R. ad 1. Reſcripta Cariſiaca ſuppoſititia aut adulterata reputari ab Eruditis, ut vidimus ſupra. Ad 2. Eugenius prius deſcripſerat formam Latinorum & Græcorum, quibus exprimitur perſona baptizati: unde dum dicit perfici Sacramentum, *ſi exprimatur actus* intelligit actum determinatum, ut exprimitur in forma Latinorum per *Te* & in forma Græcorum per To *Servus Chriſti.*

Utrum vero debeat exprimi perſona baptizandi determinate per nomen ejus proprium, vel per pronomen ſecundæ vel tertiæ perſonæ *Te* vel *Iſtum?* Id quidam requirit Eugenius IV. in laudato Decreto, dicens in forma Græcorum, baptizetur Chriſti ſervus (talis) attamen nulla ratione videtur id eſſe de neceſſitate Sacramenti. Unde qui diceret, *Baptizo ſervum Chriſti*, vel *baptizatur ſervus Chriſti*, meo judicio ſubſiſteret Sacramentum. Sed quid, ſi quis honoris cauſa dicat, *Baptizo vos*; vel aſſuetus loqui in plurali numero dicat: *Nos te baptizamus?* Reſolvit Sylv. poſt Cajet. in ſimili verbo *abſolutio*, quod valeret; quia non variaret ſubſtantiam formæ; ejuſmodi tamen varietates ſunt fugiendæ.

Petes 4. Utrum ſi Miniſter dicat *in nominibus* loco *in nomine*, valeat Baptiſmus? R. negative, quia non dixit Chriſtus, Baptizantes *in nominibus*, ſed *in nomine.* Super quæ verba Ambroſ. l. 1. de Spiritu S. c. 14. ait; *In nomine dixit, non in nominibus. Non ergo aliud nomen Patris, aliud nomen Filii, aliud nomen Spiritus S. quia unus Deus.* Idem Hieron. in Cap. 4. Ep. ad Epheſ. & Aug. l. 2. adv. Maximinum c. 22. & Tract. 6. in Joan. Ratio eſt; quia To *in nomine* ſignificat ſubſtantiam, virtutem, auctoritatem, poteſtatem, quæ una eſt in tribus Perſonis, unde dicendo *in nominibus* falſum ſignificatur. Non ſequitur tamen fore irritum Baptiſma, ſi replicato To *nomine* quis dicat, Baptizo te in nomine Patris, in nomine Filii, & in nomine Spiritus S. quia ut dictum eſt, To *in nomine* ſignificat ſubſtantiam, virtutem, majeſtatem divinam; nomen autem eſſentiale poteſt repeti ſine pluralitate. Sicut dicimus in Symbolo Athanaſii, *Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus S. non tamen tres Dii*, Similiter in exorciſmo baptizandorum antequam accedant ad baptiſterium: *Exorcizo te omnis Spiritus immunde in nomine Dei Patris omnipotentis, & in nomine Jeſu Chriſti Filii ejus & judicis noſtri, & in virtute Spiritus S.*

Quantum ad præpoſitionem *In* non eſt de eſſentia formæ, quia illa omiſſa remanet ſenſus ſubſtantialis: ſimiliter particula *Et* propter eandem rationem. Niſi forte omittatur in ſenſu Sabelliano ad ſignificandum hæc tria nomina eſſe unam & eandem perſonam tribus facultatibus inſtructam. (*Hic a. 4. ad 1.*) Item dicendum de pronomine *Ego*; quia, ut dictum eſt, non eſt neceſſe, quod ſignate exprimatur perſona baptizantis, ut patet in forma Græcorum: & aliunde ſufficienter exprimitur per To *Baptizo.* Tandem pariter conſtat particulam *Amen* non eſſe de ſubſtantia formæ, ſed eſſe tantum Sacramenti jam perfecti acclamationem & approbationem; unde in pluribus Ritualibus omittitur. Plura circa præſentem materiam habes in Tract. de Sacramentis in communi Diſſ. 1. a. 6. §. 1. Sedulo conſer.

ARTICULUS V.

Utrum Baptiſmus poſſit iterari?

MARCIONISTÆ, teſte S. Epiphanio hæreſi 42. ter baptizabant, ſemel in infantia, & bis in adulta ætate ad imitationem Chriſti, qui baptiſmo Joannis & ſuo ſanguine fuit baptizatus. Anabaptiſtæ noſtri temporis rebaptizant baptizatos infantia, & quidam ex illis, eos, qui poſt ſuſceptum ſemel baptiſmum a fide deficiunt. Notum eſt ex ſuperioribus Cyprianum cum pluribus aliis equidem rebaptizaſſe baptizatos ab Hæreticis, ſed quia invalidum reputabant eorum baptiſma, quibus conſtanter reſtitit Stephanus Papa. Pariter notum eſt Donatiſtas eadem ratione rebaptizaſſe baptizatos a Catholicis, quos pluribus libris exagitat Aug. Quæſtio eſt de Baptiſmo valide ſuſcepto, utrum poſſit iterari? Pro aſſertione dogmatis catholici

Dico 1. (*Ibid. a. 9. c.*) Baptiſmus validus nec licite nec valide iteratur. Prob. 1. ex illo Heb. 6. *Impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati, ... & prolapſi ſunt, rurſus renovari ad pœnitentiam, rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei.* Atqui hæc verba intelligi non poſſunt de Pœnitentia ſacramentali, quæ eſt iterabilis. Ergo de Baptiſmo, quemadmodum Ambroſ. Chryſoſt. Aug. & alii contra paucos intelligunt, & ut oſtendemus infra de Sacramento Pœnitentiæ.

Prob. 2. & præcipue ex Traditione ab Apoſtolis accepta, quæ nobis conſtat unanimi Patrum conſenſu, conſtanti & perpetua conſuetudine atque definitionibus iteratis Eccleſiæ. Ita de Conſecr. d. 4. cap. *Non licet* 107. Can. 47. inter eos, qui dicuntur Apoſtolici; Conc. Nicænum I. Conc. Conſtantinop. I. Conc. Arelat. I. Florent. in Decreto unionis. Trid. Seſſ. 7. de Sacram. in genere, Can. 9. *Si quis dixerit in tribus Sacramentis; Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc eſt ſignum quoddam ſpirituale & indelebile, unde iterari non poſſunt, anathema ſit.* Et ibid. de Bap. Can. 11. *Si quis dixerit verum & rite collatum baptiſmum iterandum eſſe illi, qui apud infideles fidem Chriſti negavit, cum ad Pœnitentiam convertitur, anathema ſit.*

Prob. 3. (*Ibid.*) Quatuor rationibus Auctoris. 1. Baptiſmus eſt quædam regeneratio ſpiritualis, Joan. 3. *Niſi quis renatus*, &c. Atqui unius non eſt niſi una generatio. Unde Aug. Tract. 11. in Joan. ſuper illud Joan. *Quomodo*, inquit, *non poteſt uterus repeti, ita nec baptiſmus.* 2. In ſimilitudinem mortis Chriſti baptizamur, per baptiſmum enim morimur peccato, & reſurgimus in novitatem vitæ. Atqui Chriſtus ſemel mortuus eſt. Ergo ſemel tantum Baptiſmus eidem conferendus eſt. 3. Baptiſmus imprimit characterem, qui eſt indelebilis, & cum quadam conſecratione datur. Atqui aliæ conſecrationes non iterantur in Eccleſia; ſic, v. g. Calices & alia Vaſa ſacra non niſi ſemel conſecrantur. Ergo nec Baptiſmus. 4. Baptiſmus principaliter datur contra peccatum Originale. Atqui peccatum Originale non iteratur. Ergo nec Baptiſmus. Hæ rationes, ut patet, non ſunt ſimplices congruentiæ, ſed ex ipſa natura Sacramenti petuntur, ideoque probant non ſolum Rebaptiſmum eſſe illicitum, ſed etiam invalidum, adeoque ſubjectum Baptiſmi eſſe hominem non baptizatum, ſicut materia Conſecrationis eſt panis non conſecratus. Harum rationum defenſionem contra impugnationes Scoti videre poteſt curioſus Lector apud Dom. Soto in 4. d. 3. q. unica a. 9.

Dices. Si baptiſma iteratum ſit nullum, ergo rebaptizatio non eſt peccatum. R. N. Sequelam. Imo ob id eſt peccatum & graviſſimum, quod iterari tentetur id, quod non eſt iterabile: id enim cedit in gravem injuriam & irriſionem Sacramenti, dum contra ejus inſtitutionem tentatur adhiberi ſubjecto incapaci, & quaſi ſemel datum non ſufficeret, veluti ſi quis uxore vivente alteram duceret, aut hoſtiam conſecratam conſecraret.

Dico 2. Si ſit dubium fundatum, an aliquis ſit baptizatus, ſive ſit dubium juris, puta utrum materia vel forma adhibita ſit legitima, ſive facti, puta an de facto ſit collatus Baptiſmus, debet, Baptiſmus, non dico, iterari, ſed conferri ſub conditione, dicendo: *Si es baptizatus, non te baptizo: Si non es baptizatus, te baptizo in nomine Patris*, &c. Ita definivit Alexander III. Extra l. 3. Tit. 42. Cap. *De quibus* 2. Ratio eſt; quia in hoc caſu ſubvenitur proximo in re maxime neceſſaria, cum ſine Baptiſmo re ſuſcepto alia Sacramenta valide non recipiat, & ſi non ſit adultus, ſalvari nequeat. Hæc autem neceſſitas juncta conditione abſtergit irreverentiam Sacramenti. Neque poteſt in iterationis crimen venire, quod omnino factum neſcitur, inquit S. Leo Cap. *Cum itaque* cit. in 1. Concl.

Si vero dubium ſit infundatum, levis ſuſpicio vel ſcrupulus, non poteſt baptizari etiam ſub conditione: tum quia, ut alibi dixi, quando dubium non eſt fundatum, conditio appoſita habetur pro non appoſita, deficiente enim ratione probabili dubitandi via ſerio poteſt dici, ſi non es baptizatus, te baptizo; ſed potius videtur dici, ſive ſis baptizatus ſive non, te baptizo; ſicque disjunctive intenditur nullitas Sacramenti: tum quia Iteratio Sacramenti facta ex inani dubio eſt quædam ipſius irriſio.

Ex his infertur 1. Non eſſe baptizandum ſub conditione adultum, qui inter Chriſtianos natus & educatus dubitat,

bitat, aut ſit baptizatus; forte quia non extat amplius Regeſtum, aut in eo omiſſus eſt, vel quia parentes ſunt mortui, aut Miniſter erat ſenex, &c. quia ut dicit Innoc. III. Cap., *Veniens* de Presbytero baptizato: *De illo, qui natus de Chriſtianis parentibus, & inter Chriſtianos eſt fideliter converſatus, tam violenter præſumitur, quod fuerit baptizatus, ut hæc præſumptio pro certitudine ſit habenda, donec fortiſſimis forſan argumentis contrarium probetur*. Idem dicendum de illo, qui audit ſe ab obſtetrice fuiſſe baptizatum; quia ſupponere debet, quod Parochus prævio examine Baptiſmum validum judicaverit, aut in dubio repetierit. Inferes 2. Non etiam baptizandum ſub conditione illum, cujus baptiſmum atteſtatur unus teſtis oculatus omni exceptione major; quia hujuſmodi teſtimonium ſeclusis indiciis in contrarium, moralem certitudinem facit. Inferes 3. E contra baptizandos eſſe ſub conditione eos, qui ante Baptiſmum a parentibus ſunt avulſi aut inter Infideles nati, & non eſt aliquis fide dignus, qui eos eſſe baptizatos teſtetur; tunc enim eſt fundatum dubium, an ſint baptizati: & ita reſolvit Conc. Carthag. 5. c. 6. Inferes 4. etiam ſub conditione baptizandos infantes, qui reperiuntur expoſiti ad valvas Eccleſiæ vel alibi ſine ſchedula vel teſtimonio ſui Baptiſmi; quia conſuetum eſt, ut, dum ſunt baptizati, habeant aliquod hujuſmodi teſtimonium.

Caſus dubii.

PRIMUS. An infans inter Catholicos ad valvas Templi aut alibi expoſitus cum ſchedula, aut aliquo alio teſtimonio ſui Baptiſmi, debeat nihilominus baptizari ſub conditione? Negant plurimi Auctores. Numerat 28. Franciſcus a Jeſu Maria: quorum ratio eſt, quia non eſt credibile Parentes aut tutores, qui præſumuntur Catholici, cum inter Catholicos reperiatur expoſitus, voluiſſe fraude aut mendacio filium ſuum neceſſario Sacramento privare. Affirmant etiam plures. Numerat 20. laudatos Scriptor, quibus ſubſcribo: quia quamvis inter Catholicos, non conſtat tamen, a quo iſta Schedula ſuit ſcripta, forte a malefica muliere, a viro iniquo, a Judæo, ab Atheo, &c. Et eſto, qui ſcripſit fuerit vir catholicus, probus & ſincerus, qui nollet fallere in re tam gravi, ſed nihil forte ſcripſit, quam quod audivit ab aliqua fœmina aut Laico, qui vel ex turbatione aut ignorantia potuit aliquid eſſentiale omittere. Et ideo ſtatutum eſt in Synodo 2. Camerac. & Mediolanenſi ſub S. Carolo Borromæo hos eſſe ſub conditione baptizandos.

Secundus caſus dubius eſt de infante baptizato domi ab obſtetrice vel altero Laico. Si Parochus diligenti inquiſitione facta certo moraliter judicet omnia eſſentialia adhibita, extra controverſiam eſt non poſſe repeti Baptiſmum. At niſi teſtis gravis & oculatus afferat omnia eſſentialia eſſe ſervata, vix aut ne vix, meo judicio, id certo conſtare poteſt. Experientia namque notum eſſe multas mulieres ſive ex ignorantia, ſive ex turbatione in materia vel forma errare; item ſæpe referre aliter quam fecerint aut dixerint; item ſemel aut iterum deprehenſas, quod bene fecerint, deinceps malitioſe errare, & tamen aſſerere ſe more ſolito baptizaſſe. Unde excepto caſu teſtis, ut dictum eſt, qui raro contingit, exiſtimo non eſſe damnandum, qui ſic baptizatum baptizaret ſub conditione. Ita, contradicentibus multis, cenſent Sylvius, Molanus & alii, ſicque ſtatuunt Paſtorale Mechlinienſe & Synodus Iprenſis ſub Martino Rithovio Tit. 2. c. 5.

Tertius caſus dubius eſt de baptizato ab Hæreticis. Equidem fide certum eſt baptizatum ab Hæretico, qui omnia eſſentialia obſervavit eſſe valide baptizatum, nec ollatenus eſſe baptizandum ſub conditione. Quia tamen experientia conſtat hodiernos Hæreticos ſæpe vel aquam roſaceam honoris cauſa adhibere, vel, ut oſtendant verba eſſe concionatoria & non conſacratoria, unum infondere aquam, & alterum proferre verba, vel ratione frigoris ſolas veſtes aſpergere, vel plebeios ignaros Sacramentum conferre, vel tandem in odium Catholicorum aliquo alio modo illud temerare, niſi, ut in priori caſu dictum eſt, adſit teſtis catholicus, gravis & oculatus, qui aſſerat omnia eſſentialia rite fuiſſe ſervata, pariter cenſeo non eſſe culpandum, qui ſic baptizatos regulariter baptizaret ſub conditione. Et ita ſtatuit Synodus Mechlinienſis an. 1607. Tit. 3. c. 6. a Paulo V. an. ſeq. approbata. Obſervandum adultos, qui ſub conditione baptizantur, teneri poſt ſic ſuſceptum Baptiſmum confiteri peccata poſt primum Baptiſmum commiſſa, ne forte, ſi primus Baptiſmus valuerit, ſecundus, utpote irritus, nihil efficiat.

Petes: quæ ſint pœnæ rebaptizantium? R. Jure civili Cod. *Nec ſanctum baptiſma raiteretur* l. 1. damnantur pena mortis. Hæc lex lata fuit occaſione Donatiſtarum. Jure Eccleſiaſtico incurrunt irregularitatem. Cap. *Ex Litterarum* 2, Extra de Apoſtatis l. 5. ex Alexandro III. Equidem Pontifex exprimit tantum Acolythum, qui adfuerat reſpondens rebaptizanti, & quia ſecundum regulam communem irregularitas non incurritur, niſi ſit in jure expreſſa, poſſet videri rebaptizantem eam non incurrere. Attamen conſuetudo, quæ eſt optima Legum interpres, hanc Decretalem ſic intelligit, ut etiam Rebaptizans ſit irregularis. Et ita tenent communiter Caſuiſtæ & Juriſperiti. Similiter ii, qui ſe rebaptizari faciunt, aut patiuntur, incurrunt irregularitatem, c. *Confirmandum* d. 5. c. *Qui in qualibet* cauſa 1. q. 7. & c. *Eos* de Conſecr. d. 4. Eſt tamen diſcrimen inter irregularitatem rebaptizantis & rebaptizati, quod irregularitas rebaptizati ſit completa, impediens ipſum & promoveri ad ulteriores Ordines, & in ſuſceptis miniſtrare: irregularitas autem rebaptizantis impedit tantum promoveri ad altiores Ordines, non in ſuſceptis miniſtrare. Imo hærendo litteræ Decretali *Ex litterarum*, videtur, quod nec iſta irregularitas incompleta rebaptizantis incurratur, niſi crimen ſit publicum: ſubjungitur enim: *ſi crimen ſit occultum, poterit promoveri*. Sed, inquit Sylvius, ob receptam in Eccleſia conſuetudinem verius videtur hanc diminutam irregularitatem etiam incurri, quando crimen eſt occultum.

Utrum vero, qui nihil vel leviter dubitans de valore Baptiſmi, baptizat ſub conditione, incurrat hanc irregularitatem? Videtur probabilius, quod non: quia hæc irregularitas non eſt neque in Jure neque in conſuetudine: Jura enim loquuntur de rebaptizantibus abſolute, iſte autem non intendit rebaptizare, imo nec baptizare, niſi ſuppoſito quod baptiſmus ſit invalidus. Aliunde pœnæ ſunt reſtringendæ. Item videtur probabiliter dicendum de his, qui metu coacti rebaptizant aut rebaptizantur, ſi ſine intentione baptiſmum dandi vel recipienti, ſed tantum ritum externum exhibendi, vel recipiendi, id agant vel patiantur; quia non intendunt iterationem Baptiſmi. Sicut non excommunicatur, licet graviter peccet, qui fidem corde retentam exterius abnegat. Neque obſtat, quod Eccleſia punit actus externos, eos enim punit ut procedentes ab interiori. Ita Sylvius.

ARTICULUS VI.

Utrum convenienter aſſignentur tria Baptiſmata, ſcilicet Flaminis, Fluminis & Sanguinis?

NOTA. 1. Baptiſmus fluminis dicitur perfecta cordis contritio ſeu quilibet actus perfectæ charitatis includens ſaltem virtualiter & implicite votum Baptiſmi aquæ. Dicitur flaminis a flamine ſeu Spiritu S. movente eor ad diligendum Deum & pœnitendum de peccatis. Baptiſmus ſanguinis eſt martyrium pro Chriſto toleratum antecedens Baptiſmum aquæ. Dicitur ſanguinis ab ejus effuſione, quæ contingit ordinarie in martyrio. De Baptiſmo aquæ huc uſque diximus. Nota 2. Hanc trium Baptiſmatum diſtinctionem eſſe frequentem non ſolum apud Scolaſticos, ſed etiam apud SS. Patres, Ambroſ. in Pſ. 118. Greg. Nazian. Orat. 39. in ſancta lumina, Hieron. ſuper illud Epheſ. 4. *Una fides, unum Baptiſma*, Aug. l. 4. de Bapt. c. 21. Bernard. Ep. 77. ad Hug. Vict. idque cum fundamento in Scripturis, quæ nomen Baptiſmi charitati & martyrio tribuunt. Sic quantum ad charitatem Matth. 3. dicitur: *Ille baptizabit vos Spiritu*. Et Act. 1. *Baptizabimini Spiritu S.* id eſt, charitate diffuſa per Spiritum S. Quantum ad Martyrium, Marci 10. *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibo, aut baptiſmo, quo ego baptizor, baptizari?* Luc. 12. *Baptiſmo habeo baptizari*. Nota 3. (*Hic a. 11. o.*) Baptiſmata flaminis & ſanguinis in tantum dici baptiſmata, in quantum ſupplent vices baptiſmi aquæ quoad principalem ejus effectum, ſcilicet gratiam & remiſſionem peccatorum, ideoque non eſſe Sacramenta, nec proprie & univoce baptiſmata, ſed improprie tantum & analogice.

*. Si dicas quemlibet actum perfectæ charitatis ſupplere etiam vices aliorum Sacramentorum, Confirmationis, Eucharistiæ, Pœnitentiæ, quoad principalem eorum effectum ſcilicet gratiam, & tamen non dici Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, &c. R. Actum perfectæ charitatis non ſupplere vices aliorum Sacramentorum tam inſigniter quam Baptiſmi: cum enim Baptiſmus ſit neceſſarius ad peccati Orig. deletionem, juxta illud Joan. 3. *Niſi quis renatus*, &c. & inde quidam dicerent neminem ſine Baptiſmo aquæ re ſuſcepto poſſe conſequi remiſſionem peccati Orig. & ſalvari; SS. Patres, ut ex una parte non negarent contra Evangelium neceſſitatem Baptiſmi, & ex altera ſalutem impoſſibile non redderent, prudenter dixerunt actus remiſſivos peccati Orig. eſſe baptiſmata, eo quod vicem Baptiſmi quantum ad hoc ſupplerent. Idque cum fundamento in Scriptura, ut dictum eſt.

Quæſtio eſt igitur, an perfecta contritio ſeu quilibet actus perfectæ charitatis & martyrium ſuppleant vices Baptiſmi aquæ ad obtinendam gratiam ſanctificantem, & hac ratione poſſint dici baptiſmata. Duplicem quæſtionem duplici §. reſolvemus.

§. I.

Digitized by Google

§. I. Utrum Baptiſmus Flaminis ſuppleat vices Baptiſmi aquæ, quantum ad gratiæ collationem?

DIco. (*Ibid.*) Baptiſma flaminis ſeu perfecta contritio, & quilibet actus charitatis perfectæ cum voto baptiſmi aquæ ſupplet ejus vices quoad effectum primarium, ſcilicet gratiam remiſſivam peccatorum. Prob. 1. ex Scriptura, quæ pœnitentibus, credentibus, Deum diligentibus & invocantibus ſalutem promittit. Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis... vita vivet, & non morietur.* Ibid. *Convertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.* Pſ. 50. *Cor contritum & humiliatum non deſpicies.* Joan. 14. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, & ego diligam eum.* Rom. 10. *Omnis qui credit in illum, non confundetur.* Ibid. *Quicumque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit.* Idem Iſ. 4. & 28. Act. 2. alibi. Item Act. 10. Cornelius & alii leguntur accepiſſe Spiritum S. antequam baptizarentur.

Prob. 2. Ex definitionibus Eccleſiæ. Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 4. declarat poſt promulgatum Evangelium, nunquam fieri tranſlationem a ſtatu veteris Adam ad ſtatum gratiæ, *ſine lavacro regenerationis, aut ejus voto, ſicut ſcriptum eſt, niſi quis renatus fuerit.* Idem definit. ſeſſ. 7. Can. 4. de Sacram. in genere. Item ſeſſ. 14. c. 4. de Sacramento Pœnit. bis aperte ſignificans juſtificationem poſſe haberi non ſolum per Baptiſmum re ſuſceptum, ſed etiam per ejus votum, ſententiamque Chriſti generalem intelligendam eſſe de Baptiſmo aquæ in re vel in voto. Innoc. III. electus Pontifex an. 1150. l. 3. Decret. cit. de Bapt. 24. cap. *Debitum* 4. de Judæo, qui ſeipſum baptizaverat, dicit nullum quidem eſſe Baptiſmum, attamen *ſi continuo deceſſiſſet, ad Patriam protinus evolaſſet, propter Sacramenti fidem, etſi non propter fidei Sacramentum.* Item ibid. cit. 41. cap. *Apoſtolicam* de Presbytero non baptizato, qui ſe credebat baptizatum, ſic decernit: *Si in ſanctæ Matris Eccleſiæ & Chriſti nominis confeſſione perſeveraverit, ab originali peccato ſolutum, & cæleſtis Patriæ gaudium eſſe adeptum aſſerimus incunctanter.* Idque probat auctoritate SS. Ambroſ. & Aug. Tum monet Epiſcopum Cremonenſem, ad quem reſcribit, *ut ſopitis quæſtionibus Doctorum SS. Patrum ſententias teneat, & in Eccleſia ſua juges preces hoſtiaſque Deo offerri jubeat pro Presbytero memorato.* S. Pius V. & Greg. XIII. hanc 31. propoſit. inter Bajanas proſcripſerunt: *Charitas perfecta, quæ eſt ex corde puro & conſcientia bona & fide non ficta, in Catechumenis & pœnitentibus poteſt eſſe ſine remiſſione peccatorum.*

Prob. 3. Ex Patribus. Cyprian. Ep. 77. ad Jubajan. de his, quos putabat deceſſiſſe ſine vero Baptiſmo, dicit *Deum ex ſua indulgentia & miſericordia eorum voluntatem ſupplere poſſe.* Ambroſius in Orat. funebri de obitu Valentiniani Imperatoris: *Audio,* inquit, *vos dolere, quod non acceperit Sacramenta Baptiſmatis: dicite mihi, quid aliud in nobis eſt niſi voluntas, niſi petitio? Atqui etiam dudum hoc votum habuit, ut antequam in Italiam veniſſet, initiaretur, & proxime baptizari ſe a me velle ſignificavit, & ideo præ cæteris cauſis me accerſendum putavit. Non habet ergo gratiam, quam deſideravit? non habet, quam popoſcit? certe quia popoſcit, accepit.* Aug. l. 4. de Bapt. c. 22. *Invenio,* inquit, *non tantum paſſionem pro nomine Chriſti id, quod ex Baptiſmo deerat, ſupplere poſſe; ſed etiam fidem, converſionemque cordis, ſi forte ad celebrandum myſterium Baptiſmi in anguſtiis temporum ſuccurri non poſſit.* Et infra dicit: *Sine viſibili Sacramento impleri inviſibiliter, quod ad Rom. 10. inquit Apoſtolus, corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem, quando myſterium Baptiſmatis non contemptus religionis, ſed articulus neceſſitatis excludit.* Similiter ſcribit ibid. cap. 24. Et hæc referuntur in jure c. *Baptiſmi.* De conſ. d. 4. Bernard. Ep. 77. ad Hug. Vict. ex profeſſo impugnat ſententiam contrariam, noſtram variis momentis probat, & productis Ambroſ. & Aug. teſtimoniis ſic ait: *Ab his duabus columnis difficile avellor: cum his, inquam, errare aut ſapere fateor, credens & ipſe ſola fide hominem poſſe ſalvari cum deſiderio percipiendi Sacramenti; ſi tamen pie adimplendi deſiderio mors anticipans, ſeu alia quæcumque vis inviſibilis obtemperit.* His omnibus innixa ſacra Facultas Pariſienſis an. 1560. Judicio doctrinali declaravit hæreticam hanc propoſitionem; *Per contritionem perfectam, non adhibito realiter Sacramento Baptiſmi vel Pœnitentiæ, non dimittitur crimen extra caſum martyrii & neceſſitatis.*

Prob. 4. Ratione. Quia actus perfectæ charitatis eſt inſeparabiliter conjunctus cum gratia ſanctificante, ſive antecedenter, ſive concomitanter, ſive conſequenter, ut conſtat ex his, quæ dixi in Tract. de Grat. Diſſ. 7. a. 4. & conſtabit ex dicendis de Pœnitentia, patetque ex locis Scripturæ in 1. prob. citatis, & omnibus aliis, in quibus aſſeritur Deum diligere diligentes ſe.

Solvuntur Objectiones.

OBJ. 1. Lex iſta, *niſi quis renatus fuerit ex aqua,* eſt generalis, neminem excipiens. Ergo. R. N. Conſeq. Quia qui dixit generaliter, *niſi quis renatus fuerit,* &c. non minus generaliter dixit, *omnis qui credit in illum, non confundetur. Quicumque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit. Qui diligit me, diligetur a Patre meo.* Et alia, quæ protulimus in prima probatione. Et ideo Eccleſia merito intelligit hanc generalem Chriſti ſententiam, *Niſi quis renatus,* &c. de Baptiſmo aquæ in re vel in voto.

Inſt. Hæc Lex, *Niſi quis renatus,* &c. eſt poſterior, Ergo derogat prioribus, ſunt enim omnes poſitivæ. R. 1. N. Ant. Poſt enim legem datam de Bapt. Joan. 3. dictum eſt: *Omnis qui credit,* &c. *Quicumque invocaverit,* &c. *Qui diligit me,* &c. 2. Dato gratis Ant. N. Conſeq. Quia leges dimittendi peccata pœnitentibus ſic ſunt poſitivæ, ut tamen habeant æquitatem ex lege naturæ dictante congruum eſſe, ut detur venia pœnitenti, gratia & ſalus ex corde petenti: Lex autem Baptiſmi eſt mere poſitiva, ſicque non eſt tantæ dignitatis, ac priores, neque conſequenter illis derogat.

Obj. 2. Act. 22. Ananias dicit Paulo contrito & pœnitenti: *Baptizare, & ablue peccata tua.* Ergo contritio Pauli quantumvis intenſa non deleverat ejus peccata. R. N. Conſeq. Quamvis enim peccata Pauli eſſent deleta per contritionem, potuit illi dicere Ananias, *Baptizare, & ablue peccata tua:* 1. Quia ignotum erat Ananiæ, an contritio Pauli talis eſſet, quæ deleret ejus peccata; ſoli Deo enim cor hominis patet. Unde quando agitur de Sacramento Baptiſmi aut Pœnitentiæ ſuſcipiendo, neque ſuſcipiens, neque Miniſter debent præſumere tantam eſſe contritionem, ut peccata deleat, cum hæc contritio non ſit ita frequens, nec tam facilis; ſed ſuſcipiens debet humiliter petere, Miniſter diligenter adminiſtrare, quaſi ſuſcipiens indigeret revera Sacramento ad deletionem peccatorum. Sic agunt religioſi & prudentes Miniſtri, & ſic egit Ananias. 2. Quia per contritionem etſi perfectam non dimittitur regulariter peccatum quoad totam pœnam, quæ certo dimittitur per Baptiſmum. 3. Quia cum actus contritionis non juſtificet, niſi quatenus includit votum Baptiſmi, merito tribuitur Baptiſmo juſtificatio & a peccatis & a pœnis peccatorum: ſicut docet Trid. de Sacram. Pœnitent. ſeſſ. 14. cap. 4.

Obj. 3. ex SS. Patribus. Ambroſ. l. de Myſteriis c. 4. dicit: *Credit Catechumenus... ſed niſi baptizatus fuerit in nomine Patris & Filii & Spiritus S. remiſſionem non poteſt accipere peccatorum, nec ſpiritualis gratiæ munus haurire.* Et l. de Adamo c. 11. ubi recitata Evang. ſententia, *Niſi qui renatus fuerit,* &c. dicit: *Nullum excipit, utique non infantem, non aliqua præventum neceſſitate.* Ergo. Ad 1. reſpondent quidam, Ambroſium loqui de Baptiſmo in re vel in voto, quia ad juſtificationem ſola fides non ſufficit. Alii & communius reſpondent ipſum loqui de Catechumenis, qui cum ſibi juſti videantur, negligunt vel contemnunt Sacramentum. Ad 2. R. Ambroſium loqui de infantibus, qui, excepto caſu Martyrii, ſalvari non poſſunt abſque Baptiſmo in re ſuſcepto.

Obj. 4. varios Aug. textus. Tract. 4. in Joan. loquens de Catechumenis, dicit: *Omnia peccata ſuper illos ſunt, & niſi venerint ad ſalutarem Baptiſmum, ubi peccata ſolvuntur, cum omni ſua excellentia non poſſunt intrare in Regnum cælorum.* Et Tract. 13. *Quantumcumque Catechumenus proficiat, adhuc tamen ſarcinam ſuæ iniquitatis portat; non illi dimittitur, niſi cum venerit ad Baptiſmum.* Ergo. R. ad utrumque Textum, ut ante ad Ambroſ. S. Aug. loqui de illis Catechumenis, qui ſuperbia elati, ſeque juſtos & meliores baptizatis exiſtimantes, Baptiſmum negligunt aut contemnunt. Patet ex ipſis verbis objectis, ſi bene perpendantur, ſed aperte ex his, quæ præmittit S. D. ibid. Tract. 13. *Quare,* inquit, *oportebat, ut Dominus baptizaretur? quia multi contempturi erant Baptiſmum, eo quod majori gratia præditi videbantur, quam viderant alios Fideles, v. g. jam continenter vivens Catechumenus contemneret conjugatum & diceret ſe meliorem, quam ille ſit Fidelis. Ille Catechumenus poſſet dicere in corde ſuo; quid mihi opus eſt accipere Baptiſmum, ut hoc habeam quod & ille, quo jam melior ſum?*

Inſt. 1. Idem l. 2. de peccat. meritis c. 26. dicit: *Sanctificatio Catechumeni, ſi non fuerit baptizatus, non ei valet ad intrandum in Regnum cælorum.* Ergo. R. Aug. non loqui ibi de ſanctificatione perfecta, quæ eſt per veram cordis converſionem, ſed de ſanctificatione imperfecta, qua Catechumeni præparabantur ad Baptiſmum, ut ſigno crucis, oratione, manuum impoſitione, &c. vult enim ibi probare illud Apoſtoli 1. Cor. 7. *Sanctificatus eſt vir infidelis per mulierem fidelem,* &c. non debere intelligi de ſanctificatione perfecta, quæ eſt per gratiam; ad quod declarandum adducit exemplum Catechumenorum, quos dicit modis præfatis ſanctificari, & tamen non perfecte juſtificari.

Inſt.

Digitized by Google

Inſt. 2. Idem l. de origine animæ c. 9. *Nemo*, inquit, *fit membrum Chriſti, niſi aut Baptiſmate in Chriſto, aut morte pro Chriſto*. Ergo. R. Aug. ibi loqui expreſſe de parvulis. Sed eſto loqueretur de adultis, id adhuc eſſet verum de Baptiſmate in re vel in voto.

Inſt. 3. Aug. l. de unit. Eccleſiæ c. 22. *Utrumque*, inquit, *neceſſarium eſt ad Regnum Dei adipiſcendum, & Baptiſmus & juſtitia*. Idem dicit l. 4. contra Donat. c. 21. R. Aug. in utroque loco loqui de eo, quod fit ordinarie & extra caſum neceſſitatis: ordinarie enim & extra caſum neceſſitatis nemo ſalvatur, niſi ſit juſtus & baptizatus: quia quamvis per veram & perfectam cordis contritionem cum voto Baptiſmi homo juſtificetur, ſi tamen extra caſum neceſſitatis non recipiat Baptiſmum, dum poteſt, ſed negligat aut contemnat, a juſtitia decidit; & ideo ordinarie & in hac hypotheſi utrumque eſt neceſſarium ad adipiſcendum Regnum cœlorum. Hanc eſſe mentem Aug. patet ex ultimo loco cit. *Si enim*, inquit, *Cornelius, etiam Spiritu S. jam accepto, baptizari noluiſſet, contempti tanti Sacramenti reus fieret*. Et c. 25. *Converſio cordis poteſt quidem ineſſe, non percepto Sacramento, ſed eo contempto non poteſt*. Et, ut præoccupetur inſtantia, hoc etiam ſenſu intelligendus eſt Aug. dum in probationibus concluſionis & alibi dicit contritionem cum voto Baptiſmatis ſufficere in neceſſitate. Non enim eſt ſenſus, quod extra caſum neceſſitatis nemo per contritionem perfectam ſit juſtus: ſed quia ſi extra caſum neceſſitatis & opportunitate oblata, dum poteſt & debet recipere Baptiſmum, ipſum nulla excuſante cauſa non recipiat, fit reus Baptiſmi neglecti aut contempti, & ſic deſinit eſſe juſtus.

Inſt. 4. Aug. ut refertur de Conſecr. d. 4 c. 37. dicit: *Catechumenum, quamvis in bonis operibus defunctum, vitam æternam habere non credimus, excepto martyrio*. Ergo. R. (*Opuſc.* 12. *a.* 11.) hunc textum male a Gratiano citari ex Aug. Eſt enim depromptus ex l. de dogmatibus Eccleſiaſticis c. 74. qui liber eſt Gennadii Maſſilienſis, cujus, utpote ſectatoris Semi-Pelagianorum, auctoritas nullius eſt ponderis. Cæterum de mente Aug. ſicut & Ambroſii, poſt expreſſa eorum teſtimonia in probationibus laudata, nullatenus videtur dubitandum, niſi velimus palpabilibus contradictionibus ipſos implicare.

Difficilius eſt quoſdam alios Patres explicare. Greg. Nazianz. Orat. 40. in ſanctum Baptiſma, dicit eos, qui baptizari cupiunt, & non poſſunt, excludi a glória. Similia docent Baſilius, Nyſſenus, Fulgentius Ep. 12. ad Ferrandum Diaconum, & l. de fide ad Petrum. Reſpondent quidam Nazianzenum loqui de iis, quibus deeſt contritio perfecta. Alii, ipſum velle quod non habeant niſi infimum locum in beatitudine, ſcilicet per modum hæreditatis tantum, ſicut parvuli, non per modum mercedis: quia pariter dicit, baptizatos in fine vitæ, *ſi poſt Baptiſmum nihil boni egerint, ignis quidem ſupplicium a ſe excludere, præmium tamen ſeu gloriam non conſequi*. Quod catholice intelligi non poteſt, niſi quod non conſequantur gloriam ut præmium, ſed ut hæreditatem tantum, ſicque infimum gradum, ut parvuli. Ad alios Patres prima ſolutio poteſt adhiberi. Verum alii ingenue fatentur laudatos Patres vix poſſe adduci in ſententiam noſtram, & ideo, iis cum reverentia dimiſſis, adhærendum eſſe aliis Patribus, communi ſenſui & definitionibus Eccleſiæ.

Obj. 5. Eccleſia 5. prioribus ſæculis pro Catechumenis, qui ſine Baptiſmo re ſuſcepto mortui eſſent, nec preces fundebat, nec ſacrificia offerebat. De Eccleſia Rom. teſtes ſunt S. Leo Ep. 82. alias 91. & Gelaſius l. in Com. Rom. De Eccleſia Hiſpanica conſtat ex 2. Conc. Bracarenſi an. 563. cap. 17. Ergo. R. 1. Hanc diſciplinam non fuiſſe uniformem in omnibus Eccleſiis. Contraria enim obſervabatur in Eccleſia Mediolanenſi, teſte Ambroſ. in Orat. de obitu Valentiniani. Item in Eccleſia Carthagin. teſte Conc. 4. Carthag. & in Eccleſia Arelat. teſte Conc. ibid. 3. Et ipſa Romana Eccleſia ſuam hac in re diſciplinam mutavit ſæculo 6. R. 2. N. Conſeq. Cauſa enim, cur quædam Eccleſiæ ſic egerint cum Catechumenis ſine Baptiſmo defunctis, non fuit, quod crederent eos non eſſe juſtos & ſalvos; ſed ut hoc rigore acuerent quorumdam ignaviam, qui vel laboribus Catechumenatus territi, vel ut liberius vitiis indulgerent, ſuum Baptiſmum procraſtinabant.

§. II. *Utrum Baptiſmus ſanguinis ſeu Martyrium ſuppleat vices Baptiſmi aquæ, & quomodo?*

Quid ſit Martyrium, cujus virtutis actus, quæ conditiones requirantur, ut ſit verum & ſalutare, pleraque alia illud ſpectantia, abunde explicui in Tract. de Fortitudine Diſſ. 5. a. 2. Illuc recurrat Lector; hæc enim pro hic dictis ſupponimus, & quærimus dumtaxat nunc, an martyrium ſuppleat vices Baptiſmi aquæ quoad remiſſionem culpæ & pœnæ, & quomodo an ex opere operato, vel ex opere operantis tantum? Primum admittitur ab omnibus Catholicis: inter hæreticos pauci negant. Valentinus teſte Tertull. lib. Scorp. c. 1. impatienter ferens aliquem martyrem ſibi in Epiſcopatu prælatum fuiſſe, adverſus martyrium debacchatus eſt, contendens nullum meritum, nullam virtutem ei ineſſe, ſed eſſe *vanitatem, imo dementiam pro Deo mori*. Hunc ſequuti ſunt Valentiniani & Tatianus teſte eodem Tertul. lib. de Præſcript. cap. 52. Contra quos ſcripſerunt Juſtinus, Irenæus & alii. Secundum controvertitur inter Catholicos.

Dico 1. (*Hic a.* 11. *o.*) Martyrium ſupplet vicem Baptiſmi aquæ quoad remiſſionem totius culpæ & pœnæ, tam in infantibus quam in adultis. Prob. 1. ex Scriptura. Matth. 10. dicit Chriſtus: *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo... Qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam*. Similiter Matth. 16. Marci 8. Lucæ 9. & 17. Hæc autem ſententia eſt generalis comprehendens parvulos & adultos etiam non baptizatos. Unde Aug. l. 13. de Civit. Dei c. 7. *Qui dixit, niſi quis renatus fuerit, & non minus generaliter dixit, qui me confeſſus fuerit, &c*. Infantes autem confitentur Chriſtum non loquendo, ſed moriendo, ut canit Eccleſia de SS. Innocentibus.

Prob. 2. ex ſenſu & praxi totius Eccleſiæ, quæ colit ut Sanctos, Infantes pro Chriſto occiſos juſſu Herodis. Neque dici poteſt omnes fuiſſe circumciſos, & ideo coli ut Sanctos: cum enim juſſerit Herodes occidi omnes a bimatu & infra, qui erant Bethleem & in omnibus finibus ejus, & circumciſio non dabatur ante octavum diem a Nativitate, indubium eſt fuiſſe aliquos incircumciſos. Aliunde Eccleſia colit illos non ſolum ut regeneratos, ſed etiam ut martyres. Quantum ad adultos, Eccleſia pariter pro eis non offert preces & ſacrificia, ſed eorum opem apud Deum implorat, certa quod æterna beatitudine donati ſuffragiis non indigeant, ſed ſuo nos patrocinio juvare poſſint. Unde illud Innoc. III. C. *Cum Marthæ*, de celebrat. Miſſ. *Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre*. Quod deſumptum eſt ex Aug. Tract. 84. in Joan. ubi ait: *Non ſic eos* (Martyres) *commemoramus ... ut pro eis oremus, ſed magis ut ipſi pro nobis*.

Prob. 3. Ex unanimi Patrum conſenſu, qui id aſſerunt modo de parvulis, modo de adultis, modo generaliter de omnibus. Tertul. l. de Bapt. c. 16. Cypr. Ep. 73. Chryſoſt Hom. in varios Matt. locos, Aug. 13. de Civit. c. 7. item lib. de anima ejus & orig. c. 9. & alii, quorum aliquos textus infra referemus. 4. Ratio ſuadet. (*Ib.*) Baptiſmus aquæ habet efficaciam ex Paſſione Chriſti, quatenus fit in ſimilitudinem mortis ejus. Atqui martyrium non ſolum in figura, ſed reali imitatione refert Mortem Chriſti. Ergo non debent martyres ejus fructu privari.

Dices, Martyrium eſt actus fortitudinis. Atqui infantes non ſunt illius capaces. Ergo. R. D. Ant. Martyrium ſumptum pro voluntaria mortis acceptatione propter Chriſtum eſt actus fortitudinis, C. Sumptum pro ipſa morte propter Chriſtum tolerata, Subdiſtinguo: eſt actus fortitudinis formaliter, N. objective, C. hoc ſenſu infantes ſunt martyres. Martyrio autem ultimo ſenſu ſumpto, ut eſt ſcilicet realis imitatio Mortis Chriſti & actus fortitudinis objective, annexum eſt privilegium conferendi gratiam ex opere operato, ut modo dicam, cum ſub prima conſideratione ut eſt ſcilicet voluntaria acceptatio mortis & formaliter actus fortitudinis, concurrat tantum ad gratiam ex opere operantis ut actus aliarum virtutum.

Dico 2. Martyrium ſupplet vicem Baptiſmi aquæ quantum ad remiſſionem culpæ & pœnæ tam in adultis quam infantibus ex opere operato, non active & phyſice, ſed paſſive, & moraliter. Ex dictis de Sacramentis in genere Diſſ. 3. a. 3. probatione 3. ex D. Th. habemus gratiam conferri ex opere operato, dupliciter intelligi: 1. Active, quatenus opus per virtutem phyſicam ſibi tranſeunter communicatam, gratiam confert ultra meritum ſuſcipientis & conferentis. 2. Paſſive, quatenus ad poſitionem operis Deus confert gratiam independenter a merito ſuſcipientis & conferentis, tamquam a cauſa efficiente, licet non tamquam a diſpoſitione pro iis, qui ſunt diſpoſitionis capaces. Hoc 2. modo, non intelligimus martyrium conferre gratiam ex opere operato 1. Quia Martyrium non videtur a Deo inſtitutum ut inſtrumentum phyſicum gratiæ, cum hujus inſtitutionis nullum in Scriptura aut Patribus habeatur veſtigium. 2. Quia videtur, quod martyrium non aliter nunc conferat gratiam, quam in antiqua Lege Machabæis, qui coluntur ut martyres, & aliis: tunc autem non cauſabant gratiam active phyſice, id enim proprium eſt Sacramentis novæ Legis. Hac explicatione præmiſſa Concluſio quantum ad parvulos non patitur difficultatem. Cum enim hi ſint meriti & propriæ diſpoſitionis incapaces, ſi per martyrium conſequantur gratiam, ut probavimus in præcedenti concl. conſequens eſt, quod conſequantur ratione operis operati, & non ratione operis operantis. At inde

Prob. Concluſio quantum ad adultos. Martyrium juſtificat infantes ex opere operato; ergo & adultos. Prob.

Con-

Digitized by Google

Conſ. 1. A pari, in utriſque enim eſt æqualiter martyrium, nec eſt ratio, cur dicatur parvulos juſtificare ex opere operato, & non adultos, modo ſcilicet non ponant obicem, & afferunt diſpoſitiones, quarum ſunt capaces, & non parvulis. 2. Non aliunde quam ex Scripturis & Patribus colligimus martyrium juſtificare parvulos ex opere operato. Atqui Scripturæ & Patres non diſtinguunt inter parvulos & adultos, ſed generaliter omnibus pro Chriſto morientibus afferunt gratiam & ſalutem. Matt. 10. *Qui confitebitur me, &c. Qui perdiderit animam ſuam, &c.* ut ſupra. Similiter SS. Patres, ut jam dicturus ſum. Ergo.

Prob. 2. ex Patribus. SS. Patres vim juſtificandi tribuunt martyrio ſicut Baptiſmo. Atqui ſi non juſtificaret ex opere operato, ſed operantis, non ipſi martyrio, ſed contritioni & perfectæ dilectioni eſſet tribuenda. Ergo. Min. patet. Prob. Maj. Tertull. in Apologetico, *Omnia delicta*, inquit, *huic operi* (martyrio) *donantur*. Cyprianus lib. de Orat. Domin. *Quale delictum eſt, quod nec Baptiſmo ſanguinis poteſt ablui?* Et Ep. 73. ad Jubajan. paulo poſt medium: *Numquid poteſt vis Baptiſmi major eſſe aut potior quam Paſſio, ut quis coram hominibus Chriſtum confiteatur, & ſanguine ſuo baptizetur?* Aug. l. 13. de Civit. c. 7. *Mors pro Chriſto tantum ei valet ad dimittenda peccata, quantum ſi abluerentur fonte Baptiſmatis.* Et l. 1. de anima & ejus orig. *Nemo fit membrum Chriſti, niſi aut baptiſmate in Chriſto, aut morte pro Chriſto.*

Prob. 3. Auctoritate & rationibus D. Th. qui citatur in contrarium. 1. S. Doct. in hac parte infra q. 87. a. 1. ad 2. dicit, *Dormienti dimittit peccata mortalia & venialia ratione mortis illatæ pro Chriſto, modo non inveniat voluntatem peccato actu adhærentem.* Ergo manifeſtum eſt ipſum cenſere peccata dimitti in martyrio, vi operis, & non vi operantis. 2. In 4. d. 4. q. 3. a. 3. q. 3. poſtquam dixit: *Sicut in Baptiſmo aquæ liberatur homo ab omni culpa præcedente & pœna, ita in Baptiſmo ſanguinis*: in Reſp. ad 1. ſubjungit: *Baptiſmus ſanguinis non habet hoc tantum ex opere operantis; neque quantum ad pœnam, qua aliquis martyrium explet, quam contingit non eſſe ſufficientem ad ſatisfaciendum pro peccato; neque quantum ad devotionem ſuæ voluntatis, quia contingit, quod voluntate majori charitate informata aliquis ſine martyrio non poteſt ab omni pœna liberari: ſed hoc habet ex imitatione Paſſionis Chriſti.* His verbis S. Th. non ſolum concluſionem noſtram manifeſte aſſerit, ſed ejus rationem inconcuſſam tradit. Inde enim ſic arguo. Eccleſiæ fides eſt, martyribus totam culpam & pœnam remitti, juxta illud Innoc. III. jam laudatum. *Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre.* Atqui id non obtinet neque vi charitatis, neque vi pœnæ. Ergo vi operi. Non vi charitatis, quia incertum eſt, an Martyr talem charitatis actum eliciat, ut adæquet totam pœnam peccatis multiplicatis & enormibus debitam; & poteſt contingere, ut ait S. D. quod in viris ſanctis intenſior reperiatur charitas, quam in Martyribus, quæ tamen non ſufficit toti pœnæ delendæ. Nec obſtant verba Jo. 15. *Majorem hac dilectionem nemo habet, &c.* ut patebit ex ſolut. argum. Non vi pœnæ, quam patitur Martyr, quia quandoque eſt pœna levis longe inferior pœna, quæ debetur innumeris & graviſſimis ſceleribus. Ergo.

3. Hic a. 12. ſeq. dicit, quod Paſſio Chriſti operatur in Baptiſmo flaminis per quamdam affectionem, in Baptiſmo vero ſanguinis per imitationem. Atqui ſi Baptiſmus ſanguinis non juſtificaret ex operato, ſed ex opere operantis tantum, non aliter operaretur, quam per piam affectionem. Ergo. Conſ. iſta ratio. Baptiſmus ſanguinis non eſt Baptiſmus flaminis: juxta enim SS. Patres & omnes Theologos ſunt tria Baptiſmata inter ſe diſtincta. Atqui, ſi Baptiſmus ſanguinis Martyres juſtificat ex opere operantis tantum, ſcilicet merito contritionis & charitatis, erit Baptiſmus flaminis. Ergo. Vide iterum S. Th. 2. 2. q. 124. a. 1. ad 1.

Ex his inferes contritionem charitate perfectam non eſſe diſpoſitionem neceſſario requiſitam ad martyrium, ſed ſufficere attritionem, qualis requiritur ad Baptiſmum & Pœnitentiam, ſicque accedentem ad martyrium ex attrito fieri contritum. Vide loco cit. de fortitudine.

Solvuntur Objectiones.

OBJ. 1. Martyrium eſt actus perfectiſſimæ charitatis, juxta illud Chriſti Joan. 15. *Majorem hac dilectionem nemo habet; ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Ergo ex opere operantis juſtificat. R. N. Ant. niſi intelligatur de actu charitatis, non formaliter, ſed objective, ut jam dictum eſt, & iterum mox dicetur. Quantum ad verba Chriſti, non eſt illorum ſenſus, quod ipſa mortis perpeſſio pro Chriſto ſemper neceſſario involvat charitatem, ut patet ex illo 1. Cor. 13. *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Neque quod charitas ſit ſemper major in Martyre, quam in alio; conſtat enim B. Virginem omnes Martyres in charitate ſuperaſſe. Sed ſenſus eſt, quod inter humanos actus nullus eſt, quo magis demonſtrari poſſit perfectio charitatis, quando habetur, quam Martyrio; quaſi diceret: majorem dilectionis probationem nemo habet, quam dare animam pro amicis. Vide hanc ſolutionem fuſius explicatam loc. cit. de Fortitudine arg. 3. contra 6. Concl.

Inſt. 1. Ex ipſo textu laudato Apoſtoli: *Si tradidero corpus meum, &c.* Ergo Martyrium ſaltem ſalutare, de quo agitur; ſupponit charitatem, quæ opere operantis juſtificat. R. N. Conſ. Hæc enim Apoſtoli verba non ſunt neceſſario intelligenda de charitate habituali præcedente Martyrium, qua homo conſtituitur amicus & filius Dei; ſed de charitate vel habituali vel actuali, hoc eſt ſincero Dei amore benevolo, qui dicitur lare charitas, qualis eſſe ſolet in Catechumenis & pœnitentibus: hæc eſt enim diſpoſitio neceſſaria ad Martyrium, ut dixi loco cit. de Fortit. qui autem cum hac diſpoſitione amoris benevoli accedit ad Martyrium, habet in termino charitatem habitualem cum gratia juſtificante, quam producit Martyrium ex opere operato.

Inſt. S. Th. hic art. ſeq. 12. ad 2. dicit: *Effuſio ſanguinis non habet rationem Baptiſmi, ſi ſit ſine charitate. Ex quo patet, quod Baptiſmus ſanguinis includit Baptiſmum flaminis, & non e converſo.* Atqui Baptiſmus flaminis importat charitatem perfectam. Ergo. R. eadem ſolutione, quod Baptiſmus ſanguinis non eſt ſine charitate præcedente actuali, qui ſit amor Dei benevolus, & in termino non eſt ſine charitate habituali comitante, ideoque includit Baptiſmum flaminis.

Inſt. 3. S. Th. hic a. 11. o. dicit, quod Martyrium cauſet gratiam *per potentiſſimum charitatis fervorem*. Ergo. R. S. Th. intelligendum eſſe de fervore ſeu actu charitatis non formaliter & per modum actus interni, ſed materialiter & objective, eo modo quo fuit in parvulis pro Chriſto occiſis.

Inſt. 4. S. Bern. Ep. 77. ad Hug. Vict. paulo ante medium, dicit: *Cum non aliunde Martyrium niſi ex fidei merito illam obtinuerit prærogativam, ut ſingulariter vice Baptiſmi ſecure ſuſcipiatur, non video cur non ipſa æque & ſine Martyrio apud Deum tantumdem poſſit.* Ergo juxta Bernardum Martyrium ex opere operantis, ſcilicet merito fidei, ſicut Baptiſmus flaminis juſtificat. R. N. Conſeq. Intendit enim Bernardus ibi probare Baptiſmum flaminis ſeu fidem per dilectionem operantem ſupplere vices Baptiſmi aquæ, ad quod probandum dicit, quod Martyrium habeat a fide, ſcilicet, tamquam a diſpoſitione neceſſaria, quod ſuppleat vices Baptiſmi aquæ; *Nam abſque ipſa*, inquit, *quid eſt Martyrium niſi pœna?* Ex quo infert, quod ipſa, ſi tamen ſit formata, ſola ſine Martyrio poſſit ſupplere vices Baptiſmi aquæ. Unde ex hoc textu S. Bernardi ſequitur, quod fides ſit diſpoſitio neceſſaria ad Martyrium: at non quod in Martyrio conferatur gratia vi & merito illius fidei, & non vi operis.

Obj. 2. Quilibet homo tenetur in articulo mortis elicere actum charitatis perfectæ; hac autem charitate juſtificabitur, antequam ſubeat Martyrium. Ergo. R. 1. Juxta quoſdam quod quamvis præceptum charitatis ſecundum ſe obliget in articulo mortis, per accidens tamen & in hoc caſu particulari Martyrii non obliget; quia ſicut Martyrium propter opus externum præſtantiſſimæ charitatis ſupplet Baptiſmum aquæ, ita & actum perfectæ contritionis. 2. R. Secundum alios, quod quamvis per ſe loquendo, & attenta Martyrii natura, peccator adultus non teneatur ad actum perfectæ contritionis, ſed ſufficiat attritio; attamen attento articulo mortis, in quo maxime urget præceptum charitatis, tenetur in quantum poteſt elicere actum contritionis perfectæ, ſaltem exiſtimatum talem, qui ſi reipſa non ſit, nihilominus juſtificabitur per Martyrium. Et hæc ſententia eſt nobis probabilior atque tutior & in praxi tenenda. Similiter exiſtimamus ipſum teneri baptizari, ſi non ſit baptizatus, & baptizatus confiteri, ſi utriuſque facultas adſit, quia non conſtat, quod Martyrium a præceptis communibus eximat, dum poſſunt adimpleri.

Obj. 3. Non poteſt aſſignari tempus, in quo Martyrium conferat gratiam ex opere operato; non inſtans mortis, quia cum res permanentes, dum corrumpuntur ad generationem alterius, ſecundum Philoſophum deſinant per primum ſui non eſſe, tunc homo non eſt amplius: non ante illud inſtans, quia tunc nondum eſt Martyrium, utpote conſiſtens in morte; & aliunde poſſet tunc homo adhuc peccare & amittere gratiam Martyrii, ſicque non conſtaret Martyres eſſe ſalvos. Ergo. R. Martyrium gratiam conferre in illo agonis Chriſtiani inſtanti, in quo etſi nondum phyſice adſit mors, ob tamen inevitabilem mortis impendentis neceſſitatem curſus vitæ & Martyrium cenſentur moraliter conſummata: in quo inſtanti vel homo ſic eſt viribus & ſenſibus deſtitutus, ut amplius peccare non poſſit, vel a Deo ſic regitur, ut non peccet. Hoc autem inſtans licet a nobis deſignari non poſſit, ſufficit, quod Deo ſit notum.

Sed quid, ſi in illo inſtanti aut poſt illud miraculoſe ſanaretur, eſſetne Martyr? R. Idem poſſe inquiri, ſi Deus ipſum jam moriturum reſuſcitaret. Dicendum itaque fore in hoc caſu vere Martyrem, modo tamen non peccaret mortaliter. An autem eſſet in gratia confirmatus? quidam eſſerunt ut congruum divinæ providentiæ; ſed cum id non ſit ullibi revelatum, incertum eſt.

Inſt. Si Martyrium cauſet gratiam ex opere operato, erit Sacramentum. R. N. Sequelam. 1. Quia non eſt cæremonia ſacra a Deo inſtituta, qua ordinarie uti debeant homines ad gratiam conſequendam. 2. Quia non conſtat rebus & verbis. 3. Quia non eſt ſignum vi ſua active cauſans gratiam; quæ omnia requiruntur ad Sacramenta novæ Legis.

Petes, Utrum Baptiſmus ſanguinis ſit potiſſimus inter alia Baptiſmata? R. (*Hic a. 12. a.*) eſſe potiſſimum ratione effectus, ſcilicet gratiæ, quem in eo operatur paſſio Chriſti. Etenim in Baptiſmo aquæ paſſio Chriſti operatur per quemdam figuralem repræſentationem: in Baptiſmo ſanguinis per imitationem realem operis. (*In 4. d. 4. q. 1. art. 3. q. 4.*) Inſuper gratia in Baptiſmo ſanguinis magis quam in Baptiſmo aquæ augetur habenti, & amplius datur non habenti, ſi impedimentum non adſit: & remiſſio peccatorum, quamvis non ſit plenior, quia uterque omnem pœnam & culpam tollit, tamen eſt in Baptiſmo ſanguinis efficacior & fructuoſior, quia ſecundus maculis non inquinatur, ut dicunt Damaſc. & Greg. Naz. Orat. 39. in ſancta lumina.

Dixi *ratione effectus ſcilicet gratiæ*: quia Baptiſmus aquæ præſtat 1. in ratione Sacramenti, Martyrium enim, ut dictum, non eſt Sacramentum. 2. In modo cauſandi, quia Baptiſmus aquæ cauſat ex opere operato active phyſice, Martyrium autem paſſive tantum, & moraliter, 3. Baptiſma aquæ imprimit characterem, non Martyrium. Dimittimus Art. 10. S. Th. de ritibus Baptiſmi, quia redibit infra.

DISSERTATIO II.

DE MINISTRO BAPTISMI.

DUplex diſtinguitur Miniſter Baptiſmi, unus ſolemnitatis, alter neceſſitatis. Miniſter ſolemnitatis eſt, qui cum cæremoniis in Eccleſia adhiberi ſolitis baptizat: Miniſter neceſſitatis eſt, qui his cæremoniis omiſſis in neceſſitate baptizat. Miniſter ſolemnitatis iterum duplex: unus ordinarius & ex officio, alter extraordinarius & ex delegatione.

Mulierculis facultatem baptizandi ſolemniter conceſſiſſe Marcioniſtas, Pepuſianos, & Collyridanos teſtatur Epiphan. Hæreſ. 42. & 79. quarum petulantiam redarguunt Tert. l. de Præſcript. c. 4. & l. de Bapt. c. 7. & Conc. Carthag. 4. Can. 100.

E contra Calvinus l. 4. Inſtit. c. 15. ſ. 20 & ſeqq. fatetur *multis quidem ab hinc ſæculis, adeoque ab ipſo fere Eccleſiæ exordio uſu receptum, ut in periculo mortis Laici baptizarent:* ſed negat id poſſe ſuſtineri. Utrum cenſuerit Baptiſmum a Laicis collatum eſſe irritum aut tantum illicitum non conſtat: & ideo ejus ſectatores in hoc ſunt diviſi. Eundem errorem tribuit quibuſdam Græcis recentioribus Arcudius l. 1. de Bapt. Inter veteres, qui cenſebant nullum eſſe Baptiſmum collatum ab Hæreticis, veriſimile eſt eos idem cenſuiſſe de Baptiſmo collato a Laicis non baptizatis; quia pro utriſque currebat palmare eorum principium: *Nemo dat, quod non habet.*

ARTICULUS I.

Quis ſit Miniſter ſolemnitatis in Baptiſmo?

DIco. (*Hic q. 67. a. 1. & 2. o.*) Omnis & ſolus Sacerdos vi ſuæ ordinationis eſt ordinarius Miniſter ſolemnitatis in Baptiſmo: Diaconus vero eſt tantum Miniſter extraordinarius, & ex delegatione Epiſcopi vel Presbyteri.

Prob. 1. Ab auctoritate l. 3. Conſtit. Apoſt. c. 11. Clem. Papa ſic loquitur: *Nec reliquis Clericis poteſtatem baptizandi facimus, ut Lectoribus, Cantoribus, Janitoribus, aut Miniſtris, niſi tantum Epiſcopis & Presbyteris, miniſtrantibus Diaconis.* Gelaſius in Ep. ad Epiſcopos per Lucaniam, refertur diſt. 93. Cap. *Diaconus* 9. dicit: *Diaconos propriam conſtituimus obſervare menſuram.* Et infra: *Abſque Epiſcopo vel Presbytero baptizare non audeant, niſi prædictis ordinibus fortaſſe longius conſtitutis, neceſſitas extrema compellat.* Diſt. 25. Cap. *Perlectis*. *Ad Diaconum pertinet aſſiſtere Sacerdotibus & miniſtrare in omnibus, quæ aguntur in Sacramentis Chriſti, in Baptiſmo, in Chriſmate, Patena & Calice.* Cap. *Conſtat* de Conſecrat. diſt. 4. *Conſtat de baptiſma ſolis Sacerdotibus eſſe tradendum, ejuſque miniſterium nec ipſis Diaconis explere eſt licitum, niſi his procul abſentibus ultima languoris neceſſitas cogat.* Concil. Florent. in Decreto unionis: *Miniſter hujus Sacramenti eſt Sacerdos, cui officia competit baptizare.* Item Catech. Rom. p. 2. de Bapt. n. 18.

Prob. 2. (*Ibid. a. 2.*) Ratione. Ad Sacerdotem pertinet Euchariſtiam conficere: Euchariſtia autem eſt Sacramentum unitatis & pacis, juxta illud 1. Cor. 10. *Unus panis & unum corpus multi ſumus, qui de uno pane & uno calice participamus.* Atqui per Baptiſmum homo fit particeps Eccleſiaſticæ unitatis, accipitque jus ad menſam Domini. Ergo ſicut pertinet ad Sacerdotem ex officio Euchariſtiam conſecrare, proprium ejus officium eſt baptizare, quia ejuſdem eſt cauſæ totum facere, & partes ad ipſum totum ordinare.

Conf. Ii ſoli cooptari poſſunt Fideles in Eccleſiam ſeu in corpus Chriſti myſticum, quod fit per Baptiſmum, qui habent poteſtatem in illud. Atqui ſoli Sacerdotes & non Diaconi habent poteſtatem in corpus Chriſti myſticum. Ergo. Prob. Min. Poteſtas in corpus Chriſti myſticum derivatur ex poteſtate in corpus ejus naturale. Atqui ſoli Sacerdotes & non Diaconi habent poteſtatem in corpus ejus naturale. Ergo. (*Ibid. a. 1. o.*) Adde, quod vox Græca *Diaconus* idem ſit ac Latine *Miniſter*. Unde Diſt. 93. c. 37. dicitur ex Conc. Carthag. 4. *Diaconi ita ſe Presbyteri ſicut Epiſcopi miniſtros eſſe cognoſcant.*

Quod autem Diaconi poſſint ex delegatione Epiſcopi vel Sacerdotis baptizare ſolemniter, patet 1. Ex Juribus cit. C. *Diaconos* & C. *Conſtat*. 2. Ex Tertull. de Bapt. c. 17. & S. Hieron. adv. Luciſer. qui expreſſe id aſſerunt. 3. Exemplo S. Philippi Diaconi, qui baptizavit Simonem Magum Act. 8. & Eunuchum Candacis Reginæ ibid. 4. Ex Ordine Romano, juxta quem Epiſcopus Diaconis, dum ordinantur, dicit: *Cogitate magnopere ad quantum gradum Eccleſiæ aſcenditis: Diaconum enim oportet miniſtrare ad altare, baptizare & prædicare.* Quod ſic intelligitur, ut Diaconus vi ordinationis ſuæ habeat, quod poſſit delegari ad baptizandum ſolemniter, & ſic delegatus agat ex officio.

Dixi in concluſione *vi ordinationis*, ſeu jure divino: quia jure Eccleſiaſtico effectum eſt, 1. Ut prioribus Eccleſiæ ſæculis, præſertim cum bis tantum in anno baptiſmus ſolemnis conferretur, Epiſcopi ſibi reſervarent munus baptizandi, ut conſtat ex Tertull. & Hieron. citatis; ita ut tunc Sacerdotes non poſſent licite baptizare ſine licentia Epiſcopi: & hoc tum ob majorem Ordinis Epiſcopalis commendationem; tum ob celebritatem Feſtivitatis Paſchæ & Pentecoſtes, quibus diebus tantum ſolebat Baptiſmus ſolemniter adminiſtrari; tum etiam quia tunc non erant Baptiſteria niſi in Cathedralibus & majoribus Eccleſiis. Et hinc præoccupentur inſtantiæ quorundam, qui volunt Epiſcopos primo loco, Presbyteros autem ſecundo loco tantum & ex licentia Epiſcopi eſſe miniſtros ordinarios Baptiſmi. Id quidem verum fuit jure Eccleſiaſtico pro tunc, non tamen jure divino & vi Ordinis, ut patet ex probationibus concluſionis, præſertim ex Conſtit. Apoſt. Conc. Flor. & Catech. Rom. Item ex Innocent. I. Ep. ad Decentium c. 3. Tom. 2. Conc. ubi de Presbyteris dicit: *Sive extra Epiſcopum, ſeu præſente Epiſcopo baptizant.* Imo ipſe Paulus 1. Cor. 1. dicebat. *Non me miſit Chriſtus baptizare, ſed evangelizare.* Et nunc vix reperiuntur Epiſcopi qui baptizent, ſed ſoli Sacerdotes, nulla requiſita licentia, hoc munus obeunt.

2. Jure Eccleſiaſtico ſancitum eſt, ut quamvis omnis Sacerdos vi ſui Ordinis habeat poteſtatem baptizandi, ea tamen ſuſpenſa maneret, nec poſſet ea licite uti, etiamſi privatim extra caſum neceſſitatis, niſi haberet juriſdictionem ordinariam, vel delegatam. Ita colligitur ex cap. *Interdicimus* cauſa 16. q. 1. Ex Rit. Rom. ubi legimus Baptiſmi miniſtrum *eſſe Parochum vel alium Sacerdotem a Parocho vel ab ordinario loci delegatum*: & ex communi praxi Eccleſiæ. Neque tamen ſequitur, quod Baptiſmus ab alio, quam a Parocho collatus ſit irritus, ſicut abſolutio collata ſine juriſdictione eſt irrita, non enim hæc juriſdictio requiritur ad valide, ſed ad licite baptizandum; neque baptizare eſt actus juriſdictionis in ſubditum, ſicut abſolutio, ſed eſt actus habentis juriſdictionem ad licite agendum quod agit, ut acute obſervat Sylvius.

Hinc inferes graviter peccare Sacerdotem, qui extra caſum neceſſitatis baptizet ſive ſolemniter ſive privatim infantem abſque licentia proprii Parochi; quia violat præceptum Eccleſiæ, & uſurpat jus alterius. Quapro-

ptet

pter per Parentibus licet ſuos infantes baptizandos alieno Parocho offerre. Nulla tamen legitur in jure irregularitas ſtatuta in Sacerdotes ſic baptizantes. Secus de Diaconis, ut mox dicam.

Dices. Per Baptiſmum annumeratur quis Populo Chriſtiano, ut dictum eſt, quod quidem videtur ad ſolius Principis officium pertinere. Atqui principatum tenent in Eccleſia Epiſcopi. Ergo. R. (*Ib. ad* 2.) Quod in qualibet Republica, ea, quæ ſunt minora, pertinent ad minores Officiales, majora vero majoribus reſervantur. Unde ad minores Civitatis Principes pertinet diſponere de minora populo, & ad ſummos principes pertinet diſponere ea, quæ pertinet ad majores Civitatis. Per Baptiſmum autem non adipiſcitur aliquis niſi infimum gradum in Populo Chriſtiano, & ideo pertinet ad minores Principes Eccleſiæ, id eſt ad Presbyteros, qui tenent locum 70. Diſcipulorum.

Petes 1. Utrum etiam Subdiaconi vel Inferiores Clerici poſſint delegari ſaltem a Papa ad baptizandum ſolemniter? R. Id nunquam factum legitur. Sed eſto ſum. Pontificem poſſe diſpenſare cum Subdiacono, ut adhiberet Solemnitates ſolitas, id enim implicare non videtur, cum ſint ex inſtitutione Eccleſiæ, non poſſet tamen dici ſimpliciter baptizare ſolemniter, quia To *ſolemniter* ſignificat etiam baptizare ex officio; & in hoc differret Subdiaconus a Diacono delegato, qui ſuppoſita delegatione baptizat ex officio, quatenus habet vi ſui ordinis, ut poſſit ad hoc delegari, ſicut dictum eſt.

Petes 2. Utrum Diaconus ſine commiſſione Epiſcopi aut Sacerdotis baptizans in extrema neceſſitate poſſit baptizare ſolemniter? R. probabilius affirmative: quia plus videtur illi a jure concedi, quam Laicis, qui poſſunt in neceſſitate baptizare ſine ſolemnitate: aliunde commiſſio facta a jure poteſt cenſeri tacita commiſſio Epiſcopi. Et ita ſignificat Gloſſa in Canon. cit. *Diaconos*, dicens, quod *ubi neceſſitas exigit, & Presbyter eſt abſens, poteſt Diaconus jure ſuo baptizare*. Hæ enim particulæ *jure ſuo* reſpiciunt ſolemnitatem Baptiſmi, ad quam Diaconus vi ordinis ſui poteſt delegari.

Petes 3. Utrum Diaconus poſſit ſine neceſſitate delegari ad baptizandum ſolemniter? R. negative: quia vi ſui ordinis non habet jus ordinarium ſic baptizandi, ſed tantum extraordinarium, ideoque in neceſſitate tantum uſurpandum ex commiſſione. Secus dicendum de Sacerdote non habente juriſdictionem; cum enim ille vi ſui ordinis habeat jus ordinarium baptizandi ſolemniter, & tantum uſus juris prohibeatur, quando deeſt conſenſus Parochi, eo conſenſu accedente, poteſt in quocumque caſu ſine cauſa baptizare. Porro neceſſitas committendi Diacono non videtur debere eſſe extrema, ſed ſufficit rationabilis, puta notabilis utilitas Eccleſiæ vel proximi.

Petes 4. Utrum Diaconus extra neceſſitatem baptizans ſolemniter ſine commiſſione Epiſcopi vel Sacerdotis incurrat irregularitatem? R. cum communiori ſententia affirmative, ex Cap. *Si quis Extra* l. 5. tit. 28. ubi ſic legitur: *Si quis baptizaverit, aut aliquod divinum officium exercuerit, non ordinatus, propter temeritatem de Eccleſia abjiciatur & nunquam ordinetur*. Atqui Diaconus vi ſuæ ordinationis non habet, quod poſſit jure ordinario baptizare ſolemniter, ſed tantum quod poſſit ad id delegari in neceſſitate. Idem a fortiori dicendum de Subdiacono & inferioribus Clericis; imo & probabilius ſaltem de Laicis, qui ſolemniter baptizant: quia quamvis titulus Canonis ſit de *Clerico non ordinato*, ipſa tamen Decretalis eſt generalis tam Laicum quam Clericum comprehendens: dicit enim: *Si quis non ordinatus:* eſt autem præferenda titulo, qui, a quo ſit adjectus, ignoratur. Adde in antiquis Codicibus haberi pro titulo, *De non ordinato miniſtrante*, ut fert notatio Gregoriana. Dixi *baptizans ſolemniter*, quia cum Baptiſmus privatus non ſit actus Ordinis non ſubjicitur præſentis Decretalis irregularitati.

ARTICULUS II.

Quis ſit Miniſter neceſſitatis in Baptiſmo?

DIco. Quilibet homo ratione utens, ſive vir ſive mulier, ſive Catholicus ſive Hæreticus, ſive Fidelis ſive Infidelis, adhibitis, eſſentialibus, materia forma, intentione, ſemper valide baptizat, & in neceſſitate licite. Hæc Concluſio præcipua ex parte probata manet ex his, quæ ſat prolixe deduximus de Sacramentis in genere, tum Diſſ. 5. a. 3. ubi probavimus per Miniſtros malos, Hæreticos & Infideles Sacramenta valide adminiſtrari; tum in Digreſſ. Hiſtorica de diſſidio inter Stephanum Papam & rebaptizantes in calce ejuſdem Diſſ. His hic ſuppoſitis & a ſtudioſo Lectore relegendis,

Prob. 1. pars. Tertull. l. de Bapt. c. 27. *Baptiſmus*, inquit, *æque Dei cenſus ab omnibus exerceri poteſt*. Aug. l. 7. de Bapt. c. 53. *Non dubitarem*, inquit, *habere eos Baptiſmum, qui ubicumque & a quibuſcumque illum verbis Evangelicis conſecratum, ſine ſua ſimulatione, & cum aliqua fide ſuſcepiſſent*. Conc. 4. cap. *Firmiter* definit, *Sacramentum Baptiſmi a quocumque rite collatum proficere ad ſalutem*. Cap. *Romanus* de Conſec. diſt. 4. dicitur ex Iſidoro: *Romanus Pontifex non hominem judicat qui baptizat, ſed Spiritum Dei ſubminiſtrare gratiam Baptiſmi, licet Paganus qui baptizat*. Nicolaus I. in Reſcripto ad conſulta Bulgarorum c. 104. relatus eadem diſt. cap. *A quodam* dicit, *A quodam Judæo, neſcitis utrum Chriſtiano an Pagano, multos in patria veſtra baptizatos aſſeritis, & quid de iſtis ſit agendum conſulitis. Hi profecto, ſi in nomine ſanctæ Trinitatis baptizati fuerint, conſtat eos non eſſe baptizandos*. In cauſa Cypriani & aliorum rebaptizantium Eccleſia pluries definivit baptiſmo collatum ab Hæreticis eſſe validum, illudque iterari prohibuit. Vide locis cit. de Sacramentis in genere. His adde baptiſmum fuiſſe valide collatum ab Apoſtolis, dum erant adhuc Laici, a Juda apoſtata, ab Anania, ut conſtat ex Scriptura. Item a puero Athanaſio & ab aliis pueris, ut vidimus eadem Diſſ. de Sacram. in genere a. 6. §. 1.

Ratio a priori eſt voluntas Chriſti inſtituentis, quæ ex traditione, praxi & definitionibus Eccleſiæ nobis innoteſcit. Inſuper (*Hic q. 64. a. 5.*), ut arguebamus loco cit. contra Rebaptizantes, Miniſter Baptiſmi operatur ut inſtrumentum. Atqui inſtrumentum non agit ſecundum propriam formam aut virtutem, ſed ſecundum virtutem principalis agentis, a quo movetur, & ideo accidentarium eſt inſtrumento qualemcumque formam habeat præter id, quod exigitur ad rationem inſtrumenti, ſicut per accidens eſt, quod corpus medici, quod eſt inſtrumentum animæ habentis artem, ſit ſanum vel infirmum. Ergo quicumque ſit Miniſter Baptiſmi, modo eſſentialia adhibeat, valide baptizat. Item. Baptiſmus a quocumque collatus in neceſſitate eſt licitus, ut mox dicam, conſequenter validus. Ergo etiam extra neceſſitatem eſt validus. Patet Conſeq. Quia neceſſitas rerum eſſentiae, nec poteſtatem miniſterialem mutat, niſi forte ubi requiritur juriſdictio in ſubditum, ſicut in Sacramento Pœnitentiæ, qualis non requiritur in Baptiſmo.

Prob. 2. pars Concluſionis. Conc. Illiberitanum Can. 38. approbat Baptiſmum a Fideli Laico collatum in extrema neceſſitate. Aug. l. 2. contra Epiſt. Parmen. c. 13. *Etſi Laicus*, inquit, *Baptiſmum pereunti dederit neceſſitate compulſus ... neſcio an pie quiſquam dixerit repetendum eſſe. Nulla etenim cogente neceſſitate ſi fiat, alieni muneris uſurpatio eſt. Si autem neceſſitas urgeat, aut nullum aut veniale delictum eſt. Sed etſi nulla uſurpetur neceſſitate, & a quolibet cuilibet detur, quod datum fuerit, non poteſt dici non datum, quamvis recte dici poſſit illicite datum*. Quibus verbis Aug. utramque partem Concluſionis aſſerit. Urbanus Papa II. in Ep. ad Vitalem Cap. *Super quibus* cauſa 30. q. 3. ait; *Super quibus conſuluit nos tua dilectio, hoc videtur nobis ex ſententia reſpondendum, ut & Baptiſmus ſit, ſi inſtante neceſſitate fœmina puerum in nomine Trinitatis baptizaverit*. Conc. Flor. in Decreto unionis: *In cauſa neceſſitatis*, inquit, *non ſolum Sacerdos & Diaconus, ſed etiam Laicus vel mulier, imo etiam Paganus & Hæreticus baptizare poteſt, dummodo formam Eccleſiæ ſervet, & facere intendat, quod facit Eccleſia*.

Ratio congrua (*Hic q. 67. a. 3.*) voluntatis Chriſti ſic inſtituentis eſt maxima hujus Sacramenti neceſſitas, ſine quo nec pueri ſalvari poſſunt, nec adulti conſequi regulariter remiſſionem totius pœnæ. Ad miſericordiam enim Dei, qui vult omnes homines ſalvos fieri, pertinet, ut in his, qui ſunt de neceſſitate ſalutis, homo de facili remedium inveniat. Ergo ſicut inſtitutum eſt, ut materia Baptiſmi ſit communis, ſcilicet aqua, quæ facile a quolibet haberi poteſt, ita & Miniſter ſit quilibet homo.

Totam hanc hujus & præcedentis Articuli doctrinam luculenter exponit & aſſerit Catech. Rom. p. 2. n. 18. Legatur.

Solvuntur Objectiones.

OBj. 1. Cum Calvino contra Baptiſmum collatum a Laicis. Nullibi legimus in Scripturis Laicos baptizaſſe. Ergo. R. 1. N. Ant. Legimus enim Joan. 3. Apoſtolos poſt inſtitutum Baptiſmum, dum erant adhuc Laici, baptizaſſe. 2. Dato Ant. N. Conſ. Deficiente enim Scriptura ſufficit nobis traditio. Sic non legimus in Scriptura infantes eſſe baptizandos, & tamen admittunt Calviniſtæ eos eſſe baptizandos.

Inſt. 1. Chriſtus Matth. ult. ſolis Apoſtolis dixit: *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos*. Ergo eos ſolos & eorum Succeſſores conſtituit Baptiſmi ſicut verbi Miniſtros. R. 1. Chriſtum loco cit. non inſtituiſſe Miniſtros neceſſarios Baptiſmi, ſed iis jam inſtitutis, antequam eſſent Sacerdotes, præceptum dediſſe prædicandi & baptizandi. 2. D. Conſ. Eos ſolos inſtituit Miniſtros ſolemnitatis Baptiſmi & verbi, C. Miniſtros neceſſitatis, N. Sicut enim Laicus, imo & Mulier poteſt privatim docere, ita & privatim baptizare.

Inſt. 2. Auctor Conſtit. Apoſt. l. 3. c. 10. ſic habet *Sed neque Laicos concedimus aliquod ſacerdotale munus exercere, veluti Sacrificium, Baptiſmum, manuum impoſitionem.* Ergo. R. S. Clementem loqui de Baptiſmo ſolemni & extra neceſſitatem: perſtringit enim ibi Laicos, qui exemplo Core & Oſiæ munia ſacerdotalia temere uſurpabant.

Inſt. 3. Majus eſt baptizare, quam ſolemnitates Baptiſmi adhibere. Atqui ex dictis Laici non poſſunt ſolemnitates Baptiſmi adhibere. Ergo nec baptizare. R. D. Maj. Majus eſt & ſimul magis neceſſarium baptizare quam ſolemnitates adhibere, C. Et non magis neceſſarium, N. Unde conceſſa Min. N. Conſ. Admittuntur enim Laici ad Baptiſmum privatim miniſtrandum, non propter majorem aut minorem ejus dignitatem, ſed propter ejus neceſſitatem.

Inſt. 4. S. Baſilius in Ep. ad Amphil. c. 1. reprobans Baptiſma Hæreticorum, dicit ab his baptizatos *eſſe rebaptizandos veluti a Laicis baptizatos.* Ergo ſupponebat nullum eſſe baptiſmum a Laicis collatum. R. Baſilium circa utrumque Baptiſma cum aliis rebaptizantibus erraſſe, quorum errorem Eccleſia proſcripſit.

Inſt. 5. Eccleſia quidem prohibuit baptizatos ab Hæreticis rebaptizari, ſed non baptizatos a Laicis. Neque enim legitur tunc fuiſſe diſputatum inter rebaptizantes & Stephanum de Baptiſmo Laicorum, quamvis illud rebaptizantes pro principio aſſumerent. Arguebant enim ſic: baptizati a Laicis ſunt rebaptizandi. Atqui baptizati ab Hæreticis ſunt baptizati a Laicis. Ergo baptizati ab Hæreticis ſunt rebaptizandi. Majorem, inquam, propoſitionem hujus argumenti non videtur in diſputationem veniſſe, nec a Stephano & aliis orthodoxis negatam. Ergo. R. equidem ex profeſſo non fuiſſe tunc diſputatum de Baptiſmo Laicorum, quia tota diſputatio fervebat circa Baptiſmum Hæreticorum. Attamen Eccleſia reprobando opinionem rebaptizantium, ejus ſimul fundamentum reprobavit, quod & apertius poſtea præſtitit.

Inſt. 6. S. Hieron. in Dialogo adverſus Luciferianos hoc principium, *Baptiſmus collatus a Laicis eſt nullus*, ſupponit ut verum. Ergo. Prob. Ant. Ex hoc principio probat contra Luciferianos, qui Epiſcopos Arianos reputabant Laicos, eos vel debere rejicere Baptiſma Arianorum, quod admittebant, vel admittere eorum ordinationes, quas rejiciebant. R. N. Ant. Ad Prob. Dico Hieronymum non ex propria, ſed adverſariorum ſententia argumentari ad hominem, quaſi dixiſſet: vos rejicitis Baptiſma Laicorum, & admittitis Baptiſma Arianorum. Ergo Sacerdotes Ariani ſecundum vos non ſunt Laici. Ergo vel eorum ordinationem admittere debetis, aut eorum Baptiſma rejicere.

Inſt. 7. Ex hiſtoria Eccleſiaſtica. Clericus Edeſſenus Ep. ad Photium, quæ extat in Actis Conc. Chalced. Act. 10. rogat, ut imminente feſtivitate Paſchali remittatur Epiſcopus Ibas *propter Catechiſmos & propter eos, qui digni ſunt ſancto Baptiſmate.* S. Greg. Ep. 32. nunc 33. l. 1. ad Romanum Italiæ Exarchum, ipſum hortatur, ne detineat in Civitate Ravennate Blandum Epiſcopum Hortenſem, quia eo abſente populus quaſi grex ſine Paſtore diffluit, & *infantes ſine Baptiſmo* moriuntur. Atqui ſi poſſint baptizare Laici, ut quid urgere præſentiam Epiſcoporum? Ergo. R. hoc argumento probari nequidem Sacerdotes poſſe baptizare etiam ex commiſſione Epiſcopi: pariter enim ſubſumam. Atqui ſi poſſint baptizare Sacerdotes ſaltem ex licentia Epiſcopi, ut quid urgere præſentiam Epiſcoporum? dicendum itaque requiri & exoptari præſentiam Epiſcoporum in ſuis Eccleſiis non ideo præciſe, quia nulli erant præter ipſos, qui privatim ſaltem poſſent baptizare, ſed quia 1. Epiſcopi tunc temporis ſibi reſervaverant munus baptizandi ſolemniter in feſtivitate Paſchæ & Pentecoſtes, ut diximus. 2. Quia iis abſentibus negligebantur Catechiſmi & morum correctiones; populus quaſi grex ſine Paſtore, errori, ignorantiæ, vitiis indulgebat, & Parentes filiorum infantium ſanitati confidentes eorum Baptiſma differebant; unde plures ſine Baptiſmate moriebantur.

Obj. 2. Contra Baptiſmum a non baptizatis collatum. Conc. Illiberitanum videtur decernere, quod qui non eſt baptizatus, item qui eſt bigamus, non poſſit baptizare. Ergo. R. ſenſum Concilii eſſe, quod ubi ſunt plures, inter quos reperiuntur baptizati aut non bigami, ii prius aſſumendi ſint ad baptizandum, quam non baptizatus aut bigamus.

Inſt. 1. Cap. *Si quis* 1. q. 1. ex Iſidoro decernitur baptizatos a non baptizato debere denuo baptizari. Idem definit Greg. III. in Ep. ad Bonif. relata de conſ. diſt. 4. Cap. *Quos a Paganis*. Ergo. R. ad primum, hæc verba non eſſe Iſidori, & mendum irrepſiſſe in textu Gratiani, ſiquidem contrarium ibidem expreſſe definiatur. Additur enim, *ſed Romanus Pontifex, &c.* ut retulimus in probationibus concluſionis. Sed eſto id dixerit Iſidorus, ad ipſum reſpondemus ſicut ad Gregorium, ipſos loqui de Paganis, qui non ſervant formam evangelicam.

Inſt. 2. Ex Patribus, imprimis ex Tertull. qui l. de Bapt. c. 17. probat Laicum non poſſe baptizare, quia inquit, *quod ex æquo accipitur, ex æquo dari poteſt*: quæ verba etiam adſcribit Hieron. adv. Lucifer. Ergo ſupponit, quod qui Baptiſmum non accepit, illum dare non poſſit. R. N. Conſ. Senſus enim iſtorum verborum, *quod ex æquo, &c.* non eſt Baptiſmum poſſe dumtaxat dari ab eo, qui ſuſcepit: ſed omnino contrarius, hic ſcilicet: *quod ex æquo*, id eſt indiſcriminatim ab omnibus *accipitur*, ita *ex æquo*, id eſt indiſcriminatim ab omnibus in neceſſitate *dari poteſt*: addit enim ibidem Tertull. *Æque Dei cenſus ab omnibus exerceri poteſt.*

Inſt. 3. SS. Patres, qui contra Cyprianum & Donatiſtas decertarunt, probant Hæreticos valide baptizare, quia cum Baptiſmum, quem acceperunt, non amiſerint, etiam jus illum conferendi non amiſerunt: ſic inter alios arguit Aug. l. 1. de Bapt. c. 1. Ergo ſupponunt eos poſſe tantum baptizare, qui ſunt baptizati. R. Patres arguere contra rebaptizantes ex eorum principio, quod tamen non admittebant. Vulgatum erat apud rebaptizantes principium, nemo dat, quod non habet: ſubſumebant: atqui Hæretici non habent Baptiſmum. Ergo non conferunt illum. Patres dato gratis hoc principio ſubſumebant econtra. Atqui Hæretici non amiſerunt Baptiſmum, quem acceperunt in Eccleſia; ergo nec jus illum conferendi.

Inſt. 4. Hieron. contra Lucifer. dicit: *Novam rem aſſeris, ut Chriſtianus quiſquam factus ſit ab eo, qui non fuit Chriſtianus.* Ergo. R. Hieronymum illic intelligere Chriſtianum, non qui eſt baptizatus, ſed qui habet fidem Chriſtianam ſcilicet veram & Catholicam: ſubjungit enim immediate: *Accedens ad Arianos in qua fide baptizatus eſt?* ſcilicet in fide Arianorum. Vult ergo S. Doct. probare, quod qui ſciens baptizatur ab Arianis, quibus conſentit, non ſit vere Chriſtianus, id eſt, non habeat veram & Chriſtianam fidem, ſed Arianam, & ideo dicit, *novam rem aſſeris, &c.*

Inſt. 5. Saltem negari non poteſt, quin Aug. lib. 7. de Bapt. c. 53. dubitaverit de valore Baptiſmi a Pagano collati. Ergo. R. Aug. pro ſua modeſtia nihil hac de re affirmare voluiſſe; quia ut ipſe dicit; nondum erat in Eccleſia definita. Addit tamen ibidem ſe eſſe ſic affectum, ut *non dubitaret eos habere Baptiſmum, qui ubicumque & a quibuſcumque illum verbis Evangelicis conſecratum ſine ſua ſimulatione & cum aliqua fide ſuſcepiſſent.*

Urgebit tandem celebre dictum rebaptizantium. Nemo dat, quod non habet. Atqui Paganus non habet Baptiſmum. Ergo. R. D. Maj. (*Hic q. 64. a. 5. ad 1.*) Nemo dat, quod non habet, neque actu, neque virtute, C. Quod non habet actu, habet tamen virtute, N. Quilibet autem homo habet Baptiſmum virtute, quatenus Deus poteſt illo uti ut inſtrumento ad efficiendum Sacramentum.

Obj. 3. Contra Bapt. datum a mulieribus Tertull. Epiph. Chryſoſt. redarguunt petulantiam mulierum, quæ uſurpabant Miniſterium baptizandi: & Conc. Carthag. 4. an. 398. Can. 100. ſic decernit: *Mulier baptizare non præſumat.* Gratianus equidem addit, *niſi neceſſitate cogente*, ſed gratis; id enim non legitur in textu Conc. ut conſtat ex collect. Labbei Tom. 2. pag. 1207. Ergo R. (*Hic q. 67. a. 4. ad 1.*) in his omnibus teſtimoniis ſermonem eſſe de Baptiſmo ſolemni, ut ex eorum lectione patet, a quo excluduntur mulieres, quibus tamen quidam Hæretici, ut dixi in prænotationibus, facultatem illum conferendi concedebant. Quantum ad Canonem Conc. Carthag. verum eſt additionem Gratiani in eo Canone non reperiri, ſed colligitur ex præcedente 99. in quo dicitur: *Mulier quamvis docta in conventu docere non præſumat.* In ſequenti ergo Canone pariter intelligi debet: *In conventu mulier baptizare non præſumat*, id eſt ſolemniter & ſine neceſſitate; quia in conventu ſeu in Eccleſia baptizatur ſolemniter, & adſunt Sacerdotes & viri, qui baptizare poſſunt, ſicque non eſt neceſſitas compellens mulierem ad baptizandum.

Obj. ultimo. Conc. Flor. aſſignans Laicum, Paganum, Mulierem pro Miniſtro Baptiſmi, exprimit caſum neceſſitatis. Ergo ſupponit extra caſum neceſſitatis præfatos non eſſe Miniſtros. Item abſolutio a quolibet Sacerdote collata in caſu neceſſitatis eſt valida, extra caſum neceſſitatis eſt invalida. Ergo ſimiliter Baptiſmus. R. ad 1. nos pluribus aliis auctoritatibus & rationibus probaſſe Baptiſma collatum etiam extra caſum neceſſitatis eſſe validum, imo & quia in neceſſitate eſt validum, etiam extra neceſſitatem eſſe validum, quia neceſſitas non mutat eſſentias rerum, ut dictum eſt. Quando ergo Conc. Florent. dicit, quod in caſu neceſſitatis quilibet homo poſſit baptizare, intelligit, quod poſſit baptizare licite: quia extra caſum neceſſitatis, licet valide, non tamen licite baptizat. Ad 2. N. Conſ. Quia, ut jam dixi, ad abſolutionem, cum ſit per modum judicii, requiritur juriſdictio proprie dicta in ſubditum, quam Eccleſia cuilibet Sacerdoti non concedit niſi in caſu neceſſitatis: hujuſmodi autem juriſdictio non requiritur ad Baptiſmum, ſiquidem ille, qui baptizatur, ſit extra Eccleſiam.

AR-

ARTICULUS III.

Leviores quædam difficultates, circa Miniſtrum Baptiſmi ſuccinctè reſolvuntur.

PETES 1. Utrum & quis ordo ſervandus, ſi plures adſint puero periclitanti baptizando? R. (*Ib. a. 4. o.*) per ſe loquendo, mulier non debet baptizare præſente viro, Laicus præſente Clerico, Clericus minor præſente Subdiacono, Subdiaconus præſente Diacono, Diaconus præſente Sacerdote, Sacerdos alienus præſente proprio. Ratio hujus ordinis petitur ex dignitate & juriſdictione inter perſonas ſervanda. Vir enim eſt caput mulieris, 1. Cor. 11. Clericus charactere inſignitus præſtat Laico in ordine ad munia Eccleſiaſtica; Clericus major minori, præſertim Diaconus ipſe inferioribus Clericis, quia Diaconus vi ſuæ ordinationis habet, quod poſſit delegari ad baptizandum ſolemniter; & a fortiori Sacerdos Diacono, quia proprium Sacerdotis officium eſt baptizare; tandem proprius Sacerdos alieno, quia ex ordinatione Eccleſiæ hoc jus illi competit. Ita poſt Auctorem docet Catech. Rom. p. 2. de Bapt. nu. 28. Et ſtatuit Rit. Rom. de Miniſtro Bapt. his verbis: *Sed ſi adſit Sacerdos, Diacono præferatur, Diaconus Subdiacono, Clericus Laico; niſi pudoris gratia deceat fœminam potius quam virum baptizare infantem non omnino editum, vel niſi melius fœmina ſciret formam & modum baptizandi.*

Propter has & alias exceptiones dixi in Reſp. *per ſe loquendo*: videtur enim, quod etiam debeat excipi, ſi Sacerdos nollet niſi mediante pretio baptizare, aut crederetur in malo ſtatu; tunc enim Diaconus, aut Clericus minor, aut etiam Laicus poſſet baptizare: etiam, ut videtur, poſſet mulier fidelis præſente pagano aut hæretico propter periculum perverſæ intentionis & irreverentiam Sacramenti.

An autem poſſet obſtetrix aut alter Laicus præſente Sacerdote excommunicato? Arbitramur probabilius cum Sylveſtro, Navarro, Suares & aliis, quod poſſet & deberet; quia excommunicatus cap. *Per venerabilem §. Sunt autem*, extra l. 4. tit. 17. traditus eſt Satanæ, & veluti mortuus a communione Fidelium ſeparatur. Præferenda autem videtur mulier viro ab Eccleſia ſeparato, quoad rem Eccleſiæ. Neque obſtat, quod baptizare ſine ſolemnitate in neceſſitate non ſit actus ordinis, non enim in hoc facimus vim, ſed in hoc, quod ſit ſeparatus ab Eccleſia, ideoque in officio Eccleſiæ, quod per utrumque poteſt perfici, ſit poſtponendus Laico in Eccleſia exiſtenti.

Petes 2. Quale ſit peccatum ordinem ſtatutum ſine cauſa invertere? R. cum communiori ſententia, quod prætermittere Sacerdotem etiam conſentientem ſit peccatum mort. quia Sacerdos vi ſuæ ordinationis eſt miniſter ex officio, & ideo jus illius ortum ex poteſtate ordinis læditur in re gravi, nec poteſt Sacerdos huic juri renuntiare ſine injuria Ordinis & Sacramenti. Idem multi probabiliter exiſtimant, ſi prætermittatur Diaconus, quia Diaconus ut dictum eſt, vi Ordinis poteſt ex commiſſione conferre Baptiſmum etiam ſolemniter, ex quo acquiritur ipſis jus ſpeciale, licet incompletum & mediatum ad Baptiſmi collationem. Unde videtur gravis injuria illi Ordini & Sacramento illata, ſi iſtud jus ab alio uſurpetur. Neque tamen improbabilem cenſeo ſententiam aliorum, qui volunt, quod violatio juris remoti & indirecti non ſit tam gravis, ut conſtituat peccatum mort. quod non debet aſſeri ſine gravi fundamento. Probabilius eſt autem, quod ſi prætermittatur Subdiaconus, a fortiori Clericus minor, aut vir Laicus, non ſit niſi peccatum veniale: cum enim nulli horum competat etiam remote & indirecte baptizare ex officio, nec ideo ullus ſit proprius Baptiſmi Miniſter, nullius jus videtur violari, ſaltem graviter, nec niſi levis irreverentia Sacramenti.

Petes 3. Utrum aliquis poſſit baptizare ſeipſum? R. negative: 1. (*Hic q. 66. a. 5. ad 4.*) Quia dicendo *baptizo me*, mutaretur eſſentialiter forma. 2. Quia Baptiſmus eſt quædam regeneratio ſpiritualis; ſicut ergo nemo poteſt generare ſeipſum, ita nec ſeipſum baptizare. 3. Quia eſſet contra inſtitutionem Chriſti, qui Miniſtrum & ſubjectum Baptiſmi aperte diſtinxit, dum dixit: *Baptizantes eos*. Unde ipſe voluit baptizari a Joanne. Et ita definivit Innoc. III. cap. *Debitum*, Extra. l. 3. tit. 42. Neque obſtat, quod quis etiam Laicus poſſit ſe communicare, ut olim factum legitur apud Cyrillum Jeroſ. Catech. 5. Aliud enim nutriri, aliud gigni; poteſt quiſquis ſeipſum nutrire, non poteſt ſeipſum gignere.

Petes 4. Utrum plures valide poſſint ſimul unum baptizare? Pono *valide*; licite enim non poſſe certum eſt, cum hoc ſit contra morem Eccleſiæ & Inſtitutionem Chriſti, qui cum ſit unus, voluit per unum miniſtrari Sacramentum, ut mox dicam. R. unum poſſe a pluribus baptizari triplici modo, & ſecundum diverſum modum quandoque Baptiſmum eſſe ratum, quandoque irritum. Igitur 1. (*Hic q. 67. a. 6. o.*) Vel plures ſimul effundunt aquam & dicunt, *nos te baptizamus*, intelligendo *baptizamus* conjunctim, ita ut concurrant tamquam cauſæ partiales ab invicem dependentes; ſicut ſi plures trahentes navim dicerent, *trahimus navim*. Hoc modo non valet Baptiſmus, quia videtur eſſe contra rationem miniſterii: homo enim non baptizat niſi ut Miniſter Chriſti; unde ſicut Chriſtus eſt unus, ita oportet eſſe unum Miniſtrum, qui Chriſtum repræſentet, & ſua actione totali, ut patet ex uſu Eccleſiæ, tamquam Miniſter integer faciat totum, quod ſignificant verba formæ, *Ego te baptizo*. Et ideo intentio contraria videtur excludere Baptiſmi Sacramentum. Si tamen intelligerent τὸ *baptizamus* diviſim, ita ut ſinguli, intenderent baptizare totaliter & independenter ab invicem, valeret Baptiſmus; quia tunc adeſſet materia, forma & intentio, perinde ac ſi unuſquiſque diceret, *Ego te baptizo*, ſicut in modo ſequenti. Unde

2. (*Ib.*) Vel ſinguli effundentes aquam dicunt, *Ego te baptizo*, tamquam cauſæ totales & ab invicem independentes, quod poſſet contingere in caſu, quo ſinguli contentioſe aliquem baptizare conarentur: hoc modo valet Baptiſmus, quia ſinguli exprimunt ſuam intentionem, & quaſi ſingulariter Baptiſmum conferunt: ſic tamen ut qui prius verba proferret, daret Sacramentum, alius vero nihil faceret; & ſi verba pronuntiare præſumeret, eſſet puniendus tamquam rebaptizator. Si autem omnino ſimul aquam effunderent, & verba proferrent, eſſent puniendi de inordinato modo baptizandi, ſed non de iteratione Baptiſmi; quia ſinguli intenderent non baptizatum baptizare, & uterque quantum in ſe eſt baptizaret: nec traderent aliud & aliud Sacramentum, ſed Chriſtus, qui eſt unus interius baptizans, unum Sacramentum per utrumque conferret. Neque repugnat, quod unus effectus procedat ab una cauſa principali per plura inſtrumenta, præſertim quando effectus eſt ſupernaturalis, ut in caſu. Aliunde formæ & materiæ hic multiplicantur materialiter tantum & in eſſe naturæ, non formaliter & in ratione formæ & materiæ Sacramenti; quia ab agente principali, qui eſt Chriſtus, diriguntur ad unum, & recipiuntur in uno ſubjecto, quod non eſt capax niſi unius Baptiſmi. Unde quando Auctor ſupra qu. 66. a. 5. ad 4. dicit, quod *actus multiplicatur ſecundum multiplicationem agentium, ſi perfecte ab unoquoque agatur*, intelligendus eſt non de agentibus virtute alterius, ſed de agentibus virtute propria, & ideo dicimus ablutiones multiplicari in eſſe naturæ.

3. (*Ib. ad 3. & q. 66. a. 5. ad 4.*) Vel tandem ſic plures baptizant, ut unus effundat aquam, & alter formam proferat, ut ſi unus eſſet mutus, & alter brachiis truncatus; hoc modo non valet: quia integritas Baptiſmi conſiſtit in forma verborum & in uſu materiæ: & ideo neque qui tantum aquam effundit, baptizat, quia non profert formam: neque ille, qui tantum verba profert, quia non applicat materiam, & falſa eſt forma, dum dicit, *Ego te baptizo*, cum ipſe non abluat, nec conſequenter baptizet. Neque etiam dici poteſt, *Nos te baptizamus*, cum neuter baptizet. Neque poteſt adhiberi forma Græcorum, *Baptizetur ſervus Chriſti*, quia ſubintelligitur a me ſeu meo actu.

Petes 5. Utrum non urgente neceſſitate liceat baptizare extra Eccleſiam, in qua ſunt Fontes baptiſmales? R. cum Navarro in Man. c. 33. n. 7. & pluribus aliis negative, niſi agatur de Filiis Regum aut Principum. Ita ſtatuit Conc. Vien. ſub Clemente V. an. 1311. & refertur Clementina *Præſenti* l. 3. tit. 15. his verbis: *Præſenti prohibemus Edicto; ne quis de cætero in aulis vel cameris, aut aliis privatis domibus, ſed dumtaxat in Eccleſiis, in quibus ſunt ad hoc Fontes ſpecialiter deputati, aliquos (niſi Regum vel Principum, quibus valeat in hoc caſu deferri, liberi extiterint, aut talis neceſſitas emerſerit, propter quam nequeat ad Eccleſiam abſque periculo propter hoc acceſſus haberi) audeat baptizare; qui autem ſecus præſumpſerit, aut ſuam in hoc præſentiam exhibuerit, taliter per Epiſcopum ſuum caſtigetur, quod alii attentare ſimilia non præſumant*: Idem jam prohibuerat Con. Meldenſe an. 845. c. 48. Unde Rituale Pii V. ſic habet: *Itaque neceſſitate excepta in privatis locis nemo baptizari debet, niſi forte ſint Regum aut magnorum Principum filii, id ipſis ita depoſcentibus, dummodo id fiat in eorum Capellis ſeu Oratoriis, & in aqua baptiſmali de more benedicta.*

Hinc graviter ſunt culpandi Parochi, qui honoris cauſa vel alio ſimili motivo humano nobilium infantes baptizant domi, etiamſi in Sacello domeſtico; aut qui, ut expectent Patrinum abſentem, baptizant privatim, ſeu ut communiter dicitur, aſſecurant domi infantem, ſuppleturi poſt adventum Patrini rituum ſolemnitatem in Eccleſia.

ARTICULUS IV.

De Suſceptoribus baptizandorum ſeu Patrinis per varias Quæſtiunculas.

QUamvis hæc materia proprie pertineat ad cæremonias Baptiſmi, de illa tamen hic agit Auctor; quia Patrinus ſe habet ad inſtar Miniſtri in Baptiſmo ſolemni.

Petes 1. Utrum in Baptiſmo ſolemni requiratur Suſceptor ſeu Patrinus? R. affirmative. (*Hic q. 67. a. 7. c.*) Prob. ex Dionyſ. c. 2. cœleſt. Hierar. ubi dicit, quod *Sacerdotes aſſumentes baptizandum, tradunt eum ad educationem ſuſceptori & duci*. Ex Tertull. l. de Bapt. ubi Suſceptores vocat *Sponſores*. Ex S. Baſil. Ep. 128. ex S. Chryſoſt. Hom. 72. in c. 4. 1. Cor. Ex Aug. ſerm. 116. de Temp. Ex uſu Eccleſiæ ubique recepto & vetuſtiſſimo, cujus poſt Apoſtolorum tempora inſtitutio non invenitur, & quam ideo conſtat eſſe Traditionis Apoſtolicæ, ut expreſſe affirmat idem Dionyſ. c. 7. ibid. Unde eſſet peccatum mort. baptizare ſolemniter ſine ſuſceptore.

Ratio hujus inſtitutionis congrua eſt, (*Ib.*) quia ſpiritualis generatio, quæ fit per Baptiſmum, aſſimilatur quodammodo generationi carnali. Unde dicitur 1. Petri 1. *Sicut modo geniti infantes, &c.* Atqui in generatione carnali infans recenter natus indiget nutrice & pedagogo. Ergo & in ſpirituali generatione requiritur aliquis, qui fungatur vice nutricis & pædagogi, informando baptizatum quaſi novitium de his, quæ pertinent ad fidem & vitam Chriſtianam, ad quod Prælati vacare non poſſunt, circa communem populi curam occupati; parvuli enim & novitii indigent ſpeciali cura præter communem.

Dixi, *in Baptiſmo ſolemni*; quia, ut jam dictum eſt, Suſceptor pertinet ad ſolemnitatem, & non neceſſitatem Sacramenti: neque jura loquuntur aut intelliguntur niſi de Baptiſmo ſolemni. Et ratio eſt, quia in Baptiſmo privato propter neceſſitatem collato, ſi puer ſtatim moriatur, non indiget ſuſceptore; ſi ſupervivat, deſignabitur ſuſceptor, dum ſolemnitates adhibebuntur.

Utrum ſi nihilominus adhibeatur Patrinus in Baptiſmo privato, ſit vere Patrinus, & contrahat cognationem ſpiritualem? Affirmant plures, negant alii, & videtur probabilius; quia inſtitutio Patrini eſt ex præſcripto Apoſt. ſeu Eccleſiæ; Eccleſia autem de Baptiſmo privato nihil ordinavit quoad Patrinos. Sed de hoc latius, dum de imped. matrim.

Petes 2. Ad quid teneantur Patrini & Matrinæ? R. (*Ib. a. 8. p.*) Eos teneri ſub gravi peccato ſuſceptos imbuere fide, religione & moribus: quia hoc pertinet ad officium pædagogi, quod ſuſceperunt. Et ita ſtatuitur Cap. *Vos ante* de Conſ. d. 4. ex Aug. Hæc autem obligatio maxime urget eo tempore & loco, in quo baptizati inter Infideles & Hæreticos nutriuntur; quia ſi nutriuntur inter Chriſtianos Catholicos, poſſunt Patrini ab hac cura eximi, præſumendo quod a ſuis Parentibus diligenter inſtruantur. Si tamen quocumque modo cognoſcerent contrarium, tenerentur ſecundum modum ſaluti ſpiritualium filiorum curam impendere. Inſuper contrahunt cognationem ſpiritualem cum baptizato, & ejus Patre & Matre, De qua alibi, Vide Catech. Rom. p. 2. de Bapt. n. 32.

Petes 3. Quæ conditiones requirantur, ut quis ſit Patrinus? R. 1. Debet habere animum munus Patrini ſuſcipiendi; ſi enim ex ignorantia aut ex neceſſitate, v. g. ut cadenti ſuccurrat, infantem, dum baptizatur, tangeret, aut licet deſignatus non habeat intentionem ſuſcipiendi id muneris, non eſſet vere Patrinus: quia actus agentium non operantur ultra eorum intentionem. 2. Debet eſſe deſignatus a parentibus, aut in eorum defectu a Parocho; ita ut qui ſe ingererent non deſignati, non eſſent Patrini. Ita ſtatuit Conc. Trid. Seſſ. 24. de Ref. Mat. c. 2. 3. Probabilius debet tangere baptizatum, non quidem neceſſario immediate, ſed mediantibus, vel veſtibus, vel linteo, vel diſco, ut probabimus, dum de imped. matr. ubi iſta fuſius diſcutiuntur ratione cognationis ſpiritualis, quam contrahit verus Patrinus.

Sed quid de illo, qui poſt Baptiſmum domi valide collatum, adhibetur Patrinus, dum ſupplentur cæremoniæ in Eccleſia? Tenetur quidem ad officium Patrini quoad inſtructionem cum illud ſponte ſubeat; non tamen contrahit cognationem ſpiritualem: quia, ut dicit Auctor, (*Supp. q. 56. a. 2.*) *ſpiritualis cognatio non contrahitur, niſi per aliquod Sacramentum*.

Petes 4. Quando quis ſuſcipit infantem per procuratorem, quis ſit Patrinus, an ipſe committens, vel commiſſarius? R. Quod ſit committens, quia ipſe eſt deſignatus, & ſe offert, ſuſcipitque infantem per alium vices ejus gerentem: quod autem facit quis per alium, cenſetur facere per ſeipſum.

Petes 5. Utrum poſſint eſſe plures ſuſceptores ejuſdem infantis? R. Trid. Seſſ. 24. cit. c. 4. *Statuit ut unus tantum vir ſive mulier, juxta ſacrorum Canonum inſtituta, vel ad ſummum unus & una baptizatum de Baptiſmo ſuſcipiant*.

Petes 6. Utrum omnes indiſcriminatim poſſint admitti ad hoc munus. R. Nullus debet admitti, qui non ſit idoneus ad ſuum officium implendum, Filiorum Doctrina Fidei & Chriſtianis moribus informando. Patet ex ſe. Hinc excludendi ſunt 1. Infideles, Hæretici, Excommunicati, Interdicti, Crimino ſi, Infames, mente capti. Ita Rit. Rom. 2. Qui neſciunt ſaltem Symbolum Fidei, Orationem Dominicam & Salutationem Angelicam. Ita ſecunda Synodus Mediolan. Decreto 1. ſub S. Carolo Borr. 3. Impuberes & non confirmati, juxta idem Rit. Rom. Uſus tamen invaluit ſaltem in his partibus, ut ſi impuberes judicio Parochi ſint ſufficienter inſtructi, etiamſi non confirmati, admittantur.

Petes 7. Utrum Regulares poſſint eſſe Patrini? R. negative. Id enim eis prohibetur cap. *Non licet* 103. de Conſec. d. 4. his verbis: *Non licet Abbati vel Monacho de Baptiſmo ſuſcipere filios, nec commatres habere*. Et in Rit. Rom. *Ad hoc munus admitti non debent Monachi vel Sanctimoniales, neque alii cujuſcumque Ordinis Regulares a ſæculo ſegregati*. Excipiuntur autem juxta Gloſſam in Cap. *Statutum* Cauſa 18. q. 1. Regulares facti Epiſcopi, & ex uſu contrario Abbates ſaltem in certis locis.

Petes 8. Utrum Parentes poſſint ſuſcipere propriam prolem? R. Id graviter ipſis prohiberi Cap. *Pervenit ad nos* cauſa 30. q. 1. Ratio eſt; quia adhibentur Patrini, ut in defectu parentum curent inſtructionem infantis. Ergo ipſi parentes non poſſunt eſſe Patrini. Adde quod ſuſcipiens contraheret cognationem ſpiritualem cum ſua comparte.

Confer, quæ dicam de cognatione ſpirituali in Tract. de Matrim.

DISSERTATIO III.

DE SUSCIPIENTIBUS BAPTISMUM.

Div. Thom. Quæſt. 68.

ARTICULUS I.

Utrum Baptiſmus ſit omnibus neceſſarius ad ſalutem?

PRæter Manichæos, Paulicianos, Seleucianos & Hermianos, qui rejecerunt Baptiſmum in aqua; Quintiliani & Cajani ſecundo ſæculo teſte Tertull. l. de Bapt. c. 1. dixerunt Baptiſmum non eſſe ad ſalutem neceſſarium, ſed fidem ſufficere. Quinto ſæculo Pelagiani negantes peccatum Orig. negabant Baptiſmum eſſe neceſſarium ad ejus deletionem; ſed Auguſtino urgente illud Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non poteſt introire in Regnum Cœlorum*: admiſerunt Baptiſmum eſſe neceſſarium ad conſequendum Regnum Cœlorum, non tamen ad vitam æternam conſequendam, quam a Regno Cœlorum diſtinguebant. VVicleſ, Zuinglius & Bucerus dixerunt Baptiſmum non eſſe neceſſarium infantibus prædeſtinatis. Calvinus lib. 4. Inſtit. agnoſcit Baptiſmum eſſe neceſſarium ex præcepto, ſed negat eſſe neceſſarium ad delendum peccatum Originale, maxime in infantibus Fidelium, quos contendit in utero matrum eſſe ſanctificatos. Sociniani de ſtirpe Calviniſtarum orti, præceptum Chriſti Matth. ult. *Euntes docete*, interpretantur de Doctrina ſeu inſtructione; aut ſi ſit intelligendum de Baptiſmo, dicunt non eſſe præceptum univerſale & perpetuum, ſed pro certis perſonis & ad tempus: denique Baptiſmum nihil aliud eſſe, quam exterius ſignum Profeſſionis Chriſtianæ, nihil gratiæ conferens, proinde eſſe ritum liberum & indifferentem.

Gerſon, Cajetanus & quidam alii Catholici arbitrati ſunt ad ſalutem parvulorum ſufficere votum Baptiſmi a Parentibus ſeu aliis conceptum: addit Cajetanus cum ſigno exteriori ſeu benedictione ſub invocatione SS. Trinitatis. Quam opinionem ut ſingularem & fidei minus conſonam S. Pius V. ex Cajetani Commentariis in D. Th. juſſit expungi.

Dupliciter dicitur aliquid neceſſarium ad ſalutem, ſcilicet neceſſitate medii & præcepti. Illud eſt neceſſarium neceſſitate medii, quod independenter ab omni præcepto ita eſt neceſſarium, ut illo ſive culpabiliter ſive inculpabi-

pabi-

probiliter omiſſo, ſolus haberi non poſſit. Neceſſarium neceſſitate præcepti dicitur, quod præceptum eſt, & ideo obſervandum; ita ut ſi voluntarie omittatur, committitur peccatum, per quod impeditur ſalus. Diſtinguimus ſupra triplicem Baptiſmum, Fluminis, Flaminis, & Sanguinis. Baptiſmus fluminis eſt baptiſmus aquæ: Baptiſmus flaminis eſt perfecta contritio cum voto Baptiſmi, & dicitur Baptiſmus in voto; Baptiſmus ſanguinis eſt martyrium. His prænotatis,

Dico 1. (*Hic q. 68. art. 1. & 2.*) Extra caſum martyrii Baptiſmus aquæ eſt omnibus neceſſarius ad ſalutem, Adultis in re vel in voto, infantibus in re. Prob. 1. (*Ib. in a. ſ. c.*) Ex lege generali a Chriſto lata Joan. 3. *Niſi quis renatus*, &c. Hunc textum a falſis interpretationibus Calviniſtarum, qui illum ad ſenſum metaphoricum detorquent, vindicavimus Diſſ. 1. a. 3. §. 1. Intelligendum autem eſſe de Baptiſmo in re vel in voto pro adultis probavimus ibid. a. 6. §. 2. Pro infantibus vero, qui voti ſunt incapaces, patet eſſe intelligendum de Baptiſmo in re.

Prob. 2. (*Ib. c.*) Argumento deducto ex Scripturis. Nemo poteſt ſalvari niſi per Chriſtum, ſic ut illi incorporetur & fiat ejus membrum. Atqui homo per Baptiſmum Chriſto incorporatur, & fit ejus membrum, juxta illud Galat. 3. *Quicumque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*. Et 1. Cor. 12. *In uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati ſumus*. Ergo. Si dicas hominem Chriſto incorporari per fidem juxta illud Epheſ. 3. *Habitare Chriſtum per fidem in cordibus noſtris*. R. (*Ib. ad 1.*) Chriſtum habitare quidem in nobis per fidem, ſed ſigno viſibili Baptiſmi exhibitam & aſſertam. Voluit enim Deus, quod omni tempore fidem noſtram in ipſum per aliquod ſignum viſibile proteſtaretur, in Lege naturæ per ſacrificiorum oblationem, in Lege nova per Baptiſmum. Item. Nemo poteſt ſalvari ſine eo, cui annexa ſunt ſpiritualis regeneratio, renovatio, mundatio, remiſſio peccatorum, denique ſalus. Atqui hæc ſunt Baptiſmo annexa: Tit. 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus S.* Epheſ. 5. *Mundans lavacro aquæ in verbo vitæ*. Act. 2. *Baptizetur unuſquiſque veſtrum in remiſſionem peccatorum*. 1. Petri 3. dicimur ſalvari per Baptiſmum, ſicut pauci ſalvi facti ſunt per arcam Noe. Ergo.

Prob. 3. Ex Patribus. Tertull. l. de Bapt. c. 13. adverſus Quintilianos & Cajanos, qui dicebant Baptiſmum non neceſſarium, ſed fidem ſufficere, idque probabant exemplo Abrahæ, qui *nullius aquæ, niſi fidei Sacramento Deo placuit*. Sicut arguit: *Fuerit ſalus retro per fidem nudam ante Domini Paſſionem & Reſurrectionem; at ubi fides aucta eſt credendi in Nativitatem, Paſſionem, Reſurrectionemque ejus, addita eſt ampliatio Sacramento, obſignatio Baptiſmi, veſtimentum quodammodo fidei, quæ retro erat nuda, nec poteſt jam ſine ſua lege. Lex enim tingendi impoſita eſt & forma præſcripta: Ite, inquit, docete nationes, tingentes eas in nomine Patris & Filii & Spiritus S. Huic legi collata definitio illa, niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non intrabit in Regnum Cælorum, obſtrinxit fidem ad Baptiſmi neceſſitatem. Itaque omnes exinde credentes tingebantur, tunc & Paulus, ubi credidit, tinctus eſt*. His verbis Tertull. aperte aſſerit Baptiſmum eſſe neceſſarium non ſolùm neceſſitate medii, ut dicimus in præſenti concluſione, ſed etiam neceſſitate præcepti, ut dicemus in ſequenti. Origenes Hom. 14. in Lucam: *Quia*, inquit, *per Baptiſmi Sacramentum Nativitatis ſordes deponuntur, propterea baptizantur parvuli: Niſi enim quis renatus fuerit, &c.* Similiter *Hom. 8. in Levit. & l. 5. in c. 6. ad Rom.* Cyrillus Jeroſol. Catecheſi 3. *Si quis non baptizetur, ſalutem non habet, præter ſolos martyres, qui ſine aqua regno cæleſti potiuntur*. Mitto Juſtinum in Apolog. Irenæum l. 2. c. 23. & 27. & plures alios quatuor priorum ſæculorum, quibus conſtat non Ambroſium & Aug. primo induxiſſe neceſſitatem Sacramenti pro parvulis, ut fingunt Novatores. Ambroſ. l. de Myſteriis c. 4. cit. *Credit Catechumenus . . . . ſed niſi baptizatus fuerit in nomine Patris & Filii & Spiritus S. remiſſionem non poteſt accipere peccatorum, nec ſpiritualis gratiæ munus haurire*. L. 2. de Abraham c. 11. *Utique nullum excipit, non infantem, non aliqua præventum neceſſitate*. De Aug. dubitari non poteſt, cum ubique ex neceſſitate Baptiſmi probet contra Pelagianos peccatum Originale. Quoſdam textus mox referam. S. Fulgentius ejus diſcipulus l. de Fide ad Petrum c. 7. *Firmiſſime tene, & nullatenus dubites non ſolum homines jam ratione utentes, verum etiam parvulos, qui ſive in uteris matrum vivere incipiunt, & ibi moriuntur, ſive cum de matribus nati ſine Sacramento ſancti Baptiſmatis, quod datur in nomine Patris, &c. de hoc ſæculo tranſeunt, ignis æterni ſempiterno ſupplicio puniendos*. Quid intelligat per ignem æternum, explicuimus dum de peccato Originali.

Prob. 4. Ex Conciliis. Conc. Carthag. 4. apud Aug. Ep. 90. nunc 175. nomine Concilii ad Innoc. Papam miſſa, ſic definit: *Quicumque negat parvulos per Baptiſmum Chriſti a perditione liberari, & ſalutem percipere æternam, anathema ſit*. Idem decrevit Conc. Milevit. teſte eodem Aug. Ep. 92. nunc 176. cui Concilio reſpondens idem Innoc. Ep. ſeq. dicit. *Quod vos* (Pelagianos) *veſtra fraternitas aſſerit prædicare parvulos æternæ vitæ præmiis ſine baptiſmatis gratia poſſe donari, perfatuum eſt*. Trid. Seſſ. 6. c. 4. docet, quod juſtificatio *poſt Evangelium promulgatum ſine lavacro regenerationis aut ejus voto fieri non poteſt, ſicut ſcriptum eſt, niſi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* Et Seſſ. 7. Can. 5. de Bapt. *Si quis dixerit Baptiſmum liberum eſſe, hoc eſt non neceſſarium ad ſalutem, anathema ſit*.

Prob. 5. ex communi ſenſu & perpetua Eccleſiæ praxi. Hanc diſerte teſtantur Aug. Ep. 28. nunc 166. ad Hieron. *Quiſquis*, inquit, *dixerit, quod in Chriſto vivificabuntur etiam parvuli, qui ſine Sacramenti ejus participatione de vita exeunt, hic profecto & contra Apoſtolicam prædicationem venit, & totam condemnat Eccleſiam, ubi propterea cum baptizandis parvulis feſtinatur & curritur, quia ſine dubio creditur aliter eos in Chriſto omnino vivificari non poſſe*. Et l. de orig. animæ c. 9. *Noli credere, noli dicere, noli docere infantes, antequam baptizentur, morte præventos pervenire poſſe ad originalium indulgentiam peccatorum, ſi vis eſſe Catholicus*. Et ita conſtabat hæc perpetua & concuſſa Eccleſiæ praxis, ut nec ipſi Pelagiani, qui negabant peccatum originale, auſi fuerint eam inficiari, & ideo baptizabant parvulos, non quidem ad vitam æternam, ſed ad Regnum cœlorum.

Dico 2. Baptiſmus eſt adultis neceſſarius etiam neceſſitate præcepti. Hæc Concluſio ſequitur ex præcedenti. Nam ſi Baptiſmus ſit omnibus neceſſarius neceſſitate medii ad ſalutem: manifeſtum eſt, quod omnes præcepti capaces ad illum teneantur, 1. jure naturali, quo quiſque debet ſuæ ſaluti conſulere. 2. Jure divino; eſt enim regula generalis, quod omne medium, ſive ex natura ſua, ſive ex inſtitutione divina, abſolute neceſſarium ad ſalutem, ſi ſubſit arbitrio noſtro, cadat ſub præcepto divino; ſiquidem nihil magis a Deo potuit præcipi, quam id, ſine quo non poteſt haberi ſalus, modo ſit in poteſtate noſtra. Neque Chriſtus Legiſlator ſat providiſſet bono & perfectioni ſui regiminis ac ſuæ Reipublicæ, ſi non impoſuiſſet præceptum ſpeciale circa id, quod ad finis illius conſecutionem conſtituit ut medium abſolute neceſſarium; ſicut deficeret Princeps ſæcularis, ſi non præciperet, quæ ſunt ad bonum commune abſolute neceſſaria.

Hoc autem præceptum divinum habemus Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, &c.* Quo enim præcepto compelluntur Apoſtoli baptizare omnes gentes, eodem obligantur omnes gentes baptizari, ſunt enim correlativa; ſicut quia præceptum eſt Apoſtolis docere gentes, ita præceptum eſt gentibus doceri. Item Marci 16. *Euntes in mundum univerſum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit*. Accedit præceptum Eccleſiaſticum, quod colligitur ex traditione & conſtanti praxi Eccleſiæ, ut in 1. Concluſione oſtenſum eſt.

Multa proferunt Sociniani, quibus probare contendunt hoc Chriſti præceptum Matth. 28. non eſſe de Baptiſmo, ſed de doctrina & inſtructione; non ſi ſit de Baptiſmo, non eſt univerſale pro omnibus nec perpetuum, ſed ad tempus. Eorum rationes ac interpretationes ſeu potius fictiones prolixe & erudite inſequitur Honoratus Tournely; ſed adeo frigidæ & contortæ nobis videntur, ut earum refutatio cuivis ſenſato ex ipſis textibus pervia eſſe poſſit. Ideo non immoramur.

Obſervandum eſt autem hic, quod quamvis hoc divinum præceptum poſt Evangelium ſufficienter promulgatum omnes obliget; qui tamen illud ex ignorantia invincibili tranſgrediuntur, non peccant, nec propter illius tranſgreſſionem damnabuntur, ſed propter peccatum originale vel peccata actualia, quæ ſine Baptiſmo in re vel in voto non remittuntur.

Solvuntur Objectiones.

OBJ. 1. Ex his verbis Chriſti Joan. 6. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis*, non probatur Euchariſtiam eſſe omnibus neceſſariam neceſſitate medii ad ſalutem. Ergo ex his *Niſi quis renatus fuerit, &c.* non probatur Baptiſmum eſſe omnibus neceſſarium neceſſitate medii. R. N. Conſ. Prima ratio diſparitatis eſt voluntas Chriſti. Conſtat enim traditione, definitionibus & praxi Eccleſiæ, Chriſtum voluiſſe Baptiſmum eſſe omnibus neceſſarium neceſſitate medii, non ita Euchariſtiam. Secunda diſparitas eſt, quod Baptiſmus ſit inſtitutus ut renaſcentia ſpiritualis; renaſci autem ad novam vitam eſt omnibus omnino neceſſarium: & Euchariſtia eſt inſtituta ut cibus ſpiritualis; cu-

que

jus autem eſt illis ſolis neceſſarius, in quibus aliquid de viribus deperditur, quo reparentur & vita conſervetur: hæc autem deperditio non habet locum in parvulis, qui actualiter peccare non poſſunt. Tertia tandem diſparites eſt, quod hæc verba, *Niſi manducaveritis* in ſecunda perſona, dirigantur ad adultos præcepti capaces; iſta vero *Niſi quis renatus fuerit* in tertia perſona, dicuntur generaliter de omnibus.

Obj. 2. Filii fidelium naſcuntur Juſti & Filii Dei. Ergo non indigent Baptiſmo. Prob. Ant. Filii fidelium ſunt ſemen Abrahæ, Rom. 4. & 11. & Galat. 3. atqui Deus Geneſ. 17. promiſit Abrahæ ſe futurum Deum ipſius & ſeminis ejus. R. N. Ant. ad Prob. D. Maj. Filii fidelium ſunt ſemen Abrahæ ſecundum carnem, Tranſeat: ſemen Abrahæ ſecundum ſpiritum, N. Similiter D. Min. Deus promiſit ſe futurum Deum ipſius & ſeminis ejus ſecundum carnem, N. Seminis ejus ſecundum Spiritum, id eſt eorum, qui haberent fidem Abrahæ, C. Hanc autem fidem olim habebant, habitualiter ſcilicet, infantes per Circumciſionem nunc habent per Baptiſmum. Solutio eſt Apoſtoli Rom. 9. *Non enim*, inquit, *omnes, qui ex Iſrael ſunt, ii ſunt Iſraelitæ: neque qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes Filii, ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen; id eſt, non qui Filii carnis, hi Filii, ſed qui Filii ſunt promiſſionis*. Sunt autem Filii promiſſionis, qui habent Patrem Abraham, quatenus eſt Pater credentium, ut loquitur Apoſt. Rom. 4.

Inſt. 1. Cor. 7. Apoſtolus vocat Filios fidelium Sanctos. Ergo. R. Filios fidelium vocari ab Apoſtolo ſanctos, non quod ſint de facto & ex ortu tales, ſed quia ope & diligentia parentum fidelium deſtinantur & ordinantur ad ſanctitatem per Baptiſmi ſuſceptionem & Chriſtianam educationem. Non loquitur ergo ibi Apoſtolus de perfecta ſanctitate, ſed de diſpoſitione ad illam; ſicut cum ibidem dicit, quod *Vir infidelis ſanctificabitur per mulierem fidelem*, ſenſus eſt, quod mulier fidelis exemplo bonæ converſationis, adhortationibus & inſtructionibus poſſit virum infidelem perducere ad fidem & veram ſanctificationem.

Obj. 3. Neque B. Virgo, neque Apoſtoli leguntur fuiſſe baptizati, & ita cenſent Tertull. lib. de Bapt. c. 12. & Chryſoſt. Hom. 10. in acta Apoſt. ergo Baptiſmus non eſt neceſſarius neceſſitate medii ad ſalutem. R. 1. longe probabilius eſſe B. Virginem & Apoſtolos fuiſſe baptizatos. Ita cenſent Aug. Epiſt. 108. Evodius S. Petri in Sede Antiochena ſucceſſor apud Nicephorum l. 2. c. 3. Clemens Alex. apud Sophronium in Prato ſpirituali c. 176. Euthimius in c. 3. Joan. S. Th. in hac parte q. 38. art. 6. ad 2. idque multis probat Soto in 4. d. 5. q. unica a. 2. R. 2. dato Antec. N. Conſ. Potuit enim Deus ex ſingulari privilegio B. M. Virgini & Apoſtolis, independenter a Baptiſmo, conferre omnem ejus effectum. Noſtra autem Concluſio eſt intelligenda de Lege ordinaria, ſecundum quam dicimus, quod in Lege nova jam plene & complete inſtituta Baptiſmus ſit omnibus neceſſarius in re vel in voto.

Inſt. 1. Viri quidam ſancti diu Baptiſmum diſtulerunt. Conſtantinus Magnus teſte Euſebio in ejus vita c. 62. diſtulit uſque ad mortem. S. Ambroſius erat tantum Catechumenus, quando fuit electus Epiſcopus. S. Martinus, ut legitur in ejus vita, vixit 8. annis in Catechumenatu. Ergo non exiſtimabant Baptiſmum eſſe tantæ neceſſitatis. R. N. Conſ. Sed exiſtimabant ſufficere votum Baptiſmi, ubi adeſſent rationes illum differendi, prout præſumimus habuiſſe illos Viros ſanctos, forte ex humilitate, & ut maturius per opera pietatis ſe ad illum diſponerent; quod ſi ſine cauſa tamdiu diſtulerint, non ſunt in hoc laudandi. Unde Ambroſius apud Baron. a. dom. 377. de ſua dilatione doluit, & ne alii ſic differrent, curavit. Similiter Aug. l. 1. Conf. c. 11. improbat, quod in ſe factum fuit, multique Patres acriter invehunt in diuturniorem dilationem. Sed de hoc iterum infra.

Inſt. 2. S. Cyprianus cum Africanis & Occidentalibus, qui contendebant contra S. Stephanum nullum eſſe Baptiſma Hæreticorum, & baptizatos ab illis eſſe rebaptizandos, hanc controverſiam non ad fidem, ſed ad diſciplinam pertinere exiſtimaverunt, ut diximus ſuperius, & ideo permittebant cuiquam ſentire quid vellet, & aliquando ipſimet œconomiæ cauſa baptizatos ab Hæreticis non rebaptizabant, ut etiam ibidem diximus quamvis tamen nullum reputarent hujuſmodi Baptiſmum. Ergo non exiſtimabant Baptiſmum eſſe neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem. R. ut ante, N. Conſ. Ex toto enim antecedente ſequitur tantum, quod exiſtimaverint ſufficere aliquando Baptiſmum in voto. Referebant autem controverſiam de validitate Baptiſmi Hæreticorum ad diſciplinam, & non ad fidem, non quia credebant Baptiſmum non eſſe neceſſarium, ſed quia iſta Quæſtio de validitate aut invaliditate Baptiſmi Hæreticorum, & conſequenter de rebaptizandis baptizatis ab illis, non erat eliquata, & aliquo ſolemni Eccleſiæ Decreto definita; ideoque permittebant cuiquam ſentire & facere quid vellet, ſervata unitate & pace.

Obj. 4. Cum Gerſona, Cajetano, &c. Virtus fidei in nova Lege non eſt imminuta: atqui in Lege naturæ & in Lege ſcripta ante 8. diem fides Parentum ſufficiebat ad ſalutem parvulorum: ergo nunc ſimiliter. R. 1. Secundum ea, quæ diximus in Tract. de Sacramentis in genere, neque in Lege naturæ neque in Lege ſcripta ante 8. diem ſufficiebat ſola fides parentum ſine aliquo ſigno viſibili hujus fidei proteſtativo. 2. Sed eſto fidem parentum tunc ſuffeciſſe, ut videtur innuere Tertull. ſupra laudatus & nunc non ſufficiat; id non contingit ex eo, quod virtus fidei ſit imminuta, ſed quia adjunctum eſt Baptiſmi mandatum, ut dicit ibid. Tert. Sicut licet obſervatio mandatorum ſufficiat ad ſalutem, ei tamen, qui Religionem profitetur, non ſufficit, ſed neceſſaria eſt obſervatio conſiliorum, non quia eſt imminuta virtus obſervationis mandatorum, ſed ratione adjuncti.

Inferes. Ergo ſaltem via ſalutis facta eſt nunc arctior, & infantes ſunt nunc pejoris conditionis quam tunc, quod eſt abſurdum. Prob. Illatio. Tunc ſalvabantur infantes vel per ſolam fidem parentum, vel adjuncto ſigno ſenſibili ad eorum libitum; nunc vero reſtringuntur ad ſolum Baptiſmum. Ergo. R. N. illat. ad prob. N. Conſ. 1. Quia tunc rarior erat fides ſupernaturalis, nunc autem Baptiſmus, licet in certis caſibus difficilis, communiter tamen eſt omnibus pervius, nec a fide & probitate Miniſtri pendet, ſicque facilius adhibetur, quam remedium Legis naturæ. 2. Quia in Lege ſcripta Circumciſio non poterat conferri ante 8. diem, Baptiſmus autem a quocumque poteſt conferri ab inſtanti nativitatis. 3. Per Baptiſmum habetur abundantior gratia cum jure ſtatim ingrediendi Regnum cœlorum, quod antiquis erat occluſum: ſicque nec facta eſt arctior via ſalutis, nec infantes ſunt pejoris conditionis, ſed a contra.

Inſt. Peccatum alienum ſcilicet Adæ nocet infantibus ad damnationem, quidni prodeſſet fides aliena ad ſalutem? Item ſalvatur infans in utero per Martyrium Matris, quidni per ejus fidem? R. 1. ad utrumque ſic placuiſſe Chriſto. Deinde ad 1. diſparitas eſt, quod peccatum Adæ non ſit infantibus alienum & extrinſecum, ſed unicuique proprium, quatenus in Ademo, qui erat caput totius generis humani, peccante omnes peccaverunt, ut dictum eſt de peccato orig. at fides parentum eſt omnino extrinſeca parvulis. Ad 2. Puer non ſalvatur per Martyrium Matris, ſed per proprium Martyrium, quando cum Matre occiditur.

Inferes. Ergo demeritum Adæ eſt efficacius ad damnationem, quam meritum Chriſti ad ſalutem. R. D. Illatum: demeritum Adæ eſt efficacius ad damnationem ſecundum quid, quatenus ſcilicet extenditur ad plures, C. Neque id negari poteſt in ulla ſententia. Eſt efficacius abſolute, N. Quia meritum Chriſti efficax eſt non ſolum ad delendum peccatum originale, quod ex Adamo contrahimus, ſed etiam ad delenda peccata actualia. Item efficax eſt ad procuranda nobis majora bona, quam quæ perdidimus per peccatum Adæ, ampliores ſcilicet & efficaciores gratias, quibus innumeras naturæ infirmæ & corruptæ tentationes ſuperemus, & in finem uſque perſeverantes ſalutem conſequamur.

Urgebis. Aug. Ep. 23. nunc 68. ad Bonif. & Bernard. Ep. 77. docent parentum fidem prodeſſe parvulis ad ſalutem. Ergo. R. D. Ant. Docent fidem parentum parvulis prodeſſe ad ſalutem, quatenus parentes fide moventur ad eos offerendos Baptiſmo, C. *Cum offertur conſecrandus*, inquit Aug. quatenus per eam ſine Baptiſmo juſtificantur, N.

Repones. Voluntas patris reputatur voluntas filii. Ergo. R. D. Ant. In iis, in quibus pater eſt caput familiæ & conſequenter filii, C. in iis, quibus eſt privata perſona, N. In iis autem, quæ ſpectant juſtificationem filii, cum ſint altioris ordinis quam poteſtas patria, pater non eſt caput filii, ſed privata perſona.

Inferes ex hac doctrina. Ergo infantes morientes in uteris maternis, & alii nati, quibus non poteſt conferri Baptiſmus, carent mediis ſufficientibus ad ſalutem; ſicque Deus non vult omnes ſalvos fieri, nec Chriſtus mortuus eſt pro omnibus. R. N. Illationem. Deus enim inſtituendo Baptiſmum pro omnibus providet media ſufficientia parvulis ſecundum eorum conditionem: neque tenetur ut proviſor univerſalis intercipere miraculoſe cauſarum ſecundarum curſum, ne præmature moriantur. Inſuper non incongrue dicitur conferri parentibus auxilia ſufficientia, quibus ſi bene uterentur, de facto ſuæ proles pervenirent ad Baptiſmum. Hanc gravem difficultatem uberius explanatam vide in Tract. de Deo Diſſ. 7. n. 8. Obj. 7. & 8.

Obj. 6. Hoc ipſo quo ponimus votum Baptiſmi in contritione perfecta incluſum ſufficere, Baptiſmus non eſt magis neceſſarius neceſſitate medii, quam obſervatio aliorum præceptorum, puta jejunandi vel audiendi Miſſam: quia pariter ſine aliis præceptis aut eorum voto nemo poteſt Juſtificari. Ergo vel votum Baptiſmi non ſufficit, vel Baptiſmus non eſt neceſſarius neceſſitate medii. R.

N. Se-

N. Sequelam. Aliter enim & aliter concurrunt votum Baptiſmi & votum aliorum præceptorum: cum enim Baptiſmus ſit a Chriſto inſtitutus ut medium ad conſequendam remiſſionem peccatorum & juſtificationem, juſtificatio dicit intrinſecum reſpectum ad illum & dependentiam ab illo, & ideo contritio cum voto Baptiſmi concurrit ad juſtificationem ut gerens vices Baptiſmi. At vero cum alia præcepta non ſint inſtituta ut media ad conſequendam juſtificationem, ſed propter alios fines, juſtificatio non dicit intrinſecum ordinem ad illa, neque eorum obſervatio poſitive concurrit ad illam ſicut Baptiſmus, ſed negative tantum tanquam removens peccatum, quod illam impediret. Unde contritio quantumvis includat votum aliorum præceptorum, puta jejunii, non concurrit ad juſtificationem ut vices gerens jejunii.

Inſt. 1. Quod eſt neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem, non poteſt per aliud ſuppleri, ut patet in fide & gratia. Atqui ex dictis Baptiſmus ſuppleri poteſt per ejus votum & per Martyrium. Ergo. R. D. Maj. Quod eſt neceſſarium neceſſitate medii ex ſua natura ut fides & gratia, non poteſt ſuppleri per aliud, C. Quod eſt neceſſarium ex inſtitutione divina, N. Sic enim Chriſtus juſtificationem annexuit Baptiſmo, ut tamen illi ſuam virtutem non alligaverit, volueritque illum ſuppleri poſſe per ejus votum & per Martyrium, ut antea probavimus.

Inſt. 2. In eo, quod eſt neceſſarium neceſſitate medii, ignorantia invincibilis non excuſat. Atqui excuſat in Baptiſmo, qui enim nihil unquam audivit de Baptiſmo, non peccat illum non ſuſcipiendo. Ergo. R. D. Min. Ignorantia invincibilis excuſat in Baptiſmo, ut præceptum eſt, C. Ut eſt medium neceſſarium ad juſtificationem, N. Non ergo peccat, qui illum ex ignorantia invincibili omittit, nec propter hanc omiſſionem damnabitur, ſed propter peccatum originale & peccata actualia, quæ remitti non poſſunt ſine Baptiſmo aut ejus voto extra caſum Martyrii, ut jam dixi.

Petes 1. Quale votum Baptiſmi requiratur? Reſpondet Auctor (*Hic q. 69. a. 3. ad 2.*) requiri explicitum vel implicitum, ſcilicet requiritur explicitum in eo, cui innoteſcit Baptiſmus & ejus neceſſitas; ſufficit autem implicitum illi, qui de aliis articulis fidei inſtructus nihil adhuc de Baptiſmo audivit: ſi enim ille intendat obſervare totam legem Chriſti, & adhibere omnia ab eo inſtituta ad conſequendam ſalutem, in hac intentione habet votum implicitum Baptiſmi, quod contritioni perfectæ conjunctum ſufficit non ſolum ad juſtificationem, ut quidam volunt, ſed etiam ad vitam æternam.

Petes 2. An qui eſſet ſanctificatus in utero, aut via non ſeminali natus abſque peccato originali, deberet baptizari? R. affirmative: 1. Ut fieret membrum Eccleſiæ, atque fidelibus, ſicut in una fide, ita in uno ſigno viſibili adunaretur, juxta illud, *una Fides, unum Baptiſma*. 2. Ut configuraretur Chriſto per characterem. 3. Ut eſſet idoneus aliis Sacramentis ſuſcipiendis; ad hæc enim omnia eſt inſtitutus Baptiſmus, & non ſolum ad remiſſionem peccatorum. Et ideo Paulus, Nicodemus, Eunuchus Candacis Reginæ & alii plures Act. 10. qui jam acceperant Spiritum S. baptizati ſunt. Neque ideo falſa eſt circa illos forma Baptiſmi, *Te baptizo*: quia ſenſus eſt; confero tibi gratiam peccati ablutivam; ſicut ſenſus formæ Sacramenti Pœnitentiæ, *Abſolvo te*, eſt, confero tibi gratiam peccatorum remiſſivam, quæ ideo non redditur falſa, dum profertur ſupra peccata jam confeſſa & remiſſa, aut ſuper eos, qui perfecta contritione fuere prius juſtificati.

Petes 3. Utrum Baptiſmus re ſuſceptus neceſſario præſupponatur ad validam aliorum Sacramentorum perceptionem? R. Affirmative, excepta Euchariſtia. Eſt expreſſa ſententia D. Th. cit. (*In ſupp. q. 35. a. 3.*) quam tripliciter probat: 1. in Arg. ſ. c. quia juxta communem ſenſum Eccleſiæ, SS. Patrum & Theologorum Baptiſmus re ſuſceptus, & non ſolum in voto, eſt janua & fundamentum aliorum Sacramentorum. Atqui ſine janua non intratur, & ſine fundamento non ſuperædificatur, ut diſcurrit Innoc. mox citandus. Ergo. Prob. 2. (*Ib. o.*) In corpore Art. Quia nihil poteſt aliquis recipere, cujus potentiam receptivam non habet. Atqui per characterem baptiſmalem efficitur homo receptivus aliorum Sacramentorum, ut alibi diximus. Ergo qui characterem baptiſmalem non habet, nullum alterum Sacramentum recipere poteſt. Probat 3. (*Ib. ad 3.*) Ex jure Canonico Cap. *Si quis* 1. Extra l. 3. tit. 42. ex Con. Compendienſi, ubi ſic decernitur: *Si quis Presbyter ordinatus deprehenderit ſe non eſſe baptizatum, baptizetur & iterum ordinetur*. Non præciperetur autem iterum ordinari, ſi valeret ordinatio ante Baptiſmum. Eadem eſt ratio de aliis Sacramentis. Idem definit Innoc. III. Cap. *veniens* ibid.

Neque obſtat, quod ibidem dicat hunc caſum dubitabilem, ex quo ſequitur, quod ſententia contraria ſit etiam probabilis: poſtquam enim rationes pro & contra expendit, dicit: *Nos in hoc caſu dubitabili, quod tutius eſt ſequentes, mandamus*, &c. Non obſtat, inquam, quia veriſimile eſt dubitationem referre ad Baptiſmum hujus Presbyteri, non ad ordinem ſine Baptiſmo collatum; tum quia immediate ante reſolvit ex Concilio Compendienſi hujuſmodi ordinationem eſſe nullam: tum quia alioquin non fuiſſet tutius ipſum reordinare; ſed ab ordinum executione ſuſpendere: tum tandem quia in fine innuit rationem dubitandi de Baptiſmo præfati Presbyteri, eo quod ſcilicet eſſet natus & converſatus inter infideles. Unde ſenſus hujus decretalis eſt: nos in hoc dubitabili caſu de Baptiſmo, tutius ſequentes jubendo præfatum rebaptizari, mandamus, quatenus ipſum per ſingulos ordines uſque ad Sacerdotium promoveri cures. Cæterum neque Conc. Compendienſe, neque S. Th. neque ullus SS. Patrum aut antiquorum Theologorum de validitate hujuſmodi ordinis ſic unquam dubitavit, ut probabilem crediderit. Inſignis autem & damnandæ temeritatis foret a communi ſenſu Eccleſiæ, Patrum & Theologorum recedere ſine graviſſimis fundamentis, quæ hic deficiunt.

ARTICULUS II.

Utrum pueri ſint baptizandi.

POſito ex Art. præcedenti, quod Baptiſmus ſit omnibus neceſſarius neceſſitate medii ad ſalutem, ſequitur; quod omnes omnino homines etiam parvuli ſint baptizandi; hi enim poſſunt & debent ſalvari non minus quam adulti. Quia tamen de illis eſt aliqua difficultas, & plures Hæretici illos Baptiſmi incapaces dixerunt, quæſtionem hanc cum Auctore inſtituimus. Itaque infantes Baptiſmi incapaces dixerunt Valdenſes, Petrobruſſiani, contra quos ſcripſit Petrus Abbas Cluniacenſis; Anabaptiſtæ, qui pueros in infantia baptizatos rebaptizant, eo quod eorum Baptiſmum nullum credant. Tertullianus l. de Bapt. c. 18. cenſet non conferendum Baptiſmum parvulis, niſi ad adultam ætatem pervenerint, quia, inquit, Sponſores exponuntur periculo, ne infantes promiſſiones, quas pro ipſis fecerunt, irritas faciant. Eraſmus Ep. quæ præcedit ejus paraphraſim in Matth. vult parvulos, *poſtquam adoleverint, interrogandos eſſe, an ratas habeant promiſſiones per eorum Sponſores factas: quod ſi recuſaverint eas confirmare, proprio arbitrio illos eſſe relinquendos, nec ad Chriſtianam vitam cogendo*.

Dico (*Hic q. 68. a. 9. o.*) Parvuli ſunt capaces Baptiſmi; eoſque nedum convenit, ſed & neceſſe eſt baptizare. Prob. 1. Ex Scriptura. 1. Eſt lex generalis Joan. 3. *Niſi quis renatus*, &c. Atqui infantes ſunt capaces regni cœleſtis, ut teſtatur Chriſtus Matth. 19. Marci 10. Lucæ 18. Ergo. Neque dicas per infantes & parvulos in his locis intelligi jam ratione utentes, eo quod dicuntur *Venire*; vel parvulos non ætate, ſed humilitate. Nam vox græca apud Lucam ſignificat infantem recentem ex utero, & ibidem dicuntur *Allati* ad Chriſtum, Chriſtus dicitur illos *complecti, ſuper illos manus imponere, eis benedicere*, declarat eorum eſſe Regnum cœlorum, quæ omnia indicant eſſe infantes nondum ratione utentes, nec malitiæ capaces: unde *Venire* ibi ſignificat *Accedere*, ſive per ſe, ſive per alium. Intelligentia autem de humilitate non eſt literalis, ſed moralis. 2. Act. 16. & 1. Cor. 1. legimus integras familias fuiſſe baptizatas, in quibus veriſimile eſt fuiſſe parvulos. 3. Infantes in antiqua lege circumcidebantur. Ergo in nova Lege ſunt baptizandi. Patet Conſ. Quia Baptiſmus Circumciſioni ſubrogatus eſt, Coloſſ. 2. 2. Quia eadem eſt utriuſque neceſſitas & idem finis, ſcilicet deletio peccati orig. & cooperatio in veram Religionem & Eccleſiam. 3. Quia gratia non eſt minor, imo abundantior eſt in nova quam in veteri Lege.

Prob. 2. Ex traditione. Dionyſ. c. ult. Eccleſiaſt. Hierarc. *Divini noſtri Duces*, inquit, *probaverunt infantes recipi ad Baptiſmum*. S. Clemens l. 6. conſtit. Apoſt. c. 15. *Baptizate veſtros pueros, atque eos educate in diſciplina & monitis Dei*. Orig. in c. 6. Epiſt. Rom. *Eccleſia traditionem ab Apoſtolis ſuſcepit etiam parvulis dare Baptiſmum*, Auguſt. ſerm. 10. de verbis Apoſt. nunc 176. de Baptiſmo infantium dicit: *Hoc Eccleſia ſemper habuit, ſemper tenuit, hoc a majorum fide ſuſcepit, hoc uſque in finem perſeveranter cuſtodit*. Conſule probationem 5. primæ Concluſ. Art. præcedentis. Eamdem traditionem confirmant S. Cyp. Ep. 59. ad Fidum. Greg. Nazianz. Orat. 40. in S. Baptiſma. Chryſoſt. hom. ad Neoph. Ambroſ. l. 2. de Abraham cap. 11. Hieron. l. 3. contra Pelagianos in fine; & Ep. ad Lætam, ubi arguit ſceleris, qui Baptiſmum infantibus denegant.

Prob. 3. Ex Conciliis. Conc. Carthag. ſub S. Cyp. anno 253. rejecit opinionem Fidi Epiſcopi, qui volebat infantes non eſſe baptizandos niſi poſt octavum diem. Patet ex Ep. cit. Cyp. ad ipſum Fidum. Conc. Milevitanum, cui interfuit Aug. an. 416. Can. 2. ſic definit: *Quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut*

dicit

Digitized by Google

dicit in remiſſionem quidem peccatorum eos baptizari, ſed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro expietur. Anathema ſit. Idem definiunt Conc. Gerundenſe an. 517. Can. 5. Bracarenſe 3. an. 572. Senonenſe an. 1528. Bituricenſe 1584. Aquenſe 1585. Idem Cap. *Parvuli* 74. de Conſec. d. 4. & Cap. *Majores* 3. extra l. 3. tit. 42. ex Innoc. III. damnantur, qui aſſerunt Baptiſmum parvulis inutiliter conferri. Tandem Concil. Trid. ſeſſ. 7. Can. 13. de Bapt. *Si quis dixerit parvulos, eo quod actum credendi non habent, ſuſcepto Baptiſmo, inter Fideles computandos non eſſe, ac propterea cum ad annos diſcretionis pervenerint, eſſe rebaptizandos; aut præſtare omittere eorum Baptiſmum, quam eos, non acta proprio credentes, baptizari in ſola fide Eccleſiæ, Anathema ſit.* Et can. 14. perſtringens opinionem Eraſmi; *Si quis dixerit hujuſmodi parvulos baptizatos, cum adoleverint, interrogandos eſſe, an ratum habere velint, quod Patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti ſunt; & ubi ſe nolle reſponderint ſuo eſſe arbitrio relinquendos, nec alia interim pœna ad Chriſtianam vitam cogendos, niſi ut ab Euchariſtiæ aliorumque Sacramentorum perceptione arceantur, anathema ſit.*

Prob. 4. Rationibus Theologicis jam partim inſinuatis. 1. Parvuli naſcuntur in peccato, capaces ſunt æternæ ſalutis, Baptiſmus eſt ipſis unicum medium ad deletionem peccati, & æternæ ſalutis conſecutionem, ſunt in continuo repentinæ mortis periculo. Ergo ſunt baptizandi. 2. Chriſtus eſt Salvator non minus parvulorum, quam adultorum; ſalvari non poſſunt ſine Baptiſmo. Ergo idem quod prius. 3. Baptiſmus habet vim ex opere operato. Ergo poteſt in parvulis habere ſuum effectum. 4. Qui a pueritia eſt Fidei & Religioni Chriſtianæ aſſuetus, firmius illi inhæret. Ergo congruit parvulos baptizari. 5. Per Baptiſmum a ſervitute diaboli liberantur, & minus ab illo impetuntur. Ergo idem.

Solvuntur Objectiones.

Obj. Baptizandi debent prius 1. doceri, Matth. ult. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos,* &c. 2. Credere, Marci ult. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit,* 3. Pœnitere, Act. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum*. Atqui Infantes ſunt horum incapaces. Ergo. Lutherus, ut ab hoc Anabaptiſtarum argumento ſe expediret, finxit infantibus pro inſtanti Baptiſmi miraculoſe accelerari uſum rationis: at figmentum derident ipſimet Lutherani. R. hos Scripturæ textus, quid actus præfatos, ſpectare adultos, & non Infantes. Nam Matth. & Marci ult. mittuntur Apoſtoli ad gentes idololatras, quas neceſſe erat inſtrui: & Act. 2. Petrus alloquebatur eos, qui dicebant: Quid faciemus viri fratres, &c. His ergo textibus jubentur adulti inſtrui, credere, pœnitere, priuſquam baptizentur; at his infantes horum actuum incapaces nullatenus prohibentur baptizari. Quinimo congruum eſt, ut qui ſolum peccatum orig. ex aliena voluntate contraxerunt, per voluntatem alienam remedium accipiant, juxta illud Aug. Serm. 14. de verbis Apoſt. nunc 294. *Ad verba aliena ſalvatur, quia ad factum alienum vulneratur.* Habemus exemplum in Circumciſione, quæ erat figura Baptiſmi. Abraham juſſus circumcidere omnes maſculos, procul dubio adultos de hac cæremonia & Dei præcepto inſtruxit; infantes vero octo dierum non inſtruxit, quos tamen circumcidit.

Inſt. 1. Canon 6. Neocæſarienſis dicit fœtum in utero matris prægnantis non poſſe baptizari cum illa, *Quod proprium uniuſcujuſque inſtitutum ac propoſitum in Confeſſione oſtendatur.* Ergo requiritur voluntas & actus proprius in baptizando, non ſufficit alienus. R. verbis laudatis immediate præmitti: *Neque enim, ea, quæ parit, cum fœtu, qui paritur, ea in re habet aliquid commune.* Senſus eſt ergo, quod puer in utero matris non poſſit ſalvari neque matris Baptiſmo, qui illi applicatur, neque ejus fide, quia fides eſt cuicuique propria, & illam non profitetur infans.

Inſt. 2. Infantes non admittuntur ad Euchariſtiam. Ergo non debent admitti ad Baptiſmum. R. 1. Prioribus ſæculis infantes admiſſos fuiſſe ad Euchariſtiam, ſed cum id pertineat ad diſciplinam, Eccleſia propter graves rationes eos amplius non admittit. 2. N. Conſ. Diſparitas eſt 1. quod Baptiſmus ſit abſolutæ neceſſitatis, non Euchariſtia. 2. Quia, ut dicit Trid. Seſſ. 21. c. 4. *Infantes per Baptiſmi lavacrum regenerati, & Chriſto incorporati, adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non poſſunt.* Euchariſtia autem eſt cibus ad reparandas vires ſpirituales, quæ per quotidiana peccata deperduntur.

Inſt. 3. Chriſtus non fuit baptizatus niſi anno ætatis 30. Ergo nec homines, niſi hunc annum attigerint, ſunt baptizandi. R. N. Conſ. Diſparitas eſt, quod Chriſtus non indigeret Baptiſmo, homines autem indigent. *Cum Deum dixiſti*, inquit Greg. Naz. Orat. 40. *quæſtionem ſoluta eſt; nam ille purgatio ipſamet erat, nec purgatione indigebat, verum tua cauſa purgabatur.*

Inſt. 4. Tertull. l. de Bapt. c. 18. cenſet non eſſe baptizandos parvulos, niſi ſaltem ad adultam ætatem pervenerint. Ergo. R. hanc ſingularem Tertulliani opinionem ab omnibus rejici, utpote traditioni & unanimi Patrum ſenſui contrariam, ac levibus rationibus nixam.

Inſt. 5. Per Baptiſmum infantes graves incurrunt obligationes. Atqui iniquum videtur non conſentientibus jugum tam grave imponere. Ergo vel parvuli non ſunt baptizandi ante adultam ætatem, vel tunc interrogandi, an ſtent promiſſis pro ſe factis a ſuſceptoribus; quod ſi renuant, liberi ſunt dimittendi. Ita Eraſmus. R. N. Min. Tum quia jugum Chriſti non eſt grave, ſed leve & ſuave; tum quia eſt inevitabile omni volenti ſalvari, neque adulti poſſunt illud ſubterfugere ſub pœna damnationis æternæ, unde baptizando infantes nulla fit ipſis injuria, ſed magna confertur gratia: & ſemel facti per Baptiſmum Eccleſiæ ſubditi poſſunt & debent adigi, ut chriſtiane vivant. Paritatem habemus in Circumciſione; qui enim illam infantes acceperant, non cenſebantur paſſi injuriam, nec liberi ab obſervatione totius legis.

Petes 1. Utrum ſpurii & filii excommunicatorum ſint baptizandi? R. affirmative: quia Baptiſmus, ut dictum eſt, neceſſarius eſt omnibus & pro omnibus inſtitutus, neque pœna ſpirituali punitur quiſquam niſi propter proprium peccatum, juxta illud Ezech. 18. *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur.* Adde, quod a parentum ſanctitate non pendeat virtus Sacramenti. Quantum vero ad Baptiſmum ſpuriorum obſervandum eſt, quod Parochus debeat inquirere de veris Parentibus, & eorum nomina inquirere, & in Regiſtro baptiſmali ſcribere, ut in poſterum dignoſci poſſint impedimenta matrimonii. Si tamen ignorentur, aut ſi cognita matre pater neſciatur, puta quia mater non vult indicare, ne forte vel ipſa, vel pater, aut proles infametur, videtur, quod Parochus non debeat ideo Baptiſmum denegare, aut differre, nec cogere matrem ut revelet, quæ forte ex charitate & juſtitia debet tacere. Quod ſi ex ſolo matris teſtimonio noverit patrem, non debet ita mulieri fidere, ut illum abſolute ſcribat in Regiſtro baptiſmali tamquam verum patrem, ſed ſub hac clauſula, *ut mater ait.*

Petes 2. Utrum & quomodo monſtra debeant baptizari? R. 1. Si monſtrum ſpeciem humanam referat, debet baptizari, alias non. Si dubitetur, dubium eſt mature diſcutiendum, & eo manente debet baptizari ſub hac conditione, *ſi tu es homo*: ita Rituale Rom. Judicium autem eſt ſumendum præſertim ex capite, quod eſt rationis & ſenſuum ſedes. Unde ſi caput eſt humanum, & reliqua membra ferina, cenſendus eſt homo, & baptizandus abſolute. Si vero caput eſt ferinum, & reliqua membra humana, dubium eſt, & baptizandus ſub conditione. 2. Quando eſt monſtrum ex multiplicatione membrorum, ſi ſit certum informari duabus animabus, ſeu eſſe duos homines, debent ſeparatim baptizari, niſi ita urgeat neceſſitas, ut non ſuppetat tempus utrumque ſejunctim baptizandi, quo caſu Miniſter infundendo aquam ſuper utrumque, dicat, *Ego vos baptizo*. Si autem ſit dubium, an ſint duo vel unus, debet unus abſolute baptizari, & alter ſub hac conditione, *Si non eſt baptizatus*. Ita Rit. Roman.

Certum autem videtur eſſe duos homines, ſi ſint ſimul duo capita & duo pectora, quamvis alia membra non ſint duplicata; e contra eſſe unum, ſi ſub uno capite & uno pectore alia membra duplicantur. Si vero ſint duo capita cum uno pectore, vel duo pectora ſub uno capite, quibuſdam videtur tunc etiam eſſe duos homines; at id non videtur ex omni parte certum aliis, qui dicunt nihil obſtare, quominus una & eadem anima informet duo pectora ſub uno capite, nec quominus duæ animæ ſub duplici capite informent duo corda in eodem pectore. Unde exiſtimant, nec male, magis attendendum ad diverſitatem operationum.

ARTICULUS II.

Utrum pueri in uteris maternis poſiti ſint baptizandi?

SUPPONO 1. ex dictis a. 1. contra Gerſon. & Cajet. votum Baptiſmi a Parentibus conceptum pueris in utero clauſis non ſufficere, ſive adhibeatur aliqua benedictio aliudve ſignum ſenſibile, ſive non. Suppono 2. (*Ib. art. 11. o.*) Infantem in utero non baptizari Baptiſmo matris, ſi forte contingat eam tunc baptizari: tum quia anima pueri, ad cujus ſanctificationem ordinatur Baptiſmus, diſtincta eſt ab anima matris: tum quia corpus pueri animati jam eſt formatum, & ideo a corpore matris diſtinctum: unde Baptiſmus, quo mater baptizatur, non redundat in infantem. Aliunde, ut arguit Aug. l. 6. contra Jul. c. 5. ſi Baptiſmo matris baptizaretur puer in ejus utero exiſtens, non baptizaretur iterum, dum editur in lucem. Cum ergo tunc baptizetur, manifeſtum eſt, quod ad ma-

ternum

teinum corpus, dum eſſet in utaro, non pertinebat, nec ejua Baptiſmo ſit baptiaatus. Et ita definitur in jure c. *Si ad matris* 114. de conſec. l. 4. Suppono 3. (*Ib.*) Quod ſi corpus pueri ſit ita in utero clauſum, ut aqua tangi non poſſit, inutiliter & illicite tentetur Baptiſma: quia ablutio aquæ eſt de neceſſitate Sacramanti; in caſu autem non abluitur, nec ablui poteſt.

Sed quæſtio eſt, utrum ſi inchoato puerperio & aperto oſtio uteri puer poſſit manu vel *ſyringia* aliove inſtrumento aqua perfundi, ſive ſciſſa ſecundina juxta quoſdam, qui volunt eam non eſſe partem corporis, ſed ejus involucrum tantum, ſive ea integra manente juxta alios, qui dicunt hanc pellem eſſe partem infantis pro hoc ſtatu, eo quod ſecundum medicos ſit illi congenita, & non ſolum ad tegumentum, ſed etiam ad ejus nutritionem ordinata. Quæſtio eſt, inquam, utrum infans in hoc ſtatu poſſit licite & valide baptizari.

Dico 1. Probabilius videtur in caſu poſito infantem nec licite nec valide poſſe baptizari. Eſt omnium antiquorum, & ex Recentioribus Nat. Alex. Verani, Juenin, Habert, l'Herminier, Gotti, Tournaly, Berti, &c. contra quoſdam alios recentiores. Prob. 1. ex Scriptura, Auguſtino interprete. Chriſtus Joan. 3. v. 3. dicit Nicodemo: *Niſi quis renatus fuerit denuo*, &c. &. v. 7. *Oportet vos naſci denuo*: quæ ibidem explicantur de renaſcentia ex aqua & Spiritu ſancto. Atqui nemo poteſt naſci denuo, ſeu renaſci, niſi prius fuerit natus, ut per ſe notum eſt. Ergo. Unde Aug. Ep. 57. nunc 157. ad Dardanum dicit: *Non renaſci quiſquam poteſt, antequam notus ſit.* Infra: *Non video, quomodo ædificentur homines in domum Dei, ad habendum in ſe inhabitantem Deum, niſi cum fuerint renati, quod non poſſunt eſſe, antequam nati.* Item. *Illa ſanctificatio, qua efficimur & ſinguli templa Dei, & in unum omnes templum Dei, non eſt niſi renatorum, quod, niſi nati homines eſſent, eſſe non poſſunt.* Eandem rationem & auctoritatem adhibet Auctor hic a. ſt. in arg. ſ. c.

Reſpondent. 1. Scripturam & Aug. intelligi debere de nativitate non ex utero, ſed in utero, qualis exprimitur Matth. 1. *Quod in ea natum eſt*. Sed contra hanc interpretationem ex profeſſo impugnat Aug. ibidem his verbis: *Quod ſi quis dicit jam natum eſſe hominem, etiam cum adhuc eſt in utero matris, teſtimoniumque adhibet ex Evangelio, quia dictum eſt ad Joſeph de prægnante Virgine Domini Matre*: Quod in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt: *Numquidnam huic nativitati accedit ſecunda nativitas? Alioquin non erit jam ſecunda, ſed tertia. Dominus autem cum hinc loqueretur*: Niſi quis, *inquit*, renatus fuerit, *eam ſcilicet computans primam nativitatem, quæ fit matre pariente, non concipiente atque prægnante, quæ fit ex ea, non quæ fit in ea. Neque enim renatum dicimus hominem, quem mater peperit, tamquam iterum natus ſit, qui jam ſemel natus fuerat in utero. Sed illa nativitate non computata, quæ gravidam facit, natus dicitur homo partu, ut poſſit renaſci ex aqua & Spiritu S. ſecundum quam ex Matre Nativitatem, etiam ipſe Dominus* in Bethleem Judæ dicitur natus. *Si igitur homo regenerari per gratiam Spiritus in utero poteſt, quoniam reſtat illi adhuc naſci; renaſcitur ergo antequam naſcitur, quod fieri nullo modo poteſt.* Hanc ergo adverſariorum reſponſionem non ſolum improbat Aug. ſed etiam rationibus impugnat. 1. Quia ſi verba Chriſti intelligantur de nativitate in utero, regeneratio per Baptiſmum non erit ſecunda, ſed tertia nativitas. 2. Et maxime quia homo in utero generatus non dicitur ſimpliciter & proprie natus ſed in matre natus: unde illud, *Quod in ea natum eſt*. Simpliciter autem & proprie dicitur homo natus *partu*, ſeu qui ex utero prodiit, ut patet ex Scriptura, Matth. 2. *Cum natus eſſet Jeſus in Bethleem Judæ*. Et: *Ubi eſt, qui natus eſt Rex Judæorum*. Geneſ. 4. *Seth natus eſt Filius*. Et alibi. Inferunt. Ergo homo exſectus, ſeu eductus ex utero per operationem, quam Cæſaream appellant, eſt incapax Baptiſmi, quia non eſt proprie natus, unde dictus S. Raymundus *Nonnatus*. R. N. Illationem; quia naſci & in lucem edi ſunt Synonyma: unde proprie dicitur natus, qui ex utero quovis modo prodiit. Dictus autem S. Raymundus *Nonnatus*, non quod non eſſet proprie & ſimpliciter natus, ſed quia non erat natus, ut ſolent alii, enitente matre. Cæterum noſtra quæſtio eſt de infantibus in utero.

Reſpondent 2. Aurelius Piette quoad Aug. ipſum tantem velle, quod infans in utero matri exiſtens non poſſit baptizari baptizata matre: quia l. 1. de Peccat. meritis c. 6. ex eodem principio, quo uſus eſt in Ep. ad Dardan. ſcilicet, *qui natus non fuerit, renaſci non poteſt*; concludit: *Ex quo conficitur neminem in ſuo parente renaſci non potuiſſe non natum*, id eſt, baptiſato parente ſimul baptizari infantem. Sed contra: 1. Nihil horum legimus in Aug. l. 1. de Peccat. merit. c. 26. 2. Eſto alicubi iſta haberet Aug. male concludit adverſarius. Nam to *in parente* non magis ſignificat baptizari Baptiſmo parentis, quam baptizari in ejus utero; imo hoc ultimum magis obvie ſignificat. 3. Et præcipue. Eſto item Aug. alicubi ex hoc ſuo principio, *nemo renaſcitur niſi natus*, intulerit infantem in utero matris non poſſe baptizari baptiſmo matris, quæ illatio eſt legitima; at in Ep. ad Dardanum, quam verſamus, non hic ſiſtit, ſed ex eodem principio concludit generaliter, quod infans in utero matris de lege ordinaria nullo modo poſſit regenerari & baptizari: *Non video*, inquit, *quomodo ædificentur homines in domum Dei ad habendum in ſe inhabitantem Deum, niſi cum fuerint renati, quod non poſſunt eſſe antequam nati*. Id autem profecto vidiſſet, ſi credidiſſet infantem in utero exiſtentem poſſe proprio Baptiſmo baptizari. Item ibid. *Si homo regenerari per gratiam Spiritus in utero poteſt, quoniam reſtat illi adhuc naſci, renaſcitur ergo antequam naſcitur, quod fieri nullo modo poteſt*. Ergo nec ſuo nec matris baptiſmate.

Prob. 2. Ab auctoritate & praxi Eccleſiæ. Cui *Qui in maternis* 115. de Conſecr. d. 4. dicitur: *Qui in maternis uteris ſunt, cum matre baptizari non poſſunt, quia qui natus adhuc ſecundum Adam non eſt, renaſci ſecundum Chriſtum non poteſt; neque enim dici regeneratio in eo poteſt, quem generatio non præceſſit*. Quæ ratio excludit non ſolum Baptiſmum matris, ſed etiam proprium. Rit. Rom. Tit. de baptizandis parvulis prohibet infantem in utero matris baptizari, niſi caput aut aliud membrum extra emiſerit: *Nemo in utero matrum baptizari debet, ſed ſi caput emiſerit*, &c. ut infra. Idem Sacramentale Ambroſianum editum juſſu S. Caroli, Paſtorale Eccleſiæ Mechlinenſis, Rituale Bononienſe, Rituale Greg. XIII. & plura alia; nec forte unum proferri poterit, quod aliter loquatur. Idem S. Th. hic ad 4.

Reſpondent Eccleſiam & S. Th. hæc dixiſſe in hypotheſi, quod puer non poſſit in utero matris ablui. Sed cum nunc ex obſervationibus hodiernorum medicorum conſtet poſſe ablui, & manu tangi, horum definitionibus non adſtringimur. Sed contra 1. Jus Canonicum, Ritualia & S. Th. non ſolum in hoc fundantur, quod puer non poſſit ablui in utero, ſed etiam cum Aug. quem citat S. Th. in Arg. ſ. c. in hoc, quod nondum natus non poſſit renaſci. Sive autem poſſit ablui, ſive non, quamdiu eſt totaliter in utero, non poteſt dici natus ſecundum ullam ſui partem, cum naſci ſit extra prodire, & in lucem edi. 2. Uterum in partu aperiri, ideoque infantem poſſe tangi, non recentiores modo, ſed antiquiſſimi medici dixerunt: dixit ipſe Hippocrates de Nativitate puerorum. Id ergo non latebat Eccleſiam & S. Th. neque in hac hypotheſi locuti ſunt. 3. Si in hac ſolum ſuppoſitione non poſſit baptizari infans; igitur ex quo contrarium conſtat, debuiſſet Eccleſia in re tanti momenti antiqua ſua decreta reſcindere, & in novis editis jubere baptizari infantes in utero matris, etiamſi nullam ſui partem extra emiſerint, quod tamen huc uſque non fecit.

Prob. 3. Ratione. Homo per Baptiſmum cooptatur inter membra viſibilia corporis Chriſti myſtici ſeu Eccleſiæ viſibilis; ſunt enim Sacramenta ſigna ſenſibilia, quibus homines in unum religionis viſibilis nomen coadunantur, ut alibi diximus ex Aug. Atqui infans in nulla ſui parte ex utero egreſſus non poteſt cooptari inter membra viſibilia Eccleſiæ, nec coadunari in unum Religionis viſibilis nomen. Ergo.

Dico 2. (*Ib. ad* 4.) Cum Rituali Rom. & S. Th. citatis. *Si infans caput emiſerit, & periculum mortis immineat, baptizetur in capite; nec poſtea, ſi vivus evaſerit, iterum eſt baptizandus.* Quia caput eſt præcipua pars corporis, in qua vigent omnes ſenſus. *At ſi aliud membrum emiſerit, quod vitalem indicat motum, in illo, ſi periculum impendeat, baptizetur*: quia ſecundum aliquam ſui partem eſt natus: *Et tunc ſi natus vixerit, erit ſub conditione baptizandus*: quia non eſt certum, an valeat Baptiſmus in alia corporis parte, quam in capite collatus. *Si vero ita baptizatus, deinceps mortuus prodierit ex utero, debet in loco ſacro ſepeliri*: quia id pendet ex inſtitutione Eccleſiæ, & in his favorabilia ſunt amplianda. Hæc Ritualis verba videntur quaſi exſcripta ex Auctore loc. cit. in margine.

Obj. contra 1. Concl. Infans in utero materno incluſus eſt homo viator capax gratiæ, & indigus remedii, cum ſit peccato Orig. obnoxius. Si ergo remedium, quod Chriſtus inſtituit, ad eum pervenire poſſit, illum ſanabit. R. D. Ant. Eſt homo viator capax gratiæ, & indigus remedii, & hujus remedii capax, N. Et hujus remedii incapax, C. Debet enim prius naſci quam renaſci.

Inſt. 1. Baptiſmus eſt ablutio exterior aquæ. Ergo qui poteſt externe ablui, poteſt baptizari. R. D. Ant. Baptiſmus eſt ablutio exterior quæ fit in ſubjecto capaci, C. In ſubjecto incapaci, N. Ablue lapidem, non erit Baptiſmus. Infans autem in utero ex nulla ſui parte natus non eſt Baptiſmi capax, ut dictum eſt.

Inſt.

Inſt. 2. Adſunt omnia requiſita ad eſſentiam Baptiſmi, ſcilicet, materia, forma & intentio Miniſtri, nec plura requirit Conc. Flor. Ergo. R. D. Ant. Adſunt omnia requiſita, ſupponendo ſubjecti capacitatem, C. Sequ. N.

Inſt. 3. Puer in utero matris eſt ſufficienter natus, ut inficiatur peccato orig. Ergo etiam ſufficienter natus, ut ab eo mundetur. R. N. Conſ. Diſparitas eſt, quod peccatum Orig. contrahatur carnali generatione, proindeque ſtatim ac animatum fœtus, at non diluitur niſi Sacramento regenerationis viſibili, cujus eſt incapax, niſi prius natus.

Inſt. 4. Infans, de quo eſt quæſtio, eſt ſufficienter natus corporaliter, ut ſi tenellum ejus caput læſum fuerit in utero, poſſit appoſito ab obſtetrice emplaſtro juvari, & forte ſanari. Ergo eſt etiam ſufficienter natus, ut poſſit Baptiſmo ſpiritualiter juvari & ſanari. R. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod ut curetur corporaliter, non requiratur, quod ſit natus; ut curetur ſpiritualiter Sacramento viſibili regenerationis, debet prius eſſe natus. Adde, quod ſi medici prohiberent applicari emplaſtrum, non deberet applicari; ita quia Eccleſia prohibet in caſu adhiberi Baptiſmum, non eſt adhibendus.

Inſt. 5. Si puer in ipſa effuſione uteri ſolam manum extenderit, poteſt baptizari ſecundum nos: quidni ſi ipſa manus, aut forte aliqua pars potior eodem liquore intra uterum baptizetur? R. Diſparitatem eſſe, quod in 2. caſu nullo modo poſſit dici natus, in 1. autem caſu poteſt dici natus ſecundum aliquam ſui partem. Neque tamen dicimus hujuſmodi Baptiſmum in manu aut pede ſic eſſe certum, ut non debeat repeti ſub conditione, ſi infans perfecte naſcatur.

Inſt. 6. Infans, de quo agitur, eſt inchoative natus. Ergo. R. N. Ant. Eſt quidem in diſpoſitione, ut naſcatur, ſed nemo dicitur natus, niſi in lucem exterius emiſſus.

Cæterum quoad praxim, cum iſta ſententia non omni careat probabilitate, & in extremis extrema ſint tentanda, non videtur damnandus, qui in hoc caſu Baptiſmum ſub conditione tentarat.

Petes, utrum mater prægnans, a medicis deſperata, poſſit aperiri, ut puer extractus valeat baptizari? R. negative: quia nunquam licet occidere quemquam etiam periclitantem, ut alteri ſubveniatur. Sed expectanda eſt mors matris, &, ea ſtatim aperta, extrahendus infans & baptizandus. Quidam excipiunt caſum, quo mater eſt damnata ad mortem; ſed ſatius eſt differre ſupplicium, imo & notificationem ſuæ condemnationis uſquequo pepererit.

ARTICULUS IV.

Utrum pueri Judæorum vel aliorum Infidelium ſint invitis Parentibus baptizandi?

HUc uſque dixi de pueris baptizandis attenta eorum ætate, & ſpectato ſtatu ante nativitatem. Nunc dicendum de ipſis attenta eorum Parentum voluntate repugnante. Quantum ad pueros Fidelium non eſt difficultas, quia cum parentes ſint Eccleſiæ ſubditi, poſſunt cogi, ut offerant infantes ſuos Baptiſmo; conſequenter & a fortiori poſſunt infantes iis invitis baptizari. Inter Infideles, quidam ſubjiciuntur Principibus Chriſtianis, quidam non. Ex primis, quidam ſubjiciuntur politice tantum ut Cives; quidam ſerviliter, ut mancipia. Item quidam a fide ſuſcepta apoſtataverunt, ut Hæretici; quidam nunquam fidem ſuſceperunt, ut Judæi, Pagani, Mahumetani. Ut certa ab incertis diſtinguamus,

Suppono 1. Baptiſmum Infantibus quorumcumque Infidelium, etiam ipſis parentibus invitis, collatum eſſe validum; quia adſunt, ut ſupponitur, omnia eſſentialia, materia, forma, intentio Miniſtri & ſubjectum capax: neque voluntas ſeu intentio parentum offerentium pertinet ad eſſentiam, ſed tantum ad ſolemnitatem Sacramenti. *Non enim ſcriptum eſt*, inquit Aug. Ep. 23. ad Bonifac. *Niſi quis renatus fuerit ex parentum voluntate, ſed niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S.* Unde ſolum eſt quæſtio, an licite baptizari poſſint? Suppono 2. (*Hic a. 10. o.*) Filios quorumcumque Infidelium adultos poſſe licite, ſi conſentiant, baptizari; quia in his, quæ ſunt juris naturalis vel divini, incipiunt eſſe ſuæ poteſtatis. Suppono 3. Filios Hæreticorum poſſe licite parentibus invitis baptizari; quia, ſicut modo dicebam de pueris Fidelium, & ipſi parentes ratione baptiſmatis ſuſcepti, & ipſi Infantes ratione nativitatis ex parentibus baptizatis, ſunt ſubditi Eccleſiæ. Supereſt ergo difficultas de filiis non adultis Infidelium ſimpliciter.

Dico 1. (*Ib. & 2. 2. qu. 10. a. 12. & quodl. 2. a. 7.*) Pueri Infidelium, qui Principibus Chriſtianis non ſubjiciuntur, vel qui ſubjiciuntur politice tantum, non poſſunt licite baptizari invitis parentibus, exceptis certis caſibus infra referendis. Eſt communior cum Auctore contra Scotum & Scotiſtas, Prob. 1. (*Ib.*) Si pueri Infidelium, qui Principibus Chriſtianis non ſubjiciuntur, aut civiliter tantum ſubjiciuntur, invitis parentibus baptizarentur, vel apud ipſos parentes infideles relinquerentur, vel ab ipſis eriperentur & ſepararentur. Atqui neutrum licet: non primum propter evidentiſſimum periculum perverſionis & apoſtaſiæ in gravem injuriam fidei & Sacramenti: extra dubium eſt enim parvulos parentibus addictos, & eorum pravis moribus ac ritibus imbutos, cum ad adultam ætatem pervenerint, Baptiſmo, quem neſcientes ſuſceperunt, renunciaturos, & parentum Religionem ſecuturos. Non ſecundum, quia eripere pueros nondum adultos a poteſtate parentum eſt contra juſtitiam naturalem; jure enim naturali filii, quamdiu carent uſu rationis, ſunt ſub poteſtate & cura parentum, non minus quam eorum boves & oves, nec magis licet illos ab eis auferre, quam cæteras eorum poſſeſſiones. Ergo.

Pro cujus intelligentia diligenter obſervandum eſt cum Cajet. & Soto, quod cum Deus ſit Auctor utriuſque juris, ſcilicet naturalis paterni, & divini de Baptiſmo, non ſit inſtituenda comparatio inter ipſum Deum & parentes, tamquam inter duas poteſtates, ſed inter Deum ut Auctorem naturæ & ipſum ut Auctorem fidei & legis Baptiſmi. Potuit ergo Deus duplici modo inſtituere Legem baptizandi omnes, 1. ut impleretur non obſtante jure naturali; 2. ut impleretur ſervato jure naturali. Si 1. modo illam inſtituiſſet, nulla foret difficultas, & pueri infidelium poſſent invitis parentibus baptizari. At non hoc 1. modo, ſed 2. Legem hanc inſtituiſſe exiſtimamus; idque colligimus ex pluribus. 1. Quia ipſemet jus naturale condidit, Lex autem fidei & gratiæ naturam non deſtruit, ſed perficit; diſponit enim Deus omnia ſuaviter. 2. Non legimus in Scripturis omnes eſſe baptizandos, derogando juri naturali parentum, ſed ſimpliciter, omnes eſſe baptizandos, quod debet intelligi ſalvo jure naturali. Sicut enim ſi Princeps mandaret, ut omnes concurrerent ad conſtructionem arcis, non obſtantibus quibuſcumque privilegiis, equidem tunc etiam Nobiles tenerentur concurrere: ſed ſi mandaret ſimpliciter, ut omnes concurrerent, tunc non cenſeretur derogare juri & privilegiis Nobilium. Ita ſimiliter. 3. Lex Baptiſmi non tollit alia jura naturalia, v. g. non licet furari aut occidere Matrem, ut baptizetur infans, quem habet in utero. Ergo nec tollit jus paternum. 4. Noluit Deus per Legem Baptiſmi derogare juri naturali, quod habent adulti, ut libere de ſe & ſuis actibus diſponant, & ideo non poſſunt vi cogi ad Baptiſmum. Ergo nec juri parentum in filios. 5. Denique hanc eſſe Dei & Chriſti voluntatem colligimus ex conſtanti Eccleſiæ uſu, ut jam ſum dicturus. Unde

Prob. 2. (*Ibid. 2. 2. cit.*) Maximam habet auctoritatem Eccleſiæ conſuetudo, quæ ſemper eſt æmulanda, quia & ipſa doctrina Catholicorum Doctorum ab Eccleſia auctoritatem habet: unde magis ſtandum eſt auctoritati Eccleſiæ, quam auctoritati vel Aug. vel Hieronymi, vel cujuſcumque Doctoris. Atqui nunquam fuit uſus ſeu conſuetudo Eccleſiæ, quod Judæorum Filii & aliorum infidelium, civiliter tantum & politice Principibus Chriſtianis ſubditorum, invitis parentibus baptizarentur. Ergo. Prob. Min. Quamvis retroactis temporibus fuerint multi Catholici Principes potentiſſimi, ut Conſtantinus & Theodoſius, quibus familiares fuerunt ſanctiſſimi Epiſcopi, ut Sylveſter Conſtantino, Ambroſius Theodoſio, nunquam tamen id attentaverunt. Et certe illi Præſules zeloſiſſimi non prætermiſiſſent a piis illis Imperatoribus impetrare, ut baptizarent iſtos parvulos, ſi hoc eſſet conſonum rationi. Et ideo periculoſum videtur hanc aſſertionem de novo inducere, ut, præter conſuetudinem in Eccleſia hactenus obſervatam, Judæorum, invitis parentibus, filii baptizentur. Hæc in terminis S. Th. Exempla, quæ Adverſarii proferunt in contrarium, non ſunt ad rem, ut patebit ex ſol. Obj.

Conf. 1. Non eſt aſſignabilis poteſtas, per quam poſſint baptizari pueri infidelium reluctantibus parentibus. Non civilis, quia hæc ſpectant duntaxat regimen populi ſecundum præſcripta juris naturalis vel humani. Non Eccleſiaſtica, nihil enim ad eam ſpectat de his, qui foris ſunt, judicare; ut dicit Apoſt. 1. Cor. 5. Non utraque ſimul, non enim plus poſſunt conjunctim quam ſeparatim. Ergo. Conf. 2. Non licuit Judæis circumcidere alienigenas aut eorum filios politice tantum ipſis ſubjectos, niſi conſenſiſſent, ſed tantum vernaculos & emptitios. Gen. 17. Exodi 12. Joſeph l. 13. antiq. c. 8. & 11. Ergo ſimiliter de Baptiſmo. Conf. 3. Canone ex *literis* extra de Converſ. infidel. decernitur, quod Patre ad fidem converſo conſentiente in Baptiſmum filii, licet repugnet Mater, baptizandus ſit filius. Ergo a contrario ſenſu, ſi ambo Infideles repugnent, non eſt baptizandus.

Quod dixi de jure parentum, idem dic de avo, cui amoto patre, incumbit cura nepotum, & jus paternum in eos competit. Quidam idem cenſent de tutoribus, qui ſunt loco parentum; ſed verius videtur non eſſe tantum eorum jus, ſicut parentum, nec tantam eis injuriam irrogari

gari

gari a parentibus; præſertim in terris Principum Catholicorum, quorum auctoritate conſtituuntur tutores.

Dixi in Concluſione: *Exceptis certis caſibus*. Tres communiter aſſignantur. Primus caſus eſt. Si puer ſit ita morti proximus, ut nulla ſpes vitæ moraliter remaneat, poteſt ſecreto baptizari, inconſultis parentibus, quia tunc neque puer, moraliter loquendo, exponitur periculo apoſtaſiæ: neque Miniſter, ſed ipſa mors illum a parentibus eripit: neque injuria, quæ in tali caſu videtur irrogari parentibus, eſt tam gravis, nec tam ſuperſtitioſe intelligenda, ſed ſecundum prudentium judicium, inquit Soto. Et ita ſolent ſe gerere Miſſionarii apud Indos, ut legimus de S. Franc. Xaverio in Ep. ad Franciſc. Henricum infra citanda, & de S. Ludovico Bertrando in ejus vita.

Secundus caſus. Si puer, ſive juſte, ſive injuſte, ſit ita a parentum cuſtodia abſtractus, ut nulla ſit ſpes reditus ad illos, poteſt baptizari; quia tunc parentes cenſentur mortui parvulis, & amiſiſſe ſi non ipſum jus, ſaltem uſum juris paterni, quo uti non poſſunt. Et ſic ſolent baptizari, qui e longinquis Regionibus, ſive per mercatores, ſive fortuna belli ad nos deferuntur. Si tamen furto ſublatus puer non ita diſtaret a parentibus, quin poſſet ad illos remitti, aut ii poſſent conſuli, alterutrum eſſet faciendum, quia per furtum non amittunt jus paternum.

Tertius caſus. Si alteruter parentum ad fidem converſus in Baptiſmum prolis conſentiat, altero repugnante, poteſt baptizari proles. Ita definivit Greg. IX. cap. *ex litteris* extra de converſ. infid. Idem Conc. Tolet. 3. an. 589. c. 14. & Conc. Tolet. 4. an. 633. can. 63. Ratio eſt, quia tunc conſenſus datur ab eo, qui habet jus naturale in puerum; & quamvis alter repugnet, prævalere debet conſenſus illius, qui cedit in favorem Religionis & in utilitatem pueri. Neque eſt periculum Apoſtaſiæ, quia puer præſumitur inſtruendus a conjuge fideli. Si tamen contrarium fundate timeretur, eſſet abſtrahendus a parentibus, ut patebit ex infra dicendis in fine articuli. Quod dixi de conſenſu unius conjugis, item dicendum, ſi avus mortuo Patre, conſentiat, reclamante Matre, quia avus habet etiam curam nepotum. Et ita ſtatuiſſe Gregorium XIII. refert Sylvius.

Dico 2. Filii infidelium mancipiorum poſſunt invitis parentibus baptizari. Eſt communis contra paucos: & quamvis Auctor hunc caſum non expreſſerit, innuit tamen tum hic ad 2. tum 2. 2. cit. ubi dicit pueros Judæorum non poſſe invitis parentibus baptizari, quia Judæi ſubduntur Principibus Chriſtianis ſervitute civili, per quod innuit, quod qui ſubduntur ſerviliter ut mancipia, poſſint baptizari.

Ratio eſt; quia Dominus jure Gentium habet dominium reale in ſervos & eorum filios, non minus quam in boves & oves, ita ut poſſit illos donare, vendere & ab invicem ſeparare, ſine cujuſquam injuria; pueri autem ſic ſeparati baptizari poſſunt, invitis parentibus; quia tunc reſpectu illorum ceſſat periculum Apoſtaſiæ. Unde quamvis dominium, quod quis habet in ſervos, non det illi jus directum & immediatum in ordine ad ſupernaturalia, dat tamen indirectum & mediatum, quia dat jus ad ſeparationem filiorum a parentibus, qua poſita ſeparatione, nihil obſtat, quominus poſſint baptizari pueri.

Si dicas jus paternum eſſe naturale, conſequenter parentes non poſſe eo privari per jus Gentium. R. Dici naturale non hoc ſenſu, quod quaſi jus naturale obliget, ſed quia originem habet a natura, ſicut libertas dicitur naturalis. Unde ſicut jure Gentium poſſunt libertate privari, ita & jure paterno. Vel ſi vis, remanet jus paternum radicale & remotum, fundatum in proceſſione filii a Patre, ſed privatum jure proximo & expedito. Hoc ipſo autem quo filii mancipiorum poſſunt baptizari, ſequitur, quod Domini per ſe teneantur curare, ut baptizentur, & chriſtiane edoceantur, quia ſuccedunt in curam parentum; niſi ex Baptiſmo & eorum retentione ſequerentur graviora incommoda, ſicut revera ſequerentur, ſi v. g. vellent pueros bello captos baptizari & non redimi; inde enim fieret, quod pueri fidelium ab infidelibus capti etiam non permitterentur redimi. An autem, ſi ſequatur tantum grave incommodum temporale, teneantur? Dubium eſt. Quidam affirmant, quia bonum ſpirituale infantis eſt præferendum bono temporali Domini, & ad id tenerentur parentes, in quorum obligationem Domini ſuccedunt. Negant alii, quia parvuli non ſunt in extrema neceſſitate, ideoque non eſt illis neceſſario ſuccurrendum cum gravi incommodo, neque Domini ſuccedunt in jus paternum cum tam ſtricta obligatione.

Solvuntur Objectiones contra 1. Concluſionem.

OBJ. 1. cum Franciſco Henno. Parentes nullum habent jus impediendi, quominus procuretur Baptiſmus eorum parvulis. Ergo poteſt Princeps illis invitis Baptiſmum parvulis procurare. R. N. Conſeq. Quia quamvis parentes non habeant jus impediendi Baptiſmum ſuorum filiorum, habent tamen jus, ne auferantur ab eis, quod fieri deberet, ſi baptizarentur, & ſic privarentur jure ſuo.

Inſt. 1. Hoc jure ſuo abutuntur parentes, nolentes filios ſuos baptizari. Ergo poſſunt illo privari. R. 1. Hoc argumento probari etiam adultos invitos poſſe baptizari; nam & ipſi abutuntur jure ſuo, & peccant contra jus divinum nolentes baptizari. 2. D. Ant. Abutuntur jure ſuo contra Legem humanam vel naturalem, N. Contra Legem ſupernaturalem & divinam, C. & N. Conſeq. Quia nemo poteſt per poteſtatem humanam privari jure ſuo, niſi eo abutatur contra Legem aliquam, ad quam ſervandam cogi poteſt ab iſta poteſtate: non poteſt autem infidelis per poteſtatem humanam cogi ad ſervandam Legem divinam Baptiſmi pro ſe, ita nec pro filiis.

Inſt. 2. Princeps eſt Miniſter Dei; ergo debet curare, ut ſerventur Dei mandata. R. D. Ant. Princeps eſt Miniſter Dei ad procurandam obſervantiam præceptorum naturalium & humanorum, C. Præceptorum ſupernaturalium, Subdiſtinguo. Eo modo quo Deus vult ea obſervari, Tranſeat; alio modo, N. Vult autem Deus Legem Baptiſmi obſervari, non derogando juri naturali parentum in filios, ut probatum eſt.

Inſt. 3. Suppoſita ſufficienti prædicatione fidei, ut ſupponi debet apud Principes Chriſtianos, parentes tenentur ex præcepto naturali prolibus ſuis procurare Baptiſmum. Ergo ubi præceptum iſtud violant, Principis eſt illorum defectui ſupplere. R. D. Ant. Suppoſita ſufficienti Evangelii prædicatione, parentes tenentur ex præcepto naturali mediate & indirecte prolibus ſuis procurare Baptiſmum, C. Immediate & directe, N. In tantum enim Lege naturali tenentur parentes procurare ſuis parvulis Baptiſmum poſita ſufficienti promulgatione fidei, in quantum Lex naturalis dictat eſſe obediendum præceptis ſuorum ſuperiorum. Hoc autem modo non dicimur proprie obligari jure naturali, ſicut non dicimur obligari jure naturali ad audiendam Miſſam, ad ſervandam Quadrageſimam, &c. & hujuſmodi Legis naturalis tranſgreſſio non ſufficit, ut Princeps poſſit parentes repugnantes jure ſuo privare; alioquin poſſet pariter cogere adultos ad ſuſcipiendum Baptiſmum, quia & ipſi ſimili modo peccant contra Legem naturalem nolentes baptizari. Immo ex eadem ratione poſſet Princeps Sæcularis ſe immiſcere omnibus ſpiritualibus & ſupernaturalibus. Adde ſic Deum inſtituiſſe Legem Baptiſmi, ut noluerit tranſgredientes, ſive pro ſe, ſive pro filiis, ad eam cogi derogando juri naturali, ut probatum eſt.

Inſt. 4. Poteſtas defendendi innocentes jure naturæ competit omnibus. Atqui infantes ſunt innocentes, & maximam patiuntur injuriam ex mala voluntate parentum. Ergo. R. D. Maj. Poteſtas defendendi innocentes jure naturæ competit omnibus, eo modo quo Deus inſtituit, C. Alio modo, N. Deus autem non inſtituit Legem Baptiſmi, ut poſſit conferri pueris innocentibus, violato jure naturali.

Inſt. 5. Si parentes vellent occidere infantes, aut docerent eos furari, blaſphemare, &c. poſſent ab eis juſte eripi, non obſtante jure, quod habent in illos. Ergo a fortiori, ſi nolint ipſos baptizari. R. N. Conſeq. Quia quæ referuntur in Antecedente, ſunt directe contra jus naturæ & bonum commune, cujus conſervatio directe ſpectat Principem civilem. At reſiſtentia parentum reſpectu Baptiſmi ſuorum parvulorum eſt directe & immediate contra jus ſupernaturale, cujus conſervatio non ſpectat Principem Sæcularem, niſi in quantum placuit ejus Auctori, non autem ipſi placuit, ut ſervaretur cum injuria alterius juris.

Inſt. 6. Aug. Ep. 48. nunc 93. laudat Leges ab Imperatoribus latas adverſus Sacrificia Paganorum. Ergo a fortiori laudaret Principes, qui impedirent ſubditos, ne proles ſuas dæmonio ſacrificent. R. N. Conſeq. Aliud quippe eſt impedire exercitium publicum Idolatriæ, aliud vi ad Chriſtianam Religionem compellere. Primum poteſt Princeps, quia inde poſſunt mores ſubditorum corrumpi, & tranquillitas publica turbari. Secundum non poteſt, quia ſic Deus non inſtituit Legem ſupernaturalem Baptiſmi, ut violato jure naturali conferretur, & vi homines ad Religionem traherentur. Quod ſi Infideles ſint ſuis ſubditis Chriſtianis ſcandalo, poteſt eos ex ſua ditione expellere, aut eos loco ſeparato concludere.

Inſt. 7. Oportet obedire Deo magis, quam hominibus. Atqui Deus præcipit omnes baptizari. Ergo. R. D. Min. Deus præcipit omnes baptizari, ſalvo jure parentum, C. Secus, N.

Inſt. 8. Chriſtus Lucæ 14. dicit ſervo: *Compelle intrare: ut impleatur domus mea*. Ergo. R. inde probari Infideles adultos poſſe vi compelli ad Baptiſmum, quod non admittitur; imo impios & in ſceleribus obſtinatos ad Cœlum violenter perduci, quod inſulſum eſt. (*Q. 22. de verit. art. 9.*) Igitur ſenſus eſt gentes compelli ad fidem, non per minas, tormenta & armorum vio-

lentiam, ſed per rationis vim & perſuaſionis efficaciam, ſic ut perſonante Evangelii tuba, & opetente gratia, fiant ex nolentibus volentes.

Obj. 2. Plures religioſiſſimi Principes vi compulerunt Infideles ad Baptiſmum. 1. Siſebutus Hiſpaniarum Rex teſte Baronio ad an. 614. Judæos ad Baptiſmum coegit; & in Conc. Tolet. 4. non ſolum non improbatus, ſed laudatus fuit Can. 57. fuitque ibidem præceptum, ut Judæi, *Qui Fidem Chriſtianam vi vel neceſſitate ſuſceperant, tenere cogantur*. 2. Lege 3. Viſigothorum l. 12. tit. 3. Judæi ſub pœna exilii compelluntur offerre filios ſuos ad Baptiſmum. 3. Carolus Magnus juxta Annales Francorum apud Ducheſne Saxones coegit ad Baptiſmum, & in hoc laudatur ab Adriano I. 4. Chilpericus, teſte Greg. Turon. l. 5. Hiſt. Franc. c. 17. multos Judæos baptizari juſſit. 5. Dagobertus, referente Auctore vitæ S. Amandi Trajectenſis Epiſcopi, huic dedit litteras, ut infideles Gandavenſes compelleret ad Baptiſmum. 6. Franciſcus Xaverius in Epiſt. ad Franciſcum Henricum dicit: *Plus proficis, quam tu putas, infantes diligentiſſime conquiſitos per Baptiſmum Cœlo pariendo*. 7. 1. Machab. 2. de Mathatia & Sociis dicitur: *Circumdederant pueros incircumciſos, quotquot invenerant in finibus Iſrael, & in fortitudine*. 8. Tandem; in lege naturæ poterat quilibet Fidelis offerre infantem alienum, applicando illi remedium peccati originalis. Ergo ſimiliter.

R. 1. Hæc facta pro majori parte non tangere noſtram concluſionem, ſunt enim de Infidelibus adultis, noſtra autem concluſio de pueris Infidelium nondum adultis. Et quamvis licitum eſſet metu pœnarum Infideles adultos ad Baptiſmum attrahere, non ideo licitum eſſet infantes a parentibus abſtrahere. At neutrum unquam probavit Eccleſia. Unde R. 2. Ad ſingula. Ad 1. factum Siſebuti improbavit Eccleſia Hiſpana in Conc. Tolet. nam Can. laud. in obj. ſic decernit: *De Judæis præcipit S. Synodus nemini deinceps ad credendum vim inferre*. Laudatus autem fuit Siſebutus non propter hoc factum, ſed propter zelum Religionis & alia ſtatuta adverſus Judæos, ſcilicet, ne Chriſtianum mancipium circumciderent, ne Chriſtianus exerceret ritus Judaicos, &c. Jure autem Judæi pœnarum metu baptizati coguntur ſervare Chriſtianæ Religionis ritus, quia licet nemo invitus & animo reluctans valide baptizetur, ſi tamen metu adductus revera velit ſuſcipere Baptiſmum, ſuſcipit; quæ enim fiunt ex metu, ſunt ſimpliciter voluntaria. Et aliunde Eccleſia, quæ non judicat de internis, præſumit, quod qui exterius Baptiſmum ſuſcipit, reipſa intenderit ſuſcipere. Ad 2. Lege Viſigothorum ſancitum eſt, ut qui baptizari potius, quam exulare elegerant & promiſerant, flagellis eſſent puniendi, ſi promiſſioni ſponte factæ non ſtarent. Ad 3. Carolus Magnus non vi compulit Saxones ad Baptiſmum, ſed illos inſtrui, & ſuaſionibus ac hortationibus ad Baptiſmum perduci curavit, quem illi ſponte ſuſceperunt. Unde Alcuinus Ep. 1. dicit *Carolum Magnum ſua ſollicitudine, devotione ac benignitate, per veræ ſalutis conſilium, per optimam voluntatem, Saxones convertiſſe*. At vero poſt iteratas Saxonum rebelliones, & a fide defectiones, ipſos coegit ſtare & promiſſis & Religioni ſponte ſuſceptæ. Ad 4. ipſe Greg. Turon. referens factum Chilperici ipſum improbat. Ad 5. S. Amandus non uſus eſt poteſtate ſibi a Dagoberto tradita, ſed verbum Dei apud Gandavenſes prædicavit, & quos e captivitate redimebat, baptizabat, ut dicit Auctor ejus vitæ apud Surium 6. Februarii, Vide etiam Acta Sanctorum ad eundem diem. Ad 6. S. Franciſcus Xaverius loquitur de infantibus morti proximis, & a parentibus derelictis; addit enim: *At memento te eſſe menſibus, quibus iſthic verſaris, plures animas conſervaſſe moribundis infantibus baptizandis*. Ad 7. 1. Multi interpretantur de pueris Judæorum, qui metu mortis a gentibus incuſſo non auſi fuerant circumcidere ſuos filios: unde ibi additur, *& obtinuerunt legem de manibus Gentium*, id eſt, excuſſo Gentium jugo recuperaverunt obſervantiam legis. 2. Eſto intelligendum ſit de pueris Gentium, Judæi poterant illos circumcidere, nimirum captivos factos jure belli. Conſtat autem ex probationibus concluſionis non licitum fuiſſe circumcidere alienigenas invitos aut eorum filios, niſi vernaculos & emptitios. Ad 8. Sylvius negat Ant. Tunc enim ſicut nunc ſervandum erat jus paternum, nec puer educandus in infidelitate, poterat tunc magis quam nunc exponi periculo Apoſtaſiæ. Soto concedit Ant. & negat Conſeq. 1. Quia tunc non imprimebatur character. 2. Quia fidelis poterat ratione naturali convincere patrem, bonum eſſe filium Deo commendare. 3. Quia tunc homines non erant coadunati in aliquam ſingularem Religionem per exteriorem cultum, ſic ut parentes poſſent conqueri de ſubtractione ſuorum filiorum. Inſuper admittit Soto, quod illa oblatio fieri poſſet per actum interiorem neſciente patre: quod nos negavimus de Sacramentis in genere. Prima ſolutio magis arridet.

Obſervandum hic pro complemento, quod ſi contingit filios Infidelium invitis parentibus baptizari, debeant ab illis ſeparari propter periculum Apoſtaſiæ. Ita decernitur in jure Cap. *Judæorum* 11. cauſa 28. q. 1. ex Conc. Tolet. 4. Neque obſtat hic jus paternum; quia prævalet jus, quod Eccleſia per Baptiſmum acquiſivit, cum cedat in utilitatem pueri & honorem Dei, Religionis & Sacramenti, quæ per Apoſtaſiam moraliter certo futuram pueri gravi injuria afficerentur. Idem cenſeo, ſi uterque parens ſit infidelis, & ex unius conſenſu puer ſit baptizatus; quia veriſimile eſt, quod puer adultus ſequetur Religionem parentum.

ARTICULUS V.

De Adultis baptizandis per Quæſtiunculas.

PETES 1. (*Hic a. 4. o.*) Utrum peccatores ſint baptizandi? R. peccatores, quos peccatorum præteritorum pœnitet, ſunt baptizandi; quia Sacramentum Baptiſmi eſt inſtitutum, ut per ipſum peccatorum ſordes mundentur, juxta illud Epheſ. 5. *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ*. Peccatores autem, qui perſeverant in voluntate peccandi, non ſunt baptizandi; quia in eo ſtatu mundari non poſſunt a peccato, ad quod Baptiſmus ordinatur.

Petes 2. Quæ diſpoſitiones requirantur in adultis ad ſuſceptionem tum validam cum licitam Baptiſmi? R. 1. Ad validam ſuſceptionem Baptiſmi non requiritur in adulto, neque fides, neque pœnitentia; ſed requiritur & ſufficit intentio illum ſuſcipiendi, quæ aliquando fuit & moraliter perſeverat. (*Ibid. art. 8. o.*) Ratio primæ & ſecundæ partis: quia Sacramentum non perficitur per juſtitiam hominis dantis vel ſuſcipientis, ſed per virtutem Dei. Unde Aug. l. 3. de Bapt. c. 14. relatus Cap. *Sicut in Sacramentis* de Conſec. d. 4. *Non intereſt*, inquit, *cum de Sacramenti integritate & ſanctitate tractatur, quid credat, & quali fide ſit imbutus ille, qui accipit Sacramentum. Intereſt quidem plurimum ad ſalutis viam, ſed ad Sacramenti quæſtionem nihil intereſt*. Idem ibid. Cap. *Si qui* & Cap. *Quamvis*. Hæc amplius patent ex dictis in Tract. præced. Diſſ. 5. a. 3. & Diſſ. 2. hujus Tract. c. 1. ſ. 2. ubi probavimus Baptiſmum collatum & ſuſceptum in hæreſi eſſe validum. Confer.

Neque (*Ib. ad 2.*) obſtat intentionem in ſuſcipiente requiri ad valorem Sacramenti, ut dicitur in ſecunda parte reſponſionis, quæ intentio non videtur eſſe poſſe ſine recta fide: non obſtat, inquam, quia non habens rectam fidem circa alios articulos poteſt habere ſufficientem fidem circa Baptiſmum, ut illum intendat. Quod ſi circa hoc Sacramentum etiam erret, ſufficit ad perceptionem Sacramenti generalis intentio, qua intendit ſuſcipere Baptiſmum, ſicut Chriſtus inſtituit, & ſicut Eccleſia confert, ut explicuimus, dum de intentione Miniſtri in Tract. de Tract. de Sacram. in genere Diſſ. 5. a 6. Secunda pars reſponſionis etiam probata manet ex Diſſ. 6. præced. Tract. a. 5. ubi abunde diximus de intentione requiſita in ſuſcipiente ad integritatem Sacramenti. Require ibi.

R. 2. Ad licitam & fructuoſam ſuſceptionem Sacramenti ultra intentionem & rectam fidem requiritur in adulto attritio. Hanc reſponſionem probatam habes. Diſſ. 3. præced. Tract. a. 4. §. 2. vide. Qualis autem debeat eſſe iſta attritio, & an ad eam requiratur neceſſario aliquis Dei amor, dicemus dum de Sacramento Pœnitentiæ.

Petes 3. Utrum peccatores accedentes ad Baptiſmum debeant præmittere confeſſionem ſacramentalem? R. negative: (*Ibid a. 6. o.*) Quia confeſſio ſacramentalis ordinatur ad abſolutionem, qua non indigent, qui baptizantur, cum per Baptiſmum omnia peccata illis remittantur, ut dicemus Diſſ. ſeq. 2. Quia Baptiſmus eſt janua aliorum Sacramentorum, Eccleſia non habet juriſdictionem in non baptizatum, ut poſſit in eum exercere judicium, & ferre ſententiam. Neque obſtat Tert. l. de Bapt. c. 20. Greg. Nazianz. Orat. 40. meminiſſe aliquorum, qui præmitterent confeſſionem Baptiſmo; hæc enim confeſſio non erat ſacramentalis, ſed quædam humiliatio ad directionem in vita ſpirituali.

Petes 4. Utrum peccatoribus baptizatis ſint imponenda opera pœnalia? R. negative: (*Ibid. a. 5. o.*) 1. Quia qui baptizantur, incorporentur & commoriuntur Chriſto, non ſolum quatenus virtus paſſionis & mortis Chriſti operatur in Baptiſmo, nam & in aliis Sacramentis operatur; ſed quatenus perfecte configurantur Chriſto morienti, dum abjecto veteri homine regenerantur ad novam vitam, & accipiunt novum eſſe ſpirituale, juxta illud Rom. 5. *Quicumque baptizati ſumus in Chriſto, in morte ipſius baptizati ſumus: conſepulti enim ſumus cum illo per Baptiſmum*. Ita ut ipſa pœna Chriſti fuerit ſatisfactoria pro peccatis baptizatorum, ſicut pœna unius membri poteſt eſſe ſatisfactoria pro peccato alterius membri; vel ut dicit idem S. Th. q. ſeq. a. 2. ſic, ut applicetur baptizatis paſſio Chriſti in remedium, ac ſi ipſi paſſi & mortui eſſent. In quo Art. 2. & præced. probat omnia peccata quoad cul-

culpam & totam pœnam remitti per Baptiſmum, quod eſt altera probatio hujus & præcedentis reſp.

An autem ante Baptiſmum imponenda ſint baptizandis opera pœnalia? R. eſſe imponenda, non ad ſatisfactionem, ſed ut per emendationem vitiorum, & debitam morum correctionem, ad religioſa pietatis exercitia, ſe præparent ad Baptiſmum. Et in hunc finem ordinabantur laborioſa Catechumenatus opera.

Petes 5. Utrum furioſi & amentes ſint baptizandi? R. (*Ib. a.* 12. 2.) Furioſi & amentes a nativitate ſine ullo lucido intervallo ſunt baptizandi, non ſecus ac infantes. Qui autem habent lucida intervalla, ſi aliquando habuerint voluntatem Baptiſmi, quam non retractaverint, neceſſitate urgente ſunt baptizandi in ipſa amentia, Conſtat ex dictis de Sacram. in genere, Diſſ. 6. art. 1.

Petes 6. Utrum qui morte præoccupati non potuerunt baptizari, ſint baptizandi mortui, aut vivi pro mortuis? R. negative contra Cerintianos, Marcionitas & Cataphryges qui ex præpoſtera intelligentia horum verborum Apoſtoli 1. Cor. 15. *Alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis, ſi omnino mortui non reſurgunt? ut quid & baptizantur pro illis?* docuerunt aut mortuos ſine Baptiſmo eſſe baptizandos, aut vivos pro ipſis. Hunc errorem proſcripſit Conc. Carthag. III. Can. 6. *Cavendum eſt*, inquit, *ne mortuos poſſe baptizari fratrum infirmitas credat*. Ratio eſt evidens; quia ex una parte cadaver eſt incapax regenerationis ſpiritualis, & homo mortuus extra ſtatum viæ incapax omnis Sacramenti. Ex alia parte Baptiſmus non prodeſt niſi ſuſcipienti, & defuncto ſine Baptiſmo & extra Eccleſiam non ſunt ſuffragia vivorum. Quantum ad textum Apoſtoli, variæ ſunt interpretationes, quas refert Eſtius in hunc locum. Duas propono ut probabiliores, obſervato prius quod Apoſtolus in hoc capite intendat probare Reſurrectionem mortuorum. Dicendum itaque, quod Apoſtolus per Τὸ *mortuis* intelligat corpora morti obnoxia, ita ut ſenſus ſit, ſi non ſit futura reſurrectio, cur corpora moritura & nunquam reſurrectura baptizantur? Vel per Τὸ *baptizantur*, intelligit affliguntur, quo ſenſu dixit Chriſtus Marci 10. *Poteſtis .... Baptiſmo, quo ego baptizor, baptizari?* Et Lucæ 12. *Baptiſmo autem habeo baptizari*. Ita ut ſenſus ſit, ut quid affliguntur, pœnitentiæ operibus cruciantur, orationes fundunt, ſacrificia offerunt vivi pro mortuis, ſi mortui non reſurgunt, nec iſtis juvantur?

Petes 7. Quid cenſendum de Baptiſmo Campanarum? Hunc ritum Eccleſiaſticum reprehendunt Hæretici tamquam ſuperſtitioſum, exprobrantque nobis, quod res inanimatas Baptiſmi incapaces baptizemus non ſecus ac homines, riſuque dignum huic Baptiſmo adhiberi omnia, quæ baptizandis hominibus adhibentur, unctionem, lavacrum, nominis impoſitionem & Patrinos. R. 1. uſum Campanarum eſſe in Eccleſia perantiquum; earum meminit Ordo Romanus Tit. de Sabbatho ſancto; & venerab. Beda initio ſæculi 7. l. 4. Hiſt. Anglorum c. 23. Communior opinio fert eas primum uſurpatas fuiſſe ineunte ſæculo 5. a S. Paulino Nolano Epiſcopo, ac propterea a Nola urbe Campaniæ fuiſſe dictas *Campanas*, & *Nolas*. 2. Benedictionis Campanarum non fuit Auctor Joannes XIII. circa an. 970. ut volunt Heterodoxi; hoc Pontifice antiquiorem probat antiqua Ritualia, de quibus Martenius l. 2. de antiq. Eccl. Ritibus c. 21. & alii. Sed etſi iſte ritus eſſet a Joanne. XIII. nihil evincerent Hæretici, cum ſit in Eccleſia poteſtas novos ritus inſtituendi. 3. Non baptizamus Campanas quaſi ſpiritualis regenerationis per gratiam capaces, ſed benedicimus, ut, juxta verba Pontificalis Rom. & Conc. Colon. c. 14. apud Labb. Tom. 14. col. 549. voce quadam ſacrata nos convocent ad Eccleſiam, ad verbum Dei & ad Sacrificium, & vi benedictionis procul pellantur omnes inſidiæ inimici, & coerceantur tonitrua, grandines, procellæ & tempeſtates. 4. Ad 1. quod opponunt Hæretici, reponimus benedictionem Campanarum dici *Baptiſmum* in lata ſignificatione, prout idem eſt ac ablutio & deputatio ad uſum Eccleſiæ ſacrum. Ad 2. adhibetur unctio, quia conſecrantur Domino; ſicut lapis, quem Jacob erexit in titulum, infundens oleum deſuper. Lavantur & linteo extergantur in ſacri Olei venerationem: imponitur nomen, ut quaſi voce alicujus Sancti plebs Chriſtiana vocetur ad Eccleſiam. Non ubique adhibentur Patrini, nec id præſcribitur in Pontificali Rom. Sed ubi mos eſt, adhibentur, ut præſint cuſtodibus Campanarum, & curent eas pulſari juxta Eccleſiæ conſuetudinem, eo modo & ad eos fines, ad quos ſunt deputatæ.

ARTICULUS VI.

Utrum tam pueris quam adultis Baptiſmus ſit differendus?

Dico 1. (*Ib. a.* 3. 0.) Infantes ſunt quamprimum baptizandi. Eſt (*Ib.*) communis & ſequitur ex dictis a. 1. & 2. hujus Diſſ. Si enim, ut illic probavimus, Baptiſmus in re ſit parvulis neceſſarius neceſſitate medii, & ipſi ſint Baptiſmi incapaces, manifeſtum eſſe quamprimum baptizandos propter mortis pericula, quæ in hac teneriori ætate ſunt frequentia & ſubitanea. Aliunde non expectatur in ipſis, ſicut in adultis, major inſtructio aut plenior converſio, ideoque dilatio foret ſuperflua.

Parentes igitur, aut ii, quibus incumbit cura parvulorum, graviter peccant contra charitatem & pietatem, imo & contra præceptum Eccleſiaſticum, quod ex ejus praxi colligimus, ſi diu abſque gravi cauſa differant illos Baptiſmo offerre, & in hoc negligentes tenentur ex officio Paſtores compellere.

Quanta vero debeat eſſe dilatio ut ſit peccatum mort. Id videtur judicio prudentum æſtimandum ex circumſtantiis ſeu qualitate periculi & cauſæ gravitate. Cenſet Sylvius dilationem ad 3. vel 4. dies, ſecluſo morali periculo mortis, non eſſe mortalem: Soto & quidam alii extendunt ad ſex vel ſeptem dies. Ulterium autem differre propter Suſceptorum moram non putat licere idem Sylvius, citatis pluribus Synodis.

Dices. 1. S. Th. in 4. d. 4. q. 3. a. 1. q. 2. dicit tantum, quod *magis laudabile ſit, quod pueri quam citius poterunt, baptizentur*: quæ verba non indicant obligationem ſub peccato, ſed conſilium dumtaxat, ut quid melius. Ergo. Ita Serra. R. S. Thomam hos terminos *magis laudabile* adhibuiſſe, ut reſponderet argumento iiſdem terminis, quibus conſtabat; erat autem ſic: *Videtur, quod melius ſit Baptiſmum differri*; non autem ut excluderet obligationem, alioquin dicendum foret juxta S. Th. non eſſe præceptum, ſed conſilium tantum baptizandi pueros ante trigeſimum ætatis annum exemplo Chriſti; de iſta enim dilatione procedebat argumentum. Inſuper obligationem importat & exprimit prima ejus ratio ibid. *Quia*, inquit, *propter imbecillitatem naturæ de facili poſſunt mori & damnari. Unde ut damnationis periculum vitetur, debent Baptiſma prævenire*. Audi, *debent*, quod non conſilium tantum, ſed obligationem importat. Et hic ex eadem ratione abſolute concludit: Pueris *non eſt differendum Baptiſma*.

Dices 2. Circumciſio non conferebatur niſi 8. die. Ergo ſimiliter Baptiſmus. R. N. Conſ. Diſparitas eſt, quod circumciſio ante 8. diem potuiſſet adferre mortem infanti: & aliunde in periculo poterat loco circumciſionis illi ſobveniri per remedium legis naturæ. Nunc autem non poteſt ſubveniri infanti niſi per Baptiſmum re ſuſceptum, nec timendum eſt, ne parum aquæ illi noceat.

Oppones iterum Tertull. & Greg. Naz. quorum primus exiſtimavit Baptiſmum eſſe differendum uſque ad adultam ætatem, alter ad 3. annum. Sed jam reſpondimus 2. hujus Diſſ. has opiniones aliis Patribus diſplicuiſſe, & ab Eccleſia non fuiſſe probatas. Vide ibid. alia argumenta.

Dico. 2. Jure divino non eſt determinatum tempus, excepto mortis periculo, ultra quod ſi adultus differat Baptiſmum, peccet mortaliter. Tenetur tamen ſub mortali peccato non differre diu, niſi ex gravi cauſa. Jure autem Eccleſiaſtico peccat graviter, ſi ultra tempus ab Eccleſia inſtitutum differat. Prima pars videtur in terminis contraria ſententiæ plurium Recentiorum, ſed non puto re differre, ut patebit ex dicendis. Cæterum illam expreſſe & aſſerit & probat Auctor cit. in marg. (*In* 4. *d.* 17 *q.* 3. *a.* 1. *q.* 4.) *Ad Baptiſmum percipiendum*, inquit, *non tenetur aliquis ſtatim poſtquam habet propoſitum Baptiſmi, ita quod peccat mortaliter, niſi ſtatim baptizetur. Nec eſt aliquod tempus determinatum, ultra quod, ſi Baptiſmum differat, peccatum mortale incurrat ... Sed quia, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, tenetur homo in via implere, ideo ſi periculum mortis immineat, etiam per ſe loquendo obligatur aliquis ad confeſſionem faciendam tunc, vel Baptiſmum ſuſcipiendum*.

Inſuper quodnam tempus aſſignari poteſt jure divino determinandum? Reſpondent: Prima opportunitas, qua quis commode poteſt ſuſcipere Baptiſmum. Sed & hoc in terminis impugnat S. Th. ibid. *Præcepta affirmativa*, inquit, *non obligant ad ſtatim, ſed ad tempus determinatum, non quidem ex hoc, quod tunc commode impleri poſſunt; quia ſic ſi non daret aliquis eleemoſynam de ſuperfluo quandocumque pauper offerretur, peccaret mortaliter, quod falſum eſt, ſed ex hoc quod tempus urgentem neceſſitatem adducit*. Præceptum autem de Baptiſmo ſuſcipiendo eſt affirmativum, nec tempus urgentem neceſſitatem illam ſtatim ſuſcipiendi adfert, ſed tantum non differendi diu, ut dicit 2. pars Concluſionis.

Reſpondent eſſe ſpecialem rationem de hoc præcepto affirmativu; qaia Baptiſmas eſt neceſſarios, ut quis fiat membrum Eccleſiæ & capax aliorum Sacramentorum. Vetum iſta probaot, quod dicit 2. pais Concluſionis, Baptiſmum ſcilicet non eſſe diu differendum, nou tameu ſtatim ſub peccato mortali ſuſcipiendum. Ecqais enim dicat hominem, qai jam fide tenet Deam, & ipſi forta charitate conjangitar, peccare mortaliter, ſi ad breve tempus differat fieri membrum exterius Eccleſiæ, & aliis Sacramentis participare? Neque puto Recentiores aliter ſentire: dicant enim *ſtatim moraliter*, & in eo *ſtatim moraliter* magnam admittunt latitudinem, etiam decem menſium, quod re convenit nobiſcum, ut patebit modo.

Si tamen iterum urgeas, quod homo ſufficienter inſtructus teneatar ſtatim credere. Ergo & ſtatim profiteri fidem, conſequenter ſtatim ſaſcipere Baptiſmum, qui eſt Sacramentum fidei. R. Hoc argumento probari neque Eccleſiam potoiſſe determinara tempora Baptiſmi, qai nec tamdiu licet differra fidem interiorem. Dicendum itaqaa non eſſe tam argenem neceſſitatem profitendi ſtatim fidem exterius per Baptiſmum, quam illam corde ſuſcipiendi, maxime cum Catechumeuus etiam illam exterius profiteatur per upera Catechumenatus.

Prob. 2. pars. Baptiſmas eſt a Deo inſtitutus & præceptus, ut per eum homo non ſolum remiſſionem peccatorum conſequeretur, ſed etiam ut aliquo ſigno viſibili profiteatur Fidem & Religion. Chriſtianam, ac fiat membrum Eccleſiæ, & capax alioram Sacramentorum. Atqui eſt contra propriam charitatem, qua tenetur homo ſuæ ſaluti conſulere, tam magna bona diu reſpuere, & expectare tempus, in qao incertum eſt, an illa conſequeretar. Ergo. Unde Chryſoſtomus hom. 1. in Act. Apoſt. circa finem: *Nec tempus expectemus*, inquit, *nequando fiat, ut dum cunctamur & procraſtinamur, diſcedamus hinc inanes & vacui*, Et Hom. 13. in Ep. ad Heb. *Multos novi*, inquit, *qui hoc paſſi ſunt, qui ſpe baptiſmatis multa peccabant; circa diem autem mortis diſceſſeraat vacui*. Hinc etiam amaræ declamationes SS. Patrum, Baſilii, Greg. Naz. & aliorum in eos, qui Baptiſmum diu differebant.

Expedit tamen (*Hic art. 3. o.*) differre ad aliquod certum tempus, propter tria. 1. Ad cautelam Eccleſiæ, ne decipiatur, Sacramentum ficta accedentibus conferens. 2. Propter utilitatem baptizandorum, qui aliquo temporis ſpatio indigent ad hoc, quod plene inſtruantur de fide, & exercitentor iu his, quæ pertinent ad vitam Chriſtianam. 3. Propter reverentiam Sacramenti: qua de cauſa olim conferebatur in præcipuis ſolemnitatibus Paſchæ & Pentecoſtes.

Tertia pars eſt in terminis (*Ibid.*) S. Th. cit, in fine articuli; & patet, quia eſt tranſgredi Legem Eccleſiæ in re gravi.

Duo autem tempora, ut jam dixi, Eccleſia deſignavit baptizandis adultis, ſcilicet feſtam Paſchæ & Pentecoſtes, cap. *Duo tempora* 12. de conſec. d. 4. ex S. Leone: Cap. *Si quis autem*, 14. ibid. ex eod, & cap. *De Catechumenis* 15. ibid. ex Conc. Gerondinenſi. Excipiuntur tamen ibid. cap. *De Catechumenis*, & cap. *Si quis*, ii, qui de neceſſitate mortis, ægritudinis, perſecutionis & naufragii urgentur, qui quovis tempore poterant baptizari.

S. Th. & poſt ipſum Soto cenſent etiam exceptos fuiſſe, & potuiſſe quovis tempore baptizari, qui erant perfecte inſtructi & diſpoſiti; ſicut, inquit Auctor, Philippus ſtatim baptizavit Eunuchum Candacis Reginæ, Petrus Cornelium, & tria millia hominum. Quapropter exiſtimat Soto hæc tempora non fuiſſe ſic inſtituta, ut aliis anni temporibas a Baptiſmo eſſet omnino ſuperſedendam ſed tum ne ultra differretur, tum ut, aliquibus in hæc tempora reſervatis, ſolemnius Baptiſmas conferretur cum Litaniis & aliis ſolemnibus cæremoniis, Quod ſi aliquando legatur prohibitum, ne aliis anni temporibus fiat Baptiſma, id ſolum dirigitur, inquit, in eos, qui contendebant in feſtis Nativitatis & Epiphaniæ eandem Baptiſmi ſolemnitatem eſſe adhibendam, quæ in Paſchate & Pentecoſte. Veram quidquid ſit de iſta obſervatione, & quamvis nunc propter paucitatem adultorum baptizandorum hæc tempora pro ſolemni Baptiſmo non ſint amplius in uſu; non videtar tamen extinctum Eccleſiæ præceptum, ne ultra id vel æquale tempus differatur. Quapropter ſive vi præcepti Eccleſiaſtici, ſive vi juris divini aut naturalis, quo quiſque ſuæ ſaluti providere teneatar, non videtar excuſandus a gravi peccato, qui ſine legitima cauſa ſuum Baptiſmum differret ultra 10. menſes, quod eſt tempus ab Eccleſia ſtatutum, & videtur ſatis longum. Eo autem gravior debet eſſe cauſa dilationis, quo major eſt dilatio.

Sed difficultas eſt, quomodo Eccleſia poſſit ſuo præcepto adſtringere Infideles, qui nondom ipſi ſubjiciuntur; cum juxta Apoſt. 1. Cor. 5. de his, qui foris ſunt, nihil ad nos. R. id poſſe duplici modo. 1. indirecte. Proquo obſervandum eſt præceptum Baptiſmi non eſſe ejuſdem rationis cum aliis præceptis, v. g. Pœnitentiæ & Euchariſtiæ: hæc enim quatenus divina non ſpectant niſi Fideles; onde Eccleſia determinando illorum tempus, non potuit obligare niſi Fideles. Sed præceptum divinum Baptiſmi obligat omnes omnino homines; unde Eccleſia determinans per claves ſcientiæ, quam habet a Chriſto Domino, tempus obligationis Baptiſmi, obligat omnes. Sicut enim potuit præſcribere Fidelibus tempus Pœnitentiæ & Euchariſtiæ, quia ad illa jure divino tenetur; ita potuit præſcribere omnibus tempus Baptiſmi, quia omnes ad illum jure divino pariter tenentur.

Alio modo (*In 4. d. 17. q. 3. art. 1. q. 1.*) poteſt Eccleſia præſcribere directe tempus Baptiſmi Infidelibus, quatenus petendo Baptiſmum ſe ſubjiciunt Eccleſiæ. Unde ſicut Eccleſia habet poteſtatem illis præcipiendi varias Baptiſmi cæremonias, ita & ejus tempus præſcribere: non ſecus Judex arbiter habet poteſtatem exercendi judicium in eos qui ſe illi ſubjecerunt, & eis præcipiendi, quæ ſunt ad ſententiam neceſſaria. Verum ſicut ſi litigantes revocent Judicem arbitrum, ipſe non poteſt illos punire, nec cogere, ut pareant ſententiæ, quam tulit, ita nec Eccleſia poteſt punire Catechumenum, nec cogere ad Baptiſmum, quia hoc ipſo quo recedit a fide, deſinit petere Baptiſmum & ſubjici Eccleſiæ.

Dices, Baptiſmus tollit peccata præterita & non futura. Unde quanto magis Baptiſmus differtur, tanto plura peccata tollit. Ergo præſtat diu differre. R. (*Hic art. 2. ad 3.*) Quod Baptiſmus per gratiam, quam confert, non ſolum tollit peccata præterita, ſed etiam impedit futura, ne fiant. Melius eſt autem vel unum peccatum non committi, quam millia dimitti. Quantum ad S. Ambroſium, S. Martinum, Conſtantinum Magnum & alios viros inſignes, qui leguntur diu diſtuliſſe ſuum baptiſma, jam diximus eos non ſine cauſa diſtuliſſe, aut in hoc non eſſe excuſandos. De Baptiſmo Conſtantini dicemus in Digreſſ. Hiſtorica.

Petes, quæ fuerint cauſæ, cur olim tot differrent ſuum Baptiſma? R. plures fuiſſe. Quidam in animo habebant melius eſſe Baptiſmum differre, quam a gratia per ipſam collata excidere; & ideo ad eam ætatem differebant, in qua minus efferveſcerent paſſiones, & minor eſſet propenſio ad peccatum. Quidam differebant, ne per Baptiſmum arctiori vivendi genere adſtringerentur. Quidam ut ſine laborioſis pœnitentiæ operibus a peccatis omnibus & peccatorum pœnis per Baptiſmum in fine vitæ ſuſceptum abluerentur. Quidam e contra ex humilitate, & ut maturius per diuturniora pietatis exercitia ſe ad illum diſponerent. Potuerunt eſſe aliæ particularibus propriæ: ſic Conſtantinus dicebat ſe Baptiſmum diſtuliſſe, quia optaverat baptizari in Jordane. Sed communior fuit tam pro infantibus quam pro adultis relaxatio diſciplinæ, Epiſcopis in eandam pulſis, ipſaque baptizandorum negligentia ac ſalutis incuria.

DIGRESSIO PRIMA HISTORICA

De veteri Catechumenatu.

Ad Art. 6. præcedentis Diſſert.

CATECHUMENUS eſt vox græca idem ſignificans ac latine inſtructus viva voce in Catechiſmis, quia qui aſpirabant ad Baptiſmum, inſtruebantur & catechizabantur. Hic ritus ortum habet a Chriſto, qui juſſit gentes doceri, antequam baptizarentur. Infantes hodie quamvis non catechizentur, dicuntur tamen Catechumeni, quia plures alii ritus Catechumenatus erga illos obſervantur, ſignum crucis, exorciſmus, inſufflatio, inunctio, nominis impoſitio, &c.

Varii Gradus ſeu Ordines Catechumenatus.

TRES communiter numerantur, ſed non uno modo explicantur. Quidam numerant *Audientes*, *Genuflectentes*, & *Competentes* ſeu *Electos*: utroſque enim in eodem gradu collocant. Alii numerant *Audientes*, *Competentes* & *Electos*; neque putant genuflectentes conſtituiſſe ſpecialem claſſem, ſed eos eſſe, qui currente Catechumenatu lapſi, ſi in ordine Competentium eſſent, rejiciebantur ad Audientiam, ſi in ordine Audientium, expellebantur ab Audientia. Sic Catechumenatus ordines diſpoſuiſſe videtur Iſidorus l. 8. Orig. c. 4. Immediate poſt Audientes conſtituens Competentes: *Competens*, inquit, *vocatur*, *qui poſt inſtructionem fidei competit gratiam Chriſti*; *inde a petendo*, *competens vocatur*. Idque magis conſonum videtur explicationi Catechumenatus. Igitur juxta hanc diſpoſitionem

AUDIENTES erant, qui ſe offerentes ad Baptiſmum recipiebantur ab Epiſcopis inter Catechumenos facto illis ſigno crucis in fronte & in pluribus aliis partibus corporis, cum manuum impoſitione, precibus, inſufflationibus, deguſtatione ſalis & exorciſmis. Ex Sacrament. S. Greg. Tit. *Ad Catechumenum ex Pagano faciendum*. Hoc rita inaugurati admittebuntur ad audiendum verbum Dei

in

Digitized by Google

In ea parte Eccleſiæ, quæ hodie *Navis* dicitur, & inde dictum *Auditorium* & ipſi *Audientes*. Inſtruebantur inſuper privatim, ſive ab Epiſcopis, ſiven Sacerdotibus, ſive a Diaconis, quandoque a Magiſtris deputatis in Civitatibus, qualis erat Origenes Alexandriæ. Non docebantur profundiora Religionis myſteria, ſed ea tantum, quæ communiter fidem & mores ſpectant. Poſtquam inſtructionem in Eccleſia audierant, dimittebantur ante Offertorium; quidam dicunt, cum Ethnicis abſque ſolemni Edicto; quidam dicunt, cum *Competentibus*, Diacono ex ambone ſolemniter clamante, *Catechumeni diſcedite*: & inde dicta Miſſa Catechumenorum uſque ad Offertorium, excluſive.

COMPETENTES erant, qui urgente Baptiſmi deſiderio, inſtanter petebant ad illum admitti; unde *Competentes a petendo* dicti, ut jam notavimus ex Iſidoro. Petebant autem Baptiſmum in terram proſtrati, & dantes nomina ſua. In hunc ordinem cooptati laborioſis pœnitentiæ operibus excitabantur, ut ſe præpararent ad Baptiſmum. Jubebantur abſtinere a vino & carnibus ex Conc. Carthag. 4. Can. 85. aſſiduis orationibus, geniculationibus, pervigiliis operam dabant cum confeſſione delictorum, ex Tertull. lib. de Bapt. c. 20. Sed jam dixi hanc confeſſionem non fuiſſe ſacramentalem, neque, ut videtur, erat ſpecialis, ſed generalis, & forte indiſtincta ab ipſis operibus: dicit enim ibid. Tertull. *Nobis eſſe gratulandum, ſi non publice confiteamur iniquitates aut turpitudines noſtras.*

ELECTI dicebantur, qui per Scrutinia reperti digni, recipiebant ſymbolum, & admittebantur ad Baptiſmum. Scrutinium autem erat de vita & moribus Competentium, quod fiebat coram multitudine, ut ſi quis haberet aliquid opponendum, opponeret. Erant 7. Scrutinia, quæ ab hebdomada tertia Quadrageſimę uſque ad Sabbathum ſanctum celebrabantur. Ex Ordine Rom. præcipuum habebatur feria 4. majoris hebdomadæ, quæ propterea dicebatur dies Scrutinii. Competentes igitur, qui bis Scrutiniis probati erant digni, accepto Symbolo dicebantur *Electi* ad Baptiſmum. Symbolum autem tenebantur reddere, id eſt, memoriter recitare, alicubi feria 5. majoris hebdomadæ, in Eccleſia vero Romana & Hiſpanica Sabbatho ſancto paulo ante Baptiſmum in publicam fidei profeſſionem. Accipiebant etiam Orationem Dominicam, quam reddebant die Paſchę poſt Euchariſtiam. Quo ritu baptizabantur Catechumeni, dixi ſuperius.

Si quæras, quanto tempore durabat Catechumenatus? R. variam in hoc fuiſſe Eccleſiæ diſciplinam. Conſtant exemplo Cornelii, Eunuchi Candacis Reginæ, trium, & quinque millium una die baptizatorum, naſcente Eccleſia, ſtatim, præmiſſa fide, collatum fuiſſe baptiſmum. Deinde variorum Conciliorum & Pontificum Sanctionibus diverſa tempora fuere præſcripta: a quibuſdam 8. menſes, ab aliis 6. communius 40. dies, quod tempus fuit poſtea contractum ad 18. dies.

DIGRESSIO SECUNDA HISTORICA

De Baptiſmo Conſtantini Imperatoris.

Quando & ubi fuit baptizatus Conſtantinus?

AD ART. ULT. DISSERT. PRÆCEDENTIA

DUPLEX eſt circa hoc factum opinio. Prima tenet Conſtantinum baptizatum fuiſſe Romæ a S. Sylveſtro an. 324. ætat. 59. ante mortem 14. Ita Baronius cum multis ejus ſequacibus. Altera tenet baptizatum fuiſſe in Suburbio Nicomediæ ſub finem vitæ. Ita plerumque Recentiores, Papebrochius ad diem 21. Maji, Antonius Pagi ad annum 324. Natalis Alex. ſæc. 4. Diſſert. 23. Benedictini Maurini in notis ad Orat. S. Ambroſii de obitu Theodoſii, Tillemontius, Fleury, &c. Utriuſque ſententiæ momenta proponam.

Momenta Baptiſmi Conſtantino collati Romæ a S. Sylveſtro

PRIMUM momentum petitur ex Actis S. Sylveſtri, quæ ſic factum narrant. Hæc autem Acta venerandæ auctoritatis eſſe in Eccleſia conſtat: 1. Quia Adrianus I. in Ep. ad Conſtantinum & Irenem ea laudavit ad vindicandum cultum SS. Imaginum. 2. Quia Gelaſius ſeveriſſimus Apocryphorum cenſor nulla cenſura ea notavit, ſed e contra dixit a pluribus Catholicis legi. 3. Quia Romano Breviario ſunt inſerta. Secundum momentum eruitur ex Conc. Rom. an. 324. In cujus exordio aſſeritur *Conſtantinum baptizatum fuiſſe a Sylveſtro Epiſcopo Urbis Romæ, & mundatum fuiſſe a lepra*. Tertium ex Nicolao I. in Ep. ad Michaelem Imperat. ubi poſt laudatum quoddam S. Sylveſtri decretum, dicit: *Conſonat huic ſententiæ S. Sylveſter & Magni Conſtantini baptizator*. Idem dicit Anaſtaſius Biblioth. in Chronico. Nicephorus l. 7. Hiſt. Eccleſ. c. 33. & 34. narrat Conſtantinum Romæ a S. Sylveſtro fuiſſe baptizatum, idque probat ex Baptiſterio Conſtantini, quod Romæ aſſervatur, & addit figmentum eſſe Arianorum contra communem Eccleſiæ ſenſum, quod Conſtantinus fuerit Nicomediæ baptizatus. Quartum deducitur ex Zoſimo Ethnico, qui lib. 2. Hiſtor. innuit Conſtantinum hortatu & conſiliis cujuſdam Ægypti ex Hiſpania advenientis fuiſſe Romæ baptizatum.

5. Arguunt ex congruentiis. 1. Incredibile videtur pientiſſimum Imperatorem adeo ſuperſtitioſum fuiſſe, ut propter Baptiſmum in Jordane ſuſcipiendum illum in finem vitæ diſtulerit, præſertim cum anno ante obitum id opportune exequi potuiſſet, dum Orientis Epiſcopos Jeroſolymam ad dedicationem Templi convocavit. 2. Quia ſi Nicomediæ baptizatus fuit morti proximus, ſequitur ipſum baptizatum fuiſſe ab Euſebio Nicomedienſi Epiſcopo Ariano, ſicque ipſum ab Eccleſia alienum obiiſſe. Quid vero hæc ſententia reſpondeat argumentis ſententiæ contrariæ, dicemus in hujus expoſitione. Unde

Momenta Baptiſmi Conſtantino collati Nicomediæ ſub finem vitæ.

PRIMUM petitur ex Euſebio Cæſarienſi lib. 4. de vita Conſtantini cap. 61. & 62. Ubi narrat quomodo Conſtantinus morbo correptus ad aquas calidas Helenopolis juſſit ſe deferri, quo in loco manuum impoſitionem cum ſolemni precatione primum meruit accipere. Ex quo inferunt multi tunc tantum factum fuiſſe Catechumenum, alioquin non dixiſſet primum; ſiquidem Catechumeni fierent ab Epiſcopis per manuum impoſitionem. Helenopoli, ingraveſcente morbo, delatus eſt ad Suburbana Nicomediæ, ubi cum coram præſentibus Epiſcopis peroraſſet, ardenſque deſiderium indicaſſet nunc baptiſmum ſuſcipiendi, *quod olim ſtatuerat agere in flumine Jordanis*, exemplo Chriſti, proſequitur Euſebius: *Illi vero* (Epiſcopi) *ſolemni ritu divinas cæremonias peregerunt, injunctiſque ei quæcumque neceſſaria erant, ſacrorum Myſteriorum principem eum fecerunt. Solus igitur ex omnibus, qui unquam fuerunt, Imperatoribus Conſtantinus in Chriſti martyriis renatus & conſummatus eſt, & divino donatus ſignaculo exultavit ſpiritu.*

Opponunt prioris ſententiæ Patroni nullam hac in re fidem eſſe adhibendam Euſebio propter duo. 1. Quia Euſebius pugnantia narrat. Scripſit enim antea Conſtantinum omnibus viri Chriſtiani & fidei protectoris officiis functum fuiſſe, Concilio Nicæno interfuiſſe, leges pro Chriſtianis dediſſe, Eccleſias extruxiſſe, Hæreticos ſuis Templis ſpoliaſſe, Gentiles ad fidem invitaſſe, jejunio & orationibus vacaſſe in Tabernaculo imagine crucis inſignito, quod habebat in caſtris, Dominicos dies & Feſta Martyrum celebraſſe, *Sacrorum Myſteriorum participem, Pontificis atque Hierophantæ* (æditui) *munere functum in Paſcha vigiliis cum cæteris* (Fidelibus) *pernoctaſſe*: l. 4. c. 22. Item l. 1. c. 32. Præfixus eſt hic titulus: *Quomodo Conſtantinus Catechumenus factus Scripturas ſacras legerit*. Et tamen l. 4. cap. 62. cit. dicit ipſum Helenopoli in Templo Martyrum ſub finem vitæ primum factum fuiſſe Catechumenum, ut prius obſervatum eſt. 2. Quia Euſebius erat Arianus, & de Baptiſmo Conſtantino Romæ collato a S. Sylveſtro ſiluit, ne Conſtantium ejus filium, qui ad partes Arianorum defecerat, argueret tamquam paternæ pietatis deſertorem.

Verum reponunt hujus ſententiæ defenſores ad primum, hic evinci quidem Conſtantinum a cultu Idolorum ad fidem Chriſti eſſe converſum, & eum non ſolum animo, ſed etiam externa Profeſſione eſſe Chriſtianum, non tamen eſſe Chriſtianum Baptiſmi collatione; hæc enim omnia præſtare potuit abſque Baptiſmo. Nam quamvis dicatur orationibus cum aliis vacaſſe, non dicitur *in Eccleſia*, forte enim in Palatio, ut ſæpe ſolebat; & dato diceretur *in Eccleſia*, non erat prohibitum Gentilibus etiam non Catechumenis orare cum Fidelibus in Eccleſia uſque ad Offertorium. Quod autem dicat *Ipſum fuiſſe participem Myſteriorum*, non intelligit, quod admiſſus fuerit cum aliis Fidelibus ad communicationem & participationem Sacramentorum, ſed quod Myſteriis Chriſti eſſet imbutus, & fidei particeps. Dicit, Pontificis & Hierophantæ munere functum fuiſſe, quia ſuo mandato & exemplo auguſtiorem reddidit ſolemnitatem Paſchalem, accenſis per totam civitatem in vigilia Paſchæ cereorum columnis & lampadibus, atque erogatis, illuceſcente die, largis eleemoſynis. Ad 2. Eſto Euſebius Cæſarienſis fuerit Arianus, incredibile eſt ipſum ſplendide mentiri in cauſa Arianos non ſpectante, & in hujus facti narratione cujus erat adhuc recens memoria, & in qua putidi mendacii ab innumeris pene teſtibus adhuc viventibus convinci potuiſſet; ſuperſtites enim erant, qui ſcirent Conſtantinum & Romæ fuiſſe baptizatum, & Nicomediæ non fuiſſe baptizatum. Adde Euſebium ab omni retro antiquitate in iis, quæ non ſpectant Arianam Hæreſim, habitum ſemper fuiſſe & laudatum tanquam ſincerum & veracem Hiſtoricum. Quantum

ad titulum c. 32. reponunt titulos iſtos non eſſe Euſebii, ſed ab aliquo recentiore compoſitos; tum quia de Euſebio loquuntur in tertia perſona; tum quia non reperiuntur iidem in omnibus Editionibus; & revera illum, de quo eſt Quæſtio, non reperio in Editione Colonienſi 1612. ſed capiti 26. l. 1. hunc lego titulum præfixum; *Quomodo Conſtantinus Chriſtianorum Myſteriis inſtructus ſacris litteris operam dederit*. Tum quia Euſebius in toto iſto c. 42. vel 26. nullatenus dicit Conſtantinum factum fuiſſe Catechumenum, ſed tantum evocatis Epiſcopis viſionem crucis aperuiſſe, & inde Lectioni ſacræ Scripturæ vacaſſe. Altera Baronii conjectura, inquiunt, utcumque valeret; ſi Euſebius ſolum tacuiſſet Baptiſmum Conſtantini Romæ a S. Silveſtro collatum; at non ſolum id tacuit, ſed etiam aſſeruit baptizatum fuiſſe Nicomediæ ſub finem vitæ. Inſuper nihil intererat Conſtantii, quando & ubi fuerat baptizatus Conſtantinus, ut in ejus gratiam tam apertum mendacium fingeret Euſebius; erat enim aliunde toti Univerſo notum Conſtantinum fuiſſe Arianæ hæreſeos infenſiſſimum hoſtem, conſequenter paternæ pietatis & fidei deſertorem eſſe ejus filium Conſtantium.

Secundum momentum, quo primum confirmatur, & Euſebii fides magis vindicatur, petitur ex ſequentibus Scriptoribus, quorum nullus Euſebium mendacii arguit, ſed omnes in ejus ſententiam ierunt, & Conſtantinum morti proximum Nicomediæ baptizatum fuiſſe diſerte aſſerunt, Socrates l. 1. c. 39. Sozomenus l. 2. c. 39. Theodoretus l. 1. Hiſt. Eccleſ. c. 30. S. Hieron. in Chronico ad an. ultimum Conſtantini & alii.

Tertium momentum eruitur ex Ep. Epiſcoporum Catholicorum in Conc. Ariminenſi ad Conſtantium Imp. quæ legitur apud S. Athanaſium l. de Synodis Arimini & Seleuciæ, apud Socratem l. 2. c. 37. Sozomen. l. 4. c. 18. Theodoret. l. 2. c. 19. & S. Hilarium in fragmentis. In hac ergo Ep. Epiſcopi Catholici nullo intervallo ſejungunt Baptiſmum Conſtantini ab ejus obitu; ſic enim alloquuntur Conſtantium; *Fuit nobis perſuaſiſſimum, iniquum eſſe, cum Imperator Conſtantinus, ab obitu ſuo dignus omni memoria, hanc fidem omni cura & diligentia conſcriptam promulgavit, tum demum ex quo ille baptizatus ex hominibus in requiem ſibi debitam translatus eſt, aliquid novi in ea fide moliri velle*. Reſpondet Baronius textum hujus Ep. eſſe adulteratum, & loco *Conſtantini* legendum, eſſe *Conſtantem* quia ſic legitur in verſione Latina S. Athanaſii. At, reponunt alii, non advertit Eminentiſſ. Scriptor in textu Græco S. Athanaſii legi *Conſtantinum*, & non *Conſtantem*: item *Conſtantinum* legi apud Socratem, Sozom. Theodoret. & in omnibus Codicibus ſcriptis & editis, ideoque ex oſcitantia Interpretis aut Typographi *Conſtantem* pro *Conſtantino* in verſione Latina S. Athanaſii irrepſiſſe. Inſuper Patres Ariminenſes ſcripſiſſe Conſtantinum & non Conſtantem, aut Conſtantinum juniorem conſtat ex his, quæ paulo ante dixerant: *Indecens enim*, inquiunt, *& nefarium aliquid ex recte & juſte decretis & ex rebus Nicææ cum Illuſtriſſima Principe Conſtantiae Patre tuo per accuratam deliberationem conſtitutis, aliquid immutare velle*.

Quartum momentum eſt auctoritas S. Ambroſii, qui in Orat. habita in funere Theodoſii Imperat. dicit, quod Conſtantino *Baptiſmatis gratia in ultimis conſtituto omnia peccata dimiſerit*. His addunt S. Iſidorum in Chron. ex Recentioribus, Æneam Sylvium in Dialogis biennio ante Pontificatum editis, Cardinalem Cuſanum l. 3. Concord. Cathol. c. 2. & alios.

Ad momenta vero prioris ſententiæ ſic reſpondent hujus poſterioris aſſertores. Ad 1. dicunt acta S. Sylveſtri, latente ipſo Baronio, patentiſſimis ſcatere mendaciis, ſicque nullius eſſe ponderis argumentum ex illis deductum. Narrant ſiquidem hæc acta an. 315. Romæ congregatum eſſe Concilium 75. Epiſcoporum & 109. Sacerdotum Judæorum, exceptis 12. miſſis ab Iſachar Pontifice ad Helenam, ut diſſererent coram illa & Conſtantino filio de Religione; Helena quippe erat adhuc gentilis, ſed a Judæis pene effecta Judæa, valde commota in filium Conſtantinum, quod Religionem Chriſtianam amplexus eſſet, ad eum dedit litteras plenas blaſphemiis adverſus Chriſtum. Hæc putidiſſima, inquiunt, eſſe mendacia nemo non videt, nec negat Baronius. Quis enim credat Catholicos Epiſcopos conciliariter conveniſſe cum Judæis, ut de fide diſputarent, & alios Judæos a ſuo Pontifice miſſos, cum conſtet ab excidio Jeroſol. nullum apud Judæos creatum fuiſſe Pontificem, & Pontificis nomen eſſe extinctum? Item quis credat Helenam tam acriter infenſam in filium, ad eumque litteras iratas & blaſphemas dediſſe, cum de hoc altum ſit apud veteres ſilentium? Aliud mendacium eſt, quod S. Sylveſter jejunium Sabbathi abrogaverit, ut referunt acta, cum certum ſit illud ab ejus ſucceſſoribus fuiſſe religioſe ſervatum. Item mendacium eſt, quod, ut refertur in actis, S. Sylveſter inſtituerit primam diem hebdomadæ vocari *Dominicam*, cum jam ita vocaretur tempore Apoſtolorum, Apocal. 1. Et ut ad ſubjectam materiam accedamus, falſiſſimum eſt, quod aſſerunt hæc acta S. Sylveſtrum latitaſſe in monte Soracte, ut Conſtantini perſecutionem fugeret, cum certum ſit Conſtantinum ante plures annos ad Religionem Chriſtianam converſum, eam ubique & omnibus modis foviſſe ac protexiſſe. Pariter falſum eſt, ut ferunt acta, Conſtantinum paraſſe ſibi balneum ex ſanguine puerorum, ut curaretur a lepra, ſed ab ea Baptiſmo fuiſſe ſanatum: præterquam enim quod nullus veterum tanti miraculi meminerit; cum Julianus Apoſtata Chriſtianis exprobraret Baptiſmum non mundare a lepra, ergo a fortiori nec a peccatis; S. Cyrillus Alex. l. 7. contra Jul. huic exprobationi & argumento reſpondens, non dicit Conſtantinum fuiſſe Baptiſmo a lepra mundatum, quod dubio procul non omiſiſſet, ſi res ita ſe haberet; ſed reſpondet Chriſtum, qui tot miracula in corporibus hominum edidit, potuiſſe etiam aquis vim mundandi a lepra conferre, ſed gratiam, quæ in Baptiſmo datur, potentiorem effeciſſe, & ad alios uſus, ſcilicet ad medendum morbis animæ, eſſe nobis datam. Nulla ergo, inferunt, fides Actis, quæ his & pluribus aliis mendaciis ſunt infarcta, nullius ponderis argumentum ex illis deductum. Quod Adrianus I. hæc Acta laudaverit, nihil juvat, inquiunt; illa enim laudavit, quia ob antiquitatem aliquid conferre poterant ad aſſerendum cultum Imaginum; neque dicunt omnia in eis contenta eſſe falſa. Gelaſius illa nulla cenſura notavit, vel quia nil Fidei contrarium continent, vel quia Gelaſii tempore non erant, ſicut nunc, adulterata & falſitatibus ſcatentia. Quantum ad Breviarium Rom. reſpondent ipſum hac in parte poſſe emendari, ſicut in pluribus aliis jam fuit emendatus.

Ad 2. reſpondent, hoc Concil. Rom. an. 324. eſſe fictitium, aut intolerabiliter depravatum multis argumentis probari. Inter alia, 1. quia in Prologo Photinus dicitur ibi condemnatus, cum tamen conſtet Hæreſim Photini longe poſtea emerſiſſe, nec ante Conc. Sirmienſe damnatam. 2. Dicitur S. Helenam Conſtantini Matrem huic Concilio cum filio interfuiſſe & ſubſcripſiſſe, quod eſt ridiculum, & a moribus Eccleſiæ alienum. Omitto hæc aperte repugnare Actis S. Sylveſtri, quibus innititur præcipue iſta ſententia. 3. Quia plures hujus Concilii Canones ſunt prorſus inepti, diſciplinæ Eccleſiaſticæ, imo & communi ſenſui repugnantes: v. g. Can. 3. ſancitum eſt, quod non condemnabitur *Subdiaconus, Acolythus, Exorciſta, Lector, niſi ſicut ſcriptum eſt, in ſeptem teſtimoniis, filios & uxores habentes, & omnino Chriſtum prædicantes*. Imprimis nullibi id *ſcriptum eſt*. Inſuper ad quos referantur hæc verba, *Filios & uxores habentes*, non liquet; ſi ad Subdiaconum, Acolythum, &c. ergo non ſolum poſſunt Subdiaconum & Minores Clerici, ſed etiam debent habere uxores; ſi ad teſtes, ergo nemo poteſt eſſe teſtis idoneus contra Clericum, niſi habeat uxorem & filios: utrumque autem eſt abſurdum. Can. 10. dicitur: *Nullus Epiſcoporum Virginem ſacratam maritali conſortio expetierit benedicere, niſi probaverit 72. annorum eſſe conſtitutam*. Quis autem unquam audivit Virgines maritali conſortio conſecrari, nec ante 72. annum poſſe benedici, aut nuptas poſſe conſecrari? Can. 13. ſancitur: *Nemo niſi velamen cœleſte acceperit primum conjugii per manus Sacerdotis, ad Clericatus honorem accedat*. Quaſi vero neceſſe ſit prius nubere, quam fieri Clericum.

Ad 3. reponunt Nicolaum I. adulteratis Actis S. Sylveſtri circa Baptiſmum Conſtantini fuiſſe deceptum. Idem dicunt de Anaſtaſio Biblioth. de Nicephoro & quibuſdam aliis, majoremque fidem adhibendam eſſe antiquis Scriptoribus, Euſebio, Socrati, Sozomeno, Evagrio, Theodoreto, Patribus Ariminenſ. S. Hieron. Ambroſio, Iſidoro, &c. quam quibuſdam Recentioribus: neque ex Baptiſterio Romano, quod dicitur Conſtantini, ſolidum poſſe erui argumentum; potuit enim ita nominari, non quia in eo baptizatus fuit Conſtantinus, ſed quia ejus munificentia in aliorum uſum fuit extructum.

Ad 4. dicunt narrationem Zoſimi Ethnici a Scriptoribus Eccleſiaſticis Sozomeno & Evagrio convinci falſitatis, & in odium Chriſtianæ Religionis eſſe confictam. Vide Sozomenum l. 1. c. 5. Adde, quod Zoſimus non dicat Conſtantinum fuiſſe Romæ baptizatum, ſed tantum quod conſiliis & hortatu iſtius Egyptii *Principium impietatis hoc dedit, ut divinationem ſuſpectam haberet*.

Ad 5. ex congruentiis. Ad 1. negant ſuperſtitioſum eſſe velle exemplo Chriſti baptizari in Jordanis aquis, quas ſuo contactu ſpecialiter ſanctificaverat ipſe Salvator, ſed e contra id eſſe pium & a pluribus tunc religioſe frequentatum. Nec refert, quod id opportune potuerit prius Conſtantinus; non enim quæritur, quod potuerit, ſed quid fecerit. Ad 2. congruentiam duo reponunt. 1. Quamvis Hieron. & Iſid. dicant baptizatum fuiſſe ab Ariano, id tamen non conſtat; id namque ſilet Euſebius, & Gelaſius Cyzicenus apud Photium in Bibiloth. cod. 88. contrarium aſſerit, referens *Conſtantinum baptiſmate tinctum ab Orthodoxo Sacerdote, non ut quidam*

pre-

prodierant , ab Hæretico aliquo . 2. Eſto baptiaatos fuerit ab Eoſebio Nicomedienſi , non ſequitur ideo eum ſactum fuiſſe Arianum , aot peccaſſe , quia Euſebius Nicomedienſis ſeſe adhuc tunc ſimulabat Catholicum , & Concilio Nicæno ſubſcripſerat , nec niſi poſt obitum Conſtantini palam apparuit Hæreticus.

Obſervandum Anſelmum Havelburgenſem Epiſcopum , ut utramque ſeotentiam conciliaret, dixiſſe Conſtantinum baptiaatum fuiſſe Romæ a S. Sylveſtro, & rebaptiaatum Nicomediæ ab Arianis . Verum hæc cooeiliatio ut figmentum communiter rejicitur. 1. Quia nullo antiquorum teſtimonio fulcitur. 2. Quia falſum eſt nonc temporis Arianos baptiaatos a Catbolicis rebaptiaaſſe , ſed tum demum tempore VVandalicæ perſecutionis a VVandalis & Hunnis Arianis id tentatum fuiſſe. 3. Quia non eſt credibile Conſtantinum , qui Donatiſtas rebaptiaantes compreſſerat, ſeſe rebaptiaari paſſum fuiſſe. 4. Pariter inveriſimile eſt Euſebium Nicomed. qui tunc adhuc ſe Catholicum ſimulabat , Baptiſmum in Eccleſia collatum tamquam nullum iterare auſum fuiſſe.

DISSERTATIO IV.

DE EFFECTIBUS BAPTISMI.

Div. Thom. Quæſt. 69.

ARTICULUS I.

Varii effectus Baptiſmi recenſeatur.

PRÆTER Hæreticos , qui vel neceſſitatem vel utilitatem Baptiſmi negaverunt , quorum non ſemel meminimus in ſuperioribus; Lotherani & Calviniſtæ contendunt per Baptiſmum peccata non vere tolli , ſed tegi tantum , & non impotari ; quem errorem confutavimus in Tract. de grat. Diſſ. 7. art. 1. Alios vero Baptiſmi effectus comminiſcuntur, quos non agnoſcit Eccleſia. 1. Quod baptizatus non poſſit damnari , etſi velit , niſi nolit credere . 2. Quod Baptiſmus liberet ab obedientia Legis tum divinæ cum humanæ, & ab omnibus votis. 3. Quod ſola memoria Baptiſmi juſtificet a peccatis, quæ fiunt poſt ejus ſuſceptionem . Hos errores ſigillatim damnat Conc. Trid. ſeſſ. 7. Can. 6. 7. 8. 9. & 10. & late impugnat Bellarm. l. 1. de Bapt. c. 14. 15. 16. 17. & 18. ſed quia ipſa ſua vanitate & abſurditate corruont , iis refutandis non hæreo, & juxta doctrinam Catholicam

Dico 1. (*Q. 69. a. 4. & 6. o.*) Principalis effectus Baptiſmi tám in adoltis quam io parvolis eſt gratia ſanctificans cum virtutibus ioſuſis. Patet ex Diſſ. 3. de Sacramentis in communi Art. 1. & 2. ubi multis probavimus Sacramenta novæ Legis cauſare gratiam ex opere operato etiam phyſice. Reqoire ibi. Pauca tantum ſpecialia de Baptiſmo addam. 1. (*Ib. a. 4.*) Cor. 6. *Abluti eſtis , ſanctificati eſtis , juſtificati eſtis* . Tit. 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus S.* Marci ult. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit* . Salus aotem non habetur niſi per gratiam . Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna* . Ioſuper per Baptiſmum incorporamur Chriſto tamquam membra ejus, ut dicit Aug. l. 1. de Bapt. parvul. c. 26. a capite autem Chriſto in omnia ejus membra gratiæ & virtutis plenitudo derivatur , juxta illud Joan. 1. *De plenitudine ejus omnes accepimus*.

Et quamvis iſta (*Ib. art. 6.*), & ea , quæ dixi loco cit. de Sacram. in genere , probent tam pro parvulis , qoam pro adultis , foerunt tamen quidam antiqui , qui poſuerunt , quod pueris in Baptiſmo non dantur gratia & virtutes, ſed imprimitur io eis character Chriſti , cujos virtute , cum ad perſectam ætatem pervenerint, conſequuntur gratiam & virtutes. Sed hoc patet (*Ibid.*) eſſe falſum dupliciter . 1. Quidem quia pueri ſicut & adulti in Baptiſmo efficiuntur membra Chriſti ; unde neceſſe eſt , quod a capite recipiant influaom gratiæ & virtutis . 2. Quia alias pueri decedentes poſt Baptiſmum non pervenirent ad vitam æternam . Et ita non proſeciſſet eis ad ſalutem baptizatos fuiſſe.

Cauſa autem erroris fuit, (*Ib.*) quia neſcierunt diſtinguere inter habitum & actum . Et ſic videntes pueros inhabiles ad actos virtutum, crediderunt eos poſt Baptiſmum nullatenus virtutem habere . Sed iſta impotantia operandi non accidit ex defectu habituum , ſed ex Impedimento corporali ; ſicut enim dormientes , quamvis habeant habitus virtutum , impediuntur tamen ab actibus propter ſomnum.

Nec obſtat, quod Aug. Ep. 23. dicat parvulos eſſe fideles per Sacramentum fidei: quamvis enim ibi non nominat habitum fidei, quia apud Philoſophos habitos non ſolum dicit qualitatem immaoentem , ſed etiam quamdam facilitatem per actus frequentatos acquiſitam , non tamen eum negat, quin imo ipſum aſſerit l. 3. de peccat. merit. c. 2. ubi dicit per Baptiſmum *Trajici in parvulos fidem , quam voluntate propria nondum habere potuerant*.

Iſte aotem effectus (*Ib. a. 8. o.*) æqualis eſt in omnibos parvulis, quia omnes ſunt æqualiter diſpoſiti : in adultis vero eſt inæqualis , juxta inæqualitatem diſpoſitionum . Vide de Sacram. in genere Diſſ. 3. art. 4.

Dico 2. (*Ib. a. 1. o*) Per Baptiſmum remittuntur omnia peccata tam originale , quam actualia . Sequitur ex præcedenti ; gratia enim eſt incompoſſibilis cum peccato ſaltem mortali, ut probavimus de grat. Diſſ. 7. a. 3. Inſuper (*Ib. in n. ſ. c.*) conſtat ex Scriptura: Ezech. 36. *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris*. Act. 2. *Baptizetur unuſquiſque veſtrum in remiſſionem peccatorum* , cap. 22. *Exurge , & baptizare , & ablue peccata tua* . Ex Conciliis. Conc. Carthag. 4. cap. 1. Epiſcopus jubetur profiteri ante conſecrationem in Baptiſmo *Omnia peccata tam originale , quam quæ voluntarie admiſſa ſunt , dimitti*. Conc. Flor. in Decreto unionis : *Hujus Sacramenti* (Baptiſmi) *effectus eſt remiſſio omnis culpæ originalis & actualis*. Trid. ſeſſ. 5. Can. 5. *Si quis per Jeſu Chriſti Domini noſtri gratiam , quæ in Baptiſmate confertur , reatum peccati originalis remitti negat , aut etiam aſſerit non tolli totum , quod veram & propriam rationem peccati habet , ſed illud dicit tantum radi , aut non imputari , Anathema ſit . In renatis enim nihil odit Deus , quia nihil eſt damnationis iis , qui vere conſepulti ſunt cum Chriſto per Baptiſmum in mortem ... ita ut nihil prorſus eos ab ingreſſu cœli remoretur.*

Sic autem remitti peccata , ut vere deleantur , tollantur & auferantur , & non ſolum radantur aut tegantur , abunde probavimus Diſſ. 5. de grat. a. 1.

Patres pro utraque concluſione omittimus , quia paſſim ſunt obvii , & citatos habes laudata Diſſ. 3. de Sacram. in genere art. 1. & 2.

Ratio Theologica. (*Ib. o.*) Apoſt. Rom. 6. dicit : *Quicumque baptizati ſumus in Chriſto , in morte ipſius baptizati ſumus : conſepulti enim ſumus cum illo per Baptiſmum in mortem , ut quomodo Chriſtus ſurrexit a mortuis per gloriam Patris , ita & nos in novitate vitæ ambulemus*. Et poſtea concludit : *Ita & vos exiſtimate , vos mortuos quidem eſſe peccato , viventes autem Deo , in Chriſto Jeſu Domino noſtro* . Ergo per Baptiſmum homo moritur vetuſtati peccati, & incipit vivere novitati gratiæ . Subſumo. Atqui omne peccatum ad priſtinam vetuſtatem pertinet. Ergo omne peccatum per Baptiſmum tollitur.

Dico 3. (*Ib. a. 2. & 3. o.*) Per Baptimum remittitur omnis pœna pro peccatis luenda coram Deo ; non tamen tolluntur præſentis vitæ pœnalitates. Prob. 1. Pars 1. Ex Conciliis. Conc. Flor. Decreto cit. ſic definit : *Hujus Sacramenti* (Baptiſmi) *effectus eſt remiſſio omnis culpæ originalis & actualis , omnis quoque pœnæ , quæ pro ipſa culpa debetur. Propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis injungenda eſt ſatisfactio , ſed morientes , antequam culpam aliquam committant , ſtatim ad Regnum cœlorum & Dei viſionem perveniunt* . Trid. cit. definit nihil prorſus baptiaatos ab ingreſſu cœli ramorari . Et ſeſſ. 6. cap. 14. dicit , quod io pœnitentia pœoa *non tota ſemper , ut in Baptiſmo fit , dimittitur illis*.

Prob. 2. Ex Patribus: S. Clemente l. 2. conſtit. c. 41. S. Baſilio exhortat. ad Bapt. S. Ambroſ. lib. de Elia c. ult. S. Chryſoſt. Hom. 1. ad baptizandos , S. Greg. Naz. Orat. 40. S. Aug. in Enchir. ad Laurent. c. 64. & l. 2. de Peccat. merit. c. 28.

Prob. 3. Ex perpetuo Eccleſiæ uſu , quæ nullam baptiaatis injungit ſatisfactionem. Ratio a priori eſt (*Ibid. a. 2. c.*) voluntas Chriſti. Sic autem voluiſſe Chriſtum conſtat ex dictis , & ex ſequentibus momentis . 1. Ex inſtitutione Chriſti per Baptiſmum homo incorporatur Chriſto , & fit membrum ejus , ſicque paſſioni & morti ejus communicat, ſicut ejuſdem corporis membrum : ſecundum illud Rom. 6. *Si mortui ſumus cum Chriſto , credimus , quia ſimul etiam vivemus cum Chriſto* . Unde omni baptizato , ut Chriſti membro , communicatur Paſſio Chriſti ad remedium , ac ſi ipſe paſſus & mortuus eſſet . Atqui Paſſio Chriſti eſt ſufficiens ſatisfactio pro omnibus peccatis omnium hominum. Ergo ille, qui baptiaatur, liberatur a reatu totius pœnæ ſibi debitæ pro peccatis , ac ſi ipſe ſufficienter ſatisfeciſſet pro omnibus ſuis peccatis . Confer Diſſ. præced. a. 5. Petit. 4.

2. Con-

2. Conveniens erat, ut efficacia Paſſionis Chriſti communicaretur per aliquod Sacramentum; id autem maxime decebat fieri per Baptiſmum: tum quia eſt primum Sacramentum; prima autem gratia Principis ſolet eſſe plena & perfecta: tum quia eſt regeneratio, in regeneratione autem nihil in genito remanet de corrupto: tum quia eſt incorporatio Chriſti, in eodem autem corpore unum membrum ſatisfacit per ſatisfactionem, quam exhibet aliud membrum, ut dictum eſt.

Dixi: *Omnis pœna coram Deo luenda*: (*Ibid. a. 2. ad 3.*) quia in pœnia, quæ judicio humano infertur, non ſolum attenditur, qua pœna ſit homo dignus quoad Deum; ſed etiam in quo ſit obligatus quoad homines, qui læſi & ſcandaliſati ſunt propter peccatum alicujus. Et ideo licet homicidia per Baptiſmum liberetur a reatu pœnæ quoad Deum, remanet tamen obligatus adhuc quoad homines, quos juſtum eſt ædificari de pœna, ſicut ſunt ſcandaliſati de culpa. Pie tamen Princeps talibus poſſet pœnam indulgere.

Secunda Pars (*Ib. a. 3. o.*) probatione non indiget, quippe quæ infelici noſtra experientia conſtat. Subjicimur namque fami, ſiti, morbis, morti, concupiſcentiæ, &c, non quod Baptiſmus non habeat vim has pœnalitates auferendi, ejus enim virtute auferentur a juſtis in reſurrectione, *Quando mortale hoc induet immortalitatem*, 1. Cor, 15. Verum eas nunc non aufert, & hoc rationabiliter propter tria. 1. Quidem, quia per Baptiſmum homo incorporatur Chriſto, & fit membrum ejus, ut dictum eſt; & ideo conveniens fuit, ut id agatur in membro incorporato, quod eſt actum in capite: Chriſtus autem quamvis fuerit plenus gratia, habuit tamen corpus paſſibile, quod poſt paſſionem & mortem eſt ad vitam glorioſam reſuſcitatum. Unde & Chriſtianus, quamvis gratiam conſequatur in Baptiſmo quantum ad animam, habet tamen corpus paſſibile, in quo Chriſto poſſit compati; ſed tandem reſuſcitabitur ad impaſſibilem vitam. Unde illud Apoſtoli Rom. 8. *Qui ſuſcitavit Jeſum Chriſtum a mortuis, vivificabit & mortalia corpora veſtra propter inhabitantem Spiritum ejus in nobis*. 2. Hoc eſt conveniens propter ſpirituale exercitium, ut videlicet contra concupiſcentiam & alias paſſibilitates pugnans homo victoriæ coronam acciperet. 3. Hoc fuit conveniens, ne homines ad Baptiſmum accederent propter impaſſibilitates præſentis vitæ, & non propter gloriam vitæ æternæ. Porro iſti defectus, quamvis ſint naturales, & reperirentur in ſtatu naturæ puræ, dicuntur tamen in hoc ſtatu naturæ lapſæ pœnalitates; quia cum vi doni integritatis non eſſent in ſtatu innocentiæ, peccato Adæ effectum eſt, ut, hoc dono amiſſo, iis ſubjiceremur: & ideo dictæ pœnalitates, quaſi pœna peccati. Confer de gratia Diſſ. 2. a. 1, §. 1. & a. 2.

Dico 4. (*Ibid. a. 5. & 7. o.*) Quidam alii Baptiſmi effectus convenienter aſſignantur. 1. *Incorporatio*, quia, ut dictum eſt, per Baptiſmum incorporamur Chriſto tamquam ejus membra. 2. *Illuminatio*, quæ eſt per fidem, cujus Baptiſmus eſt Sacramentum & profeſſio. 3. *Fœcundatio*, quatenus ratione gratiæ ſacramentalis per Baptiſmum collatæ fœcundamur ad bona opera exercenda: juvat autem ſpecialiter hæc gratia ad recipiendam doctrinam Fidei, ad juſtitiam acceptam retinendam, & ad operandum juxta illam. Confer Diſſ. 3. de Sacram. in genere art. 4. 4. *Apertio Regni Cœleſtis*: quia aperire januam Regni cœleſtis nihil eſt aliud, quam amovere obſtaculum, quo quis impeditur Regnum cœleſte introire: hoc autem obſtaculum eſt culpa & reatus pœnæ, quod tollitur per Baptiſmum, ut dictum eſt.

Dices 1. Regnum Cœlorum per Paſſionem Chriſti eſt apertum. 2. Qui baptizati mortui ſunt ante Paſſionem & Mortem Chriſti; non ſunt tunc ingreſſi Regnum cœlorum. 3. Circumciſio tollebat ſimiliter omnem culpam & pœnam, & tamen non aperiebat Regnum cœlorum. R. ad 1. (*Ibid. ad 1.*) Paſſio Chriſti aperuit Regnum cœlorum ſufficienter omnibus, ſeu reſpectu totius naturæ, huic autem particulari aperit, quando applicatur meritum Paſſionis per Baptiſmum; per quem ejus peccatum tollitur, quod erat illi impedimentum perſonale. Ad 2. baptizati morientes ante Paſſionem Chriſti non ſunt ſtatim ingreſſi Regnum cœlorum per accidens, quia tunc Baptiſmum nondum habebat ſuam perfectam ſignificationem, quæ eſt mortis, ſepulturæ & reſurrectionis Chriſti præteritæ. Hunc tamen introitum expectabant vi Baptiſmi tamquam inſtrumenti Paſſionis Chriſti. Ad 3. diſparitas eſt, quod circumciſio tollebat tantum impedimentum ex parte perſonæ, remanente impedimento ex parte totius naturæ, quod cum Chriſtus abſtulerit, remanet tantum impedimentum ex parte perſonæ, quod Baptiſmo aufertur.

Dico 5. Alter effectus Baptiſmi eſt character animæ indelebiliter impreſſus. De quo ſat dixi in Tract. de Sacram. in genere Diſſ. 4. a. 1. Illuc recurre.

ARTICULUS II.

Utrum Baptiſmus ficte ſuſceptus, recedente fictione, reviviſcat?

DUPLEX hic diſtinguenda eſt fictio. Una voluntatis, quando quis ſimulat ſe habere voluntatem ſuſcipiendi Baptiſmum, quam tamen non habet; & de illa hic non agitur; quia talis fictio irritat Sacramentum: quod autem nunquam extitit, reviviſcere non poteſt. Altera eſt diſpoſitionis, quando quis ſimulat aut credit ſe habere diſpoſitionem ſufficientem ad Sacramentum & ejus effectum, & tamen non habet: ut ſi accedat cum intentione quidem ſuſcipiendi Sacramentum, ſed vel ſine fide, vel ſine pœnitentia, vel cum affectu ad peccatum, & dicitur ſic poſitive indiſpoſitus; aut ſi accedat cum attritione naturali, quam invincibiliter putat eſſe ſupernaturalem, & ſic dicitur negative indiſpoſitus. Uterque recipit Sacramentum Baptiſmi & characterem, ſed non gratiam & remiſſionem peccatorum; quia gratia eſt incompoſſibilis cum affectu ad peccatum, & homo non diſponitur ad gratiam recipiendam niſi per actum ſupernaturalem. Quæſtio eſt itaque, utrum Baptiſmus ficte hac diſpoſitionis fictione, ſive poſitiva, ſive negativa, ſuſceptus, recedente fictione, reviviſcat, ſic ut gratiam producat & peccata remittat?

Dico. (*Ib. a. 10. o. & ad 2. & 3.*) Baptiſmus ficte ſuſceptus, recedente fictione, ſic reviviſcit, ut gratiam producat, & peccata tam originale quam actualia, quæ ipſum præceſſerunt aut comitata ſunt, remittat quoad reatum culpæ & totius pœnæ: non tamen illa, quæ poſt ipſum commiſſa ſunt. Eſt communis cum Auctore.

Prob. 1. pars 1. ex Aug. 3. de Bapt. c. 13. ubi loquens de Baptiſmo in hæreſi vel ſchiſmate ſuſcepto dicit: *Si autem quamvis apud Hæreticos vel Schiſmaticos idem ſit Baptiſmus Chriſti, non tamen ibi operatur remiſſionem peccatorum propter eandem diſcordiæ fœditatem & diſſenſionis iniquitatem; tunc incipit valere idem Baptiſmus ad dimittenda peccata, cum ad Eccleſiæ pacem venerint: non ut jam vere dimiſſa non retineantur, neque ut ille Baptiſmus quaſi alienus aut alius improbetur, ut alter tradatur; ſed ut idem ipſo, qui propter diſcordiam foris operabatur mortem, propter pacem intus operetur ſalutem*. Et l. 1. c. 12. loquens de Baptiſmo in Eccleſia Catholica ficte ſuſcepto, dicit: *Sicut in illo, qui fictus acceſſerat, fit ut non denuo baptizetur, ſed ipſa pia correctione & veraci confeſſione purgetur, quod non poſſet ſine Baptiſmo, ut quod ante datum eſt, tunc valere incipiat, cum illa fictio veraci confeſſione receſſerit*.

Quamvis ergo præcipua controverſia inter Aug. & Donatiſtas fuerit de validitate Baptiſmi in hæreſi vel ſchiſmate ſuſcepti, occaſionaliter tamen noſtram Concluſionem clariſſime aſſeruit, arguendo ad hominem, quaſi dixiſſet. Si Baptiſmus apud vos cum indebita diſpoſitione ſuſceptus valeat & non iteretur, quia ſublata fictione exerit ſuum effectum: ergo nec in hæreſi vel ſchiſmate receptus debet repeti, quia depoſita hæreſi vel abjecto ſchiſmate pariter exerit ſuum effectum.

Neque dici poteſt, quod Aug. intelligat peccatum orig. ſublata fictione remitti virtute ſolius pœnitentiæ, alioquin falſo dixiſſet, quod *tunc incipiat valere* Baptiſmus. Non etiam obſtat, quod dicit Vaſques, nullum hujus ſuæ opinionis argumentum proferre, ſive ex Scriptura, ſive ex traditione, ſive ex definitionibus Eccleſiæ, ſive a ratione. Id enim non putavit neceſſarium S. D. quia, ut dictum eſt, non erat inter ipſum & Donatiſtas controverſia de iſta reviviſcentia; quam ipſi Donatiſtæ admittebant. Hanc ergo ſententiam protulit tamquam certam & communiter receptam ſuo tempore. Unde Auctor Sermonis de Paſſione apud S. Cypr. de his, qui ficte Baptiſmum ſuſceperunt, dicit: *Ubi redierint ad cor, conſtat ablutionis donum, & redit effectus munerum, nec alias quæri aut repeti neceſſe eſt ſalutiferum Sacramentum*. Et Greg. l. 9. Ep. 61. nunc 67. dicit *Ab antiqua Patrum inſtitutione manaſſe, ut qui apud hæreſim in Trinitatis nomine baptizantur, cum ad ſanctam Eccleſiam redeunt, aut unctione chriſmatis, aut impoſitione manuum, aut ſola fidei profeſſione ad ſinum Matris Eccleſiæ revocantur . . . quia ſanctum Baptiſma, quod ſunt apud Hæreticos conſecuti, tunc in eis vires emundationis recipit, cum vel illi per impoſitionem manus Spiritum S. acceperint, vel iſti propter profeſſionem veræ fidei ſanctæ & univerſalis Eccleſiæ viſceribus fuerint nexi*.

Prob. 2. ratione. (*Ib. o.*) Cum aliquid generatur, ſimul cum forma recipit effectum formæ, niſi ſit aliquid impediens, quo remoto, forma rei generatæ producit ſuum effectum; ſic cum corpus grave generatur, movetur deorſum, niſi ſit aliquid prohibens, quo remoto, ſtatim incipit moveri deorſum. Atqui Baptiſmus eſt quædam ſpiritualis generatio, & quando aliquis baptizatur, accipit characterem quaſi formam, & conſequitur effectum, qui eſt gra-

tia

Digitized by Google

tia remittens omnia peccata, niſi impediatur per fictionem. Ergo oportet, quod ea remota Baptiſmus ſtatim conſequatur ſuum effectum. Sed obſervandum eſt cum Sylvio ex Cajetano hanc Auctoris rationem eſſe intelligendam per accommodationem ſimilitudinariam, ut ſicut in naturalibus ſimul cum forma dantur effectus formam conſequentes, qui ſi impediantur, remoto impedimento conſequuntur; ita in Baptiſmo imprimitur character quaſi forma, & cum eo nata eſt ſequi ex ordinatione divina gratia, quæ ſi impediatur, conveniens eſt ordinationi divinæ, ut amoto impedimento ſequatur: ſive interim Deus utatur charactere tamquam inſtrumento ad illam cauſandam, ſive conferatur ratione Sacramenti prius ſuſcepti.

Prob. 3. altera ratione. Qui poſt Baptiſmum ficte ſuſceptum perfecte conteritur, aut accedit ad Sacramentum Pœnitentiæ ſupernaturaliter attritus, juſtificatur, id nemo negat, conſequenter regeneratur in Chriſto, emundatur a peccato orig. & ab omnibus peccatis actualibus ante Baptiſmum & in ejus ſuſceptione commiſſis. Atqui id non obtinet vi Pœnitentiæ, ſed Baptiſmi. Ergo recedente fictione Baptiſmus reviviſcit. Prob. Minor multipliciter 1. Ex illo Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S.* &c. Si enim id totum obtineret vi pœnitentiæ, non eſſet renatus ex aqua & Spiritu S. ſed ex aqua tantum. Neque dici poteſt ipſum renaſci ex Spiritu S. per gratiam Sacramenti Pœnitentiæ: hæc enim gratia non eſt regenerativa, ſed reſuſcitativa tantum. Ergo. 2. Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 4. docet, quod *translatio ab eo ſtatu, in quo homo naſcitur Filius primi Adæ, in ſtatum gratiæ ... ſine lavacro regenerationis aut ejus voto fieri non poteſt, ſicut ſcriptum eſt, niſi quis*, &c. Atqui in eo, qui vere, ſed ficte baptizatus eſt, non poteſt repeti Baptiſmus, nec habet locum votum ſuſcipiendi Baptiſmum, qui ſemel datus non poteſt amplius ſuſcipi. Ergo illa translatio fit virtute Baptiſmi prius ſuſcepti, ſicque reviviſcit. 3. Peccatum orig. & actualia peccata ante Baptiſmum, aut in ejus ſuſceptione commiſſa, non ſunt materia Sacramenti Pœnitentiæ: tum ex Trid. ſeſſ. 14. cap. 1. & 2. ubi docet Sacramentum Pœnitentiæ eſſe inſtitutum pro tollendis peccatis poſt Baptiſmum commiſſis: tum quia non cadunt ſub clavibus & juriſdictione Eccleſiæ; ſicut enim Eccleſia non habet juriſdictionem in hominem non baptizatum, ita nec in peccata, quæ commiſit ante Baptiſmum. Ergo iſta peccata non remittuntur per Sacramentum Pœnitentiæ, ſed per Sacramentum Baptiſmi reviviſcentis. 4. Ex praxi Eccleſiæ, quæ nullam imponit ſatisfactionem pro peccato originali & pro peccatis actualibus commiſſis ante Baptiſmum aut in ejus ſuſceptione, quamvis noverit Baptiſmum fuiſſe ficte ſuſceptum. Ergo ſupponit totam pœnam eſſe remiſſam, non vi Sacramenti Pœnitentiæ, quod non habet iſtam virtutem; ergo virtute Baptiſmi reviviſcentis. Conſ. Cum Sacramentum Baptiſmi ſit initerabile, non ſatis eſſet proviſum humanæ fragilitati, ſi ficte ſuſceptus, recedente fictione, effectum non haberet.

Prob. 2. pars Concluſionis. Nullum Sacramentum eſt inſtitutum ad tollenda peccata futura, ſed tantum præſentia & præterita; ſunt enim medicinæ ſanativæ præcedentium peccatorum & præſervativæ futurorum. Ergo. Conſ. Peccata poſt Baptiſmum commiſſa ſubjiciuntur clavibus & juriſdictioni Eccleſiæ. Ergo ſunt materia Pœnitentiæ & non Baptiſmi.

Solvuntur Objectiones.

OBj. 1. contra 1. partem Concl. Opus mortuum, id eſt, ſine charitate factum, non reviviſcit. Atqui Baptiſmus ficte ſuſceptus eſt opus mortuum. Ergo. R. D. Min. (*Ib. ad* 1.) Baptiſmus ficte ſuſceptus, ut eſt opus hominis, eſt opus mortuum, C. Et ex hac parte non reviviſcit. Ut eſt opus Dei, eſt opus mortuum, N. Et ex hac parte reviviſcit.

Obj. 2. Sacramenta ſecundum nos cauſant phyſice gratiam. Atqui Baptiſmus, dum amovetur fictio, non poteſt phyſice cauſare gratiam, quia tunc non exiſtit. Ergo. R. duplicem ſolutionem huic argumento nos dediſſe Diſſ. 3. de Sacr. in genere a. 3. Primam, Baptiſmum virtute remanere in ſuo effectu, ſcilicet charactere. Alteram, ſententiam Thomiſticam de cauſalitate phyſica Sacramentorum eſſe intelligendam, quando concurrunt omnes conditiones requiſitæ ad cauſalitatem phyſicam, quarum prima eſt realis exiſtentia cauſæ. Vide ibi.

Obj. 3. Baptiſmus non reviviſcit, nec operatur, niſi prius amoveatur fictio. Atqui per amotionem fictionis omnia peccata tam præcedentia quam ſubſequentia tolluntur. Ergo nihil reſtat tollendum per Baptiſmum. Prob. Min. Amotio fictionis fit per infuſionem gratiæ. Atqui gratia nullum compatitur peccatum. Ergo. R. D. Maj. Baptiſmus non producit ſuum effectum, niſi prius prioritate naturæ amoveatur fictio, C. Prioritate temporis, N. Eodem igitur inſtanti reali, quo tollitur fictio & peccata Baptiſmum ſubſequentia per infuſionem gratiæ, ſimul tolluntur & præcedentia per eandem gratiam, quæ eſt ab utroque Sacramento. Quatenus eſt e Sacramento Pœnitentiæ, concurrit directe & per ſe ad amotionem fictionis & peccatorum ſubſequentium, ſed indirecte tantum & tamquam removens prohibens ad remiſſionem peccatorum præcedentium Baptiſmum, ideoque prius natura in genere cauſæ materialis & diſpoſitive: ſicque Baptiſmus & Pœnitentia ſimul tempore concurrunt ad juſtificationem hujus peccatoris: Baptiſmus per ſe & directe reſpectu peccatorum præcedentium, Pœnitentia per accidens & indirecte tamquam removens prohibens reſpectu eorumdem; ſed reſpectu fictionis & ſubſequentium per ſe, & directe, quia hæc ſunt ejus materia, non præcedentia.

Inſt. Peccata Baptiſmum præcedentia ſunt etiam materia pœnitentiæ. Ergo. Prob. Ant. Sunt peccata hominis ſubditi Eccleſiæ. Ergo & ipſa ſunt Eccleſiæ ſubdita, conſequenter materia pœnitentiæ. R. N. Ant. Ad prob. N. Conſeq. Non enim ex eo quod quis per Baptiſmum fiat ſubditus Eccleſiæ, ſequitur, quod peccata, quæ prius commiſit, ſubdantur Eccleſiæ, ut patet ex 3. probatione Concluſionis, præſertim ex praxi Eccleſiæ, quæ illa non agnoſcit ſui fori, cum iis nullam imponat ſatisfactionem. Nec refert, quod peccatum commiſſum in uno loco, quandoque puniatur in altero, cujus juriſdictioni reus eſt ſubditus; id enim fit vel ex implicita ſeu interpretativa voluntate Domini loci, in quo delictum fuit commiſſum, vel ex diſpoſitione juris humani; ſimilem autem a Deo pro Sacramentis inſtitutam diſpoſitionem vel voluntatem non agnoſcit Eccleſia.

Obj. 4. Fictio tollitur per Pœnitentiam & non per Baptiſmum, ut docet D. Th. & patet, quia per ſe & directe opponitur diſpoſitioni, quæ requiritur, ut reviviſcat Sacramentum. Atqui fictio eſt peccatum concomitans Baptiſmum. Ergo. R. D. Min. Fictio volita & inchoata eſt peccatum concomitans Baptiſmum, C. Et hæc remittitur per Baptiſmum. Fictio conſummata, N. Hæc enim eſt poſterior Baptiſmo: tum quia non intelligitur profanatio Sacramenti conſummata, niſi ſupponatur Sacramentum: tum quia conſummatur fictio in eo inſtanti, in quo deberet infundi gratia, & impeditur, alioquin Baptiſmus non eſſet ficte ſuſceptus; eo autem inſtanti non eſt amplius Baptiſmus, quia non cauſat gratiam, niſi quando completus & perfectus deſinit; deſinit autem, ut alia ſucceſſiva, per inſtans extrinſecum ſeu per primum ſui non eſſe, in quo verum eſt dicere, nunc non eſt, & immediate ante erat.

Inſt. Ficte ſuſcipiens Baptiſmum tenetur confiteri fictionem non ſolum conſummatam, ſed etiam inchoatam & currentem cum ſuſceptione Baptiſmi. Ergo hæc etiam tollitur per Sacramentum Pœnitentiæ. Prob. Ant. Tenetur confiteri ſe ſuſcepiſſe ficte Sacramentum. Atqui ille non ſuſcipit ficte Sacramentum, cujus fictio poſterior eſt Sacramento ſuſcepto. Ergo. R. N. Ant. Ad Prob. D. Min. Ille non ſuſcipit ficte Sacramentum, cujus fictio poſterior eſt Sacramento, ſi illa fictio poſterior non ſit obex gratiæ Sacramenti, C. Secus, N. In hoc enim ſitum eſt peccatum fictionis, quod ponat obicem gratiæ conferendæ per Sacramentum, alioquin non eſſet Sacramentum ficte ſuſceptum: non autem poteſt ponere obicem gratiæ, niſi in eo inſtanti, quo Sacramentum illam conferret, ſi non eſſet obex, & illud inſtans, ut diximus, eſt extrinſecum Sacramento.

Subſumes. Atqui non poteſt confiteri fictionem conſummatam, niſi ſimul confiteatur peccata præcedentia & concomitantia. Ergo. Prob. Subſumptum. Qui tenetur confiteri peccatum, tenetur & ejus gravitatem aperire. Atqui fictio fit gravior ex peccatis præcedentibus; quo enim plura ſunt & graviora peccata, cum quibus accedit ad Baptiſmum, eo major eſt irreverentia Sacramenti & gravius fictionis peccatum. Ergo. R. 1. D. Subſumptum: non poteſt confiteri fictionem conſummatam, niſi ſimul confiteatur peccata præcedentia, ut appareat gravitas fictionis præciſe, Tranſeat: ut per Sacramentalem abſolutionem remittantur, N. Non ſunt enim ejus materia, & ſic nihil contra nos. Sed 2. N. Subſumptum. Ad Prob. N. Maj. in caſu præſenti, in quo concurrunt duo Sacramenta: quia cum gravitas illa proveniat ex peccatis præcedentibus, quæ non pertinent ad Sacramentum Pœnitentiæ, & remittantur ſimul per Baptiſmum reviviſcentem, non eſt neceſſe, quod illa confiteatur, ſed ſufficit, quod confiteatur ſimpliciter fictionem formalem, dicendo ſe ſuſcepiſſe Sacramentum Baptiſmi in peccato mortali.

Petes 1. Quæ diſpoſitio requiratur, ut Sacramentum ficte ſuſceptum reviviſcat? R. Si fictio fuit tantum negativa, puta quia ſuſcipiens putabat invincibiliter ſe eſſe attritum ſupernaturaliter, cum non eſſet, ſufficit ſi habeat attritionem ſupernaturalem, quia per illam tollitur fictio & obex gratiæ. Intellige tamen, modo poſt Baptiſmum non

pec-

peccaverit mortaliter; alioquin dicendum erit de illo, ſicut de ficto poſitive. Igitur ſi fictio fuit poſitiva, puta ſi acceſſerit ſine fide aut cum affectu ad peccatum mort. aut ſcienter ſine attritione ſufficienti, requiritur contritio perfecta, vel attritio ſupernaturalis cum Sacramento Pœnitentiæ: cum enim iſte obex ſeu iſta fictio ſit in ſe peccatum mortale ſacrilegii, non poteſt aliter tolli, quam per perfectam contritionem, vel attritionem cum Sacramento.

Petes 2. Utrum Sacramentum reviviſcens conferat gratiam ſecundum menſuram diſpoſitionis, quam habebat ſubjectum, quando recepit ficte Sacramentum, an ſecundum menſuram diſpoſitionis, quam habet, dum tollitur fictio? R. Quoſdam exiſtimare, quod gratiam conferat primo modo, adeoque minimam; putant enim in collatione Baptiſmi jam applicata eſſe merita Chriſti ad certum effectum. Ita Joan. a S. Th. & Conink. Alii tamen communius tenent gratiam conferri ſecundo modo: quia actus fictionem tollens, licet non ſit diſpoſitio ad Baptiſmum, qui tranſiit, eſt tamen diſpoſitio ad *ejus* effectum. Et licet quando ſuſcipitur Baptiſmus ſine fictione, Deus acceptet illum ſecundum diſpoſitionem, quæ tunc habetur, videtur tamen, quod quando conditio ſubjecti pugnat cum effectu Baptiſmi, illum acceptet ſecundum eam diſpoſitionem, quam habebit, quando tollet fictionem. Sicque juxta hanc ſententiam fieri poteſt, quod majorem gratiam conſequatur qui ficte accedit, quam qui non ficte, non quod illi profit ſua fictio, ſed major diſpoſitio, quando tollitur.

Petes 3. Utrum alia Sacramenta ficte ſuſcepta, recedente fictione, etiam reviviſcant? R. Inter varias Theologorum opiniones probabilius videri Sacramenta Confirmationis & Ordinis ficte ſuſcepta, recedente fictione, reviviſcere: tum quia imprimunt characterem ſicut Baptiſmus, in eoque remanent virtualiter, ut, ablata fictione, ſuum effectum producant: tum quia cum ratione characteris indelebilis ſint initerabilia, qui illa ficte ſuſciperent, manerent perpetuo privati illorum effectu ſeu gratiis ſacramentalibus, quibus indigent ad eorum munia obeunda: unde non eſſet ſatis proviſum humanæ fragilitati, ſi non reviviſcerent. Idem plures non improbabiliter exiſtimant de Extrema-Unctione & Matrimonio: quia Extrema-Unctio in eodem morbo iterari non poteſt, & tamen ejus effectu maxime indiget homo, ut ſe præparet ad hujus vitæ exitum: Matrimonium vero, quia non poteſt iterari vivente conjuge, & hominem conſtituit in eo ſtatu, in quo maxime indiget gratia hujus Sacramenti.

De Euchariſtia negat S. Th. in 4. d. 4. 3. a. 2. in fine: tum quia non imprimit characterem, & poteſt iterari toties quoties: tum quia alias ſequeretur, quod qui toto vitæ tempore innumeras communiones indignas feciſſet, fieret in fine vitæ ſanctiſſimus, ſi vere pœniteret, quod eſt abſurdum. De Pœnitentia videtur affirmare Auctor in 4. d. 17. q. 3. a. 4. q. 1. o. At juxta plures ejus Interpretes hanc ſententiam tacite ſaltem retractavit in ſua Summa. De quo uberius, dum de Sacramento Pœnitentiæ.

DISSERTATIO V.

DE CIRCUMCISIONE ET CÆREMONIIS BAPTISMI.

Div. Thom. QQ. 70. & 71.

ARTICULUS I.

De Circumciſione,

In quem finem fuerit inſtituta.

Circumciſionem (*Hic q. 70. a. 1. o.*) fuiſſe figuram Baptiſmi conſtat: tum quia ſicut in Baptiſmo fit profeſſio fidei, & homo cœtui Fidelium aggregatur, ſic in Circumciſione fiebat profeſſio fidei in Chriſtum venturum, & homo populo Dei aggregabatur: tum quia ſicut in Circumciſione abſcindebatur pellicula carnis, ſic in Baptiſmo ſpoliamur vitiis & peccatis.

Quantum ad ritus Circumciſionis: (*Ib. a. 3. ad 1. & 1. 2. q. 9. 2. a. 5. d. 1.*) Convenienter fuit inſtituta in membro generationis. 1. Quia erat ſignum fidei in Chriſtum ex ſemine David naſciturum. 2. Quia erat in remedium peccati Orig. ut mox dicam, quod per actum generationis traducitur. 3. Quia ordinabatur ad diminutionem carnalis concupiſcentiæ, quæ præcipue in illo membro viget. 4. Ut ſigillarentur ſacra Veneris & Priapi, in quibus hæc corporis pars honorabatur. Ritus (*Ib. ad 2.*) cultri lapidei non erat de neceſſitate Sacramenti: quia in ejus inſtitutione nullum inſtrumentum determinatur. Juſtinus in Dialogo cum Tryphone dicit primam circumciſionem factam fuiſſe cultello ferreo, & ita etiam a Judæis ſuo tempore fieri, quod & de ſuo tempore teſtatur S. Th.

Leguntur quidem quædam Circumciſiones factæ cultello lapideo, ut Circumciſio filii Moyſis a Sephora Exodi 4. & ſecunda Circumciſio Joſue a Deo mandata Joſ. 5. *Fac tibi cultros lapideos, & circumcide ſecundo filios Iſrael.* Sed inde non ſequitur, quod ſic fuerit præceptum in ejus inſtitutione, quandoque ſemper ſic factum fuerit, aut debuerit fieri. Quin imo ſi conſueviſſent Judæi circumcidere cultris lapideis, non fuiſſet neceſſe præcipere Joſue, ut tales adhiberet. Pro illa ergo dumtaxat ſecunda Circumciſione ita præceptum eſt, idque in figuram Chriſti, qui in Scriptura dicitur *Petra*. Sephora autem ſic egit propter feſtinationem & trepidationem, Deo mortem minante Moyſi marito ſuo. Dies octavus (*Ib. ad 3.*) erat de neceſſitate præcepti. Conſtat ex ejus inſtitutione. Præveniri non poterat ob mortis periculum, quia per eam accelerata fuiſſet mors infantis, & aliunde poterat illi ſuccurri per remedium legis naturæ. Poterat tamen differri, ſi immineret periculum mortis, quam non licebat periclitanti accelerare: ex quo patet, quod non erat de neceſſitate Sacramenti.

Suppono Circumciſionem propter varios fines fuiſſe inſtitutam. 1. Sicut jam dictum eſt, ut eſſet figura Baptiſmi & Circumciſionis ſpiritualis. 2. Ut eſſet ſignum rememorativum fidei Abrahæ & fœderis Dei cum illo, & ſimul proteſtatio fidei in Chriſtum ex ſemine Abrahæ naſciturum. 3. Ut per illam Populus Dei conſignaretur, ejuſque cultui deputaretur. 4. Ut eſſet ſignum viſibile diſtinctivum Judæorum a cæteris nationibus, & quaſi frænum eos cohibens a commixtione cum illis. Sed quæſtio eſt, utrum præter iſtos fines fuerit etiam inſtituta in remedium peccati originalis? Negant Bellarm. Vaſques, l'Herminier, Nat. Alex. Honoratus Tournely & quidam alii: contra quos

Dico, (*Ib. a. 4. a.*) Circumciſio fuit inſtituta in remedium peccati Orig. Eſt ita communis, ut Auctor cit. conceptis terminis dicat: *Ab omnibus communiter ponitur, quod in Circumciſione peccatum Originale remittebatur*. Idque probat ex Aug. Verum hanc ſententiam non denegant Auguſtino Adverſarii, ſed volunt ipſum illius parentem eſſe, & in hoc a præcedentibus Patribus receſſiſſe.

Prob. Concluſio 1. Ex Scriptura, Geneſ. 17. Ubi refertur Inſtitutio Circumciſionis, ſic legitur verſu 12. & 14. *Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne maſculinum in generationibus veſtris . . . Maſculus, cujus præputii caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo, quia pactum meum irritum fecit*. Sicut ergo ex illo Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non poteſt introire in Regnum Cælorum*, colligimus Baptiſmum eſſe inſtitutum in remedium peccati Originalis, ita ex illo, *Maſculus &c.* recte colligitur Circumciſionem fuiſſe inſtitutam in remiſſionem peccati Originalis: *Maſculus* enim ibi indefinite ponitur, ſicque debet intelligi de omnibus etiam Infantibus, ſicut To *Niſi quis renatus, &c.* Idque indicant verba præcedentia; *Infans octo dierum circumcidetur*: & ita expreſſe habent 70. Interpretes: *Maſculus, cujus præputii caro circumciſa non fuerit octavo die*: ita ut ſenſus legis Circumciſionis ſit: quicumque non fuerit circumciſus, peribit, quia reus eſt tranſgreſſionis Adæ, & in eo non fuit obſervatum pactum Circumciſionis inſtitutæ ad illius tranſgreſſionis remiſſionem.

Hinc Aug. arguens contra Pelag. l. 2. de Nupt. & Concup. c. 11. dicit: *Sed ipſe jam dicat, quare interiret anima ejus de genere ſuo, ſi circumciſus die non eſſet octava. Quid ipſe peccaſſet, quid offendiſſet Deum, ut de aliena in ſe negligentia tam ſevera ſententia puniretur, ſi nullum eſſet Originale peccatum? De circumcidendis enim Deus ſic mandavit infantibus*, Maſculus, &c. ... *Ex quo enim inſtituta eſt circumciſio in populo Dei, quod erat tunc ſignaculum juſtitiæ fidei, ita ad ſignificationem purgationis valebat & in parvulis originaliſque veteriſque peccati, ſicut & Baptiſmus ex illo valere cœpit ad innovationem hominis, ex quo eſt inſtitutus*. L. 3. contra Jul. c. 18. *Cur ipſe Iſaac, niſi baptiſmatis Chriſti ſigno circumciſus fuiſſet, periiſſet anima ejus de Populo ſuo*: Iterum infra: *Quid meruerat ut anima ejus de populo ſuo periret, niſi Circumciſio ſubveniret*. Unde Ep. ad Dardanum 57. nunc 187. c. 11. *Circumciſio antiquis Sanctis pro Baptiſma fuiſſe creditur*. Et l. contra Litt. Petil. c. 72. *Certe antiquus Populus Dei Circumciſionem pro Baptiſmo habebat*.

Multa reponunt Adverſarii, ut auctoritatis Scripturæ & interpretationis Auguſtini vim elidant. Dicunt 1. Legem

gem hanc circumciſionis, *Maſculus*, &c. ſpectare tantum adultos & non parvulos: tum quia neque in Hebraico texto, neque in noſtra Vulgata legitur *octavo die*; tum quia ſpectat illos dumtaxat, qui pactum Circumciſionis irritum faciunt, quod facere non poſſunt infantes. Sed contra. Quamvis neque in Hebræo, neque in Vulgata legatur *octavo die*, attamen, ut dixi, ſic debet intelligi; tum ex verſu præcedenti; tum quia *Maſculus* indefinite ponitur; tum quia legitur in Verſione 70. Interpretum. Vera enim eſt iſta verſio, neque quidquam in ea reprehendi poteſt, ut dicit ipſe Bellarm. de Verbo Dei l. 2. c. 6. *Niſi vitia, quæ in eam poſtea irrepſerunt negligentia vel malitia aut etiam ignorantia aliorum*, quod dici non poteſt de præſenti textu, cum ſic uniformiter legatur in omnibus Exemplaribus græcis. Quapropter dicendum illos has particulas appoſuiſſe ad clariorem intelligentiam textus hebraici, & quia antiqua Synagoga ſic intelligebat. Ita etiam legitur in Polyglottis Anglis in Pentateucho Samaritano, quem quidam dicunt fuiſſe ſcriptum tempore Eſdræ, alii ante Chriſtum natum. Quantum autem ad hæc verba, *quia pactum meum irritum fecit*, ſenſus eſt: Quia pactum meum in eo non fuit obſervatum.

Dicunt 2. Hæc verba, *delebitur anima illa de populo ſuo*, non deſignare mortem æternam, ſed vel mortem temporalem, quam minatus eſt Deus Moyſi ob negligentiam circumcidendi filium ſuum, vel excluſionem a cœtu Judæorum & populo Dei. Alterutrum enim importat iſta phraſis pluries repetita in Scripturis Exod. 12. & 31. Levit. 7. & Num. 19. Sed contra. Imprimis certum eſt his verbis non ſignificari morte temporali plectendum eſſe eum, qui non fuerit circumciſus; nemo enim unquam ob circumciſionem omiſſam fuit capite damnatus. Exemplum Moyſis non eſt ad rem; non enim agitur in textu, quem verſamus, de illo, qui negligit ſuos circumcidere, ſed de illo qui non circumciditur. Aliunde ſpecialiter culpandus erat Moiſes negligendo circumcidere ſuum filium; tum quia erat conſtitutus Princeps Gentis; tum quia proxime dimicaturus contra Idololatras patiebatur in filio fomentum & ſemen Idololatriæ, ſcilicet peccatum originale, Denique factum unius non conſtituit legem generalem, maxime cum conſtet de uſu contrario. Itaque intelligenda eſt illa phraſis de excluſione a populo Dei vel per mortem æternam, vel per ſeparationem ab Eccleſia viſibili. Primum videtur dicendum, quia juxta phraſim hebraicam in pluribus locis, Geneſ. 25. & 49. 1. Machab. 4. & alibi, *apponi ad populum ſuum*, ſignificat hæreditatem Sanctorum. Ergo iſta contraria, *deleri de populo ſuo*, ſignificat hujus hæreditatis privationem. Sed eſto intelligatur ſeparatio ab Eccleſia viſibili, perinde eſt: quiſquis enim ab Eccleſia Sanctorum ejicitur, a Regno cœlorum excluditur.

Dicunt 3. Aug. in hanc deſcendiſſe ſententiam, partim quia legebat cum verſione Græca in textum *octavo die*, quæ tamen verba non leguntur in Hebræo, nec in Vulgata, partim quia intelligebat *pactum* de pacto cum Adamo de non comedendo fructu vetito, cum tamen communiter intelligatur & debeat intelligi juxta textum de pacto circumciſionis cum Abraham; partim quia diſputans contra Pelagianos colligebat undequaque argumenta, quibus probaret peccatum originale, quod commode demonſtrabat ex remedio contra ipſum inſtituto, cujus tamen remedii non meminerunt Patres ipſo Aug. antiquiores. *Quapropter*, inquit Honor. Tournely, *ab ejus ſententia, ſalva quæ ipſi debetur reverentia, recedere nobis fas eſt*. Contra 1. jam reſpondi independenter a texto Græco, To *octavo die* ſubintelligi in Hebræo & in Vulgata: item veram eſſe verſionem Græcam, neque aliquid Hebræo vel Vulgatæ contrarium continere, ſed utriuſque clariorem explicationem. Contra 2. utramque intelligentiam adhibuit Aug. l. 16. de Civit. c. 27. Contra 3. argumenta, quæ colligit Aug. contra Pelag. optima ſunt, & a ſequentibus, ac Theologis probata, nec præcedentibus contraria, ut patebit ex mox dicendis. Unde

Prob. 2. Ex iis, qui Aug. præceſſerunt. In Thalmud Tract. *Sanhedrim* c. 11. juxta interpretationem Joſephi de Voiſin l. de Lege divina c. 6. legitur: *Quæritur, quando infans particeps eſſe poſſit futuri? Rabbi Nachman filius Iſaac reſpondet, ſtatim ac circumciſus eſt*. S. Baſilius Hom. 13. comparans circumciſionem Baptiſmo dicit: *Circumciſionem Judæus minime differt ob comminationem; quoniam omnis anima, quæ die 8. non circumciditur, e populo ſuo exterminabitur. At tu circumciſionem non manu factam, quæ per Baptiſmum in depoſitione carnis perficitur, differre quæris. Ipſum audiſti Dominum: Amen dico vobis niſi quis renatus fuerit*. Ibi Baſilius circumciſionem circumciſioni, comminationem comminationi comparat. Quod eſt ergo 8. die non circumcidi, hoc eſt in Chriſto non baptizari; & quod eſt perire de populo, hoc eſt non intrare in Regnum cœlorum. Ita arguebat Aug. l. 2. contra Jul. c. 6. ex hoc teſtimonio, quod citaverat ſub nomine Chryſoſtomi. S. Ambroſ. l. 2. de Abraham c. 11. dicit: *Egregie autem infantiæ in primis vagitibus circumcidi mares lex jubet etiam vernaculos; quia ſicut ab infantia peccatum, ita ab infantia circumciſio. Nullum tempus vacuum debet eſſe tutelæ, quia nullum eſt culpæ vacuum ... Nec ſane ergo proſelytus, nec infans vernaculus excipitur, quia omnis ætas peccato obnoxia, & ideo omnis ætas Sacramento idonea*. Iſychius Jeroſol. qui floruit circa finem 4. ſæculi l. 3. in Levit. *Incircumciſum de populo ſuo periri oſtendit, quia ante circumciſionem abominabilem habet carnem & immundam. Mundatur autem per circumciſionem, quæ imaginem gerit reſurrectionis mortuorum*. Non ergo novam opinionem invexit Aug. ſed a Patribus baptiſmum tradidit, & tamquam ſuo tempore communiter receptam: *Certe*, inquit l. 2. contra Litt. Petil. c. 27. *Antiquus populus Dei circumciſionem pro Baptiſmo haberet*. Et Ep. 57. ad Dardanum nunc 187. c. 11. *Circumciſio antiquis Sanctis pro Baptiſmo fuiſſe creditur*.

Prob. 3. Ex Patribus Aug. poſterioribus. S. Proſper l. de Prædictionibus 1. p. c. 14. dicit inſtitutam circumciſionem, *ut per integritatem Deus id repararet quod fuerat vitiatum*. S. Greg. l. 4. Moral. c. 3. *Quod apud nos valet aqua Baptiſmatis, hoc egit apud veteres vel pro parvulis ſola fides, vel pro majoribus virtus Sacrificii, vel pro his, qui ex ſtirpe Abrahæ prodierant, Myſterium, circumciſionis*. Referuntur in jure de conſec. d. 4. Can. 5. S. Bernardus ſerm. 1. de Cœna Dom. *Quæ eſt ergo gratia, unde per Baptiſmum inveſtimur? utique purgatio delictorum. Hujus quidem gratiæ Sacramentum prius erat circumciſio, ut originalis rubiginem culpæ, quæ manaverat a Parentibus primis, cultellus eraderet*. Lege inſuper Ep. 77. ad Hug. & ſerm. 4. de Circumciſione. Innoc. III. Cap. *Majores* Extra de Bapt. l. 3. tit. 4. *Baptiſma ſucceſſit circumciſioni ... Sicut ſine diſtinctione qualibet Moſaica lex clamabat: anima, cujus præputii caro circumciſa non fuerit, peribit de populo ſuo, ita nunc indiſtincte intonat vox Evangelica, niſi quis renatus fuerit*, &c. Poſtea ponit diſcrimen inter circumciſionem & Baptiſmum, quod *etſi originalis culpa remittebatur per circumciſionis Myſterium, & damnationis periculum vitabatur, non tamen perveniebatur ad Regnum Cœlorum, quod uſque ad mortem Chriſti fuit obſervatum*. His jungendi ſunt venerab. Beda l. 1. in Luc. c. 8. Magiſt. ſent. l. 4. d. 1. Hugo Vict. l. 1. p. 2. c. 3. S. Th. hic & alibi, S. Bonav. Alenſis, Scotus, Durandus, & alii innumeri. Hos quidem pro majori parte ſibi opponit Tournely, ſed ad ſolum Aug. reſpondet eo modo, quem refutavimus ſupra, ad alios vero obmuteſcit.

Prob. 4. Rationibus Theologicis. Omni tempore tam in lege naturæ quam in lege ſcripta fuit pro parvulis remedium contra peccatum orig. inſtitutum in aliquo ſigno viſibili proteſtativo fidei in Chriſtum venturum. Ita docet ipſe Tournely q. 2. de Sacram. in genere a. 3. Iſtud autem ſignum ſecundum D. Th. q. 60. a. 5. ad 3. debuit eſſe magis determinatum poſt Incarnationem revelatam Abrahæ, & in lege ſcripta, quam in lege naturæ, ad expreſſiorem ſignificationem gratiæ Chriſti, per quam humanum genus ſanctificatur. Atqui nullum aliud eſt aſſignabile quam circumciſio: Ergo. Verum, quod forte miraberis, hoc ipſum cogente veritate, agnovit Tournely, non ſatis ſibi conſtans: laudato enim Art. 3. poſtquam 1. concluſione poſuit & probavit ex Patribus, extitiſſe pro parvulis in lege naturæ aliquod adverſus peccatum orig. remedium, dicit: *Atque hoc ipſum legis naturæ contra originalem noxam remedium perſeveravit etiam in lege Moyſis, ac locum habuit tum in infantibus, qui ante octavum a nativitate diem circumcidi non poterant, tum in mulieribus, quæ a lege circumciſionis erant immunes: pro illis enim non aliud fuit remedium, quam quod tempore legis naturæ uſurpabatur*. Hæc verba, ut arbitror, non indigent gloſſa, aperte enim indicant pro parvulis octo dierum, qui poterant circumcidi, non perſeveraſſe remedium legis naturæ, ſed illi ſubrogatam fuiſſe Circumciſionem.

Conf. Juxta SS. Patres & omnes Theologos, annuente Tournely q. cit. a. 3. Circumciſio erat Sacramentum antiquæ Legis. Atqui de ratione Sacramenti eſt, quod ſit ſignum practicum gratiæ & perfectæ ſanctitatis. Hoc quidem negant Theologus Pariſ. ſed nos probavimus de Sacram. in genere Diſſ. 1. a. 2. Ergo. Quomodo vero Circumciſio conferret gratiam, dixi Diſſ. 3. de Sacram. in genere a. 6. eam ſcilicet conferre parvulis ex opere operato, non active, ſed paſſive: hoc eſt, Circumciſionem non habere in ſe vim efficiendi gratiam, ſicut habent Sacramenta novæ Legis, ſed Deum ad ejus poſitionem ex fide Mediatoris gratiam conferre. Vide diligenter loco cit.

Inſuper adverte Circumciſionem poſſe conſiderari dupliciter. 1. Nude ut erat ſignum carni impreſſum, quo Judæi ſenſibiliter a Gentibus diſtinguebantur. 2. Ut erat Sacramentum fidei & regenerationis, ſeu ut profeſſio fide in Chriſtum venturum; ſic enim Deus illam inſtituerat, ut quicumque recta intentione illam adhiberet, profiteretur per

illam

Digitized by Google

illam fidem Chriſti venturi. Primo modo conſiderata nihil conferebat ad gratiam & ad remiſſionem peccati, quamvis de illa ut tali gloriarentur Judæi, quos ideo redarguit Apoſtolus. Secundo autem modo conſiderata conferebat, dixi, paſſive & moraliter, non præciſe ratione ſui, ſed ratione fidei hoc ſigno ſignificatæ & applicatæ. Ad hæc duo ſi bene attenderis, facile ſolves argumenta ex Apoſtolo & Patribus deprompta.

Solvuntur Objectiones.

OBj. 1. cum Tournely. Gen. 17. v. 10. & 11. ad hoc unum inſtituta legitur Circumciſio, ut eſſet ſignum fœderis inter Deum & Abraham ejuſque poſteros: *Hoc eſt pactum meum*, inquit Deus, *quod obſervabitis inter me & vos & ſemen tuum poſt te: circumcidetur ex vobis omne maſculinum, & circumcidetis carnem præputii veſtri, ut ſit ſignum fœderis inter me & vos*: nihil de remedio peccati. Ergo. R. N. Ant. Verſu enim 1. legitur lex generalis, quod qui non circumcidetur, delebitur de populo Dei. Vide primam probationem. Inſuper Deus non iniit fœdus cum impiis; ſi ergo circumciſio ſit ſignum fœderis Dei cum poſteris Abrahæ, neceſſe eſt, ut hi habeant fidem, gratiam, ſanctitatem; illam autem parvuli non habebant in præputio, ſicut Abraham adultus habuerat; naſcebantur enim filii iræ. Ergo illam habebant per circumciſionem, ut erat proteſtativa fidei, quam habuerat Abraham.

Obj. 2. cum eodem. Apoſt. Rom. 4. v. 11. dicit Abraham *accepiſſe ſignum circumciſionis ſignaculum juſtitiæ fidei, quæ eſt in præputio*, ſuper quem locum Aug. l. 4. contra Donat. c. 24. docet circumciſionem fuiſſe in Abraham ſignaculum juſtitiæ præcedentis; in Iſaac vero & iis, qui parvuli circumcidebantur, fuiſſe ſignaculum juſtitiæ ſequentis, quando ſcilicet ad adultam ætatem pervenerint. Inſuper multa alia in eamdem rem profert Apoſt. R. equidem Abraham accepiſſe juſtitiam fidei in præputio, quia ex fide juſtificatus erat antequam inſtitueretur circumciſio, ut eſſet pater omnium credentium, ſive circumciſorum, ſive incircumciſorum; at Iſaac & alii poſteri Abrahæ juſtitiam fidei acceperunt in circumciſione. Cum autem Aug. dicit in Iſaac fuiſſe ſignum juſtitiæ ſecuturæ, non intelligit de remiſſione peccatorum & juſtitia habituali, ſed de actuali. Sicut enim in Abraham operatio virtutum præceſſerat circumciſionem, ſic in Iſaac & parvulis circumciſis ſecutura erat, ſi in dono juſtitiæ, quod acceperant, perſeverarent.

Quantum ad alia, quæ profert Apoſtolus, iis tantum vult oſtendere juſtitiam non haberi, ſive per legem, ſive per circumciſionem nude & carnaliter conſideratam, ſed per fidem Chriſti, cujus circumciſio erat Sacramentum & profeſſio, ſicque circumciſionem ſine illa fide nihil prodeſſe ad juſtitiam, cum illa vero prodeſſe: ſicut quamvis ibidem dicat Apoſtolus opera legis ſine fide non juſtificare, id tamen non denegat operibus fidei conjunctis: ſimiliter de circumciſione. Item ſicut dicimus nihil valere Baptiſmum ut eſt nuda ablutio corporis, multum autem valere ut eſt Sacramentum: ita dixit Apoſt. circumciſionem carnalem, ſeu ut eſt abciſſio carnis, nihil valere, licet multum valeat ut eſt Sacramentum & profeſſio fidei. Et ita loquebatur Apoſtolus, ut fidem commendaret & compeſceret ſuperbiam Judæorum, qui propter circumciſionem gloriabantur, & Gentes contemnebant.

Inſt. 1. Apoſt. ibid. c. 3. dicit: *Quid ergo amplius Judæo eſt, aut quæ utilitas circumciſionis? multum per omnem modum, quia credita ſunt illi eloquia Dei*. Ergo ibi ſiſtit privilegium circumciſionis, quod Judæis ſint conceſſæ lex & prophetiæ, juſtitia autem habeatur ex fide ſive in circumciſione, ſive in præputio. R. 1. ut ante, ſenſum Apoſtoli eſſe legem & circumciſionem carnalem prout ſpectant ad vetus teſtamentum abſque fide Chriſti & circumciſione cordis, nihil aliud conferre ad juſtitiam quam notitiam mandatorum, quæ peccata arguunt, non tollunt. 2. Juxta plures per *eloquia Dei*, oracula & promiſſa Dei intelliguntur, inter quæ reponitur illud, quod per Circumciſionem ex fide deleatur peccatum in homine, ut ipſe non deleatur de populo Dei. 3. Juxta Eſtium iſta reſponſio Apoſtoli non ſpectat ſecundum membrum ſuæ interrogationis, hoc ſcilicet, *Aut quæ utilitas Circumciſionis?* Illi enim reſpondet capite ſequ. ſed primum, hoc ſcilicet, *Quid ergo amplius Judæo eſt?*

Inſt. 2. Idem Apoſt. Galat. 5. dicit: *In Chriſto Jeſu neque Circumciſio aliquid valet, neque præputium*. Ergo. R. Apoſtolorum ibi redarguere quoſdam, qui volebant Legem tunc adhuc vigere & neceſſariam eſſe ad ſalutem. Senſus ergo illius eſt: nunc in Chriſto, id eſt, in Religione Chriſtiana, nihil valet ad juſtitiam conſequendam ſive Circumciſio, ſive præputium, ſive ſis circumciſus ſive non, ſed fides non otioſa ſeu quæ per charitatem operatur.

Obj. 3. cum eodem ex Patribus Auguſtino anterioribus. Juſtinus in Dialogo cum Tryph. *Circumciſionem*, inquit, *in ſignum, non in juſtitiam accepit*. Irenæus l. 4. contra Hær. c. 30. *Circumciſionem non quaſi conſummatricem Juſtitiæ, ſed in ſigno eam dedit Deus*. Tertull. l. adverſus Judæos c. 2. *Si Circumciſio purgat hominem, Deus Adam incircumciſum non faceret; cur eum non circumcidit vel poſteaquam deliquit, ſi purgat Circumciſio?* Et c. 3. de Abraham: *Acceperat Circumciſionem, ſed quæ eſſet in ſignum temporis illius, non in ſalutis prærogativam*. Idem Chryſoſt. hom. 27. in Geneſ. Ambroſ. Ep. 72. Greg. Nyſſ. de Trinit. adv. Judæos, Cypr. l. 1. contra Judæos c. 8. Hieron. in c. 3. Galat. & alii. Ergo. R. Laudatos Patres loqui de Circumciſione eo ſenſu, quo ſuperius dixi locutum fuiſſe Apoſtolum, ſeu eo ſenſu, quo Galat. 4. vocat inſtituta veteris Legis *Infirma & egena elementa*, quatenus ſcilicet Circumciſio ex ſe & nude conſiderata ut ſigillatio carnis a Chriſto & ejus fide ſeparata nihil confert ad ſalutem, licet conferat ut eſt Sacramentum, & profeſſio fidei regenerationiſque ſymbolum: vel quatenus non habet vim cauſandi active gratiam, ſicut habent Sacramenta novæ Legis, quamvis conferat paſſive, hoc eſt, a Deo conferatur ad ejus poſitionem ex fide tamquam ad ſignum divinæ promiſſionis. R. 2. Quidquid ſenſerint laudati Patres, magis ſtandum eſt in hac parte Auguſtino & ſequentibus Patribus, qui occaſione Hæreſis Pelagianæ rem attentius expenderunt, quam præcedentibus, qui nulla tali pulſati Quæſtione obiter rem tetigerunt. Ita ipſe Aug. l. de Prædeſt. c. 14. reſpondit iis, qui ejus ſententiam de Prædeſtinatione ut novam traducebant.

Obj. 4. cum eodem a ratione. 1. Lex Circumciſionis fœminas non obligabat, nec maſculos ante octavum diem, ex quo ſequitur pro ipſis fuiſſe peccati originalis remedium a Circumciſione diſtinctum, ſicque meliorem fuiſſe fœminarum conditionem, quæ nec octavum diem expectare debebant, nec dolori Circumciſionis ſubjiciebantur. 2. Judæi per 40. an. in deſerto non fuerunt circumciſi. Ergo aliud erat pro peccato orig. remedium. 3. Neque Philo, neque Joſeph, neque Rabbini uſpiam mentionem faciunt virtutis illius ſpiritualis, quam nonnulli Doctores Catholici Circumciſionis affingunt. Ergo. R. ad primum, In his, quæ pendent ex ſola voluntate divina, tota ratio facti eſt voluntas facientis. (*Ibid. a. 2. ad 4.*) Congruum tamen erat, ut pro maſculis & non pro fœminis inſtitueretur Circumciſio. 1. Quia fuit inſtituta ut ſignum fidei Abrahæ, qui credidit ſe patrem futurum Chriſti ſibi repromiſſi. 2. Quia peccatum orig. contra quod ſpecialiter Circumciſio ordinabatur, a Patre trahitur & non a Matre: ſolus enim Pater, juxta S. Doctorem, eſt cauſa activa generationis, aut ſaltem juxta alios cauſa principalis. Nec ſequitur inde meliorem fuiſſe conditionem fœminarum, quia in provectiori ætate ſubjiciuntur doloribus partus, & variis aliis calamitatibus. Item congruum erat, ut maſculus non ſtatim ab ortu circumcideretur, ſed expectaretur octavus dies, ne operatio doloroſa in eo ſtatu illi mortem afferret. Ad 2. (*ib. a. 4. ad 3.*) triplex adhiberi ſolet reſponſio. Prima, quod ex voluntate Dei ſive expreſſa ſive interpretativa fuerit cum Iſraelitis in deſerto diſpenſatum, ut ſine Circumciſione per remedium Legis naturæ poſſent ſalvari, eo quod eſſent in continuo motu, ac neſcientes quando caſtra movenda eſſent, aut contra hoſtes præliandum. Secunda, quod revera fuerint culpabiles, qui ſe vel ſuos circumcidere neglexerunt. Ita Aug. q. 6. ſuper Joſue. Tertia eſt, quod nulli incircumciſi mortui ſint in deſerto, quia ut dicitur Pſal. 104. *Non erat in tribubus eorum infirmus*. Sed illi ſoli videntur mortui in deſerto, qui fuerant circumciſi in Ægypto. Secunda ſolutio magis arridet Eſtio & pluribus aliis. Ad 3. Inter probationes protulimus ex Joſepho de Voiſin teſtimonium Thalmud, alia plurium Rabbinorum apud eundem leguntur. Sed & argumentum negativum ex ſilentio Rabbinorum, ſi ita eſſet, non prævaleret probationibus noſtris.

ARTICULUS II.

De Cæremoniis Baptiſmi.

DE cæremoniis Sacramentorum in genere dixi Art. penultimo præcedentis Tractatus; ibique probavi 1. varias earum utilitates, 2. eas continere myſticam ſignificationem, 3. Eccleſiam habere poteſtatem eas inſtituendi, 4. Miniſtros teneri illas obſervare. Art. autem ultimo ejuſdem Tract. demonſtravimus ſacramentalia, qualia ſunt cæremoniæ Sacramentorum, non producere effectum ſpiritualem ex opere operato, ſed ex opere operantis & per modum impetrationis. His hic ſuppoſitis.

Quærimus ſpecialiter de cæremoniis Baptiſmi, de quibus jam multa dixi in decurſu hujus præſentis Tract. De una vel triplici immerſione ſeu effuſione diſſerui Diſſ. 1. art. 3. §. 2. De ritibus olim obſervatis in trina immerſione ibid. §. 3. Petit. 7. De Suſceptoribus ſeu Patrinis

Diſſ. 2.

Diſſ. 2. a. 2. De loco Baptiſmi ibid. n. 1. Petit. 4. De tempore Diſſ. præced. a. 4. poſt. ſecundam Concl. De ritibus veteris Catechumenatus in Digreſſ. 1. Hiſt. ad Diſſ. 3. Hæc omnia require locis cit. Cæteras perſtringo breviter, quia leguntur in omnibus Ritualibus.

1. Suppoſita aquæ Conſecratione afferuntur aut adducuntur baptizandi ad fores Eccleſiæ, & ab ejus introitu arceotur, quia non ſunt digni, ut domum Dei ingrediantur antequam diaboli jugum excuſſerint, & ſe Chriſti imperio ſubjecerint. 2. Baptizando nomen imponitur, ut olim in Circumciſione, ut agnoſcat ſe militiæ Chriſti adſcribi. Debet autem eſſe nomen alicujus Sancti, ut habeat exemplar virtutum quod imitetur, Patronum & Advocatum, quem colat & invocet. Præferenda ſunt nomina Sanctorum novi teſtamenti veteribus, non in horum contemptum, ſed in execrationem Hæreticorum, qui affectant nomina Sanctorum veteris teſtamenti, ſive quia Sanctos non honorant, ſive quia Eccleſiam Romanam veteri Synagogæ poſtponunt.

3. Adhibentur exorciſmi cum precibus & tribus inſufflationibus ad expellendum dæmonem ejuſque vires frangendas, ne impediat Baptiſmi ſuſceptionem & ejus effectum. Inſufflationibus ſignificatur non ſolum expulſio dæmonis contempti, ſed etiam illapſus Spiritus S. 4. Baptizandus obſignatur ſigno crucis in pluribus corporis partibus, ut crucem non erubeſcat, & in ea fiduciam ponat, & ſignificetur omnes ſenſus aperiri & roborari, ut Deum excipiat, ejuſque præcepta intelligere & ſervare valeat. 5. Sal ori apponitur, ut ſignificetur, quod victima Chriſti non debeat peccatorum vermibus putreſieri. 6. Nares & aures ſaliva liniuntur ſub his verbis: *Epheta quod eſt adaperire*: & ſtatim baptizandus mittitur ad Baptiſmum, ut ſicut cæcus Evangelicus, oculis luto illitis, Siloes aquis lumen recuperavit, ſic intelligamus eam vim eſſe ablutionis baptiſmalis, ut menti ad cœleſtes veritates percipiendas lumen adferat, ut dicit Catechiſmus Rom. Juxta Auctorem (*Hic q. 71. a. 2. o.*) ſal in ore, narium & aurium linitio ſaliva ſignificat receptionem doctrinæ fidei quantum ad aures, approbationem quantum ad nares, & Confeſſionem quantum ad os.

His peractis defertur aut deducitur baptizandus ad fontem baptiſmalem, & 1. Sacerdos ter ipſum interrogat: *Abrenuntias Satanæ & omnibus operibus ejus & omnibus pompis ejus*: cui ille vel Patrinus ejus nomine reſpondet ad ſingulas interrogationes, *Abrenuntio*. Pollicetur ergo baptizandus ſe diabolum & mundum deſerere, ſequenti tempore utrumque tamquam hoſtem averſaturum. Ad hæc attendant Chriſtiani. Baptizandus (*Hic q. 66. a. 10. ad 2.*) ungitur oleo ſacro, dicto Catechumenorum, in pectore & ſcapulis quaſi athleta, in pectore ad recte credendum & ſancte cogitandum: in ſcapulis ad Chriſti jugum fortiter portandum, & bona opera exercenda. 3. Interrogatur a Sacerdote: *Credis in Deum?* cui ille reſpondet, *Credo*, ut fidem ſuam ſolemniter profiteatur, juxta illud Chriſti *Marci* ult. *Quid crediderit & baptizatus fuerit &c.* 4. Petit Sacerdos a baptizando, num baptizari velit; quo annuente, vel, ejus nomine, Patrino, baptizatur; quia ſicut homo voluntarie ſerpenti obediendo damnatus eſt, ita Deus neminem vult ſuæ adſcribi militiæ niſi volentem, ut divinam Legem ſponte ſervans vitam conſequatur æternam.

Baptiſmo abſoluto, (*Ibid.*) 1. Sacerdos verticem baptizati chriſmate inungit, ut intelligat ſe jam Chriſto capiti tamquam membrum conjunctum eſſe, & ea re Chriſtianum a Chriſto, Chriſtum vero a chriſmate appellari. 2. Olim admittebatur baptizatus ad oſculum pacis in ſignum unionis & fraternitatis. (*Ib. ad 3.*) Item in ſignum glorioſæ reſurrectionis & innocentiæ acceptæ induebatur veſte alba, quam deferebat uſque ad octavam Paſchæ, & inde dicta eſt Dominica *in albis* ab albedine veſtium, quæ hac die deponebatur. Item porrigebatur lac & mel guſtandum in ſignum novæ infantiæ: unde in eadem Dominica *in albis* cantatur in introitu Miſſæ illud ex Epiſt. S. Petri: *Quaſi modo geniti infantes lac concupiſcite*. 3. Nunc etiam datur baptizato cereus accenſus, ut intelligat fidem charitate inflammatam, quam in Baptiſmo accepit, ſtudio bonorum operum eſſe alendam & augendam, inquit Catech. Rom.

His cæremonias pro majori parte carpunt & damnant Lutherani & Calviniſtæ: ſed immerito; habent enim, ut dictum eſt, ſuas ſignificationes & effectus, reverentiam conciliant Sacramento, erudiunt imperitos, & mentes ad cœleſtia erigunt. Inſuper ſunt antiquiſſimæ. Exorciſmorum meminit S. Juſtinus in Dialogo cum Tryphone, Tertull. de præſcript. c. 41. S. Cypr. Ep. 2. S. Cyrillus Catecheſi 1. Ambroſ. l. 1. de Sacram. cap. 3. Exſufflationum Ambroſ. l. de iis qui initiantur c. 1. Aug. l. de peccato orig. c. 40. & l. contra Jul. c. 5. Salis deguſtandi Origenes homil. 6. ſuper Exech. Conc. Carthag. 3. Can. 5. Iſidorus l. 2. Offic. c. 20. Aug. l. 1. Conf. c. 11. Linitionis narium & aurium Ambroſ. l. 1. de Sacram. c. 1. & de iis qui initiantur c. 1. & Ordo Rom. Inunctionis olei in pectore & ſcapulis, deinde unctionis chriſmatis in vertice S. Clemens l. 3. Recognitionum, S. Chryſoſt. hom. 6. in c. 2. Epiſt. ad Coloſſ. S. Cyrillus Catecheſi 2. S. Ambroſ. l. 1. de Sacram. cap. 2. & l. 2. cap. 7.

TRACTATUS DE CONFIRMATIONE.

Divi Thom. Quæſt. 72.

SUMMA DOCTRINÆ CATHOLICÆ DE CONFIRMATIONE

EX CONCILIIS FLORENTINO ET TRIDENTINO.

Decretum Concilii Florentini (*Sub Eugenio IV. anno 1439. Ex S. Th. op. 5.*) pro inſtructione Armenorum.

SEcundum Sacramentum eſt Confirmatio, cujus materia eſt Chriſma confectum ex oleo, quod nitorem ſignificat conſcientiæ; & balſamo, quod odorem ſignificat bonæ famæ, per Epiſcopum benedicto. Forma autem eſt: Signo te ſigno crucis & confirmo te chriſmate ſalutis in nomine Patris & Filii & Spiritus S. Ordinarius Miniſter eſt Epiſcopus. Et cum cæteras unctiones ſimplex Sacerdos valeat exhibere, hanc non niſi Epiſcopus debet conferre: quia de ſolis Apoſtolis legitur, quorum vicem tenent Epiſcopi, quod per manus impoſitionem Spiritum S. dabant, quemadmodum Actuum Apoſtolorum (Act. 8.) lectio manifeſtat: cum enim audiſſent, *inquit*, Apoſtoli, qui erant Hieroſolymis, quia recepiſſet Samaria Verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum & Joannem. Qui cum veniſſent, oraverunt pro eis, ut acciperent Spiritum S. nondum enim in quemquam illorum venerat, ſed baptizati tantum erant in nomine Domini Jeſu. Tunc imponebant manus ſuper illos & accipiebant Spiritum S. *Loco autem illius manus impoſitionis datur in Eccleſia Confirmatio. Legitur tamen aliquando per Apoſtolicæ Sedis diſpenſationem ex rationabili & urgente admodum cauſa, ſimplicem Sacerdotem chriſmate per Epiſcopum confecto hoc adminiſtraſſe Confirmationis Sacramentum. Effectus autem hujus Sacramenti eſt, quia in eo datur Spiritus S. ad robur, ſicut datus eſt Apoſtolis in die Pentecoſte; ut videlicet Chriſtianus audacter Chriſti confiteatur nomen. Ideoque in fronte, ubi verecundiæ ſedes eſt, confirmandus inungitur, ne Chriſti nomen confiteri erubeſcat, & præcipue crucem ejus*, qui Judæis quidem eſt ſcandalum, Gentibus autem ſtultitia, *ſecundum Apoſtolum (1. Cor. 1.); propter quod ſigno crucis ſignatur.*

Canones Concilii Tridentini (*Seſſ. 7. 3. Martii 1547. ſub Paulo III.*) de Confirmatione.

I. *Si quis dixerit, Confirmationem Baptizatorum otioſam cæremoniam eſſe, & non potius verum & proprium Sacramentum; aut olim nihil aliud fuiſſe, quam catechesim quamdam, qua adoleſcentiæ proximi fidei ſuæ rationem coram Eccleſia exponebant; anathema ſit.*

II. Si quis dixerit, injurios eſſe Spiritui S. eos qui ſacro Confirmationis Chriſmati virtutem aliquam tribuunt; anathema ſit.

III. Si quis dixerit, ſanctæ Confirmationis ordinarium Miniſtrum non eſſe ſolum Epiſcopum, ſed quemvis ſimplicem Sacerdotem; anathema ſit.

DISSERTATIO UNICA.

DE OMNIBUS, QUÆ HOC SACRAMENTUM SPECTANT.

ARTICULUS I.

Utrum Confirmatio ſit Sacramentum?

CONFIRMATIO ſecundum varias rationes conſiderata, varia nomina ſortita eſt. Ratione materiæ dicta eſt *Manus impoſitio*, *unguenti myſterium*, *Sacramentum chriſmatis & unctionis*, *chriſma ſalutis*: ratione formæ, *ſignaculum*: ratione effectus, *perfectio*, *conſummatio*, *Sacramentum plenitudinis*, communiter *Confirmatio*, quia per illud Sacramentum baptizati confirmantur & roborantur in fide.

Denique communiter: *Signum ſenſibile, quo baptizatus a legitimo Miniſtro chriſmate in fronte ungitur ſub præſcripta verborum forma*. Ab aliis, qui abſtrahunt a materia & forma, de quibus eſt controverſia inter Theologos, definitur, *Sacramentum novæ Legis, quo baptizatis confertur gratia firmans & roborans ad profitendam Fidem Chriſtianam*. Patebunt iſtæ definitiones ex dicendis.

Novatiani, ſi Theodoreto l. 3. hæret. fab. fides eſt, negarunt Confirmationem eſſe Sacramentum. Alii tamen volunt Novatianos ſolum neglexiſſe, at non negaſſe Confirmationem. Hunc errorem quidam tribuunt VValdenſibus, VVicleffiſtis & Huſſitis, at neque id certo liquet. Conſtat Lutheranos & Calviniſtas Sacramentum rejicere, illudque enormibus blaſphemiis impetere. In hujus impugnationem tres integros libros compoſuit Miniſter Dallæus. Contra quos

Dico. (*Hic q. 72. a. 1. o.*) Confirmatio eſt vere & proprie novæ Legis Sacramentum. Eſt de fide, definita a Concilio Flor. in Decreto unionis, & Trid. ſeſſ. 7. Can. 1. de Sacram. in genere, & ſpecialiter Can. 1. de Confir. his verbis: *Si quis dixerit Confirmationem baptizatorum otioſam cæremoniam eſſe, & non potius verum & proprium Sacramentum, aut olim nihil aliud fuiſſe quam Catecheſim quamdam, qua adoleſcentiæ proximi fidei ſuæ rationem coram Eccleſia exponebant, anathema ſit*. Item Can. 2. ibid. Hanc definitionem hauſerunt ſacræ Synodi ex Scriptura & Traditione. Unde Prob. 1. ex Scriptura, Act. 8. ſic legitur *Cum audiſſent Apoſtoli, qui erant Jeroſolymis, quod Samaria recepiſſet verbum Dei* (per Philippum Diaconum) *miſerunt ad eos Petrum & Joannem, qui cum veniſſent oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum ſanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat, ſed baptizati tantum erant in nomine Jeſu. Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum S.* Et c. 19. *His auditis, baptizati ſunt in nomine Jeſu: & cum impoſuiſſet illis manus Paulus, venit Spiritus S. ſuper eos, & loquebantur linguis & prophetabant*. Ex his ſic arguo. Illud eſt verum & proprie dictum Sacramentum, quod eſt 1. ſignum ſenſibile: 2. Collativum gratiæ: 3. Divinitus inſtitutum: 4. Permanens & perpetuum. Hæc enim quatuor conſtituunt verum Sacramentum, ut patet ex alibi dictis. Atqui manuum impoſitio, de qua in Actibus Apoſtol. eſt talis. Ergo. Prob. Min. 1. Eſt ſignum ſenſibile, ut patet. 2. Eſt gratiæ collativum; conſtat enim per Spiritum, ubi agitur de effectibus Sacramentorum, intelligi gratiam ſanctificantem. 3. Eſt divinitus inſtitutum; non enim Apoſtoli habebant poteſtatem inſtituendi ſigna infallibiliter gratiæ collativa, cum id pertineat ad poteſtatem excellentiæ, quæ erat propria Chriſto. 4. Eſt permanens & perpetuum; ut patet ex conſtanti uſu Eccleſiæ ab Apoſtolis uſque ad nos. Ergo. Huic argumento multa reponunt Hæretici, quæ diluemus in ſol. Obj.

Prob. 2. Traditione. Sed antea obſervandum Dallæum contendere impoſitionem manuum & unctionem, de quibus fit mentio apud antiquos, eſſe cæremonias Baptiſmi ab Eccleſia inſtitutas; aut unctionem baptiſmalem & confirmatoriam apud veteres unam & eandem eſſe, hocque effugio arbitratur ſolvi argumenta ex Traditione petita contra ipſum, & ideo illud non ſemel præoccupabimus. Item obſervandum eſt antiquitus Confirmationem & Euchariſtiam plerumque conferri ſtatim poſt Baptiſmum. His obſervatis, Traditionem hanc ex quadruplici capite communiter eruunt noſtri Theologi, ex ſum. Pontific. ex Conciliis, ex Patribus, & ex perpetua Eccleſiæ praxi. Itaque

Ex ſum. Pontificibus, S. Clemens quartus S. Petri Succeſſor, ſeu antiquiſſimus Auctor Conſt. Apoſt. l. 3. c. 16. de baptizatis ait: *Et poſtea Epiſcopus baptizatos ungat chriſmate*. S. Cornelius ante an. 255. Epiſt. ad Fabian. apud Euſeb. l. 6. cap. 35. ait de Novato; *eum poſtquam a morbo liberatus fuit*, (propter quem in lecto baptizatus fuerat) *reliqua non percepiſſe, quæ juxta Eccleſiaſticam regulam percipi debent, neque ab Epiſcopo conſignatum fuiſſe. Hoc autem ſignaculo minime percepto, quomodo Spiritum potuit accipere?* Per hoc autem ſignaculum non poteſt intelligi cæremonia Baptiſmi, cum conferret Spiritum S. quod cæremoniæ ab Eccleſia inſtitutæ non competit, & eſſet a ſolo Epiſcopo recipiendum, quod de ſimplici Baptiſmi cæremonia dici nequit. Innoc. ineunte ſæc. 5. Ep. ad Decentium, quæ extat to. 2. Conc. Lab. col. 1246. ſic loquitur c. 3. *De conſignandis vero infantibus manifeſtum eſt non ab alio, quam ab Epiſcopo fieri licere. Nam Presbyteri licet ſint Sacerdotes, Pontificatus tamen apicem non habent. Hoc autem Pontificibus ſolis deberi, ut vel conſignent, vel Paracletum Spiritum tradant, non ſolum conſuetudo Eccleſiaſtica demonſtrat, verum & illa lectio Actuum Apoſtol. quæ aſſerit Petrum & Joannem eſſe directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum S. Nam Presbyteris, ſeu extra Epiſcopum, ſeu præſente Epiſcopo baptizent, chriſmate baptizatos ungere licet, ſed quod ab Epiſcopo fuerit conſecratum: non tamen frontem ex eodem oleo ſignare, quod ſolis debetur Epiſcopis, cum tradunt Spiritum Paracletum.* Refertur c. *Presbyteris* de conſ. d. 4. Palmaris eſt hæc auctoritas contra Dallæum: ex ea enim conſtat 1. Unctionem confirmatoriam, quæ fieri debet in fronte & ab Epiſcopo, eſſe diſtinctam ab unctione baptiſmali, quæ fit in vertice & a ſimplici Sacerdote. 2. Impoſitionem manuum, de qua Act. 8. eſſe eandem, quæ obſervabatur tempore Innocentii. 3. Hanc impoſitionem & unctionem non eſſe meras cæremonias Eccleſiaſticas, cum conferant Spiritum S. quod cæremoniæ Eccleſiaſticæ non competit.

S. Leo Ep. 88. ad Germ. & Gall. Epiſcopos ſcripta ann. 445. inter ea, quæ prohibentur Chorepiſcopis, recenſet *chriſma & conficere, & chriſmate baptizatorum frontem ſignare*. Et ſerm. 4. de Nativ. *Permanete ſtabiles in fide, quam confeſſi coram multis teſtibus, & in qua renati per aquam & Spiritum S. accepiſtis chriſma ſalutis & ſignaculum vitæ æternæ*. In his patet S. Leonem loqui de chriſmatione, non ut de cæremonia baptiſmali, quæ Chorepiſcopis non prohibetur, ſed de Sacramento diſtincto a baptiſmate. S. Greg. Mag. deſinente 6. ſæc. Ep. ad Jan. 9. l. 4. *Presbyteri*, inquit, *baptizandos ungant in pectore, ut Epiſcopi poſtmodum ungere debeant in fronte*. Ep. 45. lib. 10. mandat Eluſino Epiſcopo, *ut officium viſitationis impendat, ut ii, qui illic Deo propitio baptizantur, inconſignati non debeant remanere*. Et in Sacramentario, in ordine Sabbathi præſcribit ritum adminiſtrandæ Confirmationis, diſtinguitque ejus unctionem, qua Pontifex *cincto pollice* in chriſmate facit crucem in fronte, ab unctione, quam Presbyter facit in vertice.

Innocent. III. cap. *Cum veniſſet*, Extra, lib. 1. tit. 15. *Per frontis chriſmationem*, inquit, *manus impoſitio deſignatur, quæ alio nomine dicitur Confirmatio; quia per eam Spiritus S. ad augmentum datur & roboratur. Unde cum ceteras unctiones ſimplex Sacerdos, id eſt Presbyter, valeat exhibere, hanc nonniſi ſummus Sacerdos, id eſt Epiſcopus, debet conferre: quia de ſolis Apoſtolis legitur, quorum Vicarii ſunt Epiſcopi, quod per manuum impoſitionem Spiritum S. dabant, quemadmodum Actuum Apoſt. lectio manifeſtat*. Hinc iterum habes non meram cæremoniam Eccleſiaſticam, non unctionem indiſtinctam a baptiſmali, ſed verum Sacramentum a baptiſmate diſtinctum gratiæ diſtinctæ collativum, ſcilicet ad robur, a Miniſtro diſtincto ſcilicet ſolo Epiſcopo conferendum, & idem cum Sacramento, quod frequentabant Apoſtoli, dum per impoſitionem manuum conferebant Spiritum S.

Ex Conciliis, Conc. Eliberit. an. 305. vel juxta alios 315. Can. 38. decernit, ut qui navigans in neceſſitate baptizatus fuerit, *Si ſupervixerit, ad Epiſcopum perducatur, ut per manus impoſitionem perfici poſſit*. Laodicen. an. 363. Can. 48. *Oportet eos, qui baptizantur, per lavacrum chriſma*

ma

mnEccleſiæ accipere, & regni Chriſti participes fieri. Perficere autem & participem Regni Chriſti facere non pertinet ad cæremoniam Eccleſiaſticam. Conc. Hiſpalenſe an. 619. c. 7. enomerans ea, quæ non licet ſimplicibus Preſbyteris adminiſtrare, dicit: *Non per impoſitionem manus fidelibus baptizatis, vel converſis ex hæreſi, Paracletum Spiritum tradere, nec chriſma conficere, nec chriſmate baptizatorum frontes ſignare.* Ubi iterum Sacramentum aliud a Baptiſmo conferens Spiritum S. & ab Epiſcopo miniſtrandum. Lege inſuper Conc. Arauſ. an. 441. Can. 2. Arelat. 3. an. 445. Cabilon. 2. an. 813. Pariſ. 6. an. 829. De Florent. & Trid. diximus.

Ex Patribus. S. Dionyſius Apoſtolis coætaneus de Eccleſiaſt. Hier. c. 2. *Baptizatum,* inquit, *indutum veſte alba ad Pontificem ducunt: ille divino ac deifico unguento virum ſignat.* Et c. 4. *Quin etiam ei, qui ſanctiſſimæ divinæ regenerationis lavacro initiatus eſt, conſumans illa unctio divini Spiritus illapſum elargitur.* Porro unctio Epiſcopo reſervata, ſuperveniens Baptiſmo, & elargiens Spiritum S. non eſt nuda Baptiſmi cæremonia, ſed Sacramentum ab eo diſtinctum. S. Irenæus proximus Apoſtolis l. 1. adverſus hæreſes c. 18. de Gnoſticis imitantibus ritus Eccleſiæ dicit baptizatos ab eis inungi *Opobalſamo.* Tertull. qui floruit 2. ſæc. l. de Bapt. c. 7. ſic ſcribit: *Exinde egreſſi de lavacro perungimur benedicta unctione ... In nobis carnaliter currit unctio, ſed ſpiritualiter proficit; quomodo & ipſius Baptiſmi carnalis actus, quod in aqua mergimur, ſpiritualis effectus, quod delictis liberamur. Dehinc manus imponitur per benedictionem, advocans & invitans Spiritum S.* En aperte Sacramentum diſtinctum a Baptiſmate & ejus cæremoniis. Sed apertius l. de Reſurr. carnis c. 8. ubi dicit: *Caro abluitur, ut anima emaculetur.* En Baptiſmus. *Caro ungitur, ut anima conſecretur; caro ſignatur, ut anima muniatur; caro manus impoſitione adumbratur, ut & anima Spiritu illuminetur.* En Confirmatio cum ſua materia adæquata, ſcilicet unctione & manuum impoſitione. *Caro corpore & ſanguine Chriſti veſcitur, ut & anima de Deo ſaginetur.* En Euchariſtia.

S. Cypr. qui Martyr occubuit ann. 258. Ep. 73. ad Jubai. loquens de impoſitione manuum facta a Petro & Joanne ſuper Samaritanos baptizatos a Philippo Diacono, dicit apud nos idem fieri: *Quod nunc quoque,* inquit, *apud nos geritur, ut qui in Eccleſia baptizantur, Præpoſitis Eccleſiæ offerantur, ut per noſtram orationem ac manus impoſitionem Spiritum S. conſequantur, & ſignaculo dominico conſummentur.* Gloſſa non indiget. Legendus item Ep. 7. ad Januar. Eodem ſenſu loquitur Firmilianus Ep. ad Cypr. inter Cyprianicas 75. S. Cyrillus Jeroſ. 4. ſæc. Catecheſi 3. *Et vobis,* inquit, *poſtquam ex aquis ſacri lavacri aſcendiſtis, datum eſt Chriſma, quod gerit imaginem illius, quo unctus eſt Chriſtus; hoc autem eſt Spiritus S. ... vos vero uncti eſtis unguento, facti participes & conſortes Chriſti.* Plura alia in illa Catecheſi quæ tota eſt de Confirmatione, dicit, & adeo aperta, ut Kemnitius Sacramentum Confirmationis appellaverit *Chriſma Cyrillianum.* S. Ambroſius de Myſteriis c. 16. *Poſt hæc,* inquit, *utique aſcendiſti ad Sacerdotem: conſidera quid ſecutum ſit: nonne illud, quod ait David: Sicut unguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron.* L. 2. de Sacram. c. 7. *Ergo mentiſti, veniſti ad Sacerdotem. Quid tibi dixit? Deus,* inquit *Pater omnipotens, qui te regeneravit ex aqua & Spiritu S. conceſſitque tibi peccata tua, ipſe te ungat in vitam æternam.* Per Sacerdotem autem intelligit Ambroſius Epiſcopum, ut conſtat ex inſpectione locorum. S. Hieron. in Dialogo contra Lucifer. Luciferiano dicenti: *An neſcis etiam Eccleſiarum hunc eſſe morem, ut baptizatis manus imponantur, & ita invocetur Spiritus S.?* Reſpondet: *Non quidem abnuo hanc eſſe Eccleſiarum conſuetudinem, ut ad eos, qui longe in minoribus urbibus per Presbyteros & Diaconos baptizati ſunt, Epiſcopus ad invocationem Spiritus S. excurrat.* Addit *baptizatos in Eccleſia niſi per manus Epiſcoporum non accipere Spiritum S.* Hæc clara ſunt.

Chryſoſtomus Hom. 18. in Acta Apoſt. de Philippo Diacono ait: *Ideo baptizans Spiritum S. non dabat, neque facultatem habebat; hoc enim donum ſolorum Apoſtolorum erat.* Et infra: *Virtutem quidem acceperant faciendi ſigna, non autem dandi aliis Spiritum S. Igitur hoc erat in Apoſtolis ſingulare; unde & præcipuos, & non alios videmus hoc facere.* Non ergo Baptiſmus neque cæremonia Baptiſmi: hæc enim conferendi habent facultatem ſimpliciter Preſbyteri. Aug. l. 2. contra Litt. Petil. c. 104. *In hoc unguento,* inquit, *Sacramentum chriſmatis vultis interpretari: quod quidem in genere viſibilium ſignaculorum ſacroſanctum eſt, ſicut ipſe Baptiſmus.* Non eſt ergo Baptiſmus nec cæremonia Baptiſmi, ſed Sacramentum a Baptiſmo diſtinctum. L. 15. de Trinit. cap. 26. poſtquam dixit Apoſtolos imponendo manus dediſſe Spiritum S. addit *eundem morem in ſuis Præpoſitis etiam nunc ſervare Eccleſiam.* Et in Pſ. 141. *multa,* inquit, *Sacramenta aliter atque aliter accipimus. Quædam, ſicut noſtis, ore accipimus.* Et hoc eſt Euchariſtia. *Quædam per totum corpus accipimus.* Et hoc eſt Baptiſmus per immerſionem. *Quædam in fronte per ſignum Crucis.* Et eſt, ut patet, Confirmatio. Ab aliis Patribus recenſendis ſuperſedeo, ne tædioſus ſim. Illos longa ſerie commendatos ſecundum ordinem temporum habes cum Hæreticorum reſponſis ſolutis apud Perfectiem Caroli VVitaſſe Tom. 1. de Conf.

Tandem ex conſtanti & perpetua Eccleſiæ praxi: illam autem probant non ſolum quæ huc uſque diximus, ſed etiam omnia Ritualia antiqua tam Græca quam Latina, & quotquot de Officiis Eccleſiaſticis ſcripſerunt: S. Greg. in Sacramentario, Ordo Rom. ante ſæc. 9. editus, Strabo, Amalarius, Alcuinus, &c. atque inde confirmatur, quod Hæretici non poſſint aſſignare, quis primus hunc ritum Sacramentis annumeraverit: juxta enim Aug. regulam communiter receptam l. 2. de Bapt. cap. 7. *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi Apoſtolica auctoritate traditum rectiſſime creditur.* Quod autem tradiderunt Apoſtoli, inquit alibi, a Chriſto acceperunt.

Solvuntur Objectiones Hæreticorum.

OBJ. 1. contra 1. Prob. ex Scriptura. Impoſitio viſibilis manuum facta ab Apoſtolis, de qua in Act. non erat ſignum permanens, ſed erat privilegium ad tempus Apoſtolis datum conferendi, naſcente Eccleſia, gratias gratis datas. Ergo. Patet Ant. Quia nunc impoſitio manuum facta ab Epiſcopis non confert amplius dona linguarum, Prophetiæ, miraculorum, ut tempore Apoſtolorum. Ergo. R. N. Ant. Id enim, quod nunc uſurpant Epiſcopi ad conferendam gratiam roboris & fortitudinis, eſſe prorſus idem, quod legimus in Actis Apoſt. teſtatur Cypr. Ep. 73. ad Jubai. *Quod nunc quoque apud nos geritur:* & Aug. 15. de Trinit. dicens *eundem morem in ſuis præpoſitis etiam nunc ſervare Eccleſiam.* Vide textus integros inter probationes Concluſionis. Ad Prob. N. Conſeq. quia impoſitio manuum tunc non fiebat ſolum ad conferendas gratias gratis datas, ſed principaliter ad conferendam gratiam ſanctificantem, quam confert adhuc modo.

Inſt. 1. Spiritus S. de quo in Act. Apoſt. non erat gratia ſanctificans, ſed tantum gratiæ gratis datæ. Ergo. Prob. Ant. tum ex illo Joelis 2. *Effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri.* Tum quia frequenter legitur in ipſis Actibus, quod qui accipiebant Spiritum S. linguis loquerentur, prophetarent &c. Ergo. R. N. Ant. Fatemur quidem initio naſcentis Eccleſiæ non raro fuiſſe collatas in confirmatione gratias gratis datas, quia erant tunc neceſſariæ ad commendationem fidei rudis, & primordia Eccleſiæ dilatanda, ut loquitur Aug. l. 3. de Bapt. c. 16. per quod ſatisfit Probationibus Antecedentis. At negamus has ſolas & ſemper fuiſſe collatas. Non ſemper; dicit enim Apoſt. 1. Cor. 12. *Numquid omnes loquuntur linguis?* Non ſolas; quia primario, principaliter & univerſaliter conferebatur rite diſpoſitis gratia ſanctificans. Conferebatur namque Spiritus S. ut loquuntur Acta; ſolæ autem gratiæ gratis datæ ſine gratia ſanctificante nunquam in novo Teſtamento dicuntur ſimpliciter & abſolute Spiritus S. Item conferebatur Spiritus S. quem Chriſtus promiſerat Joan. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum.* Hic autem Spiritus manens nobiſcum in æternum eſt Spiritus ſanctificans, non gratiæ gratis datæ, quæ non diu durarunt, & quæ poſſunt reperiri in peccatoribus, in quibus Spiritus S. non manet. Matth. 7.

Inſt. 2. Samaritani jam receperant a Philippo gratiam ſanctificantem. Ergo Spiritus S. ſeu gratia, quam receperunt per manus Apoſt. non erat gratia ſanctificans, ſed gratis data. R. D. Ant. Samaritani jam receperant a Philippo gratiam ſanctificantem regenerativam, C. Roborativam & confirmativam, N.

Inſt. 3. Adventus Spiritus S. in Samaritanos exprimitur in Scriptura voce Græca, quæ ſignificat, *ſupercado, irruo,* ideoque deſcenſum violentum & vehementem, quo exprimitur in Scripturis donatio Spiritus prophetici, non donatio Spiritus ſanctificantis, qui eſt lenis & ſuavis. Ergo. R. 1. Hæc voce græca, juxta linguæ peritos, non ſolum ſignificari *irruere,* ſed etiam *illabi.* Primum convenit dono prophetiæ: ſecundum Spiritui ſanctificanti. 2. Falſum eſt hac eadem voce in Scripturis non ſignificari donum gratiæ ſanctificantis; ea enim adhibetur Act. 10. v. 44. Act. 11. v. 15. ubi agitur de dono gratiæ ſanctificantis. Et S. Lucas Act. 2. dicit de deſcenſu Spiritus S. in die Pentecoſtes: *Factus eſt repente de Cœlo ſonus tamquam advenientis Spiritus vehementis.* Ubi tamen Apoſtoli receperunt non ſolum gratias gratis datas, ſed etiam augmentum gratiæ ſanctificantis cum ſeptem Donis Spiritus S.

Urgent plura leviora. 1. Huic ritui, inquit Calvinus, nulla eſt in Scripturis annexa gratiæ promiſſio. 2. Flatus, quo Dominus Diſcipulos afflavit, non fuit Sacra-

mentum. Ergo nec manuum impoſitio per Apoſtolos. 3. In his Scripturæ locis, inquit Kemnitius, nullum ſentitur oleum, nullum odoratur balſamum, & verbum deeſt, quod tamen requiritur ut forma Sacramenti. Ergo. R. ad 1. gratiæ promiſſionem conſtare ipſo facto Apoſtolorum, qui illam per manuum impoſitionem conferebant. Sed & habetur facta prævie promiſſio Joan. c. 14. v. 16. c. 15. v. 26. c. 16. v. 7. & Act. 1. v. 5. & 8. alibi. Ad 2. N. Conſ. quia Sacramentum debet eſſe ſignum permanens & perpetuum: hic autem ſtatus, neque ab Apoſtolis, neque ab horum Succeſſoribus fuit obſervatus, ſecus impoſitio manuum. Tertium tangit materiam & formam hujus Sacramenti, de quibus diſputant Theologi. Sed quamvis diſſentiant in aſſignanda materia & forma, quia id quoad aliqua non pertinent ad fidem, conveniunt tamen omnes eſſe aliquam determinatam, ideoque eſſe verum & proprie dictum Sacramentum, quod eſt fidei dogma. Inſuper chriſma ſemper fuiſſe adhibitum, aut in eo fuiſſe divinitus diſpenſatum propter multitudinem confirmandorum & paucitatem confirmantium dicemus infra. Etiam verba adhibita fuiſſe conſtat Act. 8. ubi Apoſtoli cum manuum impoſitione invocabant Spiritum S. verbo & oratione.

Obj. 2. Antiquiores Eccleſiæ Patres, Juſtinus, Athenagoras, Tatianus, Irenæus ſilent de Confirmatione: ii autem, quos laudavimus, loquuntur de Confirmatione tamquam de Appendice cæremoniali Baptiſmi, ſiquidem illam ſemper Baptiſmo conjungant, eique eundem ac Baptiſmo effectum tribuant: aut ſaltem intelligunt Sacramentum improprie dictum. Ergo. R. ad 1. membrum Ant. 1. falſum eſſe; Dionyſius enim & Irenæus non ſiluerunt de Confirmatione. Patet ex probationibus. 2. Hoc dato, N. Conſ. alioquin ſequeretur, quod nec Baptiſmus nec Euchariſtia forent Sacramenta, quia de illis omnium ſiluerunt Athenagoras & Tatianus. Dicendum itaque ad veritatem alicujus dogmatis, ſeu traditionem ſtabiliendam, non eſſe neceſſe, quod omnes Scriptores omnis ætatis meminerint illius, ſed ſufficere, quod plerique & probati illam aſſeruerint. 3. Non ignorant Hæretici laudatos Patres plura alia opera edidiſſe, quæ perierunt: quis ſcit, num in illis Confirmationem non appellaverint? Et ſi verum ſit, quod tunc temporis ignota erat in Eccleſia Confirmatio, dicant, unde Tertull. Cypr. & alii, quos laudavimus, illam hauſerunt. 4. Patres Apoſtolis propinquiores intenti erant edendis Apologiis pro Chriſtianis, & calumniis contra ipſos intentatis depellendis, parci autem & cauti in explicandis palam arcanis fidei myſterii, ne ampliorem calumniis Ethnicorum materiam ſubminiſtrarent.

Ad 2. membrum Ant. R. ejus falſitatem aperte revinci ex ipſis Patrum textibus a nobis laudatis, ut in pluribus obſervavimus. Et ſane ſi Confirmatio nihil aliud eſſet quam cæremonia Baptiſmi, quid neceſſe erat Petrum & Joannem mitti ad Samaritanos, ut eis imponerent manus, & acciperent Spiritum S.? Philippus, qui habebat facultatem baptizandi, habebat a fortiori facultatem cæremonias Baptiſmi adimplendi. Sed & omnia, quæ adferuntur in probationem hujus Antecedentis, ſunt falſa. Et 1. falſum eſt, quod ſemper Confirmatio comitaretur Baptiſmum; non enim ſemper aderant Apoſtoli aut Epiſcopi, ſicut de facto contigit in Samaritanis, ut baptizatis a Philippo, ad quos miſſi ſunt Petrus & Joannes, ut eos confirmarent. Et eſto Confirmationem ſemper fuiſſe conjunctam Baptiſmo, non magis inde ſequitur, quod fuerit cæremonia Baptiſmi, quam ſequitur Euchariſtiam, quæ cum Confirmatione ordinarie conferebatur ſtatim poſt Baptiſmum, eſſe Baptiſmi cæremoniam. 2. Falſum eſt Patres eundem Baptiſmo ac Confirmationi effectum tribuere. Tribuunt namque Baptiſmo gratiam regenerativam & innovativam, Confirmationi gratiam roborativam & confirmativam. 3. Tandem falſum eſt Patres loqui de Confirmatione, ut de Sacramento improprie dicto. 1. Quia illam vocant Sacramentum ſicut Baptiſmum: *Tunc demum*, inquit Cyp. Ep. 72. ad Steph. *plane ſanctificari & Filii Dei eſſe poſſunt, ſi Sacramento utroque* (Baptiſmo & Confirmatione) *naſcantur*. *Sacramentum Chriſmatis*, inquit Aug. contra Litt. Petil. cit... *quod quidem in genere ſignaculorum viſibilium ſacroſanctum eſt, ſicut Baptiſmus*. 2. Quia Confirmationem aſſerunt, ut ſignum ſenſibile gratiæ ſanctificantis, quod non competit, niſi Sacramento proprie dicto. 3. Tandem nulla eſt ratio, cur ſecundum modum loquendi Patrum dicatur Sacramentum improprie potius, quam Baptiſmus & Euchariſtia.

Inſt. 1. Cyprianus loco mox cit. ex eo quod Stephanus iteraret impoſitionem manuum, inferebat iterandum eſſe Baptiſma. Ergo reputabat Cyprianus impoſitionem manuum, ut cæremoniam annexam Baptiſmo. R. N. Conſ. Ideo enim Cyprianus ex praxi Stephani intulit iterandum eſſe Baptiſmum, quia falſo exiſtimabat Stephanum per manuum impoſitionem conferre Confirmationem redeuntibus ab hæreſi. Ex quo inferebat, quod ſi Confirmatio Hæreticorum eſſet nulla & iteranda, ita eorum Baptiſmus. At hallucinabatur Cyprianus; impoſitio enim manuum apud Stephanum non erat confirmatoria, niſi pro iis, qui nondum erant confirmati, ſed reconciliativa tantum.

Inſt. 2. Impoſitio manuum, de qua loquebantur SS. Patres, poterat iterari. Ergo non erat Sacramentum noſtræ Confirmationis, quod ſecundum nos iterari non poteſt. Prob. Ant. Aug. de Bapt. c. 15. ait: *Manus impoſitio ſicut Baptiſmus, repeti non poteſt*. Ergo. R. N. Ant. ad Probat. N. Conſ. quia Aug. ibi loquitur de impoſitione manuum reconciliativa, non confirmatoria, ut conſtat ex lib. 5. de Bapt. cap. 25. Quatruplex autem eſt diſtinguenda manuum impoſitio apud antiquos. Prima eſt ſanativa infirmitatum. Marci ult. Secunda eſt ordinativa Clericorum. 2. Tim. 1. Tertia eſt confirmativa. Quarta eſt reconciliativa, ſive quoad forum internum, ſive quoad externum. Hæc quarta & prima poterant iterari, non ſecunda & tertia.

Inſt. 3. Secundum Aug. per manus impoſitionem, quam dicimus Confirmationem, Apoſtoli non dabant Spiritum S. ſed tantum orabant, ut veniret. Ergo non erat Sacramentum. Prob. Ant. S. D. l. 15. de Trinit. c. 35. *Orabat enim*, inquit, *ut Spiritus S. veniret in eos, quibus manus imponebant, non ipſi eum dabant*. Ergo. R. D. Ant. Per manus impoſitionem Apoſtoli non dabant Spiritum S. principaliter, C. Miniſterialiter ſeu inſtrumentaliter, Subd. Non dabant Spiritum S. viſibiliter quantum ad gratias gratis datas, C. Cum enim hæc eſſent effectus tantum accidentales Confirmationis, illas Apoſtoli non dabant, ſed orabant, ut a Deo conferrentur in Confirmatione, & de iſta collatione Spiritus S. intelligit Aug. Non dabant Spiritum S. inviſibiliter quantum ad gratiam ſanctificantem, N. Namque ſi quoad illam gratiam Apoſtoli nihil niſi orando profuiſſet Samaritanis, non debebant mitti ad illos; perinde enim oraſſent Jeroſolymis ac Samariæ.

Obj. 3. Eccleſia Græca non recenſet Confirmationem inter Sacramenta. Ergo. R. N. Ant. Cujus falſitatem probavimus Art. penultimo Tract. de Sacramentis in genere ex antiquis Ritualibus græcis a noſtro P. Goar. editis, ex Leone Allatio, ex Jeremia Patriarcha Conſtantinop. in cenſura, quam edidit Doctrinæ Calvinianæ. His nunc adde non ſolum Patres Græcos, quos laudavimus, Conc. Laodic. Cyrill. Chryſoſt. &c. ſed & recentes Synodos, unam Conſtantinop. an. 1642. in qua damnatur Calvinus, quod quinque Sacramenta negaret: alteram Bethleemiticam Præſide Doſitheo Patriarcha Jeroſol. in qua ſic decernitur: *Credimus eſſe in Eccleſia Legis novæ Sacramenta, eaque ſeptem; non majorem aut minorem numerum admittimus*. Deinde 2. loco numeratur Sacramentum Confirmationis. Inſuper quoties actum eſt de unione utriuſque Eccleſiæ, præſertim in Conc. Flor. nulla fuit facta mentio de Confirmatione. Tandem ipſi Lutherani VVittembergenſes, in reſponſo ad reſponſum laudati Jeremiæ, hoc ipſum fatentur his verbis: *Sacramenta ſeptem numerant Græcorum Eccleſiæ*. Ad hæc nonniſi futilia reponit Kemnitius.

Inſt. Saltem conſtat ignotum eſſe Confirmationis Sacramentum apud Chriſtianos Æthiopes, Armenos, Chaldæos, aliosque Arabiam, Meſopotamiam, Syriam, Perſidem & Ægyptum habitantes, atque apud Indos. Ergo. R. 1. Dato Ant. N. Conſ. Non enim a Schiſmaticis requirenda eſt veritas, cum ex Schiſmate ordinarie naſcatur error. 2. N. Ant. Cujus falſitatem fuſe & erudite per ſingulas nationes probat jam laudatus Caroli VVitaſſe Perfector Tom. 1. pag. mihi 482. & ſeqq. non ingrate legendus.

Obj. 4. Magna eſt inter noſtros Theologos diſſenſio circa eſſentialia Confirmationis, materiam, formam & miniſtrum. Ergo non conſtat apud eos exiſtere hoc Sacramentum. R. N. Conſ. Diſſenſio enim circa naturam alicujus rei non infert diſſenſionem circa ejus exiſtentiam: ſic Lutherani & Calviniſtæ inter ſe diſſentiunt de materia & forma Baptiſmi. Lutherus in Sympoſiacis c. 17. dubitat, an valeat in vino & lacte: Beza in 2. ad Thomam Filium affirmat valere in quovis liquore: Calvinus l. 4. Inſtit. c. 15. §. 16. requirit ad validitatem Baptiſmi, quod conferatur *in nomine Patris & Filii & Spiritus S.* Lutherus aſſerit, quod ſufficiat, ſi conferatur in nomine Domini. Zuinglius nullam formam requirit. Et tamen hi omnes agnoſcunt Baptiſmum exiſtere. Catholici diſputant circa materiam aliorum Sacramentorum; & tamen nullus aliquod negat. Philoſophi diſputant de natura ſolis & ignis, nemo tamen negat exiſtere ſolem & ignem. Pariter itaque quamvis noſtri Theologi diſputent, quæ ſit materia, forma, vel miniſter Confirmationis, conveniunt tamen omnes in hoc, quod eſt Fidei, hunc ſcilicet ritum, qui in Eccleſia dicitur Confirmatio, eſſe verum Sacramentum.

Petes a quo & quando inſtitutum fuerit Sacramentum Confirmationis. R. a Chriſto fuiſſe inſtitutum; probatum manet ex Diſſ. 5. de Sacr. in genere a. 1. Illuc Lectorem remitto.

Quantum ad tempus inſtitutionis incertum eſt, cum nihil ea de re habeamus in Scriptura aut Traditione. Quidam dicunt fuiſſe inſtitutum Matt. 19. cum Chriſtus parvulis manus imponeret & ita videtur ſentire Conc. Seno-

neuſe

nenſe an. 1528. verùm non omnis manuum impoſitio eſt Confirmatio; & quod refertur Matth. 19. nihil aliud fuiſſe videtur, quam quod conſuetum erat apud Judæos, apud quos parvuli a majoribus manus impoſitione benedicebantur exemplo Ephraim & Manaſſe, quibus Jacob hoc modo benedixit Geneſ. 48. Inſuper veriſimile eſt non omnes iſtos parvulos fuiſſe baptizatos, neque decebat eos confirmari ante Apoſtolos. Ad Conc. Senon. reſpondetur eſſe duntaxat Provinciale, nec a Sum. Pontifice approbatum, ideoque non inconcuſſæ auctoritatis; vel intellexiſſe inſtitutionem Confirmationis in typo & figura, non in re. Quidam volunt inſtitutum fuiſſe in ultima cœna, fundati in Ep. 2. Fabiani Papæ ad Epiſcopos Orientales c. 1. in qua dicit: *In illa die Dominus poſtquam cœnavit cum Diſcipulis ſuis, & lavit eorum pedes, ſicut a S. Apoſtolis Prædeceſſores noſtri acceperunt, nobiſque reliquerunt, Chriſma conficere docuit*. Et ſubdit: *Lavatio pedum ſignificat Baptiſma, quod ſancti Chriſmatis unctione perficitur*. Verum aliis non videtur ſat firmum hoc fundamentum, cum Epiſtola hæc Fabiani, non ſecus ac aliæ decretales ante Siricium, a pleriſque eruditis nunc reputentur apocryphæ & ſuppoſititiæ. De qua re vide Digreſſ. hiſt. ad Diſſ. 1. de Jure. Alii tandem arbitrantur inſtitutum fuiſſe hoc Sacramentum eo temporis intervallo, quo Chriſtus poſt Reſurrectionem uſque ad Aſcenſionem cum Apoſtolis converſatus eſt, *loquens de Regno Dei*. Act. 1. Tunc enim illis contulit plenitudinem poteſtatis Epiſcopalis in Eccleſiam, Joan. 20. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*. Eis promiſit Spiritum S. & gratiam, quam confert in Confirmatione, Luc. 24. *Et ego mitto promiſſum Patris mei in vos: vos autem ſedete in civitate, quoad uſque induamini virtute ex alto*. Ac tandem iis diebus, ut inquit S. Leo ſerm. 1. de Aſcenſ. c. 2. *Magna in iis confirmata Sacramenta, magna ſunt revelata Myſteria*. Ex quibus colligunt non incongrue hoc tempus inſtitutionis hujus Sacramenti aſſignari, præſertim cum nullum aliud ſit aſſignatum.

Quantum ad S. Th. dicit hic ad 1. *Quod Chriſtus inſtituit hoc Sacramentum non exhibendo, ſed promittendo*, ſcilicet ejus effectum, Spiritum S. & gratiæ plenitudinem, non vero ipſum Sacramentum; promittere enim Sacramentum non eſt ipſum inſtituere. Et hoc patet ex his, quæ ſubjungit S. Doct. *Secundum illud*, inquit, Joan. 6. Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos: ſi autem abiero, mittam eum ad vos. *Et hoc ideo, quia in hoc Sacramentum datur plenitudo Spiritus S. quæ non erat danda ante Chriſti Reſurrectionem & Aſcenſionem, ſecundum illud Joan. 7.* Nondum erat Spiritus datus, quia Jeſus nondum erat glorificatus. Senſus ergo verborum S. Th. eſt, *Chriſtus inſtituit Sacramentum non exhibendo*, ſeu illud alicui adminiſtrando, ſicut inſtituit Ordinem & Euchariſtiam, *ſed promittendo* ejus effectum. Et iſte ſenſus non repugnat tertiæ ſententiæ.

ARTICULUS II.

Quæ ſit Materia Confirmationis.

Miſſis Lutheranis & Calviniſtis, qui, ut Sacramentum Confirmationis rejiciunt, ita ejus materiam improbant: manuum impoſitionem, poſtquam ceſſavit viſibilis illapſus Spiritus S. tamquam cæremoniam inutilem reputant: Chriſma vero Calvinus l. 4. Inſt. c. 19. §. 8. vocat *oleum diaboli mendacio pollutum*, & §. 10. *pinguedinem fœtore anhelitus inquinatam, verborum murmure incantatam, & perungendis calceis addicendam*. His, inquam, miſſis, quos Art. præcedenti ſufficienter exagitavimus, concertatio hic nobis eſt cum Theologis Catholicis, qui in aſſignanda eſſentiali hujus Sacramenti materia diſſentiunt. Quidam in ſola manuum impoſitione reponunt. Ita ex antiquis Aureolus, Altiſſiodorenſis, ex recentioribus Sambovius, l'Herminier, maxime Sirmondus in Antirrhetico 2. Quidam in ſola Chriſmatione conſtituunt. Ita Bellarm. Maldonatus, Iſambert, Petrus Aurelius, ſeu Abbas Sancyranus, &c. Quidam reponunt in utraque, ſcilicet chriſmatione & impoſitione manus; ſed diverſimode: alii disjunctive; ita ut alterutra, vel utraque ſit materia adæquata, relicta Eccleſiæ libertate, quam vellet pro temporum opportunitate, uſurpandi. Hæc Sententia tribuitur Tappero, Morino & Eſtio, & videtur acta Concilii Moguntini: apprime commoda eſt enodandis difficultatibus: eam probabilem reputat Bellarm. eique lubenter ſubſcriberemus, ſi ſolido fundamento eſſet innixa. Alii conjunctive, ita ut chriſmatio & impoſitio manuum ſint ſimul adæquata materiam Confirm. Eſt nunc communior; illam tenent Nat. Alex., Ludovicus Habert, Juenin, Henno, Card. Gotti, Perfector Caroli V Vitaſſe, Boucat, Tournely, Berti, Daelman, &c. & ſi intelligatur de impoſitione manus indiſtincta a chriſmatione, ut mox dicetur, coincidit cum ſecunda ſententia.

Chriſma græce idem ac latine unguentum, at uſu Eccleſiaſtico eſt mixtum ex oleo & balſamo. Manus impoſitio eſt duplex in Confirmatione juxta Pontificale Clementis VIII. una prævia ad unctionem, dum Epiſcopus manu extenſa verſus confirmandos, orat, ut deſcendat in eos Spiritus S. altera, qua Epiſcopus frontem confirmandi pollice Chriſmate tincto tangit, reliqua manu, ſaltem ut fit a pleriſque, ſuper caput ejus extenſa.

Specialem quæſtionem hic non inſtituo de materia remota Confirmationis: quia ſi probetur unctionem Chriſmatis eſſe ejus materiam proximam, ſatis conſtabit Chriſma eſſe materiam remotam; eſt enim materia proxima materiæ remotæ applicatio.

Dico: Materia eſſentialis adæquata Sacramenti Confirmationis eſt conjunctive unctio Chriſmatis & manus impoſitio ab ipſa unctione indiſtincta: ſalva tamen probabilitate ſenſus disjunctivi. Prob. Conſtans & perpetua eſt in Eccleſia traditio, chriſmationem & manus impoſitionem ſemper adhibitas fuiſſe in Confirmatione, iiſque vim ineſſe conferendi Spiritum ſanctum ſeu gratiam roborantem. Ergo.

De chriſmatione conſtat ex omnibus ſum. Pontificibus, Conciliis & Patribus, quos Art. præcedenti laudavimus: hi enim omnes, paucis exceptis, meminerunt vel chriſmatis, vel unguenti, vel unctionis, vel ſignaculi, eique vim gratiam conferendi tribuunt. Relegantur eorum textus. Idem docet Auctor hic Art. 2. probatque hanc materiam eſſe convenientem, quatenus gratia Spiritus S. in oleo deſignatur; unde Chriſtus dicitur eſſe unctus oleo lætitiæ propter plenitudinem Spiritus ſancti quam habuit: admiſcetur balſamum, quo, propter fragrantiam odoris, ſignificatur odor bonæ famæ. Unde Apoſt. 2. Cor. 2. *Chriſti bonus odor ſumus Deo*. Et licet multa alia ſint odorifera, tamen præcipue accipitur balſamum, eo quod habeat præcipuum odorem, & incorruptionem præſtat. Hac Traditione innixa Synodo Flor. in Decreto unionis definit materiam hujus Sacramenti eſſe *Chriſma confectum ex oleo, quod nitorem ſignificat conſcientiæ, & balſamo, quod odorem ſignificat bonæ famæ, per Epiſcopum benedicto*. Et Trid. ſeſſ. 7. can. 2. de Confirm. *Si quis dixerit injurios eſſe Spiritui S. eos, qui ſacro Confirmationis Chriſmati virtutem aliquam tribuunt, anathema ſit*. Ubi ſupponit chriſmationem eſſe materiam hujus ſacramenti.

De manus impoſitione conſtat ex actis Apoſt. ex Conc. Eliberitano, Tertu. Cyp. Hieron. Aug. laudatis art. præcedenti. Videantur. Plura alia adferri poſſent momenta tam ex Græcis quam ex Latinis; ſed cum non requiramus aliam chriſmationem manus, quam quæ fit per ipſam chriſmationem, ſupervacanea videntur; probata enim chriſmatione, ſimul probatur iſta manus impoſitio.

Hanc autem Traditionem intelligendam eſſe de chriſmatione & impoſitione manuum conjunctive tamquam de materiis partialibus unam totalem ſimul integrantibus, non vero disjunctive, conceſſa a Chriſto Eccleſiæ facultate quam vellet aſſumendi, inde colligimus. 1. Quod hujuſce facultatis a Chriſto conceſſæ nullum extat veſtigium in Scriptura vel Traditione, ſine quibus tamen nihil circa eſſentialia Sacramentorum, quæ a ſola voluntate Chriſti pendent, debet affirmari. 2. Quod quidam Patres utramque ſimul videantur requirere. Tertull. de Reſur. carnis c. 8. *Caro ungitur*, inquit, *ut anima conſecretur ... caro manus impoſitione adumbratur, ut & anima ſpiritu illuminetur*. Cyp. jam laudatus art. præcedenti Ep. ad Jubaian. & plures alii Scriptores mox citandi. Maneat tamen alterius ſententiæ probabilitas, quæ forte poterit explicari & defendi eo forme modo, quo explicatur & defenditur determinationem ſpecificam formæ ejuſdem Sacramenti & materiæ Ordinis eſſe libertati Eccleſiæ relictam. Item hanc traditionem eſſe intelligendam de manus impoſitione indiſtincta a chriſmatione, conſtat 1. Quia Epiſcopi admittunt ad Confirmationem eos, qui erant abſentes, dum facerent manus impoſitionem præviam ad chriſmationem, quæ, ut dictum eſt, conſiſtit in extenſione manuum verſus confirmandos. Neque dici poteſt cum Honor. Tournely eſſe *abuſum corrigendum*, niſi culpando plures doctiſſimos & pientiſſimos Antiſtites, qui hanc praxim ſervant. 2. Quia Græci nullam aliam manus impoſitionem adhibent, quam eam, quæ chriſmationi eſt annexa, ut patet ex eorum Euchologiis veteribus & recentioribus editis a noſtro Goar: & tamen exiſtere apud Græcos verum Sacramentum Confirmationis agnoſcit Eccleſia.

Scio quoſdam contendere in prioribus ſæculis impoſitionem manuum fuiſſe diſtinctam ab unctione: ſed quidquid ſit, certum eſt ſaltem a pluribus ſæculis has duas actiones coaluiſſe in unam. De illis hoc ſenſu loquuntur plures antiqui Scriptores. Beda, qui floruit ſæculo 7. in Pſ. 26. *Illa unctio*, inquit, *quæ per manus impoſitionem fit ab Epiſcopo, vulgo Confirmatio dicitur*. Amalarius 8. Sæculo l. 1. de Officii c. 27. *Ut ab Epiſcopis ſolis inungatur per manus impoſitionem, ab Apoſtolis aſſumptum eſt*. Rabanus Maurus Sæc. 9. l. de Inſtit. Clericorum cap. 18. refert ex S.

Sylveſtro *ad ſolum Epiſcopum pertinere, ut baptizatum per manus impoſitionem cum ipſo Chriſmate conſignet*. Ratrammus eodem ſec. l. 4. contra oppoſita Græcorum c. 7. *Donum Spiritus S. tribuitur per impoſitionem manuum, quando frontes baptizatorum Chriſmate ſancto liniantur ab Epiſcopo*. Eodem modo loquuntur ſec. 12. Rupertus l. 5. de divinis Officiis c. 16. & Hugo Vict. lib. 1. de Sacramen o Fidei c. 10.

Solvuntur Objectiones contra Chriſmationem.

OBj. 1. (*D. Th. a. 4. ad* 1.) Act. 8. & alibi, ubi ſecundum nos refertur Sacramentum Confirmtionis, nulla fit mentio Chriſmatis, ſed ſolum impoſitionis manuum. Ergo Apoſtoli non adhibuerunt Chriſma confirmando, ſicque Chriſma non eſt materia Confirmationis. R. 1. Juxta plurimos D. Ant. Nulla fit mentio Chriſmatis, & tamen noo excluditur, C. Ant. & excluditur, N. Ant. & Conſeq. Non enim omnia, quæ Apoſtoli fecerunt aut docuerunt; ſcripta ſont, ſive brevitatis, ſive arcani ſervandi cauſa. Sic Aug. l. de fide & oper. c. 9. loquens de Eunucho dicit: *Ia eo quod ait* (S. Lucas) *Baptizavit eum Philippus, intelligi voluit impleta omnia, quæ licet taceantur in ſcripturis gratia brevitatis, tamen ſerie traditionis ſcimus implenda*. Et Eſtius in 4. d. 7. §. 6. cum ea, quæ, ad ritus Sacramentorum pertinent, inquit, ſecretiſſima haberentur, ac fere ſola voce quaſi per manus traderentur, noluit Lucas neque elementum, neque verbom hojus Sacramenti verbo prodere, ideoque uſus eſt vocabulo manus impoſitionis, quæ generalis quædam cæremonia eſt, varie adhiberi ſolita. Item conſtat non omnia Fidei noſtræ dogmata ex ſola Scriptura, ſed multa ex traditione haberi: probavimus autem conſtantem ſemper fuiſſe in Eccleſia de chriſmatione traditiooem, cujus prima inſtitutio cum neque in Conciliis neque in Pontificum ſanctionibus reperiatur, dicendom eſt eam eſſe a Chriſto, qui Sacramentorum materiam & formam determinavit, hancque ab Apoſtolis ſuiſſe frequentatam. Non magis ergo concludit hoc argumentum negativum, quam ſiquis ex ſilentio Scripturæ inferret Apoſtolos non baptizaſſe in nomine Trinitatis, pueros non eſſe baptizaodos, & plura alia, quæ non leguntur in Scriptura; aot vellet probare chriſmationem non fuiſſe in uſu sempore Concilii Arelat. 1. & Nicæni; quia in illis, ubi agitur de Confirmatione, non fit mentio Chriſmatis.

R. 2. juxta quoſdam alios, N. Conſ. Quamvis in Actibus Apoſt. ſileatur de chriſmatione: alibi tameo fit illius mentio. 1. 2. Cor. 1. *Qui confirmat nos in Chriſto, & qui unxit nos Deus, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris*. Quem locum exponit de Confirmatione Ambroſ. l. de initiandis c. 7. 2. 1. Joan. 2. *Sed vos unctionem habetis a Sancto*. Quod Aug. Tract. 3. in Ep. Joan. interpretatur de Confirmatione. 3. ibid. *Et vos unctionem, quam accepiſtis ab eo, maneat in vobis*. Et hoc iterum Aug. ibid. & S. Cyrill. Catecheſi 3. intelligunt de Confirmatione. R. 3. com Auctore (*Hic q. 72. a. 2. ad* 1.) & pluribus aliis: dato quod Apoſtoli per ſolam manuum impoſitionem ſine chriſmatione Confirmationem aliquando adminiſtraverint, id factum eſſe ex diſpenſatione divina, quando Spiritus ſanctus per viſibilia ſigna deſcendebat in confirmatos; quia non erat neceſſaria tam ſenſibilis materia Sacramenti, ubi exhibebantor miracoloſe ſenſibilia ſigna, quæ, non ſecus ac chriſma ſignificabant effectum Sacramenti, ut explicat Auctor ibid. ubi addit, quod Apoſtoli uterentur tameo communiter chriſmate in exhibitione hujus Sacramenti, quando viſibilia ſigna noo exhibebantur.

Inferes ex hac ſol. Ergo mutata fuit materia hujus Sacramenti, conſequenter noo eſt idem Sacramentom Confirmationis, quod nunc celebrat Eccleſia, ac illud, quod Apoſtoli conferebant. Reſpondent quidam, quod quando Apoſtoli dabant Spiritum ſanctum per ſolam manuum impoſitionem ſine chriſmatione, cooferrent quidem rem Sacramenti, ſed noo Sacramentum; arbitranturque hanc eſſe mentem D. Th. Verum, hac ſolutione ſemel admiſſa, nullum nobis reſtat fundamentum in Scriptua ad probandum contra Hæreticos veritatem hujus Sacramenti. Non id dixit D. Th. neque arbitror hanc eſſe ejus mentem: quamvis enim hic a. 4. o. dicit, quod quando Deus viſibilibus ſignis miraculoſe adhibitis conferebat effectum Sacramenti ſine Sacramento, tunc non eſſet neceſſaria materia nec forma Sacramenti, quod verum eſt; non tamen dixit, quod ubi aderat impoſitio manuum, deeſſet omnino materia, & non eſſet Sacramentum: quin e contra in c. 6. Ep. ad Heb. lect. 1. circa medium ad hæc verba, *impoſitionis quoque manuum*, agnoſcit impoſitionem manuum eſſe materiam Sacramenti, & innuit per eam Apoſtolos illud contuliſſe: dicit enim: *Secundum Sacramentum intrantium eſt in ipſa manuum impoſitione ... Hæc autem eſt duplex: una eſt miracula faciens, ſicut quando Chriſtus per manus impoſitionem curabat infirmos, Luc. 4. ... Et hæc non eſt ſacramentalis. Alia eſt ſacramentalis ... In Sacramento Confirmationis ... In Confirmatione; enim datur Spiritus S. ad robur, ut ſcilicet audacter homo confiteatur nomen Chriſti coram hominibus*. Unde ad arg. R. D. illatum: ergo materia Sacramenti fuit mutata materialiter & entitative; Tranſeat; mutata formalitee & in ratione materiæ Sacramenti, N. Quamvis ergo non fuerit eadem entitas materiæ adæquatæ, quatenus non adhibebatur chriſma, ſed ſola manuum impoſitio, eadem tamen erat formaliter & in ratione materiæ Sacramenti, quatenus ſubſtabat eidem ſignificationi & Chriſti inſtitutioni, atque eundem efficaciam & eundem effectum habebat. Dixi: *Tranſeat illatio*: quia juxta aliam ſententiam, quam ſupra dixi probabilem, cum materia ſit vel impoſitio manuum, vel chriſmatio, ad nutum Eccleſiæ, nullatenus fuit mutata.

Obj. 2. famoſum Can. 2. Conc. Arauſ. 1. quo declaratur unctionem non eſſe neceſſariam Sacramento Confirmationis: ecce ejus verba: *Nullus miniſtrorum, qui baptizandi recipit officium, ſine chriſmate uſquam debet progredi, quia inter nos placuit ſemel chriſmari. De eo autem, qui in baptiſmate quacumque neceſſitate faciente non chriſmatus fuerit, in Confirmatione Sacerdos monebitur: nam inter quoſlibet chriſmatis ipſius non niſi una benedictio eſt: non ut præjudicans quidquam, ſed ut non neceſſaria habeatur repetita chriſmatio*. Ergo. R. de iſto Canone exarſiſſe olim acrem concertationem inter duos eruditos Theologos, P. Sirmondum Soc. J. qui contendebat chriſmationem eſſe tantum cæremoniam Confirmationis, & Petrum Aurelium, ſeu Abbatem Sancyranum, qui propugnabat eſſe materiam eſſentialem. Primus legebat textum prout retulimus cum particula negante in ultima parte textus. Alter legebat ſine particula negante, ſic ſcilicet: *ſed ut neceſſaria habeatur repetita chriſmatio*. Si hæc ultima lectio admittatur, favet aperte noſtræ concluſioni; tunc enim ſenſus Canonis eſt, utraque chriſmatio, tam Baptiſmalis in vertice quam Confirmatoria in fronte, ſit neceſſaria, in diverſo tamen genere neceſſitatis: prima ut cæremonia Baptiſmi ſupplenda ex more & præcepto Eccleſiæ, altera neceſſitate Sacramenti, ut ejus materia. Verum de iſta particula adhuc ſub judice lis eſt: plura namque exemplaria illam omittunt, non pauciora illam retinent, ideoque inde non poteſt erui firmum argumentum pro aut contra. Sed eſto legendum ſit ſecundum Syrmondum cum particula negante, nihil nocet: ſenſus enim eſt, quod ubi aliquis eſt baptizatus ſine chriſmatione verticali, Epiſcopus antequam illum confirmet, debeat hanc chriſmationem verticalem ſupplere, quæ chriſmatio verticalis non præjudicat chriſmationi frontali faciendæ in Confirmatione; quia licet ſuppleatur ex more & præcepto Eccleſiæ, non eſt tamen abſolute neceſſaria Confirmationi, & ideo dicit: *ſed ut non neceſſaria habeatur repetita*, ſeu duplex *chriſmatio*. Plura de iſto Canone ſcribunt Sambovius & ex illo Gaſpar Juenin, Perfector Caroli VVitaſſe, & Honorat. Tournely, qui lectionem Petri Aurelii, ſecluſa particula negante, præferunt lectioni Sirmondi.

Obj. 3. Ex probationibus noſtris equidem colligitur chriſmationem eſſe neceſſariam Confirmationi, non tamen ut ejus materiam eſſentialem, ſed vel ut partem integrantem, vel ut cæremoniam præceptam: ſic quamvis multi Patres meminerint chriſmationis Baptiſmalis, & quidam, ut Tertull. & Cyrill. aliquem effectum ſpiritualem illi tribuant, non tamen ſequitur, quod ſit pars eſſentialis Baptiſmi. Ergo. R. N. Ant. 1. quia Traditio, quam aſſeruimus, loquitur de chriſmatione tamquam de vero Sacramento. 2. In ipſa chriſmatione ſicut in impoſitione manuum conſtituit ipſum Sacramentum. 3. Conceptis terminis vocat ipſam Sacramentum non ſecus ac Baptiſmum. 4. Vim ipſi tribuit conferendi Spiritum S. & gratiæ plenitudinem. Nihil autem horum de chriſmatione Baptiſmali: quod ſi quidam ei aliquem effectum ſpiritualem tribuunt, non ex opere operato, ſed ex opere operantis.

Inſt. Quamvis ex Traditione habeamus, quod aqua ſit vino permiſcenda in Sacramento Eucbariſtiæ, non tamen ſequitur, quod ſit materia hujus Sacramenti. Ergo ſimiliter. R. N. Conſ. Diſparitas eſt, quod Traditio ſemper apprehenderit & exhibuerit chriſmationem tamquam materiam Confirmationis; vinum autem ſolum ſemper intellexerit eſſe materiam Eucbariſtiæ, & aquam illi permiſcendam requiri neceſſitate præcepti, non Sacramenti.

Obj. 4. Materia eſſentialis Sacramenti debet eſſe eadem apud Græcos & Latinos: atqui chriſma eorum differt a chriſmate Latinorum: nam chriſma Latinorum conficitur ex oleo & balſamo tantum; Græci autem præter oleum & balſamum triginta duas ſpecies aromatum ſeu herbarum fragrantium adhibent. Ergo. R. Solam mixtionem balſami & olei apud Græcos eſſe eſſentialem, alias accidentales; quin imo nec ipſi poſſunt modo omnes illas herbas adhibere: quædam enim, ut obſervavit Berti, ſunt ignotæ, aliæ plures nonniſi ope variorum lexicorum auctorumque de plantis & herbis tractantium collatione, poſſunt dignoſci.

Sol.

Solvuntur Objectiones contra manuum impoſitionem.

CUm eam ſolam requiramus manus impoſitionem, quæ a chriſmatione eſt inſeparabilis, ſolutis argumentis contra chriſmationem, videtur otioſum alia proponere contra impoſitionem manuum. Ut tamen ſcholæ ſerviamus,

Obj. 1. Eug. IV. in Decreto unionis dicit: *loco illius manus impoſitionis* (de qua Act. 8.) *datur in Eccleſia Confirmatio*. Innocent. III. *cap. Cum veniſſet*, ait: *Per frontis chriſmationem manus impoſitio deſignatur, quæ alio modo dicitur Confirmatio*. Conc. Moguntium an. 1549. c. 18. *Hoc Sacramentum*, inquit, *ab initio ſola manuum impoſitione exhibitum, mox ſub ipſis temporibus Apoſtolis ex eorum traditione, adhibita chriſmatis Unctione, cæpit conferri*. Ergo nunc impoſitio manuum nec inadæquate eſt materia Confirmationis. R. N. Conſ. In nullo enim ex his teſtimoniis excluditur impoſitio manuum indiſtincta a chriſmatione; alioquin excluderent chriſmationem, quam adſtruunt. Senſus ergo Decreti Eug. eſt, non quod res rei ſucceſſerit, ſeu quod chriſmatio poſita ſit loco impoſitionis manuum ea excluſa (neque enim dicit *chriſmatio*, ſed *Confirmatio*), ſed quod nomen nomini ſucceſſerit, hoc eſt, quod id, quod dicebatur manuum impoſitio, nunc dicatur Confirmatio: atque hoc confirmant ac aperte ſignificant verba Innocentii III. dum ait *per frontis chriſmationem manus impoſitionem deſignari, quæ alio nomine dicitur Confirmatio*. Audis non aliam rem, ſed aliud nomen dumtaxat. Unde Concilium Senonenſe an. 1528. *Tunc*, inquit, *impoſitionis manuum, nunc Confirmationis appellatum eſt Sacramentum*. Conc. Moguntinum ſupponit cum D. Th. Scoto & pluribus aliis Apoſtolos ex diſpenſatione divina aliquando Confirmationem adminiſtraſſe per ſolam manuum impoſitionem, communiustamen cum manuum impoſitione adhibuiſſe chriſmationem, ex quo nihil contra nos.

Inſt. Multi cum veteres cum recentiores Scriptores, inter quos ipſe S. Thom. pro materia Confirmationis ſolam chriſmationem deſignant. Ergo. R. Multos pariter ſolam manuum impoſitionem deſignare; unde ſicut ex hoc non infertur, quod hi chriſmationem excluſerint, ita nec illi impoſitionem manuum: ſed utrique data occaſione modo impoſitionem manuum, modo chriſmationem, modo utraque nominabant, præſertim cum per chriſmationem ab Epiſcopo factam intelligatur impoſitio manuum ab ipſa chriſmatione indiſtincta. Quantum ad D. Th. diximus ſupra, ipſum in c. 6. Ep. ad Heb. expreſſe nominaſſe impoſitionem manuum.

Obj. 2. Apud Græcos ratum eſſe Confirmationis Sacramentum agnoſcit Eccleſia: atqui Græci tam veteres quam recentiores non adhibent impoſitionem manuum, ut patet tum ex pluribus Scriptoribus, tum ex Euchologiis hujus Eccleſiæ antiquis & recentioribus editis a P. Goar & aliis, in quibus nulla fit mentio impoſitionis manuum, ſed ſolius chriſmationis. Ergo. R. ut ante. 1. Plures etiam ex Græcis nullam mentionem facere chriſmationis, ſed tantum impoſitionis manuum, ex quo tamen male infertur chriſmationem ab ipſis fuiſſe negatam. 2. In Euchologiis & quibuſdam Scriptoribus Græcis non fit mentio impoſitionis manuum, quia alia non adhibetur, nec eſt neceſſaria abſolute, quam quæ includitur in ipſa chriſmatione; unde nominata explicite chriſmatione nominatur implicite manuum impoſitio.

Inſt. cum Sirmondo. Ridiculum prorſus ac abſurdum eſt Unctionem vocare manus impoſitionem, quia fit per manum: pari jure unctio verticalis in Baptiſmate, & extrema infirmorum poterunt dici impoſitiones manum. R. Quod ridiculum & abſurdum videtur Sirmondo, in Scriptura aperte innui: ſcribit enim Marcus c. 7. quod cum adduxiſſent ad Jeſum mutum & ſurdum, *deprecabantur eum, ut imponeret illi manum*: & *Jeſus miſit digitos ſuos in auriculas eius ... & tetigit linguam ejus*. Hoc ergo erat imponere manum. 2. Id neque viſum fuit ridiculum & abſurdum Ruperto & Hugoni Vict. ſeu potius S. Sylveſtro; refert enim Rupertus l. 1. de divinis Officiis c. 16. & Hugo l. 2. de Sacram. p. 7. c. 3. quod *Sylveſter Papa conſtituit, ut baptizatum Presbyter in vertice chriſmate liniat propter occaſionem tranſitus mortis, ne propter abſentiam Epiſcopi & difficultatem eum conſequendi, ſine manus impoſitione baptizati migrent*. Audis unctionem baptiſmalem dici impoſitionem manuum, & gerere ſimilitudinem impoſitionis confirmatoriæ. Fatendum tamen neque unctionem verticalem in Baptiſmate, neque extremam infirmorum communiter vocari impoſitionem manuum; quia nunquam impoſitio manuum habita eſt pro materia iſtorum Sacramentorum, ſicut habita eſt pro materia Confirmationis. Unde Petrus Aurelius in ſuo Orthodoxo contra Sirmondum q. 3. c. 7. *Manus impoſitio*, inquit, *frontis unctioni admixta, in eam quodammodo tranſit: unde minime mirum, ſi nomen ei ſuum conferat, quæ illi ſeipſam contulit: quod cum de verticis unctione dici nequeat, male paria facit* (Sirmondus), *quæ longe diſparia ſunt*.

Adde unctionem frontalem, prout fit a pluribus Epiſcopis, dum nempe pollice tangunt frontem chriſmate, reliqua manu capiti impoſita, eſſe aperte & diſtincte manus impoſitionem.

ARTICULUS III.

Utrum balſamum ſit neceſſario permiſcendum oleo, neceſſitate Sacramenti?

ESse neceſſarium neceſſitate præcepti ſaltem Eccleſiaſtici, nemo negat; id enim & Florentinum & omnia Ritualia præcipiunt. Eſſe autem neceſſarium neceſſitate Sacramenti negant Cajetanus, Soto, Eſtius, Juenin, VVitaſſe, Tournely, &c. Contra quos

Dico. (*Hic art. 2. 2. in 4. d. 7. q. 1. a. 2. op. 5. & 4. c. gent. c. 60.*) Probabilius eſt Balſamum eſſe neceſſario permiſcendum oleo, neceſſitate Sacramenti. Eſt communior cum Auctore. Eſſe D. Th. loco cit. in margine non videtur dubium: nam 1. in 4. dicit, quod *materia Confirmationis eſt oleum balſamatum*. 2. Quando aliis locis cit. dicit Chriſma eſſe materiam hujus Sacramenti, ſemper loquitur de Chriſmate ſecundum uſum Eccleſiæ, quod conficitur ex oleo & balſamo. 3. Cum hic ſibi quarto loco oppoſuiſſet balſamum non inveniri ubique, & ex eo intuliſſet non eſſe materiam Sacramenti, non concedit Conſ. ut debet concedi in Sententia Adverſariorum, negat e contra, & reſpondet ſufficere, quod poſſit facile ad omnia loca deferri, quia Confirmatio non eſt tantæ neceſſitatis ſicut Baptiſmus.

Prob. 1. ex Conc. Flor. in Decreto unionis ſic definiente: *Secundum Sacramentum eſt Confirmatio, cujus materia eſt Chriſma confectum ex oleo, quod nitorem ſignificat conſcientiæ; & balſamo, quod odorem ſignificat bonæ famæ, per Epiſcopum benedicta*. Materia autem Sacramenti eſt ipſi eſſentialis, & ſine ea non ſubſiſtit. Ergo.

Reſpondent 1. quidam ex Adverſariis hoc Decretum datum fuiſſe jam diſſoluto Concilio, ſicque non eſſe Decretum Concilii, ſed ſummi Pontificis; volunt namque diſſolutum fuiſſe Concilium, quando Orientales diſceſſerunt, antequam Armeni, pro quibus editum fuit Decretum, advenirent; hujuſque teſtes proferunt Spondanum ad an. 1439. & Pallavicinum p. 1. l. 6. cap. 2. Sed contra. Imprimis etſi foret Decretum ſolius Pontificis, non ideo eſſe contemnendæ & infirmæ auctoritatis. Verum eſſe totius Concilii nondum diſſoluti certo certius conſtat tum ex initio Decreti, ubi legitur latum *ſacro approbante Florentino Concilio*; cum ex fine, ubi legitur: *Datum Florentiæ in publica Seſſione Synodali ſolemniter in Eccleſia majori celebrata, anno Domini 1439. 10. Kal. Decemb. Pontificatus noſtri anno 9.* Neque id negant Spondanus & Pallavicinus, ſed e contra expreſſe teſtantur. Spondanus ad eundem an. 1439. ubi relatis poſterioribus verbis Decreti mox laudatis, *inde percipies*, inquit, *non uno cum Græcorum diſceſſu diſſolutam eſſe, quod multi crediderant, Synodum Florentinam, ſed porro continuatam cum Patribus Latinis, nec vero hoc ſolum anno, verum etiam tribus ſequentibus*. Pallavicinus eod. lib. 6. n. 12. obſervat Legatos Conc. Trid. contra Clodianſem Epiſcopum dixiſſe *falli eos, qui Florentinæ Synodi exitum anno 1436 tribuebant ... Revera tres inſuper annos perſtitiſſe Synodum illam Florentiæ*. Neque id dicitur tantum, ſed præter textum ipſum Decreti probatur inſuper ex Autographis ſervatis Romæ in arcea S. Angeli, de quibus legendi ſunt Pallavicinus ib. Cardinalis de Monte tom. 13. Conc. & Raynaldus tom. 18. Annal. Eccleſ. ad an. 1442.

Reſpondent 2. Concilium non explicare nec ſtatuere, an balſamum ſit neceſſarium neceſſitate Sacramenti vel præcepti tantum. Item neminem latere quæcumque eo in Decreto præſcribuntur circa materiam & formam Sacramentorum, non eſſe neceſſaria ad eorum ſubſtantiam, v. g. aquam debere calici miſceri; ſimiliter agendo de verbis conſecrationis, refert Eugenius ea omnia, quæ in Eccleſia Latina proferri ſolent, quæ tamen omnia & ſingula non ſunt abſolute neceſſaria ad eſſentiam Conſecrationis. Ita Tournely. Addunt alii Eugenium etiam pro materia Ordinis aſſignaſſe porrectionem inſtrumentorum, cum tamen juxta plures materia hujus Sacramenti ſit manuum Impoſitio. Sed contra. Ad 1. hoc ipſo quo Concilium definit materiam hujus Sacramenti eſſe chriſma confectum ex oleo & balſamo, aperte ſignificat, quod ſine alterutro non erit materia Sacramenti. Ad 2. non dicit Concilium mixtum ex aqua & vino eſſe materiam Euchariſtiæ, ſicut dicit confectum ex oleo & balſamo eſſe materiam Confirmationis, ſed dicit materiam Conſecrationis eſſe, *vinum de vite, cui ante Conſecrationem aqua modiciſſima adhiberi debet*. Quæ duo ſunt valde diverſa. Ad 3. Falſum eſt Decretum de verbis Conſecrationis referre omnia verba,

quæ

quæ in Eccleſia Latina proferri ſolent; id enim ſolum (ubi agitur de forma Euchariſtiæ) legitur: *Forma hujus Sacramenti: Sacerdos enim*, &c. Ad 4. Sunt innumeri Theologi, qui ſuſtinent ex ipſo Decreto porrectionem inſtrumentorum eſſe materiam Ordinis in Eccleſia Romana, quidam totalem, quidam partialem; quamvis apud Græcos manuum impoſitio ſit materia. Ratio autem hujus diverſitatis eſt, quia Chriſtus hujus Sacramenti materiam non determinavit in ſpecie, ſed in genere; de quo dum de Ordine: ſed interim nihil inde contra nos.

Prob. 2. Concluſio. S. Dionyſius c. 4. Hierar. Eccl. *Dicimus*, inquit, *quod unguenti compoſitio eſt collectio quædam bene ſpirantium materiarum*: Balſamum veroſimilius intelligens. Idem Clemens Rom. l. 7. Conſtit. c. 44. S. Irenæus l. 1. contra Hæreſ. c. 18. de Gnoſticis ritus Catholicorum æmulantibus ſcribit baptizatos ab illis inungi *Balſamo*. S. Greg. ſæculo 6. in ſuo Sacramentario, & Gregor. Turon. eod. ſæc. l. 4. de gloria Martyrum, fatentibus ipſis Adverſariis, hanc olei & balſami mixtionem commendant. Ordo Rom. ante ſæculum 9. editus, Pontificalia & Ritualia omnia tam vetera quam nova, omnes ferme Scholaſtici & eorum Duces mentionem faciunt balſami non ſecus ac olei tanquam materiæ partialis Confirmationis & dum aliquando oleum tantum nominant, non intelligunt oleum ſimplex, ſed oleum mixtum, ſumpta denominatione a majori quantitate, quæ eſt olei.

Prob. 3. Secundum conſtantem & perpetuam in Eccleſia traditionem materia eſſentialis Confirmationis eſt chriſma, ut ex dictis conſtat. Atqui chriſma non eſt oleum ſimplex, ſed, ex uſu Eccleſiæ, eſt mixtum ex oleo & balſamo; & ſecundum nominis ſignificationem eſt compoſitum ex oleo & fragrante aliqua materia. Chriſma enim latine redditur *unguentum*; *Unguentum* autem, inquit Ambroſ. Calepinus, *non eſt illa compoſitio tenax, qua Chirurgi utuntur ad curanda vulnera, ſed commiſtio diverſarum odorum; addita oleo aut balſamo, aut aliquo pingui ad ungenda corpora*: gallice, *Parfum*. Jam quæro, ex qua alia fragrante materia fieret hæc mixtio quam ex balſamo, quod, fatentibus Adverſariis, a ſæculo 6. univerſa adhibet Eccleſia: quo enim fine ſæculo 6. fuiſſet immutata? a quo fuit immutata? quis reclamavit contra innovationem in re tanti momenti, contradicente priore traditione? Ergo.

Solvuntur Objectiones.

OBJ. 1. Sex primis ſæculis nullus ſive Græcorum ſive Latinorum meminit balſami pro materia Confirmationis. Ergo non eſt veriſimile illud eſſe ejus materiam. R. 1. poſſe negari Ant. Nam S. Dionyſius implicite, & S. Irenæus explicite illius meminerunt. 2. D. Ant. Nullus meminit explicite, Tranſeat: Implicite, N. Meminerunt enim chriſmatis, quod ex uſu Eccleſiæ & ſecundum nominis ſignificationem importat compoſitum ex oleo & balſamo, ut dictum eſt. 3. N. Conſ. S. enim Gregorius & alii, qui 6. ſæculo balſami meminerunt, illud non ut rem novam & a ſe inventam, ſed ut a majoribus per traditionem acceptam protulerunt: non aſſignari poteſt primus ejus auctor, nec quiſquam habet poteſtatem in Eccleſia ſtatuendi id, quod ſecundum Concilia, Pontifices, inſigniores ex Scholaſticis, habetur pro materia Sacramenti.

Obj. 2. Innoc. III. c. *Paſtoralis* Extra l. 1. tit. de Sacramentis non iterandis 16. dicit: *Nos conſulere voluiſti, an permitti debeat miniſtrare, qui ſine impoſitione manuum fuerit ad Ordinem Subdiaconatus aſſumptus; & ſi Confirmationis Sacramentum in eo debeat iterari, qui per errorem fuit non chriſmate, ſed oleo delinitus. Ad quod breviter duximus reſpondendum, quod in talibus non eſt aliquid iterandum, ſed caute ſupplendum, quod incaute fuerat prætermiſſum.* Ubi ſupponit id, quod fuit prætermiſſum, non eſſe eſſentiale, alioquin fuiſſet nullum Sacramentum & iterandum. R. 1. hoc argumentum, quod eſt præcipuum adverſæ ſententiæ fundamentum, militare contra plures ex objicientibus, qui tenent impoſitionem manuum eſſe materiam ſaltem partialem Ordinis, quem tamen Pontifex dicit pariter non eſſe iterandum, ſi defuerit impoſitio manuum. Itaque R. 2. quod ſenſus hujus Decretalis ſit non eſſe iterandum ſolemniter & cum cæremoniis Sacramentum, ſed ſupplendum caute & ſecreto, quod fuerat omiſſum. In Confirmatione autem omiſſum fuerat chriſma; quod non eſt ſine balſamo, neque vera fuerat forma prolata. Ergo id totum ſupplendum erat, ſicque denuo conferendum erat. Similiter in Ordine impoſitio manuum omiſſa erat ſupplenda non ut materia, ſed ut cæremonia accidentalis, ſaltem juxta plurimos. Reſponſio enim Pontificis, cum ſit una generalis ad duas Quæſtiones, debet ſingulis applicari proportionaliter & ſecundum exigentiam cujuſque. In Confirmatione omiſſum fuerat quid ſubſtantiale, & id erat ſupplendum: in Ordine aliquid accidentale, & id erat etiam ſupplendum. Et hæc eſt communis interpretatio Canoniſtarum Innoc. Panorm. Oſtienſis, &c. Paulo aliter, nec male, interpretatur eximius Sylvius. Pontifex, inquit, reſpondet generaliter, quod in ejuſmodi Sacramentis, cum characterem imprimant, nihil eſſe iterandum; non ſubſtantiam, quia ſunt initerabilia; non cæremonias, quia ſufficit illas ſemel adhibuiſſe; ſed caute ſuppleodum eſſe, quod incaute omiſſum fuerat. Atqui in eo, de cujus Confirmatione quærebatur, omiſſa fuerat unctio chriſmatis ex oleo & balſamo confecti. Ergo illa ſupplenda erat. In eo autem, de cujus ordinatione quærebatur, omiſſa erat impoſitio manuum. Ergo & hæc ſupplenda erat, ſive ſit eſſentialis, ſive non. Ferme in idem redit.

Obj. 3. Materia Sacramenti debet eſſe communis & obvia. Atqui balſamum verum vel non amplius reperitur, vel ſaltem eſt rariſſimum; ſcribit enim Plinius l. 12. c. 25. *Balſamum uni Terrarum Judææ conceſſum, quondam in duobus tantum hortis, utroque Regio*. Et l. 26. c. 32. *Faſtidit balſamum alibi naſci*. Atqui vaſtati ſunt illi duo horti. Ergo periit naturale balſamum. Ita Kemnitius. R. 1. (*Hic n. 4. ad 2.*) Majorem eſſe veram de Sacramentis abſolutæ neceſſitatis, ut eſt Baptiſmus: ad Confirmationem autem, quæ non eſt tantæ neceſſitatis, ſufficit, quod ejus materia facile poſſit ad omnia loca transferri. 2. N. Min. quod enim dicit Plinius, non ad ſua, ſed ad anteriora tempora eſt referendum; ſiquidem ipſe ibid. dicat: *Serit nunc eam Fiſcus, nec unquam fuit numeroſior aut procerior*. Et teſte Joſeph. l. 4. Antiquit. c. 1. & l. 1. de Bello Judaico c. 7. Hieron. in c. 27. Ezech. Strabone l. 16. frequentiſſimum eſt balſamum in Palæſtina & Arabia; & nunc ex Indiis magna copia ad nos defertur.

Si dicas balſamum Indicum eſſe adulterinum & a Palæſtino diverſum: ideoque neceſſe fuit, quod Pontifices diſpenſarent, ut loco veri balſami ſubſtitueretur, quod aperte indicat non eſſe materiam neceſſariam Sacramenti. R. N. Aſſumptum. Licet enim balſamum Indicum in colore differat a Palæſtino, non tamen in ſubſtantia & virtute, teſtimonia peritiſſimorum Medicorum, vel dic differre ſicut vina diverſarum Regionum, quæ ſemper ſunt vina. Ideoque Pontifices non diſpenſaverunt in ejus uſu, ſed permiſerunt illud adhiberi, quia erat verum.

Inſt. Saltem naſcente Eccleſia, Apoſtoli, qui erant pauperes, non habebant, unde emerent balſamum, quod magni æſtimatur. Ergo. R. Apoſtolos fuiſſe pauperes in particulari, in communi autem ſufficienter divites, ut emerent balſamum, cujus Palæſtina erat ferax tunc temporis, ut dictum eſt.

Urgebis. Cum magnæ olei quantitati parum balſami admiſceatur, poteſt contingere, quod ſolo oleo fiat unctio, ſicque nullum ſit Sacramentum, ſi balſamum ſit de neceſſitate Sacramenti. Hoc autem eſt inconveniens. Ergo. R. Tantam eſſe activitatem & effluentiam balſami, ut parva quantitas brevi & facile pervadat omnes partes olei.

ARTICULUS IV.

Utrum ſit de neceſſitate Sacramenti, quod Chriſma ſit ab Epiſcopo benedictum?

SUPPONO eſſe neceſſarium ſaltem neceſſitate præcepti Eccleſiaſtici, quod chriſma ſit benedictum, idque ab Epiſcopo; ita enim docent & præſcribunt Patres, Sacramentarium S. Greg. Pontificale & Ritualia tam Græcorum quam Latinorum, & maxime Florent. jam laudatum. At quæſtio eſt 1. Utrum benedictio ſeu conſecratio ſit de neceſſitate Sacramenti, ita ut collatum ſine chriſmate benedicto ſit nullum. 2. Utrum pariter ſit de neceſſitate Sacramenti, quod hæc conſecratio fiat ab Epiſcopo, ſic ut non poſſit ſimplex Sacerdos ex diſpenſatione Papæ illam perficere. Secunda quæſtio involvit primam; ſtat enim chriſma debere benedici, ſi probetur eſſe neceſſario ab Epiſcopo benedicendum ſeu conſecrandum. Unde

Dico. Probabile eſt eſſe de neceſſitate Sacramenti, quod chriſma ſit ab Epiſcopo conſecratum, ita ut ſimplex Sacerdos non poſſit etiam ex diſpenſatione Pontificis illud valide conſecrare. Eſt communior antiquorum Scholaſticorum, cui contradicunt Scotiſtæ cum ſuo Duce & plures recentiores, etiam quidem Thomiſtæ. Videtur tamen eſſe D. Th. nam poſtquam hic Art. 3. in arg. ſ. c. & ad 3. formaliter dixit requiri ad Sacramentum, quod chriſma ſit benedictum ab Epiſcopo, ſibi 1. loco objicit hoc argumentum: non eſt *de neceſſitate Baptiſmi*, quod aqua ſit conſecrata; ergo nec eſt *de neceſſitate Confirmationis*, quod chriſma ſit *per Epiſcopum conſecratum*. Non reſpondet concedendo totum, ſicut debuiſſet concedere, ſi cenſuiſſet cum Adverſariis; hoc enim ipſi argumento utuntur pro ſua ſententia; ſed concedit Antecedens, & negat Conſeq. diſparitatemque exhibet in corpore articuli, quod aqua prius fuerit conſecrata a Chriſto vel tactu ſuæ carnis, vel Baptiſmum miniſtrando, non vero chriſma, ut mox amplius dicam in argumento a ratione, quod eſt S. Doctoris.

Prob.

Prob. 1. Ex laudato Decreto Conc. Flor. pro Armenis, ubi definitur eodem tenore materiam Sacramenti Confirmationis eſſe chriſma benedictum ab Epiſcopo, quo definitur eſſe chriſma confectum ex oleo & balſamo. Et infra dicit, quod licet legatur aliquando per Apoſtolicæ Sedis diſpenſationem ſimplicem Sacerdotem Confirmationem adminiſtraſſe, hoc tamen debuerit fieri *in chriſmate per Epiſcopum confecto*, aperte innuens, quod licet Pontifex poſſit diſpenſare quoad miniſtrum hujus Sacramnti, non tamen quoad miniſtrum conſecrationis chriſmatis. Conc. Carthag. 3. can. 36. *Presbyter inconſulto Epiſcopo virgines non conſecret: chriſma vero nunquam conficiat*. Ergo nec conſulto Epiſcopo. Idem Conc. VVormatienſe can. 2. *Soli Epiſcopo hæc dignitas conceſſa eſt*.

Prob. 2. Ex conſtanti & perpetua praxi Eccleſiæ, quæ conſtat. ex S. Dionyſio de Eccl. Hierarch. ex Innoc. I ad Decentium, Conc. Carthag. 2. can. 3. Hiſpal. 2 can. 7. Tolet. can. 20. Braccarenſi 1. can. 37. Tertull. de Bapt. Cypr. Ep. 70. Optato l. 7. Cyrillo Catecheſi 3. S. Leon. Ep. ad Epiſcopos Germ. & Galliæ, ex Sacramentario S. Greg. Ordine Rom. Pontificali & omnibus Ritualibus: qui omnes tradunt benedictionem chriſmatis ſolis Epiſcopis licere; quod cum aliter factum nuſquam certo legatur, probabile eſt id eſſe de neceſſitate Sacramenti. Adde Clementem VI. in Litteris ad Patriarcham Armenorum apud Raynaldum ad an. 1351. in quibus inter plura ſic interrogat: *Primo de conſecratione chriſmatis, ſi credis, quod per nullum Sacerdotem, qui non eſt Epiſcopus, poteſt chriſma rite & debite conſecrari*.

Accedit ratio congrua. (*Ib. a. 3. o.*) Priuſquam res aliqua permanens & corporea, de ſe indifferens, applicetur ad cauſandam inſtrumentaliter gratiam, convenit, ut fiat aliquo modo ſacra, eleveturque ritu religioſo ad rationem inſtrumenti gratiæ. Ergo materia Sacramenti, quæ non fuit a Chriſto ipſo uſu aut ejus tactu conſecrata, congruenter debet conſecrari, idque per Epiſcopum, qui gerit in Eccleſia perſonam Chriſti: atqui licet Chriſtus conſecraverit materiam Baptiſmi vel illius uſu, vel tactu carnis ſuæ in Jordane, & materiam Euchariſtiæ illam conficiendo, non tamen materiam Confirmationis, quam nunquam adminiſtravit. Ergo.

Solvuntur Objectiones.

OBJ. 1. Conc. Tolet. 1. can. 20. ſic ſtatuit: *Quamvis pene ubique cuſtodiatur, ut abſque Epiſcopo chriſma nemo conficiat, tamen quia in aliquibus locis vel provinciis Presbyteri dicantur chriſma conficere, placuit ex hoc die nullum alium niſi Epiſcopum chriſma conficere*. Concilium non declarat irritam conſecrationem chriſmatis factam a Presbytero, neque ad jus divinum recurrit, ſed ad uſum & legem. Ergo. R. N. Conſ. hoc enim Canone tantum ſignificatur ex ignorantia vel negligentia Presbyteros in quibuſdam locis conſecrare chriſma, quod factum etſi non irritum declaret Synodus, neque tamen ut legitimum approbat; ſed e contra videtur improbare, legem antiquam id prohibentem innovando. Hunc autem eſſe ſenſum Concilii eo probabilius arbitror, 1. Quod Montanus, qui an. 531. 2. Concilio Tolet. præfuit, in Ep. ad Theoribium, Presbyteros, qui conſecrabant chriſma, damnet præſumptionis & dementiæ, aſſeratque *jus conſecrationis chriſmæ ab initio Fidei Catholicæ tantum Pontificibus debitum*. 2. Quia in hoc Canone non agitur de Confirmatione nec de Confirmationis materia, ſed de chriſmate Baptiſmali, ſeu quo unguntur baptizati in vertice; proſequitur enim Canon: *Et per Diœceſim deſtinare; ita ut ſingulis Eccleſiis ab Epiſcopo ante diem Paſchæ Diaconi deſtinentur aut Subdiaconi, ut confectum chriſma ab Epiſcopo deſtinatum ad diem Paſchæ poſſit occurrere*. Quod aperte intelligitur de chriſmate, quo fit unctio in Baptiſmo. Equidem ſcio idem utriuſque unctionis eſſe chriſma; ſed veriſimile eſt, quod ſive ex ignorantia, ſive ex negligentia, permiſſum aut introductum fuerit, quod Presbyteri, qui unctionem baptiſmalem faciebant, etiam hujus unctionis chriſma aboſive conficerent: quem abuſum tollens Synodus, ſtatuit, ut chriſma a ſolis Epiſcopis conſecretur, & ad ſingulas Eccleſias ſuæ Provinciæ deſtinetur. Neque obſtat, quod in eodem Canone ſubdatur: *Epiſcopo ſane certum eſt omni tempore licere chriſma facere: ſine autem conſcientia Epiſcopi nihil penitus faciendum*. Non enim ſignificatur iis verbis, quod conſentiente Epiſcopo Presbyteri poſſint chriſma conficere, ſed etiam in his, quæ ipſis conceſſa ſunt, pendeant ab Epiſcopis.

Obj. 2. Qui poteſt majus, poteſt & minus: atqui ſimplex Sacerdos poteſt conſecrare Euchariſtiam, quod eſt quid maximum: ergo a fortiori chriſma, quod eſt quid minus. Item Pontifex poteſt concedere ſimplici Sacerdoti facultatem confirmandi: ergo a fortiori conſecrandi materiam Confirmationis; majus eſt enim Sacramentum conficere, quam ejus materiam præparare. R. laudatum adagium non currere in iis, quæ pendent ex inſtitutione divina: alioquin ſequeretur, quod ſimplex Sacerdos poſſet ex diſpenſatione Pontificia conferre Sacros Ordines; eſt enim quid minus quam conficere Euchariſtiam. Imo ſequeretur, quod poſſet & Ordines & etiam Confirmationem atque conſecrationem chriſmatis ſine diſpenſatione perficere, quia poteſt ſine diſpenſatione Euchariſtiam conficere. Aliunde diſparitas eſt inter collationem Sacramenti Confirmationis & conſecrationis chriſmatis, quod aliquando poſſit deferri chriſma, quo non poſſet Epiſcopus perſonaliter proficiſci, ſicque eſt ratio concedendi unum, & non alterum. Adde, quod ſit majus concedere utrumque, quam unum tantum.

Obj. 3. Summi Pontifices aliquando diſpenſarunt, ut ſimplex Sacerdos chriſma conficeret: ita conceſſit Eugenius IV. Fratribus Minoribus in Scythia & Moldavia, bulla *Sacræ Religionis* relata a VVadingo juxta autographum Vaticanum, ut ipſe teſtatur Tom. 5. Annal. Minorum Ita refert P. Franciſcus Hanno. R. 1. Plures huic Bullæ fidem detrectare, tum quia non reperitur in Bullario ordinario, tum quia aperte contradicit menti Eugenii IV. in Conc. Florent. Unde putant ſiſtendum concluſioni, donec factum aut Bulla probetur. 2. Suppoſito facto ſeu Bulla, Pontificem ſequutum fuiſſe ſententiam ſibi probabilem: quod non obſtat concluſioni noſtræ, quam poſuimus ut probabilem tantum.

A R T I C U L U S   V.

Quædam leviores quæſtiones circa materiam Confirmationis compendioſe reſolvuntur.

PETES 1. Utrum ſit de fide chriſmationem eſſe de neceſſitate Sacramenti? R. Ita ſentire Suarem, Valentiam, Sylvium & plures alios, præſertim propter Decretum Concilii Florent. & Canonem 2. Seſſ. 7. Concilii Trid. Alii vero viros meritiſſimos opinionem contrariam defendentes aliqua cenſura notare non audent, ſed temeritatis tantum arguunt. Quantum ad mixtionem balſami & benedictionem Epiſcopi, cum hæc propoſuerimus, ut probabilius & probabile, neutrum æſtimamus eſſe de fide.

Petes 2. Ex quo oleo debeat confici chriſma? R. (*Ibid. a. 9. o.*) ex ſolo oleo olivarum, non oleo vel nucum vel amygdalarum, &c. idque de neceſſitate Sacramenti. 1. Quia ſolum oleum olivarum dicitur proprie & ſimpliciter oleum, ac maxime habetur in uſu hominum, ubi haberi poteſt: quilibet autem alius liquor nominatur oleum ex ejus ſimilitudine, ſecundum quid & cum addito, nempe oleum nucum, oleum amygdalarum &c., nec eſt in uſu communi niſi in ſupplementum apud eos, quibus deeſt oleum olivarum. 2. Quia proprietates olei, quibus ſignificatur Spiritus S. magis inveniuntur in oleo olivarum, quam in quolibet alio oleo: oliva enim ſemper frondibus virens virorem & miſericordiam Spiritus S. ſignificat; & ideo Eccleſia in confectionem chriſmatis nunquam aliud oleum niſi olivarum adhibuit.

Petes 3. In qua parte corporis debeat fieri chriſmatio? R. debere fieri neceſſario neceſſitate Sacramenti in fronte. Conſtat ex perpetua Eccleſiæ praxi, quam teſtantur Tertull. l. de Præſcript. c. 40. Conc. 2. Oecumen. can. 7. S. Cyrillus Jeroſolim. Catecheſi 3. Innoc. I. ad Decentium c. 3. S. Greg. in Sacramentario, & omnia Ritualia; tandem Conc. Florent. in Decreto unionis. Græci vero non ſolum frontem, ſed & oculos, aures, os, pectus ungunt, ſed ſola unctio frontis eſt eſſentialis.

Ratio eſt. (*Hic a. 2. ad 3.*) Quia homo in hoc Sacramento accipit Spiritum S. ad robur, ut inter adverſarios fidei fortiter Chriſti fidem confiteatur: unde convenienter ſignatur in fronte ſigno crucis propter duo. 1. Quia inſignitur ſigno crucis, quaſi miles ſigno ducis, quod debet eſſe evidens & manifeſtum: inter autem omnia corporis humani membra maxime frons manifeſta eſt, quæ fere nunquam obtegitur, & ideo confirmatus ſignatur in fronte, ut in manifeſto demonſtret ſe eſſe Chriſtianum. 2. Quia aliquis impeditur a libera confeſſione nominis Chriſti propter duo, ſcilicet propter timorem, & propter verecundiam. Utriuſque autem horum ſignum maxime manifeſtatur in fronte propter propinquitatem immaginationis, & quia ſpiritus a corde directe ad frontem aſcendunt; unde verecundati erubeſcunt, timentes autem palleſcunt. Et ideo in fronte ſignatur chriſmate, ut neque propter timorem, neque propter erubeſcentiam nomen Chriſti confiteri prætermittat.

Petes 4. Utrum chriſmatio debeat fieri in modum crucis? R. affirmative, (*Ibid. & a. 4. o.*) idque probabilius neceſſitate Sacramenti: quia præter Patres & Ritualia, quę requirunt ſignum crucis, ſi abeſſet, non verificaretur forma, *ſigno te ſigno crucis*, &c.

Petes 5. Quo tempore liceat conſecrare chriſma? R. Videtur ex Conc. Tolet. 1. Can. 20. licitum fuiſſe olim omni

tem-

tempore conſecrare. Nunc autem non conſecratur niſi ſemel in anno feria 5. Hebdomadæ majoris.

Petes 6. Qui ſint ritus Conſecrationis chriſmatis? R. præcipuos eſſe ſequentes. 1. Præmiſſis precibus, fit ſignum crucis ſuper oleum & balſamum. 2. Epiſcopus aliquoties inhalat ſuper chriſma, ut præſcribitur in Sacramentario S. Greg. & in Ordin. Rom. idque ſignificat Spiritum S. qui datur in Confirmatione. 3. Epiſcopus & Presbyteri comites ſalutant chriſma his verbis: *Ave ſanctum Chriſma*. Hæc autem ſalutio non eſt abſoluta ad ipſum chriſma phyſice & in ſe conſideratum, ſed eſt relativa ad Chriſtum, cujus chriſma eſt Symbolum. Quamvis aliunde non ſit inſolitum ſalutare res inanimatas in ſignum lætitiæ, ſicut S. Andreas ſalutavit crucem, dicens: *Salve Crux*. Immerito igitur Hæretici hunc duplicem ritum ſugillant tamquam ſuperſtitioſum. 4. Quotannis Presbyteri tenentur petere a ſuo Epiſcopo novum chriſma, veteri combuſto. Nec poteſt Epiſcopus ſecundum Canones quidquam ab illis petere pro emptione balſami.

ARTICULUS VI.

Quæ ſit forma Confirmationis?

DIVERSITAS opinionum circa formam Confirmationis ſequitur ex diverſitate opinionum circa ejus materiam. Qui reponunt materiam adæquatam Confirmationis in impoſitione manuum, quæ ſita eſt in extenſione manuum verſus confirmandos, orando ut in eos deſcendat Spiritus S. non aliam formam agnoſcunt, quam orationem *Omnipotens ſempiterne Deus*, &c. quæ hanc manuum extenſionem comitatur. Verba autem, quæ profert confirmans ungendo, dicunt eſſe tantum formam accidentalem: ita Sirmundus, Sambovius, Juenin, &c. Qui hanc præviam manuum impoſitionem exiſtimant eſſe tantum materiam inadæquatam, & ſimul cum unctione conſtituere totalem materiam Confirmationis, etiam dicunt orationem, quæ comitatur iſtam manuum impoſitionem, eſſe formam partialem, & conſtituere totalem ſimul cum verbis, quæ proferuntur in unctione, ſcilicet *ſigno te ſigno crucis*, &c. Ita Natal. Alex. Card. Gotti, Tournely, &c. Qui tandem materiam totalem Confirmationis reponunt in unctione & manuum impoſitione ab unctione indiſtincta, hi formam adæquatam conſtituunt in verbis prolatis ungendo, ſcilicet ſecundum Latinos, *ſigno te ſigno crucis*, &c. Secundum Græcos *ſignaculum doni Spiritus S.* Ita cum Auctore communius tam veteres quam recentiores. Cum quibus

Dico 1. Oratio prævia ad unctionem non eſt forma ſive totalis ſive partialis Sacramenti Confirmationis. Prob. 1. Ideo laudati prius Theologi aſſignant hanc orationem pro forma totali vel partiali Confirmationis, quia materiam hujus Sacramenti reponunt totaliter vel partialiter in impoſitione manuum prævia ad unctionem. Atqui in hoc errant, ut probavimus a. 2. hujus Diſſ. Ergo.

2. Iſta oratio aliquando prætermiſſa eſt in Confirmatione. Ergo non poteſt dici forma eſſentialis. Prob. Ant. Ex Sacramentario Monaſterii Moyſacenſis annorum 800., edito cum pluribus aliis a D. Martene c. 2. a. 2. in quo nulla alia oratio legitur, quam quæ recitatur poſt Confirmationem peractam: *Deus qui Apoſtolis tuis*, &c. Ergo.

3. Iſta oratio prævia aliquando recitabatur immediate poſt Baptiſmum a Presbytero baptizante, antequam Epiſcopus accederet ad confirmandum, ut conſtat ex Codicibus probatis apud eundem Marten. a. 3. in quibus hæc oratio reperitur cum ordine Baptiſmi, & poſt aliquot folia legitur ordo Confirmationis, & ideo omiſſa eſt in Sacramentario Moyſacenſi: Forma autem ab alio, quam a confirmante prolata, non poteſt dici eſſentialis forma Confirmationis. Ergo. 4. In Euchologio, quod refert D. Martene tom. 1. lib. de Ritibus, hæc oratio recitatur in una Eccleſia, ubi perfectus eſt Baptiſmus, & Confirmatio confertur in altera: difficile eſt autem ex hac duplici actione in diverſis locis unam moralem intelligere. 5. Tandem, ut diximus, admittuntur ad Confirmationem, qui abſentes erant, dum pronunciaretur hæc oratio cum manuum impoſitione.

Dico 2. (*Hic art. 4. o.*) Forma legitima Sacramenti Confirmationis apud Latinos eſt hæc: *Signo ſeu conſigno te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis, in nomine Patris & Filii, & Spiritus S.* Prob. 1. ex jam ſæpe laudato Decreto Flor. in quo forma hujus Sacramenti iiſdem omnino verbis exprimitur. Quoad id, quod ponunt Decretum illud non habere vim definitionis Concilii, quia fuit latum jam diſſoluto Concilio impugnatum eſt ſupra a. 3. Addit ulterius Tournely Decretum non definire, an ſit forma eſſentialis, an tantum integrans aut cæremonialis ex præcepto. At mirum foret Concilium definiviſſe formam accidentalem & cæremonialem, & ſiluiſſe de eſſentiale; nullam enim aliam profert. Idne fuiſſet Armenos inſtruere, an potius decipere? Item aliorum Sacramentorum aſſignare formas eſſentiales, quidni Confirmationis?

Prob. 2. (*Ib.*) & magis impugnatur reſponſio Tournely. Illa forma debet cenſeri eſſentialis, quæ determinat materiam ad ſignificandum & producendum effectum Sacramenti, ejuſque cauſam principalem exprimit. Atqui talis eſt forma aſſignata. Ergo. Prob. Minor: Effectus Confirmationis eſt, ut homo inſignatur ſigno militiæ Chriſti ſicut milites inſigniuntur inſigniis Ducis; & hoc ſignificatur, cum dicitur, *ſigno te ſigno Crucis*, in qua Chriſtus Rex noſter triumphavit. Alter effectus Confirmationis eſt robur ſpirituale ad fortiter pugnandum contra hoſtes fidei, eamque ſine timore & rubore confitendam, & hoc ſignificatur, cum dicitur, *confirmo te Chriſmate ſalutis*. Cauſa principalis horum effectuum eſt ſanctiſſima Trinitas, quæ exprimitur cum dicitur: *In nomine Patris*, &c. Prob. 3. Quamvis hæc forma non reperiatur integra in Scripturis & antiquioribus Patribus, quia ut jam dixi, & dicam ſacratiora myſteria occultabant Infidelibus; ne illa irriderent aut profanarent, colligitur tamen ex variis locis. Confirmandi & ſignandi meminit Apoſtolus 2. Cor. 1. cujus verba retulimus a. 2. in ſol. primæ Obj. ex quo loco Ambroſ. l. de iis, qui initiantur c. 7. confirmatum ſic alloquitur: *Repete, quia accepiſti ſignaculum ſpirituale . . . . ſignavit te Deus Pater, confirmavit te Chriſtus Dominus & dedit pignus Spiritus in cordibus tuis*. Chriſmatis plures antiquos meminiſſe liquet ex Art. 1. Signi crucis autem meminerunt Tert. l. de Præſcript. c. 40. Aug. in Pſ. 141. Expreſſionis trium Perſonarum SS. Trinitatis idem Aug. Serm. 99. de diverſis c. 2. Ordo Rom. Alcuinus in Officio Sabbathi S. Adde uſum Eccleſiæ, cujus non poteſt aſſignari initium vel primus Auctor.

Dico 3. Forma legitima Confirmationis apud Græcos eſt hæc: *Signaculum doni* ſeu donationis *Spiritus S.* Prob. 1. Euchologium Græcorum editum a P. Goar, aliud Manuſcriptum Criptoferratæ, quod tribuitur Beſſarioni, & aliud Barberinum non aliam formam exhibent. Et Græci etiam Orthodoxi nunc non ſolum in Oriente, ſed etiam Romæ ſub oculis Papæ aliam formam non adhibent. Ergo vel eſt legitima, vel non eſt Sacramentum Confirmationis apud ipſos, quod dici non poteſt. Conf. Quoties actum eſt de unione Græcorum cum Latinis, & de materiis inter ipſos controverſis, nunquam Latini objecerunt Græcis nullitatem ſuæ formæ, quamvis Marcus Epheſinus in Conc. Flor. expoſuiſſet Græcos confirmare ſub hac formam. Imo congregatio Cardinalium ab Urbano VIII. ad examen Ritualis Græcorum deputata circa materiam & formæ Confirmationis, nihil innovandum cenſuit, ideoque recuſum ex hoc capite integrum.

Prob. 2. Hæc forma, non ſecus ac forma Latinorum, ſignificat effectum Sacramenti: per *ſignaculum* enim ſignificatur character, per To *doni Spiritus S.* ſignificatur gratia roborans ad fidem confitendam. Item importatur tacite ſeu practice actio confirmandi, perſona confirmans & confirmata: quia cum dicitur, *ſignaculum doni*, &c. ſecundum proprietatem linguæ græcæ, idem eſt ac *ecce donum*, quod implicite & practice ſignificat, *do tibi*, vel datur tibi per meum miniſterium donum: ſicut ſi quis manu porrigens nummum pauperi, dicat, *Ecce nummum*, ſenſus eſt, do tibi nummum.

Solvuntur Objectiones.

OBJ. 1. Forma Confirmationis eſt deprecatoria, Act. 8. *Orabant pro eis, ut acciperent Spiritum ſanctum*. Atqui hæc forma *ſigno te*, &c. non eſt deprecatoria. Ergo. R. 1. N. Anteced. Legitur quidem Act. 8. Apoſtolos oraſſe pro Samaritanis, ut acciperent Spiritum ſanctum, ſed non legitur hanc orationem fuiſſe formam Sacramenti; quin potius contrarium innuitur, cum non orationi, ſed impoſitioni manuum tribuatur Spiritus ſanctus, ibid. *Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum S.*. Et cap. 19. nulla orationis mentione facta, *Cum impoſuiſſet illis manus Paulus, venit Spiritus ſanctus ſuper eos*. R. 2. N. Min. De qua in Reſp. ſecunda ad ſequentem inſtant.

Inſt. SS. Patres, Cyp. ad Jubaian. Ambroſ. l. 3. de Sacram. cap. 2. Aug. l. 6. de Trinit. cap. 26. a nobis ſuperius laudati, ſcribunt Spiritum ſanctum conferri per orationem & manuum impoſitionem. Ergo. R. 1. Quando Patres tribuunt Spiritum ſanctum orationi in Confirmatione, exprimunt illius ritum, non formam, ſeu tribuunt Spiritum ſanctum orationi ut præparationi, non ut formæ: ſicut cum dicunt Euchariſtiam orationi conſecrari, ſeu corpus Chriſti confici per orationem & ſignum crucis (ſic enim loquuntur Juſtin. Apol. 2. Cyrillus Jeroſ. Catecheſi myſtag. 1. & 5.) nihil aliud intendunt, quam exprimere ritum Conſecrationis, vel ſignificare, quod oratione & ſigno crucis conficiatur corpus Chriſti præparatorie, non formaliter. Sic ipſimet Objicientes ſolvunt

has poſteriores auctoritates. R. 2. Formas Sacramentorum, licet indicativas, poſſe dici & eſſe revera deprecatorias: quia homo in collatione Sacramentorum eſt miniſter tantum os & manus præbens; Deus autem eſt cauſa principalis virtutem tribuens. Unde in omni forma etiam indicativa involvitur tacita oratio, qua Miniſter opem divinam invocat.

Obj. 2. Neque id Scriptura, neque in tota retro antiquitate ante ſæculum 8. fit mentio iſtius formæ, *ſigno te*, &c. neque in Sacramentario S. Greg. ſæc. 6. neque in veteribus Ritualibus ante iſtud tempus. Ergo. R. quoad Scripturam 1. poſſe negari Antecedens, ut patet ex 3. prob. ſecundæ Concl. 2. N. Conſ. Quia, ut jam dictum eſt, Scriptura non omnia refert, ſive brevitatis ſive arcani ſervandi cauſa, ut jam dixi Art. 2. Obj. 1. & modo dicam. Unde quæ omittit, non ideo excludit. Quantum ad SS. Patres antiquos: 1. Licet forma hæc integra apud ipſos non reperiatur, colligitur tamen ex variis locis, ut dictum eſt. 2. Ex eorum ſilentio nihil poteſt inferri: nam teſte D. Mabillon & D. Martene in pluribus Liturgiis & Ritualibus Manuſcriptis antiquiſſimis omittitur modo forma Baptiſmi, modo forma Conſecrationis; ex quo tamen inferri non poteſt, nec formam Conſecrationis, nec formam Baptiſmi fuiſſe tunc in uſu. Hujus ſilentii ſeu omiſſionis varii varias referunt rationes. Duplicem propono. Prima: tam tempore Apoſtolorum quam prioribus Eccleſiæ ſæculis erat lex non evulgandi arcana Fidei noſtræ Myſteria, ne Gentilium ac Judæorum irriſioni pateſcerent. Unde Auctor (*Ib. ad* 1.), multa, inquit, ſervabant Apoſtoli in Sacramentorum collatione, quæ in Scripturis communiter propoſitis non ſunt tradita. Hinc Dionyſius c. 7. Eccl. Hierarch. dicit: *Conſummativas invocationes* (*id eſt, verba quibus perficiuntur Sacramenta*) *non eſt juſtum Scripturas interpretantibus, neque myſticum earum, aut in ipſis operatas ex Deo virtutes, ex occulto ad commune adducere, ſed noſtra ſacra traditio ſine pompa* (id eſt occulte) *nos edocet*. Et Innoc. I. in Ep. ad Decentium loquens de Sacramento Confirmationis: *Verba dicere non poſſum*, inquit, *ne magis prodere videar, quam ad conſultationem reſpondere*. Altera ratio pro ſequentibus ſæculis fuit; quia quæ ſunt vulgata & in continuo uſu, facile prætermittuntur in Scriptis, eo quod a nemine ignorentur.

Inſt. Hæc forma a Sæculo 8. varias paſſa eſt mutationes; nam juxta D. Martene l. 1. de antiquis Eccleſiæ ritibus, Pontificale Engiberti ſub finem 8. Sæculi ſcriptum hanc habet formam; *Accipe Signum ſanctæ Crucis chriſmate ſalutis in Chriſto Jeſu in vitam æternam; confirmet te Deus Pater & Filius & Spiritus S.* Gelaſianum habet hanc: *Signum Chriſti in vitam æternam, confirmet te Deus*, &c. ut ante. Manuſcriptum Eccleſiæ Pictavienſis 800. annorum, hanc: *Signat te Deus ſigillo fidei ſuæ in confirmationem fidei ſuæ*. Pontificale Eccleſiæ Caturigenſis ejuſdem Ævi, hanc: *Confirmo te & conſigno te in ſignum ſanctæ Crucis, in nomine Patris, &c.* Codex Moyſacenſis, de quo jam ſupra; hanc: *Confirmo te ſigno Crucis in nomine Patris*, &c. Tandem forma Græcorum, quam dicimus legitimam, eſt diverſa a noſtra: ergo noſtra non poteſt dici legitima. R. 1. Juxta quoſdam has omnes formas non differre ſubſtantialiter, quia in omnibus eſt eadem ſignificatio effectus Sacramenti, ut vidimus de forma Græcorum, & poteſt videri in aliis formis relatis. Attamen quia ſignificari eundem effectum videtur poſſe ſtare cum diverſitate ſubſtantiali formarum, ſi non eodem modo ſignificetur, nam in Baptiſmo, v. g. iſtæ formæ, *Baptizo te in nomine Patris*, &c. & *Baptizo te in nomine SS. Trinitatis*, ſeu *in nomine Genitoris*, &c. ſignificant eundem effectum, & tamen ſunt ſubſtantialiter diverſæ, quia non eodem modo ſignificent, & ideo duæ ultimæ ſunt invalidæ; formæ autem Confirmationis relatæ, licet eundem effectum ſignificare, non videntur tamen ſignificare eodem modo. Ideo Rom. 2. Juxta alios Chriſtum determinaſſe formam hujus Sacramenti in genere tantum, ſcilicet ut conferretur per aliqua verba ejus effectum ſignificantia, non vero in ſpecie per hæc vel illa verba, ſed id reliquiſſe determinandum ab Eccleſia, ut communiter dicitur de materia Ordinis, voluitque ita eſſe dicendum, quia aliter non poteſt ſolvi difficultas. Eccleſia itaque ex hac poteſtate ſibi a Chriſto conceſſa approbat formam Græcorum pro Eccleſia Græca: varias alias formas relatas tunc approbavit, unamquamque pro ſua Eccleſia: ſed omnes tandem ad unam revocavit pro Eccleſia Latina, quæ eſt noſtra, ut patet ex Concilio Florent.

Obj. 3. contra formam Græcorum. Alia Sacramenta ſunt etiam ſignacula Doni Spiritus S. Ergo hæc forma non eſt propria Sacramento. Conſ. R. D. Ant. Alia Sacramenta ſunt etiam ſignacula Doni Spiritus S. diverſo modo, C. eodem modo N. Confirmatio enim non eſt qualecumque ſignaculum gratiæ, ut ſunt alia Sacramenta, ſed ſpeciali & diſtincto modo; quatenus nempe eſt nota impreſſa & ſignum militare, quo conſtituitur & confirmatur miles Chriſti, importatque plenitudinem & perfectionem gratiæ baptiſmalis. Unde per Baptiſmum homo adſcribitur familiæ Chriſti; per Confirmationem ejus militiæ.

Petes, utrum omnia verba formæ Latinorum ſint eſſentialia, ita ut ſi aliquid omittatur, ſit nullum Sacramentum? R. Reſolutionem hujus quæſtionis pendere ex his, quæ modo dixi ad Inſtantiam ſecundæ Objectionis. Juxta illos, qui tenent varias formulas eſſe validas, qui non differunt ſubſtantialiter, inutile eſt quærere: quæ verba ſint eſſentialia, ſed quæcumque adhibeantur, modo eundem effectum ſignificent, validum erit Sacramentum; tenentur tamen omnes ex præcepto Eccleſiæ adhibere formam a Florentino traditam. Juxta alios vero, qui dicunt has formas valuiſſe ex determinatione Eccleſiæ per poteſtatem ipſi a Chriſto conceſſam, omnia verba dictæ formæ debent cenſeri eſſentialia, quia illa determinavit Eccleſia. Quidam dubitant de expreſſione perſonarum Trinitatis, quia non reperitur in forma Græcorum: ſed nec alia verba formæ Latinorum reperiuntur in forma Græcorum, & tamen reputantur ab illis eſſentialia. Dicendum itaque videtur utriuſque formæ ſua verba eſſe eſſentialia, quia ſic determinavit Eccleſia. Unde inferes juxta hanc ſententiam, Græcum non poſſe valide confirmare in forma Latinorum, nec Latinum in forma Græcorum.

Dices. S. Th. hic ad 1. dicit, quod quando Apoſtoli conferebant Sacramentum Confirmationis, hac Latinorum forma utebantur ex mandato Chriſti. Ergo eſt a Chriſto, & non ex inſtitutione Eccleſiæ. R. N. Ant. Non enim dicit S. Th. *hanc formam*, ſed *formam*, en ejus verba: *Tunc ſicut materia ita & forma ex mandato Chriſti utebantur*. Et quamvis argumentum eſſet de forma Latinorum, noluit illi reſpondere directe S. D. Sed ipſi ſatis fuit oſtendere ex ſilentio Scripturæ non bene probari Apoſtolos ea non fuiſſe uſos. Atque eo verius videtur, quod in argumento *ſed contra* dicat, quod Eccleſia *hac forma communiter utebatur*; dicit *communiter*, non ſemper & ubique. Neque credibile eſt S. Th. qui noverat formam baptizandi Græcorum, ut patet ex q. 66. a. 5. ad 2. ignoraſſe eorum formam confirmandi. Inſuper dato Apoſtolos ex mandato Chriſti hanc formam tunc adhibuiſſe, non ſequitur Chriſtum denegaſſe Eccleſiæ facultatem, alia verba idem ſignificantia pro opportunitate & neceſſitate determinandi. Et ad id recurrere nos cogit diverſitas formarum, quæ fuerunt in uſu in diverſis Eccleſiis, & quæ eſt nunc in uſu in Eccleſia Græca, quarum validitas vix aut ne vix ſuſtineri poteſt. Hæc ſalvo meliori judicio in Quæſt. admodum implexa.

ARTICULUS VII.

De Miniſtro Confirmationis.

DUPLEX debet diſtingui Miniſter Confirmationis, ordinarius & extraordinarius. Ordinarius eſt, qui vi ſui ordinis habet perfectam & completam poteſtatem hoc Sacramentum valide conferendi; & hunc dicimus Epiſcopum. Miniſter extraordinarius eſt, qui vi ſui Ordinis habet poteſtatem incompletam & inchoatam conferendi hoc Sacramentum, quæ indiget perfici & compleri per diſpenſationem, ut valide exerceatur; & hunc dicimus ſimplicem Presbyterum. Primum eſt certum contra Hæreticos; ſecundum controvertitur inter Theologos. Utrumque diſtinctis §§. diſcutiemus.

§. I. Utrum ſolus Epiſcopus ſit Miniſter ordinarius Confirmationis?

QUIDAM Presbyteri Eccleſiæ Eugubinæ Sæc. 5. jus conferendi Sacramentum Confirmationis quaſi poteſtate ordinaria uſurpabant: ſimiliter ſeq. ſæculo Presbyteri Eccleſiæ Calaritanæ. Primos repreſſit Innoc. I. Ep. ad Decentium; poſteriores Gregor. Magnus Ep. ad Januarium. Sæc. 9. Photius Pſeudopatriarcha Conſtantinop. Græcorum Schiſmaticorum Dux cum ſuis Sectariis pariter contendit Presbyteros eſſe Miniſtros ordinarios Confirmationis. In eos inſurrexit Nicolaus I. Bulgaroſque a Sacerdotibus Photianis confirmatos iterum confirmari juſſit. Hoc Nicolai factum inter alia accuſationum capita, quibus Eccleſiam Romanam proſcindit Photius in Ep. encyclica ad omnes Orientales Epiſcopos, recenſet & graviter reprehendit. Eodem in Eccleſiam Rom. odio perciti Valdenſes, VViclefiſtæ, Huſſitæ, Lutherani & Calviniſtæ errorem Photii ſequuti ſunt. Contra quos

Dico. (*Hic a.* 11. *o.*) Solus Epiſcopus eſt Miniſter ordinarius Confirmationis. Eſt de fide deciſa a Conc. Flor. in Decreto unionis, his verbis: *Confirmationis ordinarius Miniſter eſt Epiſcopus, & cum cæteras unctiones ſimplex Sacerdos valet exhibere, hanc nonniſi Epiſcopus debet conferre*. Et a Conc. Trid. Seſſ. 7. Can. 3. de Conf. *Si quis dixerit ordinarium Miniſtrum non eſſe ſolum Epiſcopum, ſed quemlibet*

libet ſimplicem Sacerdotem, anathema ſit. Idem Seſſ. 2. can. 7. & cap. 4. ubi principium erroris convellens definit Epiſcopos eſſe Presbyteris ſuperiores, & ideo eos præ cæteris habere poteſtatem confirmandi & ordinandi.

Prob. inſuper 1. ex Scriptura. Act. 8. narratur Petrum & Joannem miſſos fuiſſe Samariam, ut quos Philippus baptizaverat, confirmarent, non tamquam Sacerdotes, ut intelligunt SS. Patres, Cyp. Ep. ad Jubaian. Chryſoſtomus Hom. 18. in Acta Apoſt. Habes textus a. 1. Iſidorus Peluſiot. l. 1. Ep. 450. *Petrus & Joannes Apoſtoli*, inquit, *ab Hieroſolymis ad eos deſcendentes, Spiritus S. gratiam eis porrexerunt: Quod ſi ii, a quo Baptiſmum acceperant, ex Apoſtolorum claſſe ac numero fuiſſet, Spiritus donandi poteſtatem profecto habuiſſet*. Innoc. I. ex illa miſſione Apoſtolorum ad confirmandos Samaritanos probat hoc Sacramentum ſolis Epiſcopis reſervari. Vide textum art. 1. ſimiliter Conc. Flor. in Decreto unionis. Prob. 2. Traditione cujus teſtes jam habes Patres mox nominatos: item Pontifices, Concilia, & alios Patres, Clementem Rom. S. Dionyſ. S. Hieron. Greg. Magnum, Conc. Elimeritanum. Hiſpalenſe, Arelatenſe 3. quorum textus recitavimus Art. 1. illic require.

Ratio ſuffragatur. (*Ib.*) Sacramentum Confirmationis eſt quaſi ultima conſummatio & perfectio Sacramenti Baptiſmi, ita ſcilicet quod per Baptiſmum ædificetur homo in domum ſpiritualem, ſed per Sacramentum Confirmationis quaſi domus ædificata dedicatur in templum Spiritus S. atqui in qualibet opere ultima conſummatio & perfectio reſervatur ſupremis artificibus, quales ſunt Epiſcopi in Eccleſia. Ergo. Conf. Deſignare milites ſeu adſcribere militæ non eſt quorumcumque, ſed Regum tantum & Ducum, aliorum autem nonniſi ex commiſſione: atqui per Confirmationem homo deſignatur miles Chriſti ſeu ejus militiæ adſcribitur. Ergo.

Solvuntur Objectiones.

OBj. 1. ex Scriptura. Ananias non erat Epiſcopus: atqui tamen confirmavit Paulum, qui ad illum miſſus eſt, & cui impoſuit manus, ut impleretur Spiritu S. Act. 9. Ergo. R. N. Min. Impoſitio enim manus, de qua ibi eſt ſermo, non erat confirmatoria, ſed curativa infirmitatis. Et quomodo Ananias confirmaſſet Paulum, qui nondum erat baptizatus? Impletus eſt ergo Paulus Spiritu S. non per hanc impoſitionem manuum, ſed per Baptiſmum, quem illico ſuſcepit. Patet ex contextu.

Obj. 2. ex Conciliis. 1. Conc. Tolet. an. 400. can. 20. ſic definit, *Statutum eſt Diaconum non chriſmare, ſed Presbyterum abſente Epiſcopo: præſente vero Epiſcopo, ſi fuerit ab ipſo præceptum*: Ergo abſente Epiſcopo Presbyter erat Miniſter Confirmationis. 2. Conc. Araus. an. 441. can. 1. ſic ſtatuit: *Hæreticos in mortis diſcrimine poſitos, ſi Catholici eſſe deſiderant, ſi deſit Epiſcopus a Presbyteris cum chriſmate & benedictione conſignari placuit*. Similiter Conc. Epaonenſe an. 517. Ergo idem quod ante. 3. Conc. Regenſe an. 439. Can. 3. ſic loquitur: *Viſum eſt omni Presbytero per familias, per agros: facultatem benedictionis aperire... In Eccleſia quoque, in qua ordinatus fuerit, conſecrandi Virginem, ſicut confirmandi Neophytum jus habebit*. 4. Conc. Barcelonenſe 2. decernit, quod *cum chriſma Presbyteris Diœceſanis datur pro Neophytis confirmandis, nihil pro liquoris pretio accipiatur*. 5. Conc. Hiſpalenſe 2. an. 619. c. 7. dicit: *Quæ novellis & Eccleſiaſticis Regulis ſibi prohibita noverint* (ſimplices Sacerdotes) *Presbyterorum ac Diaconorum... Conſecratio... ſiquidem nec licere eis... per manus impoſitionem Fidelibus baptizatis, vel converſis ab hæreſi Paracletum Spiritum dare, nec Chriſma conficere, nec chriſmate baptizatorum frontem ſignare*. Porro ſi *novellis* Regulis tantum id ſit prohibitum Presbyteris, ergo non vi ordinis nec jure divino; ſicque ſeclaſo præcepto Eccleſiaſtico, ſunt Miniſtri Confirmationis ſicut Epiſcopi. 6. Conc. Carthag. 2. an. 390. & 3. an. 397. prohibent Presbyteris conficere chriſma. Ergo prius poterant: ſi vero poterant conficere chriſma, quidni Sacramentum? Ita Dallæus.

Pro his & ſequentibus Argumentis ab auctoritate ſolvendis, obſervandum eſt 1. Presbyteros poſſe ex diſpenſatione eſſe Miniſtros extraordinarios Confirmationis, ut dicam ſ. ſeq. 2. Chriſmationem & ſignationem non ſemper ſumi pro Confirmatione, ſed aliquando pro unctione verticali, quæ fit in Baptiſmo, aliquando pro cæremonia, qua recipiebantur, qui ab hæreſi ad Eccleſiam redibant: aliquando pro unctione & ſignatione Energumenorum. Poſſet ergo generaliter reſponderi has auctoritates eſſe intelligendas de Miniſtro extraordinario, vel de chriſmatione & ſignatione, quæ non ſit Confirmatio. Sed R. ad ſingula. Ad 1. Quidam intelligunt hunc Canonem de chriſmatione quidem confirmatoria, ſed conferenda per Presbyteros tamquam per Miniſtros extraordinarios & ex commiſſione. Alii intelligunt chriſmatione verticali in Baptiſmo, quia tunc temporis, ſcilicet an. 400. vigebat adhuc uſus, ſeu forte ordinatio S. Sylveſtri, ſi fides eſt Pontificali Damaſi, interdicens Presbyteris chriſmare in Baptiſmo, niſi abſente Epiſcopo, & propter occaſionem tranſitus mortis, ut legitur in dicto Pontificali. Primus enim, qui hunc uſum ſeu legem temperavit, fuit Innoc. I. in Ep. ad Decentium an. 416. indulgens Presbyteris, ut *ſeu extra Epiſcopum, ſeu præſente Epiſcopo*, poſſent chriſmare in vertice. Concilium igitur Tolet. inſiſtens uſui ſeu ordinationi Sylveſtri nondum temperatæ, ſtatuit conformiter Presbyterum non poſſe chriſmare in vertice, niſi abſente Epiſcopo, aut ipſo quidem præſente, ſed annuente & præcipiente. Ad 2. R. Ibi non agi de Sacramento Confirmationis, ſed de reconciliatione eorum, qui ab hæreſi revertebantur, & quæ in pluribus locis fiebat unctione & ſignatione, quæ tamen non erat ſacramentalis, ut dicemus, niſi pro iis, qui non erant confirmati. Vel dic his Conciliis concedi Presbyteris facultatem, qua poſſint ut Miniſtri extraordinarii conferre Confirmationem.

Ad 3. & 4. Poteſt hæc ultima ſolutio adhiberi. Inſuper ad Conc. Regenſe, R. illum Sacerdotem, cui conceditur facultas conſecrandi virginem & confirmandi Neophytum, non eſſe eundem, de quo in primo membro Canonis, cui conceditur benedicere, ſed eſſe Epiſcopum depoſitum, nomine *Armentariam*, cui ex indulgentia conceditur una parochia, in qua poſſit adminiſtrare Sacramentum Confirmationis. Patet ex contextu apud Labb. tom. 3. pag. 1287. & ſequenti. Ad Conc. Barcin. Prohibet aliquid accipere pro chriſmate, quo confirmantur Neophyti, non quidem a Presbytero (id enim non dixit) ſed ab Epiſcopo: quia idem eſt chriſma, quo unguntur baptizandi & confirmandi.

Ad 5. Concilium per *novellas regulas* non intelligit recenter inſtitutas, alioquin ordinatio Presbyterorum & Diaconorum per Epiſcopos eſſet etiam recentis inſtitutionis; ſed intelligit regulas novi Teſtamenti, alludens ad legem veteris Teſtamenti, in quo ſoli ſummo Pontifici reſervatum erat Altaria erigere, conſecrare, &c. Id ergo dicit prohibitum lege novi Teſtamenti, cui accedit lex Eccleſiæ, & ideo *novellis & Eccleſiaſticis regulis*. Ad ultimum: Concilia Carthag. non condunt legem novam, ſed comprimunt temeritatem quorumdam Presbyterorum, quia contra jus confectionem Chriſmatis uſurpabant.

Obj. 3. Ex Patribus. Ambroſ. de Myſteriis c. 6. dicit *Unctionem unguenti fieri per Sacerdotem*. Hieron. Ep. 101. alias 85. *Quid facit, excepta ordinatione, Epiſcopus, quod non faciat Presbyter?* Et Dialogo adv. Lucifer. dicit 1. Epiſcopos eſſe Miniſtros Confirmationis ex conſuetudine & lege Eccleſiæ. 2. *In multis locis id factitatum reperi*, non dicit *in omnibus*. 3. *Id ad honorem potius Sacerdotii factum, quam ad legem neceſſitatis*. 4. *Si ad Epiſcopi tantum imprecationem Spiritus S. deſluit, lugendi ſunt, qui in remotioribus locis per presbyteros baptizati, ante dormierunt, quam ab Epiſcopis inviſerentur*. Ex quibus omnibus evidens eſt Hieronymum non agnoviſſe Epiſcopos vi Ordinis eſſe ſolos Miniſtros Ordinarios Confirmationis. In Pontificali Damaſi legitur, quod S. Sylveſter *conſtituit Chriſma ab Epiſcopo confici, & privilegium Epiſcopis dedit, ut baptizatum conſignent propter hæreticam ſuaſionem*. Venerabilis Beda in Pſ. 26. dicit unctionem, quæ fit per manus impoſitionem ab Epiſcopis, & vulgo dicitur Confirmatio, eſſe eandem cum unctione verticali Baptiſmi, quamvis prima propter arrogantiam non ſit commiſſa ſingulis Sacerdotibus. Ergo.

R. ad Ambroſ. eum per *Sacerdotem* non intelligere ſimplicem Presbyterum, ſed ſummum Sacerdotem, id eſt, Epiſcopum, qui per antonomaſiam dicitur Sacerdos: conſtat ex eodem Ambroſ. l. 3. de Sacram. c. 1. ubi vocat *ſummum Sacerdotem*, qui Neophytos aſcendentes de Baptiſterio confirmat.

Ad Hieron. Primo loco invehit in quemdam, qui Diaconos anteponebat Presbyteris; quem ut efficacius coarguat, Presbyteros quaſi eoſdem cum Epiſcopis facit, & eis proximos oſtendit, quatenus nempe eamdem habent conficiendi corpus Chriſti facultatem, excepto quod illam habeant per ordinationem ab Epiſcopis; & quantum ad hoc dicit: *Quid facit, excepta ordinatione, Epiſcopus, quod non faciat Presbyter*. Non vero quantum ad alia omnia munia Epiſcopi, in quæ non excurrit hic S. D. quia id ejus inſtituti non erat. Cæterum officium confirmandi eſſe etiam reſervatum Epiſcopis, palam agnoſcit in 2. Teſtimonio objecto, ad cujus explicationem nunc convertimur. In hoc ergo 2. loco contra Lucifer. S. D. dicit 1. Epiſcopos eſſe Miniſtros Confirmationis ex conſuetudine, non quæ ſit ex hominum arbitrio, ſed quæ ex Apoſtolis deſcendat: *Diſce*, inquit ibid. *hanc obſervationem ex ea auctoritate deſcendere, quod poſt aſcenſum Domini Spiritus S. ad Apoſtolos deſcendit*. Idem ex *lege Eccleſiæ*, quæ Inſtitutioni divinæ ſuam legem adjunxit, ut in pluribus aliis. Dicit 2. *Id in multis locis eſſe factitatum*: vel per

mul-

multos intelligit omnes, vel ſugillat tacite quorumdam Epiſcoporum negligentiam in hoc munere obeundo in locis diſſitis. Dicit 3. *Id ad honorem potius Sacerdotii factum quam ad legem neceſſitatis*, referens hæc ultima verba non ad legem conferendi Confirmationem; ſed ad legem conſequendæ ſalutis; ita ut ſenſus ſit officium confirmandi eſſe honori Epiſcopali reſervatum: quia iſtud Sacramentum non eſt tantæ neceſſitatis ad ſalutem, ſicut Baptiſmus, ut cuique ejus, ſicut Baptiſmi, miniſterium debeat committi. Hunc ſenſum aperte indicant verba, quæ ſequuntur in objectione & in textu: alioquin, *Si ad Epiſcopi tantum imprecationem Spiritus S. defluit, lugendi ſunt, qui in remotioribus locis per Presbyteros baptizati ante dormierunt, quam ab Epiſcopis inviſerentur*. Idem ſenſus eruitur ex ſcopo Hieronymi, qui ibi impugnat principium Luciferiani dicentis, *Poſſe aliquem baptizari, & tamen non habere Spiritum S.* quem ideo neceſſe erat dari per Confirmationem ab Epiſcopo.

Ad Pontificale Damaſi, 1. Pleriſque eruditis videtur hoc Pontificale falſo eſſe Damaſo adſcriptum, propterea quod multa in eo legantur de Baptiſmo Conſtantini a S. Sylveſtro, de condemnatione Photini cum Ario & Sabellio, de Concilio Romano, & alia, quæ reputant falſa. Vide in præcedenti Tract. Digreſſ. Hiſtoricam de Baptiſmo Conſtantini. 2. Dato eſſe genuinum opus Damaſi, & ea, quæ refert de S. Sylveſtro, eſſe vera: quando dicit, quod S. Pontifex *Conſtituit chriſma ab Epiſcopo confici*, non intelligit de prima inſtitutione, ſed de antiqua Confirmatione, ſicut cum ibidem dicitur, quod S. Sylveſter *conſtituit, ut Sacrificium Altaris non in ſerico... ſed in linteo celebraretur*, non intelligit primam hujus ritus Inſtitutionem, ſed Confirmationem; ſiquidem id legatur inſtitutum ab Euſebio Sylveſtri Prædeceſſore. Quantum ad privilegium conſignandi, quod dicitur dediſſe Epiſcopis, non intelligit de Confirmationis conſignatione, ſed de verticali, quæ hæreticis baptizatis adhibebatur, & quam diximus ſupra ſic eſſe reſervatam Epiſcopis, ut Presbyteri illam non poſſent perficere, niſi abſente Epiſcopo & in periculo mortis. Ad venerabilem Bedam: dicit unctionem confirmatoriam eſſe eandem cum unctione verticali Baptiſmi; eandem, inquam, quoad materiam, non quoad naturam & efficientiam. Dicit eſſe reſervatam Epiſcopis *propter arrogantiam*, id eſt, ne Presbyteri ſuperbirent, & Epiſcopis æquales ſe crederent. Cæterum Beda ibidem agnoſcit unctionem confirmatoriam eſſe verum Sacramentum, cum dicat paulo ſuperius: *Nunc autem Sacramento olei & chriſmatis ungimur, per quod Sacramentum quiddam mirum & ineffabile, quod in fine futuri ſumus, ſignificatur.* Atque hujus Sacramenti collationem eſſe Epiſcopis reſervatam diſerte aſſerit in c. 8. Act. Apoſt. ubi loquens de Philippo dicit: *Si Apoſtolus eſſet, ipſe utique manus imponere potuiſſet, ut acciperent Spiritum S. hoc enim ſolis Pontificibus debetur, non autem Presbyteris.*

Obj. 4. Presbyteri in multis locis confirmarunt & etiam nunc confirmant. Ergo. Prob. Ant. 1. S. Ambroſ. Comm. in c. 4. Epheſ. dicit: *Apud Ægyptum Presbyteri conſignant, ſi præſens non ſit Epiſcopus.* Idem legitur apud Aug. in QQ. ex utroque Teſtament. qu. 101. 2. Græci etiam ante Photii tempora a ſimplici Sacerdote confirmabantur, & idem nunc apud ipſos obſervatur. Ergo. R. D. Ant. Presbyteri in multis locis confirmarunt vi ſui ordinis & ut Miniſtri ordinarii, N. ex commiſſione & ut Miniſtri extraordinarii, C. neque aliud extundi poteſt ex probationibus. Aliunde commentaria in Epiſtolas Pauli, & opus QQ. ex utroque Teſtamento, non Ambroſio nec Aug. ſed Hilario Diacono Luciferiano adſcribunt Eruditi, & ideo rejiciuntur in Appendicem. Quantum ad Græcos, Sacramentum Confirmationis apud ipſos primitus fuiſſe adminiſtratum ab Epiſcopis conſtat ex S. Dionyſio, S. Irenæo, S. Cypriano, & S. Chryſoſtomo laudatis art. 1. Item ex Allatio l. 3. de Eccl. Occ. & Orientalis perpetua conſenſione, & ex Arcudio l. 2. concordiæ c. 51. & 53. qui in eam rem referunt Græcorum teſtimonia. Si igitur ante & poſt Photii ſchiſma Presbyteri Confirmationem adminiſtraverint, ſicut nunc adminiſtrant, non fecerunt nec faciunt niſi ut Miniſtri extraordinarii ex commiſſione aut conſenſu ſaltem implicito Eccleſiæ ſeu ſummi Pontificis.

Inſt. cum Photio. Simplices Sacerdotes baptizare & conſecrare poſſunt. Ergo & confirmare; qui enim poteſt majus poteſt minus. R. N. Conſeq. Neque laudatum axioma valet, ut jam dixi, in his, quæ pendent ex ſola voluntate Chriſti, quæ nobis per Scripturam & Traditionem in præſenti caſu innoteſcit. Et ſi argumentum valeret, ſequeretur, quod Diaconus poſſet confirmare, quia poteſt baptizare; quod ſimplex Sacerdos poſſet ordinare, quia poteſt conſecrare. Inſuper congruentias hujus Inſtitutionis ſupra propoſuimus.

§. III. *Utrum ſimplex Sacerdos poſſit eſſe Miniſter extraordinarius Confirmationis.*

NEGANT Durandus, Eſtius cum paucis: affirmat S. Th. & cum eo communiter Theologi tam domeſtici quam extranei.

Dico. Simplex Sacerdos ex diſpoſitione ſeu commiſſione legitima eſſe poteſt Miniſter extraordinarius Confirmationis. Prob. 1. ex Conc. Flor. in Decreto unionis, ubi poſtquam dixit, quod hujus Sacramenti *Ordinarius Miniſter eſt Epiſcopus*, idque Act. 8. probavit, ſubdit: *Legitur tamen aliquando per Apoſtolicæ Sedis diſpenſationem ex rationabili & urgente admodum cauſa ſimplicem Sacerdotem chriſmate per Epiſcopum benedicto hoc adminiſtraſſe Confirmationis Sacramentum.* Reſpondet Eſtius, Concilium non affirmare id aliquando factum eſſe, ſed id legi, forte apud Gratianum aut aliquos Scolaſticos. Verum equidem Concilium dicit *Legi*, ſed ita factum eſſe ſupponit, cum dicat id legi factum ex rationabili & urgente cauſa, quam procul dubio expenderat. Inſuper in Prologo Decreti dicitur: *Latum poſt non mediocrem teſtimoniorum inſpectionem ... & earum de quibus agebatur rerum diſcuſſionem*, atque in eo contineri *ſub quodam brevi compendio Orthodoxæ Fidei veritates.*

Conf. 1. Tam Conc. Flor. in laudato Decreto, quam Trid. ſeſſ. 7. Can. 3. definiunt ſolum Epiſcopum eſſe hujus Sacramenti Miniſtrum *Ordinarium*. Ergo innuunt & ſupponunt alium eſſe extraordinarium: in aliis enim Sacramentis, in quibus non datur Miniſter extraordinarius, ut in Pœnitentia, Extrema-Unctione, dicunt ſimpliciter, quod Miniſter ſit Sacerdos. Contra arguit Honor. Tournely, qui licet noſtram Concluſionem teneat, vult tamen eam non poſſe probari ex Conciliis laudatis: *Cum ait Eugenius*, inquit, *Epiſcopum ordinarium eſſe Conſecrationis, qua Presbyteri & Diaconi ordinantur, Miniſtrum; an recte inferes ex mente ipſius, ſimplicem Sacerdotem eſſe hujus Conſecrationis Miniſtrum extraordinarium?* At pace doctiſſimi viri non dixit Eugenius, ut fingit: *Epiſcopum eſſe Miniſtrum ordinarium Conſecrationis, qua Presbyteri & Diaconi ordinantur*: ſed ſimpliciter dixit: *Ordinarius Miniſter hujus Sacramenti* (Ordinis) *eſt Epiſcopus*. Quis autem ignorat ſimplicem Presbyterum poſſe eſſe Miniſtrum extraordinarium Sacramenti Ordinis ſaltem quoad minores Ordines! Ex inde magis firmatur Argumentum noſtrum. Si dicas Concilia definire, quod certum eſt, intactum autem relinquere, quod controvertitur inter Theologos: id non diffitemur, neque dicimus noſtram ſententiam eſſe de Fide; at eam non obſcure inſinuari per hujus expreſſionem nemo negare poteſt.

Conf. 2. Cum Concilium Flor. propoſuiſſet Græcis undecim quæſtiones, quarum ſexta erat: *Cur non Epiſcopi, ſed Sacerdotes inungunt ſacro chriſmate, cum hoc Pontificibus ſit datum?* Dorotheus Metropolita Mitylenenſis hanc & alias octo quæſtiones *canonice legitimeque diſſolvit*, inquit Act. Synod. Scriptor apud Labb. tom. 13. p. 526. neque Concilium hanc Græcorum conſuetudinem improbavit. Ergo manifeſte ſupponit id poſſe Presbyteros ex diſpenſatione.

Prob. 2. Ex pluribus ſummis Pontificibus, qui facultatem confirmandi conceſſerunt ſimplicibus Sacerdotibus, 1. S. Greg. an. 593. Ep. 9. l. 4. ad Januarium Calaritanum Epiſcopum prohibuerat Presbyteris Calaritanis, ne baptizatos Infantes ſignare in fronte chriſmate præſumerent, ſed eos ungerent in pectore, ut Epiſcopi poſtea ungerent in fronte. At cum accepiſſet multos ex ſua prohibitione eſſe offenſos, & pacem inde turbatam, anno ſequenti reſcripſit Epiſt. 26. in hunc modum: *Et nos quidem ſecundum uſum veterem Eccleſiæ noſtræ fecimus, ſed ſi omnino hac de re aliqui contriſtantur, ubi Epiſcopi deſunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos chriſmate ungere debeant.*

Reponit Eſtius & poſt ipſum l'Herminier, S. Gregorium non conceſſiſſe Presbyteris Calaritanis poteſtatem conferendi Sacramentum Confirmationis, ſed puram cæremoniam. Ita jam tempore D. Th. quidam reſpondebant in 4. d. 7. q. 3. a. 1. q. 3. o. Id autem Eſtius conatur probare. 1. Quia in quibuſdam Codicibus legitur *Baptizandos* & non *Baptizatos*. 2. Quia S. Greg. fundat prohibitionem, quam fecerat, in uſu Eccleſiæ Romanæ, non in Scriptura. 3. Quia non juſſit iterari Confirmationem Calaritanorum; quod juſſiſſet, ſi quæſtio fuiſſet de Sacramento. R. N. Ant. Certo enim conſtat Gregorium conceſſiſſe in Ep. ſecunda, quod prohibuerat in prima, & ex quo ſcandalizati fuerant Calaritani: evidens eſt autem, quod in prima Epiſtola prohibuerat, ne ſimplices Sacerdotes conferrent non meram cæremoniam, ſed Sacramentum Confirmationis. Inſuper ſi de mera cæremonia fuiſſet quæſtio, cur in ſola abſentia Epiſcoporum permittebatur Sacerdotibus, cum conſtet tunc Sacerdotes a tempore Innoc. I. poſſe omnes chriſmationes baptiſmales facere ſive præ-

ſente, ſive abſ nte Epiſcopo. Unde ad 1. probationem in contrarium: Textus Gratiani antiquus & novus juſſu Greg. XIII. emendatus, S. Thomas, Scotus, & alii legunt *Baptizatos*: & ita legendum eſſe patet ex 1. Epiſtola, in qua legitur *baptizatos*; de iiſdem enim loquitur 2. Epiſtola. Sed eſto dixerit *Baptizandas*, ita dixit, quia qui baptizabantur, eodem ferme tempore confirmabantur: unde in eadem 2. Epiſtola dicit: *Pervenit quoque ad nos quoſdam ſcandalizatos fuiſſe, quod Presbyteros chriſmate tangere eos, qui baptizandi ſunt, prohibuimus*. Ubi per *Baptizandos* intelligit *Baptizatos*, ut in 1. Epiſt. ad quam reſpective loquitur. Ad 2. Prob. Greg. appellat quidem uſum Romanæ Eccleſiæ, ſed non negat Inſtitutionem Chriſti, imo ſupponit eſſe illi innixum Eccleſiæ uſum. Ad 3. Prob. Eadem œconomia uſus eſt Greg. in non iteranda Confirmatione Calaritanorum, quam adhibuit in concedenda Presbyteris facultate confirmandi, ne ſcilicet inde magis exacerbaret animos Calaritanorum, præſertim cum hoc Sacramentum non ſit tantæ neceſſitatis: aut forte quia exiſtimavit Confirmationem fuiſſe ab illis collatam ex diſpenſatione ſuorum Prædeceſſorum.

2. Plures alii ſummi Pontifices eandem facultatem conceſſerunt: Nicolaus IV. Joan. XXII. Urbanus V. apud VVadingum ad an. 1525. Leo X. qui has conceſſiones ampliſſime confirmavit apud eundem, item apud Henriquem l. 13. de Conf. c. 6. Suarem diſp. 36. a. 2. ſect. Pallavicinum l. 9. c. 7. Rodrigues in Bullario. Eandem facultatem conceſſit Adrianus VI. quamvis ante Pontificatum contrariæ ſententiæ defenſor, cujus Bulla extat in Conventu Hiſpalenſi FF. Minorum. Reſpondere cum l' Herminier, aut falſum eſſe data hæc Privilegia, aut id factum contra Canones non eſt ſolvere Argumentum, ſed illi ſuccumbere.

Prob. 3. Presbyteri Græci etiam nunc valide confirmant. Quod confirment, conſtat 1. ex quæſtione facta inter undecim, de qua ſupra, quam Metropolita Mitylenenſis canonice legitimeque diſſolvit. 2. Ex Goario in notis ad Euchológ. Græc. ubi dicit: *Conſentientibus ſatias Orientis Epiſcopis, Sacerdotes confirmandi officium, vel arrogarunt, vel ſibi conceſſum ad hanc uſque diem retinuerunt*. Quod valide confirment, conſtat ex eo, quod poſtquam Mitylenenſis Metropolita canonice & legitime ſatisfeciſſet objectionibus Latinorum, unio facta ſit, abſque eo quod Græci coacti ſint ſuum ritum abdicare.

Solvuntur Objectiones,

OBj. 1. Plures Pontifices declararunt ſimplices Presbyteros non poſſe etiam ex diſpenſatione confirmare, Ergo. Prob. Ant. 1. Nicolaus I. juſſit Bulgaros confirmatos a Presbyteris Græcis iterum confirmari. 2. Innoc. III. C. *Quanto* extra de conſuetudine ad Lucium Vicarium ſuum Conſtantinopoli ſcribit: *Diſcretioni tuæ per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenus omnibus Presbyteris diſtricte prohibeas, ne talia* (Confirmationem conferre) *de cætero ſua temeritate præſumant*. 3. Innoc. IV. in Conſtitutione *Sub Catholicæ*, ad ſedandam diſcordiam ſuper quibuſdam Articulis ortam in regno Cypri inter Epiſcopos Græcos & Latinos, inter alia mandat Legato ſuo, ut *Soli Epiſcopi conſignent chriſmate in frontibus baptizatos: quia hujus unctio non debet niſi per Epiſcopos exhiberi*. 4. Clemens VIII. in inſtructione de ritibus Græc. edita an. 1595. prohibet, ne Presbyteri confirment, & ab ipſis confirmatos jubet iterum confirmari ſub conditione ab Epiſcopis Latinis. 5. Tandem non legitur Apoſtolos Presbyteris commiſiſſe officium confirmandi, quamvis tunc eſſet magna multitudo confirmandorum, quod judicium eſt id non poſſe committi, & a Chriſto fuiſſe prohibitum: & ita docet Joan. III. qui ante tempora S. Greg. vixit. Ergo, R. N. Ant. Ad ſolutionem probationum obſervandum eſt, 1. Quoſdam Presbyteros confirmaſſe ex ſuppoſitione privilegii, quod non habebant. 2. Græcos præſertim tempore Photii prætendere Presbyteros non ſolum ex delegatione, ſed vi ſui Ordinis & jure ordinario non ſecus ac Epiſcopos poſſe confirmare. 3. Presbyteros Græcos olim & nunc confirmare ex privilegio & conceſſione ſive tacita ſive expreſſa Sedis Apoſtolicæ. 4. Hoc privilegium juſtis ex cauſis poſſe revocari. Igitur laudati Pontifices vel errorem Græcorum impugnant, vel arguunt eos, qui ex falſa privilegii ſuppoſitione confirmant, vel conceſſionem factam juſtis de cauſis revocant. Et hæc ſit prima & generalis reſponſio ad probationes Antecedentis. Nunc ad ſingulas.

Ad 1. Primo inter Græcos a Photio eorum Pſeudopatriarcha ad Bulgaros miſſos quidam ſe jactabant Presbyteros, cum non eſſet. 2. Nullam habebant juriſdictionem in Bulgariam, quæ ſe Sedi Apoſtolicæ immediate dederat. 3. Defectu juriſdictionis & ratione Schiſmatis privabantur privilegio & facultate alioquin delegata. 4. Confirmabant chriſmate a ſuo Pſeudopatriarcha benedicto tamquam Miniſtri ordinarii, non ſecus ac Epiſcopi, renitente ſum. Pontifice & reclamantibus ejus Legatis. Hæc omnia conſtant ex reſcriptis Nicolai I. ad conſulta Bulgarorum tom. 8. Conc. Labb. pag. 516. ex Ep. ejuſdem Nicolai ad Hincmarum ibid. pag. 470. ex Athanaſio in vita Nicolai & ex Annalibus Bertinianis & Fuldenſibus. His igitur omnibus de cauſis merito juſſit Nicolaus confirmari ſignatos a Græcis.

Ad 2. Prohibitio Innoc. III. ſpectat ſolum Presbyteros Latinos inter Græcos degentes, quibus non erat conceſſum, ut Græcis, confirmare, ideoque ritum ſuæ Eccleſiæ ſervare debebant. Neque refert, quod apud Gratianum non legatur *Latinis Presbyteris*, ſed ſimpliciter *Presbyteris*, quia in aliis editionibus, Baluziana, Antuerpienſi an. 1570. Romana emendatiſſima an. 1543. & aliis ſic legitur: *Diſcretioni tuæ mandamus, quatenus omnibus Latinis Presbyteris apud Conſtantinopolim conſtitutis*, &c. ſicque legunt Juriſperiti. Si obſtinate contendas hanc prohibitionem eſſe etiam Græcis factam, dicam ab Eugenio IV. fuiſſe revocatam. Ad 3. Innoc. IV. inter Epiſcopos Latinos & Græcos ejuſdem Provinciæ, de hac quæſtione diſſidentes, judicavit magis expedire, ut obſervarentur ritus Eccleſiæ Latinæ, & dum adſunt Epiſcopi ordinarii Miniſtri, non confirmarent Presbyteri. Id autem ſtatuit pro ſola Inſula Cypri, & non pro aliis Græcorum Provinciis. Addit Arcudius Bullam non fuiſſe promulgatam a Legato Pontificis.

Ad 4. Prohibitio Clementis VIII. ſpectat tantum Presbyteros Græcos, in Italiæ partibus ſub Epiſcopis Latinis commorantes, quos, cum incertum eſſet, habere legitimam & ſufficientem diſpenſationem, prudenter monet Pontifex confirmatos ab illis eſſe ſub conditione denuo confirmandos.

Ad 5. Jam dixi non omnia, quæ fecerunt Apoſtoli, eſſe ſcripta. Sed eſto hanc facultatem Presbyteris non delegaverint, id mirum videri non debet. 1. Quia raro ordinabant Presbyteros, quos non conſecrabant Epiſcopos. 2. Quia ſufficiebat, ut a Presbyteris & Diaconis baptizatos confirmarent abſque cæremoniis. 3. Quia conveniebat, ut naſcente Eccleſia munia diſtinguerent, & cuique ſuum aſſererent & firmarent. Epiſtolam Joannis III. quæ eſt ad univerſos Germaniæ & Galliæ Epiſcopos, ſpuriam probat Baronius ad an. 572. 1. Quia continet aperte falſum, ſcilicet Linum & Cletum non fuiſſe Pontifices Romanos, ſed ſolum Choreſpiſcopos. 2. Quia nomen Chorepiſcoporum, de quorum muniis agit tota Epiſtola, apud Germanos & Gallos jam tunc penitus erat abolitum. 3. Quia legitur data 14. Kalendas Auguſti, cum ipſe Joannes mortuus ſit 3. Idus Julii ejuſdem anni. Quantum ad alios Pontifices, Concilia & Patres, de quibus §. præcedenti, qui dicunt ad ſolos Epiſcopos pertinere jus confirmari, intelligunt de jure ordinario, non extraordinario & ex delegatione.

Obj. 2. Confirmare non eſt actus juriſdictionis, alioquin Epiſcopus electus, ſed non conſecratus poſſet confirmare; ſed eſt actus Ordinis: vel igitur eſt actus Ordinis ſeu Conſecrationis Epiſcopalis, vel Ordinis ſeu Conſecrationis Presbyteralis. Si hoc ſecundum, quilibet Sacerdos poteſt jure ſuo non ſecus ac Epiſcopus valide confirmare, licet forte aliquando illicite, ſi nempe ei prohibeatur. Paritas eſt de Sacerdote ſuſpenſo, qui valide conſecrat, licet illicite. Si primum, non poteſt alteri, quam Epiſcopo committi; non enim actus Ordinis poteſt committi illi, qui non habet hunc Ordinem. Ergo. R. Confirmare jure ordinario eſſe actum Ordinis Epiſcopalis; confirmare autem jure extraordinario eſſe actum Ordinis Sacerdotalis, quatenus per illum confertur poteſtas inchoata & incompleta ad confirmandum, quæ per legitimam diſpenſationem Eccleſiæ perficitur & completur; eo ferme modo, quo Epiſcopus vi ſuæ ordinationis eſt Miniſter ordinarius Ordinum, & ſimplex Sacerdos vi ſuæ ordinationis habet, quod poſſit delegari ad eos ſaltem aliquos conferendos. Dum autem conceditur Sacerdoti facultas confirmandi, non ei committitur actus Ordinis Epiſcopalis, quia non inſtituitur Miniſter ordinarius, ſed committitur ei actus ſui Ordinis Sacerdotalis, ut ſit nempe Miniſter extraordinarius. Paritas maneat reſpectu Ordinum.

Inſt. 1. Diacono non poteſt committi, ut ſit Miniſter extraordinarius vel Confirmationis vel Conſecrationis Euchariſtiæ. Ergo neque Sacerdoti, ut ſit Miniſter Confirmationis. Si dicas in Diacono non eſſe poteſtatem inchoatam ad confirmandum & conſecrandum; pariter dicam non eſſe in Sacerdote ad confirmandum; aut ſi ſit in Sacerdote, eſſe pariter in Diacono: vel aſſignetur ſufficiens diſparitas. R. primam & præcipuam diſparitatem peti ex voluntate Chriſti, qui inſtituit, ut Epiſcopus eſſet Miniſter ordinarius Confirmationis, & Sacerdos Miniſter extraordinarius, quod dici non poteſt de Diacono reſpectu Confirmationis & Conſecrationis. Hanc autem eſſe voluntatem & inſtitutionem Chriſti cognoſcimus ex Pontificibus, Conciliis, & Eccleſiæ praxi. Altera diſparitas petitur ex ipſa rerum natura. Et 1. quantum ad Confirmationem: Sacerdotium proxime accedit ad Epiſcopatum, a quo non differt niſi per hoc, quod Epiſcopatus ſit poteſtatis magis extenſæ, in quantum ſcilicet continet poteſtatem confir-

man-

manſi & ordinandi; ſecus vero Diaconatus. Unde poteſtas Sacerdotii poteſt dici inchoata ad illa duo munia, & accedente delegatione ad illa extendi, non poteſtas Diaconatus, utpote Ordo diſtinctus a Sacerdotio & Epiſcopatu, atque ab illo remotior quam Sacerdotium. Inſuper Sacerdotium habet poteſtatem ſupra Corpus Chriſti verum, ex qua oritur poteſtas ſupra Corpus Chriſti myſticum, quod non poteſt dici de Diaconatu. Quantum vero ad Conſecrationem, hæc omnino pendet a charactere Sacerdotali, quo caret Diaconus. At vero Confirmatio pendet a charactere Epiſcopali, qui eſt idem cum charactere Sacerdotali, ſolum differens per majorem extenſionem, cujus proinde poteſt Sacerdos eſſe capax extraordinarie & per delegationem.

Inſt. 2. Miniſter Sacramentorum eſt ex inſtitutione Chriſti. Ergo non ex delegatione ſeu diſpenſatione ſum. Pontificis. R. N. Conſeq. Quia ſic Chriſtus inſtituit, ut Sacerdos poſſet per ſupremam in Eccleſia auctoritatem delegari ut Miniſter extraordinarius Confirmationis. Unde in hoc Pontifex agit nomine Chriſti.

Inſt. 3. Si Pontifex poſſit ſimplici Sacerdoti conferre facultatem confirmandi, id poteſt vel ratione Ordinis, vel ratione juriſdictionis: non ratione Ordinis, alioquin omnis Epiſcopus, qui eſt æqualis in ordine cum Papa, poſſet illam poteſtatem concedere, quod non admittimus: non ratione juriſdictionis, tum quia poteſtas confirmandi non pendet a poteſtate juriſdictionis, poteſt enim Epiſcopus valide confirmare in aliena Diœceſi, in qua non habet juriſdictionem: tum quia ſequeretur, quod Papa nondum conſecratus poſſet illam conferre, quod videtur falſum, cum ipſe tunc non poſſit confirmare. Ergo. R. Papam hanc facultatem conferre ratione juriſdictionis. Ad 1. prob. in contrarium, D. Poteſtas confirmandi completa, qualis eſt in Epiſcopo, non pendet a juriſdictione, C. Poteſtas incompleta, qualis eſt in Sacerdote, N. Hæc enim a plenitudine poteſtatis juriſdictionis, quæ eſt in ſummo Pontifice, pendet ut compleatur. Ad 2. N. Sequelam, quia confirmare eſt actus Ordinis, conferre autem poteſtatem confirmandi eſt actus juriſdictionis. Sic Pontifex vel Epiſcopus nondum conſecratus poteſt dare poteſtatem abſolvendi a peccatis, a quibus tamen ipſe abſolvere non poteſt.

Petes, utrum ſolus ſum. Pontifex poſſit committere Sacerdoti, ut ſit Miniſter extraordinarius Confirmationis? R. probabilius affirmative. (*Hic a. 11. ad 1.*) Ita videtur ſentire Auctor, qui hanc poteſtatem tribuit ſum. Pontifici propter plenitudinem poteſtatis, quæ non in Epiſcopo, ſed in ſolo Papa reperitur. Id innuit Decretum Florent. quando dicit id aliquando conceſſum *per Apoſtolicæ Sedis diſpenſationem.* Sed aperte declarat Clemens IV. in Litteris ad Patriarcham Armenorum, apud Raynaldum ad an. 1315. in quibus ſic ſcribit: 1. *De Conſecratione chriſmatis, ſi credis, quod per nullum Sacerdotem, qui non eſt Epiſcopus, poteſt chriſma rite, & debite conſecrari.* 2. *Si credis, quod Sacramentum Confirmationis per alium, quam per Epiſcopum, non poteſt ex Officio ordinarie miniſtrari.* 3. *Si credis, quod ſolum per Romanum Pontificem, plenitudinem poteſtatis habentem, poſſit diſpenſatio Sacramenti Confirmationis Presbyteris, qui non ſunt Epiſcopi, committi.* 4. *Si credis, quod chriſmati per quoſcumque Sacerdotes, qui non ſunt Epiſcopi, nec a Romano Pontifice ſuper hoc commiſſionem habent, ſeu conceſſionem aliquam receperunt, iterum per Epiſcopum, vel Epiſcopos ſint chriſmandi.*

Accedit uſus & praxis Eccleſiæ, ſecundum quam hoc jus reſervatur ſummo Pontifici. Quod ſi quandoque a Conciliis particularibus legatur conceſſam fuiſſe hanc diſpenſationem, id ſemper factum fuit ex conſenſu ſaltem tacito ſummi Pontificis.

Ratio ſuffragatur: quia quæ ſpectant regimen univerſalis Eccleſiæ, ſoli ſummo Pontifici jure divino reſervantur, ut determinare dogmata fidei, certam materiam aut formam Sacramentorum a Chriſto in ſpecie non determinatam. Atqui providere de Miniſtro Sacramenti in certis caſibus ſpectat ad regimen univerſalis Eccleſiæ. Ergo.

Dices. Poteſt Epiſcopus in ſua Diœceſi, quod poteſt Papa in tota Eccleſia. Ergo. R. D. Ant. Poteſt Epiſcopus in ſua Diœceſi, quod poteſt Papa ratione Ordinis in tota Eccleſia, Tranſeat: quod poteſt Papa ratione juriſdictionis, N. Habet enim Papa plenitudinem poteſtatis, quam non habet Epiſcopus, ideo plura poteſt quam Epiſcopus.

ARTICULUS VIII.

De ſubjecto & neceſſitate Confirmationis.

§. I. *Qui ſint capaces Confirmationis?*

Dico. (*Hic a. 8. o.*) Omnis homo baptizatus, ſive adultus, ſive infans, eſt capax Confirmationis. Ratio eſt. (*Ibid.*) Quia per hoc Sacramentum homo, ut dictum eſt, promovetur in ætatem perfectam ſpiritualem. Atqui anima, ad quam pertinet ſpiritualis nativitas & ſpiritualis ætatis perfectio, eſt immortalis; & ſicut poteſt tempore ſenectutis ſpiritualem nativitatem conſequi, ita poteſt tempore juventutis & infantiæ conſequi perfectam ætatem ſpiritualem, quia hujuſmodi corporales ætates animæ non præjudicant. Ergo. Unde Eccleſia 11. primis ſæculis etiam infantibus Confirmationem ſtatim poſt Baptiſmum adminiſtravit. Verum quamvis hæc antiqua conſuetudo ſuas haberet rationes, nec ſit improbanda, juſtis tamen de cauſis Eccleſia illam mutavit, cenſuitque in variis Synodis non eſſe conferendum hoc Sacramentum niſi iis, qui annos diſcretionis attigerint, hoc eſt anno ætatis ſeptimo. Primo ob periculum iterationis. 2. Ut cum majori reverentia & fructu ſuſcipiatur. 3. Quia cum ſit ſecunda fidei profeſſio, convenit, ut qui primam per alios fecerunt, ſecundam per ſe faciant.

Non obſtat tamen, quin Epiſcopus ex aliqua rationabili cauſa poſſit infantem confirmare, puta propter periculum mortis, vel propter defuturam in poſterum commoditatem ex longa ejus abſentia, aut quid ſimile; præſertim cum Pontificale Rom. id videatur quaſi ejus voluntati deferre, & Catechiſmus Rom. p. 3. §. 14. dicat ex majori tantum convenientia requiri annum ſeptimum.

Ex his inferes etiam perpetuo amentibus ſtatim, ubi adeſt commoditas, conferendum eſſe hoc Sacramentum; quia in eis non expectatur uſus rationis, & capaces ſunt majoris gratiæ & gloriæ, qua alioquin privarentur. (*Ibid. ad 4.*) Propter hanc ultimam rationem morituris etiam convenienter conferri docet Auctor. Id tamen non eſt in uſu, quia commode fieri non poteſt: non enim videtur decens, quod Epiſcopus in Pontificalibus ad ſingulas domos ſe transferat.

Petes, quæ ſint diſpoſitiones requiſitæ in ſuſcipiente Confirmationem? R. ex parte corporis, (*Ibid. a. 12. ad 2.*) 1. debet juxta Canones, in quantum fieri poteſt, eſſe jejunus, ſicut & Miniſter. Attamen propter multitudinem Fidelium & propter pericula imminentia toleratur, ut hoc Sacramentum, quod nonniſi ab Epiſcopis dari poteſt, etiam a non jejunis detur vel accipiatur, quia unus Epiſcopus, præcipue in magna Diœceſi, non ſufficeret ad tot homines confirmandos, ſi ei tempus arctaretur. Ubi tamen congrue obſervari poteſt, convenientius eſt, ut a jejunis detur & accipiatur. 2. Debet abluere frontem, & in veſtibus mundis ac modeſtis ſe ſiſtere Epiſcopo. Ex parte animæ. 1. Requiritur ſtatus gratiæ ſaltem prudenter exiſtimatus per confeſſionem vel contritionem, quia eſt Sacramentum vivorum. Vide quæ dixi in Tract. de Sacram. in genere Diſſ. 5. a. 5. de Miniſtro Sacramentorum: eadem enim quantum ad hoc eſt ratio Miniſtri & ſuſcipientis. 2. Vacandum eſt prius orationi ad imitationem Apoſtolorum, qui expectando Spiritum S. erant perſeverantes in oratione.

§. II. *Quæ ſit neceſſitas ſeu obligatio ſuſcipiendi Sacramentum Confirmationis?*

Communis ſententia eſt hoc Sacramentum non eſſe neceſſarium neceſſitate medii, cum per ſolum Baptiſmum poſſit haberi remiſſio peccatorum & ſalus, ut patet præſertim in infantibus baptizatis, qui ante Confirmationem moriuntur. Eſt ergo tantum difficultas de neceſſitate præcepti.

Dico. Confirmatio non eſt neceſſaria neceſſitate præcepti per ſe & directe obligantis, bene tamen obligantis per accidens & indirecte ratione periculi, contemptus aut ſcandali. Eſt communior ſaltem inter Thomiſtas. Prob. 1. ex D. Th. S. Doctor in 4. d. 7. q. 1. a. 3. q. 1. o. & hic q. 65. a. 4. docet Confirmationem non eſſe neceſſitatis ſimpliciter, ſed ſecundum quid ſeu utilitatis ad finem convenientius habendum, ſicut equus dicitur neceſſarius ad iter. Item hic q. 72. a. 1. ad 3. docet ſalutem haberi poſſe ſine Confirmatione, *Dummodo tamen non prætermittatur ex contemptu Sacramenti.* Et a. 8. ad 4. dicit: *Ideo Hugo a S. Victore dicit omnino periculoſum eſſe, ſi ab hac vita ſine Confirmatione migrare contingeret: non quia damnaretur, niſi forte propter contemptum, ſed quia detrimentum perfectionis pateretur.* Hæc autem forent falſa, ſi eſſet aliquod Confirmationis præceptum abſolutum per ſe & directe obligans ſub mortali. Concinit Catechiſmus Rom. p. 2. de Confirm. §. 13. *Illud*, inquit, *in primis docendum eſt, hoc Sacramentum ejuſmodi neceſſitatem non habere, ut ſine eo quis ſalvus eſſe non poſſit.* Et §. 14. *Neque enim Confirmatio ad ſalutis neceſſitatem inſtituta eſt.*

Prob. 2. Ratione. Non eſt præceptum neque divinum neque humanum directe & per ſe obligans ad Confirmationem ſuſcipiendam; non divinum, nullum enim habetur in Scriptura vel Traditione, non humanum, pariter enim nullum invenitur in Decretis Conciliorum aut ſum. Pontificum. Non eſt autem aſſerendum præceptum ſine gravi & aperto fundamento. Ergo. Conf. 1. Ex ipſa Ec-

eleſiæ praxi, quæ non eſt ſollicita ut morituris adultis hoc Sacramentum miniſtretur; quod non omitteret pia Mater, ſi cenſeret eos ſub peccato mortali ad ejus ſuſceptionem teneri; ſi enim detur præceptum, maxime obligat in articulo mortis. Conf. 2. Eccleſia non ſolet præceptum abſolutum de Sacramentorum ſuſceptione ferre, ſed ſuppoſito præcepto divino determinat tempus quo obligat, ut patet in Sacramentis Euchariſtiæ, Pœnitentiæ, &c. Conf. 3. Non poteſt aſſignari tempus, quo iſtud præceptum per ſe obligat: non mortis articulus, ut dicebam in 1. Confirmatione: non tempus perſecutionis; licet enim fateamur tunc obligare, non tamen per ſe & directe, ſed per accidens ratione periculi, cui vincendo ſe parem præſumere non debet fidelis: non quando Epiſcopus adeſt præſens & paratus, & baptizatus nullam habet cauſam legitimam differendi, ut vult Tournely; cur enim potius tunc, quam cum poteſt adire Epiſcopum, & ab eo petere Confirmationem; aliunde ſuam opinionem probat laudatus Scriptor, quia juxta Concilium Senonenſe tunc eſſet contemnere Sacramentum; iſta autem obligatio non eſt directa & per ſe, ſed indirecta & per accidens. Inſuper dicam modo hoc Concilium non extare.

Prob. 2. pars: quia unicuique eſt præceptum naturale divinum, ut in periculo amittendæ fidei & ſalutis, quale urget tempore perſecutionis, aut gravium tentationum contra fidem, cui, propriæ infirmitatis conſcius, jure timet ſuccumbere, non negligat media divinitus inſtituta ad iſtud periculum propulſandum: foretque in hoc caſu inſtantis periculi contemptus Sacramenti & magna ſui præſumptio. Similiter eſt cuique præceptum non contemnendi Sacramentum, & non præbendi ſcandalum: & ideo ſi quis negligendo Confirmationem putaretur vel illam contemnere, vel non credere eſſe Sacramentum, aut aut alicujus utilitatis, teneretur ratione ſcandali vitandi illam ſuſcipere. Sed

Petes, utrum dicendus ſit contemnere ſaltem virtualiter Confirmationem, qui cum poteſt illam commode ſuſcipere, eam tamen non ſuſcipit, ut quando Epiſcopus adeſt præſens & paratus, & nulla ſubeſt cauſa legitima differendi? Reſpondent affirmative plures recentiores, Natalis Alex. Juenin, l'Herminier, Henno, Tournely, Bergi, &c. Verum, ſalva quæ tot viris doctis debetur reverentia, non ſatis capio, quare, qui non facit aliquid quia non tenetur illud facere, dicendus ſit illud contemnere. Num qui non profitetur conſilia Evangelica, quia ad illa non tenetur, dicitur illa contemnere? minime. Inſuper hi Scriptores vix aliud habent fundamentum ſuæ aſſertionis, quam Concilium Senonenſe, in quo legitur: *Contemni autem dicitur, quando Epiſcopus eſt præſens paratus dare, & perſona hoc ſciens negligit aut deſpicit ſuſcipere.* Verum, fatente ipſo Berti, iſta Synodus non reperitur: *Eam*, inquit, *me legiſſe non memini, neque in Binii, neque in Labbæi, neque in Harduini, neque in recentioribus collectionibus*. In hoc ergo caſu aliquam eſſe negligentiam ſalutis & perfectionis, ideoque culpam venialem non diffiteor; at eſſe contemptum mortalem non aſſequor.

Obj. 1. Contra 1. partem Concluſionis. Apoſtoli habuerunt præceptum a Chriſto expectandi Jeroſolymis plenitudinem Spiritus S. quæ eſt effectus Confirmationis. Ergo. R. Apoſtolis mandatum fuiſſe ne diſcederent ab Hieroſolymis, quia non ſolum accepturi erant plenitudinem gratiæ, ſed etiam erant inſtruendi & gratiis gratis datis donandi. Et hæc jubentur expectare Jeroſolymis: quod nihil probat contra Concluſionem.

Obj. 2. S. Thom. hic a. 6. ad 1. dicit: *Sicut nullus conſequitur effectum Baptiſmi ſine Baptiſmi voto, ita nullus conſequitur effectum Confirmationis ſine voto ipſius*. Ergo. R. N. Conſeq. Ex his enim verbis crude intellectis ſequeretur Sacramentum Confirmationis eſſe ſecundum D. Th. neceſſarium neceſſitate medii, ſicut Baptiſmus, quod eſt manifeſte contra litteram & mentem S. Doct. Dicendum itaque cum Sylvio votum Confirmationis non eodem modo requiri ac votum Baptiſmi, quia non eſt eadem utriuſque neceſſitas: effectus enim Confirmationis, qui eſt gratia aucta & roborans, poteſt ſine Confirmatione per alia Sacramenta & bona opera haberi. Intelligendum eſt itaque *Votum* in verbis Auctoris accommodate ad ea, quibus tribuitur, ita ut pro Confirmatione ſenſus ſit, quod effectus Confirmationis non habeatur ſine voto ipſius, id eſt ſine voluntate ſaltem implicita eam non negligendi in caſu neceſſitatis, nec eam contemnendi; quale votum habet, qui ſincere convertitur, volens ea, quæ Deus jubet, implere, & quæ ſalutis ſunt, quærere. Poſſet etiam dici cum Suare in comment. ad hunc articulum S. Th. loqui de neceſſitate Confirmationis in voto reſpective ad illos, qui coram Tyranno fidem propugnaturi, ſunt in periculo eam denegandi. Quidam intelligunt S. Thom. de effectu Confirmationis, qui eſt character, ſed hanc interpretationem non patitur ejus textus.

Obj. 3. Cap. *Omnes* de Conſecrat. d. 5. ex Urbano Papa dicitur: *Omnes fideles per manus impoſitionem Epiſcoporum Spiritum S. poſt Baptiſmum accipere debent*. Synodus Laodicena can. 48. *Oportet eos, qui illuminantur, poſt Baptiſmum inungi ſupercæleſti chriſmate*. Et alibi, atque ſimiliter apud ſanctos Patres. R. 1. His verbis, *Debent*, *oportet*, & ſimilibus non ſemper importari rigoroſum præceptum, ſed commendari magnam utilitatem: ſic nos pariter dicimus Fideles debere ſuſcipere Confirmationem: ſic omnes dicunt Chriſtianos debere frequenter confiteri, communicare, adeſſe divinis Officiis, &c. in quibus tamen loquendi modis nemo apprehendit rigoroſum præceptum. 2. Dato fuiſſe olim in Eccleſia præceptum de ſuſcipienda Confirmatione, vel in diſſuetudinem abiit, vel Eccleſia illud temperavit, ut patet ex hodierna ejus praxi & ex aliis probationibus concluſionis.

Obj. 4. cum Honor. Tournely. Tenetur quilibet Chriſtianus ad eam perfectionem contendere, quæ neceſſaria eſt, ut ſuæ ſecuritati conſulat, & pericula adverſus fidem conſtanter ſuperet. Atqui ad hoc neceſſarium eſt Sacramentum Confirmationis. Ergo. Prob. Min. ex D. T. 3. p. q. 72. a. 1. ad 3. ubi docet *Sacramentum hoc cooperari ad perfectionem ſalutis, & hoc modo eſſe de neceſſitate ſalutis*. Ergo. R. 1. Hoc Argumento probari Confirmationem eſſe neceſſariam non ſolum neceſſitate præcepti, ſed etiam medii, quod negat objiciens. 2 N. Min. Ad hoc enim ſufficit gratia baptiſmalis aucta & roborata per alia Sacramenta & bona opera, quamvis gratia Confirmationis ſit utilis, ut id melius præſtetur. Ad prob. Mirari profecto ſubit objicientem inveniſſe probatam ſuam Concluſionem a S. Th. eo in loco, in quo illam conceptis terminis rejicit. En verba S. Doct. *Omnia Sacramenta ſunt aliqualiter neceſſaria ad ſalutem, ſed quædam ſunt, ſine quibus non eſt ſalus; quædam vero ſunt, quæ cooperantur ad perfectionem ſalutis. Et hoc modo Confirmatio eſt de neceſſitate ſalutis, quamvis ſine ea poſſit eſſe ſalus, dum tamen non prætermittatur ex contemptu Sacramenti*. Eſt ergo ſecundum D. Th. Confirmatio neceſſaria perfectioni ſalutis, ſed iſta perfectio non eſt neceſſaria ſaluti, quippa quæ ſine illa haberi poteſt, modo non contemnatur.

Inſt. 1. Tenetur quilibet fidelis eſſe plenus & perfectus Chriſtianus. Atqui ad hanc plenitudinem & perfectionem conſequendam inſtituta eſt Confirmatio. Ergo. R. D. Maj. (*In 4. diſt. 7. q. 1. a. 1. q. 2. ad 2.*) Tenetur quilibet fidelis eſſe plenus & perfectus Chriſtianus, plenitudine & perfectione ſufficientiæ, C. Plenitudine & perfectione abundantiæ, N. Et ad hunc ſenſum diſtincta Min. N. Conſeq.

Inſt. 2. Nemo poteſt etiam ſufficienter augeri corporaliter, niſi per medium a natura ad id inſtitutum, ſcilicet per nutritionem. Ergo neque poteſt etiam ſufficienter augeri ſpiritualiter niſi per medium a Chriſto inſtitutum, quod eſt Confirmatio. R. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod nutritio ſit unicum medium augmenti corporalis: at Confirmatio, licet facilius & copioſius per illam homo augeatur ſpiritualiter, non eſt tamen medium unicum augmenti ſpiritualis ſufficientis, quia, ut dictum eſt, habita gratia baptiſmali, poteſt homo per frequentationem aliorum Sacramentorum & opera bona acquirere ſufficiens augmentum gratiæ.

Petes, Utrum Confirmatio ſit præmittenda primæ Tonſuræ & ſacris Ordinibus? R. Affirmative. Ita Trid. ſeſſ. 23. cap. 4. de Ref. his verbis: *Prima Tonſura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non ſuſceperint*. Utrum autem his verbis contineatur rigoroſum præceptum, an conſilium tantum? diſputatur. Pro conſilio ſtant Navarrus, Soto, Suares, Sylvius, Salmanticenſes, &c. Pro præcepto Baſilius Poncius, Parvacques, Vanroy, Berti, &c. Primis favet, quod Eccleſia non videatur intelligere de præcepto rigoroſo. Quando enim prima Tonſura initiandus habere non poteſt ſuæ Confirmationis teſtimonium (quod ſæpe contingit in iis Diœceſibus, in quibus nunc non aſſumuntur amplius Patrini, nec confirmati inſcribantur in aliquo Regeſto) Epiſcopi, non requiſito juramento, ſed ſimplici affirmatione tonſurandi ſe eſſe confirmatum, illum ad Tonſuram admittunt.

ARTICULUS XI.

De Effectibus Confirmationis.

GRATIAM ſanctificantem eſſe communem effectum omnium Sacramentorum oſtendimus Tract. de Sacram. in communi Diſſ. 3. a. 1. Quodlibet Sacramentum addere aliquem modum ſeu vigorem cum jure ad auxilia ſpecialia pro Actibus ſibi propriis eliciendis, diximus ibid. a. 5. (*Hic a. 3. a. 7. o. & ad 3.*) Specialis itaque effectus Confirmationis eſt augmentum gratiæ, quo homo roboratur ad profitendam fidem, & acquirit jus ad auxilia ſpecialia pro illa profeſſione conſtanter peragenda. His itaque jam diſcuſſis nunc non immoramur,

Di-

Dico: Alter effectus Confirmationis eſt character indelebiliter animæ impreſſus. Præter Conc. Flor. in Decreto unionis, & Trid. ſeſſ. 7. can. 9. ubi ita definitum eſt, laudatur illud Apoſtoli 2. Cor. 1. *Qui unxit nos Deus, & ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris.* De quo ſupra. Item Auctor Conſtit. Apoſt. l. 3. c. 16. Tert. de Præſcript. c. 40. Cornelius Papa Ep. ad Fabium. S. Cypr. Ep. 73. ad Jubajan. Innoc. I. Ep. ad Decent. S. Ambroſ. l. 3. de Sac. c. 2. Aug. l. 3. cont. Litt. Petil. Greg. II. Ep. 13 ad Bonif. Conc. Tolet. 8. an. 653. c. 7. & Cabilonen. 2. an. 813. can. 7.

Prima & præcipua ratio eſt inſtitutio Chriſti, quæ nobis per traditionem conſtat. Altera ratio eſt, quia Confirmatio per modum Conſecrationis confertur; quæ autem ſunt ſemel conſecrata, quamdiu integra ſubſiſtunt, ſemper conſecrata manent. (*Hic n. 5. 2.*) Tertia ratio eſt, quia character eſt quædam ſpiritualis poteſtas ad aliquas ſacras actiones ordinata: ſicut autem in Baptiſmo accipit homo poteſtatem ad ea agenda, quæ ad propriam pertinent ſalutem, prout ſcilicet ſecundum ſeipſum vivit, ſic in Confirmatione accipit homo poteſtatem ad agenda ea, quæ pertinent ad pugnam ſpiritualem contra fidei hoſtes.

Una ſe offert difficultas. Confirmatio olim iterabatur in Eccleſia, quod dici non poteſt de Sacramento imprimento characterem. Ergo. Prob. Ant. in cujus ſolutione operoſe laborant recentiores Theologi. Qui in Hæreſi baptizati convertebantur, recipiebantur in Eccleſia Occidentali per manus impoſitionem, in Orientali per unctionem chriſmatis; alicubi per ſolam veram pœnitentiam. Ita refert S. Greg. l. 11. Ep. 67. alias l. 9. Ep. 61. Græci cum unctione chriſmatis adjungunt hæc verba, *ſignaculum Spiritus S.* ut conſtat ex can. 7. Conc. generalis Conſtantinop. 1. Atqui iſte ritus erat confirmatorius, præſertim ubi accedebant verba laudata, quæ ſunt apud Græcos forma Confirmationis. Ergo. R. N. Ant. ad prob. D. Min. Iſte ritus erat confirmatorius pro iis, qui in hæreſi non fuerant confirmati, Tranſeat: pro iis, qui fuerant confirmati, N. Erat enim dumtaxat pro illis reconciliativus. Id autem conſtat 1. ex ſolemni Decreto Stephani contra Rebaptizantes: *Si quis*, inquit, *a quacumque hæreſi venit ad nos, nihil innovetur, niſi quod traditum eſt, ut manus illi imponatur ad pœnitentiam.* Impoſitio autem manus ad pœnitentiam non eſt confirmatoria, ſed cæremonialis & reconciliatoria. Et cum iſtud Decretum ſit generale, loquens indiſcriminatim de omnibus Hæreticis, male quidam reſtringunt ad Hæreticos apoſtatas, qui in Eccleſia fuerant baptizati; nihilque definiviſſet contra Cyprianum, qui fatebatur Hæreticos baptizatos in Eccleſia non eſſe rebaptizandos. 2. Ex Innoc. I. Ep. 18. ubi ſcribit *Arianos baptizatos in hæreſi ſuſcipi in Eccleſia per manus impoſitionem ſub imagine pœnitentiæ.* Dicit *ſub imagine pœnitentiæ*, quia eorum pœnitentia longe erat levior, quam illorum, qui in Eccleſia baptizati ab illa apoſtataverant. 3 Ex Aug. l. 5. de Bapt. c. 23. *Manus autem impoſitio*, inquit, *ſi non adhiberetur ob hæreſi venienti, tamquam extra omnem culpam eſſe judicaretur: propter autem charitatis copulationem, quod eſt maximum donum Spiritus S. ſine quo non valent ad ſalutem quæcumque alia ſancta in homine fuerint, manus Hæreticis correctis imponitur.* Audis manum imponi Hæreticis, non ut confirmentur, ſed ne videantur extra omnem culpam, & propter charitatis copulationem, quod eſt maximum donum Spiritus S. 4. Ratione Theologica. Semper fuit conſtans Eccleſiæ dogma, Sacramentum Confirmationis, non minus quam Baptiſmi, collatum ab Hæreticis eſſe validum; pariter ſemper fuit conſtans Eccleſiæ dogma Sacramentum Confirmationis valide collatum eſſe initerabile. Ergo ritus ille, quo baptizati in hæreſi recipiebantur, non erat confirmatorius pro his, qui jam erant confirmati.

Inſt. 1. Ritus, in quo reperitur materia, forma, & Miniſter Sacramenti Confirmationis, eſt confirmatorius. Atqui in illo ritu reperitur materia, forma, & Miniſter Confirmationis, ut conſtat ex laudato Canone Concilii Conſtantinop. & ex S. Methodio apud Patrem Goar in Euchologio Græcorum. Ergo. R. de laud. Canone Conſtantin. varias eſſe Auctorum opiniones. 1. Quidam ſuſpicantur eſſe ſuppoſititium, quia nomen *Sabbatianorum*, quos appellat, teſte Socrate l. 5. c. 21. eſt poſterius Concilio Conſtantinop. nec in Paraphraſi Arabica apud Harduinum reperitur; dicitque 4. dumtaxat Canones eo in Concilio fuiſſe conditos. 2. Quidam, ſuppoſito hoc Canone legitimo, reſpondent in eo non agi de ritu confirmatorio, ſed reconciliatorio. Unde diſtinguunt Majorem ſic: Ritus, in quo reperitur forma, materia, & Miniſter Sacramenti Confirmationis, cum intentione efficiendi Sacramenti, eſt confirmatorius, C. Sine intentione conficiendi Sacramenti, N. Non ſufficit ergo ad eſſe ſacramentale, quod adſint materia, forma, & Miniſter, ſi ex intentione, circumſtantiis, & precibus adjunctis ritus determinetur ad aliud, ut hic contingit. 3. Quidam concedunt in eo Canone agi de ritu confirmatorio, ſed reſpective ad eos, qui baptizati in hæreſi non acceperunt Confirmationem, quales eſſe volunt omnes in eo Canone numeratos, Arianos, Macedonianos, Sabbatianos, Novatianos, Teſſeradecatitas & Apollinariſtas. Quis enim, inquiunt, oſtendet omnes hos Hæreticos, Spiritus S. impugnatores, non contempſiſſe hoc ejus ſignaculum, aut non adulteraſſe formam, aut chriſmatos fuiſſe ab Epiſcopis? Neque enim in illorum Presbyteris præſumenda eſt permiſſio ſummi Pontificis, vel Eccleſiæ conſenſio, qualis requiritur, ut Presbyteri Græci valide confirment. Ad Methodium, quidam cenſent eum non fuiſſe S. Methodium, ſed quemdam recentiorem Methodium apoſtatam. Sed dato fuiſſe S. Methodium, ſecunda vel tertia reſponſio præcedens adhibenda eſt.

Inſt. 2. S. Cypr. Ep. ad Jubajan. & Ep. ad Stephanum 1. contendit Hæreticos recipiendos eſſe per Baptiſmum & Confirmationem. 2. Supponit ut certum, Stephanum recipere Hæreticos per Confirmationem; inde enim contra ipſum, ad probandum invalidum eſſe Baptiſma Hæreticorum, & ideo pariter iterandum, ſic arguit. Si nulla eſt Confirmatio Hæreticorum & ideo iteranda: ergo pariter eſt nullum eorum Baptiſma, & ideo iterandum. Et in Ep. ad Stephanum addit: *Ut utroque Sacramento illi renaſcantur.* R. ad 1. Mirum videri non debet Cyprianum, qui rejiciebat Baptiſmum Hæreticorum, rejeciſſe etiam eorum Confirmationem, & in utroque erraſſe. Ad 2. 1. Si revera ſuppoſuit Cyprianus Stephanum recepiſſe Hæreticos per Confirmationem, ejus mentem, æſtu diſputationis abreptus, non fuit aſſecutus. 2. Sed verius videtur Cyprianum ſuppoſuiſſe Stephanum imponere manus Hæreticis redeuntibus, ut acciperent Spiritum S., ex quo, juxta falſum ſuum principium, inferebat contra Stephanum, eorum Baptiſma eſſe nullum: in eo enim errore verſabatur Cyprianus, ut alibi obſervavimus ex Aug. quod non ſatis diſtingueret inter Sacramentum & rem Sacramenti, contenderetque nullum eſſe Sacramentum, quod effectu ſuo careret: ex hoc enim falſo principio ſic arguebat: Stephanus imponit manus Hæreticis redeuntibus, ut accipiant Spiritum S. & remiſſionem peccatorum. Ergo neutrum acceperant apud Hæreticos. Ergo nec verum Baptiſma, quod non poteſt eſſe ſine S. Spiritu & remiſſione peccatorum. Ad verba, quæ addit in Ep. ad Stephanum: vel ex propria ſententia locutus eſt, vel in falſo ſuppoſito de mente & ritu S. Stephani; vel quod verius videtur, per utrumque Sacramentum non intellexit Baptiſmum & Confirmationem, ſed aquam & Spiritum S. tum quia nemo dixit homines renaſci ex Confirmatione: tum quia ad probandum Hæreticus debere renaſci ex utroque Sacramento, aſſumit illud Jo. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. &c.* quaſi diceret: qui baptizatur ab Hæreticis, non renaſcitur ex Spiritu S. Ergo non valide baptizatur, nec vere renaſcitur; ſpiritualis enim renaſcentia non eſt ex ſola aqua, ſed etiam ex Spiritu S. Ergo debet *ex utroque Sacramento* renaſci, id eſt, ex aqua & Spiritu S. ſumens Sacramentum in latiori ſignificatione.

Inſt. 3. Aug. l. 3. de Bapt. c. 16. dicit: *Manus autem impoſitio, non, ſicut Baptiſmus, repeti non poteſt.* Ergo. R. Aug. aperte loqui de impoſitione manus non confirmatoria, ſed cæremoniali & reconciliatoria, ut patet ex his verbis immediate ſequentibus: *Quid eſt enim aliud, quam oratio ſuper hominem?*

Inſt. 4. Impoſitio manuum, ſed etiam unctio, quæ fit in Spiritum S. eſt confirmatoria. Atqui non ſolum ex Cypr. & Aug. ſed etiam ex Conc. Arelat. 2. can. 8. Siricio Ep. ad Himer. Innoc. I. Ep. 22. &c. redeuntibus ab hæreſi manus imponebantur, aut unctio adhibebatur ut acciperent Spiritum S. Ergo. R. D. Maj. Impoſitio manuum ſeu unctio, quæ fit in Spiritum S. tamquam cauſa per ſe illius & ex opere operato, eſt confirmatoria, C. Tamquam cauſa per accidens removens prohibens & ex opere operantis, N. Ad cujus ſenſum diſtincta Min. N. Conſeq. Quando ergo SS. Patres dicunt unctionem ſeu impoſitionem manuum fieri redeuntibus, ut acciperent Spiritum S. non intelligunt hanc impoſitionem ſeu unctionem vi ſua & ex opere operato producere gratiam & Spiritum S. quod eſt proprium Sacramentorum, ſed opere operantis & tamquam removens prohibens, ſed potius tamquam ſignum pœnitentiæ & reconciliationis cum Eccleſia, quæ removet, ut loquitur Aug. cit. l. 3. de Bapt. c. 13. *Diſcordiæ fœditatem & diſſenſionis iniquitatem*, qua impediebatur Baptiſmus, ne vim ſuam exerceret, & Spiritum S. ac remiſſionem peccatorum conferret, eo modo quo diximus de Baptiſmo ficte ſuſcepto, qui ſublata fictione reviviſcit. Ita expreſſe Aug. l. 1. de Bap. c. 12.

Petes 1. Utrum qui Confirmationem iteraret, fieret irregularis, ſicut de iterantibus Baptiſmum dictum eſt? R. probabilius negative: quia irregularitas non incurritur, niſi ſit in jure expreſſa; hæc autem nullibi reperitur in jure.

Petes 2. Utrum character Confirmationis neceſſario præſupponat characterem Baptiſmi? R. affirmative, (*Hic n. 6. 0.*)

ita quod ſi aliquis non baptizatus confirmaretur, nihil reciperet. Ratio eſt. 1. quia, ut jam alibi dixi, Baptiſmus eſt janua aliorum Sacramentorum, neque quia fieri poteſt particeps Chriſti, niſi in ejus corpus myſticum ſit cooptatus. (*Ib.*) 2. Quia ſic ſe habet Confirmatio ad Baptiſmum ſicut augmentum ad generationem; unde a Conciliis & Patribus Confirmatio dicitur conſummatio & perfectio Baptiſmi. Atqui nullus poteſt promoveri in ætatem perfectam, niſi primo fuerit natus. Ergo. 3. Id conſtat ex continuata ab Apoſtolis praxi Eccleſiæ, quæ nunquam niſi baptizatis contulit Sacramentum Confirmationis.

ARTICULUS X.

De Ritibus Confirmationis.

DE Ritibus obſervandis circa confectionem chriſmatis, unctionem in fronte, & diſpoſitiones confirmandorum, jam dixi hinc & inde in ſuperioribus: reſtat breviter dicendum de Patrinis, Alapa, & Vittis ſeu Faſciolis.

I. Patrinos eſſe aſſumendos in Confirmatione teſtatur antiqua Eccleſiæ praxis, cujus mentio fit in Sacramentario S. Greg. in Ordine Rom. cap. *In Catechiſmo*, cap. *Non plures*, & cap. *In Baptiſmate*, de Conſecr. diſt. 4. (*Hic a. 10. c.*) Ratio hujus cæremoniæ eſt, quia hoc Sacramentum datur ad robur pugnæ ſpiritualis: illi autem qui aſſumuntur ad pugnam, indigent Eruditoribus, a quibus inſtruantur de his, quæ pertinent ad modum certaminis. Aſſumendi ſunt ad hoc officium baptizati & confirmati, mares pro maribus, fœminæ pro fœminis: debent ſcire ad minus Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam & Symbolum Apoſtolorum. Excluduntur Pater & Mater confirmandi propter cognationem ſpiritualem, quam ſuſcipiens contraheret cum comparte: Junior non debet ſuſcipere ſeniorem. Si ſit infans confirmandus, Patrinus vel Matrina debet illum ſuſcipere dextra. Si ſit adultus, debet ponere pedem ſuum ſuper pedem dextrum ſuſceptoris. Si nomen confirmandi ſit turpe, vel ridiculum, debet ſuſceptor curare ut mutetur. Si quis non confirmatus alium ſuſcipiat, peccat; incurrit tamen cognationem, cujus eſt capax ratione Baptiſmi, & onus officii ſuſcepti, quod eſt filiolum exemplo & doctrina inſtruere ad pugnam contra fidei hoſtes. In quibuſdam Diœceſibus non aſſumuntur amplius Patrini.

II. Statim ac Epiſcopus formam Sacramenti pronuntiavit, levem alapam infligit in maxillam confirmati, tum ut meminerit ſe eſſe confirmatum, tum maxime ut agnoſcat, inquit Catechiſmus Rom. p. 2. §. 20. ſe tamquam fortem athletam paratum eſſe oportere ad omnia adverſa invicto animo pro Chriſti nomine ferenda. Deinde pax ei datur, ut intelligat ſe gratiæ cæleſtis plenitudinem & pacem, quæ exuperat omnem ſenſum, conſecutum fuiſſe. Tempus inſtitutionis hujus Ritus incertum eſt. Fertur tamen in Manuſcripto Vaticano annorum 400. & in altero Bibliothecæ Angelicæ annorum 500. mentionem de illo haberi. III. Vitta ſeu faſciola linea frons confirmati circumligatur, ne chriſma defluat & profanationi pateat. Manebat olim frons confirmati circumligata 7. diebus, poſtea 3. deinde 24. horis; tandem in pluribus Diœceſibus, omiſſa faſciola, ſtatim abſtergitur frons confirmati. Ubi vero adhuc ſervatur uſus faſciolæ, debet tolli & chriſma abſtergi a Sacerdote, deinde faſciola comburenda, & cineres in Eccleſia vel atrio ſub terra abſcondi: quod ſi in uſum Eccleſiæ deputetur (nunquam enim in profanum uſum poteſt transferri) debet prius lavari ſale & aqua in ſacrarium fundenda. Hi omnes Ritus ex variis Synodis ſunt collecti.

TRACTATUS
DE ALMO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

Div. Thom. a Q. 73. ad Q. 83.

SUMMA
DOCTRINÆ CATHOLICÆ
DE EUCHARISTIA
EX CONCILIIS FLORENTINO ET TRIDENTINO.

Decretum Concili Florentini pro Inſtructione Armenorum
(*Sub Eugenio IV. anno 1439. S. Thom. opuſc. 5.*)

TErtium eſt Euchariſtiæ Sacramentum, cujus materia eſt panis triticeus & vinum de vite, cui ante Conſecrationem aqua modiciſſima admiſceri debet. Aqua autem ideo admiſcetur, quoniam juxta teſtimonia SS. Patrum ac Doctorum Eccleſiæ pridem in diſputatione exhibita, creditur, ipſum Dominum in vino aqua permixto hoc inſtituiſſe Sacramentum. Deinde quia hoc convenit Dominicæ Paſſionis repræſentationi. Inquit enim Beatus Alexander Papa V. a Beato Petro: In Sacramentorum oblationibus, quæ intra Miſſarum ſolemnia Domino offeruntur, panis tantum & vinum aqua permixtum in Sacrificium offerantur. Non enim debet in Calicem Domini aut vinum ſolum, aut aqua ſola offerri, ſed utrumque permixtum: quia utrumque, id eſt, ſanguis & aqua ex latere Chriſti profluxiſſe legitur. Tum etiam, quod convenit ad ſignificandum hujus Sacramenti effectum, qui eſt unio Populi Chriſtiani ad Chriſtum. Aqua enim Populum ſignificat, ſecundum illud Apocalypſis (Apoc. 17.): Aquæ multæ, Populi multi. *Et Julius Papa II. poſt Beatum Sylveſtrum ait: Calix Dominicus juxta Canonum præceptum, vino & aqua permixtus debet offerri; quia videmus in aqua Populum intelligi, in vino vero oſtendi ſanguinem Chriſti. Ergo cum in Calice vinum & aqua miſcetur, Chriſto Populus adunatur, & fidelium plebs ei, in quem credidit, copulatur & jungitur. Cum ergo tam ſancta Romana Eccleſia a Beatiſſimis Apoſtolis Petro & Paulo edocta, quam reliquæ omnes Latinorum Græcorumque Eccleſiæ, in quibus omnis ſanctitatis & Doctrinæ lumina claruerunt, ab initio naſcentis Eccleſiæ ſic ſervaverint & nunc ſervent, inconveniens admodum videtur, ut alia quævis Regio ab hac univerſali & rationabili diſcrepet obſervantia. Decernimus igitur, ut etiam ipſi Armeni ſe cum univerſo orbe Chriſtiano conforment, eorumque Sacerdotes in Calicis oblatione paululum aquæ, prout dictum eſt, admiſceant vino. Forma hujus Sacramenti ſunt verba Salvatoris, quibus hoc conficit Sacramentum. Sacerdos enim in Perſona Chriſti loquens hoc conficit Sacramentum. Nam ipſorum verborum virtute ſubſtantia panis in Corpus Chriſti, & ſubſtantia vini in Sanguinem convertuntur; ita tamen quod totus Chriſtus continetur ſub ſpecie panis & totus ſub ſpecie vini; ſub qualibet quoque parte Hoſtiæ conſecratæ & vini conſecrati, ſeparatione facta, totus eſt Chriſtus. Hujus Sacramenti effectus, quem in anima operatur digne ſumentis, eſt adunatio hominis ad Chriſtum. Et quia per gratiam homo Chriſto incorporatur & membris ejus unitur, conſequens eſt quod per hoc Sacramentum in ſumentibus digne gratia augeatur; omnemque effectum, quem materialis cibus & potus quoad vitam agunt corporalem, ſuſtentando, augendo, reparando & delectando, Sacramentum hoc quoad vitam operatur ſpiritualem, in quo, ut inquit Urbanus Papa, gratam Salvatoris noſtri recenſemus memoriam, a malo retrahimur, confortamur in bono, & ad virtutum & gratiarum proficimus incrementum.*

Ca-

Canones Concilii Tridentini de ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento (*Seſſ. 13. 11. Octobris 1551. ſub Julio III.*)

I. S*I quis negaverit, in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento contineri vere, realiter & ſubſtantialiter Corpus & ſanguinem, una cum anima & divinitate Domini noſtri Jeſu Chriſti, ac proinde totum Chriſtum; ſed dixerit tantummodo eſſe in eo ut in ſigno, vel figura, aut virtute; anathema ſit.*

II. Si quis dixerit, in ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento remanere ſubſtantiam panis & vini, una cum Corpore & Sanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti; negaverit mirabilem illam & ſingularem converſionem totius ſubſtantiæ panis in Corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, manentibus dumtaxat ſpeciebus panis & vini; quam quidem converſionem Catholica Eccleſia aptiſſime Tranſſubſtantiationem appellat; anathema ſit.

III. Si quis negaverit, in venerabili Sacramento Euchariſtiæ ſub unaquaque ſpecie, & ſub ſingulis cujuſque ſpeciei partibus, ſeparatione facta, totum Chriſtum contineri; anathema ſit.

IV. Si quis dixerit, peracta conſecratione, in admirabili Euchariſtiæ Sacramento non eſſe Corpus & Sanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſed tantum in uſu, dum ſumitur, non autem ante vel poſt, & in hoſtiis ſeu particulis conſecratis, quæ poſt Communionem reſervantur vel ſuperſunt, non remanere verum corpus Domini; anathema ſit.

V. Si quis dixerit, vel præcipuum fructum ſanctiſſimæ Euchariſtiæ eſſe remiſſionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire; anathema ſit.

VI. Si quis dixerit, in ſancto Euchariſtiæ Sacramento Chriſtum unigenitum Dei Filium non eſſe cultu latriæ, etiam externo, adorandum, atque ideo nec feſtiva peculiari celebritate venerandum, neque in Proceſſionibus, ſecundum laudabilem & univerſalem Eccleſiæ ſanctæ ritum & conſuetudinem, ſolemniter circumgeſtandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, & ejus adoratores eſſe Idololatras; anathema ſit.

VII. Si quis dixerit, non licere ſacram Euchariſtiam in ſacrario reſervari, ſed ſtatim poſt Conſecrationem adſtantibus neceſſario diſtribuendam; aut non licere, ut illa ad infirmos honorifice deferatur; anathema ſit.

VIII. Si quis dixerit, Chriſtum in Euchariſtia exhibitum ſpiritualiter tantum manducari & non etiam ſacramentaliter ac realiter; anathema ſit.

IX. Si quis negaverit, omnes & ſingulos Chriſti fideles utriuſque ſexus, cum ad annos diſcretionis pervenerint, teneri ſingulis annis, ſaltem in Paſchate, ad communicandum juxta præceptum S. Eccleſiæ; anathema ſit.

X. Si quis dixerit, non licere Sacerdoti celebranti ſeipſum communicare; anathema ſit.

XI. Si quis dixerit, ſolam fidem eſſe ſufficientem præparationem ad ſumendum SS. Euchariſtiæ Sacramentum; anathema ſit. Et ne tantum Sacramentum indigne, atque ideo in mortem & condemnationem ſumatur, ſtatuit atque declarat ipſa S. Synodus illis, quos conſcientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam ſe contritos exiſtiment, habita copia Confeſſoris, neceſſario præmittendam eſſe Confeſſionem ſacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare vel pertinaciter aſſerere, ſeu etiam publice diſputando defendere præſumpſerit, eo ipſo excommunicatus exiſtat.

Canones ejuſdem Concilii Tridentini de Communione ſub utraque ſpecie & parvulorum (*Seſſ. 21. 16. Julii 1562. ſub Pio IV.*).

I. S*I quis dixerit, ex Dei præcepto vel neceſſitate ſalutis, omnes & ſingulos Chriſti fideles utramque ſpeciem ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti ſumere debere; anathema ſit.*

II. Si quis dixerit, S. Eccleſiam Catholicam non juſtis cauſis & rationibus adductam fuiſſe, ut Laicos, atque etiam Clericos non conficientes ſub panis tantummodo ſpecie communicaret, aut in eo erraſſe; anathema ſit.

III. Si quis negaverit, totum & integrum Chriſtum omnium gratiarum fontem & auctorem ſub una panis ſpecie ſumi, quia, ut quidam falſo aſſerunt, non ſecundum ipſius Chriſti inſtitutionem ſub utraque ſumatur; anathema ſit.

IV. Si quis dixerit, parvulis, antequam ad annos diſcretionis pervenerint, neceſſariam eſſe Euchariſtiæ Communionem; anathema ſit.

Canones ejuſdem Concilii Tridentini de Sacrificio Miſſæ. (*Seſſ. 22. 17. Septemb. 1562. ſub Pio IV.*)

I. S*I quis dixerit, in Miſſa non offerri Deo verum & proprium ſacrificium, aut quod offerri non ſit aliud, quam nobis Chriſtum ad manducandum dari; anathema ſit.*

II. Si quis dixerit, illis verbis: Hoc facite in meam commemorationem, *Chriſtum non inſtituiſſe Apoſtolos Sacerdotes; aut non ordinaſſe, ut ipſi aliique Sacerdotes offerrent Corpus & Sanguinem ſuum; anathema ſit.*

III. Si quis dixerit, Miſſæ Sacrificium tantum eſſe laudis & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium; vel ſoli prodeſſe ſumenti; neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, ſatisfactionibus & aliis neceſſitatibus offerri debere; anathema ſit.

IV. Si quis dixerit, blaſphemiam irrogari ſanctiſſimo Chriſti Sacrificio in cruce peracto per Miſſæ Sacrificium, aut illi per hoc derogari; anathema ſit.

V. Si quis dixerit, impoſturam eſſe Miſſas celebrare in honorem Sanctorum, & pro illorum interceſſione apud Deum obtinenda, ſicut Eccleſia intendit; anathema ſit.

VI. Si quis dixerit, Canonem Miſſæ errores continere, ideoque abrogandum eſſe; anathema ſit.

VII. Si quis dixerit, cæremonias, veſtes & externa ſigna, quibus in Miſſarum celebratione Eccleſia Catholica utitur, irritabula impietatis eſſe magis, quam officia pietatis; anathema ſit.

VIII. Si quis dixerit, Miſſas, in quibus ſolus Sacerdos ſacramentaliter communicat, illicitas eſſe, ideoque abrogandas; anathema ſit.

IX. Si quis dixerit, Eccleſiæ Romanæ ritum, quo ſummiſſa voce pars Canonis & verba Conſecrationis proferuntur, damnandum eſſe; aut lingua tantum vulgari Miſſam celebrari debere; aut aquam non miſcendam eſſe vino in Calice offerendo, eo quod ſit contra Chriſti inſtitutionem; anathema ſit.

Euchariſtia dupliciter conſiderari poteſt. 1. Reſpective ad homines, quos ſanctificat, ſub quo ratione eſt Sacramentum. 2. Reſpective ad Deum, quem colit & placat, ſub qua ratione eſt Sacrificium. De Euchariſtia ut eſt Sacramentum, dicemus primo, deinde de illa ut eſt Sacrificium.

DISSERTATIO IV.

DE VERITATE ET EXISTENTIA EUCHARISTIÆ:

SIVE

DE VERA ET REALI PRÆSENTIA CHRISTI IN EUCHARISTIA.

Div. Thom. quæſt. 75.

QUAMVIS S. Th. celeberrimam hanc quæſtionem & alteram de tranſſubſtantiatione expendat intra quæſtione 75. quia tamen omnia in hoc Tractatu dicenda, realem Chriſti præſentiam & tranſſubſtantiationem ſupponunt, more ab hodiernis Scholaſticis plerumque uſurpato, utramque quæſtionem toti Tractatui præmittimus, prius tamen propoſitis, quæ de nominibus, figuris & definitionibus hujus Sacramenti circumferuntur.

ARTICULUS I.

De variis nominibus, figuris & definitionibus Sacramenti Euchariſtiæ.

NOMINA.

VARIIS (*Hic q. 73 a. 4. o.*) nominibus convenienter inſignitur hoc Sacramentum ſecundum varias ejus ſignificationes. 1. Habet ſignificationem reſpectu præteriti, in quantum eſt commemorativum Dominicæ Paſſionis, quæ fuit verum Sacrificium, & ſecundum hoc nominatur *Sacrificium*. Aliam habet ſignificationem reſpectu rei præſen-

tis,

tis, ſcilicet Eccleſiaſticæ unitatis, quatenus per illud ſpecialiter communicamur Chriſto, & unimur ad invicem, juxta illud 1. Cor. 10. *Unus panis & unum corpus multi ſumus, omnes qui de uno pane & de uno calice participamus*; & ſecundum hoc nominatur *Communio* & *Synaxis*. Tertiam habet ſignificationem reſpectu futuri, in quantum eſt præfigurativum fruitionis Dei, quæ erit in patria, & ſecundum hoc dicitur *Viaticum*, quia hic nobis præbet viam illac perveniendi. Propter eandem rationem nominatur *Euchariſtia*, id eſt bona gratia, tum quia *gratia Dei vita æterna*, tum quia continet Chriſtum qui eſt fons gratiæ. Quidam intelligunt etiam per Euchariſtiam gratiarum actionem, quia Chriſtus in ejus inſtitutione gratias egit, & offertur in gratiarum actionem: unde Sacerdos dicit: *Quid retribuam Domino &c.*

Sunt & alia hujus Sacramenti nomina, ſive ratione materiæ, ſive ratione effectus, ſive ratione rei contentæ. Ratione materiæ dicitur *Panis vitæ*, *panis qui de Cœlo deſcendit*, *panis Angelorum*, *panis ſuperſubſtantialis*. Ratione effectus dicitur *Sacramentum gratiæ*, *gratia ſalutaris*. Ratione rei contentæ dicitur *Corpus Chriſti*, *corpus Dominicum*; &c. Item dicitur *Menſa Domini*, *ſacrum Convivium*, quia eſt inſtitutum per modum convivii ſpiritualis animæ. Dicitur *Cœna Dominica*, quia fuit inſtitutum in noviſſima Cœna. Volunt tamen quidam hoc nomine parce utendum; quia illo abutuntur Hæretici, ut ſuadeant hoc Sacramentum conſiſtere in uſu ſeu actu cœnandi, nec ad ejus ſumptionem requiri jejunium. Item dicitur *Eulogia*, id eſt Benedictio. Verum hoc nomen etiam tribuebatur pani benedicto, qui loco Euchariſtiæ diſtribuebatur iis, qui ex cauſa legitima & inculpabili abſtinebant a Communione.

Dictum eſt aliquando *Agapa*, id eſt dilectio. Agapæ autem erant Conventus convivales, qui fiebant in Eccleſia, ut foveretur mutua inter Chriſtianos dilectio, atque inde juvarentur pauperes: & quia hæc convivia præcedebat Euchariſtiæ celebratio, ideo nomen Agapæ illi tributum eſt, cum ſit aliunde ſummæ Dei dilectionis argumentum, & fraternæ charitatis ſymbolum.

FIGURÆ.

TRIA (*Ibid. a. 6. o.*) in hoc Sacramento conſiderare poſſumus. Primum id, quod eſt Sacramentum tantum, quod eſt panis & vinum, ſeu illorum ſpecies. Secundum id, quod eſt res & Sacramentum, ſcilicet corpus Chriſti. Tertium, quod eſt res tantum, ſcilicet effectus hujus Sacramenti ſeu gratia: & hæc tria poſſunt conſiderari vel ſingula ſeorſim & diviſive, vel omnia ſimul collective. Si conſiderentur ſingula ſeorſim: (*Ibid.*) quantum ad id, quod eſt Sacramentum tantum, potiſſima figura hujus Sacramenti fuit oblatio Melchiſedech, qui obtulit panem & vinum. Quantum ad id, quod eſt res & Sacramentum, ſcilicet Chriſtum paſſum, qui continetur in hoc Sacramento, figuræ ejus fuerunt omnia Sacrificia veteris Teſtamenti, præcipue ſacrificium expiationis, quod erat ſolemniſſimum, in quo immolabantur duo Arietes in Holocauſtum, Vitulus pro peccato Sacerdotis, & Hircus pro peccato populi Levit. c. 16. Quantum ad effectum, Manna fuit præcipua ejus figura, quippe quæ habebat in ſe omnis ſaporis ſuavitatem, ſicut gratia hujus Sacramenti quantum ad omnia reficit animam.

Si vero hæc tria (*Ibid.*) ſimul collective conſiderentur, figura hujus Sacramenti fuit *Agnus Paſchalis*. Quantum ad 1. quia manducabatur cum panibus azymis. Quantum ad 2. quia immolabatur ab omni multitudine filiorum Iſrael luna decima quarta, quod fuit figura Paſſionis Chriſti, qui propter innocentiam dicitur Agnus. Quantum ad 3. quia per ſanguinem Agni Paſchalis protecti ſunt filii Iſrael a devaſtante Angelo & de Ægyptiaca ſervitute educti. Unde Agnus Paſchalis ponitur præcipua hujus Sacramenti figura.

DEFINITIONES.

EUCHARISTIA phyſice conſiderata, prout conſtat ex materia & forma, definiri poteſt: *Species panis & vini conſecratæ ſub præſcripta verborum forma, continentes verum corpus & ſanguinem Chriſti ad cauſandam gratiam cibantem animam*. Metaphyſice ſumpta, prout conſtat genere & differentia, definitur: *Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti ad ſpiritualem animæ refectionem inſtitutum*. Vel: *ſignum ſenſibile corporis & ſanguinis Domini realiter ſub ipſa contenti, ad producendam gratiam ſpiritualiter nutrientem*. Hæ definitiones patebunt ex dicendis.

ARTICULUS II.

De variis erroribus circa veritatem Euchariſtiæ.

1. PRimi huic fidei articulum impugnarunt Capharnaitæ & quidam Chriſti Diſcipuli, ut patet Joan. 6. ubi legitur eos non potuiſſe capere promiſſionem Chriſti de danda carne ſua in cibum, & ſanguine ſuo in potum, *durus eſt hic ſermo*, inquiebant, & ſcandalo inde accepto abierunt retro. Hos ſecuti ſunt Simoniani, Menandriani, Manichæi & omnes illi Hæretici, qui negantes Verbum aſſumpſiſſe verum corpus, conſequenter negabant illud eſſe verum in Euchariſtia, de quibus S. Ignatius Ep. ad Smyrnenſes, ſed hi, ut patet, indirecte tantum impetebant veritatem hujus Sacramenti.

2. Joannes Scotus, Erigena dictus, qui circa an. 883. obiit, ſuſpectæ fidei habitus eſt circa præſentiam realem in libro, quem conſcripſit *de Corpore Chriſti*, qui ideo proſcriptus eſt poſtea in Concilio Vercellenſi an. 1053. Eo potiſſimum utebatur Berengarius in ſui erroris defenſionem.

3. Berengarius Turonibus oriundus, Andegavenſis Archidiaconus, an. 1047. primus in Eccleſiam palam negavit præſentiam realem Chriſti in Euchariſtia, contenditque omnia in ſignis & figuris conſiſtere. Unde a S. Th. & aliis, primus hujus hæreſis auctor dicitur, Sacramentariorumque Parens.

Primum damnata eſt hæreſis Berengarii in Concilio Romano, deinde in Vercellenſi ſub Leone IX. an. 1053. & Liber Joannis Scoti, quo maxime utebatur Berengarius, proſcriptus. Rurſus damnata fuit hæc hæreſis in Concilio Florent. ſub Victore II. an. 1055. In Turonenſi eodem anno. In Romano ſub Nicolao II. an. 1059. in Rothomagenſi an. 1063. In Pictavienſi an. 1075. in Romanis duobus ſub Gregorio VII. an. 1078. & 1079. Berengarianam hæreſim ſcriptis impugnarunt viri doctiſſimi, Aldemannus, Hugo Lingonenſis Epiſcopus, Lanfrancus, Durandus Troarnenſis Abbas, Guitmundus & Algerus.

Berengarius in Synodo Romana ſub Nicolao II. damnatus errorem ſuum edita fidei formula ejuravit; ſed velut canis ad vomitum reverſus veritatem Catholicam iterum impugnavit, donec in altera Synodo Romana a Gregorio VII. coacta iterato damnatus veniam petiit, ad veritatem Catholicam ſequenti fidei formula proteſſus eſt: *Ego Berengarius, corde credo & ore confiteor, panem, & vinum, quæ ponuntur in altari per myſterium ſacræ orationis & verba noſtri Redemptoris, ſubſtantialiter converti in veram & propriam ac vivificatricem carnem & ſanguinem Jeſu Chriſti Domini noſtri; & poſt conſecrationem eſſe verum Chriſti Corpus, quod natum eſt de Virgine, & quod pro ſalute mundi oblatum in cruce pependit, & quod ſedet ad dexteram Patris: & verum ſanguinem Chriſti, qui de latere ejus effuſus eſt, non tantum per ſignum & virtutem Sacramenti, ſed in proprietate naturæ & veritate ſubſtantiæ ſicut in hoc Brevi continetur & ego legi, & vos intelligitis, ſic credo, nec contra hanc fidem ulterius docebo*. Aliquandiu poſt abſolutam Synodum SS. Pontifex Berengarium remiſit ad patrios Lares cum Litteris commendatitiis, ne quis vel in bonis, vel in honore ipſi eſſet nocumento.

Utrum tamen hanc ultimam fidei profeſſionem ſincero animo fecerit Hæreſiarcha, aut eam ſincere factam non abjecerit, non ſatis conſtat, ſiquidem habeatur ex Chronico Malleacenſi coactum fuiſſe Concilium Burdigalenſe an. 1080. *In quo Berengarius reddidit rationem fidei ſuæ*. Ut quid autem iſta fidei ratio reddita, ſi Berengarius ſincere fidem profeſſus fuiſſet, aut in ea conſtanter manſiſſet? Inſuper P. Mabillonius profert manuſcriptum codicem, in quo refertur ſcriptum Berengarii, quo tertiam fidei profeſſionem reſcindit, & ad ejus ſubſcriptionem metu ſupplicii ſe coactum teſtatur. Cæterum quidquid ſit de ejus vel ſinceritate vel conſtantia in profitenda fide Catholica, videtur ſaltem certum eum obiiſſe Catholicum & Pœnitentem an. 1088. quidquid in contrarium dicant Scriptores Calviniani. Id teſtatur Clarius Floriacenſis Monachus in Chronico S. Petri Vivi ineunte ſeculo 12. VVilhelmus Malmesburienſis l. 3. de geſtis Regum Anglorum, Hildebertus Epiſcopus Cœnomanenſis in Epitaphio de eodem Berengario apud citatum VVilhelmum, S. Antoninus Chronici p. 2. tit. 16. §. 20. Vincentius Belov. in ſpeculo hiſtoriali l. 25. c. 30. Martinus Polonus in Henrico II. Philippus Jacobus Bergomenſis in ſupplemento Chronicorum l. 12. Tandem & quod maxime probat, in manuſcripto B. Martini Turonenſis Berengarii obitus his verbis legitur: *Obiit Magiſter Berengarius Gramaticus, fidelis & vere Catholicus anno Domini 1088. Philippi primi Francorum Regis anno 28. Urbani Papæ anno 4.* Et Canonici ejuſdem Eccleſiæ quotannis feria 3. Paſchæ ad ejus tumulum, qui in clauſtro S. Coſmæ viſitur, conveniunt canentes Pſalmum *De profundis* in ejus animæ requiem.

4. Circa an. 1126. Petrus de Bruis, a quo Petro-Bruſſiani intra varios errores, quos in Provincia Arelatenſi diſſemina-

Digitized by Google

minavit, inſiſtus eſt, quod, licet Chriſtus panem in corpus ſuum in ultima Cœna converteret, id facerent Apoſtoli & eorum Succeſſores. Adverſus hunc Hæreticum inſurrexit Petrus Cluniacenſis. Ejus vero Diſcipulum primarium Henricum, unde & Henriciani, qui poſt viginti annos Magiſtri hæreſim propugnavit, S. Bernardus Scriptis, ſermonibus & miraculis confundit.

5. Circa an. 1176. VValdenſium ſeu Pauperum de Lugduno, qui etiam dicti ſunt Albigenſes & Lollardi a Lollardo famoſo VValdi Diſcipulo, quidam transſubſtantiationem, quidam Corporis Chriſti veritatem negarunt. Hos S. Dominicus partim Principum Chriſtianorum copiis profligavit, partim prædicatione & miracolis convertit.

6. Circa an. 1312. VVicleſ Anglus ſubſtantiam panis & vini remanere in Euchariſtia, nec accidentia manere ſine ſubjecto affirmavit, Chriſtum vero realiter adeſſe negavit, ut conſtat ex Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 8. Joannes Hus licet contra Euchariſtiam nihil ſcripſerit, deque eo myſterio Hæreticorum more dubitanter locutus fuerit, patet tamen ex ſeſſ. 13. ejuſdem Concilii, & ex proceſſibus contra illum factis, ipſum VVicleſi errores ſecutum fuiſſe.

7. Circa initium ſæculi 16. Martinus Lutherus, cum non poſſet negare realitatem Corporis Chriſti in Euchariſtia ob evidentia Scripturæ teſtimonia, ut ipſe fatetur Epiſtola ad Argentinenſes, impanationem ſuſtinuit. At ejus Diſcipulus Carloſtadius tentavit, quod Magiſtro impoſſibile viſum fuerat, fuitque primus inter hujus ſæculi Sectarios, qui Berengarianum dogma de ſola Chriſti figura in Euchariſtia recudit an. 1525. Huic ſuccinit Zuinglius Helvetius eodem anno, edito libro *De vera & falſa Religione*. Zuinglio adhæſit Joannes Oecolampadius. Utrumque poſtèa ſecuti ſunt Bullingerius, Bernardus Ochinus, Petrus Martyr, & deinde dicti Sacramentarii.

Anno 1530. Bucerus pſeudo-Evangelii Miniſter primarius apud Argentinenſes Zuinglii virus ipſis propinavit, multo tamen fuco temperatum, ne Lutheranis diſpliceret. Hujus Calvinus adhuc junior fuit auditor, ex quo & doctrinam & modum loquendi ambiguum & ſubobſcurum hauſit; non ſic tamen, quin ejus mens erronea appareret; ſatiſque evidenter inculcaret Euchariſtiam eſſe dumtaxat ſignum & figuram corporis & ſanguinis Chriſti, nec Chriſtum ibi eſſe præſentem niſi per fidem & ſecundum virtutem. Quamvis enim l. 4. Inſtit. c. 17. §. 5. dicat Chriſtum jubere nos ſub Symbolis panis & vini ſumere ejus corpus & ſanguinem, & §. 7. non poſſe ingenio comprehendi, ſed ſola fide, quomodo res, quæ tantum diſtant, poſſint conjungi; & alibi ſimilia ſub fucu effutiat: attamen loco cit. claris verbis mentem ſuam hæreticam aperit, dum dicit: *Ingaaue canfiteor mixturam carnis Chriſti cum anima noſtra, vel traasfuſionem qualis ab ipſis docatur, ma rapudiare, aaia nobis ſufficit Chriſtum a carnis ſubſtantia vitam in animas noſtras inſpirare, imo propriam vitam in nos diffuadere, qaamvis in nos non iagrediatur caro Chriſti*. Item ibid. *Interim vera hanc* (Chriſti communicationem) *noa aliam eſſe, quam fidei manducationem fatemur, ut nulla alia fingi poſſit*. Subdolum Magiſtrorum ſuorum Calvini, Buceri, &c. genium aliquamdiu retinuere Calviniſtæ Galli, at modo palam & obſtinate errorem profitentur. Sociniani cum Calviniſtis contendunt Chriſtum non eſſe corporaliter præſentem in Euchariſtia. Unde Verbum *eſt* ſumunt pro *ſignificat*, ſed negant contra eoſdem hoc Sacramentum eſſe ſigillum ſeu figuram efficacem gratiæ. His Hæreticis multi annumerant Stercoraniſtas circa Sæculum 9. qui cum arbitrarentur corpus Chriſti in hoc Sacramento eſſe corruptibile, dicebant in ſeceſſum non ſecus ac alios cibos communes abire: at non omnino certo extitiſſe hanc hæreſim, conatur probare noviſſimus ſcriptor Laurentius Berti l. 33. c. 11. Vide ſi lubet.

ARTICULUS III.

Aſſeritur Dogma Catholicum de reali præſentia Chriſti in Euchariſtia.

DIco. In almo Euchariſtiæ Sacramento poſt panis & vini conſecrationem Dominus noſter Jeſus Chriſtus, verus Deus atque homo, vere, realiter ac ſubſtantialiter ſub ſpecie illarum rerum ſenſibilium continetur. Sunt verba Concilii Trid. ſeſſ. 13. cap. 1. Explicatur. Dicitur *Poſt panis & vini conſecrationem* contra *Ubiquiſtas* de grege Lutheranorum, qui volunt corpus Chriſti eſſe ubique, ideoque etiam in Hoſtia ante Conſecrationem. Dicitur *vere*, non figuraliter, contra omnes Sacramentarios, qui dicunt Chriſtum adeſſe dumtaxat in ſigno & figura. Dicitur *realiter*, non objective tantum, contra Calvinum, qui contendit Chriſtum adeſſe tantum ſecundum quod fide apprehenditur. Dicitur *ſubſtantialiter*, non accidentaliter, contra Calviniſtas, qui dicunt ſubſtantiam corporis Chriſti eſſe in Cœlo tantum, in cœna vero ſecundum quandam ejus virtutem. Veritatem hanc, quam tot machinis concutere conati ſunt Hæretici, momentis invictiſſimis per varios §§. ſtabiliendam ſuſcipimus.

§. I. *Primum momentum ex Capite 6. Joannis.*

CHRISTUS Cap. 6. Joan. promittit ſe daturum ſuam carnem in cibum, & ſuum ſanguinem in potum, his verbis verſu 52. & ſequentibus: *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita: Litigabant ergo Judæi ad invicem dicentes: Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum? dixit ergo eis Jeſus: Amen amen dico vobis; niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis ... Caro enim mea vera eſt cibus, & ſanguis meus vero eſt potus ..., Hic eſt panis, qui de cœlo deſcendit, Non ſicut manducaverunt patres veſtri manna & mortui ſunt: Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. Hæc dixit in Synagoga docens in Capharnaum. Multi ergo audientes ex Diſcipulis ejus dixerunt: Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire? ſciens autem Jeſus apud ſemetipſum, quia murmurarent de hoc diſcipuli ejus, dixit eis: Hoc vos ſcandalizat? ſi ergo videritis filium hominis aſcendentem ubi erat prius? ſpiritus eſt, qui vivificat, caro non prodeſt quidquam. Verba, quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt ... Ex hoc multi Diſcipulorum ejus abierunt retro, & jam non cum illo ambulabant.*

Ex toto illo contextu ſic formo argumentum. Chriſtus hoc loco promittit dare carnem ſuam, non ſpiritualiter tantum per fidem, neque in ſigno, ut contendunt Hæretici, ſed vere & realiter manducandam, & ſanguinem ſuum vere & realiter bibendum: atqui quod tam ſolemniter promiſit, indubie adimplevit, fidelis enim eſt Deus in ſuis promiſſis, nec falli aut fallere poteſt. Ergo. Tota difficultas eſt in Majori: contendunt enim Hæretici ibi ſermonem eſſe non de reali manducatione, ſed ſpirituali per fidem. Pro quo obſervandum eſt nos non contendere in toto hoc Cap. 6. Joannis agi de ſola Euchariſtia. Triplex enim in eo pars poteſt diſtingui: in 1. uſque ad verſum 25. agitur de cibo materiali ſeu multiplicatione quinque panum. In 2. uſque ad verſum 52. agitur de cibo mere ſpirituali, nempe de fide in Chriſtum incarnatum. In tertia a verſu 52. ad finem de reali manducatione carnis Chriſti. Hoc notato,

Probatur 1. Major. Chriſtus loquitur in futuro, dum ait: Panis, quem ego dabo. Atqui ſi intelligeret de ſpirituali manducatione per fidem & non de reali, non loqueretur in futuro; manducatio enim ſpiritualis per fidem eſt omnium temporum. 2. Capharnaitæ & quidam diſcipulorum, quos alloquebatur Chriſtus, intelligebant verba ejus, non figurate & metaphorice, ſed de vera & reali manducatione carnis: ſcandalum enim in his patiebantur, nec poterant capere, quomodo Chriſtus poſſet dare illis carnem ſuam ad manducandum, & inde dicebant durum eſſe ejus ſermonem. Porro ſi non intellexiſſent de reali, ſed ſpirituali tantum manducatione, nulla erat cauſa ſcandali; facile enim concepiſſent, quomodo illis daret carnem ſuam ad manducandum ſpiritualiter, nec apparuiſſet illis durus iſte ſermo. Atqui in hoc non errabant, quod intelligerent de reali manducatione, ſi quidem Chriſtus non tantum non correxit iſtam eorum intelligentiam, prout abſque dubio feciſſet, ſi in hoc erraſſent, quin e contra juramento & ſuæ Aſcenſionis miraculo firmavit. In hoc ergo dumtaxat errabant, quod cum nihil ſuſpicarentur de inviſibili & ſacramentali continentia corporis Chriſti in hoc Sacramento, putaverunt carnem Chriſti manducandam viſibili modo in propria ſpecie, quemadmodum carnes communes manducantur: quam erroneam intelligentiam correxit Chriſtus dicendo, *ſpiritus eſt qui vivificat, caro non prodeſt quidquam, &c.*

3. Chriſtus ſæpius diſtinguit inter carnem & ſanguinem, inter cibum & potum. Atqui ſpiritualis manducatio non eget iſta diſtinctione; in perceptione enim Chriſti per fidem idem eſt manducare & bibere. 4. Chriſtus promittit donum præſtantius manna, ut patet his verbis: *Non ſicut manducaverunt Patres veſtri manna. &c.* Atqui panis in ratione ſigni ſeu figuræ Corporis Chriſti non eſt quid præſtantius manna, nec minus in manna, quam in pane Chriſtus fide percipitur. Ergo.

5. Eodem ſenſu ac nos hæc Chriſti verba intellexerunt Concilium Epheſinum in approbatione Epiſtolæ S. Cyrilli ad Neſtorium, Nicænum II. Act. 6. Cyrillus Alexand. Chryſoſt. Aug. Theophylactus, Euthymius, Rupertus, S. Th. hi omnes in Commentariis in Joannem. Origenes hom. 16. in Num. Cyprianus lib. Orat. Dom. Baſil. in Regulis moral. Reg. 12. Ambroſius l. 4. de Sacram. c. 5. Leo Magnus ſerm. 6. de Jejun. 7. menſis, & alii plures citati apud Bellarmin. & ſequentibus ſæculis, qui inſurrexerunt adverſus Berengarium, Paſchaſius, Adelmannus, Guit-

nium.

mundus, Algerus & omnes Scholaſtici, paucis exceptis, de quibus modo.

6. Tandem ipſimet Hæretici ex his verbis: *Niſi manducaveritis, &c.* contendunt probare contra nos obligationem communicandi ſub utraque ſpecie. Ergo velint nolint, intelligitur hic textus de reali manducatione. Quid huic probationi reſpondeant Hæretici, expendetur in ſol. Obj. & inde magis firmabitur argumentum.

§. II. *Secundum momentum ex verbis inſtitutionis.*

MATH. 26. legitur: *Cœnantibus autem eis* (Apoſtolis) *accepit Jeſus panem & benedixit ac fregit deditque Diſcipulis ſuis & ait: Accipite & comedite: Hoc eſt Corpus meum. Et accipiens Calicem gratias egit, & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes: Hic eſt enim Sanguis meus novi Teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Marci 14. *Et manducantibus illis, accepit Jeſus panem, & benedicens fregit & dedit eis & ait: Sumite, hoc eſt Corpus meum. Et accepto calice, gratias agens dedit eis & biberunt ex illo omnes: & ait illis: Hic eſt Sanguis meus novi Teſtamenti, qui pro multis effundetur.* Lucæ 22. *Et accepto pane gratias egit & fregit, & dedit eis dicens: Hoc eſt Corpus meum quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem poſtquam cœnavit dicens: Hic eſt calix novum Teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Hæc verba ſole clariora ad tropos & figuras detorquent Sacramentarii: ea autem eſſe intelligenda in ſenſu proprio & litterali probandum nobis incumbit.

Prob. 1. Chriſtus his verbis 1. Teſtamentum condebat, ita exprimunt laudata verba trium Evangeliſtarum. 2. Sacramentum inſtituebat; id nec ipſi Sacramentarii negant. 3. Legem ferebat, juxta hæc Lucæ verba: *Hoc facite in meam commemorationem.* 4. Dogma ſingulare docebat, patet ex ſubjecta materia: & quamvis foret tantum figura Corporis Chriſti, ſemper eſſet ſingulare Dogma ante tempora Chriſti inauditum. 5. Tandem amicos inſtante morte alloquebatur, juxta illud Jo: 13. *Cum dilexiſſet ſuos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Atqui hæc quinque requirunt propriam, litteralem, obviam, naturalem, non metaphoricam aut figurativam locutionem. Ergo.

Prob. Min. Per ſingulas partes. 1. Nihil exprimi ſolet clarius, diſtinctius, expreſſius, quam Teſtamentum, nec huc uſque cuiquam venit in mentem teſtari per metaphoras, tropos, aut figuras, ita ut ſi teſtamento domus relinquatur, is ridiculus & ſtultus haberetur, qui contenderet intelligendum eſſe de domo picta & non de domo vera & reali. Unde Romanis Legibus ff. de legatis Leg. 3. cautum eſt teſtamenta interpretanda eſſe in proprio verborum ſenſu. Ergo. 2. Verba Legum clara ſunt & perſpicua, non metaphorica ſeu figurata, ne prævaricationi locus detur; & ideo nemo unquam Legem inſtituit in tropis aut figuris. Ergo. Neque refert, quod Matt. 26. Lex videtur lata ſub metaphora: *Attendite a fermento Phariſæorum.* Item Epheſ. 4. *Nolite contriſtare Spiritum ſanctum.* Nos enim loquimur de Lege, quæ de novo inſtituitur, & ſit proprie dicta, qualis eſt Lex Euchariſtiæ, non vero de Legibus, quæ non tam ſunt novæ & propriæ Leges, quam exhortationes ad obſervandas Leges, quæ aliunde ſunt omnibus notæ, quales ſunt, de quibus procedit objectio. 3. Tam in veteri quam in nova Lege Sacramenta alia inſtituta ſunt & dogmata præcipua tradita verbis propriis, claris & expreſſis, ne in eorum uſu aut fide erretur; quippe quæ ſunt baſes & fundamenta Religionis. Ergo a fortiori hoc primarium & præcipuum novæ Legis Sacramentum atque Dogma. 4. Solent homines morti proximi & ultimum vale ſuis amicis dicentes, eos alloqui clare, perſpicue, non obſcure aut per tropos. Ergo.

Prob. 2. Si verba Chriſti non eſſent intelligenda in ſenſu proprio & naturali, ſed metaphorico & figurativo in re tanti momenti, in qua periculum erat graviſſimi erroris & idololatriæ, ut volunt Calviniſtæ, & circa quam tot diſſenſiones & ſcandala Spiritus S. prævidebat oritura, indubie vel ipſe Chriſtus vel aliquis Evangeliſtarum hunc ſenſum metaphoricum indicaſſet. Chriſtus enim dum Parabolam Diſcipulis diceret, illam explicabat, ut patet de Parabola ſeminis: & Evangeliſtæ in rebus longe minoris momenti ſolent ſibi invicem ſupplere, & quod ab uno figurate dicitur, ab alio explicatur; ſic v. g. S. Joſeph. non ſemel Chriſti Pater dicitur: ne fallemur, addit Lucas, *ut putabatur.* Joannes Baptiſta *Elias* a Matthæo nuncupatur; a Luca id explicatur de Spiritu & virtute Eliæ. Dum Chriſtus dixit cavendum a *fermento* Phariſæorum, Evangeliſta explicuit de Hypocriſi. Cum dixit *ſolvite Templum hoc*, Evangeliſta pariter expoſuit de templo Corporis ſui. At hic, ubi, ut dixi, agitur de re longe majoris & graviſſimi momenti, neque Chriſtus, neque ullus Evangeliſtarum vel leviter indicant ſenſum figuratum aut metaphoricum, nec alter alterum explicat, ſed omnes unanimiter & eodem modo referunt verba Chriſti: ſimiliter Apoſtolus referens eandem inſtitutionem, ut modo dicam. Ergo.

Prob. 3. Cum in metaphoris res ſignificata effertur de ſigno, illud ſignum debet eſſe auditoribus notum, vel ex natura rei, vel ex conſuetudine, per impoſitionem hominum, aut ad ejus intelligentiam debet auditor prævia aut ſubſequenti explicatione diſponi, alias ſtulta & falſa erit locutio: v. g. ſtulte & falſo quis loqueretur, ſi ſibi gratuito fingens equum eſſe ſignum ſeu figuram Cæſaris, ſimpliciter diceret: *Hoc eſt Cæſar.* Secus vero ſi de ejus imagine id efferret. Atqui panis neque ex natura rei, neque ex inſtitutione aut uſu eſt ſignum Corporis Chriſti, neque Chriſtus diſcipulos ad hanc intelligentiam prævia vel ſubſequenti explicatione diſpoſuit, ut patet. Ergo.

Prob. 4. Tandem vel Chriſtus non potuit Corpus ſuum realiter & ſubſtantialiter tradere in Euchariſtia, vel ſi potuit, noluit. Si dicant Calviniſtæ non potuiſſe, dicam ergo, quomodo potuit aquam in vinum convertere, panes multiplicare in Deſerto, naturam humanam ſibi hypoſtatice unire, mundum ex nihilo creare & ſexcenta alia, quæ non videntur humanæ intelligentiæ minus impoſſibilia. Forte divinam omnipotentiam ſuæ mentis numeris & gradibus metientur homunculi? Si dicant potuiſſe, ſed noluiſſe: quæro ab eis, ſi voluiſſet, quæ verba ſelectiora, clariora, expreſſiora adhibere potuiſſet, ut hanc voluntatem nobis manifeſtaret, quam hæc: *Hoc eſt Corpus meum, hic eſt ſanguis meus: caro mea vere eſt cibus, ſanguis meus vere eſt potus.* Suntne clariora hæc, *Ego & Pater unum ſumus; Verbum caro factum eſt?* Quibus adverſus Arianos & Neſtorianos probant nobiſcum Calviniſtæ myſteria Trinitatis & Incarnationis. Et ſi liceat prioribus ſenſum figurativum affingere, cur non iſtis? Cur non toti Scripturæ? nec enim deerunt Arianis & Neſtorianis alia Scripturæ loca in ſpeciem ſibi faventia, magis quam quæ ſibi favere exiſtimant Calviniſtæ. Proferant enim ſi poſſunt aliquem locum Scripturæ æque ſibi faventem, ac Arianis favebat iſte: *Pater major me eſt.* Item: *Rogo, Pater, ut unum ſint, ſicut & nos unum ſumus.* Item iſte Neſtorianis: *In ſimilitudinem hominum factus, habitu inventus eſt ut homo.* Quo ergo jure proprietatem verborum Scripturæ adverſus Arianos & Neſtorianos ſervandum eſſe contendunt, & eam a verbis inſtitutionis Euchariſtiæ eliminant; præſertim cum Lutherus, a quo prodierunt Sacramentarii, quemque ut virum ſanctum & ad Eccleſiam reformandam a Deo electum prædicant, ita his verbis præſentiam realem aſſeri agnoſcat, ut nullum ſupereſſe dubitandi locum exiſtimet: *Vellem*, inquit Ep. ad Argentinenſes, *quod poſſet aliquis mihi perſuadere, nihil eſſe in Euchariſtia præter panem & vinum, magno ille beneficio me devinciret; jam ſæpe gravibus curis in hac materia deſudavi. Verum ego me captum video, nulla elabendi via relicta eſt, textus Evangelii nimis eſt apertus.* Et in Apologia de Cœna Domini: *Rogamus*, inquit, *Sacramentarios, ne petant a nobis, ut illum textum probemus* (Hoc eſt corpus meum) *poſſunt enim ea de re conſulere pueros vix ſeptem annos natos, qui in ſcholis iſtorum verborum ſyllabas colligere diſcunt ... oſtendant Biblias, in quibus ſcriptum eſt:* Hoc eſt corporis mei ſignum. *Quod ſi non poſſunt præſtare, imponat aliquantiſper ori ſuo ſilentium, & imperent ſtylo ſuo quietem, donec ejuſmodi Biblias in medium afferant.* Deinde; *Doctor Carleſtadius ex his ſacroſanctis Vocabulis:* Hoc eſt corpus meum, *miſere detorquet pronomen* Hoc. *Zuinglius autem verbum ſubſtantivum* Eſt *macerat. Oecolampadius nomen* Corpus *torturæ ſubjicit. Alii totum textum excarnificant.* Miſeras evaſiones, quibus Heretici vim iſtorum argumentorum eludere tentant, rejiciemus in ſol. Obj.

§. III. *Tertium momentum ex Apoſtolo.*

APOSTOLUS 1. Cor. c. 11. poſtquam retulit ſe accepiſſe a Domino inſtitutionem Euchariſtiæ, qualem narrant Evangeliſtæ, addit: *Qui manducat & bibit indigne, judicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.* Et ſupra: *Reus erit corporis & ſanguinis Domini.* Atqui ſi non eſſet in Euchariſtia niſi figura corporis Domini, non ideo peccaret, qui indigne ſumit, eo quod non dijudicaret corpus Domini, quin potius judicare deberet non eſſe ibi corpus Domini. Ergo. Confirm. Si Euchariſtia non ſit niſi figura corporis Chriſti; erant ergo pariter rei corporis ejus, qui indigne manna aut agnum paſchalem comedebant. Item ejuſdem ſacrilegii rei haberi debent, qui in peccato proferunt hanc vocem *Chriſtus*; item qui ejus imagines conculcant aut dilacerant, prout faciunt & fecerunt Calviniſtæ & Lutherani.

§. IV.

§. IV. *Quartum momentum ex Conciliis.*

CONCILIUM Nicenum 1. generale an. 3. 5. a Calvino l. 4. Inſtit. c. 9. §. 8. approbatum & receptum cum aliis tribus proximis Conciliis generalibus, ſic habet Can. 14. *Pervenit ad ſanctum Concilium, quod in locis quibuſdam & civitatibus, Prebyteris Sacramenta Diaconi porrigant. Hoc neque Regula, neque conſuetudo tradidit, ut hi, qui offerendi Sacrificii non habent poteſtatem, his, qui offerunt, corpus Chriſti porrigant.* Concilium Epheſinum an. 431. in Ep Cyrilli ad Neſtorium, ab ipſo Concilio approbata legitur: *Ad Myſticas benedictiones accedimus, eaque ratione ſanctificamur, utpote ſacræ carnis & pretioſi ſanguinis Chriſti omnium noſtrum participes effecti. Neque enim illam ut carnem communem ſuſcipimus . . . ſed tanquam vere vivificam, ipſiuſque Verbi propriam.*

Concil. Nicænum II. ſeptimum generale an. 786. Act. 6. postquam probavit ex laudatis textibus Scripturæ in Eucharistia verum Chriſti corpus & ſanguinem eſſe, neque ullum Apoſtolorum aut illuſtrium Patrum vocaſſe Euchariſtiam imaginem corporis Chriſti, excludendo ſcilicet realitatem, ſic concludit: *Ergo liquido demonſtratum eſt, quod nuſquam Dominus, vel Apoſtoli aut Patres imaginem dixerunt Sacrificium ſine ſanguine, quod per Sacerdotem offertur, ſed ipſum corpus & ipſum ſanguinem, &c.*

Hæc ante Berengarium: a tempore vero Berengarii, qui primus hanc Hæreſim aperte propugnavit, eam damnarunt Concilia, Vercellenſe ſub Leone IX. Turonenſe ſub Victore II. duo Romana ſub Nicolao II. & Gregorio VII. Lateranenſe ſub Innocentio III. Viennenſe ſub Clemente V. Conſtantienſe ſub Martino V. Florentinum in Decreto unionis, ac tandem Trid. ſeſſ. 13. cap. 4. & can. 1. his verbis: *Si quis negaverit in SS. Euchariſtiæ Sacramento contineri vere, realiter & ſubſtantialiter corpus & ſanguinem una cum anima & Divinitate Domini noſtri Jeſu Chriſti, ac proinde totum Chriſtum, ſed dixerit tantummodo eſſe in eo ut in ſigno vel figura, vel virtute; anathema ſit.*

§. V. *Quintum Momentum ex Patribus.*

S. IGNATIUS Martyr, S. Joannis Diſcipulus, Ep. ad Smyrnenſes a Theodoreto Dial. 3. relata de Simonianis & Saturnianis loquens, dicit: *Euchariſtiam & oblationes non admittunt, quod non confiteantur Euchariſtiam eſſe carnem Salvatoris Domini noſtri Jeſu Chriſti, quæ pro peccatis noſtris paſſa eſt, quam Pater ſua benignitate ſuſcitavit.* S. Juſtinus Apolog. 2. ad Antoninum an. 150. ſcripta, loquens de Euchariſtia dicit: *Non enim ut communem panem, neque communem potum iſta ſumimus, ſed quemadmodum per verbum Dei caro factus Jeſus Chriſtus ſervator noſter, & carnem & ſanguinem ſalutis noſtræ habuit, ad eundem modum etiam eam, in qua per preces verbi ejus ab ipſo profecti gratiæ actæ ſunt, alimoniam, unde ſanguis & caro noſtra per mutationem aluntur, incarnati illius Jeſu carnem & ſanguinem eſſe edocti ſumus.* Idque probat ex eo quod Chriſtus panem & vinum his verbis, *Hoc eſt corpus meum, &c.* conſecraverit, & Apoſtolis præceperit, ut idem facerent. Habemus igitur juxta Juſtinum, Euchariſtiam non eſſe panem communem; ſed carnem & ſanguinem Chriſti, eodem modo, quo in Incarnatione eſt vera caro Chriſti.

Reponunt Hæretici hæc non poſſe intelligi niſi in ſenſu figurativo: 1. Quia alioquin ſequeretur juxta Juſtinum, quod ſicut Divinitas in Incarnatione non eſt converſa in carnem, ita nec panis converteretur in corpus Chriſti. 2. Quia dicit panem & vinum Euchariſticum eſſe corporum noſtrorum alimoniam, quod verum eſſe non poteſt, ſi ſint vera Chriſti caro & ſanguis. Sed contra 1. S. Juſtinus non comparat modum unionis hypoſtaticæ cum modo tranſſubſtantiationis, ſed veritatem carnis aſſumptæ in Incarnatione cum veritate carnis in Euchariſtia. De 2. mox dicem.

S. Irenæus circa an. 18. l. adverſus Hæreſ. c. 18. alias 34. contra Valentinianos, qui admittentes veritatem Euchariſtiæ negabant reſurrectionem mortuorum, dicit: *Quomodo dicant carnem in corruptionem venire & non percipere vitam, quæ a corpore Domini alitur? ... Quemadmodum enim qui eſt a terra panis, percipiens invocationem Dei, jam non communis panis eſt, ſed Euchariſtia, ex duabus rebus conſtans, terrena & cæleſti; ſic & corpora noſtra percipientia Euchariſtiam, jam non ſunt corruptibilia, ſed ſpem reſurrectionis habentia.* Hæc iterum verba detorquent Hæretici ad ſenſum metaphoricum: 1. Quia Irenæus dicit Euchariſtiam conſtare duabus rebus, terrena & cæleſti: per terrenam autem non poteſt intelligi niſi ſubſtantia panis, quæ ſi remaneat, non poteſt eſſe corpus Chriſti, ſed tantum ejus figura, & hoc ſenſu eſt res terrena & cæleſtis, terrena ſcilicet quæ ſit ſignum cæleſtis. 2. Quia dicit corpora noſtra ali & augeri carne Chriſti, quod non poteſt intelligi niſi de pane, qui ſit figura corporis Chriſti. Sed contra 1. Res terrena, in ſenſu Irenæi, ſunt ſpecies viſibiles panis; res cæleſtis eſt corpus Chriſti, quod dicitur cæleſte, tum quia virtute cæleſti formatum eſt, tum quia jam glorioſum aſſecutum eſt incorruptibilitatem. Contra 2. Quando Irenæus, Juſtinus, & alii Patres dicunt corpora noſtra nutriri & augeri corpore & ſanguine Chriſti, id intelligi poteſt duplici ſenſu abſque diſpendio præſentiæ realis. 1. Corpus Chriſti dicitur nutrire corpora noſtra eo modo, quo dicitur manducari, tangi, dentibus premi, improprie ſcilicet & mediate, ratione ſpecierum quibus involvitur, & quibus intime conjungitur, ita ut nomen rei ſignificatæ tribuatur ſigno, quod frequens eſt. 2. Corpora noſtra dicuntur nutriri corpore Chriſti, non nutrimento tranſitorio, quale fit ex vulgaribus cibis, qui tranſeunt in ſubſtantiam aliti, ſed nutrimento permanente; quatenus corpus noſtrum ex conjunctione reali cum corpore Chriſti, incorruptionis & immortalitatis ſemina & reſurrectionis pignus recipit, juxta illud Joan. 6. *Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam. Et ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die.* Et hic ſecundus ſenſus eſt Irenæi, ut patet ex ejus verbis.

Tertullianus initio 3. ſæculi l. de Orat. 14. ait: *Accepto corpore Domini & reſervato, utrumque ſalvum eſt, & participatio ſacrificii, & executio officii.* Et exponens illud: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*, dicit tripliciter poſſe intelligi. 1. De neceſſitatibus corporis. 2. Spiritualiter de Chriſto, qui verus eſt credentium panis. 3. De corpore Chriſti, quod eſt in Euchariſtia. Ubi diſtinguit inter Chriſtum fide apprehenſum, & Chriſtum in Euchariſtia exiſtentem; quæ diſtinctio foret inutilis, ſi Chriſtus in Euchariſtia ſola fide ſuſciperetur. Item l. de reſur. carnis c. 8. *Caro corpore & ſanguine Chriſti veſcitur, ut & anima de Deo ſaginetur.* Et l. 4. cont. Marcionem c. 40. *Acceptum*, inquit, *panem & diſtributum Diſcipulis corpus ſuum illum fecit, hoc eſt corpus meum dicendo, id eſt figura corporis mei.* Scio Hæreticos vim maximam facere in his verbis, *id eſt figura corporis mei*, quaſi juxta Tertullianum, hæc verba, *hoc eſt Corpus meum*, ex ore Chriſti nihil aliud ſint, quam quod: *Hoc eſt figura corporis mei.* Verum & in hoc ſicut in cæteris cæcutiunt. In phraſi enim Tertulliani hæc vox *figura* non refertur ad *corpus*, ſed ad *hoc*; quaſi dixiſſet. Hoc, quod in veteri lege erat figura corporis mei, eſt corpus meum. Tranſpoſitione ergo uſus eſt Tertullianus, ne ordinem verborum Chriſti interrumperet, quod non eſt ipſi inſuetum: ſic l. cont. Prax. c. 29. explicans, qua ratione Chriſtus, cum ſit Deus, potuit mori, refert illud Apoſt. 1. Cor. 15. *Quoniam Chriſtus mortuus eſt*, & ait: *Dicendo Chriſtus mortuus eſt; id eſt unctus; id quod unctum eſt, mortuum oſtendit*: ubi, *id unctus*; quamvis refertur ad Chriſtum, non tamen illi immediate ſubjecit, ne verborum Apoſtoli ſeries interrumperetur. Hunc eſſe Tertulliani ſenſum patet ex verbis immediate ſequentibus, proſequitur enim: *Figura autem non fuiſſet, niſi veritatis eſſe corpus.* To *non fuiſſet*, præteriti temporis, aperte indicat ſe loqui reſpective ad vetus teſtamentum, in quo dicit panem fuiſſe figuram corporis Chriſti, non reſpective ad panem Euchariſticum, alioquin non dixiſſet, *fuiſſet*, ſed *eſſet*.

Id adhuc magis clareſcit ex ſcopo Tertulliani. Agit ibi contra Marcionem, qui dicebat 1. Chriſtum non aſſumpſiſſe verum corpus, ſed tantum phantaſma & figuram corporis. 2. Legem veterem eſſe malam & a malo Deo mundi fabricatore, ideoque a Chriſto abolitam. Contra quem docet Tertullianus Chriſtum habuiſſe verum corpus, quia panis & vinum, ut probat ex Jeremia, Iſaia & Geneſi, erant figura ejus corporis & ſanguinis, non eſt autem figura niſi alicujus veritatis. 2. Legem veterem non eſſe malam & a malo Deo, ſi quidem ejus figuras adimplevit Chriſtus, convertendo panem in ſuum corpus, & vinum in ſuum ſanguinem. Et textus Tertulliani: *Profeſſus itaque*, inquit, *ſe concupiſcentia concupiſſe edere Paſcha, ut ſuum* (indignum enim ut quid alienum concupiſceret Deus) *acceptum panem & diſtributum Diſcipulis corpus ſuum illum fecit, hoc eſt corpus meum dicendo, id eſt figura mei corporis. Figura autem non fuiſſet, niſi veritatis eſſet corpus. Cæterum vacuarea, quod eſt phantaſma, figuram capere non poteſt.* Et quia Marcion eo uſque delirabat, ut diceret Chriſtum pro corpore panem aſſumpſiſſe, proſequitur Tertullianus: *Aut ſi propterea panem corpus ſibi finxit, quia corporis carebat veritate: ergo panem debuit tradere pro nobis: Faciebat ad vanitatem Marcionis, ut panis crucifigeretur. Cur autem panem corpus ſuum appellat, & non magis peponem, quem Marcion cordis loco habuit, non intelligens veterem fuiſſe iſtam figuram corporis Chriſti, dicentis per Jeremiam: Adverſus me cogitaverunt cogitatum dicentes; venite, conjiciamus lignum in panem ejus, ſcilicet crucem in corpus ejus. Itaque illuminator antiquitatum, quod tunc voluerit ſignificaſſe panem, ſatis declaravit, corpus ſuum vocans panem.* Similiter probat ex

Iſaia

Iſaia c. 61. & Geneſ. 49. vinum fuiſſe figuram ſanguinis Chriſti, & concludit: *Ita & nunc ſanguinem ſuum in vino conſecravit, qui tunc vinum in ſanguine figuravit.*

Poſſet etiam adhiberi ſolutio communis, de qua infra, ſcilicet Tertullianum dixiſſe Euchariſtiam eſſe figuram corporis Chriſti, eo ſenſu quo omnes Catholici dicunt eſſe Sacramentum corporis Chriſti, intelligendo nimirum ſpecies externas eſſe figuram non inanem & vacuam, ſed plenam corpore Chriſti: idque etiam convenienter ad ſcopum Tertulliani: cum enim juxta ipſum non detur figura niſi veritatis, hoc ipſo quo datur figura corporis Chriſti, ſequitur eſſe verum corpus, quod intendebat probare contra Marcionem. Unde l. 5. cont. eund. c. 8. dicit *Panis & calicis Sacramento jam in Evangelio probavimus corporis & ſanguinis Dominici veritatem adverſus phantaſma Marcionis.* Ex his facile eliſi poſſunt cavillationes Hæreticorum circa mentem Tertulliani.

Cyprianus circa medium 3. ſæculi Ep. 63. ad Cæcilium, comparans vinum commune cum vino Euchariſtico, dicit: *Quemadmodum vino iſto communi mens ſolvitur & anima relaxatur, & triſtitia omnis expellitur, ita epoto ſanguine Chriſti & poculo ſalutari ... mœſtum pectus ac triſte, quod prius peccatis angentibus premebatur, divinæ indulgentiæ lætitia reſolvatur.* Ibid. contra offerentes in Sacrificiis puram aquam: *Quomodo*, inquit, *poſſumus propter Chriſtum ſanguinem fundere, qui ſanguinem Chriſti erubeſcimus bibere?* Et Ep. 54. docet dandam eſſe in perſecutione communionem lapſis, hanc rationem proferens: *Nam quomodo docemus aut provocamus eos in confeſſione nominis ſanguinem ſuum fundere, ſi eis militaturis Chriſti ſanguinem denegamus?*

S. Hilarius Pictavienſis 4. ſæculo probat contra Arianos, Patrem & Filium eſſe unum, non ſolum conſenſu voluntatis, ſed etiam natura, quia Chriſtus non ſolum fide & charitate, ſed etiam vere & realiter unitur nobis in Euchariſtia. *Eos nunc* (inquit), *qui inter Patrem & Filium voluntatis ingerunt unitatem, interrogo utrum per naturæ veritatem hodie Chriſtus in nobis ſit, an per concordiam voluntatis? ſi enim vere Verbum caro factum eſt, & nos vere Verbum carnem cibo Dominico ſumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis exiſtimandus eſt, qui & naturam carnis noſtræ jam inſeparabilem ſibi homo natus aſſumpſit?* Et iterum; *Vere* (inquit) *cibo Dominico Verbum carnem ſumimus, naturamque carnis ſuæ ſub Sacramento nobis admiſcuit ... Hæc a nobis ideo commemorata ſunt, quia voluntatis tantum unitatem Hæretici perſonas divinas unitas eſſe interpretantur, & ad id exemplo unitatis noſtræ cum Deo utuntur, quaſi nobis ad filium voluntate tantum religionis unitis, nulla per Sacramentum carnis naturalis communionis proprietas indulgeatur.* Et tandem reprimens rationis ac ſenſuum judicium dicit: *Non eſt humano aut ſæculi ſenſu in Dei rebus loquendum ... quæ ſcripta ſunt legamus, & quæ legimus, intelligamus; & tunc perfectæ fidei officium fungemur. De naturali enim in nobis Chriſti veritate, quæ diſcimus, niſi ab eo diſcimus, ſtulte atque impie diſcimus. Ipſe enim ait, caro mea vere eſt cibus: de veritate carnis & ſanguinis non relictus eſt ambigendi locus.*

Cum hæc ſint apertiſſima pro veritate realitatis, conantur Sacramentarii eruere ex aliis operibus S. Doctoris, quod opponant, ſed inceſſum. Dicunt igitur S. Hilarium in Pſ. 124. docere Deum eodem inſtanti diverſis eſſe in locis, quia incorporeus eſt. Ergo, inquiunt, Chriſtus, quia corporeus eſt, non poteſt eſſe ſimul in diverſis locis. Item in Pſ. 137. dicit Chriſtum veritatem ſuæ carnis diſcipulis demonſtraſſe his verbis, *Palpate & videte*, Ergo Chriſtus, qui in Euchariſtia palpari & videri non poteſt, ibi realiter non eſt. Verum hæc futilia ſunt, nec vim invictam priorum eludunt. Nam Contra 1. Ex hoc, quod Chriſtus ſit corporeus, bene ſequitur, quod non poſſit eſſe naturaliter ſimul in pluribus locis; at quod corpus ejus glorioſum non poſſit eſſe ſacramentaliter & per miraculum in pluribus locis, inde non probatur, nec dixit Hilarius. Contra 2. Bene quidem colligitur, quod id, quod videtur & palpatur, ſit corpus, at non ſequitur, quod id quod non videtur aut palpatur actu, non ſit corpus, præſertim ſi agatur de miraculo: ſic ex calore probatur ignis: at ex defectu caloris actualis non probatur non fuiſſe ignem in fornace Babylonica.

S. Cyrillus Jeroſolym. eodem ſæculo Catecheſi 4. myſtagogica inſtruens recenter baptizatos dixit: *Cum igitur Chriſtus ipſe ſic affirmet atque dicat de pane, hoc eſt corpus meum; quis deinceps audeat dubitare? ac eodem quoque confirmante & dicente, hic eſt ſanguis meus, quis, inquam, dubitet ac dicat non eſſe illius ſanguinem? Aquam aliquando mutavit in vinum, quod eſt ſanguini propinquum, in Cana Galilææ ſola voluntate, & non erit dignus, cui credamus, quod vinum in ſanguinem tranſmutaſſet? ... Quare cum omni certitudine corpus & ſanguinem Chriſti ſumamus: nam ſub ſpecie panis datur tibi corpus, & ſub ſpecie vini datur ſanguis, ut ſumpto corpore & ſanguine Chriſti, efficiaris ei comparticeps corporis & ſanguinis. Sic Chriſtophori erimus; hoc eſt Chriſtum ferentes, cujus corpus & ſanguinem in membra noſtra recepimus. Quamobrem non ſic hæc attendas velim, tanquam ſint nudus & ſimplex panis, nudum & ſimplex vinum, corpus enim ſunt & ſanguis Chriſti. Nam etiamſi ſenſus illud tibi enuntiat, fides tamen te confirmet. Ne judices rem ex guſtu, ſed citra ullam dubitationem fides certum reddat, quod ſis dignus factus, qui corporis & ſanguinis Chriſti particeps fieres.*

His præcluduntur omnia Hæreticorum effugia. At cum non habeant quo evadant, negant Catecheſes Myſtagogicas eſſe S. Cyrilli, eo quod differant ſtylo a Catecheſibus Illuminatorum, quas Hieronymus in Catalogo, Theodoretus Dialogo 2. Damaſcenus Orat. de Imaginibus tribuunt Cyrillo. Sed contra. Ipſe Cyrillus Catecheſi ultima ad illuminatos ſeu baptizandos promittit Catecheſes Myſtagogicas, & uniuſcujuſque præmittit argumentum. *Poſt ſanctam*, inquit, *& ſalutarem Paſchatis diem, in reliquis hebdomadæ diebus, poſt Synaxim ad ſanctum Reſurrectionis Salvatoris locum congregati, alias Catecheſes audietis*: tum ſingularum argumenta proponit. At & iſta dicunt aſſuta Hæretici, ſed ſola libidine fingendi & negandi quidquid ipſis adverſatur, nullo enim teſte, nulla ratione id aſſerunt. Nec obſtat diverſitas ſtyli: Catecheſes enim illuminatorum erant pro baptizandis & Catecheſes Myſtagogicæ pro baptizatis; convenit autem pro diverſitate auditorium, temporum & circumſtantiarum, diverſum adhibere ſtylum, & modo ſtrictius, modo fuſius res exponere. Pluribus aliis momentis tentat Rivetus has Catecheſes S. Cyrillo abjudicare, ſed admodum levia ſunt, eaque adamuſſim diſpungit Nat. Alex. ſæc. 4. c. 6. a. 12.

S. Ambroſius eodem ſæculo l. de initiandis c. 9. ait: *Quomodo tu mihi aſſeris, quod Chriſti corpus accipiam: & hoc nobis adhuc ſupereſt, ut probemus, non hoc eſſe, quod natura formavit, ſed quod benedictio conſecravit, majoremque vim eſſe benedictionis, quam naturæ, quia benedictione etiam natura ipſa mutatur. Virgam tenebat Moyſes, projecit eam & facta eſt ſerpens: rurſus apprehendit caudam ſerpentis, & in virgæ naturam revertitur.* Et productis variis aliis exemplis tranſmutationum divinitus effectarum ſubdit: *Quod ſi tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret, quid dicimus de ipſa conſecratione divina, ubi verba ipſa Domini Salvatoris operantur? ... Hoc quod conficimus, corpus ex Virgine eſt ... vera utique caro Chriſti, quæ crucifixa eſt, quæ ſepulta eſt.* Idem l. 4. de Sacramentis c. 4. dicit: *Panis iſte panis eſt ante verba Sacramentorum: ubi acceſſerit Conſecratio, de pane fit caro Chriſti ... Quomodo poteſt, qui panis eſt, eſſe corpus Chriſti? Conſecratione. Conſecratio igitur quibus verbis eſt & cujus ſermonibus? Domini Jeſu ... Ergo ſermo Chriſti hoc conficit Sacramentum. Quis ſermo Chriſti? nempe is quo facta ſunt omnia. Juſſit Dominus & factum eſt cœlum. Juſſit Dominus & facta eſt terra, &c. Vides ergo, quam operatorius ſit ſermo Chriſti. Si ergo tanta vis eſt in ſermone Domini Jeſu, ut inciperent eſſe, quæ non erant: quanto magis operatorius eſt, ut quæ erant, in aliud commutentur? Cœlum non erat, mare non erat, terra non erat; ſed audi dicentem: ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandavit & creata ſunt. Ergo tibi ut reſpondeam, non erat corpus Chriſti ante Conſecrationem, ſed poſt Conſecrationem dico tibi, quod jam corpus eſt Chriſti.* Et c. 5. *Antequam ergo conſecretur, panis eſt; ubi autem verba Chriſti acceſſerint, corpus eſt Chriſti ... Ergo videte quantis generibus potens eſt ſermo Chriſti univerſa convertere. Deinde Dominus Jeſus teſtificatur nobis, quod corpus ſuum accipiamus & ſanguinem. Numquid debemus de ejus fide ac teſtificatione dubitare? magnum quidem & venerabile, quod manna pluit Judæis e cœlo; ſed intellige, quid eſt amplius, manna de cœlo, an Corpus Chriſti? corpus Chriſti utique, qui eſt auctor cœli.*

His quaſi fulminibus attriti Calviniſtæ deſperate negant libros de Sacramentis eſſe S. Ambroſii, eo quod non redoleant elegantem Ambroſii ſtylum. Verum omnes ſcriptores a novem ſæculis hos libros S. Ambroſio adſcribunt. Nonne, his potius eſt fides adhibenda, quam heſternis Hæreticis qui illos Ambroſio non denegant, niſi quia illorum falſa dogmata evertunt? Neque obſtat S. Ambroſium ſtyli ſui ſublimitatem in his libris paululum depreſſiſſe: obſervat enim Auguſtinus l. 4. de Doct. Chriſt. c. 19. ſanctos Patres pro diverſitate argumentorum diverſo dicendi genere uſos fuiſſe, teſtaturque c. 21. ipſum S. Ambroſium demiſſum ſtylum adhibuiſſe, cum res magnas & fidei myſteria docebat: *S. quoque Ambroſius*, inquit, *cum agat rem magnam de Spiritu S. ut eum Patri & Filio demonſtret æqualem, ſubmiſſo tamen dicendi genere utitur, quoniam res ſuſcepta, non ornamenta verborum agit, aut ad flectendos animos commotionis affectum, ſed rerum documenta deſiderat.* Non mirum itaque, quod S. Ambroſius Doctrinam & myſteria Sacramentorum in Concionibus ad populum exponens ſtylum ſubmiſſum adhibuerit, & voces minus elegantes uſurpaverit. Alias Hæreticorum ineptias circa idem argumen-

tum

tum exſuiſſ tes habes apud Vincentium Contenſon hic c. 1. ſpeculat. 2. & Nat. Alex. ſæcul. 4. c. 6. a. 27. ſ. 5. Verum eſto libros de Sacramentis non eſſe Ambroſii, nihil obtinerent Hæretici, ſi quidem S. Doct. eadem prorſus & æquali perſpicuitate doceat in libro de initiandis, quem non negant eſſe S. Ambroſii. Unde Editores Benedictini, de hoc libro loquentes, dicunt: *Porro ab ipſo loco (c. 8) ad finem uſque operis, tot tamqua efficacia probandæ Chriſti in Sacramento realis, ut vocant, præſentiæ ſuppetunt argumenta, ut ea depromere atque adverſus temerariam Berengarii novitatem opponere ſtrenuiſſimi ejuſdem Euchariſtiæ veritatis propugnatores Lanfrancus, Guitmundus, Algerus, Petrus Cluniacenſis aliique certatim contenderint: neque vero ut eaſdem elevarent, aut eluderent probationes, ſegniorem operam navaverunt Heterodoxi. Varam tamen inanes, ne dicam ineptas, eorum argutias, atque cavillationes eſſe, prudens Lector facile deprehendat.*

Chryſoſtomus hom. 24. in 1. ad Cor. *Id quod eſt in calice, eſt id quod fluxit ex latere, & illius ſumus participes ... Quamobrem ſi ſanguinem cupis, non aram Idolorum brutorum cæde, ſed meum adi altare, meo cruentum ſanguine.* Et poſtquam oſtendit, quod amatores alii in veſtibus cæteriſque muneribus ſuam magnificentiam oſtendent, *in ſanguine autem nullus unquam*: addit: *Chriſtus autem in eo ſuam nobis oſtendit curam & ardentem in nos charitatem ... pro cæde brutorum ſeipſum juſſit offerri ... Hoc corpus etiam jacens in præſepi reveriti ſunt Magi, & cum multo metu & tremore adorarunt. Tu autem non in præſepi vides, ſed in altari, non fœminam enim tenentem, ſed Sacerdotem aſtantem.* Hom. 51. in Matth. *Non veſtis ſolum*, inquit, *ſed corpus ipſius nobis propoſitum eſt, non ut tangamus ſolum, ſed ut comedamus & ſaturemur. Qui enim majus, id eſt ſeipſum pro te poſuit, quare dedignabitur ſuum tibi tradere corpus?* Et Hom. 83. *Quoniam ergo ille dixit: Hoc eſt corpus meum, nulla teneamur ambiguitate, ſed credamus & oculis intellectus id perſpiciamus ... Quot modo dicunt: vellem veſtimenta ipſa, vellem calceamenta videre. Ipſum vides, ipſum tangis, ipſum comedis* (ſub velamine ſcilicet ſpecierum) ... *Veniat in mentem tibi, quo ſis honore honoratus, qua menſa fruaris, ea namque re nos alimur, quam Angeli videntes tremunt ... Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus? Quis Paſtor oves proprio paſcit cruore? ... Neque illi ſat fuit hominem fieri, colaphis cædi & crucifigi, verum & ſemetipſum nobis commiſcet, & non fide tantum, verum ipſa re ſuum efficit corpus.* Quot verba, tot fulmina contra Sacramentarios.

S. Cyrillus Alex. circa medium 5. ſæculi l. 4. in Joan. c. 2. exponens cap. 6. Joannis ait: *Nihil igitur occultans demum Chriſtus ait: Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi, illud manna typus erat, inquit, & umbra & imago: Audite palam nunc & aperte: Ego ſum panis vivus: ſi quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Qui ex illo manducaverunt, mortui ſunt, non erat vivificus: qui autem manducat hunc panem, id eſt me, ſive carnem meam, vivet in æternum.* Hic exulant figuræ, ſola realitas aſſeritur.

S. Leo eodem tempore ſerm. 6. de jejunio 7. menſis: *Dicente Domino*, inquit, *niſi manducaveritis, ſic ſacræ menſæ communicare debetis, ut nihil prorſus de veritate corporis Chriſti & ſanguinis ambigatis. Hoc enim ore ſumitur, quod fide creditur; & fruſtra ab illis Amen reſpondetur, a quibus contra id, quod accipitur, diſputatur.* En aperta damnatio Calviniſmi.

His Patribus annumerandi ſunt alii 4. & 5. ſæculi, Optatus Milev. l. 6. cont. Parmen. S. Baſilius l. de Bapt. q. 3. S. Ephrem Syrus l. de Nat. Dei, S. Epiphanius in Ancorato num 57. S. Greg. Nyſſenus Orat. Catechetica c. 37. S. Hieronymus Ep. 1. ad Heliodorum, Ep. 85. ad Evag. & hom. 25. & in ejus vita l. 2. c. 4.

Auguſtinus, quem Calvinus l. 4. Inſtit. c. 17. ſ. 28. tam inſolenter quam falſo contendit eſſe ſuum, l. 9. Confeſſ. c. 3. de matre ſua Monica loquens, dicit: *Memoriam ſui ad altare tuum fieri deſideravit, unde ſciret diſpenſari victimam ſanctam, qua deletum eſt chirographum, quod erat contrarium nobis*; non autem figura victimæ, ſed victima ipſa deletum eſt chirographum. L. 2. cont. litt. Petil. c. 37. ſcribit Paſcha Judæorum fuiſſe typum Paſſionis Chriſti; ſed aliud eſſe quod illi *de ove* celebrabant, *aliud autem quod nos in corpore & ſanguine Domini accipimus.* L. 2. de peccat. meritis c. 26. dicit Eulogias, quæ diſtribuuntur Catechumenis, eſſe aliis cibis ſanctiores & ſui generis Sacramentum, *quamvis non ſit corpus Chriſti*. L. 12. cont. Fauſtum c. 10. *Habet magnam vocem Chriſti ſanguis in terra, cum eo accepto ab omnibus Gentibus reſpondetur, Amen. Hæc eſt clara vox ſanguinis, quam ſanguis ipſe exprimit, ex ore fidelium eodem ſanguine redemptorum.* Non autem figura ſanguinis, ſed ipſo ſanguine ſumus redempti. Tract. 84. *Quæ eſt menſa potentis, niſi unde ſumitur corpus & ſanguis ejus, qui animam ſuam poſuit pro nobis.* Miſſis pluribus aliis ne longior ſim; palmare eſt, quod ſcribit S. Doct. Enarrat. 1. in Pſ. 33. ubi explicans illud: *Et ferebatur manibus ſuis*, oſtendit id litteraliter non verificari de Davide, ſed de Chriſto; *Manibus* (inquit) *aliorum poteſt portari homo, manibus ſuis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipſo David ſecundum litteram non invenimus: in Chriſto autem invenimus. Ferebatur enim Chriſtus in manibus ſuis, quando commendans ipſum corpus ſuum, ait: Hoc eſt corpus meum; ferebat enim illud corpus in manibus ſuis.* Somniat Calvinus, dum dicit Chriſtum in ſenſu Auguſtini ſe portaſſe in ſigno ſui corporis, conceptis enim terminis Aug. dicit Chriſtum ſe portaſſe eo modo, quo nullus purus homo poteſt ſe portare. Quia autem neſcit quemvis hominem poſſe portare ſignum ſeu figuram ſui corporis? Quæ opponunt Hæretici ex Aug. proponemus in ſol. Ob.

S. Joannes Damaſcenus 8. ſæculo l. 4. cap. 14. *Quæſivit Virgo*, inquit, *quomodo fiet iſtud? Reſpondit Gabriel Archangelus: Spiritus S. ſuperveniet in te. Tu quoque nunc quæris, quomodo panis nunc fiat corpus Chriſti, & vinum aqua mixtum fiat ſanguis Chriſti? Tibi quoque reſpondeo, Spiritus S. ſupervenit, eaque efficit, quæ orationis facultatem & mentis intelligentiam excedunt ... Quod ſi quæras, quo pacto id fiat, ſatis tibi ſit audire, quod per Spiritum S. id fiat. Quemadmodum ex ſancta Dei matre per Spiritum S. Dominus ſibi ipſi carnem condidit: nec quicquam amplius verbis perſpectum & exploratum eſt, quam quod Verbum Dei eſt verbum & efficax, atque omnipotens, ut ea efficiat, quæ nulla ratio humana queat indagare. Quin ne hoc quoque alienum fuerit dicere, quod quemadmodum naturaliter panis per manducationem, & vinum & aqua in bibentis & comedentis corpus & ſanguinem immutantur: ſic panis & vinum, quæ proponuntur in altari, per ſancti Spiritus invocationem & adventum, mirabili modo in Chriſti corpus & ſanguinem vertuntur.* Non aliter loquuntur contra Sacramentarios illuſtriores præſentiæ realis defenſores, Perronius, Richelius, Bellarminus, &c.

S. Anſelmus ſæculo XI. in c. 11. 1. Cor. explicans illud: *Hoc eſt corpus meum*, ait, *Senſibus quidem exterioribus videtur eſſe panis, ſed ſenſibus cognoſcitur mentis, quia hoc eſt corpus meum.*

S. Bernardus eodem ſæculo in via S. Malachiæ loquens de Clerico: *Sciolus* (inquit) *in oculis ſuis præſumpſit dicere, in Euchariſtia eſſe tantummodo Sacramentum, & non rem Sacramenti, id eſt ſolam ſanctificationem, & non corporis veritatem.* Hi ſufficiant; qui plures voluerit, adeat Controverſiſtas. De conſenſu omnium Eccleſiarum tam Orientalium quam Occidentalium, vide opus ſat notum *Perpetuitatis fidei*, brevius Contenſon, Juenin & alios Recentiores, qui ex dicto opere præcipua momenta exſcripſerunt.

Compendio nunc colligamus, quæ huc uſque ex Patribus protulimus. Juxta SS. Patres 1. Euchariſtia non eſt cibus aut potus communis, neque ſola figura carnis aut ſanguinis Chriſti, ſed vera caro, quæ paſſa eſt, verus ſanguis, qui effuſus eſt. 2. Per verba Chriſti panis & vinum tranſmutantur in corpus & ſanguinem ejus, nulla autem foret tranſmutatio, ſi eſſet tantum figura. 3. In Euchariſtia eſt tam vera caro Chriſti, quam Chriſtus veram carnem in Incarnatione aſſumpſit; aſſumpſit autem veram carnem, & non tantum figuram carnis. 4. Chriſtus ea omnipotentia convertit panem & vinum in corpus & ſanguinem ſuum, qua convertit aquam in vinum, virgam in ſerpentem, qua Verbum caro factum eſt, & omnia ex nihilo creavit. Porro aquam in verum vinum convertit, virgam in verum ſerpentem, veram carnem aſſumpſit, & entia realia non figurativa creavit. 5. Euchariſtia eſt maximum miraculum omnipotentiæ Dei, intellectu difficile, & quod non judicio ſenſuum, qui circa illud falluntur, ſed ſola fide tenendum eſt. Atqui ſi panis & vinum remaneant, ſintque ſolum ſigna & figuræ carnis & ſanguinis Chriſti, ſenſus circa illud non falluntur, eorumque judicio eſt ſtandum, nec magis eſt captu difficile, quam quod Agnus Paſchalis ſit figura Chriſti, neque magnum erit omnipotentiæ miraculum, cum nulla ſit tranſmutatio, ſed ſola deſtinatio Chriſti, ut panis ſit ſignum & figura corporis illius.

Fucum faciunt Hæretici, dum reſpondent miraculum in eo eſſe, quod ſit magna vis & efficacia hujus Sacramenti ad cauſandam gratiam. Notum eſt enim, juxta illorum principia, totam vim & efficaciam eſſe in fide, quam excitat Sacramentum. Inſuper SS. Patres miraculum reponunt, non in virtute & efficacia Sacramenti, ſed in tranſmutatione panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti. Item reſolvunt dubia fidelium circa hoc Sacramentum, recurrendo ad omnipotentiam Dei; dubia vero fidelium non verſantur circa virtutem & efficaciam Sacramenti, parem enim noverant in Baptiſmo, ſed circa præſentiam realem, quæ captu eſt difficilis, & humanis ſenſibus imper-

pervia, quam ſi certam non habuiſſent SS. Patres, non recurriſſent ad omnipotentiam, ut illam aſſererent, ſed dubia facile ſolviſſent, dicendo eſſe tantum figuram, neque recedendum eſſe a ſenſibus, ut dicunt Sacramentarii.

§. VI. *Sextum momentum ex præſcriptione, ſeu continua poſſeſſione.*

HANC jam evincunt, quæ huc uſque dixi ex Scripturis, Conciliis & Patribus: at illam nunc probo hoc brevi Argumento, quo non leviter torquentur Hæretici. Fides realitatis nata eſt cum Eccleſia, & ſemper in illa viguit. Ergo eſt vera. Conſequentia eſt evidens. Prob. Ant. Certa vigebat in Eccleſia tempore Berengarii, quippe quæ tota in eum tanquam in novatorem inſurrexit: viguit poſt Berengarium uſque ad novos Sacramentarios, & etiamnum viget, neque ante Berengarium aſſignari poteſt, quando, ubi & a quo nata ſit. Ergo eſt nata cum Eccleſia, & ſemper in ea viguit.

Reſpondet Blondellus, Calviniſtarum Pſeudo-Miniſter, Anaſtaſium Sinaitam, id eſt montis Sinai Monachum, circa an. 636. eſſe Auctorem ſententiæ aſſerentis in Euchariſtia realem Chriſti præſentiam, eo quod cum Patres 3. & 4. ſæculi Euchariſtiam appellaverint *Sacramentum*, *ſignum*, *figuram*, *imaginem* corporis Chriſti, ipſe hæc negaverit, ideoque eum ut novatorem traducit. Reſpondet Claudius alter Miniſter Calviniſta, Paſchaſium Corbeienſem Monachum, deinde Abbatem circa an. 818. libro *De corpore & ſanguine Domini*, primum realitatis dogma apud Chriſtianos invexiſſe, quod ſenſim ſine ſenſu irrepſit, & ſæculo ſequenti, quod ſceleris & ignorantiæ ſæculum vocat, tam altas radices egit, ut Berengarius, qui ſæculo 11. primævam fidem redintegrare conatus eſt, tanquam Hæreticus ſit habitus. Vides jam alterutrum mentiri. Nec mirum; id enim erroris eſt proprium, ut ſuos Sectatores in varias adinventiones abire cogat.

Quantum ad Anaſtaſium Sinaitam. 1. Probandum erat Blondello Patres 3. & 4. ſæculi voces *Sacramentum*, *ſignum*, *figurem* uſurpaſſe in ſenſu realitatis excluſivo, & non in ſenſu Catholico, de quo jam ſupra & fuſius infra, intelligendo ſcilicet figuram, ſignum, &c. non vacuum & inane, ſed plenum rei ſignificatæ; quod cum non probet Blondellus, & certum ſit ex dictis SS. Patres non uſurpaſſe has voces *ſignum*, *figuram*, &c. in ſenſu excluſivo realitatis, quo ſenſu illas negat Anaſtaſius, immerito illum tanquam novitatis reum traducit. 2. Anaſtaſius dogma realitatis non profert tanquam novum & in Eccleſia inauditum, ſed ut in Eccleſia commune & receptum ſibique & ſuo adverſario Gaianitæ ſeu Eutychiano certiſſimum. Etenim c. 23. libri, quem inſcripſit *Dux viæ*, ſupponit tanquam dogma certum inter ſe & ſuum adverſarium, corpus Chriſti eſſe vere & ſubſtantialiter in Euchariſtia & non in figura tantum, idque concedit Gaianita. Ex quo principio apud utrumque recepto infert Anaſtaſius quod ſicut corpus Chriſti in Euchariſtia eſt corruptibile, ſcilicet in ſpeciebus, etiam erat corruptibile ab initio Incarnationis; ubi licet obſcurum ſit, quomodo recte concludat Anaſtaſius, id tamen certum eſt, principium, ex quo concludit, ſcilicet realitatem corporis Chriſti in Euchariſtia, non eſſe novum dogma, ſed quid conſtanter notum & receptum. En ejus verba: *Sed dic mihi, ſi, ut Divinitas, ita & corpus Chriſti ab ipſo unionis exordio in mortalitatem habet, num communio ſacratiſſimi corporis & ſanguinis Chriſti, quem offers & participas, vere eſt verum corpus & ſanguis Chriſti filii Dei, vel nudus panis, qualis oſtiatim venditur, vel vicem duntaxat & figuram gerit corporis Chriſti, ut Sacrificium Hirci quod Judæi offerunt?* Reſpondet Eutychianus: *Abſit, ut dicamus ſacram Communionem eſſe tantum figuram corporis Chriſti, aut nudum panem, ſed ipſum corpus & ſanguinem Chriſti Filii Dei Incarnati, & ex ſanctiſſima Deipara & ſemper Virgine Maria nati vere accipimus.* Ex quo principio ab utroque admiſſo ut certiſſimo concludit Anaſtaſius ut ſupra.

Quantum ad Paſchaſium, ſimiliter tradit dogma realitatis ſeu doctrinam communem totius Eccleſiæ non tanquam novum & inauditum dogma, ut contendit Claudius. Etenim l. 12. in Matth. *Miror*, inquit, *quod velint nunc quidem dicere, non in re eſſe veritatem carnis Chriſti vel ſanguinis, ſed in Sacramento virtutem carnis & non carnem, virtutem ſanguinis & non ſanguinem, figuram & non veritatem, umbram & non corpus.* Porro ſi quid novi dixiſſet, non uſſet, quod miraretur quoſdam ei contradicere, neque dixiſſet *quoſdam*, ſed plures ſeu omnes. Et in Ep. ad Freudegardum: *Videat*, inquit, *qui contra hoc venire voluerit, magis quam credere, quod agat contra Dominum & contra OMNEM ECCLESIAM . . . Ideo quamvis quidam de ignorantia errent, nemo tamen eſt adhuc in aperto qui hoc ita eſſe contradicat, quod TOTUS ORBIS credit ac confitetur.*

Quantum ad utrumque: ſi vel Anaſtaſius Græcus vel Paſchaſius Latinus contra communem Eccleſiæ fidem docuiſſent, qui fieri potuit, ut tam novum, tam inauditum, tam ſenſibus repugnans dogma invexiſſent, nullo ſive ex Epiſcopis, ſive ex Doctoribus, ſive etiam ex Fidelibus contradicente? Quomodo unus Monachus Græcus totam Eccleſiam Orientalem, vel unus Monachus Latinus totam Eccleſiam Occidentalem ſponte conſentientem contra communem & avitam fidem in ſuas partes traxiſſet, iiſque nunc ambæ Eccleſiæ, licet pluribus aliis capitibus inter ſe diſſentientes, communi conſenſu adhærerent? Quando alii Hæreſiarchæ, Arius, Neſtorius, Eutyches, Pelagius, &c. virus ſuum diffundere cœperunt, in eos ſtatim inſurrexerunt Fideles, Doctores, Epiſcopi, Concilia congregata, &c. Hic vero unus Monachus novo contra fidem dogmate totam inficit Eccleſiam, & omnes tacent! quid dico, tacent? omnes errorem, ejurata fide antiqua, avide ebibunt ac tuentur, erroriſque Auctorem gratiis & laudibus proſequuntur; ſic enim Reges, Epiſcopi, Doctores Paſchaſium habuerunt poſt editum librum *De corpore & ſanguine Domini*, & qui voluerunt hunc errorem impugnare, ut Berengarius, tanquam Hæretici unanimiter ſunt habiti. Hæc qui credit, ſomniantium deliriis paſci delectatur.

Sed quid moramur? Mendacibus Diſcipulis os verberat Magiſter eorum Zuinglius, qui in comment., de vera & falſa Religione cap. de Euchariſtia agnoſcit tempore Auguſtini invaluiſſe opinionem de præſentia reali, & Auguſtinum non auſum fuiſſe ſenſum figurativum palam profiteri: *Vidit*, inquit, *omnino pius homo* (Auguſtinus) *quid hoc Sacramentum eſſet, & in quem uſum eſſet inſtitutum: verum invaluerat opinio de corporea carne.* Mendacii pariter redarguunt quæcumque diximus §§. præcedentibus, ſed maxime definitio Concilii Niceni 2. quod fuit celebratum 30. annis ante Paſchaſium, & in quo negare non poſſunt Sacramentarii aſſertam fuiſſe præſentiam realem.

Alterum Claudii figmentum eſt 10. Sæculum fuiſſe Sæculum ſceleris & ignorantiæ. Eo enim Sæculo ſederunt Romæ ſanctiſſimi Pontifices Benedictus IV. Stephanus VIII. Leo VII. Agapetus II. Gregorius V. Floruerunt ex omni ordine viri ſanctitate celebres, SS. Odo Mayeulus & Odilo Abbates Cluniacenſium, apud quos vigebat ſtricta diſciplina; S. Romualdus Camaldulenſium Inſtitutor, & S. Bonifacius ejus Diſcipulus; duo Adalberti, alter Magdeburgenſis, alter Pragenſis Epiſcopus; S. Dunſtanus & S. Odo Archiepiſcopi Cantuarienſes, S. Daibertus Archiepiſcopus Burdigalenſis, S. Eduardus Rex Angliæ, S. Stephanus Rex Hungariæ, S. Fantinus Abbas, S. Gerardus, qui diſciplinam regularem in pluribus & præcipuis Belgii Monaſteriis reſtauravit; S. Henricus Imperator, S. Heribertus Archiepiſcopus Colonienſis, S. Vinceslaus Dux Bohemiæ & ejus avia Ludmilla Martyres; S. Nilus, S. Uldaricus, S. Vitus, S. Volfangus, S. Abo & alii plures. Eodem Sæculo agentibus viris zelo, pietate & doctrina conſpicuis, Dani, Sueci, Lithuani, Hungari, Poloni Religioni Chriſtianæ aggregati ſunt. Item eodem Sæculo ſcriptis & eruditione claruerunt, præter SS. Odonem & Odilonem jam laudatos, Rutherius primum Monachus Lobbienſis, deinde Epiſcopus Veronenſis; Falcuinus & Herigerius ejuſdem Cœnobii Abbates, Atto Vercellenſis, Flodoardus, Luitprandus, Metaphraſtes & alii plures. Sed etſi demus gratis iſtud Claudii figmentum; ideone hoc Sæculo defecerat univerſa Eccleſia, quæ eſt columna veritatis, & contra quam Portæ inferi nunquam prævalebunt?

Opponit Claudius Paſchaſium Ep. ad Freudegardum & in commentario in Matt. ſe in iſto Dogmate Novatorem exhibere; quia 1. Locis cit. poſtulat, ut ſi quid reprehenſione dignum reperiat in ſuo libro de corpore & ſanguine Domini, id ſibi ſignificet; id autem non poſtulaſſet Paſchaſius, ſi Doctrinam ſuo tempore communem tradidiſſet. 2. Quia dicit ſe ad intelligentiam hujus Myſterii plures excitaſſe. 3. Quia aſſerit quoſdam circa hoc Sacramentum ex ignorantia errare, multos dubitare. 4. Fatetur, quod fuerit reprehenſus a multis ſtatim ac de corpore & ſanguine Domini librum edidit. R. N. Ant. quod nullatenus evincunt momenta propoſita. Unde ad primum, Paſchaſius id rogavit Freudegardum non quoad fidem, quam tradebat, ſed quoad modum fidei explicandæ, familiare eſt enim Scriptoribus, etiam cum de fidei capitibus tractant, amicorum cenſuram poſtulare circa modum dicendi, ſeriem orationis, vim argumentorum ſeu Reſponſionum & alia. Ad 2. Nomine *intelligentiæ* in verbis Paſchaſii non ſignificatur illa cognitio omnibus Chriſtianis neceſſaria & communis, qua Myſteria lumine fidei ſimpliciter percipiunt, ſed excellentior quædam notitia quæ Myſteriorum circumſtantias, finem, fructus, diſpoſitiones ad illa aſſequitur. Id aperte indicat S. Odo Abbas loquens de libro Paſchaſii l. 1. coll. c. 30. & 31. Ad 3. & 4. R. ex his potius evinci Paſchaſium non tradidiſſe niſi Doctrinam communem Eccleſiæ. Etenim illi ignorantes, dubitantes & reprehendentes non erant Epiſcopi, Doctores,

Abba-

Abbates, Preſbyteri, apud quos magno honore habebatur Paſchaſius, & quibuſcum cœtibus Eccleſiaſticis & Synodis adfuit, ſed homines obſcuri, qui non palam, ſed clam obmurmurabant, nequidem aſſerendo contumaciter contrarium, ſed dubitando. Id patet ex ejuſdem Paſchaſii verbis in comment. in Matth. *Quamvis* (inquit) *quidam de ignorantia errent, nemo tamen eſt adhuc in aperto, qui ita hoc eſſe contradicat, quod totus orbis credit & confitetur.* Et ad Freudegardum: *Uſque ad præſens tempus nemo de his erraſſe legitur, niſi qui & de Chriſto erraverunt, quamvis plurimi dubitaverint, vel ignoraverint tanti Myſterii Sacramentum.* Veriſimile eſt igitur iſtos affectos fuiſſe eo modo, quo erat affectus ipſe Freudegardus, qui licet firmiſſime crederet cum tota Eccleſia realem præſentiam, ex teſtimonio tamen S. Aug. male intellecto l. 3. de Doct. chriſt. quodam dubio pulſabatur, eo quod non ſatis attenderet fidem Catholicam credere præſentiam realem Chriſti, non ſecundum modum exiſtendi naturalem, ſed ſacramentalem.

Reponunt, Rabbanum, Ratramnum, Amalarium, Joannem Scotum Erigenam impugnaſſe Paſchaſii librum, quod ipſum exhibet novatorem. R. N. Ant. de Rabbano, Ratramno & Amalario. Hi tres enim diſerte aſſerunt realem Chriſti præſentiam. Rabbanus l. 7. de ſacris Ordinibus c. 10 dicit: *Quis unquam crederet, quod panis in carnem potuiſſet converti, vel vinum in ſanguinem, niſi ipſe Salvator diceret: qui panem & vinum creavit & omnia ex nihilo fecit: facilius eſt aliquid ex alio facere, quam omnia ex nihilo creare.* Quando ergo in Ep. ad Heribaldum dicit: *Quidam nuper de ipſo Sacramento corporis & ſanguinis Domini non rite ſentientes dixerunt hoc ipſum corpus, quod de Maria Virgine natum eſt ... idem eſſe, quod ſumitur in altari.* Non negat idem eſſe quoad ſubſtantiam, ſed quoad affectiones, quas putabat a Paſchaſio illi tribui; negat enim tantum eſſe in Euchariſtia corpus Chriſti in ſtatu naturali, *Nervis oſſibuſque compactum membrorum varietate diſtinctum propriiſque motui exercens.* Unde dicit: *Quæ fidelium ore percipiuntur figuram eſſe ſecundum ſpeciem viſibilem; at vera ſecundum inviſibilem ſubſtantiam verum corpus & ſanguinem Chriſti.*

Quoad Ratramnum ſeu Bertramnum Abbatem Orbacenſem, qui juſſu Caroli Calvi ſcripſit librum de corpore & ſanguine Domini circa an. 850. triginta circiter annis poſt librum Paſchaſii, quidam ut Genebrardus in Chronologia, & Bellarminus l. 1. de Euchariſtia c. 1. Hæreticis illum accenſent, alii Catholicum illum tuentur, ſed librum ipſi falſo impoſitum contendunt, aut Oecolampadii, qui primus illum publici juris fecit, artibus corruptum fuiſſe; alii tandem auctorem cum opere orthodoxum pronunciant. Ita Trithemius & Sigebertus de Scriptoribus Eccleſiaſticis. Et ſane a ſæculo 9. ad 16. ſeu ad Calviniſtas nemo ipſum reprehendit, quod male ſcripſiſſet. Nec Catholici tempore Berengarii ipſi Bertramno proximi eum hæreſeos inſimularunt. Nec Berengarius ipſum aut ejus opus in ſui erroris patrocinium advocavit, id porro non omiſſurus, ſi ipſi faviſſet, ſicut opus Joannis Scoti non prætermittebat in ſuæ hæreſeos Confirmationem. Tandem in Concilio Vercellenſi, in quo Berengarius fuit damnatus cum libro Scoti, nec Bertramnus, nec ejus opera accuſata ſunt. Equidem ſi attentius ſpectetur ejus opus, etiam dato non eſſe vitiatum, videtur poſſe ab errore vindicari, ſi ut prudentia & charitas dictant quæ obſcuriora protulit, textibus aliis clarioribus explicentur. Manifeſte autem Ratramnus aſſerit realitatem in prælato libro in Reſp. ad 1. Quæſt. his verbis: *Panis* (inquit) *qui per Sacerdotis miniſterium Chriſti corpus efficitur, aliud exterius humanis ſenſibus oſtendit, & aliud interius fidelium mentibus clamat. Exterius quidem panis, quod ante fuerat, forma prætenditur, color oſtenditur, ſapor accipitur; & interius longe aliud, multoque pretioſius, multoque excellentius intimatur, quia cœleſte, quia divinum; id eſt Chriſti corpus oſtenditur.* Et poſt alia plura ejuſdem ſenſus, ſic concludit: *Ex his omnibus, quæ hactenus dicta ſunt, monſtratum eſt, quod corpus & ſanguis Chriſti, quæ fidelium ore in Eccleſia percipiuntur, figuræ ſunt ſecundum ſpeciem viſibilem: at vero ſecundum inviſibilem ſubſtantiam, id eſt divini potentiam Verbi, corpus & ſanguis Chriſti vere exiſtunt.* Nihil expreſſius.

Quando ergo dicit 1. quod in Euchariſtia ſit figura; & quod ore fidelium ſumitur, fieri corpus Chriſti in myſterio & figura. 2. Quod corpus natum ex Virgine Maria, non ſit id, quod ore fidelium ſumitur. 3. Quod ſecundum creaturarum ſubſtantiam, quod fuerat ante conſecrationem, remaneat. 1. Loco non intendit Euchariſtiam eſſe meram figuram, ſed quod ſpecies ſacramentales ſint figuræ corporis & ſanguinis Chriſti ſub eis contentorum, non autem accidentia ipſiuſmet corporis & ſanguinis Chriſti, ut volebant Stercoraniſtæ, quorum errorem hic dumtaxat refellit Ratramnus. 2. Loco ſolum intendit corpus, quod in Euchariſtia ſumitur, non eſſe idem cum corpore, quod ex Maria natum eſt ſecundum ſpeciem viſibilem & affectiones. 3. tandem loco intendit remanere creaturarum ſubſtantiam quoad apparentiam. Unde his non obſtantibus ipſi Magdeburgenſes Centuria 9. c. 4. 6. & 8. fatentur Ratramnum admiſiſſe realitatem & etiam tranſſubſtantiationis habere ſemina: *Utitur enim*, inquiunt, *vocabulis commutationis & converſionis.*

Neque Amalarius Abbas Metenſis circa idem tempus habendus eſt impugnator Paſchaſii, cum pariter aſſerat realitatem: libro enim 3. de divinis officiis c. 24. dicit: *Hic credimus naturam ſimplicem panis & vini mixti verti in naturam rationabilem, ſcilicet corporis & ſanguinis Chriſti.* Et in Ep. ad Gunterdum exprobrantem, quod ſtatim poſt conſumptum ſacrificium ſpueret, reſpondit ſe id non facere defectu reverentiæ in corpus Chriſti, ſed quia non poſſet *diu abſtinere a ſputo.* Equidem in eadem Ep. hæc habet, quibus Hæretici volunt ipſum impugnare Paſchaſium: *Ita vero ſumptum corpus Domini bona intentione, non eſt mihi diſputandum, utrum inviſibiliter aſſumatur in cœlum, an reſervetur in corpore noſtro uſque in diem ſepulturæ, aut exhalatur in auras, aut exeat de corpore cum ſanguine, aut per poros emittatur, dicente Domino: Omne, quod intrat in os, in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur: Hoc ſolum cavendum eſt, ne Judæ corde ſumam illud, & ne contemptui habeatur, ſed diſcernatur ſaluberrimum a communibus cibis.* Quibus perſpiciliis videant Hæretici in his verbis impugnationem præſentiæ realis, non aſſequor, cum illam aperte ſupponat & aſſerat. Ex his tantum colligi poteſt cum pluribus, Amalarium Stercoraniſmum innuiſſe, & Euchariſtiam ſeceſſui noxiam opinatum fuiſſe. Non deſunt tamen, qui exiſtimant, Amalarium ita reſponſionem ſuam attemperaſſe, ut Gunterdum ab iſtis curioſis Quæſtionibus revocaret, & ipſe nihil hac de re definiret.

Quantum ad Joannem Scotum, fatemur ipſum fuiſſe ſuſpectæ fidei, & ejus librum de corpore Chriſti erroribus ſcatere: tum quia eo potiſſimum utebatur Berengarius ad defendendos ſuos errores; tum teſtimonio Nicolai Papæ ad Carolum Calvum; tum denique quia fuit damnatus in Concilio Vercellenſi. In illum autem ante Berengarium non inſurrexit Eccleſia, quia indirecte tantum impetebat Dogma Catholicum, & nullos habebat Sectatores.

§. VIII. *Momenta a ratione.*

QUamvis hoc myſterium omnem ſenſum & intellectum humanum ſuperans ratione evinci non poſſit, ſuaderi tamen poteſt quibuſdam congruentiis, quas profert Auctor. 1. (*Hic q. 75. a. 1. a.*) Euchariſtia in ratione Sacramenti eſt præſtantior Manna & Agno Paſchali: hæc enim erant *umbræ futurorum* Heb. 10. Atqui ſi ſit tantum ſignum & figura corporis Chriſti, non erit in ratione Sacramenti præſtantior Manna & Agno Paſchali, quin e contra erit inferior. Ergo. Probat. Min. Manna & Agnus Paſchalis ſignificantius figurabant Chriſtum, quam panis uſualis; Manna quidem, quia erat de cœlo & ope Angelorum fabricata, atque omni ſapore condita: Agnus Paſchalis ratione carnis & immolationis. Ergo. Neque dicas Euchariſtiam in hoc præſtare, 1. Quod Chriſtum præſentem ſignificet, quem ut futurum tantum ſignificabant Manna & Agnus Paſchalis. 2. Quod ſit diutius duratura. Ex 1. enim ſequitur, quod nunc omnes ſtatuæ & imagines, quæ figurant Chriſtum præſentem, præſtent Mannæ & Agno Paſchali, & quod Euchariſtia non ſit nobilior Baptiſmo & aliis Sacramentis, quæ pariter ſignificant Chriſtum præſentem. Ex 2. ſequitur, quod lapis ſit dignior homine, quia diutius durat. Duratio igitur pertinet ad dignitatem tantum accidentalem, non ſubſtantialem, de qua hic eſt quæſtio.

2. (*Ib.*) Immenſæ Chriſti charitati, qua pro ſalute noſtra verum naturæ noſtræ corpus aſſumpſit, maxime competebat, ut nos in hac peregrinatione ſua præſentia corporali non deſtitueret, eſt enim proprium amicitiæ, ut amici ſimul convivant, præſertim cum id promiſiſſet: *Ecce vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi*, Matth. 28.

3. (*Ib.*) Id etiam competebat perfectioni fidei noſtræ Fides enim noſtra ſicut eſt de divinitate Chriſti, ita eſt de ejus humanitate, ſecundum illud Joan. 14. *Creditis in Deum, & in me credite.* Fides autem eſt inviſibilium. Ergo ſicut divinitatem ſuam nobis exhibet Chriſtus inviſibiliter, ita & in hoc Sacramento carnem ſuam exhibet inviſibili modo, ut ſit etiam objectum fidei noſtræ. Hujus myſterii veritatem, quam huc uſque tot momentis probavimus, innumeris ferme miraculis confirmavit omnipotens miſericors Deus: ea vero omittimus, quia his non moventur Hæretici, ſed illa quantumvis probata & evidentia vel impudenter negant, vel inſolenter contemnunt.

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones Hæreticorum.

Ex triplici capite occurrunt Hæreticis ex Scriptura, ex Patribus & ex Ratione.

§. I. *Solvuntur Objectiones ex Scriptura.*

OBJ. 1. Contra probationem deſumptam ex cap. 6. Joan. Promiſſionem, quam Chriſtus loco citato fecit, dandi ſuam carnem in cibum, & ſanguinem ſuum in potum, ipſemet ibidem explicat de ſpirituali manducatione, corrigens erroneam Capharnaitarum & diſcipulorum intelligentiam his verbis: *Spiritus eſt, qui vivificat, caro non prodeſt quidquam. Verba, quæ ego loquor vobis, ſpiritus & vita ſunt*: id eſt verba, quæ locutus ſum vobis, ſpiritualiter intelligenda ſunt, non de corporali, ſed de ſpirituali manducatione per fidem; juxta illud Aug. ſuper Pſ. 98. *Spiritualiter intelligite, quod locutus ſum vobis. Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi eſtis, & bibituri illum ſanguinem, quem fuſuri ſunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendavi, ſpiritualiter intellectum vivificabit vos, caro autem non prodeſt quidquam.* Ergo. R. Capharnaitas, ut jam dixi duo in promiſſione Chriſti intellexiſſe; primum, realem ejus præſentiam: ſecundum, carnalem manducandi modum, quo caro in fruſta dividitur, dentibus premitur, ac in ſtomachum trajicitur. Primum laudatis verbis non correxit Chriſtus, ſed ſecundum, ut diximus. Et inſuper inde patet: quia ſi per hæc verba *Caro non prodeſt quidquam, ſpiritus eſt qui vivificat*, priora verba reduxiſſet ad meram manducationem ſpiritualem per fidem, nihil erat amplius captu difficile, nihil, in quo amplius ſcandalizarentur Capharnaitæ & Diſcipuli. Atqui tamen his verbis non obſtantibus permanſerunt in ſuo ſcandalo; poſt hæc enim ſubdit Evangeliſta: *Ex hoc multi diſcipulorum ejus abierunt retro, & jam non cum illo ambulabant.* Ergo manifeſtum eſt Chriſtum per hæc verba non correxiſſe Capharnaitarum intelligentiam de reali manducatione, & ſpiritualem dumtaxat per fidem expoſtulaſſe. Cum ergo Aug. dicit: *Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi eſtis*, non intendit excludere veritatem corporis Chriſti, ſed quod non erat manducandum in hac ſpecie, in qua ab eis videbatur. Per hoc autem, quod ſubdit, *Sacramentum, quod vobis commendavi, ſpiritualiter intellectum vivificabit vos*, non intendit, quod corpus Chriſti ſit in hoc Sacramento ſolum ſecundum myſticam ſignificationem, ſed ſpiritualiter, id eſt inviſibiliter & per virtutem Spiritus S. Unde idem S. Doct. Tract. 27. in Joan. exponens verba Chriſti Joan. 6. *Caro non prodeſt quidquam*; ſic ait: *Non prodeſt quidquam, ſed quomodo illi intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo ſpiritu vegetatur. Proinde ſic dictum eſt, caro non prodeſt quidquam, quomodo dictum eſt, ſcientia inflat. Jam ergo debemus odiſſe ſcientiam? abſit. Et quid eſt, ſcientia inflat? ſola ſine charitate; & ideo adjungit, charitas vero ædificat. Adde ergo ſcientiæ charitatem; & utilis erit ſcientia non per ſe, ſed per charitatem. Sic etiam nunc, caro non prodeſt quidquam. Accedat ſpiritus ad carnem, quomodo accedit charitas ad ſcientiam, & prodeſt plurimum; nam ſi caro non prodeſſet, verbum caro non fieret, ut inhabitaret in nobis.*

Inſt. 1. Aug. l. 3. de Doct. Chriſt. c. 16. tradens Regulam, qua locutiones Scripturarum figuratæ a non figuratis diſcernantur, ſic ait: *Si præceptiva locutio eſt aut flagitium, aut facinus vetans, aut utilitatem aut beneficentiam jubens, non eſt figurata: ſi autem flagitium aut facinus videtur jubere, aut utilitatem aut beneficentiam vetare, figurata eſt. Niſi manducaveritis carnem filii hominis & ſanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis, facinus vel flagitium videtur jubere: figura eſt ergo præcipiens Paſſioni Domini eſſe communicandum, & ſuaviter atque utiliter recolendum, quod pro nobis caro ejus crucifixa & vulnerata ſit.* Ergo juxta Aug. Chriſtus Joan. 6. non intellexit carnem ſuam vere & realiter, ſed figurate manducandam. R. Auguſtinum, ut patet ex ejus verbis, loqui de manducatione corporis Chriſti cruenta, qualem intelligebant Capharnaitæ; loquitur enim de manducatione, quæ videbatur facinus aut flagitium. Porro manducare carnem Chriſti realiter quidem, ſed modo inviſibili & ſpirituali, non ſonat flagitium aut facinus, bene autem ſi viſibiliter & cruente manducaretur: vere autem dicit Auguſtinus, verba Chriſti hoc ultimo ſenſu accepta figurata eſſe, ſeu eſſe figuram, non quidem corporis, ſed crucifixionis Chriſti, quatenus iis ſignificatur nos debere illi piis meditationibus communicari. Adde axioma ab Auguſtino prolatum non eſſe univerſaliter verum, alias ſequeretur, v. g. verba Dei præcipientis Abrahæ ſacrificium Iſaac, ſpoliationem Ægyptiorum, deſtructionem Amalecitarum, &c. eſſe figurata.

Inſtit. 2. Aug. Tract. 16. in c. 6. Joan. dicit: *Ut quid paras dentes & ventrem, crede & manducaſti.* Similiter multi Patres Baſil. Hieron. & alii exponunt hunc locum Joannis ſenſu myſtico de manducatione ſpirituali per fidem. Ergo. R. juxta Bellarmin. Aug. hæc verba non protuliſſe de Sacramento, ſed de fide Incarnationis, quia nondum pervenerat ad verſum 52. ubi, ut notavimus, Evangeliſta incipit agere de Sacramento. Explicat ergo S. Doct. quomodo Judæi, qui panibus multiplicatis nutriti fuerant in Deſerto, debebant alium panem petere, qui non perit, quem ſeipſum eſſe dicebat Chriſtus, in quem credere debebant, ut haberent vitam æternam: ad hanc autem fidem non ventre aut dente opus eſt, ſed corde bene diſpoſito. Reſpondent alii Auguſt. ibi commendare manducationem ſpiritualem, eamque reali præferre, quia ſpiritualis ſe ſola ſufficere poteſt, nunquam realis ſine ſpirituali.

Cæterum fatemur S. Aug. & quoſdam alios Patres quandoque hunc locum expoſuiſſe ſenſu myſtico de manducatione ſpirituali, at nunquam negarunt debere etiam intelli ſenſu litterali de manducatione orali. Obſervandum namque eſt verba Scripturæ ſæpe præter ſenſum litteralem continere myſticum, qui autem unum profert, non negat alterum. Quamdiu ergo Hæretici non oſtendent SS. Patres, intelligendo hunc locum ſenſu myſtico, negaſſe litteralem, nihil efficient. Nec mirum ſi SS. Patres, præſertim in Concionibus & inſtructionibus publicis ſæpius exponerent ſenſum moralem & myſticum, quia Catechumenis, qui aderant, tanti myſterii veritatem aperire nondum conveniebat. Ita ipſe Aug. Tract. 11. in Joan. in hæc verba: *Jeſus non ſe credebat eis, Tales ſunt* (inquit) *omnes Catechumeni. Ipſi crediderunt in nomine Chriſti, ſed Jeſus non ſe credidit eis. Intendat & intelliget charitas veſtra. Si dixerimus Catechumeno; credidis in Chriſtum; Reſpondet: credo et ſignat ſe: ecce credidit in nomine ejus. Interrogemus eum. Manducas carnem Filii hominis & bibis ſanguinem Filii hominis? neſcit quid dicimus; quia Jeſus non ſe credidit ei.*

Repones. Plures Scriptores Catholici, ut Nicolaus Cuſanus, Ruardus Tapper, Joannes Heſſellius & Cornelius Janſenius Gandenſis, contendunt non agi in hoc capite Joannis de Sacramento Euchariſtiæ. Ergo. R. revera ita ſenſiſſe laudatos Scriptores, ut facilius reſponderent Huſſitis & Lutheranis inferentibus ex illo capite communionem ſub utraque ſpecie; at ſingularis eſt eorum expoſitio, iiſque opponimus & ipſum Evangelii textum, & SS. Patres, & omnes alios Scholaſticos. Senſus autem Scripturæ colligendus eſt non ex aliquorum opinione, ſed ex communi Patrum & Eccleſiæ intelligentia.

Si inferas. Ergo non poteſt defendi contra Hæreticos uſus communicandi ſub una tantum ſpecie, ſi quidem citato capite Joannis habeatur expreſſe: *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*, Ergo. R. N. Illationem. Ad Probat. dico non modum ſumendi, ſed rem ipſam ſumendam cadere ſub præcepto. Licet enim verba Legis importent utrumque modum ſumendi, manducando ſcilicet & bibendo; mens tamen Legislatoris non fuit obligare niſi ad res ipſas, carnem ſcilicet & ſanguinem ſumendas, quæ integre ſumuntur, ſive ſub una, ſive ſub duabus ſpeciebus. Hanc autem fuiſſe Chriſti mentem probatur, 1. Quia fructus hujus ſumptionis non ex modo ſumendi, ſed ex rebus ſumptis oritur. 2. Quia Chriſtus explicans, quod dixerat; ait ibid. nulla facta mentione potus: *Qui manducat me, vivet propter me.* Ex quo patet idem eſſe manducare carnem & bibere ſanguinem, ac totum Chriſtum manducando ſumere. Ita fere Bellarm.

Urgebis. Si præceptum iſtud, Niſi manducaveritis, &c. intelligatur de reali manducatione, neceſſum eſt perire infantes, qui illud realiter manducare non poſſunt: item omnes, qui impediti non manducant realiter. Falſum Conſequens. Ergo. R. hæc verba præceptiva Chriſti dirigi ad adultos tantum. Unde non dixi: *Niſi quis manducaverit*, ut dixerat de Baptiſmo, *niſi qui renatus fuerit*; ſed *niſi manducaveritis*, ubi patet eum alloqui præſentes & eorum ſimiles, qui hujus præcepti ſunt capaces. In confirmationem hujus ſolutionis facit, quod hoc Sacramentum ſit ad conſervandam vitam, non ad eam primo dandam, ſicut Baptiſmus. Unde eſt refectio, & non regeneratio; ſic intelligitur Tu *non habebitis vitam in vobis*, id eſt, non poteritis vitam conſervare, quo ſenſu dicitur 1. Joan. 10. *Omnis homicida non habet vitam in ſe manentem.* Porro conſervatio vitæ non eſt neceſſaria iis, qui eam amittere non poſſunt, quales ſunt Infantes. Quantum ad adultos, qui impediti non poſſunt manducare in re, manducant in voto, quod ſufficit.

Obj. 2. contra Probationem deſumptam ex verbis inſtitutionis. Scriptura paſſim uſurpat verbum *eſt* pro *ſignificat* etiam in inſtitutione Sacramentorum. Ergo idem eſt dicendum de Euchariſtia. Prob. Ant. 1. Geneſ. 41. *Septem ſpicæ plenæ ſeptem anni ubertatis ſunt*, id eſt *ſignificant*.

Luc. 8.

Luc. 8. *Semen eſt verbum Dei*, id eſt, *ſignificat*. 1. Cor. 1. *Petra autem erat Chriſtus*, id eſt, *ſignificabat*. Exod. 12. de Agno Paſchali dicitur: *Eſt enim phaſe, id eſt tranſitus Domini*, hoc eſt *ſignificat* tranſitum Domini. Geneſ. 17. de Circumciſione ſic legitur: *Hoc eſt pactum meum, quod obſervabitis inter me & vos & ſemen tuum poſt te: circumcidetur ex vobis omne maſculinum*: ubi Ly *eſt* ſumitur pro *ſignificat*. In verbis conſecrationis calicis apud Lucam, *hic calix novum Teſtamentum in meo ſanguine*, id eſt, eſt ſignum Teſtamenti mei. Tandem juſſit Chriſtus Euchariſtiam perfici in ſui memoriam: *Hoc facite*, inquit, *in mei commemorationem*; memoria autem eſt tantum de re abſente, non præſente. Ergo.

Ante reſponſionem obſervandum eſt 1. quod ſupra diximus, rem ſignificatam non poſſe niſi falſo & inſulſe affirmari de ſigno, niſi ſit illius ſignum, vel ex natura rei, vel ex uſu aut inſtitutione, aut niſi auditoribus ita innoteſcat per aliquam explicationem. Obſervandum 2. Actus interiores, quales ſunt pacta, teſtamenta, &c. ſolere apud homines explicari per aliquod inſtrumentum exterius, quod ſit ſignum actus interioris. Obſervandum 3. ex eo quod in Scriptura verbum *eſt* quandoque uſurpetur pro *ſignificat*, ſtolide inferri, quod ita ſemper & in præſenti materia uſurpetur, alioquin dicendum erit cum Socinianis ſic etiam uſurpari in his propoſitionibus: *Verbum caro factum eſt*. *Hic eſt Filius meus dilectus*, &c. quod negant Calviniſtæ. Attendendum eſt itaque ad ſubjectam materiam, ad communem uſum, communem intelligentiam & ad varias circumſtantias, ut legitimus ſenſus eruatur. His obſervationibus poſitis,

R. ex textibus adductis & ſimilibus nullatenus probari verbum *eſt* in hac propoſitione, *Hoc eſt corpus meum*, uſurpari pro *ſignificat*, quod expendendo ſingulos conſtabit. Unde ad 1. Ibi refertur ſomnium; res autem viſæ in ſomniis referuntur non ut res abſolutæ, ſed ut ſigna aliarum rerum, idque ita intelligunt & referens & audientes: ſic cum Pharao expoſuit Joſepho ſuum ſomnium, inquirebat, quid ſignificarent iſtæ ſpicæ plenæ, quas ſomnians viderat; & dum Joſeph reſpondit, *eſſe ſeptem annos ubertatis*, uterque intelligebat juxta leges humanæ locutionis, eas ſignificare ſeptem annos ubertatis. At nihil ſimile in pane reſpectu corporis Chriſti. Ad 2. Ex adjunctis ſatis patet Apoſtolum loqui de petra in ſenſu metaphorico & ſpiritali; ſic enim dicit: *Bibebant autem de ſpiritali conſequente eos Petra: Petra autem erat Chriſtus*. Et poſtea addit: *Hæc autem omnia in figura contingebant illis*. Quibus aperte indicat ſe loqui de petra ut eſſet ſignum Chriſti, ſeu de petra ſpirituali, quæ eſt revera Chriſtus. Iterum nil ſimile in verbis Euchariſticis. Ad 3. Senſus hujus propoſitionis; *Agnus Paſchalis eſt Phaſe, ſeu tranſitus Domini*, eſt proprius, non metaphoricus: quia familiare eſt Scripturæ ſacræ, ut cum de Sacrificio ſeu victima loquitur, reticeat nomen Sacrificii ſeu victimæ, & illi ſubſtituat id, propter quod Sacrificium ſeu victima offertur: ſic Sacrificia ſeu oblationes, quæ offerebantur pro peccatis in Lege veteri, dicebantur peccata: hinc Sacerdotes dicebantur *comedere peccata populi*, id eſt oblationes factas pro peccatis. Sic 2. Cor. 5. Chriſtus dicitur *pro nobis factus peccatum*, id eſt hoſtia pro peccato. Similiter ergo cum dicitur: *Agnus Paſchalis eſt Phaſe ſeu tranſitus Domini*, hoc eſt ſecundum modum familiarem & notum loquendi Scripturæ, *victima tranſitus Domini*. Ita ipſe Moyſes in eodem cap. verſ. 27. exponit his verbis: *Et cum dixerint vobis Filii veſtri: quæ eſt iſta Religio? Dicetis eis: Victima tranſitus Domini eſt, quando tranſivit ſuper domos Filiorum Iſrael in Ægypto percutiens Ægyptios, & domos noſtras liberans*. Dicentne forte Calviniſtæ, panem in Euchariſtia eſſe victimam corporis Chriſti, ut vere dici poſſit ſimpliciter, *panis eſt corpus Chriſti*. Ad 4. Falſo ſupponitur ab Hæreticis pactum affirmari de Circumciſione; quaſi ſenſus foret, *hoc*, id eſt *Circumciſio eſt pactum meum*; ſed Circumciſio illic affertur ut conditio ſeu ſignum pacti tantum; ita ut ſenſus ſit: *Hoc eſt pactum meum*, &c. id eſt ineo fœdus ſeu pactum vobiſcum, quod obſervabitis inter me & vos, ſed ea conditione, ut daturi ſitis omni maſculo Circumciſionem, quæ ſit ſigillum & ſignum hujus fœderis. Unde verſu immediate ſequ. additur: *Et circumcidetis carnem præputii veſtri, ut ſit in ſignum fœderis inter me & vos*. Aliunde dato pactum affirmari ſimpliciter de Circumciſione, nihilominus communis foret & omnibus nota locutio metaphorica; quia, ut notavimus, actus ſpiritales ſeu interiores, quale eſt pactum, ſolent explicari per aliquid exterius, quod ſit ejus ſignum: ſic, v. g. ſcriptum ſolet ſimpliciter dici contractus, ſeu teſtamentum, licet ſit tantum ejus ſignum, & hoc communiter intelligunt homines. Id autem dici non poteſt in hac propoſitione; *Hoc eſt enim Corpus meum*: quia To *hoc*, ſeu *panis* non eſt quid ſpiritale aut interius, quod indigeat & ſoleat repræſentari per aliquid exterius. Ad 5. Adhibenda eſt eadem ſolutio propter eandem rationem. Ad-

de obſcuritatem, ſi quæ foret in verbis Lucæ, tolli verbis Matthæi & Marci, quibus formam a Chriſto prolatam exprimunt, his ſcilicet: *Hic eſt Sanguis meus novi Teſtamenti*, &c. Ad 6. 1. N. Subſumptum, ſcilicet non dari memoriam rei præſentis, ſi nempe res illa non ſit ſubjecta ſenſibus: ſic, v. g. nihil magis nobis eſt præſens quam Deus ipſe, & tamen ſicut ſæpe illius obliviſcimur, ita & illius ſæpe meminimus: ſimiliter de Chriſto, qui modo inviſibili continetur in Sacramento Euchariſtiæ. 2. Senſus verborum Chriſti eſt: *Hoc facite in memoriam Paſſionis meæ*, unde Eccleſia canit: *Recolitur memoria Paſſionis ejus*, Paſſio Chriſti autem non erat, nec eſt præſens.

Inſt. Sicut Chriſtus dixit: *Hoc eſt Corpus meum*, *Caro mea vere eſt cibus*, &c. ſic dixit Joan. 15. *Ego ſum vitis vera*. Atqui id ultimum debet intelligi in ſenſu figurativo, ſeu metaphorico. Ergo & primum. R. N. Conſequ. Diſparitas eſt, quod cum Chriſtus ſe dixit vitem veram, alia ſubjunxit, quibus explicatur ſe locutum fuiſſe non in ſenſu proprio, ſed metaphorico, ſeque comparaſſe viti quoad quaſdam ejus proprietates. Addit enim: *Sicut palmes non poteſt ferre fructum a ſemetipſo, niſi manſerit in vite: ſic nec vos, niſi in me manſeritis*. Nihil autem unquam protulit, quo Euchariſtiæ verba ad ſenſum figurativum explicari poſſint, aut debeant.

Urgent Calviniſtæ ſe etiam ex aliis Scripturæ locis colligere ſenſum metaphoricum in verbis Euchariſtiæ. Ex iis locis, quibus dicitur Chriſtum non amplius eſſe in hoc mundo, ſed aſcendiſſe in cœlum; ſic Joan. 12. legitur. *Pauperes ſemper habetis vobiſcum, me autem non ſemper habetis*. Joan. 16. *Ego relinquo mundum*, &c. & Act. 3. S. Petrus dicit cœlum Chriſtum continere uſque ad diem Reſurrectionis. 2. Chriſtus Matth. 26. Calicem conſecratum vocat *genimen vitis*. Et Apoſt. 1. Cor. 10. dicit: *Patres noſtri eandem eſcam ſpiritualem manducaverunt, & eundem potum biberunt*. Patres autem carnem Chriſti fide tantum & in figura manducaverunt. Ergo. R. ex his Scripturæ textibus nuſquam poſſe colligi ſenſum figurativum in verbis Euchariſticis. Non ex his, qui primo loco referuntur: (*Q. 75. art. 1. ad 2.*) in iis enim agitur de præſentia Chriſti viſibili, non autem inviſibili, qualem habet in Euchariſtia: quin imo ſe hoc modo fore nobiſcum uſque ad conſummationem ſæculi conteſtatus eſt Matth. 28. Non etiam ex eis, quæ ſecundo loco proferuntur. Dato enim, quod de calice conſecrato loquatur Matth. (non enim id omnes concedunt ex eo, quod Lucas duos calices diſtinguat) hoc inquam dato, nihil inde eruitur pro ſenſu metaphorico; quia eo ſenſu dicitur calix conſecratus *Genimen vitis*, quo corpus Chriſti dicitur panis; quia nempe ex vino & pane ſunt, & accidentia panis & vini retinent: ſic ſerpens Moyſis dicitur virga, quia ex virga factus eſt. Et iſte modus loquendi eſt Scripturæ familiaris. Ad Apoſtolum: non dicit patres eandem nobiſcum eſcam manducaſſe; ſed eandem ſimpliciter, hoc eſt eandem inter ſe manducaſſe. Unde Aug. l. 2. cont. lit. Petil. c. 37. *Aliud eſt Paſcha, quod illi in ove celebrarant; aliud autem, quod nos in corpore & ſanguine Domini accipimus*. Et dato Apoſtolum velle Patres & nos eandem eſcam manducaſſe, ut alicubi videtur ſentire Aug. non tamen eam eodem modo manducarunt. Hi nempe in figura, nos in veritate. Unde & Chriſtus Joan. 6. *Non ſicut manducaverunt Patres veſtri manna, & mortui ſunt: qui manducat hunc panem, vivet in æternum*.

Obj. 3. Id ſolum eſt in Euchariſtia, quod Chriſtus accepit, benedixit, fregit & dedit Diſcipulis dicens: *Accipite & manducate*, &c. Atqui quod Chriſtus accepit, benedixit, &c. erat panis; ſic enim narrat Evangeliſta: *Accepit Jeſus panem & benedixit ac fregit, deditque Diſcipulis, & ait*. Ergo. R. 1. Retorquendo Argumentum. Id ſolum eſt in Euchariſtia, quod Chriſtus accepit, benedixit, &c. Atqui accepit, benedixit, &c. panem uſualem & non ſacramentalem. Ergo ſolum eſt in Euchariſtia panis uſualis & non ſacramentalis, quod negant Hæretici. R. 2. D. Min. Atqui quod Chriſtus accepit, benedixit, &c. erat panis, qui remanſit panis, N. Min. Qui per ſequentia verba conſecratoria: *Hoc eſt Corpus meum*, tranſiit in corpus Chriſti, C. Min. & N. Conſeq. Quæ ergo Chriſtus accepit, benedixit, &c. fuit panis & corpus Chriſti ſucceſſive, panis quando accepit, &c. Corpus Chriſti abſoluta prolatione horum verborum, *Hoc eſt Corpus meum*. Quia hæc Chriſti propoſitio: *Hoc eſt Corpus meum*. eſt practica, qualis fuit iſta, *fiat lux*, aut foret hæc, *Hic liber ſit tuus*. In hoc autem differt propoſitio practica a ſpeculativa, qualis eſt hæc, v. g. *Sol lucet*, quod ſpeculativa ſupponat ſuum objectum, non efficiat; practica autem efficit, quod ſignificat. Unde in propoſitionibus practicis, licet, dum ſignificatio eſt tamen inchoata & fluens, terminus, a quo fit mutatio, ut in caſu panis, adhuc ſubſiſtat, ubi tamen ſignificatio eſt completa & permanens, terminus a quo eſt mutatus & converſus in terminum ad quem, qui in caſu eſt corpus Chriſti.

Inſt. 1. Hæc propoſitio demonſtrativa: *Hoc eſt Corpus meum*, intellecta in ſenſu proprio, eſt falſa. Ergo. Prob. Ant. Tu *Hoc* in hac propoſitione intellecta in ſenſu proprio vel demonſtrat panem, vel ſpecies panis, vel corpus Chriſti, nihil aliud eſt aſſignabile. Non panem, neque ſpecies panis; falſum eſt enim, quod panis aut ſpecies panis ſint corpus Chriſti: non corpus Chriſti; quia, ut modo dicebamus, pronuntiata tantum hac voce, *Hoc*, nondum eſt corpus Chriſti; & aliquo in hæc propoſitio non foret practica, ſed ſpeculativa, ſupponens ſcilicet, non efficiens ſuum objectum; item foret identica. Ergo. R. (*Hic q.* 88. *a.* 1. *o.*) Tu *Hoc* in hac propoſitione: *Hoc eſt Corpus meum*, conſideratum pro eo inſtanti, quo pronunciatur, non demonſtrare determinate neque panem, neque ſpecies panis, neque corpus Chriſti, ſed confuſe & intedeterminate rem aliquam ſeu quid commune utrique, pani & corpori Chriſti ſcilicet contentum ſub his ſpeciebus. Unde ſenſus eſt: hæc res, hoc edulium, hoc quod præ manibus habeo, ſeu contentum ſub his ſpeciebus, hactenus panis, nunc eſt corpus meum. Hic potus hactenus vinum, eſt ſanguis meus, hic calix eſt calix ſanguinis mei. Ratio eſt, quia pronomina demonſtrativa ſolitarie poſita in ſubjecto propoſitionis ſine ſubſtantivo adjuncto non ſignificant aliquid determinate, ſed generatim & confuſe rem aliquam, ut cum dico; hoc eſt aurum, ſenſus eſt, hæc res eſt aurum. Nec eſt, quod vim faciant Hæretici in his argutiis: ſi enim Chriſtus convertiſſet aquam in vinum in Cana Galilææ, dicendo, *Hoc eſt vinum*, demonſtrando hydrias plenas, quod indubie poterat omnipotens, eadem foret quæſtio, ad quam nihil aliud reſpondere poſſent Adverſarii; quam hoc quod reſpondemus, ſcilicet ſenſum hujus propoſitionis eſſe hunc: *Contentum in his hydriis eſt vinum*.

Inſt. 2. Apoſt. 1. Cor. 11. referens verba, *Hoc eſt Corpus meum*, addit, *quod pro vobis frangitur*. Et quamvis noſtra Vulgata vertat, *Quod pro vobis traditur*, in textu Græco tamen legitur, *Quod pro vobis frangitur*. Atqui corpus Chriſti naturale non frangitur, ſed figura tantum illius, ſcilicet panis. Ergo. R. 1. Tempus præſens poſitum fuiſſe pro proxime futuro, ſed familiare eſt, quia tempus proxime futurum cenſetur moraliter præſens. Unde ſenſus eſt, hoc eſt corpus meum, quod brevi frangetur in Paſſione, non quidem quoad oſſa, ſed quoad carnem, quæ fuit lacerata; & ideo vulgatus interpres vertit *quod traditur*. Idque magis evincitur ex eo, quod Matthæus de ſanguine, *Qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*: non autem vinum, ſed verus ſanguis Chriſti effuſus eſt in remiſſionem peccatorum, nec tunc effuſus, ſed poſtea in Paſſione. R. 2. Dato retinendum eſſe *frangitur* in præſenti: etiam corpus Chriſti frangitur in Eucharistia multipliciter. 1. *Frangitur* non ratione ſui, ſed ratione ſpecierum, ſub quibus continetur, eodem ſenſu quo dicitur manducari, tangi, &c. 2. *Frangitur*, id eſt diſtribuitur, juxta phraſi Scripturæ, *Frangere panem* eſt *dare* ſeu *diſtribuere panem*. Sic Iſa. 58. *Frange eſurienti panem tuum*. Lament. 4. *Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis*: *frangitur* ergo apud Paulum idem ſignificat ac *datur* apud Lucam. 2. *Frangitur* ſeu immolatur, quatenus vi verborum Conſecrationis ſeparatur a ſanguine, ut dicemus infra, & ideo immolatur.

Inſt. 3. Hæc verba: *Hoc eſt Corpus meum*, ſunt ſacramentalia. Ergo ſunt ſigna corporis Chriſti; Sacramentum enim eſt in genere ſigni. R. D. Conſeq. Ergo ſunt ſigna corporis Chriſti inviſibiliter præſentis, C. abſentis, N. Vel ſunt ſigna corporis Chriſti ſpeculativa tantum, N. Signa practica, C. Verba enim ſacramentalia efficiunt, quod ſignificant; adeoque hæc efficiunt corpus Chriſti præſens, prout illud ſignificant; ſicut hæc: *Baptizo te in nomine Patris*, &c. ſignificant & efficiunt ablutionem ſpiritualem præſentem per gratiam.

Inſt. 4. Si Apoſtoli intellexiſſent in his Chriſti verbis ſenſum obvium & litteralem, non figuratum, turbati fuiſſent, & explicationem expoſtulaſſent. Atqui, &c. Ergo. R. N. Sequelam; quia ad id præparati ex c. 6. Joan. Cætera, quæ opponunt ex Scriptura Sacramentarii, leviora ſunt, quam ut nos diutius detineant.

§. II. *Solvuntur Objectiones ex Patribus.*

Ultra metas huic operi præfixas longius excurrerem ſi omnia, quæ ex Patribus contra Dogma Catholicum congerunt Hæterodoxi, & referre & refellere vellem. Opus contraham proponendo Regulas quaſdam generales pro vera intelligentia illorum, quæ ex Patribus opponuntur. Prima Regula. Quando SS. Patres vocant Euchariſtiam, figuram, ſimilitudinem, imaginem, typum, antitypum, ſpeciem, repræſentationem, myſterium, Sacramentum, ſignum corporis Chriſti: hæc multiplici & vero ſenſu intelliguntur abſque detrimento realis præſentiæ. 1. Dicitur, figura, ſignum, &c. ratione ſpecierum panis & vini, quæ ex inſtitutione Chriſti ſunt ſignum, figura, &c. Corporis Chriſti, non abſentis, ſed præſentis & ſub iis contenti; nihil enim obſtat, quin detur ſignum rei præſentis; ſic ſanguis & ægritudo ſunt ſigna vitæ præſentis; ſed & maxime ſi res ſignificata non appareat, ut in ſubjecta materia: ſic columba in Baptiſmo Chriſti, linguæ igneæ die Pentecoſtes erat figuræ & ſigna Spiritus S. præſentis. Unde de Conſecr. D. 2. c. 89. ex Aug. dicitur: *Corpus Chriſti, quod ſumitur de altari, figura eſt, dum panis & vinum extra videtur; veritas autem, dum corpus & ſanguis Chriſti in veritate interius creditur*. 2. Euchariſtia dicitur figura, ſignum &c. ratione totius contenti, quatenus corpus Chriſti ſub ſpeciebus velatum, & vi verborum a ſanguine ſeparatum, eſt ſignum ſui ipſius tum in cruce immolati, tum in cœlis revelati & ſanctos beatificantis. Quamvis enim ſit idem corpus in Euchariſtia, in Cruce & in Cœlo, non eſt tam idem ſtatus; & ſic poteſt idem ſub diverſa conſideratione eſſe ſui ipſius ſignum & figura. 3. Euchariſtia quandoque dicitur ſignum, figura, &c. corporis myſtici Chriſti, quod eſt Eccleſia, cujus unitas per panem ex multis granis confectum, & per vinum ex multis racemis expreſſum, repræſentatur, ut explicat Aug. Tract. 26. in Joan.

Secunda Regula. Hoc Sacramentum tam in Patribus, quam in Scriptura quandoque vocatur panis duplici ratione. 1. Ratione accidentium panis, quæ remanent, & ſub quibus corpus Chriſti ſenſibus objicitur. 2. Ratione materiæ, quæ converſa eſt in corpus Chriſti; quo ſenſu virga Aaron in ſerpentem converſa vocabatur adhuc virga, Exod. 7. *Devoravit virga Aaron virgas eorum*. Inſuper Euchariſtia non appellatur panis ſimpliciter, ſed panis cœleſtis, panis cœli, panis ſuperſubſtantialis, panis de cœlo deſcendens, panis vivus, panis Angelorum, &c. Tertia Regula. Quando quidam dicunt in Euchariſtia non eſſe idem corpus, quod de virgine Chriſtus aſſumpſit, in quo mortem ſubiit, reſurrexit, aſcendit in cœlum, qui loquendi modus fuit frequentior Scriptoribus noni ſæculi, intelligunt non eſſe idem corpus quoad ſtatum & affectiones, licet ſit idem quoad ſubſtantiam, ut explicuimus Art. præc. §. VI.

Quarta Regula. Dum SS. Patres ita commendant manducationem ſpiritualem, ut aliam videantur non admittere, volunt tantum externam & realem ſine ſpirituali prodeſſe, ut docet Aug. Tract. 26. in Joan. ubi ait: *Qui non manet in Chriſto, & in quo manet Chriſtus, procul dubio nec manducat ſpiritualiter carnem ejus, nec bibit ejus ſanguinem, licet carnaliter & viſibiliter premat dentibus Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti: ſed magis tantæ rei Sacramentum ad judicium ſibi manducat & bibit, quia immundus præſumit ad Chriſti accedere Sacramenta*.

Quinta Regula. Dum quidam Patres dicunt panem benedictum non eſſe corpus Chriſti, intelligunt panem ante Conſecrationem, vel Eulogias, ſeu panem benedictum, qui non communicantibus dabatur in ſignum unionis, & quem Aug. vocat lato ſenſu Sacramentum.

Sexta Regula. Quando Patres dicunt corpora noſtra nutriri, augeri, conſiſtere corpore Chriſti, intelligunt eodem ſenſu, quo dicitur corpus Chriſti manducari, tangi, dentibus teri, &c. improprie ſcilicet & mediate ratione ſpecierum, quibus involvitur, & quibus intime conjungitur, ita quod rei ſignificatæ nomen ſigno tribuatur, ut frequens eſt: vel intelligunt de nutrimento & augmento corporis non tranſitorio, quale fit ex communibus cibis, ſed de nutrimento & augmento permanente, quatenus corpus noſtrum ex conjunctione reali cum corpore Chriſti incorruptionis & immortalitatis ſemina recipit.

Septima tandem & ultima Regula. Si forte quidam antiquiores minus accurate de hac materia ſcripſerint, nihil inde contra catholicum Dogma erui poteſt: ideo enim ſtrictiori loquendi modo non ſe adſtringebant, quia ſciebant ſe a fidelibus nulla dubitatione pulſatis bono ſenſu intelligi. Quemadmodum Aug. l. 1. contr. Juli. cap. 6. de Chryſoſtomo loquens, licet in diverſa materia, dicit, *Diſputans*, inquit, *in Catholica Eccleſia non ſe aliter intelligi arbitrabatur, tali quæſtione nullus pulſabatur, vobis nondum litigantibus, ſecurius loquebatur*.

Quidam etiam parce & ſubobſcure locuti ſunt propter diſciplinam arcani, qua in prioribus ſæculis ſacratiora Religionis Myſteria Paganis, Judæis & Catechumenis occultabantur; tum quia erant ad illa intelligenda impares, tum ne ea irriderent & profanarent. Hujus diſciplinæ teſtes ſunt Tertull. c. 7. Apolog. *Omnibus Myſteriis*, inquit, *ſilentii fides debetur... Et unde extraneis notitia, cum ſemper etiam piæ initiationes arceant profanos?* Orig. l. 1. cont. Celſum. S. Baſilius de Spiritu S. c. 27. S. Cyrillus Hieroſ. Catech. 6. illuminatorum, ubi ait Miniſtros Chriſti *Multa ſæpe loqui obtecta ſeu obſcure, ut fideles, qui rem tenent, intelligant; & qui non tenent, non lædantur*. S. Cyrillus Alexand. l. 7. contr. Jul. *Plurima*, inquit, *de his alia & vera dicerem... niſi profanorum aures metuerem*. Chryſoſt.

Digitized by Google

ſoſt. Hom. in 1. Cor. *Volo quidem aperte dicere: non audeo vero propter eos, qui non ſunt initiati; ii enim difficiliorem nobis faciunt expoſitionem, ut qui nos cogant, vel non aperte dicere, aut eis arcana enunciare*. Et hom. de Proditore Juda: *Norunt initiati calicem iſtum: ſcietis* (Catechumeni) *intra paucos dies*. Epiphan. Hæreſi 42. reprehendit Marcionitas, quod perficerant Myſteria præſentibus Catechumenis; quod etiam Synodus Alexandrina damnat in Arianis apud Athanaſium Apolog. 2. Theodoretus Dialogo 2. introducit Orthodoxum dicentem: *Aperte dicendum non eſt; veriſimile enim eſt adeſſe aliquos Myſteriis non initiatos*. Reponit Eraniſtes: *Reſpondeatur ænigmatice*. Ambroſ. de Myſteriis, Aug. Tract. 11. in Joan. Ep. 120 nunc 140. ferm. 5. de luctu Jacob, & ſerm. 132. a quo iſtud notetur aſt: *Norunt Fideles, quid recipiunt*. Ex his igitur Regulis facile ſolvus, quæ communius opponuntur ex Patribus. Quapropter, præter ea, quæ jam prævenimus inter probationes §. 5. præcedentis articuli, ea tantum proponam, quæ ſpecialem requirunt ſolutionem.

Obj. 1. S. Irenæus l. 4. c. 34. nunc 18. dicit: Sacrificium non ſanctificare hominem. *Sed conſcientia ejus*, inquis, *qui offert, ſi pura eſt, ſanctificat Sacrificium*. Atqui corpus Chriſti ſanctum eſt, nec habet ſanctitatem ab homine. Ergo Irenæus non agnoſcit ibi corpus Chriſti. Eodem ferme modo loquitur Origen. in commen. in c. 15. Matt. dicens: *Quod ſanctificatum eſt per verbum Dei & orationem; non ea ſe utentem ſanctificat*. Atqui ſi eſſet corpus Chriſti in Euchariſtia, ex ſe utentem ſanctificaret. Ergo. R. ſenſum Irenæi eſſe, quod non ſanctificet offerentem indiſpoſite; ſed quod conſcientia pura ſanctificet Sacrificium non abſolute in ſe, ſed reſpectu offerentis, qui fructum ſpiritualem ex eo recipit; agit enim ibi S. Irenæus de diſpoſitionibus requiſitis in offerente, ut ejus Sacrificium ſit Deo gratum & ſibi utile. Aliunde conſtat ex §. 1. Articuli præced. Irenæum agnoſcere præſentiam realem. Confer. Ad Origenem R. pariter ſenſum illius eſſe, Euchariſtiam ex ſe non ſanctificare utentem indebite diſpoſitum: ſubjungit enim immediate: *Nam ſi ita eſſet, ſanctificaret & illum, qui indigne Dominum comedit, nec ullus propter cibum infirmus factus fuiſſe, aut imbecillis, aut mortuus .... ac proinde in pane Domini utilitas eſt ei, qui utitur eum intemerata mente, & pura conſcientia panis ſit particeps*.

Inſt. 1. Origenes dicit ibid. *Neque bono aliquo privamur ex eo, quod non comedamus de pane per verbum Dei & orationem conſecrato ... neque ex eo, quod comedimus, bono aliquo abundamus: nam cauſa privationis malitia eſt & peccata, abundantiæ cauſa juſtitia eſt, & recte facta*. Atqui id eſſet falſum, ſi Chriſtus realiter contineretur in Euchariſtia. Ergo. R. ſenſum Origenis eſſe nos non privari aliquo bono ex eo, quod non comedamus indebite diſpoſiti, ſic enim comedentes peccaremus; neque nos abundare aliquo bono, ſi comedamus indebite diſpoſiti, quia tunc potius peccamus, ſecus ſi cum debita diſpoſitione accedamus. Patet ex ultimis verbis: *Nam cauſa privationis*, inquit, *malitia eſt, abundantiæ cauſa juſtitia eſt*. Ad quam ſenſum diſtincta Min. N. Conſeq. Cæterum totum hoc argumentum ex Irenæo & Origene eſt ab Hæreticis ſolvendum, qui magnam vim ſanctificandi tribuunt Sacramento.

Inſt. 2. Origenes ibid. dicit: *Cibus ipſe per Verbum Dei & Orationem conſecratus, ſecundum illud quidem quod materiæ conſtat, in ventrem abit, & in ſeceſſum ejicitur*. Ergo remanet panis. R. 1. Hoc argumentum in ſpeciem favere Impanatoribus, at non Sacramentariis. R. 2. Cibum hunc ſecundum Origenem retinere materiam quia retinet accidentia, quæ corrupta in ſtomacho abeunt in ſeceſſum, aut convertuntur in ſubſtantiam aliti. Hæc autem accidentia Origenes vocat materiam multiplici titulo. 1. Quia repræſentant ſenſibus materiam panis. 2. Quia quantitas remanens magis pertinet ad materiam quam ad formam. 3. Quia habent rationem materiæ, non quidem reſpectu formæ ſubſtantialis, ſed reſpectu verborum ſeu ſignificationis ſacramentalis. Verum non eſt quod nos ita moretur auctoritas Origenis, cujus opera, ut omnibus notum eſt, ſive genuina, ſive adulterata ſcatent erroribus.

Obj. 2. Ex Aug. S. Doctor l. cont. Adimantum Manichæum c. 12. ait: *Non dubitavit Dominus dicere*: Hoc eſt corpus meum, *cum ſit ſignum ſui corporis*. Ergo juxta Aug. Euchariſtia eſt tantum ſignum corporis Chriſti, non corpus ipſum. R. 1. juxta primam Regulam, Euchariſtiam ſecundum ſpecies viſibiles eſſe ſignum corporis Chriſti, non vacuum & inane, ſed ipſo plenum. Hoc ſignum Chriſtus vocavit corpus ſuum ex uſu, ſecundum quem nomen rei ſignificatæ ſigno tribuitur. Neque dicas cum Albertino hunc modum loquendi in Aug. *Non dubitavit Dominus dicere*, &c. Indicare figuratam locutionem in Chriſto; nemo enim recte diceret: *Non dubitavit Dominus dicere, hoc eſt aurum*, ſi verum aurum daret: iſte namque loquendi modus recta uſurpatur, quando res, etſi vera, non habet tamen ſpeciem & modum exiſtendi naturalem, qualem non habet Chriſtus in Euchariſtia. Nunquam enim Apoſtoli ſuſpicati fuiſſent eſſe ſub ſpeciebus panis corpus Chriſti, niſi ipſe dixiſſet.

R. 2. & forte conformius ad mentem Aug. ipſum arguere contra Manichæos ex eorum principiis, argumento, ut dicunt, ad hominem. Manichæi inter varios errores dicebant, 1. Chriſtum non aſſumpſiſſe verum corpus, ſed phantaſma tantum & figuram corporis. 2. Legem veterem eſſe malam & legi novæ contrariam, quod probabant partim ex eo, quod Deut. c. 12. dicat: *Ne ſanguinem comedas, ſanguis enim eorum pro anima eſt, & idcirco non debes animam comedere cum carne*. Et e contra lex nova dicit: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere*. *Quomodo*, inquiebat Adimantus, *ſi ſanguis eſt anima, non poteſt interfector hominis nocere animæ, cum tantum habeat in ſanguinem ejus poteſtatem*? Huic objectioni duo reponit Aug. 1. Veterem legem loqui de anima bruti, quæ poteſt dici ſita in ſanguine, novam autem legem loqui de anima hominis, quæ non eſt poſita in ſanguine, ſed eſt immortalis. 2. Sanguinem in veteri lege dici animam, non quod ſit vera anima, ſed quia animæ ſignum eſt; & ita potuiſſe loqui veterem legem probat S. Doctor hoc argumento ad hominem: Chriſtus, ſecundum vos, Manichæi, non habebat verum corpus ſed figuram tantum, ſignum & apparentiam corporis, atqui vere dixit: *Hoc eſt Corpus meum*, cum ſignum tantum daret corporis ſui. Ergo pariter Deus in veteri lege vel diceret; ſanguis eſt anima, quamvis ſit tantum ſignum animæ. Quod argumentum eſt peremptorium in principiis Manichæorum.

Inſt. 1. Aug. Ep. 98. ad Boniſ. alias 23. dicit: Euchariſtiam eſſe corpus Chriſti, *ſecundum quemdam modum*. Ergo non vere & ſubſtantialiter. R. N. Conſeq. Ideo enim dixit Aug. Euchariſtiam eſſe corpus Chriſti *ſecundum quemdam modum*, non ut excluderet ejus præſentiam ſubſtantialem, ſed quia Euchariſtia ſecundum aliquam ſui partem, ſcilicet ſecundum ſpecies viſibiles, non eſt proprie & ſubſtantialiter corpus Chriſti, ſed tantum *ſecundum quemdam modum*, nempe denominative, quatenus nomen rei ſignificatæ tribuitur ejus ſigno, idque conformiter ſuo ſcopo; vult enim ibi oſtendere Infantes poſſe dici credere ſeu eſſe fideles, quia ſuſcipiunt Sacramentum Fidei, nempe Baptiſmum, quod dicitur Fides, tribuendo ſigno nomen rei ſignificatæ, ſicut Euchariſtia ſecundum ſpeciem exteriorem dicitur corpus Chriſti, quia illud ſignificat. Aliunde Aug. non ſemel ſimilem loquendi modum uſurpat abſque eo, quod excludat rei veritatem: ſic Ep. 137. alias 3. ad Voluſ. dicit: *Verbum divinum voluiſſe ſuſcipere hominem, & cum illo uniri quodam modo*, non quod intendat negare veram unionem hypoſtaticam, ſed declarare, quod ex pluribus modis unionis hunc elegerit. Sic Epiſt. 166. ad Hieron. alias 28. dicit animam hominis eſſe *ſecundum quemdam modum* immortalem; non quod neget eam eſſe vere immortalem attenta ejus natura, ſed quia attenta divina omnipotentia poteſt annihilari. Ita in noſtro caſu proportione ſervata.

Inſt. 2. Juxta Aug. ibid. ſic ſe habet Sacramentum corporis Chriſti ad ipſum ejus corpus, ſicut Sacramentum Fidei, ſcilicet Baptiſma ad Fidem. Atqui Sacramentum Fidei non eſt ſemper ſignum Fidei actualis. Ergo Sacramentum corporis Chriſti non eſt ſignum corporis Chriſti præſentis. R. D. Maj. Sic ſe habet &c. quoad aliquid, C. Quoad omnia, N. Comparationes enim non fiunt quoad omnia, alioquin non foret comparatio, ſed identitas inter comparata; ſed ſufficit, quod teneant in aliquibus. In hoc autem tenet comparatio Auguſtini, quod ſicut Sacramentum corporis Chriſti, dicitur corpus Chriſti, nomine rei ſignificatæ accommodato ſigno, ita Sacramentum Fidei dicitur Fides, & ideo infantes baptizati poſſunt appellari fideles; de quo ſolo erat quæſtio propoſita a Boniſacio, & ideo non erat ejus inſtituti illic explicare, quomodo Sacramentum Euchariſtiæ eſſet ſignum Chriſti aut præſentis, vel abſentis.

Inſt. 3. Aug. Ep. 205. alias 146. ad Conſentium dubitat, an corpus Chriſti glorioſum in cœlo habeat ſanguinem. Ergo certo non credit vinum in Euchariſtia converti in ſanguinem Chriſti. R. D. Ant. Dubitat, an corpus Chriſti glorioſum in cœlo habeat ſanguinem ſecundum ſubſtantiam, N. Secundum qualitates & humores, quas habuit in terra, & ex quibus, utpote contrariis, poſſet quibuſdam videri corruptibile, C. de hoc enim ſolum interrogabatur a Conſentio, cui nihil hac de re affirmare voluit, ne daretur occaſio quibuſdam inferendi corpus Chriſti eſſe corruptibile. Unde ſubdit: *Sed quodlibet quiſque addat, corruptionem addere caveat*. Cæterum Auguſtinum aperte cognoſcere in Euchariſtia verum & ſubſtantialem ſanguinem Chriſti conſtat ex §. 5. præcedentis Artic. Cætera, quæ objiciuntur ex Aug. require §. præſentis Artic.

Obj. 3. Ex Facundo Hermianenſi l. 9. ultimo, ubi excu-

ſatu-

ſaturus Theodorum Mopſueſtenum, qui dixerat Chriſtum aſſumpſiſſe adoptionem filiorum, ait id non debere cenſeri Hæreticum: quia *Sacramentum adoptionis ſuſcipere dignatus eſt Chriſtus, quando circumciſus eſt & baptizatus, & poteſt Sacramentum adoptionis adoptio nuncupari, ſicut Sacramentum corporis & ſanguinis ejus, quod eſt in pane & poculo conſecrato, corpus ejus & ſanguis dicitur, non quod proprie corpus ejus ſit panis, & poculum ſanguis, ſed quod in ſe myſterium corporis ejus & ſanguinis contineant.* Ergo. R. 1. Et opus & Auctorem levis eſſe ponderis. Opus, quia an. dumtaxat 1629. ex uno codice manuſcripto prodiit in lucem, ſicque vel ſcribi, vel adulterari facile potuit a Sacramentariis. Et eſto opus vere ſit Facundi, & non adulteratum, nullius ponderis poteſt eſſe in rebus fidei Auctor, qui animo ſchiſmatico & in SS. Pontifices Vigilium & Pelagium exacerbato trium Capitulorum defenſionem pertinaciter ſuſcepit: Schiſmati uterque vicious eſt error. Sed eſto iterum admittendum etiam eſſe Auctorem. R. 2. vere Facundum dixiſſe Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti ſumendo Sacramentum pro ipſis ſpeciebus, non eſſe proprie corpus & ſanguinem Chriſti, ſed denominative tantum, eo modo quo ſigna nomine rerum, quas ſignificant, appellari ſolent. Ex quo infert, quod quia Chriſtus baptizatus & circumciſus Sacramentum adoptionis ſuſcepit, poſſit dici ſuſcepiſſe adoptionem; quia ſi ſpecies, quæ ſunt ſignum & Sacramentum corporis Chriſti, poſſunt dici corpus Chriſti, ita Baptiſmus & Circumciſio, quæ ſunt ſigna adoptionis, poſſunt dici adoptio.

Obj. 4. Si dogma præſentiæ realis fuiſſet in prioribus Eccleſiæ ſæculis conſtans & communiter receptum, Pagani in illud tanquam in figmentum abſurdum & ridiculum inſurrexiſſent, ſicut inſurgebant in Myſterium Trinitatis & Incarnationis. Atqui tamen altum eſt apud Paganos de illo Myſterio ſilentium. Ergo. R. N. Sequelam Maj. Quia propter diſciplinam Arcani, de qua in ultima Regula, non erat pervulgatum apud Paganos hoc Myſterium. Hanc enim diſciplinam attente ſervabant in Concionibus publicis, quibus adeſſe poterant Ethnici, item & ii omnes, qui ſcribebant Apologias pro Religione, Tertull. Athenagoras, Minutius Felix, Arnobius, Lactantius, excepto uno Juſtino Martyre, qui ejus explicationem duxit neceſſariam, ut crimen infanticidii, de quo accuſabantur Chriſtiani, propulſaret.

Inſt. Qui apoſtatabant a Religione, poterant hoc Myſterium Paganis revelare, & omnino veriſimile eſt eos revelaſſe. Ipſe Julianus Apoſtata apprime illud noverat, & tamen in ſuis contra Religionem ſcriptis de illo ſilet. Ergo. R. equidem fuiſſe aliquam apud Paganos hujus Myſterii cognitionem, & inde famoſa illa criminis infanticidii accuſatio, de qua omnes Apologiſtæ, quos modo laudavimus; ſed quia illa cognitio erat confuſa & obſcura, & neque modum, quo Chriſtus eſt in Euchariſtia, neque manducationis modum attingebat, nihil ulterius objiciebant Pagani, ſed tantum dubitantes indagabant, ut Maximus Madaurenſis apud Aug. Ep. 16. alias 43. incertus & dubius inquirit: *Quis eſt iſte Deus, quem vobis Chriſtiani quaſi proprium vindicatis, & in locis abditis præſentem vos videre componitis?* Et ipſe Aug. l. 20. cont. Fauſt. c. 13. ex illa confuſa & perturbata Myſteriorum noſtrorum apud Paganos notitia ſcribit. *Nonnullos exiſtimaſſe apud Chriſtianos Cererem & Liberum coli.*

Quantum ad Julianum, incertum eſt, an & quid ſcripſerit contra Euchariſtiam, quia in tribus libris, quos compoſuit contra religionem, unus tantum ſupereſt apud S. Cyrillum Alex. qui illum confutavit, faſſaturque ſe multa in eo reſecuiſſe, forte quæ ſpectabant hoc Myſterium, ne cogeretur illud Gentibus prodere. Alia quædam, quæ objiciuntur ex Patribus, require §. 6. Articuli præced.

§. III. *Solvuntur Objectiones a Ratione.*

OBJICIUNT Hæretici Dogma præſentiæ realis in multis repugnare rationi, ut quod idem corpus ſit ſimul in pluribus locis, quod ſit ſine quantitate, ſine partibus & modo indiviſibili, quod accidentia ſint ſine ſubjecto, & plura alia, quæ videntur ipſis contradictoria. At his omnibus ſit generalis reſponſio, in Myſterii fide non rationem, ſed fidem ipſam eſſe conſulendam, alioquin ipſimet objicientes deberent negare cum Socinianis Myſteria Trinitatis, Incarnationis, Reſurrectionis mortuorum, &c. quæ non videntur minus rationi repugnare, quam Myſterium Euchariſtiæ. Neque enim minus difficile concipitur unam naturam indiviſam ſubſiſtere in tribus perſonis realiter diſtinctis, & idem corpus toties in diverſas formas tranſmutatum reſurgere, quam idem corpus eſſe ſacramentaliter in pluribus hoſtiis, non minus difficile, inquam, concipitur, quod natura completa privetur ſua ſubſiſtentia, & perſonetur aliena, quam quod accidentia exiſtant ſine ſubjecto: & ſic de ceteris. Quæro itaque, cur Calviniſta credat Chriſto dicenti: *Ego ſum Filius Dei. Ego & Pater unum ſumus*, & non credat eidem dicenti: *Hoc eſt Corpus meum?* Reclamat, inquit, ratio. An non pariter reclamat in prioribus? Melius dixiſſet reclamare videtur. Captivandus eſt itaque intellectus in obſequium fidei, & certo tenendum Deum omnipotentem poſſe plus facere, quam poſſit mens humana concipere, niſi velis finitam eſſe omnipotentiam, ſicut finitum eſt conceptus humanus; idque non ſolum in ſupernaturalibus, ſed etiam in ipſis naturalibus obviis. Quis enim aſſerere audeat ſe certo aſſequi, quomodo ſol emittat radios, quomodo anima utatur corpori, quomodo ſentiat, quæ ſit cauſa fluxus & refluxus maris, quomodo arbor creſcat in ſylva, lilium in agro, cæpe in horto & ſexcenta alia: qui ergo poterit inſcrutabilia Dei ſcrutari, qui in naturalibus cæcutit?

Igitur ſuperbi objicientes dicant humiliter cum Auguſt. Ep. 137. alias 3. ad Voluſ. *Dandum, Deum aliquid poſſe, quod fateamur nos inveſtigare non poſſe. In talibus rebus tota ratio facti eſt potentia facientis.* Dicant cum Chryſoſt. hom. 83. in Matth. *Credamus ubique Deo, nec repugnemus ei, etiamſi ſenſui & cogitationi noſtræ abſurdum eſſe videatur, quod dicit: in omnibus rebus, ſed præcipue in Myſteriis faciamus, non illa, quæ ante nos jacent, ſolummodo aſpicientes, ſed verba quoque ejus teneamus: nam verbis illius defraudari non poſſumus, ſenſus vero noſter deceptu facillimus eſt, quoniam ergo ille dixit: Hoc eſt corpus meum, nulla dubitatione teneamur, ſed credamus.* Et ut exemplum domeſticum eis proponamus; dicant cum ſuo Auctore Calvino l. 4. Inſtit. c. 17. §. 1. 7. & 10. ubi poſtquam dixit hoc Sacramentum eſſe *maximum arcanum Spiritus ſancti, incomprehenſibile, incredibile, indicibile; inexcogitabile:* ſubjungit: *Quod ergo mens noſtra non comprehendit, concipiat fides Spiritum vere unire, quæ locis disjuncta ſunt.* Hæc, inquam, dicant, & ſimul reflectant ſe in Synodo Marpurgenſi an. 1529. & Carentonenſi an. 1631. Lutheranis exhibuiſſe communionem, nulla facta hæreſis abjuratione. Qua fronte ergo contendunt dogma realis præſentiæ, quod tenent nobiſcum Lutherani, adverſari fidei & rationi? Quo pudore nos tanquam Idololatras & abſonos in eo credendo traducant? Hic ſiſtere poſſemus. At ne tela hoſtium formidare videamur, pauca de ſingulis dicamus. Itaque

Obj. 1. Implicat idem corpus eſſe ſimul in pluribus locis. Atqui Chriſtus eſt in cælo. Ergo non eſt in altari. Ante reſponſionem notandum aliquid poſſe eſſe in loco triplici modo; ſcilicet circumſcriptive, diffinitive & ſacramentaliter. Corpus eſſe in loco circumſcriptive eſt ita commenſurari loco ratione propriæ quantitatis, & ab eo circumſcribi, ut totum ſit in toto loco, & ſingulæ ejus partes in ſingulis partibus loci. Hoc modo meum corpus eſt in hoc loco, & corpus Chriſti in cælo. Aliquid eſſe in loco diffinitive eſt ita eſſe in hoc loco, ut non ſit alibi, totum quidem in toto loco, & totum in qualibet parte loci. Hic modus exiſtendi eſt proprius ſpiritibus, v. g. animæ meæ, quæ eſt ita in meo corpore, ut non ſit alibi: & cum ſit indiviſibilis, tota eſt in toto corpore, & tota in qualibet parte; ſic de Angelis. Eſſe in loco ſacramentaliter eſt ille modus, quo Chriſtus exiſtit in Euchariſtia, in qua eſt modo indiviſibili, ſubſtantiali & ſupernaturali, totus in tota hoſtia & totus in qualibet parte hoſtiæ, ad inſtar ſubſtantiæ ſpiritualis: in quo iſte modus convenit cum diffinitivo, ſed in hoc differt, quod ubi ſacramentale non ita determinat corpus Chriſti ad eſſendum in uno loco, quod non poſſit eſſe in alio, ſicut ſit per ubi diffinitivum. His præmiſſis,

R. D. Maj. (*Hic q. 75. a. 1. ad 3.*) Implicat idem corpus eſſe ſimul in pluribus locis circumſcriptive. Tranſeat Maj. In uno loco circumſcriptive & in aliis ſacramentaliter, N. Maj. Diſparitas eſt, quod multiplicata locatione circumſcriptiva non remaneat eadem quantitas, nec idem corpus, ſecus multiplicata præſentia ſacramentali. Ratio eſt, quia locatio ſeu præſentia circumſcriptiva deſumitur a quantitate, cujus eſt formalis effectus ſecundarius. Unde non poteſt multiplicari relatio circumſcriptiva, niſi multiplicetur quantitas, partim quia effectus formalis etiam ſecundarius non poteſt multiplicari non multiplicata forma, cum ſit ipſa forma ſecundario communicata: partim, quia quantitas locans circumſcriptiva ſimul in pluribus locis eſſet extenſa localiter, ideoque a ſe diviſa & diſcontinuata, proinde non una ſed multiplex, multiplicata autem quantitate non remanet idem corpus, quod a quantitate individuatur, & unitatem numericam habet. At vero ratio conſtitutiva Chriſti ſub ſpeciebus ſacramentalibus non eſt quantitas, quæ ibi eſt per concomitantiam tantum, nec extenſa localiter, ſed converſio paſſiva panis in ipſum corpus Chriſti, quæ multiplicatur juxta multiplicationem conſecrationis, & cum non conferat unitatem corporis Chriſti ſicut quantitas, quantumvis multiplicetur,

Digitized by Google

cetur, non ideo multiplicatur corpus, ſed idem remanet. Et hinc ſolvuntur inconvenientia, quæ opponi ſolent.

Dixi *Tranſeat major*: quia quamvis Thomiſtæ cum S. Th. illam concedant, negant tamen Scotiſtæ & quidam alii, contenduntque idem corpus poſſe ſupernaturaliter eſſe ſimul in pluribus locis circumſcriptive. At hæc quæſtio impertinens eſt ad præſentem difficultatem, quia ut recte ait P. Nicolai in Scholiis ad 3. p. q. 76. *Cum illo modo exiſtendi* (circumſcriptive) *nihil commune habet modus proprius, quo Chriſtus eſt ſingulariter in Sacramento, nec iiſdem ac ille incommodis eſt obnoxius; puta ut corpus Chriſti dicatur ſimul eſſe ſupra ſe ac infra ſe, ſimul dextrorſum ſibi ac ſiniſtrorſum, ſicut omnino neceſſe eſt in corporibus localiter extenſis contingere, præter plures antilogias vel contradictiones inde neceſſario conſequentes; ut quod ſimul ſedere idem corpus ac ſtare poſſit, vel quieſcere ſimul & moveri, & ſimilia, cum nihil tale modus corporis Chriſti patiatur.* Unde Concil. Trid. ſeſſ. 13. cap. 1. dicit: *Nec hæc inter ſe pugnant, ut ipſe Salvator noſter ſemper ad dexteram Patris, in cœlis aſſideat juxta modum exiſtendi naturalem, & in multis nihilominus aliis locis ſacramentaliter præſens, ſua ſubſtantia nobis adſit.*

Inſt. 1. Si eſſet ſimul corpus Chriſti in cœlo & in altari, etiamſi ſacramentaliter tantum, eſſet a ſe diviſum. Ergo non remaneret idem. Prob. Ant. Inter ipſum in cœlo & ipſum in altari mediarent plura corpora. Ergo. R. N. Ant. Ad probat. N. Ant. Ad mediationem enim proprie dictam requiritur, quod corpus medium ſit contiguum extremis, ſeu illa ſecundum extremitates tangat, quod non fiat reſpectu corporis Chriſti, modo ſpirituali & inviſibili exiſtentis in Euchariſtia, ſed reſpectu ſpecierum tantum.

Inſt. 2. Corpus Chriſti in cœlo non foret continuum cum ipſo in altari, ſed ab eo diſtans. Ergo a ſe diviſum. R. D. Ant. Foret diſtans ſecundum diverſos modos exiſtendi, C. Secundum entitatem, N. Hæc enim foret eadem.

Inſt. Corpus Chriſti in cœlo circumſcribitur & terminatur a ſuo loco. Ergo non poteſt extra illum exiſtere. R. D. Conſeq. Ergo non poteſt extra illum exiſtere ſecundum communem rationem, ſecundum quam circumſcribitur in cœlo, id eſt ſecundum quantitatem localiter extenſam, C. ſecundum ſubſtantiam & converſionem panis in illam, ratione cujus non circumſcribitur, nec terminatur a loco in altari, N. Brevius. Non poteſt eſſe extra illum circumſcriptive, C. Sacramentaliter, N. Hæc, fateor, tranſcendunt imaginationem; quia, ut alicubi dicit Auctor, imaginatio non tranſcendit continuum; corrigenda eſt ergo imaginatio per fidem & rationem.

Inſt. 4. Idem corpus non poteſt ſimul exiſtere in pluribus temporibus. Ergo nec in pluribus locis. R. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod plura loca poſſint exiſtere ſimul; plura vero tempora, præteritum, præſens, futurum, non poſſunt exiſtere ſimul, quia de ratione temporis eſt, quod ſit ſucceſſivum. Unde ſolum præſens exiſtit.

Inferes. Ergo verum eſt dicere de eodem corpore Chriſti in diverſis locis, manducatur & non manducatur, exiſtit & deſinit exiſtere, quæ ſunt contradictoria. R. neque corpus Chriſti proprie manducari, neque deſinere exiſtere, ſed ſpecies manducantur & deſinunt: ſeu, ſi mavis: Corpus Chriſti manducatur ſub his ſpeciebus, & deſinit ſub his ſpeciebus. Unde abſque contradictione dici poteſt: manducatur ſub aliis ſpeciebus; deſinit ſub iſtis ſpeciebus, & non deſinit ſub aliis ſpeciebus; hæc enim non ſunt contradictoria, quia contradictoria ſunt de uno & eodem ſubjecto ſub eadem ratione.

Obj. 2. Corpus non poteſt eſſe ſine quantitate. Atqui corpus Chriſti foret in Euchariſtia ſine quantitate. Ergo. R. Poſſet negari Maj. Quia quantitas non eſt eſſentialis corpori, ſed ejus proprietas tantum; poteſt autem proprietas divinitus ſeparari ab eſſentia, ut calor ab igne, ſicut contigit in fornace Babylonica; ponderatio a gravi ut quando Chriſtus ambulavit ſuper aquas; in quo caſu corpus individuaretur non a quantitate actualiter ſignante, ſed per ordinem ad illam. Sed de his Phyſici; neque etiam negamus corpus Chriſti in Euchariſtia habere quantitatem. Unde omiſſa Maj. D. Min. Corpus Chriſti in Euchariſtia foret ſine quantitate quoad primarium ejus effectum, N. Quoad ſecundarium ejus effectum, C. Primarius effectus quantitatis eſt extenſio & coordinatio partium in ordine ad ſe & in toto. Secundarius eſt extenſio & coordinatio partium in ordine ad locum: prius eſt enim quantitate extendi in ſe, quam extendi in loco, quam eſſe impenetrabilem, diviſibilem, &c. Unde quærenti, cur quantitas ſit extenſa in loco, cur ſit impenetrabilis, &c. recte reſpondetur, quia eſt extenſa in ſe. Quærenti vero, cur ſit extenſa in ſe; nulla eſt ratio prior, quam quia eſt quantitas. Porro poteſt effectus ſecundarius quantitatis divinitus ab ipſa ſeparari, prout de facto ſeparatus eſt, quando Chriſtus exivit ex utero virginali clauſo, & de ſepulchro non revoluto lapide: item quando intravit ad Diſcipulos januis clauſis. Et ita ſeparatur in Euchariſtia.

Inſt. 1. Corpus non poteſt eſſe ſine figura. Ergo nec ſine quantitate extenſa localiter. R. D. Ant. Corpus non poteſt eſſe ſine figura ſumpta pro ordinatione partium in ordine ad locum, N. Sine figura ſumpta pro coordinatione partium in ſe & in toto, C. Et hoc ſenſu corpus Chriſti eſt figuratum in Euchariſtia, caput enim non eſt collum, & eſt extra collum in ordine ad ſe. Eodem ſenſu manus non eſt pes, brachia ſunt extra humeros, &c. Hic iterum per rationem corrigatur imaginatio, quæ non tranſcendit continuum.

Inſt. 2. Spiritus non poteſt divinitus eſſe extenſive localiter. Ergo nec corpus poteſt eſſe inextenſive & indiviſibiliter. R. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod ſpiritus non habeat, nec habere poſſit partes, ſecundum quas localiter extendatur. At corpus poteſt privari partibus integrantibus localiter extenſis, quia hoc eſt effectus ſecundarius quantitatis, qui poteſt divinitus impediri.

Obj. 3. Dogma præſentiæ realis multa & gravia inconvenientia Chriſto indigna continent, ut quod Chriſtus manducetur, dentibus teratur, in ventre & ſeceſſum abeat, a muribus corrodatur, putreſcat, in loca ſordida cadat &c. R. ſimili argumento poſſe cum Ethnicis & Judæis negari Myſterium Incarnationis. Dicebant enim pariter eſſe Deo indignum in utero mulieris portari, in cunis vagire, eſurire, flagellari, crucifigi, mori. Unde Apoſt. 1. Cor. 1. dicit: *Nos prædicamus Chriſtum crucifixum, Judæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam*; at ſtatim ſubjungit: *Ipſis autem vocatis Judæis atque Græcis, Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam.* Sicut ergo hæc Ethnicorum & Judæorum argumenta nihil probant contra veritatem Incarnationis: ſic nec ſimilia Sacramentariorum argumenta quidquam probant contra veritatem corporis Chriſti in Euchariſtia: quia ſicut in Incarnatione non ipſa Divinitas portatur in utero, naſcitur, eſurit, crucifigitur, moritur, ſed humanitas; ſic non corpus Chriſti glorioſum & Impaſſibile modo indiviſibili exiſtens in Euchariſtia, teritur dentibus, alteratur, corrumpitur, in ventrem & ſeceſſum abit, corroditur a muribus, cadit in loca ſordida, &c. ſed ſolæ ſpecies panis & vini, ſub quibus continetur, quamdiu permanent. Hæc non ignorant Hæretici, ſed amant fingere monſtra, quæ oppugnent, & quibus mulierculas terreant.

Obj. 4. Præſentia realis eſt inutilis. Ergo. Prob. Ant. Deus per ſolum ſignum corporis Chriſti poſſet æque nos nutrire ſpiritualiter ſicut per corpus præſens. Patet in aliis Sacramentis, quæ, cum ſint tantum ſigna, conferunt tamen gratiam. Ergo. R. 1. Quis tu, o mortalium ingratiſſime! qui infinitæ Dei charitati erga nos terminos conſtituis? dic ſodes pari ratiocinio, Inutilis fuit Incarnatio, Paſſio, Mors Chriſti, ſuperflua Sacramenta, quia Deus ſine illis potuit nobis præſtare, quod per illa præſtat. Potuit ſane, ſed ex immenſa charitate noluit. Unde ſcimus noluiſſe? quia dixit. Ita nec verecunderis dicere de præſentia reali ſui corporis: *Cum enim dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos*, ſe ipſum illis dando in cibum & potum: *Cum enim ſuum in nos amorem* (inquit Chryſoſt. hom. 45. in Joan.) *vellet indicare, per corpus ſuum ſe miſcuit nobis, & in unum nobiſcum redegit, ut corpus ſuum* (myſticum) *cum capite uniretur; hoc enim amantium maxime eſt.*

R. 2. N. Ant. Sunt enim variæ utilitates præſentiæ realis. 1. Sicut eſt ſignum & effectus ardentiſſimi Chriſti in nos amoris, ita eſt maximum incentivum noſtri in ipſum amoris; præſertim cum longe aliter efficiamur ad rem præſentem quam ad abſentem. (*Hic q. 75. a. 1. c.*) 2. Huic infinitæ ergo nos charitati competebat, ut ſua præſentia nos non deſtitueret in hac peregrinatione. (*Ibid.*) 3. Per hanc præſentiam ſervantur leges amicitiæ, amicorum enim eſt convivere. 4. Eſt immortalitatis & incorruptionis ſignum & ſigillum carni noſtræ impreſſum, ut ſuperius diximus. 5. Chriſtus præſens multo confert, quæ non conferret abſens, etſi poſſet; ſicut ſanabat omnes, qui ipſum tangebant, non ſanaturus, ſi non tetigiſſent. (*Ibid.*) 6. Inde perficitur fides noſtra, quæ per hoc Myſterium non ſolum eſt de divinitate, ſed etiam de humanitate, ut dictum eſt ſupra §. 7. Articuli præced.

Inſt. 1. Qui ſola fide manducat Chriſtum, fructum Paſſionis ejus percipit; qui vero ſine fide realiter manducat nullum fructum percipit. Ergo inutilis eſt manducatio realis. R. N. Conſeq. Quia qui cum fide realiter manducat, plus percipit, quam ſi ſola fide manducaret; ſicut B. Virgo plus gratiæ recepit concipiendo Chriſtum corpore & fide, quam ſi ſola fide concepiſſet. Vide Auguſt. Tract. 27. in Joan. laudatum §. 1. hujus artic.

Inſt. 2. Præſentia realis Chriſti impedit præſentiam ejus ſpiritualem & receptionem Spiritus S. juxta illud Joan. 16. *Expedit, ut ego vadam; ſi enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos.* Ergo. R. D. Ant. (*Ibid. ad 4.*)

Præ-

Præſenti a realis ſacramentalis impedit, &c. N. Ant. Præſentia realis qua humano more inter homines converſabatur, C. De hac enim præſentia loquitur Chriſtus loco citato. Hæc erat impedimento, ne Apoſtoli reciperent plenitudinem Spiritus S. non quidem ſecundum ſe, ſed partim quia divinitus decretum erat eam plenitudinem non eſſe dandam niſi poſt Mortem, Reſurrectionem & Aſcenſionem Chriſti, ut ſcilicet Chriſtus devicta morte triumphans illam daret; partim quia Apoſtoli tunc nondum ſatis dignam de ſuo Domino exiſtimationem habebant, humano adhuc more ipſum diligentes. Ita Sylvius ex Cyrillo, Theophylacto, Aug. in c. 16. Joan. Greg. l. 2. Dialog. c. 38. & 1. Leone ſerm. 1. de Aſcenſione Domini.

Objiciunt inſuper accidentia panis & vini remanere in hoc Sacramento, ut teſtantur ſenſus; hæc autem non poſſe exiſtere ſine ſuo ſubjecto, quod eſt panis & vinum, Item hæc accidentia nutrire, corrumpi, & ex earum corruptione alias ſubſtantias generari, quæ ſimplicibus accidentibus non competunt, ſed propriæ ſunt ſubſtantiarum. Sed de his, quæ propriè ſpectant impanationem, dicemus infra.

ARTICULUS V,

De Transſubſtantiatione,

Probata contra Sacramentarios veritate realis præſentiæ Chriſti in Euchariſtia, nunc decertandum eſt cum his, qui contendunt ſimul remanere panem & vinum, & qui ideo vulgo dicuntur *Impanatores*: quamvis qui accuratius loquuntur, diſtinguant inter *Impanatores* & *Conſubſtantiatores*.

Impanatores dicuntur, qui docent Verbum ſibi aſſumere hypoſtatice panem & vinum in Euchariſtia, ſicut aſſumpſit in Incarnatione. Hunc errorem Guitmundus circa an. 1075. lib. de veritate corporis & ſanguinis Chriſti tribuit quibuſdam Berengarii Diſcipulis. Algerus initio 12. ſæculi teſtatur quoſdam etiam ſuo tempore idem docuiſſe. Bellarminus l. 3. de Sacram. c. 11. eundem errorem tribuit Ruperto Abbati, quem tamen alii ab illo vindicant, Thomas VValdenſis Tom. 2. de Sacram. c. 65. refert quemdam Joannem Pariſienſem docuiſſe Verbum aſſumere hypoſtatice panem in Euchariſtia, non immediate, ſed mediante parte humanitatis, ſcilicet corpore ſuo, ne cogeretur admittere Deum eſſe panem. Ex Diſcipulis Lutheri ſolus Oſiander impanationem tenuit. *Conſubſtantiatores* dicuntur, qui volunt panem in Euchariſtia conjungi corporis Chriſti, ſed abſque unione hypoſtatica: ita communiter Lutherani poſt Lutherum, quamvis iſte Hæretiarcha in hoc errore aſſerendo non ita conſtans fuerit. Hos præceſſerant quidam Diſcipuli Berengarii, teſte Guitmundo ſupra cit. Durandus in 4. d. 11. q. 3. docet formam panis converti quidem in corpus Chriſti, ſed remanere materiam, quæ poſt conſecrationem fit materia corporis Chriſti, ſicut fit in tranſmutationibus naturalibus. Hanc ſententiam quidam rejiciunt ut hæreticam, ſaltem nunc poſtquam Trid. expreſſe definivit ſeſſ. 13. Can. 2. *Fieri converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem Chriſti*, Refert. S. Th. hic a. 6. quoſdam e contra ſuo tempore ſuſtinuiſſe formam ſubſtantialem panis remanere & non ſola accidentia: contra quos omnes cum Eccleſia Catholica

Dico. (*Hic q. 75. a. 2. & 4. o.*) In Euchariſtia non remanet ſubſtantia panis & vini, ſed vi verborum conſecrationis fit vera transſubſtantiatio, ſeu converſio totius ſubſtantiæ panis in corpus & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem Chriſti. Prob. 1. ex Definitionibus Eccleſiæ in Conc. II. Concilium Romanum ſub Greg. VII. an. 1079. definit *Panem & vinum ſubſtantialiter converti in corpus & ſanguinem Chriſti*. Concil. Lateran. 4. ſub Innocentio III. an. 1215. cap. *Firmiter*; *Credimus*, inquit, *ac confitemur corpus & ſanguinem Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini veraciter contineri, transſubſtantiatis pane in corpus & vino in ſanguinem poteſtate divina*. Concil. Conſtantienſe an. 1418. ſeſſ. 8. damnat articulum VVicleſi dicentis ſubſtantiam panis & vini manere in Sacramento altaris. Conc. Florent. in Decreto unionis dicit: *Verborum Chriſti virtute ſubſtantia panis in corpus Chriſti, & ſubſtantia vini in ſanguinem convertuntur*. Concil. Trid. ſeſſ. 13. c. 4. ſed apertiſſime & decretorie Can. 2. his verbis: *Si quis dixerit in ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento remanere ſubſtantiam panis & vini unacum corpore & ſanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti, negaveritque mirabilem illam & ſingularem converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, manentibus dumtaxat ſpeciebus panis & vini, quam quidem converſionem Catholica Eccleſia aptiſſime Tranſubſtantiationem appellat, anathema ſit*.

Prob. 2. ex Patribus, quos ſupra laudavimus pro aſſerenda præſentia reali. Qui enim dicunt 1. in Euchariſtia non eſſe panem communem, ſed corpus Chriſti verum, quod natum eſt de Virgine Maria. 2. Chriſtum de pane efficere corpus ſuum. Poſt verba Conſecrationis non ſupereſſe ſubſtantiam panis, licet aliter ſenſus judicent, ideoque illis non eſſe fidendum; hi, inquam, pro certo agnoſcunt Transſubſtantiationem. Atqui hæc dixerunt Patres ſupra laudati. Conſule eorum textus art. 3. Ergo.

Paucos itaque hic referam, qui expreſſius illam converſionem aſſeruerunt. S. Cyrillus Joroſol. Catecheſi Myſtag. *Aquam*, inquit, *aliquando mutavit in vinum, quod eſt ſanguini propinquum, & non erit dignus cui credamus, quod vinum in ſanguinem transmutaſſet*? S. Ambroſ. de initiandis c. 9. *Si tantum valuit ſermo Eliæ, ut ignem de cœlo deponeret, non valebit Chriſti ſermo, ut ſpecies mutet elementorum... & qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non poteſt ea, quæ ſunt, in id mutare, quod non erat*? Et l. 4. de Sacram. c. 4. *Panis iſte panis eſt ante verba Sacramentorum, ubi acceſſerit conſecratio, de pane fit caro Chriſti*. Vide locum integrum a. 3. S. Chryſoſt. hom. 83. in Matth. *Qui hæc dona ſanctificat & transmutat, ipſe eſt, nempe Chriſtus*. S. Greg. Nyſſ. Orat. Catech. c. 37. *Panis ſtatim per verbum transmutatur, ſicut dictum eſt a Verbo: hoc eſt Corpus meum*. S. Joan. Damaſc. l. 4. Ortodoxæ fidei c. 13. *Panis ipſe & vinum in corpus & ſanguinem Dei transmutatur. Si quæras, quonam pacto illud fiat, ſat tibi audire hoc fieri per Spiritum S.* Vide locum integrum loco cit,

Sed difficultas eſt, utrum id probari poſſit ex verbis Conſecrationis? Id negant non ſolum Lutherani, ſed quidam Catholici, inter quos numeratur Scotus, qui quamvis Transſubſtantiationem agnoſcant, volunt tamen eam non niſi ex definitionibus Eccleſiæ, & non ex Scriptura poſſe probari, Contra quos

Prob. 3. (*Ibid.*) Concl. ex verbis Conſecrationis. Si verbis Conſecrationis prolatis remaneret ſubſtantia panis, falſo diceretur: *Hoc eſt Corpus meum*; ſed dicendum foret: *Hic eſt Corpus meum*. Ergo. Prob. Ant. Si verbis conſecrationis prolatis remaneret ſubſtantia panis cum corpore Chriſti, hæc demonſtraretur per pronomen *Hic*. Atqui falſum eſt panem ſeu ſubſtantiam panis eſſe corpus Chriſti. Ergo. Prob. Maj. Quando duæ ſubſtantiæ ſunt in eodem loco, una ſenſibilis per propria accidentia, altera latens & inſenſibilis ſub iſtis accidentibus, quæ neque ex natura ſua, neque ex uſu deſtinata ſunt, ut hanc ſubſtantiam latentem contineant, qui demonſtret contentum ſub iſtis accidentibus, non deſignat ſubſtantiam latentem, ſed viſibilem & ſenſibilem per propria accidentia. Sic qui haberent panem, in quo lateret nummus aureus, non recte diceret demonſtrando panem, hoc eſt aurum. Ergo.

Confir. Concil. Trid. ex verbis Conſecrationis infert Transſubſtantiationem; dicit enim: *Quoniam Chriſtus Redemptor noſter corpus ſuum, id quod ſub ſpecie panis offerebat, vere eſſe dixit; ideo perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit idque nunc denuo hæc S. Synodus declarat per conſecrationem panis & vini converſionem totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti Domini noſtri, & totius ſubſtantiæ vini in ſubſtantiam ſanguinis ejus, quæ converſio convenienter & proprie a ſancta Catholica Eccleſia Transſubſtantiatio eſt appellata*. Hinc non videtur nunc poſſe tuto ſuſtineri contrarium.

Colliges 1. ex his, non ſolum excludi conſubſtantiationem, ſed etiam impanationem. Si enim non remaneat ſubſtantia panis, ſed tota convertatur in ſubſtantiam Chriſti, manifeſtum eſt, quod Verbum non aſſumat ſibi hypoſtatice panem. Sed & id ſpecialius adhuc demonſtratur ſequentibus momentis. 1. Quia hæc impanatio ſeu unio hypoſtatica Verbi cum pane eſt merum figmentum nullum habens fundamentum neque in Scripturis, neque in Traditione, neque in Definitionibus Eccleſiæ, eſtque inauditum, quod Verbum toties aſſumat hypoſtatice panem, quoties conſecrantur hoſtiæ, & toties dimittat quoties corrumpuntur ſpecies, contra commune Adagium in Theologia receptum; quod Chriſtus nunquam dimiſit, quod ſemel aſſumpſit. 2. De pane Euchariſtico dicitur Joan. 6. *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt*. Atqui panis hypoſtatice aſſumptus, etſi poſſit dici corpus Chriſti, non tamen eſſet caro Chriſti. Ergo, 3. Etiam ſuppoſita unione hypoſtatica Verbi ad panem; non verificarentur hæc verba: *Hoc eſt Corpus meum*: quia vel intelliguntur de corpore panaceo, vel de corpore carnaceo. Non de corpore panaceo, quia ſubjungit Evangeliſta: *Quod pro vobis traditur*, non autem corpus panaceum, ſed carneum fuit pro nobis traditum. Non de corpore carneo, quia quando duo uniuntur in uno ſuppoſito licet utrumque prædicetur de ſuppoſito, ut homo eſt Deus, Deus eſt homo, id eſt ſuppoſitum habens humanitatem eſt Deus, & ſuppoſitum habens divinitatem eſt homo, quod verum eſt, neutrum tamen prædicatur de altero; ſic licet verbum aſſumpſerit corpus & animam, non poteſt dici, quod anima ſit corpus & e contra. Ergo ſimiliter non poſſet etiam in

hac

Digitized by Google

hac hypoteſi dici, hoc ſeu panis eſt corpus Chriſti carneum;

Colliges 2. Non remanere materiam panis & vini informatam anima rationali Chriſti, neque formam, ſola materia converſa in corpus Chriſti, neque ſubſiſtentiam & exiſtentiam panis, quia Trid. definit fieri converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanginem Chriſti; manentibus dumtaxat accidentibus panis & vini.

ARTICULUS VI.

Solvuntur Objectiones.

OBJECTIONES petuntur ex triplici capite. 1. Ex SS. Patribus, 2. Ex accidentibus remanentibus. 3. Ex inſufficientia probationis deſumptæ ex verbis Conſecrationis.

§. I. Solvuntur Objectiones ex Patribus.

OBJ. 1. Eucharistiam ſæpe tum in Scriptura cum in Patribus vocari panem, At ita vocari partim ratione accidentium panis, partim quia ex pane fit, expoſuimus ſupra Art. 4. §. 2. Regula 2. Vide.

Obj. 2. Quidam SS. Patres docent expreſſe remanere naturam & ſubſtantiam panis in Euchariſtia, eumque uniri corpori Chriſti, ſicut natura divina & humana uniuntur in Incarnatione, Sic Chryſoſt. Ep. ad Cæſarium Monachum impugnans Synouſiaſtos ſeu Apollinariſtas Eutychianorum præcurſores aſſerentes in Chriſto commixtionem naturarum, probat Chriſtum eſſe unum filium, unam perſonam, etſi naturæ in eo non ſint permixtæ, & utraque retineat ſuas proprietates, ad quod probandum utitur exemplo Euchariſtiæ, & dicit: *Sicut antequam ſanctificetur panis, panem nominamus, divina autem illum ſanctificante gratia, mediante Sacerdote, liberatus eſt quidem ab appellatione panis, dignus autem habitus eſt Dominici corporis appellatione, etiamſi natura panis in ipſo permanſit: & non duo corpora, ſed unum corpus filii prædicatur; ſic & divina inundante corpori natura, unum filium, unam perſonam utraque hæc fecerunt.* Theodoretus Dial. 2. qui inſcribitur *Inconfuſus*, eodem modo loquitur: *Neque enim*, inquit, *Symbola myſtica poſt ſanctificationem a ſua natura recedunt, manent enim in priori ſubſtantia & figura & forma, & videri tangique poſſunt ſicut & prius*, Gelaſius Papa, qui obiit ann. 496. lib. de duabus naturis in Chriſto adverſus Eutychianos dicit pariter: *Certe Sacramenta, quæ ſumimus corporis & ſanguinis Chriſti, divina res eſt; propter quod & per eadem divinæ efficimur conſortes naturæ, & tamen eſſe non deſinit ſubſtantia vel natura panis & vini.* Ergo.

Reſpondent quidam cum Card. Petronio verba Theodoreti non accurate reddi ab Interprete e Græco in Latinam, nec debuiſſe vertere, *Manent in priori ſubſtantia figura & forma*; Sed *manent in prioris ſubſtantiæ forma & figura*; quod probat ex Græco. Quantum ad Gelaſium, multi contendunt hunc libellum de duabus naturis non eſſe Gelaſii Papæ. 1. quia teſte Gennadio & Honorio Auguſtodunenſi opus Gelaſii eſt grande volumen, cum opus, unde argumentum eruitur, ſit libellus exiguus. 2. Quia Auctor hujus libelli laudat inter Eccleſiæ Patres Euſebium Arianorum partibus addictum, cujus Scripta declaravit apocrypha ipſe Gelaſius, 3. Quia hunc libellum primum ediderunt Lutherani an. 1572. ex codice mendoſo, quemque ſuis additamentis amplius, ut veriſimile eſt, adulterarunt. Plures alias ſuppoſitionis rationes vide apud Cano de locis Theol. l. 6. c. ultimo, & Bellarm. l. de Script. Eccl. in Gelaſio. Præmiſſis itaque his Reſponſionibus,

R. Laudatos Patres per naturam & ſubſtantiam panis intelligere dumtaxat accidentia & proprietates panis, quibus ejus natura & ſubſtantia dignoſcitur; frequens namque eſt apud SS. Patres, ut his vocabulis, *natura*, *ſubſtantia*, intelligant non ſubſtantiam proprie dictam, ſed congeriem accidentium, quibus una res dignoſcitur, & ab alia ſecundum vulgus diſtinguitur. Sic ipſe Chryſoſt, hom. 12. in Geneſ. de igne fornacis Babylonicæ dicit: *Dominus prout vult unumquodque elementorum in contrariam vertit ſubſtantiam.* Et Hom. 4. ad Pop. Antioch. *Pietas juſtorum rerum naturam mutavit*. Certo tamen conſtat non naturam aut ſubſtantiam ignis mutatam fuiſſe, ſed proprietates ſolum & accidentia. Theodoretus laudato Dialogo de humore & fluiditate quæ ſunt proprietates aquæ & non ejus ſubſtantia ſeu natura, dicit *Affinis naturas mirari*. Ambroſ. in Hexaem. l. 3. c. 2. & de Myſt. c. 9. dicit *Naturas mutatas fuiſſe, quando e petra aqua fluxit, & ferrum aqua ſupernatavit*. Non eſt ergo mirum, ſi Patres in objectione laudati per naturam & ſubſtantiam panis ea accidentia & proprietates intellexerunt, quibus perceptis quilibet panem intelligit. Et ita revera intellexiſſe conſtat; nam Chryſoſt. dicit: ibid. *Non duo corpora, ſed unum corpus filii prædicatur*; ſi autem remaneret vera ſubſtantia panis qualis erat antea, nihil prohiberet prædicari duo corpora in Euchariſtia, cum re ipſa eſſent duo nempe corpus Chriſti & panis. Theodoretus ſimiliter loco cit. explicat, quid intelligat nomine ſubſtantiæ dicens: *Illud ergo corpus priorem habet formam, figuram & circumſcriptionem*, quæ ſunt corporis accidentia; & ibid. aperte docet Tranſſubſtantiationem immediate poſt verba objecta ſubjungens: *Intelliguntur autem ea, quæ facta ſunt, & creduntur, & adorantur, ut quæ illa ſint, quæ creduntur, ideſt mutata in verum corpus & ſanguinem, alias enim non poſſunt eſſe objectum fidei & adorationis noſtræ*. Item ibid. approbat iſtud dictum Eraniſtæ ſeu Eutychiani; *Symbola Dominici corporis & ſanguinis alia quidem ſunt ante Sacerdotis invocationem, poſt invocationem vero mutantur & alia fiunt*, In hoc ergo ſolum ſtat comparatio, quam faciunt laudati Patres inter Incarnationem & Euchariſtiam contra Apollinariſtas & Eutychianos, quod ſicut in Euchariſtia ſunt duæ naturæ, ſcilicet accidentia panis & corpus Chriſti, & tamen unicum corpus, ita in Chriſto ſunt duæ naturæ inconfuſæ cum ſuis proprietatibus, & tamen una perſona.

Inſt. 1. Chryſoſt. intendit probare contra Synouſiaſtas ſeu Apollinariſtas duas naturas manere in Chriſto inconfuſas, quia in Euchariſtia remanent duo corpora ſcilicet panis & Chriſti impermixta. Atqui iſtud argumentum nihil probaret, ſi per ſubſtantiam panis intelligat mera accidentia, & non corpus materiale. Ergo, R. N. Maj. Expreſſe enim dicit Chryſ. non eſſe duo corpora in Euchariſtia. Itaque Synouſiaſtæ Eutychianiſmi præcurſores dicebant Verbum habere carnem ſibi coæternam & conſubſtantialem, ſine tamen circumſcriptione, anima, mente & aliis proprietatibus noſtræ carnis; eas autem in tempore aſſumpſiſſe ſimilitudinarie & apparenter, divinitatemque illi fuiſſe loco animæ & mentis, & ſub illa ſimilitudine ac phantaſmate cum hominibus fuiſſe converſatum, paſſum, mortuum. Poſt aſcenſionem vero, iterum circumſcriptionem cæteraſque carnis noſtræ proprietates exuiſſe, quia arbitrabantur ex duabus naturis veris cum propriis agendi principiis & proprietatibus inconfuſis reſultare duas perſonas. Hos igitur impugnans Chriſoſt. dicit in Chriſto fuiſſe veram naturam humanam noſtræ ſimilem cum omnibus ſuis proprietatibus, circumſcriptione, principiis intelligendi, volendi, &c. neque ex his accidentibus & principiis agendi diverſis magis tollit unitatem perſonæ in Chriſto, quam tollatur unitas corporis Chriſti in Euchariſtia ex hoc, quod accidentia panis cum corpore in ea remaneant impermixta: & ibi, ut jam dixi, ſiſtit paritas, neque enim eſt neceſſe, ut exempla ex omni parte conveniant rei, de qua agitur. Imo, ſi, ut volunt objicientes, Chryſoſt. aſſeruiſſet remanere veram ſubſtantiam panis cum corpore Chriſti, inde arguiſſent Synouſiaſtæ non eſſe in Chriſto unam perſonam, ſicut in Euchariſtia caro Chriſti & ſubſtantia panis non ſunt unum corpus, ſicque S. Doctor oppugnans Synouſiaſtas præformaſſet Neſtorianiſmum.

Inſt. 2. Theodoretus ſeu Orthodoxus in laudato Dialogo Eraniſtæ ſeu Eutychiano dicenti corpus Chriſti poſt Aſcenſionem in Divinitatem mutatum eſſe, ſicut Symbola Dominici corporis poſt Sacerdotis invocationem mutantur, reſpondet: *Retibus, quæ ipſe texuiſti, captus es, neque enim Symbola myſtica poſt ſanctificationem recedunt a ſua natura, remanent enim in priori ſubſtantia, figura & forma, & videri tangique poſſunt ſicut prius*. Atqui ſecundum nos Symbola myſtica panis recedunt a ſua natura, nec remanet prior ſubſtantia, Ergo ſecundum nos Eraniſtes ſuis retibus non capitur. R. N. Min. Secundum nos enim myſtica Symbola, ideſt accidentia, non recedunt a ſua natura accidentis ſcilicet, & remanet prior ſubſtantia quoad apparentiam, quatenus remanet congeries proprietatum, quibus ſubſtantia exterius apparet & dignoſcitur, ut dictum eſt; ſicque Eraniſtes ſuis retibus capitur; quia intendebat carnem Chriſti poſt Aſcenſionem abſorptam eſſe a Divinitate non ſecundum ſe, quippe quæ, juxta iſtos Eutychianos, Divinitati erat coæterna & conſubſtantialis, ſed quoad carnis proprietates, circumſcriptionem ſcilicet & alias, quas in Incarnatione ſimilitudinarie aſſumpſerat. Cum ergo dicit naturam humanam quoad ſuas proprietates poſt Aſcenſionem in Divinitatem eſſe mutatam, ſicut myſtica Symbola in Euchariſtia mutantur in corpus Chriſti, vere ſuis retibus capitur, ſi quidem panis ſecundum ſua accidentia non abſorbeatur per corpus Chriſti in Euchariſtia. De Ruperto jam dixi a quibuſdam Impanationis accuſari, ab aliis excuſari: contra ipſum vide ſi lubet Bellarm. l. 3. de Sacram. c. 11. pro ipſo Contenſon hic l. 11. p. 2. Diſſ. c. 1. ſpeculat, 2. & Tournely hic q. 3. a. 3.

Obj. 3. Hoc nomen *Tranſſubſtantiatio* eſt novum & ante Concilium Lateran. 4. ſub Innocentio III. an. 1215. inauditum. Ergo rejiciendum. R. 1. N. Ant. Hoc enim nomen legitur in Ep. 140. Petri Bleſenſis circa an. 1160.

Item

Digitized by Google

Item in antiqua profeſſione Fidei Toloſanorum Hæreticorum apud Baronium ad annum 1278. Item in Epiſt. Goſtedi ad Cardinalem Albanenſem apud eundem Baronium ad an. 1188. R. 2. Dato Ant. N. Conſ. Habet enim Eccleſia poteſtatem inſtituendi novas voces, quando eas judicat neceſſarias ad melius exprimendum Dogma Catholicum, & efficacius occurrendum tergiverſationibus Hæreticorum. Sic contra Arianos uſurpavit vocem *Omouſias*, contra Neſtorianos *Theotocos*, & alias ſimiliter.

§. II. Solvuntur Objectiones ex accidentibus remanentibus & ſimul impugnatur Carteſianiſmus.

OBJ. 1. Accidentia non poſſunt eſſe ſine ſuo ſubjecto. Atqui accidentia panis & vini remanent in Euchariſtia. Ergo remanet ſubſtantia panis & vini. Huic argumento (*Hic q. 77. art. 1. 2.*) varie varii reſpondent. Quidam dicunt hæc accidentia eſſe in aere circumſtante, tanquam in ſubjecto. At id non poteſt dici, 1. Quia hujuſmodi accidentium aer non eſt ſuſceptivus. 2. Quia hæc accidentia non ſunt ubi eſt aer, quin imo ad motum illorum depellitur aer. 3. Quia accidentia non tranſeunt de ſubjecto in ſubjectum, accidens enim accipit numerum a ſubjecto; unde non poteſt eſſe, quod idem numero accidens modo ſit in uno, modo in altero ſubjecto. 4. Quia cum aer non ſpolietur accidentibus propriis, ſimul haberet accidentia propria & aliena. Nec dici poteſt, quod hoc fiat miraculoſe virtute conſecrationis, quia verba Conſecrationis hoc non ſignificant, quæ tamen non efficiunt niſi ſuum ſignificatum.

Alii (*Ibid.*) dixerunt hæc accidentia eſſe tanquam in ſubjecto in corpore Chriſti. Sed neque id dici poteſt, quia ſubſtantia humani corporis nullo modo poteſt his accidentibus affici, neque etiam eſt poſſibile, quod corpus Chriſti glorioſum & impaſſibile alteretur ad ſuſcipiendas hujuſmodi qualitates. Adde, quod deberet eſſe localiter extenſum, & quod, ut modo dicebam, accidens non tranſit de ſubjecto in ſubjectum.

Recentiores Philoſophi, qui eſſentiam corporis reponunt in trina extenſione locali in longum, latum & profundum, nullum agnoſcunt accidens ſolidum & abſolutum a corpore diſtinctum; unde ut explicent Euchariſtiæ myſterium, in quo fide certum eſt non manere ſubſtantiam panis & vini, manere tamen accidentia ſeu ſpecies illorum, nimirum eandem magnitudinem, eundem colorem, figuram, ſaporem, &c. non parum deſudant, & in varios dicendi modos abeunt. Duos propono. Quidam dicunt Deum in ſenſibus noſtris & in anima eaſdem impreſſiones per ſe ipſum operari ad præſentiam Euchariſtiæ, quas operabatur panis, & quas operaretur, ſi adeſſet. Ita P. Magnan. Alii dicunt remanere quidem accidentia, non tamen ſine ſubjecto, ſed in corpore Chriſti ſubjectata, non quidem eadem numero, quæ prius erant, ſed eadem ſpecie, orta ex diverſis præſentiis ejuſdem corporis Chriſti replicati in loco cujuslibet particulæ panis ultimo ſenſibilis. Ita Antonius Lengrand Philoſophiæ Profeſſor in Collegio Regio Duaci in opuſculo inſcripo, *Concordia fidei & rationis*, typis Duacenis anno 1711. contra quem ſcripſi Diſſertationem *De mente Eccleſiæ circa accidentia Euchariſtiæ* typis Leodienſibus 1714.

In ea Diſſertatione conſtans eſſe Dogma in Eccleſia receptum, remanere in Euchariſtia accidentia ſolida abſque ullo ſubjecto ſubſtantiali, neque abſque temeritatis nota poſſe contrarium ſuſtineri, demonſtravi. 1. Ex Concilio Conſtant. in quo ſeſſ. 8. damnata eſt hæc VVicleſi propoſitio: *Accidentia panis & vini non remanent ſine ſubjecto in Sacramento Altaris*: cujus contradictoria eſt iſta: *Accidentia panis & vini manent in Sacramento Altaris, & non manent ibi cum ſubjecto*, ut ibidem oſtendi ſecundum accuratioris Dialecticæ regulas contra Adverſarii Sophiſmata. 2. Ex Concilio Trident. ſeſſ. 13. can. 20. ubi definitur manere duntaxat ſpecies panis & vini, per quas ſpecies intelligi accidentia ſolida probavi & mox iterum probabo. 3. Ex Concilio Colonienſi p. 17. c. 15. & ex Catech. Romano 2. p. c. 25. ubi iſtud Dogma expreſſe & in terminis aſſeritur. 4. Ex Patribus Irenæo, Strabone, Alcuino, Anſelmo, Petro Lombardo, S. Thom. & omnibus Theologis ante natum Carteſianiſmum. Hæc fuſius deducta in laudata Diſſertat. poteſt videre Lector; eam enim ex integro hic exſcribere non vacat, pauca tamen ſpecialia proponam contra utrumque dicendi modum Carteſianorum.

Impugnatur primus dicendi modus Carteſianorum.

PRIMO de fide eſt deciſum in Concilio Trid. ſeſſ. 13. Can. 2. remanere in Euchariſtia *Species panis & vini*, & c. 3. ac Can. 3. *Totum Chriſtum contineri ſub unaquaque ſpecie*. Atqui per ſpecies non poſſunt intelligi niſi accidentia abſoluta panis & vini, & non tantum ſpecies intentionales, ut vult iſte modus. Ergo. Prob. Min. Certum eſt illas ſpecies, quæ ſecundum Fidem ſolæ remanent, eſſe aliquid reale & non purum nihil; nihil enim non remanet, nec dividitur, nec alicujus rei poteſt eſſe ſpecies, nec Sacramentum ſeu ſignum ſenſibile conſtituere; ſunt autem aliquid reale ſe tenens vel ex parte hoſtiæ conſecratæ, vel ex parte potentiæ ſentientis tantum, hoc eſt, ut vult iſte dicendi modus, ſolæ ſpecies intentionales, ſeu ſenſatio in organis excitata a ſolo Deo ad præſentiam panis Euchariſtici. Atqui hoc ſecundum dici non poteſt. Ergo primum, ſicque ſunt accidentia ſolida ſine ſubjecto. Prob. Min. multipliciter. 1. Juxta Concilium Chriſtus eſt præſens ſub qualibet ſpecie. Atqui abſurdum eſt dicere Chriſtum eſſe ſub guſtu, tactu, viſu, &c. Ergo. 2. Juxta Fidem iſtæ ſpecies dividuntur in partes, & ſeparantur per miniſtrum, quod de ſpeciebus intentionalibus dici non poteſt. 3. Si nihil reale ſenſibile remanet ex parte objecti, ſequitur, quod Euchariſtia non ſit ſignum ſenſibile, adeoque nec Sacramentum, præſertim dum hoſtia conſecrata clauditur in pixide, tunc enim nihil eſt ſenſibile etiam ex parte ſenſuum. Item quod non conſiſtat in re permanente, ſed in actione tranſeunte; ſpecies enim intentionales, cum non ſint niſi variæ ſenſuum modificationes, non habent eſſe permanens. Unde Chriſtus in pixide clauſus non poteſt eſſe ſub ſpecie panis, cum tunc nulla eſſet in ſenſibus modificatio, ſeu impreſſio, adeoque nec ſpecies. 4. Sequeretur, quod cum Sacerdos tangit, frangit, manducat, porrigit hoſtiam, nihil reale tangat, frangat, manducet, porrigat, ſed imaginarie tantum & intentionaliter, non ſecus ac ſomnians eſcis imaginariis reficitur; aut dicendum corpus Chriſti immediate tangi, frangi, manducari, &c. quod eſt adhuc magis abſonum, & communi Eccleſiæ ſenſui contrarium, ſecundum quem corpus Chriſti eſt ibi inſenſibiliter & inalterabiliter. 5. Sequeretur, quod ſenſus noſtri rite diſpoſiti deciperentur circa proprium objectum debite propoſitum, quod negat Eccleſia in Officio divino, & quod repugnat manifeſte rationi; ſicut enim impoſſibile eſt, quod noſter intellectus intelligat niſi aliquid intelligibile, ſic impoſſibile eſt, quod noſter oculus videat niſi aliquid viſibile.

Impugnatur ſecundus dicendi modus Carteſianorum.

JUXTA illud ſyſtema totum corpus Chriſti eſt in qualibet parte hoſtiæ ultimo ſenſibilis cum trina extenſione locali in longum, latum & profundum, ex cujus præſentiis ſic multiplicatis reſultant eadem accidentia non numero, ſed ſpecie, quæ reſultabant ex varia diſpoſitione partium panis, ſicque ea accidentia ſubjectantur in corpore Chriſti, ſicut accidentia priora panis ſubjectantur in pane.

1. Iſte dicendi modus directe contradicit S. Thom. ſupra citato, qui probat hæc accidentia non poſſe ſubjectari in corpore Chriſti, tum quia ſubſtantia corporis humani non poteſt affici his accidentibus, tum quia corpus Chriſti glorioſum & impaſſibile non poteſt alterari ad ſuſcipiendas hujuſmodi qualitates. 2. Si accidentia non maneant eadem, ſed in alia commutentur, non erit tantum Tranſubſtantiatio in hoc Sacramento, ſed etiam Tranſaccidentatio, quod eſt inauditum in Eccleſia. 3. Si accidentia, quæ remanent & ſenſibus percipiuntur, ſint accidentia corporis Chriſti, & in ipſo ſubjectentur, denominabunt corpus Chriſti album, durum, rotundum, ſapidum, &c. quod citra blaſphemiam dici nequit. Prob. Seq. 1. Ubi eſt forma, ibi eſt formalis effectus formæ & ejus denominatio. Atqui effectus formalis horum accidentium eſt reddere album, rotundum, &c. & ex adverſariis hæc accidentia, ſeu, ut volunt, hi modi ſunt in corpore Chriſti. Ergo ipſum efficient & denominabunt album, durum, &c. Illud dicimus album, durum, quod in omnibus & ſemper ſenſationes albedinis, duritiei, &c. excitat. Atqui juxta ſyſtema Adverſariorum corpus Chriſti id præſtat. Ergo idem quod prius.

Nec hujus Argumenti vim infringunt, dum reſpondent; ideo hæc accidentia non denominare corpus Chriſti, eo quod non oriantur ex diverſa diſpoſitione particularum inſenſibilium corporis Chriſti, ſicut oriebantur ex diverſa diſpoſitione particularum inſenſibilium panis, ſed duntaxat ex diverſis præſentiis totalibus ejuſdem corporis pluries reproducti; futilis eſt, inquam, hæc reſponſio, nec vel minimum argumento ſatisfacit. Etenim impoſſibile eſt formam alicui ſubjecto ineſſe, quovis modo inſit, & non ei tribuere effectum formalem primarium, adeoque & formæ

formæ denominationem, cum effectus formalis formæ nihil aliud ſit, quam ipſa forma communicata. Id etiam exemplis patet: ſic paries non minus vere denominatur albus, quam homo, licet ipſi parieti proveniat albedo ab extrinſeco dealbante, homini vero ab intrinſeco; ſic homo dicitur juſtus, fidelis, &c. a juſtitia, fide, &c. non equidem ortis ex diverſa diſpoſitione partium animæ, quæ non ſunt, nec partium corporis, quia hæ virtutes ſunt mere ſpirituales, ſed ab extrinſeco ſupernaturaliter infuſæ. Nec quidquam facit ad rem exemplum, quod adducunt de Æthiope reproducto ſub velamine albo, qui tamen ideo non diceretur albus. Diſparitas eſt enim, quod illud velamen album non efficeret intrinſece in genere cauſæ formalis hunc Æthiopem, nec ipſi inhæreret ut accidens, nec tandem ullo modo ab ejus intrinſeco procederet, ſed foret tantum collocatus ſub iſto velamine, quaſi ſub tecto aut tentorio. At vero accidentia Euchariſtica juxta ſyſtema poſitum afficerent intrinſece corpus Chriſti, ipſi ut ſubjecto inhærerent in genere cauſæ formalis, & ex ipſo aut ſaltem ex ejus præſentia, ut volunt, profluerent.

Inſuper gratis & falſo aſſerunt Adverſarii hæc accidentia in pane oriri ex diverſa diſpoſitione ejus partium inſenſibilium. 1. *Gratis*. Nullam enim hujus aſſertionis rationem afferunt, aut quo microſcopio id deprehenderint, non oſtendunt. 2. *Falſo*. Quo enim pacto, qua arte fieri aut concipi poteſt, inſenſibile, ſeu diſpoſitionem partium inſenſibilium afficere ſenſibiliter ſenſus noſtros, ſicut afficiunt accidentia panis & aliorum corporum; qui hæc credit, credat pariter ignem poſſe refrigerare & aquam exſiccare, ſi quidem non major ſit repugnantia; quod ignis refrigeret & aqua exſiccet, quam quod inſenſibile cauſet ſenſationem; credat, inquam, apertiſſimam omnium implicantiam, idem ſimul poſſe eſſe & non eſſe, ſi enim inſenſibile ſentiatur, erit profecto ſimul & non erit inſenſibile.

4. Juxta iſtud Syſtema, & Carteſianorum principia, corpus Chriſti erit panis, quia ſecundum ipſos panis nihil eſt aliud quam materia, quæ hæc & alia panis accidentia nobis exhibet. Item corpus Chriſti per propria accidentia, non ſecus ac panis per ſua, immediate tangetur, frangetur, manducabitur, in ventrem & in ſeceſſum abibit, quod eſt Stercoraniſtarum hæreſis. Item movetur localiter, eſt ſibi ſimul dextrorſum & ſiniſtrorſum, ſimul ſupra ſe & infra ſe, ſimul rectus & inverſus, ſimul quieſcit & movetur, variaſque alias antilogias & abſurditates, quæ ex bilocatione circumſcriptiva ſequuntur, ſubire cogitur hæc ſententia. 5. Tandem impoſſibile videtur atque inintelligibile, quod corpus Chriſti localiter extenſum cum omnibus ſuis membris & organis in ordine ad locum ſit in quantumvis minima parte hoſtiæ vix microſcopio attingibili, ſine ulla conſtrictione, alteratione & irreverentia, idque millies in qualibet hoſtia, toties ſcilicet, quot ſunt particulæ hoſtiæ ultimo ſenſibiles.

His ergo dimiſſis & exploſis ad argumentum initio factum, R. D. Maj. Accidentia non poſſunt eſſe ſine ſubjecto naturaliter & de lege ordinaria, C. Supernaturaliter & de lege extraordinaria, N.

Inſt. 1. Quod eſt de eſſentia alicujus, ab eo divinitus ſeparari non poteſt, & alteri ſpeciei convenire. Atqui inhærentia actualis ſeu exiſtentia actualis in alio eſt de eſſentia accidentis actu exiſtentis, & exiſtentia ſine alio de eſſentia ſubſtantiæ actu exiſtentis. Ergo. Prob. Min. Illud eſt de eſſentia accidentis & ſubſtantiæ, quod ponitur in earum definitione. Atqui accidens definitur ens alteri inhærens, ſeu in alio exiſtens, ſubſtantia ens per ſe ſubſiſtens. Ergo. R. N. Min. Ad Prob. Accidens definitur ens alteri inhærens actualiter, N. Min. Ens alteri inhærens aptitudinaliter, C. Min. Similiter ſubſtantia definitur ens per ſe ſubſiſtens aptitudinaliter & non actualiter. Ita D. Th. 3. p. q. 77. a. 1. ad 2. ubi ſibi propoſitum idem argumentum ſic ſolvit: *Non eſt ergo definitio ſubſtantiæ ens per ſe ſine ſubjecto, nec definitio accidentis ens in ſubjecto: ſed quidditati ſeu eſſentiæ ſubſtantiæ competit habere eſſe non in ſubjecto, quidditati ſeu eſſentiæ accidentis competit habere eſſe in ſubjecto; in hoc autem Sacramento non datur accidentibus, quod ex vi ſuæ eſſentiæ non ſint in ſubjecto, ſed ex divina virtute ſuſtentante; & ideo non deſinunt eſſe accidentia: quia nec ſeparatur ab eis definitio accidentis, quæ eſt aptitudo ad ſubjectum, quæ ſemper manet in iis, non actualis inhærentia, nec competit eis definitio ſubſtantiæ*. Idem docet in 4. d. 12. q. 1. a. 1. quæſtiunc. 1. ad 2. & rationem ſubdit ibid. *Quia eſſe ſeu exiſtere in nulla quidditate creata eſt intrinſecum* (ſeu eſſentiale) *prædicatum*. Hoc enim ſolius Dei eſt proprium. Si ergo exiſtentia ut ſic non ſit de eſſentia entis creati ut ſic, ut ſuſius probatur in Metaphyſica, bene ſequitur, quod talis vel talis exiſtentia, per ſe ſcilicet vel in alio, non ſit de eſſentia talis entis in particulari, ſubſtantiæ vel accidentis, ſed ſola aptitudo ad talem vel talem exiſtentiam.

Inſt. 2. Inhærentia actualis eſt de eſſentia accidentis actu exiſtentis. Ergo. Prob. Ant. Omne, quod actu exiſtit, eſſentialiter exiſtit in ſe vel in alio. Atqui accidens actu exiſtens non exiſtit eſſentialiter in ſe, alias nunquam poſſet exiſtere in alio. Ergo eſſentialiter exiſtit in alio. Prob. Maj. Differentiæ diviſivæ alicujus generis conveniunt eſſentialiter illius ſpeciebus. Atqui exiſtentia actualis in ſe & exiſtentia actualis in alio ſunt duæ differentiæ diviſivæ entis actu exiſtentis immediate & adæquate ipſum dividentes, eo quod neceſſe ſit, ut omne ens actu exiſtens alterutram habeat. Ergo. R. N. Ant. Ad Prob. N. Maj. ad Prob. D. Maj. Differentiæ eſſentiales diviſivæ alicujus generis conveniunt eſſentialiter illius ſpeciebus, C. Maj. Differentiæ accidentales, N. Maj. & diſtincta Min. ad ſenſum Maj. N. Conſ. Dico igitur exiſtentiam actualem in ſe, & exiſtentiam actualem in alio eſſe differentias accidentales entis actu exiſtentis, quia ipſum dividitur ratione exiſtentiæ actualis, quæ, ut jam diximus, non eſt eſſentialis, ſed accidentalis enti; ſicut ſi, v. gr. dividitur corpus coloratum in album & nigrum, diviſio foret quidem eſſentialis reſpectu coloris, accidentalis vero reſpectu corporis; quia color, ratione cujus fieret hæc diviſio, ipſi corpori eſt accidentalis. Similiter ergo cum dividitur ens actu exiſtens, in actu exiſtens per ſe, & actu exiſtens in alio, diviſio poteſt quidem dici eſſentialis reſpectu actualis exiſtentiæ, non vero reſpectu entis, cum actualis exiſtentia, ratione cujus fit diviſio, ſit ipſi accidentalis. Porro inhærentiam actualem non eſſe de eſſentia accidentis actu exiſtentis, quod eſt fundamentum ſolutionum noſtrarum, conſtat. 1. Quia exiſtentia actualis ut ſic non eſt de eſſentia entis creati ut ſic, ut jam diximus ex D. Th. & probatur in Metaphyſica. Ergo nec exiſtentia actualis determinata, ſcilicet in alio, ſeu inhærentia actualis, eſt de eſſentia entis determinati, ſcilicet accidentis. Quod eſt adhuc verius in ſententia Thomiſtarum, qui probant in Metaphyſica inhærentiam actualem eſſe modum exiſtentiæ, & ipſam præſupponere in accidente.

2. Sic ſe habet inhærentia actualis ad accidens actu exiſtens, ſicut ſubſiſtentia actualis ad ſubſtantiam actu exiſtentem. Atqui ſubſiſtentia actualis non eſt de eſſentia ſubſtantiæ actu exiſtentis, ut patet in Myſterio Incarnationis, in quo natura humana ſpoliatur ſubſiſtentia propria & ſubſiſtit ſubſiſtentia Verbi. Ergo. 3. Ideo inhærentia actualis eſt neceſſaria accidenti, quia cum ſit debilis & infirmæ naturæ, ſe ſolo ſtare non poteſt; ſed indiget fulcro & ſubjecto, a quo tum in genere cauſæ materialis receptivæ, tum in genere cauſæ ſecundæ efficientis dantis eſſe, ſuſtentetur. Atqui Deus poteſt ſupplere cauſalitatem ſubjecti, non quidem in genere cauſæ materialis, ſed efficientis, & ſe ſolo præſtare in accidente, quod facit cum ſubjecto; ſicut cum produxit hominem, puta Adam, vel alios effectus ſine concurſu ſolito cauſarum ſecundarum. Ergo inhærentia actualis non eſt de eſſentia accidentis, etiam actu exiſtentis, & ab illo divinitus ſeparari poteſt. Hinc eleganter quidam recentior: Oſtendant (Hæretici) ſi poſſint, Creatorem omnipotentem, qui omnia de nihilo condidit, creata non poſſe ſine naturalibus fulcris conſervare; forte creaturarum adminiculo eget conſervator Deus facta ne pereant, qui ipſis adminiculis ſuſtentandi vim contulit?

Inſt. 3. Dato, quod inhærentia actualis non ſit de eſſentia accidentis, ſaltem accidens non poteſt actu exiſtere ſine aliqua inhærentia actuali. Ergo. Prob. Ant. Subſtantia non poteſt actu exiſtere ſine aliqua ſubſiſtentia actuali. Ergo nec accidens ſine aliqua inhærentia actuali. A pari. R. N. Ant. Ad Prob. Tranſeat Ant. & N. Conſ. Diſparitas eſt quod exiſtentiæ ſubſtantiæ præſupponat ſubſiſtentiam; in accidente vero exiſtentia præſupponitur ad inhærentiam. Et ratio hujus diſcriminis eſt, quia exiſtentia ſubſtantiæ eſt exiſtentia perfecta, & dans primum eſſe; ideoque non competit niſi toti perfecto & completo ſeu termino, non vero parti, quæ non exiſtit primo & per ſe, ſed dependenter a toto, quod ſupponit prius ſe. Subſtantia autem completur, perficitur & terminatur per ſubſiſtentiam, & ſic præſupponitur ad exiſtentiam, ita ut remota ſubſiſtentia removeatur etiam exiſtentia ſubſtantialis, prout eſt exiſtentia perfecta & per ſe. At vero e contra accidens non habet exiſtentiam perfectam per ſe, & totalem, ſed imperfectam & indigentem altero, ut ibi terminetur, & non decidat. Unde potius convenit accidenti talis exiſtentia, quam inhærentia, per quam perficitur; per illam enim alteri innititur & terminatur; & ita ſublato ſubjecto, cui innititur accidens, conſervat Deus ſpeciali concurſu, ſine iſta innitentia ipſum eſſe accidentis, quod antea cum ſubjecto conſervabat. Dixi, Tranſeat Ant. Non enim conſtat apud omnes, & illud negant Cajetanus 3. p. q. 4. a. 2. Philippus a S. Trinitate q. 20. Metaphyſicæ a. 4. & poteſt dici, quod exiſteret ſubſtantia ſine ſubſiſtentia ſaltem poſitiva.

Inferes. Ergo ſaltem in hoc caſu accidens ſpeciali Dei beneficio fiet ſubſtantia. Probat. illatio. Speciali Dei beneficio fiet ens per ſe exiſtens. Ergo ſubſtantia. R.

N. Illationem: Ad Prob. D. Ant. ut ſupra. Fiet ens per ſe exiſtens, remanente ſemper exigentia naturali ſubjecti, C. Ant. ſine exigentia naturali ſubjecti, N. Ant. cum enim ex natura ſua non ſit ens per ſe exiſtens, ſed potens exiſtere in alio, ſemper haberet inhærentiam aptitudinalem ex ſe ad ſubjectum, & ſic ſemper remaneret accidens; ſubſtantia enim eſt ens exiſtens per ſe ex natura ſua, ſine tali exigentia ſubjecti. R. 2. D. idem Ant. Speciali beneficio eſſet ens per ſe exiſtens poſitive, N. Ant. eſſet ens per ſe exiſtens negative, C. Ant. & N. Conſ. Dupliciter igitur dicitur per ſe exiſtere. 1. Poſitive, id eſt per aliquam formam ſeu modum poſitivum, qualis eſt ſubſiſtentia, & ſic exiſtit ſubſtantia. 2. Dicitur exiſtere per ſe negative, id eſt non exiſtere in alio, ſine tamen aliquo modo ſeu forma poſitiva, & ſic exiſtit accidens in Euchariſtia ſeparatum, ut dicemus modo.

Repones. Accidens non poteſt exiſtere ſeparatum a ſubjecto, neque per modum poſitivum, neque per negationem inhærentiæ. Ergo. Prob. Ant. Pro prima parte; quia talis modus poſitivus foret vel ſubſtantialis, vel accidentalis: non ſubſtantialis, quia nulli ſubſtantiæ debetur: non accidentalis, quia modus accidentalis non poteſt extra ſubjectum ſuſtentare & conſiſtere, cum ex ſe petat ſubjectum, hoc ipſo quod eſt accidentalis & poſitivus, & eadem foret de ipſo difficultas ac de accidente. Prob. ſecundas Pars, 1. Accidens exiſtens ſeparatum a ſubſtantia eſt nobilius accidente inhærente. Atqui ſi exiſtat per ſolam negationem inhærentiæ ſine modo ſuperaddito, non erit nobilius. Ergo. Probat. Min. Quando proprietas tollitur ab aliqua eſſentia, & illi nihil additur, iſta res non fit perfectior, ſed imperfectior v. g. ſi calor auferatur ab igne, & nihil illi adderentur, non eſſet igni perfectior, ſed imperfectior. Atqui ſaltem, juxta Peripateticos, inhærentia actualis eſt proprietas accidentis. Ergo. Prob. eadem Pars. 3. Subſtantia non poteſt exiſtere actu in ſubjecto per negationem exiſtendi per ſe. Ergo nec accidens poteſt exiſtere actu per ſe per negationem exiſtendi in alio. R. 1. C. Ant. pro prima parte, propter rationes allatas in argumento, licet tamen plures Peripatetici oppoſitum ſentiant, N. pro ſecunda parte. Ad primam Prob. N. Min. Ad Prob. D. Maj. Quando aliqua proprietas ab aliqua eſſentia tollitur, & nihil ei additur, non fit perfectior, ſi iſta proprietas non ſit imperfectio, C. Maj. Si iſta proprietas ſit imperfectio, N. Maj. Jam autem inhærentia actualis, dato quod ſit proprietas, eſt imperfectio, utpote dependentia ab alio, & conſequens naturam accidentis reduplicative ut infirmam & imperfectam; unde accidens ſeparatum a ſubjecto eſt perfectius per remotionem talis imperfectionis, & non per novam perfectionem additam. Inſuper & præcipue dico. 2. Ad Min. hujus Sylogiſmi, inhærentiam actualem, quantum ad actum inhærendi non eſſe proprietatem accidentis, ſed actum proprietatis; proprietas autem eſt ipſa inhærentia aptitudinalis proxima, ſive eſt inhærentia proxima actualis, ut ita dicam, quantum ad habitum, ſicut, v. gr. riſibilitas quantum ad actualem riſum non eſt proprietas hominis, ſed actus tantum proprietatis: ſed riſibilitas quantum ad habitum ſeu radicem eſt ejus proprietas; nec inde fit homo imperfectior, quando actu non ridet, etſi aliquod poſitivum iſti privationi riſus non ſuccedat.

Dices. Dictum eſt ſupra inhærentiam aptitudinalem eſſe eſſentiam accidentis. Ergo non poteſt eſſe ejus proprietas. R. D. Ant. Inhærentia aptitudinalis remota & fundamentaliter eſt eſſentia accidentis, C. Ant. Inhærentia aptitudinalis formalis & proxima eſt eſſentia accidentalis, N. Ant. & Conſ. Eſſentia igitur accidentis eſt natura eſſentialiter imperfecta & infirma, adeoque reſpiciens ſubſtantiam, & hoc eſt quod dicitur inhærentia aptitudinalis remota & fundamentalis, quia ex illa ſequitur in accidente quædam potentia ſeu aptitudo proxima & formalis ad inhærendum, & hæc eſt ipſius proprietas, cujus actus eſt actualis inhærentia: & cum definitur accidens, ens in alio, ſeu melius, ut diximus ſupra ex D. Th. ens, cui debetur eſſe in alio, ſi definitio tradatur eſſentialiter, debet intelligi de inhærentia aptitudinali remota & fundamentali: quod ſi intelligatur inhærentia aptitudinalis proxima & formalis, erit definitio deſcriptiva: & ſic plerumque intelligitur & traditur, ut magis explicetur dependentia accidentis a ſubſtantia. Ad 2. Prob. Ant. ſupra poſiti, R. 1. N. Conſ. Quia eſſe in aliquo per inhæſionem importat neceſſario quid poſitivum; at vero eſſe per ſe poteſt concipi vel poſitive pro forma, ſcilicet pro ſubſiſtentia poſitiva, vel pro negatione eſſendi in alio, ſicut rationalitas v. g. non poteſt ſumi niſi poſitiva, irrationalitas vero ſumi poteſt, vel poſitive pro forma aliqua, ut in Bruto, vel negativa pro mera negatione rationalitatis, ut in nihilo, lapide, &c. Altera diſparitas eſt, quod exiſtentia ſubſtantiæ ſupponit ſubſtantiam, ut diximus; exiſtentia vero accidentis non ſupponit inhærentiam, ſed ſupponitur ad illam.

Urgebis. Minus dependet ſubſtantia ab accidentibus, quam accidentia a ſubſtantia. Atqui non poteſt eſſe ſubſtantia ſine omni accidente. Ergo nec accidens abſque ſubſtantia. Prob. Min. Subſtantia non poteſt eſſe ſine *ubi* & *quando* juxta illud, *quidquid eſt, alicubi & quando eſt*. Ergo ſubſtantia, &c. R. N. Min. Ad Prob. D. Ant. Subſtantia non poteſt eſſe ſine *ubi* & *quando* fundamentali & radicali, C. Ant. Sine *ubi* & *quando* actuali & formali, N. Ant. Cum enim *ubi* & *quando*, actualiter & formaliter ſumpta, ſint modi reſultantes in corpora ex menſuratione loci & temporis, Deus poteſt impedire, ne reſultent iſti modi, remanente in corpore exigentia & fundamento ad illos ex iſta menſuratione loci & temporis; ſicut v. gr. impedivit, ne ex natura humana Chriſti reſultaret modus illi naturalis ſcilicet ſubſtantia. Ad axioma vero allatum, dico debere intelligi juxta communem & naturalem rerum ordinem, vel de *ubi* & *quando* radicaliter ſumptis. Alia argumenta videri poſſunt in præfata noſtra Diſſertatione, ex qua iſta excerpſimus.

Petes, utrum omnia accidentia in hoc Sacramento ſint ſine ſubjecto, an ſola quantitas? R. (*Hic q. 77. art. 2. c.*) ſolam quantitatem exiſtere ſine ſubjecto, cætera vero exiſtere in quantitate. Ratio eſt 1. (*Ibid.*) Quia ſic ſalvatur modus connaturalis exiſtendi aliorum accidentium, nec multiplicantur miracula, ſed ſufficit, quod quantitas exiſtat ſeparata a ſubjecto. Cætera enim accidentia connaturaliter ſuſtentantur a quantitate, & ea mediante a ſubſtantia; unde nulla fit mutatio in aliis accidentibus. 2. (*Ibid. in a. ſ. c.*) Quia cætera accidentia ſeu qualitates, color, ſapor, &c. non ſunt diviſibiles niſi ratione ſubjecti, ex ſe enim non habent partes, ſed eas emendicant a quantitate. Atqui qualitates in hoc Sacramento dividuntur ad diviſionem quantitatis, ut patet ad ſenſum. Ergo ſunt in quantitate ſicut in ſubjecto. 3. (*Ibid. o.*) Apparet ad ſenſum aliquod quantum eſſe coloratum & aliis accidentibus affectum, nec in talibus ſenſus decipitur. 4. Tandem videmus dari commune ſubjectum actionis & tractionis accidentium, quod non poteſt eſſe aliud quam quantitas, quæ cum ſit prima proprietas ſubſtantiæ corporeæ, proxime accedit ad genus cauſæ materialis. Et hinc fit quod quamvis in Euchariſtia ſint ſola accidentia, non tamen dicatur tantum in abſtracto eſſe in ea color, ſapor, &c. ſed etiam in concreto eſſe coloratum, ſapidum, &c. ratione ſcilicet quantitatis, quæ eſt illorum ſubjectum.

Obj. 2. Senſus bene diſpoſiti objectum debite propoſitum non falluntur. Atqui ſenſus bene diſpoſiti referunt eſſe panem in Euchariſtia, & objectum eſt debite propoſitum. Ergo. R. D. Maj. Senſus bene diſpoſiti non falluntur circa objectum debite propoſitum, quod ſit proprium ſenſibile, ut viſus circa viſibile, C. quod ſit ſenſibile per accidens, ut eſt ſubſtantia, N. ad cujus ſenſum diſtincta Min. N. Conſeq. Non enim ad ſenſus pertinet judicare de ſubſtantia, ſed ad intellectum, ſicque circa illa poſſunt falli, ſeu potius præbere intellectui occaſionem errandi circa illam.

Inſt. Quando plures ſenſus bene diſpoſiti uniformiter & conſtanter referunt aliquid de objecto debite propoſito, ita eſſe neceſſum eſt, alioquin nunquam illis eſſet fidendum, & continuo ſubjiceremur periculo errandi. Atqui plures ſenſus bene diſpoſiti uniformiter & conſtanter referunt eſſe panem in Euchariſtia, eſtque objectum debite propoſitum. Ergo. R. D. Maj. Si ratio vel fides judicium ſenſuum non corrigat, C. ſi corrigat, N. hic autem fides corrigit judicium ſenſuum.

Obj. 3. Ex Euchariſtia fit generatio; ſenſibus enim apparet ex ſpeciebus panis quandoque generari, vel cineres ſi comburantur, vel vermes ſi putreſcant, vel pulveres ſi conterantur. Atqui generatio ſubſtantialis fit ex præjacente materia & ſubſtantia. Ergo remanet ſubſtantia panis & vini. Item panis Euchariſticus nutrit. Atqui non nutrit ratione accidentium aut corporis Chriſti, nutritio enim fit per converſionem ſubſtantiæ alimenti in ſubſtantiam aliti. Ergo. R. (*Hic q. 77. a. 5. c.*) Generari aliquid ex ſpeciebus Euchariſticis negari non poteſt, cum id ipſis ſenſibus conſtet, ſed quomodo fiat iſta generatio, difficile concipitur & varie explicatur.

Quidam dixerunt, (*Ibid.*) quod ea, quæ generantur, non fiant ex ſpeciebus Euchariſticis, ſed ex aere circumſtante; quod quidem impoſſibile apparet multipliciter. 1. Quia ex eo generatur aliquid, quod prius alteratum & corruptum apparet: nulla autem alteratio vel corruptio prius apparet in aere circumſtante, ſed in ipſis ſpeciebus. 2. Natura aeris non eſt talis, quod ex eo per talem alterationem talia generentur. 3. Poteſt contingere in magna quantitate hoſtias conſecratas comburi aut putreſieri, nec eſſet poſſibile tantum de corpore terreno generare ex aere, niſi magna & valde ſenſibili inſpiſſatione aeris facta. 4. Licet non circumſtet aer, ſed ſpecies includantur in auro vel argento, ſimiliter fit generatio, manente incorrupto auro vel argento.

Alij

Alii dixerunt (*Hic q. 77. a. 5. o.*) quod redit ſubſtantia panis & vini in ipſa ſpecierum corruptione; ſed hæc poſitio videtur falſa. 1. Quia ſicut ſubſtantia panis converſa eſt in corpus Chriſti, deberet corpus Chriſti converti in ſubſtantiam panis, quod eſt inauditum. 2. Quia non poteſt aſſignari, quando ſubſtantia panis redeat, non manentibus ſpeciebus ſacramentalibus; quia quamdiu permanent, manet corpus Chriſti, quod non poteſt eſſe cum ſubſtantia panis, neque iis ceſſantibus, quia jam ſubſtantia panis eſſet ſine ſuis accidentibus, quod non poteſt eſſe ſine novo miraculo; non debet autem dici, quod aliquid miraculoſe accidat in hoc Sacramento, niſi ea ipſa Conſecratione, ex qua non eſt quod ſubſtantia panis redeat, & quod ſubſiſtat ſine ſuis accidentibus; ſed debet potius, in quantum fieri poteſt, ſalvari corruptio & generatio naturalis, prout ſenſibus deprehenditur. Propter eandem rationem non videtur dicendum cum Scoto & Vaſques, novas ſubſtantias puta vermes, cimices, &c. de novo creari, neque cum quibuſdam Recentioribus Thomiſtis, quantitatem a ſolo Deo in novum compoſitum converti: hoc enim eſt multiplicare miracula, & non ſalvare veram generationem, quæ requirit ut nova forma educatur de ſubjecto, vel ſaltem quod unio formæ cum materia ab agente naturali attingatur, ut fit in generatione hominis.

Reſpondet itaque Auctor (*Ibid.*) in ipſa Conſecratione miraculoſe dari quantitati dimenſivæ panis & vini, quod ſit primum ſubjectum ſubſequentium formarum, quod eſt proprium materiæ, & ideo ex conſequenti datur prædictæ quantitati omne illud, quod ad materiam pertinet: unde quidquid poſſet generari ex materia panis & vini, ſi adeſſet, totum poteſt generari ex dicta quantitate, non quidem novo miraculo, ſed ex vi miraculi prius facti.

Sed difficultas eſt, utrum quantitas gerat vices materiæ, non ſolum ad recipiendum diſpoſitiones prævias ad generationem, ſed etiam ad eductionem formæ ſubſtantialis, ita ut novum compoſitum conſtet ſolum quantitate & forma ſubſtantiali. An e contra facta alteratione & poſitis diſpoſitionibus ſufficientibus in quantitate ad generationem, producatur a Deo materia, ex cujus potentia educatur, & in qua recipiatur forma ſubſtantialis novi compoſiti? Primum tenet Ferrarienſis cum quibuſdam aliis, præſertim propter textum D. Th. mox laudatum. Verum ſecundum eſt probabilius & communius: 1. Quia de ratione compoſiti materialis & ſubſtantialis phyſici eſt, quod conſtet materia & forma. 2. Quia alias ſequeretur, quod foret perpetuum miraculum etiam extra Euchariſtiam; quantitas enim illa, quæ foret loco materiæ in novo compoſito, puta vermibus, exiſteret ſine ſubjecto, ſimiliter quando novum compoſitum ex vermibus generaretur, & ſic uſque ad finem mundi, non enim eſt major ratio de una generatione, quam de alia. Item ſequeretur, quod vermes v. g. geniti ex ſpeciebus Euchariſticis eſſent monſtra, ſcilicet ſemiſubſtantiæ & ſemiaccidentia. Item quod anima hominis partim nutriti ex ſpeciebus Euchariſticis, partim informaret materiam, partim ſolam quantitatem, ſicque eſſet ſemihomo.

Unde ad textum S. Th. quando S. Doctor dicit, quod quantitas ſit *Subjectum ſubſequentium formarum*, intelligit de ſubſequentibus formis accidentalibus, ſeu qualitatibus alterantibus ſpecies conſecratas, non de forma ſubſtantiali. Quando addit: *Quidquid poſſit generari ex materia panis, ſi adeſſet, totum poteſt generari ex prædicta quantitate dimenſiva*, non intelligit generationem ſtricte ſumptam pro eductione & receptione formæ geniti, ſed alterationem præcedentem, quæ ad generationem proxime diſponit. Ita intelligendum eſſe S. Doctorem probant, non ſolum quæ mox dicebamus, ſed & alii ejus textus. In 4. d. 12. q. 1. a. 2. q. 4. ad 4. dicit: *Secundum quamlibet poſitionem oportet ponere aliquid in hac generatione eſſe miraculoſum & aliquid naturale: reditus ſubſtantiæ, vel creatio materiæ, vel converſio dimenſionum in materiam eſt miraculum; ſed quod materia jam exiſtens recipiat talem formam, cujus diſpoſitiones præceſſerant in dimenſionibus, hoc eſt naturale.* Quibus aperte docet, quod dum generatur aliquid ex ſpeciebus ſacramentalibus, materia producatur per creationem, vel per converſionem quantitatis in ipſam, & quod ipſa materia de novo producta ſit receptiva formæ generatæ. Et hic a. 6. ad 2. dicit: *Species ſacramentales non eſſe ea, ex quibus corpus hominis conſtat.* Ex dictis pariter ſolvitur argumentum de nutritione, quia cum ſit partialis generatio, ſicut ex ſpeciebus Euchariſticis poteſt aliquid generari, ita & nutriri.

Si petas per quam actionem producatur materia, an per creationem, an per converſionem quantitatis in ipſam? R. id indeciſum relinqui a S. Doct. loc. cit. in 4. & utrumque eſſe probabile. Videtur tamen convenientius dici, quod producatur per converſionem quantitatis in ipſam; tum quia ex vi prioris miraculi, quo ſubſtantia panis converſa eſt in corpus Chriſti, magis connaturaliter ſequitur, quod id, quod remanet de ſubſtantia panis, convertatur in materiam, ex qua educenda eſt forma ſubſtantialis; tum quia magis connaturale eſt, ut ſubjectum, quod recipit diſpoſitiones ad formam, convertatur in id, quod poteſt illam recipere. Si dicas tunc non ſalvari mutationem, quam neceſſario involvit generatio; cum enim ſecundum hanc opinionem materia tantum introducatur in ipſo inſtanti generationis, in quo forma ipſa introducitur, nunquam fuit ſub privatione formæ, ſicque non poteſt mutari, ſeu tranſire de privatione ad formam. R. Quod cum de æquipollentibus ſit eadem ratio & idem judicium; ut materia dicatur mutari de privatione ad formam, ſufficit, quod aliquid æquipollens materiæ & ejus vices gerens ſcilicet quantitas fuerit toto tempore ante inſtans generationis ſub privatione formæ. Ita Gonet ex Joanne a S. Th.

§. III. *Solvuntur Objectiones contra probationem deſumptam ex verbis Conſecrationis.*

OBj. 1. Quamvis ſub ſpeciebus maneret ſubſtantia panis cum corpore Chriſti, vere dici poſſet: *Hoc eſt corpus meum*. Ergo. Prob. Ant. Non eſt neceſſe, quod per pronomen *hoc* demonſtretur totum, quod continetur ſub ſpeciebus, ſed ſalva proprietate verborum poteſt ex intentione loquentis determinari ad ſignificandam unam rem contentam, & non aliam; ſic vere dicitur demonſtrato dolio, *Hoc eſt vinum*, quamvis ſit cum vino in dolio aliquid aliud, puta lapis vel truncus. Ergo. R. N. Ant. Ad Prob. D. Ant. Pronomen *hoc* poteſt determinari ex intentione loquentis ad ſignificandam unam rem contentam & non aliam, ſi res contenta, quam loquens intendit demonſtrare, ſit viſibilis per propria accidentia, aut continens ſit ex natura ſua, vel ex uſu deſtinatum ad illam continendam, C. Secus, N. Quia pronomen *hoc* demonſtrat quod ſenſibus objicitur per propria accidentia, non vero quod latenter continetur, niſi continens ex natura ſua, vel ex uſu deſtinatum ſit ad illum continendum. Hinc qui de pane, in quo lateret nummus aureus, diceret, *Hoc eſt aurum*, falſum diceret, quia *hoc* demonſtrat panem, & non aurum. E contra qui dicit: *Hoc eſt vinum*, demonſtrato dolio, verum dicit, etſi cum vino lateat in dolio lapis aut truncus; quia dolium ex uſu deſtinatum eſt ad continendum non lapidem aut truncum, ſed vinum, & per metonymiam ſumitur continens pro contento. Cum ergo in hac propoſitione, *Hoc eſt corpus meum*, pronomen *hoc* demonſtret panem ſeu edulium per propria accidentia viſibile, neque iſtud edulium, neque ejus accidentia ſint ſive ex natura ſua, ſive ex uſu deſtinata ad continendum corpus Chriſti, non poteſt vere dici, manente ſubſtantia panis, *Hoc eſt corpus meum*.

Inſt. 1. Remanent in hoſtia conſecrata accidentia panis, item anima & ſanguis Chriſti, item inter accidentia panis poteſt ſenſibiliter apparere permixta palea, aut capillus. Atqui tamen his non obſtantibus verificatur forma: *Hoc eſt corpus meum*. Ergo etiamſi remaneat ſubſtantia panis. R. N. Conſ. Quantum ad accidentia remanentia diſparitas eſt, quod pronomen *hoc*, tam ex natura ſua, quam ex uſu, non demonſtret accidentia, ſed ſubſtantiam ſub illis latentem; dum enim dico, hoc eſt aurum, hic eſt homo, non eſt ſenſus, quod ſint accidentia auri vel hominis, ſed ſubſtantia. Si ergo remaneret ſubſtantia panis, pronomen *hoc* illam demonſtraret, & ſic eſſet falſa propoſitio. Quantum ad animam & ſanguinem Chriſti diſparitas eſt, quod pronomen *hoc* in hac propoſitione: *Hoc eſt corpus meum*, non deſignat niſi id, quod eſt ſenſibiliter præſens, ſive per proprias ſpecies, ſive per verba formæ, quæ ſunt ſigna ſenſibilia & effectiva illius quod ſignificant. Anima autem & ſanguis Chriſti non ſunt ſenſibiliter præſentes, neque per ſpecies panis, ut patet, neque per verba formæ, quæ præciſe corpus deſignant.

Si remaneret ſubſtantia panis, To *hoc* illam deſignaret, utpote ſenſibiliter præſentem per ſuas ſpecies. Ad 3. diſparitas eſt, quod pronomen *hoc* demonſtret id, quod principaliter apparet, non autem minutiora quædam, ſi forte illi permiſceantur etiam ſenſibiliter, cum vix ſit ullum compoſitum, cui non admiſceatur aliquid minutum extranei corporis: ſic quando de pane uſuali dico: *Hoc eſt panis*, ſolam ſubſtantiam panis demonſtro, non vero aliquas paleas, vel aliquos lapillos, qui forte in illo permixti apparent.

Inſt. 2. Quando aurum in parva quantitate diſſolvitur in majori quantitate vini vel aquæ ad medicamentum, vere dicitur: *Hoc eſt aurum*, & ideo communiter dicimus, *aurum potabile*, quamvis tamen ſit major & apparentior quantitas vini vel aquæ. Ergo. R. N. Iterum Conſ. Diſparitas eſt, quod ex uſu communi rebus ſanativis admiſceantur liquores, aut involvantur aliis rebus, ut facilius ſumantur & operentur, ideoque norunt homi-

humines; & ideo in his propoſitionibus. *Hoc eſt aurum*, *Hoc eſt medicina*, deſignatur res ſanativa, non vero res alia, quæ tantum ad faciliorem ejus uſum admiſceretur, & non eſt ſanativa.

Inſt. 3. Juxta datas ſolutiones, etiam in noſtra ſententia, falſa eſt hæc propoſitio: *Hoc eſt corpus meum*, quia ſpecies panis, neque ex natura ſua, neque ex uſu ſunt deſtinatæ ad continendum corpus Chriſti. Ergo. R. N. Sequelam: quia pronomen *hoc* neceſſario ſignificat ſubſtantiam aliquam ſub ſpeciebus contentam. Si adeſſent duæ ſubſtantiæ ſcilicet panis & corpus Chriſti, demonſtraret panem per propria accidentia viſibilem, ut dictum eſt. At cum in noſtra ſententia abſit panis, ſequitur, quod demonſtret corpus Chriſti, ſeu edulium, quod erant antea panis, & in fine prolationis verborum eſt corpus Chriſti, ſignificatum & ſenſibile factum per verba Conſecrationis; & ideo vera eſt propoſitio.

Inſt. 4. Non eſt impoſſibile, quod ſint ſimul in hoſtia conſecrata ſubſtantia panis & corpus Chriſti. Ergo. R. Nos non quærere hic, quid ſit poſſibile; ſed utrum manente ſubſtantia panis vere dicatur, *Hoc eſt corpus meum*, quod negamus.

Obj. 2. & ſimul inſtabis. Hæc propoſitio, *Hic homo*, demonſtrato Chriſto, *eſt Deus*; eſt vera, licet humanitas non ſit converſa in Divinitatem. Ergo ſimiliter hæc: *Hoc eſt corpus meum*, eſt vera, licet panis non ſit converſus in corpus Chriſti. R. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod *Hic homo* in prima propoſitione ſupponat pro ſuppoſito, & ſenſus ſit: Suppoſitum habens humanitatem eſt Deus, quod eſt verum. At in ſecunda propoſitione Tò *hoc* ſupponit pro natura ſeu ſubſtantia, & ſi remaneret ſubſtantia panis, ſenſus eſſet, ſubſtantia panis eſt corpus Chriſti, quod eſt falſum.

Inſt. Hæc propoſitio: *Verbum caro factum eſt*, eſt vera, licet maneat Verbum. Ergo pariter hæc: *Hoc eſt corpus meum*, eſt vera, licet maneat panis. R. N. Conſ. Diſparitas eſt, quod conſtet Verbum eſſe incapax mutationis: unde cum dicitur: *Verbum caro factum eſt*, intelligi non poteſt Verbum deſinere, ſed aſſumere carnem. At vero conſtat panem eſſe capacem mutationis, nec poſſe ad ſe aſſumere corpus humanum in unitate ſuppoſiti. Unde cum dicitur: *Hoc eſt corpus meum*, debet verificari per converſionem & deſitionem panis. Prima itaque propoſitio, inquit Sylvius, ſimilis eſt huic, *Petrus factus eſt doctus*, remanente Petro; ſecunda vero ſimilis eſt huic: *Indoctus factus eſt doctus*, mutato indocto in doctum.

Obj. 3. Senſus hujus propoſitionis: *Hoc eſt corpus meum*, eſt, in vel ſub vel cum pane eſt corpus meum: vel panis ſubſtituitur loco corporis mei, ſicut Chriſtus dixit Joanni: *Ecce mater tua*, & matri: *Ecce filius tuus*, quia iſta pro matre, iſta pro filio ſubſtituebatur. Ergo. R. ad 1. N. Ant. Longe enim differt unum eſſe aliud, & eſſe ſub vel cum illo. Corpus eſt ſub veſte, & non eſt veſtis, anima eſt cum corpore, & non eſt corpus, Deus eſt in omnibus entibus, & non eſt omnia entia. Ad 2. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod ex uſu communi, quando una perſona ſubſtituitur pro alia vices ejus & munia gerens, nomen ejus obtinet, ut patet in adoptante, qui dicitur Pater. At fruſtum panis in nullo gerit vices & munia corporis Chriſti; neque uſu receptum eſt, quod res inanimata pro vivente ſubſtituatur, & ejus nomine vocetur. Inſuper hoc argumentum non favet Lutheranis, qui non dicunt panem ſubſtitui loco corporis Chriſti, ſed eſſe cum corpore Chriſti.

ARTICULUS VII.

Variæ Quæſtiones circa Tranſſubſtantiationem breviter reſolvuntur.

PETES 1. Utrum ſubſtantia panis & vini poſt Conſecrationem annichilentur? R. (*Hic q. 75. a. 3. c.*) negative. Prob. (*Ibid.*) Secundum Fidem Catholicam ex articulis præcedentibus ſubſtantia panis convertitur in corpus Chriſti. Atqui quod convertitur in aliud poſitivum, non annichilatur, ſeu non cadit in nihilum, ſed in iſtud aliud tranſit. Confirm. Ad annichilationem requiritur rei ſecundum omnes ſuas partes deſitio per meram concurſus divini ſuſpenſionem, & quod ad illius deſitionem nihil poſitivum ſequatur, quia annichilatio opponitur creationi. Sicut ergo creatio eſt a puro nihilo, tanquam a termino a quo ad aliquod ens poſitivum tanquam ad terminum ad quem, ſic annichilatio eſt ab aliquo ente poſitivo tanquam a termino a quo ad purum nihilum tanquam ad terminum ad quem. Atqui in Euchariſtia, licet nihil ſubſtantiæ panis remaneat, ejus tamen deſitio non terminatur ad purum nihil, ſed ex illa ſequitur aliquid poſitivum, nimirum corpus Chriſti. Ergo.

Ad cujus majorem elucidationem obſervant Theologi omnes conditiones ad veram & ſtrictam converſionem hic reperiri. Hæ ſunt quatuor. Prima, quod terminus a quo & ad quem ſint quid poſitivum. Subſtantia panis eſt terminus a quo, corpus Chriſti terminus ad quem, utrumque poſitivum. Secunda, quod terminus a quo deſinat eſſe, & terminus ad quem incipiat eſſe: ita deſinit eſſe panis, & incipit eſſe corpus Chriſti. Tertia, quod non ſit mera concomitantia, ſed quædam connexio inter deſitionem unius & inceptionem alterius; & hic talis eſt connexio, ſi non neceſſaria ſecundum ſe, ſaltem ex voluntate Dei; deſitioni enim panis voluit eſſe annexam poſitionem corporis Chriſti, idque important verba formæ. Quamvis itaque hæc propoſitio: *Hoc eſt corpus meum*, ſecundum ſe & ſolitarie ſumpta, poſſit eſſe vera, etſi panis annichilatur & non convertatur in corpus Chriſti; conſiderata tamen ut a Chriſto & Sacerdote prolata, tenente & deſignante panem, & dicente: *Hoc eſt corpus meum*, verificari non poteſt, niſi intelligatur, hoc, quod tenet præ manibus, fieri corpus Chriſti, ideoque in illud converti. Sicut ſi Chriſtus dixiſſet, deſignans hydrias, *Hoc eſt vinum*, verificari non poſſet niſi intelligendo, quod id, quod erat prius aqua, verſum ſit in vinum. Quarta conditio ſecundum aliquos eſt, ut ſit aliquid commune utrique termino a quo & ad quem; & hæc etiam reperitur quatenus eadem accidentia, quæ fuerunt in termino a quo, remanent in termino ad quem. Alii tamen hanc conditionem non reputant neceſſariam ad veram converſionem, quæ non eſt aliud quam tranſitus unius rei in aliam.

Si dicas illud annichilari, cujus nihil omnino remanet; nihil autem ſubſtantiæ panis omnino remanet, neque materia, neque forma: Reſponſio jam data eſt, nempe ulterius requiri ad annichilationem, quod res ita deſinat per meram concurſus divini ſuſpenſionem, ut ex ejus deſitione nihil poſitivum reſultet, quod hic non contingit. (*Ib. a. 4. & ad 3.*) Et quamvis id ſuperet virtutem agentis naturalis, quod non poteſt totam ſubſtantiam in aliam tranſmutare, ſed formam dumtaxat, remanente immutata eadem materia, ut videre eſt in mutationibus naturalibus, quæ ſunt tantum formales; id tamen poteſt agens infinitæ virtutis, quod habet actionem in totum ens: quia utrique materiæ & utrique formæ eſt communis natura entis, & id quod eſt entitatis in uno; poteſt auctor & effector entis convertere in id, quod eſt entitatis in altera.

Petas 2. Qualis actio ſit Tranſſubſtantiatio, an adductiva, an unitiva, an conſervativa, an productiva, ſeu reproductiva? R. 1. Probabilius non eſt adductiva. Eſt contra Scotum, Bellarm. &c. 1. Tranſſubſtantiatio eſt converſio ſubſtantialis; ideo enim dicitur Tranſſubſtantiatio, conſequenter debet habere pro termino formali ſubſtantiam; in hoc enim differt converſio ſubſtantialis ab accidentali, quod iſta habeat pro termino formali accidens; illa ſubſtantiam. Atqui actio adductiva non eſt converſio ſubſtantialis, quippe quæ non habet ſubſtantiam pro termino formali, ſed ſolam præſentiam accidentalem. Ergo.

Reſpondet P. Henno terminum adductionis eſſe corpus Chriſti, non ut productum, ſed ut introductum, hoc eſt ut præſens ſub ſpeciebus Euchariſticis. Sed contra. Actio non eſt ſubſtantialis ex eo præciſe, quod attingat ſubſtantiam, ſi nihil ſubſtantiale producat; alioquin nulla foret actio accidentalis, cum omnes attingant ſubjectum ſubſtantiale formarum, quas producunt. Sic v. gr. dealbatio aut calefactio eſſet actio ſubſtantialis, quia attingit parietem aut lignum, quod eſt ſubjectum formæ accidentalis, quam in illo producit. Sic motus localis Angeli foret Tranſſubſtantiatio, quia terminatur ad ejus ſubſtantiam ut introductum, ſeu quatenus ſtat ſub præſentia ad locum.

Huic itaque Reſponſioni non ſatis fidem laudatus Theologus addit hic intervenire duplicem actionem, adductionem ſcilicet & Tranſſubſtantiationem; prioris terminum eſſe accidens, nempe Chriſti corporis præſentiam, poſterioris eſſe ſubſtantiam, nempe corpus Chriſti. Sed contra 1. Infero. Ergo Tranſſubſtantiatio non eſt actio adductiva, quod intendimus. Infero 2. Ergo ſuperfluit adductio. Hoc ipſo enim quod panis tranſſubſtantiatur ſeu convertitur in corpus Chriſti, corpus Chriſti eſt præſens ſub ſpeciebus panis; ſicque iſta reſponſio non ſolum multiplicat miracula ſine neceſſitate, ſed adſtruit miraculum adductionis omnino impertinens ad rem & vix intelligibile, quo nempe res aliqua adducatur illuc ubi jam eſt. 2. Tranſſubſtantiatio eſt formaliter actio converſiva. Atqui adductio non eſt converſiva. Ergo. Prob. Min. Non eſt actio converſiva unius in aliud ſine productione illius, in quod fit converſio: quid eſt enim convertere unum in aliud, niſi ex uno efficere aliud? idque patet in converſionibus, quas refert Scriptura, uxoris Loth in ſtatuam ſalis, virgæ Aaron in ſerpentem, aquæ in vinum. Ergo. 3. Adductio importat motum localem; motus autem localis non fit, niſi unus locus ut terminus a quo deſeratur, & alter locus tanquam terminus ad quem acquiratur. Unde corpus

Digitized by Google

Chriſti adductum de cœlo, ut eſſet ſub ſpeciebus, deſereret cœlum. Quod ſi non e cœlo adducatur, dicant unde; cum non ſit niſi in cœlo.

R. 2. Tranſſubſtantiatio non eſt actio unitiva, nec conſervativa. Ratio primæ partis eſt quia actio unitiva ſupponit præſentiam vel uniendæ. Ergo corpus Chriſti eſt præſens ſpeciebus per aliam actionem præviam. Ratio ſecundæ partis eſt, quia conſervatio nulli loco determinate conſervatam figit; ſed ab omni loco abſtrahit, permanet enim eadem creatio & conſervatio, quantumvis locus mutetur. Adde, quod conſervatio rei in loco ſupponat eam ibi eſſe. R. 3. Tranſſubſtantiatio eſt actio productiva ſeu reproductiva corporis Chriſti, non ſimpliciter; ſed tali modo, ſcilicet ex pane.

Prob. 1. Pars, 1. ex SS. Patribus, qui, ut patet ex articulis præcedentibus, dicunt corpus Chriſti fieri, confici ex pane, idque Auctor ſpecialiter probat hic toto a. 8. atqui quod fit, quod conficitur ex pane, producitur ex pane; quid aliud eſt enim fieri & confici, quam produci? idque eo certius eſt, ſecundum mentem SS. Patrum, quod ad hanc converſionem ſeu productionem aſtruendam utantur jam laudatis exemplis converſionis virgæ in ſerpentem, aquæ in vinum, uxoris Loth in ſtatuam ſalis, in quibus manifeſtum eſt res produci. Confirm. S. Th. citatus a. 8. docet hanc converſionem in hoc convenire cum creatione & tranſmutatione naturali ſeu formali, quod ſicut in creatione ex non ente fit ens, & in tranſmutatione naturali ex aere v. g. fit ignis, ita ex pane fit corpus Chriſti. Atqui in creatione vere producitur ens, & in tranſmutatione vere producitur ignis. Ergo in Tranſſubſtantiatione vere producitur corpus Chriſti. Atque hinc explodi tur præpoſtera intelligentia Marci Serra, qui vult corpus Chriſti dici fieri ex pane metaphorice, ſicut dicitur Deum factum eſſe refugium noſtrum.

At forte oppones, S. Th. in 4. d. 11. q. 1. a. 3. q. 1. docere hanc eſſe differentiam inter converſiones naturales & Tranſſubſtantiationem, quod in converſionibus naturalibus mutetur & id quod convertitur, & id in quod convertitur; in Tranſſubſtantiatione autem non mutetur id, in quod convertitur, ſcilicet corpus Chriſti. Atqui mutaretur, ſi produceretur. Ergo. R. D. Min. Mutaretur quoad eſſe ſubſtantiale, ſicut ignis mutatur, quando fit ex aere, vel ligno, N. Eſt enim ſemper idem ſubſtantialiter corpus. Mutaretur modaliter, quia reproducitur diverſo modo, C. Mutationem autem ſubſtantialem intendit tantum excludere S. Doctor, non modalem.

Prob. 2. Rationibus 1. Reſponſionis. Tranſſubſtantiatio eſt converſio ſubſtantialis. Atqui non eſt converſio ſine productione rei, in quam fit converſio, & non eſt converſio ſubſtantialis ſine productione eſſe ſubſtantialis, ut probatum eſt. Ergo. Confir. Impoſſibile eſt aliquid eſſe, ubi non erat, niſi vel ibi producatur vel aliunde adducatur. Atqui corpus Chriſti non adducitur in Eucharistiam, ut probatum eſt. Ergo illuc producitur.

Secunda pars Reſponſionis patet: quia corpus Chriſti ſupponitur ſimpliciter & abſolute productum ante verba Conſecrationis. Ergo per Tranſſubſtantiationem non producitur ſimpliciter, ſed ſecundum quid & tali modo, ſcilicet ex ſubſtantia panis. Unde terminus formalis Tranſſubſtantiationis non eſt corpus Chriſti, quatenus fit ex pane. Et per hoc ſolvitur argumentum Scotiſtarum.

Objiciunt enim 1. Actio converſiva panis in corpus Chriſti ſupponit ipſum jam productum & exiſtens. Ergo ipſum non producit. R. D. Conſ. Ergo ipſum non producit ſimpliciter & abſolute, C. Non producit ſecundum quid & tali modo, ſcilicet ex pane, N.

Inſt. 1. Quod producitur, tranſit de non eſſe ad eſſe. Ergo. R. D. Maj. Quod producitur primo & ſimpliciter tranſit de non eſſe ad eſſe, C. Quod producitur iterato & tali modo, ſubdiſtinguo. Tranſit de non eſſe ſimpliciter ad eſſe ſimpliciter, N. Tranſit de non eſſe tali modo ad eſſe tali modo, C. Et ſic corpus Chriſti tranſit de non eſſe ex & ſub pane ad eſſe ex & ſub pane.

Inſt. 2. Tranſſubſtantiatio eſt efficienter a corpore Chriſti ut ab inſtrumento Divinitatis. Atqui corpus Chriſti non poteſt eſſe ſui ipſius productivum, alias foret ſe ipſo prius & poſterius. Ergo. R. eadem ſemper ſolutione, D. Min. corpus Chriſti primo & ſimpliciter productum non poteſt ſe ipſum primo & ſimpliciter producere, C. Non poteſt ſe ipſum ſecundum quid & tali modo producere, N. Et ſic primo & ſimpliciter productum non eſt prius ſe ipſo primo & ſimpliciter producto; ſed tantum prius ſe ipſo ſecundum quid & tali modo producto. Habet idem eſſe, ſed non eodem modo.

Obj. 2. ab Inconvenientibus. Si corpus Chriſti in Eucharistia producatur, ſeu reproducatur, ſequitur; 1. Hoc corpus ex pane productum non eſſe corpus ex Virgine Maria natum, ſicut vinum ex aqua in Cana Galileæ factum non erat vinum de vite. Sequitur 2. Quod toties annihiletur ſubſtantia corporis Chriſti, quoties deſinunt ſpecies Euchariſticæ, quia talis eſt deſitio, qualis eſt productio, & eundem terminum habent licet contrario modo, ita ut ſi productio ſit ſubſtantialis, etiam deſitio eſt ſubſtantialis. Sequitur 3. Eundem effectum produci a pluribus cauſis totalibus, nimirum in cœlo per primam ſui productionem, & in altari per actionem tranſſubſtantiativam: item per plures Conſecrationes in pluribus altaribus. Sequitur 4. Quod plura accidentia ſolo numero diſtincta ſint in eodem ſubjecto, ſcilicet plures Actiones productivæ in eodem corpore Chriſti. Ergo. R. Nihil horum ſequi ex noſtra ſententia. Non primum: quia idem corpus, quod fuit primo productum ex Maria Virgine, reproducitur ex pane. Nec eſt ſimile de vino in Cana Galileæ, quod fuit primo productum ex aqua & non ex vite, & ideo non erat vinum de vite. Non ſecundum; quia corpus Chriſti non cadit in nihilum, cum alibi exiſtat, ſed tantum deſinit eſſe ſub iſtis ſpeciebus panis. Tunc autem talis eſt deſitio, qualis productio, quando eſt deſitio rei primo & ſimpliciter productæ, non vero quando eſt deſitio rei de novo reproductæ & prius exiſtentis. Non tertium, quia licet corpus Chriſti in cœlo & in Euchariſtia ſit idem ſubſtantialiter, non tamen ſub eadem formalitate & eodem modo productum: unde in ratione effectus eſt formaliter diſtinctum. Quantum autem ad plures Conſecrationes, cum ſint tantum cauſæ inſtrumentales, non repugnat plures eſſe totales ejuſdem effectus. Non quartum, quia plures iſtæ actiones productivæ non ſubjectantur in eodem corpore Chriſti eodem modo & in iiſdem circumſtantiis ſumpto, ſed in eodem corpore diverſo modo, & in diverſis circumſtantiis conſtituto, ſcilicet ex diverſo pane, ſub diverſis ſpeciebus, & in diverſis locis, ſicque non in eodem ſubjecto formaliter, ſed materialiter tantum; ſeu ſi mavis in eodem quidem ſubjecto, ſed æquivalenter multiplici; quia accidentia individuantur a ſubjecto eodem modo, & in iiſdem circumſtantiis conſtituto.

Petas 3. Utrum abſtrahendo a verbis Conſecrationis poſſit de Dei potentia abſoluta corpus Chriſti eſſe præſens in Euchariſtia abſque converſione panis in ipſum? R. Hac in parte diviſos eſſe Thomiſtas. Capreolus, Paludanus, Ferrarienſis negant propter quædam teſtimonia D. Th. præſertim in 4. d. 11. q. 1. a. 1. ubi videtur docere id implicare contradictionem, ſicut ſi poneretur animal rationale non eſſe hominem. Affirmant Cajetanus & Soto: quia abſtrahendo a verbis Conſecrationis non videtur implicantia, quod Deus producat corpus Chriſti in Euchariſtia ſacramentaliter præſens & ſimul conſervet ſubſtantiam panis; aut eam annihilet. Unde ad D. Th. dicendum ipſum eſſe intelligendum in hypotheſi, quæ de facto eſt, quod corpus Chriſti incipiat eſſe in hoc Sacramento abſque ſui mutatione. Hoc enim ſuppoſito, verum eſt repugnare corpus Chriſti eſſe in Euchariſtia abſque converſione panis in ipſum, quia repugnat aliquid eſſe nunc, cum prius non eſſet, niſi vel in ſe mutetur, vel aliquid in ipſum; ſicut quia Deus non mutatur, non poteſt eſſe de novo in creatura ſine mutatione creaturæ. Cum ergo ſupponatur corpus Chriſti non mutari: & aliter ſit nunc quam prius, neceſſario panis debet mutari per converſionem in ipſum. At extra præſentem hypotheſim nihil repugnat, quod corpus Chriſti producatur ſub ſpeciebus panis cum aliqua ſui mutatione, non alterativa aut corruptiva, ſed perfectiva, & ſimul conſervetur ſubſtantia panis, aut annihiletur.

Petes 4. Utrum Tranſſubſtantiatio fiat in inſtanti? R. affirmative: (*Hic q. 75. a. 8. o.*) quia mutatio eſt inſtantanea triplici ratione. 1. Ratione formæ, quæ non ſuſcipit magis & minus. 2. Ex parte ſubjecti, quando eſt in ultima diſpoſitione. 3. Ex parte agentis, quod eſt infinitæ virtutis. Atqui ſubſtantia corporis Chriſti non ſuſcipit magis & minus, non eſt in hac converſione ſubjectum, quod ſucceſſive preparetur, & agens nempe Deus, eſt infinitæ virtutis. Ergo. Eodem itaque inſtanti, quo deſinit panis, incipit eſſe corpus Chriſti; ſed iſtud inſtans eſt extrinſecum pani & primum ejus non eſſe, & intrinſecum corpori Chriſti ac primum ejus eſſe, quia deſinit panis deſinente prolatione verborum, quæ cum ſit ſucceſſiva, deſinit per primum ſui non eſſe, ſeu per inſtans extrinſecum, ſicque panis & corpus Chriſti non ſunt ſimul in eodem inſtanti, ſed idem inſtans quod eſt primum non eſſe panis, eſt primum eſſe corporis Chriſti.

DISSERTATIO II.

DE ESSENTIA, UNITATE, ET INSTITUTIONE SACRAMENTI EUCHARISTIÆ.

Div. Thom. Quaſt. 73.

ASSERTA veritate realis præſentiæ corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia per Tranſubſtantiationem, ad alia, quæ hoc Sacramentum ſpectant, & hanc realem præſentiam præſupponunt, progredimur. Dicemus itaque cum Auctore 1. De ipſo Sacramento ſecundum ſe & ejus inſtitutione. 2. De ejus materia. 3. De forma. 4. De effectibus. 5. De recipientibus. 6. De Miniſtris. 7. De ritu ſeu Sacrificio.

ARTICULUS I.

In quo conſiſtat Sacramentum Euchariſtiæ?

SUPPONO tanquam certum, Euchariſtiam eſſe Sacramentum: eſt enim ſignum ſenſibile practicum gratiæ ſanctificantis permanenter a Chriſto inſtitutum. Eſt ſignum ſenſibile per ſpecies panis & vini; eſt ſignum practicum gratiæ ſanctificantis. Jo. 6. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*. Eſt a Chriſto permanenter inſtitutum. Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*. Hæc autem conſtituunt Sacramentum. Hujus convenientiam hanc adfert Auctor (*Hic q. 73. a. 1. o.*) Deus non minus providet per Sacramenta in ordine gratiæ, quam per naturalia in ordine naturæ; inſtituit enim Sacramenta ad vitam ſpiritualem ſecundum quamdam proportionem & ſimilitudinem ad vitam corporalem; ſicut ergo in ordine naturæ ad vitam corporalem confert per generationem Parentum, vitæ illius perfectionem per augmentum, & conſervationem per alimenta, ſic in ordine gratiæ ad vitam ſpiritualem nos generat per Baptiſmum, perficit & roborat per Confirmationem, nutrit & conſervat per Euchariſtiam.

Id non inficiantur Lutherani & Calviniſtæ, ſi tamen Calviniſtæ dicendi ſint, agnoſcere aliquod verum Sacramentum, ſi quidem in nullo agnoſcant vim ſanctificandi, ſed tantum vim excitandi objective fidem, qua juſtificamur. Differunt inſuper a Lutheranis, quod iſti admittant præſentiam realem, Calviniſtæ vero ſpiritualem tantum. Verum quia in hoc Sacramento duo generatim conſiderari poſſunt, ſcilicet actiones tranſeuntes, quorum præcipuæ ſunt conſecratio & ſumptio; & res permanentes, quæ ſunt ſpecies panis & vini; corpus & ſanguis Chriſti: Quæſtio eſt, in quo ex his conſiſtat Sacramentum? Duplici ſenſu movetur quæſtio. 1. Utrum ſtatim poſt Conſecrationem ſit realiter præſens corpus Chriſti independenter ab uſu ſeu ſumptione, conſequenter an Sacramentum conſiſtat in re permanente & non in actione tranſeunte? Negant Lutherani & Calviniſtæ; ex quo inferunt hoſtiis reſervatis nullum cultum eſſe exhibendum. 2. Poſito quod corpus Chriſti ſit realiter præſens ſtatim poſt Conſecrationem & ante ſumptionem, quodnam ex quatuor aſſignatis, ſcilicet Conſecratione, ſumptione, ſpeciebus & corpore Chriſti habeat rationem Sacramenti; quod controvertitur inter Doctores Catholicos. Utramque difficultatem duplici §. reſolvemus.

§. I. Utrum Sacramentum Euchariſtiæ conſiſtat in re permanente, an in uſu tantum?

DICO. Sacramentum Euchariſtiæ conſiſtit in re permanente, & non in uſu vel ſumptione. Eſt de fide deciſa in Concilio Lateran. cap. *Firmiter*. Florent. in Decreto unionis & Trid. ſeſſ. 13. c. 3. & 6. & Can. 4. his verbis: *Si quis dixerit peracta Conſecratione in admirabili Euchariſtiæ Sacramento non eſſe corpus & ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſed tantum in uſu dum ſumitur, non autem ante vel poſt, & in hoſtiis ſeu particulis conſecratis, quæ poſt communionem ſervantur vel ſuperſunt, non remanere verum corpus Domini, anathema ſit.*

Prob. 1. Auctoritate & ratione, qua utitur Trid. Seſſ. 13. c. 3. cit. Tunc eſt Sacramentum Euchariſtiæ, quando eſt corpus Chriſti præſens ſub ſpeciebus panis. Atqui ante uſum ſeu ſumptionem eſt corpus Chriſti præſens ſub ſpeciebus panis. Ergo. Prob. Min. Tunc eſt corpus Chriſti præſens ſub ſpeciebus panis, quando Chriſtus dixit: *Hoc eſt Corpus meum*, alioquin dixiſſet falſum. Atqui hoc dixit Chriſtus, antequam Apoſtoli manducarent. Ergo. Prob. Min. quam negant Lutherani. 1. Chriſtus invitabat Apoſtolos ad manducandum & bibendum hoc motivo, quod cibus, quem offerebat, eſſet corpus ſuum & potus ſanguis ſuus, ut patet ex particula cauſali *enim* in forma ſanguinis apud Matth. c. 26. *Bibite ex hoc omnes: Hic eſt enim ſanguis meus*. 2. Quia ex eodem calice omnes ſucceſſive biberunt, ut patet ex his verbis Luc. 22. *Et accepto calice gratias egit & dixit; Accipite & dividite inter vos*; & Marc. 14. *Biberunt ex illo omnes*: Atqui Chriſtus non toties dixit: *Hic eſt ſanguis meus*, quoties biberunt, ſed ſemel tantum. Ergo.

Reſpondent Lutherani Chriſtum prius dediſſe cibum & potum Diſcipulis, quam diceret: *Hoc eſt corpus meum*, ex Matt. 26. *Cœnantibus autem eis, accepit Jeſus panem & benedixit, ac fregit, deditque Diſcipulis & ait: Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum*. Ergo erat tunc tantum corpus Chriſti præſens, cum comederent. Sed contra 1. N. Conſ. Eſto enim Chriſtus prius dederit Diſcipulis cibum, antequam diceret: *Hoc eſt corpus meum*, non ſequitur Diſcipulos illum manducaſſe, antequam illa proferret, imo contrarium certo conſtat, alioquin non manducaſſent corpus Chriſti, aut ibi fuiſſet ante prolationem formæ, ſicque argumentum manet in ſuo robore. 2. N. Ant. Si enim ex verbis laudatis Matthæi colligeretur Chriſtum prius dediſſe cibum manducandum, quam diceret: *Hoc eſt corpus meum*, pariter ex his Marci 14. *Et accepto calice, gratias agens dedit eis: & biberunt ex illo omnes: & ait illis: Hic eſt ſanguis meus*: concludendum foret, Chriſtum non eſſe præſentem niſi poſt manducationem, aut eſſe præſentem ante prolationem formæ, ut jam modo dicebam, quod eſt abſurdum, & non admittunt Lutherani. Fateantur ergo non ex ſerie, ſed ex ſenſu verborum colligendum eſſe, quid Chriſtus prius aut poſterius fecerit; ſenſus autem verborum aperte exigit ipſum prius dixiſſe *hoc eſt corpus meum*, quam porrigeret Diſcipulis manducandum, ut conſtat ex probatione.

Reſpondent & fatentur Calviniſtæ, equidem Chriſtum hæc verba protuliſſe, antequam daret manducandum, at dicunt non eſſe abſoluta, ſed hypothetica & promiſſoria, ſcilicet *Hoc eſt corpus meum*; ſi manducabitis. Sed contra. Nemo non videt hanc interpretationem eſſe prorſus fictam & mere ad effugiendum excogitatam, contortam & textui manifeſte vim inferentem. Non enim dixit Chriſtus: *Hoc erit corpus meum, ſi, &c.* ſicut debuiſſet dicere, ſi locutus fuiſſet hypothetice & promiſſorie, ſed dixit abſolute: *Hoc eſt corpus meum*.

Prob. 2. ex perantiqua praxi Eccleſiæ, Euchariſtiam ſive domi ſive in templis aſſervantis, adorantis, & ad infirmos ac alios abſentes deferentis. Hujus praxis teſtes ſunt Juſtinus Martyr Apolog. 2. ubi dicit Euchariſtiam per Diaconos *ad abſentes perferri*. S. Irenæus Ep. ad Victorem Papam apud Euſeb. l. 5. Hiſt. c. 24. dicit Euchariſtiam *tranſmitti ad alios* in ſignum pacis. Tertul. l. 2. ad uxorem c. 5. hortatur illam, ne poſt obitum ſuum ducat infidelem, & inter alias rationes hanc profert: *Non ſciet*, inquit, *Maritus, quod ſecreto ante omnem cibum guſtes: & ſi ſciverit, panem non illum eſſe credet qui dicitur*, id eſt corpus Chriſti. S. Cyprianus ſerm. de lapſis narrat, quod cum mulier tempore perſecutionis lapſa, *arcam ſuam, in qua ſanctum Domini fuerat, manibus indignis tentaſſet aperire, igne inde ſurgente deterrita eſt*. Dyonyſius Alexand. Ep. ad Fabium Antiochenum apud Euſeb. l. 6. c. 36. ſcribit Sacerdotem ex infirmitate incedere non valentem, *puero Euchariſtiæ exiguam partem dediſſe, præcipiendo, ut eam madefactam in os ſenis Serapionis infunderet*. S. Baſilius Ep. 28. ad Cæſaream Patriciam refert tempore perſecutionis fideles in cryptis latitantes aſportare ſecum Euchariſtiam, quam premente periculo ſumebant, & ut hunc morem propugnet, addit *eos omnes, qui per eremum vitam monaſticam inſtituunt, ubi copia Sacerdotis non competit, eum habeant Domini communionem, de ſuis manibus illam percipere*. Concilium Nicænum I. Can. 13. poſtquam dixit lapſis dandam eſſe communionem in extra, addit: *In ſumma autem de quolibet excedente & Euchariſtiæ participationem petente, cum examinatione oblationem impertiat*. S. Ambroſius in Oratione funebri pro fratre ſuo Satyro narrat illum fracta navi petiiſſe Dominicum Sacramentum, & in Orario ligari feciſſe, moxque in mare ſe projeciſſe, unde favente Deo evaſit incolumis. S. Chryſoſt. Ep. ad Innoc. Papam de militibus ab Imperatore miſſis, ut ipſam trucidarent, ſic ſcribit: *Locum, in quo ſancta condita ſervabantur, ingreſſi ſunt milites, quorum aliquos ſcimus nullis initiatos myſteriis, & viderunt omnia, quæ intus erant; quin & teſtes ſumus, quod Chriſti ſanguis, ſicut in tali tumultu contingit, in prædictorum militum veſtes effuſus eſt*. S. Cyrill. Alex. Ep. ad Caloſyrium: *Aliquos eſſe audio*, inquit, *qui myſticam Eu-*

logiam

Digitized by Google

legiant nihil ad ſanctificationem juvare dicant, ſi quid ex eo fiat reliqui in alium diem. Inſaniant vero, qui hæc aſſerunt. Neque enim alteratur Chriſtus, neque ſanctum corpus ejus immutatur, ſed benedictionis vis ac facultas & vivificans gratia perpetua in illo ſubſiſtit. Hieron. Ep. 4. ad Ruſticum laudat Exuperium Epiſcopum Toloſanum, qui ob voluntariam paupertatem corpus Chriſti in Caniſtro portare cogebatur: *Nihil*, inquit, *illo ditius, qui corpus Domini caniſtro vimineo, ſanguinem portat in vitro.* Item hujus praxis teſtes ſunt columbæ & turres aureæ vel argenteæ in templis ſuſpenſæ, in quibus ſervabatur corpus Chriſti, quarum meminerunt Amphilochius in vita S. Baſilii, Greg. Turonenſ. l. 1. de gloria Martyrum c. 86. Concil. Conſtantinop. ſub Menna an. 536. Turonenſ. 2. an. 567. &c.

Tot teſtibus & pluribus aliis, quos, ne longior ſim, omitto, victus Calvinus lib. 4. inſtitut. c. 17. §. 39. *Qui ſic faciunt*, inquit, id eſt qui ſervant Euchariſtiam, *habent, fateor, veteris Eccleſiæ exemplum. Verum in re tanta, & in qua non ſine periculo erratur, nihil tutius quam veritatem ſequi.* Inſolens Reſponſum! Quaſi vero non foret tutum & tutiſſimum veteris Eccleſiæ ab Apoſtolis & Patribus formatæ veſtigia premere, quam heſterni Novatorientis ſomnia ſequi. Si ita ſit, concuſſa ſemel veritatis columna, nihil eſt, quod cuicumque profanæ novitati opponi poſſit, noſque omni vento Doctrinæ circumferri neceſſum eſt. Mos autem privatim ſervandi Euchariſtiam omne in univerſa Eccleſia propter varios abuſus abrogatus eſt. Quidem arbitrantur abrogatum fuiſſe a Synodo Cæſaraugustana anno 381. Alii volunt hujus Synodi prohibitionem ſpectare tantum Priſcillianiſtas, & hunc morem in pluribus Eccleſiis adhuc viguiſſe ſæculis ſequentibus uſque ad 12. ex variis monumentis, quæ citantur apud Honorat. Tournely hic q. 4. a. 2.

Prob. 3. rationibus Theologicis. 1. Euchariſtia eſt Sacramentum inſtitutum per modum cibi ſpiritualis animæ. Ergo ſicut cibus corporalis, licet ad uſum ſit ordinatus, eſt quid permanens, habetque vim completam nutriendi ante ſumptionem, ſumptio autem eſt tantum conditio requiſita ut de facto nutriat; ita Euchariſtia licet ordinata ad uſum eſt quid permanens, habetque ante ſumptionem vim completam nutriendi ſpiritualiter animam, & ejus ſumptio eſt tamen conditio requiſita, ut de facto nutriat. Confir. Res ordinata ad uſum non eſt ipſe uſus, ſic panis non eſt comeſtio, potentia videndi non eſt viſio. Ergo ſimiliter. 2. Verba conſecratoria efficiunt, quod ſignificant. Atqui pronuntiantur a Sacerdote ante uſum, & ſignificant eſſe corpus Chriſti, Ergo ante uſum efficiunt corpus Chriſti & Sacramentum. 3. Si uſus ſit de eſſentia Sacramenti, ſequitur, quod recipientes conficiant Sacramentum non minus quam Miniſtri, manducatio enim tota ſe tenet ex parte recipientium. Abſurdum Conſequens. Ergo.

Solvuntur Objectiones.

OBJ. 1. Conſtat ex pluribus antiquis monumentis nihil olim reſervatum fuiſſe de Euchariſtia, ſed id, quod poſt communionem publicam reſtabat, vel conſumi a Clericis, vel comburi, vel tradi pueris innocentibus, 1. Clemens Romanus Ep. 2. ad Jacobum Fratrem Domini relata de conſec. d. 2. c. 23. *Tanta*, inquit, *in Altario holocauſta offerantur, quanta populo ſufficere debeant; quod ſi remanſerint, in craſtinum non reſerventur, ſed cum timore ac tremore Clericorum diligentia conſumantur.* Similiter Heſychius l. 2. in Levit. Nicephorus l. 17. c. 25. & c. 2. Origenes hom. 5. in Levit. dicit, quod panem, quem Chriſtus dedit Diſcipulis, *non diſtulit, nec ſervari juſſit in craſtinum.* 3. S. Cyprianus l. de Cœna Dom. dicit: *Panis iſte recipitur, non includitur.* 4. Venerab. Beda l. 4. Euchariſticæ hiſtoriæ c. 14. refert Apoſtolus apparuiſſe puero ægrotanti, eique dixiſſe, ut expectaret, donec Miſſa celebraretur, ac viatico corporis Domini reficeretur. 5. Concil. Cæſaraug. an. 381. & Toletanum 1. an. 400. prohibent ſervari particulas Euchariſtiæ, R. 1. hanc objectionem non impetere directe Concluſionem noſtram, ſed tantum ſecundam probationem petitam ex praxi Eccleſiæ, quæ etſi invalida foret, ſtaret nihilominus probatio ex aliis capitibus. Sed & hæc objectio magis nocet, quam faveat Hæreticis. Ut quid enim tanta cura circa particulas reſiduas poſt communionem publicam, ut vel cum timore & tremore conſummarentur, vel comburerentur, vel traderentur pueris innocentibus, ſi non ſint Sacramentum, nec corpus Chriſti contineant? Item qua fronte Hæretici objiciunt nobis teſtimonia, quibus probatur contra ipſos Sacrificium altaris, Miſſa & Viaticum? R. 2. Teſtimonia, quæ pro praxi Eccleſiæ protulimus, apertiora ſunt & expreſſiora, quam ut his, quæ opponuntur, poſſint infringi; idque eſt mirandum & culpandum in Calviniſtis, quod Principem ſuum Calvinum hac in parte oſcitantiæ arguant, ſeque ipſo oculatiores jactent. Fatetur enim Calvinus, ut vidimus, eos, qui ſervant Euchariſtiam, habere *veteris Eccleſiæ exemplum*. Itaque ad ſingula deſcendamus.

Ad primum, 1. Epiſtola Clementis cum aliis Decretalibus veterum Pontificum ſuppoſititia nunc ab eruditis reputatur. Vide Digreſſ. 2. ad 1. Diſſ. Tractatus noſtri de Jure & Juſtitia. 2. Dato eſſe genuinam, in eadem legitur: *Reliquias fragmentorum corporis Domini cuſtodire debent, ne qua putredo inveniatur in ſacrario, ne cum id negligenter agitur, corpori Domini gravis injuria inferatur.* Senſus ergo verborum in objectione non eſt, quod nihil omnino de Euchariſtia reſervetur, ſed nihil poſt ſepoſitas particulas, quæ pro Infirmis reſervabantur. Idem eſt ſenſus Heſychii & Nicephori. Inſuper obſervandum eſt, quod dum apud aliquos Patres aut quædam Concilia legitur præſcriptum reliquias Euchariſtiæ eſſe comburendas, vel pueris tradendas, aut a Clericis conſumendas, aliquando intelligant reliquias, quæ jam aliquandiu ſervabantur, quas jubent renovari, & alias recenter conſecratas ſubſtitui, ne quid putredinis aut indecori obveniat; vel etiam quandoque intelligunt minutiores particulas, quæ decenter ſervari non poſſunt.

Ad 2. N. Conſeq. Quamvis enim Chriſtus non juſſerit ſervari Euchariſtiam in craſtinum, ut dicit Origenes, quia id sane non conveniebat imminente cruento proprii corporis Sacrificio, non ſequitur id non poſſe fieri, nec dixit Origenes: plura enim, quæ non fecit, nec juſſit Chriſtus, Eccleſiæ ſuæ prudentiæ determinanda reliquit. Aliunde nihil illic intendit Origenes, quam quod Sacrificium laudis debeat eſſe recens & ſpirituale, ad quod probandum utitur exemplo tum Chriſti, qui panem conſecratum ſtatim diſtribuit Diſcipulis, tum præcepti Apoſtolis impoſiti, ne panes portarent in via, tum damnationis Gabaonitarum, qui panes veteres ad Iſraelitas detulerant. Numquid forte Origenes contendit non licere nunc portare panes in via, aut veteribus uti? Minime; ſed adhibat hæc exempla, quatenus ejus intentum aliquo modo adjuvant.

Ad tertium. 1. Hoc opus non eſt Cypriani, ſed Arnoldi Brixienſis, 2. Senſus hujus Auctoris non eſt, quod Euchariſtia non poſſit includi in vaſis, ſed quod non ita in recipiente includatur, quin aliis poſſit communicari. Patet ex contextu: *Æque*, inquit, *omnibus portio datur, integer erogatur, diſtribuitur, non demembratur, incorporatur, non injuriatur, recipitur, non includitur; cum infirmis habitans non firmatur*, Ad Quartum. Quidam reſpondent Bedam loqui de Monaſteriis, in cujus ſacello Euchariſtia non ſervabatur. Sed quidquid ſit, ex hoc facto non ſequitur non ſervari Euchariſtiam, ſed dumtaxat Apoſtolos monuiſſe hunc puerum, ut expectaret tempus Sacrificii, quo cum majori devotione & fructu viaticum reciperet. Ad quintum. Synodi Cæſaraugaſtana & Toletana non prohibent aſſervari Euchariſtiam, ſed jubent Fidelibus ut in Eccleſia communicent, & ut non aſportent ſecum Euchariſtiam, ut quandoque fieri ſolebat, idque, ut quidam volunt, ſpectabat tantum Priſcillianiſtas, qui ut Catholici apparerent, ſumebant manibus Euchariſtiam, poſtea illam ſacrilege abjiciebant, idque colligunt ex Concilio Tolet. II. an. 675. can. 11.

Obj. 3. Omnia alia Sacramenta conſiſtunt in uſu. Ergo & Sacramentum Euchariſtiæ. R. N. Conſeq. 1. Quia Sacramenta ex voluntate Chriſti Inſtituentis inter ſe ſpecie differunt; unde non eſt mirum aliquid uni convenire, quod alii non convenit; imo ſic eſſe neceſſum eſt, neque in his, quæ ſunt juris poſitivi, ab uno ad aliud valet argumentum. 2. Omnes aliorum Sacramentorum formæ actionem tranſeuntem eſſentialiter important, ut te baptiso, te confirmo, te abſolvo, &c. Forma autem Euchariſtiæ non importat actionem, ſed quid permanens, *Hoc eſt corpus meum*. Et quamvis hoc dicatur in ordine ad actionem, eſum ſcilicet, cibus tamen eſt aliquid permanens; & comeſtio eſt tantum conditio requiſita, ut de facto nutriat. 3. Alia Sacramenta conſiſtunt in applicatione formæ & materiæ ad ſubjectum, quod inſtrumentaliter ſanctificant; Sacramentum autem Euchariſtiæ conſiſtit in applicatione formæ ad materiam, quam conſecrat; (*Hic q. 73. a. 1. c.*) unde continet in ſe aliquid ſacrum abſolute, ſcilicet corpus Chriſti, quod tale eſt independenter ab hominis ſanctificatione. Cætera vero Sacramenta continent aliquid ſacrum in ordine ad aliud, ſcilicet virtutem ad ſanctificandum.

Inſt. Chriſtus hoc Sacramentum inſtituit, ut manducetur a Fidelibus. Ergo extra manducationem inutiliter exiſtit, R. N. Conſeq. Perinde eſt enim ac ſi argueres: Panis factus eſt, ut manducetur; ergo inutiliter exiſtit extra manducationem: quaſi vero non debeat exiſtere priuſquam manducetur. Itaque, ut jam ſæpe dictum eſt, Euchariſtia eſt inſtituta, ut manducetur, ita quod manducatio ſit conditio requiſita, ut de facto nutriat, non

au-

Digitized by Google

autem quod ſit illius conſtitutiva, cum cibus ſit cibus, antequam comedatur.

CONSECTARIA.

De Adoratione Chriſti in Euchariſtia.

LUTHERUS L. ad VValdenſes adorationem Chriſti in Euchariſtia liberam permittit, Melanchthon in Apolog. tit. de Cœna Dom. illam in uſu tantum permittit. Lutherani poſteriores & Calviniſtæ, neque in uſu, neque extra uſum illam permittunt, voluntque illam eſſe maram idololatriam. Contra quos ex dictis colliges 1. Euchariſtiam eſſe palam a Fidelibus adorandam. Si enim Chriſtus homo Deus ſit permanenter præſens in Euchariſtia, communiſſimus Religionis ſenſus & ratio naturalis indicant & jubent cultum latriæ illi eſſe exhibendum, ſicut exhibebatur, dum inter homines converſabatur, atque exhiberetur, ſi viſibilis in terris nunc appareret. Ita decrevit Trid. ſeſſ. 13. c. 5. his verbis: *Nullus itaque dubitandi locus relinquitur, quin omnes Chriſti Fideles pro more in Eccleſia Catholica ſemper recepto, Latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic ſanctiſſimo Sacramento in veneratione exhibeant. Neque enim ideo minus eſt adorandum, quod fuerit a Chriſto Domino, ut ſumatur, inſtitutum; nam illum eum Deum præſentem in eo adeſſe credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei; quem Magi procidentes adoraverunt, quemque denique in Galilæa ab Apoſtolis adoratum fuiſſe Scriptura teſtatur.* Hunc morem & praxim antiquam Eccleſiæ teſtantur SS. Patres. S. Cyrillus Jeroſol. Catecheſi 5. Myſtag. dicit eum, qui accepturus eſt Euchariſtiam, debere accedere *Pronum adorationis in modum*. Ambroſ. l. 3. de Spiritu S. c. 12. *Itaque*, inquit, *per ſcabellum terra intelligitur, per terram autem caro Chriſti, quam hodie quoque in Myſteriis adoramus*. Chryſoſt. hom. 24. in 1. Cor. *Hoc corpus in præſepi reveriti ſunt Magi ... imitemur ſaltem barbaros, nos qui cœlorum cives ſumus ... Tu vero non in præſepi, ſed in altari ... vides.* Et hom. in Ep. ad Epheſ. *Adora & communica.* Aug. in Pſ. 98. *Nemo illam carnem manducat, niſi prius adoraverit.*

Objiciunt 1. Hæretici. Chriſtus inſtituit hoc Sacramentum, ut ſumatur, non ut adoretur. Reſpondet Trid. cit. quod quamvis ſit inſtitutum, ut ſumatur, ſit nihilominus adorandum, quia eſt idem ille homo Deus, quem Angeli, Magi & Apoſtoli adoraverunt.

Reponunt. Non eſt præceptum adorandi, ſed manducandi. R. Non requiri ſpeciale præceptum adorandi, hoc ipſo, quod conſtat eſſe ibi hominem Deum præſentem, quia hanc adorationem judicant & jubent Religio & ratio, ut dictum eſt. Abſque ſpeciali præcepto, ſolo Religionis & rationis ductu ipſum adoravere Magi in præſepi, Cæcus in Templo, Cananæa in via, Nautæ in navi, Apoſtoli in Galilæa.

Urgent. Euchariſtia inſtituta eſt per modum convivii, & ſic aliquando celebrata fuit, ut convivæ ſederent, & ſedentes ſumerent ac manducarent. Eſto: quid inde? Reſtat probandum Hæreticis convivas priuſquam ſederent, aut dum ſederent, non adoraſſe, quod nunquam evincent.

Objiciunt 2. Adoratio Chriſti in Euchariſtia non fuit in uſu primis Eccleſiæ ſæculis. Ergo. Prob. Ant. 1. Si adoratio Euchariſtiæ fuiſſet in uſu primis Eccleſiæ ſæculis, eam SS. Patres oppoſuiſſent Arianis et contra ipſos probarent divinitatem Chriſti. Atqui non oppoſuerunt. Ergo. Prob. 2. idem Ant. Si adoratio Chriſti fuiſſet in uſu primis Eccleſiæ ſæculis, Ethnici inde arripuiſſent anſam defendendi cultum Idolorum retorquendo in Chriſtianos, quæ Chriſtiani ipſis objiciabant. Objiciebant Chriſtiani Ethnicis eorum Deos in ligno & metallo concludi, eos ligna & lapides aut opera hominum, quæ habent aures & non audiunt, oculos & non vident, adorare, aliqua Conſecratione numina ſimulacris adeſſe, Deos, quos colunt, poſſe frangi, cremari, putreſieri. Hæc, inquam, Ethnici potuiſſent in Chriſtianos retorquere, nimirum eos pariter Deum ſuum in terrena ſubſtantia concludere, panem & vinum atque opus hominum colere, Deum illorum conſecratione pani & vino adeſſe, eumque poſſe frangi, cremari, &c. Ergo. R. N. Ant. Ad 1. Probat. N. Maj. Ideo enim SS. Patres hanc adorationem Arianis non oppoſuerunt, quia ipſimet Ariani Chriſtum eſſe adorandum dicebant, licet ipſum Deum non agnoſcerent, & ideo Idololatriæ inculpantur a SS. Patribus Aug. l. cont. Maximum, Athanaſio orat. 1. contra Arianos, & Ambroſio l. 1. de fide c. 7. ubi dicit: *Aut igitur deſinant colere, quem creaturam appellant, aut deſinant, quem colere ſe ſimulant, dicere creaturam.* Ad 2. Probat. R. 1. Hæc non adhibita fuiſſe ab Ethnicis contra adorationem Verbi Incarnati, ut pariter ſuorum Idolorum cultum defenderent, ut conſtat ex Origene l. 4. cont. Celſum. Et revera pari quin imo majori ſimilitudine militant contra adorationem Verbi Incarnati, quam Chriſti in Euchariſtia præſentis, ut conſideranti patet. Unde ex hoc argumento, ſi valeret, ſequeretur Chriſtum, ſive in terris degentem, ſive nunc in cœlis regnantem non fuiſſe, nec eſſe adorandum, quod non admittunt Hæretici. R. 2. Abſolutam ac immenſam eſſe diſparitatem inter adorationem Chriſti in Euchariſtia & cultum Idolorum. 1. Ex parte objecti. Dii Gentium erant falſi Dii & homines peccatores: Chriſtus eſt verus Deus. 2. Ex parte circumſtantiarum. Ethnici exiſtimabant ſua ſimulacra eſſe vel corpora ſuorum Deorum animata, quibus ideo divinos honores deferebant, ſicque ligna, lapides & opera hominum colebant: ex Aug. l. 8. de civit. c. 23. & Arnobio l. 6. vel ſedes ſuorum Deorum, ad quas incantationibus magicis aut humano imperio ac virtute cœlum deſerentes deſcendebant, & in quibus ſic concludebantur atque alligabantur, ut recedere pro libitu non poſſent. Ex eodem Arnobio cit. & Euſebio l. 5. de præpar. Evang. Vel denique exiſtimabant ſuos Deos eſſe partes ac virtutes ſeu quaſi membra magni Dei ſcilicet Jovis, quem Mundi animam eſſe putabant: ex Aug. l. 4. de Civit. c. 11. At vero ſpecies Euchariſticæ non ſunt corpus Chriſti, neque virtute magica aut humana, ſed divina illis adeſt, non alligatus aut coarctatus, divinitas enim ejus eſt ubique, corpus eſt in cœlo & in omnibus aliis Hoſtiis conſecratis, & quamvis ſpecies poſſint frangi, comburi, &c. non tamen divinitas, neque corpus Chriſti, quod ibi eſt ad modum ſpirituum impaſſibile & incorruptibile.

Inſt. Chriſtiani adorant ſpecies. Atqui ſpecies ſunt quid creatum. Ergo. R. Secundum plures Theologos ſolum Chriſtum & non ſpecies adorari. Communior tamen opinio eſt eas adorari cum Chriſto per modum unius, non tanquam objectum motivum, ſed terminativum tantum adorationis; ſicut humanitas Chriſti unita divinitati adoratur ratione divinitatis conjunctæ. Quod ſi ſpecies conſiderarentur ſine conjunctione ad Chriſtum, ſed præciſe ut ſunt Sacramentum inſtitutum ad noſtram ſanctificationem, non deberent coli latria, ſed aliquo cultu inferiori, ut quædam res ſacræ, ſicut alia Sacramenta.

Colliges 2. Convenienter ac religioſe inſtitutum eſſe in Eccleſia Feſtum corporis Chriſti, illudque in ſupplicationibus circumgeſtari. Sequitur pariter ex dictis. Si enim corpus Chriſti ſit permanenter præſens in Euchariſtia, nihil magis congruum ac religioſum eſt, in augmentum ejus cultus ac in tanti beneficii memoriam, quam ut ſpeciali Feſto colatur, atque ſolemniter veluti triumpho publice circumferatur. Ita Concil. Trid. c. 5. cit. his verbis: *Declarat præterea ſancta Synodus pie ac religioſe admodum in Dei Eccleſia inductum fuiſſe hunc morem, ut ſingulis annis peculiari quodam & Feſto die, præcelſum hoc & venerabile Sacramentum ſingulari veneratione ac ſolemnitate celebraretur, atque in Proceſſionibus reverenter & honorifice illud per vias & loca publica circumferretur. Æquiſſimum eſt enim ſacros aliquos ſtatutos eſſe dies, cum Chriſtiani omnes, ſingulari ac rara quadam ſignificatione, gratos & memores teſtentur animos erga communem Dominum & Redemptorem, pro tam ineffabili & plane divino beneficio, quo mortis ejus victoria & triumphus repræſentatur. Atque ſic quidem oportuit victricem veritatem de mendacio & hæreſi triumphum agere; ut ejus adverſarii in conſpectu tanti ſplendoris & in tanta univerſæ Eccleſiæ lætitia poſiti, vel debilitati & fracti tabeſcant, vel pudore affecti & confuſi aliquando reſipiſcant.*

De Origine ac inſtitutione hujus Feſti, necnon de Auctore illius Officii, dicam infra in Digreſſione hiſtorica.

§. II. *Quid habeat propriam rationem Sacramenti in Euchariſtia.*

QUÆSTIO eſt, ut dixi, de conſecratione, ſumptione; ſpeciebus conſecratis & corpore Chriſti. Quidam ergo rationem & eſſentiam Sacramenti reponunt in Conſecratione; quidam in ſumptione, quidam in ſpeciebus conſecratis, quidam in ipſo corpore Chriſti, quidam in corpore & ſpeciebus ſimul.

Dico. Species conſecratæ, ut continentes corpus & ſanguinem Chriſti, conſtituunt totam eſſentiam Sacramenti Euchariſtiæ. Eſt communior inter Thomiſtas, quibus adhærent plures extranei. Obſervandum tamen alia aſſignata, ſcilicet conſecrationem, corpus Chriſti, & ſumptionem non ſe habere mere accidentaliter ad rationem Sacramenti, ſed eſſe eſſentialiter connotata extrinſeca; ſpecies enim conſecratæ dicunt eſſentialiter ordinem ad conſecrationem ſeu prolationem verborum tanquam ad cauſam efficientem, imo & formalem, quatenus per verba ſunt determinatæ ad ſignificandum & continendum corpus Chriſti. Quo ultimo ſenſu poteſt dici verba ut virtualiter moraliter permanentia pertinere etiam ad eſſentiam Sa-

Sacramenti; & ita intelligimus per ſpecies formaliter ut conſecratas. Item dicunt eſſentialem ordinem ad corpus Chriſti, ut ad ſignificatum & contentum, & tandem ad uſum, ſicut cibus ad manducationem, qua de facto nutriunt. Dicimus tamen, quod nullum ex his conſtituat eſſentiam Sacramenti, niſi, ut obſervavi, forma ut moraliter virtualiter perſeverans in determinatione ſpecierum ad ſignificandum & continendum corpus Chriſti, ſed id, ut etiam dixi, intelligitur per ſpecies formaliter ut conſecratas. Hac obſervatione præmiſſa, quæ ſolutionibus argumentorum viam aperit,

Prob. Concluſio: 1. Impugnando alias Sententias. 1. Conſecratio non conſtituit intrinſece eſſentiam Sacramenti; quia vel ſumitur pro actione converſiva panis in corpus Chriſti, & ſic eſt quid inſenſibile & tranſiens, conſequenter neque Sacramentum, quod eſt ſignum ſenſibile, neque Sacramentum Euchariſtiæ, quod eſt res permanens. Inſuper quod efficit cibum, non eſt cibus; Euchariſtia autem eſt cibus. Item non eſt immediate ſignum practicum gratiæ, ſed tantum materiæ conſecrativum. Vel ſumitur conſecratio pro prolatione verborum, & ſic poteſt conſiderari dupliciter: 1. Ut eſt inſtrumentum miniſtri, & ſic pertinet ad cauſam efficientem, eſtque, ut ante, actio tranſiens & efficiens cibum, ideoque non cibus ipſe permanens, neque immediate ſignificans & cauſans gratiam, ſed tantum conſecrans materiam. 2. Poteſt conſiderari prolatio verborum ut forma determinans materiam, ſcilicet ſpecies panis ad ſignificationem & continentiam corporis Chriſti, & cum iſta determinatio moraliter permaneat, ſicut ſignificatio ſemel impoſita alicui voci ſemper virtualiter moraliter remanet, hoc ſenſu poteſt dici, quod verba ſacramentalia ingrediantur eſſentiam Sacramenti ut forma; id quidem non appoſui in Concluſione; quia, ut dixi, intelligitur per ſpecies formaliter ut conſecratas.

2. Corpus Chriſti non conſtituit eſſentialiter Sacramentum: 1. Quia non eſt per ſe ſenſibile: 2. & præcipue, quia non eſt Sacramentum tantum, de quo loquimur, ſed res & Sacramentum, conſequenter effectus Sacramenti; effectus autem Sacramenti ſupponit Sacramentum conſtitutum, non conſtituit. Confir. 1. Sacramentum Baptiſmi non conſiſtit eſſentialiter in charactere, neque ſimul in charactere & ablutione, quia character eſt res & Sacramentum, ideoque effectus Sacramenti jam conſtituti per ablutionem ſub præſcripta verborum forma. Ergo ſimiliter. Confirm. 2. Euchariſtia dicitur paſſim a SS. Patribus & communiter Sacramentum corporis Chriſti. Atqui corpus Chriſti non poteſt dici Sacramentum corporis Chriſti. Ergo. 3. Sumptio non conſtituit Sacramentum: tum quia prolatis verbis ſacramentalibus eſt Sacramentum ante ſumptionem: tum quia cibus ſupponitur antequam comedatur: tum quia ſolus Sacerdos eſt conficiens Sacramentum & non ipſe ſolus ſumit. Hæc fuſius §. præced. Reſtat igitur ſolas ſpecies ut conſecratas conſtituere eſſentiam Sacramenti.

Prob. 2. Sacramentum eſt ſignum ſenſibile practicum gratiæ. Atqui ſpecies ſunt ſenſibiles, gratiam cibantem ſignificant & cauſant inſtrumentaliter. Ergo. Significant etiam corpus Chriſti præſens, licet non cauſent; non enim eſt neceſſe, quod Sacramenta cauſent omnia, quod ſignificant; ſignificant quippe omnia Paſſionis Chriſti myſteria, quæ tamen non cauſant. Huic Sententiæ favet S. Th. hic q. 73. a. 6. o. Ubi dicit, *quod in hoc Sacramento tria conſiderare poſſumus, ſcilicet id, quod eſt Sacramentum tantum, quod eſt panis & vinum*: id eſt ſpecies panis & vini. Illam aperte tradit Catech. Rom. p. 2. tit. de Euchar. num. 8. his verbis: *Diligenter obſervandum eſt, multa in hoc myſterio eſſe, quibus aliquando Sacramenti nomen ſacri Scriptores tribuerunt. Interdum enim & conſecratio & perceptio; frequenter vero & ipſum Domini corpus & ſanguis, qui in Euchariſtia continetur, Sacramentum vocari conſuevit; inquit enim Aug. Sacramentum hoc duobus conſtare, viſibili ſcilicet elementorum ſpecie, & inviſibili carne & ſanguine ipſius Domini noſtri Jeſu Chriſti: atque eundem modum hoc Sacramentum adorandum eſſe, nimirum corpus & ſanguinem Domini intelligentes, affirmamus. Verum hæc omnia minus proprie dici Sacramenta perſpicuum eſt: ipſæ autem panis & vini ſpecies veram & abſolutam hujus nominis rationem habent.*

Solvuntur Objectiones.

OBj. cum Sylvio. S. Th. in 4. d. 8. q. 1. a. 1. quæſtiunc. 1. ad 2. dicit: *Ex ſpeciebus & corpore Chriſti fit unum Sacramentum*. Irenæus l. 4. c. 34. dicit: *Euchariſtiam duabus rebus conſtare, terrena & cæleſti*. In cap. *Hoc eſt* de Conſecrat. d. 2. dicitur: *Sacrificium Eccleſiæ duobus conſtare, ſcilicet viſibili elementorum ſpecie & inviſibili Domini Jeſu carne*. Item hoc Sacramentum adoratur latria; dicitur corpus Chriſti, panis vivus, panis Angelicus, cibus animæ, excellentiſſimum omnium Sacramentorum. Hæc autem omnia non conveniunt ſolis ſpeciebus, ſed corpori Chriſti, vel corporis Chriſti ſimul cum ſpeciebus. Ergo. R. Has omnes locutiones verificari abſque eo quod corpus Chriſti ſit pars eſſentialis & intrinſece componens hoc Sacramentum; ad id enim ſufficit, quod ſit eſſentialiter extrinſece connotatum ut contentum & ſignificatum: cum ergo SS. Patres & S. Th. dicunt, hoc Sacramentum conſtare ex ſpeciebus & corpore Chriſti, quidem conſtat ex utroque, ſed non eodem modo, ſpeciebus in recto & et intrinſece conſtituentibus, corpore Chriſti et in obliquo & eſſentialiter connotato, eo modo quo objectum pertinet ad ſpecificationem potentiæ, & ſignatum ad ſpeciem ſigni. Similiter hoc Sacramentum dicitur corpus Chriſti, panis vivus, & accipiendo contentum pro continente, ſignatum pro ſigno, ſicut ſi oſtenſo dolio dicimus, hoc eſt vinum. Item adoratur latria ratione rei contentæ, quæ conjuncta eſt ſpeciebus quaſi ſub velaminibus per modum unius; ſicut Verbum Incarnatum adoratur cum humanitate, non ſeparando humanitatem a Divinitate, licet tota ratio adorandi ſit Divinitas, ut dicitur in Tract. de Incarn. Sicut enim Rex veſtitus honoratur cum veſte, non ſeparando veſtem a Rege, licet tota ratio honorandi ſit in Rege: ſic, inquam, totum hoc Sacramentum adoratur per modum unius, licet tota ratio adorandi ſit ipſa res contenta.

Obj. 2. Contritio interior eſt inſenſibilis: item eſt res & Sacramentum, & tamen his non obſtantibus eſt pars eſſentialis conſtitutiva Sacramenti Pœnitentiæ. Ergo invalidæ ſunt rationes, quibus excludimus corpus Chriſti a ratione Sacramenti. R. 1. quod licet contritio interior non ſit per ſe ſenſibilis Sacerdoti, eſt tamen per ſe ſenſibilis Pœnitenti, qui illam actu experitur. In Sacramento autem, cujus materia ſunt actus pœnitentis, ſufficit, quod id, quod dicitur pars Sacramenti, ſit alicui ſenſibilis, quamvis Sacramenta, quorum tota materia exterius exhibetur, eam eſſe abſolute ſenſibilem requirant. Ita Contenſon. Ad 2. D. Maj. Contritio interior per confeſſionem doloroſam ſenſibilis, ut concipitur nondum forma per gratiam, eſt res & Sacramentum, N. Sic enim eſt Sacramentum tantum; ut concipitur forma per gratiam, C. Ad hunc ſenſum D. M. Contritio interior informis eſt pars eſſentialis Sacramenti Pœnitentiæ, C. ut formata per gratiam, N. ſic enim eſt effectus Sacramenti. Similis autem diſtinctio non cadit in corpus Chriſti.

Inſt. Quamvis corpus Chriſti ſit res & Sacramentum, id non impedit, quin ſit pars eſſentialis Sacramenti. Ergo. Prob. Ant. Illi termini, *Sacramentum tantum, res & Sacramentum ſimul, res tantum* non adhibentur ad diſtinguenda eſſentialia Sacramentorum a non eſſentialibus; ſed ad diſtinguenda omnia, quæ ſunt in Sacramentis, ſive ſint eſſentialia ſive non. Ergo. Prob. Ant. Quando quæritur, quid ſit Sacramentum tantum? Non reſpondetur, quod ſit ſignum practicum gratiæ, quod neceſſario reſpondendum foret, ſi Sacramentum ibi ſumeretur pro illa re, quæ totam materiam Sacramenti deſignaret, ſed dicitur, quod ſit illud, quod ſignificat tantum & non ſignificatur, ſive illud quod ſignificat, ſit gratia, ſive aliquid aliud, ut in præſenti caſu. Ergo. R. N. Ant. Ad Prob. N. Ant. Ad Prob. D. Ant. Quando quæritur, quid ſit Sacramentum tantum, non reſpondetur, quod ſit ſignum practicum gratiæ explicite, C. Implicite, N. Quando enim reſpondetur, quod ſit, id quod ſignificat & non ſignificatur, intelligitur per id, quod ſignificat, ipſa gratia, alioquin non intelligeretur Sacramentum. Poteſt quidem cum gratia aliquid aliud ſignificare, ut in præſenti caſu ſignificat gratiam & corpus Chriſti, in Baptiſmate gratiam & characterem. Sed ſi non intelligatur etiam gratia, non erit, ut dixi, Sacramentum, ſaltem eo ſenſu, quo hic loquimur de Sacramentis. Similiter quando reſpondetur, quod id, quod eſt res & Sacramentum, ſit id, quod ſignificat & ſignificatur, intelligitur ſignificatum, quod ſit effectus ſeu res Sacramenti, id eſt res ſignificata per Sacramentum, conſequenter quod ſupponat Sacramentum conſtitutum; ipſum autem non conſtituat.

Ex dictis colliges nos ſupra recte definiviſſe Euchariſtiam. 1. Phyſice, quod ſit *Species panis & vini conſecrata ſub præſcripta verborum forma continentes corpus & ſanguinem Chriſti ad cauſandam gratiam cibantem*. 2. Metaphyſice, *Sacramentum corporis & ſanguinis Domini ad ſpiritualem animæ refectionem*.

ARTICULUS II.

Utrum Sacramentum Euchariſtiæ ſit unum vel plura?

QUæſtio eſt de unitate & pluralitate, tam ſpecifica; quam numerica, non in genere phyſico. Certum eſt enim, quod ſpecies panis differant ſpecie phyſica a ſpeciebus vini, & quod hæ ſpecies panis phyſice numero differant

ſerant ab aliis ſpeciebus panis, ſed in genere morali, ſeu artefacti ſacramentalis. Conſideramus enim hic Euchariſtiam formaliter ſub ratione ſigni, ſub qua eſt Sacramentum & artefactum morale.

Dico 1. (*Hic q. 73. a. 2. 2.*) Euchariſtia eſt unum ſpecie Sacramentum. Eſt communior & certa, tradita a Catech. Trid. p. 2. de Euchar. nu. 10. his verbis: *Licet ſint duo elementa, panis ſcilicet & vinum, ex quibus integrum Euchariſtiæ Sacramentum conficitur, non tamen plura Sacramenta, ſed unum tantum eſſe Eccleſiæ auctoritate docti confitemur; aliter enim ſeptenarius ſacramentorum numerus quemadmodum ſemper traditum, atqui Conciliis Lateranenſi, Florentino & Tridentino decretum eſt, conſtare non poterit.*

Prob. Ratione Theologica. (*Ib.*) Sacramentum formaliter eſt ſignum practicum, conſequenter ejus unitas vel pluralitas ſpecifica repeti debet ex unitate vel pluralitate ſpecifica termini ſeu finis & effectus ſignificati: ſignum enim eſt in genere relationis, quæ ſpecificatur a ſuo termino; unde dicitur unum ſignum, quod unum tantum ſignificat, licet ex diverſis partibus materialiter componatur, et patet in imagine appoſita Tabernæ. Atqui unus eſt ſpecie finis ſeu terminus & effectus ſignificatus Sacramenti Euchariſtiæ. Ergo. Prob. Min. Sacramentum Euchariſtiæ, quamvis ſpeciebus panis & vini phyſice diſtinctis ſit compoſitum, ordinatur ad unam ſpecie refectionem ſpiritualem tanquam ad finem & effectum ſignificatum, ſicut cibus & potus materiales ordinantur ad unam refectionem corporalem. Ergo. Patet Ant. Quia definitur Euchariſtia Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti ad ſpiritualem animæ refectionem. Sicut autem duo requiruntur ad refectionem corporalem, ſcilicet cibus & potus, ita cibus & potus ſpiritualis requiruntur ad ſpiritualem refectionem, & illa ſpiritualis refectio eſt una ſpecie, quia eandem ſpecie gratiam cibantem producunt ambæ ſpecies, Ergo. (*Ibid. ad 1.*) Unde Eccleſia in collecta dicit, primo in plurali: *Purificent nos Sacramenta, quæ ſumpſimus*: deinde addit in ſingulari: *Hoc tuum Sacramentum non ſit nobis reatus ad pœnam*, ad oſtendendum, quod hoc Sacramentum ſit plura materialiter, quatenus continet res ſpecie phyſica diverſas, unum autem formaliter, quia hæc plura ordinantur ad unum ſignificandum & efficiendum. Sic in Extrema Unctione ſunt plures unctiones, & tamen unum Sacramentum, quia iſtæ plures unctiones ordinantur ad unum finem & effectum, qui eſt tollere reliquias peccatorum. Sic domus quamvis conſtet diverſis partibus, eſt tamen una domus, unum artefactum, quia ordinatur ad unius familiæ habitationem.

Hinc inferes unitatem ſpecificam hujus Sacramenti non eſſe repetendam, ut quidam volunt, ex unitate corporis Chriſti, tum quia in eo non conſiſtit, ut dictum eſt Art. præced. tum quia foret unum numero Sacramentum in tota Eccleſia, cum ſit unum numero corpus Chriſti: neque ex inſtitutione, ut volunt alii; tum quia inſtitutio pertinet ad cauſam efficientem, non formalem, quæ ſola ſpecificat: tum quia Chriſtus potuit una inſtitutione plura ſpecie Sacramenta inſtituere.

Dices. In Euchariſtia ſunt plura ſigna. Ergo plura Sacramenta. Patet Conſ. Signum eſt genus ad Sacramentum, non poteſt autem multiplicari genus, quin multiplicetur ſpecies. R. D. Ant. (*Ibid. ad 2.*) In Euchariſtia, ſunt plura ſigna materialiter ſeu inadæquata, C. formaliter & adæquata, N. Equidem ſpecies panis ſignificant cibum ſpiritualem, ſpecies vini potum, ſed ex utraque ſignificatione partiali integratur & perficitur una ſignificatio totalis, qua ſignificatur una ſpecie refectio, ad quam requiritur cibus & potus. Unde ad eundem ſenſum, D. Conſ. Ergo ſunt plura Sacramenta inadæquata, C. adæquata, N.

Inſt. 1. Qui ſolam ſpeciem panis ſumit, recipit totum & integrum Sacramentum, ſimiliter qui ſolam ſpeciem vini ſumit. Ergo quælibet eſt totum & integrum Sacramentum. R. D. Ant. Recipit totum & integrum Sacramentum materialiter, ſeu ex parte rei contentæ & ſignificatæ, C. quia non ſolum recipit corpus Chriſti, ſed etiam ſanguinem per concomitantiam, ſicque totam gratiam cibantem: recipit totum & integrum Sacramentum formaliter in ratione ſigni, N. ſpecies enim panis ſignificat ſolum cibum, qui non ſufficit ad integram refectionem, quam debet ſignificare Euchariſtia.

Inſt. 2. Qui recipit ſolam ſpeciem panis, recipit totum & integrum Sacramentum in ratione ſigni. Ergo. Prob. Ant. Sola ſpecies panis, ex dictis, producit totum & integrum effectum Sacramenti. Ergo illud ſignificat. Sacramenta enim ſignificant, quod efficiunt. R. N. Ant. Ad Prob. D. Ant. Sola ſpecies panis producit totum & integrum effectum Sacramenti concomitanter, C. formaliter, N. Similiter D. Conſ. Ergo illum ſignificat concomitanter, C. formaliter, N. formaliter enim ſpecies panis ſignificat tantum corpus Chriſti ut cibum, ſed quia non eſt corpus vivum ſine ſanguine, per concomitantiam ſignificat ſanguinem.

Dico 2. Sacramentum Euchariſtiæ ſpecie unum, eſt multiplex numero. Prob. Sacramentum Euchariſtiæ ſupponit pro ſpeciebus conſecratis in ordine ad ſumptionem, & in illis eſſentialiter conſiſtit, ut dictum eſt Art. præced. Atqui ſpecies in diverſis Eccleſiis conſecratæ ſunt numero plures, & ad refectiones numero plures ordinantur. Ergo, Confir. Quando ſunt plures materiæ & plures formæ numero diſtinctæ, ſunt plura Sacramenta numero diſtincta. Atque quando plures Sacerdotes celebrant in diverſis Eccleſiis, ſunt plures materiæ & formæ numero diſtinctæ. Ergo.

Dices, Si Filius Dei aſſumeret plures humanitates, eſſet unus homo, & ſi idem ſubjectum bilocatum haberet duas albedines, eſſet unum numero album. Ergo quamvis Chriſtus exiſtat in diverſis ſpeciebus, eſt unum numero Sacramentum. R. N. Conſ. Diſparitas eſt, quod unitas numerica hominis ſumatur ab unitate ſuppoſiti vel ſubſiſtentiæ, & unitas numerica accidentis ex unitate numerica ſubjecti: in caſibus autem inſtantiæ foret unicum numero ſuppoſitum & unicum numero ſubjectum. At ſpecies ſacramentales non ſunt in corpore Chriſti tanquam in ſuppoſito vel ſubjecto.

Repones. Apoſt. 1. Cor. 10. probat omnes Fideles eſſe unum corpus myſticum, quia de uno pane participant: *Unum corpus*, inquit, *multi ſumus, omnes qui de uno pane & de uno calice participamus.* Ergo eſt unum numero Sacramentum Euchariſtiæ. R. Apoſtolum ſumere panem ſeu ſpecies panis pro corpore Chriſti ſub illis contento: unde ſenſus ejus eſt, quod ſicut eſt unum corpus Chriſti, quo aluntur ſpiritualiter Fideles, ita ſunt hi unum corpus Chriſti myſticum.

Replicabis. Hoc Sacramentum eſt unum in ratione Sacrificii. Ergo & in ratione Sacramenti. R. N. Ant. ſimpliciter loquendo. Quamvis enim dicatur unum ratione principalis offerentis, qui eſt unus ſcilicet Chriſtus, & ratione unius rei oblatæ; ſimpliciter tamen loquendo eſt multiplex, quia eſt multiplex oblatio & immolatio myſtica. Fuit ergo unum cruentum Sacrificium, ſed eſt multiplex incruentum.

Dico 3. Unitas vel pluralitas numerica Sacramenti Euchariſtiæ non deſumitur ab unitate vel pluralitate ſpecierum, neque ab una vel multiplici conſecratione, ſed ab ordine ad unam vel plures refectiones. Prob. Euchariſtia eſt inſtituta per modum convivii ſpiritualis, conſequenter de illa loquendum eſt ſecundum analogiam, quam habet ad convivium materiale. Atqui unitas vel pluralitas numerica in convivio materiali non ſumitur ex unitate vel pluralitate ferculorum, ſicut enim ſi plures ex uno ferculo ſumant, erunt plures refectiones & plura convivia, ita ſi unus ex pluribus ferculis continuatim ſumet, erit unum convivium. Neque ſumitur ex una vel pluribus actionibus præparativis, cum unum convivium poſſit pluribus actionibus præparari, & e contra multiplex convivium una actione continua, ſed ſumitur a ferculis, prout ordinantur ad unam vel multiplicem refectionem. Ergo ſimiliter unitas vel pluralitas numerica in Sacramento Euchariſtiæ non ſumitur ex unitate vel pluralitate ſpecierum præciſe, ex una vel multiplici conſecratione, ſed ex ordine ad unam vel multiplicem refectionem ſpiritualem. Unde ſi unus ſimul vel continuatim ſumat plures hoſtias, eſt unum Sacramentum, quia eſt una refectio; ſi idem pluries in diverſo tempore ſumat, ſunt plura Sacramenta, quia ſunt plures refectiones. Item ſi plures ex eadem hoſtia in partes diviſa ſumant, erunt plura Sacramenta, quia plures erunt refectiones; tot ſunt enim refectiones, quot ſunt refecti.

Neque inde ſequitur fieri novum Sacramentum ſine nova conſecratione, ſed tantum id, quod erat unum factum conſecratione, fieri multiplex diviſione; ſicut cum aqua dividitur in partes, non fit nova aqua, ſed facta multiplicatur diſcontinuatione.

Dices. Sacramentum Euchariſtiæ, antequam ſumatur, eſt unum vel multiplex, exiſtit enim. Ergo. R. D. Ant. Sacramentum Euchariſtiæ, antequam ſumatur, eſt unum vel multiplex in actu 1. C. in actu 2. N. ſicut itaque convivium paratum & eidem menſæ appoſitum eſt unum convivium in actu primo; dum autem in plures refectiones a pluribus ſumentibus dividitur, fit multiplex in actu ſecundo; ſic plures hoſtiæ conſecratæ in eodem altari, ſeu ciborio repoſitæ, ſunt convivium & unum Sacramentum in actu 1. dum autem a pluribus ſumitur, fit multiplex in actu 2. quia ſunt plures refectiones. Reflecte hic agi de unitate vel pluralitate morali, ut præmonuimus.

A R-

ARTICULUS III.

Quodnam Sacramentum Euchariſtiæ fuerit inſtitutum?

SUPPONO, ut Fide certum, Chriſtum hoc Sacramentum inſtituiſſe in ultima cœna, pridie quam pateretur. Id conſtat ex tribus Evangeliſtis Matt. 26. Marco 14. & Luca 22. referentibus inſtitutionem hujus Sacramenti ad cœnam, quam Chriſtus habuit cum ſuis Diſcipulis pridie mortis ſuæ: & ex Apoſtolo 1. Cor. *Nocte qua tradebatur*, &c. Atque ita definitum eſt in Concil. Viennenſi Clement. *de reliquiis*, & in Trid. ſeſſ. 13. c. 1. Unde Eccleſia in Canone Miſſæ: *Pridie quam pateretur, accepit panem*, &c. Hujus facti tres congruentias profert Auctor (*Hic q.* 83. *a.* 5. *o.*). 1. Quia conveniebat, ut tunc cum Chriſtus in propria ſpecie a Diſcipulis receſſurus erat, ſe ipſum ad ſolatium in ſacramentali ſpecie reverendum exhiberet. 2. conveniens fuit, ut imminente paſſione, celebrato priori Sacramento Agni Paſchalis, quod erat illius Paſſionis præfigurativum, loco iſtius novum inſtitueret, quod eſt ejuſdem Paſſionis rememorativum in poſterum, quale eſt Euchariſtia: ſine enim fide Paſſionis Chriſti nunquam potuit eſſe ſalus, ſecundum illud ad Rom. 3. *Quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius*. 3. Ea, quæ ultimo dicuntur & fiunt præſertim ab amicis recedentibus, magis memoriæ commendantur, quia tunc magis inflamatur affectus ad amicos; ea vero, ad quæ magis afficimur profundius animo imprimuntur. Unde ergo hujus Sacramenti altitudo magis commendaretur, & profundius cordibus & memoriæ Apoſtolorum infigeretur, conveniens fuit, ut in ultimo ab eis diſceſſu illud inſtitueret. Hæc, inquam, certa ſunt apud omnes.

Verum gravis eſt controverſia, qua die Chriſtus ultimam cœnam celebravit. Communis ſententia Latinorum eſt ipſum ultimam cœnam Agni Paſchalis celebraſſe veſpera 2. lunæ, ſeu diei 14. hoc eſt feria 5. ad veſperam. Græci e contra, ut ſuum de fermentato uſum tueantur, ſenent Chriſtum uno die anticipaſſe eſum Agni Paſchalis, & hanc cœnam celebraſſe 2. veſpera lunæ 13. Chriſtus enim juxta ipſos crucifixus eſt luna 14. ſeu feria 5. non 6. Aloyſius Legionenſis & Baſilius Poncius, quibus præivere Stella & Oleaſter, cenſent pariter Chriſtum celebraſſe Paſca luna 13. ad veſperam, non quod Chriſtus anteverterit cœnam Agni Paſchalis, ſed quia arbitrantur hanc ſolemnitatem incipere veſpere 2. lunæ 13. Pro hujus controverſiæ reſolutione atque intelligentia

Obſervandum 1. Tres dierum differentias diſtingui apud Judæos, naturalium, artificialium & legalium ſeu feſtivorum. Dies naturalis accipiebatur ſicut apud nos a media nocte ad mediam noctem. Artificialis ab ortu ad occaſum ſolis, & ideo non erat fixus, ſed modo longior, modo brevior ſecundum quod ſol prius aut tardius oriebatur & occidebat. Diſtribuitur in 4. partes ſeu horas, quarum quælibet complectebatur tres ex noſtris, in primam, tertiam, ſextam & nonam. Prima computabatur ab ortu ſolis ad horam 9. noſtram circiter. Tertia a nona hora ad 12. Sexta a 12. hora ad tertiam. Nona a tertia hora ad occaſum ſolis. Dies legalis ſeu feſtivus accipiebatur a veſpera præcedentis diei ad veſperam ſequentis, eo modo quo feſta noſtra quoad officium accipiuntur, juxta legem Levit. 23. A veſpera ad veſperam celebrabitis Sabbatha veſtra. Per Sabbatha autem intelliguntur ibi etiam Feſta ſaltem ſolemniora, nam ibidem Feſtum expiationis vocatur *Sabbathum requietionis*. Excipitur feſtivitas Agni Paſchalis, ſi tamen debeat dici feſtivitas, conſiſtebat enim in ſola immolatione & eſu Agni Paſchalis, incipiebat ſub ſecundis veſperis lunæ decimæ quartæ, nec ulterius extendebatur, coincidebat cum initio Feſti azymorum, quod erat luna 15. quodque incipiebat a ſecundis veſperis lunæ 14. Feſtum Azymorum complectebatur 7. dies integros, quorum primus & ultimus erant ſolemniſſimi; omnes vocabantur Paſchales, ratione potioris victimæ initio immolatæ, ſcilicet Agni Paſchalis. Hæc conſtant ex c. 12. Exodi, ubi ſic legitur: *Loquimini ad univerſum cœtum Filiorum Iſrael, & dicite eis: decima die menſis hujus tollat unuſquiſque agnum per familias & domos ſuas ... & ſervabitis eum uſque ad quartam decimam diem menſis hujus: immolabitque eum univerſa multitudo Filiorum Iſrael ad veſperam. Et ſument de ſanguine ejus, ac ponent ſuper utrumque poſtem & in ſuperliminaribus domorum, in quibus comedent illum: & edent carnes nocte illa aſſas igni & Azymos panes cum lactucis agreſtibus ... ſeptem diebus azyma comedetis. In die primo non erit fermentum in domibus veſtris. Quicumque comederit fermentatum, peribit anima illa de Iſrael, a primo die uſque ad diem 7. Dies prima erit ſancta atque ſolemnis, & dies ſeptima feſtivitate venerabilis ..., Primo menſe, 14. die menſis ad veſperam comedetis azyma, uſque ad diem 21. ejuſdem menſis ad veſperam, ſeptem diebus fermentum non invenietur in domibus veſtris*, &c.

Obſervandum 2. Paſcha ſeu Phaſe, ideſt tranſitum, inſtitutum fuiſſe in memoriam ſingularis beneficii, quo Angelus tranſiens per Ægyptum primogenitos Ægyptiorum interfecerat intactis Hebræis. Feſtum Azymorum in memoriam alterius beneficii priori ſuccedentis, quo Hebræi adeo feſtinanter egreſſi ſunt de Egypto, ut cum non poſſent fermentare panes, Azymos coxerint. Exod. ibid.

Obſervandum 3. Veſperam apud Judæos habere quaſi duas partes: primam a declinatione ſolis, ſeu a meridie, alteram a crepuſculo poſt occaſum ſolis. Tempore autem medio inter has duas veſperas mundabatur domus a fermentato, deinde celebrabatur Paſcha. Obſervandum 4. Judæos menſes a Novilunio inchoare, Unde apud ipſos idem eſt primus dies & prima luna. Primus menſis cenſetur ille, cujus decima quarta dies immediatius ſequitur æquinoctium veris. Dicitur *Niſan*, apud nos *Martius*. His obſervatis,

Dico. Chriſtus celebravit ultimum Paſcha, conſequenter Euchariſtiam inſtituit, die ſeu luna 14. exeunte, hoc eſt feria 5. ad veſperam. Prob. 1. Chriſtus celebravit ultimam cœnam Paſchalem 1. die Azymorum, quando neceſſe erat ſecundum legem occidi Paſcha, & quando Judæi illud immolabant. Ita conceptis terminis tres Evangeliſtæ Matth: 26. *Prima die Azymorum acceſſerunt Diſcipuli ad Jeſum dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere Paſcha? ..., Et paraverunt Paſcha. Veſpere autem facto diſcumbebat cum Diſcipulis ſuis.* Marcus 14. *Prima die Azymorum quando Paſcha immolabant* (Judæi), *dicunt ei Diſcipuli, quo vis eamus & paremus tibi, ut manduces Paſcha? ... Et paraverunt Paſcha. Veſpere autem facto venit cum 12.* manducaturus Paſcha, ut ibidem fuſius exponitur. Lucas 22. *Venit dies Azymorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha; Et miſit Petrum & Joannem dicens: Euntes parate nobis Paſcha, ut manducemus ... Et paraverunt Paſcha. Et cum facta eſſet hora, diſcubuit & 12. Apoſtoli cum eo, & ait illis; Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar*. Atqui prima dies Azymorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha ſecundum Legem, & illud immolabant Judæi, erat luna 14. ſub ſecundis veſperis, non 13. Ergo. Prob. Min. 1. Nullibi in Scriptura prima dies Azymorum adſcribitur lunæ 13. ſed lunæ 14. & 15. quia 14. erat initium Feſti, & 15. erat Feſtum ſeu ſolemnitas Azymorum. Sic Levit. 23. *Menſe primo, quarta decima die menſis ad veſperum phaſe Domini eſt, & 15. die menſis hujus ſolemnitas Azymorum eſt*. Idem Exod. 12. & Num. 28. per ſolemnitatem autem intelligit primam diem azymorum, quæ ſola cum ultima erat ſolemnis, ut prius dictum eſt, atqui ſi prima dies ſolemnis Azymorum fuit 15. nihil ad illam attinet veſpera ſecunda lunæ 13. ſed ſolum ſecunda veſpera lunæ 14. niſi velis unam diem habere tres veſperas. Ergo. Prob. 2. eadem prima Min. Septem dumtaxat diebus Hebræi tenebantur uti Azymis Exod. citat. *Septem diebus Azyma comedetis*, ſcilicet a 14. *menſis ad veſperam uſque ad diem 21. ejuſdem menſis ad veſperam*. Atqui ſi prima dies Azymorum fuiſſet luna 14. & incepiſſet luna 14. ad veſperam, eſſent uſque ad 21. octo dies integri Azymorum. Ergo.

Prob. 2. Specialiter contra Græcos evertendo fundamentum eorum. Dicunt Græci Chriſtum una die prævertiſſe cœnam Paſchalem, eamque ideo celebraſſe luna decimatertia, quia cum ſciret ſe ſequente die, ſcilicet 14. ſeu feria quinta eſſe moriturum, noluit Legem inobſervatam relinquere. At 1. Falſum ſupponunt Chriſtum mortuum eſſe luna 14. ſeu feria 5. & non luna 15. ſeu feria 6. 2. Dato hoc ſuppoſito, Chriſtus nec debebat, nec poterat prævertere diem a Lege conſtitutum. Non debebat, quia Lex ante diem præfixum non obligabat. Equidem Lege Num. 9. v. 10. ſancitum erat, ut qui propter immunditiam legalem, vel abſentiam, non poſſet primo menſe celebrare Paſcha, in alterum menſem differret; ſed nunquam ſtatutum erat, ut qui ſe crederet prius moriturum, celebrationem Paſchatis anteverteret. Sed & Apoſtoli non ſciebant ſe craſtino morituros, cum nec tunc mortui ſint, & tamen celebraverunt Paſcha cum Chriſto. Futilis ergo eſt iſte prætextus anticipatæ Legis. Non poterat, quia juxta Legem Deuter. 16. Agnus debebat immolari in Templo a Sacerdotibus: *Non poteris immolare Phaſe in qualibet urbium tuarum, ſed in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi*. Vel ergo Chriſtus Agnum non immolatum loco & tempore ſtatuto manducaſſet, & in hoc ſummam Legis violaſſet, ipſe qui illam venerat adimplere; vel id ei obſequium præſtitiſſent Sacerdotes, quod nulla veriſimilitudine dici poteſt, quippe qui illum ſummo odio proſequebantur, & ſe violatæ Legis reos palam exhibuiſſent. 3. Hæ Legis tranſgreſſiones, ſive præveniendo tempus ſtatutum, ſive non immolando in Templo, offendiſſent Judæos, qui inde dubio procul inſtaurandæ criminationis in Chriſtum anſam arripuiſſent, cum in conquirendis adverſus illum falſis teſtimo-

ſtimoniis eſſent tam ſolliciti, & de violatis per Diſcipulos futilibus traditionibus, ut quod non lotis manibus manducarent, coinquinarentur; & tamen de iſtis tranſgreſſionibus Chriſtum non accuſarunt. Quæ Græci opponunt ex Scripturis, mox ſolvemus.

Prob. 2. Ex conſtanti Traditione Eccleſiæ, quæ maxime inde evincitur, quod cum Aſiatici contenderent celebrandum eſſe Paſcha cum Judæis luna decima quarta primi menſis, ſeque tuerentur exemplo Chriſti & Apoſtolorum, nullus ſive Pontificum, ſive Patrum ipſis oppoſuit Chriſtum cum Apoſtolis non celebraſſe Paſcha luna 14. ſed luna 15. Quod ſane non omiſiſſent in tam celebri & diuturna controverſia, cum inde funditus everteretur fundamenta Quatordecimanorum.

Solvuntur Objectiones.

OBj. 1. cum Græcis varia Scripturæ teſtimonia, quibus videtur Chriſtum diem Paſchatis Lege ſtatutum antevertiſſe. 1. Joan. 13. dicitur: *Ante diem Feſtum Paſchæ, ſciens Jeſus, quia venit hora ejus, ut tranſeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos: & cœna facta*, &c. Si ante Feſtum Paſchæ cœnam legalem celebravit, atque Euchariſtiam inſtituit, Ergo luna 13. nam Feſtum Paſchæ incipiebat luna 14. exeunte. 2. Joan. 18. dicitur, quod die, qua paſſus eſt Chriſtus, Judæi *Non introierant prætorium, ut non contaminarentur* (ingreſſu domus viri gentilis) *ſed ut manducarent Paſcha*, ſeu Agnum Paſchalem. Manducabatur autem Paſcha luna 14. veſperi, ſicque Chriſtus mortuus eſt luna 14. Cœnam autem Paſchalem celebravit pridie quam pateretur. Ergo diem ſolitum celebrationis Paſchæ anticipavit. 3. Joan. 19. Chriſtus dicitur mortuus in paraſceve Paſchæ: *Erat autem paraſceve Paſchæ hora quaſi ſexta*. Eſt autem paraſceve Paſchæ præparatio ad Paſcha celebrandum, ſeu vigilia Paſchæ; vigilia Paſchæ erat luna 14. Ergo Chriſtus paſſus eſt luna 14. ſeu feria 5. ſicque cœnam Paſchalem celebravit luna 13. pridie quam pateretur. 4. Chriſtus non eſt mortuus in Feſto ſolemni, quale erat prima dies Azymorum, ſcilicet luna 15. ſeu feria 6. Ergo luna 14. ſeu feria 5. ſicque Paſcha celebravit luna 13. Prob. Ant. 1. Ex hoc dicto Judæorum apud Matth. 19. *Non in die Feſto, ne forte tumultus fieret in populo*. 2. Prohibitum erat Judæis actus judiciales exercere in Feſto ſolemni. 13. Ipſa die mortis Chriſti Nicodemus depoſuit corpus Chriſti de cruce, & poſuit in monumento, piæ mulieres emerunt & paraverunt aromata in ejus ſepulturam, nihil autem operis fieri licebat die Feſto, exceptis iis, quæ ad veſcendum pertinent, Exod. 12. Ergo.

Quidam ut ab his argumentis ſe expediant, reſpondent Chriſtum quidem celebraſſe Paſcha luna 14. ad veſperam ſecundum Legis præſcriptum; at Judæos, ſaltem Proceres, ſuum diſtuliſſe in lunam 15. deſinentem. Non una vero ratione ducuntur, ut id aſſerant. Lyranus, Burgenſis, Maldonatus, &c. cenſent tunc temporis receptam fuiſſe apud Judæos traditionem, qua præcipiebatur ut ſi ſolemnitas paſchalis incideret in feria 6. transferretur in ſabbathum, ne nimis gravis foret populo obſervatio duorum Feſtorum immediate conſequentium, in quibus nec præparare cibos, nec ſepelire mortuos liceret. Alii, moti Auctoritate Chryſoſtomi hom. 86. in Matth. arbitrantur Judaicam multitudinem equidem celebraſſe Paſcha more ſolito luna 14. exeunte, ſed Principes Sacerdotum & Scribas, ut liberius in Chriſtum ſævirent, eumque perderent, diſtuliſſe contra præceptum Legis in diem ſequentem, ſcilicet lunam 15. in ſecundis veſperis. Scribit enim Chryſoſtomus loco citato: *Audaciſſimos illos homines, & mille tranſgredientes Legis præcepta, quoniam ita inflammati erant, & ſæpe conati ſunt Jeſum capere, nihil facere potuerant, ex inſperata nactos quod cupiebant, tempus Paſchæ tranſpoſuiſſe*. Alii tandem dicunt duplicem Neomeniam, ſeu duplex initium menſis tempore Chriſti diſtingui apud Judæos unum a conjunctione ſolis & lunæ, alterum ab apparitione ſenſibili lunæ: primum ſervari a Galilæis, ſecundum a Jeroſolimitanis: Chriſtum autem Galilæum morem Galilæorum ſecutum Paſcha celebraſſe pridie ſuæ mortis luna 14. a conjunctione Planetarum: Jeroſolimitanos vero die ſequenti etiam 14. ab apparitione lunæ.

At inprimis generaliter contra has omnes opiniones, præſertim contra 1. & 3. militant Scripturæ. Dicit enim Marcus 14. Chriſtum comediſſe Agnum Paſchalem primo die Azymorum, *Quando Paſcha immolabant Judæi*: Lucas 22. *Venit dies Azymorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha*. Matth. 26. *Scitis, quia poſt biduum Paſcha fiet*: ubi To *fiet*, ſignificat ab omnibus faciendum, & Tu *ſcitis* hoc futurum more ſolito, alioquin Diſcipuli hoc neſciviſſent. Et Joan. 18. dicit Pilatus Judæis: *Eſt autem conſuetudo vobis, ut unum dimittam vobis in Paſcha, Vultis ergo dimittam vobis Regem Judæorum?* Ergo Paſcha celebrabatur apud Judæos, cum Chriſtus tenebatur, accuſabatur, & in procinctu erat, ut condemnaretur. Specialiter contra 1. opinionem. Traditio illa commentitia eſt, nec ullo momento probatur. Pariter ratio traditionis eſt futilis; in omnibus enim ſolemnitatibus diſtinctis a ſabbatho licebat præparare & coquere cibos, Exod. 12. Item & mortuos ſepelire veſperi, quando in alteram diem ſervari non poterant, ut patet exemplo Tobiæ. Eſtque hæc hodierna praxis Judæorum. Inſuper juxta hanc opinionem Judæi incidiſſent in incommodum, quod vitare voluiſſent; ſi enim prima ſolemnitas Azymorum tranſlata fuiſſent in ſabbathum ſequens, ultima ſolemnitas azymorum incidiſſet in feriam 6. ſicque duo feſta immediate conſequentia habuiſſent celebranda.

Contra 2. opinionem. Dato Judæos ſecundum leges & conſuetudines ſuas non potuiſſe in feſto ſolemni actus judiciales exercere, quod non eſt certum, conſtat tamen ex Evangelio has leges & conſuetudines poſthabuiſſe, ut ſuo in Chriſtum odio, occaſione nacta, ſævirent, ſicut in Feſto Tabernaculorum Joan. 8. & in Feſto Encœniorum Joan. 10. ipſum Chriſtum lapidare voluerunt, nihil iſtorum Feſtorum Religione impediente. Inſuper non advertunt hujus ſententiæ defenſores Chriſtum a Juda non fuiſſe Judæis traditum, niſi poſt peractam cœnam, conſequenter poſt cœptam ſolemnitatem Paſchalem, quæ ideo non poterat amplius differri. Quantum ad Chryſoſt. fas eſt nobis, ſalva ejus reverentia, aliis Patribus communiter contrarium ſentientibus ſubſcribere; eo magis quod ipſe Chryſoſt. in hac ſententia non fuerit conſtans. Nam hom. 84. in Matth. ſcripſerat: *Et immiſerant in eam manus, ut tenuerant illum ipſa nocte, in qua comederant Paſcha*. Et hom. 82. in Joan. fatetur ſe ignorare, an hæc verba Joannis, *Ut manducarent Paſcha*, ſignificarent Paſchalem victimam, an vero totam ſolemnitatem.

Contra 3. opinionem. 1. Duplex Neomenia, ſeu duplex initium menſis ex phaſe ſeu apparitione lunæ, & ex conjunctione Planetarum non erat in uſu apud Judæos tempore Chriſti, neque ullum habet in Scriptura fundamentum, ſed potius Scripturæ contrariatur. Paſcha enim ſecundum Legem Exodi c. 12. debebat celebrari ſimul a tota congregatione filiorum Iſrael, & poſt mactatam communem victimam in Templo Jeruſalem: *Immolabit*, inquit Scriptura citata, *eum univerſa multitudo filiorum Iſrael*. Textus Hebraicus, *Omnis cœtus Synagogæ*. Targus, *Omnis Eccleſia filiorum Iſrael*. Textus Samaritanus, *Omnis congregatio Synagogæ*; non immolatus autem fuiſſet in cœtu totius Synagogæ, neque in cœtu totius Eccleſiæ, ſi Galilæi una die, Jeroſolymitani altera die immolaſſent. 2. Die ſtatuto ad mactationem Agni omne fermentum ejiciendum erat de domibus, Exod. cit. Galilæi itaque, advenientes Jeroſolymam luna 14. a conjunctione Planetarum, celebraſſent Paſcha in domibus, a quibus non erat ſublatum fermentatum: ſicque Legem violaſſent, aut ſi hac die Jeroſolimitani ſuas domos fermento purgaſſent, Agnum immolaſſent, non 1. ſed 2. die Azymorum, fuiſſent 8. dies Azymorum, manipulus hordeaceus, de quo Levit. 23. oblatus fuiſſet 3. die, non 2., ſicque confuſa fuiſſent omnia Feſta, & Leges in pluribus violatæ. 3. Quamvis incertum ſit, a quo Judæi Neomeniam, ſeu menſis initium computent, an a conjunctione planetarum, an a lunæ phaſe, ſi tamen Philoni fides eſt in libro de Septenario, Neomenia apud Judæos dicitur: *Quando incipit ſol ſplendore ſenſibili lunam illuſtrare, ipſa vero proprium circus patefacit ſpectantibus*. Et ideo Neomenia indici ſolebat Tuba cornea ſupra Templi tectum, eo inſtanti, quo luna apparebat.

Si dicas Sabbathum, quod mortem Chriſti ſubſecutum eſt vocari Joan. 19. *Magnum diem Sabbathi*, non alia, ut videtur, ratione, quam quia tunc celebrabatur prima dies Azymorum, quæ erat ſolemnis. (*ibid.*) R. quod quacumque die de 7. diebus Azymorum Sabbathum veniret, dicebatur magnus dies Sabbathi propter geminatam ſolemnitatem, ſcilicet Sabbathi & Paſchæ, id eſt dierum Paſchalium.

Mitto aliam ſingularem quorumdam opinionem, qui dicunt Chriſtum hoc ultimo vitæ ſuæ anno non celebraſſe Paſcha Judaicum, ſed Chriſtianum tantum conſecratione & diſtributione ſui corporis. Hæc namque ſententia repugnat Scripturis ſacris, SS. Patribus, definitioni ac profeſſioni Eccleſiæ, ita ut a quibuſdam dicatur hæretica. 1. Nonniſi de Judaico Paſchate intelligi poteſt, quod Chriſtus dixit Domino domus Matt. 26. *Apud te facio Paſcha hodie*. Et Marci 14. *Ubi eſt refectio mea, ut Paſcha cum Diſcipulis manducem?* Si namque de inſtituenda Euchariſtia Chriſtus locutus fuiſſet, ipſe Dominus domus nihil intellexiſſet. 2. Chriſtus cœnam illam manducavit, quam præparandam Diſcipulis juſſit. Luc 19. *Fecerunt Diſcipuli, ſicut conſtituit illis Jeſus, & paraverunt Paſcha*, utique manducandum; certum eſt autem Diſcipulos paraſſe

cœnam

cœnam Judaicam, non Euchariſticam, quam non noveſent. 3. Eccleſia in Concil. Trid. ſeſſ. 22. c. 1. declarat, quod *Chriſtus in Cœna noviſſima qua nocte tradebatur, celebrato veteri Paſcha, quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo filiorum immolabat, novum inſtituit Paſcha*. Et in ſuis Officiis ex Angelico Doctore cantat: *In ſupremæ nocte Cœnæ recumbens cum fratribus; obſervata Lege plene cibis in legalibus, cibum turbæ duodenæ ſe dat ſuis manibus. Poſt agnum typicum expletis epulis*, &c. 4. Nullus SS. Patrum negavit unquam Chriſtus in ultima Cœna Agnum Paſchalem comediſſe. 5. Hieronymus Vechietus, qui iſtud ſyſtema libello edito propugnavit, a ſupremis Fidei Inquiſitoribus damnatus eſt, & in carcerem ad plures annos conjectus, pronuntiaruntque ſupremi Judices ejus ſententiam eſſe *Contra ſacrarum litterarum Fidem, contra Eccleſiæ univerſæ auctoritatem, & contra SS. Patrum Doctrinam*. Denique non alia de cauſa confictum eſt hoc ſyſtema, quam quia ejus defenſores arbitrabantur Chriſtum eſſe paſſum luna decima quarta; ſicque non potuiſſe Paſcha Judaicum celebrare, quod aſſumptum patet ex dictis eſſe falſum.

Aliter ergo argumentis initio propoſitis reſpondemus. Ad 1. (*In 4. d. 11. q 2. a. 2. q. 3. ad 1.*) Hæc Joannis verba: *Ante diem Feſtum Paſchæ*, intelliguntur de die naturali, a media nocte ad mediam noctem, vel de artificiali ab ortu ad occaſum ſolis, non de die ſacro, qui incipit a primis veſperis, de quo loquuntur alii tres Evangeliſtæ, cum dicunt: *Primo die Azymorum*: & ſic nulla eſt inter ipſos contradictio. Ad 3. (*Ibid. ad. 3.*) Hęc verba, *ut manducarent Paſcha*, non intelliguntur de Agno Paſcali, ſed de cibis Paſchalibus, ſcilicet de Azymis, de Bobus & Ovibus, de quibus Deuteron. 16. qui totis 7. diebus Azymorum immolabantur & manducabantur, & ideo nomine Paſchæ vocabantur, nec niſi a Judæis mundis poterant manducari. Quapropter cum timerent, ne ingreſſu domus viri gentilis & profani contaminarentur, ſicque impedirentur manducare cibos Paſchales, Chriſtum in Prætorium Pilati ſubmiſerunt, ſed ipſi non introierunt.

Verum inſtat Scaliger contenditque victimas, quæ ſeptem diebus Azymorum comedebantur, nullibi in Scriptura nomine *Paſchatis* appellari. Sed fallitur vir eruditus; legitur enim Deuter. 16. cit. *Immolabis phaſes* (Paſcha) *Domino Deo tuo de ovibus & de bobus in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus*. Ubi nomen *Phaſe*, ſeu Paſcha, eſt generale, ſub quo oves & boves, ut ſpecies, continentur. Nec obſtat textus Hebraicus, ad quem appellant Heterodoxi, qui ſic habet: *Mactabis Paſcha Domino Deo tuo oves & boves*; eſt enim idem ſenſus, & Paſcha ibi pariter eſt nomen generale, cui oves & boves, ut ſpecies, ſubjiciuntur, neque aliud eſt Paſcha, aliud oves & boves, ſed ſenſus eſt: immolabis Paſcha, quæ ſunt oves & boves. Patet ex ſimilibus phraſibus alibi in Scriptura uſurpatis. Sic 1. Paralip. 28. dicitur: *Obtulerunt holocauſta die ſequenti, tauros mille, arietes mille, agnos mille*. Et 2. Paralip. 7. *Mactavit Salomon Rex hoſtias, boum 22. millia, arietum centum 20. millia*: ubi holocauſta & hoſtiæ non diſtinguuntur a bobus, agnis, & arietibus, ſed ſunt nomina generalia, quibus boves, oves, &c. tanquam ſpecies ſubjiciuntur, eſtque ſenſus, obtulerunt holocauſta & hoſtias, quæ ſunt boves, agni, arietes, &c.

Confir. noſtra reſponſio invicto argumento. Deuter. 16. cit. ſecundum Vulgatam legitur: *Immolabis Phaſe Domino Deo tuo de ovibus & de bobus ... Non comedes in eo panem fermentatum: Septem diebus comedes abſque fermento panem afflictionis*. Secundum textum Hebraicum: *Sanctificabis Paſcha Domino Deo tuo ovem & bovem... non comedes ſuper eo fermentatum; ſeptem diebus comedes ſuper eo infermentatum*. Secundum textum Samaritanum. *Sanctificabis Paſcha Domino Deo tuo oves & boves... Non comedetis cum eo fermentatum, ſeptem diebus comedetis cum eo azyma*. Secundum 70. Interpretes: *Immolabis Paſcha Domino Deo tuo oves & boves... Non comedes fermentatum ſuper illud, ſeptem diebus comedes ſuper illud azyma*. Ex quibus ſic arguo. Id, in quo, cum quo, ſuper quod præcipitur comedi Azymos ſeptem diebus, vocatur Paſcha. Atqui id certo non eſt Agnus Paſchalis, qui totus erat comedendus prima nocte Azymorum, ita quod ſi quid ſupereſſet, foret comburendum ante Auroram, Exod. 12. v. 10. non aliæ victimæ, oves, boves, &c. quæ ſeptem diebus comedebantur cum Azymis. Ergo plane conſtat quod quamvis Agnus Paſchalis tamquam præcipua victima frequentius ac ſpecialius in Scriptura *Paſcha* nominetur, aliæ tamen victimæ etiam ab ea *Paſcha* dicantur.

Ad 3. Paraſceve Paſchæ non ſignificat præparationem ad Paſcha, ſed præparationem ad Sabbatum, quæ, cum illo anno ipſa ſolemnitate Paſchali incideret, dicta eſt paraſceve Paſchæ, eo fere modo, quo apud nos dicitur Dominica Paſchæ, Dominica Pentecoſtes. Hanc interpretationem eſſe legitimam conſtat, tum ex ipſa Scriptura Joan. 19. ubi loquens de eodem die, quo Chriſtus paſſus eſt, dicit: *Judæi ergo (quoniam Paraſceve erat) ut non remanerent in cruce corpora Sabbato (erat enim magnus ille dies Sabbati) rogaverunt Pilatum*, &c. Marc. 15. *Erat Paraſceve, quod eſt ante Sabbatum*. Et Luc. 23. *Erat Paraſceve, & Sabbatum illuceſcebat*. Tum quia nulla erat Paraſceve ſeu Præparatio ad Feſta, ſed ad Sabbatum tantum; in ſolo enim Sabbato prohibitum erat præparare cibos, qui ideo debebant pridie præparari; ut in aliis Feſtis equidem opus ſervile prohibitum erat, *ſed exceptis iis, quæ pertinent ad veſcendum*. Ita expreſſe Exod. 12. v. 16.

Ad 4. N. Ant. Ad 1. ejus probationem, fatemur Judæos ante biduum, dum Concilium fecerunt, ut Jeſum dolo tenerent & occiderent, dixiſſe, *non in die Feſto*, non Religionis cauſa, ſed *ne tumultus fieret in populo*. At vel illorum, qui ſic loquebantur, opinio non prævaluit, vel opportunitate nacta perdendi Jeſum ex proditione Judæ mutaverunt conſilium ipſa nocte ſolemnitatis Paſchalis, Jeſumque ipſa die ſolemni ad mortem poſtularunt, eademque die ſententia lata eſt & executioni mandata, ut conſtat ex Evangeliſtis. Ad 2. probationem. Non conſtat ex Scripturis actus judiciales fuiſſe prohibitos in hoc Feſto, quin ſi Moyſi Maimonidi ſit aliqua fides, refert lib. *Hilkot* cap. 4. morem fuiſſe apud Judæos, ut reos inſigniores plecterent in ſolemnioribus Feſtis, in quibus eſt numeroſior populi concurſus: *Reum*, inquit, *uſque ad Feſtum cuſtodiunt, & ipſo Feſto ſtrangulant, quia dictum eſt Deuteron. cap. 17. v. 13. Et omnes Iſrael audiet & timebit*. Sed eſto fuerit lex prohibens actus judiciales in die feſto: quid mirum eos, qui omnia & ſacratiora jura in Chriſto violabant, etiam levem legem contempſiſſe, aut ſe pro bono communi ad eam non teneri exiſtimaſſe. Ad 3. probationem. Præparare aromata in Sepulturam Chriſti, eumque ſepelire, erat opus Religionis & miſericordiæ, quod non prohibebatur in die feſto, ut patet exemplo Tobiæ, qui diebus feſtis poſt occaſum ſolis mortuos ſepeliebat. Tob. 2. 4. & 5.

Solvuntur Objectiones.

OBJ. 2. Judæi immolabant Agnum Paſchalem ea die qua immolarunt in egreſſu de Ægypto, Exod. 23. Atqui in egreſſu ſuo de Ægypto immolaverunt Agnum Paſchalem veſpera ſecunda lunæ 13. non 14. Ergo. Prob. Min. Judæi egreſſi ſunt de Ægypto nocte terminante lunam 14. & inchoante lunam 15. Num. 13. *Profecti igitur de Rameſſe menſe primo, decima quinta die menſis primi, altera die Phaſe*. Atqui non potuerunt veſpera præcedente hanc noctem celebraſſe Paſcha. Ergo veſpera præcedentis noctis. Prob. Min. 1. Quia, ut dictum eſt, egreſſi ſunt altera die Phaſe. Ergo non eadem nocte celebrarunt Phaſa ſeu Paſcha, 2. Quia nocte, qua immolarunt Agnum Paſchalem, nullus poterat *egredi oſtium domus ſuæ uſque mane*. Exod. 12. 3. Egreſſi ſunt numero fere ſexcenta millia, non computatis parvulis & mulieribus cum armentis & ſupellectilibus, poſt celebratum Paſcha acceperunt mutuo ab Ægyptiis vaſa argentea Moyſes vocatus fuit a Pharaone in Urbem Regiam Memphim ſitam ad alteram ripam Nili, illinc Moyſes redit ad terram Geſſen, in qua habitabant Hebræi, congregavit dictam multitudinem, & cum ipſa profectus eſt in Rameſſe; impoſſibile autem videtur hæc omnia fieri potuiſſe eadem nocte a ſecunda veſpera lunæ 14. uſque ad ortum ſolis lunæ 15. Ergo. R. N. Min. Ad probat. N. Min. Ad 1. probationem. Dicitur *altera die Phaſe*; quia Phaſa ſeu Paſcha immolatum fuerat exeunte luna 14. & Judæi egreſſi ſunt poſt mediam noctem jam inchoata luna 15. ſicque altera die naturali. Ad 2. probationem. Præceptum non egrediendi oſtium domus impoſitum erat Hebræis, ne forte in Angelum percuſſorem inciderent, ut patet ex verſu ſequ. *Tranſibit enim Dominus percutiens Ægyptios: cumque viderit ſanguinem in ſuperliminari & in utroque poſte, tranſcendet oſtium domus, & non ſinet percuſſorem ingredi domos veſtras & lædere*. Quando autem ex clamoribus Ægyptiorum intotuit Hebræis ſtragem eſſe peractam, atque Ægyptii urgebant eorum exitum, ne & ipſi interficerentur, ceſſabat cauſa adæquata præcepti, adeoque & ipſum præceptum, unde licite poterant exire. Ad 3. Hæc omnia, quæ referuntur, potuerunt eadem nocte fieri, ſi attendantur ſequentia. 1. Tunc temporis Pharao non morabatur Memphi, ſed Tani in inferiori parte Ægypti ad oſtium Nili. 2. Hebræi non in terra Geſſen tantum, ſed promiſcue habitabant cum Ægyptiis in urbibus, quas Pharaoni ædificaverant. 3. Vaſa argentea, vel ante eſum Agni mutuo acceperant ab Ægyptiis, quamvis Scriptura narrando poſtponat, quod ipſi familiare eſt; vel ſi tempore egreſſus, facile intelligitur Ægyptios urgentes metu mortis Iſraelitas

ad exeundum, eis ſine mora, quæ peterent, conceſſiſſe. 4. Hebræi prius moniti a Moyſe ſe ad diſcedendum jam paraverunt. Exod. 12. v. 28. Ut manducabant Paſcha accincti & ad iter præparati: atque adeo feſtinanter, inſtantibus ſemper Ægyptiis, diſceſſerunt, ut fermentata non potuerint; ſicque præcipitanter & confuſe confluxerunt in Rameſſe ſub finem noctis, inde vero poſt meridiem profecti ſunt ordinatim in Soccoth. Sed quid conjecturis ſolvendis immoramur, cum habeamus Scripturam illis aperte contrariam? legimus namque Exod. 12. Paſcha immolatum fuiſſe *quarta decima die ad veſperam:* Ibidem, filios Iſrael *eodem die* eductos de terra Ægypti, & Num. 33. eos *decima quinta die* profectos de Rameſſe.

Obj. 3. Si Chriſtus cum Judæis celebravit Paſcha luna 14. deſinente, & prima dies azymorum fuerit luna 15. hoc anno feria 6., ſecunda dies azymorum, in qua offerendus erat primus meſſis hordeaceæ manipulus, incidebat in Sabbatum, conſequenter Feſtum Pentecoſtes, quod occurrebat poſt 50. dies ab oblatione manipuli Levit. 23. incidebat in Sabbatum. Atqui ſecundum antiquam Eccleſiæ Traditionem fundatam in Conſtitutionibus Apoſtolicis, in Sermone Aug. 154. de tempore, & in S. Leone Serm. de Pentecoſte, Feſtum Pentecoſtes, hoc anno incidit in Dominicam, & eadem die ad horam tertiam illapſus eſt Spiritus S. Ergo Chriſtus cum Judæis Paſcha celebravit, non luna 14. ſed 15. exeunte, ita ut prima dies azymorum fuerit luna 16. ſeu Sabbatum, & ſequenti die, quæ nunc eſt Dominica, oblatus fuerit manipulus.

Huic argumento, quod eſt Scaligeri, inter plures reſponſiones duplex aut etiam triplex probabilior adhibetur. Prima, quæ eſt Hyacynthi Serry & plurium Recentiorum, admittit Feſtum Pentecoſtes hoc anno incidiſſe in Sabbatum, & eodem die Spiritum S. deſcendiſſe in Diſcipulos. Præter rationem factam in argumento, fundant inſuper hanc Reſponſionem in verbis Lucæ Act. 2. dicentis: *Cum complerentur dies Pentecoſtes, factus eſt repente de cœlo ſonus*, &c. Loquitur enim, inquiunt, S. Lucas de Pentecoſte Judæorum; non Chriſtianorum: quæ computatur a Reſurrectione Chriſti: quia quamvis Lucas hæc ſcripſerit 28. annis poſt Chriſtum paſſum, ſolam tamen Pentecoſten Judæorum intelligebat, ſi quidem ſcribat Act. 20. Paulum *feſtinaſſe, ut ſi poſſibile eſſet, diem Pentecoſtes faceret Jeroſolymis*; ut quid enim illa feſtinatio, niſi quia Pentecoſtes Judaica celebrabatur Jeroſolymis juxta legem Exod. 23. & Levit. 16. cum Pentecoſtes Chriſtiana ubivis celebrari potuiſſet. Quantum ad Traditionem contrariam, de qua in Min, illam negant, nimirum fundatam tantum in Conſtitutionibus S. Clementis, quæ ab omnibus reputantur Apocryphæ, in Sermone Aug. 154. de tempore, qui etiam inter Apocryphos rejicitur a PP. Benedictinis, & in S. Leone, qui, ut ſcripſit quinto ſæculo cadente, ſolus non facit Traditionem. Si opponas manipulum non fuiſſe oblatum 2. die azymorum, quæ erat Sabbatum, ſed 3. die, quia lege Exod. 34. v. 21. prohibitum erat metere in Sabbato; reſpondent hanc legem reſpicere tantum meſſem communem, non particularem manipuli offerendi; idque probant ex R. Moyſe Ægyptio in Commentariis ſuper Miſna & in Jad Akazzacha: adduntque rationem, quod demeſſio illa manipuli offerendi non ſit opus ſervile, ſed actus Religionis.

Secunda Reſponſio, quæ eſt Bellarmini, Baronii & communior, negat Majorem argumenti, contenditque Pentecoſten etiam Judaicam incidiſſe in Dominicam: 1. ex Traditione Eccleſiæ, fundata, ut dictum eſt, in Conſtitutionibus Apoſtolicis, S. Aug. & Leone. Quod vero prior Sententia reponat duo priora opera eſſe apocrypha, & unum S. Leonem non facere Traditionem; reſpondetur ex operibus apocryphis erui poſſe Traditionem illorum temporum, in quibus fuere ſcripta: Conſtitutiones autem Apoſtolicas eſſe vetuſtiſſimas, cum laudentur ab Euſebio l. 3. Hiſt. Ecc. c. 25. ab Athanaſio in Ep. Feſtali, & ab Epiphanio hom. 45. & hom. 70. qui cum longe præceſſerint S. Leonem, patet ipſum non fuiſſe hujus traditionis auctorem: neque ſane veriſimile eſt SS. Pontificem id ſcripſiſſe, ſi in Eccleſiæ Traditionibus ratum non inveniſſet. 2. Quia manipulus non potuit meti & offerri 2. die azymorum, quæ hoc anno incidebat in Sabbatum, ſed tantum 3. die quæ erat feria prima, nunc Dominica, prohibitio enim non metendi in Sabbato afficiebat non ſolum communem meſſem, ſed etiam particularem manipuli offerendi, ut colligitur ex his verbis Levitici 23. v. 25. *Numerabitis ergo ab altero die Sabbati, in quo obtuliſtis manipulum primitiarum, ſeptem hebdomadas plenas*. Hæc enim verba, *ab altero die Sabbati*, videntur ſignificare diem ſequentem Sabbatum & non Paſcha, præſertim cum in Hebræo textu legatur, a craſtino ceſſationis. Neque multum urgent ut commentaria Rabbinorum, quæ ſunt fabulis referta. Quod vero opponitur ex Joſepho l. 3. antiquit. c. 10. dicente ritum manipuli *eſſe 2. azymorum die, eſt autem illa decima ſexta*. Reſpondent Joſephum intelligendum eſſe de ordinaria communique ratione temporum, non de particulari, quando 4. dies azymorum incidit in Sabbatum, ut contingit iſto anno.

Tertia Reſponſio eſt Laurentii Berti, qui medium viam init. Admittit Pentecoſten Judaicam incidiſſe hoc anno in Sabbatum propter rationes primæ Reſponſionis; at vult Spiritum S. non deſcendiſſe in Diſcipulos Sabbato, ſed die ſequenti, quæ nunc eſt Dominica: quia auctores, in quibus fundatur Traditio, de qua ſupra, non dicunt Spiritum S. adveniſſe quinquageſima die ab oblatione manipuli, ſed a Reſurrectione Domini. Et quantum ad verba Lucæ dicentis: *Cum complerentur dies Pentecoſtes, factus eſt de cœlo ſonus*, &c. Suppoſito quod intelligantur de Pentecoſte Judæorum, dicit iis ſignificari diem primum Pentecoſtes eſſe completum, quia textus græcus reddit hunc ſenſum: *Iniſſe completam diem Pentecoſtes*, cui conformes ſunt Interpretes Arabs & Syrus Tom. 5. Polyglot. qui vertunt; *cum igitur completos eſſe dies Pentecoſtes*. Quam voluerit Reſponſionem, eligat Lector.

Petes, utrum unam vel plures cœnas Chriſtus habuerit pridie Paſſionis? R. Probabile eſt Chriſtum triplicem cœnam pridie mortis habuiſſe, Primam legalem, in qua comedit Agnum Paſchalem. Secundam communem & uſualem. Tertiam Sacramentalem; ita ut in cœna uſuali, vel immediate poſt ipſam, Euchariſtiam inſtituerit. Dicitur enim Euchariſtiam inſtituiſſe *cœnantibus Diſcipulis* Matth. 26. *Poſtquam cœnavit* Luc. 22. *Poſtquam cœnatum eſt* in Canone Miſſæ, quod vix intelligi poteſt de eſu Agni Paſchalis, qui in Scriptura non dicitur Cœna, ſed Phaſe ſeu Paſcha. Hunc itaque ordinem videtur fuiſſe ſervatum. Inprimis Chriſtus comedit Agnum Paſchalem cum ſuis Diſcipulis. Deinde cœnavit cœna uſuali, & nondum ſublatis menſæ reliquiis Euchariſtiam inſtituit, quam omnibus Apoſtolis præſentibus, etiam Judæ, ut dicam infra, diſtribuit. Poſtea Sermonem habuit de ſui proditione, deditque buccellam ſeu panem reſiduum ex cœna uſuali juſcelo intinctum Judæ, qui continuo exivit: id enim erat ſignum, quo ſoli Joanni ſuum proditorem indicaverat. Joan. 13.

DIGRESSIO HISTORICA

De Inſtitutione Feſti Corporis Chriſti: Nec non de Auctore illius Officii.

AD CONSECTARIUM 2. §. 4. 1. PRÆCED. DISSERT.

SECTIO I.

Quæ fuerit prima origo & occaſio inſtitutionis Feſti Corporis Chriſti.

I. FESTUM Corporis Chriſti ab Urbano IV. fuiſſe inſtitutum anno 1264. extra dubium eſt. Hæc autem fuit hujus inſtitutionis prima origo & occaſio. Florebat in Monaſterio Corneli-montis prope Leodium Monialis nomine Juliana ſanctitate conſpicua, Urbano IV. dum eſſet Archidiaconus Leodienſis, apprime nota. Hæc a teneris annis venerabilis Sacramenti cultui ſpecialiter addicta, quoties orationi vacabat, toties ipſi apparebat luna plena cum aliqua parva ſciſſura. Tentationem ſuſpicata diu oravit, ut ab hac viſione liberaretur, ſed fruſtra. Tum ejus ſignificationem deprecata, illi interius reſponſum fuit luna plena Eccleſiam ſignificari, ſciſſura vero defectum Feſti ſolemnis in honorem venerabilis Sacramenti, ipſique injunctum, ut hoc Feſtum ipſa primo celebraret, aliiſque illud celebrandi obligationem indicaret.

II. Verum cum id munus non ſibi mulieri infirmæ, ſed viris eruditione & dignitate in Eccleſia conſpicuis competere arbitraretur, viſum diu ſilentio obvolvit, nec niſi poſt viginti annos & amplius illud Joanni e Lauſenne Canonico S. Martini Leodienſis aperuit. In hac de re Jacobum Pantaleonem tunc Archidiaconum Leodienſem, poſtea ſum. Pontificem Urbanum IV. Hugonem a S. Charo Provincialem Ordinis Prædicatorum, deinde Cardinalem, Guiardum Epiſcopum Cameracenſem & plures Theologos conſuluit, qui omnes uno ore judicarunt æquum fore & Eccleſiæ utile, ſi Feſtum Corporis Chriſti ſpeciali & ſolemni ritu celebraretur. His auditis Juliana F. Joanni Leodienſi Officium Feſti componendum commiſit. Robertus vero Epiſcopus & Princeps Leodienſis, contradicentibus licet quibuſdam Eccleſiaſticis Leodienſibus, Feſtum ſolemne Corporis Chriſti feria 5. poſt Octavam Pentecoſtes quotannis in ſua Diœceſi celebrandum Ep. encyclica inſtituit anno 1240. indicto jejunio in ejus vigilia.

III. Anno ſequenti 1247. Canonici S. Martini Leodienſis omnium primi iſtud Feſtum ſolemniter celebrarunt, Hugone a S. Charo tunc Cardinali & in Germania Legato Officium in Pontificalibus peragente; qui & de ſubjecta materia eloquenter peroravit, atque omnibus ſuæ le-

ga-

gationis fidelibus idem Feſtum eadem die ſolemniter celebrare mandavit.

IV. Roberto mortuo plures e Clero Leodienſi adverſus novum Feſtum inſurgunt, revelationes Monialis Julianæ ut mera ſomnia propalant, eamque ita inſequuntur ac vexant, ut ſolum mutare & Leodio exulare cogatur. Moritur anno 1252. & ut ſancta in Provincia colitur. Erat autem illi amica quædam recluſa ad S. Martinum Leodenſem nomine *Eva*, quæ cum audiſſet Urbani IV. ad ſum. Pontificatum promotionem, egit per amicos apud Henricum Principem Leodienſem, ut a ſum. Pontifice hujus Feſti inſtitutionem in tota Eccleſia peteret; quod præſtitit Henricus.

V. Summus Pontifex memor revelationum S. Julianæ & eorum, quæ jam fuerant peracta Leodii circa id feſtum, ipſo præſente & coagente, dum illic eſſe Archidiaconus, item motus rationibus, quas in noſtro Confectario deduximus, Principis Leodienſis precibus annuit, & data Bulla anno 1264. Feſtum ſolemne Corporis Chriſti toti Eccleſiæ celebrandum feria 5. poſt octavam Pentecoſtes indixit, conceſſis 100. diebus indulgentiæ iis, qui matutinis hujus Feſti adeſſent, tot pro Miſſa, tot pro utriſque Veſperis, 40. pro prima, tertia, ſexta, nona & completorio, 100. pro integro Officio in qualibet die octavæ. Nullum in hac Bulla præcipitur jejunium in Vigilia, neque ulla fit mentio Proceſſionis, quæ poſtea fuit inſtituta.

VI. Hanc Bullam Urbanus direxit ad Evam Recluſam Martinianum adjunctis litteris, quibus ſignificabat, tandem ejus votis de celebrando ſolemni Feſto Corporis Chriſti eſſe ſatisfactum. Inſuper eidem miſit Officium hujus Feſti, mandans, ut copiam petentibus liberaliter & libenter exhiberet.

SECTIO II.

Quis ſit Auctor Officii Feſti Corporis Chriſti.

COMMUNIS Doctorum & Indoctorum ſenſus eſt S. Th. Aquinatem eſſe Auctorem Officii, quod Eccleſia in Feſto Corporis Chriſti legit. Hanc illi gloriam mortalium primi eripere aliquando tentarunt quidam recentiores Hiſtorici, contendentes F. Joannem Leodienſem ex directione S. Julianæ totum hoc Officium compoſuiſſe, excepto Hymno *Sacris Solemniis*, quod fatebantur eſſe D. Thomæ, & ipſum S. Doctorem iſtud Joannis Officium in meliorem formam tantum redegiſſe. Verum a noſtris moniti, & de veritate plenius inſtructi errorem agnoverunt & retractarunt. Quapropter breviter

Dico. Integrum Officium venerabilis Sacramenti, quale legitur inter opuſcula D. Th. num. 57. & ab univerſa Eccleſia Latina canitur, opus eſt genuinum S. Doctoris. Prob. F. Joannes Columna Archiepiſcopus Meſſanenſis, S. Thomæ coævus, in opere de viris illuſtribus, de S. Th. hæc inter alia habet: *Compoſuit autem & hic felix, & ſanctus Doctor Officium de Corpore Chriſti, quo devotius in Eccleſia Dei non dicitur, nec cantatur.* Sic legitur in ipſo codice MSS. Venetiis in Conventu SS. Joannis & Pauli aſſervato. Guillelmus de Thoco, & ipſe S. Thomæ coætaneus, & Canonizationis ejus promotor in ejus vita apud Bolland. ad diem 7. Martii c. 5. *Scripſit*, inquit, *S. Thomas Officium de Corpore Chriſti de mandato Urbani Papæ, in quo omnes, quæ de hoc ſunt Sacramento, veteres figuras & veritates, quæ de nova ſunt gratia, compilavit.* Tholomæus Lucenſis Epiſcopus Torcellanus S. Thomæ Diſcipulus l. 22. c. 24. de S. Doctore ſic habet: *Scripſit ... Officium etiam de Corpore Chriſti ex mandato Urbani ... Hoc autem fecit completa, & quantum ad lectiones, & quantum ad totum Officium tam diurnum, quam nocturnum, quam etiam ad Miſſam, & quidquid illa die cantatur. In qua hiſtoria, ſi attendimus ad verba ſcribentis, quaſi omnes figuræ veteris Teſtamenti in hoc Officio videntur contineri luculento & proprio ſtylo, adaptatæ ad Euchariſtiæ Sacramentum.* Idem ſcribunt Bernardus Guidonis, S. Antoninus, & Valleoletanus. His ſuffragantur Scriptores pene innumeri ex omni natione, Ordine & Religione, Dionyſius Carthuſianus, Jacobus Bergom. Platina, Onophrius, Joannes Major, Joannes Chapeavilleus, Bartholomæus Fiſen, Poſſevinus, Bellarminus, Labbeus, Aſorius, Spondanus, Odoricus Raynaldus, &c. ipſi etiam Hæretici Magdeburgenſes.

Confir. 1. Urbanus IV. mittens Evæ Leodienſi Officium hujus Feſti dicit: *Et quia quaternum, in quo ipſius Feſti habetur Officium, tibi ſub Bulla noſtra per latorem præſentium deſtinamus, volumus, & per Apoſtolica ſcripta tibi mandamus, quatenus quaternum ipſum cum devotione recipias, & ejus copiam perſonis illam petentibus exhibeas liberaliter & libenter.* Atqui Pontifex non miſit ad Evam Martinianam Officium compoſitum a F. Joanne Leodienſi, cum jam Leodii in Eccleſia S. Martini legeretur, nec ſolum Hymnum *Sacris ſolemniis*, ad quem non fuiſſet neceſſarius quaternio, ſed in ipſa Ep. deſcribi potuiſſet. Quodnam autem aliud, quam Officium ejus juſſu a S. Th. compoſitum? Unde D. Fleury ad an. 1264. *C'eſt l'Office du S. Sacrament, que le Pape avoit fait compoſer par S. Thomas d'Aquin, & que nous diſons encore.*

Confir. 2. Cum F. Elias Raymundi, Ord. Prædicatorum Generalis Magiſter, vindicans corpus S. Thomæ in ipſo Feſto Corporis Chriſti, diceret: *S. Thomas ad mandatum Urbani Papæ ordinavit Officium hodiernum*, acclamaverunt decem Cardinales præſentes, *S. Thomam Feſti corporis Chriſti Officium veraciter & excellenter, ſubtiliter & mirabiliter ordinaſſe.* Ita refertur in hiſtoria tranſlationis corporis S. Thomæ a teſte oculari conſcripta. Nec te moveat vox *ordinavit*, quaſi S. Doctor Officium tantum in meliorem formam redegerit, & non totum compoſuerit. Norunt enim linguæ Latinæ periti, To *ordinare* quandoque idem ſignificare ac ex integro componere, ſic Tertul. lib. de orat. ſcripſit *Orationem Dominicam a Chriſto ordinatam*, & hanc ſignificationem hic habere aperte innuunt adjuncta adverbia *Veraciter, excellenter, ſubtiliter*. Quæ enim, amabo, tanta veracitas, tanta excellentia, ſubtilitas, &, ut ita dicam, mirabilitas requiritur aut reperitur, ubi agitur tantum de redigendo Officio, jam compoſito, in meliorem formam?

Si opponas: in veteri Directorio Eccleſiæ S. Martini Leodii præſcribi præter Hymnum Matutinarum, omnia, quæ continent Officium, quod canit Eccleſia, & quod dicitur eſſe S. Thomæ, & plura alia, quæ conſtant eſſe propria Officii, quod compoſuit F. Joannes Leodienſis ex directione S. Julianæ. Ergo Officium, quod tribuitur S. Thomæ eſt pars Officii, quod compoſuit F. Joannes. R. N. Conſeq. ut enim inferretur ex Antecedente, deberet probari hoc vetus Directorium fuiſſe ſcriptum ante Officium S. Thomæ, aut ſaltem priuſquam innoteſceret Eccleſiæ Leodienſi, quod cum probari non poſſit, imo nec ætas iſtius Directorii notetur, nihil ex illo erui poteſt contra aſſertam concluſionem & ejus probationes; ſed omnino probabile eſt, quod obſervat Fiſen in opere inſcripto: *Origo prima Feſti Corporis Chriſti*, Eccleſiam S. Martini Officium S. Thomæ recepiſſe, ſervatis tamen aut additis quibuſdam ex Officio F. Joannis, ut inde probaretur apud poſteros, Officium Corporis Chriſti prius fuiſſe in ſua Eccleſia celebratum, quam ejus Feſtum ſolemne in tota Eccleſia ab Urbano IV. inſtitueretur. A quibuſdam aliis levioribus inſtantiis ſuperſedeo, quia earum ſufficientiam tandem ipſimet agnoverunt, qui oppoſuerant.

DISSERTATIO III.

DE MATERIA SACRAMENTI EUCHARISTIÆ.

Div. Thom. Quæſt. 74.

ARTICULUS I.

Utrum panis & vinum ſint materia Sacramenti Euchariſtiæ?

CIRCA materiam hujus Sacramenti multipliciter erratum eſt. (*Hic q.74.a.1.o.*) Quantum ad panem; quidam, qui dicuntur Artotyritæ, ex Aug. l. de Hæreſ. c. 28. offerebant panem & caſeum in hoc Sacramento, dicentes a primis hominibus oblationes de fructibus terræ & ovium fuiſſe celebratas. Quidam ſcilicet Cataphrygæ & Pepuziani de Infantis ſanguine, quem de toto ejus corpore minutis punctionum vulneribus extorquebant, Euchariſtiam ſuam conficere perhibentur; ſeu, ut refert Epiphan. Hæreſ. 26. Infantem abortivum in Mortario contundebant, cui diverſa aromata admiſcebant, & ex quo delibabant digito, *Atque id perfectum eſſe Paſcha exiſtimabant*. Quidam, Gnoſtici ſcilicet, quos præ pudore tacet D. Th. corpus Chriſti teſte eodem Epiphan. ibid. in pane ſemine humano conſperſo conficiebant. Quantum ad vinum; (*Ibid.*) multi ſolam aquam adhibebant; quidam ſub ſpecie ſobrietatis, & hi dicebantur Hydroparaſtatæ ſeu Aquarii; quidam eo quod vinum eſſe a malo principio crederent, ut Manichæi, Encratitæ & Ebionitæ; quidam metu perſecutionis, ne ex odore vini deprehenderentur eſſe Chriſtiani, ex Cypriano Epiſt. 63. Alii

Digitized by Google

pro vino lac adhibebant, ex Concilio Carthag. 397. Alii uvas integras, ex Concilio Braccar. 675.

Dico 1. (*Ib.*) Panis & vinum ſunt materia Sacramenti Euchariſtiæ. Eſt de Fide deciſa in Concil. Lat. c. *firmiter*; in Florent. in Decreto unionis; in Trid. ſeſſ. 13. in omnibus ferecapitibus. Concinit unanimis traditio utriuſque Eccleſiæ Græcæ & Latinæ. Prob. ex Scriptura. (*Ib.*) Ea eſt materia Sacramenti Euchariſtiæ, quam Chriſtus in eo inſtituendo adhibuit. Atqui Chriſtus in hoc Sacramento inſtituendo adhibuit panem & vinum. Ergo. Min. conſtat ex quatuor Evangeliſtis, ſpecialiter ex Matth. 26. ubi ſic legitur: *Cœnantibus autem eis, accepit Jeſus panem, & benedixit ac fregit, deditque Diſcipulis ſuis, & ait: Accipite & comedite: Hoc eſt corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes: Hic eſt enim ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis, uſque in diem illum, cum illud bibam vobiſcum novum in regno Patris mei.* Per calicem autem communi. Scripturæ phraſi intelligitur vinum, ſed & ſignanter exprimitur his verbis: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis.*

Suffragantur congruentiæ. (*Ib.*) 1. Sicut aqua aſſumitur in Sacramento Baptiſmi ad uſum ſpiritualis ablutionis, quia corporalis ablutio communiter fit in aqua; ita panis & vinum, quibus communius homines reficiuntur, convenienter aſſumuntur in hoc Sacramento ad uſum ſpiritualis manducationis ſeu convivii. 2. Effectus Euchariſtiæ reſpectu totius Eccleſiæ eſt unio fidelium cum Chriſto & inter ſe in unum corpus myſticum, juxta illud 1. Cor. 10. *Unus panis, unum corpus multi ſumus, omnes qui de uno pane participamus.* Ergo convenienter ad materiam hujus Sacramenti aſſumuntus panis, qui conficitur ex diverſis granis, & vinum, quod fluit ex diverſis uvis.

Sed difficultas eſt, qui panis & quod vinum ſint materia hujus Sacramenti? Pro cujus reſolutione

Dico 2. (*Ibid. a. 3. o.*) Solus panis triticeus eſt materia legitima Sacramenti Euchariſtiæ. Prob. 1. ex Florent. in Decreto citato, ubi dicitur: *Tertium eſt Euchariſtiæ Sacramentum, cujus materia eſt panis triticeus & vinum de vite.* Neque dicas cum Cajetano, Concilium aſſignare materiam principalem & magis certam, adeoque ſignificare eſſe neceſſariam neceſſitate præcepti, non tamen Sacramenti; contra eſt enim, quod eo modo loquatur de pane & vino pro materia hujus Sacramenti, ac de aqua pro materia Baptiſmi, & de chriſmate pro materia Confirmationis. In his autem aſſignavit materiam, quæ eſt de neceſſitate Sacramenti. Item aqua eſt neceſſaria neceſſitate præcepti in hoc Sacramento, & tamen non dixit Concilium eſſe materiam Sacramenti.

Prob. 2. ex perpetua Traditione utriuſque Eccleſiæ Græcæ & Latinæ. Prob. 3. Ratione. (*Ibid.*) Materia legitima Sacramenti corporis Chriſti eſt ille panis, quo homines communius utuntur in ſuis refectionibus. Atqui inter alios panes communius homines utuntur pane triticeo; nam alii panes videntur introducti in hujus panis defectum. Ergo. Min. patet. Prob. Maj. Ad uſum Sacramentorum, ut jam dictum eſt, aſſumitur talis materia, quæ communius apud homines in talem uſum venit, ut in Baptiſmo aqua ad ablutionem. Quia non eſt veriſimile Chriſtum alio pane quam uſuali, eoque meliori, nempe triticeo, in tam ſolemni Feſto & eſu Agni Paſchalis uſum fuiſſe, præſertim cum panes propoſitionis, qui erant figura hujus Sacramenti, confici deberent ex ſimila, Levit. 24. ideſt ex flore farinæ triticeæ.

Dices 1. Omnis ſanguis eſt ejuſdem ſpeciei, licet ex diverſis cibis generetur. Ergo ſimiliter omnis panis eſt ejuſdem ſpeciei, licet ex diverſis granis conficiatur. R. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod licet materia remota ſanguinis ſint diverſi cibi, proxima tamen eſt una ſcilicet chylus, non autem omnis materia proxima panis eſt ejuſdem ſpeciei.

Dices 2. Quodlibet vinum eſt materia Conſecrationis, Ergo etiam quilibet panis. R. N. Conſeq. Imprimis obſtat Traditio Eccleſiæ, quæ ſtat pro quolibet vino de vite, non pro quodlibet pane. Deinde omnia vina ſunt ejuſdem ſpeciei eſſentialis, differunt autem accidentaliter tantum. At omnes panes ex granis diverſæ ſpeciei confecti non ſunt ejuſdem ſpeciei. Tandem quodlibet vinum de vite eſt, & dicitur ſimpliciter vinum, & in uſu communi venit; at non quilibet panis eſt, & dicitur ſimpliciter panis, nec in uſu communi venit, ſed ſolus panis triticeus.

Inſt. In certis locis panis alius, quam triticeus, eſt in uſu. Ergo. R. D. Ant. Eſt in uſu per accidens, & ex defectu panis triticei, C. In uſu ſimpliciter & abſolute, N. Sic in certis Provinciis cereviſia aut pomaceum vinum eſt in uſu per accidens ex defectu vini, non tamen eſt materia Conſecrationis.

Urgebis. Poſſet contingere, quod omnes homines uterentur alio pane, quam triticeo. Ergo tunc ſaltem panis triticeus non eſſet materia Conſecrationis. R. N. Conſeq. quia non ex uſu, qui poſſet contingere, colligimus materiam Euchariſtiæ, ſed ex uſu, qui vigebat tempore Chriſti.

Inſiſtes. Poſſum in formis Sacramentorum uti verbis ſignificantibus in aliqua Provincia, licet nihil aut non idem ſignificent in alia Provincia. Ergo ſimiliter de materia. R. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod verba valeant ſecundum ſenſum, & non ſecundum ſonum vocis; cum autem ſint ſigna ad placitum, diverſa verba poſſunt habere eundem ſenſum. At quod hæc materia ſit vel non ſit triticum, non eſt ex placito hominum, ſed ex natura rei.

Hinc inferes 1. invalidam fore conſecrationem in pane ex fabis, piſis, caſtaneis, item ex hordeo, avena, milio, farre, quia hæc licet ſint ſpecies frumenti, differunt tamen ſpecie a tritico. Dubitatur de ſiligine & ſpelta. Auctor admittit ſiliginem, rejicit ſpeltam. Si ſiligo ſtricte ſumatur, prout ſumitur a Plinio l. 18. c. 8. & ab Iſidoro l. 17. Etymolog. c. 3. pro candidiſſima ſpecie tritici, unde ſiligo quaſi ſelectum, non eſt dubium, quin ſit materia idonea conſecrationis. At videtur, quod S. Th. ſumat hic ſiliginem, prout ſumit vulgus, ſcilicet pro ſecali, vulgo *Seigle*: Sic enim loquitur: (*Ib. ad 2.*) *Generans generat ſibi ſimile in ſpecie. Fit tamen aliqua diſſimilitudo generantis ad genitum, quantum ad accidentia, vel propter materiam, vel propter debilitatem virtutis generantis. Et ideo ſi qua frumenta, quæ ſemine tritici generari poſſunt, ſicut ex grano tritici ſeminato in malis terris naſcitur ſiligo, ex tali frumento panis confectus poteſt eſſe materia hujus Sacramenti.* Id autem negant nonnulli, inter quos Silvius; quia, inquiunt, ſubinde accidit, ut ex tritico in malis terris ſeminato oriatur etiam avena. Alii, inter quos Steyaertius in Aphoriſm. de Sacram. p. 1. ſect. 4. §. 2. n. 4. dicunt ſiliginem ſeu ſecale in quibuſdam terris, ut notum eſt in Brabantia, naſci paſſim ex tritico tanquam ſemine, & non tantum per quandam corruptionem, uti extraordinarie ſteriles avenæ, vel ut apes ex bove. Quantum ad ſpeltam, eam S. Doctor (*Ib.*) contradicentibus quibuſdem rejicit, quia, inquit, ſimilitudo in talibus magis videtur ſignificare propinquitatem, quam identitatem ſpeciei, ſicut ex ſimilitudine figuræ manifeſtatur, quod canis & lupus ſint propinquæ ſpeciei, non autem ejuſdem. Ex his conclude ſiliginem ſeu ſecale & ſpeltam eſſe materiam dubiam; ideoque non eſſe licitum in illa conſecrare etiam in neceſſitate, nimirum vel quod homo moreretur ſine viatico, vel quod populus maneret ſine Miſſa in die Feſto; quia gravius eſt, quod Sacramentum exponatur periculo nullitatis propter materiam dubiam, quam quod infirmus moriatur ſine Viatico, aut Populus maneat ſine Miſſa; cum hæc non ſint abſolute neceſſaria ad ſalutem. Non ſatis attente Franciſcus Hænno legit noſtrum Gonetum hic diſp. 3. a. 1. §. 2. dum illi affingit ſententiam contrariam.

Inferes 2. (*Ib. ad 4.*) Quod ſi ſit tanta corruptio panis, quod ſolvatur ſpecies panis; ſicut cum continuitas ſolvitur & ſapor, color, aliave accidentia mutantur, ex tali materia non poſſit confici corpus Chriſti. Quando vero non eſt tanta corruptio, ut ſpeciem ſolvat, ſed aliqua diſpoſitio ad corruptionem; quod declarat aliqua immutatio ſaporis, ex tali pane poteſt confici corpus Chriſti, ſed peccat conficiens propter irreverentiam Sacramenti. Et quia amidum eſt ex tritico corrupto, ſicut acetum ex vino, non videtur, quod panis ex eo confectus poſſit fieri corpus Chriſti, quamvis quidam contrarium dicant.

Inferes 3. Panem etſi triticeum, ſed vel confectum cum aqua roſacea, lacte aut quocumque alio liquore, qui non ſit aqua naturalis, vel frixum in ſartagine, ſive ſole torridum, ſive maſſam farinæ crudam non eſſe conſecrabilem; quia non eſt panis uſualis, ideoque ſpecie morali differt, etſi forte non phyſica. Nec enim voluit Chriſtus, ut bene advertit Sylveſter ex Scoto, nos aſtringere in Sacramentis ad iſtas diſtinctiones ſubtiles de differentiis ſpecificis phyſice, ſed voluit haberi talem panem triticeum, quo communius homines utuntur, & qualem ipſe conſecravit. Inferes 4. (*Ib. ad 3.*) Quod ſi fiat modica admixtio alterius frumenti ad longe majorem quantitatem tritici, aut alterius liquoris ad longe majorem quantitatem aquæ, remaneat materia Sacramenti, quia modica permixtio non ſolvit ſpeciem, ſed modicum abſumitur a plurimo; ſecus ſi foret magna permixtio, puta ex æquo aut quaſi ex æquo. Idem cenſe de mixtione alterius liquoris cum vino pro conſecratione calicis.

Dico 3. (*Ibid. art. 5. o.*) Solum vinum de vite eſt materia idonea calicis. Conſtat, ut præcedens Concluſio, ex Concilio Florent. & ex perpetua Traditione Eccleſiæ. Inſuper prob. (*Ibid.*) 1. ex inſtitutione Chriſti, qui in vino vitis hoc Sacramentum inſtituit, ut patet ex eo, quod ipſe dicit Matth. 26. circa inſtitutionem hujus Sacramenti: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis.* 2. Ad materiam Sacramentorum, ut jam dictum eſt, aſſumitur id, quod proprie & communiter habet ta-

ſem ſpeciem. Atqui propriè vinum dicitur, quod de vite ſumitur, alii vero liquores vinum dicuntur ſecundum quandam ſimilitudinem ad vinum vitis. Ergo.

Quędam argumenta, quę de pane triticeo ſunt propoſita, poſſent etiam opponi de vino vitis, & eodem modo ſolvi. Inſuper objicitur. Vinum non ubique creſcit. (*Ibid. ad* 2.) R. quod licet non in omnibus terris naſcatur triticum vel vinum, tamen de facili ad omnes terras deferri poteſt, quantum ſufficit ad uſum hujus Sacramenti.

Inſt. Volteranus l. 7. Geographiæ refert Innocentium VIII. permiſiſſe Norvegis, ut abſque vino conſecrarent, quod ob immenſa frigora vinum in ea Regione importatum aceſcat. Item Fumus refert Alexandrum VI. Innocentii Succeſſorem ad eandem licentiam concedendam fuiſſe propenſum. R. Volteranum in ſua narratione deceptum fuiſſe falſis litteris & privilegiis Innocentii confictis a duobus ſceleratis, qui ideo extremo ſupplicio pœnas luerunt. Vide Raynaldum ad an. 1490. Baronium ad eundem annum, & alios in vitis Pontificum. Fallitur pariter Volteranus, dum dicit vinum non facile aſſervari in Norvegia, cum conſtet vinum longe minus aceſcere in frigidis, quam in calidis Regionibus. Quantum ad Alexandrum VI. Natalis Alexander de Euchar. a. 3. prop. 4. Reg. 3. dicit Fumum hæc referre ex vagis incertiſque rumoribus, atque fateri ſummum Pontificem re plenius diſcuſſa mutaſſe ſententiam.

Hinc inferes 1. quodvis vinum de vite ſive album ſive rubrum, ſive Gallicum ſive Hiſpanicum eſſe materiam hujus Sacramenti, quia vina vitis, ut jam dictum eſt, non differunt niſi accidentaliter, aut ſi forte ſpecie phyſica, ut quidam volunt, non tamen morali, nec in ordine ad communem uſum menſæ. Inſuper Chriſtus determinavit ſimpliciter & præciſe vinum de vite, quodlibet autem verum vinum eſt de vite. Intellige tamen etiam vinum miraculoſe productum, quale fuit in Cana Galileæ, quia licet non creverit ex vite, habet tamen ſubſtantiam veri vini de vite. Inferes 2. (*Ib. ad* 2.) E contra Acetum non eſſe materiam conſecrabilem, quia fit ex vino ſubſtantialiter corrupto. Poteſt tamen conſecrari vinum aceſcens, ſicut panis, qui eſt in via ad corruptionem, licet peccet conſecrans, ut dictum eſt. Et de vino aceſcenti intelligendus eſt Innocentius I. de officio Miſſæ c. 4. dum dicit, *ſive vinum acidum, quod appellatur acetum, in Sacrificium offeratur, Sacramentum conficitur.* Patet ex eo quod ante dixerat, quod *vitium vini non maculat munditiam Sacramenti.* Supponit ergo adhuc eſſe vinum.

Inferes 3. (*Ibid. ad* 3.) ex agreſta gallice *Verjus*, quæ ex uvis immaturis exprimitur, non poſſe confici hoc Sacramentum, quia eſt tantum in via generationis, & ideo nondum habet ſpeciem vini, ſecus de muſto ſeu vino recenter expreſſo, quod jam habet ſpeciem vini. Prohibetur tamen, ne muſtum ſtatim expreſſum de uvis in calice offeratur; quia hoc eſt indecens propter impuritatem muſti, niſi in neceſſitate. Unde dixit Julius Papa de Conſecr. d. 2. cap. *Cum omne crimen: Si neceſſe fuerit, botrus in calice exprimatur.* Inde tamen non ſequitur ipſum botrum ſeu ſuccum in eo incluſum poſſe conſecrari, quia vel non eſt vinum, vel non eſt ibi per modum potabilis. Nec eſt ſimile de vino incluſo in dolio, quia vinum eſt in dolio, non ut pars ejus, ſed ut aliquo totum in ſuo continente contentum; ſecus autem in uva, non eſt enim ibi ut aliquid totum in ſuo continente, ſed eſt pars uvæ. Idem cenſendum videtur de vino totaliter pani imbibito, quia licet remaneat vinum, non eſt tamen in eo ſtatu per modum potus, ſed potius cibi. Unde non dicitur vinum, ſed potius panis aut offa, foretque tunc magis materia conſecrationis corporis quam ſanguinis.

Major eſt difficultas eſt de vino congelato, an ſit materia apta conſecrationi. De vino ſuperficialiter congelato affirmant quidam, negant de vino totaliter congelato; quia, inquiunt, iſtud dicitur ſimpliciter glacies; primum autem dicitur vinum congelatum; ſed inſufficiens nobis videtur, & infundata hæc diſtinctio; ſuperficies enim vini congelata nec eſt, nec dicitur minus glacies, quam totum vinum ſit, & dicatur glacies, ſi totum foret congelatum. Quapropter inde ſequitur tantum, quod vinum liquidum ſub glacie ſit quidem conſecrabile, non vero ipſa ſuperficies congelata. Relicta itaque hac diſtinctione multi probabiliter putant vinum ſive ſuperficialiter ſive integre congelatum eſſe materiam conſecrabilem, tum quia remanet ſubſtantialiter vinum, cujus ſignum eſt, quod liquafactum retineat eundem colorem, odorem & ſaporem, licet non nihil attenuatum; tum quia Rubricæ Miſſalis jubent vinum poſt Conſecrationem congelatum liquefieri, & deinde ſumi ut verum Sacramentum; ſupponunt ergo vinum congelatum retinere corpus Chriſti: quod autem poteſt retinere, poteſt recipere, modo ſit materia demonſtrabilis (quod addo, quia ſi ſeparetur particula tam minuta, ut non foret ſenſu perceptibilis, in hoc caſu equidem retineret corpus aut ſanguinem Chriſti, & tamen non poſſet primo conſecrari; quia non eſſet demonſtrabilis ad ſenſum per ly Hoc vel Hic). Nec obſtat, inquiunt, aquam congelatam non eſſe materiam aptam Baptiſmi; diſparitas eſt enim; materiam proximam Baptiſmi eſſe ablutionem, quæ fieri non poteſt aqua congelata: ſed Eucharistia non conſiſtit in aliqua actione ſcilicet prolatione verborum ſeu manducatione, ſed in ſpeciebus permanentibus in ordine ad potationem ſeu manducationem; vinum autem congelatum eſt adhuc ſimpliciter potus, & de facili per liquefactionem proxime potabilis. His non obſtantibus multi negant vinum congelatum eſſe materiam validè conſecrabilem, præſertim quia in eo ſtatu non eſt magis per modum potabilis, quam vinum pani imbibitum, quod dicebamus modo non eſſe materiam conſecrabilem. Quapropter pro praxi vinum congelatum debet cenſeri materia dubia, a cujus proinde conſecratione omnino eſt abſtinendum, ſicut & ab omni alia, quæ vel auctoritatum, vel rationum oppoſitarum pondere cenſetur dubia.

ARTICULUS II.

Utrum hoc Sacramentum debeat confici in Azymo?

§. I. *De Antiquitate uſus Azymi & fermentati tam in Eccleſia Latina quam Græca.*

S. Thomas in 4. diſt. 11. q. 2. a. 2. quæſtiunc. 3. refert Apoſtolos in primitiva Eccleſia celebraſſe in azymo; quem morem, inquit, Romana Eccleſia ab Apoſtolis, qui ipſam fundaverunt, accepit, ut Innocentius III. de Myſteriis Miſſæ l. 4. c. 4. in fine dicit (florebat an. 1216.): ſed poſtea ut dicit Leo Papa IX. quam citat Innocentius ibid.) florebat autem Leo an. 1054.) imminente Hæreſi Ebionitarum circa an. Chriſti 70. qui dicebant ſimul cum Evangelio legalia obſervanda, & hac ratione in azymo conſecrabant, Sancti Patres, ne eis conſentire viderentur, voluerunt ad tempus inſtinctu Spiritus S. ex fermentato confici Sacramentum; poſtea ceſſante illa hæreſi, Eccleſia Romana ad priſtinum morem rediit, ita præcipiente Alexandro I. circa an. Chriſti 131. ut legitur in ejus vita apud Platinam, item apud Barlaamum Hyeracenſem Epiſcopum in Ep. ad Græcos, & Radulfum Tungrenſem lib. *de Canonum obſervantia*, Propoſitione 23. Græci autem ſervare voluerunt morem ad tempus a Patribus introductum, ulterius addentes non poſſe confici niſi in fermentato. Hucuſque S. Doctor paucis additis. Idem referunt Alex. Hylenſis, S. Bonaventura, Scotus, Durandus, & veteres Scholaſtici.

II. Hanc narrationem ut falſam rejiciunt plerumque Recentiores propter ſilentium veterum. Et quantum ad Eccleſiam Græcam contendunt uſum fermentati ſemper in ea viguiſſe; idque colligunt ex Patribus Græcis, qui panem conſecrandum vocant *communem & uſitatum*. Excipiunt tamen Armenos & Maronitas, qui nunc conſecrant in azymo. Verum dato quod per panem *communem & uſitatum* Patres Græci intellexerint fermentatum, nihil officit veritati narrationis D. Thomæ & veterum Scholaſticorum, ſi quidem laudati Patres floruerint & locuti fuerint poſt exortam hæreſim Ebionitarum, quo tempore conceditur apud Græcos uſque nunc viguiſſe uſum fermentati. Quantum ad Eccleſiam Latinam, Sirmundus in diſquiſitione de azymo contendit uſum fermentati primis 800. annis & amplius viguiſſe in Eccleſia non ſolum Græca ſed etiam latina: Azymorum autem uſum in Eccleſiam Latinam irrepſiſſe eo tempore, quod a Photiano Schiſmate ad Michaelem Cærularium effluxit, id eſt ab anno circiter 886. ad an. 1053. Illi ſubſcribit Cardinalis Bona l. 1. Rerum liturgicarum c. 23. cum hoc tamen diſcrimine, quod etiam uſum azymi pro iſtis Sæculis admittat. Mabillonius Benedictinus in Præfatione Sæculi 3. Benedictini & in Differt. particulari *de pane Euchariſtico azymo & fermentato*, & P. Chriſtianus Lupus Aug. Tom. 3. Scholiorum in Decreta & Canones in Differt. *de Actis S. Leonis IX.* c. 7. & ſeq. contendunt uſum azymorum fuiſſe perpetuum in Eccleſia Latina a temporibus Apoſtolorum. Alii tandem, inter quos Juenin hic Differt. 4. q. 2. §. 5. volunt utrumque panem indiſcriminatim per ſex priora Sæcula a Latinis uſurpatum fuiſſe, & azymum ſolum ſenſim ſine ſenſu poſt 8. Sæculum remanſiſſe. Varias opiniones indicaſſe ſufficit; earum enim momenta probabilitatis terminos non tranſcendunt, nec aliquid certi ſtatui poteſt, ut videre eſt apud Honor. Tournely hic a. 5.

§. II. *Quæſtio propoſita reſolvitur.*

Dico 1. (*Hic art.* 4. a.) In azymo ſive fermentato pane triticeo corpus Chriſti veraciter conficitur, ſunt verba Concilii Florentini in Decreto unionis. Et patet, quia utrobique remanet ſubſtantialiter panis triticeus

& quidem uſualis, licet enim azymo communitar non utamur, eo tamen utebantur communiter Judæi durantibus feſtis Paſchalibus, eoque Chriſtus uſus eſt, dum inſtituit Sacramentum, ut probavimus ſupra.

Dico 2. (*Ib.*) In aaymo vel fermentaro Sacerdotes ipſum Domini corpas conficere debent, unuſquiſque juxta ſuæ Eccleſiæ ſive Occjdeotalis, ſive Orientalis conſuetudinem. Sunt iterum verba Concilii Floreut. loco cit. Unde (*Ibid.*) ſicut peccat Presbyter Latinus in Eccleſia Latina celebrans de pane fermentato, ita peccaret Presbyter Græcus in Eccleſia Græcorum celebrans de pane azymo, & quaſi pervertens Ecleſiæ ſuæ ritum, quem unuſquiſque ſervare debat. Et hanc obligationem ita gravem teputant plerumque Theologi, ut aſſerant, neque ob communicandum Inſimum, neque ut Populus non maneat ſine Miſſa in die Feſto, ſed iu ſolo caſu integrandi ſacrificium licere hunc ritum pervertere.

Sed quæritur, utrum Græcus apud Latinos poſſit conſecrare in azymo: & vice verſa Latious apud Græcos in fermeotato? Reſpondent plerumque Auctores ſub diſtinctiona. Si ſit Eccleſia vel Capella deſtinata Græcis inter Latinos, & Latinis inter Græcos, unuſquiſque ſervare debet ritum ſuæ Eccleſiæ; ubi autem non eſt Eccleſia aut Capella Græcis deſtinata, poteſt Græcus vel ſervare ritum ſuæ Eccleſiæ, vel ſe conformara Eccleſiæ Latinæ; ſimiliter Latinus in Græca, juxta illud ex Ambroſ. & Aug. deſumptum; *Cum faeris Romæ, Romano vivite more*, &c. Hæc inquam ſat communiter Auctore.

Attamen Pius V. in Bulla, *Providentia Romani Pontificis* an. 1566. abſque ulla diſtinctione prohibet Græcis celebrare more Latinorum, & Latiois more Græcorum; poſtquam euim ravocavit omnes facultates antea conceſſas Græcis celebrandi more Latino & Latinis more Græco, ſubdit; *Quibuſvis Presbyteris tam Græcis quam Latinis præcipimus in virtute ſanctæ obedientiæ & ſub indignationis noſtræ ac perpetuæ ſuſpenſionis a divinis pænis diſtrictius inhibemus, ne deinceps Presbyteri Græci, præſertim uxorati, Latino more, & Latini Græco ritu, hujuſmodi licentiarum & Facultatum, aut alio quovis prætexta, Miſſas & alia divina Officia celebrare vel celebrari facere præſumant*. Idem definit & innovat Benedictus XIV, feliciter regnans Conſtitut. ſuper Ritibus Græcorum §. 6. Adde, quod hæ conſuetudines non tam ſint diverſorum locorum particularium, quam generales utriuſque Eccleſiæ, quas ideo unuſquiſque debet ſervare, quamdiu manet membrum illius; in eaque ſententia Græcos eſſe audivimus a Presbytero Græco. Utrum tamen iſtæ conſtitutiones ſint intelligendæ de Græcis non ſolum iter agentibus apud Latinos, ſeu Latinis apud Græcos, ſed etiam de iis Græcis, qui habent fixum domicilium apud Latinos, aut de Latinis apud Græcos, ubi nulla Eccleſia vel Capella ipſis eſt deſtinata, mihi dubium eſt; quia tunc videntur eſſe membra illius Eccleſiæ in qua domicilium fixum habent, & illius ritibus adſtringi.

Dico 3. (*Ibid.*) Conſuetudo Eccleſiæ Orientalis celebrantis in fermentato aliquibus rationibus innititur: attamen eſt rationabilior conſuetudo Eccleſiæ Occidentalis celabrantis in azymo. Prob. 1. Pars 1. (*Ibid.*) Græci celebrant in fermentato, quia Verbum Patris indutum eſt carne, ſicut fermentum miſcetur farinæ. 2. In deteſtationem hæreſis Nazaræorum & Ebionitarum, qui legalia Evangelio miſcebant. 3. Quia fermentum efficit panem ſapidiorem, ideoque congruenter deſignat charitatis fervorem ac ſuavitatem in hoc Sacramento.

Prob. 2. pars. (*Ibid.*) Latini celebrant in azymo, 1. Propter inſtitutionem Chriſti, qui hoc Sacramentum inſtituit prima die azymorum, ut dictum eſt, qua die nihil fermantatum in domibus Judæorum eſſa debebat. 2. (*Ibid.*) Quia panis eſt proprie Sacramentum corporis Chriſti (quod ſine corruptione conceptum eſt) magis quam divinitatis ipſius. 3. (*Ibid.*) Quia hoc magis competit ſinceritati fidelium, quæ requiritur ad uſum hujus Sacramenti ſecundum illud 1. Cor. 5. *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, itaque epulemur in azymis ſinceritatis & veritatis*.

Dices 1. Chriſtus conſecravit in fermentato; hoc enim Sacramentum inſtituit luna 13. exeunte, cum nondum erat uſus azymorum apud Judæos. Ergo. R. N. Ant. & ejus Probationem, ut patet ex Diſſ. præced. art. 3. Sed & dato gratis Chriſtum anticipaſſe diem Lege ſtatutum pro cœna Paſchali, nihil obtinerent Græci; indubium eſt enim, quod in hac hypotheſi etiam anticipaſſet uſum azymorum, ſine quibus non poterat manducari Agnus Paſchalis. Nec dici poteſt ipſum poſt eſum Agni Paſchalis cum azymo reſumpſiſſe fermentatum; id enim gratis dicitur, neque eſt conſentaneum moribus Judæorum, qui poſt eſum Agni Paſchalis ſeptem dies continuo in azymo peragebant. Tandem quamvis concederetur Græcis Chriſtum conſecraſſe in fermentato, male inde inferrent non eſſe licitum conſecrare in azymo. Sicut ſi Chriſtus conſecraſſet in vino rubro, male inferretur non eſſe licitum conſecrare in vino albo; quia ſicut vinum ſive rubrum, ſive album eſt ſubſtantialiter vinum, ita panis, ſive fermentatus, ſive azymus, eſt ſubſtantialiter panis.

Inſt. Panis azymus non eſt verus panis: Ergo. Prob. Ant. Panis ſignificat paſtam igne decoctam & fermento elevatam: vox enim Græca *Artos*, quæ ſignificat panem, derivatur ab altera voce Græca, quæ ſignificat attollere & elevare. Ergo. R. N. Ant. Ad Prob. N. Ant. Ad Probat. N. Conſeq. Aliud enim eſt id, a quo nomen imponitur, aliud id, ad quod ſignificandum imponitur. Quamvis ergo vox Græca *Artos* originem ducat ab altera voce elevationem ſignificante, non ſequitur, quod tantum ſignificet paſtam fermento elevatam, ſed ſignificat indiſcriminatim apud ipſos Græcos & azymum & fermentatum. Unde Exod. 12. ubi dicitur: *Comedetis azymos panes*, habetur *Artos*: & Lucas 24. refert Chriſtum comeſturum cum Diſcipulis in Emmaus, accepiſſe *Artos*, id eſt panem, qui erat certo azymus, quippe qui tunc ſolus reperiebatur apud Judæos, durantibus adhuc diebus azymorum.

Dices 2. Legalia non ſunt obſervanda tempore gratiæ. Atqui uti azymis fuit quædam cæremonia legalis. Ergo. R. D. Min. (*Ibid. ad* 2.) Uti azymis in eſu Agni Paſchali fuit legalis cæremonia, C. In Conſecratione Euchariſtiæ, N. Conficientes igitur Euchariſtiam in azymo non intendunt cæremonias Legis obſervare, ſed conformare ſe inſtitutioni Chriſti, & ideo non judaizant: alioquin etiam celebrantes in fermentato judaizarent, quia Judæi panes primitiarum fermentatos offerebant.

ARTICULUS III.

Utrum aqua ſit vino miſcenda? Quo Jure & in quo quantitate?

ARMENI 7. Sæculo Aquariis e regione oppoſiti vinum purum abſque aqua conſecrabant. Hunc errorem Lutherani ſequentibus temporibus amplexi ſunt; item & Calviniſtæ mero vino utuntur in cœna, utrique ſugillantes praxim contrariam Eccleſiæ Romanæ ut inſundatam non quod abſolute eam damnent; ſed quod hanc mixtionem, ut rem adiaphoram reputent.

Dico 1. (*Hic a. 7. c.*) Congruit ut Sacramentum Euchariſtiæ conficiatur in vino aqua permixto. Prob. 1. (*Ibid.*) ratione inſtitutionis. Probabiliter enim creditur, quod Dominus hoc Sacramentum inſtituerit in vino aqua permixto ſecundum morem illius terræ. Unde & Proverb. 9. dicitur: *Bibite vinum, quod miſcui vobis*. Idque tradunt S. Jacobus in ſua liturgia, Baſilius in ſua, Alexander I. cap. *In Sacramentum* de Conſecrat. diſt. 2. Julius I. ibid. cap. *Cum omnes*, Irenæus l. 4. c. 57. Cyprianus Ep. 63. Aug. l. 4. de Doct. Chriſt. c. 21. 2. Quia hoc convenit repræſentationi Dominicæ Paſſionis. Unde dicit Alexander I. Ep. ad omnes Fideles Thom. 1. Concil. *Non debet in Calice Domini, aut vinum ſolum, aut aqua ſola offerri, ſed utrumque permixtum: quia utrumque ex latere ejus in paſſione profluxiſſe legitur*. 3. Quia hoc convenit ad ſignificandum effectum hujus Sacramenti, qui eſt unio populi Chriſtiani ad Chriſtum; per aquam enim intelligitur in Scriptura populus, ut Apocal. 17. conſtat. Has tres Doctoris Angelici congruentias confirmavit & ſuas fecit Concil. Trid. Seſſ. 22. c. 7.

Confir. hæc Eccleſiæ Romanæ praxis Patrum traditione. Juſtinus Martyr. 2. Sæculo in 2. Apol. dicit Fideles ſolitos fuiſſe *Participare de pane Euchariſtiæ & vino & aqua*. Chryſoſt. in liturgia de Diacono. dicit: *Deinde facit commixtionem in Calicem mittens vinum & aquam, &c.* S. Cyprianus in Ep. ad Cæcilium de Sacramento Dominici Calicis, ſuper illud Proverb. 9. *Bibite vinum quod miſcui vobis*, dicit: *Vinum mixtum declarat, id eſt Calicem Domini aqua & vino mixtum Prophetica voce denuntiat*. Concil. Carthag. cui adfuit Aug. can. 22. ſic habet: *Ut in Sacramento Corporis & Sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam ipſe Dominus tradidit, hoc eſt panis & vinum aqua mixtum*. Ambroſ. l. 4. de Sacram. c. 4. *Vinum & aquam in Calicem mittitur, ſed fit ſanguis Conſecratione verbi cœleſtis*. Hanc autem diſciplinam hauſerunt Patres ex Apoſtolis, & facto Chriſti, qui eo ritu conſecravit, ut diximus.

Dico 2. (*Ib. a. 7. o.*) Permixtio aquæ non eſt de neceſſitate hujus Sacramenti, neque de jure divino, ſed tantum Eccleſiaſtico. Ita communiter cum Auctore. Prob. 1. pars. Materia Calicis ſufficienter ſalvatur in ſolo vino, quod patet, tum quia Chriſtus in inſtitutione hujus Sacramenti ſolum vinum deſignavit Matth. 26. dicens *Non bibam amodo de hoc genimine vitis*: tum quia Concilia aſſignando materiam hujus Sacramenti aliter loquuntur de vino, aliter de aqua; ut Florentinum, non dicit vinum & aquam, aut mixtum ex vino & aqua eſſe materiam Euchariſtiæ; ſed dicit: *Materiam Calicis eſſe vinum de vite, cui modicisſima*

ſima aqua miſceri debet: tum quia Catech. Romanus, poſtquam docuit hanc mixtionem non poſſe prætermitti ſine peccato mortali; addit: *Si aqua deſit, perficitur Sacramentum*. Unde Rubricæ Miſſalis Tit. de defectu vini prohibent infundi aquam poſt Conſecrationem, quando ante omiſſa eſt. Si autem eſſet de neceſſitate Sacramenti, foret apponenda & conſecranda, ſicut vinum foret apponendum & conſecrandum, ſi Sacerdos poſt verba Conſecrationis deprehenderet vinum non fuiſſe poſitum, ſed aquam. Confir. (*Ibid.*) Aqua non ſignificat neque corpus, neque ſanguinem Chriſti, quæ ſunt huic Sacramento eſſentialia; ſed effectum tantum in ſuſcipiente, nempe unionem ejus cum Chriſto. Atqui ſuſceptio, ſeu uſus, non eſt eſſentialis huic Sacramento. Ergo.

Prob. 2. & 3. pars. 1. Neque in Scriptura, neque in Patribus legitur divinum præceptum de miſcenda vino aqua. 2. Concilia cum ea de mixtione mentionem faciunt, præcepti tantum Eccleſiaſtici meminerunt: *Monet S. Synodus*, inquit Trid. ſeſſ. 22. cap. 7. *præceptum eſſe ab Eccleſia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miſcerent*. Porro ſi Chriſti fuiſſet præceptum, non tacuiſſet Concilium. Nec obſtat, quod quandoque a Patribus dicatur divinum mandatum; non enim intelligitur de mandato ſtricte divino, ſed late pro facto Chriſti, ex quo tanquam ab exemplari Eccleſia mota eſt, ut idem præciperet.

Dices contra 1. partem. Chriſtus conſecravit in vino mixto aqua. Ergo hæc mixtio eſt de neceſſitate Sacramenti, aut ſaltem de jure divino. R. N. Conſeq. Quia non omne, quod Chriſtus fecit, faciendum eſt, ſed quod faciendum præcepit: conſecravit in azymo, conſecravit cœna peracta: neutrum tamen eſt vel de neceſſitate Sacramenti, vel de jure divino. Unde cum dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*; eſſentialia Sacramento & Sacrificio præcepit, non accidentalia.

Inſt. Cyprianus loquens de mixtione aquæ cum vino in Ep. citata ad Cæcilium, dicit: *Nam ſi in Sacrificio, quod Chriſtus eſt, non niſi Chriſtus ſequendus eſt, utique id nos obaudire & facere oportet, quod Chriſtus fecerit, & quod faciendum præcepit*. Ergo. R. quod licet Cyprianus ea in Ep. paulo ante præfatam ſententiam de mixtione aquæ cum vino agat; hæc tamen, quæ opponuntur, verba non ad mixtionem referuntur, ſed ad vinum ſolum, quod quidam Sacerdotes alioquin Catholici in Sacrificiis matutinis non offerebant, metuentes, ne odore vini Chriſtiani deprehenderentur ab Infidelibus, uti jam diximus, contra quos late diſputat Cyprianus in laudata Ep. Ita interpretatio patet ex verbis immediate præcedentibus. Hæc ſunt: *non eſt ergo, frater chariſſime, quod aliquis exiſtimet ſequendam eſſe conſuetudinem, ſi qui in præteritum in Calice Dominico aquam ſolam offerendam putaverunt. Quærendum eſt enim, ipſi quem ſint ſecuti: nam ſi in Sacrificio, &c.* ut ſupra.

Repones. Cyprianus affirmat aquam pari ratione neceſſariam eſſe Sacramento huic, qua vinum, ſic enim habet loco cit. *Sic autem in ſanctificando Calice Domini offerri aqua ſola non poteſt, quomodo nec vinum ſolum poteſt*: Item docet commixionem aquæ cum vino eo modo requiri ad Euchariſtiam, quo commixtio aquæ cum farina ad conficiendum panem: *Si vero Calix Domini*, inquit, *non eſt aqua ſola, aut vinum ſolum, niſi utrumque ſibi miſceatur, quomodo nec corpus Domini poteſt eſſe farina ſola, aut aqua ſola, niſi utrumque adunatum fuerit & copulatum & panis unius compage ſolidatum*. Ergo. Reſpondet S. Th. (*Ibid. ad* 1.) hanc paritatem ex Cypriano valere quoad neceſſitatem quidem, ſed non quoad neceſſitatis modum, ita ut utrumque ſit neceſſe, ſed unum neceſſitate præcepti, aliud neceſſitate Sacramenti. Reſpondent alii, ſecundum Cyprianum, aquam cum vino mixtam eſſe neceſſariam, non ad validitatem Sacramenti, ſed ad ſignificationem myſterii, nempe unionis cum Chriſto. Quod patet ex his verbis ibid. *Nam ſi vinum*, inquit, *quis offert, ſanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis; ſi vero aqua ſit ſola, plebs incipit eſſe ſine Chriſto. Quando autem utrumque miſcetur & adunatione confuſa ſibi utrumque copulatur, tunc Sacramentum ſpirituale & cæleſte perficitur*: id eſt ſignificatio & oblatio duplicis corporis Chriſti, naturalis ſcilicet & myſtici.

Dico 4. (*Ib. q.* 8. *o.*) Aqua modiciſſima vino conſecrando miſcenda eſt. Ita Concilium Florent. in inſtructione Armenorum his verbis: *Vino ante conſecrationem aqua modiciſſima admiſceri ſolet*. Ratio etiam ſuffragatur; tum quia ſi multum aquæ admiſceretur, periculum eſſet, ne vinum corrumperetur, maxime ſi ſit debile; tum etiam quia aqua, ut ſupra diximus, populum fidelem exhibet, vinum autem ipſum Chriſtum. Decet vero, ut ipſe Chriſtus caput expreſſius repræſentetur, quam populus.

Dices. Concilium Tiburienſe ſæculo 9. præcipit, ut ſint duæ partes vini, tertia aquæ. Ergo. R. Concilium non præcipere, ut tertia pars calicis aqua neceſſario conſtet, ſed ut non excedat.

Dices iterum. Probabile eſt Chriſtum majori quantitate aquæ vinum temperaſſe, tum ſobrietatis ergo, tum ratione conſuetudinis in illa Regione. Ergo. R. id eſſe verum de calice potando in cœna uſuali, non Euchariſtica.

Dico 5. Hoc præceptum obligat ſub peccato mortali: quia licet videtur res levis, ſecundum ſe tamen gravem habet ſignificationem. Unde c. *Litteras* de Miſſ. celebrat. omittens voluntarie hanc mixtionem decernitur privandus officio & beneficio. Porro hæc mixto (*Ib. ad* 3.) debet fieri circa celebrationem Sacramenti, nec ſufficeret, ſi fieret v. g. in dolio, quia ſic non ſufficeret ad ſignificationem myſterii.

Obſervanda eſt hic ſingularis Græcorum praxis, qui teſte liturgia S. Chryſoſt. inſcripta, & Balſamone in Reſp. 18. ad Quæſita Marci Patriarchæ Alexandrini, immediate ante communionem infundunt aquam fervidam calici conſecrato, qua volunt ſignificari divinitatem non abſceſſiſſe a corpore Chriſti mortuo, cum ex eo fluxerunt ſanguis & aqua. Hanc diſciplinam abſque cenſura toleravit Eugenius IV. in Concilio Florent.

ARTICULUS IV.

Utrum aqua Calici infuſa immediate convertatur in ſanguinem Chriſti?

Labente ſæculo 12. magna animorum contentione diſputatum fuit, utrum aqua calici infuſa converteretur in ſanguinem? Gaufredus S. Bernardi Monachus hac de quæſtione fuſe ſcripſit ad Epiſcopum Cardinalem Albanenſem. Quid Cardinalis ipſi reſponderit, huc uſque latet. Sed Cardinalis Baronius ad an. 1188. dicit nihil *aliud reſcribere potuiſſe, quam quod credidit, & cuſtodivit ſemper S. R. Eccleſia, nimirum aquam ſimul & vinum tranſſubſtantiari in ſanguinem Chriſti*.

Id tamen non videtur de fide, ſi quidem Innocentius III. cap. *Cum Marthæ* de celebrat. Miſſarum, reſcribens ſæculo 13. ad Archiepiſcopum Lugdunenſem recenſet tres opiniones, quarum prima dicebat aquam converti in aquam, quæ fluxit ex latere Chriſti; ſecunda, eam converti in ſanguinem; tertia, eam remanere aquam circumfuſam accidentibus vini: & licet ſecundam ut probabiliorem eligat, alias tamen non damnat, ſed recenſet ut Catholicas. Similiter S. Th. hic a. 8. o. ex eodem Innocentio; nec ab illo Pontifice ad hæc uſque tempora ulla apparet hac de re Eccleſiæ definitio.

Verum etſi id non videatur abſoluta de fide, attamen ut omnino certum tenendum eſt, tum quia SS. Patres Ambroſ. l. 4. de Sacram. c. 4. Cyprianus Ep. 63. Hieronymus in c. 14. Marci, Paſchaſius lib. de corp. & ſang. Chriſti, Hildebertus, Algerus, S. Th. & omnes fere Scholaſtici, qui poſt ætatem S. Doctoris ſcripſerunt, ſic cenſuerunt: tum quia oppoſita ſententia, teſte Gaufredo jam laudato, nullo fundamento nititur: tum tandem quia particula demonſtrativa in forma demonſtrat totum, quod ex præcepto eſt in calice.

Sed quæſtio celebris eſt, utrum aqua immediate convertatur in ſanguinem, an prius convertenda ſit in vinum?

Dico. (*Ib. a.* 8. *o.*) Probabilius eſt aquam non verti in ſanguinem Chriſti, niſi prius converſa ſit in vinum. Prob. 1. Auctoritate Concilii Trid. Catech. Romani, Pontificalis Romani & Innocentii III. Concilium Trid. ſeſſ. 13. can. 2. dicit *converti panem in corpus & vinum in ſanguinem manentibus dumtaxat ſpeciebus panis & vini*. Atqui ſi aqua immediate verteretur in ſanguinem, manerent etiam ſpecies aquæ. Ergo. Quod huic argumento reſpondent adverſarii, diluetur infra. Catech. Romanus c. 16. dicit, quod *Eccleſiaſticorum Scriptorum ſententia & judicio aqua illa in vinum convertatur*. Pontificale Romanum p. 1. Tract. 10. c. 12. dicit: *Aqua, quæ in calice vino admiſcetur, debet eſſe in modica quantitate, quia eam in vinum converti oportet*. Innocentius III. c. *Cum Marthæ* l. 3. Decretal. tit. 41. dicit: *Quæſiviſti, utrum aqua cum vino in ſanguinem convertatur? Super hoc autem opiniones apud Scholaſticos variantur: aliquibus enim videtur, quod cum de latere Chriſti duo præcipua fluxerint Sacramenta, Redemptionis in ſanguine, ac regenerationis in aqua, in illa duo vinum & aqua, quæ commiſcentur in calice, divina virtute mutentur: ut in hoc Sacramento plene ſit veritas & figura. Alii vero tenent, quod aqua cum vino tranſſubſtantietur in ſanguinem, cum in vinum tranſeat mixta vino; licet Phyſici contrarium aſſeverent, qui aquam a vino per artificium poſſe aſſerunt ſeparari. Præterea poteſt dici, quod aqua non tranſit in ſanguinem, ſed remanet prioris vini accidentibus circumfuſa, ita quod vini ſaporem induit... Verum inter opiniones prædictas illa probabilior judicatur, quæ aſſerit aquam cum vino in ſanguinem tranſmutari*. Hæc porro opinio eſt ſecunda, quam retulit, quæ aſſerit aquam prius in vinum converti. Et quod

hanc

hanc ſecundam opinionem non ſolum quoad converſionem aquæ in ſanguinem, ſed etiam quoad converſionem aquæ in vinum etiam approbet Pontifex, patet ex libris *De altaris myſterio* c. 3. ubi ait: *Quis ambigat aquam in vinum tranſire, cum multo vino modicum aquæ infunditur?* Sic etiam intellexit hunc Pontificem S. Th. hic a. 8. o. ubi ait: *Ideo ſicut ipſe* (Innocentius) *dicit, aliorum opinio probabilior eſt, qui dicunt aquam converti in vinum & vinum in ſanguinem.* Confir. Nulla alia ratio aſſignari poteſt, cur Eccleſia in Concil. Florent. infra citando tanta attentione curavit, ut modiciſſima aquæ vino miſceretur, in hoc corrigens Concilium Triburienſe, niſi quia exiſtimabat aquam prius in vinum eſſe convertendam, ut poſſet converti in ſanguinem. Ergo.

Reſpondent quidam Concilium id præcepiſſe. 1. Ad ſignificationem myſticam, ſeu quia, ut loquitur Concil. Tribur. *Major eſt majeſtas Chriſti*, ſignificata per vinum, *quam fragilitas populi*, ſignificata per aquam. 2. Ne ſolvantur ſpecies vini plerumque debilis. Sed contra, utrique huic rationi ſatisfiet, ſi non modiciſſima, ſed modica aqua miſceatur, & tamen non dixit Concilium, modica, ſed modiciſſima aqua.

Prob. 2. Ratione. Illud ſolum immediate convertitur in ſanguinem Chriſti, quod eſt materia conſecrationis Calicis, ſi quidem aſſumatur materia, ut conſecratione fiat illa tranſubſtantiatio. Atqui ſolum vinum eſt materia conſecrationis Calicis. Ergo. Min. conſtat. 1. Ex perpetua traditione, ſic enim ſemper huc uſque creditum eſt, 2. Ex Concilio Florent. quod in decreto unionis dicit materiam Calicis eſſe *Vinum de vite, cui aqua modiciſſima ante conſecrationem admiſceri debet*: aperte oſtendens hoc loquendi modo ſolum vinum eſſe materiam Calicis, aquam autem ſolum pertinere ad aliquam cæremoniam, alias dixiſſet materiam eſſe vinum & aquam, ſicut dixit in Confirmatione materiam eſſe oleum & balſamum, non oleum, cui admiſceri debet balſamum. 3. Evertendo fundamentum adverſariorum. Aqua etiam ut conjuncta vino non eſt materia conſecrationis: ergo ſolum vinum. Prob. Ant. Materia conſecrationis eſt ex inſtitutione Chriſti. Atqui aqua jungitur vino non ex inſtitutione Chriſti, ſed ex præcepto Eccleſiæ tantum, ut dictum eſt, & fatentur adverſarii. Ergo.

Reſpondent 1. Diſtinguendo duplicem materiam, liberam & neceſſariam; aquam dicunt eſſe materiam liberam, vinum neceſſariam: ſicut, inquiunt, in Sacramento Pœnitentiæ, peccata venialia ſunt materia libera, mortalia autem neceſſaria. Sed contra 1. Hæc duplex materia in Euchariſtia, una libera, altera neceſſaria, commentum eſt huc uſque in Eccleſia inauditum. 2. Pari ratione poſſet dici ſalem aquæ mixtum eſſe materiam liberam Baptiſmi. 3. Eatenus dicuntur peccata venialia materia libera Pœnitentiæ, quia ea confitendi nullum eſt præceptum, ſed tamen ſunt vera materia, ita ut ea ſola poſſint eſſe materia; imo ſuppoſito quod quis vellet confiteri, nec haberet niſi venialia, ea jam fierent materia neceſſaria, quæ omnia nullo modo dici poſſunt de aqua reſpectu Euchariſtiæ. Tandem quæcumque materia conſecrationis eſt ex inſtitutione Chriſti; aqua autem miſcenda vino non eſt ex inſtitutione Chriſti.

Reſpondent 2. Materiam Calicis eſſe id, quod venit ſimpliciter nomine vini; tale autem eſt vinum modice aqua temperatum, etiamſi aqua non tranſierit in vinum; cum enim omnibus vini accidentibus ſit circumfuſa, moraliter & uſu communi dicitur vinum. Unde quando Patres & Concilia dicunt vinum eſſe materiam Calicis, non excludunt vinum modice aqua dilutum, ſed illum ſolum, quod non participat nec nomen, nec rationem vini uſualis. Similiter dum Concil. Trid. dicit ſupra, remanere tantum ſpecies panis & vini, nomine ſpecierum vini comprehendit etiam ſpecies aquæ, ita ſpeciebus vini permixtas, ut ab illis non diſtinguantur. Sed contra 1. Quando Patres & Concilia explicant materiam Sacramentorum, v. g. quod aqua ſit materia Baptiſmi, oleum Extremæ Unctionis, loquuntur in toto rigore, alias nihil certi haberemus in hac re maximi momenti. Ergo dum dicunt vinum eſſe materiam Calicis, de vino in tota proprietate phyſice intelligendi ſunt, & non de vino ſecundum moralem & extrinſecam denominationem. 2. Vinum gutta aquæ roſaceæ dilutum venit moraliter nomine vini, & tamen non convertitur iſta gutta in ſanguinem, niſi prius fuerit converſa in vinum. 3. Hæc reſponſio non ſalvat materiam Calicis eſſe ex ſola inſtitutione Chriſti; dicere enim Chriſtum inſtituiſſe, ut id, quod Eccleſia miſceret, foret materia, fingere eſt; & inſuper pari ratione poterit dici ſalem aquæ permixtum ex inſtitutione Eccleſiæ eſſe materiam Baptiſmi.

Prob. 3. ab inconvenienti. In caſu, quo ſpecies aquæ conſecratæ ſepararentur a ſpeciebus vini, vel arte, ſicut fieri poſſe contendunt adverſarii, vel naturaliter, puta ſi corrumperentur & aceſcerent ſpecies vini, & non aquæ, ſanguis Chriſti remaneret ſub ſpeciebus aquæ, vel non: neutrum dici poteſt. Non primum, ut tenent Coninck & Juenin. 1. Quia alias aqua ſola poſſet etiam conſecrari, non enim eſt ratio, cur non poſſet ſanguis ſub illis ſpeciebus poni, ſub quibus conſervari poteſt. 2. Id contrariatur tum Concil. Trid. decernenti ſeſſ. 13. cap. 3. ſub ſpeciebus vini (omiſſa omnino aqua) ſanguinem contineri; tum communi ſenſui; nemo eſt enim, qui credat ſanguinem Chriſti ſub ſolis aquæ ſpeciebus contineri, ibique adorandum eſſe. Non ſecundum, ut volunt alii. 1. Quia, ſi ſub illis ſpeciebus ſeparatis non manet ſanguis Chriſti; ergo antea non erat; tamdiu enim manet ſanguis Chriſti, quamdiu durant incorruptæ ſpecies, quarum ſubſtantia in Chriſti ſubſtantiam converſa eſt. 2. Si non maneat ſanguis Chriſti ſub illis ſpeciebus aquæ ſeparatis; ergo manent illæ extra Sacramentum abſque ullo prorſus ſubjecto, quod inauditum eſt, nec citra novum miraculum fieri poteſt. Aſſignetur ergo, quo pacto, quove novo miraculo, nova altera ſubſtantia ibi reproducatur, non enim illa ſola ſeparatio eſt productiva novæ ſubſtantiæ. Quidam Concluſionem confirmant ex noſtra, & quorumdam aliorum praxi, juxta quam aqua Calici infunditur, antequam Miſſa inchoetur, ea, ut videtur, ratione, ut certius vertatur in vinum. Verum hanc praxim ea ratione niti non conſtat; & quidam etiam ex noſtris negant, voluntque hanc praxim ortum habere ex antiquis liturgiis, quibus præſcribitur, ut omnia ad ſacrificium pertinentia ante Miſſam præparentur. Sic Græci, qui juxta SS. Baſilii & Chryſoſt. liturgias offerenda præparant, aquam Calici infundunt.

Solvuntur Objectiones.

OBj. 1. SS. Patres eodem prorſus modo loquuntur de aquæ ac vini Conſecratione & Tranſubſtantiatione, adeoque ſupponunt aquam non minus quam vinum immediate tranſſubſtantiari, licet id non explicent in terminis. Sic Damaſcenus l. 4. de fide: *Non poteſt panem ſuum ipſius corpus facere, & vinum & aquam ſanguinem?* Ambroſ. l. 4. de Sacram. c. 4. *Vinum cum aqua in Calicem miſſum fit ſanguis Conſecratione.* Et infra: *Ante verba Chriſti Calix eſt vini & aquæ plenus, ubi verba Chriſti operata fuerint, ibi ſanguis efficitur.* Paſchaſ. Corb. l. de corp. & ſang. Dom. c. 1. in tom. 6. Bibl. Patrum, *Aqua conſecratur, non quod aqua permaneat, ſed quod convertatur in ſanguinem.* Juſt. Mart. Apolog. 2. pro Chriſtianis: *Ii, qui apud nos Diaconi dicuntur, dant unicuique eorum, qui adſunt, percipiendum panem, vinum & aquam, quæ cum gratiarum actione conſecrata ſunt.* R. SS. Patres intelligendos eſſe de converſione mediata aquæ in ſanguinem, ita ut per ampliationem nominent aquam id, quod immediate ante erat aqua. Nec opponi poteſt hanc noſtram interpretationem eſſe contortam, ſiquidem ſimiles locutiones paſſim uſurpentur inter homines & in Scripturis ſacris. Sic communiter dicimus *Alimentum, puta panem & vinum, converti in ſubſtantiam aliti*; licet tunc non ſit amplius panis aut vinum, ſed prius debeat converti in chylum, deinde in ſanguinem. Sic Exod. 7. dicitur: *Devoravit virga Aaron virgas eorum*, quod intelligendum eſt de virga converſa in colubrum. Sic Joan. 2. Architriclinus aquam jam factam vinum *appellat aquam*. Item dicitur: *Cæci vident*, id eſt ii, qui fuerunt cæci. Nec valet, ſi opponas non poſſe proprie dici Triticum verti in corpus Chriſti. Diſparitas eſt enim, quod Triticum non ponantur in Altari ſicut aqua in calice. Unde etiam aqua infuſa vino in dolio non dicitur converti in ſanguinem Chriſti.

Repones. Eodem prorſus modo SS. Patres loquuntur de converſione vini & aquæ. Atqui vinum immediate convertitur in ſanguinem. Ergo & aqua. R. D. Maj. Eodem modo loquuntur de converſione vini & aquæ quoad ipſam converſionem præciſe, C. Quoad modum converſionis, N. Utrumque ergo convertitur, & in hoc eſt paritas; ſed vinum immediate, aqua mediate. Id porro non explicuerunt Patres, quia ab hac quæſtione Scholaſtica abſtinuerunt.

Obj. 2. Chriſtus totum, quod erat in calice, convertit in ſuum ſanguinem; id enim omnino exigit veritas formæ. Atqui in hoc toto continebatur vinum & aqua in propria natura. Ergo. Prob. Min. Non eſt dubium, quin Chriſtus juxta Regionis calidæ conſuetudinem aquam in magna ſatis copia admiſcuerit. Atqui aqua copioſe admixta in vinum converti non potuit ob temporis brevitatem. Ergo. R. 1. N. Min. ad probat. N. Maj. Licet enim Chriſtus miſcuerit aquam vino, ſecutus in hoc morem Palæſtinorum; quia tamen in præſenti caſu aliud quam ipſi intendebat, ſcilicet ſacram ſignificationem, tantum aquæ adhibuit, quantam ut rerum naturalium perfectiſſimus comprehenſor novit vi & efficacia potentia & generoſi vini illius calidæ Regionis facile & brevi tempore in ipſum vinum eſſe tranſmutandam. Unde totum, quod erat in calice,

vo-

Digitized by Google

vocavit *genimen vitis* Matth. 26. R. 2. data Maj. N. Suppoſitum Min. nempe tam breve tempus interceſſiſſe inter mixtionem & conſecrationem calicis, 1. quia, ut conſtat ex Can. Miſſæ & ex Evangeliſtis, Chriſtus poſtquam accepit calicem, ante ejus conſecrationem Patri gratias egit, ac calici benedixit, quæ licet paucis verbis recitentur ab Evangeliſtis, non eſt tamen dubium, quin Chriſtus pluribus verbis, aut prolixiori oratione mentali uſus fuerit, 2. Quia licet panem conſecraverit *cœnantibus Diſcipulis* Matth. 26. calicem tamen conſecravit *poſtquam cœnavit* Luc. 22. Unde interceſſit ſufficiens mora ad mixtionem.

Obj. 3. Concilium Tiburienſe Can. 19. permittit tertiam partem calicis eſſe aquam, item Rubricæ Miſſalis Romani præſcribunt, ut ſi Sacerdos immediate ante conſecrationem recordetur ſe non appoſuiſſe aquam, tunc illam infundat. Et quod ſi in ipſa ſumptione calicis advertat non fuiſſe vinum ſed aquam, tunc infundat vinum & aquam, moxque facta oblatione conſecret. Atqui in iſtis caſibus non videtur aqua prius poſſe converti in vinum. Ergo. R. ad 1. Concilium Tiburienſe fuiſſe Provinciale, neque a Sede Apoſtolica approbatum, neque quoad hoc uſu receptum, imo reprobatum & reformatum per Florentinum. Ad 2. & 3. R. quod ſi in illis caſibus aqua modiciſſima adhibeatur, ut præſcribit Florentinum, facile poſſit breviſſimo illo tempore tranſmutari in vinum. Quod ſi non tranſmutetur, manet aqua, nec convertitur in ſanguinem.

Inferes. Ergo in hoc ultimo caſu non verificatur forma, quæ ſignificat totum contentum in calice; & populi exponuntur periculo Idololatriæ, nempe adorandi aquam. R. N. utramque illationem; quia forma calicis non ſignificat totum ſimpliciter, quod eſt in calice, ſed totum conſecrabile. Similiter adoratio populi, cum fide dirigatur, fertur ſolum ad ſanguinem Chriſti. Sit enim v. g. crinis ſeu palea in calice, nec crinis aut palea conſecraretur, neque ideo populus adorans calicem idololatriam committeret. Idem eſt, ſi in hoſtia eſſet vel palea, vel granum hordeaceum, vel crinis aut quid ſimile.

Inſt. Ideo S. Th. rejicit opinionem ab Innocentio III. relatam, quæ dicebat aquam infuſam calici remanere aquam, & non converti in ſanguinem Chriſti, quia ſic *non totum adoraretur veneratione latriæ*. Atqui juxta ſolutionem datam idem inconveniens incurrimus. Ergo. R. N. Min. Inconveniens enim, quod opponit S. Th. non in hoc præciſe ſitum eſt, quod totum non eſſet adorandum latria, & ſic eſſet periculum Idololatriæ; ſed in hoc, quod Eccleſia præciperet infundi vino aquam nunquam in ſanguinem Chriſti convertendam, & tamen indirecte totum, quod eſt in calice, proponeret adorandum, quod eſt revera inconveniens. Sed ſi fortuito contingat, quod remaneat aqua non converſa in vinum, nec conſequenter in ſanguinem, tunc totum quod eſt in calice proponitur adorandum, non ex intentione Eccleſiæ, quæ maxime ſollicita eſt, ut modiciſſima aqua apponatur, quæ facile tranſeat in vinum & vinum in ſanguinem, ſed per accidens; ſicut ſi levis palea, vel pulvis caderet in calicem, aut Sacerdos ex malitia conſecraret tantum medietatem hoſtiæ, & tamen totum adorandum proponeret; in quo caſu cum adoratio fidelium, quæ fide dirigitur, feretur in ſolum corpus, vel ſolum ſanguinem Chriſti, non eſſet par inconveniens, quæ enim ſunt per accidens, non cadunt ſub regula artis.

Inferes. Saltem in hoc caſu Sacerdos, qui bibiſſet aquam, non foret jejunus, ſicque non poſſet ſecundo conſecrare, puta in Nativitate Chriſti. R. Sacerdotem fore in hoc caſu jejunum, ſi non jejunio naturali, ſaltem Canonico, id eſt Eccleſia reputat ipſum jejunum, quia non prohibet eum in hoc caſu conſecrare ſecundo: ſicut pariter reputatur jejunus, ſi ſumat hoſtiam, cui eſſet inſerta levis palea, vel crinis, vel adhæreret particula farinæ alteriuſve materiæ. An autem etiam foret jejunus, ſi cum ſanguine ſumeret muſcam, poſſetque ſecundo conſecrare. Negant quidam propter gravitatem materiæ Sacramento omnino extraneæ; affirmant alii propter paritatem cum palea aliave materia hoſtiæ inſerta, de quo infra.

Obj. 4. Si aqua non convertatur in ſanguinem, niſi prius ſit converſa in vinum, magis certum pendet a minus certo. Atqui id admitti non poteſt in bono diſcurſu. Ergo. Prob. Maj. Certius eſt, totum quod continetur in calice poſt conſecrationem converti in ſanguinem Chriſti, quam aquam prius converti in vinum; primum enim aſſerunt omnes Patres & Theologi; ſecundum a pluribus negatur. Ergo. R. D. Maj. Si, &c. magis certum, quod eſt tale vi illationis, pendet a minus certo, N. Si, &c. magis certum, quod non eſt tale vi illationis, ſed aliunde, pendet a minus certo, C. & diſtin. Min. ad ſenſum Maj. N. Conſeq. Nihil obſtat ergo in bono diſcurſu conſequens eſſe certius Antecedente, non quidem vi illationis, & quatenus ab illo pendet, ſed aliunde, puta quia vel eſt de fide, vel communiter receptum in Eccleſia, ut contingit in propoſito. Sic v. g. quod *Chriſtus exiſtat ſine ſubſiſtentia creata*, pendet in ſua veritate ab iſto principio, quod *ſubſiſtentia creata realiter diſtinguatur a natura*, & tamen primum eſt certius ſecundo, non quidem vi illationis præciſe, & quia ab illo dependet, ſed aliunde, nempe quia eſt de fide.

Obj. 5. Aqua non poteſt converti naturaliter in vinum. Ergo. Prob. Ant. 1. Non poteſt explicari quomodo fiat iſta converſio. 2. Eam ut poſſibilem negant antiqui Naturaliſtæ, & omnes tum Medici, tum Chymici. 3. Vinum eſt opus facultatis vitalis animæ vitis. Ergo non videtur magis poſſe produci extra uvas, quam ſanguis extra venas. 4. Aqua mixta vino ab ea ſeparari poteſt etiam poſt longum tempus per immiſſionem medullæ junci aut ſpongiam oleo infuſam, ut experientia conſtat. 5. Si aqua in vinum verteretur, vinum mixtione aquæ fieret fortius, ſicut ignis fit vegetior, quando materia combuſtibilis in eum convertitur. Atqui falſum Conſequens, ut experientia conſtat. Ergo. R. N. Ant. Ad 1. probationem. R. explicare modum, quo converſio aquæ in vinum fiat, proprie pertinere ad phyſicos. Dicimus interim hanc converſionem poſſe fieri 1. per diviſionem aquæ in minimas partes (ut patet ad oculum), ſub quibus remanere non poteſt forma aquæ, cui proinde ſuccedit forma vini eam dividentis & undequaque circumdantis. 2. Quatenus vinum agit in aquam per calorem virtualem. Ad 2. R. Ariſtotelem citatum a D. Th. qu. 77. a. 8. hanc converſionem agnoſcere, cæteris autem & Medicis & Chymicis opponimus Albertum Magnum, D. Th. cum omnibus ſuis Diſcipulis, Alenſem, Bonaventuram, Scotum & plures alios. Ad 3. R. N. Conſeq. Plura enim, quæ procedunt a vivente, imo & ipſa viventia plerumque etiam ex corruptione generantur, ut vermes, mures, ranæ, muſcæ, &c. Nec mirum, ſi ſanguis extra venas non poſſit in ſe convertere aquam, cum tunc ſtatim amittat ſuam fluiditatem, & alias qualitates neceſſarias ad hanc converſionem. Ad 4. R. Quod id, quod per artem Chymicam ſeparatur a vino, non ſit vera aqua elementaris, ſed pars vini ſubtilior aut debilior, quæ ideo dicitur aqueus humor, quia refert ſimilitudinem aquæ in colore & ſapore, quod patet, quia ex vino, cui non fuit admixta aqua, ejuſmodi humor poteſt ſimiliter extrahi per artem Chymicam. Ad 5. N. Sequelam & paritatem. Diſparitas eſt, quod vis activa ignis, ſcilicet calor, ſit ejus proprietas naturaliter & neceſſario ab ipſo dimanans, per quam ideo facile reparare poteſt, quod ex reſiſtentia contrarii deperdidit. At vis activa in vino, ſicut & in aliis mixtis, non eſt proprietas neceſſario ab ipſis dimanans, ſed ſæpe abſque mixtione & reſiſtentia contrarii deperditur, ut patet in ipſo vino, quod cum non accurate includitur, vim ſuam activam deperdit.

Obj. 6. S. Th. in 4. d. 11. a. 4. dicit aquam in Euchariſtia non eſſe materiam principalem. Ergo cenſet eſſe minus principalem, ſicut qui de aliquo Profeſſore Philoſophiæ diceret non eſſe Profeſſorem principalem, intelligeret eſſe minus principalem. R. S. Th. his verbis non velle, quod aqua ſit proprie materia etiam minus principalis, ſed quod non ſit materia immediate convertenda in ſanguinem Chriſti, ſed mediate tantum, & ideo dicit, quod non ſit materia principalis reſpective ad vinum, quod immediate convertitur. Vel ut interpretatur Sylvius, S. Doctor non intelligit materiam principalem reſpective ad minus principalem, ſed reſpective ad eam, quæ eſt ex inſtitutione Chriſti; ſicut ibid. quæſtiunc. 3. dicit aquam in Baptiſmo eſſe materiam principalem, non quod ſit alia minus principalis, ſed quia ea ſola eſt inſtituta a Chriſto. Neque de mente D. Th. fas eſt dubitare, cum non ſolum hic a. 8. o. ſed etiam loco citato quæſtiunc. 1. diſerte dicat, quod aqua non ſit materia hujus Sacramenti. Ad probationem autem juxta interpretationem Sylvii, R. cum ipſo, quod quidem ſi quis de eo, qui eſt Profeſſor Philoſophiæ, diceret, quod non ſit principalis Profeſſor, intelligeretur, quod eſſet minus principalis, ſed ſi id diceret de eo, qui non eſt Profeſſor, non intelligeretur, quod eſſet minus principalis; datur enim medium inter principale & minus principale, ſcilicet quod nullo modo eſt tale.

Obj. 7. Si aqua Calici permixta prius convertatur in vinum, nulla fuiſſet diſputatio ſæculo 12. inter Theologos num convertatur in ſanguinem, cum omnes fateantur id totum, quod eſt vinum, verti in ſanguinem. Ergo. R. D. Ant. Si aqua Calici permixta prius convertatur in vinum, & id omnes admiſiſſent, nulla fuiſſet diſputatio, Tranſeat. Si id aliqui negaſſent, ut de facto negabant, & quidam nunc negant, N. Ant & Conſeq.

ARTICULUS V.

Utrum una ſpecies poſſit conſecrari ſine altera?

DIco (*In 4. d. 11. q. 2. a. . q. 1. ad 4.*) Una ſpecies valide conſecratur ſine altera. Patet, quia prolatis his verbis: *Hoc eſt corpus meum*, ſtatim adeſt corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis; locutio enim eſt vera, & aliunde effi-

efficit quod ſignificat; ideoque conſecrato pane & non calice, proponitur adorandum corpus Chriſti.

Dico 2. Jure divino illicitum eſt conſecrare unam ſpeciem ſine altera. Prob. 1. ex præcepto Chriſti ſimul adjuncta declaratione Eccleſiæ in Concilio Trid. Chriſtus per hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem*, præcepit, ut hoc Sacramentum non conficiatur, niſi ſimul offeratur Deo Sacrificium incruentum. Atqui ſtare non poteſt Sacrificium incruentum, prout Chriſtus inſtituit, ſine conſecratione utriuſque ſpeciei. Ergo. Utraque præmiſſa eſt probanda. Prob. Maj. Ex declaratione Eccleſiæ in Concilio Trid. ſeſſ. 22. c. 1. ubi dicitur: *Quod Chriſtus Dominus corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini obtulit Deo Patri, ac ſub earumdem rerum Symbolis Apoſtolis, quos tunc Sacerdotes conſtituebat, ut ſumerent, tradidit, & eiſdem eorumque in Sacerdotio ſucceſſoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem, uti ſemper Eccleſia Catholica intellexit.* Et can. 2. *Si quis dixerit illis verbis, Hoc facite in meam commemorationem, Chriſtum non inſtituiſſe Apoſtolos Sacerdotes, aut non ordinaſſe, ut ipſi aliique Sacerdotes offerrent corpus & ſanguinem ſuum, anathema ſit.* Atqui offerre corpus & ſanguinem eſt Sacrificium; eſt enim oblatio facta in honorem Dei. Ergo iiſdem verbis, quibus Chriſtus præcepit conſecrationem, præcepit etiam oblationem Sacrificii. Prob. Prima Min. 1. De eſſentia hujus Sacrificii incruenti eſt, ut ſanguis myſtice ſeparetur a corpore, ſicut de ratione Sacrificii cruenti Crucis, cujus eſt repræſentatio, fuit, ut ſanguis realiter ſepararetur a corpore. Atqui hæc ſeparatio myſtica fieri non poteſt, niſi quatenus vi verborum corpus tantum ponitur ſub ſpecie panis, & ſanguis tantum ſub ſpecie vini; ſi enim ſolum panis conſecraretur, ſanguis eſſet cum corpore per concomitantiam, & ſic nulla fieret ſeparatio. Ergo. Prob. 2. eadem prima Min. Hoc Sacrificium incruentum eſt ſecundum ordinem Melchiſedech, juxta Apoſt. Hebr. 6. & Concil. Trid. loco cit. Atqui Melchiſedech obtulit panem & vinum. Ergo.

Prob. 2. Sacramentum Euchariſtiæ eſt inſtitutum per modum convivii ſpiritualis. Atqui ad convivium requiritur neceſſario cibus & potus. Ergo. Neque obſtat, quod una ſpecies poſſit ſumi ſine altera, quia eſſentia hujus Sacramenti non conſiſtit in uſu ſumentium, ſed in Conſecratione totius materiæ. Unde patet, quod Euchariſtia, tam in ratione Sacramenti, quam Sacrificii ex ſua inſtitutione & præcepto Chriſti requirat utriuſque materiæ Conſecrationem.

Dico 3. Summus Pontifex diſpenſare non poteſt, ut in aliquo caſu Sacerdos licite conſecret unam tantum ſpeciem. Sequitur ex præcedenti; quia Pontifex utpote inferior non poteſt diſpenſare in præcepto Chriſti ſuperioris, maxime quando præceptum illud eſt abſolute & ſimpliciter a Deo, nec dependet a facto humano, ut dicam in ſol. Obj. idque adhuc magis ſi pertineat ad integritatem Sacramenti, prout Conſecratio utriuſque ſpeciei pertinet ad integritatem Euchariſtiæ, quæ inſtituta eſt per modum convivii ſpiritualis, ut dictum eſt. Unde Concilium Trid. ſeſſ. 21. c. 2. declarat equidem eſſe in Eccleſia poteſtatem, ut in Sacramentorum diſpenſatione ſtatueret, vel mutaret, quæ ſuſcipientium utilitati ſeu Sacramentorum venerationi pro rerum, temporum & locorum varietate magis expedirent, *Salva tamen eorum ſubſtantia*. Ad ſubſtantiam autem convivii & Sacrificii Paſſionis Chriſti repræſentativi pertinet utriuſque ſpeciei Conſecratio, ut probatum eſt.

Solvuntur Objectiones.

OBJ. 1. contra 2. Concluſionem. Chriſtus in Caſtello Emmaus conſecravit panem, ut ſentire videtur Aug. lib. de conſenſu Evang. c. 25. atqui tunc non conſecravit vinum, cum ad fractionem panis agnitus illuc evanuerit ab oculis Diſcipulorum. Ergo. R. 1. Incertum eſt, an vere Chriſtus tunc panem conſecraverit; neque id aſſerit Auguſtinus citatus, ſed dicit tantum fuiſſe panem benedictum, qui habebat vim illuminandi, quam habet Euchariſtia: neque Diſcipuli, qui de tarditate ad credendum redarguebantur, videbantur ſat diſpoſiti ad Sacramentum recipiendum. 2. Pariter incertum eſt, an Chriſtus tunc vinum non conſecraverit; id enim certo colligi non poteſt ex ſilentio Evangeliſtarum, non enim ſcripto mandarunt omnia, quæ Jeſus fecit, Joan. ultimo. 3. Eſto Chriſtum in Emmaus panem & ſolum panem conſecraſſe, nihil inde inferri poteſt contra Concluſionem; id enim fecit Chriſtus ex plenitudine poteſtatis excellentiæ, ut Sacramentorum & Legis Auctor.

Obj. 2. In ſola Conſecratione panis ſalvatur ratio Sacrificii. Ergo corruit fundamentalis noſtra ratio. Prob. Ant. In ſola Conſecratione panis reperitur quædam oblatio rei ſenſibilis cum immutatione. Ergo. R. D. Ant. In ſola Conſecratione panis ſalvatur ratio Sacrificii, ut ſic, Tranſeat Ant. Ratio Sacrificii ut inſtituti a Chriſto & Paſſionis memorativi, N. Ant. Ad hoc enim requiritur, quod corpus vi verborum ponatur ſeparatum a ſanguine, & ſanguis a corpore, ſicut in paſſione fuerunt realiter ſeparata, quod fieri non poteſt ſine Conſecratione utriuſque ſpeciei.

Inſt. In ſola Conſecratione panis habetur Sacrificium repræſentativum Sacrificii cruenti crucis. Ergo. Prob. Ant. Sacrificium cruentum crucis non conſiſtit in ſeparatione ſanguinis a corpore, ſed in ſeparatione animæ a corpore. Atqui iſta ſeparatio repræſentatur in ſola Conſecratione panis, in qua vi verborum ſolum corpus ponitur ſub ſpeciebus panis ſine anima, quamvis adſit per concomitantiam. Ergo. R. N. Ant. Ad Probat. N. Ant. Sacrificium enim crucis non includit ſolam mortem, ſed etiam cauſam mortis, ſcilicet effuſionem ſanguinis, & ſeparationem ejus a corpore.

Subſumes. Atqui in ſola Conſecratione panis ſignificatur ſeparatio corporis a ſanguine. Ergo. Probatur Ant. In Conſecratione panis vi verborum ponitur corpus ſine ſanguine. Ergo in ſola Conſecratione panis vi verborum ſignificatur ſeparatio corporis a ſanguine. R. N. Ant. Ad Prob. D. Ant. In ſola Conſecratione panis ponitur vi verborum corpus ſine ſanguine præciſe & formaliter vi verborum ſolius Conſecrationis panis, N. Adjuncta Conſecratione Calicis, C. Si enim dicam præciſe: *Hoc eſt corpus meum*, non ſignificatur formaliter corpus meum eſſe ſeparatum a ſanguine, bene vero cum addo, deſignando vinum; *Hic eſt ſanguis meus*: Aperte enim tunc ſignificatur vi verborum meum corpus poni ſeorſim a ſanguine vi verborum. Cæterum ad utramque inſtantiam poteſt adhiberi prima reſponſio, ſcilicet, dato ſalvari rationem Sacrificii ut ſic, vel etiam Sacrificii aliqualiter repræſentativi paſſionis, non tamen Sacrificii, quale ipſe Chriſtus inſtituit in Conſecratione duplicis materiæ.

Obj. 3. Una ſpecies licite ſumitur ſine alia, tum a Laicis, ut patet ex uſu, tum a celebrantibus, ut patet in recenter ordinatis celebrantibus cum Epiſcopo. Ergo poteſt etiam licite una ſine altera conſecrari. R. N. Conſeq. (*Hic q.* 80. *a.* 12. *ad* 2.) Et quantum ad Laicos, jam dictum eſt, quod hoc Sacramentum non conſiſtat in uſu, ſed in Conſecratione materiæ. Unde perfectio ejus non eſt æſtimanda ex uſu communicantium, modo celebrans utramque ſpeciem conſecret & ſumat. Quantum ad recenter ordinatos hi conſecrant per modum unius cum Epiſcopo, qui eſt principalis celebrans, imo quaſi ſolus celebrans, quia ordinati referunt ſuam intentionem ad verba Epiſcopi, ut per illa fiat Conſecratio, quando ipſe finit, non quando ipſi finiunt: unde ſufficit, ſi ſolus Epiſcopus utramque ſpeciem ſumat.

Obj. 4. Contra 3. Concluſionem. Sicut Chriſtus dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*, ita dixit: *Bibite ex eo omnes*. Atqui tamen Eccleſia eximit Laicos a ſumptione Calicis. Ergo poteſt pariter eximere Sacerdotes a Conſecratione utriuſque ſpeciei. R. N. Conſeq. Quia To *Omnes* dirigebatur ad ſolos Apoſtolos, non autem ad omnes Fideles. Patet: iis enim dixit Chriſtus: *Bibite*, &c. quibus dixit: hoc facite, &c. Teſtatur autem Concilium Trid. ut vidimus, univerſam Eccleſiam ſemper intellexiſſe Chriſtum hæc ultima verba direxiſſe Apoſtolis, & eorum in Sacerdotio ſucceſſoribus.

Obj. 5. Eccleſia diſpenſat in voto. Atqui obligatio voti eſt juris naturalis & divini. Ergo poteſt etiam in conſecratione duplicis ſpeciei. R. cum Joanne a S. Th. D. Min. Obligatio voti eſt juris naturalis & divini abſolute & ſimpliciter, N. Ex ſuppoſitione facti humani, C. Ideoque N. Conſeq. & paritatem. Explicatur. Aliquid duplici modo poteſt eſſe juris divini. 1. Modo abſolute & ſimpliciter, quatenus ipſe Deus independenter a facto aliquo humano per ſeipſum imponit aliquod præceptum, ejuſque modum determinat. 2. Ex ſuppoſitione, quatenus voluntas humana diſponit materiam, qua ſuppoſita & manente obligat jus divinum & naturale ad ejus adimpletionem, v. g. poſita Lege per voluntatem humanam jure naturali & divino obligamur illi obedire. Similiter poſito & ſtante voto per voluntatem humanam tenetur, qui vovit, jure naturali & divino illud adimplere. Porro in iis, quæ ſunt juris divini primo modo, Eccleſia non poteſt diſpenſare, quia non poteſt inferior directe & per ſe diſpenſare in præcepto ſuperioris, niſi ex commiſſione, quam non conſtat datam fuiſſe a Chriſto, in iis præſertim, quæ præcepit circa ſubſtantiam & integritatem Sacramentorum. At in iis, quæ ſunt juris divini ſecundo modo, poteſt diſpenſare Eccleſia; quia tunc non diſpenſat in jure divino vel naturali, ſed ſolum agit circa illud factum humanum, quod requiritur & ſupponitur tanquam conditio, ut jus divinum vel naturale obliget: v. g. Lex humana præcipit jejunium tali die; ſtante illa Lege, dictat jus naturale, ut obſervetur, quia juris naturalis eſt obedire ſuperioribus; ſed quia Lex illa proceſſit a poteſtate & voluntate

Digitized by Google

ſate creata ; quæ non potuit omnes caſus prævidere, in quibus non expedit talem Legem obſervari, manet poteſtas humana ad diſpenſandum in illa, declarando ſe noluiſſe obligare in tali caſu, qua diſpenſatione poſita non dictat amplius jus naturale eam eſſe obſervandam. Similiter in noſtro caſu; votum eſt Lex quædam particularis, quam promittens ſibi imponit, & per promiſſionem ſe obligat Deo. Equidem ſtante illa promiſſione ſine diſpenſatione jus naturale & divinum dictat eſſe adimplendum: ſed ſicut ſuperior in Lege a ſe ſancita poteſt diſpenſare, & declarare ſe noluiſſe obligare in tali caſu, quia nempe non potuit prævidere omnes caſus, in quibus non expediret talem Legem obſervari, ita ſimiliter poteſt in voto, quod eſt quædam Lex particularis ſui inferioris, qui etiam non potuit omnia prævidere. Hoc totum indicat S. Th. his verbis (2. 2. q. 88. a. 10. ad 2.) *Sicut ex jure naturali & præcepto divino tenetur homo implere votum, ita etiam tenetur ex eiſdem obedire Superiorum Legi vel mandato. Et tamen cum diſpenſatur in aliqua Lege humana, non fit, ut Legi humanæ non obedиatur, quod eſt contra Legem naturalem & mandatum Dei, ſed fit, ut hoc, quod erat Lex, non ſit Lex in hoc caſu. Ita etiam auctoritate Superioris diſpenſantis fit, ut hoc, quod continebatur ſub voto, non contineatur, in quantum determinatur in hoc caſu non eſſe congruam materiam voti. Et ideo cum Prælatus Eccleſiæ diſpenſat in voto, non diſpenſat in præcepto juris naturalis vel divini, ſed determinat id, quod cadebat ſub obligatione deliberationis humanæ, quæ non potuit omnia circumſpicere.*

Nec obſtat, ſi dicas per diſpenſationem non tolli votum adeoque remanere obligationem. In hoc enim differt diſpenſatio ab irritatione, quod hæc tollat votum, non iſta. R. per diſpenſationem remanere quidem votum quoad ejus obligationem radicalem, non autem quoad formalem & executivam, ſed ſuſpenditur pro hoc caſu per diſpenſationem. Fiat paritas in Lege humana, in qua fit diſpenſatio. Eodem modo quidam ſolvunt, quod objicitur de Matrimonio rato, in quo diſpenſat Eccleſia ante conſummationem, quia eſt tantum contractus ortus ex voluntate humana; licet alii velint, quod in hoc non diſpenſetur jure Eccleſiaſtico, ſed divino, ſeu auctoritate Chriſti diſpenſantis in caſu Profeſſionis Religioſæ. Ne tamen inde inferas etiam diſpenſari poſſe poſt conſummationem: id enim eſſet in præjudicium ipſius matrimonii, perpetuitatis ejus, & ſignificationis ſacramentalis jam conſummatæ, præter præjudicium, quod inde vel conjugi altcri vel proli eveniret. Sed de hoc alibi.

Obj. 6. Ex variis congruentiis aut neceſſitatibus. 1. Ex inopia vini, quod ſervari non poteſt in frigidiſſimis Regionibus, abſque eo quod ſtatim congeletur, aut aceſcat. Unde Volaterranus l. 7. Geographiæ ſcribit *Norvegiæ Innocentii VIII. Pontificis conceſſione permiſſum, ſine vino Calicem conſecrare, quod ob immenſa frigora vinum in ea regione importatum aceſcat*. 2. Si inſtaret mors alicujus infirmi, nec haberetur vinum ad conſecrandum. 3. Si poſt conſecrationem panis advertat Sacerdos vinum eſſe venenatum, nec aliud adſit, aut vergat aliud periculum mortis, ſi vinum conſecret: videtur enim in his caſibus ſufficiens ratio, ut conſecretur panis ſine vino. Ergo. R. ad 1. nullam eſſe Regionem, in qua ſervari non poſſit vinum, cum ſit modo paſſim in uſu menſæ apud omnes Nationes; narrationem Volaterrani ut falſam rejecimus Art. 1. hujus Diſſert. Concluſione 3. vide; & eo magis quod dicat Pontificem conceſſiſſe conſecrari Calicem ſine vino; conceſſit ergo conſecrari Calicem vacuum, quod ridiculum eſt, aut forte Calicem cum aqua ſola, quod eſt error Aquariorum, jam tempore Cypriani reprobatus. Ad 2. dico infirmum in hoc caſu non teneri ad communicandum, & aliunde hoc Sacramentum re ſuſceptum non eſt ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem. Ad 3. R. tunc poſſe conſecrari ſolum panem, non ex diſpenſatione, de qua eſt quæſtio, ſed ex impoſſibilitate morali & impedimento. Caſus autem impoſſibilis eſt extra legem, nec creditur præceptum Chriſti obligare cum vitæ aperto diſcrimine.

ARTICULUS VI.

Utrum materia conſecranda debeat eſſe præſens Miniſtro, determinata in individuo & ſub certa quantitate?

Dico 1. Materia conſecranda debet eſſe moraliter præſens conſecranti; quia forma utens pronomine demonſtrativo *Hoc* & *Hic* id neceſſario exigit, alias foret falſa. Qualis autem præſentia requiratur, ut materia cenſeatur moraliter præſens, vix certo definiri poteſt: unde fit conſecrationem ex parte præſentiæ eſſe quandoque dubiam. Cæterum pro Regula generali dicimus illam materiam cenſeri moraliter præſentem, quæ more & uſu hominum, ſeu judicio prudentis viri, taliter eſt expoſita, ut pronomine demonſtrativo *Hoc* & *Hic* deſignari poſſit. Hinc inferes materiam in ſuo regente vel continente ordinario etiam clauſo valide, licet illicite conſecrari, ut hoſtias in pixide, panes in caniſtro, vinum in dolio ſeu calice tectis: quia uſu communi venit, ut continens & contentum demonſtrentur per modum unius pronomine *Hoc*; ſicut dicimus de pecunia in crumena, hoc eſt argentum, de vino in poculo clauſo, vel lagena, hoc eſt vinum. Nec refert, quod infans in utero matris non poſſit baptizari: quia baptizandus debet eſſe natus, & aqua phyſice ablui; ad materiam autem conſecrationis ſufficit, quod ſit ita præſens, ut poſſit demonſtrari pronomine *Hoc*, ad quod ſufficit præſentia moralis. Nulla vero erit conſecratio, ſi interponatur corpus per modum dividentis aut ſeparantis, ut ſi hoſtia exiſtat poſt parietem retro altare, a tergo Sacerdotis, ſub mappa, ſub pede calicis, cuſſino, &c. quia tunc non cenſetur ita præſens, ut poſſit deſignari pronomine *Hoc*.

Sed quid ſi hoſtia a tergo poſita digito teneatur aut deſignetur, ſeu averſa facie aſpiciatur? Quamvis nobis probabilius ſit eam valide conſecrari, attenta tamen opinionum diverſitate, dubia foret conſecratio; ſimiliter ſi eſſet in Tabernaculo clauſo vel ſub corporali. Quanta vero propinquitas requiratur ad præſentiam moralem? Iterum certo definiri non poteſt. Quidam volunt eam ſtare intra latitudinem ſeu diſtantiam 20. paſſuum, alii 30. alii 40. admittunt. Sed, ut prius dixi, id judicio prudentum eſt relinquendum, attentis uſu hominum, praxi Eccleſiæ in hac materia, item & materiæ ſitu, magnitudine, parvitate, &c.

Dico 2. (*In 4.* 11. *q.* 3. *a.* 1. *q.* 3. c.) Quantitas materiæ hujus Sacramenti non eſt determinata ex inſtitutione Chriſti. Unde Sacerdos poteſt valide conſecrare materiam cujuſlibet magnitudinis vel parvitatis, modo ſit moraliter præſens, & in parva ſalvetur ſubſtantia panis aut vini, ſitque ſenſu perceptibilis a conſecrante. Quia poteſtatem, (*Ibid*) quam Chriſtus contulit Sacerdotibus conſecrandi panem & vinum, non reſtrinxit ad certum magnitudinis aut parvitatis gradum. Inſuper determinatio materiæ deſumitur ex ordine ad finem, ſic materia ſerræ eſt ferrum, ut ſit apta ſectioni. Finis autem hujus Sacramenti eſt uſus fidelium, non ſolum qui occurrunt, alias Sacerdos paucos habens Parochianos non poſſet conſecrare multas hoſtias, ſed ad uſum fidelium abſolute; numerus autem fidelium eſt indeterminatus. Ergo.

Juxta antiquam vero Eccleſiæ conſuetudinem, panis conſecrandus debet eſſe exilis & figura rotundus. Conſtat ex S. Epiphanio in Anchorato n. 57. Gregor. mag. l. 4. dialog. c. 55. Cæſario Nazianzeni fratre Dialogo 3. ex revelatione S. Ildefonſi Toler. quam publici juris fecit Mabillonius, ex antiquis imaginibus apud Sirmondum diſquiſit. de azymo c. 4. & Martenium l. 1. de antiquis Eccleſ. Ritibus c. 3. a. 7. & pluribus aliis. Hinc illi duo verſus

Candida, triticea, ac tenuis, non magna, rotunda,
Expers fermenti, non ſalſa, ſit hoſtia Chriſti.

Dixi in Concluſione: *Modo ſit moraliter præſens*: quia ſi foret tanta materiæ extenſio, ut ſecundum aliquas partes foret conſecranti præſens, & non ſecundum omnes, ut ſi campus plurium leucarum repleretur panibus, eæ ſolum partes conſecrarentur, quæ conſecranti forent moraliter præſentes, non aliæ. Dixi iterum: *Modo in parva ſalvetur ſubſtantia panis, ſitque ſenſu perceptibilis a conſecrante*, alias non verificaretur forma, cum non poſſet materiam demonſtrare pronomine *Hoc* vel *Hic*. Poſſet tamen ſub ea poſt ſeparationem a toto vel ſanguine conſervari corpus Chriſti, ut jam alibi diximus, modo retineat ſubſtantiam panis vel vini, quia ad conſervationem non requiritur, ut poſſit demonſtrari ſenſibiliter, ſicut ad conſecrationem.

Dico 3. Materia conſecranda debet eſſe determinata in individuo per intentionem conſecrantis: quia ſicut non conſecrat Miniſter, niſi intendat conſecrare, ita nec hanc materiam conſecrat, niſi illam intendat determinate conſecrare. Adde, quod actiones ſint circa ſingularia & determinata. Non requiritur tamen determinatio actualis, ſed ſufficit virtualis, ſeu quæ præceſſerit. Hinc

Inferes 1. invalidam eſſe conſecrationem, ſi Sacerdos intendat conſecrare mediam vel tertiam partem hoſtiæ nullam deſignando; neque ſi ex cumulo hoſtiarum, vel ex decem, velit conſecrare ſex, eas non deſignando, quia non eſt ratio, cur hæc pars potius quam altera, hæ hoſtiæ potius quam aliæ conſecrentur: Inferes 2. Non conſecrari hoſtias repoſitas in altari, etiam ſuper corporale, omnino inſcio Sacerdote; quia intentio non fertur ad incognitum. Inferes 3. E contra vere conſecrari, ſi Sacerdos ipſe attulerit conſecranda ad altare, ut ipſo jubente, vel volente, vel ſaltem advertente alter attulerit, licet tempore conſecrationis ad eas non reflectat; quia remanet virtualis intentio. Neceſſe tamen eſt in hoc caſu hoſtias tempore conſecrationis eſſe ſuper corpora-

pora-

poraia, alias probabilius eſt non fore conſecratas; quia regulariter intentio omnis boni Sacerdotis præſumitur eſſe, velle conſecrare, quod eſt conſecrabile abſque peccato; peccatum autem eſſet conſecrare hoſtias extra corporale repoſitas.

Inferes 4. Quod ſi eſſent 25. hoſtiæ conſecrandæ debite expoſitæ, & putaret Sacerdos eſſe tantum 20. ſimiliter ſi ipſo inſcio hoſtiæ, quam præ manibus tenet, adhæreret altera hoſtia, omnes forent conſecratæ; quia ejus intentio eſt & debet eſſe conſecrare totam materiam licite conſecrabilem ſibi præſentem; error autem ſpeculativus non obſtat intentioni practicæ. Unde ejus intentio non fertur ad illas, ut ad viginti, neque ad hanc ut ad unam, ſed ut ad materiam præſentem.

Inferes 5. Guttulas vini calici exterius adhærentes non conſecrari conſecrato calice; quia jure præſumitur intentionem Sacerdotis eſſe tantum conſecrare, quod eſt licite & decenter conſecrabile; illicite autem & irreverenter conſecrarentur illæ guttulæ. Major eſt difficultas de guttulis calici interius adhærentibus a toto ſeparatis, quando non adeſt expreſſa intentio eas aut conſecrandi, aut non conſecrandi. Ratio dubitandi eſt ex una parte, quod non requiratur conjunctio phyſica materiæ conſecrandæ. Ex altera eſt, quod non videatur eſſe intentio Eccleſiæ, adeoque nec Sacerdotis conſecrare, niſi liquorem, qui per modum unius continui potabilis eſt congregatus in calice tempore conſecrationis. Quare in hac re dubia ſollicitus ſit eas abſtergere Sacerdos ante conſecrationem, poſt illam vero non abſtergantur, ne forte ſint conſecratæ, ſed vel conſecrato vino uniantur, vel in prima ablutione ſumantur. Porro ad tollendos varios ſcrupulos & anxietates in his & aliis frequentibus caſibus conſultum eſt, ut Sacerdos ante Miſſam, vel in ipſa vel ſaltem ſemel pro ſemper formet intentionem conſecrandi omnem materiam præſentem licite & decenter conſecrabilem, non aliam.

Petes, utrum ſi materia non conſecrata ita miſceatur cum conſecrata, puta ſi hoſtia non conſecrata cadat inter conſecratas, aut gutta vini conſecrati miſceatur cum vino non conſecrato, ita ut non poſſit diſcerni a materia conſecrata, valide conſecretur? Res iterum dubia. Quidam negant, eo quod materia conſecranda non poſſit demonſtrari ſenſibiliter pronomine *Hoc eſt*. Alii affirmant: quia, inquiunt, demonſtratio cumulo demonſtratur. Huic ſententiæ favet praxis Sacerdotum, qui in Nativitate Chriſti conſecrant in 2. & 3. Miſſa vinum mixtum cum reliquiis ſanguinis primæ Miſſæ, licet diſcerni non poſſit, quænam guttæ ſint conſecratæ, quænam non. Quapropter pro praxi in hoc dubio, ſi caſus accideret, ut hoſtia non conſecrata caderet inter conſecratas, & non poſſet diſcerni, duæ forent ſimul porrigendæ, potius quam eam conſecrare.

DISSERTATIO IV.

DE MODO, QUO CHRISTUS EST IN HOC SACRAMENTO.

Div. Thom. Quæſt. 76.

ARTICULUS I.

Utrum totus Chriſtus contineatur ſub hoc Sacramento, & quomodo.

PER totum Chriſtum intelligitur ejus corpus integrum, ſanguis, anima, divinitas & ſubſiſtentia, ſeu perſona Verbi. Dico 1. (*Hic q. 76. a. 1. & 2. a.*) Totus Chriſtus realiter continetur in hoc Sacramento ſub qualibet ſpecie ſeorſim. Eſt de fide. Conſtat 1. ex dictis de præſentia reali. 2. Ex Scriptura Joan. 6. ubi Chriſtus dicit: *Qui manducat me*, To me enim totum Chriſtum ſignificat. 3. Ex definitionibus plurium Conciliorum, Conſtantienſ. ſeſſ. 13. Florent. in Decreto unionis, Trid. ſeſſ. 13. c. 3. & can. 3. in quo ſic definitur: *Si quis negaverit in venerabili Euchariſtiæ Sacramento, ſub unaquaque ſpecie, & ſub ſingulis cujuſque ſpeciei partibus, ſeparatione facta, totum Chriſtum contineri, anathema ſit.*

Suadet ratio. Abſonum enim foret, quod corpus Chriſti, quod nunc eſt glorioſum, ſit alicubi vel mutilum, vel ſine anima, aut ſanguine, aut divinitate. Inſuper currit regula Auctoris: (*Ibid. a. 1.*) *Si aliqua duo ſunt realiter conjuncta, ubicumque eſt unum, oportet & aliud eſſe.* Quam tamen regulam intellige de conjunctis adæquate & cum mutua ab invicem dependentia; alioquin ſequeretur, quod Chriſtus eſſet ubique; quia divinitas ipſi conjuncta eſt ubique. Si ergo duo ſunt ſic conjuncta, ut unum excedatur ab altero, & ab ipſo dependeat, ſed non e converſo, ubi eſt illud, quod exceditur & pendet ab altero, ibi eſt iſtud alterum, ſed non e converſo. Unde cum humanitas Chriſti excedatur a divinitate, & ab illa dependeat, non divinitas ab humanitate; ubi eſt humanitas Chriſti, ibi eſt divinitas; ſed non e converſo ubi eſt divinitas, ibi eſt humanitas, ſicut propter eandem rationem ubi eſt manus vivens, ibi eſt anima, at non e converſo ubi eſt anima, ibi eſt manus vivens.

Dico 2. (*Ib. a. 3. a.*) Totus Chriſtus eſt ſub qualibet parte ſpecierum, ſive ſint diviſæ, ſive continuæ. Quantum ad partes ſeparatas definitum eſt in Concil. Trid. can. 3. proxime cit. & ideo pertinet ad fidem. Ratio autem eſt, quia partes poſt ſeparationem non deſinunt eſſe conſecratæ. Ergo ſub illis eſt Chriſtus, non ſecundum aliquam partem tantum; *Ubi enim eſt pars corporis, ibi eſt totum*, ut dicitur in jure de Conſec. d. 2. c. 78. & patet ex præced. Concluſione. Ergo. Confir. Calix fuit diviſus inter Apoſtolos, & tamen non partem, ſed totum Chriſtum quilibet recepit. Ergo. Quantum ad partes continuas: quamvis non ſit de fide, eſt tamen certum. Si enim totus Chriſtus ſit ſub ſingulis partibus diviſis, ergo erat ſub illis ante diviſionem; non enim diviſione, ſed Conſecratione ponitur corpus Chriſti ſub ſpeciebus. Unde Trid. ſeſſ. 13. c. 3. declarat abſolute totum Chriſtum contineri ſub qualibet ſpecierum parte, nulla facta mentione ſeparationis aut continuationis.

Dices 1. Manente ſpeculo integro eſt una imago in toto, non in qualibet parte, ſed pars in parte; & tamen ſi frangatur ſpeculum, erit in qualibet parte diviſa tota imago. Ergo ex hoc quod in qualibet parte hoſtiæ ſeparata ſit totus Chriſtus, male infertur, quod ſit totus in qualibet parte continua ante ſeparationem. R. N. Conſeq. (*Ibid.*) Diſparitas eſt, quod imago in ſpeculo cauſetur per reflexionem radiorum: quamdiu autem eſt una ſuperficies, eſt una reflexio, & ideo una imago. Quod ſi frangatur ſpeculum, erunt diverſæ ſpecies in diverſis partibus, conſequenter diverſæ reflexiones & diverſæ imagines, minores tamen quam prima. At vero Chriſtus ponitur in Sacramento per Conſecrationem, neque per fractionem multiplicatur Conſecratio. Unde ſi totus Chriſtus ſit in partibus ſeparatis, neceſſe eſt, quod fuerit totus in continuis ante ſeparationem.

Dices 2. Corpus Chriſti eſt quantum in Euchariſtia. Atqui corpus quantum non poteſt eſſe totum in toto & totum in qualibet parte, ſed pars in parte. Ergo. R. D. Maj. Corpus Chriſti eſt quantum in Euchariſtia quantitate extenſiva partium in ordine ad ſe, C. in ordine ad locum, N. hæc enim extenſio localis, cum ſit affectus ſecundarius quantitatis, impeditur in hoc Sacramento: (*Ib.*) quia cum ſubſtantia Corporis Chriſti ſuccedat ſubſtantiæ panis vi verborum, non quantitati, quæ eſt ibi concomitanter tantum, debet ſortiri modum exiſtendi ſubſtantiæ & non quantitatis; modus autem exiſtendi ſubſtantiæ eſt, quod ſit tota in toto & tota in qualibet parte, ſicque tota ſubſtantia Corporis Chriſti eſt in qualibet parte ultimo ſenſibili, ſive continua, ſive diviſa, ſub qua ſalvaretur ſubſtantia panis, ſi adeſſet.

Dices 3. Si totus Chriſtus ſit in qualibet parte ſpeciei, cum ſint in qualibet ſpecie plures, imo aliquo ſenſu infinitæ partes, ſequitur, quod Chriſtus ſit in eadem ſpecie pluries, imo infinities. R. N. Sequelam: (*Ibid. ad 1.*) quia numerus ſequitur diviſionem; & adeo quamdiu quantitas manet indiviſa actu, neque ſubſtantia alicujus rei eſt pluries ſub dimenſionibus propriis, neque corpus Chriſti ſub dimenſionibus panis, ſed toties, in quot partes dividitur.

Verum quia aliquid dupliciter poteſt eſſe in hoc Sacramento. 1. Vi Sacramenti ſeu vi verborum. 2. Vi naturalis concomitantiæ & connexionis, quam habet cum eo quod ineſt vi verborum: quæſtio nunc eſt, quomodo totus Chriſtus, aut ea quæ ſunt Chriſti, ſint in hoc Sacramento? Pro cujus reſolutione, Dico 3. (*Ibid. a. 1. a.*) Corpus Chriſti eſt ſub ſpecie panis, & ſanguis eſt ſub ſpecie vini ex vi verborum: ipſum autem corpus eſt ſub ſpecie vini, & ſanguis ſub ſpecie panis, animaque ipſius ſub utraque ſpecie ex vi naturalis connexionis & concomitantiæ, qua partes Chriſti Domini, qui jam ex mortuis reſurrexit, non amplius moriturus, inter ſe copulantur; divinitas vero propter admirabilem illam ejus cum corpore & anima hypoſtaticam unionem. Sunt verba Trid. ſeſſ. 13. cap. 3. Inſuper.

Prob. 1. Pars. Ea dicuntur eſſe formaliter, & vi verbo-

borum in hoc Sacramento, quæ per verba Conſecrationis expreſſe ſignificantur. Atqui per verba Conſecrationis: *Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus*, corpus & ſanguis expreſſe ſignificantur. Ergo. Prob. 2. Pars. Ea dicuntur poni concomitanter in hoc Sacramento, quæ licet verbis Conſecrationis non exprimantur, habent tamen realem connexionem cum his, quæ ponuntur vi verborum. Atqui corpus Chriſti eſt realiter connexum cum ſanguine, & ſanguis cum corpore, ſaltem poſt reſurrectionem, anima & divinitas cum utroque. Ergo. Dixi: *Saltem poſt reſurrectionem*: quia cum in triduo mortis ſanguis eſſet realiter ſeparatus a corpore ſicut & ab anima; ſi quis Apoſtolorum tunc conſecraſſet, corpus fuiſſet ſub ſpecie panis ſine ſanguine & ſine anima: (*Ib. a.* 1. *ad.* 3 *a.* 2.) ſimiliter ſub ſpecie vini fuiſſet ſanguis ſine corpore & ſine anima, ſicut erat in rei veritate. Quod ſi ſpecies panis conſervata fuiſſet poſt Reſurrectionem, fuiſſent ſub illa ſpecie ſanguis & anima ratione connexionis, quam habuiſſent cum corpore vivo. Tale enim eſt ſubſtantialiter corpus Chriſti in hoc Sacramento, quale eſt in rerum natura.

Dices. 1. Quando Chriſtus dixit: *Hoc eſt corpus meum*, deſignavit ſuum corpus vivum ut erat, ideoque cum anima & ſanguine. Similiter cum nunc conſecrant Sacerdotes. Ergo anima & ſanguis vi verborum ſunt ſub ſpecie panis. R. D. Ant. Deſignavit corpus ſuum vivum materialiter & ratione adjuncti, C. formaliter vi ſignificationis verborum, N. Formaliter enim verba vi ſuæ ſignificationis non aliud ſignificant, quam corpus Chriſti, nec ad vivum aut mortuum determinant, ſed ab utroque abſtrahunt: dicitur enim corpus Chriſti, tam vivum, quam mortuum. Unde in Evangelio Joan. 19. legitur de corpore Chriſti mortuo, quod Joſeph petiit a Pilato *Corpus Jeſu*, & ſic in communi modo loquendi de corpore tam mortuo quam vivo dicimus, quod ſit corpus Petri v. g. neque inde ſequitur hanc vocem *Corpus* eſſe æquivocam, quia ſiſtit in ſignificatione corporis, nec tranſit ad ſignificationem formarum; ſicut hæc vox, animal, quamvis ſignificet aliquid commune pluribus ſpeciebus, non eſt tamen æquivoca, quia ſiſtit in ſignificatione generis, nec tranſit ad ſignificationem ſpecierum ſeu formarum.

Dices 2. Corpus Chriſti ponitur ut ſubſiſtens vi verborum. Atqui ſubſiſtit ſubſiſtentia divina. Ergo ſubſiſtentia ſeu perſona divina ponitur ibi vi verborum. R. 1. N. Maj. in ſenſu formali & reduplicativo ſumptam; corpus enim in verbis formæ quamvis ſit concretum ſubſtantiale, formaliter tamen non importat aliquid ſubſiſtens, ſed tantum partem humanitatis; alioquin non poſſet dici, quod Chriſtus aſſumpſerit corpus, ſi quidem non aſſumpſerit aliquid ſubſiſtens. R. 2. D. Maj. Corpus Chriſti vi verborum ponitur ut ſubſiſtens præciſe, Tranſeat. Ut ſubſiſtens ſubſtantia divina, N. Si enim corpus abſtrahit a forma cadaveris vel viventis, ut modo dicebamus, a fortiori abſtrahit ab hac vel illa ſubſiſtentia, quæ minus pertinet ad naturam corporis quam forma.

Inſt. Pronomen *meum* in verbis formæ importat ſubſiſtentiam divinam. Ergo. Prob. Ant. To *meum* idem eſt ac mihi unitum, proinde ſubſiſtens mea ſubſiſtentia. Ergo. R. N. Ant. ad prob. D. Ant. To *meum* idem eſt ac mihi unitum concomitanter ac ſpecificative, C. Formaliter & reduplicative, N. Nam *meum* formaliter & reduplicative ſignificat tantum hoc corpus, quod ponitur ſub ſpeciebus panis, eſſe idem cum corpore Chriſti, quod Chriſti corpus eſt aliunde unitum Verbo: at formaliter reduplicative non ſignificat hanc unionem.

Petes 1. Quid intelligatur nomine corporis, quod ponitur ea vi verborum in hoc Sacramento? R. non intelligi materiam nudam ab omni forma ſubſtantiali, ut quidam volunt; quia materia nuda non eſt compoſitum, quale eſt corpus. Non eſt etiam materia informata anima dante eſſe corporeum, ut volunt alii, quia ſi in triduo mortis Apoſtoli panem conſecraſſent, fuiſſet corpus Chriſti ſine anima dante eſſe corporeum. Reſtat ergo corpus importare compoſitum ex materia & forma, abſtrahendo ab anima vel forma cadaverica, neutram enim in ſuo conceptu formali determinate includit, cum poſſit eſſe modo cum una, modo cum altera, ut dictum eſt in ſolutione primæ objectionis. Neque obſtat corpus a parte rei non eſſe ſine aliqua forma determinata; non enim quærimus hic, quid ſit aut non ſit a parte a rei, ſed quid ſit vi ſignificationis verborum.

Petes 2. Utrum vi verborum ponatur tantum ſanguis Chriſti, qui effuſus eſt in Paſſione, propterea quod Chriſtus dixit: *Qui pro vobis effundetur*? R. negative. Sed ponitur totus ſanguis, qui nunc eſt in ejus corpore glorioſo, licet ſupponatur, quod totus non fuerit effuſus in paſſione; quia vi verborum ponitur ſanguis, ut de facto eſt. Nec obſtant iſta verba: *Qui pro vobis effundetur*; non enim ſunt poſita, ut limitent præcedentia ad ſolum ſanguinem effuſum, ſed ut ſignificent finem hujus Sacramenti, qui eſt repræſentare paſſionem Chriſti tunc futuram, nunc præteritam. Sicut ſi Chriſtus mutaſſet aquam in vinum dicendo: *Hoc eſt vinum, quod a vobis potabitur*, tota aqua contenta in vaſe fuiſſet converſa in vinum, licet totum poſtea non potaretur.

Petes 3. Utrum Pater & Spiritus S. ſint in hoc Sacramento per concomitantiam? R. quoſdam affirmare, quoſdam negare. Sed controverſia videtur de nomine. Si itaque per concomitantiam intelligatur quæcumque præſentia ſpecialis præter communem, dici poteſt Patrem & Spiritum S. eſſe in hoc Sacramento per concomitantiam mediatam, quia ibi ſunt non ſolum per immenſitatem, per quam ſunt in omnibus creatis, ſed ſpecialiter quatenus ibi operantur cum Filio mirabiles effectus gratiæ, & propter circumineſſionem, ſeu mutuam inexiſtentiam perſonarum divinarum ad invicem, ita ut ſi per impoſſibile non eſſent ubique per immenſitatem, forent tamen hac duplici ratione in hoc Sacramento. At vero ſi per concomitantiam intelligatur ea, quæ provenit ex unione cum termino primario & formali Conſecrationis in unitate ſuppoſiti, Pater & Spiritus S. non ſunt in hoc Sacramento per concomitantiam, quia non ſic uniuntur cum corpore & ſanguine Chriſti, ſed ſolus Filius. Et hic modus dicendi, qui eſt communior inter Thomiſtas & alios, videtur magis proprius: ſicut enim connexio, quam Pater & Spiritus S. habent, mediante natura divina, cum Filio, non ſufficit, ut dicantur incarnati, ita nec ut dicantur eſſe concomitanter ſub ſpeciebus panis & vini. Videtur etiam conformior Concilio Trid. quod dicit Divinitatem eſſe concomitanter in Euchariſtia propter unionem hypoſtaticam, quæ non eſt in Patre & Spiritu S. & ibidem enumerans quæ in hoc Sacramento ſunt concomitanter, non meminit Patris & Spiritus S. ſed ſolum Filii.

ARTICULUS II.

Expendantur breviter variæ Quæſtiunculæ circa præfatam materiam ex cæteris Articulis D. Thomæ.

PETES 1. Utrum quantitas dimenſiva corporis Chriſti ſit in hoc Sacramento? R. 1. (*Ib. a.* 4. *o.*) Tota quantitas corporis Chriſti dimenſiva, ſicut alia ejus accidentia, ſunt in hoc Sacramento non vi verborum, ſed concomitanter; quia vi verborum eſt in hoc Sacramento id, ad quod directe converſio terminatur; converſio autem, quæ fit in hoc Sacramento, directe terminatur ad ſubſtantiam corporis Chriſti, non ad ejus quantitatem, & cætera ejus accidentia. Quod patet ex eo, quod quantitas panis & alia ejus accidentia remaneant facta Conſecratione, ſola panis ſubſtantia tranſeunte. Quia tamen ſubſtantia corporis Chriſti realiter non dividitur a ſua quantitate, & aliis accidentibus; inde fit, quod ex vi talis connexionis ſint in hoc Sacramento tota quantitas dimenſiva Chriſti, & omnia ejus accidentia. R. 2. (*Ib. ad* 1. 2. *&* 3.) Quantitas corporis Chriſti eſt in hoc Sacramento extenſiva partium in ordine ad ſe, ita ſcilicet quod caput continuetur collo, mediante collo pectori, &c. non vero extenſiva partium in ordine ad locum, quia cum ſit ibi per accidens & ratione ſubſtantiæ, cui eſt conjuncta, exiſtit ad modum ſubſtantiæ, qui modus eſt, ut ſit tota in toto, & tota in qualibet parte, non pars in parte. Neque id implicat; quia extenſio partium in ordine ad locum eſt effectus ſecundarius quantitatis, qui poteſt ab illa ſeparari. Hinc colliges corpus Chriſti in Euchariſtia eſſe coloratum, figuratum, &c. in ordine ad ſe, non in ordine ad locum. Id autem facilius intellectu, quam imaginatione percipitur.

Petes 2. utrum Corpus Chriſti ſit in Sacramento ſicut in loco? R. 1. Si eſſe in loco late ſumatur prout idem eſt, ac eſſe realiter præſens alicui ſpatio, certum eſt Corpus Chriſti in Euchariſtia eſſe in loco; quia eſt realiter præſens ſpatio, in quo ſunt ſpecies conſecratæ, quod ſignificat Trid. ſeſſ. 13. cap. 1. dicens non implicare Chriſtum juxta modum eſſendi naturalem eſſe in cœlo, & nihilominus multis aliis in locis ſacramentaliter eſſe præſentem ſecundum ſuam ſubſtantiam. R. 2. (*Ib. a.* 5. *o.*) Corpus Chriſti in Euchariſtia non eſſe proprie hoc eſt circumſcriptive: quia id dicitur eſſe circumſcriptive in loco, quando ejus quantitas commenſuratur ad locum, ita ut partes illius correſpondeant partibus loci; quantitas autem Chriſti, ut diximus, non eſt extenſa ad locum, nec illi commenſuratur. Non diffinitive: quia id dicitur eſſe deffinitive in loco, quod ita eſt ibi; ut non ſit alibi: Corpus autem Chriſti ſic eſt in hoc Sacramento, ut ſit etiam alibi, nempe in cœlo & in variis ſpeciebus conſecratis. R. 3. (*Ib.*) Corpus Chriſti eſt in Euchariſtia ad modum ſubſtantiæ, ſeu, ut communiter dicitur, ſacramentaliter. Sequitur ex præcedenti Reſponſo. Si enim non ſint ibi circumſcriptive, neque diffinitive; ergo ad modum ſubſtantiæ totum in toto, & totum in qualibet par-

parte, qui modus eſſendi eſt proprius huic Sacramento; nullum exemplum habens in natura, & antiquis Philoſophis ignotus, quippe qui humanæ mentis captum tranſcendens eſt ſola fide cognoſcibilis. Jure dicitur ſubſtantialis reductive pertinens ad prædicamentum ſubſtantiæ, quia per illum corpus Chriſti eſt ſubſtantialiter præſens in Sacramento.

Petes 3. Utrum corpus Chriſti ſit mobiliter in hoc Sacramento? R. 1. (*Ib. a. 8. c.*) Chriſtus in Euchariſtia non poteſt moveri localiter per ſe, bene tamen per accidens. Ratio primi; quia per ſe moveri localiter includit eſſe in loco, locum unum deſerere, & alium acquirere, Chriſtus autem ex dictis non eſt in hoc Sacramento, ut in loco. Ratio ſecundi; quia Chriſtus ad motum ſpecierum movetur revera localiter, ſicut anima movetur ad motum corporis; unde dicitur elevari, deferri in Proceſſionibus & ad infirmos. Neque obſtat ipſum non frigeſcere aut calefieri ad frigefactionem vel calefactionem ſpecierum. Diſparitas eſt, quod ſit ibi incapax omnis motus alterationis. Unde nihil poteſt recipere, quo fiat alterum etiam per accidens: ut autem moveatur per accidens ad motum ſpecierum, non debet in ſe mutari vel alterari; ſed ſufficit, ſi ſpecies ipſum continentes locum mutant: neque enim terminus motationis localis, qui eſt *ubi*, in ipſum recipitur, ſed in ipſis ſpeciebus, quæ ſolæ proprie quantitate commenſurantur ad locum. Unde corpus Chriſti non ſe habet ſub ſpeciebus, ſicut qui movetur in navi, caret enim extenſione locali, quam habet exiſtens in navi, & per quam occupavit locum.

R. 2. Corpus Chriſti in hoc Sacramento non poteſt agere aut pati actione corporea: quia agentia corporea non agunt niſi per potentias & organa, quæ ſint formaliter apta ad agendum per extenſionem localem, qua caret corpus Chriſti. Adde, quod nullum agat niſi tangendo, nec patiatur niſi tangatur ab alio: contactus autem corporum exigit extenſionem localem. R. 3. (*Ib.*) Corpus Chriſti non deſinit per ſe in Euchariſtia, quia de ſe eſt indeficiens & corruptibile, ſed deſinit eſſe ſub ſpeciebus per accidens ad deſitionem ſpecierum per amiſſionem præſentiæ ad illas, quatenus Deus deſinit illud conſervare ſub illis; eo fere modo quo Deus ipſe deſinit eſſe in creaturæ, quando illa deſinit.

Petes 4. Utrum corpus Chriſti in Euchariſtia poſſit videri oculo? Duplex eſt oculus, ſcilicet corporalis proprie dictus, & intellectualis, qui per ſimilitudinem dicitur oculus mentis. (*Ib. a. 7. a.*) R. 1. (*Ib.*) Nullus intellectus creatus, ſive humanus, ſive Angelicus, poteſt virtute naturali attingere Chriſtum in Euchariſtia; quia eſt ibi modo omnino ſupernaturali, nec ullam habet connexionem, ſive cauſæ, ſive effectus, ſive debiti cum rebus naturalibus, quæ ſunt objectum intellectus creati, attenta ejus virtute naturali. Intellectus autem humanus in hac vita illum attingit per fidem; Beatus in Patria, ſive humanus, ſive Angelicus per lumen gloriæ in Verbo. R. 2. (*Ib.*) Oculus corporeus non poteſt naturaliter videre corpus Chriſti in Euchariſtia: tum quia cum corpus Chriſti ſit ibi inextenſa localiter, non poteſt emittere ſpecies viſibiles extenſas per medium, prout neceſſe eſt ad viſionem corpoream: tum quia ibi eſt ad modum ſubſtantiæ; ſubſtantium autem oculo corporeo videri non poteſt. R. 3. Oculus corporeus de potentia Dei abſoluta poteſt videre corpus Chriſti in Euchariſtia; non tamen modum, quo exiſtit.

Eſt communior inter Thomiſtas & D. Th. (*Ib.*) conformior: dicit enim, quod *Oculus corporalis Chriſti videt ſeipſum ſub Sacramento exiſtentem*. Si autem oculus Chriſti videt ſe ipſum, poteſt etiam alter oculus, ſaltem de potentia Dei abſoluta, illum videre. Neque valet, quod reſpondet Joannes a S. Th. ſenſum D. Th. eſſe, quod oculus Chriſti, cum ſe videat in Cœlo exiſtentem, retineat eam viſionem in Sacramento, adeoque in Sacramento ſe videat. Hæc enim interpretatio vim apertam facit textui. Non enim dixit Angelicus Doctor, quod oculus Chriſti exiſtens ſub Sacramento ſe videat, prout debuiſſet dicere juxta interpretationem datam, ſed quod ſe videat ſub Sacramento exiſtentem.

Repones. S. Th. ſubdit immediate: *Nec tamen eſt ſimile de alio oculo glorioſo, quia etiam oculus Chriſti eſt ſub hoc Sacramento, in quo conformatur ei oculus glorioſus*. Ergo ex hoc quod oculus Chriſti ſe videat, male inferimus, quod alii oculi etiam glorioſi poſſint illum videre. R. N. Conſ. Diſcrimen enim, quod ponit S. Th. inter oculum Chriſti & alios oculos glorioſos non officit noſtræ illationi; ſeu ſenſus ejus eſt, quod oculus Chriſti in Sacramento, cum ſit ad modum ſui corporis inextenſus recipiat pariter ſpecies ſui corporis inextenſas: at aliter oculus quantumvis glorificatus cum ſit extenſus, non poteſt naturaliter cognoſcere objectum, niſi per ſpecies extenſas, quas corpus Chriſti in Euchariſtia non emittit. Non negat tamen S. Doctor id de potentia Dei abſoluta eſſe poſſibile etiam oculis glorioſis extra Sacramentum exiſtentibus, quin e contra aſſerit in 4. d. 10. q. 1. a. 4. q. 2. ad 1. dicens: *Oculus Chriſti extra ſpecies ſacramentales exiſtens non videt ſe ipſum intra ſpecies ſacramentales exiſtentem niſi miraculoſe: & ſimiliter alii oculi glorioſi non vident ipſum hic, niſi forte per miraculum*. Ratio vero reſponſionis eſt: quia licet corpus Chriſti in Euchariſtia non ſit objectum proportionatum oculo corporeo, propter ejus inextenſionem localem, continetur tamen intra objectum ejus ſpecificativum, quia eſt coloratum lucidum. Unde ſicut licet Deus clare viſus non ſit objectum proportionatum intellectus humani, quia tamen eſt intra objectum ejus ſpecificativum, poteſt elevari per lumen gloriæ ad ejus viſionem: ita ſimiliter oculus corporeus reſpectu corporis Chriſti in Euchariſtia.

Si dicas corpus Chriſti inextenſum non poſſe emittere ſpecies extenſas, quales requirit oculus corporeus. R. quod quamvis id non poſſit virtute naturali, non implicat tamen id poſſe virtute ſupernaturali, aut Deum ipſum eas producere in oculo videntis. Dixi: non tamen poſſe videri ab oculo corporeo modum, quo Chriſtus exiſtit in Euchariſtia, quia iſte modus non eſt coloratus lucidus, ſed totus ſupernaturalis, ideoque non continetur intra objectum ſpecificativum oculi corporei.

Petes 5. Utrum quando in Sacramento apparet miraculoſe vel caro, vel ſanguis, vel puer, ſit vere ibi corpus Chriſti, & an maneat Sacramentaliter? Dupliciter contingere poteſt hujuſmodi apparitio. (*Ib. a. 8 c.*) 1. Ex parte videntium, quorum oculi ita immutantur, ac ſi viderent exterius carnem vel ſanguinem, vel puerum, nulla tamen mutatione facta ex parte Sacramenti, ſeu ſpecierum ſacramentalium. Et hoc contingere videtur, quando uni videtur ſub ſpecie carnis vel pueri, aliis ſicut prius ſub ſpecie panis, vel quando eidem videtur ad horam ſub ſpecie carnis vel pueri, & poſtmodum ſub ſpecie panis. 2. Contingit hujuſmodi apparitio non per ſolam immutationem videntium, ſed etiam per immutationem ſpecierum, quod dignoſcitur, ſi conſtanter ab omnibus eodem modo videatur.

R. 1. (*Ib.*) Si apparitio contingat primo modo, non eſt ibi vere corpus Chriſti, & remanet ſacramentaliter. Ratio utriuſque eſt, quia nulla ſit mutatio in objecto ſub ſpeciebus, ſed tantum in oculis videntium. R. 2. (*Ib.*) Si apparitio fiat ſecundo modo, nec ſit tanta mutatio ſpecierum, quin remaneant adhuc dimenſiones panis cum eadem denſitate, ſapore, odore, & tali temperamento, quod ſufficeret ad conſervationem panis, ſi ibi eſſet, quamvis fiat quædam immutatio quoad accidentia communia, puta colorem, remanet ſacramentaliter corpus Chriſti; quia tamdiu manet corpus Chriſti ſub ſpeciebus, quamdiu manent ſpecies; manent autem ſpecies manentibus dimenſionibus, ſeu eo temperamento, ſub quo ſervaretur panis, ſi adeſſet. Unde ſi taliter immutarentur ſpecies, ut ſub eis non maneret ſubſtantia panis, ſi adeſſet, non maneret etiam corpus Chriſti ſub illis. R. 3. (*Ib.*) Communius tenent Theologi cum Auctore quod in hac ſecunda apparitione non ſit etiam vel caro, vel ſanguis Chriſti: tum quia nunquam, aut raro legitur Chriſtum poſt ſuam aſcenſionem apparuiſſe in terris: tum quia idem corpus non poteſt eſſe circumſcriptive in duobus locis: eſt autem corpus Chriſti circumſcriptive in cœlo, nec ulla eſt neceſſitas dicendi, quod Chriſtus ad tempus deſerat cœlum. Si dicas bilocationem eſſe poſſibilem per miraculum. Negant Thomiſtæ cum ſuo Auctore, & hoc dato, nulla eſt etiam neceſſitas adſtruendi iſtud miraculum. Neque (*Ib.*) tamen eſt deceptio in utraque apparitione, ſicut accidit Magorum præſtigiis; quia talis ſpecies ſeu repræſentatio formatur divinitus ad aliquam veritatem figurandam, ut ſcilicet manifeſtetur præſentia realis Chriſti in hoc Sacramento, ſicut etiam abſque deceptione Chriſtus apparuit Diſcipulis euntibus in Emmaus ſub ſpecie Peregrini Luc. 24. Dicit enim Aug. l. 2. QQ. Evang. c. ult. *Dum fictio noſtra refertur ad aliquam ſignificationem, non eſt mendacium, ſed aliqua figura veritatis*.

Si quæras, quomodo ſe gerere debeat Sacerdos celebrans, cui talis apparitio contingeret? R. (*Hic q. 82. a. 4. ad 2.*) quod non debeat ſumere corpus Chriſti ſub ſpecie carnis, nec ſanguinem ſub ſpecie ſanguinis, aut ſub aliqua extranea ſpecie a ſpecie panis vel vini, ſed reſervata ſpecie, quæ eſt immutata, debet alteram ſumere; nec obſtat præceptum de integrando Sacrificio; quia quæ miraculoſe fiunt, ſub legibus non ſubduntur. Conſultum tamen foret huic Sacerdoti iterato corpus & ſanguinem Chriſti conſecrare & ſumere.

Auctor Q. 77. agit de accidentibus remanentibus in hoc Sacramento, de quibus nos ſufficienter egimus D. t. a. 6, §. 2. Vide ibi.

DIS-

DISSERTATIO V.

DE FORMA SACRAMENTI EUCHARISTIÆ.

Div. Thom. Quæſt. 78.

CIRCA Euchariſtiæ formam ſicut circa cætera varie erraverunt noſtrates Hæretici. Bucerus vult nulla verba eſſe proferenda, Calvinus eſſe proferenda recitative tantum ad fidem excitandam, Lutherus contendit hæc etiam verba: *Qui pridie, &c.* eſſe conſecratoria, Kemnitius totam Chriſti inſtitutionem pertinere ad integritatem formæ, alii aliter. Græci quidam Schiſmatici dicunt Euchariſtiam confici precibus, quas poſt prolata hæc verba: *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus*, fundunt ſecundum ſuas liturgias in hunc modum: *Rogamus Pater, ut mittas ſpiritum tuum ſuper nos, & ſuper hæc appoſita munera, & fac panem iſtum pretioſum corpus Filii tui, & quod eſt in Calice pretioſum ſanguinem Filii tui.* Hujus erroris Patroni præcipui fuerunt Cabaſilas, Marcus Epheſinus, & Simeon Theſſalonicenſis, quos confutarunt Cardinalis Beſſarion opuſc. de Euchariſtia, Arcudius l. 3. concordiæ c. 26. & ſeq. & Allatius l. 3. de conſenſu Orient. & Occid. Eccleſ. c. 15.

Inter Catholicos (*Hic q. 76. a. 1. ad 1.*) Innocentius III. l. 4. Myſt. Miſſæ c. 6. opinative cenſuit Chriſtum ſine verbis, ſed ſola benedictione conſecraſſe, poſtea tamen præſcripſiſſe formam ſeu verba, quibus Sacerdotes conſecrarent. Hanc opinionem deinde ut certo veram propugnavit Ambroſius Catharinus duobus opuſculis, quæ ad Concilium Trid. miſit. Huic quidam alii ſubſcripſerunt. Scotus juxta vulgarem de ipſo opinionem cenſuit verba Chriſti ad Conſecrationem non eſſe efficacia, niſi præmiſſis, *Qui pridie, &c.* quia alioquin Sacerdos non loqueretur in perſona Chriſti, ſicque To *Corpus meum* importaret corpus celebrantis non Chriſti, idque revera videtur docere ſubtilis Doctor in 4. d. 8. q. 2. Ab hac tamen ſententia illum vindicare conantur quidam ejus Diſcipuli. Inter Thomiſtas controverſia eſt circa formam Calicis. Quidam volunt hæc ſola verba; *Hic eſt Calix ſanguinis mei*, eſſe eſſentialia formæ, alii etiam ea, quæ ſequuntur *Novi & æterni, &c.* Maxime lis eſt de mente D. Th.

Tria itaque hic nobis ſe offerunt diſcutienda. 1. utrum Chriſtus conſecrando verbis uſus fuerit? 2. utrum ſolis verbis Chriſti perficiatur Conſecratio independenter a precibus præcedentibus vel ſubſequentibus? 3. quæ ſint verba utriuſque formæ eſſentialia?

ARTICULUS I.

Utrum Chriſtus conſecrando verbis uſus fuerit?

CHRISTUM potuiſſe ſolo imperio ſine verbis convertere panem & vinum in corpus & ſanguinem ſuum, extra dubium eſt: ſed, an ita fecerit? quæritur.

Dico. Chriſtus conſecrando non ſola benedictione, ſed his verbis: *Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus*, vel, *Hic eſt Calix ſanguinis mei*, uſus eſt. Prob. 1. ex Scriptura. Chriſtus conſecravit eodem modo, quo Sacerdotes nunc conſecrant. Poſtquam enim conſecraſſet, dixit: *Hoc facite in meam Commemorationem.* Atqui Sacerdotes nunc conſecrant verbis laudatis, ut dicemus art. ſeq. Ergo.

Prob. 2. ex Patribus. Tertull. l. 4. cont. Marcion. c. 4. *Acceptum panem*, inquit, *& diſtributum Diſcipulis corpus ſuum illum fecit, hoc eſt corpus meum dicendo.* Chryſoſt. Hom. 3. in 2. Timoth. *Quemadmodum verba, quæ locutus eſt Chriſtus, eadem ſunt, quæ Sacerdotes nunc quoque pronuntiant, ita & oblatio eadem eſt.* Ambroſ. l. 4. de Sacram. cap. 4. *Quomodo poteſt, qui panis eſt, corpus eſſe Chriſti? Conſecratione. Conſecratio igitur quibus verbis eſt, & cujus ſermonibus? Domini Jeſu. Nam reliqua omnia, quæ dicuntur, laudem Deo efferunt, oratio præmittitur pro populo, pro Regibus: ubi autem venitur, ut conficiatur venerabile Sacramentum, jam non ſuis ſermonibus Sacerdos, ſed utitur ſermonibus Chriſti. Ergo ſermo Chriſti hoc conficit Sacramentum*, Item alii, de quibus art. ſequenti.

Prob. 3. ex Concil. Trid. ſeſſ. 13. cap. 1. ubi dicitur: *Hoc admirabile Sacramentum in ultima Cœna inſtituit* (Chriſtus), *cum poſt panis vinique benedictionem ſe ſuum corpus præbere, ac ſuum ſanguinem diſertis ac perſpicuis verbis teſtatus eſt: Quæ verba a ſanctis Evangeliſtis commemorata, & a D. Paulo poſtea repetita ſunt.* Porro ſi poſt benedictionem; ergo non per benedictionem ſaltem præviam, & diſtinctam ab ipſa Conſecratione per verba Evangelica. Si verbis diſertis & perſpicuis, quibus teſtatur ſe ſuum corpus & ſanguinem præbere, & quæ ab Evangeliſtis, & ab Apoſtolo referuntur: ergo iſtis: *Hoc eſt corpus meum, hic eſt Calix ſanguinis mei*; non ſunt enim alia aſſignabilia. Quamvis concluſionem ut certam amplectantur Theologi, plures tamen nolunt eſſe de fide; quia, inquiunt, nullo Eccleſiæ decreto definita eſt, ut res fidei: licet enim Concil. Trid verbis mox relatis ipſam ſic clare innuat, non tamen anathemata damnat eos, qui contrarium ſentiunt, quamvis non ignoraret tunc eſſe aliquos; & Salmeron, qui Concil. Trid. adfuit, Tom. 2. Tract. 13. fatetur nihil illa de re definitum fuiſſe a Concilio.

Obj. Chriſtus benedixit, & gratias egit priuſquam dixerit; *Hoc eſt corpus meum, &c.* ut patet ex Evangeliſtis. Atqui illa benedictio fuit conſecratoria. Ergo. Prob. Min. 1. Ex Apoſt. 1. Cor. 10. dicente: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt?* Ubi loquitur Apoſtolus de benedictione, de qua loquuntur Evangeliſtæ. Atqui Apoſtolus loquitur de benedictione conſecratoria, cum vi illius dicat eſſe communicationem ſanguinis Chriſti. Ergo. 2. Benedictio illa, ſeu gratiarum actio non videtur eſſe aliud quam oratio, ſeu invocatio divinæ virtutis. Atqui hæc oratio Chriſti fuit efficax, non minus quam dum multiplicavit panes in Deſerto. Ergo.

Huic argumento duplex eſt reſponſio. Prima diſtinguit Minorem ſic: illa benedictio fuit conſecratoria præparatorie & mediate, C. formaliter per ſe & immediate, N. Equidem potuiſſet Chriſtus, ut dictum eſt, ſolo imperio, ſeu benedictione Sacramentum conficere, at ita noluiſſe conſtat ex probationibus Concluſionis. Benedictio itaque, ſeu gratiarum actio, quæ præceſſit, ſi præceſſerit, erat invocatio divinæ virtutis ſuper panem & vinum, qua ad conſecrationem per verba ſequentia perficiendam præparabantur, ſicut in reſuſcitatione Lazari præceſſit oratio & gratiarum actio, tanquam præparatio ad reſurrectionem, quæ tunc demum facta eſt, cum Chriſtus voce magna clamavit: *Lazare veni foras.* Unde ad 1. probationem in contrarium reſpondetur Apoſtolum nomine benedictionis intelligere totam Cœnæ celebrationem, quam ab aliqua ejus parte denominavit benedictionem: neque inde magis inferri poſſe benedictionem ſimplicem fuiſſe conſecratoriam, quam panis fractionem, de qua ſimiliter dicit Apoſtolus: *Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis eſt?* Ad 2. Prob. D. Min. Hæc oratio fuit efficax, non minus quam ea, quæ multiplicavit panes in Deſerto, & eodem modo, N. & diverſo modo, C. Oratio in Deſerto fuit efficax immediate, iſta mediate, prout Chriſto placuit.

Altera reſponſio, quæ eſt D. Thomæ (*Ibid.*), negat Majorem argumenti intellectam de benedictione, de qua loquuntur Evangeliſtæ, dicitque hanc benedictionem fuiſſe ipſam Conſecrationem per verba Evangelica, aut eam fuiſſe comitatam, & non præceſſiſſe. Ad ſeriem autem verborum Evangeliſtarum reſpondet, Evangeliſtas non ſemper eundem ordinem in recitando ſervaſſe, quo res geſtæ ſunt, ut colligitur ex D. Aug. lib. de conſenſu Evang. cap. 30. 31. & 44. Unde ordo rei geſtæ ſic exprimi poteſt. Accipiens panem, benedixit dicens: *Hoc eſt corpus meum*, & deinde fregit & dedit Diſcipulis ſuis. Imo idem ſenſus haberi poteſt etiam verbis Evangelicis non mutatis. Nam hoc participium *Dicens* concomitantiam quandam importat verborum prolatorum ad ea, quæ præcedunt: non eſt autem neceſſe, quod illa concomitantia intelligatur ſolum reſpectu ultimi verbi prolati, quaſi Chriſtus tunc iſta verba protulerit, quando dedit Diſcipulis; ſed poteſt intelligi concomitantia reſpectu totius præcedentis, ut ſit ſenſus: Dum benediceret, frangeret & daret Diſcipulis, hæc verba dixit: *Accipite, &c.* ſicut ſi dicerem: *Hoc feci, & hæc dixi*, non ſequitur, quod dixerim, poſtquam fecerim, ſed poſſet intelligi, quod dixerim, dum facerem. Huic reſponſioni favet textus ſupra laudatus Apoſtoli: *Calix benedictionis, &c.* favet Ambroſius l. de iis, qui initiantur c. 9. dicens: *Hic eſt panis, quem benedictio conſecravit; major eſt vis benedictionis quam naturæ, quia benedictione etiam ipſa natura mutatur.* Et ibid. *Ipſe clamat Dominus Jeſus: Hoc eſt corpus meum. Ante benedictionem verborum cœleſtium alia ſpecies nominatur, poſt Conſecrationem corpus ſignificatur.* Ubi aperte docet benedictionem eſſe Conſecrationem per verba Evangelica.

Verum contra hanc reſponſionem militant duo argumenta. Primum petitur ex textu græco, in quo benedicere exprimitur per participium Aoriſtum, quod habet ſignificationem præteriti, & reddi ſolet per præteritum pluſquam perfectum, *Cum benedixiſſet*, & non ut vertit Latinus Interpres, *Benedixit.* Idque confirmatur ex Marco c. 14. dicente: *Et accepto Calice gratias agens, dedit eis,*

Digitized by Google

biberuntque ex illo omnes, & ait illis: Hic eſt ſanguis meus. Supponit ergo jam conſecratum fuiſſe Calicem per benedictionem, ſeu gratiarum actionem, antequam diceret: *Hic eſt ſanguis meus:* Secundum argumentum deſumitur ex Trident. ſeſſ. 13. cap. 1. ubi dicitur, *Poſt panis vinique benedictionem, ſe ſuum corpus illis præbere ac ſuum ſanguinem diſertis ac perſpicuis verbis teſtatus eſt.* Ergo benedictio præceſſit Conſecrationem. Ad 1. R. argumentum eſſe infirmum, quia in aliis Scripturæ locis ſimiles Aoriſti redduntur per præteritum imperfectum, ut Act. 13. v. 4. *Intueus autem in eum Petrus*, reddi debet, cum intueretur in eum Petrus: & Matth. 26. v. 25. *Reſpondens autem Judas dixit*, id eſt, cum reſponderet Judas dixit. Ad Confirmationem. Militat contra utramque reſponſionem. Igitur pro utraque dicimus ut ante, Evangeliſtas non ſemper ſervare recitando ordinem, quo res geſtæ ſunt. Hæc itaque verba: & biberunt ex illo omnes, recitata ſunt a S. Marco per anticipationem, ut præceptum cum ejus executione conjungeret. Ad 2. quod magis urget: quidam reſpondent ſenſum Concilii eſſe, quod poſt benedictionem, ſeu Conſecrationem, id eſt, non niſi per benedictionem, ſeu Conſecrationem & non ante: Sicut ſi diceremus, poſt Baptiſmum homo inſignitus eſt charactere, id eſt non niſi per Baptiſmum, & non ante inſignitur charactere. Alii, & forte melius, dicunt S. Th. hoc unum velle, nimirum quod benedictio conſecratoria facta fuerit verbis Evangelicis. An autem præceſſerit benedictio accidentalis, ut videtur innuere Trid. non negat, neque de hoc agit S. Doctor.

ARTICULUS II.

Utrum ſolis verbis Dominicis, & non precibus præcedentibus aut ſubſequentibus fiat Conſecratio.

Dico. Solis verbis Dominicis, non precibus, quæ præcedunt aut ſequuntur, Conſecratio perficitur. Concluſio eſt præſertim contra quoſdam Græcos Schiſmaticos, qui, ut diximus in prænotaminibus, contendunt Conſecrationem fieri precibus, quæ in ſuis Liturgiis ad verba Dominica ſequuntur. Prob. Rationibus Theologicis. 1. Sacerdotes conſecrant eo modo, quo Chriſtus conſecravit, dixit enim facta Conſecratione: *Hoc facite in meam commemorationem.* Atqui Chriſtus conſecravit his verbis: *Hoc eſt corpus meum*, &c. & non precibus, ut patet ex Articulo præc. Ergo. 2. Quando Sacerdos in perſona Chriſti dicit: *Hoc eſt corpus meum*, verum dicit. Ergo vi iſtorum verborum independenter a precibus ſubſequentibus, adeſt corpus & ſanguis Chriſti. Forma hujus Sacramenti eſt ex inſtitutione divina, & eadem apud omnes. Atqui preces ſunt ex inſtitutione Eccleſiæ, & diverſæ apud diverſos. Ergo.

Prob. ex Conciliis. Trid. ſeſſ. 13. c. 1. declarat hoc Sacramentum fuiſſe inſtitutum, & perfici verbis, quæ ab Evangeliſtis commemorata ſunt, & ab Apoſtolo repetita, quibus Chriſtus ſe ſuum corpus & ſanguinem Diſcipulis præbere teſtatus eſt. Atqui hæc non ſunt preces, ſed ea, quæ Chriſtus pronuntiavit: *Hoc eſt corpus*, &c. Ergo. Confir. Idem ibid. c. 13. dicit: Corpus Chriſti eſſe ſub ſpecie panis, & ſanguinem ſub ſpecie vini, *Vi verborum*. Atqui verba non ſunt verba precum, quippe quæ eadem ſunt pro Conſecratione panis & vini. Ergo hæc ſunt pro Conſecratione panis, *Hoc eſt corpus meum*; & iſta pro Conſecratione vini: *Hic eſt ſanguis meus:* Concilium Florent. in Decreto unionis: *Forma hujus Sacramenti* (inquit) *ſunt verba Salvatoris, quibus hoc conficit Sacramentum; Sacerdos enim in perſona Chriſti loquens hoc conficit Sacramentum. Nam ipſorum verborum virtute ſubſtantia panis in corpus Chriſti, & ſubſtantia vini in ſanguinem convertuntur.*

Prob. ex ipſa Græcorum confeſſione & praxi. 1. Græci in Concilio Flor. ſæpe ab Eugenio IV. interrogati de ſua fide circa formam Euchariſtiæ, tandem ſeſſ. 25. apud Labb. Tom. 13. pag. 491. ſic de his verbis: *Hoc eſt corpus meum*, proteſtati ſunt: *Fateri nos diximus per hæc verba tranſſubſtantiari ſacrum panem, & fieri corpus Chriſti: ſed poſtea quemadmodum & ipſi* (Latini) *dicitis:* Jube hæc perferri per manus ſancti Angeli tui in ſublime altare tuum; *ita nos quoque oramus dicentes, ut Spiritus S. deſcendat ſuper nos, & efficiat in nobis panem hunc pretioſum corpus Chriſti tui, & quod in Calice iſto eſt, pretioſum ſanguinem Chriſti tui, tranſmutetque ipſa, Spiritu S. ſuo, ut fiant communicantibus in purgationem animæ, in remiſſionem peccatorum, & non fiant in judicium, & condemnationem noſtram.* Quibus verbis aperte declarant per preces, quas fundunt, non petere, ut abſolute fiat corpus Chriſti, quod jam ſupponunt, ſed ut fiat ipſis in remiſſionem peccatorum. Item Dominica 5. Julii anni 1438. in generali Congreg. ejuſdem Concilii præſidente SS. Domino Eugenio Papa, Cardinalis Beſſarion ſuo & aliorum Patrum Eccleſiam Orientalem repræſentantium nomine dixit inter alia: *Quoniam ab omnibus ſanctis Doctoribus Eccleſiæ, præſertim ab illo Beatiſſimo Joanne Chryſoſtomo, qui nobis notiſſimus eſt, audivimus verba Dominica eſſe illa, quæ mutant & tranſſubſtantiant panem & vinum in corpus verum Chriſti & ſanguinem, quod verba illa divina Salvatoris omnem virtutem tranſſubſtantiationis habent; nos ipſum ſanctiſſimum Doctorem, & illius ſententiam ſequimur de neceſſitate.*

2. Juxta liturgias SS. Baſilii, Chryſoſtomi, & aliorum, quas recipiunt Græci: cum Sacerdos alta voce pronuntiavit hæc verba: *Hoc eſt corpus meum*, Populus reſpondet *Amen*, & Diaconus aſſiſtens extremitate ſtolæ demonſtrat panem & Calicem adorandum. Hæc autem vox *Amen* ſignificat græce *Verum eſt, ita eſt ut dicit*, & iſta oſtenſio ſignificat eſſe ibi corpus & ſanguinem Chriſti. Sic arguunt contra Græcos Cardinalis Beſſarion ipſe Græcus tom. 26. Biblioth. Patrum pag. 795. Arcudius lib. 3. c. 26. Goarius in Euchologio pag. 139. in not. ad Miſſam Chryſoſtomi.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. SS. Patres afferunt orationibus & precibus Sacerdotum Euchariſtiam confici. Ita S. Juſtinus in Apolog. 2. Irenæus l. 4. c. 34. Origenes l. 4. contra Celſum, Cyrillus Jeroſol. Catecheſi 1. & 5. S. Baſilius l. de Spiritu S. c. 37. Hieronymus Ep. 85. Aug. l. 3. de Trinit. c. 4. & alii plures, ac tandem Gregorius Magnus, qui lib. 7. Epiſtolarum, Epiſt. 63. dicit morem Apoſtolorum fuiſſe, *Ad ipſam ſolummodo orationem dominicam oblationis hoſtiam conſecrare.* Ergo. R. Patres duplici ſenſu Conſecrationem orationibus Sacerdotum adſcribere. 1. Quia licet non habeant ſecundum ſe vim conſecrandi, Conſecrationem tamen ex inſtituto Eccleſiæ ſemper comitantur, & quæ præcedunt, diſponunt ad illam. Neque obſtat, quod independenter ab illis Conſecratio per verba ſacramentalia perficeretur; vult enim Deus plura a nobis peti, quæ, etſi non peteremus, nihilominus faceret, ut agnoſcamus ipſum ex pura liberalitate & miſericordia ea elargiri, eumque omnium bonorum eſſe Auctorem. Sic Baptiſmo conferendo præmittuntur preces, quamvis ſine illis per verba conferretur Baptiſmus. 2. Sæpe Patres per orationem intelligunt ipſam Conſecrationem per verba Evangelica, quæ eſt oratio implicita. Omne enim opus bonum & maxime Sacrificium, quo Deo litamus, & ejus divinam Majeſtatem recognoſcimus, vere dici poteſt oratio. Ad ſanctum Gregorium. Loquitur ibi de precibus adjunctis Sacrificio a quodam Scholaſtico, & reputat inconveniens, quod his precibus adhibitis omittatur Oratio Dominica, quam ſolam recitabant Apoſtoli in celebratione Sacrificii.

Obj. 2. Ex liturgiis Græcorum, in quibus poſt recitata verba Sacramentalia, adhuc orant, ut fiat corpus & ſanguis Chriſti, ut vidimus in prænotaminibus. Ita liturgia S. Baſilii, Chryſoſtomi, Marci, Armenorum, &c. Ergo exiſtimant per hæc verba: *Hoc eſt*, &c. panem & vinum non converti in corpus & ſanguinem Chriſti, ſed per orationes ſequentes. R. miſſis variis ſolutionibus, Græcos petere per iſtas preces, non ut fiat corpus Chriſti phyſice & abſolute, ſed ut fiat moraliter, id eſt ut fiat ſalutare communicantibus in remiſſionem peccatorum. Sicut apud Latinos poſt collatam Confirmationem orat Epiſcopus, ut Chriſmatos *Confirmet atque perficiat*; & poſt adimpletam ordinationem oratur Deus, ut jam ordinato tribuat auctoritatem & poteſtatem, quæ intelliguntur non de ipſo charactere, ſed de gratia, ad quam poſſet eſſe obex in ſuſcipientibus. Veritas hujus reſponſionis conſtat ex ipſa confeſſione Græcorum in Concil. Flor. & ex eorum praxi, de quibus ſupra in probationibus. Item ex ipſis liturgiis. In liturgia enim S. Baſilii ſtatim poſt laudatam orationem ſubditur: *Nos autem, qui de uno pane & Calice participamus, junge ad invicem in unius Spiritus S. communionem, & fac, ut nemo noſtrum ad judicium vel condemnationem ſit particeps corporis & ſanguinis Chriſti tui.* Similiter in liturgia S. Chryſoſtomi. Quod ſi quid contrarium in antiqua liturgia Armenorum legatur, non eſt curandum; reputatum eſt enim a Benedicto XII. an. 1431. inter varios alios errores Armenorum apud Raynaldum ad eundem annum, & emendata Romæ anno 1677.

Inſt. 1. In liturgia S. Chryſoſtomi poſt verba Dominica duplex diſtinguitur oratio, una, qua poſtulatur, ut fiat corpus Chriſti, altera, qua poſtulatur, ut fiat in ſalutem ſumentium. Ergo male utramque confundimus. 2. S. Baſilius in ſua liturgia poſt verba Chriſti appellat panem & vinum, *Antitypa, ſymbola præſignantia ſanctum corpus & ſanguinem Chriſti.* Et S. Joan. Damaſcenus l. 4. de fide Orthod. c. 13. teſtatur ſacra dona vocari a S. Baſilio *Antitypa*, ante, non poſt Conſecrationem. Eodem modo interpretantur hanc Baſilii vocem Joannes & Epiphanius Diaconi act. 6. ſeptimæ Synodi. Ergo poſt verborum Chri-

Chriſti prolationem panis & vinum nondum ſunt converſa in corpus & ſanguinem Chriſti, ſed ſunt adhuc eorum typus ac figura prænuntiativa. R. ad primum, 1. Juxta Arcadium l. 3. cap. 13. & Goarium in notis ad Miſſam Chryſoſtomi; Latinum Interpretem male reddidiſſe verba Græca Chryſoſtomi per hæc: *Fac panem iſtum pretioſum corpus Chriſti tui... tranſmutans Spiritu S. tuo:* ſed debere ſic verti: *Fac ut panis, quem Spiritu S. tuo tranſmutaſti in pretioſum corporis Chriſti tui, fiat ſuſcipientibus*, &c. 2. Data vulgarem verſionem eſſe retinendam, R. Orationem hanc, quamvis ſequatur prolationem verborum ſacrorum, ad eam tamen referri, ut ampliorem ejus explicationem. Ad 2. R. hæc verba liturgiæ Baſilianæ *Antitypa & figura*; licet prolata poſt Conſecrationem verbis Chriſti factam, referenda tamen eſſe ad tempusillam præcedens, quo ſacra Symbola nondum erant conſecrata. Vox enim Græca, qua utitur Baſilius, eſt Aoriſtus præteriti temporis, quæ redditur *propoſuimus* ſecundum Allatium l. 3. c. 15. qui ſic vertit textum Baſilii: *Et cum propoſuerimus antitypa ſancti corporis & ſanguinis Chriſti*. Unde ſubſiſtit explicatio Damaſceni & aliorum, quod Baſilius ſacra dona vocaverit antitypa ante Conſecrationem.

Obj. 3. Hæc verba: *Hoc eſt corpus meum*, &c. recitative tantum & hiſtorice proferuntur, ut patet ex præcedentibus: *Qui pridie quam pateretur... dixit*. Ergo nullam habent vim mutandi panem in corpus Chriſti. R. (*Ibid. a. 5. o.*) hæc verba non proferri recitative & hiſtorice tantum: tum quia juxta Florentinum Sacerdos loquitur in perſona Chriſti; qui autem tantum recitat verba alterius non loquitur in ejus perſona, ſed in ſua: tum quia alias non applicaret formam materiæ præſenti, ſed materiæ, quam Chriſtus conſecravit, nec indigeret materia præſenti; non enim ad recitandam hiſtoriam neceſſaria eſt præſentia rei, de qua fit narratio. Hæc itaque verba profert Sacerdos recitatitive quidem, ut probant verba præcedentia, ſed etiam ſignificative & effective, quatenus referens verba, quæ Chriſtus in ultima Cœna dixit, & ſimul intendens ea applicare materiæ præſenti, ac facere, quod ſignificant, exercet actum ſuæ poteſtatis.

Inſt. 1. Si Sacerdos loquatur in perſona Chriſti, hæc verba formæ Calicis, *Qui pro vobis effundetur* erunt falſa, cum ſanguis Chriſti non ſit amplius fundendus. Ergo. R. N. Sequelam: quia Sacerdos non ſolum induit perſonam Chriſti, ſed etiam per implicitam intentionem ſe conſtituit præſentem tempori, quo Chriſtus primum hæc verba protulit; & ita vere dicit: *Hic eſt Calix ſanguinis mei qui pro vobis effundetur*. Sicut cum Eccleſia orat pro defuncto, ut Deus liberet eum de manu inferni, ſe conſtituit in inſtanti mortis illius.

Inſt. 2. Eadem verba non poſſunt recitative ſimul & ſignificative proferri ab eodem; ſic v. g. qui refert mendacium ab altero prolatum, non mentitur. Ergo R. N. Ant. Quamvis enim non ſemper ita contingat, poteſt tamen contingere; ſic in eodem exemplo qui refert mendacium ab alio prolatum, ſi intendat ſignificare idem, quod alter, & fallere, recitative ſimul & ſignificative profert, & mentitur; ſic iterum Sacerdos, qui recitat Orationem Dominicam, ut a Chriſto traditam, intendens ſimul petere, quod in ea continetur, recitative ſimul & ſignificative eam profert.

ARTICULUS III.

Quæ ſint verba eſſentialia utriuſque formæ Conſecrationis panis & Calicis?

§. I. *Quæ ſint verba eſſentialia formæ Conſecrationis panis?*

DICO. (*Ib. a. 1. & 2. o.*) Hæc ſola verba: *Hoc eſt corpus meum*, ſunt eſſentialia formæ Conſecrationis panis. Eſt communis, & conſtat ex Articulis præced. Sed inſuper probatur. (*Ib.*) illa ſola verba ſunt eſſentialia formæ Conſecrationis panis, quæ ſignificant, & important complete converſionem panis in corpus Chriſti: nam forma eſſentialis Sacramenti eſt, qua ſignificatur id, quod in Sacramento efficitur. Atqui hæc ſola verba: *Hoc eſt corpus meum*, omnibus aliis ſive præcedentibus, ſive concomitantibus, ſive ſequentibus omiſſis, complete ſignificant & important converſionem panis in corpus Chriſti, ut conſtat ex terminis; & inſuper patet ex ſignificatione aliorum verborum: non enim hæc: *Qui pridie*, &c. hanc converſionem ſignificant; neque iſta: *Accipite & manducate*, quæ ſolum important uſum, uſus autem non eſt de neceſſitate hujus Sacramenti conſiſtentis in ſola Conſecratione materiæ. Neque enim hæc, *Quod pro vobis tradetur*, his enim omiſſis habetur completa ſignificatio dictæ converſionis, nec a Matthæo & Marco referuntur; & quamvis Lucas & Paulus ea referant, ut prolata a Chriſto, non tamen omnia, quæ Chriſtus conſecrando protulit, ſunt de eſſentia formæ, ſed ea ſolum, quæ ſignificant dictam converſionem. Græci autem illa verba proferunt non ex neceſſitate Sacramenti, ſed ex ritu ſuæ Eccleſiæ. (*Ib. a. 2. ad 5.*) Tandem To *Enim* apponitur ſecundum conſuetudinem Romanæ Eccleſiæ propter continuationem ad verba præcedentia, unde ſicut verba præcedentia non ſunt de eſſentia formæ, ita neque hæc particula. Inſuper ea omiſſa perfecte ſignificatur præſentia corporis Chriſti. Qui tamen illam aut verba præcedentia omitteret, graviter peccaret contra Eccleſiæ ritum ac præceptum.

Dices cum Scoto. Niſi hæc verba. *Qui pridie quam pateretur*. &c. præmittantur, Sacerdos non ſignificat ſe loqui in perſona Chriſti, ſed ſua: ideoque dum dicit: *Hoc eſt corpus meum*, non corpus Chriſti, ſed ſuum demonſtrat. Ergo dicta verba, eſto non ſint de eſſentia formę, ſunt tamen de neceſſitate Sacramenti. R. (*Ib. a. 1. ad 4.*) N. Ant. Hoc ipſo enim, quo Sacerdos profert hęc verba: *Hoc eſt corpus meum*, ut ſignificantia & efficientia ex inſtitutione Chriſti, cum intentione conficiendi Sacramentum, ſeu convertendi panem in corpus Chriſti, perficitur Sacramentum, quia intentio facit, ut hæc verba, quæ vim habent ex inſtitutione Chriſti, intelligantur ex perſona Chriſti prolata, etiamſi hoc verbis præcedentibus non exprimeretur; quia, ut dictum eſt, non recitative tantum & hiſtorice illa refert, ſed etiam ſignificative; ita ut nomine ſuo inſtitutionem Chriſti referat, & nomine Chriſti practice ſignificet ibi poni corpus Chriſti. Sicut ergo Angelus Exod. 3. dicens Moyſi: *Ego ſum Deus Patris tui*, ſatis ſignificabat ſe loqui in perſona Dei, etſi non diceret Deum hæc verba protuliſſe, ita Sacerdos proferens verba Chriſti cum intentione ejus corpus ponendi ſub ſpeciebus panis, intelligitur loqui nomine & in perſona Chriſti.

§. II. *Quæ ſint verba eſſentialia formæ Conſecrationis Calicis?*

APUD Latinos in Conſecratione Calicis hęc verba proferuntur: *Hic eſt Calix ſanguinis mei, novi & æterni teſtamenti, myſterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*. Suppono 1. (*In 4. d. 8. q. 2. a. 1. q. 2.*) perinde eſſe ſi dicatur: *Hic eſt ſanguis meus* cum Græcis, vel: *Hic eſt Calix ſanguinis mei*, cum Latinis: quia dicitur *Calix ſanguinis* per metonymiam ſumendo continens pro contento, ſecundum quod dicere conſuevimus, *Bibi calicem vini*, id eſt vinum contentum in Calice. Hic autem locutionis modus congruus eſt huic formę: Sanguis enim de ſui ratione non eſt aliquid potabile, imo natura abhorret a ſanguine potando; quia ergo ſanguis conſecratur in potum, convenienter additum eſt aliquid pertinens ad potum nempe *Calix*. Suppono 2. Hęc verba: *Novi & æterni Teſtamenti*, & ſequentia convenienter prioribus fuiſſe adjecta; tum quia multa ex illis tanquam a Chriſto prolata referuntur ab Evangeliſtis: cętera vero etiam Chriſtum protuliſſe Eccleſia traditioni innixa cenſet: tum quia triplicem effectum ſanguinis Chriſti in Paſſione effuſi exprimunt, ſcilicet vitam ęternam, cum dicitur *Myſterium fidei*, & remiſſionem peccatorum, cum dicitur, *Qui pro vobis*, &c.

Sed quęſtio eſt, an ſint de eſſentia formę, ita quod his omiſſis non conficeretur Sacramentum? Partem affirmativam tenent plures & inſignes Thomiſtæ, negativam alii etiam Thomiſtæ, nec numero, nec eruditione ſeu dignitate inferiores, & cum iſtis communiter extranei. Controverſia potiſſimum eſt inter Thomiſtas de mente S. Th. qui videtur fovere utrique ſententię, & quæ juxta doctrinam illius, ut verum fatear, poteſt utrimque probabiliter ſuſtineri; ne tamen in bivio hæreamus, & ut cum pluribus loquamur,

Dico. Probabilius videtur hæc ſola verba: *Hic eſt Calix ſanguinis mei*, vel *Hic eſt ſanguis meus*; eſſe formæ Calicis eſſentialia. Prob. 1. Ex Patribus, Juſtino Apolog. 2. Damaſc. l. 4. de fide c. 14. Auctore de Cœna Domini apud Cyprianum, Innocentio III. l. 4. de Miſſa c. 6. & aliis, qui dicunt Conſecrationem his verbis, *Hic eſt ſanguis meus*, confici. Neque dicas illos non referre formam integram; eodem enim modo loquuntur de his verbis, *Hic eſt ſanguis meus*, ac de iſtis, *Hoc eſt corpus meum*; in his autem agnoſcunt formam integram. Ergo & in prioribus. Prob. 2. ex liturgiis Græcorum. Græci eſſentialem formam ſervant, valide enim conſecrant, ut omnes fatentur. Atqui verba ſequentia *Novi & æterni*, &c. non proferunt, ſed quidam omnia, quidam aliqua omittunt, ut conſtat ex eorum liturgiis. Ergo.

Scio Adverſarios reſpondere, eandem difficultatem currere de forma Confirmationis, & de materia & forma Ordinis, quæ diverſæ ſunt apud Græcos & Latinos. Sicut ergo, inquiunt, ut ob hac difficultate ſe Theologi expediant, dicunt Chriſtum non determinaſſe in ſpecie & in individuo formas & materias horum Sacramentorum, ſed generice tantum, nempe ut conferrentur per materiam & formam, effectus Sacramenti ſignificativam; reliquiſſe

vero Eccleſiæ ſuæ facultatem illam materialiter & in individuo determinandi. Idem quoad formam Calicis eſt dicendum. Sed contra 1. Equidem verum eſt aſſumptum, ubi verba æquivalentia & materiæ æquivalentes adhibentur ad ſignificationem ſacramentalem, ut contingit in Confirmatione & Ordine; ſecus vero ſi quæ eſſentialia dicuntur, omnino omittantur. Sic v. g. in Baptiſmo, ſive dicas *Te baptizo*, ut apud Latinos, ſive *Baptizatur ſervus Chriſti*, ut apud Græcos, utrumque valet, quia ſunt verba æquivalentia in ordine ad ſignificandum effectum ſacramentalem, qui eſt ablutio. At ſi omnino omitteretur apud Græcos, *In nomine Patris*, &c. quæ verba reputantur eſſentialia, non valeret Baptiſmus. Similiter ergo in noſtro caſu, ſi apud Græcos omnino aut partim omittantur verba ſequentia, quæ ſecundum Adverſarios ſunt eſſentialia, nec æquivalentia ſubſtituantur, Græci non conſecrant, quod a nemine admittitur. 2. Hanc Adverſariorum reſponſionem expreſſe rejicit in præſenti materia S. Thomas, de cujus tamen mente in hac quæſtione potiſſimum agitur. Ideo enim a. 1. hujus q. ad 4. negat verba, quæ ſunt in Canone, præter iſta, *Hic eſt Calix ſanguinis mei*, eſſe eſſentialia, *Quia Canon Miſſæ non eſt idem apud omnes, nec ſecundum omnia tempora*. Alio ergo confugiant Thomiſtæ, quos oppugnamus, neceſſe eſt, niſi ſui Doctoris hac in parte deſertores haberi velint.

Prob. 3. (*Hic a. 1. o.*) Argumento petito ex principio, quod communiter admittitur, & quod ipſi Adverſarii pro forma Conſecrationis panis adhibent. Illa ſola verba ſunt eſſentialia formæ Conſecrationis Calicis, quæ ſignificant præſentiam realem ſanguinis Chriſti. Atqui hæc ſola verba: *Hic eſt calix ſanguinis mei*, vel *Hic eſt ſanguis meus*, independenter a ſequentibus, *Novi & æterni*, &c. ſignificant præſentiam realem ſanguinis Chriſti, non minus quam iſta, *Hoc eſt corpus meum*, independenter a ſequentibus, *Quod pro vobis tradetur*, ſignificant præſentiam realem corporis Chriſti. Ergo. Min. conſtat. Major, ut dixi, eſt principium commune, Sacramenta efficere quod ſignificant, & quod adhibent Adverſarii, ut probent hæc ſola verba: *Hoc eſt corpus meum*, omiſſo *quod pro vobis tradetur*, eſſe eſſentialia formæ Conſecrationis, vel coguntur hanc probationem admittere in forma Calicis.

Huic tamen argomento, quod nobis videtur peremptorium ad hominem, varie occurrit noſter Gonet. 1. Dicis Euchariſtiam eſſe inſtitutam non ſolum, ut Sacramentum, ſed etiam, ut Sacrificium, ſicque ſanguinem debere ſignificari, ut effuſum; per hæc autem ſola verba. *Hic eſt calix ſanguinis mei*, ſignificatur quidem præſentia ſanguinis, ſed non ut effuſi, quod ſignificatur per iſta, *Qui pro vobis effundetur*. Sed contra 1. Hæc reſponſio probat tantum, ſi quid probet, hæc ſola verba, *Qui pro vobis effundetur*, eſſe eſſentialia, non cætera, ſicque eſt diminuta, 2. Non ex congruentiis, ſed ex inſtitutione Chriſti repetenda eſt forma eſſentialis hujus Sacramenti; Chriſtum autem non inſtituiſſe verba ſequentia ut eſſentialia, inter alia probat praxis Græcorum, qui illa omittunt, & tamen valide conſecrant. 3. Et directe contra reſponſum. Hoc ipſo quo vi verborum ponitur ſanguis ſeparatus a corpore, ſufficienter ſignificatur, ut effuſus; & hoc Sacramentum eſſe Sacrificium, in quo myſtice immolatur victima per hanc ſeparationem corporis a ſanguine.

Reponit hanc myſticam ſeparationem ſanguinis a corpore eſſe indifferentem, ut ſignificet ſanguinem ibi poni per modum potus, an per modum Sacrificii, ideoque ad tollendam hanc indifferentiam adhibenda eſſe hæc verba, *Qui pro vobis effundetur*. Sed contra N. Ant. Hoc ipſo enim, ut dixi, quo ſanguis vi verborum ponitur ſeorſim a corpore, myſtica illa ſeparatio ſignificat Sacrificium, quia ſignificat & importat mactationem & oblationem victimæ factam Deo in recognitionem ſupremi ejus dominii, in quo ſita eſt ratio Sacrificii,

2. Recurrit ad ſignificationem grammaticalem, & dicit hæc verba, *Hic eſt Calix ſanguinis mei*, ſignificare quidem gramaticalem præſentiam Chriſti; ſic v. g. quamvis hæc verba: Baptizo te, grammaticaliter ſignificent ablutionem baptiſmalem, requiritur tamen ulterius expreſſio Trinitatis, quia ſic Chriſtus inſtituit. Sed contra. Supponit reſponſio, quod eſt in quæſtione, ſcilicet Chriſtum inſtituiſſe verba ſequentia, ut eſſentialia formæ, quod nec probat, nec ullus probare poteſt. Affert quidem quaſdam congruentias petitas ex ratione Sacrificii, ut vidimus, ſed quas inſufficientes probavimus, & quibus prævalent probationes Concluſionis. Ad exemplum de Baptiſmo: Diſparitas eſt 1. Quod hæc verba formæ Baptiſmi *In nomine Patris*, &c. ſint a Chriſto determinata, & ab utraque Eccleſia Græca & Latina ut eſſentialia reputata; neutrum dici poteſt de verbis *Novi & æterni*, &c. 2. Diſparitas eſt, quod prolatis his ſolum verbis: *Te baptizo*, ablutio remaneat indifferens ad ablutionem corporalem vel ſpiritualem, per hæc autem verba *In nomine Patris* &c. accedente intentione determinatur ad ablutionem ſpiritualem. At hæc verba *Hic eſt calix ſanguinis mei*, ſufficienter ſignificat immolationem victimæ & Sacrificium, ut dictum eſt. Huc uſque dicta non obſcure, ni fallor, oſtendunt ſententiam communem concluſione noſtra aſſertam eſſe ſecundum ſe probabiliorem. At an ita ſit ſecundum mente D. Th.? Hoc opus, hic labor eſt. Itaque

Prob. 4. Concluſio ex D. Th. 1. S. Doct. hic a. 1. quærit ex profeſſo, *Utrum hæc ſit forma hujus Sacramenti, Hoc eſt corpus meum, & Hic eſt calix ſanguinis mei*, nullius alterius verbi mentionem faciens, & reſpondet affirmative, probatque; quia *Forma hujus Sacramenti importat ſolam Conſecrationem materiæ, quæ in Tranſubſtantiatione conſiſtit, puta cum dicitur: Hoc eſt corpus meum, vel, Hic eſt calix ſanguinis mei*: Quaſi diceret; illa eſt forma hujus Sacramenti, quæ ſignificat & importat Conſecrationem materiæ, quæ in tranſubſtantiatione conſiſtit. Atqui iſta verba, *Hoc eſt corpus meum, & Hic eſt Calix ſanguinis mei*, ſignificant & important hanc Conſecrationem & tranſubſtantiationem. Ergo. Quæ probatio eſt ea ipſa, qua nos ſupra uſi ſumus.

Reſpondet Gonet S. Th. intelligere hæc verba *Hic eſt Calix ſanguinis mei* ſignificare Conſecrationem grammaticaliter tantum & materialiter, non formaliter ſecundum inſtitutionem Chriſti. Sed contra 1. Hanc reſponſionem jam ſuperius exſufflavimus. 2. S. Th. intelligit hæc verba: *Hoc eſt corpus meum*: præciſe & omiſſo *Quod pro vobis tradetur*, ſignificare formaliter ſecundum inſtitutionem Chriſti; ergo & iſta præciſe: *Hic eſt Calix ſanguinis mei*; de utriſque enim eodem modo loquitur: Quia alioquin S. Doctor non probaret, quod quærit & intendit, nimirum hæc verba: *Hoc eſt corpus meum, & hic eſt Calix ſanguinis mei*, eſſe formam hujus Sacramenti. 2. S. Th. in eodem art. 1. ad 4. diſerte dicit, quod *Si Sacerdos ſola verba prædicta (ſcilicet hoc eſt corpus meum, & hic eſt Calix ſanguinis mei) proferret cum intentione conficiendi Sacramentum, perficeretur hoc Sacramentum.*

Ad hoc manifeſtiſſimum teſtimonium unum reponunt Adverſarii, ſcilicet S. Doctorem per Ly *ſola* voluiſſe tantum excludere verba præcedentia, *Qui pridie*, non vero ſequentia, *Novi & æterni*, &c. idque probare conantur ex argumento, cui reſpondent. Objecerat ſibi, quod verba alia in Canone Miſſæ præſertim hæc, *Qui pridie*, &c. eſſent neceſſaria, quia alias non intelligeretur Sacerdos loqui in perſona Chriſti. Reſpondet, quod illa ſola verba: *Hoc eſt corpus meum, & hic eſt Calix ſanguinis mei*, perficiunt Sacramentum, *Quia intentio faceret, ut hæc verba intelligerentur quaſi ex perſona Chriſti prolata, etiamſi verbis præcedentibus hoc non recitaretur*. Sed contra. His quidem verbis, & hoc reſponſo excludit S. Th. verba præcedentia, non tamen hæc ſola, ſed etiam ſequentia, & concluſioni poſitæ in corpore articuli, ſcilicet ſola verba: *Hoc eſt*, &c. *hic eſt*, &c. eſſe formam hujus Sacramenti, conſtanter inhæret, quod manifeſte patet ex ratione, quam affert in hac reſponſione, quæ militat pariter contra ſequentia & præcedentia. *Ad 4.* inquit, *dicendum, quod quidam dixerunt hoc Sacramentum perfici non poſſe prædictis verbis prolatis, & aliis prætermiſſis, præcipue, quæ ſunt in Canone Miſſæ. Sed hoc patet eſſe falſum... quia Canon Miſſæ non eſt idem apud omnes, nec ſecundum omnia tempora, ſed diverſa ſunt a diverſis appoſita*. Atqui verba ſequentia, *Novi & æterni*, &c. non ſunt eadem apud omnes, nec ſecundum omnia tempora, ſed diverſa ſunt a diverſis appoſita. Ergo juxta S. Th. ſolis prædictis verbis prolatis, & his ſequentibus ſicut & præcedentibus omiſſis, perficitur Sacramentum.

3. S. Th. art. 3. ejuſdem præſentis Quæſt. o. ait: *Cum dicitur, hic eſt Calix ſanguinis mei, ſignificatur ipſa converſio vini in ſanguinem, eo modo quo dictum eſt in forma Conſecrationis panis. Per hæc verba autem ſequentia deſignatur virtus ſanguinis effuſi in Paſſione, quæ operatur in hoc Sacramento*. Quibus verbis omne effugium videtur Adverſariis præcluſum. Non enim dicere poſſunt hæc verba ſignificare converſionem vini in ſanguinem grammaticaliter tantum & non formaliter ſecundum inſtitutionem Chriſti; ſignificant enim, inquit S. Doctor, *Eo modo quo dictum eſt in forma Conſecrationis panis*; verba autem Conſecrationis panis ſignificant formaliter ſecundum inſtitutionem Chriſti. Neque etiam reſpondere poſſunt ſub his verbis: *Hic eſt Calix*, &c. ſignificantibus converſionem vini in ſanguinem, S. Thomam intelligere etiam verba ſequentia; ab hac enim ſignificatione illa S. Doctor diſerte excludit, dum addit, *Per verba autem ſequentia deſignatur*, non converſio vini in ſanguinem, *ſed Virtus ſanguinis Chriſti effuſi*.

Solvuntur Objectiones.

OBj. 1. Ex D. Th. S. Doctor hic a. 4. dicit omnia verba, quæ recitantur in Conſecratione Calicis, eſſe *De ſubſtantia formæ*. Atqui ſubſtantiam intelligit eſſentiam. Ergo. Prob. Min. Quando S. Th. agit de eſſentia Sacramentorum, pro eodem ſumit eſſe de ſubſtantia & eſſe de eſſentia, ut patet ex q. 60. a. 8. ubi dicit, quod ſi diminuatur aliquid eorum, quæ ſunt de ſubſtantia formæ ſacramentalis, tollitur debitus verborum ſenſus. Atqui per ſolam diminutionem alicujus eſſentialis tollitur debitus verborum ſenſus. Ergo. R. N. Min. Ad Prob. D. Maj. Quando S. Th. agit de eſſentia Sacramentorum pro eodem ſumit eſſe de ſubſtantia & eſſe de eſſentia, aliquando, C. ſemper, N. Non enim omnia, quæ ſunt de alicujus rei ſubſtantia, ſunt de ejus eſſentia: ſic non ſolum corpus & anima ſunt de ſubſtantia hominis, ſed etiam pes, manus, &c. quæ tamen non ſunt de ejus eſſentia, ſed partes integrales tantum. Quandonam autem S. Th. accipit ſubſtantiam pro eſſentia, quando non? colligendum ex verbis adjunctis. Sic q. 60. cit. manifeſtum eſt, quod accipiat ſubſtantiam pro eſſentia, dicens per diminutionem ſubſtantiæ ſe intelligere mutationem, quod tollatur debitus ſenſus verborum: ſenſus autem debitus verborum non tollitur niſi per mutationem alicujus eſſentialis. At hic pariter manifeſtum eſt, quod non accipiat ſubſtantiam pro eſſentia: ideo enim dicit, quod verba ſequentia ſint de ſubſtantia, quia ſunt determinationes prædicati & *Pertinent ad integritatem locutionis*; refellens enim eos, qui indiſtincte affirmabant illa verba non pertinere ad ſubſtantiam formæ, dicit: *Sed hoc videtur inconveniens, quia ea, quæ ſequuntur, ſunt quædam determinationes prædicati, id eſt ſanguis Chriſti, unde pertinent ad integritatem locutionis, & propter hoc, ſicut alii melius dicunt, omnia ſequentia ſunt de ſubſtantia formæ, uſque ad hoc, quod poſtea ſequitur*; Hæc quotieſcumque feceritis, &c. *quod pertinet ad uſum hujus Sacramenti*. Deinde addit, quod iſta verba ſequentia *Novi & æterni*, &c. non ſignificent converſionem vini in ſanguinem, ſed virtutem dumtaxat ſanguinis fuſi; ut in 3. Prob. ex S. Doctore vidimus. Quæ vero ad clariorem prædicati determinationem, & ad integritatem locutionis tantum pertinent, nec ſignificant converſionem vini in ſanguinem, ſed virtutem dumtaxat ſanguinis fuſi, quamvis ad ſubſtantiam formæ pertineant, certo tamen non ſunt de ejus eſſentia. Adde S. Doctorem non quærere in hoc articulo, quæ ſit eſſentialis forma Calicis; id enim reſolverat a. 1. & reſponderat hanc eſſe: *Hic eſt Calix ſanguinis mei*; ſed quærit, quæ ſit conveniens forma, ſeu utrum verba ſequentia, *Novi & æterni* &c. convenienter formæ eſſentiali ſint adjecta, ſicque de convenientia tantum, non de neceſſitate eſſentiali agit.

Inſt. 1. S. Th. eodem ſenſu accipit ſubſtantiam, dum dicit aliquos velle omnia non pertinere ad ſubſtantiam formæ, ac cum addit, alios melius dicere omnia pertinere ad ſubſtantiam formæ, alioquin nomen ſubſtantiæ intra paucas lineas nimis æquivoce uſurparetur. Atqui in prioribus verbis ſubſtantiam ſumit pro eſſentia. Ergo. Prob. Min. Auctores illi, quos impugnat, aſſerebant præciſe verba ſequentia non eſſe de eſſentia. Ergo. R. N. Min. Ad Prob. N. Antec. Quod nec probant, nec probare poſſunt objicientes, quin potius ex refutatione S. Th. colligitur eos per ſubſtantiam intellexiſſe non eſſentiam, ſed quidquid nomine ſubſtantiæ aliqua ratione comprehendi poteſt. Non enim arguit illos S. Doctor, quod vellent ſola priora verba eſſe eſſentialia, ſed quod vellent ſequentia nullo modo ad ſubſtantiam pertinere, ſeque habere accidentaliter, ſicut iſta; *Hæc quotieſcumque feceritis*, &c. ut patet ex his quæ modo dicebamus & ex textu.

Inſt. 2. S. Th. eodem art. 3. ſibi objicit 6. & 7. loco eadem argumenta, quæ nos objicimus Adverſariis. Ergo ſentit cum ipſis contra nos. R. D. Ant. Sibi objicit eadem argumenta, quæ nos objicimus Adverſariis & diverſo ſenſu, C. eodem ſenſu, N. Argumenta enim, quæ ſibi objicit S. Doctor, erat illorum, qui contendebant verba ſequentia nullo modo pertinere ad ſubſtantiam formæ, ſed ſe habere ad eam accidentaliter tantum. Unde in ſolutionibus non reſpondet ea pertinere ad eſſentiam formæ, ſed convenienter adjungi Conſecrationi ſanguinis, potiuſquam corporis, quia ſanguis ſeorſim conſecratus expreſſe Paſſionem Chriſti repræſentat.

Inſt. 3. S. Pius V. juſſit expungi ex commentariis Cajetani in Summam D. Th. Diſſertationem, qua propugnabat noſtram ſententiam. Ergo. R. ſummum Pontificem juſſiſſe hanc Diſſertationem expungi ex commentariis Cajetani non tanquam falſam in hac parte, ſed quia Eminentiſſimus Scriptor non ſatis fundate ſententiam contrariam affingebat Doctori Angelico, nec ſatis reverenter de illo loquebatur. Dicebat enim, ut habetur in antiquiori editione, quam, referente Laurentio Berti, Cardinalis Gotti ſe legiſſe teſtatur: *Etſi S. Thomæ intentio contraria ſit, non eſt curandum.* Hæc quantum ad ea, quæ nobis objiciuntur ex Summa, quibus exiſtimamus eſſe plene ſatisfactum. Reſtant autem ex prioribus S. Doctoris operibus quædam ſolvenda & obſcuriora & difficiliora, nec diſſimulanda. Unde

Obj. 2. S. Th. in 2. d. 8. q. 2. a. 2. q. 1. relata opinione eorum, qui dicebant hæc ſola verba: *Hic eſt Calix ſanguinis mei*, eſſe de forma Conſecrationis Calicis, ſubdit, *Alii probabilius dicunt, quod totum, quod ſequitur, eſt de forma*. Quod vero loquatur de forma eſſentiali, patet ex ſol. ad 3. in qua dixit, quia *Verba, quæ ſequuntur, ſunt eſſentialia ſanguinis, prout in hoc Sacramento conſecratur, ideo oportet, quod ſint de ſubſtantia formæ*. Item S. Doctor in 1. Cor. 11. lect. 6. dicit: *Probabilius dici videtur, quod illis ſolis verbis perficitur Conſecratio, quibus Eccleſia utitur ex traditione Apoſtolorum inſtructa*. Deinde refellit eos, qui non omnia eſſe *De neceſſitate formæ* opinantur, & ibid. dicit omnia verba habere vim effectivam ad tranſmutandum vinum in ſanguinem. En ejus verba: *Quia formæ Sacramentorum ſignificando efficiunt, totum pertinet ad vim effectivam*: quæ autem habet vim effectivam effectus ſacramentalis, ad eſſentiam Sacramenti pertinent. Ergo. R. ad 1. dicit S. Th. verba ſequentia eſſe de forma, non ut illam eſſentialiter conſtituentia, ſed ut illam integrantia, & id quod in hoc prædicato *Sanguinis mei* implicite continetur, magis explicantia. Sicut v. g. in Sacramento Pœnitentiæ hæc verba *A peccatis* poſſunt dici de forma hujus Sacramenti, non quod illam eſſentialiter conſtituant, ſed quia illam integrant & explicite ſignificant id, quod hæc verba *Abſolvo te* implicite important. Solutio petitur ex his, quæ diximus in prima ſolutione præcedentis argumenti ex art. 3. hujus quæſtionis; imo ex ipſo loco objecto in 4. ubi dicit ſic S. Doctor: *Quia conditiones appoſitæ ad ſubjectum & prædicatum ſunt de integritate locutionis alicujus, ideo alii probabilius dicunt, quod totum, quod ſequitur, eſt de forma, cum totum hoc, quod additur, non ſit locutio per ſe, ſed ſit determinatio prædicati*.

Ad 2. non dixit S. Th. quod verba, quæ ſequuntur, ſunt eſſentialia Conſecrationi ſanguinis, ſed *Sanguini prout in hoc Sacramento conſecratur*, quod multum differt. Duo enim S. Doctor in Conſecratione Calicis ſpectat, unum quod vinum convertitur in ſanguinem, alterum quod exprimatur verbis Paſſio Chriſti & ſanguinis ejus effuſio. Confer 1. ſolutionem Objectionis præcedentis. Dicit ergo verba, quæ ſequuntur, eſſe eſſentialia non Conſecrationi ſeu converſioni vini in ſanguinem, quippe quæ illam non efficiunt, ſed ſignificationi explicitæ Paſſionis Chriſti & ſanguinis ejus effuſionis, prout in hoc Sacramento conſecratur. Unde ſolum ibi concludit S. Th. quod illa verba ſint de ſubſtantia, non quod ſint de eſſentia, quia reſpectu Sacramenti eſſentialia non ſunt, licet ad exprimendam virtutem ſanguinis Chriſti ſint eſſentialia.

Ad 3. ex commentariis in Apoſtolum. Non quærit ibi S. Doctor an omnia, aut quædam tantum verba, quæ recitantur in Conſecratione, ſint adhibenda; ſed agit contra quoſdam, qui dicebant Conſecrationem poſſe fieri per quæcumque verba ab Evangeliſtis hiſtorice relata, & dicit probabilius non poſſe fieri, niſi per verba, quibus utitur Eccleſia; an autem omnia ſint neceſſario adhibenda, an prima ſufficiant? Non illic diſcutit, ſed inferius. Solutio patet tum ex verbis præcedentibus in textu, tum ex ratione, quam immediate ſubjungit: *Evangeliſtæ enim*, inquit, *verba Domini recitare intendebant quantum pertinet ad rationem hiſtoriæ, non autem ſecundum quod ordinantur ad Conſecrationem Sacramentorum, quæ in occulto habebant in primitiva Eccleſia propter infideles*.

Ad 4. docet S. Th. omnia eſſe de neceſſitate formæ, non ut illam eſſentialiter conſtituentia, ſed ut eam explicantia, ſive eſſe de neceſſitate formæ, non ut conſecrantis, ſed ut exprimentis Paſſionem Chriſti & ſanguinis ejus effuſionem, ut dictum eſt. Ad 5. non dicit totum habere vim effectivam, ſed totum pertinere ad vim effectivam, ſcilicet priora pertinent ad vim effectivam per modum cauſæ efficientis, ſequentia per modum explicationis cauſæ & effectus; quo ſenſu poſſet dici quod totum in hac forma, *Abſolvo te a peccatis*, pertineat ad vim effectivam. Cæterum ſi quidam his non acquieſcant; noverint magis ſtandum eſſe doctrinæ, quam S. Doctor ſenior tradidit in ſua Summa, quam iis, quæ junior in prioribus operibus ſcripſit. Unde dato quod in 4. & in Commentariis in 1. Cor. 11. contrariam opinionem tenuerit, dicendum erit mutaſſe ſententiam in Summa.

Obj. 3. Rubricæ referunt hæc verba *Novi & æterni*, &c. majuſculis litteris ſicut præcedentia, Sacerdos eodem ritu hoſtiam manu tenens ea recitat, nec prius ſanguinem adorandum proponit, quam omnia protulerit. Atqui hæc indicant omnia pertinere ad eſſentiam formæ. Ergo. R. N. Min. Ideo enim omnia iis litteris ſcribuntur, eodem ritu pronuntiantur, nec prius proponitur ſanguis

guis adorandus, quam omnia ſint prolata, quia omnia pertineant ad eandem formam, ſed diverſimode, priora eſſentialiter, ſequentia integraliter, ut explicativa, ſicque componentia adæquatam propoſitionem. Sic in forma Pœnitentiæ omnia verba hæc *Ego abſolvo te a peccatis in nomine Patris*, &c. eodem ritu proferuntur, quamvis non omnia ad eſſentiam pertineant. Sic Græci eodem ritu proferunt; *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur*, licet hæc ultima verba non ſint eſſentialia; ſic tandem nos ipſi eodem ritu dicimus; *Hoc eſt enim corpus meum*, quamvis *enim* non ſit de eſſentia. Addo, quod cum ſententia oppoſita ſit vere & valde probabilis, Eccleſia Romana prudenter ſequitur, quod eſt tutius circa validitatem tanti Sacramenti: quam etiam ob cauſam rubricæ præcipiunt, ut ſi verba ſequentia omitti contingat, forma ex integro repetatur.

APPENDIX.

Explicantur verba utriuſque formæ.

In Conſecratione panis *Hoc* ſumitur ſubſtantive, & demonſtrat indeterminate ſubſtantiam contentam ſub ſpeciebus panis. *Eſt* non ſumitur pro *Significat*, ut volunt Hæretici, ſed in naturali ſignificatione pro extremorum connexione. *Corpus* importat non materiam nudam, non compoſitum informatum anima dante eſſe corporeum, ſed compoſitum ex materia & forma abſtrahendo ab anima vel forma cadaverica. Pro 1. & 2. particula vide Diſſ. 1. a. 4. §. 1. Obj. 2. & 3. Pro 3. particula, Diſſ. 3. a. 1. Petit. 3. *Meum* ſignificat non unionem ſed identitatem corporis Chriſti. Vide ibid. Concl. 3. Obj. 2. *Enim* ſignificat rationem, ob quam antecedenter dictum eſt; *Accipite & manducate*. In Conſecratione Calicis *Hic* non eſt adverbium loci, alioquin non ſignificaretur mutatio ſubſtantialis, ſed eſt pronomen ſumptum ſimiliter ſubſtantive demonſtrans immediate liquorem ſeu potum contentum ſub ſpeciebus vini quod eſt in Calice; *Calix* enim, ut dictum eſt, ponitur tropice, ut continens pro contento. Dicitur *Sanguis novi & æterni Teſtamenti*; quia ſicut vetus teſtamentum vitulorum ſanguine confirmatum fuit Exod. 24. ita hoc novum confirmatum eſt ſanguine Chriſti. Dicitur *Novum*, quia noviſſimis temporibus eſt exhibitum, & a veteri diſtinctum. Dicitur *Æternum*, quia nunquam antiquandum, & eſt de bonis ſpiritualibus & æternis, cum vetus eſſet de temporalibus tantum. Dicitur *Myſterium fidei*, quia quod proponitur in hoc Myſterio, ſola fide attingi poteſt, & inter alia fidei Myſteria eſt ſpectatiſſimum, dicitur, qui pro *Vobis* ſcilicet ſumentibus, & pro *Multis*, id eſt omnibus ſufficienter *Effundetur*, de quo in Tract. de Deo, *In remiſſionem peccatorum*, quæ eſt effectus ſanguinis Chriſti in cruce effuſi.

DISSERTATIO VI.

DE USU, SEU SUMPTIONE, NEC NON DE EFFECTIBUS EUCHARISTIÆ.

Div. Thom. QQ. 79. 80. & 81.

Multa hic occurrunt diſcutienda. 1. de neceſſitate, ſeu obligatione ſumendi Euchariſtiam. 2. de communione ſub utraque ſpecie. 3. quibus exhibenda, quibus deneganda communio? 4. de diſpoſitionibus, tam ex parte corporis, quam animæ requiſitis ad communionem, 5. de modo, quo Chriſtus uſus eſt Sacramento. 6. de ejus effectibus. Quæ omnia complexus eſt Auctor tribus quæſtionibus citatis.

ARTICULUS I.

De neceſſitate ſeu obligatione ſumendi Euchariſtiam.

Triplex eſt modus manducandi corpus Chriſti. (*Opuſ. de Sacr. alt. c. 17.*) Primus Sacramentalis tantum. Secundum ſpiritualis tantum. Tertius Sacramentalis ſimul & ſpiritualis. Primo modo manducant mali Chriſtiani. Secundo omnes ſalvandi, qui voto hunc cœleſtem cibum edentes fide viva per dilectionem operante ejus fructum percipiunt. Tertio ſoli boni Chriſtiani. Ita poſt Auctorem Concil. Trid. ſeſſ. 13. c. 8. Jam alibi obſervavimus aliquid duplici modo eſſe neceſſarium ad ſalutem, nempe neceſſitate medii & præcepti. Illud dicitur neceſſarium neceſſitate medii quod ex ſua natura vel inſtitutione eſt ita neceſſarium, ut, illo etiam inculpabiliter deficiente, non poſſit haberi ſalus, ut v. g. Baptiſmus pro parvulis. Neceſſarium neceſſitate præcepti dicitur, quod neque ex natura ſua, neque ex ſua inſtitutione eſt medium poſitivum neceſſarium ad ſalutem, & illo inculpabiliter deficiente poteſt haberi ſalus; ſed quia præceptum eſt, non poteſt voluntarie omitti ſine peccato, quod peccatum impedit ſalutem; v. gr. jejunium quadrageſimale, auditio Miſſæ in die Feſto. De utraque neceſſitate eſt quæſtio.

§. I. *Utrum ſumptio Euchariſtiæ ſit neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem?*

Quidam Græci Schiſmatici tenent realem ſumptionem Euchariſtiæ eſſe neceſſariam neceſſitate medii ad ſalutem, quibus ſubſcribunt plures Calviniſtæ contendentes eam fuiſſe conſtantem Patrum, Auguſtini præſertim, ſententiam, eaque de cauſa morem antiquitus viguiſſe adminiſtrandi Euchariſtiam Infantibus ſtatim poſt Baptiſmum. Quantum vero ad ſuſceptionem Euchariſtiæ in voto diſſentiunt Theologi, ſed forte eſt diſſenſio quoad nomen tantum, ut explicabimus infra.

Dico 1. (*Hic q. 73. a. 3. c. & ad 1.*) Sumptio realis Euchariſtiæ non eſt neceſſaria neque parvulis, neque adultis neceſſitate medii ad ſalutem. Prob. ex Conc. Trid. ſeſſ. 21. c. 4. ubi S. Synodus declarat *Parvulos uſu rationis carentes nulla obligari neceſſitate ad ſacramentalem Euchariſtiæ communionem*. Et rationem ſubjungit: *Si quidem per Baptiſmi lavacrum regenerati, & Chriſto incorporati adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non poſſunt*. Deinde ſubdit; *Neque ideo tamen damnanda eſt antiquitas, ſi eum morem in quibuſdam locis aliquando ſervavit; ut enim ſanctiſſimi illi Patres ſui facti probabilem cauſam pro illius temporis ratione habuerunt, ita certe, eos nulla ſalutis neceſſitate id feciſſe, ſine controverſia tenendum eſt*. Et Can. 4. definit: *Si quis dixerit parvulis, antequam ad annos diſcretionis pervenerint, neceſſariam eſſe Euchariſtiæ communionem, anathema ſit*.

Eandem fidem conſtanter tenuerunt SS. Patres, qui unanimiter docuerunt per Baptiſmum deleri peccatum originale, & conferri gratiam ſanctificantem, conſequenter baptizatos ſtatim poſt Baptiſmum morientes ſalutem æternam adipiſci; præſertim Aug. quem nobis opponunt Hæretici; ſic enim lib. 1. de peccat. meritis cap. 19. loquitur: *Verumtamen ſi parvulus percepto Baptiſmate de hac vita emigraverit, ſoluto reatu, cui originaliter erat obnoxius, perficietur in illo lumine veritatis, quod incommutabiliter manens in æternum juſtificatos præſentia Creatoris illuminat. Peccata enim ſola ſeparant inter homines & Deum, quæ ſolvuntur Chriſti gratia*. Idem Ep. 98. alias 23. ad Bonif. & Ep. 166. alias 28. ad Hieronym. hancque eſſe germanam S. Doctoris doctrinam teſtatur S. Fulgentius infra citandus.

Eandem etiam ſemper fuiſſe Eccleſiæ fidem tam pro adultis, quam pro parvulis invicta probant 1. quod antiquitas denegaverit etiam in exitu communionem lapſis in graviora peccata, ut in adulterium; item quod tunc ſicut nunc denegaverit Phreneticis, infirmis ad vomitum proclivibus, & in pluribus locis ad mortem damnatis; 2. Quod nunquam conſtituerit Laicos, Mulieres, Paganos diſpenſationis hujus Sacramenti Miniſtros, ſicut Baptiſmi. 3. Quod non obſtiterit diſſuetudini conferendi communionem infantibus, quin potius contrarium probaverit, nullo reclamante, niſi Hæretico.

Prob. tandem ratione Theologica. Euchariſtia ex ſua inſtitutione eſt Sacramentum vivorum, non conferens primam gratiam, ſed ſupponens collatam, non remittens peccata, ſed ſupponens remiſſa, conferens autem tantum augmentum gratiæ, ſeu gratiam cibantem, quæ ſupponit vitam, & quæ juvat ad præcavenda peccata futura. Ergo ante realem Euchariſtiæ ſumptionem, & independenter ab illa, homo poteſt habere omnia requiſita ad ſalutem, ſcilicet remotionem peccati & gratiam ſanctificantem. Quantum ad Euchariſtiam in voto jam dixi diſſentire Theologos, ſed forte conciliabuntur, ſi tollatur verborum æquivocatio; & ſententiæ ad legitimum ſenſum revocentur.

Obſervandum itaque Sacramentum Euchariſtiæ duplici modo poſſe conſiderari. 1. Ut eſt Sacramentum particulare contra alia Sacramenta diſtinctum, ſpecialem producens effectum per modum cauſæ efficientis, nimirum augmentum gratiæ, ſeu gratiam cibantem. 2. Poteſt conſiderari ſub ratione communi omnibus Sacramentis, quæ eſt unio cum Chriſto & corpore ejus myſtico virtute illius Paſſionis; hanc enim important omnia Sacramenta, ſed cum hoc diſcrimine, quod Euchariſtia illam importet per ſe & eſſen-

Digitized by Google

eſſentialiter, quia continet ſubſtantialiter ipſum Chriſtum, & ejus Paſſionem myſtice exhibitam; alia vero Sacramenta hanc unionem important participative tantum. Hæc autem ſubſtantialis unio per Euchariſtiam a quibuſdam vocatur res Sacramenti, ab aliis manducatio ſpiritualis. Ex hoc vero diſcrimine ſequitur, quod cum Sacramentum Euchariſtiæ ſit in hoc genere unionis præcellentiſſimum, omnia alia Sacramenta id ipſum ut ad finem ordinantur, quia omnis inchoatio tendit ad ſuam conſummationem, & omne imperfectum ad ſuam perfectionem tanquam ad finem. Hac obſervatione poſita,

Dico 2. Votum euchariſtiæ conſideratæ, ut eſt particulare Sacramentum, non eſt neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem, ſecus ſi conſideretur, ut ſpiritualis manducatio ſub ratione unionis ſubſtantialis cum Chriſto Redemptore, & ejus Paſſione myſtice exhibita. Prob. 1. Pars. Votum alicujus rei non cenſetur neceſſarium, niſi ut obtineatur effectus hujus rei, eſt enim ejus Vicarium. Atqui effectus Euchariſtiæ, ut eſt Sacramentorum particulare, utpote gratia ſecunda, non eſt neceſſarius neceſſitate medii ad ſalutem, ut ſupra diximus. Ergo. Confirm. Votum ſeu deſiderium non eſt propter ſe, ſed propter rem deſideratam. Ergo implicat, quod votum ſit neceſſarium, ſi res ipſa deſiderata non ſit neceſſaria. Prob. 2. Pars. Euchariſtia conſiderata ſub ratione unionis ſubſtantialis cum Chriſto Redemptore, & ejus Paſſione myſtice exhibita, eſt conſummatio & perfectio aliorum Sacramentorum, conſequenter eorum finis, ut dictum eſt in obſervatione. Ergo iſta ſunt media ad iſtum finem. Subſumo. atqui intentio finis includitur in volitione mediorum, & ex illis mediis, ſcilicet Sacramentis, quædam ut Baptiſmus & Pœnitentia ſunt neceſſaria neceſſitate medii. Ergo & finis intentio. Hanc autem intentionem dicimus votum, quod quidam vocant votum tacitum, quidam interpretativum, quidam late dictum, quod nobis perinde eſt. Atque hac explicatione arbitror conciliari ſententias apparenter contrarias.

Nihil autem aliud intendere Auctorem citata q. 73. a. 3. certum mihi videtur: Dicit enim in corpore: *In hac Sacramento duo eſt conſiderare, ſcilicet ipſum Sacramentum, & res Sacramenti. Dictum eſt autem, quod res hujus Sacramenti eſt unitas corporis myſtici, ſine qua non poteſt eſſe ſalus.* Et infra: *Baptiſmus eſt principium ſpiritualis vitæ & janua Sacramentorum. In Euchariſtia vero eſt quaſi conſummatio ſpiritualis vitæ, & omnium Sacramentorum finis, ut dictum eſt q. 63. a. 3. per ſanctificationes enim aliorum Sacramentorum fit præparatio ad ſuſcipiendam, vel conſecrandum Euchariſtiam. Et ideo perceptio Baptiſmi eſt neceſſaria ad inchoandum vitam ſpiritualem, perceptio autem Euchariſtiæ eſt neceſſaria ad conſummandam ipſam, non ad hoc, quod ſimpliciter habeatur, ſed ſufficit eam habere in voto, ſicut & finis habetur in deſiderio & intentione.* Item ad 1. & in hac q. 80. a. 9. ad 3. docet ex Aug. unumqueque fidelium fieri participem ſpiritualiter corporis & ſanguinis Dominici, quando in Baptiſmate membrum corporis Chriſti efficitur, quia nempe illa inchoata incorporatio tendit ex ſe ad incorporationem perfectam & conſummatam per Euchariſtiam tamquam ad finem.

Si petas, quomodo Confirmatio, Extrema Unctio & Matrimonium ordinentur ad Euchariſtiam tanquam ad finem? De Baptiſmo enim, Pœnitentia & Ordine ſatis conſtat, R. (*Hic q. 66. a. 3. o.*) quod etiam illa tria Sacramenta ordinentur ad Euchariſtiam, ſi non ad eam ſacramentaliter ſuſcipiendam; ſaltem vel ad diſponendum ad ejus effectum, qui eſt unio cum Chriſto, vel ad eum conſervandum. Nam Confirmatio roborat nos ad fidem ſervandam contra ejus impugnatores, conſequenter ad conſervandam unionem cum Chriſto, quæ, ut diximus, eſt effectus generalis omnium Sacramentorum, principaliter tamen appropriatur Euchariſtiæ, & ab illa derivatur tanquam a fine. Extrema Unctio olim conferebatur ante Viaticum, ut diſpoſitio ad illud: nunc autem cum conferatur poſt illud, ordinatur ad conſervandam unionem cum Chriſto in ultimo conflictu. Matrimonium ſua ſignificatione attingit hoc Sacramentum, in quantum ſignificat conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, cujus unitas per Sacramentum Euchariſtiæ figuratur. Item conducit ad reprimendam concupiſcentiam, cujus refrænatio eſt maxima ad Euchariſtiam diſpoſitio.

Obj. contra 1. Concluſionem. Ex his verbis Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non poteſt introire in Regnum Dei*, colligitur Baptiſmum in re eſſe neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem. Ergo ex his Joan. 6. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*, colligi debet Euchariſtiam eſſe neceſſariam neceſſitate medii ad ſalutem, utrobique enim iiſdem verbis, & eodem modo ſignificatur neceſſitas utriuſque Sacramenti. R. N. Conſ. Plures diſparitates inter utrumque textum dedimus in Tract. de Baptiſmo Diſſ. 3. a. 1. Obj. 1. quarum una eſt, quod hæc verba, *Niſi manducaveritis*, &c. in ſecunda perſona dirigantur ad adultos præcepti capaces, & ſic pro illis important præcepti neceſſitatem: iſta vero, *Niſi quis renatus fuerit*, &c. in tertia perſona dicantur generaliter de omnibus. Altera diſparitas eſt, quod Baptiſmus ſit inſtitutus, ut renaſcentia ſpiritualis, quæ eſt omnibus neceſſaria ad vitam aliquandiu ſervandam, ut patet in cibo corporali, vel ſi ſit neceſſaria, cum ſit ſpiritualis, ſufficit quod ſumatur ſpiritualiter. (*Hic q. 74. a. 3. ad 2.*) Hęc eſt enim differentia inter alimentum corporale & ſpirituale, quod alimentum corporale convertatur in ſubſtantiam illius, qui nutritur, & ideo non poteſt homini prodeſſe ad vitæ conſervationem, niſi realiter ſumatur; ſed alimentum ſpirituale convertit hominem in ſe ipſum, juxta dictum Aug. l. 7. Confeſſ. c. 10. poteſt autem aliquis in Chriſtum mutari, & ei incorporari voto mentis & actibus virtutum, præſertim Charitatis, ſine reali perceptione hujus Sacramenti.

Inſt. 1. Aug. hanc Chriſti ſententiam, *Niſi manducaveritis*, &c. etiam ad parvulos extendit. Ergo. Prob. Ant. l. 1. de peccat. meritis c. 20. dicit: *Dominum audiamus ... non quidem de hoc Sacramento lavacri dicentem, ſed de Sacramento ſanctæ menſæ ſuæ, quo nemo rite niſi baptizatus accedit: Niſi manducaveritis carnem meam, & biberitis meum ſanguinem, non habebitis vitam in vobis ... an vero quiſquam hoc etiam dicere audeat, quod ad parvulos hæc ſententia non pertineat?* Similiter alibi. Ergo. Hoc teſtimonio & quibuſdam aliis ſimilibus moti quidam etiam inter Catholicos, cenſent Auguſtinum tenuiſſe realem ſumptionem Euchariſtiæ eſſe neceſſariam parvulis neceſſitate medii ad vitam æternam; & in hoc a ſententia communi cæterorum Patrum receſſiſſe. Verum obſtant, quæ ex S. Doctore protulimus in probatione Concluſionis. Inſuper eadem labes foret inurenda Innocentio I. & Gelaſio, qui ſedit an. 492. quorum primus Ep. ad Patres Concilii Milevitani 182. alias 93. inter Auguſtinianas; alter Ep. 7. ad Epiſcopos per Picenum, eundem fere loquendi modum ac Auguſtinus tenuerunt, quod directe contradiceret Concilio Trid. ſeſſ. 21. c. 3. declaranti ſine controverſia credendum eſſe SS. Patres, qui Euchariſtiam parvulis contulerunt, *Nulla ſalutis neceſſitate id feciſſe*. Igitur

R. Aug. loqui de manducatione ſpirituale & myſtica, de qua in 2. Concluſione, ſcilicet de incorporatione cum Chriſto, & ejus corpore myſtico, quæ habetur per Baptiſmum, & etiam adſcribitur Euchariſtiæ ut cauſæ finali; quatenus hæc inchoata incorporatio per Baptiſmum ordinatur ad ſuam conſummationem per Euchariſtiam tanquam ad finem, ut dictum eſt. Et hanc eſſe mentem Aug. conſtat 1. Ex Scopo S. Doctoris, ibi enim diſputat contra Pelagianos, qui concedebant pueros non baptizatos non intrare Regnum Cœlorum, propter hanc ſententiam Chriſti; *Niſi quis renatus fuerit*, &c. contendebant tamen eos habere neſcio quam vitam æternam, quam fingebant diſtinctam a Regno Cœlorum; contra quos ſic arguit Auguſtinus. Nemo poteſt habere vitam æternam, niſi manducaverit carnem Chriſti, vel realiter, vel ſaltem ſpiritualiter, juxta hanc alteram Chriſti ſententiam: *Niſi manducaveritis*, &c. Atqui parvuli non baptizati non manducant illam realiter, ut patet; neque ſpiritualiter, quia ſpiritualis manducatio, quæ eſt unio cum Chriſto & ejus corpore myſtico, inchoatur, & fit per Baptiſmum in ordine ad perfectam unionem per Euchariſtiam. Ergo. 2. Conſtat de mente Aug. ex ipſomet, quippe qui in pluribus locis intelligit hanc Domini ſententiam de dicta manducatione ſpirituali. Sic l. 3. de peccat. meritis c. 4. dicit ex illa ſententia: *Niſi manducaveritis*, &c. parvulos non poſſe habere vitam extra Chriſti corpus, *Cui ut incorporentur, Sacramento Baptiſmatis imbuuntur*. Et Tract. 26. in Joann. *Hunc itaque cibum*, inquit, *& potum, ſocietatem vult intelligi corporis & membrorum ſuorum, quod eſt Eccleſia ſancta*; deinde diſtinguit Sacramentum a re Sacramenti, ac tandem concludit: *Hoc eſt manducare illam eſcam, & illum bibere potum in Chriſto manere, & illum manentem in ſe habere*. 3. Conſtat ex S. Fulgentio fideliſſimo Aug. interprete, qui lib. de Bapt. Æthiopis, interrogatus a Ferrando Diacono de ſalute juvenis Æthiopis, qui morti proximus baptizatus deceſſerat, priuſquam Euchariſtiam recipere poſſet; reſpondet & probat multis Scripturæ locis, & SS. Patrum teſtimoniis, Aug. præſertim in quodam ſermone ad Infantes, nunc Juvenem habere vitam æternam, quia per Baptiſmum factus eſt membrum Chriſti, & particeps effectus Euchariſtiæ: ac tandem ſic concludit: *Arbitror, ſancte Frater, diſputationem noſtram præclari Doctoris Aug. ſermone firmatam; nec cuiquam eſſe aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque Fidelium corporis ſanguiniſque Dominici participem fieri, quando in Baptiſmate membrum corporis Chriſti efficitur, nec alienari ab eo panis, Caliciſque conſortio, etiamſi antequam panem illum comedat, & calicem bibat, de hoc ſeculo in unitate corporis Chriſti conſtitutus abſcedat.* Nihil expreſſius. 4. Tandem

dem quia S.Th. alter accuratiſſimus Aug. Interpres ſic S. Doctorem interpretatur q.73. a.3. ad 1. & hic q.80. a.9. ad 3. & Theologi communiter.

Inſt. 2. Aug. verbis in inſtantia laudatis diſtinguit Baptiſmum ab Euchariſtia. Ergo non loquitur de manducatione ſpirituali, ſeu incorporatione corpori Chriſti, quæ habetur per Baptiſmum. R. D. Ant. Aug. diſtinguit Baptiſmum ab Euchariſtia hoc ſenſu, quod hæc Chriſti verba: *Niſi manducaveritis*, &c. ſint ex profeſſo & primaria intentione dicta de Euchariſtia, & non de Baptiſmo, C. hoc ſenſu quod non poſſint intelligi de ſpirituali manducatione, ſi extendantur ad parvulos, N. Patet ex aliis locis citatis Aug. ex S. Fulgentio & S. Th.

Honor. Tournely hanc communem, & tot momentis fultam reſponſionem variis argumentis impugnat, cenſetque Aug. locutum fuiſſe de manducatione reali Euchariſtiæ, non quidem ex propria ſententia, ſed ex ſententia & hypotheſi Pelagianorum, contra quos ſic arguit ad hominem. Nemo non baptizatus eſt particeps corporis Chriſti. Atqui nemo non particeps corporis Chriſti habet vitam. Sicut enim de Baptiſmo dicitur: *Niſi quis renatus*, &c. *non poteſt intrare in Regnum Cœlorum*, ita de Euchariſtia, *Niſi manducaveritis*, &c. *Non habebitis vitam in vobis*. Verum ante omnia debuiſſet probare eruditiſſimus Theologus Minorem argumenti intellectam de manducatione reali, admitti & ſupponi verum a Pelagianis; quod nec probavit, nec probare potuit, ſiquidem Pelagiani ſententiam Chriſti, *Niſi manducaveritis*, litteraliter ſumptam pro manducatione reali, intelligerent ſicut nos ſpectare adultos dumtaxat & non parvulos. Nec ſatisfacit laudatus Theologus reſpondendo, quod ut ſtet robur argumenti, non ſit neceſſe, quod ſupponat tanquam ab ipſis conceſſum actualem & realem Euchariſtiæ ſumptionem eſſe neceſſariam ad vitam habendam, ſed ſatis eſſe, ut ex certa conſecutionis Lege adigas eos hoc fateri; quod ex eorum principiis neceſſario ſequitur. Hæc, inquam, reſponſio non ſatisfacit: qua enim conſecutionis Lege adacti fuerint Pelagiani hoc fateri, non apparet, cum id ex eorum principiis minime ſequeretur: utramque enim Chriſti ſententiam intelligebant, ſicut nos intelligimus hanc *Niſi qui renatus* de omnibus abſolute, etiam de parvulis: illam, *Niſi manducaveritis*, &c. ad litteram de ſolis adultis. Communi itaque reſponſioni ſtandum eſſe arbitror.

§. II *Utrum ſit Præceptum divinum ſacramentaliter communicandi?*

Dico. (*Hic q.8. a.11. c.*) Adulti tenentur Præcepto divino ad ſacramentalem Communionem. Eſt communis cum Auctore, qui quamvis in 4. d.9. art.1. quæſtiunc. 2. contrarium docuerit, hic tamen diſerte Concluſionem aſſerit his verbis: *Manifeſtum eſt, quod homo tenetur hoc Sacramentum ſumere, non ſolum ex præcepto Eccleſiæ, ſed ex mandato Domini dicentis* Luc. 21. *Hoc facite in meam commemorationem.*

Hoc Præceptum divinum colligitur. 1. Ex Chriſti verbis Joan. 6. *Niſi manducaveritis*, &c. quæ important ſaltem præceptum pro adultis capacibus, de communione, non minus quam iſta, *Niſi quis renatur*, &c. & *Niſi pœnitentiam egeritis*, important præceptum de Baptiſmo & Pœnitentia pro adultis præcepti capacibus. Et quamvis quidam SS. Patres hanc Chriſti ſententiam: *Niſi manducaveritis*, intellexerint de manducatione ſpirituali, ut patet ex præcedentibus: non tamen negarunt etiam debere intelligi de manducatione orali; & ſic intelligendam eſſe probavimus Diſt. 1. hujus Tract. a. 3. §. 1. Confer cum Art. 4. Obj. 1. Colligitur 2. ex his aliis Chriſti verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*, quorum ſenſus videtur hic: hoc totum, quod fecimus, me conſecrante, ſumente, diſtribuente & vobis recipientibus, facite vos, ſucceſſores veſtri & vobis ſubditi, & cum feceritis, facite in meam commemorationem. Hæc ergo verba diriguntur & ad Apoſtolos eorumque ſucceſſores, & ad Laicos proportionaliter; ad Apoſtolos & Sacerdotes, ut conſecrent, ſumant, & diſtribuant; ad Laicos ut recipiant. Unde Trid. ſeſſ. 13. c. 2. dicit: *In hujus Sacramenti ſumptione colere nos ſui memoriam præcepit*. Quo loquendi modo agnoſcit in verbis Chriſti præceptum Euchariſtiam ſumendi.

Suadet ratio. Chriſtus inſtituit hoc Sacramentum per modum cibi ad conſervandam vitam ſpiritualem neceſſarii: *Niſi manducaveritis non habebitis*, id eſt non conſervabitis diu, *Vitam in vobis*. Ergo congruum erat, ut ejus uſum præciperet; ſicut enim cibus corporalis ad vitam corporalem conſervandam neceſſarius eſt in præcepto, a fortiori idem eſt dicendum de cibo ſpirituali ad vitam ſpiritualem conſervandam neceſſario.

Petes 1. Utrum hoc præceptum divinum obliget omnes adultos, tam fideles quam infideles? R. probabilius affirmative; fideles quidem obligat ſimpliciter & immediate; infideles vero mediate, ſcilicet, ut convertantur, & ſic communicent: quia Lex, *Niſi manducaveritis*, dirigebatur generaliter ad omnes adultos, tam infideles, quam fideles: Chriſtus enim alloquebatur Capharnaitas, inter quos erant multi non baptizati. Nec obſtat, quod non baptizatus ſit incapax communionis; ſufficit enim, quod teneatur baptizari, quo mediante eſt capax communionis. Sicut licet exiſtens in peccato mortali ſit incapax communionis pro illo ſtatu, erit tamen reus violati præcepti communionis, ſi omittat illam ſumere definito tempore, quia tenetur pœnitere, & ſic fieri capax communionis.

Petes 2. Quandonam obliget iſtud Præceptum divinum? R. obligare 1. In articulo, ſeu proximo mortis periculo. Eſt communis contra paucos; idque innuit univerſalis Eccleſiæ praxis, & ſollicitudo miniſtrandi moribundis Viaticum, quemadmodum præcipitur Can. 12. Concilii generalis Nicæni I. & in pluribus aliis Conciliis, ita ut non ſine magno ſcandalo infirmus morti proximus non peteret, aut recuſaret Viaticum. Ratio eſt, quia Euchariſtia inſtituta eſt, ut Viaticum confortans adverſus ſalutis hoſtes. Nullum autem eſt tempus, in quo ſit magis neceſſarium, quam cum homo ingreditur iter æternitatis, & acrioribus hoſtium inſultibus oppugnatur, quod eſt articulus mortis. Non eſt eadem ratio de confeſſione, quæ non eſt inſtituta in Viaticum: nullus eſt tamen, qui etſi non habeat mortalia, illam omittat in periculo mortis. Hinc colliges mulieres prægnantes, quæ regulariter difficile, & cum periculo mortis pariunt, periculoſe navigaturos, præliaturos, teneri jure divino ad communionem, ſi tempus ſuppetat, & ſit moraliter in eo inſtanti poſſibilis.

Dices. Eccleſia olim denegavit propter quædam graviora peccata Euchariſtiam moribundis, & nunc etiam denegat damnatis ad extremum ſupplicium. Ergo hæc obligatio non eſt juris divini, in quod nihil poteſt Eccleſia. R. 1. Nullam unquam fuiſſe Legem generalem ab Eccleſia univerſali latam, prohibentem dari Euchariſtiam in utroque caſu propoſito, eamque a quibuſdam Eccleſiis particularibus ſtatutam improbant Theologi non pauci, dicuntque fuiſſe reprobatam motu proprio S. Pii V. an. 1569. 2. Poteſt negari Conſequentia, quia Chriſtus hoc præceptum tulit ſub directione Eccleſiæ, cui Sacramentorum adminiſtrationem commiſit, ſicque non eſt abſolutum, ſed conditionatum, ſi ſcilicet & quando bene viſum fuerit Eccleſiæ. 3. Præceptum divinum de communione obligat etiam pluries in vita, quia inſtituta eſt, ut cibus ſpiritualis ad reparandas vires animæ, quæ ſæpius fervore concupiſcentiæ, paſſionum illecebris, mundi & dæmonis inſultibus debilitantur. Quia tamen nullum obſervationis hujus præcepti tempus eſt vi juris divini determinatum, cenſetur illi ſatisfacere, qui ſemel in anno communicat, quia Eccleſia non plus exigit. Per accidens autem poteſt quis ſæpius obligari, ſi nempe communionem exiſtimet ſibi neceſſarium ad reſiſtendam gravi tentationi.

Petes 3. Utrum qui heri vel hodie mane communicavit, & veſpere incidit in periculum mortis, teneatur iterum communicare per modum Viatici? R. 1. Quia heri communicavit, & hodie incidit in periculum mortis, probabilius tenetur iterum vi Præcepti divini communicare per modum Viatici: quia licet opus præſcriptum adimpleverit, non tamen adimplevit eo tempore, quo præceptum obligabat; & ideo non cenſetur præceptum adimpleviſſe. Nec eſt ſimile de illo, qui ex devotione audiens Miſſam die Feſti, quem ignorat, ſatisfacit præcepto, nec tenetur audire aliam Miſſam, quia iſte facit opus præſcriptum eo tempore, quo præcipitur, & quo obligat præceptum, non alter. Ille autem non cenſetur ſatisfacere præcepto, qui licet opus præſcriptum ponat, non ponit tamen tempore præcepto, ſeu tempore, quo obligat præceptum. Sicut ille non ſatisfacit præcepto Communionis Paſchalis, qui aliquot diebus ante quindenam paſchalem communicat, & ideo tenetur iterum communicare in quindena. R. 2. Qui eo die, quo communicavit, incidit in periculum mortis, probabilius nec debet, nec poteſt eodem die iterum communicare: non quod Præceptum divinum per ſe non obliget, ut patet ex præcedenti reſponſione, ſed quia per accidens ab ejus obligatione excuſatur ex Lege Eccleſiæ prohibentis communicare bis in die ob reverentiam tanto Sacramento debitam. Neque hoc eſt corrigere aut abrogare Præceptum divinum, ſed ejus uſum ex juſta cauſa limitare & diſponere ut decenter fiat; ſicut limitat & diſponit, dum prohibet, ne, etiam propter moribundum communicandum, celebretur ſine veſtibus ſacris, ſine lumine, vel in fermentato, aut poſt eſcam; idque jure facit Eccleſia ex facultate ſibi a Chriſto data, dum ei Sacramentorum adminiſtrationem commiſit. Huic reſolutioni favet D. Th. in 4. d. 12. q. 3. a. 1. q. 4. o. ubi indefinite & nullo caſu excepto, dicit: *Homo non debet pluries in uno die communicare*. Scio quoſdam non improbabiliter huic reſponſioni contradicere & contrariam praxim tenere, ut teſte Amico hic diſp. 27. contigit in mor-

to

Digitized by Google

te R. Patris Aquaviva Generalis Societatis. Verum in his quique attendere debet ad uſum ſuæ Eccleſiæ.

Petes 4. Utrum pueri doli capaces & apti ad confeſſionem, ſed nondum admiſſi ad communionem, ſi in periculo mortis conſtituantur, teneantur ex Præcepto divino comunicare. R. probabilius affirmative. Quia Eccleſia præcipiendo communionem annuam omnibus adultis dum ad annos diſcretionis pervenerint, quod reputatur, ut dicam modo, inter decimum, & decimum tertium, aut decimum quartum annum circiter, determinavit dumtaxat tempus communionis indeterminatum ex Præcepto divino; quod autem erat divino Præcepto determinatum, intactum reliquit. Atqui ex Præcepto divino omnia adoltus rationis compos tenetur in articulo mortis ad communionem. Ergo. Hic graviter culpandi ſunt Parentes, qui ne ſolvant majora jura funeralium, non curant, ut communio ſuis prolibus moribundis adminiſtretur ſub prætextu, quod nondum fecerint primam communionem.

§. III *De obligatione communicandi ex præcepto Eccleſiæ.*

EXTAT hoc præceptum in Concilio Later. ſub Innoc. III. an. 1215. c. 21. his verbis: *Omnis utriuſque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerint, omnia peccata ſua, ſaltem ſemel in anno, fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, vel alieno, prius tamen a proprio Sacerdote impetrata licentia . . . ſuſcipiens reverenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum: niſi forte de conſilio proprii Sacerdotis, ob aliquam rationabilem cauſam, ad tempus ab ejus participatione duxerit abſtinendum; alioqui vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens chriſtiana careat ſepultura.* Et Concil. Trid. ſeſſ. 13. can. 9. *Si quis negaverit omnes & ſingulos Chriſti fideles utriuſque ſexus, cum ad annos diſcretionis pervenerint, teneri ſingulis annis, ſaltem in Paſchate, ad communicandum juxta præceptum matris Eccleſiæ, anathema ſit.*

Explicatur hoc præceptum. Dicitur 1. (*In 4. d. 9. q. 1. a. 4. 4. o.*) *Omnis adultus cum ad annos diſcretionis pervenerit.* Major requiritur diſcretio ad communionem, quam ad confeſſionem, ut patet ex Ecclaſiæ praxi, quæ ad confeſſionem admittit ſeptennes doli capaces, quos non admittit ad communionem. Et ratio eſt, quia convenit, ut ſuſcipiens Euchariſtiam eo rationis uſu polleat, ut poſſit diſcernere corpus Chriſti, & hujus Myſterii magnitudinem. Difficilior eſt autem hujus Myſterii intelligentia, quam Pœnitentiæ, & aliunde Pœnitentia eſt magis neceſſaria. Porro iſte perfectior rationis uſus ad communionem requiſitus citius in uno, tardius in altero illuceſcit propter diverſam organorum diſpoſitionem & diverſam educationem; ejus latitudinem plures computant inter 10. & 14. annum circiter.

Dicitur 2. (*Hic a. 10. ad 5.*) *Ad minus in Paſcha.* In primitiva Eccleſia, quando vigebat magna devotio fidei Chriſtianæ, fideles quotidie communicabant, innuitque Auctor ex Anacleti Ep. quæ refertur de Conſec. cap. *Epiſcopi*, fuiſſe tunc de Communione quotidiana præceptum, aut ſtatutum ab Apoſtolis derivatum. Poſtmodum vero diminuto fidei fervore, Fabianus Papa indulſit, ut ſi non frequentius ſaltem ter in anno omnes communicarent, ſcilicet in Paſcha, Pentecoſte, & Natali Domini, Refertur de Conſec. cap. *Etſi non frequentius.* Tandem propter iniquitatis abundantiam refrigeſcente charitate multorum Innocentius III. in Concilio Later. ſtatuit aut ſaltem in anno, ſcilicet in Paſcha, ſemel fideles communicarent.

Dicitur. *In Paſcha*; id eſt juxta Eccleſiæ praxim & Bullam Eugenii IV. quæ incipit *Fide digna*, intra quindenam Paſchalem, a Dominica Palmarum incluſive uſque ad Dominicam in Albis etiam incluſive, Poſſunt Epiſcopi tempus ante vel poſt extendere; in quibuſdam Diœceſibus totum tempus Quadrageſimæ reputatur Paſchale quoad communionem. Poſſunt etiam non ſolum Parochi, ut fert Decretum, ſed etiam Confeſſarii ex cauſa rationabili differre particulares ultra quindenam Paſchalem; cum enim in confeſſione excipienda gerant vices Parochi, eadem pollent facultate quoad communionem.

Petes 1. Ubi & a quo ſumenda eſt Communio Paſchalis? R. ſumendam eſſe in propria Parochia a proprio Sacerdote. Ita communius & ſecurius. Quamvis enim in Canone *Omnis utriuſque ſexus* id clare non exprimatur, innuitur tamen. Inſuper Parochus jure communi in Clementina *Religioſi* l. 5. tit. 7. eſt ſolus Miniſter Euchariſtiæ diſpenſandæ, ita ut nemo ſine ejus, vel Epiſcopi, aut Papæ licentia poſſit illam diſpenſare: in Privilegiis autem, quibus id conceditur Religioſis, excipitur *Dies Paſchæ*, ſeu dies Reſurrectionis. Ita Paulus IV. Bulla *Cum ſicut*, Et Clemens VIII. qui an. 1592. definivit adverſus quoſdam Paſtores Duacenos poſſe Sæculares Religioſis approbatis ſua peccata confiteri ſub expreſſa conditione; *Dummodo tamen iidem ſæculares Chriſti fideles Sacramentum Euchariſtiæ die Feſto Paſchalis Reſurrectionis in propria Parochia ab eorum Parocho ſumant.* Vide Tract. de Religione Diſſert. 6. art. 7. *Dies* vero *Paſchæ*, ſive *Dies Reſurrectionis* non intelligitur materialiter de ipſo die Paſchæ, ſed de communione, quæ ex præcepto Eccleſiæ debet fieri tempore Paſchali. Unde quovis tempore Paſchali, etiam ipſa die Reſurrectionis Religioſi poſſunt per ſe, vel per Sacerdotes Sæculares, in ſuis Eccleſiis Euchariſtiam miniſtrare petentibus ex devotione, ſi conſtat ſatisfeciſſe, aut ſatisfacturos præcepto in ſua Parochia.

Eximuntur autem ab obligatione communicandi in propria Parochia, 1. Sacerdotes, qui ubivis celebrant, ſatisfaciunt præcepto Communionis Paſchalis: tum quia Canon *Omnis utriuſque ſexus* loquitur de ſuſcipientibus, nimirum ab alio, non de celebrantibus: tum quia ita fert conſuetudo recepta. 2. Religioſi omnes, quibus ſufficit recipere communionem in ſuis Eccleſiis, & Religioſorum Privilegiorum commenſales, qui præceptum adimplent communicando in ipſa Religioſorum Eccleſia ex Privilegio Pontificum Clementis IV. Bulla, *Virtute conſpicuos*, Innocentii VI. Bulla, *Religionis fervor*; Leonis X. Bulla, *Dum intra mentis arcana*; Pauli III. Bulla, *Licet debitum.* 3. Peregrini & alii abſentes tempore Paſchali a ſua Parochia, ad quam accedere commode non poſſunt, ſatisfaciunt præcepto communionis Paſchalis communicando in Eccleſia Parochiali loci, ubi tranſeunter reperiuntur. An autem communicando alibi ſatisfaciant? non liquet. 4. Eximuntur ii, quibus Parochus permittit alibi, quam in propria Parochia communicare, ad quod ſufficere poteſt conſenſus Parochi interpretativus, ut ſi quis ex juſtis cauſibus fundate præſumeret Parochum conſenſurum, ſi peteretur, cum voluntate poſt factum ipſi indicandi. Sed quid de eo, qui habet duo domicilia? Communicare debet in ea Parochia, in qua habitat tempore Paſchali. Utrum vero ſatisfaciat, qui communicat in Eccleſia Cathedrali, quæ non eſt propria Parochia? Videtur, quod non: tum quia nomine Parochiæ intelligitur in jure, *diſtrictus Eccleſiæ Preſbyteri*; tum quia Paſtor non ſatis agnoſceret, qui præceptum adimplerent, nec Parochiani ſat ſuum Parochum agnoſcerent; tum denique quia uſus eſt contrarius.

Petes 2. An qui ſive culpabiliter ſive inculpabiliter non communicavit in Paſchate, ſit liber a præcepto uſque ad ſequens Paſcha? Suppono eum, qui de conſilio Paſtoris vel Confeſſarii omiſit communicare in Paſchate, teneri communicare tempore deſignato a Paſtore, vel Confeſſario, quia cum uterque habeat facultatem prorogandi tempus Communionis Paſchalis, currit adhuc illud tempus pro iſto Pœnitente, proindeque viget adhuc pro illo præceptum communionis Paſchalis. Unde peccat contra hoc præceptum, ſi malitioſe apponat impedimenta ejus adimpletioni, ut ſi non vellet ſe ad eam diſponere. Quæſtio eſt itaque extra hunc caſum; ad quam R. negative: quia hoc præceptum duo importat. Primum, ne communio differatur ultra annum: Alterum, ut fiat tempore Paſchali. Quantum ad communionem ut Paſchalem ad eam amplius non tenetur, quia cum elapſum ſit tempus Paſchale, facta eſt illi impoſſibilis; ſicut qui non audit Sacrum die Dominica, non tenetur audire die Lunæ, quia eſt onus affixum diei qui tranſiit. At quantum ad communionem ultra annum non differendam tenetur ad illam ſtatim moraliter; & quo magis ſine cauſa differt, eo magis præceptum tranſgreditur & peccat, quia tempus non eſt determinatum, ut finiatur obligatio, ſed ne ultra præcepti adimpletio differatur; ſicut qui in termino præfixo non ſolvit debitum, non ideo extinguitur obligatio ſolvendi, ſed e contra magis urget. Supponit Reſponſio, quod ille, de quo eſt quæſtio, non communicavit a Paſchate præcedenti. Nam ſi in decurſu anni communicavit, videtur, quod non poſſit differre uſque ad finem anni computando a tempore, quo ultimo communicavit, ut ſic ultra annum non differat communionem; quod eſt, quod intendit præceptum.

Nec obſtat, quod Parochi urgeant ad communicandum omnes qui non communicaverunt in Paſchate: ſic enim ſe gerunt Parochi, quia ex communiter accidentibus ſupponunt eos non communicaſſe toto anni decurſu; ſic enim plerumque accidit, ut qui non communicant in Paſchate, nec per anni decurſum communicaverint. Ex hac Reſponſione colliges, quod qui prævidet futurum impedimentum communicandi intra quindenam Paſchalem, ea nondum inchoata, ſi ab ultimo Paſchate non communicavit, tenetur prævenire, non quidem ut ſatisfaciat præcepto communionis ut Paſchalis, quod nondum obligat, ſicut qui prævidet ſe non poſſe audire Sacrum die Dominica, non tenetur audire die Sabbathi; ſed ut ſatisfaciat præcepto communionis annuæ, ſeu non differendi communionem ultra annum, quod urget toto anni tempore.

Dixi: *Quindena Paſchali nondum inchoata*; quia ſemel inchoata eſt, ut urget præceptum communionis Paſchalis.

lis. Unde ſi prævideat futurum impedimentum ultimis diebus, debet primis diebus præceptum adimplere, etiamſi ante quindenam communicaſſet; ſicut qui die feſto mane prævidet futurum impedimentum audiendi ultimum Sacrum, debet aliud prius audire.

§. IV. *Utrum per communionem ſacrilegam adimpleatur Præceptum tam divinum quam Eccleſiaſticum communicandi?*

DIco. Neque divino, neque Eccleſiaſtico præcepto communicandi ſatisfit per communionem ſacrilegam. De præcepto divino videtur certum. Chriſtus enim, ut dicit Trid. ſeſſ. 13. cap. 2. *Sumi voluit hoc Sacramentum tanquam ſpiritualem animarum cibum, quo alantur & confortentur viventes vita illius, qui dixit, qui manducat me, ipſe vivet propter me.* Joan. 6. Atqui qui communicat ſacrilege, non ſumit Euchariſtiam ut cibum ſpiritualem animæ, ſed ut venenum, juxta illud Apoſt. 1. Cor. 11. *Qui manducat & bibit indigne, judicium ſibi manducat & bibit.* Ergo.

Prob. de præcepto Eccleſiaſtico: 1. ex hac propoſitione damnata ab Innocent. XI. an. 1679. die 2. Martii. *Præcepto communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem.* Unde nunc eſt certa, in praxi tenenda. 2. Eccleſia cap. *Omnis utriuſque* præcipit, ut Euchariſtia ſingulis annis *reverenter* ſuſcipiatur. Atqui qui ſacrilege communicat, non ſuſcipit reverenter. Ergo. Confir. Eccleſia in quantum poteſt, repellit indignos a communione. Ergo non niſi dignam communionem vult & præcipit. 3. Eccleſia non condidit novum præceptum, ſed divinum determinavit quoad tempus. Ergo idem præcipit quod divinum. Atqui divino non ſatisfit per communionem ſacrilegam, ut dictum eſt. Ergo nec Eccleſiaſtico. 4. Nemo ſatisfacit præcepto naturali, aut ſuperioris, ſumendi cibum ad vitam corporalem conſervandam, qui ſumit voluntarie venenum, aut apponit impedimentum, ne proficiat cibus. Ergo ſimiliter.

Solvuntur Objectiones.

OBj. 1. Eccleſia non præcipit actus internos. Atqui eſſe in ſtatu gratiæ pro communione eſt quid internum. Ergo. R. D. Maj. Eccleſia non præcipit actus pure internos, C. Actus internos neceſſario conjunctos cum externis, ut hi conſtituantur in certa ſpecie moris, Subdiſtinguo: Non præcipit directe, Tranſeat: Indirecte, N. Præcipit autem Eccleſia communionem ut cibum ſpiritualem & unitivum Chriſto, qui non poteſt eſſe talis ſine ſtatu gratiæ, & ideo hunc ſtatum indirecte præcipit. Pro ampliori hujus argumenti ſolutione vide, quæ dixi in Tract. de Legibus Diſſert. 4. a. 1, & in Tract. de Relig. Diſſert. 2. a. 8. §. 8.

Obj 2. Modus præcepti non cadit ſub præcepto, ut etiam nos docuimus dum de legibus, & patet, quod enim quis ex vana gloria audiat Sacrum, aut faciat eleemoſynam, ſatisfacit præcepto. Atqui quod quis digne & in ſtatu gratiæ communicet, eſt modus præcepti. Ergo. R. D. Maj. Modus præcepti, præcepto ipſo non expreſſus, aut non neceſſarius, ut ſubſtantia operis præcepti conſtituatur in certa ſpecie moris, non cadit ſub præcepto, C. Maj. Si ſit ipſo præcepto expreſſus, aut ſit ita intrinſecus, ut ſit neceſſarius ad hoc, quod opus præceptum conſtituatur in certa ſpecie moris, N. Jam autem modus digne communicandi ipſo præcepto exprimitur, cum dicitur, *reverenter* ſuſcipiat, & Eccleſia indignos a communione repellat. Item eſt ſic intrinſecus, ut ſit neceſſarius ad hoc, quod communio ſit cibus ſpiritualis & ſpiritualiter nutritivus, ſub qua ratione præcipitur: ſicut attentio interna ad horas præcipitur, quia eſt neceſſaria, ut recitatio horarum conſtituatur in ſpecie actus Religionis & orationis.

Inſt. 1. Quando modus operis præcepti præcipitur, intervenit duplex præceptum, unum de ſubſtantia operis, alterum de modo. Atqui poteſt impleri præceptum de ſubſtantia operis, non impleto præcepto de modo, ut patet in præcepto de audienda reverenter Miſſa: qui enim audit Miſſam ex pravo fine, puta videndi puellam, non audit reverenter, & tamen ſatisfacit præcepto quoad ſubſtantiam operis, ita ut non teneatur alteram Miſſam audire. Ergo ſimiliter. R. D. M. Poteſt impleri præceptum de ſubſtantia operis non impleto præcepto de modo, ſi præceptum de modo non includatur in præcepto de ſubſtantia, C. Secus, N. Hic autem præceptum de modo includitur in præcepto de ſubſtantia, quia præcipitur actus, ſeu ſumptio Euchariſtiæ, ut cibus animæ, quæ non eſt talis, niſi digne ſumatur. Et ad exemplum de præcepto audiendi Miſſam diſparitas eſt, quod non obſtante malo fine extrinſeco poſſit adhuc reverenter audire Miſſam, ſi nempe corpore & mente illi adſit, id enim ſolum præcipit Eccleſia. At qui in ſtatu peccati mortalis communicat, nullo modo reverentiam, quam Eccleſia præcipit, ſervat.

Inſt. 2. Qui accepto ſtipendio pro Miſſa illam celebrat in malo ſtatu, ſuæ obligationi ſatisfacit. Ergo & Eccleſiæ præcepto. R. N. Conſ. Diſparitas eſt, quod Sacrificium Miſſæ, quantum ad valorem ex opere operato, & orationes nomine Eccleſiæ recitatas, æquivalet Sacrificio boni Sacerdotis: id autem ſolum tenetur applicare danti ſtipendium. At communio annua indigne facta non eſt proficua, ſed nociva communicanti.

Inſt. 3. Qui in ſtatu peccati mortalis adimplet ſatisfactionem injunctam a Confeſſario, ſatisfacit ipſius præcepto. Ergo ſimiliter in noſtro caſu. R. N. Conſ. Diſparitas eſt 1. Quod ad virtutum officia, ſive ſint ſatisfactoria, ſive alterius generis, non requiritur gratia habitualis ſicut in communione, ſed ſufficiat actualis, alioquin omnia Infidelium & Peccatorum opera eſſent peccata, quod eſt damnatum in Bajo. 2. Satisfactio injungitur a Confeſſario, non ut per viam meriti peccatorum veniam obtineat, quæ jam ſupponitur obtenta, ſed ut aliquam pœnam pro peccatis ſuſtineat, & malis habitibus per aſſuetudinem peccandi comparatis obſiſtat, qui fines obtinentur per ſatisfactionem etiam in malo ſtatu peractam. At per communionem ſacrilegam nihil niſi damnatio acquiritur.

Obj. 3. Saltem finis præcepti non cadit ſub præcepto; ſic quamvis maceratio corporis ſit finis jejunii, qui jejunat, & non maceratur, ſatisfacit præcepto. Atqui nutritio ſpiritualis eſt finis præcepti de communione. Ergo nutritio ſpiritualis non cadit ſub hoc præcepto. R. 1. Poſſe totum concedi abſque concluſionis detrimento. Non enim dicimus ſimpliciter nutritionem ſpiritualem actualem cadere ſub præcepto, ſed quod cibus aſſumptus ſit ſpiritualiter nutritivus, nec poſitive impediatur, quin actu nutriat ad quod ſufficit, quod digne & in ſtatu gratiæ recipiatur, ita quod ſi per impoſſibile digne & reverenter ſuſciperetur, & non ſequeretur actualis nutritio ſpiritualis, nihilominus ſatisfieret præcepto. Cum ergo ille cibus indigne ſuſceptus non ſit ſpiritualiter nutritivus ſaltem proxime, & poſitivum impedimentum apponatur, ne nutriat, non ſatisfacit præcepto, qui indigne ſumit, ſicut qui ſumeret cibum venenatum, vel impediret, ne cibus ordinarius nutriat, non cenſetur ſatisfacere præcepto naturali de ſumendo cibo pro conſervanda vita corporali. R. 2. D. Maj. Finis præcepti, qui neceſſario per ſe non ſequitur ex medio, quod præcipitur, ut maceratio corporis ex jejunio, non cadit ſub præcepto, C. qui per ſe neceſſario ſequitur ex medio, quod præcipitur, Subdiſtinguo: Non cadit directe ſub præcepto, C. indirecte, N. Hoc ipſo enim quo præcipitur medium, ex quo per ſe neceſſario ſequitur finis, etiam ipſe finis cenſetur ſub eodem præcepto cadere: ex digna autem & reverenti communione, quæ præcipitur, ſequitur per ſe neceſſario nutritio ſpiritualis, ideoque cadit ſub eodem præcepto.

Inſt. Baptiſmus eſt inſtitutus ad regenerationem ſpiritualem. Atqui ipſa gratia ſpiritualis non cadit ſub præcepto; qui enim ficte ſuſcipit Baptiſmum, non eſt regeneratus ſpiritualiter, & tamen ſatisfacit præcepto, cum iterum baptizari non debeat. Ergo. R. 1. N. Min. Ad Prob. dico, quod ratio, cur non debeat iterum baptizari, non eſt, quia ſatisfecit præcepto, ſed quia Baptiſmus non eſt iterabilis ſicut communio, & ſic præceptum factum eſt ipſi impoſſibile. R. 2. N. Conſ. Diſparitas eſt, quod Baptiſmus ficte ſuſceptus habeat aliquem effectum, nempe characterem, qui compatitur ſtatum peccati, & cujus virtute, dum reviviſcet Baptiſmus, plenum habebit effectum, quod non poteſt dici de Euchariſtia.

Ex dictis colliges eum, qui in malo ſtatu ſumpſit Viaticum, non ſatisfeciſſe præcepto divino, ideoque ad illud iterum ſumendum teneri, niſi obſtet vel ſcandalum, vel infamia, vel prohibitio Eccleſiæ de non bis communicando in uno die. Quod, an ita ſit, conſultat quiſque praxim ſuæ Eccleſiæ.

§. V. *Quid ſit cenſendum de frequenti & quotidiana Communione?*

HAc de quæſtione hodie magno æſtu diſputatur occaſione operis gallice conſcripti a R. Patre Joanne Pichon Soc. Jeſu, cui titulus, *L'Eſprit de Jeſus Chriſt & de l'Egliſe ſur la frequente Communion*, in quo auctor multis argumentis pugnat pro frequenti, imo & quotidiana Communione, quibuſdum Eccleſiæ Præſulibus illi plaudentibus, aliis & pluribus, datis mandatis & inſtitutionibus, illi contradicentibus, atque virga cenſoria improbantibus. Inter hos conflictus nihil accuratius, nec ſolidus arbitror poſſe dici circa hanc materiam, quam quod dixit Angelicus Doctor hic a. 10. ubi ex profeſſo quærit, *Utrum liceat quotidie hoc Sacramentum ſumere?* Unde ejus menti & litteræ inhærens

Dico, (*Hic a. 10. c.*) quod circa uſum hujus Sacramenti duo poſſunt conſiderari, unum quidem ex parte ipſius Sacramenti, cujus virtus eſt hominibus ſalutaris: & ideo utile eſt quotidie ipſum ſumere, ut homo quotidie ejus fructum percipiat; unde Ambroſ. l. 4. de Sacrament. c. 6. dicit:

cit: *Si quotieſcumque effunditur ſanguis Chriſti, in remiſſione peccatorum effunditur, debeo ſemper accipere: qui ſemper pecco, debeo ſemper habere medicinam.* Alio modo poteſt conſiderari ex parte ſumentis, in quo requiritur, ut cum magna devotione & reverentia ad hoc Sacramentum accedat. Et ideo ſi aliquis ſe quotidie ad hoc paratum inveniat, laudabile eſt, quod quotidie ſumat. Unde Aug. ſerm. 28. de verbis Dom. cum dixiſſet: *Accipe quotidie, quod quotidie tibi proſit*, ſubjungit, *ſic vive, ut quotidie merearis accipere*. Sed quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta hujus devotionis accurrunt propter corporis indiſpoſitionem vel animæ, non eſt utile omnibus hominibus quotidie ad hoc Sacramentum accedere, ſed quotieſcumque ſe ad illud homo invenerit præparatum. Unde in lib. de Eccleſ. Dog. c. 52. dicitur *Quotidie Euchariſtiæ communionem accipere nec laudo, nec vitupero.*

Hæc S. Doctor in corpore articuli. (*Ibid. ad 3.*) Et cum ſibi 3. loco objeciſſet, quod ad reverentiam hujus Sacramento debitam pertineat ab illo abſtinere, reſpondet, quod reverentia hujus Sacramenti habeat timorem amori conjunctum (unde timor reverentiæ ad Deum dicitur timor filialis) ex amore enim provocatur deſiderium ſumendi; ex timore autem conſurgit humilitas reverendi. Et ideo utrumque pertinet ad reverentiam hujus Sacramenti, & quod quotidie ſumatur, & quod aliquando abſtineatur. Unde Aug. dicit Ep. 118. *Si dixerit quiſpiam non quotidie accipiendam Euchariſtiam, alius contra: faciat unuſquiſque, quod ſecundum fidem ſuam pie credit eſſe faciendum.* Neque enim litigaverunt inter ſe Zachæus & ille Centurio, cum alter eorum gaudens ſuſcepit Dominum, alter dixit, non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum, ambo Salvatorem honorificantes, quamvis non uno modo; amor tamen & ſpes, ad quæ ſemper Scriptura nos provocat, præferuntur timori. Unde & cum Petrus dixiſſet: *Exi a me Domine, quia homo peccator ſum*: reſpondit Jeſus, *Noli timere*. Hæc iterum S. Thom.

Dices. Juxta principium D. Th. q. 79. a. 8. o. quod nos de Sacramentis in genere Diſſert. 3. a. 4. propugnavimus, peccata venialia affectu retenta, aut actu exercita in actuali ſumptione hujus Sacramenti, ut diſtractio voluntaria, non impediunt effectum ejus primarium, ſcilicet augmentum gratiæ habitualis, ad quod ſufficit ſtatus gratiæ. Ergo cuilibet, qui ſe prudenter exiſtimat eſſe in ſtatu gratiæ, conſulendum eſt, ut frequenter, imo & quotidie communicet, non obſtantibus peccatis venialibus, quibus afficitur, aut quæ actu committit communicando. R. N. Conſeq. 1. Quia licet communicans in ſtatu gratiæ cum peccatis venialibus effectu retentis aut actualiter commiſſis acquirat augmentum gratiæ habitualis; cum tamen huic Sacramento totum Chriſtum continenti debeatur præ cæteris maxima & ſingularis reverentia, negari non poteſt, quod frequenter aut quotidie ad ipſum accedere ſcienter cum affectu ad venialia, aut actu ea committendo, ſit ſaltem irreverentia venialis. Præſtat autem Deum non offendi venialiter, quam hominem acquirere aliquod leve augmentum gratiæ. 2. Majus augmentum gratiæ recipiet rarius communicando & melius ſe diſponendo, quam ſæpius communicando in ſolo ſtatu gratiæ cum actualibus peccatis venialibus; ſic enim, ut diximus, minimum quod poteſt gratiæ augmentum recipit. 3. Non debet tantum attendi ad fructum recipientis, alioquin non quotidie, ſed pluries in die oporteret communicare, ſed ad dignitatem & majeſtatem illius, qui recipitur, cujus tam familiaris & frequens converſatio longe majorem exigit condignitatem & diſpoſitionem ex parte recipientis, quam rara ejus frequentatio, ut in ipſis humanis patet. Poſſet etiam objici exemplum Sacerdotum, qui quotidie aut frequenter celebrant, cum tamen aliquorum vita non ſit purior, nec charitas ferventior quam plurium Laicorum; ſed diſcrimen eſt, quod Sacerdotes ſint ex officio quaſi mediatores inter homines & Deum, quem interpellare debent pro populo, & quod ſacrificium, quod offerunt, proſit ex opere operato omnibus fidelibus vivis & defunctis & toti Eccleſiæ; non ſic Laici, nec eorum communiones. Neque tamen excuſandi ſunt Sacerdotes, qui mores ſuos conformiter ad dignitatem ſuam componere non curant.

Huc uſque dicta conformia ſunt Decreto Innocentii XI. quod ad majorem præcedentium confirmationem & pleniorem tum Confeſſariorum cum communicantium inſtructionem hic ſubjiciendum duxi, cum quibuſdam propoſitionibus damnatis præſentem materiam ſpectantibus.

Decretum Innocentii XI. de ſacræ Communionis uſu, datum anno 1679.

CUM ad aures ſanctiſſimi D. N. fide dignorum teſtimonio pervenerit in quibuſdam Diœceſibus vigere uſum quotidianæ communionis, etiam in feria ſexta Paraſceves, & ſimul affirmari eamdem quotidianam communionem præceptam eſſe a jure divino… Cum autem hæc Sanctiſſimus conſideranda commiſerit S. Congregationi Cardinalium Concilii Trid. Interpretum, eadem S. Congregatio prævia matura diſcuſſione ſupra prædictis unanimi ſententia ita cenſuit. Etſi frequens quotidianuſque ſacroſanctæ Euchariſtiæ uſus a SS. Patribus fuerit ſemper in Eccleſia probatus; nunquam tamen aut ſæpius illam percipiendi, aut ab ea abſtinendi, certos ſingulis menſibus aut hebdomadis dies ſtatuerunt, quos nec Concilium Trid. præſcripſit, ſed quaſi humanam infirmitatem ſecum reputaret, nihil præcipiens, quid cuperet tantum indicavit. Cum, *inquit*, optaret quidem ſacroſancta Synodus, ut in ſingulis Miſſis fideles adſtantes Sacramentali Euchariſtiæ perceptione communicarent: *Idque non immerito, multiplices enim ſunt conſcientiarum receſſus, variæ ob negotia ſpiritus alienationes, multæ e contra gratiæ & Dei dona parvulis conceſſa: quæ cum humanis oculis ſcrutari non poſſumus, nihil certe de cujuſque dignitate atque integritate & conſequenter de frequentiori aut quotidiano vitalis panis eſu poteſt conſtitui. Et propterea quoad Negotiatores ipſos attinet, frequens ad ſacram alimoniam percipiendam acceſſus, Confeſſariorum ſecreta cordis explorantium judicio eſt relinquendus, qui ex conſcientiarum puritate & frequentiæ fructu & ad pietatem proceſſu Laicis negotiatoribus & conjugatis, quod proſpiciant eorum ſaluti profuturum, id illis præſcribere debebunt. In conjugatis autem hoc amplius animadvertent, cum B. Apoſtolus nolit eos invicem fraudare, niſi forte ex conſenſu ad tempus ut vacent orationi, eos ſerio admoneant, tanto magis ob ſacratiſſimæ Euchariſtiæ reverentiam continentiæ vacandum, puriorique mente ad cæleſtium Epularum communionem eſſe conveniendum. In hoc igitur Paſtorum diligentia potiſſimum invigilabit, non ut a frequenti aut quotidiana ſacræ communionis ſumptione unica præcepti formula aliqui deterreantur, aut ſumendi dies generaliter conſtituantur, ſed magis quid ſingulis permittendum per ſe aut Parochos ſeu Confeſſarios ſibi decernendum putet: illudque omnino provideat, ut nemo a ſacro convivio, ſeu frequenter, ſeu quotidie acceſſerit, repellatur: & nihilominus det operam, ut unuſquiſque digne pro devotionis & præparationis modo rarius, aut crebrius Dominici corporis ſuavitatem deguſtet. Itidem Moniales quotidie ſacram Communionem petentes admonendæ erunt, ut in diebus ex earum Ordinis inſtituto præſtitutis communicent: ſi quæ vero puritate mentis eniteant, & fervore ſpiritus ita incaluerint, ut dignæ frequentiori aut quotidiana ſanctiſſimi Sacramenti perceptione videri poſſint, id illis a Superioribus permittatur. Proderit etiam præter Parochorum & Confeſſariorum diligentiam opera quoque Concionatorum uti, & cum eis conſtitutum haberi, ut cum fideles ad ſanctiſſimi Sacramenti frequentiam (quod facere debent) accenderint, ſtatim de magna ad illud ſumendum præparatione orationem habeant, generatimque oſtendant, eos qui ad frequentiorem aut quotidianam ſalutiferi cibi ſumptionem devoto ſtudio excitantur, debere, ſive Laici Negotiatores ſint, ſive conjugati, ſive quicumque alii, ſuam agnoſcere infirmitatem, ut dignitate Sacramenti, ac divini judicii diſcant cæleſtem menſam, in qua Chriſtus eſt, revereri, & ſi quando ſe minus paratos ſenſerint, ob ea abſtinere ſeque ad majorem præparationem accingere. Epiſcopi vero, in quorum Diœceſibus viget hujuſmodi devotio erga ſanctiſſimum Sacramentum, pro illa gratias Deo agant, eamque ipſi adhibito prudentiæ & judicii temperamento alere debebunt, & ab eorum officio poſtulari ſibi maxime perſuadebunt, nulli labori aut diligentiæ parcendum; ut omnis irreverentiæ & ſcandali ſuſpicio in veri & immaculati Agni perceptione tollatur; virtuteſque ac dona in ſumentibus augeantur: quod abunde continget, ſi ii, qui devoto hujuſmodi ſtudio, divina præſtante gratia, tenentur, ſeque ſacratiſſimo pane frequentius reſici cupiunt, ſuas vires expendere, ſeque probare cum timore & charitate aſſueverint.. Porro Epiſcopi & Parochi ſeu Confeſſarii redarguant aſſerentes communionem quotidianam eſſe de jure divino… Et facta de præmiſſis omnibus ac de verbo ad verbum relatione, Sanctitas ſua probavit, ac præſens Decretum typis dari ac publicari voluit. In quorum, &c.*

F. CARD. COLUMNA *Præf.*

Notandæ ſunt inſuper ſequentes propoſitiones damnatæ. 1. *Arcendi ſunt a ſacra Communione, quibus nondum ineſt amor Dei puriſſimus & omnis mixtionis expers.* Eſt damnata ab Alexandro VIII. 2. *Sacrilegi ſunt judicandi, qui jus ad communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis ſuis pœnitentiam egerint.* Damnata eſt ab eodem. 3. *Frequens Confeſſio & Communio, etiam in iis, qui gentiliter vivunt, eſt nota Prædeſtinationis.* Damnata eſt ab Innocentio XI.

Ex huc uſque dictis & relatis conſtat eſſe ſecundum ſe laudabilius & utilius frequenter, quam raro communicare; nullas tamen poſſe ſtatui regulas certas pro frequentiori vel rariori communione, ſed ſtandum eſſe judicio prudentis & intelligentis Confeſſarii, qui attenta perſonarum conditione, majori vel minori diſpoſitione, majori vel minori fructu, frequentius aut rarius communionem præſcribere debet.

ARTICULUS II.

De Communione ſub utraque ſpecie.

LABENTE Sæculo 14. Petrus Dreſdenſis Pragæ in Bohemia Ludimagiſter, coadjuvante Jacobello Miſnenſi famoſo Concionatore, uſum Calicis jam antiquatum ut neceſſarium reſuſcitavit. Ab his errorem Joannes Hus hauſit, unde Huſſitæ. Hi in duas ſectas diviſi ſunt. Altera Thaboritarum, ſic dicti a civitate Thabor, quam in quodam monte ædificavit Ziſca Tyrannus, & in qua erexerat 300. menſas Communionis ſub utraque ſpecie deſtinatas, ad quas feruntur una die acceſſiſſe 30. hominum millia. Altera Calixtinorum ab uſu Calicis dicta. Carloſtadius, naſcente Lutheraniſmo, eundem errorem propugavit. Lutherus vero varius admodum & inconſtans fuit circa hanc materiam. Primo uſum Calicis indifferentem dixit. Tum docuit ad ſolum Concilium generale, non ad privatos Epiſcopos pertinere ea de re quidquam definire. Deinde negavit id poſſe Concilium generale. Poſtea dixit quemlibet Sacerdotem teneri utramque ſpeciem fidelibus offerre, his autem liberum eſſe utramque vel unam ſumere. Tandem lib. de viſitatione Saxonica damnat Communionem ſub una ſpecie, tamquam Chriſti inſtitutioni contrariam. Calvinus l. 4. Inſtit. c. 17. ſcripſit Communionem ſub una ſpecie ex officina diaboli prodiiſſe, nec poſſe ex præcepto Chriſti aliter quam ſub utraque ſpecie ſuſcipi. Et ita ſentiunt omnes Calviniſtæ, qui tamen præſentiam realem negant.

Inter Catholicos quidam ſunt, qui quamvis agnoſcant nullum eſſe præceptum de Communione ſub utraque ſpecie, & omnem gratiam ad ſalutem neceſſariam conferri per unam ſpeciem, ſicut per duas; contendunt tamen præter hanc gratiam neceſſariam ad ſalutem aliquam majorem conferri per utramque ſpeciem, quam per unam. Ita Melchior Cano ex noſtris, Antonius Uglio Franciſcanus, & quidam alii, quorum ſententiam intactam reliquit Concilium Trid. Primo ergo Dogma Catholicorum ſtatuemus contra Hæreticos. 2. Contra laudatos Theologos diſputabimus. Unde ſit

§. I. *Utrum Communio ſub utraque ſpecie ſit neceſſaria ex Præcepto divino?*

DICO. (*Hic art. 12. o.*) Fideles Laici, aut Sacerdotes non conſecrantes nullo Præcepto divino tenentur communicando ſumere utramque ſpeciem. Ita poſt Concilium Conſtantienſe & Baſileenſe definivit Trid. ſeſſ. 21. c. 1. his verbis: *Si quis dixerit ex Dei præcepto, vel neceſſitate ſalutis omnes & ſingulos Chriſti fideles utramque ſpeciem Euchariſtiæ Sacramenti ſumere debere, anathema ſit.*

Prob. Præceptum divinum pro Laicis & Clericis non conſecrantibus communicandi ſub utraque ſpecie erui non poteſt, neque ex facto Chriſti inſtituentis hoc Sacramentum, neque ex Scriptura ſacra, neque ex antiqua Eccleſiæ praxi, neque ex SS. Patribus, neque ex natura Sacramenti. Ergo non extat. Patet Conſequentia a ſufficienti enumeratione in Antecedente, quod eſt probandum. Non ex facto Chriſti inſtituentis hoc Sacramentum: non enim omnia, quæ fecit Chriſtus in inſtitutione hujus Sacramenti, facienda præcepit, alioquin Laici & mulieres poſſent & deberent conſecrare, & poſt Cœnam communicare. Non ex Scriptura. Urgent potiſſimum Hæretici illud Joan. 6. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* At reſpondet Trid. ſeſſ. 21. c. 1. Qui dixit: *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*, dixit quoque ibid. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*: & qui dixit: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam*; dixit etiam ibidem: *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.* Et denique qui dixit: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo*; dicit nihilominus: *Qui manducat hunc panem, vivit in æternum.* Imo ut obſervant Theologi poſt noſtrum Joannem de Raguſio in Concilio Baſileenſi; Chriſtus in hoc capite undecies mentionem fecit de hoc Sacramento ſub ſpecie panis, quater autem tantum ſub nomine carnis & ſanguinis. Ex quibus liquido patet ipſum intendiſſe non tam modum ſumendi, quam rem ſumendam, & ſolam ſpeciem panis ſufficere ad ſalutem: cum enim corpus & ſanguis ſit ſub qualibet ſpecie, qui ſumit unam ſpeciem, manducat corpus & bibit ſanguinem. De hoc & aliis Scripturæ locis iterum in ſol. Arg.

Non ex antiqua Eccleſiæ praxi. Fatemur quidem ultro, primis Eccleſiæ ſæculis uſque ad duodecimum non infrequentem fuiſſe communionem ſub utraque ſpecie; unde in eo probando oleum & operam perdunt Hæretici; at negamus fuiſſe uſurpatam tanquam neceſſariam ad ſalutem, aut ex præcepto divino, ſi quidem in multis caſibus omitteretur & fieret ſub alterutra ſpecie. 1. Tempora Apoſtolorum. 2. In communione infirmorum. 3. In communione infantium. 4. In communione domeſtica. 5. In communione publica, quod paulo latius eſt explicandum & probandum. Legimus in Act. Apoſtolorum. c. 2. de primis fidelibus, quod *Perſeverantes erant in doctrina Apoſtolorum & communicatione fractionis panis & orationibus*; ubi nulla mentio Calicis. Neque veriſimile eſt Nazaræos initio naſcentis Eccleſiæ, cum permitterentur adhuc legalia, converſo vino, quod ipſis prohibitum erat, uſos fuiſſe. In communione infirmorum conſtat unam tantum ſpeciem porrectam fuiſſe ex Euſebio l. 6. Hiſt. c. 44. ubi narrat Sacerdotem miſiſſe per puerum ad Serapionem morti proximum exiguam Euchariſtiæ partem, ac juſſiſſe, ut madefactam, ſeu ut vertit Valeſius, *In aqua intinctam ſeni in os inſtillaret, qua ille paulatim abſorpta continuo animam exhalavit.* Ex Paulino Diacono, qui in vita S. Ambroſii refert Honoratum Vercellenſem tradidiſſe S. Ambroſio in extremis poſito *Domini corpus, quo accepto, ubi deglutivit, emiſit Spiritum, Viaticum ſecum ferens.* Nihil de Calice. Item ex Uldarico l. 1. conſuet. Cluniacenſ. c. 8. & l. 3. c. 28. ubi refert Cluniacenſes ante ſexcentos annos dare infirmis unam ſpeciem panis vino non conſecrato intinctam, & aſſervare pro Viatico abſque ſpecie vini quatuor hoſtias *In pixide & in aurea columba ſuper altare pendente.*

In Communione infantium datam aliquando fuiſſe illis unam tantum ſpeciem, probant ſequentia. Cyprianus Tract. de lapſis refert tanquam teſtis oculatus, infantulam, quæ panem vino mixtum de Idolothitis comederat, cum illi ſicut aliis præſentibus Diaconus porrigeret ſacrum Calicem, *Os labiis obturantibus premere* & Calicem recuſare, quem cum reluctanti infudiſſet Diaconus, *tunc ſequitur ſingultus & vomitus, in corpore atque ore violata Euchariſtia permanere non potuit.* Ibi nulla mentio panis, quem ſi puella accepiſſet, pari ratione evomuiſſet, quod non dicitur. Neque dici poteſt in illo Calice panem mixtum fuiſſe; id enim eſt fingere, præſertim cum uſus Communionis intinctæ tempore Cypriani eſſet incognitus, cujus prima mentio occurrit in Concilio Braccarenſi c. 1. a. 675. ubi improbatur. Evagrius l. 4. Hiſt. c. 36. Nicephorus l. 17. c. 25. & alii referunt, vetuſtam fuiſſe plurium Eccleſiarum conſuetudinem, micas panis Euchariſtici, quæ ex publica fidelium Communione ſupererant feria quarta vel ſexta, pueris ſcholas frequentantibus diſtribuere, de quo nos ſupra contra Lutheranos dum de permanentia Euchariſtiæ.

Quantum ad Communionem domeſticam refert Baſilius Ep. 28. ad Cæſariam Patriciam, fideles tempora perſecutionis, & omnes, qui per Eremum monaſticam vitam agebant, aſportare ſecum Euchariſtiam, ut tempore opportuno Communionem ſumerent, quod etiam dicit Tertull. l. ad uxorem c. 5. Cyprianus ſerm. de lapſis, Ambroſius Orat. de obitu fratris ſui Satyri; Aug. ſerm. 222 & alii. Id autem intelligi non poteſt, ut plurimum ſaltem, niſi de ſpecie panis; tum quia laudati Patres, præſertim Aug. ſcribunt mulieres ſolitas ſumere Euchariſtiam de manu Sacerdotis in linteamine mundo, quod non poteſt intelligi de ſpecie vini; tum quia, ut teſtatur Cyrillus Jeroſol. Catecheſi 5. & Nazianzenus orat. cont. Arianos, ſola ſpecies panis dabatur Laicis in manu a Sacerdote, calix autem non porrigebatur illis niſi per manus Sacerdotis aut Diaconi, neque fas erat illis illum tangere; tum quia vinum diu ſervari non poterat, facile enim aceſcit & corrumpitur.

Tandem etiam in communione publica aliquando porrectam fuiſſe ſolam ſpeciem panis, aut ſaltem liberum fuiſſe unam vel duas ſpecies ſumere probatur ex monumentis ſequentibus. S. Leo Serm. 4. de Quadrag. refert Manichæos, ne deprehenderentur & tuto manerent Romæ, accedere ad ſacram Menſam cum fidelibus, ſed ſpeciem panis tantum ſumere, nunquam ſpeciem vini, quod fel Draconis & a Patre Diabolo eſſe dicebant, hocque indicio, quod nunquam ſumerent ſpecies vini, dicit eſſe detegendos, conſequenter præcipit omnibus utramque ſpeciem ſumere. Porro ſi præceptum divinum fuiſſet omnibus utramque ſpeciem ſumendi, nec cuique fuiſſet licitum ab hoc uſu recedere, diu latere non potuiſſent Manichæi, ſed ad primam communionem agniti fuiſſent, nec opus erat, ut utramque ſpeciem ſumere præciperet S. Leo. Hieronymus Ep. 25. ad Euſtoch. narrat fuiſſe Romæ quaſdam Virgines ita abſtemias & a vino abhorrentes, ut nec in ipſis Myſteriis ſpeciem vini ſumerent; quam ob cauſam a mulieribus vino deditis vocabantur, *Miſeræ & Manichææ.* Vener. Beda l. 2. Hiſt. c. 5. ſcribit Idololatras quoſdam in Anglia dixiſſe Pontifici Euchariſtiam poſt Miſſarum ſolemnia diſtribuenti: *Quare non & nobis porrigis panem nitidum, quem & Patri noſtro dabas, & populo adhuc in Eccleſia dare non deſiſtis?* Tandem hunc uſum invicte probat Miſſa, quæ dicitur *Præſanctificatorum*,

quam

quam ex antiquiſſima conſuetudine Latini celebrant die Paraſceves, & Græci ſæpius in Quadrageſima, quippe qui nonniſi Dominicis, Sabbathis & Feſto Annuntiationis conſecrant, aliis autem diebus Miſſam *Præſanctificatorum* in ſola ſpecie panis prius conſecrata celebrant. Sic ſtatuit Concilium Trullan. an. 692. Can. 52.

Quod autem reſpondent Hæretici vinum contactu particulæ hoſtiæ conſecratæ, quæ illi admiſcetur, conſecrari, ſicque duplicem ſpeciem ſumi, figmentum eſt apertum, cum certum ſit ſolis verbis Domini, non contactu alterius rei conſecratæ, ſpecierum conſecrationem perfici: & Ordo Romanus antiquiſſimus in officio feriæ 5. hebdomadæ ſanctæ dicit fideles die Paraſceves communicare abſque ſanguine. Unde quando infra dicit vinum conſecratum miſceri ſanguini non conſecrato, & iſtud *ſanctificari per omnem modum*, atque Archidiaconum confirmare *ſanguine Dominico*, quos communicaverat Pontifex corpore Dominico, non loquitur ibi de ritu diei Paraſceves, non enim iſta die ſanguis Chriſti cum vino non conſecrato miſcebatur, ſed de ritu aliis diebus ſervari ſolito, quo aliqua pars vini conſecrati infundi ſolebat in calicem vino non conſecrato plenum, ex quo bibebant fideles.

Non ex SS. Patribus; patet ex laudatis ſuperius, & amplius patebit ex ſolut. objectionum. Non tandem ex natura Sacramenti; quia ſub una ſpecie totus Chriſtus continetur, tota ratio Sacramenti ſalvatur & gratia ad ſalutem neceſſaria confertur. Ergo. Prima pars Ant. ex a. 1. Diſſert. 4. patet. Prob. 2. pars. Ratio Sacramenti conſiſtit in ſignificando & efficiendo. Quantum ad ſignificationem, hoc Sacramentum ſignificat Chriſtum præſentem, paſſionem ejus, refectionem animæ ſpiritualem per gratiam & unionem fidelium inter ſe & cum Chriſto capite. Atqui una ſpecies ſignificat totum Chriſtum præſentem, quia totum in una continetur; ſignificat paſſionem ejus, quia corpus ſolum vi verborum ponitur ſub ſpecie panis ſeorſum a ſanguine, ſignificat refectionem ſpiritualem animæ, quia proponitur ut cibus; & quamvis ad refectionem corporalem requiratur cibus & potus, in refectione tamen ſpirituali non diſtinguitur inter cibum & potum, præſertim in hoc Sacramento, in quo cibus continet potum, & potus cibum: ſignificat tandem unionem fidelium inter ſe & cum Chriſto, quatenus ex multis granis unus panis efficitur. Quantum vero ad efficientiam hujus Sacramenti, cauſat gratiam cibantem & nutritivam. Atqui hanc non minus cauſat una ſpecies quam ambæ, quia ſigna ſenſibilia in Sacramentis non cauſant gratiam ex ſe ipſis, ſed ex virtute ſibi impreſſa; in hoc autem Sacramento loco virtutis impreſſæ eſt Ipſe Chriſtus totius gratiæ fons & origo, qui totus & integer ſub una ſpecie ſicut ſub utraque continetur. Ergo par eſt efficacia unius ſpeciei ac utriuſque; & inde ſequitur ulterius, quod per unam ſpeciem conferatur tota gratia neceſſaria ad ſalutem ſicut per utramque, quod eſt tertia pars Antecedentis. An autem conferatur major per utramque ſpeciem, ſed non neceſſaria ad ſalutem, dicemus §. ſeq.

Prob. inſuper Concluſio duplici argumento. 1. Si communio ſub utraque ſpecie eſſet neceſſaria jure divino, nunquam auferri potuiſſet uſus calicis abſque reſiſtentia & plurium commotione. Atqui non ſolum in prioribus ſæculis, ut vidimus, communio ſub una ſpecie in pluribus locis fuit in uſu, ſed a ſæculo XII. ad finem XIII. ſæculi uſus calicis fere ubique abrogatus fuit nullo reclamante. Ergo. 2. Ad hominem. Si communio ſub utraque ſpecie eſſet jure divino neceſſaria, nulla auctoritas humana poſſet in ea diſpenſare, ſicut quia aqua eſt jure divino neceſſaria ad Baptiſmum, nulla humana auctoritas poteſt diſpenſare, ut conferatur ſine aqua. Atqui Calviniſtæ in diſciplina Eccleſ. cap. 12. art. 7. & 10. diſpenſant cum abſtemiis, & cum iis, quibus grave eſt calicem poſt alios ſumere, et poſſint communicare ſub ſola ſpecie panis, modo proteſtentur ſe id non facere in deſpectum. Ergo ſibi contradicunt Hæretici.

Dico 2. Eccleſia juſtis de cauſis prohibuit Laicis uſum calicis. Has cauſas perſtringit Catech. Romanus p. 2. de Euchariſtia num. 50. Prima eſt, ut periculum effuſionis vitaretur, quod in tanta populi frequentia, ubi ſenes tremuli, juvenes incompoſiti communicare debent, vix alioquin vitari poſſet. Secunda, cum Euchariſtia ægrotis præſto eſſe debet, timendum erat, ne, ſi diutius vini ſpecies aſſervaretur, aceſceret. Tertia, ut ſervaretur uniformitas in hoc Sacramento unitatis, ſunt enim multi abſtemii, qui a vino abhorrent, ſunt alii, quibus repugnat ex eodem calice bibere poſt ſordidos, fœtidos, & nauſeabundos; & in pluribus Provinciis eſt maxima vini penuria, nec ad illas ſine maximis expenſis, ac non niſi difficillimis itineribus convehi poteſt. Quarta, convellenda erat duplex hæreſis; prima Jacobelli, qui damnabat ſacrilegii eos, qui unam tantum ſpeciem ſumebant; altera eorum, qui negabant ſub qualibet ſpecie totum Chriſtum contineri.

Petes, utrum uſus calicis non ſit aliquando licitus Laicis? R. 1. Certum eſt Eccleſiam, ſicut prohibuit, ita juſtis de cauſis poſſe Laicis permittere uſum calicis: quia, ut ait Trid. ſeſſ. 21. cap. 2. *Hæc poteſtas perpetuo in Eccleſia fuit, ut in Sacramentorum diſpenſatione, ſalva illorum ſubſtantia, ea ſtatueret vel mutaret, quæ ſuſcipientium utilitati ſeu ipſorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate, magis expedire judicaret.* Communicare autem ſub una vel duplici ſpecie non pertinet ad ſubſtantiam Sacramenti, ut patet ex dictis, ſed eſt res diſciplinæ. Unde Concilium Baſileenſe Bohemis & Moravis uſum calicis permiſit, idem indulſit Germanis Pius IV. ſed infelici exitu. R. 2. Certis in caſibus licere de facto Laicis ſumere ſpecies vini. 1. Si ſit periculum, ne ab Hæreticis effundantur, aut profanentur. 2. Si Sacerdote poſt ſumptionem corporis defuncto, non adſit alter Sacerdos, qui ſpecies vini remanentes & corrumpendas conſumat. 3. Si ſanguinem effuſum Sacerdos lambere recuſet. 4. Ex Privilegio: ſic Imperatores & Reges Galliæ, dum inaugurantur, communicant ſub utraque ſpecie: ſimiliter Diaconus & Subdiaconus ſummo Pontifici ſolemniter celebranti aſſiſtentes.

Solvuntur Objectiones.

QUAMVIS præcipua Hæreticorum argumenta præoccupata ſint inter probandum, ad ampliorem tamen eorum confutationem Obj. 1. Sicut ex hoc, quod dixit Chriſtus *Manducate*, colligitur præceptum de ſpecie panis ſumenda, ita ex hoc quod dixit: *Bibite ex eo omnes*, colligitur a fortiori præceptum de ſpecie vini ſumenda. Ergo. R. 1. N. Suppoſitum Ant. Non enim ex hoc verbo, *Manducate*, colligimus præceptum ſumendi ſpeciem panis; iſtud enim verbum, ſicut & iſta; *Bibite ex eo omnes*; ſunt verba diſtribuentis, & invitantis, non præcipientis: colligitur autem præceptum communicandi maxime ex Joan. 6. *Niſi manducaveritis*, &c. 2. Eſto laudata verba importarent præceptum, illud ſpectaſſet præſentes dumtaxat, ut manifeſtum eſt ex hoc, quod additur: *Et biberunt ex illo omnes.*

Si petas, cur Chriſtus dixerit de Calice: *Bibite ex eo omnes*, ſi omnes non teneantur bibere? R. 1. Chriſtum etiam dixiſſe de pane *Manducate ex hoc omnes*, ſentiunt Ambroſius l. 4. de Sac. c. 5. Paſcaſius l. de corp. Chriſti c. 15. S. Th. in 4. d. 8. q. 2. art. 1. q. 2. & 5. & ita dixiſſe legitur in Canone Miſſæ, quamvis id non referant Evangeliſtæ. Sed 2. dato non ita Chriſtum dixiſſe de pane, ſicut de Calice, ratio in promptu eſt; quia partem panis diviſam unicuique ſuam manducandam diſtribuebat, at vinum in uno & eodem Calice bibendum omnibus porrigebat; ne ergo unus totum biberet, dixit: *Bibite ex eo omnes.*

Inſt. 1. Marci 13. v. 37. dicit Chriſtus Apoſtolis: *Quod vobis dico, omnibus dico.* Ergo. R. id verum eſſe de his, quæ tunc Chriſtus dicebat Apoſtolis; dicebat autem tunc: *Vigilate*. Porro multa dixiſſe Chriſtum Apoſtolis, quæ non omnibus dicebat, pluſquam manifeſtum eſt, alias omnibus dictum eſſet; *Quorum remiſeritis peccata*, &c. & plura alia.

Inſt. 2. Hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem*, non ſolum Apoſtolos, ſed & proportionaliter omnes reſpiciunt, ut alibi diximus. Ergo. R. hæc verba, quæ leguntur tantum apud Lucam 22. & Apoſt. 1. Cor. 11. dicta fuiſſe immediate poſt Conſecrationem panis, ante Conſecrationem vini; & Apoſtolus poſtquam de pane conſecrato dixit abſolute: *Hoc facite in meam commemorationem*, verſu ſeq. 26. addit conditionate de Calice: *Hoc facite, quotieſcumque bibetis, in meam commemorationem*, ideſt ſi bibatis, vel cum bibitis, bibite in meam commemorationem. Non ergo præcepit, ut abſolute bibatur, ſed ſi bibatur, in ejus commemorationem bibatur. Unde verſu ſeq. 27. ſub disjunctione dicit: *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit Calicem Domini indigne, reus erit corporis & ſanguinis Domini.* Ex quo manifeſtum eſt corpus & ſanguinem poſſe ſeorſim ſumi. Addo, quod etſi hæc verba: *Hoc facite*, &c. eſſent dicta de utraque ſpecie, rem ſumendam afficerent, non ſumendi modum.

Inſt. 3. Ex Apoſt. l. cit. *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat & de Calice bibat.* Ergo. R. Apoſtolum id unum his verbis intendiſſe, ut Corinthii abſtinerent ab indigna Communione, non autem ut ſumerent ſub una vel duplici ſpecie. Patet ex particula *Sic*, & ex eo quod ſubjungit. *Qui enim manducat & bibit indigne, judicium ſibi manducat & bibit:* ubi particola *enim* aperta demonſtrat, ipſum non modum ſumptionis, ſed diſpoſitionem ſumptioni neceſſariam intendiſſe.

Inſt. 4. Ex celebri loco Joan. 6. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem; non habebitis vitam in vobis.* Ergo. R. 1. Ut ante. Chriſtum his verbis præſcripſiſſe non modum manducandi & bibendi

ſeorſum, ſed ſumendi rem ipſam, ſcilicet corpus & ſanguinem ſuum, quæ continentur ſub una ſpecie ſicut ſub utraque. Idque patet non ſolum, ut diximus, ex hoc, quod in eo capite plures adſcribat effectum hujus Sacramenti ſumptioni ſolius ſpeciei panis, ſed etiam quia ibi præſcribit medium vitæ conſervandæ; medium autem conſervandæ vitæ ſpiritualis non conſiſtit in modo ſumendi ſeorſum ſpecies panis & vini, ſed in re contenta ſub iſtis, continetur autem ſub una ſpecie ſicut ſub utraque. 2. Non conſtat, num particula *Et* in his verbis debeat ſumi copulative, an disjunctive; cum enim Chriſtus alloqueretur Capharnaitas, qui non litigabant de modo ſumendi ſub una vel duplici ſpecie, ſed de re ipſa, ſcilicet de carne & ſanguine Chriſti, videtur, quod horum verborum ſenſus ſit; niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & niſi biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis; ideſt ſi neque manducaveritis, neque biberitis, ex quo ſequitur alterutrum eſſe faciendum, non neceſſario utrumque. Quo ſenſu dicitur Exod. 21. *Qui percuſſerit Patrem & Matrem, moriatur*; ad quam tamen pœnam ſubeundam ſufficit alterutrum occidiſſe. 3. Multa ſunt præcepta Eccleſiæ data, non per ſingulos, ſed per aliquos adimplenda. 4. Inſolenter & abſque omni pudore Hæretici vim faciunt in his verbis, atque ea nobis objiciunt, cum ipſi ea non intelligant niſi de manducatione ſpirituali per fidem.

Obj. 2. SS. Patres dum de Euchariſtia ſermonem habent, referunt fideles eam ſub utraque ſpecie ex lege & præcepto ſumere. Ergo. R. SS. Patres attendere ad uſum communem ſuis temporibus communicandi ſub utraque ſpecie, qui hoc ipſo quod erat communis, & ex diſciplina Eccleſiæ recepta, poterat dici lex & præceptum, præſertim cum aliquando revera fuerit lata lex de ejuſmodi communione, ut tempore S. Leonis & Gelaſii occaſione Manichæorum. At nunquam dixerunt SS. Patres id eſſe juris divini.

Inſt. 1. S. Juſtinus Martyr in Apol. 2. dicit Apoſtolos in Evangelio tradidiſſe Chriſtum ſibi præcepiſſe communicare ſub utraque ſpecie. Et Cyprianus, ſeu Auctor ſerm. de Cœna Dom. *Lex*, inquit, *uſum ſanguinis prohibet, Evangelium præcipit ut bibatur*. Ergo. R. Chriſtum & Evangelium revera præcipere Apoſtolis & Sacerdotibus communicare ſub utraque ſpecie, ſeu ſanguinem bibere; ſed non Laicis. Vel attendebat S. Cyprianus ad rem ſumendam, non ad modum ſumendi; qui enim ſumit ſpeciem panis, manducat corpus & bibit ſanguinem, qui continetur concomitanter ſub ſpecie panis.

Inſt. 2. Idem Cyprianus Ep. ad Cæcilium dicit quoſdam in Calice non obſervare, quæ Chriſtus tradidit & inſtituit. Ergo. R. Cyprianum ibi redarguere Aquarios, qui puram aquam ſine vino conſecrabant.

Inſt. 3. Paſchaſius l. de corpore Chriſti c. 15. poſt hæc verba: *Accipite & bibite ex eo omnes*, dicit, *tam Miniſtri, quam reliqui credentes; hic eſt Calix*. Ergo. R. Paſchaſium vel accommodaſſe hæc verba, *Bibite ex eo omnes*, ad uſum ſui temporis, vel intelligendum eſſe de ſanguine latente ſub ſpecie panis. Bellarminus, & quidam alii non infundate ſuſpicantur interpolatum eſſe textum Paſchaſii, & loco *Bibite* reſtituendum eſſe *Comedite*; quod patet ex integra Periodo, quæ ſic habet: *Hic ſolus eſt, qui frangit hunc panem, & per manus Miniſtrorum diſtribuit credentibus dicens, accipite & bibite ex hoc omnes*. Ubi clarum eſt præcedentia verba exigere, *Comedite*, & non *bibite*, & eo magis quod Chriſtus porrigendo Calicem non dixerit: *Accipite & bibite*, ſed *bibite* tantum, dixit autem; *Accipite & comedite*.

Inſt. 4. Chryſoſtom. hom. 18. in 2. Cor. dicit: *Eſt ubi nihil differt Sacerdos a ſubdito, ut quando fruendum eſt horrendis Myſteriis: ſimiliter enim omnes, ut illa percipiamus, digni habemur. Non ſicut in veteri Lege partem quidem Sacerdos comedebat, partem autem populus, verum unum corpus proponitur, & poculum unum*. Ergo. R. Chryſoſtomum ſicut plures alios reſpicere ad uſum ſui temporis, quo Euchariſtia offerebatur ſub utraque ſpecie. Vel ut interpretatur Sylvius, vult S. Doctor in hoc differre Sacrificium vetus & novum, quod in veteri divideretur victima per partes, quarum una uni, altera alteri cederet; in novo autem tota & integra victima ſingulis datur, quia totus Chriſtus ſub qualibet ſpecie continetur.

Inſt. 5. Gelaſius Papa apud Gratianum de Conſec. d. 2. c. 12. jubet, ut omnes *Integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur, quia diviſio unius ejuſdemque myſterii ſine grandi ſacrilegio non poteſt provenire*. Ergo. R. 1. Gelaſium ſucceſſorem S. Leonis, de quo in Probationibus, hoc ſuo Decreto ferire Manichæos, quorum error & fraus ſuo tempore adhuc durabant; loquitur enim de his, qui ſuperſtitione obſtricti vinum non ſumebant, quod videtur indicare Manichæos. Hi autem ſacrilege Myſterium dividebant, quatenus non admittebant utramque ſpeciem eſſe Sacramentum; & tantum ſub una quantum ſub altera contineri. Non ſic autem dividunt fideles, qui ſub una ſpecie communicant. 2. Juxte alios, qui dubitant, an iſtud Decretum ſit Gelaſii ſucceſſoris S. Leonis, damnat dumtaxat quoſdam Sacerdotes, qui ex quadam ſuperſtitione poſt Conſecrationem ſumebant tantum corpus & non ſanguinem, idque videtur aperte colligi ex titulo Canonis, qui ſic eſt: *Corpus Chriſti ſine ejus ſanguine Sacerdos non debet accipere*. Hæc ſolutio eſt Auctoris hic n. 12. ad 1. fundata & facilis; prima tamen eſt communior.

Inſt. 6. Juxta Gelaſium non ſumunt integrum Sacramentum, qui non communicant ſub utraque ſpecie. Ergo. R. D. Ant. Non ſumunt integrum Sacramentum ex parte ſigni, C. ex parte rei ſignificatæ & contentæ, N.

Inſt. 7. Chriſtus inſtituit Euchariſtiam, ut memoriale ſuæ paſſionis. Atqui ſine ſumptione Calicis non commemoratur Paſſio. Ergo. R. N. Min. Hoc ipſo enim quo ſumitur ſpecies panis, ſub qua vi verborum ſolum corpus ponitur, ſignificatur ſeparatio ejus a ſanguine, & ſic commemoratur paſſio. Equidem expreſſior eſt ſignificatio paſſionis, quando utraque ſpecies ſeorſim ſumitur, ſed hæc pertinet ad Euchariſtiam, ut eſt Sacrificium, non ut eſt Sacramentum, quod ſine illa expreſſiore paſſionis ſignificatione ſubſtantialiter ſubſiſtit; ſicut licet immerſio in Baptiſmo expreſſius ſignificet ſepulturam Chriſti quam infuſio, ſubſiſtit tamen per infuſionem.

Obj. 3. Chriſtus Calicem inſtituit pro omnibus, & jus illud petendi omnibus conceſſit. Ergo eo privari non poſſunt fideles. R. D. Ant. Chriſtus Calicem inſtituit pro omnibus, &c. abſolute, N. ſub directione Eccleſiæ, & dependenter ab ejus voluntate C. Equidem Chriſtus ipſum Sacramentum Euchariſtiæ inſtituit abſolute pro omnibus, nec poſſunt fideles legitime poſtulantes eo privari, ſicut nec Confirmatione, Matrimonio, & aliis Sacramentis. At quantum ad ejus diſpenſationem ſub una vel duplici ſpecie illam reliquit diſpoſitioni Eccleſiæ, quia eſt res diſciplinæ tantum, cum una ſpecies æque proſit ad ſalutem ac duæ.

§. II. *Utrum major gratia conferatur communicanti ſub utraque ſpecie, quam ſub una?*

NULLAM gratiam ad ſalutem neceſſariam conferri communicanti ſub utraque ſpecie, quæ communicanti ſub una non conferatur, definivit Concilium Trid. ſeſſ. 21. c. 3. & patet ex dictis, idque concedunt Theologi, contra quos hic diſputamus. Quæſtio ergo eſt tantum, an non conferatur major gratia, licet non neceſſaria ad ſalutem.

Dico (*Hic n. 12. ad 3. & opuſc. de ſac. alt. c. 29.*) Per ſe loquendo major gratia non confertur communicanti ſub utraque ſpecie, quam ſub una. Eſt communis. Dixi *Per ſe loquendo*: quia ſi in ſumptione ſecundæ ſpeciei intendatur fervor Charitatis, per accidens, & ratione majoris diſpoſitionis, confertur major gratia. Prob. Concluſio. Non confertur major gratia communicanti ſub bina ſpecie, quam communicanti ſub una, ratione ſpecierum; ſpecies enim ex ſe non habent vim cauſandi gratiam, ut jam dictum eſt; non ratione rei contentæ ſub illis, quia totus & integer Chriſtus continetur ſub una, ſicut ſub utraque ſpecie; non ratione ſignificationis, quia quælibet ſpecies ſignificat concomitanter totum Chriſtum; non tandem ratione modi ſignificandi, quia effectus Sacramentalis attenditur equidem ſecundum ſignificationem, ſed non ſecundum modum ſignificandi, alioqui majorem gratiam inferret immerſio in Baptiſmo, quam infuſio aut aſperſio, majorem trina immerſio, quam una, nam aliter & expreſſius ſignificat ſepulturam Chriſti immerſio quam infuſio aut aſperſio, & expreſſius adhuc trina immerſio quam una. Ergo ex nullo capite confertur major gratia communicanti ſub bina ſpecie quam ſub una.

Obj. Alius eſt effectus cibi, alius potus. Ergo. R. 1. In refectione Spirituali non attendi diſcrimen inter potum & cibum, eadem enim res ſpiritualiter nutrit & refrigerat, quæ ſunt effectus cibi & potus. 2. In hoc Sacramento potus continetur in cibo, & cibus in potu, ſicut in humanis lac eſt infanti ſimul cibus & potus.

Inſt. 1. Qui bis recipit Chriſtum, plus gratiæ recipit, quam qui ſemel tantum. Atqui qui communicat ſub duplici ſpecie, bis recipit Chriſtum. Ergo. R. D. Maj. Qui bis recipit Chriſtum in ordine ad diverſam refectionem, plus recipit gratiæ, &c. C. in ordine ad eandem refectionem, N. alias qui ſumeret plures hoſtias, aut hoſtiæ partes in eadem communione, vel Calicem pluribus hauſtibus, plus reciperet gratiæ, quam qui unam tantum hoſtiam, aut Calicem uno hauſtu ſumeret.

Repones Diſparitatem eſſe, quod plures hoſtiæ ſint ejuſdem rationis, ſimiliter plures hauſtus Calicis, ſpecies vero panis & vini ſint diverſæ rationis. Ergo. R. D. Ant. Species panis & vini ſunt diverſæ rationis in ratione ſigni, C. ex parte rei ſignificatæ, N. Eſt enim utrobique eadem res ſignificata, effectus autem attenditur ex parte rei ſignificatæ,

In-

Inferes. Ergo qui ſumpſiſſet ſolam ſpeciem panis in triduo mortis, minorem gratiam recipiſſet, quam ſi utramque; quia tunc res ſignificata non erat eadem in utraque ſpecie, cum corpus mortuum eſſet tunc a ſanguine ſeparatum. Subſumo. Atqui Euchariſtia non eſt modo majoris efficaciæ, quam erat tunc. Ergo. R. 1. Data illatione, nihil ſequi contra Concluſionem noſtram, quæ eſt de Euchariſtia ſecundum præſentem ſtatum. Cum autem ſubſumitur non eſſe nunc majoris efficaciæ, quam tunc, verum eſt, ſi totum, quod nunc ſumitur, ſcilicet corpus & ſanguis, tunc ſumeretur; at cum tunc corpus eſſet ſeparatum a ſanguine, totum non potuiſſet ſumi, niſi ſumendo utramque ſpeciem. 2. Quibuſdam videtur neganda eſſe illationem, quia cum divinitas, quæ eſt cauſa principalis gratiæ, ſemper eſſet hypoſtatica unita corpori, arbitrantur, quod tunc tantam gratiam cauſaret unius ſpeciei ſumptio, quam duplicis.

Urgebis. Si eadem gratia in ſumptione utriuſque ſpeciei confertur, confertur in prima vel ſecunda ſumptione; non in prima, alias ſecunda ſuperflueret; non in ſecunda, alias Sacerdos moriens poſt primam ſumptionem gratia Sacramenti privaretur. Ergo. R. quamvis non ſit omnino certum, quando gratia conferatur, probabilius eſt tamen conferri ad ſumptionem primæ ſpeciei, ſicut accideret, ſi quis partes hoſtiæ diviſæ ſucceſſive ſumeret; quia ſubjecto bene diſpoſito, non videtur ratio, cur differatur effectus; iſtæ enim duæ ſumptiones conſtituunt unum Sacramentum, quod ad inſtar cauſæ naturalis operatur per aliquid ſui, cum primum poteſt, & alioquin ſequeretur inconveniens, de quo in inſtantia. Neque tamen inutiliter ſumitur ſecunda ſpecies, quia id exigit perfectio Sacrificii, & poteſt per accidens cauſare majorem gratiam, ſi ſubjectum ſit melius diſpoſitum.

Inſiſtes. Referunt Hiſtoriæ Clementem VI. an. 1341. conceſſiſſe Regi Galliæ Communionem ſub utraque ſpecie *Ad gratiæ augmentum*. Ergo. R. hanc conceſſionem eſſe admodum ſuſpectæ fidei. 1. Quidam referunt factam Regi Galliæ, alii Regi Angliæ. Clemens VI. electus eſt Pontifex an. 1342. & hæc conceſſio dicitur facta an. 1341. 2. Clemens VI. floruit ante Concilium Conſtantienſe, in quo primum lege generali lata uſus Calicis fuit prohibitus. 3. Data veritate hujus conceſſionis, intelligendum eſt augmentum gratiæ non ex opere operato, ſed ex opere operantis, & ratione majoris diſpoſitionis, quam uſus Calicis, utpote magis expreſſivus Paſſionis Chriſti, natus erat cauſare, præſertim in eo, qui ex majori devotionis affectu hanc licentiam poſtulabat.

Dices. S. Th. ſupra quæſt. 74. a. 1. dicit ex Ambroſiaſtro corpus Chriſti ſub ſpecie panis dari pro ſalute corporis, & ſanguinem ſub ſpecie vini pro ſalute animæ; unde canit Eccleſia ex ipſo: *Quibus ſub bina ſpecie carnem dedit & ſanguinem, ut duplicis ſubſtantiæ totum cibaret hominem*. Ergo utriuſque effectus ſunt diverſi. R. hæc eſſe dicta per accommodationem ſeu appropriationem, propter ſimilitudinem corporis ad corpus, & proportionem, ſeu affinitatem ſanguinis ad animam; ſicut enim eſt principium vitæ, ita aliquo modo ſanguis: quamvis alioquin corpus valeat pro ſalute animæ, & ſanguis pro ſalute corporis. Sic in divinis per appropriationem omnipotentia tribuitur Patri, ſapientia Filio, bonitas Spiritui S. quamvis hæc attributa ſint tribus perſonis communia.

ARTICULUS III.

Quibus ſit exhibenda, quibus deneganda Communio Sacramentalis.

POSTQUAM vidimus de neceſſitate & obligatione Communionis Sacramentalis, quærimus de ejus ſubjecto, quibus ſcilicet debeat dari, vel denegari? Et quæſtio eſt 1. De non baptizatis. 2. De peccatoribus. 3. De infantibus. 4. De amentibus. 5. De energumenis. 6. De damnatis ad mortem. 7. De pœnitentibus in mortis articulo. 8. De mortuis. Pro quarum quæſtionum reſolutione

Dico 1. Non eſt exhibenda Communio ſacramentalis non baptizatis; quia nemo cenſetur hujus Sacramenti capax qui non ſit ingreſſus Eccleſiam, & factus exterius ejus membrum, quod ſit per Baptiſmum. Unde non legimus Communionem unquam fuiſſe exhibitam Catechumenis, quamvis charitate, ſeu virtute perfectis.

Dico 2. (*Hic q. 80. a. 6. o.*) Peccatoribus publicis evidentia facti vel juris, ſive publice, ſive occulte petant, deneganda eſt Communio ſacramentalis extra mortis articulum. Peccatoribus occultis publice petentibus eſt danda, ex facto Chriſti erga Judam, & propter tranquillitatem Eccleſiæ, & Reipublicæ: occulte petentibus deneganda. Hanc Concluſionem pro meritis expendimus in Tract. de Sacram. in genere Diſſert. 6. a. 2. quo Lectorem remitto, ne eadem tædioſe repetam. Unum aut alterum duntaxat addam. 1. Peccator publicus, cui deneganda eſt communio, dicitur, non is præciſe, cujus peccatum eſt aut fuit publicum, ſed alio duplici ſenſu. 1. Is cujus ſtatus peccaminoſus eſt publicus, id eſt de quo moraliter notorium eſt, quod ſit in ſtatu peccati, puta quia pergit in crimine vel nulla apparet aut præſumitur pœnitentia. 2. Modo dicitur peccator publicus in ordine ad privationem communionis is, qui licet legitime confeſſus & juſtificatus nondum tamen ſic vitam emendavit, ut ſcandalum publicum ex enormitate & infamia criminum ſecutum reparaverit. Hi ſunt, qui referuntur in Ritualibus, ut in Rituali Romano, *Excommunicati, interdicti, manifeſtique infames, ut Meretrices, Concubinarii, Fœneratores, Magi, Sortilegi, Blaſphemi, & alii ejus generis peccatores*. Propter alia igitur peccata communia, etſi publica, non eſt deneganda communio, ſaltem inconſulto Epiſcopo; quia per Confeſſionem, imo & ipſam Communionem, reparatur ſcandalum ex his peccatis communibus ſequi natum; atque hæc eſt praxis communis. Alterum eſt, quod Peccatori publico in uno loco probabilius deneganda ſit communio petenti in alio loco, in quo non eſt publicus, ſi tamen facile poſſet probari ejus crimen ex loco, ubi publicum eſt, quia in hac hypotheſi non currit pro illo ratio, ob quam diximus poſſe dari peccatori occulto, nimirum turbatio Eccleſiæ & Reipublicæ ex impotentia probandi crimen occultum. Vide loco cit. Neque refert, quod iſte habeat jus ad famam in eo loco, ubi ejus crimen non eſt publicum, quia non habet jus, ut eam per novum ſacrilegium conſervet. Unde ſibi imputet.

Dico 3. Infantibus olim quibuſdam locis exhibita fuit Euchariſtia, non ex neceſſitate ſalutis, ſed ob probabiles rationes, ut diximus a. 1. hujus *Diſſert.* §. 1. ex Concilio Trid. puta ad augmentum gratiæ cujus ſunt capaces Infantes baptizati, & qua confortabantur in Adoleſcentia contra perſecutiones tunc frequentes: item ut abſtraherentur ab Idolorum Sacrificiis, in quibus pars Idolothytorum etiam Infantibus diſtribuebatur. At nunc (*Ib. a. 6. o.*) conſuetudine contraria Eccleſiæ Occidentalis vim legis habente non licet amplius Euchariſtiam Infantibus dare. Adducta eſt autem Eccleſia, ut antiquum uſum abrogaret, partim propter reverentiam tanto Sacramento debitam, quam utilitati parvulorum, in re non neceſſaria ad ſalutem, prætulit; vix enim aut ne vix Infantes poſſunt Euchariſtiam ſuſcipere ſine periculo irreverentiæ; partim quia neſciunt, quid faciunt, & carent devotione; partim ut penitus convelleretur ſententia illorum, qui contendebant Infantes baptizatos ſine ſacramentali Euchariſtiæ perceptione juxta SS. Patres ſalvari non poſſe. Dixi *Eccleſiæ Occidentalis*: Quia Orientales, ut fertur, antiquum morem adhuc retinent. Neque tamen ideo ſunt abſolute damnandi, cum id ad diſciplinam, quæ variabilis eſt, pertinet.

Dico 4. (*Ibid. o.*) Amentibus, qui nunquam habuerunt uſum rationis, pariter neganda eſt communio; eſt enim eadem ratio de illis ac de Infantibus: iis vero, qui aliquando fuerunt ſui compotes, ſi tunc apparuit in eis aliqua devotio hujus Sacramenti, ſaltem in hoc quod chriſtiane vixerint, debet in articulo mortis hoc Sacramentum exhiberi, niſi ſit periculum vomitus aut exputionis alteriuſve irreverentiæ. Ita decernitur in Concilio Carthag. 4. Can. 7. Refertur *cap. Is qui* 26. q. 6. o. in Concilio Arauſicano 1. Con. 3. & in Catech. Romano num. 49. (*Ib.*) Quantum ad ſemifatuos, ſi valeant diſtinguere hunc cæleſtem cibum a profano, debet ipſis exhiberi in articulo mortis & in Paſchate tantum. Item dicendum de ſurdis & mutis a nativitate, ſi per ſigna vel nutus oſtendant dolorem de peccatis & diſcretionem inter hunc cibum & profanum.

Dico 5. (*Ibid. ad* 2.) Energumenis, dum ſunt ſui compotes, exhibenda eſt communio, non ſolum in articulo mortis & in Paſchate, ſed etiam aliis temporibus juxta judicium prudentis Confeſſarii. Quamvis aliquando in quibuſdam Eccleſiis arcerentur a ſacra menſa, ut conſtat ex l. 8. conſtitut. Apoſtol. c. 7. & ex antiquis liturgiis, ſecundum quas Diaconus, poſt exitum Catechumenorum, clamabat: *Exite Energumeni*, non tamen ubique, nec diu iſte mos viguit; contrarium enim præſcribitur can. 14. Concilii Arauſ. 1. Idem legimus in collat. Caſſ. collatione 7. cap. 29. apud Aug. l. 12. de civit. c. 8. & S. Proſper. lib. de prædict. & promiſſ. Dei c. 6. Hanc rationem profert Caſſianus: *Magis namque*, inquit, *ac magis inimicus inſultabit obſeſſo, cum eum a cæleſti medicina viderit ſegregatum, tantoque dirius & frequentius attentabit, quanto eum a ſpirituali remedio longius ſenſerit abdicatum*.

Dico 6. Praxis denegandi Euchariſtiam damnatis ad extremum ſupplicium olim viguit in Hiſpania, ut refert Soto, ſed eam nunc exoleviſſe ſcribit Sylvius hic q. 80. a. 6. quæſtio 2. ſub finem, cui contrarium falſo affingit Gaſpar Juenin. Viget adhuc nunc in Gallia. At magis probanda videtur praxis contraria; hæc namque ſancitur in Jure 2. p. Decreti cauſa 13. q. 2. cap. *Quæſitum* 30. In Concilio Moguntino an. 847. Can. 80. ubi non eſt

quæſtio de abſolutione a peccatis, ut prætendit Juenin, ſed de communione, quam appellat *Eucharistiam & Communionem Viatici*. In Tiburienſi, ubi laudatur Canon 12. Concilii Nicæni. In conſtitutione 91. S. Pii V. & ne extra Galliam excurramus, in Concilio Rhemenſi an. 830. ſtatuto 11. ubi dicitur: *Cur ad mortem condemnatis renuitur Eucharistia, cum iis maxime conducat ad ſpem & ſecuramen certi deceſſus & præſentis agonis*. Suffragantur conſenſus aliarum Nationum eandem praxim obſervantium, Edicta Belgica art. 10. & Conſtitutio Caroli V. His adde præceptum divinum de ſumendo Viatico in morte, a quo non videntur ſufficienter eximere rationes Juenin.

Dicit namque 1. damnatos ad mortem non amore juſtitiæ, ſed timore pœnæ crimina ſua plerumque deteſtari. 2. Reos extremo ſupplicio afficiendos eſſe exanimatos, nec poſſe diſtinguere inter hunc ſacrum cibum & profanum. 3. Injuriam irrogari Chriſto, quod corpus, in quod intravit, eodem die Tortoria manu cum ignominia tractetur. Ad 1. R. deteſtationem criminum nihil conferre ad declinandam ſupplicii pœnam, ideo non timore pœnæ dicendi ſunt Pœnitentes. Sed ita ſit: nihil vetat Deum timore perculſis infundere gratiam contritionis. Ad 2. noſtra ſententia ſupponit reos eſſe ſui compotes, quales revera ſunt plerumque, cum admittantur ad Confeſſionem ſacramentalem. Ad 3. Species in ſtomacho brevi corrumpuntur; unde corpori Chriſti nulla irrogatur injuria. In quibuſdam tamen Provinciis non afficiuntur ſupplicio niſi die ſequenti communionem.

Dico 7. Peccantibus in ultimo tantum pœnitentibus non eſt deneganda communio. Sequitur ex præcedenti, & prob. ex Concilio Nicæno 1. Generali Can. 18. ex Carthag. 4. an. 398 Can. 76. ubi legitur de illo, qui reconciliationem petit in infirmitate: *Si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori ejus Eucharistia*. Ex Concilio Agathenſi an. 506. Can. 15. ubi habetur: *Viaticum omnibus in morte poſitis non negandum*. Ex Concilio Arauſ. 1. Can. 3. Ex Innocentio I. Ep. 1. ad Exuperium. Ex Innocentio III. cap. *Quod in te* l. 5. Decretal. tit. 38. de pœnit. & remiſſ. Equidem fateor contrariam praxim aliquando fuiſſe obſervatam in Africa & Hiſpania; at fuit quarumdam Eccleſiarum tantum, nec conſtans nec diuturna. *Obſervatio prior*, inquit Innocentius I. citatus, *durior; poſterior, interveniente miſericordia, inclinatior*.

Dico 8. Abuſum dandi Euchariſtiam mortuis reprobavit Concilium Carthag. 3. an. 379. Can. 6 his verbis: *Placuit ut corporibus defunctorum Eucharistia non detur. Dictum eſt a Domino, accipite & edite, cadavera autem nec accipere poſſunt nec edere*. Item Concilium Trullan. Can. 83. & Antiſiodorenſe in Gallia an. 578. Can. 12. Emanavit verſimiliter iſte abuſus ex ſimplicitate fidelium, qui exiſtimabant ſe poſſe ſatisfieri præcepto de ſumendo Viatico; & id eſſe mortuis aliquod ſalutis ſubſidium. Inolevit parte alter uſus apponendi ſupra pectus mortuorum hoſtiam conſecratam, quacum inhumabantur, quod factum legimus a S. Baſilio in ejus vita apud Amphilochium, & a S. Benedicto ergo corpus Monachi defuncti, quod e ſepulchro ejectum inventum fuerat, apud S. Greg. l. 2. Dialog. c. 24 Hunc uſum originem duxiſſe ex cauſis ſequentibus conjiciunt Auctores. 1. Ne corpora mortuorum rejicerentur e ſepulchris, ut contigerat Monacho S. Benedicti. 2. Ne in corpora defunctorum deſævirent Dæmones. 3. Ut hoc ritu averterentur fideles a ſuperſtitione Gentilium, qui mortuis obolum imponebant ſolvendum vectori Acherontis.

ARTICULUS IV.

De diſpoſitionibus requiſitis ad percipiendam Communionem Sacramentalem.

QUÆDAM ſe tenent ex parte animæ, quædam ex parte corporis.

§. I. *Diſpoſitiones requiſitæ ex parte animæ.*

DICO 1. (*Ibid.* n. 6.) Cum Euchariſtia ſit Sacramentum vivorum, ſupponit in recipiente ſtatum gratiæ ſaltem prudenter exiſtimatum. Unde qui cum conſcientia peccati mortalis illud recipit, grave peccatum ſacrilegii committit: 1. quia juxta Apoſt. 1. Cor. 11. *Qui manducat indigne, judicium*, id eſt condemnationem, *ſibi manducat non dijudicans corpus Domini*. Item fit *reus corporis & ſanguinis Domini*, quaſi ipſum rurſus crucifigeret. 2. Quia quicumque hoc Sacramentum ſuſcipit, ex hoc ipſo ſignificat ſe eſſe per charitatem Chriſto unitum, & ejus membris incorporatum. Ergo qui cum conſcientia peccati mortalis hoc Sacramentum ſuſcipit, falſitatem committit in re maxima.

Dico 2. Nullus ſibi conſcius peccati mortalis, quantumvis ſe contritum exiſtimet, debet abſque præmiſſa ſacramentali confeſſione ad ſacram Euchariſtiam accedere, niſi deſit illi copia Confeſſarii, & urgeat neceſſitas communicandi. Quod ſi urgente neceſſitate Sacerdos abſque prævia Confeſſione celebraverit, quamprimum confiteatur. Ita in terminis Concilium Trid. ſeſſ. 13. cap. 7. & iterum ſic Can. 11. *Statuit, atque declarat ipſa ſancta Synodus, illis, quos conſcientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam ſe contritos exiſtiment, habita copia Confeſſoris neceſſario præmittendam eſſe Confeſſionem ſacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter aſſerere, ſeu etiam publice diſputando defendere præſumpſerit, eo ipſo excommunicatus exiſtat*. Fundatur hæc obligatio in illo Apoſt. 1. Cor. 11. *Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat & de Calice bibat*. Hanc autem probationem *Conſuetudo Eccleſiaſtica*, inquit Trid. cap. 7. cit. ſemper intellexit ſacramentalem Confeſſionem. Neque refert, quod ad alia Sacramenta vivorum ſuſcipienda non requiratur neceſſario Confeſſio ſacramentalis, ſed ſufficiat contritio, quia iſtud Sacramentum, cum ipſum Chriſtum Deum & hominem contineat, digniorem diſpoſitionem & majorem reverentiam, quam cætera, requirit. Hinc

Colliges 1. Hoc præceptum probabilius non eſſe tantum Eccleſiaſticum, aut Apoſtolicum, ſed etiam divinum; quia Apoſtolus prius dixerat: *Ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis*. Inter alia autem tradidit hoc præceptum. Et quamvis aliqui arbitrentur hæc verba: *Ego enim accepi, &c.* afficere tantum inſtitutionem hujus præcepti, quam refert, non præceptum ſe probandi, quod ſtatuit, probabilius tamen videtur, quod afficiant etiam hoc præceptum; quia Apoſtolus ibi redarguit Corinthios, quod illud non ſervarent. Ergo jam erat poſitum. Veriſimile eſt tamen Græcos ante Concilium Florent. hoc præceptum non apprehendiſſe ut divinum, ſi quidem eorum Sacerdotes non præmittebant Confeſſionem ſacramentalem ante celebrationem, ut illis exprobravit Eugenius IV. in Concilio. Colliges 2. Dubitantem, an ſit reus peccati mortalis, teneri præmittere Confeſſionem, quia in dubio tutius eſt eligendum. Et hic eſt ſenſus communis Doctorum & praxis communis fidelium. Colliges 3. Eum, qui poſt Confeſſionem legitime factam recordatur ante Communionem peccati mortalis non confeſſi, probabilius teneri illud confiteri, antequam communicet: quia licet ſit indirecte remiſſum cum aliis, non eſt tamen confeſſum; eſt autem præceptum confitendi omnia mortalia. Unde hoc peccatum omiſſum non eſt remiſſum, niſi ſub aliquo onere, ſcilicet illud confitendi poſtea, ſi redeat in mentem. Si dicas ipſum ſe probaſſe per Confeſſionem: equidem ſe probavit, ſed inſufficienter, quia probatio requirit Confeſſionem omnium peccatorum mortalium, quæ occurrunt memoriæ ante Communionem. Non diffiteor tamen oppoſitam ſententiam eſſe probabilem, hac potiſſimum ratione, quod ipſe ſit in gratia, & de hoc æque certus ſit, ac ſi hoc peccatum confeſſus fuiſſet; ad nihil autem aliud requiritur Confeſſio ante Communionem, ſi quidem obligatio confitendi proveniat ex natura Pœnitentiæ, non Euchariſtiæ, quæ ſecundum ſe non requirit, niſi ſtatum gratiæ. Sicque videtur, quod verba Tridentini dicentis accuſanda eſſe omnia peccata pro tunc quorum conſcientia habetur, ſint intelligenda de peccatis, quæ nec ſunt indirecte remiſſa. Cæterum cum prima ſententia ſit communior & tutior, iſque ſit ſenſus communis fidelium, qui ſi recordentur alicujus peccati omiſſi in Confeſſione, ſolent redire ad Confeſſarium ante Communionem, ab hac pravi nullatenus ſunt vocandi.

Colliges 4. Ex verbis Tridentini licitum eſſe communicare cum ſola contritione, abſque præmiſſa Confeſſione ſacramentali, quando hæc duo ſimul occurrunt, defectus Confeſſarii, & neceſſitas communicandi. Sed difficultas eſt, quandonam cenſetur deeſſe copia Confeſſarii, & adeſſe neceſſitas communicandi. Quantum ad copiam Confeſſarii cenſetur deeſſe 1. Quando non adeſt præſens Confeſſarius, & ita diſtat, ut adiri non poſſit ſine gravi incommodo, propter vel longiorem diſtantiam, vel difficultatem aut periculum viarum, vel infirmam valetudinem, vel aeris intemperiem, aut quia inſtat hora celebrandi, nec poteſt Sacrum ſine nota differri. 2. Si adſit Confeſſarius, ſed vel non eſt approbatus pro hac Diœceſi, vel eſt ſurdus aut mutus, vel non vult audire, vel Confeſſio ipſi fieri non poteſt ſine interprete. 3. Si ex Confeſſione alicujus peccati præſenti Confeſſario immineat grave damnum, puta fractio ſigilli, graves inimicitiæ, & quidquid excuſat ab integritate materiali Confeſſionis; quo caſu communicaturus, ſi hoc ſolum peccatum mortale habeat, non tenetur confiteri, ſi alia mortalia habeat, hæc confiteri debet, omiſſo illo, ex quo timet damnum, illud alteri poſtea confeſſurus. Idem multi cenſent, quando adeſt Confeſſarius communis non admiſſus ad reſervata, & communicaturus habeat reſervatum, quod tamen alii negant propter defectum juriſdictionis in Confeſſario, qui juxta Trid.

Digitized by Google

Trid. nihil poteſt in reſervata; unde dicunt communicaturum in hoc caſu debere ſe gerere, ac ſi non adeſſet Confeſſarius, de qua difficultate ſpecialius dicam dum de Confeſſione. Non cenſetur autem deeſſe copia Confeſſarii ſi abſente tuo ordinario alter adſit, vel ſi tibi Regulari deſit Confeſſarius tui Ordinis præſente altero, cui tibi extra Conventum licitum eſt confiteri.

Quantum ad neceſſitatem, Cenſetur adeſſe neceſſitas celebrandi, 1. ſi alioquin vel ipſe Sacerdos, vel alter eſſet moriturus ſine Viatico; quia licet non ſit ſimpliciter neceſſarium, eſt tamen admodum utile in exitu, in quo inſuper urget Præceptum divinum de Communione. 2. Quando Parochus debet die Feſto celebrare, nec poteſt habere alium, qui ejus vices ſuppleat, idem dic de vices ejus gerente. An autem id etiam ſit dicendum de eo, qui non ex officio, ſed ex charitate tantum tenetur celebrare? Multi negant, quia populus non habet jus exigendi ab eo Miſſam, & ſic eam omittendo nullum jus violatur. Si tamen attendatur bonum ſpirituale communitatis, aut plurium, & maxime quod nullo Sacerdote celebrante in die Feſto natum ſit ſequi grave ſcandalum, non auderem damnare, qui ex his motivis celebraret Confeſſione non præmiſſa. Non tamen ſequitur inde, quod idem vel Paſtor poſſit celebrare, ne ipſe privetur Miſſa in die Feſto, non enim currunt eædem rationes. Neque etiam, ſaltem probabilius, ut ipſe vel Parochianus faciat Communionem Paſchalem, quippe quæ propter varias alias rationes poteſt differri. 3. Eſt neceſſitas, quando celebratio vel Communio omitti non poteſt ſine ſcandalo aut gravi nota. Caſus proponitur communiter: ſi communicaturus aut celebraturus recordetur peccati mortalis non confeſſi, & communicaturus jam acceſſerit ad ſacram menſam, celebraturus aſcenderit Altare, aut debeat celebrare hodie pro defuncto præſenti, aut Miſſam ad certam diem hebdomanæ renuntiaverit: hos caſus ut plurimum admittimus, quia ut plurimum in his non poteſt omitti Miſſa aut Communio ſine ſcandalo & gravi nota. Si tamen his ſeclusis poſſet præmitti Confeſſio, puta ſi Sacerdos poſſet ex honeſto prætexto remittere Miſſam in alteram diem, ſi ante Conſecrationem poſſet ſecreto confiteri uni ex ſuis Miniſtris, ad id teneretur. Dico ante Conſecrationem, quia poſt Conſecrationem non debet interrumpi Sacrificium.

Dices 1. In his caſibus Sacerdos non poteſt celebrare ſine veſtibus ſacris. Ergo ſimiliter non confeſſus. 2. In ſecundo caſu præceptum audiendi ſacrum in die Feſto eſt tantum Eccleſiaſticum; præceptum autem præmittendi Confeſſionem celebrationi eſt, ut diximus, probabilius divinum, quod debet præferri Eccleſiaſtico. Ergo. R. ad 1. Diſparitas eſt 1. Quod veſtes ſacræ per nihil aliud poſſint ſuppleri, Confeſſio autem poteſt ſuppleri per contritionem. 2. Senſus communis fidelium ſic intelligit prius præceptum, non poſterius. Ad 2. Eſto præceptum præmittendi Confeſſionem ſit divinum, eſt tamen affirmativum quod non obligat pro ſemper, maxime quando obſervari non poteſt ſine violatione juris alieni, detrimento boni ſpiritualis, ſcandalo & diffamatione.

Dictum eſt in Concluſione ex Concilio Trid. quod *Si Sacerdos conſcius peccati mortalis urgente neceſſitate abſque prævia Confeſſione ob defectum Confeſſarii celebrent, teneatur quamprimum confiteri*; circa quas particulas plura ſunt obſervanda. Obſervandum eſt 1. His verbis contineri non ſimplex conſilium, ut patet ex hac propoſitione damnata ab Alexandro VII. *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti ſacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali, confitendi quam primum, eſt conſilium, non præceptum*. Obſervandum 2. Hoc præceptum ſpectare ſolos Sacerdotes celebrantes, non Laicos aut Sacerdotes more Laicorum communicantes. Patet ex terminis Concilii: *Si Sacerdos abſque prævia Confeſſione celebraverit*: ubi nihil de Laicis aut Sacerdotibus more Laicorum communicantibus. Ratio hujus diſcriminis veriſimiliter fuit, quod iſte caſus propter frequentem neceſſitatem celebrandi ſæpe contingant in celebrantibus, rariſſime in communicantibus. Obſervandum 3. Quod ſi Sacerdos poſt celebratam Miſſam recordetur peccati mortalis, non teneatur vi hujus præcepti, quamprimum confiteri, quia Concilium loquitur tantum de Sacerdote, qui conſcius peccati mortalis celebravit; iſte autem non celebravit conſcius peccati mortalis. Utrum vero, ſi inter celebrandum, ſive ante, ſive poſt Conſecrationem peccati recordetur, teneatur hoc præcepto, dubium eſt: quia ex una parte ille celebrat conſcius peccati mortalis: ex altera parte videtur, quod Concilium loquatur de eo, qui conſcius eſt ante celebrationem; dicit enim *Abſque prævia Confeſſione*, ſcilicet, *prævia* ad actum celebrandi. Tutius ſuadeo.

Obſervandum 4. Quod, quamvis Concilium loquatur tantum de Sacerdote, qui conſcius peccati mortalis ex neceſſitate, non præmiſſa Confeſſione, celebrat; a fortiori eodem præcepto probabilius teneatur, qui abſque neceſſitate, & habita copia Confeſſarii, non præmiſſa Confeſſione ſacrilege celebrant. Si enim id requirat Concilium ab eo, qui neceſſitate compellente celebrat, ne eandem neceſſitatem incurrat, quanto magis ab eo, qui ſine ulla neceſſitate ſacrilege celebrant, ne inde conſuetudinem ſacrilege celebrandi contrahat? Obſervandum 5. To *Quamprimum* non intelligi *quando ſuo tempore confitebitur*, ut patet ex condemnatione hujus propoſitionis ab Alexandro VII. *Illa particula* quamprimum *intelligitur, cum Sacerdos ſuo tempore confitebitur*. Neque etiam intelligitur ſtricte & phyſice, quaſi immediate poſt Miſſam teneatur confiteri; nulla enim actio moralis ſic præcipitur, niſi in præcepto exprimatur; ſed intelligitur moraliter, id eſt poſt unum vel alterum diem, niſi occurrant legitima impedimenta. Officium Paraſceves communius cenſetur a Theologis comprehendi ſub hoc præcepto Trid. quia dicitur communiter celebratio.

Huc uſque dicta ſpectant diſpoſitiones requiſitas, ut quis non indigne accedat ad hoc Sacramentum. Ut autem aſſequatur omnes mirabiles illius effectus, de quibus infra, requiritur inſuper fides viva, quia eſt Myſterium fidei; ſpes firma, quia eſt pignus gratiæ; amor intenſus Dei & proximi, quia eſt Sacramentum charitatis & unitatis; memoria mortis & Paſſionis Domini, quia juſſit id fieri in ſui commemorationem; ac tandem omnium aliarum virtutum apparatus, quia omnium virtutum exemplar continet.

§. II. *Diſpoſitiones ex parte Corporis ſunt duæ, Jejunium & Corporis munditiea.*

J E J U N I U M.

Duplex diſtinguitur Jejunium, Unum Eccleſiaſticum; quod conſiſtit in abſtinentia a certis cibis, & in una tantum refectione. Alterum eſt Jejunium naturæ, quod conſiſtit in abſtinentia ab omni eo quantumvis minimo, quod ſumitur per modum cibi aut potus, ſive nutriat, ſive non nutriat, modo tamen ſit per ſtomachum alterabile & digeſtibile, alioquin poſſet dici Jejunium phyſicum, ſed non naturale.

Dico (*Ib. a. 7. o. & ad 4.*) Jejunium naturale requiritur præcepto Eccleſiaſtico ad Communionem, ita ut ſumptio cujoſcumque rei quamtumvis in minima quantitate per modum cibi aut potus, aut medicinæ poſt mediam noctem arceat ſub peccato mortali a Communione, niſi in certis caſibus exceptis. Ita ſacrorum Canonum auctoritate ſancitum eſt, & univerſali Eccleſiæ conſuetudine receptum, ut declaravit Concilium Conſtatienſe ſeſſ. 13. his verbis: *Sacrorum Canonum auctoritas laudabilis, & approbata conſuetudo Eccleſiæ ſervavit & ſervat, quod hujuſmodi Sacramentum non debeat confici poſt Cœnam, neque a fidelibus non Jejunis niſi in caſu infirmitatis, aut alterius neceſſitatis a jure vel Eccleſia conceſſo vel admiſſo.* Sic equidem ſtatuunt Concilia, Carthag. 3. Can. 3. Trullanum Can. 27. Toletanum 7. an. 646. Can. 2. ubi legitur: *Nullus poſt cibum potumve quamlibet minimum ſumptum, Miſſas faciat.* Sic tradunt SS. Patres; Tertullianus l. 2. ad uxorem c. 5. dicens panem Euchariſticum ſumendum *Ante omnem cibum*. Cyprianus Ep. 63. ad Cæcilium. Baſilius hom. 1. de Jejunio. Chryſoſt. hom. 27. in 1. Cor. Aug. Ep. 18. nunc 54. ad Januar. *Placuit*, inquit, *Spiritui S. ut in honorem tanti Sacramenti in os Chriſtiani prius Dominicum corpus intraret, quam cæteri cibi*, Hujus legis (*Ib.*) plures congruentias affert Auctor. Prima eſt ex Aug. propter reverentiam tanti Sacramenti. Secunda ut detur intelligi, quod Chriſtus (qui eſt res hujus Sacramenti) & charitas ejus debeat primo fundari in cordibus noſtris, ſecundum illud Matth. 6. *Quærite primum Regnum Dei*. Tertium propter periculum vomitus & ebrietatis.

Dices. Chriſtus inſtituit & diſtribuit Euchariſtiam poſt Cœnam. Ergo. R. N. Conſ. Chriſtus enim habuit ſpeciales rationes 1. Secundum Aug. citatum, ut vehementius commendaret Myſterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit arctius infigere cordibus & memoriæ diſcipulorum. 2. Voluit, ut deſineret vetus Paſcha, incipiente novo. Et 3. ut memoriale Paſſionis cum ipſa Paſſione conjungeretur. Quapropter non præcepit, quod deinceps tali ordine ſumeretur, ſed Apoſtolorum & Eccleſiæ diſpoſitioni reliquit modum diſpenſandi. Unde ejus factum non poteſt trahi in exemplo.

Equidem olim in aliquibus Eccleſiis Africanis feria 5. Hebdomadæ ſanctæ ob memoriam Cœnæ Dominicæ, & ad imitationem Chriſti, Sacerdotes poſt Cœnam celebrabant, & fideles communicabant. Verum iſte uſus, quem pro ſua modeſtia non audet condemnare Aug. non fuit univerſalis, nec diuturnus, ſed a Concilio Braccarenſi I. Sæculo 6. vel ut alii volunt, ineunte Sæculo 7. Can. 16. fuit reprobatus, ac tandem conſuetudine contraria obſque abrogatus. Quantum ad *Agapas*, quæ erat convi-

via

via a primis fidelibus in Eccleſia celebrari ſolita, veroſimilius eſt Apoſtolos, & præſertim Paulum 1. Cor. 11. præcepiſſe, ut poſt perceptam Euchariſtiam fierent; ſed & propter abuſus non diu ſubſtiterunt.

Explicatur Concluſio.

Dixi 1. *Poſt mediam noctem:* quia in Eccleſia Romana initium diei naturalis ſumitur a media nocte, ſicque hoc jejunium a media nocte eſt æſtimandum, & ita communi uſu æſtimatur. Unde qui dubitat, an aliquid ſumpſerit poſt mediam noctem, debet tutius ſequendo abſtinere a communione. Si dubium oriatur ex diverſis horologiis diverſo tempore ſonantibus, & unum habeatur communiter ut certa Regula, alterum ut incerta, licet ſequi primum, quia pro illo ſtat præſumptio veritatis, ſecus ſi neutrum alteri prævaleat. Id etiam advertendum, quod probabilius loquendo ad primum ictum campanæ hora duodecima ſit elapſa. Dixi 2. *In quantumvis maxima quantitate*: quia jejunium naturale conſiſtit in indiviſibili; non enim magis eſt jejunus naturaliter, qui parum, quam qui multum manducavit; unde non admittit levitatem materiæ. Aliunde quando levitas materiæ in ipſo præcepto exprimitur, ut in præſenti, levis materia non excuſat. Qui ergo micam panis, aut guttulam vini alteriuſve liquoris deliberate per modum cibi aut potus ſumpſiſſet, peccaret mortaliter communicando. Dixi 3. *Per modum cibi aut potus*: ad quod requiritur, quod ab extrinſeco intromittatur per os in ſtomachum, ſitque ab eo alterabile, & digeſtibile, etiamſi forte non nutriat. Sic enim communi hominum ſenſu intelligitur aliquid ſumi per modum cibi aut potus, non vero quod ſumitur per modum reſpirationis aut ſalivæ.

Hinc inferes 1. (*Ib. ad.* 4.) Quod qui caſualiter deglutiret pulverem, fumum, muſcam, guttulam aquæ, vini, juſculi immixtam ſalivæ, ſive os lavando, ſive incedendo tempore pluvioſo, ſive guſtando vinum aut juſculum & ſtatim expuendo, item guttulam ſudoris ex facie, aut ſanguinis ex naribus ſimiliter immixtam ſalivæ, non frangeret jejunium naturale, quia hæc ſumitur per modum reſpirationis aut ſalivæ, non per modum cibi aut potus. Idem dicendum de ſanguine, aut alio humore defluenta ex capite aut dentibus, quia non ab extrinſeco ſumitur; ſecus de eo, qui propriam urinam biberet, aut de fœmina, quæ proprium lac ſugeret; quia ab extrinſeco per modum potus ſumerentur. Inferes 2. Aurum, argentum, ſtannum, plumbum, ferrum, & ſimilia intro ſumpta probabilius non frangere jejunium naturæ, quia cum ſint inalterabilia per ſtomachum, ſed indigeſta ejiciantur non cenſentur ſumpta per modum cibi aut potus, nec ideo frangere jejunium naturale, ſed phyſicum tantum: ſecus de carta, terra, carbonibus; hæc enim ſunt digeſtibilia. Inferes 3. eum frangere jejunium naturale, qui ſaccarum decumbendo ori impoſitum poſt mediam noctem etiamſi dormiens, deglutiret; quia cum in hunc finem ori impoſuerit, ut ſenſim deglutiretur, cenſetur moraliter loquendo continuata comeſtio, donec totaliter ſit deglutitum. (*Ibid. ad* 4.) Secus de reliquiis Cœnæ præcedentis in ore remanentibus, quæ ſi caſualiter deglutiantur, non frangunt jejunium naturale, quia cum moraliter loquendo ſit abſoluta comeſtio in Cœna, non cenſentur comedi per modum cibi, ſed ſorberi per modum ſalivæ. Dixi *Caſualiter*, quia ſic loquitur Auctor, per quod innuit quod ſi advertenter ſumantur, frangunt jejunium. Scio quoſdam interpretari S. Th. de reliquiis, quæ ex ore extraherentur, & iterum ſumerentur, ut quandoque contingit, dum dentes calamo mundantur: ſed id non liquet; unde ſi advertantur, expuantur: ſin, tutius erit abſtinere a Communione.

Inferes 4. Folia aut pulveres tabaci per naſum aſſumpti, licet aliquid incidenter trajiciatur in ſtomachum, non frangere jejunium naturale, quia cum non ſumantur per os, id, quod trajicitur in ſtomachum, non poteſt cenſeri ſumptum per modum cibi aut potus, ſed per modum reſpirationis aut ſalivæ. Si dicas id ſaltem videri æque indecens ac ſumptio cibi aut potus, R. neque in ſumptione cibi aut potus ullam aliam eſſe indecentiam, quam quæ provenit ex prohibitione Eccleſiæ, non enim Apoſtoli indecenter communicarunt cœnati. Quamvis ergo poſſit eſſe indecentia in modo ſordido ſumendi tabacum per nares, non videtur tamen ipſa ſumptio ſecundum ſe indecens nulla lege prohibente. Circumferuntur quidem duo Concilia Americana, quæ dicuntur prohibuiſſe ſumptionem cujuſvis tabaci ante Communionem, ſed non habent vim in his partibus. De tabaco fumigato idem probabilius videtur dicendum; quia totus fumus a fumigante ſolet emitti per os aut nares, & ſi quid leve deglutiatur, id fit pariter per modum reſpirationis aut ſalivæ; eſt tamen propter fœtorem indecens. Quantum ad tabacum maſticatum major eſt controverſia inter Auctores. Quidam affirmant eo frangi jejunium; quia maſticatio eſt actio de ſe ordinata ad manducationem, nec aliud requiritur, ut ſit completa manducatio, quam intro ſumptio, quæ ſequitur ordinarie, & in ſat magna quantitate ſucculentiorum. Alii negant, quia iſta maſticatio nullatenus ordinatur ad intro ſumptionem, cum habeat completum effectum agendo in ore, falſumque reputant, quod ordinarie plures partes ſucculentiores intro ſumantur, etiam minutæ cum ſaliva, cum id maxime caveant maſticantes propter acrem, & ingratum ſaporem. Quod ſi quid leve permixtum ſalivæ deglutiatur, perinde erit ac de aqua vel vino, quod ex lotione oris, aut deguſtatione vini ſalivæ permixtum deglutitur. Ita inter plures noviſſime Pontas verbo *Meſſe*. caſ. 6. id videtur mihi probabilius. Quia tamen iſte modus utendi tabaco eſt ſordidus & indecens, convenit ab eo abſtinere ante Communionem.

Petes, utrum non ſit etiam præceptum manere aliquandiu jejunus poſt ſumptionem Euchariſtiæ? R. (*Ibid. ad* 6.) a Papa Clemente olim ſtatutum fuiſſe, ut ſumpta mane Euchariſtia jejunium ſervaretur uſque ad ſextam; ſumpta vero hora tertia vel quarta ſervaretur uſque ad veſperam; ſed quia nunc oportet frequentius quam tunc divina Myſteria celebrare, id non poſſet de facile obſervari, & ideo per contrariam conſuetudinem abrogatum eſt. Debet tamen ex decentia eſſe aliqua mora inter ſumptionem hujus Sacramenti, & alios cibos; unde in Miſſa Orationes & gratiarum actiones poſt Communionem dicuntur, & communicantes etiam ſuas privatas Orationes dicunt. Nihil ultra requiritur Auctor.

Dixi 4. *Niſi in certis caſibus exceptis*. Primus eſt infirmitas ad mortem, per quam intelligitur periculum mortis, ſive naturalis, ſive violentæ. Si periculum non inſtaret debet differri Communio in ſequentem diem, ut infirmus jejunus Viaticum ſumeret, attamen hoc ipſo, quo morbus eſt periculoſus, non eſt ſcrupuloſe differenda Communio, nec cogendus Paſtor, ut poſt mediam noctem afferat, id enim non eſt in uſu; & aliunde ex Concilio Conſtantienſi infirmi eximuntur a præcepto jejunii pro ſuſcipiendo Viatico. Durante autem infirmitate & periculo mortis, poterit adhuc poſt ſex aut ſeptem dies non jejunus Euchariſtiam ſumere, non per modum Viatici, quod ſemel tantum in eadem infirmitate ſumitur, ſed ex devotione, ſic mentem benignæ Matris Eccleſiæ in his filiorum ſuorum anguſtiis interpretantur communiter Theologi: & quod dicit Rituale Romanum infirmos communicantes ex devotione debere eſſe jejunos, intelligunt de his qui non infirmantur ad mortem.

Secundus caſus eſt neceſſitas perficiendi Sacrificii. Sic ſi Sacerdos poſt Conſecrationem moriatur, aut non poſſit perficere, alter non jejunus, ſi deſit jejunus, poteſt & debet perficere. Item ſi ſumpto Calice deprehendat non eſſe vinum, debet iterum conſecrare & ſumere. Item ſi poſt Conſecrationem recordetur ſe non eſſe jejunum, debet proſequi; quia præceptum perficiendi Sacrificium præſtat præcepto jejunii. Si vero recordetur ante Conſecrationem, tutius eſſet, inquit Auctor, (*Inf. q.* 8. *a.* 6. *ad* 2.) ab altari recedere. Sic tamen intellige, ſi poſſit recedere abſque ſcandalo aut gravi nota, quod vix aut ne vix poteſt vitari, dum Sacerdos celebrat publice.

Tertius caſus eſt periculum profanationis Euchariſtiæ, ut ſi conculcanda foret ab Hæreticis, devoranda ab animali, comburenda, &c. poſſet ſumi tam a Laico, quam a Sacerdote non jejuno, ſi deſit jejunus: quia quod in reverentiam Sacramenti præſcriptum eſt, cedere non debet in ejus irreverentiam. Quartus caſus: ſi Sacerdos poſt ablutionem adhuc exiſtens in altari reperiat, vel in corporali, vel in mappa, vel in patena, particulas a ſe in eadem Miſſa conſecratas, debet eas ſumere, quia pertinent ad complementum Sacrificii quod jejunus inchoavit; ſecus ſi ab alio, vel a ſe ipſo, ſed in alia Miſſa eſſent conſecratæ, quia tunc non pertinent ad idem Sacrificium. Similiter ſi jam receſſiſſet ab Altari, quia tunc jam eſt completa actio Sacrificii; ſuppono in his ultimis caſibus non eſſe periculum irreverentiæ, ſi ſerventur, alioquin deberet ſumere. Similiter ſi palato vel Calici adhæreat particula hoſtiæ, poteſt aquam vel vinum ſumere, ut eam deglutiat, quod etiam licitum eſt circa infirmum: in his enim caſibus violatio jejunii non cenſetur moraliter præcedere Communionem.

Difficultas reſtat, an Sacerdos non jejunus poſſet celebrare ad communicandum infirmum, alioquin ſine Viatico moriturum? Primo aſpectu videtur quod ſic: quia præceptum de ſumendo Viatico eſt divinum; præceptum vero non celebrandi poſt cibum aſſumptum eſt Eccleſiaſticum tantum, quod debet poſtponi divino. Sic diximus ſupra Sacerdotem non confeſſum poſſe celebrare pro communicando infirmo. Attamen ſententia negativa eſt communis, cujus fundamentum aliud non apparet, quam hunc eſſe communem ſenſum Eccleſiæ, ex qua, cum ſit a Chri-

ſto edocta, colligitur hanc eſſe Chriſti voluntatem, ut præceptum communicandi in hoc caſu non obliget infirmum, ut ſuſcipiat, nec Sacerdotem, ut conficiat. Hanc autem eſſe communem Eccleſiæ ſenſum conſtat, 1. Ex eo quod Concilium Conſtantienſe expreſſe eximat a jejunio infirmos communicaturos, & non eximat Sacerdotes pro infirmis celebraturos. 2. Ex maxima cura, quam adhibet Eccleſia, ut ſerventur hoſtiæ conſecratæ pro infirmis. 3. Ex generali ejus praxi; nullum enim proferri poteſt exemplum Sacerdotem non jejunum celebraſſe pro communicando infirmo. 4. Tandem ex communi Theologorum ſententia; pauciſſimi ſunt enim, qui teneut oppoſitum.

Unde cum dicitur divinum præceptum prævalere Eccleſiaſtico, verum eſt, cum divinus Legiſlator vult illud obſervari, quod non contingit in caſu. Paritas eſt, ſi deſint ſacræ veſtes aut azymus in Eccleſia latina. Ad paritatem de Sacerdote non confeſſo, multiplex eſt diſparitas. 1. Diverſus Eccleſiæ ſenſus. 2. Confeſſio poteſt ſuppleri per contritionem, jejunium per nihil aliud. 3. Nullum ſcandalum, nulla infamia oritur quod Sacerdos dicat ſe aliquid ſumpſiſſe, ſecus ſi diceret ſe commiſiſſe peccatum mortale. Ad alias paritates, ſi quæ opponantur, reſpondendum eſt, in poſitivis, & quæ pendent a voluntate ſive divina, ſive humana, argumenta a paritate eſſe infirma.

Mundities Corporis.

QUæstio eſt de pollutione & actu conjugali; nam mulierum menſtrua, fluxus ſanguinis, lepra & ſimilia non arcent a communione, cum hujuſmodi corporis defectus ſint morbi naturales, qui non magisquam alii impediunt devotionem. Unde Greg. lib. 12. Ep. 31. ad Auguſtinum Anglorum Epiſc. de muliere, quæ fluxum ſanguinis patiens fimbriam veſtimenti Chriſti tetigit, ait: *Fœminis namque & menſtruus ſuis ſanguinis fluxus ægritudo eſt: Si igitur bene præſumpſit, quæ veſtimentum Domini in languorem poſita tetigit: Quod uni perſonæ infirmanti conceditur, cur non concedatur cunctis mulieribus, quæ naturæ ſuæ vitio infirmantur?* Unde ſi uſus contrarius aliquando invaluit, jam abrogatus eſt.

Quantum ad pollutionem, Auctor, (*Hic a. 7. c.*) imprimis ſtatuit principium generale, ſcilicet ſolum peccatum mortale impedire ex neceſſitate perceptionem Euchariſtiæ, ita ſcilicet quod ſumendo ſit reus corporis & ſanguinis Domini. Ex quo infert 1. ſolam pollutionem mortaliter culpabilem ſive in ſe, ſive in ſua cauſa (& quamvis loquatur tantum de nocturna, perinde eſt de diurna) impedire ex neceſſitate communionem. Et ad 2. intelligit de pollutione mortali, quæ non eſt remiſſa per Sacramentalem Confeſſionem. Infert 2. pollutionem venialiter tantum culpabilem, aut etiam inculpabilem non impedire de neceſſitate communionem, ſed ex congruitate tantum & decentia propter duo: 1. propter fœditatem quandam corporalem; niſi forte talis immunditia ſit perpetua vel diuturna, vel cauſata ex ſola nequitia Dæmonis, cujus ſignum eſt, quod ordinarie cauſetur, dum eſt communicandum. 2. Propter evagationem mentis, quæ ſequitur ordinarie pollutionem. Addit tantum in fine corporis, quod hoc impedimentum, quod ex duplici congruitate provenit, poſtponi debeat propter aliquam neceſſitatem, puta, ut S. Gregorius dicit, cum aut feſtus dies exigit, aut exhibere miniſterium, pro eo quod Sacerdos alius deſit, ipſa neceſſitas compellit.

De actu conjugali ibid. ad 2. ſimiliter reſolvit, quod ſi ſit ſine peccato, ut dum fit cauſa prolis generandæ, vel reddendi debiti, impediat communionem ex congruitate tantum & decentia, propter immunditiam corporalem & diſtractionem mentis, ſicut de pollutione dictum eſt. Et hoc ſenſu interpretatur caput *Sciatis*, cauſa 33. q. 4. deſumpta ex Hieron. Ep. 1. ubi dicitur: *Sciatis Fratres chariſſimi, quoniam quicumque uxori debitum reddit, vacare non poteſt orationi, nec de carnibus Agni comedere debet*, ſcilicet ex congruitate & decentia. Unde addit ibid. Hieron. *Scio Romæ hanc eſſe conſuetudinem ut fideles ſemper Chriſti corpus accipiant, quod nec reprehendo, nec probo.* Addit tandem ibid. S. Th. quod ſi non amor procreandæ ſobolis, ſed voluptas dominatur in opere (ut Ep. citata Gregorius ſubdit) tunc prohiberi debet, ne accedat ad hoc Sacramentum: quod intelligi debet, ſicut de pollutione veniali, de majori & ſtrictiori debito congruitatis, quatenus ineſt & major fœditas & major mentis diſtractio, & inſuper peccatum veniale, eo quod amor voluptatis non reformat, nec rectificat actum, quam reformat & rectificat cauſa procreandæ prolis.

Dubium hic movetur, quo ſenſu S. Th. dixit pollutionem ſeu actum conjugalem inculpabilem, aut venialiter tantum culpabilem non impedire de neceſſitate communionem? Utrum hoc ſenſu, quod qui ſic communicat, nullatenus peccet, an quia non peccat mortaliter, licet peccet? Pro 1. ſenſu facit, quod ſi ſic communicando peccaret venialiter, hujuſmodi pollutio impediret de neceſſitate communionem, quia etiam neceſſe eſt vitare peccatum veniale. Unde ad 2. de conjugibus, qui cauſa procreandæ prolis conveniunt, dicit cum S. Gregorio, quod *ſuo judicio ſint relinquendi*, ut communicent vel non communicent, quia impediuntur tantum a communione ſecundum congruentiam, & non ſecundum neceſſitatem; ſi autem peccarent venialiter, non eſſent relinquendi ſuo judicio, nemo enim eſt relinquendus ſuo judicio, ut peccet venialiter. Hæc Sententia non eſt improbabilis. Pro 2. ſenſu, quod ipſe S. Doct. in corpore articuli explicet, *non impedire de neceſſitate* ſic, *ita ſcilicet quod homo ſumendo ſit reus corporis & ſanguinis Domini*, quod importat peccatum mortale. Et in 4. d. 9. q. 1. a. 4. qu. 2. loquens de eo qui ex cogitatione turpium pollutionem paſſus eſt, dicit: *Si expreſſe inveniat conſenſum non præceſſiſſe, & neceſſitas urgeat, aut aliqua cauſa potior reformet actum, poteſt accedere aut etiam celebrare, non obſtante corporali immunditia aut hebetatione mentis. Alias ſi neceſſitas non incumbat* (aut aliqua ratio potior non reformat actum); *videtur non exhibere debitam reverentiam Sacramento, non tamen, ſi celebrat, mortaliter peccat, ſed venialiter.* Ex quibus apparet hanc ſententiam eſſe S. Doctori conformiorem. Eſt etiam communior.

Unde ad 1. fundamentum prioris ſententiæ, quamvis revera neceſſe ſit vitare etiam peccata venialia, non tamen ita hic intelligit S. Th. ſed, ut ipſe ſe explicat, intelligit *non impedire ex neceſſitate* eſſe non impedire ſub reatu peccati mortalis. Ad 2. cum conjugibus cauſa generandæ prolis convenientibus facile poſſint occurrere rationes indecentiam abſtergentes aut compenſantes, relinquendi ſunt ſuo judicio, ut his rationibus attentis non communicent vel communicent abſque peccato veniali. Poſſet etiam objici pro 1. ſententia, Concilium Trid. & Apoſtolum non requirere aliam probationem, quam quod homo careat peccato mortali. Sed reſpondetur Trid. & Apoſtolum ſupponere, quod acceſſus ad Euchariſtiam ſit cum debita reverentia, ſicut cum debito fine. Unde ſicut peccaret venialiter, qui ex vana gloria communicaret, ita & qui cum dicta indecentia. Cæterum, ut jam non ſemel monui ex Auctore, poteſt iſta indecentia abſtergi vel compenſari, ſicque communio ex omni parte reddi licita ex variis cauſis, nimirum ex occaſione alicujus Feſti vel Indulgentiæ, ſpeciali devotione, ex neceſſitate celebrandi vel communicandi, ſive propter obedientiam, ſive ad vitandam notam, aut propter aliquid aliud occurrens. Item ſi pollutio ſit frequens & diuturna, aut cauſata ex aſtutia dæmonis, ut dictum eſt. Item ſi ex inculpabili ſive pollutione ſive actu conjugali non remaneant turpes cogitationes aut mentis evagatio: minima ratio ſufficiet, ut negligatur ſola fœditas corporalis.

Ad corporalem munditiem pertinet decens corporis ornatus, ſcilicet ut viri accedant ſumma cum reverentia in habitu humili & decenti, non ſordido, manibus junctis aut pectori appoſitis & armis depoſitis. Mulieres non ſumptuoſis veſtibus, ſed modeſtis, non intortis crinibus, non facie pigmentis illita, non pectore nudato, aut velo tranſlucido objecto, velamine denſo ſuper faciem ad os uſque demiſſo. Ita S. Carolus p. 2. act. Eccleſiæ Mediol.

ARTICULUS V.

De modo, quo Chriſtus uſus eſt hoc Sacramento. Utrum ipſe ſumpſerit, & ſumendum dederit Corpus & Sanguinem ſuum Judæ?

DIco 1. (*Hic q. 81. a. 1. c.*) Chriſtus ſumpſit corpus & ſanguinem ſuum. Prob. 1. ex Hieronymo, qui Ep. ad Lesbyam ſeu Hedibiam, (refertur de conſec. d. 2. cap. *Nec Moyſes* 87.) dicit: *Dominus Jeſus ipſe conviva & convivium, ipſe comedens & qui comeditur.* 2. Illud Luc. 22. *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum*, ſecundum Tertullianum l. 4. cont. Marcion. c. 4. Chryſoſt. Hom. 83. in Matth. & Auctorem hic ad 3. Chriſtus intellexit Paſcha novum, quod in Sacramento corporis ſui inſtituturus erat. Aut ſi de veteri Paſcha intellectum contendis, non fuit ratio Chriſto illud deſiderandi, niſi quia illi novum erat ſubſtituturus. 3. Si ipſe non ſumpſiſſet corpus & ſanguinem ſuum, periculum erat, ne Diſcipuli ſcandalizarentur, ſicut Capharnaitæ Joan. 6. dum ſimpliciter promittebat eis corpus ſuum ad manducandum & ſanguinem ſuum ad bibendum. Ita arguit Chryſoſtomus. 4. Chriſtus ſolebat facere quod docebat, Ad 1. *Cœpit Jeſus facere & docere.* Unde ipſe prius baptizari voluit, quam Baptiſmum aliis imperare. 5. Tandem Sacrificium inſtituit & celebravit [illegible] ſecundum morem de illo participavit.

Dico 2. (*Ibid. a. 2. c.*) [illegible] dedit Judæ corpus & ſanguinem ſuum. Ita [illegible] non ſolum Scholaſtici cum Auctore, ſed etiam [illegible] excepto uno Hilario. Chryſoſto-

Digitized by Google

ſoſtomus Hom. 46. in Joan. & 83. in Matth. Hieron. l. 2. cont. Jovin. a. 14. Aug. in pluribus locis refertur cauſa 1. q. 1. cap. *Chriſtus*. Cyrillus l. 9. in Joan. Leo Serm. 3. & 7. de Paſſione, & aliis. Colligitur aperte ex Scriptura. Juxta Matth. 26 & Marcum 14. Jeſus diſcumbens cum duodecim & illic cœnantibus accepit panem, benedixit, fregit atque diſtribuit. Item Luc. 22. poſt conſecratum calicem dixit: *Verumtamen ecce manus tradentis me mecum eſt in menſa*. Ergo tunc aderat Judas; omnes autem, qui aderant poſt conſecrationem calicis, biberunt ex illo Marc. 34. *Et biberunt ex eo omnes*. Ergo & Judas. Suadet ratio, (*Ibid.*) Cum enim Chriſtus deberet nobis exemplum juſtitiæ, non conveniebat ejus magiſterio, ut Judam occultum peccatorem ſine accuſatore & evidenti probatione ab aliorum communione ſepararet, ne per hoc daretur exemplum Prælatis Eccleſiæ ſimilia faciendi, & inde Judas exaſperatus ſumeret occaſionem peccandi.

Dices 1. Chriſtus Matt. 26. poſt diſtributum corpus & ſanguinem ſuum dixit: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis, donec illud bibam vobiſcum novum in Regno Patris mei*. Ergo illis ſolis dedit tunc bibendum quibuſcum erat bibiturus in Regno Patris ſui. Atqui non bibit cum Juda in Regno Patris ſui. Ergo. R. (*Ib. ad* 1.) hanc fuiſſe rationem Hilario, ut oppoſitum teneret; non cogit tamen, tum quia non Chriſtus, ſed ipſe Judas a Diſcipulis, quibus id dictum erat, ſe ſeparavit. Unde Chriſtus, quantum eſt in ſe, bibit cum Juda vinum in Regno Dei, ſed hoc convivium ipſe Judas repudiavit; tum quia Chriſtus loquebatur collegio Apoſtolorum, ſicque non fuit neceſſarium, quod omnes & ſinguli biberent, ſed ſufficiebat, quod multi. Quidam Hilario adjungunt Clementem Rom. l. 5. Conſt. Apoſt. c. 16, ſed cum iſtud opus ſit in pluribus adulteratum, nihil certi ex illo erui poteſt.

Dices 2. Ante communionem manifeſtum erat crimen Judæ. Atqui manifeſtis peccatoribus non eſt dandum hoc Sacramentum. Ergo. Prob. Maj. Matth. 24. ante communionem Chriſtus dicit: *Qui intingit mecum manum in paropſide, hic me tradet*: & Judæ interroganti: *Numquid ego ſum, Rabbi?* Reſpondit Jeſus: *Tu dixiſti*. 2. Joan. 13. Joanni quærenti a Jeſu, quis eſſet, qui illum traderet? Reſpondit Jeſus: *Ille eſt, cui ego intinctum panem porrexero, & cum intinxiſſet panem, dedit Judæ Simonis Iſcariotæ*. Ergo ante communionem manifeſtum erat Diſcipulis crimen Judæ. R. N. Maj. Ad 1. Prob. ex Matth. hæc verba; *Qui tingit &c.* non dixit Chriſtus, ut manifeſtaret proditorem, omnes enim eadem paropſide utebantur: ſed ut exaggeraret ejus crimen, quaſi dixiſſet: qui manducat mecum, qui eidem menſæ aſſidet & eodem mecum paropſide utitur, hic me traditurus eſt. Unde poſt hæc verba Apoſtoli adhuc quærebant, *quis eſſet ex eis, qui hoc facturus eſſet*, Luc. 22. Hæc autem verba: *Tu dixiſti*, quamvis aliquando ſint affirmantis ut Matth. 26. & Marci 16. non ita ſemper, ſed aliquando ſunt interrumpentis aut ſuſpendentis ſermonem; quaſi diceretur, *Tu dicis, ego non dico: Tu videris*. Unde Aug. l. 3. de conſenſu Evang. c. 1. dicit: *Etiam hic non eſt expreſſum, utrum ipſe eſſet: poteſt enim adhuc intelligi tanquam dixerit, Tu dixiſti, non ego dixi*. Inſuper hoc ita potuit dici a Juda & reſponderi a Chriſto, ut alii non adverterent. Ad 2. Prob. R. quod cum Chriſtus dixit Joanni: *Ille eſt cui panem &c.* jam adimpleta eſſet communio. Neque enim in buccella intincta accepit corpus Chriſti, quod jam antea diſtributum erat, ut docet Aug. Tract. 62. in Joan. Inſuper Chriſtus id ſoli Joanni dixit. Joannes autem aliis non indicavit.

Petes 1. Utrum Chriſtus ſumpſerit & dederit Diſcipulis ſuum corpus paſſibile? R. affirmative; (*Ibid. a.* 3. *o.*) quia idem erat corpus ſub ſpeciebus ſacramentalibus, quod exiſtebat in propria ſpecie, erat autem paſſibile in propria ſpecie. Attamen id, quod erat ſecundum ſe paſſibile, erat ſub ſpeciebus ſacramentalibus modo impaſſibili: quia ut aliquod corpus ſit modo paſſibili, requiritur, quod comparetur ad ea, quæ circumſtant, mediantibus propriis dimenſionibus, ut poſſit eſſe contactus corporis ad ea, quæ agunt: Corpus autem Chriſti ſub ſpeciebus ſacramentalibus non comparatur ad circumſtantia mediantibus propriis dimenſionibus, quibus corpora ſe tangant: & ideo ſpecies illæ ſunt quæ videntur & patiuntur, non corpus Chriſti ſub illis.

Petes 2. Utrum ſi hoc Sacramentum tempore mortis Chriſti fuiſſet ſervatum aut conſecratum, Chriſti ibi moreretur? R. (*Ibid. a.* 4.) quod moreretur, non tamen pateretur: quia accidentia abſoluta & a loco independentia, quæ Chriſto conveniunt in propria ſpecie exiſtenti, qualia ſunt vivere, mori, dolere, gaudere, eſſe animatum vel inanimatum, etiam illi conveniunt exiſtenti ſub ſpeciebus ſacramentalibus: accidentia autem, quæ illi in propria ſpecie conveniunt per comparationem ad corpora extrinſeca, ut ſunt irrideri, conſpui, flagellari, crucifigi non conveniunt ei exiſtenti ſub ſpeciebus ſacramentalibus; ut dictum eſt in reſponſione præced.

ARTICULUS VI.

De effectibus hujus Sacramenti.

§. I. *Recenſentur varii Effectus Euchariſtiæ.*

PRimus effectus Euchariſtiæ (*Hic q.* 79. *a.* 1. *c.*) eſt gratia, cui ſecundario adjungitur refectio ſpiritualis dulcedinis; quatenus non ſolum continet Chriſtum Auctorem gratiæ, & ejus Paſſionem repræſentat, ſed confertur per modum cibi & potus; atque ideo habet ad vitam ſpiritualem omnem effectum, quem habet cibus materialis ad vitam corporalem, ſuſtentat, auget, reparat & delectat. Unde *qui manducat me, vivet propter me*. Joan. 6. De hoc primario effectu Euchariſtiæ plura dixi de Sacramentis in genere Diſſ. 3. a. 1. require.

Sacramentum Euchariſtiæ (*Ibid. a.* 3. *s.*) non cauſat per ſe primario primam gratiam remiſſivam peccati mortalis, ſed ſecundam tantum, quia eſt inſtitutum ut alimentum ſpirituale, *Caro mea vere eſt cibus*, *&c.* Joan. 6. Alimentum autem ſupponit vitam in eo, qui ſuſcipit. Patet inſuper ex his, quæ modo diximus de diſpoſitione requiſita ex parte animæ ad hoc Sacramentum. Per accidens tamen & ſecundario poteſt cauſare primam gratiam remiſſivam peccati mortalis; ſicut Sacramentum mortuorum, ut Pœnitentia, poteſt per accidens cauſare ſecundam gratiam. Pro utraque parte aſſertionis vide de Sacram. in genere Diſſ. 3. cit. a. 3. ubi Sententiam Honor. Tournely contra 2. partem cum ejus argumentis expoſuimus.

Opponitur contra 1. partem. 1. Hoc Sacramentum eſt medicina; medicina autem non eſt opus bene habentibus, ſed male habentibus. 2. Sacerdos in Miſſa orat, ut *Hoc tuum Sacramentum ſit ablutio ſcelerum*. Ergo. R. ad 1. Medicinam eſſe duplicis generis, unam ſanativam a morbo, alteram confortativam ad perfectiorem ſanitatem; hac indigent ſani, & talis eſt Euchariſtia. Ad 2. R. 1. (*Ibid. ad* 1.) Peti, ut hoc Sacramentum ſit abſolutio ſcelerum, vel per accidens, eorum ſcilicet quorum conſcientiam non habemus; vel relaxando pœnam temporalem peccatis mortalibus remiſſis debitam; vel ut contritio in nobis perficiatur ad ſcelerum remiſſionem. 2. Illæ preces poſſunt intelligi de Euchariſtia, ut eſt Sacrificium, quod offertur non ſolum pro juſtis, ſed etiam pro peccatoribus. Nec te moveat, quod Eccleſia dicat *Sacramentum*; notum eſt enim Euchariſtiam, etiam ut eſt Sacrificium, apud veteres nominari Sacramentum. Sic Aug. l. de S. Virginitate c. 43. *Notum eſt*, inquit, *quo loco Martyres, & quo defunctæ Sanctimoniales ad altaris Sacramenta recitentur*. Unde libri, qui de Ritibus Sacrificii tractant, dicuntur Sacramentarii.

Secundus effectus Euchariſtiæ (*Ibid. a.* 2. *s.*) eſt adeptio gloriæ, quatenus Chriſtus, qui eſt gloriæ largitor, in eo continetur ut cibus nutriens & confortans animam in bono, quo poſſit perſeverare uſque ad tempus, quo gloria donabitur: unde dicitur, Pignus futuræ gloriæ.

Tertius effectus Euchariſtiæ eſt remiſſio peccatorum venialium, quam dupliciter operatur. 1. Immediate & directe quatenus eſt cibus animæ; ſicut enim cibus corporalis reſtaurat vires, quæ quotidie deperduntur per calorem naturalem; ita cibus ſpiritualis reſtaurat vires ſpirituales, quæ quotidie deperduntur per calorem concupiſcentiæ: ſupponit reſolutum communicantem non ponere obicem retinendo affectum ad peccata venialia. 2. Mediate & indirecte per rem Sacramenti, quæ augetur in hoc Sacramento, non ſolum quoad habitum, ſed etiam quoad actum & fervorem, qui cum repugnet peccato veniali, illud tollit. Unde Trid. ſeſſ. 13. cap. 3. vocat hoc Sacramentum *antidotum, quo liberamur a culpis quotidianis, & a peccatis mortalibus præſervamur*.

Quartus effectus Euchariſtiæ (*Ibid. a.* 5. *s.*) eſt remiſſio pœnæ peccato debitæ, ſed diverſimode. Si Euchariſtia conſideretur ut Sacramentum, non remittit pœnam directe, quia non eſt inſtituta ad ſatisfaciendum; ſed ad nutriendum cum Chriſto, quod non impeditur per pœnam dimiſſa culpa. Unde ſub hac ratione non remittit pœnam, niſi conſequenter & indirecte, quatenus excitat fervorem charitatis. At ſi conſideretur ut Sacrificium, quod eſt ſatisfactorium, directe & per ſe remittit pœnam, non tamen ordinarie totam, quia in ſatisfactione magis attenditur affectus ſatisfacientis, quam quantitas oblationis.

Quintus effectus Euchariſtiæ (*Ibid. a.* 6. *s.*) eſt præſervatio a peccatis futuris, quod fit dupliciter: 1. Quatenus aucta charitate & unione cum Chriſto per hunc cibum anima fit robuſtior contra interiora corruptiva. 2. Quatenus cum ſit ſignum Paſſionis Chriſti, per quam victi ſunt dæmones, ad eam expaveſcunt, nec tantum impugnant quantum impu-

impugnare vellent: & ideo Trid. ſupra citatum dicit, quod ſit *Antidotum... quo a peccatis præſervemur*.

§. II. *Variæ Quæſtiunculæ circa præſentem materiam breviter reſolvuntur.*

PEtes 1. Utrum Euchariſtia proſit aliis, quam ſumentibus? R. (*Ibid. a.7.o.*) Euchariſtia in ratione Sacrificii prodeſt aliis, quam ſumentibus, quia etiam pro aliis offertur. In ratione vero Sacramenti, ſeu ut ſumpta ſimpliciter, non prodeſt aliis, quam ſumentibus ex opere operato, quia ſumitur ut cibus; cibos autem prodeſt ex ſe ſoli ſumenti. Poteſt tamen aliis vivis & defunctis prodeſſe ex opere operantis: 1. quia eſt bonum & præſtantiſſimom totius Religionis opus, quod per meritorum communicationem, quam profitemur in Symbolo, poteſt eſſe utilo aliis, tam vivis quam defunctis, eo potiſſimum quod in eo non ſolum conſideretur applicatio ſeu receptio, ſed etiam præparationis opus labrioſum per Contritionem, Confeſſionem & alior virtutum actus. 2. Quia cum per ſuſceptionem Euchariſtiæ augeatur gratia, & incendatur charitas, animaque ſit Deo plena, preces Communionem concomitantes & ſubſequentes ſunt ferventiores & efficaciores ad impetranda poſtulata pro ſe & pro aliis. Merito itaque Sacra Congregatio auctoritate Apoſtolica damnavit librum Theophili Renaudi, quo Communionem pro mortuis tanquam errorem popularem, piam fraudem, & ſordem non ferendam impugnabat.

Petes 2. Utrum per venialia peccatom impediatur effectos hujus Sacramenti? R. (*Ibid. a.8.o.*) peccata venialia præterita, ſeu habitu tantum remanentia nullo modo impedire effectum hujus Sacramenti, quippe quæ per ipſum tollantur, ut dictum eſt. Peccata vero venialia actu placentia vel exercita impediunt effectum ſecundarium, ſcilicet refectionem dulcedinis ſpiritualis, quatenus minuunt fervorem charitatis, non vero effectum primarium, qui eſt augmentum habitualis gratiæ & charitatis. De quo vide latius de Sacramentis in genere Diſſert. 3. citata art. 4. §. 2.

Petes 3. Quandonam Euchariſtia cauſet gratiam? R. cauſare in inſtanti extrinſeco manducationis, in quo verum eſt primo dicere, comeſtum eſt, vel jam non eſt comaſtio & immediate ante erat: quia hoc Sacramentum cauſat gratiam, quando verum eſt primo dicere, jam eſt ſumptum & applicatum. Atqui ſumitur & applicatur per manducationem, cum ſit inſtitutum ut cibus. Ergo. Maj. patet; quia hoc Sacramentum cauſat gratiam ſicut alia Sacramenta; alia autem Sacramenta non cauſant gratiam dum applicantur, ſed cum verum eſt primo dicere, jam ſunt applicata. Sic Baptiſmus non cauſat gratiam, dum actu ſit ablutio, & verba proferuntur, ſed quando verum eſt primo dicere, jam homo eſt ablutus ſub tali forma.

Sed quandonam manducatio cenſeatur completa? R. cenſeri completam, non quando cibus maſticatur in ore, qui enim cibum in ore maſticatum expueret, non diceretur manducaſſe, ſed quando trajicitur per guttur ſeu gulam. Quidam addunt non improbabiliter, & ſtomachum attingit, quod ſit brevi morula. Sic enim completur manducatio corporalis, cum cibus non nutriat, niſi ſit in ſtomacho. Hinc inferes, quod hoſtia in ore conſumpta, aut ſumpta in ore & ejecta non cauſet gratiam, quia non fuit complete comeſta; ſecus ſi deglutita & in ſtomachum recepta evomeratur, quia fuit complete comeſta. Item inferes, quod ſi Angelus miraculoſe poneret hoſtiam in ſtomachu hominis, probabilius non cauſaret gratiam, quia non fuit comeſta.

Si dicas cibum materialem non nutrire, niſi ſit corruptus: Diſparitas eſt, quod cibus corporalis nutriat per ſui mutationem in ſubſtantiam aliti, quod fieri non poteſt niſi corrumpatur. At iſte cibus ſpiritualis nutrit, convertendo ſumentem in ſe, ad quod non requiritur, quod corrumpatur, ſed ſufficit, quod manducetur juxta inſtitutionem Chriſti; *Qui manducat me, vivet propter me*.

Petes 4. Utrum hoc Sacramentum cauſet gratiam ex opere operato, non ſolum quando acto manducatur, ſeu quando completur manducatio, ſed etiam toto tempore, quo ſpecies manent in ſtomacho? R. utrimque probabiliter diſputari. Partem affirmativam tenet Cajetanus cum pluribus, negantem Soto etiam cum pluribus: & hæc ſecunda ſententia nobis videtur probabilior. Quia effectus hujus Sacramenti promittitur manducanti; & quamvis manducatio non ſit res cauſans gratiam, eſt ſaltem conditio ſine qua non; neque intelligitur de manducatione antea facta, ſed de manducatione actu exiſtente cum Sacramento, ſeu primo deſinente per primum ſui inſtans extrinſecum. Non enim dicitur: *Qui manducavit meam carnem*, aut *qui manducavit me*, ſed *qui manducavit meam carnam, & qui manducat me*.

Inſuper ſequeretur ex 1. ſententia, quod qui eſſet debilioris ſtomachi, aut grandiorem hoſtiam vel plures ſumeret, melioris eſſet conditionis; quam qui eſſet robuſtioris ſtomachi, aut unam parvam tantum hoſtiam ſumeret; quia poſſet ex diuturniori permanentia ſpecierum in ſtomachu ampliorem conſequi gratiam. Neque refert id non contingere per ſe ratione ſpecierum remanentium ſed tantum per accidens; per ſe autem ratione majoris diſpoſitionis ſufficit, quod id contingat ratione ſpecierum, etſi per accidens tantum, inde enim datur locus ſuperſtitioni ſumendi grandiores & plures hoſtias, quod prohibuit Innocent. XI. in ſuo decreto, de quo ſupra dum de frequenti Communione. Sed neque apparet verum ampliorem cauſari gratiam per ſe ratione diſpoſitionum & per accidens tantum ratione ſpecierum: dum enim ſumitur Euchariſtia, gratia non cauſatur per ſe ratione diſpoſitionem, ſed ratione ſpecierum ſeu potius rei contentæ ſub ſpeciebus. Ergo ſimiliter dum eſt in ſtomacho. Item ſequeretur, quod qui peccatum mortale committeret, antequam ſpecies ſint corruptæ, ſacrilegium committeret, eſſet reus corporis & ſanguinis Domini, & judicium ſibi manducaret, quod videtur falſum; non enim ille magis peccaret, quam qui haberet in ſtomacho hoſtiam impoſitam ab Angelo ſine manducatione. Adde, quod oppoſita ſententia non nitatur niſi congruentiis, quarum præcipuam petitam ex hoc, quod manducatio ſit tantum conditio, prævenimus.

DIGRESSIO HISTORICA

De Communione Laica

AD PRÆCED. DISSERT.

SAcerdotibus & aliis Clericis in pœnam alicujus gravioris criminis denegabatur olim Communio clericalis, & concedebatur tantum Communio laica, de qua mentio habetur apud Syricium Papam Ep. 1. c. 11. in Concilio Eliberit. Can. 76. Sardicenſi Can. 1. & 2. Agathenſi Can. 33. Toletano I. cap. 4. Braccarenſi I. Can. 31. & alibi. Quid ſit autem iſta Communio laica, non conveniunt Eruditi.

Dico 1. Communio laica non videtur fuiſſe illa, in qua una ſpecies tantum conferebatur, Clericalis, in qua utraque ſpecies, quia his temporibus, quibus conditi fuerunt laudati Canones, etiam Laici poterant communicare, & ſæpe communicabant ſub utraque ſpecie. 2. Neque Communio laica intelligi poteſt Communio Sacerdotum, quibus non permittebatur conſecrare, ſed ſolum de manu alterius hoſtiam ſumere, quia Communio laica imponabatur etiam in pœnam inferioribus Clericis, qui conſecrare non poterant. 3. Communio laica non poteſt intelligi prout opponitur functionibus & privilegiis Clericorum, quaſi redigi ad Communionem laicam ſit communicare cum ceteris Fidelibus in participatione Sacramentorum, in orationibus & bonis operibus more Laicorum tantum, ac quoad Munia & Privilegia Eccleſiaſtica non haberi amplius pro Clerico, ſed pro Laico. Non videtur, inquam, hæc interpretatio admittenda, quia in laudatis Canonibus agitur ſpecialiter de Communione Euchariſtica, & non de ea, quæ dicitur Communio Sanctorum; iis enim ſtatuitur, ut Clerici lapſi poſt peractam pœnitentiam, tempore definito, vel in articulo mortis Communione laica donentur, & Euchariſtiam more Laicorum ſumant. Reſtat ergo explicandum, quid interſit inter hanc Communionem laicam & clericalem.

4. Plures cenſent Communionem laicam eam eſſe, quæ ſit in loco deſtinato Laicis; Clericalis, quæ ſit in loco deſtinato Clericis. Notum eſt enim olim Sacerdotes & Clericos communicare ante altare in Choro ſeu intra Cancellos, Laicos vero extra Chorom & Cancellos. Unde in Concilio Laodic. can. 19. legitur: *Solis Miniſtris altaris licent ingredi ad altare, & ibi communicare*. In Braccarenſi can. 13. *Ingredi Sacrarium ad communicandum non licet Laicis niſi tantum Clericis*. Similiter in Toletano 4. can. 17. Hæc interpretatio, quamvis ſecundum quid vera, videtur tamen inſufficiens, niſi aliquid addatur: quia Felix III. Epiſt. 1. de Clericis rebaptizatis dicit: *Communia laica tantum in morte illis eſt reddenda*: & Concilium Sardicenſe can. 2. de Epiſcopo Ambitioſo dicit: *Nec laicam in ſine Communionem accipiat*. Diverſitas autem locorum in communicando in Eccleſia ſervari non poteſt in Communione moribundi. Scio doctiſſimum Sylvium reſpondere in his textibus Communionem vocari laicam, non ex loco, in quo actualiter fiat, ſed ex loco, in quo fieri debebat, ſi ad Eccleſiam ire poſſet morti proximus. At videtur aliis hæc explicatio aliquatenus violenta. Unde 5. veriſimilius videtur, quod Communio laica differat a clericali & quantum ad locum, ut dictum eſt, & etiam quantum ad modum, quatenus Sacerdotes & Clerici communicabant cum quadam cæremonia & certo ornatu, non vero Laici; ſicut apud nos Sacerdotes communicant cum Stola, & ſecundum hoc poteſt intelligi Communio laica in morte.

DIS.

DISSERTATIO VII.

DE MINISTRO EUCHARISTIÆ.

Div. Thom. Quæſt. 82.

DUplex eſt Euchariſtiæ Miniſter, unus Conſecrationis, alter diſpenſationis. De utroque dictum cum Auctore, ſit

ARTICULUS I.

Quis ſit Miniſter Conſecrationis Euchariſtiæ?

TErtullianus lib. de præſcript. cap. 41. conqueritur Hæreticos *Laicis Sacerdotalia munia injungere*. Secundum Irenæum l. 1. adverſus hæreſes c. 9. Marcus Hæreticus & Præſtigiator, & ſecundum Epiphanium hæreſi 49. & 79. Pepuziani & Collyridiani mulieribus poteſtatem conficiendi Euchariſtiam tribuebant. Valdenſes eandem poteſtatem agnoſcebant in quolibet Laico, modo eſſet vir probus. Lutherus l. 1. de Civit. Babyl. & lib. de abroganda Miſſa cuivis Laico eandem facultatem concedebat, non tamen uſum niſi ex delegatione Eccleſiæ. Hugo Grotius in Diſſertatione, cui titulum præfixit; *de cœna adminiſtratione, ubi Paſtores non ſunt*, contendit facultatem conſecrandi datam eſſe ex æquo omnibus Chriſtianis, ea tamen Laicos & fœminas uti non debere, niſi ubi deſunt Sacerdotes & in neceſſitate. Contra quos omnes

Dico. (*Hoc q.* 82. *a.* 1. *c.*) Soli Sacerdotes ſunt Miniſtri Conſecrationis Euchariſtiæ, ſic ut præter illos nullus poſſit valide conſecrare. Prob. 1. ex Scriptura. Hi ſoli poteſtatem habent conſecrandi Euchariſtiam, quibus Chriſtus illam contulit. Atqui ſolis Apoſtolis & eorum in Sacerdotio Succeſſoribus illam poteſtatem contulit, dum dixit Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*. Ergo. Prob. Min. 1. Quia hæc verba Concilium Trid. ſeſſ. 22. cap. 1. ſic intelligit: *Eiſdem*, inquit, Apoſtolis, *eorumque in Sacerdotio Succeſſoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba, hoc facite in meam commemorationem*. 2. Quia licet iſta verba, prout continent ſumptionem, poſſint intelligi de omnibus Fidelibus, prout tamen important Conſecrationem non niſi de Apoſtolis & eorum in Sacerdotio Succeſſoribus poſſunt intelligi, alioquin ſequeretur, quod Laici & mulieres non ſolum poſſent, ſed etiam præcepto tenerentur conſecrare, quod non admittunt Hæretici. Ergo.

Prob. 2. ex Traditione fundata in Patribus, Conciliis; & Hiſtoria Eccleſiaſtica. Quantum ad Patres, jam audivimus Tertullianum exprobrantem Hæreticis, quod munia Sacerdotalia Laicis injungerent; & lib. de corona militis cap. 3. ſcribit *Euchariſtiam ſumi in antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu quam præſidentium*. Juſtinus Apolog. 2. ſcribit: *Eum, qui fratribus* (Id eſt Chriſtianis) *præeſt* (ſcilicet Epiſcopum vel Presbyterum) *rerum univerſarum Patri per nomen Filii & Spiritus S. offerre Euchariſtiam juxta mandatum, quod Chriſtus dedit, cum dixit: Hoc facite in meam commemorationem*. Epiphanius hæreſi cit. 79. *Neque Diaconis Eccleſiaſtica regula concreditum eſt peragere Sacrificii myſteria, ſed miniſtrare tantum dum perficiuntur*. Et in expoſitione Catholicæ Fidei exprobrat cuidam Pſeudomonacho Zachæo, quod *cum eſſet Laicus, attingere ac Sacrificia celebrare nefarie ac temerario auſu eſt aggreſſus*. S. Hieronymus contra Luciferianos probat apud eos non eſſe Eccleſiam, quia Sacerdotes non habent, qui corpus Chriſti conficiant, ſed Diaconum tantum. *Hilarius*, inquit, *cum Diaconus de Eccleſia receſſerit, ſoluſque, ut putat, turba ſit mundi, neque Euchariſtiam conficere poteſt, Epiſcopos & Presbyteros non habens*. Et Ep. 101. alias 85. ad Evangelum: *Quis patiatur, ut ſupra eos ſe tumidus Diaconus efferat, ad quorum preces corpus Chriſti efficitur?* Fulbertus Carnotenſis ineunte ſæculo 11. Ep. 36. ad Guidonem Bituricenſem ſcribit, *Extra Chorum deponendum & pœnitentia plectendum* Diaconum, *qui ſe presbyterum ſimulavit, Miſſamque celebrare præſumpſit*.

Quantum ad Concilia. Concilium Nicænum 1. contra Diaconos, qui præſumebant Euchariſtiam dare Sacerdotibus, dicit Can. 18. *Neque regula, neque conſuetudo tradidit, ut hi, qui offerendi Sacrificium non habent poteſtatem, his, qui offerunt, corpus Chriſti porrigant*. Idem Concil. Arelat. can. 15. Ancyr. can. 2. Laodicen. can. 25. diſerte vero Concilium Lateran. 4. ſub Innocentio III. ſic definit: *Hoc Euchariſtiæ Sacramentum nemo poteſt conficere niſi Sacerdos, qui rite fuerit ordinatus ſecundum claves Eccleſiæ*. Similiter Florent. in Decreto unionis, ac tandem Trid. ſeſſ. 22. c. 1. ut ſupra & can. 2. *Si quis dixerit illis verbis: Hoc facite in meam commemorationem, Chriſtum non inſtituiſſe Apoſtolos Sacerdotes, aut non ordinaſſe, ut ipſi aliique Sacerdotes offerrent corpus & ſanguinem ſuum, anathema ſit*.

Quantum ad Hiſtoriam Eccleſ. conſtat ex S. Juſtino Apol. 2. ex S. Cypriano Ep. 5. ex Tertulliano l. 2. ad uxorem cap. 5. ex Baſilio Ep. ad Cæſariam Patriciam & aliis, Euchariſtiam olim miſſam fuiſſe ad abſentes; Peregrinos & Anachoretas eam a Sacerdotibus acceptam ſecum deferre, atque Presbyteros cum magno vitæ periculo in carceribus martyrum celebraſſe. Ut quid autem iſta, ſi quilibet abſente Sacerdote poterat ſacrificare? Item notum eſt Chryſoſtomum crimen ſibi impactum de confracto Calice in domo cujuſdam nomine *Iſchiras* diluiſſe, ex eo quod cum iſte Iſchiras *eſſet homo privatus in privata domo habitans, poculum myſticum habere non potuit*. Si Calicem habere non potuit, quomodo conſecrare potuit?

Confir. Incredibile eſt Deum, qui ſolos filios Levi ad antiqua Sacrificia elegit, ita ut Ozam, quod miniſteria Levitarum attentaret, percuſſerit, Sacrificium præſtantiſſimum novæ Legis, cujus antiqua erant tantum figuræ, omnibus indiſcriminatim, & non viris ſelectis atque ſpeciali charactere inſignitis, commiſerit. Confer, quæ dixi in Tract. de Sacram. in genere diſſert. 5. de Miniſtro Sacram. art. 2. Concl. 2.

Solvuntur Objectiones.

OBj. 1. ex Scriptura. Omnes Fideles dicuntur Sacerdotes 1. Pet. 2. & Apocal. 2. Ergo R. Fideles in Scriptura vocari Sacerdotes eo modo, quo ibidem vocantur Reges improprie ſcilicet & late, quatenus offerunt Deo ſacrificium laudis, orationum & bonorum operum; non vero proprie quaſi offerrent Sacrificium Altaris incruentum. Vide loco cit. de Sacramentis in genere.

Obj. 2. Hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem*, dicta ſunt omnibus. Unde ex his probatur præceptum Communionis. Ergo. R. D. Ant. Dicta ſunt omnibus ſecundum aliquam ſui partem, ſcilicet ſumptionem, Tranſeat Ant. Secundum totam ſuam amplitudinem, N. Quantum enim ad Conſecrationem non ſunt dicta omnibus, ut probatum eſt; aut ſi quantum ad hoc ſint dicta omnibus, non ut ab omnibus, ſed ut a quibuſdam tantum pro omnibus adimpleantur: ut enim docet Aug. l. 3. de Doct. Chriſt. c. 17. *Erit etiam hoc in obſervationibus intelligendarum Scripturarum, ut ſciamus alia omnibus communiter præcipi, alia ſingulis quibuſque generibus perſonarum*. Quæ autem ab omnibus, quæ a quibuſdam perficienda præcipiantur, tacente Scriptura, ex Traditione repetendum eſt.

Obj. 3. Tertullianus lib. de Exhortat. Caſtitatis c. 7. probat omnes Fideles etiam Laicos debere eſſe Monogamos, ex eo quod Sacerdotes debeant eſſe Monogami. Ergo cenſet omnes Fideles etiam Laicos eſſe Sacerdotes. R. N. Conſeq. Cum enim Tertullianus diſtinguat inter Laicos & Sacerdotes, aperte ſignificat Laicos non eſſe Sacerdotes. Vis ergo ejus argumenti in hoc ſita eſt, quod cum Sacerdotes aſſumantur ex Laicis, ſi Sacerdotes debent eſſe Monogami, ita & Laici, alioquin quomodo erunt Presbyteri, qui de Laicis adleguntur? his ſeipſum explicat Tertullianus ibid. ſubjungit enim: *Omnes nos Deus ita vult eſſe diſpoſitos, ut ubique Sacramentis ejus obeundis apti ſimus: Unus Deus, una Fides, Una Diſciplina. Uſque adeo niſi & Laici ea obſervent, per quæ Presbyteri adleguntur, quomodo erunt Presbyteri, qui de Laicis adleguntur? Ergo pugnare debemus unte Laicum juſſum a ſecundo Matrimonio abſtinere, dum Presbyter eſſe non alius poteſt, quam Laicus ſemel fuerit maritus*. Similiter ratiocinatur l. de Monogamia cap. 12.

Inſt. 1. Tertullianus 1. loco cit. dicit de Laico, *ubi Eccleſiaſtici Ordinis non eſt conſeſſus, & offers & tingis & Sacerdos es tibi ſolus*. Ergo. R. 1. Hunc textum a Pamelio operum Tertulliani accuratiſſimo Editore ſic legi. *Ubi Eccleſiaſtici Ordinis eſt conſeſſus, & offert & tingit Sacerdos, qui eſt ibi ſolus*: & ſic evaneſcit Objectio. 2. Suppoſita vulgata Lectione. R. Tertullianum intelligendum eſſe de oblatione late ſumpta, non pro Sacrificio Altaris, ſed pro oblatione precum & bonorum operum, reſpectu quorum Laicus dicitur etiam late Sacerdos, ut jam dictum eſt. Nec refert, quod Tertullianus ibi loquatur de tinctione Baptiſmi proprie ſumpta; eſt enim diſcrimen, quod abſente Sacerdote quilibet, etiam mulier, poſſet Baptiſmum conferre propter ejus neceſſitatem, cum tamen idem Tertullianus l. de velandis Virg. c. 9. aſſerat mulierem ſacerdotalia munia obire non poſſe; & l. de Præſcript. cit. in capite hujus articuli conqueratur, *Hæreticos Laicis ſacerdotalia munia injungere*.

Inſt. 2. Tertul. ibid. dicit; *Differentiam inter Ordinem*

& Ple-

& Plebem conſtituit Eccleſiæ auctoritas & honor per Ordinis conſeſſum ſanctificatus a Deo. Ergo non jure divino, ſed Eccleſiaſtico tantum Sacerdotes conſecrant, ſicque nihil vetat, quin accedente Eccleſiæ conſenſu alii conſecrent. R. equidem differentiam inter Ordinem & Plebem conſtitui inchoative per auctoritatem Eccleſiæ, quatenus ex Laicis a Clero & Populo eligebantur Sacerdotes conſecrandi, ſed & perfecte & complete a Conſecratione. Unde dicit Tertul. *Et honor per Ordinis conſeſſum ſanctificatus a Deo*. Brevius quidam reſpondent ad totum arg. cum Hieronymo Tertullianum *non fuiſſe hominem Eccleſiæ*. At non conſtat hoc opus fuiſſe ſcriptum poſt ejus defectionem ad Montaniſtas.

Obj. 3. ex variis Hiſtoriis. 1. In veteri Martyrologio legitur, quod S. Petronilla S. Petri Filia, *cum S. Feliculam collactaneam ſuam continuis Jejuniis & Orationibus vacans, tertio celebratis Dominicæ oblationis Myſteriis, mox ut Chriſti Sacramentum accepit, reclinans ſe in lectulo, emiſit Spiritum*. 2. Theodoretus l. 1. Hiſt. Ecc. c. 23. narrat Frumentium Laicum Alexandria ad Indos profectum, invitaſſe mercatores Romanos ad liturgias, more Romano fieri ſolitas. 3. Refertur in Prato ſpirituali c. 24. quemdam Monachum Laicum *verbis ſanctæ Oblationis panes conſecraſſe*. 4. Panem in agro a Paſtoribus conſecratum, converſum fuiſſe in carnem, teſtantur Honorius Auguſtodonenſis in gemma animæ & Albinus Flaccus lib. de divinis Officiis. Ergo. R. ad 1. Martyrologium laudatum non dicit, quod ab ipſa S. Petronilla fuerint celebrata *Dominicæ oblationis myſteria*. Et in actis SS. Martyrum Nerei & Achillei, quibus inſerta eſt vita S. Petronillæ & S. Feliculæ, legitur: *Tertio itaque die veniens ad eam S. Nicomedes Presbyter celebravit Myſteria Chriſti, Virgo autem ſanctiſſima, mox ut Chriſti Sacramentum accepit, reclinans ſe in lectum emiſit ſpiritum*. Vide acta SS. Tom. 7. Maii pag. 429.

Ad 2. Theodoretus per Liturgias intellexit Conventus Chriſtianorum ad fundendas Deo preces. Rufinus enim, ex quo hanc Hiſtoriam hauſit Theodoretus l. 1. c. 9. dicit Frumentium Mercatoribus perſuaſiſſe, *ut conventicula per loca ſingula facerent, ad quæ Ritu Romano Orationis cauſa confluerent*. Similiter referunt Socrates l. 1. c. 19. & Sozomenus l. 2. c. 24. Idque eo magis conſtat, quod referente ipſo Theodoreto ibid. Frumentius Alexandriam redux petierit a S. Athanaſio Sacerdotes ad illius gentis cultum. Ad 3. 1. Multa referuntur in Prato ſpirituali, quæ ſunt dubiæ Fidei. 2. Suppoſita veritate hiſtoriæ, id miraculoſe factum eſt & virtute divinæ potentiæ, quæ non eſt alligata Sacramentis, & ideo trahi non poteſt in exemplum, maxime cum ibidem referatur Monachorum ſeniores occaſione hujus miraculi *ſtatuiſſe, ut nullus addiſceret ſanctæ oblationis verba, niſi qui ordinatus ad hoc eſſet*.

Ad 4. Laudati Auctorem factus referunt ex incerto rumore, *dicitur, fertur, inquiunt*. Inſuper hanc converſionem panis in carnem, non virtuti verborum tribuunt, ſed omnipotentiæ Dei in punitionem audaciæ Ruſticorum.

Obj. 4. Diaconus ſaltem aliquando conſecraſſe probatur duplici momento. 1. Synodus Ancyrana Can. 2. jubet Diaconos, qui Idolis immolarunt, *ab omni Sacerdotali miniſterio ceſſare & Panem vel Calicem offerendi vel prædicandi*. Ergo cæteri Diaconi his muneribus fungebantur. 2. Apud Ambroſ. l. 1. Offic. c. 4. legitur S. Laurentium Diaconum Xiſto ad Martyrium eunti ſic locutum fuiſſe: *Experire certe utrum idoneum miniſtrum elegeris, cui commiſiſti Dominici ſanguinis Conſecrationem*. R. ad 1. Iſto Canone prohiberi dumtaxat Diaconis lapſis offere ſeu deferre panem & vinum Sacerdoti celebranti, qua de cauſa dicitur *Miniſterium ſacerdotale*, non vero conſecrare, & ideo multi legunt, *deferre* & non *offerre*. Ad 2. In Breviario Romano legitur: *Dominici ſanguinis diſpenſationem*, & ita legi in antiquiſſimo Manuſcripto, quod ſuperat ætatem 800. annorum, teſtatur Laurentius Berti, taveique Aug. Serm. 304. dicens *Laurentium Romæ Diaconi Officium geſſiſſe, ibique ſacrum Sanguinem miniſtraſſe*. 2. Retenta priori lectione, quam adoptarunt novi Editores S. Ambroſii juxta Fidem plurium codicum, per conſecrationem nihil aliud intelligitur quam Communio, qua ſanctificamur & conſecramur.

ARTICULUS II.

Leviores quædam difficultates de Miniſtro Conſecrationis expenduntur.

Petes 1. Utrum Neomyſtæ conſercent ſimul cum Epiſcopo ordinante? R. 1. (*Ibid. art. 2. o.*) Plures poſſe ſimul conſecrare eandem materiam, ſi tanquam cauſæ totales ab invicem independentes ſimul pronuntient & finiant verba Conſecrationis, eo modo quo diximus plures poſſe ſimul eundem baptizare. Vide Diſſert. 2. de Baptiſmo a. 3. Petit. 4. ubi pag. 504. ultima linea loco *Dependentes*, leges *independentes*; error eſt Typographi. R. 2. (*Ibid.*) Neomyſtas conſecrare cum Epiſcopo 1. Quia in Pontificali Romano *Monetur Epiſcopus, ut bene advertat, quod ſecretas moroſe dicat & aliquantulum alte, ita ut Ordinati Sacerdotes poſſint ſecum omnia dicere, & præſertim verba Conſecrationis, quæ dici debent eodem momento per Ordinatos, quo dicantur per Pontificem*. Hæc autem monitio foret inutilis, ſi Neomyſtæ non conſecrarent, ſed verba Conſecrationis materialiter tantum, & recitative proferrent, ut quidam volunt. 2. Quia ibidem dicitur, quod Neomyſtis *Non datur abſolutio, quia concelebrant Pontifici*. 3. Quando Presbyter inauguratur Epiſcopus apud Latinos, conſecrat cum Epiſcopo Conſecratore. Apud Græcos in locis, ubi eſt unicum templum, Presbyteri circumſtantes Epiſcopum conſecrant cum ipſo. Quidni Neomyſtæ cum Epiſcopo Ordinante? Ut autem occurratur inconvenienti, ne ſcilicet Neomyſtæ conſecrent ante Epiſcopum, aut pronuntient formam ſuper materiam jam conſecratam, debent habere intentionem non abſolutam conſecrandi, ſed hypotheticam conſecrandi, ſi finiant, & dum finiunt cum Epiſcopo & non aliter; vel generaliter intentionem faciendi meliori modo, quod facere debent. Unde ſi formam finiant ante vel poſt Epiſcopum, nihil efficiunt defectu intentionis.

Dices cum Henno. 1. Neomyſtæ non communicant ut celebrantes ſub duplici ſpecie. Ergo nec ut celebrantes formam pronuntiant. Unde in Pontificali Romano dicitur: *Ordinati omnia dicant, ſicut ſi celebrarent*, quod innuit eos non celebrare. 2. Sæpe accidit materiam non eſſe ſufficienter præſentem ſaltem remotioribus. R. ad 1. ideo Neomyſtas non communicare ſub utraque ſpecie, quia non ſunt principales celebrantes, ſufficit autem ad perfectionem Sacrificii, quod principalis celebrans, qui eſt Epiſcopus, utramque ſpeciem ſumat. Ad Pontificale Romanum, To *Sicut* non ſemper negat veritatem, ſed quandoque aſſerit. Ad 2. attenta praxi Eccleſiæ, materia eſt moraliter præſens, quod ſufficit.

Petes 2. Utrum mali Sacerdotes valide conſecrent? Quæſtio eſt non ſolum de Sacerdotibus peccatoribus, ſed etiam de Hæreticis, excommunicatis, ſuſpenſis, depoſitis & degradatis. Degradatio eſt ablatio honoris & loci dignitati convenientis. Depoſitio eſt privatio executionis Miniſterii ſine ſpe reſtitutionis in illud. Suſpenſio ejuſdem executionis Miniſterii privatio, ſed cum ſpe reſtitutionis. Ad petitionem R. Affirmative: (*Ibid. art. 5. 7. & 8. o.*) quia quivis Sacerdos quantumvis peccator, Hæreticus, excommunicatus, ſuſpenſus, depoſitus aut degradatus non amittit characterem & poteſtatem Ordinis. Vide quæ diximus de Miniſtro Sacrament. in gener. Diſſ. 5. art. 3.

Petes 3. Utrum Miſſa mali Sacerdotis æque valeat, ac Miſſa boni Sacerdotis? R. (*Ib. a. 6. o.*) Si in Miſſa conſideretur Sacramentum & Orationes prout funduntur a Sacerdote in perſona Eccleſiæ, Miſſa mali Sacerdotis æque valet, ac Miſſa boni Sacerdotis, quia utrimque eſt idem Sacramentum & idem Miniſterium; non enim malus Sacerdos, cum retineat characterem, deſinit eſſe Miniſter Eccleſiæ. At ſi conſiderentur Orationes, ut a privata perſona procedunt, earum efficacia pendet ex devotione Sacerdotis, & ex ea parte melior eſt Miſſa boni, quam mali Sacerdotis. Unde cum res conſiderari ſoleant ſecundum omnes ſuas circumſtantias, dici poteſt abſolute, quod Miſſa boni Sacerdotis ſit melior, quam mali.

Utrum liceat audire Miſſam, vel recipere Communionem a malis Sacerdotibus? Require in Tract. de Sacramentis in genere Diſſert. 5. a. 6.

Petes 4. Utrum liceat Sacerdoti omnino ceſſare a celebratione Miſſæ? R. (*Ib. a. 10. o.*) Sacerdos etiamſi curam animarum non habeat, tenetur ſub gravi peccato aliquoties celebrare; quia 1. hoc præceptum: *Hoc facite in meam commemorationem*, non tantum reſpicit Communionem & communicantes, ſed & maxime Conſecrationem & conſecrantes. Chriſtus enim, ut ait Trid. ſeſſ. 22. c. 1. *Eis ut conſecrarent præcepit per hæc verba; Hoc facite, &c. uti ſemper Eccleſia Catholica intellexit & docuit*. 2. Unuſquiſque tenetur uti gratia ſibi data, cum fuerit opportunum, ſecundum illud 2. Cor. 6. *Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*. Atqui opportunitas Sacrificium offerendi non ſolum attenditur per comparationem ad Fideles Chriſti, quibus oportet Sacramenta miniſtrari, ſed principaliter per ordinem ad Deum, cui, Conſecratione hujus Sacramenti, Sacrificium offertur. Confir. Unuſquiſque jure naturæ tenetur offerre Deo Sacrificium. Sicut ergo Laici offerunt per Sacerdotes, ſic Sacerdotes debent offerre per ſeipſos. Adde, quod ſint ex Officio deputati, ut pro populo intercedant, & pro peccatis Dona ac Sacrificia offerant. Heb. 5.

Quoties autem ſecluſo legitimo impedimento celebrare teneantur? Reſpondet Auctor eos teneri præcipuis feſtis, maxime iis, in quibus fideles communicare conſueverunt: & C. *Dolentes* de celebr. Miſſ. reprehenduntur, qui vix quater in anno celebrant: & Trid. ſeſſ. 23. c. 14. *Curet Epi-*

Epiſcopus, ut ii (Sacerdotes) ſaltem diebus Dominicis & feſtis ſolemnibus, ſi autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut ſuo muneri ſatisfaciant, Miſſas celebrent.

ARTICULUS III.

Quis ſit Miniſter diſpenſationis Euchariſtiæ?

CUM Euchariſtia conſiſtat in re permanenti, non eſt dubium, quin valide a quoquam diſpenſetur, Quæſtio eſt igitur de licito.

Dico 1. (*Ibid. a. 3. c.*) Miniſter ordinarius & ex officio diſpenſationis Euchariſtiæ eſt Sacerdos. Prob. ex Concilio Trid. ſeſſ. 13. cap. 8. ubi dicitur, *Semper in Eccleſia Dei hunc morem fuiſſe, tanquam ex Apoſtolica traditione deſcendentem, ut Laici Euchariſtiam a Sacerdotibus acciperent.* Suadetur ratione, 1. (*Ibid.*) Ad Sacerdotem pertinet ex Officio Conſecratio Euchariſtiæ. Ergo & diſpenſatio; tum quia cui competit actus principalis, competit & acceſſorius; tum quia Sacerdos conſecrat in perſona Chriſti; ſicut autem Chriſtus conſecravit, ita & aliis diſtribuit. 2. Sacerdos conſtituitur medius inter Deum & populum. Ergo ſicut pertinet ad eum dona populi Deo offerre, ita ad eum pertinet dona divinitus ſanctificata populo offerre. Unde Eccleſia ex S. Doctore canit: *Cujus officium committi voluit ſolis Presbyteris, quibus ſic congruit, ut ſumant & dent cæteris.*

Dico 2. (*Ibid. ad 1.*) Diaconus habet vi ſuæ ordinationis, ut poſſit ei committi diſpenſatio Euchariſtiæ, Quia cum Diaconus ſit propinquus Ordini Sacerdotali, aliquid participat de ejus officio, ut ſcilicet diſpenſet Euchariſtiam ex commiſſione, eo modo quo diximus Sacerdotem habere vi Ordinationis ſuæ, ut poſſit ei committi collatio Confirmationis. Vide Diſſert. de Confirmatione a. 7. §. 2. Obj. 2.

Concluſionem ſuluper probat praxis priorum ſæculorum, in quibus Diaconi paſſim ex commiſſione Epiſcoporum, vel Presbyterorum ſive generali, ſive ſpeciali, Euchariſtiam miniſtrabant. Ita conſtat ex Concilio Nicæno I. Generali Can. 14. vel ſecundum aliam verſionem Can. 18. ubi de Diaconis reſpectu Communionis ſtatuitur, quod *Si non fuerit in præſenti vel Epiſcopus, vel Presbyter, tunc ipſi proferant & edant.* Ex Concilio Carthag. 4. an. 398. Can. 38. *Diaconus præſente Presbytero Euchariſtiam Corporis Chriſti populo, ſi neceſſitas cogat, juſſus eroget.* Ex S. Juſtino Apolog. 2. ubi dicit, quod *Diaconi dant ſingulis præſentibus partem panis & Calicis diluti, ſuper quos facta eſt gratiarum actio, quod alimentum apud nos vocatur Euchariſtia.* Ex lib. 8. Conſtit. Apoſt. quæ S. Clementi tribuuntur c. 28. *Oblatione vero ab Epiſcopo aut Presbytero facta, ipſe Diaconus det populo, non tanquam Sacerdos, ſed tanquam qui miniſtrat Presbyteris.* Ex Cypriano Tract. de lapſis, ubi dicit Diaconum præſentibus Calicem offerre. Ex dicto S. Laurentii ad Xiſtum, de quo ſupra. Ex ordine Rom. in quo diſpenſatio Euchariſtiæ tanquam officium Diaconi recenſetur. Ex Gelaſio I. Ep. ad Epiſcopos Lucaniæ; *Diaconi Sacri Corporis Chriſti prærogationem ſub conſpectu Pontificis ſeu Presbyteri, niſi his abſentibus, jus non habent exercendi.* Ex Conc. Arelat. 2. an. 452. Can. 15. *In Secretario, Diacono inter Presbyteros ſedere non licet, vel corpus Chriſti præſente Presbytero tradere non præſumat.* Ex Concilio Aquiſgran. an. 816. Can. 7. *Sicut in Sacerdote conſecratio, ita in miniſtro diſpenſatio Sacramenti.*

Obſervanda circa præfata Teſtimonia.

OBSERVANDUM 1. quandoque in his teſtimoniis fieri mentionem commiſſionis ſpecialis, quandoque innui generalem tantum; item quandoque requiri neceſſitatem & abſentiam Presbyteri, ut Diaconus Euchariſtiam diſpenſet, quandoque non requiri. Quod factum arbitramur ſecundum variam diſciplinam diverſarum Eccleſiarum & diverſorum temporum. 2. Hanc commiſſionem ſive generalem ſive ſpecialem factam Diaconis non ſemper reſtringi ad diſpenſationem ſanguinis, ſed etiam extendi ad diſpenſationem corporis. Unde cum S. Th. hic ad 1. loquitur de commiſſione facta Diaconis diſpenſandi calicem tantum, intelligit ſecundum morem, qui circa ſua tempora invaluerat, ea probabili ratione, quam proſert, quod ſanguis Chriſti contineatur in vaſe, nec adeo neceſſe ſit tangi a diſpenſante, ſicut tangitur corpus Chriſti. 3. Hunc uſum committendi Diaconis diſpenſationem Euchariſtiæ jam diu apud nos exoleviſſe, ideo id nunc non licere, niſi forte in neceſſitate; puta urgente tempore Communionis Paſchalis, aut lucrandi Jubilæi, Sacerdos infirmus poſſet, ut quidam volunt, committere Diacono diſpenſationem Euchariſtiæ.

Obſervandum 4. Secundum communem ſententiam, Diaconos in periculo mortis poſſe ſine commiſſione ſpeciali & expreſſa, ſibi vel aliis Viaticum miniſtrare, ſi deſit Sacerdos, aut ſi præſens irrationabiliter recuſet dare; idque vel ex præſumpta commiſſione benignæ Matris Eccleſiæ, quæ non vult ſuos filios in hoc agone tanto ſubſidio defraudare, vel vi commiſſionis generalis in quibuſdam laudatis Canonibus factæ. Obſervandum 5. Hoſtiæ conſecratæ diſpenſationem ſive per Diaconos, ſive per Presbyteros olim non fieri ſicut nunc infundendo ori communicantium, ſed tradendo in eorum manus, quam vel ibidem conſumebant, vel domum deferebant tempore opportuno ſumendam, præſertim tempore perſecutionum, ſicque ſibi miniſtrabant ſecundario & minus principaliter applicando ad os. Iſta conſtant ex Cyrillo Jeroſol. Catecheſi 5. Myſtagogica, ubi hæc habet: *Accedens ad Communionem, non expanſis manuum volis accede, neque disjunctis digitis, ſed ſiniſtram veluti ſedem quandam ſubjiciens dextræ, quæ tantam Regem ſuſceptura eſt, & concava manu ſuſcipe dicens, Amen.* Ex Tertull. 2. ad uxorem c. 5. Ubi enumerans incommoda viri gentilis cum uxore Chriſtiana: *Non ſciet*, inquit, *maritus, quid ſecreto ante omnem cibum guſtes; & ſi ſciverit, panem non illum credet eſſe, qui dicitur.* Ex Baſilio Ep. ad Cæſariam Patriciam, ubi probat hanc diſciplinam ex diuturna conſuetudine etiam extra tempus perſecutionis: *Omnes enim*, inquit, *qui ſunt in Deſertis Monachi, ubi non eſt Sacerdos, illic habentes Communionem ex ſe ipſis eam ſumunt. Alexandriæ autem & in Ægypto unuſquiſque ex Laicis, qui illic degunt, maxima ex parte habent Communionem domi ſuæ... Etenim in Eccleſia Sacerdos tradit particulam, & cum omni poteſtate & libertate eam tenet, qui accipit, & ſic ſua manu ad os eam adducit.* Eundem morem ſervari ſupponit Hieronymus Apolog. adverſus Jovin. Hoc autem erat diſcrimen inter viros & mulieres, quod viri hoſtiam reciperent nuda manu, mulieres vero in linteolo mundo, quod ideo vocabatur *Dominicale*. Conſtat ex Aug. Serm. 252. de tempore; *Mulieres*, inquit, *quomodo nitidum exhibent linteolum, ubi Chriſti corpus accipiunt; ſic corpus caſtum & cor mundum exhibeant.* Ex Concilio Antiſſiodor. an. 578. Can. 36. *Non licet mulieri nuda manu Euchariſtiam ſumere;* & alia.

Obſervandum 6. Hos uſus paulatim in Eccleſia deſiviſſe. Imprimis prohiberi cœpit in quibuſdam Conciliis Provincialibus Euchariſtiam extra Eccleſiam conſumere, Synodus Cæſar. Auguſtana an. 381. Can. 3. ſic ſtatuit: *Euchariſtiæ gratiam ſi quis probatur acceptam non conſumpſiſſe in Eccleſia, anathema ſit in perpetuum.* Toletana I. an. 400. Can. 14. *Si quis acceptam a Sacerdote Euchariſtiam non ſumpſerit, velut ſacrilegus propellatur.* Deinde fuit prohibitum Euchariſtiam in manus Laicorum tradere cap. *Pervenit* 29. de conſecrat. D. 2. ex Concilio Rhemenſi. Tandem conſuetudine contraria, quæ vim Legis habet, ubique introductum eſt, ut hoſtia a Sacerdote non in manus tradatur, ſed ori infundatur ibidem conſumenda.

Ex his inferes, quod quamvis abſolute loquendo Eccleſia & ſummus Pontifex ex plenitudine poteſtatis poſſit diſpenſare, ut Clerici Diacono inferiores, imo & Laici ſibi vel aliis Euchariſtiam diſtribuant, ſaltem minus principaliter, & applicando ad os, aut ad alios deferendo, quod a Sacerdote receperunt, ut fiebat olim, & legimus diſpenſatum a S. Pio V. ut Regina Maria Stuart ſe ipſam in carcere communicaret: attenta tamen præſenti Eccleſiæ diſciplina nulli ex prædictis magis licet etiam in articulo mortis ſe aut alios communicare, quam Sacerdoti ſine veſtibus ſacris celebrare. Unde S. Th. in 4. D. 13. q. 1. a. 3. q. 1. ad 3. poſtquam dixit cuilibet licitum eſſe tangere corpus Chriſti in neceſſitate, ut ſi in aliquo loco immundo caderet, addit: *Sed non eſt ſimile de diſpenſatione Sacramenti, quia receptio hujus Sacramenti non eſt neceſſitatis. Unde ei, qui non poteſt Sacramentaliter manducare, dicendum eſt, crede & manducaſti.*

ARTICULUS IV.

Quædam Quæſtiunculæ de Miniſtro diſpenſationis Euchariſtiæ breviter reſolvuntur.

PETES 1. Utrum quilibet Sacerdos poſſit Euchariſtiam diſpenſare. R. 1. Jure ordinario ſolus Parochus aut illi ſuperior poteſt Euchariſtiam diſpenſare, non quod ad ſubſtantiam actus hujus requiratur juriſdictio ſicut ad abſolutionem, ſed requiritur ad debitum modum & ordinem adminiſtrandi. Colligitur ex Concilio Carthag. 1. Cap. 7. & Milevitano Can. 18. Ratio eſt, quia Paſtoris eſt paſcere; inter vero actus paſcendi præcipuus videtur adminiſtratio Euchariſtiæ, quæ eſt cibus ſpiritualis animæ. Qui ergo ſine licentia Paſtoris, ſaltem præſumpta, id attentaret, jus ejus in re gravi violaret, ideoque ſecundum communem ſenſum Theologorum peccaret mortaliter; imo ſi eſſet Religioſus, qui id præſumeret, (non tamen qui ex ignorantia ageret) incurreret Excommunicationem Papæ reſervatam: quia Clementina *Religioſi* lib. 5. Tit. 7. ſub præfata Excommunicatione prohibetur

Re-

Digitized by Google

Religioſis ; ne Sacramenta Extremæ Unctionis , Euchariſtiæ & Matrimonii Clericis aut Laicis diſpenſare *præſumant* ſine licentia Paſtoris. Quando autem Parochus concedit alicui licentiam celebrandi in ſua Eccleſia , cenſetur concedere licentiam adminiſtrandi Euchariſtiam , niſi contrarium exprimat . R. 2. Religioſi mendicantes jure delegato poſſunt Euchariſtiam adminiſtrare omnibus utriuſque ſexus fidelibus , exceptis Communione Paſchali & Viatico. Ita conſtat ex eorum Privilegiis, quibus quoad hoc derogatur Clementinæ *Religioſi* : & ita obtinet uſus paſſim receptus.

Petes 2. Quo tempore poſſit & debeat adminiſtrari Euchariſtia ? R. Imprimis , excepto viatico , adminiſtrari non poteſt tempore interdicti localis c. *Quod in te* 11. extra de Pœnit. & remiſſ. l. 5. Tit. 38. Neque die Paraſceves, quia ſic obtinuit uſus , & extat Decretum S. Congreg. datum die 19. Febr. 1622. Conſuetudinem autem abſtinendi a Communione Sabbato ſancto probare videtur , quod hac die non cantetur Antiphona , quæ dicitur Communio , quam tamen nunc non obligare ſuadet contraria praxis. Quavis autem alia die , quavis diei hora , ſaltem ante meridiem , licite adminiſtratur Communio : quia nulla alia dies jure vel conſuetudine excipitur , nullum diei tempus legitur determinatum.

Adminiſtrandam eſſe in Miſſa *Poſt Communionem celebrantis ante Purificationem* ſuadet Trid. ſeſſ. 23. c. 6. poſſe poſt Miſſam miniſtrari tradunt Concil. Mediolan. 5. Tom. 5. Concil. pag. 587. Sacramentale Ambroſianum pag. 74. Decreta S. Congreg. ſub Urbano VIII. Imo id expedire quando magnus eſt communicantium numerus docet ſapientiſſimus Pontifex Benedictus X V. feliciter regnans de Sacrificio Miſſæ p. 4. Seſſ. 2. quia adſtantes non communicantes poſſunt tædio affici , & negotiorum cura urgeri , ſicque nunc eſt in uſu . Dixi : *Saltem ante meridiem* , quamdiu ſcilicet celebrantur Miſſę , quia ſic obtinuit communis Eccleſię praxis ; excipe infirmos. Non videtur tamen damnandus , qui ex rationabili cauſa miniſtraret uni vel alteri ſecreto poſt meridiem.

Petes 3. Utrum in Miſſa defunctorum poſſit dari Communio ? R. affirmative : quia c. Trid. citatum optat , *Ut in ſingulis Miſſis* , nullam excipiendo , fideles communicent . 2. Quia in Miſſis defunctorum , ſicut in aliis , Sacerdos dicit in Canone , *Ut quotquot ex hac altaris participatione ſacro-ſanctum Filii tui corpus & ſanguinem ſumpſerimus* . 3. Ex Rubrica Miſſæ pro defunctis pariter legitur : *Si quis ſunt communicandi* , communicet antequam ſe purificet. Opponitur decretum contrarium ſacræ Congreg. an. 1701. at iſtud decretum deinceps promulgari vetuit eadem S. Congregatio die 21. Martii 1711. teſte P. Laurentio Berti l. 33. c. 18. ſ. 4.

Petes 4. Quandonam Parochus teneatur adminiſtrare Euchariſtiam ſuis Parochianis ? R. Teneri non ſolum in Paſchate & morte , ſed etiam quoties rationabiliter petunt , ſecluſis tamen legitimis impedimentis . Quia Paſtores temporalia recipiunt a fidelibus non ſolum ut ſpiritualia neceſſaria , ſed etiam utilia miniſtrent , alioqui non ſat eſſet proviſum ſaluti fidelium . Adde , quod ſicut Pater carnalis tenetur providere de cibo ſuis filiis , non ſolum in extrema vel gravi neceſſitate , ſed quoties rationabiliter petunt , ita Pater ſpiritualis.

Petes 5. Utrum Paſtor teneatur ſuis Parochianis peſte infectis adminiſtrare Euchariſtiam cum gravi vitæ ſuæ periculo ? R. Caſu , quo indigeant confeſſione , cum ſecundum probabiliorem ſententiam teneatur eorum confeſſiones audire , poteſt & debet eadem occaſione ipſis miniſtrare Euchariſtiam , cum per hoc non incurrat novum aliquod notabile periculum. Caſu vero , quo ſint confeſſi , probabiles ſunt utrinque ſententiæ. Negativam tenent Diana , Gabriel , Dicaſtillus & alii ; quia hoc Sacramentum non eſt abſolute neceſſarium , & præceptum non obligat cum tanto aliorum diſpendio : & ita declaraſſe Gregorium XIII. in quadam Ep. ad S. Carolum Borromæum teſtatur Diana in Summa verbo *Communio* numero 86. Affirmativam tuentur Silvius , Marchantius , Suares , Chapeauvillu & alii ; quia licet hoc Sacramentum non ſit abſolutæ neceſſitatis , videtur tamen medium aliquo modo neceſſarium ad conſervandam gratiam , & vincendas tentationes dæmonis in hoc ultimo conflictu maximo inſidiantis . Addunt hanc eſſe praxim Parochorum timoratorum , & magnum fore ſcandalum , ſi Paſtores ſinerent communiter ſuos ſubditos peſte laborantes mori ſine Viatico , quæ indicant Paſtores ad id teneri.

Cæterum hujus 2. ſententiæ Patroni admittunt , quod cum Euchariſtia ſit minus neceſſaria quam Pœnitentia , facilius poſſint occurrere rationes excuſantes Parochum , ne hic & nunc teneatur illam in caſu adminiſtrare, puta ſi ex una parte inſtet magnum periculum vitæ pro Parocho , & ex altera parte levis neceſſitas in ægroto , ſive quia paulo ante communicavit , ſive quia ex regulari vita , & ex confeſſione legitima eſt moraliter certus , quod ſit in ſtatu gratiæ. Item ſi ex morte Paſtoris gravis ſequeretur jactura in populo , quia alter nec cito , nec facile poſſet haberi. Ita Sylvius ſupp. q. 32. art. 3. quibus modificationibus appoſitis non ita diſtant præfatę ſententiæ. Inſuper ex utraque parte admittitur , quod in hoc caſu poſſit adminiſtrari Euchariſtia aliquo inſtrumento , modo abſit periculum lapſus.

Ritus , quo Sacerdos debet Euchariſtiam miniſtrare , ſive Laicis , ſive infirmis , traditur in Rubricis.

D I S S E R T A T I O VIII.

DE EUCHARISTIA IN QUANTUM EST SACRIFICIUM,

S I V E

DE SACRIFICIO MISSÆ.

HUC uſque egimus de Euchariſtia , ut eſt Sacramentum ad noſtram ſanctificationem ordinatum. Supereſt pro complemento hujus Tractatus agendum de ea , ut eſt Sacrificium in Dei cultum ordinatum.

A R T I C U L U S I.

Utrum Miſſa ſit verum ac proprie dictum Sacrificium?

ACtio illa ſacra , qua in Eccleſia Catholica conficitur Euchariſtia cum variis precibus & cæremoniis , dicitur apud Græcos *Liturgia* , apud Latinos *Miſſa* . Hanc vocem quidam dicunt eſſe Hebraicam ac derivatam a *Miſſah* , quod ſignificat oblationem . Alii communius cum Auctore (*Hic q. 83. art. 4. ad 9.*) dicunt eſſe vocem latinam a verbo *Mitto* derivatam ; quia oblatio & preces in illa mittuntur Deo per Angelum aſſiſtentem . Unde cum in fine Miſſæ dicitur *Ite Miſſa eſt* , ſenſus eſt : Licet vobis abire , quia oblatio ſalutaris cum precibus jam eſt tranſmiſſa ad Deum pro vobis.

In Tractatu de relig. Diſſ. 3. a. 2. Concluſ. 1. definivimus Sacrificium proprie dictum his verbis : *Oblatio rei ſenſibilis a legitimo Miniſtro facta Deo per realem immutationem , ad teſtandum ejus ſupremum Dominium , noſtramque ſubjectionem* . Quas omnes particulas ibidem adamuſſim explicuimus. Ibid. Concl. 3. & 4. probavimus Sacrificium eſſe de jure naturæ , conſequenter omnes homines ad illud teneri , ſive per ſe , ſive per alios offerendum , ita ut in omni communitate offeratur Sacrificium pro omnibus. Quæ omnia tanquam hic dicta ſupponimus & requirenda loco citato. Item ibid. Concluſ. 2. Varias Sacrificii diviſiones expoſuimus . At quod ſpectat præſens inſtitutum , dividitur ratione finis in Latreuticum , Euchariſticum , Impetratorium , & Propitiatorium. Latreuticum dicitur , quod præciſe ad cultum Deo ut ſupremo Domino exhibendum ordinatur. Tale erat in antiqua Lege Holocauſtum , quod totum comburebatur. Euchariſticum , quod offertur in gratiarum actionem pro acceptis beneficiis. Impetratorium pro novis beneficiis obtinendis : utrumque vocatur , in Lege Moſaica , hoſtia pacifica. Propitiatorium , quod ordinatur ad reddendum Deum nobis propitium & placatum , offertur pro peccatis præteritis , & dicebatur in antiqua Lege , hoſtia pro peccato.

Hæretici , qui negant præſentiam realem Chriſti in Euchariſtia , negant conſequenter Miſſam eſſe verum & proprie dictum Sacrificium. Id etiam negant Lutherani , quamvis præſentiam realem agnoſcant . Unde Lutherus cum utramque hanc ſententiam difficile conciliaret , eo dementiæ & impudentiæ devenit , ut in lib. de Miſſa privata an. 1534. ſcribere non erubuerit : *Tandem ſibi a Dæmone ſuggeſtam ac perſuaſam fuiſſe Miſſæ Sacrificium abrogandum eſſe* . Volunt ergo Novatores non eſſe in nova Lege , niſi Sacrificium ſpirituale bonorum operum ; quia , inquiunt , *Veri Adoratores adorabunt in ſpiritu & veritate* : Miſſam ſeu Euchariſtiam eſſe meram commemorationem Sacrificii Chriſti in Cruce , Chriſtumque nobis dediſſe menſam , in qua epulemur , ſed non altare , ſuper quod hoſties immolemus. Contra quos

Dico. Miſſa eſt verum & proprie dictum Sacrificium. Eſt de fide deciſa in Concilio Trid. ſeſſ. 22. Can. 1. ſic :

Si quis dixerit in Miſſa non offerri verum & proprium Sacrificium, aut quod offerri non ſit aliud, quam nobis Chriſtum ad manducandum dari, anathema ſit. Prob. 1. Ex Prophetia Malachiæ c. 1. *Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra, ab ortu enim ſolis uſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in Gentibus, & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda.* Duo importat hæc Prophetia, nempe rejicienda fore Sacrificia Judæorum, & illis ſubſtituendum fore novum; non enim obſtat, quod dicat *Sacrificatur* & *offertur* in præſenti; id enim familiare eſt Prophetis, ut propter certitudinem prædictionis futura quaſi præſentia aut præterita enuncient, ut illud Pſ. 21. *Diviſerunt ſibi veſtimenta mea*, & plura alia. Atqui per illud novum Sacrificium antiquis ſubſtituendum non poteſt aliud intelligi quam Sacrificium Miſſæ, hæc enim eſt oblatio munda, corpus ſcilicet & ſanguis Chriſti, quæ in omni loco Deo offertur. Si dicas cum Hæreticis poſſe intelligi Sacrificium crucis, vel Sacrificium ſpirituale bonorum operum. Contra 1. eſt, quod Sacrificium crucis non fuerit oblatum in omni loco, ſed in uno loco Judææ. Contra 2. Sacrificium ſpirituale bonorum operum non eſt novum, nec ſubſtituendum loco antiquorum Sacrificiorum; fuit enim ab initio mundi.

Confir. Probatio. Hanc Malachiæ Prophetiam de Sacrificio Miſſæ interpretantur communiter SS. Patres, Juſtinus in Dial. cum Tryph. Irenæus l. 4. adv. Hæreſ. c. 17. Chryſoſt. in Pſ. 95. & plures alii, quos refert Bellarm. l. 1. de Miſſa c. 10. Si dicas Auguſtinum l. 2. cont. lit. Petil. c. 86. & Hieronymum ſuper c. 1. Malach. ejus verba interpretari de Sacrificio laudis, R. ita quidem eſſe, at non excludendo Sacrificium proprie dictum; cum enim offeratur cum laude, poteſt dici Sacrificium laudis, modo non excludatur ratio veri Sacrificii. De vero autem Sacrificio expreſſe intelligit Aug. l. 18. de civit. c. 35.

Prob. 2. Hebr. 7. & Pſ. 109. Chriſtus dicitur *Sacerdos in æternum ſecundum ordinem*, ſeu ritum, *Melchiſedech*. Geneſ. autem 14. dicitur *Melchiſedech Rex Salem proferens panem & vinum, erat enim Sacerdos Dei altiſſimi, benedixit ei* (Abrahamo) *& ait: Benedictus Abraham de excelſo, & benedictus Deus excelſus, quo protegente hoſtes in manibus tuis ſunt.* Atqui Chriſtus non poteſt dici *Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech*, niſi ex ſimilitudine rei oblatæ in Sacrificium, ſcilicet panis & vini. Ergo. Prob. Min. Chriſtus non poteſt dici Sacerdos ſecundum ordinem Malchiſedech ex convenientia nominis, quatenus *Melchiſedech* ſignificat Regem juſtitiæ, & *Rex Salem*, Regem pacis, quæ nomina conveniunt Chriſto, neque ob typum divinitatis expreſſum his verbis, *Sine genealogia*, neque ob perpetuitatem Sacrificii ſignificatam his verbis, *Manet Sacerdos in æternum*, nec denique ob varias alias dotes Melchiſedech, quas Apoſtolus Heb. 7. enumerat. Hæc enim omnia ſignificant quidem Chriſtum fuiſſe figuratum in Melchiſedech, ſed non demonſtrant eſſe Sacerdotem ſecundum ordinem ſeu ritum Melchiſedech. Alia quippe eſt ratio figuræ, alia ritus & ordinis Sacrificii. Ad rationem figuræ ſufficit, quod ſigna præceſſerint; ad ritum Sacrificii requiritur ſimilitudo rei oblatæ. Hinc Abel, Iſaac, Moyſes fuerunt figuræ Chriſti: non poteſt tamen dici Chriſtus Sacerdos ſecundum ordinem Abel, aut Iſaac, aut Moyſis. Item licet antiqua Sacrificia eſſent per mactationem pecudum figuræ Sacrificii crucis, Chriſtus tamen non dicitur Sacerdos ſecundum ordinem eorum, qui pecudes immolabant, quia nulla eſt ſimilitudo inter victimam crucis, & victimas antiquorum Sacrificiorum. Nulla ergo ſimilitudo, nulla figura poteſt conſtituere Chriſtum Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech, niſi ſimilitudo rei oblatæ. Unde Trid. ſeſſ. 22. cap. 1. dicit de Chriſto: *Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech ſe in æternum conſtitutum declarans, corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini Deo Patri obtulit.* Et ita communiter intelligunt SS. Patres, Cyprianus Ep. 63. ad Cæcilium, Clemens Alex. l. 4. ſtrom. circa finem, Euſeb. l. 5. demonſt. Evang. Ambroſius l. 5. de Sac. c. 1. Epiphanius, Chryſoſt. Theodoret. & alii, de quibus vide Bellarm. cit.

Reſpondent 1. Hæretici Melchiſedech non obtuliſſe panem & vinum in Sacrificium, ſed ad reficiendos milites Abrahæ fatigatos ex prælio; quia in Vulgata non dicitur *Offerens*, ſed *proferens*; in Hebræo legitur *Protulit*, ſive *exire fecit*, & in verſione 70. Interpretum legitur, *Protulit illi* (Abrahæ) *panes & vinum*, ſicque interpretantur Joſeph l. 1. antiquit. c. 10. Damaſcenus l. 4. Orthod. fidei c. 14. Cajetanus in Geneſ. & Vaſques Diſp. 87. c. 3. art. 6. Multi ex noſtris negant Melchiſedech obtuliſſe panem & vinum militibus Abrahæ, ea potiſſimum ratione, quod cum abundanter refecti eſſent ex præda, ut habetur cap. cit. Geneſ. non indigerent cibo. Attamen poteſt concedi, & videtur concedendum abſque præjudicio probationis, dicendo ſcilicet Melchiſedech obtuliſſe Abrahæ & militibus ejus panem & vinum, non commune, ſed prius oblatum in Sacrificium, ſeu ut dicit Clemens Alex. l. 4. ſtrom. panem ſanctificatum, ut moris erat in Sacrificiis, ſicque omnia conciliantur, & evaneſcit reſponſio Hæreticorum. Melchiſedech vero re ipſa obtuliſſe panem & vinum in Sacrificium conſtat: 1. Ex dictis in probatione, quia in nullo alio Chriſtus poſſet dici Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech. 2. Ex Patribus laudatis. 3. Quia Melchiſedech obviam ivit Abrahæ, non ut Princeps fœderatus, ſed tanquam Pontifex, ut pro parta victoria Sacrificium ageret in gratiarum actionem, Abrahæ benediceret, & decimas ab eo reciperet, ut patet ex textu Scripturæ. 4. Quia ibidem ſignificatur ideo obtuliſſe panes, quia erat Sacerdos, *Erat enim*, inquit Scriptura, *Sacerdos Dei altiſſimi*; inepte autem proferretur titulus Sacerdotalis, ſi de militibus Abrahæ ſolum reficiendis, & non de Sacrificio peragendo actum fuiſſet. Neque dicas in Hebræo legi *Et*, & non *Enim*; legitur namque in Hebræo *Ve*, quam particulam linguæ Hebraicæ peritiſſimi Hieronymus & doctiſſimi Rabbini reddunt per *Enim*; ſed eſto legendum foret *Et*, ſenſus idem permaneret; non enim alia ratione poſt commemoratam oblationem panis & vini immediate fit mentio dignitatis Sacerdotalis, quam quia hæc requirebatur ad Sacrificium.

Reſpondent 2. etiam in Sacrificiis Aaron offerri panem & vinum, ſicque ea ratione Chriſtum non poſſe dici Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech. At contra in Sacrificiis Aaron offerebatur panis & vinum, ut pars tantum aut condimentum Sacrificii, non ut materia integra & totalis, ſicut in Sacrificio Melchiſedech. Reſpondent 3. Apoſtolum Heb. 7. enumerantem varios characteres Sacerdotii Chriſti in Melchiſedech præſignatos, ſilere de oblatione panis & vini. Ergo non in hoc poteſt dici Chriſtus Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech. Sed contra, negatur Conſeq. 1. Quia ex Argumento negativo nihil concluditur, præſertim ubi ſunt poſitiva in contrarium. 2. Quia id non erat neceſſarium ſcopo Apoſtoli; ibi enim intendit ſolum Paulum exponere excellentiam novi Sacerdotii præfigurati in Melchiſedech, ut Judæos averteret a Sacrificiis Aaronicis, quibus erant adhuc valde addicti. Eam autem excellentiam oſtendit ex perpetua duratione, ex decimatione Levitarum, ex unctione ſpirituali, & aliis prærogativis præſignatis in Melchiſedech, prætermittit ordinem & ritum Sacrificii in pane & vino, tum quia quantum ad hoc præciſe Sacrificium Melchiſedech non præcellit Sacrificiis vivorum animalium; & ipſi Levitæ quandoque etiam panem & vinum offerebant, licet ut partem tantum aut condimentum, ut dictum eſt: tum quia Myſterium Tranſſubſtantiationis panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti ſuperabat captum iſtorum Judæorum adhuc carnalium: & ideo c. 5. v. 11. dixerat: *De quo* Melchiſedech, *nobis grandis ſermo, & ininterpretabilis ad dicendum, quoniam imbecilles facti eſtis ad audiendum.* Et verſ. ſeq. *Facti eſtis quibus lacte opus ſit, non ſolido cibo.*

Prob. 3. Ex inſtitutione Euchariſtiæ. Chriſtus inſtituens Euchariſtiam verum perfecit Sacrificium, ſe ipſum Patri offerendo ſub ſpecie panis & vini. Atqui Miſſa eſt id ipſum, quod fecit & facere præcepit Apoſtolis & eorum in Sacerdotio ſucceſſoribus, dum dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Ergo. Min. conſtat. Prob. Maj. 1. ex præcedenti probatione. Chriſtus non alia de cauſa eſt & dicitur Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, quam quia obtulit Sacrificium ſecundum ritum & ſimilitudinem Sacrificii Melchiſedech. Atqui iſte ritus, ac iſta ſimilitudo in hoc ſita eſt, ut ſicut Melchiſedech obtulit panem & vinum, ita Chriſtus Sacrificium peregit dum ſub ſpeciebus panis & vini ſeipſum Deo obtulit. 2. Ex Patribus aſſerentibus Chriſtum in ultima Cœna hoc Sacramentum inſtituendo vere ſacrificaſſe. Ita Greg. Nyſſ. Hom. 2. in Levit. Cyprianus ſerm. de Cœna Dom. & Ep. 63. Leo magnus ſerm. 7. de Paſſ. &c.

Prob. 4. Ex Traditione, quam eruimus 1. ex Patribus, quos magno numero refert Bellarm. l. 1. de Miſſa c. 15. ſed quos hic recenſere cum textibus longum foret, & forte ſupervacaneum, ſi quidem illos nobis concedant Hæretici. Dicit enim Lutherus de Miſſa privata: *Hic non moramur, ſi clamitent Papiſtæ: Eccleſia, Eccleſia: Patrem, Patres; quia, ut dixi, hominum dicta, aut facta nihil in tam magnis curamus; ſcimus enim ipſos Prophetas lapſos eſſe, adeoque Apoſtolos. Verba Chriſti judicamus Eccleſiam, Apoſtolos, adeoque ipſos Angelos.* Et Kemnitius in Examine *Negari non poteſt veteres, quando loquuntur de celebratione Cœnæ Dominicæ, uſurpare vocabula Sacrificii, immolationis, hoſtiæ, victimæ, uti verbis, offerre, ſacrificare, immolare.* 2. Ex antiquis liturgiis nimirum Chryſoſtomi, Syriaca, Maronitarum, Armeniorum, & in aliis, in quibus paſſim exprimitur actio Sacrificii, oblatio Sacrificii, applicatio Sacrificii, &c. 3. Ex Conciliis: ex Niceno 1. Can. 14. v. 18. ubi aperte diſtinguitur oblatio a communione dum dicitur de Diaconis: *Neq*

Re-

Regula, nec conſuetudo tradidit, ut hi, qui poteſtatem non habet offerendi, his qui offerunt dent Chriſti corpus. Ex Tolet. 22. c. 5. Antiſſiod. c. 8. Bracar. 3. c. 1. Lateran. c. *Firmiter*, Conſtant. in Bulla Martini V. & tandem Trid. non ſolum Cap. ſupra laudato, ſed etiam in multis cap. ejuſdem ſeſſ. 22.

Prob. 5 Debet admitti in Eccleſia aliquod Sacrificium. Atqui non eſt aliud aſſignabile quam Miſſa. Ergo. Prob. Maj. 1. Quia Sacrificium eſt de jure naturæ, ut probavimus cum Auctore in Tract. de Religione. 2. Eſt Altare in Eccleſia juxta Apoſt. Heb. 13. *Habemus Altare, de quo edere non habent poteſtatem, qui Tabernaculo deſerviunt.* Atqui non erigitur Altare, niſi ad Sacrificium propria dictum, Sacrificium enim ſpirituale bonorum operum non indiget Altari. 3. Nulla natio aut Religio eſt, aut fuit unquam ſine Sacrificio. Unde Aug. l. 19. cont. Fauſt. *In nullum*, inquit, *nomen Religionis, ſive verum ſive falſum coadunari homines poſſunt; niſi aliquo Sacrificiorum & Sacramentorum viſibilium conſortio colligentur.* Qua ergo ratione vera Religio, dilecta Chriſti ſponſa, ab eo fundata, careret eo ſpecialiſſimo ritu colendi Deum, maxime cum Eccleſia legis naturæ & ſcriptæ habeiet ſua Sacrificia?

Ratio eſt, inquiunt Hæretici; quia in hac nova lege Chriſtus in cruce ſatisfecit pro peccatis omnium hominum, At vero etiam pro peccatis hominum, qui fuerunt in lege naturæ & ſcripta, ſatisfecit, & tamen tunc erant Sacrificia. Inſuper Chriſtus in cruce equidem ſatisfecit pro peccatis omnium hominum quantum ad ſufficientiam pretii ſoluti: at quantum ad efficaciam, debet ejus ſatisfactio nobis applicari per Sacrificium Miſſæ & Sacramenta.

Prob. 6. Nihil deeſt Miſſæ ad rationem Sacrificii veri & perfecti. Ergo. Prob. Ant. Adeſt oblatio rei ſenſibilis, ſcilicet corporis & ſanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini; Miniſter legitimus; Chriſtus principalis offerens Sacerdotum Miniſterio; immutatio materiæ myſtica ſcilicet, quatenus corpus & ſanguis vi verborum ſeparantur; cultus ſupremi Domini, quia Deo offertur, tandem locus neceſſarius, nempe Altare.

Solvuntur Objectiones.

OBj. 1. Secundum Apoſt. Heb. 7. non eſt in nova lege, niſi unus Sacerdos, ſcilicet Chriſtus; dicit enim: *Alii quidem facti ſunt Sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere; hic autem eo quod maneat in æternum, ſempiternum habet Sacerdotium.* Ergo ſi nullus ſit in Eccleſia Sacerdos præter Chriſtum, nullum eſt aliud Sacrificium præter illud cruentum, quod in cruce obtulit. R. D. Ant. Non eſt in nova lege, niſi unus Sacerdos principalis, C. miniſterialis, N. In hoc ergo ſitum eſt diſcrimen, quod Apoſtolus ſtatuit inter Sacerdotes antiquæ legis & novæ, quod Sacerdotes antiquæ legis, cum morte prohiberentur permanere, haberent ſucceſſores in eodem gradu dignitatis & poteſtatis; ſic Aaroni ſucceſſit Eleazar, Eleazaro Phinees, & ſic de cæteris. In nova autem lege cum Sacerdos Chriſtus maneat in æternum, non habet ſucceſſores in eadem dignitate, excellentia & poteſtate, habet tamen Miniſtros & Vicarios; ſicut ſummi Sacerdotes in antiqua lege, dum viverent, habebant inferiores ſacerdotes, ut Miniſtros & Vicarios. Imo ex hoc, quod Chriſtus maneat Sacerdos in æternum, & per ſe nunc non offerat Sacrificium, neceſſe eſt, quod habeat inferiores Sacerdotes, Miniſtros & Vicarios, qui in ejus loco & perſona Sacrificium offerant.

Inſt. 1. Juxta eundem Apoſtolum ibid. eſt unicum in Eccleſia crucis Sacrificium; dicit enim: *Qui* (Chriſtus) *non habet neceſſitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, prius pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro Populi; hoc enim fecit ſemel ſe offerendo.* Ergo. R. D. Ant. Eſt unicum in Eccleſia Sacrificium quoad ſubſtantiam, C. quoad modum, N. Sacrificium itaque Miſſæ idem eſt quoad ſubſtantiam cum Sacrificio crucis; quia idem eſt in utroque Sacerdos, eadem hoſtia, Chriſtus, & differt tantum quoad modum offerendi, quatenus in cruce fuit cruentum, in altari eſt incruentum. *Una eſt eademque hoſtia*, inquit Trid. ſeſſ. 22. cap. 2. *Idem nunc offerens Sacerdotum Miniſterio, qui ſeipſum tunc in cruce obtulit, ſola offerendi ratione diverſa.*

Inſt. 2. Iſtud Sacrificium diſtinctum quoad modum a Sacrificio crucis eſt inutile, & Sacrificio crucis derogans, atque injurioſum. Ergo. Prob. Ant. ex eodem Apoſtolo dicente ib. cap. 10. *Una oblatione conſummavit in ſempiternum ſanctificatos ... ubi autem horum* (peccatorum) *remiſſio jam non eſt oblatio pro peccato.* Ergo quodcumque aliud Sacrificium, tametſi quoad modum tantum diſtinctum, eſt inutile & Sacrificio crucis injurioſum, ejus virtuti atque efficaciæ derogans, quaſi non eſſet infinitæ virtutis & efficaciæ ad delenda omnia peccata. R. N. Ant. Ad Probat. D. una oblatione conſummavit in ſempiternum ſanctificatos quantum ad ſufficientiam pretii ſoluti pro ſanctificatione & redemptione totius generis humani, C. quantum ad applicationem hujus pretii, N. Similiter, ubi eſt peccatorum remiſſio, quoad ſufficientiam pretii, non eſt oblatio alterius pretii pro peccato, C. Non eſt alia oblatio pro applicatione hujus pretii, N. Unde ex hoc ſequitur tantum, quod non ſit opus, quod alius Chriſtus moriatur pro nobis, aut idem pluries moriatur, quaſi ejus oblatio non ſufficeret pro expiandis totius mundi peccatis; ſed non ſequitur, quod ſit inutile, & derogans Sacrificio crucis Miſſæ Sacrificium, cum ſit idem quoad ſubſtantiam, & ab eo totam virtutem mutuet, nec offeratur in ſupplementum Sacrificii crucis, quaſi iſtud non foret infinitæ virtutis, nec ſufficiens pretium ſolviſſet pro redemptione omnium hominum, ſed præciſe, ut fructus hujus pretii nobis applicetur. Sic non eſt inutile, nec derogans virtuti Paſſionis Chriſti, quod ipſe *Sit ſemper vivens ad interpellandum pro nobis* Heb. 7. atque quod Baptiſmus, aut alia Sacramenta frequententur, quia neque Chriſtus interpellat pro nobis, neque Baptiſmus aut alia Sacramenta conferuntur, quaſi Paſſio Chriſti non foret infinitæ virtutis, ſed ut ejus fructus nobis applicetur.

Inſt. 3. Per Sacramenta ſufficienter nobis applicatur fructus Paſſionis Chriſti, Ergo. R. N. Ant. Quamvis enim Chriſtus potuiſſet per unicum medium fructum ſuæ Paſſionis nobis applicare, ut tamen facilius & ſuavius applicaretur, plura ad id media inſtituit, inter quæ reponimus Sacrificium Miſſæ. Et ſi hoc argumentum aliquid probaret, ſequeretur in principiis Hæreticorum, quod ipſa Sacramenta, maxime Baptiſmus & Cœna, quæ admittunt, forent inutilia; quia juxta illos ſufficienter nobis applicatur fructus Paſſionis per prædicationem verbi, quatenus excitat fidem, qua, ut dicunt, juſtificamur.

Inſt. 4. Juxta Apoſt. ibid. *Jam non relinquitur hoſtia pro peccatis.* Ergo. R. hujus textus, in quo de peccato Apoſtaſiæ agitur, multiplicem eſſe interpretationem. 1. Quod difficile & vix ſit ſpes veniæ propter maximam ingratitudinem & malitiam hujus peccati. 2. Quod non relinquatur hoſtia, qua totum peccatum quoad culpam & omnem pœnam remittatur, ſicut fit per Baptiſmum, quia Baptiſmus non iteratur. 3. Quod hujuſmodi Apoſtatæ non relinquatur hoſtia, neque Judaica, quia abrogata eſt, neque Euchariſtica, quia Chriſtum non agnoſcit. Alterutram expoſitionem eſſe ad mentem Apoſtoli inde conſtat, quod paſſim hortetur peccatores ad pœnitentiam: ergo ſupponit adhuc abſolute iis relinqui hoſtiam pro peccatis.

Inſt. 5. Mulieri Samaritanæ interroganti ubi eſſet adorandum, an in Monte Garizim, an in Templo Jeroſolymitano: Et nota per *adorandum* intelligi *ſacrificandum*; de ſacrificio enim erat diſſenſio inter Judæos & Samaritanos, in quo ex his duobus locis eſſet peragendum? Reſpondet Chriſtus, quod neque in Monte Garizim, neque in Templo Jeroſolymitano erit deinceps adorandum, ſed quod *veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate*, Ergo Chriſtus rejicit externa ſacrificia, & vult tantum Sacrificium internum & ſpirituale. R. 1. Hoc argumento nimis probari, nimirum rejiciendum eſſe omnem cultum exteriorem, quem tamen ipſi Hæretici admittunt in Baptiſmate, in celebratione Cœnæ, & in multis aliis. R. 2. D. Conſeq. Ergo Chriſtus externa ſacrificia Legis Moſaicæ rejecit, C. Erat enim quæſtio de illis: Sacrificium incruentum novæ Legis, N. Per iſtud enim Fideles adorant Patrem *in veritate*, dum offerunt ipſi Chriſtum, qui eſt veritas; & *in Spiritu*, dum captivant intellectum in obſequium fidei hujus myſterii.

Obj. 2. Eucharistia eſt Sacramentum & teſtamentum, Atqui idem non poteſt eſſe Sacramentum & teſtamentum & ſimul Sacrificium; alia enim eſt ratio Sacrificii, alia Sacramenti & teſtamenti. R. 1. Hoc argumentum ſecum pugnare, nimirum idem non poſſe eſſe Sacramentum & teſtamentum, quia eſt etiam alia ratio Sacramenti & teſtamenti. Unde R. 2. D. Min. Idem ſub eadem ratione non poteſt eſſe Sacramentum, teſtamentum & Sacrificium, C. Sub diverſa ratione, N. Eucharistia itaque prout eſt ſignum gratiæ ſanctificantis, eſt Sacramentum; prout eſt ſignaculum ſeu inſtrumentum publicum divinæ promiſſionis & novi fœderis, eſt teſtamentum, prout autem offertur Deo, eſt Sacrificium. Sic Agnus Paſchalis prout erat ſignum gratiæ ſeu Paſſionis Chriſti; erat Sacramentum; prout offerebatur Deo, erat Sacrificium. Item Exod. 14. ſanguis victimarum effuſus ſuper populum erat ſimul Sacrificium & teſtamentum ſeu ſignum fœderis & teſtamenti.

Inſt. Eucharistia non ſolum eſt ſignum novi fœderis & teſtamenti, ſed eſt etiam pars hæreditatis ſeu legati teſtamento Chriſti nobis relicti. Atqui hæreditas ſeu legatum non redditur teſtatori, alias eſſet inutilis hæreditas. Ergo. R. D. Min. Hæreditas ſeu legatum non redditur teſtatori inter homines, C. Inter Deum & homines, N. Tum quia nihil poſſumus Deo offerre, quod ab eo non acceperimus; tum quia reddendo Deo, quod ab eo accepimus,

mus, efficimur ditiores, quam illud retinendo, cum offerendo & reddendo acquiramus novum meritum.

Obj. 3. In Sacrificio rei viventis requiritur mactatio, ſeu occiſio victimæ. Atqui Chriſtus, qui ſecundum nos eſt victima, in Miſſa non occiditur. Ergo. R. D. Maj. in Sacrificio rei viventis ut viventia requiritur occiſio victimæ, Tranſeat. Poteſt enim negari, ſi quidem Hircus Levit. 16. offerebatur vivus, nec tamen occidebatur, ſed emittebatur in Deſertum. Sufficit ergo quædam immutatio victimæ vergens in ejus deſtructionem aut deteriorationem. Victimæ in ſtatu quaſi mortuo oblatæ, Subdiſtinguo: Requiritur occiſio cruenta & phyſica, N. Incruenta & myſtica, C. Hæc autem reperitur in Sacrificio Miſſæ, In quo vi verborum ſeparatur ſanguis a corpore. Et hæc ſufficit ad Sacrificium incruentum, quale eſt Sacrificium Miſſæ figuratum per Sacrificium incruentum Melchiſedech.

Inſt. Euchariſtia eſt commemoratio & repræſentatio Sacrificii crucis. Ergo non eſt Sacrificium. R. D. Ant. Eſt commemoratio & repræſentatio vacua, N. continens rem ipſam Sacrificii repræſentati, C. & N. Conſeq. Commemoratio enim & repræſentatio Sacrificii, præſertim ſi rem Sacrificii contineat, poteſt eſſe ſimul Sacrificium; in Euchariſtia autem continetur eadem victima, quæ fuit immolata in cruce, & eſt tantum diverſus modus offerendi; unde eſt commemoratio Sacrificii cruenti & ſimul Sacrificium incruentum. Sic Agnus Paſchalis fuit figura Sacrificii crucis & ſimul Sacrificium.

Obj. 4. Chriſtus conſecrans in ultima Cœna non obtulit Sacrificium. Ergo nec offerunt Sacerdotes. Prob. Ant. 1. Quia legitur quidem Chriſtum cum Diſcipulis in menſa ſediſſe, fregiſſe panem & diſtribuiſſe, at non legitur ſacrificaſſe. 2. Si tunc ſacrificaſſet, Sacrificium hoc fuiſſet infinitæ virtutis, ſicque ſuperfluum fuiſſet Sacrificium crucis. Ergo. R. N. Ant. ut patet ex 3. probat. Concluſionis. Ad 1. probationem 1. eſt argumentum negativum, quod non probat. 2. Negatur; legitur enim Chriſtum eſſe Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech, quod verificari non poteſt, niſi quatenus obtulit corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini in ultima Cœna, ut probatum eſt. Item legitur ipſum conſecraſſe Calicem ſeorſim a pane, eumque vocaſſe Calicem ſanguinis ſui, quod ſufficit ad Sacrificium probandum, ut dicetur modo. Ad 2. probationem, N. ſecundam Sequelam: non enim hoc cœnæ Sacrificium, ſed omnes Chriſti actiones ab inſtanti Incarnationis fuerunt infiniti valoris, nec tamen ſuperfluum fuit Sacramentum Crucis, quia Deus decreverat, non niſi per illud conſummandum fore opus Redemptionis humanæ.

Obj. 5. Miſſa eſt inventum humanum. Ergo. Prob. Ant. Varii ordines Miſſæ ſeu Liturgiæ habent homines Auctores, primi dicuntur S. Jacobus & S. Marcus; deinde Baſilius, Chryſoſtomus & alii. Ergo. R. D. Ant. Miſſa quantum ad varias cæremonias & preces eſt inventum humanum, C. Quantum ad ſubſtantiam Sacrificii, N. Imo argumentum ſic retorqueo in Hæreticos. Liturgiæ cujuſcumque ſint Auctoris ſunt antiquiſſimæ. Ergo tunc offerebatur in Eccleſia incruentum Miſſæ Sacrificium. Atqui non eſt veriſimile homines novum invexiſſe Sacrificium, nemine reclamante, ſed e contra univerſa Eccleſia approbante. Ergo.

ARTICULUS II.

In qua actione conſiſtat eſſentia Sacrificii Miſſæ?

IN Miſſa plures concurrunt actiones, Oblatio panis & vini ante Conſecrationem, quæ dicitur *Offertorium*, Conſecratio, elevatio ſpecierum, oblatio poſt Conſecrationem, dum dicitur: *Unde memores*, &c. *Offerimus præclaræ Majeſtati tuæ*, &c. Fractio panis & mixtio cum ſanguine, diſtributio & ſumptio per Sacerdotem. Præcipua difficultas eſt de Conſecratione & Sumptione: unde ut a facilioribus incipiamus,

Dico 1. Eſſentia Sacrificii Miſſæ non conſiſtit in oblatione ſive præcedente ſive ſubſequente Conſecrationem, neque in elevatione hoſtiæ, neque in fractione & mixtione ſpecierum, neque in diſtributione. Prob. In ea actione conſiſtit eſſentia Sacrificii, quæ 1. eſt immutativa victimæ; 2. quæ fit in perſona Chriſti, qui eſt principalis offerens; 3. quam Chriſtus adhibuit inſtitutione hujus Sacramenti, juſſit enim fieri quod fecit: 4. tandem, quæ eſt repræſentativa Paſſionis illius; ad id enim inſtitutum eſt hoc Sacrificium. Atqui actiones enumeratæ non habent omnes iſtas conditiones; oblatio, quæ fit ante Conſecrationem, non eſt immutativa victimæ, ſed præparatoria materiæ conſecrandæ; non enim offertur corpus Chriſti, quod nondum eſt, ſed panis & vinum, neque eam adhibuit Chriſtus. Elevatio hoſtiæ non eſt etiam immutativa niſi localiter, quod non ſufficit, neque fit in perſona Chriſti, neque eam Chriſtus adhibuit. Oblatio ſequens Conſecrationem non fit etiam in perſona Chriſti, ut patet ex verbis: *Unde & memores nos ſervi tui & plebs tua ſancta, offerimus præclaræ Majeſtati tuæ*, &c. neque eſt immutativa, ſed ſupponit mutationem factam, neque Chriſtus eam adhibuit. Fractio panis eſt quidem immutativa ſpecierum, ſed non corporis Chriſti, nec verſatur circa utramque ſpeciem, cum tamen utraque ſpecies ingrediatur rationem Sacrificii, ut dicetur; & ſi caſu hoſtia ante fractionem caderet in Calicem, ſubſiſteret Sacrificium ſine fractione. Mixtionem ſpecierum non adhibuit Chriſtus, ſed eſt tantum cæremonia Eccleſiaſtica, ſicut ipſa hoſtiæ fractio, neque per eam mactatur victima, ſed eſt potius quaſi mactationi reparativa coadunando corpus cum ſanguine. Tandem quoad diſtributionem ſæpe ſine illa offertur Sacrificium, & ſupponit illud peractum, cum illius participes fiat communicantes. Ergo.

Dico 2. Sumptio non eſt de eſſentia Sacrificii. Prob. ex eodem principio. 1. Sumens non agit in perſona Chriſti, non enim aliquid offert, ſed ſibi & in propriam utilitatem recipit. 2. De fide certum eſt Chriſtum conſecraſſe; quod vero ſe communicaverit, quamvis ſit probabilius, non eſt tamen fide certum. 3. Cap. *Relatum* de Conſec. d. 2. redarguuntur Presbyteri ſacrificantes & non communicantes. 4. Sumptio ſupponit victimam mactatam per conſecrationem, ut mox dicam, & eſt participatio fructus Sacrificii. 5. Non eſt immutativa niſi localiter, remanet enim ea non obſtante corpus Chriſti ſub ſpeciebus. Neque dicas immutationem fieri in ſtomacho, dum conſumuntur ſpecies, actio enim ſacrificativa debet fieri in altari, & non in hominis ſtomacho. 6. Tandem eſt repræſentativa ſepulturæ Chriſti tantum, non vero mortis ejus niſi mediate, & ex ſuppoſitione, quod Chriſtus ſit prius immolatus.

Dico 3. Eſſentia Sacrificii Miſſæ adæquato conſiſtit in Conſecratione corporis & ſanguinis cum ordine ad ſumptionem tamquam ad partem integrantem. Eſt communior cum Auctore, qui quæſt. præced. 82. a. 4. dicit, quod *Conſecratio Chriſmatis, vel cujuſcumque materiæ non eſt Sacrificium ſicut Conſecratio Euchariſtiæ*. Art. 10. o. dicit *Sacerdotes teneri ad ſacrificandum... principaliter per comparationem ad Deum, cui Conſecratione hujus Sacramenti Sacrificium offertur*. Et ad 1. *Hoc Sacramentum perficitur in Conſecratione hoſtiæ, in qua Sacrificium Deo offertur*.

Prob. 1. Pars 1. Ab excluſione aliorum actionum. 2. ex eodem ſemper principio. Conſecratio fit in perſona Chriſti, ut patet ex verbis præcedentibus Conſecrationem. 3. Eam adhibuit Chriſtus, ut etiam conſtat. Eſt immutativa victimæ ſcilicet Chriſti, quatenus ponit ibi ipſum modo quaſi mortuo ſeparando vi verborum corpus a ſanguine: nam vi verborum ponitur ſolum corpus ſub ſpeciebus panis, & ſolus ſanguis ſub ſpeciebus vini, ita ut ſit veluti per accidens reſpectu Conſecrationis, quod ea peracta ſanguis ex concomitantia reperiatur in corpore. 6. Atque ea ratione eſt eſſentialiter repræſentativa mortis Chriſti, quod nulli alteri actioni convenit. Confir. Sacerdotium per ſe primo conſiſtit in poteſtate conſecrandi. Ergo Sacrificium in ipſa Conſecratione, Sacerdotium enim eſſentialiter eſt propter Sacrificium. Prob. 2. Pars. Sacrificium Miſſæ habet rationem cibi & potus. Ergo dicit ordinem ad ſumptionem tanquam ad partem integrantem & complentem. Et hæc eſt ratio, cur tanta ſit Eccleſiæ ſollicitudo, ut utraque ſpecies ſumatur a celebrante, vel, ſi caſu non poſſit, ab alio Sacerdote.

Solvuntur Objectiones.

OBj. 1. Ad Sacrificium requiritur eſſentialiter oblatio. Ergo. R. D. Ant. Requiritur eſſentialiter oblatio verbalis & in actu ſignato, N. Oblatio re & in actu exercito, C. Non igitur requiritur ad Sacrificium, quod ſacrificans dicat: *Tibi offero*: neque enim ſic exprimebatur in Sacrificiis antiquis, neque id dixiſſe Chriſtus legitur; ſed ſufficit, quod Sacerdos victimam præſentem in altari ſiſtat & immolet in Dei cultum; hoc ipſo enim in actu exercito ipſi offertur, ſicut hoc ipſo, quo dapes apponuntur menſæ, offeruntur convivis. Hujuſmodi autem oblatio reperitur in Conſecratione. Adde, quod ad Sacrificium non ſufficiat quæcumque oblatio, ſed requiritur oblatio immutativa.

Inſt. 1. Trid. ſeſſ. 23. cap. 1. loquitur de Conſecratione & oblatione tanquam de actionibus diſtinctis dum dicit Chriſtum dediſſe Apoſtolis poteſtatem conſecrandi, offerendi, & miniſtrandi. Ergo. R. N. Ant. Non enim ideo Concilium ſic loquitur, quia reputat Conſecrationem actionem diſtinctam ab oblatione, ſed quia Lutherani, contra quos ibi agit, concedebant Presbyteris poteſtatem conſecrandi, denegabant autem ipſis poteſtatem offerendi & ſacrificandi: & ideo Concilium dicit ipſis collatam eſſe poteſtatem non ſolum conſecrandi, ſed etiam offerendi, nimirum quia ipſa Conſecratio eſt oblatio & Sacrificatio.

Inſt. 2. Idem Concilium ſeſſ. 22. cap. 3. infert Sacrificium non offerri Sanctis; quia *Sacerdos non ſolet dicere*, offe-

Digitized by Google

offero tibi Sacrificium Petre vel Paule. Ergo cenſet Sacrificium conſiſtere in ſimili oblatione verbali. R. N. Conſeq. Quamvis enim oblatio verbalis antecedens aut conſequens Conſecrationem ſit tantum accidentalis, reſpicit tamen & ſignificat oblationem eſſentialem faciendam, aut factam in Conſecratione. Unde ex hoc quod Sacerdos non dicat: *Offero tibi Petre*, legitime infert Concilium, quod Sacrificium non offeratur Sanctis, abſque eo quod illa verbalis oblatio ſit de eſſentia Sacrificii.

Obj. 2. Conſecratio eſt productiva victimæ. Ergo non eſt illius immolatio. Patet Conſeq. tum quia productio victimæ præſupponitur ad ejus immolationem; tum quia fieri nequit, quod productio rei ſit ejus deſtructio. R. 1. D. Ant. Conſecratio eſt productiva victimæ ſimpliciter, N. Eſt productiva victimæ novo & quaſi mortuo modo, C. & N. Conſeq. Sufficit enim ad Sacrificium, quod res novo & deteriori modo, quam ſit in ſe, præſens ſiſtatur, neque ſemper requiritur ejus deſtructio. R. 2. D. Conſeq. Ergo non eſt ejus immolatio ſub eadem formalitate, C. ſub diverſa formalitate, N. Conſecratio itaque eſt productiva victimæ, quatenus eſt phyſica & realis converſio panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti; eſt autem ſacrificatio, quatenus eſt talis actio ſacramentalis ſeparans vi verborum corpus a ſanguine, quæ duæ formalitates ſunt diſtinctæ & abſolute ſeparabiles, caſu enim quo Sacerdos conſecraret tantum panem & non ſanguinem, non foret Sacrificium, ut alibi diximus, & mox iterum dicamus. Unde ad 1. probationem D. Productio victimæ præſupponitur ad ejus immolationem prioritate temporis vel rationis, C. ſemper prioritate temporis, N. Ad 2. etiam D. Productio rei non poteſt eſſe ejus deſtructio ſub eadem formalitate, C. ſub diverſa, N. Maxime ſi productio ſit realis & deſtructio myſtica tantum, ut in caſu.

Inſt. 1. Sacrificium debet eſſe ſenſibile. Atqui Conſecratio non eſt ſenſibilis. Ergo. R. D. Min. Conſecratio non eſt ſenſibilis quantum ad virtutem & effectum, C. ſacramentaliter, N. Sic enim eſt ſenſibilis ratione verborum, quibus fit, & ſpecierum, in quibus fit, ſicut omnes aliæ actiones, quæ fiunt circa corpus Chriſti inſenſibile, ſunt ſenſibiles ratione verborum vel ſpecierum.

Inſt. 2. Feria 6. Paraſceves offertur Sacrificium. Atqui tamen non fit Conſecratio. Ergo. Prob. Ant. 1. Quia in officio dicitur: *Sic fiat Sacrificium noſtrum in conſpectu tuo*, &c. 2. Quia ſi occurreret hac die feſtus dies, tenerentur fideles adeſſe huic officio. Ergo. R. N. Ant. Ad 1. Probationem, vocatur Sacrificium latiori ſignificatione; tum quia in eo recitantur quædam preces, & adhibentur quædam cæremoniæ recitari, & adhiberi ſolitæ in Sacrificio Miſſæ; tum quia eſt complementum Sacrificii præcedentis diei, in quo hoſtia, quæ nunc ſumitur, fuit conſecrata. Ad 2. probationem multi negant fideles in hoc caſu teneri adeſſe Officio, quia teneutur tantum ex præcepto Eccleſiæ adeſſe Miſſæ; & ita declaraſſe Congregationem ſacrorum Rituum refert Joannes a S. Th. alii cenſent teneri adeſſe, non quod ſit Sacrificium, ſed quia non aliter hac die celebratur Officium. Verum Eccleſia ſolet hunc caſum prævenire remittendo feſtum, ſi quod hac die occurrat, in alteram diem.

Inſt. 3. Si in Conſecratione perficeretur Sacrificium, ſequeretur, quod in Conſecratione totus fructus illius applicaretur. Atqui tamen poſt Conſecrationem applicatur defunctis in ſecundo *Memento*. Ergo. R. huic inſtantiæ varios varie reſpondere. Doctiſſimus Sylvius dicit incertum eſſe, quando tam celebrans, quam alii, pro quibus offertur, fructum Sacrificii percipiant; probabile tamen eſſe celebrantem bene diſpoſitum aliquem recipere in Communione. Joannes a S. Th. dicit non eſſe neceſſe, quod fructus Sacrificii conferatur in illo inſtanti, in quo fit, ſed quod poſſit conferri toto tempore, quo durat, juxta applicationem celebrantis. Alii demum exiſtimant totum fructum ex opere operato correſpondentem eſſentiæ Sacrificii applicari in ipſa Conſecratione, nec tamen fruſtra poſtea haberi *Memento* pro defunctis, aut Orationes recitari; tum quia poſſunt prodeſſe ex opere operantis; tum quia ipſa Communio tanquam pars integralis Sacrificii poteſt prodeſſe ex opere operato. Ex hac opinionum diverſitate inferes tutius eſſe applicationem fieri tam pro vivis, quam pro defunctis ante Conſecrationem.

Inſt. 4. Victima Sacrificii Miſſæ non deſtruitur per Conſecrationem. Ergo. R. D. Ant. Non deſtruitur cruente, C. incruente & myſtice, N. Unde eſt Sacrificium Incruentum cruenti repræſentativum. Patet ex dictis.

Inſt. 5. Si Sacerdos ex malitia intenderet conſecrare & non ſacrificare, conſecraret & non ſacrificaret defectu intentionis. Ergo Conſecratio non eſt Sacrificium. R. cum Sylvio. Vel ille haberet intentionem generalem faciendi, quod facit Eccleſia & Chriſtus inſtituit, vel non. Si primum, conſecraret, & ſacrificaret, quia intentio generalis prævalet particulari. Si ſecundum, nec conſecraret, nec ſacrificaret defectu intentionis.

Obj. 3. S. Th. q. præcedenti 82. a. 4. o. docet de ratione Sacrificii in genere eſſe, quod ſacrificans participet de victima. Unde infert: Neceſſe eſt, ut quoties Sacerdos conſecrat, ſumat utramque ſpeciem. Et 2. 2. q. 85. a. 3. ad 3. inter actiones ad hoc Sacrificium pertinentes recenſet fractionem, ſumptionem & benedictionem. Ergo. R. ad 1. Sumptionem eſſe de ratione integrali Sacrificii in genere & maxime inſtituti per modum cibi & potus, non eſſentiali, hoc eſt pertinere ad ſubſtantiam, non ad eſſentiam. Unde legitime infert S. Doctor Sacerdotem non poſſe celebrare abſque eo, quod ſumat utramque ſpeciem, quia tenetur jure divino facere Sacramentum integrum. Ad 2. Hæ quidem actiones pertinent ad hoc Sacrificium, ſed nulla eſſentialiter fractio & benedictio accidentaliter ex inſtitutione Chriſti, & ideo non poteſt omitti.

Inſt. tam fractio quam ſumptio ſignificant Sacrificium crucis. Ergo. R. fractionem adhiberi ut commodius ſumatur Hoſtia, & miſceatur ſpeciebus ſanguinis. Sed eſto adhibeatur ad ſignificandum Sacrificium crucis, id habet ex inſtitutione Eccleſiæ, non Chriſti; Chriſtus enim fregit, antequam conſecraret; & inſuper actio ſacrificativa debet verſari circa utramque ſpeciem, ut dictum eſt. Quantum ad ſumptionem, etiam diximus illam per ſe immediate repræſentare Sepulturam Chriſti, Paſſionem vero non niſi mediate & ex ſuppoſitione, quod Chriſtus ſit prius immolatus; ideo enim celebrans illum manducat. Aliunde non offert Deo, quod manducat, ſed in propriam utilitatem manducat.

Petes 1. Utrum ad eſſentiam hujus Sacrificii requiratur Conſecratio utriuſque ſpeciei? R. affirmative: quia hoc Sacrificium eſt eſſentialiter repræſentativum Paſſionis Chriſti, & ſecundum ordinem Melchiſedech. Atqui neutrum eſſe poteſt ſine Conſecratione utriuſque ſpeciei. Non 1. quia in cruce non fuit ſolum corpus, aut ſolus ſanguis, ſed corpus & ſanguis ſeorſum; in Conſecratione autem unius ſpeciei tantum, non repræſentatur iſta ſeparatio corporis a ſanguine. Non 2. quia Sacrificium Melchiſedech fuit in pane & vino. Hanc quæſtionem fuſius diſcuſſam require Diſſ. 3. hujus Tract. a. 5.

Petes 2. Quæ ſit hoſtia hujus Sacrificii? R. Principalis hoſtia hujus Sacrificii eſt Chriſtus ſeu ejus corpus & ſanguis cum anima, non ut in propria ſpecie, ſed ut ſub ſpeciebus panis & vini. Ratio 1. partis eſt, quia Sacerdotes offerunt, quod Chriſtus obtulit in cruce & in cœna. Atqui Chriſtus in cruce & in cœna ſeipſum obtulit. Unde ſeſſ. 22. c. 2. *In Sacrificio idem ille Chriſtus continetur & immolatur, qui in ara crucis ſemel ſeipſum obtulit*. Ratio 2. partis eſt, quia hoc Sacrificium eſt viſibile. Ergo res oblata, ſcilicet Chriſtus, debet eſſe aliquo modo viſibilis. Atqui non eſt viſibilis in ſe, ſed tantum ratione ſpecierum. Ergo non eſt hoſtia ut in propria ſpecie exiſtens, ſed ut ſub ſpeciebus exiſtens. Confirm. Quia circa corpus Chriſti ut in propria ſpecie exiſtens non verſatur actio ſacrificativa. Ergo circa illud ut exiſtens ſub ſpeciebus.

Dixi: *Principalis hoſtia*: quia panis & vinum aliquo modo ad hoc Sacrificium pertinent, non ut res principaliter oblata, ſed ut terminus a quo, ſeu materia tranſiens, ex qua corpus & ſanguis Chriſti conſecrantur. Non tamen poſſunt dici duo Sacrificia, quia panis non offertur abſolute, ſed ut tranſmutandus in corpus Chriſti, ſicque ad idem Sacrificium pertinent, panis ut materia ex qua, corpus ſub panis ſpeciebus ut id, quod principaliter ſacrificatur & offertur.

Petes 3. In quo hoc Sacrificium differt ab aliis Sacrificiis? R. 1. A Sacrificiis antiquæ Legis differt 1. Ex parte rei oblatæ. 2. Ex parte principalis offerentis. Utrumque patet. 3. Ex parte virtutis & effectus; quia iſtud eſt infiniti valoris, non antiqua. 4. Ex parte materiæ; quia in antiquis Sacrificiis materia, quæ aſſumebatur ad Sacrificium, erat id, quod principaliter offerebatur; hic autem materia, quæ aſſumitur, non eſt res principaliter oblata, ſed id, quod ex illa per actionem ſacrificativam efficitur. Ex quibus apparet hoc Sacrificium ab antiquis differre eſſentialiter.

2. A Sacrificio crucis differt 1. Quod Chriſtus in cruce oblatus eſſet mortalis & paſſibilis, hic offertur immortalis & impaſſibilis. 2. In cruce ſeipſum offerebat, hic miniſterio Sacerdotum. 3. In cruce cruente, hic incruente. 4. In cruce ſolutum eſt pretium redemptionis noſtræ, hic nobis communicatur. Verum his non obſtantibus, & quamvis actiones offerentium ſint diverſæ, quia tamen utrobique eſt eadem numero hoſtia, idem principaliter offerens, & hoc Altaris Sacrificium ſit ſubordinatum Sacrificio crucis, quatenus eſt illius commemorativum & illius virtutis applicativum, differentia non videtur eſſentialis, ſed accidentalis tantum in modo & ratione offerendi. Unde Trid. ſeſſ. 22. cap. 2. *una eademque eſt hoſtia, idem nunc offerens Sacerdotum miniſterio, qui ſeipſum tunc in cruce obtulit, ſola offerendi ratione diverſa*. 3. A Sacri-

cri-

crificio cœnæ a fortiori non differt eſſentialiter; quia non ſolum eſt eadem hoſtia & idem offerens, ſed etiam idem modus offerendi incruente. Differt ergo dumtaxat accidentaliter penes quaſdam circumſtantias, ſcilicet in cœna offerebatur mortalis, nunc immortalis; in cœna per ſe, nunc per Sacerdotes; in cœna ſignificabatur Paſſio futura, nunc præterita.

Petes 4. In quo differat Sacrificium Miſſæ a Sacramento Euchariſtiæ? R. Differre 1. Quod eſſentia Sacrificii ſita ſit partim in actione ſacrificandi, partim in re oblata; eſſentia autem Sacramenti in ſola re ex actione ſacrificativa permanente. 2. Sacrificium ordinatur per ſe primo ad cultum divinum, Sacramentum ad noſtram ſanctificationem. 3. Ad eſſentiam Sacrificii requiritur Conſecratio utriuſque ſpeciei, eſſentia Sacramenti ſalvatur in una ſpecie.

ARTICULUS III.

De Effectibus Sacrificii Miſſæ: qui ſint & quomodo cauſentur?

SACRIFICIUM Miſſæ eſſe Latreuticum ſeu in cultum divinum ordinatum, & Euchariſticum in gratiarum actionem conſtat, nec quoad hoc multum reluctantur Hæretici; ſed negant eſſe Propitiatorium ad placandum Deum & expianda peccata, & Impetratorium ac ſatiſfactorium pro pœnis peccatis, quoad culpam dimiſſis, debitis. Contra quos

Dico 1. Sacrificium Miſſæ eſt Propitiatorium, Satisfactorium, & Impetratorium. Ita definit Concil. Trid. Seſſ. 22. Can. 3. his verbis: *Si quis dixerit Miſſæ Sacrificium tantum eſſe laudis & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium, vel ſoli prodeſſe ſumenti; neque pro vivis & defunctis, pro peccatis & pœnis, ſatisfactionibus & aliis neceſſitatibus offerri debere, anathema ſit.*

Prob. 1. Juxta Apoſt. Heb. 5. Præcipuum munus Sacerdotis eſt *offerre Sacrificia pro peccatis*. 2. Hoc Sacrificium eſt longe præſtantius Sacrificiis antiquæ Legis, continetque omnes eorum differentias, ut loquitur S. Leo Serm. de Paſſ. & orat Eccleſia in ſecreta poſt Dom. 7. Pentecoſtes: *Deus, qui legalium differentiam victimarum unius Sacrificii perfectione ſanxiſti*. Atqui inter Sacrificia antiquæ Legis erant Propitiatoria, Satisfactoria & Impetratoria. Ergo. 3. In hoc Sacrificio res oblata, & qui principaliter offert atque interpellat pro nobis, eſt ipſe Chriſtus, fons & Auctor omnium gratiarum, quique per hoc Sacrificium Paſſionem ſuam pro nobis objicit conſpectui Patris. Quid igitur illi deeſſe poteſt, ut obtineat nobis omnem qua indigemus gratiam, ſive ad peccatorum remiſſionem, ſive ad ſatisfactionem pro peccatis? 4. Ex Traditione. In Liturgia S. Jacobi legitur hoc Sacrificium offerri pro peccatis, pro pace, pro aeris temperie, pro frugibus. S. Cyrillus Jeroſol. Catech. 5. illud appellat: *Hoſtiam propitiationis*. Chryſoſtomus l. 6. de Sacerdotio c. 4. dicit Sacerdotem, qui offert juge Sacrificium, *Legatum & precatorem eſſe apud Deum*. Ambroſius in Exhortat. ad Virgines c. 14. vocat *Hoſtiam ſalutarem, per quam peccatum mundi hujus abolitur*. Aug. in Enchir. c. 110. de Sacrificio Altaris reſpective ad defunctos dicit: *Pro valde bonis actiones gratiarum ſunt, pro non valde malis propitiationes ſunt*. Tandem Sacerdotibus in ſua ordinatione datur poteſtas offerendi Sacrificium pro vivis & defunctis.

Nihil opponunt Hæretici, quod non ſit prius ſolutum art. 1. hujus Diſſertat. Inter effectus itaque Sacrificii Miſſæ numerantur gratia habitualis remiſſiva peccatorum mortalium, augmentum hujus gratiæ, remiſſio peccatorum venialium, relaxatio pœnarum peccatis quoad culpam dimiſſis debitarum, ac tandem alia bona tam ſpiritualia quam temporalia. Quæſtio eſt, quomodo ab iſto Sacrificio cauſentur, an immediate vel mediate, an ex opere operato, an infallibiter. Unde

Dico 2. Gratiam habitualem remiſſivam peccatorum mortalium non cauſat immediate Sacrificium altaris, ſed mediate tantum, quatenus impetrat & movet Deum, ut gratias actuales concedat, quibus peccator incitatur ad pœnitentiam. Ita Trid. ſeſſ. 22. cap. 2. dicens: *Hujus oblatione placatus Dominus gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit*.

Ratio eſt 1. Quia Sacrificium Crucis non ſanctificavit immediate peccatores, ſed mediate tantum, ſcilicet placando Deum & merendo atque impetrando donum & gratiam pœnitentiæ, alioquin omnes ſtatim juſti evaſiſſent. Non debuit autem tribui major vis Sacrificio altaris, quam Sacrificio Crucis, a quo Sacrificium altaris totam vim ſuam mutuat. 2. Si Sacrificium altaris immediate Sanctificaret peccatores, requireret in ſubjecto aliquam diſpoſitionem, & ſic non poſſet offerri pro obduratis & impœnitentibus. 3. Hoc eſt diſcrimen inter hoc Sacrificium & Sacramenta inſtituta ad cauſandam gratiam juſtificativam, ſcilicet Baptiſmum & Pœnitentiam, quod hæc ex ſua inſtitutione primario ordinentur ad noſtram ſanctificationem, illud autem primario ad Dei cultum, ſecundario ad noſtram juſtificationem. Ergo debet eſſe diverſus modus hunc effectum cauſandi, ſcilicet immediate per Sacramenta, mediate per hoc Sacrificium.

Quantum ad augmentum ejuſdem gratiæ habitualis in juſtis videtur idem dicendum: quia illud cauſare immediate proprium eſt Euchariſtiæ, ut eſt Sacramentum, & aliorum Sacramentorum, quæ dicuntur vivorum. Inſuper alias ſequeretur, quod infans baptizatus, pro quo plura offerrentur Sacrificia, poſſet eſſe ſanctior illo, qui diuturnam vitam in praxi omnium virtutum & in laborioſis pœnitentiæ operibus peregiſſet, quod eſt abſurdum. Quantum ad remiſſionem peccatorum venialium, etiam idem eſt cenſendum, quia nullum peccatum, etſi veniale, remittitur ſine aliquo bono motu peccatoris, quem bonum motum per ſe obtinet hoc Sacrificium. Poteſt tamen dici, quod aliquo ſenſu remittat immediate peccatum veniale, quatenus homo ponit quidem aliquem actum averſivum a peccato veniali, ſed de ſe inſufficientem ad ejus remiſſionem, quam tamen obtinet vi hujus Sacrificii; ſicut Sacramentum Pœnitentiæ dicitur remittere immediate peccatum mortale, quia remittit illi, qui habet tantum attritionem de ſe inſufficientem ad illius remiſſionem. Quantum ad pœnarum peccatis debitarum relaxationem & alia bona tam ſpiritualia quam temporalia, nihil obſtat, quominus hæc immediate obtineat & operetur: ſi enim per bona opera, jejunium, orationes, eleemoſynas, &c. hæc bona immediate obtineantur, & pœnæ peccatorum remittantur, id non eſt denegandum Sacrificio Miſſæ, quod eſt totius Religionis opus præſtantiſſimum. Et ſpecialiter quoad pœnas, juxta Trident. citatum valet hoc Sacrificium tam vivis quam defunctis pro remiſſione pœnarum, defunctis autem in Purgatorio valere non poteſt impetrando ipſis actum ſatisfactorium, quia non ſunt capaces activæ ſatisfactionis, alias poſſent ſeipſos a Purgatorio liberare, ſed ſatispaſſionis tantum & ſatisfactionis ab aliis applicatæ. Ergo valet immediate: ſi autem ita defunctis proſit, quidni viventibus?

Neque tamen inde ſequitur, quod ditiores, pro quibus offeruntur plura Sacrificia, citius ſemper liberentur a Purgatorio quam pauperes; quia pauperes vel forte habent minores pœnas luendas, vel forte fuerunt ſanctiores in vita, ſicque plus participant de Sacrificiis oblatis generaliter pro omnibus defunctis, vel de portione Eccleſiæ in quolibet Sacrificio: participant enim de hoc Sacrificio defuncti, *qui cum viverent*, inquit Aug. citatus in Ench. c. 110 *ut hæc ſibi poſtea poſſent prodeſſe meruerunt*, ſicque unuſquiſque pro rata ſanctitatis.

Dico 3. Hos omnes effectus Sacrificium Miſſæ cauſat ex opere operato, ſeu vi operis a Chriſto inſtituti non phyſice ſicut Sacramenta, ſed moraliter. Ratio eſt, quia hi effectus cauſantur ex dignitate rei oblatæ & principalis offerentis, qui eſt Chriſtus, independenter a dignitate Sacerdotis offerentis, qui quandoque eſt malus. Et quamvis quoad aliquos requiratur diſpoſitio ex parte recipientis, non tamen requiritur ut ratio formalis cauſandi, ſed ut conditio, ſicut dictum eſt de Sacramentis in genere. Dixi independenter a dignitate Sacerdotis, non ab ejus intentione, hæc enim requiritur ad applicationem, ut dicetur.

Dices 1. Effectus, qui cauſatur ex opere operato, cauſatur infallibiliter. Atqui plures ex his effectibus non cauſantur infallibiliter; ſic non omnes peccatores, pro quibus offertur Sacrificium, convertuntur, non ſemper bona temporalia obtinentur. Ergo. R. N. Ant. univerſaliter ſumptum. Patet in ſanitate corporali, quæ cauſatur per Sacramentum Extremæ Unctionis ex opere operato, & tamen non cauſatur infallibiliter. Et id maxime verum eſt, quando effectus cauſati ex opere operato habentur per impetrationem, ut in caſu. Quamvis enim Deus ex ipſa dignitate operis moveatur ad effectus, pro quibus offertur, ſæpe tamen obſtare poſſunt rationes ſive ex parte ſubjectorum, ſive ex parte Dei; ſic quamvis Peccator vi hujus Sacrificii obtineat gratias ſufficientes converſionis, non tamen ſemper convertitur, quia ſua obduratione & malitia ponit obicem: ſic bona temporalia petita non ſemper conferuntur, quia ſaluti non conveniunt.

Dices 2. Juxta ſolutionem datam, & ea, quæ huc uſque diximus, omnes effectus Sacrificii habentur per impetrationem, idque evidens eſt; res enim oblata, & principalis offerens Chriſtus non eſt amplius mortalis & paſſibilis, ſicque non poteſt amplius mereri & ſatisfacere, Ergo hoc ſacrificium eſt tantum impetratorium & non ſatisfactorium, nec propitiatorium. R. dici propitiatorium & ſatisfactorium ratione effectuum; propitiatorium, quia impetrat remiſſionem peccatorum; ſatisfactorium, quia impetrat relaxationem pœnarum peccatis debitarum; impe-

petratorium ſimpliciter, quia impetrat alia bona, quæ nec ſunt remiſſio peccatorum, nec relaxatio pœnarum. Eſt tamen etiam ſatisfactorium, quatenus ex inſtitutione Chriſti applicatur per illud ejus paſſio ad tollendas pœnas peccatorum.

Dico 4. Inter effectus hujus ſacrificii, gratiæ ſufficientes ad remiſſionem peccatorum tam mortalium quam venialium, ad augmentum gratiæ habitualis, ad donum perſeverantiæ & ad virtutes infallibiliter conferuntur per hoc Sacrificium; quia cum Deus nemini deneget gratias ſufficientes, non eſt dubium, quin maxime intuitu hujus Sacrificii, in quo dilectiſſimi Filii Paſſio repræſentatur, eas conferat. At vero ipſa remiſſio peccatorum, gratiæ augmentum, donum perſeverantiæ & virtutes non cauſantur infallibiliter propter obicem ex parte ſubjecti. Remiſſio aliqua pœnæ in juſtis tam vivis quam defunctis cauſatur infallibiliter, quia nullus in ipſis ad hunc effectum eſt obex. Tandem bona temporalia non cauſantur infallibiliter, quia non ſemper expediunt ad ſalutem.

ARTICULUS IV.

De iis qui offerunt & pro quibus offertur hoc Sacrificium, necnon de ejus applicatione.

QUANTUM AD OFFERENTES.

DIco 1. Chriſtus eſt principalis offerens, non ſolum quia hoc Sacrificium inſtituit, & in ſui memoriam celebrari *præcepit*; ſed etiam quia per Sacerdotes tanquam per ſuos Vicarios & Miniſtros offert. Hi enim in perſona Chriſti ejus verba pronuntiant ac loquuntur, ac ſi ipſe Chriſtus loqueretur. Adde, quod ſecundum Apoſt. Heb. 7. *Chriſtus ſempiternum habet Sacerdotium*; & c. 8. *Neceſſe eſt eum habere aliquid quod offerat*, alioquin haberet Sacerdotium otioſum; non offert autem per ſe. Ergo per Sacerdotes.

Dico 2. Quilibet Sacerdos rite ordinatus, etiam excommunicatus, eſt poſt Chriſtum proprius & præcipuus offerens. Conſtat ex dictis de Miniſtro Conſecrationis Diſſ. præced. art. 1. Fideles vero etiam ſuo modo offerunt, mediate ſcilicet per Sacerdotes. Unde illa verba Canonis: *Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ*: & ita; *Vel qui tibi offerunt*. Et hoc triplici modo. 1. Generaliter omnes fideles, non per aliquam actionem ſingulorum, ſed quatenus Sacerdos nomine totius Eccleſiæ offert. 2. Specialiter aſſiſtendo Sacrificio & conformando ſuam intentionem intentioni ſacrificantis. 3. Specialius concurrendo ad Sacrificium, ſive per ſtipendium, ſive per poſtulationem, ſive per Miniſterium celebranti exhibitum, ſive per ſubminiſtrationem neceſſariorum ad Sacrificium.

QUANTUM AD EOS, PRO QUIBUS OFFERTUR.

DIco 1. Offerri poteſt hoc Sacrificium pro omnibus hominibus viventibus, etiamſi infidelibus, ſchiſmaticis, hæreticis & excommunicatis, & modo pro his non offeratur tanquam pro membris Eccleſiæ; ſicut enim licet pro his omnibus orare, ita & Sacrificium offerre. Vide quæ latius dixi de hac materia Diſſert. 2. de Religione a. 6.

2. Pro fidelibus defunctis in Purgatorio poteſt offerri. Ita Trid. ſeſſ. 22. c. 2. & Can. 3. Praxis & traditio Eccleſiæ, SS. Patres, Tertullian. de corona militis c. 3. Cyrillus Jeroſol. Catech. 5. Myſtag. Chryſoſt. hom. 69. ad Pop. Antioch. & alii. In veteri lege 2. Machab. 12. Judas juſſit offerri Sacrificia pro mortuis. Ratio eſt, quia cum hoc Sacrificium ſit ſatisfactorium & impetratorium, poteſt illis animabus prodeſſe. Imo juxta Trid. ſeſſ. 25. c. 1. eo, inter omnia alia ſuffragia potiſſimum, juvantur.

3. Pro damnatis & infantibus decedentibus ſine Baptiſmo non poteſt offerri, quia ſunt in termino, & in inferno nulla eſt redemptio. Unde Auguſtinum dicentem Ench. c. 110. quod *Quibuſdam damnatio fiat tolerabilior* per Sacrificia; Auctor (*Ib. ad* 5.) intelligit de damnatione ad pœnas Purgatorii. Quod autem idem Aug. ibid. c. 112. dicat: *Exiſtimant pœnas damnatorum certis temporum intervallis aliquatenus mitigari*; non affirmat, neque dicit eſſe probabile, ſed ſolum non tam aperte id eſſe hæreticum, ſicut opinio, quæ tenet pœnas damnatorum aliquando eſſe finiendas. 4. Quantum ad Beatos, Certum eſt 1. illis non offerri Sacrificium, ſed ſoli Deo; eſt enim Sacrificium cultus latriæ, qua proteſtamur Deum eſſe ſupremum omnium rerum creatarum Dominum. Unde cum Trid. ſeſſ. 22. Can. 5. dicit Miſſas licite celebrari in honorem Sanctorum, & fideles ita petunt, non eſt ſenſus, quod Sanctis offeratur Sacrificium, ſed quod offeratur Deo in illorum honorem, ideſt in gratiarum actionem pro beneficiis ipſis a Deo collatis, & in eorum memoriam, *Ut pro nobis intercedere dignentur in Cœlis, quorum memoriam agimus in terris*, ut explicat idem Concilium ib. c. 3. ex quo quidam honor accidentalis Sanctis reſultat, ut jam dicam. Certum eſt 2. Quod non offeratur pro illis Sacrificium, ut eſt propitiatorium & ſatisfactorium, quia carent omni culpa & pœna: neque ut impetratorium gloriæ eſſentialis, quia illam invariabiliter poſſident.

Utrum autem poſſit offerri, ut impetratorium gloriæ accidentalis? Ita quibuſdam videtur; quia poſſunt acquirere novum gaudium, novam gloriam accidentalem. Et de facto illis accreſcit ex eo, quod Sacrificium in eorum memoriam offeratur Deo; per hoc enim ſignificatur illos multum æſtimari. Unde Eccleſia orat; *Ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad ſalutem*. Verum aliis videtur, quod hoc non ſit proprie impetrare pro Sanctis, ſed potius impetrare nobis gratiam, ut Sanctos debito honore proſequamur, & ut nos juvent ſuis precibus, ut modo dicebamus ex Trid. Sicut non oramus pro Deo, ut aliquid ipſi impetremus, dum quotidie dicimus, *Sanctificetur nomen tuum*, ſed petimus gratiam, qua tum nos, tum alii ipſum debite honoremus: unde reſultat illi quidam honor extrinſecus. Vide ſi lubet Sylvium hic quæſito 11.

QUANTUM AD APPLICATIONEM.

DIstinximus ſupra triplicem effectum Sacrificii ex opere operato, ſcilicet propitiatorium pro peccatis expiandis, ſatisfactorium pro pœnis remittendis, & impetratorium bonorum, tam ſpiritualium, quam temporalium; quia & effectus propitiatorius præſertim non cauſatur immediate, ſed mediante gratia, quæ impetratur, poteſt etiam ex hac parte dici impetratorium. Multipliciter applicari poteſt fructus beneficii. 1. Generaliſſime *Pro totius mundi ſalute*, ut dicitur in Miſſa. 2. Generaliter pro Parentibus, Amicis, Communitate, &c. 3. Specialiter pro iſto vel illo in particulari. Applicatur etiam celebranti hoc ipſo quo celebrat, non eſt enim veriſimile celebrantem privari omni fructu beneficii, non ſolum ex opere operantis, ſed etiam ex opere operato.

Dico. Sacerdos celebrans debet applicare fructus Sacrificii: quia cum in ſua ordinatione acceperit ex Chriſti inſtitutione poteſtatem conficiendi Sacrificium, conſequenter & applicandi ejus fructum. Atque hanc eſſe Chriſti inſtitutionem ac voluntatem probat Eccleſiæ praxis, communis ſenſus fidelium, & magna quoad hoc Sacerdotum attentio. Aliunde ſi non applicaretur, non eſſet ratio, cur uni potius prodeſſet quam alteri; ita ut Miſſæ fructus non applicatus remaneret in Theſauro Eccleſiæ. Hæc autem applicatio cum ſit donatio, ſufficit, quod ſemel facta non retractetur. Et cum probabilius ſit, ut dictum eſt, eſſentiam Sacrificii conſiſtere in Conſecratione, etiam probabilius eſt hanc applicationem debere fieri ante Conſecrationem, & adhuc melius ante Sacrum, ut etiam Orationes & Preces præparatoriæ proſint iis, quibus applicatur Sacrificium: & quando ſpecialior eſt applicatio, tanto magis prodeſt Sacrificium, cæteris paribus; quia quanto melius applicatur cauſa, tanto melius operatur.

Petes 1. Utrum qui ratione ſtipendii, vel beneficii, vel mandati ſuperioris tenetur applicare uni, poſſit valide applicare alteri. Dico *Valide*, quia certum eſt, quod non poſſit *Licite*. R. affirmative: quia hanc applicationem facit ex poteſtate ordinis; quæ vero jure divino Ordini Sacerdotali ſunt annexa, neque Eccleſia, neque ullus ſuperior irritare poteſt, nulli enim poteſtati humanæ ſubjacet jus divinum. Sicut ergo nemo poteſt irritare Sacerdotis intentionem ſacrificandi, ita nec applicandi. Neque refert, quod ſuperior poſſit irritare vota Religioſorum: ad hoc enim tantum requiritur, quod tollat obligationem voti, quod ſubjacet poteſtati Prælati, quatenus in votis ſubditorum ſemper includitur tacite hæc conditio: *Niſi ſuperior contradicat*. Vide quæ dixi de irritatione votorum in Tract. de Religione. At irritatio illius, quod eſt juris divini, non ſubjacet ejus poteſtati.

Petes 2. Utrum liceat applicare Sacrificium pro eo, qui primo petet vel dabit ſtipendium? R. negative; quia forte ille nunc non indiget, aut eſt indiſpoſitus & incapax fructus Beneficii. Unde hanc praxim S. Congreg. Cardinalium ſub Clemente VIII. 15. Novemb. 1605. condemnavit tanquam periculoſam, fidelium ſcandalis & offenſionibus obnoxiam, & a vetuſto Eccleſiæ more abhorrentem.

ARTICULUS V.

Utrum valor Sacrificii ſit infinitus.

DIstinguendum eſt inter valorem & effectum, ſeu fructum hujus Sacrificii. Valor eſt dignitas, quam habet tam ex parte rei oblatæ, quam offerentis principalis. Fructus ſeu effectus eſt id, quod de facto confertur intuitu hujus dignitatis.

Di-

Dico. Sacrificium Miſſæ quantum eſt ex ſe, & quoad ſufficientiam eſt infinitum intenſive & extenſive; habet tamen ſemper effectum finitum. Ratio 1. partis eſt; quia hoc Sacrificium, quantum ad ſubſtantiam eſt idem cum Sacrificio Cœnæ & Crucis, eſt enim eadem res oblata, & idem principalis offerens Chriſtus; Sacrificium autem tam Cœnæ, quam Crucis fuit quantum ex ſe & quoad ſufficientiam infiniti valoris intenſive & extenſive. Ergo, Ratio 2. partis eſt: 1. Quia alioquin ſequeretur, quod unum Sacrificium ſufficeret pro ſalute totius mundi & pro evacuando toto Purgatorio, nec deberet iterari; ſicut quia Sacrificium Crucis habuit effectum infinitum, nimirum ſolutionem pretii infiniti pro ſalute generis humani, unicum fuit, nec debuit iterari. 2. Patet ex praxi Eccleſiæ plura Sacrificia pro uno & eodem offerentis; ex ſollicitudine Sacerdotum tot Miſſas celebrandi, quot perſonis ſe obligaverunt; ex communi ſenſu fidelium, qui putant majorem ſibi fructum applicari, ſi plures procurent ſibi Miſſas celebrari. In hoc conveniunt Theologi.

Sed quæſtio eſt non parum implicata: unde proveniat iſta limitatio effectus Sacrificii, quod ſecundum ſe eſt valoris infiniti, & poſſet producere effectus, ſincategorematice ſaltem, infinitos tam intenſive quam extenſive. Imprimis conſtat inter Theologos hanc limitationem non provenire ab intentione Sacerdotis offerentis, quia licet ab eo pendeat, ut illi vel iſti Sacrificium applicetur, applicatione tamen ſemel facta non pendet ab ipſo determinatio quantitatis fructus, quia cauſa ſemel applicata agit ſecundum virtutem ſibi inditam. Et alioquin Sacerdos foret quaſi ſummus Pontifex determinans certam quantitatem Indulgentiarum modo plenariam, modo 40. annorum aut dierum, poſſetque unico Sacrificio totam pœnam abolere.

Quidam itaque dicunt hanc limitationem provenire ex voluntate Chriſti, qui ſic inſtituit hoc Sacrificium, ut certum & limitatum tantum effectum produceret, adeoque Sacrificium oblatum pro pluribus non æque prodeſſe cuilibet, ac ſi pro uno tantum offerretur, quia finitum quo pluribus diſtribuitur, eo magis decreſcit, & minus ſingulis datur. Id autem colligunt 1. quia Chriſtus inſtituit hoc Sacrificium, ut frequentaretur. Ergo non voluit ut haberet effectum infinitum. 2. Quia licet res oblata & principalis offerens ſint infiniti valoris, oblatio tamen ipſa Sacerdotis eſt finiti valoris. 3. Quia ut ratiocinatur S. Th. in 4 d. 45. q. 2. a. 4. q. 2. in arg. *Sed contra: Melius eſt plures juvare quam unum: ſi ergo ſuffragium pro multis factum tantum valeret ſingulis ac ſi pro uno tantum fieret, videtur, quod Eccleſia non debuit inſtituiſſe, ut pro aliqua ſingulariter Miſſa vel oratio fieret, ſed quod ſemper diceretur pro omnibus Fidelibus defunctis, quod patet eſſe falſum.* 4 Quia alias per unum Sacrificium poſſet ſatisfieri pluribus ſtipendiis, quod eſt damnatum ab Alex. VII. in hac propoſitione: *Non eſt contra juſtitiam pro pluribus Sacrificiis ſtipendium accipere, & Sacrificium unicum offerre.* Admittit tamen hæc ſententia quantum ad audientes Miſſam, quod æque proſit pluribus audientibus, ac ſi unus tantum audiret, non præciſe quatenus pro ipſis offertur, ſed quatenus ipſi cum Sacerdote offerunt; tunc enim unuſquiſque illorum perinde offert ac ſi eſſet ſolus, ſicque tot ſunt oblationes quot aſſiſtentes, ac proinde nullus alteri obſtat quominus fructum integrum offerenti reſpondentem percipiat.

Alii cenſent determinationem quantitatis fructus, ſeu ejus limitationem non eſſe ex inſtitutione ſeu voluntate Chriſti, ſed pendere ex devotione eorum, pro quibus offertur, aut offerentium; quia cauſa univerſalis, quale eſt Sacrificium Miſſæ in ordine ſupernaturali, agit ſecundum diſpoſitionem ſubjecti, ita ut ſecundum ſe ſit productivum effectus infiniti ſincategorematici intenſive & extenſive; intenſive, ſcilicet majoris & majoris in eodem ſecundum majorem & majorem ejus diſpoſitionem; extenſive, non tot hominibus quin pluribus in infinitum ſi darentur. Unde Sacrificium oblatum pro pluribus æque prodeſt ſingulis, cæteris paribus, ac ſi pro uno tantum offerretur, quia cum valor ſit infinitus, & fructus ejus menſuretur juxta devotionem hominum, nihil detrahitur de fructu debito devotioni illius, pro quo offertur, ex hoc quod offeratur pro aliis; infinitum enim eſt inexhauribile.

Huic ſententiæ favet S. Th. hic q. 79. a. 5. n. ubi dicit: *Quamvis hæc oblatio ex ſui quantitate ſufficiat ad ſatisfaciendum pro omni pœna, tamen fit ſatisfactoria illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus ſecundum quantitatem ſuæ devotionis, & non pro tota pœna.* Fundamentum hujus ſententiæ petitur ex infinita dignitate, non ſolum rei oblatæ, ſed maxime principalis offerentis Chriſti, quæ limitari non poteſt ex oblatione finita Sacerdotis: 1. quia in moralibus valor rei oblatæ non attenditur penes conditionem Miniſtri aut inſtrumenti, ſed penes dignitatem principalis agentis; ſic donum Regis ſive fiat per ipſum Regem, ſive per Legatum, eſt ejuſdem valoris. 2. Sacrificium oblatum a malo Sacerdote non inquinatur ab ejus malitia. Ergo nec limitatur ab ejus finitate. 3. Hæc eſt differentia inter Euchariſtiam ut Sacramentum & ut Sacrificium, quod ut Sacramentum perficiatur per Conſecrationem tanquam per actionem phyſicam, ſicque fit a Chriſto ut ab inſtrumento phyſico, actiones autem Chriſti phyſice conſideratæ non ſunt infiniti valoris. At vero ut eſt Sacrificium, ſpectat ad genus moris; eſt enim actio, qua Chriſtus ut principalis offerens ſe offert Patri, ſe illi ut ſuperiori ſubjiciendo, & ideo hæc actio eſt theandrica ſeu reflexiva ſupra ſuppoſitum divinum, ſicque valoris infiniti. Unde Pater æternus intuens hoc Sacrificium non ſiſtit in Sacerdote, ſed in illo reſpicit perſonam Filii ſua merita & ſatisfactiones offerentis, quæ oblatio eſt infinite illi accepta, quantumvis Sacerdos ſit non ſolum finitus, ſed etiam malus. Sicut ergo Sacrificium Crucis fuit infiniti valoris ad merendum & ſatisfaciendum, nunc, cum Chriſtus non poſſit amplius mereri nec ſatisfacere, Sacrificium altaris, quod eſt idem quoad ſubſtantiam, eſt infiniti valoris ad applicandum iſta merita & iſtas ſatisfactiones, nec limitatur niſi defectu eorum, pro quibus offertur, aut qui offerunt. 4. Favet huic ſententiæ Eccleſiæ praxis: Eccleſia enim offert omnes Miſſas pro ſalute totius mundi, pro omnibus Fidelibus vivis & defunctis, & pro ſummo Pontifice, Rege, Epiſcopo, &c. Ergo intelligit nihil per hoc tolli ab eo, cujus Miſſa eſt propria. Si dicas nihil quidem tolli per hanc generalem oblationem pro omnibus, bene tamen per ſpecialem pro pluribus in particulari: Contra, ſi fructus Sacrificii ſit finitus & limitatus ex voluntate Chriſti, etiam per generalem oblationem aliquid tollitur; nam ratione hujus generalis oblationis aliquid correſpondet omnibus, alioquin inutile foret pro illis offerre.

Admittit nihilominus hæc ſententia hoc Sacrificium debere frequentari, recte Eccleſiam plura offerre pro uno & eodem, merito curare Sacerdotes, ut tot celebrent, quot acceperunt ſtipendia, quia quodlibet Sacrificium ſuum effectum limitatum confert, item majorem effectum applicari procuranti pro ſe offerri Sacrificium, quia major eſt erga illud ejus devotio, & revera injuſtum eſſe plura ſtipendia recipere pro uno Sacrificio: Quia 1. ſtipendium non datur pro fructu Sacrificii, alioquin eſſet ſimoniacum, ſed in ſuſtentationem vitæ, titulo miniſterii exhibiti, cui non debetur ultra quod eſt lege vel conſuetudine taxatum. Unde qui plus accipit pro uno & eodem Sacrificio, peccat contra juſtitiam. 2. Quia intentio conferentis ſtipendium non eſt tantum, ut ſibi fructus Sacrificii applicetur, ſed etiam ut per multiplicata Sacrificia cultus Dei augeatur, & tam vivi quam mortui magis juventur. Licitum tamen eſſe æque ſpecialiter offerre gratis non accepto ſtipendio, pro Parentibus, amicis, aut quibuſcumque aliis. Si ita eſt, inquies, quare pii ac Religioſi Sacerdotes recuſant accipere ſtipendium, quando volunt offerre pro ſeipſis, Parentibus aut Amicis? R. eos prudenter agere. 1. Ob probabilitatem ſententiæ contrariæ. 2. Quia in hoc ipſo habent ſpecialem devotionem erga Myſterium, & ſibi, Parentibus, aut amicis acquirunt fructum, qui reſpondet ſtipendio. Quantum ad praxim Eccleſiæ, quam profert S. Th. quæ ſcilicet ſolet offerre ſpecialiter pro aliquo & non ſpecialiter pro omnibus, cum deberet offerre ſpecialiter pro omnibus, ſi æque omnibus prodeſſet ac uni: reſpond. 1. Eccleſiam prudenter ſic agere propter probabilitatem ſententiæ oppoſitæ, ut jam dictum eſt. 2. Id ita fieri ratione fructus reſultantis ex opere operantis, qui finitus eſt, nec æque prodeſt omnibus ac uni. 3. Eſt & altera Eccleſiæ praxis, de qua ſupra, quæ huic opponitur.

Oppones inſuper contra hanc 2. ſententiam. 1. Omnes animæ in Purgatorio videntur eſſe in ultima diſpoſitione ad remiſſionem totius pœnæ; ſunt enim omnes in gratia, nec majorem mereri poſſunt, & tamen non remittitur eis tota pœna per unum Sacrificium. 2. In obduratis & impœnitentibus, Hæreticis & Infidelibus nulla eſt devotio. Ergo nullum fructum recipiunt. 3. Intentio Fidelium dantium ſtipendia pro Miſſis eſt, ut illis ſolis ſpecialiter applicentur & non aliis. Ergo. R. ad 1. non omnes animas Purgatorii eſſe in æquali gradu gratiæ, neque percipere fructum Sacrificii, niſi in quantum meruerunt in vita, ut ſibi prodeſſet poſt mortem, ut diximus ex Aug. Ad 2. 1. Non ſolum devotio illius, pro quo offertur Sacrificium, attenditur, ſed etiam devotio offerentis & procurantis Sacrificium. Neque iſta devotio ſupponit ſemper charitatem eſt enim devotio juxta Auctorem 2. 2. qu. 82. a. 1. & 2. prompta voluntas exequendi ea, quæ pertinent ad Dei cultum: unde eſt actus Religionis, qui poteſt eſſe ſine charitate. Itaque devotio offerentium & procurantium eſt prompta voluntas, ut pro ſe vel pro aliis offeratur: devotio eorum, pro quibus offertur, eſt prompta voluntas, ut pro ſe offeratur. 2. Hæc ſententia intelligenda eſt præſertim de valore ſatisfactorio, quoad valorem enim im-

pe-

petratorium videtur, quod ſit independens a devotione illius pro quo offertur; quia non impetrat per modum Orationis, quæ eſt finita, & debet eſſe proportionata rei obtinendæ, ſed per oblationem rei valoris infiniti; & cum aliunde impetratio non ſupponat diſpoſitionem ex parte illius, pro quo impetratur, ſed innitatur ſoli divinæ miſericordiæ, valor impetratorius poteſt dici abſolute infinitus ſincategorematice, hoc eſt pro omnibus hominibus & pluribus in infinitum, ſi darentur; idque videtur conforme praxi Eccleſiæ, quæ offert pro ſalute totius mundi. Ad 3. reſpondet Nugno, ita intendere ſimplices fideles ex ignorantia virtutis hujus Sacrificii, & idcirco exiſtimant aliquid minui de Sacrificio, ſi pro aliis offeratur; decipiuntur tamen maxime. Unde non tenetur Sacerdos ſimplicitati illorum correſpondere, neque expedit, ut de iſta veritate doceantur. E contra Cajetanus dicit eos eſſe arguendos, & inſtruendos, propter hanc indevotionem erga alios Sacrificium minus ipſis profuturum.

Pro hac 2. ſententia pluſquam 3. Auctores tam domeſticos, quam extraneos citat Franciſcus a Jeſ. M. Carmelita Excalc. Tract. 5. de Sacrif. Miſſæ c. 3. punct. 3. dubio unico. Prima tamen videtur hodie communior inter Recentiores, aut potius, meo ſaltem judicio, plerique non ſatis diſtinguunt inter utramque. Cæterum utraque eſt probabilis, & quamvis in ſecundam propendere videar, agnoſco tamen neutram eſſe certam, ſed quemlibet pati ſuas difficultates. Unde pro praxi conſultum eſt, ut celebrans offerat ſpecialiter in quantum poteſt & debet pro illis, pro quibus tenetur offerre ex juſtitia; pro his autem, pro quibus ſimul offert ex charitate, pietate, amicitia, aut alio titulo gratuito, offerat quantum poteſt.

ARTICULUS VI.

De ſtipendio Miſſarum.

PER QUÆSTIUNCULAS.

PEtes 1. Utrum ſit licitum accipere ſtipendium pro Miſſa? R. affirmative, ſi Miſſa non ſit aliunde obligata; quia non accipitur pretium pro Sacrificio, quod foret ſimoniacum, ſed pro ſuſtentatione Sacerdotis, titulo Miniſterii quod præſtat; habet enim jus exigendi neceſſaria ad Sacrificium ab eis, qui illud petunt; inter autem neceſſaria ad Miniſterium computatur ſuſtentatio Sacerdotis, non minus quam vinum, cera, Miniſter, &c. Et quia Sacerdos dives idem præſtat Miniſterium, poteſt æque ac pauper recipere ſtipendium. Vide quæ dixi de Simonia art. 5. Concl. 2. & Conſectario primo. Dixi: *Si Miſſa non ſit aliunde obligata*, puta titulo vel Beneficii, vel Legati, vel ſtipendii prius accepti. Ita declaravit S. Congreg. Cardinal. ſub Urbano VIII. an. 1625. & patet ex his, quæ dixi art. præced. non poſſe ſcilicet plura accipi ſtipendia pro eodem Sacrificio. Quod etiam verum eſt, tametſi ſtipendium eſſet infra taxationem, quia hoc ipſo quo illud acceptaſti, te ad integram Miſſam obligaſti, & ideo tot Miſſas teneris exonerare, quot ſtipendia etiam minuta accepiſti; & ita definitum eſt ab eadem Congreg. & ab Innocentio XII. Bulla *Nuper* an. 1697.

Petes 2. Utrum ſaltem Sacerdos non poſſit per unam Miſſam ſatisfacere duobus ſtipendiis, applicando uni partem ſolitam, & alteri ſibi propriam? R. Negative. Id imprimis prohibuit Urbanus VIII. & damnavit Alexander VII. in hac propoſitione: *Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licite accipere applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus ipſimet celebranti reſpondentem, idque poſt Decretum Urbani VIII.* Ratio eſt; quia incertum eſt, an hanc portionem poſſit Sacerdos a ſe abdicare. Item incertum eſt, ex ejus diſpoſitionibus an & qualem quantumve fructum percipiet; ei autem, qui dat certum ſtipendium, non ſatisfit per incertam ſolutionem.

Petes 3. Quantum ſtipendium liceat exigere? R. Licet exigere ſtipendium taxatum ab Ordinario, vel a Conſuetudine; ſicut tamen poteſt ex charitate vel amicitia minus accipere, ita poteſt majus ex liberalitate dantis. Item poteſt accipere majus taxato pro labore extrinſeco, puta, celebrandi tali hora, aut tali loco.

Petes 4. Utrum qui accipit pinguius ſtipendium, poſſit per alium ſatisfacere, collato illi minori ſtipendio juſto tamen, alia parte ſtipendii ſibi retenta? R. negative. Patet ex Bulla Urbani VIII. *Cum ſæpe contingat*: & ex condemnatione hujus propoſitionis ab Alexandro VII. *Poſt Decretum Urbani poteſt Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere collato illi minori ſtipendio, alia parte ſtipendii ſibi retenta.* Id autem hodiernus Pontifex Benedictus XIV. Decreto dato 30. Junii 1741. prohibuit Laicis ſub pœna excommunicationis, & Clericis ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrendæ, & Papæ reſervatæ. Ratio eſt, quia nullo titulo retinere poteſt partem ſtipendii, totum enim datum eſt pro celebraturo; unde huic facit injuriam retinendo partem, & tenetur illi reſtituere.

Tres caſus excipiuntur ab hac reſolutione. Primus eſt, quando pinguius ſtipendium datum eſt in gratiam ſolius accipientis, ut bene illi ſit, puta quia eſt vel amicus, vel propinquus, vel pauper, tunc enim adeſt conſenſus tacitus dantis. Secundus caſus eſt, ſi ſtipendium proveniat ex Beneficio; quia fructus Beneficii non ſolum ſunt pro celebratione Miſſarum, ſed pro variis aliis officiis, & ut Beneficiarius decenter pro ſuo ſtatu vivat. Ita declaravit dicta Congregatio Cardinal. ſub Urbano VIII. Tertius eſt, ſi ille, cui committuntur Miſſæ exonerandæ, plene, ſponte & libera concedat committenti partem ſtipendii: quamvis enim quidam Pontifices, ut refert Benedictus XIV. in ſuo Decreto, id prohibuerint, etiamſi celebraturus conſentiret in retentionem partis ſtipendii, id tamen videtur intelligendum de conſentiente non omnino ſponte & libere, ut dixi, ſed cum aliquo involuntario admixto: ſicut enim non obſtante hac prohibitione celebrans poteſt omnino gratis remiſſo toto ſtipendio Miſſam exonerare, poteſt a fortiori parte remiſſa. Sed quia regulariter contingit, quod illa partis condonatio non ſit omnino & plene ſpontanea, pauci ſunt enim, qui ſi poſſint accipere integrum ſtipendium, partem alteri remitterent; ſed remittunt, quia vident hanc eſſe voluntatem conferentis, & timent, ne alioquin ad alios nunc, aut in poſterum deferat, & ipſi careant: quis, inquam, ita regulariter contingit, merito ex communiter accidentibus hanc praxim prohibuerunt ſummi Pontifices, neque puto tutum in conſcientia, qui illam uſurparet, niſi quando ipſi certo conſtat de pleno, ſpontaneo & libero conſenſu alterius, ut ſi v. g. ſincere offerat & conferat ſtipendium integrum, alter autem motu proprio ex gratitudine partem remittat.

Utrum vero adminiſtratores Eccleſiarum poſſint de ſtipendiis Miſſarum aliquid retinere ratione expenſarum, quas faciunt in Miſſarum celebratione, puta pro inſervientibus, ornamentis, lumine, vino, reparatione Eccleſiæ, &c. Reſpondit negative jam laudata Congreg. Cardinalium ſub Urbano VIII. *Niſi cum Eccleſiæ aut loca pia non habent redditus, quos in eſum earumdem expenſarum erogare licite poſſent, ac tunc quam portionem retrahunt, nullatenus debere excedere valorem expenſarum, quæ pro ipſomet tantum Miſſarum Sacrificio neceſſario ſunt ſubeundæ.*

Petes 5. Utrum qui plura pinguia ſtipendia Miſſarum accepit, quæ ſtatuto tempore non poteſt perſolvere, poſſit dicere alteri, adjuva me, poſtea adjuvabo te. R. ut mihi probabilius videtur, affirmative; quia adjuvans non ſibi legit ſed alteri, neque accipit ſtipendium pro Sacro, ſed reddit obſequium pro obſequio, inſuper videtur par utriuſque conditio, ſicut enim adjutus hodie accepit pinguia, poterit alter ſimiliter accipere.

Petes 6. Utrum qui accepit pecunias pro Miſſis, poſſit in alios transferre pro mercibus, puta pro libris? Quæſtio potiſſimum procedit de iis, qui ſpeciem quandam negotiationis hac in re exercent. R. 1. hanc praxim eſſe periculoſam; jure enim timendum eſt, ne congregando multas Miſſas, & expectando emptores, diutius differantur, & ne tradendo Miſſas promiſcue & ſine delectu omnibus emptoribus, quandoque omittantur. R. 2. Si ex venditione mercium recipiat pluſquam ſtipendium acceptum, illicitum eſt & obnoxium reſtitutioni auctarii: v. gr. pretium commune tuæ mercis ſunt decem floreni, quæ ſunt ſtipendium taxatum pro viginti Miſſis, tu petis viginti quatuor; peccas & teneris reſtituere quatuor ſolidos; tum quia vere retines partem ſtipendii viginti quatuor Miſſarum, ideoque incurris cenſuram; tum quia indebite gravas emptorem, qui, ſi habuiſſet pecunias, emiſſet mercem inferiori pretio. R. 3. ſuppoſita certitudine morali, quod Miſſæ ſuo tempore celebrabuntur, item ſuppoſito, quod non recipiatur pluſquam acceptum ſtipendium, ſi merces ſint emptori æque gratæ & utiles ac ipſæ pecuniæ, non videtur illicitum, inde enim nemini infertur damnum aut injuria. Si vero merces ſint emptori minus gratæ & minus utiles quam ipſæ pecuniæ, merces tamen accipit, quia caret ſtipendiis, & mavult celebrare cum tali ſtipendio quam ſine ullo, videtur illicitum & obnoxium reſtitutioni damni, quod inde patitur emptor, quia habet jus ad totam utilitatem pecuniarum, quæ datæ ſunt pro ſolo celebrante; hoc autem jus violatur tradendo illi pro pecuniis merces minus utiles & minus gratas, quas etiam aliquando inferiori pretio vendere cogitur. Utrum autem in hoc caſu incurratur cenſura a Benedicto XIV. lata? Videtur quod non; quia cenſuræ non incurruntur, niſi ſint expreſſæ in jure; hic autem caſus non exprimitur in dicto Decreto; neque enim tradens merces communi pretio partem ſtipendii proprie retinet.

Petes 7. Utrum, qui unam Miſſam, pro qua recepit ſtipendium, omittit, peccet mortaliter? R. probabilius negative. Quia gravitas peccati in hoc caſu non debet æſtimari ex eo, quod bonum Sacri præſtet quolibet bono tem-

po-

porali, alias qui ſimile ſtipendium pro qualibet oratione accepiſſet, peccaret mortaliter eam omittendo; ſed æſtimanda eſt gravitas hujus peccati ex damno, quod patitur is, pro quo Sacrificium erat applicandum: hoc autem damnum in genere damnorum ſpiritualium non cenſetur grave, cum poſſit levi ſtipendio redimi. Neque ſimile eſt de Sacrificio debito ex voto, vel juramento, quia in hoc caſu gravitas materiæ deſumitur ex cultu, qui exhibetur Deo per Sacrificium; eſt autem graviſſimus Cultus etiam per unum Sacrificium Deo exhibitus, ideoque gravis materia. Ita Franciſcus a Jeſ. M. poſt Thom. Sanctium, Fagundes, Palaum, Herinx, &c.

Petas 8. Utrum liceat differre celebrationem Miſſarum, pro quibus acceptum eſt ſtipendium, & quamdiu? R. 1. Differre diutius quam par eſt plures Miſſas eſt peccatum mortale obnoxium reſtitutioni: quia ſicut eſt peccatum mortale diutius ſine cauſa differre ſolutionem debiti temporalis, ex qua dilatione ſequitur grave damnum creditori cum obligatione reparandi iſtud damnum, ita ſimiliter & a fortiori de debito ſpirituali. Hinc damnabilis prorſus eſt praxis eorum, qui Miſſas Miſſis ſine numero accumulant, & qui, ut dicunt, Theſaurum Miſſarum faciunt. R. 2. Tempus celebrandi Miſſas æſtimandum eſt ex voluntate rationabiliter præſumpta conferentium ſtipendia. Unde ſi petant Miſſas pro neceſſitate tranſeunte hic & nunc urgente, ut pro agonizante, pro fœmina parturiente, pro lite hodie decidenda, &c. non poſſunt differri poſt tranſactam neceſſitatem ſine peccato, & ſine obligatione reſtituendi, non ſolum damnum inde ſecutum ſpiritualiter vel temporaliter pro qualitate damni, ſed etiam ſtipendia. Si vero Miſſæ petantur pro communibus neceſſitatibus, aut pro defunctis, ſacra Congr. ſub Urbano VIII determinavit non plura ſuſcipi Sacrificia, quam quæ intra *modicum tempus* poſſunt celebrari. Hoc autem modicum tempus quidam extendunt ad unum menſem, quidam ad duos, quidam ad plus. Pro duobus menſibus citantur Cardinalis de Lugo, Petrus Ledeſma, Villalobos, Ripa, Diana, Garcia & alii. Hi autem fundantur in Concil. Trid. ſeſſ. 22. de Reformat. cap. 3. ubi ſpatium duorum menſium abſentiæ in Canonicis Cathedralibus reputatur quid modicum. Fateor equidem duo menſes vel etiam unum menſem non eſſe modicum, ſed longiſſimum tempus animabus in Purgatorio patientibus; at ſi inde æſtimandum foret modicum tempus, ne vel per unum diem poſſint Sacrificia differri, iis enim animabus vel unus dies, imo una hora eſt tempus longiſſimum. Recurrendum eſt itaque ad aliud, ſcilicet ad jus & ad voluntatem dantium ſtipendia. Porro cum magnum præſertim numerum Miſſarum petunt ab aliqua communitate, vel a particularibus, ſciunt, communitates præcipue, habere ſuas quotidianas obligationes ſive ex fundationibus, ſive ex ſtipendiis prius acceptis, aut hinc & inde minutatim obvenientibus, quapropter non cenſentur velle, ut ſtatim & continuo Miſſæ quas petunt, legantur, ſed intra rationabile tempus judicio prudentum, attento jure, taxandum. Cæterum quod probabiliter cenſuerunt graves Theologi, quodque nobis probabile videtur, ſimpliciter exponimus, judicium melius ſapientis libenter audituri.

Petes 9. Utrum Parochus vi ſui Beneficii teneatur aliquoties celebrare pro ſuis Parochianis non accepto ſtipendio. R. affirmative ex Trid. ſeſſ. 23. de Reformat. cap. 1. ubi dicitur: *Cum præcepto divino mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oves ſuas agnoſcere, pro his Sacrificium offerre*, &c. Neque id poteſt intelligi de generali applicatione, plus enim debet ſuis ovibus quam cæteris Fidelibus, quibus tamen applicat generaliter Sacrificium; ideoque ſine ſtipendio, quia duplici obligationi ex juſtitia non poteſt ſatisfacere per unum Sacrificium; & ita declaravit Congr. Cardinalium ſub Urbano VIII. Quoties autem debeat ſic celebrare pro ſuis Parochianis? Incertum eſt. Quidam dicunt omnibus diebus Dominicis & Feſtis, quibus ſcilicet Parochiani tenentur audire Miſſam. Alii Dominicis diebus & Feſtis ſolemnioribus tantum. Alii Feſtis ſolemnibus 1. & 2. Claſſis, quiſque ſuo arbitrio: Nobis videtur probabilius id relinquendum eſſe judicio prudentum attenta quantitate fructuum Beneficii. Quis enim adiget Parochum, cui reditus Beneficii non ſufficiunt ad victum & amictum, ut toties celebret pro Parochianis ſine ſtipendio, quoties tenetur is, cujus Beneficium eſt pinguiſſimum & ſuperabundans?

Petes 10. Utrum qui accepit ſtipendium pro Miſſa votiva, aut de *Requiem*, ſatisfaciat celebrando Miſſam diei occurrentis? R. affirmative, quando non agitur de feria, ſed de aliquo Sancto: quia interceſſio hujus Sancti & devotio ſpecialis celebrantis ſupplent Orationes proprias Miſſæ votivæ. Neque foret graviter culpandus etiamſi in feria ſervaret Ordinem Miſſalis. Intellige tamen modo non ſit celebranda Miſſa pro Defunctis in Altari privilegiato, alias extra Feſta duplicia Indulgentiæ non ſuffragarentur Defunctis.

ARTICULUS VII.

De Miſſis privatis.

QUAMVIS nullæ Miſſæ ſint omnino privatæ, cum in omnibus ſit Miniſter publicus offerens pro omnibus, ut mox dicam ex Trid. uſus tamen invaluit, ut dicantur Miſſæ privatæ, quæ fiunt abſque publico conventu, aut in quibus nullus præter Sacerdotem communicat. Utraſque, ſed præſertim ultimas tanquam illicitas damnant Hæretici, eaque de cauſa Lutherus librum edidit de abroganda Miſſa privata, ſuadente, ut ipſe fatetur, Diabolo. Contra quos

Dico: Miſſæ privatæ ſunt licitæ & probandæ. Prob. 1. Ex Concil. Trid. ſeſſ. 22. c. 6. ubi poſtquam ſignificavit ſe optare, ut fideles ſingulis Miſſis adſtantes communicarent, addidit: *Nec tamen ſi id non ſemper fiat, propterea Miſſas illas, in quibus ſolus Sacerdos ſacramentaliter communicat, ut privatas & illicitas damnat, ſed probat atque adeo commendat: ſi quidem illæ quoque Miſſæ vere communes cenſeri debent, partim quod in eis populus ſpiritualiter communicet; partim vero quod a publico Eccleſiæ Miniſtro, non pro ſe tantum, ſed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Chriſti pertineat, celebretur.*

Prob. 2. Evertendo præcipuum fundamentum Hæreticorum. Nullum extat in ſacris litteris præceptum non celebrandi, niſi in cœtu publico, vel niſi adſtantes communicent, Ergo. Prob. Ant. Si eſſet aliquod præceptum in Scriptura, colligeretur potiſſimum, ut volunt Hæretici, ex his verbis Chriſti: *Hoc facite in meam commemorationem*; quia Chriſtus non ſolum ſacrificavit, ſed etiam Diſcipulis diſtribuit. Atqui inde nihil probant Hæretici. Ergo. Prob. Min. quia, ut jam alibi diximus, Chriſtus his verbis, non omnia, quæ tunc fecit, præcepit fieri. & ea ratione, atque eo ordine, quo fecit; alioquin non niſi veſpere coram duodecim, & excluſis fœminis, liceret celebrare. Præcepit itaque Chriſtus, ut Apoſtoli & eorum ſucceſſores offerrent Sacrificium, & de illo participarent, quia hoc pertinet ad rationem Sacrificii. Item eiſdem præcipit, ut fidelibus diſtribuerent, non tamen omni tempore, loco, & quibuſvis perſonis, ſed quando, ubi, & quibus (cum id non pertineat ad ſubſtantiam Sacrificii, ut infra dicam) reliquit diſpoſitioni Eccleſiæ. Ergo. Quod opponunt ex Apoſtolo, diluetur infra.

Prob. 3. ex traditione. Acta S. Marcelli referunt ipſum ſacrificaſſe in domo Lucinæ. S. Gregorius Nazian. Orat. 19. in laudem Patris ſui aſſerit ipſum in cubiculo ſuo celebraſſe, & ipſum Gregorium in privato Oratorio etiam celebraſſe refert Socrates l. 9. hiſt. tripartitæ c. 8. Paulinus in vita S. Ambroſii narrat ipſum in quadam domo trans Tiberim Sacrificium obtuliſſe. S. Paulinus Nolanus, teſte Uranio, paulo ante mortem celebravit in Altari prope lectulum præparato. S. Lucianus Martyr vulneribus attritus & Altari deſtitutus ſupra pectus ſuum celebravit, ut refert Philoſtorgius l. 2. Hiſt. Eccl. En Miſſæ ſine conventu publico, etiam ſine Communione adſtantium, ſaltem in exemplis S. Paulini & S. Luciani. Chryſoſtomus hom. 3. in Ep. ad Epheſ. teſtatur ſe a Sacrificio non abſtinuiſſe, quamvis nemo communicaret; referentur verba in ſol. arg. S. Gregorius hom. 37. in Evang. ſcribit Caſſium Narnienſem quotidie celebraſſe, ſive adeſſent communicantes, ſive non. Concil. Agathenſe an. 506. Can. 21. permittit Oratorium privatum, in quo Miſſa ſine cœtu publico extra majores ſolemnitates celebraretur. Legatur. Et Can. 18. jubet, ut Laici communicent ter in anno ſcilicet die Nativitatis Domini, Paſchatis & Pentecoſtes; Canone autem 47. mandat, ut omnes Miſſam audiant diebus Dominicis. Ergo debebant Paſtores Miſſam celebrare, etſi nullus vellet communicare, ſubindeque frequenter celebrabantur ſine adſtantium Communione.

Præterea tempore Honorii & Theodoſii numerabantur Conſtantinopoli *Nongenti & quinquaginta Decani* Cod. de Sacro-ſanctis Eccleſiis: *Non plures*. Cornelius Papa apud Euſeb. l. 6. Hiſt. c. 43. dicit initio Schiſmatis Novatiani eſſe Romæ quadraginta Presbyteros, quorum numerus poſtea multum excrevit. Ad quid autem tot Sacerdotes, ſi una tantum Miſſa communis in die celebranda. Item ab incunabulis Eccleſiæ plures præter Paſtores ordinati ſunt Sacerdotes. Poterant ergo hi celebrare, nec tenebantur Communionem dare.

Tandem ex antiquiſſima Eccleſiæ conſuetudine, cujus meminit S. Greg. Hom. de Natali Domini, quilibet Sacerdos tres Miſſas celebrat in feſto Nativitatis Chriſti; item multi pluribus Miſſis ex devotione interſunt eodem die: Tenebunturne omnes aſſiſtentes in his omnibus Miſſis eodem die pluries communicare? Aut nullæ, ſeu illicitæ erunt iſtæ Miſſæ? Apage deliria.

Prob. 4. Ratione. Salvatur eſſentia Sacrificii ſine aſſiſtentibus aut communicantibus. Ergo licite offertur ſine illis. Prob. Ant. Eſſentia Sacrificii eſt in ordine ad colendum

dum

dum Deum, ad ipſum placandum, & illis ſatisfaciendum pro peccatis. Atqui hoc totum ſalvatur ſine aſſiſtentibus aut communicantibus: quod enim fideles illius per ſacramentalem Communionem ſint principes, eſt quidem finis Euchariſtiæ, ut eſt Sacramentum, non ut eſt Sacrificium niſi ſecundario.

Solvuntur Objectiones.

OBJ. 1. Hæretici verba Chriſti, *Hoc facite*, &c. ſed horum ſolutionem habes Probatione ſecunda. Obj. 2. Apoſt. 1. Cor. 10. appellat panem quem frangimus *Participationem corporis Chriſti*. Ergo Sacerdotes dum conſecrant, debent Euchariſtiam diſtribuere. Item cap. 11. opponit Dominicam Cœnam privatæ, ita ut ubi de privata agitur, non poſſit eſſe Cœna Dominica. R. ad 1. Apoſtolus vocat panem, quem frangimus, *Participationem corporis Chriſti*, non quod non liceat conſecrare, niſi fideles participent ſacramentaliter, ſed quia habent jus participandi, & legitime petentibus denegari non poteſt, cumque accipiunt, unum & idem corpus Chriſti accipiunt. Ad 2. per Dominicam Cœnam non intelligit ibi Apoſtolus Euchariſtiam, ſed convivium commune, quod olim fiebat in commemorationem Cœnæ ultimæ Chriſti cum Apoſtolis, ut alibi dixi: non enim in Euchariſtica menſa unus eſurit, alter ebrius eſt, nec alter alterum excludit, dives Pauperem, ut loquitur Apoſtolus.

Obj. 3. ex traditione. Chryſoſtomus hom. 3. in Ep. ad Epheſ. dicit: *Fruſtra eſt quotidianum Sacrificium, fruſtra adſtamus Altari, nemo eſt qui participet*. Et infra dicit melius eſſe non adeſſe, quam adeſſe non communicando: *An non eſſet melius*, inquit, *eum ne adfuiſſe quidem?* Ergo S. Doctor improbat Miſſas privatas. R. N. Conſeq. Imo contrarium omnino ſequitur ex ejus verbis, ſi quidem inde conſtet ipſum non abſtinuiſſe a Sacrificio, quamvis nemo in eo communicaret, ut dixi in probationibus. Improbat ergo tantum S. Doctor ſocordiam fidelium in participando fructu hujus Sacrificii per Communionem, non ipſum Sacrificium ſine communicantibus celebratum, cum ipſe ſic celebraret. Dicit quidem, *Fruſtra adſtamus Altari*, ſed hoc per ordinem ad finem ſecundarium Sacrificii, qui eſt refectio ſpiritualis. Dum autem addit *Melius eſſe eum non adfuiſſe*, loquitur more oratorio, idque ſpectat aſſiſtentes, non ipſum Sacrificium.

Inſt. 1. 1. Canon 10. Apoſtolorum jubet excommunicari præſentes Sacrificio, qui *Nec ſanctam Communionem percipiunt*. Ergo. R. Hoc Canone ad ſummum præcipi adſtantibus ut communicent, ſed non prohiberi Sacerdotibus, ne Sacrificium celebrent, dum nullus communicat. Verum neque id præcipitur adſtantibus, ſed præcipitur ſolum, ne dum alii communicant, hi, qui non communicant, propter aliquam inſolentiam aut indiſciplinationem, aut contemptum conſuetudinis Eccleſiæ, qualis tunc erat, perturbationem aut confuſionem cauſent; quod patet ex verbis ſubjunctis, *Veluti inquietudines Eccleſiæ commoventes*. Alium ſenſum & aliam ſolutionem exhibet textus Græcus, in quo ſic legitur: *Quicumque fideles Eccleſiam ingrediuntur, & ſcripturas audiunt, neque uſque ad preces & ſanctam Communionem permanent, tamquam qui ordinis in Eccleſia perturbationem inducant, a Communione arceri oportet*.

Inſt. 2. Aug. l. 4. de Trinit. c. 13. dicit hoc Sacrificium non rite offerri, niſi ſumatur ab eis, pro quibus offertur. Ergo. R. Aug. velle, ut ſumatur ab eis aut aliquo eorum, pro quibus offertur, quod ſemper facit Eccleſia, dum Sacerdos hoſtiam pro ſe & pro aliis oblatam ſumit.

Inſt. 3. Sacerdos in Canone Miſſæ dicit: *Quotquot ex hac altaris participatione ſacroſanctum Filii tui corpus & ſanguinem ſumpſerimus*. Ergo ſupponit adſtantes communicaturos. R. Sic recte loqui Sacerdotem, partim quia ex præſentibus non raro quidam communicant ſacramentaliter, alii ſpiritualiter, & Sacerdos debet eſſe paratus legitime petentibus dare; partim quia aliqui ſemper, ſi non præſentes, ſaltem abſentes communicant ſacramentaliter; hi enim cum ad Eccleſiæ corpus pertineant, legitime intelliguntur his verbis comprehendi.

Inſt. 4. S. Franciſcus in ep. ad Sacerdotes ſui Ordinis, quæ extat tom. 5. Biblioth. Patrum ait: *Moneo præterea & exhortor in Domino, ut in locis, in quibus morantur Fratres, una tantum Miſſa celebretur in die, ſecundum formam Romanæ Eccleſiæ; ſi vero in loco plures fuerint Sacerdotes, ſit per amorem charitatis alter contentus audita celebratione alterius*: ergo: Ante Reſponſionem obſervandum eſt hæc verba *ſecundum formam Romanæ Eccleſiæ* referri ad Ritum, & non ad conſuetudinem, quæ fuerit in Eccleſia Romana unam tantum Miſſam in die celebrandi. R. 1. Bellarminum & quoſdam alios hanc Ep. ſuppoſititiam reputare, aut ſi ſit genuina, intelligendam eſſe de feria 5. majoris Hebdomadæ, vel ut vult VVadingus de Miſſa Conventuali. R. 2. & verius cum Sylvio, S. Franciſcum in hac Ep. non improbare Miſſas, in quibus nullus præter Sacerdotes communicabat, cum ibi non præcipiat audientibus ut communicent, neque eas, quæ ſine publico populi conventu celebrantur, uno vel paucis aſſiſtantibus; ſed cum attenderet ad maximam puritatem mentis & corporis requiſitam pro hoc Sacrificio, monet & hortatur fratres, non præcipit, ut ſint contenti unam Miſſam audire in die, ne vel minus digni accederent ad Altare, vel ex frequentiori uſu tepeſcerent. Addit bene Sylvius: ſi quis autem aliter exiſtimet propter magnum Beneficii fructum, qui cum toti Eccleſiæ, tum celebranti obvenit, is neque a S. Franciſco reprobaretur, neque a veritate alienum aliquid dixerit. Quædam alia argumenta, ſed levia, vide ſi lubet apud eundem Sylvium hic a. 5.

ARTICULUS VIII.

De Tempore celebrationis Miſſæ.

SACERDOTES teneri aliquoties in anno celebrare dixi Diſſert. 7. de Miniſtro Euchariſtiæ art. 2. Petit. 4. Requiſ.

Dico 1. (*Hic a. 2. o.*) Per ſe loquendo licitum eſt, imo bonum & laudabile celebrare quotidie. Patet 1. ex Traditione. In Actis Paſſionis S. Andreæ legimus ipſum dixiſſe: *Ego quotidie immolo Agnum immaculatum*. Cyprianus Ep. 54. *at Sacerdotes Dei*, inquit, *quotidie celebramus, hoſtias Deo & victimas præparamus*. Aug. Ep. 118. c. 1. *Alibi nullus dies intermittitur, quo non offeratur*. 2. Patet ex univerſali Eccleſiæ praxi. 3. Ex maximis bonis quæ toti Eccleſiæ & ſingulis Fidelibus ex hoc Sacrificio obveniunt. Unde venerabilis Beda apud Gabrielem Lect. 87. in Can. ait: *Sacerdos non legitime impeditus, celebrare omittens, quantum in eo eſt, privat SS. Trinitatem laude & gloria, Angelos lætitia, juſtos ſubſidio & gratia, in Purgatorio exiſtentes refrigerio, Eccleſiam ſpirituali Chriſti beneficio, & ſeipſum medicina & remedio*. Dixi *per ſe loquendo*, quia per accidens aliquando eſt illicitum quotidie celebrare, ut ſi Sacerdos non ſit diſpoſitus, ſi aliqua cenſura ſit innodatus, ſi deſint neceſſaria ad Sacrificium, ſi Eccleſia prohibeat certis diebus celebrare.

De feria 6. majoris Hebdomadæ nemo dubitat. Ita prohibetur cap. *Sabbatho* de Conſec. d. 3. & hæc prohibitio pro iſto die eſt in viridi obſervantia per totam Eccleſiam. (*Ibid. ad 2.*) Ratio eſt, quia ea die, qua Eccleſia recolit realem paſſionem & cruentum Sacrificium Chriſti, illud non repræſentat myſtice, ſeu non immolat incruente. Quantum ad feriam quintam & Sabbathum ejuſdem Hebdomadæ, communior non ita pridem erat ſententia licere his diebus privatas Miſſas celebrare, & quamvis jure certo id eſſet prohibitum pro Sabbatho ſicut pro feria ſexta, uſus tamen contrarius invaluerat quoad Sabbathum. Ac circumferuntur a Recentioribus duo decreta in contrarium: unum S. Congregationis Rituum 11. Februarii 1690. approbante Alexandro VII. his verbis: *Celebrationem quoque Miſſarum dicta die Sabbathi ſancti omnino prohibendam in quibuſcumque Eccleſiis & Oratoriis privatis, non obſtante quacumque conſuetudine in contrarium, & unicam Miſſam Conventualem, una cum Officio ejuſdem Sabbathi, celebrandam fore præcepit*. Alterum Clementis IX. datum 26. Aprilis 1710. prohibens Miſſas privatas celebrari feria 6. & Sabbatho majoris Hebdomadæ. Utrum vero hæc decreta ſint uſu recepta, affirmare non auſim. Videmus enim adhuc hodie in quibuſdam Eccleſiis feria 5. in aliis Sabbatho ſancto, celebrari mane Miſſas privatas pro commoditate eorum, qui non poſſunt adeſſe Miſſæ ſolemni, Epiſcopis non contradicentibus.

Dico 2. Nullus Sacerdos tenetur quotidie celebrare, niſi ratione beneficii, cui annexa eſt hæc obligatio: qua non obſtante poteſt ſecundum communiorem opinionem aliquoties omittere abſque onere reſtituendi aut alium ſubſtituendi. Et hæc opinio fundatur in jure cap. *Significatum*, Extra. l. 3. tit. 5. de præbendis, ubi Alexander III. conſultus de præbenda alicui conceſſa cum obligatione quotidie celebrandi, hanc conceſſionem eatenus confirmat, *ut prædictus Sacerdos niſi infirmitate corporis fuerit impeditus, aſſidue debet obſequium ſuum impendere Eccleſiæ memoratæ, & quanto frequentius poteſt, ſalva honeſtate ſua & debita devotione, Miſſarum ſolemnia celebrare, nec ſibi liceat hoc illi ſubtrahere ſive cauſa voluptatis, ſive ſe ad aliam Eccleſiam transferendo*. Idque jure præſumitur de intentione pii & æqui fundatoris, alioquin foret onus Beneficiario vix tolerabile.

Hinc inferunt Theologi, quod ſi Beneficiarius ratione infirmitatis ad modicum tempus omittat celebrare, quidam ponunt 15. dies, alii menſem (& ita declaravit Concilium Mediolan. 7. tit. de Miſſis) ſimiliter ſi ex aliqua alia cauſa honeſta, puta devotionis, ſeu reverentiæ erga Sacramentum, vel ut celebret pro ſe, vel pro Parentibus, omittat quater aut quinquies in anno, quidam dicunt ſe-

G g mel

mel in menſe, non teneatur per alium ſupplere, nec aliquid de fructibus Beneficii remittere.

Hæc autem intelligenda ſunt, quando onus quotidie celebrandi immediate afficit ipſam perſonam Sacerdotis, ut ſi ſit inſtitutum Beneficium in ſuſtentationem pauperis Sacerdotis; ſi enim Communitati vel Eccleſiæ, vel Collegio onus incumberet curandi, ut quotidie celebretur Miſſa, ut ſi fundator dixiſſet, volo ut quotidie celebretur in tali loco, tunc nulla die poteſt omitti Miſſa, & ſi is, cui hujus obligationis executio demandata eſt, non poſſit per ſe, debet per alium celebrare.

Dico 3. (*Ibid. ad* 5.) Semel tantum in die licitum eſt Sacerdoti celebrare. Ita definitum eſt ab Alexandro II. qui obiit an. 1073. cap. *Sufficit*, de Conſec. diſt. 1. ab Honorio III. cap. *Referente*, & ab Innocentio III. cap. *Conſuluiſti*, Extra. de celebr. Miſſ. l. 3. tit. 4. bis verbis *Reſpondemus, quod, excepto die Nativitatis Dominicæ, niſi cauſa neceſſitatis ſuadeat, ſufficit Sacerdoti ſemel in die unam Miſſam ſolummodo celebrare*. Quia, ut ait Alexander citatus, Chriſtus ſemel mortuus eſt, utque majori reverentia & præparatione Miſſam celebret, *Cum valde felix ſit, qui unam digne celebrare poteſt*. Et hæc prohibitio ſic viget in Eccleſia ut nullus Theologus vel Canoniſta eximat a peccato mortali, qui extra Feſtum Nativitatis, & caſum neceſſitatis pluries in die celebraret. Eccleſia itaque (*Ibid.*) permittit cuilibet Sacerdoti celebrare tres Miſſas in Feſto prædicto in honorem triplicis Chriſti Nativitatis, Primam in honorem Nativitatis ejus æternæ, & ideo introitus eſt, *Dominus dixit ad me: filius meus es tu*. Secundam in honorem Nativitatis ejus temporalis, ſed ſpiritualis, quatenus Chriſtus ut Lucifer oritur in cordibus noſtris; unde ejus introitus eſt, *Lux fulgebit hodie ſuper nos*. Tertiam in honorem Nativitatis ejus temporalis corporalis, ſecundum quam viſibilis nobis proceſſit ex utero Virginis, & ideo introitus eſt; *Puer natus eſt nobis*. Permittit, inquam, Eccleſia tres Miſſas in Feſto Nativitatis, ſed non præcipit, nec obligat fideles tres audire: ſufficit ergo, ſi Sacerdos unam celebret, & Laicus unam audiat.

Quantum ad caſum neceſſitatis, multi olim numerabantur, ſed nunc ob copiam Sacerdotum, unus tantum communiter admittitur, quando nempe Sacerdos habet duas Parochias regendas, & alterutra deberet privari Miſſa die Dominico vel Feſto. Uſus videtur concedere, quod Parochus vicinus ſuppleat in hoc vices alterius Parochi abſentis. Non improbabiliter quidam addunt cuilibet Sacerdoti licere pluries celebrare in die, quando totus populus vel pars notabilis privaretur Miſſa die Dominico vel Feſto, ut poteſt frequenter contingere in partibus Hæreticorum, ubi Sacerdotes non audent apparere publice, ideoque ſunt rariores.

Dico 4. Quantum ad horam. Miſſa non poteſt celebrari ante auroram, nec poſt meridiem. Ita Rubricæ Miſſalis Romani & Eccleſiæ conſuetudo, ſic ut ſaltem Miſſa poſt Auroram finiatur, & ante meridiem inchoetur. Ita communis Doctorum ſenſus & communis praxis. Per auroram autem intelligitur creſpuſculum diei ſeu lucis, quod eſt ante ortum ſeu apparitionem corporis ſolis ſupra noſtrum hemiſpherium, duabus horis cum media in diebus longioribus, & in brevioribus una hora cum media; ſed quia in hoc non tam mathematice quam theologice computatur, communis ſententia eſt licitum eſſe celebrare duabus horis ante ortum ſeu apparitionem corporis ſolis ſupra noſtrum hemiſpherium. Hoc autem tempus anticipare aut differre, hoc eſt citius ante auroram, tardius poſt meridiem, eſt peccatum gravius vel levius ſecundum quantitatem anticipationis, vel dilationis, quidam ad peccatum mortale determinant quadrantem, quidam ſemihoram, quidam tres quadrantes, alii tandem horam, & hoc ultimum, ſecluſo ſcandalo, non videtur improbabile; quia tam Lex, quæ eſt tantum Rubrica, quam conſuetudo, non videntur tam ſtricte obligare.

Excipiuntur quidam caſus; 1. Caſus neceſſitatis, ſic propter infirmum communicandum, alias ſine Viatico moriturum, licet ſtatim poſt mediam noctem celebrare. 2. Propter Confeſſiones excipiendas, ſolemnes exequias, ſupplicationem, concionem aut ſolemnitatem officii, ubi eſt conſuetudo celebrandi poſt ſolemne Sacrum, multis videtur licitum celebrare una hora poſt meridiem. 3. In Feſto Nativitatis, olim etiam Sabbatho ſancto celebrabatur de nocte, ſed ille Ritus pro Sabbatho ſancto non eſt amplius in uſu. 4. Ex conſuetudine; ſic Galli, Belgæ, Germani ſolent celebrare in hyeme hora quinta matutina circiter propter commoditatem domeſticorum. 5. Epiſcopi ex privilegio vel conſuetudine poſſunt una hora ante Auroram, & una poſt meridiem celebrare, vel facere pro ſe celebrari. Multi idem dicunt de Regularibus privilegiatis, ſed alii opponunt hujus privilegii revocationem per Trid. ſeſſ. 22. decreto *De obſervandis*, &c. ubi prohibetur, *ne Sacerdotes aliis quam debitis horis celebrent ... non obſtantibus privilegiis quibuſcumque*. De quo dicam art. ſeq.

Dico 5. Celebrare ſine cauſa ante recitatum Matutinum cum Laudibus non eſt peccatum mortale, eſt tamen veniale; ex aliqua cauſa vero, etſi non multum gravi, nullum eſt peccatum. Eſt communior. Ratio 1. partis eſt; quia præceptum obligans ſub mortali recitare Matutinum & Laudes ante Miſſam erui non poteſt, neque ex jure, nullibi enim jure reperitur, ſed tantum in Rubricis Miſſalis de defectibus Miſſæ inter alios numeratur, *Miſſam celebrare non præmiſſo Matutino*, quod non importat gravem obligationem: neque ex conſuetudine, quamvis enim ſit pia & laudabilis conſuetudo præmittendi Matutinum Miſſæ, vix tamen ullus eam apprehendit ut graviter obligantem: neque ex natura rei, tum quia non eſt connexio neceſſaria inter Officium & Miſſam, cum ſæpe celebretur Miſſa votiva, vel de *Requiem*, quando ſit Officium de feria aut de aliquo Sancto: tum quia Miſſa non dicit majorem ordinem ad Horas Canonicas, quam Horæ Canonicæ inter ſe. Sicut ergo non eſt peccatum mortale ſecundum omnes invertere ordinem Horarum, puta dicere Sextam ante Tertiam, ita nec dicere Miſſam ante Matutinum. Ratio 2. partis eſt, quia Rubrica & conſuetudo important aliquam obligationem, atque aliqua indecentia, quod cum Matutinum ſit Officium noctis & quædam præparatio ad Miſſam, Miſſa vero ſit Officium diei, præponatur Miſſa Matutino. Ratio 3. partis eſt; quia ad tollendam levem obligationem ſufficit cauſa levis. Unde nulla eſt culpa celebrare non præmiſſo Matutino, ſi Prælatus præcipiat, ſi quis petat Miſſam celebrandam ſtatim, ſi multi vel una perſona gravis expectat, &c. Hæc vero intelligenda ſunt de Miſſis privatis; Celebrare enim Miſſam Conventualem ſolemnem ante Matutinum & Laudes in choro perſoluta, in iis Eccleſiis, ubi Horæ in choro publice cantantur, aut leguntur, mortale peccatum plerumque cenſent Theologi, tum ob ſcandalum, tum quia hoc eſt contra generalem omnium Eccleſiarum conſuetudinem in re gravi ſpectante publicum Dei cultum & bonum Eccleſiæ regimen.

ARTICULUS IX.

De loco celebrandi.

NASCENTE Eccleſia primos Chriſtianos habuiſſe Eccleſias, ſeu loca ſpecialia a privatis ædibus diſtincta, tum ad orandum & verbum Dei prædicandum, tum ad ſacrificandum, conſtat ex Apoſt. 1. Cor. 11. *Convenientibus vobis in Eccleſiam ... numquid domos non habetis ad manducandum, aut Eccleſiam Dei contemnitis?* Et c. 14. *Mulieres in Eccleſiis taceant, ſi quid autem volunt diſcere, domi viros ſuos interrogent*. Unde Philo apud Euſebium l. 2. Hiſt. Eccl. c. 16. vel 17. ſecundum diverſas editiones, loquens de primis fidelibus, dicit: *Eſt in ſingulis locis conſecrata Orationi domus .... in qua honeſtæ & caſtæ vitæ myſteria celebrant*. At ſæviente perſecutione Sacrificium offerebatur in quocumque loco, *in agris, in ſolitudine, in navibus, in carceribus, in diverſoriis*, ut ſcribit Dionyſius Alexand. apud Euſeb. l. 7. Hiſt. Eccl. c. 22. frequentius tamen in privatis fidelium domibus, in locis domorum ſuperioribus vel ſubterraneis, in carceribus & in cœmeteriis, ſeu catacumbis. Ubi vero deferbuit perſecutio, erectæ ſunt ſacræ ædes ad divina Myſteria peragenda, quas majores noſtri vocaverunt *Templa, Eccleſias, Dominica, Oratoria, Martyria*, & inſigniores, *Baſilicas*. Ex conſtanti Eccleſiæ conſuetudine laudabiliter Eccleſiæ dedicantur & conſecrantur, ſeu benedicuntur, non ſolum ob reverentiam Myſteriorum, ſed etiam propter noſtram utilitatem. Nam, ut ait Auctor, (*Hic a. 1. ad 3.*) *Virtutem quamdam ſpiritualem adipiſcuntur per Conſecrationem*, quod non eſt ita accipiendum, quaſi ſint ſuſceptivæ gratiæ aut qualitatis ſpiritualis, ſed quia Deus in eis eſt præſens ſpeciali modo ad arcendos Dæmones, ad excitandam fidelium devotionem, eorum preces exaudiendas & dimittenda peccata. Sic in antiqua lege Salomon ſolemniter dedicavit templum 3. Reg. 8. ſic poſt contaminationem Gentium legimus iteratam dedicationem ſub Juda Machabæo 1. Machab. 4. neque enim iſta Conſecratio pertinebat ad cæremonialia, quæ per novam Legem erant abroganda, ſed ad moralia, quibus præſcribuntur divini Cultus & Religionis Officia.

Dico 1. Extra Eccleſiam ab Epiſcopo conſecratam, aut ab eodem vel altero de ejus licentia benedictam, aut extra Oratorium ab Epiſcopo deputatum celebrare ſine neceſſitate, diſpenſatione aut privilegio, eſt peccatum mortale. Conſtat ex variis textibus juris de Conſec. d. 1. cap. *Sicut*. cap. *Miſſarum*, cap. *Hic ergo*, cap. *Nullus* ex Sylveſtro Papa: *Nullus Presbyter Miſſas celebrare præſumat niſi in ſacratis ab Epiſcopo locis, qui ſui particeps de cætero voluerit eſſe Sacerdotii*; id eſt ſub pœna ſuſpenſionis. Et

Con-

Concil. Trid. ſeſſ. 22. Decreto de obſervandis, &c. *Non patiantur* (Epiſcopi) *in privatis domibus atque omnino extra Eccleſiam & ad divinum tantum cultum dedicata Oratoria ab eiſdem ordinariis deſignanda & viſitanda ſanctum hoc Sacrificium a Sæcularibus vel Regularibus quibuſcumque peragi .... non obſtantibus Privilegiis vel exemptionibus quibuſcumque* . Cum ergo hæ prohibitiones ſint de re gravi & ſub gravi pœna, nempe ſuſpenſionis, obligant ſub mortali.

Dixi 1. *ſine neceſſitate* . Equidem jus cap. *Sicut* citato exigit ſummam neceſſitatem; ſed ex uſu & Concil. Triburienſi cap. *Concedimus* 30. ibid. minor neceſſitas ſufficit. Itaque licet extra Eccleſiam aut Oratorium deputatum celebrare etiam ſub dio aut tentorio: 1. Si Eccleſia ſit diruta aut combuſta cap. cit. *Concedimus* 2. In longa peregrinatione, in qua non reperiuntur Eccleſiæ, ibid. 3. In Caſtris. 4. In mari ſi abſit periculum effuſionis ſanguinis, ut dum eſt tranquillum mare, aut alter Sacerdos vel Diaconus tenet Calicem. 5. Si parva Eccleſia vel Oratorium in ſolemni Feſto omnes advenientes capere non poſſit. In hoc tamen ultimo caſu videtur conſulendus Epiſcopus. Concilium autem Trid. nihil his contrarium ſtatuit, quia non agit de caſibus neceſſitatis.

Dixi 2. *ſine diſpenſatione aut diſpoſitione Epiſcopi* , ut patet ex cap. cit. *Miſſarum* . Equidem Tridentinum videtur reſtringere hanc Epiſcoporum poteſtatem, ſic ut poſſint tantum deſignare Oratoria ad Sacrificium, quæ non deſerviant amplius ad uſus profanos, non vero quæcumque loca etiam profana; ſed obſervat Sylvius Concilium reſtringere poteſtatem Epiſcoporum, ſic ut non poſſint amplius ut olim ad libitum & per modum privilegii deſignare loca uſibus profanis deſervientia, non vero ſic quod non id poſſint ex juſta & rationabili cauſa pro una vel altera vice, & ita docent Navarrus, Vaſques, Tannerus, Barboſa, Layman & alii apud Sporer.

Dixi 3. *Vel ſine privilegio* , quo gaudent Epiſcopi cap. ultimo de Reliquiis in 6. ut poſſint in loco decenti celebrare vel facere coram ſe celebrari: neque iſtud privilegium revocavit Tridentinum, ut communiter docent Auctores. Item Regulares Mendicantes vi ſuorum Privilegiorum poſſunt celebrare non ſolum in Oratoriis privatis & in omnibus locis decentibus ſuorum Conventuum, ſed etiam extra in quocumque loco congruo & honeſto. Ita cap. *In his* 30. Extra. de Privilegiis l. 5. tit. 3. ex Honorio III. ſic: *Fratribus Prædicatoribus & Minoribus duximus indulgendum, ut ubicumque fuerint, ſine Parochialis juris præjudicio, cum altari valeant viatico celebrare* . Sixtus IV. Bulla 33. *Ut in quocumque loco congrua & honeſta ſuper altare portatile, celebrare libere & licite poſſint* . Innocent. IV. Bulla 24. Alexander VI. Bulla 14.

Sed difficultas eſt, utrum hæc privilegia non ſint revocata per Trid. citatum in probatione Concluſionis. R. non eſſe revocata quoad facultatem celebrandi in locis privatis ſuorum Monaſteriorum; quia Trid. tantum loquitur de *Domibus privatis & omnino extra Eccleſiam* : Monaſteria autem non ſunt domus privatæ, ut conſtat, neque omnino extra Eccleſiam; quia nomine Eccleſiæ veniunt etiam Religioſorum Clauſtra, ut colligitur ex cap. *Abbati §. Hac autem* d. 54. & ex cap. *Alma Mater* , de ſentent. Excom. in 6. atque ita docent Rodrigues, Peirinis, Lezana, de la Cruz & alii, intelligentes Decretum Concilii de Domibus privatis ſæcularium tantum. Id etiam conſtat ex uſu, notum eſt enim in omnibus Monaſteriis eſſe Oratoria privata ſive pro infirmis, ſive pro aliis, non deputata neque viſitata ab Epiſcopis, in quibus Regulares quotidie celebrant nemine contradicente. Quibuſdam idem dicendum videtur de *Grangiis* ſeu Prædiis Regularium, quæ frequentant recreationis cauſa, aut in quibus quidam Religioſi habitant; quia non ſunt Domus privatæ, nec omnino extra Eccleſiam, atque ita fert praxis.

Dico 2. (*Ibid. ad* 2.) Illicitum eſt celebrare ſine neceſſitate in Eccleſia polluta vel execrata. Patet ex terminis. Quia pollutio aut execratio eſt prohibitio vel irregularitas, ſeu quaſi cenſura Jure Eccleſiaſtico introducta, ne divina officia in eo loco propter indecentiam celebrentur. Unde Rubricæ Miſſalis præcipiunt, ut ſi tempore Sacrificii Eccleſia polluatur, Sacerdos ſtatim deſiſtat, ſi nondum Canonem inceperit, ſecus ſi inceperit. Quapropter cum hæc prohibitio ſit ſtricta & in re gravi, obligat ſub mortali, ut communiter ſentiunt Theologi, nulla tamen eſt cenſura annexa. Dixi *ſine neceſſitate* : Si enim populus deberet diu manere ſine Miſſa, aut etiam ſecundum aliquos die Dominico vel Feſto, ſi infirmus ſine Viatico eſſet moriturus, liceret celebrare in Eccleſia polluta, de conſenſu tamen Epiſcopi, ſi commode adiri poſſit, ſecus ſine ejus conſenſu. Ita communiter. Notandum tamen, quod per hujuſmodi celebrationem probabilius non eſſet reconciliata Eccleſia, ut quidam volunt, quia ad reconciliationem ſicut ad Conſecrationem Eccleſia aliud requirit quam celebrationem, ut iterum dicam infra.

Petes 1. Quot modis polluatur & execretur Eccleſia? R. Polluitur Eccleſia, 1. Homicidio voluntario & injurioſo, ſi non ipſi occiſo, ut ſi per Judicem occidatur, ſaltem ſanctitati & immunitati loci, ſive effundatur ſanguis, ſive non, ut ſi ſtranguletur, cap. *Propoſuiſti* , Extra. de Conſecrat. Eccleſiæ l. 3. tit. 40. Unde homicidium caſuale, aut in amentia, vel in ſui defenſionem perpetratum, non polluit Eccleſiam. 2. Polluitur ex copioſa & mortaliter injurioſa ſanguinis effuſione cap. *Eccleſiis* de Conſecr. d. 1. & cap. *Si Eccleſia* , Extra. l. 3. tit. 4. Non ergo polluitur Eccleſia, ſi effluant tantum quædam guttæ ſanguinis, quia effuſio dicit notabilem quantitatem; neque ſi percuſſio non ſit mortalis, ut plerumque accidit in pueris rixantibus. Pro hoc utroque caſu notandum eſt ſufficere, ſi vulnus fuerit inflictum in Eccleſia, quamvis extra Eccleſiam vulneratus ex eo moriatur, aut ſanguinem fundat. Similiter ſufficit, ſi foris exiſtens amiſſo telo, lapide, vel glande occidat, aut vulneret cum ſanguinis effuſione exiſtentem in Eccleſia: non tamen ſi exiſtens in Eccleſia occidat, aut vulneret foris exiſtentem, etiamſi vulneratus ingreſſus in Eccleſiam ibi moriatur aut ſanguinem effundat.

3. Polluitur Eccleſia humani ſeminis effuſione voluntaria, & mortaliter culpabili, ſive coitu, ſive aliter; non ſufficit tamen una vel altera gutta, neque ſi accidat in ſomno, quamvis forte fuerit culpabilis in cauſa. Utrum per actum conjugalem alias licitum polluatur? Juxta ſententiam probabiliorem, quam elegimus Diſſert. 6. de Temperantia a. 8. Petitione 3. ſcilicet hunc actum eſſe abſolute illicitum in Eccleſia, reſpondendum eſt affirmative.

4. Polluitur Eccleſia ſeu Cœmeterium ſepeliendo in ea excommunicatum nominatim denuntiatum, aut notorium percuſſorem Clerici cap. *Conſuluiſti* extra de Conſec. Eccleſiæ l. 3. Tit. 4. cujus corpus, ſi poſſit diſcerni, debet foras projici cap. *ſacris* de ſepult. Item ſepeliendo Paganum, ſeu infidelem cap. *Eccleſiam* de Conſec. d. 1. conſequenter infantem non baptizatum; eſt enim infidelis ſaltem negative. Si tamen mortuus in utero matris cum ea ſepeliatur, non polluitur Eccleſia; quia non ſepelitur tanquam perſona diſtincta, ſed ut pars Matris. Secus exiſtimat Sylvius, ſi fuiſſet extractus ex utero matris, & rurſum in eo repoſitus, quia inquit, perinde eſt, ac ſi mater illum ex utero emiſiſſet ſive vivum, ſive mortuum.

5. Execratur Eccleſia, id eſt amittit ſuam Conſecrationem, quando ejus parietes ſive omnes, ſive pro majori parte ſimul deſtruuntur, ſecus ſi ſucceſſive deſtruantur, & ſucceſſive reparentur, modo pars reparata ſit minor parte relicta cap. *Ligneis* extra. de Conſec. Eccleſiæ; quia Conſecratio maxime fit, & inhæret parietibus. Unde deſtructione tecti aut lignorum non execratur Eccleſia. Neque præſens caſus locum habet in Eccleſiis benedictis tantum; quia benedictio fit & inhæret pavimento. Sic ſaltem communiter diſtinguunt Theologi.

Eſt autem hoc diſcrimen inter Eccleſiæ pollutionem & execrationem, quod polluta Eccleſia polluantur etiam altaria, fixa ſcilicet non portatilia, & polluto uno altari fixo polluatur Eccleſia. At execrata Eccleſia non execratur altare, nec e contra execrato altari execratur Eccleſia. Ratio diſcriminis eſt, quia ſicut Conſecratio reſpicit ſeorſim Eccleſiam & altare, ita execratio, quæ eſt amiſſio Conſecrationis, & ideo afficit tantum ſubjectum deſtructum; ſed pollutio reſpicit Eccleſiam & altaria fixa per modum unius, non tamen altaria portatilia, quia non ſunt annexa Eccleſiæ. Eſt item obſervandum, quod polluta Eccleſia quatuor modis prædictis polluatur etiam Cœmeterium ipſi conjunctum, non e contra polluto Cœmeterio polluitur Eccleſia. Ita expreſſe cap. *Si Eccleſiam* de Conſec. Eccleſiæ in 6. pro duobus primis modis; eſt autem eadem ratio pro duobus ſequentibus, quia principale trahit ad ſe acceſſorium, non e contra. Additur cap. cit. quod ſi ſint plura Cœmeteria pariete ſeparata, uno polluto, non polluitur aliud; Cœmeterium autem pollutum ex pollutione Eccleſiæ, etiam ex ſola reconciliatione Eccleſiæ cenſetur reconciliatum.

Petes 2. Utrum hæ omnes cauſæ pollutionis Eccleſiæ debeant eſſe publicæ, ut cenſeatur Eccleſia polluta? R. Ut Eccleſia cenſeatur polluta in ordine ad crimen ſacrilegii contrahendum, iſtæ cauſæ non debent eſſe publicæ, ut probavimus Diſſer. 3. de Temperantia art. 8. Petit. 5. ut autem Eccleſia cenſeatur polluta, ſic ut indigeat reconciliatione, & ſit prohibitum in ea celebrare, debent eſſe publicæ vel evidentia facti, vel per juridicam probationem, vel per Confeſſionem Auctoris, quam non tenetur facere extra judicium. Vide loco cit.

Petes 3. A quo & quomodo Eccleſia polluta debeat reconciliari? R. Si Eccleſia ſit tantum benedicta, reconciliari poteſt per ſimplicem presbyterum aqua a ſe benedicta, adhibitis iis, quæ præſcribuntur in Rituali. Aperte colligitur ex cap. ult. de Conſec. Eccleſiæ lib. 3. Tit. 40. & ita cenſet Abbas, Armilla, Henriques, Navarrus, Avila,

quos citat & ſequitur Layman. Si vero Eccleſia fuerit conſecrata, ſolus Epiſcopus, non ſimplex Sacerdos, niſi ex ſummi Pontificis commiſſione aut privilegio, poteſt illam reconciliare aqua a ſe vel ab alio Epiſcopo benedicta cum vino & cinere mixta. Ita expreſſe cap. *Aqua* loco proxime cit. Poſtea tamen Leo X. conceſſit Fratribus Minoribus, conſequenter aliis communicantibus privilegium Bullatam reconciliandi Eccleſias conſecratas aqua ab Epiſcopo benedicta, quæ dicitur *Gregoriana*, vel ab ipſis Regularium Prælatis benedicta, ſi Epiſcopus diſtet duabus dietis, ideſt quatuordecim leucis. In eodem privilegio conceditur iiſdem facultas benedicendi ſuas Eccleſias & Cœmeteria, ſi Epiſcopi nolint aut negligant. Ita laudatus Layman poſt plures alios. Addit ibid. omnia, quæ dicta ſunt de Eccleſia, dicenda eſſe de Cœmeterio, quippe quod iiſdem modis polluitur & reconciliatur quibus Eccleſia.

ARTICULUS X.

De Altari, ejus Ornatu, necnon de Vaſis & Veſtibus ſacris.

DE ALTARI.

AD celebrandam Miſſam neceſſario requiritur Altare lapideum ab Epiſcopo conſecratum. Ita *c. Altaria* 31. & 32. de Conſec. diſt. 1. cap. *Miſſarum* cap. *placuit* cap. *nullus* ibid. & alii extra, de Conſec. Eccleſiæ: eſtque unanimis omnium Theologorum ſententia, atque communis praxis & ſenſus Eccleſiæ. Ita ut juxta omnes ſit peccatum mortale ſine Altari conſecrato celebrare, neque id liceat ullo caſu, niſi forte mortis, non tamen in contemptum Religionis intentatæ. Duplex eſt Altare, unum fixum, aliud mobile, quod etiam portatile & Viaticum appellatur. Fixum execratur ſeu violatur, ſi menſa ſeparetur a reliqua ſtructura operis cœmento conjuncti, non vero ſi tota ſtructura cum menſa in alium Eccleſiæ locum transferatur. Utrumque violatur, ſi menſa ita frangatur, ut non poſſit recipere Hoſtiam & Calicem pro majori parte. Plures addunt, ſi frangatur ſigillum ſepulchri ſeu Reliquiarum, de quo vide Sylvium hic quæſtiunc. 5. & 6.

DE ORNATU ALTARIS.

1. ALTARE debet cooperiri tribus Tobaleis ſeu Mappis mundis, quarum ſuperior ſit oblonga, & ad terram pertingens. Ita Rubricæ Miſſalis Tit. 20. Multi tamen ex uſu hodierno putant ſufficere duas aut unam replicatam cum corporali, imo in neceſſitate ſufficere unam ſimplicem, quia non videtur hoc præceptum tam rigoroſum. 2. Debet Altare ornari pallio, quod vocamus Antipendium. Rubricæ ibid. Ex uſu vero toleratur antipendium ex aſſeribus, aut alia materia ſaltem picta.

3. Requiritur ſub mortali lumen. Secundum Rubricas requiritur duplex candela ex cera. In neceſſitate tamen ſufficere unam, etiam ex ſævo, aut lampadem ex oleo tradunt plurimi. 4. Crux collocanda eſt ſuper altare. Ex Rubricis ibid. Utrum debeat eſſe crucifixus, Rubricæ non exprimunt; ſed affirmant multi, & ita fert uſus. Eſt etiam plurium ſententia non eſſe mortale celebrare ſine cruce aut crucifixo, ſecluſo contemptu vel ſcandalo. Utrum ſit neceſſarius, quando proſtrat venerabile Sacramentum? Quidam negant, quidam affirmant. In hoc quiſque ſequatur Ritum ſuæ Eccleſiæ vel Religionis. In noſtra requiritur.

5. Miſſale, quod ſaltem Canonem contineat, requiritur per ſe loquendo ſub mortali ex communi Doctorum ſenſu; quia alioquin Sacerdos quantumvis felicis memoriæ exponitur periculo graviter errandi. Dixi per ſe loquendo: quia ſi Sacerdos eſſet moraliter certus ſe non erraturum, & urgeret gravis neceſſitas, poſſet ſecundum plurium ſententiam celebrare ſine Miſſali. 6. Ad Altare & Miſſale revocari poteſt Miniſter, ſine quo eſt grave peccatum celebrare extra caſum gravis neceſſitatis, ut ſi celebrandum eſſet pro communicando infirmo ad mortem, & non poſſet reperiri Miniſter, qui reſpondeat. Sic jura & Eccleſiæ conſuetudinem cum iſto rigore communiter interpretantur Theologi. Iſte autem Miniſter debet eſſe Maſculus, & non fœmina cap. *Inhibendum* de cohabitatione Clericorum & Mulierum; adeo ut ſatius eſſet in caſu neceſſitatis celebrare ſine Miniſtro, quam cum fœmina. Toleratur tamen, ut fœmina a longe ſtans reſpondeat ſimpliciter, ſicut in Belgio faciunt quædam Moniales e ſuo Choro reſpondentes, Sacerdote ſibi ipſi vinum & aquam miniſtrante.

DE VASIS SACRIS.

1. REQUIRITUR ſub mortali ad Sacrificium Calix cum Patena. Ex Rubricis cit. Tit. de Ritu celebrandi, & jure cap. unico extra, de ſacra unct. §. ultimo & aliis de Conſec. diſt. 1. debent eſſe ex auro vel argento, vel ſtanno, ſaltem quoad cupam. At quamvis Rubricæ requirant, quod cupa & ſuperior pars patenæ ſint deauratæ, id tamen non requiri ſub peccato probat uſus contrarius ſaltem quando Calix & patena ſunt argentei. Calix cum patena debet eſſe inunctus chriſmate & conſecratus ab Epiſcopo vel habente privilegium, ut ſunt plures Abbates, imo ſecundum aliquos, omnes Abbates inſulati, aliis tamen negantibus. Execratur ſeu violatur Calix, quando ita frangitur, ut non ſit amplius aptus uſui ſacro; ut ſi pes avellatur a cupa, niſi ſit tornatilis. Non violatur autem (idem dic de aliis vaſis & veſtibus ſacris) ſi Hæretici vel alii illum ad uſus profanos impie adhiberent; deceret tamen juxta quoſdam, ut de novo ab Epiſcopo, vel ſimplici Sacerdote benediceretur. Neque etiam violatur amiſſa deauratione, quia non ſolum illa minutiſſima auri materia fuit conſecrata, ſed tota calicis materia, neque ſaltem probabiliter ex nova deauratione aut parva refectione per opificem laicum, ſicut non execratur Eccleſia per novam dealbationem aut modicam reparationem, quia ſcilicet adhuc eadem moraliter manent.

2. Requiritur corporale lineum benedictum c. *Conſulto* de Conſec. d. 1. Item palla linea ex parte, qua tangit Calicem ſimiliter benedicta. Peccat graviter, qui celebrat ſine Corporali, non ita qui ſine palla, quia non videtur res tam gravis, & loco ipſius poteſt tegere Calicem Corporali amplo, ut factum eſt olim, & adhuc faciunt Carthuſiani, vel Purificatorio aut Burſa. 3. Requiritur Purificatorium, cujus benedictio nullo jure ſtatuitur, nec in Ritualibus invenitur, adeo ut loco ipſius poſſit adhiberi ſtrophiolum mundum. Item ad decentiam requiritur Velum, Burſa, Manutergium & Pulvinar, non neceſſario benedicta. 4. Ciborium ſeu pixis, in quo aſſervantur hoſtiæ, ſimiliter lunula Monſtrantiæ, debent ſaltem benedici. Ita expreſſe præſcribitur in Miſſali reformato Rubrica 2. de Ritu ſervando in celebratione Miſſæ; ſuadetque ratio; ſi enim Corporale, Palla & veſtes Sacerdotales debeant benedici, quidni Ciborium & Lunula, quæ tangunt immediate Corpus Chriſti? poſſunt autem benedici ab iis, a quibus benedici poſſunt veſtes Sacerdotales.

DE VESTIBUS SACRIS.

VESTES ſacræ requiſitæ ad Sacrificium ſunt ſex: Humerale ſeu Amictus, Alba ſeu Tunica, Cingulum, Manipulus, Stola, & Caſula ſeu Planeta, omnes benedictæ. Ita Rubricæ Miſſalis de Ritu celebrandi n. 1. Sine omnibus veſtibus ſacris celebrare ſecundum omnes eſt peccatum mortale, niſi forte, ut jam dixi, in caſu mortis non intentatæ in contemptum Religionis, qui caſus videtur quaſi metaphyſicus. Sine Cingulo celebrare, ſecundum plures, eſt tantum peccatum veniale, quia videtur res levis. In aliqua gravi neceſſitate ſine aliqua ex minoribus veſtibus, puta vel Cingulo, vel Amictu, vel Stola, vel Manipulo, videtur pluribus licitum.

Veſtes ſacræ amittunt benedictionem, ut jam ſupra innui, ſi ita frangantur aut lacerentur, ut non ſint amplius aptæ ad uſum, propter quem fuerunt benedictæ; ſic ſi ex alba detrahatur Manica, ſi Cingulum ſic frangatur, ut neutra pars ſufficiat cingendo Sacerdoti, amittunt benedictionem, & ſi reficiantur, indigent nova benedictione. Non amittunt autem per lotionem, neque, ut jam dixi, ſi adhibeantur ad uſus profanos, graviter tamen peccat, qui adhibet. Veſtes ſacræ ita detritæ, ut ſuo uſui non poſſint amplius deſervire, ſecundum Canones non ſunt uſibus profanis applicandæ, ſed comburendæ, aut ex eis aliæ conficiendæ, quæ uſibus Eccleſiæ deſerviant. Celebrare cum veſtibus valde ſordidis eſt peccatum grave tam celebranti quam ſacriſtæ.

Si petas, utrum ex his, quæ uſibus profanis inſervierunt, liceat conficere veſtes ad uſus ſacros? R. affirmative. 1. Quia per benedictionem tollitur quidquid contaminationis per uſus profanos contraxerunt. 2. Plura Templa Idolorum olim converſa ſunt in Eccleſias, & in antiqua lege Tabernaculum cum ſuis appendicibus conſtructum eſt ex armillis, inauribus, annulis, dextraliolis & aliis hujuſmodi virorum ac mulierum. 3. Denique, quia ſic fert conſuetudo, quæ eſt optima legum interpres.

Color veſtium ſacrarum debet correſpondere tempori ſeu Feſto juxta præſcriptum Rubricarum. Hanc tamen obligationem non apprehendunt ut gravem Theologi, ſicque hanc Rubricam non ſervare ex cauſa rationabili nullum erit peccatum, ut in pauperibus Eccleſiis, in magno concurſu celebrantium, &c. Sacerdos celebrare debet calceatus, ex Rubricis, & capite detecto, ex jure cap. *Nullus* de Conſec. d. 1. *Nullus Epiſcopus, Presbyter aut Diaconus ad ſolemnia Miſſarum celebranda præſumat cum baculo introire, aut velato capite altari Dei aſſiſtere.* Ita ut ſecundum communem Theologorum interpretationem, qui ſine ſummi Pontificis diſpenſatione cum pileolo ſeu aliter tecto capite celebraret, peccaret mortaliter.

Pe-

Petes 1. a quo Corporalia, Pallæ, Ciborium, Lunula & Veſtes ſacræ ſint benedicendæ? R. Jure ordinario debent benedici ab Epiſcopo; ex privilegio autem poſſunt benedici ab Abbatibus infulatis & Superioribus Ordinum Mendicantium, ut ſunt Generales, Provinciales, Priores, Guardiani, Rectores, &c. & in horum abſentia Conventuum Præſidentes, qui pleno jure hæc officia obeunt, ut ſunt apud nos Superiores, apud Minoritas Vicarii. Opponit Lezana quaſdam declarationes Congregationis Cardinalium; quibus ſtatuitur id licere Abbatibus & Superioribus Ordinum Mendicantium pro uſu ſuarum Eccleſiarum dumtaxat, non pro aliis Eccleſiis. Verum reſpondent alii de iſtis declarationibus nihil certo conſtare, & inſuper praxim eſſe contrariam: *Hac facultate*, inquit Sporer, *noſtri utuntur, ſaltem bona fide, paſſim permittentibus, & ſæpe ad noſtras remittentibus Epiſcopis*.

Petes 2. An hucuſque dicta, ſcilicet Eccleſiæ, Altaria, Calices, Veſtes ſacræ, per ipſum uſum ſacra fiant; ita quod ſi Sacerdos maxime Epiſcopus celebret in Eccleſia, vel Altari, vel cum Calice, vel cum veſtibus non benedictis aut non conſecratis, hoc ipſo uſu benedicantur, aut conſecrentur, ſic ut alia non indigeant benedictione aut conſecratione? R. probabilius negative. 1. Quia iſtarum rerum ſacratio pendet a voluntate Eccleſiæ ſeu ſum. Pontificis. Atqui Eccleſia ſeu ſum. Pontifex nunquam declaravit hæc ſacrari ex ſolo uſu ſine ritu & cæremoniis præſcriptis. Ergo. 2. Si ex celebratione in Eccleſia non benedicta, vel non conſecrata, ipſa ſacraretur, ſi Calix non conſecratus ex tactu ſanguinis Chriſti conſecraretur, &c. ſequeretur, quod cubiculum, in quo Sacerdos ex privilegio celebraſſet, eſſet conſecratum, quod barba Sacerdotis, aut terra, in quam caſu deflueret ſanguis aut caderet Corpus Chriſti, eſſent conſecratæ. Hæc autem ſunt abſurda.

Petes 3. Quibus liceat tangere Vaſa ſacra? R. 1. Tangere Vaſa ſacra, Calicem, Patenam, Ciborium, Corporale, dum actu continent corpus aut ſanguinem Chriſti, nemini citra peccatum mortale licet, quam Sacerdoti, aut Diacono. Ita communiter Theologi. R. 2. Vaſa ſacra vacua tangere, ſecundum varios textus juris d. 23. quandoque licuit Acolythis, quandoque ſolis Subdiaconis; conſuetudo autem videtur obtinuiſſe, ut liceret ſolis Subdiaconis. Laicis vero, ſecundum communiorem ſententiam, illicitum eſt ſub peccato veniali; & ideo Corporalia & Purificatoria ſordida lavantur a Diaconis vel Subdiaconis, priuſquam tradantur Laicis. Intellige ſine rationabili cauſa, qualis eſſet neceſſitas reparandi Calicem, aut aliquid aliud. Intellige etiam de Ciboriis, Lunulis, Corporalibus, Purificatoriis, poſtquam uſui fuerint applicata, antea enim omnibus licitum eſt ea tangere, non tamen Calices & Patenas propter Conſecrationem. R. 3. Regulares Mendicantes ex ſuis privilegiis habent, ut omnes ex ſuis, etiam Laici, qui ex Superiorum deputatione Sacriſtæ officio funguntur in ſuis Eccleſiis, omnia ſacra Vaſa vacua licite tangere poſſint, & talis eſt praxis.

ARTICULUS XI.

De his quæ dicuntur & fiunt in celebratione Miſſæ.

DICO. (*Ibid. a. 4. & 5. o. & in ſol. arg.*) Quæ dicuntur & fiunt in celebratione Miſſæ convenienter ordinata ſunt. Prob. Exponendo præcipuas cæremonias Miſſæ; in qua diſtinguuntur diverſæ partes, Præparatio, Inſtructio, Oblatio, Conſecratio & Sumptio.

Imprimis (*Ibid. art. 4. a.*) Sacerdos ſe præparat. 1. Per Confeſſionem juxta illud Prov. 18. *Juſtus prior eſt accuſator ſui*. 2. Per Introitum, qui eſt laus divina deſumpta ut plurimum ex Pſalmis. 3. Commemorat præſentem miſeriam, dum miſericordia petitur dicendo *Kyrie eleiſon* ter pro perſona Patris, ter pro perſona Filii, ter pro perſona Spiritus ſancti, contra triplicem miſeriam ignorantiæ, culpæ & pœnæ. 4. Commemorat cœleſtem gloriam, ad quam tendimus poſt præſentem miſeriam dicendo, *Gloria in excelſis Deo*, quod cantatur in Feſtis, in quibus hujus gloriæ fit mentio, intermittitur in Officiis Luctuoſis, quæ ad commemorationem miſeriæ pertinent. 5. Sacerdos recitat Orationes pro populo, ut dignus habeatur tantis Myſteriis. Poſt præparationem ſequitur inſtructio populi, quia hoc Sacramentum eſt Myſterium fidei. Fit autem hæc inſtructio diſpoſitive per Doctrinam Prophetarum & Apoſtolorum vulgo dictam Epiſtolam, perfecte per Doctrinam Chriſti contentam in Evangelio. Et quia Chriſto credimus tanquam divinæ veritati, cantatur Symbolum fidei, in quo populus oſtendit, ſe per fidem Doctrinæ Chriſti aſſentire. Hic olim finiebatur Miſſa Catechumenorum, quibus peractis dimittebantur.

Poſt præparationem (*Ibid.*) & inſtructionem ſequitur Oblatio, circa quam duo aguntur; laus populi in Cantu Offertorii, per quod ſignificatur lætitia offerentium, & Oratio Sacerdotis, qui petit, ut Oblatio populi Deo ſit accepta. Deinde Sacerdos altare thurificat, quæ thurificatio ſecundum Auctorem, ad duo pertinet, tum ad reverentiam hujus Sacramenti; ut ſcilicet per bonum odorem depellatur, ſi quid mali odoris in loco fuerit; tum ad repræſentandum effectum gratiæ, qua, ſicut bono odore, Chriſtus plenus fuit, & ab illo per Sacerdotis Miniſterium ad fideles derivatur. Secundum alios per hanc cæremoniam monentur fideles ad cœleſtia ferventi deſiderio aſcendere, ſicut fumus ex thure incenſo aſcendit. Deinde Sacerdos (*Ibid.*) accedit ad Conſecrationem, quæ cum virtute ſupernaturali agatur, auxilium precum ad illam rite peragendam petit a Fidelibus dicendo, *Orate Fratres*, *&c.* poſtea in Præfatione excitat devotionem populi, & ideo monetur ſurſum cordis habere ad Deum. Finita Præfatione populus laudat divinitatem Chriſti cum Angelis dicens *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*, & humanitatem cum pueris dicens, *Benedictus qui venit*, *&c.* Tunc Sacerdos commemorat ſecreto illos, pro quibus Sacrificium offertur, deinde commemorat Sanctos, quorum patrocinia implorat, ac tandem petit Conſecrationis effectum; cum dicit: *Quam oblationem tu Deus benedictam*, *adſcriptam*, *ratam*, *rationabilem*, *acceptabilemque facere digneris*. (*Ibid. ad 7.*) Quorum verborum ſenſus eſt, facere digneris hanc oblationem *Benedictam*, id eſt per quam benedicamur; *Adſcriptam*, id eſt per quam in cœlo adſcribamur; *Ratam*, id eſt per quam de viſceribus Chriſti eſſe cenſeamur; *Rationabilem*, id eſt per quam a beſtiali ſenſu exuamur; *Acceptabilem*, ut qui nobis ipſis diſplicemus, per hanc acceptabiles ejus unico filio ſimus. Alii paulo aliter hæc verba exponunt.

His præmiſſis Sacerdos Conſecrationem peragit verbis Salvatoris cum dicit: *Qui pridie quam pateretur*, *&c.* deinde excuſat præſumptionem per obedientiam ad mandatum Chriſti cum dicit: *Unde memores*, poſtea petit, ut hoc Sacrificium ſic peractum ſit Deo acceptum dicendo, *Supra quæ propitio*, *&c.* & proficiat ſumentibus, mortuis, & ipſis Sacerdotibus offerentibus. Tandem agitur (*Ibid. o.*) de perceptione Sacramenti, ad quam præparatur populus per Orationem Dominicam, & per pacem, quæ datur dicendo *Agnus Dei*; eſt enim hoc Sacramentum unitatis & pacis. In Miſſis tamen Defunctorum, in quibus Sacrificium non tam offertur pro pace præſenti, quam pro requie mortuorum, pax intermittitur. Sequitur perceptio Sacramenti, primo percipiente Sacerdote, & poſtmodum aliis dante. Ultimo autem tota Miſſæ celebratio in gratiarum actione terminatur, populo exultante pro ſumptione Myſterii, quod ſignificat Cantus poſt Communionem, & Sacerdote per Orationem gratias offerente, quibus peractis Diaconus dimittit populum dicens, *Ite Miſſa eſt*.

Dices 1. Juxta Apoſt. Hebr. 7. major non benedicitur a minore, ſed minor a majore. Ergo eſt inconveniens, quod Sacerdos poſt Conſecrationem benedicat hoc Sacramentum cruce ſignando. 2. Sicut corpus Chriſti non incipit eſſe in hoc Sacramento per loci mutationem, ita etiam nec deſinit. Inconvenienter ergo Sacerdos petit, *Jube hæc perferri per manus S. Angeli tui in ſublime altare tuum*. 3. Quando eſt tantum unus Miniſter, inconvenienter dicit Sacerdos in plurali numero *Dominus vobiſcum*. R. ad 1. (*Ibid. art. 5. ad 3.*) quod Sacerdos poſt Conſecrationem non utatur crucesignatione ad benedicendum, ſicut ante Conſecrationem, ſed ſolum ad commemorandum virtutem crucis, & modum Paſſionis Chriſti. Fiunt autem ſigna crucis, vel ſemel, vel ter, vel quinquies, ſemel propter eſſentiæ unitatem; ter propter Trinitatem perſonarum; quinquies propter vulnera Chriſti Domini & expreſſam repræſentationem Paſſionis ejus; alia circa cruceſignationes require in Auctore. Ad 2. (*Ibid. art. 4. ad 9.*) per hæc verba Sacerdos non petit, neque quod ſpecies ſacramentales deferantur in Cœlum, neque corpus Chriſti verum, quod ibi eſſe non deſinit, ſed petit hoc pro corpore myſtico, quod in hoc Sacramento ſignificatur, ut ſcilicet Orationes Sacerdotis & populi Angelus aſſiſtens divinis Officiis Deo repræſentet; Sublime autem altare Dei dicitur vel ipſa Eccleſia triumphans, in quam transferri petimus, vel ipſe Deus, cujus participationem petimus. Vel per Angelum intelligitur ipſe Chriſtus, qui eſt magni Conſilii Angelus, qui corpus ſuum myſticum Deo Patri conjungit & Eccleſiæ triumphanti. Ad 3. (*Ibid. a. 5. ad 12.*) Negatur Ant. Quia Miniſter gerit perſonam totius populi Catholici. Pro pluribus argumentis, quæ opponunt Hæretici contra ea, quæ dicuntur, & fiunt in Miſſa, præſertim in Canone, lege Auctorem hic a. 4. & 5. & Bellarminum.

ARTICULUS XII.

Quæſtiunculæ, quæ ſuperſunt circa præſentem materiam, breviter reſolvuntur.

PEtes 1. Utrum Canon Miſſæ convenienter ſubmiſſa voce recitetur? Canon idem eſt ac Regula ſeu Ritus celebrandi Miſſam; incipit a *Te igitur*, & finitur ad Communionem, ſeu ſecundum alios ad Orationem Dominicam, a qua incipit præparatio ad Communionem. Canonis veritatem, & antiquitatem a multis ſæculis aſſerit Concil. Trid. Seſſ. 22. c. 4. Probabile eſt Apoſtolos ſtatim ab initio ſacrificaſſe adhibita ſola Oratione Dominica; poſt Aſcenſionem vero Domini aliquas alias preces adhibuiſſe, quibus addiderunt poſtea ſummi Pontifices. Canon, qualem nunc habemus, legitur in ordine Romano, & extitiſſe ante an. 800. inde evincitur, quod in illo ſolum recenſeantur nomina Martyrum, non Confeſſorum, quia Martyres coli cœperunt in Eccleſia ab initio; Confeſſores autem tantum paulo ante an. 800. ut patet ex Concilio Moguntino circa hoc tempus celebrato, a quo in Catalogo Feſtorum reponuntur Feſta SS. Martini & Remigii.

R. Ad quæſtionem affirmative. 1. Ex Trid. ſeſſ. 22. cap. 9. ubi ſic definit: *Si quis dixerit Eccleſiæ Romanæ Ritum, quo ſubmiſſa voce pars Canonis, & verba Conſecrationis proferuntur, damnandum eſſe, aut lingua tantum vulgari Miſſam celebrari debere ... anathema ſit*. 2. Quia ad reverentiam Myſterii pertinet, ut quædam dicantur ſecreto: *Qui in primordiis Eccleſiæ*, inquit Baſilius l. de Spiritu S. c. 27. *certos Ritus præſcripſerunt Apoſtoli, & Patres in occulto, ſilentioque Myſteriis ſuam ſervavere dignitatem; neque enim omnino Myſterium eſt, quod ad populares, vulgareſque aures effertur*. 3. Chriſtus in cruce ſe offerens quædam in ſilentio oravit.

Petes 2. Utrum Miſſa ſit celebranda in lingua vulgari? R. Celebrare Miſſam lingua vulgari non eſt per ſe malum; quæ enim in ea continentur, quavis lingua recitentur, ſunt bona & ſpirant ſanctitatem, poſſetque certis de cauſis permitti ab Eccleſia ſic celebrari, ſicut Æneas Sylvius de Orig. Bohem. c. 13. apud Sylvium refert permiſſum fuiſſe Moravis, ut divina Officia lingua Sclavonica peragerent ad tempus; quia cum totum Regnum eſſet ſimul converſum ad fidem, non reperiebantur, qui omnibus latine celebrarent.

Attamen pluribus & juſtis de cauſis Eccleſia prohibuit Miſſam celebrari lingua vulgari. 1. Quia ex diverſitate linguarum tolleretur communicatio Eccleſiarum, & qui unum tantum idioma callerent non poſſent in aliis Eccleſiis celebrare. Hinc unitas Eccleſiæ ſolveretur, naſcerentur diſſenſiones & ſchiſmata. 2. Ex mutatione idiomatis vulgaris forent ſæpe mutanda verba Sacrificii, aut antiquata & ridicula, quæ riſum moverent, retinenda. 3. Quamvis omnes audientes intelligerent verba, non tamen omnes aſſequerentur ſenſum verborum, multa enim in Miſſa leguntur ex Prophetis, Pſalmis & Epiſtolis Apoſtolorum, inter quæ plura ſunt intellectu difficilia. Unde contingeret, quod plures audientes ſenſus exoticos & falſos conciperent, ſicut ex lectione Scripturarum, quæ ideo non omnibus promiſcue permittuntur. Merito itaque Trid. citatum anathemate ferit, *Qui dixerit Miſſam lingua vulgari celebrari debere*, prudenterque Eccleſia inſtituit, ut lingua permanente, ſeu ut dicitur mortua, & a ſolis eruditis intellecta, Græca apud Græcos, & Latina apud Latinos, Miſſa celebraretur.

Opponunt Hæretici illud 1. Cor. 14. *Si incertam vocem det tuba, quis parabit ſe ad bellum? Ita & vos niſi manifeſtum ſermonem dederitis, quomodo ſcietur id, quod dicitur? ... Si benedixeris Spiritu, qui ſupplet locum idiotæ, quomodo dicet Amen ſuper tuam benedictionem? Quoniam quid dicas neſcit*, Ergo, R. Apoſtolum non agere ibi de divinis Officiis, ſed de quibuſdam novis ſive Canticis, ſive Laudibus, ſive Inſtructionibus, quas primi Chriſtiani ex ſpeciali tunc Spiritus S. afflatu inſpirati in Conventibus publicis proferabant lingua peregrina & ignota, ad quas ideo, cum eſſent novæ & non intelligerentur, nemo poterat reſpondere *Amen*, hoc eſt eas approbare. Non ſic autem in Miſſa, in qua qui reſpondent *Amen*, etſi verba non intelligant, ſciant tamen eis aliquid ſanctum, & ſibi utile ſignificari.

Inſtant. Græci celebrant lingua vulgari. Ergo. R. N. Ant. Lingua enim Græca, in qua celebrant Græci, non eſt magis apud ipſos vulgaris, quam Latina apud Italos. Lingua autem, in qua celebrant Græci, eſt una ex tribus, quæ ſunt conſecratæ divinis Officiis, & in quibus titulus crucis fuit ſcriptus, Hebraice ſcilicet, Græce, & Latine, nec magis quam Latina varietati ſubjacet.

Petes 3. Utrum ſit licitum interrumpere Miſſam, ſive poſtea perficiendam, ſive non? R. 1. Miſſam interrumpere, ſive poſtea perficiendam, ſive non, ſive ante, ſive poſt Conſecrationem, per ſe & ſine gravi cauſa non licet. Ita prohibitum eſt in jure cap. *Nullus Epiſcopus* de Conſec. d. 1. & cap. *Nihil* 7. q. 1. Ratio eſt, quia Miſſa eſt una actio totalis, quæ ideo debet ſucceſſive & ſine interpolatione perfici. Urget autem magis hæc prohibitio, ſi interpolatio fiat poſt Conſecrationem, & adhuc magis ſi Miſſa non ſit poſtea perficienda. Si ergo ſit longa interruptio ſine cauſa gravi puta ad horam, & forte ad ſemihoram, etiamſi ante Conſecrationem, & Miſſa foret poſtea perficienda, videtur peccatum mortale, veniale autem ſi ſit brevis interruptio. R. 2. Interrumpere Miſſam poſtea perficiendam ante Conſecrationem licet ob concionem, promulgationem Edictorum, ſolemnitatem Profeſſionis Religioſæ. Ita praxis Eccleſiæ. Item poſt Conſecrationem licet propter baptizandum infantem periclitantem, aut abſolvendum infirmum morti proximum; quia ſalus proximi eſt majus bonum, & ideo præferendum continuationi Sacrificii. R. 3. Interrumpere poſt Conſecrationem Miſſam poſtea non perficiendam nunquam licet, niſi in caſu impotentiæ phyſicæ, ut ſi celebrans ſubito infirmetur, & foret in periculo mortis imminentis, quod aliter quam deſerendo Sacrificium vitari non poteſt, puta ex incendio aut ſubitanea ruina Eccleſiæ, ex incurſu ſicariorum, ita ut ſi permaneat celebrans, occideretur, & Sacrificium pariter remanebit imperfectum. Intellige tamen, niſi mors intentetur in odium fidei.

Ante Conſecrationem vero interrumpere Miſſam non perficiendam licet, dum celebrans recordatur ſe eſſe in peccato mortali, non eſſe jejunum, eſſe aliqua cenſura innodatum: in his inquam caſibus Sacerdos non ſolum poteſt, ſed etiam debet Sacrificium deſerere ante Conſecrationem, ſi fieri poteſt abſque ſcandalo, aut nota infamante. Si autem ſit periculum ſcandali, aut notæ infamantis, ut eſt ordinarie dum celebrat publice, pœniteat & proſequatur, ut alibi dixi.

Petes 4. Quid facere debet Sacerdos celebrans, ſi advertat ſe aliquid omiſiſſe, aut unum pro alio legiſſe. R. (*Ib. a. 6. ad 5.*) Si id certo ſciat debere repetere ea, quæ ſunt de neceſſitate aut integritate Sacrificii, ut ſi ſit forma Conſecrationis, debet illam reſumere, & cætera per ordinem iterare, ne mutetur ordo Sacrificii. Alia autem, quæ non ſunt de neceſſitate aut integritate Sacrificii, ut ſunt collecta, *Gloria in excelſis*, Epiſtola, Evangelium, *Credo*, &c. ſi jam aliquantulum ſit progreſſus, non debet repetere, ſed proſequi. Si vero dubitet tantum ſe aliquid omiſiſſe, ea, quæ ſunt de neceſſitate aut integritate Sacramenti, repetat ſub conditione, non alia. Si tandem dubitet tantum negative, nimirum quia non recordatur ſe dixiſſe, nihil debet repetere, ſed debet ſupponere ſe dixiſſe, non enim qui multa dicit, recordatur omnium, quæ dixit.

Petes ultimo, utrum Rubricæ Miſſalis, de quibus toties diximus in præcedentibus articulis, ſint obligatoriæ? R. affirmative: 1. Quia S. Pius V. in Conſtitutione, quæ legitur in capite Miſſalis, ſtricte præcipit, ut Miſſam juxta ritum, modum ac normam, quæ in eo traditur, decantent & legant. 2. Quia S. Rituum Congregatio in Decreto, quod pariter eſt Miſſali Romano præfixum, ſic ſtatuit: *Denuo renovando Decreta alias facta, mandat S. Congregatio in omnibus & per omnia ſervari Rubricas Miſſalis Romani, non obſtante quocumque prætextu & contraria conſuetudine, quam abuſum eſſe declarat. Et facta relatione horum Decretorum S. D. N. Urbano VIII. Sanctitas ſua annuit, & ab omnibus abſque ſervari, & in Miſſali Romano noviter imprimendo apponi mandavit*. 3. Quia Concil. Trid. ſeſſ. 22. in Decreto de obſervandis, vetat, ne Sacerdotes *Ritus alios, aut alias cæremonias & preces in Miſſarum celebratione adhibeant*. Obligant itaque graviter, vel leviter, prout materia exigit, præceptum ſonat, & conſuetudo intelligit; imo ex conſuetudine contraria poſſunt non obligare. Quod enim Decretum Congregationis dicit, *Non obſtante contraria conſuetudine*, ſpectat conſuetudinem, quæ tunc erat, non quæ poſſet eſſe poſtea. Eſt enim principium univerſaliter receptum, conſuetudinem poſſe derogare legi.

Ad quorum itaque intelligentiam & diſtinctionem in praxi obſervandum eſt omnes partes Miſſæ non eſſe ejuſdem rationis. Aliæ ſunt eſſentiales, aliæ accidentales. Inter accidentales quædam ſunt gravioris, quædam levioris momenti, attento fine, ad quem ordinantur, & indecentia omiſſionis, quod non parum dependet a judicio Doctorum & Prudentum. Gravitas igitur materiæ in præſenti caſu non tam æſtimanda eſt ex ejus quantitate, quam ex ejus qualitate, attento, ut dixi, ejus fine & judicio Prudentum. Ex his inferes 1. Eſſe peccatum mortale omittere Confeſſionem ante gradus altaria, Epiſtolam, Evangelium, Oblationem, notabilem partem Canonis, puta aliquam ejus orationem, aut integram periodum, Conſecrationem unius ſpeciei, elevationem ſpecierum, fractionem hoſtiæ, mixtionem cum ſanguine; quia hæ partes communiter a Theologis judicantur graves.

Inſe.

Inferes 2. Eſſe peccatum veniale tantum omittere, quæ non ſemper leguntur in Miſſa, ut *Gloria in Excelſis*, *Credo*, ſpecialem Præfationem & ſpeciale *Communicantes*, Item aliquas Collectas, paucula verba Canonis, quæ non mutant notabiliter ſignificationem, Evangelium S. Joannis, quaſdam Cruces, vel Genuflexiones; quia Theologi communiter has partes, ſeorſim ſcilicet non ſimul ſumptas, non apprehendunt ut graves. Idem dic de precibus præſcriptis, dum induitur Sacerdos. Quantum autem ad eas, quæ poſt celebrationem ſunt præſcriptæ, ſcilicet Canticum trium puerorum, paucos video, qui ad illas ſub obligatione alicujus peccati adſtringant, & revera apparet, quod conſuetudo non intelligat quoad illas præceptum rigoroſum; videmus enim plures & pios Sacerdotes, qui has, vel illas quiſque pro ſua devotione recitant.

Inferes 3. Eſſe peccatum mortale aliquid etſi minimum addere animo introducendi novum Ritum, tum quia id præcipue prohibent Pius V. & Concilium Trid. tum quia ſi poſſet hodie abſque peccato mortali addi eo animo aliquid leve, ita etiam poſſet ſequentibus diebus, ſicque abſque peccato mortali introduceretur novus Ritus in re gravi, & everteretur finis Legis. Non datur in hoc ergo levitas materiæ. Inſuper qui eo animo agit, uſurpat Eccleſiæ auctoritatem in re gravi. Addere autem aliquid leve ex indiſcreta devotione eſt peccatum veniale; intellige additionem eorum, quæ non ſunt in Miſſali; uſus enim piorum excuſat additionem aliquarum Collectarum ex Miſſali, quamvis pro hac Miſſa non præſcribantur. Intellige etiam de additione vocali ſeu exteriori; addere enim aliquid mentaliter, ut actum contritionis, vel Virtutum Theologicarum, aut quid ſimile ante communionem vel alias, non cadit ſub prohibitione.

Inferes 4. Celebrare aliam Miſſam, quam deſignatam, diebus prohibitis, ut Miſſas votivas vel *De requiem* die Dominica, in Feſto duplici, Intra octavas ſolemniſſimas, &c. ſecundum communem opinionem eſſe regulariter tantum peccatum veniale, ſecluſo contemptu & ſcandalo, quia lex non apprehenditur communiter ſtrictius obligans, ſaltem regulariter. Puto tamen difficile poſſe vitari ſcandalum celebrando publice Miſſam *De requiem* die Dominico vel Feſto. Dixi etiam *Regulariter*; celebrantem enim ſine gravi cauſa Miſſam votivam, aut *De requiem* in Feſto ſolemniſſimo, puta Paſchæ & ſimilibus, a peccato mortali non excuſarem; hæc enim inordinatio videtur gravis. Conceſſit S. Congregatio, ut præſente corpore defuncti poſſet cantari Miſſa *De requiem* diebus Dominicis & Feſtis, non tamen ſolemniſſimis, ut Feſto Paſchæ & ſimilibus. Item quod Miſſæ *De requiem* ex fundatione poſſent celebrari in Feſto duplici, quod non eſt de præcepto. Ita refert Sporer ex Gavanto.

DIGRESSIO HISTORICA

Quis fuerit Melchiſedech?

AD DISSERT. PRÆCEDENTEM.

CUM in Diſſertatione præcedenti multoties de Melchiſedecho, cujus Sacrificium fuit figura Sacrificii Eucharistici, mentionem fecerimus, non ægre feret curioſus Lector, ſi ejus genus hic breviter ſcrutemur, de quo variæ fuerunt opiniones. Quidam Hæretici dicti Melchiſedechiani arbitrati ſunt Melchiſedechum fuiſſe quamdam virtutem cœleſtem Chriſto ſuperiorem. Alii dixerunt eſſe Angelum: alii Spiritum ſanctum: alii tandem ipſum Dei filium in carne ad tempus aſſumpta Abrahamo apparentem. Vera autem & communis inter Orthodoxos ſententia eſt Melchiſedech fuiſſe verum hominem. Inter eos tamen controvertitur, an fuerit Sem filius Noe, an homo genere Cananæus ex Chamo altero filio Noe oriundus?

Dico 1. Melchiſedech non fuit quædam virtus cœleſtis Chriſto major, non Angelus, non Spiritus S. non Filius Dei, ſed verus homo. Prob. 1. quoad ſingulas partes. Prima, 1. Chriſto Dei Filio & Deo nulla eſt virtus ſuperior. 2. Melchiſedech dicitur *Aſſimilatus Dei Filio* Heb. 7. Ergo non illi æqualis, nec a fortiori major. Patebit inſuper ex ſequentibus. Secunda pars: Melchiſedech erat Rex Salem & Sacerdos Dei Altiſſimi Geneſ. 14. Hæc autem non conveniunt Angelo, ut modo dicam. Tertia pars: 1. Spiritus nunquam legitur carnem induiſſe. 2. Melchiſedech, ut modo dicebam, erat aſſimulatus Dei Filio, illius figura, Sacerdos Dei; & his titulis Deo, conſequenter Spiritui S. inferior. Quarta pars eiſdem momentis evincitur.

Prob. 2. Concluſio quoad omnes partes ſimul. Melchiſedech erat Rex Urbis Salem, ſive ſit Jeruſalem, ut multi volunt, ſive probabilius ſecundum Hieronymum Ep. 126. ad Evangelium, urbs Sichimorum dicta *Salem* vel *Salim*. Item erat Sacerdos Dei Altiſſimi, qui occurrit Abrahamo revertenti e cæde quatuor Regum, & pro cujus victoria obtulit Deo Sacrificium, ab eoque decimas accepit, Geneſ. cit. Atqui hæc non conveniunt niſi vero homini. Etenim Principatus ac Regimen viſibilis ac terrenæ civitatis ad ſolos homines ſpectat. Et juxta Apoſt. Heb. 5. *Omnis Sacerdos ſeu Pontifex ex hominibus aſſumptus*, id eſt progenitus, *pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum, ut offerat Dona & Sacrificia pro peccatis, qui condolere poſſit iis, qui ignorant & errant*, &c. Ergo.

Prob. 3. Ex communi ſenſu Patrum apud Hieronymum Ep. citata: *Revolvi*, inquit, *veterum libros ... verti me ad Hyppolitum, Irenæum, Euſebium Cæſarienſem & Emiſſenum, Apollinarium quoque noſtrum & Euſtathium... & deprehendi horum omnium opiniones diverſis argumentationibus ac diverticulis ad unum compitum perveniſſe, ut dicerent: Melchiſedech hominem fuiſſe Chananæum.*

Dico 2. Probabilius eſt Melchiſedech non fuiſſe Semum filium Noe, ſed hominem genere Chananæum. Prob. 1. Ex laudato Teſtimonio Hieronymi. 2. Melchiſedech nullam habet in Scriptura Genealogiam, quo ſenſu dixit Apoſt. Heb. 7. fuiſſe ſine Patre, ſine Matre, ſine Genealogia. Atqui Sem habet in Scriptura Genealogiam per omnes majores, poſteroſque deſcriptam. Ergo. Neque dicas non habere quidem Genealogiam ſub nomine Melchiſedech, ſed habere ſub nomine Semi: non enim hic eſt quæſtio de nomine, ſed de homine ipſo: hujus autem hominis, ſi fuerit Sem, & genus & Genealogia in Scripturis traduntur. Nemo ſane dixerit Genealogiam Iſraelis non haberi in Scriptura ex eo, quod ſub nomine Jacob tantum tradatur. Inſuper Apoſtolus ibid v. 6. dicit generationem Melchiſedech non numerari inter Levitarum majores, & tamen certum eſt Levitas originem directe ducere a Semo per Jacob, Iſaac, Abraham & Arphaxad. 3. Terra Chanaan obtigit filiis Chami. Non eſt ergo probabile Sem in ea terra obtinuiſſe Regnum. 4. Non eſt etiam veriſimile Abrahamum in ea terra peregrinum quæſiviſſe ab extraneis præſidium vitæ, commorationis & ſepulturæ, ſi in ea habuiſſet Regem Salem ſuæ gentis Auctorem.

Obj. contra 1. Concluſionem. 1. Melchiſedech Heb. 7. dicitur ſine Patre, ſine Matre, ſine Genealogia, quod non convenit homini, ſed ſoli ſpiritui. 2. Tempore Abraham nullus erat in terra Chanaan fidelium cœtus, alioquin Abraham inter eos potius habitaſſet, quam inter Ethnicos. Non eſt autem Rex abſque ſubditis, nec Sacerdos abſque populo fideli. 3. David Pſ. 109. dicit de Chriſto: *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*: Et Apoſt. Heb. 7. de Melchiſedech, quod manet *Sacerdos in æternum*: Sacerdotium autem æternum ſoli Chriſto competit. 4. Apoſtolus ibid. dicit Melchiſedechum, *Neque initium, neque finem vitæ habere*, quod iterum ſoli Deo competit. 5. Apoſt. ibid. facit Melchiſedechum præſtantiorem Abrahamo, at tunc inter mortales nullus erat Abrahamo præſtantior. 6. Idem Apoſtolus ibid. c. 5. loquens de Melchiſedech, *De quo*, inquit, *nobis grandis ſermo & ininterpretabilis ad dicendum*; quibus verbis ineffabilem ejus divinitatem indicat. Ergo. R. ad 1. jam dictum eſt Melchiſedech aſſeri ſine Patre & Matre, *Non quod ambobus illis caruerit*, inquit Epiphan. hæreſi 55. *ſed quod nulla ſit illorum in divinis Litteris expreſſa mentio.* Ad 2. Ex conjecturis nihil evinci poteſt contra expreſſa Scripturæ teſtimonia. Fuiſſe autem Melchiſedechum Regem Salem & Sacerdotem Dei Altiſſimi expreſſe teſtantur Moyſes & Paulus. An populus, cui imperabat Melchiſedech, fuerit fidelis, tacente Scriptura, incertum eſt, ſed nihil vetat Melchiſedech cum familia ſua verum Deum coluiſſe, & illi ſuo ſuorumque nomine obtuliſſe Sacrificia, ſicut obtulerunt Abel, Henoch, Job inter fideles. Et quamvis fuerit populus fidelis, id latere potuit Abrahamum in terra peregrina hoſpitem. Adde, quod tunc fœdus inierat cum habitatoribus Mambre, ideoque neceſſe non erat, ut alio migraret.

Inſtant. Melchiſedech non eſt nomen proprium, ſed appellativum. Ergo. Prob. Ant. Apoſtolus illud interpretatur *Regem juſtitiæ*. Ergo. R. N. Ant. Ad Prob. N. Conſeq. Nihil enim prohibet, quominus nomen proprium myſtice exponatur. Sic Angelus Matth. 1. v. 21. exponit nomen *Jeſu*, quod eſt proprium, *Quia ſalvum faciet populum ſuum.*

Ad 3. Melchiſedech dicitur Sacerdos in æternum, & ejus Sacerdotium æternum, non in ſe, ſed in eo, cujus erat figura, ſcilicet Chriſto, & ejus Sacerdotio. Ad 4. Melchiſedech dicitur non habuiſſe initium dierum, neque finem vitæ, quia neque ejus nativitas, neque mors memorantur a Moyſe, ut Chriſti typum exhiberet, qui, qua Deus, nec initium dierum, nec finem vitæ habet. Ad 5. Melchiſedech erat Abrahamo præſtantior, non ſolum regia poteſtate, ſed etiam Sacerdotii dignitate & typo. Abraham enim erat homo privatus in Chananæa peregrinus, ſuæque familiæ tantum Sacerdos. At Melchiſedech regia poteſtate in ſuam gentem dominabatur; eratque juxta Canonem Miſſæ & Auctorem (*Hic q. 31. a. 2.*) *Summus Sacerdos*, munia ſacerdotalia publice exercens, &, quod præcipuum eſt, gerens typum Sacerdotii Chriſti, & Sacrificii noſtri. Ad 6.

hæc

hæc verba Apoſtoli *Ininterpretabilis ſermo* juxta aliquos referenda ſunt ad Chriſtum, aut ſi ad Melchiſedech, non ad ipſum abſolute, ſed ut Chriſti Sacerdotium & Sacrificium præfigurabat. Juxta alios dicit Apoſtolus *Ininterpretabilem ſermonem* de Melchiſedech, non ob ineffabilem ejus majeſtatem, ſed quia, ut dicit ibid. Apoſtolus, Hebræi, quos alloquebatur, erant *Facti imbecilles ad audiendum.*

TRACTATUS
DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

Div. Thom. a Quaſt. 84. uſque ad 15. Supp.

SUMMA
DOCTRINÆ CATHOLICÆ DE POENITENTIA
EX CONCILIIS FLORENTINO ET TRIDENTINO.

Decretum Concilii Florentini pro Inſtructione Armenorum (*Sub Eugenio IV. anno 1439. S. Th. opuſc. 5.*)

QUartum Sacramentum eſt Pœnitentia, cujus quaſi materia ſunt actus pœnitentis, qui in tres diſtinguuntur partes. Quarum prima eſt cordis contritio; ad quam pertinet, ut doleat de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero. Secunda eſt oris Confeſſio; ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, ſuo Sacerdoti confiteatur integraliter. Tertia eſt ſatisfactio pro peccatis ſecundum arbitrium Sacerdotis; quæ quidem præcipue fit per Orationem, jejunium & eleemoſynam. Forma bujus Sacramenti ſunt verba abſolutionis, quæ Sacerdos profert, cum dicit: Ego te abſolvo, &c. Miniſter hujus Sacramenti eſt Sacerdos, habens auctoritatem abſolvendi, vel ordinariam, vel ex commiſſione ſuperioris. Effectus hujus Sacramenti eſt abſolutio a peccatis.

Canones Concilii Tridentini de Pœnitentia (*Seſſ. 14. 25. Novembris 1551. ſub Julio III.*)

I. *SI quis dixerit, in Catholica Eccleſia Pœnitentiam non eſſe vere & proprie Sacramentum, pro fidelibus, quoties poſt Baptiſmum in peccata labuntur, ipſi Deo reconciliandis, a Chriſto Domino inſtitutum; anathema ſit.*

II. Si quis Sacramenta confundens, ipſum Baptiſmum Pœnitentiæ Sacramentum eſſe dixerit, quaſi hæc duo Sacramenta diſtincta non ſint, atque ideo Pœnitentiam non recte ſecundam poſt naufragium tabulam appellari; anathema ſit.

III. Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris: Accipite Spiritum S. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt: non eſſe intelligenda de poteſtate remittendi & retinendi peccata in Sacramento pœnitentiæ, ſicut Eccleſia Catholica ab initio ſemper intellexit; detorſerit autem, contra inſtitutionem hujus Sacramenti, ad auctoritatem prædicandi Evangelium; anathema ſit.

IV. Si quis negaverit, ad integram & perfectam peccatorum remiſſionem requiri tres actus in Pœnitente, quaſi materiam Sacramenti Pœnitentiæ, videlicet, Contritionem, Confeſſionem & Satisfactionem, quæ tres Pœnitentiæ partes dicuntur; aut dixerit, duas tantum eſſe Pœnitentiæ partes, terrores ſcilicet incuſſos conſcientiæ, agnito peccato, & fidem conceptam ex Evangelio, vel abſolutione, qua credit quis ſibi per Chriſtum remiſſa peccata; anathema ſit.

V. Si quis dixerit, eam contritionem, quæ paratur per diſcuſſionem, collectionem & deteſtationem peccatorum, qua quis recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, ponderando peccatorum ſuorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amiſſionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incurſum, cum propoſito melioris vitæ, non eſſe verum & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, ſed facere hominem hypocritam, & magis peccatorem; demum illum eſſe dolorem coactum & non liberum ac voluntarium; anathema ſit.

VI. Si quis negaverit, Confeſſionem ſacramentalem, vel inſtitutam, vel ad ſalutem neceſſariam eſſe jure divino, aut dixerit modum ſecreto confitendi ſoli Sacerdoti, quem Eccleſia Catholica ab initio ſemper obſervavit, & obſervat alienum eſſe ab inſtitutione & mandato Chriſti, & inventum eſſe humanum, anathema ſit.

VII. Si quis dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum neceſſarium non eſſe jure divino confiteri omnia & ſingula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & quæ ſunt contra duo ultima Decalogi præcepta, & circumſtantias, quæ peccati ſpeciem mutant; ſed eam Confeſſionem tantum eſſe utilem ad erudiendum & conſolandum pœnitentem, & olim obſervatam fuiſſe tantum ad ſatisfactionem canonicam imponendam; aut dixerit, eos, qui omnia peccata confiteri ſtudent, nihil relinquere velle divinæ miſericordiæ ignoſcendum; aut demum, non licere confiteri peccata venialia; anathema ſit.

VIII. Si quis dixerit, Confeſſionem omnium peccatorum, qualem Eccleſia ſervat, eſſe impoſſibilem & traditionem humanam a piis abolendam; aut ad eam non teneri omnes & ſingulos utriuſque ſexus Chriſti fideles, juxta Concilii Lateran. Conſtitutionem, ſemel in anno, & ob id ſuadendum eſſe Chriſti fidelibus, ut non confiteantur tempore Quadrageſimæ; anathema ſit.

IX. Si quis dixerit abſolutionem ſacramentalem Sacerdotis non eſſe actum judicialem, ſed nudum miniſterium pronuntiandi & declarandi, remiſſa eſſe peccata confitenti; modo tantum credat, ſe eſſe abſolutum; aut Sacerdos non ſerio, ſed joco abſolvat; aut dixerit, non requiri Confeſſionem pœnitentis, ut Sacerdos eum abſolvere poſſit; anathema ſit.

X. Si quis dixerit, Sacerdotes, qui in peccato mortali ſunt, poteſtatem ligandi & ſolvendi non habere, aut non ſolos Sacerdotes eſſe Miniſtros abſolutionis, ſed omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus eſſe dictum: Quæcumque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cœlo; & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cœlo; & quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt: Quorum verborum virtute quilibet abſolvere poſſit peccata, publica quidem per correptionem dumtaxat, ſi correptus acquieverit; ſecreta vero per ſpontaneam Confeſſionem; anathema ſit.

XI. Si quis dixerit, Epiſcopos non habere jus reſervandi ſibi caſus, niſi quoad externam politiam, atque ideo caſuum reſervationem non prohibere, quominus Sacerdos reſervatis vere abſolvat; anathema ſit.

XII. Si quis dixerit, totam pœnam ſimul cum culpa remitti ſemper a Deo, ſatisfactionemque pœnitentium non eſſe aliam quam fidem, qua apprehendunt Chriſtum pro eis ſatisfeciſſe; anathema ſit.

XIII. Si quis dixerit, pro peccatis, quoad pœnam temporalem minime Deo per Chriſti merita ſatisfieri pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel a Sacerdote injunctis; ſed neque ſponte ſuſceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemoſynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam Pœnitentiam eſſe tantum novam vitam; anathema ſit.

XIV. Si quis dixerit, ſatisfactiones, quibus pœnitentes per Chriſtum Jeſum peccata redimunt, non eſſe cultus Dei, ſed traditiones hominum, doctrinam de gratia, & verum Dei cultum, atque ipſum beneficium mortis Chriſti obſcurantes; anathema ſit.

XV. Si quis dixerit, claves Eccleſiæ eſſe datas tantum ad ſolvendum, non etiam ad ligandum, & propterea Sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem clavium, & contra inſtitutionem Chriſti, & fictionem eſſe quod virtute clavium, ſublata pœna æterna, pœna temporalis plerumque exſolvenda remaneat; anathema ſit.

DIS.

DISSERTATIO I.

DE POENITENTIA SECUNDUM QUOD EST SACRAMENTUM.

Div. Thom. Quæſt 84.

POEnitere, ſi nominis Etymologiam ſpectetur, eſt quaſi pœnam tenere, ſeu teneri pœna ejus, quod commiſſum eſt. Secundum vero nominis impoſitionem ſumitur, vel pro virtute inclinante hominem ad reparandam injuriam Deo factam per peccatum, aut pro hujus virtutis actibus, vel pro Sacramento novæ Legis, quo remittuntur peccata poſt Baptiſmum commiſſa. Et quamvis ordine generationis prior ſit Pœnitentia ut virtus, quam Pœnitentia ut Sacramentum, cum actus interior exteriorem præcedat, & Pœnitentia virtus eſſet neceſſaria, etiamſi non eſſet Sacramentum; quia tamen actus hujus virtutis ſunt pars Sacramenti, imo non ſit virtus pro hoc ſtatu novæ Legis, niſi includat votum Sacramenti, ideo cum Auctore hunc Tractatum incipimus a Pœnitentia, ut eſt Sacramentum.

Variis nominibus inſignitur. (*Hic q.* 84. *a.* 6. *a.*) Dicitur ab Hieronymo in c. 13. Iſ. & a Trid. ſeſſ. 6. Can. 29. & ſeſſ. 14. cap. 2. *Secunda poſt naufragium tabula* reſpectu Baptiſmi, qui habetur ut integra navis, quatenus per eum omnia peccata quoad culpam & pœnam ſimpliciter & integre remittuntur. Dicitur *Manuum impoſitio* a quadam exteriori ceremonia, quæ olim obſervabatur, & quæ nunc etiam aliquatenus obſervatur, dum Sacerdos proferens abſolutionem manum elevatam & extenſam habet verſus pœnitentem. Dicitur *Baptiſmus laborioſus* propter dolorem & rigorem ſatisfactionis: *Myſterium reconciliationis* propter remiſſionem peccatorum, quam confert. Apud Græcos dicitur *Exomologeſis*, id eſt latine *Confeſſio*, & *Metanœa*, id eſt latine *Reſipiſcentia*, ſcilicet ſecundum Etymologiam nominis; ſecundum enim nominis impoſitionem aſſumuntur hæ voces a Græcis non ad ſignificandum ſolam Confeſſionem, aut ſolam reſipiſcentiam, ut volunt Hæretici, ſed ad ſignificandum id totum, quod importat Sacramentum.

ARTICULUS I.

Utrum Pœnitentia ſit Sacramentum?

§. I. *Errores circa exiſtentiam Sacramenti Pœnitentiæ.*

MONTANISTAS, ſeu Cataphrygas dictos a Phrygia Montani patria, ſeu Pepuſianos a vico, quem habitabat, circa an. 137. & Novatianos ſic dictos a Novato Presbytero Carthaginenſi, & Novitiano Antipapa circa an. 254. negaſſe Sacramentum Pœnitentiæ tradunt plerumque Scholaſtici cum Bellarmino. 1. Ex S. Hieron. Ep. 27. ad Marcellam, ubi de Montano & Novato ſcribit: *Ab iis errantibus manum non porrigi, præcipitari jacentes in Barathrum, ne leventur, ad omne pœnæ delictum obſerari fores Eccleſiæ*. 2. Ex Philaſtrio hæreſ. 28. & ex Epiphan. hæreſi 59. ubi ſcribit Novatum affirmaſſe eum, qui *Poſt Baptiſmum delinqueret*, nullam poſſe conſequi veniam. 3. Ex S. Ambroſio l. 1. de Pœnitentia c. 1. ubi ait Novatianus: *Stoicorum quodam more omnia peccata paribus æſtimaſſe menſuris, & æque eum, qui Gallum, ut aiunt, gallinaceum, atque illum, qui Patrem ſuffocaverit, in perpetuum cœleſtibus abdicandum Myſteriis*. 4. Ex Concilio Trid. ſeſſ. 14 cap. 1. dicente, nulla facta diſtinctione, aut exceptione, *Novatianos remittendi poteſtatem olim negantes magna ratione Eccleſia Catholica tanquam Hæreticos expleſit, atque condemnavit*.

Gaſpar Juenin cum quibuſdam recentioribus contendit e contra, neque Montaniſtas, neque Novatianos unquam abſolute negaſſe Sacramentum Pœnitentiæ, ſed in hoc tantum erraſſe, quod dicerent, peccata, non quidem omnia, ſed quædam graviora per Eccleſiæ poteſtatem non poſſe remitti. Id autem de Montaniſtis probat ex Tertulliano, qui lib. de pudicitia, quem ſcripſit poſt ſuam ad Montaniſtas defectionem cap. 2. diſtinguens peccata contra proximum, & contra Deum, dicit: *Mundantur delicta, quæ quis in fratrem, non in Deum admiſerit*. Et ibid. iterum diſtinguens inter peccata contra Deum: *Hæc*, inquit, *dividimus in duos exitus, alia erunt remiſſibilia, alia irremiſſibilia*. Et c. 9. aſſignans peccata irremiſſibilia: *Sunt*, inquit, *graviora & exitioſa, quæ veniam non capiunt, homicidium, idololatria, fraus, negatio, blaſphemia, utique mœchia & fornicatio, & ſi qua alia violatio Templi Dei*. Peccata autem remiſſibilia vocat ibid. *Quotidianæ incurſionis, ut iraſci inique, manum mittere, maledicere, temere jurare, fidem pacti deſtruere, verecundia aut neceſſitate mentiri*. Et ad c. 1: *Si nulla ſit venia iſtarum, nemini ſalus competit*. De Novatianis probat ex S. Ambroſio l. 1. de Pœnitentia c. 2. dicente: *Sed aiunt*, Novatiani, *ſe, exceptis gravioribus criminibus, relaxare veniam levioribus*. 2. Ex Socrate l. 4. c. 23.

Hæc 2. ſententia quantum ad Montaniſtas poſſet admitti propter expreſſa Tertulliani teſtimonia, neque contradicit Patribus laudatis pro 1. ſententia. Neque enim Philaſtrius, neque Epiphanius, neque Concilium Trid. loquuntur de Montaniſtis, ſed de ſolis Novatianis. Hieronymus autem non dicit Montaniſtas *Ad omne delictum*, ſed *ad omne pene delictum obſerare fores Eccleſiæ*, per quod innuit ipſos agnoſcere aliqua per Eccleſiam remiſſibilia. Poſſet tamen etiam dici Tertullianum temperaſſe errorem Montani, ut jam dicam de Novatianis. Quantum ad Novatianos; non putamus fas nobis dicere cum Juenin, laudatos Patres *Novatianorum mentem & ſyſtema nequaquam eſſe aſſecutos*; ſed ad conciliandam utramque ſententiam dicimus primos Novatianiſmi Auctores denegaſſe Eccleſiæ poteſtatem remittendi ullum peccatum, horum vero Diſcipulos hoc durius dogma emolliviſſe, & agnoviſſe in Eccleſia poteſtatem remittendi leviora peccata, non tamen graviora. Ita in terminis docet S. Ambroſius l. 1. citato de Pœnit. c. 2. ubi de Novatianis dicit: *Sed aiunt ſe, exceptis gravioribus criminibus, relaxare veniam levioribus. Non hoc quidem Auctor veſtri erroris Novatianus ait, qui nemini dandam Pœnitentiam putavit ... In eo igitur Patrem veſtrum proprio damnatis ſententia, qui diſtinctionem peccatorum facitis, quæ ſolvenda a vobis putetis, & quæ ſine remedio eſſe arbitremini*.

Obſervandum vero tum Montaniſtas, quam Novatianos negantes Eccleſiam poſſe remittere, ſive omnia, ſive graviora peccata, admiſiſſe omnia poſſe a Deo remitti Pœnitentiam agentibus. Conſtat de Montaniſtis ex Tertul. l. cit. de pudic. c. 3. & 19. de Novatianis ex S. Ambroſio l. 1. cit. de Pœnit. c. 2. & ex Socrate l. 4. Hiſt. c. 28. Valdenſes, Wicleſiſtas & Huſſitas Pœnitentiam non expunxiſſe ex albo Sacramentorum, ſed tantum erraſſe in hoc, quod improbis Sacerdotibus poteſtatem abſolvendi, & alia Sacramenta adminiſtrandi denegarent, conveniunt modo eruditi cum doctiſſimo Boſſuetio l. 11. Variat. n. 104. & 165.

Calviniſtæ omnes cum Calvino rejiciunt Sacramentum Pœnitentiæ, voluntque nullum aliud eſſe in Eccleſia remedium peccatorum poſt Baptiſmum commiſſorum, quam ipſum Baptiſmum in memoriam revocatum cum certa fide ſeu fiducia remiſſionis peccatorum. Ita etiam plures Lutherani. Qui vero profitentur Confeſſionem Auguſtanam, videntur admittere Sacramentum Pœnitentiæ diſtinctum a Baptiſmo; legitur enim in ejus Apologia: *Vere igitur ſunt Sacramenta, Baptiſmus, Cœna Domini, Abſolutio, quæ eſt Sacramentum Pœnitentiæ*. At illud labefactant, dum dicunt art. 11. dictæ Confeſſionis, non eſſe neceſſariam peccatorum enumerationem. Idem dicendum de iis, qui utuntur parvo Catechiſmo Lutheri, in quo etiam videtur admitti Sacramentum Pœnitentiæ. Vide Boſſuetium Hiſt. Variat. l. 3. n. 47. & 48.

Quantum ad Lutherum ipſum, varius & inconſtans hac in re fuit. Sed quidquid dixerit, aut dicant modo Lutherani, quamdiu hærebunt capitali ſuo dogmati de juſtificatione ex fide per juſtitiam Chriſti imputatam, non poſſunt agnoſcere Pœnitentiam pro vero Sacramento collativo gratiæ, neque habere abſolutionem pro actu judiciali remittente peccata, ſed tantum pro aliqua declaratione extrinſeca excitante ad fidem remiſſionis peccatorum, qua ſola contendunt peccatorem juſtificari per imputationem juſtitiæ Chriſti, ut diximus de juſtificatione.

Itaque contra hos omnes Heterodoxos tria ſunt nobis præſtanda. 1. Eſſe in Eccleſia poteſtatem remittendi omnia peccata poſt Baptiſmum commiſſa. 2. Pœnitentiam, quæ in Eccleſia agitur, eſſe verum & proprie dictum Sacramentum. 3. Eſſe Sacramentum diſtinctum a Baptiſmo ejuſve memoria. Unde ſit

§. II. *Dogmata Catholica de exiſtentia Sacramenti Pœnitentiæ aſſeruntur.*

DIco 1. Eſt in Eccleſia poteſtas remittendi omnia peccata poſt Baptiſmum commiſſa etiam graviora, ita ut nullum ſit in hac vita irremiſſibile. Prob. 1. diſertiſſimis Chriſti verbis. Matt. 16. dicit Petro: *Tibi dabo claves Regni Cœlorum. Et quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cœlis. Et quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis*. Matth. 18. dicit omnibus Apoſtolis: *Quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cœlo, & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cœlo*. Et adhuc apertius Joan. 20. *Si-*

cut

cur, inquit Apoſtolis, *miſit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cum dixiſſet, inſufflavit & dixit eis: Accipite Spiritum S. quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*. Hic nulla diſtinctio inter peccata gravia & levia, nulla exceptio apponitur: *Quæcumque ſolveritis: Quorum remiſeritis peccata. Deus*, inquit Ambroſ., l. 1. de Pœnit. c. 2. *diſtinctionem non facit qui miſericordiam ſuam promiſit omnibus, & relaxandi licentiam Sacerdotibus ſuis ſine ulla exceptione conceſſit*.

Neque dici poteſt Chriſtum hanc poteſtatem dediſſe Apoſtolis tantum, & non aliis: alioquin dicendum foret etiam poteſtatem baptizandi dediſſe tantum Apoſtolis, & non aliis. Ita arguebat S. Pacianus Ep. 1. contra Novatian. Quia ergo Chriſtus Eccleſiam ſuam inſtituit, non ad ſolum tempus Apoſtolorum, ſed ad finem uſque ſæculorum duraturam; quæ conceſſit Apoſtolis pro illius regimine, & adminiſtratione, cenſetur conceſſiſſe eorum ſucceſſoribus. Neque etiam dici poteſt hæc verba intelligenda eſſe de peccatis per Baptiſmum remittendis: 1. Quia jam diu antea Chriſtus contulerat Apoſtolis poteſtatem baptizandi, & ipſi quoque jam plures baptizaverant. Aliud ergo promittitur ipſis Matth. 16. & 18. Et confertur Joan. 20. 2. Si hæc verba reſtringantur ad Baptiſmum, cum iterari non poſſit, ſola peccata præcedentia Baptiſmum erunt remiſſibilia, quæ autem ſequuntur, nulla ſive graviora, ſive etiam leviora erunt per Eccleſiam remiſſibilia, quod plane evertit ſyſtema Montaniſtarum & Novatianorum. 3. Ut arguit Ambroſius l. 1. de Pœnit. c. 7. Eccleſia relaxat per Baptiſmum omnia peccata, quæ præceſſerunt: quidni relaxet omnia peccata, quæ ſecuta ſunt; *Unum in utroque eſt Miniſterium, in utroque operatur Myſteriorum gratia & Dei nomen*. Merito itaque Trid. ſeſſ. 14. cap. 1. de verbis Chriſti Joan. 20. dicit: *Quo inſigni facto, & verbis tam perſpicuis poteſtatem remittendi peccata ad reconciliandos fideles poſt Baptiſmum lapſos, Apoſtolis & eorum legitimis Succeſſoribus fuiſſe communicatam univerſorum Patrum conſenſus ſemper intellexit*.

Prob. 2. Traditione 1. Apoſtolus uſus eſt poteſtate a Chriſto conceſſa remittendi peccata etiam graviora in inceſtuoſo Corinthio, dicens ſe illi poſt peractam Pœnitentiam condonaſſe in nomine & perſona Chriſti: *Nam & ego*, inquit, *quod donavi, ſi quid donavi, propter vos in perſona Chriſti*. 2 Cor. 2. 2. Statim ac Montaniſtæ errorem ſuum propalarunt, contra eos inſurrexerunt omnes per orbem Eccleſiæ, ut refert Euſebius l. 5. Hiſt. c. 16. 18. & 19. Similiter naſcentes Novatianos ſtatim proſcripſerunt Romæ 60. Epiſcopi, quorum decreto acquieverunt omnes per orbem Epiſcopi, ex eodem Euſeb. l. 6. c. 44. ex Ep. Synodica inter Cyprianicas 54. & ex aliis: Eos ex profeſſo ſcriptis impugnarunt S. Ambroſius, S. Pacianus & alii. 3. Traditionem hanc aſſerit unanimis Patrum conſenſus, ut dicit Tridentinum citatum, quos enumerare longum foret, ſed quorum plures laudabuntur in ſequentibus. Unus nunc audiatur Aug. l. de Agone Chriſtiano c. 31. dicens de Novatianis: *Nec eos audiamus, qui negant Eccleſiam Dei omnia peccata poſſe dimittere. Itaque miſeri, dum in Petro petram non intelligunt, & nolunt credere datas Eccleſiæ claves Regni Cœlorum, ipſi eas de manibus amiſerunt*.

Dico 2. (*H c q. 84. a. 1. c.*) Pœnitentia, quæ in Eccleſia agitur, eſt verum & proprie dictum Sacramentum. Eſt de fide deciſa in Conc. Trid. ſeſſ. 14. Canon. 1. Require in capite Tractatus. Prob. 1. (*Ibid.*) Ratione Theologica. Sacramentum eſt ſignum ſenſibile a Chriſto permanenter inſtitutum ſignificativum & effectivum gratiæ. Atqui talis eſt pœnitentia, quæ in Eccleſia agitur. Ergo. Prob. Min. 1. Eſt ſignum ſenſibile, tam ex parte pœnitentis Confeſſionem doloroſam exhibentis, quam ex parte Sacerdotis exterius ſententiam proferentis; ſicut enim Judex non poſſet proferre ſententiam, niſi pœnitens accuſaret ſua peccata; ſic pœnitens non poſſet ſcire ſe eſſe ligatum aut ſolutum, ſi Sacerdos id exterius non ſignificaret. 2. Eſt ſignum a Chriſto inſtitutum Matth. 16. 18. & Joan. 20. ut patet ex 1. Concluſione. 3. Permanenter inſtitutum; patet iterum ex 1. Concluſione, 4. Significativum & collativum gratiæ, quia remiſſio peccatorum non fit ſine collatione gratiæ. Ergo.

Prob. Traditione. Omnes Eccleſiæ tam Orientales, quam Occidentales, ſemper agnoverunt & agnoſcunt Pœnitentiam, quæ in Eccleſia agitur, eſſe verum & proprie dictum Sacramentum, Patet ex omnibus Ritualibus novis & antiquis, & ex unanimi conſenſione utriuſque Eccleſiæ Græcæ & Latinæ; nec poteſt aſſignari primus, qui hoc Sacramentum in Eccleſiam invexerit. Ergo certo tenendum eſt eſſe verum Sacramentum a Chriſto per Apoſtolos ad nos derivatum. Confir. Lutherus ipſe l. de civit. Babylon. & in parvo Catechiſmo recenſet Pœnitentiam inter Sacramenta, & in Confeſſione Auguſtana art. 11. legitur, quod *Abſolutio privata in Eccleſia retinenda ſit*. Item in ejuſdem Confeſſionis Apologia.

Dico 3. Pœnitentia eſt Sacramentum diſtinctum a Baptiſmo, ejuſve memoria. Ita definit Trid. ſeſſ. 14. Can. 2. Require in capite Tractatus. Prob. 1. Ex Patribus, qui Pœnitentiam & Baptiſmum, ut duo Sacramenta omnino diſtincta agnoſcunt. Chryſoſtomus l. 3. de Sacerdotio: *Non ſolum*, inquit, *Sacerdotes regenerant, ſed etiam condonandorum peccatorum obtinent poteſtatem*. Ambroſius l. 1. de Pœnit. c. 7. *Quid intereſt utrum per Pœnitentiam, an per lavacrum hoc jus* (remittendi peccata) *ſibi datum vindicent Sacerdotes? Unum in utroque Miniſterium eſt, in utroque operatur Myſteriorum virtus & Dei nomen*. Cyrillus Alexand. l. 12. in Joan. c. 56. *Duobus modis Dei ſpiritu pleni vel effecti homines peccata remittunt ac retinent; vel cum dignos admittunt ad Baptiſmum, ac indignos excludunt; vel cum filios Eccleſiæ peccantes corripiunt, ac pœnitentibus ignoſcunt*. Aug. Ep. 23. ad Boniſ. docet parvulum regenerari per Baptiſmum. Si vero adultus gratiam amittat; *Tunc*, inquit, *propria incipiet habere peccata, quæ non regeneratione auferantur, ſed alia ſanatione curentur*. Ep. 108. ad Seleucianum; *Agunt homines ante Baptiſmum Pœnitentiam, ita tamen ut etiam baptizentur... agunt etiam Pœnitentiam, ſi poſt Baptiſmum ita peccaverunt, ut excommunicari, & poſtea reconciliari mereantur*. Inſuper juxta Aug. l. 1. de Baptiſ. c. 16. Miniſter Baptiſmi eſt omnis homo etiam Laicus & Paganus; & juxta eundem l. 20. de Civit. c. 9. peccata ſolvunt ii, *Per quos Eccleſia gubernatur*, & quibus *Judicium datum eſt*, de quo legitur, *Quæ ligaveritis in terra*, &c. Denique Aug. paſſim contra Donatiſtas docet Baptiſmum non eſſe repetendum: Pœnitentiam vero baptizatis eſſe iterandam docet Ep. cit. ad Seleucianum, & Ep. 54. ad Macedonium, ex qua depromptum eſt caput *In tantum* de Pœnit. d. 3. Alios Patres leges apud Bellarm. l. 1. de Pœnit. c. 13.

Prob. 2. cum Concilio Trid. ſeſſ. 14. c. 2. Subjectum, Miniſter, materia, forma & effectus Pœnitentiæ ſunt diſtincta a ſubjecto, Miniſtro, materia, forma & effectu Baptiſmi. Ergo ſunt diſtincta Sacramenta. Prob. Ant. Subjectum Baptiſmi eſt quilibet homo, Pœnitentiæ ſolus homo baptizatus. Miniſter Baptiſmi quilibet homo, Pœnitentiæ ſolus Sacerdos ut Judex. Materia Baptiſmi eſt aqua & forma, *Ego te baptizo*; materia Pœnitentiæ ſunt actus pœnitentis; forma, verba abſolutionis, quæ profert Sacerdos. Baptiſmus delet omnia peccata, tam originale quam actualia, tum quoad culpam, quam quoad omnem pœnam; Pœnitentia delet ſolum actualia poſt Baptiſmum commiſſa quoad culpam, & non quoad totam pœnam. Baptiſmus confert gratiam regenerativam; Pœnitentia reſuſcitativam, ſeu reconciliativa, ſicque diſtinctam, ſi non materialiter, ſaltem formaliter. Ergo.

Prob. 3. (*Ib. in a. ſ. c.*) Non debuit minus provideri de remedio pro peccatis Baptizatorum, ne in deſperationem inciderent, quam pro peccatis Infidelium. Unde Act. 8. Petrus dixit Simoni baptizato, *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua*. Atqui pro peccatis Infidelium inſtitutum eſt in remedium Sacramentum Baptiſmi. Ergo debuit etiam inſtitui Sacramentum pro peccatis Baptizatorum. Subſumo. Atqui illud Sacramentum eſt neceſſario diſtinctum a Baptiſmo. Ergo. Prob. Subſumptum. Peccata Baptizatorum non poſſunt remitti per iterationem Baptiſmi, quia non eſt iterabile, ut fatentur ipſi Hæretici; neque per memoriam Baptiſmi, 1. Quia memoria Baptiſmi non eſt quid externum & ſenſibile, nec conſequenter Sacramentum. 2. Quia nullibi in Scripturis aſſignatur memoria Baptiſmi pro remedio peccatorum; aut dicant ubi Hæretici, qui tantopere in Scripturis gloriantur, & in iis ſolis fundantur? Ergo.

Prob. 4. Ab inconvenientibus. Si Pœnitentia non diſtingueretur a Baptiſmo ejuſve memoria, ſequeretur, 1. Sacerdotes non habere poteſtatem retinendi peccata ſaltem poſt Baptiſmum commiſſa, contra expreſſa Chriſti verba: non eſt enim in poteſtate Sacerdotis efficere, quod baptizati non ſint baptizati, aut Baptiſmi ſuſcepti non recordentur. Sequeretur 2. Lapſos poſt Baptiſmum facilius obtinere veniam peccatorum, quam lapſos ante Baptiſmum, facilius eſt enim reminiſci Baptiſmi, quam illum ſuſcipere; abſurdum eſt autem Deum facilius condonare iis, qui poſt agnitam veritatem ipſum offendunt, quam iis, qui ſæpe ex ignorantia peccaverunt.

§. III. *Solvuntur Objectiones Montaniſtarum & Novatianorum contra 1. Concluſionem.*

ANte ſolutionem Objectionum obſervandum eſt, quod jam indicavi, Montaniſtas & Novatianos denegantes Eccleſiæ poteſtatem remittendi graviora peccata, non negaſſe ea eſſe a Deo remiſſibilia. Ex qua obſervatione patebit pleraque eorum argumenta nimium probare, & contra ipſos poſſe retorqueri. Deſumunt autem ſua argumenta ex veteri & novo teſtamento, & ex Patribus.

Obj. 1. Ex veteri Teſtam. 1. Eccleſiaſticus c. 21. dicit;

Quaſi

Quaſi rumphæa bis acuta omnis iniquitas, plaga illius non eſt ſanitas. 2. Amos c. 1. Deus dicit: *Super tribus ſceleribus, & ſuper quatuor non convertam eum*. 3. 1. Reg. 2 Heli increpans filios ſuos ait: *Si peccaverit vir in virum, placari ei poteſt Dominus; ſi autem in Dominum peccaverit, quis orabit pro eo?* 4. 2. Machab. 9. de Antiocho legitur: *Orabat autem hic ſceleſtus Dominum, a quo non erat miſericordiam conſecuturus*. Et de Eſau dicit Apoſt. Heb. 2. *Non enim invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrimis inquiſiſſet eam*. Ergo. R. 1. In his omnibus textibus non agi de Eccleſia, ſed de Deo, ſicque iis probari Deo deeſſe poteſtatem & voluntatem dimittendi quædam crimina, quod non admittunt objicientes.

R. 2. Ad ſingula. Ad 1. ſenſus eſt peccatum mortale non poſſe ſanari viribus humanis, bene tamen auxiliante Dei gratia. Unde paulo ſuperius dixerat, *De priſtinis deprecare, ut tibi dimittantur*. Ad 2. quartum peccatum ſecundum Hieron. eſt Impœnitentia finalis: ſecundum alios ſenſus eſt, quod multiplicata peccata compellant Deum ad vindictam. Ad 3. 1. Senſus litteralis eſt: Si vos Sacerdotes, qui pro aliis Deum per Sacrificia placatis, ipſum Deum offenditis polluendo veſtra rapacitate & incontinentia Sacrificia, & ab iis homines retrahendo, quis pro vobis orabit, & offeret Sacrificia? 2. Reſpondet Ambroſius l. 1. de Pœnitentia c. 8. his verbis; *Quis orabit pro eo?* quærit non excludit, qui in hac cauſa orare poſſit. Sicut cum dicitur Pſ. 14. *Quis habitabit in Tabernaculo tuo?* Et Pſ. 24. *Quis aſcendet in montem Domini?* Quia quo majora ſunt peccata, majora quærenda ſunt ſuffragia, & difficilius eſt placare judicem, quando ipſemet injuria afficitur, quam ſi alicui alteri eſſet illata. Denique Scriptura refert tantum verba Heli, quibus fidei pondus tribuere eſt neceſſe. Ad 4. (*Hic q. 86. a. 1. ad 1.*) neque Antiochi, neque Eſau vera fuit Pœnitentia. Dolebat enim Antiochus de culpa præterita, non propter offenſam Dei, ſed propter infirmitatem corporalem, quam patiebatur, ut patet ex textu. Similiter Eſau non dolebat de culpa, ſed de amiſſa primogenitura, neque deponebat odium in fratrem; dicebat enim: *Venient dies luctus Patris mei, & occidam Jacob fratrem meum*. Alium inſuper ſenſum patiuntur verba Apoſtoli, ſcilicet Pœnitentiam referri ad Iſaac, & non ad Eſau, ita ut ſenſus ſit, Eſau non potuiſſe invenire in Iſaac Pœnitentiam, ideſt retractionem benedictionis, quam dederat Jacob. Sic enim habet Apoſtolus: *Poſtea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus eſt, non enim invenit locum Pœnitentiæ*, &c.

Obj. 2. Ex novo Teſtamento: 1. Matth. 12. dicitur: *Omne peccatum & blaſphemia remittetur hominibus, Spiritus autem blaſphemia non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei, qui autem dixerit contra Spiritum S. non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro*. 2. 1. Joan. 5. *Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis*. 3. Heb. 6. *Impoſſibile eſt enim eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritus S. guſtaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtuteſque ſæculi venturi, & prolapſi ſunt, rurſus renovari ad Pœnitentiam, rurſum crucifigentes ſibimet ipſis filium Dei*. 4. ib. c. 10. *Voluntarie enim peccantibus nobis, poſt acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hoſtia*. Ergo. R. 1. Ut ante, his omnibus teſtimoniis probari, ſi quid probent, eſſe quædam peccata, non ſolum apud Eccleſiam, ſed etiam apud Deum irremiſſibilia, quod negant Hæretici. R. 2. ad ſingula. Ad primum; 1. Militat contra Montaniſtas & Novatianos. Si enim omne peccatum ſit remiſſibile, cur iſti aliqua excipiunt? Item ſi peccatum in Filium ſit remiſſibile, cum æqua ſit Deus ac Spiritus S. aliunde quam ex gravitate, peccatum in Spiritum S. dicitur irremiſſibile. (*Ib. ad 3.*) 2. Directe: Blaſphemia in Spiritum S. quæ nunquam remittitur juxta Aug. ſerm. 71. de verbis Evangelii Matth. eſt *peccatum impœnitentiæ*, non qualiſcumque, ut intelligit Tournely poſt Bellarminum, ideo improbans hanc Aug. interpretationem, eo quod impœnitentia peccati contra Filium ſit etiam irremiſſibilis; ſed *Impœnitentia contra donum... reconciliationis, quæ fit in Eccleſia in Spiritu S.* id eſt, ut ſe explicat Auguſtinus ibid. & Ep. 50. ad Boniſac. *Quia homo recuſat in unitate corporis Chriſti, quod vivificat Spiritus S. remiſſionem accipere peccatorum*. Ita ut juxta Aug. blaſphemia in Spiritum S. quæ nunquam remittitur, eſt, cum quis quærit remiſſionem peccatorum extra Eccleſiam, quam ſolam vivificat Spiritus S. Si autem qui eſt blaſphemus in Filium, quærat veniam & Spiritum S. in Eccleſia, peccatum ei remittetur. (*Ibid.*) 3. Communior ſententia intelligit blaſphemiam in Spiritum S. peccatum ex certa malitia, quale erat peccatum Phariſæorum, qui veritatem agnitam impugnabant, & aperta miracula Chriſti diabolo tribuebant; de quo loquitur Chriſtus loco citato. Et hoc peccatum ex malitia dicitur contra Spiritum S. cui tribuitur bonitas, ſicut peccatum ex ignorantia dicitur contra Filium, cui tribuitur ſapientia, & peccatum ex infirmitate dicitur contra Patrem, cui tribuitur potentia. Hoc autem peccatum ex malitia dicitur non remitti, non quia eſt abſolute irremiſſibile, ſed quia difficile remittitur, quatenus non poſſunt pro illo afferri cauſæ excuſationis, ſcilicet ignorantia vel infirmitas, ſicut pro aliis peccatis. Et iſte modus loquendi frequens eſt in lingua Hebraica ad oſtendendum in comparatione duorum unum eſſe altero difficilius. Sic Iſa. 54. *Montes commovebuntur, & colles contremiſcent, miſericordia autem mea non recedet a te*. Matth. 24. *Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt*. Non eſt ſenſus, quod montes abſolute commovebuntur, neque quod Cœlum & terra tranſibunt, ſed quod facilius iſta fierent, quam quod miſericordia Dei recedat, aut verba Chriſti prætereant. Similiter igitur peccatum in Spiritum S. dicitur irremiſſibile, non abſolute, ſed comparate ad alia peccata, quæ facilius remittuntur, & quia quod eſt valde difficile, dicitur moraliter impoſſibile.

Ad 2. juxta Hieron. in c. 14. Jerem. & Aug. l. 1. Retract. c. 19. & de correpi. & grat. c. 12. peccatum ad mortem eſt id, in quo quis impœnitens moritur. Secundum alios eſt peccatum, cujus affectus non deponitur, & de quo Pœnitentia non agitur, quamdiu eſt tale; idque conformiter Concilio Niceno II. Can. 5. ubi dicitur: *Peccatum ad mortem eſt, quando quidam peccantes incorrepti perſiſtunt*. Juxta quam intelligentiam peccatum non ad mortem erit quidem peccatum mortale, ſed cujus affectus deponitur, & Pœnitentia agitur, quod licet mortem animæ intulerit, iſta mors tamen non eſt ad mortem, quia per Pœnitentiam quærit & recuperabit vitam. Sicut infirmitas Lazari, quamvis mortui, non erat ad mortem, quia erat reſuſcitandus. Igitur pro peccato ad mortem ſic intellecto Apoſtolus ait: *Non dico, ut quis oret*, per quod non excluditur precator, ſed quæritur, ut ſupra dicebam ex Ambroſio; quia licet quilibet vulgaris poſſit & debeat orare pro illo ſicut pro aliis omnibus, cum ad id lege charitatis teneatur, non tamen cum ea impetrationis fiducia, qualem poſſunt concipere eximii ſancti; quo enim graviora & difficiliora ſunt peccata, eo potentior & ſanctior precator adhibendus eſt, ut jam diximus.

Ad 3. (*Hic q. 84. a. 10. ad 1.*) juxta Ambroſium l. 2. de pœnit. c. 2. Damaſcenum l. 4. de fide c. 10. Chryſoſt. Theodoretum & alios in hunc textum, Apoſtolus loquitur de Baptiſmo, non de Pœnitentia: ſicut enim erant apud Judæos, quos illic alloquitur Paulus, quædam lavacra, in quibus pluries ab immunditiis ſe purgabant, ſic aliqui credebant, aut ſaltem credere poterant, quod per lavacrum Baptiſmi pariter poſſent pluries purificari; ut ergo Apoſtolus eos contra hunc errorem muniret, & ad gratiam baptiſmalem conſervandam ſollicitos redderet, dicit, quod qui ſemel ſunt illuminati, id eſt baptizati (Baptiſmus enim dicitur Sacramentum fidei & illuminationis) ſi gratiam baptiſmalem amiſerint, impoſſibile ſit rurſus per alium Baptiſmum renovari, & eandem gratiam recuperare. Et hunc eſſe germanum Apoſtoli ſenſum indicant inſuper ipſa ejus verba. 1. Utitur verbo *renovari*, quod importat Baptiſmum, qui dicitur *lavacrum regenerationis & renovationis* ad Tit. 3. 2. Dicit *ſemel illuminatos non poſſe rurſus renovari*, Ly *Semel*, & Ly *Rurſus* ſignificant ipſum excludere alteram illuminationem & renovationem, hoc eſt alium Baptiſmum, qui, ut jam dixi, dicitur Sacramentum illuminationis & renovationis. 4. Cum addit: *Rurſus crucifigentes ſibimet ipſis Filium Dei*, aſſignat rationem, cur non poſſint renovari, quia ſcilicet homo per Baptiſmum commoritur Chriſto: non poteſt ergo per alium Baptiſmum iterum mori.

Ad 4. eadem ſolutio adhiberi poteſt, ſcilicet quod voluntarie peccantibus poſt acceptam notitiam veritatis non relinquatur amplius hoſtia pro peccatis, id eſt alia Chriſti mors, quæ per Baptiſmum repræſentetur, & iterum applicetur ad integram remiſſionem culpæ & pœnæ. In hoc enim c. 10. nomine *hoſtiæ* intelligitur mors & paſſio Chriſti, cui configuramur in Baptiſmo. Vel dicendum cum aliis Apoſtolum ibi loqui de Apoſtatis a fide, quibus quamdiu ſunt in hoc ſtatu non relinquitur hoſtia: non illa, quæ fuit in cruce oblata, quia illam rejiciunt: neque hoſtiæ, quæ prius offerebantur in Lege veteri, quia ſunt abolitæ.

Obj. 3. ex Patribus. Hermas Pauli Diſcipulus, Paſtor dictus l. 3. ſimilit. 8. de iis, qui Deum abnegarunt, dicit: *His igitur non eſt locus Pœnitentiæ*. Et Auctor Conſtit. Ap. l. 2. c. 23. *Si quis*, inquit, *inſtructa veluti acie rebellis delinquat, tentans Deum, quaſi males non inſectantem, hujuſmodi venia carebit*. Ergo. R. utrumque loqui de iis, qui nec peccare deſinunt, nec pœnitere volunt. Dicit enim Hermas in eadem ſimilitudine: *Qui ſi cito pœnitentiam egerint, in turri ſedem habebunt; ſi vero tardius egerint, in muris habitabunt: ſi autem non egerint, mortem*

ſibi

ſibi acquirent. Et Auctor Conſtit. Apoſt. initio citati cap. *Gravius delictum Idololatria non reperitur, eſt enim in Deum impietas; nihilominus tamen & illud per ſinceram pœnitentiam condonatum eſt.*

Inſt. 1. Tertullianus, antequam fieret Montaniſta, l. de pœnitentia c. 7. *Collocavit*, inquit, *Deus in veſtibulo pœnitentiam ſecundam, quæ pulſantibus pateſaciat; ſed jam ſemel, quia ſecundo, ſed amplius nunquam, quia proxime fruſtra*. Ergo. R. hoc unum velle Tertullianum, pœnitentiam non eſſe inſtitutam, ut inde pateret aditus peccandi: præmittit enim: *Nemo idcirco deterior ſit, quia Deus melior eſt, toties delinquendo, quoties ignoſcitur*: deinde ſubjungit: *Verum non ſtatim ſuccidendus ac ſubruendus eſt animus deſperatione, ſi ſecunda pœnitentiæ quis debitor fuerit: pigeat ſane peccare rurſus, ſed rurſus pœnitere non pigeat. Pigeat iterum periclitari, ſed non iterum liberari. Neminem pudeat. Iteratæ valetudinis iteranda medicina eſt.*

Inſt. 2. Origenes & Theognoſtus apud Athanaſium Ep. ad Serapionem docent omnia Baptizatorum peccata eſſe irremiſſibilia, eamque ſententiam approbat Athanaſius, ſi reſtringatur ad blaſphemiam contra Spiritum S. Ergo. R. verba Origenis & Theognoſti eſſe ſubobſcura & ambigua, fatente ipſo Athanaſio cit. *Ego*, inquit, *ex his, quæ didici, arbitror utriuſque ſententiam mediocri quadam inquiſitione & obſervatione indigere, ne forte profundior quædam in ipſis illorum dictis mens lateat*. Et quia trahi poterant in malum ſenſum, ſcilicet omnia Baptizatorum peccata eſſe irremiſſibilia, merito illum impugnat Athanaſius, ne alicui ſit offenſioni, non affirmans tamen eſſe hunc illorum ſenſum. Et revera Origenem contrarium docuiſſe, & voluiſſe tantum omnia peccata Baptizatorum eſſe irremiſſibilia non abſolute, ſed comparate ad peccata Infidelium, hoc eſt illa difficilius remitti quam iſta, conſtat ex l. 3. contra Celſum ubi ait: *Qui peccata ſua damnat toto pectore, ſeque ipſos deflent... iis demum propter mutatam in melius voluntatem* Deus *condonat errata præterita*. Similia veriſimiliter legeremus in Theognoſto, ſi ejus opera adhuc extarent; ſed & idipſum innuit apud Athanaſium: *Imperfectis*, inquit, *datur venia, iis vero, qui guſtaverunt cæleſte donum, & initiati ſunt, nulla venia relinquitur excuſatio & deprecatio*. Quaſi diceret: Ethnici poſſunt aliquam excuſationis cauſam obtendere, quam non poſſunt Baptizati. Quantum ad Athanaſium, nunquam cenſuit blaſphemiam in Spiritum S. eſſe irremiſſibilem, niſi in iis, qui in ea obſtinate & abſque ulla pœnitentia perſiſtunt. Patet ex ipſa Ep. ad Serap. in qua Arianos aſſimilat Phariſæis, utriſque adſcribit blaſphemiam in Spiritum S. de utriſque vult dictum eſſe: *Qui vero dixerit adverſus Spiritum S. non remittetur ei*. Et tamen in Synodo Alexandrina anno 362. decrevit cum aliis, Arianos, modo hæreſim ejurarent, & fidem Nicænam amplecterentur, eſſe recipiendos; ſed clariſſimis & expreſſis terminis l. de communi eſſentia Patris, Filii & Spiritus S. *Sunt alii*, inquit, *qui in Spiritum S. impingunt, qui ſcilicet in Chriſti Deitatem blaſphemiam dicunt, aiuntque in Beelzebud Principe Dæmoniorum ejicit Dæmonia. De iſtis intelligendum eſt, quod ait: Non remittetur, neque in præſenti ſæculo, neque in futuro. Quin & hoc obſervandum eſt primo non dixiſſe Chriſtum blaſphemanti & pœnitentiam agenti remiſſionem dandam non eſſe; ſed blaſphemanti, id eſt in blaſphemia perſeveranti. Quandoquidem nullum eſt peccatum irremiſſibile apud Deum illis, qui vere ex animo, & ut par eſt, pœnitentiam agunt.*

Inſt. 3. Commune eſt omni peccato mortali eſſe irremiſſibile, quamdiu in eo perſeveratur. Atqui Athanaſius tribuit irremiſſibilitatem blaſphemiæ in Spiritum S. præ cæteris peccatis & aliquo ſpeciali titulo. Ergo. R. Athanaſium tribuere irremiſſibilitatem blaſphemiæ in Spiritum S. non abſolute, ſed comparate ad alia peccata, quia difficilius quam iſta remittitur duplici titulo ſpeciali: 1. Quia difficilius de ea pœnitentia agitur; qui enim ſciens & volens Chriſtum agnitum rejicit, & opera divinitatis in eo Dæmoni tribuit, difficile a tam prava diſpoſitione recedit. 2. Quia blaſphemia in Spiritum S. quæ eſt peccatum ex malitia, non poteſt pro excuſatione obtendere ignorantiam aut infirmitatem, ſicut peccata in Patrem, in Filium, ut jam dictum eſt. Ita ſeipſum explicat Athanaſius in laudata Ep. ad Serap.

Inſt. 4. S. Pacianus Ep. 3. ad Sympronianum, & S. Ambroſius l. 2. de pænit. c. 4. probant contra Novatianos non omnia peccata Baptizatorum eſſe blaſphemiam in Spiritum S. adeoque non omnia eſſe irremiſſibilia. Id autem fatentur de vera blaſphemia in Spiritum S. quale erat peccatum Phariſæorum, qui ex malitia Chriſtum rejiciebant, & ejus miracula Diabolo adſcribebant. Ergo. R. Pacianum & Ambroſium id non abſolute fateri, ſed uti figura conceſſionis, quaſi dicerent: Dato veram & propria dictam blaſphemiam in Spiritum S. eſſe irremiſſibilem, non inde ſequitur omnia Baptizatorum peccata eſſe irremiſſibilia. At vero neque ipſam veram blaſphemiam in Spiritum S. eſſe abſolute irremiſſibilem, ſed reſpective tantum ad alia peccata, id eſt, difficilius quam iſta remiſſibilem agnoſcunt ibid. laudati Patres. Pacianus Ep. citata ait: *Cum enim Chriſtus dixit, quæcumque ſolveritis, erunt ſoluta, nihil excipit, non magna, non modica peccata*. Et Ambroſius eodem c. 4. alloquens Novatianos: *Revertimini*, inquit, *ad Eccleſiam, ſi qui vos ſeparaſtis impie; omnibus enim converſis pollicetur veniam, quia ſcriptum eſt; omnis quicumque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit. Denique etiam Judæorum populus, qui dicebat de Domino Jeſu, Dæmonium habet, qui dicebat in Beelzebub Principe Dæmoniorum ejicit dæmonia* (En blaſphemia in Spiritum S.), *qui crucifixit Dominum Jeſum, Petri prædicatione vocatur ad Baptiſmum, ut ſceleris tanti merita deponat*. Et l. 1. c. 2. iterum de Novatianis; *Si unum*, inquit, *tantum crimen exciperent* (cui veniam negarent) *dure quidem, ſed tamen divinis tum redargui viderentur Sententiis, aſſertionibus tamen ſuis convenirent: Dominus enim nullum crimen excepit, qui peccata donavit omnia.*

Inſt. 5. Ambroſ. l. de lapſo Virginis c. 8. *Inhære*, inquit, *Pœnitentiæ uſque ad extremum vitæ, nec tibi præſumas ab humana die veniam dari, quia decepit te, qui hoc tibi polliceri voluerit. Quæ enim proprie in Dominum peccaſti, ab ipſo ſolo te convenit in die judicii expectare remedium*. Ergo. R. Ambroſium his verbis nihil aliud velle, quam quod hæc Virgo Deo conſecrata Stupri & Infanticidii rea cum plurimorum ſcandalo deberet Pœnitentiam agere uſque ad extremum vitæ pro more hujus temporis, nec de propitiato tanto peccato ſecuritatem abſolutam habere. Jubet tamem ibidem ſperare veniam: *Sed tu*, inquit, *quæ jam ingreſſa es agonem pœnitentiæ, inſiſte miſera fortiter, inhære tanquam naufragans tabulæ, ſperans per ipſam te de profundo criminum liberari*. Et hanc veniam a Deo & ab Eccleſia ſperandam docet contra Novatianos in libris de Pœnitentia.

Inſt. 6. S. Hieronymus Ep. 149. ad Marcellam, poſtquam probavit peccatum illorum, qui in tormentis negant Chriſtum, non eſſe blaſphemiam irremiſſibilem in Spiritum S. admittit veram eſſe blaſphemiam irremiſſibilem illorum, qui cum viderant opera Chriſti, ex invidia ea Beelzebub Principi Dæmoniorum tribuebant: *Doceat igitur*, inquit Novatianus, *aliquem negatorem Beelzebab vocaſſe Chriſtum & ultro reſeram gradum, negatorem non poſſe veniam conſequi poſt ruinam*. Idem docet in c. 12. Matth. Ergo. R. Hieronymum non negare blaſphemiam in Spiritum S. eſſe abſolute irremiſſibilem, ſed tantum in hypotheſi, quod, qui hujus criminis ſunt rei, in eo perſeverent, ut plerumque contingit in iis, qui non ex ignorantia aut infirmitate ſed ex mera malitia peccant, ut ſupra explicuimus. Inſuper Hieronymus in laudata Ep. ad Marcellam utitur, ut jam dixi de Paciano & Ambroſio, figura conceſſionis; idque unum intendit, quod etſi blaſphemia in Spiritum S. ſit irremiſſibilis, non ſequatur, quod peccatum negantium Chriſtum in tormentis ſit irremiſſibile: de hoc enim tantum interrogatus fuerat a Marcella. Quo autem ſenſu blaſphemia in Spiritum S. ſit irremiſſibilis, de quo non interrogatus fuerat, omittit diſcutere, rationemque omiſſionis reddit: *Fuerat*, inquit, *prolixius diſſerendum; ſed quoniam amicis, & qui ad noſtrum hoſpitiolum convenerunt, præſentiam noſtram negare non poſſumus, & tibi non ſtatim reſpondere viſum eſt arrogantis, immam diſputationem brevi ſermone comprehendimus.*

Inſt. 7. Plures Eccleſiæ olim certis criminibus abſolutionem denegabant. Ergo. R. id factum fuiſſe, ſi factum fuerit, non errore Novatianorum, quaſi non eſſet in Eccleſia poteſtas ea remittendi, ſed rigore diſciplinæ, de quo infra.

Finaliter revocandum eſt, quod initio §. obſervamus, omnes ferme auctoritates objectas probare, ſi quid probent, eſſe aliqua peccata irremiſſibilia, non ſolum apud Eccleſiam, ſed etiam apud Deum, conſequenter militare contra ipſos Montaniſtas & Novatianos. Habes etiam ex his refutatam opinionem Morini, qui l. 9. de Pœnitentia c. 18. ſcribit antiquos Patres exiſtimaſſe blaſphemiam in Spiritum S. neque a Deo, neque ab Eccleſia veniam poſſe obtinere.

Obj. 4. Solius Dei eſt remittere peccata, ut ſcribit Firmilianus Ep. ad Cyprianum inter Cyprianicas 75. Item facilitas veniæ eſt incentivum peccandi. Ergo. R. ad 1. ſolius Dei eſſe remittere peccata principaliter & auctoritate propria; Sacerdotum autem miniſtraliter & virtute ſibi a Chriſto conceſſa; alioquin nec per Baptiſmum peccata remitterent. Ad 2. D. Facilitas veniæ indiſcreta eſt incentivum peccandi, C. Prudens & diſcreta, N. E contra; *Si clauderetur aditus Pœnitentiæ*, inquit Aug. hom. 27. inter 50. *nonne ille peccator tanto magis adderet peccata peccatis, quanto magis deſperaret ſibi ignoſci; diceret enim... damnatus ſum, quare jam non vivo ut volo?*

S. IV.

§. IV. *Solvuntur Objectiones Recentiorum Hæreticorum contra 2. & 3. Concluſionem.*

OBJ. 1. contra 2. Concluſionem. Hæc Chriſti verba Matt. 18. *Quæcumque ſolveritis*, &c. in quibus fundamus noſtram concluſionem, intelliguntur de injuriis invicem condonandi, referuntur enim ad præcedentia verva: *Si peccaverit in te frater tuus*, &c. Et ita interpretatur Aug. ſerm. 16. de Verbis Domini. Ergo. R. 1. Concluſionem noſtram non in his ſolis verbis fundari, ſed & in verbis Chriſti Matt. 18. & Joan. 20. maxime, quæ intelligi non poſſunt de injuriis invicem condonandis. 2. N. Ant. Verba enim immediate præcedentia, ad quæ referuntur ea, de quibus in objectione, ſunt hæc, *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi tantum Ethnicus & Publicanus*, id eſt Excommunicatus: ut enim Chriſtus oſtenderet, quantam Eccleſiæ Paſtores poteſtatem habeant, ne quis repugnare audeat, ſubjungit: *Amen dico vobis, quæcumque ligaveritis*, &c. Ad Aug. S. Doctor Tract. 22. & 49. in Joan. ſerm. 58. l. 20. de Civit. c. 9 & alibi agnoſcit hęc verba ſpectare poteſtatem abſolvendi in Sacerdotibus. Loco vero objecto, vult tantum extenſione quadam ea pertinere ad ſingulos, quatenus Deus ratam habet condonationem, quam faciunt, injuriarum propriarum.

Inſt. Si ex his Chriſti verbis; *Quæcumque ſolveritis*, &c. colligitur poteſtatem abſolvendi eſſe Sacramentum: Ergo ex his; *Quæcumque ligaveritis*, &c. colligitur pariter poteſtatem ligandi eſſe Sacramentum. Abſurdum Conſequens. Ergo & Ant. R. N. Sequelam; quia cætera non ſunt paria: Poteſtas ſolvendi confert gratiam, non poteſtas ligandi; & inde hæc, quamvis poſſet dici ſacramentalis quatenus ordinatur ad Sacramentum, non tamen poteſt dici aut eſſe Sacramentum.

Obj. 2. contra eandem. In antiqua Lege non fuit Sacramentum Pœnitentiæ. Ergo nec eſt in nova Lege. R. N. Conſ. Quia in antiqua Lege non eſt dictum; *Quorum remiſeritis*, &c. ſicut eſt in nova Lege, & ita congruebat Legi gratiæ, ut haberet Sacramentum, quo facilius remitterentur peccata, quam in lege timoris; ſufficit enim nunc attritio cum Sacramento, quæ olim non ſufficiebat ad deletionem peccati.

Obj. 3. contra eandem. In omni Sacramento eſt aliquid, quod eſt Sacramentum tantum, aliquid quod eſt res & Sacramentum, & aliquid quod eſt res tantum. Atqui hęc non reperiuntur in Pęnitentia. Ergo non eſt Sacramentum. R. 1. Dogma fidei non pendere ab hac Quæſtione ſcholaſtica, circa quam Eccleſia nihil unquam definivit. Unde licet hæc tria non haberentur in Pęnitentia, remaneret nihilominus Sacramentum. R. 2. N. Min. (*Hic q. 84. a. 1. ad 3.*) Etenim actus exteriores, ſcilicet Confeſſio & Abſolutio ſunt Sacramentum tantum, Pœnitentia interior eſt res & Sacramentum, & remiſſio peccati res tantum.

Inſt. Quod eſt res & Sacramentum, cauſatur ab eo, quod eſt Sacramentum tantum & cauſat ſeu ſaltem ſignificat, quod eſt res tantum. Atqui Pœnitentia interior non cauſatur ab exteriori, ſed potius illam cauſat & præcedit, neque cauſat aut ſignificat gratiam. Ergo. R. D. Min. Pœnitentia interior in ratione virtutis non cauſatur ab exteriori, ſed potius illam cauſat, C. Ut ſacramentalis, ſeu quatenus ex Sacramento & tanquam pars illius habet vim cauſativam gratiæ, N. Ex Confeſſione enim exteriori & abſolutione Sacerdotis elevatur Pœnitentia interior ad eſſe Sacramentale, & qua talis concurrit ſuo modo ad effectum Sacramenti. Totum namque Sacramentum, quod conſtat ex actibus externis & internis pœnitentis & abſolutione Sacerdotis, eſt cauſa effectiva gratiæ, cujus tamen collatio non tribuitur pœnitenti, ſed ſoli Sacerdoti, quia ille ſolus eſt Miniſter Sacramenti.

Obj. 4. Contra 3. Concluſionem. In his Chriſti verbis Joan. 20. *Quorum remiſeritis*, &c. quæ ſunt præcipuum concluſionis noſtræ fundamentum, nihil aliud intelligitur, quam præceptum Apoſtolis datum remittendi peccata per Evangelii prædicationem & Baptiſmum, ita ut ſit idem ſenſus illorum ac iſtorum: *Euntes ergo docete omnes gentes*, &c. Et ita intelligit S. Cyrillus l. 22. in Joan. c. 56. Ergo. R. N. Ant. Textus enim ſunt omnino diverſi, & diverſus omnino ſenſus, poſterior ſpectat dumtaxat infideles, prior baptizatos. Quantum ad Cyrillum non de ſolo Baptiſmo, ſed etiam de Pœnitentia verba Joannis interpretatur: *Duobus modis*, inquit. Require textum integrum tertia Concluſione probatione prima. Et quamvis Chriſtus hæc verba de ſola remiſſione peccatorum per Pœnitentiam dixerit, voluit tamen Cyrillus enumerare omnes modos, quibus Apoſtolis conceſſum eſt remittere peccata.

Inſt. 1. Omnis Eccleſiæ mundatio tribuitur Baptiſmo, Epheſ. 5. *Mundans eam lavacro aquæ*. Item Matt. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit*. Ergo. R. Hos & ſimiles textus ſpectare primam mundationem & juſtificationem, quæ fit, dum infideles per Baptiſmum aggregantur Eccleſiæ, non ſecundam, quæ per Sacramentum Pœnitentiæ impertitur lapſis poſt Baptiſmum.

Inſt. 2. S. Fulgentius l. de fide c. 30 vocat Baptiſmum Sacramentum Fidei & Pœnitentiæ. Et de Baptiſmo Joannis dicitur Luc. 3. *Venit prædicans Baptiſmum Pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum*. Ergo. R. ad 1. ideo Baptiſmum vocari a S. Fulgentio Sacramentum Fidei & Pœnitentiæ, quia in adultis, qui ante Baptiſmum peccaverunt, requiritur aliquis actus virtutis Pęnitentiæ ad ejus ſuſceptionem. Unde Petrus Actor. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum*. Ad 2. Baptiſmus Joannis dicitur Baptiſmus Pęnitentiæ, quia non conferebat vi propria gratiam ut Baptiſmus Chriſti, ſed tota vis ejus erat in Pœnitentia, ad quam hortabatur Joannes.

Inſt. 3. Aug. l. 1. de nuptiis & concup. c. 31. dicit, quod *Lavacro regenerationis non tantum peccata præterita, ſed etiam poſterius admiſſa remittantur*. Ergo. R. Auguſtinum intelligere per Baptiſmum remitti peccata ſequentia, non formaliter & immediate, ſed radicaliter, mediate & diſpoſitive, quatenus eſt janua aliorum Sacramentorum, & per illum reddimur capaces Sacramenti Pęnitentiæ; ita ſeipſum explicat S. Doctor ibid. ſubjungens: *Quid enim prodeſſet, vel ante Baptiſmum Pęnitentia, niſi Baptiſmus poſtea ſequeretur, vel poſtea, niſi præcederet?* Auguſtinum vero aperte diſtinxiſſe inter Baptiſmum & Pęnitentiam conſtat ex variis ejus textibus relatis in 1. probatione 3. Concluſionis.

Obj. 5. Contra eandem, Epiſcopatus differt in materia forma & effectus a Presbyteratu; & tamen ſecundum plurium ſententiam non eſt Sacramentum diſtinctum a Presbyteratu; ſed tantum quędam ejus extenſio ad certa munia. Ergo idem dicendum eſt de Pęnitentia reſpectu Baptiſmi. Item diverſa eſt materia & forma in Conſecratione panis & vini, & tamen unum Sacramentum. Ergo idem quod prius. R. ad 1. N. Conſ. Diſparitas eſt, quod Epiſcopatus in laudata plurium ſententia non dicat ſpecialem habitudinem ad Euchariſtiam, unde petitur diſtinctio Ordinum, ſed eam ſupponit completam in Sacerdote. Vide dicenda infra de Epiſcopatu in Tract. de Ordine. Ad 2. N. pariter Conſ. Diſparitas eſt, quod utraque ſpecies in Conſecratione referatur ad eandem refectionem ſpiritualem, eandemque gratiam producat. Unde quamvis ſit Sacramentum materialiter duplex, eſt tamen formaliter unum. At Baptiſmus & Pęnitentia referuntur ad diverſos effectus; Baptiſmus ad regenerationem, Pœnitentia ad reſuſcitationem, ſeu ad regeneratorum reconciliationem. Inſuper hæc ſimilia argumenta nihil ad rem faciunt, neque favent ſyſtemati Hæreticorum. Numquid enim memoria Presbyteratus in Epiſcopatu, aut memoria Conſecrationis panis in Conſecratione vini, cauſat gratiam, ſicut dicunt memoriam Baptiſmi remittere peccata!

ARTICULUS II.

De materia Sacramenti Pœnitentiæ.

DUPLEX in Sacramentis diſtinguitur materia; alia remota, alia proxima. Item alia circa quam verſatur Sacramentum, alia ex qua conſtituitur. Patet ex dicendis.

Quæſtio eſt itaque: 1. An peccata ſint materia remota Sacramenti Pœnitentiæ? 2. Quæ ſit materia proxima? 3. An materia proxima, quam dicimus eſſe actus pœnitentis, ſit pars intrinſeca Sacramenti partim eſſentialis, partim integralis? Circa 1. non eſt difficultas. Circa 2. Lutherani comminiſcuntur terrores conſcientiæ incuſſos ex agnito peccato, & minis Evangelii, quos contritionem vocant, & fidem ſeu fiduciam conceptam ex Evangelio vel abſolutione, qua quis credit peccata ſibi per Chriſtum eſſe remiſſa, eſſe materiam & partes hujus Sacramenti. Calvinus l. 3. Inſt. c. 3. aſſignat duas Pœnitentiæ partes pro ejus materia, ſcilicet mortificationem, ſeu refrænationem vitiorum, & vivificationem, ſeu ſtudium bene vivendi. Circa 3. Scotiſtæ poſt ſuum Ducem negant actus pœnitentis eſſe proprie materiam & partes intrinſece conſtituentes Sacramentum, cujus totam eſſentiam in ſola abſolutione reponunt, eoſque volunt eſſe dumtaxat diſpoſitiones inſupplebiliter requiſitas ad digne Sacramentum ſuſcipiendum, in quo omnino differunt ab Hæreticis. Pro harum difficultatum reſolutione

Dico 1. (*Hic q. 84. a. 2.*) Peccata poſt Baptiſmum commiſſa, ut deteſtanda & deſtruenda ſunt materia remota Sacramenti Pœnitentiæ: mortalia, materia neceſſaria; venialia, materia libera. Probatur 1. Pars. (*Ibid.*) Materia remota alicujus Sacramenti ea eſt, circa quam verſatur materia proxima. Sic in Baptiſmo aqua eſt materia remota, quia circa eam verſatur ablutio, quæ eſt materia proxima. Atqui materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ, ſcilicet actus pęnitentis, ut mox dicam, verſatur circa peccata, de eis dolendo, ea deteſtando & deſtruendo. Ergo. Dixi 1. (*Ib. ad 3.*) Peccata poſt Baptiſmum commiſſa: 1. ut excludatur peccatum originale, quia Pœnitentia proprie non

eſt niſi de his, quæ noſtra voluntate commiſimus, qualia non eſt peccatum originale. Si tamen Pœnitentia latiori ſenſu ſumatur pro quacumque rei malæ præteritæ diſplicentia, poteſt dici Pœnitentia de peccato originali. 2. Ut excludantur peccata actualia Baptiſmum præcedentia, tum quia hæc per ipſum Baptiſmum delentur, tum quia poteſtas clavium non extenditur niſi ad eos, qui Eccleſiæ per Baptiſmum ſubjiciuntur. Unde Trid. ſeſſ. 14. c. 1. declarat hoc Sacramentum fuiſſe inſtitutum *Ad reconciliandos Fideles poſt Baptiſmum lapſos*. Dixi 2. *Peccata ut deteſtanda & deſtruenda*: quia peccata non ſunt materia ex qua, ſed circa, ſeu contra quam, ſicut morbus eſt materia medicinæ. Et hoc ſenſu poſſent dici materia proxima, quia pœnitentia immediate in ea agit. Attamen reſpectu partium, ex quibus integratur, ſunt materia remota. Secundam & tertiam partem definivit Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. & Can. 7. ſed hæc infra.

Dico 2. Terrores conſcientiæ incuſſi, quos Lutherani contritionem vocant, & fides ſeu fiducia remiſſionis factæ peccatorum, non ſunt materia ſeu partes materiales Sacramenti Pœnitentiæ. Eſt de fide deciſa in Concilio Trid. ſeſſ. 14. cap. 3. ubi damnat eos, qui hos terrores, & hanc fidem eſſe Pœnitentiæ partes contendunt: & Can. 4. his verbis: *Si quis dixerit duas tantum eſſe Pœnitentiæ partes, terrores ſcilicet incuſſos conſcientiæ, agnito peccato, & fidem conceptam ex Evangelio vel abſolutione, qua credit quis ſibi per Chriſtum remiſſa peccata; anathema ſit.*

Prob. 1. Partes Pœnitentiæ ſunt actus Pœnitentiæ. Atqui iſti terrores non ſunt actus Pœnitentiæ, ſed motus naturales pueris & beſtiis communes. Similiter fiducia remiſſionis factæ peccatorum non eſt actus Pœnitentiæ, ſed eam ſupponit; ſupponit namque remiſſionem factam, quæ non fit niſi per Penitentiam. Inſuper hęc fides ſeu fiducia eſt chymerica, ut late probavimus, dum de Juſtificatione. 2. Terrores & fides, ſi intelligatur de fide Catholica, præcedunt Pœnitentiam, & ad eam movent; ex eo enim quod quis timet pęnas peccato debitas, movetur ad pęnitendum, & non timet pęnas, niſi quia habet fidem Dei vindicis. 3. Poſſunt eſſe terrores ſine Penitentia, ut in peccatoribus, qui nec Pęnitentiam agunt, nec agere incipiunt; & poteſt eſſe Pœnitentia ſine terroribus, ut in iis, qui ex ſolo Dei & juſtitiæ amore convertuntur. Ergo.

Dico 3. Mortificatio, ſeu refrenatio vitioſarum paſſionum, & vivificatio, ſeu ſtudium bene vivendi in ſenſu Calviniſtarum, non ſunt partes materiales Pœnitentiæ. 1. Quia ſequuntur Pęnitentiam, juxta illos enim ſunt fructus fidei, quam dicunt juſtificantem. 2. Pęnitentia eſt peccatorum dumtaxat & pro peccatis; refrænatio autem paſſionum & ſtudium bene vivendi ſunt etiam juſtorum. Verum cum Calviniſtę non agnoſcant Sacramentum Pęnitentię a Baptiſmate diſtinctum, non eſt quod iis immoremur.

Dico 4. (*q. 84. a. 2.*) Manus impoſitio non eſt materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ. Prob. Quia neque ex Scriptura, neque ex Traditione erui poteſt manus impoſitionem eſſe materiam hujus Sacramenti: non ex Scriptura; quia in locis, ubi agitur de hoc Sacramento, ſcilicet Matth. 16. & 18. & Joan. 20 nullatenus innuitur manus impoſitio pro materia: non ex Traditione, quia licet olim fuerit adhibita, & nunc a quibuſdam aliquo ſaltem modo adhuc adhibeatur, tenendo manum elevatam verſus pœnitentem, nunquam tamen reputata fuit materia hujus Sacramenti, ſed mera cæremonia; quod patet, partim quia pluries fiebat in decurſu ejuſdem Pęnitentiæ, ut probat Morinus l. 6. de Pœnit. c. 8. partim quia non ſolum Epiſcopi & Presbyteri, ſed etiam inferiores Clerici pœnitentibus manus imponebant, teſte S. Cypriano Ep. 10. partim quia etiam poſt Euchariſtiæ ſuſceptionem imponebantur manus ex Concilio Carthag. 4. cap. 78. Unde Trid. poſt accuratum examen partium Pœnitentiæ de manus impoſitione omnino ſilet.

Dico 5. (*Hic q. 90. a. 1. 2. & 3.*) Actus Pœnitentis, Contritio, Confeſſio & Satisfactio ſunt proprie materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ, ſeu partes materiales, ex quibus intrinſece componitur. Eſt communis contra Scholam Scoti. Prob. 1. ex Conciliis. Florentinum in Decreto unionis: *Hæc omnia Sacramenta*, inquit, *tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tamquam forma, & perſona Miniſtri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia*. Et ſpecialiter de Sacramento Pœnitentiæ ibid. *Quartum Sacramentum eſt Pęnitentia, cujus quaſi materia ſunt actus Pœnitentis, qui in tres diſtinguuntur partes, quarum prima eſt cordis contritio ... Secunda eſt oris confeſſio ... Tertia Satisfactio pro peccato.*

Concilium Trid. ſeſſ. 14. c. 3. ait: *Sunt quaſi materia hujus Sacramenti ipſius pęnitentis actus, nempe Contritio, Confeſſio & Satisfactio: qui quatenus in pęnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque & perfectam peccatorum remiſſionem ex Dei inſtitutione requiruntur, hac ratione partes Pęnitentiæ dicuntur*. Et in fine capitis ſic concludit: *Hæc de partibus ... hujus Sacramenti ſancta Synodus*. Eadem ſeſſione Can. 4. *Si quis*, inquit, *negaverit ad integram & perfectam peccatorum remiſſionem requiri tres actus in Pęnitente quaſi materiam Sacramenti Pœnitentiæ, videlicet Contritionem, Confeſſionem & Satisfactionem, quæ tres Pœnitentiæ partes dicuntur ... anathema ſit*. Vim facimus in his vocibus *materia* & *pars*: Materia eſt eſſentialis & intrinſeca compoſito, partes intrinſecæ toti, quod componunt.

In omne latus ſe vertunt Scotiſtæ, ut horum decretorum vim, ſi poſſint, infringant. Dicunt 1. Laudata Concilia non definire actus Pœnitentis eſſe ſimpliciter & proprie materiam, ſed *quaſi materiam*. R. cum Catech. Romano de Pœnitentia n. 17. quod *hi actus quaſi materiam a ſancta Synodo appellantur, non quia veræ materiæ rationem non habeant; ſed quia ejus generis materia non ſit, quæ extrinſecus adhibeatur, ut aqua in Baptiſmo, Chriſma in Confirmatione*. Eodem modo loquitur S. Th. opuſc. 5. ex quo Concilium Florent. ſuum decretum deprompſit, & tamen nemo negat S. Thomam habere actus Pœnitentis pro vera & eſſentiali materia Sacramenti.

Dicunt 2. Concilia intelligenda eſſe de materia extrinſeca. Ita Henno q. 3. in Reſp. ad Obj. 2. R. 1. Concilia loqui de materia hujus Sacramenti, ſicut loquuntur de materia aliorum Sacramentorum: in aliis autem Sacramentis id, quod habet rationem materiæ, non eſt materia extrinſeca, circa quam verſatur ritus ſacramentalis, ſed ejus pars. 2. Si actus pœnitentis non ſit materia intrinſeca hujus Sacramenti, nulla ergo erit materia intrinſeca, ſine autem materia intrinſeca quid fiet de forma, quam adſtruunt Concilia? Neque dici poteſt cum Maldonato, ſubſcribente hac in parte Scotiſtis, quod abſolutio, prout exterius profertur, ſit materia, & prout habet vim ſignificandi, ſit forma; in Sacramentis enim tam forma quam materia debet eſſe ſenſibilis; hæc autem ſignificatio non eſt ſenſibilis. 3. Concilium decretoria definit hos pœnitentis actus eſſe partes pertinentes ad integritatem Sacramenti, & quod miraberis, id ipſe Henno admiſerat in præcedenti ſolutione; materia autem extrinſeca non eſt pars ad integritatem Sacramenti requiſita, ſed quaſi objectum illius.

Dicunt 3. hos actus vocari a Concilio partes materiales Sacramenti, quia ſunt diſpoſitiones prævie & inſupplebiliter requiſitæ, non ad integritatem ſubſtantialem Sacramenti, ſed ad integritatem effectus. R. 1. Si vera ſit iſta ſolutio, pari jure Fides, Spes, Attritio erunt partes Baptiſmi, qui etiam prævie & inſupplebiliter requiruntur ad illius effectum. 2. Quando Concilium agit de diſpoſitionibus requiſitis ad digne ſuſcipienda alia Sacramenta, non vocat illas materiam aut partes pertinentes ad eorum integritatem. 3. Concilium appellat hos actus partes materiales Pœnitentiæ, ſicut verba abſolutionis appellat formam; verba autem ſunt vera pars hujus Sacramenti. Ergo & prętati actus verę partes & non ſolum diſpoſitiones prærequiſitę.

Dicunt 4. hos actus eſſe partes Pœnitentiæ, ut totum integrale Heterogeneum, ſicut pes, caput, &c. ſunt partes hominis; non ut eſt totum eſſentiale. Ita iterum Henno loco cit. in Reſp. ad Obj. 1. R. Laudatus Theologus videtur pugnantia loqui intra paucas lineas; dicit enim Reſponſione ſequenti, ut jam obſervavi, hos actus eſſe materiam extrinſecam. Si ſint materia extrinſeca, quomodo ergo ſunt partes integrantes Sacramenti, ſicut pes & caput ſunt partes hominis? Cæterum gratulor doctiſſimo & ingenuo Viro, qui veritati illuceſcenti oculos non claudit, ſed hac ſua reſponſione proxime ad noſtram & communem Sententiam accedit: licet, ut nobis videtur, longius a Sententia Scoti recedat. Dicit Doctor Subtilis in 4. d. 16. q. 1. *De Sacramento Pœnitentiæ dico, quod iſta tria* (Contritio, Confeſſio & Satisfactio) *nullo modo ſunt partes ejus*. Item dicit hos actus requiri dumtaxat, ut hoc Sacramentum *digne recipiatur*. Atqui partes integrantes, ut ponit Henno, ſunt *aliquo modo* partes & quidem intrinſecę & non meræ diſpoſitiones ad dignam ſuſceptionem Sacramenti, ſicut pes & manus, ut ſiſtamus in exemplo, ſunt aliquo modo partes & quidem intrinſecæ, & non merę diſpoſitiones ad compoſitum humanum. Vim ergo apertam facit textui ſui Magiſtri Theologus Franciſcanus, quando dicit eadem Q. Concl. 2. ipſum non negare hos actus eſſe partes, ſed eſſe partes eſſentiales. Enim vero pars integrans, etſi non eſſentialis, eſt *aliquo modo* pars, ſicut pes & manus ſunt *aliquo modo* partes hominis. Dicit autem formaliſſime Scotus, *nullo modo eſt pars*. Item quod eſt pars integrans Sacramenti, non eſt mera diſpoſitio ad Sacramentum digne ſuſcipiendum; dicit autem Scotus hos actus requiri dumtaxat, ut digne recipiatur Sacramentum: & dicat velim, ſi ſic cenſuiſſet Scotus, quomodo aliter ſe explicuiſſet? 2. Fatemur ſæpe dictos actus eſſe partes integrantes unam materiam totalem, quæ ſit pars eſſentialis totius compoſiti. Sic Balſamum & Oleum in Confirmatione, quæ eſt etiam totum Heterogeneum, ſunt partes integrantes unam materiam totalem, quę eſt eſſentialis Sacramen-

mento: ſic ut hæreamus exemplo Adverſarii; omnes partes corporis humani Integrant unam materiam, quæ eſt eſſentialis homini phyſice conſiderato: & ſicut in corpore humano ſunt quædam partes minus principales, ſine quibus ſubſiſtit materia eſſentialis corporis humani, ut pes, manus, &c. aliæ magis principales, ut cor, caput, &c. ſine quibus materia eſſentialis non ſubſiſtit; ita in caſu, ſatisfactio eſt pars minus principalis, ſine qua ſtat materia eſſentialis Sacramenti; Contritio autem & Confeſſio partes magis principales, ſine quibus non ſtat materia eſſentialis Sacramenti, nec conſequanter Sacramentum.

Dicunt 5. Pallavicinum l. 12. Hiſtor. Concil. Trid. c. 10. teſtari Concilium ex induſtria dixiſſe actus pœnitentis eſſe *quaſi materiam* hujus Sacramenti, ut Sententiam Scoti intactam relinqueret. R. aliter eenſuiſſe Catech. Romani Auctores, qui Concilio adfuerant. Cæterum non aſſerimus Sententiam Scoti eſſe in Concilio damnatam; ſed dumtaxat arguendo probare contendimus eam minus cohærere cum mente, decretis & modo loquendi Concilii, An id evincamus? Judicet Lector.

Prob. 2. Conelusio Ratione Theologica. Sacramentum Pœnitentiæ Inſtitutum eſt per modum actus & proceſſus judicialis, ut patet ex locis citatis Matt. 16. 18. & Joan. 20. Atqui proceſſus judicialis conſtat ex accuſatione, defenſione & ſatisfactione Rei tanquam ex materis, & ſententia judicis tanquam ex forma complente & perficiente proceſſum judicialem. Ergo Sacramentum Pœnitentiæ conſtat dolore, confeſſione & ſatisfactione pœnitentis tanquam ex materia, & abſolutione ſeu ſententia Sacerdotis tanquam ex forma, ſua expreſſiori ſignificatione complente & perficiente ritum ſacramentalem. Confir. (*Hic q. 90. a. 1. 2.*) Pœnitentia non eſt recompenſatio offenſæ præciſæ ſecundum arbitrium judicis, ut in juſtitia ſimpliciter vindicativa, ſed ſecundum voluntatem offendentis & offenſi, quia in Pœnitentia non tam requiritur redintegratio æqualitatis juſtitiæ, ut in juſtitia vindicativa, quam reconciliatio amicitiæ; eſt autem inter utramque diſcrimen, quod in 1. ſatis ſit reum pati pœnam a Judice latam, ſive ſpontanee, ſive coacte, ſive offenſus ſit ea pœna contentus, ſive non; in 2. autem requiritur, quod offendens ultronee recompenſet ſecundum voluntatem ejus, quem offendit, Atqui ad hujuſmodi recompenſationem ſpontaneam ex parte offendentis ſecundum arbitrium Dei offenſi concurrunt intrinſece tres actus aſſignati. 1. Concurrit voluntas compenſandi in offendente, quod fit per contritionem. 2. Neceſſe eſt, quod ſe ſubjiciat Sacerdoti loco Dei offenſi, quod fit per Confeſſionem. 3. Quod recompenſet ſecundum arbitrium Miniſtri Dei offenſi, quod fit per ſatisfactionem. Ergo.

Obſervandum inter has partes materiales Sacramenti hoc eſſe diſcrimen, ut jam innui, quod Contritio & Confeſſio utique magis principales, & formæ nempe abſolutioni præſuppoſitæ, ſint eſſentiales: Satisfactio vero in re, ut pars minus principalis & Sacramentum eſſentialiter conſtitutum ſupponens, ſit pars integralis illius tantum. Si tamen ſumatur ſatisfactio in propoſito, & ut connotata, eſt etiam pars eſſentialis ſicut contritio; quia non poteſt eſſe contritio vera, quæ non includit propoſitum ſatisfaciendi.

Solvuntur Objeſtiaaes canſra 5. Conclaſioasm.

OBJ. 1. cum Henno. Florentinum & Trid. eodem modo loquuntur de ſatisfactione ac de contritione & confeſſione. Atqui ſatisfactio non eſt pars eſſentialis. Ergo, R. 1. Retorqueo argumentum. Atqui ſatisfactio eſt pars Integralis, fatente objiciente. Ergo etiam contritio & confeſſio. Ergo iterum non ſunt materia extrinſeca, ut prætendis. 2. Verba Conciliorum ſunt intelligenda ſecundum ſubjectam materiam: ita quod hi tres actus ſint partes materiales Pœnitentiæ eo modo quo eſſe poſſunt, Certum eſt autem ſatisfactionem in re, quæ ſupponit Sacramentum ejus eſſentialiter conſtitutum, non poſſe eſſe partem ejus eſſentialem, ſecus contritio & confeſſio, quæ formam Sacramenti præcedunt.

Inſt. Trid. ſeſſ. 14. cap. 4. docet contritionem eſſe diſpoſitionem ad Sacramentum cum fructu ſuſcipiendum. Ergo non eſt pars intrinſeca Illius. R. D. Ant. Eſt diſpoſitio ad Sacramentum inadæquate ſumptum pro abſolutione, C. ad hunc enim cum fructu ſuſcipiendum diſponit. Ad Sacramentum adæquate ſumptum pro compoſito ex materia & forma, N. Sacramenti enim ſic ſumpti eſt pars intrinſeca & eſſentialis. Eſt itaque diſpoſitio & pars ejuſdem diverſo modo ſumpti.

Obj. 2. cum eodem. Miniſter hujus Sacramenti eſt Sacerdos. Atqui Sacerdos ponit ſolam abſolutionem. Ergo tota hujus Sacramenti eſſentia eſt ſola abſolutio, alias non eſſet Miniſter Sacramenti, ſed tantum partis illius. R. 1. retorqueo argumentum. Ergo tota Sacramenti integritas eſt abſolutio, alias non eſſet Miniſter integri Sacramenti, ſed tantum partis illius. Illatio autem eſt contra objicientem, qui admittit actus Pœnitentis eſſe partes integrantes hujus Sacramenti. 2. N. Conſ. Quia is dicitur Miniſter, cauſa, Auctor alicujus compoſiti, non ſolum qui totum compoſitum producit, ſed qui vel materiam, vel formam, vel utriuſque unionem efficit tantum. Sic ignis dicitur generare ignem, licet materiam non producat, ſic homo dicitur generare hominem, licet formam, animam ſcilicet, non efficiat, ſic latomus dicitur efficere album, licet nec parietem nec albedinem efficiat, ſed utrumque tantum conjungat; Sacerdos autem formam efficit, qua materia perficitur & determinatur ad eſſe ſacramentale, eamque materiæ applicat & unit; & hac ratione dicitur Sacramenti Miniſter.

Obj. 3. cum eodem. Illud eſt totum Sacramentum, quod ponit totum effectum Sacramenti. Atqui id facit abſolutio. Ergo. Prob. Min. Sacramenta id cauſant, quod ſignificant. Atqui abſolutio ſignificat peccatorum remiſſionem, quæ eſt effectus Sacramenti. Ergo. R. D. Min. Id facit abſolutio ſola, N. abſolutio cum aliis partibus, C. Ad Prob. ſimiliter D. Min. Sola abſolutio ſignificat remiſſionem peccatorum, N. Abſolutio & actus Pœnitentis, C. Quamvis ergo clarius ſignificetur remiſſio peccatorum per abſolutionem, & ideo eſt forma, eam tamen etiam ſuo modo ſignificant actus pœnitentis. Contritio exterius expreſſa ſignificat cor immutatum; confeſſio peccata manifeſtando ſignificat ea excludi; denique ſatisfactio ſignificat pœnæ remiſſionem: ſicque totum aggregatum ex his actibus & abſolutione ſignificat ex inſtitutione Chriſti effectum Sacramenti.

Inferes cum eodem. Ergo pœnitens poteſt dici ſibi gratiam conferre, ſibi peccata remittere, & ſeipſum abſolvere, quod non eſt actus rei, ſed judicis. R. N. Illationem; quia actus pœnitentis non cauſant gratiam, ut ſunt a pœnitente, ſed ut elevantur a Deo ad rationem Sacramenti. Unde dici non poteſt, quod pœnitens ſibi conferat gratiam, ſibi peccata remittat, ſe juſtificet, niſi valde improprie & ad modum cujuſdam inſtrumenti, non vero ut Miniſter Sacramenti. Sit paritas in Sacramento Ordinis. Contactus inſtrumentorum ab ordinando eſt pars eſſentialis hujus Sacramenti, ut nunc ſuppono, non tamen ideo dicitur ordinandus proprie ſibi conferre gratiam Sacramenti. Nullo autem ſenſu dici poteſt, quod pœnitens ſe ipſum abſolvat, quia abſolvere non eſt cooperari productioni gratiæ per modum inſtrumenti, ſed per modum judicis, quod convenit Sacerdoti reſpectu Pœnitentis, non Pœnitenti reſpectu ſui.

Inſt. In aliis Sacramentis productio gratiæ tribuitur non ſolum formæ, ſed etiam materiæ, ut in Baptiſmo, aquæ; in Confirmatione, Chriſmationi. Ergo ſi pœnitens ponat Sacramenti materiam, dici poteſt ſibi conferre gratiam. R. D. Conſ. ut ante. Poteſt dici ſibi conferre gratiam improprie, & per modum inſtrumenti a Deo elevati, C. ut Miniſter Sacramenti, & ad modum judicis, N.

Obj. 4. cum eodem. Hoc Sacramentum eſt inſtitutum per modum judicii. Atqui judicium tantum importat principaliter ſententiam judicis abſolventis, reliqua autem tantum connotat, ut prærequiſita ad juſtam ſententiam. Ergo. Prob. Maj. ex Trid. ſeſſ. 14. cap. 6. ubi declarat abſolutionem Sacerdotis eſſe *Ad inſtar actus judicialis, quo ab ipſo velut a Judice ſententia pronuntiatur*. Ex quo paulo infra infert objiciens hoc Sacramentum licet præſupponat in pœnitente dolorem & declarationem peccatorum, illam tamen non magis importare quam peccata. R. 1. hunc Theologum, hoc argumento, Tridentino & ſibi apaite contradicere: Tridentino, quod expreſſe declarat hos actus eſſe partes Sacramenti: Sibi; qui, ut vidimus ſupra, fatetur eſſe etiam illius partes, ſaltem integrantes: quod ſane dici non poteſt de ſimpliciter præſuppoſitis, nec a fortiori de peccatis. Inſuper, ut dixi in Confirmatione concluſionis, compenſatio offenſæ, quæ fit in hoc Sacramento, non eſt præciſe ad arbitrium judicis, ut in judicio forenſi, ſecundum voluntatem offendentis & offenſi, quod neceſſario importat actus pœnitentis, ut partes, prout probatum eſt. 2. N. Maj. Eſt enim hoc Sacramentum, ſi adæquate ſumatur pro materia & forma, inſtitutum non per modum judicii, ſeu ſententiæ judicialis, ſed per modum proceſſus judicialis, quod importat accuſationem, defenſionem & ſatisfactionem rei tanquam materiam, & ſententiam judicis tanquam formam. Quæ autem profert Objiciens ex Trid. non probant contrarium; quia Concilium non loquitur de Sacramento adæquate ſumpto, ſed de ſola abſolutione ſeu ſententia Sacerdotis, ut liquet ex textu.

Obj. 5. cum eodem. Trid. ſeſſ. 14. c. 3. docet vim hujus Sacramenti præcipue ſitam eſſe in forma, quam reponit in verbis Sacerdotis, quod non dicit de aliis Sacramentis. Ergo ſola forma eſt de ejus eſſentia. R. N. Conſeq. Imo contrarium ſequitur ex Antecedente. Si enim in hoc Sacramento ſit forma, eſt utique materia; non eſt enim forma ſine materia; materiam autem eſt eſſentialis compoſito. Item, ſi vis poſita eſt præcipue in forma, ergo mi-

Digitized by Google

minus præcipue in materia. Et quamvis id non dicat Concilium de aliis Sacramentis, ita eſt tamen, ut mox dicam, neque ex argumento negativo aliquid probatur.

Inſt. Si actus pœnitentis eſſent eſſentiales, in illis æque principaliter ſita eſſet vis hujus Sacramenti, Ergo. Prob. Ant. Efficacia habetur ab eſſentialibus. Atqui nulla pars eſt magis eſſentialis altera. Ergo. R. N. Ant. Ad Prob. D. Ant. Efficacia habetur ab eſſentialibus æque principaliter, N. Plus vel minus principaliter, C. Certum eſt enim in omnibus compoſitis vim eſſe magis principaliter ſitam in forma tanquam in parte nobiliori & totius perfectiva.

Obj. 6. Sacramentum eſt ſignum ſenſibile. Atqui Contritio non eſt ſenſibilis. Ergo. R. D. Min. Contritio non eſt ſenſibilis per ſe, C. Per accidens, N. Eſt enim ſenſibilis per confeſſionem & alia ſigna exteriora Pœnitentiæ, quæ profert Pœnitens.

Inferes. Ergo contritio eſt tantum pars Sacramenti per accidens. Prob. illatio. Eo modo aliquid eſt pars Sacramenti ſenſibilis, quo eſt ſenſibile. Atqui contritio eſt tantum ſenſibilis per accidens. Ergo. R. N. illationem. Ad Prob. D. Ant. Eo modo aliquid eſt pars Sacramenti, quo eſt ſenſibile per ſe vel per accidens, C. Quo eſt ſenſibile per ſe tantum, N. Sic conſenſus in Matrimonio eſt tantum ſenſibilis per accidens, & tamen eſt per ſe pars Matrimonii; ſic homo eſt aliquod totum ſenſibile, licet aliqua ejus pars, ſcilicet anima, ſit tantum ſenſibile per accidens.

Inſt. Contritio non minus requiritur ad Baptiſmum in adultis, quam ad Pœnitentiam. Atqui non eſt ideo pars Baptiſmi. Ergo. R. D. Maj. Contritio non minus requiritur ad Baptiſmum, quam ad Pœnitentiam & eodem modo, N. Et diverſo modo, C. In Baptiſmo requiritur ut diſpoſitio; in Pœnitentia ut pars. Hoc autem diſcrimen petitur ex ipſa voluntate Chriſti, qui in quibuſdam Sacramentis, ut in Baptiſmo, Confirmatione, &c. pro materia conſtituit aliquam ſubſtantiam corporalem; in aliis, ut in Pœnitentia & Matrimonio, actus humanos. Cujus rationem congruam affert Auctor (*Hic q. 84. a. 1. ad 1.*), quod in illis Sacramentis, in quibus confertur excellens gratia, quæ ſuperabundat omnem facultatem actus humani, adhibetur aliqua corporalis materia exterius, ſicut in Baptiſmo, ubi fit plena remiſſio peccatorum & quantum ad culpam & quantum ad pœnam, & in Confirmatione, ubi datur plenitudo Spiritus S. & in Extrema Unctione, ubi confertur perfecta ſanitas ſpiritualis. Unde ſi qui actus humani ſint in talibus Sacramentis, non ſunt de eſſentia Sacramentorum, ſed diſpoſitive ſe haberent ad illa. In illis autem Sacramentis, quæ habent effectum correſpondentem humanis actibus, ipſi actus humani ſunt loco materiæ, ut accidit in Pœnitentia & Matrimonio. Sicut etiam in medicinis corporalibus quædam ſunt res exterius adhibitæ, ſicut emplaſtra & electuaria; quædam vero ſunt actus humani, puta exercitationes quædam.

Obj 7. Poteſt adminiſtrari Sacramentum Pœnitentiæ abſque confeſſione, ut moribundo ſubito obmuteſcenti & ſenſibus deſtituto. Ergo. R. 1. Hoc argumentum eſſe pariter ſolvendum a Scotiſtis, qui dicunt confeſſionem eſſe inſupplebiliter requiſitam. 2. D. Ant. Poteſt adminiſtrari Sacramentum Pœnitentiæ ſine confeſſione formali & explicita, C. Sine confeſſione virtuali & implicita, N. Debet enim dolor internus per aliqua ſigna exteriora ſeu nutus manifeſtari, ut habeatur materia ſenſibilis; hæc autem ſigna exteriora ſubeunt vicem verborum, ſuntque virtualis petitio Sacramenti, & aliqualis peccatorum confeſſio. Quæ autem ſigna requirantur & ſufficiant? dicemus dum de Confeſſione.

Obj. 8. Materia præſupponitur formæ. Atqui ſatisfactio non præſupponitur formæ, ſcilicet abſolutioni, ſed eam ſequitur. Ergo. R. D. Maj. Materia, quæ eſt pars eſſentialis, præſupponitur formæ, C. Quæ eſt pars integralis tantum, N. Videmus enim in ipſis naturalibus, v. g. in nutritione partes integrantes, ut dentes, cornua, &c. accreſcere & informari eadem anima, quæ illis præſupponitur. Satisfactio autem eſt materia Pœnitentiæ per modum partis integrantis tantum, ſuoque modo informatur ab abſolutione quatenus ex ea recipit vim remittendi pœnas ex opere operato.

Obj. 9. Omnes partes totius conſtitutivæ debent eſſe ſimul. Atqui contritio aliquando præcedit confeſſionem, confeſſio abſolutionem, & ſatisfactio aliquando diu poſt adimpletur. Ergo. R. D. Maj. In toto permanente & phyſico, C. In toto morali & ſucceſſivo, quale eſt in noſtro caſu, N. Talis enim ſimultas partium ad illud ſequitur qualis intercedere ſolet v. g. inter accuſationem Rei, ejus defenſionem, ſententiam Judicis & ſententiæ executionem, ex quibus integratur unus actus ſeu proceſſus judicialis. Hæc autem ſimultas eſt moralis, ſicut totum eſt morale. De his tribus partibus dicemus ſeorſim infra.

Ex dictis & ſupponendo, quod articulo ſequenti dicam, verba abſolutionis eſſe formam hujus Sacramenti, colliges ipſum ſupponere pro aggregato ex actibus Pœnitentis & abſolutione Sacerdotis. Item recte definiri phyſice: *Confeſſio doloroſa peccatorum poſt Baptiſmum commiſſorum, facta legitimo Miniſtro, abſolvente ſub præſcripta verborum forma*: Metaphyſice autem ſeu logice; *Sacramentum a Chriſto inſtitutum ſignificativum & collativum gratiæ peccatorum poſt Baptiſmum commiſſorum remiſſivæ.*

ARTICULUS III.

De Forma Sacramenti Pœnitentiæ.

TRIA hic quærimus totidem §§. 1. quæ ſit forma hujus Sacramenti? 2. quis ſit ejus ſenſus? 3. an forma deprecatoria ſit valida?

§. I. Quæ ſit Forma hujus Sacramenti.

DICO 1. (*Hic q. 84. a. 3. c.*) Forma conveniens & legitima Sacramenti Pœnitentiæ eſt hæc: *Ego abſolvo te a peccatis tuis in nomine Patris*, &c. 1. Hanc formam tradunt Concilium Florentinum & Trid. Florentinum in Decreto unionis his verbis: *Forma hujus Sacramenti ſunt verba abſolutionis, quæ Sacerdos profert cum dicit: Ego te abſolvo*, &c. Trid. Seſſ. 14. c. 3. *Docet præterea S. Synodus Sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipue ipſius vis ſita eſt, in illis Miniſtri verbis poſitam eſſe: Ego te abſolvo*, &c. 2. (*Ib. in a. ſ. c.*) Fundatur in Scriptura. Sicut enim Dominus dixit Diſcipulis Matt. ultimo: *Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos*, &c. Ita dixit eiſdem Matth. 18. *Quodcumque ſolveritis*, &c. Atqui Sacerdos vi priorum Chriſti verborum dicit: *Ego te baptizo*, Ergo vi poſteriorum debet dicere: *Ego te abſolvo*.

3. (*Ib. c.*) Ratione prob. Forma Sacramenti debet ſignificare id, quod in Sacramento agitur proportionaliter ad materiam Sacramenti; ſignificant enim Sacramenta novæ Legis, quod efficiunt. Atqui hæc forma *Abſolvo te*, ſignificat id, quod peragitur in hoc Sacramento proportionaliter ad materiam. Ergo. Prob. Min. In hoc Sacramento removentur peccata, quæ ſunt illius materia & quædam vincula, juxta illud Proverb. 5. *Impius funibus peccatorum ſuorum conſtringitur*. Atqui id ſignificant hæc verba: *Abſolvo te a peccatis tuis*. Ergo.

Dices. Sacerdos ad ligandum non dicit *te ligo*, licet Chriſtus pariter dixerit: *Quodcumque ligaveritis, &c.* Ergo neque ad ſolvendum debet dicere, *Te abſolvo*. R. N. Conſ. Diſparitas eſt, quod cum ligare non ſit gratiæ collativum, non fiat per confectionem Sacramenti, ſed per denegationem abſolutionis; ſecus ſolvere.

Inſt. Ad abſolvendum ab Excommunicatione non requiruntur hæc verba, *abſolvo te*, ſed quæcumque alia ſufficiunt. Atqui tamen poteſtas abſolvendi ab Excommunicatione eſt ex iiſdem Chriſti verbis, *Quodcumque ſolveritis &c.* Ergo nec requiruntur ad abſolvendum a peccatis. R. N. iterum Conſeq. (*Opuſc. 22. c. 2.*) Diſparitas eſt, quod abſolutio a Cenſuris non ſit ſacramentalis, ideoque permiſſa arbitratui hominum, ita ut ad illam ſufficiant quæcumque verba intentionem abſolventis exprimentia, imo nutus vel etiam familiaris converſatio cum Excommunicato: at abſolutio a peccatis eſt ſacramentalis, ac proinde non hominum arbitratui permiſſa, ſed juxta Chriſti inſtitutionem per Eccleſiam ejus ſponſam ad nos tranſmiſſam obſervanda.

Dico 2. Hæc duo ſola verba, *Abſolvo te*, ſunt eſſentialia formæ hujus Sacramenti. Eſt communior. Imprimis certum eſt pronomen *Ego* non eſſe eſſentiale formæ hujus Sacramenti, ſicut nec in forma Baptiſmi, ſufficienter enim exprimitur in ly *Abſolvo*. Conveniunt etiam communiter Theologi hæc verba, *in nomine Patris, &c.* non eſſe eſſentialia; quia id neque ex Scriptura, neque ex Traditione & ſenſu communi Eccleſiæ eruitur. Eſt autem difficultas circa hæc verba, *a peccatis tuis*. Itaque

Prob. Hæc ſola verba *Abſolvo te*, omiſſis *a peccatis*, ſignificant principalem effectum Sacramenti, ſcilicet abſolutionem a peccatis. Ergo hæc ſola ſunt eſſentialia formæ. Prob. Ant. Licet hæc forma, *Abſolvo te*, ſit ſecundum ſe indifferens ad ſignificandam abſolutionem a peccatis vel a cenſuris, hoc ipſo tamen quo profertur ſuper pœnitentem, qui peccata ſua confeſſus eſt, & ſubjecit juriſdictioni Sacerdotis, per hanc circumſtantiam determinatur ad ſignificandam abſolutionem a peccatis: ſententia enim, quæ ſupponit cognitionem hujus & non alterius, cadit determinate ſuper hanc cauſam cognitam, & non ſuper alteram, & ita determinate ſignificat abſolutionem a vinculis in judicio probatis. Sic etiam in judicio humano ſufficit, ſi judex auditu & cognita cauſa rei proferat in eum ſententiam abſolutionis, aut condemnationis, non expreſſo crimine, licet moris ſit, ut ſingula exprimantur.

pti-

primantur ad majorem horrorem & deteſtationem. Ergo. Tandem hæc duo *abſolvo te*, eſſe aſſentialia, patet, quia omiſſa voca *abſolvo* non exprimitur actus judicialis ſeu ſententia judicio, omiſſo *te* non exprimitur perſona, circa quam exercetur judicium, nec intelligitur abſolutio a peccatis; qu a non intelligitur *a peccatis*, niſi in quantum abſolvitur is, qui peccata ſua confeſſus eſt.

Dices 1. Chriſtus Joan. 20. expreſſit peccata: *Quorum remiſeritis peccata*. Ergo. R. N. Conſ. To *Abſolvo* in uſu hujus Sacramenti determinatur per confeſſionem peccatorum, ut dictum eſt, non in ejus inſtitutione. Aliunde Chriſtus non expreſſit peccata, quando dixit Matth. 16. & 18. *Quodcumque ſolveritis*.

Dices 2. Concilium Florentinum & Trid. quando definiunt formam abſolutionis ſitam eſſe in his verbis, addunt, &c. Ergo cenſent aliqua ſaltem ex ſequentibus eſſe eſſentialia. R. N. Conſ. Ideo enim hanc particulam &c. addiderunt, vel ut abſtraherent a controverſia Theologorum circa particulas *A peccatis*, vel ut ſignificarent eas, licet non aſſentiales, non debere tamen omitti. Si enim has pauculas voces eſſentiales cenſuiſſent, dubio procul expreſſiſſent in Decreto, ſicut in formis aliorum Sacramentorum omnia etſi plura & longiora exprimunt. Cætera argumenta circa particulas *a peccatis* præoccupata ſunt in probatione Concluſionis.

Dices 3. In Baptiſmo & Confirmatione eſſentialis eſt expreſſio Trinitatis. Ergo & in Pœnitentia. R. N. Conſ. Diſparitas petitur ex voluntate Chriſti, quæ nobis per Eccleſiæ traditionem & communem ſenſum innotaſcit. Ratio congrua vero eſt, quod Baptiſmus ſit profeſſio fidei, cujus præcipuum objectum eſt Trinitas, & Confirmatio eſt corroboratio ad eandem fidem confitendam, neutrum Pœnitentia.

CONSECTARIA.

EX dictis colliges. 1. Quamvis probabilius ſit validam eſſe abſolutionem ſub his ſolis verbis, *Abſolvo te*, eſſe tamen illicitam, & graviter peccare, qui omitteret *a peccatis*, quia non eſt certum iſta verba non requiri; ita ut iſtis omiſſis repetenda foret abſolutio ſub conditione. Omittere autem expreſſionem Trinitatis multi volunt eſſe peccatum veniale. Dicit tamen S. Th. hic ad 3. id *Relinqui arbitrio Sacerdotis*, quod non diceret, ſi exiſtimaret ejus omiſſionem eſſe peccatum veniale. Similiter quidam volunt eſſe peccatum veniale omittere, quæ præcedunt & ſequuntur, ſcilicet *Miſereatur*, *Dominus noſter*, *Paſſio*, &c. alii nullum eſſe peccatum: arbitramur ea omittere nulla prorſus ſubſiſtente cauſa eſſe peccatum veniale; nullum vero, ſi aliqua cauſa, etſi non gravis adſit: unde in Rituali Romano Pauli V. legitur, quod in confeſſionibus frequentioribus & brevioribus poſſit omitti *Miſereatur*, & ſatis ſit dicere, *Dominus*, &c. uſque ad *Paſſio*, &c.

Colliges 2. Abſolutionem prolatam ſub forma æquivalenti eſſe validam, illicitam tamen. Hinc valeret ſi diceretur, *Remitto*, *condono tibi peccata*, *abſolvatur talis a peccatis*, &c. quia remanet idem ſenſus, ſicque eſt tantum mutatio accidentalis. Obſervat Cajetanus abſolutionem datam in plurali honoris cauſa, eſſe etiam validam, ſed illicitam.

Colliges 3. Formam abſolutionis debere neceſſario verbis exprimi, nec ſufficere nutus aut alia ſigna. 1. Quia hanc eſſe voluntatem Chriſti probat communis & unanimis ſenſus Eccleſiæ. 2. Quia in omnibus aliis Sacramentis forma debet verbis exprimi; excipitur ſolum Matrimonium, quod cum ſit contractus, nutus ad illud ſufficiunt. 3. Quia Florentinum reponit formam in verbis, quæ *Profert* Miniſter; & Tridentinum in Miniſtri *Verbis*, quæ aperte indicant formam eſſe neceſſario verbis exprimendam.

Nec obſtat in judicio forenſi ſententiam poſſe ferri ſcripto: non enim judicium ſacramentale convenit in omnibus cum forenſi. Sic in ſacramentali idem eſt reus, accuſator, teſtis & defenſor; non ſic in forenſi; in ſacramentali pœnitenti pro ſe & contra ſe dicenti creditur; non in forenſi.

§. II. *Quid ſit ſenſus horum verborum*, Abſolvo te.

DIco 1. Senſus horum verborum *Abſolvo te* non eſt remitto pœnas peccatis debitas. Prob. 1. Chriſtus dixit: *Quorum remiſeritis peccata*: & in forma Pœnitentiæ dicitur, *Abſolvo te a peccatis*. Atqui pœna diſtinguitur a peccato, & ad illud ſequitur. Ergo. 2. Juxta Trid. ſeſſ. 6. cap. 14. *Pœna æterna... una cum culpa remittitur*. Si ergo Sacerdos non remittat culpam, nec remittit pœnam æternam. 3. Juxta idem Concilium ſeſſ. 14. c. 1. Sacerdotes habent poteſtatem *Ad reconciliandos fideles poſt Baptiſmum lapſos*; reconciliatio autem fit per remiſſionem culpæ, & non ſolius pœnæ. Confir. Ex ſeq. propoſitionibus damnatis in Baio: *In Sacramento Baptiſmi, aut Sacerdotis abſolutione, proprie reatus peccati dominans tollitur, & Miniſterium Sacerdotum ſolum liberat a reatu*; eſt

57 Idem 58. Per reatum vero ipſum ſolam pœnam intelligere patet ex 56. propoſitione etiam damnata, in qua dicitur: *In peccato duo ſunt, actus & reatus, tranſacto autem actu, nihil remanet, niſi reatus, ſive obligatio ad pœnam*.

Dico 2. (*Hic q. 84. a. 4. ad 5. & opuſc. 22. c. 1. 2. 3.*) Sacerdos per verba Abſolutionis non ſolum declarat, ſeu oſtendit peccata eſſe remiſſa, ſed ea vere remittit. Eſt contra Magiſtrum ſententiarum, & quoſdam antiquos, nec non contra novos Hæreticos, quamvis diverſo ſenſu locuti fuerint.

Prob. 1. ex Concilio Trid. ſeſſ. 14. Can. 9. ſic definiente: *Si quis dixerit abſolutionem ſacramentalem non eſſe actum judicialem, ſed nudum miniſterium pronunciandi & declarandi remiſſa eſſe peccata confitenti.... anathema ſit*. Et c. 3. *Res & effectus hujus Sacramenti, quantum ad ejus vim & efficaciam pertinet, reconciliatio eſt cum Deo*. Prob. 2. ex Chryſoſt. l. 3. de Sacerdotio c. 6. *Corporis*, inquit, *lepram purgare, vel ut verius dicam, ne purgare quidem, ſed purgatum oſtendere, Judæorum Sacerdotibus licebat; at vero noſtris Sacerdotibus, non corporis lepram, ſed animæ ſordes, non dico purgatas probare, ſed purgare prorſus conceſſum eſt*.

Prob. 3. (*Ib.*) Sacramenta novæ Legis non ſolum ſignificant, ſed efficiunt, quod ſignificant. Hæc enim eſt præcipua differentia, quam Florentinum ſtatuit inter Sacramenta novæ & antiquæ Legis, quod hæc ſignificent tantum, prima autem ſignificent & efficiant. Atqui hæc Sacramenti Pœnitentiæ forma *Abſolvo te* ſignificat remiſſionem peccatorum. Ergo illam efficit. Confir. Hæc Baptiſmi forma *Ego te baptizo* non ſolum ſignificat hominem interius ablutum, ſed illum abluit. Ergo hæc *Abſolvo te* non ſolum declarat hominem abſolutum, ſed vere abſolvit.

Prob. 4. Poteſtas clavium, ſeu ligandi & ſolvendi data eſt Miniſtris Eccleſiæ, ut jam dixi & dicam. Atque ſi declarent dumtaxat peccatores abſolutos & non ſolvant, fruſtranea eſt iſta poteſtas, æque enim imo melius id declarare poterit quilibet prudens & doctus, cui perſpecta erat conſcientia pœnitentis, quam plures Eccleſiæ Miniſtri. Ergo. Itaque ſenſus naturalis horum verborum *Abſolvo te a peccatis*, attenta ſignificatione, quam habent ex inſtitutione hominum, eſt hic, remitto ſeu condono tibi peccata; (*Hic Ibid.*) Senſus autem ſacramentalis ſeu ſignificatio, quam habent ex inſtitutione Chriſti, a quo omnia Sacramenta habent, quod ſint ſignificativa & collativa gratiæ, eſt hic; Sacramentum abſolutionis tibi impendo, hoc eſt, confero tibi Sacramentum, quantum eſt ex ſe abſolutivum a peccatis, & collativum gratiæ: ſeu ut alii volunt, & in idem redit; confero tibi quantum eſt ex parte mea & Sacramenti, gratiam peccati remiſſivam. Quapropter verificatur forma, etiamſi defectu ſubjecti gratia de facto non conferatur. Item ſi feratur ſuper peccata jam confeſſa & remiſſa, præſertim cum eo in caſu amplior datur gratia.

Dices 1. Quando Chriſtus Luc. 7. dixit mulieri peccatrici; *Remittuntur tibi peccata*, declaravit tantum eſſe remiſſa; fuerant enim prius remiſſa per hæc verba: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Ergo ſimiliter in caſu. R. 1. N. Conſ. Non eſt enim neceſſe, quod ſi verbum remittendi in uno loco ſumatur ſignificativa tantum, ita & in alio & eo maxime quod in loco cit. per verba priora ſupponerentur peccata remiſſa, non ſic in noſtro caſu. 2. Dici poteſt, quod hic ſermo ſecundo prolatus ſit confirmatio prioris remiſſionis; quaſi dixiſſet, remiſſa ſunt, vel quod per priora verba inſinuarentur peccata mox remittenda, per ſequentia vero reipſa remitti.

Dices 2. Hieronymus ſuper illud Matth. 16. *Tibi dabo claves*, &c. hæc habet: *Hunc locum quidam non intelligendo aliquid ſumunt de ſupercilio Phariſæorum; ut damnare innoxios, vel ſolvere ſe putent noxios; cum apud Deum non ſententia Sacerdotum, ſed eorum vita quæratur: In Levitico ſe oſtendere Sacerdotibus jubentur Leproſi, quos illi non faciunt Leproſos vel mundos, ſed diſcernunt, qui mundi vel immundi ſint*. Ergo. R. Hieronymum comparare Sacerdotes Evangelicos legalibus non in hoc, quod ſicut legales non mundabant a lepra, ſed oſtendebant tantum & diſcernebant mundatos, ita Evangelici non abſolvunt, ſed oſtendunt tantum abſolutos. Sed in hoc comparat, quod ſicut Sacerdotes legales non poterant pro ſuo arbitrio diſcernere inter lepram & non lepram, ſed juxta cauſæ merita; ita Sacerdotes novæ Legis non poſſunt pro ſuo arbitrio quos voluerint abſolvere vel ligare, ſed debent expendere merita & diſpoſitionem cujuſque, & diſpoſitos abſolvere, indiſpoſitos non abſolvere, alioquin nihil efficiunt, cum Sacramenta operentur ſuos effectus in ſubjectis diſpoſitis.

Dices 3. Lazarus Peccatori comparatur. Atqui Lazarus fuit a Chriſto prius ſuſcitatus, quam Diſcipulis ſolvendus traderetur. Ergo. R. (*Opuſc. 22. c. 2.*) Comparationem illam Lazari cum peccatore eſſe moralem, non litte-

ralem, ideoque ea illa firmum argumentum deſumi non poſſe. Non igitur in hoc ſtat comparatio, quod ſicut Chriſtus Lazarum reſuſcitavit, & viventem tradidit Apoſtolis ſolvendum, ita reſuſcitat Peccatorem, & ipſum jam viventem abſolvit Sacerdos; ſed in hoc, quod ſicut Lazarum magna voce e ſepulchro vocavit, & vocatus fuit a Diſcipulis ſolutus; ita nos per gratiam actualem prævenientem magna voce clamando vocat e tumulo peccatorum, inquit Aug. Tract. 19. in Joan. adhuc reos tamen, ſed ſolvendos a Sacerdotibus. Quando igitur idem Aug. alibi & alii Patres dicunt Peccatores prius a Deo vivificari, quam a Sacerdotibus ſolvantur, Sacerdotes poſſe curare viventes, non excitare mortuos & ſimilia, non loquuntur de vita ſeu vivificatione per gratiam juſtificantem, ſed de vita imperfecta per gratiam excitantem, quæ inchoat vitam animæ per aliquem actum ſupernaturalem, ad quem movet peccatorem. Hanc enim duplicem vivificationem admittendam eſſe conſtat ex propoſitione 60. damnata inter Baianas.

§. III. *Utrum abſolutionis forma deprecatoria poſſit eſſe valida?*

ADHIBENDAM eſſe formam deprecatoriam in Sacramento Pœnitentiæ tenuit olim antiquus Scriptor quem impugnat S. Th. Opuſc. 22. Hujus opinionem penitus antiquatam ſæculo præcedenti ſuſcitavit Joannes Morinus Presbyter Oratorii l. 8. de Pœnit. quem avide ſecuti ſunt quidam Recentiores Juenin, Vitaſſe, Vanroy, Tournely, Piette, &c. Fatentur equidem nunc in Eccleſia Latina, poſt Concilii Florentini & Trid. definitiones, neceſſario adhibendam eſſe formam indicativam ſeu abſolutam; & deprecatoriam non ſufficere: at contendunt duodecim prioribus ſæculis valuiſſe. Apud Græcos vero ſemper valuiſſe & etiamnum valere. Fundantur præſertim in antiquis monumentis, quæ ut putant, non niſi formam deprecatoriam referunt. Contra quos pro ſententia D. Th. & communiori

Dico. (*Opuſc.* 22. *c.* 1. 2. *&* 3.) Probabilius eſt formam ſimpliciter deprecatoriam in Sacramento Pœnitentiæ non poſſe eſſe validam. Prob. 1. ex Scriptura & verbis Auctoris. (*Ibid. c.* 2.) *Chriſtus non dixit, quæcumque petieris eſſe ſolvenda, erunt ſoluta, ſed quæcumque ſolveris; ſi ergo illa tantum dicuntur eſſe ſoluta, quæ habens claves ſolverit, qui autem petit aliquid eſſe ſolvendum, non ſolvit; miror, qua temeritate aliquis aſſerat eſſe ſolutum, quem habens claves non ſignificat ſe ſolvere, ſed ſolum rogat eſſe ſolvendum.*

Prob. Concilium Florentinum in Decreto unionis & Trid. ſeſſ. 14. cap. 3. definitur, formam hujus Sacramenti ſitam eſſe in his verbis Sacerdotis: *Ego abſolvo te*. Addit Trid. ibid. *De Eccleſiæ more quoſdam preces laudabiliter adjungi, ad ipſius tamen formæ eſſentiam non pertinere; neque ad ipſius Sacramenti adminiſtrationem eſſe neceſſarias*. Ergo.

Reſpondet Tournely, equidem poſt has definitiones preces non amplius pertinere ad eſſentiam formæ; pertinuiſſe tamen olim antequam Eccleſia formam abſolutam adoptaret: quia, ut prætendit iſte Theologus, Chriſtus non determinavit formam hujus Sacramenti, an deberet eſſe abſoluta vel deprecatoria, ſed id determinandum reliquit Eccleſiæ; & ſic ea eſt forma eſſentialis, quam Eccleſia pro tempore elegit; ſicut, inquit, contigit in Matrimonio, quod ante Trident. clandeſtine contractum erat validum, nunc eſt nullum. Sed contra 1. Forma Sacramenti, quæ aperte colligitur ex ejus inſtitutione, una eſt ubique invariabilis, ſaltem quoad ſenſum, nec determinationi Eccleſiæ relicta, ut patet in forma Baptiſmi & Euchariſtiæ. Atqui hæc forma, *abſolvo te*, aperte colligitur ex verbis inſtitutionis, *Quodcumque ſolveritis*, &c. non minus quam iſta forma Baptiſmi *Baptizo te*, ex his verbis, *Euntes docete omnes Gentes baptizantes eos*, &c. Ergo ſicut iſta eſt una ubique & invariabilis, ſaltem quoad ſenſum, nec relicta determinationi Eccleſiæ, ita nec prima.

2. Hæc Doctoris Pariſienſis reſponſio non cohæret cum ejus & aſſeclarum Doctrina. Dicunt enim formam deprecatoriam, non obſtantibus his definitionibus, etiam nunc valere in Eccleſia Græca. Atqui tamen laudata Concilia definierunt tanquam fidei dogma formam eſſe abſolutam, non pro Eccleſia Latina tantum, ſed etiam pro Græca; definitiones enim fidei ſpectant totam Eccleſiam, & præſertim Decretum Florentinum, quod ſpecialiter pro Græcis fuit editum. Ergo ſi conſequenter loquantur, debent reputare invalidam formam deprecatoriam apud Græcos, quod tamen negant, ſicque reſponſio Tournely videtur illuſoria.

Exemplum Matrimonii, quod affert, non eſt ad rem: 1. Quia Eccleſia irritando Matrimonium clandeſtinum non mutavit formaliter materiam Matrimonii determinatam a Chriſto, quæ ſemper fuit, & adhuc eſt nunc, contractus validus; hunc ſolum enim Chriſtus elevavit, ad rationem Sacramenti; ſed effecit tantum, ut contractus, qui antea erat validus, non eſſet amplius validus, quod non eſt mutare materiam Matrimonii formaliter, ſed materialiter tantum; ſicut ſi quis verteret vinum in acetum; non mutaret formaliter materiam Sacrificii, ſed materialiter tantum, quatenus faceret, quod res, quæ erat materia Sacrificii, non ſit amplius res, quæ ſit materia Sacrificii. Et hinc 2. Lex irritans Matrimonium clandeſtinum eſt lex diſciplinæ tantum, quæ non obligat, niſi ubi eſt promulgata & recepta; & ideo Matrimonium clandeſtinum adhuc eſt validum in locis, in quibus non eſt promulgatum aut receptum Trid. Ad definitiones fidei, quales ſunt, quæ ſpectant formas Sacramentorum in Scriptura fundatas, vim habent in tota qua late patet Eccleſia.

Prob. 3. Juxta Scripturam & Trid. ſeſſ. 14. c. c. 6. & Can. 9. Abſolutio ſacramentalis eſt actus judicialis, quem exercet Sacerdos, & quo ab ipſo velut a Judice ſententia pronuntiatur. Atqui ſententia judicialis nec eſt, nec eſſe poteſt deprecatoria: etenim judicare ſeu ſententiam ferre eſt actus habentis & exercentis auctoritatem; deprecari autem eſt actus ſupplicantis, adeo ut implicet eundem actum eſſe judicialem & deprecatorium ſimul & ſub eadem ratione. Ergo multa excogitat Tournely, ut ab hoc argumento ſe expediat. Admittit majorem, ſed ad Min. dicit 1. quod cum Sacerdos, non propria, nec ſuprema, ſed precaria & miniſteriali auctoritate judicium exerceat, tacitam ſaltem orationem fundat. 2. Quod in pronuntianda excommunicatione actus judicii pariter exerceatur, quæ tamen aliis quam indicativis verbis poteſt pronunciari. 3. Ex eo, quod Chriſtus dederit Apoſtolis poteſtatem abſolvendi a peccatis, non ſequitur hanc poteſtatem debere exerceri verbis indicativis, ſi quidem poteſtatem, quam pariter Apoſtoli acceperant ſanandi infirmos, fere ſemper exercuerint deprecatorie. Sed contra. Ad 1. formæ omnium aliorum Sacramentorum, excepta Extrema-Unctione, ſunt dicto ſenſu oratio tacita; in iis enim ſicut in Pœnitentia, Sacerdotes non agunt propria & ſuprema auctoritate, ſed precaria & miniſteriali tantum, tamen nemo ideo unquam dixit has formas eſſe deprecatorias. Ad 2. neque pronuntiatio excommunicationis, neque abſolutio ab excommunicatione, cum ſint actus judiciales, poſſunt eſſe deprecatoriæ, niſi apparenter, & quoad ſyllabas, quæ nihil operantur, quia in negotio cenſurarum non requiritur aliqua forma, ſed totum pendet ab intentione ſuperioris. Unde quibuſcumque verbis, ſignis aut nutibus ſuam intentionem manifeſtet, hæc ſemper manet actus judicialis, & non deprecatorius. Et quem, amabo, deprecabitur Prælatus ferens excommunicationem, aut ab excommunicatione abſolvens? At in abſolutione a peccatis non ſolum intentio, ſed forma debet eſſe judicialis, ſacramentalis, & operativa ex inſtitutione Chriſti, ſicque ea, quam Chriſtus inſtituit, & quam ex illo Eccleſia definivit, ſervanda eſt. Ad 3. 1. N. Paritatem. Diſparitas eſt, quod ſanatio infirmorum non ſit actus judicialis, ſicut abſolutio ſacramentalis a peccatis. 2. Reſpondet Auctor, (*Hic q.* 84. *a.* 3. *ad* 4.) quod Apoſtolis non eſt data poteſtas, ut ipſi ſanarent infirmos, ſed ut ad eorum orationem infirmi ſanarentur: eſt autem eis collata poteſtas operandi inſtrumentaliter, ſive miniſterialiter in Sacramentis. Et ideo magis poſſunt in formis ſacramentalibus exprimere actum ſuum, quam in ſanationibus infirmitatum, in quibus tamen non ſemper modo deprecativo utebantur, ſed quandoque modo indicativo & imperativo, ſicut Act. 3. legitur, quod Petrus dixit claudo: *Quod habeo, hoc tibi do: In nomine Jeſu Chriſti Nazareni ſurge & ambula*. Favent etiam huic Concluſioni, quæ dixi §. præcedenti.

Solvuntur Objectiones.

OBJ. 1. ex Patribus S. Ambroſius l. 3. de Spiritu S. c. 8. *Homines*, inquit, *in remiſſionem peccatorum miniſterium ſuum exhibent, non jus alicujus poteſtatis exercent ... iſti rogant, Divinitas donat*. S. Aug. l. 2. de Bapt. c. 6. *Manus impoſitio* (quæ ſupra Pœnitentes fieri ſolebat) *non ſicut in Baptiſmo repeti non poteſt; quid enim aliud eſt, niſi oratio ſuper hominem?* S. Leo Ep. 82. alias 91. *Indulgentia Dei niſi ſupplicationibus Sacerdotum nequit obtineri*. Idem S. Hieron. in Pſ. 28. Ergo. R. 1. ad Ambroſium, homines non exercere jus poteſtatis alicujus ſcilicet ſupremæ, ſed miniſterialis & delegatæ. 2. Idem Ambroſ. & alii Patres quandoque vocant abſolutionem ſacramentalem Orationem ſeu ſupplicationem, quia cum Sacerdotes non abſolvant virtute ſuprema & propria, ſed miniſteriali & precaria, eorum Miniſterium eſt quædam tacita ſupplicatio, ut Deus ratum habeat, quod faciunt, ut ipſe Tournely dicebat ſupra, & ita in aliis Sacramentis; ex quo tamen ſequitur formas Sacramentorum eſſe deprecatorias. 3. Quandoque etiam SS. Patres vocant abſolutionem ſacramentalem orationem & ſupplicationem ratione precum quæ illam comitantur. Sicque ipſimet ad-

ver-

Digitized by Google

verſarii Juenin, Tournely, &c. explicant Patres, dum dicunt Conſecrationem fieri ſupplicationibus Sacerdotum, id eſt concomitanter & diſpoſitive, inquantum ſine precibus non peraguntur divina Myſteria, non vero formaliter.

Obj. 2. quoſdam Scholaſticos antiquos, qui labente ſæculo 12. & ineunte 13. floruerunt, in primis Scriptorem, quem impugnat S. Th. Opuſc. 22. & alios, quos citat ipſe Scriptor, Guillelmum Altiſſiodurenſem, Guillelmum Pariſienſem & Hugonem Cardinales, adde Petrum Cantorem circa an. 1200. & Franciſcum Mayronis circa an. 1300. qui refert formam deprecatoriam ſuo tempore in uſu fuiſſe in Provincia Provinciæ. Ergo. R. 1. Verbis S. Th. (*Opuſc. 22. c. 2.*) *De his, quod ita ſenſerint, non conſtat, ſed etſi ſic ſenſerint, numquid eorum opinio præjudicare poterit verbis Domini dicentis Petro*, Quodcumque ſolveris, *&c. Numquid etiam, ſi nunc viverent, præjudicare poſſet communi ſententiæ Magiſtrorum Pariſiis Regentium, qui contrarium ſentiunt, decernentes abſque his verbis*, Ego te abſolvo, *abſolutionem non eſſe per ſolam deprecativam Orationem*. 2. Iſti Doctores poſſunt intelligi, quod Sacerdotes non auctoritate ſuprema & propria, ſed precaria tantum & miniſteriali abſolvant, ideoque abſolutioni orationem præmittant. Hunc ſenſum patiuntur verba Guillelmi Pariſienſis, quæ ſola refert Tournely. 3. Obſervandum eſt plures Scholaſticos tunc temporis in ea opinione fuiſſe, quod homo per contritionem Deo reconciliaretur & juſtificaretur, per abſolutionem vero reconciliaretur Eccleſiæ, pœna liberaretur, & gratia augeretur. Unde dum dicunt formam abſolutionis eſſe deprecatoriam, intelligunt reſpectu remiſſionis peccatorum, & gratiæ juſtificantis. Ita innuit S. Bonaventura in 4. d. 18. p. 1. art. 2. q. 1. De Franciſco Mayronis mox dicam.

Inſt: Scriptor, quem oppugnat S. Th. Opuſc. 22. dicit: *Vix anni triginta elapſi ſunt, cum omnes ſola forma deprecativa uterentur*. Ergo. R. quod ſicut S. Doctor illi fidem non adhibet, nec nos adhibemus, & merito. Nam Alexander Alenſis Scholaſticis, quos citat iſte Scriptor, coætaneus aut ſuppar in Summa p. 4. q. 21. tradit formam indicativam, ut perpetuo Eccleſiæ uſu firmatam. Formam deprecativam circa id tempus damnaverant communi ſententia Magiſtri Pariſienſes, ut refert S. Th. & ejus uſum ſeu potius abuſum, qui irrepſerat apud quoſdam Sacerdotes in Provincia Provinciæ, improbarunt Epiſcopi, ut refert Franciſcus Mayronis prius laudatus. Porro ſi forma deprecatoria fuiſſet uſurpata in Eccleſia uſque ad Sæculum 13. jam inchoatum, ut fingit iſte Anonymus, neque Epiſcopi, neque Doctores illius temporis uſum tot Sæculis in Eccleſia conſecratum improbaſſent & damnaſſent. Denique quam falſum ſit, & temerarium illius aſſertum, mox patebit apertius in ſecunda reſponſione ad ſequens argumentum.

Obj. 3. Ritualia Pœnitentialia, Sacramentalia, & Pontificalia ante annum milleſimum ſcripta, quæ ſolam formam deprecativam exhibent; inter quæ recenſentur Pontificale Egberti Eboracenſis, Anglicanum, Rhemenſe, Sacramentarium Gregorii; Ordo Romanus, &c. Ergo. R. 1. Formulas illas deprecatorias, quæ in illis antiquis Ritualibus, Sacramentariis & Pontificalibus referuntur non ſpectare abſolutionem Sacramentalem, ſed Canonicam. Quod patet, partim quia plurima ex illis nunc proferunt titulum: *Orationes ad reconciliandos peccatores Feria 5. in Cœna Domini*: partim quia Ritus, qui in illis deſcribuntur, ſunt valde prolixi & pluribus orationibus conſtantes, & quod præcipuum eſt, orationes illæ frequenter repetuntur; cum forma ſacramentalis ſit brevis, & nunquam, niſi repetita materia, repetatur. Objicientes non ſat attente legerunt hæc antiqua monumenta, quæ opponunt, cum etiam in eis legatur forma ſacramentalis abſoluta. In Pontificali Egberti ſub finem legitur: *Abſolvimus vos vice B. Petri Apoſtolorum Principis, cui Dominus poteſtatem ligandi, atque ſolvendi dedit*, &c. In Anglicano: *Ego immeritus & peccator Epiſcopus hanc abſolutionem, manu, ore, corde confirmans, omnipotentis Dei clementiam imploro*. Ubi To *confirmans* vim habet formæ indicativæ: In Ordine Romano: *Nos etiam ſecundum auctoritatem nobis indignis a Deo conceſſam abſolvimus vos ab omni vinculo delictorum veſtrorum*. In Sacramentario Gregoriano aſſervato in Bibliotheca Victoriana Pariſienſi: *Abſolvimus te vice B. Petri Apoſtolorum Principis, cui Dominus poteſtatem ligandi atque ſolvendi dedit*. In Rhemenſi M. S. teſte Menardo: *Ego indignus vos abſolvo a vinculo peccatorum veſtrorum*. Nec te moveas, quod dicatur in plurali; *Abſolvimus* & *vos*, hic enim uſus tunc temporis frequens erat honoris cauſa. Huc uſque de Eccleſia Latina. Nunc de Græca.

Obj. 4. Omnia Euchologia ſeu Ritualia Græcorum non referunt; niſi formam deprecativam; ut hanc apud Arcudium natione Græcum cap. 4. Concord. *Domine Jeſu Chriſte, qui dediſti nobis poteſtatem, abſolve hunc a peccatis ſuis*: & iſtam in Euchologio edito a noſtro P. Goar in partibus Orientalibus Miſſionario: *Dominus Jeſus Chriſtus remittat tibi omnia, quæ coram mea tenuitate confeſſus es*, & ſimiles. Ita objiciunt juniores ex Morino, qui etiam teſtatur ſe interrogaſſe Sacerdotem Græcum de forma abſolutionis, ſibique ab eo reſponſum fuiſſe, hanc eſſe communem apud Græcos: *Ipſe Domine remitte, dimitte, condona peccata hujus N. quia eſt tua potentia, & tuum Regnum Patris*, &c. Confirmat. maxime ex inſtructione Clementis VIII. anno 1595. ſuper Ritibus Græcorum, ubi hæc leguntur: *Utantur forma abſolutionis in Generali Concilio præſcripta, & poſtea, ſi voluerint, dicant Orationem illam deprecativam, quam pro forma abſolutionis dicere tantum conſueverunt*, inſtructionem nunquam obtinuerat forma abſoluta apud Græcos. R. 1. Ut argumentum ex Euchologiis Græcorum petitum vim aliquam haberet, deberet probari in primis hæc Euchologia manſiſſe incorrupta, quod non eſt veriſimile, inter tot turbines, ſciſſiones & ſchiſmata Græcorum: item in illis agi de abſolutione ſacramentali, & non de canonica, quod neque probabile eſt, cum iſtæ precationes, in quibus objicientes reponunt formam ſacramentalem, ſæpius reperiantur, quod dici non poteſt de abſolutione ſacramentali. 2. Fatetur equidem Arcudius in Euchologio Græcorum formam deprecativam haberi, ſed addit peritiores Græcos ea non uti, ſed hac, *Humilitas mea condonatam habet Filium ſuum in omnibus*. Item pluries alias formas Græcorum abſolutas refert, ut hanc: *Ego quoque Pater tuus ſpiritualis, poteſtate mihi a Deo, & a ſuperioribus meis conceſſa, te abſolvo ab omnibus peccatis tuis*: & iſtas: *Habeo te venia donatum, habeo te abſolutum*. Idem teſtatur Menardus in Sacramentario Gregoriano. Hæ autem voces, *Donatum*, *abſolutum*, in iſtis formulis non ſumuntur pro præterito, ſed pro præſenti; ut cum dicimus, *Habeo te excuſatum*, id eſt, te excuſo: Inſuper probat Arcudius, Ruſſos, Ruthenos, Chiovienſes & alios Græcorum uti forma, additque eos, qui utuntur deprecatoria, recedere ab inſtitutis majorum, & non abſolvere. Quantum ad Euchologium P. Goar illud caligantibus oculis legerunt objicientes: in eo enim poſt precationes habetur pag. 678. *Inſuper ego abſolvo te ab omnibus peccatis tuis, quæcumque confeſſus es coram Deo & coram indignitate mea*: & paulo infra eadem pagina: *Ego vero condono tibi omnia peccata tua*.

3. Probat Arcudius formas Græcorum, quæ videntur deprecativæ, non eſſe mere deprecativas, ſed habere ſenſum abſolutum, & æquivalere formæ indicativæ Latinorum; quia attentis circumſtantiis Tribunalis & perſonæ, a qua & in quam profertur abſolutio, item attento, quod poteſtatis ſibi conceſſæ mentionem prius faciant per hæc verba; *Quæcumque ſolveritis*, &c. vel per iſta; *Domine Jeſu Chriſte, qui dediſti nobis poteſtatem, abſolve hunc*: his, inquam, attentis, dum dicunt *Abſolve hunc*, intendunt applicare virtutem & actionem principalis agentis, & ſenſus eſt; abſolve hunc per me, vel per Miniſterium meum; ſive, abſolve Domine principaliter, quem, poteſtate a te mihi conceſſa, abſolvo miniſterialiter; ita ut forma illorum practice, & in actu exercito ſit abſoluta. Et certe cum nulla unquam extiterit controverſia inter Græcos & Latinos circa formam hujus Sacramenti, non eſt veriſimile eam eſſe ullibi diverſam, aut mutatam, ac proinde conſequens eſt, ut utrimque uſurpata ſibi correſpondeat, vel formaliter, vel æquivalenter. Atque hoc ſenſu intelligi poteſt reſponſum Sacerdotis Græci factum Morino: ſin minus dicendum, quod teſtis unus ſit teſtis nullus, cui opponimus & Arcudium etiam natione Græcum, & P. Goar in Ritibus Græcis peritiſſimum.

Ad Confir. R. cum Delugo, Henno & noviſſime Berti, ideo Clementem VIII. Græcis, quos inſtruebat, præſcripſiſſe formam Concilii Florent. quia deprecatoria, qua utebantur, erat invalida; ſi enim cenſuiſſet validam ſummus Pontifex, ut quidem abſolutam juſſiſſet, & poſtea deprecatoriam adjungi tantum permiſiſſet? Unde ipſo ſuo telo confodiuntur arguentes. Ex hoc vero quod Græci, quos inſtruebat Clemens VIII. uterentur forma deprecatoria, non ſequitur, quod omnes Græci ea uterentur; ſicut ex eo quod quidam Græci contenderent conſecrationem fieri precibus, non ſequitur omnes Græcos in ea opinione fuiſſe, ut alibi diximus; idque evidens eſt in noſtro caſu ex teſtimoniis Arcudii, & P. Goar, variiſque Græcorum formulis, quas ſupra retulimus.

Obj. 5. Forma Extremæ Unctionis, in qua etiam peccata remittuntur, eſt deprecativa. Ergo ſimiliter forma Pœnitentiæ. R. N. Conſ. 1. Quia forma deprecativa Extremæ Unctionis exprimitur in Scriptura, Jacobi 5. *Oratio fidei ſalvabit infirmum*: e contra indicativa Pœnitentiæ exprimitur *Quodcumque ſolveris*, &c. 2. Pœnitentia eſt ad inſtar actus judicialis, non Extrema Unctio. 3. In Extrema Unctione expectatur ſalus corporis, quæ non certo confertur, & ideo petitur: in Pœnitentia vero expectatur ſalus animæ, quæ certo confertur, quantum eſt ex parte Sacramenti.

Si demum objicies Deum potuiſſe remittere peccata per formam deprecativam, R. potuiſſe, ſed noluiſſe. Vel D. Ant. Potuit ſimpliciter & abſolute, C. Judicialiter, N.

ARTICULUS IV.

De Inſtitutione, Neceſſitate, & Iteratione Sacramenti Pœnitentiæ

§. I. *Quandonam fuerit inſtitutum hoc Sacramentum?*

DIco. (*Sup. q. 8. art. 1.*) Chriſtus Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipue inſtituit, cum a mortuis excitatus inſufflavit in Diſcipulos ſuos dicens: *Accipite Spiritum S. quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*, Joan. 20. Sunt verba Concilii Trid. ſeſſ. 14. cap. 1. Prob. inſuper. (*Ib.*) Tunc Chriſtus inſtituit Sacramentum Pœnitentiæ, quando contulit Apoſtolis poteſtatem judiciariam abſolvendi, vel condemnandi juxta merita delinquentis; eſt enim hoc Sacramentum ſpirituale Tribunal ad judicialiter condemnandum, vel abſolvendum, conſequenter cum cognitione cauſæ, quæ habetur per Confeſſionem rei. Atqui hanc poteſtatem contulit Joan. 20. ut patet ex terminis. Ergo. Quæ contra Confeſſionem opponunt Hæretici, diluuntur infra. Dixi in Concluſione cum Trid. *Præcipue*, quia Matth. 17. & 18. promiſſa fuit hæc poteſtas, his verbis: *Quodcumque ſolveritis, &c.* non tamen conceſſa, quia tunc Apoſtoli nondum erant Sacerdotes.

Dices: Eccleſia in ordinatione Sacerdotum confert illis poteſtatem dimittendi peccata. Atqui Apoſtoli ordinati ſunt Sacerdotes in ultima Cœna. Ergo. R. N. Conſ. Quod enim Eccleſia ſimul confert, Chriſtus potuit ſeparatim conferre: Sacerdotium namque præciſe, quantum ex ſe confert tantum poteſtatem in corpus Chriſti verum & naturale; ut autem habeatur in corpus Chriſti myſticum, requiritur quædam hujus poteſtatis extenſio, quam confert Eccleſia in ordinatione Presbyterorum.

§. II. *Utrum hoc Sacramentum ſit neceſſarium ad ſalutem?*

DIco. (*Hic q. 84. a. 5. c.*) Sacramentum Pœnitentiæ in re, vel in voto ſaltem implicito, eſt neceſſarium ad ſalutem neceſſitate medii lapſis poſt Baptiſmum. Prob. 1. Ex Trid. ſeſſ. 14. c. 2. ubi ſic legitur: *Sacramentum Pœnitentiæ lapſis poſt Baptiſmum ad ſalutem eſt neceſſarium, ut nondum regeneratis ipſe Baptiſmus*. Atqui Baptiſmus eſt nondum regeneratis neceſſarius neceſſitate medii, ut ante dictum eſt. Ergo. Prob. 2. (*Ib.*) Salus haberi non poteſt ſine peccatorum remiſſione; peccata autem non poſſunt remitti niſi medio per Chriſtum inſtituto, ipſe enim principaliter peccata dimittit. Atqui Sacramentum Pœnitentiæ eſt unicum medium a Chriſto inſtitutum remiſſionis peccatorum poſt Baptiſmum commiſſorum. Ergo. Prob. Min. Quamvis per alia Sacramenta poſſent deleri peccata poſt Baptiſmum commiſſa, ad id tamen neque per ſe concurrunt, ſed per accidens, neque primario ſunt inſtituta, ſed ſecundario tantum; per ſe enim, & primario inſtituta ſunt ad cauſandam ſecundam gratiam, ſicque per ſe ſupponunt remiſſionem peccatorum, ut dictum eſt de Sacramentis in genere. Ergo Confirm. Datæ ſunt Miniſtris Eccleſiæ claves Regni Cœlorum, hoc eſt poteſtas remittendi, vel retinendi peccata in hoc Sacramento, ut patet ex §. præced. & ex Art. 1. hujus Diſſert. patebitque ex alibi dicendis. Atqui fruſtranee eſſet hæc poteſtas, ſi peccatores poſſent alia via reſerare ſibi fores Regni Cœlorum, & obtinere remiſſionem peccatorum; quis enim tunc ad hoc Sacramentum accederet? Imo nec poſſent in eo retineri peccata, cum ibi retenta poſſent alia via remitti. Unde Aug. ſerm. 49. inter 50. nunc 392. *Agite*, inquit, *Pœnitentiam, qualis in Eccleſia agitur, ut oret pro vobis Eccleſia: nemo dicat, occulte ago, apud Deum ago. Ergo ſine cauſa ſunt claves datæ Eccleſiæ, fruſtramus Evangelium, fruſtramus verba Chriſti, promittimus vobis, quod ille negat.*

Dixi 1. *In re vel in voto*: quia contritio perfecta extra Sacramentum, cum ſit ultima diſpoſitio ad gratiam, ſemper importat juſtificationem, non tamen ſine voto Sacramenti in ea incluſo. Unde Trid. ſeſſ. 14. c. 4. docet *Reconciliationem ipſi contritioni, ſine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam*. Et ideo quamvis ſit remiſſum peccatum per contritionem, remanet adhuc onus Confeſſionis. Dixi 2. *In voto ſaltem implicito*, prout ſcilicet includitur in contritione perfecta, vel etiam aliquando in attritione, ut in caſu Martyrii; iſtud namque ſufficere videtur, cum poſſit contingere, quod quis eliciat actum perfectæ contritionis, quo juſtificabitur, abſque eo quod cogitet de Confeſſione ſive ex inadvertantia, aut oblivione naturali, ſive ex ignorantia invincibili.

Si dicas. Votum implicitum aliorum Sacramentorum & præceptorum includitur etiam in contritione, & tamen iſta non dicuntur neceſſaria neceſſitate medii in voto, ſed præcepti tantum. Ergo. R. D. Ant. Votum implicitum aliorum præceptorum includitur etiam in contritione, & eodem modo, N. Diverſo modo, C. Diſparitas eſt ergo, quod cum Sacramentum Pœnitentiæ ſit ſpecialiter inſtitutum, ut medium ad remiſſionem peccatorum poſt Baptiſmum commiſſorum, contritio, ſeu alter actus juſtificans, dicit intrinſecum ordinem ad illud, & dependentiam ab illo, eſtque ejus Vicarius, non ſic de aliis Sacramentis & Præceptis propter oppoſitam rationem. Confer quæ dixi de neceſſitate Baptiſmi Diſſ. 3. a. 1. Obj. 5.

Dices contra Concluſionem. Ex neceſſitate hujus Sacramenti aggravatur jugum Chriſti, & fit gravius quam in veteri lege, in qua ſine illo contritio ſufficiebat. Item fuiſſet utilius fidelibus, & animarum ſaluti magis conſultum, ſi pro libitu ad iſtud Sacramentum accederent, quam ſi neceſſitentur. Ergo. R. ad 1. N. Ant. Eſt enim longe gratius & ſuavius poſſe cum ſola attritione in hoc Sacramento juſtificari, quam ſine illo cum perfecta contritione, quippe quæ multo difficilius habetur quam attritio. Ad 2. Hoc Sacramentum non ſolum animarum ſalutem reſpicit, ſed etiam honorem Dei in illo vindicandum. Inſuper ſi arbitrio fidelium eſſet commiſſum, vix aut ne vix illud frequentarent, ut jam obſervatum eſt. Denique fuit conveniens, ut per aliquod ſignum exterius Religionis peccata poſt Baptiſmum commiſſa remitterentur; ſicut ante commiſſa per ipſum Baptiſmum remittuntur, & in veteri Lege peccatum originale per Circumciſionem.

§. III. *Utrum hoc Sacramentum ſit pluries iterabile?*

VIdimus (*Ib. a. 10. c.*) Art. 1. hujus Diſſ. Novatianos docuiſſe poſt primam Pœnitentiam, quæ agitur in Baptiſmo, peccantem non poſſe per Pœnitentiam iterato reſtitui. Alii vero fuerunt Hæretici, de quibus Aug. l. de Pœnit. c. 5. qui dicebant poſt Baptiſmum eſſe quidem utilem Pœnitentiam, ſed ſemel tantum. Contra quos

Dico. (*Ib.*) Sacramentum Pœnitentiæ eſt pluries iterabile. Ita docet Trid. ſeſſ. 14. cap. 2. dicens: *Ante hoc Tribunal tanquam reos ſiſti voluit, ut per Sacerdotum ſententiam, non ſemel, ſed quoties ab admiſſis peccatis ad ipſum pœnitentes confugerint, poſſint liberari.*

Prob. 1. (*Ib. in a. ſ. c.*) Homo inducitur ad miſericordiam exemplo divinæ miſericordiæ, ſecundum illud. Luc. 6. Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt. Atqui Dominus hanc jubet miſericordiam Diſcipulis, ut ſæpius remittant fratribus contra ſe peccantibus. Unde Matt. 18. quærenti Petro: *Quoties peccabit in me frater meus; & dimittam ei, uſque ſepties? Dicit illi Jeſus: non dico tibi uſque ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties.* Ergo etiam Deus ſæpius per Pœnitentiam veniam peccantibus præbet, præſertim cum doceat nos petere: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.*

Prob. 2. (*Ibid. a.*) Evertendo fundamentum Hæreticorum. Illi Hæretici, de quibus antea, negabant Pœnitentiam poſſe iterari, quia putabant adeo eſſe grave, quod admittit aliquis poſt veniam impetratam, quod non ſit poſſibile ipſum remitti. Atqui in hoc errabant dupliciter, & ex parte peccati, & ex parte infinitæ miſericordiæ Dei: ex parte peccati, quia licet peccatum relapſis ratione ingratitudinis ingraveſcat, poteſt tamen ante impetratam veniam alia ratione eſſe gravius: ex parte infinitæ Dei miſericordiæ, quæ ſuperat omnem numerum & magnitudinem peccatorum, ſecundum illud Pſ. 50. *Miſerere mei Deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam;* quod refertur ad gravitatem peccati: *Et ſecundum multitudinem miſerationum tuarum*, quod ſpectat numerum peccatorum, *dele iniquitatem meam*. Unde reprobatur verbum Cain dicentis Geneſ. 4. *Major eſt iniquitas mea, quam ut veniam merear:* igitur miſericordia Dei peccantibus per Pœnitentiam veniam præbet ſine termino. Hanc fidei veritatem multis teſtimoniis Scripturæ, & rationibus probat Soto in 4. q. 1. a. 10. Vide ſi lubet.

Obj. 1. Apoſt. Heb. 6. dicit: *Impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati... rurſus renovari ad Pœnitentiam.* Ergo. R. (*Ib. ad 1.*) Ibi ſermonem eſſe de Baptiſmo non iterando. Vide ampliorem explicationem art. 1. hujus Diſſert. Obj. 2.

Obj. 2. Ambroſ. l. 2. de Pœnit. c. 2. *Reperiuntur*, inquit, *qui ſæpius agendam Pœnitentiam putant, qui luxuriantur in Chriſto: nam ſi vere in Chriſto Pœnitentiam agerent, iterandam poſtea non putarent, quia ſicut unum eſt Baptiſma, ita & unica eſt Pœnitentia.* Ergo. R. (*Ibid. ad 2.*) Ambroſium loqui de Pœnitentia publica, & ſolemni, quæ non iterabatur, ſive ad terrorem incutiendum, ſive ad ſcandalum vitandum.

Obj. 3. Sanationes corporales, quas fecit Chriſtus ſignificant ſanationes ſpirituales. Atqui non legitur bis eundem

Digitized by Google

dem reſuſcitaſſe, aut ſanaſſe. Ergo. Reſpondet (*Ibid. ad 3.*) Aug. l. de Pœnit. cap. 5. quod ideo non ſcribitur aliquem, niſi ſemel ſanaſſe, ut quilibet timeat jungi peccato; multos tamen & cœcos, & claudos, & leproſos, & debiles diverſis temporibus ſanavit, ut ſignificaret eidem peccata ſepe poſſe dimitti: *Medicum ſe vocat, & non ſanis, ſed male habentibus opportunum. Sed qualis ſit hic medicus, qui malum iterum neſciret curare? Medicorum eſt infirmum centies curare, qui ceteris minor eſſet, ſi aliis poſſibilia ignoraret.*

Obj. 4. Greg. hom. 34. in Evang. *Pœnitentia*, inquit, *eſt anteacta peccata deflere, & flenda iterum non committere.* Et Iſidorus l. 2. de ſummo bono: *Irriſor eſt & non pœnitens, qui adhuc agit quod pœnitet.* Ergo qui vere pœnitet, non iterum peccat, atque adeo Pœnitentia non eſt iterabilis. R. D. Conſ. (*Ib. ad 4.*) Ergo qui vere pœnitet, non iterum peccat, dum actu pœnitet, C. Conſ. poſtquam pœnituit, N. Conſ. Igitur, ut dicit Greg. Pœnitentia eſt anteacta peccata deflere, & tunc dum flet, neque actu peccare, neque propoſitum habere peccandi. Ille enim eſſet irriſor & non pœnitens, ut dicit Iſidorus, qui dum actu conteritur, id agit, quod pœnitet, aut ſe facturum proponit, quod geſſit, & cujus pœnitere videtur, aut aliud peccatum; ſed quod etiam ſemel, poſtquam pœnituit, relabatur, non excludit, quin Pœnitentia præterita fuerit vera; veritas enim prioris actus per ſubſequentem contrarium non excluditur. Sicut enim vere cucurrit, qui poſtea ſedet, ita poteſt vere pœnituiſſe, qui poſtea peccat. At quamvis hæc veriſſima ſint: attamen forſan illi Patres, ut obſervat Soto, voluerunt præterea docere genus quoddam irriſionis eſſe quotidie pœnitere, & quotidie ad volutabrum reverti; frequens enim relapſus indicium quoddam eſt, propoſitum non fuiſſe legitimum & firmum.

Obj. 5. Sicut Baptiſmus habet efficaciam a Paſſione Chriſti, ita Pœnitentia. Atqui Baptiſmus, qui fuit unica mors Chriſti & paſſio, non iteratur. Ergo nec Pœnitentia. R. N. Conſ. Diſparitas eſt, quod Baptiſmus habeat virtutem a Paſſione Chriſti, ſicut quædam generatio ſpiritualis, quia illic commorimur Chriſto. Unde ſicut ſtatutum eſt hominibus ſemel mori, ita & ſemel naſci. Sed Pœnitentia habet virtutem ex paſſione Chriſti, ut quædam medicatio ſpiritualis, quæ frequenter iterari poteſt.

Obj. 6. Facilitas veniæ præbet incentivum peccandi. Reſponſum eſt ſupra Art. 1. id verum eſſe de facilitate indiſcreta, non diſcreta & prudenti. Addo ex Aug. c. 3. hom. 27. inter 50. *Ne deſperando augeamus peccata, propoſitus eſt Pœnitentiæ portus. Rurſus, ne ſperando augeamus, datus eſt dies mortis incertus.*

DISSERTATIO II.

DE POENITENTIA SECUNDUM QUOD EST VIRTUS.

Div. Thom. Quæſt. 85.

ARTICULUS I.

Utrum Pœnitentia ſit Virtus ſpecialis & quæ?

SUPPONO contra Novatores virtutem Pœnitentiæ non ſolum importare reſipiſcentiam, ſeu propoſitum novæ vitæ, ſed etiam odium, deteſtationem, dolorem & expiationem præteritæ. Ita declarat Trid. Seſſ. 14. c. 4. conſtatque ex Scripturis & Patribus. Joel. 2. *Convertimini ad me*, inquit Deus, *in toto corde veſtro, in jejunio & in fletu & in planctu, & ſcindite corda veſtra.* Iſa. 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Idem probant Pœnitentia Davidis & Ninivitarum, lachrymæ Petri & mulieris peccatricis. Idem SS. Patres, Aug. Ep. 54. ad Maced. *Nihil aliud agit, quem veraciter pœnitet, niſi ut id quod mali fecit, impunitum eſſe non ſinat.* Greg. Hom. 34. *Pœnitentiam agere, eſt anteacta mala plangere & plangenda non perpetrare.* Neque juvat Hæreticos, quod Pœnitentia græce dicatur *Metanea*, quæ latine redditur, *Reſipiſcentia*. Id quidem verum eſt ſecundum Etymologiam nominis, non ſecundum ejus ſignificationem; uſurpatur namque a Græcis ad ſignificandum non ſolum reſipiſcentiam, ſed etiam odium, dolorem & expiationem peccati. Sic Lactantius l. Divin. Inſtit. c. 24. *Reſipiſcit*, inquit, *& mentem ſuam quaſi ab inſania recipit, quem errati piget, caſtigatque ſeipſum dementiæ, confirmatque ſubinde ad rectius vivendum.* Et Baſilius Orat. 3. de Siccitate, pœnitentiam Ninivitarum, quæ fuit in jejunio, ſaco, & cinere, vocat *Metaneam*.

Hæc nunc ſufficiant de iſta Quæſtione, redibit enim & explicatius elucidabitur infra, dum probabimus, dimiſſa culpa peccati, remanere pœnam temporalem luendam. Item dum dicemus de neceſſitate ſatisfactionis. Jam ad quæſtionem propoſitam

Dico 1. (*Hic q. 85. a. 1. o.*) Pœnitentia eſt virtus. Prob. 1. (*Ib. in a. ſ. c.*) Dantur præcepta de actibus virtutum. Atqui datur præceptum de Pœnitentia Matth. 3. *Pœnitentiam agite.* Ergo. 2. (*Ib. o.*) Virtus eſt habitus electivus ſecundum rationem in mediocritate conſiſtens. Atqui talis eſt Pœnitentia. Ergo. Prob. Min. Pœnitentia aſſumit dolorem moderatum de peccatis cum intentione ea removendi; quod omnino rationi conſentaneum eſt: ſi enim eſſet immoderatus dolor, induceret in deſperationem, ſicut Pœnitentia Cain & Judæ. Ergo. Intellige dolorem, non qui eſt in appetitu ſenſitivo, nec ad rationem pertinet, & ideo non eſt virtus, ſed paſſio; ſed qui eſt in voluntate, quique eſt cum electione, & ideo pertinet ad rationem.

Dico 2. (*Ibid. a. 2. o.*) Pœnitentia eſt virtus ſpecialis. Prob. 1. (*Ibi in a. ſ. c. & o.*) Quia de ea datur præceptum ſpeciale, ut dictum eſt. 2. Quia ubi occurrit ſpecialis actus laudabilis & difficilis, ibi neceſſe eſt ponere ſpecialem virtutem; quia habitus ſunt propter actus, & diſtinguuntur per illos. Atqui in Pœnitentia invenitur ſpecialis ratio actus laudabilis & difficilis, ſcilicet operari ad deſtructionem peccati in quantum eſt offenſa Dei, eamque digna ſatisfactione reparare. Ergo. Confir. Virtus, cujus objectum eſt ſpeciale diſtinctum ab objectis aliarum virtutum, eſt virtus ſpecialis, quia habitus virtutum ſpecificantur ab actibus & objectis. Atqui objectum Pœnitentiæ eſt tale. Ergo. Prob. Min. Objectum Pœnitentiæ eſt offenſa Dei expiabilis, ſeu jus divinum reparabile per ſatisfactionem, quæ non ſit ad æqualitatem perfectam. Atqui tale objectum eſt ſpeciale diſtinctum ab objecto cujuſvis alterius virtutis, ut per ſingula diſcurrenti patebit. Ergo.

Porro ad majorem hujus Concluſionis & totius præſentis materiæ intelligentiam, pluriumque inſtantiarum ſolutionem, obſervandum eſt plures rationes in peccato mortali diſtingui. 1. Peccatum mortale eſt malum morale bono honeſto ut ſic repugnans: & quia ab eodem principio procedunt amor boni & odium mali oppoſiti, ideo dolor & odium peccati ſub ratione mali moralis a ſola voluntate procedit, ſuppoſita Auctoris ſententia, quod voluntas ſine habitu addito ſibi ſufficiat ad proſecutionem boni ut ſic. De quo alibi dixi. 2. Peccatum eſt malum divinum, ſeu divinæ bonitati contrarium, divinam amicitiam diſſolvens, & ſub hac ratione peccatum odit charitas. 3. Peccatum eſt malum ipſius hominis, quem bono rationis nudat, jure ad beatitudinem omnibuſque virtutibus & donis ſpoliat. Et ſic peccatum odio habet vel voluntas in morem ſui ſatis ſponte propenſa, ut jam dixi; vel charitas proximi, quæ bene ordinata incipit a ſe ipſa; vel potius ſpes, quæ cum bonum divinum & æternam beatitudinem amore concupiſcentiæ amet, æternam proinde miſeriam & hujus miſeriæ cauſam, peccatum ſcilicet, deteſtatur. 4. Peccatum eſt aliquod ſpeciale malum alicujus ſpecialis virtutis honeſtati repugnans; v. g. Ebrietas honeſtatem Temperantiæ, adulterium honeſtatem Caſtitatis, furtum honeſtatem juſtitiæ extinguit. Et ſub hac ratione ſingulari ſpectatum peccatum quælibet virtus ipſi oppoſita odit & fugit, ſive præſens, ſive futurum, ſive præteritum. 5. Denique Peccatum eſt injuria & offenſa Dei, non quatenus eſt ſummum bonum, ſed quatenus eſt ſupremus Dominus habens jus non juriſdictionis dumtaxat, ſed proprietatis in omnes hominum actiones, ut ad eum tanquam ad ultimum finem referantur, quæ injuria ſeu offenſa ſit ab homine expianda & reparanda. Et ſub hac ratione peccatum immediate reſpicit Pœnitentia, quæ tamen ab aliis virtutibus & maxime a charitate omnium Regina imperari poteſt. Sed illos actus elicere, quibus Deo ut ſupremo Legiſlatori & Domino offenſo ſatisfacit, atque occurrentes difficultates vincere, ad ſpecialem virtutem Pœnitentiæ pertinet, quæ proinde ſpecialis virtus cenſenda eſt, quantumvis ad objecta omnium aliarum virtutum ſe extendat, quia illa reſpicit ſub motivo proprio, adeo diverſa formaliter in ratione objecti. Ex his attente perpenſis, & cum probationibus Concluſionis collatis, habes refutatas omnes alias opiniones, & difficiliores objectiones ſolutas. Hinc namque

Colliges 1. Pœnitentiam non eſſe conditionem generalem omnium virtutum, neque, ut voluit Alenſis, eſſe virtutem generalem aggregatione multarum virtutum, quia licet Pœnitentia deteſtetur omnia peccata oppoſita omnibus virtutibus, non tamen ut ſunt illis contraria, ſed ſub aliqua ratione ſpeciali, ſcilicet ut ſunt offenſæ divini juris expiabiles per inæqualem ſatiſfactionem. Colliges 2. (*Ib. ad 1.*) Pœnitentiam diſtingui a charitate, quia licet utraque reſpiciat & odio habeat peccatum, ſub di-

vei-

Digitized by Google

verſa tamen ratione formali; Charitas deteſtatur peccatum ut oppoſitum divino bono & malum Dei præciſe; Pœnitentia vero deteſtatur illud ut offenſionem divini juris emendabilem & reparabilem per ſatiſfactionem, adeoque licet ſit idem objectum materiale, eſt diverſum formale.

Dices 1. Charitas etiam operatur ad deſtructionem peccati; habitus enim intendens bonum operatur ad deſtructionem mali oppoſiti. Ergo nulla differentia. R. D. Ant. Charitas etiam operatur ad deſtructionem peccati ut oppoſiti bono divino quod unice amat, C. Ant. Ut oppoſiti divino juri compenſabili per ſatiſfactionem, N. Ant.

Repones. Qui eliceret actum Charitatis perfectæ, vel haberet perfectum dolorem de peccato, ut eſt malum Dei præciſe, omnino & abſolute deſtrueret peccatum. Ergo ſuperfluit Pęnitentia ut diſtincta virtus. R. N. Conſ. Quia iſte perfectus actus charitatis virtualiter & eminentialiter includeret actum Pœnitentiæ, in quantum charitas odit peccatum ex altiori & perfectiori motivo, qui tamen actus pœnitentiæ formalis & proprius deberet eſſe, ſi præceptum urgeret, & facultas adeſſet. Sicut enim licet charitas virtualiter adimpleat totam legem, non tamen ſuperfluunt aliæ virtutes morales, quæ ſpecialia præcepta adimplent ex ſpecialibus motivis.

Dices 2. Actus contritionis eſt præcipuus Pęnitentiæ actus. Atqui eſt a charitate. Ergo. R. D. Min. (*Ib. ad* 1.) eſt a charitate imperative, C. Elicitive, N.

Repones, Contritio eſt dolor de peccato propter Deum in ſe ſumme bonum & dilectum. Atqui talis actus eſt a charitate elicitive. Ergo. *Prob.* Min. Amor boni propter Deum, ut ſumme bonum, & ſumme dilectum, eſt amor charitatis. Ergo e contrario dolor mali, &c. R. D. Maj. Contritio eſt dolor de peccato propter Deum ſumme bonum & ſumme dilectum; ita ut Ly *Propter*, dicat motivum imperans & accidentaliter intrinſecum, C. Maj. ita ut dicat motivum ſpecificans & eſſentiale, N. Originatur ergo contritio & imperatur a charitate, & hoc ſenſu dicitur propter Deum ſumme bonum & ſumme dilectum, formaliter autem, & eſſentialiter eſt de peccato propter jus divinum læſum reparabile per ſatiſfactionem.

Replicabis, Ly *Propter* dicit motivum ſpecificans & eſſentiale. Ergo. Prob. Ant. Contritio differt ſpecie eſſentiali ab attritione. Atqui non per hoc quod contritio ſit propter jus divinum læſum reparabile, cum id ipſum habeat attritio, ſed per hoc quod contritio ſit propter Deum, ut ſummum bonum & ſumme dilectum, attritio autem propter turpitudinem peccati, ſeu metum penarum. Ergo. R. huic argumento varias a variis adhiberi ſolutiones. 1. Quidam negant contritionem differre eſſentialiter ab attritione, ſed accidentaliter tantum, & ex principio extrinſeco. Ita Contenſon l. 11. p. 3. Diſſ. unica ſpec. 2. §. *Diviſio contritionis*. 2. Alii conceſſa Maj. diſtinguunt Min. ſic. Contritio differt ab attritione per hoc, quod contritio ſit propter Deum ſumme dilectum præciſe ſecundum ſe, N. Prout ly bonitas & dilectio modificatur per expiabilitatem & ſatiſfactionem peccati, C. Sic v. g. adulterium diſtinguitur eſſentialiter a ſimplici fornicatione in genere luxuriæ, non præciſe, quia eſt ad non ſuam, quia ſic eſſet extra materiam luxuriæ, ſed quatenus Ly *Non ſua* modificat materiam luxuriæ, & ex libidine ſic effrænatur, ut non curet injuſtitiam committere. Ita Joannes a S. Th. hic a. 1. 3. Alii denique ſic diſtinguunt Minorem. Ita ut divina bonitas ſit conditio ſine qua non objecti contritionis, C. Ita ut ſit ejus objectum formale, N. Hæc ſolutio affinis eſt præcedenti. Verum hoc argumentum redibit & accuratius diſcutietur infra de Contritione.

Dices 3. Solæ virtutes Theologicæ non conſiſtunt in medio, nec patiuntur exceſſum. Atqui Pęnitentia non patitur etiam exceſſum; non poteſt enim nimis deteſtari peccatum. Ergo eſt virtus Theologica. Atqui non fides, nec ſpes. Ergo charitas. R. D. Min. Non poteſt nimis deteſtari peccatum, ut oppoſitum divino bono, & amicitię Dei, C. Ut eſt offenſa Dei ſatiſfactione pęnitentis reſarcienda, N. Min. Talis enim poteſt eſſe dolor, qui inducat in deſperationem, qualis fuit Pęnitentia Cain & Judæ.

Repones id oriri ex parte ſubjecti, non ex parte objecti, ut in virtutibus Theologicis. Ergo. R. N. Ant. Iſte enim exceſſus oriri poteſt ex parte objecti; nam Pęnitentiæ objectum non eſt Deus, ſed ſatiſfactio inæqualis, & quidem ea meritis objecti remoti, ſcilicet peccati ut reparandi, penſanda juxta regulas prudentiæ humanæ ſaltem infuſæ, ita ut locus, modus & tempus ſatiſfaciendi conſtituatur pro numero & gravitate criminum; virtutes autem Theologicæ, in quantum eſt ex parte objecti, nullis prudentiæ humanæ regulis ſubjacent.

Porro Pęnitentiam non eſſe virtutem Theologicam, inde patet, quod virtus Theologica reſpiciat directe Deum, ſeu aliquid divinum, tanquam objectum, quod attingit, & materia circa quam verſatur. Sic charitas attingit directe, & ut quod, Deum ut bonum in ſe, fides ut veracem, ſpes ut nobis bonum & auxiliantem. Pęnitentia vero ſolum reſpicit Deum, ut objectum, cui reddat debitum juris violati. Pro materia autem, ſeu objecto quod, reſpicit actus humanos, v. g. Confeſſionem, Contritionem, &c. quibus hoc debitum Deo reddit; ſicut Religio reſpicit pro materia debitum cultum, Deum autem pro objecto, cui illum reddit.

Colliges 3. contra Cajetanum, Pęnitentiam diſtingui a Religione, quia habent diſtincta objecta formalia: Religio enim reſpicit pro objecto cultum divinum, ut reddendum Deo, tanquam ſupremo principio & benefactori propter hanc ejus excellentiam: Pęnitentia vero reſpicit id quod eſt reddendum Deo, ut offenſo. Ita D. Th. in 4. Diſt. 14. q. 1. a. 1. Quæſtiunc. 5. Imo iſtæ virtutes habent conditiones contrarias. Deus enim ut Benefactor, qualis reſpicitur a Religione, ſupponitur & reſpicitur ut placatus, quia ut Benefactor: Pęnitentia vero reſpicit ipſum ut placandum, quia ut offenſum, & ſic offert illi, non cultum ut Benefactori & Domino, ſed placationem & recompenſationem ut offenſo, per modum punitionis, & vindictę de ſcelere commiſſo. Colliges 4. contra Contenſonum. Pęnitentiam diſtingui a timore filiali; quia objectum timoris etiam filialis eſt Deus, ut potens infligere malum, ſcilicet privationem ſui, ſeu ſaltem culpa imminens propter Dei reverentiam evitanda; adeoque timor non fertur in ſuum objectum accedendo, ſed fugiendo & reſiliendo in propriam poteſtatem: Objectum autem Pœnitentiæ eſt jus divinum læſum per culpam præteritam emendabile & compenſabile; quæ objecta multum differunt.

Nec refert, quod D. Th. a. 5. ſeq. dicat, quod *actus Pœnitentiæ ſit a timore filiali, ſicut ab immediato & proximo principio*; quia S. Th. ibi non agit de principio elicitivo actus pœnitentiæ, ſed imperativo. Ex hoc enim quod quis revereatur Deum ut Patrem, & timeat ipſum offendere, movetur, ut pro peccatis commiſſis ipſi offerat aliquam ſatiſfactionem.

Dico 3. (*Hic q.* 85. *a.* 3. *a.*) Pęnitentia eſt pars potentialis, ſeu ſpecies imperfecta juſtitiæ. Prob. 1. Pars, (*Ib.*) ſcilicet quod ſit ſpecies juſtitiæ. Juſtitia eſt ad alterum, cum quadam commutatione. Atqui ſic eſt Pęnitentia; eſt enim dolor de offenſa Dei expiabili per ſatiſfactionem, quæ eſt quædam commutatio. Ergo. Prob. 2. Pars, (*Ib.*) ſcilicet quod ſit pars potentialis ſeu ſpecies imperfecta juſtitiæ. Pars potentialis, ſeu ſpecies imperfecta juſtitiæ dicitur, quæ cum ejus rationem participet, deficit tamen ab aliqua ejus conditione ſeu perfectione. Atqui pęnitentia deficit in aliqua perfecta ratione juſtitiæ. Ergo. Prob. Min. Perfecta juſtitia dicit perfectum æquale, ſeu juſtum ſimpliciter inter duos æquales. Atqui pęnitentia non dicit juſtum ſimpliciter inter duos æquales, ſed juſtum ſecundum quid, quale eſt inter illos, quorum unus eſt ſub poteſtate alterius, cui non poteſt reddere æquale, ut Filius ad Patrem, ſervus ad Dominum. Ergo.

Si dicas, quod Pęnitentia reddat Deo totum, quod illi abſtulit peccatum, ſcilicet converſionem ad ultimum finem. R. quod id non præſtet per actum, quo Deus tantum honoretur; quantum inhonoratus fuit per peccatum. Pęnitentia namque ſubjicit tantum creaturam finitum Deo infinito; peccatum vero ſubjicit Deum infinitum vili & finitæ creaturæ, ut longe magis inhonoratur Deus ex eo quod ſubjiciatur vili creaturæ, quam honoretur ex eo, quod vilis creatura ipſi ſubjiciatur, ut dictum eſt de peccatis. Adde, quod totum, quod reddit peccator Deo, ſit ex bonis ipſius Dei offenſi, & inſuper pluribus aliis titulis ipſi debitum.

Dico 4. (*Ibid. ad* 3.) Pęnitentia reducitur ad juſtitiam commutativam: quia, ut dictum eſt, ſit ſecundum commutationem quamdam, quatenus ſcilicet pro offenſa exhibetur emendatio & ſatiſfactio, ratione cujus Deus remittit offenſam, ex gratia tamen, quia ſatiſfactio eſt imperfecta. Ex huc uſque dictis colliges objectum formale virtutis Pęnitentiæ eſſe reparationem ad inæqualitatem juris divini læſi, ſeu quod idem eſt, ipſum jus divinum, proprietatis ſcilicet, læſum, reparabile per aliquam compenſationem. Objectum materiale proximum, actus pęnitentiæ, quibus hæc reparatio exhibetur, materiale remotum, ipſum peccatum. Tandem Pęnitentiam recte ſic definiri: *Habitus inclinans pœnitentem ad reparandam injuriam Deo illatam per peccatum.*

ARTICULUS VI.

De ſubjecto & principio Pęnitentiæ.

Dico 1. (*Ibid. a.* 4. *a.*) Voluntas eſt ſubjectum proximum Pęnitentiæ virtutis; quia, ut modo dicebam, Pęnitentia eſt ſpecies juſtitiæ, ſubjectum autem proximum juſtitiæ eſt voluntas.

Dices. Appetitus ſenſitivus experitur difficultatem in operibus Pęnitentiæ. R. hanc difficultatem vinci per virtutes alias morales, fortitudinem, temperantiam, &c. in

appe-

appetitu ſenſitivo reſidentes. Hinc colliges dolorem, qui in pœnitente requiritur, debere eſſe rationalem, ſeu appetitus rationalis, non neceſſario ſenſitivi; & quamvis ille quandoque conjungatur priori, & bonus ſit, non tamen eſt ipſa pœnitentia, ſicut dolor, qui eſt in voluntate; ſed ejus comes ac ſignum, quod difficile aliquando habetur in iis, qui ſunt duri ſenſus aut temperamenti bilaris.

Dico 2. Subjectum remotum Pœnitentiæ eſt quilibet homo peccati reus ſeu capax. (*Sup. q. 16. a. 1. 2. 3.*) Prob. Pœnitentia eſt virtus, ſeu habitus, quo homo promptus redditur ad dolendum de peccato commiſſo, in quantum eſt offenſa Dei. Atqui non ſolum is, qui peccatum commiſit, ſed etiam qui poteſt committere, poteſt eſſe promptus ad dolendum de peccato, caſu quo committet illud. Ergo.

Hinc inferes 1. Pœnitentiam quoad habitum fuiſſe in Adamo etiam antequam peccaret. 1. eſſe in parvulis baptizatis, quia infunditur ſimul cum gratia, 2. Remanere in beatis, non ſolum quoad ornatum, ſed etiam quoad actum, non quidem doloris, ſed diſplicentiæ, & gratiarum actionis pro miſericordia præſtita, & gaudii de ſatiſfactione alias peracta. Inferes 2. Non eſſe in Chriſto; quia abſolute fuit impeccabilis; non datur autem virtus, cujus actus eſt abſolute, & ex omni parte impoſſibilis. Neque etiam fuit, aut eſt in Angelis, quia Angeli immobili & inflexibili libertatis arbitrio poſt deliberatam electionem gaudent, ut docetur in Tract. de Angelis. Unde pœnitere non poſſunt, qui priorem voluntatem mutare non poſſunt. Utrum autem fuerit in Beata Virgine, dubium eſt. Quidam affirmant; quia licet ex privilegio non potuerit peccare, potuit tamen attenta ratione ſtatus viatoris, & conditione creatæ libertatis. Quidam negant; quia, inquiunt, non datur habitus ad actus abſolute impoſſibiles, undecumque illa impoſſibilitas oriatur.

Dico 3. (*Hic q. 8. a. 5. c.*) Communius & ordinarie principium Pœnitentiæ, quantum eſt ex parte voluntatis, eſt timor: ita quod timor ſervilis ſit principium remotum, timor filialis proximum. Concluſio intelligenda eſt, non de habitu Pœnitentiæ, qui a Deo infunditur ſimul cum gratia in juſtificatione, ſed de actibus, quibus Deo operanti in pœnitentia cooperamur.

Prob. (*Ibid.*) Actuum Pœnitentiæ primum principium eſt Dei operatio convertentis cor, ſecundum illud Thren. ultimo: *Converte nos Domine ad te, & convertemur.* Secundus actus eſt motus fidei, juxta illud ad Heb. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere quia eſt*, &c. Tertius eſt motus ſervilis, quo quis timore ſuppliciorum a peccatis retrahitur, juxta illud Iſaiæ 26. *Sicut quæ concipit, cum appropinquaverit ad partum, dolens clamat in doloribus ſuis, ſic facti ſumus*, ſcilicet per pœnitentiam. Quartus eſt motus ſpei, quo quis ſub ſpe veniæ conſequendæ aſſumit propoſitum emendandi, juxta illud Eccli. 1. *Timor Domini expellit peccatum*; unde fiducia veniæ: & quia fides eſt *Sperandarum ſubſtantia rerum*, ut dicitur Rom. 8. etiam fides gignit ſpem. Quintus actus eſt motus charitatis, quo alicui peccatum diſplicet ſecundum ſeipſum, non jam propter ſupplicia, juxta illud Petri, *charitas operit multitudinem peccatorum* (intellige de charitate initiali, ut loquitur Trid. ſupra citatum). Sextus actus eſt motus timoris filialis, quo propter reverentiam Dei aliquis emendam Deo voluntarius offert, juxta illud Filii Prodigi, *Jam non ſum dignus vocari filius tuus, fac me ſicut unum ex mercenariis tuis*. Ergo principium pœnitentiæ, quantum eſt ex parte effectus noſtri, eſt ex timore, remotum ex timore ſervili, proximum ex timore filiali.

Dixi *Communius & ordinarie*; quia non ſemper accidit, interdum enim aliquis movetur ad converſionem intuitu æternæ mercedis, alter conſideratione bonitatis Dei, &c. ſed quia Deus, qui ſuaviter omnia diſponit, homines vocat convenienter eorum naturæ & diſpoſitioni, peccatores autem delectationibus corporalibus aſſueti ut plurimum trahuntur metu pœnarum, hoc eſt, quod communiorem modum perveniendi ad perfectam pœnitentiam ponet D. Th. eum, qui ducit initium a timore.

Cæterum licet hi gradus non ſemper interveniant expreſſe, & eo ordine, ſemper tamen ſaltem virtute habentur, ita ut nulla ſit vera pœnitentia, quæ non habeat ſaltem virtualiter fidem, timorem, ſpem, dilectionem Dei ſuper omnia. Hos gradus a D. Th. notatos expreſſit Trid. ſeſſ. 6. cap. 6. Quæ opponi ſolent contra timorem ſervilem, diſcutientur infra.

DIGRESSIO HISTORICA

De Pœnitentia Salomonis.

AD DISSERT. PRÆCED.

Utrum Salomon egerit Pœnitentiam.

DIco, Incertum eſt Salomonem egiſſe Pœnitentiam. Prob. Ex Scriptura eruuntur probabilia argumenta, pro & contra Pœnitentiam Salomonis: & inter SS. Patres, alii negant, alii aſſerunt ipſum pœnitentiam egiſſe. Ergo.

Momenta ex Scriptura pro adſtruenda Pœnitentia Salomonis cum reſponſis negantium.

PRIMUM momentum petitur ex promiſſione, quam Deus 2. Reg. 7. fecit David in favorem Salomonis his verbis: *Ergo ero ei in Patrem, & ipſe erit mihi in Filium. Qui ſi inique aliquid geſſerit arguam eum in virga virorum & in plagis filiorum hominum, miſericordiam autem meam non auferam ab eo, ſicut abſtuli a Saul, quem amovi a facie mea.* Ergo. Reſpondent Patroni adverſæ ſententiæ hanc promiſſionem intelligendam eſſe de miſericordia temporali & Regno terreno, non de miſericordia ſpirituali, & gloria æterna; ita ut ſenſus ſit; quod ſi Salomon inique ſe geſſerit, Deus illum puniet aliis pœnis, quam privatione Regni, ſicut punieret Saulem. Hunc ſenſum aperte indicant ultima verba: *Miſericordiam meam non auferam ab eo, ſicut abſtuli a Saul*, eamque confirment ea, quæ dicuntur 1. Paralip 17. ubi poſt repetitam eandem promiſſionem immediate ſubjungitur: *Et ſtatuam eum in domo mea, & in Regno meo uſque in ſempiternum, & thronus ejus erit firmiſſimus in perpetuum.*

Secundum momentum. Salomon ſcripſit librum Eccleſiaſtes; & librum Proverbiorum ſub finem vitæ. Atqui caput 1. Eccleſiaſtes dicit: *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas*, quæ verba indicant ejus pœnitentiam. Proverb. 24. ſecundum verſionem 70. Interpretum dicit: *Noviſſime ego egi pœnitentiam, reſpexi ut eligerem diſciplinam.* Et c. 30. *Stultiſſimus ſum virorum, et ſapientia hominum non eſt mecum*, &c. Ergo. Verum negant alii Majorem argumenti, ſcilicet hos libros ſcripſiſſe Salomonem ſub finem vitæ. 1. Quia Salomon ipſe Eccleſ. c. 2. dicit: *Sapientia quoque perſeveravit mecum*, quod ſane dici non poteſt de Salomone in libidinem effuſo, & in idololatriam lapſo. 2. Quia Jeſus Filius Sirach auctor Eccleſiaſtici c. 47. de Salomone dicit: *Quemadmodum eruditus es in juventute tua ... in cantilenis et proverbiis, et comparationibus, & interpretationibus miratæ ſunt terræ ... & inclinaſti femora tua in mulieribus: Poteſtatem habuiſti in corpore tuo, dediſti maculam in gloria tua.* Ergo libros ſuos compoſuerat Salomon, priuſquam amore mulierum inquinaretur.

Quod ergo in Proverbiis juxta verſionem 70. Interpretum dixit: *Noviſſime egi pœnitentiam*, non dixit in propria perſona, ſed in perſona, vel peccatorum, vel pœnitentium, vel juſtorum, quod frequentiſſimum eſt, tum in libris Salomonis, tum in aliis Scripturis. Adde, quod neque Paraphraſis Chaldaica, neque verſio Syriaca, neque noſtra Vulgata ullam faciat mentionem pœnitentiæ, ſed in Vulgata legitur: *Quod cum vidiſſem, poſui in corde meo, & exemplo didici diſciplinam.* Quantum ad hæc verba c. 30 *Stultiſſimus ſum virorum*, quidam arbitrantur non eſſe verba Salomonis, ſed alicujus alterius divino ſpiritu afflati, quia initium capitis ſic habet: *Verba congregantis filii vomentis*. Sed eſto ſint Salomonis, vult tantum iis ſignificare miſeram naturæ corruptæ conditionem & ignorantiam, niſi illuminetur a Deo. Patet ex toto contextu.

Tertium momentum eruitur ex 3. Reg. 43. ubi dicitur: *Dormivit Salomon cum Patribus ſuis, & ſepultus eſt in civitate David.* De Regibus autem impiis in impietate morientibus non dicitur, quod dormierint cum Patribus ſuis, & quod fuerint ſepulti inter Reges, ut conſtat de Joram filio Joſaphat, de Ochoſia, Joas, & Achas. Ergo. Reſpondent alii negando Aſſumptum; quia etiam de impiis Regibus in ſua impietate morientibus dicitur, quod dormierint cum Patribus ſuis, & fuerint ſepulti inter Reges, ut de Roboam filio Salomonis 3. Reg. 14. de Abia filio Roboam ibid. c. 15. de Amaſa 2. Paralip. 25.

Momenta ex Scriptura contra Pœnitentiam Salomonis cum reſponſis eam adſtruentium.

PRIMUM momentum. Si Salomon egiſſet pœnitentiam; abſtuliſſet occaſiones peccandi quas dederat. Atqui id non fecit; Idola enim & Idolorum templa, quæ erexerat, non evertit, ſed hæc manſerunt uſque ad tempora Regis Joſiæ, qui illa deſtruxit, ut legitur 4. Reg. 23. *Excelſa quoque ... quæ ædificaverat Salomon Rex Iſrael, Aſtaroth Idolo Sidoniorum, & Chamos offenſioni Moab, et Melchom abominationi filiorum Ammon, polluit Rex* (Joſias) *& contrivit ſtatuas, & ſuccidit lucos, replevitque loca eorum oſſibus mortuorum.* Ergo. Reſpondent Patroni pœnitentiæ Salomonis 1. Vel Salomonem revera evertiſſe hæc Idola & fana, ſed poſtea ab aliquibus Regibus impiis inſtaurata fuiſſe in iiſdem fundamentis. Unde nomen Excelſorum Salomonis retinuerunt. 2. Etiamſi ea non deſtruxerit, inde non poteſt peti certum argumentum ejus impœnitentiæ; potuit enim habere cauſas legitimas non deſtruendi, puta vel illa clauſerat, vel in alios uſus converterat. Sicut licet Manaſſes non deſtruxerit altaria Idolorum, quæ erexerat in duobus atriis templi Domini, &

ea

ea manſerint uſque ad Joſiam, quæ illa deſtruxit; conſtat tamen ex 2. Paralip. 33. ipſum egiſſe Penitentiam & pie obiiſſe. Sic, inquam, reſpondent. Veritas tamen eſt, quod Manaſſes, licet non deſtruxerit iſta duo altaria, attamen *Abſtulit Deos alienos, & ſimulacrum de domo Domini, & in Jeruſalem, & projecit omnia extra urbem*, ut legitur loco citato Paralip. in quo dedit ſignum Penitentiæ, nihil autem tale legitur de Salomone. Unde illud exemplum non videtur evacuare vim argumenti.

Secundum momentum. Solet Scriptura poſt recenſita hominum peccata, eorum etiam penitentiam, ſi egerint, commemorare, ut patet de Davide 2. Reg. 11. Eccli. 47. & alibi, & de Manaſſe loco proxime citato Paralip. Atqui Scriptura peccata Salomonis refert, ſed de ejus penitentia ſilet. Ergo. Huic argumento multipliciter occurrunt penitentiæ Salomonis vindices. 1. Non concedunt abſolute Minorem, ut patet ex momentis pro prima ſententia propoſitis. 2. Dicunt ſingularem librum Salomonis, in quo ſua geſta conſcripſerat, periiſſe, ut innuitur 3. Reg. 11. item periiſſe libros aliorum, ſcilicet Nathan Prophetæ, Ahiæ Silonitis, & Addo videntis, in quibus pariter erant conſcripta geſta Salomonis, ut indicatur 2. Paralip. 9. in his autem, inquiunt, veriſimile eſt accuratius deſcriptam fuiſſe Salomonis pœnitentiam. Dicunt Scripturam multorum referre peccata ut Adæ, Loshi, Samſonis, quorum tamen non refert pœnitentiam, licet eam egerint. Unde negant Conſequentiam argumenti.

Quantum ad SS. Patres.

PATROCINANTUR Pœnitentiæ Salomonis S. Cyrillus Catechesi 2. Illuminatorum, S. Epiphanius hæreſi 42. S. Hieronym. Ep. 9. ad Salvinam, in c. 43. Ezech. & in c. 2. Eccli. & alii. Adverſantur pœnitentiæ Salomonis S. Cyprianus Ep. 6. ad Rogatianum, S. Aug. l. 22. cont. Fauſtum c. 81. & 88. l. de Doctr. chriſt. c. 21. l. 17. de civit. c. 20. S. Greg. Magnus l. 2. moral. c. v. Beda q. 29. in lib. Reg. Chryſoſtomus vero modo in unam partem, modo in alteram propendet. Ex quibus omnibus legitime concludimus incertum eſſe, num Salomon egerit pœnitentiam.

DISSERTATIO V.

DE EFFECTIBUS POENITENTIÆ,

D. Thom. QQ. 86. 87. 88. 89.

ARTICULUS I.

De effectu principali Pœnitentiæ, ſcilicet de remiſſione peccatorum mortalium.

QUATUOR potiſſimum quærit in hac Q. 86. S. Th. 1. utrum omnia peccata mortalia deleri poſſint per Penitentiam. 2. utrum deleri poſſint ſine Penitentia. 3. utrum unum peccatum mortale poſſit remitti ſine altero. 4. utrum dimiſſa culpa remaneat reatus pœnæ.

§. I. Utrum omnia peccata mortalia deleri poſſint per Pœnitentiam, & ſine illa?

QUANTUM ad 1. reſponſio affirmativa probata manet ex a. 1. Diſſ. præcedentis, idque evincit ratio Auctoris. (*Hic q. 86. a. 1. o.*) Si aliquod peccatum non poſſet per Penitentiam tolli in hac vita, ideo eſſet, vel quia aliquis de peccato penitere non poſſet, vel quia Penitentia non haberet vim delendi peccata. Non primum, quia hoc eſſet tollere libertatem arbitrii, cujus proprium eſt eſſe in hac vita flexibile in bonum & malum, & derogare virtuti gratiæ, per quam moveri poteſt cor cujuſvis hominis ad penitendum. Non ſecundum, quia hoc repugnat divinæ miſericordiæ, de qua dicitur Joel 2. quod *Benignus & miſericors eſt, patiens & multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malitia*. Vinceretur etiam quodam modo Deus ab homine, ſi homo vellet peccatum deleri, quod Deus delere non vellet. Item derogat virtuti Paſſionis Chriſti, per quam pœnitentia operatur. Alia plura require loco citato.

Quantum ad 2. illud negavimus, & expendimus in Tract. de gratia Diſſ. 7. art. 2. §. 2. Concl. 1. ubi probavimus juſtificationem impii non poſſe fieri per ſolum favorem Dei extrinſecum, ſine mutatione intrinſeca peccatoris, quæ eſt Pœnitentia: tum quia peccata remitti non poſſunt niſi ex gratia, benevolentia ſpeciali, ac dilectione Dei; hæc autem cum ſit effectiva, & non ſolum affectiva, reddit hominem gratum, juſtum, & ex averſo a Deo ad illum converſum: tum quia ex eo quod Deus incipiat diligere peccatorem, quem prius odio habebat, intervenit aliqua mutatio, non ex parte Dei, qui eſt immutabilis; ergo ex parte peccatoris. Hæc & alia require loco citato. Addo nunc pro ulteriori probatione. Quod Deus dicatur offenſus, eſt denominatio extrinſeca proveniens, non ex voluntate Dei, ſed ex voluntate averſa peccatoris. Atqui denominatio extrinſeca tolli non poteſt, niſi ablato actu, vel forma a qua provenit. Sic v. g. quia paries denominatur extrinſece viſus ab actu videntis, non poteſt tolli iſta denominatio niſi ceſſante viſione, a qua procedit. Ergo.

Petes, de qua potentia id ſit intelligendum? R. Intelligendum eſſe non ſolum de potentia ordinaria, ſed etiam abſoluta, cum hoc diſcrimine, quod loquendo de potentia ordinaria, neceſſaria ſit per ſe pœnitentia formalis; loquendo vero de potentia abſoluta, ſufficiat & requiratur pœnitentia eminentialis ſeu radicalis, eadem perſona manente.

Prob. 1. Pars. 1. Quia aliter non poſſunt commode explicari Scripturæ præcipientes Pœnitentiam, ut illud, *Niſi Pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis*; & ſimilia; neque verba Tridentini ſeſſ. 14. cap. 4. dum dicit: *Fuit quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum is contritionis motus neceſſarius*. Item cum definit ibid. contra Lutherum, *Pœnitentiam neceſſariam non ſolum continere ceſſationem a peccatis, ſed etiam eorum deteſtationem ... nec ſolam novæ vitæ propoſitum & inchoationem, ſed veteris etiam odium*. Si intelligeret de odio peccati implicito, nihil definiret contra Lutherum, is enim negare non poterat, nec negabat odium vitæ præteritæ implicite contineri in propoſito novæ contritæ. Ratio etiam ſuadet, quia ordinata rerum diſpoſitio exigit, ut voluntas, quæ in ſua averſione a Deo facta eſt illi impia & injuſta, ad eum redeat per modum vindictæ & expiationis.

Dixi *per ſe*, quia per accidens ſufficere poteſt implicita & virtualis Pœnitentia, qualis continetur in actu perfectæ dilectionis Dei. Caſus eſt; ſi quis poſt diligentem inquiſitionem aut ex naturali oblivione non recordetur peccatorum, ſufficit ad remiſſionem illorum, ſi eliciat actum perfectæ charitatis. Alter caſus eſt, ſi ſubito raptus ad martyrium ex nimia contentione ad actum charitatis vel fortitudinis impediatur ab actu formalis contritionis vel attritionis. Tertium caſum probabilem reputat Gonet; ſi quis memor ſuorum peccatorum eliciat actum perfectæ charitatis & non contritionis explicitæ, eo tempore quo non obligat contritionis præceptum. Verum videtur implicare, quod quis memor ſuorum peccatorum eliciat actum perfectæ dilectionis Dei, non deteſtando offenſas contra ipſum commiſſas. Nec refert, quod præceptum contritionis non obliget pro ſemper, ubi enim agitur de remiſſione peccatorum, neceſſe eſt, quod adimpleatur, quia eſt medium ad id ordinatum, & ſine ejus adimpletione peccatum remitti non poteſt.

Prob. 2. pars. Quamvis juxta communem rerum ordinem & potentiam Dei ordinariam, connaturale ſit omni formæ ſupponere ſubjectum diſpoſitum, conſequenter gratia non recipiatur connaturaliter in adultis ſine præviis eorum diſpoſitionibus & eorum conſenſu: non implicat tamen, quod Deus infundat peccatori dormienti gratiam, aut ipſum elevet ad gloriam, quo caſu omne peccatum illi remittitur, utpote incompoſſibile cum gratia vel gloria, idque ſine pœnitentia formali, ut patet; non tamen ſine eminentiali & radicali, quia gratia eſt radix bonæ voluntatis in ordine ſupernaturali, & intellectu rectificato per viſionem beatificam cenſetur rectificata habitualiter & radicaliter ipſa voluntas, cujus intellectus eſt radix. Idem dicendum, ſi Deus uniret ſibi hypoſtatice peccatorem.

Dices 1. Deus poteſt annihilare peccatorem, & eundem numero reproducere. Atqui in illo caſu homo reproductus non haberet amplius peccatum; Deus enim non reproduceret illud, neque ipſa hominis voluntas, cum nihil ageret in ſui reproductione, & tamen nulla foret Pœnitentia etiam radicalis. 2. Si Deus reduceret peccatorem ad ſtatum naturæ puræ, redderetque illi rectitudinem naturalem ſine ſupernaturali, iſte homo nihil haberet pœnitentiæ, quæ eſt virtus ſupernaturalis, neque haberet peccatum, quia eſt incompoſſibile cum rectitudine naturali. Ergo. R. ad 1. quod quamvis in hoc caſu remaneat eadem

per-

perſona entitative, non manet tamen eadem continuative, quia annihilatur & reproducitur, & in illa annihilatione perit omnino & perſona & peccatum, quod, ut probat bene argumentum, non poteſt reproduci cum perſona. Dixi autem in Reſponſione, *maneate eadem perſona*. Nec mirum, ſi hunc caſum excipiamus: peccatum enim non denominat naturam, niſi cum ordine ad perſonam peccantem, quia natura non peccat ut quod, ſed ſuppoſitum; unde deſtructa perſona quæ peccavit, non reſtat peccatum. Hæc etiam ratio currit pro caſu, quo Deus uniret ſibi hypoſtatice peccatorem. Ad 2. talis homo, qui haberet rectitudinem naturalem, haberet etiam naturalem immutationem voluntatis convenientem illi ſtatui. Neque peccatum in hoc caſu cenſeretur remiſſum niſi inadæquate in ordine ad rectitudinem naturalem, non in ordine ad ſtatum ſupernaturalem, quem Deus deſtruxiſſet.

§. II. *Utrum unum peccatum mortale poſſit dimitti ſine alio?*

DIco, (*Ib. ad 3. o.*) Non poteſt per penitentiam unum peccatum mortale remitti ſine alio. Prob. 1. (*Ib. in a. ſ. c.*) ex l. de vera & falſa penit. c. 9. apud Aug. *Sunt*, inquit, *quos pœnitet peccaſſe, ſed non omnino, reſervantes ſibi quædam, in quibus delectentur, non animadvertentes Dominum ſimul mutum & ſurdum a Dæmonio liberaſſe, per hoc docens nos nunquam niſi de omnibus ſanari*. Prob. 2. (*Ib. o.*) Nullum poteſt remitti peccatum mortale ſine infuſione gratiæ, ut patet ex §. præced. & præſertim ex loco illic cit. de gratia Concl. 2. Atqui quodcumque peccatum mortale eſt incompoſſibile cum gratia, ut late probavimus eodem loco cit. de Gratia art. 3. Ergo. 3. Peccatum mortale non poteſt remitti ſine vera penitentia. (*Ibid.*) Atqui non poteſt eſſe vera penitentia de uno peccato, niſi ſit de omnibus. Ergo. Prob Min. Quia ad veram penitentiam pertinet deteſtari peccatum ſub ratione communi omnibus peccatis, ſcilicet quatenus ſunt contra Deum. Ergo non poteſt eſſe de uno quin ſit de omnibus. 4. Quamvis omnia peccata mortalia non ſint inter ſe connexa ſecundum converſionem ad bonum commutabile, non enim qui facit furtum, ſtatim reus eſt omnium peccatorum, ſunt tamen inter ſe connexa ſecundum averſionem a Deo; quodlibet enim diſſolvit amicitiam cum Deo. Atqui is, cui dimittitur peccatum, recipitur in amicitiam Dei. Ergo non poteſt unum tolli ſine alio.

Dices 1. Deus poteſt diligere hominem quantum ad unum peccatum remittendum, & remanere illi offenſus quantum ad aliud. Ergo. Prob. Ant. Deus peccatorem diligit quantum ad naturam, & odit quantum ad culpam. Ergo ſimiliter. R. N. Ant. Ad Prob. N. Conſeq. (*Id. ad 5.*) Diſparitas eſt, quod dilectio, qua Deus diligit naturam, non ordinatur ad bonum gloriæ, ſed ad eſſe naturæ tantum, cui non repugnat peccatum; ſed dilectio gratiæ, per quam fit remiſſio peccati mortalis, ordinat hominem ad vitam æternam, juxta illud Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna*; hæc autem ordinatio fieri nequit, niſi omnium peccatorum mortalium fiat remiſſio. Adde, quod Deus non poſſit diligere hominem quantum ad remiſſionem peccati ſine penitentia ex parte hominis, quæ debet eſſe de omnibus peccatis, ut dictum eſt.

Dices 2. Peccata ſunt quædam debita, quæ nobis relaxari petimus. Atqui unum debitum poteſt dimitti ſine alio. Ergo. R. D. Maj. (*Ib. ad 4.*) Sunt debita exterioris rei, N. Sunt debita culpæ, C. Eſt autem diſparitas, quod debita exterioris rei non contrarientur amicitiæ, debito vero culpæ contrariantur amicitiæ, ex qua remittuntur. Adde, quod gratia & penitentia, per quos talia debita remittuntur a Deo, nullum compatiantur peccatum, ut dictum eſt.

Dices 3. Unum peccatum veniale poteſt remitti ſine altero. Ergo & mortale. R. N. Conſeq. Diſparitas eſt 1. Quod gratia compatiatur peccatum veniale, non mortale. 2. quod peccata venialia non ſint inter ſe connexa ex parte averſionis a Deo, ſicut mortalia.

§. III. *Utrum remiſſa culpa per Pœnitentiam remaneat Reatus pœnæ?*

NEGANT Lutherani & Calviniſtæ, & inde inferunt non eſſe Purgatorium, nulla opera ſatisfactoria, nullas Indulgentias. Contra, quos dico. (*Ib. a. 4. o.*) Remiſſa culpa per Pœnitentiam tollitur reatus pœnæ æternæ; at poteſt remanere & ſæpe remanet reatus pœnæ temporalis. De 1. parte non eſt difficultas: eam definivit Concil. Trid. Seſſ. 6. cap. 14. Et ratione patet, quia ut dicitur Ibid. c. 7. homo per remiſſionem peccatorum fit ex inimico amicus & hæres vitæ æternæ; implicat autem, quod habeat jus ad vitam æternam, & ſit ſimul dignus damnatione æterna.

Secunda pars, quam negant obſtinate Sectarii, eo quod ex ea evertantur plura eorum dogmata, imprimis eſt de fide definita in Concil. Trid. Seſſ. 6. Can. 30. his verbis: *Si quis poſt acceptam juſtificationis gratiam cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti & reatum pœnæ æternæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exſolvendæ, vel in hoc ſæculo, vel in Purgatorio, antequam ad Regna Cœlorum aditus patere poſſit, anathema ſit.* Et Seſſ. 14. c. 8. dicit hunc errorem pluribus Scripturæ exemplis & Traditione revinci. Et idem Prob. variis Scripturarum exemplis, 1. L. 2. Reg. 12. Poſtquam David agnovit peccatum ſuum, & inde Nathan dixit ei: *Dominus tranſtulit peccatum tuum, non morieris!* ſubjungit Propheta: *Veruntamen quoniam blaſphemare feciſti inimicos Domini propter verbum hoc, filius, qui natus eſt tibi, morte morietur*. Dixerat prius: *Quamobrem non recedet gladius de domo tua, eo quod deſpexeris me, & tuleris uxorem Uriæ*. Quibus verbis aperte ſignificatur pœnam temporalem inflictam eſſe David, remiſſa culpa, non ſolum in ejus emendationem, aut in aliorum terrorem, ut fingunt Hæretici, ſed in pœnam perpetrati criminis. Reponit Dallæus, equidem crimen Davidis fuiſſe occaſionem, ſed non cauſam harum pœnarum. Verum dicat velim moroſus cavillator, quibus expreſſioribus terminis, quam his, *Quoniam blaſphemare feciſti, eo quod contempſeris me*, potuiſſet uti Scriptura ad ſignificandam veram cauſam?

2. Num. 12. Soror Moyſis ad illius orationem a peccato murmuratis abſolvitur, & tamen in pœnam ſeparari jubetur ſeptem diebus extra caſtra. 3. Num. 20. Moyſes ipſe terram promiſſionis ingredi prohibetur propter aliquam diffidentiam, quæ illi remiſſa fuerat. 4. Exod. 32. Deus iratus contra Populum ob adorationem vituli aurei, & oratione Moyſis placatus, ut dicitur v. 14. dicit tamen v. 34. *Ego in die ultionis viſitabo & hoc peccatum eorum*. 5. Gen. 3. Adam dicitur mortem ſubiiſſe in pœnam inobedientiæ, quamvis fuerit *e delicto ſuo eductus*, ut dicitur Sap. 10. 6. Denique mors ſtatuitur ut pœna peccati originalis Geneſ. 2. ut etiam declarat Apoſt. Rom. 5. & 1. Cor. 15. imo omnes ærumnæ ac miſeriæ hujus vitæ ſunt illius peccati pœnæ. Atqui tamen & mortem & illas ærumnas patiuntur ii, quibus peccatum originale dimiſſum eſt per Baptiſmum. Neque dici poteſt, quod iſtæ pœnæ ſint monitiones paternæ aut exercitationes virtutis, hæc enim locum non habent in Infantibus baptizatis: & quamvis tales ſint in adultis, non tamen ideo debent eſſe pœnæ & vindictæ peccati: *Mors, quæ eſt pœna naſcentis* (inquit Aug. l. 13. de Civit. c. 6.) *ſi pro pietate juſtitiaque pendatur, fit gloria renaſcentis, neque aufert vocabulum pœnæ, quod auget meritum patientiæ*. Prob. ex Patribus. Aug. in Pſ. 50. *Aliquando Deus*, inquit, *cui ignoſcit in futuro ſæculo, corripit eum de peccato in iſto ſæculo. Nam & ipſi David, cui dictum jam fuerat per Prophetam, dimiſſum eſt peccatum tuum, evenerunt quædam, quæ minatus erat Deus propter ipſum peccatum*. Ibid. *Impunita peccata etiam eorum, quibus ignoſcis, non reliquiſti... ſic prærogas miſericordiam, ut ſerves & veritatem, ignoſcis confitenti, ſed ſeipſum punienti: Servatur miſericordia & veritas*. Idem Tract. 124. in Joan. in Pſ. 97. & alibi. Ambroſ. l. 7. in Luc. *Compenſatione charitatis actuumque reliquorum, vel ſatisfactione quacumque, peccati pœna diſſolvitur*. Et ad Virginem lapſam c. 8. *Grande ſcelus grandem neceſſariam habet ſatisfactionem*. Greg. l. 9 Moral. c. 34. olim 17. *Delinquenti Dominus nequaquam parcit, quia delictum ſine ultione non deſerit. Aut enim ipſe hoc homo in ſe pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit... ſic David poſt Confeſſionem audire meruit, Dominus tranſtulit peccatum tuum, & tamen multis poſt cruciatibus afflictus & fugiens reatum culpæ, quam perpetraverat, exſolvit. Sic nos ſalutis unda a culpa primi parentis abſolvimur, ſed tamen reatum ejuſdem culpæ diluentes, abſoluti quoque adhuc carnaliter obimus.* Similiter alii Patres, quos magno numero ſecundum ſeriem ſæculorum habes citatos apud Bellarm. l. 4. de Pœnit. c. 9.

Prob. variis congruentiis: Quamvis Deus poſſit abſolute remittere totam pœnam cum culpa, multis tamen titulis id non convenit: 1. Quia Deus non ſolum eſt privatus amicus & Pater miſericors, ſed etiam eſt juſtus Judex & publicus Legiſlator. Ergo licet ut amicus & Pater miſericors remittat gratis cum offenſa pœnam æternam, quæ ſtare non poteſt cum ejus amicitia, convenienter tamen exigit, ut juſtus Judex & publicus Legiſlator, aliquam pœnam temporalem in ultionem commiſſi ſceleris, tum ut ſalventur jura juſtitiæ, tum ut provideatur bono communi. 2. Id convenit, ut inde gravitas peccati magis appareat. 3. Ut refrænetur licentia peccandi. 4. Ut per pœnam temporalem tollantur reliquiæ peccatorum & mali habitus. 5. Quia id exigit major ingratitudo peccantis poſt Baptiſmum & fidem Chriſto datam. 6. Ut ſit quædam conformitas inter Chriſtum & nos. Has rationes expendit Trid. Seſſ. 14. cap. 8.

Dixi in Concluſione: *Poteſt remanere, & ſæpe remanet reatus pœnæ temporalis*: quia non ſemper remanet, ſed

quandoque per excellentem contritionem, qualis fuit in Paulo & muliere peccatrice, tota pœna etiam temporaliter tollitur, cum enim ſit finita, poteſt a perfectiſſima ſatisfactione, qualis eſt contritio aut charitas in excellenti gradu, adæquari.

Solvuntur Objectiones.

OBj. 1. Ezech. 18. dicitur: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus ſuis ... vita vivet, omnium iniquitatum ejus non recordabor*. Et alibi dicitur, quod Deus peccata noſtra projiciat in profundum, poſt tergum, quod illa tegat & non imputet. Et Apoſt. Rom. 8. dicit, quod *nihil damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu*. Atqui hæc verificari non poſſunt, ſi, remiſſa culpa, remaneat reatus pœnæ temporalis. Ergo. R. N. Min. Hoc ipſo enim quod Deus remittit culpam & pœnam æternam, vere dicitur non recordari peccatorum, illa projicere in profundum, poſt tergum, illa tergere, non imputare, etiamſi pœnam temporalem repoſcat; quia hæc comparative ad pœnam æternam vix aut ne vix aliquid reputatur. Ad Apoſtolum. Per damnationem intelligit æternam, cujus nihil remanet in juſtificatis.

Inſt. In Oratione Dominicâ petimus, ut Deus dimittat nobis debita noſtra, ſicut dimittimus debitoribus noſtris. Atqui nos debemus dimittere debitoribus noſtris, nulla pœna reſervata. Ergo. R. N. Conſeq. Ex hoc enim argumento ſequitur tantum Deum poſſe & quandoque dimittere nobis totam pœnam, & hanc plenam remiſſionem nobis proponere ferventioribus actibus charitatis erga Deum & Proximum conſequendam: non vero quod ſemper ita remittat.

Inferes. Ergo Deus nec perfecte nec gratis dimittit nobis debita noſtra. R. N. utramque illationem, ille enim cenſetur perfecte & gratis remittere debita, qui culpam & pœnam æternam gratuito remittit, reſervata tamen pœna temporali, quæ nihil computatur reſpectu æternæ, quique gratis confert nobis, unde poſſumus ſatisfacere pro iſta pœna temporali.

Obj. 2. ex Patribus. Ambroſius l. 10. in Luc. ait: *Lacrymas Petri lego, ſatisfactionem non lego*. Aug. l. 2. de Peccat. merit. c. 34. dicit *hujus vitæ miſerias ante remiſſionem eſſe quidem ſupplicia peccatorum, poſt remiſſionem autem certamina & exercitationes juſtorum*. Similiter Chryſoſt. hom. de Pœnitent. & Confeſſ. *Propter hoc*, inquit, *imponit Deus nobis pœnam, non de peccatis ſupplicium ſumens, ſed ad futura nos corrigens*. Ergo. R. ad Ambroſium, per ſatisfactionem intelligere excuſationem ſeu detentionem peccati, ſubdit enim immediate: *Quod defendi non poteſt, ablui poteſt*. Ad Aug. Senſus eſt, quod poſt remiſſionem peccatorum miſeriæ hujus vitæ non ſolum ſint ſupplicia peccati, ſed etiam juvent ad exercitationes virtutum, quod non negamus: Auguſtinum enim agnoſcere remiſſis peccatis remanere pœnas temporales ſatisfactione expiabiles evidens eſt ex probationibus Concluſionis. Ad Chryſoſt. idem eſt ſenſus; agnoſcit enim ibidem S. Doct. pœnas, quas Deus poſt remiſſam culpam repoſcit, eſſe & ſupplicium ſeu ultionem peccatorum præteritorum & remedium contra futura; prius namque dixerat: *Ne peccantes & inulti manentes nos efficeremur deteriores, non remiſit nobis ſupplicium; ſed vidit hoc manifeſte, quod peccatis ipſis non minus damnoſum ſit non puniri; propter hoc imponit pœnam*. Quando ergo ſubdit, *non exigens ſupplicium, ſed ad futura nos corrigens*, non intelligit pœnas, quas Deus infligit, nullo modo eſſe ſupplicia peccatorum, ut verba ſignificare videntur, alioquin intra paucas lineas aperte contradictoria loqueretur, ſed vult tantum Deum in iis pœnis magis intendere utilitatem noſtram, quam peccati ultionem. Lege inſuper Chryſoſt. hom. 10. in hæc verba Matth. *Facite fructus dignos Pœnitentiæ*. Hom. 4. in 2. Cor. ſub finem & alibi, ubi aperte docet neceſſitatem ſatisfactionum pro peccatis præteritis.

Obj. 3. Remota cauſa removetur effectus. Atqui per pœnitentiam removetur cauſa totius pœnæ, ſcilicet culpa. Ergo. R. D. Maj. Remota cauſa, a qua effectus dependet in fieri & conſervari, removetur effectus, C. ſic remoto ſole removetur Lux. Remota cauſa, a qua effectus dependet tantum in fieri, & non in eſſe, removetur effectus, N. Sic remoto Patre non removetur Filius, remoto artifice non removetur ædificium; culpa autem eſt cauſa pœnæ in fieri tantum, & non in eſſe.

Obj. 4. Donum Dei eſt efficacius, quam peccatum. Rom. 5. Atqui homo per peccatum ſimul incurrit culpam, & totius pœnæ reatum. Ergo per donum gratiæ ſimul remittitur culpa, & totius pœnæ reatus. R. D. Conſeq. Ergo per donum gratiæ remittitur culpa & tota pœna, ſi attendatur ſolius gratiæ efficacia, C. ſi attendatur ordinatio divina, & diſpoſitio pœnitentium, N. Quod ergo non tollatur totius pœnæ reatus, non provenit ex defectu efficaciæ in gratia, quæ, quantum eſt ex ſe, poſſet omnem pœnam tollere; ſed partim ex ordinatione divina, ut diximus ſupra cum Trid. partim ex pœnitentium diſpoſitione, quæ nec ſemper, nec plerumque tanta eſt, ut ſint idonei ad conſequendam totius pœnæ remiſſionem; ut enim ſatisfaciat homo, & pœnæ remiſſionem obtineat, debet cooperari gratiæ. Unde Auctor (*Ib. ad 2.*) dicit, quod remiſſio culpæ, & pœnæ æternæ ſit effectus gratiæ operantis, remiſſio autem pœnæ temporalis effectus gratiæ cooperantis.

Obj. 5. Paſſio Chriſti eſt ſufficienter ſatisfactoria pro omnibus peccatis, etiam quoad totam pœnam. Atqui remiſſio peccatorum fit in pœnitentia per virtutem Paſſionis Chriſti. Ergo. R. D. Min. (*Ib. ad 3.*) Remiſſio peccatorum fit in pœnitentia per virtutem Paſſionis Chriſti ſecundum totam ejus ſufficientiam, N. Secundum modum applicationis ejus, C. Licet ergo Paſſio Chriſti ſuo valore ſit ſufficientiſſima pro remiſſione omnium culparum & pœnarum, de facto tamen non remittit, niſi iis, quibus applicatur, & pro modo, quo applicatur. In Baptiſmo applicatur tanquam recens natis in Chriſto, & recenter ejus familiæ adſcriptis, ſicque totaliter quoad culpam & pœnas debitas peccatis actualibus. In Pœnitentia vero applicatur, ut ingratis poſt gratiam baptiſmalem lapſis, adeoque ſecundum divinæ juſtitiæ ordinem cum minori liberalitate, ut ſcilicet, niſi per opera pœnalia ſatisfaciant, totam pœnam non remittat. Redibit iſta Quæſtio, dum de ſatisfactione.

ARTICULUS II.

De remiſſione peccatorum venialium.

§. I. *Utrum peccatum veniale poſſit remitti ſine ulla Pœnitentia.*

PECCATUM veniale actuale eſt converſio inordinata ad bonum creatum ſine averſione tamen a bono increato. Ex hac converſione actuali relinquitur in anima, ſeu voluntate aliqua determinatio, ſeu modificatio circa bonum creatum, ſicut ex intentione finis manet voluntas modificata circa ipſum & media; per hanc autem modificationem, ſeu determinationem inordinatam voluntatis circa bonum creatum, impeditur, ſeu retardatur affectus, ne prompte feratur in Deum; & hoc dicitur privatio ferporis charitatis, in qua reponi ſolet macula peccati venialis, ſeu peccatum veniale habituale, de quo hic eſt quæſtio. Quidam itaque volunt ad illius remiſſionem nullam requiri pœnitentiam, ſed ſufficere quemcumque actum bonum, qui magis placeat Deo, quam diſpliceat peccatum veniale, etſi ad illius remiſſionem non ordinetur. Tribuitur Soto, ſed negat Henno. Durandus e contra aſſerit neceſſariam eſſe pœnitentiam formalem. Media via incedens cum Auctore & communi ſententia

Dico. (*Hic q. 87. a. 1. c.*) Nullum peccatum veniale remittitur ſine aliqua pœnitentia. Non ſufficit habitualis, non requiritur formalis, ſed requiritur & ſufficit virtualis. Prob. (*Ib. in a. ſ. c.*) 1. Pars: 1. Ex Aug. hom. 27. & 50. inter 50. dicit eſſe quamdam pœnitentiam, quæ quotidie agitur in Eccleſia pro peccatis venialibus; fruſtra autem eſſet iſta pœnitentia, ſi ſine illa peccata venialia remitti poſſent. Et Ep. 48. ad Vincent. refertur d. 3. de pœnit. c. 33. *Nequaquam putes*, inquit, *ab errore ad veritatem, vel a quocumque ſeu magno, ſeu parvo peccato ad correctionem ſine pœnitentia poſſe tranſire*.

Prob. 2. (*Ib. c.*) Peccatum veniale, ut dictum eſt, conſiſtit in determinatione, ſeu modificatione inordinata voluntatis circa bonum creatum, cauſata per actualem converſionem ad illud, ex qua inordinata determinatione voluntatis affectus impeditur, ſeu retardatur, ne prompte feratur in Deum, quod dicitur privatio fervoris charitatis. Atqui iſta deordinatio voluntatis tolli non poteſt ſine aliqua Pœnitentia. Ergo. Prob. Min. Talis deordinatio voluntatis tolli non poteſt, niſi per diſpoſitionem contrariam, diſpoſitio contraria cauſari non poteſt, niſi per actum contrarium; cauſarum enim oppoſitarum oppoſiti ſunt effectus. Atqui in actu contrario includitur quædam pœnitentia ſeu diſplicentia & retractatio peccati venialis. Ergo.

Confir. 1. Ordinata rerum diſpoſitio exigit, ut qui a Deo per actum voluntarium aliqualiter receſſit, ſeu deviavit, ad eum per actum contrarium redeat. Ergo. Confir. 2. Si peccatum veniale per quodlibet opus bonum, quod magis placet Deo, quam diſpliceat ipſum peccatum veniale ſine ullo reſpectu ad illud, tolleretur, non eſſet ratio, cur unum potius tolleretur, quam aliud, præſertim ubi eſſent æqualis gravitatis. Unde vel nullum, vel omnia remitterentur, quod videtur inconveniens. Ergo.

Prob. 2. Pars, (*Ibid.*) Si habitualis pœnitentia ſufficeret ad remiſſionem peccati venialis, nunquam eſſet peccatum veniale cum charitate, quia charitas includit habitualem diſplicentiam omnium peccatorum. Falſum Conſequens. Ergo & Ant. Prob. 3. Pars, (*Ibid.*) ex differentia peccati mortalis a veniali. Peccatum mortale abſolute ſeparat hominem a Deo, redditque mentem ejus omnino averſam a Deo; veniale vero retardat af-

ſe-

fectum hominis, ne prompte in Deum feratur; non tamen abſolute ſeparat, aut avertit hominem a Deo, cum non charitati, ſed tantum ejus fervori & perfectioni opponatur. Ergo ad remiſſionem peccati mortalis perfectior requiritur pœnitentia, quam ad remiſſionem venialis. Subſumo. Atqui formalis per ſe requiritur ad remiſſionem peccati mortalis, ut dictum eſt. Ergo non requiritur ad remiſſionem peccati venialis.

Reſtat (*Ib.*) ergo requiri, & ſufficere pœnitentiam virtualem, quod eſt 4. Pars Concluſionis, & patet ex ipſa notione pœnitentiæ virtualis, prout intelligit Auctor. Pœnitentia virtualis eſt, cum aliquis hoc modo fertur ſecundum affectum in Deum, ut quidquid ſibi occurreret, quod eum ab hoc motu retardaret, diſpliceret ei, & doleret ſe hæc commiſiſſe, etiamſi actu de illo non cogitet. Atqui per hoc tollitur modificatio, ſed determinatio inordinata voluntatis in bonum creatum impediens ſeu retardans, ne prompte feratur in Deum, quod eſt peccatum veniale, ut dictum eſt. Ergo. Non itaque omnis affectus in Deum, aut res divinas eſt virtualis pœnitentia reſpectu omnis peccati venialis, ſed tantum reſpectu illius, quod diſpliceret, ſi occurreret, ſicque non quodlibet peccatum veniale tollitur per quemlibet affectum in Deum, ſed illud ſolum, cujus dictus affectus eſt virtualis diſplicentia modo dicto.

Dices 1. Non datur vera pœnitentia ſine propoſito cavendi de futuro peccatum. Atqui non poteſt homo habere propoſitum cavendi peccata venialia, ſine quibus non ducitur vita præſens. Ergo. R. D. Min. (*Ib. ad 1.*) Non poteſt homo habere propoſitum cavendi peccata venialia omnia collective, C. omnia diſtributive, N. Occurrunt autem vitanda diſtributive, non collective.

Dices 2. Qui dormiens cum peccatis venialibus occideretur propter Chriſtum, eſſet Martyr, & ſtatim evolaret in Cœlum. Ergo ſine pœnitentia dimitterentur ei peccata venialia. R. non fore Martyrem in hoc caſu, niſi præceſſiſſet aliqua volitio Martyrii, ut diximus in 2. 2. de Fortitudine, in qua volitione potuit includi pœnitentia virtualis peccatorum venialium: Si ſecus, dicendum, quod Martyr in inſtanti ſeparationis animæ vel paulo ante, vel paulo poſt, erumpit in ferventiſſimum actum charitatis, qui erit pœnitentia virtualis, & quo a culpa & pœna omnium venialium liberabitur, non per modum meriti, ſi poſt ſeparationem, ſed per modum contrariæ diſpoſitionis. Sicut pariter dicendum eſt de juſto, qui cum affectu peccati venialis dormiens, aut ſubito moreretur.

Si dicas in futuro ſæculo non dari pœnitentiæ locum, neque voluntate poſt hanc vitam mutari. R. in futuro ſæculo equidem non dari pœnitentiæ locum, qua ſtatus mutetur eſſentialiter, bene tamen qua mutetur accidentaliter; pariter voluntatem non mutari eſſentialiter quantum ad finem & charitatem, poſſe tamen mutari accidentaliter quantum ad remotionem impedimenti. Itaque pro peccato mortali non datur in altero ſæculo pœnitentiæ locus; quia qui decedunt cum peccato mortali, ſunt ſimpliciter in termino. Datur vero pro peccato veniali, quia qui cum ſolis venialibus moriuntur, non ſunt ſimpliciter in termino, ſed ſecundum quid, & adhuc in via ad terminum ſimpliciter. Adde, quod habeant in ſe principium pœnitentiæ & veniæ, ſcilicet gratiam & charitatem. Et hæc eſt ſententia Auctoris q. 7. de malo a. 11. Greg. l. 4. Dialog. c. 39. Aug. l. 21. de civit. c. 24. Bernardi ſerm. 66. in Cantica, Iſidori, Bedæ, &c. ſicque loqui tenentur adverſarii de juſto, qui cum affectu peccati venialis dormiens aut ſubito moreretur ſine actu meritorio. Iſta tamen pœnitentia ulterius vitæ non eſſet, ut jam dixi, per modum meriti, ſed per modum contrariæ diſpoſitionis removentis prohibens, vel ſolutionis debiti, quam Deus ab amicis dignatur acceptare.

Inſt. S. Th. hic ad 2. nihil aliud requirit in Martyre ad deletionem venialium, quam quod Paſſio pro Chriſto *Non inveniat actualiter voluntatem peccato inhærentem*, Ergo. R. Senſum S. Th. eſſe, quod non inveniat voluntatem peccato inhærentem, ſed retractatam per pœnitentiam. Id ſupponere S. Th. evidens eſt, partim ex corpore articuli, ubi formaliſſime requirit pœnitentiam pro remiſſione venialium, partim ex eadem reſponſione ad 2. in qua eadem verba uſurpat de remiſſione mortalium & venialium per Baptiſmum & Martyrium; nemo enim dicit Baptiſmum, aut Martyrium remittere mortalia ſine aliqua pœnitentia; partim tandem quia cenſetur voluntas peccatoris tamdiu inhærere peccato, quamdiu per actum contrarium non revocatur.

Dices. Omnis actus charitatis eſt meritorius gloriæ. Ergo a fortiori remiſſionis venialium; qui enim meretur majus, meretur & minus. R. N. Conſeq. Ad Probat. Verum eſt axioma, quando majus & minus ſunt ejuſdem ordinis; non ſunt autem ejuſdem ordinis remiſſio venialium & meritum gloriæ.

Inſt. Peccatum veniale eſt impedimentum gloriæ. Atqui qui meretur finem, meretur tolli impedimentum ad finem. Ergo. R. D. Maj. Peccatum veniale eſt impedimentum gloriæ abſolutum & eſſentiale, N. Secundum quid & accidentale, C. Non enim abſolute tollit gloriam, ſed retardat tantum, ſicut pœna luenda pro peccatis dimiſſis. Sicut autem iſta pœna non tollitur, quando quis meretur gloriam, ita nec peccatum veniale. Unde diſtincta Min. ad ſenſum Maj. N. Conſeq.

§. II. *Utrum peccatum veniale poſſit remitti ſine gratia?*

QUÆSTIO procedit de gratia, tam actuali, quam habituali. Dupliciter gratia habitualis poteſt cenſeri neceſſaria ad remiſſionem peccati venialis. 1. Antecedenter ſic, ut homo debeat eſſe in ſtatu gratiæ. 2. Concomitanter ſic, ut non remittatur peccatum veniale, niſi gratia de novo infundatur, ſive ut forma expellens peccatum, ſive ut effectum actus remiſſivi.

Dico 1. (*Ib. ad 2. ad 2.*) Sine gratia actuali per actum ſolis naturæ viribus elicitum non poteſt remitti peccatum veniale. Prob. 1. ex Can. 14. Concil. Arauſ. 2. in quo dicitur: *Nullus miſer de quantacumque miſeria liberatur, niſi qui Dei miſericordia prævenitur*, Et 1. Joan. 1. *Sanguis Chriſti emundat nos ab omni peccato*. Inſuper juſti petunt in Oratione Dominica ſibi remitti peccata venialia. Ergo hæc remiſſio eſt opus gratiæ.

Prob. 2. Peccatum veniale in hoc ſtatu elevationis eſt quoddam malum pertinens ad ordinem gratiæ, cum retardet affectum, ne prompte feratur in Deum, ut finem ſupernaturalem; & cauſet aliquam deordinationem circa media ad hunc finem. Atqui malum pertinens ad ordinem gratiæ non poteſt tolli, niſi per gratiam, ſeu ex auxilio gratiæ; unumquodque enim tollitur per ſuum contrarium. Ergo.

Dico 2. (*Ib. a. 4. c.*) Peccatum mortale non poteſt remitti ſine gratia habituali antecedenter, ſive niſi homo ſit in ſtatu gratiæ, ita ut veniale conjunctum mortali non poſſit remitti ſine mortali. Prob. (*Ib.*) Remiſſio culpæ etiam venialis fieri non poteſt, niſi per opus ſatiſfactorium Deo gratum & acceptum in ordine ſupernaturali; omnis enim noſtra ſatiſfactio ad Deum eſt amicabilis, nec fundatur in juſtitia, ſed in ſola acceptatione divina. Atqui nullum peccatoris opus eſt Deo gratum, & acceptum in ordine ſupernaturali, cum ſit opus inimici in iſto ordine. Ergo. Confir. 1. Peccatum veniale importat verum maculam, ſcilicet privationem fervoris gratiæ. Atqui hæc macula tolli non poteſt, niſi ſupponatur gratia, cujus fervor reſtituatur. Ergo. Confir. 2. Remiſſio peccati venialis eſt redintegratio in familiaritatem Dei. Ergo ſupponit ejus amicitiam, adeoque gratiam. Unde quando ſimul tempore veniale cum mortali remittitur, prius natura intelligitur remiſſum mortale, quam veniale; quia prius eſt reſtitui in amicitiam Dei, quam in ejus familiaritatem; prius eſt eſſe gratiam habitualem, per quam tollitur peccatum mortale, quam eum prorumpere in actum, per quem tollitur veniale.

Dico 3. (*Ibid. a. 2. c.*) Ad remiſſionem peccati venialis non eſt neceſſaria nova gratiæ habitualis infuſio, neque ut forma expellens, neque ut effectus actus remiſſivi, ſed ſufficit motus gratiæ vel charitatis, qui ſit ejus pœnitentia virtualis, modo prius explicato. Prob. 1. Pars. (*Ibid.*) Peccatum veniale non conſiſtit in privatione gratiæ, ſed in privatione ejus fervoris, ſeu in impedimento ejus nitoris. Ergo ad ejus remiſſionem non eſt neceſſaria nova gratiæ habitualis infuſio, privatio enim tollitur per formam oppoſitam. Rem aptiſſimo exemplo illuſtrat S. Doctor (*Ib. ad 3.*) Sicut, inquit, in corpore contingit eſſe maculam dupliciter, uno modo per privationem ejus, quod requiritur ad decorem, puta debiti coloris, aut debitæ proportionis membrorum: alio modo per ſuperinductionem alicujus impedientis colorem, puta luti aut pulveris. Ita etiam animæ inducitur macula; uno modo per privationem decoris gratiæ per peccatum mortale; alio modo per inclinationem affectus ad aliquid temporale, per quam impeditur gratia, ne prompte & habiliter feratur in Deum, ſicque ne exterius eluceſcat, & hoc facit peccatum veniale: & ideo ad tollendum maculam peccati mortalis requiritur infuſio gratiæ, ſed ad tollendam maculam peccati venialis requiritur aliquis actus procedens ex gratia, per quem removeatur inordinata adhæſio ad rem temporalem. Huc uſque S. Doctor paucis additis.

Prob. 2. Pars. Si adeſſet ſemper infuſio gratiæ ut effectus ſecutus ad actum remiſſivum peccati venialis, ideo eſſet, quia talis actus eſt meritorius novi gradus gloriæ, adeoque & augmenti gratiæ, quæ eſt ſemen gloriæ. Atqui hæc ratio nulla eſt. Major eſt fundamentum adverſariorum. Prob. Min. Non ſemper eo ipſo quo ponitur actus meritorius augmenti gratiæ, augetur gratia in eſſe habitus & qualitatis; ſed tantum augetur in eſſe gratiæ, inquantum tunc ſubjectum acceptatur ad majorem gratiam, conferendam tamen dumtaxat ſuo tempore, ſcilicet vel quando producetur actus habitu intenſior, qui

ſit diſpoſitio ſufficiens ad augmentum gratiæ in eſſu qualitatis, vel in ingreſſu gloriæ, de quo in Tract. de charitate. Obſervat tamen Auctor in fine corporis, quod quia habentibus uſum liberi arbitrii, in quibus ſolis poſſunt eſſe venialia peccata, non contingit eſſe infuſionem gratiæ ſine actuali motu liberi arbitrii in Deum, & in peccatum (intellige qui vel adſit, vel præceſſerit, & virtualiter remaneat, vel quem nata eſt excitare gratia), ideo quandocumque de novo infunditur gratia, peccata venialia remittuntur. Intellige iterum, ſi tamen iſte motus liberi arbitrii ſit virtualis pœnitentia peccatorum remittendorum, ſenſu quem §. præcedenti explicuimus.

§. III. *Utrum & quomodo peccata venialia remittantur per Sacramenta & Sacramentalia?*

QUid ſit intelligendum per Sacramentalia, & quot ſoleant numerari, dixi art. ultimo de Sacramentis in genere. Requiſe. Suppono (*Ib. a 3. o. & ad 1.*) ante omnia neque Sacramenta neque Sacramentalia remittere peccata venialia immediate, ſed mediante tantum actu virtualis Pœnitentiæ, ad quem per auxilia ſpecialia excitant, ut docet D. Th. hic a. 3. tum in o. tum ad 1. dicens ea cauſare remiſſionem peccatorum venialium, in quantum inclinant animam ad motum pœnitentiæ, qui eſt deteſtatio peccatorum vel implicite vel explicita. Item ad 3. Et ratio eſt, quia cum venialia conſiſtant in privatione non gratiæ & charitatis, ſed ejus fervoris & habilitatis, Sacramenta & Sacramentalia non poſſunt ea aliter tollere, quam cauſando ſeu obtinendo auxilia ſupernaturalia, quibus homo applicetur ad eliciendos actus ferventes charitatis vel pœnitentiæ, per quos peccata vel formaliter vel virtualiter retractantur; nulla enim privatio poteſt tolli niſi per poſitionem formæ oppoſitæ. Ex quo patet differentia inter peccatum mortale & veniale, & cur illud poteſt remitti immediate per Sacramenta & non iſtud; quia nimirum peccatum mortale conſiſtit in privatione gratiæ, quam immediate cauſant Sacramenta, non autem actualem charitatis fervorem, in cujus privatione conſiſtit peccatum veniale. Hoc ſuppoſito,

Dico 1. (*Ib. a.*) Peccata venialia remittuntur per Sacramenta & Sacramentalia. Prob. (*ibid*) Ad remiſſionem peccati venialis non requiritur novæ gratiæ infuſio, ſed requiritur & ſufficit aliquis actus procedens ex gratia, quo aliquis deteſtetur peccatum veniale, vel explicite, vel implicite, ut dictum eſt. Atqui per Sacramenta & Sacramentalia habetur talis actus. Ergo. Prob. Min. de Sacramentis. Per Sacramenta infunditur gratia vel prima vel ſecunda. Atqui in habentibus uſum liberi arbitrii non contingit eſſe infuſionem gratiæ ſine actuali motu liberi arbitrii in Deum & in peccatum, ut jam dixi §. præced. Et patet; tum quia ipſa gratia infuſa, in quantum eſt ex ſe, ordinatur ad talem motum, etſi forte ſit quandoque impedimentum ex parte ſubjecti; tum quia per Sacramenta non tantum gratiæ habitus infunditur, ſed etiam quædam auxilia ſpecialia ad certos virtutum actus, ut diximus de gratia Sacramentali; tum tandem quia ipſa voluntaria ac devota Sacramenti ſuſceptio eſt virtualis ſaltem motus in Deum & in peccatum. Ergo. Prob. Min. de Sacramentalibus. Sacramentalia ſunt duplicis generis; quædam ſunt cum aliquo motu deteſtationis peccatorum, ut Confeſſio generalis, tunſio pectoris, Oratio Dominica; quædam ſunt cum aliquo motu reverentiæ in Deum & res divinas, & conſequenter cum virtuali diſplicentia eorum, quorum Deus offenditur, ut recipere benedictionem ab Epiſcopo, aſpergi aqua benedicta, orare in Eccleſia conſacrata, &c. Ergo.

Dices. Quodlibet iſtorum eandem relationem habet ad unum peccatum veniale & ad omnia. Ergo ſi per aliquod iſtorum remittitur aliquod peccatum veniale, remittuntur omnia; & ita per unam tunſionem pectoris, per unam aſperſionem aquæ benedictæ, homo redderetur immunis ab omnibus peccatis venialibus. Atqui Conſequens eſt abſurdum. Ergo. R. D. Conſeq. (*ibid. ad 2.*) Ergo ſi per aliquod iſtorum remittitur aliquod peccatum veniale, remittuntur omnia, quantum eſt ex ſe, C. Conſeq. Quantum eſt ex parte ſubjecti, N. Itaque omnia iſta, quantum eſt de ſe, operantur ad remiſſionem omnium peccatorum venialium, quia quantum eſt de ſe inclinant animam ad motum pœnitentiæ circa omnia; poteſt tamen homo non habere talem pœnitentiæ motum circa aliqua, unde impeditur remiſſio quoad illa, quibus nunc actualiter inhæret; ſicut licet Baptiſmus, quantum eſt ex ſe, operetur remiſſionem omnium peccatorum, poteſt tamen per fictionem illius effectus impediri.

Si petas (*Ib. ad 3.*) utrum ſicut culpa venialis per prædicta remittitur, ita & pœna ipſi debita? R. quod non ſemper tota remittatur, ſed quandoque minus quandoque magis, juxta modum fervoris in Deum, qui per prædicta excitatur.

Dico 2. Sacramenta novæ Legis habent vim remittendi peccata venialia ex opere operato. Prob. In tantum Sacramenta dicuntur remittere peccata venialia, in quantum cauſant gratiam, qua excitetur motus deteſtationis peccatorum impliciter vel explicitæ, ut dictum eſt. Atqui Sacramenta ex opere operato cauſant gratiam ſacramentalem, quæ comprehendit non ſolum gratiam habitualem, quæ per ſe inclinat ad actus virtuoſos, ſed etiam ſpecialia auxilia ad certos virtutum actus, ut patet ex dictis de Sacramentis in communi. Ergo. Conf. Omnia Sacramenta novæ Legis remittunt peccata mortalia ex opere operato, alia per ſe vi primariæ inſtitutionis, ut Sacramenta mortuorum; alia vi ſecundariæ inſtitutionis, ut Sacramenta vivorum; ut diximus alibi. Ergo a fortiori etiam peccata venialia. Patet Conſ. quia peccata venialia facilius remittuntur, quam mortalia. Porro hæc ſemper intellige in quantum eſt ex ſe, ſeu attenta inſtitutione Sacramentorum & vi gratiæ, quam cauſant, quæ in quantum eſt ex ſe in ſua infuſione nata eſt excitare fervorem charitatis, licet per accidens defectu ſubjecti aliquando de facto non excitetur.

Dices, Qui confitetur aliquod peccatum veniale, & alia ex intentione reticet, nullam tamen habens circa ea complacentiam, eorum reticitorum veniam non conſequitur; alias impertinens foret aliqua confiteri. Ergo per alia Sacramenta nulla fit peccatorum venialium remiſſio. Prob. Conſ. Sic ſe habent alia Sacramenta reſpectu omnium venialium, ſicut Sacramentum Pœnitentiæ reſpectu non confeſſorum. Ergo. Reſpondet Gonet, Dato Ant. negando Conſeq. & probationem ſeu paritatem. Confeſſio enim peccatorum, ſive mortalium, ſive venialium eſt pars Sacramenti Pœnitentiæ, & ſolum peccata confeſſa explicite vel implicite ſunt ejus materia, non ſic in aliis Sacramentis. Unde licet in Sacramento Pœnitentiæ non remitterentur peccata venialia, quæ voluntarie reticentur, in aliis tamen Sacramentis poteſt obtineri eorum remiſſio, quamvis in talium Sacramentorum ſuſceptione nulla de illis peccatis mentio fiat.

Recte dicit Gonet. *Dato Ant.* Exiſtimamus enim, quod qui accuſato aliquo veniali alia voluntarie reticeret, ſine tamen ulla in eis complacentia, poſſet in Sacramenti hujus ſuſceptione conſequi eorum remiſſionem. Quid enim obſtat, quin vi gratiæ ſacramentalis excitentur motus ferventes, qui ſint virtualis diſplicentia eorum peccatorum non confeſſorum? Neque tamen erit impertinens ea confiteri ad eorum remiſſionem; quia motus diſplicantiæ facilius & primario ſunt circa confeſſa, quatenus ſunt propria materia Sacramenti & magis memoriæ præſentia; circa non confeſſa autem non ſunt primario, & per ſe, quia non ſunt propria materia hujus Sacramenti; ſed indirecte tantum & per accidens, in quantum tales motus ſeu actus, ita ſunt effectus Sacramenti Pœnitentiæ, ut ſimul ſint actus ferventes & virtuoſi, ex qua parte includere poſſunt virtualem diſplicentiam tam confeſſorum, quam non confeſſorum, plurium vel paucorum ſecundum modum fervoris ſui.

Dico 3. Sacramentalia non habent proprie vim remittendi peccata venialia ex opere operato, ſed tantum ex opere operantis, ſcilicet ipſius, qui eis utitur, & Eccleſiæ. Prob. 1. pars. In tantum Sacramentalia poſſunt dici remittere peccata venialia ex opere operato, in quantum ex opere operato cauſant gratiam, qua excitetur fervor charitatis, ſeu motus pœnitentiæ formalis vel virtualis circa illa peccata, ut conſtat ex dictis. Atqui Sacramentalia talem gratiam non cauſant ex opere operato, ſed tantum ex opere operantis Eccleſiæ, & illius, qui eis utitur. Ergo. Prob. Min. Gratiam cauſari ex opere operato eſt eam cauſari virtute operis, non quatenus procedit laudabiliter ab operante, ſed quatenus eſt inſtitutum ad gratiam cauſandam habens ex ſua inſtitutione hanc vim. Atqui Sacramentalia non habent ex ſua inſtitutione præciſe vim cauſandi gratiam. Ergo. Prob. Min. 1. Quia alias Sacramentalia forent Sacramenta, utpote ſigna viſibilia practica inviſibilis gratiæ. 2. Sacramentalia ſunt ex inſtitutione Eccleſiæ; Eccleſia autem non habet poteſtatem inſtituendi quædam ſigna viſibilia, quæ vi præciſa ſuæ inſtitutionis gratiam conferant; tum quia, ut jam dicebam, alias haberet poteſtatem inſtituendi Sacramenta; tum quia nullibi habetur ſive in Scriptura, ſive in Traditione hanc poteſtatem Chriſtum contuliſſe Eccleſiæ, ideoque ſine ſufficienti fundamento id aſſereretur, quod fieri non debet in re tanti momenti. Ergo.

Neque refert, quod Eccleſia habeat poteſtatem applicandi merita Chriſti ad remiſſionem pœnæ per Indulgentias. Præterquam quod enim uſus Indulgentiarum ſit fundatus in verbo Dei, Traditione & Decretis Conciliorum, quod dici nequit de Sacramentalibus quoad vim remittendi peccata ex opere operato. Altera diſparitas eſt, quod ad remiſſionem pœnæ reſtantis poſt culpam dimiſſam non requiratur gratiæ infuſio aut operatio in anima, ſed ſufficit exterior pœnæ condonatio, quam Eccleſia nomine Chriſti facit; remiſſio vero culpæ, quæ eſt macula in anima, requirit gratiæ infuſionem vel operationem.

Prob.

Digitized by Google

Prob. & explicatur 2. pars. Sacramentalia, ut jam dixi, alia ſunt, quæ ex genere ſuo & modo, quo fiunt, habent adjunctum aliquem dolorem de peccatis, ut Confeſſio generalis, tunſio pectoris, Oratio Dominica, & alia ſunt, quæ ultra motum reverentiæ erga res divinas, qui in eorum uſu reperitur, habent inſuper ſpecialem ab Eccleſia benedictionem & conſecrationem, ut aqua benedicta, benedictio Epiſcopi, Oratio in Eccleſia benedicta vel conſecrata, &c. Hæc omnia ſi laudabiliter & virtuoſe fiant, patet, quod operentur ad remiſſionem peccatorum venialium, ſive per modum pœnitentiæ virtualis, ſive impetrando gratiam, qua talis pœnitentia exercetur, non ſecus ac cætera opera virtutum. Et quæ ſunt ſecundi generis, præter hanc virtutem ex parte utentis habent inſuper benedictionem, conſecrationem & preces Eccleſiæ, quæ tunc nobis applicantur, cum eis Sacramentalibus utimur, & quæ per modum impetrationis & intercesſionis habent vim obtinendi nobis gratiam remiſſivam peccati venialis. Solet enim Deus Eccleſiæ ſuæ ſponſæ preces benignius exaudire.

Unde colliges non idem valere uti aqua, quæ ex falſa perſuaſione crederetur benedicta, ac ſi eſſet benedicta; licet enim utens devotionis fructum non perderet, Eccleſiæ tamen interceſſionem non applicaret. Item non parem vim ad remittenda venialia tribuendam eſſe ſacræ Concioni, Lectioni, Imaginibus, &c. quam quæ tribuitur Sacramentalibus: prima enim excitant tantum devotionis motum objective, ſed Sacramentalia & objective ſimul & impetratorie propter preces & benedictiones Eccleſiæ, quæ per illa applicantur. Et forte nihil aliud intelligunt adverſarii per opus operatum, quam eam vim impetrandi; quam ineſſe ſacramentalibus quibuſdam fatemur; ſed proprie loquendo hoc non eſt cauſare ex opere operato, cum talis vis cauſandi habeatur ex opere Eccleſiæ, prout laudabiliter ab ipſa procedit, adeoque meritorie & per modum impetrationis, non autem præciſe vi ſuæ inſtitutionis.

Confer art. ultimum de Sacramentis in genere.

ARTICULUS III.

Utrum peccata per pœnitentiam dimiſſa redeant per ſequens peccatum?

HÆc quæſtio poteſt multipliciter intelligi. 1. An peccata dimiſſa redeant quoad actum numero eundem: & hoc ſenſu certum eſt non redire; quod enim ſemel deſiit, idem numero redire non poteſt, ſaltem de Lege Dei ordinaria, ut docetur in Philoſophia; & licet forte poſſit ſecundum potentiam Dei extraordinariam redire ſecundum eſſe phyſicum & quoad entitatem, non poteſt tamen redire ſecundum eſſe morale, ſeu quoad malitiam; Deus enim nullo modo poteſt eſſe auctor malitiæ peccati, qualis foret in hoc caſu reproductionis, quia homo foret tantum inſtrumentum. 2. Intelligi poteſt, an redeant ſecundum averſionem & converſionem relictam ex actu & moraliter remanentem, ideoque ſecundum maculam & reatum pœnæ. Pro cujus intelligentia præmitto præclaram Auctoris doctrinam. In peccato mortali, inquit, (*Hic q. 88. a. 1. c.*) duo ſunt, ſcilicet averſio a Deo & converſio ad bonum creatum; ex parte converſionis, peccata mortalia ſunt diverſa & interdum contraria: unde manifeſtum eſt, quod ex parte converſionis peccatum mortale ſequens non facit redire peccata mortalia prius abolita, alioqui ſequeretur, quod homo per peccatum prodigalitatis reduceretur in habitum vel diſpoſitionem avaritiæ prius abolitæ: & ſic contrarium eſſet cauſa ſui contrarii, quod eſt impoſſibile. Quidquid autem eſt ex parte averſionis in peccato mortali, ſeu quidquid illi convenit ratione averſionis ſecundum ſe conſideratum, eſt commune omnibus peccatis mortalibus, quia per quodlibet peccatum mortale homo avertitur a Deo, adeoque macula, quæ eſt per privationem gratiæ, & reatus pœnæ reſpondens averſioni communes ſunt omnibus peccatis mortalibus & ſecundum hoc intelligitur id, quod dicitur Jac. 2. *Qui offendit in uno, factus eſt omnium reus*. Igitur conſiderando in peccatis mortalibus id, quod eſt ex parte averſionis abſolutæ, per peccatum mortale ſubſequens redit illud, quod fuerat in prioribus peccatis ante dimiſſionem; in quantum per peccatum mortale ſequens homo privatur gratia, & fit reus pœnæ æternæ, ſicut prius erat.

Verum quia averſio in peccato mortali ex converſione quodam modo cauſatur, fit, ut ea, quæ ſunt ex parte averſionis, diverſitatem quandam recipiant per comparationem ad diverſas converſiones ſicut ad diverſas cauſas: ita quod ſit alia averſio & alia macula & alius reatus, prout ex alio & alio actu peccati mortalis conſurgit. Et hoc ſenſu, proſequitur Auctor, in quæſtionem vertitur, utrum macula & reatus pœnæ æternæ, ſecundum quod cauſabantur ex actibus peccatorum prius dimiſſorum, redeant per peccatum mortale ſequens, ita ut peccatum ſequens pœnitentiam non ſolum inducat maculam propriam & reatum proprium, ſed etiam reducat antiquam, perinde ac ſi ſemper perſeveraſſet, nec unquam fuiſſet remiſſum, ut propterea talis peccator ſit Deo exoſus & damnandus, non ſolum ob peccata nunc admiſſa, ſed etiam propter illa priora. Et hoc S. Doctor vocat peccata redire ſimpliciter. Redire autem ſecundum quid eſt peccatum ſequens propter præcedentia ſeu præcedentium remiſſionem fieri gravius, ejuſque maculam turpiorem, ac reatum majorem. Poteſt enim intelligi redire ſecundum quid, in quantum peccatum ſequens inducit privationem gratiæ & reatum pœnæ æternæ, ſicut præcedens, ut prius dicebam. Unde

Dico. (*Ibid.*) Peccata ſemel per pœnitentiam remiſſa non redeunt ſimpliciter per peccatum ſequens, ſed ſecundum quid tantum. Prob. 1. pars ex Scriptura & Patribus. Rom. 11. dicit Apoſtolus: (*Ibid. in a. ſ. c.*) *Sine pœnitentia ſunt dona Dei*. Sed peccata pœnitentis ſunt dimiſſa per donum Dei, Ergo per peccatum ſequens non redeunt, quaſi Deum de dono remiſſionis pœniteat. Ezech. 18. v. 30. *Convertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas*: eſſet autem in ruinam, ſi per peccatum ſequens redeat. Aug. L. Reſponſ. Proſperi ad 2. Object. Gallorum, refertur de Pœnit. D. 4. c. 14. *Qui recedit a Chriſto, & alienus a gratia finit hanc vitam, quid niſi in perditionem cadit? Sed non in id, quod remiſſum eſt, recidit*. Gelaſius Papa 16. de Pœnit. c. ultimo; *divina clementia peccata in ultionem ulterius redire non patitur*. Ergo.

Prob. Rationibus. 1. (*Ibid. c.*) Remiſſio peccatorum eſt opus Dei, peccatum opus hominis. Atqui opus hominis non poteſt deſtruere opus Dei. Ergo. Si dicas gratiam eſſe opus Dei, quod tamen evacuatur per peccatum. R. Diſparitatem eſſe, quod gratia concedatur conditionate, ſi homo peccando mortaliter eam non abjiciat. Remiſſio autem peccatorum conceditur abſolute, ut patet ex auctoritatibus citatis; & patebit ex ratione ſequenti. Et ratio hujus diſparitatis eſt, quod gratia ſit quid poſitivum, indigens ad ſui conſervationem influxu Dei continuo, quem Deus non confert iis, qui peccant mortaliter. At remiſſio ſeu deſtructio peccati non indiget influxu Dei, ut permaneat, res enim deſtructa ſemper manet deſtructa, niſi reproducatur, quod non poteſt contingere in peccato, ut jam dixi & dicam.

2. (*Ibid.*) Deus remittit peccata abſolute & non ſub conditione de futuro, ſi pœnitens poſtea non peccet; patet ex textibus citatis, & ex forma Sacramenti; Sacerdos enim loquens nomine Dei, dicit abſolute ſine ulla conditione *Abſolvo te*. Ergo per ſequens peccatum non redeunt. Confir. 1. Peccatum remitti eſt illud deſtrui; nulla autem poteſt aſſignari cauſa hujus reditus ſeu reproductionis, non Deus, ut jam dictum eſt, non homo, qui non committit illud idem, quod ante commiſerat. Confir. 2. Non poteſt macula & reatus peccati redire niſi redeat actus, a quo cauſatur. Atqui per ſequens peccatum actus peccati remiſſi non redit nec redire poteſt. Ergo.

3. Peccatum ſemel plene punitum non debet iterum puniri; ſed peccatum remiſſum fuit plene punitum in Chriſto, cujus paſſionis virtute fuit remiſſum. Ergo. 4. Si peccata dimiſſa redirent, ſequeretur 1. quod iterum deleri deberent per Sacramentum Pœnitentiæ, quod eſt unicum medium ad eorum remiſſionem inſtitutum, teneretur homo ea iterum confiteri, quod damnat tanquam abſurdum Benedictus XII. Extravag. *Inter cunctas*. Sequeretur 2. quod etiam rediret peccatum originale; non enim eſt potior ratio de peccatis actualibus, quam de iſto, ſicque quod deberet deleri per iterationem Baptiſmi quia non eſt aliud medium ad ejus remiſſionem inſtitutum. Conſequens eſt hæreticum. Ergo.

Prob. 2. Pars. Duplici ſenſu peccata dimiſſa dicuntur redire ſecundum quid per ſequens peccatum, 1. Si ratione remiſſionis illorum peccatum ſequens ſit gravius propter ingratitudinem. 2. Si peccatum ſequens inducat ſimilem privationem, & ſimilem reatum pœnæ æternæ ac præcedentia remiſſa. Atqui utrumque contingit. Ergo.

Solvuntur Objectiones.

OBj. 1. Chriſtus Matth. 18. referens Parabolam Regis, qui juſſit ſervum, cui omne debitum dimiſerat, in carcerem conjici, donec redderet univerſum debitum, eo quod fratri debitum pariter non remiſerat, ſubjungit: *Sic & Pater veſter Cœleſtis faciet vobis, ſi non dimiſeritis unuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris*. Ergo peccata prius dimiſſa redeunt, ubi deeſt charitas fraterna. Charitas autem fraterna tollitur per quodlibet peccatum mortale, per quod ſcilicet tollitur charitas ſimpliciter. R. hanc Parabolam poſſe duplici ſenſu legitime intelligi; 1. Quod peccata remiſſa redeant ſecundum quid, ratione tum ingratitudinis, tum ſimilis reatus pœnæ æternæ. 2. Intelligendo

Digitized by Google

de remiſſione peccatorum, non re ipſa facta, ſed facta quantum ex parte Dei, qui per Miniſtros Eccleſiæ applicat Sacramentum de ſe efficax remittendis peccatis peccatori, ſed is ponit obicem per internum odium in fratrem: & ſic peccata, quæ putabantur remiſſa, & quæ quantum ex parte Dei potuerant remitti, ſi non fuiſſet appoſitus obex, dicuntur redire, quamvis revera non fuerint remiſſa. Quo ſenſu hæc Parabola non ſpectat relapſos poſt remiſſionem, ſed eos, qui petunt ſibi remitti, cum ipſi nolint remittere. Neque enim putandum eſt omnes Parabolarum circumſtantias ſemper applicandas eſſe veritati, quæ intenditur; quædam ſunt enim ad ornatum tantum; ut in præſenti, venundatio ſervi, contriſtatio aliorum, relatio per eos facta Domino utique ignoranti, item remiſſio facta ſervo priuſquam ipſe dimiſerit conſervo, hic non ſunt applicandæ. Non enim Deus ignorat, quid in nobis agatur, nec remittit nobis priuſquam remittamus, cum jubeat nos prius dimittere, ſi velimus nobis dimitti. Sunt ergo iſtæ circumſtantiæ ad ornatum, & adjectitiæ. Neceſſariæ vero, & veritati intentæ applicandæ ſunt, quod Rex, qui ſervo longe majus debitum dimiſerat, graviter illum puniat, eo quod debitum longe minus non remiſerit conſervo; quo voluit ſignificare Chriſtus ſe non remittere ei, qui non vult remittere fratri; & ſe eum, cui remiſit, ſed poſtea non vult remittere levem injuriam fratri propter ingratitudinem & ſpeciem quamdam crudelitatis, graviter puniturum.

Inſt. Aug. occaſione hujus Parabolæ dicit l. 1. de Bapt. cont. Donatiſt. c. 13. *Redire dimiſſa peccata, ubi fraterna charitas non eſt, apertiſſime Dominus in Evangelio docet in illo ſervo, a quo dimiſſum debitum Dominus repetit; eo quod ille conſervo ſuo debitum nollet dimittere.* Item ſerm. 15. de verbis Domini ſic ait: *Si non dimiſeris, revocabo te, & quidquid dimiſeram, replicabo tibi.* Similiter loquuntur Gregorius, Beda, Rabanus, &c. Ad 1. textum Aug. reſpondet Auctor (*Ibid. ad 1.*) quod illud verbum Aug. videatur intelligendum de reditu peccatorum quantum ad reatum pœnæ æternæ in ſe conſideratum; quia ſcilicet poſt pœnitentiam peccans incurrit reatum pœnæ æternæ ſicut prius, non tamen omnino propter eandem rationem. Unde Aug. in libro de Reſponſ. Proſper ad 2. Object. Gall. cum dixiſſet, *Non in id, quod remiſſum eſt, recidit, nec pro originali peccato damnabitur;* ſubdit: *Qui tamen propter poſtrema peccata ea morte afficitur, quæ ei propter illa, quæ remiſſa ſunt, debebatur*, quia ſcilicet incurrit mortem æternam, quam meruerat per peccata præteria, vel etiam dicit remiſſa redire ſecundum quid, quia inde ſequens aggravatur propter ingratitudinem. R. 2. S. Aug. loco cit. non loqui aſſertive, ſed ex ſuppoſitione, quam urgebat contra Donatiſtas; Donatiſtæ enim, ut ibid. exponit S. Doctor, volebant iis, qui ficte Baptiſmum ſuſciperent, in ipſo Baptiſmi puncto peccata dimitti, ſed ſtatim per fictionem redire. Ergo etiam, arguit Auguſtinus, *Hoc in eis intelligant fieri, qui extra Eccleſiæ communionem, ſed tamen baptiſmate Eccleſiæ baptizantur*, ita ut non magis iſtis, quam illis neceſſaria ſit Baptiſmi iteratio (contra quod prætendebant Donatiſtæ) *Nam redire dimiſſa peccata, ubi fraterna charitas non eſt, apertiſſime Dominus in Evangelio docet;* ſi nempe dicantur fuiſſe remiſſa illi, qui perſeverans in odio fratris eſt baptizatus. Cum enim Matth. 18 conſtet eum pro meritis puniri, conſequens eſt peccata ejus redire poſt Sacramentum, ſi fuerant in Sacramento remiſſa. Quod autem Aug. aſſertive teneat homini fratris odium retinenti peccata vere coram Deo non remitti, quando baptizatur, patet ex ejuſdem libri c. 11. 12. & 13. & ex l. 5. c. 20. 21. 22. quo ultimo loco ſic ait: *Quanto magis fieri non poteſt, ut eis peccata dimittantur, qui fratres, a quibus diliguntur, oderunt, & in ipſa adeo baptizantur.* Ad 2. Aug. textum, & ad alios Patres laudatos, R. juxta primam ſolutionem eos eſſe intelligendos de reditu peccatorum ſecundum quid, ratione ſcilicet vel ſimilis reatus pœnæ æternæ, vel aggravationis ex ingratitudine.

Obj. 2. Beda l. 4. in Luc. c. 48. ſuper illud; *Revertar in domum meam, unde exivi*, dicit: *Timendus eſt iſte verſiculus, non exponendus, ne culpa, quam in nobis extinctam credebamus, per incuriam nos vacantes opprimat.* Ergo. R. Quod neque Lucas, neque Beda intelligant de reditu peccatorum dimiſſorum, ſed de iteratione actus; in quantum cum quis ſecurus putat illecebram peccati præteriti eſſe extinctam, eſt in periculo, ne iterum reſurgat & eum in ſimile peccatum conjiciat.

Obj. 3. Bona opera per peccatum mortificata reviviſcunt per pœnitentiam. Ergo & peccata per pœnitentiam deleta per relapſum revocantur. R. N. Conſeq. Diſparitas eſt (*In 4. d. 12. q. 1. a. 1. ad 6.*) quod bona opera per peccatum mortificata non prorſus abolentur, ſed manent, ſemper in memoria, & acceptatione divina, ut ſublato peccato reviviſcant, ut dicemus infra, quamvis eo durante impediantur a mercedis conſecutione: unde mortificantur tantum per ordinem ad illum, cujus erant, non abſolute in ſe. Peccata vero per pœnitentiam prorſus in ſe abolentur, & deſtruuntur; ita ut nihil eorum remaneat, ne quidem in memoria Dei. Rationes hujus diſcriminis require art. 5. infra 2. Probat. Concluſionis.

ARTICULUS IV.

Utrum per Pœnitentiam virtutes reſtituantur?

Quæſtio eſt de virtutibus infuſis, non acquiſitis, hæ enim cum non niſi multiplicatis actibus acquirantur, ita amiſſæ non niſi ſimilibus actibus reſtituuntur, non vero per Pœnitentiam, cum quandoque contingat pœnitentem unico actu juſtificari.

Dico. (*Hic q. 89. a. 1. a.*) Virtutes infuſæ per peccatum amiſſæ reſtituuntur per pœnitentiam. Dixi, *Amiſſæ*, quia non ſemper omnes amittuntur per peccatum, ſed ordinarie remanent fides & ſpes, & iſtæ non reſtituuntur, niſi quoad ſtatum perfectum, & informationem charitatis. Prob. (*Ibid. a.*) Per Pœnitentiam remittuntur peccata, & remiſſio peccatorum non fit ſine infuſione gratiæ juſtificantis. Atqui gratiam ſanctificantem conſequuntur omnes virtutes gratuitæ, ſicut ex eſſentia animæ fluunt omnes potentiæ; gratiæ enim in ordine ſupernaturali deſerviunt virtutes infuſæ ad ejus operationem, ſicut animæ in ordine naturali deſerviunt ejus potentiæ. Ergo. Confir. ex Trid. ſeſſ. 6. cap. 7. ubi dicitur, quod in ipſa juſtificatione cum remiſſione peccatorum hæc omnia ſimul infuſa accipit homo, fidem, ſpem & charitatem: Charitas autem ſine aliis virtutibus eſſe non poteſt, quia qui eſt rectificatus circa finem, quod fit per charitatem, oportet etiam eum rectificari circa media, quod fit per virtutes.

Dices 1. Virtutes amiſſæ non poſſunt per pœnitentiam reſtitui, niſi pœnitentia ſit earum cauſa. Atqui pœnitentia non eſt cauſa omnium virtutum, cum ipſa ſit virtus, & non ſit cauſa ſui. Ergo. R. N. Maj. Non enim dicimus, quod virtutes amiſſæ reſtituantur per Pœnitentiam, quaſi pœnitentia virtus ſit earum cauſa, ſed ſenſus eſt, ut patet ex probatione Concluſionis, quod homo pœnitens diſponatur per ſuos actus ad gratiam juſtificationis, quam conſequuntur omnes virtutes, etiam ipſa pœnitentia, ut virtus.

Dices 2. Habens virtutem ſine difficultate & delectabiliter operatur actus virtutum; unde Philoſophus 1. Ethic. c. 8. dicit, quod non eſt juſtus, qui non gaudet juſta operatione. Atqui multi pœnitentes adhuc difficultatem patiuntur in operando actus virtutum. Ergo. R. D. Maj. (*Ib. ad 3.*) Habens virtutem ſine difficultate, & delectabiliter operatur actus virtutum per ſe, & quantum eſt ex parte habitus virtutis, C. Maj. per accidens, & ex parte ſubjecti, N. Maj. Ad hunc ſenſum diſtincta Min. N. Conſeq. Dicendum igitur, quod in quantum eſt ex ipſa inclinatione charitatis, & aliarum virtutum, pœnitens opera virtutum delectabiliter, & ſine difficultate operatur; iſtæ enim ex ſe inclinant & inſtigant ad bonum: ſed quia per Pœnitentiam non prorſus omnes abſterguntur peccatorum reliquiæ, nempe vitioſi habitus, ſue pravæ diſpoſitiones ex prioribus actibus peccatorum cauſatæ, ex his præſtatur difficultas in operibus virtutum, donec per contrarios actus pellantur; ſicut ſi ex ſomnolentia, aut alio morbo ſentiret homo difficultatem in exercitio actus virtutis.

Repones. Si redeant omnes virtutes, Ergo pelluntur omnes habitus vitioſi oppoſiti; quia duo habitus contrarii non poſſunt eſſe in eodem ſubjecto. R. Dato, quod pellantur in ratione habitus, remanent tamen in ratione diſpoſitionum. Inſuper N. Conſeq. & ad Prob. Dico, quod virtutes infuſæ & habitus vitioſi non ſunt ſtricte contrarii, quia non ſunt ejuſdem generis; illæ enim ſunt infuſæ & ſupernaturales, iſti autem ſunt acquiſiti & naturales.

Dices 3. Virginitas & innocentia amiſſæ per peccatum reſtitui non poſſunt per penitentiam. Ergo. Prob. Ant. Virginitas conſiſtit in integritate carnis abſque omni experimento delectationis venereæ; innocentia vero in integritate mentis ab omni peccato. Atqui fieri non poteſt, quod qui expertus eſt veneream delectationem, non ſit expertus, & qui peccavit, quod non peccaverit. Ergo R. N. Ant. Ad Probat. D. Maj. (*2. 2. q. 152. a. 3. ad 3.*) Virginitas quoad ſuum materiale conſiſtit in integritate carnis, abſque omni experimento delectationis venereæ; & ſimiliter Innocentia, quoad ſuum materiale, in integritate mentis ab omni peccato, C. Maj. Quoad ſuum formale, N. & conceſſa Min. D. Conſeq. Ergo Virginitas & Innocentia amiſſæ reſtitui non poſſunt, quoad ſuum materiale, C. Quoad ſuum formale, N. Formale autem in Virginitate eſt inclinatio, ſeu propoſitum perpetuo abſtinendi a delectatione venerea; & in Innocentia inclinatio

ſeu

ſeu propoſitum vitandi omnia peccata, & quoad hæc reſtituuntur per pœnitentiam.

Repones. Qui peccando Virginitatem amiſit, dum pœnitet, proponit quidem abſtinere a peccato, non tamen tenetur proponere abſtinere ab omni delectatione venerea, ſed poteſt velle uti Matrimonio. Ergo nec quoad formale reſtituitur Virginitas. R. D. Ant. Qui peccando, &c. non tamen tenetur proponere abſtinere ab omni delectatione venerea abſolute, C. Ant. In præparatione animi, N. Ant. Illi enim datur in præparatione animi propoſitum abſtinendi ab omni delectatione venerea, ſi ſibi competeret, & res exigeret: & hoc ſenſu dicitur reſtitui formale Virginitatis, ſaltem in ſua proxima diſpoſitione; ſicut pauper juſtus dicitur habere virtutem magnificentiæ, quia habet in præparatione animi exercere actus illius virtutis, ſi divitiæ ſuppeterent.

ARTICULUS V.

De reviviſcentia meritorum per pœnitentiam.

§. I. *Utrum merita per peccatum mortificata reviviſcant per Pœnitentiam.*

THEOLOGI communiter diſtinguunt quadruplicis generis opera, quæ homo elevatus ad ordinem ſupernaturalem elicere poteſt. Alia ſunt viva, alia mortua, alia mortifera, alia mortificata. Opera viva ſunt quæ a principio vitæ ſpiritualis, ſcilicet gratia procedunt. Mortua, quæ licet ſint ex objecto bona, non tamen procedunt a gratia, ſed ab homine in ſtatu peccati mortalis. Mortifera ſunt peccata, quæ gratiam, animæ vitam, deſtruunt. Denique mortificata ſunt, quæ a gratia proceſſerunt, ſed per peccatum ſubſequens impediuntur a ſuo effectu, qui eſt perducere ſuum auctorem ad gloriam, metaphora deducta a membris corporeis, quæ mortificata dicuntur, quando impediuntur a ſuis functionibus; peccatum enim ſubſequens tollit gratiam, quamdiu autem homo eſt extra gratiam, perduci non poteſt in vitam æternam. Non eſt hic quæſtio de operibus vivis, quæ non indigent reviviſcere; neque de mortuis, quæ enim nunquam vixerint, reviviſcere non poſſunt; neque de mortiferis, hæc enim per Pœnitentiam deſtruuntur, non reviviſcunt. Eſt igitur quæſtio tantum de operibus mortificatis, de quibus inquirimus, an reviviſcant per Pœnitentiam, id eſt an recuperent vim, & efficaciam perducendi hominem, qui ea fecit, in vitam æternam, qua efficacia fuerunt privata per peccatum.

Meritum ſumptum in concreto eſt opus bonum præmio vitæ æternæ dignum; ſumptum in abſtracto eſt jus ex illo bono opere ad vitam æternam, & conſequenter ad gratiam, quæ eſt ſemen, & menſura gloriæ. Unde eo paſſu; quo reſurgunt merita, reſurgit gratia, quam merebantur, ſeu ſaltem jus ad illam, & ad virtutes gratiam conſequentes.

Dico. (*Hic q. 89. a. 5. o.*) Merita per peccatum mortificata reviviſcunt per Pœnitentiam. Hæc Concluſio quamvis non ſit de fide, eſt tamen certa, & unanimiter aſſerta ab omnibus Theologis. Prob. (*Ibid. in a. ſ. c.*) 1. Auctoritate Scripturæ, Concilii Trid. & Patrum. Joel 2. postquam Dominus v. 12. dixit: *Convertimini ad me in jejunio, fletu & planctu*, 2. 25. ſubjungit in mercedem hujus converſionis: *Reddam vobis annos, quos comedit locuſtas, bruchus & rubigo*. Super quæ verba Gloſſa interlinearis ex Hieron. deſumpta dicit: *Non patiar perire ubertatem, quam cum perturbatione animi amiſiſti; illa autem ubertas eſt meritum bonorum operum, quod per peccatum fuit perditum*. Ezech. 33. *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die converſus fuerit*; noceret vero plurimum, ſi priorum meritorum fructum perderet. Apoſt, Heb. 6. *Non enim injuſtus Deus, ut obliviſcatur operis veſtri & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ipſius*. Ubi Paulus alloquitur omnes Hebræos, inter quos abſque dubio erant, qui lapſi fuerant. Huncque textum proponit Concil. Trid. ſeſſ. 6. c. 16. iis, qui peccaverunt, dicens: *Juſtificatis hominibus, ſive acceptam gratiam perpetuo conſervaverint, ſive amiſſam recuperaverint, proponenda inter alia hæc verba Apoſtoli*, Non enim injuſtus Deus, ut obliviſcatur operis veſtri.

Idem Concilium ibid. dicit: *Nihil juſtificatis amplius deeſſe credendum eſt, quominus plene, illis quidem operibus, quæ in Deo ſunt facta, divinæ Legi pro hujus vitæ ſtatu ſatisfeciſſe, & vitam æternam ſuo tempore, ſi tamen in gratia deceſſerint, conſequendam promeruiſſe, cenſeantur*. Ubi Concilium innuit tres conditiones requiri; ut opera noſtra ſint meritoria, & præmium ſuum obtineant, ſcilicet ut ſint opera hominis juſtificati, ut ſint facta in Deo ſive a gratia Dei, & ut qui ea facit in gratia decedat, atque *Nihil amplius deeſſe credendum eſt*. Atqui merita mortificata habent duas priores conditiones, & tertiam recuperant virtute pœnitentiæ, in qua datur gratia, cum qua pœnitens poteſt decedere. Ergo.

Hieronymus in c. 3. ad Galat. ubi Apoſtolus de iis, qui poſt plura pro Chriſto tolerata lapſi erant in Judaiſmum, dicit; *Tanta paſſi eſtis ſine cauſa? Si tamen ſine cauſa*; ſcribit. *Quicumque ob fidem Chriſti laboraverit, & poſtea lapſus fuerit in peccatum, ſicut priora dicitur paſſus fuiſſe ſine cauſa, dum peccat; ſic rurſus non perdet ea, ſi ad priſtinam fidem, & ad antiquum ſtudium revertatur*.

Ambroſius l. 1. in Luc. *Vide*, inquit, *quam bonus Deus, & facilis indulgere peccatis, non ſolum oblatum reſtituit, ſed etiam inſperata concedit*. Chryſoſt. hom. 6. in Geneſ. *Per miſericordiam Dei, ſi modo condemnare facta noſtra, & jam ſiſtere ignaviam voluerimus, poterimus ſtatim ad priſtinam abundantiam redire*.

Prob. 2. ratione. (*Ib. o.*) Merita mortificata reviviſcere eſt ea recuperare vim & efficaciam perducendi ſuum auctorem in vitam æternam, quam efficaciam perdiderant per peccatum, & propterea dicebantur mortificata. Atqui per Pœnitentiam hanc efficaciam recuperant. Ergo. Prob. Min. Cauſa remanens, ſed carens ſuo effectu propter impedimentum, eo ablato, debet effectum ſuum producere. Atqui merita licet actu tranſierint, remanent tamen quantum eſt de ſe in acceptatione divina, & per pœnitentiam tollitur impedimentum, ſcilicet peccatum, ſiſtens eorum effectum. Ergo. Min. pro 2. parte patet. Prob. 1. pars. Quamvis Deus abſolute potuiſſet merita non acceptare ad præmium pro ſemper ſed tantum ſub conditione perſeverantiæ in juſtitia, ſicut peccata ad pœnam non acceptat pro ſemper, ſed ſub conditione impœnitentiæ: ea tamen ſic acceptaſſe colligimus. 1. Ex Scripturis, Patribus & Concilio Trid. cit. atque ex unanimi Theologorum conſenſu. 2. Quia Deus eſt proclivior ad præmiandum, quam ad puniendum, & ſemper punit infra, præmiat autem ultra condignum. 3. Quia hoc ipſo quod bona opera Deo ſemel placuerunt, numquam illi diſplicent: ſemper enim manet, quod fuerint bona & ab ejus gratia procedentia, ſicque acceptatio eſt perpetua. Quapropter, propter peccatum ſequens, illa non abjicit a ſua acceptatione, licet peccatorem abjiciat, quamdiu eſt in peccato, ſed eo ablato congruum eſt, ut illa merita ſine remuneratione non relinquat. At vero peccatum per pœnitentiam deletum non remanet, neque in ſe, ut patet, neque in acceptatione Dei, qui nunquam ipſi placuit; neque in acceptatione divinæ juſtitiæ ad puniendum, quia divina juſtitia non punit, niſi id quod nondum fuit punitum, & pro quo non eſt ſatisfactum, atque ſupponendo reatum pœnæ; peccatum vero per pœnitentiam deletum fuit punitum, & pro eo ſatisfactum ex meritis Chriſti; nec reatus pœnæ redire poteſt, quia non redit actus voluntarius a quo cauſatur. 4. Quia, ut ſupra diximus, peccatum eſt opus hominis, quod non poteſt deſtruere abſolute in ſe opus Dei, quale eſt meritum. 5. Denique circa bona opera non plus valet culpa quam gratia; ſed culpa mortificat. Ergo gratia vivificat.

Dices 1. Sicut per pœnitentiam ſubſequentem remittuntur peccata præterita, ita per peccatum ſequens mortificantur opera prius in charitate facta. Atqui peccata dimiſſa per pœnitentiam non redeunt per ſubſequens peccatum. Ergo nec opera mortificata reviviſcunt per charitatem ſeu pœnitentiam ſubſequentem. R. (*Ibid. ad 1.*) D. Maj. ly *ſicut* dicente omnimodam paritatem, N. Maj. ly *ſicut* dicente aliqualem paritatem, C. Maj. & Conceſſa Min. N. Conſeq. In hoc ergo eſt paritas, quod ſicut peccata ſemel dimiſſa non nocent amplius homini ad damnationem æternam, ita nec merita ſemel mortificata nihil proſunt homini ad vitam æternam, quamdiu remanent mortificata, ſeu eſt in ſtatu peccati. Eſt autem diſparitas, quod opera peccati per pœnitentiam abolentur ſecundum ſe & abſolute, ita ſcilicet quod ex eis ulterius, Deo ſic indulgente, qui ea projicit in profundum maris, ut dicit Scriptura, nec macula nec reatus inducatur; ſed opera ex charitate facta non abolentur abſolute & in ſe, ſed in quantum eſt ex ſe remanent in acceptatione divina, ut dictum eſt, & tantum impedimentum accipiunt ex parte hominis, ne ei proſint: & ideo remoto impedimento, quod eſt ex parte hominis, Deus implet ex parte ſua illud, quod opera merebantur.

Inſt. Ezech. 18. Sicut dicitur de peccatore pœnitentiam agente: *omnium iniquitatum ejus non recordabor*, ſic de juſto, qui peccavit mortaliter, dicitur: *Omnes juſtitiæ ejus non recordabuntur*. Atqui iniquitates non redeunt. Ergo juſtitiæ non reviviſcunt. Reſpondetur (*In 4. d. 22. q. 2. a. 1. ad 6.*) communiter ex hoc textu nihil aliud ſequi, quam quod ſicut Deus non recordatur impietatum, ita nec juſtitiarum, quamdiu homo in peccato remanet; & in hoc ſolo ſitam eſſe paritatem, non vero in hoc, quod ſicut impietates non redeunt, ſic nec juſtitiæ reviviſcunt, quia Scriptura dicit equidem impietatem deleri per pœnitentiam & juſtitiam per peccatum, ſed non explicat modum, quo utraque deletur; non enim omnia in eodem Scripturæ loco dicuntur; ſed ex aliis locis colligimus ini-

qui-

Digitized by Google

quitatem per pœnitentiam abſolute in ſe deleri, juſtitias vero non deleri in ſe per peccatum, ſed impediri tantum a ſuo effectu. Confir. Reſponſio ex eo, quod cum Deus ſit pronior ad parcendum, quam ad puniendum, & promiſſiones ejus ſint favorabiles, comminationes autem odioſæ, illæ debeant ample intelligi, iſtæ reſtringi. Verum non aliunde quam ex ipſo textu repetenda eſt ſolutio; in eo namque agitur de peccatoribus in ſua peccato morientibus; ſubditur enim immediate: *In prævaricatione qua prævaricatus eſt, & in peccato quod peccavit; in ipſis morietur.*

Urgebis. Plus valet peccatum ad deſtruenda merita, quam gratia ad deſtruenda peccata; peccatum enim eſt malitiæ infinitæ & gratia bonitatis finitæ. Ergo. R. D. Ant. Plus valet peccatum ad deſtruenda merita, quam gratia ad deſtruenda peccata, ſi conſiderentur præciſe ſecundum ſe, Tranſeat; poſſet namque negari; quia peccatum non mortificat merita ratione malitiæ infinitæ, ſed quia eſt incompoſſibile cum gratia: ſi conſiderentur ut ſubſunt Legi divinæ miſericordiæ volentis acceptare ad præmium merita præterita etſi mortificata, & nolentis punire peccata dimiſſa etiam in relapſo, N. Fundamentum autem hujus Legis habes in probationibus Concluſionis.

Dices 2. Opera dicuntur mortificari ad ſimilitudinem animalium, quæ moriuntur, ut docet S. Th. a. 4. Atqui animal mortuum non poteſt iterum vivificari. Ergo pariter nec opera mortificata, &c. R. D. Maj. (*Ibid. ad 2.*) Opera dicuntur mortificari ad ſimilitudinem aliqualem animalium, quæ moriuntur, C. Maj. Ad ſimilitudinem omnimodam, N. Maj. Eſt ergo in hoc ſimilitudo, quod & animalia mortua & merita mortificata priventur operatione ſua & effectu. Eſt autem diſparitas, quod merita non mortificentur ſecundum ſe, ut dictum eſt, ſed ſolum per impedimentum proveniens ex parte operantis: Animalia autem moriuntur ſecundum ſe, in quantum privantur principio vitæ. Unde merita mortificata debent potius comparari membro viventi quidem, ſed propter aliquod impedimentum functiones ſuas exercere non valenti.

§. II. *In quo gradu & quantitate merita per peccatum mortificata reviviſcant per Pœnitentiam?*

QUIDAM volunt merita mortificata reviviſcere quoad omnes gradus & omnem quantitatem, quam habebant, quantumvis ſit remiſſa pœnitentia, ita quod qui habebat merita ad decem gradus gloriæ, ſi reſurgat ut duo, habebit merita ad duodecim. Ita plures tam antiqui quam Recentiores, præſertim Suarez in opuſculo de reviviſcentia meritorum. Alii volunt, quod reviviſcant ſecundum quantitatem præſentis diſpoſitionis ſeu pœnitentiæ. Ita cum Auctore communiter Thomiſtæ & plures Extranei, ſed tamen diverſo ſenſu. Quidam ſic intelligunt, quod nullus alios gradus conferatur pœnitenti præter eum, qui correſpondet contritioni, per quam reſurgit ita ut nihil recuperet de jure ad præmium eſſentiale præcedentibus meritis debito, ſed tantum ad præmium accidentale; idem autem præmium eſſentiale conferatur duplici titulo, nempe titulo præſentis diſpoſitionis, & titulo meritorum præcedentium. Ita Bannes, Sylvius, Contenſon. Alii dicunt merita ſic reviviſcere ſecundum quantitatem præſentis diſpoſitionis, ut præter gradum, qui illi debetur, aliquid conferatur de jure ad præmium eſſentiale correſpondente prioribus meritis; ita Soto, Nugno, A... res, Ledeſma, quos citat & ſequitur Gonet.

Hæc autem Sententia dupliciter explicatur. Prima & communior explicatio eſt, quod ſi is, qui habebat prius merita ad decem, reſurgat per actum contritionis ad duo habebit jus ad gloriam ad quatuor gradus, quorum duo reſpondent præſenti diſpoſitioni, alii duo præcedentibus meritis mortificatis. Altera explicatio eſt Dominici Soto, qui dicit, quod ille, qui reſurgit ſummo conatu & in perfecta pœnitentia, recuperat omnem gratiam, a qua ceciderat: quia, inquit, ſi contritio eſt diſpoſitio ad vivificationem operum, fit, ut optima, quæ eſſe poteſt, in integrum illa reſtituat; nam ſicut poſita diſpoſitione ponitur effectus, ſic poſita ſumma ponitur ſummus effectus. Unde ſi contritio deficit ab illa ſumma, in ea proportione, qua ab ea diſtat; reſtituitur antiqua gratia; ut ſi contritio eſt medietas ſummæ, reſtituitur medietas gratiæ, ſi fuerit quarta pars, reſtituetur ei quarta pars gratiæ priſtinæ. Quia ſi per ſummam pœnitentiam tota ruina reparetur, videtur, quod illa proportio ſit ſervanda inter minores cauſas & effectus, ut docet Philoſophus 6. & 7. Phyſic. Ita laudatus Theologus; & hæc explicatio ſatis arridet.

Pro reſolutione hujus difficultatis, in qua, ut ingenue fatear, inter tot opiniones vix aliquid certi ſtatui poteſt, obſervandum eſt gratiam poſſe ſumi dupliciter. 1. Phyſice pro qualitate, qua participes efficimur divinæ naturæ, 2. Moraliter pro jure morali ad gloriam mediis bonis operibus, vel præſentibus, vel præteritis quidem, ſed remanentibus in Dei acceptatione. Neque iſta diſtinctio eſt fictitia, ut contendit quidam Recentior Thomiſta, ſed fundata in Auctore 3. p. q. 7. a. 11. o. ubi diſtinguit inter gratiam Chriſti conſideratam in eſſe entis & conſideratam in eſſe gratiæ. Si dicas jus ad gloriam fundari in gratia phyſice ſumpta. Id quidem verum eſt de jure phyſico & intrinſeco ad gloriam ut hæreditatem, non vero de jure morali & extrinſeco ad gloriam ut coronam & mercedem; illud namque fundatur in bonis operibus, quæ Deus acceptat ad gloriam & ad præmium. Hic itaque inquirimus tantum de reviviſcentia gratiæ ſumptæ moraliter pro jure ad gloriam; quia meritum dicit jus ad gloriam, ideoque meritum reviviſcere eſt recuperare jus ad gloriam. Quomodo autem & quando reſurgat & augeatur gratia in eſſe phyſico, ad quam recuperatur jus per actus remiſſos pœnitentiæ, dicemus in Tract. de Charitate, dum de ejus augmento.

Dico 1. Merita per peccatum mortificata non ſemper reviviſcunt per pœnitentiam in eo gradu & eadem perfectione, quam habebant, antequam mortificarentur, ſed ſecundum quantitatem & proportionem præſentis diſpoſitionis. Eſt manifeſte S. Th. hic q. 89. a. 2. o. ubi dicit: *Contingit intentionem motus pœnitentis quandoque proportionatam eſſe majori gratiæ, quam illa, a qua ceciderat per peccatum, quandoque autem æquali, quandoque vero minori, Et ideo Pœnitens quandoque reſurgit in majori gratia, quandoque autem in æquali, quandoque etiam in minori.* In Reſp. ad 2. *Pœnitentia quantum eſt de ſe habet virtutem reparandi defectus ad perfectum, & etiam promovendi in ulteriorem ſtatum, ſed hoc quandoque impeditur ex parte hominis, qui remiſſius movetur in Deum & deteſtationem peccati.* Et art. 5. ad 3. *Qui per Pœnitentiam reſurgit in minore charitate, conſequetur quidem præmium eſſentiale ſecundum quantitatem charitatis, in qua invenitur.* Id etiam innuit Trid. Seſſ. 6. c. 7. ubi dicit: *quod unuſquiſque recipiat juſtitiam ſecundum menſuram, quam Spiritus S. partitur ſingulis prout vult, & ſecundum propriam cujuſque diſpoſitionem.*

Prob. Ratione. Contritio, per quam reſurgit pœnitens, non ſolum eſt ramotio impedimenti, ut arbitrantur adverſarii, ſed eſt etiam diſpoſitio moralis ad reviviſcentiam meritorum. Atqui cauſa non producit effectum niſi ſecundum diſpoſitiones ſubjecti. Ergo. Prob. Maj. Sicut contritio ad tria, v. g. eſt diſpoſitio phyſica ad gratiam ad tria phyſice ſumptam, iſta diſpoſitio phyſica ad gratiam moralem ex meritis reviviſcentibus, quæ manet in acceptatione divina. Unde ſicut vi Sacramenti vel contritionis habetur jus phyſicum ad tria, ita æquale jus morale habetur per merita reviviſcentia; iſtæ enim duæ cauſæ non ſe impediunt. Nec obſtat, quod ſit tantum diſpoſitio ad tria, ubi enim duæ cauſæ concurrunt, eadem diſpoſitio ſufficit cuilibet ad ſuum effectum. Paritas eſt in Baptiſmo ficte ſuſcepto, qui, dum reviviſcit per Pœnitentiam, conſequitur ſuum effectum, & Pœnitentia ſuum ſecundum menſuram præſentis diſpoſitionis, ut dixi de Bapt. Differt. 4. art. 2. Petit. 2.

Dices. Pœnitentia non eſt diſpoſitio moralis ad reviviſcentiam meritorum, niſi ex beneplacito divino. Atqui non eſt ratio, cur Deus eam acceptet ad certos gradus meritorum mortificatorum, & non ad omnes. Ergo. R. N. Min. Sunt enim plures rationes; & ex eis confir. Concluſio: 1. Quia ſecluſa Dei revelatione, debemus loqui de ſupernaturalibus proportione ſervata, ſicut de naturalibus; partim ne detur cuilibet occaſio quodlibet ſingendi; partim quia exigit ſuavis Dei providentia, ut de ſupernaturalibus diſponat ad modum rerum naturalium, quæ ſunt nobis notæ; cauſæ autem naturales non producunt effectum, niſi ſecundum diſpoſitiones ſubjecti. 2. Per hanc modificationem ſalvantur jura miſericordiæ & juſtitiæ. 3. Si merita mortificata ſemper reviviſcerent in ſummo gradu, daretur juſtis occaſio teporis & facilitatis ad peccandum, cum viderent tam facilem meritorum reviviſcentiam quoad totam ſuam perfectionem. E contra ex noſtra ſententia inducuntur ad eliciendos actus ferventiores charitatis & contritionis, ſive in ipſa converſione, ſive poſtea, quibus opera mortificata magis ac magis reviviſcant, quouſque in integrum reſtituantur.

Dico 2. Merita mortificata reviviſcunt ſecundum quantitatem præſentis diſpoſitionis, non hoc ſenſu quod eadem gloria eſſentialis conferatur pœnitenti duplici titulo, ſcilicet titulo præſentis diſpoſitionis, & titulo meritorum mortificatorum, ſed hoc ſenſu, quod ultra jus ad gloriam eſſentialem correſpondentem præſenti diſpoſitioni conferatur aliquid de jure ad diſtinctam gloriam eſſentialem correſpondentem præcedentibus meritis. Prob. Quia alioquin reviviſcentia meritorum non ſalvatur cum proprietate. Ergo. Prob. Ant. Merita reviviſcere nihil eſt aliud, quam ea iterum acceptari ad gloriam eſſentialem, quam mereban-

Digitized by Google

bentur. Atqui ſi ultra gloriam eſſentialem, quæ debetur præſenti diſpoſitioni, non detur altera, quæ correſpondeat meritis præcedentibus, ſed tantum eadem duplici titulo detur, non proprie iterum acceptantur ad gloriam eſſentialem, quia etſi non præceſſiſſent, perinde foret, & æqualis gloria. Sicut ſi quis per decem dies in vinea alterius laboraſſet, & daretur illi ſtipendium unius diei decem titulis, novem dies priores non cenſeretur computari, & juſte compenſari. Ergo.

Confir. Pone caſum, quod aliquis 8. annis ſanctiſſime vixerit, & in fine vitæ peccet mortaliter, & alter per idem tempus flagitioſiſſime vixerit, uterque autem reſurgat in eodem Pœnitentiæ gradu, puta ad quatuor; uterque ſecundum ſententiam, quam oppugnamus, æquali gloria donabitur. Ergo in primo nulla habebitur ratio præcedentium meritorum, adeoque proprie non reviviſcunt.

Neque dicas, quod reſpectu meritorum præcedentium confertur primo majus gaudium accidentale de operibus in prima charitate factis. Nam contra 1. Vita hominis eſt vita æterna. Ergo niſi illis meritis reſpondeat præmium vitæ æternæ, proprie non reviviſcunt. Unde Concilium Trid. ſeſſ. 6. c. 16. dicit merita vivificata valere, *Ad conſequendam ſuo tempore vitam æternam*; vita autem æterna eſt gloria eſſentialis. 2. Quia ſequeretur, quod impietas impii ipſi multum noceret, etiamſi converteretur, & quod Deus nullo modo redderet annos, quos comedit Locuſta & Bruchus, contra Scripturam.

Sententia itaque noſtra his duabus Concluſionibus explicata in hoc eſt cæteris anteponenda, quod media via incedat inter nimium rigorem, & nimiam indulgentiam. Nimis namque rigor videtur, quod homo pœnitens non reſurgat niſi ad gloriam eſſentialem, quæ præciſe reſpondet diſpoſitioni præſenti, & nullatenus ad aliquam ſaltem partem illius, quæ debebatur meritis præcedentibus: unde pœnitentes animo cadunt, & in deſperationem labuntur. Ex altera parte videtur nimia indulgentia, quod pœnitentes ſemper reſurgant ad majorem gratiam & gloriam: unde peccatores fiunt præſumptuoſi, & negligunt bona opera. Uterque vero ſcopulus cavetur, & jura miſericordiæ & juſtitiæ conciliantur dicendo, quod homo pœnitens reſurgat ſecundum quantitatem diſpoſitionis præſentis ad aliquem gradum præmii eſſentialis, diſtinctum ab illo, qui reſpondet præſenti diſpoſitioni.

Solvuntur Objectiones.

OBj. 1. Contra 1. Concluſionem. Remoto impedimento ſequitur effectus, ut ante. Atqui peccatum eſt impedimentum meritis, & removetur per Pœnitentiam. Ergo. R. D. Min. Peccatum eſt impedimentum meritis tantum, N. Simul & defectus diſpoſitionis, C. Unde pœnitentia non eſt mera remotio impedimenti, ſed etiam diſpoſitio moralis ad reviviſcentiam meritorum, ut probatum eſt.

Inſt. Gratia, quæ confertur per Sacramentum Pœnitentiæ non commenſuratur diſpoſitioni pœnitentis; qui enim attritus accedit ad Sacramentum, recipit gratiam, quamvis attritio non ſit diſpoſitio ſufficiens, proportionata gratiæ. Ergo etiam dum confertur ante Sacramentum. R. D. Maj. Gratia, quæ confertur per Sacramentum Pœnitentiæ, non commenſuratur diſpoſitioni pœnitentis aritmetice, C. proportionaliter, N. Non itaque gratia per Sacramentum collata ſic commenſuratur diſpoſitioni pœnitentis, quaſi diſpoſitio debeat eſſe tanta, quanta eſt gratia, ita ut ſi gratia ſit ad quatuor, etiam diſpoſitio ſit ad quatuor, ſicut debet eſſe in collatione gratiæ extra Sacramentum; commenſuratur tamen proportionaliter, quia quo major eſt diſpoſitio in accedente ad Sacramentum, eo majorem recipit gratiam. Nec mirum, quod non tanta requiratur diſpoſitio, quando gratia confertur per Sacramentum, quia tunc confertur ex opere operato, & Deus ſupplet in adultis partem diſpoſitionis, ſicut ſupplet totam in infantibus, qui baptizantur. Extra Sacramentum autem habetur gratia ex opere operantis per actus charitatis & contritionis, & ideo Deus diſpoſitionem non ſupplet.

Obj. 2. Ambroſius, ſeu Aug. 3. hypognoſt. dicit, quod *Pœnitentia eſt res optima, quæ omnes defectus revocat ad perfectum*. Et Apoſt. Rom. 5. dicit: *Ubi abundavit delictum, ſuperabundavit & gratia*. Atqui utrumque videretur falſum, ſi merita in toto non reviviſcant per pœnitentiam. Ergo. Item ex hac ſententia ſequeretur contra expreſſa Scripturæ teſtimonia ſ. præced. laudata, quod Deus non redderet annos, quos comedit locuſta, quod impietas impii ipſis noceret, etſi convertatur; quod Deus obliviſceretur operis noſtri, &c. Ergo. Item ſequeretur, quod homo, qui non reſurgeret in contritione æquali præteritis meritis, & ſtatim moreretur, puniretur in æternum propter peccatum præteritum, atque etiam tunc, cum in cœlo eſſet beatus. Item ſequeretur, quod qui ante peccatum habebat meritum ut viginti, ſi reſurgat ut duo, non conſequentur majorem fructum, quam qui habent meritum ut duo, & reſurgit ut duo. Atqui hæc videntur abſurda. Denique Trid. ſeſſ. 6. can. 32. dicit opera hominis juſtificati facta a gratia Dei vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ, ſi tamen in gratia decedat, conſecutionem, atque etiam gloriæ augmentum. Et c. 16. ſupra citato, dicit præter iſta tria nihil amplius deeſſe, quominus cenſeantur juſti promeruiſſe vitam æternam ſuo tempore conſequendam. Ergo ex Trid., quæcumque bona opera per peccatum mortificata reviviſcunt, & augmentum gratiæ & gloriæ, ſi homo in gratia deceſſerit, conſequentur.

R. ad 1. (*Ibid.* a. 2. *ad* 2.) quod Pœnitentia quantum eſt de ſe, habeat virtutem reparandi omnes defectus ad perfectum, & etiam promovendi ulteriorem ſtatum, ſed hoc quandoque impeditur defectu diſpoſitionum ex parte hominis, qui remiſſius movetur in Deum & in deteſtationem peccati. Sicut etiam in Baptiſmo aliqui adulti conſequuntur majorem vel minorem gratiam, ſecundum quod diverſimode ſe diſponunt. Ad 2. (*Ibid. ad* 3.) Senſus Apoſtoli non eſt, quod quanto quis abundantius peccat, tanto abundantiorem gratiam habitualem recipiet. Sed ſenſus eſt, quod ſuperabundet gratia ſuperabundanti delicto quoad rationem ipſam gratiæ, quia magis gratis, magis peccatori confertur. Adde, quod Apoſtolus loquatur de gratia Chriſti, quæ eſt ſuperabundet, hoc eſt pluſquam ſufficiens ad delenda omnia & infinita peccata.

Ad 3. R. Juxta ſolutionem D. Th. mox datam, hæc omnia teſtimonia vere eſſe in noſtra ſententia, attenta ratione Pœnitentiæ, quæ quantum eſt ex ſe, poteſt reparare omnes defectus ad perfectum; quod autem non fiet ita, accidit defectu diſpoſitionum in pœnitente, qui remiſſius movetur in Deum & in peccatum. Unde reſtitueret Deus annos etiam integros, quos comedit locuſta, ſi ſufficienter homo foret diſpoſitus huic reſtitutioni. Nec etiam impietas ipſi nocet, quia non datur ipſi minor gratia & gloria ratione & merito peccatorum præcedentium, ſed quia non ſe bene præparat ad majorem. Adde, quod præcipue hoc loco ſignificetur, quod impietas pœnitentis non ipſi noceat ad damnationem, alioquin nocet & quoad habitus malos relictos, & quoad reatum pœnæ temporalis. Nec Deus obliviſcetur operis noſtri, qui quantum eſt ex ſe reſtituit omnia, ubi fuerint ad ea ſufficientes diſpoſitiones: obliviſceretur autem, ſi pœnitenti ſufficienter diſpoſito non redderet. Ad 4. R. cum Goneto, privationem illam juris ad aliquem gradum gloriæ eſſentialis, quem homo meruit ante peccatum, non eſſe proprie pœnam peccati præteriti, quaſi Deus adhuc intendat per illam punire peccatum pœnitentia deletum, ſed eſt tantum defectus ſequens alio defectu, videlicet ſufficientis diſpoſitionis; ſicut qui, cum pauciora bona fecit in hac vita, non recipit plura præmia in cœlo, non dicitur puniri.

Ad 5. Id non ſequitur juxta explicationem Soto, de qua ſupra. Juxta vero communem explicationem, N. Min. Quia hoc non provenit niſi ex defectu diſpoſitionum, quod non eſt abſurdum. Unde primus attentis meritis prioribus, & pœnitentia, pluſquam ſecundus recuperare deberet, ſi ſufficientes diſpoſitiones poneret. Ad ultimum, C. totum. Sed quod reviviſcant merita ad integrum augmentum gratiæ & gloriæ, ad quod ante peccatum valebant, quod eſt noſtra quæſtio, non definivit Concilium, ſed Theologis diſputandum reliquit, quamvis ſententiam noſtram innuat, ut patet ex Probatione Concluſionis.

Obj. 3. Contra 2. Concluſionem cum Banne, Contenſon &c. S. Th. hic art. 5. ad 3. ſic ait: *Ille, qui per pœnitentiam reſurgit in minore charitate, conſequetur quidem præmium eſſentiale ſecundum quantitatem charitatis, in qua invenietur; habebit tamen gaudium majus de operibus in prima charitate factis, quam de operibus, quæ in ſecunda charitate fecit, quod pertinet ad præmium accidentale.* Idem docet in 3. d. 31. q. 1. a. 4. ad 4. Ergo cenſet S. Doctor merita non reviviſcere ad gloriam eſſentialem juxta menſuram præcedentis diſpoſitionis, ſed tantum ad gloriam accidentalem. R. N. Conſeq. Quin imo contrarium innuit S. Doctor hiſce teſtimoniis; dicit enim, quod *Ille, qui per pœnitentiam reſurgit in minore charitate, conſequetur quidem præmium eſſentiale* (correſpondens ſcilicet meritis antiquis, de quo procedebat argumentum) *ſecundum quantitatem charitatis, in qua invenietur.* Vult ergo ſolum quod quia tale jus ad præmium eſſentiale interdum minus ſit, quam illud, quod fuit ante peccatum, ob defectum ordinarium diſpoſitionis & contritionis, in qua pœnitens reſurgit, pro illo exceſſu & meritis non perfecta vivificatis pœnitens ſolum habeat jus ad aliquod præmium accidentale, gaudium ſcilicet de illis operibus in prima charitate factis, quod ideo dicit fore majus quam gaudium de operibus in ſecunda charitate factis; quia magis gratis obtinuit per remiſſionem præmium eſſentiale illorum, cujus fuerat factus indignus per peccatum;

quam

quam præmium eſſentiale operum in ſecunda charitate factorum, quæ nunquam fuerant mortificata. Hec ergo D. Th. teſtimonia, in quibus tantam vim faciunt adverſarii, non militant contra hanc 2. Concluſionem, ſed probant 1.

Obj. 4. contra eandem. Idem præmium meruit Chriſtus pluribus titulis. Et ex Trid. ſeſſ. 6. cap. 16. eadem gloria datur juſtis, & ut hæreditas, & ut præmium. Ergo ſimiliter poteſt dici, quod idem gradus gloriæ eſſentialis detur pluribus titulis, ſcilicet titulo præſentis meritis & præcedentium reviviſcentium. R. N. Conſeq. Quoad 1. diſparitas eſt quod cum quodlibet opus meritorium Chriſti eſſet infinitum in ratione meriti, nihil reſtabat, quod per ſubſequens opus poſſet mereri, ideoque idem variis titulis merebatur, quia aliter fieri non poterat; non ſic autem in noſtro caſo, ita Gonet. Diſparitas in ſecundo eſt, quod licet per gratiam conſtituamur Filii Dei adoptivi, adeoque ejus gloriæ hæredes, noluit tamen Deus eam nobis conferre niſi propter merita; quia talis modus eam acquirendi eſt nobilior, & nobis glorioſior. Qua de cauſa, & quia ſunt tituli diverſæ rationis, non eſt inconveniens, quod propter utrumque eadem gloria detur. At vero omnia noſtra merita prima & ſecunda ſunt ejuſdem rationis; & non eſt aliqua ratio, ut in priori caſo, cur duplici merito unum præmium reſpondeat.

DISSERTATIO IV.

DE PARTIBUS SACRAMENTI POENITENTIÆ IN PARTICULARI, ET PRIMO DE CONTRITIONE.

Div. Thom. Suppl. Q. 1. 2. 3. 4. & 5.

AUctor q. 90. ſeq. agit de partibus Sacramenti Pœnitentiæ in generali, de quibus nos egimus in Diſſert. 2. Hæ autem ſunt quatuor: Contritio, Confeſſio, Satiſfactio & Abſolutio, de quibus in particulari diſſerere non potuit S. Doctor morte præventus, magno Reipublicæ Chriſtianæ detrimento. Quæ vero ſequuntur ex ejus Scriptis in 4. ſententiarum collecta ſunt in unum, quod vocatur *Supplementum Summæ*. Et quamvis huic Supplemento ſua nec parva inſit auctoritas, non tanta tamen quanta Summæ; quia illic S. Doctor agebat partes Commentatoris; in Summa vero partes perfecti & conſummati Doctoris.

ARTICULUS I.

De Quidditate & qualitate Contritionis.

HÆc nomina *Contritio* & *Attritio* (*Supp. q. 1. a. 1. a.*) per metaphoram tranſlata ſunt a corporalibus ad ſpiritualia. Sicut enim in corporalibus res dura dicitur atteri vel frangi, quando in magnas partes dividitur, conteri autem, ſeu comminui, quando in minutas partes dividitur; ita per ſimilitudinem in ſpiritualibus cor humanum ſuis peccatis & affectibus inhærendo, durum factum & obedire neſcium (unde & lapideum vocatur Ezech. 11.) conteri dicitur, dum virtute divina per pœnitentiam affectum peccati, cui adhærendo durum factum fuerat, totaliter dimittit: Atteri autem dum non ita perfecte dimittit.

Dico 1. (*3. p. q. 85. a. 7. & 4.*) Contritio ut ſic, prout abſtrahit a ſtatu veteris & novæ Legis, a perfecta & imperfecta, eſt *Animi dolor & deteſtatio de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero*. Ita in terminis Concilium Trid. ſeſſ. 14 cap. 4. cui definitioni ſi addas ex Trid. *Cum voto præſtandi reliqua... quæ ad rite ſuſcipiendum hoc Sacramentum requiruntur*, habebis definitionem contritionis prout convenit ſtatui novæ Legis, coincidentem cum iſta Auctoris. (*Supp. q. 1. a. 1. a.*) *Dolor pro peccatis aſſumptus cum propoſito confitendi & ſatisfaciendi*. Sufficit autem iſtud votum confitendi eſſe implicitum, ſicut dixi de voto ipſius Sacramenti Diſſert. 1. art. 5. §. 3. Require ibi.

Explicatur definitio. Dicitur 1. *Animi dolor*; quia Contritio non eſt dolor partis ſenſitivæ, ſed affectus rationalis, ſeu voluntatis. Non raro tamen ex vera Contritione oritur in appetitu ſenſitivo ea paſſio, quæ dicitur dolor, & eſt laudabilis, quatenus imperatur a voluntate; non eſt tamen ad veram Contritionem neceſſarius, cum non ſit in poteſtate hominis. Dicitur 2. *Deteſtatio* ſeu odium; quia dolor naſcitur ex odio in ſubjecto doloris capaci, & ad contritionem neceſſario requiritur, ut dicam modo. Dicitur 3. (*Ibid. q. 2. a. 1. o.*) *De peccato*, non de pœna peccati; quia contritio in ſpiritualibus importat voluntatis duræ comminutionem. Hæc autem voluntatis durities eſt in malo culpæ, & non pœnæ; dicitur enim voluntas dura, in quantum in ſuis terminis ſtat, ut præcepto Legis non cedat. Dicitur 4. *De peccato*, utique ut peccatum eſt, ſeu ut eſt malum, & offenſa Dei; alioquin non eſſet actus pœnitentiæ, ut patet ex Diſſert. 2. a. 1. & amplius dicemus infra. Dicitur 5. (*Ibid. a. 3. o.*) *De peccato commiſſo*, non committendo. Peccatum enim nondum commiſſum non eſt expiabile, nec quiſquam dolet de commiſſurum peccatum quod ex ejus voluntate pendet. Dicitur 6. (*Ibid. a. 5.*) *De peccato*, utique proprio, non alieno; quia contritio debet eſſe in eo, in quo durities peccati, quod conteritur, præceſſit: illud enim idem conteritur, quod prius durum fuit. (*Ibid. a. 2.*) Nec de originali; quia cum contritio ſit dolor comminuens duritiem voluntatis, non eſt propria niſi de illo peccato, quod procedit ex duritia voluntatis, quale non eſt originale; ſi tamen dolor ſumatur late pro quacumque diſplicentia mali facti præteriti, poteſt & debet eſſe dolor de peccato originali. Dicitur 7. denique *Cum propoſito non peccandi de cætero*; quia nemo vere dolere poteſt ſe aliquid feciſſe, ſi non proponat amplius non facere.

Illud autem propoſitum videtur, per ſe loquendo, debere eſſe explicitum: quia alias fruſtra Concilium Florent. in compendio fidei, Trid. loco cit. S. Thom. cum Theologis, illud in definitione contritionis addidiſſent, niſi intellexiſſent illud debere eſſe explicitum, quia implicitum continetur in priori illa parte, dolor de peccato commiſſo; fieri enim non poteſt, ut jam dicebam, quod quis vere de peccatis doleat, niſi virtualiter ſaltem ſtatuat ea iterum non committere. Per accidens tamen defectu temporis vel conſiderationis, ſufficit implicitum, ſeu virtuale, modo pœnitentem ita ſuorum peccatorum pœniteat, quod ſi adverteret ad futura, proponeret ea nunquam iterare, ut dicit Sylvius hic poſt Navarrum.

Si quis ergo occupatus, vel in examinanda ſua conſcientia, vel in deteſtanda vita præterita, vel in imploranda Dei miſericordia, & petenda venia, vel in excitando in ſe Dei amorem & dolorem de peccatis, non cogitet actu dicens, volo emendare vitam, nolo amplius peccare; ſed bona fide eat ad confeſſionem; vere eſt contritus, & confeſſio bona propter virtuale propoſitum in dolore incluſum, ita laudatus Sylvius. Et ratio eſt; quia ut modo dicam, propoſitum formale non eſt de eſſentia Contritionis, nec conſequenter pars eſſentialis Sacramenti, ſed requiritur tantum de præcepto, quando quis vult juſtificari. Obſervandum hic pro rudibus hoc propoſitum non eſſe promiſſionem, ſeu votum inducens aliquam novam obligationem, ſed eſſe dumtaxat ſinceram voluntatem non amplius peccandi, quæ non inducit aliam obligationem, quam eam qua unuſquiſque tenetur non peccare.

Porro hæc tria, ſcilicet dolorem & odium peccati, atque propoſitum non peccandi, neceſſario requiri ad contritionem, patet 1. Quia Concilium Trid. & S. Thom. illa ponunt in definitione contritionis. 2. Quia non deſtruitur peccatum, niſi deteſtetur, ſeu odio habeatur; odium autem parit dolorem in ſubjecto capaci, & ad dolorem & odium alicujus rei ſequitur, tanquam proprietas, propoſitum eandem in poſterum non perpetrandi. 3. Quia vera contritio importat veram converſionem voluntatis; converſio autem voluntatis eſt a termino a quo, ſcilicet a veteri vita per odium & dolorem ad terminum ad quem, ſcilicet novam vitam per propoſitum emendæ; accedit enim & recedit voluntas per actus ſuos. 4. Hæc tria requiruntur ad reconciliationem inter homines. Ergo & inter Deum & homines.

Sed difficultas quædam eſt, an Contritio conſiſtat eſſentialiter formalis in iſtis tribus, an in aliquo tantum, & in quo? Pro cujus reſolutione breviter Dico 2. Eſſentia Contritionis non conſiſtit formaliter in iſtis tribus, ſed formaliter in ſolo dolore, præſuppoſitive in odio, & conſecutive in propoſito. Prob. 1. Pars. Actus primarius virtutis ſpecialis debet eſſe unus & non aggregatum ex pluribus actibus ſpecie diſtinctis. Atqui Contritio eſt actus primarius virtutis ſpecialis pœnitentiæ, & hi tres actus, odium, dolor & propoſitum ſpecie diſtinguuntur. Ergo. Prob. Maj. Actus primarius virtutis ſpecialis eſt illi ſimilis, ab ipſa enim immediate elicitur, & ipſa per illum ſpecificatur. Atqui plures actus ſpecie diſtincti non poſſunt eſſe ſimiles uni virtuti ſpeciali, cum ſit ſimplex qualitas unius ſpeciei. Ergo.

Prob. 2. Pars 1. Ex Auctore, qui hic art. 1. definiens contritionem; quod ſit *Dolor de peccatis*, &c. dicit dolorem eſſe genus in hac definitione. 2. Quia cum contri-

tio

tio ſit actus primarius pœnitentiæ, ut jam dictum eſt, in eo actu formaliter conſiſtit, qui reſpicit peccatum, ut offenſam Dei aliqua ſatisfactione expiabilem, ut patet ex dictis de Pœnitentia virtute. Atqui talis actus eſt dolor, & non odium. Ergo. Prob. Min. Actus qui reſpicit peccatum, ut offenſam Dei aliqua ſatisfactione expiabilem, debet aliquid adimere a peccatore, quod quodammodo offerat Deo. Atqui odium peccati nihil a peccatore adimit, dolor aliquid adimit; quia per illum patitur aliquod malum pœnæ, ſcilicet triſtitiam. Ergo. Confir. 1. Contritio eſt formaliter pœnitentia. Atqui pœnitere, formaliter loquendo, eſt pœna, ſeu dolore teneri. Confir. 2. Si contritio formaliter conſiſteret in odio peccati, reperitur in Beatis, qui ſummo odio proſequuntur peccatum. Falſum Conſequens. Ergo. Tertia & 4. Pars patent. Odium enim alicujus rei cauſat dolorem in ſubjecto doloris capaci: & ad dolorem ſeqoitur tanquam proprietas propoſitum eandem rem rurſus non perpetrandi.

Dices 1. S. Th. hic & alibi ſæpe dicit contritionem eſſe diſplicentiam peccati; diſplicentia autem eſt odium. Ergo. R. S. Th. loqui in ſenſu cauſali, non formali; vel ſumit diſplicentiam pro dolore, ſicut ſæpe accipitur complacentia pro gaudio.

Dices 2. Si quis diligeret perfecte Deum, & conſequenter peccatum odio haberet, abſque eo quod cogitaret de dolore, eſſet vere contritus. Ergo. R. 1. N. Suppoſitum Antecedentis. Non videtur enim poſſibile, quod quis ſummo odio habeat peccatum, & non doleat ſe illud commiſiſſe; dolor enim, ut dictum eſt, ſequitur ad odium in ſubjecto capaci. 2. Dato Antecedente, iſte peccator non foret formaliter contritus, ſed virtualiter tantum.

Dices 3. Contritio debet conſtitui in eo actu, qui per ſe primo opponitur peccato, ſed odium peccati eſt id, quod per ſe primo opponitur peccato, dolor enim, ut diximus, ſequitur ad odium. Ergo. R. D. Maj. Contritio debet conſtitui in eo actu, qui per ſe primo opponitur peccato, ut eſt contra ſummum bonum præciſe, N. ut eſt offenſa Dei expiabilis per ſatisfactionem, C. & diſtincta Min. ad ſenſum Maj. N. Conſeq. Solutio patet ex probatione Cooclusionis, & ex dictis de Pœnitentia virtute, quam probavimus eſſe partem potentialem juſtitiæ.

Dico 3. Contritio debet eſſe ſupernaturalis. Patet 1. Ex Concilio Trid. ſeſſ. 6. Can. 3. ubi poſt Coocilium Arauſ. 2. ſic definit: *Si quis dixerit ſine præveniente Spiritus S. inſpiratione, atque adjutorio hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.* 2. Ex Innocentio XI. condemnante hanc propoſitionem: *Probabile eſt ſufficere attritionem naturalem modo honeſtam.* 3. Ratione, quia nulla eſt relatio, nulla connexio ordinis naturalis cum ſupernaturali, ad quem ſpectat juſtificatio hominis. Hinc inferes, quod qui dolet de peccato, quia repugnat rationi, vel convictui humano, ſive quia ex illo ſequitur diſpendium famæ, vel bonorum temporalium, & ſimilibus motivis naturalibus, inſufficienter & infructuoſe conteratur; ſecus ſi doleat de peccato, ut eſt contra Legem divinam (ſic enim intelligitur ejus turpitudo, de qua Concilium Trid. ſeſſ. 14. c. 4.) vel ut eſt inductivum pœnarum purgatorii, inferni, amiſſionis gratiæ, &c. hæc enim pertinent ad ordinem ſupernaturalem, nec niſi fide ſupernaturali cognoſci poſſunt: & ideo quamvis hujuſmodi contritio non ſufficiat ad juſtificationem etiam cum Sacramento, niſi interveniat aliquis amor Dei benevolus ut dicemus infra, ad illam tamen diſponit.

Dico 4. Contritio debet eſſe vera & ſincera; ita ut ſi quis conteratur ficte, aut ſe credat vere contritum, & non ſit, ſicque accedat ad Sacramentum; neque effectum Sacramenti, neque ipſum Sacramentum recipiat; quia contritio vera eſt pars eſſentialis Sacramenti. Sinceritas autem contritionis non ex verbis pœnitentis præciſe æſtimanda eſt, ſed maxime ex operibus, ex mutatione vitæ, ex fuga occaſionum, ex praxi virtutum, juxta illud Matth. 6. *A fructibus eorum cognoſcetis eos.* Ad hæc attendant Confeſſarii præſertim pro peccatoribus inveteratis & conſuetudinariis, & iis, qui verſantur in occaſione proxima.

ARTICULUS II.

De quantitate Contritionis.

QUANTITAS contritionis poteſt diſtingui triplex; appretiativa, intenſiva, & extenſiva. Appretiativa ſpectat objectum, quod pluris æſtimatur quam quodvis aliud, etſi non toto animi conatu id fiat. Intenſiva ſpectat ſubjectum, in quo magis radicatur, & per gradus augetur. Extenſiva ſpectat multitudinem peccatorum.

Dico 1. (*Supp. q. 3. a. 1. o.*) Dolor de peccatis, qui eſt eſſentialiter contritio, debet eſſe omnium dolorum maximus appretiative; hoc eſt, peccator debet ſic deteſtari peccata, ut pro nulla re mundi velit illa committere. Prob. 1. Ex illo Joelis 2. *Convertimini ad me in toto corde veſtro;* quod debet ſaltem intelligi de converſione & contritione appretiativa ſuper omnia. (*Ibid.*) Tanto magis aliquid diſplicet, quanto magis ejus contrarium placet. Atqui contrarium peccati placet ſuper omnia. Ergo. Prob. Min. Contrarium peccati eſt finis ultimus; avertit enim peccantem a fine ultimo, & ideo ipſi contrariatur. Atqui finis ultimus ſuper omnia placet, propter ipſum enim omnia fiunt. Ergo. 3. Dolor eſt de malo. Ergo juxta rectam rationem de majori malo debet eſſe major dolor, ſaltem appretiative. Atqui peccatum eſt omnium malorum maximum. Ergo de peccato debet eſſe maximus dolor appretiative.

Obſervandum eſt tamen collationes malorum in particulari cum peccato non eſſe faciendas a Pœnitentibus ſaltem vulgaribus; neque a Confeſſariis eſſe eis proponendas puta an mallent hic, & nunc mortem atrociſſimam, jacturam honoris, vel omnium bonorum, &c. pati, potiuſquam Deum offendere? *Quamvis enim*, inquit Auctor (*Supp. q. 3. a. 1. ad 4.*) *talis debeat eſſe pœnitentis diſpoſitio, non tamen de eis tentandus eſt, quia affectus ſuos homo non de facili menſurare poteſt, & quandoque illud, quod minus diſplicet, videtur magis diſplicere, quia eſt propinquius nocumento ſenſibili, quod magis eſt nobis notum.* Et iterum (*Quodl. 1. a. 9.*): *Sicut delectabilia plus movent in particulari conſiderata, quam in communi, ita terribilia plus terrent, ſi in particulari conſiderentur; & aliqui ſunt qui minori tentatione non cadunt, qui forte majori caderent ... Et ideo deſcendere in talibus ad ſingula, eſt inducere hominem in tentationem, & præbere occaſionem peccandi.*

Dico 2. Dolor ac deteſtatio voluntatis de peccatis, non debet neceſſario eſſe maximus omnium dolorum intenſive. Prob. (*Ib.*) Intenſio actus voluntatis provenit ex vehementia objecti moventis ipſam; inde enim fit, quod majori conatu & fervore feratur in ipſum. Atqui peccatum non eſt objectum vehementius movens voluntatem ad dolorem, quam quodvis aliud malum. Ergo. Prob. Min. Objectum ſenſibile vehementius movet voluntatem quam ſpirituale, quale eſt peccatum, ut eſt offenſa Dei. Ergo. Prob. Ant. Quo objectum eſt propinquius voluntati, eo vehementius illam movet. Atqui objectum ſenſibile pro hoc ſtatu eſt ipſi propinquius quam ſpirituali. Ergo. Prob. Min. Senſibilia ſunt immediata & proxima ſenſibus, Atqui voluntas pro hoc ſtatu operatur conformiter ad illos, & ab ipſis dependet, quatenus ſequitur cognitionem intellectus, qui pro hoc ſtatu deſumit cognitionem a ſenſibus. Ergo.

Confir. 1. ab abſurdo. Si omnium dolorum maximus intenſive requireretur, ſequeretur, quod ex duobus, qui æque intenſe dolerent de peccato, unus juſtificaretur, alter non; pone enim caſum, quod unus intenſe doleat de peccato, ſed intenſius de morte Patris; alter æque intenſe doleat de peccato, ſed minus intenſe de morte Patris, hic juſtificabitur, non ille. Atqui abſurdum Conſequens. Ergo & Ant. Confir. 2. Amor charitatis non debet eſſe omnium maximus intenſive, ut docetur de charitate. Ergo nec dolor de Dei offenſa. Hinc non ſtatim ſunt culpandi, qui de amiſſione Parentum, Amicorum, Bonorum, &c. intenſius dolent, etiam dolore voluntatis, quam de peccato; id enim ſequitur naturam rerum; convenit tamen, ut ſaltem conentur intenſius dolere de peccatis, quam de alia re mundi, imo inordinatum eſſet & illicitum, ſi eligerent intenſius dolere de alio malo, quam de peccato, quia hoc eſſet judicare, eſſe aliquod majus malum, quam peccatum, ideoque de ipſo magis appretiative dolere; ſecus autem quando major intenſio doloris ſequitur ex conditione naturæ, ut dictum eſt in probatione Concluſionis.

Dices. Ex variis locis Scripturæ Deuteron. 4. Joel 2. Michææ 4. Iſa. 40. Matth. 11. &c. habetur, quod converſio debeat fieri in toto corde, in jejunio, fletu & planctu, & in tota tribulatione animæ. Ergo ſummo, & maxime intenſo dolore. R. N. Conſeq. Sicut enim præceptum diligendi Deum ex toto corde non intelligitur de totalitate intenſionis, ſed de totalitate appretiationis, *Ita ut diligens nihil cogitet, nihil velit, quod divinæ dilectioni ſit contrarium*, ut ait S. Th. 2. 2. q. 24. *a.* 8. ſic præceptum contritionis; ita ut pœnitens ſic deteſtetur peccatum, ut pro nulla re mundi velit illud committere.

Inſt. Deus eſt ſummum bonum, & peccatum eſt ſummum malum. Ergo Deus eſt ſumme etiam intenſive diligendus, & peccatum ſumme intenſive deteſtandum. R. Totum per ſe eſſe verum, ſed non ex neceſſitate præcepti, attenta conditione naturæ humanæ, ut docet Auctor loco citato.

Dico 3. (*Ib.*) Dolor de peccatis, qui eſt in parte ſenſitiva, non debet neceſſario eſſe maximus, qui in ea eſſe poteſt. Prob. (*Ibid.*) Dolor de peccatis, qui eſt in parte ſenſiti-

ſitiva, cauſatus ex dolore voluntatis, vel eſt ex neceſſitate naturæ, ſecundum quod vires inferiores ſequuntur motum ſuperiorum, vel ex electione, ſecundum quod homo pœnitens in ſe ipſo, ſeu in parte ſenſitiva hunc dolorem excitat, ut de peccatis doleat. Atqui neutro modo oporter quod ſit maximus dolor. Ergo. Prob. Maj. pro 1. parte. Major dolor eſt in ſenſitiva parte ex læſione ſenſus, quam ſit ille, qui ex ipſa neceſſitate naturæ redundat ex ratione, & qui redundat ex ratione de corporalibus deliberante, major eſt quam qui redundat ex ratione de ſpiritualibus deliberante, qualia ſunt peccata, quia ſenſus, ſeu vires inferiores vehementius moventur a propinquioribus & propius objectis, quæ ſunt ſenſibilia, quam a remotioribus & alienis. Ergo dolor de peccatis in parte ſenſitiva ſecutus ex neceſſitate naturæ non eſt omnium maximus. Prob. Min. pro 2. Parte. 1. Affectus inferior non ſemper ſuperiori ad nutum obedit, ut tanta & talis paſſio ſequatur in inferiori appetitu, qualem ordinat ſuperior; ratio enim dominatur appetitui ſenſitivo politice tantum non deſpotice. 2. Paſſiones a ratione aſſumuntur in actibus virtutum ſecundum menſuram quamdam (virtus enim conſiſtit in medio); atqui quandoque dolor ſenſitivus, qui eſt ſine virtute, menſuram nullam ſervat, ſed excedit. Ergo dolor de peccatis in parte ſenſitiva ex electione aſſumptus non debet eſſe omnium maximus.

Hinc iterum veniunt excuſandi & conſolandi vulgares, qui amarius & intenſius ſenſibiliter deflent mortem parentum aut amicorum, aliarumque rerum ſenſibilium, quam Dei offenſam & amiſſionem: modo appretiative magis Deum diligant quam Parentes, & magis appretiative ejus offenſam deteſtentur, quam amiſſionem cujuſcumque rei. Talis enim dolor ſenſibilis provenit ex natura, ſcilicet ex objecto ſenſibili & viciniori, quod vehementius movet ſenſus, & ideo non vergit in culpam. Imo quandoque nullus ſentitur, nec eſt in poteſtate hominis, ut habeatur, maxime quando eſt duri ſenſus, vel aliunde lætitia cumulatur, adeoque non eſt abſolute neceſſarius ad contritionem, ut jam alibi diximus. Saluberrimum eſt tamen ad talem dolorem conari & ſe excitare, utpote qui cauſa eſſe ſolet majoris deteſtationis etiam appretiative.

Verum dato non requiri, quod dolor de peccatis, qui eſt in voluntate, ſit omnium maximus intenſive, reſtat difficultas, an non ſaltem debeat eſſe intenſus ad certum gradum, ut ſit diſpoſitio ſufficiens ad juſtificationem, ſive ut ad eum ſequatur immediate juſtificatio: & eſt quæſtio de juſtificatione tam cum Sacramento, quam extra Sacramentum. Hujus difficultatis reſolutio pendet ex dicendis infra de Attritione. Interim breviter

Dico 4. Ad juſtificationem cum Sacramento nullus requiritur intenſionis gradus in attritione, modo habeat aliunde conditiones requiſitas. 1. Quia alias ſcrupulus imprimeretur conſcientiis Pœnitentium, qui nec intenſionem, nec intenſionis gradum diſcernere poſſunt. 2. Ex uſu & praxi Eccleſiæ. Non enim ſolent Confeſſarii exigere a Pœnitentibus ullam doloris intenſionem, ſed tantum ut ex animo Dei offenſam deteſtentur ſuper omnia. 3. Quia alias non eſſet facilior juſtificatio cum Sacramento quam ſine Sacramento, ſi quidem attritio intenſa ſufficiat ad juſtificationem ſine Sacramento, ut modo dicam.

Dico 5. Ad juſtificationem extra Sacramentum dolor procedens ex charitate ſive habituali, ſive actuali nullum requirit intenſionis gradum, quia quilibet charitatis actus quantumvis debilis & remiſſus ſupponit peccatorem Deo amicum & reconciliatum, ut fuſius dicam infra.

Dico 6. Attritio ſeu dolor de peccatis conceptus ex, ſeu cum amore Dei benevolo non ſufficit ad juſtificationem ſine Sacramento, ſaltem extra caſum neceſſitatis, niſi ſit intenſus ad certum gradum; quia poteſt dari amor Dei benevolus debilis & remiſſus, qui non ſit charitatis, nec ſufficiat ad juſtificationem extra Sacramentum, ut probabimus infra. Ergo & dolor ipſe illo amore conceptus. Et ſane quis dicat aut credat peccatorem hoc ipſo, quo bene afficitur erga Deum, aut Ipſi bene vult, ſtatim juſtificari? Si ita ſit, nullus aut vix ullus accedet ad Sacramentum non juſtificatus, cum nullus aut vix ullus ſit, a quo ſi petas num amet Deum, qui non reſpondeat & ſincere, *amo*.

Juxta ſenſum hujus Concluſionis intelligi poteſt celebris textus Catech. Roman., de quo multum controvertitur inter Theologos, qui parte 2. cap. 5. n. 32. dicit: *Ut enim concedamus contritione peccata deleri, quis ignorat illam adeo vehementem, acrem, intenſam eſſe oportere, ut doloris acerbitas cum ſcelerum magnitudine æquari conferrique poſſit.*

Si petas unde innoteſcet ſufficienter intendi attritionem, ut ad eam ſtatim ſequatur juſtificatio? R. videri ſufficienter intenſam, ſi procedat ex ſolo amore Dei benevolo prædominante ſine timoris adminiculo, ſaltem in communibus & ordinariis caſibus; ſive ut alii dicunt, ſi procedat ex amore effectivo & efficaci, & non ex amore affectivo tantum & inefficaci: quia videtur congruere Dei bonitati, ut Pœnitentes ſic pure & intenſe eum diligentes viciſſim diligat, cum nihil aut vix aliquid amplius ipſi offerre poſſint; deque iſto amore intelligi poſſunt poſſunt hæc Chriſti verba Joan. 14. *Si quis diligit me .... Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* At quamvis Pœnitens probabiliter conjicere poſſit ſe moveri contra peccata ex ſolo amore Dei prædominante, vel effectivo & efficaci, id tamen ipſi certo conſtare non poteſt; eſt enim inſcrutabile cor hominis ipſi homini, & ſæpe ſibi blanditur, neque certo ſcire poteſt, an ſit odio vel amore dignus. unde dicit S. Th. (*Q. 24. de verit. a. 15.*) *Non qualiſcumque motus voluntatis eſt ſufficiens præparatio ad gratiam, ſicut nec qualiſcumque dolor ſufficit ad remiſſionem peccati, ſed oportet eſſe aliquem modum, qui quidem homini notus eſſe non poteſt.*

Dixi In Concluſionem: *Saltem extra caſum neceſſitatis*; quia quidam indubitanter aſſerunt in caſu neceſſitatis, quando actualem ſuſceptionem Sacramenti excludit impoſſibilitas, non voluntas, ſufficere attritionem ex qualicumque Dei amore conceptam. Fundantur maxime in eo, quod Innocentius III. ex Auguſt. & Ambroſ. ſic dicat cap. *Apoſtolicam* de Presbyt. non baptizat. *Presbyterum, quem ſine unda baptiſmatis extremum diem clauſiſſe ſignificaſti, quia in S. Matris Eccleſiæ fide & Chriſti nominis confeſſione perſeveravit, ab originali peccato ſolutum & cœleſtis patriæ gaudia adeptum aſſerimus incunctanter. Lege ſuper 8. libro Auguſtinum* (ſeu potius l. 4. de Baptiſ.) *ubi inter cætera legitur, Baptiſmus inviſibiliter miniſtratur, quem non contemptus Religionis, ſed terminus neceſſitatis excludit. Librum etiam Ambroſii de obitu Valentiniani idem aſſerentis evolve. Sopitis igitur quæſtionibus Doctorum, Patrum ſententias teneas, & in Eccleſia tua juges preces hoſtiaſque Deo offerri jubeas pro Presbytero memorato.* Atqui, inquiunt præfati Auctores, eadem eſt ratio de Catechumenis reſpectu Baptiſmi, ac de Pœnitentibus reſpectu Sacramenti Pœnitentiæ. Ergo.

Nos quidem id cum aliquali fiducia præſumimus, non ex vi contritionis imperfectæ, quæ non eſt ex ſe efficacior in articulo mortis, quam extra, ſed ex infinita & immenſa Dei miſericordia & merito Paſſionis Chriſti. Securitatem tamen non damus; tum quia nihil hac de re certo revelatum habemus in Scriptura; tum quia auctoritas citata non ita urget, quin poſſit dici, SS. Patres ita locutos fuiſſe, quia præſumebant tales Catechumenos ſeu pœnitentes fuiſſe contritos aut intenſe attritos; tum tandem quia ſi res foret adeo certa, non eſſet ratio, cur Sacerdotes tam ſolliciti forent circa Sacramenta extrema patientibus conferenda, vel cur *Rei animarum* dicerentur a SS. Patribus, dum id negligunt, ſi quidem tunc nullus periret defectu Sacramenti, ſed defectu propriæ diſpoſitionis. Si enim habeat amorem ſine Sacramento, juſtificabitur, & ſi non habeat, etiam cum Sacramento non juſtificabitur ſecundum nos.

Dixi in Reſponſione ad petitionem, *ſaltem in communibus & ordinariis caſibus*. Quia in caſibus extraordinariis poteſt contingere, quod amor, qui indigeret adminiculo timoris, eſſet nihilominus diſpoſitio ſufficiens ad juſtificationem extra Sacramentum. Pone duos homines deſtinatos ad martyrium, unum per gladium, alterum per combuſtionem. Primus ex ſolo Dei amore, nequidem cogitando de pœnis Inferni, perimitur, & ille amor prædominans & efficax eſt diſpoſitio ſufficiens ad juſtificationem. Alter quamvis intenſiore amore incenſus, ut ſe contra terribilem combuſtionem defendat, advocat in auxilium conſiderationem pœnarum inferni; & iſte amor eſt etiam ſufficiens ad juſtificationem conſequendam, cum ſit perfectior & intenſior amore primi, licet in hoc caſu urgentiori & extraordinario adjuventur timore.

Dico 7. (*Hic q. 3. a. 2. o.*) Dolor rationis de peccato non poteſt eſſe nimius, bene tamen dolor ſenſibilis. Ratio 1. partis eſt; quia amor charitatis non poteſt eſſe nimius. Atqui eo intenſo dolor rationis de peccato intenditur. Ergo. Ratio 2. partis eſt, quia ex dolore ſenſibili intenſo poteſt ita debilitari corpus, ut ſit inſufficiens ad ea, quæ ſunt agenda. Neque obſtat 1. parti, quod virtus moralis, qualis eſt pœnitentia, conſiſtat in medio; non enim virtus dicitur conſiſtere in medio, quaſi poſſet ab ea alicui actus nimius, id namque eſt impoſſibile; ſed quia potentia circa illius materiam poteſt exceſſum facere, ſicut in noſtro caſu voluntas poteſt circa materiam pœnitentiæ ultra modum intendere dolorem ſenſibilem.

Dico 8. (*Ib. a. 3. o.*) Dolor rationis debet eſſe major appretiative de uno peccato, quam de alio; quia in peccato graviori eſt major ratio doloris, quam in leviori, cum ſit major Dei offenſa. Nec refert, quod diximus de quovis peccato mortali eſſe ſuper omnia mala dolendum; id enim intelligitur de malis a peccato diſtinctis. Cæterum (*Ibid. ad 2.*) ut cenſeatur aliquis hoc modo dolere, non eſt omni-

Digitized by Google

om.ino neceſſarium, quod inter peccata faciat actualem comparationem; ſed ſatis eſt, quod omnia deteſtetor quatenus ſunt offenſa Dei; talis enim deteſtatio fertur implicite ſuper ſingula ſecundum gradum & ordinem cujuſque; ſicut qoando diligo unam communitatem, vel aliud totum, virtualiter plus aut minus diligo bas aut illas partes ſecundum ordinem & gradum, quem habent in illa communitate, vel in illo toto. Contra hanc Concluſionem impingunt, qui plus abhorient peccata, quæ magis homanæ exiſtimationi, quam Dei honori adverſantur, v. g. furtum quam blaſphemiam; ita ut peccent mortaliter, ſi inter peccata comparata ſit magna inæqualitas, venialiter, ſi ſit parva.

Dico 9. (*Hic q. 2. a. 6. 3. p. q. 87. a.* 1. 1. 2. *q.* 113, *a.* 5. *ad* 3. *q.* 7. *de malo a.* 11. *ad* 3.) Contritio debet eſſe de omnibus & ſingulis peccatis. De omnibus: qoia contritio debet eſſe de peccatis, ut ſunt offenſa Dei, conveniunt autem omnia in hac ratione; unde non poteſt eſſe de uno quin ſit de omnibus. De ſingulis per ſe loquendo: non hoc ſenſu, quod ſingulis peccatis debeat reſpondere ſua ſingularis contritio (quamvis & id ſit ſalutare), cum nec ſit neceſſe ea ſic ſigillatim confiteri: ſed aliquando debeant plura ſub uno numero accuſari, dicendo, v. g. decies, vigeſies; ſed hoc ſenſu, quod ſingula debeant recogitari, & ſuper omnia ſigillatim recogitata formari una contritio, quæ proinde non ſit de omnibus confuſe tantum, ſed vi præcedentis recogitationis ſit etiam de ſingulis, ac ea ratione poſſit dici ſpecialis & diſtincta. Ratio eſt, quia contritio eſt motus converſionis averſioni contrarius, & reparatio offenſæ Dei. Atqui per quodlibet peccatum mortale fit averſio, & Deus offenditur. Ergo quantum eſt ex ſe, quodlibet exigit contritionem. Adde, quod jure naturæ antequam Sacramentum eſſet inſtitutum, quilibet in ſua converſione tenebatur quodlibet peccatum agnoſcere, & Deo confiteri. Unde illud Pſ. 31. *Quoniam tacui inveteraverunt oſſa mea*: & poſtea: *Dixi, confitebor adverſum me*. Per accidens tamen, ſi quis eliciat actum ferventiſſimæ charitatis, aut contritionis generalis & deſit vel tempus, vel opportunitas, vel reflexio, vel notitia hujus ſingularis contritionis faciendæ, juſtificabitur, modo ſciens ejus obligationem non renuat poſitive illam loco & tempore facere; quia in iſta ferventiſſima contritione generali includitur propoſitum de ſingulis loco & tempore pœnitendi eo modo, quo dictum eſt.

ARTICULUS III.

De neceſſitate Contritionis.

DIco 1. Contritio eſt neceſſaria, non ſolum neceſſitate medii, ſed & præcepti; tum naturalis, tum divini poſitivi, tum Eccleſiaſtici. Prima Pars conſtat ex dictis Diſſert. 3. a. 1. de neceſſitate Pœnitentiæ, cujus contritio eſt actus primarius. Vide.

Ratio 2. Partis eſt: (*3. p. q. 84. a. 7. ad* 1.) quia jure naturali tenetur homo compenſare injuriam alteri illatam. Atqui injuria Deo illata per peccatum compenſari non poteſt, niſi per contritionem. Ergo de illa datur præceptum naturale. Intellige præceptum naturale, non prout diſtinguitur contra ſupernaturale, ſed prout diſtinguitur contra poſitivum; eſt itaque præceptum ſupernaturale, non tamen poſitivum, ſed connaturale ordini elevationis, ſicut præcepta Fidei, Spei, & Charitatis. Prob. 3. Pars ex multis Scripturæ locis Iſa. 1. Jerem. 18. Ezech. 18. Act. 2. Matth. 3. ubi pœnitentia præcipitur. Hinc Trid. ſeſſ. 14. c. 4. *Fuit*, inquit, *quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus neceſſarius*. Ratio eſt, quia hoc ipſo quo contritio eſt neceſſaria neceſſitate medii, datur de illa præceptum divinum poſitivum; pertinet enim ad Legiſlatorem præcipere ea, quæ ſunt ſaluti civium neceſſaria. Neque obſtat, quod gratia ſit neceſſaria ad ſalutem, & tamen non datur de illa ſpeciale præceptum; diſparitas eſt, quod gratia non ſit opus noſtrum, ſed Dei; contritio autem eſt opus noſtrum. Quarta Pars patet ex præcepto Eccleſiaſtico Confeſſionis annuæ, quæ ſtare non poteſt abſque contritione.

Dices 1. Speciali præcepto opponitur ſpeciale peccatum. Atqui impœnitentia non eſt ſpeciale peccatum, ſed tantum circumſtantia illius peccati, in quo perſeverat peccator. Ergo. R. D. Min. Impœnitentia ſumpta pro poſitivo propoſito non pœnitendi non eſt ſpeciale peccatum, N. Sumpta pro ſimplici omiſſione pœnitentiæ, ſubdiſtinguo: non eſt ſpeciale peccatum, quando non urget præceptum contritionis, C. quando urget, N. Sicut defectus charitatis eſt tantum circumſtantia peccati, in quo quis perſeverat, quando non urget illius præceptum; quando vero urget, eſt ſpeciale peccatum, accuſandum in Confeſſione, ſicut & defectus contritionis in pari caſu.

Dices 2. Non eſt ſpeciale præceptum de conſervanda gratia. Ergo nec de illius recuperatione. R. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod præcepto, quo prohibetur peccatum, etiam prohibeatur amiſſio gratiæ, quæ incurritur per illud, & ſic non eſt opus alio ſpeciali præcepto; at reparatio injuriæ Deo factæ non præcipitur alio præcepto.

Inſt. Contritio præcipitur etiam præcepto charitatis. Ergo. R. N. Ant. Præceptum enim charitatis eſt tantum indirecte, & ex conſequenti de contritione: de actibus autem virtutum dantur per ſe, & directe præcepta.

Gravior eſt difficultas de tempore, quo præceptum contritionis obligat. Quidam volunt obligare per ſe ſtatim ac peccatum commiſſum eſt, alii ſtatim ac memoriæ occurrit, alii diebus Dominicis & Feſtis, quando eſt obligatio audiendi Sacrum, alii ſemel in anno, quando urget præceptum Confeſſionis annuæ. Pro cujus dubii reſolutione

Dico 2. Quamvis ſit omnibus ſuadendum, tanquam ſalutare conſilium ſtatim poſt peccatum conteri; attamen præceptum contritionis non obligat per ſe ſtatim ac peccatum commiſſum eſt, neque ſtatim ac memoriæ occurrit, neque ſingulis diebus Dominicis & Feſtis. Eſt communis contra paucos, tam antiquos, quam recentiores, & manifeſte D. Th. hic q. 6. a. 5. ubi quamvis agat de præcepto Confeſſionis, quæcumque tamen adfert, pariter militant de præcepto contritionis. Imprimis dicit ad 2. *Non eſt de neceſſitate ſalutis corporalis, ut ſtatim medicus quæratur, niſi quando neceſſitas curationis incumbit, & ſimiliter eſt de morbo ſpirituali*: quod ut patet, convenit pariter contritioni. Similiter ejus rationes, quibus

Prob. 1. & 2. Pars. (*Infr. q. 6. a. 5. o. & ad* 3.) Præceptum contritionis eſt affirmativum, nempe *Pœnitentiam agite*. Atqui omnium conſenſu hæc eſt natura præcepti affirmativi, ut quamvis obliget ſemper, non tamen ſtatim, & pro ſemper, ſed determinato tempore, & poſitis certis circumſtantiis, nec poſſunt aſſignari circumſtantiæ, propter quas obliget ſtatim ac peccatum commiſſum eſt, aut ſtatim ac memoriæ occurrit, ut patebit ex ſol. Obj. Ergo. Confirm. (*Ib.*) Tempus, quo obligat præceptum affirmativum, non eſt, quando commode impleri poteſt, alias dives non dans eleemoſynam de ſuperfluo cuilibet pauperi occurranti peccaret mortaliter; ſed quando tempus neceſſitatem urgentem inducit. Atqui licet ſtatim poſt peccatum commiſſum, aut ſtatim ac memoriæ occurrit, ſit opportunitas pœnitendi, inde tamen non inducitur neceſſitas urgens. Ergo.

Prob. 2. Ab incovenientibus. Si præceptum contritionis obligaret ſtatim poſt peccatum commiſſum, novum peccatum committeret qui non ſtatim contereretur, imo continuo peccaret, totque multiplicarentur peccata, quot momenta effluerent uſque ad impletionem hujus præcepti. Similiter ſi obligaret ſtatim ac memoriæ occurrit, peccator toties peccaret mortaliter, quoties non pœnitendo recordaretur peccati, centies in hora, ſi centies in memoriam redeat peccatum. Atqui hæc ſunt dura nimis & contra communem ſenſum fidelium, qui de iſtis peccatis non ſe accuſant, nec de eis interrogant Confeſſarii. Ergo.

Prob. 3. Pars. Nullibi legitur, nec ulla ratione probatur præceptum contritionis obligare ſingulis diebus Dominicis & Feſtis. Ergo ſine fundamento aſſeritur. Prob. Ant. Si alicubi legeretur tale præceptum eſſe, ut volunt Patroni illius ſententiæ, Levit. 16. ubi dicitur: *Sabbatum requietionis eſt, affligetiſque animas veſtras*. Et ſi aliqua ratione fulciretur, eſſet, quia finis præcepti colendi dies feſtos eſt animam Deo ſanctificare, quod fieri non poteſt, niſi per contritionem. Vel quia his diebus tenemur Deo vacare; peccator autem non poteſt Deo vacare, niſi prius de peccatis conteratur. Atqui ex his nihil evincitur pro ſententia adverſa. Ergo. Prob. Min. Non ex loco illo Levitici; eſt enim ibi præceptum de ſpeciali feſto expiationis, quod occurrebat ſemel tantum in anno die decima menſis ſeptimi: unde nihil ad propoſitum. Adde, quod erat tantum legale, quod jam ceſſavit. Non ex 1. ratione: quia finis præcepti non cadit ſub præcepto, ſed tantum media huic præcepto propria; contritio autem non eſt medium ſanctificationis proprium præcepto colendi feſta, ſed præcepto Pœnitentiæ, quæ ſunt diverſa, unum Religionis, aliud juſtitiæ. Non ex 2. ratione: quia homo debet his diebus vacare Deo per media tali præcepto propria, ſcilicet exhibendo illi cultum per opera Religionis, & ceſſationem ab operibus ſervilibus, quæ fieri poſſunt a peccatore. Ergo. Confir. Communis ſenſus fidelium eſt ſatisfieri præcepto de ſanctificandis feſtis, ſi ſe abſtineant ab operibus ſervilibus, & divinis Officiis attente ac religioſe aſſiſtant. Item nullus ſe accuſat, quod non elicuerit actum contritionis diebus Dominicis & Feſtis, nec de hoc interrogant Confeſſarii. Ergo.

Dico 3. Præceptum contritionis per ſe obligat in morali periculo mortis, aut perpetuæ amentiæ. Extra illud vero ſic obligat, ut peccator non poſſit diu ſine novo peccato differre illius adimpletionem. Prima pars conſtat; quia tunc maxime urget neceſſitas Deo ſatisfaciendi, & ejus reconciliationem quærendi; quod ſi tunc omittat peccator, periculum eſt, ne id unquam præſtet, & in peccato ſuo moriatur. Obligat igitur per ſe hoc præceptum inſtante pugna, tempore peſtis, periculoſæ navigationis, morbi lethalis, &c.

Digitized by Google

Secundam partem inclamat Scriptura: Eccli. 5. *Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem.* Inculcant SS. Patres dum invehuntur in eos, qui ſuam converſionem procraſtinant; atque evincit hoc fundatiſſimum Auctoris (1. 2. q. 109. a. 6.) principium: *Cum enim homo*, inquit, *non habet cor ſuum firmatum in Deo, ut pro nullo bono conſequendo, vel malo vitando ab eo ſeparari vellet, occurrunt multa, propter quæ conſequenda vel vitanda homo recedit a Deo, contemnendo præcepta ejus; & ideo peccat mortaliter, præcipue quia in repentinis homo operatur ſecundum finem præconceptum & ſecundum habitum præexiſtentem, ut Philoſophus dicit, quamvis ex præmeditatione rationis homo poſſit aliquid agere præter ordinem finis præconcepti & præter inclinationem habitus: ſed quia homo non poteſt ſemper eſſe in tali præmeditatione, non poteſt contingere, ut diu permaneat, quin operetur ſecundum conſequentiam voluntatis deordinatæ a Deo, niſi cito per gratiam ad debitum ordinem reparetur.* Ergo ratione periculi, in quo verſatur peccator iterum labendi, non poteſt diu differre contritionem.

Sed quandiu debeat differri, ut peccator cenſeatur hoc præceptum tranſgredi & peccare mortaliter? Non determinavit S. Th. nec is ſum ego, qui determinare auſim. Equidem quidam dicunt poſſe ſine novo peccato differri ad annum, quod non probo. Alii ad 4. aut 5. menſes, quod nec nego, nec affirmo. Id unum mihi certum videtur eſſe illicitum ultra differre: quia mora ultra 4. aut 5. menſes videtur diuturna, maxime ſi attendatur ad principium Auctoris. Sicut ergo qui ultra 4. aut 5. menſes differret elicere actus fidei & charitatis, meo ſaltem judicio, non eximeretur a peccato, ita qui omitteret contritionem. Equidem ſunt diſtincta præcepta, ſed æque ad minus urget præceptum contritionis, ac præceptum fidei & charitatis.

Neque obſtat, quod Eccleſia præcipiat Confeſſionem ſemel tantum in anno. Sunt enim diſtincta præcepta, & Eccleſia præcipiens ſemel tantum in anno modum juſtificationis per confeſſionem, non negat adhibendum eſſe citius alium modum per contritionem; rarius autem præcipit confeſſionem, forte quia eſt homini valde odioſa, non contritio; & ſeit peccatorem poſſe alia via juſtificari. Non etiam obſtat, quod Confeſſarii non interrogent pœnitentes, qui ab anno non ſunt confeſſi, an hoc præceptum intra anni decurſum impleverint. Nec enim etiam interrogare ſolent, an per id tempus actus fidei, ſpei, & charitatis elicuerint, quorum tamen obligatio urget. Dicendum itaque videtur, quod qui ab anno ſunt confeſſi, vel ſunt conſuetudinarii, & illi ſatis intelliguntur defuiſſe præcepto; vel non ſunt conſuetudinarii, & ii, cum depoſuerint affectum peccati, & interſint Miſſæ, divinis officiis, exhortationibus & prædicationibus, præſumuntur interdum elicere actus contritionis & virtutum Theologicarum. Cæterum conſultum foret, ut & pœnitentes de iis ſe examinarent, & Confeſſarii interrogarent.

Dico 4. Præceptum contritionis obliget per accidens 1. toties quoties requiritur ſtatus gratiæ ad aliquod aliud præceptum adimplendum. Unde obligat, quando homo tenetur recipere aliquod Sacramentum vivorum; quoties ſunt adminiſtranda Sacramenta. 2. Per accidens obligat, quando urget gravis tentatio, quam ſine contritione homo moraliter ſuperare non poteſt. 3. In caſu publicæ neceſſitatis, quando creditur Deum punire populum propter peccata particularia. Quidam addunt caſum, dum eſt periculum ne peccata oblivioni tradantur, ſed non videtur admittendus, quia peccata oblita poſſunt eſſe objectum contritionis.

Cæterum adverte hanc eſſe differentiam inter præceptum obligans per ſe & obligans per accidens, quod qui tranſgreditur præceptum obligans tantum per accidens, non committat peccatum ſpeciale contra tale præceptum, ſed tantum contra præceptum, ratione cujus obligat. Unde qui celebrat in peccato mortali, non peccat niſi peccato ſacrilegæ celebrationis, at non peccato ſpeciali impœnitentiæ contra præceptum contritionis; quia, licet vere tunc obliget, non tamen ratione ſui, ſed ratione Sacramenti Euchariſtiæ. Qui vero tranſgreditur præceptum per ſe obligans, committit peccatum ſpeciale contra tale præceptum. Unde qui non contereretur, quando obligat per ſe præceptum contritionis, peccaret peccato ſpeciali impœnitentiæ, ut dictum eſt.

Solvuntur Objectiones contra 2. Concluſionem.

OBj. 1. contra 1. & 2. partem 2. Concluſionis. Eccl. 5. dicitur: *Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem.* Apocal. 2. dicitur Epiſcopo Epheſino: *Age pœnitentiam; ſic autem veniam tibi cito, & movebo candelabrum tuum de loco tuo.* SS. Patres invehuntur in eos, qui ſuam pœnitentiam procraſtinant. S. Th. q. ſubſeq. 6. a. 5. n. docet nos ad contritionem teneri, *quando peccata memoriæ occurrunt.* Et 3. 2. q. 62. a. 8. docet non licere vel uno momento in peccato manere. R. hæc pro majori parte probare 3. Concluſionem, non impugnare primam. Itaque ad 1. auctoritatem, ea non prohibetur quæcumque dilatio, ſed illa, quæ fit ultra rationabile tempus, ſeu ut exprimitur, *Tardatio*; tardare autem non cenſetur, qui non facit tam cito, quam poteſt, ſed qui non facit eo tempore, quo faciendum eſt. Sic Deus 2. Pet. 3. dicitur non tardare ſuam promiſſionem, licet non ſtatim atque poteſt, adimpleat, ſed convenienti tempore. Sic dicitur non tardare ire ad Sacrum, qui non vadit ſtatim quam poteſt, ſed qui vadit cum oportet, etſi potuiſſet citius. Ad 2. per hæc verba: *Veniam tibi cito*, intelligitur dies mortis, vel ſaltem ad ſummum important ſpeciale præceptum impoſitum illis Epiſcopis, quod non debet extendi ad omnes. Ad SS. Patres. Potiſſimum loquuntur de dilatione uſque ad tempus mortis aut ultra rationabilem terminum; vel non niſi concionatorie ſaluberrimum inculcant conſilium.

Ad 1. locum D. Th. non dixit ſimpliciter S. Doctor peccatorem teneri ad contritionem ſtatim, cum peccata memoriæ occurrunt: ſed immediate ſubjunxit, *præcipue cum in periculo mortis exiſtit, aut in aliquo articulo, in quo ſine peccati remiſſione oporteat eum peccatum incurrere.* Quo loquendi modo ſignificat, quod quamvis poſſit eſſe aliqua negligentia, quando quis habet memoriam peccatorum, non conteri cum poſſit, non ſit tamen mortale peccatum, niſi aliqua neceſſitas adſit, imo nec veniale, ſi, quamvis ſit nunc opportunum utcumque, major expectetur opportunitas. Ita Sylvius. Neque certe fas eſt de mente S. Th. dubitare, cum ex ejus verbis & rationibus ibidem Concluſio noſtra probetur. Ad 2. Equidem non licet vel uno momento manere in peccato quoad affectum ſeu continuando illud, quomodo manet is, qui cum poteſt, non reſtituit; de iſto enim loquitur D. Th. loco cit. non autem de eo, qui in peccato remanet quoad reatum, ſeu habitualiter tantum, ſine affectu ad ipſum; hoc autem ſenſu procedit noſtra Concluſio.

Inſt. Peccat, ex ſolutione data, qui non ſtatim reſtituit rem vel honorem alienum cum poteſt. Ergo ſimiliter qui non ſtatim per contritionem reparat honorem Dei peccato violatam. R. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod homo gravetur & patiatur damnum ex abſentia rei vel honoris ſui, nullum autem Deus ex dilatione pœnitentiæ noſtræ. Unde nequidem peccaret homo reſtitutionem differendo, ſi ſciret Dominum nullatenus inde damnificandum.

Obj. 2. Præceptum contritionis includit negativum, ſcilicet non permanendi in peccato & inimicitia Dei. Ergo. Prob. Ant. Si non ſit præceptum non permanendi ullo tempore in peccato & odio Dei. Ergo licet in eo manere. Ergo iterum licet velle in eo manere. Atqui falſum ſecundum Conſequens, cum velle manere in peccato & odio Dei ſit de objecto intrinſece malo. Ergo. Prob. Sequela; licet velle quod licet facere. Atqui licet manere, &c. Ergo licet velle manere. R. N. Ant. Ad Prob. N. ſecundam illationem. Ad Probat. D. Maj. Licet velle, quod licet facere poſitive, C. Quod licet facere negative, ſeu permiſſive tantum, N. Maj. Ad cujus ſenſum D. Min. Licet manere in peccato & odio Dei per actum poſitivum eligendo illam manſionem, N. per actum negativum non expellendo illam, ſeu eam mere permittendo, C. & N. Conſequ. Quia velle importat actum poſitivum ſpecificandum a ſuo objecto, ac proinde malum, ſi objectum ſit malum; ſecus autem manere negative ſeu permiſſive. Et ſic licet nobis plura permittere, ſeu facere negative, quæ non licet velle. Sic licet mihi permittere peccatum Petri, & tamen non licet mihi illud velle. Licet mihi permittere furi, ut me occidat, & tamen non licet mihi hoc velle.

Subſumes. Atqui qui non a ſe removet inimicitiam Dei, dum poteſt, cenſetur illam velle poſitive ſaltem interpretative. Ergo. R. D. Subſumptum: dum poteſt, obligatur, C. ſi non obligatur, N.

Repones. Qui omitteret impedire peccatum Petri, dum poteſt, etſi non teneretur, omiſſio illa eſſet ipſi voluntaria. Ergo qui omittit removere inimicitiam Dei, dum poteſt, etſi non teneatur, inimicitia Dei eſt ipſi voluntaria. Patet Ant. ex Tractatu de Actibus humanis, ubi docetur, quod, ut omiſſio ſit voluntaria, non requiratur obligatio ponendi actum, qui omittitur. Conſequentia patet a paritate rationis. R. Conceſſo Ant. N. Conſeq. Quia fit tranſitus ab omiſſione ad effectum ejus. Unde ut recte inferatur, debet poni: ergo qui omittit removere inimicitiam, &c. omiſſio illa eſt ipſi voluntaria; non vero ipſa inimicitia, quæ eſt effectus ſequens ad illam omiſſionem; quia, ut docetur ibid. de Actibus humanis, ut effectus ſequens ad omiſſionem ſit voluntarius, requiritur præceptum ponendi, vel impediendi illum; ſicut in exemplo allato, licet omiſſio impeditionis peccati Petri ſit mihi voluntaria, peccatum tamen Petri ſequens ad illam

non

non eſt mihi voluntarium, niſi poſſim & debeam impedire. Et hinc ſolvitur argumentum ſequens præcedenti affine. Unde

Obj. 3. Si eſſet aliquod tempus, in quo non obligaret præceptum contritionis, liceret eo tempore velle non conteri. Atqui nunquam hoc licet. Ergo Prob. Min. 1. Quia hoc objectum non conteri, non eſt bonum. 2. Quia qui vult non conteri, virtualiter & interpretative vult ſtatum peccati, & inimicitiam Dei, cum nolit adhibere medium neceſſarium per ſe ad tollendum utrumque. Ergo. R. 1. Ad Maj. Quod ad veritatem Concluſionis noſtræ non ſit neceſſarium, quod peccator actu poſitivo velit non conteri, ſed poteſt alio divertere mentem, ex quo quidem ſequitur omiſſio contritionis. R. 2. Data Maj. N. Min. Ad 1. ejus Probationem dico, quod non conteri pro tempore, quo non obligat præceptum ſecundum ſe, neque ſit bonum, neque malum, ſed indifferens, quod poteſt ex circumſtantia alicujus finis honeſtari; ut ſi quis eo tempore, quo non obligat præceptum pœnitendi, velit non conteri, ut ſtudio, charitati proximi, vel alteri rei bonæ vacet; licet enim objectum cujuſcumque præcepti ſit bonum, carentia tamen illius non eſt ſemper mala, niſi pro tempore quo tale præceptum obligat. Sic honorare parentes eſt bonum, non honorare non eſt malum, niſi quando urget præceptum honorandi. Si autem nolit conteri eo alio motivo non ita bono, poterit eſſe actus otioſus, & venialiter malus. Ad 2. Probationem, N. Ant. Solutio patet ex præcedentibus; effectus enim ſequens ad omiſſionem non eſt voluntarius, niſi ſit obligatio impediendi illum; non eſt autem obligatio, ut probatum eſt, & ſupponitur pro tali tempore impediendi permanentiam in peccato & odio Dei, ſequentem ad omiſſionem contritionis. Sic licet Deus velit non dare gratiam vitandi peccatum, omiſſio illius dationis eſt quidem ipſi voluntaria, ſed non peccatum ad ipſam ſequens; quia non tenetur impedire peccata. Sic gubernator non dicitur cauſa ſubmerſionis navis, ex hoc quod non gubernet navim, niſi quando ſubtrahit gubernationem, potens & debens gubernare, ut ait S. Th. 1. 2. q. 79. a. 1.

Inſt. 1. Atqui pro quovis tempore tenetur peccator avertere ſtatum peccati & odium Dei. Ergo. Prob. Ant. 1. Pro quovis tempore tenetur peccator avertere a ſe omnium malorum maximum. Atqui ſtatus peccati & odium Dei eſt omnium malorum maximum. Ergo. 2. Statim & quolibet tempore tenetur excutere e ſinu ſerpentem. Atqui tenemur fugere peccatum, tanquam a facie colubri, Eccli. 21. Ergo. R. N. Subſumptum. Ad 1. Prob. D. Maj. Pro quovis tempore tenetur peccator avertere a ſe omnium malorum maximum, ſi inde immineat grave nocumentum, C. Maj. Secus, N. Maj. Similiter D. Min. Status, &c. eſt omnium malorum maximum, & ex eo, quovis tempore imminet grave nocumentum, N. Min. Non imminet ſemper grave detrimentum, ſed leve dumtaxat, C. unde & ratione hujus levis nocumenti, puta privationis abundantioris gratiæ, periculi remoti mortis in peccato, &c. non diffitemur eſſe peccatum leve negligentiæ ſalutis, non ſtatim conteri, ſi nulla cauſa ſubſit differendi. Ad 2. Probationem, N. Conſequ. Diſparitas eſt, quod ſerpens in ſinu ſemper noceat & mordeat, non ita peccatum habituale, cujus voluntas, ut ſuppono, eſt interrupta. Locus autem Eccli. intelligitur de peccato actuali, non habituali.

Inſt. 2. Atqui ex dilatione contritionis grave nocumentum imminet ſemper. Ergo. Prob. Subſumptum; imminet periculum peccandi, cum teſte S. Gregorio, unum peccatum ſuo pondere trahat in aliud, & privatus gratia habituali non poſſit diu omnia peccata vitare, ut dictum eſt ex D. Th. in tertia Concluſione. R. hoc periculum eſſe remotum, ſaltem ſi non diu, nec ultra rationabile tempus differatur contritio. Item eſt indeterminatum, ſicut eſt indeterminatum tempus, quod privatus gratia poteſt abſtinere a peccato. Licet autem homo ſub gravi peccato teneatur evitare proximum, & certum peccandi periculum, non tamen remotum & indeterminatum.

Inſt. 3. Quilibet tenetur ſtatim corripere fratrem delinquentem. Ergo a fortiori ſeipſum. Item infidelis plene inſtructus tenetur ſtatim credere. Ergo. R. Ad primum: 1. N. Ant. Tenemur enim corripere fratrem delinquentem non ſemper ſtatim, ſed data opportunitate, niſi urgeat aliqua neceſſitas, puta periculum novi peccati, vel quod non occurret amplius opportunitas, & in tali caſu fatemur nos etiam ita debere circa nos agere. 2. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod homo ſibi ſemper ſit præſens, ſemperque habeat opportunitatem ſe corrigendi, non ſic autem circa alterum. Ad 2. poſſet negari Ant. Nihil enim obſtare videtur, quod infidelis, cui fides proponitur, ex juſtis cauſis differat aliquas horas, aut diem, eam acceptare. Sed dato Ant. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod infidelis, cui ſufficienter fides proponitur, ſe habeat quaſi puer in primo inſtanti rationis, cui incumbit agnoſcere & acceptare Deum pro fine ultimo, cui omnes ſuas actiones dirigat, alioquin exponitur continuo & proximo periculo deviandi & perdendi ſalutem. At peccator fidelis agnoſcit Deum pro fine ultimo, licet peccando ei practice creaturam prætulerit. Ne tamen inde inferas eum, qui commiſit peccatum infidelitatis, teneri ſtatim ad actum fidei, quia hoc ipſo quo deponit affectum ad infidelitatem, cenſetur vi prioris fidei, abſque novo actu, agnoſcere Deum pro ſuo fine ultimo, ſicut qui adverſus ſuum Regem inſurrexit, & ad partes tyranni defecit, hoc ipſo quo arma deponit cenſetur ſuum legitimum Regem agnoſcere, etiam antequam de novo ipſi ſpondeat fidelitatem.

ARTICULUS IV.

De diviſione Contritionis.

CONTRITIO in genere, ut ſupra diximus ex Concilio Trid. eſt animi dolor & deteſtatio de peccato commiſſo. Eſt duplex, perfecta & imperfecta. Perfecta, quæ antonomaſtice dicitur contritio, eſt quæ charitate perficitur, & juſtificat ante ſuſceptionem Sacramenti, ut definit Trid. Seſſ. 14. cap. 4. imperfecta autem, quæ dicitur attritio, eſt multiplex; quia a perfecto deficere contingit pluribus modis.

Itaque dolere de peccato, ſecluſa charitate, vel quia eſt aliquid turpe repugnans rationi, ſive naturali, ſive ſupernaturali, vel quia eſt illativum mali temporalis, vel quia eſt inductivum gehennæ, vel quia eſt excluſivum gloriæ, vel quia eſt malum, & offenſa Dei, tot ſunt modi attritionis; ſed ſola ultima eſt actus pœnitentiæ, & ſpecies dividens contritionem ut ſic. Pœnitentia enim & contritio quæ eſt ejus actus primarius, eſt de peccato, ut eſt malum & offenſa Dei, ut diximus Diſſert. 2. art. 1. Aliæ autem attritiones ſunt actus vel amoris proprii, vel ſpei, ſeu amoris concupiſcentiæ, vel virtutis ſpecialis, cui opponitur peccatum. Confer locum cit. Hæc autem ultima attritio, cum ſit de peccato, ut eſt malum Dei, non poteſt eſſe ſine aliquo ejus amore, quia odium mali alicujus perſonæ ex amore ejuſdem & benevolentia ad ipſam cauſatur, ut docent communiter Theologi poſt D. Thomam 1. 2. q. 29 a. 2. Sic doleo de malo Petri, quia ipſum diligo, & ſi non diligerem, de malo ejus non dolerem; ſic odi mortem, quia diligo vitam: *Ejuſdem enim rationis eſt*, inquit Auctor 2. 2. q. 25. a. 6. ad 2. *odire malum alicujus & diligere bonum ejus:* quod repetit q. 34. a. 4.

Neque tamen hæc attritio coincidit cum contritione charitate perfecta. Aliud enim eſt charitas, qua perficitur contritio, aliud benevolentia, qua movetur dicta attritio; quod cum plerique non ſatis diſtinguant, confundentes amorem charitatis cum amore benevolentiæ, magna hallucinatione laborant. Itaque amor charitatis eſt amor amicitiæ cum Deo, ut ex profeſſo probat S. Th. 2. 2. q. 23. a. 1. & cum eo communiter Theologi, conſequenter importat conditiones amicitiæ, præcipue unionem affectuum & redamationem; amicus enim eſt amico amicus, ut fert commune adagium. Amor autem ſimplicis benevolentiæ eſt velle alicui bonum ſine redamatione, ut dum vides duos pugiles, quorum unum velles vincere. Unde objectum formale charitatis eſt Deus in ſe bonus ut amicus, non quod ly *Ut amicus* ſit ratio formalis objecti, ſed ejus modificatio ſeu conditio ſine qua non, ſicut Deus non viſus in objecto fidei. Objectum autem formale amoris benevolentiæ eſt Deus in ſe bonus præciſe. Conſequenter objectum contritionis charitate perfectæ eſt peccatum ut malum Dei qua amici, intelligendo ly *ut amici*, ut in objecto charitatis; Objectum vero attritionis eſt peccatum ut malum Dei præciſe. Ex quo tandem ſequitur has contritiones ſpecie differre. Hæc fuſius explicabuntur infra. Sed interim colliges (*Supp. q. 1. a. 3*) attritionem hanc ex amore benevolo non poſſe fieri contritionem; quia quæ ſpecie differunt, unum non poteſt fieri aliud. Unum namque dicitur fieri aliud, quando alio adveniente eſſentialiter non mutatur; ſic puer dicitur fieri vir, non vero Embryo dicitur fieri homo, ſed ex Embryone homo.

Aliam quidem rationem adhibet Auctor in corpore articuli, nimirum quod adveniente actu contritionis tranſeat actus attritionis. Verum hanc rationem ut univerſaliter veram non admittunt Soto, Sylvius & alii; quia inquiunt, nihil obſtat, quominus actus attritionis, cum ſit bonus, aliquandiu continuetur, & adveniente charitate, qua informetur, evadat contritio; ſicut poteſt accidere actui fidei informis. Unde intelligunt hanc S. Th. rationem, non ut univerſaliter veram, ſed ſecundum quod regulariter accidit: vel dicunt S. Doctorem, cum ibi ageret partes Commentatoris, non ex propria ſententia locutum fuiſſe; idque probant, quia in fine corporis addit: *Et hoc dicit* alia opinio. Inſuper quia ad 2. cum adhibuiſſet Reſponſum ſecundum hanc rationem, hanc eo contentus addit

aliud conforme rationi in argumento ſed contra, unde priorem rationem deduuimus. Attamen Vincentius Contenſon acriter propugnat hanc ſecundam rationem D. Th. ut univerſaliter veram, eo quod actus attritionis non poſſit informari charitate & evadere contritio, niſi in eum influat charitas; a charitate autem ſic imperatus erit novus actus; quia iſtud imperium charitatis illi imprimit quemdam modum, quo reduplicative ut imperatus intrinſece mutatur & trahitur ad ſpeciem charitatis. Sed quidquid ſit de iſta difficultate, quæ eſt levis momenti,

Habes juxta utramque ſententiam ſenſum hujus communis adagii: *Pœnitens in Sacramento ex attrito ſit contritus*, non eſſe formalem, quaſi attritio fieret contritio, ſed materialem & ex parte ſubjecti, quatenus Pœnitens tranſit de attritione ad contritionem, ſicut paries de albo fit niger, non albedo fit nigredo. Dicitur autem fieri contritus, tum ratione habitus charitatis, qui ipſi infunditur, tum ratione actus ſupernaturalis, quo voluntarie gratiam & charitatem acceptat, ut dicam infra.

Circa attritionem plures ſunt celebres controverſiæ: 1. an ea, quæ concipitur ex ſolo metu Gehennæ, ſit bona & utilis? 2. an ſe ſola excludere poſſit voluntatem peccandi? 3. an ſufficiat cum Sacramento ad juſtificationem, an e contra requiratur aliquis Dei amor & qualis? De his ordine diſputaturus, ſit

ARTICULUS IV.

Utrum Attritio concepta ex ſolo metu Gehennæ ſit bona & utilis?

LUTHERANI contendunt omnem attritionem ex metu conceptam eſſe coactam & malam, hominemque reddere magis peccatorem & hypocritam, etiamſi interveniat aliquis Dei amor. Ita Lutherus, qui in aſſertione articuli 6. rejicit *Theologiam illam, quæ inter odium & gratificantem amorem mediam fingit, quod contritionem parit*. Et in aſſertione articuli 4. dicit: *Imperfectam charitatem eſſe impedimento ad introitum Regni propter vitium, quo imperfecta eſt*. Unde Eckius l. 1. de Pœnit. c. 1. dicit in hoc ſitam eſſe controverſiam inter Catholicos & Lutherum, quod iſte vellet *pœnitentiam non niſi amore concipi*; & hinc inferebat *eum, qui ſibi contritionem parare vellet in amaritudine animæ ſuæ, reddi hypocritam & magis peccatorem*. Idque Lutherus conformiter ad hoc ſuum capitale dogma, nimirum omnem actionem, quæ non provenit a charitate habituali & ſanctificante, eſſe verum peccatum, atque ſine illa hominem peccatorem tanto magis a gratia conſequenda removeri, quanto magis ad aliam ſe diſponere conatur. Unde ſermone de Pœnit. *Ego*, inquit, *peccatum aſſero, quidquid ante gratiam fit ab homine, tantum abeſt, ut præparet ad gratiam*.

Huic affines ſunt Baius, Janſenius, Queſnellus & eorum Symmiſtæ, qui cum non agnoſcant medium inter cupiditatem vitioſam & laudabilem ac propriedictam charitatem, dicantque omne, quod homo facit, procedere vel a cupiditate & eſſe malum, vel a charitate & eſſe bonum, conſequenter rejiciunt timorem pœnarum & attritionem ex illo conceptam tanquam malam & vitioſam. Vide propoſitiones damnatas Queſnelli a. 44. ad 47. & a. 60. uſque ad 68.

Ante reſolutionem obſervandum eſt 1. (2. 2. q. 19. a. 2. o.) Ex Auctore timorem eſſe quadruplicem; Mundanum, ſervilem, initialem & filialem. Cum etiam objectum timoris ſit malum, quandoque homo propter mala quæ metuit, a Deo recedit, & iſte dicitur, timor mundanus. Quandoque autem homo propter mala, quæ timet, ad Deum convertitur & illi inhæret; quod quidem malum eſt duplex, ſcilicet malum culpæ & malum pœnæ. Si ergo aliquis convertatur ad Deum, & ei inhæreat propter timorem pœnæ, erit timor ſervilis; ſi autem propter timorem culpæ, erit timor filialis; nam filiorum eſt timere offenſam Patris. Si autem propter utrumque, eſt timor initialis, qui eſt medius inter utrumque timorem. Ita in terminis S. Doctor. Igitur timor ſervilis, prout de eo nunc loquimur, eſt timor pœnæ a Deo infligendæ, ob quam evitandam homo ad Deum convertitur.

Obſervandum 2. (*Ib. a. 4. o.*) Ex eodem S. Th. timorem ſervilem poſſe conſiderari dupliciter, ſcilicet ſecundum ſubſtantiam & ſecundum ſervilitatem, ſeu, ut alii dicunt, eſſe duplicem timorem ſervilem, unum ſimpliciter ſervilem, alterum ſerviliter ſervilem. Timor ſervilis ſecundum ſubſtantiam, ſeu ſervilis ſimpliciter, eſt quando bonum, cui contrariatur pœna, non amatur tamquam finis ultimus, nec conſequenter pœna timetur tanquam principale malum; ut in præſenti materia, ſi quis fugit peccatum ex timore pœnæ, non habens bonum proprium, cui contrariatur pœna, pro fine ultimo, ſed proximo duntaxat; nec conſequenter timens pœnam ut principale malum, ſed abſtrahens ab hoc quod ageret, ſi non eſſet intentata pœna. Timor ſerviliter ſervilis eſt, quando bonum, cui contrariatur pœna, amatur tanquam finis ultimus, & conſequenter pœna timetur ut principale malum; ut in ſubjecta materia, ſi quis refugeret peccatum committere ex timore pœnæ, habens pro fine ultimo proprium bonum, conſequenter timens pœnam ut principale malum, ita quod vi iſtius actus vellet peccare, ſi poſſet impune: & iſte metus ſervilis qua talis ſecundum ſervilitatem contrariatur charitati, & eſt malus. At vero, addit S. Th. prædicta ſervilitas non pertinet ad ſpeciem timoris, ſicut nec informitas ad ſpeciem fidei, ſpecies enim habitus moralis vel actus ex objecto accipitur: Objectum autem timoris ſervilis eſt pœna, cui accidit quod bonum, cui contrariatur pœna, vel ametur tanquam finis ultimus, & conſequenter pœna timeatur, ut principale malum, quod contingit in non habente charitatem; vel ordinetur in Deum ſicut in finem ultimum, & conſequenter pœna non timeatur, ut principale malum, quod contingit in habente charitate. Unde ſervilitas non eſt vitium timoris, ſed timentis, & ideo timor ſervilis ſecundum ſubſtantiam eſt bonus, ſervilitas vero mala. Hæc accurate ſunt notanda, quæ quia non diſtinguunt Novatores, in varias errores abeunt. Itaque

Dico. Attritio ſeu dolor de peccatis ex ſolo gehennæ metu, ſine ullo Dei amore benevolo, etiamſi nondum ſit ſatis efficax, ut abſolute excludat omnem peccandi voluntatem, ſi tamen ad id conetur, & inducat, nec ſit ſerviliter ſervilis, eſt bonus, honeſtus & utilis. Prob. 1. Ex Concilio Trid. ſeſſ. 6. can. 8. ubi ſic definit contra Lutherum: *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad miſericordiam Dei, de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abſtinemus, peccatum eſſe, aut peccatores pejores facere, anathema ſit.* Item ex hac propoſitione damnata ab Alexandro VIII. 7. Setembris 1690. *Attritio, quæ ex gehennæ, & pœnarum metu concipitur, ſine dilectione benevolentiæ Dei propter ſe, non eſt bonus motus, ac ſupernaturalis*. Eſt 15. Huc faciunt ſequentes propoſitiones damnatæ Queſnelli. *Si ſolus ſupplicii timor animat pœnitentiam, quo hæc eſt magis violenta, eo magis ducit ad deſperationem*. Eſt 68. Item: *Qui a malo non abſtinet niſi timore pœnæ, illud committit in corde ſuo, & jam eſt reus coram Deo*. Eſt 62. Aug. in Pſ. 127. ſerm. 161. alias 18. de verbis Apoſt. & lib. de catechizandis rudibus late exponit bonitatem & utilitatem timoris. Inter alia 1. loco cit. *Timore facit, quidquid boni facit, non timore amittendi bonum illud, ſed timore patiendi illud malum: Non timet, ne perdat amplexus ſponſi pulcherrimi, ſed timet ne mittatur in gehennam: Bonus eſt & iſte timor*. De S. Th. patet ex prænotaminibus. Item probavimus ſupra ex Trid. & eodem S. Th. principium veræ pœnitentiæ, & juſtificationis peccatoris eſſe timorem ſervilem. Idem tradit Scriptura in pluribus locis, quæ referemus in calce articuli. Ergo dolor ex illo timore conceptus non poteſt eſſe malus.

Prob. 2. Ratione Theologica. In attritione, qualem in Concluſione expoſuimus, tria ſunt: 1. intentio finis, ſcilicet fugere, ſeu vitare gehennam, & hic eſt actus elicitus a timore: 2. medium etſi nondum efficax ad hunc finem aſſumptum, ſcilicet dolor de peccatis, & hic eſt actus imperatus a timore: 3. ordinatio hujus medii ad hunc finem. Atqui quodlibet iſtorum eſt honeſtum, bonum & utile. Ergo. Prob. Min. 1. fugere gehennam eſt bonum, cum ſit homini nociva, & omnium malorum ſenſibilium maximum. Unde dicebat Chriſtus Matth. 10. *Timete eum qui poteſt corpus & animam perdere in gehennam*: & clamabat David; *Confige timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui*: Dolorem de peccati eſſe bonum, nullus in dubium revocare poteſt. 3. Tandem eſſe bonum ordinare hunc dolorem ad vitandam gehennam conſtat, quia dolor de peccato, quod eſt cauſa pœnæ, eſt medium aptum ad vitandam pœnam. Unde dicebat divinus Præcurſor Luc. 3. *Genimina viperarum, quis vobis oſtendit fugere a ventura ira? Facite ergo fructus dignos Pœnitentiæ*. Quibus verbis hortatur Judæos ad pœnitentiam ex timore conceptam. Et Iſ. 26. *A timore tuo concepimus & peperimus Spiritum ſapientiæ*. Nec obſtat, quod culpa ſit malum altioris ordinis, quam pœna; ideoque videatur inordinatum ordinare dolorem de majori malo ad vitandum minus: modo enim dolor de peccatis non ordinetur ad fugam pœnæ tamquam ad principale malum & ultimum finem, ſed tantum tanquam ad magnum malum & finem proximum, ita ut non excludatur ulterior relatio ad Deum, non eſt mala ordinatio, ſed bona, ut dixi ex D. Th. & quia bona, ideo ex ſe tendit in Deum. Sic quotidie orando pro bonis temporalibus ordinamus bonum altioris ordinis, nempe actum Religionis ad bonum inferius, & bene facimus. Imo ipſe Deus ordinat bonum excellentioris ad bonum inferioris ordinis, quando utrumque ultimo cedit in ſuam gloriam; ſic enim ordinavit Incarnationem Chriſti ad noſtram ſalutem, ut ad finem proximum.

Dixi

Dixi 1. Concluſione ; *Si tamen timor conetur, & inducat ad excludendam voluntatem peccandi;* quia ſi induceret ad odium Dei, aut deſperationem, eſſet malus, & ita ſemper fieri erronee exiſtimavit Lutherus, cum tamen ſæpius inde peccatores convertantur ad Deum. Dixi 2. Nec ſit *Serviliter ſervilis*, qui ſit ſcilicet de pœna, ut principali malo ; quia dolor ex tali metu, qui reſpiceret pœnam, ut principale malum, & ejus fugam ut finem ultimum, eſſet inordinatus, ut dictum eſt.

Solvuntur Objectiones.

OBJ. 1. Apoſt. Rom. 8. dicit: *Non accepiſtis Spiritum ſervitutis, iterum in timore, ſed accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum.* Et 2. Timot. 1. *Non dedit Deus nobis Spiritum timoris, ſed virtutis & dilectionis.* Ergo. R. Apoſtolum his verbis non excludere a lege Evangelica omnem timorem, ſi quidam Chriſtus ipſe Matth. 10. dicat: *Timete eum, qui poteſt corpus & animam perdere in gehennam;* ſed timorem ſervilem malorum temporalium, ut erat in veteri lege. Senſus eſt igitur noſtram conditionem in nova lege eſſe meliorem, quam Judæorum in veteri lege quatenus Deus eos continebat in obſervantia mandatorum, vel metu malorum temporalium ut ſervos, vel ſpe mercedis terrenæ ut mercenarios; nos vero ducimur timore filiali, quo timemus exhæredari & fruſtrari ſpe obtinendi hæreditatem filiis promiſſam. Ita exponit Aug. lib. de Vigint. & in Pſ. 73. Cæterum non defuit amor in antiqua lege ; fuerunt enim in ea Sancti, non ſine perfecto Dei amore ; ſed diſcrimen eſt, quod in antiquo teſtamento prævaluerit timor, & in novo amor: *Quamquam utrumque in utroque ſit*, inquit Aug. l. 1. de moribus Eccleſiæ c. 28. *prævalet tamen in vetere timor, amor in novo.* Et hinc merito damnatæ ſunt hæ propoſitiones Queſnelli : *ſub maledicto legis nunquam fit bonum, quia peccatur, ſive faciendo malum, ſive illud non niſi ob timorem evitando*: eſt 64. Item *Moiſes, Prophetæ, Sacerdotes & Doctores legis mortui ſunt, abſque eo quod ullum Deo dederint filium, cum non efficerent niſi mancipia per timorem*: eſt 65. Si quandoque SS. Patres, præſertim Aug. videantur improbare metum, loquuntur vel de metu ſerviliter ſervili, vel de metu bonorum temporalium, vel illum improbant & dolorem ex eo conceptum tanquam inſufficientem ad juſtificationem.

Obj. 2. Dolor ex metu non excludente voluntatem peccandi eſt involuntarius ſecundum quid, ſicut omnia alia, quæ fiunt ex metu. Ergo non eſt bonus. R. Ant. Dolor ex metu non excludente voluntatem peccandi eſt involuntarius ſecundum quid, ſi iſta involuntarietas, ut ita dicam, proveniat ex metu aut dolore de peccatis, N. Sed ut iſta involuntarietas provenit ex affectu peccatoris ad ſuum peccatum, C. Iſte autem affectus ex parte ſubjecti non vitiat ipſum metum, neque dolorem ex ipſo conceptum, cum ſit illis extrinſecus. Quando ergo dicitur ea, quæ fiunt ex metu, eſſe involuntaria ſecundum quid, non eſt ſenſus, quod metus cauſet iſtam involuntarietatem. Sic v. gr. projiciens merces in mare metu naufragii eſt quidem involuntarius reſpectu projectionis mercium; at neque metus naufragii, neque iſta projectio mercium cauſant iſtam involuntarietatem, ſed affectus, quem aliunde habet ad merces. Similiter qui metuit gehennam, & ex illo metu dolet de peccatis, involuntarietas, quam retinet circa fugam peccati, non cauſatur neque ex iſto metu, neque ex iſto dolore, ſed ex affectu, quem adhuc retinet ad peccatum, quem affectum ſi nondum excludat metus, ad id tamen conatur, & diſponit. Unde eſt vitium timentis & dolentis, non metus aut doloris, ut jam dixi. Attende ad prænotamina ex D. Th.

Inſt. 1. Dolor ex metu nondum excludente voluntatem peccandi includit hunc actum, peccarem, ſi non eſſet infernus. Ergo eſt malus. R. N. Ant. Supponit quidem hunc actum in peccatore, ſed ab illo ſecundum ſe abſtrahit, non includit ; imo diſponit ad illum excludendum. Eſt ergo ibi ſervilitas, quæ ſe tenet ex parte ſubjecti, & non ex parte actus ; ſicque bonitati actus non officit, ſicut informitas fidei ſe tenet ex parte credentis, & non ex parte actus fidei, nec impedit, quin actus fidei ſecundum ſe ſit bonus.

Inſt. 2. Qui odit peccatum propter infernum, magis odit infernum quam peccatum, ut enim communiter dicitur : *Propter quod unumquodque tale, & illud magis.* Atqui hoc eſt inordinatum : eſt enim inordinatio magis odiſſe minus malum, quam majus, peccatum autem eſt majus malum, quam infernus. R. N. Maj. Quia in odio peccati propter infernum vi iſtius actus non fit comparatio inter peccatum & infernum, ſed tantum odio habetur peccatum propter infernum, tanquam propter finem proximum, non excludendo aliud motivum magis odio habendi peccatum, quam infernum, ſed ab illo abſtrahendo. Ad Probationem ex vulgari axiomate, illud verum eſt, quando excluditur omne aliud motivum odio habendi illud, quod odio habetur propter aliud. Secus quando non excluditur: ſic v. gr. juſtus, qui videns ſuſpendi furem, odit furtum propter patibulum, ſeu ut evitet ſuſpendium ; non ſequitur tamen, quod odiat magis ſuſpendium, quam furtum, ſi quidem cum ſupponatur juſtus, ſi inter utrumque faceret comparationem, & alterutrum, aut furtum, aut ſuſpendium eligendum proponeretur, magis eligeret ſuſpendi, quam furari. Item juſtus diligit Deum propter retributionem ; non tamen ſequitur, quod magis diligat retributionem, quam Deum. Similiter igitur qui odit peccatum propter infernum, non ſequitur, quod magis odiat infernum, quia licet de facto non odiat peccatum propter aliud motivum, quia, ut ſuppono, adhuc peccator eſt ſine amore Dei benevolo, attamen iſtud motivum ſeu metus inferni, cum non ſit finis ultimus, quantum ex ſe non excludit aliud motivum, puta amoris, licet etiam non excludat, ſed ab illo abſtrahit, imo ad illud inducit & diſponit.

Obj. 3. Timor contrariatur charitati. Ergo eſt malus. Prob. Ant. Joan. Ep. 1. c. 4. dicitur, quod *Perfecta charitas foras mittit timorem.* Ergo. R. N. Ant. Ad Prob. D. Perfecta charitas foras mittit timorem, ſicut perfectum excludit imperfectum, C. ſic v. gr. viſio beatifica excludit fidem & ſpem : foras mittit timorem ut contrarium, N. Intelligendo de timore ſimpliciter ſervili, de quo procedit Concluſio.

Inſt. Timor procedit ex cupiditate. Ergo eſt contrarius charitati. Prob. Ant. Juxta Aug. Enchirid. c. 117. & alibi non datur medium inter cupiditatem & charitatem. Atqui timor non procedit ex charitate. Ergo. R. N. Ant. Ad Probat. D. Maj. Inter cupiditatem & charitatem non datur medium ex parte ſubjecti, C. Quia omnis homo eſt vel juſtus ; vel injuſtus ; ſi juſtus, in eo regnat charitas; ſi injuſtus, in eo regnat cupiditas. Ex parte actus, N. Sicut enim non omne, quod facit juſtus, procedit ex charitate, ut dum peccat venialiter; ſic non omne, quod facit injuſtus, procedit ex cupiditate, ſed vel ex bono naturæ, vel ex aliquo bono habitu remanente ; non enim avarus v. gr. omnia agit ex avaritia, neque impudicus ex impudicitia.

Obj. 4. Si attritio ex mero metu eſſet bona, foret actus virtutis. Atqui falſum Conſequens ; procedit enim ex amore ſui. Ergo. R. N. Sequelam Majoris. Non enim omnis actus bonus eſt actus virtutis, ut patet in actu continentiæ. Ideo igitur attritio ex ſolo metu, licet ſit bona, non eſt actus virtutis; qui non facit hominem ſimpliciter bonum, nec eſt perfecta in ſuo genere, ſcilicet doloris. Si forte idem opponas de actibus fidei & ſpei : R. Quod iſti actus ſint perfecti in ſua linea ; fides enim eſt cognitio, qua nulla certior, ſpes tendentia in beatitudinem, qua nulla ſecurior & firmior; & ſic eſt diſparitas.

Petes utrum metus gehennæ, de quo in Concluſione, inducens peccatorem ut ſe convertat ad Deum, ſit non ſolum bonus, ſed etiam ſupernaturalis ? R. affirmative contra Lutherum & Janſeniſtas. Conſtat 1. Ex Scriptura. Proverb. 1. dicitur: *Timor Domini principium ſapientiæ.* Ibid. 14. *Timor Domini fons vitæ.* Eccli. 21. *Qui timet Deum, convertetur ad cor ſuum... Conſummatio timoris Dei ſapientia :* & alibi plura ſimilia. Porro ſi timor ducat ad ſapientiam, & ad vitam, ejuſque conſummatio ſit ſapientia, indubie eſt ſupernaturaliter a Deo. 2. Ex propoſitione damnata ab Alexandro VIII. quam retulimus in Probat. Concluſionis. 3. Ex Concilio Trid. ſeſſ. 6. c. 6. ubi inter diſpoſitiones ad gratiam ſanctificantem recenſet *Divinæ juſtitiæ timorem, quo utiliter concutiantur peccatores :* nullus autem actus naturalis poteſt eſſe diſpoſitio ad gratiam ſanctificantem. Adde quod timor gehennæ non ſit in nobis niſi per fidem. 4. Ex Auctore, qui in 3. d. 34. q. 2. a. 2. q. 1. dicit, quod licet timor ſervilis non numeretur inter ſeptem dona Spiritus S. ſit tamen a Deo, & ejus uſus ſit bonus.

Dices. S. Th. ibid. dicit, quod timor ſervilis, quando eſt bonus, ſit *Ab amore naturali, quo vult conſiſtentiam, & bene ſui ſubjecti.* Ergo. R. Senſum S. Th. eſſe, quod ut voluntas metuat & fugiat gehennam, non indigeat aliquo alio habitu ſuperaddito, ſed ſufficiat amor naturalis proprii boni, motus tamen & adjutus impulſu gratiæ, unde immediate addit: *Et ideo horret omnem pœnam, ſive quam experientia docet, ſicut in naturali timore, ſive quam fides demonſtrat, ſicut in ſervili.*

ARTICULUS VI.

Utrum metus gehennæ poſſit ſe ſolo excludere voluntatem peccandi.

HÆC quæſtio magno æſtu ventilatur inter Patronos attritionis formidoloſæ & aſſertores neceſſitatis charitatis actualis, quaſi ſi metus inferni ſemel excludat

voluntatem peccandi, attritio formidoloſa ſufficiat cum Sacramento ad juſtificationem & nullus amor requiratur. Verum hallucinatio eſt: ad juſtificationem namque, etiam cum Sacramento, non ſufficit excludi voluntatem peccandi, ſed inſuper requiritur odium & deteſtatio peccati, ut eſt malum & offenſa Dei, quæ haberi non poteſt ſine aliquo amore, ut dicemus infra. Unde etiamſi metus excludat voluntatem peccandi, nihil nocet principali noſtræ ſententiæ infra ſtabiliendæ. Quia tamen hæc quæſtio celebris evaſit, illam omnino prætermittere non conveoit.

Sed ante omnia tollenda eſt terminorum æquivocatio, qua ſublata non ita diſtabunt, aut etiam forte conciliabuntur opiniones contrariæ. Itaque vel per voluntatem peccandi intelligitur tantum voluntas habitualis ex actu præterito, hoc eſt ſtatus peccati: nihil enim aliud intelligi poteſt per voluntatem habitualem peccandi; aut ſi quid aliud intelligant, qui aliter ſapiunt, explicent, quid ſit iſtud aliud. Clamant enim omnes voluntatem, affectum, affectionem habitualem & nihil amplius: hoc autem ſenſu certum eſt ſolo metu non excludi voluntatem peccati, ſed ſola gratia juſtificante. Vel per voluntatem peccandi intelligitur voluntas actualis, & per ejus excluſionem intelligitur excluſio non privativa tantum, ſed contraria, quæ ſic exprimitur; non ſolum nolo amplius peccare, ſed doleo peccaſſe, & deteſtor peccatum. Atque iterum hoc ſenſu concedimus non excludi voluntatem peccandi ſolo metu, quia peccatum, ut peccatum eſt, & offenſa Dei, non poteſt odio haberi ex ſolo metu ſine aliquo Dei amore, ut infra probabimus. Et hoc ſenſu S. Th. in 4. d. 14. in expoſitione textus ſuper hæc verba Magiſtri Sententiarum, *Vera pœnitentia eſt ceſſare a peccato*, dixit: *Sciendum, quod ceſſare a peccato non dicit ſimplicem negationem peccati, quia qui intermittit actum peccati, non dicitur a peccato ceſſare. Sed ceſſare a peccato proprie dicitur, cui peccatum diſplicet & peccatum intermittere intendit, & hæc eſt vera pœnitentia*. Reſtat ergo per voluntatem peccandi intelligendam eſſe actualem, & per excluſionem illius intelligi poſitivam quidem, ſed privativam tantum & non contrariam, quæ privativa ſic exprimitur; nolo amplius peccare, ſeu, depono omnem affectum, omnem voluntatem actualem iterum peccandi. Vix credo hanc excluſionem privativam voluntatis actualis peccandi vi metu a quoquam negari, ſi quidem plurimi, qui videntur negare, declarent, ut legimus in eorum operibus, ſe loqui de voluntate peccandi præterita, non futura; & afferant pro ratione, peccatum ut peccatum, non poſſe odio haberi, nec diſplicere ex ſolo metu, quod importat excluſionem contrariam, non privativam tantum. Sed quidquid ſit,

Dico. Nihil obſtat, quominus metus Inferni, ſi ſit efficax, excludat privative ſe ſolo voluntatem actualem peccandi. Prob. 1. ex Trid. Seſſ. 14. Can. 5. ubi ſic definitur: *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccato abſtinemus, peccatum eſſe aut peccatores pejores facere, anathema ſit*. Ergo juxta Concilium poteſt dari metus gehennæ efficax, vi cujus a peccato abſtinemus; peccatur autem non ſolum actu exteriori, ſed voluntate interiori. Ergo etiam voluntatem excludit. 2. Ex hac propoſitione damnata Queſnelli; *Timor non niſi manum cohibet, cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore juſtitiæ non ducitur*: eſt 61. Ergo timor non ſolum manum cohibet, ſed etiam animum. Neque verum eſt cor tamdiu peccato addici, ſeu affici, quamdiu ab amore juſtitiæ non ducitur.

Scio adverſæ ſententiæ Patronos multa excogitaſſe ut huic argumento ſatisfaciant. Dicunt 1. Timorem cohibere non ſolum actum exteriorem, ſed etiam voluntatem illum committendi, at non excludere affectum peccati intus latitantem, & voluntatem conditionatam illud committendi. 2. Recurrunt ad Calepinum, & dicunt juxta ipſum *cohibere* non ſignificare *excludere*, ſed apud ſe tenere. 3. Dicunt hoc membrum propoſitionis damnatæ, *Timor non niſi manum cohibet*, eſſe damnatum relative ad hoc ſecundum, *cor autem tamdiu peccato addicitur*, &c. 4. Dicunt timorem excludere voluntatem peccandi futuram, non præteritam. 5. Dicunt excludere voluntatem peccandi negative, ſicut ſomnus aut diſtractio excludit ſeu potius ſuſpendit, non poſitive, ita ut ſemper affectus maneat in corde. Verum demus iſta omnia, contra tamen communiorem ſenſum Theologorum, qui per To *cohibere* intelligunt *excludere* & quidem poſitive, ſaltem, ſi non obſtante metu ſemper maneat actu in corde affectus peccati latitans, & actualis voluntas ſaltem conditionata illud committendi, ſequitur, quod per hunc actualem affectum & voluntatem *cor tamdiu addicatur*, ſeu afficiatur *peccato, quamdiu ab amore juſtitiæ non ducitur*. Quid eſt enim addici ſeu affici peccato, niſi habere affectum ad peccatum? Et hoc eſt ſecundum membrum propoſitionis damnatæ, quod, ut dicunt, eſt præcipue damnatum.

3. Ex Aug. cujus auctoritati maxime confidunt Adverſarii. Enarrat. in Pſ. 127. dicit S. Doct. *Audiſtis, cum Evangelium legeretur, ubi vermis eorum non moritur, & ignis eorum non extinguitur. Audiunt hoc homines, & quia vere futura ſunt impiis, timent & continent ſe a peccato. Timent quidem, ſed non amant juſtitiam, cum autem per timorem continent ſe a peccato, fit conſuetudo juſtitiæ*. Atqui ut jam dictum eſt, non ſolum actus exterior eſt peccatum, ſed omnis actualis affectus ſeu voluntas peccati. Ergo ſi timor continet a peccato, continet ab affectu & voluntate actuali peccandi, & ſi maneat actualis affectus ſeu voluntas peccandi, non fit *conſuetudo juſtitiæ*.

4. Ratione. Timor efficax ſupplicii temporalis excludit poſitive omne id, quod conducit ad ſupplicium. Ergo a pari timor efficax ſupplicii æterni. Subſumo; atqui non ſolum peccatum exterius, ſed omnis actualis affectus aut voluntas peccandi conducit ad ſupplicium æternum. Ergo metus efficax gehennæ excludit poſitive omnem actualem affectum ſeu voluntatem peccandi, ſicut metus efficax ſupplicii temporalis excluderet voluntatem furandi, ſi voluntas ſupplicio puniretur, ſicut furtum exterius.

Dices. Ex hoc argumento ſequitur, quod metus efficax gehennæ excludat etiam habituale peccatum & ejus reatum, quia iſta etiam conducunt ad gehennam, ſicque ad juſtificationem inutilis eſt gratia & inutile Sacramentum, quod eſt abſurdum. Ergo. R. D. Sequelam. Sequitur, quod metus efficax excludat peccatum habituale immediate & ſe ſolo, N. Mediante amore charitatis, aut benevolentiæ cum Sacramento, C. Itaque metus efficax gehennæ immediate & ſe ſolo excludit omne inductivum gehennæ, quod continetur intra ſuam activitatem ſeu efficaciam immediatam; ſed ad excludendum quæ excedunt ſuam efficaciam immediatam, quærit adminicula neceſſaria, & ad illa efficaciter movet. Porro ad excludendum peccatum habituale & juſtificationem conſequendam non ſufficit excludi voluntatem peccandi, ſed inſuper requiritur odio haberi peccatum ut eſt malum & offenſa Dei, ut dicemus infra, quod fieri non poteſt ſine ſaltem ejus amore benevolo, & ideo metus efficax gehennæ movet peccatorem ad hunc amorem & ad Sacramentum. At excludere actualem voluntatem ſeu affectum peccati, etiam ut eſt offenſa Dei, immediate & ſe ſolo poteſt timor abſque ullius amoris Dei adminiculo, quia ex mera indifferentia erga aliquem abſque ullo ejus amore poſſum deponere voluntatem ipſum ulterius offendendi, maxime ſi ſciam hanc voluntatem eſſe mihi nocivam; ſicut ergo metus efficax patibuli ſe ſolo abſque alterius adminiculo excluderet voluntatem peccandi, ſi voluntas patibulo puniretur, ita metus Inferni ſe ſolo excludit voluntatem furandi, quia iſta voluntas Inferni pœna punitur. Et mirum ſane foret ex ſola conſideratione turpitudinis peccati poſſe deponi voluntatem ipſum iterandi, quod mihi certum videtur, & non poſſe ex conſideratione ſupplicii æterni. Tandem vel ille affectus latitans, & iſta voluntas conditionata eſt peccatum, vel non; ſi non ſit peccatum, eſt impertinens ad propoſitum; ſi ſit peccatum, vel illud excludit metus, vel dicendum, quod homo fugiens peccatum metu continuo peccet, quod eſt abſurdum.

Solvuntur Objectiones.

OBj. 1. S. Aug. in pluribus locis docet 1. Timorem gehennæ nullatenus excludere voluntatem peccandi. Sic Ep. 144. *Inaniter putat ſe victorem peccati, qui timore non peccat*. Serm. 15. de verbis Apoſt. *Qui timore pœnæ non concupiſcit, puto quia concupiſcit*. In Pſ. 77. *Qui timent pœnam, & qui amant juſtitiam, non furantur, & ideo pares ſunt manu, diſpares corde, pares opere, diſpares voluntate*. Similiter alii Patres. 2. Docet Aug. deſiderium peccandi non excludi niſi amore juſtitiæ & charitate: ſic l. 2. contra Adverſarium Legis c. 7. *Deſiderium peccandi non extinguitur niſi contrario deſiderio recte faciendi, ubi fides per dilectionem operatur*. Ergo R. ad primos textus, S. Aug. & alios Patres loqui de metu vel inefficaci, vel ſerviliter ſervili, vel de metu pœnæ temporalis, vel intelligere de complacentia peccati ex parte appetitus ſenſitivi, non voluntatis. Ad ultimum textum: vel Aug. loquitur de excluſione deſiderii peccandi contraria & non ſolum privativa, ut explicui in prænotaminibus, vel per charitatem & dilectionem intelligit bonam voluntatem ſeu quemlibet pium voluntatis affectum erga bonum, ut frequens eſt; qui vero fugit peccatum metu pœnæ, habet bonam voluntatem. Poſſet etiam dici, quod Aug. loquatur de eo, quod communius accidit; ſic enim quidam ex ipſis Adverſariis ipſum interpretantur.

Obj. 2. Quæ fiunt ex metu, ſunt involuntaria ſecundum quid. Ergo qui dolet de peccato ex metu, retinet affectum ad peccatum. R. D. Ant. Quæ fiunt ex metu ſunt involuntaria ſecundum quid, ſi illud involuntarium non ſit inductivum mali, quod timetur, C. Si ſit inductivum mali quod timetur, N. Hoc ipſo enim quo ſupponitur metus efficax,

cax, debet tollere omne inductivum mali, quod timetur, & quia involuntarietas in fuga peccati, ſeu affectus ad illud eſt inductivus gehennæ, metus efficax gehennæ debet illum excludere. Sicut ſi affectus, quem habet mercator ad merces, ſeu involuntarium, quod habet ad earum projectionem, eſſet cauſa naufragii, metus naufragii, ſi eſſet efficax, ipſum induceret non tantum ad projiciendas merces, ſed etiam ad deponendum affectum ad illas, conſequenter ad tollendum involuntarium in earum projectione.

Inſt. 1. S. Th. 1. 2. & cum eo omnes Theologi docent generaliter & ſine exceptione ea, quæ fiunt ex metu, eſſe mixta ex voluntario & involuntario. Ergo male nos ab hac generali doctrina excipimus. R. Ant. D. S. Th. docet generaliter & ſine exceptione ea, quæ fiunt ex metu, eſſe mixta ex voluntario & involuntario, loquendo formaliter de metu quantum ex vi ſua & prout incutitur a cauſa extrinſeca, C. Loquendo de metu per accidens & ratione materiæ, quando nempe contingit, quod mea voluntas ſeu involuntarietas eſt cauſa pœnæ, quam timeo, N. Tunc enim licet attenta præciſe ratione metu conſervaſſem affectum ad peccatum, & inde ortam involuntarietatem in eo relinquendo; tamen quia ipſe affectus ad peccatum, ſeu involuntarietas in illo relinquendo eſt fundamentum, & cauſa juſtæ pœnæ, quam timeo, ideo per accidens, & ratione materiæ, metus mutat hunc affectum, & tollit hanc involuntarietatem. Inſuper iſtud generale principium, ſcilicet ea, quæ fiunt ex metu, eſſe mixta ex voluntario & involuntario, intelligitur dumtaxat, quando in agente ex metu reperitur affectus ad id, quod ex metu dimittitur, ut in projiciente merces metu naufragii. At non eſt neceſſe, quod in omni agente ex metu reperiatur affectus ad id, quod ex metu dimittitur; ſic in eo, qui ex impetu iræ occidit hominem, aliunde ſibi charum, tranſacta ira, nullus remanet affectus ad hoc peccatum, de quo dolet ex metu inferni. Sic in viris ſanctiſſimis, qui metu gehennæ abſtinent a peccato, inter quos de S. Hieron. hæc referuntur verba: *Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum tali me carcere* (vaſta ſolitudine, quæ exuſta ſolis ardoribus horridum Monachis præbet habitaculum) *ipſe damnaveram, Scorpionum tantum ſocius & ferarum*, nemo dicet remanere affectum ad peccatum, & abſtinentiam a peccato eſſe mixtam ex voluntario & involuntario.

Inſt. 2. Qui dolet de peccato ex metu gehennæ, habet hanc voluntatem conditionatam, non dolerem, ſeu peccarem, ſi non eſſet infernus; ſicut mercator projiciens merces metu naufragii habet hanc voluntatem conditionatam, non projicerem, ſi non immineret naufragium. Ergo. R. N. Ant. Cum enim ſciat hanc voluntatem eſſe peccatum, & inductivam gehennæ, hoc ipſo quo metuit efficaciter gehennam, hanc voluntatem deponit; ſicut ſi voluntas conditionata non projiciendi merces, ſi non immineret naufragium, eſſet inductiva naufragii, eam deponeret Mercator, non deponit vero, quia ſcit inde non cauſari naufragium.

Inſt. 3. Si non eſſet infernus, non doleret. Ergo habet voluntatem non dolendi, ſi non eſſet infernus. R. D. Ant. Si non eſſet infernus, non doleret ex metu inferni, C. ex alio motivo, N. Saltem poſſet dolere ex alio motivo; qui enim dolet de peccatis ex metu inferni, non excludit alia motiva, nec facit, aut facere poteſt hanc comparationem: nolo dolere de peccatis propter Dei amorem, ſed tantum propter metum inferni, id namque foret inordinatum & peccaminoſum; ſed dolet propter infernum abſtrahendo ab alio motivo dolendi; quo quidem forte moveretur, forte non; ſed ſicut non eſt laude dignus propter bonum actum, quem forte eliceret, ita nec vituperio dignus propter malum actum, quem forte eliceret.

Huic quæſtioni diutius non immoror; quia, ut jam monui, nihil confert ad principalem quæſtionem de ſufficientia attritionis ſecundum noſtram ſententiam monſtrandam; in eaque ſum opinione, quod negantes efficaciam timoris ad excludendam voluntatem peccandi loquantur de excluſione contraria, non privativa tantum, ſenſu ſuperius explicato.

ARTICULUS VII.

Utrum ad juſtificationem cum Sacramento ſufficiat attritio pure formidoloſa, non e contra requiratur aliquis Dei amor & qualis?

§. I. *Prænotamina ex S. Thoma.*

OBSERVANDUM 1. cum eruditiſſimo Magiſtro noſtro P. Henneguier in ſuo opuſculo *De abſolutione ſacramentali*, duplicem attendi poſſe in nobis erga Deum amorem, ſcilicet amorem concupiſcentiæ, quo volumus Deum nobis bonum, ejuſque beatitudinem nobis appetimus, & amorem amicitiæ, quo Deo bonum ejuſque beatitudinem & perfectionem volumus. Hic iterum eſt duplex, unus ſecundum quid, & inchoatus, alter ſimplex & abſolutus. Primus dicitur benevolentiæ ſimplicis, alter benevolentiæ amicabilis. Neque enim idem ſunt, ut plerique exiſtimant, benevolentia & amicitia, ſeu charitas; benevolentia eſt alterius principium ſeu effectus, nam ex eo quod alicui volumus bonum, diſponimur, ut ipſum amemus, & ad ipſum amicitiam habeamus; inde etiam quod aliquem amemus, & ad ipſum amicitiam habeamus, fit ut ipſi bonum velimus. Unde S. Th. 2. 2. q. 27. a. 2. ad 1. dicit, quod cum Philoſophus definit amare, quod eſt velle alicui bonum, *Definit amorem non ponens totam rationem ipſius, ſed aliquid ad ejus rationem pertinens, in quo maxime manifeſtatur dilectionis effectus*. Eſt igitur hoc diſcrimen ſecundum D. Th. inter benevolentiam & amorem amicitiæ, quod benevolentia ſit ſimplex actus voluntatis, quo volumus alicui bonum ſine redamatione ex parte ejus, ut dum videmus duos pugiles in certamine aliunde nobis ignotos, quorum unum vellemus vincere; eſt exemplum S. Thomæ loco cit. Amor autem ſeu amicitia addit benevolentiæ redamationem, ſeu unionem affectuum ad invicem, *Amicus enim eſt amico amicus*, ut fert commune adagium. Placet verba S. Doctoris referre loco citato in corpore articuli, ubi inquirens, utrum amare, prout eſt actus charitatis (quam paulo ante definierat eſſe amicitiam, ut dicam modo) ſit idem, quod benevolentia, ſic reſpondet: *Dicendum, quod benevolentia proprie dicitur actus voluntatis, quo alteri bonum volumus. Hic autem voluntatis actus differt ab actuali amore, tam ſecundum quod eſt in appetitu ſenſitivo, quam etiam ſecundum quod eſt in appetitu intellectivo, quod eſt voluntas*. Tum paucis interjectis proſequitur: *Amor* (ſeu amicitia) *importat quamdam unionem ſecundum affectum amantis ad amatum, in quantum ſcilicet amans æſtimat amatum quodam modo, ut unum ſibi vel ad ſe pertinens, & ſic movetur in ipſum. Sed benevolentia eſt ſimplex actus voluntatis, quo volumus alicui bonum, etiam non præſuppoſita prædicta unione affectus ad ipſum. Sic ergo in dilectione ſecundum quod eſt actus charitatis* (hoc eſt amicitiæ, ut mox dicam) *includitur aliqua benevolentia; ſed dilectio, ſive amor addit unionem affectus, & propter hoc Philoſophus dicit ibidem, quod benevolentia ſit principium amicitiæ*. Unde vulgo a Theologis aſſignantur tres conditiones requiſitæ ad amicitiam; 1. quod ſit amor benevolentiæ, non concupiſcentiæ: 2. quod ſit mutuus: 3. quod fundetur in aliqua communicatione, ſive bonorum, ſive ſecretorum, &c. inter amicos: ſicque benevolentia & amicitia conveniunt in 1. conditione, differunt in 2. & 3.

Obſervandum 2. cum eodem ex eodem S. Th. 2. 2. q. 23. a. 1. charitatem eſſe eſſentialiter amicitiam hominis ad Deum, quæ ſententia eſt communior Theologorum; verba ſunt S. Doctoris in corpore articuli: *Dicendum, quod ſecundum Philoſophum in 8. Ethic. non quilibet amor habet rationem amicitiæ, ſed amor, qui eſt benevolentia, quando ſcilicet amamus aliquem ut ei bonum velimus... ſed nec benevolentia ſufficit ad rationem amicitiæ, ſed requiritur quædam mutua amatio, quia amicus eſt amico amicus. Talis autem mutua benevolentia fundatur ſuper aliqua communicatione. Cum ergo ſit aliqua communicatio hominis ad Deum, ſecundum quod nobis ſuam beatitudinem communicat* (hic quidem in ſpe & ſpe per gratiam, in patria autem per gloriam) *ſuper hanc communicationem oportet aliquam amicitiam fundari, de qua quidem communicatione dicitur ad Cor. 1.* Fidelis Deus, per quem vocatis eſtis in ſocietatem Filii ejus. *Amor autem ſuper hanc communicationem fundatus eſt charitas. Unde manifeſtum eſt, quod charitas amicitia quædam eſt hominis ad Deum*. Itaque ut aliquis amor ſit charitas, eædem omnino requiruntur conditiones, quæ requiruntur ad amicitiam: prima, quod ſit amor benevolentiæ: ſecunda, quod ſit mutuus, id eſt quod ex parte Dei ſit etiam aliquis amor benevolentiæ erga hominem; tertia, quod amor ille mutuus fundetur in communicatione beatitudinis, in quantum amor charitatis in Deo, cum ſit ſupernaturalis & fœcundus, producit in nobis gratiam, quæ eſt participatio divinæ naturæ, & qua conſtituimur Filii Dei, atque ejus beatitudinis hæredes.

Hinc colliges charitatem ſeu charitatis actum pro objecto formali reſpicere Deum, ferrique in ipſum non quomodocumque conſideratum, & ut in ſe tantum abſolute bonus eſt, ſed ut eſt nobis amicus ſeu ut redamans nos, ut nobis unitus, ſeque per beatitudinem ſcilicet per gloriam & gratiam nobis communicans. Non quod communicatio illa ſeu unio & redamatio ſit ratio diligendi Deum, ipſique bonum volendi, ſed quod ſit modificatio ſeu conditio ſine qua actus benevolentiæ, quo Deo ſecundum ſe & propter ſe, ſeu intuitu ſui & non noſtri volumus bonum, non eſt actus amicitiæ ſeu charitatis, nec Deus amicitiæ objectum: ſicut Deus non viſus & nobis veritates revelans

eſt

aſt noſtræ fidei objectum ; non quod eſſe non viſum ſit ratio aſſentiendi Deo per fidem, ſed quod ſit conditio, ſine qua aſſenſus noſter non eſſet fidei, nec Deus revelans objectum fidei. Quod & exemplis ab aliis rebus deſumptis manifeſtum fieri poteſt; ſic bonum niſi apprehenſum non diligitur; ignis niſi applicatus non comburit; forma niſi unitur, totum non conſtituit: non quod apprehenſio ſit bono ratio formalis & motiva ut diligatur; igni applicatio, vis ut comburat; formæ unio, ratio formalis ut totum conſtituat; ſed quod apprehenſio, applicatio, & unio ſint conditiones, ſine quibus nec ratio boni diligitur, nec virtus ignis comburit, nec formæ entitas totum conſtituit. Sic ergo quamvis Deus a ſeipſo hoc eſt ab excellentia & bonitate propria habeat, quod per charitatis & amicitiæ actum diligatur; non tamen per charitatis, ſed per nudum benevolentiæ actum attingitur, ſi antecedenter ad ſui per gratiam vel gloriam communicationem ipſi bonum appetitur, ut tam in divinis quam in humanis ſit abſolute & univerſaliter verum, nullum ſine communicatione dari actum amicitiæ, ſecus benevolentiæ.

Quando itaque dicitur; Deus ut ſeipſum communicans, ut ſpiritualiter convivens, ut amicus, ut unitus, &c. eſt objectum charitatis: Ly ut non denotat id, unde habet Deus, quod ſit amicitiæ & charitatis objectum, ſed conditionem, ſine qua non eſt charitatis objectum. Sicut cum dicitur, Ignis ut applicatus comburit, bonum ut apprehenſum diligitur, forma ut unita totum conſtituit, Deo ut viſo creditur; Ly ut in iſtis non important cauſam aut rationem formalem, ob quam prædicatum de ſubjecto dicitur, ſed modificationem illius ſeu conditionem ſine qua non, adeoque proprie loquendo, nec ſpecificative, nec reduplicative ſumuntur, ſed conditionate tantum. Hæc prælaudatus Theologus, quæ vix immutata retuli, quia vix potuit melius dici.

Scio quidem quoſdam Recentiores Thomiſtas paulo aliter diſtinguere inter benevolentiam & charitatem. Dicunt enim actum benevolentiæ differre ab actu charitatis, quod actus benevolentiæ ſit affectivus tantum & inefficax; actus autem charitatis effectivus, efficax & totius legis adimpletivus: neque tamen hos actus inter ſe differre tantum accidentaliter penes magis & minus intenſum, ſed etiam eſſentialiter ratione diverſi modi, quo idem objectum attingunt; ſicut, inquiunt, contingit in peccato mortali & veniali. Neque enim concedunt, quod actus inefficax idem eſſentialiter manens poſſit fieri efficax, ſicut minus efficax idem eſſentialiter manens poteſt fieri magis efficax; ſed quod adveniente efficaci inefficax tranſit, ſicut ſimplex velleitas ſeu complacentia tranſit adveniente voluntate abſoluta, quæ a ſimplici velleitate eſſentialiter diſtinguitur.

Equidem non inficias ibo actum charitatis eſſe efficacem, & actum inefficacem poſſe eſſentialiter diſtingui ab efficaci. At quantumvis ſit noſter erga Deum amor efficax, ſi ibi ſiſtas & non ſupponas Deum redamantem, atque ſe bonis per gratiam communicantem, habes tantum amorem benevolentiæ, non amorem charitatis ſeu amicitiæ, quippe quæ juxta S. Th. fundatur in unione affectuum & communicatione mutua. Si dicas: Hoc ipſo quo amor hominis erga Deum eſt efficax, Deus hominem redamat. Sit ita; ſed ex illa redamatione & non ex efficacia actus nostri repetenda eſt diſtinctio formalis inter benevolentiam & charitatem. Hactenus itaque arbitror principia poſita ex Angelico Doctore. Sunt etiam quidam, qui ſcrupuloſe refugiunt vocare actum benevolentiæ *amorem*; ſed de nomine non litigamus; dicatur amor, dicatur ſimpliciter actus benevolentiæ, perinde eſt nobis, qui per amorem benevolentiæ non intelligimus niſi ſimplicem actum voluntatis, quo volumus bonum Deo nondum redamanti, nec ſe per gratiam aut gloriam adhuc communicanti.

Circa quæſtionem propoſitam in titulo, multiplex eſt Theologorum opinio. Quidam volunt ad juſtificationem cum Sacramento ſufficere attritionem pure formidoloſam, alii requirunt amorem ſpei ſeu concupiſcentiæ. Sed hi non multum diſtant a primis, inter quos pauci ſunt, qui excludunt amorem concupiſcentiæ; alii requirunt amorem benevolentiæ, alii amorem charitatis. Ante reſolutionem præmittendum cenſeo Alexandrum VII. in Decreto S. Inquiſit. dato feria V. Maii 1667. in virtute S. Obedientiæ, & ſub pœna Excommunicationis latæ Sententiæ præcepiſſe, *ut nemo audeat alicujus Cenſuræ Scholaſticæ alteriuſve injuriæ aut contumeliæ nota taxare alterutram Sententiam, ſive negantem neceſſitatem aliqualis dilectionis Dei in præfata attritione ex metu gehennæ concepta, quæ hodie inter Scholaſticos communior videtur, ſive aſſerentem dictæ dilectionis neceſſitatem; donec ab hac S. Sede fuerit aliquid in hac re definitum.* Dixit Decretum *quæ hodie*, id eſt anno 1667. *videtur communior*, quod non puto nunc poſſe dici.

§. II. Rejicitur amor charitatis.

NOn eſt modo quæſtio de charitate habituali. Quamvis enim Magiſter Sententiarum & quidam antiqui olim cenſuerint peccatorem ſemper juſtificari per contritionem gratia & charitate habituali formatam, priuſquam ſuſciperet Sacramentum, ideoque Sacramentum non reconciliare Deo, ſed Eccleſiæ, neque remittere peccata, ſed tantum pœnam peccatorum, neque conferre primam gratiam, ſed primam collatam dumtaxat augere; iſta opinio inolevit, neque poſſet facile conciliari cum definitionibus Concilii Trid. damnatione propoſitionum Baii, poteſtate clavium, efficacia & inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ, quæ eſt, ut conferat primam gratiam peccatorum remiſſivam, ut probavimus Differt. 1. 2. 3. §. 2. Require. Unde hodierni aſſertores charitatis in attritione requirunt tantum charitatem actualem, neque talem, quæ inferat aut ſupponat charitatem habitualem, ſed debilem & remiſſam, qua peccator, ut volunt, non juſtificetur, antequam Sacramentum ſuſcipiat. Et forte per charitatem actualem nihil aliud intelligunt quam amorem Dei benevolum ſuper omnia, quem male confundunt cum actu charitatis, non ſatis attendentes ad diſtinctionem inter utrumque actum, quam ponit S. Th. ut vidimus §. præced. ſed quidquid ſit,

Dico. In attritione ſalutari & ſufficiente ad juſtificationem cum Sacramento non requiritur aliquis actus charitatis, quantumvis debilis & remiſſus. Prob. Ad attritionem, quæ cum Sacramento juſtificationi ſufficiat, non requiritur actus, qui ante realem Sacramenti ſuſceptionem habeat infallibiliter annexam gratiam juſtificantem. Atqui actus charitatis quantumvis debilis & remiſſus habet infallibiliter annexam gratiam juſtificantem ante realem ſuſceptionem Sacramenti. Ergo. Maj. patet ex his, quæ modo dicebamus de charitate habituali, & admittitur ab Adverſariis, præſertim quia alioquin Sacramentum Pœnitentiæ nunquam cauſaret id, ad quod cauſandum eſt per ſe primo inſtitutum, ſcilicet remiſſionem peccatorum, eſt enim Sacramentum mortuorum, ſed ſemper cauſatum ſupponeret. Prob. Min. 1. Actus charitatis, quantumvis debilis & remiſſus, eſt actus amicitiæ erga Deum, ut diximus §. præcedenti, conſequenter habet omnes conditiones ſeu proprietates amicitiæ, ſcilicet fertur in Deum ut amicum, ut redamantem, ut nobis unitum, ſeque nobis communicantem per beatitudinem in ſpe vel in re. Atqui hæc non habentur niſi per gratiam ſanctificantem, qua conſtituimur participes divinæ naturæ, amici Dei, filii & hæredes. Ergo.

Si dicas id intelligendum eſſe de actibus charitatis ab habitu charitatis procedentibus. R. 1. N. Suppoſitum Antecedentis, ſcilicet poſſe dari actu charitatis, qui non procedat ab habitu charitatis in genere cauſæ efficientis, licet poſſit natura præcedere in genere cauſæ materialis & diſpoſitivæ; poſito enim quod charitas actualis ſit amicitia ad Deum, debet neceſſario ſupponere Deum redamantem per gratiam & infuſionem virtutum. Unde Auctor 3. p. q. 85. a. 6. ait: *Dicendum eſt, quod actus quidem laudabiles etiam tempore præcedere poſſunt actum & habitum pœnitentiæ, ſicut actus fidei & ſpei informiam & actus timoris ſervilis: Actus autem & habitus charitatis ſimul ſunt tempore cum actu & habitu pœnitentiæ, & cum habitibus aliarum virtutum.* Ergo etiam ſimul cum gratia ſanctificante, ad quam habitus virtutum conſequuntur, & a qua nunquam ſeparantur. 2. Dato Ant. Vel iſte actus charitatis non procedens ab habitu eſt ejuſdem ſpeciei cum eo, qui procedit ab habitu, vel non. Si 1. ergo in idem objectum formale, & eodem modo tendit, adeoque in Deum, ut amicum & redamantem. Si 2. ergo non eſt eſſentialiter actus charitatis, cum charitas ſit ſpecies atoma, ſed ad lineam benevolentiæ revocari debet.

Si reponas hos actus diſtingui ex parte principii, ſi non ex parte objecti. R. Vel illa diſtinctio ex parte principii conſtituit eos diverſæ ſpeciei eſſentialis, vel non; quodvis dicatur, recurrit ſolutio mox data. Inſuper ſufficit ad concluſionem noſtram, quod iſte actus habeat idem objectum formale.

Prob. 2. Prima Min. Argumenti ex damnatione ſequentium propoſitionum vulgo Baianarum: *Charitas perfecta & ſincera, quæ eſt ex corde puro, & conſcientia bona & fide non ficta, tam in catechumenis, quam in pœnitentibus poteſt eſſe ſine remiſſione peccatorum:* Eſt 31. *Catechumenus juſte, recte, & ſancte vivit, & mandata Dei obſervat, ac legem implet per charitatem ante obtentam remiſſionem peccatorum, quæ in Baptiſmi lavacro demum percipitur:* Eſt 33. Neque dicas has propoſitiones eſſe intelligendas vel de charitate actuali intenſa, vel de charitate habituali; nam prima loquitur de charitate, quæ ſit perfecta & ſincera, quatenus eſt *Ex corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta*: Charitas autem etiam non intenſa eſt hoc ſenſu perfecta & ſincera, eſt enim de corde puro, con-

ſcien-

ſcientia bona & fide non ficta. Secunda videtur aperte loqui de charitate actuali, per quam ſcilicet catechumenus *Recte, juſte & ſancte vivit, & legem implet*: hæc enim important actum.

Obj. Si in attritione requiſita ad juſtificationem cum Sacramento non requireretur actus charitatis ſaltem debilis & remiſſus, ideo eſſet, quia hujuſmodi actus habet inſeparabiliter annexam juſtificationem. Atqui falſum Conſequens. Ergo. Probaut Min. ex variis Scripturis & Patribus, qui ad juſtificationem extra Sacramentum requirunt amorem, dilectionem, charitatem magnam, intenſam, ex toto corde, &c. & pluribus rationibus. Ergo, R. N. Min. Ad probat. Hæc omnia intelligenda ſunt de charitate inchoata, & late ſumpta pro amore benevolentiæ, quem fatemur debere eſſe intenſum ad juſtificationem extra Sacramentum, non vero de charitate ſtricte ſumpta pro amicitia inter Deum & hominem.

Inſt. 1. Concilium Trid. ſeſſ. 14. cap. 4. declarat reconciliationem non haberi extra Sacramentum, niſi per contritionem *Charitate perfectam*. Atqui ibi intelligitur charitas ſtricte ſumpta. Ergo ad juſtificationem non ſufficit charitas actualis, debilis & remiſſa. R. N. Conſeq. Non enim idem eſt contritio charitate perfecta, & contritio, ſeu charitas intenſa, cum minima contritio, modo ſit vera contritio, ſit charitate perfecta, id eſt talis, quam perficit charitas, & ad perficiendam contritionem non requiratur perfecta ſeu intenſa charitas, ſed ſufficiat qualiſcumque etiam remiſſa, modo habeat eſſentiam charitatis, qua nempe diligitur Deus appretiative ſuper omnia.

Inſt. 2. Juxta Aug. & alios Patres ad juſtificationem extra Sacramentum ita requiritur perfecta contritio, ut ſit & perfecta charitas. Ergo utraque intenſa. R. N. Conſeq. Perfectio enim tam contritionis, quam charitatis, petitur non ſolum ex intenſione, ſed etiam ex appretiatione ſeu electione voluntatis, qua Deus præfertur omnibus in amore, & peccatum in deteſtatione. Quid autem Aug. per charitatem perfectam intelligat, exponit Auctor 2. 2. q. 24. a. 9. *Perfectum* vocat, non intenſam, ſed cujus principale ſtudium eſt, ut Deo inhæreat, eoque fruatur: Proficientem, ſeu roboratam, quæ principaliter ſtudet, ut in bono proficiat: *Parvulam* vero ſeu incipientem, quæ potiſſimum incumbit, ut a peccato recedat, & concupiſcentiis reſiſtat. Hæc autem perfectæ charitatis notio non convenit adverſariis, qui illam reponunt in intenſione.

Inſt. 3. Si quilibet actus charitatis, quantumvis debilis & remiſſus, habeat ſemper annexam juſtificationem, non erit ita difficilis, ut multi exiſtimant, hominis juſtificatio extra Sacramentum; nec erit, cur tam ſint ſolliciti fideles pro abſolutione ſacramentali. Atqui hoc videtur inconveniens. Ergo R. N. Ant. Non enim actus charitatis, quamvis remiſſus, eſt ita facilis, ſi quidem, ut patet ex prænotatis, ſupponat Deum redamantem, & ſe nobis communicantem per gratiam juſtificantem, & habitum charitatis: Deus autem gratiam juſtificantem, & cum ea habitum charitatis non infundit extra Sacramentum quovis modo pœnitenti etiam ex motivo benevolentiæ, ſed pœnitenti intenſe juxta quantitatem malitiæ peccatorum, vel ex puro motivo amoris benevoli, ſine adminiculo timoris ſervilis, & motivi proprii intereſſe; quod certe non ita facile eſt, nec frequens inter homines maxime mundo & concupiſcentiis ſervientes.

Inſt. 4. Si vera ſit ſententia noſtra, ſequitur quod homo poterit ſalvari, & eſſe in gloria, abſque eo quod unquam præceptum charitatis impleverit; v. g. pone caſum, quod impius in fine vitæ convertatur ex timore cum ſolo actu benevolentiæ, & ſtatim ac ſubito poſt abſolutionem moriatur; juſtificabitur ſecundum nos, conſequenter ſalvabitur; nunquam tamen adimplevit præceptum charitatis, cum totam vitam in impietate duxerit. Atqui hoc videtur abſurdum. Ergo. Reſpondent quidem non eſſe inconveniens talem hominem ſalvari; quia impoſſibilis tunc ipſi redditur adimpletio mandati; male quidem fecit non adimplendo prius, ſed ipſum talis peccati, ut ſupponitur, pœnituit. Reſpondent alii, & melius ex D. Th. in 2. d. 28. q. 1. a. 3. præceptum dilectionis ſufficienter impleri, ut quis ab ejus tranſgreſſione mortali excuſetur, per amorem Dei benevolum ſuper omnia: quo actu diligunt, & diligere debent Deum omnes catechumeni & pœnitentes; ut docet Trid. ſeſſ. 6. cap. 6. requirens, ut Deum tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiant. R. 3. Etiam ipſum peccatorem in inſtanti juſtificationis non ſolum recipere gratiam & charitatem habitualem, ſed etiam elicere actum charitatis; quia gratia ſanctificans cum charitate habituali non ipſi infunditur modo quaſi mortuo, ſed eam actu voluntario & libero recipit, & in amicitiam Dei voluntarie conſentit; hæc autem actualis, & libera acceptatio gratiæ, & in amicitiam Dei conſenſio, quid eſt aliud quam actus charitatis ex ipſa gratia ſanctificante, & habituali charitate in genere cauſæ efficientis conſequens, licet poſſit dici illam natura præcedere in genere cauſæ materialis & diſpoſitivæ. Hanc ſolutionem hauriò ex Concilio Trid. & S. Thom. Concilium Trid. ſeſſ. 6. cap. 6. ſic habet: *Juſtificatio non eſt ſola peccatorum remiſſio, ſed renovatio interioris hominis* per voluntariam ſuſceptionem gratiæ & donorum, *quibus homo efficitur ex injuſto juſtus, ex inimico amicus*. S. Thom. 1. 2. q. 113. a. 3. o. *Deus*, inquit, *ita infundit donum gratiæ ſanctificantis, quod etiam ſimul cum hoc* movet liberum arbitrium ad donum gratiæ acceptandum in his, qui ſunt hujus motus capaces. Et a. 4. ad 1. *Motus fidei non eſt perfectus, niſi ſit charitate informatus. Unde ſimul in juſtificatione impii cum motu fidei eſt etiam* motus charitatis; *movetur autem liberum arbitrium in Deum, ad hoc quod ei ſe ſubjiciat. Unde etiam concurrit* actus amoris filialis (*qui eſt a charitate*) *& actus humilitatis*.

Si dicas pœnitentes plerumque, ſaltem rudes, ignorare, quid ſit gratia ſanctificans, quid charitas habitualis. Ergo dici non poteſt, quod actu libero illas ſuſcipiant, aut in eas conſentiant. R. Quod licet pœnitentes non cognoſcant explicite naturam gratiæ & charitatis, ſciunt tamen in ipſa juſtificatione operatione divina fieri aliquid in eis, quo intrinſece mutantur, & fiunt juſti, ſancti & amici, cum antea eſſent peccatores, injuſti & inimici; in id autem voluntarie conſentiunt, & hoc ſufficit.

§. III. *Aſſeritur neceſſitas amoris benevoli in attritione.*

Dico. Ad juſtificationem cum Sacramento Pœnitentiæ conſequendam non ſufficit attritio ex metu concepta etiam amore ſpei ſeu concupiſcentiæ, ſed requiritur amor Dei benevolus. Prob. 1. ex Concilio Trid. Seſſ. 6. cap. 6. ubi agit de pœnitentia neceſſaria ad Baptiſmum in adultis. Hæc ſunt ejus verba: *Diſponuntur ad ipſam juſtitiam, dum excitati divina gratia... libere moventur in Deum credentes vera eſſe, quæ divinitus revelata & promiſſa ſunt... & dum peccatores ſe eſſe intelligentes divinæ juſtitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad conſiderandum Dei miſericordiam ſe convertendo, in ſpem eriguntur, fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore, illumque tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adverſus peccata per odium aliquod & deteſtationem, hoc eſt per eam pœnitentiam, quam ante Baptiſmum agi oportet*. Quibus verbis Concilium requirit tres conditiones ad pœnitentiam, quæ agi debet ante Baptiſmum, ſcilicet fidem, cui conjungitur timor, ſpem & inchoatam dilectionem. Atqui non minor, imo major requiritur pœnitentia ad Sacramentum Pœnitentiæ, quam ad Baptiſmum. Ergo.

In omne latus ſe vertunt Adverſarii, ut huic argumento ſatisfaciant. Dicunt 1. Concilium eſſe intelligendum de amore ſpei ſeu concupiſcentiæ. Sed contra 1. Concilium requirit amorem diſtinctum a ſpe. Ergo diſtinctum ab amore concupiſcentiæ ſeu ſpei; ſpes enim neceſſario præſupponit amorem concupiſcentiæ, & in eo fundatur. Unde Auctor 1. 2. q. 40. a. 7. *Nec eſt ſpes*, inquit, *niſi de bono deſiderato & amato*. Et q. 62. art. 4. ad 3. *Spes reſpicit duo, unum quidem ſicut principale objectum ſcilicet bonum quod ſperatur, reſpectu hujus ſemper amor præcedit ſpem, nunquam enim ſperatur aliquod bonum niſi deſideratum & amatum*. 2. Diligere Deum tanquam omnis juſtitiæ fontem, ut loquitur Concilium, non eſt ipſum diligere amore concupiſcentiæ, ſed amore benevolentiæ; eſt enim ipſum diligere tanquam primitivam & fontalem juſtitiam, a qua omnis æquitas, rectitudo & juſtitia profluit, ſicque eſt ipſum amare ut finem ultimum: quia ut communiter docent Theologi poſt S. Th. ſic ſe habet finis ultimus in moralibus, ſicut primum principium indemonſtrabile in ſpeculativis; ſicut ergo a primo principio provenit omnis certa veritatis cognitio, ita a fine ultimo profluit omnis juſtitiæ, æquitatis & rectitudinis ratio; diligere autem Deum ut finem ultimum pertinet ad benevolentiam, non ad concupiſcentiam. Unde ipſe Suares attritionis formidoloſæ aſſertor in 3. p. D. Th. Diſp. 4. Sect. 3. dicit: *Diligere Deum ut omnis juſtitiæ fontem non eſt diligere amore concupiſcentiæ, ſed eſt diligere Deum ut Auctorem gratiæ, quomodo charitas diligit ipſum*. Et Tannerus alter formidoloſæ attritionis aſſertor Thom. 4. Diſp. 6. q. 2. Dub. 4. num. 74. dicit, quod hæc ſit *communis mens & Sententia Doctorum*.

Dicunt 2. Concilium debere intelligi non de actuali dilectione, ſed de principio extrinſeco dilectionis, quod eſt propoſitum ſervandi mandata. Sed contra 1. Concilium exigit dilectionem diſtinctam a propoſito, ſi quidem verbis citatis immediate ſubjungat: *Denique dum proponunt ſuſcipere Baptiſmum, inchoare novam vitam & ſervare divina mandata*. Imo ex dilectione Concilium deducit propoſitum; poſtquam enim ſtatuit neceſſitatem dilectionis, dicit: *Ac propterea moventur adverſus peccata per odium aliquod... proponunt ſervare mandata*: Sicut enim ex dilectione Dei oritur odium peccati, ſic ex odio peccati naſci-

ſci-

Digitized by Google

ſcitur propoſitum non amplius peccandi. 2. Quia habet ſolum voluntatem aliquid faciendi & nondum facit, non niſi admodum improprie dicitur, quod illud incipiat facere; nemo enim dicit, quod is, qui mane habet propoſitum ambulandi a meridie, jam incipiat ambulare; nefas eſt autem hujuſmodi improprias locutiones tribuere S. Synodo, quæ in omnibus accuratam & præciſam terminorum ſignificationem ſectatur. 3. Nemo eſt ſufficienter diſpoſitus ad gratiam in Sacramento conſequendam, quamdiu manet converſus ad creaturam, tanquam ad finem ultimum: in hoc enim ſita eſt tota peccati inordinatio & malitia. Atqui ſimplex propoſitum ſervandi mandata & diligendi Deum non tollit converſionem ſive actualem ſive virtualem peccatoris ad creaturam tanquam ad finem ultimum; non enim ſunt actus incompoſſibiles propoſitum ſeu deſiderium diligendi Deum, ipſumque præferendi omnibus ſuo tempore ſeu in futuro, & ipſum non diligere de facto, atque ipſi de facto & in præſenti creaturam præferre. Neceſſe eſt ergo, quod actu præferat Deum omnibus, & de facto ipſum habeat pro fine ultimo, quod eſt actualis amor & non ſimplex propoſitum amandi.

Dicunt 3. Concilium loqui de diſpoſitione congrua tantum, non neceſſaria, ſi quidem inter diſpoſitiones referat divinæ juſtitiæ timorem, ſine quo tamen poteſt obtineri in Sacramento juſtificatio hominis. Sed contra 1. Hanc Reſponſionem plane evertunt verba Concilii; cum poſt recenſitam fidem, timorem, ſpem, dilectionem & odium peccati ut diſpoſitiones, addit. *Hoc eſt per eam pœnitentiam, quam ante Baptiſmum agi oportet*: quæ vox, *oportet*, indubie importat neceſſitatem, ſicut cum dicit duabus lineis infra ex Apoſt. *accedentem ad Deum oportet credere quia eſt*: incredibile namque eſt, quod intra duas lineas eandem vocem diverſo ſenſu uſurpaverit. 2. Juxta Pallavicinum l. 8. Hiſt. c. 13. actus amoris huic capiti 6. Seſſionis ſextæ inſertus eſt a Patribus, tanquam neceſſarius ut fructuoſa eſſet pœnitentia: *Viſum eſt*, inquit Eminentiſſimus Hiſtoricus, *cum fide & ſpe jungere aliquem dilectionis actum, quia ſi pœnitentia tota eſſet ex timore ſine amore juſtitiæ, & dolor eſſet propter pœnam tantum & non propter Dei offenſam, infructuoſa eſſet*. Ad id quod additur de timore, R. Concilium reſpexiſſe ad conſuetum modum juſtificationis, juxta quem timor eſt neceſſarius; dum enim annuntiatur fides adultis non baptizatis, ſolent ante omnia concuti metu ſuppliciorum Inferni. Unde probavimus ſupra ex D. Th. timorem eſſe principium pœnitentiæ.

Dicunt 4. Concilium agere de Pœnitentia juſtificante extra Sacramentum & non cum Sacramento. Idque probant 1. Quia alioquin hæc pœnitentia foret ſacramentalis, ſicut pœnitentia requiſita ad Sacramentum Pœnitentiæ quod eſt contra mentem Concilii, teſte Card. Pallavicino l. 8. c. 13. ubi ait: *Fuiſſe conſulto poſita hæc verba* quam ante Baptiſmum agi oportet, *ad diverſificandam hanc pœnitentiam ab illa, quæ requiritur in homine baptizato, & de qua diſcuritur in Canone* (capite) 14. *quæ eſt pœnitentia ſacramentalis*. 2. Quia Concilium inter diſpoſitiones requiſitas ad illam Pœnitentiam ante Baptiſmum recenſet votum Baptiſmi: *Denique*, inquit, *dum proponunt ſuſcipere Baptiſmum*. Pœnitentia autem, quæ includit votum Baptiſmi, ea non eſt, quæ in ipſa actuali ſuſceptione Baptiſmi eſt neceſſaria; ſicut dum Concilium c. 14. ejuſdem Seſſ. 6. dicit in pœnitentia hominis lapſi poſt Baptiſmum *Contineri non modo ceſſationem a peccatis & eorum deteſtationem... Verum etiam eorumdem ſacramentalem confeſſionem ſaltem in voto & ſuo tempore faciendam*: intelligit de pœnitentia extra Sacramentum neceſſaria & juſtificante, quando ipſum Sacramentum re frequentari non poteſt. Sed contra. Concilium loqui de Pœnitentia juſtificante cum Sacramento conſtat 1. ex eo quod uſurpet hæc S. Petri verba Act. 2. *Pœnitentiam agite & baptizetur unuſquiſque veſtrum in remiſſionem peccatorum*. Quibus verbis manifeſte ſignificat ſe intelligere de juſtificatione ſeu remiſſione peccatorum in actuali ſuſceptione Baptiſmi. 2. Quia c. 7. ſeq. dicit cauſam inſtrumentalem juſtificationis, quæ conſequitur diſpoſitiones, de quibus egerat c. 6. præcedenti, eſſe Baptiſmum: *Hanc diſpoſitionem*, inquit, *ſeu præparationem juſtificatio ipſa conſequitur... Hujus juſtificationis cauſæ ſunt, finalis quidem gloria Dei & Chriſti ac vita æterna, efficiens vero miſericors Deus... meritoria autem dilectiſſimus unigenitus ſuus Dominus noſter Jeſu Chriſtus.. Inſtrumentalis item Sacramentum Baptiſmi*. Ergo de juſtificatione in ipſa actuali ſuſceptione Baptiſmi loquitur.

Ad 1. Probationem, R. Pœnitentiam neceſſariam ad juſtificationem in ipſo Sacramento Baptiſmi non eſſe ſacramentalem, eo ſenſu quo pœnitentia in baptizatis lapſis eſt ſacramentalis, quia hæc eſt pars Sacramenti, non illa; & in hoc voluit Concilium diverſificari illas Pœnitentias. Eſt tamen ſacramentalis hoc ſenſu, quod ſit neceſſaria diſpoſitio ad fructuoſe ſuſcipiendum Sacramentum. Ad 2. Probationem, N. Conſeq. dum enim Concilium dicit pœnitentiam hominis lapſi includere peccatorum *Sacramentalem confeſſionem ſaltem in voto & ſuo tempore faciendam*, manifeſte his verbis, *ſuo tempore faciendam*, ſignificat ſe ſumere confeſſionem *in voto*, prout diſtinguitur contra confeſſionem in re, ſeque agere de pœnitentia extraſacramentali. At nihil ſimile profert, dum de pœnitentia requiſita ad Baptiſmum loquitur, hæc enim verba, *Dum proponunt ſuſcipere Baptiſmum*, obvio & naturali ſenſu intelliguntur de propoſito, quod præcedere debet in eo, qui ſe ad Baptiſmum re ſuſcipiendum tipſe diſponit.

Dicunt denique. Eſto Concilium requirat aliquem amorem benevolum ad Baptiſmum, tamen cum ſeſſ. 14. refert diſpoſitiones ad Sacramentum pœnitentiæ, non meminit alicujus dilectionis, quamvis in proœmio dicat ſe de illo Sacramento traditurum *Exactiorem & pleniorem definitionem*. Sed contra 1. Non minorem, imo majorem requiri diſpoſitionem ad Sacramentum pœnitentiæ, quam ad Sacramentum Baptiſmi, omnibus pervium eſt. Non enim major eſt efficacia Pœnitentiæ, quam Baptiſmi, imo minor: non minora ſunt peccata poſt Baptiſmum quam ante, imo majora, & ideo major obligatio amandi. Denique juxta SS. Patres & Theologos pœnitentia eſt ſecundus & laborioſus baptiſmus. Cur autem Concilium non meminit initialis dilectionis agens de pœnitentia? Ratio in promptu eſt, inquit Illuſtriſſimus ac Doctiſſimus Boſſuetius, quia ſemel dixiſſe ſufficit: quæ enim dixit Concilium de diſpoſitionibus ad Baptiſmum, eas eſſe voluit communes utrique Sacramento Baptiſmi & Pœnitentiæ. Neque id gratis dicitur, ſed conſtat ex ipſo ſeſſ. 14. proœmio ubi ſic habetur: *Quamvis in decreto de juſtificatione multus fuerit de pœnitentiæ Sacramento, propter locorum cognationem, neceſſaria quadam ratione ſermo interpoſitus; tanta nihilominus circa illud noſtra hac ætate diverſorum errorum eſt multitudo, ut non parum publicæ utilitati contulerit de eo exactiorem & pleniorem definitionem tradidiſſe*. Ubi vides Decretum de juſtificatione eſſe utrique Sacramento commune, & exactiorem, & pleniorem tractationem de Pœnitentia, quam ibi proponit Synodus, ſpectare errores tunc graſſantes. Et hæc adeo ſunt vera, ut dum Concilium cap. 2. hujus ſeſſ. 14. ex profeſſo agit *De differentia Sacramenti Pœnitentiæ & Baptiſmi*, nullum diſcrimen, quoad diſpoſitiones utrique neceſſarias, ſtatuat. 2. Eſto non meminerit explicite in illo Decreto ſeſſ. 14. amoris requiſiti ad Sacramentum Pœnitentiæ, meminit tamen implicite, ut mox patebit.

Prob. 3. Concluſio. Nulla attritio eſt ſufficiens ad juſtificationem cum Sacramento conſequendam, niſi ſit dolor & odium peccati, ut eſt malum, & offenſa Dei. Atqui non poteſt eſſe dolor & odium peccati, ut eſt malum & offenſa Dei, ſine amore Dei benevolo. Ergo. Minor eſt certa; quia, ut jam dixi, odium alicujus mali naſcitur ex amore boni oppoſiti: ſic odi mortem, quia diligo vitam, doleo de malo Petri, quia amo bonum illius. Unde Auctor 2. 2. q. 25. a. 6. ad 2. *Ejuſdem rationis eſt*; inquit, *odire malum alicujus & diligere bonum ejus*; quod repetit ibid. q. 34. a. 4.

Tota ergo difficultas eſt in Majori, quæ prob. 1. Ex S. Th. qui 3. p. q. 85. a. 2. & 3. & q. 86. a. 3. diſerte docet ad rationem veræ pœnitentiæ requiri, quod ſit de peccato, ut eſt *Contra Deum ſuper omnia dilectum*, & ejus *offenſa*. Atqui ad juſtificationem, ſive cum Sacramento, ſive ſine Sacramento, requiritur vera Pœnitentia. Ergo. Prob. 2. eadem prima Maj. Nulla eſt attritio ſufficiens ad juſtificationem cum Sacramento, niſi ſit de peccato, ut peccatum eſt formaliter. Atqui peccatum formaliter ut peccatum eſt malum & offenſa Dei, Ergo. Min. videtur certa, tum ex D. Th. 1. 2. q. 71. a. 6 ad 5. dicente: *A Theologis conſideratur peccatum præcipue ſecundum quod eſt offenſa contra Deum; a Philoſopho autem morali ſecundum quod contrariatur rationi: & ideo Aug. convenientius definit peccatum, ex hoc quod eſt contra legem æternam, quam ex hoc quod eſt contra rationem*. Tum ratione; quia poſita ratione offenſæ Dei, & quavis alia per rationem præciſa, habetur Theologice peccatum; ea autem ratione præciſa, & quavis alia poſita, ut quod ſit nocivum peccatori, contrarium rationi, &c. non habetur peccatum Theologice, ſed habentur tantum ejus proprietates & effectus. Prob. itaque Maj. Vera pœnitentia, ſeu contritio ut ſic, prout eſt genus commune ad contritionem perfectam & imperfectam, definitur communiter a Theologis, & a Trid. ſeſſ. 14. c. 4. *Animi dolor & deteſtatio de peccato*, quod proinde convenit contritioni imperfectæ, quia ſpecies participat rationem generis: unde Trid. ibid. dicit, quod hæc contritio communis, quam definit, ſit *Quovis tempore* neceſſaria, adeoque etiam cum Sacramento. Atqui iſta definitio & a Theologis, & a Trid. tradita debet intelligi de peccato formaliter, ut peccatum eſt; tum quia alioquin dicto Concilii & definitioni communiter traditæ foret impropria, materialis, & per accidens;

ſicut

Digitized by Google

ſicut ſi dicerem, ſapidum videtur, & coluratum guſtatur, quod dici nun poteſt de Concilio, nec de definitione communiter tradita; tum quia juxta Regulam Dialectices ab omnibus receptam terminus ſignificans actum animi interiorem applicat ſuum proprium conceptum, ſeu propriam actionem ſupra ſignificatum formale termini, coi jungitur, niſi aliquid obſtet in ſermune, quod manifeſte trahat ad materiale. Sic cum David dicebat: *Iniquos odio babui*, id eſt formaliter, ut iniquos. Sic cum dico, cognuſco venientem, id eſt formliter ſub ratione venientis. Ergo cum dico, duleo de peccato, intelligitur de peccato formaliter, ut peccatum eſt.

Confir. (*Sup. q. 3. a. 1. ad 4.*) Ex hoc inconcuſſu principio D. Th. *Quantitas diſplicentiæ*, inquit, *de aliqua re debet eſſe ſecundam quantitatem malitiæ ipſius; malitia autem in culpa mortali menſuratur ex eo, in quem peccatur, in quantum eſt ei indigna, & ex eo qui peccat, in quantum eſt ei nociva. Et quia homo debet magis Deum, quam ſeipſam diligere; ideo debet plus odire culpam, in quantam eſt offenſa Dei, quam in quantam eſt ipſi nociva.* Itaque in peccato eſt duplex malum, unum Dei, cui eſt indignum, & quem offendit, alterum hominis, cui eſt nocivum; primum majus, ſecundum minus. Unde ſic arguo: ut quis doleat de peccato ſufficienter ad juſtificationem cum Sacramento, debet dolere conformiter ad rectam rationem, magis de majori malu, minus de minori, conſequenter magis de peccato, ut eſt offenſa Dei, quam ut eſt nocivum pœnitenti. Atqui formidoloſe attritus ſine amure Dei benevolo, non ſolum non dolet magis de peccato, ut eſt offenſa Dei, ſed nullatenus dolet. Ergo.

Ex his manifeſte colliges 1. Inſufficientem eſſe amorem ſpei, ſeu concupiſcentiæ, quia ex illo non habetur dulur de peccato, ut eſt malum Dei, ſed tantum, ut eſt malum hominis; neque per eum diligitur Deus, ut ultimus finis. Colliges 2. Amorem Dei benevolum neceſſarium cum Sacramento debere eſſe ſuper omnia appretiative. Ratio eſt, quia debet eſſe amor Dei, ut ultimi finis. Ultimus finis autem ſuper omnia amatur; definitur enim id, quod propter ſe amatur, & propter quod cætera amantur. Ergo. Prob. Major. 1. Quia diligere Deum, ut omnis juſtitiæ fontem, qualiter debet diligere pœnitens juxta Trid. eſt ipſum diligere, ut ultimum finem, ut oſtendimus in primo argumento reſponſione ad primam inſtantiam. 2. Quia malitia peccati, ut eſt malum & offenſa Dei, in eo ſita eſt, quod contempto Deo habeat creaturam pro fine ultimo. Ergo qui ex amore Dei dolet de peccato, ut eſt illius malum, & id vult ab ipſo remotum, amat Deum, ut ultimum finem.

Hic lapſum paſſus eſt Recentior Thomiſta, dum a. 1. Differtat. ſuæ Theulugicæ pag. 11. hanc Sententiam denegat eximiu viro P. Henneguier, cujus tamen hæc eſt 2. Concluſio Art. 4. Opuſculi de Abſolutiune ſacramentali. *Actus benevolentiæ, quo pœnitens fertur in Deum, vultque ab ipſo remotum peccati malum, eſt ſuo modo amor Dei ſuper omnia.* Idque probat; quia, ut modo dicebamus, hoc eſt amare Deum ut ultimum finem. Additque vir eximius ſe dixiſſe *ſuo modo*, non ut imminuatur aliquid de ly *ſuper omnia*; ſed quia, ut dixerat ſuperius ex D. Th. benevulentia non eſt ſimpliciter & perfecte amor Dei ſaltem amicitiæ, ſed ipſius principium & inchoatiu. Eſt tamen, proſequitur, amplius quam amor concupiſcentiæ, quo Deum volo mihi bonum, non quo Deo vulo bonum: imo eſt multo excellentior illo, quem nonnulli amorem Dei ſuper omnia non effectivum, ſed affectivum vocant, qui cum nun de facto, ſed ſulum in voto & propuſito, Deum præferat omnibus, non videtur adhuc excludere affectum peccati, ſed ſulum illius faciendi habere deſiderium & propoſitum. Ita laudatus Henneguier. Fallur tamen, ſi omnes per amurem affectivum intelligant tautum propoſitum amandi. Quidam enim videntur, ſaltem quantum conjicio ex eorum Lectione, per amurem affectivum intelligere amurem actualem ſed debilem & remiſſum; & per effectivum, amorem roboratum & efficacem ad impletiunem legis.

Prob. 3. Juxta SS. Patres & omnes Theologos, rariſſima eſt ac difficillima vera ac ſincera penitentia, quæ ad mortem uſque differtur. Atqui ſi ad eam ſufficiat timor ſine ullo amore Dei benevolo, non erit difficillima nec rariſſima, cum in articulo mortis maxime urgeat metus Inferni. Ergo.

Prob. 4. convellendo præcipuum adverſariorum fundamentum. Ideo amor Dei benevolus ſecundum Adverſarios non eſt neceſſarius ad juſtificationem cum Sacramento, præcipue quia omnis amor Dei propter ſe, qualis eſt amor benevolus, juſtificat ante Sacramentum & independenter ab illo. Atqui id prorſus falſum eſt, & certo datur amor Dei propter ſe, quo non juſtificatur peccator ante ſuſceptionem Sacramenti. Ergo. Prob. Min. multipliciter, & 1. ex Concilio Trid. Seſſ. 6. cap. 6. ubi inter diſpoſitiones ad juſtificationem reponit, quod Penitens *Deum tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiat*, &, hanc diſpoſitionem ut præviam tempore ad juſtificationem requiri; tum quia de ea eodem modo loquitur ac de fide & ſpe, quæ juſtificationem tempore præcedunt; tum quia cap. ſeq. 7. dicit, quod hanc diſpoſitionem juſtificatio ſequitur non in ipſo inſtanti, ſed quando conſertur Sacramentum, ut ibid. docet. Adde, quod cum quidam Patres dicerent dilectionem in hoc capite ſexto reponi inter diſpoſitiones ad juſtitiam conſequendam; & in c. 7. ſequenti poni tanquam ipſius juſtitiæ formam: *Reſponderunt Decreti formatores*, inquit Pallavicinus l. 8. c. 14. in 1. loco (cap. 6.) *ſermonem eſſe de quodam charitatis* (ſcilicet inchoatæ) *actu, cum ſit aliqua dilectio in homine non quidem obtinente, ſed exoptante juſtitiam: at in 2.* (cap. 7.) *ſignificari habitum charitatis*. Ergo manifeſtum eſt Patres Tridentinus cenſuiſſe non omnem dilectionem Dei ſuper omnia ſtatim juſtificare hominem. Item eadem Seſſ. 6. Can. 3. dicit: *Si quis dixerit ſine prævenienti Spiritus S. inſpiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.* Ergo a contrario poteſt homo cum adjutorio Dei diligere ſicut oportet, abſque eo quod ipſo inſtanti juſtificetur, ſed *ut juſtificetur*, quod importat prioritatem temporis, eo maxime quod eodem modo loquatur Concilium de iſta dilectione, ac de Fidei, Spei & Pœnitentiæ actibus, quos certum eſt poſſe tempore præcedere ipſam juſtificatiunem. Inſuper probavimus ſupra, attritionem, quam Seſſ. 14. cap. 4. dicit non juſtificare ſine Sacramento, non concipi ſine amore benevolo.

Prob. 2. eadem Min. ex S. Th. qui 3. p. q. 85. a. 3. dicit ad rationem veræ penitentiæ requiri, quod ſit de peccato, ut *eſt contra Deum ſuper omnia dilectum*. Atqui non omnes, qui habent veram penitentiam, juſtificantur ſine Sacramento, alioquin nullus juſtificaretur per Sacramentum; cum nullus ſit, qui expectet inſtans abſolutionis, ut vere peniteat, & non prius tempore ad veram penitentiam conetur. Unde S. Doct. a. 6. dicit, quod penitentia *eſt prima inter cæteras virtutes ordine temporis quantum ad eius actum, qui primus occurrit in juſtificatione impii.* Item in 2. D. 28. q. 1. a. 3. ubi quærens, utrum homo poſſit implere Dei præcepta ſine gratia habituali, cum 2. loco ſibi objeciſſet: *Charitas non poteſt ſine gratia haberi, ſed dilectio charitatis eſt in præcepto. Ergo.* Reſpondet ſic. *Ad 2. dicendum, quod ſicut aliarum virtutum actus dupliciter conſiderari poſſunt, vel ſecundum quod ſunt a virtute, vel ſecundum quod virtutem antecedunt; ita etiam eſt de charitate. Poteſt enim aliquis etiam charitatem non habens diligere proximum & Deum, etiam ſuper omnia, ut quidam dicunt, & hoc diligere intelligitur actus charitatis ſub præcepto cadere.* Ergo dilectio Dei ſuper omnia poteſt eſſe ſine charitate habituali, conſequenter ſine juſtificatione. Adverte tamen, quod cum S. Doctor vucat hanc dilectionem actum charitatis, ſumat charitatem inchoative & late pro actu benevolentiæ, qui ſufficiat ad impletionem præcepti charitatis. Unde comparatio, quam facit cum actibus aliarum virtutum, non tenet in hoc, quod ſicut actus aliarum virtutum præcedentes habitum virtutis ſunt ejuſdem ſtricte ſpeciei cum actibus ab habitu procedentibus, ita in actibus charitatis; ſed tantum tenet in hoc, quod ſicut per actus aliarum virtutum habitum præcedentes ſatisfit præcepto de illis virtutibus, ita per dilectionem benevulentiæ habitum charitatis præcedentem ſatisfit precepto charitatis: alioquin contradiceret propriis principiis, de quibus §. 1. & Doctrinæ quam tradit q. 85. paulo ante citata a. 6. ubi docet, quod actus charitatis non poſſit eſſe ſine habitu aliarum virtutum, adeoque ſine gratia ſanctificante, quacum aliæ virtutes ſimul & charitas habitualis infunduntur.

Prob. 3. eadem Min. variis exemplis. Primum mulieris peccatricis. Indubium eſt eam, dum Phariſæi domum ingreſſa eſt, acceſſit ad Chriſtum, pedes ejus lacrymis rigavit & capillis terſit, dilexiſſe Deum ſuper omnia, antequam remitterentur ipſi peccata. De ea enim dicit Aug. hom. 23. intra 50. *Acceſſit immunda, ut rediret munda*. Et S. Greg. Hom. 33. in Evang. Nundum lota, ſed *lavanda, ad fontem miſericordiæ cucurrit*. Et rurſus: *Ecce quæ ad medicum venerat ægra, ſanata eſt*. Et Bernardus Serm. de S. Magdalena: *Tangit pedes mundi atque mundantis immunda, & veſtigiis Creatoris mulier crimino ſa procumbit.* Secundum exemplum eſt D. Pauli. Indubium eſt pariter ipſum dilexiſſe Deum ſuper omnia, cum miraculoſe converſus in via in has voces erupit: *Domine quid me vis facere?* Atqui tamen juxta Aug. non fuit juſtificatus, niſi cum ſuſcepit Baptiſmum ab Anania, *Ananias baptizavit Saulum*, inquit Serm. 1. de Sanctis, *& fecit de lupo agnum*. Et Serm. 25. *Venit ergo Ananias baptizavit Saulum & fecit Paulum, baptizavit lupum & fecit agnum.* Equidem S. Th. in 2. q. 112. a. 2. ad 2. in ea opinione eſt, quod Paulus fuerit juſtificatus ſtatim in ipſo inſtanti ſuæ

con-

Digitized by Google

converſionis in via. At hoc non obſtat, quin ſaltem Ananias ipſum nondum juſtificatum crederet, cum ipſi dixit Act. 22. *Nunc quid moraris, exurge & baptizare, & ablue peccata tua*; tametſi non dubitaret de ejus amore erga Deum: ac proinde non credebat Ananias omnem amorem ad juſtificationem extra Sacramentum ſufficere. Tertium exemplum eſt ipſius Auguſtini. Certus erat moraliter S. Doctor de ſuo erga Deum amore, cum dicebat l. 9. Confeſſ. c. 2. *Sagittaveras tu cor noſtrum charitate tua*, & tamen erat incertus de remiſſione peccatorum, donec unda baptiſmali fuiſſet ablutus: *Gaudens in fide*, inquit c. 4. *laudavi nomen tuum, & ea fides me ſecurum eſſe non ſinebat de præteritis peccatis meis, quæ mihi per Baptiſmum tuum remiſſa nondum erant*. Et c. 6. *Baptizati ſumus, & fugit a nobis ſollicitudo vitæ præteritæ*. Quartum exemplum eſt innumerabilium fidelium, Catechumenorum præſertim & Pœnitentium, quorum nullus aut vix ullus eſt, ad quos ſi petas, an doleat de peccatis propter Deum infinite bonum, an diligat Deum ſuper omnia, qui non reſpondeat ſincere, ſic doleo, ſic diligo. Quis tamen dicat hos omnes eſſe juſtificatos ante Sacramenti ſuſceptionem; ſi ita ſit, otioſum prorſus, & vix neceſſarium aut utile foret Sacramentum, cum eſſet tam facilis & tam communis juſtificatio ſine illo.

Prob. 4. eadem Min. argumento Theologico. Amor Dei benevolus ſuper omnia non eſt cauſa formalis noſtræ juſtificationis; id ſoli gratiæ juſtificanti competit ex Trid. Seſſ. 6. cap. 7. neque eſt actus meritorius iſtius gratiæ ſanctificantis, quia principium meriti non cadit ſub merito, principium autem omnis meriti eſt ipſa gratia ſanctificans. Eſt ergo dumtaxat diſpoſitio ad illam. Atqui nullibi legitur, quod Deus illi promiſerit ſtatim & infallibiliter annexam gratiam juſtificantem, ut jam patet ex dictis, & amplius patebit ex Sol. Obj. Ergo.

§. IV. *Solvuntur Objectiones.*

OBj. 1. Secundum nos non requiritur amor charitatis ad attritionem cum Sacramento ſufficientem. Atqui actus benevolentiæ eſt amor charitatis. Ergo. Prob. Min. Ille actus eſt charitatis, cujus objectum formale eſt objectum charitatis. Atqui objectum hujus actus benevolentiæ eſt objectus charitatis. Ergo. Patet Maj. Quia actus ſpecificantur a ſuo objecto formali. Prob. Min. Objectum formale charitatis eſt Deus, ut in ſe bonus. Atqui objectum actus benevolentiæ eſt etiam Deus, ut in ſe bonum, in hoc enim diſtinguitur ab amore concupiſcentiæ. Ergo. R. N. Min. Ad Prob. N. Min. Ad Prob. D. Maj. Objectum formale charitatis eſt Deus, ut in ſe bonus independenter a quovis alio, N. Maj. Dependenter a redamatione Dei, & ſui per gratiam aut gloriam communicatione. C. Maj. Objectum igitur formale charitatis eſt Deus quidem, ut in ſe bonus, ſed & ut amicus, ut nos redamans, & ſe nobis communicans per beatitudinem jure in hac via, reipſa in gloria, non quod redamatio iſta, & communicatio ex parte Dei conſtituat rationem formalem, ſecundum quam, & propter quam Deus diligatur, ſeu ſit objectum formale charitatis; ſed quia eſt modificatio objecti, ſeu conditio ſine qua Deus non eſt objectum formale charitatis, ſeu ſine qua noſter in eum affectus non eſt charitatis, quia non eſt amicitiæ, ſed ſimplicis benevolentiæ. Solutio inſtor videatur §. 1.

Subſumes. Atqui hoc ipſo quo quis diligit Deum ſuper omnia affectu benevolo, Deus ipſum redamat. Ergo, &c. Prob. Ant. 1. Auctoritate Scripturæ Proverb. 8. *Ego diligentes me diligo*: Joan. 14. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, & ego diligam eum*: & pluries ſic alibi. 2. Ratione. Nemo poteſt diligere Deum affectu benevolo ſuper omnia, niſi Deus ipſe hunc affectum per gratiam actualem inſpiret; nec inſpirat, niſi quia amat; amare enim eſt velle alicui bonum, Ergo hoc ipſo, &c. 3. Facienti quod in ſe eſt ex auxilio gratiæ Deus non denegat ulteriorem gratiam & tandem peccatorum remiſſionem per charitatem & gratiam habitualem diffuſam in cordibus noſtris. Atqui qui diligit Deum affectu benevolo ſuper omnia, facit ex auxilio gratiæ quod in ſe eſt, nec ex parte ſua plus poteſt præſtare. Ergo. R. N. Subſumptum. Ad 1. probat. Dico has & alias ſimiles Scripturæ auctoritates intelligi debere de dilectione charitatis ſtricte ſumptæ, vel de dilectione ſeu affectu benevolentiæ acri & intenſo ſine timoris adminiculo, non vero de qualicumque affectu benevolo erga Deum, ut patet ex ultima probatione Concluſionis; ſicut enim, etſi Scriptura dicat: *Omnis qui petit, accipit*, Matth. 7. *Et quicumque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit*, Joel. 2. *Et qui crediderit in eum, non confundetur*, 1. Pet. 2. non tamen omnis, qui quovis modo petit, accipit, nec qui quovis modo invocat nomen Domini aut credit, ſalvus eſt: ſed qui petit, ſed qui invocat nomen Domini, aut credit, quomodo & quantum oportet, ſervatis aliis ſervandis; ita ſimiliter Deum diligentes, non quovis modo, ſed quomodo & quantum oportet Deum diligit.

Ad 2. Probationem dico Deum talem pœnitentem amare amore latedicto, ſeu benevolo, quomodo amat omnes peccatores, etiam infideles, dum eis gratias actuales identidem impertitur; talis autem amor ex parte Dei cum actu benevolentiæ, ex parte creaturæ non ſufficit ad amorem charitatis & amicitiæ, ſiquidem ut dicitur 1. Joan. 5. cum adhuc eſſemus inimici, *Ipſe prior dilexit nos*. Sed requiritur talis amor mutuus, qui, inquit D. Th. ſupra citatus 2. 2. q. 27. a. 2. *Importat quamdam unionem ſecundum affectum amantis ad amatum, in quantum ſcilicet amans æſtimat amatum quodammodo ut unum ſibi, vel ad ſe pertinens, & ſic movetur in ipſum*; adeoque ad charitatis dilectionem requiritur, quod Deus ſit nobis unitus & nos ipſi, nobis quodammodo unitus & nos ipſi per immediatam ſui communicationem; quod non fit per gratias actuales, quæ diſponunt tantum, & præparant ad illam unionem, ſed in hac via per gratiam habitualem & ſanctificantem, quæ eſt participatio divinæ naturæ, & qua conſtituimur Filii Dei & hæredes, in gloria per immediatam divinæ eſſentiæ viſionem. Vide §. 1.

Ad 3. Probat. R. 1. N. Min. Talis enim pœnitens non facit omnino quod in ſe eſt, ſed poteſt plus facere ex auxilio gratiæ, poteſt enim acrius & intenſius dolere, ita ut acerbitas doloris adæquet magnitudinem ſcelerum; poteſt inſuper dolere ex puriori motivo, ſcilicet amoris Dei ſuper omnia ſine adminiculo timoris. Quod ſi faciat, exiſtimamus, quod tunc Deus ipſi infundet gratiam ſanctificantem peccatorum remiſſivam: non quod talis dolor illam mereatur, cum ad primam gratiam ſanctificantem nullum detur meritum; eſt enim ipſa principium omnis meriti: ſed quod ſit conatus, & diſpoſitio, quo majorem ex parte ſua, & ex auxilio gratiæ vix poteſt ponere pœnitens. Unde de Dei bonitate, qui promiſit, quod *Cor contritum & humiliatum non deſpiceret*, Pſ. 50. quod *cum converſus fuerit peccator, & ingemuerit, ſalvus erit*, Iſa. 30. quod *diligentes ſe diligeret*, &c. de tali ac tantu, inquam, bonitate, quæ pronior eſt ad miſerendum, quam ad puniendum, præſumimus, quod ſic pœnitenti indulgeat remiſſionem peccatorum. Adde, quod, ut docuit D. Th. 3. p. q. 86. a. 1. alias Deus vinceretur quodammodo ab homine, ſi homo tam ardenter & perfecte vellet peccatum deleri, quod Deus non vellet delere: contra illud Joel 2. *Benignus & miſericors eſt, patiens & multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malitia* R. 2. Senſum hujus axiomatis, *Facienti quod in ſe eſt*, &c. non eſſe, quod tali ſtatim Deus infundat gratiam juſtificantem, ſed quod ulteriores gratias actuales non deneget, quibus tandem perveniat ad juſtificationem, ſive in Sacramento, ſive extra, ſecundum modos & leges divinæ Providentiæ.

Repones. Talis converſio ad Deum per amorem benevolentiæ ſuper omnia tollit in peccatore averſionem a Deo, & converſionem ad creaturam. Ergo & peccatum. R. 1. D. Ant. Tollit averſionem a Deo, & ad creaturam converſionem actualem, C. Ant. Habitualem, N. Iſta enim tamdiu remanet, quamdiu remanent macula, & reatus pœnæ, quæ non tolluntur, niſi per gratiæ habitualis infuſionem. Non repugnat autem, ut jam diximus, quod idem homo tendat in duos fines ultimos, ſi in unum tendat actualiter, in alterum habitualiter tantum. R. 2. Retorquendo argumentum, nam contritio ex ſolo timore eſt etiam, ſecundum ſuos Auctores, vera ad Deum converſio, & tamen ſine Sacramento non tollit reatum & maculam peccati. Simili retorſione argumenti reſponderi poteſt omnibus auctoritatibus, quibus innuitur verum converſum ſalvum fieri, contritum cor a Deo non deſpici, impietatem non nocere impio cum converſus fuerit, &c. quarum aliquas retulimus in prima inſtantia Objectionis. Etenim ſecundum adverſarios ſimpliciter attriti ex ſolo timore ſunt vere converſi, vere pœnitentes, etiam vere contriti, licet imperfecte, & tamen non niſi cum Sacramento juſtificantur ſecundum illos. Unde hæ & ſimiles auctoritates debent explicari juxta 1. & 2. ſolutionem præfatæ Inſtantiæ.

Inſiſtes ex S. Leone Ep. 91. *Apud Deum nullas patitur veniæ moras vera converſio*. Atqui converſio ad Deum ex amore benevolo, ſuper omnia, eſt vera converſio. Ergo. R. 1. Eadem retorſione argumenti: nam etiam converſio ex timore gehennæ ſecundum adverſarios eſt vera converſio, alias non ſufficeret etiam cum Sacramento. Atqui tamen patitur moras uſque ad ſuſceptionem Sacramenti. Ergo. R. 2. Senſum S. Leonis non eſſe, quod omnis vere converſus, quantumvis imperfecte etiam extra Sacramentum ſtatim habeat peccatorum veniam; contrarium enim ibidem aperte aſſerit cum dicit: *Indulgentiam Dei niſi ſupplicationibus Sacerdotum non poſſe obtineri*; hoc eſt ſine abſolutione ſacramentali, ut alibi expoſuimus; ſed per objecta verba prætendit tantum, quod quantumvis ſit ſceleſtus, & inveteratus peccator, ſi vere converſus fuerit,

rit, poſſe per Baptiſmi vel Pœnitentiæ Sacramentum ſtatim reconciliari, adeoque Sacramenti beneficium non eſſe denegandum quantumvis impiis, & ſero pœnitentibus, etſi illud in inſtantia periculi poſcentibus; apud Deum enim *Nullas patitur veniæ moras vera converſio*, hoc eſt quantumvis impii fuerint, quantumvis ſero pœniteant, Deus poteſt eos vere converſos ſtatim, & ſine mora reconciliare, per Sacramentum tamen; *Indulgentia Dei enim niſi ſupplicationibus Sacerdotum non poteſt obtineri*. Hunc eſſe S. Leonis ſenſum legitimum patet tum ex verbis ſubjunctis; tum quia ibi expreſſe agit contra rigorem nonnullarum Eccleſiarum, quæ talibus ſceleſtis peccatoribus in extremitate tantum pœnitentibus Sacramenta denegabant, vel non niſi poſt certum pœnitentiæ tempus conferebant.

Obj. 2. Ad juſtificationem cum Sacramento conſequendam ſufficit ea attritio, ſeu contritio imperfecta, quam Concilium Trid. ſeſſ. 14. c. 4. contra perfectam dividit & deſcribit. Hæc ſunt ejus verba: *Illam vero contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ; declarat, non ſolum non facere hominem hypocritam & magis peccatorem, verum etiam donum Dei eſſe, & Spiritus S. impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam ſibi ad juſtitiam parat: & quamvis ſine Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit*. Atqui in hac attritione nulla fit mentio amoris benevoli. Ergo. Ante reſponſionem ſuppono Concilium Trid. noluiſſe hanc quæſtionem expreſſe definire, quia ſcopus ejus erat errores hæreticorum damnare, non quæſtiones inter Theologos Catholicos controverſas dirimere. Ita Card. Pallavicinus l. 12. c. 1. *Revera*, inquit, *quantum ex actis conjicio, Theologorum mens erat; ut hæreticorum error damnaretur, tanquam inhoneſtam, improborum pœnæ timorem, non autem ut ferrent ſententiam de ſcholaſtica quæſtione, an hujuſmodi timor etiam abſque eo, quod illius excitetur amor imperfectus, ſufficiat ad remiſſionem peccatorum*. Et alioquin ſi Concilium decretorie hanc quæſtionem definiviſſet, alterutra ſententia, vel noſtra, vel aliorum foret hæretica, quod dici nequit juxta Decretum Alexandri VIII. Unde quæ ſit mens Concilii circa præſentem materiam dignoſcere non poſſumus, niſi per illationem, ex his quæ hinc, & inde dixit, & principiis quæ ſtatuit, ſicut in multis aliis materiis, v. g. In materia de circumſtantiis peccatorum confitendis. Hoc præmiſſo, multi hodie negant Majorem argumenti ob ea, quæ refert Card. Pallavicinus l. 2. c. 10. ubi dicit in Decreto ſeſſ. 14. capite, de quo eſt quæſtio, prius appoſitum fuiſſe, *Contritionem hanc imperfectam ſufficere ad Sacramenti hujus conſtitutionem*, & poſtea ad inſtantiam Epiſcopi Tudetani, qui monuit Patres Concilii diſſentire Theologos de ſufficentia illius attritionis, aliter diſpoſitum fuiſſe Decretum, & expuncto *Sufficere*, loco ejus ſubſtitutum fuiſſe *Diſponere*, prout nunc habemus, his ſcilicet verbis: *Ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit*. Ex quo inferunt per To *Diſponit* non ſignificari a Concilio diſpoſitionem proximam & ſufficientem, ſed remotam tantum, alias non juſſiſſet expungi vocem *Sufficere* in priori Decreto poſitam; aut ſaltem ab hac difficultate Theologica voluiſſe abſtrahere dicendo ſimpliciter *Diſponit*, & non determinando, an proxime vel remote.

Si dicas attritionem extra Sacramentum diſponere remote, Ergo fruſtra dixiſſet Concilium diſponere cum Sacramento, ſi intelligat de diſpoſitione remota, & fuiſſet diminutum, non aſſignando diſpoſitionem proximam. Reſpondent ad 1. negando illationem, quia cum immediate antea dixiſſet hanc attritionem non perducere ad juſtificationem ſine Sacramento, debebant ſaltem addere, quod ad eam diſponeret cum Sacramento. Ad 2. reſpondent Concilium fuiſſe diminutum in dirimendis Theologorum inter ſe controverſiis, non in damnandis hæreticorum erroribus. Attamen R. Data Maj. D. Min. In hac attritione nulla fit mentio explicita amoris benevoli, C. implicita, N. Hoc ipſo enim quod Concilium dicit contritionem in communi, adeoque & attritionem ſub illa contentum eſſe dolorem & odium peccati, utique qua peccatum eſt, & malum Dei, ut dixi in 2. Probatione, implicat actum benevolentiæ, quia fieri non poteſt, quod quis odio habeat peccatum, ut peccatum eſt & malum Dei, niſi ex præſuppoſito amore Dei; ſicut fieri nequit quod quis doleat de peccato, ut eſt inductivum pœnæ, & ſibi nocivum, niſi ex præſuppoſito amore ſui: unde, ut acute advertit jam laudatus Henneguier, quemadmodum Concilium fruſtra expreſſiſſet hunc proprium amorem pœnitentis, ſimiliter fruſtra expreſſiſſet alterum benevolentiæ erga Deum. Inſuper quamvis Concilium in hac ſeſſ. 14. c. 4. non expreſſerint neceſſitatem amoris benevoli ad Sacramentum Pœnitentiæ, illam expreſſit ſeſſ. 6. c. 6. ad Sacramentum Baptiſmi: colligimus autem, tum ex proœmio ſeſſ. 14 tum ex paritate diſpoſitionum ad utrumque Sacramentum requiſitarum, quod idem ſenſerit de utroque Sacramento, ut ex dictis n. 1. Probatione patet: ſic in hac ſeſſ. 14. non expreſſit fidem & propoſitum ſervandi mandata, tanquam diſpoſitiones neceſſarias ad Sacramentum Pœnitentiæ; qui tamen illas expreſſit, ut neceſſarias ad Sacramentum Baptiſmi, nemo dubitat quin eas etiam, ut neceſſarias ad Sacramentum Pœnitentiæ requirat.

Inſt. 1. Concilium nihil aliud requirit ad ſufficientiam hujus attritionis, quam quod excludat voluntatem peccandi cum ſpe veniæ. Atqui ſecundum nos ad excludendam voluntatem peccandi non requiritur amor benevolus, ſed ſufficit timor. Ergo. R. D. Maj. ut ante: nihil aliud requirit explicite, C. implicite, N. Patet ex præcedenti ſolutione. Vel cum aliis: nihil aliud requirit quam quod excludat voluntatem peccandi excluſione contraria, deteſtando peccatum, C. excluſione tantum privativa, deponendo præciſe voluntatem peccandi, N. Excluſio autem contraria voluntatis peccandi per odium & deteſtationem peccati non habetur niſi per amorem Dei benevolum.

Inſt. 2. Attritio, de qua loquitur Concilium, concipitur ex metu gehennæ, ſeu quia peccatum eſt inductivum gehennæ. Atqui dolere de peccato ex metu gehennæ, ſeu quia peccatum eſt gehennæ inductivum, eſt dolere de peccato, ut eſt peccatori nocivum, non ut eſt malum Dei. Ergo attritio, de qua loquitur Concilium, non importat etiam implicite actum benevolentiæ erga Deum. R. D. Maj. Attritio, de qua loquitur Concilium, concipitur ex metu gehennæ, tanquam ex motivo radicali & inadæquato, C. Maj. Tamquam ex motivo proximo & adæquato, N. Maj. Et ad hunc ſenſum diſtincta Min. N. Conſeq. Senſus ergo Concilii eſt, quod communiter iſte dolor primo concipitur ex metu gehennæ, ſicque quod peccator primo doleat de peccato, ut eſt inductivum gehennæ, & ſibi nocivum, non tamen quod ibi ſiſtat, ſed inde moveatur & inducatur, ut doleat de peccato eo modo, quo dolendum eſt ad vitandam gehennam, id eſt de peccato, ut peccatum eſt & malum Dei, quod fieri non poteſt ſine actu benevolentiæ erga Deum. Quapropter dixi, quod motus gehennæ, ſeu potius vitatio gehennæ, eſſet motivum radicale non proximum; quod ſi adhuc remaneat iſtud motivum, qui forte amor imperfectus nondum ipſum mittit foras, non erit motivum adæquatum, ſed partiale; & dolor erit partim de peccato, ut eſt malum hominis, partim ut eſt malum Dei, ita ut vitatio gehennę ex una parte, & reparatio offenſę divini numinis ex altera, integrabunt unum finem totalem & adæquatum attritionis, quod eſt proprium timoris initialis, ut docet Auctor citatus ſupra 2. 2. q. 19. a. 2.

Inſt. 3. Attritio quam hic deſcribit Concilium, ea eſt, quam Lutherus dicebat reddere hominem hypocritam, & magis peccatorem. Atqui hujuſmodi attritio nullum includit Dei amorem. Ergo. R. N. Maj. Deſcribit enim Concilium attritionem, quæ voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ, qualem nunquam admiſit Lutheranus. Attritionem ergo adſtruit Concilium, quam nolebat agnoſcere hæreſiarcha. Non enim ejus error in eo ſitus erat, quod diceret dolorem ex metu, dum voluntatem peccandi excludit cum ſpe veniæ, reddere hominem hypocritam; ſed in eo quod vellet quemcumque dolorem ex metu conceptum, etiam interveniente aliquo Dei amore imperfecto, eſſe odium Dei & deſperationem, adeoque nunquam excludere voluntatem peccandi, nec eſſe ſalutarem. Erat enim ejus capitale dogma omnia opera, quę non eſſent ex charitate perfecta, eſſe peccata. Vide prænotamina ad articulum. Contra quod docet Concilium communiter ex metu concipi dolorem, non qui ſit odium Dei & deſperatio, ſed qui excludat voluntatem peccandi cum ſpe veniæ, ideoque ſit ſalutaria, & ad gratiam in Sacramento recipiendam diſponat.

Inſt. 4. Si Concilium intellexiſſet attritionem involventem amorem Dei benevolum ſuper omnia: 1. Non dixiſſet conditionaliter, *ſi voluntatem peccandi excludat*; quia certum eſt, quod hujuſmodi amor ſemper hanc voluntatem excludat. 2. Non juſſiſſet expungi *ſufficere* in prima delineatione Decreti, & loco illius ſubſtitui *diſponere*, cum etiam ſit certum attritionem ex amore Dei benevolo ſufficere ad juſtificationem cum Sacramento. 3. Decretum prius formatum, ubi de attritione dicebatur, *cum ſine aliqua dilectionis motu eſſe vix queat*, non reformaſſet ad inſtantiam Epiſcopi Tudetani, qui monuit *falſo dici hujuſmodi dolorem ſine amore vix unquam concipi poſſe*. Ergo Concilium non intellexit attritionem involventem amorem Dei benevolum ſuper omnia. R. 1. D. Ant. Si Concilium intellexiſſet attritionem involventem amorem Dei benevolum, hujus amoris neceſſitatem expreſſe definiendo, Tranſeant Sequelæ: Hujus amoris neceſſitatem non expreſſe defi-

Digitized by Google

definiendo, ſed potius ab expreſſa definitione abſtrahendo, & tantum implicite indicando, N. Sequelas argumenti. In hac enim hypotheſi, quam veram credimus, merito Concilium dixit conditionate ſi voluntatem peccandi excludat, expunxit *ſufficere*, & noluit expreſſam mentionem amoris haberi. R. 2. Imo dato Concilium expreſſe definiviſſe neceſſitatem amoris, poſſent nihilominus negari Sequelæ Ant. Et ideo dixi in priori diſtinctione, *Tranſeant*. Ad 1. itaque D. In hac hypotheſi Concilium non dixiſſet conditionaliter, *ſi voluntatem peccandi excludat*, ſi ex metu ſemper oriatur iſta attritio ſalutaris, C. Si ex metu non ſemper oriatur attritio ſalutaris, ſed aliquando motus odii & deſperationis, N. Ideo ergo Concilium addidit hanc conditionalem, tanquam ſignum, quo diſtinguaretur, an attritio orta ex timore eſſet bona & ſufficiens; quia ex illo aliquando oritur alis mala inducens in deſperationem & odium, quod tunc accidit, quando nec excludit voluntatem peccandi, nec eſt cum ſpe veniæ; e contra eſt bona quando hæc adſunt. Ad 2. N. certum eſſe & fuiſſe apud omnes, actum ſimplicis benevolentiæ ſufficere ad juſtificationem cum Sacramento. Multi olim requirebant juſtificationem per charitatem habitualem ante Sacramentum, & nunc plures requirunt charitatem actualem ad Sacramentum. Ad 3. Epiſcopus Toletanus id dixit de attritione, prout erat deſcripta in priori Decreto, in quo dicebatur concepta *ſolum, vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ pœnarum metu, qui ſervulis timor dicitur*. Porro recte dixit Epiſcopus Toletanus falſum eſſe, quod hujuſmodi attritio cum aliquo dilectionis in Deum motu vix eſſe queat. At id verum eſt de attritione prout nunc extat in Decreto.

Inſt. 5. Concilium Trid. Seſſ. 6 Can. 6. definit Sacramenta novæ Legis conferre gratiam non ponentibus obicem. Sed qui atteritur ex ſolo metu gehennæ, non ponit obicem gratiæ. Ergo. R. D. Min. Qui atteritur ex ſolo metu gehennæ, non ponit obicem poſitivum gratiæ, C. Non enim ipſa attritio eſt obex. Non ponit obicem negativum, N. Quia attritio ex ſolo metu non eſt ſufficiens diſpoſitio ad gratiam. Sic qui habet fidem, non ponit obicem poſitivum gratiæ, quia fides non eſt obex gratiæ, non tamen ideo juſtificatur, qui ſola fides non eſt diſpoſitio ſufficiens ad gratiam.

Obj. 3. Peccatum etiam theologice conſideratum conſiſtit eſſentialiter in tranſgreſſione Legis. Atqui ex ſolo metu pœnæ, aut ex amore ſpei & concupiſcentiæ ſine amore Dei benevolo poteſt doleri de tranſgreſſione Legis. Ergo de peccato etiam ut peccatum eſt theologice, quod ſufficit ſecundum nos ad ſufficientem attritionem. R. D. Maj. Peccatum etiam theologice conſideratum conſiſtit in tranſgreſſione Legis materialiter & phyſice ſpectata, N. Moraliter ſpectata ſeu ut mala, C. Eſt autem dupliciter mala; Deo, cujus eſt injuria & offenſa; peccanti, cui eſt nociva & cauſa pœnæ. In primo autem malo conſiſtit eſſentialiter peccatum. Unde D. Min. Poteſt quis ex ſolo metu aut amore concupiſcentiæ ſine amore Dei benevolo dolere de tranſgreſſione Legis, ut eſt malum peccantis, C. ut eſt malum Dei, N. Obſervandum itaque ſedulo, non ſolum pro iſto argumento, ſed pro aliis ſimilibus, quæ objici ſolent, quod jam antea obſervavimus, dolorem & odium eſſe de malo; malum in peccato eſſe duplex, Dei & peccantis; malum Dei eſſe ſimpliciter & principale malum, & in eo conſiſtere eſſentialiter peccatum ut peccatum; malum peccantis eſſe tantum malum ſecundum quid, & proprietas conſequens ad peccatum. Unde ut quis doleat de peccato formaliter ut tali, debet dolere de eo, ut eſt malum Dei, quod fieri non poteſt ſine affectu benevolentiæ erga ipſum, ut probavimus.

Inſt. Homo per peccatum non ſe avertit a Deo ut in ſe malo, ſed ut ſibi malo & diſconvenienti rationi legum ſuarum. Ergo ut ſufficienter ſit attritus, ſufficit, quod convertatur ad Deum ut ſibi bonum, ſeu quod doleat de peccato ex amore ſpei & concupiſcentiæ. R. 1. Iſtud argumentum nimis probare; probat enim, quod etiam ſine Sacramento ſufficeret attritio ex ſolo amore concupiſcentiæ, quod negant objicientes. R. 2. Homo per peccatum non ſe avertit a Deo ut in ſe malo explicite, Tranſeat; implicite, N. Cum enim peccando ponat ultimum finem in creatura, reputat Deum ſaltem implicite ut malum in ſe, ſeu minus bonum quam creaturam, quam Deo præfert, quod eſt maxima Dei injuria & offenſa. Unde de tali injuria, quæ eſt formaliter malitia peccati, dolere debet. At quod non ſufficit amor ſpei ſeu concupiſcentiæ, ſed requiritur amor benevolentiæ, ut ſæpius dictum eſt.

Obj. 4. Attritio ex amore Dei ſuper omnia ſufficit ad juſtificationem cum Sacramento. Atqui qui amat vero & efficaci amore concupiſcentiæ Deum ut ſuam beatitudinem, amat illum ſuper omnia; eſt enim paratus perdere omnia, etiam propriam vitam potiuſquam Dei poſſeſſionem. Ergo. R. N. Min. Cum enim amor concupiſcentiæ, quo quis amat beatitudinem, fundetur in amore proprii boni & commodi, quamvis amet Deum, ſeu ejus poſſeſſionem ſupra omnia exteriora, etiam ſupra vitam, non tamen ſupra proprium commodum. Equidem non præfert ſuum commodum Deo, alioquin foret amor inordinatus, ſed nec præfert Deum ſuo commodo, ab utraque relatione ſecundum ſe tantum præſcindit, ſolius autem amoris benevolentiæ proprium eſt, Deum omnibus & proprio commodo præferre.

Inſt. 1. Conditio illa, *ſuper omnia*, neceſſaria eſt in omni virtute, quæ circa Deum verſatur; ſic Religio colit Deum ſuper omne adorabile, fides credit ſuper omnia credibile, ſpes in Deo confidit ſuper omnia. Ergo amor concupiſcentiæ, quo diligimus Deum ut noſtram beatitudinem, ipſum diligit ſuper omnia. Ita Tournely q. 4. de Pœnit. a. 1. Concl. 1. pag. mihi 33. R. cum Erudit. P. Gaud, N. Conſ. 1. Quia argumentum falſo ſupponit amorem concupiſcentiæ, quo amamus noſtram beatitudinem, procedere ab habitu alicujus virtutis, quæ verſetur circa Deum. Quænam enim foret iſta virtus? Alia aſſignari non poteſt niſi ſpes; neque tamen iſte amor procedit a ſpe etiam ut actus ejus ſecundarius, ſi quidem ſpes a contra hunc amorem ſupponat, cum non ſperemus niſi bonum prius amatum, ut jam dictum eſt ex Auctore. Eſt ergo iſte amor actus propria voluntatis auxilio gratiæ adjutæ; ſufficit enim ſola voluntas ſine aliquo habitu ſuperaddito ad amandum proprium bonum ſuppoſiti, ut alibi diximus. 2. Dato hoc ſuppoſito, diſparitas eſt ab aliis virtutibus aſſignatis; quod iſta conditio *ſuper omnia* ſit intra propriam efficaciam & lineam aliarum virtutum, & ideo modus illis intrinſecus & neceſſarius. At non eſt intra propriam efficaciam & lineam amoris concupiſcentiæ, qui, ut dictum eſt, fundatur in amore proprii commodi, cui Deum non præfert. Unde illam conditionem debet aliunde emendicare, ſcilicet ex nobiliori amore benevolentiæ.

Inſt. 2. Amor caſtus & gratuitus, ſecundum SS. Patres, ſufficit ad juſtificationem cum Sacramento. Atqui amor beatitudinis ſeu Dei poſſidendi eſt caſtus & gratuitus. Ergo. R. 1. D. Maj. Amor caſtus & gratuitus ſufficit, &c. ſi ſit ſuper omnia, C. Secus, N. Amor autem beatitudinis, cum fundetur in amore proprii commodi, non eſt ſuper omnia, ut jam diximus. R. 2. D. Min. Amor beatitudinis ſeu Dei poſſidendi propter ipſius in ſe bonitatem & amabilitatem, eſt amor gratuitus, C. Amor Dei poſſidendi propter noſtram utilitatem, eſt amor gratuitus, N. Sic autem amor concupiſcentiæ amat Deum, nec ſuam beatitudinem ad ipſum Deum in ſe & propter ſe ut ultimum finem refert, niſi per amorem charitatis aut benevolentiæ.

Obj. 5. Si requiratur amor Dei ſuper omnia ad juſtificationem cum Sacramento, non erit facilior juſtificatio in nova Lege, quam in veteri, cum etiam in iſta ſufficeret amor Dei ſuper omnia, imo erit difficilior, quia in antiqua Lege non requirebatur Sacramentum, quod nunc requiritur. Id autem eſt inconveniens. Ergo. R. N. Sequelam Maj. In hac enim eſt nunc facilior juſtificatio, quam in veteri lege, quod tunc requireretur amor charitatis, ſeu actus benevolentiæ intenſus, & ita purus ac fortis, quod non indigeret adminiculo timoris, ut, eo poſito, Deus infunderet gratiam ſanctificantem & charitatem habitualem. At nunc cum Sacramento ſufficit affectus benevolus, quantumvis remiſſus, modo ſit appretiative ſuper omnia, etiam adjuncto timore. Hoc autem ſecundum eſt longe facilius primo.

ARTICULUS VIII.

Quædam Quæſtiunculæ circa præſentem materiam reſolvuntur.

PEtes 1. Quid ſit cenſendus de ſyſtemate Honorati Tournely, qui ex una parte impugnat ſufficientiam attritionis formidoloſæ, & ex altera nullum alium amorem ad eam requirit, quam amorem ſpei? R. Hunc Theologum, ut nobis videtur, fingere ſibi hoſtes, quos impugnet, forte ne videatur recedere a ſententia Clerici Gallicani, & non habeatur purus, puruſque attritioniſta, qualem tamen ipſum revera eſſe arbitror. 2. Ipſum una manu deſtruere, quod altera ædificat. Quantum ad 1. Imprimis eſt barbariſmus & inepta locutio dicere *Amorem ſpei*; amor enim non eſt actus ſpei, nec ſperare eſt amare, ſed confidere, ſeu expectare cum fiducia bonum futurum, quod quidem ſupponit amorem concupiſcentiæ; quia, ut antea jam dixi ex S. Th. non ſperamus niſi bonum prius amatum: debuiſſet ergo dicere Theologus Pariſienſis amorem concupiſcentiæ, & non amorem ſpei, at forte timor cohibuit linguam. 2. Nullum eſſe arbitror attritioniſtam, qui ſi conſequenter loquatur, excludat amorem concupiſcentiæ, ſeu ſi velis, amorem ſpei, etſi forte explicite non exprimat. Etenim ſecundum ipſum Tournely quæſt. 5. de pœnit. art. 3. in fol. Obj.

con-

Digitized by Google

contra 1. Concluſ. *Gehenna adæquate ſumpta complectitur pœnam damni & ſenſus*. Qui ergo dolet de peccato ex metu gehennæ, de illo dolet, ut eſt excluſivum beatitudinis. Ergo amat beatitudinem, quia non eſt dolor de aliquo malo, niſi ex amore boni oppoſiti, ut ſuperius dixi ex S. Th. ſicque eſt amor concupiſcentiæ ſeu ſpei. Inſuper omnes attritioniſtæ fundantur præſertim in ſeſſ. 14. Concilii Trid. cap. 4. ubi Concilium ad ſufficientiam attritionis requirit *Spem*, ſpes autem, ut dictum eſt, præſupponit amorem concupiſcentiæ. Quantum ad 2. Laudatus Theologus impugnat ſufficientiam attritionis iis omnibus momentis, quibus probamus neceſſitatem amoris benevoli, & quibus alii probant neceſſitatem charitatis actualis, præſertim, quia ex S. Th. peccator debet dolere de peccato, ut eſt malum & offenſa Dei, quod evincit neceſſitatem amoris benevoli. Cætera omitto, quia leviter inſpicienti patent. Adeat Lector hujus Theologi Quæſtionem 5. de pœnit. a. 3. concl. 1.

Petes 2. Utrum liceat ſequi in praxi ſententiam de ſufficientia attritionis formidoloſæ, etiam in hypotheſi quod ſit probabilis? R. Negative. Patet ex damnatione hujus propoſitionis ab Innocentio XI. *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore*. Conſtat autem opinionem, quæ requirit amorem, eſſe tutiorem ea, quæ non requirit. Ratio eſt. Ideo in aliis materiis licet ſequi opinionem probabiliorem relicta tutiore, quia probabilioritas abſtergit periculum damni, quatenus, ſi forte falſum ſit, quod ſequimur ut probabilius, excuſamur coram Deo, in quantum ſequendo, quod verius apparet, prudenter agimus. At vero ubi agitur de validitate Sacramenti, probabilioritas non abſtergit periculum damni; quantumvis enim probabile, & probabilius exiſtimetur validum eſſe Sacramentum, ſi tamen re ipſa abſit diſpoſitio, aut materia, quam Chriſtus requiſivit, aut inſtituit, eſt re ipſa invalidum & nullum Sacramentum, ut alibi dixi.

Reſpondent quidam opinionem de ſufficientia attritionis formidoloſæ eſſe non ſolum probabilem aut probabiliorem, ſed moraliter certam. Verum qua ſpecie veri ea opinio poteſt dici moraliter certa, quam plures Trid. Patres (Pluſquam 20. enumerat Ethica amoris l. 5. c. 164.) ſcriptis improbarunt, quam poſt Trid. Cardinales & Epiſcopi (30. enumerat Ethica ibid.) quam innumeri pene Theologi præſtantiſſimi (pluſquam 90. recenſet idem ibid.) quam Clerus Gallicanus in comitiis generalibus an. 1700. quam celebriores orbis Academiæ, inter quas Pariſienſis & Lovanienſis, impugnant, & rejiciunt tanquam falſam, & animabus pernicioſam, quam ipſiuſmet opinionis Patroni novam & incertam dicunt. Dominicus Soto, qui adfuit Concilio Trid. in 4. d. 18. q. 3. a. 2. ſic habet: *Doctrina hæc de attritione, quæ in Sacramento fit contritio, licet ſit vera, non eſt ita tamen multum vetus; Patres enim antiqui ſolam contritionem agnoſcebant neceſſariam ad confeſſionem. Revera qui mihi diceret, non ſe pœnitere propter Deum, abſolvere non auderem*. Et Cano, qui etiam interfuit Concilio p. 5. de pœnitentia infra initium pag. mihi 879. dicit: *Quod autem attritio ſufficiat, quamvis verum ſit, non eſt tamen adeo certum & indubitatum*. Quod autem reſpondet Tournely, Cano non loqui ex propria, ſed aliorum ſententia, aperte falſum eſt: provoco ad textum, in quo ne vel umbra eſt hujus intelligentiæ. Denique ſi iſta opinio de ſufficientia attritionis formidoloſæ ſit moraliter certa, noſtra erit vix probabilis; quia tantum detrahitur de probabilitate alicujus ſententiæ, quantum probabilitatis tribuitur oppoſitæ. Quis autem dicat noſtram ſententiam nunc eſſe vix probabilem?

Si dicas Eccleſiam permittere hanc opinionem de ſufficientia attritionis doceri in Scholis, tanquam moraliter certam, & in praxi tutam. R. Eccleſiam id non permittere approbando, ſi quidem etiam contrariam doceri non permittat, ſed tolerando, ſicut tolerat plures alias opiniones, quas non approbat, & quæ neque ſunt moraliter certæ, neque in praxi tutæ, v. g. opinio de ſufficientia attentionis externæ ad horas & ad Miſſam.

Si autem quæras, quare Eccleſia nihil circa hanc momentoſam quæſtionem definiat? Quæram pariter cur tot alias quæſtiones indefinitas relinquat? Suas habet Eccleſia rationes, quas curioſius ſcrutari non eſt privatorum, ſed potius in ejus prudentia, judicio, & auctoritate quieſcere. Neque refert, quod præſens quæſtio videatur majoris momenti, quam cæteræ, quia in ea agitur de valore Sacramenti, & de æterna ſalute. Licet enim id ſecundum ſe verum ſit, ſerus tamen attento præſenti rerum ſtatu, in quo vix unum, ſive confeſſarium, ſive pœnitentem reperias, qui ſola attritione formidoloſa contentus non conetur ad aliquem Dei amorem. Id teſtantur formulæ contritionum, quæ paſſim circumferuntur, & praxis tam Confeſſariorum, quam pœnitentium.

Petes 3. Quandonam debeat elici actus attritionis, ſeu contritionis imperfectæ, ut ſufficiat cum Sacramento? R. 1. Actus contritionis neceſſario debet aliquo modo jungi confeſſioni ſacramentali, non quidem phyſice, ſed moraliter, ea ſcilicet conjunctione, ſimultate, ordine, reſpectu ſeu unione, qualis neceſſaria eſt, & ſufficit ad actum judicialem. Dixi 1. *Aliquo modo jungi*; quia quodvis compoſitum non ſubſiſtit, niſi ex partibus aliquo modo unitis & coexiſtentibus: contritio autem & confeſſio ſunt partes materiales Sacramenti Pœnitentiæ. Dixi 2. *Non phyſice*: quia Sacramentum non eſt compoſitum phyſicum, ſed morale; nec eſt ulla lex, quæ id præcipiat, aliunde eſſet onus importabile pœnitentibus, qui habent multa accuſanda, ſi deberent eſſe ſolliciti ſemper actualiter & formaliter dolere, dum ſingula narrant. Dixi 3. *Moraliter*; quia Sacramentum eſt compoſitum morale.

Idque totum prob. hac ratione. Sacramentum Pœnitentiæ eſt inſtitutum ad modum actus judicialis. Ergo ad illud talis requiritur partium conjunctio, qualis ad actum judicialem. Subſumo. Atqui ad actum judicialem requiritur, quod partes, ſcilicet accuſatio & dolor in reo ſententiæ judicis aliquo modo uniantur, non tamen phyſice, ſed moraliter. Ergo ſimiliter.

Quæ autem ſimultas, ſeu reſpectus inter partes requiratur, ut cenſeantur moraliter unitæ? Non eſt una omnium ſententia. Unde R. 2. Actum contritionis certo debere præcedere abſolutionem; quia eſt diſpoſitio & materia ad illam. Et quidem tutius præcedit inchoatam abſolutionem; quia in omni judicio cognitio cauſæ debet præcedere ſententiam Judicis. Non eſt tamen improbabile ſufficere, ſi eliciatur ante ultimum inſtans prolationis verborum formæ; quia tunc tantum conſertur primo effectus ſacramentalis.

Dices, ut ablutio aquæ in forma Baptiſmi cenſeatur moraliter unita, non requiritur neceſſario, quod ablutio præcedat, ſed ſufficit, ſi immediate ſequatur, ut dictum eſt de Sacramentis in genere, licet tamen ablutio ſit materia reſpectu formæ. Ergo ſimiliter in hoc Sacramento. R. N. Conſ. Diſparitas eſt, quod moraliter cenſeatur adhuc vere dici ablutio, etſi immediate poſt projiciatur aqua, ſicut cenſetur vere dicere bibo, qui ſtatim poſt ſcyphum ori admovet. At hic cum forma ſit Sententia judicialis, debet neceſſario præſupponere cognitionem cauſæ, antequam feratur, alias non cenſetur moraliter uniri materiæ, & eam informare. Adde, quod praxis univerſalis Eccleſiæ & unanimis Doctorum ſententia quoad hoc ſatis manifeſtent talem eſſe Chriſti voluntatem.

R. 3. Non videtur neceſſarium, quod actus contritionis præcedat confeſſionem, licet ſit conſultum. Eſt communis Sententia contra Coninck & paucos alios, quam teſtatur praxis unanimis Confeſſariorum, qui ſolliciti ſunt exigere contritionem a Pœnitente poſt confeſſionem, non ante. Prob. autem ſolutione duplicis fundamenti Adverſariorum, quorum primum eſt, quod confeſſio non debeat eſſe nuda & hiſtorica narratio, ſed accuſatio doloroſa, adeoque informari dolore, qui proinde debet ſaltem natura præcedere. Secundum, quod contritio debeat eſſe ſenſibilis, redditur autem ſenſibilis per confeſſionem. Ergo confeſſio debet ſubſequi contritionem. Ad 1. R. Ut confeſſio dicatur doloroſa, non requiritur, quod præcedat eam dolor, ſed ſufficit, quod ipſa referatur ad dolorem, qui ſequitur: imo ipſe dolor ſequens aliquo ſenſu præcedit & influit in Confeſſionem, in quantum quamdiu Pœnitens flectit aut humiliter petit ſeu expectat Sententiam Judicis, tamdiu cenſetur moraliter perſeverare in facta confeſſione, eamque ipſo facto continuare, atque implicite dicere: *Ita Pater mi, feci hæc omnia quæ dixi, ita eſt, peto ſupplex abſolutionem & pœnitentiam*. Ergo ſi poſt factam narrationem peccatorum eliciatur actus contritionis, eam confeſſionem ſic continuatam moraliter, ſufficienter informat, & doloroſam efficit. Et hinc patet Reſponſio ad 2. Scilicet quod per iſtam confeſſionem moraliter & facto continuatam ſufficienter reddatur ſenſibilis contritio, & ſufficienter manifeſtabitur Confeſſario Judici. Alii dicunt confeſſionem reddere contritionem ſenſibilem, in quantum indicat dolorem, aut eſſe, aut fuiſſe, aut futurum eſſe. Dixi tamen in praxi conſultum eſſe contritionem præmittere confeſſioni, ne forte pœnitens poſtea diſtractus, aut abſolutione præventus, Sacramentum non recipiat defectu contritionis.

R. 4. Quando contritio præcedit confeſſionem, non requiritur, quod immediate ante confeſſionem eliciatur, quia ad unionem moralem partium in actu judiciali tanta partium conjunctio non requiritur; ſed requiritur & ſufficit, aut quod non fuerit revocata vel formaliter per actum contrarium, vel virtualiter per actum peccaminoſum; aut quod tanta temporis intercapedine non præceſſerit, quin poſſit prudenter judicari adhoc moraliter virtualiter perſeverare tempore confeſſionis ſequentis. Sed quantum temporis requiratur, ut cenſeatur adhuc moraliter perſeverare? Quidam dicunt, quamdiu non retractatur. Alii ponunt, ſi veſperis conteratur & mane confiteatur. Alii

ſi demi conteratur, & in Eccleſia perſeveret; ſed hoc pendet ex judicio prudentis confeſſarii, qui attentis circumſtantiis judicabit moraliter uniri, quamdiu judicare poteſt unum actum ab alio imperari, aut quid unum tacere moraliter cum ipſo. Cæterum in hac materia tene certum, dimitte incertum. Item requiritur, quod contritio præcedens fuerit aliquo modo relata ad confeſſionem ſequentem, ſive quia confeſſio fuit motivum contritionis, ſive contritio motivum confeſſionis. Alias ſi nullam relationem habeat ad confeſſionem futuram, non poterit cenſeri unita moraliter cum illa. Quidam tamen non improbabiliter tenent, quod ſi ſine ullo reſpectu ad confeſſionem elicita fuerit contritio; ſed tempore confeſſionis Pœnitens dolorem prius habitum ad hanc confeſſionem revocet, id ſufficiat propter moralem doloris & confeſſionis unionem. At ſi contritio præcedens nullo modo referatur ad confeſſionem, ut ſi hodie dolens non cogites de confeſſione craſtina, nec cras confitens recorderis doloris heſterni, invalide confiteris, niſi novum dolorem concipias, quia pars debet referri ad compartem; & confeſſio ſacramentalis & valida debet eſſe doloroſa, qualis non poteſt eſſe niſi per dolorem aliquo ex his modis ad ſe relatum.

Petes 4. Utrum qui immediate poſt confeſſionem accuſat peccatum oblitum, teneatur ad novam contritionem? R. probabilius negative; quia prior contritio ad illud extendebatur, & adhuc moraliter perſeverat.

Petes 5. Utrum ſufficiat dolere ſeu non dolere de peccatis? R. in rigore loquendo negative; quia dolor debet eſſe de peccatis, & non de defectu doloris. Verum Pœnitentes ſic loqui ſolent, non quod careant omnino dolore de peccatis; ſed quia timent inſufficientiam, aut non experiuntur dolorem ſenſibilem, qui, ut ante diximus, non eſt abſolute neceſſarius ad contritionem.

DISSERTATIO V.
DE ALTERA PARTE SACRAMENTI POENITENTIÆ,
Scilicet,
DE CONFESSIONE ET PRIMO DE EJUS NECESSITATE.

Div. Thom. Quæſt. 6.

ARTICULUS I.
Utrum Confeſſio Sacramentalis ſit neceſſaria ad ſalutem?

§. I. *Prænotanda.*

Confeſſio Sacramentalis communiter & recte definitur: *Accuſatio legitima peccatorum facta Sacerdoti competenti ad veniam, virtute clavium obtinendam.* Dicitur *Accuſatio:* quia peccata non ſunt aperienda modo hiſtorico, aut ad oſtentationem, ſed animo ſe accuſandi & ſe reum exhibendi. Dicitur *legitima*, id eſt veſtita omnibus ſuis circumſtantiis, de quibus infra. Dicitur *peccatorum*, propriorum ſcilicet & actualium poſt Baptiſmum commiſſorum, ut deſignetur objectum ſeu materia confeſſionis. Dicitur *facta Sacerdoti competenti*, id eſt habenti juriſdictionem: unde facta Laico, vel Sacerdoti non habenti juriſdictionem, non eſt ſacramentalis, adeoque nulla. Dicitur *Ad veniam obtinendam*; ut oſtendatur finis & effectus confeſſionis, ejuſque differentia ab aliis Tribunalibus, in quibus non venia, ſed pœna conſtituta eſt. Dicitur *virtute clavium*, quia Confeſſarius poteſtate ſibi a Chriſto tradita vere abſolvit, ut antea diximus. Apud Græco *Exomologeſis* idem eſt ac apud nos confeſſio; uſurpatur tamen etiam *Exomologeſis* pro tota laborioſa pœnitentiæ actione, ut jam dictum eſt.

Joannes VVicleſ rejicit confeſſionem tanquam inutilem, dicens; *Si homo debite fuerit contritus, omnis confeſſio exterior eſt ſibi ſuperflua & inutilis:* eſt inter articulos ejus a Concilio Conſtantienſi damnatus ſeptimus. Lutherus varie hac de re cenſuit; in parvo Catechiſmo quem edidit, ut refert Doctiſſimus Boſſuet Epiſcopus Meldenſis, docet eam eſſe neceſſariam. In viſitatione Saxonica an. 1528. & in Serm. de Euch. an. 1528. dicit eſſe liberam. Lib. 1. de Captivit. Babylon. cap. de Pœnit. ſcribit eam ſibi placere & eſſe utilem. Et Serm. de Pœnit. a. 9. Carnificinam & cruentiſſimam appellat. Videtur tamen certo tenuiſſe 1. Confeſſionem non poſſe probari ex Scripturis lib. 1. de Captivit. Babyl. cap. pœnit. 2. Non eſſe neceſſarium omnia confiteri, etiamſi eorum recordetur Pœnitens, ut patet ex eodem loco, & Serm. de Pœnit. & Ex a. 8. & 9. damnatis a Leone X. 3. Damnat eos, qui docent peccata venialia & circumſtantias peccatorum eſſe confitendas ibid. ſerm. de pœnit. Ex Lutheranis Joannes Brentius, & Kemnitius rejecerunt abſolute confeſſionem in ſpecie, contenti confeſſione generali. Secundum Boſſuet, Lutherani confeſſionis Auguſtanæ retinent uſum confeſſionis auricularis, quod probat ex Apologia ipſius confeſſionis Auguſtanæ.

Calvinus docet 1. uſum confeſſionis non eſſe juris divini, inſtit. c. 4. §. 7. 2. Docet antiquum quidem fuiſſe, ſed liberum, *Cujus equidem vetuſtiſſimum eſſe uſum fatemur* (inquit ibid.) *ſed quem facile evincere poſſumus olim fuiſſe liberum.* Docet 3. expedire, ut Miniſter, tum pro ſe, tum pro populo confeſſionem generalem faciat; ſuadetque ut etiam privata conſulatur, & ſpecialiter iis, qui peccatorum ſuorum ſenſu anguntur, *Ut ſolidum conſolationis fructum referant*. Docet 4. Confeſſionem ut fit, & præcipitur in Eccleſia Romana, tollendam eſſe de medio: *Nihil mirum* (inquit §. 19.) *ſi auricularem illam confeſſionem, rem adeo peſtilentem, totque nominibus Eccleſiæ noxiam damnamus, ac ſublatum e medio cupimus*, aſſeritque novum eſſe inventum Innocentii III. in Concilio Lateran. IV. an. 1215. Iis Calvini dogmatibus adhærent omnes Calviniſtæ, quorum errores in hac parte quatuor libris propugnare aggreſſus eſt pſeudo Miniſter Dallæus.

Ad efficaciorem Hæreticorum, Dallæi præſertim, impugnationem, obſervandum eſt Decretum Concilii Trident. ſeſſ. 14. cap. 5. de modo, ſive ſecreto, ſive publico confitendi peccata. *Quoad modum*, inquit, *ſecreto apud ſolum Sacerdotem. Etſi Chriſtus non vetuerit, quin aliquis in vindictam ſuorum ſcelerum, & ſui humiliationem, cum ob aliorum exemplum, tum ob Eccleſiæ offenſæ ædificationem, delicta ſua publice confiteri non poſſit, non eſt tamen hoc divino præcepto mandatum, nec ſatis conſulte humana aliqua Lege præciperetur, ut delicta, præſertim ſecreta, publica eſſent confeſſione aperienda. Unde cum a ſanctiſſimis & antiquiſſimis Patribus, magno unanimique conſenſu ſecreta confeſſio ſacramentalis, qua ab initio Eccleſia ſancta uſa eſt, & modo etiam utitur, fuerit ſemper commendata, manifeſte refellitur inanis eorum calumnia, qui eam a divino mandato alienam, & inventum humanum eſſe, atque a Patribus in Concilio Lateran. congregatis initium habuiſſe, docere non verentur.*

Ex qua Doctrina Eſtius in 4. d. 17. §. 8. Suarez diſp. 21. de conf. ſect. 2. Coninck diſp. 6. de qualit. conf. Tournely q. 6. de pœnit. a. 2. Berti l. 34. c. 2. & alii inferunt non eſſe de eſſentia confeſſionis ſacramentalis, quod ſit ſecreta & auricularis, ſed poſſit aliquando laudabiliter fieri publice; licet id, neque jure divino, neque humano ſit neceſſarium: ad eſſentiam autem confeſſionis pertinere tantum, quod peccata quocumque modo ſive ſecreto ſive publice declarentur Sacerdoti ad obtinendam abſolutionem; uſum tamen confeſſionis ſecretæ fuiſſe in Eccleſia ſervatum, & hinc merito retinendum. Hac obſervatione præcluditur effugium ſolitum Dallæi, qui ad argumenta noſtra ex Traditione continuo reponit ea eſſe intelligenda de confeſſione publica. Etſi enim id tam eſſet verum, quam eſt falſum, nihil obtineret, cum modus confeſſionis non pertineat ad ejus eſſentiam, ſufficiatque, ſive ſecreta ſit, ſive publica, quod agnoſcatur neceſſaria ad obtinendam vi clavium remiſſionem peccatorum.

§. II. *Neceſſitas confeſſionis ſacramentalis aſſeritur.*

Dico. (*Supp. q. 6. a. 1. o.*) Confeſſio ſacramentalis eſt omnibus poſt Baptiſmum lapſis neceſſaria jure divino. Eſt de fide deciſa in Concilio Trid. ſeſſ. 14. Can. 7. his verbis: *Si quis dixerit in Sacramento Pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum neceſſarium non eſſe jure divino confiteri omnia & ſingula peccata mortalia, &c. anathema ſit.* Et patet ex jam dictis a. 1. hujus Tract. in quo probavimus eſſe in Eccleſia remedium contra peccata poſt Baptiſmum commiſſa; illud eſſe inſtitutum per modum actus judicialis; judicium autem ferri non poſſe ſine cognitione cauſæ, quæ haberi non poteſt, niſi per Confeſſionem. Sed quia præſens quæſtio eſt maximi momenti contra Hæreticos hodiernos, iterum & accuratius eſt expendenda. Itaque

Prob. 1. jam dicta ratione fundata in Scriptura, & qua utitur Concilium Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. Quicumque mortalis peccati poſt Baptiſmum rei ſunt, tenentur jure divino quærere reconciliationem cum Deo, & peccatorum veniam per medium ab ipſo inſtitutum. Atqui medium a Deo inſtitutum ad reconciliationem cum ipſo, & peccatorum poſt Baptiſmum commiſſorum veniam obtinendam, eſt confeſſio peccatorum, nedum in genere, ſed & in ſpecie, Sacerdoti facta. Ergo. Maj. eſt certa. Probat. Min. Chriſtus inſtituit Sacerdotes judices & medicos ſine quorum ſententia & curatione nemo lapſus poſt Baptiſmum poteſt reconciliari & ſanari. Atqui non poſſunt hoc judicium

Digitized by Google

cium exercere incognita cauſa, nec æquitatem ſervare in injungendis pœnis, nec proportione in deſignandis remediis, ſi in genere tantum, & non in ſpecie ac ſigillatim peccatores eis ſua peccata declarent, & vulnera aperiant. Ergo. Min. videtur evidens. Prob. Maj. quam negat Calvinus, invictiſſimis Scripturæ teſtimoniis. Chriſtus Matt. 16. promittit claves Regni Cœlorum, & poteſtatem ligandi & ſolvendi. Matth. 18. idem promittit omnibus Apoſtolis; & Joannis 20. hanc poteſtatem de facto eis confert dicendo; *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos .... Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt.* Atqui Apoſtolos, & eorum ſucceſſores habere claves Regni Cœlorum, poſſe ligare & ſolvere, remittere & retinere peccata, eſt eos eſſe a Deo conſtitutos judices & medicos, ſine quorum ſententia & curatione nemo lapſus cum eo reconciliari poteſt & ſanari; non enim ſunt inter ipſum & homines alii judices conſtituti, nec alii medici ſanandis peccatorum vulneribus deſignati. Ergo. Iſta Minor magis adhuc elucidabitur ex reſponſionibus Hæreticorum.

Dicunt itaque 1. hæc teſtimonia intelligenda eſſe de poteſtate remittendi & retinendi peccata per Baptiſmum, vel per miniſterium prædicandi, quo excitetur in animis audientium fides, qua credunt peccata ſibi eſſe remiſſa. Sed contra 1. vel intelligunt de Baptiſmo ſuſcipiendo, vel de ejus memoria. Primum dici non poteſt, quia cum ſemel conferatur Baptiſmus, lapſis poſtea non eſſet amplius remedium, quod negant. Adde, quod poteſtas clavium, ſeu juriſdictionis exerceri non poſſit, niſi in eos, qui per Baptiſmum jam non ſunt in Eccleſia. Secundum etiam dici non poteſt, quia alias Sacerdotes non haberent poteſtatem retinendi peccata, cum impedire non poſſent, quin baptizatus Baptiſmi ſuſcepti non recordetur. Inſuper facilius reconciliarentur lapſi poſt Baptiſmum, quam ante, quod eſt abſurdum, cum poſt Baptiſmum ſint magis ingrati, & magis peccatores.

Quod autem dicunt de Miniſterio prædicationis, aperta eſt Scripturæ contorſio; 1. Quia claves dari non ſolent ad ſignificandum oſtium eſſe apertum vel clauſum, ſed ad claudendum & aperiendum. 2. Ligare & ſolvere non eſt ſignificare eſſe ſolutum aut ligatum, ſicut remittere & retinere peccata non eſt ſignificare & annuntiare eſſe remiſſa, vel non eſſe remiſſa. Unde Chriſtus non dixit: quorum remiſeritis erunt remiſſa, & quorum retinueritis erunt retenta; quod debuiſſet dicere in ſenſu adverſariorum: ſed dixit, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; quodcumque ſolveritis, erit ſolutum, & quod ligaveritis, erit ligatum. 3. Quia alias nihil ſpeciale Petro & Apoſtolis conceſſum eſſet, cum omnes etiam Laici poſſint in aliis excitare fidem de remiſſione peccatorum; imo magis ipſi fideles dicerentur ſe ſolvere, ſibi peccata remittere, quam id fieri a Sacerdotibus; nam ſi hi dicantur remittere peccata, qui excitant ad fidem de eorum remiſſione, a fortiori ille, qui fidem hanc elicit. 4. Tandem inde ſequeretur, quod Sacerdotes non haberent poteſtatem ligandi & retinendi peccata, cum etiam ipſis invitis talis fides haberi poſſit.

Dicunt 2. Eſto poſſint Sacerdotes ſolvere & ligare, non tamen inde ſequitur neceſſe eſſe ad eorum tribunal accedere. Nam Dominus non dixit: Et quæcumque non ſolveritis, non erunt ſoluta. Itaque ſolvere poterunt eos, qui eorum miniſterio uti voluerint, ſed poterit etiam peccator alia ratione ſine ipſorum miniſterio reconciliari. Quemadmodum Judices Regum auctoritate conſtituti poſſunt judicare omnes, qui ipſorum opera uti voluerint, non tamen coguntur, qui lites habent, ad publicos illos Judices accedere, ſed poſſunt arbitros eligere, aut etiam ipſi per ſe ſuam cauſam componere, aut ipſum Regem directe adire. Sed contra. Licet privati homines poſſint lites, quas inter ſe habent, ſine publicorum Judicum ſententia componere; non poſſunt tamen eas lites componere, quas cum Rege ipſo habent, niſi eo modo, qui placuerit Regi; & ſi Rex voluerit hujuſmodi cauſas non niſi per Judices a ſe inſtitutos dirimi, eos adire neceſſe eſt. At omnia peccata noſtra ſunt cauſæ, quas habemus cum Deo, & quamvis unicuique ſit liberum directe adire Deum cum ſincera cordis contritione; & ita ab ipſo abſolvi; attamen non poteſt eſſe ſincera hæc cordis contritio, niſi includat voluntatem adhibendi remedium, ſeu faciendi quod Chriſtus præſcripſit; Chriſtus autem præſcripſit, quod peccatores ſe ſubjicerent judicio Sacerdotum, quos ſuo loco Judices eſſe voluit. Unde licet Chriſtus non dixerit expreſſe & explicite, Quæcumque non ſolveritis, non erunt ſoluta; aperte tamen colligitur, tum ex illis verbis: *Quæcumque ſolveritis erunt ſoluta, quorum remiſeritis peccata remittentur*, quibus Sacerdotes conſtituuntur Judices in cauſis contra Deum; tum maxime ex iſtis: *Quæcumque ligaveritis, erunt ligata, quorum retinueritis peccata, retenta ſunt.* Si enim fideles, citra Sacerdotum auctoritatem, ſolvi, & obtinere poſſunt remiſſionem peccatorum, falſum eſt, quod id foret ligatum, quod ligarent, quod retenta eſſent peccata, quæ retinerent. Inſuper ſi voluntas Chriſti non eſſet lapſos a Baptiſmo confiteri peccata ſua Sacerdotibus, fruſtra dediſſet illis poteſtatem abſolvendi. Quis enim niſi Deo jubente ſua eis peccata exponeret? Fruſtra dediſſet claves Regni Cœlorum, ſicut fruſtra claves alicui darentur, ſi aliis, non minus facilis, imo & faciliori via, pateret introitus.

Inſt. 1. Sacerdotes ſunt Judices peccatorum venialium, quando ipſis ſubjiciuntur, & tamen non eſt obligatio ea ipſis ſubjiciendi. Ergo idem de peccatis mortalibus. 2. Per Baptiſmum Sacerdotes peccata remittunt, & tamen ad Baptiſmum non eſt neceſſaria peccatorum confeſſio. Ergo. R. ad 1. Diſparitas eſt, quod ex inſtitutione Chriſti ea tantum neceſſario ſolvenda ſunt a Sacerdotibus in terris, quæ ligant in Cœlis; ſola autem mortalia, quæ gratiam & charitatem deſtruunt, ligant in Cœlis, non venialia, quæ compatiuntur gratiam & charitatem, & ideo variis aliis modo remitti poſſunt. Ad 2. Diſparitas eſt, quod in Baptiſmo non exerceatur judicium de peccatis remittendis aut retinendis, puniendis & ſanandis; ſed eſt nudum miniſterium regenerandi Chriſto, remittendi peccata, & adoptandi Eccleſiæ, ante cujus adoptionem nullam Eccleſia in peccatores habet juriſdictionem, quamvis tamen ejus ſit muneris explorandi per prævia aliqua pietatis opera diſpoſitiones eorum, qui baptizari petunt. At in Pœnitentia exercetur judicium in peccata remittenda vel retinenda, punienda & ſananda, quod judicium exerceri non poteſt, niſi ipſa peccata diſtincta declarentur. Cætera, quæ contra hanc probationem objicit Dallæus, admodum levia ſunt, nec ſeria Reſponſione digna. Omitto alias Scripturæ auctoritates, quæ ſolent in probationem Concluſionis a pluribus proferri, 2. Cor. 5. Jacobi 5. Act. 19. 1. Joan. 1. quia non niſi probabiliter intelliguntur de Confeſſione Sacramentali.

Antequam aggrediar probationem ex Traditione, obſervandum eſt Novatores non negare peccata publica Pœnitentiæ & confeſſioni publicæ olim fuiſſe ſubjecta; at contendunt peccata occulta nequidem ſecretæ confeſſioni fuiſſe obnoxia. Contra quos

Prob. 2. Concluſio ex Traditione. Confeſſio ſacramentalis peccatorum non ſolum publicorum, ſed etiam occultorum, qualis nunc agitur inter Catholicos, fuit in uſu ab Exordio Eccleſiæ. Ergo eſt inſtituta a Chriſto ut neceſſaria, & per Apoſtolos ad nos tranſmiſſa. Patet Conſ. tum quia juxta Regulam Aug. l. 4. de Bapt. contra Donatiſt. c. 25. *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi auctoritate Apoſtolica traditum creditur.* Tum quia confeſſio peccatorum ſecretorum & pudendorum res eſt adeo ardua & difficilis, ut nunquam tot ſæculis obſervata fuiſſet, niſi a Chriſto ut neceſſaria foret inſtituta.

Prob. Ant. ſelectis Patrum teſtimoniis ſecundum ſeriem ſæculorum; omnia enim referre foret immenſum. Ex 1. Sæculo legendi ſunt S. Clemens Ep. 2. ad Corinth. & l. 7. Conſtitut. Apoſt. c. 14. Ex 2. S. Iræneus l. 1. adverſus Hæreſes c. 9. Eodem Sæculo Tertullianus lib. de Pœnit. c. 4. dicit peccata etiam cogitationis eſſe accuſanda, quia ſingulis pœna eſt imponenda: *Omnibus*, inquit, *delictis ſeu carne, ſeu ſpiritu, ſeu facto, ſeu voluntate commiſſis, qui pœnam per judicium deſtinavit, idem & veniam per pœnitentiam ſpopondit.* Et infra c. 9. oſtendens neceſſitatem confeſſionis ex neceſſitate ſatisfactionis imponendæ: *Tantum*, inquit, *relevat confeſſio delictorum, quantum diſſimulatio exaggerat: Confeſſio enim ſatisfactionis conſilium eſt, diſſimulatio contumaciæ ... is actus qui magis græco vocabulo exprimitur & frequentatur, Exomologeſis eſt, qua delictum Domino noſtro confitemur, non quidem ut ignaro, ſed quatenus ſatisfactio confeſſione diſponitur, Confeſſione Pœnitentia naſcitur, Pœnitentia Deus mitigatur: itaque Exomologeſis proſternendi & humilificandi hominis diſciplina eſt.* Nec te moveat, quod dicat *confitendum Domino*, aut dicas loqui de confeſſione peccatorum publicorum. Intellige namque *confiteri Domino*, dum quis confitetur ejus Miniſtro; patet ex ſubjunctis, dum addit paulo infra, eos, qui Domino confitentur, *Presbyteris advolvi*, & pleroſque a confeſſione abſtinere, *pudoris magis memores quam ſalutis*, quod nec de Deo, neque de peccatis publicis intelligi poteſt; ac tandem concludit confeſſionem fieri Domino, dum fit uni vel alteri Miniſtro, quia *in uno & altero Eccleſia eſt, Eccleſia vero Chriſtus. Ergo cum te ad genua fratrum protendis, Chriſtum contrectas, Chriſtum exoras.* Et in priori textu formaliter exprimit peccata ſecreta cogitationis.

Sæculo 3. S. Cypr. lib. de lapſis c. 12. *Confiteantur*, inquit, *ſinguli, quæſo vos, fratres dilectiſſimi, delictum ſuum dum adhuc qui deliquit in ſæculo eſt, dum admitti ejus confeſſio poteſt, dum ſatisfactio & remiſſio facta per Sacerdotes apud Deum grata eſt*: Et infra: *Quanto & fide majores & timore meliores ſunt, qui quamvis nullo ſacrifi*-

cii *aut libelli facinore conſtricti, quoniam tamen de hoc cogitaverunt, hoc ipſum apud Sacerdotes Dei dolenter & ſimpliciter confitentes, exomologeſim conſcientiæ faciunt, animi ſui pondus exponunt, ſalutarem medelam, parvis licet & modicis vulneribus exquirunt, ſcientes ſcriptum eſſe, Deus non irridetur*. Apertum eſt Cyprianum loqui de Confeſſione facienda Sacerdoti, de confeſſione occultorum ſcilicet cogitationis, ac tandem de confeſſione ſecreta, cum peccata interna nunquam fuerint obnoxia confeſſioni publicæ, ut dicam infra.

Eodem Sæculo Origenes hom. 2. in Levit. enumeratis variis modis obtinendi veniam peccatorum oratione, eleemoſyna, &c. ſubjungit: *Eſt adhuc & ſeptima licet dura & laborioſa per pœnitentiam remiſſio peccatorum, cum lavat peccator in lacrymis ſtratum ſuum & fiunt ei lacrymæ ſuæ panes die ac nocte, & cum non erubeſcit Sacerdoti Domini indicare peccatum ſuum & quærere medicinam*. Et hom. 2. in Pſ. 37. poſtquam aſſerait neceſſariam eſſe confeſſionem, ut peccator veniam conſequatur, ſicut neceſſe eſt infirmo noxiam humorem ejicere e ſtomacho ad ſanitatem recuperandam, addit: *Tantummodo circumſpice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum: proba prius medicum, cui debeas cauſam languoris exponere, qui ſciat infirmari cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi & compatiendi noverit diſciplinam, ut ita demum quod ille dixerit, qui ſe prius & eruditum medicum oſtenderit & miſericordem, ſi quid conſilii dederit, facias & ſequaris. Si intellexerit & præviderit talem eſſe languorem tuum, qui in Conventu totius Eccleſiæ exponi debeat & curari, ex quo fortaſſis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipſe facile ſanari, multa hoc deliberatione & ſatis perito medici illius conſilio procurandum eſt*.

Ex his habes non ſolum Confeſſionem ſecretam ſecretorum peccatorum; ſed etiam Confeſſionem ſecretam ortum non deducere ex publica, ſeu confeſſione, ſeu pœnitentia; ſed e contra Confeſſionem ſecretam præiviſſe publicæ, tum pœnitentiæ, tam Confeſſioni, & utrique indicendæ fuiſſe normam & regulam, de quo iterum infra. Nec eſt quod reſpondeant Hæretici Origenem non dicere hunc medicum eſſe Sacerdotem. Eſto enim id in hoc ſecundo textu non dicat, dicat in priori; hic autem loquitur de Confeſſione, quæ ſolebat fieri, ſcilicet Sacerdoti, cujus moris meminerat in priori textu.

Sæculo 4. S. Baſilius in Regulis brevioribus, reſponſione ad Q. 288. *Neceſſario*, inquit, *iis peccata aperiri debent, quibus creditu eſt diſpenſatio myſteriorum fidei*. Et q. 100. prohibet: *Dum ſoror* (Monialis) *Presbytero confitetur, Antiſtitam ipſam adeſſe*. Eodem Sæculo S. Gregor. Nyſſ. Ep. Canon. ad Letojam Epiſcopum Melitinenſem, *Qui autem*, inquit, *occulta ſubtractione ſibi alienum uſurpat, ac deinde per Confeſſionem peccatum ſuum Sacerdoti aperit, ſtudio, quod circa contrarium illius vitii adhibebit, morbum curabit*. Eodem Sæculo S. Ambroſius, referente Paulino in ejus vita: *Quotieſcumque illi aliquis ob percipiendam pœnitentiam lapſus ſuos confeſſus eſt, ita flebat, ut illum flere compelleret, videbatur enim ſibi cum jacente jacere*. Hanc autem Confeſſionem eſſe ſecretam, & peccatorum occultorum, patet, proſequitur enim Paulinus; *Cauſas autem criminum, quas illi confitebantur nulli niſi Domino ſoli, apud quem intercedebat, loquebatur, bonum exemplum relinquens poſteris Sacerdotibus: ut interceſſores apud Deum magis ſint, quam accuſatores apud homines*. Idem S. Ambroſ. l. 1. de pœnit. c. 16. contra Novatianos: *Si quis*, inquit, *occulta crimina habens, propter Chriſtum tamen ſtudioſe pœnitentiam egerit, quomodo iſthic recipit* (remunerationem ſcilicet Pœnitentiæ, de qua loquitur) *ſi ei communio non refunditur?* Id aperte ſupponit peccata occulta fuiſſe declarata. Quod autem Dallæus reponat legendum eſſe *Multa* & non *occulta*, obſtinatæ mentis commentum eſt contra fidem omnium codicum, ut oſtendunt novi Editores Benedictini. Idem Ambroſ. l. 2. de pœnit. c. 1. *Et nos ergo non erubeſcamus fateri Domino peccata noſtra*. Manifeſtum eſt; quod intelligat de Confeſſione facta Miniſtro Dei; nemo enim erubeſcit peccata ſua confiteri ſoli Deo, cui magis quam nobis nota ſunt peccata noſtra. Legendus inſuper Ambroſius in Pſalm. 38. & 118. & lib. 5. in Lucam, ubi agnoſcit in Sacerdotibus judiciariam ligandi & ſolvendi poteſtatem, quæ, ut probatum eſt, exerceri non poteſt ſine Confeſſione. Legendi ejuſdem Sæculi Lactantius l. 4. Inſtit. c. 17. Hilarius Pictav. in comment. in Matth. Pacianus in exhortat. de pœnit. Athanaſius tom. 1. in hæc verba Evangelii, *Invenietis pullum alligatum*, &c. ſed & maxime

Eodem Sæculo Chryſoſtomus, cujus auctoritate abutuntur Novatores. Is Orat. ſeu Hom. de muliere Samaritana: *Imitemur & nos*, inquit, *hanc mulierem Samaritanam, & ob propria peccata non erubeſcamus, ſed Deum timeamus ... qui enim homini detegere peccata erubeſcit, Deo vero cernente facere non erubeſcit, neque confiteri vult, & pœnitentiam agere, in die illa non coram uno vel duobus, ſed univerſo terrarum orbe ſpectante traducetur*. Idem hom. 2. de cruce & latrone: *Si latronem in cruce tanto honore dignatus eſt; multo magis nos inſita ſua benignitate dignabitur, ſi voluerimus peccatorum Confeſſionem inſtituere. Ut igitur & nos benignitate illius perfruamur, peccata propria confiteri non erubeſcamus. Magna enim Confeſſionis vis eſt, & multa ejus potentia*. Idem l. 2. de Sacerdotio, aſſerens diſcrimen inter Sacerdotes veteris & novæ Legis; *Corporis lepram*, inquit, *purgare, imo potius nullatenus purgare, ſed purgatos probare tantum, Judæorum Sacerdotibus licebat: Hi vero non lepram corporis, ſed immunditiam animæ, non purgatam probandi, ſed penitus purgandi poteſtatem acceperunt*. Dixerat prius: *Multa quidem arte opus eſt, ut ægri Sacerdotum remediis libenter ſe ſubjicere ſuadeantur*. Et: *Idcirco Paſtori multa opus eſt prudentia, ac ſexcentis oculis, ut undique animæ ſtatum circumſpiciat*. Idem hom. 3. in Geneſ. *Quia in magnam hanc hebdomadam pervenimus Dei gratia, nunc maxime & jejunii curſus intendendus, & magis continuandæ ſunt preces, faciendaque diligens, & pura peccatorum Confeſſio? Sicut inimicus noſter quod per tempus illud poſſumus de iis quæ ad noſtram ſalutem attinent loqui, & peccata declarare ſeu aperire, & detegere vulnera noſtra medico, & ſanitatem conſequi*. Et hom. 9. in c. 6. ad Heb. *Sin autem dicit: Sum peccator, ea autem per ſpecies non cogitat ac ſupputat, & non dicit, hoc & illud peccatum admiſi, nunquam ceſſabit, ſemper quidem confitens, curam autem nullam gerens correctionis*.

Sæculo quinto S. Innocentius Papa Ep. ad Decentium c. 7. *De pœnitentibus vero, qui ſive ex gravioribus commiſſis, ſive ex levioribus pœnitentiam gerant, ſi nulla interveniat ægritudo, quinta feria ante Paſcha eis remittendam Romanæ Eccleſiæ conſuetudo demonſtrat. Cæterum de pondere æſtimando delictorum Sacerdotis eſt judicare, ut attendat ad Confeſſionem pœnitentis, & ad fletus, atque lacrymas corrigentis, ac tunc jubet dimitti, cum viderit congruam ſatisfactionem*.

Eodem Sæculo S. Hieronymus comment. in c. 10. Eccleſiaſtæ ad hæc verba: *Si momorderit ſerpens in ſilentio: Si quem*, inquit, *ſerpens diabolus occulte momorderit, & nullo conſcio eum peccati veneno infecerit; ſi tacuerit qui percuſſus eſt, & non egerit pœnitentiam, nec vulnus ſuum fratri & magiſtro voluerit confiteri, magiſter, qui linguam habet ad curandum, facile ei prodeſſe non poterit. Si enim erubeſcat ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat medicina non curat*. Idem l. 1. commentarii in c. 16. Matt. ad hæc verba: *Et tibi dabo claves Regni Cælorum; Iſtum locum*, inquit, *Epiſcopi & Presbyteri non intelligentes, aliquid ſibi de Phariſæorum aſſumunt ſupercilio, ut vel damnent innocentes, vel ſolvere ſe noxios arbitrentur ... Hic alligat vel ſolvit Epiſcopus & Presbyter, non eos qui inſontes ſunt vel noxii, ſed pro officio ſuo, cum peccatorum audierit varietates, ſcit qui ligandus ſit quive ſolvendus*.

Eodem Sæculo Auguſtinus ſerm. 2. in Pſ. 101. *Cum audis hominem pœnitere peccatorum ſuorum, jam revixit: cum audis hominem confitendo proferre conſcientiam, jam de ſepulchro eductus eſt, ſed nondum ſolutus eſt: Quando ſolvitur? A quibus ſolvitur? Quæ ſolveritis*, inquit, *in terra, erunt ſoluta & in Cælo*. Idem enarrat. in Pſ. 66. *Conſcientia tua ſaniem collegerat, apoſtema tumuerat, cruciabat te, requieſcere non ſinebat: Adhibet medicus fomenta verborum, & aliquando ſecat; adhibet medicinale ferrum in correptione tribulationis. Tu agnoſce medici manum, confitere, exeat in Confeſſione, & defluat omnis ſanies*. Idem ſerm. 391. de pœnit. *Implicatus igitur mortiferorum vinculis peccatorum detrectat, aut differt, aut dubitat confugere ad ipſas claves Eccleſiæ, quibus ſolvatur in terra, ut ſit ſolutus in Cælo ... Veniat ad Antiſtites, per quos illi in Eccleſia claves miniſtrantur ... A Præpoſitis Sacramentorum accipiat ſatisfactionis ſuæ modum*. Idem Serm. 392. Conjugatos adulteros ſic alloquitur: *Agite pœnitentiam, qualis agitur in Eccleſia, ut oret pro vobis Eccleſia. Nemo ſibi dicat, occulte ago, apud Deum ago; novit Deus, qui mihi ignoſcat, quia in corde meo ago: Ergo ſine cauſa dictum eſt, quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt in Cælo? Ergo ſine cauſa ſunt claves datæ Eccleſiæ Dei? Fruſtramus Evangelium? fruſtramus verba Chriſti? Promittimus vobis, quod ille negat?* Idem ſerm. 393. *Pœnitentes, pœnitentes, pœnitentes, (ſi tamen eſtis pœnitentes & non irridentes) mutate vitam, reconciliamini Deo. Et vos cum catena paſcitis. Qua, inquies, catena? Quæ ligaveritis in terra, erunt ligata & in Cælo. Audis ligaturam, & Deo putas facere impoſturam*. Et in fine: *Quia ſi ad ultimum vitæ ſteteris, neſcis ſi ipſam pœnitentiam accipere, ac Deo ac Sacerdoti peccata ſua confiteri poteris*. Hæc ultima verba ſunt decretoria.

Eodem Sæculo Leo magnus Ep. 80. nunc 136. c. 3. contra requirentes publicam Confeſſionem ſic loquitur: *Illam etiam contra Apoſtolicam regulam præſumptionem, quam nuper agnovi a quibuſdam illicita uſurpatione committi,*

modis

modis omnibus conſtituto ſubmoveri, ne de ſingulorum peccatorum genere libellis ſcripta profeſſio publice recitetur: cum reatus conſcientiarum ſufficiat ſolis Sacerdotibus indicari Confeſſione ſecreta. Quamvis enim plenitudo fidei videatur eſſe laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubeſcere non veretur; tamen quia non omnium hujuſmodi ſunt peccata, ut ea, quæ pœnitentiam poſcunt, non timeant publicare, removeatur tam improbabilis conſuetudo, ne multi a pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubeſcunt, aut metuunt inimicis ſuis ſua facta reſerari, quibus poſſint legum conſtitutione percelli. Sufficit enim illa Confeſſio, quæ primum Deo offertur, tum etiam Sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit: Tum enim demum plures ad pœnitentiam poterunt provocari, ſi populi auribus non publicetur conſcientia confitentis.

Idem Ep. 91. nunc 82. *Multum enim utile ac neceſſarium eſt, ut peccatorum reatus ante ultimum diem ſacerdotali ſupplicatione ſolvatur... Unde oportet unumquemque Chriſtianum conſcientiæ ſuæ habere judicium, ne converti ad Deum de die in diem differat, nec ſatisfactionis ſibi tempus in ſua vitæ ſuæ conſtituat, quem periculoſa ignorantia humana concludit, ut ad paucarum horarum ſpatium ſe reſervet incertum, cum poſſit pleniore ſatisfactione indulgentiam promereri, illius temporis anguſtias eligat, quo vix inveniat ſpatium, vel confeſſio pœnitentis, vel reconciliatio Sacerdotis.* Hoc utroque textu jugulatur dogma hæreticum.

Sæculo 6. Gregorius Magnus hom. 26. in c. 20. Joan. *Lazaro ergo*, inquit, *dicitur Veni foras, ac ſi aperte cuilibet mortuo in culpa diceretur, cur reatum tuum intra conſcientiam abſcondis? Foras jam per Confeſſionem egredere, qui apud te interius per negationem lates, veniat itaque foras mortuus, id eſt, culpam confiteatur peccator. Venientem vero foras ſolvant Diſcipuli, ut Paſtores Eccleſiæ ei pœnam debeant amovere, quam meruit qui non erubuit confiteri quod fecit. Hæc de ſolutionis ordine breviter dixerim, ut ſub magno moderamine Paſtores Eccleſiæ vel ſolvere ſtudeant vel ligare.* Legendus inſuper Gregorius l. 3. & 29. moral.

Eodem Sæculo Joannes Jejunator, qui anno 586. ſedebat Patriarcha Coſtantinop. in ſuo Libello pœnitentiali, quem Morinus edidit in calce Commentarii de adminiſtratione Sacramenti Pœitentiæ, inducit Sacerdotem ſic alloquentem & interrogantem pœnitentem: *Spiritualis fili, Ego confeſſionem tuam primorie & præcipue non recipio, nec tibi abſolutione concedo, ſed per me Deus.. cum ſecundum multam, quæ exprimi non poteſt, ejus miſericordiam ita dixit: Quæcunque ligaveritis aut ſolveritis ſuper terram, erunt in Cœlis, illa quidem ligata, hæc vero ſoluta. Revela igitur & declara coram ſanctis Angelis, nihilque me cela eorum quæ a te clam facta ſunt, velut ſi Deo occulta cordium cognoſcenti confitereris.* Tum inducit Sacerdotem interrogantem de numero & circumſtantiis peccatorum ad hunc modum: *Quomodo Domine Frater vel Soror primum virginitas tua corrupta eſt? Per fornicationem, vel legitimum Matrimonium, vel per mollitiem, aut aliquid eorum, quæ ſunt contra naturam? Confitentem vero & dicentem, ſic & ſic, ipſum interrogat, in quot mulieres inciderit, antequam uxorem duceret: num aliquæ earum eſſent ancillæ, quantæ viduæ & quantæ nuptæ? Num aliquæ monachæ & quot, num aliquæ magnum habitum geſtarent?* Similiter de aliis præceptis.

Hic ſiſto, quia ad hæc puriora ſæcula, quæ puriora reputant Novatores, maxime attendunt, nec plura fert inſtitutum noſtrum. Quantum ad ſequentium ſæculorum Patres, Concilia, libros pœnitentiales & Theologos, vide Bellarm. Nugno, VVitaſſe, Juenin, &c. Verum quæ diximus, pluſquam ſufficiunt ad revincendos Novatores apertæ falſitatis & putidæ calumniæ, dum dicunt præceptum Confeſſionis ſacramentalis eſſe inventum Innocentii III. in Concilio Later. quodque ideo irriſorie vocant *Tormentum Innocentianum*. Ad hæc; omnem veriſimilitudinem ſuperat, quod iſta lex tam ardua, dura & difficilis, ſine Scripturarum & Traditionis ſuffragio, ab omnibus totius orbis Eccleſiis fuerit recepta nemine reclamante aut conquerente. Quis enim tunc reclamavit? Quis conqueſtus eſt? Inſuper ex ipſis terminis Concilii in capite, *Omnis utriuſque ſexus*, evidens eſt in eo non agi de natura aut ſubſtantia Confeſſionis, ſed de ejus circumſtantiis tantum, ſcilicet de tempore, ut fiat ſemel in anno, & de miniſtro, ut fiat proprio Sacerdoti.

§. III. *Solvuntur Objectiones.*

OBj. 1. celebre factum Nectarii, ex quo ſic arguunt Hæretici. Quod ab Eccleſia fuit inſtitutum, & deinde ab eadem abrogatum, non eſt juris divini. Atqui Confeſſio fuit ab Eccleſia inſtituta, & per Eccleſiam abrogata. Ergo Prob. Min. Socrates l. 5. Hiſt. c. 19. narrat occaſione Novatianorum, qui conquerebantur peccatores facilius a Catholicis admitti ad reconciliationem, inſtitutum fuiſſe Presbyterum pœnitentiarium, cui lapſi poſt Baptiſmum ſua peccata confiterentur. En Confeſſionis inſtitutio. Deinde occaſione alicujus ſcandali hunc Pœnitentiarium Sæculo ſubſequenti e Nectario Epiſcopo Conſtantinop. ſublatum fuiſſe. En Confeſſionis abrogatio. Ergo. Idem refert Sozomenus Socrati coævus l. 7. c. 16. excepto quod Sozomenus dicat hunc Pœnitentiarium non occaſione Novatianorum, ſed *Ab initio* fuiſſe inſtitutum. Omiſſis variis ſolutionibus, quas huic argumento Theologi adhibent, R. ex hac narratione non colligi inſtitutionem & abrogationem Confeſſionis ſacramentalis, ſed Pœnitentiarii tantum, cujus præcipuum munus erat præeſſe pœnitentiæ publicæ, & ideo inquirere in mores fidelium, recipere depoſitiones teſtium de quorumdam criminibus, reos ad ſe vocare, & convictos Confeſſioni, ſeu pœnitentiæ publicæ addicere, audita prius eorum Confeſſione ſecreta, atque invigilare, ut pœnitentiæ ſtudium juxta Canones accurate decurrerent: Pœnitentiarius enim dicebatur a Pœnitentibus, pœnitentes olim ii ſoli dicebantur, qui erant addicti Pœnitentiæ publicæ, ut liquet ex Concilio Toletano I.

Cum itaque mulier quædam nobilis huic Pœnitentiario eſſet confeſſa, & ipſa ſive proprio motu, ſive ſuadentu Pœnitentiario, peccata quædam publice confiteretur, longius progreſſa indiſcrete prodidit ſe compreſſam fuiſſe a Diacono in Eccleſia, dum ibi pœnitentiam ageret. Unde graviter commotus fuit populus & Diaconus exauctoratus. Ratione igitur hujus ſcandali Nectarius amovit Pœnitentiarium quoad munia pœnitentiam publicam ſpectantia, intacto uſu Confeſſionis ſecretæ, qui remanſit in eo ſtatu, in quo erat ante inſtitutionem hujus Pœnitentiarii; quod patet 1. Quia Nectarius ſuſtulit tantum, quod fuerat occaſio ſcandali; non autem Confeſſio ſecreta, ſed Confeſſio ſeu Pœnitentia publica fuit occaſio ſcandali. 2. Quia legitur amoviſſe Pœnitentiarium tantum, non autem alios Sacerdotes Confeſſionibus ſecretis excipiendis præpoſitos, qui proinde permanſerunt ut ante; alios enim præter Pœnitentiarium Confeſſionibus excipiendis deſignatos conſtat tum ex Origene inter probationes citato, tum ex Euſebio, qui l. 6. c. 36. refert Serapionem morti proximum advocaſſe unum *Ex Presbyteris* diſpenſationi Sacramentorum a Dionyſio Alex. præpoſitis, ut ab eo beneficium reconciliationis reciperet: tum denique, quia unus Confeſſarius impar fuiſſet excipiendis Confeſſionibus numeroſiſſimæ civitatis, qualis erat Conſtantinopolis tempore Nectarii.

Et hæc eſt communior hujus argumenti ſolutio, excepto quod quidam arbitrantur hanc mulierem non declaraſſe Pœnitentiario in Confeſſione hoc ſuum facinus cum Diacono, quod nondum perpetrarat, ſed facta Confeſſione, cum ratione Pœnitentiæ a Pœnitentiario injunctæ in Eccleſia moraretur, ibidem a Diacono fuiſſe corruptam, & hoc ipſum indiſcrete prodidiſſe, ex quo palam innotuit, & inde ortum ſcandalum ac commotio populi. Ad hanc autem intelligentiam moventur, quia licet juxta verſionem Chriſtophorſoni legatur in Socrate, *Mulier longius in confitendo progreſſa alterius culpæ ſe ipſa inſimulat*; advertunt tamen in textu græco Socratis non uſurpari vocem *Confeſſio* ſeu *confitendo*, ſed quod mulier *Dixerit*, ſeu *commemoraverit* ſuum crimen, & cum hoc dixiſſet, Diaconus ejectus eſt, & populus commoveri cœpit. Idque apertius exprimit Sozomenus citatus: *Matrona quædam nobilis*, inquit, *ob peccata, quæ confeſſa fuerat, juſſa ab hoc Presbytero jejunare, ac Deum ſupplicitar exorare; dum hujus rei cauſa in Eccleſia moraretur, a Diacono ſe ſtupratam eſſe prodidit. Quo cognito, plebs omnis vehementer ſuccenſuit, eo quod contumelia illata eſſet Eccleſiæ, nec mediocri probro expoſiti erant ſacri ordinis viri.* Ex quo patet mulierem hoc peccatum admiſiſſe poſt peractam Confeſſionem, dum cauſa pœnitentiæ injunctæ peragendæ eſſet in Eccleſia, ſicque non a Pœnitentiario, aut ejus juſſu fuiſſe vulgatum, ſed ab ipſa ſponte & indiſcrete proditum. Dicunt itaque Nectarium ſtatuiſſe, ut poſt ſacramentalem Confeſſionem non egeretur amplius in Eccleſia illa pœnitentia publica, cui præerat Pœnitentiarius, ne viris cum mulieribus ſimul in Eccleſia commorantibus aliquid ſimile deinceps contingeret, & ſic amotum fuiſſe Pœnitentiarium, ſeu, ut dicit Sozomenus, *Presbyterum, qui agendæ pœnitentiæ præpoſitus erat, abolevit* Nectarius. Hæc explicatio probabilitate non caret, ſed quoad ſubſtantiam ſolutionis a præcedente non differt.

Inſt. 1. Socrates & Sozomenus referunt poſt exauctorationem Pœnitentiarii unicuique permiſſum fuiſſe pro arbitrio, & animi ſui conſcientia ad Sacramentorum communionem accedere. Ergo nullius Confeſſionis neceſſitas amplius urgebat. R. N. Conſeq. Hoc enim loquendi modo Socrates & Sozomenus nihil aliud ſignificare intendunt, quam quod Pœnitentes non arcerentur amplius a participatione Sacramentorum per pœnitentiarium, donec adimpleta pœnitentia publica ab ipſo injuncta ad eam admitteren-

Digitized by Google

terentur, ſed quod, non expectato hoc tempore, & independenter a licentia Pœnitentiarii, quilibet poſſet pro ſuo arbitrio ad communionem accedere, modo tamen a culpa purus, aut per Confeſſionem, ſi neceſſe foret, purgatus.

Inſt. 2. Nectarius non abrogavit pœnitentiam publicam peccatorum publicorum, adhuc enim vigebat tempore Chryſoſtomi ſucceſſoris Nectarii, ut patet ex S. Doctore hom. 3. in Ep. ad Epheſ. 9. & 12. in Ep. ad Hebr. non abrogavit Confeſſionem publicam peccatorum occultorum, quia nunquam fuit in præcepto. Ergo abrogavit privatam Confeſſionem. R. N. Conſ. 1. Quia licet non abrogavit pœnitentiam publicam, poſſet dici, quod abrogaverit Confeſſionem publicam; non enim idem ſunt pœnitentia publica, & Confeſſio publica, neque pœnitentiam publicam ſemper comitabatur Confeſſio publica, imo incertum eſt, utrum Confeſſio publica peccatorum publicorum unquam fuerit in præcepto, ut dicam infra. 2. Quia etſi poſt factum Nectarii vigeret adhuc pœnitentia publica, non erat tamen ea juſſu & directione Pœnitentiarii, ſed Epiſcopi, ad quem, abrogato Pœnitentiario, cura pœnitentiæ publicæ indicendæ & dirigendæ reverſa eſt, ut ante inſtitutionem Pœnitentiarii. Nos autem non dicimus Nectarium abrogaſſe ſimpliciter & abſolute pœnitentiam publicam, ſed pœnitentiam publicam, ut indicendam & dirigendam per Pœnitentiarium, hoc eſt abrogaſſe munus & officium Pœnitentiarii. Verum ut aperte oſtendam vanitatem hujus argumenti, quod ita extollunt Hæretici, ſic illud contra ipſos retorqueo. Vel Pœnitentiarius a Nectario abrogatus excipiebat Confeſſionem ſacramentalem pœnitentium, vel non. Si hoc ſecundum: ergo abrogando Pœnitentiarium, non abrogavit Confeſſionem ſacramentalem. Si primum: ergo vigebat in Eccleſia Confeſſio ſacramentalis 8. ſeculis ante Innocentium III. & Concilium Lateran. Ergo ſplendide & inverecunde mentiuntur hæretici, dum garriunt illam eſſe inventum Innocentii.

Obj. 2. S. Chryſoſtomus Nectarii ſucceſſor hom. 21. ad populum Antioch. dicit: *Non cogit Deus in medium procedentes quæ peccavimus annuntiare, ſed ſibi ſoli rationem reddere jubet, & ſibi confiteri.* Hom. 2. in Pſ. 50. *Peccata autem tua ipſe commemoras, ut ea deleat. At pudet te peccata confiteri? Dic ea quotidie in Oratione. Non enim dico, ut ea conſervo exponas qui te probris impetat, dic Deo qui iis medetur.* Et hom. 35. de Lazaro reſuſcitato: *Cur igitur te quæſo, pudeſcis & erubeſcis dicere peccata tua? Non enim homini dicis, ut te probro afficiat, non enim conſervo confiteris, ut in publicum proferat. Imo vero ei qui dominus eſt ... oſtendis vulnera.* Et alibi ſimiliter. Reſpondent quidam ad 1. Chryſoſtomum ibi loqui de Confeſſione requiſita ad Baptiſmum, quæ ſoli Deo, & non homini facienda eſt; quia iſta homilia eſt catecheſis 2. ad *Illuminandos*, id eſt ad baptizandos. Ad 2. & 3. reſpondent Chryſoſtomum non loqui de Confeſſione ſacramentali, quæ ſemel fit reconciliationis cauſa, ſed hortatur populum, ut peccata licet confeſſa & abſoluta ſæpius in memoriam revocet cum eorum deteſtatione ad pleniorem expiationem: quod non obeſt Confeſſioni ſacramentali. Hæ ſolutiones non ſunt improbandæ. Attamen Reſponſio communior eſt S. Chryſoſtomum his & ſimilibus textibus excludere dumtaxat neceſſitatem Confeſſionis publicæ. Dicit enim in 1. *Non cogit Deus in medio procedentes quæ peccavimus annuntiare*: in 2. *Non dico tibi, ut ea dicas conſervo tuo, qui te probris impetat.* In 3. *Non enim confiteris conſervo tuo, ut in publicum proferat.* Similiter alii textus, qui ſolent objici. Hæc autem omnia important Confeſſionem publicam, ex qua erubeſcentia, pudor, infamia, & exprobationes naſci ſolent. Nec, quod bene advertas, unquam dixit Chryſoſtomus: *Ne confitearis Sacerdoti, ne declares peccata tua Miniſtro Dei*; ſed e contra oppoſitum docet in locis a nobis inter probationes citatis. Cum ergo dicit ſoli Deo eſſe confitendum, non excludit ejus Vicarium, ſeu Miniſtrum, ſed homines æqualis conditionis, quos ideo *Conſervos* vocet, qui poſſent audita crimina propalare & exprobrare. Apud Chryſoſt. enim & alios Patres, quod fit per Chriſti, aut Dei Miniſtrum, dicitur fieri non per hominem, ſed per ipſum Chriſtum aut Deum; ſic ipſe S. Doctor hom. 50. in Matth. dicit hominem non operari Euchariſtiam, quia operetur, ut Miniſter Chriſti; quæ enim fiunt per Miniſtrum, tribuuntur principali agenti ſeu mandanti, idque ſpecialiter in hac materia, ob ſtrictiſſimam legem ſilentii, confiteri homini perinde eſt, ac ſoli Deo confiteri: & ideo Sacerdos Græcus excipiens Confeſſiones dicit pœnitenti: *Frater cur acceſſiſti ad Deum & ad me? Ne quæſo erubeſcas, non enim mihi peccata enuntias, ſed Deo apud quem conſiſtis.* Vide noſtrum Goar in Euchologio, & Joannem Jejunatorem inter probationes ſexti ſæculi laudatum. Denique quam expreſſe Chryſoſtomus commendet neceſſitatem Confeſſionis, liquet ex probationibus Concluſionis, ita ut niſi illum intelligas juxta explicationes datas, palpabiles contradictiones ipſi tribuere cogaris.

Inſt. ex aliis Patribus. 1. S. Greg. Nyſſ. Ep. ad Letojum dicit peccata avaritiæ a Patribus, qui in Canones Pœnitentiæ ediderunt, fuiſſe prætermiſſa. Atqui id non potuiſſet dicere, ſi viguiſſet privata cum Confeſſio, cum Pœnitentia. Ergo. 2. Origenes hom. 2. in Levit. inducit quoſdam ex auditoribus dicentes meliorem fuiſſe conditionem antiquæ Legis, ubi erant plura ſacrificia pro peccatis; in nova autem eſſe tantum unam veniam peccatorum per Baptiſmum. 3. Julianus Pomerius, ſeu S. Proſper l. 2. de vita contemplativa proponit peccatoribus *Confeſſionem aut emendationem*. Ergo cenſet alterutram ſufficere, conſequenter non eſſe abſolute neceſſariam Confeſſionem. 4. S. Baſilius in Pſ. 37. S. Ambroſ. l. 10. in c. 22. Lucæ. S. Hilarius in Pſ. 50. S. Maximus Taurinenſis hom. 3. de pœnitentia Petri, & S. Aug. in Pſ. 31. docent peccata deleri per contritionem, nulla facta mentione Confeſſionis. 5. Venerabilis Beda l. 5. in Lucam, ad hæc verba; *Ite, oſtendite vos Sacerdotibus*, dicit Sacerdotibus eſſe declaranda peccata hæreſis, Judaiſmi & Schiſmatis; & addit, *Cætera vero vitia per ſe ipſum interius in conſcientia & intellectu Dominus ſanat & corrigit.* Ergo.

R. ad 1. Gregorium Nyſſ. loqui de pœnis Canonicis publicæ Pœnitentiæ impoſitis, quas dicit non eſſe determinatas pro avaritia, quæ eſt inexplebilis cupiditatis. Addit tamen ibidem, quod ſi aversus alienum injuſte uſurpet, habebit remedium, *Dummodo per enuntiationem aperiat peccatum ſuum Sacerdoti*; quo Dallæo os obſtruitur. Ad 2. ii, quos illic inducit Origenes, erant Montaniſtæ, quos ib. refellit verbis 1. loco citatis ex ipſo inter probationes. Ad 3. Senſus Juliani eſt peccata, quæ vel non declarantur in Confeſſione, vel ſi declarantur, non emendantur, fore punienda. Dicit enim ibid. c. 7. *Illi quorum peccata humanam notitiam lateat, nec ab ipſis confeſſa, nec ab aliis publicata, ſi ea confiteri, aut emendare noluerint, Deum quem habent teſtem, habituri ſunt ultorem.* Item ibid. aſtruit neceſſitatem Confeſſionis: *Quoniam*, inquit, *aliorum animos quales ſunt, ſine ipſorum Confeſſione neſcimus.* Item *nobis quoslibet peccata ſua, tanquam Medicis vulnera, quibus urgentur, aperire.* Ad 4. Patres laudati loquuntur de contritione perfecta, qua fatemur remitti peccata, ſi tamen, poſt inſtitutionem Sacramenti factam a Chriſto, includat votum Confeſſionis. Quod autem iis in locis Confeſſionis non meminerint, nihil probat, cum ſit argumentum negativum, & alibi meminerint, ut patet ex probationibus Concluſionis, nec idem ſit ubique repetendum. Inſuper id non expoſtulabat eorum inſtitutum, cum locis citatis loquantur de pœnitentia Davidis & S. Petri, quo tempore nondum erat inſtituta Confeſſio. Ad 5. Venerabilis Beda non loquitur ibi de abſolutione ſacramentali, ſed de reconciliatione ſeu receptione eorum, qui ſunt extra Eccleſiam, ut in ea Doctrinam fidei palam profiteantur. Loquens vero alibi de peccatis eorum, qui ſunt in Eccleſia: *Gravioris lepræ immunditiam*, inquit in cap. 5. Ep. Jacobi, *juxta Legem Sacerdoti pandamus, atque ad ejus arbitrium, qualiter & quanto tempore juſſerit, purificari curemus.*

Repones. Aug. l. 10. Confeſſ. c. 3. *Quid mihi ergo eſt*, inquit, *cum hominibus, ut audiant Confeſſiones meas, quaſi ſanaturi ſint languores meos? Curioſum genus ad cognoſcendam vitam alienam, deſidioſum ad corrigendam ſuam.* Ergo. R. Aug. ibi non loqui de Confeſſione ſacramentali, ſed de Confeſſione publica ſuorum peccatorum, quam ipſe ſcriptis vulgaverat.

Urgebis. Gratianus 2. parte Decreti q. 3. in pluribus Capitulis, ſed præſertim c. 87. plures auctoritates refert pro & contra neceſſitatem Confeſſionis, & c. 89. concludit ſic: *quibus auctoritatibus vel quibus rationum firmamentis, utraque ſententia ſatisfactioni & Confeſſionis innitatur, breviter expoſuimus; cui autem harum ſit potius adhærendum, Lectoris judicio reſervatur: utraque enim fautores habet ſapientes & religioſos viros.* Et c. ſeq. 90. *Unde Theodorus Cantuarienſis Epiſcopus ait in pœnitentiali ſuo: quidam Deo ſolummodo confiteri debere peccata dicunt* (ut Græci), *Quidam vero Sacerdotibus confitenda eſſe percenſent, ut tota (fere) ſancta Eccleſia.* Ergo. Reſpondet S. Th. in 4. d. 17. in expoſitione Textus, Gratianum referre opiniones eorum, qui tunc temporis ante Concilium Later. negabant neceſſitatem Confeſſionis ex Præcepto Eccleſiaſtico. Reſpondetur nunc communius Gratianum non loqui de neceſſitate Confeſſionis ad ſalutem ex Præcepto Chriſti, ſed de ejus neceſſitate ad remiſſionem peccatorum. Erat tunc temporis, ut jam alibi monui, duplex ſententia inter Theologos circa efficaciam Sacramenti Pœnitentiæ. Quidam dicebant per illud remitti peccata, conſequenter ad hunc effectum neceſſariam eſſe Confeſſionem. Alii volebant per prævium contritionem ſemper dimitti peccata, conſequenter ad hunc effectum, nec confeſſionem, nec Sacramentum eſſe neceſſarium. Non negabant tamen eſſe inſtitutum & præceptum a Chriſto, ideoque neceſſarium ad ſalutem, cujus effectus reponebant in reconcilia-

tione

ſione cum Eccleſia, remiſſione pœnæ & augmento gratiæ. Hanc itaque controverſiam, intacta neceſſitate Confeſſionis ad ſalutem ex præcepto Chriſti, hic expendit Gratianus, & in utramque partem verſat, modo probans ſola contritione cordis, ante Confeſſionem oris, ſemper remitti peccata, modo per Confeſſionem illa remitti. Hanc eſſe mentem Gratiani probant plurima: 1. Titulus totius diſtinctionis qui eſt, *Utrum ſola cordis contritione & ſecreta ſatisfactione abſque oris Confeſſione quiſque poſſit Deo ſatisfacere?* 2. Exempla, quæ adhibet c. 34. & 37. ſcilicet Leproſorum, qui erant mundati, antequam ſe ſiſterent coram Sacerdotibus: Lazari, qui erat ad vitam revocatus, antequam ſolveretur a Diſcipulis: Abrahæ, qui erat juſtificatus ante Circumciſionem. 3. Ipſa expoſitio controverſiæ, quam clare proponit eodem c. 37. *Non ergo*, inquit, *in Confeſſione peccatum remittitur*, (ut vult prima ſententia) *quod jam remiſſum eſſe probatur. Fit itaque Confeſſio ad oſtenſionem pœnitentiæ, non ad impetrationem veniæ, & ſicut Circumciſio data eſt Abrahæ in ſignum juſtitiæ, non in cauſam juſtificationis, ſic Confeſſio Sacerdoti offertur in ſignum veniæ acceptæ, non in cauſam remiſſionis accipiendæ. Alii e contrario teſtantur, dicentes ſine Confeſſione oris & ſatisfactione operis, neminem a peccato poſſe mundari, ſi tempus ſatisfaciendi habuerit: unde Dominus per Prophetam ait: Dic tu iniquitates tuas ut juſtificeris*. Et plures ſimiliter in variis Capitulis. Nec unquam dixit Confeſſionem non eſſe inſtitutam aut præceptam a Chriſto, ſeu non eſſe neceſſariam ad ſalutem, ſed tantum non eſſe neceſſariam ad veniam, ad juſtificationem, ad remiſſionem peccatorum. Ex quibus omnibus evidenter patet ipſum non movere nec excitare controverſiam de neceſſitate abſoluta Confeſſionis ad ſalutem ex inſtitutione & præcepto Chriſti, ſed de ejus neceſſitate ad effectum, ſcilicet remiſſionem peccatorum. R. 3. Sed & dato Gratianum locutum fuiſſe de neceſſitate abſoluta Confeſſionis ad ſalutem ex inſtitutione & præcepto Chriſti, & non ſolum quoad effectum, non eſt tanta ejus auctoritas, ut eu hac in parte moveamur. 1. Quia, ut ajunt Eſtius & Sylvius, de hac re non habuit fixam ſententiam, imo juxta aliquos aperte pugnantia loquitur, ita ut totam hanc diſtinctionem ipſi affictam exiſtiment. Vel dicendum ipſum turpiter hallucinatum fuiſſe. 2. Quia in rebus facti eſt admodum ſuſpectæ fidei. Sæpe enim Patrum teſtimoniis truncata refert, ſæpe illis addit de ſuo, ſæpe uni tribuit quod eſt alterius, ut norunt eruditi. Et ne alio excurramus, in ipſo textu in objectione laudato, quem citat ex Theodoro Cantuarienſi, illa vox *ut Græci*, & illa *fere*, non leguntur in Pœnitentiali Theodori, neque in Concilio 2. Cabiloneſi, ex quo iſtud Capitulum fuit extractum; nec in Ivone & Burchardo. Sunt & alii nævi in eodem Capitulo, pro quibus vide annotationes ibid.

Obj. 3. Nullibi legimus fideles priorum ſæculorum, ſive in vita, ſive in morte Confeſſionem ſacramentalem adhibuiſſe, quamquam vitam & mortem plurium deſcriptam habeamus. Ergo prioribus ſeculis non erat in uſu. R. 1. N. Conſ. Tum quia ex argumento negativo nihil evincitur præſertim contra ea teſtimonia, aeque probavimus ex traditione Confeſſionem ſacramentalem habitam ſemper fuiſſe in Eccleſia ut neceſſariam, conſequenter fuiſſe in uſu apud fideles; tum quia quæ uſu quotidiano frequentantur, non ſolent ſcriptis mandari, utpote omnibus nota. R. 2. N. Ant. Nam 1. S. Irenæus l. 1. de hæreſ. c. 13. alias 9. narrat quaſdam mulieres a Marco præſtigiatore oppreſſas, cum in Eccleſiam redirent, crimen ſuum confeſſas fuiſſe. Neque dicas ibi agi de Confeſſione publica: Confeſſio enim publica ſupponebat ſecretam tanquam Regulam directivam publicæ, ut jam dixi & adhuc dicam. 2. S. Cyprianus Tract. de lapſis refert plures confeſſos fuiſſe peccata cogitationum. 3. Euſebius l. 6. Hiſt. c. 34. refert Philippum Imperatorem ſua peccata confeſſum fuiſſe: & c. 34. Serapionem lapſum in perſecutione morti proximum advocaſſe Presbyterum, ut ab eo beneficium reconciliationis reciperet. 4. Socrates & Sozomenus, ut vidimus ſupra, referunt exemplum Confeſſionis illius mulieris, ex qua tantum ſcandalum ortum eſt. 5. Paulinus in vita S. Ambroſii ſcribit ipſum ſæpius excipere Confeſſiones Pœnitentium, de quorum peccatis *nulli niſi Domino ſoli loquebatur*. 6. S. Aug. Ep. 180. nunc 228. narrat inſtante hoſtium incurſu, *magnum fieri ab utroque ſexu & ab omni ætate concurſum, aliis Baptiſmum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis Pœnitentiæ ipſius actionem*. Plura alia Confeſſionum exempla refert Honoratus Tournely, ut S. Fulgentii, S. Iſidori Hiſpalenſis, S. Elegii, S. Tilonis, S. Richarii, & aliorum. Vide ſi lubet Q. 6. de Pœnitentia art. 2. Concl. 2. arg. 4.

Inſt. Non legitur in Scriptura Apoſtolos Confeſſionem frequentaſſe, nec eos illam primis fidelibus præcepiſſe. Ergo. R. hoc argumentum ut antecedens eadem chorda oberrare. Negativum eſt, ex quo nihil evincitur: multa enim, inquit Auctor, (*Supp. q. 6. a. 1. ad 3.*) facta ſunt, quæ non ſunt ſcripta. Non eſt ſcriptum in Evangelio pueros eſſe baptizandos, Baptiſmum Hæreticorum non eſſe iterandum, & plura alia, & tamen hæc admittunt Hæretici. In his itaque & ſimilibus tenenda eſt regula Tertulliani lib. de corona militis cap. 4. *Si Legem expoſtules Scripturarum, nullam invenies: Traditio tibi prætenditur auctrix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſervatrix.* Addit Auctor cit. Chriſtum habere poteſtatem excellentiæ in Sacramentis. Unde ſine his, quæ ad Sacramentum pertinent, potuit ex ſingulari privilegio & diſpenſatione rem Sacramenti conferre B. Virgini & Apoſtolis.

Obj. 4. Cognitio peccati poteſt aliunde haberi, quam per Confeſſionem. Ergo. R. (*Supp. q. 7. a. 1. ad 1.*) quamvis cognitio actus exterioris poſſit aliunde haberi, quam per Confeſſionem, non tamen actus interioris, qui eſt principium exterioris, ſicut nec doloris & propoſiti. Inſuper cognitio, quam habere poteſt Confeſſarius extra Confeſſionem, illam habebit, ut homo, non ut Judex & Chriſti Vicarius, ſicut etiam Judex ſcit aliquid ut homo, quod neſcit ut Judex; & quatenus ad hoc per Confeſſionem aperitur.

Ex dictis colliges Confeſſionem ſacramentalem in re vel in voto eſſe neceſſariam, non ſolum neceſſitate præcepti divini, ſed etiam neceſſitate medii, eo modo quo dixi Diſſert. 1. a. 5. § 2. de neceſſitate Sacramenti Pœnitentiæ, quod ſine Confeſſione ſubſiſtere non poteſt. Vide ibi. Eſt etiam neceſſaria ſemel in anno ex præcepto Eccleſiaſtico c. *Omnis utriuſque ſexus*, ex Concilio Lateran. ſub Innocentio III.

DIGRESSIO HISTORICA

Ad Art. Præcedentem.

Utrum Confeſſio publica aliquando fuerit in præcepto.

Dico 1. Confeſſio publica peccatorum occultorum nunquam fuit in præcepto. Prob. 1. ex Concilio Trid. ſeſſ. 14. c. 5. ubi dicitur: *Non ſatis conſulta humana Lege præciperetur, ut delicta præſertim ſecreta publica eſſent Confeſſione aperienda.* Eccleſia autem a Spiritu S. directa nihil unquam fecit aut facit inconſulte. 2. Ex Chryſoſt. cit. Obj. 2. Qui pluries docet non eſſe neceſſe, ut publice & quaſi in Theatro prodamus peccata noſtra. 3. Ex Sozomeno l. 7. c. 16. ubi dicit: *Grave ac moleſtum ab initio jure merito viſum eſſe Sacerdotibus, tamquam in Theatro, circumſtante totius Eccleſiæ multitudine, crimina ſua evulgare. Itaque ex Presbyteris aliquem, qui vitæ integritate ſpectatiſſimus eſſet, & taciturnitate ac prudentia polleret, huic officio præfecerunt, ad quem accedentes ii, qui deliquerant, actus ſuos confitebantur.* 4. Ex S. Baſilio, qui Ep. ad Amphilochium can. 34. dicit prohibitum eſſe a Patribus prodere mulieres confitentes adulterium, *Ne convictis mortis cauſa præbeatur.* 5. Ex S. Leone, qui Ep. inter probationes laudata graviter reprehendit & damnat *Improbabilem conſuetudinem* divulgandi publica Confeſſione peccata occulta.

Quod ſi quandoque peccata ſecreta Confeſſione publica fuerint, vel jam erant pluribus nota, ſive ex Confeſſione libera pœnitentium, ſive ex aliorum relatione, ſive alia via, ſi erant omnino occulta, pœnitentes ex fervore pœnitentiæ, vel ex ſuaſione, non præcepto Confeſſarii, ſponte ea publice confitebantur, ut mox dicam. Nec refert, quod ſancti Patres ſæpe hortentur peccatores, ut ſepoſito omni pudore crimina ſua aperiant, nec fratrum conſpectum formident, idem intelligitur de Confeſſione orali facienda Sacerdoti.

Dico 2. Peccata publica Confeſſioni publicæ fuiſſe aliquando obnoxia, ex præſcripto Canonum & lata Lege, incertum eſt, nec ullo antiquitatis documento evinci poteſt. Nec obeſt, quod ſubjicerentur pœnitentiæ publicæ; non enim, ut jam dixi, pœnitentiam publicam ſemper comitabatur Confeſſio publica. Plura peccata occulta ſubjiciebantur pœnitentiæ publicæ, quæ tamen publice non declarabantur. Imo plures ex zelo & pietate proprio motu ſe ſubjiciebant pœnitentiæ publicæ, qui tamen ſua peccata non divulgabant.

Dico 3. Primis Eccleſiæ Sæculis quidam pœnitentes peracta Confeſſione, quædam peccata non ſolum publica, ſed etiam occulta publice confitebantur, vel motu proprio ex fervore pœnitentiæ, vel hortante, non tamen cogente Confeſſario, in majorem vindictam & humiliationem, atque in aliorum exemplum & ædificationem Eccleſiæ. Prob. 1. ex S. Irenæo l. 1. adverſus hæreſes c. 13. alias 9. ubi de mulieribus a Marco præſtigiatore violatis dicit: *Quædam etiam in manifeſto exomologeſim faciunt: Quædam autem reverentes hoc ipſum in ſilentio ſenſim ſemetipſas retrahunt.* 2. Ex Origene, qui hom. 2. in Pſ. 37. dicit: *Si quid* (Confeſſarius) *conſilii dederit, facias & ſequaris, ſi intellexerit & præviderit talem eſſe languorem tuum, qui in conventu totius Eccleſiæ exponi debeat & curari*,

Digitized by Google

rari, ex quo fortaſſis & cæteri ædificari poterant, & ut ipſe facile ſanari, multa hac deliberatione, & ſatis periti medici illius conſilio procurandum eſt. Locum integrum retulimus inter probationes concluſionis Articuli præced. 3. Ab exemplo illius mulieris oppreſſæ a Diacono, occaſione cujus Nectarius officium Pœnitentiarii abrogavit, de quo ſupra. 4. Ex Aug. qui ſerm. 351. hortatur lapſos poſt Baptiſmum, ut clavibus Eccleſiæ ſe ſubjiciant, atque *Si peccatum ejus non ſolum in gravi ejus malo, ſed etiam in tanto ſcandalo aliorum eſt, atque hoc expedire utilitati Eccleſiæ videtur Antiſtiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere pœnitentiam non recuſet.*

Ex his colliges Confeſſionem ſecretam publicæ tum Confeſſioni, tum Pœnitentiæ ſemper præiviſſe, atque illam fuiſſe Sacerdotibus regulam indicendi pœnitentibus pœnitentiam canonicam, & Confeſſionem publicam eorum peccatorum, quæ ſine famæ diſpendio & ſcandalo, ſed in majorem pœnitentium utilitatem, & Eccleſiæ ædificationem poterant divulgari. Quod diligenter obſervandum eſt contra Hæreticos, qui cum Confeſſionis ſecretæ uſum negare non poſſunt, contendunt eam derivari, ac ortum ducere ex pœnitentia, ſeu Confeſſione publica, cum e contra conſtet ex dictis publicam tum pœnitentiam cum Confeſſionem a ſecreta derivari, & hanc fuiſſe publicæ normam & regulam.

Petes, utrum ante Legem novam fuerit Confeſſio? R. (*Supp. q. 6. a. 2. ad 2.*) in Lege naturæ fuiſſe Confeſſionem peccati interiorem coram Deo, qualis debet eſſe etiam nunc, hæc enim eſt de jure naturæ. In Lege Moyſis vero oportebat aliquo ſigno exteriori peccatum proteſtari per oblationem hoſtiæ pro peccato, ex quo innoteſcere poterat Sacerdoti offerentem peccaſſe. At non oportebat, ut ſpeciale peccatum a ſe commiſſum manifeſtaret, aut peccati circumſtantias, ſicut oportet in nova Lege.

ARTICULUS II.

Quinam teneantur ad Confeſſionem?

DICO 1. (*Ib. a. 3. o.*) Utroque jure tam divino, quam Eccleſiaſtico, ad Confeſſionem tenentur omnes, qui poſt Baptiſmum peccaverunt mortaliter. De jure divino conſtat ex Art. præcedenti, & ex Concilio Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. ubi definit *Integram peccatorum Confeſſionem omnibus poſt Baptiſmum lapſis jure divino neceſſariam exiſtere.* De jure Eccleſiaſtico extat Lex Concilii Lateran. ſub Innocentio III. his verbis: *Omnis utriuſque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua ſolus peccata ſaltem ſemel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & injunctam ſibi pœnitentiam propriis viribus ſtudeat adimplere ... Alioquin & vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens chriſtiana careat ſepultura.* Hanc vero legem habemus in terminis confirmatam a Trid. ſeſſ. 14. cap. & can. 8.

Dico 2. Infideles, & ii ex fidelibus, qui habent ſolum peccata venialia, non tenentur, neque jure divino, neque Eccleſiaſtico, ad Confeſſionem. De Infidelibus quoad jus divinum declarat Concil. Trid. c. 5. prius cit. dicens; *Confeſſionem omnibus poſt Baptiſmum lapſis jure divino neceſſariam exiſtere.* Ratio eſt, quia omnia peccata ante Baptiſmum commiſſa per ipſum delentur ſine ordine ad claves. Unde quamvis Infideles teneantur aliis præceptis divinis, non tamen iſto, quia per Baptiſmum non fiunt capaces ſacramentaliter confitendi peccata ante ipſum commiſſa, quippe quæ per ſolum Baptiſma deleri poſſunt. Quantum ad jus Eccleſiaſticum, eo illos etiam non teneri conſtat ex ipſa lege *Omnis*, quæ Fideles duntaxat comprehendit: *Omnis utriuſque ſexus fidelis.* Et aliunde, ut dicit Trid. cap. 5. cit. Eccleſia non habet juriſdictionem in non baptizatos.

De fidelibus, qui ſolum habent peccata venialia, quoad jus divinum conſtat ex Trid. cap. 5. ſæpe laudato, ubi poſtquam probavit neceſſitatem Confeſſionis mortalium ex jure divino, addit: *Venialia, quibus a gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentius labimur, quamquam recte & utiliter, citraque omnem præſumptionem in Confeſſione dicantur, quod piorum hominum uſus demonſtrat, taceri tamen citra culpam, multiſque aliis remediis expiari poſſunt.* Quibus verbis & aſſerit & probat Concluſionem, ſcilicet quia Confeſſio eſt inſtituta ad recuperandam Dei gratiam, a qua per peccatum veniale non excludimur; item quia aliis mediis remitti poteſt.

Dices. Ex eo quod Apoſtoli Joan. 20. receperint poteſtatem abſolvendi a peccatis mortalibus, colligimus, fideles teneri illa peccata confiteri. Atqui ſimiliter acceperunt poteſtatem abſolvendi a peccatis venialibus. Ergo pari ratione poſſumus colligere, quod fideles teneantur confiteri peccata venialia. R. N. Conſ. Quia natura præcepti debet perpendi ex ſubjecta materia. Ideo autem ex his verbis colligimus præceptum divinum confitendi mortalia, quia ea faciunt hominem Deo inimicum, & excludunt a Regno cœleſti, quod tenetur homo avertere; nec aliter poteſt, quam per ordinem ad claves: ſecus de venialibus, quibus nec a gratia Dei, nec a Regno cœleſti excludimur, ſed tantum retardamur.

Repones. Ex his verbis; *Quorum remiſeritis peccata remittuntur*, colligimus datam eſſe Sacerdotibus poteſtatem remittendi etiam venialia. Ergo ex illis, *Quorum retinueritis retenta ſunt*, pari ratione colligitur eis ineſſe poteſtatem retinendi venialia, adeoque ſine ordine ad claves non poſſe remitti. R. N. Conſ. Diſparitas eſt, quod ex eo quod aliquis poſſit tollere majus impedimentum, recte colligitur poſſe tollere minus ejuſdem ordinis; & quia habet auctoritatem condonandi majores injurias, a fortiori poſſe & minores. Non ſequitur autem, quod ex eo quod quis poteſt opponere impedimentum pro re gravi, poſſit pro minori; quod qui habet a ſuperiore poteſtatem retinendi ſeu non remittendi graves injurias, poſſit pariter retinere leves; major enim requiritur auctoritas ad retinendas leves injurias, quam ad retinendas graves. Sit exemplum in humanis. Legati a Rege ad reconciliandos ipſius inimicos, vel damnandos, miſſi, inquirunt cauſas graves, ex quibus facti ſunt inimici, eas remittunt vel retinent ſecundum diſpoſitionem eorum; leves autem injurias, quæ non cauſarunt inimicitiam, poſſunt quidem remittere, cum poſſint graviores; at retinere non poſſunt, quia ad hæc levia retinenda, quæ non fuerunt cauſa inimicitiæ, non ſunt miſſi, & aliis modis independenter ab ipſis remitti poſſunt.

Quantum ad præceptum Eccleſiaſticum, Probat. 1. Ex Trid. c. 5. ſæpius cit. circa medium, ubi dicitur: *Conſtat nihil aliud in* Eccleſia *a Pœnitentibus exigi, quam ut poſtquam quiſque diligentius ſe excuſſerit ... ea peccata confiteatur, quibus ſe Dominum & Deum ſuum* mortaliter *offendiſſe meminerit.*

Prob. 2. Si eſſet præceptum Eccleſiaſticum confitendi venialia, contineretur citato Canone *Omnis utriuſque ſexus*, eo quod in eo dicatur, quod *omnis fidelis* confiteri teneatur omnia peccata ſua. Atqui his verbis ſeu illo canone non præcipitur Confeſſio venialium. Ergo. Prob. Min. 1. Præceptum hujus canonis eſt tantum determinativum juris divini quoad Confeſſionis tempus, nihil innovans circa ejus ſubſtantiam. Ita expreſſe Trid. iterum cap. 5. cit. in fine: *Neque enim*, inquit, *per Lateranenſe Concilium Eccleſia ſtatuit, ut Chriſti fideles confiterentur, quod jure divino neceſſarium & inſtitutum eſſe intellexerat, ſed ut præceptum Confeſſionis, ſaltem ſemel in anno, ab omnibus & ſingulis, cum ad annos diſcretionis pervenerint, impleretur.* Atqui Præceptum divinum non obligat ad Confeſſionem venialium, ut dictum eſt. Ergo. Prob. 2. eadem prima Min. Veriſimile non eſt Eccleſiam in condendo hoc præcepto aliud intendiſſe, quam intenderit Chriſtus in condendo ſuo, ſcilicet reconciliationem peccatoris cum Deo. Atqui ad hunc finem non requiritur Confeſſio venialium, cum per illa non diſſolvatur amicitia cum Deo. Ergo. 3. Pœna, quæ ibi infligitur, gravior eſt, quam ut pro omiſſione Confeſſionis venialium infligatur. Ergo. Denique Trid. quod hunc canonem diſcuſſit, declarat, ut vidimus, nihil aliud exigi in Eccleſia, quam Confeſſionem mortalium. Hæ igitur particulæ *Omnis* & *omnia peccata* in laudato canone intelligendæ ſunt conformiter ad præceptum divinum cujus eſt determinativus, ſcilicet de omnibus, qui habent peccata mortalia, quæ ſunt materia neceſſaria confeſſionis.

Adde, & eſt confirmatio Concluſionis; ſi per To *omnia* etiam intelligerentur venialia, ſequeretur, quod habens mortalia cum venialibus adhuc teneretur confiteri venialia, quod non admittunt Adverſarii: vel peccatum mortale ſuperveniens venialibus liberaret ipſum ab onere confitendi venialia, quod etiam dici non poteſt; quia ſi venialia ſunt per ſe materia neceſſaria Sacramenti ex præcepto Eccleſiæ, etiam adjuncta mortali debent declarari. Hinc inferes nequidem conſtitutum in articulo mortis per ſe teneri ad Confeſſionem, ſi nullius peccati mortalis conſcius ſit, poſſet tamen teneri per accidens ratione ſcandali.

Dices 1. S. Th. hic a. 3. o. ſic ait: *Dicendum quod ad Confeſſionem dupliciter obligamur. Uno modo ex jure divino ex hoc ipſo quod eſt medicina, & ſecundum hoc non omnes tenentur ad Confeſſionem, ſed illi tantum, qui peccatum mortale incurrunt poſt Baptiſmum. Alio modo ex præcepto juris poſitivi, & ſic tenentur omnes ex inſtitutione Eccleſiæ edita in Concilio generali ſub Innocentio III. tum ut quilibet peccatorem ſe recognoſceret, quia omnes peccaverunt, & egent gratia Dei; tum ut cum majori reverentia ad Euchariſtiam accedatur; tum etiam ut Eccleſiarum Rectoribus ſui ſubditi innoteſcant, ne lupus intra gregem lateat.* Ergo. R. S. Th. ſic loqui ſecundum probabilem tunc temporis, ante Trid. aliquorum Sententiam, quam nec ut certo veram proponit, nec adoptat, ſi quidem oppoſitam admittat ibid. ad 3. Cum enim ſibi oppoſuiſſet hoc argumentum: *Aliquis eſt, qui non habet peccata niſi venialia; ſed*

de-

Digitized by Google

is illis non tenetur confiteri. Huic argumento reſpondet conformiter ad id, quod dixerat in corpore articuli, deinde addit: *Vel poteſt dici ſecundum quoſdam, quod ex decretali prædicta non obligantur niſi illi, qui habent peccata mortalia. Quod patet ex hoc, quod dicit; quod debent omnia peccata confiteri, quod de venialibus intelligi non poteſt, quia nullus omnia confiteri poteſt. Et ſecundum hoc etiam ille, qui non habet mortalia, non tenetur ad confeſſionem venialium, ſed ſufficit ad Eccleſiæ præceptum implendum, ut ſe Sacerdoti repræſentet & ſe oſtendat abſque conſcientia mortalis eſſe, & hoc ei pro Confeſſione reputatur*. Et adhuc expreſſius q. 8. ſeq. a. 5. ad 4. Ubi de illo qui non proprio Sacedoti, ſed alteri ab Epiſcopo commiſſionem habenti confeſſus eſt, dicit: *Eodem modo debet ſe habere, ſicut ille, qui habet ſolum venialia. Talis enim ſolum venialia confiteri debet, ut quidam dicunt, vel profiteri ſe a peccato mortali immunem eſſe, & Sacerdos ei in foro conſcientiæ credere debet & tenetur.*

Dices 2. cum Juenin. Si ita res foret, inique Paſtores animadverterent pœnis Canonicis in eos, qui illud præceptum per annum non adimplevifſent: promptum enim eis foret reſponſum, ſcilicet ſe per Dei gratiam nullius peccati mortalis reos eſſe. Atqui, Ergo. R. cum D. Th. modo cit. Paſtorem in foro conſcientiæ debere & teneri id reſpondentibus & affirmantibus credere, maxime ſi artentis eorum moribus & chriſtiana converſatione fide digni habeantur, nec poſſe eos pœnis canonicis ſubjicere, modo tamen adimpleant præceptum communionis Paſchalis.

Inſiſtes cum eodem. Plures Synodi in variis Diœceſibus Galliæ illud Eccleſiæ præceptum determinant ad tempus Paſchæ. Atqui in noſtra ſententia fieri poſſet, ut pauci admodum tenerentur confiteri in quindena Paſchæ, caſu ſcilicet quo illa durante non peccarent mortaliter, & pridie Dominicam Palmarum peccata mortalia apud alium Sacerdotem depoſuiſſent. Atqui hoc eſt inconveniens. Ergo. R. 1. Talia Synodorum Provincialium Decreta quoad vim præcepti innovare tantum Canones juris; quoad vero determinationem temporis exhortari dumtaxat ad id, quod eſt convenientius, & frequentari ſolet a fidelibus pro reverentia debita Euchariſtiæ tunc temporis ſuſcipiendæ. Patet hæc Reſponſio ex ipſo Concilio Burdigalenſi, quod opponit laudatus Auctor; ibi enim habetur, *Nullos alius præcepto Eccleſiæ ſatisfeciſſe*, non dicit *noſtro*, ſeu *hujus Synodi*. Ergo non novum condit præceptum, ſed prius factum in Concilio generali Lateranenſi innovat. Verum certum eſt Eccleſiam nunquam præcepiſſe Confeſſionem pro tempore Paſchali, ſed indeterminate *Semel in anno*. R. 2. Dato in illis Conciliis contineri præceptum quoad Confeſſionem tempore Paſchali faciendam, veroſimilius eſt non aliam pro hoc tempore præcepiſſe Confeſſionem, quam Eccleſia pro tempore anni. Eccleſia autem, ut vidimus, non niſi mortalium Confeſſionem præcipit. Itaque in caſu, quo quis per annum non fuerit confeſſus, & ſolum haberet venialia, tenetur ſe ſiſtere Sacerdoti, ut vel ipſi exponat ſtatum ſuum, judicium ejus expectans ſuper iis, quæ debeat agere, vel ut profiteatur ſe *eſſe* immunem a peccato mortali, cui juxta S. Th. debet credere Sacerdos, modo tamen præceptum Communionis Paſchalis adimpleat.

Petes, utrum ſaltem Eccleſia poſſit præcipere Confeſſionem venialium? Quidam ut Soto, Sylveſter, Henriques & alii negant, tum quia Eccleſia non poteſt mutare materiam Sacramentorum; mutaret autem, ſi venialia, quæ ſunt materia libera Confeſſionis, confiteri præciperet, quia tunc fierent materia neceſſaria; tum etiam quia non habet juriſdictionem in actus internos, quales ſunt plura venialia, & quales requiruntur ad Confeſſionem, ſcilicet dolor, propoſitum, &c. Alii tamen probabilius & communius affirmant Eccleſiam poſſe ſaltem quorumdam venialium Confeſſionem præcipere; quia poteſt eſſe cauſa rationabilis hujus præcepti, non minus quam dum præcipit jejunium & orationem; illa enim non eſt minus utilis, quam iſta. Nec aliunde deeſt in Eccleſia legitima poteſtas; poſita enim a Chriſto inſtitutione Confeſſionis exterioris venialium, ut actus boni moraliter & ſacramentalis, poteſt Eccleſia ob rationabilem cauſam ea directe præcipere, cum ſit actus exterior, & indirecte actus interiores, qui ad eam legitime faciendam ſunt neceſſarii; ſicut potens eſt præcipere Confirmationem & Euchariſtiam, quin immo & Confeſſionem mortalium etiam interiorum illo tempore, quo non obligat præceptum divinum. Per quod patet reſponſio ad 2. rationem pro 1. ſententia. Ad 1. autem, R. materiam Sacramenti non ideo mutatam iri, quia peccata venialia non fierent materia neceſſaria neceſſitate Sacramenti, ſed tantum neceſſaria neceſſitate præcepti, ſicut de pane azymo, poſſet enim ſemper ſubſiſtere Sacramentum ſine illis, & illa remitti ſine Sacramento.

Dixi, ſaltem *Quorumdam venialium*; quia præcipere Confeſſionem omnium venialium, ſicut mortalium, videretur onus importabile, adeoque irrationabile.

C O N S E C T A R I A.

EX dictis in utraque Concluſione colliges 1. Quid ſit dicendum de pueris fidelium, eos nimirum tum divino, quam Eccleſiaſtico præcepto teneri ad Confeſſionem, cum ad annos diſcretionis pervenerint, ſi mortale peccatum habeant. Quo autem tempore ad annos illos perveniant, non poteſt mathematice definiri, ſed relinquendum judicio prudentum Confeſſariorum, ſeu Parentum, qui ſi viderint eos diſcernere inter bonum & malum, pudefieri mendacio, laudare obedientiam, aut aliter uti ratione, poterunt concludere, quemcumque ætatis annum aliunde habeat, pollere rationis uſu.

Quod enim quidam dicunt eos non peccare mortaliter ante duodecimum annum, error eſt, cum conſtet eos multo ante eſſe doli capaces. Unde S. Gregorius l. 4. Dialog. c. 18. refert puerum quinquennem mortuum & damnatum propter blaſphemias. Crediderim tamen cum multis eos ante 12. non incurrere pœnam latam in non confitentes ſemel in anno, quia non eſt veriſimile Eccleſiam benignam Matrem eos propter infirmam adhuc rationem velle comprehendere. Porro ſicut in aliis citius, in aliis tardius, ratione educationis, temperamenti, &c. incipit judicium rationis, ita in quibuſdam rebus illud habent prius, in aliis poſterius; ideoque non ſtatim ubi admittuntur ad Confeſſionem, admittendi ſunt ad Communionem: etiamſi utrumque præceptum obliget omnes, qui ad annos diſcretionis pervenerint; quia prius habent judicium diſcernendi peccata, quam noverint myſterium Euchariſtiæ, & poſſint cibum ſacrum a profano diſcernere. Unde etiam obſervandum pueros aliquando eſſe reos & capaces peccati mortalis, qui tamen defectu educationis, inſtructionis, &c. non ſunt capaces, nec diſpoſiti ad Sacramentum. Tales Confeſſarius ſine abſolutione cum ſola benedictione debet dimittere, monendo ipſos, ut ſciant, ſe non eſſe abſolutos, & ad majorem diſpoſitionem, & iteratam Confeſſionem obligari. Dum autem eſt dubium de capacitate phyſica pueri, poteſt abſolvi ſub conditione mente retenta; imo & debet in articulo mortis, ut teſtatur praxis communis. An autem ſuppoſita capacitate phyſica peccati & Sacramenti, ſed dubia manente diſpoſitione morali poſſit impendi abſolutio ſub conditione? R. Id videri illicitum, ſicut de perſonis adultis, niſi in caſu neceſſitatis; ut dicimus infra, dum de Abſolutione ſub conditione.

Colliges 2. B. Virginem præcepto Confeſſionis non fuiſſe ligatam, imo fuiſſe incapacem, cum nunquam venialiter peccaverit. Unde fabuloſum eſt, quod quidam referunt, quotidie fuiſſe confeſſam B. Joanni Evangeliſtæ. Colliges 3. eos, qui per totum annum ſæpius confeſſi ſunt tantum venialia, ſi in fine anni incidant in peccatum mortale, teneri adhuc confiteri; quia per Confeſſionem venialium non adimpleverunt præceptum Confeſſionis annuæ, ſi quidem illa Confeſſio venialium non ſit præcepta, ut diximus; ſicut pueri licet laudabiliter jejunent, non dicuntur tamen proprie adimplere Legem jejunii, cum illa non obligentur.

A R T I C U L U S III.

Quandonam Peccator tenetur confiteri?

EX dictis Peccator duplici præcepto tenetur confiteri, divino ſcilicet & Eccleſiaſtico; de utroque procedit quæſtio quandonam obliget?

§. I. Quandonam Peccator teneatur confiteri ex Præcepto divino?

DIco 1. Præceptum divinum Confeſſionis non obligat ſtatim, ac peccatum commiſſum eſt, etiam data opportunitate, neque (ſaltem probabilius) in periculo obliviſcendi aliorum peccatorum. Concluſio quoad 1. & 2. partem eſt Auctoris (*Hic q. 6. a. 5. c.*) & communis, atque abunde probata manet ex dictis de præcepto Contritionis Diſſert. præcedentis a. 3. Concl. 2. quo Lectorem remitto, ne eadem repetam.

Prob. 3. Pars, quæ eſt Sylvii poſt Navarrum, Victoriam, Petrum Soto, & communior. Obligatio confitendi in periculo oblivionis alicujus peccati nullum habet fundamentum neque in Scriptura, neque in Traditione; id conſtat; neque in natura præcepti, quod probatur. Si hæc obligatio fundaretur in natura præcepti, ideo eſſet, vel quia Sacramentum Pœnitentiæ ordinatur ad remiſſionem peccatorum per Confeſſionem, ut volunt Dominicus Soto & Nugno; vel ut vult Tournely, quia debet fidelis quantum in ſe eſt efficere, ut integra ſit Confeſſio. Atqui neutra ratio ſufficit. Non prima, quia ut omnia peccata per Sacramentum Pœnitentiæ remittantur, non requiritur omnium Confeſſio abſolute, ſed omnium, quæ poſt diligentem conſcientiæ diſcuſſionem memoriæ occurrunt,

runt,

Digitized by Google

runt, ut loquitur Trid. dicto c. 5. hoc eſt, non requiritur integritas materialis, ſed formalis. Non ſecunda, quia fidelis tenetur quidem efficere, ut Confeſſio ſit integra adhibita morali & ordinaria diligentia, quæ eſt diligens examen, non vero ſumma & extraordinaria, qualis eſt indilata Confeſſio; alioquin ſequeretur, non ſolum quod non poſſet Confeſſio differri ad annum juxta determinationem Eccleſiæ, ſed neque ut plurimum ad ſemiannum, ad menſem, & in quibuſdam ad hebdomadam, niſi forte peccata ſua ſcribant in charta; quia via ullus eſt eorum, qui confitentur ſemel in anno, qui non obliviſcatur alicujus peccati: iis vero & pluribus, qui ſunt memoriæ labilis, periculum eſt oblivionis in ſemianno, in menſe, quandoque in hebdomada, ita ut tenerentur plures confiteri ſingulis menſibus, quidam ſingulis hebdomadibus, aut peccata ſua mandare ſcripto; quæ & duriora eſſe & abſurda & contra univerſalem fidelium praxim nemo non videt. Sufficit ergo, ut quis non affectet oblivionem ſuorum peccatorum, ſed e contra memoriæ mandata retinere curet, & dum inſtat tempus Confeſſionis diligenter diſcutiat conſcientiam ſuam, & conetur moraliter omnia in memoriam revocare. Nihil quippe aliud requirunt Florentinum & Trid.

Dico 2. (*Ib.*) Præceptum divinum Confeſſionis per ſe obligat in probabili periculo, a fortiori in articulo mortis: item extra illud aliquoties in vita. Prob. 1. pars. (*Ib.*) Commune eſt omnibus præceptis affirmativis, ut obligent tempore neceſſitatis, alias nunquam obligarent & fruſtra ponerentur. Atqui ubi eſt periculum probabile, & a fortiori articulus mortis, eſt tempus neceſſitatis Confeſſionis. Ergo. Prob. Min. ex fine & natura hujus præcepti. Confeſſio inſtituta eſt ad remiſſionem peccatorum poſt Baptiſmum commiſſorum. Atqui neceſſitas hujus remiſſionis quam maxime occurrit in periculo mortis, in quo utique agitur de ſtatu perpetuæ vitæ, beatæ, vel miſeræ. Ergo. Idque confirmat praxis Eccleſiæ. Neque refert remiſſionem peccatorum haberi poſſe per contritionem; quia primo ipſa Confeſſio præcepta eſt a Chriſto, & quidem ut medium neceſſarium ad hoc: unde non eſt vera contritio, quæ non includit votum Confeſſionis. 2. Quia Confeſſio eſt facilior via ad juſtificationem, quam ſola contritio.

Hinc colliges 1. ingredientem prælium, aut periculoſam navigationem, mulierem gravidam inſtante primo partu, aut etiam ulterioribus, ſi ſoleat pati periculum, perículoſe ægrotantem, & eos omnes, qui aggrediuntur aliquod opus, unde mors ſolet, aut fundate & probabiliter timetur evenire, ſub peccato mortali teneri ad Confeſſionem, ſi conſcii ſint alicujus peccati mortalis. Unde S. Pius V. in Bulla *ſuper gregem* prohibet Medicis viſitare infirmum tertia die, niſi confiteatur, prohibetque eos admitti ad Doctoratum, niſi jurent ſe id obſervaturos. Colliges 2. eum, qui eſt in eo ſtatu, in quo ſi nunc non confiteatur, probabiliter timet, ne ante mortem non poſſit confiteri, ut in periculo amentiæ perpetuæ, imminente captivitate ab Hæreticis, aut Barbaris, &c. teneri pariter ad Confeſſionem.

Prob. 2. pars: 1. Quia præcepta affirmativa non obligant tantum in extrema neceſſitate, ſed & quando eorum actus rationabiliter judicatur neceſſarius. Unde præcepta fidei, ſpei, charitatis, contritionis obligant etiam aliquoties in vita ante periculum mortis. 2. Confeſſio præcepta & inſtituta eſt a Chriſto ad reconciliationem & amicitiam cum Deo reſarciendam. Atqui non licet hanc reconciliationem & amicitiæ recuperationem differre uſque ad mortem; non enim Deus creavit nos, ut ex hac luce excuntes perditæ vitæ pœniteremus, ſed ut in ejus amore & ſervitio vivamus. Ergo. Adde, quod alias Sacramentum Pœnitentiæ foret Sacramentum exeuntium, quod tamen Extremæ Unctioni proprium eſt.

Sed quoties in vita, & quo determinato tempore? Facile definiri non poteſt. Quidam aſſignant ſemel in anno, ex hoc quod Eccleſia ſic definierit, quam putant explicuiſſe tantum præceptum divinum, & non novum quoad tempus condidiſſe. Id quidem probabile eſt, ſed non omnino certum, cum Eccleſia potuerit & poſſit præcipere Confeſſionem ſicut & Communionem ſæpius, quam præcipiatur Lege divina. Nec etiam ea videtur eſſe mens D. Th. qui hic in corpore dicit, quod ante ſtatutum Eccleſiæ homo minus tenebatur ad Confeſſionem. Unde cum aliis exiſtimamus id eſſe relinquendum judicio Prudentum.

Dico 3. (*Ib.*) Præceptum divinum Confeſſionis obligat per accidens, primo quando ſumenda eſt Euchariſtia; ſecundo quando aliter gravis tentatio vinci, ſeu peccatum vitari non poteſt. Prob. 1. pars ex illo Apoſt. 1. Cor. 11. *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat:* quam probationem ſemper intellexit Eccleſia de Confeſſione; & ita definivit Trid. ſeſſ. 13. Can. 11. Secunda pars patet; quia qui tenetur ad finem, tenetur ad media, quæ fini adipiſcendo exiſtimat neceſſaria. Juxta quoſdam obligat etiam per accidens præceptum divinum Confeſſionis, quoties requiritur ſtatus gratiæ, puta ad adminiſtranda Sacramenta, ſeu ad recipienda ea, quæ dicuntur vivorum. Id quidem tutius eſt, & in praxi conſulendum propter difficultatem contritionis. At non eſſe abſolute neceſſarium ſuſtinuimus, ut probabilius, de Sacramentis in genere Diſſ. 5. a. 5. Require ibi.

§. II. *Quandonam peccator teneatur confiteri ex Præcepto Eccleſiaſtico.*

Dico. Præceptum Eccleſiaſticum Confeſſionis obligat ſemel in anno, non præciſe tempore Paſchali, ſed quovis anni tempore: quia Concilium Lateran. Can. *Omnis* dicit ſimpliciter: *Saltem ſemel in anno*, nihil determinando de tempore Paſchali; quod ſi intendiſſet, æque determinaſſet, ac determinavit pro Communione. Nec alibi determinatum habemus ſaltem aliquo Decreto generali. Unde qui confeſſus eſt in decurſu anni, ſi nullius peccati mortalis conſcius ſit in Paſchate, non tenetur tunc vi illius præcepti iterum confiteri, & modo communicet, non peccat.

Dices. Uſu receptum eſt, ut fideles tempore Paſchali, vel ſaltem Quadrageſimæ confiteantur; quem uſum probat Synodus Trid. & amplectitur ut merito retinendum. Ergo. R. uſum illum eſſe procul dubio ſalutarem & merito retinendum, utpote qui ſit optima diſpoſitio ad Communionem Paſchalem. Sed an ſit in præcepto, non probatur, nec Trid. decernit; quin imo cum Synodus Lateranenſis & Trid. hujus obligationis non meminerint ſicut Communionis, ſatis colligitur, quod non intellexerint morem illum eſſe ſub generali præcepto. An vero conſuetudo fidelium confitendi in Paſchate vim legis obtinuerit, non conſtat; imo pars negans videtur verior, eo quod introducta videatur, non quia fideles ſe tunc per ſe obligari ad Confeſſionem credebant, ſed ratione Communionis Paſchalis. Et eſto crediddiſſent ſe tunc obligari, non ſequitur ideo conſuetudinem illam eſſe obligatoriam, quia eorum intentio non erat ſe obligare, caſu quo lege non obligarentur.

Inſtabis. Animadvertitur pœnis Eccleſiaſticis in eos, qui non confitentur in Paſchate, & Epiſcopi jubent ſibi nomina exhiberi eorum, qui tunc non ſunt confeſſi. Ergo. R. 1. Id, quod jus commune relinquit liberum, poſſe per jus particulare reſtringi ad certum tempus; noſtra autem reſolutio eſt ſtando in jure communi. Neque tamen etiam ſtatuta particularia Epiſcoporum videntur quoad tempus Paſchæ importare præceptum, ut dixi art. præcedenti. Unde R. 2. Ideo animadverti in non confitentes tempore Paſcali, & eorum nomina exhiberi, non præciſe ratione Confeſſionis, ſed ratione Communionis omiſſæ; ſi enim probarent Communionem Paſchalem & Confeſſionem aliquo anni tempore factam, non punirentur; ſed cum tempore Paſchali ſit communicandum, & Communioni præmittenda Confeſſio pro iis, qui ſunt conſcii peccati mortalis, ii, qui tunc temporis non confitentur, merito præſumuntur in præſenti rerum ſtatu, neque tunc, neque toto anni tempore fuiſſe confeſſi, niſi contrarium probent.

§. III. *Reſolvuntur variæ Quæſtiunculæ circa præſentem materiam.*

Petes 1. Unde annus Confeſſionis ſit inchoandus? R. Quidam inchoant a Januario: alii a Paſchate, & eſt iſte modus in uſu apud fideles; alii ab ultima Confeſſione. Quovis modo computetur, videtur ſufficere, ſi inter unam & alteram Confeſſionem non intercipiatur pluſquam annus. Unde non ſunt audiandi quidam molliores Caſuiſtæ, qui dicunt ſatisfieri præcepto, ſi fiat Confeſſio initio Januarii puta anni 1749. & altera Confeſſio in fine Decembris anni ſequenti 1750. iſta enim interpretatio videtur contraria menti Eccleſiæ, & communi ſenſui Theologorum.

Petes 2. Utrum qui prævidet ante finem anni fore ut non poſſit confiteri, puta quia ingreditur longam navigationem, teneatur Confeſſionem anticipare? R. affirmative. Ratio eſt, quia præceptum Confeſſionis non eſt fixum certo & determinato tempore, puta Paſchali ratione ipſius temporis, quaſi in hoc tantum tempore & ratione illius obliget, ſed per totum annum indeterminate currit, ita ut ſaltem ante finem anni adimpleatur, ſicut v. g. præceptum audiendi Miſſam in Feſto non determinate obligat, ut mane vel meridie audiatur, ſed indeterminate per totum tempus celebrationis Miſſarum currit, ita ut non tranſigatur dies, qui impleatur. Unde ſicut qui prævideret ſe hora 11. non poſſe audire Sacrum teneretur mane audire, ita in noſtro caſu. Neque eſt ſimile de aliis quibuſdam præceptis certo & determinato tempore affixis ratione ipſius temporis, ut v. g. jejunium in vigilia

gilia S. Joannis, aut auditio Miſſæ in ejus Feſto; hæc enim ſunt onus temporis & ratione ipſius tunc præcipiuntur, eaque pro tunc tantum obligant non ante: unde eorum adimpletio præveniri non debet, etſi prævideatur fore impedimentum, quando obligabunt. Confer, quæ dixi de præcepto Communionis Diſſert. 6. de Euchariſtia a. 1. §. 3.

Petes 3. An qui omiſit confiteri intra annum, illo elapſo teneatur adhuc ſtatim confiteri? R. Affirmative. Ratio eſt, quia, ut jam dixi, illud præceptum non eſt affixum tempori paſchæ, ſeu fini anni, ſiva toti anno ratione & intuitu ipſius temporis, ſicut præcepta jejunii in vigilis alicujus Sancti, auditionis Miſſæ in ejus Feſto, &c. ſed ratione rei præſtandæ, & non ulterius differendæ, adeoque tempus Paſchæ, ſeu annus non eſt poſitus ad finiendam hujus præcepti obligationem, ſed ad implendam, & ulterius non differendam; ſicut accidit in debitis pecuniariis, quibus præfigitur terminus non intuitu temporis, ſed ratione rei præſtandæ, & ulterius non differendæ, quo proinde termino elapſo ſemper manet obligatio. Unde ſequitur, quod quo diutius aliquis differt ſuam Confeſſionem ultra annum, eo gravius peccat, quia longius recedit ab intentione Legis. An autem unum tantum, ſed gravius, an plura peccata committat, tot ſcilicet quot occurrunt occaſiones confitendi, quas negligit? R. Eſſe unum, ſi permaneat idem propoſitum non confitendi: eſſe vero plura, ſi propoſitum ſit moraliter interruptum. Pro quo vide Diſſert. 8. de Jure & juſt. a. 15. Pet. 3.

Petes 4. An ille, de quo in præcedenti caſu, teneatur iterum ad ſecundam Confeſſionem pro obligatione præſentis anni? R. Ita videri conformius menti Eccleſiæ, tutius & conſulendum in praxi, caſu ſcilicet, quo novum peccatum mortale committat. Non tamen ſequitur, quod qui a 20. annis non eſt confeſſus, teneatur hoc anno vigeſies confiteri: tum quia non eſt praxis timoratorum Confeſſariorum, nec videtur mens Eccleſiæ: tum quia obligationes omnium illorum annorum concurrunt eodem iſto tempore circa eandem materiam, & eundem finem, ſcilicet purgationem a peccatis, adeoque una & eadem impletione eis omnibus ſatisfit.

Si dicas eandem eſſe rationem de 2. Confeſſione in eodem anno. Eſto. Sed eſt diſparitas, quod annus obligationis pro 2. Confeſſione adhuc currat, non pro prioribus Confeſſionibus omiſſis. Neque etiam obſtat, quod qui omiſit 20. annis ſolvere cenſum annuum, non ſatisfaciat ſolvendo unum. Diſparitas eſt iterum, quod cenſualiſta principaliter intendat emolumentum, & indemnitatem ſuam, quæ non habetur, niſi ſolutione 20. cenſuum. At Eccleſia intendit principaliter in Confeſſione purgationem a peccatis, & juſtificationem peccatoris, quæ habetur per unam Confeſſionem.

Petes 5. Per quam Confeſſionem impleatur iſtud præceptum? R. Impleri per ſolam Confeſſionem validam & talem, ut, ea poſita cum abſolutione, ſubſiſtat Sacramentum Pœnitentiæ, & reconciliationis. Ratio eſt, quia Eccleſia non præcipit aliam Confeſſionem quam Deus, cum, ut diximus, determinet tantum tempus præcepti Divini. Atqui præcepto divino non ſatisfit, niſi per Confeſſionem validam & ſuſceptionem Sacramenti. Ergo. Hinc Alexander VII. merito condemnavit hanc propoſitionem: *Qui facit Confeſſionem voluntarie nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ*. Ubi licet ponatur *voluntarie*, idem tamen dicendum eſt de involuntarie nulla, quia etiam tunc non ponitur materia præcepta, ſcilicet Confeſſio quantum eſt ex ſe reconciliativa, & ſufficiens, ut ſubſiſtat Sacramentum. Plura de hac quæſtione, tam quoad probationes, quam quoad argumenta, vide de Euchariſtia Diſſert. 5. a. 1. §. 4.

An vero ſatisfiat præcepto per Confeſſionem non factam proprio Sacerdoti, aut alteri de ejus licentia? R. Negative, quia id expreſſe præcipitur in Canone citato *Omnis*. De quo fuſius modo, dum de Miniſtro.

Petes 6. An qui non ſatisfacit huic præcepto, incurrat de facto excommunicationem & alias pœnas juris? R. Negative, quia non ſunt ſententiæ latæ, ſed ferendæ, ut patet ex textu: niſi aliud ſtatuta particularia ferant.

Petes 7. An peccatum juſta de cauſa in Confeſſione hujus anni celatum, debeat ſubjici clavibus ante annum ſequentem, ſi cauſa celandi antea deſierit? R. Id eſſe conſultum, non videtur tamen obligatorium; quia Eccleſia obligat tantum ad unam Confeſſionem integram. Hæc autem fuit integra formaliter, etſi non materialiter. Nec obſtat, Concilium Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. obligare ad Confeſſionem omnium mortalium, quorum conſcientiam habet pœnitens; quia Concilium loquitur de eo, quod ordinarie accidit. Inſuper intelligit de conſcientia non ſpeculativa, ſed practica, ſeu quæ dictat peccata hic & nunc aperienda. Idem a fortiori dicendum de peccato invincibiliter oblito. An autem iſte, de quo in caſu, non poſſit differre ſuam Confeſſionem, ut eam omnimode integram faciat? R. Videtur poſſe ex præſumpta Eccleſiæ intentione, modo tamen abſit ſcandalum, nec ſit ſumenda Euchariſtia, nec diu differatur.

Petes 8. Utrum cum aliquo diſpenſari poſſit, ne unquam confiteatur? R. negative: tum ratione generali, quod inferior non poſſit diſpenſare in lege ſuperioris: tum ſpecialiter, quia Confeſſio eſt pars neceſſaria Sacramenti Pœnitentiæ, in quo Eccleſia non poteſt diſpenſare: ſicut enim non poteſt inſtituere nova Sacramenta, ita nec inſtituta removere, quippe quæ ſunt ipſius Eccleſiæ fundamenta: tum etiam quia Sacramentum Pœnitentiæ eſt Sacramentum neceſſitatis ſicut Baptiſmus; nemo autem poteſt diſpenſare in Baptiſmo ſic, ut ſine illo ſalus habeatur. Quod autem poſſet opponi de diſpenſatione in voto; diſparitas eſt quod Eccleſia non diſpenſat in voto durante ejus obligatione, quod eſſet diſpenſare in jure naturali & divino, ſed tollit obligationem voti, quæ non eſt a jure divino, ſed a voluntate humana, de quo dixi fuſius alibi. Poteſt tamen Eccleſia diſpenſare in tempore Confeſſionis a ſe conſtituto, quia poteſt diſpenſare in ſuis Legibus. Hæc autem poteſtas pertinet privative ad Papam, & ad Concilium generale; quia eſt Lex ab Eccleſia univerſali lata. Id vero non obſtat, quominus pœnitens poſſit ex conſilio Confeſſarii Confeſſionem differre ultra tempus ab Eccleſia ſtatutum ad melius eſſe, ſeu ex tali cauſa, ob quam prudenter judicatur talem dilationem eſſe de mente præſumpta Eccleſiæ. Ita expreſſe Concilium Lateran. can. *Omnis*.

Si dicas præceptum Eccleſiæ quoad tempus eſſe determinationem juris divini, adeoque Eccleſiam in eo non poſſe diſpenſare. R. Equidem eſſe determinationem juris divini, ſed humanam, non divinam, & ideo ſicut illam poſuit, poteſt auferre & relinquere præceptum in eo ſtatu, in quo erat ante determinationem. Et cum non conſtet, quando obliget præceptum divinum, an ſemel in anno, an plus, an minus, hoc ſufficit, ut Eccleſia juſtis de cauſis ultra annum differat. Videtur tamen, quod non poſſet diſpenſare ultra tempus, in quo certo obligat jus divinum, puta ultra octo aut decem annos, ſed poſſet interpretari in certis caſibus jus divinum ob graviſſimas cauſas tunc occurrentes non obligare.

DISSERTATIO VIII.

DE MINISTRO CONFESSIONIS.

Div. Thom. Suppl. Quæſt. 8.

ARTICULUS I.

Utrum ſolus Sacerdos ſit Miniſter Confeſſionis?

NEGARUNT VVicleſiſtæ damnati in Concilio Conſtantienſi, VValdenſes, qui hanc poteſtatem tribuebant cuilibet Laico probo, & Lutherus, qui cum exiſtimaret abſolutionem nihil aliud eſſe quam declarationem remiſſionis peccatorum, docuit in libro de abroganda Miſſa, quemlibet fidelem, etiam mulierem, eſſe Miniſtrum Confeſſionis, ſaltem in caſu neceſſitatis. Morinus vero l. 8. de Pœnit. c. 23. cenſet hanc facultatem olim fuiſſe conceſſam Diaconis. Contra quos omnes

Dico (*Supp. q.* 8. *a.* 1. 2.) Solus Sacerdos eſt Miniſter legitimus Confeſſionis ſacramentalis. Prob. (*Ib. in a. ſ. c.*) Ille ſolus eſt Miniſter legitimus Confeſſionis, qui poteſt abſolvere a peccatis confeſſis; ad id enim ordinatur Confeſſio ſacramentalis. Atqui ſolus Sacerdos poteſt abſolvere a peccatis confeſſis. Ergo. Prob. Min. Solis Apoſtolis & in eorum perſona ſolis Epiſcopis & Sacerdotibus, utique eorum Succeſſoribus, Chriſtus Matth. 18. promiſit claves Regni Cœlorum ſeu poteſtatem ligandi & ſolvendi, retinendi & remittendi peccata, iiſque ſolis eam contulit Joan. 20. dicens *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos ... Accipite Spiritum S. quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt*: Ergo. Unde Concilium Trid. Seſſ. 14. Can. 10. definit: *Si quis dixerit ... non ſolos Sacerdotes eſſe Miniſtros abſolutionis ... anathema ſit*. Vide Canonem integrum in capite Tractatus. Idem amplius declarat Concilium eadem Seſſ. cap. 1. & 6. Adſtipulantur SS. Patres. Baſilius in Regulis brevioribus num. 228. dicit peccata Sacerdotibus aperienda eſſe, quia *eis credita eſt diſpenſatio divinorum Myſteriorum*. Ambroſ. lib. 1. de Pœnit. c. 2. *Jus hoc*, inquit, ligandi ſcilicet &

ſolvendi, *ſolis Sacerdotibus conceſſam*. S. Ephrem Orat. de Sacerdotio: *Abſque venerando & divino Sacerdotio remiſſio peccatorum mortalibus non conceditur*, Aug. Serm. 351. dicit ad remiſſionem peccatorum accedendum eſſe *ad Antiſtites, per quos in Eccleſia claves miniſtrantur*. S. Leo Ep. 19. *Indulgentia Dei non niſi ſupplicationibus Sacerdotum poteſt obtineri*. Plura in hanc rem protuli Diſſert. 1. hujus Tractatus de exiſtentia Sacramenti Pœnitentiæ & Diſſert. præcedenti a. 1. de neceſſitate Confeſſionis. Confer.

Dixi in Concluſione, *Confeſſionis ſacramentalis*, id eſt quæ fit in ordine ad abſolutionem a Miniſtro conſequendam; quia non negamus olim viguiſſe morem confitendi Laicis, præſertim ubi deeſſet Sacerdos. At iſta Confeſſio non erat ſacramentalis, ſeu in ordine ad abſolutionem, ſed ad erubeſcentiam & majorem humiliationem, ſeu ad conſilium aut auxilium petendum, utque inde & ex magno deſiderio Confeſſionis Deus flecteretur ad veniam concedendam. Quo ſenſu intelligendus eſt S. Th. dum hic a. 2. o. & præſertim ad 1. ſcribit quod *Quando neceſſitas eſt imminens, debet facere pœnitens quod ex parte ſua eſt, ſcilicet conteri & confiteri cui poteſt ... & quod defectum Sacerdotis ſupplet ſummus Sacerdos ... & ex deſiderio Sacerdotis talis Confeſſio ſacramentalis eſt quodammodo*. Quibus, inquam, verbis S. Th. non præcipit, ſed hortatur ad hujuſmodi Confeſſionem ſecundum morem, qui vigebat ſuo tempore, eamque vocat *quodammodo ſacramentalem*, non quod eſſet in ordine ad Sacramentum, aut eſſet pars Sacramenti, ſed quia vel fiebat ad imitationem Confeſſionis ſacramentalis, vel quia habebat adjunctum Sacramenti deſiderium. Iſta autem conſuetudo nunquam vim legis habuit, & jam diu abrogata eſt, ut mox dicam.

Hunc porro eſſe ſenſum S. Th. evidenter patet 1. ex a. 1. præcedenti, in quo reſolvit ſolum Sacerdotem eſſe Miniſtrum Confeſſionis ſacramentalis. 2. Ex eadem Reſponſione cit. ad 3. hujus articuli ſecundi, ubi in fine dicit, quod ex tali Confeſſione *non fit Sacramentum perfectum, quia deeſt ei, quod eſt ex parte Sacerdotis*. Et ad 3. ibid. de hujuſmodi pœnitente & confitente dicit neceſſe eſſe, *quod iterum confiteatur Sacerdoti, cum copiam habere potuerit, quia Sacramentum Pœnitentiæ perfectum non fuit*. Item opuſc. 5. Ille autem mos, qui diu ante D. Th. vigerat, & ejus temporibus adhuc vigebat, jam diu & merito exolevit; cenſentque Theologi illum nunc non expedire; partim quia hoc eſſet apparenter connivere Hæreticis hodiernis, partim quia hujuſmodi Confeſſionis nulla eſt neceſſitas, nullum præceptum, neque expedit peccata præſertim occulta & gravia extra Sacramentum manifeſtare. Similiter cum S. Th. art. ſeq. dicit Confeſſionem venialium poſſe fieri non Sacerdoti, non intelligit ſacramentalem in ordine ad claves, quæ non niſi Sacerdotibus ſunt collatæ; unde dicit ibid. hanc Confeſſionem non eſſe perfectum Sacramentum; ſed intelligit non ſacramentalem, quæ, dum fit ex humilitate & deteſtatione peccatorum, valet ad remiſſionem peccatorum venialium; ſicut, inquit ibid. S. Doct. tunſio pectoris, aſperſio aquæ benedictæ, & alia Sacramentalia. At cum nulla ſit neceſſitas ſic confitendi venialia, monent, ut ſupra, Theologi, melius eſſe ab hujuſmodi Confeſſione abſtinere, niſi conſilii petendi cauſa, ſicut de mortalibus dictum eſt. Hæc pro explicatione mentis S. Thomæ.

Solvuntur Objectiones.

OBJ. 1. Jacobi 5. dicitur: *Confitemini alterutrum peccata veſtra*. R. (*Supp. q. 6. art. 1. ad 1.*) quod ſi ille textus intelligatur de Confeſſione ſacramentali (quod quidam negant) per alterutrum non intelligitur quilibet, ſed Sacerdos, hoc eſt homo homini. Quod patet, tum ex eo quod præmiſit Apoſtolus: *Si quis veſtrum infirmatur, inducat Presbyteros Eccleſiæ*: tum quia Jacobus loquebatur Chriſtianis, quibus præſupponebat notam eſſe Legem evangelicam Confeſſionis faciendæ ſolis Sacerdotibus Joan. 20.

Obj. 2. Epiſcopus electus & confirmatus, licet non ordinatus, poteſt aliis conferre poteſtatem excipiendi Confeſſiones ſacramentales. Ergo illam habet. Item Sacramentum Pœnitentiæ eſt Sacramentum neceſſitatis ſicut Baptiſmus. Atqui quilibet homo poteſt conferre Sacramentum Baptiſmi. Ergo. R. ad 1. N. Ant. Non enim Epiſcopus non ordinatus confert poteſtatem, ſed dumtaxat exercitium hujus poteſtatis aſſignando Sacerdoti ſubditos, in quos poſſit exercere ſuam poteſtatem, ut dicemus modo, dum de juriſdictione. Ad 2. N. Conſeq. 1. Quia Baptiſmus eſt majoris neceſſitatis quam Pœnitentia; poteſt enim Pœnitentia ſuppleri per illius votum & contritionem, non Baptiſmus in parvulis. 2. Pœnitentia adminiſtratur per modum judicii, ad quod requiritur juriſdictio, non Baptiſmus. 3. Et præcipue, quia ſic eſt voluntas Chriſti, quæ nobis conſtat ex Scriptura, Traditione, & uſu Eccleſiæ. Vide Diſſert. 2. de Bapt. a. 2.

Obj. 3. Pro Diaconis cum Morino. S. Cyprianus Ep. 12. de iis, qui libellos a Martyribus acceperant, dicit: *Si incommodo aliquo & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata præſentia noſtra, apud Presbyterum quemque præſentem, vel ſi Presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque Exomologeſim facere delicti ſui poſſint, ut manu eis impoſita veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres litteris ad nos factis deſideraverunt*. Ergo. R. N. Conſ. Quamvis enim *Exomologeſis* frequenter uſurpetur pro Confeſſione ſacramentali, attamen non raro etiam ſumitur vel pro ipſa actione Pœnitentiæ publicæ, maxime pro ea parte, quæ dicebatur *ſubſtratio*, in qua Pœnitentes impoſitioni manuum Epiſcopi & Cleri ſubſtrati confitebantur ſe peccaſſe; vel pro declaratione pœnitentiæ adimpletæ, poſtquam pœnitentes impoſitione cæremoniali manuum Epiſcopi & Cleri reconciliabantur Eccleſiæ, & admittebantur ad Communionem. Hoc autem ſenſu Cyprianum intellexiſſe *Exomologeſim* in objectione patet, quia ſic ipſemet illam intelligit Ep. 11. 61. & præſertim 9. ubi de iis, qui pœnitentiam publicam agebant pro peccatis levioribus, quam ſit abnegatio fidei & Idololatria, dicit; *Nam cum in minoribus peccatis agant peccatores pœnitentiam juſto tempore, & ſecundum diſciplinæ ordinem ad Exomologeſim veniant, & per manus impoſitionem Epiſcopi & Cleri jus communicationis accipiant, nunc crudo tempore, perſecutione adhuc perſeverante, nondum reſtituta Eccleſiæ pace ad communionem admittuntur, & offertur nomen eorum, & nondum pœnitentia peracta, nondam Exomologeſi facta, nondum manu eis ab Epiſcopo & Clero impoſita, Euchariſtia illis datur*. Vides *Exomologeſim* apud Cyprianum ſumi vel pro ipſa actione pœnitentiæ adimpletæ, aut ejus parte; vel pro declaratione pœnitentiæ adimpletæ; *impoſitionem* vero *manuum* ſumi non pro ſacramentali, ſed pro cæremoniali, facta ab Epiſcopo & Clero; denique *pacem* pro reconciliatione cum Eccleſia & admiſſione ad communionem. Quod adhuc evidentius fit ex eo, quod Cyprianus loquatur de iis, qui ſtadium pœnitentiæ publicæ decurrebant. At vero Confeſſio ſacramentalis publicam pœnitentiam præcedebat, ut diximus anterius. Unde dato Cyprianum locutum fuiſſe de Confeſſione peccatorum, hæc tamen non fuiſſet ſacramentalis.

Inſt. 1. Cyprianus committit Diaconis, ut faciant, quod Epiſcopus aut Sacerdos feciſſet, ſi adfuiſſet. Epiſcopus autem ſeu Sacerdos abſolviſſet ſacramentaliter. Item permittit eis, ut conferant pacem, quam petebant pœnitentes ex libellis Martyrum; hæc autem pax non erat ſimplex reconciliatio cum Eccleſia, ſed etiam abſolutio ſacramentalis. Ergo. R. 1. N. Utramque Min. Reconciliatio enim & pax, de qua loquitur Cyprianus, non erat reconciliatio cum Deo per abſolutionem ſacramentalem, ſed reconciliatio cum Eccleſia per relaxationem pœnitentiæ ſolemnis, & participationem Euchariſtiæ; nec aliud petebant Martyres ſuis libellis; erant enim tunc, ſicut nunc, Indulgentiæ: Indulgentia autem non eſt abſolutio ſacramentalis a peccatis, ſed relaxatio tantum pœnæ temporalis, quæ remanet poſt dimiſſam culpam, ſicque ſupponit abſolutionem ſacramentalem; id magis conſtabit ex dicendis infra in Digreſſione hiſtorica ad Diſſertationem de Satisfactione, ubi probabimus abſolutionem ſacramentalem non differri uſque poſt peractam pœnitentiam ſolemnem, ſed ordinarie conferri poſt Confeſſionem ſecretam, cum pœnitentes ad pœnitentiam ſolemnem admittebantur. Confer. R. 2. Data utraque Minore, facultatem, quam ibi concedit Cyprianus Sacerdotibus & Diaconis, intelligendam eſſe accommodate ad eorum poteſtatem, in Sacerdotibus de reconciliatione Canonica & Sacramentali; quia ad utramque habent poteſtatem; in Diaconis de reconciliatione & pace tantum Canonica, non Sacramentali, quia ad hanc non habent poteſtatem.

Inſt. 2. Licet Sacerdos non ſit Miniſter ordinarius Confirmationis, poteſt tamen illam conferre ex commiſſione Epiſcopi, ut diximus ſuo loco. Ergo ſimiliter Diaconus reſpectu Confeſſionis & Abſolutionis Sacramentalis. R. N. Conſeq. Diſparitas prima petitur ex voluntate & inſtitutione Chriſti, quam pro utroque Sacramento nobis teſtatur Eccleſiæ traditio & uſus. Secunda Diſparitas eſt, quod quamvis Sacramentum Pœnitentiæ ſit magis neceſſarium quam Sacramentum Confirmationis, Miniſtri Pœnitentiæ ſunt frequentiores, quam Miniſtri Confirmationis.

ARTICULUS II.

Utrum omnis Sacerdos ſit Miniſter legitimus Confeſſionis?

Sive

Utrum præter poteſtatem Ordinis ſit in Miniſtro Confeſſionis neceſſaria poteſtas Juriſdictionis?

HÆC quæſtio expediri non poteſt, niſi prius explicentur varia, quæ ſpectant Juriſdictionem: Unde ſit

§. I.

Digitized by Google

§. I. *De Juriſdictione.*

PETES 1. Quid ſit Juriſdictio? R. Juriſdictio generaliter ſumpta eſt quædam poteſtas moralis regendi & gubernandi ſubditos. Specialiter in ſubjecta materia, eſt poteſtas qua Sacerdos, ut Judex, fert in alterum, tanquam in ſubditum, ſententiam in foro conſcientiæ.

Petes 2. An hæc poteſtas ſit diſtincta ab illa, quę confertur in corpus Chriſti myſticum omni Sacerdoti in ſua Ordinatione, per hæc verba: *Accipe Spiritum S. quorum remiſeris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta ſunt*, & quæ dicitur poteſtas Ordinis. R. Eſſe certo aliquid diſtinctum: tum quia Concilium Florentinum & Trid. ſeſſ. 14. c. 7. declarant nullam eſſe abſolutionem collatam a Sacerdote, qui non habet juriſdictionem. Ergo ſupponunt juriſdictionem non competere omni Sacerdoti, adeoque non conferri in Ordine, ſed eſſe quid diſtinctum a poteſtate Ordinis. Tum quia alias omnis Sacerdos foret proprius Sacerdos, nullus alienus, contra quod ſupponit Concilium Lateranenſe, cum decernit Sacerdotem alienum non poſſe abſolvere ſine licentia proprii.

An vero ſit quid diſtinctum ex parte principii, aut tantum ex parte termini, ſeu materiæ ſubjectæ, diſputatur inter Theologos. Quidam volunt omnem Sacerdotem vi ſuæ ordinationis jure divino accipere poteſtatem abſolvendi completam & perfectam, quantum eſt ex parte principii, non tamen completam ex parte materiæ, ſeu ſubditorum, quia niſi ab Eccleſia aſſignentur, talis poteſtas non eſt valide reducibilis ad actum. Unde juxta hanc ſententiam poteſtas juriſdictionis, quantum eſt ex ſe, ſeu ex parte principii, non eſt diſtincta a poteſtate Ordinis. Id autem probant ex verbis cit. *Accipe Spiritum S. &c.* quibus omnes Sacerdotes abſolute conſtituuntur judices, idque explicant his exemplis. Si v. gr. Rex conſtitueret Titium judicem, ſeu daret ipſi poteſtatem abſolvendi vel damnandi omnes ipſi aſſignandos a Gubernatore, Titius foret, ut patet, a Rege conſtitutus complete judex, haberetque completam poteſtatem judicandi ex parte principii, licet ut valide illam exerceret, indigeret deſignatione ſubditorum reorum per gubernatorem facienda. Item ſi Rex inſtituat Chiliarchum ſolo diplomate, non aſſignata legione (*Colonel en Brevet*), is haberet poteſtatem imperandi completam ex parte principii, quam tamen exercere non poſſet, niſi illi ſubjiciatur legio. Ita, inquiunt, in noſtro caſu.

Alii volunt juriſdictionem eſſe poteſtatem diſtinctam a poteſtate Ordinis ex parte principii; quia, inquiunt, in ordinatione confertur quidem poteſtas phyſica completa ad producendam gratiam, non autem moralis, qualis tamen eſt juriſdictio; ut patet in judicibus humanis, qui licet habeant omnia requiſita in eſſe phyſico ad judicandum, puta ſcientiam, prudentiam, &c. indigent tamen adhuc juriſdictione, quæ ex parte ipſius judicis ſe tenet, & non tantum ex parte materiæ, quę illi eſt ſubjecta. Et hic modus loquendi videtur conformior Conciliis, & D. Th. Eſt autem hæc juriſdictio ſecundum illos deputatio legitima ad exercendum munus Confeſſarii abſolvendo a peccatis modo judiciali pœnitentes tanquam ſubditos. Cęterum utraque ſententia eſt probabilis, & in rigore videtur tantum eſſe diſputatio de nomine; ſive enim illa juriſdictio ſit diſtincta a poteſtate Ordinis ex parte principii, ſive tantum ex parte materię, conveniunt Auctores utriuſque ſententiæ poteſtatem Ordinis ſine illa eſſe tantum incompletam, & in actu primo, nec valide reducibilem ad actum ſecundum, niſi ab Eccleſia accedat deputatio legitima, & aſſignatio ſubditorum.

Hinc infares juriſdictionem differre a poteſtate Ordinis. 1. Quod poteſtas Ordinis conferatur cuilibet Sacerdoti per ſuam ordinationem: Poteſtas vero juriſdictionis per deputationem legitimam Superioris vel Eccleſiæ ad abſolvendum pœnitentem modo judiciali ut ſubditum. 2. Sacerdotes omnes in poteſtate Ordinis ſunt æquales, non vero in poteſtate juriſdictionis. 3. Poteſtas Ordinis eſt invariabilis & indelebilis, utpote fundata in charactere Sacerdotali, poteſtas vero juriſdictionis poteſt augeri vel minui, aut etiam totaliter tolli.

Petes 3. Quotuplex ſit juriſdictio? R. Quod ſit duplex, ordinaria & delegata. Ordinaria eſt, quæ competit alicui ratione muneris, officii, vel beneficii, cui annexa eſt cura animarum: unde dicta ordinaria, quia ſic aſſumpta, collatis officio vel beneficio, ordinarie cenſetur conferri. Delegata eſt illa, quæ habetur ex commiſſione illius, qui habet ordinariam. Qui habet juriſdictionem ordinariam, dicitur proprius Sacerdos; nec tamen ideo poteſt dici ſimpliciter & abſolute *Ordinarius*, quia Ordinarius ſimpliciter & abſolute dicitur, qui ultra juriſdictionem ordinariam ad abſolvendum habet etiam ordinariam ad exercenda omnia alia munia ſpiritualia etiam in foro exteriori, ut Papa in tota Eccleſia, Epiſcopus in ſua Diœceſi. Unde Parochus licet ſit proprius Sacerdos reſpectu ſuorum Parochianorum, non eſt tamen ſimpliciter *Ordinarius*, ſed ſecundum quid tantum, quoad forum ſcilicet conſcientiæ & munus abſolvendi.

Petes 4. Quibus competat juriſdictio ordinaria & reſpectu quorum? R. Juriſdictio ordinaria, ut jam dixi, competit iis, qui ratione officii tenentur gerere curam animarum. Hinc 1. Competit Summo Pontifici reſpectu totius Eccleſiæ. 2. Epiſcopis reſpectu totius Diœceſis. 3. Parochis reſpectu ſuorum Parochianorum.

Pontificiæ juriſdictioni communicant Legatus a latere, Pœnitentiarius Papalis, Nuncii etiam Apoſtolici reſpectu tamen terminorum ſuæ nuntiaturæ duntaxat, Epiſcopali communicant Vicarii Generales Epiſcopi, Capitulum Sede vacante, & Pœnitentiarius, ubi Pœnitentiaria eſt in officium erecta. Ad hanc reducitur juriſdictio Generalium reſpectu totius Ordinis; Provincialium reſpectu Provinciæ; Abbatum exemptorum reſpectu ſuorum, eo quod reſpectu illorum fruantur juriſdictione quaſi Epiſcopali. Sed quid Archiepiſcopus? Poteſt tempore viſitationis abſolvere ſubditos Suffraganei. Ita expreſſe cap. ultimo de cenſibus in 6. l. 3. tit. 20. Ad Parochialem reducitur juriſdictio Decanorum reſpectu ſui Capituli, Vicariorum perpetuorum reſpectu Parochiæ, Superiorum localium, ut ſunt Priores, Guardiani, Rectores, reſpectu ſuorum, quorum tamen juriſdictio eſt longe major Parochiali, cum etiam in foro exteriori poſſint excommunicare, & multa alia facere, quæ non poſſunt Parochi: unde a quibuſdam reducitur ad Epiſcopalem. Notandum, quod ſecunda perſona in Conventibus, ut Superior apud nos, Vicarius apud Franciſcanos, &c. non ſortiuntur juriſdictionem ordinariam, niſi per mortem vel amotionem Prioris vel Guardiani Sedes vacet.

Petes. Quot modis aliquis fiat alterius ſubditus, ſeu ejus juriſdictioni ſubjiciatur quoad hoc Sacramentum? R. Tribus modis. 1. Ratione domicilii vel quaſi domicilii. 2. Privilegio ſtatus. 3. Juris interpretatione ſeu conſuetudine. Ratione domicilii vel quaſi domicilii Epiſcoporum ſeu Parochorum ordinariæ juriſdictioni ſubjiciuntur, qui inter limites Diœceſis vel Parochiæ *Domicilium*, hoc eſt ſuam & perpetuam habitationem habent: vel *quaſi Domicilium*, hoc eſt familiam ſeu habitationem per magnam partem anni, ut ſunt Mercatores in Emporiis, Scholaſtici in Academiis, Aulici in Curiis, &c. Unde qui habet duo domicilia in diverſis Parochiis, aut in una domicilium, in altera quaſi domicilium, ſecundum plures utriuſque Parochi juriſdictioni ſubjicitur, & a quolibet poteſt abſolvi, licet Sylvio & aliis probabilius videatur, quod confiteri debeat Sacerdoti illius Parochiæ, in qua habitat, dum inſtat præceptum confitendi, ne ſequatur confuſio.

Privilegio ſtatus ordinariæ juriſdictioni ſubjiciuntur, qui alicui ſtatui vel familiæ uniuntur, cujus ſuperior ex Privilegio ordinariam habet juriſdictionem; ut qui in familiam Cardinalium admittuntur, ipſis ut ordinariis ſubjacent in hoc Tribunali Sacramentali. Novitii Superioribus Religionis; item qui ſunt vere de familia domus, & commenſales continui. De his ultimis identidem lites motæ ſunt a Parochis, ſed in ſuam perniciem. Præter enim plurima Sum. Pontificum Privilegia, Innocentii IV. Conſtit. 42. Alexandri IV. Conſtit. 205. Nicolai V. Conſtitut. 29. in qua exprimit etiam cohabitantes cauſa devotionis, Innocent. VIII. Conſtit. 46. Leonis X. Conſtit. 50. ac tandem Clementis X. Conſtit. 2. *ſuperna* data 1670. qui in terminis declarat: *In Monaſteriis ac Collegiis, ubi juxta Regularia inſtituta vivitur, poſſe tam Prælatos Regulares quam Confeſſores Regularium eorumdem Monaſteriorum ſeu Collegiorum audire Confeſſiones illorum ſęcularium, qui inibi ſunt vere de familia & continui commenſales.* Præter hęc, inquam, non ita pridem, Senatus ſupremus Pariſienſis an. 1688. contra Parochum d'Oiſy in favorem Monialium Abbatiæ *du Vergar* Diœceſis Cameracenſis Ordinis Ciſtercienſis decrevit earum Confeſſarium poſſe exercere omnia Paſtoralia in omnes domeſticos intra ſepta Monaſterii degentes, excepta Baptiſmi & Matrimonii adminiſtratione. Idem ann. 1691. contra Parochum S. Albani Duaci in favorem Abbatiæ de Pratis ejuſdem Ordinis Diœceſis Atrebatenſis.

Juris interpretatione, vel ſi mavis, tacita voluntate Ordinariorum per conſuetudinem firmata, iter agentes & peregrinantes ordinarium Judicem ſortiuntur in hoc Tribunali Parochum illius loci, ad quem perveniunt, ſive ex devotione, ſive ex obligatione Sacramenta percipere voluerint. Idque de Confeſſione annua & Communione Paſchali declaravit Eugenius IV. ſi eo tempore, quo urget præceptum, ad proprium Parochum accedere commode non poſſunt: ita tamen ut in propriam Parochiam reverſi teſtimonium annuæ Confeſſionis & Communionis Parochis expoſcentibus exhibeant, & modo etiam non fiat in fraudem, ut vitent ſcilicet proprium Parochum, niſi forte accederent ad

Privilegiatum, de quo infra. Huc revocari poſſunt, aut ſivis ad quaſi domicilium, Vagabundi, qui nullibi domicilium habent; & ideo probabilius pro Sacerdote proprio ſortiuntur Parochum illius loci, in quo pro tempore morantur; quia actualis habitatio quoad præſentem caſum ſuccedit ipſis loco domicilii, ita ut Parochus talis loci teneatur illis indigentibus & juſta petentibus Sacramenta conferre, & ut præcepta impleant, eos urgere & cogere: & licet id forte non poſſit reſpectu eorum, qui alibi Parochiam habent, cum tamen vagi nullam habeant, juſtum eſt, ut ſubdantur illi, in cujus diſtrictu morantur. Similiter juris interpretatione ſeu privilegio ſtatus milites ſubjiciuntur ſuo Capellano ut proprio Sacerdoti, ſaltem quando ſunt in caſtris: quia dum ſunt in Stationibus ſeu præſidiis quibuſdam, videtur, quod ex diſpoſitione Sacellani generalis ſubdantur Parocho talium locorum. Tandem ratione periculi, ſeu articuli mortis quilibet ſit ſubditus cuilibet Sacerdoti, a quo poteſt abſolvi, ut dicemus fuſius infra.

Specialiter de juriſdictione delegata.

EX jam dictis habemus, quod juriſdictio delegata ſit ea, quam Sacerdos in Pœnitentem acquirit, non ex vi officii aut beneficii proprii, ſed ex commiſſione legitima alterius ordinariam juriſdictionem habentis. Dicitur 1. *Ordinariam juriſdictionem habentis*, quia delegati non poſſunt ſubdelegare, niſi id expreſſe eis concedatur. Patet ex cap. *cum cauſam* 43. de appell. tit. 28. ubi id permittitur delegatis Principum tantum & non aliis. Dicitur 2. *Ex commiſſione legitima*, ad quam requiruntur certæ conditiones tam ex parte delegantis, quam ex parte delegati: ex parte delegantis, quod non deleget extra limites ſuæ juriſdictionis, & quod non ſit degradatus aut excommunicatus vitandus; quia tunc privatur uſu Eccleſiaſticæ Juriſdictionis. Secus tamen ſi Epiſcopus confirmatus, quamvis nondum Sacerdos, quia licet tunc careat juriſdictione, ut ipſemet abſolvat in foro conſcientiæ, habet tamen juriſdictionem in foro exteriori, ut deleget ad abſolvendum. Ex parte delegati requiritur pariter, quod non ſit degradatus, nec excommunicatus vitandus. Inſuper & maxime pro Confeſſione ſæcularium, quod ſit approbatus ab Epiſcopo, niſi ipſemet delegans eſſet Epiſcopus. Ita jure novo Tridentini. Hinc ſequitur quod licet ante Trid. poſſent Parochi ex jure communi delegare quemlibet Sacerdotem ad miniſterium hujus Sacramenti in ſua Parochia, etſi non foret ab Epiſcopo approbatus, poſt illud tamen, nec licite, nec valide id poſſunt: ut etiam declararunt Cardinales ejuſdem Concilii Interpretes.

Petes 1. quotuplex ſit juriſdictio delegata? R. quod ſit duplex, directe, & indirecte delegata. Directa delegata dicitur, quando alicui committitur, ut ipſe per ſe directa pœnitentem abſolvat. Delegata indirecta, quando alicui conceditur, ut eligat Sacerdotem, qui ipſum vel alios abſolvat; facta enim electione, indirecta collata cenſetur juriſdictio Sacerdoti electo. Unde quamvis ipſa delegatio juriſdictionis ad ipſum Sacerdotem terminetur, miniſterium tamen medium hujus delegationis, ſcilicet electio Sacerdotis, Laicis, imo & Fœminis poteſt committi.

Petes 2. Quot & quibus modis acquiritur juriſdictio delegata, tam directa, quam indirecta, R. tribus potiſſimum modis, ab homine, a jure, a conſuetudine. Ab homine: quando homo ordinaria gaudens juriſdictione illam verbo, ſcripto, vel alio ſigno exteriori alteri committit, aut permittit alicui Confeſſarium eligere, ut accidit in Jubilæis. A jure: quando jus Canonicum, Lex, Bulla aut Conſtitutio Papalis concedit certis perſonis vel ut abſolvant, vel ut Confeſſarium eligant. Sic quoad 1. conceſſum eſt omnibus Ordinum Mendicantium Sacerdotibus, ut poſſint abſolvere omnes fideles ad ſe venientes, modo ſint a ſuis reſpectiva Superioribus legitime præſentati, & ab Epiſcopis approbati; de quo ſpecialiter dicam infra. Pariter quoad 2. conceſſum eſt Epiſcopis, Generalibus Ordinum, Provincialibus, Abbatibus, & minoribus Prælatis exemptis, ut poſſint ſibi eligere Confeſſarium. Ita Gregorius IX. l. 5. Decretal. Tit. 38. de Pœnit. & Remiſſ. his verbis: *Cum pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum, permittimus Epiſcopis & aliis Superioribus, necnon minoribus Prælatis exemptis, ut etiam præter Superioris ſui licentiam providum & diſcretum ſibi eligere poſſint Confeſſarium*. Idem dicendum de illis, quibus id privilegio ſpeciali conceſſum eſt. Porro circa textum jam citatum notandum, quod nomine *Epiſcoporum* illi ſoli intelliguntur, qui ſimpliciter dicuntur Epiſcopi, ut ſunt confirmati etiam ante Conſecrationem, licet ſint tantum titulares; non vero ſolum Electi, ſi non ſint confirmati. Nec etiam degradati, quia habentur tanquam ſi non eſſent Epiſcopi. Depoſiti tamen, excommunicati, ſuſpenſi videntur frui tali privilegio, quia licet interdicatur eis uſus Ordinis & Juriſdictionis; non privantur tamen gratiis & privilegiis. Nomine Superiorum intelliguntur Generales Ordinum, Provinciales, Abbates exempti a juriſdictione Epiſcopali, & ſaltem ex conſuetudine Cardinales. Nomine minorum Prælatorum intelliguntur Prælati locales exempti, ut Priores, Guardiani, Rectores, &c. non tamen Abbatiſſæ aut Prioriſſæ, quæ non veniunt nomine *Prælati*.

Dubium hic oritur, an Prælati Regulares eligere poſſint Confeſſarium extra ſuum Ordinem? R. affirmative, niſi ſpecialis ſuæ Religionis conſtitutio obſtet; quia ubi jura non diſtinguunt, nec nos diſtinguere debemus: non expedit tamen.

Dubium aliud, an Prælati, ſive Regulares, ſive Sæculares eligere debeant approbatum ab Ordinario? R. Prælatos ſæculares Epiſcopis inferiores probabilius non poſſe eligere approbatum ab Ordinario. Quia Trid. de Ref. ſeſſ. 23. cap. 15. decrevit neminem poſſe audire confeſſiones Sæcularium, niſi vel habeat Beneficium parochiale, vel ſit ab Epiſcopo approbatus, *Non obſtantibus quibuſcunque privilegiis & conſuetudine etiam immemorabili*. Nonnulli quidem exiſtimant hanc licentiam a Tridentino non fuiſſe abrogatam, quia quæ ſunt redacta in corpus juris, non ſunt pura privilegia, ſed Leges & Canones. Cæterum, ut minimum ſaltem res eſt dubia, adeoque cum periculo nullitatis Sacramenti ad praxim non reducenda. Quoad Prælatos Regulares poſſunt eligere etiam non approbatum ab Epiſcopo: quia Trid. nihil innovavit circa Confeſſionem Regularium.

A conſuetudine. Non quod ſola conſuetudo poſſit juriſdictionem conferre, cum neceſſario debeat a Superioribus procedere, ſed quod ſit teſtis & ſignum moraliter certum taciti conſenſus Superioris. Unde talis juriſdictio ad ejus nutum eſt revocabilis, non obſtante conſuetudine. Ex hoc capite Paſtores & ſimplices Sacerdotes Sæculares, poſſunt ſibi Confeſſarium eligere, modo ſit approbatus, quia Prælati omnes & Parochi in id conſentiunt propter commoditatem ſacrificandi. Dixi *modo ſit approbatus*, quod patet tum ex modo dictis, tum ex hac propoſitione condemnata ab Alexandro VII. *Qui Beneficium curatum habent, poſſunt ſibi eligere in Confeſſarium ſimplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario*. Huc etiam revocari poſſunt iter agentes & peregrinantes, qui quamvis domicilium retineant, poſſunt tamen confiteri Parocho illius loci, ad quem perveniunt, vel alteri pro tali loco approbato, ſi tamen hoc non fiat in fraudem, ut vitetur proprius Sacerdos, vel niſi accedant ad privilegiatum, ut jam diximus de juriſdictione ordinaria; ad quem videntur etiam peregrinantes poſſe revocari.

Petes 3. Utrum ad delegationem ab homine ſufficiat ratihabitio ſperata, ſeu præſumptio conſenſus futuri illius, qui delegare poteſt? R. Nec ratihabitio ſperata de futuro, nec præſumptio conſenſus futuri delegantis ſufficit ad delegationem: quia ad validitatem abſolutionis requiritur juriſdictio actualis in eo qui abſolvit. Atqui dum eſt tantum ratihabitio ſperata de futuro, ſeu præſumptio futuri tantum conſenſus delegantis, non adeſt juriſdictio tempore abſolutionis, ſed ſperatur tantum poſtea futura. Ergo oppoſita tamen ratione ſuffi it ratihabitio de præſenti, ſeu præſumptio fundata conſenſus præſentis delegantis, ſi tamen revera adſit talis conſenſus; quia ſi revera non adeſſet, quantumvis fundata & rationabilis ejus foret præſumptio, non haberetur juriſdictio delegata, quæ neceſſario dimanat ab actuali, & vero conſenſu delegantis juriſdictione ordinaria gaudentis. Unde non eſt de facili uſurpanda juriſdictio ex tali præſumptione taciti conſenſus, ſed merito expreſſus requiri debet, ubi haberi poteſt. Quod enim dicitur ſufficere, ſi ordinarius videat & taceat, ſeu non contradicat, verum quidem eſſe poteſt, ſed non ita ſemper, cum poſſit non conſentire, & tamen tacere, quia vel timet rixas, vel putat alium aliunde habere juriſdictionem. An autem ſufficeret voluntas interior delegantis nullo ſigno externo manifeſtata? Reſpondet Sylvius hic quæſtiuncula prima negative; quia, inquit, talis poteſtas debet conferri humano modo.

§. II. Reſolvitur quæſtio propoſita in titulo Articuli.

DIco. (*Supp. q. 8. a. 4. a.*) Non omnis Sacerdos eſt legitimus Miniſter Confeſſionis; ſed præter poteſtatem Ordinis requiritur juriſdictio. Prob. 1. ex Canone *Omnis utriuſque ſexus* Concilii Lateran. in quo ſtatuitur, quod omnis fidelis debeat ſaltem ſemel in anno confiteri proprio Sacerdoti, vel alteri de ejus licentia. Prob. 2. Auctoritate & ratione Concilii Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. ubi ait: *Natura & ratio judicii illud expoſcit, ut ſententia in ſubditos dumtaxat feratur. Et ideo in Eccleſia Dei perſuaſum ſemper fuit, & veriſſimum eſſe Synodus hæc confirmat, nullius momenti abſolutionem eſſe debere, quam Sacerdos*

Digitized by Google

in eum profert, in quem ordinariam aut delegatam non habet juriſdictionem.

Prob. 3. (*Ibid. o.*) Oportet, quod ille, qui diſpenſator hujus Sacramenti conſtituitur, ſit talis, qui poſſit imperare aliquid agendum, eum Sacerdos non abſolvat, niſi obligando ad aliquid faciendum. Atqui imperium non competit alicui in alium, niſi qui habet ſuper eum juriſdictionem. Ergo de neceſſitate hujus Sacramenti eſt, non ſolum ut Miniſter habeat Ordinem ſicut in aliis Sacramentis, ſed etiam ut habeat juriſdictionem. Et ideo ſicut ille, qui non eſt Sacerdos, non poteſt hoc Sacramentum conferre, ita nec ille, qui non habet juriſdictionem. Ex his patet Concluſionem eſſe veram non ſolum jure Eccleſiaſtico, ſed etiam divino, cum fundetur in natura Sacramenti, ut inſtituti a Chriſto per modum judicii. Unde Bonifacius Papa cap. *Si Epiſcopus* de pœnit. & remiſſ. in 6. *Nulla*, inquit, *poteſt conſuetudine induci, quod aliquis præter ſui Superioris licentiam Confeſſorem ſibi eligere valeat, qui eum poſſit ſolvere aut ligare.* Quod autem nulla conſuetudine abrogari poteſt, juris eſt divini vel naturalis. Patet inſuper, cur in adminiſtratione aliorum Sacramentorum non requiratur juriſdictio, ſic quod omnis Sacerdos, ſive excommunicatus, ſive ſuſpenſus, ſive degradatus, valide, licet illicite, baptizet, conſecret, ungat, &c. quia hæc Sacramenta non ſunt inſtituta per modum judicii, nec ideo requirunt juriſdictionem ſicut Sacramentum Pœnitentiæ.

Solvuntur Objectiones,

OBj. 1. Omnis Sacerdos in ſua Ordinatione accipit poteſtatem abſolvendi a peccatis, dum ei dicitur: *Accipe Spiritum S. quorum remiſeris peccata, remittuntur eis.* Ergo R. D. Ant. Omnis Sacerdos in ſua Ordinatione accipit poteſtatem abſolvendi a peccatis phyſicam ſeu Ordinis, C. Ant. Moralem ſeu juriſdictionis, N. Vel aliter: accipit poteſtatem abſolvendi incompletam, C. Completam, N. Solutio patet ex 2. Petitione §. præcedentis. Pro cujus majori intelligentia obſervandum eſt inſuper Sacerdotem in ſua ordinatione accipere duas poteſtates, unam in corporis Chriſti verum, dum porrectis inſtrumentis dicitur ipſi: *Accipe poteſtatem celebrandi*; alteram in corpus Chriſti myſticum ſeu in fideles judicialiter abſolvendos ſeu ligandos, dum poſtea ipſi dicitur *Accipe Spiritum S.* &c. (Quidam tamen exiſtimant utramque ſimul accipere, dum confertur ipſi Ordo & character ſacramentalis, in prolatione ſcilicet primorum verborum cum porrectione materiæ: ſed quia Epiſcopus non poteſt omnia ſimul proferre, poſtea dicit *accipe Spiritum S.* &c. ut explicativum jam traditæ poteſtatis). Utraſque poteſtas eſt phyſica, quia effectus utriuſque, ſcilicet conſecratio corporis Chriſti & abſolutio a peccatis per collationem gratiæ, ſunt phyſici. De 1. non procedit argumentum, ſed de 2. tantum. At neque illa eſt omnino completa ſine morali poteſtate juriſdictionis, ſeu niſi deſignetur materia, in quam poſſit exerceri; ſicut in naturalibus cauſa phyſica non producit effectum, niſi applicetur materiæ: & in moralibus homo inſtructus ſcientia, probitate & aliis conditionibus phyſicis ad judicandum, nihil efficere poteſt ſine juriſdictione & deputatione a Principe; imo ab eo conſtitutus indeterminate Judex nec quidquam efficere poteſt, niſi determinentur & aſſignentur ipſi ſubditi, in quos illam poteſtatem exercere valeat, ut diximus loco cit. Unde licet juriſdictio non ſit cauſa efficiens gratiæ remiſſivæ peccatorum, eſt tamen conditio inſuppletibiliter requiſita ad hoc, ut potentia Ordinis phyſica hunc effectum phyſice producat.

Inſt. Hoc ipſo quo dicitur Sacerdotibus in ſua ordinatione: *Accipe Spiritum S. quorum remiſeris*, &c. conſtituuntur Judices omnium fidelium, ita ut in omnes conferatur eis juriſdictio. Ergo. Prob. Ant. 1. Quia alias fruſtranea eſſet illa poteſtas. 2. Quia Apoſtoli non acceperunt juriſdictionem in omnes fideles, niſi per illa verba: *Accipite Spiritum S. quorum remiſeritis* &c. 3. Quia in primitiva Eccleſia omnes Sacerdotes hoc ipſo, quo erant ordinati, poterant omnes abſolvere ſine ulla alia delegatione. 4. Quia alias dicendum foret Sacerdotes abſolvere auctoritate Eccleſiæ, & non Chriſti. Ergo. R. N. Ant. Quia, ut jam ſæpe diximus, juriſdictio non datur ſine ſubditis, in quos exerceri poſſit; per iſta verba autem in ordinatione Sacerdotum neque omnes fideles, neque aliqui determinate aſſignantur ut ſubditi Sacerdotis conſecrati: non aliqui determinate, ut patet, ut neque omnes, tum quia id non exprimitur, tum quia alias omnes forent proprii Sacerdotes, nullus alienus contra mentem, Traditionem, & Decreta Eccleſiæ. Item omnes forent æquales Papæ & Epiſcopis in abſolvendo: unde confuſio & totius Ordinis Eccleſiaſtici inverſio orietur.

Ad 1. probat. N. Ant. Quia iſta poteſtas Ordinis eſt neceſſario requiſita, ut in ea fundetur juriſdictio; ita ut nulli non Sacerdoti poſſit talis juriſdictio abſolvendi a peccatis conferri, ut patet ex art. præcedenti: & quia illa juriſdictio non eſt poteſtas phyſica producendi gratiam remiſſivam peccati, ſed tantum conditio, ut dictum eſt. Ad 2. R. Apoſtolos præter poteſtatem Ordinis accepiſſe etiam poteſtatem juriſdictionis immediate a Chriſto, non præciſe vi iſtorum verborum: *Accipite Spiritum S. quorum remiſeritis*, &c. ſed e peculiari Chriſti intentione, quæ ſignificata eſt per miſſionem, qua eos mittit cum auctoritate Apoſtolica in univerſum mundum; *ſicut miſit me vivens Pater*, inquit, *& ego mitto vos, accipite Spiritum S.* &c. Quamvis autem Sacerdotibus in ordinatione dicatur: *Quorum remiſeritis peccata*, &c. non mittuntur tamen, neque ſicut Apoſtoli conſtituuntur Doctores & Paſtores, ſed accipiunt dumtaxat poteſtatem phyſicam Ordinis remittendorum peccatorum, ſuper quam fundari poſſit poteſtas juriſdictionis, ſi a Superiore detur. Unde Sacerdotes ſunt Apoſtolorum Succeſſores quoad characterem ſacerdotalem & poteſtatem Ordinis tantum, non quoad juriſdictionem, Apoſtolatum & Paſtoratum. Ad tertium, N. Ant. Licet enim in exordio Eccleſiæ, cum parvus eſſet credentium & Sacerdotum numerus, nec adhuc facta eſſet diviſio in Epiſcopatus & Parochias, cuilibet Sacerdoti ſtatim ac erat ordinatus conferebatur juriſdictio; id tamen non habebat præciſe vi ordinationis, ſed vi delegationis & deputationis, quæ vel includebatur in ipſa ordinatione ex ſpeciali intentione Eccleſiæ tunc temporis, vel ſtatim, ſed ſeorſim formaliter & explicite fiebat. At nunc cum Eccleſia diviſerit Epiſcopatus & Parochias, id amplius nec facit nec intendit. Adde non conſtare etiam Sacerdotibus his primis temporibus conferri juriſdictionem in omnes fideles. Quin imo probabilius eſt eos deputari ad certa loca & perſonas. Ad 4. Quamvis poſſit dici Sacerdotem abſolvere auctoritate Eccleſiæ intelligendo de ſola juriſdictione; iſte tamen loquendi modus non admittitur; quia abſolutio eſt principaliter actus poteſtatis Ordinis, ut dictum eſt, & virtus efficax formæ eſt a Chriſto, non ab Eccleſia.

Repones. Quando aliquis accedit ad Sacerdotem, ut ipſi confiteatur, & ab ipſo abſolvatur, hoc ipſo ſe illi ſubjicit. Ergo Sacerdos habet hoc ipſo juriſdictionem in eum tanquam in ſubditum. R. hanc inſtantiam non urgere in ſententia probabili, quam ſupra expoſuimus, ſcilicet quod poteſtas Ordinis compleatur etiam ex parte principii per juriſdictionem, quod complementum non poteſt dare inferior particularis. In altera vero ſententia, N. Conſeq. Quia non pertinet ad ſubditum excitare juriſdictionem unius, ut ſe ſubjiciat juriſdictioni alterius in cauſis, quæ ſpectant Superiorem; ſed id fieri debet legitima Superioris auctoritate, quod patet in civilibus; licet enim homo poſſit ſe alteri homini ſubjicere quantum ad ea, quorum dominus eſt, & pendent ex ſuo libero arbitrio, non tamen quantum ad ea, quorum ipſe dominus non eſt, & quæ pendent ex Superiore; ſic v. gr. reus læſæ Majeſtatis non poteſt ſubjici cui vult judici, ut a crimine iſto abſolvatur & obtineat veniam, ſed illi debet ſubjici, quem Rex in hac cauſa conſtituit & delegavit Judicem, quia remiſſio hujus criminis non ad ipſum, ſed ad Regem pertinet. Ita in noſtro caſu.

Obj. 2. Papa poteſt abſolvi. Atqui nullus habet juriſdictionem in ipſum. Ergo. R. D. Min. (*Ibid. a. ad 4.*) Nullus habet juriſdictionem in ipſum ut Papam, C. Min. Ut peccatorem, N. Min. Per peccatum enim fit inferior apud Deum, ſicut unus Medicus curatur ab alio, non ut Medicus, ſed ut infirmus.

Si vero petas, a quo Confeſſarius Papæ habet in eum juriſdictionem, an a Chriſto, an ab ipſo Papa? Videtur probabilius, quod ab ipſo Papa: licet enim Papa non habeat juriſdictionem hoc ſenſu in ſeipſum, ut ſe abſolvat, quia reus & judex debent eſſe perſonæ diſtinctæ; attamen ut Vicarius Chriſti cenſetur ſuperior ſeipſo ut peccatore, & ut ſic poteſt alteri conferre juriſdictionem exercendam in in ſeipſum in foro conſcientiæ. (*Hic q. 22. a. 4. ad 3.*) Nec tamen ſequitur, quod poſſit etiam conferre alteri juriſdictionem in ſeipſum in foro exteriori, puta ut ipſum excommunicet, quia abſolutio & ligatio in foro Confeſſionis eſt quoad Deum tantum, apud quem aliquis alio ſuperior redditur inferior per peccatum; ſed in judicio exteriori aliquis non amittit ſuperioritatem ex hoc ipſo quod peccat.

Obj. 3. In eo, quod eſt neceſſarium ad ſalutem, non oportet homines arctari. Atqui magna nimis arctatio videtur, ſi oporteat uni homini confiteri, & per hoc multi poſſent a Confeſſione retrahi, vel timore, vel verecundia, vel aliquo alio hujuſmodi. Ergo. R. N. Min. (*Ib. ad 6.*) Sufficiens enim ſternitur ad ſalutem via, tum quia ſufficienter multiplicantur proprii Sacerdotes, tum quia faciles debent eſſe in concedenda licentia alteri confitendi: *Peccaret enim Sacerdos*, inquit D. Th. hic ad 6. *ſi non eſſet facilis ad præbendam licentiam alteri confitendi, quia multi ſunt adeo infirmi, quod potius ſine Confeſſione morerentur, quam*

tali Sacerdoti confiterentur. Unde illi, qui ſunt nimis ſolliciti, ut conſcientias ſubditorum per Confeſſionem ſciant, multi laqueum damnationis injiciunt, & per conſequens ſibi ipſis. Hæc verba ſunt notatu digna.

Obj. 4. Quilibet Sacerdos habet poteſtatem completam abſolvendi a venialibus & mortalibus jam remiſſis. Ergo & ab aliis mortalibus. R. probabilius cum Sylvio & pluribus aliis, N. Ant. 1. Quia licet venialia & mortalia jam remiſſa ſint materia libera Confeſſionis; attamen eorum abſolutio eſt actus judicii & uſus clavium, ideoque debet proficiſci ab habente juriſdictionem. 2. Sine juriſdictione non eſt poteſtas ligandi ad pœnam. Quod autem quidam, inter quos noviſſime Tournely, dicunt Eccleſiam in hoc caſu tacito conſenſu conferre juriſdictionem neceſſariam, plane gratuitum eſt, & nullo fundamento nixum, præſertim poſt Decretum Trid. ſeſſ. 23. c. 15. de Ref. quo declarat generaliter nullum Sacerdotum poſſe excipere Confeſſiones Sæcularium ſine Epiſcopi approbatione. Quo Decreto conſuetudini contrariæ, ſi aliquando fuerit, derogatum eſt; quidam addunt eſſe abrogatum Decreto Innocentii XI. 16. Februarii 1679.

Si dicas S. Th. id innuere infra, dum dicit remiſſionem venialium ſequi poteſtatem Ordinis. R. S. Th. loqui de remiſſione venialium, quæ fit per collationem cujuslibet vel Sacramenti vel ſacramentalis, non per abſolutionem ſacramentalem, ſimul enim loquitur de abſolutione & ſui, & æqualis ſuperioris; conſtat autem, quod nec a venialibus aliquis poſſit ſeipſum ſacramentaliter abſolvere. Vel dicendum S. Th. loqui ſecundum praxim ſui temporis, ſi tamen viguerit. Poſſet inſuper objici, quod quilibet Sacerdos poſſit abſolvere in articulo mortis, ſed de hoc argomento infra ex profeſſo agemus.

ARTICULUS III.

Utrum Confeſſio annua facta alteri quam Sacerdoti Parochiali, de licentia ſuperioris, ſit valida & licita?

QUÆSTIO hæc movetur occaſione famoſi Canonis Concilii Lateran. IV. *Omnis utriuſque ſexus* de quo jam ſupra, in quo ſic ſtatuitur: *Omnis utriuſque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua ſolus peccata confiteatur fideliter, ſaltem ſemel in anno proprio Sacerdoti... ſi quis autem alieno Sacerdoti voluerit, juſta de cauſa, ſua confiteri peccata, licentiam prius poſtulet & obtineat a proprio Sacerdote, cum aliter ille ipſe non poſſet abſolvere*. Et adverte quæſtionem eſſe de ſola Confeſſione annua, de ea enim ſola Concilium loquitur. Tota difficultas verſatur circa ſenſum horum verborum *proprio Sacerdoti*, quis ſit ille proprius Sacerdos excluſive.

Quidam ergo contendunt nomine proprii Sacerdotis ſic intelligi Parochum, ut excludatur ſummus Pontifex & Epiſcopus, ita ut hi non poſſint aliis dare facultatem excipiendi Confeſſiones Parochianorum, imo nec ipſimet excipere ſine conſenſu & licentia Parochorum. Ita olim Gulielmus de S. Amore, quem impugnavit S. Th. Opuſc. 19. Deinde Joannes de Poliaco, quem damnavit Joannes XXII. Conſtit. *Vas Electionis* data an. 1321. Etiam nunc quidam Scioli, qui non minus inſulſe quam erronee jactant ſe & Papam & Epiſcopum eſſe in ſua Eccleſia. Quidam paulo modeſtiores dicunt Papam ea plenitudine poteſtatis poſſe diſpenſare in hac lege; non poſſe Epiſcopum, quia eſt lex generalis Eccleſiæ; at ſummos Pontifices nunquam de facto illi derogaſſe. Hæc ex una parte. Ex altera quidam volunt nomine proprii Sacerdotis Concilium intellexiſſe ſummum Pontificem, Epiſcopum, & Parochum, alii intellexiſſe ſolum Parochum, ſed non excluſis Superioribus, ſeu ſalva ſummi Pontificis in tota Eccleſia & Epiſcoporum in ſuis Diœceſibus auctoritate. Quamvis autem hæc utraque ſententia quoad rem coincidat, modus tamen loquendi in ſecundo videtur conformior menti Concilii. 1. Quia Concilium Can. 23. dicit: *Illud autem penitus interdicimus, ne quis in fraudem de proventibus Eccleſiæ, quæ curam* proprii Sacerdotis *debet habere, penſionem alii quaſi pro Beneficio conferre præſumat*. Ubi nomine proprii Sacerdotis certo intelligit Parochialem. Ergo ſimiliter Canone 21. *Omnis utriuſque ſexus*. 2. Idem eruitur ex ſcopo Concilii in hoc Canone edendo. Tunc temporis abuſus irrepſerat, ut Parochi tot quot poſſent Parochianos ex aliis Parochiis ad ſe attraherent pro Confeſſione annua, ut ex eis decimas perciperent. Erat enim tunc communiter receptum decimas eſſe perſolvendas ei, qui Sacramenta tempore Paſchali adminiſtraſſet. Hæc teſtantur monumenta Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, Theodulphus Epiſcopus Aurelianenſis in ſuo Mandato anni 797. c. 5. Capitularia Regum Galliæ l. 7. c. 43. & 68. Decretum Gratiani 2. p. Diſt. 6. de Pœni. item cauſa 33. q. 3. c. *Cum pluribus*, &c. Huic itaque abuſui & fraudi ut occurreret Concilium, ſancivit neminem poſſe Confeſſionem annuam facere niſi proprio Sacerdoti, aut alteri de ejus licentia, quod plane intelligitur de Sacerdote Parochiali. 3. Quia ſic intellexerunt Innocentius IV. Conſtit. data Neapoli, Benedictus XI. Extravaganti *Inter cunctas*, & plura Concilia particularia apud Natalem Alexandrum & Honor. Tournely; ita etiam intellexit S. Th. dum hic a. 5. quærit, utrum aliquis poſſit alteri quam proprio Sacerdoti confiteri ex Privilegio ſeu Mandato Superioris, ubi perſpicuum eſt nomine proprii Sacerdotis ipſum intelligere Parochialem. His non obſtantibus,

Dico. (*Supp. q. 8. a. 5. c.*) Confeſſio annua facta cuilibet Sacerdoti a ſum. Pontifice, vel ab Epiſcopo delegato & approbato, non requiſito conſenſu Sacerdotis Parochialis, imo eo contradicente, eſt valida & licita, eaque ſatisfit Canoni, *Omnis utriuſque ſexus*. Prob. 1. ex ipſo Canone laudato. Poſt impoſitum a Concilio præceptum cuilibet fideli ſemel in anno confitendi proprio Sacerdoti, additur, *Si quis* ALIENO SACERDOTI *voluerit juſta de cauſa ſua confiteri peccata, licentiam prius poſtulet & obtineat a* PROPRIO SACERDOTE. Manifeſtum eſt proprium Sacerdotem ibi ſumi, prout opponitur alieno, non prout opponitur communi, ſicque jura ſummi Pontificis & Epiſcoporum, qui ſunt Paſtores communes & non alieni, ſarta tecta manere, & eos nunc poſſe, quod ante Canonem editum poterant. Atqui ante Canonem poterant, ſum. Pontifex in tota Eccleſia, Epiſcopi in ſuis Diœceſibus delegare quem vellent ad excipiendas Confeſſiones fidelium. Ergo id nunc poſſunt, & qui ſic delegatis & approbatis confitetur, ſatisfacit Canoni.

Confir. Hanc ipſimet poteſtatem in eodem Concilio exercuerunt, dum Canone 1. ſtatuerunt *Tum in Cathedralibus, quam in aliis Conventualibus Eccleſiis viros idoneos ordinari, quos Epiſcopi poſſint Coadjutores & Cooperatores habere, non ſolum in prædicationis Officio, verum etiam in audiendis Confeſſionibus & Pœnitentiis ac cæteris, quæ ad ſalutem pertinent animarum*. Ecquis ſanæ mentis credat ſum. Pontificem & Epiſcopos in Concilio voluiſſe in gratiam Parochorum a ſe abdicare poteſtatem, quam habent jure divino, & quæ ideo inabdicabilis eſt? Quis credat Papam & Epiſcopum teneri petere licentiam Parochi ad excipiendas Confeſſiones fidelium Parocho ſubditorum? Hæc qui credit, ſomniis paſci delectatur. Non ergo Papa, non Epiſcopus ſunt alieni Sacerdotes, conſequenter non eos tangit Canon, ſed alios Sacerdotes parochiales, qui, ut dixi, ex avaritia mittebant falcem in meſſem alienam.

Prob. 2. (*Ib. in n. ſ. c.*) Rationibus Auctoris, quæ in idem collimant. 1. Ea, quæ ſunt Ordinis, poſſunt habenti ſimilem Ordinem committi ab eo, qui ea facere poteſt. Atqui adminiſtrare Sacramentum Pœnitentiæ eſt poteſtatis Ordinis, & ſuperior, ut Epiſcopus, poteſt Confeſſionem audire illius, qui eſt de parochia alicujus Presbyteri. Ergo etiam poteſt committere alicui Sacerdoti, quod ipſum audiat. Min. pro 1. parte patet. Secunda eſt luce clarior, ita ut intolerabilis pervicaciæ eſſet eam negare: Epiſcopus enim eſt principalior Rector omnium ſuorum Diœceſanorum, a quo tota Parochi juriſdictio dimanat, & qui poteſt ipſi reſervare, & de facto quædam reſervat, juriſdictionem limitando. 2. Quidquid poteſt inferior, poteſt ſuperior. Atqui ipſe Sacerdos poteſt ſuo Parochiano dare licentiam, ut alteri confiteatur. Ergo multo fortius ejus ſuperior hoc poteſt. 3. Poteſtatem, quam habet Sacerdos in populo, habet ab Epiſcopo. Atqui ex illa poteſtate poteſt Sacerdos, confeſſionem audire. Ergo & eadem ratione alios, cui Epiſcopus poteſtatem concedit, (*Ib. o.*) 4. Quod aliquis Sacerdos impediatur, ne alicujus Confeſſionem audiat, eſt propter defectum juriſdictionis, vel propter impedimentum executionis Ordinis, ſicut excommunicati & degradati & hujuſmodi. Atqui hoc utrumque impedimentum poteſt tolli per Superiorem independenter a proprio Sacerdote Parochiali. Ergo. Prob. Min. pro prima parte. Qui habet immediatam juriſdictionem in Pœnitentes, poteſt illam cuilibet Sacerdoti committere. Atqui non ſolus Sacerdos Parochialis, ſed & multo magis Epiſcopus in Diœceſanos & Papa in omnes fideles habet juriſdictionem immediatam, quod patet ex caſibus, quos ſibi reſervant, & ex hoc quod ab ipſis ipſi Parochi habeant juriſdictionem ſuam. Ergo. Secunda pars Min. eſt evidens. Multo magis enim pertinet ad Epiſcopos aut Papam tollere impedimentum Cenſurarum aut degradationis, quam ad Parochum. Ergo.

Confir. Qui confeſſionem annuam Papæ vel Epiſcopo faceret, ſatisfaceret Canoni, vel non. Si primum dicas. Ergo Papa & Epiſcopus ſunt proprius Sacerdos ad ſenſum Concilii, ſeu ſaltem non excluduntur, & qui confiteretur alteri delegato ab alterutro, confiteretur illi de licentia proprii Sacerdotis. Si ſecundum dicas, ne repetam id eſſe plane abſurdum, quæro, cui confitebitur, & quomodo ſatisfaciet Canoni Pœnitens, ſi forte non habeat niſi peccata reſervata Pontifici vel Epiſcopo?

Prob.

Prob. 3. variis Conſtitotionibus ſum. Pontificom, qoi poſt Concilium Loteran. declararunt validam eſſa annoam Cooſeſſiooem ſactom Regularibus privilegiatis & spprobetis, & per eom ſatisfieri Canoni *Omnis utriuſque ſexus*. 1. Joanoes XXII. Conſtit. *Vas electionis*, data ao. 1321. ioſerta jun communi l. 5. Extravag. commonlum damnavit banc propoſitionem Joaonis de Polioco: *Confeſſi Fratribus habentibus licentiam generalem audiendi Confeſſiones tenentur eadem peccata, quæ confeſſi fuerant, iterum confiteri proprio Sacerdoti*. Et hanc alteram: *Stante omnis utriuſque ſexus edicto in Concilio generali, Romanus Pontifex non poteſt facere, ut Parochiani non teneantur omnia peccata ſemel in anno proprio Sacerdoti confiteri, quem conſtat eſſe Parochialem Curatum*. Idem Alexandet V. anno 1409. Bulla *Regnans in Cœlis*.

2. Leo X. Conſtit. *Dum intra mentis arcana*, confirmata in Concilio Lateranenſi X. ao. 1516. de Regolaribos ſic ſtatuit: *Poſſunt illi per Episcopos & Prælatos ſuper ſufficienti litteratura & aliqua ſaltem ejuſdem Sacramenti peritia dumtaxat examinari; talibuſque præſentatis, admiſſis, vel etiam indebite recuſatis confitentes Conſtitutioni, quæ incipit* Omnis utriuſque ſexus, *quoad Confeſſionem dumtaxat ſatisfeciſſe cenſeantur*. Nota tamen has particulas, vel *etiam indebite recuſatis*, eſſe revocatas per Concilium Trid. & per condemnationam hojus propoſitionis ab Alexandro VII. *Satisfacit præcepto Confeſſionis annuæ, qui confitetur Regulari, Epiſcopo præſentato, ſed ab eo injuſte reprobato*. Cæteris in ſuo robore permaneotibus. Reſpondet Juenin hanc Conſtitutionem Leonis X. in nulla orbis Chriſtiani Provincia locum habere, qoia in Syoodo Auguſtana, Mediolanenſi, Rhemenſi, & Burdigolenſi præcipitur ſervari Canonem Lateranenſem. Egregie ſana. Nonquid & Conſtitutio Joannis XXII. relata in corpus juris, & aliæ Conſtitotiones & decreta, quæ modo retulimus, in nulla Orbis Chriſtiani Provincia habent locum? Nunqoid quatuor Synodi Provinciales faciunt omnes Orbis Provincias? Et eſto. Nunquid iſtæ quatuor Synodi contradicunt Conſtitutioni Leonis? Minime gentium. Dicunt ſervandum eſſe Canonem Lateranenſem: ita eſt. Neque id negat Leo, ſed declarat dumtaxat ſervari per Confeſſionem factam Regularibus de licentia Papæ.

3. Clemens VIII. in Brevi dato 1692. contra quoſdam Parochos Duacenſes, qui hac de re Regulares vexabant, dixit: *Præſenti noſtro decreto ſancimus licere ſæcularibus Chriſtifidelibus univerſis, libere Miſſas audire . . . & tam dictis Fratribus & Presbyteris dictæ Societatis aliiſque privilegiatis, quibus id a Sede Apoſtolica indultum eſt, idoneis tamen & ab Ordinario approbatis, peccata ſua etiam Quadrageſimali & Paſchali & quovis alio tempore confiteri licite poſſe, dummodo tamen iidem Sæculares Chriſtifideles Sacramentum Euchariſtiæ in propria Parochia ab earum Parochis ſumant*. Quid huic Brevi reſpondeat Juenin dicam in Sol Obj.

4. Innocentius X. orta controverſia inter Archiepiſcopum Burdigolenſem & Regulares de Confeſſionum exceptione tempore Paſchali de Conſilio S. Congregationis an. 1641. decrevit *Archiepiſcopum Burdigolenſem non poſſe prohibere Regularibus habentibus privilegia Apoſtolica, ut a Dominica Palmarum uſque ad Dominicam in albis incluſive adminiſtrare non valeant perſonis Sæcularibus Sacramentum Confeſſionis, poſſe tamen iiſdem prohibere ut perſonis Sæcularibus in die Paſchatis non adminiſtrent ſactiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, etiamſi dictæ perſonæ Sæculares in alia die ſatisfecerint præcepto Eccleſiæ hac de re edito*. Quod Breve fuit in Gallia receptom & executioni mandatum ſacra Regis Chriſtianiſſimi juſſione, quæ eſt hujus tenoris. *Louis par la grace de Dieu Roi de France & de Navarre, au premier notre Haiſſier ou Sergent ſur ce requis. Nos bien-aimès les Superieurs & Religieux de Convens des Freres Precheurs, Auguſtins, Recollets, Carmes, Jeſuites & de la Nercy de notr bonne Ville de Bourdeaux, nous ont fait expoſer &c. &c. . . . A ces cauſes de l'avis de notre Conſeil, qui n vu le dit Bref ci attachè ſous le contreſcel de notre Chancellerie, & qu' il ne s' eſt trouvè en icelui aucune choſe contraire aux Privileges de l' Egliſe Gallicane, Nous te mandons & commandos que tu mette en execution le dit Bref ſelon ſa forme & teneure: & n cet affet tu feras tous exploits requis & neceſſaires, ſans pour ce demander autre permiſſion: Car tel eſt notre plaiſir. Donnè n Paris ce onziene jour de Mars, l' an de grace mil ſix cent quarante cinq, & de notre Regne le deuxieme. Par le* ROI *en ſon Conceil. Signè*. D' AUDIGNER. Typis Pariſienſibus Guillelmi Saſſier Vico Des Ardiers prope Sorbonam ad inſigne duarum Turturum an. 1645.

5. Clemens X. Conſtit. *Superna* an. 1679. declaravit *Regulares ſimpliciter ab Ordinariis approbatos poſſe in Diœceſi Epiſcopi approbantis, quovis anni tempore etiam Paſchali & quorumcunque etiam infirmorum Confeſſiones audire, abſque ulla Parochorum vel ipſius Epiſcopi licentia . . . Et eos, qui dictis Religioſis ſimpliciter approbatis Paſchali tempore confeſſi fuerint, Conſtitutioni, quæ incipit* Omnis utriuſque ſexus, *quoad Confeſſionem dumtaxat ſatisfeciſſe cenſendos*. Mitto plura Concilia Provincialia, Scholarum Principes S. Th., S. Bonaventuram, Durandom, Henricum a Gandavo: ex Recentioribus Gamachæum, Iſambertum, Franciſcom Harlæom Archiepiſcopum Pariſienſem, Natalem Alexandrom, Tourneliom, hos omnes Doctores Sorbonicos, qoi idem docent. Hæc ſequentia dumtaxat ſpecialiter notanda arbitror. Clerus Gallicanus in comitiis generalibus an. 1655. in Ep. encyclica adverſus librum cujoſdam Anonymi inter plora, quæ conclofionem noſtram aſſerunt, dicit: *Fideles, qui Paſchalis Communionis gratia confitentur non ſolum ſuis Epiſcopis, eorum Vicariis Generalibus & Pœnitentiariis, verum etiam quibuslibet Sacerdotibus vel Regularibus ab Epiſcopis ad hanc functionem approbatis, ejuſdem Concilii* (Lateraneoſis) *præceptum de annua Confeſſione adimplere*. Et Paſtores Pariſienſes in declaratione oblata Clero Gallicano ann. 1655. agnoverunt *Epiſcopos proprios eſſe Sacerdotes, qui jure divino & quidem Superiori & immediato poſſunt fidelibus verbum Dei annunciare, Sacramenta adminiſtrare, & quibus voluerint ea adminiſtrandi facultatem concedere*.

Solvuntur Objectiones.

OBj. 1. Canonem laudatom *Omnis* &c., qui debet intelligi de Sacerdote porochiali. Ergo. At liquet ex dictis, quod conceſſo Ant. negenda ſit Conſequentia: quia ſic intelligendus eſt de Sacerdote parochiali, ut non excludantor Superiores, Papa ſcilicet & Epiſcopus.

Inſt. Si nomine Sacerdotis proprii veniant Papa & Epiſcopi, aot ſaltem non excludantur, inutilis eſſet laudatus Canon, com nemo unquam negaverit neceſſariam eſſe juriſdictionem ſive ordioariam ſiva delegatam ad excipiendas valide Confeſſiones. Ergo. R. N. Sequelam & ejus probationem. Et 1. non deſuerunt, qui contenderent omnem Sacerdotem vi ſuæ ordinationis poſſe audire Confeſſiones, ut patet ex articulo præced. Et S. Th. refert Opuſc. 19. qooſdam fuiſſe, & adhuc eſſe in ſuo tempore, *qui poteſtatem Eccleſiaſtici Miniſterii in vitæ ſanctitate ponebant, ut videlicet qui ſanctitate caruerit, Ordinis quoque poteſtatem amittat, & qui ſanctitate fulgerat, etiam Ordinis poteſtate potiatur . . . ex hujus autem erroris radice proceſſit qaorundam præſumptio, & præcipue quorumdam Monachorum, qui de ſua ſanctitate præſumentes Miniſtrorum Eccleſiæ officia proprio arbitrio uſurpabant, abſolvendo ſcilicet peccatores, & prædicando abſque alicujus auctoritate Epiſcopi, quod nullatenus eis licebat*. 2. Ut obſervavimus, tunc temporis irrepſerat abuſus, quo Parochi ex avaritia alienos Parochianos ad ſe attrahebant, ipſiſque ſine juriſdictione Sacramentum Pœnitentiæ impendebant perceptuſi ab eis decimas. His itaque erroribus & abuſibus utiliter, & provide occurrit laudatus Canon.

Obj. 2. Martinus IV. ao. 1281. conſtit. *Ad uberes fructus* dicit: *Volumus, quod ii, qui fratribus confitebuntur eiſdem, ſuis Presbyteris Parochialibus confiteri ſaltem ſemel in anno, prout Concilium generale ſtatuit, teneantur*. Ergo. R. cum Sylvio & aliis huic Conſtitutioni Martini IV. derogatum eſſe per ſequentes Pontifices a nobis laudatos.

Inſt. 1. Sixtus IV. Extrav. *Vices illius* de Treuga & pace, l. 1. tit. 9. data 1487. jobet, ut *Mendicantes deſiſtant prædicare, quod Parochiani non ſint obligati ſaltem in Paſchate proprio Sacerdoti confiteri, quia de jure tenetur Parochianus ſaltem in Paſchate proprio Sacerdoti confiteri*. Ergo. R. Nos non prædicare, nec dicere Parochianos non teneri confiteri ſaltem in Paſchate proprio Sacerdoti; ſcimos enim, dicimos, & prædicamus e contra eſſe præceptum Concilii Lateran. omnibus fidelibus confitendi ſemel in anno proprio Sacerdoti aut altari de ejus licentia; ſed dicimus & prædicamus huic præcepto ſatisfieri per Confeſſionem factam Papæ, Epiſcopo, eorum Pœnitentiariis, & aliis omnibus ab ipſis delegatis & approbatis. Eadem ſolutione excipies varia Concilia provincialia, in quibus aſſeritur hæc obligatio confitendi ſemel in anno proprio Sacerdoti: unde incaſſom illa nobis objiciunt adverſarii. Deinde ſi Conſtitutio Sixtina in aliquo contradiceret concluſioni noſtræ, abunde foret illi derogatum per ſequentes Pontifices.

Inſt. 2. Conſtitutiones ſequentium Pontificum, qoas pro concluſione protulimus, non ſunt receptæ in Gallia. Ergo. Ita Juenin. R. 1. Ant. eſſe manifeſte falſum de iis Conſtitutionibus, quæ ſunt inſertæ corpori juris, qualis eſt Extravag. *Vas electionis*, & de Brevi Innocentii X. ad Archiepiſcopum Burdigalenſem, quod Rex Chriſtianiſſimus ſpeciali diplomate juſſit acceptari, & executioni mandari, ut vidimus. 2. Cur quoad hunc articulum non eſſent receptæ in Gallia, cum ipſe Clerus Gallicanus, & varia ejuſdem Regni Concilia provincilia idem definiant? 3. Eſto non ſint receptæ a Gallis, poſſet tamen ab illis recipi, ſicut

Digitized by Google

ſicut ab aliis recipiuntur, iiſque ſaltem evincitur, quis ſit ex mente ſum. Pontificum ſenſus Canonis *Omnis*, &c. 4. ut poſſim valide & licite uti privilegio, non requiritur ejus promulgatio, nec ab aliis acceptatio, ſed ſufficit, quod quivis certo modo mihi innoteſcat, & ego illud acceptem, maxime ſi non ſit in alterius præjudicium, ut non eſt illud, de quo agimus, ſicut patebit ex Obj. ſeq.

Inſt. 3. cum eodem. His Decretis id unum definiri, licere ſcilicet fidelibus confiteri Mendicantibus ad Ordinem approbatis, quovis etiam paſchali tempore, at nequaquam definiri fideles per hujuſmodi Confeſſiones ſatisfacere Canoni, *Omnis utriuſque ſexus*, &c. Duo enim, inquit, hoc Canone præcipiuntur: 1. ut quiſque fidelis ſemel in anno confiteatur: 2. ut ſemel unoquoque anno apud proprium Sacerdotem confiteatur. Primo, juxta laudata Decreta, ſatisfit per Confeſſionem factam privilegiatis. At non item ſecundo. Ergo. R. 1. Aſſumptum eſſe falſum quantum ad conſtit. *Vas electionis* Joannis XXII. Conſtit. *Regnans in excelſis* Alexan. V. Conſtit. *Dum intra mentis arcana* Concil. V. Lateran. Conſtit. *Superna* Clementis X. & declarationem Cleri Gallicani in Ep. encyclica, quibus diſerte aſſeritur per Confeſſionem factam Regularibus privilegiatis ſatisfieri Canoni *Omnis utriuſque ſexus*. Inſtantia itaque non tangit niſi Decreta Clementis VIII. & Innocentii X. Unde 2. qui confitetur Regulari de licentia Papæ, aut Epiſcopi, confitetur alteri de licentia proprii Sacerdotis, ut probavimus. Ergo ſatisfacit Canoni. 3. Præceptum confitendi Parocho ſupponit præceptum confitendi ſimpliciter, Ergo ſublato præcepto confitendi, tollitur præceptum confitendi Parocho. Subſumo; atqui ex conceſſis per Confeſſionem factam privilegiatis tollitur præceptum confitendi annue; ei enim, ut fatetur arguens, per hujuſmodi Confeſſionem ſatisfit. Ergo tollitur præceptum confitendi Parocho. Niſi forte dicas eſſe *præceptum* bis eadem peccata confitendi, quod eſt damnatum a Joanne XXII. & Alexan. V. & cujus falſitas conſtat ex dictis art. 2. præced. Differt. Confeſ. 4. Laudata Decreta hoc ſolummodo requirunt ab his, qui confeſſi fuerint Regularibus tempore paſchali, ut Sacramentum Euchariſtiæ a proprio Parocho ſumant, prout præcipitur cit. Canone *Omnis utriuſque*, etiamſi in decurſu anni communicaverint. Ergo cenſet per Confeſſionem factam Regularibus ſatisfactum eſſe dicto Canoni quoad Confeſſionem faciendam proprio Sacerdoti. Alioquin non dixiſſet tantum, *Dummodo Sacramentum Euchariſtiæ a Parocho ſumant*, ſed etiam dixiſſet; dummodo iterum confiteantur Parocho. 5. Denique quæro; quid emolumenti ex hoc privilegio obveniat fidelibus, ſi annua Confeſſione legitime peracta apud privilegiatos teneatur iterum eadem peccata confiteri Parocho? Nullum ſane, ſed e contra onus graviſſimum, intolerabile, inauditum, nulla ratione, aut auctoritate probandum, ſed reprobatum a ſum. Pontificibus, ſcilicet bis confitendi eadem peccata. At forte fallor: *Maximum*, inquit Juenin, *emolumentum percipere valent ex piorum & doctorum Religioſorum conſiliis*. Optime. Sed nunquid iſtud emolumentum percipi poteſt extra Confeſſionem? Nunquid Parochi ſunt pii & docti æque ac Religioſi? Oblitus eſt hic Juenin ſui & ſociorum. Deſperata ſane cauſa, quæ non niſi his futilibus ratiunculis, & ipſi ſuo Auctori probroſis, defenditur.

Obj. 3. Non poteſt aliquod privilegium indulgeri in præjudicium alterius; ſed hoc eſſet in præjudicium alterius Sacerdotis, ſi alius Confeſſionem ſui ſubditi audiat. Ergo. R. Dato Ant. N. Min. (*Ibid. ad* 1.) Præjudicium enim non fit alicui, niſi ei ſubtrahatur, quod eſt in favorem ejus indultum: Juriſdictionis autem poteſtas non eſt commiſſa alicui homini in favorem ſuum, ſed in utilitatem plebis, & honorem Dei, & ideo ſi ſuperioribus Prælatis expedire videatur ad ſalutem plebis & honorem Dei promovendum, quod alia, quæ ſunt juriſdictionis, committant, in nullo fit præjudicium inferioribus Prælatis, niſi illis *Qui quærunt quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti*, & qui gregi *præſunt, non ut paſcant, ſed ut ab ea paſcantur*. Huc uſque S. Doctor. Quibus addi poteſt, quod potius inde onus Parochorum levatur, quam præjudicium ipſis fiat. Inſuper per tale privilegium non aufertur ab ipſis juriſdictio ordinaria, & ſic nullum fit eis præjudicium.

Inſt. 1. Illud, per quod impeditur divinum mandatum, non poteſt per mandatum vel privilegium alicujus hominis concedi; ſed mandatum divinum eſt ad Rectores Eccleſiarum, ut diligenter vultum ſui pecoris agnoſcant, Prov. 7. quod impeditur, ſi alius quam ipſe Confeſſionem ejus audiat. Ergo hoc non poteſt per alicujus hominis privilegium vel mandatum ordinari. R. N. ſecundum partem Min. ſcilicet quod iſta agnitio impediatur, &c. Nam, inquit S. Th. (*Ibid. ad* 2) Rector Eccleſiæ debet vultum pecoris ſui cognoſcere dupliciter: uno modo per ſollicitam exterioris converſationis conſiderationem, qua invigilare debet ſuper gregem ſibi commiſſum, & in hac cognitione non oportet, quod credat ſubdito, ſed certitudinem facti in quantum poteſt inquirat. Alio modo per Confeſſionis manifeſtationem, & quantum ad hanc cognitionem non poteſt habere majorem certitudinem, quam ut ſubdito credat, quia hoc eſt ad ſubveniendum conſcientiæ ipſius. Unde in foro Confeſſionis creditur homini, & pro ſe, & contra ſe, non autem in foro exterioris judicis, & ideo ad hanc cognitionem ſufficit, quod credat ſubdito dicenti ſe alteri abſolvere valenti fuiſſe confeſſum; & ſic patet, quod talis cognitio pecoris per privilegium alteri indultum de Confeſſione audienda non impeditur. Huc uſque S. Doctor. Quibus addi poteſt, quod ex foro iſto interiori non poteſt procedere Parochus ad gubernandum ſuum gregem in foro exteriori: & quod Paſtor ſufficienter agnoſcit vultum pecoris ſui, quando ipſum agnoſcit Epiſcopus vel Papa per ſe, vel per a ſe delegatos, ſicut ipſe Sacerdos parochialis, ſi aliis ipſe committeret.

Inſt. 2. Ille, qui audit Confeſſionem alicujus, eſt proprius Judex ejus, alias non poſſet eum ligare & ſolvere: ſed unius hominis non poſſunt eſſe plures proprii Sacerdotes vel Judices; quia tunc teneretur pluribus obedire, quod eſt impoſſibile, ſi contraria præciperent vel incompoſſibilia. Ergo non poteſt aliquis confiteri niſi proprio Sacerdoti etiam ex licentia ſuperioris. R. D. Min. (*Ib.*) Unius hominis non poſſunt eſſe plures Judices æquales & non ſubordinati, C. Min. Subordinati, N. Min. Igitur inconveniens eſſet, ſi duo æqualiter ſuper eandem plebem conſtituantur: ſi autem inæqualiter & ſubordinate, non eſt inconveniens. & ſecundum hoc ſuper eandem plebem immediate ſunt Sacerdos Parochialis & Epiſcopus & Papa, & quilibet eorum poteſt ea, quæ ſunt juriſdictionis ad ipſum pertinentia, alteri committere.

Inſt. 3. Papa nihil poteſt contra Decreta Conciliorum Generalium. Ergo. R. 1. N. Suppoſitum Ant. Papa enim delegando Sacerdotes ad excipiendas Confeſſiones fidelium non agit contra Decretum Concilii Lateran. ſi quidem licet in eo Decreto nomine proprii Sacerdotis intelligatur Parochialis, non excluditur tamen Papa, nec Epiſcopus, qui ſunt etiam proprii Sacerdotes hoc ſenſu, quod non ſint alieni, ſalvumque maneat jus illorum. 2. D. Ant. Papa nihil poteſt contra Decreta Conciliorum Generalium in his, quæ ſpectant fidem, C. In his quæ ſpectant diſciplinam, N.

Inſt. 4. Parochi ſunt juris divini. Ergo non poteſt illi derogari per Papam vel per Epiſcopum. R. 1. D. Ant. Sunt juris divini inferioris & ſubordinati, Tranſeat: non ſubordinati, N. Papa enim in tota Eccleſia, & Epiſcopus in ſua Diœceſi eſt magis & excellentiori modo Sacerdos proprius, quam Curatus. *Proprii Sacerdotis officium*, inquit Clerus Gallicanus in laudata Ep. encyclica, *in proprii Epiſcopi dignitate continetur*. Unde 2. N. Suppoſitum Conſequentis. Epiſcopus enim conferendo alteri poteſtatem audiendi Confeſſiones non derogat juri Sacerdotis parochialis, cum illum non privet juriſdictione ordinaria, ſed utitur ſuo.

Inſt. 5. Epiſcopus inſtituendo Parochum dedit illi juriſdictionem in Parochianos. Atqui id quod quis dat, amplius non habet. Ergo. R. D. Min. In corporalibus, C. In ſpiritualibus, N. (*Opuſc.* 19.) Ratio diſparitatis eſt, quod corporalia communicentur per tranſlationem Dominii: unde qui dedit villam aut pecunias, non habet amplius: Spiritualia autem communicantur per virtutem & actionem dantis in recipientem: Agens autem non amittit virtutem agendi, hoc ipſo quod agit. Sic qui communicat alteri ſcientiam, non propter hoc amittit illam: Epiſcopus conferens Neomyſtæ poteſtatem conſecrandi, non amittit illam. Similiter in noſtro caſu.

ARTICULUS IV.

De Juriſdictione putativa & probabili.

§. I. *De Juriſdictione putativa ex errore.*

VOco juriſdictionem putativam ex errore, quæ bona fide creditur eſſe & non eſt. Error autem vel eſt communis, id eſt omnium aut fere omnium in loco, ubi fit Confeſſio, licet alibi non ſit: vel eſt particularis & paucorum tantum. Item vel eſt cum titulo colorato vel ſine titulo. Hoc notato

Dico 1. Valida eſt Confeſſio facta Sacerdoti, qui ob titulum coloratum creditur communi errore habere juriſdictionem, quam non habet. Eſt communis ſententia Theologorum fundata in benigna interpretatione voluntatis piæ Matris Eccleſiæ, quæ in communi errore cum titulo colorato cenſetur conferre juriſdictionem ad ſingulos actus ob utilitatem publicam, ne ſcilicet innumeræ animæ in ſua bona fide pereant, aut graviſſimis crucientur ſcrupulis & anxietatibus circa ſuas Confeſſiones. Idque conformiter juri civili l. *Barbarius* ff. de officio Prætoris, ubi dicitur quod *qui communiter eſt receptus tanquam Judex, etiamſi vere Judex non ſit, ejus geſta ſunt valida*. Idque

ve-

verum videtur, etiamſi ipſe Confeſſarius eſſet in mala fide, ſciretque ſuum titulum eſſe nullum, quia licet graviter peccet uſurpando, quantum in ipſo eſt, juriſdictionem, quam revera non habet antequam Confeſſionem audiat, valet tamen ejus abſolutio; quia dum id attentat, Eccleſia in ipſo actu confert juriſdictionem, non in ipſius, ſed pœnitentium favorem.

Dixi *Sacerdoti*; quia ſi non Sacerdos, aut fœmina communiter crederetur habere juriſdictionem, etiam cum titulo colorato, nullæ prorſus forent ejus abſolutiones, quia hunc defectum, cum ſit juris divini, Eccleſia ſupplere non poteſt. Confer, quæ dixi Diſſert. 12. de Jure & Juſt. a. 1, Pet. 3. Hinc infero Sacerdotem, qui accipit Beneficium paſtorale cum impedimento occulto, puta ſimoniace, ratione cujus collatio eſt nulla, & habetur communiter Paſtor, valide abſolvere; ſimiliter eum, cujus juriſdictio ad tempus delegata finita eſt, aut occulte revocata, dum ſe pro Confeſſario gerit ut ante.

Dico 2. Videtur etiam valida Confeſſio facta Sacerdoti, qui ſine titulo creditur communiter habere juriſdictionem, quam non habet. Quamvis hæc Concluſio non ſit tam communis & tam certa, quam præcedens, eſt tamen plurium graviorum Theologorum, & videtur mihi probabilior; quia poſito errore communi, etiam ſine titulo colorato, quod talis habeat juriſdictionem, ſi illam non ſuppleat Eccleſia, eadem omnino inconvenientia ſequuntur, ac in præced. Concluſione, quibus obviare eſt pariter impoſſibile. Si dicas imprudentiam eſſe admittere aliquem tanquam Confeſſarium ſine exhibitione tituli; Eccleſiam autem non favere imprudentibus. R. Equidem imprudentiam eſſe in iis, ad quos ſpectat ex officio inſpicere & providere, ne falſi pro veris Miniſtris admittantur, quales ſunt Epiſcopi, Paſtores, Magiſtratus, &c. At dici non poteſt eſſe imprudentiam reſpectu plebis, quæ nec ſolet, nec ex officio debet inquirere de veritate Miniſtrorum, ſed ſuperiorum vigilantiæ remittere. Unde reſpectu plebis vix eſt error communis ſine aliquo titulo apparenti, qualis eſt v. g. conſenſus Parochi, vel Superiorum, ſilentium & fides aliorum. &c.

Petes utrum iſtæ duæ Concluſiones currant etiam pro caſibus reſervatis? R. ut videtur mihi probabilius, affirmative. Scio quoſdam contradicere; quia Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. dicit Sacerdotes extra articulum mortis nihil poſſe in caſus reſervatos. Verum neque aliquid poſſunt in caſus communes ſine juriſdictione. Si ut ergo dum illam non habent in caſus communes, Eccleſia in errore communi illis in actuali exercitio confert ob commune bonum, ita pariter ob eandem rationem confert in caſus reſervatos.

Si dicas circa caſus reſervatos vix poſſe dari errorem communem, quamvis ſoleat dari neſcientia: non enim Confeſſarii ſolent manifeſtare pœnitentibus ſe habere vel non habere facultatem abſolvendi a reſervatis. At vero poteſtas communis abſolvendi omnibus manifeſtatur, ut primum Sacerdos ſedet in confeſſionali. R. equidem ob rationem datam rarius dari errorem communem juriſdictionis circa reſervata, quam circa communia. Poteſt tamen dari, ſive ex declaratione ipſius Confeſſarii aut Literis fictis; ſive ex officio, cui conſuetum eſt annecti juriſdictio in reſervata, ut ſunt magni Pœnitentiarii in Cathedralibus, Capellani in Caſtris, ſive ex uſu Diœceſis, ſi forte ſoleat hæc juriſdictio concedi certis perſonis, ut Decanis, Superioribus Conventuum, Theologiæ Profeſſoribus, &c. ut ſit in hac Diœceſi Leodienſi, & hi ut tales communiter habeantur: in qua hypotheſi currit noſtra Reſponſio.

Dico 3. Invalida eſt Confeſſio, quam Pœnitens facit Sacerdoti, quem ex errore particulari credit habere juriſdictionem, quam non habet. Eſt communis: quia, ob utilitatem unius vel alterius particularis non cenſetur Eccleſia ſupplere juriſdictionem, ſicut ſupplet pro bono communi totius Plebis, præſertim cum qui errore particulari laborant, poſſint ab aliis inſtrui de defectu juriſdictionis in tali Confeſſario, & ſic Confeſſionis defectibus occurrere. Inſuper alias nunquam eſſent invalidæ Confeſſiones defectu juriſdictionis.

§. II. *De juriſdictione probabili.*

Dico 1. Confeſſarius poteſt licite & valide uti juriſdictione, quam credit probabilius ſe habere, vel abſolute in Pœnitentem, vel reſpectiva ad certum caſum, tempus, aut perſonam. Ratio eſt 1. Quia hæc eſt conſuetudo & praxis communis Confeſſariorum. Juriſdictio autem ſecundum jura acquiritur conſuetudine, ſeu conſuetudo eſt ſignum juriſdictionis acquiſitæ cap. *Cum contingat* Extra, de foro competenti l. 2. tit. 2. 2. Quia alioquin Confeſſarii continuo forent ſuſpenſi & anxii, plurimoſque Pœnitentes non abſolutos dimittere cogerentur; eſt enim frequens iſte caſus. Unde omnino veriſimile eſt, quod ſi revera Confeſſarius careat juriſdictione, quam prudenter & probabilius putat ſe habere, eam in hoc caſu, ut occurratur inconvenientibus, ſuppleat benigna Mater Eccleſia, ſicut dictum eſt §. præced. 3. Quia, ut docuimus in t. 2. licitum eſt ſequi ſententiam probabiliorem. Neque ſimile eſt ac dum agitur de valore Sacramenti defectu materiæ & formæ, quia hunc defectum ſupplere non poteſt Eccleſia, ſi reipſa deſit materia aut forma, quantumvis probabilius credatur adeſſe. Defectum autem juriſdictionis ſupplere poteſt, & certo moraliter ſupplet, dum prudenter creditur adeſſe propter rationes allatas. Sicque noſtra reſolutio judicio reflexo eſt certa moraliter, quamvis juriſdictio ſit tantum probabilior.

Dico 2. Probabile eſt eſſe licitum & validum uti juriſdictione probabili, urgente aliqua gravi cauſa; puta ſi Sacerdos indiſpenſabiliter teneatur celebrare, nec ſit, qui juriſdictionem certam aut probabiliorem habeat, ſi quis ad annum Confeſſionem differre debeat, aut ſi peccato gravatus ſuſcipiat iter periculoſum: ſi in articulo mortis habeat inſuperabilem repugnantiam confiteri habenti juriſdictionem certam aut probabiliorem, &c. Ita ſaltem cenſent plures Auctores, Suares, Delugo, Marchantius, Sanchez, Leſſius, Pontius, Bonacina, Neeſen, Sporer, Henno, & alii plures exiſtimantes Eccleſiam etiam in hoc caſu ob utilitatem fidelium ſupplere juriſdictionem, ſi forte deſit.

Dico 3. Eccleſia non ſupplet juriſdictionem in illo, qui ſine gravi cauſa utitur juriſdictione probabili; ideoque iſte Confeſſarius peccat, & ſi revera deſit juriſdictio, quam putat probabiliter ſe habere, invalida eſt abſolutio; niſi concurrat error communis ex parte pœnitentium ut dictum eſt §. præced. Ratio eſt, quia Eccleſia non patrocinatur levitati, imprudentiæ, & temeritati illius, qui pro libitu & ſine juſta cauſa utitur juriſdictione tantum probabili; videturque hic habere locum condemnatio propoſitionis, quæ dicebat licitum eſſe ſequi ſententiam probabilem relicta tutiori, quando agitur de valore Sacramenti.

ARTICULUS V.

De approbatione requiſita ad Juriſdictionem. Per Quæſtiunculas.

Petes 1. Quid ſit Approbatio? R. juxta plures eſt judicium publicum & authenticum de idoneitate & ſufficientia Sacerdotis ad Confeſſiones audiendas, ſicque eſt præciſe actus intellectus. Juxta alios, approbatio ultra judicium, quod eſt actus intellectus, importat actum voluntatis, ſcilicet conſenſum, permiſſionem, & licentiam Epiſcopi, ut is, quem judicat idoneum, vel habeat juriſdictionem, vel illa aliunde habita utatur. Et id mihi probabilius eſt.

Primo quia Concilium Trid. ut duo diverſa ponit judicium & approbationem, *niſi*, inquit, *idoneus judicetur & approbationem, quæ gratis detur, obtineat*. Et certum eſt, quod approbatio reſpectu Sæcularium ultra judicium de idoneitate, importet collationem juriſdictionis; conſequenter in Regularibus, qui ſuam juriſdictionem habent a jure, ſeu privilegiis juri inſertis, importat non quidem conceſſionem juriſdictionis, ſed conceſſionem ſeu licentiam utendi. 2. in Clementina *Dudum* de Sepulturis & Extravaganti *Inter cunctas*, hæc approbatio dicitur *Licentia*. Similiter in Brevi Urbani VIII. ad Cardinalem Sandoval dato 30. Januarii 1629. & in Bulla *Superna* Clementis X. 3. Reprobare non eſt ſine actu voluntatis. Ergo & approbare. Item ſimplex cognitio non niſi valde improprie poteſt dici approbatio. Unde ſecundum Theologos ſcientia approbationis importat actum voluntatis.

Petes 2. Utrum neceſſario requiratur approbatio Epiſcopi ad Confeſſiones audiendas? R. affirmative ex Concilio Trident. Seſſ. 23. cap. 15. ubi ſic legitur: *Decernit S. Synodus, nullum etiam Regularem poſſe Confeſſiones Sæcularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut parochiale beneficium, aut ab Epiſcopis per examen ſi illis videbitur neceſſarium, aut alias idoneus judicetur & approbationem, quæ gratis detur, obtineat; privilegiis & conſuetudine etiam immemoriali non obſtantibus*. Quo jure novo Veteri derogatum eſt. Ante enim iſtud Decretum Parochi poterant delegare ſuam juriſdictionem etiam non approbatis ab Epiſcopo: & Regulares Mendicantes juriſdictione ſibi a S. Sede collata utebantur ſine tali approbatione, ſaltem quando petita recuſabatur; ut conſtat ex Clementina *Dudum* & aliis.

Pro majori elucidatione hujus Decreti explicandi ſunt ejus termini. Dicitur 1. *Nullum etiam Regularem*. Unde etiam comprehenduntur Doctores & Magiſtri in Theologia quantumvis docti & alias privilegiati; licet enim forte iis non deſit ſcientia, deeſſe tamen poſſunt aliæ conditiones, prudentia, experientia, probitas, requiſitæ ad

manus

munus Confeſſarii, cujus rei examen & judicium Epiſcopo committitur.

Dicitur. *Non poſſe, nec ad id idoneum reputari*: quibus verbis intelligitur non ſolum illicitam, ſed & invalidam eſſe abſolutionem datam a non approbato ſeu non habente Beneficium parochiale. Dicitur 2. *Confeſſiones Sæcularium*. Quoad Confeſſiones enim Regularium nihil innovavit Trid. Unde ſicut jure communi poterant ante Concilium, ita & nunc poſſunt Regulares confiteri cuivis Sacerdoti, etiam non approbato ab Epiſcopo, quem Prælatus ſecundum morem Ordinis eis conſtituerit.

Quoad Moniales tantum eſt aliqua difficultas: quia Gregorius V. Bulla *Inſcrutabili* ann. 1622. ſtatuit, ut nullus Sacerdos etiam Regularis, quomodocumque exemptus, poſſit audire Confeſſiones Monialium etiam ſibi ſubditarum, niſi fuerit approbatus ab Epiſcopo Diœceſano: & Clemens X. an. 1670. idem & aliquid amplius, ut modo dicam, ſtatuit Bulla *Superna*. R. Bulla Gregorii fuiſſe ſuſpenſam pro Regnis Hiſpaniæ, conſequenter pro Belgio tunc eidem Regi ſubjecto, ab Urbano VIII. Gregorii ſucceſſore Brevi *Alias felicis* dato 7. Februarii 1625. ad Julium Epiſcopum Gravinen. Nuncium Apoſtolicum in Regnis Hiſpaniæ. Quod Breve cum Mandato Nuncii in ejus executionem legitur in Bullario Ordinis noſtri tom. 6. pag. 33. & ſeq. extractum ex Archivio Ordinis, in quo exemplar Typis expreſſum ſervatur.

Quoad Bullam Clementis X. etiam conſtat quædam in ea contineri, quæ extra Italiam non ſervantur. Sic in ea ſtatuitur, Regulares, qui idonei generaliter reperti fuerint, generaliter quoque & indirecte abſque aliqua limitatione temporis, locorum, aut perſonarum eſſe admittendos. Placet tamen Illuſtriſſimis Epiſcopis, etiam in Theologia Magiſtros eruditione & probitate conſpicuos admittere ad annum, duo, vel tres annos, non obſtantibus interceſſionibus & querelis Regularium. Item in eadem Bulla ſtatuitur Regulares generaliter approbatos ad audiendas Confeſſiones ſæcularium egere præterea ſpeciali approbatione Epiſcopi ad audiendas Confeſſiones Monialium ſibi ſubjectarum; cui tamen, ſaltem in Belgio, derogatum videtur ſcientibus & non contradicentibus Superioribus.

Dicitur 4. *Niſi aut Parochiale Beneficium obtineat*. Igitur qui Parochiam ſeu beneficium quodvis, cui animarum cura annexa eſt, obtinuerunt, eo ipſo ad Confeſſiones audiendas approbati cenſentur, ut alia approbatione opus non habeant; quamdiu ſcilicet beneficium retinent. Quamprimum autem Parochus eſſe deſit, deſinit quoque ejus approbatio, adeo ut ſine nova approbatione nec licite, nec valide abſolvere poſſit, niſi forte fuiſſet prius approbatus, independenter a Beneficio parochiali.

Dubitatur autem hic, an Parochus cenſeatur ſic approbatus non ſolum pro ſua Parochia, ſed etiam pro quavis alia, etiam alterius Diœceſis? Negat Barboſa cum aliis pluribus; quia fieri poteſt, quod ſit idoneus pro una Parochia, non pro alia, pro una Diœceſi, non pro alia, in qua alii mores ſunt, alia commercia, &c. aſſeritque præfatus Auctor ita deciſum eſſe a ſacra Congreg. Cardinalium.

Affirmant Sylvius, Suarez, Vaſques, Henriques, Hoſina, Delugo, Steyaertus & alii plurimi. Ratio eſt; inquit Sylvius, quia Concilium ponit duo diverſa, quibus aliquis reputetur idoneus, vel quod habeat Beneficium parochiale, vel quod ſit alioqui approbatus ab Epiſcopis. Ergo ſi habeat Beneficium parochiale, non indiget alia approbatione Epiſcoporum, & eſt approbatus pro omnibus Diœceſibus, ſicut Regularis eſſet approbatus pro omnibus ſi ab omnibus Epiſcopis approbaretur. Unde juxta hanc probabilem ſententiam Parochus cenſetur ubique idoneus, ut poſſit a quolibet in quacumque Diœceſi eligi in Confeſſarium, vel per Bullam v. g. tempore Jubilæi, vel per delegationem alterius Parochi in proprias oves. Quoad deciſionem autem, quam apponit Barboſa, reſpondetur de hac non conſtare authentice. At inconveniens. Equidem videtur eſſe aliquod: ſed cum difficile fuiſſet hic terminos ponere & determinare, ad quos ſe extenderet, vel non extenderet approbatio Parochi, magis conſultum viſum eſt Concilio, rem in ſua generalitate relinquere, & diſcretioni Paſtorum dimittere; ut non niſi idoneos pro ſuis ovibus admittant.

Dicitur 5. *Aut approbationem obtineat*. Unde non ſufficit eſſe petitam, ſi denegetur, quamvis injuſte. Quod etiam inſinuavit S. Pius V. Bulla *Romani Pontificis*, & noviſſime declaravit Alexander VII. in condemnatione hujus propoſitionis: *Satisfacit præcepto annuæ Confeſſionis, qui confitetur Regulari, Epiſcopo præſentato, ſed ab eo injuſte reprobato*. Ex quibus patet derogatum eſſe Clementinæ *Dudum* de Sepult. ubi Clemens V. in Concilio Viennenſi contrarium ſanciverat.

Dicitur tandem: *Privilegiis & conſuetudine immemoriali non obſtantibus*. Quibus clauſulis derogatur communi juri & anterioribus omnibus privilegiis, quatenus duntaxat præſenti diſpoſitioni contrariis. Hæc autem approbatio non debet neceſſario in ſcripturis dari, ſufficit, quod detur oretenus.

Petes 3. Cujus Epiſcopi approbatio ſit neceſſaria, an Pœnitentis, an Confeſſarii, an loci, ubi Confeſſio excipitur? R. 1. per ſe loquendo, ſecluſo privilegio aut Conſtitutione particulari, non requiritur approbatio Epiſcopi loci, ubi excipitur Confeſſio, ſaltem ſi excipiatur privatim, neque Epiſcopi Confeſſarii, ſed ſufficit & requiritur approbatio Epiſcopi Pœnitentis.

Quoad 1. partem de loco materiali non eſt magnopere laborandum, inquit Sylvius hic Q. 5. Quia locus materialis eſt mere per accidens reſpectu Pœnitentis & Confeſſarii, cum ejus juriſdictio non ſit in locum, ſed in perſonas. Unde Parochus & quilibet alius, ſaltem ſæcularis, approbatus poteſt ſuum ſubditum ubicumque repertum ſacramentaliter, ſaltem privatim, abſolvere. Dico *ſaltem privatim*, ut vitetur conflictus juriſdictionum, & periculum alios non ſubditos audiendi, ſi publice exponeretur. In his autem, quæ fiunt ſine ſtrepitu Judicii, non violatur jus alicujus. Prob. 2. & 3. pars. Concilium Trid. ideo requirit approbationem Epiſcopi in Confeſſario, ut ſic indigni repellantur & Pœnitentibus provideantur idonei Miniſtri. Atqui ad Epiſcopum ipſorum Pœnitentium pertinet eis tanquam ſuis ovibus idoneos providere Miniſtros. Ergo ad ipſum pertinet noſſe & approbare Confeſſarium illorum, non ad Epiſcopum Confeſſarii, cui cura ovium alienarum non eſt commiſſa.

Dices. Approbare Confeſſarium eſt actus juriſdictionis. Atqui ſolus Epiſcopus Confeſſarii habet in eum juriſdictionem, & non Epiſcopus Pœnitentis. Ergo. R. D. Min. Solus Epiſcopus Confeſſarii habet in eum juriſdictionem neceſſariam, C. Min. liberam, N. Min. & Conſeq. hoc ipſo enim quo Sacerdos approbationem ab extraneo Epiſcopo oblatam acceptat, ei ſe libere ſubjicit.

Inſt. Juxta declarationem Cardinalium approbatam a Gregorio XIII. quam referunt Quaranta, Leander, Suares, Delugo, Candidus & alii, Epiſcopus non poteſt eligere in Confeſſarium Sacerdotem ſibi non ſubditum, ſi a proprio Epiſcopo non fuerit approbatus. R. Id eſſe verum quamdiu manet non ſubditus Epiſcopo eligenti, ſed ipſum approbando pro Diœceſanis fit ſibi ſubditus, ideoque poteſt illi confiteri.

Hinc ſequitur 1. Sacerdotem ſæcularem habitantem in Diœceſi Leodienſi, in qua non eſt approbatus, poſſe (ſaltem privatim, propter jam dicta ſuperius) audire Confeſſiones Rhemenſium ad ſe venientium, ſi ab eorum Epiſcopo ſit approbatus. Sequitur 2. E contra Rhemenſes non poſſe venire in Diœceſim eo animo, ut confiteantur Capellanis aut Regularibus non privilegiatis Leodienſibus, qui pro ſola Diœceſi Leodienſi ſunt approbati, quantumvis proprius eorum Paſtor tentaret ipſi dare juriſdictionem. Excipe tamen, niſi conſuetudo tacito Epiſcoporum conſenſu firmata id permittat, ut videtur permiſſum in aliquibus locis confiniis plurium Diœceſium; tunc enim Epiſcopus Pœnitentis cenſetur extraneo Confeſſori, ſicut juriſdictionem, ita & approbationem conferre.

Nec huic reſolutioni obſtat, quod diximus ſuperius de peregrinis: quia peregrini & itinerantes, cum ſine fraude verſantur extra ſuam Diœceſim, vel juris interpretatione ſubjiciunt tantiſper Epiſcopo locorum, ubi ſunt quantum ad Sacramentum; vel tacito ſuorum Epiſcoporum conſenſu, conſuetudine firmato, delegantur & approbantur pro ipſis Confeſſarii illius loci, in quo ſunt. Noſtra reſolutio autem eſt de iis, qui ex fraude, ſeu animo alteri quam Parocho confitendi itinerantur. Vide quæ diximus locis cit.

Huc uſque *Pro Sæcularibus, per ſe loquendo, & ſecluſo ſpeciali privilegio, ſeu Conſtitutione*, ut ſemper inſinuavi. Unde R. 2. Attento ſpeciali jure ſeu privilegio Regulares privilegiati, approbati ab Epiſcopo loco, in quo confeſſiones audiunt, abſolvere poſſunt omnes ad ſe venientes, cujuſcumque ſint Diœceſis, in qua ipſi non ſunt approbati, etiamſi illi Pœnitentes eo animo veniant. Patebit ex iis dicendis art. ſubſeq. E contra Regulares qualeſcumque attenta Conſtitutione Clementis X. *Superna* jam citata, videntur non poſſe audire in Diœceſi, in qua non ſunt approbati, Pœnitentes venientes ex Diœceſi, in qua ſunt approbati. Dico *Videntur*. Quia quidam hanc inhibitionem intelligunt de adminiſtratione Sacramenti publica tantum, ne, ut jam diximus, ſit juriſdictionum conflictus, & ut evitetur periculum alios audiendi, a quorum Epiſcopo non ſunt approbati; non vero de adminiſtratione privata. Id quidem eſt probabile, ſed nec certum, nec tutum.

Petes 4. Utrum approbatus ab uno Epiſcopo cenſeatur approbatus pro omni loco? R. negative, excepto forte Parocho, de quo antea. Patet 1. ex Concilio Trid. cit. ubi requirit approbationem non tantum ab Epiſcopo, ſed ab Epiſcopis. 2. Ex Reſponſione Innocentii X. qui in cauſa

ſe Epiſcopi Angelopolitani contra Patres Societatis ita declaravit. 3. Et condemnatione propoſitionis ſequentis per Alexandrum VII. *Regulares Ordinum Mendicantium ſemel approbati ab uno Epiſcopo ad audiendas Confeſſiones in ſua Diœceſi, habentur pro approbatis in aliis Diœceſibus, nec nova indigent approbatione.*

Petes 5. Utrum Epiſcopus poſſit repellere ab examine eos, qui ſe præſentant, aut examinatos non approbare? R. Poſſe ex cauſa ſpectante utilitatem Eccleſiæ, non poſſe ſine hujuſmodi cauſa. Prob. Epiſcopus juxta Apoſt. 1. Cor. 4. & ad Tit. 1, non eſt dominus, ſed diſpenſator Miniſteriorum ſpiritualium: diſpenſator autem non ad nutum & libitum, ſed ſecundum Leges a Domino præſcriptas debet ſibi commiſſa diſpenſare. Atqui Deus vult utilitatem Eccleſiæ, & in hunc finem Epiſcopos, ut Miniſtros deſtinavit. Ergo Epiſcopus non poteſt repellere ſibi præſentatos niſi ex cauſa utilitatis Eccleſiæ. Adverte approbationes datas *Ad revocationem, ſeu ad beneplacitum*, cenſeri approbationes ſimplices & perpetuas; quia juxta Juriſperitos iſtud beneplacitum cenſetur beneplacitum boni viri lege regulandum, nec ſine juſta cauſa procedens.

Petes 6. Utrum Epiſcopus poſſit revocare approbationes Regularium? R. Juxta declarationem S. Congreg. Epiſcoporum & Regularium datam 20. Novembris 1615. quam referunt Donatus Tom. 4. Tract. 4. q. 11. Paſſerinus qu. 187. n. 291. pag. mihi 70. & alii, poſſunt Epiſcopi revocare approbationes Regularium ob cauſas ſupervenientes *Confeſſionem concernentes*; ſic in noſtra Diœceſi Leodienſi eſt mandatum prohibens ſub pœna revocationis omnium facultatum ipſo facto incurrendæ *Ne Confeſſarii, niſi in caſu veræ neceſſitatis, mulierum Confeſſiones extra Eccleſiam, aut etiam in ipſa Eccleſia, aliter quam in loco conſpicuo, a latere, & per cratem interpoſitam, audiant*, Quam cauſam arbitror concernere Confeſſiones, ideoque revocationem incurrere, qui mandatum hoc tranſgrediuntur.

Petes 7. Utrum approbatio injuſte denegata, vel revocata, debeat haberi pro conceſſa? R. negative; patet ex ante dictis 1. Quia juxta Trid. approbatio debet eſſe obtenta; denegata vero ſeu revocata, licet injuſte, non eſt obtenta. 2. Quia, cum ſint plurimæ rationes, propter quas poteſt juſte denegari aut revocari approbatio, nec quiſquam poſſit conſcientiam Epiſcopi intueri, nemini certum eſſe poteſt, ſitne injuſte denegata vel revocata approbatio. Unde etſi admitteretur ſententia oppoſita, foret nihilominus inutilis ad praxim. 3. Tandem, quia Alexand. VII. condemnavit hanc propoſitionem: *Satisfacit præcepto Confeſſionis annuæ, qui confitetur Regulari, Epiſcopo præſentato, ſed ab eo injuſte reprobato*. Quibus derogatum eſt juri antiquo, quo contrarium ſtatuebatur, ut jam diximus.

Petes 8. Utrum hæc clauſula, quæ quandoque apponitur in approbationibus, *de conſenſu quorum intereſt*, ſeu *de conſenſu Parochorum*, ſit limitativa approbationum, ita ut Abſolutio data ſine conſenſu Parochorum ſit invalida? R. Negative ſaltem pro Regularibus. 1. Quia Clemens X. ſæpe dicta Bulla *ſuperna* dicit, quod ſemel approbati poſſint in Diœceſi approbantis quovis anni tempore, etiam Paſchali, & quorumcumque etiam infirmorum Confeſſiones audire, abſque ulla Parochorum venia. 2. Regularibus Mendicantibus Civitatis Iprenſi in Belgio petentibus, an Epiſcopus poſſet ad limitandam Regularium approbationem apponere in litteris patentibus hanc clauſulam: *Dummodo tamen quemque ab inchoata Dominica Palmarum uſque ad expletam Dominicam in Albis ad Confeſſionem non admittat, niſi expreſſa licentia Parochi dirigatur*: reſpondit negative S. Congregatio S. R. E. Cardin. Concilii Trid. Interpretum 22. Septembris 1668. Signatum erat A. Card. Celſus Præfectus: & infra S. Archiepiſ. Andrinopolitanus. Si vero id non liceat tempore Paſchali, a fortiori nec alio tempore. 3. Si hæc clauſula foret taxativa ſeu limitativa, ſequeretur, quod hoc ipſo quo conſentiret Parochus, omnes Confeſſiones a Regularibus exceptæ, quovis tempore & loco, etiam in propriis Eccleſiis, forent invalidæ, quod hucuſque fuit inauditum. Dicendum itaque hanc clauſulam eſſe tantum modalem, ſeu deſignativam modi, quod congruit miniſterium exerceri cum unione Paſtorum & ædificatione fidelium, quique ex æquo & congruo, dum ſcilicet Confeſſiones excipiuntur a Regularibus in Eccleſiis Parochialibus, deberet ſervari, etſi non exprimeretur. Ita Suares, Henriques, Reginaldus, Sayrus, Coninchus, quos citat & ſequitur Bonacina Pœnit. diſp. 5. q. 7. puncto 4. §. 1. n. 18. Paſſerinus, Henricus a S. Ignatio & alii.

Petes 9. quam pœnam incurrat, qui audit Confeſſiones ſine approbatione Epiſcopi? R. incurrere pœnam ſuſpenſionis ferendæ c. *Placuit* de pœnit. diſt. 6. & cap. *Placuit* cauſa 9. q. 2. Si dicas in Concilio Trid. ſeſſ. 22. & in Bulla Cœnæ, eſſe decretam Excommunicationem latæ ſententiæ contra uſurpantes juriſdictionem Eccleſiaſticam: Reſpondet Paſſerinus q. 178. a. 1. n. 369. eum, de quo agitur, non uſurpare proprie juriſdictionem Eccleſiaſticam, quia non uſurpat ordinariam, ſed delegatam tantum, & hanc non privative ad Epiſcopum vel alios, & ideo cenſuram non incurrit. Vide art. ſeq. §. 3. Pet. 6.

ARTICULUS VI.

De Caſibus reſervatis.

QUAMVIS Auctor de caſuum reſervatione agat infra qu. 20. quia tamen reſervatio nihil aliud eſt quam limitatio juriſdictionis, propter affinitatem materiæ, de illis hic agimus. Unde ſit

§. I. *Quid ſit Caſus reſervatus?*

DICO. Caſus reſervatus eſt peccatum mortale externum, grave, certum, & in ſua ſpecie completum, a quo abſolvere non eſt cuilibet conceſſum. Loquor de peccato reſervari ſolito, non reſervabili, ut patebit ex explicatione Concluſionis. Igitur dicitur 1. *Peccatum mortale*: quia licet abſolute loquendo peccatum veniale poſſit reſervari, ſic ut non poſſit abſolvi ſacramentaliter, cum ad id requiratur juriſdictio, quæ denegari poteſt, attamen inutilis foret hæc reſervatio, ſi quidem independenter a Confeſſione & Abſolutione remitti poſſit. Dicitur 2. *Peccatum mortale externum*: non quod peccatum internum reſervari non poſſit ob rationem mox datam; ſed quia Eccleſia non ſolet illud reſervare, ne laqueum animabus injiciat, & continuis anxietatibus ſubjiciant Pœnitentes, qui ſæpe dignoſcere non poſſunt, an cogitationibus internis conſenſerint vel non, ſicque reſervatio ſit in deſtructionem potius quam in ædificationem, contra Decretum Trid. ut mox dicam. Unde hæreſis mere interna non eſt reſervata.

Sed dubium eſt, utrum peccatum ſecundum quod eſt externum, ex objecto & ſpecie veniale, in individuo autem & ex intentione mortale, ſit reſervatum? Res exemplis clareſcat. Suppono furtum, percuſſionem Clerici, impudicitiam cum Moniali eſſe caſus reſervatos. Aliquis furatur quinque aſſes cum intentione furandi centum nummos, ſi reperiſſet; percutit leviter Clericum, animo percutiendi graviter ſi potuiſſet; aſpicit Monialem, aut ejus manus tangit affectu impudico, incurritne reſervationem? Negatur communiter; quia malitia mortalis in tali peccato eſt ab interno; quod autem eſt externum, eſt ſecundum ſe & objective veniale. Unde ſicut ſola voluntas interna non reſervatur, ita nec quando procedit in actum externum non habentem ex ſe malitiam mortalem.

Doctiſſimus Berti l. 34. cap. 5. §. refert Romanam & univerſalem Inquiſitionem 16. Aprilis 1744. proſcripſiſſe opinionem alicujus Theologi, qui dicebat in hoc caſu reſervato Diœceſis Venetæ: *Quælibet impudicitia cum Monialibus perpetrata, vel quocumque modo attentata*, non reſervari actus ſubimpudicos de ſe veniales, ut *genas vellicare*, &c. Ex quo infert laudatus Berti, peccatum ex objecto & ſecundum ſpeciem veniale, animo autem interno mortale reſervari, vocatque opinionem contrariam *laxam & heſternam commentationem*. At pace doctiſſimi viri nego ejus illationem extra caſum poſitum; ideo enim in reſervatione caſus Veneti reſervatur impudicitia externa ex objecto venialis, quia exprimitur in reſervatione, dum dicitur; *impudicitia quocumque modo attentata*, quamvis enim vellicare genas non ſit ex objecto impudicitia mortalis, ſi tamen fiat affectu impudico, eſt *aliquo modo attentata*, & ideo cadit ſub reſervationem. At non ſic exprimi ſolet in aliis caſibus reſervatis & reſervationibus. Sententia communis igitur non dicit hujuſmodi peccatum non poſſe reſervari, ſed non reſervari niſi exprimatur. Quapropter non puto propter hoc argumentum recedendum eſſe a ſententia communi, quam immerito recens Theologus vocat laxam & heſternam commentationem; neque ex eo adducor, ut credam furtum quinque aſſium: aſpectum aut tactum manus vel genæ Monialis, niſi exprimatur, eſſe caſum reſervatum.

Dicitur 3. *In ſua ſpecie completum*. Unde ſi homicidium ſit reſervatum, qui vulnerat lethaliter, aut venenum propinat, morte non ſecuta, non incurrit reſervationem. Similiter, neque ſi fornicatio ſit reſervata, qui metu prolis abrumpit copulam inchoatam, quamvis gravius peccet: quia odioſa ſunt ſtricte intelligenda & reſtringenda; vulnus autem lethale, ibi ſiſtendo, non eſt homicidium, & fornicatio inchoata ſine ſeminatione intra vas in rigore non eſt fornicatio. Dicitur 4. *Peccatum grave*; quia licet peccata communia reſervari poſſint, ordinarie tamen non reſervantur, nec licite reſervarentur, quia poteſtas reſervandi eſt in ædificationem, non in deſtructionem, ut loquitur Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. & Clemens VIII. in Mandato, quod refert Sylvius, ubi mo-

Digitized by Google

nentur Prælati, *ut atrociorum tantum & graviorum criminum abſolutionem ſibi reſervent, quorum reſervatio ad chriſtianam diſciplinam retinendam conferat, & in ædificationem, non in deſtructionem cedat*; ne ſcilicet cum difficilior redditur abſolutio, odioſum reddatur Sacramentum & laqueus injiciatur animabus. Unde ſi ſit indiſcreta & nimia reſervatio, eſto foret valida (quod tamen quidam negant, præſertim reſpectu Parrochi) peccaret graviter reſervans, etiamſi Papa.

Dicitur 5. *Certum*, certitudine ſcilicet, quæ excludat dubium facti & juris. Dubium facti eſt, ſi dubites, an peccatum, quod certo ſcitur eſſe reſervatum, commiſeris, an cum ſufficienti advertentia & deliberatione, an cum circumſtantiis, cum quibus eſt reſervatum. Dubium juris eſt, ſi dubites, an hoc peccatum, quod certo commiſiſti, ſit revera reſervatum. Dicimus itaque, ut peccatum ſit reſervatum, debere eſſe certum, non ſolum certitudine excludente dubium facti, quod communiter admittitur, ſed etiam, ut probabilius eſt nobis cum pluribus, certitudine excludente dubium juris; modo tamen ſit dubium prudens & doctorum virorum communiter, non cujuslibet privati & indocti Confeſſarii, ſeu ut alii dicunt, modo ſit dubium ortum ex ipſo jure, quod eſt ambiguum, & de quo communiter diſputatur, non ex perſona, quæ jus ignorat; ſicut enim ignorantia reſervationis in pœnitente ipſum non eximit a reſervatione, ita nec ignorantia Confeſſarii ejus juriſdictionem extendit. Ratio ergo pro utroque dubio ſic intellecto eſt, quod juxta Regulam 15. & 50. juris in 6. odioſa ſint reſtringenda, & in pœnis benignior ſit interpretatio facienda. Atqui reſervatio eſt odioſa; tum ipſis Confeſſariis, quorum juriſdictionem coarctat; tum ipſis pœnitentibus, qui non poſſunt abſolvi, dum alii abſolvuntur. Item eſt pœnalis, non enim eſt inducta reſervatio ſolum, ut morbi graviores a peritioribus Medicis curentur, ſed etiam ut difficultate abſolutionis & erubeſcentiæ comparendi coram ſuperioribus peccata præterita puniantur, & futura caveantur. Unde Confir. Nemo reus in dubio facti vel juris punitur, præſertim in Tribunali benignæ Matris Eccleſiæ. Ergo. Confir. iterum ab inconvenienti. Frequentiſſime ſunt dubia facti, plurimi etiam caſus inter Doctores controvertuntur circa ipſam legem. Unde ſi caſus alterutro modo dubii reſervarentur, non ſatis eſſet proviſum tranquillitati conſcientiarum, & onus foret intolerabile communibus Confeſſariis, qui cum non valeant diſcutere materias controverſas, & qualibet ratione moveantur in contrarium, Pœnitens inabſolutos ſæpiſſime dimittere cogerentur.

His itaque omnibus attentis, videntur nobis moraliter certum aut ſaltem longe probabilius Eccleſiam non intendere reſervare caſus dubios, ſive ſit dubium facti, ſive juris. Et hinc præoccupantur inſtantiæ. Si enim dicas dubitantem de lege teneri eam obſervare: id quidem verum eſt, niſi ſit moraliter certum, aut ſaltem probabilius conſtet, legislatorem non intendere obſervationem legis in dubio, ut conſtat in caſu præſenti. Unde quamvis Confeſſarius dubitet ſpeculative, non dubitat tamen practice, an poſſit ab eo abſolvere; quia judicio reflexo certioratur ſe ex voluntate Legislatoris habere poteſtatem abſolvendi in dubio.

Inſt. Dubius de Cenſura debet ſe gerere tanquam ea innodatum, & petere abſolutionem. Ergo ſimiliter dubius de caſu reſervato. R. Data Ant. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod Cenſuræ ſpectent forum externum, ſint rariores, nec res admodum ſecretæ. At caſus reſervati pertinent ad forum conſcientiæ, dubii frequenter occurrunt, ſub ſigillo teneri debent, nec niſi urgente neceſſitate Superioribus aperiri, ad quos etiam cum ſæpe non pateat facilis acceſſus, ut eis exponatur dubium, & eorum mens exquiratur, continua foret in Confeſſariis & Pœnitentibus conſcientiæ anxietas & onus importabile. Quibus de cauſis jure præſumitur Eccleſiam non intendere caſus dubios reſervari: quidquid ſit de Cenſuris, pro quibus eædem rationes non militant.

Repones. S. Congregatio de mandato Clementis VIII. 9. Januarii 1601. quod legitur apud Paſſerinum q. 87. Inductione 2. cap. 1. prohibuit omnibus Sacerdotibus Sæcularibus & Regularibus abſolvere a caſibus clare vel dubie in Bulla Cœnæ contentis. Ergo. R. hanc inhibitionem eſſe factam tantum *Sæcularibus & Regularibus per univerſam Italiam extra urbem degentibus*, ut fert intermimis decretum. Aliunde hoc dicit dumtaxat de caſibus Bullæ Cœnæ, non de aliis.

Petes 1. Utrum ſi quis caſum reſervatum dubium confeſſus ſit communi Confeſſario, & poſtea deprehendat eſſe certo reſervatum, liberetur a reſervatione. R. probabilius affirmative cum pluribus; quia reſervatio, prout eſt in uſu Eccleſiæ, eſt peccati certi, & nunquam per legitimam abſolutionem remiſſi: hoc autem peccatum, de quo in caſu, eſt per legitimam abſolutionem remiſſum. Unde ſi fuerit dubium dubio facti, tenetur poſtea illud confiteri ut certum, ſicut dicemus infra de omnibus peccatis dubiis, non tamen neceſſario Confeſſario habenti Juriſdictionem in reſervata, ſed communi. Si autem fuerit dubium dubio juris, ad nihil tenetur, ſi quidem peccatum ut certum confeſſus fuerit, & agatur tantum de certitudine reſervationis, quæ, ut probabilius putamus, eſt ablata per priorem Confeſſionem.

Petes 2. Utrum crimen complicis in materia venerea, a quo juxta hodiernam plurium Diœceſium diſciplinam non poteſt abſolvere complex, ſit caſus reſervatus? R. non eſſe reſervatum Superiori, ſicut alii caſus reſervari ſolent, cum cuilibet Confeſſario non complici conceſſum ſit ab eo abſolvere, videtur tamen vero ſenſu reſervatum. Quid enim eſt reſervatio niſi reſtrictio poteſtatis, quæ hic invenitur? Nec videtur abſolute requiri ad veram reſervationem, quod fiat Superiori: poſſet enim Epiſcopus reſervare caſus duobus vel tribus eximiis Theologis a ſe deſignatis, quæ tamen reſervatio foret vera, etſi non eſſet facta Superiori. Deinde concedunt contradicentes Confeſſarium complicem poſſe abſolvere ab hoc caſu in articulo mortis: id autem non poteſt, niſi quia ut dicit Trid. in articulo mortis ceſſat omnis *Reſervatio*. Ergo. Sed videtur quæſtio de nomine.

Eſt autem crimen complicis reſervatum juxta communem Theologorum intelligentiam peccatum externum contra caſtitatem cum pœnitente perpetratum, utrinque mortale. Unde ſi actus exterior ſit ex objecto venialis, ut tactus manuum, oſculum leve, etſi utrimque fiat effectu libidinoſo, non eſt peccatum reſervatum, quia non eſt mortale externum, ſicut diximus ſupra de aliis reſervatis. Item ſi tactus impudicus & ex objecto mortalis fiat ab una parte, altera renitente vel non conſentiente, non eſt etiam caſus complicis reſervatus; quia complex dicitur reſpective ad alterum in idem peccatum concurrentem.

§. II. *An & a quibus poſſint reſervari Caſus?*

Dico. (*Supp. q. 20. a. 2. o.*) Eſt in Eccleſia poteſtas reſervandi caſus, eaque reſidet in Superioribus, qui aliis juriſdictionem ordinariam vel delegatam conferunt, ſcilicet in ſum. Pontifice pro tota Eccleſia, in Epiſcopis pro ſuis reſpective Diœceſibus, & in Superioribus Regularium reſpectu ſuorum. Ita Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. *Magnopere*, inquit, *ad Chriſtiani populi diſciplinam pertinere ſanctiſſimis Patribus noſtris viſum eſt, ut atrociora quædam & graviora crimina, non a quibuſvis, ſed a ſummis dumtaxat Sacerdotibus abſolverentur. Unde merito Pontifices maximi, pro ſuprema poteſtate ſibi in Eccleſia univerſali tradita, cauſas criminum graviores ſuo potuerunt peculiari judicio reſervare. Neque dubitandum eſt, quando omnia, quæ a Deo ſunt, ordinata ſunt, quin hoc idem Epiſcopis omnibus in ſua cuique Diœceſi, in ædificationem tamen, non in deſtructionem liceat, pro illis in ſubditos tradita ſupra reliquos inferiores Sacerdotes auctoritate, præſertim quoad illa, quibus excommunicationis cenſura annexa eſt. Hanc autem delictorum reſervationem conſonum eſt divinæ auctoritati, non tantum in externa politia, ſed etiam coram Deo vim habere*. Idem poſtea Can. 11. definit ſub anathemate.

Ratio eſt: (*Ibid.*) quia juriſdictio neceſſaria ad abſolutionem deſcendit a Superioribus ad Inferiores. Ergo ſicut Superiores illam dare vel denegare poſſunt, ita illam dare integram vel limitatam. Nec refert, quod Epiſcopus habeat juriſdictionem ordinariam in ſuam Diœceſim, & Parochus in ſuam Parochiam, quia & juriſdictio Epiſcopi eſt ſubordinata juriſdictioni Papæ, & juriſdictio Parochi juriſdictioni Epiſcopi, & ideo Papa poteſt limitare juriſdictionem Epiſcopi, ſicut Epiſcopus Parochi. Idem forte per ſe, & ſpeculative loquendo poſſet dici de Parochis reſpectu Sacerdotum Sæcularium. At id in praxi non admittitur, ſive propter uſum contrarium, ſive propter inhibitionem tacitam Epiſcoporum, ne nimia evadat caſuum reſervatio.

Cauſæ vero reſervationis caſuum ſunt partim, ut atrociora crimina puniantur, & facilitas ea committendi coerceatur ex difficultate abſolutionis obtinendæ, & erubeſcentia comparendi coram Superioribus; partim ut graviores morbi ſerventur medicis peritioribus, quales ordinario ſunt, vel præſumuntur eſſe Superiores. Jam quæritur, qui ſint caſus reſervati Papæ? Qui Epiſcopis? Qui Superioribus Regularium?

Caſus Papales.

Inprimis ſunt, qui continentur in Bulla, quæ dicitur *In Cœna Domini*, quia ſolet promulgari ſingulis annis die Cœnæ, ſuntque ſequentes. 1. Hæretici, legentes libros Hæreticorum, Fautores Hæreticorum & Schiſmatis. 2. Appel-

pellantes a Papa ad futurum concilium, dantes ad id favorem & conſilium. 3. Piratæ, eorum receptatores & dantes auxilium. 4. Qui rapiunt bona naufragantium, aut ab aliis rapta ſcienter recipientes. 5. Qui imponunt nova pedagia & gabellas ſine legitima poteſtate. 6. Falſificantes litteras Apoſtolicas, aut ſupplicationes ſignatas Apoſtolica auctoritate. 7. Deferentes arma & auxilium in Turcas, & alios Chriſtiani nominis hoſtes. 8. Impedientes & invadentes eos, qui victualia, aut alia neceſſaria ad uſum Romanæ Curiæ deferunt. 9. Mandantes, lædentes aut offendentes Romam euntes, aut ab ea recedentes, & eorum fautores. 10. Hoſtiliter inſequentes, interficientes, offendentes, mutilantes, incarcerantes, Cardinales, Patriarchas, Epiſcopos, Sedis Apoſtolicæ Legatos vel Nuncios, Mandantes & præſtantes favorem. 11. Percutientes, occidentes, ſpoliantes eos, qui pro ſuis negotiis ad Romanam Curiam accedunt. 12. Officiales Principum Sæcularium, & Prælati Eccleſiaſtici, qui cauſas Eccleſiaſticas a Judicibus Apoſtolicis avocant, & Actores ad revocanda impetrata compellunt. 13. Judices Sæculares, qui Eccleſiaſticas perſonas præter juris diſpoſitionem ad ſuum Tribunal trahunt, aut trahi faciunt, quique Eccleſiaſticam libertatem lædunt, deprimunt, aut quovis modo reſtringunt. 14. Impedientes Prælatos Eccleſiaſticos, ne ſua juriſdictione Eccleſiaſtica utantur. 15. Uſurpantes Sedis Apoſtolicæ, & quarumcumque Eccleſiarum juriſdictiones, fructus, reditus, aut eos ſequeſtrantes. 16. Imponentes collectas, decimas, tributa, & alia onera perſonis Eccleſiaſticis, Eccleſiis, Monaſteriis, aut eorum fructibus ſine expreſſa licentia Romani Pontificis, cum ſuis fautoribus, &c. 17. Judices Sæculares in cauſis criminalibus contra perſonas Eccleſiaſticas ſe interponentes proceſſando, ſententias ferendo aut exequendo. 18. Occupantes terras & loca Eccleſiæ Romanæ. 19. Raptores ſupellectilium, librorum, ſcriptorum & bonorum Cameræ & Palatii Apoſtolici ex eodem Palatio, tempore infirmitatis Pontificis, & Sedis Apoſtolicæ vacationis. Præter hos caſus plures alii reſervantur ſummo Pontifici, tam in jure, quam in Conſtitutionibus Pontificiis, quos refert Chapeaville de Caſibus reſervatis c. 5. Frequentiores in his partibus, & quos exprimit Decretum S. Congreg. ſub Clemente VIII. data 26. Novembris 1602. ſunt 1 Violatio immunitatis Eccleſiaſticæ, quando nempe violenter, aut fraudulenter extrahitur e loco ſacro is, qui cauſa aſyli ad eum confugerat, juxta Bullam Greg. XIII. *Cum alias* datam an. 1591. ubi quidem excipit certos caſus, quibus non debetur aſylus, quos enumeravi in Tract. de Religione Diſſert. 10. art. unico Concluſ. 3. vide: ſed tamen declarat eos, qui horum caſuum exceptorum reos extrahunt abſque prævia Epiſcopi diſcuſſione & licentia, incurrere pariter excommunicationem.

2. Violatio Clauſuræ Monialium ad malum finem, id eſt ad finem luxuriæ; in cautelam enim caſtitatis ſervandæ recluduntur Moniales. Unde qui violaret earum Clauſuram alio fine, non incurreret excommunicationem reſervatam Papæ juxta Decretum citatum Clementis VIII. incurreret tamen aliam non reſervatam ex Trid. ſeſſ. 25. cap. 5. de Regularibus.

3. Duellum. Clemens VIII. Conſtit. *Illius vices* data 17. Auguſti 1592. confirmans alteram Conſtit. *Ad tollendum* Greg. XIII. ſubjecit excommunicationi reſervatæ Papæ non ſolum pugnantes in Duello, ſed etiam omnes *id ſcelus ſuadentes aut provocantes, opem, conſilium vel favorem præſtantes, equos, arma, commeatus præbentes aut comitantes, vel circa chartulas ſeu libellos, litteras, nuncias, aut quæcumque alia ſcripta hujuſmodi quomodolibet peccantes, hujuſque delicti ſocios, de induſtria ſpectatores, patrinos, fautores, defenſores*. Circa hunc caſum advertunt Theologi, id eſſe in eo ſpeciale, quod non ſit neceſſe ad reſervationem, Duellum eſſe peractum & completum, ſi quidem etiam ipſi provocantes excommunicentur. Advertunt item ad hanc particulam *De induſtria ſpectatores*; ea quorum nempe præſentia incitari poſſunt Duellantes ad pugnam. Unde qui fortuito, tranſeundo, aut alibi latens inſpiceret, non inſpectus, reſervationem non incurreret.

4. Violenta manus injectio in Clericum vel Monialem cap. *Si quis ſuadente Diabolo* 17. q. 4. per manum hic intelliguntur omnes corporis partes, quibus fieri poteſt læſio aut percuſſio, pedes, genua, brachia, &c. non enim ponitur manus, ut excludantur alia membra, ſed quia eſt membrum aptius ad percutiendum, vel lædendum, quodque ad id ſolet adhiberi. Unde non eſt proprie interpretatio Legis, quæ foret reſtringentia, ſed eſt extenſio de mente Legis. Eadem Excommunicatione ligantur mandantes & conſulentes percuſſionem Clerici effectu ſecuto, ſi in eam efficaciter influxerint cap. *Quantæ* de ſentent. excommunicat. Item qui ſuo nomine factum ratihabet c. *Cum quis* de ſentent. excomm. in 6. Ut iſte caſus cum excommunicatione annexa incurratur, requiritur, quod injectio manuum ſit in ratione injuriæ, gravis, exterius, ſeu ex objecto & cum aliqua violentia illata, vel ipſi perſonæ immediate, vel mediantibus rebus ipſi adhærentibus. Unde qui conaretur percutere graviter, & non percuteret, aut percuteret leviter, ita ut omnibus conſideratis percuſſio exterior non cenſeretur mortalis in ratione injuriæ, etſi intentione peccaret mortaliter, non incurreret excommunicationem reſervatam; ſimiliter nec qui verbis contumelioſis Clericum afficeret; incurreret autem, qui contumelioſe in Clericum ſpueret, virga contemptibiliter percuteret, carcere detinaret, veſtes, quibus induitur, violenter dilaceraret, ſeu auferret; item pecunias, quas ſecum habet; item ſi violenter injiceret manum in frænum equi, cui reſidet; quia iſtæ actiones ſunt violentæ & graves in ratione injuriæ & contemptus; non incurreret autem, ſi clam & ſine violentia auferret pecunias, quas habet, pallium, veſtes, &c. Vide de hac Excommunicatione late Bonacin. diſp. 2. q. 4. Puncto 1. §. 1.

5. Simonia realis completa in collatione vel ſuſceptione Ordinum & Beneficiorum, & in ingreſſu Religionis. Item Simonia confidentialis etiam incompleta. Vide, quæ de his ultimis caſibus abunde dixi in Tract. de Religione Diſſ. 11. a. 7. §. 3.

Minus attente Doctiſſ. P. Henno legit hoc Clementis VIII. Decretum ſuperius citatum, dum dixit poſt illud; præter caſus contentos in Bulla Cœnæ, tantum reſervari Papæ quinque aſſignatos, cui ſextum adjicit. Id namque nullatenus habetur in illo Decreto, ſed habetur dumtaxat nullum Sacerdotem ſive ſæcularem, ſive Regularem *intra Italiam extra Urbem degentem*, non poſſe vi ullius Privilegii ab his quinque & contentis in Bulla Cœnæ abſolvere, ſed poſſe juxta ſua Privilegia, ſi quæ habeant non revocata, abſolvere ab aliis caſibus in præſenti declaratione non contentis; *aliis vero Sacerdotibus hujuſmodi privilegia non habentibus nihil de novo concedi*. Remanent ergo etiam nunc ſtante hoc Decreto omnes alii caſus Pontificii in jure & Conſtitutionibus Apoſtolicis expreſſi, reſpectu non Privilegiatorum reſervati. Vide ſi lubet Decretum integrum apud Paſſerinum q. 187. a. 1. n. 374. Regulares autem extra Italiam etiam ab his quinque aſſignatis abſolvere poſſunt, ut declaravit S. Congreg. ſub Urbano VIII. in Decreto dato 17. Novembris 1628. apud eundem Paſſerinum ibid. n. 376.

Obſervanda circa Caſus Papales.

OBSERVANDUM 1. Omnibus caſibus Papalibus annexam eſſe Excommunicationem: & quamvis utrumque & Excommunicatio & peccatum reſervetur, ita ut qui conſiteretur non habenti poteſtatem in reſervata Papæ, neque a peccato, neque ab Excommunicatione abſolveretur: attamen juxta communem Theologorum ſenſum præcipue & magis caſus reſervatur propter Excommunicationem, quam propter peccatum. Ex quo inferunt, quod hoc ipſo quo tollitur a Papa Excommunicatio, tollatur & reſervatio, caſuſque fiat materia juriſdictionis communis. 2. Quod quando Pontifex concedit facultatem abſolvendi a caſibus reſervatis, etiam concedat facultatem abſolvendi ab Excommunicatione annexa. 3. Quod cum cenſura non incurratur ab ignorante eam etiam vincibiliter, modo ignorantia non ſit craſſa & ſupina, pauci in his partibus ſaltem rudiores incurrant caſus Papales, cum plerumque ignorent cenſuras annexas.

Obſervandum 2. omnes caſus Papales, ſaltem extra Bullam Cœnæ, fieri Epiſcopales, hoc eſt permitti Epiſcopis, ut ab eis abſolvant, quando ſunt occulti, ex Trid. ſeſſ. 24. c. 6. Dicitur occultum, quod non eſt publicum, etſi a quibuſdam ſciatur. Item omnes etiam contenti in Bulla Cœnæ ſunt ſimiliter Epiſcopales ratione impoſſibilitatis moralis adeundi Romanam Sedem, ut contingit in infirmis habitualiter, in ſenibus, in pauperibus mendicare non ſolitis c. *Ex noſcitur* de Sent. Excom. Item in iis, qui ab alterius voluntate pendent, eo renitente, ut in uxoribus, filiis familias, & ſervis. Item in mulieribus & puellis ob incontinentiæ periculum & in impuberibus.

Obſervandum 3. controverti inter Theologos, utrum Bulla Cœnæ vigeat in Belgio. Multi negant; quia, inquiunt, non eſt illic debite promulgata, nec recepta. Alii tamen tutius affirmant, præſertim cum S. Congreg. univerſalis inquiſitionis an. 1657. referente P. Henno damnaverit ſequentem propoſitionem ut Schiſmaticam, ſcandaloſam & falſam: *Bullam Cœnæ Domini eis in Regionibus* (in Belgio) *in quo promulgatam non eſſe conſtanter multi, non obligare, probabilis eſt multorum opinio.* Cæterum quidquid ſit, Greg. XIII. Bulla data 25. Februarii 1576. ad inſtantiam Philippi II. Hiſpaniarum Regis, conceſſit Epiſcopis Belgii, ut per ſe, vel per ſuos delegatos, abſolvere poſſent ab omnibus caſibus in Bulla Cœnæ contentis. Ita referunt Theologi Belgæ. Hanc autem facultatem concedere non cenſentur Epiſcopi, dum concedunt communem facultatem abſolvendi a caſibus ſibi reſervatis.

Obſervandum 4. Præſumentes abſolvere a caſibus in Bulla Cœnæ contentis incurrere Excommunicationem latam in ejuſdem Bullæ clauſula. Dicuntur præſumentes, qui id ſcienter faciunt, aut ex ignorantia affectata. Hæc autem Excommunicatio non eſt reſervata, ut patet ex textu Bullæ, & probat Paſſerinus, q. 187. a. 1. n. 431. & 433. Excommunicatio autem lata & Papæ reſervata contra præſumentes abſolvere a caſibus Bullæ Cœnæ, & quinque prius aſſignatis, & a reſervatis Epiſcopis, quæ reperitur in Decreto Clementis VIII. an. 1601. & in altero Pauli V. 1617. Decreti Clementis interpretativo, ſpectat dumtaxat Confeſſarios intra Italiam extra Urbem degentes, & eos ſolos, qui prætextu privilegiorum ſic abſolvere præſumunt. Unde Urbanus VIII. in Decreto dato 17. Novembris 1628. innovans prohibitionem factam omnibus Regularibus intra & extra Italiam abſolvendi a caſibus Bullæ Cœnæ & a reſervatis Ordinario loci declarat dumtaxat hujuſmodi abſolutiones nullas & irritas eſſe. At de Excommunicatione ſilet. Vide Paſſerinum loco cit.

Caſus Epiſcopales.

COMMUNIS eſt Theologorum opinio nullos caſus jure communi, ſaltem quod ſit in vigore, Epiſcopis reſervari, niſi forte eos, qui ſunt primo per ſe Papales, dum ſunt occulti, aut eſt impotentia moralis adeundi Romanum Pontificem, ut explicuimus: qui tamen nec proprie Epiſcopis ſunt reſervati, ſed potius ipſis conceſſi & permiſſi ut abſolvantur. Quoad caſus autem Epiſcopales ab homine, hoc eſt ab ipſis Epiſcopis reſervatos, varii ſunt pro voluntate Epiſcoporum & more Diœceſium, pro quibus conſulenda ſunt Ritualia & praxis cujuſque Diœceſeos. Cum autem in omnibus Diœceſibus plures caſus reſervati ſint iidem, plures inter ſe affines, perutile Confeſſariis fore duxi, breviter hic exponere caſus reſervatos Epiſcopo noſtro Leodienſi, ex quibus inſtrui poterunt circa caſus ſaltem plurimos aliis Epiſcopis reſervatos.

Caſus Epiſcopo Leodienſi reſervati ſuccincte exponuntur.

PRIMUS eſt *Hæreſis*, non mere interna, hæc enim e quolibet Confeſſario poteſt abſolvi, ut conſtat ex dictis: nec mere externa, ut ſi quis exterius profiteretur hæreſim, aut proferret verba hæreticalia ſine animo hæretico; quia hæreſis eſt error intellectus pertinax contra fidem Catholicam (quamvis in foro externo is præſumeretur hæreticus) ſed completa, ſcilicet interna ſimul & externa. Externa autem dicitur, quæ quovis ſigno, etiamſi nuto tantum, exterius ſignificatur, ſive adſint quidam præſentes, ſive non. Eundem caſum incurrit, qui ſciens aliquem articulum eſſe de fide, & ita teneri ab Eccleſia, de eo plene voluntarie dubitat.

Secundus eſt *Apoſtaſia*. Triplex eſt, a Fide, a Religione, & ab Ordine. Apoſtaſia a fide, dum quis a fide, quam in Baptiſmate profeſſus eſt, ex toto deficit; & per hoc diſtinguitur ab Hæreſi, quæ eſt defectio a fide ex aliqua parte tantum, ſive diſtinguuntur eſſentialiter, ut quidam volunt, ſive accidentaliter ſecundum magis & minus, ut dicunt alii. Apoſtaſia a Religione eſt, dum quis Religionem approbatam profeſſus eam deſerit ſine licentia, animo non amplius ad eam vel ad aliam redeundi, ſed vivendi laicaliter aut etiam clericaliter in ſæculo. Apoſtaſia ab Ordine eſt, cum Clericus in ſacris Ordinibus conſtitutus deſerit habitum Clericalem animo vivendi laicaliter, & etiam ſecundum aliquos, dum conſtitutus in minoribus dimittit inſignia Clericatus, retento beneficio, animo pariter vivendi laicaliter.

Tertius eſt *Homicidium voluntarium*, quod ſit peccatum mortale contra juſtitiam. Quando vero homicidium ſit peccatum mortale contra juſtitiam? Require in Tract. de Jure Diſſert. 10. octo primis articulis.

Dubium eſt, utrum mandans homicidium etiam incurrat reſervationem? Reſpondet affirmative Chapeeville; quia ſtatutum, quo punitur maleficium, ligat mandantem, ut probat Bartol. in cap. *Mulieres* de ſentent. Excommunicat. Nec obſtat, quod mandans faciat tantum ficte, verba autem ſtatuti requirunt, quod vere faciat ff. de neg. l. 3. *Hæc verba*; quia, inquit Sylveſter verbo *Statutum* §. 2. n. 7. hic non eſt interpretatio, ſed potius extenſio ex mente legis, cum mandans vere dicatur facere, dicto c. *Mulieres*. Aliud eſſet, ſi reſervaretur actus perſonalis occidendi, ut ſi diceret Epiſcopus, reſervo mihi peccatum illius, qui alium occideret, tunc enim ſolum involveret occidentem, non mandantem. Extendit laudatus Chapeaville reſervationem ad conſulentem & auxiliantem, ſed neſcio quo fundamento, ſi ſaltem intelligat de auxiliante prævie & remote, ut de præbente arma, non in ipſo actu occiſionis. Hæc pro ſententia Chapeaville; quæ quoad mandantem non eſt improbabilis. Ex altera parte videtur, quod cum reſervatio ſit odioſa, debeat ſtricte intelligi & reſtringi; ſtricte autem loquendo mandare non eſt facere. Quod autem Sylveſter dicat hic non eſſe interpretationem ſed extenſionem legis, videtur gratuitum; ſic enim in omnibus poſſet fieri extenſio, nec locus relinquetur reſtrictioni in odioſis. Nec obſtat cap. *Mulieres*, ibi enim agitur de mandante percuſſionem Clerici, & pro hoc caſu tantum ita jus ſtatuit ſpecialiter, ſicut cap. *Quante* ibid. idem ſtatuit de non impediente. Et cap. *Cum quis* de ſentent. Excom. in 6. de Ratihabente. At inde non ſequitur, quod idem ſtatuat in omnibus aliis caſibus: quin e contra ex hoc, quod id ſtatuat pro uno vel altero caſu, colligitur, quod id non intendat pro aliis caſibus. Si dicas rationem Canonis de percuſſione Clerici, ſcilicet quod *is committat vere, cujus mandato delictum commiſſi probatur*, currat pro omnibus caſibus, in quibus intervenit mandans. R. hanc rationem non eſſe cogentem, ſed inductivam tantum, & a Legiſlatore allatam, ut probaret extenſionem legis merito fieri, aut factam eſſe; idque eo verius videtur, quod alioquin, ut jam dixi, hujuſmodi extenſio neceſſario haberet locum in omnibus caſibus, in quibus mandans intervenit, quod non admittunt communiter Theologi. Hæc ſententia nobis videtur probabilior; ſaltem negari non poteſt, quin inde reſervatio pro mandante reddatur dubia, proindeque materia juriſdictionis communis.

Quartus eſt *Injectio manus in Parentes*. Debet intelligi, ſicut injectio manuum in Clericum, de qua §. præced. Obſervandum tamen nomine Parentum hic intelligi Patrem, Matrem, Avum, Aviam, Proavum, Proaviam, & omnes aſcendentes in linea recta: item Vitricum & Novercam, Socerum & Socrum; quia hi omnes, ubi agitur de honore parentibus ſervando, probabilius veniunt nomine Parentum, niſi contrarium in lege exprimatur, aut innuatur, quod hic non fit.

Quintus eſt *Machinatio in mortem conjugis*. Machinari eſt aliquid ingenioſe & arte fabricare, prout opponitur de plano aliquid facere, ita ut in eo magis attendatur ratio ingenii & artis quam materiæ. Sumitur quandoque in bonam partem, ſæpius in malam, & eſt aliquid dolo & aſtutia facere. Unde machinatio in mortem conjugis eſt aliquid dolo & aſtutia facere, ut mors conjugi inferatur. Hunc itaque caſum non incurrit, qui multa animo contra vitam conjugis volvit, ſi nihil in externum opus prodeat, neque qui conjugem aperte percutit, vulnerat, aut occidit, quia hoc non eſt machinari. Incurrit vero, qui pugionem abſcondit ut tempore opportuno conjugem jugulet; qui fraudulenter propinat ipſi potum venenatum; qui in ejus vitam ſtruit inſidias; qui ſub aliquo prætextu ſuadet ire ad locum, ubi novit eſſe occidendam, vel occidendum, & ſimilia, licet ex his non ſequatur mors; quia hoc eſt proprie machinari in mortem conjugis.

Sextus eſt *Veneficium*, quod eſt crimen, quo quis veneno aliquem culpabiliter occidit, vel ejus valetudinem graviter lædit. Unde hunc caſum non incurrit, qui alteri venenum propinat animo necandi vel graviter nocendi, effectu non ſecuto, etſi forte ſit aliqua levis læſio.

Septimus eſt *Maleficium*, quo quis ope Dæmonis nocumentum infert alteri. Eſt duplex, veneficum & amatorium. Veneficum eſt, quo redduntur homines infirmi, fœminæ ſteriles, proles languidæ, pecora morbida, arbores ſiccæ, &c. Amatorium, quo excitatur amor inordinatus & impurus erga certam perſonam. Utrumque eſt reſervatum effectu ſecuto, alias non.

Octavus eſt *Incantatio*, quæ eſt magia, qua quis ſolis verbis miranda ope Dæmonis operatur. Unde Incantatores dicuntur, qui artem magicam ſolis verbis exercent, & per hoc diſtinguitur a maleficio, quod verbis & rebus perficitur. Item diſtinguitur ratione finis. Incantatio enim eſt ad incommodum & commodum alterius, & aliquando ab utroque abſtrahit; maleficium autem eſt ſemper in incommodum & nocumentum alterius. Hic caſus incurritur ut præcedens effectu ſecuto, ſecus non. Quoad iſtos duos caſus vide, quæ dixi in Tract. de Religione Diſſert. 7. per plures Articulos de ſuperſtitione & ſpecialiter de magia.

Nonus eſt *Procuratio abortus*. Procurare abortum eſt ſtudioſe & ex induſtria agere ad ejectionem fœtus immaturi, ſive inanimati, ſive animati. Unde non incurrit reſervationem mulier, quæ ſumit pharmacum ſterilitatis, aut quæ metu prolis ſemen ejicit ante conceptionem, quia efficere ut ſemen non ſit prolificum, non eſt procurare abortum; neque quæ herbis aut potionibus aliove modo tentavit abortum effectu non ſecuto; neque, ut ſaltem nobis probabilius eſt contra Chapeaville, mulier ferens grave pondus, nimium laborans, violenter iraſcens, ex quo prævidet, aut prævidere poteſt ſecuturum abortum, quem tamen formaliter non intendit; idem dic de viro graviter ex ira percutiente mulierem, aut eam affectu implendæ libidinis cum nimia agitatione cognoſcente: quamvis enim

tim hi coram Deo ſint rei abortus, non tamen dicuntur illum procurare, quia procurare abortum, ut diximus, eſt ſtudioſe & ex induſtria agere ad ejectionem fœtus immaturi, quod iſti non faciunt, cum illam ejectionem non intendant formaliter. Qua etiam de cauſa Theologi communiter cenſent eos non incurrere pœnas a ſummis Pontificibus Sixto IV. & Gregorio XIII. latas contra procurantes abortum. E contra reſervationem incurrit puella, quæ ne diffametur, aut occidatur, ſumit potionem abortivam effectu ſecuto; hæc enim ſtudioſe & ex induſtria quærit abortum, ut famam aut vitam ſervet. Idem dic de mandante, conſulente, auxiliante, &c. Hi enim omnes vere procurant abortum. Quod etiam habet locum, quamvis fœtus vivus ejiciatur & baptizetur, modo ſit immaturus. Vide plura de abortu in Tract. de Jure & Juſt. Diſſert. 10. a. 7.

Decimus eſt *Oppreſſio prolis*, quæ eſt ſpecies homicidii ſpectans Parentes & Nutrices, & dicitur aliquo ſenſu parricidium. Hunc caſum incurrunt ſive Parentes ſive Nutrices, quæ ex intentione proles enecant, vel illas exponunt in ſylvis, in agris, in locis publicis. Item ſi decumbant in eodem lecto cum tenellis prolibus, quæ nondum ſe juvare poſſunt, niſi forte lectus ſit admodum amplus, & ex uſu noverint certo, ſe dormiendo non mutare locum. Intellige utrumque caſum, ſi mors ſequatur. Item ſi ex negligentia mortali circa prolium cuſtodiam mors eis obveniat; tanto autem major eſt adhibenda diligentia, quanto majus periculum mortis, ſeu oppreſſionis inſtat.

Undecimus eſt *Stuprum, ſeu violenta Virginis defloratio*. Cenſetur violenta defloratio reſervata, non ſolum quando Virgo reali & phyſica violentia opprimitur, ſed etiam morali violentia, ut ſi ad copulam adigatur metu gravi, puta mortis, infamiæ, atrocium verberum, vel alterius gravis damni a ſtupratore incuſſo; vel etiam metu reverentiali, ut ſi ſtuprator ſit ſuperior, Tutor, vir magnæ auctoritatis, cui puella nihil audeat recuſare. Quidam addunt, ſi per importunas preces, quod verum crediderim tantum, quando eas comitantur vel magna promiſſa, ut matrimonii, pinguis dotis, &c. vel amplexus, tactus, oſcula, quibus excitata puella, prius invita, tandem conſentit. Alioquin ſi preces ſint ſolæ ſine dictis adminiculis, quantumvis importunæ, non videntur violentia moralis, cum ingenua puella non ita difficile poſſit illas excutere, concepta ira, qualem decet in ſimili caſu, ut jam alibi dixi. Non incurrit autem hunc caſum, qui jam corruptam, etſi reputatam Virginem violenter opprimit, neque qui ſæpe tentavit copulam, quam non perfecit, neque qui cognovit contra naturam; quia in his omnibus non eſt violenta Virginis defloratio. Confer, quæ dixi de ſtupro Diſſert. 10. de Jure a. 11. Append. 2. & Diſſert. 3. de Temperantia a. 3.

Duodecimus eſt *Raptus* in materia Luxuriæ, qui definitur: *Vis illata cuicumque perſonæ aut ejus parentibus cauſa explendæ libidinis, ſive perſona adducatur de loco in locum, ſive non*. Hujus reſervatio incurritur, etiamſi non ſit expleta libido, aut ſecuta copula; quia expletio libidinis eſt tantum finis, ſine cujus obtentione ſalvatur integra ratio Raptus. Quomodo autem intelligenda ſit data definitio, ut habeatur ratio Raptus, & inde incurratur reſervatio, late explicui Diſſert. 6. de Temperantia a. 4. §. 1. Require.

Decimus tertius eſt *Matrimonium contractum poſt votum Caſtitatis, aut in gradu prohibito ſcienter, vel priori uxore adhuc vivente*. Non incurrit reſervationem, qui contrahit Matrimonium poſt votum non nubendi, ingrediendæ Religionis, aut Ordines ſacros ſuſcipiendi; quia hæc vota non ſunt ſimpliciter vota caſtitatis, neque qui contrahit in gradu prohibito, quem ignorat, etiamſi ignorantia ſit culpabilis & craſſa, quia non contrahit *ſcienter*. Quis ſit gradus prohibitus dicemus, dum de Matrimonio. Similiter nec qui leviter & probabiliter tantum credens priorem uxorem eſſe mortuam contrahit cum alia; quia etiam non contrahit *ſcienter*, ſi tamen hæc particula efficiat etiam hanc partem caſus, ut interpretatur Chapeaville. Quod autem dicitur in hoc caſu de viro contrahente, vivente priori uxore, debet intelligi de uxore contrahente, vivente priori viro. Nec obſtat, quod odioſa non ſint extendenda ultra verba legis, ſed potius reſtringenda; hæc enim Regula Juris non currit in Correlativis, in quibus eadem ratio idem jus ſuadet, ut notant Soto, Navarrus, & communiter Theologi.

Decimus quartus eſt *Inceſtus cum conſanguineis, aut cum Virgine ſacra, ſeu Moniali profeſſa*. Inceſtus proprie dictus definitur illegitimus concubitus perſonarum conſanguinearum vel affinium uſque ad 4. gradum incluſive, ad cujus rationem requiritur completa commixtio ſeminum in vaſe debito. Unde oſcula, tactus impudici inter conſanguineos aut affines, reſervatio ſeu penetratio vaſis naturalis ſine ſeminatione, aut cum ſeminatione extra ipſum, aut contra naturam, quamvis pertineant reductive ad Inceſtum, non tamen aſſequuntur perfectam & integram rationem illius, ideoque non cadunt ſub reſervationem. Neque etiam Inceſtus cum affinibus, quia reſervatur tantum Inceſtus cum conſanguineis. Concubitus vero cum Virgine ſacra, ſeu Moniali profeſſa, dicitur Inceſtus metaphorice, quatenus Virgo ſacra in Religione approbata conſecratur per Profeſſionem quaſi ſponſa Dei, quam qui ideo corrumpit, quaſi cum matre, ſcilicet Sponſa Dei, rem habet. Sola Copula conſummata in vaſe debito reſervatur, non oſcula, tactus &c., ut dictum eſt de Inceſtu proprie dicto. Item Sacerdos aut Religioſus cognoſcens mulierem ſæcularem non incurrit caſum reſervatum; quia non eſt inceſtus cum Virgine ſacra.

Decimus quintus eſt *Concubitus contra naturam, puta Sodomia & hujus generis graviora crimina*. Peccati contra naturam in materia Luxuriæ ſunt 4. ſpecies, ſcilicet Pollutio ſeu mollities, Sodomia, Beſtialitas, ad quam reducitur congreſſus cum Dæmone, & indebitus modus concumbendi, ut ſi quis coeat in vaſe præpoſtero. De quibus vide Tract. de Temperantia Diſſert. 6. a. 10. & 11. Non reſervatur hic omne peccatum contra naturam, ſed tantum *concubitus contra naturam, ut Sodomia & ejus generis graviora*, ſcilicet Beſtialitas & congreſſus cum Dæmone, qui dicitur ſuccubus & incubus. Igitur non reſervatur mollities ſeu pollutio, quia non eſt concubitus; neque coitus maris cum fœmina in vaſe indebito, quia non eſt Sodomia, nec ea gravior: neque tactus impudici inter maſculos aut inter fœminas, ſive cum Beſtiis aut cum Dæmone, quia non ſunt concubitus. Solum ergo reſervatur coitus cum ſeminatione in vaſe ſive debito, ſive indebito, fœminæ cum fœmina, maris cum mare, viri aut mulieris cum beſtia vel Dæmone.

Decimus ſextus eſt *Falſitas circa monetas*. Contingit tripliciter, in ſubſtantia monetæ, dum adulteratur ejus materia mixtione alterius inferioris metalli; in pondere, dum minuitur; & in charactere Principis, dum abſque ejus auctoritate imprimitur. Incurrunt ergo reſervationem, qui uno ex his tribus modis falſificant monetas abſque Principis auctoritate. Idem arbitror dicendum de iis, qui monetas cuſas circumcidunt, ſeu corrodunt infra juſtum pondus; hi enim vere falſificant monetam. Secus vero qui monetas falſificatas expendunt & diſtribuunt; hoc enim non eſt falſare, ſed falſis uti.

Decimus ſeptimus eſt *Falſitas circa Litteras alicujus Prælati inferioris Papæ*. Falſitas in hoc caſu ſicut & in præcedenti, a qua quis dicitur falſarius, ſecundum Canoniſtas eſt immutatio veritatis cum dolo & injuria. Falſificari autem poſſunt litteræ variis modis, addendo, minuendo, radendo, lacerando, mutando, novas fingendo, ſignaturam aut ſigillum ſimulando vel adulterando. Prælatus proprie dicitur, qui habet juriſdictionem in foro exteriori, quales ſunt Papa, Patriarchæ, Epiſcopi, Abbates, Generales, Provinciales, Priores, Guardiani, Rectores, &c. inter Mendicantes. Dicitur *falſitas circa Litteras Prælatis inferioris Papæ*; quia falſitas circa Litteras Papæ eſt ipſi reſervata in Bullæ Cœnæ. Itaque reſervationem incurrit, qui Prælati Litteras falſat aliquo ex dictis modis, etiamſi in unius commatis additione vel deletione, quæ mutet ſenſum, ſi tamen ſit cum damno aut injuria alterius, quia id importat falſitas prout ſuperius definita eſt. Unde non incurrit, qui falſificat litteras, quibus non utitur; aut antequam utatur, falſitatem corrigit; neque qui errorem in eis manifeſtum corrigit, tunc enim non falſificat, ſed potius verificat.

Decimus octavus eſt *Perjurium ſolemne*. Perjurium proprie & ſtricte dictum eſt juramentum falſum, ſeu mendacium juramento firmatum, ſive ſit aſſertorium, ſive promiſſorium. Perjurium ſolemne eſt, quod fit cum aliqua Solemnitate, puta coram Notario, Teſtibus, tangendo ſancta Evangelia, Crucem, Virgam, Sceptrum, &c. ſive fiat in judicio, ſive extra judicium. Non eſt autem ſolemne ex eo præciſe, quod fiat coram multis, ſi iſti multi non advocentur in teſtes, aut aliqua alia ſolemnitas non adhibeatur, tunc enim erit quidem publicum, ſed non ſolemne.

Decimus nonus eſt *Publica & enormis Blaſphemia in Deum aut Sanctos*. Blaſphemia, juxta Auctorem, (2. 2. q. 13. a. 1. o.) eſt locutio falſa, qua excellentiæ bonitatis divinæ derogatur, idque per modum convitii. Dicitur falſa locutio ex intentione ſcilicet blaſphemantis: poteſt enim fieri & ſæpe fit, quod locutio, quæ ſecundum ſe eſt vera, ſit tamen Blaſphemia, quia efficitur falſa ex intentione loquentis tribuentis Deo aliquid tanquam vituperabile & per modum imperfectionis, ut nominare per modum convitii aut improperii vera Chriſti membra, *Tete, Corps, Ventre Dieu*. Blaſphemia ex parte voluntarii eſt duplex, formalis & materialis. Formalis duplex, directa & indirecta. Formalis directa eſt, quæ fit cum directa & expreſſa intentione inhonorandi Deum; formalis indirecta eſt, quæ fit cum indirecta & virtuali tantum intentione inhonorandi Deum,

ut cum quis ſcienter & advertenter ſerio profert verba, quæ vel ex ſe, vel ex modo proferendi, vel ex aliis circumſtantiis inhonorationem Dei ſignificant; eo ipſo enim convincitur proferens velle inhonorationem Dei, etſi id formaliter & expreſſe non intendat. Blaſphemia materialis eſt, quæ fit abſque intentione directe & indirecta inhonorandi Deum, ut ſi proferantur verba Blaſphemiæ docendi gratia, vel recitative per modum hiſtoriæ, (*Ibid. ad* 2.) aut omnino indeliberate, ſive quoad prolationem verborum, ſive quoad eorum ſignificationem, ut, inquit auctor, cum quis non advertit hoc quod dicit eſſe blaſphemiam; quod poteſt contingere, dum ſubito ex aliqua paſſione in verba imaginata prorumpit, quorum ſignificationem non conſiderat; & hoc non habet proprie rationem blaſphemiæ. Ex parte objecti blaſphemia eſt etiam directa, quæ fit directe contra Deum, & indirecta, quæ fit indirecte contra Deum, quatenus fit contra aliquid Deo ſacrum, vel ad Deum, relatum ut contra Sacramenta & quaſcumque alias res ſacras, contra Creaturas quatenus ſunt aliquid Dei, aut habent relationem ad Deum, (*Ibid. ad* 2.) & præſertim contra Sanctos, ſicut enim Deus in Sanctis ſuis laudatur, in quantum laudantur opera, quæ Deus in Sanctis efficit, ita blaſphemia, quæ fit in Sanctos, ex conſequente in Deum redundat. Plura, dum ex profeſſo agemus de blaſphemia; hæc nunc ſufficiant, ut lector intelligat ſolam blaſphemiam formalem ſive directam ſive indirectam, non materialem, ſubjacere reſervationi. Reſtant explicandæ aliæ particulæ, *Publica & enormis*. Blaſphemia publica dicitur, quæ innoteſcit majori parti, non ſolum Provinciæ, Civitatis, aut Parochiæ, ſeu viciniæ, Collegii, aut Communitatis, modo in ea decem ſaltem reperiantur, ut docet Chapeaville ex Bartol. & Panorm. ſive hæc notitia habeatur ex ipſo facto, quod coram majori parte fuit perpetratum, ſive ex relatione paucorum, qui præſentes aderant. Enormitas blaſphemiæ æſtimanda eſt ad arbitrium boni viri, quod conſiderat 1. objectum blaſphemiæ: *gravior eſt enim*, quæ fit contra Deum & Chriſtum, quam contra B. Virginem aut Sanctos. 2. Modum blaſphemandi, gravior namque eſt directa, quam indirecta. 3. Qualitatem perſonarum, locorum, temporum, occaſionis, &c. Hinc videtur enormis blaſphemia, ſi quis neget Deum, Chriſtum, fidem, vel nominet Chriſtum, Apoſtolos, aut alios Sanctos magos, impoſtores, B. Virginem meretricem & ſimilia. Non videtur autem enormis, ſi quis juret per membra honeſta Chriſti, *Tete, ventre, corps, ſang, mort Dieu*. Neque ſi dicat, ita verum eſt ſicut Deus, aut id fiet, etiamſi nolit Deus, & ſimilia. Ex his habes, quæ blaſphemia ſit reſervata, vel non; hoc unum attende debere eſſe ſimul publicam & enormem; ſi alterutrum deſit, non reſervatur.

Vigeſimus *eſt Inſignis contumelia illata S. Euchariſtiæ, aut ſacris SS. Reliquiis*. Contumelia eſt injuſta dehonoratio perſonæ. Fit & verbis, ut ſi voces aliquem præſentem furem, ſpurium, ſtultum; & factis per libellos famoſos, picturas, impactam alapam, deturpationem aut fractionem januæ vel imaginis, modo tamen hæc fiant, non ad damnificandum alterum, ſed ad ſignificandum eſſe vilem & contemptibilem. Plura de contumelia vide in Tract. de Jure Diſſert. 15. a. 1. Non omnis contumelia in Euchariſtiam & Reliquias reſervatur, ſed *Inſignis* tantum, id eſt quæ inter alias contumelias eminet, qualis eſt, ſi quis Euchariſtiam aut SS. Reliquias projiceret in terram, pedibus conculcaret, turpia circa illas ageret; non vero ſi quis in ſtatu peccati mortalis communicat, aut Euchariſtiam vel Reliquias SS. pannis laceris & ſordidis involvat.

Vigeſimus primus eſt *Abuſus ſanctæ Euchariſtiæ aut ſanctarum Reliquiarum, vel etiam ſacræ Scripturæ ad exercitium artium magicarum*. Caſus eſt manifeſtus, nec indiget explicatione, niſi quod per magiam intelligatur ſuperſtitio, per quam miranda ope dæmonis fiunt.

Caſus Regulares.

CLEMENS VIII. ne nimia caſuum reſervatione Religioſis infirmioribus injiceretur laqueus, decreto edito 26. Maii 1593. deſignavit 11. caſus reſervabiles in Religione, ultra quos non licet Prælatis alios reſervare, niſi de conſenſu Capituli Generalis pro toto Ordine, vel Provincialis pro provincia. Sunt hi ſequentes.

1. *Veneficia, incantationes, ſortilegia*. 2. *Apoſtaſia a Religione, ſive habitu dimiſſo, ſive retento, quando eo pervenit, ut extra ſepta Monaſterii ſeu Conventus fiat egreſſio*. Nota non eſſe caſum reſervatum, ſi adſit animus redeundi. 3. *Nocturna & furtiva e Monaſterio ſeu Conventu egreſſio etiam non animo apoſtatandi facta*. Nota utrumque debere conjungi, quod ſit nocturna ſimul & furtiva, alias non eſſet caſus reſervatus. 4. *Proprietas contra votum paupertatis, quæ ſit peccatum mortale*. 5. *Juramentum falſum in judicio regulari ſeu legitimo*. 6. *Procuratio auxilium ſeu conſilium ad abortum faciendum poſt animatum fœtum etiam effectu non ſecuto*. 7. *Falſificatio manus aut ſigilli Officialium Monaſterii aut Conventus*. 8. *Furtum de rebus Monaſterii ſeu Conventus in ea quantitate, ut ſit peccatum mortale*. 9. *Lapſus carnis voluntarius opere conſummatus*. 10. *Occiſio aut vulneratio, ſeu gravis percuſſio cujuſcumque perſonæ*. 11. *Malitioſum impedimentum, aut retardatio, aut apertio litterarum a Superioribus ad inferiores & ab inferioribus ad Superiores*.

Dubium eſt, utrum Prælatus Regularis poſſit quibuſdam caſibus non deſignatis annectere excommunicationem, & illam ſibi reſervare? R. probabilius negative; quia hoc eſſet eludere Bullam, & ejus finem fruſtrare, cum nullus ſit caſus, quem hac cautela adhibita non poſſit ſibi reſervare Prælatus Regularis. Nota hos 11. caſus a Clemente VIII. deſignatos eſſe dumtaxat reſervabiles, hoc eſt poſſe a Prælatis Regularibus reſervari, non vero de facto eſſe reſervatos.

§. III. *Quinam poſſint abſolvere a Caſibus reſervatis?*

DICO. 1. Poteſt abſolvere a reſervatis 1. Qui reſervavit. 2. Ejus ſucceſſor. 3. Superior in eodem foro, qualis eſt Papa in tota Eccleſia, non Archi-epiſcopus reſpectu Suffraganeorum, niſi in actuali viſitatione, quia extra viſitationem non eſt Superior niſi quoad forum exterius. 4. Qui habet poteſtatem ad hoc delegatam ab eo qui ordinaria gaudet. Hæc per ſe patent. Item omnis Sacerdos in articulo mortis, ut dicam infra.

Dico 2. Epiſcopi ordinarii directe abſolvere poſſunt ab omnibus caſibus Papalibus etiam in Bulla Cœnæ contentis, quando adeſt impotentia moralis adeundi Sedem Romanam, ut explicuimus §. præced. obſerv. 2. Item quando caſus Papales ſunt occulti attento jure Trid. Seſſ. 24. cap. 6. Epiſcopi poſſunt ſuos ſubditos ab eis abſolvere per ſe, vel per Vicarium ad id ſpecialiter deputatum, excepta hæreſi, a qua abſolvere non poſſunt niſi per ſe ipſos. Dicitur autem occultum, quod vel nemini, vel ita paucis notum eſt, ut vel negatione, vel aliqua tergiverſatione celari poſſit.

Dixi: *Attento jure Trid.* quia per promulgationem Bullæ Cœnæ, quæ fit quotannis, videtur illi derogatum quoad caſus in ea contentos, propter hanc Bullæ clauſulam: *Ut ab illis caſibus nulla perſona Eccleſiaſtica, etiam Epiſcopali, aut majori dignitate prædita, abſolvere poſſit; prætextu cujuſcumque facultatis, etiam per cujuſvis Concilii decreta in genere vel in ſpecie conceſſa*. Scio quoſdam interpretari hanc clauſulam de caſibus publicis, non occultis; at huic interpretationi contradicit hæc propoſitio ab Alexandro VII. damnata 24. Septembris 1665. *Sententia aſſerens Bullam Cœnæ ſolum prohibere abſolutionem hæreſis & aliorum criminum, quando publica ſunt, & id non derogare facultati Trid. in qua de occultis criminibus ſermo eſt, anno 1629. 18. Julii in Conciſtorio S. Congregationis Eminentiſſ. Cardinalium viſa & tolerata eſt*. Eſt 3. inter damnatas.

Sed quidquid ſit de aliis Epiſcopis, ſaltem Epiſcopi Belgici poſſunt abſolvere ab omnibus caſibus Bullæ Cœnæ etiam publicis, etiam ab hæreſi publica ex Conſtitutione Gregorii XIII. ut diximus §. præced. obſerv. 3. Quid poſſunt Regulares privilegiati quoad caſus reſervatos, dicam art. ſeq. Interim

Dico 3. Quilibet Confeſſarius communis, alias nullam habens juriſdictionem in reſervata, poteſt abſolvere Pœnitentes ad ſe ex alia Diœceſi venientes a caſibus in illa Diœceſi reſervatis, ſi non ſint reſervati in Diœceſi, in qua eſt approbatus, & Confeſſionem excipit, niſi noverit eos venire in fraudem reſervationis. Et e contra non poteſt eos abſolvere, ſi habeant caſus reſervatos in Diœceſi, in qua eſt tantum communiter approbatus, licet non ſint reſervati in Diœceſi, ex qua veniunt. Ratio utriuſque partis eſt, quia ut ſupra diximus, iter ſine fraude agentes, ſive juris interpretatione, ſive conſenſu tacito Ordinariorum, ſive ex Decreto Eugenii IV. ut teſtatur Cajetanus in Summa verbo *Abſolutio*, ſortiuntur forum pœnitentiale loci, in quo ſunt, & fiunt tantiſper ſubditi Epiſcopis locorum, per quæ tranſeunt, quoad receptionem Sacramentorum. Ergo Ordinarius, qui tacite, vel expreſſe concedit illis poſſe confiteri in aliena Diœceſi, cenſetur illis concedere, ut abſolvantur; præſertim cum Confeſſarios unius Diœceſis non teneantur ſcire Caſus reſervatos in altera. Confir. 1. Pars, quæ a quibuſdam revocatur in dubium. Qui ſentit incommodum, debet ſentire & commodum, ut fert adagium communiter receptum. Atqui ut omnes fatentur, pœnitentes extranei abſolvi non poſſunt in aliena Diœceſi a caſibus in ea reſervatis, etſi non ſint reſervati in ſua, ut dicit 2. pars Concluſionis, & concedunt, qui negant primam. Ergo abſolvi poſſunt a caſibus ibi non reſervatis, etſi in ſua Diœceſi ſint reſervati.

Cæte-

Google

Cæterum quantum ad Regulares, eſt expreſſa declaratio Clementis X. Conſtitutione *Superna* toties citata, ubi dicit: *Poſſe Regularem Confeſſarem in ea Diœceſi, in qua eſt approbatus, confitentes ex alia Diœceſi a peccatis in ipſa reſervatis, non autem in illa, ubi idem Confeſſor eſt approbatus, abſolvere; niſi eos Pœnitentes noverit in fraudem reſervationis ad aliam Diœceſim pro abſolutione obtinenda migraſſe.*

Vides exceptionem, quam meritò appoſui in Concluſione, cujus ratio eſt; quia fraus & dolus nemini patrocinantur, nec jure præſumi poſſunt Ordinarii velle conferre juriſdictionem alienis Confeſſariis in caſus ſibi reſervatos, in gratiam talium fraudatorum. Porro non cenſetur venire in fraudem reſervationis, qui accedit ad Confeſſarium vicinum alterius Diœceſis, quia ſolitus eſt illi confiteri; neque qui non habet in proprio domicilio, qui poſſit abſolvere a reſervatis, ſecus ſi haberet, & alio migraret, ut fugeret difficultatem abſolutionis, & ſeveritatem correctionis & remediorum, ut ſolet in caſibus reſervatis. Quidam etiam non immerito excipiunt a Concluſione caſum, cui Epiſcopus annexuiſſet cenſuram ſibi reſervatam, quia cenſura pertinet ad forum exterius, nec cenſetur Epiſcopus conferre alienis Confeſſariis ſuam juriſdictionem in foro exteriori, ne confundantur juriſdictiones. Cave tamen, ne has exceptiones extendas ad alias Confeſſiones non reſervatorum factas privilegiatis; quia etſi eo animo tranſmigrent Pœnitentes ad aliam Diœceſim, ut mendicantibus ibi approbatis peccata non reſervata confiteantur, nulla eſt fraus, ſed jure ſuo utuntur.

Petes 1. Quando Pœnitens habens caſus reſervatos impeditur adire Superiorem, vel ab eo delegatum ad reſervata, poſſit abſolvi a quolibet Confeſſario? R. 1. Si agatur de caſibus Papalibus, & impedimentum ſit aut futurum præſumatur perpetuum, vel diu duraturum adeundi Romanam Sedem, jam dixi §. præced. eos poſſe abſolvi directe ab Epiſcopis, item, ut dicam infra, a Regularibus privilegiatis. 2. Si ſit hujuſmodi impedimentum perpetuum adeundi Epiſcopum aut delegatum, tam quoad dictos caſus Papales, quam quoad eos, quos ſibi reſervat Epiſcopus, quidam volunt eos directe poſſe abſolvi a quolibet Confeſſario ex Epikia, ſeu interpretatione voluntatis & conſenſus reſervantis; nec neceſſe eſſe mittere nuntium, aut litteras ad Superiorem, quia id nullo jure cavetur. Verum hac ſententia in ſua probabilitate relicta, tutius eſt recurrere ad Superiorem per nuntium aut litteras, & hæc eſt praxis communis Confeſſariorum, niſi forte inſtet periculum mortis. Aliunde caſus videtur Metaphyſicus, cum paſſim reperiantur delegati, quorum aliquem, ſi forte Pœnitens adire non poſſit, poteſt ſaltem ad ſe advocare.

3. Sed quid ſi impedimentum ſit temporale tantum, ſed urgeat neceſſitas; ut ſi Parochus caſu reſervato gravatus non poſſit abſtinere a celebratione ſine ſcandalo, nec habeat præſentem, niſi Confeſſarium communem? Circa hunc caſum triplex eſt ſententia. Prima dicit eum debere confiteri Confeſſario communi alia peccata, omiſſo reſervato, a quo abſolvetur indirecte; ſed obſtat, quod Confeſſio jure divino debeat eſſe integra, nec adſit ratio ſufficiens eam dimidiandi. Secunda dicit, quod debeat confiteri peccatum reſervatum cum aliis, ſive venialibus, ſive mortalibus remiſſis, ſi alia non habeat, ut ſic abſolvatur directe a non reſervatis, & indirecte a reſervatis, ſed obſtat, quod Confeſſarius videatur non habere juriſdictionem in totam materiam. Unde tertia ſententia dicit Pœnitentem in hoc caſu debere ſe gerere, ac ſi non haberet copiam Confeſſarii, quia Trid. ſeſſ. 24. cap. 7. dicit; quod Sacerdotes inferiores *Extra mortis articulum* nihil poſſint in caſibus reſervatis, ideoque id unum *Pœnitentibus perſuadere nitantur, ut ad Superiores & legitimos Judices pro beneficio abſolutionis accedant*. Si ergo Confeſſarius communis nihil poſſit in reſervata, non magis poteſt ab eis abſolvere, quam poſſit Sacerdos ſimplex abſolvere a communibus. Unde ſicut fruſtra Pœnitens in caſu confiteretur peccata communia ſimplici Sacerdoti, ita fruſtra confiteretur reſervata approbato tantum ad communia.

Verum huic ſententiæ, quæ ſat frequens eſt inter quoſdam Recentiores, obſtare videtur, quod Concilium ſit intelligendum, Sacerdotes inferiores nihil poſſe directe in reſervata, poſſe tamen aliquid indirecte in caſu neceſſitatis, ſi quidem ipſi fatentur, quod qui Confeſſario communi confitetur legitime, & obliviſcitur inculpabiliter confiteri reſervatum quod habet, indirecte ab eo abſolvatur. Neque obſtat, quod dicunt, ideo indirectam abſolutionem ferri in peccata oblita, quia iſte defectus ſe tenet ex parte Confeſſionis, in noſtro autem caſu ſe tenet ex parte juriſdictionis. Contra eſt enim, quod in utroque caſu ſit defectus juriſdictionis. Sed ſicut in primo, juxta laudatos Theologos, Eccleſia cenſetur conferre tacite juriſdictionem ad abſolutionem indirectam, ne, in quo, pœnitens maneat ſemper inabſolutus ab iſto peccato, ſi ſemper communi Confeſſario confiteretur; ita cenſetur conferre juriſdictionem ad abſolutionem indirectam in noſtro caſu, ut ſatisfiat præcepto divino de Confeſſione præmittenda perceptioni Euchariſtiæ, & ſecurior ſit Pœnitens de ſua diſpoſitione.

Quibus de cauſis ſecunda ſententia ſicut eſt communior ita nobis videtur probabilior & tutior; quia ſecundum illam, ut dictum eſt, ſatisfit præcepto divino, magis aſſecuratur Pœnitens de ſufficientia ſuæ diſpoſitionis, ſalvatur integritas Confeſſionis, & ſtatus Pœnitentis innoteſcit, ut debet, Confeſſario. Videturque eſſe ſententia Auctoris, dum dicit: (*Supp. q. 9. a. 2. ad 3.*) *Si Sacerdos non poſſit de omnibus abſolvere, tamen tenetur pœnitens ei omnia confiteri, ut quantitatem totius culpæ cognoſcat, & de illis, de quibus non poteſt abſolvere* (ſcilicet directe), *ad Superiorem remittat.*

Quando ergo opponitur Confeſſarium non habere juriſdictionem in totam materiam, negandum eſt, ut patet. Habet namque juriſdictionem, ut abſolvat directe communia, indirecte reſervata, quia unum non poteſt remitti ſine alio. Et ideo Pœnitens tenetur iterum reſervata confiteri habenti juriſdictionem in illa, ut ab illis directe abſolvatur; quia Eccleſia non cenſetur in ſimilibus caſibus conferre juriſdictionem, niſi in quantum neceſſitas requirit, cui ſufficit abſolutio indirecta. Obſervandum in caſu, quod ſi forte pœnitens haberet tantum peccatum reſervatum, deberet cum illo confiteri aliquod veniale, aut mortale jam remiſſum, ut ſuper iſtud directe caderet abſolutio, indirecte ſuper reſervatum.

Petes 2. Utrum qui legitime confitetur habenti poteſtatem abſolvendi a reſervatis, tam caſibus, quam cenſuris, ſi obliviſcatur alicujus reſervati, tollatur reſervatio & poſſit poſtea per quemlibet Confeſſarium communem ab illo abſolvi? De peccato reſervato oblito in confeſſione facta communi Confeſſario, dixi in priori petitione, illud, ſi redeat in memoriam, non poſſe abſolvi a communi Confeſſario, ſed debere ſubjici habenti juriſdictionem in reſervata. Quæſtio eſt modo de peccato reſervato oblito in Confeſſione facta habenti poteſtatem abſolvendi a reſervatis. Ad quam R. affirmative; quia Confeſſarius abſolvit quantum poteſt. Confeſſarius autem, de quo in quæſtione, poteſt abſolvere a reſervatis. Ergo abſolvit ab illis ſaltem hactenus, ut deſinant eſſe reſervata, remanente tantum obligatione ea ſubjiciendi clavibus Eccleſiæ, ut ſatisfiat præcepto confitendi omnia peccata. Eſt communis. Excipe tamen, niſi abſolvens habeat tantum juriſdictionem ratione articuli mortis: tunc enim abſolutus a Cenſuris debet adhuc ſtatim ac commode poteſt coram Superiore, vel ejus delegato, ſe ſiſtere, non ut iterum ab illo abſolvatur ſed ut ejus mandatis obeundis ſe paratum exhibeat, alioquin eaſdem Cenſuras ipſo jure incurſurus. Ita cap. *Eos qui* 22. de ſentent. Excom. in 6. l. 5. tit. 11.

Petes 3. An per Confeſſionem factam habenti poteſtatem in reſervata, ſi defectu diſpoſitionis in Pœnitente ſit invalida, tollatur reſervatio? R. ſi defectus diſpoſitionis ſit mortalis, ut ſi Pœnitens retineat voluntarie peccatum mortale, & confiteatur habenti juriſdictionem delegatam tantum in reſervata, non tollitur reſervatio, quia delegatus non habet poteſtatem abſolvendi a reſervatis niſi ſacramentaliter. Neque etiam probabilius, ſi abſolvens ſit Superior, quia licet poſſit abſolvere a reſervatione extra Sacramentum, dum tamen abſolvit in Sacramento, non debet præſumi velle favere agenti cum fraude & tollere reſervationem. Si vero defectus diſpoſitionis non ſit mortalis, puta quia Pœnitens bona fide credit ſe conteri ex motivo ſupernaturali, cum ſit tantum naturale; probabile eſt tolli reſervationem, quia vix conſtare poteſt de tali defectu. Unde ſi non tolleretur reſervatio, foret continua anxietas, & ideo præſumitur Superiorem in caſu permittere, ut delegatus abſolvat a reſervatione. Aliunde ſicut leges malæ fidei adverſantur, ita bonæ fidei patrocinantur.

Petes 4. Utrum facultas abſolvendi a caſibus reſervatis expiret morte vel amotione concedentis? R. Facultas abſolvendi a caſibus reſervatis generaliter data, non determinando hunc caſum, hanc perſonam, non expirat morte vel amotione concedentis; quia eſt gratia ejuſdem rationis cum facultate ſimpliciter abſolvendi, quæ licet ſit data in favorem Pœnitentium, is tamen, cui datur, eſt Confeſſarius ideoque habetur pro gratia non facienda, ſed facta & acceptata, quæ non expirat morte vel amotione concedentis. Ita cap. *Si ſuper gratia* de officio & poteſtate Judicis delegati in 6. l. 1. tit. 14. & cap. *Si cui* mox citando. Idem dic de facultate eligendi Confeſſorem alicui conceſſa, ſive tempore Jubilæi, ſive aliter, eſt enim etiam gratia facta & acceptata. Si autem hujuſmodi facultas ſit data ad hunc particularem caſum pro hac particulari perſona, quamvis ex citato cap. *Si ſuper* videatur etiam non ceſſare morte concedentis, obſtat tamen cap. *Si cui* de præ-

bendis in 6. l. 3. tit. 4. Eamque ceſſare morte ſeu amotione concedentis, re integra manente, tenet communior opinio apud Paſſerinum q. 187. a. 5. inſpect. 3. obſervat. 16. & alios, quia nondum cenſetur gratia facta & acceptata, ſed facienda tantum & acceptanda ab hoc particulari pœnitente, & ideo expirat morte concedentis re integra manente. Quod addo; quia ſi Confeſſarius vi juriſdictionis datæ jam incepiſſet audire Confeſſionem pœnitentis, cenſeretur gratia facta & acceptata, quæ non expirat morte concedentis, ut dictum eſt, & aliunde foret nimis moleſtum pœnitenti novam inſtituere Confeſſionem.

Petes 5. Quomodo debeat ſe gerere Confeſſarius non habens poteſtatem in reſervata, dum audit in Confeſſione aliquod reſervatum? Reſpondent quidam, quod debeat ſtatim abrumpere Confeſſionem, etiamſi intendat petere facultatem abſolvendi; quia, inquiunt, forte pœnitens non valeat expectare tandiu pro abſolutione obtinenda. Deinde non ſolum requiritur juriſdictio pro abſolutione, ſed etiam pro Confeſſione audienda. Verum hi non attendunt, quod forte Pœnitens habeat adhuc alia reſervata, & quod cupiat peti facultatem ſuper omnia. Melius ergo, ſalvo meliori judicio, Confeſſarius moneat pœnitentem de caſu reſervato, & quærat ab eo, num velit adire ſuperiorem aut delegatum, aut peti a Superiore facultatem abſolvendi. Si hoc ultimum, quærat, utrum habeat adhuc alia reſervata, ne diminuta & inſufficiens facultas obtineatur. Si reſpondeat Pœnitens, ut ſolitum eſt, ſe ignorare, quæ ſint reſervata; Confeſſarius vel illi exponat, vel petat, num velit ipſi aperire integrum ſtatum conſcientiæ, non tum per modum Confeſſionis Sacramentalis, quam ut cognoſcat, quid pro ipſius bono debeat exponere & petere a Superiore.

Petes 6. Quam pœnam incurrant abſolventes a caſibus reſervatis ſine licentia? R. Clementina *Religioſi* de privilegiis l. 5. tit. 7. Regulares præſumentes abſolvere ſine licentia ab excommunicatione Canonis ſeu juris, vel a ſententiis ſeu caſibus per ſtatuta Provincialia aut Synodalia promulgatis, incurrunt excommunicationem latæ ſententiæ Papæ reſervatam. Dicuntur autem præſumentes, qui id ſcienter faciunt, aut ex ignorantia affectata.

Sed difficultas eſt, an excommunicationes Bullæ Cœnæ ſint excommunicationes Canonis ſeu juris? Et videtur, quod non, quia non ſunt perpetuæ, ſed quouſque alii proceſſus fiant aut publicentur a Romanis Pontificibus, ut fert clauſula Bullæ. Unde Regularis, qui abſolvere præſumeret abſque facultate ab excommunicationibus Bullæ Cœnæ, non incurreret excommunicationem latam per dictam Clementinam. At ſive Regularis ſive Sæcularis præſumens abſolvere ſine facultate a caſibus Cœnæ incurreret excommunicationem latam in eadem Bulla Cœnæ, non tamen reſervatam Papæ, ut patet ex textu Bullæ. Equidem Clemens VIII. decreto dato an. 1601. excommunicat excommunicatione reſervata Papæ tam Sæculares quam Regulares præſumentes abſolvere a caſibus Bullæ Cœnæ, ab aliis quinque ibi deſignatis, & a caſibus Epiſcopis reſervatis; ſed iſtud decretum ſpectat tantum Confeſſarios degentes intra Italiam extra urbem, ſicut & decretum Pauli V. 1617. Decreti Clementini interpretativum, ut jam antea dixi.

Dices Canone 17. Bullæ Cœnæ excommunicantur excommunicatione reſervata Papæ uſurpantes juriſdictionem Eccleſiaſticam. Similiter Seſſ. 22. Trid. c. 11. Atqui abſolvens a caſibus Papæ vel Epiſcopis reſervatis uſurpat juriſdictionem Eccleſiaſticam. R. 1. Secundum plurimos Majorem eſſe intelligendam de juriſdictione Eccleſiaſtica temporali, ut innuunt textus Bullæ Concilii. 2. N. Min. Quia juxta gloſſam in cap. *Multi* 28. 2. q. 1. quam communiter ſequuntur Canoniſtæ, *Uſurpare* eſt rem alienam ſibi tamquam debitam & propriam, atque ex jure proprio ſibi vindicare; qui itaque ſibi adſcribit juriſdictionem non ut ſibi debitam & propriam, ſed ut provenientem ſibi ab Eccleſia, non uſurpat juriſdictionem Eccleſiaſticam; unde qui titulo vel prætextu facultatis conceſſæ a Papa vel Epiſcopo abſolvit a caſibus ipſis reſervatis, non uſurpat eorum juriſdictionem, quia non ex jure proprio, ſed ex illorum jure abſolvit.

Petes 7. Quomodo debeat ſe gerere Superior, quando ad ipſum accedunt Pœnitentes cum caſibus reſervatis. R. Quidam dicunt uſum Eccleſiæ eſſe, ut Superior ſacramentaliter abſolvat, etſi non velit audire alia quam reſervata. Verum etſi iſte uſus valeat quoad abſolutionem a Cenſuris, merito ab aliis rejicitur quoad abſolutionem a peccatis, quia Confeſſionis integritas eſt de jure divino juxta Trid. Seſſ. 14. c. 5. Unde Superior poteſt quidem audire reſervata tantum, & ab eis abſolvere quantum ad reſervationem & obligationem ſibi confitendi, ſed nunquam ſacramentaliter, niſi omnia audiat. In caſu autem, quod Superior audiret reſervata, teneretur ad ſigillum, quia talis Confeſſio eſt quodammodo Sacramentalis, cum ordinetur ad Confeſſionem Sacramentalem poſtea perficiendam.

ARTICULUS VII.

De Juriſdictione delegata Regularium Mendicantium circa Confeſſiones Sæcularium. Per Quæſtiunculas.

PEtes 1. An & a quo Religioſi Mendicantes habeant juriſdictionem excipiendi Confeſſiones Sæcularium. R. eos illam habere a ſummis Pontificibus, mediante approbatione Epiſcopi; Patet ex Decretali *ſuper Cathedram*, ex Bulla *Dudum* Concilii Generalis Viennenſis, ex Bulla Joannis XXII. contra Joannem de Poliaco, ex Bulla Alexandri V. an. 1409. *Regnans in excelſis*, *&c.* Quæ licet quoad aliquid modificatæ ſint & reſtrictæ per aliquos ſequentes Pontifices, & maxime per Trid. quoad ſubſtantiam tamen Juriſdictionis conceſſæ, irrevocatæ permanere videntur. Ex quo colliges regulares Mendicantes approbationem ſolam, non juriſdictionem ab Epiſcopis accipere; differunt enim, ut diximus ſupra, approbatio & juriſdictionis collatio; ſed approbatio eſt conditio, ſine qua non poſſunt exercere juriſdictionem, quam habent a jure, ut ſupra diximus.

Petes 2. Quos vi ſuæ juriſdictionis abſolvere poſſint Regulares? R. eos poſſe generaliter abſolvere omnes Chriſti fideles ſaltem ſæculares ex quacumque Diœceſi, aut mundi parte ad eos venerint. Patet ex Bullis cit. & maxime ex Paulo III. & Paulo IV. quorum primus concedit Jeſuitis, ut poſſint audire Confeſſiones *quorumcumque utriuſque ſexus fidelium ad eos undequaque venientium*. Bulla *Cum inter cunctas*. Secundus Minoritis, *Quarumcumque Provinciarum, Civitatum & Diœceſum per totum orbem utriuſque ſexus fidelium*. Bulla *Cum ſicut nuper*. Dixi *ſaltem ſæculares*: quia licet illæ loquantur generaliter de omnibus, & quædam aliæ exprimant etiam perſonas Religioſas, attamen Clemens VIII. Bulla *Romani Pontificis* 1599. & Clemens X. Bulla *Superna*, declarant Regulares tali juriſdictione non poſſe valide uti reſpectu perſonarum Religioſarum utriuſque ſexus, niſi dependenter a diſpoſitione & ſpeciali deputatione illarum Superiorum.

Petes 3. An Regulares poſſint omni tempore audire Confeſſiones ſæcularium? R. eos poſſe omni tempore, nullo excepto, nequidem Paſchali aut articulo mortis. Patet ex dictis a. 3.

Petes 4. Utrum Regulares poſſint ubique excipere Confeſſiones Sæcularium? R. ſuppoſita approbatione Ordinarii poſſe ubique valide, etiam in Eccleſiis Parochialibus, licet renitentibus Parochis, illicite tamen in hoc ultimo caſu; quia inde natum eſt ſequi ſcandalum, contentio, & confuſio. Totum patet ex dictis ſupra de approbatione & alibi.

Petes 5. A quibus caſibus abſolvere poſſunt Regulares privilegiati? R. 1. extra Italiam poſſe abſolvere ab omnibus caſibus Apoſtolicæ Sedi reſervatis, exceptis caſibus Bullæ Cœnæ. Conſtat ex Privilegio Pauli III. conceſſo PP. Jeſuitis, quod habetur in Bullario Societatis fol. 20. & apud Rodrigues Bulla 8. quo concedit Patribus Societatis facultatem *quorumcumque utriuſque ſexus Chriſti fidelium ad vos undecumque accedentium Confeſſiones audiendi, & Confeſſionibus diligenter auditis, ipſos & eorum ſingulos ab omnibus & ſingulis eorum peccatis, criminibus, exceſſibus & delictis quantumcumque gravibus & enormibus, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, & a quibuſvis ex ipſis caſibus reſultantibus, ſententiis, cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis (exceptis contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini ſolita eſt legi) abſolvendi, ac eis pro commiſſis pœnitentiam injungendi*. Idem privilegium habetur in alia Bulla Pauli III. pro Societate quæ eſt apud Rodrigues 7. Plura alia refert Paſſerinus q. 187. a. 5. Inſpectione 2. c. 2. Sufficiat exſcribere Decretum S. Congr. ſub Urbano VIII. quod eſt ſequentis tenoris: *S. Congregatio S. R. E. Cardinalium negotiis & conſultationibus Epiſcoporum & Regularium præpoſita cenſuit, Regulares cujuſvis Ordinis, Congregationis, Societatis & Inſtituti etiam neceſſario exprimendi, nec intra, nec extra Italiam in vim privilegiorum aut confirmationem ejuſmodi, quæ vel hactenus obtinuerant, vel deinceps forte obtinebunt, poſſe quemque abſolvere ab eiſdem caſibus in Bulla Cœnæ aut Ordinario loci reſervatis. Ac ſi ſecus egerint, abſolutiones nullas atque irritas fuiſſe ac fore. Ab aliis vero caſibus & cenſuris Sedi Apoſtolicæ reſervatis, ſi quidem Regulares habent a Sede Apoſtolica abſolvendi facultatem; illam extra Italiam minime ſublatam fuiſſe ex S. Congregationis decretis hac de re editis juſſu S. Memoriæ Clementis VIII. Quam S. Congregationis ſententiam Sanctitas ſua ad ſe relatam approbavit, mandavitque ab omnibus, ad quos pertinet, inviolabiliter obſervari, Romæ 17. Novembris 1628. F. A. Cardinalis S. Honuphr. loco ✠ Sigilli. P. Faganans Secretarius*. Poſſunt itaque Regulares privilegiati extra Italiam abſolvere a Duello, Simonia, Violatione Immunitatis Eccleſiaſticæ & Clauſuræ Monialium etiam ad malum finem, percuſſione Clerici & ab aliis omnibus Papæ reſervatis; item ab omnibus Cenſuris, Sententiis, pœnis

Ec-

Eccleſiaſticis ex his reſultantibus; excipe ſemper caſus Bullæ Cœnæ, niſi dum ratione impedimenti adeundi S. Sedem, deſinunt eſſe Papales, ut obſervavimus ſupra. Advcite hic non comprehendi cenſuras particulatim ab homine inflictas, ſed ut dicit privilegium ex ipſis caſibus reſultantes: neque irregularitatem, quia ab ea non abſolvitur, ſed in ea diſpenſatur.

R. 2. Regulares non poſſunt nunc abſolvere a caſibus, quod ſibi reſervat Epiſcopus. Patet ex Urbano VIII. antea cit. ex Bulla *Superna* Clementis X. toties cit. ex condemnatione hujus propoſitionis ab Alexandro VII. *Mendicantes poſſunt abſolvere a caſibus Epiſcopo reſervatis, non obtenta ad id Epiſcoporum licentia*. Eſt 12. inter damnatas, & in variis aliis ſum. Pontificum Decretis, quibus manifeſte derogatum eſt privilegio, quibus id olim conceſſum erat Mendicantibus. Hinc Inferes, quod ſi Epiſcopus ſibi reſervaret certis ex cauſis aliquem caſum aliunde Papæ reſervatum, Regularis non poſſet ab eo abſolvere abſque Epiſcopi licentia. Dixi; *quos ſibi reſervat Epiſcopus*: non enim reſponſio eſt intelligenda de caſibus Papalibus, qui, quia ſunt occulti, aut eſt impedimentum adeundi Romanam Sedem, devolvuntur ad Epiſcopum; ii enim, ut jam obſervavimus, non ſunt proprie reſervati Epiſcopis, ſed potius ipſis permiſſi, ut abſolvantur. De jure autem, quod vigeat, nullus caſus reſervatur Epiſcopis, ut cenſent communiter Theologi.

Petes 6. An non requirantur quædam conditiones, ut Regulares tam ampla juriſdictione valide & licite utantur? R. requiri 1. approbationem ab Epiſcopo, ut dictum eſt. 2. Requiritur, ut Regularis a ſuo Superiore legitime præſentetur Epiſcopo, & ab eodem Superiore ad id munus expreſſe vel tacite deputetur. Patet ex Clementina *Dudum* de ſepulturis. Et ratio eſt; quia illud privilegium eſt conceſſum Religioni & in gratiam ipſius, non vero huic particulari, niſi ut Regularis eſt, & obedientiæ ac regimini Superiorum ſubditus; unde Regularis ſine Superiorum præſentatione ab Epiſcopo approbatus invalide abſolveret, niſi Epiſcopus approbando intenderet illi etiam abſque Superiorum præſentatione conferre juriſdictionem, quod non eſt facile præſumendum; & hoc ſuppoſito, ſaltem illicite abſolveret. 3. Ea juriſdictione uti non poſſunt Mendicantes erga Regulares utriuſque ſexus, Ita Clemens VIII. Bulla *Romani Pontificis* 23. Novembris 1599. ubi declaravit in omnibus indultis nunquam fuiſſe mentem Sedis Apoſtolicæ, ulli Religioſo, vel Moniali dare licentiam confitendi alicui contra diſpoſitionem ſuorum Superiorum: *Sed*, inquit, *noſtræ intentionis exiſtere, quod iidem Fratres & Moniales quantum ad Sacramentum Pœnitentiæ, ſeu Confeſſionis adminiſtrationem diſpoſitioni ſuorum Prælatorum ſubjecti ſint, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium perpetuo declaramus.*

Hinc tam invalide, quam illicite Regulares privilegiati, quantumvis ab Epiſcopis approbati, abſolverent perſonas Religioſas, ſine expreſſa vel tacita earum Superiorum licentia, qualis cenſetur concedi, vel ex conſuetudine tolerata, vel dum degunt, aut peregrinantur extra Conventum, & eſt aliqua juſta ratio celebrandi aut communicandi, &c. Quidam adducunt per Jubilæum id concedi Religioſis, ut cuilibet approbato confiteri poſſint, Sed videndus eſt tenor Jubilæi.

ARTICULUS VIII.

De Juriſdictione in articulo mortis,

Sive

Utrum Pœnitens poſſit abſolvi in fine vitæ a quolibet Sacerdote?

DIco. (*Suppl. q. 8. a. 6. o.*) Quilibet Pœnitens in fine vitæ, hoc eſt in articulo mortis, poteſt abſolvi a quolibet Sacerdote, conſequenter etiam ab Excommunicato, Degradato, Schiſmatico, Hæretico, Prob. 1. ex Concilio Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. ubi ſic ſtatuit: *Pie admodum ne hac occaſione* (ſcilicet caſuum reſervatorum) *aliquis pereat; in Eccleſia Dei ſemper cuſtoditum fuit, ut nulla ſit reſervatio caſuum in articulo mortis: atque adeo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibuſvis peccatis & cenſuris abſolvere poſſunt*. Concilium, ut audis, generaliter dicit *Omnes*, nullum excipit. Ergo neque nos excipere debemus. Id etiam probat ratio Concilii, *Ne hac occaſione aliquis pereat*; poteſt enim non adeſſe niſi Sacerdos Excommunicatus, Degradatus, aut Hæreticus.

Prob. 2. (*Ibid*) Quilibet Sacerdos, quantum eſt ex virtute clavium, habet poteſtatem indifferenter in omnes & ad omnia peccata; quod autem non poſſit omnes, & ab omnibus peccatis abſolvere, hoc eſt, quia per ordinationem & legem Eccleſiæ habet juriſdictionem limitatam, vel omnino nullam. Atqui neceſſitas legem non habet. Ergo quando neceſſitatis articulus imminet, per Eccleſiæ ordinationem non impeditur, quin abſolvere poſſit neſum a peccatis omnibus, ſed etiam a cenſuris; quia abſolutio a cenſuris etiam pertinet ad juriſdictionem, v[illegible] virtutem clavium, quæ per legem Eccleſiæ coarctabatur. Hæc auctoris ratio probat generaliter de quovis Sacerdote, qui vi ordinationis habet virtutem clavium, quales ſunt etiam Excommunicati, Hæretici, &c. Hac ratione innuit S. Doctor hanc juriſdictionem competere omnibus Sacerdotibus jure divino. In reſponſione vero ad primum innuit competere jure Eccleſiaſtico, dum dicit enim cuilibet Sacerdoti competere; *Quia Eccleſia acceptat, ut quilibet Sacerdos abſolvere poſſit in articulo mortis*. Quapropter dicendum videtur, quod competat partim jure divino, partim jure Eccleſiaſtico, hoc ſenſu ſcilicet, quod Chriſtus ita quidem inſtituerit, ut omnibus juriſdictio competeret in articulo mortis, participanda tamen per Eccleſiam. Unde dici poteſt ſecundum quid ordinaria, & ſecundum quid delegata. Si inferas: Ergo poteſt tolli a ſum. Pontifice. R. poſſe attenta præciſe ejus poteſtate, non vero attentis ſimul ejus infallibilitate, & Spiritus ſancti aſſiſtentia: eſſet enim error intollerabilis & pernicioſus, ſi illa juriſdictio in articulo mortis auferretur in præjudicium animarum. Unde poteſt in ſenſu diviſo, non in ſenſu compoſito, componendo infallibilitatem, & Spiritus S. aſſiſtentiam cum poteſtate.

Solvuntur Objectiones.

OBJ. 1. ex Trid. in quo potiſſimum fundatur Concluſio noſtra. 1. Concilium ibi agit de caſuum reſervatione. Ergo loquitur de Sacerdotibus aliunde juriſdictionem communem habentibus. 2. Concilium loquitur de juriſdictione, quam ſemper agnovit Eccleſia: *In Eadem Eccleſia Dei*, inquit, *cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis*. Atqui Eccleſia non ſemper agnovit in excommunicatis non toleratis, aut in Hæreticis juriſdictionem abſolvendi in articulo mortis, ut conſtat ex Concilio Elibertano, in quo prohibetur abſolutionem dari in articulo mortis relapſis in adulterium. Ergo. R. ad 1. N. Conſeq. Quamvis enim Concilium præcipue agat ibi de caſuum reſervatione, & ideo principaliter loquatur de Sacerdotibus habentibus juriſdictionem communem, non obſtat, quin hac occaſione incidenter in aliqua parte ſui Decreti loquatur de omnibus Sacerdotibus, ſicut revera loquitur, cum dicit generaliter & ſine ulla exceptione *Omnes Sacerdotes* poſſe ab omnibus peccatis abſolvere. Alioquin ſequeretur, quod ſimplex Sacerdos ab Eccleſia non præciſus non poſſet in caſu abſolvere, quod non admittunt opponentes. Ad 2. N. Min. Ad ejus Probationem R. 1. In Concilio Elberitano non ſolum excommunicatis & hæreticis prohiberi dari abſolutionem Mœchis relapſis (ſi tamen prohibeatur), ſed omnibus Sacerdotibus indiſferenter non defectu juriſdictionis, ſed rigore diſciplinæ, qui rigor nunquam fuit probatus in Eccleſia, etſi forte ad breve tempus toleratus, ſed ſtatim reprobatus in Concilio Niceno can. 12. ideoque ipſum errare dicunt graves Auctores, Melchior Cano, Bellarminus, Latomus, Bannefius, ut refert Sylvius in additionibus ad Summam Caranæ. Unde nihil contra nos. R. 2. Concilium non loqui de abſolutione; ſed de communione: ita ipſum interpretatur Innocent. I. Ep. 3. c. 2. teſte eodem Sylvio ibid.

Inſt. Multi Theologi ante Trid. negabant, ſicut nunc multi negant, Hæreticos & Excommunicatos non toleratos poſſe abſolvere in articulo mortis. Ergo non ſemper cuſtoditum fuit in Eccleſia nullam eſſe tunc reſervationem. R. N. Conſeq. Hæc enim duo, *Nullam eſſe reſervationem*, & *Excommunicatos poſſe abſolvere*, ſunt diſtincta; primum Concilium aſſerit ſemper fuiſſe cuſtoditum, non ſecundum; ſed ex primo movetur, ut concedat ſecundum.

Inferes. Ergo Concilium definivit quæſtionem controverſam inter Theologos, quod ſolet tamen cavere. R. N. Illationem. Nunquam enim fuit controverſum inter Theologos, an Eccleſia poſſet conferre juriſdictionem Hæreticis & Excommunicatis, ſed an contulerit. Nos contuliſſe ex Concilii verbis colligimus; contradicentibus adverſariis.

Ob. 2. Ex S. Th. qui in 4. d. 19. q. 1. a. 2. q. 2. ad 3. In ſupplemento eſt q. 19. a. 4. ad 3. dicit: *Qui ab eis* (non præciſis ab Eccleſia) *Sacramenta recipiunt gratiam conſequuntur; non autem qui recipiunt ab illis, qui ſunt ab Eccleſia præciſi, quia ex hoc ipſo peccant; excepto Baptiſmo, quem in caſu neceſſitatis licet etiam ab excommunicato recipere*. Ergo. R. Quidquid S. Th. (2. 2. q. 78. a. 4.) ſcripſerit junior in ſententias, certum eſt eum in ſua ſumma docuiſſe licitum eſſe ex juſta cauſa petere aliquid ab alio, qui ſcitur non facturus ex ſua perverſitate ſine peccato, ut mutuum ab uſurario. Deinde in hoc articulo, in quo verſamur, ejus ratio, quam protulimus in probationem Concluſionis, univerſaliter & indiſcriminatim probat, quemcumque Sacerdotem habere juriſdictionem in articu-

lo

lo mortis. Denique in verbis objectis excipit ſolum Baptiſmum; quia ſpecialis eſt ratio de Baptiſmo; non enim ſolum qui petit, ſed etiam qui miniſtrat Baptiſmum in neceſſitate, etſi ab Eccleſia ſit præciſus, aut peccator impœnitens, non peccat; quia non agit, ut Miniſter ad hoc conſecratus, ſed ut ſerviens neceſſitati, ut diximus de Sacramentis in genere Diſſert. 5. a. 4. In omnibus autem aliis Sacramentis, ſi Miniſter miniſtret in malo ſtatu, etiamſi in neceſſitate, peccat; quia agit ex officio, & ut Miniſter ad hoc conſecratus. Confer locum citatum. Si tandem urgeas juxta S. Th. & alios, eis, qui ſunt præciſi, Eccleſiam denegare juriſdictionem; id fateor extra neceſſitatem, ſecus in neceſſitate.

Obj. 3. Declarationem contrariam S. Congregationis, quam refert Fagnanus. Ergo. R. Hanc declarationem non eſſe authenticam, ut innuit ipſe Fagnanus 1. Monit. ad Lect. ante paginam 1. ab aliis vero citatur ex Fagnano; imo neque citatur ut definitio vel declaratio, ſed ut quædam diſcuſſio quæſtionis referendo varios Auctores ita ſentientes.

Petes 1. Utrum Sacerdos non approbatus valide abſolvat in articulo mortis, ſi facile poſſit haberi approbatus? R. probabilius, communius, & tutius negative, 1. Quia juriſdictio tunc conceditur non approbato propter neceſſitatem, ne, ſcilicet inquit Trid. *aliquis pereat*; hoc autem periculum ſeu neceſſitas non currit, cum facile poteſt haberi approbatus. Hinc 2. juriſdictio tunc conceditur non approbato in ſupplementum & defectum approbatorum. 3. Rituale Pauli V. dicit: *Si periculum mortis immineat, approbatuſque deſit Confeſſarius, quilibet Sacerdos poteſt a quibuſcumque cenſuris & peccatis abſolvere.* 4. Ita apprehendit ſenſus communis fidelium; inauditum eſt enim periculoſe decumbentem advocare ſibi in Confeſſarium ſimplicem Sacerdotem non approbatum, aut quod pejus eſt, Hæreticum vel Excommunicatum, dum adſunt, aut facile adeſſe poſſunt legitime approbati. Roboratur iſta ratio. Qui confitetur Excommunicato non tolerato, Hæretico, &c. dum approbatus eſt præſens, aut facile haberi poteſt, peccat mortaliter, concurrendo ſine neceſſitate ad peccatum alterius; ſicut peccaret mortaliter, qui ſine neceſſitate peteret mutuum ab uſurario; quomodo ergo peccando in actuali confeſſione poteſt valide abſolvi?

Reſpondent Patroni Sententiæ oppoſitæ ad 1. neceſſitatem non ceſſare generaliter, etſi adſit approbatus; quia poteſt contingere, quod pœnitens mallet mori ſine Confeſſione, quam tali approbato confiteri. Sed contra. Hæc neceſſitas eſt de raro contingenti & per accidens; leges autem non attendunt ad ea, quæ raro contingunt & per accidens, ſed ad ea, quæ ſunt per ſe & communiter. Sed & dato legem ad hanc ſpecialem neceſſitatem attendiſſe, ſaltem contraria ſententia non ſubſiſteret, niſi in hoc particulari caſu, & non communiter & promiſcue. Neque abſolute negamus in hoc caſu propter probabilitatem hujus ſententiæ pœnitentem poſſe abſolvi a non approbato ſecundum ea, quæ dixi ſupra de uſu probabilis juriſdictionis ex gravi cauſa. Reſpondent ad 2. juriſdictionem non conferri pro articulo mortis cuilibet Sacerdoti ſimplici in defectum approbati, ſed abſolute & ſimpliciter. Contra: Subſiſtente priori noſtra ratione, falſi convincitur iſta Reſponſio. Reſpondent ad 3. Rituale Pauli V. docere, quod eſt certum, non negare probabilitatem oppoſiti; verum nec nos negamus probabilitatem oppoſitæ ſententiæ, ſed ex verbis Ritualis habemus noſtram eſſe certam, & per eam innui a contrario ſenſu oppoſitam non eſſe certam, nec in praxi tenendam. Quid ad 4. & 5. reſpondeant me latet; forte nondum fuerunt eis propoſita.

Opponunt inſuper, Concilium generaliter & ſine exceptione concedere juriſdictionem cuilibet Sacerdoti. Ergo. R. D. Ant. Concilium concedit generaliter & ſine exceptione juriſdictionem cuilibet Sacerdoti propter neceſſitatem, C. Extra neceſſitatem, N. Non eſt autem neceſſitas, ubi facile adeſſe poſſunt approbati, ut dictum eſt.

Inſt. Noſtra ſententia præbet materiam innumeris ſcrupulis & anxietatibus; quia cum approbatus cenſeatur adeſſe periclitanti, non ſolum quando eſt illi præſens corporaliter, ſed etiam cum facile accerſiri poteſt, ſemper incertum foret, an infirmus ſit abſolutus, nec ne: & inde ſcrupuli & anxietates. R. N. Ant. Nemo enim neſcit in caſu ſicut in aliis innumeris, quid intelligatur per *facile*, neque hic præſertim eſt ſcrupuloſe procedendum. Hoc ipſo enim quo Pœnitens bona fide procedit, & credit non facile adfuturum approbatum, apparetque periculum, etſi forte in utroque fallatur, indubitatum haberi debet Eccleſiam conferre juriſdictionem cuilibet Sacerdoti præſenti, ne ſit locus perpetuus ſcrupulis & anxietatibus. Et ut inconveniens inconvenienti propellam: numquid abſurdum & abſurdiſſimum eſt, imo & implicatorium, quod infirmus, qui æque facile poteſt confiteri Sacerdoti probo & approbato, confiteatur Excommunicato aut Hæretico, ab eoque valide abſolvatur, dum peccat mortaliter petendo ab eo abſolutionem, ſicut peccaret mortaliter petendo mutuum ab uſurario, ſi ab alio æque facile habere poſſet. Obſervandum tamen, quod ſi non approbatus in abſentia approbati incepiſſet audire Confeſſionem, poſſit adveniente approbato proſequi; quia abſente approbato acquiſivit juriſdictionem, quæ ex approbati præſentia non tollitur, re non amplius integra manente. Aliunde moleſtum foret pœnitenti novam inſtituere Confeſſionem.

Petes 2. Utrum idem ſit cenſendum de periculo ac de articulo mortis? R. affirmative. Eſt communis contra paucos. Ratio eſt, quia, quamvis phyſice loquendo non ſit idem periculum & articulus mortis: eſt enim proprie articulus mortis, quando homo agit animam, aut in proximo eſt ut agat, ſine quo poteſt eſſe periculum mortis: attamen moraliter loquendo & in ordine ad præſentem caſum, perinde eſt articulus & periculum mortis, grave ſcilicet & evidens: 1. Quia jura quoad poteſtatem abſolvendi non diſtinguunt inter periculum & articulum mortis, ut patet ex cap. *Si quis ſuadente* 17. q. 4. Et cap. *Eos qui* de Sentent. Excommunicat. in 6. ubi qui prius vocatur *articulus* mortis, paulo poſt vocatur *periculum*. 2. Quia illa facultas conceditur propter urgentem neceſſitatem. Atqui neceſſitas urgens non tantum eſt, quando homo agit animam vel jamjam acturus eſt, ſed etiam in evidenti & gravi periculo. Ergo.

Dixi *grave & evidens periculum*, alias cum pericula ordinaria mortis ſint frequentiſſima, frequentiſſime homines per quemlibet abſolvi poſſent ab hæreſi & aliis reſervatis enormibus. Intelligendum eſt ergo periculum grave extraordinarium & evidens, quod aliquo uſque accedit ad articulum mortis, ut ſunt meo ſaltem judicio, milites prælium ingredientes, mulieres primo partui proximæ, ſive etiam in aliis, ſi ſint difficiles in parturiendo, mercatores longam & difficilem navigationem aggredientes, & omnes caſus, in quibus probabile eſt, aut fundate dubitatur, quod iſte homo, ſi nunc non confiteatur, morietur ſine Confeſſione.

Petes 3. Utrum qui ſic fuit abſolutus propter periculum mortis per ſimplicem Sacerdotem, teneatur iterum accedere ad alium poteſtatem habentem, ut ab eo denuo abſolvatur. R. ſub diſtinctione. (*Ib. ad* 1.) Qui eo caſu & modo a caſibus & peccatis quantumvis reſervatis fuit abſolutus, non tenetur iterum ea confiteri & ab eis abſolvi, cum in periculo mortis, omni reſervatione ceſſante & omni juriſdictione omnibus collata, ab eis fuerit directe abſolutus; ſi tamen ſit periculum ſcandali de Confeſſione annua non facta; aut exquirat proprius Sacerdos, debebit coram ipſo ſiſtere, non ut abſolvatur, ſed ut ei innoteſcat, quod ſit abſolutus. Qui autem (*Ib.*) eo caſu & modo a Cenſuris Superiori reſervatis fuerit abſolutus, debebit, quamprimum fieri poteſt, ſiſtere ſe Superiori, non quidem ut rurſus abſolvatur, ſed ut mandatis ejus pareat, & ſatisfactionem offerat: quod niſi fecerit in eaſdem Cenſuras reincidit; ut jam dixi. Hæc eſt ſpecialis diſpoſitio juris dicto cap. *Eos qui* de Sentent. Excommunicat. in 6. Et ratio hujus videtur; quia cenſura non fertur tantum ad impediendum aut emendandum peccatum, ſicut reſervatio Caſuum; ſed etiam principaliter ad frangendam contumaciam peccantis.

ARTICULUS IX.

De aliis Dotibus requiſitis in Miniſtro Confeſſionis.

PRÆTER juriſdictionem & approbationem, de quibus hactenus, requiritur in Miniſtro Confeſſionis Bonitas & Scientia.

§. I. *De Bonitate requiſita in Confeſſario.*

DUPLEX requiritur Bonitas in Confeſſario, una legalis, altera moralis. Bonitas legalis eſt, ut careat impedimento canonico auferente juriſdictionem, aut ejus actum prohibente. Hinc Excommunicatus non toleratus, & notorius percuſſor Clerici invalide abſolvunt extra mortis periculum. Si autem ſit excommunicatus, ſuſpenſus, aut interdictus toleratus, hoc eſt non nominatim denuntiatus, nec notorius percuſſor Clerici, valide abſolvit, ſed illicite, ſi ſeipſum ingerat, licite vero ſi a fidelibus requiratur. Ita ex conceſſione Concilii Conſtantienſis Extravag. *ad evitanda* communiter recepta.

Bonitas moralis eſt 1. ut ſit in ſtatu gratiæ per Confeſſionem, vel ſaltem contritionem, ut fuſius diximus de Sacramentis in communi, alias tot peccata mortalia committit, quot Confeſſiones in ſtatu peccati excipit, ſecundum probabiliorem ſententiam, quia quælibet Confeſſio eſt actus ſpecialis ab altera diſtinctus, utpote integrum & perfectum judicium. Non deſunt tamen; qui volunt eum unum dumtaxat peccatum committere, ſi ſemel ſine interruptione morali pro tribunali ſedens ſe Confeſſionibus excipiendis exponat.

Al-

Altera Bonitas moralis eſt, ut ſit inſtructus variis virtutibus ad id munus rite obeundum neceſſariis. 1. Prudentia in congruorum remediorum applicatione, in pœnitentiarum impoſitione, in detectione & inſtructione ignorantium & errantium, in examine Pœnitentium & peccatorum, ut ſcilicet interroget veroſimilia juxta cujuſque ſtatum, & valde lente & caute procedat circa peccata carnalia, ne pœnitentem ignota doceat, ipſum ſiſtat nimis explicantem, aut complicem ſine cauſa detegentem; denique in diſcernendis diſpoſitis a non diſpoſitis, occaſionibus proximis a remotis, &c.

2. Charitate, patientia, & manſuetudine, omnes omnino ſine perſonarum acceptione benigne recipiendo, pauperes & divites, rudes & doctos, ſcrupuloſos, milites, &c. compatendo lapſis, congaudendo reſurgentibus, &c. eorumque rudem indolem, ignorantiam, imbecillitatem, tarditatem, aliaſque imperfectiones æquo animo tolerando; ita ut nunquam ipſi appareat faſtidiens, auſterus, fatigatus, exacerbatus, &c.

3. Fortitudine contra humanos reſpectus, ut ſciat vitiis non parcere, ſed gloriam Dei dumtaxat, animarumque ſalutem quærere, non hominum favores, non copioſam pœnitentium multitudinem.

4. Vitæ ſanctitate, juxta illud Can. *Qui vult de pœnit. diſt. 6. Sacerdos itaque cui omnis offertur peccator, ante quem ſtatuitur omnis languor, in nullo ſeram ſit judicandus, qui in alio judicare eſt promptus*: & illud S. Gregorii Paſtoral. p. 2. c. 3. *Illa enim vox libentius auditorum corda penetrat, quam dicentis vita commendat … nec alios valet edocere virtutem, qui non habet.*

§. II. *De ſcientia requiſita in Confeſſario.*

CONFESSARIUS generaliter loquendo debet ſcire Theologiam præſertim moralem. Specialiter autem inter cætera debet ſcire, quæ ſit materia, forma & intentio requiſita ad Sacramentum, quæ juriſdictione polleat, qui ſint caſus reſervati, quæ ſit diſpoſitio requiſita in pœnitente ad abſolutionem, qualiter Confeſſio debeat eſſe integra; quæ ſint peccata ex genere ſuo mortalia, quæ venialia, quæ inducant obligationem reſtituendi. Unde peccatum diſtinctio ſpecifica peccatorum, unde numerica, quæ ſint circumſtantiæ mutantes ſpeciem, quæ aggravantes, quæ deliberatio & advertentia requiratur ad peccatum mortale, quæ ſint impedimenta Matrimonii, tam dirimentia quam impedientia, & alia communiter occurrentia.

Petes 1. In quo gradu iſta ſcire debet Confeſſarius? R. non in ſummo & eminenti, ſed mediocri, ſic ut, dum occurrunt, poſſit de iis judicare, vel ſaltem prudenter dubitare in ordine ad ulterius ſtudium, inquiſitionem, aut conſultationem; intellige dubium ortum ex aliquali notitia acquiſita, non dubium ignorantiæ, qua quiſque ignarus de re quacumque dubitare poteſt. Cæterum conſtat majorem vel minorem requiri ſcientiam pro diverſitate locorum pœnitentium. Sic major requiritur in eo, qui exponitur ad audiendas Coſeſſiones in Civitatibus, in Aulis Principum, in Emporiis, quam qui in pagis; major in Confeſſario Clericorum quam Monialium, &c.

Petes 2. An Confeſſarius debeat ferre determinatum judicium de quantitate vel qualitate cujuslibet peccati confeſſi in individuo, an hoc peccatum hic & nunc ſit mortale, an veniale? R. negative: quia tale determinatum judicium de quantitate vel qualitate peccatorum in individuo ſæpiſſime eſt etiam doctiſſimis impoſſibile, ſive quia de ipſa re aliquando dubitatur inter Theologos, ſive quia caſus in individuo infinitis prope modis variantur quoad majus vel minus ex circumſtantiis aggravantibus, excuſantibus, minuentibus, ex perfectione, vel imperfectione actus, indeliberatione, paſſione, &c. ex quantitate materiæ, neceſſitate, difficultate, concurſu diverſarum rerum quibus ea, quæ ſecundum ſe ſunt mortalia, ſæpe fiant venialia aut nulla; ſive tandem quia ipſemet pœnitens non poteſt ſcire, an conſenſerit, neque an perfecte, vel imperfecte, &c. Sufficit ergo Confeſſario, ſi gravitatem & qualitatem malitiæ ſecundum ſe dijudicet, aut ſaltem in genere pœnitentem peccaſſe agnoſcat, etſi ad quem gradum mortalis vel venialis peccati certo determinare non poſſit.

Petes 3. An debeat habere diſtinctam ſingulorum notitiam, quando vel ſatisfactionem injungit, vel abſolutionem profert? R. negative; ſed ſufficit ſic audire & intelligere peccata omnia, dum accuſantur, ut in ſatisfactione injungenda, vel abſolutione impertienda ſufficienter meminerit ſtatus pœnitentis ad utrumque competenter faciendum: quia tunc habere hanc ſingulorum peccatorum diſtinctam notitiam eſt aliquando moraliter impoſſibile, præſertim quando Confeſſarius eſt memoriæ labilis, & Confeſſio pœnitentis eſt prolixa.

Dixi, quod *debeat audire & intelligere omnia, dum accuſantur*; quia ſi per notabilem negligentiam vel ignorantiam aliquid mortale non intellexit, peccavit graviter; ſecus ſi ex inculpabili inadvertentia vel diſtractione: aut propter ſomnum gravantem, cantum, impeditam linguam confitentis, &c. aliquod peccatum elabatur: quia Eccleſia non obligat Miniſtros ſuos ad extrema & quaſi moraliter impoſſibilia, ſed tantum ad diligentiam ordinariam & humanam.

In utroque autem caſu valida erit Confeſſio & abſolutio, ſi bona fide procedat Pœnitens, defectum non advertens, quia eſſentia & effectus Sacramenti conſiſtere poteſt abſque integra & ſpecifica peccatorum explicatione materiali, ſi ſine culpa pœnitentis omittatur, & conſequenter ſine integra eorum cognitione in Confeſſario. Si tamen pœnitens poſtea reſciat quædam peccata mortalia a Confeſſario non fuiſſe intellecta, tenebitur in ſequenti Confeſſione ea repetere.

Petes 4. Utrum defectu ſcientiæ in Confeſſario ſit aliquando invalida Confeſſio, adeoque iteranda? R. probabilius negative, modo Confeſſarius apprehendat ſaltem confuſe pœnitentem offendiſſe Deum, & peccatorem eſſe, aliaque adſint, materia, forma, juriſdictio, intentio in Confeſſario, & bona fides in pœnitente. Ratio eſt 1. Quia nihil aliud requiritur ad valorem Sacramenti. 2. Quia ſi talis abſolveret in articulo mortis, abſolutio valeret: ergo & extra illum; quia caſus neceſſitatis non facit, ut quod alioquin eſt natura ſua invalidum, ſit propter eam validum. Dixi: *Et ſit bona fides in pœnitente*; quia alias videretur ille pœnitens velle peccatorum ſuorum gravitatem tegere, & non de illis ex animo dolere, niſi forte ſit ita doctus, ut Confeſſarium ſuum inſtruat de gravitate ſuorum peccatorum.

Petes 5. Quando & qualiter peccat Confeſſarius defectu ſcientiæ? R. Qui enumerata ſuperius & alia communia ita ignorat, ut in illis ſibi propoſitis nequeat communiter & rationabiliter judicare, aut ſaltem dubitare prudenter ad ulterius ſtudium vel conſultationem, peccat mortaliter Miniſterio Confeſſionis ſe exponens: quia tunc vere idoneus Miniſter cenſeri non poteſt, ideoque perverſe tanto Miniſterio ſe ingerit: & quando de facto ex ignorantia abſolvit quem abſolvere non poterat, duplici peccato peccat, 1. ſacrilegii, 2. ignorantiæ eorum, quæ ad officium ſuum ſpectant, ratione cujus verſatur in continuo ſtatu peccati mortalis, eſtque incapax abſolutionis quamdiu neceſſariam ſcientiam ſibi comparare negligit, aut officium non dimittit. Excipe, niſi ex gravi neceſſitate audiat aliquam Confeſſionem, puta in articulo mortis, tempore peſtis, aut quando eſt obligatio celebrandi & alius deeſt. Qui tamen fuit in examine legitime approbatus, poteſt ignorantiæ ſcrupulos deponere, niſi aliunde ipſi conſtet de ſua ignorantia & inſufficientia.

ARTICULUS X.

De obligatione & officio Confeſſarii.

MULTA involvit præſens articulus, Imprimis circa Confeſſiones audiendas, an & quando tenetur audire? Deinde dum actu audit, cum ſit Judex, Doctor, & Medicus, non una obligatione conſtringitur.

1. Tenetur procurare rectitudinem hujus judicii Sacramentalis, hoc eſt pœnitentem diſponere ad Sacramentum valide & fructuoſe ſuſcipiendum, interrogando, inſtruendo, movendo, ſi eam diſpoſitionem ipſe pœnitens non ſatis exprimat; quia per ſe loquendo Confeſſario moraliter conſtare debet de legitima diſpoſitione pœnitentis ad hoc ſacramentum, alias ipſum ſine cauſa exponit periculo nullitatis. 2. Tenetur diſpoſitum abſolvere & non alium, ne ſit injurius aut pœnitenti aut Sacramento: circa quam obligationem multa ſunt dicenda de iis, qui verſantur in occaſione proxima, de conſuetudinariis, de recidivis, de moribundo ſenſibus inopinate privato. 3. Tenetur ſatisfactiones peccatis proportionatas imponere, & remedia morbis congrua applicare. 4. Tenetur tacere ea, quæ mediante Confeſſione cognoſcit.

De ſigillo & ſatisfactione dicemus infra, nunc de aliis obligationibus per diſtinctos §§. dicendum. Unde ſit

§. I. *An & quando Confeſſarius teneatur audire Confeſſiones?*

DICO 1. Parochus tenetur audire Confeſſiones ſuorum Parochianorum, quando hi tenentur confiteri, ſcilicet ſemel in anno & in mortis articulo. Alioquin jus iniquum foret, ſi obligaret Parochianos ad confitendum, & Paſtorem non obligaret ad audiendum. 2. Ultra hunc duplicem caſum aſſignatum tenetur quoties Parochiani rationabiliter volunt confiteri: quia Paſtor tenetur ovibus præbere pabulum, non ſolum quando extreme, ſed etiam quando communiter indigant, alioquin non eſſet ſatis illis proviſum. Atqui præcipuus actus paſcendi in ſpiritualibus

bus eſt is, qui exercetur in Sacramento Pœnitentiæ. Ergo. Item a pari. Qui præeſt in temporalibus, tenetur providere non ſolum in extremis & gravibus neceſſitatibus, ſed etiam in communibus. Ergo etiam qui præeſt in ſpiritualibus, maxime cum in hunc finem ſolvantur illi decimæ. Dixi, *quoties rationabiliter volunt confiteri*. Quia quandoque ſubditi ſunt in hoc nimii & moroſi. Item ex parte Paſtoris poteſt eſſe legitimum impedimentum, ut ſi aliis negotiis hic & nunc vacet, & ad aliud modicum tempus Pœnitentem remittat.

Dico. 6. Delegatus ſtricte tenetur audire Confeſſiones in quaſi extrema & gravi neceſſitate, in communi autem tenetur audire ſaltem aliquas. Ratio eſt: quia ſecundum legem charitatis & miſericordiæ Deus mandavit unicuique de proximo ſuo. Ergo ſicut in temporalibus divites ad eleemoſynas corporales tenentur ſtricte in extrema & in gravi neceſſitate, & ad aliquas ſaltem in communi, ita a fortiori Confeſſarii in neceſſitatibus ſpiritualibus ad eeleemoſynas ſpirituales obligantur. Dixi; *in quaſi extrema neceſſitate*: quia in hac materia nunquam vera eſt extrema neceſſitas, cum per ſolam contritionem ſine Confeſſione in re, poſſit in omni caſu ſalvari Pœnitens. Poteſt autem dici quaſi extrema neceſſitas, ſi v. g. quis deceptus ab hæretico moriatur in peccato defecto Confeſſionis. Gravis eſt, quando periclitanti ad mortem deeſt proprius Sacerdos, aut alter, qui ſubveniat; quia ſine Confeſſione ſalus difficile habetur. Communis neceſſitas eſt, quando fidelis rationabiliter petit audiri in Confeſſione, & non aſt alter paratus ad audiendum.

Notat tamen Sylvius hic art. 5. quæſtiunc. 9. non facile aſſignari poſſe, quando Confeſſarius delegatus in communi neceſſitate teneatur ſub mortali excipere Confeſſiones. Niſi forte, ut advertit Nugno hic a. 5. dub. 4. eſſet talis, qui nunquam audire vellet, ſicut dives, qui nunquam faceret eleemoſynam. Unde, inquit, periculoſe agunt viri docti, qui recuſant omnino audire Confeſſiones. Intellige tamen, niſi aliis magis aut æque utilibus occupentur.

§. II. *Quomodo & de quibus Confeſſarius teneatur examinare & interrogare Pœnitentem?*

DIco. (*In 4. diſt. 19. in explic. lit.*) Quando Confeſſarius jure ſuſpicatur pœnitentem omittere ſive culpabiliter, ſive inculpabiliter aliquid neceſſario requiſitum, ut Sacramentum ſit validum & fructuoſum, puta numerum, ſpecies, circumſtantias graves peccatorum, tenetur illum examinare, examine morali & prudenti. Quod ſi ex ignorantia vel negligentia gravi omittat, fit reus lethalis peccati. Ratio eſt; quia, ut jam dixi, Confeſſarius tenetur efficere, ut judicium ſit validum & rectum, tam ex parte ſua, quam ex parte pœnitentis, ideoque non ferre ſententiam niſi cauſa integre cognita, quantum moraliter cognoſci poteſt. Propter eandem rationem, ſi ratio ſubſit dubitandi de diſpoſitionibus pœnitentis, de dolore, de propoſito, de animi diſpoſitione circa reſtitutionem & fugam occaſionum, debet etiam ſuper hæc illum interrogare.

Dixi in concluſione 1. *Si jure ſuſpicatur pœnitentem omittere, &c.* alioquin foret inutilis interrogatio & pœnitenti oneroſa. Unde quando pœnitens eſt ſufficienter inſtructus, & ſolet bene diſpoſitus accedere, nec advertit Confeſſarius aliquid neceſſarium omittere, ab interrogationibus abſtinere debet. Nec obſtat, ſi forte pœnitens aliquid inculpabiliter omittat; quia cum iſte non teneatur nunc plus confiteri, Confeſſarius non tenetur ſupplere. Dixi 2. *Examine morali*, id eſt non ſummo & exquiſito, ſed humano & mediocri, & conformiter ad capacitatem pœnitentis. Non enim Sacerdos tenetur plus examinare pœnitentem, quam pœnitens ipſe teneatur ſe examinare, cum Confeſſarius in defectum pœnitentis teneatur ipſum examinare: Pœnitens autem non tenetur ſe examinare ſumma & exquiſita diligentia, ſed humana & morali. Nec refert, quod ſi Confeſſarius plus examinaret, forte plus inveniret, non enim hic attendendum eſt ſolum ad integritatem materialem Confeſſionis, ſed etiam ne ſumma & nimia induſtria in examinando reddatur Sacramentum pœnitentibus oneroſum & odioſum; ſufficit ergo, ſi Confeſſarius prudenter judicet pœnitentem nihil neceſſarium omittere. Dixi 3. *Examine prudenti*; id eſt 1. quod non ſit indiſcretum interrogando de his, quæ veroſimilius non ſolent committi a pœnitente, ne ipſum in iis, quæ ignorat, peccare doceat, aut verecundia afficiat. 2. Quod non ſit præmaturum, ſed ſinatur pœnitens prius ſe ipſum explicare quantum poteſt, ne importunitate terreatur, aut aliorum confitendo um obliviſcatur; ſi tamen Confeſſarius ipſe timeat obliviſci alicujus neceſſario interrogandi, debet aut aliquo modo memoriam juvare, aut quod melius & ſecurius puto, debet in decurſu Confeſſionis breviter uno vel altero verbo numerum & circumſtantias graviores tamen inquirere, ampliori diſcuſſione poſt Confeſſionem factam remiſſa. 3. Sit cautiſſimum in materia præſertim venerea, non deſcendendo ad particulares modos & circumſtantias, ne pœnitentem doceat, quæ ignorat, & ipſi ac ſibi ſit occaſio ſcandali. Ita S. Th. prius cit. Advertendum tamen hic ruſticos & rudes eſſe examinandos maxime circa cogitationes moroſas, quas eſſe peccata ſæpius non apprehendunt, imo & ipſas pollutiones voluntarias contineri ſub peccato carnis aliquando non credunt. Dixi 4. *Confeſſarium fieri reum peccati mortalis, ſi ex ignorantia aut negligentia gravi omittat, &c.* alias ſi ex levi negligentia, ex inadvertentia, memoriæ labilitate, humana diſtractione, ſpiritus defatigatione, nimia attentione in Confeſſionibus audiendis, &c. aliquid etiam neceſſarium inquirere omittat, nullum aut leve tantum erit peccatum juxta negligentiæ quantitatem; nemo enim tenetur cum tanta difficultate & morali impoſſibilitate alienos defectus ſupplere. Ita Sylvius, Sylveſter, Navarrus & alii.

Petes, quid agere debeat Confeſſarius, quando novit peccatum pœnitentis, de quo non ſe accuſat? R. Si illud novit ex Confeſſione alterius, ne ſigillum Confeſſionis violetur, non debet de illo ſtatim interrogare, ſed de variis aliis, & inter hæc de iſto, ſi tamen moris ſit de talibus interrogare. Si autem pœnitens interrogatus negaverit, nihil reponat; ſed hortetur dumtaxat generaliter ad integritatem Confeſſionis, ſi tamen id poſſit circa ſuſpicionem; & pœnitentem negare perſiſtentem abſolvat. Ratio eſt, quia non tenetur magis credere alteri, quam illi, nec aliunde poteſt frangere ſigillum Confeſſionis. Quidam dicunt debere remitti ſub aliquo prætextu, puta, quod non ſit ſufficienter examinatus, aut diſpoſitus; ſed id difficile fieri poteſt ſine vel ipſius pœnitentis, vel ſigilli injuria. Si vero aliunde quam ex confeſſione alterius novit, vel ipſe Confeſſarius vidit peccantem, & certo ſcit non eſſe confeſſum; vel novit tantum ex aliorum relatione, aut non conſtat non eſſe confeſſum: ſi primum, debet ipſum negantem, ut certo indiſpoſitum, repellere: ſi ſecundum, debet abſolvere; quia pœnitenti pro ſe, & contra ſe dicenti creditur, quando evidenti Confeſſoris notitia convinci non poteſt, nec magis aliis quam illi credere tenatur Confeſſarius: aut ſi commiſit, forte confeſſus eſt.

§. III. *Qualiter & de quibus Confeſſarius teneatur inſtruere & monere Pœnitentem?*

DIco. Confeſſarius tenetur ſub gravi peccato inſtruere pœnitentem de his omnibus, quæ pertinent ad hoc Sacramentum valide & fructuoſe ſuſcipiendum, ſi appareat ipſum aliqua horum ignorare. Eadem eſt ratio; ac præcedentis Concluſionis. Hinc colliges 1. Confeſſarium teneri in quantum poteſt, & tempus, ac aliæ circumſtantiæ permittunt, inſtruere pœnitentem de iis, quæ ſunt ſcitu neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem, ut Myſteria Trinitatis & Incarnationis, ipſumque monere de repetendis confeſſionibus in ea ignorantia factis, quia qui hæc ignorat, eſt incapax abſolutionis. Quod ſi tunc inſtruere non poſſit, aut non inveniat paratum ad repetendas priores confeſſiones, debet dimittere inabſolutum, alias inſtruendum, & confeſſionem generalem præparaturum, niſi forte abſolutionis neceſſitas urgeat, ut in periculo mortis; tunc enim ſi non poſſit ſic inſtruere pœnitentem de neceſſariis neceſſitate medii, ut illa memoriter retineat, ſaltem ipſi proponat articulos credendos, & ad ſingulos eliciat actum fidei, v. g. credis Deum eſſe unum in eſſentia, trinum in perſonis? *Credo*. Credis Filium ſecundam perſonam Trinitatis eſſe incarnatum, paſſum, mortuum pro noſtra ſalute æterna? *Credo*. Credis generaliter quidquid credit S. Romana Eccleſia? *Credo*. Deinde excipiat peccata, quæ poteſt, & numerum Confeſſionum & Communionum ſacrilegarum, ſicque ipſum abſolvat, adigendo ipſum, ſi evadat, ut curet inſtrui, & Confeſſionem generalem inſtituat. Huc faciunt ſequentes propoſitiones damnatæ ab Innocentio XI. *Abſolutionis capax eſt homo, quantumvis laboret ignorantia Myſteriorum fidei, & etiamſi per negligentiam etiam culpabilem neſciat Myſterium SS. Trinitatis & Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti*; Eſt 64. Et *Sufficit illa Myſteria ſemel credidiſſe*; Eſt 65.

Colliges 2. Confeſſarium etiam teneri inſtruere pœnitentem ignorantem, quæ ſcitu ſunt neceſſaria neceſſitate præcepti, ut ſunt articuli Symboli, Oratio Dominica, præcepta Decalogi, Sacramenta ſaltem neceſſaria ad ſalutem, requiſita ad hoc Sacramentum Pœnitentiæ rite ſuſcipiendum; ita tamen quod ſi aliqua neceſſitas abſolutionis, etſi non extrema, urgeat, & non poſſit nunc facile de iſtis omnibus inſtrui, iſta autem inculpabiliter ignoraverit, & proponat curare inſtructionem, poſſit in ea neceſſitate abſolvi. Quod ſi ea ex gravi negligentia ignoraverit, & in ea ignorantia mortaliter culpabili plures Confeſſiones fecerit, quas prudens Confeſſarius judicat, aut ſuſpicatur eſſe invalidas, debet præmittere Confeſſionem gene-

generalem, ad quem poteſt juvare Confeſſarius per ſuas interrogationes & ſic propter neceſſitatem abſolvere. Colliges 3. Confeſſarium teneri monere pœnitentem ignorantem vincibiliter aliquid eſſe peccatum, quod tamen revera eſt, item etiamſi invincibiliter ignoret, modo tamen ſit ſpes emendæ, & non timeatur ex monitione gravius exemplum. Secus non. Hunc caſum fuſe expoſuimus & expendimus in Tract. de Actibus humanis Diſſert. 5. art. 4. quo remittimus.

§. IV. *Qualiter Confeſſarius teneatur abſolvere diſpoſitum, & non alium?*

DIco 1. Confeſſarius tenetur ex juſtitia abſolvere pœnitentem rite confeſſum, legitime diſpoſitum, niſi adſit juſta ratio aliquamdiu differendi abſolutionem; quia pœnitens rite confeſſus, & legitime diſpoſitus habet jus ad abſolutionem vi cujuſdam contractus ſacri innominati, facio ut facias, quo jure in re graviſſima ſine graviſſimà injuria privari non poteſt. Dixi; *Niſi adſit juſta ratio aliquamdiu differendi abſolutionem*; ut ſi v. g. Confeſſarius indigeat ſtudio, vel conſilio circa peccata confeſſa. Si dilatio aliqua judicetur neceſſaria ad utilitatem pœnitentis alioquin hic & nunc rite diſpoſiti; puta quod Confeſſarius merito timeat pœnitentem nunc abſolutum facile relapſurum, niſi dilatione territus melius agnoſcat peccati gravitatem, & emendationis neceſſitatem; Confeſſarius enim nedum eſt Judex, ſed & medicus pœnitentis. Ita ex aliis rationibus, ſi quæ occurrant.

Dico 2. Certo indiſpoſitum in nullo caſu poteſt abſolvere Confeſſarius, alias abſolvens, & abſolutus ſcienter peccant mortaliter, peccato ſacrilegii, Eſt certa & evidens.

Dico 3. Regulariter loquendo, & extra caſum neceſſitatis, ſufficit & requiritur in Confeſſario judicium prudens de legitima diſpoſitione pœnitentis, ut eum licite abſolvat. Sufficere patet, quia non poteſt plus exigi a Confeſſario, quam, ut officium ſuum prudenter & moraliter adimpleat. Requiri etiam conſtat; alias ſequeretur, quod extra caſum neceſſitatis liceret abſolvere eum, de cujus legitima diſpoſitione dubitaretur, adeoque ſine neceſſitate exponere Sacramentum periculo nullitatis & irreverentiæ quod nullus admittit. Voco *Judicium prudens*, quod nititur motivo comparative gravi & probabiliori, ideoque ſufficiens, ut trahat virum prudentem in aſſenſum, etſi non excludat omnem omnino formidinem partis oppoſitæ: Conſtat ex dictis de probabilitate. Dixi; *Regulariter & extra caſum neceſſitatis*; quia in caſu neceſſitatis, ſcilicet periculo mortis, poteſt & debet abſolvi pœnitens, de cujus diſpoſitione dubitatur, ut dicam infra: quia in extremis extrema ſunt tentanda, & cum Sacramenta ſint propter homines, ſatius eſt Sacramentum exponere periculo nullitatis, quam animam defectu abſolutionis periculo æternæ damnationis. Unde licet in hoc caſu Confeſſarius non habeat judicium prudens de legitima diſpoſitione pœnitentis, habet tamen de honeſtate ſuæ actionis, quia prudenter & ex motivo moraliter certo, judicat licitam & debitam eſſe in hoc caſu abſolutionem ob rationem dictam.

Ex his colliges cum Rituali Romano Pauli V. Confeſſarium non poſſe abſolvere eos, *Qui nulla dant ſigna doloris, qui odia & inimicitias deponere aut proximam occaſionem deſerere, aut alio modo peccata derelinquere & vitam in melius emendare nolunt, aut qui publicum ſcandalum dederant, niſi publice ſatisfaciant, & ſcandalum tollant.*

De iis, qui verſantur in occaſione proxima, de conſuetudinariis & recidivis ſpeciales ſunt difficultates. Unde ſit

§. V. *Quomodo ſe gerere debeat Confeſſarius cum iis, qui verſantur in occaſione proxima?*

OCcaſio peccandi dicitur id omne, quod inducit ad peccandum; ſi raro inducat, dicitur occaſio remota; ſi frequenter, occaſio proxima; quantumvis tamen poſſit etiam eſſe occaſio proxima, in qua quis raro, aut nunquam peccavit, ſi nempe attentis omnibus circumſtantiis internis & externis præſentiat ſe probabilius in ea peccaturum. Unde licet ex frequentibus lapſibus bene colligitur occaſionem eſſe proximam; quia tamen peccatum non ſolum propter multiplicitatem actuum, ſed propter ſe ipſum eſt fugiendum, non tam ex multiplicatis peccatis, quam ex veriſimilitudine peccandi repeti debet occaſio proxima. Hinc male quidam illam definiunt, *in qua quis ſemper aut ſæpius peccat*, quaſi vero qui decies in menſe peccat cum ancilla, non ſit in occaſione proxima. Melius itaque definitur, *in qua quis poſitus veroſimiliter, aut veroſimilius peccabit*. Non eſt hic quæſtio de occaſione remota; cum enim nihil ſit in mundo, ſive paupertas, ſive divitiæ, ſive ſanitas, ſive morbus, ſive Cœlibatus, ſive Matrimonium, quod non poſſit eſſe occaſio remota peccandi: ſi homo teneretur deſerere occaſionem peccandi remotam, deberet hunc mundum relinquere. Neque eſt quæſtio de occaſione proxima peccandi venialiter; ſi enim propter affectum ad peccatum veniale non debet denegari abſolutio, a fortiori propter occaſionem ejus proximam. Quæſtio eſt igitur de occaſione proxima peccandi mortaliter.

Occaſio proxima peccandi mortaliter alia eſt interna, ut certa complexio inducens ad peccatum & maxime inveterata conſuetudo, alia externa, quæ communiter intelligitur nomine occaſionis proximæ, ut malum conſortium. Externa, alia eſt continua, ut habitatio cum Concubina, retentio injuſta boni alieni vel Beneficii ſimoniace accepti; alia interrupta, ut frequentatio puellæ, popinæ, chorearum, &c. Item alia eſt abſoluta & per ſe, quæ attenta communi hominum diſpoſitione eſt omnibus occaſio proxima, ut alere domi concubinam; alia reſpectiva per accidens, quæ ratione particularis diſpoſitionis eſt uni occaſio proxima, non alteri, ut officium Chirurgi vel Confeſſarii. Denique occaſio proxima, alia eſt involuntaria phyſice, ut interna complexio, mala conſuetudo retractata, incarceratio cum concubina; alia involuntaria moraliter, quæ vel deſeri non poteſt ſine peccato, ut uxor reſpectu mariti, militia reſpectu militis, ars reſpectu Patris-Familias, ex qua ſola poteſt providere neceſſitatibus uxoris & familiæ, vel non ſine gravi detrimento famæ vel fortunæ, ut officium Confeſſarii, Chirurgi, Advocati, Mercatoris, &c. His præmiſſis,

Dico 1. Ei, qui eſt in occaſione proxima, quam neque phyſice, neque moraliter ſine peccato deſerere non poteſt, Confeſſarius non debet denegare abſolutionem, ea ratione quod eam non deſerat; ad impoſſibile enim nemo tenetur; ſed debet ei præſcribere remedia, quibus occaſio ea proxima fiat remota, quæ ſi negligat, aut vix ulla ſit emenda, poſt unam vel alteram abſolutionem, non debet amplius abſolvi, donec reſipiſcat. Quia Confeſſarius in his circumſtantiis non poteſt formare judicium prudens de ſinceritate doloris & propoſiti.

Dico 2. Qui verſatur in occaſione proxima continua, ut qui alit domi concubinam, aut retinet injuſte alienum, vel Beneficium ſimoniace acceptum, quam & phyſice & moraliter ſine peccato & gravi detrimento potuit & poteſt deſerere, regulariter non eſt abſolvendus, niſi de facto deſeruerit, quamtumvis nunc promittat eam deſerere: quia Confeſſario merito debet eſſe ſuſpectum propoſitum illius, qui cum ſciret, antequam ad Tribunal accederet, hanc occaſionem eſſe dimittendam & potuit dimittere, non dimiſit; ſuppoſito quod foret ſincerum propoſitum, non eſt veriſimile, quod attenta occaſione ſit efficax. Vide propoſitionem 41. inter damnatas ab Alexandro VII. an. 1666. Dixi *regulariter*, quia quidam caſus excipiuntur, ut periculum mortis. Attamen ſi ita non inſtaret, quin poſſet adhuc ſub aliquo honeſto prætextu dimitti concubina; reſtitui alienum, ita deberet fieri ante abſolutionem. Secundus caſus eſt, dum Pœnitens longe diſtat ab occaſione, puta concubina, quam ideo hic & nunc dimittere non poteſt, ſi appareat ſincere diſpoſitus, & hactenus nondum fregerit fidem de illa dimittenda, videtur, quod poſſit abſolvi. Tertius caſus eſt, ſi Pœnitens hucuſque non apprehenderit occaſionem eſſe proximam, & gravem illi incumbere obligationem eam ſtatim deſerendi, poterit etiam 1. vice abſolvi antequam dimittat, non 2. ſi non dimiſerit.

Dico 3. Qui verſatur in occaſione proxima interrupta, ut qui ſæpe peccat ex frequentatione alicujus puellæ, popinæ, chorearum, &c. poteſt prima vice abſolvi, ſi appareat, quod ſincere proponat illam deſerere, quia cum non ſit actu in occaſione, ſicut in caſu præced. Concluſionis, & forte jam ab aliquo tempore non frequentavit, major ratio eſt ipſi fidem adhibendi, quam ei, qui in ipſa occaſione actu voluntarie permanet. Dixi; *ſi appareat, quod ſincere proponat illam deſerere*, ſi enim id detrectet, quantumvis promittat non amplius in ea peccare, non eſt audiendus, nec abſolvendus; qui enim amat periculum, in illo peribit.

Dico 4. Quando quis verſatur in occaſione proxima, quam ſine gravi detrimento famæ vel fortunæ deſerere non poteſt, ut ſi officium Confeſſarii, Chirurgi, Mercatoris, Advocati, &c. ſit illud exercenti occaſio proxima, aut ancilla filio-familias in domo paterna, quam ſine offenſione parentum deſerere non poteſt, Confeſſarius non debet 1. vice eum adigere, ut deſerat occaſionem, ſed debet illi præſcribere congrua remedia, quibus occaſio proxima mutetur in remotam, & ipſi, ſi appareat bene diſpoſitus & ad acceptanda remedia promptus, impendere abſolutionem, ut ejus beneficio & gratiæ auxilio fortior ad ſuperandas tentationes & occaſiones evadat; ſi vero aut ne vix emendatus redeat, adhibitis tamen remediis, urgentiora præſcribat, & iterum abſolvat. At ſi tandem ſive adhibitis, ſive neglectis remediis, nulla aut vix al-

in

Digitized by Google

la ſit emendatio, non obſtante quovis incommodo, non abſolvatur priuſquam occaſionem deſeruerit; tunc enim urget Chriſti ſententia Matth. 15. *Si oculus tuus dexter* (id eſt, ſi quod tibi ſumme eſt utile) *ſcandalizat te, erue eum & projice abs te. Expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus eat in gehennam.* Huic & 2. Concluſioni favent ſequentes propoſitiones damnatæ ab Innocentio XI. Prima; *Poteſt aliquando abſolvi, qui in proxima occaſione peccandi verſatur, quam poteſt & non vult deſerere, quin imo directe & ex propoſito quærit, aut ei ſe ingerit;* Eſt 61. Item: *Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſa utilis aut honeſta non fugiendi occurrit,* Eſt 62. Item: *Licitum eſt quærere directe occaſionem proximam peccandi pro bono ſpirituali vel temporali noſtro, vel proximi;* Eſt 63.

§. VI. *Quomodo ſe gerere debeat Confeſſarius cum Conſuetudinariis & Recidivis.*

CONSUETUDINARIUS eſt, qui conſuetudinem ſeu habitum & propenſionem peccandi in certo genere peccati ex frequentatis ejus actibus contraxit. Unde fit, quod facile & levi pulſatus tentatione illud committat. Recidivus eſt, qui in peccatum jam confeſſum relabitur etiſi ſemel: quamvis enim abſolute loquendo ſit recidivus, qui in idem peccatum ſive confeſſum ſive non confeſſum relabitur, in iſta tamen materia Recidivus dicitur, qui ſupponit confeſſionem peccati, in quod relabitur. Hinc poteſt dari Conſuetudinarius, qui non ſit hoc ſenſu recidivus, ut qui nunquam confeſſus eſt peccatum, in cujus conſuetudine jamdiu perſeverat; & poteſt eſſe Recidivus, qui non ſit conſuetudinarius, ut qui poſt confeſſionem in peccatum confeſſum aliquoties relabitur. Hic nobis eſt incedendum inter duos ſcopulos nimiæ laxitatis & nimii rigoris. Quidam enim volunt abſolutionem eſſe concedendam omnibus conſuetudinariis toties quoties accedunt ad Tribunal dicendo *Pœnitet me.* Alii omnibus eſſe denegandam, quouſque per virtutum exercitia & opera ſatisfactoria pravam conſuetudinem penitus extirpaverint. Contra quos utrinque

Dico 1. Differenda eſt regulariter abſolutio conſuetudinario, qui ſemel & iterum monitus & correptus a Confeſſario neglexerit remedia ab ipſo præſcripta, nec ſe emendavit, quouſque factis emendationem probaverit, quantumvis dicat nunc ſe pœnitere, & ſe eſſe ad omnia paratum. Idem dicendum in paribus circumſtantiis de Recidivis ſtatim & frequenter in idem peccatum, ut patebit ex rationibus ſequentibus, quæ pariter contra eos militant. Ratio eſt igitur; quia Confeſſarius non poteſt formare judicium prudens de legitima diſpoſitione illius, qui pluries monitus huc uſque nullum conatum adhibuit ad præcavendum relapſum, & amovendam pravam conſuetudinem, quæ illi eſt occaſio proxima peccandi. Neque ſufficit, quod dicat nunc *Pœnitet me*, hoc pluries dixit & fefellit, idem ergo merito nunc ſuſpicatur Confeſſarius. Aliunde ſi omnibus, qui dicunt *Pœnitet me*, conferenda eſſet abſolutio, nullus inabſolutus dimittendus foret; nullus eſt enim, qui Confeſſario non dicat *Pœnitet me.* Non ergo ſolis verbis & ſolis his circumſtantiis, ſed de effectibus & fructibus æſtimanda eſt ſinceritas propoſiti, ut docent Patres in hæc Chriſti verba Matth. 7. *A fructibus eorum cognoſcetis eos.* Hinc damnata eſt ab Innocentio XI. hæc propoſitio; *Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Eccleſiæ, etſi emendationis ſpes nulla appareat, non eſt neganda, nec differenda abſolutio, dummodo ore proferat ſe dolere & proponere emendationem.* Nulla autem ſpes emendationis in eo, de quo Concluſio, niſi quod *ore proferat ſe dolere & proponere emendationem.* Quod reprobatur in propoſitione damnata.

Dico 2. Conſuetudinarius, qui in prioribus Confeſſionibus nunquam fuit correptus, nec monitus de remediis adhibendis, neque illorum eſt conſcius, ſi nihil aliud obeſt quam conſuetudo, & proteſtetur ſe de illa, & de peccatis dolere, paratumque ſe exhibeat ad omnia remedia, etſi dura & difficilia, poteſt poſt præmiſſam, ut plurimum, Confeſſionem generalem ſtatim abſolvi, nec eſt expectandum, donec pravam conſuetudinem penitus eradicaverit. Idem a fortiori dicendum de ſimpliciter recidivis.

Prob. 1. Quia videtur, quod Confeſſarius poſſit formare prudens judicium de hujus Pœnitentis legitima diſpoſitione. Quid enim obſtaret? Obſtat, inquiunt, quod Deus non ſoleat tam ſubito convertere hujuſmodi inveteratos peccatores. Id quid verum eſt de converſione perfecta, quæ pertingat uſque ad integram extirpationem pravæ conſuetudinis; ſed hoc non requiritur ad abſolutionem, maxime cum Trid. ſeſſ. 14. cap. 8. dicat pravam conſuetudinem tolli per pœnas ſatisfactorias a Confeſſario impoſitas, & ideo præcedit abſolutio. At falſum eſt de converſione cordis requiſita, & ſufficienti ad abſolutionem; jubemur enim Eccli. 5. non tardare converti ad Dominum, & ſecundum adverſarios tenetur peccator ſtatim a peccato commiſſo conteri, juxta omnes non diu differre? Deus autem impoſſibilia non jubet. De hiſiterum in Sol. Object. Inſuper quidquid ſit de œconomia divinæ Providentiæ in converſione peccatorum; ſaltem is, de quo agitur, jam ſupponitur converſus. Nam illi inveterati peccatores non converſi non dicunt ſe dolere, nec ſe exhibent paratos ad omnia remedia, ſicut iſte ſe exhibet; nec eſt ratio ſuſpicandi de eo, quod fallat, ſicut de iis, qui ſæpe fregerunt fidem, & media præſcripta neglexerunt. Unde ratio adverſariorum non militat contra ſuppoſitum Concluſionis. Confir. Rituale Romanum Pauli V. agens de iis, quibus concedenda, vel differenda, vel deneganda eſt abſolutio, inter eos, quibus dicit differendam, aut denegandam abſolutionem, non numerat conſuetudinarios. Ergo cenſet iis eſſe concedendam; exceptio enim firmat regulam. Nec dici poteſt argumentum eſſe negativum; quia, ut dixi, non agit ſolum de iis, quibus deneganda eſt abſolutio, ſed etiam de iis, quibus eſt concedenda.

Prob. 2. Sacramentum Pœnitentiæ eſt inſtitutum, non ſolum ad tollenda peccata præterita, ſed etiam ad præcavenda futura. Ergo non eſt denegandum illi, qui malam habitudinem jam contraxit, & ad illam penitus eradicandam per media præſcripta paratum ſe exhibet; alioquin ipſum privat præcipuo & efficaciori remedio ad hunc finem, & aſſimilatur, inquit apte P. Henno, inſano medico, qui non vellet adhibere præcipuum remedium niſi ægroto jam ſanato.

Dixi 1. *Neque remediorum conſcius*, ut contingit plerumque inter vulgares, qui nullum aliud agnoſcunt remedium, quam examinare conſcientiam, omnia peccata confiteri, de illis dolere, proponere non amplius illa committere, & adimplere ſatisfactionem injunctam. Secus de doctis, qui probe norunt remedia nec ſaria pravo habitui extirpando, & quæ tamen huc uſque neglexerunt. Hi namque cenſendi ſunt æquivalenter moniti, neque ideo de illorum ſincera converſione ex ſignis communibus poteſt magis ferre judicium prudens Confeſſarius, quam de iis, qui pluries moniti remedia præſcripta neglexerunt, de quibus dictum eſt in 1. Concluſione.

Dixi 2. *Si nihil aliud obſtat quam conſuetudo*, quia ſi præter inolitam conſuetudinem adſit occaſio proxima, & non auferatur; vel ſi quis flagitioſæ vitæ per plures annos gentiliter vixiſſet abſque ullo Religionis Chriſtianæ exercitio, & ulla Sacramentorum frequentatione, addendo peccata peccatis, videtur in illo requiri pluſquam communia ſigna pœnitentiæ, ut prudenter judicetur converſus & abſolvendus; habet enim plus ſolito voluntatem obfirmatam in malo, nec ipſum latere potuit orationem & communia Religionis officia, præſertim Sacramentorum frequentationem, eſſe media adhibenda contra peccata, & pravos habitus, & quod ſi ea frequentaſſet, de aliis neceſſariis inſtructus fuiſſet, ſicque ſua culpa ignoravit, nec poteſt ex hoc capite prætendere excuſationem; unde habendus eſt, ut in præcedenti caſu, æquivalenter monitus, nec abſolvendus, niſi quædam ſingularia Pœnitentiæ ſigna edat; atque ita etiam cum eo agendum foret, etſi pravam conſuetudinem non contraxiſſet.

Dixi 3. *Poſt præmiſſam ut plurimum Confeſſionem generalem:* quia quamvis Confeſſiones factæ durante conſuetudine, ſeu inter frequentes relapſus, potuerint eſſe validæ; nihil enim obſtat, abſolute loquendo, quominus conſuetudinarius, aut frequens recidivus, vere doluerit de ſuis peccatis, & ſincere proponat non amplius peccare; ſæpe tamen deeſt ſinceritas in propoſito, quod innoteſcit maxime, ſi ſtatim poſt Confeſſionem, ſeu prima occaſione, leviter tentatus, & æque facile labitur, ac ante. Et in hoc caſu, qui frequens eſt in Conſuetudinariis, cenſeo neceſſariam eſſe Confeſſionem generalem; quia probabilius eſt defuiſſe verum propoſitum in prioribus Confeſſionibus. Quod ſi ſit quædam neceſſitas, etſi non admodum gravi, ſtatim abſolvendi, ut ſi pœnitens habeat domicilium longe diſtans a Confeſſario, aut Confeſſarius extraneus, & tranſiens ad Pœnitentem redire non poſſit, vel ſi timeatur, ne pœnitens amplius non redeat, vel poſſe difficile inſtituere Confeſſionem generalem, forte quia ſimplex aut ruſticus, vel quid ſimile; tunc Confeſſarius poteſt ſuis interrogationibus ſupplere, interrogando 1. Per ſingulos annos, aut menſes de numero peccatorum, quæ ex conſuetudine nata ſunt ſequi, deinde de peccatis illius pœnitentis ſtatui propriis, denique percurrendo præcepta Decalogi & Eccleſiæ, ipſumque monere, ut ſi aliquod peccatum omiſſum in memoriam redeat, illud accuſet in 1. Confeſſione.

Dico 3. Conſuetudinarius, qui poſt obtentum abſolutionis beneficium diligenter adhibuit remedia præſcripta, & eſt notabiliter emendatus, licet aliquoties relapſus fuerit, debet iterum abſolvi. Idem a fortiori dicendum de recidivis. Ratio eſt; quia Confeſſarius jam non ex ſolis,

ſed

ſed ex fructibus poteſt formare judicium prudens de legitima ejus diſpoſitione, nimirum fuiſſe prius, & nunc eſſe ſincerum dolorem & propoſitum. Nec obſtant aliquot relapſus; hi enim vel mutabilitati voluntatis, vel fragilitati vel reliquiis antiquæ conſuetudinis nondum penitus amotæ, ſed tamen retractatæ & involuntariæ, magis adſcribendi ſunt, quam malitiæ & defectui propoſiti. Et cum hæc notabilis amendatio ſit effectus gratiæ ſacramentalis, ſpes eſt, quod per Sacramenti iterationem tandem intera & perfecta converſio obtinebitur: & hæc eſt communis Confeſſariorum doctorum & timoratorum praxis.

Dixi: *Qui remedia præſcripta adhibuit, & eſt notabiliter amendatus*. Si ergo præſcripta remedia adhibuerit, ſed non ſit notabiliter emendatus, præſciberem pro 2. vice remedia urgentiora, & iterum abſolverem; defectus enim veri propoſiti magis ex neglectu remediorum, quam ex multiplici relapſu dignoſcitur; quia facilius eſt adhibere remedia, quam abſtinere a peccatu propter vehementem in illud propenſionem ex conſuetudine. Nec obſtat, quod remedia ſint etiam contraria conſuetudini; non enim tam directe illi contrariantur, quam abſtinentia a peccato: ſic v. gr. jejunare non tam directe contrariatur conſuetudini luxuriandi, quam abſtinere ab actibus luxuriæ. At vero ſi 3. accedat, adhibitis quidem remediis, ſed non emendetur notabiliter, differrem ad tempus abſolutionem, ſi non ut Judex, ſaltem ut medicus, ſcilicet ut gravitatem peccati magis apprehendat, & relapſus magis pertimeſcat; aliquando enim contingit, ut qui per plures abſolutiones non fuerunt emendati, abſolutionis denegatione territi corrigantur.

Solvuntur Objectiones.

OBJ. 1. contra 2. Concluſionem. Matth. 18. Petro interroganti, an Fratri in ſe peccanti deberet condonare ſepties, reſpondit Chriſtus: *Non dico uſque ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties*, id eſt ſine termino. Hoc autem dictum S. Th. 3. p. q. 84. art. 10. in arg. ſ. c. applicat abſolutioni ſacramentali, & in corpore art. dicit, quod *miſericordia Dei ſuperet omnem numerum & magnitudinem peccatorum, & ideo peccantibus per pœnitentiam veniam præbens abſque ullo termino*. Ergo. R. hunc locum Matthæi in ſenſu litterali non poſſe applicari Sacramento Pœnitentiæ, alioquin ſequeretur, quod ſicut Fratri actualiter nobis offenſo & inimico debeamus ſaltem animo condonare, ita peccatori actualiter a Deo averſo, & in ejus odio perſeveranti, debeamus beneficium abſolutionis impendere. In tantum ergo S. Th. hunc textum in ſenſu accommodatio applicat abſolutioni ſacramentali, in quantum, ſicut debemus ſæpe offenſam Fratri remittere, ſic etiam debemus ſæpe abſolvere pœnitentem, utique vere pœnitentem; ex quo probat S. Doctor Sacramentum Pœnitentiæ eſſe iterabile, quod unum quærit & reſolvit in hoc articulo.

Inſt. Chriſtus Luc. 17. Diſcipulos alloquens dicit: *Si ſepties in te peccaverit, & ſepties in die converſus fuerit ad te dicens, pœnitet me, dimitte illi*: atqui Chriſtus non vult nos eſſe magis miſericordes, quam Deus ipſe ſit; dicit enim Luc. 6. *Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter eſt miſericors*. Ergo. R. 1. ex hoc argumento probari ſepties in die lapſum in peccatum mortale eſſe ſepties in die ſacramentaliter abſolvendum, quo nihil eſt abſurdius: cum ergo nimis probet, nihil probat. R. 2. D. Min. Chriſtus non vult nos eſſe magis miſericordes, quam Deus ipſe ſit, cæteris paribus, C. Cæteris imparibus, N. Diſparitas eſt autem, quod remittendo Fratribus injuriam toties iteratam nihil periclitentur; abſolvendo autem conſuetudinarium ſeu recidivum, de quo eſt quæſtio, periculum ſit ſacrilegii erga Sacramentum & impœnitentiæ erga peccatorem, quem in peccatis foveret hæc immoderata indulgentia. Inſuper non dixit Chriſtus injuriam Fratri eſſe remittendam, ſcilicet externe, quoties dicit *pœnitet me*, nec ad hoc tenemur; ſed quoties *converſus* dicit *pœnitet me*: in eo autem, de quo diſputamus, ad minus valde ſuſpecta eſt converſio.

Obj. 2. contra eandem. Frequens relapſus tam in conſuetudinariis quam in recidivis poſt plures Confeſſiones poteſt oriri ex mutabilitate voluntatis humanæ. Ergo non eſt ratio, cur adcribatur defectui veri propoſiti, conſequenter non ideo deneganda eſt abſolutio. Unde S. Th. 3. p. q. 84. a. 10. ad 4. dicit: *Quod aliquis poſtea* (id eſt poſt pœnitentiam) *peccat vel actu, vel propoſito, non excluditur, quin prima pœnitentia vera fuerit; nunquam enim veritas prioris actus concluditur per actum contrarium ſubſequentem, ſicut enim vere cucurrit, qui poſtea ſedet, ita vere pœnituit, qui poſtea peccat*. R. D. Ant. Frequens relapſus poteſt oriri ex mutabilitate voluntatis humanæ tantum, N. Ex mutabilitate voluntatis humanæ & ex defectu veri propoſiti, C. Ex quo autem de facto oriatur in præſentibus circumſtantiis? Nemo ſenſatus non judicabit, moraliter & practice loquendo, probabilius oriri ex defectu propoſiti, maxime ſi attendat ad judicium ferri ſolitum de rebus humanis in ſimilibus circumſtantiis. Saltem negari non poteſt, quin ad minus ſit dubium de principio tot relapſuum & negligentiæ remediorum, ideoque non poſſit haberi judicium prudens de legitima diſpoſitione Pœnitentis, in quo caſu nequit conferri abſolutio, niſi urgente neceſſitate.

Ad D. Th. Ejus verba non ſunt ad rem; vult enim ibi S. Doctor, quod ſequens peccatum non excludat pœnitentiam præcedentem, ſuppoſito quod vera fuit; quia, inquit, *veritas prioris actus non excluditur per actum contrarium ſubſequentem*: unde *ſicut vere cucurrit, qui poſtea ſedet, ita vere pœnituit*, ſi revera pœnituerit, *qui poſtea peccat*, quod enim factum eſt, infectum fieri nequit; id omnes fatentur. At non negat S. Doctor frequentes relapſus ſequentes eſſe indicia priorem pœnitentiam non fuiſſe veram, & hoc nos aſſerimus, ſi non metaphyſice, ſaltem moraliter & practice loquendo. Neque ullus eſt, qui in humanis ita non judicaret, aut ſaltem non dubitaret, an ille vere promittat, qui ſtantibus iiſdem circumſtantiis pluries defuit promiſſioni de eadem re, leviſſimum conatum adhibuit ut impleret, quamvis implere poſſet: nullus, inquam, qui credat aliquem vere pœnitere de injuria illata, ſi ſtatim poſt condonationem, nulla alia cauſa movente, illam iteraret & ita pluries: quapropter quamvis injurianti interius & ex animo condonare teneatur offenſam, non tamen tenetur illam remittere externa in gratiam receptione, imo nec conſultum, ne facilitas veniæ ſit incentivum malæ voluntatis.

Inſt. 1. Ridiculus eſſet, qui ex repetita ſeu diuturniori ſeſſione inferret ſedentem non cucurriſſe. Ergo ſimiliter juxta D. Th. ridiculus eſt, qui ex ſequentibus relapſibus infert non fuiſſe veram pœnitentiam. R. 1. S. Th. non in eo paritatem facere, quod ſicut ſeſſio non indicat curſum non præceſſiſſe, ſic frequens relapſus non indicat non fuiſſe veram pœnitentiam; ſed in hoc, ut dixi, quod ſicut ſeſſio ſequens non deſtruit curſum præcedentem, ſi revera fuerit, ita peccatum ſequens non deſtruit pœnitentiam præcedentem, ſi revera fuerit; quia *veritas prioris actus non excluditur per actum contrarium ſubſequentem*. 2. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod qui vere currit, non debeat proponere non ſedere poſtea, ſed qui vere pœnitet, debet proponere non peccare poſtea. Unde licet ex frequenti ſeſſione non inferatur, quod non cucurrerit, bene tamen ex frequenti relapſu infertur, quod non pœnituerit.

Inſt. 2. Juxta S. Th. Supp. q. 8. a. 5. ad 2. in foro Confeſſionis creditur homini pro ſe & contra ſe. Ergo conſuetudinario dicenti in Confeſſione *pœnitet me* fides eſt adhibenda. Reſpondent plures hoc dictum ſanctus Thomæ intelligendum eſſe de factis, quæ pertinent ad Confeſſionem ſacramentalem, ut quod pœnitens hoc vel illud peccatum commiſerit, quod fuerit, vel non, confeſſus, non autem de diſpoſitionibus, quarum Confeſſarius non eſt Judex. Quia tamen S. Doctor Opuſc. 22. c. 3. ſub finem videtur illud etiam intelligere de diſpoſitionibus pœnitentis, D. Ant. In foro Confeſſionis creditur homini pro ſe & contra ſe, ſi nihil obſtet, C. Si quid obſtet, N. Obſtat autem hic gravis pœnitentis negligentia in adhibendis remediis contra relapſum & inolitam conſuetudinem.

Inſt. 3. Juxta eundem S. Doctorem dubia de proximo non ſunt interpretanda in pejorem partem. Ergo. R. 1. Hic eſſe pluſquam dubium, ut dictum eſt. 2. Dato eſſe dubium, equidem non eſt interpretandum in pejorem partem definiendo hunc eſſe malum, bene tamen ſupponendo aut timendo, ne ſit malus, dum agitur de malo vitando aut bono promovendo, ut in præſenti caſu.

Obj. 3. contra eandem. Per abſolutionis dilationem periclitatur ſalus pœnitentis, ſi forte interim moriatur. Ergo. R. hoc periculum eſſe remotum, cum ubique adſint Confeſſarii in caſu infirmitatis, ideoque cedere debet periculo proximo ſacrilegæ abſolutionis, quæ magis vitanda eſt, quam mors ſine abſolutione. Sed & mirum eſt peccatorem timere periculum æternæ damnationis, dum ſalutarem agit pœnitentiam, & ad paucos dies illi differtur abſolutio, & non timuiſſe, dum adderet peccata peccatis, & in eis per menſes & annos perſeveraret.

Obj. 4. contra 4. Concluſionem. Juxta communem Providentiæ curſum converſio peccatoris conſuetudinarii eſt difficilis, requirit multos conatus, fitque pedetentim & ſucceſſive. Ergo non debet abſolvi, niſi poſtquam ſuam converſionem multis virtutum actibus probaverit. Ant. patet tum experientia, tum exemplo Lazari quatriduani, qui juxta Aug. Tract. 49. in Joan. fuit figura peccatoris conſuetudinarii, quem ut reſuſcitaret Chriſtus, magna voce clamavit, infremuit, & lacrymatus eſt. Hinc addit Aug. *Quam difficile ſurgit, quem moles malæ conſuetudinis premit*. Ergo. R. ex dictis in probatione Concluſionis, D. Ant. Juxta communem Providentiæ curſum

converſio peccatoris conſuetudinarii perfecta, quæ pertingat uſque ad integram eradicationem inolitæ conſuetudinis, eſt difficilis, fit ſucceſſive, &c. C. Hæc autem converſio non requiritur ad abſolutionem, ſi quidem, ut dictum eſt a Trid. obtineatur per ſatisfactiones medicinales impoſitas a Confeſſario, ideoque ſupponit abſolutionem. Et de hac converſione intelligitur exemplum Lazari & textus Aug. Converſio cordis, quæ ſita eſt in dolore de peccatis, & in propoſito non peccandi eſt difficilius, fit ſucceſſive, &c. N. Juvante ſcilicet Dei gratia, quam nemini denegat: conſtat ex probatione Concluſionis. Hæc autem ſufficit ad abſolutionem, & ſic eſſe converſum prudenter judicamus conſuetudinarium, qui nunquam munitus de remediis adhibendis ad illam paratum ſe exhibet, & de præteritis ſe dolere profitetur; non enim ſic ſe gerunt, qui non ſunt converſi, ſed ut advertit ipſe Aug. cit. in Joan. dicunt: *Non poſſumus tolli a conſuetudine noſtra.*

Inſt. ipſe Aug. non niſi difficile & poſt longum tempus fuit converſus, ut ipſe narrat l. 8. Confeſſ. c. 5. Ergo. R. 1. Dato Ant. N. Conſeq. Ex unius enim exemplo non debet concludi de omnibus, cum enim converſio ſit opus gratiæ & liberi arbitrii, quidam citius, quidam tardius convertuntur, quidam fortius, quidam imbecillius in ſuam converſionem nituntur. 2. Loquitur Auguſt. loco cit. de converſione ſua plena & perfecta, ſcilicet de completa victoria concupiſcentiarum & malorum habituum, non de converſione cordis ſufficiente ad abſolutionem ſeu ad Baptiſmum, quam nullus dubito præceſſiſſe in Aug. diu antequam ſuſciperet Baptiſmum, & quem ſi citius ſuſcepiſſet, facilius & citius malos habitus plene viciſſet. Unde ipſemet l. 1. Confeſſ. c. 11. improbat, quod diutius diſtulerit Baptiſmum. Hac diſtinctione converſionis perfectæ ſolves plura, quæ tum ex eodem Aug. cum ex aliis Patribus opponi poſſunt.

Obj. 5. contra eandem. Secundum antiquos Canones opera ſatisfactoria præmitti debent abſolutioni. Ergo. R. ex hoc argumento, quod magno apparatu proferunt rigidioris moralis defenſores, nihil expungi poſſe in illorum favorem, 1. Abſolutio, de qua in Canonibus antiquis, probabilius non erat Sacramentalis, ſed cæremonialis ad reconciliationem cum Eccleſia, & ad ſuſceptionem Eucharistiæ, ut probabo infra dum de ſatisfactione. 2. Eſto in his Canonibus agi de abſolutione Sacramentali, nihil favet adverſariis. Nam 1. Pœnitentia illi prævia non imponebatur niſi jam vere pœnitentibus. Ergo non in eorum pœnitentiæ experimentum, ut volunt adverſarii. 2. Non imponebatur ſolis conſuetudinariis aut recidivis, ſed etiam primo lapſis. 3. Imo multi per plures annos ſtadium pœnitentiæ decurrebant, quidam uſque ad finem vitæ; id autem non requirunt auſteriores Theologi. Denique quod præcipuum eſt, res eſt diſciplinæ, quam mutavit Eccleſia, ut conſtat tum ex ejus hodierna praxi, quam improbare nefas eſt, tum ex ſequentibus propoſitionibus damnatis. 1. *Ordinem præmittendi ſatisfactionem abſolutioni induxit non politia aut inſtitutio Eccleſiæ, ſed ipſa Chriſti lex & præſcriptio, natura rei id ipſum quodammodo dictante*; eſt 16. inter damnatas ab Alexandro VII. an. 1690. 2. *Per illam praxim non abſolvendi ordo pœnitentiæ eſt inverſus*: eſt 17. 3. *Conſuetudo moderna quoad adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamſi eam plurium hominum ſuſtentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Eccleſia non habetur pro uſu, ſed pro abuſu*..

Obj. 6. contra eandem. Conſuetudinarius, de quo agitur, eſt in occaſione proxima, conſuetudo enim eſt illi occaſio proxima. Ergo. R. D. Ant. Eſt in occaſione proxima voluntaria, N. Involuntaria, C. Hanc enim retractavit per ſincerum dolorem & propoſitum adhibendi remedia contra illam. Non denegatur autem abſolutio exiſtenti in occaſione proxima involuntaria, ut dictum eſt §. præced.

Inſt. 1. Veriſimile eſt, quod ex illa conſuetudine etſi involuntaria, ſed nondum eradicata, adhuc peccabit conſuetudinarius. Ergo, R. 1. Ant. eſſe incertum, & ſoli Deo notum. 2. Dato Ant. N. Conſeq. Ut enim homo ſit capax abſolutionis, non requiritur, quod deinceps non peccet, alias nulli pœnitenti danda eſſet abſolutio; ſed requiritur, quod hic & nunc habeat verum propoſitum non peccandi amplius.

Inſt. 2. Atqui non poteſt prudenter judicari, quod nunc habeat iſtud verum propoſitum. Ergo. Probat. ſubſumptum; fregit iſtud propoſitum factum in prioribus Confeſſionibus. Ergo. R. N. Ant. Ad probationem N. Conſeqn. Quamvis enim ex hoc, quod prius fregerit propoſitum factum in prioribus Confeſſionibus, in quibus nec correctus nec monitus fuit de adhibendis remediis, poſſit eſſe indicium ejus propoſitum nunc non fuiſſe verum, & ideo ſuadenda ſit Confeſſio generalis; inde tamen non ſequitur, quod propoſitum, quod nunc facit, non ſit verum, quia mutantur circumſtantiæ; acceptando enim remedia dura & difficilia dat ſigna veri propoſiti, quæ non dedit in prioribus Confeſſionibus.

Inſt. 3. Nemo concrederet bona ſua illi, qui haberet conſuetudinem furandi, quamvis promitteret non amplius furari, & acceptaret media propoſita ad non amplius furandum. Ergo ſimiliter. R. N. Conſeq. Diſparitas eſt 1. quod homines in cuſtodia bonorum ſuorum non ſolum attendant ad præſens propoſitum, ſed etiam ad damnum, quod ſequi poteſt ſive ex defectu propoſiti, ſive ex ejus mutatione aut fragilitate. In hoc vero Tribunali magis attenditur ad præſentem diſpoſitionem, quam ad peccatum, quod deinceps committi poteſt ex mutatione propoſiti & fragilitate; alioquin nulli peccatori, ut jam dixi, danda eſſet abſolutio, cum nullus ſit, qui poſt abſolutionem non relabatur, aut relabi non poſſit in peccatum. 2. Quia concredere bona habenti conſuetudinem furandi non eſt medium ordinatum ad refrænandam hanc malam conſuetudinem, quin potius illi favet: at collatio Sacramenti eſt medium ordinatum ad compeſcendam malam habitudinem & impediendum relapſum.

Obj. 7. contra 3. concluſionem. Conſuetudinarius, qui poſt propoſitum amplius non peccandi, & acceptationem mediorum in priori Confeſſione adhuc relapſus eſt, fregit fidem. Ergo non eſt amplius illi adhibenda. R. D. Ant. Fregit fidem ex mutabilitate voluntatis & fragilitate, C. Ant. Ex defectu ſinceritatis in priori propoſito, N. Ant. & Conſeq. Si enim ſic frangentibus fidem deneganda eſſet fides & abſolutio, cum omnis pœnitens promittat non amplius peccare, deneganda eſſet abſolutio cuicumque recidivo etiamſi ſemel tantum ſive in eodem, ſive in diverſo genere peccati, quod nullus admitit.

Inſt. 1. Si ille conſuetudinarius omitteret remedia præſcripta, cenſeretur non habuiſſe verum propoſitum illa adhibendi. Ergo dum iterum peccat, cenſendus eſt non habuiſſe verum propoſitum non peccandi. R. poſſe negari Ant. Si ut plurimum obſervet remedia, & aliquoties tantum omittat. Sed dato Ant. N. Conſeq. Diſparitas eſt 1. quod omittendo remedia, & iterum peccando, nihil ſuperſit, quo poſſit probare ſinceritatem ſui propoſiti; ſecus ſi ſaltem obſervet media præſcripta. 2. Cum media ſint facilioris executionis, quam abſtinentia a peccato, in quod vehementer inducit inveterata conſuetudo, ex omiſſione mediorum magis colligitur defectus propoſiti, quam ex aliquot relapſibus.

Inſt. 2. Qui ſemel promiſit reſtituere injuſte ablatum & non reſtituit non eſt abſolvendus. Ergo. R. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod qui injuſte retinet alienum, ſit in occaſione proxima, non ſolum quatenus eſt in continuo ſtatu peccati retinendo alienum, ſed etiam quatenus hæc injuſta retentio eſt illi occaſio ſæpius iterandi malam voluntatem non reſtituendi, Secus de ſimpliciter conſuetudinariis aut recidivis.

Petes 1. Quid ſit dicendum de frequenter recidivis in peccata venialia? R. 1. Suppono hos facilius eſſe abſolvendos, quam frequenter recidivos in peccata mortalia. 1. Quia cum peccatum mortale ſit malum longe gravius, majus exigit odium & firmius propoſitum. 2. Quia frequentiores ſunt occaſiones peccandi venialiter, quam mortaliter. 3. Quia cum peccantes venialiter tantum non deſinant eſſe Dei amici, præſumitur gratiam vere pœnitentiæ facilius illis conferri, quam peccantibus mortaliter. R. 2. Frequenter recidivus in peccata venialia ex ſubreptione poteſt regulariter conferri abſolutio; quia hæc ſunt humanæ fragilitatis appendices, quæ ſtare poſſunt cum ſincero dolore & propoſito; frequenter autem recidivi in peccata venialia ex deliberatione, ex affectu, ex conſuetudine voluntaria, non ſunt abſolvendi, niſi ſubjiciant clavibus aliquod peccatum mortale jam confeſſum, de quo verum concipiant dolorem, ut ſit materia certa abſolutionis. Idque eo utilius facient, quod, ut advertit Auctor (*Suppl. q.* 10. *a.* 2. *a.*): *Quanto aliquis pluries de peccatis confitetur, tanto magis pœna minuitur, ex ipſa natura actus confitentis, qui habet pœnam erubeſcentiæ annexam*. Et iterum (*Ibid. q.* 18. *a.* 2. *ad* 4.): *In ſecunda abſolutione gratiæ confertur augmentum, & quanto major gratia recipitur, minus de impuritate præcedentis peccati manet, & ideo minor pœna purgans debetur ... Unde non eſt inconveniens ſi per frequentem Confeſſionem etiam tota pœna tollatur, ut peccatum omnino remaneat impunitum, pro quo pœna Chriſti ſatisfecit*.

Petes 2. Quæ remedia ſint præſcribenda conſuetudinariis & frequenter recidivis? R. Generaliter eſſe præſcribenda remedia contraria malis habitibus; quia contraria contrariis curantur. Sic luxurioſo præſcribendum eſt jejunium & aliæ corporis macerationes. Ebrioſo abſtinentia per aliquod tempus a vino vel cereviſia, præſertim quoties inebriabitur. Blaſphemio vel perjuro, quoties blaſphemabit aut pejerabit, quædam eleemoſyna, vel oratio, vel quid ſimile; & ſic de cæteris. Omnibus vero præſcribenda eſt meditatio quatuor noviſſimorum, Paſſionis Chriſti, frequens

Ora-

Oratio, Invocatio Sanctorum, præſertim B. Virginis, Angeli Cuſtodis, frequentatio Sacramentorum, &c.

Petes 3. Utrum Conſuetudinarius teneatur Confeſſario interroganti fateri ſuam conſuetudinem? R. Affirmative. Patet ex hac propoſitione damnata ab Innocent. XI. *Non tenemur Confeſſario interroganti fateri peccati alicujus conſuetudinem*: Eſt 58. Ratio; quia id eſt neceſſarium, ut Confeſſarius cognoſcat ſtatum pœnitentis & varia peccata, quæ ex conſuetudine, tanquam ex cauſa voluntaria, procedunt, & ſunt ex hoc capite imputabilia, atque ut poſſit congrua remedia præſcribere.

Advertat autem Confeſſarius, quod dum pœnitentem inabſolutum dimittit, non dure, ſed benigne cum eo debeat agere, ipſique ſuadere ſe ægre, & nonniſi ea neceſſitate, atque in bonum ipſius, abſolutionem differre, conceſſurus libenter alias, cum emendatus redierit, ut ſic ipſi non fiat Sacramentum odioſum, ſed facilior & gratior reditus.

§. VII. *Quomodo Confeſſarius debeat ſe gerere cum Moribundo inopinate oppreſſo & ſenſibus externis deſtituto?*

Duplex hic occurrit quæſtio reſolvenda: 1. an iſte moribundus ſit abſolvendus? 2. quomodo, an abſolute vel conditionate ſit abſolvendus?

SECTIO I.

Utrum Moribundus inopinate oppreſſus & ſenſibus externis deſtitutus debeat abſolvi?

Dico 1. Abſolvendus eſt moribundus, qui priuſquam deſtitueretur ſenſibus, petiit Confeſſarium, aut aliquod aliud ſignum pœnitentiæ dedit coram adſtante vel adſtantibus, qui per ſe vel per alios referant Confeſſario advenienti. Eſt communis & certa in variis Conciliis & locis juris deſinita. Can. 12. Concilii Arauſicani I. dicitur: *Subito obmuteſcens baptizari aut Pœnitentiam agere poteſt, ſi voluntatis præteritæ teſtimonium aliorum verbis habeat aut præſentis in ſuo nutu.* Idem Concil. Carthag. IV. Can. 7. Idem Toletanum XI. Can. 12. Idem cap. *Qui recedunt* 26. q. 6. cap. *Is qui* Ibid. cap. *multiplex* de Pœnit. Diſt. 1. & Rituale Romanum Pauli V. de moribundo ſenſibus privato dicit: *Si confitendi deſiderium ſive per ſe, ſive per alios oſtenderit, abſolvendus eſt.*

Ratio eſt; quia petitio Confeſſionis, ſeu alia ſigna pœnitentiæ, ſunt quædam Confeſſio generalis & implicita ſeu virtualis, dum alia haberi non poteſt, & adſtantes ſunt interpretes, per quos moribundus confitetur Sacerdoti præſenti. De Decreto Clementis VIII. quod poſſet opponi, dicam infra, dum de Confeſſione per litteras.

Dico 2. Moribundus, qui profeſſus eſt Religionem Chriſtianam, etſi nullum ſpeciale ſignum doloris dederit, antequam privaretur ſenſibus, eſt abſolvendus. Huic Concluſioni contradicunt plures & graves Theologi. Videtur tamen nunc communior. Prob. auctoritate: 1. S. Aug. l. 1. de adulter. conjugiis c. 26. de Catechumenis, qui ſubito oppreſſi Baptiſmum petere non poſſunt, nec ad interrogata reſpondere, dicit: *Proſit eis, quod eorum in fide Chriſtiana jam nota voluntas, ut eo modo baptizentur, quomodo baptizantur infantes, quorum nulla adhuc voluntas patuit.* Et poſtquam dixit non eſſe condemnandos eos, qui non audent tales baptizare, addit: *Sed non ſolum incredibile eſt, nec in fine vitæ hujus baptizari Catechumenum velle; verum etiamſi voluntas ejus incerta eſt, multo ſatius eſt nolenti dare, quam volenti negare, ubi velit an nolit ſic non apparet, ut tamen credibilius ſit, eum, ſi poſſet, velle ſe potius fuiſſe dictarum ea Sacramenta percipere, ſine quibus jam credidit, ſe non oportere de corpore exire.* Et c. 28. *Ergo non ſolum alios Catechumenos, verum etiam ipſos, qui viventium conjugiis copulati retinent adulterina conjugia, cum ſalvos corpore non admittamus ad Baptiſmum, tamen ſi deſperati jacuerint, nec pro ſe reſpondere potuerint, baptizandos puto, ut etiam hoc peccatum cum cæteris regeneratione abluatur. Quis enim novit, utrum fortaſſis adulterinæ carnis illecebra uſque ad Baptiſmum ſtatuerant detinere?* Et tandem concludit. *Quæ autem Baptiſmatis, eadem reconciliationis eſt cauſa, ſi forte pœnitentem ſiniendæ vitæ periculum præoccupaverit. Nec ipſos enim ex hac vita ſine arrha ſuæ pacis exire velle debet Mater Eccleſia.*

Nihil videtur expreſſius pro concluſione noſtra. Attamen Reſpondent quidem Aug. loqui de iis, qui aliquo ſpeciali ſigno petierunt Baptiſmum vel abſolutionem. Verum huic Reſponſioni aperte contradicit textus Aug. quippe qui loquitur de eo, qui ſubito oppreſſus non poteſt petere Baptiſmum, nec ad interrogata reſpondere, quem dicit eſſe baptizandum, ſicut baptizantur infantes, ſine ullo propriæ voluntatis judicio. De eo inquam, cujus voluntas *incerta eſt*; de quo non apparet, *an velit aut nolit*, & cui ſatius eſt dare *volenti*, quam *volenti negare*.

Reſpondent alii Aug. loqui de Catechumenis & Pœnitentibus publicis, qui licet aliquo ſpeciali ſigno tunc non indicaverint actuale ſuum deſiderium ſuſcipiendi Sacramentum Baptiſmi vel Pœnitentiæ, præceſſerant tamen hujus deſiderii ſigna per adſcriptionem Catechumenatui & ſtatui Pœnitentium, in eoque perſeverantiam. Sed contra 1. S. Aug. non facit vim in ſtatu Catechumenatus ſeu pœnitentiæ, ſed in hoc, quod cum incertum ſit, an Catechumenus vel pœnitens *velit aut nolit, ſatius eſt nolenti dare, quam volenti denegare*: 2. Quod eſt in Catechumeno & Pœnitente profeſſio Catechumenatus & Pœnitentiæ, hoc eſt in fideli profeſſio Religionis Chriſtianæ. Unde ſicut vi ſuſcepti ſtatus Catechumenatus ſeu pœnitentiæ primi præſumuntur velle ſuſcipere Sacramentum Pœnitentiæ ſeu Baptiſmi, ita ultimus vi ſuſcepti ſtatus Religionis Chriſtianæ præſumitur velle mori cum abſolutione more Chriſtianorum.

Inferes. Ergo, juxta Aug. abſolvi poterant, qui nullo dato ſpeciali ſigno pœnitentiæ retinent adulterina conjugia, quod, inquit Recentior, nemo unus ſanæ mentis affirmat. Sed quid dicit: *Nemo unus ſanæ mentis*, cum ipſe Aug. id diſertiſſimis verbis, non ſolum affirmet, ſed probet, rationem ſubjungens: *Quis enim*, ait, *novit utrum fortaſſis adulterinæ carnis illecebra uſque ad Baptiſmum ſtatuerant detinere?*

2. Sacerdotale Romanum impreſſum an. 1560. Concluſionem noſtram docet ex S. Antonino. Idem memoriale Confeſſorum editum an. 1623. a Gregorio XV. dum eſſet Archiepiſcopus Bononienſis. Idem ſtatuta Synodi Lemovicenſis an. 1620. c. 31. ubi legitur abſolutionem poſſe conferri Chriſtiano, *qui judicio omniumque ſenſuum uſu ſtatim captus eſt non petita Pœnitentia, nulloque ſigno contritionis edito.* Denique Henricus a S. Ignatio in ſua Ethica impreſſa an. 1709. citat pluſquam 40. Auctores, qui eandem Sententiam tenent.

Prob. rationibus. 1. Si non liceret abſolvere moribundum in caſu Concluſionis, ideo eſſet, quia deeſt materia ſenſibilis, ſcilicet Confeſſio doloroſa, ſine qua ſubſiſtere non poteſt abſolutio ſacramentalis. Atqui hæc ratio nulla eſt. Ergo. Maj. eſt tota aut ſaltem præcipua ratio Adverſariorum. Prob. Min. Profeſſio vitæ Chriſtianæ conjuncta cum ſtatu morbi eſt quædam Confeſſio generalis & implicita, quia nullus eſt aut vix ullus inter fideles, qui inſtante morte, non velit confiteri & chriſtiane mori. Confir. Si iſte moribundus petiiſſet Confeſſarium, cenſeretur ſufficienter confeſſus ad recipiendam abſolutionem, ut omnes fatentur ex 1. Concluſione. Atqui qui vitam Chriſtianam profeſſus eſt, cenſetur pariter petere in morte Confeſſarium, ut mox dicebam. Ergo ſicut petitio formalis facit, quod in primo iſta Confeſſio generalis & implicita ſit ſenſibilis; petitio virtualis, ſeu profeſſio vitæ chriſtianæ conjuncta morbo idem facit in ſecundo.

2. Licitum eſt uti materia dubia in adminiſtratione Sacramentorum, quando certa haberi non poteſt & urget neceſſitas; atqui in caſu Concluſionis materia ſenſibilis, ſcilicet confeſſio doloroſa, eſt dubia. Ergo ſuper illam poteſt proferri abſolutio ſacramentalis. Maj. eſt certa, tum ex Traditione Eccleſiæ, quæ non denegat abſolutionem ſceleratis eam in morte petentibus, de quorum tamen pœnitentia merito dubitatur, tum ex communi praxi in aliis Sacramentis, tum denique quia cum Sacramenta ſint propter homines, melius eſt Sacramentum exponere periculo nullitatis, quam animam æternæ damnationi. Prob. Min. 1. Ex auctoritatum & rationum noſtrarum pondere, quod non omnino elevant rationes contrariæ, utpote ſolubilia argumenta, ut videbimus, proinde remanet dubium de materia. 2. Quia cum quis Religionem Chriſtianam profeſſus eſt, jure præſumitur, ut diximus, velle mori chriſtiane & abſolvi in morte, ut ſolent omnes fideles, probabile eſt, aut ſaltem dubium, an non omnes ejus motus corporales in hoc ſtatu, gemitus, ſuſpiria, intuitus fixus, aſpirationes ſint ſigna, quibus vellet indicare ſuum deſiderium & ſuam contritionem; ſic enim non ſemel contigiſſe narrant Marchantius, Decoq, Gabriel a S. Vincentio, &c. Ergo materia ſenſibilis ſeu Confeſſio doloroſa eſt dubia. Ex his rationibus & ex teſtimonio Aug. patet Concluſionem noſtram eſſe intelligendam non ſolum de eo, qui vitam chriſtianam, ut decebat, duxit, ſed etiam de eo, qui verbis & factis ſimpliciter profeſſus eſt Religionem Chriſtianam.

Obj. 1. Rituale Romanum & jura laudata in 1. Concluſione requirunt ad abſolutionem in moribundo ſigna pœnitentiæ diſtincta a vita chriſtiana. Ergo. R. Similia ſigna requirunt ad collationem Baptiſmi & Extremæ-Unctionis, & tamen conſtat ſine illis hæc Sacramenta poſſe conferri. Itaque N. Conſeq. Quia Rituale & jura præcipiunt, quod certum eſt, non autem impediunt, nec prohibent, quod probabile eſt.

Obj. 2. Profeſſio vitæ chriſtianæ non eſt Confeſſio, alias ſequeretur, quod fideles toto tempore vitæ confitu-

Digitized by Google

rentur. Ergo. R. D. Ant. Profeſſio vitæ chriſtianæ ſola non eſt Confeſſio, C. Juncta ſtatui morbi. N. Ex hoc enim quod chriſtiane vixerit, colligitur, quod in periculo mortis velit & petat confiteri, & ſicut petitio Confeſſionis eſt materia ſufficiens ſenſibilis ad abſolutionem, ita profeſſio chriſtiana juncta morbo.

Inſt. 1. Velle confiteri non eſt confiteri. Ergo. 1. Hoc argumento probari, quod nec ſit abſolvendus, qui ante alienationem a ſenſibus petit Confeſſionem; de illo enim pariter diceretur, velle confiteri non eſt confiteri. Nimium ergo probat argumentum. Unde D. Ant. Velle confiteri non eſt confiteri explicite, C. Non eſt confiteri implicite ſive virtualiter & ad ſenſum Eccleſiæ, N. Quia Eccleſia a Chriſto edocta ſumit in periculo mortis voluntatem confitendi manifeſtatam, ſive per vitam chriſtianam, ſive per aliquod aliud ſignum ſpeciale pro quadam Confeſſione generali, implicita ſeu virtuali, quæ in his anguſtiis ſufficiat ad abſolutionem. Adde, quod iſte moribundus forte per ſuos motus corporales, ut dictum eſt, conetur exprimere ſuam confeſſionem; unde ſit confeſſio dubia, quæ ſufficit in neceſſitate.

Inſt. 2. Nulla eſt neceſſitas huic impendendi abſolutionem. Ergo. Prob. Ant. Poterit juſtificari per Extremam-Unctionem; cum ut probamus alibi, Sacramenta vivorum per accidens cauſent primam gratiam. Ergo. R. N. Ant. ad probationem. Quamvis nobis ſit probabilius Sacramenta vivorum per accidens cauſare primam gratiam, id tamen non eſt certum, ideoque neutrum Sacramentum eſt negligendum: nec forte ſupereſt tempus ad Extremam-Unctionem, ut ſæpe contingit. Poſſent plura opponi, ſed quæ ex dictis facile ſolvuntur.

Petes, utrum moribundus in caſu tam adſtantibus, quam Confeſſario ignotus, nec ullum habens apud ſe Religionis indicium, ſit abſolvendus? R. hunc caſum videri valde dubium, nec dubito, quin plures, qui Concluſionem noſtram ſuſtinent, negabunt hunc ignotum eſſe abſolvendum. Attamen quia non eſt certum non eſſe chriſtianum, & inde neque certum, quod motus ejus corporales non ſint ſigna, quibus vellet ſignificare ſuum deſiderium, & inde naſcitur aliquod dubium de materia, non auderem condemnare, qui illum abſolveret; ſicut non foret condemnandus, qui in neceſſitate baptizaret in quocumque liquore, de quo dici poteſt, forte eſt aqua.

SECTIO II.

Utrum iſte moribundus, de Sectione præcedenti, ſit abſolvendus abſolute vel conditionate?

QUæſtio non ita pridem orta eſt in Academia Lovanienſi, an ſit valida hæc abſolutionis forma, *abſolvo te, ſi ſis diſpoſitus*, quam hujus celebris Academiæ alumni ut plurimum reſolvunt negative. De aliis conditionibus, ut *ſi vivis, ſi ſis baptizatus*, &c. non diſputant quia, inquiunt, ſunt conditiones *facti*, de quibus judicare non debet Confeſſarius, ſed per ſe inſunt, & ideo inutiliter apponerentur, appoſitæ tamen nihil obſtarent. Hanc autem conditionem, *ſi ſis diſpoſitus*, vocant conditionem juris, quia de illa debet judicare Confeſſarius; & ideo dicunt per eam irritari formam, quia ea adhibita deſinit eſſe forma judicialis, qualis debet eſſe ex inſtitutione Chriſti, ſicut non eſſet judicium ſeu ſententia judicialis, ſi Judex forenſis ſic pronuntiaret: *Adjudico hanc domum Petro, ſi ſit ipſius*, ſeu *ſi ad illam habeat jus*. Suppono ut certum extra caſum neceſſitatis non eſſe licitum uti hac forma conditionata, *Abſolvo te, ſi ſis diſpoſitus*; quia non fert uſus & praxis Eccleſiæ; tum quia præberetur occaſio Confeſſariis abſolvendi quemlibet, quantumvis ſceleſtum, conſuetudinarium, verſantem in occaſione proxima, imo & aperte indiſpoſitum, abſque periculo ſacrilegii ex hac parte, ſicque peſſum iret diſciplina Eccleſiaſtica in contemptu Sacramenti & perniciem animarum. Hoc ſuppoſito

Dico 1. Abſolutio data ſub conditione, *Si ſis diſpoſitus*, eſt valida. Eſt longe communior, & ut arbitror extra Academiam Lovanienſem communiſſima; quod enim opponitur ex Theologia morali Illuſtriſs. Genetti, non ſpectat validum, ſed licitum.

Prob. 1. Abſolvens ſub hac conditione, *ſi ſis diſpoſitus*, abſolvit abſolute, nec ſuſpenditur effectus Sacramenti; purificata enim conditione, quæ eſt de præſenti, forma conditionata tranſit in abſolutam, ut contingit in omnibus propoſitionibus ſub conditione de præſenti. Atqui abſolvens abſolute valide abſolvit. Ergo. Prob. 2. Evertendo fundamentum Adverſariorum. Si eſſet invalida hæc abſolutio, ideo eſſet, quia non foret judicialis, qualis eſſe ex inſtitutione Chriſti, qui hoc Sacramentum per modum actus judicialis inſtituit; ſicut ſi Judex forenſis diceret: *Adjudico domum Petro, ſi illius ſit*, ſeu, *ſi jus ad illam habeat*; non foret judicium validum; quia ſupponeret id, de quo quæritur, & de quo debet judicare. Atqui hæc & ratio & paritas nulla eſt. Ergo. Maj. eſt totum fundamentum adverſæ ſententiæ.

Prob. Min. multipliciter. Hæc propoſitio propoſita *abſolvo te, ſi ſis diſpoſitus*, duo importat omnino diſparata. Primum membrum *abſolvo te* importat actum judicialem, quo Miniſter, quantum in ſe poteſt, abſolvit pœnitentem a peccatis. Secundum membrum, *ſi ſis diſpoſitus*, importat dubium Miniſtri de diſpoſitione pœnitentis, & ejus intentionem non abſolvendi, ſi non ſit diſpoſitus. Hæc autem duo ſunt omnino diſparata, ut patet; conſequenter unum non contradicit alteri, nec illud viciat aut deſtruit. Confir. 1. Intentio non abſolvendi Petrum, ſi non ſit diſpoſitus, non deſtruit intentionem ipſum abſolvendi, ſi ſit diſpoſitus. Ergo neque hæc intentio conditionata expreſſa cum forma illam aut actum judicialem deſtruit. Confir. 2. Quando dico, *ſi non es baptizatus, te baptizo*, hæc propoſitio conditionata duo diſparata importat, nec conditio pertinet ad formam Baptiſmi, nec eſt pars illius, alioquin forma Baptiſmi effectiva gratiæ eſſet ab Eccleſia, a qua eſt iſta conditio, quod nullus admittit. Ergo ſimiliter dum dico, *ſi ſis diſpoſitus, te abſolvo*, conditio expreſſa non pertinet ad formam Pœnitentiæ, nec eſt pars illius, proindeque remanet forma judicialis, perinde ac ſi hæc conditio non exprimeretur.

Prob. 2. eadem Min. Ideo ſententia Judicis forenſis prolata ſub hac conditione, Adjudico domum Petro, ſi jus ad illam habeat, eſt invalida & nulla; quia Judex forenſis non eſt inſtitutus, ut conferat jus uni litigantium, ſed ut illud declaret, & propter hoc litigantes ipſum adeunt, idque ab eo petunt; unde ſi id non declaret, ſed ſupponat, nihil efficit, & ejus ſententia eſt nulla. At Judex ſacramentalis non eſt inſtitutus, ut declaret pœnitenti ejus diſpoſitiones, neque id petit pœnitens, ſed ut ſignificet & conferat gratiam remiſſivam peccatorum, quam ſignificat & confert, non obſtante conditione *ſi ſis diſpoſitus*: Confir. Dum Judex forenſis dicit: *Adjudico domum Petro, ſi jus ad illam habeat*, nullus cognoſcit, an ſubſiſtat conditio, non Judex, non litigantes, ſicque ſententia eſt inefficax & nulla, reſque in eo ſtatu remanet, in quo erat antea. At dum Confeſſarius dicit: *Abſolvo te, ſi ſis diſpoſitus*, licet nec ipſe, nec pœnitens cognoſcat, an ſubſiſtat conditio, novit tamen principalis abſolvens, nempe Chriſtus, qui per miniſterium Sacerdotis confert principaliter gratiam remiſſivam peccatorum, ſi conditio, quam novit, ſubſiſtat. Unde ut eſſet aliqua paritas inter Judicem forenſem & ſacramentalem, deberet ſupponi Judicem forenſem eſſe ſic inſtitutum a Rege, ut Rex ratum haberet quidquid Judex judicaret, ſi veritate niteretur: eſt enim caſus Judicis ſacramentalis. In hac autem hypotheſi Judex neſciens pro qua parte ſtet jus, certus autem a Rege ſciri, non invalide diceret: *Adjudico domum Petro, ſi jus ad illam habeat*, & Rex declaret Petro jus competere. Non ergo ideo Sententia forenſis eſt invalida præciſe, quia eſt conditionata, ſed quia veritas ſub conditione expreſſa eſt incerta & ignota judici & partibus, ad quas dirigitur; quod non currit in ſententia ſacramentali conditionata, quæ non dirigitur ad notitiam pœnitentis, & cujus conditio eſt nota principali abſolventi. Hæc & alia proferunt, qui diſputant contra Lovanienſes.

At dices. Nunquid Confeſſarius debet judicare de diſpoſitione pœnitentis? R. Equidem debet judicare de diſpoſitione pœnitentis, non ſolum quoad contritionem & propoſitum, ſed etiam quoad plura alia, ut quod vivat, quod ſit baptizatus, &c. ſi hæc ſint dubia & incerta: debet, inquam, de iſtis omnibus judicare, ut licite abſolvat, ſed non ut valide abſolvat; quamvis enim de diſpoſitionibus non judicet, imo judicet non eſſe diſpoſitiones, ſi tamen abſolvat, vere erit pœnitens abſolutus, ſi ſit diſpoſitus. Quando ergo de diſpoſitionibus non poteſt judicare, quia omnino ſunt incertæ & ignotæ, nec manifeſtari poſſunt, ad id non tenetur: & tamen ſi ſecundum mentem Matris Eccleſiæ in neceſſitate debeat abſolvere, apponit conditionem, ut ſalvet reverentiam debitam Sacramento. Plura non addo, quia convulſo adverſæ ſententiæ fundamento nihil eſt quod reponatur.

Dico 2. Videtur licitum in caſu neceſſitatis abſolvere ſub hac conditione mente retenta, *Si ſis diſpoſitus*. Ratio eſt. 1. Quia abſolutio ſub hac conditione mentali nullibi videtur improbata ab Eccleſia. 2. De ejus validitate non eſt dubium, cum, ut audio, controverſia orta Lovanii non ſit de conditione mente retenta, ſed verbis expreſſa in forma. 3. Hanc eſſe licitam communiter docent Theologi. Denique ratio ſuadet eſſe adhibendam in caſu neceſſitatis, quando dignoſci non poteſt diſpoſitio pœnitentis, ne ſcilicet Sacramentum exponatur periculo nullitatis & irreverentiæ.

Quantum vero ad expreſſionem hujus conditionis in verbis formæ, utrum ſit licita? hæret hic mihi calamus. Ex una parte, 1. non videtur, quod ullus SS. Patrum, aut Eccle-

Digitized by Google

cleſia unquam in aliquo Concilio, aut Rituali illam formam probaverit, ſed etiam illius mentionem fecerit, licet ſæpe minimas Sacramentorum cæremonias aſſignet, & quomodo Sacramentum Pœnitentiæ ſit moribundis adminiſtrandum inſtruat, cum tamen conditionatam formam pro Baptiſmo, Extrema Unctione in certis caſibus admittat; & a Concilio Trid. prohibetur, ne vel excogitetur, vel mutetur Ritus aliquis a receptis Eccleſiæ Ritibus in adminiſtratione Sacramentorum. Ita illuſtriſſimus Genetti in ſua Theologia morali, communitas dicta Gratianopolitana. 2. Quia ab aliquot annis acriter validitas formæ ſic conditionatæ impugnatur in Academia Lovanienſi, ex quo quidam interunt ſaltem dubiam hanc formam: illicitum eſt autem in Sacramentis conferendis uti forma dubia, relicta certa, ut conſtat ex propoſitione damnata ab Innocentio XI.

Reſpondent alii ad 1. innumeros Theologos omnium nationum, Italos, Gallos, Germanos, Hiſpanos, Belgas, &c. hanc formam conditionatam docere, ut licitam, & uſurpari ſolitam; non quidem de illa ex profeſſo tractando, hoc eſt diſcutiendo rationes pro & contra, ſed dum occaſio ſe offert, eam ut certam & indubitatam aſſerando, eamque in quorundam Epiſcoporum Decretis tradi. Ex quo inferunt eam ab Eccleſia ſaltem tacite probari. Ad Concilium Trid. neque ſenſum, neque terminos illius in verbis citatis referri. Hic eſt Canon. 13. Concilii ſeſſ. 7. *Si quis dixerit receptos & approbatos Eccleſiæ Catholicæ Ritus, in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos, aut contemni, aut ſine peccato a Miniſtris pro libitu omitti, aut in novos alios* Per quemcumque Eccleſiarum Paſtorem *mutari poſſe, anathema ſit.* Declarat ergo Concilium receptos Ritus non poſſe in novos mutari *Per quemlibet Sacerdotem*, id eſt inferiorem, ſeu Parochum; non enim Concilium prohibet Epiſcopis inducere novos Ritus pro ſuis reſpective Diœceſibus, ut patet ex tot diverſis Ritualibus. At, inquiunt, Ritus abſolvendi ſub conditione non eſt inductus *Per quemlibet Paſtorem*, ſed ex communi ſenſu Theologorum, & ex Decretis quorumdam Epiſcoporum Eccleſia tacite approbante. Addunt in ſua ſententia Ritus receptos non contemni, nec omitti, nec in novos mutari, quod enim in aliud mutatur, non manet idem; conditio autem addita in adminiſtratione Pœnitentiæ, licet ſit nova, cum tamen ſit quid diſparatum ad formam, eam in ſe non mutat, ſed remanet eadem, ut ante in his verbis: *Abſolvo te*. Reſpondent ad 2. aliquos Theologos unius tantum Univerſitatis, etſi celebris, non eſſe ſufficientis ponderis, ut inducant dubium in Theologia contra communiſſimam & receptiſſimam aliorum Theologorum omnium nationum ſententiam, maxime ſi eorum fundamentum ſit ſolide impugnatum. An ita ſit, non ego judico pro mea erga ſapientiſſimos & mitiſſimos viros reverentia, viderint alii. Hoc unum moneo, quod cum conditio mente retenta æquivaleat verbis expreſſæ, & in caſu ſufficiat, neque de validitate formæ ſub hac conditione mentali ſit controverſia; non eſt, cur ſine neceſſitate formæ verbis conditionatæ in praxi obſtinatius inſiſtamus.

§. VIII. *Quid debeat agere Confeſſarius, quando errorem in Confeſſione admiſit?*

Dico 1. Si ex errore Confeſſarii invalidum ſit Sacramentum, ut ſi formam non protulit, ſi abſolvit ſine intentione, aut juriſdictione, aut indiſpoſitum, &c. tenetur, ſecluſo ſcandalo, monere pœnitentem in Confeſſione ſequenti, ſi redierit. Si autem non redierit, & urgeat neceſſitas, tenetur monere extra Confeſſionem, petita prius & obtenta illius licentia loquendi de auditis in Confeſſione; idque cum gravi ſuo incommodo, ſi error fuit graviter culpabilis, ſecus ſi leviter, aut nullatenus fuit culpabilis. Quod ſi nec redeat pœnitens, nec extra Confeſſionem velit dare licentiam, Confeſſarius de errore, ſi culpabilis fuit, pœnitentiam agat, rem Deo commendet & quieſcat, quia functus eſt ſuo munere, quantum debuit & potuit.

Explicantur ſingula. Dixi, *Secluſo ſcandalo*; quia ſi Confeſſarius præſentiat ex monitione, etiam in Confeſſione, graviter commovendum pœnitentem, & inde fieri odioſum Sacramentum, ſive culpabiliter, ſive inculpabiliter erraverit, taceat & relinquat pœnitentem in bona fide, niſi urgeat periculum mortis, & prævideatur pœnitens moriturus in ſtatu peccati, tunc enim obtenta licentia monendus eſt, tum propter extremam neceſſitatem, tum quia in moribundo non eſt natum ſequi ſcandalum ex monitione. Dixi 2. *Teneri monere etiam extra Confeſſionem, ſi neceſſitas urgeat*, ut ſi pœnitens defectu abſolutionis ſit diu manſurus in ſtatu peccati mortalis; aut quod urgentius eſt, ſi ſit in eo ſtatu moriturus; *Idque cum gravi ſuo damno, ſi error fuit graviter culpabilis*. Quia recta ratio poſtulat, ut qui ex culpa gravi grave damnum alteri intulit, illud reſarciat, etiamſi inde grave damnum patiatur. Unde in 1. caſu teneretur v. gr. conficere aliquot leucas, non tamen 20. aut 30. quia id cenſetur gravius; ad id autem teneretur in 2. caſu, quia eſt extrema neceſſitas. Dixi 3. *Secus ſi leviter, aut nullatenus error fuit culpabilis*; quia nemo tenetur cum gravi ſuo incommodo ſubvenire alterius nocumento, quod ſine ſua culpa, aut ſine gravi accidit. Si tamen urgeret dicta extrema neceſſitas, teneretur monere cum aliquo ſaltem ſuo incommodo.

1. Ex his infères, quod ſi abſit utraque neceſſitas, puta, ſi moraliter certum ſit, quod pœnitens iterum & brevi confitebitur, & ideo a præcedentibus peccatis indirecte abſolvetur, non teneatur Confeſſarius ipſum monere, niſi in Confeſſione, ſi redeat: quia ex monitione extra Confeſſionem ſequitur ſemper aliquod ſcandalum in pœnitente, & magna verecundia, ac infamia quædam in Confeſſario, ut recte advertit Nugno hic q. 4. dub. 5. Pœnitens autem propter bonam fidem excuſatur ab integritate materiali Confeſſionis ſecuturæ, in qua ſperatur juſtificandus.

Dico 2. Si ex errore ſive culpabili, ſive inculpabili, Confeſſarii pœnitens exponatur periculo proximo peccandi, v. gr. quia non fuit monitus de occaſione proxima deſerenda, in qua ideo putat poſſe remanere, quantumvis ſit validum Sacramentum, videtur eodem modo loquendum ac in præcedenti Concluſione propter eaſdem rationes. Idem propter idem ſi omiſerit injungere reſtitutionem neceſſariam, aut dixerit non eſſe faciendam. An autem ſi in hoc caſu monere non poſſit pœnitentem, teneatur loco ejus reſtituere? Reſpondimus negative, ubi agitur de pura omiſſione etſi culpabili, Diſſert. 8. de Jure a. 13. §. 7. Vide.

Dico 3. Si ex errore Confeſſarii non ſit invalidum Sacramentum, nec ſequatur in pœnitente periculum proximum peccandi, nec damnum reſpectu tertii, ſed tantum præjudicium directæ remiſſioni aliquorum peccatorum, puta quia omiſit, etiamſi culpabiliter, interrogare peccatorum ſpecies, numerum, circumſtantias, &c. tenetur quidem, ut ſalvetur in quantum poteſt integritas materialis confeſſionis, monere Pœnitentem in confeſſione ſi redeat, & poſſit fieri abſque inconvenienti, quale eſſet, ſi ex refricata alicujus peccati memoria Pœnitens magno rubore afficeretur, & inde haberet exoſum Sacramentum, ut facile contingit in mulieribus circa peccata carnis. Extra Confeſſionem autem, ſecundum communiorem & nobis veriorem Sententiam, non tenetur monere: quia judicium ſacramentale eſt jam valide finitum, nec Pœnitenti nullum eſt inde periculum ſalutis, cum ſupponatur in gratia, & ab omnibus peccatis ſaltem indirecte abſolutus: ex monitione autem extra Confeſſionem ſemper natum eſt ſequi, ut jam diximus, ſcandalum in Pœnitente, & in Confeſſario magna verecundia & quædam infamia.

Dico 4. Si Confeſſarius abſolverit Pœnitentem a cenſura, a qua abſolvere non poterat, & pœnitentes ignoret ſe cenſura innodatum, Confeſſarius poteſt obtenta facultate ipſum neſcientem aut abſentem abſolvere; quia abſolutio a cenſura non exigit præſentiam abſolvendi, ſicut abſolutio ſacramentalis a peccatis, niſi forte facultas eſſet reſtricte conceſſa ad abſolvendum in Confeſſione tantum; quo caſu deberet ipſum monere, ſecluſo ſcandalo, ut ante.

DIGRESSIO HISTORICA.

De veteri Eccleſiæ Diſciplina circa abſolutionem datam vel denegatam certis peccatoribus, tam ſanis quam infirmis.

AD 6. ART. PRÆCED.

De duobus peccatorum generibus eſt quæſtio. 1. De ſanis atrociorum criminum reis, præſertim Apoſtaſiæ & Mœchiæ, 2. De peccatoribus quibuſvis in extremo vitæ tantum pœnitentibus. An utriſque denegata fuerit aliquando abſolutio.

SECTIO I.

Utrum ſanis graviorum peccatorum reis pœnitentibus abſolutionem ſacramentalem aliquando denegaverit Eccleſia?

Dico, Numquam fuit ex univerſalis Eccleſiæ diſciplina, ut denegaret abſolutionem ſanis atrociorum criminum rei pœnitentibus. Videtur probabilior & communior contra Petavium, Morinum, & quoſdam alios. Ante Probationem nota fuiſſe principium apud Catholicos receptiſſimum adverſus Montaniſtas & Novatianos, *fruſtra eſſe pœnitentiam, quæ caret venia*. Ex quo colligitur, quod omnibus, qui invitabantur aut admittebantur ad pœnitentiam, ejuſve probata indicia proferebant, non fuerit denegata abſolutio.

atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibuslibet peccatis & Cenſuris abſolvere poſſe.

Verum his duo opponuntur, quæ, ne quid diſſimulemus, difficultate non carent. Primum ex S. Cyprian., qui laudata Ep. 52. ad Antonianum dicit: *Idcirco, frater chariſſime, pœnitentiam non agentes, nec dolorem delictorum ſuorum toto corde & manifeſta lamentationis ſuæ profeſſione teſtantes, prohibendos omnino cenſuimus a ſpe communicationis & pacis, ſi in infirmitate atque periculo cœperint deprecari; quia rogare illos non delicti pœnitentia, ſed mortis urgentis admonitio compellit, nec dignus eſt in morte accipere ſolatium, qui ſe non cogitavit eſſe moriturum.* Idem decernit Concilium Arelatenſe an. 314. can. 22. Secundum ex Innocentio I. (obiit 417.) qui ab Exuperio conſultus, quid agendum eſſet cum peccatoribus, qui in extremo vitæ tantum petunt Pœnitentiam & Communionem, Ep. ad eundem data reſpondet: *De his obſervatio prior durior, poſterior interveniente miſericordia inclinatior eſt. Nam conſuetudo prior tenuit, ut concederetur pœnitentia, ſed Communio negaretur. Nam cum illis temporibus crebræ perſecutiones eſſent, ne Communionis conceſſa facilitas homines de reconciliatione ſecuros non revocaret a lapſu, negata merito Communio eſt, conceſſa pœnitentia, ne totum penitus negaretur, & duriorem remiſſionem facit temporis ratio. Sed poſtquam Dominus noſter pacem Eccleſiis ſuis reddidit, jam terrore depulſo, Communionem dari abeuntibus placuit, & propter Domini miſericordiam quaſi Viaticum profecturi, & ne Novatiani Hæretici negantis veniam aſperitatem & duritiam ſequi videamur. Tribuitur ergo cum Pœnitentia Extrema Communio, ut homines hujuſmodi, vel in ſupremis ſuis pœnitentes, miſerante Salvatore noſtro, a perpetuo exitio vindicentur.* R. utrumque per *Communionem* intelligere vel participationem Euchariſtiæ, vel perfectam reconciliationem cum Eccleſia, quoad ſcilicet ſocietatem fidelium & cum eis participationem in orationibus, oblationibus, &c. Conſtat enim veteres has voces *Communio, communicatio, pax, reconciliatio*, uſurpaſſe promiſcue ad ſignificandam vel abſolutionem Sacramentalem, vel Euchariſtiæ participationem, vel reconciliationem cum Eccleſia; ut autem ſciatur, quo ſenſu uſurpentur, attendendum eſt ad ſubjectam materiam & circumſtantias. Hoc diverſo ſenſu S. Cyprianum has voces uſurpaſſe conſtat ex Ep. 12. ubi facultatem dandi *Pacem & reconciliationem* concedit Diaconis, intelligens dubio procul per has voces, non abſolutionem Sacramentalem, ſed vel Communionem Euchariſticam, vel reconciliationem cum Eccleſia. Similiter Innocentium eodem ſenſu loc. cit. accepiſſe To *Communionem*, liquet; quia dicit iis, de quibus agitur, concedi pœnitentiam; per pœnitentiam autem intelligit abſolutionem Sacramentalem, & non, ut quidam volunt, actionem pœnitentiæ, cujus quippe non ſunt capaces morientes. Sed eſto intelligeret actionem pœnitentiæ, perinde eſt; fruſtra enim conceſſa fuiſſet pœnitentia, quæ eſſet ſine venia, ut notavimus ſupra ex communi ſenſu tunc Catholicorum. Cum ergo negat illis dari Communionem, intelligit non de abſolutione Sacramentali, ſed vel de Communione Euchariſtica, vel de reconciliatione cum Eccleſia.

Inſt. 1. Juxta veterem diſciplinam ætate S. Cypriani non dabatur abſolutio Sacramentalis, niſi poſt peractam pœnitentiam & ſtatim datam abſolutionem ſequebatur Communio Euchariſtica & reconciliatio cum Eccleſia. Ergo iis, quibus denegabatur Communio Euchariſtica & reconciliatio cum Eccleſia, non concedebatur abſolutio Sacramentalis. R. 1. N. Maj. Cujus contrarium probavimus in Digreſſione Hiſtorica poſt Diſſert. de Satisfactione. 2. Dato Majorem uſu veram de lege ordinaria, ſecus tamen in certis caſibus, præſertim inſtante mortis periculo, tunc enim dabatur abſolutio Sacramentalis abſque vel Communione Euchariſtica, vel reconciliatione cum Eccleſia quæ fiebat per impoſitionem manuum Epiſcopi & Cleri: Patet ex can. 78. Concil. IV. Carthag. qui ſic legitur: *Pœnitentes, qui in infirmitate Viaticum Euchariſtiæ acceperint non ſe credant abſolutos ſine manus impoſitione, ſi ſupervixerint.* Vides abſolutionem Canonicam & cæremonialem non datam fuiſſe cum Sacramentali. Item ex can. 3. Concilii Arauſicani I. qui ſic habet: *Qui recedunt de corpore, pœnitentia accepta, placuit ſine reconciliatoria manus impoſitione eis communicari, quod morientis ſufficit conſolationi ſecundum definitiones Patrum, qui hujuſmodi communionem congruenter Viaticum nominarunt.* Habes iterum duplicem Communionem; unam, quæ Viaticum nominatur, & erat Communio Euchariſtica, vel abſolutio ſacramentalis, ſine qua nullus e vita migrabat; alteram quæ dicitur *Reconciliatoria manus impoſitio*, quæ erat abſolutio Canonica & cæremonialis, & quæ ad aliorum terrorem quandoque ſacramentaliter abſolutis denegabatur.

Inſt. 2. S. Cyprianus aſſerit negandam eſſe pacem iis, qui impœnitentes *Dolorem delictorum ſuorum toto corde* non teſtantur, & qui eam rogant, *Non delicti pœnitentia, ſed mortis admonitione compulſi*; atqui ubi deeſt dolor & pœnitentia de peccatis, non ſolum communio Euchariſtica, ſeu Canonica, ſed etiam ſacramentalis eſt deneganda. R. Cyprianum velle pacem, ſcilicet Eccleſiaſticam, eſſe denegandam iis, qui huc uſque impœnitentes fuerant, & dolorem ſuum præteritis actibus non ſignificaverant, quique nunc eam petunt non delicti pœnitentia, quæ præceſſerit, ſed præſenti pœnitentia, quam ex admonitione mortis concipiunt. His autem poteſt concedi abſolutio ſacramentalis; quamvis tunc ex ſeveriori diſciplina, & ad aliorum terrorem, ut jam dixi, iis denegaretur communio Euchariſtica & Canonica, quæ fuiſſet ipſis majus ſolatium.

Inſt. 3. Innocentius communionem, quam dicit ſecundum priorem obſervationem negatam, & poſtea conceſſam, vocat *Remiſſionem & reconciliationem*, quod maximo convenit abſolutioni ſacramentali. Dicit denegatam prius fuiſſe communionem, *Ne communionis facilitas homines de ſua reconciliatione ſecuros faceret*, quod etiam proprium eſt abſolutionis ſacramentali, quæ nos Deo reconciliat. 3. Dicit ſecundum poſteriorem obſervationem conceſſam eſſe communionem, quam denegabat prior obſervatio, ne Eccleſia videretur *Sequi aſperitatem & duritiam Novatianorum*: negabant autem Novatiani dandam eſſe abſolutionem ſacramentalem. 4. Et præcipue dicit poſterius conceſſam fuiſſe cum Pœnitentia extremam communionem, ut homines hujuſmodi *A perpetuo exitio vindicarentur*; migrantes autem cum abſolutione ſacramentali, ſi eam dabat prior obſervatio, non ſubibant perpetuum exitium. Ergo. R. ad 1. nomine remiſſionis & reconciliationis poſſe vero ſenſu intelligi reconciliationem cum Eccleſia, & participationem Euchariſtiæ propter gratiarum abundantiam. Ad 2. recte etiam dicitur participationem Euchariſtiæ & reconciliationem cum Eccleſia denegari, ne facilitas communionis reddat homines de ſua omnimoda reconciliatione ſecuros. Ad 3. Novatiani non ſolum abſolutionem ſacramentalem, ſed etiam Euchariſtiam certis peccatoribus denegabant. Ad 4. Communio Euchariſtica & Canonica hujuſmodi homines vindicat a perpetuo exitio, quatenus ſuo modo eos juvat in opere ſalutis; ſicut ſi diceremus participationem Euchariſtiæ, & piorum preces nos præſervare a morte æterna.

Cæterum hæc dicta ſint probabiliter, & ad concilianda varia traditionis teſtimonia, quæ alioquin ſibi contradicerent, ut patet ex probationibus concluſioni. Sed eſto Cyprianum, Innocentium & Concilium Arelatenſe locutos fuiſſe de abſolutione ſacramentali, nihil officeret ſententiæ aſſertæ §. 6. præcedenti de hujuſmodi peccatoribus nunc abſolvendis, quia hæc prior diſciplinæ ſeveritas inſtante perſecutione introducta (ſi revera fuerit), perſecutione ceſſante, ceſſare debuit, ut loquitur Innocentius.

D I S S E R T A T I O VII.

DE QUALITATE CONFESSIONIS.

Div. Thom. Supp. Quæſt. 9.

A R T I C U L U S I.

Utrum poſſit eſſe Confeſſio informis & valida?

CONFESSIO dicitur informis, quæ caret vel abſolutione valida, quæ eſt forma ſacramentalis, vel gratia, quæ eſt quaſi forma ultima & extrinſeca, ad quam ordinatur. Quæſtio non eſt de Confeſſione informi primo modo conſtat enim, quod ſic non poſſit eſſe valida, ut pars Sacramenti, ſeu in ſubſtantia ſacramentali, de quo agitur ſi quidem ſine valida abſolutione non ſubſiſtat Sacramentum: quamvis poſſit dici valida hoc ſenſu, quod ſi quis defectu ſufficientis diſpoſitionis invalide abſolvatur, non teneatur Confeſſionem repetere eidem Confeſſario, ſi adhuc ejus ſtatus recordetur, ſed tantum diſpoſitionis defectum confiteri, & iterum abſolvi. At, ut dixi, non eſt hæc præſens quæſtio. Sed utrum poſſit dari Confeſſio valida cum abſolutione valida, quæ tamen careat effectu, ſcilicet conſecutione gratiæ; quod eſt idem ac quærere, utrum poſſit eſſe Sacramentum Pœnitentiæ informe & validum. Partem affirmativam videtur aſſerere Auctor hic q. 9. a. 1. & eam tenent antiquiores Thomiſtæ:

miſtæ: quia tamen infra q. 29. a. 8. videtur hanc ſententiam tractare, partem negativam tenent hodie plures Thomiſtæ, & extranei communiter. Unde

Dico. Non videtur poſſe dari Sacramentum Pœnitentiæ informe & validum. Prob. Juxta Trid. ſeſſ. 14. c. 3. Contritio & Confeſſio ſunt quaſi materia, & partes eſſentiales Sacramenti Pœnitentiæ; contritio ſcilicet, quæ fit de peccato, ut peccatum eſt, & malum Dei, conſequenter cum amore ejus ſuper omnia, ut probavimus dum de contritione; & Confeſſio, qua pœnitens omnia peccata, quorum poſt diligens examen recordatur, declarat, ut docet idem Concilium c. 5. Vel ergo illa contritio & Confeſſio adſunt, vel non; ſi adſunt, infallibiliter ſequitur gratia, nihil enim aliud cum abſolutione requiritur, ſi non adſunt, invalidum eſt Sacramentum, utpote carens materia & partibus eſſentialibus. Et in hoc differt Sacramentum Pœnitentiæ ab aliis Sacramentis, in quibus, quæ neceſſaria ſunt ad eorum conſtitutionem, non ſunt diſpoſitio ſufficiens ad gratiam, & ideo poſſunt eſſe valida & informia, ſic v. gr. Baptiſmus ſubſiſtit ſine contritione, quæ tamen requiritur ad ejus effectum, ſcilicet gratiam. Confir. Auctoritate D. Th. qui infra q. 29. a. 8. o. agens de Extrema-Unctione dicit: *Hoc Sacramentum* (Extremæ-Unctionis) *non habet aliquem effectum, qui ſemper ex operatione Miniſtri conſequatur, omnibus, quæ ſunt de eſſentia Sacramenti, etiam rite peractis, ſicut character in Baptiſmo & Confirmatione, & tranſubſtantiatio in Eucharistia, & remiſſio peccati in Pœnitentia, exiſtente contritione, quæ eſt de eſſentia Sacramenti Pœnitentiæ, non autem de eſſentia hujus Sacramenti.* Ergo juxta S. Th. Contritio eſt pars eſſentialis Sacramenti Pœnitentiæ, & ea poſita habetur ejus effectus, ſcilicet remiſſio peccati, ſicque non poteſt eſſe validum & informe.

Obj. 1. S. Th. hic q. 9. a. 1. in corp. docet expreſſe poſſe dari Confeſſionem informem & validam. Ergo. Reſpondeo S. Th. poſſe intelligi de Confeſſione, quam non ſequitur abſolutio valida, prout explicuimus ante Concluſionem, ideoque S. Doctorem dixiſſe Confeſſionem informem & validam, non vero Sacramentum Pœnitentiæ informe & validum. Verum quia iſta explicatio minus conformis videtur textui, ut legenti patebit; ideo melius R. cum Sylvio & pluribus aliis Thomiſtis, hanc ſententiam tacite retractaſſe infra q. 29. citata. Notandum enim, quod q. 9. ſupp. deſumpta ſit ex 4. ſentent. D. 17. & q. 29 ſuppl. ex D. 23. Neque dubium eſt, quin S. Doctor accuratius hanc materiam tractaſſet, ſi Summam perfeciſſet.

Obj. 2. Plus eſt eſſe pars Sacramenti, & ſimul diſpoſitio ſufficiens ad gratiam, quam eſſe pars tantum. Ergo poteſt dari contritio, quæ ſit pars tantum Sacramenti, & non ſufficiens diſpoſitio ad gratiam. R. D. Conſeq. Poteſt dari contritio, quæ ſit pars tantum, &c. abſoluta & ſecluſa inſtitutione Chriſti, C. Suppoſita inſtitutione Chriſti, N. Inſtituit enim Chriſtus, quod contritio, quæ eſſet pars Sacramenti, eſſet ſimul diſpoſitio ſufficiens ad gratiam, quia requiſivit contritionem de peccato, ut peccatum eſt, & malum Dei, quæ contritio eſſe non poteſt ſine amore Dei ſuper omnia, & hoc cum abſolutione ſufficit ad gratiæ conſecutionem.

Inſt. 1. Qui doleret de peccato furti, & non de peccato blaſphemiæ, quia illius non recordatur, iſte dolor eſſet pars Sacramenti, & tamen ſufficeret ad remiſſionem peccatorum, quia unum non remittitur ſine alio, & nullum remittitur, niſi ſit per dolorem retractatum. Item qui doleret de omnibus peccatis dolore ſupernaturali, quem bona fide crederet eſſe cum amore Dei ſuper omnia, ſpe veniæ, &c. & tamen non eſſet, ejus dolor videtur ſufficere ad eſſe Sacramenti, alias foret continua anxietas de Confeſſionibus repetendis, & tamen non ſufficeret ad gratiæ conſecutionem. Ergo. R. ad 1. vel ille doleret de peccato furti, ut peccatum eſt & malum Dei, & ſic doleret implicite de peccato blaſphemiæ oblito, quia motivum doloris eſſet generale, & utrinque commune; vel doleret de peccato furti ex motivo particulari, puta propter ejus turpitudinem. Si 1. iſte dolor eſſet pars Sacramenti & ſimul diſpoſitio ſufficiens ad gratiam. Si 2. non eſſet pars Sacramenti, conſequenter nullum Sacramentum. Ad 2. N. Ant. Cum enim ex inſtitutione Chriſti dolor requiſitus ad eſſe Sacramenti debeat eſſe de peccato, ut eſt malum Dei, conſequenter cum amore ejus ſuper omnia, ſi deſit, quantumvis credatur adeſſe, non ſubſiſtit Sacramentum. Nec ideo ſequitur in fidelibus continua anxietas de Confeſſionibus repetendis, magis quam ex defectu, qui poteſt adeſſe, abſolutionis aut intentionis Miniſtri; non enim requiritur omnimoda certitudo de validitate Confeſſionis, ſed ſufficit moralis ſeu probabilis & fundata exiſtimatio ſe omnia requiſita adhibuiſſe. Si forte fallantur, excuſantur ratione bonæ fidei, & per ſubſequentem Confeſſionem debito modo factam juſtificabuntur.

Inſt. 2. Nemo tenetur confiteri peccatum, cujus non recordatur. Ergo nec de eo conteri. R. 1. Concesso integro argumento, ſequitur, quod ſicut illa Confeſſio, quantum eſt ex ſe, ſufficeret ad conſecutionem gratiæ, ita ſufficeret illa contritio, & ſic non eſſet Sacramentum informe. 2. N. Conſ. Quia Confeſſio alicujus peccati invincibiliter obliti eſt impoſſibilis; Deus autem impoſſibilia non jubet; at conteri implicite de peccato oblito ex motivo ſcilicet generali illi & cæteris communi, non eſt impoſſibile.

Inſt. 3. Qui ignorans invincibiliter ſcitu neceſſaria neceſſitate medii, doleret ut debet de omnibus peccatis, haberet dolorem requiſitum ad eſſe Sacramenti, & tamen non conſequeretur gratiam peccatorum remiſſivam. Ergo. R. N. Suppoſitum Antecedentis. Deus enim huic non daret gratiam ſufficientis contritionis abſque gratia fidei illorum quæ ſunt ſcitu neceſſaria neceſſitate medii. De quo dum de Fide.

ARTICULUS II.

De integritate Confeſſionis.

§. I. *Utrum Confeſſio debeat eſſe integra?*

DUPLEX diſtinguitur Confeſſionis integritas; una materialis, altera formalis. Materialis eſt, quando Pœnitens confitetur quidquid per ſe loquendo eſt Confeſſioni obnoxium, omnia ſcilicet & ſingula peccata poſt Baptiſmum commiſſa, nondum directe confeſſa, quoad numerum, ſpeciem, & circumſtantias ſpeciem mutantes, nullum omittendo. Formalis eſt, quando confitetur omnia, quæ hic & nunc confiteri poteſt & debet, licet aliqua omittat ex juſta cauſa.

Dico 1. (*Suppl. q. 9 a. 2.*) Integritas formalis eſt de jure divino neceſſaria ad validitatem Confeſſionis: ita ut pœnitens in tantum teneatur uni & eidem Confeſſario confiteri omnia & ſingula peccata quoad numerum, ſpeciem infimam, & circumſtantias mutantes ſpeciem, in quantum aliqua juſta cauſa non excuſat. Eſt de fide deciſa in Concil. Florent., Later. & præſertim in Trid. ſeſſ. 14. c. 5. his verbis: *Conſtat Sacerdotes judicium hoc exercere non potuiſſe incognita cauſa, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis ſervare potuiſſe, ſi in genere dumtaxat & non potius in ſpecie ac ſigillatim ſua ipſi peccata declaraſſent. Ex his colligitur oportere a pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent, in Confeſſione recenſeri, etiamſi occultiſſima illa ſint, & tantum contra duo ultima præcepta Decalogi commiſſa... Qui ſciendo aliqua retinent, nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt: Si enim erubeſcat ægrotus vulnus Medico detegere, quod ignorat medicina non curat. Colligitur præterea etiam circumſtantias in Confeſſione explicandas eſſe, quæ ſpeciem peccati mutant quod ſine illis peccata ipſa neque a pœnitentibus integre exponantur, nec Judicibus innoteſcant*, &c. Et Can. 7. *Si quis dixerit in Sacramento Pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum neceſſarium non eſſe jure divino confiteri omnia & ſingula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & quæ ſunt contra duo ultima Decalogi præcepta, & circumſtantias, quæ peccati ſpeciem mutant,...anathema ſit.*

Prob. inſuper. 1. Confeſſio eſt jure divino medium neceſſarium ad remiſſionem quorumcumque peccatorum, ut patet ex præcedentibus. Ergo quæcumque ſunt confitenda. (*Ibid.*) 2. Confeſſarius eſt Medicus ſpiritualis in hoc Sacramento, proinde debent ipſi aperiri peccata, ſicut Medico corporali morbi. Atqui Medicus corporalis non debet tantum cognoſcere unum morbum, ſed etiam totam habitudinem ipſius infirmi, eo quod unus morbus ex adjunctione alterius aggravatur, & medicina, quæ uni morbo competeret, alteri noceret. Ergo ſimiliter Medicus ſpiritualis cognoſcere debet omnia peccata, quippe quorum unum pariter aggravatur ex adjunctione alterius, & id, quod uni peccato eſſet conveniens medicina, alteri incentivum præſtare poſſet, cum quandoque quis contrariis peccatis ſit infectus. 3. Confeſſarius eſt non ſolum Medicus, ſed & Judex pœnitentis; Atqui Judex non poteſt recte ferre ſententiam, niſi cauſa integre cognita, & eam non poteſt in hoc foro integre cognoſcere, niſi per Confeſſionem omnium peccatorum. Ergo. Has duas poſtremas rationes tangit Concilium Trid.

Dices 1. Reus in judicio forenſi non tenetur accuſare omnia ſua peccata. Ergo nec in foro conſcientiæ. R. N. Conſeq. Diſparitas eſt 1. quod in foro conſcientiæ pœnitens ſit ſimul reus, teſtis & accuſator, non ſic in judicio forenſi. 2. In foro conſcientiæ intenditur ſalus animæ, quæ haberi non poteſt ſine remiſſione omnium peccatorum: In foro autem externo quæritur punitio rei, quæ haberi poteſt, etſi non confiteatur alia peccata, pro quibus non punitur.

Inſt. Poteſt quis abſolvi ab una Excommunicatione, & non ab alia. Ergo ſimiliter ab uno peccato, & non ab alio. R. N.

R. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod abſolutio a peccatis fiat per infuſionem gratiæ, quæ nullum peccatum mortale compatitur; abſolutio autem ab Excommunicatione fit per condonationem ſeu relaxationem extrinſecam. Unde nihil obſtat, quo minus una ſine altera relaxetur.

Dices 2. Si neceſſe ſit omnia peccata quoad numerum, ſpeciem, & circumſtantias mutantes ſpeciem confiteri, Confeſſio erit impoſſibilis & carnificina conſcientiarum. Ergo. Ita Hæretici. R. N. Ant. Quia, ut obſervat Trid. loco cit. ſufficit ad integritatem formalem Confeſſionis ea peccata confiteri, quæ poſt diligens, hoc eſt humanum, & morale examen, memoriæ occurrunt, ut patebit ex ſequentibus.

Dico 3. Materialis integritas non eſt ſemper neceſſaria ad validitatem & fructum Confeſſionis; ita ut pœnitens poſſit aliquando ex juſta cauſa omittere aliquod peccatum mortale in Confeſſione, ſtante ejus valore & fructu. Eſt communis & traditur a Trid. loco cit. his verbis: *Reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in univerſum eadem Confeſſione incluſa eſſe intelligantur, pro quibus fideliter cum Propheta dicimus, ab occultis meis munda me Domine*. Eadem autem eſt ratio de aliis juſtis cauſis, de quibus modo, ac de oblivione. Prob. Præceptum Chriſti de integritate Confeſſionis eſt poſitivum. Ergo non eſt dubium, quin poſſint dari certi caſus, in quibus ab hoc præcepto totaliter adimplendo eximatur pœnitens. Conf. Confeſſio integra eſt actus humanus. Ergo debet eſſe moraliter poſſibilis, nec repugnare aliis præceptis majoribus, quæ poſſunt occurrere, quale eſt v. gr. præceptum charitatis; quod enim propter charitatem eſt inſtitutum, non debet contra charitatem exerceri.

Jam de cauſis excuſantibus.

Cauſæ excuſantes ab integritate materiali Confeſſionis, omnes reducuntur ad impotentiam phyſicam vel moralem.

IMPOTENTIA PHISICA.

1. SI pœnitens infirmus incepta Confeſſione, ſeu ante illam, petito Confeſſario, deficiat loquela, ſtatim eſt abſolvendus. Similiter ſi timeatur, ne ſubito moriatur, aut mente vel ſenſibus deſtituatur, audito uno vel altero peccato, abſolvatur. 2. Si ſit ſurdus aut mutus, vel idiomatis ignarus, dum urget præceptum aut neceſſitas aliqua confitendi, exprimat peccata prout moraliter poteſt, & abſolvatur. 3. Si inſtante naufragio, incendio, pugna, timeatur mors, periclitantes breviter confiteantur aliquod peccatum & abſolvantur ſinguli ſeorſim, ſi res patiuntur moram; ſi non, aliquod ſignum pœnitentiæ & Confeſſionis exterius oſtendant, ut tunſione pectoris, genuflexione, &c. & elicito actu contritionis, omnes abſolvantur ſub hac forma. Ego vos abſolvo a peccatis veſtris. 4. Oblivio naturalis & inculpabilis, de qua Trid. ſupra, quando nempe quis adhibita ſufficienti diligentia non recordatur alicujus peccati. 5. Ignorantia invincibilis obligationis confitendi aliquod peccatum. Poteſt enim contingere, quod quis vincibiliter ignoret id, quod facit, eſſe peccatum, & ideo peccet faciendo, invincibiliter tamen ignoret illud eſſe neceſſario confitendum, ideoque non peccet tacendo: 1. Quia peccata ſæpe ſunt contra jus naturæ, quod difficilius ignoratur; obligatio autem confitendi eſt juris poſitivi, quod facilius ignoratur. 2. Quia peccatum ex ignorantia, licet culpabili, commiſſum, quaſi non eſſet peccatum, mali ſpeciem non relinquit, ſicut illud quod ſcienter commiſſum eſt; unde fieri poteſt, quod etiam poſt diligens examen non occurrat. Hinc colliges pueros, ruſticos, rudes, &c. qui bona fide in prioribus Confeſſionibus ac aliquod peccatum omiſerunt, non ſemper eſſe cogendos ad Confeſſionem generalem, maxime ſi ſit ipſis gravis & difficilis, aut timeatur aliquod nocumentum, ſed ſufficere plerumque ut inſtruantur, & peccatum omiſſum confiteantur.

IMPOTENTIA MORALIS

EST, quandocumque ex Confeſſione integra imminet grave damnum, tam ſpirituale quam corporale, ſive ipſi pœnitenti, ſive Confeſſario, ſive alteri; cenſetur enim moraliter fieri non poſſe, quod ſine gravi damno ſui vel proximi fieri non poteſt; præceptum autem poſitivum de integritate materiali Confeſſionis non obligat ad moraliter impoſſibile, ſeu ad id, quod ſine gravi damno fieri non poteſt, ut jam dixi. *Damnum ipſius pœnitentis*, ut ſi fundatè timeat, ne Confeſſarius revelet ſuam Confeſſionem, aut ne confitendo ipſi quædam peccata carnalia ab eo ſollicitetur ad turpia. Item ſi ob ſuam fragilitatem veretur, ne ſi diutius hæret in examine peccatorum carnalium, iis iterum conſentiat; tunc enim poteſt obiter illa peccata examinare, & Confeſſarius obiter interrogare, ne pœnitenti infirmo ſit occaſio ſcandali. Item ſi pœnitens ſit moroſus & nimium ſcrupuloſus in accuſandis & explicandis ſuis peccatis, cum enim ſit ibi magna difficultas Confeſſionis, timetur damnum pœnitentis; & ne fiat illi Confeſſio odioſa, poteſt prudens Confeſſarius, quando e re judicaverit pro bono pœnitentis, abrumpere Confeſſionem & abſolvere.

Damnum Confeſſarii; ut ſi ex Confeſſione integra ipſi immineat mors vel morbus, ut tempore peſtis: vel quia ipſum inſequitur hoſtis, aut imminet incendium vel naufragium; tunc enim audito uno vel altero peccato, poteſt abſolvere. Item ſi timeat, ne auditio certi peccati ſit ſibi occaſio ſcandali, & non ſit alterius Confeſſarii copia.

Damnum tertii; ut ſi periculum ſit, ne Confeſſarius utatur ſcientia Confeſſionis in damnum ſpirituale vel temporale alterius. Item ſi Confeſſarius non poſſit peccatum ſuum confiteri, niſi frangendo ſigillum Confeſſionis, quam audivit. Quidam olim inter cauſas excuſantes ab integritate materiali Confeſſionis numerabant magnum populi concurſum in certis ſolemnitatibus. Verum hanc opinionem & praxim proſcripſit Innocentius XI. damnando hanc propoſitionem: *Licet ſacramentaliter abſolvere dimidiate tantum Confeſſos, ratione magni concurſus pœnitentium; qualis v. gr. poteſt contingere in die magnæ alicujus feſtivitatis aut Indulgentiæ*. Ratio eſt, quia iſtud damnum non eſt tanti momenti, ut dimidietur Confeſſio, præſertim cum periculo abſolvendi indignos, ratione præcipitationis & celationis quorumdam peccatorum.

Obſervanda circa prædictas cauſas.

OBSERVANDUM 1. Ut in his caſibus licite fiat celatio peccati, hæc quatuor debere concurrere: 1. quod periculum ſcandali, vel damni, vel impotentiæ ſit grave & bene fundatum: 2. quod non poſſit haberi alius Confeſſarius, cui abſque periculo ſeu damno poſſit pœnitens integre confiteri: 3. quod Confeſſio non poſſit commode differri, puta quia urget præceptum Confeſſionis ſeu Communionis annuæ, vel quia non poteſt omitti Miſſa ſeu Communio ſine ſcandalo, vel etiamſi pœnitens peccato mortali gravatus, deberet diu a Confeſſione abſtinere: 4. quod illud, vel illa ſola peccata ommittat, quæ judicaverit illi periculo vitando neceſſaria. Unde ſi timeat damnum ex Confeſſione fornicationis & non intentionis, accuſet intentionem, omiſſo actu externo.

Obſervandum 2. Peccata ex juſta cauſa celata, ceſſante cauſa, debere accuſari in ſequenti Confeſſione, ut ſatisfiat præcepto divino de Confeſſione omnium peccatorum mortalium; non tamen ſtatim, nec ut videtur, in rigore ante finem anni, quia per priorem Confeſſionem ſatisfecit præcepto Eccleſiaſtico de Confeſſione annua.

Obſervandum 3. Quod ſi pœnitens habeat tantum unum peccatum mortale, quod non poteſt confiteri, melius ſit eum venialium aut mortalium jam remiſſorum Confeſſionem inſtituere, quam cum ſola contritione ad Communionem accedere; quia ſic abſolutus indirecte a mortali certior eſt de ſtatu gratiæ, ad idque teneretur, ſi de contritione ſua dubitaret.

§. II. *Utrum complicis, aut alterius tertii, qui ſit objectum peccati confitendi, infamia apud ſolum Confeſſarium excuſet ab integritate materiali Confeſſionis.*

DUPLEX ex titulo eſt quæſtio. Prima de complice, ſeu de eo, qui fuit particeps criminis accuſandi, ut ſi pœnitens concubuerit cum ſorore nota Confeſſario. Altera de eo, qui non eſt complex, ſed objectum peccati confitendi, ut ſi pœnitens ſororem innuptam prægnantem, & notam Confeſſario occiderit, vel ſi crimina gravia & vera objecerit Parentibus Confeſſario notis. Prima quæſtio facilis, ſecunda eſt difficilior. Suppono neminem ob propriam infamiam apud ſolum Confeſſarium eximi ab integritate materiali Confeſſionis, quia hæc infamia eſt ex inſtitutione Chriſti annexa Confeſſioni faciendæ Sacerdoti.

Dico 1. Infamia complicis apud ſolum Confeſſarium non excuſat ab integritate materiali Confeſſionis. Ita expreſſe S. Th. opuſc. 12. ad Lectorem Biſuntinum: *Prodere*, inquit, *crimen alterius & lædere famam eſt peccatum, quod maxime vitandum eſt in Confeſſione... Si vero ſpeciem peccati exprimere non poſſit niſi exprimendo perſonam cum qua peccavit, puta ſi cum ſorore concubuit, neceſſe eſt ut exprimendo peccati ſpeciem exprimat perſonam, ſed ſi fieri poteſt, debet quærere talem Confeſſorem, qui perſonam ſororis penitus non cognoſcat*. Similia habet in 4. d. 16. q. 3. art. 2. q. 5. ad 5. Ita etiam S. Bonaventura, S. Raymundus, S. Antoninus, Alenſis & communiter Theologi.

Ratio eſt, quia complex, voluntarie participando crimini & ſe in ejus circumſtantia conſtituendo, interpretative conſenſit ſui manifeſtationi apud Confeſſarium, cui ſciebat hoc peccatum eſſe in ſpecie declarandum, nec

poſſe

poſſe ſine ſui manifeſtatione declarari. Nullam ergo injuriam facit illi pœnitens, qui ad integritatem ſuæ Confeſſionis & judicii Sacramentalis illium manifeſtat Confeſſario; ſcienti enim & volenti non fit injuria. Magis adhuc conſtabit hæc concluſio ex ſequenti.

Si tamen Pœnitens poſſit facile & comode confiteri alteri Confeſſario, cui complex ſit ignotus, ad id tenetur, ut docet Auctor. Dixi, *ſi facile & commode*; non enim videtur ad id teneri cum ſuo incommodo. Unde non puto, quod teneatur conficere aliquot leucas, ut quærat alium, imo nec præſentem alium adire, ſi habet Confeſſarium ordinarium, quem nonniſi ægre & incommode mutare poteſt: ex eodem ſemper principio, quod complex cenſendus ſit in id conſenſiſſe, & quia alioquin ſequeretur, quod Parochus, cui apprime noti ſunt omnes ſui Parochiani, vix ullum ex iis poſſet audire, Idem die de quolibet alio Confeſſario, cui innoteſcunt omnes incolæ alicujus loci. Hoc autem videtur inconveniens & contrarium praxi etiam timoratorum.

Dico 2. Infamia apud ſolum Confeſſarium alterius non complicis, ſed qui eſt objectum peccati, probabilius non eximit ab integritate materiali Confeſſionis. Eſt plurium contra plures. Prob. 1. Chriſtus inſtituit Confeſſionem per modum veri judicii. Atqui in judicio humano hoc ipſo quo accuſator poteſt & debet accuſare reum, pariter poteſt & debet declarare circumſtantias, quas requirit integritas judicii, etſi inde ſequatur quædam alterius infamia. Sic Judex forenſis inquirit de ſtupro vi illato Moniali aut ingenuæ puellæ, etſi inde ſequatur aliqua illius infamia. Ergo ſimiliter pœnitens, qui eſt ſui accuſator in Confeſſione.

Prob. 2. Si pœnitens non poſſet nec deberet revelare crimen alterius, quod eſt ſui peccati objectum, ideo eſſet, quia ille alter infamaretur, fieretque ipſi ideo injuria. Atqui hæc ratio nulla eſt. Ergo. Prob. Min. licitum eſt revelare viro prudenti crimen alterius, ubi id meum vel proximi grave commodum poſtulat, puta ad capiendum conſilium, ad conſolationem quærendam, ad vitandum peccatum vel grave detrimentum corporale. Sic ſecundum omnes licitum eſt revelare Hero furta ſui domeſtici, Patri meretricium filiæ, Magiſtratui proditorem Patriæ, Superiori vel amico peccatum inferioris vel alterius ad ejus emendationem, ſollicitationes laſcivientis adoleſcentis ad petendum conſilium, &c. hac ſcilicet ratione, quod non teneat alterius famæ conſulere cum tanto mei vel proximi incommodo; ita ut tunc non ſit diffamatio formalis & injuſta, ſed materialis & juſta. Ita docent omnes Theologi. Atqui commodum grave tum meum cum ſacramentalis judicii exigit, ut revelem in Confeſſionem objectum peccati mei, ſine quo non poſſum integre confiteri, iſtudque commodum æquivalet pluribus aliis, propter quæ Theologi communiter cenſent licitum eſſe revelare crimen alterius, ut conſideranti patebit, & eo potiſſimum, quod ibi ſecretum ſit maximum & infamia quaſi nulla. Ergo. Si autem licite poſſim, teneor, quia urget obligatio confitendi integre. Obſervandum tamen pœnitentem in caſu hujus 2. Concluſionis majorem cautelam debere adhibere, atque ſtrictius & cum aliquo ſuo incommodo teneri quærere Confeſſarium, cui ignotus ſit alter iſte tertius, quam in caſu 1. Concluſionis, quia iſte tertius non complex non conſenſit interpretative ſui manifeſtationi, ſicut complex.

Dices 1. Præceptum naturale fortius obligat, quam præceptum divinum poſitivum. Atqui præceptum ſervandi famam proximi eſt naturale, præceptum integritatis Confeſſionis eſt tantum divinum poſitivum. Ergo. R. D. Min. Præceptum ſervandi famam proximi, ubi juſta ratio aliud non poſtulat, eſt præceptum naturale, C. Min. Ubi juſta ratio aliud poſtulat, N. Min. Alias enim ſequeretur, quod nec pro avertenda Urbis everſione liceret revelare proditorem; quod eſt abſurdum; jam autem in noſtro caſu juſta ratio poſtulat, ut pœnitens revelet tam complicem quam objectum ſui criminis, ut patet ex probat. Concluſionis.

Repones. Infamatio eſt intrinſece mala. Ergo nullo caſu poteſt cohoneſtari. R. D. An. (2. 2. *q.* 73. *a.* 2.) Infamatio formalis eſt intrinſece mala, C. Ant. Materialis, N. Ant. Solutio eſt D. Th. dicentis: *Contingit quandoque quod aliquis dicat aliqua verba, per quæ diminuitur fama alterius, non hoc intendens, ſed aliquid aliud; hoc autem non eſt detrahere per ſe & formaliter loquendo, ſed ſolum materialiter & quaſi per accidens. Et ſi quidem verba, per quæ fama alterius diminuitur proferat aliquis propter aliquod bonum vel neceſſarium, debitis circumſtantiis obſervatis, non eſt peccatum, nec poteſt dici detractio.*

Dices 2. Grave damnum tertiæ perſonæ excuſat ab integritate Confeſſionis, ut dictum eſt ſupra. Atqui hic ex integritate Confeſſionis orietur grave damnum in fama proximi, Ergo. R. D. Maj. Grave damnum tertii, quod orietur per accidens & extrinſece ex integritate Confeſſionis, puta quia Confeſſarius revelaret crimen confeſſum, excuſat, &c. C. Maj. Grave damnum, quod oritur per ſe & intrinſece ex integritate Confeſſionis, quale eſt illud, de quo in objectione, N. Alias ſequeretur, quod non tenerer confiteri peccatum meum.

Inſt. 1. Non licet Confeſſario frangere ſigillum Confeſſionis, ut integre confiteatur. Ergo nec alii pœnitenti licet revelare crimen alterius maxime non complicis ob integritatem ſuæ Confeſſionis. R. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod in nullo caſu, nec pro quocumque bono liceat unquam frangere ſigillum Confeſſionis, ſic volente Chriſto, ne ſi vel unus caſus admitteretur, alii fingerentur, & odioſa redderetur Confeſſio. At in multis caſibus licet revelare crimen alterius, ut dictum eſt, neque jus naturale prohibet ſimpliciter revelare crimen proximi, ſed revelare ſine juſta cauſa.

Inſt. 2. Non eſt veriſimile Chriſtum præcepiſſe Confeſſionem integram cum tanto proximi diſpendio. Ergo. R. N. Ant. tum quia illud diſpendium non eſt tantum, illique prævalet emolumentum, quod mihi obvenit ex integritate Confeſſionis: tum quia cum Chriſtus inſtituerit hoc Sacramentum per modum judicii, in judicio autem accuſator juſtus poſſit & debeat declarare circumſtantias criminis, ſi id requirat integritas judicii, ita in hoc judicio ſtatuiſſe credendum eſt.

Dices 3. Non teneor confiteri per interpretem, ne me infamem. Ergo nec teneor confiteri certum peccatum, ne infamem proximum. R. D. Ant. Non teneor confiteri per interpretem, ne me infamem præciſe, N. Et quia ea vi præcepti Confeſſionis non niſi ſoli ſoli Sacerdoti teneor confiteri, ut patet ex praxi Eccleſiæ & Canonibus Concilii Later. & Trid. C. De hoc caſu infra.

§. III. *Utrum ad integritatem Confeſſionis neceſſario debeant accuſari circumſtantiæ notabiliter aggravantes intra eandem ſpeciem?*

SUPPONO 1. ex Tract. de Actibus humanis Diſſert. 4. a. 5. §. 2. concluſ. 2. Circumſtantias alias eſſe mutantes ſpeciem, ut furari in loco ſacro, alias eſſe notabiliter aggravantes intra eandem ſpeciem, ut furari mille aureos; alias leviter tantum aggravantes, ut furari 30. aſſes, poſito quod materia ſufficiens peccati mortalis ſint 25. aſſes: alias tandem impertinentes, ut furari manu dextra vel ſiniſtra. Suppono 2. Circumſtantias mutantes ſpeciem neceſſario eſſe exprimendas, ut patet ex hue uſque dictis: leviter aggravantes non eſſe neceſſario confitendas, tum quia id eſt fere impoſſibile, tum quia leviter variant judicium Confeſſarii, ſicque tenent omnes communiter; impertinentes autem nullo modo eſſe exprimendas. Difficultas ergo reſtat de ſolis circumſtantiis aggravantibus notabiliter intra eandem ſpeciem.

Ad dignoſcendas circumſtantias notabiliter aggravantes intra eandem ſpeciem aſſignatur hæc Regula. In materia quantitativa, ſeu quæ conſiſtit in numero, pondere, & menſura, cenſetur circumſtantia notabiliter aggravans quando ſeorſim ſumpta, & ab actu ſeparata, ſufficeret ad peccatum mortale, ut qui furaretur 50. aſſes, ſuppoſito quod 25. ſufficiant ad peccatum mortale. In aliis vero materiis cenſetur notabiliter aggravans, quando notabiliter excedit modum ordinarium peccandi in hujuſmodi materiis, ut ſi quis totam noctem tranſigeret in impudicitiis cum muliere; ſi quis per menſes & annos perſeveraret in odio fraterno; ſi inimicum occideret membratim concidendo, aut in occiſum iterum ſæviret, &c. ſi neutrum ex his occurrat, cenſetur leviter aggravans, puta quod fur ſurripuerit triginta aſſes, quod poſt rixam quis iratus aliquantulo tempore in odio permanſerit, &c.

Sententiæ negantis Patroni concedunt, quod ſit accuſanda circumſtantia notabiliter aggravans, ſi importet cenſuram aut reſervationem; item ſi ſit neceſſaria, ut Confeſſarius cognoſcat diſpoſitionem pœnitentis. Eſt ergo controverſia, utrum, his etiam ſecluſis, ſit neceſſario exprimenda; alii negant; alii affirmant.

Dico 1. Probabile eſt circumſtantias notabiliter aggravantes non eſſe neceſſario confitendas. Prob. 1. ex numero & auctoritate Doctorum, qui illam ſententiam tenent. Pro ea citantur omnium Princeps Doctor Angelicus in 4. d. 16. q. 3. art. 2. qo. 5. & Opuſc. 12. ad Lectorem Biſunt. textus referam inter objectiones, S. Bonaventura, S. Antoninus, Scotus, Durandus, Paludanus, Sylveſter, Angelus, Navarrus, Joan. Medina, Vaſquez, Valentia, Toletus, Becanus, Delugo, Leſſius, Bonacina, Baſſæus, Pontius, & alii plures, ex quibus hæc ſententia fit probabilis ſaltem probabilitate extrinſeca.

Prob. 2. Cum Confeſſio jam ſit ex ſe ſatis onoroſa, non debet gravari majore onere, qualis eſt obligatio confitendi circumſtantias notabiliter aggravantes, ſine aperto præcepto divino vel Eccleſiaſtico. Neutrum aſſignari poteſt;

poteſt: non divinum; ubi anim in Scriptura vel Traditione? Non Eccleſiaſticum, de hac obligatione ſilent Conciſia, præſertim Trid. ut patebit modo, quamvis hanc materiam ad amuſſim expenderis. Si dicas iſtud præceptum colligi ex ipſa natura Sacramenti, quod, cum ſit inſtitutum per modum judicii, exigit, ut Confeſſarius Judex cognoſcat totam criminum gravitatem & malitiam, quę maxime pendet ex circumſtantiis aggravantibus. Contra: quamvis Chriſtus inſtituendo Sacramentum Pœnitentiæ per modum judicii potuerit velle, ut accuſarentur circumſtantiæ notabiliter aggravantes, potuit etiam velle, ut non accuſarentur, & judicium Confeſſarii ſiſtere in cognitione peccati, quoad numerum & ſpeciem. Quantumvis enim circumſtantia aggravans augeat malitiam peccati, pendebat tamen a voluntate Chriſti, ut nos ad illas accuſandas adſtringeret; vel non; primum voluiſſe Chriſtum, nondum hunc uſque ſatis exploratum eſt, cum de hac voluntate ſileant Patres & Concilia, atque tot ac tanti viri contrarium doceant. Nec ratio deeſt, ob quam id noluiſſe Chriſtum exiſtimemus, nempe maxima difficultas in explicandis illis circumſtantiis notabiliter aggravantibus, quamvis enim una vel altera explicari poſſit, omnes tamen explicare & diſcernere difficillimum eſt: Leges autem non attendunt ad unum vel alterum caſum, ſed ad id quod frequentius accidit.

Dico 2. Circumſtantias notabiliter aggravantes eſſe neceſſario confitendas tenet tutior, & nunc communior ſententia. Prob. hæc ſententia 1. Ex Concilio Trid. Quamvis enim Concilium hanc quæſtionem expreſſe non definiarit, ſicut nec plures alias inter Theologos controverſas, ne ſcholarum libertatem lædaret, ea tamen dixit, ex quibus eruitur ejus mens, & has circumſtantias accuſandi obligatio. In primis ſeſſ. 14. cap. 5. docens circumſtantias mutantes ſpeciem eſſe accuſandas, affert hanc rationem; ut Confeſſarii, *De gravitate criminum recte cenſere poſſint, & pœnam quam oportet pro illis pœnitentibus imponere*. Atqui eadem ratio militat pro circumſtantiis notabiliter aggravantibus; circumſtantia enim aggravans quandoque magis auget malitiam peccati, quam circumſtantia mutans ſpeciem; quis enim dubitat eum magis peccare, qui furatur centum millia aureorum uno actu, quam qui furatur ſtolam aut manipulum vilis pretii; qui occiſuros hominem crudeliter ipſi prius amputet manus, brachia, oculos effodit, ventrem aperit, & tandem enecat, quam qui ex ſubito iræ motu uno ictu alium occidit in Templo? Ergo. Addit Concilium ibidem: *Conſtat Sacerdotes non poſſe æquitatem ſervare in injungendis pœnis, ſi in genere dumtaxat, & non potius in ſpecie, ac ſingulatim peccata cognoſcant*. Atqui hæc ratio etiam probat circumſtantias notabiliter aggravantes eſſe neceſſario confitendas, namque longe major pœna eſt infligenda ei, qui concubuit cum Matre vel Sorore, quam qui cum conſobrina in quarto gradu, etſi ſit ejuſdem ſpeciei inceſtus ſecundum communiorem D. Th. ſententiam, de qua in Tract. de Temperantia; majorem ei, qui furatus eſt millia aureorum, quam qui unum tantum. Ergo. Unde

Prob. 2. Ratione fundamentali a Concilio inſinuata. Sacramentum Pœnitentiæ eſt inſtitutum per modum veri judicii, in quo Confeſſarius eſt Judex & Medicus; Pœnitens autem æger, teſtis, & accuſator. Atqui ut Confeſſarius tanquam Judex rectum ferat judicium, pœnamque culpæ proportionatam imponat, & tanquam Medicus remedia morbo congruentia aſſignet, debet cognoſcere nedum ſpeciem criminis aut morbi, ſed & totam ejus gravitatem & malitiam, quæ, ut dictum eſt, magis quandoque augetur ex circumſtantiis intra eandem ſpeciem, quam ex mutantibus ſpeciem. Ergo.

Confir. 1. Circumſtantia mutans ſpeciem debet exprimi, non præciſe, quia mutat ſpeciem, ſed quia novam malitiam addit; ſi enim malitiam non adderet, non eſſet neceſſario exprimenda. Atqui etiam circumſtantia notabiliter aggravans novam malitiam notabiliter addit. Ergo. Confir. 2. Eadem eſt ratio de æquipollentibus. Atqui circumſtantiæ tantum aggravantes quandoque æquipollent in malitia mutantibus ſpeciem & multiplicationi numericæ, imo quandoque ſuperant. Ergo. Minor quoad circumſtantias mutantes ſpeciem patet ex dictis: quoad multiplicationem numericam etiam conſtat; ſi v. g. unum furtum centum aureorum æquipollet centum furtis unius aurei.

Prob. 3. Illa circumſtantia eſt neceſſario confitenda juxta mentem Eccleſiæ, quæ eſſe poteſt materia reſervationis. Atqui circumſtantia tantum aggravans poteſt eſſe materia reſervationis, ut ſæpe accidit, dum Epiſcopi reſervant ſibi inceſtum in primo, aut ſecundo gradu, non in quarto aut tertio. Ergo. Prob. Quia Eccleſia nonquam ſolet, dato quod poſſit, ſibi reſervare materiam liberam Confeſſionis, ut ſunt peccata venialia, & mortalia alias debite confeſſa.

Prob. 4. Ab abſurdis. Si circumſtantiæ notabiliter aggravantes non forent neceſſario exprimendæ, ſequeretur. 1. Quod qui concubuiſſet cum Matre aut Sorore, ſufficienter confiteretur dicendo ſe commiſiſſe inceſtum. 2. Qui aures, naſum, pedes, brachia homini amputaſſet, oculos effodiſſet ſine occiſione tamen, ſatisfaceret dicendo ſe graviter aliquem vulneraſſe. 3. Qui tota nocte cum meretrica impudica geſſiſſet, & in fine habuiſſet copulam; qui intenſiſſimo odio tota die proſecutus fuiſſet inimicum, ſatisfaceret, primus dicendo, fornicatus ſum: ſecundus; odio habui inimicum. 4. Qui furatus fuiſſet centum millia aureorum, ſufficienter confiteretur dicendo, furatus ſum in materia gravi: imo, ut recte arguit Soto, interrogatus a Confeſſario de quantitate poſſet ſine peccato mortali negare, quia eſſe materia libera Confeſſionis, non minus quam peccatum veniale. Quæ omnia quam ſint abſurda, & ſanæ morali repugnantia nemo rectæ mentis non ſentit.

Si dicas pro ultimo caſu, qui magis urget, eſſe exprimendam quidem quantitatem furti, non quia eſt circumſtantia notabiliter aggravans, ſed ut poſſit Confeſſarius injungere reſtitutionem: vel, ut ait Valentia, quia quantitas furti non ſe habet ut circumſtantia furti in individuo ſpectati, ſed eſt determinatum ejus objectum, adeoque ad ſubſtantiam furti in individuo conſiderati pertinens. R. ad 1. quod pœnitens poſſit non indigere mandato Confeſſarii, ut reſtituat, ſi vel jam reſtituerit, vel habeat firmum propoſitum reſtituendi. Secus ſufficit, ſi Confeſſarius ſimpliciter & abſolute dicat, reſtitue quantum cepiſti, & ad id illum obliget. Ad 2. falſum eſt, quod dicit Valentia contra communem ſenſum Theologorum & D. Th. 1. 2. q. 7. a. 3. ad 3. ubi ait: *Conditio cauſæ, ex qua ſubſtantia actus dependet, non dicitur circumſtantia, ſed aliqua conditio adjuncta; ſicut in objecto non dicitur circumſtantia furti, quod ſit alienum, hoc enim pertinet ad ſubſtantiam furti, ſed quod ſit magnum vel parvum*. Et alias nulla foret circumſtantia alicujus actus in individuo, ſed omnes pertinerent ad ſubſtantiam actus, ſi ratio Valentiæ valeret.

Solvuntur Objectiones contra 2. Concluſionem.

OBj. 1. Trid. Seſſ. 14. c. 5. cit. definiens quæ circumſtantiæ ſint explicandæ, tantum meminit earum, quæ mutant ſpeciem, non aliarum, quæ tantum aggravant. Ergo illæ ſolæ ſunt confitandæ: alias Doctrina Concilii foret diminuta, cum tamen initio hujus ſeſſionis promittat accuratam hujus Sacramenti explicationem. R. 1. D. Ant. Non meminit explicite earum, quæ tantum aggravant, C. Implicite, N. Rationes enim, quas affert pro Confeſſione circumſtantiarum mutantium ſpeciem, æque probant de notabiliter aggravantibus, ut ponderavimus ſupra. Unde Catech. Romanus de Sacram. Pœnit. §. *Quoniam* ex mente Trid. hanc ſententiam expreſſe tradit. R. 2. dato Ant. N. Conſeq. Ad probat. Ant. Doctrina Concilii foret diminuta ad dirimendas controverſias inter Theologos Catholicos, C. Nec enim id intendebat. Ad dirimendas controverſias inter Catholicos & Hæreticos eorumque errores compeſcendos, quod ſolum intendebat, N.

Repones. Concilium, poſtquam dixit numerum & ſpecies peccatorum debere explicari, ſubdit, *nihil aliud a pœnitentibus exigitur*. Ergo. R. ſenſum non eſſe, quod nihil amplius exigatur a pœnitentibus, quam confiteri ſolum numerum & ſolam ſpeciem peccatorum; ſed quod non exigatur ab ipſis, quod omnem omnino numerum, neque omnes omnino ſpecies confiteantur, ſi forte in memoriam non redeant, ſed ea ſola peccata confiteantur, quibus poſt diligens conſcientiæ examen *ſe Dominum Deum offendiſſe mortaliter meminerint*.

Obj. 2. S. Th. in 4. d. 16. q. 3. a. 2. q. 5. ait: *Quidam dicunt, quod omnes circumſtantiæ, quæ aliquam notabilem quantitatem peccato addunt, confiteri neceſſitatis eſt, ſi memoriæ occurrant. Alii vero dicunt, quod non ſint de neceſſitate confitendæ, niſi circumſtantiæ, quæ ad aliud genus peccati trahunt. Et hoc probabilius eſt ... cujus ratio eſt, quod venialia non ſunt de neceſſitate Confeſſionis, ſed ſolum mortalia, quæ quantitatem infinitam quodammodo habent*. Et Opuſc. 12. ad Lectorem Biſuntinum q. 6. *Circumſtantias aggravantes*, inquit, *quæ in aliud genus peccati non trahunt, non tenetur homo confiteri, ſicut nec peccata venialia, licet ſit laudabile quod homo ea confiteatur: Eadem enim ratio videtur eſſe de hujuſmodi circumſtantiis & de venialibus peccatis, circumſtantiæ autem dicuntur in aliud genus trahere, quæ ſpecialem repugnantiam important ad aliquod præceptum divinæ Legis; ſicut furtum ſimplex repugnat huic præcepto: Non furtum facies. Si autem furtum in loco ſacro committatur, habet jam repugnantiam ad illud præceptum, quod eſt de veneratione ſacrorum, & ſic additur nova ſpecies peccati. Unde conſequens eſt, quod addat aliam repugnantiam ad Legem Dei, ideo & novam deformitatem peccati mortalis, quod ex neceſſitate confiteri tenebitur. Sic igitur hujuſmodi circumſtantias aggravantes, quæ non trahunt in aliud genus peccati, non credo, quod aliquis*

tenea-

tenetur confiteri. Nihil videtur apertius & expreſſius pro mente D. Th. Reſpondent quidam S. Th. per circumſtantias notabiliter aggravantes intellexiſſe leviter ſecundum ſe aggravantes, ſed quæ a quibuſdam dicebantur notabiliter aggravantes; & per circumſtantias mutantes ſpeciem intellexiſſe notabiliter ſecundum ſe aggravantes; quod ex duplici capite probare nituntur. 1. Quia tempore S. Th. erant, qui aſſererent quaſdam circumſtantias ſecundum ſe leves, ut eſt circumſtantia dignitatis perſonæ peccantis, puta ſi eſſet Epiſcopus vel Generalis Ordinis, eſſe notabiles. Unde dicebant, quod *omne mendacium v. g. in viris perfectis ſit peccatum mortale*, ut refert ipſe S. Doct. 2. 2. q. 100. *a.* 4. ad 5. de illis ergo circumſtantiis ſecundum iſtorum opinionem notabiliter aggravantibus loquitur S. T. 2. Quia in utroque textu dicit circumſtantias notabiliter aggravantes non eſſe neceſſario confitendas, quia venialia non ſunt neceſſario confitenda, & quia eſt eadem ratio de iſtis circumſtantiis ac de peccatis venialibus. Porro circumſtantiæ notabiliter aggravantes non ſe habent ut venialia, ſed ut mortalia; habent enim ut mortalia quantitatem, ſeu malitiam quandam infinitam intra propriam ſpeciem, quatenus tales ſunt, ut de ſe ſufficerent ad conſtituendum actum in ſpecie peccati mortalis, ſicque ſunt intra lineam peccati mortalis & æquipollentes, quantum ad malitiam ſcilicet, mutantes ſpeciem. Verum non paucis hæc explicatio videtur de longe quæſita, & textibus parum conformis, maxime quia ipſe S. Doctor Opuſc. cit. formaliſſimis terminis explicat, quod per circumſtantiam mutantem ſpeciem intelligat, quæ *ſpecialem repugnantiam importat ad aliquod præceptum divinæ Legis*, ut *furtum in loco ſacro* reſpectu *furti ſimplicis*, Quid clarius? Unde

Reſpondent Soto, Sylvius, & alii, quod quamvis S. Doctor, dum eſſet junior, hanc opinionem tenuerit, illam ſenior factus veroſimilius revocaſſet, ſi Summæ ultimam manum adhibuiſſet. Idque conjiciunt ex eo, quod S. Doct. 1. 2. q. 73. a. 9. & 2. 2. q. 61. a. 2. ad 3. & *a.* 4. o. doceat eum gravius peccare, gravioremque pœnam mereri, qui percutit Regem, quam qui percutit perſonam privatam. Quomodo autem gravior pœna injungi poteſt, ſi iſta percuſſi conditio & circumſtantia non declaretur?

Obj. 3. Non eſt imponendum tam grave onus pœnitentibus ſine aperto præcepto & ſufficienti fundamento. Atqui nullibi legitur tale præceptum, nec invenitur ſufficiens fundamentum. Ergo. R. N. Min. & dico ſatis aperte & ſufficienter colligi tale præceptum ex natura ipſius Sacramenti, quod eſt inſtitutum per modum judicii, in quo proinde aperienda eſt tota criminum gravitas & malitia, quæ maxime pendet ex circumſtantiis aggravantibus, ut dictum eſt in probat. Concluſionis. Neque veriſimile eſt Chriſtum inſtituiſſe Tribunal cæcutiens in circumſtantiis gravibus criminum, & inde neceſſario imprudens in injungendis pœnis & *aſſignandis* remediis.

Repones. Explicatio circumſtantiarum tantum aggravantium eſt moraliter impoſſibilis. Ergo. R. D. Ant. Circumſtantiarum leviter aggravantium, C. Notabiliter & enormiter aggravantium, N. Poſita enim Regula, de qua ſupra, tunc ſcilicet eſſe notabiliter aggravantes, vel quando *ab* actu principali ſeparata (ſi poſſet) ſe ſola ſufficeret ad conſtituendum peccatum mortale, vel quando notabiliter excedit ordinarium modum peccandi; non ita difficile eſt dignoſcere notabiliter aggravantes. Aliunde non tenemur confiteri niſi eas, quas bona fide apprehendimus notabiliter aggravare, aut de quibus rationabiliter dubitamus. Nec debent angi pœnitentes, ſi qui minus de duratione aut intenſione actus expoſuerint; licet enim forte dici poſſit aliquando notabilis circumſtantia phyſice, non tamen moraliter, niſi quando notabiliter variat judicium Confeſſarii.

Obj. 4. Ideo circumſtantiæ mutantes ſpeciem ſunt confitendæ, quia conſtituuntur diſtincta peccata. Atqui circumſtantiæ tantum aggravantes non conſtituunt diverſa, ſed unum tantum peccatum. Ergo. R. 1. N. Maj. Præciſe loquendo, ſed quia addunt novam malitiam ſive diverſam, ſive eandem ſpecie. 2. D. Min. Circumſtantiæ tantum aggravantes non conſtituunt diverſa peccata formaliter, C. Min. Æquivalenter & virtualiter, N. Ex probat. Concluſionis.

Inſt. Id ſolum eſt confitendum, quod habet rationem peccati. Atqui circumſtantia etiam notabiliter aggravans non habet rationem peccati, eſt enim extra rationem & eſſentiam peccati, cum illi accidat & eam ſupponat. Ergo. R. D. Maj. Id ſolum eſt confitendum, quod habet rationem, id eſt malitiam peccati, C. Quod habet rationem id eſt præciſe ſpeciem & eſſentiam peccati, N. Peccata enim ſunt confitenda propter ſuam malitiam.

Obj. 5. Circumſtantiæ notabiliter minuentes non ſunt explicandæ. Ergo nec notabiliter aggravantes. R. 1. dato Ant. N. Conſeq. Quia hoc Sacramentum non eſt inſtitutum ad ſe excuſandum, ſed ad ſe accuſandum. 2. N. Ant. Sicut enim pœnitens non poteſt peccatum minuere tacendo circumſtantias notabiliter aggravantes, ita nec peccatum aggravare tacendo circumſtantias notabiliter minuentes, cum inde varietur notabiliter judicium Confeſſarii. Neque ideo pœnitens ſe excuſat, ſed debite peccatum ſuum, ſicuti eſt, exponit, ut de eo Confeſſarius rectum ferat judicium. Pœnitens tamen, qui ex ignorantia vel oblivione naturali omiſit explicare circumſtantiam notabiliter minuentem, non debet angi, nec iterum confiteri, quia nihil amiſit de gravitate peccati, a quo fuit abſolutus.

Quid vero intelligatur per circumſtantias, quæ vulgo numerantur ſeptem, *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando*; & quid ſit ex eis explicandum? Require in Tract. de Actibus humanis. Diſſert. 4. art. 3. §. 2. inter prænotamina.

§. IV. Utrum ad integritatem Confeſſionis neceſſarium ſit peccata dubia confiteri?

Dico 1. Ad integritatem Confeſſionis neceſſarium eſt confiteri peccata dubia, ut dubia. Eſt communis contra Conink.

Prob. 1. ratione & verbis S. Th. (*Supp. q. 6. a. 4. ad 3.*) dicentis: *Quando aliquis dubitat de aliquo peccato, an ſit mortale, tenetur illud confiteri dubitatione manente. Quia qui aliquid committit in quo dubitat eſſe peccatum mortale, peccat mortaliter, diſcrimini ſe committens. Et ſimiliter periculoſe committit, qui de hoc, quod dubitat eſſe mortale, negligit confiteri, non tamen debet aſſerere illud mortale eſſe, ſed dubitative loqui & judicium Sacerdotis expectare, cujus eſt diſcernere inter lepram & lepram.*

Prob. 2. Juxta Trid. Seſſ. 14. cap. 5. confitenda ſunt omnia peccata mortalia, quorum eſt memoria & conſcientia. Atqui peccatorum dubiorum eſt memoria, ut patet; & eſt conſcientia ſi non certa, ſaltem opinativa aut dubia, quæ communi ſenſu Theologorum & Canoniſtarum veniunt nomine conſcientiæ, cum dividant conſcientiam in certam, opinativam & dubiam. Idem Concilium ibidem excipit ab obligatione confitendi ſola venialia, quia iis a gratia Dei non excludimur. Atqui peccatis mortalibus dubiis, ſi vera ſunt, a Dei gratia excludimur: & inſuper *excluſio unius eſt incluſio alterius*, ut loquuntur jura. Ergo. Confirm. ex condemnatione art. 8. Lutheri per Leonem X. in quo dicebat Hæreſiarcha, quod *in primitiva Eccleſia ſolum manifeſta mortalia confitebantur fideles*.

Prob. 3. ex communi ſenſu & praxi Patrum, Theologorum; & omnium fidelium, quibus ſemper perſuaſum fuit peccata dubia, prout in conſcientia habentur, eſſe confitenda; cui antiquæ & communi praxi ac ſenſui præjudicium ferre non poteſt opinio contraria a paucis admodum Theologis non ita pridem excogitata & propugnata.

Eſt autem intelligenda concluſio, ſive dubium ſit de ſubſtantia actus, an fecerit vel non fecerit, ſive de qualitate, an ſit mortale vel non, an prius jam confeſſum ſit vel non; quia ubique eædem rationes currunt. Si tamen pœnitens probabilius exiſtimat ſe aut non feciſſe, aut eſſe veniale, aut alias recte fuiſſe confeſſum, poteſt judicio probabiliori ſe conformare, cum non agatur ibi neque de damno tertii, neque de valore Sacramenti, ſed tantum de ejus integritate materiali. Quid ſit autem dicendum de ſcrupuloſis in hac materia? Diximus, dum de Conſcientia in Trad. de Actibus humanis, non teneri peccata dubia confiteri, depoſita conſcientia.

Dices 1. In foro externo non admittuntur delicta dubia. 2. Peccata dubia non ſunt materia *abſolutionis*. Ergo, R. ad 1. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod in foro externo agatur de pœna & condemnatione, ad quam requiruntur probationes certæ. In foro interno autem de abſolutione & liberatione pœnitentis. Et hinc in foro admittitur accuſatio peccatorum internorum, quæ non admittitur in foro externo. Ad 2. licet peccata dubia ſola non ſint materia abſolutionis abſolutæ, poſſunt tamen ſaltem in caſu neceſſitatis eſſe materia abſolutionis conditionatæ, & cum aliis certis tam mortalibus quam venialibus ſunt materia abſolutionis abſolutæ.

Plura poſſent opponi, quæ præoccupata ſunt in Tract. de actibus humanis, dum probavimus in dubiis tutiorem eſſe eligendum.

Dico 2. Si peccatum declaratum ut dubium poſtea ut certum deprehendatur, probabilius eſt & tutius declarandum eſſe ut certum. Quia 1. Juxta Trid. peccatum debet declarari, prout eſt in conſcientia. Ergo quod non eſt declaratum ut certum, ſi poſtea habeatur in conſcientia ut certum, debet ut tale declarari. Confirm. Si peccatum fuiſſet certum ab initio, debuiſſet declarari ut certum. Ergo ſimiliter ſi poſtea deprehendatur certum. 2. Juxta communiorem, & tutiorem ſententiam circumſtantiæ notabiliter aggravantes ſeu notabiliter variantes judi-

judicium Confeſſarii ſunt neceſſario accuſandæ. Arqui certitudo reſpectu peccati antea dubii notabiliter variat judicium Confeſſarii; nam pro peccatis dubiis minus arguitur peccator, longe levior imponitur pœnitentiæ, & minus de remediis curatur. Ergo.

Dices. Certitudo eſt circumſtantia ſe tenens ex parte intellectus, non ex parte peccati. Ergo non aggravat peccatum. R. D. Conſ. Ergo non aggravat peccatum abſolute in ſe, C. Reſpective ad judicium Confeſſarii, N. Fit enim inde quod, pœnitens appareat judicio Confeſſarii magis peccator, ferveriori pœnitentia & acriori correctione dignus, efficaciorique remedio indigens; neceſſe eſt autem, quod Confeſſarius rectum de peccatis ferat judicium.

Repones. Qui dubius de voto, cenſura, vel irregularitate obtinet abſolutionem ſeu diſpenſationem, poſtea ſublato dubio & cognita certitudine ſeu voti, vel cenſuræ, aut irregularitatis, non tenetur denuo petere abſolutionem ſeu diſpenſationem. Ergo ſimiliter in noſtro caſu. R. N. paritatem. Diſparitas eſt, quod qui diſpenſat in voto vel abſolvit a cenſura, nihil aliud exigat, quam ut ipſi ſincere exponatur caſus ſecundum præſentem ſtatum & cognitionem, quo poſito abſolute abſolvit & diſpenſat, ad nihil amplius obligans. At vero præceptum Confeſſionis obligat quidem explicare peccatum ſecundum quod ſcitur, quando pœnitens petit abſolutionem, ſed non ceſſat ejus obligatio, ſi poſtea dignoſcatur aliquid in peccato aggravans, quod non fuit accuſatum; ut patet de aliis circumſtantiis, quæ ex oblivione fuerunt omiſſæ: quia præceptum in integritate Confeſſionis obligat confiteri peccatum cum tota ſua gravitate in quantum poſſibile eſt, vel ut dicit Trid. prout eſt in noſtra conſcientia.

Replicabis. Confeſſus mortale dubium eſt ab eo directe abſolutus. Ergo. Item confeſſus eſt totum peccatum prout erat in conſcientia quoad numerum, ſpeciem, & circumſtantias, ut ſupponimus. Quid ergo plus requiritur? R. ad 1. N. Ant. Eſt ab eo abſolutus directe cum onere tamen declarandi illud ut certum, ſi ut tale occurrat, C. ſine tali onere, N. Sicut enim qui confeſſus fuiſſet peccatum in genere, ſeu in ſpecie non infima, quia illud memoriæ non occurrit, eſt ab eo directe abſolutus, manet tamen illi obligatio confitendi ſpeciem infimam; ſi in memoriam redeat. Ita ſimiliter in noſtro caſu. Ad 2. D. Ant. Confeſſus eſt peccatum quoad numerum, ſpeciem & circumſtantias ut dubium, C. Ut certum, N. Debet autem confiteri ut certum, ſi habeatur in conſcientia ut certum.

Inſiſtes. Qui accuſat ſe blaſphemaſſe ſexies circiter plus, minuſve, poſtea deprehendit ſe certo ſepties blaſphemaſſe, non tenetur poſtea ſeptimam blaſphemiam ut certam accuſare. Ergo nec in noſtro caſu. R. N. Ant. quidquid enim quidam in contrarium cenſeant; eſt utrimque eadem ratio.

Notandum tamen hanc concluſionem intelligendam eſſe de dubio circa ſubſtantiam actus tantum. Si enim certus ſit pœnitens actum perpetraſſe, illumque integre cum omnibus neceſſariis circumſtantiis exponat, remaneat autem ſolum dubium penes ipſum vel Confeſſarium, an ſit mortale vel non; nihil eſt amplius repetendum, etſi forte poſtea certo dignoſcatur eſſe mortale; quia tunc nulla eſſet nova circumſtantia notabiliter aggravans, quæ non fuiſſet in priori Confeſſione explicata, ut ſuppono, nec ad Confeſſionis integritatem & valorem neceſſarium eſt, quod pœnitens vel Confeſſarius dicat aut ſciat determinate hoc peccatum confeſſum in individuo eſſe mortale; id enim etiam doctoribus eſt valde difficile propter varias circumſtantias occurrentes, ſed ſufficit, ut pœnitens exponat factum cum omnibus ſuis circumſtantiis, prout in conſcientia habet.

§. V. *Variæ Quæſtiones circa integritatem & validitatem Confeſſionis breviter reſolvuntur.*

PETES 1. Qualis & qualiter numerus peccatorum ſit exprimendus ad integritatem Confeſſionis? R. Exprimendus eſt numerus certus in quantum ſciri poteſt; ubi autem poſt diligens examen certus ſciri non poteſt, accuſandus eſt veriſimilior & probabilior ſub ſolitis clauſulis, *Circiter plus minuſve*. Si tandem nullus certus vel probabilis numerus reperiri poteſt, ſufficit, ſi pœnitens exponat ſuum ſtatum, conſuetudinem, & moram in peccato. Hæc Reſponſio eſt communis & certa, ſuppoſito quod ante probavimus, & conſtat ex Trid. omnia & ſingula peccata mortalia eſſe confitenda.

Hinc colliges 1. peccare mortaliter, qui ſine cauſa ſcienter aut ex negligentia craſſa omittit unum peccatum mortale. Item qui ſciens numerum certum, puta ſe ſexies blaſphemaſſe, illum accuſat ſub dubio cum ſolita clauſula *Sexies circiter plus minuſve*: Sexta enim blaſphemia, quam certam habet, confitetur ut dubiam, & ſeptimam pariter ut dubiam, quam tamen certo ſcit eſſe falſam, & ſic dupliciter mentitur. Id eſt ferme ſi dicat *Sexies aut ſepties*, niſi forte ſic exprimat bona fide ex nimia ſcrupuloſitate, & nimiæ ſecuritatis ſtudio; hoc enim caſu cum ſextam blaſphemiam ut certam exprimat, poterit excuſari coram Deo a peccato formali.

Damnandi ſunt pariter, qui abſque judicio & ſufficienti examine, ac quaſi divinando, ad quemlibet peccatorum numerum adjiciunt hanc clauſulam, *plus minuſve*, etiamſi forte majorem numerum, quam revera ſit, exprimant, falſo putantes ſe ſic ſupplere verum numerum; ſuppletio enim numeri incerti debet fieri cum examine & judicio, expendendo quis ſit probabilis numerus, & vero numero ſimilior. Id ita eſſe conjicere poterit Confeſſarius, ſi Pœnitens a longo tempore non ſit confeſſus, & peccata non admodum ſingularia confiteatur: ſecus ſi a paucis ſit confeſſus, & peccata ſingularia ac palpabilia confiteatur. Ridiculum namque ſe exhiberet clericus, qui confiteretur ſe hac hebdomada omiſiſſe integrum Breviarium ter, *plus minuſve*, vel *ter aut quater*; & alter, qui confiteretur ſe a 15. diebus fornicatum fuiſſe ſexies *plus minuſve*. Sub his autem formulis *circiter*, *plus minuſve*, & ſimilibus, non comprehenditur qualiſcumque exceſſus, vel defectus notabilis, ſed modicus, major tamen vel minor proportionate ad numerum expreſſum, ita ut reſpective ad quinque exceſſus modicus ſit unum vel duo; ad decem duo vel tria: ad viginti tria vel quatuor; ad quinquaginta quatuor vel quinque; ad centum quinque vel ſex.

Colliges 2. a fortiori eos inſufficienter confiteri, qui, ut aliquando accidit in ruſticis & rudibus, accuſant tantum ſpecies peccatorum & non numerum, dicendo, aliquoties juravi, aliquoties mentitus ſum, aliquoties detraxi, &c. Quod ſi id contingat ex negligentia & defectu examinis, dimittendi ſunt inabſoluti & cogendi ad Confeſſionem generalem; ſi autem id contingat ex ignorantia invincibili quia ſic forte ſoliti confiteri nunquam a Confeſſariis indoctis & incuriis fuerunt moniti, & aliunde Confeſſio generalis ſimilibus ſit valde difficilis, poterit Confeſſarius interrogando per annos, menſes, hebdomadas ſupplere Confeſſionem generalem, ut jam alibi dixi, & illos aliunde diſpoſitos abſolvere. Ille autem, qui ſimpliciter dicit ſe eſſe peccatorem & nihil aliud, abſolute dimittandus eſt ſine abſolutione, & adigendum ad Confeſſionem generalem, prout poterit; non enim eſt veroſimile, quod inſtructus a Confeſſario non poſſit exprimere ſaltem aliquod peccatum.

Quantum ad eos, qui ſunt in ſtatu, conſuetudine, & mora peccandi, ut ſunt meretrices, concubinarii, vel qui quaſcumque mulieres obvias concupiſcunt, qui quavis data occaſione blaſphemant, furantur, &c. debent in quantum poſſunt exprimere numerum probabilem & ſpecies, dicendo, toties in anno, in menſe, in ſeptimana, in die, toties circiter aut ſæpius cum Clericis; toties circiter aut ſæpius cum conjugatis, &c. Si vero id neque ſit poſſibile, confiteatur, ut dixi, ſtatum, conſuetudinem & moram in peccato, v. g. meretrix; a 10. annis me exhibui paratam ad omnes obvios, ſive Clericos, ſive Religioſos, ſive conjugatos, &c. Concubinarius, a 5. annis uſus ſum concubina tanquam uxore. De multiplicatione numerica & ſpecifica peccatorum require in Tract. de peccatis Diſſ. 2.

Petes 2. An & quale examen requiratur ad Confeſſionem? R. hoc ipſo quo pœnitens tenetur omnia & ſingula peccata quoad numerum, ſpeciem, & circumſtantias tam mutantes ſpeciem quam notabiliter aggravantes confiteri, ſequitur, quod ſuper hæc omnia teneatur ſe examinare, qui enim tenetur ad finem, tenetur & ad media. Iſtud autem examen ſecundum Trid. debet eſſe *diligens*, non quidem diligentia ſumma, alioquin difficillima foret hujus Sacramenti frequentatio, & omnibus ferme odioſa, dareturque occaſio hæreticis calumniandi eam eſſe conſcientiarum carnificinam; ſed diligentia humana & morali, qualem adhibere ſolent viri prudentes in ſeriis gravioribus negotiis. Qui ergo ex negligentia gravi & moraliter culpabili in ſe examinando omittit peccatum mortale in Confeſſione, peccat mortaliter, & tenetur iterare Confeſſionem utpote invalidam; ſecus ſi fuerit negligentia levis & venialiter culpabilis. Unde cum advertit Confeſſarius pœnitentes accedere ad Tribunal omnino imparatos & ſine examine, debet illos remittere, donec accuratius ſe examinaverint.

Examen non eſt idem & unum pro omnibus. Minori examine indigent, qui frequenter confitentur, quam qui raro; majori indigent, qui negotiis gravibus & periculoſis implicantur, quam qui privatam vitam ducunt. Item ruſtici & rudes non poſſunt tam accuratam diligentiam adhibere in ſui diſcuſſione, quam intelligentes & docti. Timoratis autem frequenter confitentibus ſufficit modiciſſimum examen; ſi enim peccaſſent mortaliter, peccatum ſemper præ oculis haberent. Quando & de quibus Con-

Digitized by Google

ſeſſarius debeat examinare, monere, inſtruere pœnitentes, diximus Diſſert. præced. art. 10. §. 2. & 3. vide.

Petes 3. Utrum mentiri in Confeſſione ſive negando peccatum quod eſt, ſive affirmando quod non eſt, ſit ſemper peccatum mortale? R. 1. Mentiri negando peccatum mortale nunquam confeſſum, eſt certe peccatum mortale contra integritatem Confeſſionis, niſi ſubſit juſta cauſa illud celandi. Patet ex dictis. 2. Mentiri negando peccatum mortale alias legitime confeſſum, per ſe non videtur pluſquam veniale; quia non eſt materia neceſſaria Sacramenti, & reſponſio negantis, niſi circumſtantiæ aliud poſtulent, intelligenda eſt ab ultima Confeſſione. Per accidens tamen poterit eſſe mortale, ſi Confeſſarius interroget de illo tanquam de ſpectante ad præſentem Confeſſionem, ſcilicet ad injungendam reſtitutionem vel ſatisfactionem, ad præſcribenda remedia contra relapſus aut occaſiones proximas. 3. Pœnitens, qui mentitur ſive confitendo peccatum mortale, quod non habet, ſive excedendo in numero peccatorum mortalium, ſive accuſando, ut certum, peccatum dubium, aut e contra ut dubium peccatum certum, peccat mortaliter. Patet ex dictis, quia decipit Judicem in re gravi pertinente ad judicium. Excuſandi tamen videntur, ſaltem a mortali, ut jam dixi, ſcrupuloſi, rudes, & ſimplices, qui vel ex anxietate, vel ex turbatione, vel ex ignorantia, bona fide ſe accuſant de iis, quæ non fecerunt, vel de pluribus quam fecerunt, vel, ut ſint ſecuriores, confitentur dubia ut certa. 4. Mentiri confitendo peccatum veniale quod non eſt, aut negando quod eſt, probabilius eſt tantum veniale: quia tale mendacium non eſt pernicioſum, nec graviter injurioſum Sacramento, cum ſit in materia levi & non neceſſaria. Ita Sylvius poſt Sylveſtrum, utrumque Soto, Angelum, & alios contra Cajetanum. Excipit tamen laudatus Sylvius caſum, quo peccatum veniale falſo accuſatum foret tota materia abſolutionis, tunc enim eſſet peccatum mortale, quia Sacramentum redderetur nullum.

Dices contra hanc Reſponſionem. 1. Qui ſupponeret formæ Conſecrationis materiam indebitam, puta panem hordeaceum, etiam cum pane triticeo, peccaret mortaliter. Ergo ſimiliter in caſu. 2. Forma hic redditur falſa, abſolutio enim reſpicit totam materiam ſubjectam. 3. Iſtud mendacium eſt ſacrilegium. 4. Perjurium etiam in re levi eſt peccatum mortale propter injuriam, quam immediate Deo irrogat. Ergo pariter in noſtro caſu qui Deo mentitur in perſona Confeſſarii. R. cum eodem Sylvio ad 1. diſparitatem eſſe, quod forma conſecrationis primo per ſe deſignet effectum circa materiam, & ideo falſificatur, ſi materia indebita ei ſubjiciatur. Forma autem abſolutionis primo per ſe dirigitur ad perſonam, & ſignificat remiſſionem peccatorum, qui effectus cum poſſit haberi etiamſi aliquod peccatum veniale non ſit jam remiſſibile, ſive propter falſitatem, ſive propter pœnitentis indiſpoſitionem, forma manet vera & efficax. Unde patet Reſponſio ad 2. Ad 3. Sacrilegium in re levi non eſt pluſquam veniale, ut patet in furto rei levis in Eccleſia. Ad 4. diſparitas eſt, quod deformitas perjurii tota refundatur immediate in Deum, qui adhibetur tanquam falſus teſtis; & Auctor falſitatis; deformitas autem mendacii in noſtro caſu refunditur immediate partim in Sacramentum, quod cum aliquali irreverentia tractatur, partim in Confeſſarium, qui decipitur, in re levi tamen, & non neceſſaria, iis autem mediantibus, in Deum.

5. Mentiri in Confeſſione in re gravi, licet omnino impertinente ad Confeſſionem, manet peccatum mortale juxta rationem materiæ, & quale fuiſſet extra Confeſſionem. Et inſuper ex circumſtantia Confeſſionis ſumit augmentum malitiæ, quin imo probabilius inducit novam ſpeciem ſacrilegii. Caſus familiaris mulierculis, quæ ſive ad ſuum ſolatium, ſive ad excuſationem ſuorum peccatorum, graviſſima de proximo, ſive ſimpliciter mentiendo, ſive exaggerando effutiunt. Prima Pars ex ſe patet. Ratio 2. & 3. partis eſt 1. Quia tales notabilem irreverentiam irrogant Sacramento, quo abutuntur ad ſuas graves detractiones, 2. Quia ratione novi peccati mortalis, quod hac detractione committunt, invalidam reddunt Confeſſionem, quam ideo cum novo peccato ſacrilegæ detractionis repetere tenentur. Hinc viderint Confeſſarii, qui hujuſmodi fabulatrices, cum impedire deberent, abſcultant, & quod pejus eſt, ſuis curioſis interrogationibus ad ejuſmodi detractiones alliciunt.

Petes 4. Utrum qui culpabiliter reticet aliquod peccatum mortale in Confeſſione, teneatur repetere omnes Confeſſiones ab illa factas? R. Tenetur repetere illam primam Confeſſionem cum accuſatione ſacrilegii, & alias ſequentes, ſi quas fecerit cum memoria hujus peccati non confeſſi, quia non fuerunt validæ defectu integritatis; alias autem, quas bona fide fecit ſine memoria hujus peccati non tenetur repetere, quia fuerunt integræ formaliter, &, ut ſuppono, alia neceſſaria adhibuit.

Petes 5. Utrum qui inſtituit Confeſſionem generalem, teneatur explicare aliquod peccatum nunquam fuiſſe confeſſum, aut ab ultima Confeſſione fuiſſe commiſſum, & quod? R. Juxta ſententiam communiorem de accuſandis circumſtantiis notabiliter aggravantibus, probabilius affirmative; quia notabiliter variatur judicium Confeſſarii circa peccata jam confeſſa, & non confeſſa, longeque minor pœnitentia injungitur peccatis confeſſis, quam non confeſſis.

Petes 6. Quid agendum ei, qui advertit Confeſſarium dormire, aut dormiviſſe audiendo Confeſſiones? R. Si confitendo advertat dormire, debet eum excitare, & non audita repetere. Si poſt Confeſſionem advertat dormiviſſe, debet in ſequenti Confeſſione repetere tantum peccata non audita; quia Confeſſio fuit integra formaliter & valida. Si vero non poſſit ſcire quæ fuerint non audita, debet omnia repetere.

Petes 7. Utrum qui timet, ne peccata memoria excidant, teneatur ea ſcribere, & de ſcripto vocaliter confiteri Sacerdoti? R. Id quidem eſſe laudabile, ſed neminem ad id teneri. Ita Cajetanus, Soto, Sylvius, Henriquez, Valentia, Tannerus, Sporer, & alii contra Vaſquem. 1. Quia inde ſemper eſt aliquod periculum manifeſtationis, quod nemo tenetur ſubire propter integritatem materialem Confeſſionis. Quia eſt hæc exquiſita diligentia, quam nullus tenetur adhibere. 3. Quia non eſt praxis communis, & in uſu etiam apud timoratos & diligentes. 4. Quia præceptum Confeſſionis Integræ non eſt minus pro rudibus literarum, quam pro ſcientibus ſcribere, & tamen illos non obligat neque ſcribere, neque ſcripturam eo fine diſcere. Ergo nec iſtos. Unde quamvis, ſuppoſito debito examine, peccata quædam exciderent, erit nihilominus integra formaliter Confeſſio, quia pœnitens fecit quantum prudenter & moraliter debet & poteſt.

Petes 8. Utrum quis poſſit valide abſolvi a peccatis, priuſquam ab excommunicatione? R. Qui neſcit aut non recordatur ſe eſſe excommunicatum, vel bona fide credit ſe poſſe prius abſolvi a peccatis, quam ab excommunicatione, valide abſolvetur a peccatis, priuſquam ab excommunicatione, ideoque non eſt iteranda Confeſſio; quia excommunicatio non tollit a Sacerdote juriſdictionem in pœnitentem, ſed prohibet tantum pœnitenti, ne accedat ad Sacramentum non abſolutus ab excommunicatione, quod cum ille, ut ſuppono, ignoret invincibiliter, excuſatur a tranſgreſſione prohibitionis, nihilque obſtat ex hac parte, quin valida ſit abſolutio & confeſſio.

Petes 9. Utrum Confeſſio facta ex fine venialiter malo, v.g. ex vana gloria, ſit invalida? R. Si finis venialiter malus ſit totalis & adæquata ratio, cur eligatur Confeſſio, eſt invalida; quia ut probavimus in Tract. de Actibus humanis Diſſ. 4. Art. 4. § 2. actus alias ſecundum ſe bonus, ſic ad malum finem ordinatus, ex nulla parte eſt bonus, ſed totus malus; manifeſtumque eſt, quod in præſenti caſu peccator nullatenus intendat remiſſionem peccatorum, nec proinde de eis doleat, ut debet. Si vero finis venialiter malus non ſit totalis, & adæquata ratio, cur eligatur Confeſſio, poteſt eſſe valida, quia, ut probavimus ibidem, hujuſmodi finis non vitiat totum actum, & in præſenti caſu non impeditur peccator, ut patet, intendere remiſſionem peccatorum, & dolere, ut debet, de peccatis. Vide locum cit. de Actibus humanis.

Petes 10. Quomodo Confeſſio invalida ſit iteranda? R. Confeſſio invalida, ſive defectu pœnitentis, ſive defectu Confeſſarii, ſi fiat apud alium Confeſſarium, ex integro eſt repetenda tam quoad numerum peccatorum, quam quoad ſpeciem & circumſtantias; quia prior Confeſſio nulla fuit; & reſpectu diverſi Confeſſarii perinde eſt, ac ſi non eſſet facta. Si vero fiat apud eundem Confeſſarium, qui adhuc recordetur, ſi non ſingulorum peccatorum, ſaltem in confuſo ſtatus pœnitentis, ſic ut pœnitentiam convenientem, & congrua remedia præſcribere poſſit, non eſt ex integro repetenda quoad numerum, ſpeciem, & circumſtantias, ſed ſufficit, ſi pœnitens dicat: *Accuſo me de omnibus peccatis, quæ tibi invalide confeſſus ſum, & inſuper de iſto Sacrilegio in illa commiſſo.* Si ſcilicet ex defectu ejus fuerit invalida Confeſſio, ſimul addendo peccata omiſſa, ſi omiſerit, & alia, quæ ab illa Confeſſione commiſit. Ratio eſt, quia cognitio diſtincta ſingulorum peccatorum non eſt neceſſaria, dum profertur abſolutio, ut patet dum pœnitentes indiſpoſiti remittuntur ad certum tempus, aut dum faciunt Confeſſionem generalem per multos dies; quamvis enim Confeſſarius non recordetur diſtincte ſingulorum peccatorum, abſolvit tamen, abſque eo quod cogat illas præcedentes Confeſſiones ex integro repetere. Imo ſæpe in eadem Confeſſione, præſertim ſi ſit prolixa, Confeſſarius, dum abſolvit, non meminit ſingulorum peccatorum confeſſorum.

AR-

ARTICULUS III.

Utrum quis poſſit per alium, ſeu per ſcriptum confiteri.

DUPLEX eſt ſenſus quæſtionis. Primus de Confeſſione facta præſenti Sacerdoti per ſcriptum, vel interpretem. Secundus de Confeſſione facta Sacerdoti abſenti per litteras ſeu internuncium. Utramque duplici §. reſolvemus. Unde ſit

§. I. *De confeſſione facta præſenti Sacerdoti per ſcriptum ſeu interpretem.*

DICO 1. (*Supp. q. 9. a. 3. o.*) Graviter peccat, qui ſine cauſa confitetur Sacerdoti præſenti ſcripto aut nutibus, & non voce propria. Eſt communis ex cap. *Quem pœnitet* 88. de Pœnit. Diſt. 1. Ratio eſt, quia ſine cauſa recedit ab univerſali Eccleſiæ praxi in re gravi, quod fieri non poteſt abſque peccato mortali: & ratione hujus peccati in actuali Confeſſione commiſſi ipſa Confeſſio redditur invalida. Hæc autem univerſalis Eccleſiæ praxis ſequentibus congruentiis innititur. 1. Congruum eſt, ut qui peccando non erubuit offendere Deum, erubeſcat confitendo peccatum. 2. Quia erubeſcentia in confitendo eſt pars pœnitentiæ. 3. Quia ex modo confitendi vocaliter Confeſſarius melius cognoſcit diſpoſitionem pœnitentis. (*Ib.*) 4. Quia ſicut in Baptiſmo aqua aſſumitur, eo quod ſit communior uſui humano ad abluendum, ita convenienter in pœnitentia aſſumitur vox, quæ eſt communior ad manifeſtandum. Iſta comparatio non ſtat, niſi quoad convenientiam tantum, & non quoad neceſſitatem. Dixi: *Sine cauſa*. Patebit ex ſeq. concluſione.

Dico 2. Qui non poteſt ſive phyſice ſive moraliter confiteri vocaliter, poteſt & tenetur, quoties urget præceptum Confeſſionis, confiteri ſcripto ſi poſſit, ſi non, nutibus & ſignis. Quod poſſit, patet; quia accuſatio vocalis non eſt de eſſentia Confeſſionis: Chriſtus enim inſtituens Confeſſionem nihil aliud intendit, quam doloroſam manifeſtationem peccatorum, quod fieri abſolute poteſt aliter quam voce, ſcilicet ſcripto vel nutibus; idque conſtat ex Eccleſiæ praxi in mutis & moribundis. Neque refert, quod Concilium Florentinum requirat Confeſſionem *Oris*; intelligit namque per hæc verba Confeſſionem externam, quam vocat *Oris*, quia ordinarie fit ore.

Unde dixi in 1. Concluſione id eſſe illicitum *ſine cauſa*, & in hac, *qui non poteſt ſive phyſice ſive moraliter*. Phyſice ut ſunt muti & moribundi voce deſtituti: Moraliter ut ſi ægrotus gutture preſſus non niſi ægre loqueretur, aut ſi Confeſſarius ſurdaſter non poſſet excipere Confeſſionem, quin ab aliis audiretur, aut ſaltem de eo ſit periculum, & alius non facile haberi poſſet; in hoc utroque caſu poteſt pœnitens ſcripto confiteri, modo tamen addat vocem ſi poſſit, aut ſi non poſſit, nutibus indicet hanc ſcripturam ordinari ad Confeſſionem & abſolutionem; quia ad id eſt de ſe indifferens. Item a peccato ſaltem mortali excuſant plures Theologi, quibus ſubſcribimus, eum, qui præ vehementi pudore, ut non raro contingit in puellis, Confeſſionem ſcriptam legendam traderet Confeſſario, & adderet vocaliter; *Accuſo me de omnibus, quæ in hac charta legis aut legiſti*. Quia vehemens pudor eſt aliqua excuſationis cauſa, & eſt Confeſſio aliquo modo vocalis, ſicut eſt in eo, qui diceret Confeſſario: Accuſo me de peccatis, quæ tibi ante Confeſſionem expoſui, vel quorum fuiſti teſtis in tali occaſione, vel quæ in heſterna Confeſſione invalida accuſavi; qui caſus communiter admittuntur.

Ratio 2. partis, ſcilicet quod teneatur, eſt; quia modus confitendi ſcripto, licet ſit aliquo modo incommodus, non eſt tamen adeo difficilis, ut cenſeatur moraliter impoſſibilis, præſertim cum obviari poſſit periculo revelationis, adhibitis certis cautelis, puta ſtatim lacerando aut comburendo chartam; (*Ib. ad* 2.) quando autem non poſſumus uno modo, inquit Auctor, debemus ſecundum quod poſſumus confiteri, maxime cum iſtud leve incommodum abunde compenſetur gratia & beneficio abſolutionis. Nec obſtat, quod nemo teneatur ſcribere ſua peccata, ne memoria excidant, ut dicebamus ſuperius: diſparitas eſt, quod major ſit neceſſitas & ſtrictior obligatio confitendi ſimpliciter, quam confitendi integraliter. Vide alias rationes ſuperius.

Dico 3. Nemo tenetur, ſaltem per ſe & vi præcepti Confeſſionis, confiteri per Interpretem. Eſt communis. Quia confeſſio cum tanto onere nullibi legitur præcepta, ſive a Chriſto, ſive ab Eccleſia, nec uſu recepta. Quin e contra in Concilio Later. c. *Omnis utriuſque*, & in Concilio Trid. Seſſ. 14. c. 5. & Can. 6. legitur, quod pœnitens ſolus ſoli Sacerdoti confiteatur. Adde, quod talis Confeſſio ſit ex natura ſua quodam modo publica, licet ex probatis Interpretis maneat occulta; non enim certo conſtat Interpretem teneri ſigillo Confeſſionis: Neque obſtat dictum D. Th. quod quando non poſſumus uno modo, debemus ſecundum quod poſſumus confiteri: id enim intelligitur intra latitudinem præcepti.

Dixi; ſaltem *Per ſe & vi præcepti Confeſſionis*: quia plures volunt, quod ſi quis in periculo mortis ſit incertus de ſua contritione, teneatur ex propria charitate ſibi in tanto ſalutis periculo ſuccurrere confitendo per interpretem, ut fiat capax abſolutionis. Verum id intelligendum arbitror, ſi non poſſit nutibus exprimere aliquod peccatum, quod ſatis eſſet ad abſolutionem. Cæterum in caſu ſufficeret accuſare per interpretem venialia, aut aliquod mortale non inſemans, præciſe ut habeatur materia certa abſolutionis. Idem etiam dicendum eſt in caſu, quo non poſſet fieri confeſſio, niſi aliis audientibus, ut ſi in eodem lecto jaceant plures moribundi.

§. II. *De Confeſſione facta Sacerdoti abſenti per litteras aut internuncium.*

DICO 1. Confeſſio facta per litteras aut internuncium Sacerdoti abſenti & in abſentia abſolventi eſt illicita & invalida. Prob. 1. ex Decreto Clementis VIII. dato ad dirimendam celebrem hac de re controverſiam inter Theologos magna animi contentione in Hiſpania agitatam. Eſt autem hujus tenoris. *Die* 20. *menſis Junii anno a Nativitate Domini noſtri Jeſu Chriſti* 1602... *propoſita quæſtione, utrum liceat per litteras ſeu internuncium Confeſſario abſenti peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere? Sanctiſſimus Dominus noſter auditis votis Patrum Theologorum, & re cum Illuſtriſſimis & Reverend. DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus inquiſitoribus, mature ac diligenter conſiderata, hanc propoſitionem, ſcilicet licere per litteras, ſeu internuncium Confeſſario abſenti peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere, ad minus ut falſam, temerariam & ſcandaloſam, damnavit, ac prohibuit, præcepitque, ne deinceps iſta propoſitio publicis, privatiſque Lectionibus, Concionibus & congreſſionibus doceatur, neve unquam tanquam aliquo caſu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quovis modo deducatur. Quod ſi quis illam, &c.*

Dico 2. cum quibuſdam Confeſſionem, de qua Quæſtio eſt, fuiſſe damnatam a SS. Pontifice ut illicitam, non ut invalidam, quia dixit ſolum, non licere; ſeu damnavit propoſitionem, quæ dicebat *licere*. Sed contra s. Joannes a S. Th. qui circa tempora hujus celebris diſputationis in Hiſpania floruit, teſtatur q. 84. Diſp. 33. a. 4. nunquam fuiſſe quæſtionem circa ipſam Confeſſionem quoad rationem liciti tantum, ſed quoad rationem validi; ſic fuiſſe propoſitam Pontifici, & hoc modo ab omnibus Doctoribus & fidelibus fuiſſe intellectam. 2. Ex ipſis verbis Decreti aperte colligitur Pontificem eam cenſere & decernere invalidam. Prohibet enim, *ne unquam tanquam aliquo caſu probabilis defendatur, aut in praxim quovis modo deducatur*, opinio ſcilicet, quæ dicebat licere, &c. Atqui ſi Confeſſio, de qua eſt quæſtio, eſſet quantum ex ſe valida, foret etiam aliquo caſu licita, nimirum in articulo mortis & caſu extremæ neceſſitatis, quo tempore omnia media valida ſunt licita, id exigente ſupremo æternæ damnationis periculo; ita ut nec a ſum. Pontifice talis confeſſio abſenti facta prohiberi poſſet in hoc caſu cum tanto ſalutis diſpendio.

Prob. 2. Sacerdos in abſentia abſolvens eſt omnino incertus de ſtatu pœnitentis, quippe qui eo tempore, quo miſit litteras vel nuncium, poteſt vel obiiſſe, vel mutaſſe voluntatem, imo & de facto vacare rei mortaliter illicitæ, dum actu Sacerdos profert abſolutionem. Atqui non eſt veriſimile Chriſtum inſtituiſſe Sacramentum Pœnitentiæ his inconvenientibus obnoxium. Ergo.

Dices. Non requiritur certitudo ſtatus pœnitentis in Confeſſario, ut ſit valida Confeſſio, ſed tantum ut ſit licita. Patet in his imprudentibus Confeſſariis, qui ſæpe pœnitentes præſentes, incerti de illorum diſpoſitione, abſolvunt, & valide, ſi revera adſint diſpoſitiones. Ergo. R. D. Ant. Non requiritur certitudo ſtatus pœnitentis in Confeſſario, &c. & tamen debet eſſe poſſibilis ex modo adminiſtrandi Sacramentum, C. Et non debet eſſe poſſibilis ex modo adminiſtrandi Sacramentum, N. Non eſt autem poſſibilis, cum ſit Confeſſio Sacerdoti abſenti, in abſentia abſolvendi.

Inſt. cum Tournely. Sufficit in hoc Sacramento certitudo moralis de ſtatu pœnitentis. Atqui poteſt in ſtatu Concluſionis haberi iſta certitudo moralis & ſufficiens ad abſolutionem: patet tum exemplo moribundi, qui ex teſtimonio aliorum, quod petierit Confeſſionem, abſolvitur: tum exemplo illorum, qui abſentes contrahunt Matrimonium. Ergo. R. N. Min. Ad prob. ab exemplo moribundi, diſparitas eſt, quod non ſit veriſimile, eum, qui in periculo mortis vult confiteri, ſtante eodem periculo, mutare voluntatem; nullus eſt enim, qui non velit mori chriſtiane: ſecus de homine ſano. Adde, quod in

in extrema neceſſitate ſufficiat materia dubia, quæ non ſufficit extra neceſſitatem. Ad exemplum de abſentibus contrahentibus matrimonium per procuratores, diſparitas eſt, quod non ſit unius contrahentis judicare de voluntate interiori alterius contrahentis, ſed ſolum de conſenſu exterius expreſſo, quocumque modo exprimatur, ut in omnibus aliis contractibus; quamvis enim contrahentes eſſent præſentes, poſſet unus denegare conſenſum interiorem, ſicque nullam fieri matrimonium. At confeſſarius debet judicare de voluntate interiori pœnitentis, quod non poteſt, dum abſolvit.

Prob. 3. Vel Sacerdos abſens proferet abſolutionem ſcripto, vel voce. Atqui neutro modo ſtare poteſt Sacramentum. Ergo. Prob. 1. pars Min. Forma abſolutionis debet voce humana & propria exprimi; quod patet, tum ex perpetua Eccleſiæ praxi voluntatem Chriſti nobis manifeſtante: tum ex Concilio Florent. & Trid. in quibus dicitur formam hujus Sacramenti poſitam eſſe in his Miniſtri verbis; *Ego abſolvo te*: hæc enim verba intelligenda ſunt de verbis proprie dictis; quia dum Concilia dicunt verba eſſe formam hujus & aliorum Sacramentorum, ſolum excipiunt matrimonium, ad cujus formam tamen requiruntur verba proprie vel improprie. Adde, quod Florentinum ſubjungat formam Sacramenti pœnitentiæ conſiſtere in verbis, *quæ Sacerdos profert*. Hoc autem intelligitur de verbis proprie.

Prob. 2. pars Min. Hæc particula *Te* in forma abſolutionis, vel æquivalens, dirigitur ad perſonam præſentem; ſignificat enim & demonſtrat præſentem, ſicut hæc verba conſecrationis *Hoc eſt*, propter eandem rationem, diriguntur ad materiam præſentem. Ergo ſicut ideo Sacerdos non poteſt conſecrare materiam abſentem, ita nec abſolvere perſonam abſentem. Nec refert, quod Confeſſarius poſſit dicere *Abſolvo Petrum*, ſeu *abſolvatur Petrus*, in tantum enim iſtæ formæ ſunt validæ, in quantum æquivalent huic, *Abſolvo te*, qui jam confeſſus es.

Dices cum Tournely. Hæc forma matrimonii: *Ego conjungo vos*, poteſt dirigi ad abſentes. Ergo. R. N. Conſ. Diſparitas eſt 1. quia ſecundum nos hæc verba Sacerdotis: *Ego conjungo vos*, non ſunt forma matrimonii, ſed verba contrahentium. 2. Quia procuratores præſentes gerunt vices contrahentium, quod ſufficit in contractibus, ut ad illos quaſi ad contrahentes præſentes verba dirigantur: quia in contractibus, ut jam dixi, contrahens non eſt Judex voluntatis interioris alterius contrahentis, ſed voluntatis quatenus exterius expreſſæ, quam exprimit procurator. At in Sacramento Pœnitentiæ neque litteræ, neque internuncius gerunt vires pœnitentis quoad præſentem diſpoſitionem ejus interiorem, cujus Judex eſt Confeſſarius.

Confir. Concluſio. Nullibi legitur Eccleſiam unquam hanc praxim abſolvendi abſentes tenuiſſe, aut in hoc diſpenſaſſe, cum tamen non defuerint urgentes occaſiones tempore perſecutionum, dum non licebat pro libitu adire Sacerdotes. Quædam exempla in contrarium refert Morinus; at iſta levia ſunt, nec probatur in eis agi de Confeſſione & abſolutione ſacramentali; ſed vel de Confeſſione generali, vel de abſolutione a cenſuris, aut pœnis, aut reconciliativa cum Eccleſia, vel de Benedictionibus, ſeu conceſſionibus Indulgentiarum. Qua de re vide Juenin & Tournely.

Ex dictis colliges contra eundem Tournely & alios invaliditatem Confeſſionis & abſolutionis inter abſentes peti non ex Jure Eccleſiaſtico, ſed divino, ſeu ex ipſa natura & inſtitutione Sacramenti.

Dices 1. in judicio forenſi, ſententia poteſt ferri in abſentes. Ergo & in judicio ſacramentali. 2. Abſens poteſt abſolvi ab Excommunicatione. Ergo & a peccatis. R. ad 1. N. Conſ. Diſparitas eſt, quod judicio forenſi non agatur de diſpoſitione interiori rei, ſed de manifeſtatione ejus criminis ſecundum allegata & probata, quæ cognitio haberi poteſt, etiamſi reus ſit abſens. At in judicio ſacramentali agitur de diſpoſitione interiori pœnitentis, de qua judicare non poteſt Confeſſarius in abſentia. Ad 2. Diſparitas eſt, quod cum Excommunicatio ſit ab Eccleſia, etiam ab ea abſolvat quomodo ipſi placuerit, nec ad id requiritur, quod judicet de diſpoſitione interiori rei. Secus in abſolutione a peccatis, in qua Sacerdos eſt inſtrumentum Chriſti agens ſecundum ejus inſtitutionem, & Judex ad abſolvendum, quos judicare poteſt interius diſpoſitos, & non alios.

Dico 2. Confeſſio facta Sacerdoti abſenti, quamvis in præſentia abſolventi, non ſolum eſt illicita, ſed etiam probabilius invalida. Eſſe illicitam, adeoque non niſi in caſu extremæ neceſſitatis uſurpandam conveniunt modo omnes poſt laudatum Decretum Clementis VIII. & reparationem interpretationis Suares, de qua modo. Idque ratio ſuadet; quia eſt contra communem Eccleſiæ praxim & reverentiam debitam Sacramento, quod ſine cauſa exponitur periculo nullitatis. Eſſe autem invalidam multi negant propter caſum moribundi, cui poteſt & debet impendi abſolutio, modo antea, etiam abſente Confeſſario, petierit Confeſſionem. Attamen

Prob. 1. ex Decreto cit. ubi Pontifex decernit neque Confeſſionem abſenti factam, neque abſolutionem ab abſente datam, poſſe ullo caſu defendi ut probabilem, aut quovis modo deduci ad praxim. Atqui, ut antea arguebamus, ſi ex ſe eſſet valida; aliquo caſu foret probabilis & reducibilis ad praxim, ſcilicet in caſu extremæ neceſſitatis. Ergo.

Dixit quidem olim Pater Suares hoc SS. Pontificis Decretum non debere intelligi disjunctive, ſed copulative ad ſenſum 1. Concluſionis, hoc eſt non damnaſſe Confeſſionem abſenti factam ſeorſim, ſed ſimul Confeſſionem abſenti factam cum abſolutione ab abſente data. Sed illam Patris Suares interpretationem nedum Clemens VIII. ſed ejus Succeſſor Paulus V. reprobavit, & ex ejus libris juſſit expungi, Decreto dato 14. Julii 1605. Adde, quod non eſſet ratio, cur potius una pars quam altera foret damnata, ſi non disjunctive ſed copulative foret propoſitio damnata, ſicque nunc poſſet adhuc ſuſtineri abſolutionem ab abſente datam eſſe licitam & validam, quod nemo nunc admittit.

Prob. 2. Vel pœnitens confeſſus Sacerdoti abſenti per litteras, ipſi advenienti & præſenti ratificaret Confeſſionem factam per litteras & abſolutionem peteret, vel non. Si 1. ceſſat difficultas & caſus, de quo diſputamus, quia tunc confitetur præſenti. Si 2. deeſt materia præſens, nec magis poteſt Sacerdos certificari de præſenti ſtatu pœnitentis, quam ſi abſentem abſolveret; poteſt enim pœnitens mutaſſe voluntatem, carere dolore, habere affectum actualem ad peccatum mortale; non eſt autem veriſimile, ut jam diximus, Chriſtum inſtituiſſe Sacramentum his inconvenientibus obnoxium, Ergo.

Dices. Moribundus, qui abſente Confeſſario petiit Confeſſionem, licite & valide ab eo præſente abſolvitur. Atqui tamen tunc Confeſſio facta eſt abſenti. Ergo hujuſmodi Confeſſio non eſt ex ſe invalida. R. N. Min. Cum enim ſummus Pontifex declaraverit Confeſſionem factam abſenti in nullo caſu valere, ut probatum eſt, & tamen hunc caſum moribundi a ſuo Decreto exceperit, ut ex ore Pontificis teſtati ſunt Leſſius, Bellarminus & Archiepiſcopus Armachanus, ut refert Præpoſitus ad Q. 4. ſupp. n. 84. dicendum eſt hanc moribundi Confeſſionem non eſſe factam abſenti, ſed præſenti per adſtantes ut interpretes.

Si dicas. Ut Confeſſio cenſeatur facta per interpretem, debet eſſe locutio præſentis pœnitentis ad præſentem interpretem, & præſentis interpretis eſſe ad præſentem Confeſſarium; alias non diſtingueretur interpres ab internuncio. Ergo. R. 1. Ita etiam fieri in noſtro caſu; præſens eſt pœnitens, præſentes adſtantes, præſens Confeſſarius, & per teſtimonium adſtantium præſens ipſa Confeſſio, ea ſcilicet præſentia, quæ ſufficit, ut Confeſſarius certificetur quantum fieri poteſt de ſtatu pœnitentis; cum enim non ſit veriſimile infirmum in hoc ſtatu & periculo, a tempore quo deſtitutus eſt ſenſibus mutaſſe voluntatem, prior Confeſſio adhuc moraliter durat, & exprimitur ore adſtantium. Id autem dici non poteſt de Confeſſione facta per litteras vel internuncium. 2. Dato hujuſmodi Confeſſionem ſeu Confeſſionis petitionem in moribundo factam eſſe abſenti per adſtantes quaſi per internuncios, maxime ſi qui aderant petitioni, nunc abſint, & alii ex iſtorum relatione tantum referant; tunc dicimus, quod iſte moribundus non abſolvetur vi præciſe iſtius Confeſſionis, ſed quia, cum adſtantes fide digni, etiamſi ex aliorum relatione, teſtentur ipſum petiiſſe Confeſſionem, aut ſigna pœnitentiæ dediſſe, præſumi poteſt, aut ſaltem dubitari eum in hoc ſtatu per ſigna alioquin naturalia, v. g. gemitus, ſuſpiria, aſpirationes, intuitum fixum oculorum, &c. adhuc nunc conari exprimere exterius ſuam pœnitentiam & ſua peccata, ſicque Confeſſioni, qualis fieri poteſt, eſſe præſentem, & ratione illius Confeſſionis præſentis dubiæ abſolvitur: in extremis enim extrema ſunt tentanda, ut jam dictum eſt.

A R T I C U L U S IV.

Utrum ſexdecim conditiones requirantur ad Confeſſionem?

SEXDECIM conditiones a S. Th. & cæteris Theologis poſt ipſum, ad Confeſſionem requiſitæ comprehenduntur verſibus ſequentibus.

Sit ſimplex, humilis Confeſſio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda & diſcreta, libens, verecunda,
Integra, ſecreta & lachrymabilis, accelerata,
Fortis & accuſans, & ſit parere parata.

Dico. (*Ib. a.* 4. *a.*) Sexdecim conditiones aſſignatæ requiruntur ad Confeſſionem. Prob. Concluſio (*Ib.*), & ſimul breviter explicantur præfatæ conditiones. Conditiones requiſitæ ad Confeſſionem vel ſunt ad bene eſſe ip-

ſius,

Digitized by Google

ſius, vel de ejus neceſſitate. Ad bene eſſe duæ requiruntur: 1. quod ſit *Accelerata*, ut omnes fatentur: 2. quod ſit *Frequens*; quia Confeſſio eſt inſtituta pro peccatoribus. Ergo quo quis ſæpius peccat, ſæpius ea uti debet. Adde, quod non ſit tantum in remedium præteritorum, ſed etiam in cautelam futurorum.

Huic Angelicæ & communi Doctrinæ refragantur quidam his temporibus, qui cum haberi velint cultores & defenſores moralis ſanioris, quam præpoſtere intelligunt, quoſvis peccatores relabentes in peccata etiam diverſæ ſpeciei arcent a Confeſſione per plures menſes, quandoque per annum & ultra, eoſque interim gravibus operibus addicunt pro expiandis, inquiunt, peccatis præteritis, & cavendis futuris. Verum hi non advertunt, inter omnia contra peccatum ſive præteritum ſive futurum remedia præcipuum & efficaciſſimum eſſe Sacramentum Pœnitentiæ, quod, ut jam dixi, eſt a Chriſto contra utrumque peccatum inſtitutum, & ex opere operato confert gratias præteritorum remiſſivas & a futuris conſervativas. Inſuper Deus potius audit juſtos & amicos, quam peccatores & inimicos; facilius autem peccator fit juſtus & amicus Dei per Sacramentum Pœnitentiæ, quam ſine illo per contritionem perfectam, quæ, juxta ipſos adverſarios, eſt admodum rara. Cæterum non intelligimus peccatores in occaſione proxima verſantes, neque conſuetudinarios, aut frequenter in eadem peccata relapſos, qui non curant ut debent ſuam emendationem, de quibus dixi ſupra, ſed peccatores, qui ex humana fragilitate labuntur, etſi frequenter, in diverſa peccata, & bona fide ſe credunt a peccato corde averſos & ad Deum converſos. Confer, quæ dixi ſupra de conſuetudinariis & recidivis.

Conditiones (*Ib.*), quæ ſunt de neceſſitate Confeſſionis competunt ei, vel ſecundum quod eſt actus virtutis, vel ſecundum quod eſt pars Sacramenti. Confeſſio ſecundum quod eſt actus virtutis, conſideratur vel in ratione virtutis in genere, vel in ratione ſpecialis virtutis, vel in ratione ipſa actus. Virtutis in genere ſunt (*Ib.*) quatuor conditiones, ut dicitur 2. Ethic. 1. eſt, quod aliquis ſit ſciens, & quantum ad hoc dicitur, quod Confeſſio debeat eſſe *Diſcreta*, quatenus in omni actu virtutis requiritur prudentia: eſt autem diſcretio, ut majora peccata majori pondere confiteatur, non aliena miſcendo & propria terminis decentibus explicando. 2. conditio eſt, quod ſit eligens, quia actus virtutis debet eſſe voluntarius, & quantum ad hoc ponitur *Libens*. 3. conditio eſt, ut ſit propter debitum finem; & quantum ad hoc ponitur *Pura*, ut ſcilicet recta ſit intentio amicitiam Dei recuperandi, & cætera bona nobis neceſſaria obtinendi. Si ergo ſit propter finem malum moraliter, invalida erit Confeſſio; ſi propter finem venialiter malum, puta propter vanam gloriam, poterit eſſe valida, ſi nempe vana gloria non ſit cauſa totalis & adæquata Confeſſionis, ut dixi ſupra; cum peccato enim veniali poſſunt adeſſe omnia ad validitatem Confeſſionis neceſſaria. 4. conditio eſt, ut immobiliter operetur, & quantum ad hoc dicitur *Fortis*, ut ſcilicet propter verecundiam veritas non omittatur.

Virtutis autem ſpecialis (*Ib.*) ſcilicet pœnitentiæ, cujus Confeſſio eſt actus, ſunt tres conditiones. 1. ſumit initium in horrore turpitudinis peccati, & quantum ad hoc Confeſſio debet eſſe *Verecunda*, ut ſcilicet non ſe jactet de peccatis propter aliquam Sæculi vanitatem admixtam. 2. progreditur ad dolorem de peccato commiſſo; & quantum ad hoc dicitur, quod debeat eſſe *Lacrymabilis*, non neceſſario oculis corporis, ſed corde. 3. in abjectione ſui terminatur, & quantum ad hoc debet eſſe *Humilis*, ut ſe pœnitens miſerum & infirmum confiteatur, & non quærat excuſationes in peccatis, ea imputans tentationi, marito, uxori, &c. Hoc enim impingunt illæ mulierculæ, dictæ vulgo devotariæ, quæ gravia peccata confitentur Confeſſario extraordinario, levia ordinario: quod tamen minus malum eſt, modo gravia prius confiteantur, quam aliquid notabile ſubticendo Confeſſionem ſacrilegam facere.

Ex ipſa autem ratione hujuſmodi actus (*Ib.*) habet Confeſſio 4. conditiones; quia inde habet, quod ſit manifeſtativa; hæc vero manifeſtatio poteſt impediri per quatuor: 1. Per falſitatem, & quantum ad hoc dicitur, quod debet eſſe *Fidelis*, id eſt vera. Quale autem ſit peccatum mentiri in Confeſſione dixi ſupra a. 2. §. 5. 2. Per obſcuritatem verborum, & contra hoc dicitur *Nuda*. Qui ergo verborum ambagibus & æquivocationibus intendunt occultare circumſtantias neceſſario confitendas, Confeſſionem ſacrilegam & nullam faciunt. 3. Per verborum multiplicitatem, & ad hoc ponitur *Simplex*, ut non revelet in Confeſſione niſi id, quod ad quantitatem peccati attinet; ex quo capite peccant, qui contra reverentiam Sacramento debitam impertinentia ad Confeſſionem narrant, ſicut & Confeſſarii, qui de iis interrogant, aut narrantes tolerant; non tamen graviter, ſi, quæ narrant, non ſunt pernicioſa. 4. Per ſubtractionem, ut ſcilicet non ſubtrahatur aliquid de his, quæ manifeſtanda ſunt, & contra hoc dicitur *Integra*. De qua conditione dixi pluſquam ſatis a. 2.

Secundum autem (*Ib.*) quod Confeſſio eſt pars Sacramenti, concernit judicium Sacerdotis, qui eſt Miniſter Sacramenti, ex quo oportet, quod ſit *Accuſans* ex parte pœnitentis; *Parere parata* per comparationem ad Confeſſarium judicem, & *Secreta* quantum ad conditionem fori, in quo de occultis conſcientiæ agitur. Obſervandum, quod cum auctor dicit quaſdam conditiones eſſe de neceſſitate Sacramenti, inter alias; quod ſit *Secreta*, non intelligat de eſſentia; quamvis enim Chriſtus inſtituerit Confeſſionem ſecretam, non tamen abſolute prohibuit publicam, ut patet ex antedictis; ſed quod ordinarie non liceat aliter confiteri, quam ſecreto, præſertim peccata occulta & infamantia; hoc enim eſſet contra jus naturæ & praxim Eccleſiæ.

DISSERTATIO VIII.

DE SIGILLO CONFESSIONIS.

QUæ Auctor docet q. 10. de effectibus Confeſſionis, patent ex dictis Diſſ. 3. de effectibus Pœnitentiæ. Sigillum Confeſſionis (*Supp. q. 11. a. 3. o.*) nihil eſt aliud, quam obligatio celandi audita in Confeſſione, metaphora ſumpta a ſigillo, quo obſignamus, quæ volumus eſſe ſecreta.

ARTICULUS I.

Utrum in nullo caſu liceat Sacerdoti revelare peccata, quæ audivit in Confeſſione?

DICO. (*Ib. a. 1. o.*) Jure naturali, divino, humano prohibetur Sacerdos revelare in quovis caſu, ſive directe, ſive indirecte, peccata audita in Confeſſione ſacramentali, ſine expreſſa & ſpontanea licentia pœnitentis. Prob. 1. Pars. Contra jus naturale eſt diffamare proximum, violare Religionem ſecreti, & mentiri. Atqui qui peccata audita in Confeſſione revelat, diffamat proximum peccata ejus manifeſtando, violat Religionem ſecreti, quod ipſi fuerat creditum, & quod ſervare tacite promiſerat: (*Ib.*) ac tandem mentitur, quia dicit ea ſe ſcire ut homo, quæ tamen neſcit ut homo, ſed ut Deus, ſeu Dei Vicarius.

Prob. 2. Pars 1. (*Ibid.*) Nunquam eſt licitum agere contra ſignificationem Sacramenti, id enim eſt Sacrilegium contra reverentiam ipſi, ut a Chriſto inſtituto, debitam. Atqui per Confeſſionem ſignificatur tegenda omnino eſſe peccata. Ergo vi inſtitutionis Sacramenti Sacerdos tenetur audita in Confeſſione celare, & tanquam violator Sacramenti peccat, qui ea revelat. Prob. Min. Quæ exterius aguntur in Sacramentis, ſunt ſigna eorum, quæ interius aguntur, & ideo Confeſſio, qua quis Sacerdoti ſe ſubjicit, eſt ſignum interioris ſubjectionis, qua quis Deo ſubjicitur. Atqui Deus peccata illius, qui ſe ſibi ſubjicit per pœnitentiam, quantum eſt ex parte Sacramenti, omnino tegit, quaſi nunquam fuiſſent. Quod ſi de facto id non accidat, quia forte non abſolvitur confeſſus, hoc eſt ex ejus defectu, & non quantum eſt ex parte Sacramenti. Ergo per Confeſſionem ſignificatur tegenda eſſe omnino peccata.

2. Qui præcipit finem, præcipit media neceſſaria ad illum. Atqui Chriſtus præcepit Confeſſionem, & Confeſſio ſtare non poteſt, ſi vel in uno caſu liceat eam revelare. Ergo præcipit celationem peccatorum confeſſorum in omni caſu. Prob. Min. Si vel in uno caſu liceret revelare Confeſſiones, homines ſuſpicarentur etiam in aliis ſimilibus caſibus licere, aut a Confeſſariis per Epikeiam fundatam, vel infundatam ad alios caſus trahi, ſicque fieret ipſis odioſa Confeſſio, atque ab ea penitus deterrerentur; vel ſaltem peccata, quæ ſuſpicarentur revelanda, non accuſarent; nemo enim tenetur accuſare peccata, quæ jure timet revelanda, & ſic oppoſita Doctrina non ſolum foret injurioſa Sacramento, & contra Chriſti præceptum, ſed prorſus inutilis, imo & pernicioſa, quia ſi accuſarentur illa peccata, Confeſſarius prudens poſſet pœnitentes a mala voluntate avocare. Ergo. Adde, quod præceptum de non revelanda Confeſſione ſit negativum, quod ſemper & pro ſemper obligat.

Prob. 3. Pars. Cap. *Sacerdos* de pœnit. Diſt. 6. ſic decernitur; *Sacerdos ante omnia caveat, ne de his, quæ ei confitentur, peccata recitet... Nam ſi hoc fecerit, deponatur, & omnibus diebus vitæ ſuæ ignominioſus peregrinando pergat.* Et in Concilio Later. ſub. Innoc. III. *Caveat Sacerdos, ne verbo aut ſigno, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem... Quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio ſibi detectum præſumpſerit revelare, non ſolum a Sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam pœnitentiam perpetuam in arctum Monaſterium detrudendum.* Ergo. Hæ autem pœnæ, ut patet, non ſunt latæ, ſed ferendæ ſententiæ.

Dixi; *Directe vel indirecte:* item, *ſine licentia pœnitentis.* Hæc infra explicabuntur. Item *in Confeſſione ſacramentali*, de quo in fine præſentis articuli.

CONSECTARIA.

Ex his inferes 1. in nullo caſu imaginabili, ſive agatur de amittenda vita, ſive de proditione Reipublicæ, ſive de ſubverſione fidei in aliqua Provincia, licitum eſſe revelare Confeſſionem, quia, ut dictum eſt, ſigillum eſt ex ipſa inſtitutione Sacramenti præcepti divini negativi, & agitur de bono ſpirituali totius Eccleſiæ in ſervanda frequentatione hujus Sacramenti ad ſalutem omnium inſtituti, quæ præponderant omni altero bono. (*Ib. ad* 1.) Nec oportet ſuccurrere malis humanis per media, quæ neſcit homo; id autem, quod ſcit ex Confeſſione, eſt quaſi neſcitum; quia illud Confeſſarius neſcit ut homo, ſcit ut Deus, ſeu Dei perſonam gerens. Et hinc præoccupantur quædam inſtantiæ. Inferes 2. Frangentem ſigillum triplex peccatum committere, ſcilicet injuſtæ diffamationis, infidelitatis ratione violati ſecreti taciti promiſſi, & Sacrilegii contra ſignificationem & reverentiam Sacramenti.

Inferes 3. Confeſſorem interrogatum de auditis in Confeſſione poſſe reſpondere, imo & jurare ſe neſcire, quia interrogatur ut homo, reſpondit ut homo, & neſcit ut homo. Inſuper interrogatio eſt accipienda de iis, de quibus interrogans habet jus inquirendi, conſequenter reſponſionis ſenſus eſt, neſcio eo modo, quo tibi poſſim & debeam revelare. Si autem interrogetur de auditis formaliter in Confeſſione, ſcilicet, num hoc vel illud audiverit in Confeſſione, multi volunt, quod non poſſit reſpondere, nec a fortiori jurare ſe neſcire, quia ſcit eo modo quo interrogatur; ſed quod debeat reſpondere interrogationem hanc impiam eſſe, cui nec affirmative, nec negative licet correſpondere.

Inferes 4. Duos, qui Confeſſionem pœnitentis audierunt, non poſſe de peccatis auditis inter ſe loqui, etiamſi in utilitatem pœnitentis, quia licet utrique peccata ſint cognita, non tamen ſunt cognita extraſacramentaliter, nec ipſi poſſunt facere extraſacramentalia, ſic clauſa manent ſub ſigillo Confeſſionis. Propter eandem rationem ille, qui peccatum publicum audivit, non poteſt loqui de illo ut audito in Confeſſione. Inferes 5. Sigillum obligare etiam poſt mortem pœnitentis; quia in ejus violatione reſpectu mortis ſequuntur pariter injuſta diffamatio, irreverentia Sacramenti, & avocatio fidelium ab illius frequentatione, quippe quibus ſimiliter fieret odioſum Sacramentum, ſi ſcirent poſt mortem peccata ſua poſſe revelari.

Inferes 6. Confeſſarium, qui non poteſt confiteri peccatum ſuum ſine revelatione Confeſſionis ſibi factæ, teneri illud tacere. Item Parochum, qui ex ſola Confeſſione novit impedimentum inter Sponſum & Sponſam, teneri illos conjungere, ſi petant extra Confeſſionem, & multa alia ſimilia.

Inferes 7. Revelationem peccati venialis etiam eſſe peccatum mortale; quia licet inde non fiat gravis injuria pœnitenti, fit tamen Sacramento, utpote contra ejus ſignificationem & ſanctitatem, redditurque odioſum ſaltem quoad venialia. Unde non datur hic levitas materiæ, & tantum peccatur venialiter ex indeliberatione, ut ſi Sacerdos loquatur de auditis in Confeſſione, non advertens ſe ea ex Confeſſione ſcire, ſed putans ſe loqui de aliunde ſcitis.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Integritas Confeſſionis eſt juris divini, & tamen multiplex ratio ab illa excuſat. Item hoc præceptum; *Non occides*, eſt juris naturalis & divini poſitivi, eſtque negativum; & tamen licitum eſt in certis caſibus occidere. Ergo ſimiliter de ſigillo Confeſſionis. R. N. Conſ. Quoad 1. diſparitas eſt, quod non omnis integritas Confeſſionis ſit juris divini, ſed ſola formalis, & moraliter poſſibilis. Similiter quoad 2. non omnis occiſio prohibetur hoc præcepto: *Non occides*; ſed ſola occiſio injuſta & auctoritate privata. At omnis quæcumque revelatio Confeſſionis, quovis caſu eſt prohibita; quia eſt contraria ſignificationi & fini Sacramenti, ut probatum eſt.

Inſt. 1. Lex naturalis dictat eſſe revelandum crimen alicujus etiam ſub ſecreto cognitum, quando id eſt neceſſarium ad conſervationem præſertim fidei aut Patriæ. Atqui Lex naturalis prævalet Legi poſitivæ de non revelanda Confeſſione, aut etiam Legi naturali de ſervando ſecreto; quia de majori bono agitur. Ergo. R. 1. D. Ant. (*Ib. ad* 1.) Lex naturalis dictat eſſe revelandum crimen, &c. quod ſcitur, Tranſeat Ant. Quod neſcitur, N. Ant. Illud tamen, quod ex Confeſſione ſcitur, eſt quaſi neſcitum, quia illud Sacerdos neſcit ut homo, & tamen debet agere ut homo. 2. D. idem Ant. Lex naturalis dictat revelandum eſſe crimen alicujus ad conſervationem fidei vel patriæ, ſi majus inde malum non ſequatur, Tranſeat Ant. Secus, N. Ant. Majus autem malum ſequeretur ex revelatione Confeſſionis, quam ſit everſio fidei in aliqua Provincia aut Republica, ſcilicet deſtructio Sacramenti in perniciem totius Eccleſiæ. Inſuper inutilis ſeu etiam perniencioſa foret hæc revelatio ad avertenda iſta mala, ſi unquam admitteretur licita in his caſibus; quia tunc iſtorum criminum conſcii, cum ſcirent eſſe revelanda, non accuſarent. Si e contra ſciant non eſſe revelanda, accuſabunt, & adhortationibus atque conſiliis prudentis Confeſſarii forte a mala ſua voluntate avocabuntur; aut ſi conſitentes non ſint horum criminum rei, ſed ea confiteantur ut objecta aut circumſtantias ſui peccati, adhibitis certis cautelis & mediis a Confeſſario præſcriptis, mala ab aliis impendentia forte poterunt impediri.

Inſt. 2. Poteſt dari caſus, in quo pœnitens ipſe crimen confeſſum teneatur revelare. Ergo ſi revelatur a Confeſſario, nulla fit ipſi injuria. R. Eſto non fiat pœnitenti injuria, fiet ſaltem Sacramento in detrimentum omnium fidelium. Inſuper, quamdiu pœnitens non facit peccatum ſuum extraſacramentale, conſentiendo libere ut reveletur, remanet neſcitum, ut dictum eſt; quod autem neſcitur, revelari non poteſt.

Obj. 2. Cæſarius Monachus Ciſtercienſis l. 3. Hiſtoriarum mirab. c. 32. ſcribit Innocentium III. conſultum a Capitulo Generali ſui Ordinis, quid deberet agere Confeſſarius, qui audiret Confeſſionem unius non Sacerdotis, & tamen quotidie celebrantis, reſpondiſſe eo in caſu revelandam eſſe confeſſionem. Item Guillelmus Altiſiodorenſis in ſumma l. 4. Tract. 6. q. 6. refert Theologos Pariſienſes docuiſſe licitum eſſe in certis caſibus revelare Confeſſionem. Item fuerunt olim in uſu Confeſſio publica & pœnitentia publica; ex his autem revelabatur Confeſſio. Ergo. R. ad 1. narrationem Cæſarii non mereri fidem, cum directe contradicat iis, quæ ipſe Innocentius III. definivit in Concilio Later. de ſigillo Confeſſionis inviolabiliter ſervando. Ad 2. Nihil nos movent quidam, forte privati, Theologi Pariſienſes contra ea, quæ protulimus in probat. concluſionis, & contra communem ſenſum ac conſtantem praxim totius Eccleſiæ. Ad 3. Neque Confeſſio publica, neque Pœnitentia publica peccatorum occultorum unquam fuerunt in præcepto in Eccleſia. De confeſſione publica jam diximus, de pœnitentia publica dicemus infra. Adde, quod publicis pœnitentibus pro diverſis peccatis eadem ſæpe pœnitentia injungebatur, & plures nullius criminis conſcii ex zelo pietatis proprio motu ſe illis adjungebant. Unde ex pœnitentia publica peccata non poterant dignoſci.

Petes, ex qua Confeſſione oritur obligatio ſigilli? R. oriri ex omni & ſola Confeſſione ſacramentali; quia eſt proprietas Confeſſionis ſacramentalis, ideoque omni & ſoli Confeſſioni ſacramentali convenit. Cenſetur autem Confeſſio ſacramentalis, quæ fit illi, qui habet aut habere creditur poteſtatem abſolvendi, cum animo ſe peccatorem accuſandi & peccata ſua clavibus Eccleſiæ ſubjiciendi, etiamſi non ſequatur abſolutio. Dicitur; *quæ fit illi, qui habet aut creditur habere poteſtatem abſolvendi*, Unde Confeſſio facta ſcienter Laico, vel Sacerdoti, qui noſcitur carere juriſdictione, non inducit obligationem ſigilli, ſed tantum ſecreti naturalis; ſecus ſi Sacerdos credatur habere poteſtatem abſolvendi; quia tunc quantum ex parte pœnitentis eſt Sacramentalis; fieretque injuria ipſi pœnitenti & Sacramento, quod credit ſubſiſtere, ſi revelaretur. Dicitur; *cum animo ſe accuſandi peccatorem, & peccata ſua clavibus Eccleſiæ ſubjiciendi:* quia ſi quis accedat ad Confeſſarium animo ipſum decipiendi, irridendi, pertrahendi in peccatum, aliquid ab eo extorquendi, &c. non eſt confeſſio ſacramentalis, nec obligat ad ſigillum. Dicitur; *Etſi non ſequatur abſolutio*, ſive ex defectu pœnitentis, qui non apparet ſufficienter diſpoſitus, ſive ex parte Sacerdotis, qui caret juriſdictione in certum caſum, quia hujuſmodi Confeſſio eſt in ordine ad Sacramentum & ideo ſacramentalis; obligatio autem ſigilli ſequitur Confeſſionem ſacramentalem, & non ſolum abſolutionem.

Utrum vero, ſi quis accedat ad Confeſſionem ſine ullo dolore & propoſito emendæ & ſine voluntate abſolutionem recipiendi, ſed tamen cum animo ſe ſubjiciendi Sacerdoti tanquam Eccleſiæ Miniſtro, ſive ut ab illo,

pro-

Digitized by Google

prout poterit, juvetur, ſive ut aliquo modo ſatisfaciat Eccleſiæ præcepto, ſit hæc Confeſſio ſacramentalis inducens obligationem ſigilli? Affirmat Sylvius ex cap. *Quod quidam* de Pœnit. & remiſſ. L. 5. tit. 39. ubi jubetur admitti confeſſionem eorum, qui volunt confiteri, quamvis dicant ſe non poſſe abſtinere, eiſque crebris & ſalubribus monitis pœnitentiam eſſe indicendam. Ratio eſt, quia quamvis ille accedat voluntarie indiſpoſitus, & ex hac parte non ponat materiam abſolutionis; quatenus tamen confitetur animo ſe accuſandi peccatorem, & ſe ſubjiciendi Sacerdoti, ac Eccleſiæ Miniſtro, ejus confeſſio ex *ex parte* eſt aliquo modo ſacramentalis. Cæterum in dubio ſavendum eſt ſigillo.

ARTICULUS II.

Ad quæ ſe extendat Sigillum Confeſſionis.

DIco, (*Ib. a.* 2. c.) Sigillum Confeſſionis ſe extendit directe ad illa omnia, de quibus eſt ſacramentalis Confeſſio, hoc eſt ad omnia peccata tam mortalia quam venialia, eorum objecta, complices & qualvis alias circumſtantias. Quia ſigillum eſt aliquid annexum Confeſſioni ſacramentali; quod autem annexum eſt alicui Sacramento, non extenditur directe ultra illud. Indirecte autem extenditur ad ea, (*Ib.*) quæ licet non cadant ſub confeſſione ſacramentali, per ea tamen poſſet deveniri in notitiam peccati, vel peccatoris, & ad ea, quæ per ſe vel per accidens poſſent confeſſionem, verecundiam, malam ſuſpicionem vel aliquod nocumentum generare pœnitenti vel alteri; hac ſcilicet ratione generali, quod alioquin Sacramentum redderetur odioſum & deſertum.

Hinc cadunt ſub ſigillum non ſolum omnia peccata mortalia & venialia, eorum objecta, complices & aliæ circumſtantiæ, ut dictum eſt, ſed etiam pœnitentia injuncta, indiſpoſitio pœnitentis, negatio abſolutionis aut ſchedæ confeſſionis, & ſimilia, quæ indirecte peccatum revelant. Item defectus tam naturales quam morales & ſcrupuli ex ſola confeſſione cogniti, ex quorum revelatione gravatur pœnitens.

Explicantur breviter ſingula.

OMnia peccata mortalia tam in genere quam in ſpecie. Unde violat ſigillum non ſolum, qui revelat hoc vel illud Titii peccatum, ſed qui dicit eum eſſe confeſſum mortale vel mortalia, caſum reſervatum aut cenſuram, item ſi audita in Tribunali aliis audientibus. Item ſi de aliquo loco vel communitate non ampla, de Collegio, Monaſterio, vel etiam Congregatione integra dicat ibi perpetrari gravia crimina, quia communitas inde infamatur, quæ infamia redundat in ejus membra, & reddit ſacramentum odioſum: ſecus ſi de populoſa Civitate, Provincia, Regno, diceret in eo committi peccata mortalia. Narrare autem peccata audita in confeſſione, non indicando neque directe neque indirecte auctores, ita ut moraliter loquendo innoteſcere non poſſint, non eſt violare ſigillum; attamen ſecluſa utilitate inſtructionis vel conſilii petendi, abſtinendum eſt a ſimilibus narrationibus & colloquiis; tum quia ſimplices ſcandaliſantur putantes inde frangi ſigillum confeſſionis; tum propter periculum revelationis, quæ contingere poteſt, & quandoque contingit, ex collatis Confeſſarii dictis in diverſis locis & temporibus: ut ſi dicas uno tempore, primam tuam pœnitentem confeſſam fuiſſe adulterium; & alio tempore prioris dicti tui immemor dicas coram iiſdem, talem fuiſſe primam tuam pœnitentem.

Omnia peccata venialia, in ſpecie non in genere. Unde trangeret ſigillum, qui diceret; talis mihi confeſſus eſt hoc vel illud peccatum veniale; quia, ut dixi ſuperius, non datur hic levitas materiæ; ſecus ſi diceret; mihi confeſſus eſt venialia; quia inde non gravatur pœnitens, cum notum ſit Confeſſionem non fieri ſine ſaltem venialibus; unde perinde eſt ac ſi diceret ille mihi confeſſus eſt. Non poteſt tamen dicere *plura & gravia venialia*, quia id non ſequitur ex confeſſione. Caveat etiam, ne loquendo de venialibus præbeat anſam ſuſpicandi mortalia vel de eodem vel de aliis; ut ſi diceret: talis hodie nonniſi venialia mihi confeſſus eſt, ſtatim audientes ſuſpicarentur alias confeſſum fuiſſe mortalia; aut ſi poſt auditas Confeſſiones in uno loco, Collegio, Monaſterio, de uno ſingulariter dicat; iſte non confeſſus eſt niſi venialia; præbet anſam audientibus ſuſpicandi alios mortalia fuiſſe confeſſos. Idem dicendum, ſi loquendo de pluribus ſibi confeſſis unum inter alios ſingulariter laudat de probitate, caſtitate, &c. inde enim audientes ſuſpicantur alios non eſſe ita probos, caſtos, &c. Secus eſſet, ſi omni comparatione ſecluſa ſermo eſſet de uno tantum.

Objecta peccatorum: ut ſi pœnitens confiteatur ſe male locutum fuiſſe de tali puella gravida, vel de furto, aut homicidio Titii, peccatum puellæ & furtum Titii cadunt ſub ſigillo tanquam circumſtantiæ peccati confeſſi. Et quamvis quidam dicant, quod, ſi iſta peccata confitentia ſint publica, non cadant ſub ſigillo; quia pœnitens ſupponit illa omnibus nota, neque ideo velit ea includi ſub ſigillo; non puto tamen Confeſſarium poſſe de eis loqui ut cognitis ex Confeſſione. Unde improbandos cenſeo, qui orto ſcandalo in aliquo loco dicunt (ut frequens eſt) eum Confeſſariorum continuo vexari de oblocutione injuſte in confeſſione detecti. *Complices* ſive juſte ſive injuſte in confeſſione detecti: & aliæ *circumſtantiæ*, etſi non neceſſario accuſandæ, ſed quas pœnitens erronee putat eſſe accuſandas, ſi ipſius aut alterius intereſt eas celari. Cætera vero in confeſſione narrata, ſed confeſſioni impertinentia, non cadunt ſub ſigillo.

Pœnitentia injuncta; ſi nempe ſit gravis & quæ ſolet aſſignari pro peccato mortali, quia ex ejus revelatione dignoſcitur pœnitentem peccaſſe mortaliter. Item *indiſpoſitio pœnitentis & negatio abſolutionis*, propter eandem rationem. Ubi autem conſuetum eſt dare ſchedam confeſſionis, Confeſſarius non poteſt ſine fractione ſigilli eam denegare pœnitenti, quem non abſolvit; non debet quidem ſcribere, ſe abſolviſſe; ſed ſimpliciter, ſe excepiſſe confeſſionem talis.

Defectus tam naturales quam morales ex ſola confeſſione cogniti, ut eſſe ſpurium, Eunuchum, fictum nobilem, de genere Judæorum aut Magorum, ignarum myſteriorum Religionis, irregularem ſine delicto, pauperem, debitis gravatum, minus expertem in ſua arte, ſcrupuloſum, &c. ex eodem ſemper principio, quod alias confeſſio redderetur odioſa. Dixi *ex ſola Confeſſione cogniti*, quia ſi aliunde hos defectus cognoſcat Confeſſarius, poteſt de eis loqui ſecundum cognitionem extraſacramentalem, quam habet. Idem dicendum de peccatis, ut fuſius dicam infra.

Petes 1. Utrum Confeſſarius poſſit imponere pœnitentiam publicam, ex qua ſequitur indirecta revelatio confeſſionis? R. negative, niſi ex ſpontanea acceptatione pœnitentis. Patet ex dictis.

Petes 2. Utrum Confeſſarius poſſit injungere ſub comminatione negandi abſolutionem, quod judicat neceſſarium ſive ad reparationem præteriti, ſive ad cautelam futuri, v. g. reſtitutionem, dimiſſionem officii, concubinæ, aut alterius occaſionis proximæ, &c. ex quo ſequatur indirecta revelatio confeſſionis? R. affirmative: quia tunc non tam Confeſſarius imponit præceptum Pœnitenti, quam declarat obligationem, quæ in ipſo eſt, ad cujus impletionem habet jus urgendi pœnitentem, etiam denegatione abſolutionis, ut ipſo ſuo munere debito fungatur.

Petes 3. Utrum ſecretum creditum & acceptum extra confeſſionem ſub ſigillo confeſſionis reipſa cadat ſub ſigillo confeſſionis? R. negative; (*Ib. ad* 2.) quia ſigillum confeſſionis ex ſola ſacramentali confeſſione ſequitur. Neque quia de facili poteſt ſic aliquid tradere vel recipere; cum enim nullum ſecretum æquiparari poſſit ſecreto confeſſionis, id ſic difficile abſque aliqua irreverentia Sacramenti.

ARTICULUS III.

Quinam teneantur ſigillo Confeſſionis?

DIco. (*Ib. a.* 3. *c.*) Proprie loquendo ſeu primario & principaliter tenetur ſolus Sacerdos; quia ipſe ſolus eſt Miniſter hujus Sacramenti, cui annexum eſt ſigillum. Secundario autem & per participationem tenentur omnes, ad quos confeſſionis notitia quovis modo pervenit: quia ſicut hi, ad quos notitia confeſſionis pervenit, participant aliquid de actu confeſſionis, ita participant aliquid de ſigillo confeſſioni annexo. Hinc inferes 1. Sigillo teneri non ſolum verum Confeſſarium, ſed etiam fictum, ut ſi Laicus aut Sacerdos carens juriſdictione, ſe ſimulans Confeſſarium, confeſſionem excipiat: quia hujuſmodi confeſſio ex intentione pœnitentis eſt ſacramentalis, & ad abſolutionem ſacramentalem ordinata, licet errore facti revera non ſit. 2. Tenetur interpres communicans cum Confeſſario in ipſo actu confeſſionis. Similiter ſcribens confeſſionem alicujus rudis aut amici. 3. Tenentur audientes, ſive caſu, ſive voluntarie & ex induſtria, non ſine gravi Sacramenti injuria, confeſſionem alterius, & ii quibus illam ſacrilege revelant, etiamſi revelatio ad innumeros tranſiret; quia res tranſit cum ſuo onere. (*Ib.* 4. *ad* 4.) Idem dic de iis, quibus Confeſſarius etiam cum licentia pœnitentis revelat, niſi aliter ſe explicet pœnitens.

Quidam volunt etiam teneri ſigillo eum ſive Confeſſarium, ſive alium virum doctum, etſi Laicum, cui pœnitens aliqua de ſuis peccatis communicat in ordine ad confeſſionem faciendam, idque innoteſcit conſulto: quia, inquiunt, cum ſæpe contingat pœnitentes indigere conſultatione ante confeſſionem, ſi illi non adſtringerentur ſigillo, confeſſio fieret odioſa. Verum alii negantibus aſſen-

Digitized by Google

ſentiur; quia iſte notitia neque eſt conſeſſio inchoata, neque procedit ex confeſſione facta. Ad rationem oppoſitam R. non teneri pœnitentes ad hujuſmodi conſultationem, ſi timeant, ne conſulti ſua peccata revelent; abſque ea enim poterit eſſe confeſſio formaliter integra. Et alioquin nimium extenderetur ſigillum confeſſionis, cum frequentiſſime & paſſim ſæculares conſulant viros doctos in ordine ad ſuas confeſſiones, nec id lateat conſultos, abſque eo quod conſulentes cogitent aut intendant illos obligare ad ſigillum confeſſionis, ſed ad ſecretum naturale tantum.

4. Tenetur ſuperior, a quo pœnitens per ſe vel per Confeſſarium petit extra confeſſionem licentiam abſolvendi a reſervatis, quia illa petitio licentiæ eſt inchoata confeſſio, & illa notitia, quam ſuperior accipit a Confeſſario, ipſe Confeſſarius accepit ab inchoata confeſſione. 5. Tenetur ſecundum plures, qui caſu vel ex propoſito legit deſcriptam alicujus confeſſionem, ſive factam, ſive faciendam; quia illa ſcriptura eſt quaſi internuncia peccatorum, eſtque vel inchoata confeſſio, vel confeſſionem factam gerens. Alii tamen id etiam probabiliter negant; quia hæc ſcriptura non eſt proprie confeſſio ſacramentalis, ſed inſtrumentum aut præparatio ad illam pro juvanda memoria facta; ſicut ſi quis ſe præparans ad confeſſionem alta voce recitaret ſua peccata, aut, ut modo dicebamus, conſuleret pro confeſſione facienda, audiens aut conſultus non teneretur ſigillo confeſſionis. Equidem ita videtur rem phyſice conſiderando, et forte aliter videbitur, ſi res moraliter conſideretur, & attendatur ad ſenſum communem. Judicet prudens Lector.

Petes, an ipſe pœnitens teneatur ſigillo? R. negative; & primo quoad ſua peccata, in tantum tenetur ea celare, in quantum tenetur ſe non infamare, quod eſt juris naturalis. Quoad ea vero, quæ ſpectant Confeſſarium, tenetur ſecreto naturali, ſi ea revelare nequeat abſque ejus, aut alterius, ſeu Sacramenti præjudicio, alias non tenetur.

ARTICULUS IV.

Utrum de licentia Confitentis poſſit Sacerdos ejus peccatum alteri prodere?

Dico. (*Ibid. ad* 4. s.) Poteſt Sacerdos de licentia expreſſa & ſpontanea confitentis ejus peccatum alteri prodere. Prob. (*Ibid.*) Ideo Sacerdos tenetur peccatum confeſſum occultare, quia occultatio eſt de neceſſitate Sacramenti, in quantum ſcit illud ut Deus, ſeu Dei perſonam gerens. Atqui confitens per licentiam, quam dat illud prodendi, ſive illam det intra, ſive extra Confeſſionem, facit, quod id, quod Sacerdos ſciebat ut Deus, ſeu Dei perſonam gerens, jam ſciat ut homo; non quod accipiat novam notitiam, ut recte obſervat Sylvius, ſed quia eſt novus notitiæ modus, quo fit, ut id quod ſciebat ſacramentaliter & ut Dei Vicarius, jam humana notitia teneat, ſicut qui habet aliquid ſub ſecreto naturali, ſi ille, qui illud commiſit, liberet a vinculo ſecreti, abſque eo quod rem iterum narret, poteſt alter ſine peccato prodere. Confir. (*Ibid. in a. f. c.*) Quid poteſt aliquid per ſe facere, poteſt etiam per alterum facere. Atqui confitens poteſt peccatum ſuum per ſe alteri revelare. Ergo poteſt per Sacerdotem. Dixi; *De licentia expreſſa & ſpontanea*; quia non ſufficit implicita, dubia, interpretativa aut præſumpta, neque vi, dolo, precibus importunis aut metu reverentiali extorta.

Dices. Quod eſt inſtitutum propter bonum totius Eccleſiæ & reverentiam Sacramenti, non poteſt ex arbitrio unius irritari, ſicut Clericus non poteſt cedere privilegio conceſſo in favorem ſtatus clericalis. Atqui celatio confeſſionis eſt inſtituta ad bonum totius Eccleſiæ, ut homines confidentius ad confeſſionem accedant, & ad honorem Sacramenti. Ergo. (*Ibid. ad* 2.) R. D. Min. Celatio confeſſionis quatenus remanet Sacramentalis eſt propter bonum Eccleſiæ & reverentiam Sacramenti, C. Quatenus fit extra ſacramentalis per licentiam confitentis, N. Suppoſita igitur licentia pœnitentis non tollitur, quod eſt inſtitutum propter bonum commune & honorem Sacramenti, quia ſigillum non frangitur, cum dicatur id quod alio modo ſcitur, & eſt extraſacramentale.

Ex his inferes contra quoſdam Scotiſtas Confeſſarium de licentia expreſſa pœnitentis poſſe revelare non ſolum illius peccata, ſed etiam complicis ad aliquem bonum finem, puta ad ejus correctionem: 1. Quia ſigillum eſt præſertim & primario in favorem confitentis, ſi ergo is cedat juri ſuo, non eſt cur peccatum complicis gaudeat jure ſigilli. 2. Quia Pœnitens per licentiam datam facit peccatum ſuum extraſacramentale, ideoque non amplius obnoxium ſigillo, nec conſequenter peccatum complicis. Attamen quia, ut dicit Auctor, (*Ibid. ad* 3.) imminet Sacerdotibus probare licentiam datam, de fractione ſigilli accuſator, & quia graviſſima incommoda poſſunt ſequi ex revelatione peccatorum tum pœnitentis, tum complicis, per Confeſſarium; is non debet facile acceptare iſtud unus, ſed tantum ſi urgeat neceſſitas aut magna utilitas, & ipſe pœnitens aut alter id præſtare non poteſt: quo caſu hanc licentiam, quantum fieri poteſt, non acceptet in Confeſſione, ſed extra in ſcriptis.

Petes 1. Utrum Confeſſarius poſſit loqui cum ipſo pœnitente de auditis in Confeſſione abſque ejus licentia? R. 1. poſſe in eodem Tribunali, hoc eſt in confeſſione ſequenti, ſi id expediat ad rectitudinem præſentis confeſſionis & judicii; quia licet ſola peccata præſentia ſint materia directa præſentis confeſſionis, præterita tamen, quatenus rectitudini præſentis confeſſionis & judicii expediunt, ad illud indirecta pertinent; & hæc eſt praxis timoratorum Confeſſariorum, qui v. gr. pœnitentes ob relapſus arguunt: atque incaſſum adhortaremur pœnitentes eodem ſemper Confeſſario uti, ſi is deberet ſe gerere, ac ſi neſciret præcedentes confeſſiones. Dixi tamen; *Si expediat ad præſentis Confeſſionis & judicii rectitudinem*; quia alias, cum præcedens judicium ſit abſolutum, nec præterita peccata pertineant, ut ſuppono, ad præſentem confeſſionem, non video, quo jure confeſſarius poſſit refricare memoriam illorum, maxime cum id natum ſit cauſare ruborem pœnitenti, & inde horrorem Sacramenti.

R. 2. Confeſſarius non poteſt extra confeſſionem loqui cum pœnitente de auditis in confeſſione ſine ejus licentia. Quia quamvis id non ſit proprie frangere ſigillum; fractio enim ſigilli eſt violatio ſecreti; non violat autem ſecretum, qui loquitur cum illo, qui ſecretum commiſit, ſed qui cum aliis; eſt tamen natum cauſare verecundiam pœnitenti, & odioſum reddere Sacramentum; & ideo arbitror contra quoſdam, id etiam non licere, quamvis ageretur de defectu confeſſionis præcedentis reparando. Sed in hoc caſu debet Confeſſarius revocare pœnitentem ad Tribunal, aut petere licentiam loquendi de confeſſione.

Obſervandum tamen 1. quod ſi pœnitens ipſe extra confeſſionem primus loquatur cum Confeſſario de peccatis confeſſis, poſſit etiam Confeſſarius de illis loqui cum illo; quia tunc licentiam concedit in actu exercito. Obſervandum 2. quod immediate poſt abſolutionem Confeſſarius poſſit ſine ulteriori licentia loqui cum pœnitente de auditis in confeſſione, quia moraliter adhuc durat idem judicium; ſecus ſi pœnitens receſſerit, aut de aliis ſermo intervenerit.

Petes 2. Utrum de auditis formaliter in confeſſione liceat Confeſſario loqui cum licentia pœnitentis dicendo v. gr. hoc iſte mihi dixit in confeſſione, is erat indiſpoſitus, hunc abſolvi, &c. Scotiſtæ reſpondent negative, nec improbabiliter; quia, inquiunt, ſigillum eſt primario inſtitutum in reverentiam Sacramenti; & ſecundario tantum in favorem pœnitentis. Unde licet iſte poſſit cedere juri ſuo faciendo peccatum ſuum extraſacramentale, non tamen juri Sacramenti. Doctiſſimus Sylvius hic a. 4. ad 3. negat hanc rationem, & dicit ſigillum eſſe primario præceptum in favorem pœnitentis, ne ſcilicet confeſſio ſit illi odioſa & formidabilis, & conſequenter tantum ac ſecundario in honorem Sacramenti, ne, ſi non ſervaretur ſigillum, Sacramentum maneat deſertum & deſtruatur. Unde cum poſita licentia pœnitentis confeſſio non fiat ipſi odioſa, ceſſat etiam periculum irreverentiæ & deſtructionis Sacramenti, adeoque nullum videtur eſſe jus in Sacramento, ut audita in confeſſione formaliter ut talia non revelentur. Et hoc probabilius nobis videtur. Nec obſtat, quod obligatio ſigilli ſit ex virtute Religionis; quamvis enim obligatio juramenti promiſſorii tota ſit in favorem illius, cui fit, ratio tamen obligationis eſt ipſa virtus Religionis.

ARTICULUS V.

Utrum liceat uti notitia ex ſola Confeſſione Sacramentali hauſta?

Dixi; (*Ibid. a.* 5. s) *Ex ſola confeſſione Sacramentali hauſta*: quia ſi Confeſſarius notitiam peccati confitentis aliunde habet, poteſt illa notitia uti, non quidem dicendo, hoc audivi in confeſſione; quia ſic novit tantum ut Deus, & ideo ſigillum frangeret; ſed illud vidi, ab aliis præſentibus audivi, &c ſic enim nullam facit injuriam pœnitenti aut Sacramento, cum non teneatur celare peccata, niſi quatenus audita in confeſſione; & hic loquitur perinde ac ſi non audiviſſet confeſſionem. Inſuper præcluderetur via juſtitiæ, & homines fierent audaciores ad peccandum, ſi ſcirent ſe non poſſe puniri aut accuſari ab iis, quibus confiterentur. Debet tamen Confeſſarius ſe gerere narrando, ac ſi non audiviſſet confeſſionem, nihil addens ad ea, quæ aliunde novit, nec firmius aſſerens, quam extra confeſſionem novit; alias violaret ſigil-

ſigillum. Neque etiam hac notitia uti debet extra neceſſitatem propter ſcandalum. Hoc præmiſſo,

Dico 1. Nunquam eſt licitum uti notitia confeſſionis, ſi ſubſit periculum revelationis directæ vel indirectæ, aut ſi ſequatur gravamen pęnitenti vel alteri: quia inde confeſſio redderetur odioſa & formidabilis. Et ita reſolvit S. Congr. univerſalis Inquiſitionis 18. Novembris 1682. ſtatuens uſum ſcientiæ confeſſionalis cum gravamine pęnitentis, etiamſi non eſſet periculum revelationis, omnino eſſe prohibendum, quamvis ex non uſu talis ſcientiæ majus gravamen obveniret alteri, aut etiam pęnitenti. Textum hujus Decreti habes apud Tornely, Henno, &c. Et hac de cauſa Clemens VIII. Decreto dato 26. Maji 1594. mandavit, ut: *Tam Superiores pro tempore exiſtentes, quam Confeſſarii, qui poſtea ad Superioris gradum fuerint promoti, caveant diligentiſſime, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in Confeſſione habuerint, ad exteriorem gubernationem utantur ... atque ita per quoſcumque Regularium Superiores, quicumque illi ſint, obſervari mandamus.* Agitur in eo Decreto, ut patet de ſolis Regularium Superioribus.

Dico 2. Si non ſit periculum revelationis, neque ſequi poſſit ullum gravamen pęnitenti vel alteri, licitum eſt uti ſcientia ex ſola confeſſione ſacramentali hauſta. Quia talis uſus non repugnat ſigillo, & Sacramento, ac pęnitenti obeſſe non poteſt, prodeſſe autem poteſt. Unde Confeſſarii quotidie ea notitia utuntur, puta, ut orent pro pœnitentibus, ut caſus auditos dubios & intricatos examinent & inſtruantur, ut ipſi ſe muniant adverſus lapſus ſimiles, &c.

Ex 1. concluſione inferes Superiorem aut Confeſſarium ex ſola notitia confeſſionis non poſſe exercere actus pœnitenti vel alteri ingratos, ſive ſpectent juſtitiam, ſive charitatem, ſive miſericordiam, ſive urbanitatem, ut vultum auſteriorem oſtendere, durius alloqui, fugere ejus colloquium, mittere ad alium locum, recuſare licentiam exeundi, Beneficium, Ordines, expellere domo, puta furem domeſticum, amovere ab officio, denegare ſuffragium in aliqua electione & ſimilia. Neque relevat, quod pœnitens forte non advertat id fieri ex notitia confeſſionis, & non frangatur ſigillum; ſufficit, quod patiatur gravamen, ſi namque ſcirent fideles hæc licite fieri poſſe ex ſua confeſſione, ab ea omnino deterrerentur. Et quamvis olim plures & inſignes Theologi aliter cenſuerint, præſertim quoad actiones, quæ non lædunt jus ſtrictum pœnitentis, ſic tamen nunc videtur dicendum poſt laudata Decreta. Unde quod dixit Auctor hic a. 1. ad 3. & 4. Superiorem poſſe amovere ab officio, ſeu denegare ſuffragium ei, quem ex confeſſione novit indignum propter alios defectus, puta *Scientiæ, ætatis, vel alicujus hujuſmodi*, intelligendum eſt; ſi indignitas, ſeu defectus extra confeſſionem innoteſcant, & quod propter eos ſic egiſſet Superior, etiamſi confeſſionem non audiviſſet.

Augetur difficultas, ſi agatur de actibus, qui non exercentur directe circa pęnitentem, ſed circa extrinſeca ejus peccati impedimenta, ut diligentius res ſuas ſervare, ſeras mutare, claves apud ſe ſervare, obſtruere fores, vel feneſtram, & ſimilia. Multi hæc licere dicunt; quia hujuſmodi actus non debent cenſeri ingrati pęnitenti, ad quos ipſe, ſi vere ſit pęnitens, cooperari tenetur, & ideo inde nulli confeſſio redditur rationabiliter odioſa; quoad Decretum Clementis VIII. dicunt eo tantum prohiberi actus verſantes directe contra perſonas confeſſas, de quibus ante. Hæc quidem probabiliter dicuntur; at non minus probabile eſt oppoſitum, tum quia per hæc tacite exprobantur peccata pęnitenti ſi advertat, & inde erubeſcit; ſi non advertat, obſtare videtur Decretum Clementis VIII. quod non diſtinguit inter actus, & actus, ſed generaliter prohibet, ne hujuſmodi notitia Superiores utantur *Ad exteriorem gubernationem*. Et ita tuto tenendum in praxi arbitror, præſertim a Superioribus Regularium, de quibus explicite loquitur Decretum. Quidam illud etiam extendunt ad alios Superiores, propter, inquiunt, identitatem rationis; Quia Pontifex dixit: *Quemadmodum enim humanarum rerum regimen ab hoc Sacramento diſtat, ita etiam nullatenus ab eo debet dependere.* Quæ ratio currit de omnibus Superioribus. Id tamen non ita conſtat.

Inferes 2. E contra ex 2. concluſione Confeſſarium poſſe ex ſola notitia confeſſionis exercere actus gratos pœnitenti, ut benigniorem vultum oſtendere, familiarius cum ipſo agere, gratias ſpeciales concedere, ab auſteriori regimine, aut verbis, ſeu factis offenſivis abſtinere, &c. etiamſi pęnitens advertat hæc fieri ex notitia confeſſionis; quia, ut dictum eſt, nulla eſt ibi fractio ſigilli, & hæc ipſi grata ſunt, conſequenter non redditur confeſſio odioſa, quin e contra. Item ſi Confeſſarius ex confeſſione unius complicis noverit vinum paratum ad Miſſam eſſe venenatum, ſtructas ſibi inſidias in via, poteſt abſtinere a celebratione, vel alia via pergere, etiamſi alii complices ſuſpicentur, aut advertant hæc agi ex notitia confeſſionis. Quia 1. cum actiones illæ ſint ex ſe indifferentes, & fieri poſſint ex diverſis motivis, non eſt ratio, cur adſtantes credant fieri ex notitia confeſſionis, alioquin ſi juſta cauſa mutandi conſilium ſuperveniret Confeſſario, ut ſi recordaretur ſe non eſſe jejunium, abſtinere non poſſet a Miſſa. Quod autem alii complices ita ſuſpicentur, aut credant, non oritur ea actione Confeſſarii, ſed ex eo, quod aliunde ſciant peccatum, & hoc eſſe confeſſum. Suppono, ut vides, quod ſi tales eſſent circumſtantiæ, ex quibus adſtantes ſuſpicarentur hæc fieri ex notitia confeſſionis, Confeſſarius non poſſet retrocedere propter violationem ſigilli, niſi aliquo prætextu, aut æquivocatione ſuſpicionem amoliretur. At extra hanc ſuppoſitionem, altera ratio Conſectarii eſt; quia nulla in caſu propoſito ſequitur revelatio ſigilli, nullum gravamen pęnitenti aut alteri, ſed ſequitur tantum, quod complices advertant Confeſſarium uti ſcientia confeſſionis in ſui indemnitatem, quod ipſi licet; & quod crimen, quod aliunde ſciunt, ſit confeſſum, in quo nullum eſt inconveniens; ſicut ſi videas me abſolventem perſonam, cum qua hac nocte peccaſti, non eſt inconveniens, quod inde colligas nam hoc peccatum eſſe confeſſum.

At quid ſi inde gravamen ſequeretur pœnitenti, puta quia alii complices ipſum occident propter revelatum crimen, & id ſignificat Confeſſario? Multi volunt in hoc caſu Confeſſarium debere potius mortem oppetere, quam retrogradi cum tanto pęnitentis detrimento, ex quo redderetur odioſa confeſſio. Alii tamen negant; quia nulla eſt ibi revelatio ſigilli, & jure naturæ poteſt anteponere vitam ſuam alienæ; ſicut, inquiunt, ſi herus hæreticus minaretur mortem Confeſſario, niſi declaret, quem ex ſuis domeſticis audivit in confeſſione, poſſet Confeſſarius declarare, etiamſi inde mors immineat iſti domeſtico. Neque putant confeſſionem reddi inde ſimpliciter odioſam, ſed ſolum in talibus circumſtantiis, quæ rariſſime & vix unquam occurrunt. Primum eſt laudabilius & tutius.

Petes, an Confeſſarius vocatus ad pęnitentem, cujus conſcientiam ex prioribus confeſſionibus novit valde intricatam, poſſit ſub alio prætextu recuſare, aut ſe abſcondere ne accedat? R. 1. Poteſt, ſi neque pęnitens, neque alii advertant id oriri ex prioribus confeſſionibus; quia nulla eſt tunc revelatio ſigilli, neque ullum gravamen pęnitenti, cum, ut ſuppono, non deſint alii Confeſſarii, neque ex eo, quod aliquoties audiverim confeſſionem alicujus, contraho obligationem ulterius audiendi. 2. Si advertant alii id oriri ex prioribus confeſſionibus, vel inde ſuſpicentur de pęnitente aliquid mali, non poteſt, quia eſſet revelare indirecte confeſſionem cum gravamine pęnitentis. 3. Si ſolus pęnitens id advertat, quidam dicunt non licere; quia hoc eſſet peccata præterita illi implicite objicere. Alii volunt licere; quia ex una parte non eſt ibi revelatio ſigilli, & ex altera non gravatur pœnitens; quia eſt ipſi minus grave, quod ſic ſe ſubtrahat Confeſſarius, quam ſi ipſi dicat in Tribunali, ſicut licite poteſt, tua conſcientia eſt nimis intricata, quære alium Confeſſarium, nolo amplius te audire. Neque ex tali recuſatione, aut ſubtractione, fideles a confeſſione deterrentur, ſed magis ad eam excitantur, ut experientia conſtat. Et id mihi videtur probabilius.

DISSERTATIO IX.

DE SATISFACTIONE.

Div. Thom. Suppl. QQ. 12. 13. 14. & 15.

ARTICULUS I.

Quid & quotuplex ſit Satisfactio?

SATISFACTIO ſecundum vim generalem nominis eſt omnis illa actio, qua quis facit quantum debet, ſive ſolvendo debitum, ſive reſpondendo expectationi de ſe conceptæ, ſive reddendo ſufficientem rationem eorum, de quibus rogatur. Interdum etiam, qui ſe defendit & excuſat quantum poteſt, dicitur ſatisfacere, quo ſenſu Ambroſ. l. 10. in Lucam dicit: *Lachrymas Petri lego, ſatisfactionem*, id eſt excuſationem ſeu defenſionem, *non lego*. Strictius autem ſumpta ſatisfactio ſignificat compenſationem, quę ſi fiat ad ponendam æqualitatem in rebus

bus ex damno illato debitis, proprie vocatur *reſtitutio*: ſi ad compenſandam offenſam ſeu injuriam illatam, dicitur ſatisfactio: & ſic ſumitur hic pro compenſatione injuriæ Deo per peccatum illatæ; & adhuc ſpecialibus pro compenſatione pœnæ temporalis debitæ ob injuriam Deo per peccatum illatam. Duo ſunt enim in peccato, culpa & pœna æterna; pro culpa & pęna æterna homo non poteſt ſatisfacere de condigno, uti nec juſtificationem, peccatorumque remiſſionem mereri; culpa autem & pęna æterna ſublatis, ſæpe remanet reatus penæ temporalis, de cujus ſatisfactione hic potiſſimum agitur.

Obſervandum eſt aliam eſſe rationem meriti, aliam ſatisfactionis. Meritum reſpicit præmium obtinendum a præmiante, adeoque bonum merentis, aut alterius, cui meretur. Satisfactio reſpicit jus alienum læſum reſarciendum, adeoque bonum offenſi, non ſatisfacientis. Vide de Incarnat. Diſſ. 19. a. 5. in prænotaminibus.

Dico 1. (*Supp. q. 22. a. 3. c.*) Satisfactio pro peccato ſecundum ſe recte definitur: *Compenſatio injuriæ Deo illatæ ſecundum juſtitiæ æqualitatem*. Dicitur: *Compenſatio*, intellige voluntariam; ſi enim retinenti & invito ab alio infligatur, non erit ſatisfactio, prout eſt actus virtutis, ſed ſatiſpaſſio. Nec obſtat, quod ſatisfactio ſacramentalis injungatur a Sacerdote, quia pœnitens ei voluntarie ſe ſubjicit, & eam voluntaria ſibi infixit. Dicitur, *ſecundum juſtitię æqualitatem*, non ſtrictam, quia talis non poteſt eſſe inter Deum & hominem, ſed ſecundum quamdam proportionem, ut infra explicabitur. Satisfactio autem pro pęna temporali reſtante poſt remiſſionem culpæ & pęnæ æternæ definitur: *Solutio pœnæ temporalis peccato debitæ per opera bona & pęnalia a Confeſſario taxata*, ſi nempe ſit ſacramentalis, vel *ſponte ſuſcepta*, ſi ſit extraſacramentalis. Et ita differt hæc ſatisfactio a virtute pęnitentiæ ut pars a toto, quia Pœnitentia adæquate ſumpta eſt ad remiſſionem culpæ & totius pęnæ.

Dico 2. (*Ibid. a. 1. & a. ad 1.*) Satisfactio eſt actus virtutis juſtitię. Quod ſit actus virtutis, patet, quia de ratione virtutis eſt, quod ſervet medium ſeu mediocritatem; hoc autem importat ſatisfactio. To *ſatis* enim dicit medium ſeu æqualitatem. Quod ſit actus juſtitiæ, etiam conſtat ex ſupra dictis, quia eſt actus pœnitentiæ, Pœnitentia autem eſt pars potentialis juſtitiæ, ut dictum eſt.

Dico 3. Satisfactio alia eſt æquivalens ſeu ſufficiens, alia inſufficiens. Sufficiens duplex, una ex parte materiæ, altera ex parte formæ. Sufficiens ex parte materiæ ſeu pretii, quæ dicitur communiter de condigno, eſt quando valor rei ablatæ adæquat ex ſe in recompenſatione debitum; ut ſi quis debet centum & rependat centum ſeu rem valentem centum. Si vero res ablata non habeat ex ſe valorem adæquantem debitum, dicitur ſatisfactio imperfecta ſeu imperfecta ſufficiens ex parte materiæ ſeu pretii. Unde ut ſit ſufficiens, debet ſuppleri quod deeſt ex acceptione & gratia creditoris, quatenus illo modico eſt contentus, reliquum remittens.

Sufficiens & perfecta ex parte formæ ſeu modi juſtitiæ eſt, quæ non ſolum offert valorem debiti, ſed quæ etiam ſervat conditiones ſtrictæ juſtitiæ. Communiter aſſignantur quinque. 1. eſt, ut illa bona ſeu materia, ex qua fit compenſatio, non ſolum adæquent valorem debiti, ſed ſint etiam propria ipſius debitoris. 2. quod ita ſint propria, ut nullo modo ſint ſub dominio creditoris. 3. quod non ſint alio titulo debita. 4. Quod intercedat vera ratio ad alterum. 5. quod teneatur creditor talem ſatisfactionem acceptare, ita quod aliam non poſſit exigere. Si ergo ſerventur quinque aſſignatæ conditiones, dicitur ſufficiens & perfecta ex parte formæ, vel communiter, de toto rigore juſtitiæ. Inſufficiens autem & imperfecta ex parte formæ, ſi aliqua conditio deficiat. 2. Alia eſt ſatisfactio, quæ a Sacerdote injungitur, & dicitur ſacramentalis. Alia, quæ a pœnitente ſponte ſuſcipitur, & dicitur extraſacramentalis. 3. Alia publica, alia privata.

Ex his omnibus ſola iſta ſatisfactio eſt pars Sacramenti, quam Sacerdos tanquam Dei Miniſter in hujus Sacramenti diſpenſatione injungit; hæc enim ſola eſt, quæ a clavibus proficiſcitur. Ita obſervat Catech. Romanus p. 2. c. 5. n. 54.

ARTICULUS II.

De Poſſibilitate & Neceſſitate ſatisfactionis.

Dico 1. (*Supp. q. 13. a. 1. c.*) Homo non poteſt Deo ſatisfacere pro culpa ſecundum æqualitatem quantitatis, poteſt ſecundum æqualitatem proportionis. Prob. 1. Pars. (*Ibid.*) Sicut non poſſumus Deo reddere æquivalens ſecundum quantitatem pro debito Beneficii accepti, ita nec pro debito peccati commiſſi. Confir. Injuria per peccatum irrogata Deo eſt infinita, eo quod offendat perſonam dignitatis infinitæ; honor autem, quem ſatisfactio hominis exhibet Deo, eſt finitus & longe inferior, quia eſt perſonæ dignitatis finitæ. Ergo. Hanc potiſſimam rationem latius deductam require in Tract. de Incarnat. Diſſ. 3. a. 2. §. 2. Prob. 2. Pars. 1. (*Ibid. in a. ſ. c.*) Deus non præcipit impoſſibilia. Atqui præcipit ſatisfactionem, ut dicam modo. Ergo. 2. Dum reddimus Deo, quod poſſumus pro beneficiis acceptis, fit illi ſatis, quia non exigit impoſſibile; eſtque ibi æqualitas, non ſecundum quantitatem, ſed ſecundum proportionem, in quantum, ſicut Deus nobis benefacit, ſecundum quod decet ejus bonitatem & potentiam, ita nos ipſi reddimus ſecundum poſſibilitatem noſtram. Ergo ſimiliter dum illi reddimus pro offenſa compenſationem, quam poſſumus, & exigit, fit illi ſatis; & eſt pariter æqualitas proportionis, in quantum ſicut per peccatum ex toto offenditur, & ex toto illi compenſatio debetur, ita ipſi ex toto, ſeu ex tota poſſibilitate redditur.

Dices. Ille, cujus totum quod habet non ſufficit ad unum debitum exſolvendum, non poteſt pro alio debito ſatisfacere. Sed quidquid homo eſt & poteſt & habet, non ſufficit ad exſolvendum debitum pro beneficio creationis: unde Iſaiæ 40. dicitur; *Ligna Libani non ſufficient ad holocauſtum*. Ergo nullo modo poteſt ſatisfacere pro debito offenſæ commiſſæ. R. D. Maj. (*Ib. ad 3.*) Ille, cujus totum quod habet non ſufficit ad unum debitum exſolvendum, non poteſt pro alio ſatisfacere, ſi totum quod habet exigatur ad unum debitum, C. ſi totum non exigatur ad unum debitum, Subd. Non poteſt ſatisfacere ſecundum æqualitatem quantitatis, C. Secundum æqualitatem proportionis & ſufficienter, N. Et diſtincta Min. ad ſenſum Maj. pariter D. Conſ. Ergo homo non poteſt ſatisfacere Deo pro debito offenſæ commiſſæ ad æqualitatem quantitatis, C. Ad æqualitatem proportionis & ſufficienter, N. Igitur quamvis totum ſuum poſſe homo Deo debeat, non tamen ab eo exigitur de neceſſitate ſalutis, ut totum quod poteſt, faciat; quia eſt ipſi impoſſibile ſecundum ſtatum præſentis vitæ, ut totum poſſe ſuum in aliquid unum expendat, cum oporteat eum circa multa eſſe ſollicitum. Sed eſt quædam menſura homini a Deo adhibita, quæ ab eo requiritur, ſcilicet impletio Mandatorum Dei, & ſuper ea poteſt aliquid erogare, ut ſatisfaciat pro aliis debitis.

Dico 2. Culpa & pœna æterna remiſſis poteſt homo ſatisfacere de condigno pro pœna temporali peccato debitæ, non tamen ſecundum rigorem & apices juſtitiæ. Supponit hæc concluſio poſt remiſſionem culpæ & pœnæ æternæ, poſſe remanere reatum culpæ temporalis, de quo modo. Prob. 1. Pars. Satisfactio dicitur de condigno, quæ eſt æqualis & perfecta ex parte materiæ ſeu pretii, hoc eſt quæ tantum exhibet quantum debetur, ut ſi quis debeat centum, ſolvat centum. Atqui ſatisfactiones noſtræ poſſunt eſſe æquales ex parte materiæ pœnæ temporali peccato debitæ. Ergo. Prob. Min. Pœna illa eſt finita. Ergo poteſt adæquari per ſatisfactionem finitam.

Dices. Pœna temporalis debita peccatis eſt pœna Purgatorii; hæc autem pœna eſt alterius & ſuperioris ordinis ad pœnas hujus vitæ. Atqui qui ſolvit pretium ordinis inferioris, non ſolvit condigne. Ergo. R. & ſimul inſtauratur ratio facta: D. Maj. Pœna Purgatorii eſt alterius & ſuperioris rationis ad pęnas hujus vitæ in eſſe phyſico, C. Maj. in eſſe morali, N. Maj. Noſtræ enim pęnæ ſatisfactoriæ in hac vita valorem moralem ſumunt ex gratia & meritis Chriſti, qui valor coæquari poteſt pœnis Purgatorii ſolvendis & redimendis, dignuſque, cujus intuitu Deus ulteriores pęnas non infligat.

Prob. 2. pars. Ut ſatisfactio ſit de rigore juſtitiæ, non tantum requiritur, quod ſit perfecta & æqualis ex parte materiæ; ſed etiam ex parte formæ, hoc eſt, quod non fundetur in gratia creditoris, quod fiat ex bonis debitori propriis, quæ non ſunt ſub dominio creditoris, & creditor alio titulo exigere non poteſt. Atqui illæ conditiones reperiri nequeunt in noſtris ſatisfactionibus, cum fundentur in gratia Dei creditoris, fiant ex bonis, quorum ipſe eſt Dominus, & quæ poſſit, ſi vellet, alio titulo, quam ſatisfactionis, a nobis exigere. Ergo.

Dico 3. Neceſſaria eſt peccatoribus ſatisfactio non ſolum ad aliorum exemplum, ædificationem & ſatisfactionem Eccleſiæ, atque præcavenda peccata futura, ut volunt Lutherani & Calviniſtæ; ſed etiam ad reparandam injuriam per peccata præcedentia Deo illatam, & ad redimendam pœnam temporalem, quæ poſt remiſſionem culpæ & pœnæ æternæ remanet luenda in hoc ſæculo vel in purgatorio.

Prob. 1. Ex Scripturis in Joel 2. *Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, fletu & planctu*. Job ultimo: *Ago pœnitentiam in favilla & cinere*. Daniel 4. *Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum, forſan ignoſcet delictis tuis*. Matth. 3. & Luc. 3. Joannes Judæis ad ſe pœnitentiæ cauſa accedentibus dicebat. *Quis vobis oſtendit fugere a ventura ira? Facite*

arga

ergo fructus dignos pœnitentiæ. 1. Cor. 11. *Dum judicamur, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur*. Ex his itaque conſtat ſatisfactionem eſſe præceptam & neceſſariam, non ſolum ad aliorum exemplum & Eccleſiæ ædificationem, ſed ad redimenda peccata, ad placandam Dei iram, & ad vitandam damnationem. Inſuper, & potiſſimum, ſecundum Scripturam, SS. Patres & Trid. poſt dimiſſam culpam & pœnam æternam remanet ordinarie pœna temporalis in hoc vel altero Sæculo luenda: ut ex profeſſo probavimus Diſſ. 3. hujus Tract. a. 1. §. 2. Require. Ergo neceſſe eſt illi ſatisfieri.

Prob. 2. ex definitionibus Eccleſiæ. Trid. Seſſ. 6. c. 14. dicit: *Docendum eſt chriſtiani hominis pœnitentiam poſt lapſum multo aliam eſſe a baptiſmali, eaque contineri non modo ceſſationem a peccatis & eorum deteſtationem, aut cor contritum & humiliatum; verum etiam eorumdem Sacramentalem confeſſionem ſaltem in voto & ſuo tempore faciendam, & Sacerdotalem abſolutionem, itemque ſatisfactionem per jejunia, eleemoſynas, orationes & alia ſpiritualis vitæ exercitia: non quidem pro pœna æterna, quæ vel Sacramento vel Sacramenti voto, una cum culpa remittitur, ſed pro pœna temporali, quæ, ut ſacræ litteræ docent, non tota ſemper, ut in Baptiſmo fit, dimittitur illis, qui gratiæ Dei, quam acceperunt, ingrati, Spiritum S. contriſtaverunt, & templum Dei violare non ſunt veriti*. Et ſeſſ. 14. can. 12. 13. 14. & 15. ſub anathemate definit, poſt dimiſſam culpam & pœnam æternam ſæpe remanere temporalem, eique ſatisfieri pœnis a Deo inflictis, vel a Sacerdote injunctis, vel ſponte ſuſceptis, neque iis ſatisfactionibus obſcurari ſatisfactionem Chriſti: item datas eſſe Eccleſiæ claves non ſolum ad ſolvendum, ſed etiam ad ligandum per injunctionem ſatisfactionum, quod conſtat ex ipſa inſtitutione Sacramenti. Lege etiam de pœnit. D. 1. cap. *Porro illi* 7. & cap. *Nullus* 13. Item S. Pius V. & Gregor. XIII. damnaverunt hanc propoſitionem inter Baianas 76. *Satisfactiones laborioſæ juſtificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem reſtantem poſt culpam condonatam*.

Prob. 3. ex Patribus. Tertullianus l. de pœnit. c. 6. *Pœnitentiæ compenſatione*, inquit, *redimendam proponit Deus impunitatem*. c. 9. *In quantum non peperceris tibi, in tantum Deus, crede, parcet*. Cyprianus Tract. de lapſis: *Dominus noſtra ſatisfactione placandus eſt*. Ambroſius ad Virginem lapſam c. 8. *Grande ſcelus grandem habet neceſſariam ſatisfactionem*. Et l. 7. in Luc. n. 156. *Sicut qui pecunias ſolvunt, debitum reddunt, nec prius evacuatur fœnoris nomen, quam totius ſortis ad nummum uſque quocumque ſolutionis genere quantitas univerſa ſolvatur; ſic compenſatione charitatis actuumque reliquorum, vel ſatisfactione quacumque, peccati pœna diſſolvitur*. Aug. Serm. 351. alias 50. inter 50. *Non ſufficit mores in melius commutare, & a factis malis recedere, niſi etiam de his, quæ facta ſunt, ſatisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis ſacrificium cooperantibus eleemoſynis*. Plures non refero, quia omnes fere nobis concedit Calvinus: *Parum me movent*, inquit lib. 3. Inſtit. c. 4. §. 38. *quæ in veterum ſcriptis de ſatisfactione paſſim occurrunt. Video quidem eorum nonnullos, dicam ſimpliciter omnes fere, quorum libri extant, aut in parte lapſos eſſe, aut nimis aſpere & dure locutos*. Sic modeſte Religionis reformatæ alterius Parens.

Solvuntur Objectiones contra ultimam concluſionem.

PLURES & præcipuas objectiones huc ſpectantes propoſuimus, & ſolvimus, Diſſ. citata 3. art. 1. §. 2. Vide & habeto pro hic propoſitis & ſolutis.

Obj. inſuper. Quæ protulimus ex Scripturis & Patribus, nimium probant. Ergo nihil. Prob. Ant. Probant, ſi quid probent, imponenda eſſe opera ſatisfactoria pro culpæ & pœnæ æternæ remiſſione. Atqui juxta Trid. cit. Seſſ. 6. c. 14. non imponitur ſatisfactio pro remiſſione culpæ & pœnæ æternæ remiſſione. Ergo. R. N. Ant. Ad probat. D. Min. Non imponitur ſatisfactio pro remiſſione culpæ & pœnæ æternæ, tanquam illius meritoria & ſatisfactoria de condigno, C. tanquam præparatoria, & impetratoria, N. Opera ergo, quæ præcedunt reconciliationem, & quæ commendantur a SS. Patribus, cum ſint facta extra gratiam, non merentur de condigno ipſius culpæ & pœnæ æternæ remiſſionem, ut probavimus dum de gratia; ſi tamen fiant ex gratia actuali convertente cor a peccato ad Deum, ſe habent per modum præparationis & impetrationis ad ipſam remiſſionem culpæ & pœnæ æternæ, ut docet Trid. ſeſſ. 6. c. 6. & ſeſſ. 14. cap. 1. 2. 3. & 4. Operibus autem, quæ ipſam reconciliationem ſequuntur, nihil deeſt, ut ſatisfaciant de condigno pro pœna temporali, ut probatum eſt.

Inſt. Per Baptiſmum remittuntur peccata ſicut per pœnitentiam. Atqui in Baptiſmo nulla ſatisfactio præſcribitur. Ergo. Item Sacerdotes abſolvunt a culpa & pœna æterna: quidni a temporali? R. ad 1. diſparitas eſt, quod Baptiſmus confertur per modum regenerationis in novam vitam, in qua nihil de veteri debet remanere; ſicque remittitur & culpa & omnis pœna. At Sacramentum Pœnitentiæ eſt inſtitutum per modum judicii, cujus eſt punire delicta. Inſuper æquum eſt, ut qui ante Baptiſmum ignorantes peccaverunt, cum majori indulgentia recipiantur, *Quam qui gratiæ Dei, quam acceperunt, ingrati Spiritum S. contriſtaverunt, & templum Dei violaverunt*; ut loquitur Trid. cit. Ad 2. Sacerdotes remittunt peccata ut inſtrumenta & Miniſtri Dei, conſequenter ſecundum ejus voluntatem & inſtitutionem. Placuit autem Deo inſtituere Sacramentum ad ſolvendum & ligandum, nec ſemper remittere totam pœnam, ſed partem ſervare luendam operibus ſatisfactoriis.

CONSECTARIA.

De ſatisfactione neceſſario injungenda a Sacerdote.

EX dictis colliges (*Supp. q. 18. n. 1. 0.*) Confeſſarium poſſe & teneri injungere ſatisfactionem pœnitenti. Poſſe quidem; tum quia ex inſtitutione Sacramenti Matth. 16. & 18. habet poteſtatem non ſolum ſolvendi, ſed etiam ligandi ad pœnam: tum quia operatio Sacerdotis in uſu clavium eſt conformis operationi Dei cujus eſt Miniſter; Deus autem poteſt ligare ad pœnam. Ergo. Teneri vero etiam conſtat: quia Sacerdos in hoc Tribunali eſt Dei Miniſter, & Pœnitentis judex & medicus. Ut Dei Miniſter tenetur quantum eſt ex ſe efficere, ut Sacramentum ſit integrum per ſatisfactionem, quæ eſt ejus pars integralis, ut alibi diximus. Ut judex debet ſervare æquitatem inter Deum & peccatorem, ejus peccatum vindicando. Ut medicus debet Pœnitentis vulnera curare, & futura præcavere. Utramque conſectarii partem definivit Trid. Seſſ. 14. cap. 8. & can. 15.

Colliges 2. quod cum ſatisfactio non ſit pars eſſentialis, ſed integralis tantum Sacramenti, non ſit neceſſaria neceſſitate Sacramenti, ſcilicet ut ſubſiſtat, ſed neceſſitate præcepti tantum, ſeu ſi vis, neceſſitate Sacramenti, ut ſit integrum; ita quod ſi ſatisfactio eſſet impoſſibilis, ut in agonizante, aut ex revelatione ſciretur nullam amplius deberi peccatis ſatisfactionem, & pœnitentem eſſe ſufficienter præmunitum contra relapſus, poſſe licite adminiſtrari Sacramentum abſque ſatisfactionis injunctione: non enim dicitur mutilum Sacramentum, niſi cum privatur integritate debita & poſſibili.

Colliges 3. extra hunc duplicem caſum obligationem injungendi ſatisfactionem eſſe gravem; quia gravis eſt irreverentia Sacramenti, quod maneat mutilum, dum integrari poteſt & debet, graveque nocumentum infertur Pœnitenti, qui inde manet obnoxius pœnis longe gravioribus luendis, & privatur remedio contra futura peccata. Unde peccaret mortaliter Confeſſarius, qui non ſolum pro peccatis mortalibus, ſed etiam pro venialibus aut mortalibus jam confeſſis, nullam injungeret ſatisfactionem, niſi ex inadvertentia excuſaretur. Neque refert, quod ſatisfactio pro ſolis venialibus, aut mortalibus jam confeſſis videatur quid leve; eſto ſit ita ſecundum ſe, eſt tamen reſpectu Sacramenti, quod manet mutilum, quid grave in ratione irreverentiæ. Unde Confeſſarius pro novo peccato oblito addito poſt abſolutionem, ſi novam conferat abſolutionem, debet novam injungere ſatisfactionem.

Quod vero quidam dicunt poſſe etiam omitti ſatisfactionis injunctionem, ſi prudenter judicet ur pœnitentem per prævia opera plene ſatisfeciſſe, aut ſatisfacturum per Indulgentias mox lucrandas, non admittimus ſaltem in praxi; quia videtur, quod neutrum poſſit prudenter judicari. Quis enim ſine revelatione ſcire poteſt, quanta pœna debeatur peccatis, aut an ſit plene lucraturus Indulgentiam? In his ergo caſibus ſemper injungenda eſt ſatisfactio, levior tamen.

ARTICULUS III.

Quando ſit implenda & imponenda ſatisfactio?

DICO 1. Non eſt neceſſe adimplere ſatisfactionem ante abſolutionem, & Confeſſarios per ſe loquendo, nec poteſt, nec debet ad id cogere pœnitentem confeſſum aliunde rite diſpoſitum. Prob. 1. Pars. Quia ſatisfactio non eſt pars eſſentialis Sacramenti, ſed integralis tantum, ſine qua ideo ſubſiſtere poteſt, & quæ illi jam conſtituto advenire poteſt. Adde, quod contritio & confeſſio, quæ præmittuntur abſolutioni, habeant aliquam rationem ſatisfactionis.

Prob. 2. Ex veteri Eccleſiæ diſciplina. Dato nunc gratis, quod alibi expendemus, in prioribus ſæculis ſatisfactionem ordinarie præmiſſam fuiſſe abſolutioni; certum eſt ſaltem in pluribus caſibus contrariam diſciplinam obſer-

Digitized by Google

ſervatam fuiſſe, & abſolutionem ſatisfactioni præiviſſe: 1. Inſtante periculo mortis, ex Can. 13. Concilii I. Nicæni: 2. Inſtante perſecutione, ex S. Cypriano Ep. 54. 3. Cum periculum erat, ne per dilationem abſolutionis pœnitentes ad Hæreticos deficerent, ex S. Cypriano Ep. 52. vel ſpes ex Indulgentia, plures reverſuros ad Eccleſiam, ex Cornelio Papa, Ep. inter Cyprianicas 46. 4. Cum pœnitentes vehementem de peccatis dolorem oſtendebant, ex Greg. Nyſſ. Ep. Canon. cap. 5. Denique cum pœnitentes muniti erat libellis Martyrum, ex Cypriano Ep. 16. hæc, inquam, Concluſionem probant, etiam in hypotheſi, quam plures ſuſtinent, olim de lege ordinaria præmiſſam fuiſſe ſatisfactionem abſolutioni ſacramentali, quam tamen hypotheſim impugnabimus in Digreſſione hiſtoria inferius ſubjicienda.

Prob. 3. Ex præſenti Eccleſiæ diſciplina, quæ ſi non ſemper viguit, ſaltem, a pluribus ſæculis, ubique viget, conferendi abſolutionem ante adimpletam ſatisfactionem, ut omnibus pervium eſt. Hanc autem Eccleſiæ praxim tanquam abuſum inculpare damnandæ temeritatis eſt, contra quam non ſemel inſurrexerunt ſum. Pontifices, ut patet ex ſequentibus propoſitionibus damnatis. 1. *Pœnitentes non ſunt abſolvendi, niſi peracta prius pœnitentia eis injuncta*: eſt Petri de Oſma damnata a Sixto IV. an. 1478. 2. *Ordinem præmittendi ſatisfactionem abſolutioni inducit, non politia, aut inſtitutio Eccleſiæ, ſed ipſa Chriſti lex & præſcriptio, natura rei id ipſum quodammodo dictante*; eſt 16. inter damnatas ab Alexandro VIII. 20. Decembris 1680. 3. *Per illam praxim mox abſolvendi ordo pœnitentiæ eſt inverſus*; eſt 17. ab eodem damnata 4. *Conſuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamſi eam plurimorum hominum ſuſtentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Eccleſia non habetur pro uſu, ſed abuſu*; eſt 18. ab eodem proſcripta, 5. *Modus plenus ſapientia, lumine & charitate eſt dare animabus tempus portandi cum humilitate, & ſentiendi ſtatum peccati, petendi ſpiritum pœnitentiæ & contritionis, & incipiendi ad minus ſatisfacere Juſtitiæ Dei, antequam reconcilientur*; eſt 87. inter Queſnellianas. 6. *Ignoramus, quid ſit peccatum & vera pœnitentia, quando volumus ſtatim reſtitui poſſeſſioni bonorum illorum, quibus nos peccatum ſpoliavit, & detrectamus ſeparationis iſtius ferre confuſionem*, eſt 88. inter eaſdem.

Ex his ſequitur 2. pars Concluſionis, ſcilicet Confeſſarium per ſe loquendo nec poſſe, nec debere cogere pœnitentem confeſſum, & rite diſpoſitum ad præmittendam ſatisfactionem abſolutioni: 1. Quia non licet privato a communi Eccleſiæ praxi in re tam gravi recedere. 2. Quia pœnitens confeſſus, & aliunde rite diſpoſitus, habet jus ad abſolutionem ſtatim recipiendam, nec abſque gravi injuſtitia illi denegari, aut differri poteſt, cum ipſius maxime interſit non diutius manere in ſtatu peccati, & ſtatim in Dei amicitiam redintegrari. 3 Quia ſatisfactio poſt abſolutionem in ſtatu gratiæ peracta eſt meritoria, Deo gratior, & longe efficaciorum ad ſatisfaciend pro peccatis præteritis, & ad præcavenda futura, quam ante abſolutionem in ſtatu peccati.

Dixi; *Per ſe loquendo & aliunde rite diſpoſitum*: quia ſi Confeſſarius advertat pœnitentes eſſe negligentes in adimpledis ſatisfactionibus, aut dubitet de ejus legitima diſpoſitione, ut contingere poteſt in conſuetudinariis, & frequenter recidivis, poteſt, nulla urgente neceſſitate, ipſum ad præmittendam ſatisfactionem ſaltem ex parte adſtringere.

Dices. Juxta SS. Patres abſolutio peccatorum eſt fructus operum pœnitentiæ; dicitur enim iis iram Dei placari, miſericordiam reconciliari, peccata condonari & ſimilia. Ergo ſunt abſolutioni præmittenda. R. N. Conſeq. ad ſenſum argumenti. Si enim SS. Patres loquantur de remiſſione peccatorum quoad culpam & pœnam æternam, nihil aliud intendunt, quam inculcare neceſſitatem pœnitentiæ, ſive ut eſt virtus, ſive ut eſt Sacramentum; hanc enim remiſſionem non concedit Deus, niſi vel perfecte contritis corde, vel confeſſis ore per abſolutionem ſacramentalem: & hæc vera ſunt & præcipua pœnitentiæ opera. Quod ſi videantur loqui etiam de aliis operibus ſatisfactoriis, ea requirunt, non ut abſolute neceſſaria huic remiſſioni, ſed ut congrua ad ejus præparationem & impetrationem, ut dixi Art. præcedenti. Si tandem loquantur de remiſſione peccatorum quoad pœnam temporalem, huic fatemur præmittendam eſſe ſatisfactionem.

Dico 2. Satisfactio poteſt imponi ante, vel ſtatim poſt abſolutionem: quia utroque modo cenſetur moraliter conjungi ceteris partibus Sacramenti, & in eo fieri. Convenientius tamen imponitur ante abſolutionem; quia ſic materia præſupponitur expreſſius formæ.

Dico 3. Implenda eſt ſatisfactio injuncta quamprimum commode fieri poteſt, ſi nullum tempus ſit præfixum; quia id poſtulat tum Sacramenti integritas, tum ratio medicinæ, tum juſta ſententia Judicis. Si vero aliquod tempus ſit præfixum, intra illud eſt adimplenda. Quod ſi tempore ſtatuto non ſit adimpleta, non ideo ceſſat obligatio, quia principale, quod in ea ſpectatur, non eſt circumſtantia temporis, ſed opus præſcriptum. In utroque autem caſu in unum vel alterum diem differre, non videtur quid grave, niſi forte in termino præfigendo circumſtantiam temporis æque principaliter intendat Confeſſarius, ut v. g. Jejunium in Vigilia alicujus Feſti in ejus cultum & honorem.

ARTICULUS VI.

Utrum pœnitens teneatur acceptare pœnitentiam injunctam, & acceptatam adimplere, cum poſſit ab aliquo commutari.

DICO 1. Tenetur pœnitens ſub gravi peccato acceptare pœnitentiam rationabilem, & acceptam implere, ſive in vindictam præteriti, ſive in medicinam futuri. Prob. In Sacerdote eſt poteſtas ligandi, ſeu obligandi ad ſatisfactionem, ut patet ex dictis Art. præced. & ex Concilio Trid. ſeſſ. 14. c. 8. ubi dicitur eſſe in Confeſſariis claves *Ad ligandum, non ſolum ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem*. Atqui poteſtas obligandi in uno, ſupponit obligationem parendi in ſubdito, alias fruſtranea eſſet iſta poteſtas. Ergo. 2. Pœnitens tenetur in quantum eſt ex ſe efficere non ſecus ac Confeſſarius, ut Sacramentum ſit non mutilum, ſed integrum. Atqui ſatisfactio eſt de integritate Sacramenti. Ergo. 3. Unuſquiſque tenetur parere Judici recte judicanti. Ergo.

Dices. Liberum eſt pœnitenti hic vel in Purgatorio ſatisfacere. Ergo. R. D. Ant. ex ſuppoſitione, quod non ſubjiciat peccata ſua clavibus, Tranſeat Ant. Ex ſuppoſitione, quod peccata ſubjiciat clavibus, N. propter rationes allatas.

Repones. Pœnas Purgatorii redimere per pœnas hujus ſæculi eſt Privilegium Pœnitenti conceſſum. Ergo poteſt ipſi renuntiare. R. D. Ant. Eſt Privilegium purum in ſuppoſitione præced. ſolutionis, N. Eſt privilegium mixtum præcepto parendi juſtæ ſententiæ & efficiendi integrum Sacramentum, C. & N. Conſeq. Patet ex dictis.

Dixi 1. *Sub gravi peccato*. Scio quoſdam cenſere non eſſe pluſquam veniale recuſare aut omittere levem ſatisfactionem pro ſolis venialibus, aut mortalibus jam confeſſis injunctam; quia, inquiunt, eſt levitas materiæ. Verum id multis & nobis non probatur, quamvis enim ſit ſecundum ſe materia levis, non eſt tamen levis reſpectu Sacramenti, cui gravis injuria irrogatur, quod ſine cauſa maneat mutilum, & carens ſua principali parte integrante, ut jam diximus art. præced. Aliud eſſet, ſi adimpleta ſatisfactione pro majori parte, aliqua ejus levis pars omitteretur.

Dixi 2. *Rationabilem pœnitentiam*; irrationabilem enim vel aperte injuſtam, vel impoſſibilem, ut jejunium in pane & aqua pro verbo otioſo, aut peregrinationem infirmo decumbenti, nec acceptare, nec adimplere tenetur.

Sed quid ſi Pœnitens oblitus fuerit pœnitentiæ injunctæ? R. Debet eam inquirere a Confeſſario, ſi non longius diſtet. Quod ſi ipſe Confeſſarius non recordetur, cenſetur facta ipſi impoſſibilis, adeoque ab ea excuſatur; ſicut ab obſervantia aliarum Legum excuſatur, qui eas ignorat. Neque tenetur ſua peccata eidem Confeſſario vel alteri repetere pro nova ſatisfactione obtinenda, etiamſi oblivio fuerit culpabilis, puta quia diutius diſtulit; quia nemo tenetur bis confiteri peccata directe remiſſa, ſed ſufficit, ſi oblivionem culpabilem confiteatur. Non eximitur tamen ab aliqua alia ſatisfactione, ſibi ipſi prudenter attentis peccatis injungenda; quia debet Deo ſatisfacere. Conſulunt quidam, ut in proxima Confeſſione petat ſibi injungi aliam pœnitentiam congruam peccatis, qualia confiteri ſolet.

Dico 2. Ipſe Pœnitens non poteſt commutare pœnitentiam a Confeſſario injunctam, nequidem in aliam difficiliorem. Ratio eſt, quia opus a Confeſſario impoſitum virtute clavium elevatur ad hoc, ut ſit opus ſacramentale & ſatisfactorium ex opere operato, quale non poteſt eſſe illud a Pœnitente ſubrogatum: unde maneret mutilum Sacramentum. Adde, quod inferior non poſſit commutare etiam in melius opus a lege ſeu ſuperiore præceptum, ut patet in præceptis ſeu legibus de jejunio, confeſſione, &c. Ergo ſimiliter. Et hinc patet diſparitas de voto, quod vovens poteſt in melius commutare; quia votum non elevatur ad eſſe ſacramentale, & idem eſt vovens & votum mutans.

Dico 3. Nullus Confeſſarius ſive idem, ſive alter poteſt ſatisfactionem mutare extra Confeſſionem: tum quia impoſitio ſatisfactionis pro peccatis confeſſis eſt actus juriſdictionis & poteſtatis clavium, qui non niſi in ſolo

foro

Digitized by Google

foro conſcientiæ exercetar: tom quia ſatisfactio non foret ſacramentalis, ideoque maneret mutilum Sacramcotum.

Dico 4. Idem Confeſſarius poteſt mutare ſatisfactionem, eodem Sacramento moraliter duranta, quia tunc commutatio cenſetur pertinere ad idem judicium, & intra illud fieri, ut ſi antequam diſcedat pœnitens, immemor ſit pœnitentiæ, aut ſi diſcaſſus ſtatim redeat. Quidam longiorem moram plurium borarum aut dierom aſſiguant, ſed ſina fundamanto. Eodem vero Saramento non amplius moraliter durante non poteſt idem Confeſſarius mutare pœnitentiam in alia Confeſſione, niſi iteretur, & prior Confeſſio, ſaltem in communi, & abſolutio, propter rarlones 3. Concluſionis; qaia ſcilicer alias injunctio ſatisſactionis pro prioribus peccatis nunc non confeſſis non foret actus judicialis, nec ipſa ſatisfactio ſsctamentalis.

Dico 5. Alter Confeſſarius ſiva ſuperior, ſive inferior, poteſt ex juſta cauſa mutara ſatisfactionem injunctam a priori Confeſſario, ſi tamen habeat æqualem juriſdictionem in ea peccata, & ipſi ex intagro repetatur prior Confeſſio. Eſt praxis communis, quam firmat auctoritas S. Raymundi, S. Antonini, & omnium ferme Theologorum, quorum ratio eſt, quod cum Chriſtus inſtituerit hoc Sacramentum pro bono animarom, & ad id quandoque requiratur, quod muretur ſatisfactio injuncta, præſumitur Chriſtum hanc poteſtatem Sacerdotibus contuliſſe. Confir. Argumento ad hominem. Pauci, qai tenent ſententiam contrariam, concedunt hanc poteſtatem Superiori reſpectu pœnitentiæ injunctæ ab inferiori. Atqui ſuppoſita ſufficienti juriſdictione inferior eſt æqualis poteſtatis in hoc Tribunali cum Superiore, æqualem enim poteſtatem utarque accepit in ſus Ordinatione. Ergo.

Si dicas inde ſequi, quod par in parem exerceat juriſdictionem, quam non habet. R. N. Sequalam; non enim ſecundus Confeſſarius eaercet juriſdictionem in primum, ſed in pœnitentem, cui ex inſtitutione Sacramenti liberum eſt eadem peccata ſecundo Confeſſario ſubjicere, de iis ab eo judicari, & abſolvi mediante ſatisſactione, qua poſita ceſſat obligatio prioris ſatisfactionis, cum pro iiſdam peccatis non teneantur ad duplicem ſatisſactionem, ſicque prior ſenteoria non revocatur propria & directe, quod eſſet exercera juriſdictionem in ipſam, ſed indirecte & improprie, ex poſitione ſcilicet ſententiæ. Neque etiam ſequitur, quod primum Sacramentum maneat mutilum; quia cum ſecundum ſit correctio primi, utrumqua cenſetur quodam modo unum, ſaltem in ratione ſententiæ vindicativæ, ita quod pro utroque valeat una ſatisfactio. Vel dicendum Sacramantum non cenſeri mutilum, niſi quando privatur ſatisſactiona debita; in noſtro autem caſu non deberetur primo Sacramento; quia, ut ſupponitur, ſecunda ſufficit pro vindicatione peccatorum.

Dixi 1. *Ex juſta cauſa*: quia non cenſetur bæc poteſtaa a Chriſto collata in deſtructionem, ſed in ædificationem. Juſta cauſa autem cenſetur neceſſitaa, utilitas notabilis, gravis difficultas in adimplenda priori pœnitentia, periculum tranſgreſſionis, exceſſus evidens prioris pœnitentiæ, &c. quibus in caſibus nedum poteſt, ſed etiam aliquando debet prudens Confeſſarius priorem pœnitentiam, pœnitente licet non poſtulante, commutare.

Dixi 2. *Si tamen habeat æqualem juriſdictionem in ea peccata*. Multorum enim ſententia eſt, quod ſi ſecundus Confeſſarius non habeat juriſdictionem in reſervata, non poſſit motare pœnitentiam pro reſervatis a primo Confeſſario impoſitam: quia licet, facta legitima Confeſſione peccatorum habenti juriſdictionem, deſinant eſſe reſervata, ſic quod abſolvi poſſint a communi Confeſſario (& hoc aſt fundamentum oppoſitæ ſententiæ), non tamen ſi deſinunt eſſe reſervata; ut pœnitentia injuncta a Superiore, ſeu priori Confeſſario, poſſit immutari a communi Confeſſario; quia peccata reſervantur, non ſolum ut difficultate abſolutionis obtinendæ ab illis homines deterreantur; ſed etiam, ut a peritioribus medicis morbi periculoſiores curentur, ut loquitur Trid. qui finis fruſtraretur, ſi communis & imperitior Confeſſarius corrigeret & mutaret pœnitentiam Superioris & peritioris. Hæc ſaltem ſententia videtur communior, & eſt tutior.

Dixi 3. *Et ipſi ex integra repetatur Confeſſio*; quod eſt probabilius contra quoſdam, qui exiſtimant ſufficere, ſi pœnitens declarata priori pœnitentia afferat rationes, propter quas eſt ſibi nimis gravis. Ratio eſt 1. Quia in tantum ſecundus Confeſſarius poteſt mutare pœnitentiam, in quantum poteſt eandem cauſam judieare, quod fieri non poteſt, niſi peccata exponantur. 2. Quia incognita cauſa non poteſt convenientem ſatisſactionem injungere, ſiva pro eapiandis prætaritis peccatis, ſive pro cavendis futuris.

Petes utrum facta commutatione pœnitentiæ, liberum ſit pœnitenti redire ad primam? R. Communius affirmative; quia iſta commutatio tota aſt in favorem pœnitentis, cui cedere poteſt, & ea videtur intentio Confeſſarii.

ARTICULUS V.

Utrum unus poſſit pro altero ſatisfacere?

SATISFACTIO, (*Supp. q. 12. a. 2. o.*) ut jam ſæpe dictum eſt, ad duo ordinatar, ſcilicet ad ſolutionem debiti, & ad medicinam pro vitando peccato. Item conſiderari poteſt, vel ut ſacramentalis, vel ut extraſacramentalis.

Dico 1. (*Ibid.*) Abſtrahendo a ſatisſactione ſacramentali & extraſacramentali, eamque ſpectando, ut ſolutionem debiti, unus poteſt pro altero ſatiſlacere, ſpectando autem at medicinam non poteſt, niſi per accidens. Prima pars, quam negant hæretici, conſtat ex illo Galat. 6. *Alter alterius onera portate*, & ex 2. Cor. 8. ubi Apoſtolus bortatur Corinthios ad ſublevandam ſuis eleemoſynis corporalem ſanctorum paupertatem, ut ſubleventur in ſua ſpirituali pauperrate per abundantiam & bona opera ſanctorum. Item ex articulo Symboli, quo profiremur Communionem Sanctorum. Inſuper

Prob. ratione Theologica. Omnes ſumus unum in Chriſto & unius corporis, ipſo Chriſto capite, membra. Atqui in corpore humano unumquodqua membrum non in ſuam tantum, ſed etiam in aliorum utilitatem operatur, ſic oculus non ſibi tantum videt, ſed & pedibus & toti corpori, pedes oculis ambulant, &c. Ergo ſimiliter in corpora myſtico Eccleſiæ, juxta illud Davidis, *Particeps ega ſum omnium timentium te & cuſtodientium mandata tua*. Confir. (*Ib. in a. ſ. c.*) Charitas magis poteſt apud Deum quam apud homines. Atqui unus poteſt apud homines ex alterius amore, debitum ejus ſolvare. Ergo multo magis id in divino judicio fieri poteſt.

Prob. 2. pars. (*Ib. s.*) Sicut in corporalibus medicina accepta in uno corpora non ſanat morbum alterius, nec illi prodeſt; ita in ſpiritualibus ſatisſactio unius ut medicina non prodeſt alteri, ſic ex jejunio v. gr. caro alterius non domatur, nec ex actibus bonis unius alter contrahit habitum bene agendi. Poteſt tamen, & eſt 3. pars concluſionis, unus mereri alteri da congruo gratiam, quæ eſt efficaciſſimum remedium pro vitandis peccatis, ſed hoc eſt magis per modum meriti, quam per modum ſatisfactionis.

Dices 1. contra 1. partam. Apoſtolus Galat. 6. dicit, *Unuſquiſque onus ſuum portabit*. Ergo. R. quod cum Apoſtolus ibid. paulo ante dixerit, *Alter alterius onera portate*, nec ſibi contradicat, manifeſtum eſt ipſum loqui de diverſis oneribus. Igitur in poſteriori loco objecto loquitur de onere reddendæ rationis; quia unuſquiſque noſtrum pro ſe rationem reddet Deo; in priori autem loco loquitur de oneribus mutuæ charitatis, ſecundum quam alter alterum hic juvare debet. Ita Aug. de conſenſu Evang. c. 30.

Dices 2. Unus non poteſt alteri mereri gloriam Beatitudinis. Ergo nec pro altero ſatisfacere. R. Dato Ant. N. Conſeq. (*Ib. ad 1.*) Diſparitas eſt, quod præmium eſſentiale, ſeu gloria beatitudinis, ex divina ordinatione reddatur ſecundum meritum & diſpoſitionem cujuſque, quia ſecundum capacitatam videntium erit plenitudo viſionum: & ideo ſicut unus non diſponitur formaliter per actum alterius, quia diſpoſitio debet eſſe in diſponibili, ita unus alteri non meretur præmium eſſentiale, niſi meritum ejus habeat efficaciam infinitam ſicut Chriſti; ſed pœna temporalis peccato debita poſt culpæ remiſſionem non taxatur nec redditur ſecundum præſentem diſpoſitionem ejus, cui debetur; quia quandoque ille, qui nunc eſt melior, habet majoris pœnæ reatum proter plura peccata remiſſa: & ideo quantum ad pœnæ remiſſionem unus alteri poteſt mereri, & actus unius effici alterius mediante charitata, per quam omnes unum ſumus in Chriſto. Omiſi Ant. Quia ſi intelligatur de merito de congruo & mediate, poteſt unus alteri gloriam mereri, in quantam juſtus poteſt de congruo mereri alteri gratiam, qua mediante iſte alter meretur gloriam.

Dices 3. Unus non poteſt pro alio conteri aut confiteri. Ergo nec ſatisfacere. R. N. Conſeq. (*Ib. ad 2.*) Diſparitas eſt, quod cum contritio & confeſſio directa ordinentur contra culpam, pertinent ad diſpoſitionem ipſius hominis; unus autem non diſponitur per actum alterius, ut jam dictum eſt. At pœna temporalis, contra quam ordinatur ſatisfactio, non taxatur ſecundum præſentem diſpoſitionem illius, cui debetur, ut etiam dictum eſt in ſolutione præced.

Dices 4. Nemini redundant ſua bona opera juxta illud 1. Pet. 4. *Juſtus vix ſalvabitur*. Et Matth. 25. *ne forte non ſufficiat nobis & vobis*. Ergo. R. D. Ant. Nemini redundant ſua bona opera hoc ſenſu, quod quiſque pro meritis recipiat plenam mercedem, C. Hoc ſenſu, quod unus

non poſſit pro altero mereri vel ſatiaſacera; N. Nam poteſt merendo ſibi alteri mereri; item poteſt offerre pro altero opus ſatisfactorium, quod ſecundum modum, quem Deus ſervat in pœnis, non requiratur ad propriorum peccatorum ſatisfactionem; vel ſi requiratur, ex fervore tamen charitatis poteſt alteri applicare, in quo licet forte ſibi non ſatisfaciat, ſibi tamen meretur. Ad locum Petri ſenſus eſt: Juſtus vix, id eſt ægre & per multos labores & multas tribulationes ſalvabitur. Ad locum Matth. ibi agitur de ultimo judicio, in quo peccatores fruſtra implorabunt opem juſtorum. Quod dicitur, *Ne forte ſufficiat nobis & vobis, ite potius ad vendentes*, &c. additum eſt ad ornatum Parabolæ. Non enim tunc dubitabunt juſti, ſed certiſſime ſcient ſua bona opera ſufficere.

Dico 2. Satisfactio Sacramentalis uni injuncta non poteſt qua Saeramentalis per alium impleri: quia juxta Florent. & Trid. Seſſ. 14. *cap.* 3. Materia hujus Sacramenti ſunt actus penitentis, qui virtute clavium ad eſſe Sacramenti elevantur. Atqui ſatisfactio per alium adimpleta, quamvis ſit penitentis hoc ſenſu, quod ejus nomine, & ipſo petente fiat; ſimpliciter tamen non eſt ejus actus. Ergo non eſt materia elevabilis virtute clavium ad eſſe Sacramenti, nec conſequenter ſatisfactio qua Sacramentalis. Dixi; *Qua Sacramentalis*; quia licet Confeſſarius poſſit ex legitima cauſa injungere penitenti ſatisfactionem per alium ad ejus petitionem exequendam, v. g. peregrinationem, opus tamen ſatisfactorium, ut eſt ab alio, non eſt Sacramentale, ſeu pars Sacramenti, ſed ſolum ut ſit ex petitione penitentis, ſeu formaliter ut ab eo imperatum, ſicque ipſa petitio eſt formale in hac ſatisfactione; opus autem alterius, materiale.

Porro non debet eſſe facilis Confeſſarius in transferenda ſatisfactione ad alium: tum quia cap. *Omnis utriuſque ſexus* dicitur: *Et injunctam ſibi pœnitentiam propriis viribus ſtudeat adimplere* pœnitens: tum quia ſatisfactio ordinatur non eſt ſolum in ſolutionem debiti, ſed in remedium peccati futuri, ſub qua ratione unus non poteſt pro alio ſatisfacere, ut diximus. Et ideo quando Confeſſarius nihil explicat, ſed ſimpliciter pœnitentiam injungit, ſemper cenſendus eſt obligare pœnitentem, ut per ſe illam adimpleat, maxime ſi ſit actus omnino perſonalis, & qua talis afflictivus. Pœnitens vero, qui ſine licentia Confeſſarii curaret ſuam pœnitentiam per alium adimpleri, graviter peccaret, nec ſatisfaceret. Unde merito Alexander VII. 24. Septembris 1664. condemnavit hanc propoſitionem: *Pœnitens propria auctoritate ſubſtituere ſibi alium poteſt, qui loco ipſius penitentiam adimpleat*. Dixi, *maxime ſi ſit actus omnino perſonalis & qua talis afflictivus*: quia alias videtur poſſe pœnitens alteri committere; ut ſi debeat pro ſatisfactione dare eleemoſynas, perinde eſt ſi per ſe vel per alium mandatarium id faciat, etiamſi mandatarius ex propria daret; quia tunc idem eſt, ac ſi ipſe mandatarius pœnitenti mandanti daret pecunias ad eleemoſynam, ac proinde pœnitens cenſetur ſemper in hoc principalis Miniſter.

Petes 1. Utrum etiam pro Defunctis in Purgatorio aliquis poſſit ſatisfacere? R. affirmative; quia hi etiam pertinent ad communionem Sanctorum.

Petes 2. Utrum ſatisfactio unius pro alio ſit de condigno? R. cum Sylvio, quod de congruo tantum acceptetur a Deo, ſed poſita illa acceptatione eſt de condigno; quia, ut ſupponitur, ſatisfaciens offert æqualitatem ex parte pretii ſeu materiæ.

Petes 3. Utrum aliquis ſatisfaciendo pro altero ſatisfaciat etiam pro ſe? R. (*Ibid ad* 2.) quod ſi agatur de ſatisfactione extraſacramentali, ſibi mereatur, ſed non ſibi ſatisfaciat; quia in ſatisfactione ſeu ſolutione debiti attenditur quantitas pœnæ, & in merito charitatis radix. Unde ille, qui ex charitate pro alio meretur ſcilicet merito congrui, etiam ſibi magis meretur: non autem qui pro alio ſatisfacit, etiam pro ſe ſatisfacit, quia illa quantitas pœnæ non ſufficit ad utrumque peccatum: tamen ſatisfaciendo pro alio ſibi meretur aliquid majus, quam ſit dimiſſio pœnæ, ſcilicet vitam æternam. Si vero agatur (*Quodl.* 3. *q.* 13. *art.* 1.) de ſatisfactione ſacramentali, ſatisfaciens pro alio etiam ſatisfacit pro ſe, quia opus, quod quis facit ex injunctione Sacerdotis, dupliciter valet pœnitenti, uno modo ex opere operantis, alio modo ex opere operato, ſeu ex vi clavium: Pœnitens itaque juſſus a Confeſſario tale opus facere pro vivis vel defunctis, illis applicat valorem ſui operis ex opere operantis, de quo diſponere poteſt; valor autem ejuſdem operis ex opere operato ſibi manet, utpote quem pro ſuo arbitrio alienare non poteſt.

Unde colliges opus ſatisfactorium poſſe a Confeſſario imponi pro ſublevamine ſive vivorum ſive defunctorum. Idque confirmat praxis Confeſſariorum & commendat Catechiſmus Rom. p. 2. c. 5. n. 63.

ARTICULUS VI.

Quanta ſit ſatisfactio penitenti injungenda a Confeſſario.

§. I. *Prænotanda.*

SUPPONO 1. (*Supp. q.* 8. *a.* 7.) penam Purgatorii taxari radicaliter a Deo, antequam aliquid de ea remittatur, ſecundum quantitatem culpæ; quia iſta pœna ordinatur tantum ad debitum ſolvendum, & non ad remedium præſtandum, ſicut ordinatur pœna hujus ſæculi. Pœna autem, quæ ordinatur tantum ad debitum ſolvendum, debet taxari juxta quantitatem culpæ, alioquin non ſervaretur æqualitas juſtitiæ inter culpam & pœnam. Non ſic de pœnis hujus ſæculi, quæ non ſolum ordinantur ad debitum ſolvendum, ſed etiam ad remedium præſtandum: non enim idem remedium, etiam æqualiter infirmis, eſt præſtandum, ut dicemus modo. Dixi; *radicaliter & antequam aliquid de ea remittatur*; quia ſecundum quod plus vel minus remittitur per Sacramentum, vel per alias ſatiafactiones hujus vitæ, minus reſtat in altera ſolvendum.

Suppono 2. olim per Canones, qui dicuntur penitentiales, certis peccatis certas fuiſſe taxatas penitentias, præſertim quoad tempus. Hos Canones collegerunt Auctores, partim ex Conciliis tum generalibus tum particularibus; partim ex Reſcriptis & Decretis ſum. Pontificum, partim ex SS. Patribus. Multi referuntur in fine Decreti Gratiani, longe plures a Natali Alex. Theol. moral. l. 2. c. 6. a. 7. & ab aliis. Paucos hic referam, quæ peccata frequentiora ſpectant.

Canones Pœnitentiales.

PRIMUS, qui Fidem Catholicam deſeruerit, penitentiam aget 10. annis. Secundus, qui diabolicas incantationes fecerit, penitens erit annos 7. Tertius, qui magos conſuluerit, in penitentia erit annos 5.

Quartus, ſi quis Clericus vel Monachus, poſtquam Deo voverit, ad ſæculum redierit, penitentiam aget annos 10. quorum tres in pane & aqua. Quintus, quicumque ſciens pejeraverit, 40. dies in pane & aqua & 7. ſequentes annos peniteat, & nunquam ſit ſine penitentia. Sextus, ſi quis per capillum Dei aut per caput ejus juraverit, ſi ſemel neſciens fecerit, penitens aqua & pane 7. dies victitet; ſi 2. ac 3. monitus idem fecerit, dies 15.

Septimus, Si quis Deum vel B. Mariam Virginem, vel aliquem Sanctum publice blaſphemaverit, præ foribus Eccleſiæ diebus Dominicis 7. in manifeſto, dum Miſſarum ſolemnia aguntur, ſtet, ultimoque ex illis die ſine pallio & calceamentis, ligatus corrigia circa collum, ſeptemque præcedentibus feriis ſextis in pane & aqua jejunet, Eccleſiam nullo modo tunc ingreſſurus. Octavus, qui opus aliquod ſervile die Dominico, Feſtoque fecerit, penitentiam aget 3. dies in pane & aqua. Nonus, ſi quis ante Eccleſias, vel die Feſto ſaltationes fecerit, emendationem pollicitus, penitentiam aget 3. annis. Decimus, ſi quis pranſus Miſſæ interfuerit, penitens erit dies 3 in pane & aqua.

Undecimus, ſi quis in Eccleſia confabulatur, cum divina fiunt, penitens erit dies 10. in pane & aqua. Duodecimus, ſi quis jejunia a S. Eccleſia indicta violaverit, penitentiam aget dies 20. in pane & aqua. Decimus tertius, qui Parentibus maledixerit, 40. dies penitens ſit in pane & aqua: qui injuria affecerit, 3. annos: qui percuſſerit, annos 7. Decimus quartus, ſi qua mulier ſponte abortum fecerit, penitentiam agat 3. annos: ſi nolens, quadrageſimas 3.

Decimus-quintus, ſi quis ſponte hominem occiderit, ad januam Eccleſiæ ſemper erit; & in obitu communionem recipiet: ſi caſu necaverit, penitentiam aget annos 7. ſecundum aliam Canonem, penitens erit 40. ſecundum alium Canonem, penitens erit 40. dies in pane & aqua & quinquennio communione privabitur. Decimus ſextus, ſi quis aliquem vulneraverit, vel ei aliquod membrum præciderit, penitentiam aget uno anno per legitimas ferias. Decimus ſeptimus, ſi quis ictum proximo dederit, nec nocuerit, tridui penitentiam agat in pane & aqua, Clericus unius anni & menſium 6. Decimus octavus, ſi Laicus ſolutus cum femina ſoluta concubuerit, penitens erit annos 3.

Decimus-nonus, vir ſolutus ſi cum alterius uxore adulterium commiſerit, penitentiam aget annos 7. mulier ſoluta cum alterius marito adulterium patrans, penitentia afficietur decennali. Vigeſimus, qui cum uxore ſua turpiter concubuerit, penitens erit 40. dies. Vigeſimus-primus, qui puellam aut mulierem libidinoſe obtrectaverit, ſi Clericus eſt, 5. dies; ſi Laicus eſt, 3. dies penitentiam aget: Monachus vel Sacerdos a Miniſterio ſuſpenſus, penitens erit dies 20. Vigaſimus-ſecundus, qui inceſtum fecerit, aliqui Canones 7. alii 10. alii 12. alii 15. annorum penitentiam conſtituunt.

Vige-

Vigeſimus tertius, qui concupiſcit mente, ſed non potuit, dies 10. pœnitentiam aget. Vigeſimus-quartus, ſi quæ mulier ceruſſa, allove pigmento ſe oblinit, ut aliis viris placeat, pœnitentia afficietur annorum 3. Vigeſimus-quintus, Clericus furtum capitale faciens, ſeptenni pœnitentiam explebit, Laicus quinquenni. Si quis furtum de re minori ſemel aut bis fecerit, reſtituta re, pęnitentiam aget annum unum. Vigeſimus-ſextus, ſi quis uſuras exegerit, pęnitentiam aget annis 3. uno in pane & aqua. Vigeſimus ſeptimus, qui affirmaverit verum eſſe, quod falſum eſt, pœnitentiam aget ut adulter, aut homicida. Vigeſimus-octavus, ſi quis contra proximum lingua laſcivus erit, triduana pęnitentia expiabitur. Vigeſimus-nonus, ſi quis facile detraxerit, falſumque in hoc dixerit, pœniteos erit dies 7. in pane & aqua. Trigeſimus, qui falſitatem fraudemve in ponderibus & menſoris admiſerit, pęnitens erit in pane & aqua dies 20.

Trigeſimus-primus, rem alienam nefarie concupiſcens avaruſque, pęnitens erit annis 3. Trigeſimus-ſecundus, ſi quis concupiſcit fornicari; ſi Epiſcopus, pęnitens erit annos 7. ſi Presbyter 5. ſi Diaconus vel Monachus 3. e quibus unum in pane & aqua; ſi Clericus aut Laicus annos 2. Trigeſimus tertius, pro crimine capitali, eoque mortali, pęnitentia 10. annorum indicitur. Trigeſimus-quartus, Sacerdos imprudenter ebrius factus pane & aqua pęnitentiam aget dies 7. ſi negligenter dies 15. ſi per contemptum dies 40.

Trigeſimus quintus, qui humanitatis gratia alium inebriare cogit, pœnitentiam agat 7. dies. Trigeſimus-ſextus ſi gutta ſanguinis Chriſti in terram cadit, Sacerdos in pœnitentia ſit 50. diebus; ſi ſuper altare, & ad unum pannum tranſit, diebus 3. Trigeſimus-ſeptimus, qui vir faciem ſuam transformaverit habitu muliebri, & mulier habitu viri, emendationem pollicitus annis pęnitens ſit 3.

Cæterum hos Canones retulimus, non quod Confeſſarii adſtringantur ad injungendas pęnitentias ſecundum illorum præſcriptum & rigorem, ſi quidem nec antiquitus ſemper ſtricte obſervarentur, ut videbimus modo; & aliunde refrigeſcente charitatis fervore de hac ſeveriori diſciplina Eccleſia remiſerit, ne quos vult ſalvare per pęnitentiam, difficultate pęnæ territi deſperent & damnentur; ſed, ut quando id e re judicaverint, eos pęnitentibus exponant, quo & gravitate ſuorum peccatorum magis intelligant, & efficacius ea deteſtentur, & ad congruam ſatisfactionem facilius diſponantur.

§. II. *Reſolvitur Quæſtio.*

Dico 1. (*Supp. q.* 18. *a.* 4. *o.*) Pęnitentia injungenda non eſt ita in arbitrio Sacerdotis poſita, ut ſecluſa omni lege, & regula eam pro mero libitu injungat, ſed ita quod, non ſemper ſervata lege Canonum, & gravitate criminum, poſſit eam injungere ſecundum arbitrium prudentiæ & divino inſtinctu regulatum, attentis variis circumſtantiis negotiorum & perſonarum.

Prob. 1. Ex jure cauſa 26. q. 7. cap. *Tempora* 2. ex S. Leone Ep. 79. nunc 129. ad Nicetum Epiſcopum Aquilejenſem, ubi dicitur: *Tempora pęnitudinis, habita moderatione, conſtituenda ſunt tuo judicio, prout converſorum animos perſpexeris eſſe devotos, pariter etiam habens ætatis ſenilis intuitum, & periculorum quorumcumque, aut ægritudinis reſpiciens neceſſitates.* Ibid. cap. *Pœnitentibus* 5. ex Concil. Carthag. 3. an. 424. *Pœnitentibus ſecundum differentiam peccatorum Epiſcopi arbitrio pœnitentię tempora decernantur.* Ibid. cap. *Hoc ſit* 8. ex S. Baſilio in Reg. Brev. interrogat. 106. & 194. quamvis aliter citetur apud Gratianum: *Hoc ſit in judicio poſitum eorum, qui præſunt, vel quanto tempore, vel quali modo pœnitere debeant qui delinquunt; quia ætas, & conditio, multum haberi facit differentiam pœnæ.* Similiter cap. *Menſuram* de pęnit. d. 2. Ex quibus habes, quod jam obſervavi, nec antiquitus Canones pęnitentiales ſecundum litteram & rigorem fuiſſe obſervatos; ſed, ut legitur in Prologo ad illos Canones apud Gratianum, ſic fuiſſe intellectos *Quod inſtituerent in generali, quomodo eſt pœnitentia imponenda, ſed deſcenſum ad ſingularia Presbyteris diſcretis relinquerent, qui conſiderarent circumſtantias perſonarum, attendentes ad Canones ſicut ad Regulas directivas.*

Prob. 2. Ex Concilio Trid. ſeſſ. 14. cap. 8. *Debent*, inquit, *Sacerdotes Domini, quantum ſpiritus & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum & pœnitentium facultate, ſalutares & convenientes ſatisfactiones injungere, ne ſi forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pęnitentibus agant, leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.* Similiter S. Carolus in Inſt. Confeſſariorum: *In ſatisfactionibus*, inquit, *vel pęnitentiis injungendis Confeſſarius circumſpectus eſſe debet, ne adeo leves illæ ſint & faciles, ut poteſtas clavium in contemptum veniat, ipſeque particeps fiat, & conſors aliorum peccatorum; neque nimis graves, aut longæ jubeantur, ut, vel recuſent eas exequi, vel etiamſi acceptas habeant, poſtea tamen plene non perficiant.*

Prob. 3. Ratione. (*Ibid.*) Pęnæ ſatisfactoriæ injungendæ ſunt ut medicinæ. Atqui prudens Medicus non ſemper & omnibus dat medicinas ab arte determinatas, quia non ſemper nec omnibus competunt; neque ſemper dat ita efficaces, quæ ad morbi curationem omnino ſufficiant, ne propter debilitatem naturæ majus periculum oriatur, ſed eas variat, & diſtribuit ſecundum arbitrium prudentiæ & ſcientiæ medicinæ regulatum. Ergo ſimiliter Medicus ſpiritualis, ſeu Confeſſarius non debet ſemper injungere pęnas ſatisfactorias in Canones determinatas, quæ non ſemper omnibus competunt; nec ſemper totam pęnam, quæ uni peccato debetur, ne infirmus aliquis ex magnitudine pęnæ deſperet, & a pęna totaliter recedat; ſed eas debet injungere ſecundum arbitrium prudentia, & divino inſtinctu regulatum, attentis omnibus circumſtantiis negotiorum & perſonarum; item acerbitate contritionis, erubeſcentiæ, &c. Confir. (*Ibid. q.* 8. *a.* 7.) Pœnæ ſatisfactoriæ ſunt medicinæ, non ſolum pro ſanandis præſentibus vulneribus, ſed etiam pro cavendis futuris. Atqui minus peccatum aliquando difficilius vitatur in uno, puta in juvene quam in ſene; aliquando eſt periculoſius in uno, puta in Sacerdote, quam in Laico: item multitudo poteſt eſſe magis prona ad minus peccatum, a quo per pœnam unius eſt deterrenda, quam ad aliud gravius. Ergo idem quod ante.

CONSECTARIA.

Ex his colliges 1. Confeſſarium in Pœnitentia injungenda debere attendere non ſolum ad qualitatem & quantitatem majorem vel minorem peccatorum, ſed etiam ad periculum majus vel minus relapſus aut ſcandali, ad rationem contritionis & erubeſcentiæ, per quam plus aut minus pœnæ remiſſum eſt, ad pœnitentis facultatem & conditionem, hoc eſt ad ætatem, ſexum, convictum & infirmitatem, ſive corporalem, ſive ſpiritualem. Unde non ſunt injungenda jejunia infirmis aut opificibus gravi & continuo labore defatigatis, non ea opera, per quæ revelaretur Confeſſio, ut ſimul conviventibus, v. g. filiisfamilias, abſtinentia a carnibus, potus in aqua, &c. non diuturnæ orationes ſervis & ancillis in fraudem temporis, quod in obſequium dominorum impendere debent. Minuenda eſt pœnitentia, quando Confeſſarius præſentit pœnitentem eam non acceptaturum, aut acceptatam non perfecturum.

Colliges 2. In hac materia incedendum eſſe media via inter utrumque extremum nimii rigoris & nimiæ laxitatis: magis tamen ſectandam eſſe miſericordiam, quam ſeveritatem. Tum quia juxta Trid. loco cit. Sacramentum pœnitentiæ non eſt forum iræ & pœnarum, ſed veniæ & miſericordiæ: & cauſa 26. q. 7. cap. *Alligant* legitur: *Si erramus modicam pœnitentiam imponentes, nonne melius eſt propter miſericordiam rationem reddere, quam propter crudelitatem? Ubi enim paterfamilias largus eſt, diſpenſator non debet eſſe tenax. Si Deus benignus, ut quid Sacerdos ejus auſterus? Vis apparere Sanctus? Circa vitam tuam eſto auſterus, circa alienam benignus.* Tum quia ſatius eſt, quod pęnitens cum leviori pœnitentia adimpleta reſiduum pœnæ luat in Purgatorio, quam graviori neglecta damnetur in inferno. Unde S. Antoninus p. 3. tit. 17. c. 20. dicit: *Confeſſor nullo modo debet permittere peccatorem deſperatum recedere a ſe, ſed potius imponat ei unum* Pater, *vel aliud leve*: Et: *Si Sacerdos non poſſit gaudere de omnimoda purgatione ejus, ſaltem gaudeat, quod liberatum a gehenna tranſmittat ad Purgatorium.* Ubi tamen Confeſſarius ex juſta cauſa impoſuerit pœnitentiam leviorem, moneat pœnitentem per hanc non eſſe plene ſatisfactum pro peccatis, ideoque quod ſupereſt, luendum eſſe in hoc vel altero ſæculo, ut inde pœnitens excitetur ad graviorem pęnitentiam ſponte ſuſcipiendam, & ne ex levitate pœnitentiæ leviora exiſtimet peccata.

Petes, utrum Confeſſarius poſſit imponere pœnitentiam publicam pro peccatis publicis? Reſpondetur communius, quod non poſſit vi hujus Tribunalis pęnitentiæ, quod ex divina inſtitutione eſt ſecretum. Si tamen pœnitens ex ipſo peccato obligationem publice ſatisfaciendi contraxit, puta ad reparandum ſcandalum, ad injuriam reparandam, reſtitutionem faciendam, deſerendam occaſionem proximam, &c. poſſit, & debeat Confeſſarius hanc obligationem illi declarare, & ad illam implendam cogere ſicque cogere concubinarium ad expellendam concubinam, uſurarium ad deſerendas uſuras, publicum calumniatorem, aut hæreticum ad retractandas publice calumnias aut hæreſes. Ad hæc enim independenter a præcepto Confeſſarii ipſo jure naturæ tenetur, & ea adimplere debuiſſet, antequam ſe Tribunali ſiſteret.

Digitized by Google

A R T I C U L U S VII.

Utrum opera in ſtatu peccati mortalis facta ſatisfaciant.

SUPPONO 1. diſtinctionem inter meritum & ſatisfactionem de qua initio hujus Diſſertationis, ſcilicet, quod meritum reſpiciat bonum merentis, ſatisfactio bonum creditoris. Vide. Suppono 2. Quod ſicut diſtinguitur triplex meritum, nimirum *De condigno*, quod importat in merente jus juſtitię ad pręmium: *De congruo ſtricte*, quod importat in merente jus amicabile ad pręmium; & *De congruo late*, quod non importat in merente aliquod jus ad pręmium, ſed aliquam tantum decentiam bonitatis & liberalitatis in pręmiante ad pręmiandum: ita poteſt diſtingui triplex ſatisfactio in ordine ad remiſſionem pęnæ; una *De condigno*, quæ importat in ſatisfaciente jus juſtitiæ ad remiſſionem pęnæ: ſecunda *De congruo ſtricte*, quæ importat jus amicabile: tertia *De congruo late*, quæ importat decentiam ex parte creditoris ad remittendam pęnam. Suppono 3. aliquem poſſe eſſe in ſtatu peccati dupliciter: 1. dum actu vel affectu peccat. 2. dum, tranſacto actu & depoſito affectu ad peccatum, remanet adhuc macula & reatus pœnæ æternæ; de quo dum de peccatis. His ſuppoſitis,

Dico 1. (*Ib. q.* 14. *a.* 2.) Opus in actu vel affectu peccati factum nullo modo ſatisfacit. Prob. 1. (*Ib.*) Opera noſtra non ſunt ſatisfactoria apud Deum ſecundum eorum æquivalentiam, ſed ſecundum ejus acceptationem. Atqui abſurdum eſt dicere, quod Deus acceptet opera illius, qui actu vel affecto ipſum oſtendit. Ergo. Prob. Ant. 1. ex Trid. Seſſ. 14. cap. 8. ubi dicit ſatisfactiones noſtras vim habere a Chriſto, ab illo Patri offerri, & per illum acceptari a Patre: & c. 9. dicit eſſe munificentiæ & amoris divini argumentum, quod Deus ſatisfactiones noſtras acceptet. 2. Pęnæ hujus vitę quantumvis graves nullatenus æquivalent pęnis peccato debitis & in Purgatorio luendis. 3. Opera noſtra ſunt Dei, qui eſt ſupremus omnium Dominus, eaque variis aliis titulis poteſt exigere. Ergo ut nobis proſint ad ſatisfactionem & redemptionem pęnarum peccatis noſtris debitarum, debent ab eo acceptari. Nec alia ratio afferri poteſt, cur animæ in Purgatorio graviſſimis pęnis, & ferventiſſimis charitatis & contritionis actibus non ſatisfaciant, & ſtatim non evolent in cælum, niſi quia cum ſint extra viam, Deus eorum actus & pęnas in hunc finem non acceptet. Obſervandum tamen, quod hoc ipſo quo Deus viatoribus gratiam ſanctificantem confert, acceptet opera ex ea manantia ad meritum & ad ſatisfactionem.

Confir. Concluſio. Satisfactio eſt opus pœnitentiæ, & includit ſtudium placandi Deum. Atqui opus in actu vel affectu peccandi, neque eſt opus pœnitentiæ, neque includit ſtudium placandi Deum, quem de facto offendit. Ergo. Unde Eccli. 34. *Homo, qui jejunat in peccatis ſuis & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando ſe?*

Hinc ſequitur, quod ſi ſit opus injunctum a Confeſſario in ſatisfactionem debeat iterari, ut ſatisfiat ejus præcepto & integretur Sacramentum.

Dico 2. (*Ibid.*) Opus in reatu peccati factum, ſi depoſito affectu ad peccatum procedat ex gratia actuali, ut in pœnitentibus, ſatisfacit non de condigno, nec de congruo ſtricte, ſed de congruo late, cum hoc diſcrimine, quod reſpectu peccati quoad culpam dimiſſi obtineat aliquam diminutionem pœnæ, reſpectu vero peccati nondum quoad culpam dimiſſi diſponat tantum ad majorem contritionem, & ut inde Deus in juſtificatione abundantius cedat juri ſuo, atque ampliorem faciat pœnæ remiſſionem.

Prob. 1. pars; Satisfactio de condigno, ſicut meritum, importat jus juſtitiæ ad remiſſionem pęnæ, ſatisfactio de congruo ſtricte jus amicabile. Atqui homo in reatu peccati mortalis non poteſt habere, neque jus juſtitiæ, neque jus amicabile ad hoc, ut Deus ejus opera acceptet ad ſatisfactionem, & ipſi concedat pœnarum remiſſionem, cum ſit extra gratiam ſanctificantem & charitatem, unde profluit condignitas noſtrarum ſatisfactionum, & amicitia cum Deo. Ergo. Prob. 2. pars. Sicut ad meritum de congruo late ſufficit actus, non per quem efficitur, ut agens habeat jus, ſed per quem efficitur, ut in dante ſit aliquale debitum decentiæ ſecundum ejus bonitatem & liberalitatem, ita ad ſatisfaciendum de congruo late; atqui divinam bonitatem & liberalitatem decet, ut operibus ſatisfactoriis ex ſua gratia actuali procedentibus aliquam pœnæ remiſſionem concedat pro peccatis quoad culpam dimiſſis; pro peccatis vero nondum quoad culpam dimiſſis propter meliorem diſpoſitionem abundantius in ipſa juſtificatione cedat juri ſuo, & minorem requirat pęnam. Ergo. Atque ita docet Auctor his verbis; (*Ib. a.* 3. *ad* 1.) *Quanto major eſt contritio, tanto magis diminuit de pœna, & quanto aliquis plura bona facit in peccato exiſtens, magis ſe ad gratiam contritionis diſponit, & ideo eſt probabile, quod minoris pœnæ ſit debitor. Et propter hoc debe-* *rent a Sacerdote diſcreto computari, ut ei minorem pęnam injungat, in quantum inveniat eum melius diſpoſitum.*

Hinc probabile eſt per opus in caſu concluſionis ſatisfieri præcepto Confeſſarii, nec eſſe iterandum; quia eſt aliquo modo ſatisfactorium. Eſt ſaltem ſententia communior, & communis ſenſus fidelium, qui non ſolent ſe accuſare, quod ſatisfactionem impleverint extra charitatem, eaque videtur intentio Confeſſariorum, præſertim, dum pęnitentias diu duraturas imponunt. Quia tamen non eſt abſolute certum, Deum acceptare hæc opera ad ſatisfactionem, conſultum eſt, ut Confeſſarii aliquam ſaltem pęnitentiæ partem ſtatim implendam ſemper injungant.

Solvuntur Objectiones.

OBJ. 1. contra 1. concluſionem. Damnati in malo obfirmati ſatisfaciunt divinæ juſtitiæ. Ergo. R. D. Ant. Satisfaciunt in pęna C. Satisfaciunt pro pœna N. Satisfacere in pœna eſt luere pœnam in rigore debitam peccato, & a lege taxatam, ut dum homicida ſuſpenditur; & hoc non eſt proprie ſatisfacere, ſed ſatiſpati: quia ſatisfactio dicit commutationem ſeu redemptionem pœnæ per aliquid levius, ut ſi quis ſe redimat a pœna mortis per mulctam pecuniariam, aut per aliquid aliud pœnale morte inferius. Hoc autem modo non ſatisfaciunt damnati.

Obj. 2. Qui in actu vel affectu peccati jejunat, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ, nec tenetur iterum jejunare. Ergo ſimiliter de jejunio injuncto a Confeſſario. R. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod Eccleſia præcipiat jejunium quoad ſubſtantiam tantum, non ſub certo modo, qui cadat ſub præcepto; Confeſſarius autem præcipit jejunium qua ſatisfactorium, ut integretur Sacramentum, & redimantur pęnæ graviores; idque patet ex formula conſueta, dicit enim: *Pro pœnitentia ſeu ſatisfactione hoc facies, vel recitabis.* Satisfactio autem eſſe non poteſt cum actu vel affectu peccati, ut probatum eſt,

Obj. 3. S. Th. hic a. 3. ad 3. docet, quod ſi ex ſatisfactione injuncta a Confeſſario & peracta in ſtatu peccati remaneat aliquis effectus, ut ex jejunio debilitatio corporis, ex eleemoſina diminutio ſubſtantiæ, hujuſmodi ſatisfactio non ſit iteranda; ſecus de ſatisfactionibus, quæ non relinquunt aliquem effectum in ſatisfaciente, ut ſunt preces. Ergo priores ſatisfactiones ſaltem debemus excipere. R. N. Conſeq. Senſus enim D. Th. non eſt, quod hujuſmodi opera, ex quibus remanet aliquid in agente, peracta in ſtatu peccati adveniente charitate vivificentur & valeant ad ſatisfactionem injunctam a Confeſſario; cum enim non proceſſerint a charitate, ideoque nunquam fuerint viva, impoſſibile eſt, quod ab ea procedant & vivificentur; ſed ſenſus eſt; quod ſi effectus, qui ex illis remanent, de novo offerantur Deo in ſatisfactionem, iſta oblatio facta in ſtatu gratiæ, ſeu depoſito affectu ad peccatum & ex animo placandi Deum, ab illo acceptetur in aliquam pęnæ remiſſionem; ideoque Confeſſarius, ad quem poſtea accedit pœnitens, poſſit aliquid minuere de pęnitentia prius injuncta & in peccato peracta: & hoc ſenſu non eſt ex integro iteranda. Si vero nihil de ea minuatur, tota eſt iteranda, non ſecus ac illa, quæ nihil poſt ſe relinquit.

Obj. 4. contra 2. concluſionem. Pœna temporalis peccato remiſſo debita eſt finita. Opus autem bonum extra charitatem factum, maxime ſi procedat ex gratia ſpecialis auxilii, eſt alicujus valoris, &, ut ſuppono, pęnale. Ergo adæquare poteſt debitum ſolvendum, adeoque ſatisfacere de condigno. R. opera noſtra nullius eſſe valoris apud Deum, niſi quatenus ab eo acceptantur, ut dictum eſt. Opera, quæ procedunt ex gratia habituali & charitate, habent perfecte in ſe principium hujus acceptationis ut etiam diximus; quæ vero procedunt ex ſola gratia actuali, non habent niſi imperfecte, quatenus ſcilicet fiunt ex motione Spiritus S. cum ſtudio placandi Deum, per ejus inimicos tamen. Unde quod a Deo acceptentur in ſatisfactionem, nullo jure vel debito, ſed ex mera Dei liberalitate & bonitate contingit.

Repones. Ergo bona pure naturalia etiam poterunt ſic de congruo ſatisfacere; quia etiam poſſunt acceptari a Deo in ſatisfactionem. R. N. illationem: Ad Probat. D. Poſſunt acceptari a Deo in ſatisfactionem de potentia extraordinaria, C. Ordinaria, N. Quia in naturalibus non eſt etiam imperfecte principium acceptationis divinæ, ſicut in ſupernaturalibus ex gratia actuali, quæ proinde habent cum remiſſione debiti aliqualem, licet imperfectam, proportionem & diſpoſitionem.

Obj. 5. Saltem ſatisfactio ſacramentalis facta extra charitatem habet valorem condignum pœnæ temporali. Ergo de condigno ſatisfacit. Prob. Ant. Valor ſatisfactionis ſacramentalis eſt valor meritorum Chriſti: hoc ipſo enim quo ſatisfactio eſt elevata virtute clavium ad eſſe ſacramentale, operatur ex opere operato, hoc eſt, ex meritis Chri-

ſti.

Digitized by Google

ſti. Ergo. &c. R. D. Ant. Satisfactio ſacramentalis extra charitatem facta habet valorem condignum pœnæ temporali, abſolute & quantum eſt ex ſe, C. Ant. reſpective ad ſubjectum, N. Licet igitur merita Chriſti ſint infiniti valoris, non tamen ſemper & omnibus etiam per Sacramenta efficaciter applicantur, ſed juxta diſpoſitiones ſubjectorum & non ponentibus obicem, ut patet in ipſa gratia ſacramentali. Diſpoſitio autem ut efficaciter ex debito jure Deus remittat alicui pœnam, eſt amicitia. Unde fit, quod licet ſatisfactio Chriſti ſit pleniſſima abſolute & in ſe, ac quoad ſubſtantiam, non tamen quoad efficaciam reſpective, hoc eſt pro eo, qui eſt extra charitatem & Dei amicitiam, niſi ex congruo late.

Repones. Defectus charitatis non eſt obex characteri ſacramentali. Ergo nec ſatisfactioni ſacramentali. R. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod collatio characteris non ſit opus amicitiæ Dei ad hominem, cum id nihil eum juvet ad vitam æternam; ſecus effectus ſatisfactionis, qui eſt remiſſio pœnæ, & relaxatio juris, quod Deus habet ad illam. Unde cum Deus relaxat aliis quam amicis, non ex debito, ſed ex mera liberalitate relaxat.

Replicabis. Debitor ſatisfacit de condigno creditori dando ipſi quantitatem debitam, ſive ſit amicus, ſive non. Ergo ſimiliter erga Deum. R. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod homines in ſolutione debitorum ſolum conſiderant externa, Deus autem intuetur cor. Inſuper homo tenetur acceptare quantitatem debito æqualem; Merita autem Chriſti, licet Deo ſint acceptiſſima quantum eſt ex ſe & quoad ſufficientiam, non tamen quoad efficientiam remiſſionis pęnæ pro omnibus ſaltem ex debito & condigno, ſed ſolum pro amicis, pro aliis autem ex congruo late.

Obj. 6. Ex noſtra Sententia ſequitur, quod homo poſſit in æternum puniri pro peccato remiſſo, ut ſi homicida poſt obtentam veniam & ante factam ſatisfactionem fornicetur, eam autem in hoc ſtatu factam, cum ſit de congruo late tantum, Deus non acceptet, ſicque moriatur. Atqui videtur conſequens nimis durum. Ergo. R. 1. Idem ſequi ex omni Sententia, caſu quo talis homo, poſt obtentam homicidii veniam & lapſum in aliud mortale, moriatur, antequam perfecerit ullam ſatisfactionem pro priori peccato. R. 2. N. Conſeq. Quia etſi talis non poſſit placare Deum, ut illi pęnam reſtantem relaxet, nihilominus quando erit paſſus tantam pęnam, quanta reſtabat, non amplius pro illo peccato punietur, ſed ſolum pro aliis. Neque inde ſequitur, quod in inferno ſit redemptio, aut quod damnati poſſint pro peccatis ſatisfacere Deo, ſed tantum quod poſſint ſatiſpati, ac ſatisfacere in pęna, non pro pęna, ut explicatum eſt ſuperius.

Inferes. Ergo per mala, quæ peccatores in hoc mundo patiuntur, etiam ſatiſpatiuntur inchoative, ſeu ſatisfaciunt in pęna, adeoque diminuitur ipſis aliquid de pęna Inferni. R. N. illationem; quia ut aliquis cenſeatur ſatiſpati, ſeu ſatisfacere in pęna, debet ſubire pęnam a lege vel a Judice in tale crimen latam & taxatam, ut patet in judiciis humanis: hæc autem pęna reſpectu peccatorum a Deo puniendorum eſt pęna Inferni ſeu Purgatorii reſpectiva.

Petes, utrum homo poſſit ſatisfacere pro uno peccato & non pro alio? R. (*Ib. q. 14. a. 1. c.*) non poſſe ſatisfacere pro uno peccato quoad culpam & offenſam & non pro alio; quia non poteſt tolli offenſa, niſi per redintegrationem in amicitiam Dei, quæ per quodlibet peccatum mortale læditur. Poſſe vero ſi agatur de ſatisfactione quoad pœnam temporalem, quia unicuique peccato certa pœnæ temporalis menſura eſt debita, poteſtque homo applicare ſuam ſatisfactionem pro uno & non pro altero, ſicut poteſt applicare alteri & non ſibi.

ARTICULUS VIII.

De qualitate operum, per quæ fit ſatisfactio.

§. I. *Utrum ſatisfactio fieri debeat per opera pęnalia?*

DIFFICULTAS in aliquo opere poteſt eſſe duplex (*Supp. q. 15. a. 1. ad 5.*) ſubjectiva & objectiva, ſeu ex genere & natura operis; ſic quod aliquis cum tædio oret, difficultas & pęna eſt tam ex parte ſubjecti, quam ex parte objecti; ſi autem oret ex fervore charitatis prompte & delectabiliter, erit tantum difficultas objectiva ſine ſubjectiva. Difficultas objectiva iterum poteſt conſiderari dupliciter: 1. Quatenus confert ad bonitatem actus virtutis, & ſic pertinet ad meritum: 2. Ut ex genere ſuo pęnam & laborem infert operanti, & ſic confert ad ſatisfactionem, ut dicemus modo.

Dico. (*Ib.*) Opera ſatisfactoria debent eſſe pęnalia. Prob. 1. Auctoritate. Joel 2. dicitur: *Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio & fletu & planctu, & ſcindite corda veſtra & non veſtimenta veſtra.* Matth. 11. *Regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Trid. Seſſ. 14. cap. 8. vocat opera ſatisfactoria, *pœnas ſatisfactorias*: Et Can. 13. *Pœnas ſponte ſuſceptas, vel a Deo inflictas, vel a Sacerdote injunctas,* (*Ib. id in a. ſ. c.*) Greg. 4. moral. c. 21. *Juſtum eſt, ut peccator tanto majora ſibi inferat lamenta per pœnitentiam, quanto majora ſibi intulit damna per peccatum.* Similiter alii Patres.

Prob. (*Ib.*) Ratione. Satisfactio, ut prius dictum eſt, ordinatur ad præteritam offenſam compenſandam & vindicandam, & ad futuram culpam cavendam; atqui ad utrumque requiritur, quod fiat per opera pęnalia. Ergo. Prob. 1. Pars Min. Compenſatio offenſæ Dei fieri debet per hoc, quod ſubtrahatur aliquid peccatori, quod cedat in honorem Dei; quia homo peccando plus juſto ſibi tribuit, &, in quantum in ipſo eſt, honorem Deo ſubtraxit. Atqui hæc ſubtractio eſt pęnalis, pęna enim nihil eſt aliud, quam privatio boni utilis vel delectabilis. Ergo. Prob. 2. Pars Min. Homo facile non redit ad peccatum, ex quo pęnam expertus eſt. Unde Philoſophus 2. Ethic. c. 3. pęnas vocat medicinas: & Trid. cit. dicit, quod Pęnæ ſatisfactoriæ magnopere a peccato revocant, & quaſi fræno quodam coercent.

Dices 1. Deus non delectatur pęnis noſtris. Ergo. R. D. Ant. (*Ib. ad 2.*) Deus non delectatur pęnis noſtris ut pęnæ ſunt, C. Ut juſtæ ſunt. N.

Dices 2. Quando aliquod opus ex majori charitate procedit, tanto minus eſt pęnale. Si ergo oporteat opera ſatisfactoria eſſe pęnalia, quanto magis ſunt ex charitate facta, tanto minus ſunt ſatisfactoria, quod falſum eſt. R. D. Ant. (*Ibid. ad 2.*) Quanto aliquod opus ex majori charitate procedit, tanto minus eſt pęnale ſubjective, C. Ant. Objective & ex genere ſuo, N. Ant. & Conſeq. Sicut igitur in ſatisfactione conſideratur pęnalitas, & in merito conſideratur difficultas, ſeu arduitas conferens ad bonitatem actus. Diminutio autem difficultatis objectivæ, ſeu quæ eſt ex parte ipſius actus, diminuit, cæteris paribus, meritum; ſed diminutio difficultatis ſubjectivæ, ſeu quæ eſt ex promptitudine voluntatis, non diminuit meritum, ſed auget. Similiter diminutio pęnalitatis ſubjectivæ, ſeu quæ eſt ex promptitudine voluntatis, quam facit charitas, non diminuit efficaciam ſatisfactionis, ſed auget. Itaque cæteris paribus, opus magis pęnale objective eſt magis ſatisfactorium. Si vero cætera non ſint paria, & opus minus pęnale fiat ex longe majori charitate, erit magis ſatisfactorium, quam opus magis pęnale minori charitate factum; quia Deus, qui magis penſat affectum, quam effectum, & ex cujus acceptatione pendent ſatisfactiones noſtræ, in majorem ſatisfactionem & compenſationem acceptabit pęnam minorem ex majori charitate ipſi oblatam, ita tamen quod ſi per impoſſibile nullo modo foret pęna, non foret ſatisfactio, ſed meritum ſolum; ſicque remiſſionem pęnæ obtineret non via ſatisfactionis, ſed meriti.

Dices 3. Satisfacere eſt honorem debitum Deo impendere, ut dicit Anſelmus l. 1. *Cur Deus homo* c. 11. Atqui hoc fit omni opere bono, etſi non ſit pęnale. Ergo. R. D. Maj. Satisfacere eſt impendere honorem Deo debitum ex peccato commiſſo, C. Debitum ex beneficio collato aut mandato injuncto, N. Et ad hunc ſenſum, diſtincta Min. N. Conſeq. Anſelmus autem intelligit de honore Deo debito ex peccato commiſſo, cujus compenſatio non fit niſi per opus pęnale, ut patet per probat. Concluſionis.

Dices 4. Omnis actus virtutis eſt ſatisfactorius, Sed dantur aliqui actus virtutum, qui non ſunt pęnales, ut actus Temperantiæ, quem quis exercet comedendo cibos delicatos, aut bibendo vinum ſuave. Ergo. R. N. Min. pro cujus argumenti ampliori ſolutione ſit

§. II. *Utrum omnis actus virtutis ſit pęnalis, & conſequenter ſatisfactorius?*

DIco. Omnis actus virtutis eſt pęnalis & ſatisfactorius. Quia omne opus, quo Deo ſervitur, & mens ad cœleſtia erigitur, natum eſt cauſare homini carnali & terrenis aſſueto laſſitudinem & afflictionem. Unde iſte actus de quo in objectione, non eſt actus virtutis temperantiæ, nec moraliter bonus in genere ſatisfactionis, niſi moderate fiat, & ad finem bonum & ſupernaturalem ordinetur; ſub illa autem ratione habet pęnalitatem annexam, ſcilicet carentiam majoris delectationis, quæ eſſet in ampliori comeſtione, & elevatione ad ſupernaturalia.

Inferes. Ergo Confeſſarius poterit injungere pęnitenti in ſatisfactionem, ut comedat cibos delicatos & bibat vinum delectabile, quod eſt ridiculum. R. D. Illatum. Confeſſarius poterit, &c. nullam exprimendo pęnalitatem, v. gr. dicendo ſimpliciter, comedes cibos delicatos, N. Illationem: hoc enim abſque dubio foret ridiculum. Exprimendo pęnalitatem, v. g. dicendo, comedes cibos delicatos moderate, C. Illationem; tunc enim veram injungeret pęnitentiam, peccaret tamen graviter, maxime ſi ageretur de peccato mortali, eo quod ſit indecens & incongruum, maxime pro gravi peccato, injungere opus,

quod eſt ſimpliciter delectabile, & pœnale tantum ſecundum quid.

Ex his colliges, 1. Quod licet diverſa ſit ratio meriti & ſatisfactionis, de facto tamen omne opus meritorium ſit ſatisfactorium, & e contra. Ratio primi eſt; quia cum omne opus meritorium ſit actus virtutis, habet ſemper adjunctam aliquam difficultatem & moleſtiam, ut dictum eſt, licet ex alia parte poſſit eſſe delectabile. Ratio ſecundi eſt, quod ad opus meritorium requiritur, & ſufficit, quod ſit liberum, bonum & ſupernaturale, quod totum convenit operi ſatisfactorio, ut jam diximus & dicemus.

Colliges. 2. Nedum opus externum, ſed & opus internum etiam per ſe ſumptum eſſe ſatisfactorium; quia actus interiores, ut contritionis, charitatis, orationis mentalis, &c. etiam per ſe ſumpti, ſunt optimi, difficiles & pœnales ſecundum ſe, licet per accidens ob bonam diſpoſitionem ſubjecti, de facto laborem aliquando non cauſent; unde etiam poſſunt injungi in pœnitentiam a Confeſſariis. Nec refert, quod non videantur ſenſibiles; ſicut enim contritio ſufficienter ſit ſenſibilis ad rationem Sacramenti per confeſſionem, ita actus internus pro pœnitentia injunctus ſit ſufficienter ſenſibilis per impoſitionem Confeſſarii, & acceptationem pœnitentis. Opus autem ipſum externum, quatenus ab interiori procedit, licet interiori non addat bonitatem intrinſecam, ut dicitur de actibus humanis, nec ideo addat ad meritum, quod attenditur penes bonitatem actus, quia tamen addit pœnam diſtinctam ab interiori, addit vim ſatisfaciendi; quia ſatisfactio attenditur penes pœnam & laborem, & ideo jejunare eſt magis ſatisfactorium, quam velle jejunare, quia eſt magis pœnale.

§. III. *Utrum opera alias debita ſint ſatisfactoria, poſſintque imponi a Confeſſario in pœnitentiam.*

Dico. Opera alias debita ſunt ſatisfactoria, & per ſe loquendo imponi poſſunt a Confeſſario in pœnitentiam: id tamen regulariter non licet. Prob. 1. Pars. Opus habet, quod ſit ſatisfactorium, ex eo quod ſit bonum & pœnale. Atqui per hoc quod ſit alias debitum, puta ex voto vel præcepto, non deſinit eſſe bonum & pœnale. Ergo. Confir. 1. Jejunia Eccleſiæ ſunt præcepta, & nihilominus ſatisfactoria, in id enim inſtituta ſunt. 2. Martyrium, etiam eo caſo quo cadit ſub præceptum, maxime Deo ſatisfacit. 2. Ex Trid. ſeſſ. 6. c. 10. & 16. opera bona, etſi ex præcepto debita, ſunt meritoria. Ergo a fortiori ſatisfactoria. Eſt etiam D. Th., qui art. ſequenti docet flagella divinitus immiſſa eſſe ſatisfactoria, cum tamen aliunde teneamur ea patienter ferre.

Secunda Pars ſequitur ex 1. ſi enim vere ſint ſatisfactoria, nihil obſtat, quominus poſſint injungi in pœnitentiam. Prob. 3. Pars. Qui peccavit, ad aliquid novi eſt obligandus, tum ut ſentiat vindictam ſuorum peccatorum, tum quia plus requiri debet ab eo quam ab innocente. Unde intentio Eccleſiæ eſt, ut unuſquiſque ſatisfaciat pro peccatis ſuis aliquo peculiari opere, ac proinde quando Confeſſarius injungit certas preces, jejunia, eleemoſinas, &c. nihil addendo, intelligendum eſt de illis, ad quæ pœnitens nulla alia ex cauſa tenebatur, niſi forte conſtaret de contraria intentione Confeſſarii.

Dixi; *Regulariter*: quia aliquando juſtis ex cauſis liceret imponere opus alioquin præceptum, ut recitationem officii, jejunium Eccleſiaſticum, illi, qui non haberet opportunitatem aliter ſatisfaciendi.

Dices 1. Nemo poteſt duplici debito ſatiſfacere per unum, & idem pretium. Ergo. R. D. Ant. dupliciter, 1. Cum Goneto ſic, nemo poteſt duplici debito ſatisfacere per unum & idem pretium, habens tantum unum valorem, Tranſeat: habens duplicem valorem, N. Opus autem ſatisfactorium habet duplicem valorem. Primus eſt valor moralis deſumptus ex objecto & circumſtantiis, & per hunc ſatisfit debito præcepti vel voti: alter eſt valor ſatisfactorius petitus ex pœna & labore, qui in ejus exercitio reperitur; & per hunc ſatisfit Deo pro pœna temporali peccato debita. 2. D. aliter idem Ant. cum Nugno & Sylvio. Nemo poteſt duplici debito humano ſatisfacere per unum & idem pretium, C. Duplici debito divino, ſeu quoad Deum, N. Diſparitas eſt, quod in debito humano attendatur tantum æqualitas rei ad rem; impoſſibile eſt autem, quod una res, ſeu unum pretium, puta decem floreni, ſit æquale duplici debito, quorum unumquodque eſt decem florenorum. At in debito quoad Deum minus attenditur æqualitas rei ad rem, quam gratia Dei, qui magis reſpicit dignitatem & intentionem operantis, quam id quod exterius exhibetur, ita quod aliquando ſolo actu voluntatis illi ſatisfiat. Ex hoc autem quod quis uni præcepto ſatisfacit, nihil de illius dignitate, aut intentione detrahitur ad ſatisfaciendum altero præcepto, aut debito pœnæ, cum unum actum poſſit ordinare ad diverſos fines. Utraque ſolutio eſt bona.

Dices 2. Opus ſatisfactorium debet ſubtrahere aliquam utilitatem, aut delectationem, alias non erit pœnale. Sed opus, debitum aliunde, non eſt hujuſmodi; quia illa utilitas, aut delectatio erat jam ſubtracta per antecedens præceptum. Ergo. R. D. Ant. Opus ſatisfactorium debet ſubtrahere aliquam utilitatem, vel delectationem abſolute, C. Novam & diſtinctam, N. Sufficit enim, quod ſit pœnale ſimpliciter, non autem quod ſit pœnale nova pœna; ſed etſi id requireretur, etiam reperiretur, ſiquidem nova obligatione ligetur homo ad actum illum exercendum, & ad ordinandum ad illum novum finem. Fatemur quidem hanc pœnam eſſe minimam. Unde diximus ordinarie non licere hujuſmodi opera imponere in ſatisfactionem ſacramentalem.

§. IV. *Utrum flagella præſentis vitæ ſint ſatisfactoria?*

Dico. (*Ib. a. 2. o.*) Flagella præſentis vitæ, ſi patienter tolerentur, ſunt ſatisfactoria. Eſt Tridentini ſeſſ. 14. c. 9. ubi ea vocat, *Maximum amoris Dei argumentum*. Prob. 1. (*Ib. in a. ſ. c.*) Rom. 5. dicitur: *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem*, id eſt a peccato purgationem, ut Gloſſa ibid. dicit, Ergo. Prob. 2. (*Ib. o.*) Hoc ipſo quo homo acceptat flagella præſentis vitæ ad purgationem peccatorum eis utens patienter, fiunt aliquo modo ipſius patientia. Ergo ſunt ſatisfactoria. Prob. Conſeq. Quia ſi quid obeſſet, ne forent ſatisfactoria, eſſet, quia non forent a nobis, ſed ab alio, ſcilicet a Deo, quod pertinet ad rationem vindicationis. Unde ſi homo omnino eis per impatientiam diſſentiat, tunc non efficiuntur ipſius, & ideo non habent rationem ſatisfactionis, ſed vindicationis.

§. V. *Utrum convenienter enumerentur opera ſatisfactoria, ſcilicet Eleemoſyna, Jejunium & Oratio?*

Dico. (*Ib. a. 3. o.*) Convenienter enumerantur opera ſatisfactoria, Eleemoſyna, Jejunium & Oratio. Prob. (*Ib.*) Satisfactio, ut dictum eſt, habet reſpectum & ad culpam præteritam compenſandam, & ad futuram cavendam. Atqui ad utrumque convenienter aſſignantur illa tria opera. Ergo. Prob. Min. pro prima parte. Satisfactio quatenus eſt compenſatio & vindicatio culpæ præteritæ, debet eſſe talis, per quam aliquid nobis ſubtrahamus ad honorem Dei, ut dictum eſt. Atqui non habemus niſi tria bona, ſcilicet bona fortunæ, ex quibus ſubtrahimus nobis aliquid per eleemoſynam; bona corporis, ex quibus ſubtrahimus nobis aliquando per jejunium; & bona animæ, ex quibus non oportet, quod aliquid ſubtrahamus nobis quantum ad eſſentiam, vel quantum ad diminutionem ipſorum, quia per ea efficimur Deo accepti, ſed quantum ad hoc, quod ea ſubmittimus Deo totaliter, & hoc ſit per orationem. Ergo ſatisfactioni, quatenus reſpicit culpam præteritam, &c.

Prob. Min. pro 2. parte. Satisfactio, quatenus reſpicit, culpam futuram ut cavendam, definitur ab Auguſtino, quod ſit peccatorum cauſas excidere, & eorum ſuggeſtionibus aditum non indulgere. Atqui ſub utraque ratione ei convenienter aſſignantur tria illa opera. Ergo. Prob. 1. pars Min. Radices peccatorum tres ponuntur 1. Joan. 2. ſcilicet concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ. Atqui contra concupiſcentiam carnis ordinatur jejunium, contra concupiſcentiam oculorum eleemoſyna, & contra ſuperbiam vitæ ordinatur oratio, Ergo. Prob. 2. pars Min. Omne peccatum committimus vel in Deum, & contra hoc ordinatur oratio; vel in proximum, & contra hoc ordinatur eleemoſyna; vel in nos & contra hoc ordinatur jejunium. Ergo.

Verum obſervandum eſt (*Ib. ad 5.*) illa tria opera poſſe accipi ſtricte & ſpecifice prout ſignificant tres ſpecies virtutum; vel large ac generice. Si 1. modo, tunc Concluſio non eſt ſic intelligenda, quod illa ſola ſint opera ſatisfactoria, ſed tantum quod inter alia ſint aptiſſima & præcipua, ſingulariter in Scripturis & Patribus commendata, & quæ facile veniunt in uſum hominum. Si 2. modo, tunc vera eſt univerſaliter Concluſio, quod illa ſola ſint ſatisfactoria, quia omnia alia ad illa poſſunt reduci. Sic quidquid ad afflictionem corporis pertinet, ut vigiliæ, aſperitas victus ac veſtitus, peregrinationes, lacrymæ, ſolitudo & ſimilia, totum ad jejunium refertur. Quidquid in proximi utilitatem expenditur, eleemoſynæ rationem habet. Et ſimiliter quæcumque latria exhibetur Deo, ut ſacrificium, laus, gratiarum actio, contemplatio, &c. orationis rationem accipit.

AR-

Digitized by Google

ARTICULUS IX.

De conditionibus & effectibus ſatisfactionis.

QUAMVIS in tota hac Diſſertatione plures ſatisfactionis conditiones hinc & inde aſſignaverimus, eas cum quibuſdam aliis ſummatim hic refero in majus commodum Lectoris. Unde

Dico 1. Conditiones requiſitæ ad ſatisfactionem, quædam ſe tenent ex parte ſatisfacientis, quædam ex parte operis, quædam ex parte Dei. Conditiones ex parte ſatisfacientis ſunt. Prima, quod ſit in gratia, ut ſatisfacias de condigno, vel quod depoſuerit affectum ad peccatum, ut ſatisfaciat de congruo; late patet ex a. 7. Secunda, quod ſit in ſtatu vitæ; quia eodem modo hic loquendum eſt de ſatisfactione ac de merito: ad meritum autem requiritur ſtatus viæ: & defectu hujus conditionis animæ in Purgatorio non ſatisfaciunt, ſed ſatiſpatiuntur. Conditiones ex parte operis ſunt. 1. quod ſit liberum; quia eſt actus humanus. 2. quod ſit bonum; quia per opera mala potius meremur pœnam, quam pœnæ remiſſionem. 3. quod ſit ſupernaturale; quia remiſſio pœnæ pertinet ad ordinem ſupernaturalem; pœnæ enim debitum retardat nos a fine ultimo ſupernaturali conſequendo. 4. quod ſit pœnale; conſtat ex art. præced. §. 1.

Conditio ex parte Dei eſt, quod acceptet tale opus in ſatisfactionem. Conſtat ex a. 7. Concil. 1.

Dico 2. Satisfactio ſacramentalis (de ea ſola hic agitur) cauſat ex opere operato remiſſionem pœnæ temporalis; ad id enim eſt inſtituta. Unde Trid. ſeſſ. 14. c. 3. dicit contritionem, confeſſionem & ſatisfactionem eſſe partes materiales pœnitentiæ; *quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenam perfectamque peccatorum remiſſionem ex Dei inſtitutione requiruntur.* Et S. Th. Quodl. 3. a. 28. *Cum ſatisfactio,* inquit, *a Sacerdote abſoluto injuncta, ſit pars pœnitentiæ, manifeſtum eſt quod in ea operatur vis clavium, ita quod amplius valet ad expiandum peccatum, quam ſi proprio arbitrio homo faceret idem opus.* Magis adhuc conſtabit ex ſeq. Concluſ. Unde

Dico 3. Probabile eſt, quod ſatisfactio ſacramentalis cauſet ex opere operato gratias actuales & augmentum gratiæ habitualis. Prob. Satisfactio ſacramentalis id cauſat ex opere operato, quod ſignificat; eſt enim pars Sacramenti pœnitentiæ, ut modo dicebam ex Trid. & S. Th. pars autem debet participare naturam totius Sacramenti, cujus eſt cauſare, quod ſignificat, quia eſt ſignum practicum. Atqui ſatisfactio ſacramentalis non ſolum ſignificat remiſſionem pœnæ temporalis; ſed etiam gratias actuales & augmentum gratiæ habitualis. Ergo. Prob. Min. Satisfactio ſacramentalis poteſt conſiderari, vel ut eſt pars Sacramenti præciſe, vel ut eſt talis pars, ſcilicet ſatisfactio. Si hoc 2. modo, non ſolum ſignificat remiſſionem pœnæ pro peccatis præteritis, ſed etiam majorem facilitatem cavendi futura, quæ facilitas ex auxiliis gratiæ potiſſimum provenit. Si 1. modo ſignificat gratiam; id enim proprium eſt omnibus Sacramentis, & cum primam ſupponat in abſolutione collatam, non niſi ſecundam, ſeu primæ augmentum ſignificat & cauſat.

Eaque videtur expreſſa ſententia Auctoris 3. p. q. 90. art. 2. ubi cum 2. loco ſibi objeciſſet: *In Sacramentis novæ Legis confertur gratia, ſed in ſatisfactione non confertur aliqua gratia: ergo ſatisfactio non eſt pars Sacramenti*; reſpondet ſic: *Ad 2. dicendum, quod ſatisfactio confert gratiam prout eſt in propoſito, & auget eam prout eſt in executione, ſicut etiam Baptiſmus in adultis, ut ſupra dictum eſt.* Neque poteſt intelligi de ſatisfactione, ut eſt opus meritorium, & non ut eſt ſatisfactio ſacramentalis, ut contendit Henno, alioquin non reſponderet argumento, quod eſt de ſatisfactione ut ſatisfactio eſt. Inſuper eodem modo loquitur de ſatisfactione in executione ac de ſatisfactione in intentione; ſatisfactio autem ſacramentalis in propoſito cum acceptatur, qua talis cauſat gratiam. Unde ſi quid aliud tenuerit S. Doctor in 4. diſt. 16. q. 1. art. 1. debet cenſeri hic revocatum.

Dices. Per unum Sacramentum non confertur niſi una gratia. Unde in Sacramento Euchariſtiæ, ſpecies vini non cauſant novum gradum gratiæ diſtinctum ab eo, quem ſpecies panis prius cauſaverant. Ergo. R. quod gratia, quam cauſat ſatisfactio, cum ſit complementum illius, quæ fuit cauſata in abſolutione, non ponat in numero cum illa. Ad id autem, quod objicitur de Sacramento Euchariſtiæ, diſparitas eſt, quod cum ſpecies panis totam virtutem hujus Sacramenti, ſcilicet totum Chriſtum, contineant, totum ejus effectum producunt: unde non mirum ſi poſtea ſpecies vini nullum novæ gratiæ gradum conferant, cum totam collatam ſupponant. At vero Confeſſio & abſolutio non ſic totam virtutem Sacramenti continent; ſed cum ſint cum ſatisfactione partes diſparatæ & quaſi heterogeneæ, unicuique ſua virtus correſpondet. Alia argumenta videri poſſunt apud Gonet diſp. 13. a. 3. §. 2.

Cæterum quidquid ſit de iſtis duobus ultimis effectibus, cum ſaltem conſtet ſatisfactionem ſacramentalem eſſe majoris efficaciæ ad remiſſionem pœnæ, quam ſponte ſuſceptam, maxime intereſt, quod Confeſſarius illam injungat, & pœnitens adimpleat: conſultumque eſt, quod Confeſſarius poſt injunctam ſatisfactionem determinatam ſimul injungat in ſatisfactionem ſacramentalem omnia bona opera futura pœnitentis ſaltem ad certum tempus, ad octiduum, ad menſem, etiam ad annum. Quidam id putant fieri per ea, quæ adduntur poſt abſolutionem, *Paſſio Domini noſtri Jeſu Chriſti, &c. Quidquid boni feceris, &c.* Verum hæc, eo modo quo proferuntur, videntur potius eſſe oratio Sacerdotis deprecantis omnia bene eſſe pœnitenti; non enim elevat ad eſſe ſacramentale Paſſionem Chriſti, merita B. Virginis, & omnium Sanctorum. Si tamen id intenderet de bonis futuris pœnitentis, & id ipſi indicaret, non video, quid obſtaret, etiamſi id fieret pro toto vitæ tempore.

Præter hos effectus ſatisfactionis ſacramentalis, ſunt plures ejus utilitates, quas recenſet Concilium Trid. ſeſſ. 14. cap. 8. 1. Ne leviora reputemus peccata, tam duris pœnitentiæ laboribus expianda. 2. Ut deterreantur pœnitentes a peccatis futuris, & in iis cavendis vigilantiores reddantur. 3. Per illas ſatisfactiones eradicantur habitus vitioſi. 4. Imminentem Dei iram avertunt. 5. Nos Chriſto capiti conformes efficiunt. 6. Sunt in exemplum & ædificationem aliorum.

DIGRESSIO HISTORICA.

De veteri Eccleſiæ diſciplina circa pœnitentiam publicam, ſeu ſolemnem.

D. TH. SUPPL. Q. 28.

AD DISSERTATIONEM PRÆCEDENTEM.

SECTIO I.

De origine, variis gradibus, ritu & abrogatione Pœnitentiæ ſolemnis.

DICO 1. Fuit olim in Eccleſia uſus triplicis pœnitentiæ, ſcilicet privatæ, ſolemnis, & publicæ. Privata in ſecreto agebatur ex præſcripto Confeſſarii, qualis nunc peragitur, dum Confeſſarius injungit certis diebus per menſem aut annum jejunium, orationem, aut aliud. Hanc olim viguiſſe conſtat ex eo, quod non omnia peccata ſubjicerentur pœnitentiæ publicæ, ut dicemus infra, & tamen ſunt omnia pœnitentia expianda. Pœnitentia ſolemnis erat, quæ peragebatur cum certis ſolemnitatibus, & ſecundum varios gradus, de quibus ſtatim. Publica erat, quæ quidem publice agebatur, ſed ſine ſolemnitatibus & gradibus: talis erat pœnitentia eorum, qui v. gr. plectebantur peregrinatione, exilio, detruſione in Monaſterium. Unde omnis pœnitentia ſolemnis erat publica, ſed non e contra.

Notat Auctor (*Suppl. q. 28. a. 1.*) quod quia antiqui Canones & Patres de pœnitentia *Solemni* ſub hac voce non meminerint, Auctores quandoque utrumque confundant, & Pœnitentiam ſolemnem pro publica accipiant. Qui pœnitentiæ ſolemnis ſtadium decurrebant, ii proprie & ſimpliciter dicebantur *Pœnitentes*, ut ait Aug. Ep. 265. ad Seleucian. & ſerm. 392.

Dico 2. Ab exordio Eccleſiæ ad Montanum circa medium 2. ſæculi fuit aliqualis uſus pœnitentiæ publicæ, ſed non ſolemnis. Prima Pars conſtat exemplo Corinthii inceſtuoſi, item mulierum a Marco præſtigiatore oppreſſarum, de quibus Irenæus 2. ſæculo l. 1. adverſus hæreſes c. 9. Secunda Pars iiſdem exemplis patet, quamvis enim horum pœnitentia fuerit publica, non tamen fuit ſecundum cæremonias, gradus, & tempus pœnitentiæ ſolemnis. Item ex libro Hermæ, ſeu Paſtoris, in quo ſæpe fit mentio pœnitentiæ abſque ulla deſignatione temporis, cæremoniarum, aut graduum. Ex Euſebio l. 5. Hiſt. c. ultimo, ubi refert juvenem prædonem a S. Joan. Evangeliſta, & Natalium Epiſcopum a Zephirino, ſtatim abſque diuturniori pœnitentia ad Eccleſiæ communionem receptos fuiſſe. Quod vero poſſet opponi ex Can. 24. inter Apoſtolicos nullius eſt ponderis; quia notum eſt hos Canones non eſſe ab Apoſtolis, & quamvis ſint antiqui, non omnes tamen pari antiquitatis jure gaudent.

At cum Montaniſtæ exprobrarent Catholicis, quod indulgerent Idolatris, Mœchis, & Homicidis, Eccleſia cum iis ſeverius agere cœpit, dulioremque & diuturniorem pœnitentiam injunxit, nondum tamen ſolemnem. Exorta vero circa medium 3. ſæculi hæreſi Novatianorum, qui Montaniſtis juncti peccatoribus quibuſcumque quantumvis pœnitentibus veniam & communionem denegandam eſſe contendebant, atque ſub ſpecioſo diſciplinæ ze-

lo

lo contra Eccleſiam quaſi pollutam debacchabantur, eo quod idololatria & graviſſimis criminibus reis communionem, & pacem redderet, hicque facilitate veniæ incentivum peccandi præberet. Eccleſia ex una parte horum hæreticorum crudelitatem deteſtans, & ex altera ipſis querelarum occaſionem auferre volens, prudenter ſtatuit omnibus peccatoribus vere converſis veniam quidem eſſe concedendam; nocentiores tamen ſeveriori pœnitentia eſſe mulctandos; ideoque pro illis inſtituit pœnitentiam ſolemnem ſecundum quatuor gradus, qui ſunt *Fletus*, *Audientia*, *Subſtratio*, & *Conſiſtentia*. Hos expreſſit S. Greg. Thaumaturgus circa idem tempus Ep. Canonica Can. 11. & dato, ut quidam arbitrantur, hunc Canonem Epiſtolæ S. Gregorii eſſe aſſutum, ſaltem can. 7. 8. & 9. exprimuntur gradus *Audientiæ*, *Subſtrationis*, *Conſiſtentiæ*. Inſuper in Concilio Ancyrano an. 315. can. 4. & 5. referuntur hi gradus, tanquam in Eccleſia jam antea recepti: illoſque diſtincte exprimit S. Baſil. circa an. 370. in Ep. ad Amphiloc. can. præſertim 75.

Dico 3. *Flentes* habitu ſordido induti, cilicio circa collum cooperti, cinere in capite deturpati, & per manuum impoſitionem ab Epiſcopo ad pœnitentiam admiſſi, ſtabant in porticu extra Eccleſiam, ſua peccata deflentes & deteſtantes, & ingredientium preces implorantes. Inter eos quidam dicebantur Hyemantes: ii nempe, qui ob crimen beſtialitatis extra porticum ſub dio inſtantius aliorum commiſerationem deprecabantur. His, ut quidam volunt, jungebantur Energumeni. *Audientes* ſtabant intra fores Eccleſiæ in Propilæo, ubi audiebant lectionem Scripturarum, & ſacras Conciones, indeque exire cogebantur, antequam inchoaretur Miſſa Cathecumenorum. *Subſtrati* ſtabant a foribus Eccleſiæ uſque ad Ambonem, ſeu Pulpitum, in quo legebantur Epiſtola & Evangelium, & ibi proſtrati, ſeu genuflexi variis pœnis & laboribus exercebantur, ita ut hæc ſtatio antonomaſtice vocaretur *Pœnitentia*. Frequenter ſuper hos fiebant manuum impoſitiones & orationes. Cum Catechumenis exibant ad Offertorium. *Conſiſtentes* ſtabant ab Ambone uſque ad Sanctuarium, non egrediebantur cum Cathecumenis, ſed precibus & ſacrificiis cum aliis fidelibus uſque ad finem aſſiſtebant, ſola Euchariſtiæ participatione privati. Ea omnia compendio commemorat S. Greg. Thaumaturgus Ep. citata. Præter hæc, & pœnas cuilibet peccato aſſignatas in Canonibus, pœnitentes non poterant ad ſacros Ordines promoveri, nec matrimonium contrahere, neque ad uxorem accedere; & ideo conjugatis non injungebatur pœnitentia ſolemnis, niſi altero conjuge conſentiente: item non poterant militare, arma geſtare, comas nutrire; tenebantur pedibus incedere, & mortuos ſepelire.

Dico 4. (*Ibid.*) Ritum in imponenda pœnitentia publica, & in reconciliatione ſervari ſolitum deſcribit S. Th. ex decreto d. 50. cap. 65. his verbis: In capite Quadrageſimæ (feria 4 Cinerum) tales pœnitentes præſentant ſe cum Presbyteris ſuis Epiſcopo Civitatis ante fores Eccleſiæ, ſacco induti, nudis pedibus, vultibus in terram demiſſis, coma depoſita; & eis in Eccleſiam introductis, Epiſcopus cum omni Clero 7. Pſalmos pœnitentiales dicit, & poſtmodum eis manum imponit, aquam benedictam ſuper eos ſpargit, & cinerem ſuper capitibus ſuperponit, cilicio colla eorum operit, & denunciat eis lacrimabiliter, quod ſicut Adam ejectus eſt de Paradiſo, ita ipſi de Eccleſia ejiciuntur. Poſtea jubet Miniſtris, ut eos ab Eccleſia pellant; Clero eos proſequente cum hoc Reſponſorio; *In ſudore vultus tui*, &c. In cœna Domini quolibet anno a ſuis Presbyteris in Eccleſiam reducuntur: & erunt ibi uſque ad octavas Paſchæ, ita tamen quod non communicabunt, nec pacem accipient: & ſic fiet quolibet anno, quouſque aditus Eccleſiæ fuerit eis interdictus. Ultima autem reconciliatio reſervatur Epiſcopo, ad quem ſolum ſpectat ſolemnis pœnitentiæ impoſitio. Huc uſque S. Doctor.

Dico 5. Rigor pœnitentiæ ſolemnis a tempore Nectarii circa finem 4. Sæculi, qui ut alibi diximus, Pœnitentiarium exauctoravit, minui cœpit in Eccleſia Orientali. Secundum noſtrum Goar in ſuis notis ad Euchologium Græcorum; tres primi gradus, ſcilicet *Fletus*, *Audientia* & *Subſtrationis*, fuerunt extincti, ſola Conſiſtentia, ſeu privatione Euchariſtiæ retenta. Volunt tamen alii, quod poſt iſtud factum adhuc viguerit quoad omnes gradus, ſed rarius & propter atrociora tantum crimina a ſolo Epiſcopo imponenda; quia Canone 87. Concilii Trullani an. 692. de maritis, qui legitima uxore repudiata aliam ducunt, dicitur: *A Patribus enim noſtris ſtatutum eſt, ut qui ſunt ejuſmodi, annum defleant, biennio audiant, triennio ſubſternantur, & ſeptimo cum fidelibus conſiſtant, & ſic oblatione digni habeantur*. Niſi forte dicas Patres hujus Concilii revocare quidem in mentem, quod olim hac in re ſtatutum fuerit, at ejus obſervationem non præcipere.

In Eccleſia Occidentali diutius ſubſtitit rigor pœnitentiæ ſolemnis, nec niſi poſt 7. Sæculum antiquari cœpit. Ab hoc enim tempore in Pœnitentialibus & Ritualibus nulla amplius fit mentio ſolemnium graduum, nec impoſitionis manuum, qua Pœnitentes reconciliabantur, & loco pœnitentiæ ſolemnis injunctæ ſunt peregrinationes, receſſus in Monaſteria, eleemoſynæ, & alia pia opera. Hujus mutationis occaſio tribuitur Theodoro Epiſcopo Cantuarienſi, qui cum eſſet natione Græcus, Eccleſiæ ſuæ ritum in ſuo Pœnitentiali inſeruit.

SECTIO II.

Quæ peccata fuerint Pœnitentiæ ſolemni ſubjecta?

Dico 1. (*Ibid.*) Peccata omnino occulta nunquam vi Canonum pœnitentiæ publicæ ſeu ſolemni fuerunt obnoxia, ſed ea tantum, quæ aliquo modo erant publica. Dixi, *vi Canonum*: quia non negamus plures peccatores occultos ex fervore contritionis ſponte vel motu proprio, vel hortante, non cogente Confeſſario, pœnitentiam ſolemnem ſuſcepiſſe: quin imo plures innoxii & moribus ſpectatiſſimi ex zelo pietatis ſe illi voluntarie addicebant. Ita conſtat ex Origene hom. in pſ. 37. Aug. Serm. 144. de tempore, & Ep. ad Seleucian. Ex S. Cæſario Arelat. hom. 1. & exemplis Fabiolæ de qua S. Hieron. Ep. 30. & 84. ad Oceanum, Vvambæ Gothorum Regis, de quo Concil. Tolet. 12. S. Gaudentii de quo Concil. Tolet. 13. & aliorum. Dixi etiam: *Quæ erant aliquo modo publica*: quia non ſolum quæ erant apud Judicem delata & probata, ſed etiam quæ cum plurium ſcandalo erant commiſſa, licet nec delata nec probata, pœnitentiæ ſolemni fuiſſe addicta concedimus.

Prob. Concluſio. Concilium Neocæſarienſe can. 4. eximit a pœnitentia publica peccata cogitationis; S. Baſil. Ep. ad Amphiloc. mulieres adulteras; S. Greg. Nyſſ. Ep. ad Letojum can. 6. furtum occultum; Concil. Vaſenſe an. 442. can. 8. *Si Epiſcopus*, inquit, *ſe tantum alieni ſceleris conſcium noverit, quamdiu probare non poteſt, nihil proferat, ſed cum ipſo ad compunctionem ejus ſecretis correptionibus elaboret*. Aug. Serm. 82. alias 16. de verbis Dom. c. 7. *Ergo*, inquit, *corripienda ſunt coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus: ipſa vero corripienda ſunt ſecretius, quæ peccantur ſecretius*. Et cap. 8. *Novit neſcio quem homicidam Epiſcopus, & alius illum nemo novit. Ego volo publice corripere, at tu quæris inſcribere. Prorſus nec prodo, nec negligo. Corripio in ſecreto, pono ante oculos Dei judicium, terreo cruentam conſcientiam, perſuadeo pœnitentiam. Hac charitate præditi eſſe debemus... ſunt homines adulteri in domibus ſuis, in quibus ſecreta peccant, aliquando nobis produntur ab uxoribus ſuis, plerumque zelantibus, aliquando maritorum ſalutem quærentibus, nos non prodimus palam, ſed in ſecreto arguimus. Ubi contigit malum, ibi moriatur malum*.

Non itaque exiſtimandum eſt pœnas per Canones Pœnitentiales latas ſemper eſſe publicas, ſed publicas pro peccatis publicis, ſecretas pro ſecretis, ut docet Aug. de adulterio cognito & incognito Serm. 392. alias hom. 49. inter 50. cap. 5.

Quæ opponunt Natalis Alex. Juenin, VVitaſſe & alii, diluuntur ex duplici obſervatione poſt concluſionem poſita. Intelligenda ſunt enim vel de peccatis, quæ licet non eſſent delata & probata, innoteſcebant tamen pluribus, & ſic aliquo modo erant publica: vel de pœnitentia publica, ſponte ſive motu proprio, ſive ſuadente Confeſſario ſuſcepta; vel tandem de pœnitentia ſumpta pro Sacramento, quæ poteſt dici publica, quatenus adminiſtratur proſtratis & gementibus in conſpectu Eccleſiæ & a Miniſtro publico.

Dices inſuper. Homicidium ſubjiciebatur pœnitentiæ publicæ. Atqui intelligi non poteſt de homicidio publico; alioquin in illud capitali ſupplicio ſæviſſet Judex Sæcularis. Ergo de occulto. R. N. Min. & ejus probationem; poterat enim, etſi aliquo modo publicum, effugere animadverſionem Judicis Sæcularis; quia vel delatum non erat, vel non ſatis probatum, vel a Principe, mediante pecunia, aut interceſſione Epiſcopi, ut tunc ſæpe fiebat, condonatum, vel immunitate Eccleſiæ, ad quam ut ad aſylum reus confugerat, juriſdictioni ſæculari ſubductum.

Dico 2. Non omnia peccata mortalia, etiamſi publica, ſubjiciebantur pœnitentiæ ſolemni, ſed atrociora tantum, præſertim idololatria, mœchia, & homicidium, & quæ ad ea manifeſte reducuntur, quibus poſtea quædam alia adjuncta ſunt. Prob. 1. Apud Patres & Synodos 3. & 4. Sæculi, Tertullianum, Cyprianum, Origenem, Gregorium Thaumat. Synodum Eliberitanam, Ancyranam, Neocæſarienſem nonniſi hæc tria aſſignata & eorum ſpecies pœnitentiæ ſolemni addicuntur. 2. Concilium Laodicenum an. 330. can. 7. a pœnitentia ſolemni eximit Hæreticos. S. Baſil. Ep. ad Amphil. can. 13. & 30. S. Greg. Nyſſ. Ep. ad Letojum can. 6. eximunt uſurarios, avaros, fures, & raptores. Aug. Ep. 22. alias 64. ad Aurelium eximit commeſſationes & ebrietates, quæ a rudiori plebe com-

mit-

mittebantur ad ſepulchra Martyrum: & Serm. 352. alias hom. 27. inter 50. pœnitentiæ luctuoſæ, in qua proprie vocantur Pœnitentes, ſubjicit tantum graviſſima delicta, ſcilicet adulterium, homicidium, & ſacrilegium. S. Leo Ep. 2. alia 92. ad Ruſticum Narbonenſem, Idololatriam, homicidium & adulterium addicit Pœnitentiæ publicæ, uſum idolatitiorum ſecretæ.

Dices. Tertullianus l. de pœnit. c. 4. dicit; *Omnibus ergo delictis ſeu carne ſeu ſpiritu, ſeu facto ſeu voluntate commiſſis qui pœnam per judicium deſtinavit, idem & veniam per pœnitentiam ſpopondit*. Atqui ibi loquitur de pœnitentia publica & ſolemni, quam c. 9. & 10. deſcribit. Ergo. R., N. Min. In prioribus enim capitibus uſque ad ſeptimum agit Tertullianus de Pœnitentia ut ſic, prout eſt communis Baptizatis & non baptizatis; & in ſequentibus tantum a ſeptimo agit de pœnitentia publica.

SECTIO III.

Utrum Clerici majores, ſcilicet Sacerdotes & Diaconi ſubjicerentur Pœnitentiæ ſolemni?

MORINUS, Natalis Alex. Juenin, & alii cenſent ſubjectos fuiſſe 3. primis Sæculis, 4. autem Sæculo ab ea fuiſſe liberos. Negant alii pro quovis Sæculo, cum quibus & Auctore

Dico 1. (*Ibid.*) Sacerdotes & Diaconi quamvis poſſent ſponte ſuſcipere pœnitentiam ſolemnem, nunquam tamen ad eam ſubeundam lege lata fuerunt obnoxii. Prob. 1. Can. 11. Concilii Carthagin. V. an. 392. ſtatuitur ſic: *Confirmatum eſt, ut ſi quando Presbyteri vel Diaconi in aliqua graviori culpa convicti fuerint, qua eos a Miniſterio neceſſe fuerit removeri, non eis manus tanquam pœnitentibus, vel tanquam fidelibus Laicis imponatur*. Quibus verbis, ut patet, Concilium non inducit novam diſciplinam, ſed priorem *confirmat*. S. Leo Ep. 92. ad Ruſticum Narbon. an. 443. *Alienum eſt*, inquit, *a conſuetudine Eccleſiaſtica, ut qui in Presbyterali honore, aut Diaconii gradu fuerint conſecrati, ii pro crimine aliquo ſuo, per manus impoſitionem, remedium accipiant pœnitendi: quod ſine dubio ex apoſtolica Traditione deſcendit*. Quod autem alienum eſt a conſuetudine Eccleſiaſtica, nunquam viguit, & quod *ex apoſtolica Traditione deſcendit*, ſemper viguit in Eccleſia.

2. S. Petrus Alexand. inter Canones, quos edidit, Canon. 10. & S. Baſilius Can. 51. aſſignant pro pœnitentia Clericis amotionem a ſuo miniſterio, & Communionem Laicam; alioquin, inquit Baſilius, ſi Clericus inſuper ſubjiceretur pœnitentiæ ſolemni, duplici ſupplicio puniretur. 3. Optatus Milev. l. 2. contra Parmen. & Auguſt. l. 1. de Bapt. c. 1. redarguunt Donatiſtas, qui lapſis clericis majoribus manus imponebant: & addit Optatus, id ad uſque ſua tempora non eſſe factum.

Quæ opponunt Adverſarii de Pœnitentia Felicis, Trophini, Victoris, Fortunatiani, & Baſilidis, qui erant majores Clerici, recenſita in Ep. Cypr. 29. 52. 59. 64. & 68. & de Pœnitentia Natalii Epiſcopi apud Euſebium l. 5. Hiſt. cap. ult. una diſtinctione, de qua initio hujus Digreſſionis, inter pœnitentiam ſolemnem & publicam ſolvuntur. Non equidem negamus majores Clericos publice lapſos publicam pœnitentiam, non ſolum primis tribus ſæculis, ſed quovis tempore ſubiiſſe, nimirum amotione a ſuo miniſterio, degradatione, ergaſtulo, detruſione in monaſteria, eleemoſynis, & aliis piis operibus; poſtulat enim recta ratio, ut qui ſcandalum præbuit, illud reparat, maxime in Clericis. At negamus eos lege lata ſubiiſſe pœnitentiam ſolemnem antea deſcriptam, de qua eſt Concluſio. In exemplis autem, quæ proferunt, erat pœnitentia publica non ſolemnis; aut ſi ſolemnis, erat ſponte ſuſcepta, ut pœnitentia Natalii.

SECTIO IV.

De unitate pœnitentiæ ſolemnis, & de multiplici tam manus impoſitione, tum pœnitentium reconciliatione.

DICO 1. (*Ibid. a. 2. 6.*) Pœnitentia ſolemnis ſemel tantum concedebatur. Prob. ex S. Ambroſio, qui l. 2. de Pœnit. c. 10. ait: *Sicut unum Baptiſma, ita una pœnitentia, quæ tamen publice agitur*. S. Aug. Ep. 54. ad Macedon. nunc 153. dicit *locum humillimæ pœnitentiæ ſemel in Eccleſia concedi*. Siricius Papa deſinente ſæculo 4. Ep. 5. ad Himericum Tarracon. c. 5. a quo conſultus fuerat, quomodo eſſet agendum cum iis, qui poſt pœnitentiam ſolemnem peractam relaberentur, reſpondet ſic: *De quibus, quia jam ſuffragium non habet pœnitendi* (ſcilicet publice), *id duximus decernendum, ut ſola intra Eccleſiam fidelibus oratione jungantur, ſacræ myſteriorum celebritati, quamvis non mereantur, interſint; a dominicæ autem menſæ convivio ſegregentur, ut hac ſaltem diſtinctione correpti, & ipſi in ſe ſua errata caſtigent, & aliis exemplum tribuant, quatenus ab obſcœnis cupiditatibus retrahantur. Quibus tamen, quoniam carnali fragilitate ceciderant, viatico munere cum ad dominum cœperint proficiſci per communionis gratiam volumus ſubveniri. Quam formam & circa mulieres, quæ ſe poſt pœnitentiam talibus pollutionibus devinxerunt, ſervandum eſſe cenſemus*.

Hujus diſciplinæ rationes ſunt 1. (*Ibid.*) Ne ex iteratione pœnitentia ſolemnis vileſceret. 2. Propter ſignificationem, quia ſignificat expulſionem primi hominis de Paradiſo, quæ ſemel tantum facta eſt. 3. Quia ſolemnizatio eſt quaſi quædam profeſſio pœnitentiam perpetuo ſervandi, & ideo iteratio ſolemnitati repugnat. Qui tamen (*Ibid.*) ſive in eadem, ſive in graviora peccata poſt peractam pœnitentiam ſolemnem erant relapſi, omni remedio non deſtituebantur, ſed ad pœnitentiam privatam poterant & debebant recurrere, ut docet Siricius ſupra. Nullum enim peccatum eſt aut fuit aliquando irremiſſibile, ut probavimus initio hujus Tract. contra Montaniſtas & Novatianos.

Neque inde ſequitur relapſos eſſe melioris conditionis, quam primo peccantes: quia relapſi in ea peccata, quæ pœnitentiæ ſolemni erant obnoxia, tenebantur toto tempore vitæ pœnitentiam agere, nec eis niſi in exitu Euchariſtia concedebatur; quod erat durius, quam poſt certum ſolemnis pœnitentiæ tempus ad abſolutam & completam reconciliationem admitti.

Dico 2. Multiplex erat in pœnitentia ſolemni manus impoſitio. Prima erat, dum pœnitentes ad pœnitentiam ab Epiſcopo admittebantur, ex Can. 15. Conc. Agath. Can. 12. Conc. Tolet. 11. ex S. Leone Ep. ad Ruſticum prius laudata. Secunda, & ſæpius iterata erat in ſubſtratione; ex Can. 80. Conc. Carthag. an. 398. ex cap. 11. Conc. Tolet. an. 398. ex cap. 11. Conc. Tolet. an. 589. & ex Aug. ſerm. 232. de Tempore, alias 144. Tertia etiam; dum de gradu ſubſtrationis pœnitentes ad conſiſtentiæ gradum tranſibant: innititur in Epiſtolis S. Cypriani 10. 11. 12. Quarta demum erat, dum finito pœnitentiæ tempore pœnitentes perfecte reconciliabantur, & ad perceptionem Euchariſtiæ admittebantur: ex Can. 78. Concilii Carthag. IV. & 3. Concilii Arauſ. 1. & hæc a ſolo Epiſcopo fiebat, ut mox dicam.

Dico 3. Duplex erat reconciliatio pro pœnitentibus ſolemnibus. Una minor & prima: altera major & ſecunda. Prima fiebat poſt ſubſtrationem ſeu tertium gradum, & per eam pœnitentes reconciliabantur cum Eccleſia quoad communionem precum & Sacrificii, cui adeſſe poterant cum aliis fidelibus uſque ad finem. Secunda fiebat poſt conſiſtentiam ſeu quartum gradum, & per eam pœnitentes reconciliabantur Eccleſiæ, etiam quoad participationem Euchariſtiæ, ad quam libere ſicut alii fideles poterant accedere. Primam concedere poterant ſimplices Presbyteri, vel intra Eccleſiam de conſenſu Epiſcopi, vel extra Eccleſiam in caſu neceſſitatis, etiam inconſulto Epiſcopo, ſi abeſſet. Secundam nunquam concedebant ſimplices Presbyteri, niſi in caſu mortis ex mandato Epiſcopi poſt informationem de ſtatu pœnitentis periclitantis, quoad corpus & animam; ita ut aliquando pœnitentes etiam in morte Communione euchariſtica privarentur, ſi Epiſcopus abſens conſuli non poſſet. Vide cap. *Presbyter* cauſa 26. q. 6. & c. *Si jubet* ibid. Can. 4. Conc. Carthag. 2. Hæc ultima reconciliatio fiebat feria v. majoris hebdomadæ ſaltem in Eccleſia Romana, & in omnibus ferme Eccleſiis Occidentalibus. Epiſcopus pœnitentibus occurrebat ad oſtium Eccleſiæ, & apprehenſa unius manu introducebat eos in medium templi, ubi præmiſſis certis precibus & impoſita manu eos reconciliabat. Reconciliati vero depoſitis ſordidis veſtibus, barba, & crinibus, mundius ornati procedebant.

SECTIO V.

Utrum hæc ultima & ſolemnis reconciliatio poſt peractam pœnitentiam eſſet reconciliatio cum Deo per abſolutionem ſacramentalem, an ſolum reconciliatio cum Eccleſia per admiſſionem ad Euchariſtiæ & aliorum Sacramentorum participationem?

DICO. Probabilius eſt hanc ultimam reconciliationem non fuiſſe reconciliationem cum Deo per abſolutionem ſacramentalem, quam ſupponebat, ſed tantum reconciliationem cum Eccleſia quoad oblationes & participationem Euchariſtiæ. Prob. 1. Sozomenus l. 7. c. 16. loquens de pœnitentiario ejuſque officio dicit: *Ad quem accedentes ii, qui deliquerant, actus ſuos confitebantur, ille vero pro cujuſque delicto, quid aut facere ſingulos, aut luere oporteret, pœnæ loco indicans, abſolvebat confitentes, a ſe ipſis pœnas criminum exacturos*. En aperte abſolutio ſacramentalis data ante ſatisfactionem, quæ injuncta fuerat, adimpletam. Deinde poſtquam deſcripſit ritum in pœnitentia ſolemni ſervari ſolitum, ſignificat abſolutionem finalem, quæ peracta pœnitentia conferebatur, eſſe

tan-

tantum reconciliationem cum Eccleſia & relaxationem a pęnis Canonicis. *Ubi vero*, inquit, *præſtitutus dies advenit tanquam debito quodam perſoluto, a pęna commiſſi ſceleris liberatur, & reliquo Eccleſiæ populo ſociatur.*

Reſpondet Tournely Soaomenum hac in parta hallucinarum fuiſſe. At quo fundamento id aſſerit? Nullum profert, niſi quod dicat hunc hiſtoricum erraſſe, cum ſuppoſuit in Eccleſia Romana inſtiturum fuiſſe ab initio Pęnitentiarium ſicut in Eccleſia Conſtantinopolitana. Verum eſto (quod non certo conſtat) Soaomenum natione Græcum erraſſe circa id, quod fiebat Romæ, ob locorum diſtantiam; non ſequitur, quod erraverit circa id, quod a paucis annis factum fuerat in ſua Eccleſia Conſtantinopolitana, cui præſens aderat, & cujus facti, quod referabat, teſtes oculatos conſulere adhuc poterat; & a quibus, ſi quid falſum ſcripſiſſet, mendacii argui potuiſſet; ſcripſit enim 30. vel, ut plus, 40. annis poſt factum Nectarii.

Prob. 2. Can. 72. Concilii Eliberitani an. 305. ſic legitur: *Si qua vidua fuerit mœchata, eundem poſtea habuerit maritum, poſt quinquenii tempus, acta legitima pœnitentia, placuit eam Communione reconciliari: ſi alium duxerit relicto illo, nec in fine dandam eſſe Communionem. Vel, ſi fuerit ille fidelis, quem accepit, Communionem non accipiat, niſi poſt decem annos acta legitima pœnitentia, niſi infirmitas coegerit velocius dare Communionem.* Atqui reconciliatio per Communionem in hoc Canone non eſt cum Deo per Sacramentalem abſolutionem, ſed cum Eccleſia per Euchariſtiæ participationem ſeu jus ad illam. Ergo. Prob. Min. 1. Viduæ pęnitenti poſt quinquennium concedit Concilium, quod denegat in fine vitæ illi, quæ, relicto priore viro, alium duxerat. Atqui Communio in fine vitæ deneganda non erat abſolutio ſacramentalis, quippe quæ nunquam ulli in fine vitæ ab Eccleſia denegata eſt, ſecus Communio Euchariſtica. Ergo. Prob. 2. Prima Min. Eodem modo intelligendum eſt in hoc Canone To *Communione reconciliari*, & To *Communionem non accipiat*. Atqui per To *Communionem non accipiat* non intelligitur abſolutio ſacramentalis, ſed Euchariſtica, ut patet ex can. 3. & 78. in quibus Concilium hanc Communionem vocat *Dominicam*: & can. 47. de adultero relapſo dicit: placuit ulterius illum non edare de Communione pacis. Ergo. Coolet. Digreſſ. Hiſt. poſt Diſſ. 8. Sect. 1. Obj. 3.

Omitto Canonem 78. Concilii Carthag. 4. Canonem 3. Concil. Arauſ. 1. Canonem 28. Concilii Arelat. 2. quibus probatur periclitantibus conceſſam fuiſſe Euchariſtiam, conſequenter præiviſſe abſolutionem ſacramentalem, qui tamen ſi ſupervixerent, debeant adhuc ſolemniter reconciliari: quia adverſarii fatentur ita fieri extraordinaria & in periculo mortis, ſed non de lege communi & ordinaria.

Prob. 3. Abſolutio ſeu reconciliatio ſacramentalis cum Deo poterat concedi a ſimplicibus Sacerdotibus ſine ſpeciali mandato Epiſcopi: ultima reconciliatio non poterat concedi niſi ab Epiſcopo, aut a Presbyteris de ejus ſpeciali mandato. Ergo hæc non erat ſacramentalis. Item nunquam licuit Diacono reconciliare ſacramentaliter; licuit autem Diacono ex diſpenſatione Epiſcopi hanc ultimam reconciliationem facere. Ergo idem quod ante. Min. patet ex S. Cypriano Ep. 13. in qua mandat, ut deficientibus Presbyteris in periculo mortis, Diaconi *Manu* pœnitentibus *impoſita in pęnitentiam*, hoc eſt loco pęnitentiæ condonatæ, ipſos reconcilient. Vide locum integrum Diſſert. 8. art. 1. Object. 3. Item ex Conc. Eliberit. can. 32. Vide Digreſſ. hiſt. proxime citatam.

Prob. 4. Ex Can. 22. Concilii Ancyrani an. 314. ſubibant pęnitentiam ſolemnem, qui coram Deo non erant culpabiles, ſcilicet qui caſu & involuntarie homicidium perpetraverant, eo fere modo quo nunc qui juſte concurrunt ad mortem alicujus, a ſuſceptione Ordinum & eorum Miniſterio per irregularitatem arceotur; hi autem, expleta pęnitentia, non ſecus ae alii pęnitentes reconciliabantur, quia per ſolam ſolemnem reconciliationem ab Epiſcopo factam terminabatur pęnitentia ſolemnis. Atqui hæc reconciliatio non erat cum Deo per abſolutionem a peccatis, quod nullum erat, ſed cum Eccleſia, in cujus conſpectu fiebat iſta pęnitentia. Ergo.

Prob. 5. Pęnitentia ſolemnis protrahebatur aliquando ad decem, ad viginti annos, aliquando uſque ad finem vitæ. Atqui prorſus incredibile eſt abſolutionem ſacramentalem, quæ eſt remedium a Deo inſtitutum ad remiſſionem peccatorum, tamdiu differri iis, qui tam durem pęnitentiam agebant, & qui ipſa tantæ pęnitentiæ ſuſceptione ſe vere pęnitentes probabant. Ergo.

Confirm. Ad pęnitentiam ſolemnem non admittebantur, niſi qui vere & ſincere erant pęnitentes. Ita refert Canon. 11. Concilii I. Nicæni an. 325. *Quicumque ergo*, inquit, *germane & vere pęnitentia ducuntur, tres annos inter Auditores exigent ut fideles, & ſeptem annis proſternentur ſupplices, duobus autem annis abſque oblatione erunt orationum cum populo participes.* Unde Iſaac Lingonenſis in ſuis Canonibus c. 16. *Pęnitentes*, inquit, *qui ex gravioribus commiſſis pęnitentiam gerunt, ſi ex corde pęniteant, ſicut Nicæna Synodus de lapſis conſtituit, tribus annis ſint inter Audientes, &c.* Vel ergo iſti vere & ſincere pœnitentes perfecta contritione erant juſtificati, vel attritione ad abſolutionem ſacramentalem ſufficienter diſpoſiti. Si primum, ut quid miniſter negaſſet aut diſtuliſſet abſolutionem, quam conceſſiſſet Dominus? Si ſecundum, & ideo abſolutio ſacramentalis eſſet neceſſaria ad eorum juſtificationem, utpote medium ad id a Deo inſtitutum; crudelitas & barbaries fuiſſet a mente benignæ Matris Eccleſiæ prorſus aliena, nec ulla utilitate compenſanda, denegare vel tamdiu differre ſufficienter diſpoſito hoc medium, ſine quo manet Dei inimicus, diaboli tyrannidi ſubjectus, atque fruſtratus merito ac ſatisfactione certa tot laborum, jejuniorum, orationum, & humiliationum. Ergo.

Obj. 1. cum Honor. Tournely. Leo Ep. 91. ad Theodorum Forojulienſem Epiſcopum Ed. Pariſ. 1661. dicit: *Mediator Dei & hominum, homo Jeſus Chriſtus hanc præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, ut & confitentibus actionem pęnitentiæ darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgates ad Communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.* S. Leonem vero loqui de reconciliatione per abſolutionem a peccatis conſtat; quia in eadem Ep. jubet, ut qui ante acceptam reconciliationem moritur, non poſſit habere mortuus, quod non accepit vivus, id eſt non fruatur Communione eccleſiaſtica, nec conſequenter preces & ſacrificia pro ipſo publice offerantur; & hujus diſciplinæ rationem ſubjungit: *Nec*, inquit, *neceſſe eſt nos eorum, qui ſic obierint, merita actuſque diſcutere, Dominus Deus noſter, cujus judicia nequeunt comprehendi, quod ſacerdotale miniſterium implere non potuit, juſtitiæ ſuæ reſervaverit, ita poteſtatem ſuam timeri volens, ut hic error omnibus proſit, & quod quibuſdam tepidis ac negligentibus accidit, nemo non metuat. Multum enim utile ac neceſſarium eſt, ut peccatorum reatus ante ultimum diem Sacerdotali ſupplicatione ſolvatur.* Ergo.

R. S. Leonem ibi non agere de pęnitentia ſolemni, ſed de neceſſitate pęnitentiæ ut ſic, & abſolutionis ſacramentalis, quam *Tepidi & negligentes* tempore opportuno non requirunt, & ſine qua, caſu interveniente, moriuntur. Patet ex his terminis, *Tepidis & negligentibus*, & ex toto Epiſtolæ contextu. Nec refert, quod dicat: *Si aliquis eorum, pro quibus Domino ſupplicamus*: Officium enim Sacerdotis eſt ſupplicare, non ſolum pro publice pęnitentibus, ſed pro omnibus peccatoribus. Non etiam obſtat, quod dicat, *Salubri ſatisfactione purgatos*; per ſatisfactionem enim ibi non intelligit pęnitentiam ſolemnem, de qua non agit, ſed quamcumque pœnitentiam veram & ſinceram, qualis eſt cordis contritio, oris confeſſio, aliaque pœnitentiæ interioris indicia, quæ quamdam ſatisfactionem includunt. Sic ipſe objiciens ibidem explicat ſimilia loca SS. Patrum contra eos, qui volunt nunc neceſſario eſſe præmittendam ſatisfactionem abſolutioni. Idque aperte liquet ex textu Epiſtolæ S. Leonis; dicit enim pereuntibus in morte pęnitentiam & reconciliationem, *Nec ſatisfactionem interdicendam eſſe, nec reconciliationem eſſe denegandam.* Ubi certum eſt, quod per ſatisfactionem non intelligat opera laborioſa pęnitentiæ, quorum morientes non ſunt capaces, ſed contritionem cordis & exteriora ejus ſigna.

Reponit Tournely. Siricius Papa Ep. 1. c. 3. de Chriſtianis idololatria pollutis & ſubinde pęnitentibus ait; *Si reſipiſcentes aliquando fuerint ad lamenta converſi, his, quamdiu vivunt, agenda pœnitentia eſt, & in ultimo fine ſuæ reconciliationis gratia tribuenda; quia, docente Domino, nolumus mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat.* Quibus ultimis verbis ſignificat hanc reconciliationem non eſſe cęremonialem tantum, ſed etiam ſacramentalem. Ergo. R. N. Subſumptum. Siricius enim profert Scripturę verba, ut probet Eccleſiam in ſua praxi non denegandi reconciliationem pœnitentibus in fine vitæ, imitari miſericordiam Dei, qui non vult mortem peccatoris.

Inſtat ex Cypriano, qui ſæpe conqueritur, quod iis, qui libellos martyrum habebant, pax concederetur ante ſufficienter peractam pęnitentiam ſolemnem. Atqui Cyprianus hanc pacem intelligebat abſolutionem ſacramentalem & reconciliationem cum Deo. Ergo. Prob. Min. Hanc pacem intelligebat, quam martyres ſuis libellis poſtulabant, quam lapſi ardenter optabant, & cum qua ſe ad Dominum ituros confidebant. Atqui illa pax eſt abſolutio a peccatis. Ergo. R. N. Min. Ad Probat. N. Min. Pax enim, quam Martyres libellis deprecabantur, erat relaxatio pœnæ, cui pœnitentes erant addicti, & vera indulgentia, ad cujus normam nunc conferuntur Indulgentiæ pœnitentibus ſacramentaliter abſolutis in remiſſionem pęnæ temporalis luendæ poſt dimiſſam culpam.

Urget ex Ambroſio, qui l. de pœnit. c. 3. dicit: *Quotieſ-*

cum-

Digitized by Google

cumque peccata donantur, corporis ejus Sacramentum ſumimus, ut per ſanguinem ejus fiat peccatorum remiſſio. Ergo abſolutio a peccatis non conferebatur niſi cum concederetur Euchariſtia. Subſumo. Atqui hæc non conferabatur niſi peracta pœnitentia. Ergo. R. N. Conſeq. ad ſenſum inſtantiæ. Non enim loquitur S. Ambroſius de pœnitentibus publice & ſolemniter: ſed de peccatoribus generaliter, quos hortatur ad pœnitentiam ſub ſpe veniæ, exemplo filii prodigi; dicitque vere pœnitentibus concedi a Deo & remiſſionem peccatorum & participationem corporis Chriſti, ſicut fit regulariter, & fiebat olim extra pœnitentiam ſolemnem. Unde ſubjungit: *Ergo evidentiſſima Domini prædicatione mandatum eſt etiam graviſſimi criminis reis, ſi ex toto corde & manifeſta confeſſione peccati pœnitentiam gerant, Sacramenti cœleſtis refundendam gratiam.* Quibus verbis manifeſtum eſt ipſum non agere de pœnitentia ſolemni, ſi quidem nonniſi contritionem cordis & confeſſionem oris requirat ad ſacram Communionem.

Plura alia Patrum teſtimonia objicit Tournely, ſed quæ facile explicantur de reconciliatione cum Eccleſia quantum ad participationem Sacramentorum.

Ex his colliges olim ſicut nunc collatam fuiſſe abſolutionem ſacramentalem ſtatim ac pœnitentes ſufficienter diſpoſiti ſatisfactionem injunctam acceptaſſent; diſcrimen vero hac in re inter noſtra & priora tempora in hoc ſitum eſſe, quod delicta ſeverius tunc punirentur, quam nunc.

T R A C T A T U S
D E C E N S U R I S,
I R R E G U L A R I T A T E, E T I N D U L G E N T I I S
PERTINENS AD TRACTATUM DE POENITENTIA.

Div. Thom. Suppl. a Quæſt. 21. ad 27.

D I S S E R T A T I O I.
DE CENSURIS IN COMMUNI.

A R T I C U L U S I.

Quid & quotuplex ſit Cenſura?

CENSURA olim apud Romanos ſignificabat ſententiam Cenſoris deputati ad corrigendos mores. Traslata eſt a Scriptoribus Eccleſiaſticis ad ſignificandum non ipſam ſententiam, ſed pœnam ab Eccleſia peccatoribus inflictam. Unde

Dico 1. Cenſura *eſt pœna Eccleſiaſtica medicinalis & temporalis privans Baptizatum delinquentem & contumacem uſu communium bonorum ſpiritualium.* Explicatur. Dicitur 1. *Pœna*; quia non infligitur niſi propter peccatum, illud quidem externum; cum Eccleſia non judicet de internis; & mortale; quia cum ſit graviſſima pœna, non infligitur niſi propter grave peccatum. Et hinc excluditur ceſſatio a divinis, quæ prout diſtinguitur ab interdicto, non eſt proprie pœna, ut dicam modo. Dicitur 2. *Pœna Eccleſiaſtica*; quia ferri non poteſt niſi per Superiores Eccleſiaſticos, cum primo verſetur circa privationem rei ſpiritualis; circa vero res temporales non niſi ſecundario & quatenus referuntur ad ſpiritualia. Dicitur 3. *Medicinalis*; quia per eam non tam intenditur punitio peccati, quam peccatoris emendatio: unde eo emendato ordinarie tolli debet Cenſura. Et ideo additum eſt, *temporalis*. Ita expreſſe in jure cap. 1. de ſentent. Excom. in 6. & cap. *Ex litteris* de Conſtit. Ex quo ſequitur, quod ubi non eſt ſpes emendæ regulariter non debeat infligi Cenſura. Dixi *regulariter*; quia per accidens ſi eſſet neceſſaria bono communi ad terrendos & coercendos alios, etiam ſine ſpe emendæ illius, qui peccavit, poſſet infligi, quia licet ſit præcipue medicina, eſt tamen etiam pœna. Dicitur 4. *Privans Baptizatum*; quia Eccleſia non habet poteſtatem niſi in ſubditos: fit autem homo ſubditus Eccleſiæ per Baptiſmum. Dicitur 5. *Et contumacem*, ſive perſeverando in peccato, ſive non obediendo mandatis Superiorum. Ita in jure cap. *Ex parte* 1. de verb. ſignific. & c. 1. de Sentent. Excom. in 6. Colligitur c. 18. Matth. *Si Eccleſiam non audieris*, id eſt, ſi non obediens ei fuerit, *ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus*. Atque ſequitur ex hoc, quod Cenſura ſit medicinalis. Vide infra art. 4. Dicitur 6. *Privans* .... uſu communium bonorum ſpiritualium, qualia ſunt publica Eccleſiæ ſuffragia, ſpiritualis juriſdictio, Sacrificium & Sacramenta, Officia & beneficia Eccleſiaſtica, quorum omnium diſpenſatio eſt Eccleſiæ commiſſa, ita ut eorum uſum activum & paſſivum poſſit alicui propter culpam & contumaciam interdicere. Quantum autem ad bona ſpiritualia privata, ut ſunt dona gratiæ, virtutes, & bona opera, iis Eccleſia neminem ſpoliare poteſt, nec eorum uſu privare.

Dico 2. Eſt tantum triplex Cenſura Eccleſiaſtica, ſcilicet Excommunicatio, ſuſpenſio, & interdictum. Eſt communior. Prob. 1. Quoties in jure fit mentio de Cenſuris infligendis aut tollendis, tantum iſtæ tres nominantur c. 1. cap. *Statutum* & cap. *Is cui* de Sentent. Excom. in 6. Unde Innocentius III. cap. *Quærenti* de verborum ſignificat. dicit: *Quærenti, quid per Cenſuram Eccleſiaſticam debeat intelligi, cum hujuſmodi clauſulam in noſtris litteris opponimus? Reſpondeo, quod per eam non ſolum interdicti, ſed ſuſpenſionis & Excommunicationis ſententia valeat intelligi.*

Prob. 2. Neque ceſſatio a divinis, neque depoſitio, neque degradatio, neque irregularitas etiam ex delicto ſunt Cenſuræ. Ergo ſunt tantum tres aſſignatæ. Patet Conſeq. a ſufficienti enumeratione in Antecedente; non enim aliæ aſſignantur ab Adverſariis. Prob. Ant. per ſingulas partes. 1. Ceſſatio a divinis, quæ etiam dicitur ſuſpenſio Organorum, eſt prohibitio Eccleſiaſtica facta Clericis celebrandi divina Officia, & miniſtrandi Sacramenta in aliquo loco, niſi neceſſitas urgeat. Et quamvis videatur coincidere cum interdicto, differt tamen 1. quia non eſt proprie pœna, ſed ſimplex prohibitio divinorum ad ſignificandum graviſſimum mœrorem Eccleſiæ ob graviſſimam injuriam illi illatam, puta profanationem Euchariſtiæ. Interdictum autem eſt pœna. 2. Interdictum ſemper afficit aliquam perſonam, quæ interdicto cauſam dedit, non ceſſatio a divinis. Unde tempore ceſſationis in uno loco omnes etiam nocentes poſſunt adeſſe divinis officiis in alio loco, non ſic in interdicto. 3. Qui violat interdictum, incurrit irregularitatem, non qui violat ceſſationem a divinis, licet graviter peccet. Ergo ceſſatio a divinis non eſt Cenſura. 2. Depoſitio eſt prohibitio facta in perpetuum Clerico per ſe & directe exercendi ſuos ordines, & indirecte aſcendendi ad altiores. Degradatio addit depoſitioni privationem perpetuam Clericatus & ejus Privilegiis, ita ut degradatus reducatur ad ſtatum laicalem, quod fit cum magna ſolemnitate, qua peracta Clericus traditur brachio ſæculari ſecundum rigorem legum puniendus. Irregularitas ex delicto, de qua eſt major difficultas, eſt ſimiliter canonicum impedimentum, ſeu perpetua inhabilitas primo & indirecte ſuſcipiendi ſacros Ordines, ſecundario & conſequenter in ſuſceptis miniſtrandi; ſicque neque depoſitio, neque degradatio, neque irregularitas ex delicto ſunt medicinales, ſeu ad emendationem ſicut Cenſuræ, ſed meræ pœnæ in vindictam. Item non ſolo uſu ſpiritualium privant ut Cenſuræ, ſed in quantum fieri poteſt, privant habilitate ad illa. Denique Cenſura tollitur per abſolutionem, depoſitio autem, degradatio, & irregularitas etiam ex delicto non tolluntur niſi per diſpenſationem in lege, quæ ex natura ſua petit eſſe perpetua.

Dico 3. Quælibet ſpecies Cenſuræ dividitur in Cenſuram *a jure*, quæ a lege lata eſt contra omnes ſubditos, qui tale crimen commiſerint; & Cenſuram *ab homine*, quæ fertur per ſententiam ſive generalem ſive particularem Superioris ſeu Judicis: per generalem, ut ſi dicat ſuperior; ſi quis tale crimen commiſerit, ſit excommunicatus: per particularem, ut ſi dicat; ſi Petrus non reſtituat intra menſem, ſit excommunicatus; eſt autem diſcrimen inter Cenſuram a jure & Cenſuram ab homine, quod Cenſura a jure ſemper duret, niſi lex revocetur; Cenſura autem ab homine vim ſuam amittit per mortem

tem aut depoſitionem ferentis, ſic ut nemo deinceps illam incurrat: qui tamen antea incurrit, remanet ligatus donec abſolvatur. Unde ſi Judex Excommunicationem ferat in Petrum, niſi intra menſem reſtituat, & ante menſem elapſum moriatur aut deponatur, Petrus, etſi non reſtituat, non incurrit excommunicationem. Si autem menſe elapſo moriatur vel deponatur, Cenſura, quam contraxit Petrus, durat, donec per abſolutionem tollatur; quia jure communi nemo liberatur a Cenſura, quam ſemel contraxit, niſi per abſolutionem.

Dico 4. Item quælibet Cenſura dividitur in Cenſuram *latæ Sententiæ*, quam ſcilicet Lex vel Judex per Sententiam actu infligit, adeoque ipſo facto, ſeu criminis admiſſione, abſque alia Sententia incurrit; & Cenſuram *ferendæ Sententiæ*, quam Lex aut Judex minatur tantum ſe inflicturum, aut jubet infligi, ſicque non ipſo facto ſeu delicto, ſed per aliam Judicis Sententiam debet infligi.

Sed difficultas eſt dignoſcere, quando Sententia ſeu lex contineat cenſuram latæ vel ferendæ Sententiæ. Imprimis conſtat eſſe Cenſuram latæ Sententiæ, quando Lex aut Judex dicit; *Qui hoc fecerit, ſit ipſo facto, ipſo jure excommunicatus, ſuſpenſus; &c.* Item ſi dicat; *Excommunicamus eum, qui hoc fecerit.* Item quando jus ſignificat ſe velle reum incurrere Cenſuram, & non dirigit verba ad aliquem Judicem, qui illam infligat; ſeu quando non jubet fieri, ſed ſignificat fieri, aut futurum eſſe poſita conditione, videtur cenſura latæ Sententiæ, ut cum dicitur: qui hoc fecerit, *ſit excommunicatus, ſit anathema, ſe excommunicatum noverit ſeu agnoſcat, excommunicatus maneat, excommunicationem incurrat, &c.*

Neque obſtat, quod diſt. 30. in 26. Canonibus legitur: *Qui hoc fecerit, anathema ſit*; qui tamen Canones non videntur intelligendi de excommunicatione latæ ſententiæ, ut v. g. quod mulier ſibi comam amputaverit, quod vir vivens in continentia pallio utatur, &c. Non obſtat, inquam, quia in antiquis Canonibus anathema non ſemper ſumitur pro excommunicatione, ſed ſæpe pro deteſtatione & execratione. 2. Quia probabilius eſt in citatis Canonibus eſſe veram Cenſuram latæ Sententiæ. Non enim ibi dicuntur anathema ii, qui ſimpliciter certa quædam faciunt, ſed qui ex ſuperſtitione hæretica Manichæorum faciunt, ut indicat rubrica initio diſtinctionis, & patet ex ipſis Canonibus, ſi legantur, atque ex Concilio Gangrenſi, ex quo excerpti ſunt. At vero cum dicitur: *Qui hoc fecerit, volumus, jubemus eum excommunicari, ſuſpendi, &c.* vel, *ut excommunicetur, ſuſpendatur, &c.* Item cum dicitur; *prohibemus hoc fieri ſub interminatione anathematis, ſub pœna excommunicationis, ſuſpenſionis &c.* eſt Cenſura ferendæ & non latæ ſententiæ.

Quidam exiſtimant his formulis, *Qui hoc fecerit, ſciat ſe excommunicationem, ſuſpenſionem, &c. incurſurum*, vel, *erit excommunicatus, ſuſpenſus, &c.* vel, *excommunicationem, ſuſpenſionem incurret*, importari Cenſuram latæ ſententiæ; quia, inquiunt, talia verba non ſignificant talem debere per Judicem excommunicari, ſed ſignificant jus habere vim ſententiæ. Quare verba futuri temporis *erit, incurret, &c.* non ſignificant Cenſuram poſt factum commiſſum eſſe ferendam ab alio, ſed ab ipſo jure infligendam eſſe, hoc ipſo quo tale factum committeretur: ita Coninck, nec improbabiliter, licet alii de hoc dubitent. Cæterum advertunt communiter Auctores, quod in æquali dubio, quando termini ſunt abſolute ambigui, debeat potius judicari Cenſura ferendæ Sententiæ quam latæ; quia juxta Reg. juris 49. in 6. *In pœnis benignior facienda eſt interpretatio.*

ARTICULUS II.

An ſit in Eccleſia poteſtas ferendi Cenſuras, & qui poſſint eas ferre?

Dico 1. Eſt in Eccleſia poteſtas ferendi Cenſuras. Eſt de finita in Concilio Conſtant. Seſſ. 8. errore 30. VViclefi & Seſſ. 15. errore 19. Prob. 1. ex c. 16. & Matth. ubi Chriſtus contulit Apoſtolis poteſtatem ligandi atque ſolvendi, ita ut quidquid ligaverint aut ſolverint in terris, ſit ligatum aut ſolutum in Cœlis: quod eſſe intelligendum de poteſtate ligandi etiam per Cenſuras non ſolum docent SS. Patres, ſed aperte colligitur ex hoc, quod Chriſtus addit Matth. 18. habendum eſſe ut Ethnicum & Publicanum eum, qui Eccleſiam non audierit, ita ut ſit excluſus a communione fidelium, ſicut Ethnici & Publicani erant tunc excluſi a communione Judæorum. 2. Ex Apoſt. qui uſus eſt hac poteſtate 1. Cor. 5. tradens inceſtuoſum Satanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit. Et 1. Tim. 1. dicit ſe Hymenæum & Alexandrum tradidiſſe Satanæ, ut diſcant non blaſphemare. 3. Ex praxi totius Eccleſiæ, in qua a temporibus Apoſtolorum ſemper viguit uſus ferendi Cenſuras, ut conſtat ex antiquiſſimis Canonibus, qui dicuntur Apoſtolorum, & ex Canonibus Conciliorum, atque ſum. Pontificum ſcriptis. Vide in jure Cauſa 24. quæſt. 3. 4. Ratione. In omni Republica bene ordinata debet eſſe poteſtas privandi ſubditos bonis communibus, quando id ipſi merentur, & bonum commune exigit; id per ſe patet. Atqui Eccleſia a Chriſto inſtituta eſt Reſpublica bene ordinata, & Cenſura nihil aliud eſt quam privatio bonorum communium ſpiritualium, ut patet ex art. præced. Ergo.

Dices. Maledicere Chriſtiano peccatori, ipſum tradere Satanæ hoſti infenſiſſimo, & ipſum privare mediis reſipiſcendi, ſapit crudelitatem, & vergit in deſtructionem, non in ædificationem. Atqui illa fiunt per cenſuras, præſertim per excommunicationem. Ergo poteſtas Eccleſiæ, quæ eſt ad ædificationem & non ad deſtructionem, non eſt ad ferendas Cenſuras. R. D. Maj. Iſta ſapiunt crudelitatem, &c. ſi in iis ſiſtatur, C. Si ordinentur ad ſalutem peccatoris & bonum commune, N. Ad cujus ſenſum diſtincta Min. N. Conſeq. (*Supp. q. 21. a. 2. ad 1.*) Itaque 1. Eccleſia maledicendo peccatori per Cenſuras, non ſiſtit in malo, quod irrogat, ſed illud ordinat ad bonum illius, ſicut medicus aliquod nocumentum infert infirmo, ut ſectionem, per quam ab infirmitate liberatur. (*Ib. ad 3.*) 2. Non eſt inconveniens, quod qui non eſt deſperatus, hoſti tradatur, non damnandus, ſed corrigendus, præſertim cum ſit in poteſtate Eccleſiæ ex hoſtis manu ipſum, cum voluerit, eripere. 3. Non privatur excommunicatus omnibus mediis reſipiſcendi, ſed aliquibus tantum; & hoc quandoque expedit ejus bono, ut pudore ſuffuſus humilietur, & agnoſcens ſuam miſeriam ab ea reſipiſcat. (*Ib. 0.*) Sic Deus aliquando hominem relinquit, ut ſubtractis auxiliis, quibus a malo præpediebatur, ſuam infirmitatem cognoſcat, & humilis ad Deum redeat, a quo ſuperbus receſſerat. Sic in humanis infirmus, qui non vult obedire Medico, ab eo deſeritur, ut deſertus prementi neceſſitate ipſum requirat, & obediat.

Si quidam SS. Patres videantur improbare Cenſuras, loquuntur de iis, qui non intuitu boni, ſed ex odio aliquos ſeparant ab Eccleſia ſine ſpe redeundi.

Dico 2. Omnis & ſolus Prælatus habens Juriſdictionem ſpiritualem in foro externo poteſt jure ordinario ferre Cenſuras in ſubditos contumaces. Dicitur 1. (*Ib. q. 22. a. 1. o.*) *Solus habens Juriſdictionem ſpiritualem in foro externo*, quia quæ obligant hominem comparative ad alios homines, & important pœnas publicas coercitivas, pertinent ad forum publicum exterioris judicii. Dicitur 2. *Omnis habens, &c.* quia cum poteſtas Eccleſiaſtica fori externi ſit ad ſervandam diſciplinam per leges, præcepta, & ſententias, infirma foret & inermis, ſi non poſſet pœnis & cenſuris rebelles coercere, & ad obediendum compellere. Cæteræ particulæ patent ex Art. præced. Hi ſunt itaque, qui jure ordinario poſſunt ferre Cenſuras: Sum. Pontifex, & Concilia generalia in tota Eccleſia: Epiſcopi reſpectu eorum, qui in ſua Diœceſi commorantur: Archiepiſcopus in Diœceſibus ſuorum Suffraganeorum, ſolum tamen quando eas viſitat, aut cauſa per appellationem eſt ad eum devoluta: Vicarii Epiſcoporum, qui habent unum Tribunal cum Epiſcopo: Capitulum Sede vacante, ejuſque Vicarius, quia ſuccedit in locum Epiſcopi: quidam Archidiaconi & Archipresbyteri ex conſuetudine: Cardinales in Eccleſia ſui tituli, ac tandem ex privilegio Prælati Religionum habentes juriſdictionem quaſi Epiſcopalem.

Secundum S. Th. citatum & cap. *Cum ab Eccleſiarum* de officio Judic. ordin. id in certis caſibus olim erat a jure conceſſum Parochis, ſed hoc in deſuetudinem abiit. Neque etiam id poſſunt Abbatiſſæ, quia non habent juriſdictionem ſpiritualem, ſed œconomicam tantum, ſicut Pater in familia.

Neque obſtat, quod cap. *Dilecta* de majorit. & obedient. Papa jubeat obſervari ſuſpenſionem, qua Abatiſſa quoſdam Clericos ſibi ſubditos ab officio ſuſpenderat; ſuſpenſio enim ibi non ſumitur ſtricte pro Cenſura, cujus violatio inducit irregularitatem, ſed pro præcepto, quo illa Clericis ſibi ſubditis & inobedientibus exercitium ſui officii interdixerat; quod patet evidenter ex ipſo eodem capite, ubi Pontifex jubet cuidam Abbati, ut per Cenſuras compellat hos inobedientes parere Abbatiſſæ, quod clare oſtendit ipſam Cenſuram ferre non potuiſſe.

Dico 3. Qui habent poteſtatem ordinariam ferendi Cenſuram, poſſunt illam aliis delegare: Cap. *Cum Epiſcopus* de officio ordinarii in 6. Poteſt autem hæc poteſtas delegari cuivis Clerico Clericalibus privilegiis gaudenti; quia hic eſt capax juriſdictionis ſpiritualis, ad quam non requiritur poteſtas Ordinis. Non poteſt committi Laico in cap. *In nona* 16. q. 7. Cap. *Decernimus* de Judic. Cap. *Judicatum* diſt. 89. niſi a Papa ex plenitudine poteſtatis, quia hoc eſt juris humani, in quo poteſt diſpenſare.

An autem ab eodem ſum. Pontifice poſſit committi fœminæ? Diſputant Theologi. Quidam affirmant; quia, inquiunt, id non repugnat juri divino. Alii negant, &, ut videtur, veroſimilius; quia jure divino fœmina eſt

in-

incapax omnis juriſdictionis exercendæ per claves; poteſtas enim clavium jure divino data eſt Apoſtolis tantum & eorum ſucceſſoribus; fœminæ autem nullo modo ſuccedunt Apoſtolis. Et ita ſentire videtur Innocent. III. c. *Nova* de pœnit. & remiſſ. dicens, quod *licet Beatiſſima Virgo dignior & excellentior fuerit Apoſtolis univerſis, non tamen illi, ſed iſtis Dominus claves regni cœlorum commiſit.* Cæterum omnes fatentur Eccleſiam nunquam alicui fœminæ hanc poteſtatem commiſiſſe, neque id expediens & decens fore.

Peres, utrum Cenſura debeat ferri in ſcriptis, cauſa Cenſuræ expreſſa? R. affirmative. Ita decernitur c. *Cum medicinalis* de ſententia Excommunicat. in 6. Et qui aliter fecerit, per menſem unum ab ingreſſu Eccleſiæ & divinis Officiis ſuſpenditur; non tamen declaratur Cenſura nulla, ſed facile a ſuperiore relaxanda. Citatur in contrarium c. *Statutis.* &c. *Legem* cauſa 2. q. 1. quibus declaratur quod Cenſura ſine ſcripto lata *Nec nomen ſententiæ habere meretur*: ſed jus, quod citavimus, iſtis eſt poſterius.

ARTICULUS III.

In quos poſſit ferri Cenſura.

DIco. Solum homo viator baptizatus ratione utens, qui habet ſuperiorem in Eccleſia, poteſt ligari Cenſuris. Jam patet ex definitione Cenſuræ a. 1. Magis adhuc explicatur. Dicitur 1. *Solum homo viator ratione utens*; quia is ſolus eſt capax delicti contumaciæ & emendationis, quæ ſunt ſolæ cauſæ, ob quas poteſt ferri Cenſura, ut jam diximus, & dicemus art. ſeq. Inſuper tam dæmones quam defuncti ſunt extra forum Eccleſiæ militantis. Unde quando legimus aliquos poſt mortem fuiſſe excommunicatos, id intelligitur, vel de declaratione excommunicationis, quam viventes incurrerant, & in qua ſunt defuncti, vel de excommunicatione impropria & indirecta, quæ nihil eſt aliud, quam prohibitio facta viventibus dare mortuis ſepulturam Eccleſiaſticam, & pro ipſis offerre Sacrificia & Suffragia publica, idque ad terrorem viventium, & in deteſtationem alicujus gravis ſceleris, quo etiam ſenſu poſſunt abſolvi mortui, permittendo viventibus, ut ipſis concedant ſepulturam Eccleſiaſticam, & pro illis offerant Sacrificia & Suffragia publica. Vel intelligitur de execratione & deteſtatione, quo ſenſu etiam hi, qui non habent poteſtatem ferendi Cenſuras, dicere poſſunt, anathematizamus hæreticos, id eſt illos deteſtamur & execramur tanquam alienos ab Eccleſia.

Dicitur 2. *Baptizatus*; quia, ut jam dictum eſt, Eccleſia non poteſt ferre Cenſuram, niſi in ſubditos; homo autem fit Eccleſiæ ſubditus per Baptiſmum. Dicitur 3. *Habens Superiorem in Eccleſia*; quia par in parem aut ſuperiorem non habet auctoritatem; & ideo ſummus Pontifex non poteſt incurrere Cenſuram.

Peres, utrum Peregrinus ſubjiciatur Cenſuris Diœceſeos, per quam tranſit, & ſubditus exiſtens in aliena Diœceſi Cenſuris ſuæ Diœceſeos? Utraque quæſtio controvertitur. Juxta probabiliorem mihi ſententiam R. ad 1. Quæſtionem, hujus reſolutionem pendere ab altera quæſtione, utrum Peregrini ſubjiciantur legibus territorii, per quod tranſeunt, quam reſolvimus affirmative in Tract. de Legibus Diſſert. 4. a. 8. illoc recurte. Ad 2. Subditus non incurrit Cenſuram in propria Diœceſi latam per legem, ſeu ſtatutum generale, ſi contra illud agat in alia Diœceſi, ſeu etiam in ſua Diœceſi, ſed in loco exempto. Ita expreſſe in jure c. *Ut animarum* de Conſtitutionibus in 6. ubi legitur. *Statuto Epiſcopi, quo in omnes, qui furtum commiſerint, excommunicationis ſententia promulgatur, ſubditi ejus furtum extra ipſius Diœceſim committentes minime ligari noſcuntur: Cum extra territorium jus dicenti non pareatur impune.* Dixi 1. Per legem ſeu ſtatutum generale; quia dubium eſt de Cenſura per præceptum ſeu ſententiam particularem lata, ut ſi Epiſcopus prohibeat Joanni Clerico peregrinaturo ſub pœna ſuſpenſionis, ne ludat alea: quidam volunt eum non incurrere Cenſuram ſi ludat in alia Diœceſi, vel ſua quidem, ſed in loco exempto; quia ratio Canonis eſt generalis, ſcilicet, *Dicenti extra territorium impune non paretur*. Alii volunt eum incurrere Cenſuram ratione diſcriminis, quod dicunt intercedere inter legem ſeu ſtatutum generale, & præceptum ſeu ſententiam particularem. Lex enim ſeu ſtatutum generale tendit ad territorium, illique cohæret, atque idcirco neminem ligat extra territorium. Præceptum vero ſeu ſententia particularis immediate tendit ad perſonas ſubjectas, earumque oſſibus cohæret, quocumque terrarum diſceſſerint. Ita Layman. Addunt veram cauſam, cur Epiſcopus in aliena Diœceſi Sententiam ferre nequeat, eam ſolum eſſe, ne alienum territorium invadere & violare videatur; quæ ratio ceſſat, dum fert Cenſuram ſine ſtrepitu incurrendam. Verum reponi poteſt id pariter contingere in Cenſura per ſtatutum lata. Cæterum, quod probabilius reputabit, Lector eligat. Obſervandum eſt autem hanc difficultatem non currere de Prælatis Religioſorum, quorum juriſdictio non circumſcribitur certis locorum limitibus, ſicut juriſdictio Epiſcoporum, ſed eſt immediate in perſonas. Quapropter ubicumque ſint, eodem modo eis ſunt ſubjectæ, & eodem modo ab eis coerceri & puniri poſſunt.

Dixi 2. in 2. Reſponſione: *Vel in loco exempto*; quod plures intelligunt de aliqua Parochia, vel Oppido a juriſdictione Epiſcopi omnino exempto, non de Monaſteriis mendicantium; quia cum horum Superiores non poſſunt illos externos apud ſe delinquentes corrigere, ſi neque id poſſet Epiſcopus, tales manerent impuniti, & nulli foro ſubjecti.

ARTICULUS IV.

Ob quam cauſam poſſit ferri Cenſura?

DIco. Cenſura non fertur, niſi ob peccatum externum mortale in ſua ſpecie conſummatum, & involvens inobedientiam ſeu contumaciam contra Eccleſiam. Quamvis, ut præcedens, jam pateat pro majori parte ex definitione Cenſuræ, art. 1. magis adhuc explicatur.

Dicitur 1. *Ob peccatum mortale externum*; quia, ut dictum eſt in definitione Cenſuræ, Eccleſia non judicat de internis, nec infligit graviſſimam pœnam, qualis eſt Cenſura, niſi pro gravi peccato; pœna enim debet proportionari culpæ. Excipe, niſi ſit ſuſpenſio aut interdictum in re levi. Dicitur 2. *In ſua ſpecie conſummatum*; quia licet Eccleſia poſſit ferre Cenſuram contra peccatum non conſummatum, v. gr. contra mandantem homicidium, effectu etiam non ſecuto, ſi tamen illud non exprimat, intelligitur de opere conſummato ex Regula generali, quod odioſa ſint reſtringenda. Unde qui conatur percutere Clericum, & non percutit, non incurrit Excommunicationem. Si eſſet Cenſura lata in homicidam, qui vulneraret aliquem lethaliter, non incurreret Cenſuram, ſi vulneratus non moriatur ex vulnere. Dicitur 3. *Et involvens inobedientiam & contumaciam contra Eccleſiam*. Patet, ut jam diximus 1. ex verbis Chriſti Matt. 18. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus*. 2. Ex c. *Ex parte* 1. de verbor. ſign. ubi referuntur tantum duæ cauſæ, propter quas poteſt ferri Excommunicatio ſeu interdictum in aliquem (idem dicendum de ſuſpenſione), vel quia citatus & monitus non vult a peccato abſtinere; vel quia pro peccato commiſſo juſſus ſatisfacere renuit. 3. Cap. *Quia frontem* de appellat. dicitur, quod ligatus excommunicatione aut interdicto, ſtatim ac eſt paratus obedire judici, & dat cautionem, ſit abſolvendus. Idem c. *Ex litteris* de Conſtit. Ergo ſi non eſt contumax ſed paratus obedire, non eſt Cenſura ligandus. 4. Cap. 1. de Sentent. Excom. in 6. dicitur, quod Cenſura non ſit pura pœna ſeu vindicta, ſed pœna medicinalis, diſciplinans non eradicans; quare caute provideat *Eccleſiaſticus Judex, ut in ea ferenda oſtendat ſe proſequi, quod corrigentis atque medentis eſt*. Atqui inhumanum & irrationabile foret dare alicui medicinam aſperam, qualis eſt Cenſura, quando aliter ſanari & emendari poteſt, qualis præſumitur nolle, donec mandatis & monitionibus Eccleſiæ renuat obedire.

Hinc inferes 1. Cenſuram non poſſe ferri pro peccato omnino præterito, id eſt quod penitus ceſſavit, nec habet præſentem inobedientiam conjunctam. Inferes 2. Cenſuram non poſſe ferri ſine prævia monitione, cum hoc tamen diſcrimine, quod ad Cenſuram per legem aut præceptum ſive generale, ſive ſpeciale ſuperioris factum ſub comminatione Cenſuræ de peccato futuro v. g. *Quicumque hoc fecerit, vel ſi hoc feceris, ipſo facto ſis excommunicatus, ſuſpenſus*, &c. non requiratur alia monitio, quam ipſius legis aut præcepti, quod vi ſua continuo admonet; modo tamen prohibeatur aliquid fieri; quia ſi præcipiatur aliquid fieri, opus eſſe monitione, ut appareat delinquentem fuiſſe pertinaciter in mora, & nullo legitimo impedimento excuſari.

Sed ad Cenſuram ab homine infligendam pro peccato præterito aut præſente, in quo reus pertinaciter perſeverat, & pro quo ſatisfacere recuſat, requiritur expreſſa monitio cap. *Reprehenſibilis* de Appellat. cap. *Romana* & cap. *Conſtitutionem* de Sent. excom. in 6. Ratio eſt, quia, ut diximus, non fertur Cenſura niſi in contumaces, contumaces autem non ſunt, niſi qui præcedente monitione ſub Cenſura obedire recuſant. Et hæc ratio probat Cenſuram ſine prævia monitione non ſolum eſſe injuſtam, ſed etiam invalidam; atque ita declaratur in jure cap. *Conſtitutionem* cit. & cap. *Statutum* ibid. ubi dicitur hujuſmodi Cenſuram *non tenere*.

Triplex debet eſſe monitio c. *Omnes decimæ* cauſa 16. q. 7. & cap. *Illicita* cauſa 24. q. 3. item cap. *Romana* & cap. *Conſtitutionem* cit. Attamen juxta l. *Contumaciæ* ff. de re judicata, poteſt fieri unica monitio pro trina, præfixo eo temporis ſpatio, quod pro trina ſufficiat, dicendo v. gr.

moneo te ſemel pro tribus vicibus, ut intra 3. dies hoc facias, concedendo tibi ſingulos dies pro ſingolis monitionibus, vel totum illud tempus pro tribus monitionibus. Imo ſi periculum immineat, nec res patiatur moram, ſecundum communem ſenſum Theologorum Judex poteſt ſtatim rem aggredi, excommunicationem comminari, & contra inobedientem ferre. Item hæc Canonica monitio debet fieri a Judice, aut ejus nomine, & immediate ipſi reo, ſi fieri poteſt, ſin minus in ejus domo, vel in loco publico, unde poſſit ad ejus notitiam pervenire. Item debet fieri coram teſtibus idoneis, per quos poſſit probari cap. *Sacro* de Sentent. Excom.

Petes 1. Utrum ſi Cenſura non ſit latæ, ſed ferendæ ſententiæ, Judex poſſit ſtatim procedere contra reum convictum, & in ipſum ferre Cenſuram abſque monitione? R. probabilius negative cum Covarruvias, Cajetano, Layman, & pluribus aliis contra alios. Ratio eſt 1. Quia c. *Reprehenſibilis* cit. de Appellat. dicitur: *Nec Prælati, niſi canonica commonitione præmiſſa, ſuſpenſionis vel excommunicationis ſententiam proferant in ſubjectos, niſi forte talis ſit culpa, quæ ipſo ſuo genere*, (id eſt ipſo facto, ut ait Gloſſa ibid.) *ſuſpenſionis vel excommunicationis pœnam inducat*. Exceptio autem firmat Regulam in aliis. Ergo ad omnem Cenſuram, quæ non ipſo facto incurritur, ſed eſt a Judice infligenda, requiritur Canonica monitio. 2. Ob crimen præteritum & emendatum Cenſura ferri non poteſt, ut patet ex præcedentibus. Atqui ſi Judex poſſit Cenſuram ſententiæ ferendæ exequi contra reum nulla monitione præmiſſa, ſæpe ferretur Cenſura propter crimen præteritum & emendatum. Ergo. Confir. Si is, qui eſt Cenſura ligatus, ſe paratum exhibeat a peccato deſiſtere, & ſatisfacere Eccleſiæ, debet abſolvi a Cenſura ut dictum eſt. Ergo non debet Cenſura ligari, ſi pariter ſit paratus a peccato deſiſtere, & ſatisfacere Eccleſiæ; id autem ſciri non poteſt, niſi moneatur.

Petes 2. Utrum ignorantia excuſet a Cenſura? R. Ignorantia etiam vincibilis, modo non ſit craſſa & ſupina, ſive juris ſive facti, ſive Cenſuræ facto annexæ excuſat a Cenſura. Pro quo vide Tract. de peccatis Diſſert. 5. a. 7.

Petes 3. Utrum qui ex gravi metu facit actionem prohibitam ſub Cenſura, eam incurrat? R. negative regulariter loquendo; quia ad Cenſuram requiritur contumacia, quæ ſit interpretativus contemptus poteſtatis Eccleſiaſticæ; qui autem ex metu gravi violat legem Eccleſiaſticam, non cenſetur hanc poteſtatem contemnere. Ergo. 2. Quia leges Eccleſiaſticæ regulariter non obligant cum tanta ſeveritate. Dixi; *Regulariter loquendo*; quia ſi ratione prohibitionis Eccleſiaſticæ actio prohibita reddatur intrinſece mala, metus gravis non excuſat a Cenſura, v. g. ſi Sacerdos excommunicatus & publice denuntiatus ex metu gravi exciperet Confeſſiones & abſolveret; aut ſi quis metu gravi adigeretur ad communicandum cum excommunicatis in contemptum Religionis; in his, inquam, & ſimilibus caſibus, tranſgrediens legem Eccleſiaſticam incurreret Cenſuram; quia in primo caſu ratione prohibitionis Eccleſiaſticæ Confeſſiones ſunt invalidæ, & fit gravis injuria Sacramento; in ſecundo eadem ratione gravis injuria irrogatur Religioni. Et hoc ſenſu intelligendum eſt c. *Sacris* de his, quæ vi metuſve cauſa fiunt; ubi dicitur, quod qui per vim & coactionem communicat cum excommunicato, non incurrat excommunicationem, qui autem communicat ex metu, incurrat: quia qui per vim & coactionem communicat, nunquam incurrit; qui autem ex ſolo metu, quandoque incurrit, ſcilicet in caſibus poſitis & ſimilibus, licet non regulariter. Vel loquitur Canon de metu abſtrahendo a gravi & levi; qui autem agit ex metu levi, incurrit Cenſuram.

ARTICULUS V.

Utrum Cenſura injuſte lata habeat aliquem effectum?

Censura (*Supp. q. 21. a. 4. o.*) poteſt eſſe injuſta dupliciter. 1. Ex parte ferentis, ut ſi illam ferat ex odio, vel ira, ſervatis alioquin ſervandis; & ſic dicitur injuſta eo modo, quo omne peccatum dicitur injuſtitia. 2. Ex parte ipſius Cenſuræ, ſi vel cauſa ſit indebita, vel prætermiſſus fuerit ordo juris. Eſt autem duplex ordo juris, unus accidentalis, ut ſi Cenſura non ſit lata in ſcripto, ſi non præceſſerit trina monitio, &c. Alter ſubſtantialis, ut ſi ferens careat juriſdictione, ſi cauſa non ſit legitime probata, ſi cenſura feratur poſt legitimam appellationem, vel nulla præmiſſa monitione, &c.

Suppono 1. Cenſuram ex parte ferentis tantum injuſtam, aut latam prætermiſſo ordine juris accidentali eſſe validam & conſequi omnes ſuos effectus; quia nihil deeſt effentiale. Suppono 2. Cenſuram injuſtam ratione cauſæ indebitæ, aut defectu ordinis ſubſtantialis, ſi injuſtitia ſit notoria, ſic eſſe invalidam, ut nullum habeat effectum, neque per ſe cum ſit nulla, neque per accidens ratione ſcandali vitandi; quia cum juſtitia ſit notoria, nulli poteſt eſſe ſcandalum ſi non ſervetur. Difficultas ergo reſtat de Cenſura occulte injuſta ratione cauſæ indebitæ ut ſi feratur in innocentem probatum juridice nocentem; injuſtitia enim ex aliis defectibus poteſt facile innoteſcere.

Dico. (*Ibid. & ad 1.*) Cenſura lata in innocentem probatum juridice nocentem, reipſa & in foro conſcientiæ eſt invalida, nec ullum habet ex ſe effectum, per accidens tamen ratione ſcandali vitandi habet aliquos. Prob. 1. pars. Eccleſia nec vult, nec poteſt excedere limites ſuæ poteſtatis. Atqui poteſtas ferendi Cenſuras data eſt Eccleſiæ contra nocentes inobedientes, non contra innocentes. Ergo. Prob. 2. Pars: Cenſura, de qua agitur, ex parte Judicis eſt juſta, atque ad publicam utilitatem & diſciplinam lata. Ergo juridice reus tenetur illi parere, inquantum neceſſarium eſt ad publicam utilitatem, & ut Judicis & Eccleſiæ auctoritas non veniat in contemptum.

Hinc inferes hujuſmodi Cenſura ligatum re ipſa & coram Deo non privari ſuffragiis & orationibus Eccleſiæ; juriſdictione in foro interno & externo, poteſtate conferendi & accipiendi Beneficia Eccleſiaſtica, uſu activo & paſſivo Sacramentorum, neque communione fidelium, ita ut poſſet occulte, & coram ſcientibus ejus innocentiam, abſolvere, celebrare Sacrum, illud audire, communicare cum aliis tam in ſpiritualibus quam in temporalibus; ſecus autem publice, ſeu coram neſcientibus ejus innocentiam propter ſcandalum. Et ideo merito damnata eſt hæc propoſitio 91. Queſnelli: *Excommunicationis injuſtæ metus nunquam debet nos impedire ab implendo debito noſtro*. Siquidem injuſta Excommunicatio, cujus injuſtitia non eſt nota, impediat excommunicatum celebrare Miſſam, illam audire, adeſſe divinis officiis & alia, ex quibus naſceretur ſcandalum, juxta ea, quæ dicimus ſuperius de ſcandalo. Adde hanc propoſitionem fuiſſe damnatam in ſenſu Auctoris; intendebat autem Auctor hac propoſitione obfirmare contumaciam eorum, qui damnationi Janſenii ſubſcribere renuebant, ut teſtantur Epiſcopi Galliæ in ſua inſtitutione Paſtorali. Verius ergo dixit S. Gregorius: *Sententia Paſtoris ſive juſta ſive injuſta fuerit, timenda eſt*.

ARTICULUS VI.

Quis poſſit abſolvere a Cenſura?

Suppono Cenſuram tolli dumtaxat per abſolutionem legitimi Judicis, non per ejus mortem aut depoſitionem, quia pœna per legitimam Judicis ſententiam inflicta tranſit in rem judicatam, & ideo eadem auctoritate publica, qua contracta eſt, debet diſſolvi.

Dico 1. A Cenſura ab homine lata per ſententiam particularem is ſolus abſolvere poteſt, qui eam tulit, vel Superior, vel Succeſſor, aut delegatus. Colligitur 1. ex Canone Arabico 27. Concilii Nicæni, qui ſic habet: *Nullus Epiſcopus ſolvat, quem alius Epiſcopus ligavit, quamdiu ille, qui ligavit, vixerit*. 2. Ex hac Regula communiter recepta: *Ejuſdem eſt ſolvere & ligare*. 3. Ex c. *Prudentiam* §. *ſexto* de officio & poteſt. Judicis delegati. Ratio eſt, quia Cenſura ſic particulatim lata eſt ſententia Judicis, quam nullus alius, niſi Superior aut Succeſſor aut delegatus reſcindere poteſt ſine violatione illius juriſdictionis.

Dico 2. A Cenſura juris ſeu ſententiæ generalis reſervata is ſolus abſolvere poteſt, qui ſibi reſervavit, vel Superior, vel Succeſſor, vel Delegatus. Patet ex præced. Concluſione. Dico 3. A Cenſura juris, ſi non ſit reſervata, poteſt abſolvere quilibet Confeſſarius c. *Nuper* de Sentent. Excom. Et ideo ſolent Confeſſarii præmittere abſolutionem a Cenſuris abſolutioni a peccatis. Idem videtur dicendum de Cenſura lata ab homine per generale ſtatutum, ſi non ſit reſervata; quia Cenſura ſic generatim lata non continet proprie ſententiam Judicis, cujus reſciſſio per alium foret violatio ſuæ juriſdictionis; ſed potius continet præceptum ſub tali Cenſura impoſitum; ideoque ex hac parte Cenſuræ juris æquiparatur. Ex his colliges, quod Cenſura ligatus per ſententiam particularem a ſuo Epiſcopo propter crimen & contumaciam, ſi domicilium mutet, aut ingrediatur Religionem, non poſſit abſolvi ab alio Epiſcopo vel Prælato, quia Epiſcopus, qui Cenſuram tulit propter cauſam in ſuo Tribunali cœptam, & nondum finitam, retinet jus in eum, quam Cenſura ligavit, juxta hanc Regulam juris: *Præventus a Judice forum ipſius in ea cauſa declinare non poteſt*: & colligitur ex Cap. *Propoſuiſti* de foro compet. Secus autem propter contrariam rationem, ſi Cenſura ſit a jure vel ab homine per ſtatutum generale lata; poterit enim tunc abſolvi ab alio Epiſcopo præſentis domicilii, vel a Prælato, imo a quolibet Confeſſario, ſi non ſit reſervata in loco Domicilii.

Petes 1. Utrum ad validam abſolutionem a Cenſuris requiratur determinata verborum forma? R. negative; quia id nullibi neceſſario requiritur ad validitatem abſolutionis: ſed ſufficit, ſi proferatur verbis aut ſignis exprimentibus voluntatem abſolventis. Non tamen fieri aſtu-

mere

Digitized by Google

mere interno ſine verbis aut ſignis, quia eſt actus juriſdictionis exterioris.

Petes 2. Utrum abſens, vel invitus poſſit abſolvi a Cenſura? R. affirmative: (*Supp. quaſt. 24. art. 5. a.*) quia ſicut abſens, aut invitus poteſt Cenſura ligari, multo magis poteſt ab ea abſolvi ſola voluntate poteſtatem abſolvendi habentis, modo tamen humano ſignificata.

Nec obſtat, (*Ibid. ad* 2.) quod Cenſuræ cauſa motiva ſit contumacia, quæ videtur maxima eſſe in invito: quia ſuperior, etiam manente contumacia, poteſt diſcrete Cenſuram juſte latam remittere, ſi videat ſaluti illius expedire, in cujus medicinam fuerat lata.

DISSERTATIO II.

DE CENSURIS IN PARTICULARI, NEC NON DE IRREGULARITATE.

D. Thom. Supp. QQ. 21. 22. 23. 24.

ARTICULUS I.

De Excommunicatione.

§. I. *Quid ſit Excommunicatio, & qui ejus effectus?*

EXCOMMUNICATIO, quaſi extra communicationem, generaliter ſumpta eſt Cenſura Eccleſiaſtica ſeparans ab aliqua Communione Eccleſiæ. Eſt duplex, minor & major. Minor *eſt Cenſura Eccleſiaſtica ſeparans a participatione paſſiva, ſeu ſuſceptione Sacramentorum*; Cap. *Si celebrat* de Clerico excommunicato. Excommunicatio (*Supp. q.* 21. *a.* 1. *a.*) major *Eſt Cenſura Eccleſiaſtica ſeparans a qualibet licita communione fidelium*; conſequenter a participatione tam paſſiva, quam activa Sacramentorum, a Suffragiis publicis Eccleſiæ, & a fidelium convictu. Et hæc ſemper intelligitur, quando eſt ſermo de Excommunicatione ſine addito: cap. *Si quem* de ſent. Excom.

Ad intelligentiam definitionis datæ (*Ib. ad* 1. & 2.) obſervandum eſt triplicem eſſe fidelium communionem: Unam pure internam, qua fideles per gratiam & charitatem inter ſe & cum Chriſto uniuntur. Secundam pure externam conſiſtentem in convictu, colloquio, commerciis, cæteriſve actionibus ad humanam ſocietatem pertinentibus. Tertiam mixtam conſiſtentem in actionibus & cæremoniis exterioribus, ſed interiorem & ſpiritualem fructum habentibus ex propria inſtitutione, ut ſunt uſus, tum activus, tum paſſivus Sacramentorum, Suffragia publica, quæ in Sacrificiis & publicis Officiis pro univerſa Eccleſia fiunt, ſatisfactiones Chriſti & Sanctorum, quæ per Indulgentias applicantur &c. Excommunicatio itaque non tollit nec tollere poteſt communionem pure internam, ſed ſupponit per peccatum mortale, propter quod fertur, ſublatam; tollit autem mere externam & mixtam, ut mox articulatim explicabo. Et ita differt a ſuſpenſione, quæ eſt tantum privatio uſus ſacri miniſterii & beneficii, ſpectatque ſolum Eccleſiaſticos; & ab interdicto, quod privat tantum participatione rerum ſacrarum, ut ſacræ ſunt.

Explicantur effectus Excommunicationis.

PRIMUS (*Ibid. c.*) eſt privatio ſuſceptionis Sacramentorum extra caſum neceſſitatis Cap. *Cum illorum* & Cap. *Si quem* de ſentent. Excom. quia in Sacramentis participandis fideles communicant. Valide tamen ſuſcipiuntur, quia cum validitas Sacramentorum pendeat ex inſtitutione Chriſti, poſita materia & forma, atque intentione Miniſtri, non poteſt ab Eccleſia impediri. Excipe Sacramentum Pœnitentiæ, quod indirecte impeditur propter indiſpoſitionem ſubjecti. Si tamen Pœnitens bona fide procedat non ſe reputans excommunicatum, aut putans excommunicationem non impedire abſolutionem, vel Confeſſarius obliviſcatur abſolvere ab Excommunicatione priuſquam a peccatis, valide abſolvitur a peccatis remanente Cenſura; quia Excommunicatio pœnitentis non tollit a Confeſſario juriſdictionem, ſed tantum prohibet pœnitenti, ne accedat ad Sacramentum non abſolutus ab Excommunicatione; quod cum ille, ut ſuppono, ignoret, invincibiliter, aut credat Confeſſarium debite ſuo munere fungi, excuſatur a tranſgreſſione hujus prohibitionis, nihilque obſtat ex hac parte, quominus ſit valida confeſſio & abſolutio a peccatis. Dixi; *Extra caſum gravis neceſſitatis*: quia in caſu gravis neceſſitatis, puta ad vitandum periculum imminens mortis, mutilationis, infamiæ, jacturæ bonorum, aut ſcandali, Excommunicatus non peccat ſuſcipiendo Sacramenta, quia lex Eccleſiaſtica non obligat cum tanto rigore.

Secundus effectus eſt privatio Suffragiorum communium Eccleſiæ, quæ a publicis Miniſtris pro tota Eccleſia, ſeu pro fidelibus tanquam pro membris Eccleſiæ fiunt: item & ſatisfactionum, quæ ab Eccleſia conferuntur fidelibus per indulgentias: eſt enim in his maxima fidelium communicatio, & colligitur ex Cap. *A nobis* 2. & Cap. *Sacris* de Sentent. Excom. Atque expreſſe docet S. Greg. l. 2. Dial. cap. 23. ita ut nemini liceat orare pro excommunicatis, tanquam pro membris Eccleſiæ; orare autem pro ipſis, non tanquam pro membris Eccleſiæ, ſed ut ad Eccleſiam redeant, licet & publice & privatim, ſicut docui in Tract. de Religione Diſſert. 3. a. 6. vide.

Tertius effectus. Excommunicatus prohibetur celebrare divina officia, aut iis intereſſe, hoc eſt enim communicare cum fidelibus. Colligitur ex Cap. *Significavit*, Cap. *Nuper*, Cap. *Reſponſo* de ſentent. Excom. & Cap. *Alma* eodem tit. in 6. Divina autem Officia dicuntur ſacræ functiones, quæ ab Eccleſia ſolemniter fiunt, ut Miſſæ Sacrificium, publica recitatio Horarum Canonicarum, quævis alia Oratio publica, Proceſſio, benedictio, Conſecratio &c. ita quod ſi Excommunicatus non toleratus ſeu vitandus, de quo infra, adſit divinis Officiis, præſertim Miſſæ, moneri debet ut diſcedat; ſi juſſus diſcedere renuat, incurrit novam Excommunicationem Papæ reſervatam Clement. *Gravis* de Sentent. Excom. Et eſt expellendus per Laicos, aut etiam per Clericos, ſi deſint Laici. Quod ſi expelli non poſſit, omnes fideles debent recedere, Sacerdos autem debet abrumpere Sacrificium, ſi nondum inceperit Canonem juxta plures, aut Conſecrationem juxta alios, alioquin debet pergere uſque ad ſumptionem Calicis incluſive, & iterum monito Excommunicato ut recedat, ſi nolit, debet Sacerdos recedere ab altari, & Miſſam perficere in Sacriſtia vel alibi. Obſervant tamen Canoniſtæ hæc intelligenda eſſe de Sacrificio Miſſæ reſpectu iſtius Altaris tantum, cui excommunicatus non toleratus adeſt; ſi enim in eadem Eccleſia ſint alia altaria, nihil prohibet Miſſam in eis peragi, etiam præſentibus fidelibus.

Non prohibetur autem Excommunicatus privatim orare, nec audire concionem in Eccleſia. Unde ſi ſit adſtrictus Breviario, tenetur illud recitare, etiamſi ratione Excommunicationis fructibus beneficii privatur; quia cum per eum ſtet, quominus reſipiſcendo abſolvatur, & fructus percipiat, *Damnum, quod quis ſua culpa ſentit, ſibi debet, non aliis imputare*; Reg. 86. juris in 6. dum autem recitat Officium, non debet dicere *Dominus vobiſcum*, quia hoc importat Communicationem ſacram cum populo, ſed debet dicere, *Domine exaudi orationem meam*. In recitatione tamen privata Officii videtur materia levis, & inde peccatum veniale.

Petes, utrum qui voluntarie remanet in Excommunicatione, dum poteſt ab ea abſolvi, peccet contra præceptum audiendi Miſſam, confitendi annue, & communicandi in Paſchate; R. probabilius affirmative. Quantum ad Confeſſionem annuam, & Communionem Paſchalem eſt communis ſententia, quia iſta præcepta per ſe obligant ad munditiem animæ, conſequenter ad tollenda vincula peccati & Excommunicationis, Quantum ad auditionem Miſſæ, negat Navarrus, Suares, &c. quos citat & ſequitur Laymam; quia, inquiunt, quamdiu eſt in Excommunicatione, non debet audire Miſſam, ſed neque ratione hujus præcepti videtur obligatus, ut ſe diſponat, & impedimentum tollat, cum ea diſpoſitio ſit valde remota. Quemadmodum nec is, qui ſua culpa in vinculis detinetur contra præceptum de audienda Miſſa die Feſto delinquit. At totum hoc negandum arbitror; quia quo jure teneor obſervare legem, eo teneor tollere, cum poſſum, impedientia obſervationem legis. Fateor quidem, quamdiu quis ſubjacet Excommunicationi, eum non teneri audire Miſſam, ſicut nec quamdiu quis detinetur in vinculis. At cum uterque potuerit, & ideo debuerit tollere hoc impedimentum, omiſſio Miſſæ eſt utrique voluntaria, & imputabilis in cauſa, negligentia ſcilicet tollendi hoc impedimentum; ſicut qui poſſet habere Breviarium, & negligeret, omiſſio recitationis Breviarii eſſet ipſi voluntaria, & imputabilis in cauſa, ſcilicet in ipſa ſua negligentia comparandi ſibi Breviarium.

Quartus Effectus eſt privatio adminiſtrationis Sacramentorum. Colligitur ex Cap. *Si celebrat* de Clerico excommunicato, & patet ex notione Excommunicationis : quæ enim major communicatio cum fidelibus, quam illis miniſtrare Sacramenta ? Attamen Sacramenta ab excommunicato collata ſunt valida ; quia , ut jam dixi , eorum valor pendet ab inſtitutione Chriſti, quam impedire non poteſt Eccleſia. Excipe Sacramentum Pœnitentiæ collatum ab Excommunicato non tolerato ; quia ad illud requiritur juriſdictio, qua privatur excommunicatus non toleratus , ut dicam infra, niſi interveniat publicus error cum titulo colorato , ut dictum eſt alibi, aut niſi agatur de pœnitente in articulo mortis. Quantum ad hunc & præcedentem effectum excipiendus eſt caſus neceſſitatis, ut dictum eſt de primo effectu. Quintus Effectus eſt inhabilitas ad ſuſcipiendum quodvis beneficium, dignitatem , aut munus Eccleſiaſticum, ita ut præſentatio aut electio Excommunicati , item inſtitutio ſeu confirmatio ipſo jure ſit nulla. Colligitur ex Cap. *Poſtulaſtis*. Et ratio eſt, tum quia aſſumptio ad quodvis munus Eccleſiaſticum eſt magna eaque Eccleſiaſtica communicatio; tum quia prohibito exercitio actus cenſetur prohibitum illud omne, per quod pervenitur ad illud ; prohibetur autem Excommunicato exercitium muneris Eccleſiaſtici.

Petes 1. Utrum Excommunicatus ſit etiam inhabilis ad penſionem recipiendam ? R. eſt inhabilis ad penſionem clericalem ſpiritualem, quæ ſcilicet datur ratione alicujus Miniſterii ſpiritualis, ut Concionatori, Coadjutori Epiſcopi, &c. quia eadem eſt ratio de illa ac de beneficio ſeu Officio Eccleſiaſtico. Non eſt inhabilis ad penſionem laicalem, quæ datur ratione alicujus Miniſterii temporalis , ut æditue, quia potius rationem ſtipendii temporalis habet, quam Beneficii aut Officii ſpiritualis. Pluribus etiam non videtur inhabilis ad penſionem Clericalem mixtam , quæ quidem non datur ratione Miniſterii ſpiritualis præſtandi, requirit tamen ſtatum Clericalem, ut quæ datur Paſtori ſeni , reſignanti , &c. in cujus probationem profertur declaratio Cardinalium ſuper ſeſſ. 14. Concilii Trid. Cap. 7. de Ref. ; quam etiam refert Gallemart ad idem Caput, in qua dicitur, quod incapacitas homicidæ ad beneficia *non extendatur ad penſiones* . Quæ verba intelligi non poſſunt de penſione mere ſpirituali ; cujus eſt incapax homicida irregularis. Ergo de omni alia penſione. Triplicem hanc penſionem diſtinctius explicatam require in Tract. de Religione Diſſert. 11. a. 6. Concl. 5.

Petes 2. Utrum Clericus excommunicatus poſſit percipere fructus ſui Beneficii? R. 1. Clericus excommunicatus non videtur ipſo facto privatus fructibus ſui Beneficii : nullibi enim in jure id exprimitur. Equidem Cap. Paſtoralis §. *Verum* de Appellat. dicitur ; *Illi proventus Eccleſiaſtici merito ſubtrahuntur, cui Eccleſiæ communio denegatur* : ſed his verbis non videtur ſignificari Excommunicatum ipſo jure eſſe fructibus ſui Beneficii privatum , ſed per Judicis ſententiam privandum. Unde R. 2. Si Excommunicatus per ſe vel per alium præſtat Officium, quamvis præſtando peccet, probabile eſt , quod poſſit fructus percipere ; quia, ut dictum eſt, nullo jure eſt ipſo facto iis privatus . R. 3. Si vero neque per ſe , neque per alium præſtat officium, & per eum ſtat, quominus abſolvatur, videtur, quod ex ipſa juſtitiæ lege non poſſit percipere fructus ; quia hi dantur propter Officium , quod poteſt præſtare, & non præſtat. Quod ſi a contumacia receſſerit ; & per eum non ſtet quominus abſolvatur, etiamſi non præſtet Officium , quia non poteſt , videtur , quod poſſit recipere & retinere fructus ; ſic enim ſe habet ſicut qui ex ſua culpa infirmus non poteſt præſtare Officium, & tamen fructus percipit.

Sextus Effectus. Excommunicatus non toleratus privatur omni uſu juriſdictionis ſpirituali Cap. *Audivimus* 24. q. 1. cap. *Si is cui* de Officio delegati in 6. c. 1. de Officio Vicarii in 6. Item juriſdictionis civilis ſecundum ſaltem communem interpretationem Canoniſtarum in Cap. *Nos Sanctorum* cauſa 15. q. 6. ubi Gregorius VII. abſolvit eos, qui excommunicatis fidelitate aut Sacramento adſtricti ſunt ab obedientia Principi excommunicato præſtanda , donec ad ſatisfationem veniat. Item privatur communicatione forenſi, ita ut non poſſit eſſe Judex, Tabellio, Advocatus, Actor, aut Teſtis etiam in Civilibus : cap. *Ad probandum* de ſent. & re judic. & cap. *Decernimus* de ſentent. excommunic. in 6. Dixi : *Excommunicatus non toleratus* ; quia licet jure antiquo omnis excommunicatus his privaretur , attamen jure novo poſt Concilium Conſtant. ex Bulla Martini V. *Ad evitanda ſcandala* , ſolis excommunicatis non toleratis hæc prohibentur . Poteſt tamen pars in civilibus excipere contra excommunicatum toleratum. Si vero Actor , aut Advocatus , aut Teſtis , etſi excommunicatus non toleratus non repellatur a Judice ; aut non excipiatur a parte adverſa , valent eorum acta ; ſecus de judice excommunicato non tolerato ; quia, ut dictum eſt, caret juriſdictione.

Septimus effectus. Reſcriptum Papæ, non tamen aliorum Prælatorum ab excommunicato impetratum, eſt ipſo jure irritum c. 1. de Reſcrip. in 6. Et ideo ſolet inſeri ſolutio ad cautelam, ad effectum dumtaxat Reſcripti conſequendum.

Octavus effectus eſt privatio Sepulturæ Eccleſiaſticæ, & officii Eccleſiaſtici funebris, ſi excommunicatus non toleratus moriatur in excommunicatione , c. *Sacris* de Sepult. Si tamen ante mortem ſigna Pœnitentiæ dederit , nec per illum ſteterit, quominus abſolveretur, debet poſt mortem abſolvi ad conſequenda Eccleſiæ ſuffragia, & Sepultura Eccleſiaſtica donari poſt abſolutionem.

Nonus effectu eſt privatio omnis communicationis civilis cum fidelibus etſi hæreticis. Colligitur ex c. 2. de Except. cap. *Nuper* &c. *Si quem* de Sent. excom. c. *Ad menſam* cauſa 11. q. 3. Et hæc obligatio non communicandi eſt reciproca, quamvis enim principaliter & directe afficiat excommunicatum, ne in communicationem cum fidelibus ſe ingerat, conſequenter & indirecte afficit etiam ipſos fideles , ne excommunicati communicationem admittant. Intellige tamen pro fidelibus de excommunicato non tollerato , ex Bulla *Ad evitanda* , ita ut poſſint communicare cum excommunicato tolerato. Non ſic de ipſo excommunicato, qui , licet ſit toleratus , non poteſt tamen ſe ingerere in ſocietatem fidelium , niſi a fidelibus requiſitus ; quia Bulla *Non intendit excommunicatos in aliquo relevare , nec eis quomodolibet ſuffragari*. Excipe ſemper caſum neceſſitatis, ut de 1. caſu dictum eſt . Unde ſi occulta ſit excommunicatio, non tenetur excommunicatus ſe prodere cum detrimento famæ.

Omnis autem communicatio civilis prohibita continetur hoc verſu :

Os , orare , vale , Communio , menſa negatur .

Per *Os* (*Supp. q. 21. a. 0.*) intelliguntur oſcula, amplexus , colloquia, litteræ , munera, &c. Per *Orare* prohibetur ne oremus cum excommunicatis. Per *Vale* prohibentur mutuæ ſalutationes verbo , ſigno, vel ſcripto. Per *Communio* prohibetur omnis communicatio , non ſolum in ſpiritualibus, ut explicatum eſt anterius, ſed etiam in civilibus per contractus, commercia, cohabitationem , iter , &c. Per *Menſa* prohibetur in eadem menſa comedere, in eodem lecto decumbere. Hæc duo ultima , *Communio & Menſa*, intellige de ſociis formaliter & ex intentione, ſecus ſi præter intentionem excommunicatus incidat in eandem domum, idem hoſpitium, idem balneum, &c. Item intellige hæc omnia de excommunicato non tolerato ſeu vitando reſpectu fidelium , non reſpectu ipſius excommunicati. Hoc eſt, fideles non tenentur vitare in his omnibus excommunicatum toleratum, ex Bulla *ad evitanda* : excommunicatus tamen, etſi toleratus, non poteſt in his communicare cum fidelibus, niſi ab eis requiſitus.

Cauſæ excuſantes communicationem cum excommunicatis.

SUNT autem cauſæ (*Ibid. q. 23. a. 1. 0.*) excuſantes Communicationem fidelium cum excommunicatis non toleratis, & excommunicatorum cum fidelibus ; quæ a Greg. XII. in cap. *Quoniam multos*, cauſa 11. qu. 3. comprehenduntur hoc verſu :

Utile , lex , humile , res ignorata , neceſſe .

Utile : Excuſat (*Ibid.*) notabilis utilitas , ſive noſtra , ſive excommunicati . Unde licitum eſt conferre excommunicato etiam non tolerato ſubſidium tam ſpirituale , quam corporale quo indiget. Sic c. *Reſponſo* de Sent. ex communic. conceditur , ut coram excommunicato verbum Dei publice in Eccleſia prædicetur c. *Cum voluntate* ; eodem Titulo declaratur eum non incurrere excommunicationem minorem, *qui excommunicato in his , quæ ad abſolutionem, vel alias ad ſalutem animæ pertinent , in locutione participat , licet etiam alia verba incidenter , ut apud eum magis proficiat , interponat* ; vice verſa, licet fidelibus accipere ab excommunicato etiam non tolerato ſubſidium temporale vel ſpirituale, quo indiget , ſi non ſit alius, qui ita commode poſſit præſtare.

Lex ſcilicet matrimonialis (*Ibid.*) excuſat ; ita ut ſi alter , vel uterque conjux ſit excommunicatus , poſſunt tamen petere & reddere debitum & inter ſe communicare in aliis, ſcilicet in gubernatione domus, menſa , colloquio , &c. colligitur ex citato cap. *Quoniam multos*.

Humile : (*Ibid.*) Excuſat humilitas ſubjectionis , quam habent filii non emancipati ad Parentes, famuli ſive urbani , ſive ruſticani ad Dominos , Religioſi ad Prælatum , Clerici ad Epiſcopum, qui cum excommunicatis etiam non toleratis communicare poſſunt, *Ut vitetur periculum animarum*, ſicut dicitur citato c. *Quoniam* . Ex quo inferunt plures juris Interpretes Parentes & Dominos poſſe reciproce communicare cum filiis & famulis excommunicatis ; *Sicut enim*, inquit Auctor, *inferiores obligantur ad obſequia*

ſupe-

Superiorum, *ita Superiores ad providentiam inferiorum*, Dixi; *Filii non emancipati*; (*Ibid.*) quia ſunt extra poteſtatem Parentum, tenentur aos excommunicatos vitare, *niſi* in aliquibus ſignis revetentiæ, quæ jure naturali dabentur Parentibus a filiis emancipatis. Intellige etiam probabiliter da famulis, quos ante excommunicatiouem Dominus babebat, niſi ſorte ſint abſolute neceſſarii, quo caſu excuſabit neceſſitas, de qua modo.

Res ignorata: Excuſat ignorantia, ſive juris, ſive ſacti, modo non ſit affectata aut ſupina: *Neceſſe*: Excuſat neceſſitas tam ſpirituails, quam corporalis, ſive propria ſive excommunicati. Neque illa debet eſſe extrema, ſufficit rationabilis. Colligitur ex c. *Inter alia* de ſent. excom. & c. *Si vere* eodem titulo. Unde ſi ea contractu debeam excommunicato, aut ille mihi, poſſum & teneor illi ſolvere debitum, & viciſſim poſſum ab illo exigere. Item poſſum a quocumque excommunicato emere aut accipere necaſſaria, ſi nullus ſit alius, qui vendat aut præſtet. Ex dictis colliges excommunicationem inter omnes pœnas Eccleſiaſticas eſſe graviſſimam, ideoque non eſſe ferendam, niſi quando aliis pœnis levioribus & præviis monitionibus nihil obtineri potuit, & eſt ſpes per illam emendæ iu peccatore aut boni communis promovendi.

§. II. *Variæ Quæſtiones circa Excommunicationem breviter reſolvuntur.*

PEtes 1. Qui ſint excommunicati non tolerati & vitandi; R. jure antiquo, ut jam dixi, omnes excommunicati arant vitaudi, publice ſi excommunicatiu urat publica, occultu ſi erat occulta. At nunc jure novo poſt Concilium Conſtant. ex Bulla Martini V. *Ad evitanda ſcandala*, hi ſunt tantum vitandi 1. Qui ſunt nominatim excommunicati, & publice denuntiati ut tales. Unda non ſufficit, quod quis nominatim excommunicetur, etiamſi conſtet omnibus eſſu eacommunicatum, ſed duber eſſe publice denuntiatus ut talis, ita ur cum in Bulla dicitur *publicata vel denunciata*, To *vel* non ſumatur diſjunctive; ſed ad explicandum, quomodo debeat eſſe publicata. Ita communiter Auctores Bullam interpretantur, & talis eſt praxis. 2. Notorii percuſſores Clericorum, *Sic quod factum non poſſit aliqua tergiverſatione celari*, *neque alia juris ſuffragio excuſari*. Verum cum ſit admodum difficile diſcarnere, an factum poſſit vel non poſſit aliqua tergiverſatione celari, vel aliquo juris ſuffragio excuſari & ſic hærendo notorietati facti non ſatis obviaretur ſcrupulia ac anxietatibus timoratorum, quod tamen intendit Pontifex in ſua Bulla; ideo jam dixi alibi aa Theologis Gallis non ſufficere in Gallia notorietatem facti, ſed requiri notorietatem juris, hoc eſt, quod quis per ſententiam judicis declaretur hoc crimen admiſiſſe, ſeu hanc Cenſuram incurtiſſe: quod abſolute & ſine reſtrictioue ad locum afferit Daelman Doctor Lovan. ſcribens ſic obſarvat. 4. de Cenſuris: *Nequidem publicus Clerici percuſſor*, *cujus crimen nulla tergiverſatione celari poteſt*, *aut nullo juris ſuffragio muniri*, *moderna praxi vitandus eſt*, *niſi ſit denuntiatus*, *& merito*; *quia labor infinitus & ſcrupulus fidelibus ſuboriretur*, *quinam nullo juris ſuffragio muniri poſſunt*, &c. Textum Bullæ cum ejus aſſertione vide in Tract. de Sacramentis in genere Diſſert. 5. a. 6. De Excommunicatione autem ob percuſſionem Clarici ſpecialiter infra §. 3.

Utrum eum, qui eſt publice denunciatus excommunicatus in uno loco, teneat vitare in altero loco, ubi oon eſt nota ejus Excommunicatio? R. me teneri vitare occulte: & quamvis forte poſſem ſalva juſtitia ipſum vitare etiam publice, tum quia ſententia Judicis poteſt abſque injuſtiria ubique vulgari, tum quia lex vetat communicara cum excommunicato non tolerato; videtur tamen, quod non teneat, imo forte non poſſim ſalva charitate cum novo ejus famæ detrimento, niſi ſubſit juſta cauſa; quod enim tibi non vis fieri, altari ne feceris. Quantum aurem ad Legem Eccleſiaſticam vetantem communicationum cum excommunicato, convenit eam benigne interpretari, ut non obliget cum nova infamia Excommunicati. Confer, quæ dixi diſſert. 15. de Juſtitia a. 2. §. 5. Concl. 1.

Petes 2. Quodam ſit peccatum, & quæ pœna communicantis com Excommunicato? Ante Reſponſionem obſervandum eſt triplicem eſſe communicationem cum Excommunicatis. Una eſt in crimine contumaciæ ut ſiquis ſit Excommunicatus propter detentionem tei alianæ; & ut illi ſuades, ut non reſtituat, quod in jure dicitur communicare *in crimine criminoſo*. Secunda communicatio eſt in rebus ſacris, ſeu quæ Chriſtianis, ut ſunt Chriſtiani, competunt; & ſunt duplicis generis; quædam ſunt primario & proprie Sacræ, ut Sacramenta, Sacrificium Miſſæ, divina Officia, &c. Aliæ ſunt ſecundario ſacræ, ut collatio Beneficii, præſentatio, Electio ad illud, Officium Judicis Eccleſiaſtici, &c. Tertia communicatio eſt in mere civilibus & politicis. His poſitis, R. 1. Qui communicat cum Excommunicato in crimine criminoſo, ſciens ipſum ob illud eſſa excommunicatum, peccat mortaliter & incurrit parem excommunicationem, Cap. *Nuper*, & Cap. *Si Concubinæ* De Sent. Excom. R. 2. (*Ib. q. 23. a. 3. o.*) Qui communicat cum Excommunicato non tolerato in his; quæ ſunt primario divina, & ſacra, peccat mortaliter; quia id repugnat graviter, tum auctoritati Eccleſiaſticæ Cenſuræ; tum dignitati rerum ſacrarum, niſi levitas materiæ a mortali excuſet, ut recitare privatim & ſine ſcandalo aliquas horas cum Excommunicato, adeſſe cum illo Miſſe uſque ad Evangelium. Idem probabiliter dicendum de communicatione in rebus ſecundatio ſacris: Collatio enim Beneficii, Præſentatio, Electio ad illud eſt gravis functio Eccleſiaſtica, & graviter eſt indecens Beneficium Eccleſię haberi a membro ab Eccleſia præciſo. Idem dicendum videtur de Judicu; non tamen de Advocato, Procuratore, Teſte, &c. quia non ſunt ram graves functiones, nec tam repugnantas fini excommunicationis. R. 3. Qui communicat cum Excommunicato non tolerato in mere civilibus, peccat rantum venialiter; quia iſta communicatio videtur levis, nec multum repugnans fini Excommunicationis, quia primario & directe prohibetur communicatio in rebus ſacris & ſpiritualibus, ſecundario & indirecte in civilibus. Excipe, niſi communicatio ſit frequens & pertinax; tunc enim cederet in contemptum Eccleſię. R. 4. (*Ib. a. 2. o.*) Qui ſine juſta cauſa communicat cum Excommunicato non tolerato in rebus ſive Sacris ſive Civilibus, incurrit Excommunicationem minorem Cap. *Statuimus* de Sent. Excomm. in 6. Clericus autem, qui ſcientur & ſponte recipit in divinis Officiis Excommunicatum non toleratum, incurrit majorem Eacommunicationem Papæ reſervatam Cap. *Significavit* de Sent. Excom.

Petes 3. Quid ſit Excommunicatio minor? R. (*Ibid. q. 24. a. 1. o.*) Quod ſit, ut jam dixi, Cenſura Eccleſiaſtica per ſe & directe privans ſuſceptione Sacramentorum, Cap. penult. de Sentent. Excom & cap. ult. de Clerico Excom. Unde qui hac Excommunicatione ligatus Sacramentum reciperet, peccaret mortaliter, non tamen irregularitatem incurreret. Ab hac autem Excommunicatione abſolvera poteſt in foro interno quilibet confeſſarius, in foro externo quilibet ordinarius Judex Eccleſiaſtices Cap. *Nuper* de Sent. Excom. Dixi, *per ſe & directe privans*, &c. quia juxta communem Sententiam indirecte etiam privat ſub peccato veniali adminiſtratione Sacramentorum, quatenus indecens videtur Excommunicatum, cui prohibitum eſt ſuſcipere Sacramenta, ea adminiſtrare. Item indirecte prohibet Excommunicatum eligi ad beneficia Eccleſiaſtica, non quod Electio ſit ipſo facto irrita; ſed ſi *Scienter*, id eſt conſcius ſuæ Excommunicationis & inhabilitatis *electus fuerit*, *ejus Electio eſt irritanda*, ut habetur cap. ultimo de Clerico Excommunicato; & ex his pater Excommunicationem differre a peccato mortali; qui enim eſt in peccato mortali, prohibetur ſub peccato mortali non ſolum recipere, ſed etiam adminiſtrare Sacramenta, & non eſt inhabilis ad Beneficia.

Petes 4. Utrum aliqua Univerſitas ſeu Communitas poſſit excommunicari? R. negative. (*Ib. q. 22. a. 5. o.*) Ita axpreſſe in jure cap. *Romana* de Sent. Excom. in 6. ubi Innocentius IV. dicit: *In Univerſitatem vel Collegium proferre Excommunicationis Sententiam penitus prohibemus*, *volentes animorum pericula vitare*, *quod eniade ſequi poſſet*, *cum nonnunquam contingeret innoxios hujuſmodi Sententia irretiri*; *ſed in illos dumtaxat de Collegio vel univerſitate quos culpabiles eſſe contigerit*, *promulgetur*. Quibus verbis ipſa ratio legis continetur. (*Ib.*) Cum enim Excommunicatio non feratur niſi propter peccatum mortale conjunctam habens contumaciam, non eſt veriſimile totam Communitatem, nullo excepto, conſentire contumaciter in peccatum; ſicque, ut dicit Canon, periculum foret, na innocentes excommunicarentur. Sed quia iſta lex prohibet tantum, & non irritat hujuſmodi Excommunicationem, videtur, quod lata, licet illicite, foret valida quantum ad nocentes. Si tamen conſtaret omnus & ſingulos eſſe reos & contumaces, poſſent, præmiſſa monitione, omnes ſigillatim determinate excommunicari. Item valida & licita foret Excommunicatio, ſi omnes de Communitate, qui ſunt rei & contumaces, excommunicarentur, quia ſic caveretur periculum involvendi innocentes.

Petes 5. Utrum qui ſemel eſt excommunicatus, poſſit ulterius excommunicari? R. (*Ibid. a. 6. o.*) poſſe ulterius excommunicari, vel per ejuſdem Excommunicationis iterationem ad majorem ſui confuſionem, ut ſic a peccato reſiliat, vel proptar alias cauſas; & tunc tot ſunt principales Excommunicationes, quot cauſæ, pro quibus aliquis excommunicatur.

Neque dicas (*Ibid. ad 2.*) ſemel Excommunicatum privari ſuffragiis & communionu Eccleſiæ, privationem autem non admittere magis & minus. Equidem privatio, ſecundum ſe, non admittit magis & minus, admittit

tamen ex parte cauſæ; & ſecundum hoc Excommunicatio poteſt iterari; magis enim eſt elongatus a ſuffragiis Eccleſiæ, qui pluries eſt excommunicatus, quam qui ſemel. Inſuper ſufficit, quod Excommunicatio nata ſit cauſare hujuſmodi privationem, etſi de facto non cauſet, quia cauſatam reperit; ſicut ad peccatum mortale ſufficit, quod natum ſit privare gratia, licet quando advenit ſubjecto jam per prius peccatum gratia privato, de facto non privet.

Petes 6. Utrum qui eſt pluribus Excommunicationibus ligatus, poſſit abſolvi ab una, & non ab omnibus? R. affirmative: (*Ibid. q. 24. a. 3. o.*) quia Excommunicationes non habent inter ſe connexionem. Qui tamen eſt ab eodem pluribus Excommunicationibus ligatus, quando ab illo abſolvitur ab una, cenſetur ab omnibus abſolvi, niſi contrarium exprimatur, vel niſi ab uno tantum caſu abſolutionem impetres. Similiter ſi ſit excommunicatus a pluribus, qui tantum primam Excommunicationem confirmaverunt, abſolutus a primo eſt abſolutus ab omnibus (Sylvius excipit, ſi Papa confirmaverit Excommunicationem, tunc ab ipſo petenda eſt abſolutio, & ab ipſo generaliter abſolutus eſt abſolutus ab omnibus Excommunicationibus inferiorum). Quando autem quis eſt excommunicatus pluribus Excommunicationibus a diverſis principaliter agentibus, abſolutus ab una non eſt propterea abſolutus ab aliis, niſi omnes alii excommunicantes ad ejus petitionem abſolutionem datam confirmaverint, vel niſi omnes uni demandaverint abſolutionem.

Item dum Confeſſarius abſolvit indefinite pœnitentem dicens: *Si teneris aliquo vinculo Excommunicationis*, &c. cenſetur abſolvere ab omnibus Cenſuris, a quibus abſolvendi habet poteſtatem; abſolvit enim in quantum poteſt; ita ut ſi Pœnitens alicujus peccati, cui annexa eſt Cenſura, oblitus fuerit, aut ipſe, vel Confeſſarius neſciat huic peccato annexam eſſe Cenſuram, abſolvitur nihilominus ab omnibus Cenſuris, a quibus Confeſſarius poteſt abſolvere; ſicque dum recordatus fuerit peccati obliti, poterit abſolvi a quolibet Confeſſario, quia Cenſura & reſervatio ſunt ablatæ.

Qui poſſint excommunicari, quam ob cauſam, quis poſſit abſolvere ab Excommunicatione, patet ex dictis de Cenſuris in communi. Id unum dumtaxat hic eſt obſervandum circa abſolutionem ab Excommunicatione, eam ſcilicet non eſſe conferendam, niſi primo reus præſtet juramentum ſe velle parere Eccleſiæ, id eſt abſtinere in poſterum ab hujuſmodi crimine: ſecundo niſi prius ſatisfaciat parti læſæ; vel ſi hic & nunc non poſſit, det cautionem, ſi neque id poſſit, præſtet ſaltem juramentum ſatisfaciendi quando poterit.

His tamen omiſſis, abſolutio quamvis illicita erit valida, niſi feratur a Delegato, qui habet facultatem abſolvendi cum hac limitatione: *Alias abſolutio ſit nulla*, vel *aliter non abſolvat niſi præſtito juramento & ſatisfactione peccati præſtita*. Quod ſi ſimpliciter in Delegatione ponatur: *Committimus facultatem abſolvendi præſtito prius juramento aut ſatisfactione peccati*; probabile eſt, his omiſſis, abſolutionem fore validam: quia quando in commiſſione exprimitur aliquid, quod jure communi ineſt, non inducitur nova forma pertinens ad ſubſtantiam actus, aut conditio ſine qua non; ſed admonetur tantum Delegatus, quid debeat facere.

§. III. *De Excommunicatione ob percuſſionem Clerici.*

QUIA iſta Excommunicatio eſt frequentior, præter ea, quæ de illa jam hinc & inde diximus, juvat eam paulo latius exponere. Habetur cap. *Si quis ſuadente*, cauſa 17. q. 4. his verbis: *Si quis ſuadente diabolo in Clericum vel monachum manus violentas injecerit, anathematis vinculo ſubjaceat: & nullus Epiſcoporum præſumat illum abſolvere, niſi mortis urgente periculo, donec Apoſtolico conſpectui præſentetur, & ejus mandatum ſuſcipiat.* Explicatur.

Dicitur: *Si ſuadente Diabolo*; per quod ſignificatur injuriam illatam Clerico debere eſſe peccatum mortale in ratione ſacrilegii; ita quod intentio lædendi ſit mortalis, & læſio exterior gravis; ſi enim adſit intentio graviter lædendi, ſed læſio ſit levis, non incurritur Excommunicatio; & vice verſa, ſi læſio exterior ſit gravis, & intentio lædendi non ſit mortalis, non etiam incurritur Excommunicatio; quia Eccleſia intendit punire peccatum mortale externum gravis injuriæ illatæ Clerico, quale non eſt niſi internum peccatum mortale, & gravis injuria exterior exiſtat. Dicitur; *in Clericum*. Nomine Clerici intelliguntur etiam prima tonſura initiati, ſi tamen aliunde privilegio Clericatus non exciderint: pro quo vide, quæ ſcripſi in Tract. de Ordine Diſſert. 1. a. 4. Pet. 5. Dicitur; *vel Monachum*. Nomine Monachi comprehenduntur omnes utriuſque ſexus Religioſi etiam Converſi & Converſæ, quamvis in aliquibus Religionibus proprie eam professionem non emittant. Item Tertiarii & Tertiariæ, quæ collegialiter vivunt ſub habitu & voto aliquo expreſſo; non vero quæ in propriis domibus habitant, ſicut declaravit Leo X. apud Rodrigues Tom. 2. QQ. Reg. q. 65. a. 5. Item juxta plures, Eremitæ, qui emiſſo voto paupertatis, vel alia obligatione ſuſcepta apud Prælatum Eccleſiaſticum, alicui Ordini vel Eccleſiæ ſunt addicti, non vero ii, qui nullam hujuſmodi obligationem profitentur. Dicitur: *Manus violentas injecerit*. Hæc manus injectio debet eſſe gravis, ut jam dictum eſt, ſi non in ratione læſionis, ſaltem in ratione injuriæ, ut ſpuere in Clericum, ſicut explicavi in Tract. de Pœnit. Diſſ. 6. art. 6. §. 2. circa caſus Papales, ubi etiam dixi mandantes, conſulentes, & ratihabentes incurrere pariter Excommunicationem. Vide ibi plura. Addo nunc, etiamſi Clericus conſentiat ſuæ percuſſioni, Excommunicationem a percutiente incurri; quia Canon non eſt tam in favorem Clerici, quam clericalis Ordinis, qua ratione videtur eandem Excommunicationem incurri a Clerico, qui ſe malitioſe occideret aut mutilaret.

Sunt autem plures cauſæ excuſantes ab hac Excommunicatione. Prima eſt ignorantia; ut ſi ignores eum, quem percutis, eſſe Clericum, vel ſi volens percutere Petrum Clericum, ipſum non attingis, ſed præter intentionem percutis Joannem præſentem aut illac tranſeuntem, quia non percutis ex intentione Clericum. Secus ſi putans percutere Petrum Clericum, percutis Joannem etiam Clericum; quia in iſto caſu percutis voluntarie & ex intentione Clericum. Secunda Cauſa excuſans eſt, ſi quis percutiat Clericum in ſui corporis, famæ, pudicitiæ, bonorum, aut alterius defenſionem, cap. *Si vero*, & cap. *In tenore* de Sentent. Excom.

Tertia. Qui Clericum cum uxore, matre, ſorore, vel propria filia turpiter agentem percutit in incontinenti, quamvis peccet, non incurrit Excommunicationem cap. *Si vero* citato. Quarta. Prælatus aut Magiſter cauſa diſciplinæ percutiens Clericum etiam in ſacris conſtitutum, non incurrit Excommunicationem cap. *Si vero*, & cap. *Ex tenore*, citatis. Intellige tamen de percuſſione moderata, attenta ratione cum culpæ, cum percutientis & percuſſi, ſi enim exceſſus foret enormis & valde indecens, non evitaretur Excommunicatio.

Quantum ad Patrem, certum eſt etiam non incurrere Excommunicationem percutiendo cauſa diſciplinæ eos, *Qui ſunt de familia, aut propinquos inferiorum graduum*, in minoribus conſtitutos. Cap. *Cum voluntate* de ſentent. excom. Sed dubium eſt de filio in ſacris conſtituto. Quidam volunt ex hujus percuſſione non incurri excommunicationem a Patre; quia, inquiunt, major eſt poteſtas Patris in filium, quam Magiſtri in diſcipulum; jura autem concedunt magiſtro caſtigare diſcipulum etiam in ſacris conſtitutum. Ergo. Alii dicunt in hoc caſu incurri excommunicationem a Patre; quia cum jus prohibens percuſſionem Clerici ſit favorabile Ordini Clericali, non debet reſtringi, niſi expreſſe reſtringatur in jure; nullum autem jus concedit expreſſe Patri-familias caſtigandi filium in ſacris conſtitutum, ſed tantum in minoribus conſtitutum. Argumenta autem e pari in poſitivis nihil probant. Et hæc ſententia mihi videtur probabilior, & eſt tutior.

Ultima denique cauſa excuſans eſt imperfectio actus, qui non attingit uſque ad culpam mortalem, ut prius dictum eſt; qua ratione ſi Clerici vel Religioſi jocando ſe invicem percutiant, & interim ſubrepat aliquis motus iræ, non incurrunt excommunicationem. Quidam idem cenſent de pueris clericis rixantibus in Eccleſia, vel alibi, etiam cum effuſione ſanguinis e naribus, vel modica effuſione ex alia parte corporis. Verum id eatenus videtur admittendum quatenus factum excuſari poteſt a peccato mortali.

Dicitur tandem in textu Canonis: *Et nullus Epiſcopus ipſum abſolvere præſumat*: quod intelligi debet de percuſſione enormi, aut ſaltem gravi, non de levi ſeu modica, quæ juxta quoſdam Theologos nec membri mutilationem, nec dentium, aut multorum capillorum avulſionem, nec immodicam ſanguinis effuſionem, nec corporis lacerationem attulit. Ab excommunicatione enim propter talem percuſſionem abſolvere poteſt Epiſcopus c. *Pervenit*, de ſent. excom. ſaltem ſecundum communem Doctorum interpretationem contra quoſdam, qui volunt in hoc Canone contineri ſpeciale privilegium, non jus commune. Notant etiam plures Canoniſtæ, omnes ferme Ordinum Prælatos hodie poſſe ex Privilegiis abſolvere ſuos ſubditos, etiamſi percuſſio ſit enormis.

ARTICULUS II.

De Suſpenſione.

DICO 1. Suſpenſio eſt *Cenſura Eccleſiaſtica privans Clericum uſu poteſtatis ſeu juris Eccleſiaſtici*. Dicitur *Cenſura Eccleſiaſtica*, hoc eſt pœna medicinalis, ut patet

ex

ex a. t. Diſſ. præced. Unde privationes in perpetuum vel ad certum tempus non ſunt proprie Cenſuræ; manifeſtum eſt enim, quod privatio perpetua non ſit medicinalis, ſed pœna in metam vindictam; neque privatio ad determinatum tempus, quia medicina debet ceſſare, ubi ceſſat morbus; poteſt autem reus a contumacia recedere ante tempus determinatum. Neque refert, quod in jure privationes perpetuæ aut ad certum tempus vocentur ſuſpenſiones; ſunt equidem ſuſpenſiones, ſed non ſunt proprie Cenſuræ Eccleſiaſticæ.

Dicitur *Privans uſu*; quia ſuſpenſio non aufert ipſam poteſtatem ſive ordinis ſive juriſdictionis, neque jus Beneficii Eccleſiaſtici, ſed impedit tantum ejus uſum & exercitium; non in ordine ad communicationem cum fidelibus, hoc pertinet ad excommunicationem, ut dictum eſt; neque in ordine ad divina officia, ut ſunt res ſacræ, hoc pertinet ad interdictum, ut dicetur art. ſeq. Sed præciſe quatenus eſt uſus poteſtatis ſeu juris Eccleſiaſtici, ut hac privatione reus reſipiſcat; & ideo ſuſpenſio fertur tantum in Clericos.

Dico 2. Suſpenſio alia eſt totalis ab Officio & Beneficio: alia partialis ab Officio tantum, vel a Beneficio tantum. Suſpenſio ab Officio, vel eſt a toto Officio, Ordinis ſcilicet & Juriſdictionis, vel ab Officio Ordinis tantum, aut Juriſdictionis tantum. Item ſuſpenſio ab Officio, vel eſt a toto Officio ſive Ordinis ſive Juriſdictionis, vel ab aliquo actu tantum aut Ordinis aut Juriſdictionis, ſeu quaſi Juriſdictionis, ut eſt collatio Beneficii, vox ſuffragii, &c. Similiter ſuſpenſio a Beneficio vel eſt a toto Beneficio, vel a parte Beneficii tantum, puta a lucrandis diſtributionibus, a medietate fructuum, &c.

Quando ſuſpenſio fertur abſolute & abſque limitatione, neque ex adjunctis limitatio colligi poteſt, cenſenda eſt totalis ab Officio & Beneficio. Similiter quando fertur abſolute ab Officio, cenſenda eſt totalis ab Officio Ordinis & Juriſdictionis. Item quando fertur abſolute a Beneficio, intelligenda eſt totalis reſpectu Beneficii. Horum ratio eſt, quia propoſitio indefinita æquivalet univerſali, & non eſt ratio, cur intelligenda ſit de una ſpecie potius quam de alia.

Ex dictis ſequentia collige. Suſpenſus totaliter ab Officio tam Ordinis quam Juriſdictionis prohibetur exercere omnes illas actiones, quæ Clericis ſunt propriæ, quales ſunt omnes actiones Juriſdictionis Eccleſiaſticæ, & omne exercitium Ordinis aut Officii, quod ſolis Clericis competit. Suſpenſo totaliter ab Officio illicite confertur Beneficium cap. *Cum dilectus*, de conſuetud. Ratio eſt, quia cum Beneficium detur propter Officium, illicite confertur ei, qui non poteſt præſtare Officium c. ultimo *De Clerico excommunicato*. Suſpenſus totaliter ab Officio non eſt propterea ſuſpenſus a Beneficio; quia iſtæ pœnæ ſunt diverſæ, & una poteſt mandari executioni ſine altera; poteſt enim ſuſpenſus ab Officio gerere adminiſtrationem ſui Beneficii & fructus percipere, Officio autem ſatisfacere quantum poteſt, ſive per ſe recitando Horas, ſive per Vicarium ad alia munia Eccleſiaſtica deputatum.

Suſpenſus ab Ordine tantum poteſt exercere omnes actus Juriſdictionis, qui Ordinis actualem uſum non requirunt; ſic Epiſcopus ſuſpenſus ab Ordine, licet nec celebrare nec excipere Confeſſiones poſſit, poteſt tamen alteri dare facultatem excipiendi Confeſſiones. Suſpenſus a Juriſdictione tantum; poteſt vice verſa exercere omnes Ordinis actus, qui non requirunt Juriſdictionem; ſic poteſt celebrare, dare communionem ut communis Sacerdos, non poteſt autem Confeſſiones excipere, quia ad hoc requiritur Juriſdictio, neque cætera Sacramenta ſuis ſubditis ut Paſtor ordinarius conferre.

Suſpenſus ab Ordine inferiori non eſt ſuſpenſus a ſuperiori, v. g. ſuſpenſus ab Officio Diaconatus non eſt ſuſpenſus ab Officio Sacerdotis, niſi quatenus exercet actum Sacerdotii, qui requirat actum Diaconatus; ſicut, juxta quoſdam, ſi celebret Miſſam, in qua legitur Evangelium, quod pertinet ad Diaconum. Vice verſa ſuſpenſus ab Ordine ſuperiori non eſt ſuſpenſus ab inferiori; ſic ſuſpenſus ab Officio Sacerdotis poteſt fungi Officio Diaconi.

Suſpenſus ab aliquo tantum actu Ordinis aut Juriſdictionis poteſt alios exercere; ſic ſuſpenſus a Miſſa, poteſt Confeſſiones audire, & e contra. Suſpenſus totaliter a Beneficio non poteſt gerere ejus adminiſtrationem, nec percipere ullos fructus, ſive quotidianos, ſive principales, niſi in quantum ſunt neceſſarii ad victum, ſi tamen ab eo non pendeat ut abſolvatur, alioquin ſibi imputet: & ſi ſe adminiſtrationi Beneficii ingerat, ipſo jure Beneficio privatur cap. *Cupientes* §. Cæterum de Elect. in 6. Non tamen ſuſpenſus totaliter amittit jus, quod ipſi ratione Beneficii competit conferendi aut eligendi, quia hæc non ſunt proprie fructus Beneficii, ſed actus Officii ſeu Juriſdictionis, quæ ipſi competunt ratione Beneficii, quo non privatur per ſuſpenſionem.

Nota finaliter, quod cum ſuſpenſio, ſicut & excommunicatio immediate afficiat perſonam, ipſam ubivis locorum comitetur. Unde ſuſpenſus aut excommunicatus in uno loco, ubique eſt ligatus, donec abſolvatur.

ARTICULUS III.

De Interdicto.

Dico 1. Interdictum eſt *Cenſura Eccleſiaſtica prohibens uſum quorumdam Sacramentorum, omnium divinorum officiorum, & Sepulturæ Eccleſiaſticæ*. Differt a ſuſpenſione, quæ prohibet tantum uſum poteſtatis ſeu juris Eccleſiaſtici; & ab Excommunicatione, non ſolum quia Excommunicatio privat rebus tam ſacris quam Civilibus, ſed etiam quia privat rebus ſacris, prout continent communicationem cum fidelibus; interdictum vero rebus aſſignatis, præciſe quatenus ſacræ ſunt. Unde licet hæ tres Cenſuræ in hoc conveniant, quod privent rebus ſpiritualibus, differunt tamen quatenus eis privant ſub diverſa ratione formali.

Dico 2. Interdictum aliud eſt locale, quod immediate locum afficit prohibendo fieri in illo ſacras functiones. Aliud eſt perſonale, quod immediate perſonam afficit prohibendo ipſi participare his ſacris functionibus. Si utrumque & locum & perſonas afficiat, eſt mixtum. Tam locale, quam perſonale ſubdividitur in generale & particulare. Generale locale eſt, quod fertur in Regnum, Provinciam, Civitatem, Parochiam, Villam, Caſtrum, &c. Particulare; quod fertur in hanc vel illam Eccleſiam. Quando interdicitur, Civitas, Caſtrum, aut Villa, interdicuntur etiam Suburbia, licet alterius Diœceſis, & quando interdicitur Eccleſia, interdicuntur Capellæ contiguæ & Cæmeteria contigua Cap. *Si Civitas* de Sent. Excom. in 6.

Interdictum generale perſonale eſt, quod fertur in totum aliquod corpus politicum, v. g. in totam gentem unius Regni, in populum alicujus Civitatis aut Pagi, in Collegium, Capitulum, Academiam, &c. Afficit omnes partes Communitatis etiam innocentes. Particulare perſonale eſt, quod fertur in aliquos particulares, puta in Epiſcopum, in Prætorem, Parochum, &c. vel etiam in omnes & ſingulos, qui tale crimen commiſerint. Si dicas videri injuſtum innocentes pœna Interdicti puniri, R. Innocentes per ſe interdicto non ligari, ſed per accidens, quatenus ſunt in tali loco interdicto, vel ſunt membra Communitatis interdictæ: unde ſi locum mutent, ceſſat in illis interdictum. Quapropter non proprie puniuntur per interdictum, licet per accidens damnum ſentiant, quatenus id eſt bono communi neceſſarium. Nota, quod interdicto Clero, non ſit interdictus populus, nec e converſo Cap. *Si ſententia* de Sent. Excom. in 6. Unde Clero interdicto poteſt populus advocare alios Clericos, qui divina Officia celebrent.

Dico 3. Effectus interdicti totalis ſunt tres, ſcilicet privatio uſus tam activi quam paſſivi certorum Sacramentorum, omnium divinorum Officiorum, & Sepulturæ Eccleſiaſticæ. Patet ex ejus definitione. Dixi *totalis*; quia poteſt ferri interdictum quantum ad aliquem tantum effectum, ut dictum eſt de Suſpenſione: Interdicti enim & ſuſpenſionis effectus non ſunt inter ſe connexi, ſicut in Excommunicatione. Circa 1. effectum. Dicitur; *Certorum Sacramentorum*; quia tempore Interdicti & in Eccleſia interdicta poſſunt conferri Sacramenta Baptiſmi & Confirmationis Cap. *Reſponſo* de Sent. Excom. & Cap. *Quoniam* eodem titulo in 6. Item poteſt conferri Euchariſtia morituris per modum Viatici, Cap. *Permittimus* de Sent. Excom. Item Sacramentum Pœnitentiæ poteſt tempore interdicti adminiſtrari omnibus, præter quam iis, propter quorum culpam interdictum latum eſt; vel qui ad perpetrandum delictum auxilium aut conſilium præbuerunt, niſi de delicto ſatisfecerint, aut ſatisfaciendi cautionem dederint; aut ſi non poſſint, juramentum præſtiterint, Cap. *Alma* de Sent. Excom. in 6. Quantum ad Sacramenta Extremæ Unctionis & Ordinis miniſtrari non poſſunt tempore interdicti; quia Cap. *Si ſententia* de Sent. Excom. in 6. generaliter prohibetur ſuſcipere Sacramenta in interdicto, niſi in caſibus a jure exceptis; nullibi autem excipiuntur Sacramenta Extremæ Unctionis & Ordinis. Propter eandem rationem videtur multis Matrimonium etiam non poſſe contrahi tempore interdicti, quia quamvis contrahentes ſint Miniſtri, eſt nihilominus Sacramentum, & nullibi excipitur in jure; verum id plures alii negant, quia cum Matrimonium ſit maxime neceſſarium Communitati, Eccleſia non intendit illud interdicere. Equidem non diffiteor eſſe inconveniens, ſi ſaltem in interdicto generali matrimonium impediretur.

Secundus effectus eſt prohibitio celebrationis & auditionis divinorum Officiorum Cap. *Si Sententia* & Cap. ultimo de Sent. Excom. in 6. Nomine divinorum Officiorum intelliguntur Miſſa, omnis publica & ſolemnis

Ora-

Oratio inſtituta ab Eccleſia ut a Clericis celebretur, publica Horarum Canonicarum recitatio, non privata. Unde qui Breviario tenentur, ab ejus obligatione non eximuntur, poſſuntque illud recitare bini & bini etiam in Eccleſia, modo recitationis privatæ modum ſervent.

Hujus autem Legis rigorem temperavit Bonifacius VIII. Cap. *Alma* de Sent. Excomun. in 6. Ubi poſtquam exposuit mala, quæ ſequuntur ex interdicto ſecundum rigorem antiqui juris, & indulſit poſſe adminiſtrari Sacramentum Pœnitentiæ, ut ſupra dictum eſt, ſic proſequitur: *Adjicimus præterea, quod ſingulis diebus in Eccleſiis & Monaſteriis Miſſæ celebrentur, & alia dicantur divina Officia, ſicut prius* (ante interdictum) *ſubmiſſa tamen voce, & januis clauſis & campanis non pulſatis* (nequidem campana ad elevationem) . . . *In feſtivitatibus vero Natalis Domini, Paſchæ ac Pentecoſtes, & Aſſumptionis Virginis glorioſæ campanæ pulſentur, & januis apertis alta voce divina Officia ſolemniter celebrentur, Excommunicatis prorſus excluſis, ſed interdictis admiſſis . . . Sic tamen quod illi, propter quorum exceſſum interdictum hujuſmodi eſt prolatum, Altari nullatenus appropinquent.*

Circa quod Decretum notant Juris Interpretes 1. Intelligendum eſſe de interdicto generali; ſi enim Eccleſia eſſet ſpecialiter interdicta, non poſſent modo dicto in ea celebrari divina officia. 2. Hoc decretum reſpicere tantum Clericos & eorum Vicarios, non Laicos, etſi ſint Clericorum Domeſtici, quibus audire Officia hoc Decreto non conceditur. 3. Divina Officia voce ita ſubmiſſa debere peragi, ut ab iis qui foris ſunt percipi non poſſint: non tamen prohibetur Campanarum ſonus ad Concionem & ad *Angelus*. 4. Si interdicti ſpecialiter & denuntiati Officio divino adſint, & expelli non poſſint, Clerici debent ceſſare, & Sacerdos, ſi nondum inceptus ſit Canon, ab Altari recedere. Colligitur ex his verbis Canonis *interdictis excluſis*. 5. Plures & graves Auctores Paludanus, Soto, Avila, &c. exiſtimant nomine Nativitatis, Paſchatis, & Pentecoſtes, non unum diem, ſed duos vel tres dies Feſtos ſequentes intelligi, ipſamque feſtivitatem Reſurrectionis & Pentecoſtes inchoari a Miſſa Vigiliæ, quæ cantatur Sabbatho præcedenti.

Tertius effectus eſt privatio Sepulturæ Eccleſiaſticæ Cap. *Quod in te* de Pœnit. & remiſſ. ubi additur: *Concedimus tamen ex gratia, ut Clerici decedentes, niſi tamen ſervaretur interdictum, in Cœmeterio Eccleſiæ* (non in Eccleſia) *ſine Campanarum pulſatione, ceſſantibus Solemnitatibus omnibus, cum ſilentio tumulentur.* Excipe quatuor Solemnitates aſſignatas, in quibus ſolemnes Exequiæ Clericorum poſſunt fieri, ſicut alia divina Officia.

Quantum ad interdictum perſonale videtur, quod ſi interdictus non ſit denuntiatus, aut ejus Communitas, ſi Communitas ſit interdicta, poſſit poſt Bullam *Ad evitanda* ſepeliri in loco ſacro; nam *quibus vivis communicamus, etiam mortuis communicare poſſumus*. Cap. *Sane* 24. q. 2.

Petes, utrum violatio interdicti ſit ſemper peccatum mortale? R. 1. Clericus violans interdictum, ſive locale, ſive perſonale peccat mortaliter; quia lex interdicti directe Clericos reſpicit, & eſt materia gravis. Idem dicendum eſt de Laico, qui violat interdictum perſonale, quod pariter directe illum afficit. R. 2. Si Laicus perſonaliter non interdictus violet interdictum locale, vi vel fraude ac mendaciis ſe ingerens divinis Officiis, videtur, quod peccet etiam mortaliter propter injuriam, quam in re gravi infert Miniſtris Eccleſiæ. Idem videtur dicendum, ſi etiam ſine vi vel fraude accipiat Euchariſtiam in loco interdicto, quia ſaltem cooperatur peccato mortali Clerici. R. 3. S. Laicus ſine vi vel fraude tempore interdicti localis adſit divinis Officiis, peccat quidem: quia lex interdicti licet directe reſpiciat Clericos, ne Laicos admittant ad divina Officia Cap. *Reſponſo* de Sent. Excom. conſequenter tamen & indirecte reſpicit Laicos, ne ſe ingerant; ſicut licet Excommunicatio directe afficiat Excommunicatum, ne communicet cum aliis, conſequenter tamen alios, ne communicent cum Excommunicato. Id colligitur ex Cap. *Si ſententia* de Sent. Excom. in 6. dicitur Laicos tempore interdicti poſſe audire divina extra locum interdictum. Ergo a contrario non poſſunt audire divina in loco interdicto. Iſtud tamen peccatum non videtur mortale; quia, ut dictum eſt, lex interdicti non afficit directe & principaliter Laicos, ideoque non tam ſtricte adſtringuntur, ac Clerici.

De Ceſſatione a divinis, Depoſitione, & Degradatione ſufficienter dixi Art. 1. præced. Diſſert.

ARTICULUS IV.

De Irregularitate.

§. I. *Quid & quotuplex ſit Irregularitas.*

Dico 1. Irregularitas eſt *Impedimentum Canonicum impediens per ſe primo & directe ſuſceptionem Ordinum Eccleſiaſticorum: ſecundario & indirecte eorum exercitium*. Dicitur *Impedimentum*, id eſt inhabilitas moralis ex ſe perpetua alicujus perſonæ ad ſuſcipiendos Ordines Eccleſiaſticos, & ſi ſuſceperit, ad eos exercendos. Per quod diſtinguitur a Cenſura, quæ ex propria ratione infligitur propter culpam, ut pœna medicinalis & temporalis, ſicut prius diximus. Dicitur *Impedimentum impediens*, non irritans. Unde Irregularis valide, licet illicite ſuſcipit Ordines, & eos exercet, & quia per irregularitatem non privatur Juriſdictione, valide etiam abſolvit ſacramentaliter, illicite tamen, quia ibi intervenit actus Ordinis. Dicitur *Impedimentum Canonicum*; quia ſolo jure Eccleſiaſtico, eoque communi poteſt induci Irregularitas. Unde nulla Irregularitas adſtruenda eſt, niſi ſit in jure expreſſa, vel inducta generali & conſtanti conſuetudine, quæ habeat vim legis. Nec in hoc valent argumenta a paritate. Quapropter neque mulier, neque non baptizatus ſunt proprie Irregulares; quia non jure humano, ſed divino ſunt inhabiles ad Ordines Eccleſiaſticos. Dicitur *Impediens per ſe primo & directe ſuſceptionem*, &c. per quod ſpecialiter differt a ſuſpenſione, cum qua videtur habere aliquam ſimilitudinem, Suſpenſio enim per ſe primo impedit exercitium Ordinum ſuſceptorum, & afficit tantum Clericos. Irregularitas autem per ſe primo impedit ſuſceptionem Ordinum, & ſecundario tantum illorum exercitium, & afficit tam Laicos quam Clericos. Per Ordinem Eccleſiaſticum hic intelligitur etiam prima Tonſura.

Hinc ſequitur irregularem poſſe licite obire omnia munia ſacra, quæ a Laicis exerceri poſſunt, ut ſunt actus minorum Ordinum, inſervire ſacrificanti, canere in Eccleſia, ſuſcipere Sacramenta, excepto Sacramento Ordinis & prima Tonſura. Sequitur 2. irregularem non privari adminiſtratione & fructibus ſui Beneficii, ſi per Vicarium præſtet officium. Si tamen diſpenſatio non ſit brevi impetranda, aut tale ſit Beneficium, quod officium per ſe præſtare debet; ipſe tenetur ſponte reſignare, aut debet illo privari Cap. *Ex litteris* De Excell. Prælat.

Utrum vero collatio Beneficii facta irregulari etiam occulto ſit ipſo jure nulla, ita ut in conſcientia teneatur illud reſignare, diſputant Theologi. Communior & tutior ſententia affirmat; tum quia hoc eſt conformius naturæ irregularitatis, qua homo videtur reddi inhabilis ad jura Eccleſiaſtica; tum quia Beneficium datur propter officium, irregularis autem ſæpe non poteſt exercere officium annexum Beneficio: tum & maxime quia ſic videtur declaratum in Trid. ſeſſ. 15. cap. 7. de Ref. ubi dicitur, quod qui homicidium commiſerit, *nullo tempore ad ſacros Ordines promoveri poſſit, nec illi aliqua Eccleſiaſtica Beneficia, etiamſi curam non habeant animarum, conferri liceat; ſed omni Ordine ac Beneficio & officio Eccleſiaſtico* (ſcilicet nondum adeptis) *perpetuo careat*.

Dico 2. Dividitur Irregularitas in Irregularitatem ex delicto, & in Irregularitatem ex defectu, qui non ſit delictum. Irregularitas ex defectu, alia ex defectu corporis, alia ex defectu animæ; alia ex defectu lenitatis, alia ex defectu ſignificationis ſeu Sacramenti, quas infra explicabimus. Similiter Irregularitas ex delicto eſt multiplex ratione plurium delictorum, ut etiam mox exponemus. Item dividitur Irregularitas in totalem & partialem. Totalis eſt, quæ privat omni Ordine ſuſcipiendo, & omni Ordinum exercitio, ut quæ oritur ex homicidio, Bigamia, &c. Partialis eſt, quæ privatur tantum aliquo actu Ordinis; ut ſi v. g. Sacerdos amittat pollicem, eſt irregularis ad celebrandum, non ad Confeſſiones excipiendas, & alia munia Sacerdotii.

§. II. *Expenduntur Irregularitates ex Delicto.*

Prima Irregularitas ex delicto eſt ea, quæ contrahitur ex homicidio voluntario aut mutilatione; & hæc eſt non ſolum ex delicto; ſed etiam ex defectu lenitatis, ſi homicidium ſit juſtum. De utraque abundantiſſime dixi Diſſ. 10. de Juſtitia n. 1. per plures §§. videat Lector; tædioſum enim foret hæc omnia repetere.

Secunda Irregularitas ex delicto contrahitur ex iteratione abſoluta Baptiſmi. Unde abſolute rebaptizans, rebaptizanti miniſtrans, ſi crimen utriuſque ſit notorium, eſt irregularis ad ſuperiores Ordines ſuſcipiendos. Item qui ſe abſolute rebaptizari ſinit, eſt ſimiliter irregularis. De miniſtrante rebaptizanti conſtat ex c. 2. de Apoſtatis: ex quo communiter infertur idem a fortiori de reba-

Digitized by Google

baptizante; quia nec alibi, nec aliter in jure exprimitur hujus Irregularitas, ſed eſt talis praxis Eccleſiæ, quæ eſt optima legum interpres, aut aliunde habet vim legis. De rebaptizato conſtat ex c. *Afros* D. 98. c. *Qui in qualibet* 1. q. 7. & c. *Eos quos* de Conſec. D. 4.

Dixi 1. *Abſolute rebaptizans & ejus Miniſter, item abſolute rebaptizatus*; quia lex pœnalis intelligitur effectu ſecuto; qui autem baptizat, aut baptizatur ſub conditione, ſi jam ſit baptizatus, non vere rebaptizatur. Dixi 2. *Si crimen rebaptizantis & miniſtrantis ſit notorium*. De miniſtrante habetur expreſſe citato cap. 2. *De Apoſtatis*; ex quo plures idem inferunt de rebaptizante, cum ejus irregularitas alibi non exprimatur; quod tamen ab aliis etiam pluribus non admittitur. Dixi 3. *Ad ſuperiores Ordines ſuſcipiendos*. Ita de miniſtrante c. 2. cit. *De Apoſtatis*. Ex quo videtur majorem pœnam non eſſe imponendam Rebaptizanti, ut modo dicebam de notorietate criminis, & aliunde odioſa ſunt reſtringenda. Ad hanc claſſem reducitur Irregularitas, quam incurrit, qui ab Hæretico ſe baptizari ſinit cit. c. *Afros* & cap. *Qui in qualibet*. Item Neophytus ſeu Novitius in fide ſuſcepta per Baptiſmum ordinari non debet ex Apoſtolo 1. Tim. 3. & ex can. 2. Concilii Niceni I.

Tertia. Clericus exercens actum Ordinis, quem non habet, ſuſpenditur ad biennium vel triennium pro beneplacito Epiſcopi ab Ordine, quem habet, & fit Irregularis ad ſuſcipiendos ulteriores Ordines c. *Si quis*, & cap. *Et litteris* de Clerico non ordinato miniſtrante. Dixi 1. *Clericus*; quia dubium eſt, an etiam Laicus exercens actum Ordinis incurrat hanc Irregularitatem. Parti affirmanti favet cap. *Si quis*; dicitur enim generaliter; *Si quis baptizaverit, aut aliquod divinum officium exercuerit non ordinatus*, &c. Parti negativæ favet Rubrica, quæ ſic eſt *De Clerico non ordinato miniſtrante*, & titulus dicti cap. *Si quis*, qui ſic legitur: *Clericus miniſtrans in pertinentibus ad ordinem, quem non habet, deponendus eſt, & amplius non ordinandus*. Hinc diviſi ſunt Auctores. Quia tamen Laicus non exprimitur in dicto capite, & ipſi favent Rubrica & Titulus, atque odioſa ſunt reſtringenda, ſententia negans videtur aliquatenus probabilior. Dixi ad ſuſcipiendos ulteriores Ordines, & non ad eos exercendos: qui licet c. *Si quis* dicatur abſolute, abjiciatur de Eccleſia, videtur iſte rigor temperatus per caput ſequens *Ex litteris*, ubi de Diacono, qui celebraverat, ſtatuitur, *quod ad Sacerdotis officium non poterit promoveri: A Diaconatu quoque biennio vel triennio pro tua* (Epiſcopi) *manſat proviſione ſuſpenſus*.

Quarta. Clericus, qui Cenſuram, hoc eſt Excommunicationem majorem, ſuſpenſionem ab Ordine & interdictum ſive perſonale, ſive locale violat exercendo actum ſui Ordinis, fit irregularis c. *Cum æterni* de Sent. & re Judic. in 6. c. *Is quis*, §. *Is vero*, & cap. *Is cui* de Sent. Excom. in 6. Eſtque unanimis Doctorum Sententia & communis Eccleſiæ praxis. Dixi *Exercendo actum ſui Ordinis*, id eſt qui ſit tali Ordini proprius, ut ab alio, qui hunc Ordinem non habent, exerceri non poſſit. Unde Miniſtæ exercendo actus ſuorum Ordinum vix hanc Irregularitatem contrahere poſſunt, cum ubique ex conſuetudine exerceantur a Laicis. Item qui Cenſura ligatus exercet ſimpliciter actum juriſdictionis, ut ſi Epiſcopus det facultatem excipiendi Confeſſiones, non fit Irregularis, neque qui cantat cum aliis in Choro, modo Officiatorem non agat.

Quinta. Hæretici, eorum Fautores & Receptatores, & Hæreticorum filii uſque ad ſecundam generationem contrahunt Irregularitatem c. *Ventum eſt* 1. q. 1. c. *Convenient*. c. *Saluberrimum* 1. q. 7. & c. *Quicumque* §. *Hæretici* de Hæreticis in 6. Et quamvis quidam iſta jura interpretentur de Hæreticis occultis, alia tamen jura loquuntur de Hæreticis publicis, & Bonifacius VIII. cap. *Statutum* 2. de Hæreticis in 6. exponens cap. *Quicumque* videtur illud intelligere de Hæreticis publicis; loquitur enim de Hæreticis, qui probantur eſſe tales, aut tales deceſſiſſe. Idem Bonifacius eodem cap. *Statutum* declarat filios Hæreticorum tantum, qui deſcendunt per lineam paternam, contrahere Irregularitatem uſque ad ſecundam generationem; deſcendentes autem per lineam maternam uſque ad primam tantum. Item declarat id eſſe intelligendum de filiis Hæreticorum, qui *probantur eſſe tales, vel etiam tales deceſſiſſe*, Secus ſi ante mortem fuerint Eccleſiæ reconciliati. Cæterum in Provinciis, in quibus vivunt permixti Catholici cum Hæreticis, aut quæ Hæreticis ſunt vicinæ, videtur hanc legem non eſſe in uſu pro filiis hæreticorum, quos Epiſcopi ordinant non ſecus ac alios.

Sexta irregularitas ex delicto contrahitur ex infamia, c. *Infames* 6. q. 1. & c. *Omnipotens* de accuſ. Infamia eſt duplex, juris & facti. Infamia juris eſt, quæ per ſententiam Judicis incurritur, vel contrahitur per crimen publicum, aut conditionem, cui e jure annexa eſt infamia, qualia ſunt Perjurium in judicio, Simonia, Sodomia, Sacrilegium, Improbum Fœnus, in quo uſuræ uſurarum exiguntur, Hæreſis, raptus mulieris & utrinſque fautor, crimen læſæ Majeſtatis, & hoſtilis perſecutio Cardinalium, quorum duorum ultimorum infamia tranſit ad filios & nepotes per lineam maſculinam ab eis, qui hæc committunt, deſcendentes, Hiſtriones, & in pluribus Nationibus Carnifices. Ex his itaque omnibus contrahitur Irregularitas, ſi tamen ſint publica, quia peccatum occultum non infamat, & habetur cap. ultimo de tempore Ordinandorum. Infamia Facti eſt publica opinio commiſſi criminis, per quod fama graviter læditur, ut eſt adulterium, concubinatus, furtum, &c. Hæc infamia non inducit proprie dictam Irregularitatem, ſed tantum aliquod impedimentum temporale ſuſcipiendi Ordines, aut in iis miniſtrandi ob indecentiam durante infamia, quæ tollitur per emendationem vitæ, c. *Si des* 35. q. 6. c. *Teſtimonium* de teſt. & atteſt.

§. III. *Exponuntur Irregularitates ex defectu*.

QUADRUPLEX eſt, ut dixi §. 1. Irregularitas ex defectu, ſcilicet ex defectu corporis, animæ, lenitatis, & ſignificationis ſeu Sacramenti. Quantum ad Irregularitatem ex defectu corporis ſit hæc Regula generalis. Qui ex defectu corporis non poteſt abſolute, aut ſine periculo, vel ſcandalo, vel gravi indecentia exercere functiones alicujus Ordinis, eſt reſpectu illius irregularis c. 2. de Clerico ægrotante, & toto Tit. de corpore vitiatis. Hinc inferes 1. Cœcum aut truncatum pollice non poſſe promoveri ad Sacerdotium, & promotum non poſſe celebrare, poteſt tamen Confeſſiones audire, & alia Sacerdotis munia obire. 2. Enormiter gibboſus, aut ita claudus, ut ſine baculo in altari conſiſtere non poſſit, eſt irregularis. 3. Is, cui erutus eſt oculus, aut naſus amputatus propter gravem deformitatem, eſt irregularis, ſecus de amputatione aurium, ſi crinibus aut coma cooperiri poſſint. Si vero non ſit erutus oculus, ſed tantum careat virtute videndi, etiamſi ſit ſiniſter, ſeu, ut dicitur, Canonis, non eſt irregularis, modo tamen ſine gravi contorſione faciei poſſit Canonem legere, in quo juvari poteſt ex aptatione libri. 4. Arreptitii & Epileptici ſunt irregulares, ſic ut nunquam poſſint ordinari; Ordinati vero miniſtrare non poſſunt, niſi quo uſque unius anni ſpatio per diſcretionem Epiſcopi inveniantur ſanati, c. *Communiter*, D. 33. & colligitur ex c. fin. 15. q. 1. ſicque docetur communiter. 5. Abſtemius eſt Irregularis reſpectu Sacerdotii. 6. Hermaphroditus, etiamſi ſexus virilis prævaleat, eſt abſolute Irregularis propter gravem indecentiam, & ut ita dicam, monſtruoſitatem. Idem dic de eo, qui habet membra ſuperflua, ſi gravem afferant deformitatem, ſecus ſi leves. 7. Eunuchus ex ſua culpa eſt irregularis, ſecus ſi ſine ſua culpa, ut ſi vi aut cauſa infirmitatis ſit caſtratus, c. *Si quis a Medicis* & ſequentibus d. 55. c. *Ex parte* 2. de corp. vitiatis. Probabilius eſt eſſe ſua culpa Eunuchum, & ideo irregularem, qui caſtitatis vel vocis ſervandæ cauſa ſe caſtrat, vel ſe caſtrari ſinit. Error vulgi eſt, quod is, cui membrum eſt abſciſſum, debeat illud pulverizatum portare, ut evitet Irregularitatem; non enim inde reſtituitur integritas corporis, nec impeditur deformitas.

Ad hanc Irregularitatem reducitur defectus natalium (*Sup. q. 19. a. 5. n.*) Itaque omnes illegitimi, ſive naturales, ſive Nothi, aut Spurii etiam occulti ſunt Irregulares c. 1. & 2. de filiis presb. & c. 1. eodem tit. in 6. Excipe, niſi fiant Religioſi, tunc enim poſſunt ſine diſpenſatione promoveri ad omnes Ordines, non tamen ad Prælaturas c. 1. cit. de filiis presb. Quantum ad proles expoſitas regulariter habendæ ſunt pro illegitimis, conſequenter pro irregularibus; quia ex communiter accidentibus jure præſumitur eſſe illegitimas, & hæc fortior præſumptio elidit præſumptionem, quæ alias in pari dubio eſſet in favorem prolis. Ad hanc iterum Irregularitatem pertinet ſervitus. Servus itaque ſeu Mancipium ordinari non poteſt ſine conſenſu Domini; ſi cum ejus conſenſu ordinetur, fit liber; ſi ſine ejus conſenſu, poteſt ſe redimere, quod ſi ſe non redimet, ſatisfacit Domino exhibendo ei obſequia, quæ ejus characterem non dedecent: tota Diſtinct. 54.

Ex defectu animæ ſunt irregulares non ſolum Hæretici, eorum fautores & receptatores, & Hæreticorum filii, ut jam dictum eſt, ſed etiam omnino illiterati Cap. *Illiteratos* D. 36. & Concil. Trid. ſeſſ. 23. c. 4. 11. & 14. Requiritur autem pro prima Tonſura initiandis, quod ſciant legere & ſcribere; pro minoribus Ordinibus, quod calleant linguam latinam; pro Sacerdotio, quod ſciant, quæ ſunt neceſſaria muniis Sacerdotii obeundis.

De Irregularitate ex defectu lenitatis in occiſione vel mutilatione licita & juſta, reſpective ad Miniſtros Juſtitiæ, Judices, Advocatos, Accuſatores, Teſtes, & cæteros concurrentes, & ad militantes in Bello juſto; item in

Digitized by Google

in homicidio caſuali, latiſſime dixi loco prius cit. de Juſtitia Diſſ. 10. a. 10. per plures §§. Require illuc.

Irregularitas (*Sup. q. 66. a. 2.*) ex defectu ſignificationis ſeu Sacramenti contrahitur Bigamia c. *Debitum* de Bigamia & c. *Acutius* D. 26. cum enim matrimonium conſummatum juxta Apoſt. Epheſ. 5. ſignificet conjunctionem Chriſti cum Eccleſia per carnis aſſumptionem, & Chriſtus ſibi conjunxerit Eccleſiam ab alio non aſſumptam, iſta ſignificatio eſt imperfecta, & deficiens in Matrimonio cum duabus, aut cum una corrupta, ſive vidua, ſive fornicaria.

Triplex eſt Bigamia inducens Irregularitatem, ſcilicet vera & proprie dicta, interpretativa, & ſimilitudinaria; Vera & proprie dicta eſt, quando quis valide contraxit & conſummavit Matrimonium cum duabus, Addo, *Et conſummavit*: quod debet ſemper intelligi in hac materia. Matrimonium enim ſive viri, ſive mulieris nunquam inducit Bigamiam & Irregularitatem niſi fuerit conſummatum, quia non pertinet ad ſignificandum illud matrimonium, quod eſt inter Chriſtum & Eccleſiam per carnis aſſumptionem.

Bigamia interpretativa eſt, quæ non fundatur in duplici Matrimonio conſummato, ſed in aliqua ejus imitatione. Eſt triplex. Prima, quando quis contrahit cum aliqua, quæ ab alio cognita fuit, ſive licite, ſive illicite, ſive voluntarie, ſive per vim, c. *Curandum*, c. *Præcipimus*, & c. *Lector*, D. 34. Dixi *ab alio*, quia ſi ab ipſo contrahente prius fuerit cognita, non inducit Irregularitatem, quia caro non eſt diviſa. Secunda, quando quis cognoſcit uxorem ſuam poſt adulterium ab ipſa commiſſum, c. *Si Laici uxor*, & c. *Si cujus* ead. D. 33. quia talis conjunctio deſinit perfecte ſignificare conjunctionem caſtam Chriſti cum Eccleſia. Idque verum eſt juxta communem Theologorum interpretationem, ſive vir adulterium uxoris ſciverit, ſive non. Item ſive uxor volens, ſive per vim cognita fuerit. Et colligitur ex c. cit. *Si cujus*. Tertia quando intervenit duplex Matrimonium, ſive ſimul, ſive ſucceſſive, unum validum, alterum invalidum, vel utrumque invalidum, ſed utrumque conſummatum. Item ſi Clericus in ſacris conſtitutus primas nuptias cum vidua inierit. Quidam hanc Irregularitatem colligunt ex Can. 16. & 18. Apoſtolorum, & ex Cap. *Nuper* de Bigamis, ſed præterquam quod Canones Apoſtolici non ſint tantæ auctoritatis, præſentem caſum non exprimunt, & cap. *Nuper* non loquitur generaliter, ſed tantum de Clerico in ſacris conſtituto, qui contrahit ſecundas nuptias, vel primas cum vidua. Quapropter melius probatur hæc Irregularitas ex communi ſenſu Doctorum, & generali conſuetudine Eccleſiæ; ut enim jam obſervavi cum aliis, poſſunt Cenſuræ & Irregularitates, alias in jure non expreſſæ, vim habere per generalem Eccleſiæ uſum, communi Doctorum ſenſu introductum. Bigamia ſimilitudinaria eſt, quando Clericus in ſacris conſtitutus aut Religioſus profeſſus contrahit Matrimonium, etſi invalidum, & cum Virgine Cap. *Quotquot* 27. q. 1. c. 1. Qui Clerici & voventes, & Cap. *Sane* de Clericis conjugatis.

Nota Baptizatum incurrere Irregularitatem Bigamiæ ex Matrimoniis ante Baptiſmum contractis Cap. *Si quis viduam* D. 24.

§. IV. *Quis poſſit diſpenſare in Irregularitate?*

Dico 1. Papa & ipſe ſolus poteſt jure ordinario diſpenſare in Irregularitate. Ratio eſt; quia omnes Irregularitates ſunt juris Eccleſiaſtici univerſalis: Papa autem, & ipſe ſolus poteſt diſpenſare in jure univerſali Canonico ſeu Eccleſiaſtico. Raro diſpenſat ſummus Pontifex in Irregularitatibus ex Bigamia proprie dicta, ex homicidio voluntario illicito & publico, & ex defectu corporis, quando eſt magna deformitas. Ad Epiſcopum autem pertinet judicare, an magna vel parva ſit deformitas.

Dico 2. Epiſcopi ex conceſſione Trid. Seſſ. 24. Cap. 6. de Ref. poſſunt diſpenſare in omni Irregularitate proveniente ex crimine occulto, excepto homicidio voluntario. Occultum autem dicitur, quod non eſt notorium, etiamſi a tribus vel quatuor in occulto ſciatur, & poſſit probari judicialiter; item quamvis ſit de eo rumor ſparſus: Quamdiu autem crimen ſub foro contentioſo verſatur, etſi videatur probari non poſſe, non poteſt Epiſcopus diſpenſare in Irregularitate ex illo orta. Quod ſi accuſatus, quamvis re ipſa reus, judicialiter declaretur innocens, poteſt diſpenſari ab Epiſcopo; quia tunc delictum erit in eundem ſtatum, in quo erat, antequam ad forum contentioſum deduceretur. Poſſunt etiam Epiſcopi diſpenſare cum illegitimis ad minores Ordines, & ad Beneficium ſimplex c. 1. de filiis presbyt. excepto Canonicatu Cathedralis Eccleſiæ, qui requirit Ordinem ſacrum. Trid. Seſſ. 24. Cap. 12. item poſſunt diſpenſare in irregularitate ex Bigamia ſimilitudinaria, ſi Clericus ſponte reſipiſcat, Cap. 1. Qui Clerici & voventes. In aliis vero Irregularitatibus ex defectu nihil poſſunt.

Dico 3. Prælati Ordinum mendicantium etiam Conventuales 1. poſſunt erga ſuos ſubditos, quod poſſunt Epiſcopi erga ſuos Diœceſanos; hoc ipſo enim quo Pontifices mendicantes exemerunt a Juriſdictione Epiſcoporum, cenſentur illam eorum Prælatis conceſſiſſe, cum id ſit neceſſarium ad gubernationem tam ſpiritualem, quam temporalem Religioſorum. Et hanc Juriſdictionem, quia non ex commiſſione temporali, ſed virtute legis ſeu conſuetudinis eis competit, poſſunt delegare. 2. Poſſunt diſpenſare cum ſuis ſubditis in omnibus aliis Irregularitatibus, exceptis tribus, ſcilicet Bigamia, homicidio voluntario, & mutilatione, quibus additur enormis defectus corporis, in quo non ſolet Pontifex diſpenſare. Ita Sixtus IV. Bulla *Dum attenta*. Item ex Bulla, quæ eſt mare magnum Prædicatorum, & aliis, de quibus vide Rodriques Tom. 1. QQ. Reg. 24. a. 2. & ſeq. & Lezana Tom. 1. QQ. Reg. cap. 18. num. 40. & ſeq. Nota, quod Irregularitas non tollatur per abſolutionem, ſed per diſpenſationem in lege, & ideo requiratur legitima cauſa, ut diſpenſatio ſit licita, imo & ut ſit valida, ſi ab alio quam a Papa concedatur.

Petes, quid in dubio Irregularitatis contractæ? Reſpondi olim Diſſ. 10. de Juſtitia a. 10. § 2. Pet. 2. de Irregularitate ex homicidio, quod ille, qui dubitat an homicidium perpetratum ſit ab ipſo cauſatum, debeat ſe gerere ut irregularem; ſecus ſi dubitet, an homicidium ſit revera perpetratum, aut eius dubium ſit juris. Verum maturius conſideratis variis textibus juris, quos tetuli; & fuſe expendi, atque ab alienis interpretationibus vindicavi Diſſ. 6. de Actibus hum. ubi de Probabilitate, a. 2. præſertim Probatione ultima, & in Sol. Obj. nunc mihi probabilius eſt, dubium poſitive de quacumque Irregularitate, ſive ſit dubium facti cujuſvis, ſive juris, debere ſe gerere, ut Irregularem; quia ſecundum jura in hujuſmodi dubio debet ſequi tutius. Require Probationes loco cit. Arbitror tamen Epiſcopum poſſe in Irregularitate dubia diſpenſare ſaltem in locis remotioribus, ex tacito conſenſu Papæ, ut dixi de legibus Diſſ. 5. a. 3. §. 1. Eſſet enim onus importabile, ſi in omnibus hujuſmodi dubiis recurrendum eſſet ad ſum. Pontificem e Regionibus longinquis.

Dices 1. Non incurritur Irregularitas, niſi ſit in jure expreſſa. Atqui quando eſt dubium juris, nequit dici Irregularitas expreſſa in jure. Ergo. R. D. Min. Non poteſt dici certo expreſſa in jure, C. Non poteſt dici ſub dubio, N. In hoc autem dubio jura volunt tutius eſſe eligendum, ut probavimus loco citato.

Dices 2. Dubius de caſu reſervato non debet ſe gerere, ut obnoxium reſervationi, ſed poteſt abſolvi a quolibet Confeſſario. Ergo ſimiliter dubius de Irregularitate. R. N. Conſ. Diſparitas eſt, quod caſus reſervati pertineant ad forum conſcientiæ, dubii frequenter occurrant, ſub ſigillo teneri debeant, nec niſi urgente neceſſitate ſuperioribus aperiri, ad quos etiam ſæpe non patet facilis acceſſus, ut eis exponatur dubium, & eorum mens exquiratur. Unde continua foret in Confeſſariis & Pœnitentibus conſcientiæ anxietas, & onus importabile, ſi caſus dubii eſſent reſervati. Quibus de cauſis jure præſumitur Eccleſiam non intendere caſus dubios reſervare. Hæ autem rationes non militant pro Irregularitatibus, quippe quæ ſpectant forum externum, rariores ſunt, nec res ita ſe habet. Adde, quod jura volunt dubium de Irregularitate ſe gerere, ut irregularem; nihil tale autem reperitur in jure de reſervatione caſus dubii. Alias Objectiones vide loco cit. de Probabilitate.

DISSERTATIO III.

DE INDULGENTIIS.

Div. Thom. Supp. QQ. 25. 26. & 27.

ARTICULUS I.

Quid & quotuplex ſit Indulgentia.

Dico 1. Indulgentia generatim ſumpta eſt remiſſio propoſiti juris in gratiam alterius. Ex uſu autem Eccleſiæ & Theologorum Indulgentia definitur: *Remiſſio pœnæ temporalis debitæ peccato actuali remiſſo, quoad culpam & pœnam æternam, facta extra Sacramentum ab eo, qui juriſdictionem ſpiritualem habet diſpenſandi theſaurum Eccleſiæ*, Explicatur.

Dicitur *Remiſſio pœnæ temporalis*: quia remiſſis culpa & pœna æterna per Sacramentum Pœnitentiæ ſeu perfectam contritionem, ſæpe remanet pœna temporalis in hoc vel altera vita luenda, ut ex profeſſo probavimus contra Hæreticos Diſſ. de Pœnitentia a. 1. Et hujus pœnæ remiſſio dicitur Indulgentia. Dicitur *Peccato actuali remiſſo debita*: quia omnis pœna peccato Originali debita per Baptiſmum remittitur.

Dicitur *Facta extra Sacramentum*: ut diſtinguatur a remiſſione ſacramentali, quæ eſt magis liberalis, cum pro ſatisfactione levi culpa & pœna æterna remittuntur. Indulgentia vero eſt quædam ſolutio debiti ex bonis communibus Eccleſiæ; non ſecus ac ſi pro debitore mille florenorum Prætor ſolveret parem ſummam ex Ærario publico.

Dicitur *Facta ex theſauro Eccleſiæ*. Eſt autem iſte theſaurus valor ſatisfactorius bonorum operum Chriſti & Sanctorum, qui non fuit ei neceſſarius pro expiatione propriorum peccatorum, remanens in acceptatione Dei ad utilitatem Corporis Eccleſiæ, cujus Chriſtus eſt caput, Sancti & omnes fideles membra, & qui proinde applicari poteſt ejuſdem corporis membris, quæ indigent. Dixi *Valor ſatisfactorius*; duplex enim eſt valor in bono opere; unus meritorius ratione gratiæ & charitatis, a qua procedit, & reſpicit præmium obtinendum a præmiante, adeoque bonum merentis, aut illius, cui meretur. Alter ſatisfactorius ratione difficultatis, laboris & pœnalitatis in opere, & reſpicit jus alienum reparandum, adeoque directe bonum læſi, non ſatisfacientis niſi indirecte, quatenus eum liberat a debito. Theſaurus itaque Eccleſiæ, de quo loquimur, conflatur ex operibus bonis, qua ſatisfactoriis Chriſti & Sanctorum, qui juxta modum, quem Deus ſervat in pœnis, iis non indiguerunt ad propriorum peccatorum ſatisfactionem. Quantum enim ad valorem meritorum, Sancti præmium adæquatum imo ſuperabundans receperunt in beatitudine. Hunc theſaurum extare in Eccleſia mox ſpecialius probabimus.

Dico 2. (*Sup. q. 25. a. 1.*) Indulgentiæ valent non ſolum in foro Eccleſiæ, ſed etiam in foro Dei; id eſt liberant hominem non ſolum a pœnis ab Eccleſia, ſive per Sacerdorem, ſive per Canones injunctis, ſed etiam e pœnis Deo debitis & in Purgatorio luendis.

Prob. 1. (*Ib.*) Quia Chriſtus Matt. 16. promiſit Petro, quod id, quod ſolveret in terra, eſſet ſolutum in Cœlis. Unde Apoſtolus dicit, quod condonavit inceſtuoſo Corinthio in perſona & vice Chriſti. 2. (*Ib.*) Quia ſi Indulgentiæ liberarent tantum a pœnis ab Eccleſia injunctis, & non a pœnis coram Deo & in altera vita luendis, plus nocerent, quam prodeſſent & Eccleſia fideles deciperet in re gravis momenti; eximendo enim a pœnis levioribus hujus vitæ eos remitteret ad pœnas longe acerbiores Purgatorii, quorum relaxationem obtinuiſſent per pœnas hujus vitæ; ſicque verum eſſet illud Lutheri, Indulgentias eſſe fidelium fraudes. Unde Sixtus IV. Conſtit. *Licet ea* proſcripſit hanc Petri Oxonienſis propoſitionem: *Romanus Pontifex Purgatorii pœnam remittere non poteſt*. Et Leo X. hanc alteram in Bulla contra articulos Lutheri: *Indulgentiæ his, qui veraciter eas conſequuntur, non valent ad remiſſionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud divinam juſtitiam.*

Dico 3. Indulgentia dividitur 1. in totalem ſeu plenariam, quæ ſufficit tollendæ toti pœnæ reſtanti poſt culpam dimiſſam, & partialem, quæ ſufficit tollendæ pœnæ tantum. Plenaria non ſubdividitur. Indulgentia enim Jubilæi non differt a plenaria ratione remiſſionis pœnæ, ſed tantum ratione quorumdam privilegiorum annexorum, ut diſpenſationis in quibuſdam votis, abſolutionis a reſervatis, &c. Nec refert Bonifacium VIII. in Extravag. *Antiquorum* conceſſiſſe Indulgentiam *plenam*, *pleniorem* & *pleniſſimam*; ita enim dicit ad majorem explicationem Indulgentiæ plenariæ tantum, & ut tolleret quorumdam ſcrupulos; quia *plenam* admittit latitudinem, & quæ ad plenitudinem accedunt, ſubinde dicuntur plena. Voluit ergo tantum ſignificare ſe concedere Indulgentiam, quantum ſe extendit poteſtas clavium; & ita declaravit, præſente Gloſſatore, qui id teſtatur.

Partialis autem Indulgentia eſt multiplex. Quædam conceditur pro medietate, vel tertia, vel quarta parte peccatorum, id eſt pœnarum peccatis debitarum. Alia eſt unius vel plurium dierum, unius vel plurium annorum, unius vel plurium quadragenarum. Quod ut intelligas, obſervandum eſt, quod ſecundum antiquos Canones, quos recenſuimus Diſſ. 9. de Pœnitentia a. 6. gravioribus peccatis certæ pœnæ imponerentur, aliquando unius vel plurium dierum, aut annorum, 7. 10. 20. aliquando tota vita, item unius vel plurium quadragenarum; erat autem quadragena jejunium per 40. dies, & quando erat in pane & aqua, dicebatur *Carena* a carendo aliis cibis præter panem & aquam.

Quando ergo conceditur Indulgentia unius vel plurium quadragenarum, unius vel plurium dierum, aut annorum, non eſt ſenſus, quod relaxetur tantum obligatio ad illas pœnas antiquorum Canonum, quaſi valeret Indulgentia coram Eccleſia tantum, & non coram Deo, ut patet ex Concluſ. præced. Neque ſenſus eſt, quod tot relaxentur anni de Purgatorio, quot remittuntur anni pœnitentiarum antiquorum Canonum, quaſi Indulgentia v. g. 7. annorum liberet a 7. annis Purgatorii; acerbitas enim pœnæ unius diei in Purgatorio poteſt æquivalere, imo ſuperare pœnas plurium dierum in hac vita, & incertum eſt quanto tempore, qui lucratur Indulgentias, deberet pati in Purgatorio; ſed ſenſus eſt, quod remittatur tanta pœna peccatis debita coram Deo & in Purgatorio luenda, quanta remitteretur per pœnitentiam unius vel plurium dierum, vel annorum, vel quadragenarum, ſecundum antiquos Canones imponi ſolitam, aut quæ ſecundum prudens Confeſſarii judicium eſſet pro peccatis commiſſis imponenda. Quanta autem remitteretur, ſolus Deus novit. Hinc habes illos hallucinari, qui parvi faciunt Indulgentias partiales, nec niſi plenarias volunt.

Si dicas quandoque fuiſſe conceſſas Indulgentias mille, imo decem millium annorum, quales nunquam impoſitæ fuerunt per Canones. R. Plures & graves Auctores hujuſmodi Indulgentias rejicere ut fictas a Quæſtoribus, & nunquam ab Eccleſia probatas. Cæterum ſic poſſet explicari. Suppono pro uno Peccato mortali, puta blaſphemiæ, impoſitam fuiſſe pœnitentiam decem annorum, ſi quis multiplicet iſtud peccatum, puta millies blaſphemet, obnoxius erit pœnitentiæ decem millium annorum.

2. Indulgentia dividitur in perpetuam & generalem. Perpetua eſt, quæ conceditur ſine determinatione temporis. Temporalis, quæ habet præfixum tempus, puta 5. 7. annorum, quo elapſo ceſſat. 3. Indulgentia dividitur in perſonalem, & realem, & localem. Perſonalis eſt, quæ conceditur perſonis lucranda vel in articulo mortis, vel quoties tale quid fecerint. Realis eſt, quæ conceditur alicui rei, v. g. Roſario, Numiſmati, vel imagini, lucranda ab eo, qui rem illam geſtat. Localis eſt, quæ conceditur alicui loco, puta Eccleſiæ, Altari, &c. lucranda ab eis, qui illum devote viſitaverint.

Petes 1. Utrum in Indulgentia locali pluries in die viſitans Eccleſiam ſeu locum, cui annexa eſt Indulgentia, toties illam lucretur? R. (*Ibid. a. 4. ad 2.*) quod ſi Indulgentia ſit conceſſa ſine determinatione temporis hunc locum viſitantibus, v. g. ſi dicatur ſimpliciter; qui devote viſitaverit hanc Eccleſiam, talem Indulgentiam lucrabitur; toties illam lucratur, quoties in die illam viſitat; quia non eſt ratio reſtringendi ad unam vicem. Si vero Indulgentia conceſſa ſit cum determinatione temporis, v. g. ſi dicatur; qui devote viſitaverit hanc Eccleſiam tali die, tali Feſto, tali tempore, puta Paſchali, infra talem Octavam, intelligitur tantum ſemel in iſto die, vel tempore determinato: quia Prælatus videtur determinaſſe tempus, ut quiſque, cum ſibi opportunum fuerit, Indulgentiam ſemel lucretur; & ita apprehendit ſenſus communis fidelium, qui eſt optimus hujuſmodi conceſſionum interpres. Neque obſtat, beneficium Principis, quod nulli fert præjudicium, eſſe late interpretandum. Id namque verum eſt dumtaxat, quando non receditur a voluntate Principis. Præſumitur autem tum ex determinatione temporis, tum ex communi ſenſu fidelium voluntatem concedentis talem Indulgentiam eſſe, ut ſemel tantum in die obtineatur.

Petes 2. An quando in conceſſione Indulgentiæ partialis exprimitur de pœnitentiis injunctis, valeat tantum ad

relaxationem pœnitentiæ injunctæ a Confeſſario, ſeu pœnæ illi correſpondentis? R. probabilius & communius negative: quia iſta Particula *de Pœnitentiis injunctis* non debet cenſeri reſtrictiva, ſed potius ampliativa, quaſi diceretur, *etiam de injunctis*. Quod probatur. 1. Quia juxta Regulam juris; *ubi majus conceditur, etiam minus conceſſum eſſe videtur*; in eodem ſcilicet genere: ſic ſi cui concedatur facultas abſolvendi a reſervatis, intelligitur a non reſervatis. Atqui majus eſt remittere pœnas a Confeſſario injunctas, quam injungendas, cum injunctæ non ſolum jure divino, ſed etiam humano ſint debitæ. Ergo, 2. Dum Pontifex concedit Indulgentiam plurium dierum vel annorum, neſcit, an tanta pœnitentia ſi a Confeſſario injuncta, imo potius ſcit tantam non eſſe injunctam, cum juxta hodiernam Eccleſiæ praxim tanta non injungatur. Ergo non intelligit tantum de pœnitentia a Confeſſario injuncta, ſed de ea, quæ poſſit injungi, vel per Canones eſt ſtatuta, quæ vero ſenſu poteſt dici injuncta, quia per Canonem eſt præfixa. 3. Quia alioquin Indulgentiæ forent hodie exiguæ utilitatis; cum, ut dictum eſt, exiguæ ſoleant nunc injungi pœnitentiæ.

Petes 3. An Pœnitens, qui vacat Indulgentiæ lucrandæ poſſit omittere pœnitentiam a Confeſſario injunctam? R. (*Ib. art. 1. ad 4.*) non eſſe conſultum 1. Quia non eſt certus ſe lucraturum, aut lucratum fuiſſe ſaltem integre Indulgentiam. 2. Quia pœnitentiæ, quæ injunguntur a Confeſſariis ut plurimum, non ſunt in ſolam vindictam præteriti, ſed etiam in cautelam futuri, ſub qua ratione non tolluntur ab Indulgentiis. 3. Quia forte eſt plurium debitor, quam credit. Poſſunt tamen injungi a Confeſſariis leviores pœnitentiæ ſub ſpe Indulgentiæ lucrandæ.

ARTICULUS II.

Utrum ſit in Eccleſia poteſtas concedendi Indulgentias?

DUo hic inveſtiganda ſunt. Primum, an ſit in Eccleſia theſaurus aliquis ſatisfactionum Chriſti & SS. qui applicari poſſit iis, quibus poſt culpam reſtat pœna temporalis luenda in hac vel altera vita. Secundum, an ſit in Eccleſia poteſtas hunc theſaurum applicandi, & ſic abſolvendi homines a reatu pœnæ temporalis. Revocandum eſt, quod in a. præced. dicebam, meritum & ſatisfactionem, quamvis in eodem opere reperiri poſſint, inter ſe tamen diſtingui. Meritum, quo quis redditur præmio dignus, non poteſt alteri applicari; ſic ex operibus meritoriis unius civis alter non efficitur indignus magiſtratu: ſed ſatisfactio unius poteſt alteri applicari, ſic unus civis poteſt ex propria pecunia alterius debitum ſolvere.

Dico 1. (*Ib. a. 1. c.*) Eſt in Eccleſia theſaurus ſatisfactionum Chriſti & SS. Prob. 1. Paſſio & labores Chriſti non erant illi neceſſarii ad ſatisfaciendum pro peccatis, quibus carebat, & propter unionem ad Verbum erant infiniti valoris, ut probavimus in Tract. de Incarnatione. Hi autem dati ſunt Eccleſiæ; ubique enim in Scripturis Chriſtus dicitur nobis datus, & pro nobis paſſus. B. Virgo caruit omni peccato actuali, ideoque ſatisfactione non indigebat, paſſa eſt tamen graviſſimos cruciatus in Paſſione Filii. Joannes Baptiſta ſanctificatus in utero auſteriorem vitam duxit, quam martyrio coronavit. Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, Anachoretæ, & Virgines plus egerunt, & paſſi ſunt, quam exigebant eorum peccata, ſecundum modum quem Deus ſervat in pœnis exigendis. Hæc autem omnia manent in acceptatione & memoria Dei, qui nullius boni operis obliviſcitur, ad communem Eccleſiæ utilitatem ſecundum virtualem ſaltem voluntatem eorum, qui iſta egerunt. Et quamvis ut habent rationem meriti, fuerint abundanter remunerata per beatitudinem; ut tamen habent rationem ſatisfactionis, multa eis ſupererant, quæ neque eorum voluntate, neque ex certa aliqua lege aliquibus certis perſonis ſunt applicata, proindeque manent in communibus bonis Eccleſiæ, ſicut bona civium ſine ullis certis hæredibus aut legatariis decedentium pertinent ad ipſam Rempublicam; non eſt minor communicatio bonorum inter fideles, quam inter Cives Reipublicæ. Adde Sanctos ſemper intendere in ſuis operibus communem Eccleſiæ utilitatem.

Hæc ergo (*Ib.*) valere aliis, ſi eis applicentur, evincit ipſa ratio communis Sanctorum, & unitatis Corporis myſtici, cujus omnes fideles ſunt membra; membra enim corporis non ſibi tantum, ſed etiam aliis membris & toti corpori ſerviunt. Inſuper poſſe unum pro altero ſatisfacere probavimus Diſſert. 9. de Pœnitentia a. 5. Hinc Clemens VI. Conſtit. *Unigenitus* de Pœnit. & Remiſſ. ait. *In ara Crucis innocens immolatus non guttam ſanguis modicam, quæ tamen propter unionem ad Verbum pro Redemptione totius generis humani ſuffeciſſet, ſed copioſe velut quoddam profluvium noſcitur effudiſſe ... Quantum ergo exinde, ut nec ſupervacua, inanis, aut ſuperflua tanta effuſionis miſeratio redderetur, theſaurum militanti Eccleſiæ acquiſivit ... Quem quidem theſaurum non in ſudario repoſitum, non in agro abſconditum, ſed per B. Petrum cœli clavigerum ejuſque Succeſſores, ſuos in terris Vicarios, commiſit fidelibus ſalubriter diſpenſandum ... Ad cujus quidem theſauri cumulum Beatæ Dei Genitricis, omnium Electorum a primo juſto uſque ad ultimum, merita adminiculum præſtare noſcuntur, De cujus conſumptione ſeu minutione non eſt aliquatenus formidandum, tam propter infinita Chriſti merita, quam pro eo, quod quanto plures ex ejus applicatione trahuntur ad juſtitiam, tanto magis accreſcit ipſorum cumulus meritorum.*

Dico 2. Eſt in Eccleſia poteſtas Indulgentias diſpenſandi ex theſauro Eccleſiæ. Prob. 1. ex his Chriſti verbis Matt. 16. *Quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis*. Hæc promiſſio eſt generalis, nec reſtringitur ad peccata, ut illa Joan. 20. *Quorum remiſeritis peccata* &c. ſed extenditur ad omnia vincula, quæ poſſunt homines impedire a conſecutione ſalutis, ideoque non ſolum ad abſolutionem a peccatis, ſed etiam ad abſolutionem a Cenſuris, ad diſpenſationem in votis, & ad relaxationem pœnarum temporalium, &c. Quod autem ibi promittitur Petro, confertur Joan. 21. *Paſce oves meas*. Petrus itaque conſtitutus ſupremus Paſtor, Rector, & Judex Eccleſiæ poteſt vice Chriſti abſolvere homines a peccatis applicando illis merita Chriſti per Sacramenta, & a pœnis peccatorum extra Sacramenta applicando pariter illis ſatisfactiones Chriſti & SS. Ideo autem abſolutio a peccatis non fit extra Sacramenta, quia peccatum mortale non remittitur niſi per infuſionem gratiæ, gratia vero non datur miniſterio hominum niſi per Sacramenta, ſed abſolutio a pœnis temporalibus non fit per infuſionem gratiæ, ſed eam ſupponit.

Prob. 2. Ex perpetuo uſu Eccleſiæ ab incunabulis. Paulus 2. Cor. 2. inceſtuoſo Corinthio pœnitenti remiſit *in perſona Chriſti*, id eſt auctoritate a Chriſto ſibi tradita, partem pœnarum, quas debebat perſolvere. Deinde poſt Apoſtolorum tempora uſus erat in Eccleſia, ut ad preces Martyrum, qui detinebantur in carceribus, vel alias, quando Epiſcopi id expedire judicabant, pars pœnitentiæ lapſis remitteretur, ut conſtat ex Tertul. l. ad Martyres poſt initium & l. de pudicitia c. 22. ex Cypriano l. 3. Ep. 15. ex Concilio Nicæno 1. Can. 11. alias 12. ex Concilio Ancyrano c. 5. & Laodiceno c. 2. S. Greg. circa annum 600. Indulgentias in diebus ſtationum conceſſit, ut teſtatur Guillelmus Altiſſiodorenſis l. 4. Summæ Theologicæ Tract. 6. c. 9. & S. Th. in 4. d. 20. q. 1. a. 13. q. 2. Leo III. circa an. 800. Sergius eodem ſæculo, & alii deinde Pontifices Indulgentias aperte conceſſerunt, ut pluribus teſtimoniis probat Bellarm. l. 1. de Indulgentiis c. 3. A pluribus referendis ſuperſedeo, quia non negant Hæretici Indulgentias ſequentibus ſæculis fuiſſe in uſu.

Inſuper hi & ſequentes Pontifices Clemens VI. cap *Unigeniti*, Sixtus IV. cap. *Quemadmodum*, Bonifacius VIII. cap. *Antiquorum*, loquuntur de Indulgentiis, ut de re antiqua, cujus ignoratur initium: *Antiquorum habet fida relatio*, inquit Bonifacius VIII. *quod accedentibus ad honorabilem Baſilicam Principis Apoſtolorum de urbe conceſſæ ſunt magnæ remiſſiones & Indulgentiæ peccatorum*. Hæreſis autem contra Indulgentias initium deſignatur; conſtat enim non ſolum apud Catholicos, ſed etiam Hæreticos, VValdenſes fuiſſe primos, qui doctrinam indulgentiarum impugnaverunt. Porro hoc eſt Dogmatum Catholicorum proprium, ut eorum origo non inveniatur, niſi ad ipſum Evangelium aut Apoſtolos aſcendendo; hæreſium autem poteſt ſemper deſignari initium & Auctor.

Nec refert in primitiva Eccleſia non ita frequentem fuiſſe uſum Indulgentiarum. Sic exigebat ratio temporum. Fervebant enim charitate primi Chriſtiani, & per rigorem diſciplinæ atque pœnitentiæ labores erant tamquam Athletæ exercitandi ad Martyrium. Nec etiam refert modum concedendi Indulgentias fuiſſe tunc diverſum, iſta namque diverſitas erat tantum accidentalis: ſemper enim conceſſæ ſunt Indulgentiæ in relaxationem pœnæ temporalis ex theſauro Eccleſiæ conflato ex Chriſti & SS. ſatisfactionibus, in quo ſita eſt ſubſtantia Indulgentiæ.

Prob. 3. Ratione. In omni Republica bene ordinata pertinent ad ſupremum Principem & Magiſtratum diſpenſare bona communia, & ea applicare civibus, qui indigent, prout exigit utilitas Reipublicæ. Id naturali lumine patet. Atqui Eccleſia eſt Reſpublica bene ordinata a Chriſto inſtituta, ſupremus ejus Princeps eſt ſummus Pontifex, deinde Epiſcopi, eſt in Eccleſia ærarium publicum ſeu theſaurus ex ſatisfactionibus Chriſti & SS. ſuperabundantibus, plures fideles Deo grati & amici pœnarum temporalium debito gravati iis indigent. Quid obſtat ergo, quominus Pontifex in tota Eccleſia & Epiſcopi in ſuis Diœceſibus has pœnas remittant ex illo theſauro. Totam hanc doctrinam aſſerit & prudenter exponit Concilium Trid. Decreto de Indulgentiis in fine ſeſſ. 25. de Ref. his

ver-

Digitized by Google

verbis: *Cum poteſtas conferendi Indulgentias a Chriſto Eccleſiæ conceſſa ſit, atque hujuſmodi poteſtate divinitus ſibi tradita antiquiſſimis etiam temporibus uſa fuerit; Sacroſancta Synodus Indulgentiarum uſum Chriſtiano Populo maxime ſalutarem, & ſacrorum Conciliorum auctoritate probatum in Eccleſia retinendum eſſe docet & præcipit, eoſque anathemate damnat, qui aut inutiles eſſe aſſerunt, vel eas concedendi in Eccleſia poteſtatem eſſe negant. In his tamen concedendis moderationem juxta veterem & probatam in Eccleſiæ conſuetudinem adhiberi cupit, ne nimia facilitate Eccleſiaſtica diſciplina enervetur. Abuſus vero, qui in his irrepſerunt, quorum occaſione inſigne hoc Indulgentiarum nomen ab Hæreticis blaſphematur, emendatos & correctos cupiens, præſenti decreto generaliter ſtatuit, pravos quæſtus omnes pro his conſequendis, unde plurima in Chriſtiano Populo abuſuum cauſa fluxit, omnino abolendos eſſe, &c.*

Solvuntur Objectiones.

OBJICIUNT 1. Hæretici dimiſſa culpa nullam remanere pœnam luendam in hoc vel in altero ſæculo. Ergo. R. N. Ant. Quod abundanter impugnavimus Diſſert. 3. de Pœnitentia a. 1. Vide. Obj. 2. Unum non poſſe pro altero ſatisfacere. R. N. iterum Ant. Quod etiam ex profeſſo impugnavi Diſſert. 9. de Pœnitentia a. 5. Vide.

Obj. 3. Chriſtum pro omnibus peccatis ſemel ſatisfeciſſe. R. Equidem Chriſtum ſatisfeciſſe pro omnibus peccatis, ſed ejus ſatisfactionem nemini prodeſſe, niſi applicetur; alias omnes homines de facto ſalvarentur; inter autem modos eam applicandi unus eſt per Indulgentias.

Obj. 4. Merita Chriſti fuerunt ſufficienter remunerata tam per viſionem beatificam, qua donatus eſt, quam per exaltationem nominis; Deus enim *donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen*, Philipp. 2. Similiter merita SS. fuerunt ſupra condignum remunerata per beatitudinem. Ergo ex utraque parte nihil reſtat, quod reponatur in theſauro Eccleſiæ, & aliis applicetur. R. ad 1. Dato valorem meritorium operum Chriſti adæquate fuiſſe remuneratum, valor ſatisfactorius nihil illi profuit, cum non haberet peccatum, ideoque fuit ſuperabundans reponendus in theſauro Eccleſiæ. Inſuper N. Ant. Viſio enim beatifica non ei fuit data intuitu meritorum, ſed ab inſtanti Incarnationis vi unionis hypoſtaticæ: Exaltatio autem nominis, cum ſit finita, non adæquat meritum ejus infinitum. Ad 2. pariter R. Opera SS. quatenus meritoria, fuiſſe ſuperabundanter & ſupra condignum remunerata: at quatenus ſatisfactoria in pluribus ſuperabundaverunt: & ideo quod ſuperabundavit, repoſitum fuit in theſauro Eccleſiæ ſuo tempore aliis applicandum.

Inſt. 1. Contra 1. ſolutionem. Satisfactio Chriſti, quamvis infiniti valoris, fuit exhauſta in expiatione peccati mortalis. Ergo nihil ſupereſt reponendum in theſauro Eccleſiæ. Prob. Ant. Peccatum mortale eſt infinitum in ratione offenſæ & injuriæ. Atqui expiatio & reparatio injuriæ infinitæ requirit & exhaurit ſatisfactionem infinitam. Ergo. R. N. Ant. ad Prob. D. Min. Reparatio offenſæ infinitæ exhaurit ſatisfactionem infinitam ejuſdem Ordinis, Tranſeat; ſatisfactionem infinitam altioris Ordinis, qualis eſt ſatisfactio Chriſti, quæ eſt ordinis hypoſtatici & reductive divini, N. alioquin probaret argumentum unicum ſolum peccatum mortale paſſione Chriſti deleri potuiſſe. Vide Diſſert. 19. de Incarnat. a. 6. probavimus ſatisfactionem Chriſti fuiſſe ab intrinſeco non ſolum condignam, ſed ſuperabundantem.

Inſt. 2. contra 2. ſolutionem. Opus unius etiam ſatisfactorium alteri non prodeſt, niſi operans intendat illi applicare & prodeſſe. Atqui Sancti in ſuis bonis operibus non habuerunt intentionem illa reponendi in Theſauro Eccleſiæ ut aliis applicarentur. Ergo. R. D. Min. Non habuerunt intentionem explicitam, Tranſeat; implicitam ſeu interpretativam, N. Omnia enim, quæ faciunt Sancti, quæ non ſibi reſervant, vel alteri non applicant, aut applicata forte non proſunt, faciunt in communem utilitatem Eccleſiæ. Unde dicebat Apoſt. 2. Tim. 2. *Omnia ſuſtineo propter Electos.* Et Coloſſ. 1. *Gaudeo in paſſionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea, pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia.*

Inſt. 3. Hæ ſatisfactiones, ſi quæ ſint ſuperabundantes, applicantur aliis vi communionis Sanctorum. Unde dicebat David Pſ. 118. *Particeps ego ſum omnium timentium te*: ergo fruſtra applicantur per Indulgentias. R. N. Ant. Vi enim Communionis Sanctorum fideles participant bonis aliorum operibus, quoad portionem generalem tantum; non vero quoad portionem ſpecialem, quam operans ſibi reſervat, aut alteri applicat. Certum eſt enim, quod Oratio, aut quodvis aliud bonum opus ſpecialiter, & magis proſit ad ſatisfactionem ipſi operanti, ſi ſibi reſervat, vel alteri, cui ſpecialiter applicat, quam aliis fidelibus. Et hæc eſt portio ſpecialis, quando eſt ſuperabundans operanti, aut nulli alteri applicat, vel prodeſt, quæ reponitur in theſauro Eccleſiæ & applicatur per Indulgentias.

Obj. 5. Satisfactiones Chriſti ſunt infiniti valoris. Atqui infinito nihil addi poteſt. Ergo fruſtra junguntur ſatisfactiones SS. R. D. Min. Infinito nihil poteſt addi in eo genere, in quo eſt infinitum, C. In altero genere, N. Ei enim, quod eſt infinitum intenſive, poteſt fieri additio ſecundum extenſionem, & ſic eſt in præſenti caſu. Satisfactio Chriſti eſt infinita intenſive, per additionem ſatisfactionum SS. augetur extenſive, quatenus eſt major numerus ſatisfactionum.

Inſt. Saltem ſatisfactiones Chriſti ſunt pluſquam ſufficientes redimendis omnium peccatorum pœnis: ad quid ergo adduntur ſatisfactiones Sanctorum? R. Addi ſatisfactiones SS. non equidem quod ſint neceſſariæ, ſed 1. Quia inde magis eluceſcit efficacia meritorum Chriſti, quæ non ſolum poſſunt per ſe expiare peccata, ſed etiam aliis vim expiandi conferunt. 2. Ut inde magis honorentur Sancti & ſatisfactiones eorum ſuperabundantes non maneant otioſæ. 3. Quia licet ſatisfactiones Chriſti ſint infinitæ, applicantur tamen finito modo, & ad determinatum effectum, qui poteſt augeri. Sicut ergo ſæpe obtinemus aliquid per merita & preces SS. quod ſine illis non obtineremus; ita non eſt incredibile eum ob ſatisfactiones SS. largiorem effectum Indulgentiis concedere, quam alias concederet; neque hoc eſt ullo modo injurioſum Chriſto, aut ejus meritis derogat, quia ſatisfactiones Sanctorum non habent valorem niſi ex meritis Chriſti, ſicut non derogat ejus omnipotentiæ quod producat cum cauſis ſecundis certos effectus, quos ſine illis poſſet producere: quia cauſa ſecunda non agit, niſi virtute a cauſa prima participata.

Inferes. Ergo Sancti poſſunt etiam dici redemptores noſtri. R. N. Illationem 1. Quia is eſt proprie redemptor noſter, qui nos a peccato, & a pœna æterna liberat. 2. Quia ſolius Chriſti ſatisfactiones per ſe valent ad ſatisfaciendum pro nobis, ſatisfactiones autem SS. hanc vim emendicant ex ipſis Chriſti meritis, ut jam dixi.

Urgebis. Vix explicari poteſt, quomodo ſatisfactiones Chriſti & SS. concurrant in Indulgentiis, an ſimul partialiter, an ſeorſim. R. id quidem eſſe incertum, ſed nihil officit. Certum namque eſt eſſe in Eccleſia theſaurum ex Chriſti & SS. ſatisfactionibus. Certum eſt ſatisfactiones Chriſti eſſe infinitas, applicari tamen finito modo. Certum eſt item ſatisfactiones SS. vim habere ab ejus meritis, ideoque poſſe abſque illius injuria aliquid addere in Indulgentiis.

Obj. 6. Nihil fecerunt Sancti, quod non tenerentur facere. Ergo nihil in illis ſuperabundat. Prob. Ant. Chriſtus Luc. 17. dicit Apoſtolis; *Cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite, Servi inutiles ſumus, quod debuimus facere, fecimus.* Item Matth. 25. prudentes Virgines noluerunt aliis communicare de oleo, quia totum ſibi neceſſarium reputabant. Ergo. R. 1. Dato Ant. N. Conſeq. quia etiam adimpletio præcepti eſt meritoria & ſatisfactoria, & fieri poteſt, quod qui legem adimplet, hac ſatisfactione non egeat, ideoque poſſit aliis applicari. Unde non dixit Chriſtus eos eſſe ſervos inutiles, ſed quod deberent ſe dicere & reputare ſervos inutiles, & hoc ad exercitum humilitatis. R. 2. N. Ant. Non enim dixit Chriſtus ſimpliciter, *Cum feceritis omnia, ſed cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis*; poterant ergo ex operibus ſupererogationis non eſſe inutiles. Ad parabolam de Virginibus, ſermo eſt de oleo gratiæ & charitatis, quam nemo poteſt aliis communicare, quia eſt donum ſolius Dei. Aliam item explicationem hujus Parabolæ dedimus Diſſert. 9. cit. de Pœnitent.

Obj. 7. Non eſt data poteſtas Eccleſiæ in deſtructionem, ſed in ædificationem. Atqui indulgentiæ ſunt in deſtructionem, quia tollunt opera ſatisfactoria, quæ ſunt in remedium peccati. Ergo. R. N. Min. Ad Prob. (*Ib. a. 4. ad 4.*) Dicendum eſt, quod majus remedium præbetur contra peccata vitanda ex gratia, quam ex aſſuetudine noſtrorum operum; & quia ex affectu, quem accipiens Indulgentias concipit ad cauſam, pro qua Indulgentia datur, ad gratiam diſponitur, ideo etiam per Indulgentias remedium ad peccata vitanda datur, & ita non eſt in deſtructionem Indulgentias dare, niſi inordinate dentur. Tamen conſulendum eſt eis, qui Indulgentias conſequuntur, ne propter hoc ab operibus pœnitentiæ injunctis abſtineant, ne etiam ex his remedium conſequantur, quamvis a debito pœnæ eſſent immunes, & præcipue quia quandoque ſunt plurium debitores, quam credant.

Obj. 8. Inferior non poteſt abſolvere ab eo, ad quod ſuperior obligavit. Atqui Deus abſolvendo a culpa obligat ad pœnam temporalem. Ergo. R. eum (*Ibid. ad 1.*) qui Indulgentiam ſuſcipit, non abſolvi ſimpliciter a debito pœnæ, quaſi nihil ſolvat; ſed ſic abſolvitur, ut et-

lam ei detur unde ſolvat. Inſuper faciens Indulgentias non abſolvit niſi auctoritate Dei.

ARTICULUS III.

Quibus competat poteſtas conferendi Indulgentias?

Dico. (*Ibid. q. 26. art. 3. o.*) Poteſtas conferendi Indulgentiæ primario competit Sum. Pontifici, & per ipſum in Epiſcopos derivatur. Prob. (*Ibid.*) Poteſtas diſpenſandi bona publica primario pertinet ad ſupremum Principem Reipublicæ; ad inferiores autem Principes ſeu Magiſtratus pertinet ſecundum quod ab ipſo poteſtatem accipiunt. Atqui ſolus Sum. Pontifex eſt ſupremus Princeps in Eccleſia, ſicut Rex in regno. Ergo. Confir. Papa poteſt auferre, minuere, augere hanc poteſtatem in Epiſcopis, ut mox dicam. Ergo. Sed juvat audire Doctorem noſtrum cit. in margine, *Papa*, inquit, *habet plenitudinem Pontificalis poteſtatis, quaſi Rex in Regno; ſed Epiſcopi aſſumuntur in partem ſollicitudinis, quaſi Judices ſingulis Civitatibus præpoſiti; propter quod eos ſolos in ſuis litteris Papa fratres vocat, reliquos autem omnes vocat filios. Et ideo poteſtas faciendi Indulgentias plene reſidet in Papa, quia poteſt facere prout vult, cauſa tamen exiſtente legitima; ſed in Epiſcopis eſt taxata ſecundum ordinationem Papæ, & ideo poſſunt facere ſecundum quod eſt eis taxatum, & non amplius.*

Quapropter Concilium Lateran. ſub Innoc. III. refertur c. *Cum ex eo* de Pœnit. & remiſſ. concedit Epiſcopis poteſtatem conferendi ſuis Diœceſanis Indulgentiam unius anni in conſecratione Eccleſiæ, in ejus autem Anniverſario & aliis temporibus 40. dierum tantum. Item Honorius III. c. *noſtro* eodum, qui idem concedit Archiepiſcopis per ſuam Provinciam, & Boniſacius VIII. c. *Indulgentiæ* eodem titulo in 6. Idque ſive dentur Indulgentiæ ab uno, ſive a pluribus, qui conſecrationi adſunt; declaratque Bonifacius, quod ſi prædictum modum exceſſerint, Indulgentiæ vires non obtinent, quod videtur intelligendum quantum ad exceſſum tantum, quia juxta regulam juris 37. in 6. *Utile per inutile non vitiatur*.

Ex quo habes Epiſcopos habere poteſtatem conferendi Indulgentias jure Eccleſiaſtico tantum. Licet enim Chriſtus ipſe inſtituerit munus Epiſcopale, non tamen per ſe ipſum confert ſingulis Epiſcopis Juriſdictionem, ſed mediante Sum. Pontifice. Quia tamen eorum ſtatus & officium Epiſcopale exigit, ut hujuſmodi poteſtas ipſis a Papa communicetur, non ſunt in hoc ſimpliciter delegati, ſed ordinarii, quia vi ſtatus & officii habent hanc poteſtatem a Papa: & hoc ſenſu dicuntur ab aliquibus habere illam jure divino, ſcilicet mediate. Id autem dici non poteſt de Abbatibus, (*Ibid. art. 1. o.*) Parochis, & Prælatis Religionum, quia cum non præſint multitudini politicæ, quæ dicitur Populus, ſed œconomicæ tantum, ſicut qui præſunt familiæ, non ſunt ſimpliciter Prælati Eccleſiæ, ſed ſecundum quid tantum & improprie; & ideo non exigit eorum ſtatus ſeu officium, ut communicetur illis poteſtas diſpenſandi Indulgentias. Unde Innocentius III. c. *Accedentibus* de exceſſ. Prælat. id expreſſe prohibet de Abbatibus.

Dices. Abbates & alii Religionum Prælati ſolent aliis bona ſpiritualia ſuæ communitatis communicare: id etiam faciunt privati, amicis ſua bona opera communicando. Ergo. R. (*Ibid.*) has communicationes non eſſe Indulgentias. 1. Quia non fiunt ex theſauro indeficienti Eccleſiæ. 2. Quia non ſolvunt a debito faciendi ſatisfactionem injunctam ab Eccleſia ſeu Confeſſario. 3. Quia per eas non applicantur ſatisfactiones præteritæ aliis ſuperabundantes in theſauro Eccleſiæ repoſitæ, ſed opera tantum futura. 4. Quia Indulgentiæ conceduntur vivis per modo juriſdictionis & abſolutionis: Prælatis autem Religionum non competit hæc poteſtas in extraneos, quibus communicant bona communitatis ſuæ opera.

Petes 1. Utrum ad conceſſionem Indulgentiæ requiratur poteſtas Ordinis? R. negative (*Ibid. a. 2. o. & ſupp. q. 41. a. 2. ad 1.*), ſed ſufficit poteſtas Juriſdictionis; quia conceſſio Indulgentiarum non eſt quid Sacramentale. Unde Epiſcopus confirmatus & nondum conſecratus poteſt jure ordinario conferre Indulgentias, & eodem jure committere facultatem conferendi ſimplicibus Clericis. Quod a fortiori poteſt Summus Pontifex, qui etiam poſſet ex abſoluta poteſtate hanc facultatem delegare non clerico, ſed non deceret.

Petes 2. Utrum Indulgentia ſit mera ſolutio pretii pro pœna reſtante, an etiam abſolutio, ſeu remiſſio judicialis & auctoritativa? R. Indulgentiam vivis conceſſam eſſe & abſolutionem & ſolutionem. Utrumque docet Auctor. Primum hic q. 26. a. 4. o. Ubi dicit, quod *Facere Indulgentiam pertinet ad Juriſdictionem*, & q. 27. a. 2. ad 2. quod per Indulgentiam quis *Abſolvitur a pœna injuncta vel debita pro peccato in foro pœnitentiali*. Secundum docet q. 25. a. 1. ad 3. dicens: *Faciens Indulgentias ſolvit pœnam de bonis communibus Eccleſiæ*. Utrumque autem docet ibid. ad 2. dicens: *Iſte, qui Indulgentias ſuſcipit, non abſolvitur ſimpliciter loquendo a debito pœnæ*; id eſt non ſic abſolvitur, quin ſolvatur aliquid pro debito. Ratio 1. partis eſt. 1. Quia indulgere non eſt ſimpliciter ſolvere, ſed etiam remittere & relaxare. 2. Indulgentiæ non conceditur vivis niſi ſubjectis, ut declarat Alexander III. c. *Quod autem* de pœnit. & remiſſ. Ergo requiritur juriſdictio. Ad quid autem juriſdictio, niſi ad abſolvendum? Ratio 2. partis eſt; quia Prælati Eccleſiæ non ſunt quaſi Domini abſoluti, qui pro libitu condonent pœnas; ſed ſunt quaſi Judices, qui abſolvunt quidem ex poteſtate ſibi commiſſa, ſic tamen ut ſatisfiat juſtitiæ divinæ per ſolutionem pretii ex theſauro ſatisfactionum Chriſti & SS. pro debito pœnæ. Dixi: Indulgentiam vivis conceſſam: quia quæ conceditur pro mortuis, non eſt abſolutio defectu Juriſdictionis in illos, ſed ſolutio tantum & ſuffragium, ut dicemus infra.

Petes 3. Quomodo ergo Papa ſeu Epiſcopus faciens Indulgentias poteſt illarum particeps fieri, ſi quidem non poſſit in ſe ipſum exercere Juriſdictionem, ideoque nec ſe abſolvere? R. (*Ibid. qu. 27. art. 4. o. & ad 1.*) participem fieri Indulgentiæ, quam facit, non per modum abſolutionis, ſed ſolutionis, quatenus ſibi applicat ſatisfactionem, quam aliis concedit, ſicut qui diſpenſat bona communia, poteſt ex illis ſuam portionem accipere. Alii dicunt, quod poſſit concedere ſuo Confeſſario facultatem ipſum abſolvendi non ſolum a culpa per Sacramentum, ſed etiam a pœna temporali per Indulgentiam; quod etiam verum eſt.

ARTICULUS IV.

An & quæ cauſa requiratur ut Indulgentia ſit rata?

Ut Indulgentia (*Ibid. q. 25. art. 1. 2. o.*) ſit valida & rata quatuor requiruntur, auctoritas in concedente, charitas in ſuſcipiente, cauſa legitima, quæ ſit ſcilicet ad honorem Dei & Eccleſiæ utilitatem, & adimpletio operis injuncti. Hoc quartum non aſſignavit Auctor; quia non ſemper injungitur opus faciendum, ut cum Indulgentia conceditur morienti. De 1. diximus art. præced. de 2. & 4. dicemus art. ſeq. de 3. hic eſt Quæſtio.

Suppono 1. Indulgentiam ſine cauſa pia & rationabili conceſſam eſſe illicitam; quia concedens eſt in hoc infidelis diſpenſator. Suppono 2. Indulgentiam ſine cauſa ſufficienti conceſſam eſſe ſaltem validam quantum ad privilegia ei annexa, quæ ſunt tantum juris Eccleſiaſtici, ut eſt facultas abſolvendi a reſervatis; quia Papa poteſt ſine cauſa valide, licet illicite, diſpenſare in his, quæ ſunt tantum juris Eccleſiaſtici.

Dico 1. (*Ibid.*) Indulgentia ſine juſta & rationabili cauſa conceſſa non eſt rata quantum ad remiſſionem pœnæ Deo debitæ in hac vel altera vita luendæ. Prob. Miniſter non poteſt valide remittere jura, & diſtribuere res Domini ſui ſine ejus voluntate ſaltem præſumpta. Atqui Papa & Epiſcopi concedentes Indulgentias remittunt jura Dei, ſeu diſpenſant in jure divino; obligatio enim ad pœnam coram Deo ſecundum juſtitiæ legem eſt juris divini. Item res Dei diſtribuunt, nimirum ſatisfactiones Chriſti & Sanctorum, quarum non ſunt Domini, ſed Miniſtri tantum & diſpenſatores. Deus autem non vult jura ſua remitti, & res ſuas diſpenſari ſine juſta & rationabili cauſa, quæ cedat in ſui gloriam & Eccleſiæ utilitatem. Ergo.

In hac Concluſione conveniunt omnes Theologi. Sed difficultas eſt levis; utrum ad validitatem indulgentiæ non ſolum requiratur juſta & rationabilis cauſa, ſed etiam proportionata quantitati Indulgentiæ, ita ut non ſufficiat quæcumque cauſa pia, ſed requiratur magna cauſa pro magna indulgentia, major pro majori? Negant plures Antiqui, Durandus, Paludanus, S. Antonius, Sylveſter, & ut placet quibuſdam, S. Thomas. Affirmant communiter Recentiores. Ad cujus difficultatis explicationem, & contrariarum opinionum, ſi non conciliationem, ſaltem approximationem,

Obſervandum eſt cum Bellarmino 1. Cauſam juſtam indulgentiæ plerumque duo complecti, ſcilicet finem, propter quem conceditur Indulgentia, & opus, quod injungitur ad hunc finem conſequendum. Finis debet eſſe talis, ut ejus aſſecutio magis placeat Deo, quam ſatisfactio, quæ per indulgentiam relaxatur. Tales ſunt Infidelium converſio, Hæreticorum extirpatio, Recuperatio Terræ Sanctæ, Pax & tranquillitas Reipublicæ Chriſtianæ, Exaltatio & utilitas S. Matris Eccleſiæ, Baſilicarum conſtructio, augmentum devotionis aut cultus divini, vel alicujus Sancti in fidelibus, &c. Item quandoque cauſæ privatæ ſufficiunt pro indulgentiis privatis, ex quibus ſequitur, ſal-

tem

Digitized by Google

tem iudirecte, commune bonum Eccleſiæ, ut acerbitas doloris, mortis articulus, morbus, periculum animæ; dicebat enim Apoſt. 2. Cor. 2. concedens indolgenriam Incæſtuoſo, *ne abandantiori triſtitia abſorbeatur*, id eſt, ne in deſparationem cadat. Inde enim commendatur benignitas & manſuetudo Eccleſiæ, dejecti animo in ſpem eriguntur, ad Eccleſiam facilius & ſrequenrius contugiunt, quæ pertinent ab bonum commune Eccleſiæ. Opus autem injunctum non debet ita eſſe ſatisfactorium, ut plene compenſet debitum pœnæ; alias Indulgentia non ſoret remiſſio, ſed compenſatio ſeo commuratio. Neque etiam requiritor, quod ſir valde metitoriom aut ſatisfactorium, vel difficile & laborioſum, licet iſta debeant attendi, ſed ſufficit, quod ſit medium aptum ad finem indulgentiæ conceſſæ conſequendom. Sic aſſiſtentia Populi ad fores Eccleſiæ S. Petri, dum Papa ſolemniter præſentibus benedicit in die Paſchæ, eſt ſecundum ſe quid leve, nec multum laborioſum; ſed quia eſt medium valde aptum ad proteſtationem fidei de Capite Eccleſiæ, & ad bonorem Sedis Apoſtolicæ, qui eſt finis Indulgentiæ, quæ in hac occaſionu concedirur, cenſerur ſufficiens. Dixi cauſam juſtam Indulgentiæ plerumque complecti opos injunctum; quia aliquando conceduntur Indulgentiæ abſque injunctione operis, quando nempe aſſecutio finis indolgentiæ non pendet ab opere. Sic olim abſque injunctione operis concedebantur indulgenriæ ad preces Martyrum, qui detinebantur in carceribus, & conſummationem Martyrii expectabaut, ut fideles aceenderenrur ad martyrium, cum viderent tanri fieri preces martyrum. Sic quandoque abſque injunctione operis conceditur indulgentia in articulo moris hominibus de Eccleſia bene meritis; quia extrema neceſſitas juncta meritis ptæcedentibus abſque novo opere videtur cauſa ſufficiens, maxime cum inde excitentur fideles, ut bene mereanrur de Ecelesia..

Ohſervandom 2. Quod quando Indulgentia datur in commune multis, non ſit neceſſe, quod cujuſqoe opus in ſingulari ſit proportionatum fini indulgentiæ, ſed ſufficit quod opus omniom collective ſit proportionatum. Unde ſr v. gr. concedator Indolgentia pto obtinenda pace inter Principes Chriſtianos omnibus, qui quinqoies in tali ſolemnitate devote recitaverint *Pater*, & *Ave*: quamvis ſingulorum preces ſeorſim ſint quid leve reſpectu hujua finis, omnium tamen preces ſimal ſunt quid notabile: Similiter ſi concedator Indulgentia omnibos, qui conferent quatuor florenos in conſtructionem Baſilicæ, cujuſcumque ſumma ſingularis eſt quid leve;. omnium autem ſumma eſt quid notabile reſpectu conſtructionis Baſilicæ, & ſic de cæteris. His obſervationibus poſitis & attente perpenſis non ita diſtant duæ opiuiones contrariæ, ut tamen cum pluribus loquat,

Dico 2. Juxta communiorem Sententiam non ſufficit ad validitatem Indulgentiæ qualiſcumque cauſa pia, ſed requiritur proportionata quantitati Indulgentiæ. Prob. ſequent. momentis. 1. ſecundum omnes requiritur cauſa joſta & rationabilis, non eſt autem joſta cauſa, ſi non ſit proportionata; juſtum enim dicirur, quod eſt adæquacum aut ſaltem proportionarum; neque eſt rationabilis; quia recta ratio non admitrit aliquid improportionatum. 2. Ille eſt infidelis diſpenſator, non ſolum qui ſine ceuſa bona Domini diſpenſat, ſed etiam qoi pro re levi magnos theſauros effundit. Prælatus non puteſt valide ſine cauſa proportionata diſpenſare in votis, quie obligatio votorum eſt juris divini. Ergo nec relaxare pœnam, cujus obligacio eſt etiam juris divini. 4. Si ſufficeret quælibet caoſa piu, nullæ forent Indulgentiæ indiſcretæ & ſuperfluæ, cum ſemper adſir cauſa pia, puta ſublevatio pœnitentis a debito pœnæ. Ergo.

Solvuntur Objectiones.

OBj. 1. Poteſtas conferendi indulgentias fundetur in hoc, quod Chriſtus dixit Petro Matth. 16. *Quodcumque ſolveris*, &c. ut dictum eſt ſupra. Arqui hoc dictum eſt abſolute & ſine reſtrictione ad cauſam. Ergo. R. D. Min. Hoc dictum eſt ſine reſtrictione ad cauſam expreſſa, C. Subintellecta, N. Quia conditio, quæ ea natora rerequiritur, etſi non exprimatut, debet tamen intelligi. Ex natura rei autem requiritur, quod conceſſio Indulgentiarum ſit ex cauſa proportionata, ut patet ex probationibus Concluſionis.

Inſt. 1. Chriſtus iiſdem verbis promiſit Petro poteſtatem abſolvendi a peccatis & concedendi Indulgentias. Atqui ad abſolvendum a peccatis non reqoitirut alia cauſa, quam diſpoſitio pœnitentis, & ejus liberatio a peccatis. Ergo paritet in indulgentia. R. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod in Sacramento Pœnitentiæ exerceacor juſtitia commutativa: Sacerdos enim ex nna partu punit peccatorem imponendo ſatisfactionem, qood pertinet ad juſtitiam commutativam, ut docuimus Diſſert. 5. de Juſtitia art. 3. Ex altera perte peccatot per actus pœuitentiæ, ſcilicet dolorem, confeſſionem, ſatisfactionem, reſarcit jus divinum læſum, quod etiam pertinet ad juſtitiam commurativam, ur docuimus Diſſert. 2. de Pœnitentia art. 1. Ut autem juſtitia commutativa debite exerceatur, ſufficit ipſi ratio intrinieca juſtitiæ conformitet ad leges a Chriſto inſtitutas, nec aliam cauſam extinſecam requirit. At vero conceſſio indulgentiarum pertinet ad juſtitiam diſtributivam bonorum communium, quæ ideo debite exerceri non poteſt, niſi ex cauſa extrinſeca ſpectanre bonum commune.

Inſt. 2. Ut Eleemoſyna ſit actos virtutis, non exigit aliud motivum, quam ſublevamen alienæ miſetiæ. Ergo ſimiliter Indulgentia. R. N. Conſeq. Diſparitas eſt 1. quod eleemoſyna fiat ux bonis propriis quorum quiſque eſt dominus; Indolgentia vero ex bonis communibus, qoorum Papa aut Epiſcopus non eſt dominus, ſed diſpenſator rantum & œconomos. 2. Eleemoſyna eſt actus miſericordiæ tantum, cujus objectum motivum eſt ſublevamen alienæ miſeriæ, indulgentiæ autem conceſſio eſt actus juſtitiæ diſtributivæ bonorum communium, cujus motivom eſt bonum commune.

Obj. 2. ex uſu Eccleſiæ: 1. pro eadem cauſa quandoque minor, quandoque major datur indolgentia. Ergo. 2. Pro re leviſſimu interdum datur Indulgentia maxima, ur patet in Indulgentia plunaria, quæ datur eſſtantibus ante fores Baſilicæ S. Petri, dum Sum. Pontifex in feſto Paſchæ populo ſolemniter benedicit. Ergo. R. ad 1. N. Conſaq. 1. Quia cauſa proportionata non conſiſtic in indiviſibili, ſed admittit latitudinem, ſicque eadem poteſt eſſe proporrinata majori & minori Indulgentiæ. 2. Aliquando datur Indulgentia minor pro cauſa, quæ ſufficeret majori, quæ poſtea datur. 3. Cauſa, quæ eſt minor uno tempore, poteſt eſſe major alio rempore. Ad 2. Patet ſolutio ex Obſervatione 1. ante Concluſionem. Quamvis enim hæc aſſiſtenria ſit ſecundum ſe levis, eſt ramen gravis reſpective ad finem; quia eſt medium aptum ad illum conſequendum, ut dictum eſt in obſervatione cit.

Obj. 3. Fundamentum, qoo innituntur Indulgentiæ, non eſt opus injunctum, nec illius finis, ſed ſatisfactiones Chriſti & SS. Ergo licet finis & opus injunctum non ſinr proportionata, valet Indolgentia propter ſuperabundantem valorem ſatisfactionum Chriſti & SS. R. N. Conſeq. Quamvis enim theſaurus Ecelesiæ ſit fundamentum & principalis caoſa Indulgentiarom, non excludit tamen alias condiriones neceſſarias, puta auctoritatem in concedente, charitatem in ſuſcipiente, ite nec motivum proportionatum.

Obj. 4. Juxta commune effatum, Indulgentiæ tantum valent, quantum ſonant, ſeu pronuntiantur. Ergo ſi Pontifex pro caoſa levi concedat in litteris magnam Indulgentiam, hæc debet eſſe rata. R. N. Conſeq. Equidem Indulgentiæ tantum valet quantum ſonant, ſed poſitis conditionibus neceſſariis, ſcilicet, ut modo dicebam, auctoritate in concedunte, charitate iu ſuſcipiente, & juſtiria in cauſa.

Reſtat difficultas non mediocris de mentu S. Th. circa præſentem Concluſionem; videtor enim non parum favere ſententiæ. Unde

Obj. 5. S. Thom. hic qu. 25. art. 2. o. 1. ex profeſſo impugnat eos, qui dicebant quantitatem remiſſionis in Indulgentiis commenſurandam eſſe *ſecundum caſum, pro qua Indulgentia datur*, dicitque *id non poſſe ſalvare conſuetudinem Eccleſiæ, quæ interdum majorem pro eadem cauſa, interdum minorem Indulgentiam ponit*. 2. Ibid. dicit, quod, quævis cauſa adſit, quæ in utilitatem Eccleſiæ & honorem Dei vergat, ſufficiens eſt ratio faciendi Indulgentias; & paulo infra, quod ſufficiat *ex parte cauſæ pietas, quæ comprehendit honorem Dei & proximi utilitatem*. 3. Ibid. ad 1. dicit. *Si Prælatus inordinate remittat, ita quod homines quaſi pro nihilo ab operibus pœnitentiæ revocentur, peccat faciens tales indulgentias, nihilominus qais plenam Indulgentiam conſequitur*. Hæc, fateor, urgent: verumtamen concilianda ſunt cum iis, quæ alibi docet S. Doctor. Itaque infra qu. 71. art. 10. ubi quærit, an Indulgentiæ proſint mortuis; cum oppoſuiſſet in ſecundo argumento *ſed contra*, qood ſi Indulgentiæ Defunctis prodeſſent, poſſet faciens Indulgentias pro ſuo arbitrio liberare animas a Purgatorio. Reſpondet in fine erticuli ſic: *Nec tamen ſequitur, quod Prælatus Eccleſiæ poſſit pro ſuo arbitrio animas a Purgatorio liberare; quia ad hoc, ut Indulgentiæ valeant, requiritur cauſa* CONVENIENS *Indulgentias faciendi, ut ſupra dictum eſt*, ſcilicet q. 25. art. 2. & q. 26. art. 3. Per cauſam autem convenientem S. Th. intelligere non ſolum cauſam piam, ſed proportionatam, conſtat manifeſte 1. quia id ſolom dicitur conveniens alicui rei, qood eſt ei proportionatum. 2. Quia ſi intelligeret de quacumque cauſa pia, quæ non ſit proportionata, non probaret, quod intendit; cum enim nunquam deſit Sum. Pontifici cauſa pia;

pium eſt enim liberare afflictum a miſeria, poſſet ſaltem ex illo capite pro arbitrio liberare animas a Purgatorio. Item q. 26. a. 3. o. dicit: *Poteſtas faciendi indulgentias plene reſidet in Papa, quia poteſt facere quod vult, cauſa tamen exiſtente legitima*. Porro ſi cauſam legitimam intelligeret quamcumque cauſam piam, non proportionatam, poſſet abſolute & ſemper facere quod vult; quia, ut modo dicebam, nunquam deeſt cauſa pia. Ut itaque ſecum concilietur S. Doctor,

R. ad 1. S. Thomam velle dumtaxat quantitatem remiſſionis in Indulgentiis non eſſe commenſurandam cauſæ ſecundum æqualitatem abſolutam, bene tamen ſecundum proportionalem; & hoc ſalvat conſuetudinem Eccleſiæ; quia æqualitas proportionis admittit latitudinem, & humano modo æſtimanda eſt, ſicut pretia rerum. Unde una & eadem cauſa poteſt eſſe proportionata majori & minori Indulgentiæ, ut jam dixi ſupra. Ad 2. Per quamcumque cauſam piam intelligit convenientem, ut exprimit q. 71. quia ibi ſe refert ad hunc articulum ſecundum q. 25. *Sicut*, inquit, *ſupra dictum eſt*. Ergo ſupra, id eſt hic, intelligit cauſam convenientem, quæ eſt proportionata, ut probavimus. Ad 3. Per Indulgentias inordinatas non intelligit eas, quę dantur ſine cauſa conveniente & proportionata, ſed quæ nimis frequenter dantur: *Ita*, ut ait, *quod homines quaſi pro nihilo ab operibus pœnitentiæ revocentur*, quia nimirum ſunt frequentiores. Et niſi ſic intelligas S. Doctorem, vix ipſum cum ipſo conciliare poteris,

Cæterum ut ut valeant rationes pro & contra, quas fateor nulla ex parte eſſe contemnendas; hæc quæſtio poſitis obſervationibus, quas Concluſioni præmiſi, non videtur quantum ad praxim eſſe tanti momenti, cum juxta dictas obſervationes vix poſſit dari Indulgentia pro cauſa pia, quæ non ſit proportionata. Adde, quod ſi prudenter a concedente judicetur cauſa ſufficiens, quæ tamen reipſa ſit inſufficiens, nihilominus, meo ſaltem & quorumdam aliorum judicio, valeat Indulgentia; quia Dominus theſauri non cenſetur involuntarius, quando ſecundum Regulas prudentiæ diſpenſatur. Denique non eſt particularium examinare cauſas Indulgentiarum, ſed pro reverentia debita ſuis Prælatis debent ſupponere eos motos fuiſſe cauſis ſufficientibus, quas non tenentur ſemper declarare,

ARTICULUS V.

De Requiſitis ex parte ſuſcipientis indulgentiam.

SUPPONO requiri in ſuſcipiente indulgentiam, quod ſit baptizatus, non excommunicatus, quia indulgentiæ non conceduntur niſi membris Eccleſiæ. Item quod faciat opus injunctum, quia non conceditur indulgentia, niſi ſub hac conditione. Sed ulterius

Petes 1. Utrum ſuſcipiens Indulgentiam debeat eſſe in ſtatu gratiæ? R. quod debeat eſſe in ſtatu gratiæ, quando percipit fructum indulgentiæ, conſequenter quando adimplet ultimum opus injunctum; quia non dimittitur pœna, niſi dimiſſa culpa, ex qua oritur reatus pœnæ. Quod etiam verum eſt reſpectu peccati venialis. Unde qui cum affectu ad aliquod peccatum veniale indulgentiæ, etſi plenariæ, lucrandæ vacat illam non lucratur reſpective ad iſtud peccatum veniale, cujus affectum retinet, ſicque non lucratur integre plenariam. Quod ſi forte priorum peccatorum culpa ſit dimiſſa, ſed in novum mortale cadat, nihil etiam obtinet de Indulgentia; quia quamdiu eſt in peccato mortali, eſt Dei inimicus; ut tali autem nulla fit pœnæ remiſſio. Neque Pontifices aliam in ſe agnoſcunt poteſtatem conferendi indulgentias, cum in Diplomatibus ſemper apponant, vere contritis & confeſſis.

Petes 2. Utrum alia opera injuncta præter ultimum debeant etiam adimpleri in ſtatu gratiæ? R. probabilius & communius negative, niſi exprimatur in Diplomate; modo tamen fiant depoſito affectu ad peccatum, & in ſpiritu Pœnitentiæ. Prob. 1. Quandoque ſummi Pontifices præſcribunt opera per plures hebdomadas præſtanda. Sic Boniſacius VIII. Extravag. *Antiquorum* de pœnit. & remiſſ. requirit viſitationem Baſilicæ SS. Petri & Pauli per 30. dies: Benedictus XIV. feliciter regnans in Jubilæo præſentis anni requirit viſitationes ſive continuas, ſive interpolatas quatuor Eccleſiarum per 15. dies intra ſemeſtre. Eſt autem moraliter impoſſibile, quod toto iſto tempore iſtæ omnes viſitationes paſſim ab omnibus fiant in ſtatu gratiæ, 2. Idem Boniſacius ibidem concedit indulgentiam plenariam ad præfatas Baſilicas *Accedentibus vere pœnitentibus & confeſſis, vel qui vere pœnitebunt & confitebuntur*. In Jubilæis anni 1606. & 1617. referente Sylvio, qui tunc vivebat, præſcribebatur jejunium feriis 4. & 6. & Sabbatho cum confeſſione prævia, vel ſequente: Peccatores autem ordinarie non juſtificantur, niſi per confeſſionem. 3. Ita apprehendit ſenſus communis fidelium, qui ordinarie præſertim in Jubilæis præmittunt opera injuncta confeſſioni & communioni, ut ſic certius conſequantur indulgentiam in ſtatu gratiæ. Et ita declaravit pro præſenti Jubilæo idem Benedictus XIV. in Bulla *Convocatis*.

Neque dicas opera facta extra ſtatum gratiæ eſſe mortua, & his Deum non placari: quia 1. indulgentia non nititur noſtris meritis aut ſatisfactionibus, ſed ſatisfactionibus Chriſti & SS. neque Pontifex illa requirit, tam ut ſatisfactoria, quam ut conditiones; ad quarum poſitionem confert indulgentiam vi primæ conceſſionis. 2. Licet iſta opera ſint mortua hoc ſenſu, quod nihil mereantur pro vita æterna; ſi tamen, ut dixi, fiant depoſito affectu ad peccatum, & in ſpiritu Pœnitentiæ ex gratia actuali Spiritus S. nondum inhabitantis, ſed moventis, non ſunt ſic mortua, quin in talibus ſint utilia; ſunt namque impetratoria, ſatisfactoria de congruo, & diſponantia ad gratiam, ut docuimus Diſſert. 9. de Pœnitentia a. 7. Concl. 2. Confer. Non etiam obſtat, quod quandoque in Bullis confeſſio & communio aliis operibus præmittantur; non enim ordo verborum ſemper habetur pro regula adæquata ordinis operum.

Petes 3. Utrum ſatis ſit facere opus injunctum quoad ſubſtantiam, ita ut indulgentiæ conſequendæ non obſtet, etiamſi ex fine vel circumſtantiis fiat peccatum veniale? R. ſi quoad ſubſtantiam factum concurrit ad finem intentum a concedente Indulgentiam, videtur ſufficere; ſecus ſi non concurrat. Quia licet concedi poſſint indulgentiæ ſine injunctione operis; quando tamen injungitur, cenſetur injunctum ut ſuo modo concurrat ad finem intentum. Unde ſi concedatur Indulgentia eis, qui dabunt nummum pro expeditione bellica, vel conſtructione Eccleſiæ, videtur ſufficere, ſi det nummum, etſi ex vana gloria. Si vero injunguntur preces, jejunia, eleemoſynæ ad placandum Deum, ad obtinendum converſionem infidelium, &c. non videtur ſatisfacere, qui jejunat, orat, aut dat eleemoſynam ex vana gloria.

Petes 4. Utrum qui opera præſcripta devote adimplet præciſe toties quoties præſcripta ſunt, tantum participet de indulgentia, quam qui pluries & devotius adimplet? R. quando & ipſa indulgentia eſt determinata & ipſum opus præſcriptum determinatur, v. g. ſi dicatur; qui devote viſitaverint hanc Eccleſiam decies, vel qui dederint aureum nummum in fabricam hujus Eccleſiæ, lucrabuntur indulgentiam 20. annorum, vel plenariam: probabilius mihi videtur, & Auctori conformius, quod qui ſæpius & devotius opus præſcriptum perfecerit, licet plus mereatur, non tamen plus participet de indulgentia, quam qui devote opus præſcriptum, præciſe, ut præſcriptum eſt, facit.

Prob. 1. ex Auctore, qui hic q. 25. a. 2. ad 4. dicit. *Ille, qui eſt vicinus Eccleſiæ, & Eccleſiæ Sacerdotes & Clerici conſequuntur tantam indulgentiam, ſicut illi, qui venirent a mille dietis; quia remiſſio non proportionatur labori, ut dictum eſt, ſed meritis, quæ diſpenſantur, ſed ille, qui plus laboraret, plus de merito acquireret*. Indubie major requiritur devotio ad conficiendum mille dietas, quam aliquot paſſus. 2. Qui opus præſcriptum, præciſe ut præſcriptum eſt, devote facit, nec plus nec devotius, vel lucratur integram indulgentiam, qualis conceditur, vel non. Si primum, nihil ultra lucrari poteſt, qui devotius & pluries opus facit. Si ſecundum Pontifices enormiter decipiunt fideles, dum dicunt: qui tale opus toties devote fecerit, lucrabitur tantam indulgentiam: cum qui faciunt, ut præſcribitur, non lucrentur tantam, ſed quid minus. 3. Sic apprehendit ſenſus communis fidelium, ut qui omnia opera præſcripta eo modo, quæ præſcripta ſunt, adimplet, totam indulgentiam participet; quod ſi aliquid plus neceſſarium fuiſſet, id expreſſiſſet Pontifex, ſicut alia expreſſit; ut quid enim requireret tantum quinquies, ſi neceſſarium ſit decies? Ut quid exprimeret tantum devote, ſi devotius & devotiſſime requiratur ad totam Indulgentiam? Hic, inquam, eſt ſenſus communis fidelium, qui eſt optimus hujuſmodi conceſſionum interpres, ut jam diximus.

Dices hanc conditionem eſſe ex natura rei neceſſariam; conditionem autem ex natura rei neceſſariam non debere exprimi, ut dictum eſt de cauſa proportionata. R. N. Ant. 1. Quia omnino gratis & ſine ullo fundamento aſſeritur. Pari jure dicam, eſſe ex natura rei neceſſarium omnia opera injuncta fieri in ſtatu gratiæ: item neceſſarium eſſe ex natura rei propoſitum ſatisfaciendi per ſe, quæ tamen plerumque negant nobiſcum adverſarii.

Si dicas ſuſcipientem ex natura rei debere per opus injunctum concurrere ad conſequendum finem indulgentiæ, & ad illud accedere, R. hoc dato & non conceſſo, ut

mox

mox petebit, ſuſcipientem & ad hunc finem concurrere & ad illum accedere ut debet, faciendo opus devote, ut præciptum eſt, nec plus requiri a Pontifice.

2. Falſitas primi Ant. patet ex hoc, quod non ſemper injunguntur opera. Sic olim concedebantur indulgentiæ ad preces martyrum abſque injunctione operis. Sic nunc etiam ſæpe conceduntur indulgentiæ in articulo mortis ſine injunctione operis.

Opponunt inſuper extravagantem *Antiquorum* de pœnit. & remiſſ. in qua Bonifacius VIII. concedens indulgentiam plenariam Romanis, qui in anno Jubilæi 1300. viſitabunt per 30. dies Baſilicas SS. Petri & Pauli, & extraneis per 15. dies, addit: *Unuſquiſque tamen plus merebitur, indulgentiam efficacius conſequetur, qui Baſilicas ipſas amplius & devotius frequentabit*. Ille autem, inquiunt, efficacius conſequitur indulgentiam, cui plus pœnæ remittitur. 1. R. Bonifacium non dicere ſe abſolute concedere indulgentiam plenariam omnibus viſitantibus per 30. vel 15. dies præfatas Baſilicas, ſed dicit dumtaxat, quod hi, qui voluerint hujuſmodi indulgentiæ participes fieri, debeant has viſitationes peragere: *Statuentes*, inquit, *ut qui voluerint hujuſmodi indulgentiæ a nobis conceſſæ participes fieri, ſi fuerint Romani, ad minus 30. diebus, &c.* Deinde addendo clauſulam ut in inſtantia manifeſte ſignificat ſe non abſolute determinaſſe 30. vel 15. viſitationes ad lucrandam integram indulgentiam, ſed tantum ad participandum de illa. Hoc autem ſpeciale eſt huic Bullæ, quod non debet trahi in exemplum pro aliis, in quibus ſimilia non leguntur. 3. Falſum eſt To *Efficacius* ſemper ſignificare ampliorem effectum; ille enim in proprietate ſermonis dicitur efficacius aliquid obtinere, qui potentiori virtute & certius illud idem obtinet. Sic dicimus interceſſionem B. Mariæ Virginis eſſe efficaciorem ab obtinendam unam & eandem gratiam, quam oratio alicujus alterius Sancti: quia vis & valor ejus interceſſionis eſt potentior, quam quævis alia.

Dixi in reſponſione, quando & ipſa indulgentia eſt determinata, & opus præſcriptum determinatum; quia ſi opus ſit indeterminatum, v. gr. dicatur; qui viſitaverit hanc Eccleſiam, vel qui conferet aliquid in conſtructionem hujus Baſilicæ, lucrabitur indulgentiam centum dierum; videtur, quod qui frequentius viſitabit, aut majorem ſummam conferet, plus de indulgentia participabit; quia tunc opus præſcriptum patitur latitudinem, intra quam verificari poſſunt verba conceſſionis, abſque eo quod omnes æqualiter participent. Atque ita ſentit Auctor hic q. 25. a. 2. ad 3. *Quando*, inquit, *datur indulgentia indeterminata (qui dat auxilium ad fabricam Eccleſiæ) intelligitur tale auxilium, quod ſit conveniens ei, qui dat auxilium, & ſecundum quod accedit ad hoc, ſecundum hoc plus vel minus de indulgentia conſequitur*. Idem videtur dicendum, ſi ipſa indulgentia ſit indeterminata, ut ſi dicatur: qui decies viſitabit hanc Eccleſiam, vel qui dederit nummum in fabricam hujus Eccleſiæ, lucrabitur indulgentiam; quia quando gratia indeterminate conceditur ad poſitionem alicujus operis, ſenſus eſt, quod plus de gratia participat, qui ſæpius opus facit; ſed vix uſus eſt ſimilis indulgentiæ.

Petes 5. Utrum ad conſequendam indulgentiam requiratur in ſuſcipiente propoſitum & ſollicitudo per ſe propriis laboribus ſatisfaciendi? R. Negative. Eſt communior contra Cajetanum. Ratio eſt, quia nihil obſtat, quominus homini in gratia exiſtenti, qui omnia opera præſcripta rite adimplevit, communicetur fructus indulgentiæ; nec Pontifices, qui contritionem & Confeſſionem præſcribunt, unquam requirunt propoſitum per ſe ſatisfaciendi. Unde deciperentur fideles, ſi iſta conditio, de qua nunquam monentur, requireretur.

Dices. Qui poteſt per ſe ſatisfacere & non ſatisfacit, eſt indignus, cui concedatur indulgentia. Ergo. Prob. Ant. 1. Non decet petere ab amico, ut pro te ſatisfaciat, cum poſſis per te ſatisfacere. 2. In Republica bene ordinata non diſtribuuntur bona publica eis qui gravantur ære alieno, ſi per ſe poſſunt ſolvere. 3. Indulgentiæ conceduntur vere pœnitentibus; ille autem non eſt vere pœnitens, qui non vult facere dignos fructus Pœnitentiæ. 4. Is, cui Sacerdos injungit pœnitentiam, vel eam accipit animo adimplendi, vel non. Si primum, habet propoſitum ſatisfaciendi. Si ſecundum, fallaciter agit, & eſt indignus indulgentiæ. 5. S. Cyprianus rogabat Martyres, ne commendarent Epiſcopis pro conſequenda indulgentia, niſi eos, quorum pœnitentiam ſatisfactioni proximam conſpicerent. Ergo. Ita fere Cajetanus. R. N. Ant. Qui enim poteſt per ſe ſatisfacere, & non ſatisfacit, quia expectat aliunde ſatisfactionem, non eſt poſitive indignus, modo ſit paratus ſatisfacere per ſe, ſi non eſſent Indulgentiæ. Quod ſi forte ſit non dignus, nihil obſtat, quia Indulgentiæ conceduntur ex miſericordia & liberalitate. Ad 1. Probationem. Non eſt indecens nec injurioſum amico ab eo petere, non ex juſtitia, ſed ex gratia, quod tu potes præſtare, maxime ſi eo non indigeat. Ad 2. Diſparitas eſt, quod ærarium publicum ſit finitum, & tantum decreſcat, quantum ex illo extrahitur. Unde per ſe non debet diſtribui iis, qui non indigent cum inde damnum ſequatur indigentibus, At theſaurus Eccleſiæ eſt infinitus. Inſuper quamvis per ſe non debeat diſtribui bonum publicum iis, qui poſſunt per ſe ſolvere, poſſet tamen occurrere occaſio, in qua id eſſet utile Reipublicæ; puta ſi is, cui diſtribuitur, optime ſit meritus de Republica, aut ab eo expectantur obſequia multum utilia Reipublicæ, vel aliter. Ad 3. ille eſt vere pœnitens, qui eſt vere contritus, cum animo ſatisfaciendi, niſi aliunde pro eo ſatisfiat. Ad 4. Non eſt hic proprie quæſtio de pœnitentia injuncta a Confeſſario, quam ſemper eſſe adimplendam diximus art. 1. ſed de pœnitentiis præter ſacramentalem ſponte ſuſceptis proportionate ad gravitatem & multitudinem peccatorum. Sed etſi ageretur de pœnitentia injuncta, pœnitens eam accipit animo adimplendi, niſi poſſit aliunde ab illa liberari. Ad 5. S. Cyprianus loquebatur juxta rigorem antiquæ diſciplinæ, quæ nunc amplius non viget: eo enim fine benigna Mater Eccleſia frequentius cœpit concedere Indulgentias, cum fideles tepidiores & ad implendas graves pœnitentias negligentiores effecti ſunt.

Petes 5. Utrum ad indulgentiam conſequendam adhibenda ſit Confeſſio ſacramentalis? R. Si in conceſſione requiratur ut pars operis injuncti, adhibenda eſt etiam ab eo, qui eſt in ſtatu gratiæ. Patet ex ſe. Si requiratur tantum ut diſpoſitio ad ſtatum gratiæ, non eſt adhibenda niſi ab eis, qui ſunt in ſtatu peccati mortalis; cenſetur enim Pontifex reſpectu illorum illam requirere, ut certius juſtificentur. Verum quia eſt difficile diſcernere, quando in Diplomatibus requiritur ut pars operis injuncti, vel ut diſpoſitio tantum, conſultum eſt eam ſemper adhibere, quando ſcilicet exprimitur in litteris conceſſionis, ſecus ſi non exprimatur.

Petes 7. Utrum qui partem operis præſcripti implevit, & propter morbum, aliamve juſtam cauſam, reſiduum implere non poteſt, lucretur indulgentiam? R negative, niſi ita conceſſerit Pontifex, vel niſi ex ejus conceſſione Confeſſarius habeat facultatem diſpenſandi, vel reſiduum in aliud opus commutandi; quia quod datur ſub conditione, non valet, niſi adimpleta conditione.

Petes 8. Utrum qui facit opus præſcriptum ſine intentione lucrandi indulgentiam, puta quia neſcit aut oblitus eſt ei eſſe annexam indulgentiam illam lucretur? R. probabiliter negative; quia debet dirigere opus præſcriptum in finem a concedente indulgentiam intentum, quod facere non poteſt ignorans aut oblitus huic operi eſſe annexam indulgentiam. Id tamen non impedit, quominus poſſit concedi indulgentia ſenſibus alieno & moribundo, ſine injunctione operis; ſicut enim poteſt quis applicare ſatisfactiones ſuas aut aliter benefacere ignoranti, ita poteſt Paſtor Eccleſiæ applicare ſatisfactiones Chriſti & Eccleſiæ ſenſibus alieno.

Petes 9. Utrum tranſlato feſto transferatur indulgentia ei annexa. R. Si ſolum officium transfertur, & non ſolemnia in populo, indulgentia non transfertur. Sic ſi feſtum Annuntiationis incidens in hebdomadam Sanctam celebretur in populo, & officium tantum transferatur poſt Paſca, non transfertur indulgentia: quia indulgentia videtur annexa ſolemnitati; & alias multi fideles de populo, qui ignorant rubricas de Tranſlatione feſtorum, fruſtrarentur fructu indulgentiæ. Unde cenſetur hanc eſſe mentem Pontificis. Si vero transferatur ſolemnitas feſti in populo, transfertur & indulgentia propter eandem rationem; quia indulgentia videtur annexa ſolemnitati feſti in populo. Idem videtur dicendum de feſtis Religionum, quibus annexa eſt indulgentia. Ita expreſſe ſtatuit Leo X. de feſtis Ordinis noſtri, SS. Dominici, Petri Martyris, Th. de Aquino, Vincentii, & Catharinæ Senenſis, his verbis. *Volumus, ut quoties dictarum feſtivitatum & octavarum earumdem celebrationes, quolibet ex cauſa, etiam extra tempus interdicti, transferentur, etiam indulgentiæ, dictas Eccleſias in feſtivitatibus hujuſmodi & per earum octavas viſitantibus pro tempore conceſſæ, & ad tempus celebrationis hujuſmodi ſint & cenſeantur tranſlatæ*. Hæc Bulla extat in Bullario Ordinis FF. Prædic. tom. 4. pag. 371.

Quod confirmatur ex Brevi a Greg. XIII. die 20. Auguſti 1580. FF. Minimis conceſſo, & a P. Laurentio de Peyrinis ejuſdem Ord. Tom. 2. n. 8. pag. 223. relato, in quo hæc leguntur. *Cum Feſtum S. Franciſci de Paula, ... poſt Octavam Reſurrectionis D. N. J. C. transferri ſoleat, & propterea in dubium verti poſſet, an eadem indulgentia die, quo ipſum feſtum transferri contigerit, ab eiſdem Chriſti fidelibus conſequi valeant; Nos ... harum ſerie volumus & declaramus, ut dicta indulgentia ad eam diem quo feſtum ipſum, ut præfertur, transferri, & poſt octa-*

vam ejuſdem Reſurrectionis celebrari contigerit, tranſlata eſſe cenſeatur. Declaratio eutem non facit novum jus, ſed antiquum explicat. Quidam excipiunt a Reſponſione, ſi in conceſſione indulgentiæ exprimatur dies, ut ſi dicatur: Concedimus indulgentiam die Feſto Sancti N. quinta talis menſis: tunc enim exiſtimant indulgentiam eſſe annexam diei aſſignatæ, & non Feſto; & ideo tranſlato Feſto non transferri indulgentiam. Id quidem non eſt improbabile; poſſet tamen reſponderi indulgentiam ratione Feſti, non diei eſſe conceſſam, ſicque debere ſequi feſtum.

ARTICULUS VI.

De Indulgentiis quæ applicantur Defunctis,

PEtes 1. Utrum indulgentiæ poſſint applicari & prodeſſe Defunctis? R. affirmative, (*Sups q. 17. art. 10. o.*) ſi ſic exprimatur in Diplomate conceſſionis: quia fideles privati poſſunt applicare Defunctis in Purgatorio ſuffragia ſua & ſuas ſatisfactiones ee ratione, quod ſint unius corporis myſtici membra vinculo charitatis colligata. Ergo eadem ratione ſummus Eccleſiæ Paſtor poteſt eis applicare ſatisfactiones Chriſti & SS. de theſauro Eccleſiæ. Confir. Poteſt Pontifex applicare indulgentias vivis, quidni & Defunctis (licet diverſo modo, ut mox dicam) cum ſint ejuſdem corporis membra? Unde Auctor loco cit. in margine, *Non eſt*, inquit, *aliqua ratio, quare Eccleſia poſſit transferre communia merita, quibus indulgentiæ innituntur, in vivis & non in mortuis*. Prob. 2. ex uſu & Traditione Eccleſiæ. Paſchalis I. ineunte ſæculo 9. ut refert Gabriel Lect. 57. in Canonem Miſſæ, conceſſit indulgentiam pro Defunctis, quæ habetur in Eccleſia S. Praxedis. Similiter Sixtus IV. & Innocentius VIII. teſte eodem conceſſerunt indulgentias pro Defunctis. Frequenter poſtea idem conceſſerunt ſum. Pontifices. Conſentiunt Antiqui Theologi, S. Th. S Bonav. Richerdus, &c.

Dixi, *Si ſic exprimatur in Diplomate conceſſionis*: Quia nullus privatus poteſt alteri ſive vivo, ſive Defuncto applicare indulgentiam, niſi ex conceſſione ſum. Pontificia, quia ipſe ſolus eſt diſpenſator theſauri Eccleſiæ, cui innituntur indulgentiæ. Unde nec id poteſt Epiſcopus.

Dices. Poteſtas concedendi indulgentias fundatur in his Chriſti verbis Petro Matth. 16. *Quodcumque ſolveris ſuper terram*, &c. Et in his Joan. 21. *Paſce oves meas*. Atqui neutrum verificari poteſt de animabus in Purgatorio; non enim ſunt ſuper terram, neque oves commiſſæ Pontifici. Ergo, R. D. Ant. Poteſtas concedendi indulgentiam vivis per modum judiciariæ abſolutionis fundatur in his verbis Chriſti: *Quodcumque*, &c. C. Poteſtas concedendi indulgentiam Defunctis per modum ſuffragii & ſimplicis ſolationis oblatæ, ut mox dicemus, N. fundatur enim hæc poteſtas in communione membrorum unius corporis Myſtici, & in uſu Eccleſiæ. Neque etiam obſtat can. *Quod autem* de Pœnit. & Remiſſ. ubi dicitur indulgentias non remitti niſi iis, qui ſubiunt remittenti; ibi enim agitur de indulgentiis conceſſis vivis per modum abſolutionis, non Defunctis per modum ſuffragii. Unde

Petes 2. Quomodo applicentur & proſunt indulgentiæ Defunctis? R. non applicari nec prodeſſe per modum abſolutionis, ſeu, ut communiter dicitur, per modum ſuffragii, Prob. 1. pars. Quia ſum. Pontifex non habet amplius judiciariam poteſtatem in Defunctos c. 1. cap. *Legatur* & cap. *Nec quiſquam* 24. q 2. Et patet, quia ſum. Pontifex non poteſt citare Defunctos, eorum cauſas cognoſcere, nec eos cogere ad obediendum. Item non habet poteſtatem judiciariam, niſi in oves, quas in perſona Petri ſuſcepit paſcendas Joan. 21. Defuncti autem non poſſunt amplius paſci a ſummo Pontifice. Unde ſum. Pontifices, cum extendunt indulgentias ad Defunctos, ſemper apponunt particulam *per modum ſuffragii*. Ergo.

Dices 1. Eccleſia excommunicat, & abſolvit ab Excommunicatione Defunctos. 2. In his verbis: *Quodcumque ſolveris ſuper terram*, &c. To *ſuper terram*, non refertur ad eos, qui ſolvuntur, ſed ad eum, qui ſolvit; ita ut ſenſus ſit: Quodcumque ſolveris tu, qui es ſuper terram, erit ſolutum a me, qui ſum in cœlis. 3. Defuncti ſunt adhuc viatores. Ergo & oves. 4. Epiſcopus, qui confert Beneficium Clerico non ſibi ſubdito, exercet actum Juriſdictionis, & collatio eſt valida. Ergo ſimiliter. R. ad 1. Excommunicationem & abſolutionem ab Excommunicatione in mortuos non eſſe proprie Excommunicationem & abſolutionem, ſed declarationem ſententiæ, quam ſubire debuiſſent, dum viverent, & conceſſionem quamdam factam fidelibus, ut pro ipſis offerant ſuffragia, aut prohibitionem offerendi. Ad 2. Gelaſius Papa Can. *Legatur* 24. q. 2. refert To *Super terram* ad eos, qui ſolvuntur; ſed eſto referatur ad eum, qui ſolvit, debet ſemper intelligi circa eos, qui ipſi ſubduntur, alias poſſet ſolvere & Beatos & damnatos. Ad 3. Defuncti in Purgatorio ſunt viatores ſecundum quid, quatenus nondum adepti ſunt terminum; & ideo poſſunt juvari a viventibus. At non ſunt ideo oves viſibiles, quales Petrus paſcendas ſuſcepit; cum eis nec Doctrinæ pabulum præbere poſſit. Ad 4. Epiſcopus exercet actum juriſdictionis in Beneficium, non in Clericum extraneum. Similiter ſum. Pontifex exercet actum juriſdictionis in theſaurum Eccleſiæ, non ipſos Defunctos. Valet autem collatio, quia ad hoc non requiritur poteſtas juditiaria & contentioſa, qualis requiritur ad abſolutionem a pœnæ, quam ſupremus Princeps impoſuit.

Reſtat itaque, quod indulgentiæ applicentur & proſint Defunctis per modum ſuffragii & auxilii, quæ eſt 2. Pars Reſponſionis. Quod ut intelligas, diſtingue triplex ſuffragium, ſeu auxilium, unum meritorium, alterum impetratorium, tertium ſatisfactorium; & hoc ultimum hic intelligitur. Unde applicare indulgentias Defunctis per modum ſuffragii eſt offerre Deo ſatisfactiones Chriſti & SS. in ſolutionem ſeu compenſationem pœnarum, quas debent pati in Purgatorio.

Petes 3. Utrum Deus teneatur ex juſtitia, ſeu certa lege acceptare indulgentias applicatas Defunctis? R. negative, quia ad hoc nullibi ſe obligavit. Judex autem ſupremus non tenetur acceptare commutationem pœnæ ſibi debitæ, niſi ad id promiſſione ſe obligaverit. Neque obſtat promiſſio Matth. 16. *Quodcumque ſolveris*, *&c.* Hæc enim ſpectat vivos dumtaxat, quibus applicantur indulgentiæ per modum abſolutionis. Gratuito ergo & miſericorditer acceptat Deus indulgentias applicatas Defunctis: ea tamen acceptatione poſita intervenit Juſtitia, quia ſatisfactiones de theſauro Eccleſiæ ſunt juſta compenſatio & de condigno pœnarum, quas defuncti pati debent in Purgatorio. Hinc inferes, ſaltem probabilius, indulgentias applicatas defunctis non ſemper habere certum & infallibilem effectum; cum enim Deus ex mera miſericordia & liberalitate acceptet, non conſtat eum illas ſemper acceptare ſive in toto, ſive in parte. Et hic eſt ſenſus communis fidelium, qui applicata indulgentia plenaria alicui defuncto, puta ſacrificium in Altari privilegiato, nihilominus pro illo offerre alia ſacrificia & orationes pergunt.

Dices 1. S. Th. hic q. 71. a. 10. o. probat Pontificem non poſſe pro arbitrio animas e Purgatorio liberare, non quia indulgentiæ illis applicatæ non infallibiliter illis proſunt, ſeu quia Pontifex non poteſt eas illis applicare ſine cauſa convenienti. R. S. Doctorem attuliſſe rationem ſufficientem ab probandum, quod intendebat; ſed unam aſſerendo, non negavit alteram, nec erat neceſſe quod utramque afferret.

Inſt. Q. 25. art 2. nullam facit diſtinctionem quantum ad efficaciam indulgentiæ vivis & defunctis conceſſe. R. S. Th. ibi mentionem non facere de indulgentiis conceſſis Defunctis, de quibus agit tantum qu. 61. Quapropter 1. loco intelligendus eſt de indulgentiis vivorum tantum.

Dices 2. Indulgentiæ tantum valent quantum ſonant; ſonant autem liberationem animæ. R. id eſſe verum de indulgentiis conceſſis viventibus per modum abſolutionis.

Inferes. Ergo ſum. Pontifex decipit fideles. R. N. illationem; ſed Pontifex concedit quantum poteſt, ſuppoſita acceptatione divina.

Dices 3. Oratio Eccleſiæ, poſitis omnibus requiſitis, ſemper exauditur. R. 1. D. Si ita congruat Conſiliis divinæ Providentiæ, C. Secus, N. 2. Indulgentiæ non applicantur Defunctis per modum orationis, ſed per modum ſolutionis.

Petes 4. An indulgentiæ applicatæ uni, vel aliquibus perſonis determinatis proſint omnibus? R. omnibus prodeſſe quoad conſolationem & gaudium quoddam accidentale, quod charitate uniti concipiunt de bonis aliorum, ac ſi eſſent propria. Quoad ſatisfactionem autem & liberationem a pœna proſunt tantum iis, quibus applicantur. Hic eſt ſenſus fidelium, & natura ſatisfactionis, ut pro uno facta illi ſpecialiter proſit, & non alteri. Quod ſi ille, cui applicatur, non indigeat, Deus applicat alteri, vel redit in theſaurum Eccleſiæ.

Petes 5. Utrum qui lucratur indulgentias pro Defunctis, debeat eſſe in ſtatu gratiæ? R. Si opus injunctum requirat ſtatum gratiæ, ut Confeſſio, Communio, ad illum tenetur. Si autem opus injunctum non requirat ſtatum gratiæ, non videtur ad illum teneri; quia ipſe non percipit fructum indulgentiæ ſeu remiſſionem pœnæ, ſed alter. Neque dicas ipſum non poſſe indulgentiam alteri applicare, niſi prius eam faciat ſuam; facit enim ſuam non accipiendo ejus effectum, ſed poteſtatem eam alteri applicandi, ad quod non requiritur ſtatus gratiæ, ſicut nec in concedente indulgentiam.

T R A C T A T U S
DE EXTREMA-UNCTIONE.

D. Thom. Supp. a Q. 29. ad Q. 34.

S U M M A
D O C T R I N Æ C A T H O L I C Æ
DE EXTREMA-UNCTIONE

EX CONCILIIS FLORENTINO ET TRIDENTINO.

Decretum Concilii Florentini pro Inſtructione Armenorum. (*Sub Eugenio IV. an. 1439. Ex S. Th. Opuſc. 5.*)

QUintum Sacramentum eſt Extrema-Unctio, cujus materia eſt oleum olivæ per Epiſcopum benedictum. Hoc Sacramentum niſi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet: qui in his locis ungendus eſt, in oculis propter viſum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter guſtum vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter greſſum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem. Forma hujus Sacramenti eſt hæc: Per iſtam Unctionem & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquiſti per viſum, &c. Et ſimiliter in aliis membris. Miniſter hujus Sacramenti eſt Sacerdos. Effectus vero eſt mentis ſanatio, &, in quantum autem expedit, ipſius etiam corporis. De hoc Sacramento, inquit beatus Jacobus Apoſtolus: Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Eccleſiæ, ut orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei.

Canones Concilii Tridentini (*Seſſ. 14. 25. Novemb. 1551. ſub Julio III.*) de Extrema-Unctione.

I. *SI quis dixerit Extremam Unctionem non eſſe vere & proprie Sacramentum a Chriſto Domino noſtro inſtitutum, & a beato Jacobo Apoſtolo promulgatum, ſed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum, anathema ſit.*

II. *Si quis dixerit, ſacram infirmorum Unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos; ſed jam ceſſaſſe, quaſi olim tantum fuerit gratia curationum; anathema ſit.*

III. *Si quis dixerit Extremæ Unctionis ritum & uſum, quem obſervat ſancta Romana Eccleſia, repugnare ſententiæ B. Jacobi Apoſtoli, ideoque eum mutandum, poſſeque a Chriſtianis abſque peccato contemni; anathema ſit*

IV. *Si quis dixerit Presbyteros Eccleſiæ, quos B. Jacobus adducendos eſſe ad infirmum inungendum hortatur, non eſſe Sacerdotes ab Epiſcopo ordinatos, ſed ætate ſeniores in quavis communitate; ob idque proprium Extremæ-Unctionis Miniſtrum non eſſe ſolum Sacerdotem; anathema ſit.*

D I S S E R T A T I O U N I C A
COMPLECTENS OMNIA, QUÆ HOC SACRAMENTUM SPECTANT.

MULTÆ ſunt Unctiones in Eccleſia. Prima eſt Baptizandorum, ſeu Catechumenorum in pectore & ſcapulis. Secunda eſt Baptizandorum in vertice. Tertia eſt Confirmandorum in fronte. Quarta eſt Sacerdotum in manibus, dum ordinantur, & Epiſcoporum in manibus, & in capite. Quinta in altaris, Eccleſiæ, & Calicis conſecratione. Sexta, & ultima Infirmorum in partibus quinque ſenſuum exteriorum; & ideo dicta *Extrema-Unctio*.

Variis nominibus inſignitur hoc Sacramentum. Apud Latinos dicitur *Sacramentum exeuntium*, *Unctio ſacri olei*, communiter, *Extrema Unctio*. Apud Græcos, *ſanctum oleum*, *Oratio Unctioni olei conjuncta*. Definiri poteſt: *Sacramentum Unctionis Infirmorum ad ſalutem animæ & corporis facta per Sacerdotem ſub certa verborum forma.* Patebit ex dicendis.

A R T I C U L U S I.

Utrum Extrema Unctio ſit Sacramentum?

BELLARMINUS & quidam alii poſt Guidonem Carmelitam, & Æneam Sylvium inter Hæreticos negantes Sacramentum Extremæ Unctionis recenſent Valdenſes & Vvicleſiſtas. At juxta illuſtriſſimum Boſſuetum in Hiſtoria Variationum, Gaſparum Juenin, & alios, hi non negarunt, ſed contempſerunt dumtaxat hoc Sacramentum, eo quod tunc quidam Presbyteri ex avaritia illud non niſi divitibus, aut mediante pretio, adminiſtrarent. Sed quidquid ſit de iſtis, certo conſtat Lutheranos, & Calviniſtas negare Extremam-Unctionem eſſe Sacramentum, eoſque contendere Unctionem, de qua Marci 6. & Jacobi 5. nihil aliud operatam fuiſſe, quam corporis ſanitatem, & eam, ceſſante in primitiva Eccleſia gratia curationum, exoleviſſe. Unde Calvinus l. 4. inſtit. c. 19. vocat Extremam Unctionem Sacramentum fictitium, & hiſtrionicam hypocriſim; contra quos

Dico. (*Supp. q. 29. a. 1. o.*) Extrema-Unctio eſt vere & proprie novæ Legis Sacramentum. Prob. 1. (*Ib. & in a. ſ. c.*) Ex Scriptura. Jacobi 5. dicitur: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus. & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* Atqui in his verbis habemus ſignum ſenſibile gratiæ a Chriſto permanenter inſtitutum. Ergo vere & proprie dictum Sacramentum. Prob. Min. Unctio & Oratio per Presbyterum ſunt ſignum ſenſibile, utique materia & forma hujus Sacramenti; gratia deſignatur his verbis: *Salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* Inſtitutio permanens, etſi non exprimatur, aperte colligitur; partim quia mandatum Jacobi dirigatur non ad unam Eccleſiam, nec pro aliquo tempore, ſed ad omnes Eccleſias ſine ulla limitatione locorum aut temporum, conſequenter ad nos nunc non minus quam ad eos, qui tunc erant, ſicut alia, quæ ibidem præſcribit & profert, ut, *Patientes eſtote; nolite jurare; triſtatur quis in vobis, oret; orate pro invicem, ut ſalvemini, &c.* quæ ſpectant omnia tempora, & omnes fideles præſentes & futuros: partim quia ab Apoſtolorum tempore hæc inſtitutio ſemper fuit in Eccleſia obſervata, ut mox dicemus. Quid huic auctoritati reſpondeant Hæretici, exponemus & diluemus in ſol. Object.

Non pauci concluſionem probant ex c. 6. Marci, ubi dicitur de Apoſtolis: *Et ungebant oleo multos ægros & ſanabant*, contenduntque eo loci agi de Unctione, de qua Jacobi 5. & eſſe ſacramentalem. Ita Alphonſus a Caſtro, Thomas Valdenſis, Maldonatus, Catarinus, & alii. Hanc ſententiam multis argumentis etiam ab auctoritate quorumdam Patrum & Scholæ principum S. Th., Bonav., Scoti, Hugonis Vict. ut probabile propugnat noviſſimus & eruditiſſimus Scriptor Laurentius Berti, non ingrate legendus. Communior tamen Sententia eſt has unctiones eſſe diſtinctas, & eam, de qua Marci 6. eſſe tantum ad ſanitatem corporum, atque adeo non eſſe ſacramentalem. 1. Quia in illa unctione Marci 6. nulla ſit mentio collationis gratiæ, ſed ſanitatis corporalis dumtaxat. 2. Quia hæc unctio adhibebatur indifferenter ſive infirmis decumbentibus, ſive aliis, ut cæcis & claudis, ſive baptizatis, ſive non; Matth. enim 10. dictum erat generaliter Apoſtolis, nulla facta reſtrictione; *Infirmos curate*, & ea Marci 6. conſtat multos fuiſſe unctos & ſanatos, dum tamen tunc pauci adhuc eſſent baptizati. 3. Quia Apoſtoli nondum erant tunc Sacerdotes; & quamvis Chriſtus in hoc potuerit diſpenſare, hujus tamen diſpenſationis nulla ap-

paret

paret ratio. Ita Bellarm. Soto, Eſtius, Sylvius, Janſenius, A Lapide, Gonet, Tournely, & alii Recentiores; juxta quos ea unctio Marci 6. Unctionem ſacramentalem inſinuavit & adumbravit, ab hacque diſtinguitur ut ſignum a re ſignata, & figura a re figurata. Hancque Sententiam videtur adoptaſſe Concilium Trid. ſeſſ. 14. cap 1. ubi dicit hoc Sacramentum a Chriſto inſtitutum eſſe, *apud Marcum quidem inſinuatum, per Jacobum autem Apoſtolum . . . commendatum & promulgatum*. Scio To *inſinuatum* explicari a laudato Berti per *inductum & inſtitutum*; verum juxta Calepinum, *inſinuare eſt in notitiam alicujus adducere*, non inducere aut inſtituere. Unctio autem Marci adducit Unctionem Jacobi ſeu Sacramentalem in notitiam, quatenus eſt ejus ſignum, umbra, & figura, ſicut Baptiſmus Chriſti fuit inſinuatus a Baptiſmo Joannis, quatenus iſte prioris fuit ſignum & figura.

Prob. 2. Concluſio Traditione. Origines ineunte 3. Sæculo Hom. 2. in Levit. ait. *Eſt adhuc ſeptima licet dura & laborioſa per pœnitentiam remiſſio peccatorum, cum lavat peccator in lachrymis ſtratum ſuum, ſiunt ei lachrymæ panes die ac nocte, & non erubeſcit Sacerdoti Domini indicare peccatum ſuum ... In quo completur & illud, quod Apoſtolus dicit: ſi quis autem infirmatur, vocet Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & ſi in peccatis fuerit, remittentur ei*. Dicit, in quo completur ſcilicet Sacramentum Extremæ Unctionis; quia iſtud Sacramentum ſemper habitum fuit complementum & conſummatio Sacramenti Pœnitentiæ, ut dicit Trid. Seſſ. 14. in proœmio ad Sacramentum Extremæ Unctionis, ſicut Confirmatio eſt complementum Baptiſmi. Chryſoſtomus circa an. 382. l. 3. de Sacerdotio, loquens de Sacerdotibus dicit: *Neque enim ſolum cum nos regenerant, ſed poſtea etiam condonandorum facultatem obtinent. Infirmatur*, inquit, *inter vos aliquis? Accerſat Presbyteres Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & obſecratio fidei ſalvum reddet laborantem, & eriget eum Dominus, & ſi in peccatis fuerit, remittentur ei*. Ubi apertum eſt S. Doctorem loqui de Unctione, de qua Jacobus. Innocentius I. an. 416. interrogatus a Decentio Eugubino Epiſcopo de quibuſdam dubiis circa hoc Sacramentum, reſpondet 1. hæc verba Jacobi: *Quis infirmatur in vobis*, &c. eſſe intelligenda de fidelibus ægrotantibus. 2. Hanc Unctionem & ab Epiſcopis & a Presbyteris fieri poſſe. 3. Fideles Laicos etiam potuiſſe in ſuis & aliorum infirmitatibus iſto oleo ab Epiſcopo benedicto uti, non ut Sacramento, ſed ut ritu Chriſtiano, ſecundum morem hujus temporis; ſicut enim tunc fideles ad morbos curandos adhibebant aquam baptiſmalem, ita & Oleum ab Epiſcopo benedictum. 4. Hanc Unctionem ab Epiſcopo aut Presbytero adminiſtratam eſſe Sacramentum, quod non debeat concedi pœnitentibus publicis, quibus cætera Sacramenta denegabantur. Ecce ejus verba: *Non eſt dubium de fidelibus ægrotantibus* (hoc quod dicit Jacobus) *accipi vel intelligi debere, qui ſancto oleo Chriſmatis perungi poſſunt, quo ab Epiſcopo confecto, non ſolum Sacerdotibus, ſed omnibus uti Chriſtianis licet in ſua aut ſuorum neceſſitate inungendo. Cæterum illud ſuperfluum videmus adjectum, ut de Epiſcopo ambigatur, quod Presbyteris licere non eſt dubium. Nam idcirco de Presbyteris dictum eſt, quia Epiſcopi occupationibus aliis impediti ad omnes languidos ire non poſſunt. Cæterum ſi Epiſcopus aut poteſt, aut dignum ducit, aliquem a ſe viſitandum & benedicere & tangere Chriſmate, ſine cunctatione poteſt, cujus eſt ipſum Chriſma conficere. Non pœnitentibus iſtud infundi non poteſt, quia genus eſt Sacramenti: nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur poſſe concedi?* Neque ex hoc quod dicat *oleo Chriſmatis*, vel *Chriſmate*, quiſquam putet ipſum loqui de Confirmatione; de ea enim prius locutus fuerat, dixeratque illam omnibus baptizatis etiam pueris adminiſtrari a *Solis* Pontificibus, non a Presbyteris, qui Pontificatus apicem non habent. Quamvis itaque in uſu Eccleſiæ Chriſma ſtrictiſſime ſumptum accipiatur pro compoſito ex oleo & balſamo: attamen apud veteres etiam ſumitur aliquando pro unctione olei, ſive ſimplicis, ſive compoſiti, chriſmare enim generaliter ſignificat ungere, & chriſma ungentum quodcumque; paulo ſtrictius, ſignificat unguentum ab Epiſcopo benedictum, quo ſenſu illud uſurpat Innocentius

Aug. Serm. 225. de tempore, ſeu Cæſarius; *Quoties*, inquit, *aliqua infirmitas ſupervenerit, Corpus & Sanguinem Chriſti, ille qui ægrotat, accipiat, & inde corpuſculum ſuum ungat* (id eſt ungi curet) *ut illud quod ſcriptum eſt impleatur in eo, Infirmatur aliquis*, &c. Et in Speculo, inter ea, quæ præcipit novum Teſtamentum, recenſet verba Jacobi: *Infirmatur quis in vobis*, &c. S. Gregorius in Sacramentario præſcribit modum adminiſtrandi hoc Sacramentum: item Pontificale Romanum. Synodus Cabilonenſis an. 813. Can. 48. dicit: *Secundum B. Jacobi documentum, cui etiam decreta Patrum conſonant, infirmi oleo, quod ab Epiſcopo benedicitur, a Presbyteris ungi debeat. Non eſt itaque parvipendenda hujuſmodi medicina, quæ animæ corporiſque medetur languoribus*. Similiter Moguntina an. 847. cap. 26. Aquiſgranenſis an. 896. cap. 4. & aliæ ſequ. Sæculis. Concilium Conſtant. an. 1514. mandat, ut redeuntes ab hæreſi interrogentur, num credant, *quod Chriſtianus contemnens ſuſceptionem Sacramentorum Confirmationis & Extremæ Unctionis peccet mortaliter*; Concilium Florent. in Decreto unionis an. 1439. inter Sacramenta recenſet Extremam Unctionem. Trid. Seſſ. 14. tribus Capitibus explicat inſtitutionem, materiam, formam, effectum, & miniſtrum hujus Sacramenti, & quatuor Canonibus dogma Catholicum aſſerit. Primus eſt: *Si quis dixerit Extremam Unctionem non eſſe vere & proprie Sacramentum a Chriſto Domino noſtro inſtitutum & a B. Jacobo Apoſtolo promulgatum, ſed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum, anathema ſit*. Vide alios Canones ſupra.

Confir. ex conſenſu utriuſque Eccleſiæ Græcæ & Latinæ. De Latina conſtat; pariter de Græca ex Euchologio Patris Goar, ex Cenſura Jeremiæ Patriarchæ Conſtantinop. adverſus Vittembergenſes, & pluribus aliis. Qui autem fieri potuit, ut tot Patres, tot Synodi, & omnes Eccleſiæ in unum figmentum & cæremoniam hiſtrionicam, tamquam in verum Sacramentum conſentirent, nullo reclamante?

Suadetur ratione. (*Ibid. in a. ſ. c.*) Chriſtus inſtituit Sacramenta, ut fidelibus ſubveniret pro quovis tempore & ſecundum quemvis ſtatum. Sic in ingreſſu Eccleſiæ eſt Baptiſmus; in progreſſu & decurſu vitæ Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, &c. Ergo & in exitu, in quo adverſarius noſter omnes ſuæ verſutiæ nervos ad nos perdendos intendit. Non eſt autem aliud quam Extrema-Unctio, quæ ideo dicitur Sacramentum exeuntium. Hanc rationem fecit ſuam Trid. Seſſ. 14. in Proœmio ad Sacramentum Extr. Unctionis.

Solvuntur Objectiones.

OBj. 1. cum Hæreticis. Epiſtola Jacobi non eſt Canonica. Ergo. R. N. Ant. Hanc enim pro Canonica habent utraque Eccleſia Græca & Latina. De Græca conſtat ex Origene hom. 3. in Exod. ex Cyrillo Jeroſol. Catecheſi 4. S. Athanaſio in Ep. Paſchali, Gregorio Nazian. Carm. 33. & aliis. De eccleſia Latina pariter conſtat ex Clemente Rom. Ep. ad Corinthios, ex Innocentio I. ad Exuperium & Decentium, ex Gelaſio in Synodo Rom. ex Ambroſio in Pſ. 119. Hieron. adverſus Jovin. Aug. l. de fide & operibus c. 14. ex Concilio Carthag. Arauſicano 2. & aliis. Si his fidem detrectent Hæretici, dicant, unde ſciunt alios novi teſtamenti libros, quos admittunt, eſſe Canonicos?

Obj. 2. Illa unctio, de qua Jacobus, erat tantum cæremonia ad ſanandos morbos corporales, quæ ceſſante in Eccleſia dono miraculorum ceſſavit. Ergo. Prob. Ant. 1. Quia eadem erat unctio, ac ea, de qua Marcus 6. ut tenent plures Catholici. Atqui hæc erat tantum ad ſanandos morbos corporales, ut etiam docent plures Catholici, & nos ſupra. Ergo. 2. Quia id indicant verba textus; dicit enim Jacobus: *Oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus*. Ergo. R. N. Ant. 1. Quia Jacobus loquitur tantum de fidelibus infirmis; Epiſtolam enim dirigit ad Eccleſias; donum autem miraculorum erat potius pro infidelibus, quam pro fidelibus, juxta illud ad 1. Cor. 14. *Linguæ in ſignum ſunt, non fidelibus ſed infidelibus*. 2. Jubet vocari Presbyteros; ad ſanandum autem corporaliter vocandi ſunt medici, vel ii, qui habent donum curationum, quod non erat datum omnibus & ſolis Presbyteris. 3. Gratia curationum erat data non ſolum pro infirmis decumbentibus, ſed etiam pro cæcis, claudis, &c.; Jacobus autem loquitur de iis, qui ex infirmitate decumbunt. 4. Jacobus expreſſit effectum ad ſolam animam pertinentem, *Si in peccatis ſit, remittentur ei*. Quod autem addit objectio hanc unctionem fuiſſe temporaneam & ceſſaſſe, ceſſante gratia curationum, probavimus ſupra hoc Jacobi mandatum, ſicut alia, quæ ibidem tradit omnibus Eccleſiis, eſſe abſoluta abſque limitatione temporum, locorum, & perſonarum. Inſuper falſum eſt gratiam curationum etiam per olei unctionem ceſſaſſe in Eccleſia ſtatim poſt Apoſtolos, ut conſtat ex Tertulliano in Scorpiaco ſub initio, ex S. Hieron. in vita S. Hilarionis, ex Aug. l. 22. de civit. ex Theodoreto in hiſtoria Religioſa, ex Severo Sulpitio in vita S. Martini c. 15. & aliis, qui referunt curationes miraculoſas factas Unctione olei.

Ad 1. probationem juxta communiorem ſententiam, ut vidimus, negandum eſt Ant. Sed eo dato, nihil obtinent hæretici, quia Theologi Catholici, qui defendunt identitatem utriuſque Unctionis, contendunt utramque eſſe Sacramentalem: & ideo in hac ſententia neganda

eſt

eſt Min. Ad 2. probationem. Eſto per hæc verba, *Alleviabit eum Dominus*, ſignificetur ſanitas corporalis, ibi non ſiſtit Apoſtolus; ſed etiam exprimit diſerte ſanitatem ſpiritualem, cum dicit, *Et ſi in peccatis ſit, remittentur ei*; ſed & ſalſum eſt his verbis, *Alleviabit eum Dominus*, non ſignificari ſanitatem animæ. Quamvis enim vox Græca, quam Latinus interpres vertit per *Alleviabit*, idem valeat ac *Relevabit*, ſeu *Eriget*; id optime intelligitur de anima, quam gratia Sacramentalis ab anguſtia & anxietate, quam patitur homo proxime moriturus, erigit & relevat; non enim ad corpus pertinet iſtud Epheſ. 1. *Surge, qui dormis*, neque iſtud Rom. 13. *Hora eſt jam nos de ſomno ſurgere*, & ſimilia. Inſuper ſi hæc verba, *Oratio fidei ſalvabit infirmum*, intelligantur de ſanitate corporali, ut quid idem immediate repetiiſſet Apoſtolus?

Inſt. 1. Sacramenta operantur ſuum effectum ex opere operato. Atqui Jacobus tribuit remiſſionem peccatorum operi operantis, ſcilicet fidei miniſtri & ſuſcipientis; *Oratio fidei*, inquit, *ſalvabit infirmum*. Ergo. R. N. Min. Per orationem fidei enim Apoſtolus non intelligit fidem miniſtri, aut ſuſcipientis, ſed ipſam formam Sacramentalem, quæ dicitur *Oratio fidei*, tum quia in fide totius Eccleſiæ Sacramentum adminiſtratur & operatur; tum quia ſola fide intelligitur: quo ſenſu Aug. Tract. 80. in Joan. dixit verbum fidei operari in Baptiſmo, non quia dicitur, ſed quia creditur.

Inſt. 2. Sacramenta abſolute & non conditionate operantur ſuum effectum. Atqui Unctioni Jacobææ effectus non promittitur abſolute, ſed conditionate tantum; Si in peccatis ſit, remittentur ei. Ergo. R. N. Min. 1. Quia his verbis gratia remiſſiva peccati abſolute promittitur; ſed ut de facto remittat peccata, debent ineſſe, eo ſcilicet modo quo in Sacramento Pœnitentiæ confertur abſolutio a peccatis homini jam juſtificato per contritionem perfectam. Inſuper his verbis, *Alleviabit eum Dominus*, promittitur effectus ſine conditione. Appoſuit autem Jacobus conditionem ad remiſſionem peccatorum, quia remiſſio peccatorum non eſt effectus primarius & principalis hujus Sacramenti, ſed ſecundarius tantum, ut dicemus infra. Quidam exiſtimant particulam ſit non ſumi hic pro conditione rei dubiæ, ſed pro conceſſione rei certæ, ut in quibuſdam aliis Scripturæ locis. Verum Trid, ſeſſ. 14. c. 2. ſumit illam conditionate.

Inſt. 3. Juxta Bedam in comment. ſuper hanc Epiſtolam: Apoſtolus his verbis: *Infirmatur quis in vobis*, &c. dat conſilium infirmis, ut a murmuratione contra Deum ſe tueantur. Ergo. R. hanc expoſitionem non eſſe litteralem, ſed moralem. Poſtea autem Beda exponens hæc verba litteraliter explicat ea de unctione infirmorum in oleo per Presbyteros facienda: & in c. 6. Marci agnoſcit aperte Sacramentum Extremæ-Unctionis.

Inſt. 4. Beda ibidem tribuit remiſſionem peccatorum Confeſſioni & Abſolutioni. Similiter Origenes citatus in probatione illam tribuit pœnitentiæ. Ergo. R. utrumque intelligere remiſſionem graviorum peccatorum, non levium, nec reliquiarum ex peccatis. Aſt qua fronte hæc objiciunt Hæretici, qui Confeſſionem abhorrent?

Obj. 3. varia diſcrimina inter noſtram & Jacobæam Unctionem. 1. Jacobæa Unctio ſanabat ægrotos, noſtra non ſanat, ut experientia patet, neque talis effectus exprimitur in ejus forma. 2. Jacobus plures requirit Presbyteros, Catholicis ſufficit unus. 3. Jacobus vult ungi infirmos, in quibus eſt adhuc ſpes ſanitatis, Catholici ungunt tantum in evidenti & proximo mortis periculo, cum nulla eſt amplius ſpes ſanitatis. 4. Per Presbyteros Jacobus intelligit ſeniores, nos adhibemus Sacerdotes. Ergo Unctio, de qua loquitur Apoſtolus, non eſt Extrema Unctio Catholicorum. R. ad 1. noſtra Unctione ſicut Jacobæa ſanari corporaliter ægrotos, quando id eorum ſaluti expedit; nec eſt neceſſe, quod effectus minus principalis, qualis eſt ſanitas corporalis, ſemper obtineatur, neque quod exprimatur in forma, ut patet in Baptiſmo & aliis. Ad 2. quando Jacobus dicit, *inducat Presbyteros*, id eſt aliquem ex Presbyteris, ponendo indefinitum pro definito, ut dum dicimus Presbyteros abſolveru; confer. a. 5. pet. 2. Vel dicendum hoc juſſiſſe Apoſtolum, non ad neceſſitatem, ſed ad ſolemnitatem, prout fit adhuc apud Regulares, apud quos plures orant, dum unus ungit, per quem alii videntur ungere. Ad 3. N. Ant. pro ſecunda parte: nam Canones & Ritualia jubent hoc Sacramentum adminiſtrari, antequam infirmus incipiat & ſpe ſanitatis & ſenſibus deſtitui. Unde Catech. Romanus p. 2. c. 6. n. 9. dicit graviſſime peccare eos, *qui illud tempus ægroti ungendi obſervare ſolent, cum jam omnis ſalutis ſpe amiſſa, vita & ſenſibus carere incipiat*. Ad 4. Quamvis vox Græca *Presbyter* ſit idem ac latine *Senior*; attamen a tempore novi teſtamenti vox *Presbyter*, ſicut vox *Sacerdos*, eſt nomen Officii & dignitatis in Eccleſia, & hoc ſenſu eam accepiſſe Jacobum aperte conſtat ex eo, quod non dicat *Presbyteros* ſimpliciter, neque *Presbyteros* communitatis Laicæ, ſed *Presbyteros Eccleſiæ*. Inſuper cum objicientes velint Jacobum loqui de curatione corporum tantum, non potuit per Presbyteros intelligere ſeniores, cum certum ſit gratiam curationum non fuiſſe omnibus ſenioribus collatam: neque etiam potuit in ſententia Catholica, quia Laici non habent poteſtatem remittendi peccata.

Obj. 4. Tribus primis ſæculis nulla occurrit mentio Extremæ-Unctionis, neque apud Auctorem Conſtitutionum Apoſtolicarum, neque apud Dionyſium Areopagitam, neque apud Cyrillum Joroſol. qui tamen de Sacramentis & Ritibus Eccleſiaſticis accurate ſcripſerunt: item tribus ſubſequentibus ſæculis nullus meminit Extremæ-Unctionis datæ alicui in exitu. Ergo. R. 1. N. Ant. Origenes enim ſæculo tertio Extremæ Unctionis ex Jacobo meminit, ut vidimus. Quantum ad Dionyſium, agit tantum de Officiis Hierarchicis, non de ſingulis Sacramentis; Cyrillus in Catecheſibus Myſtagogicis ea tantum explicat, quæ pertinent ad illuminatos, ſeu recens baptizatos; Clemens autem, ſeu Auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum non obſcure indicat Extremam-Unctionem, dum l. 7. c. 29. refert benedictionem olei cum iſta oratione: *Da vim effectricem ſanitatis, morborum expultricem, dæmonum fugatricem, omnium inſidiarum profligatricem*. R. 2. Dato Ant. N. Conſeq. 1. Quia ex argumento negativo nihil probatur, præſertim cum adſunt in contrarium argumenta poſitiva. 2. Quia notum eſt ex Scriptis priorum ſæculorum plura periiſſe. 3. Quia ex diſciplina Arcani myſteria Religionis occultabantur, & raro ſcriptis referebantur, ut alias diximus. Inter arcana autem Baſilius l. de Spiritu S. c. 27. ſpecialiter recenſet *Olei ſanctionem*. 4. Quia quæ quotidiano uſu frequentantur, & ſunt communis, non ſolent litteris mandari; ſic plures veteres, Euſebius, uterque Gregorius Nazianzenus, & Nyſſenus, Ambroſius, Severus Sulpitius, Metaphraſtes, Hieron. &c. qui plurium mortem deſcribunt, non referunt datum eis Viaticum, ideone ſequitur non fuiſſe datum, cum dari eſſet præſcriptum can. 13. Concilii Nicæni I.?

Inſt. 1. S. Epiphanius hæreſi 37. & Aug. hæreſi 16. inter errores Heracleonitarum recenſent Unctiones Infirmorum. Ergo. R. Extremam-Unctionem, quam frequentat Eccleſia, horum hæreticorum Unctione eſſe priorem, & ab illa longe diverſam. Hi enim, teſte Epiphanio circumgebant oleo aqua mixto, vel unguento ex Balſamo & aqua cum cantilena ſuperſtitioſa Marci præſtigiatoris.

Inſt. 2. Noſtri Theologi non conveniunt de Auctore, materia, forma, & effectu Extremæ-Unctionis. Ergo. R. N. Conſeq. Hæc enim diſſenſio inter Theologos non obſtat, quominus omnes agnoſcat Unctionem, quæ fit in Eccleſia, eſſe verum Sacramentum.

Obj. 5. Omnia Sacramenta novæ Legis ſunt immediate a Chriſto inſtituta. Atqui Extrema-Unctio non fuit immediate a Chriſto inſtituta, ſed a beato Jacobo. Ergo. R. N. min, (*Ibid. a. 3. a.*) Quamvis enim Hugo Vict. Magiſter, & quidam antiqui Scholaſtici ſic olim cenſuerint, id tamen nunc poſt definitionem Tridentini amplius ſuſtineri non poteſt, ſaltem ſine temeritate. Si autem quæras, quando Chriſtus illam inſtituerit? Incertum eſt; veriſimilius tamen dicitur eam inſtituiſſe poſt reſurrectionem, dum loquens de Regno Dei cum Apoſtolis inſtituit Sacramentum Pœnitentiæ, cujus Extrema Unctio eſt complementum. Pro utraque hac reſponſione vide de Sacramentis in genere Diſſert. 5. a. 1.

Inſt. Eorum, quæ Chriſtus inſtituit, fit mentio in Evangelio. Atqui in eo non fit mentio Extremæ-Unctionis. Ergo. R. N. Maj. (*Ibid. ad 1.*) univerſaliter ſumptam. Multa enim Dominus fecit & dixit, quæ in Evangeliis non continentur; illa enim præcipue curaverunt Evangeliſtæ ſcriptis tradere, quæ ad neceſſitatem ſalutis & Eccleſiæ diſpoſitionem pertinent, & ideo potius inſtitutionem Baptiſmi, Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & Ordinis factam a Chriſto narraverunt, quam Extremæ Unctionis, vel Confirmationis, quæ neque ſint de neceſſitate ſalutis, neque ad diſpoſitionem, ſive diſtinctionem Eccleſiæ pertinent. Tamen etiam de olei Unctione fit aliqua mentio in Evangelio Marci 6. ubi dicitur quod Apoſtoli oleo ungebant infirmos, per quod Sacramentum Extremæ-Unctionis inſinuatur, ut dictum eſt.

ARTICULUS II.

De Materia Extremæ-Unctionis.

IN Extrema-Unctione, ſicut in aliis Sacramentis, diſtinguitur duplex materia, ſcilicet remota, quam dicimus oleum, & proxima, quæ eſt olei applicatio ſeu Unctio. De utraque plures quæſtiunculæ controvertuntur ut duplici §. reſolvendæ. Unde ſit

§. I.

§. I. *De Materia remota Extremæ Unctionis.*

SUPPONO tanquam communiter receptum apud Catholicos, materiam remotam Extremæ-Unctionis eſſe oleum olivarum ab Epiſcopo ſpeciali benedictione conſecratum; ſed quæſtio eſt, an hæc omnia ſint de neceſſitate Sacramenti, aut præcepti tantum. Pro cujus reſolutione

Dico 1. (*Ibid. a: 4. c.*) Materia remota Extremæ-Unctionis eſt neceſſario neceſſitate Sacramenti oleum olivarum. Quod ſit oleum (*Ibid. in v. ſ. c.*) patet ex ipſa Jacobi Epiſtola: *Ungentes eum oleo. Quibus verbis*, inquit Trid. ſeſſ. 14. c. 1. *ut ex Apoſtolica Traditione per manus accepta .... intellexit Eccleſia materiam eſſe oleum ab Epiſcopo benedictum.* Idem Patres art. præced. laudati.

Ratio congrua eſt. (*Ibid. c.*) Quia effectus hujus Sacramenti, qui ſunt ſpecialiter, & perfecte ſanare ac linire, ut ſpes, quæ exeuntibus eſt maxime neceſſaria, non frangatur, ſed ſoveatur, reſpondent effectibus corporalibus olei, quod eſt lenitivum & penetrativum uſque ad intima, atque etiam diffuſivum.

Quod ſit oleum olivarum expreſſe tradit Concilium Florent. in Decreto unionis: *Cujus materia*, inquit, *eſt oleum olivæ per Epiſcopos benedictum.* (*Ibid.*) Patet etiam, quia oleum principaliter nominatur olivæ liquor, dicitur enim oleum ab olea; alii autem liquores ſolum ex ſimilitudine ad ipſum olei nomen accipiunt. Ex his colliges oleum debere eſſe ſimplex nullo aliquo liquore permixtum, ita quod ſi tanta eſſet alterius liquoris mixtio, ut deſineret eſſe oleum, nullum foret Sacramentum; ſi vero remaneret oleum, valeret quidem Sacramentum, ſed peccaretur contra præceptum & uſum Eccleſiæ. Quod opponi poſſet ex Innocentio I. require art. præced. probat. v.

Dico (*Ibid. a. 5. c.*) Probabilius eſt requiri de neceſſitate Sacramenti, quod oleum ſit benedictum. Eſt D. Th. Soto, Bellarm. Eſtii, Sylvii, & plurium aliorum, contra plures recentiores, etiam quoſdam Thomiſtas. De mente tamen D. Th. non eſt dubium: hic enim a. 5. ſibi 5. loco proponit hoc argumentum: *Baptiſmus eſt perfectius Sacramentum, quam Extrema-Unctio. Sed in Baptiſmo non præexigitur materiæ ſanctificatio, quantum eſt de* Neceſſitate Sacramenti. *Ergo nec in Extrema Unctione.* In corpore autem articuli dat hanc diſparitatem, quod Chriſtus tactu ſuo ſanctificaverit aquas, eis utendo ad Baptiſmum, non autem oleum infirmorum, quo nunquam uſus eſt: & pro reſponſione ad argumentum propoſitum remittit ad hanc diſparitatem datam in corpore articuli. Manifeſtum eſt S. Doctorem non loqui de neceſſitate præcepti tantum, tum ex ipſis terminis argumenti, tum ex diſparitate data, cum certum ſit benedictionem aquæ baptiſmalis eſſe neceſſariam neceſſitate præcepti. Et 3. p. q. 72. a. 3. probans eamdem rationem eſſe de *neceſſitate Sacramenti* Confirmationis, quod chriſma fuerit prius per Epiſcopum conſecratum, quia ſcilicet Chriſtus non eſt uſus unctione, ſicque materiam ejus non conſecravit, concludit ſic: *Et ideo tam chriſma quam oleum ſanctum Infirmorum prius benedicitur, quam adhibeatur ad uſum Sacramenti.* Miror quoſdam juniores Thomiſtas a mente tam aperta ſui Doctoris, nulla ratione cogente, recedere.

Prob. Concluſio ex Conciliis Florent. & Trid citatis & ex Patribus laudatis a. præced. qui pro materia hujus Sacramenti aſſignant oleum ab Epiſcopo benedictum. Neque valet ſi reſpondeas cum adverſariis benedictionem aſſignari a Conciliis & Patribus, non ut partem materiæ eſſentialem, ſed ut ritum accidentalem ab Eccleſia præceptum. Contra eſt enim. 1. Ritus mere accidentalis non poteſt dici materia Sacramenti, cum materia ſit eſſentialis compoſito. 2. Cum Concilia adjungunt ritum accidentalem materiæ, illum non deſignant in recto, ſed in obliquo, ut patet in ritu accidentali miſcendi aquam vino pro materia Conſecrationis; non enim dicit Concilium Florent. materiam Conſecrationis eſſe vinum mixtum aqua, ſed eſſe vinum, cui admiſcetur modiciſſima aqua. 3. Concilia & Patres non dicunt benedictionem in aliis Sacramentis, puta in Baptiſmo, eſſe materiam Baptiſmi, cum tamen ſit in præcepto. Ratio autem hujus diverſitatis alia eſſe non poteſt, quam quia benedictio pertinet ad eſſentiam Extremæ-Unctionis, & non ad eſſentiam Baptiſmi.

Ratio a priori nulla eſt, niſi voluntas Inſtituentis, quæ nobis ex perpetua Eccleſiæ Traditione conſtat.

Triplicem congruentiam profert Auctor. (*Ibid.*) Prima, quam jam tetigimus, eſt, quia omnis efficacia Sacramentorum a Chriſto deſcendit, & ideo Sacramenta illa, quibus ipſe eſt uſus, habent efficaciam ex ipſo uſu ſuo, ſicut tactu ſuæ carnis vim regenerativam contulit aquis; ſed hoc Sacramentum non eſt uſus, & ideo in omnibus unctionibus requiritur ſanctificatio materiæ. Secunda eſt propter plenitudinem gratiæ, quæ confertur non ſolum ut tollat culpam, ſed etiam reliquias culpæ & infirmitatem corporis. Tertia eſt ex hoc, quod effectus ejus corporalis, ſcilicet ſanatio corporalis, non cauſatur ex materia naturali proprietate; & ideo oportet, quod hæc efficacia ſibi per benedictionem detur.

Dico 3. (*Ibid. a. 6. n.*) Item probabilius eſt requiri de neceſſitate Sacramenti, quod oleum ſit benedictum ab Epiſcopo ſaltem mediate. Concluſio prob. iiſdem auctoritatibus, quibus præcedens, quippe quæ requirunt pro materia Extremæ Unctionis oleum ab Epiſcopo benedictum, ut vidimus. Ratio pariter a priori eſt voluntas Chriſti inſtituentis, quæ nobis Traditione innoteſcit. (*Ibid.*) Ratio autem congrua eſt, ut ſignificetur oleum ſua natura non habere efficaciam ſanandi ſpiritualiter, ſed a Chriſto, a quo cum non ſit uſu benedictum, debet benedici ab Epiſcopo, qui Chriſti perſonam gerit.

Dixi *Saltem mediate*; quia videtur ſufficere, ſi benedicatur a Sacerdote ſimplici ex commiſſione Epiſcopi; Sacerdotes enim Græci, teſte Arcudio l. 5. concordiæ c. 2. & Goario in Notis ad Euchologium Græcorum, atque pluribus aliis, ex commiſſione Epiſcopi benedicunt oleum infirmorum, quoties eo utuntur. Et Clemens VIII. in Conſtitutione 34. ſive in Inſtructione ſuper quibuſdam Ritibus Græcorum edita an. 1568. dicit: *Non ſunt cogendi Presbyteri Græci olea ſancta præter chriſma ab Epiſcopis Latinis Diœceſanis accipere, cum hujuſmodi olea ab eis in ipſa oleorum & Sacramentorum exhibitione ex veteri ritu conficiantur ſeu benedicantur.* Quapropter dicendum Epiſcopum jure ordinario benedicere oleum Infirmorum, Sacerdotem vero ſimplicem jure extraordinario, ſicut diximus de Miniſtro Confirmationis.

Dices. In operibus corporalibus ars dignior nunquam præparat materiam inferiori; quia dignior eſt ars, quæ utitur, ea, quæ præparat, ut dicitur in 2. phyſ. textu 25. Atqui Epiſcopus eſt ſupra Sacerdotem, qui diſpenſat hoc Sacramentum. Ergo non præparat materiam in hoc Sacramento, quo Sacerdos utitur. (*Ibid. a. 2.*) R. D. Maj. Ara dignior nunquam præparat inferiori materiam, in qua ſit aliquid per eum qui ea utitur, C. Materiam, cujus virtute aliquid fit, N. Dicendum itaque, quod materia Sacramenti non eſt talis materia, ut in qua fiat aliquid per eam, qui ea utitur, ſicut eſt in artibus mechanicis, ſed ut ejus virtute aliquid fiat, & ſic participat aliquid de ratione cauſæ agentis, in quantum eſt inſtrumentum quoddam divinæ operationis: & ideo oportet quod a ſuperiori arte, vel poteſtate, talis virtus materiæ acquiratur, quia in cauſis agentibus quanto aliquod agens eſt prius, tanto eſt perfectius: in cauſis autem pure materialibus quanto materia eſt prior, tanto imperfectior.

Petes, utrum ad validitatem Sacramenti ſufficiat benedictio quovis modo facta ab Epiſcopo vel Sacerdote? Reſpondet affirmative noſter Gonet, idque deducit ex hoc, quod ſufficiat benedictio Sacerdotis, qui non benedicit eo ritu, quo benedicit Epiſcopus; vultque ideo Chriſtum requiſiviſſe quidem pro materia Sacramenti benedictionem quoad ſubſtantiam, ſed modum benedicendi reliquiſſe Eccleſiæ, ex quo infert hoc Sacramentum valide adminiſtrari oleo Catechumenorum, non tamen licite, niſi urgeat neceſſitas.

Negat Sylvius; quin, inquit, ſicut ſunt paria non habere inſtrumentum, & habere inſtrumentum impertinens; ita etiam ſunt paria oleum non eſſe benedictum, & eſſe benedictum benedictione impertinenti; benedictio autem olei Catechumenorum, aut chriſmatis eſt impertinens ad unctionem Infirmorum. Ad rationem Goneti reſponderi poteſt, quod licet Sacerdos non benedicat eo ritu, quo benedicit Epiſcopus, ejus tamen benedictio eſt in ordine ad unctionem infirmorum, quod dici non poteſt de benedictione olei Catechumenorum aut chriſmatis. Quamvis autem Chriſtus non determinaverit certum ritum, aut certa verba, determinavit tamen, ut benediceretur benedictione accommodata uſui, ad quem deſtinabat.

Hinc in V. Synodo Mediolanenſi an. 1579. Tom. 15. Concil. pag. 590. ſic ſtatuitur: *Parochus, ſi per errorem aliud oleum, quam quod Infirmorum eſt, ad ægrotum ungendum adhibuerit, etiamſi chriſmatis aut Catechumenorum ſit, ut erratum emendet, olei ſacri, quod proprium Infirmorum eſt, unctionem eidem adhibeat, tuncque Sacramenti formam iteret.* Si autem eſſet validum Sacramentum in oleo Catechumenorum, vel chriſmate, non eſſet iterandum.

Quamvis hæc ſecunda ſententia mihi ſit aliquantulum probabilior, prima tamen non eſt improbabilis, & inde fit, quod oleum Catechumenorum vel chriſma, aut quodvis aliud benedictum ſine ordine & accommodatione ad unctionem infirmorum, ſit materia dubia; qua ideo licet uti in caſu neceſſitatis, ſed non aliter.

Obſervandum 1. ex Rituali Romano de Extrema-Unctione, *oleum Infirmorum, quod ſingulis annis feria V. in Cœna Domini ab Epiſcopo benedicitur, veteri combuſto, renovandum eſſe.* Idque ſub gravi peccato, inquit Parochiale Leodienſe. Si tamen novum deficiat, vetus eſt adhibendum; non enim iſta lex potuit ſtatui in præjudicium ſalutis. Obſervandum 2. ex eodem Rituali poſt Jus Canonicum

nicum

nicum cap. *Quod dubiis* de C.nſec. *quod ſi timeatur, quod oleum benedictum ita deficiat, ut ſufficere non videatur, neque aliud benedictum haberi queat, modico oleo non benedicto in minori quantitate ſuperinfuſo reparari poſſit*. Manet enim tunc idem moraliter oleum, & ideo quod admiſcetur, contrahit aliquo modo benedictionem, non ratione contactus phyſici, ſed ex intentione benedicentis, qui illam dirigit ad iſtud oleum ſuperadditum in minori quantitate; quia, ut dictum eſt, manet idem moraliter oleum.

§. III. *De Materia proxima Extremæ Unctionis.*

MATERIA proxima Sacramenti eſt, ut jam dixi, applicatio materiæ remotæ, conſequenter materia proxima Extremæ Unctionis eſt applicatio Olei, ſeu Unctio; *ungentes oleo*, inquit S. Jacobus.

Suppono circa partes corporis ungendas fuiſſe variam Eccleſiarum particularium diſciplinam, ut conſtat ex diverſis Ritualibus & Ordinibus Sacramentorum relatis a Menardo, Launoy, & Martene. Quædam enim ungebant collum, guttur, ſcapulas: quædam verticem, frontem, genas, tempora, pectus: quædam umbilicum in fœminis: quædam eam corporis partem, in qua vigebat morbus: quædam ſolum caput. Inter Græcos quidam ungebant frontem, faciem, & manus: quidam frontem, mentum, genas, pectus, manus, & pedes. Eccleſia Romana omnium Mater ſeptem Unctiones commemorat, ut habetur in antiquo Pontificali Romano, & in Decreto Concilii Florent. pro inſtructione Armenorum, his verbis: *Hoc Sacramentum, niſi infirmo, de cujus ſalute timetur, dari non debet; qui ungendus eſt in oculis propter viſum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter guſtum vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter greſſum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem*. Similia habet Catech. Rom. p. 2. de Extrema-Unct. n. 10. Quem ungendi ritum quoad quinque ſenſus univerſalis Eccleſia retinet, inquit ibidem idem Catechiſmus; unctio enim renum omittitur in feminis propter decentiam; imo in pluribus locis omittitur etiam in viris.

Quæſtio eſt, an ad eſſentiam Sacramenti ſufficiat una unctio, an plures, & quot requirantur? Quidam volunt ſufficere unam in quacumque corporis parte, modo forma exprimat omnes ſenſus: Sic: *Per iſtam unctionem, &c. indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti per viſum, auditum*, &c. Et ſi urgeat neceſſitas, ſufficere, ſi dicatur, *quidquid deliquiſti per omnes ſenſus*. Alii requirunt quintuplicem Unctionem quinque ſenſuum ſub hac una forma: *Per iſtas ſanctas Unctiones, &c. indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti per viſum, auditum*, &c. Alii tandem requirunt quintuplicem Unctionem quinque ſenſuum, cum forma quintuplici cuilibet Unctioni reſpondente. Quæ ex his opinionibus ſit vera, certo definiri poſſe non arbitror, nulla enim videtur excedere limites probabilitatis. Et ideo

Dico. (*Q. 32. a. 6.*) Probabile eſt quintuplicem Unctionem ſenſuum eſſe de eſſentia Sacramenti. Eſt D. Th. D. Bonav. & plurium aliorum præſertim Thomiſtarum. Sic S. Th. citatus; *illa Unctio ab omnibus obſervatur, quæ fit ad quinque ſenſus, quaſi de neceſſitate Sacramenti*. Nec obſtat particula *quaſi*, non enim ibi eſt minuens, ſed aſſerens, perinde ac ſi dixiſſet; tanquam ſeu qualiter obſervari debent quæ ſunt de neceſſitate Sacramenti. Quo ſenſu Joannes dicit in Evangelio, *Vidimus gloriam ejus quaſi unigeniti a Patre*, id eſt qualem decet unigenitum Patris. Et art. 5. præcedenti probat Unctiones non debere fieri in toto corpore, ſed in partibus, quæ ſunt radices peccatorum. Iſtas autem radices eſſe quinque ſenſus docet hic art. 6.

Prob. Concl. 1. Quia, ut dicit S. Th. ita ab omnibus obſervatur, ex qua univerſali Eccleſiæ praxi colligitur probabiliter hanc quintuplicem Unctionem eſſe de neceſſitate Sacramenti vi inſtitutionis Chriſti. 2. S. Gregorius in ſuo Sacramentario apud Menardum, & Concilium Florent. in Decreto unionis aſſignant has quinque Unctiones. Nec refert, quod Florent. referat inſuper Unctiones renum & pedum, omnes enim has Unctiones refert, quia erant tunc in uſu, ut videretur nullam damnare, quin imo approbare, ſed non in eodem gradu; cujus ſignum eſt, quod iſtæ duæ ultimæ Unctiones in pluribus locis omittantur; nullibi quinque primæ. (*Ibid. & a. 5. c.*) 3. Unctio in hoc Sacramento adhibetur tanquam medicatio ſpiritualis, ideoque ejus ritus ex ſimilitudine medicationis corporalis ſumendus eſt; in corporalibus autem licet totum corpus infirmetur, medicina tamen non applicatur, niſi illi loco ubi eſt radix & origo morbi. Atqui prima radix & origo peccatorum noſtrorum ſunt quinque ſenſus; omnis enim cognitio noſtra eſt a ſenſibus, & nihil eſt volitum quin præcognitum. Ergo. 4. Eccleſia præcipit, ut ſi Miniſter poſt primam vel alteram Unctionem deficiat, alter alias Unctiones perficiat; hoc autem non ſolet Eccleſia præcipere, ubi non agitur de neceſſitate Sacramenti. 5. Plures ex Adverſariis concedunt ſub una Unctione omnes ſenſus in forma debere exprimi, dicendo: *Per iſtam Unctionem indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti per viſum, auditum, odoratum, guſtum & tactum*. Porro ſi quinque ſenſus neceſſario debent exprimi in forma, quare non debent ungi? Hæc ſunt, quæ iſtam Sententiam probabilem efficiunt, ſed nec deeſt Sententiæ contrariæ ſua probabilitas, ut patebit ex argumentis ſequentibus.

Obj. 1. Neque ex Traditione erui poteſt quinque Unctiones aſſignatas eſſe de neceſſitate Sacramenti. Non ex Scriptura; S. Jacobus enim dicit ſimpliciter, *ungentes eum*: quot autem & quæ Unctiones ſint faciendæ non determinat. Sicut ergo ex hoc *Baptizantes eos* eruitur tantum eſſe neceſſariam ablutionem, ſeu immerſionem, non autem neceſſario requiri triplicem, ita ex hoc *ungentes eum* erui non poteſt neceſſariam eſſe quintuplicem Unctionem, ſed Unctionem ſimpliciter. Non ex Traditione; varia enim fuit Eccleſiarum diſciplina circa numerum & locum unctionum, ut dictum eſt ante Concluſionem; & Græci etiam nunc non ungunt omnes ſenſus. Ergo. R. Id erui ex Traditione, quam indicat & probat univerſalis Eccleſiæ uſus, & ex ipſa natura Sacramenti, ut patet ex 3. probatione Concluſionis. Quantum ad probationes in contrarium: quidquid ſit de Eccleſiis particularibus, non ab ipſis, ſed ab Eccleſia Romana repetenda eſt Traditio Eccleſiæ. Quantum ad Græcos, eoſque, ut ſuppono, Catholicos, ſi verum ſit, quod opponitur, dicendum eſt Chriſtum non determinaſſe hujus Sacramenti materiam in ſpecie, ſed in genere tantum, aſſignando Unctionem, quam determinandam in ſpecie Eccleſiæ reliquit. Eccleſia autem ex hac poteſtate ſibi a Chriſto conceſſa approbat ritum Græcorum, & forte approbavit varios ritus Eccleſiarum particularium, ſed tandem omnes ad unum revocavit pro Eccleſia Latina, ſicut dixi de forma Confirmationis art. 6. Obj. 2. Confer.

Inſt. 1. Ex hoc, quod Eccleſiæ praxis a tempore Apoſtolorum ſit adhibere in Baptiſmo trinam immerſionem ſeu infuſionem, non ſequitur, quod hæc trina immerſio, ſeu infuſio, ſit de neceſſitate Sacramenti, ſed præcepti tantum. Ergo ſimiliter de praxi Eccleſiæ quoad quinque Unctiones. R. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod Baptiſmus conferatur per modum ablutionis talis, quia homo poſſit dici ablutus; abluatur autem in hac vel altera parte, in una vel pluribus partibus, ſemper dicitur ablutus. At Extrema-Unctio confertur per modum medicationis; medicatio autem debet applicari malorum radicibus, quæ ſunt quinque ſenſus, ut dictum eſt.

Inſt. 2. Truncati manibus, ſurdi, & cæci a nativitate ſunt capaces Extremæ Unctionis. Atqui ungi non poſſunt in quinque ſenſibus, tum quia illis carent, tum quia iis nunquam peccaverunt. Ergo. R. N. Min. (*Ib. a. 7. c.*) Ii enim ſunt ungendi in partibus ſenſui viciniorībus. Ad 1. Probationem. Quamvis uſu viſus & auditus privetur cæcus & ſurdus, remanent tamen adhuc in oculo & in aure quædam organa potentiæ viſivæ & auditivæ. De manco, quoad ſenſum tactus res eſt aperta, eſt enim in toto corpore. Ad 2. probationem, quamvis aliquibus ſenſibus privati iis non peccaverint actu externo, potuerunt tamen peccare interius, voluntate & deſiderio iis male utendi.

Obj. 3. Paſtorale Mechlinienſe an. 1589. approbatum ab Academia Lovanienſi tradit, inſtante periculo ut tempore peſtis vel morbi contagioſi, ſufficere ungi unum ſenſum magis obvium ſub hac forma: *Per iſtam ſanctam Unctionem indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti per viſum, odoratum, guſtum, & tactum*. Similiter plura alia Ritualia; quædam etiam docent ſufficere, ſi dicatur, *Quidquid deliquiſti per quinque ſenſus*, quæ tamen Ritualia non improbat Eccleſia. Ergo. R. Hæc Ritualia tradere ſententiam, quam fatemur eſſe probabilem, & quam ideo non reprobat Eccleſia. Quin imo ob hujus ſententiæ probabilitatem nos ipſi dicimus, quod dum, neceſſitate urgente, fieri non poſſunt quinque Unctiones, una ſit adhibenda ſub una vel altera forma in objectione, ſecundum quod neceſſitas magis, aut minus urget: cum enim non certo conſtet de invaliditate Sacramenti ſic collati, melius eſt in extremis conferri dubium, quam nullum. Addo tamen quantum ad Paſtorale Mechlinienſe, illud fuiſſe hac in parte emendatum an. 1607. quod non negat Sylvius, acerrimus hujus 2. ſententiæ defenſor.

Obſervanda circa Unctiones.

1. UNCTIONES ſunt faciendæ per modum crucis, non de neceſſitate Sacramenti, ſed præcepti, ex Ritualibus. 2. Ungendi ſunt. 1. Oculi, deinde aures, 3. Nares. 4. Labia. 5. Pectus, ubi ungitur. 6. Manus. Item 1. Ungendus eſt oculus dexter, auris dextera, &c. ex Ri-

Ritualibus. 3. Quantum ad Unctionem membrorum, quæ ſunt gemina in homine, ut duo oculi, duæ aures, &c. utrumque eſt ungendum ſub una forma, cum duplici tamen cruce. Caveat autem Sacerdos, ne Sacramenti formam abſolvat, priuſquam ambo hujuſmodi paria membra perunxerit. Ita Rituale Romanum. 4. Si antequam abſolutæ ſunt Unctiones moriatur infirmus, ibi ſiſtat Sacerdos, nec quidquam Sacramenti addat. Si vero dubium ſit an vivat, proſequatur ſub hac conditione, *Si vivis*. 5. Plura Ritualia præcipiunt Unctiones fieri pollice intincto: quædam, virgula intincta: quiſque ſequatur ritum ſuæ Eccleſiæ: id enim non pertinet ad neceſſitatem Sacramenti, 6. Juxta Rituale Romanum, & plura alia, manus Sacerdotum inunguntur exterius, aliorum interius; quia Sacerdotes in ſua ordinatione fuerunt uncti ab Epiſcopo in vola manus; & ideo incongruum videtur, ut ibidem ungantur a ſimplici Sacerdote. Quædam tamen, ut Paſtorale Mechlinienſe, ſtatuunt Sacerdotes & Epiſcopos eſſe ungendos in vola manus. Quiſque iterum ut ante ſequatur ritum ſuæ Eccleſiæ, quamdiu non improbatur a ſum. Pontificibus. Pedes autem ſemper unguntur in ſuperiori parte, ne ſanctum oleum videatur calcari.

Petes, utrum ſit validum Sacramentum, ſi quinque ſenſus ungantur ſub una forma, illos omnes diſtincte exprimente? Reſpondet negative noſter Gonet; tum quia cum ſint diſtinctæ materiæ partiales ſcilicet Unctiones, debent ſingulis reſpondere formæ partiales; tum quia quælibet ex iſtis Unctionibus habet ſpecialem effectum, ſignificandum proinde per ſpecialem formam. At forte poſſet reſponderi, quod hæc forma ſit virtualiter multiplex, & æquivaleat pluribus particularibus; ſicque quod cuilibet Unctioni correſpondeat ſua forma, & ſpecialem cujuslibet effectum ſignificet.

ARTICULUS III.

De forma Extremæ-Unctionis.

SUPPONO 1. (*Q. 29. a. 7. c.*) hujus Sacramenti, ſicut cæterorum, non eſſe aliquam formam contra quoſdam antiquos, quorum ſententiam præſumptuoſam & erroneam vocat Auctor hic. Patet 1. ex Jacobo dicente; *Orent ſuper eum, ungentes ... & oratio fidei ſalvabit infirmum*. 2. ex uſu utriuſque Eccleſiæ. 3. ex Concilio Florent. in Decreto unionis, & Trid. ſeſſ. 14. c. 4. Denique ratione Auctoris; quia omne Sacramentum efficit ſignificando; ſignificatio autem materiæ non determinatur ad effectum determinatum, cum ad multa ſe habere poſſit, niſi per formam, & ideo in omnibus Sacramentis novæ Legis, quæ efficiunt, quod figurant, oportet eſſe res & verba. Suppono 2. Formam ordinariam, quam tradunt Florentinum, Trid. & Rituale Romanum, quamque uſurpat Eccleſia Latina, eſſe hanc: *Per iſtam ſanctam Unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Deus, quidquid deliquiſti per viſum*, dum unguntur oculi; *Per auditum*, dum unguntur aures, & ſic de cæteris. Quæ verba ſint eſſentialia, dicemus infra.

Controverſia eſt, utrum forma hujus Sacramenti neceſſario debeat eſſe deprecativa, ita ut indicativa non ſufficiat? Negant poſt Morinum, Launojum, Menardum, Martene, plures Recentiores Scholaſtici, Juenin, Tornely, & alii; id etiam negarunt olim Albertus Magnus, Paludanus, Eſtius, Navarrus. Affirmant Thomiſtæ & Scotiſtæ cum SS. Th. & Bonav. & communius alii Theologi, cum quibus

Dico. (*Ibid. a. 8. c.*) Forma Extremæ Unctionis eſt neceſſario deprecativa, nec ſufficit indicativa. Prob. 1. Ex ipſa S. Jacobi Epiſtola. *Orent*, inquit, *ſuper eum ungentes oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum*; ubi per Unctionem & orationem exprimuntur materia & forma hujus Sacramenti, ut docet Trid. ſeſſ. 14. c. 1. *Quibus verbis*, inquit, *ut ex Apoſtolica traditione, per manus accepta, Eccleſia didicit, docet materiam, formam ... hujus Sacramenti*. 2. Ex Floren. in Decreto unionis, & ex Trid. citato, ubi ſubjungit: *Intellexit enim Eccleſia ... formam eſſe illa verba, per iſtam Unctionem*, &c. 3. Ex traditione quam ibidem aſſerit Trid. 4. Ex praxi univerſalis Eccleſiæ Græcæ & Latinæ: de Latina conſtat. Item de Græca: hæc enim eſt illius forma, teſte Arcudio l. 5. Concord. *Pater ſancte, medice animarum & corporum, ſana ſervum tuum hunc ab illa, quæ ipſum detinet, corporis & animæ infirmitate*.

5. Suadetur congruentiis. 1. (*Ib.*) Quia ſuſcipiens hoc Sacramentum eſt viribus propriis deſtitutus ad exercendos actus virtutum, qui ſunt neceſſarii ad uberiorem fructum Sacramenti, & ideo indiget orationibus ſublevari. 2. Quia datur exeuntibus, qui jam deſinunt eſſe de foro Eccleſiæ, & in ſolius Dei, ad cujus tribunal ſiſti debent, manu requieſcunt; unde & ei per orationem committuntur. 3. Quia hoc Sacramentum non habet infallibiliter aliquem effectum, qui ſemper ex operatione Miniſtri ſequatur, etiam omnibus, quæ ſunt de eſſentia Sacramenti, rite peractis, ut eſt character in Baptiſmo, Confirmatione, & Ordine, Tranſubſtantiatio in Euchariſtia, remiſſio peccatorum in Pœnitentia, exiſtente contritione, quæ eſt de eſſentia Sacramenti Pœnitentiæ, non autem de eſſentia hujus Sacramenti: ita ut poſitis omnibus eſſentialibus poſſit hoc Sacramentum eſſe validum, & tamen nullum prorſus habere effectum, neque ſpiritualem propter indiſpoſitionem ſubjecti, neque corporalem, quia non expedit: & ideo in hoc Sacramento non poteſt eſſe forma indicativi modi, ſicut in aliis Sacramentis.

Obj. 1. Albertus Magnus, & S. Bonav. referunt hanc antiquam formam, quæ dicitur Ambroſiana, quod putetur fuiſſe in uſu in Eccleſia Mediolanenſi tempore S. Ambroſii: *Ungo te oleo ſanctificato, in nomine Patris & Filii & Spiritus S. more militis uncti, præparatus ad certamen, aereas poſſis ſuperare poteſtates*. Arcudius laudat hanc Venetorum formam, quam dicit a Leone X. approbatam: *Ungo te oleo ſancto, ut hac unctione protectus fortiter ſtare valeas adverſus aereas catervas in nomine Patris, &c.* Plures alias referunt Menardus, Launojus, Martene, & alii ſcrutatores antiquitatum. Atqui hæ formæ ſunt indicativæ. Ergo.

Reſpondet S. Th. (*Ibid. ad. 3.*) quod verba illa indicativi modi, quæ ſecundum morem quorumdam præmittuntur orationi, non ſunt forma hujus Sacramenti, ſed ſunt diſpoſitio ad formam, in quantum intentio Miniſtri determinatur ad actum illum per illa verba. Et nota S. Th. referre tantum in argumento hæc prima verba: *Ungo hos oculos oleo ſanctificato in nomine Patris; &c.* Dato tamen in his verbis, quæ retulimus, contineri formam eſſentialem, R. 2. has formas non eſſe ſolum indicativas, ſed etiam deprecativas. Hæc enim verba, *ut poſſis, ut valeas in nomine Patris*, &c. dicuntur optative, quod eſt deprecari Deum, ut tanquam cauſa principalis hunc effectum producat. Similis eſt illa, qua utuntur Atrebatenſes circa eos, qui non ſunt morti proximi: *Ungo hos oculos oleo ſanctificato in nomine Patris & Filii & Spiritus S. ut quidquid illicite viſu deliquiſti, hujus olei unctione expietur, per Chriſtum Dominum noſtrum*. Idem dicendum de aliis ſimilibus antiquis formulis. Quod ſi quædam proferantur nullo modo deprecativæ, cenſemus fuiſſe inſufficientes, nec unquam ab Eccleſia probatas.

Obj. 2. Ex his verbis; *Baptizantes eos*, &c. colligimus hanc formam; *Ego te baptizo*. Ergo ex his: *Ungentes eum*, colligere debemus iſtam: *Ego te ungo*. R. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod his verbis, *ungentes eum*, præmittatur, *orent ſuper eum*. Ex quo colligitur hæc verba, *ungo te*, non eſſe formam, niſi deprecative proferantur; nihil autem tale legimus in his verbis, *baptizantes eos*. Quin imo retorqueo argumentum, Ex eo quod Scriptura dicat: *Baptizantes eos in nomine Patris*, &c. colligimus expreſſionem Trinitatis pertinere ad formam eſſentialem Baptiſmi. Ergo ex eo quod dicat, *orent ſuper eos, ungentes*, colligitur orationem pertinere ad formam eſſentialem.

Inſt. 1. Effectus orationis non eſt infallibilis. Atqui tamen effectus ſacramentalis quantum eſt ex ſe, eſt infallibilis, Ergo. R. D. Ant. Effectus orationis, ut eſt opus operantis, non eſt infallibilis, C. Ut eſt opus ex inſtitutione Chriſti elevatum ad eſſe ſacramentale, N.

Inſt. 2. Juxta S. Th. 3. p. q. 84. a 2. ad 1, in abſolutione ſacramentali non ſufficit dicere, miſereatur tui Deus; quia per talia verba Sacerdos non ſignificat abſolutionem fieri, ſed petit ut fiat. Ergo ſimiliter hic. R. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod in Sacramento Pœnitentiæ Sacerdos agat Judicem; Judicis autem eſt proferre ſententiam; quæ ratio non currit in hoc Sacramento.

Inferes 1. Ergo ſaltem Sacerdos non cauſat gratiam, quam petit tantum dari. R. N. illationem. Quia hoc ipſo quo profert formam a Chriſto inſtitutam ad cauſandam gratiam, ſive ſit deprecatoria, ſive indicativa, gratiam cauſat.

Inferes 2. Ergo Sacerdos voluntarie diſtractus in collatione hujus Sacramenti nihil efficit; non enim orat, cum, ſecundum nos, attentio ſaltem virtualis requiratur ad orationem. Quidam concedunt illationem. At melius videtur neganda; quia validitas Sacramenti non pendet ab oratione Sacerdotis ut eſt opus operantis, ſed ut eſt Sacramentalis, & habet efficaciam ex meritis Chriſti. Nec refert, quod ipſe ut perſona particularis non oret; manet enim nihilominus forma deprecativa, & per ipſam tanquam per Miniſtrum Eccleſiæ orat ut fit in orationibus communibus.

Petes 1. Quæ verba formæ ſupra deſcriptæ ſint eſſentialia? R. hoc verbum *Sanctam* non eſſe eſſentiale, illius enim non meminerunt Florent. & Trid. neque hæc, *& ſuam piiſſimam miſericordiam*; quia ſufficienter indicatur miſericordia per To *indulgeat*. Neque iſta, *In nomine Patris*, &c. quia infirmi non unguntur ut confirmati ad de-

fen-

Digitized by Google

ſendendam fidem, cujus præcipuum objectum eſt Trinitas. Iſta vero, *per iſtam unctionem*, aut alia unctionem ſaltem implicite ſignificantia, ſunt eſſentialia; quia alias, cum oleum ſit indifferens ad multa, non ſatis determinaretur per formam ad unctionem; ſicut ſi in Baptiſmi forma omitteretur *te baptizo*, ut ſuo loco vidimus. Dixi; aut alia unctionem ſaltem implicite ſignificantia; quia in hac forma Græcorum: *Pater ſancte, Medice animarum & corporum, ſana, &c.* unctio importatur tantum implicite per Tò *Medice* & *ſana*. Item iſta, *Indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti*, ſunt eſſentialia, utpote per quæ ſignificatur effectus principalis Sacramenti. Quidam tamen negant de iſtis verbis, *quidquid deliquiſti*; quia exiſtimant ſufficienter ſignificari pro *Indulgeat*. At falluntur: ſignificatio enim hujus verbi *indulgere* longe latior & generalior eſt, quam iſtorum, condonare ſeu remittere delicta. *Indulgeo*, inquit Calepinus, ſignificat *obſequor, conſentio, inſervio, facile concedo, plus æquo remitto*. Unde omittendo *quidquid deliquiſti* non ſignificaretur determinate principalis effectus Sacramenti, qui eſt remiſſio peccatorum.

Supereſt dubium de expreſſione cujuslibet ſeorſus, dicendo *per viſum, per auditum*, &c. an ſit eſſentialis? Quidam negant, quia in forma Græcorum, Ambroſiana, & Veneta, quas diximus valere, omittitur. Alii affirmant, quia per unam unctionem & formam illi reſpondentem non remittuntur quorumcumque peccatorum reliquiæ, ſed eorum tantum, quæ per illum ſenſum particularem commiſſa ſunt, & ideo videtur exprimendus. At forte poſſet dici hanc rationem eſſe convenientem, ſed non cogentem. Quidquid ſit, res eſt dubia, & ideo nunquam omittenda expreſſio ſenſuum. Item quamvis abſque iis, quæ diximus non eſſe eſſentialia, ſubſiſteret Sacramentum, peccaret tamen, qui ea omitteret, graviter, vel leviter pro quantitate aut qualitate materiæ.

Petes 2. Utrum hoc Sacramentum, non obſtantibus pluribus materiis & formis, ſit unum? R. (*Ib. a. 2. o.*) affirmative; quia illæ plures materiæ & formæ partiales ordinantur ad unum & eundem finem ſeu effectum, ſcilicet ad ſignificandam & cauſandam perfectam curationem vulnerum ſpiritualium, ad quod requiritur, quod Medicina applicetur diverſis radicibus vulnerum: Sacramentum autem, cum ſit artefactum morale, deſumit unitatem ab unitate finis, ad quem ex inſtitutione Chriſti ordinatur; ſicut licet in domo ſint plures partes, quia tamen ad unum totalem finem ordinantur, conſtituunt unam domum, unum ædificium.

ARTICULUS IV.

De Effectibus Extremæ-Unctionis.

EXTREMÆ Unctionis effectus recenſet Trid. ſeſſ. 14. c. 2. hoc modo. *Res porro & effectus hujus Sacramenti illis verbis explicatur:* Et oratio fidei ſalvabit infirmum; & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei: *Res etenim hæc, gratia eſt Spiritus S. cujus unctio delicta, ſi quæ ſint adhuc expianda, ac peccati reliquias abſtergit, & ægroti animam alleviat & confirmat, magnam in Deo divinæ miſericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus ſublevatus & morbi incommoda ac labores levius fert, & tentationibus Dæmonis calcaneo inſidiantis facilius reſiſtit & ſanitatem corporis interdum, ubi ſaluti animæ expedierit, conſequitur.*

Controvertitur inter Theologos, quis ex illis effectibus ſit primarius & principalis, ſeu ad quem primo per ſe & principaliter ſit inſtituta Extrema-Unctio? Bellarminus, quem ſequitur Tournely cum quibuſdam aliis, aſſignat remiſſionem peccatorum tam mortalium quam venialium poſt Confeſſionem & Communionem remanentium, ſive quia omiſſa ſunt inadvertenter in Confeſſione, ſive quia poſt Confeſſionem & Viaticum commiſſa ſunt. Scotus & Scotiſtæ aſſignant remiſſionem peccatorum venialium tantum. Thomiſtæ cum ſuo Duce gratiam ſeu augmentum gratiæ corroborantis animam contra torporem & debilitatem ad actus virtutum relictam ex peccatis præcedentibus, aliaſque tentationes ac difficultates ex parte dæmonis aut aliunde tunc occurrentes.

Dico 1. (*Hic q. 30. a. 1. o.*) Primarius & principalis effectus Extremæ-Unctionis non eſt remiſſio peccatorum ſive mortalium, ſive venialium. Prob. 1. pars. (*Ib.*) Extrema-Unctio eſt inſtituta per modum curationis & ſanationis. Atqui medicatio & ſanatio ſupponit vitam in eo, quem ſanat. Ergo Extrema Unctio ſupponit vitam ſpiritualem, conſequenter abſentiam peccati mortalis, per quod vita animæ tollitur.

Confir. Secundum omnes Theologos ſunt tantum duo Sacramenta mortuorum, ſcilicet Baptiſmus per modum generationis, & Pœnitentia per modum ſuſcitationis. Atqui ſi Extrema-Unctio ſit inſtituta per ſe primo ad remittenda peccata mortalia, erit etiam Sacramentum mortuorum. Ergo. Multas differentias excogitat Tournely inter Baptiſmum & Pœnitentiam ex una parte, & Extremam-Unctionem ex altera, ſed nulla evincit Extremam-Unctionem, ſi ſit primario inſtituta ad remittenda peccata mortalia, non eſſe Sacramentum mortuorum.

Prob. 2. pars 1. (*Ib.*) Sacramentum Pœnitentiæ, vi ſuæ inſtitutionis, ſufficiens eſt ad tollenda omnia peccata venialia. Ergo non debuit aliud inſtitui pro eorum remiſſione. 2. Nullum Sacramentum (*3. p. q. 65. a. 1. ad 8.*) novæ Legis eſt per ſe primum inſtitutum contra peccata venialia. Ergo. Prob. Ant. In quolibet peccato gratia infunditur. Atqui ad remiſſionem peccati venialis non requiritur infuſio gratiæ. Ergo. 3. Si hoc Sacramentum eſſet directe inſtitutum ad remiſſionem venialium, deberet miniſtrari tam ſanis quam infirmis. Atqui, &c. Ergo.

Si dicas effectum hujus Sacramenti non eſſe remiſſionem venialium ſimpliciter, ſed remiſſionem in exitu finalem, ne ſint impedimentum gloriæ; quia congruebat ut a venialibus, in quæ frequenter labimur, etiam poſt acceptum Pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramentum, mundaremur ante hujus mundi exitum. Contra. Ex hac Reſponſione ſequitur 1. Quod non debeat conferri hoc Sacramentum niſi in ipſo articulo mortis, quando non eſt amplius periculum peccandi. 2. Quod debeat conferri damnatis ad mortem. Utrumque autem eſt falſum. Inſuper in Sacramento, quod eſt primario inſtitutum ad remittenda peccata, non attenditur ad tempus præteritum, vel futurum, neque quod committi iterum non poſſint, ſed ſufficit, quod commiſſa ſint & poſſint deleri.

Dico 2. (*Ib.*) Effectus primarius & principalis Extremæ-Unctionis eſt gratia ſeu augmentum gratiæ habitualis connotantis ſpecialia auxilia contra proclivitatem in malum, torporem, & debilitatem ad bonum ex peccatis præcedentibus relictas, quæ ideo dicuntur reliquiæ peccatorum. Prob. (*Ib.*) Hoc Sacramentum cum ſit medicatio & ſanatio, eſt primario & principaliter inſtitutum contra hos defectus, quibus homo ſpiritualiter infirmatur, ut non habeat perfectum vigorem ad actus vitæ, gratiæ, vel gloriæ. Atqui hic defectus nihil aliud eſt, quam quidam languor, debilitas, & ineptitudo ad hos actus, quæ in nobis relinquuntur ex peccato originali vel actuali. Ergo.

Confir. Effectus abſolutus proprius & principalis hujus Sacramenti eſt tollere reliquias peccatorum, ut dicit Trid. cit. Atqui per reliquias peccatorum nihil aliud intelligi poteſt, quam iſte languor & iſta debilitas ad actus virtutum. Ergo. Probat. Min. Non poteſt intelligi per reliquias peccatorum macula, ſeu reatus pœnę ęternę; hęc enim tolluntur per Pœnitentiam: non reatus pœnæ temporalis; tum quia contra hunc etiam ordinatur ſecundario Sacramentum Pœnitentiæ; tum quia ſi remiſſio hujus reatus foret effectus principalis & primarius Extremæ-Unctionis, ſequeretur, quod infirmus recipiens hoc Sacramentum cum debita diſpoſitione nihil amplius haberet luendum; Sacramentum enim infallibiliter operatur ſuum effectum primarium in ſubjecto bene diſpoſito: non fomes peccati, aut habitus vitioſus; quia utrumque remanet in infirmo uncto: non denique peccata poſt Confeſſionem & Viaticum commiſſa: patet ex 1. Concluſione; ſed inſuper, ut aliquid ſit reliquia alterius, non ſufficit, quod illi ſuccedat, ſed debet habere aliquam connexionem cum ipſo tanquam pars vel effectus illius; ſic partes ciborum in prandio remanentes dicuntur reliquiæ prandii, quia ſunt partes illius; ſic macies, pallor, debilitas dicuntur reliquiæ morbi; quia ſunt effectus illius. Nox vero non dicitur reliquia diei, neque dies reliquia noctis, licet ſibi ſuccedant. Atqui peccata poſt Confeſſionem & Communionem commiſſa ſæpe nullam habent connexionem cum præcedentibus ut pars aut effectus illorum. Ergo.

Hæc porro gratia ſanans, quam ponimus pro effectu primario & principali hujus Sacramenti corroborat animam, tum ad ſuperandum tentationes & inſultus dæmonum tunc maxime urgentes, tum ad levius & facilius ferenda morbi incommoda, ſpemque erigit in divinam miſericordiam; ſic enim ſanatur languor & debilitas ad bonum, ac tandem remittit peccata, ſi quædam reperiantur, non ſolum ex ratione generica Sacramenti, quatenus confert gratiam incompoſſibilem cum peccato, quod eſt commune omnibus Sacramentis; ſed etiam ut videtur ex ſua ratione ſpecifica, & inſtitutione, non quidem primaria, ſed ſecundaria; dicit enim Jacobus, & poſt Tridentinum citatum, eſſe inſtitutum ad remiſſionem peccatorum, ſi quæ ſint. Primum aſſerit Doctor, ſecundum non negat.

Obj. Remiſſio peccatorum aſſignatur pro effectu hujus Sacramenti a S. Jacobo & a Trid. citato: *Si in peccatis ſit*, inquit Apoſtolus, *remittentur ei. Delicta*, inquit Concilium, *ſi quæ ſint adhuc expianda, abſtergit*, Ergo. R. nos etiam dicere remiſſionem peccatorum eſſe effectum hujus Sacramenti, ſed ſecundarium, nec aliquid plus

ea his auctoritatibus poteſt evitari, maxime cum loquantur conditionate. Effectus enim principalis & primarius alicujus Sacramenti ſemper & abſolute ſequitur, niſi recipiens ponat obicem.

Inſt. 1. Ille eſt effectus primarius & principalis Sacramenti, qui importatur in ejus forma. Atqui remiſſio peccatorum importatur in forma Extremæ Unctionis; fert enim, *quidquid deliquiſti*, &c. Ergo. R. 1. hunc effectum non importari in formulis Ambroſiana, & Veneta, ut vidimus, quia tamen ut validas recipiunt nobiſcum Adverſarii, 2. D. Maj. Ille eſt effectus primarius & principalis Sacramenti, qui importatur in ejus forma independanter a materia, N. In ejus forma cum materia ſeu proportionaliter ad materiam, C. Totum enim Sacramentum ſignificat. Porro materia ſeu Unctio ſignificat ſanationem & curationem, quæ ſupponit vitam, conſequenter abſentiam peccati. *Nam Unctio*, inquit Trid. ſeſſ. 14. c. 1. *aptiſſime Spiritus S. gratiam, quæ inviſibiliter anima ægrotantis inungitur, repræſentat*. Dicendum itaque hic poni cauſam pro effectu & per To *Deliquiſti*, ſeu *delicta*, intelligi effectus ſeu reliquias delictorum, quo ſenſu Apoſtolus Rom. 7. fomitem relictum ex peccato originali appellat peccatum. Sic etiam loquitur S. Th. hic a. 1. o. dum dicit: *Per hoc Sacramentum peccata ſemper remitti, non quoad culpam, quia non ſemper invenit, ſed quoad debilitatem prædictam, quas dicimus reliquias peccati.*

Inſt. 2. Poteſt contingere, quod Infirmus poſt Sacramentum Pœnitentiæ & Euchariſtiæ committat peccatum mortale, cui non ſe credat obnoxium, aut quod non rite priorem Confeſſionem & Communionem perfecerit, & illud item ignoret. Videtur autem ad Providentiam Dei pertinere, ut ſit aliquod Sacramentum horum peccatorum remiſſivum, quod non eſt aliud quam Extrema-Unctio. Ergo. R. ad hos caſus raro contingentes ſufficere, quod Extrema Unctio ſecundario remittat peccata.

Inſt. 3. ex Th. 4. cont. Gentes cap. 73. ubi dicit: *Contingit, quod homo omnium peccatorum, quæ commiſit, notitiam vel memoriam non habet, ut poſſit per pœnitentiam ſingula expurgare, a quibus oportet hominem in ſuo exitu per hoc Sacramentum emundari.* Et in Supp. quæſt. 30. artic. 1. *Si invenit peccatum aliquod*, inquit, *vel mortale, vel veniale, quoad culpam tollit ipſum, dummodo non ponatur obex ex parte recipientis*. Ergo. Ita Honoratus Tournely. R. mirum ſane & pluſquam mirum S. Th. dicere opinionem eo ipſo in loco, in quo ipſam ex profeſſo impugnat; noſtræ enim probationes ſunt ejus rationes loco cit. Sup. quas ſic concludit: *Unde dicendum quod* principalis effectus *hujus Sacramenti eſt remiſſio peccatorum quoad* reliquias *peccati, & ex* conſequenti *etiam quoad culpam, ſi eam inveniat*. In his verbis autem ex eodem articulo objectis, oſcitanter admodum, ne quid plus dicam, omiſſa ſunt hæc immediate præcedentia: *Sed quia hoc robur gratia facit, quæ ſecum non compatitur peccatum, ideo* Ex conſequenti, *ſi invenerit peccatum, &c.* Eodem ſenſu intelligendus eſt textus cont. Gent. de remiſſione peccati, quoad reliquias, & ex conſequenti, & ſecundario quoad culpam.

Dico 3. (*Ib. n. 3. c.*) Effectus ſecundarius Extremæ Unctionis eſt ſanitas corporalis non abſolute, ſed conditionate, ſi animæ expediat. Indicatur hic effectus his Jacobi verbis: *Oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus*; ſalus enim iſta & alleviatio ſic primario ſpectat animam, ut etiam ſecondario comprehendat ſanitatem corporis; & ita aſſeritur a Conc. Flor. in Decreto unionis, & a Trid. citato. Hanc autem ſanationem corporalem (*Ib.*) facit, non ex proprietate naturali materiæ, ſed ex virtute divina, quæ rationabiliter operatur. Et quia ratio operans nunquam inducit ſecundarium effectum, niſi ſecundum quod expedit ad principalem, ideo ex hoc Sacramento non ſemper ſequitur corporalis ſanatio, ſed quando expedit ad ſanationem ſpiritualem, & tunc ſemper eam inducit, dummodo non ſit impedimentum ex parte recipientis.

Si dicas inde ſequi ſanitatem, quandoque fore miraculoſam, quando nempe tanta eſt violentia morbi, ut ſanari non poſſit naturaliter. Atqui tamen effectus Sacramenti non dicitur miraculoſus. Ergo. R. Quod quamvis hic effectus ſuperet vires naturæ, quia tamen, attenta virtute, quam Deus Sacramento indidit, quæque juvat cauſas naturales, producitur ſecundum potentiam ordinariam, ideo dicitur miraculoſus.

Petes. Quandonam iſtud Sacramentum producat ſuum effectum, an poſt primam, an poſt ultimam Unctionem? R. (*Ib. a. 2. ad 3.*) Producere poſt ultimam; quia cum ſecundum nos omnes quinque Unctiones ſint de eſſentia Sacramenti, non eſt completum niſi poſt quintam Unctionem; non producit autem effectum, niſi ſit eſſentialiter completum. *Quando*, inquit Auctor, *ſunt multæ actiones ordinatæ ad eundem effectum, ultima eſt formalis reſpectu omnium præcedentium, & agit in virtute earum; & ideo in ultima actione gratia infunditur, quæ effectum Sacramenti præbet.*

ARTICULUS V.

De Miniſtro Extremæ-Unctionis.

Dico. (*Ib. q. 31. a. 1. & 2. o.*) Solus Sacerdos eſt Miniſter Extremæ Unctionis. Prob. Ex illo Jacobi: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ*, &c. Per Presbyteros autem intelligi non ætate ſeniores e populo, ut contendunt Hæretici, ſed Sacerdotio initiatos evincunt monimenta ſequentia. 1. Quia licet vox Græca *Presbyter*, ſecundum etymologiam, ſignificet ætate ſeniorem; attamen in Scriptura novi Teſtamenti, ubicumque agitur de muniis Eccleſiaſticis, per Presbyteros nunquam intelliguntur ætate ſeniores, ſed gradus & Sacerdotii dignitate majores, ut Act. 14. v. 22. 14. v. 2. 1. ad Tim. 5. v. 17. & 19. Petri 5. v. 1. Item initio 2. & 3. Joannis. 2. Jacobus non dicit *Presbyter* ſimpliciter, ſed *Presbyter Eccleſiæ*, aperte ſignificans per ſe eos intelligere, non qui præſunt Communitati ſæculari, ſed Eccleſiæ. 3. Quia dicit inducendos eſſe Presbyteros, ut orent ſuper infirmum, ut illum ungant in nomine Domini, & inde allevietur, ac remittantur ei peccata; quæ omnia non ætate ſenibus, ſed Sacerdotibus competunt; ad hæc enim, ut patet, impertinens eſt ætas ſenilis. 4. De Sacerdotibus intellexerunt Patres laudati a. 1. 5. Perpetuus Eccleſiæ uſus. 6. Denique pariter Concilium Flor. & Trid. in cujus ſeſſ. 14. can. 4. ſic definitur: *Si quis dixerit Presbyteros Eccleſiæ, quos B. Jacobus adducendos eſſe ad infirmum inungendum hortatur, non eſſe Sacerdotes ab Epiſcopo ordinatos, ſed ætate ſeniores in quavis communitate, ob idque proprium Extremæ-Unctionis Miniſtrum non eſſe ſolum Sacerdotem; anathema ſit*. Unde concluſio eſt de fide.

Suadetur rationibus. 1. Sacramentum Extremæ Unctionis eſt conſummativum Pœnitentiæ, ut dicit Trid. Seſſ. 14. c. 1. & patet ex ejus inſtitutione. Ergo illius adminiſtratio pertinet ad eos, ad quos pertinet Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtratio, qui ſunt Sacerdotes, conſummatio enim operis pertinet ad digniorem Miniſtrum. 2. Quandoque ætate juvenes provehuntur ad Sacerdotium aut Epiſcopatum, ut Timotheus; abſurdum autem foret his præferri ſenes Laicos in hac ſacra Unctione perficienda.

Dices. Innocentius I. Ep. ad Decentium, explicans hæc Jacobi verba: *Infirmatur quis*, &c. dicit: *Non eſt dubium de fidelibus ægrotantibus intelligi debere, qui ſancto oleo Chriſmatis perungi poſſunt, quo ab Epiſcopo confecto non ſolum Sacerdotibus, ſed omnibus Chriſtianis uti licet, in ſua aut ſuorum neceſſitate inungendo*. Et venerab. Beda in c. 5. Ep. S. Jacobi monet infirmos, ut *Seniorum adjutorio carnes ſe meminerint, neque ad juniores minuſque doctos cauſam ſuæ imbecillitatis deferant*. Ergo. R. hæc duo teſtimonia ſenſu hæreticorum intellecta ſibi contradicere; juxta primum enim quilibet fidelis eſt extremæ Unctionis Miniſter; juxta ſecundum ſeniores tantum ſunt Miniſtri. Hæc ipſi concilient, antequam ea nobis opponant. Sed hoc præmiſſo, ad Innocentium, R. 1. cum Dom. Soto, quem plures ſequuntur, intelligendum non eſſe de Unctione Sacramentali, ſed de Chriſtiano & pio Ritu ad ſanitatem corporis recuperandam, ſecundum morem hujus temporis, ut refert Auctor hic a. 1. in a. ſ. c. de Solitariis Ægyptiacis, & de S. Genovefa. Hæc interpretatio eſt Dominici Soto, quam plures amplectuntur. Nec refert, quod poſtea loquatur de Unctione Sacramentali, dum ſtatim ſubjungit: *Cæterum illud ſuperfluum videmus adjectum ut de Epiſcopo ambigatur, quod Presbyteris licere non dubium eſt*. Nihil enim obſtat, quod in una periodo loquatur de Unctione Sacramentali, & in altera de non Sacramentali, cum id exigit amplitudo materiæ. Imo hæc verba ſequentia probant ipſum in prioribus non fuiſſe locutum de Unctione Sacramentali, alioquin inepte adjeciſſet eam licere Epiſcopis, quam conceſſiſſet Laicis; aut non dixiſſet eam licere Epiſcopis, cum liceat Presbyteris, ſed cum liceat ipſis Laicis.

R. 2. Juxta aliam explicationem, etiam bene probabilem Bellarmini, Janſenii Grandenſis, Eſtii, Sylvii, &c. Innocentium in prioribus verbis locutum fuiſſe de Unctione paſſiva, & non activa, & To *inungendo* intellexiſſe paſſive, & non active. Sic enim abſolute poſitum ſæpe habet ſignificationem paſſivam; ut dum Virgilius Egl. 7. dicit: *Frigidus in pratis cantando* (id eſt dum cantatur) *rumpitur anguis*. Hanc interpretationem eſſe legitimam, colligitur 1. Quia ſi Innocentius in prioribus verbis dixiſſet Laicos eſſe Miniſtros hujus Sacramenti, non adjeciſſet in ſequentibus, id licere Epiſcopis, quod licet Presbyteris, ſed dixiſſet, id omnibus promiſcue, & Epiſcopis, & Presbyteris, & Laicis licere. 2. Quia ſi *Inungendo* ſumeretur active & non paſſive, ſequeretur, quod infirmi poſſent ſe ipſos ſacramentaliter ungere, dicit enim: *In ſua, aut ſuorum neceſſitate inungendo*. Ad Bedam, R. ipſum ibi loqui de Confeſſione, ut patet ex his verbis; *Cauſam ſuæ imbecillitatis deferant*; & merito conſulit quan-

Digitized by Google

quantum ad hoc, accedendum eſſe ad ſeniores potiuſquam ad juniores & minus doctos. Intelligebat enim Beda textum Jacobi non ſolum de Extrema-Unctione, ſed etiam de Sacramento Pœnitentiæ, propter verba quæ ſequuntur in Apoſtolo; *Confitemini alterutrum peccata veſtra*. Unde hæc verba; *Infirmatur quis in vobis*, &c. interpretatur non ſolum de corporis, ſed etiam de animæ infirmitate. At paulo poſt verba, quæ objiciuntur, dicit: *Orent ſuper eum ungentes oleo ... Eccleſiæ conſuetudo tenet, ut infirmi oleo conſecrato ungantur* a Presbyteris, *& oratione comitante ſanentur*.

Petes 1. Utrum quilibet Sacerdos poſſit hoc Sacramentum conferre? R. Poteſt quilibet Sacerdos excommunicatus, aut degradatus valide conferre: non poteſt licite, niſi ſit Parochus, aut alter de ejus licentia.

Ratio 1. partis eſt, quia poteſtas valide conferendi hoc Sacramentum non ineſt Sacerdoti ratione juriſdictionis, licet hæc requiratur, ut licite conferatur, ſed ratione Ordinis: Non enim dixit S. Jacobus; Inducat Parochum aut Epiſcopum, ſed *Presbyteros*. Neque hoc Sacramentum exercetur per modum judicii, ſicut Sacramentum Pœnitentiæ, quod idem requirit juriſdictionem in judice. Ratio 2. partis eſt: quia ad Paſtorem pertinet paſcere oves, quod officium potiſſimum exercetur in adminiſtratione Sacramentorum. Et ideo Baptiſmus quantumvis neceſſarius, debet tamen, extra caſum neceſſitatis, miniſtrari a Parocho. Hinc Clementina de Privilegiis l. 5. tit. 7. excommunicantur ipſo facto excommunicatione Papæ reſervata Religioſi, qui ſine Parochi licentia Clericis aut Laicis Sacramentum Extremæ Unctionis, vel Euchariſtiæ miniſtrant, matrimoniave ſolemnizant. Id tamen intellige ſecundum communem interpretationem contra Navarrum, extra caſum neceſſitatis; ſi enim Paſtor eſſet abſens, aut ſi præſens nollet conferre Sacramentum; poſſet alter quilibet Sacerdos, ſive Sæcularis, ſive Regularis, licite & abſque periculo cenſuræ, illud adminiſtrare: intentio enim Eccleſiæ fuit impedire, ne Regulares prætextu privilegiorum involarent in jura Paſtorum, non vero fraudare fideles hoc ſalubri Sacramento, dum neceſſitas urget.

Petes 2. Quot requirantur Sacerdotes in adminiſtratione hujus Sacramenti? R. 1. diverſam in hoc fuiſſe, & etiamnum eſſe Eccleſiæ diſciplinam. Græci, teſte Arcudio l. 4. concord. Allatio de conſenſ. Eccleſiæ Orient. & Occident. c. 16. Goario in Euchologio Græcorum & Simeone Theſſalon. l. de Sacramentis, advocant ſeptem Sacerdotes, aut ſaltem tres. Eccleſiam Latinam etiam plures olim adhibuiſſe colligimus ex libro Sacramentorum S. Gregorii pag. 253. apud Menardum, ubi legitur: *Multi enim Sacerdotum infirmos perungeant ſuſuper in quinque ſenſus*. Item ex codice Rotaldi & S. Remigii Rhemenſis; ex Raynero, qui refert Valdenſes hoc Sacramentum contempſiſſe, eo quod ad illius adminiſtrationem advocarentur plures Sacerdotes, quorum quiſque pretium exigebat: unde dicebatur Sacramentum divitum: ex S. Th. l. 4. cont. Gent. c. 73. ubi dicit: *Quod hoc Sacramentum perfectæ curationis effectum habet, & in eo requiritur copia gratiæ, competit huic Sacramento quod multi Sacerdotes interſint, & quod oratio totius Eccleſiæ effectum hujus Sacramenti adjuvet*: & ex S. Carolo, qui in Concilio Mediolanenſi 4. p. 2. c. 6. admonet, ut miniſtraturus Extremam-Unctionem, quot commode poteſt, Presbyteros & Clericos advocet, *qui ipſum miniſtrantem & precantem pietatis orationiſque ſtudio in eo miniſterio adjuvent*: ubi nota plures Sacerdotes requiri, ſaltem a D. Th. & S. Carolo, non ut omnes Sacramentum adminiſtrent, ſed ut precibus ſuis miniſtrantem adjuvent.

R. 2. 2. (*l. 4. cont. gent. c. 73.*) Abſolute ſufficere unum Sacerdotem hujus Sacramenti. Prob. 1. Ex jure cap. *Quæſivit* extra: tit. 40. de verborum ſignificationibus, ubi Alexander III. ait, *quod Sacerdos, uno præſente Clerico, & etiam ſolus poteſt infirmum ungere*. Idem definivit Benedictus XIV. feliciter regnans conſtit. *Etſi Paſtoralis* ſuper Ritibus Græcorum §. 5. 2. Ex S. Th. cit. *Si tamen*, inquit, *unus ſolus Presbyter adſit, intelligitur hoc Sacramentum perficere in virtute totius Eccleſiæ, cujus miniſter exiſtit, & cujus perſonam gerit*. 3. ex variis exemplis antiquis, S. Eugendi 6. ſæculo, S. Mauræ a ſolo Prudentio Tricaſſino unctæ, & aliis apud Edmundum Martene. 4. Ex Rituali Romano Pauli V. & praxi totius Eccleſiæ Latinæ. Denique non eſt ratio, cur ad hoc Sacramentum, potiuſquam ad cætera, non ſufficiat unus Sacerdos.

Unum duntaxat opponi poteſt, ſcilicet illud Jacobi: *Inducat Presbyteros*. Sed ut jam ſuperius monui, id dictum eſt per *Enallagen* ſeu mutationem numeri, quaſi dixiſſet, aliquem ex Presbyteris, ſicut ſolemus dicere nos confiteri peccata Sacerdotibus, id eſt alicui ex Sacerdotibus, quæ figura non eſt infrequens in Scriptura & Patribus. Sic Matth. 27. dicitur: *Latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei*, id eſt, unus ex latronibus, ut habetur Luc. 23. Similiter ibid. *Illudebant autem ei & milites accedentes & acetum offerentes ei*; & tamen id ab uno tantum factum narrant Matt. 27. & Marc. 15. Sic etiam Aug. Serm. 33. de diverſis, nunc 324. ſcribit mulierem detuliſſe infantem a S. Stephano reſuſcitatum ad Presbyteros baptizandum, id eſt ad aliquem Presbyterorum. Similiter l. 3. de conſenſu Evang. c. 16. pluries. Vide Eſtium in Ep. Jacobi. Inſuper dato Jacobum intellexiſſe plures Presbyteros, evinci non poteſt eos requiſiviſſe ad neceſſitatem Sacramenti, & non potius ad ſolemnitatem, uno ſcilicet conferente Sacramentum, aliis juvantibus & orantibus, ac quaſi per manum illius ungentibus, eo fere modo quo ad conſecrationem Epiſcopi plures concurrunt, uno tantum conſecrante ſecundum probabilem ſententiam.

Petes 3. Utrum hoc Sacramentum a pluribus collatum ſit validum? R. ſub diſtinctione. Si unus ungat & alter formam proferat, eſt invalidum; quia dum materia proxima Sacramenti eſt actio Miniſtri, debet ab eo determinari per formam, ut patet in Baptiſmo, Confirmatione, & aliis, idque colligitur ex verbis Jacobi, *Orent ſuper eum ungentes*, quibus innuitur eundem eſſe, qui ungit & qui orat, ſeu formam profert. Atque ita definivit laudatus Pontifex hodiernus in Conſtitutione ſuperius citata. Quod ſi ritus contrarius legatur in quibuſdam antiquis codicibus, ut quidam referunt; reſpondendum, vel hos codices eſſe mendoſos, vel eſſe abuſum, qui, inſcia Eccleſia, apud aliquos irrepſit. Si vero dum unus ungit unum ſenſum, proferendo formam huic Unctioni reſpondentem, alter ſimul vel ſucceſſive ungat alterum ſenſum ſimiliter cum partiali forma reſpondente, validum eſt Sacramentum; quia cum conſtet pluribus materiis & formis partialibus, poteſt a pluribus valide confici. Sicut contingeret in Sacramento Euchariſtiæ, ſi unus conſecraret panem, & eo deficiente alter vinum. Hoc tamen eſt illicitum, quia eſt contra praxim Eccleſiæ, niſi forte in caſu neceſſitatis, dum crederetur moriturus infirmus, priuſquam unus omnes Unctiones perfeciſſet.

ARTICULUS VI.

De ſubjecto Extremæ-Unctionis.

Dico 1. (*Ibid. q. 32. a. 1. & 2. o.*) Extrema-Unctio non debet conferri niſi infirmis, iiſque periculoſe decumbentibus. Prob. 1. pars 1. ex illo Jacobi: *Infirmatur quis in vobis*, Et, *Oratio fidei ſalvabit infirmum*. Ex Synodis Florent. & Trid. mox citandis. 3. Ex Patribus a. 1. laudatis. 4. Ex perpetua Eccleſiæ praxi. (*Ib. a. 1.*) 5. Ratione; quia quæ geruntur interius in Sacramentis, ſignificantur per aliquid exterius, ſicut ablutio interior in Baptiſmo ſignificatur per ablutionem exteriorem. Atqui Extrema Unctio confertur per modum curationis interioris, Ergo ſignificari debet per curationem corporalem, quæ ſupponit infirmitatem. Si dicas Pœnitentiam eſſe ſuſcitationem interiorem, & tamen non ſignificari per ſuſcitationem exteriorem, non enim pœnitens debet eſſe corporaliter mortuus; R. quod quamvis Pœnitentia ſit equidem ſuſcitatio, non confertur tamen per modum ſuſcitationis, ſed per modum judicii, quod etiam ſignificatur exterius.

Oppones inſuper praxim Græcorum, qui paſſim ſanos ungunt, ut referunt Arcudius ipſe natione Græcus l. 5. de Extrema-Unctione, Allatius l. 3. de conſenſu Eccleſiæ Occid. & Orient. c. 13. & noſter Goarius in notis ad Euchologium Græcorum. Reſpondet ipſe Arcudius hanc ſuæ gentis praxim, in quam acriter invehit, eſſe abuſum, Sacris Litteris & Græcorum ſcriptorum teſtimoniis contrarium, quem quorumdam illiteratorum audacia & turpis lucri cupiditas invexerunt, ut revera innuit ipſa forma, qua utuntur: *Pater Sancte*, Medice *animarum & Corporum, ſana ſervum tuum hunc ab illa, quæ ipſum detinet*, Corporis *& animæ infirmitate*. Reſpondent Recentiores poſt noſtrum Goar hanc Græcorum Unctionem non eſſe Sacramentalem, ſed cæremonialem, quia quamvis fiat ſub forma Sacramentali, *Pater Sancte, medice* &c., ut ſupra; attamen ex adjunctis circumſtantiis, atque ex intentione conferentium & ſuſcipientium, non adhibetur ut Sacramentum, ſed ut cæremonia. Nec refert etiam hanc Unctionem a quibuſdam Recentioribus Græcis vocari Sacramentum, vel enim ſumunt Sacramentum in latiori ſignificatione, vel errant in notione Sacramenti. Hæc Goarii Reſponſio eo verior videtur, quod Latini nunquam Græcos hac in parte reprehenderint.

Prob. 2. pars 1. Quia Tò *Infirmatur* & præſertim Tò *Infirmum* in textu Jacobi, juxta Interpretes, ſignificant græce deficientem & graviori morbo laborantem. 2. Ex Florentino in Decreto unionis. *Hoc Sacramentum*, inquit, *niſi Infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet*. Quæ verba ex Angelico Doctore opuſc. 5. citato mutuavit.

Et ex Trid. ſeſſ. 14. c. 3. ubi ait; *Declaratur etiam eſſe hanc unctionem Infirmis adhibendam, illis vero præſertim qui tam periculoſe decumbant, ut in exitu vitæ conſtituti videantur: unde & Sacramentum exeuntium nuncupatur.* Ubi obſervanda eſt hæc particula, *præſertim*, qua ſignificatur, etiam periculoſe ægrotantibus, licet non tam periculoſe, ut videantur in exitu conſtituti, eſſe conferendum. 3. Ex variis Conciliis Provincialibus, & ex perpetua praxi totius Eccleſiæ ſaltem Occidentalis, quæ nullibi legitur unquam contuliſſe hoc Sacramentum niſi periculoſe laborantibus. 4. Ratione. (*Ibid. a. 2.*) Quia hoc Sacramentum eſt inſtitutum ut ultimum remedium ut ſic homines in ſua infirmitate juventur & immediate diſponantur ad gloriam. Unde dicitur Extrema-Unctio & Sacramentum exeuntium. Ergo nonniſi periculoſe decumbentibus conferri debet.

Si petas, an poſt vel ante Viaticum ſit conferendum? R. viguiſſe olim apud plurimos conſuetudinem, Extremam Unctionem præmittendi Viatico. Id conſtat ex Pœnitentiali Theodori Cantuarienſis ſcripto circa finem ſeptimi ſæculi, in quo legitur: *Sacra unctione olei innocti ſecundum ſtatuta anctorum Patrum communione Viatici reficiantur.* Refertur c. *Ad Infirm.* 1. cauſa 26. q. 7. Item ex Capitularibus Caroli Magni c. 142. ex Concilio Aquiſgranenſi an. 836. & ex pluribus aliis veteribus monumentis; quæ referunt Launojus, Martene, Van Eſpene, & ex ipſis recentiores Theologi. Imo Rituale Pariſienſe Eminentiſſ. Card. Noallii, teſte Hunor. Tournely præſcribit: *ut quoties cum oleo Infirmorum Viaticum ad ægrotum defertur, antequam æger Viaticum ſumat, ungatur a Sacerdote.* Neque ab iſta praxi alienus videtur Auctor, dum 3. p. q. 65. a. 3. o. ſcribit, quod *per Extremam-Unctionem præparatur homo ad digne ſumendum corpus Chriſti.*

Attamen hanc conſuetudinem non fuiſſe generalem evincunt, ſermo S. Cæſarii 6 ſæculo in Appendice operum S. Aug. n. 65. in quo legitur; *Quoties aliqua infirmitas ſupervenerit, corpus & ſanguinem Chriſti ille, qui ægrotat, accipiat, & inde corpuſculum ungat*; MS. Pontificalis Romani vetuſtiſſimum aſſervatum Florentiæ in Conventum FF. Minorum Conventualium S. Crucis, teſte Patre Mabillonio in itinere Ital. p. 164. Capitularia Iſaac Lingonenſis, qui adfuit Concilio Tullenſi an. 859. in quo legitur: *In infirmitate poſiti abſque dilatione reconcilientur, & Viaticum viventes accipiant, & benedictione ſacrati olei non careant.* Denique, omiſſis aliis, conſuetudo Eccleſiæ Romanæ antiquiſſima, cujus initium non legitur; idque ex primis Patribus ortum habere creditur. Et cum iſta praxis ſit nunc communis, ſervanda eſt, ſic tamen, quod ex juſta cauſa poſſit ſine piaculo contraria admitti, puta ſi infirmus ob vomitum, aut oppreſſionem ſubitam non poſſit communicare; & poſtea ceſſet periculum vomitus, aut recuperet uſum ſenſuum, & perſeveret infirmitas, prius inunctus poteſt licite Euchariſtiam recipere. Quin imo quidam volunt id licere ex ſolo melioris diſpoſitionis ad Euchariſtiam deſiderio.

Cæterum hæc 2. pars Concluſionis non ſic eſt intelligenda, quaſi expectari debeat ultima vitæ periodus, in qua infirmus ſenſibus deſtitutus jam agit animam, ut ungatur. Perverſa eſt & perniciosa hæc praxis, quam immerito Eccleſiæ imponant Hæretici, quippe quæ a pluribus Synodis Provincialibus damnatur maxime a Catech. Romano 2. p. de Extrema-Unctione n. 28. ubi dicit eos graviſſime peccare, qui *illud tempus ægroti ungendi obſervare ſolent, cum jam omni ſpe ſalutis amiſſa, vita & ſenſibus carere incipiat; conſtat enim ad uberiorem Sacramenti gratiam percipiendam plurimum valere, ſi ægrotus, cum in eo adhuc integra mens & ratio viget, fidemque & religioſam animi voluntatem offerre poteſt, ſacro oleo liniatur.* Sufficit ergo, quod periculoſe infirmetur; ſeu, ut dicit Auctor, quod ægritudo nata ſit inducere mortem, & de periculo timeatur.

Ex dictis colliges 1. hoc Sacramentum collatum ſano, aut non periculoſe ægrotanti, eſſe irritum; quia cum ſit inſtitutum pro periculoſe decumbentibus, ſubjectum non eſt capax. Colliges 2. non eſſe conferendum eis, qui ſano corpore ſunt in periculo mortis, ut capite plectendi, prælium aut periculoſam navigationem ingreſſuri, mulier proxima partui; quia licet de eorum morte timeatur, non ſunt tamen infirmi. Colliges 3. e contra ungendos eſſe ſenes, qui licet nulla ſpeciali infirmitate detineantur, ipſa tamen decrepita ſenectute ad oculum deficiunt, & creduntur proxime morituri; quia gravis ſenectus & virium deficientia morbus eſt. Item ungendi ſunt veneno infecti, lethaliter vulnerati, &c. quia licet vi vel fraude ab extrinſeco illata infirmentur, vere tamen ſunt infirmi. Item qui ſubito oppreſſi non perierunt, nec petere poſſunt Sacramentum, ſi Religionem Catholicam ſint profeſſi; quia inde præſumuntur illud deſiderare, ut dictum eſt de Sacramento Pœnitentiæ.

Dubium eſt de muliere in ipſo actuali partu periculoſe laborante. Quidam negant, quidam affirmant, quibus ſubſcribo; quia videtur vera infirmitas ex ipſa pariendi difficultate orta. Dicit Steyaertius in Belgii partibus, accedente conſuetudine, rem eſſe tutam.

Dico 2. (*Ib. a. 3. & 4.*) Neque pueris ante uſum rationis neque perpetuo amentibus conferri debet hoc Sacramentum: quia eſt inſtitutum contra reliquias peccatorum, ſive Sacramentum Pœnitentiæ, cujus eſt conſummativum, eſt inſtitutum contra peccata: ſicut ergo pueri & perpetuo amentes ſunt incapaces Sacramenti Pœnitentiæ, quia nunquam peccaverunt, ita & Extremæ-Unctionis.

Dices. Sunt capaces augmenti gratiæ. Ergo & hujus Sacramenti. R. N. Conſeq. Sicut enim, quamvis ſint capaces augmenti gratiæ, non tamen ideo ſunt capaces Sacramenti Pœnitentiæ, quia non eſt inſtitutum pro illis; ita eadem ratione non ſunt capaces Extremæ-Unctionis, licet ſint capaces augmenti gratiæ.

Inſt. Poteſt erga illos verificari forma hæc Extremæ-Unctionis: *Indulgeat*, &c. ſicut verificatur forma Baptiſmi erga illum, in quo nec eſt nec fuit peccatum originale, ut in B. Virgine ſecundum piam ſententiam; quia ſicut ſignificatio ſacramentalis formæ Baptiſmi ex inſtitutione Chriſti non eſt, te abluo a peccato originali, ſed tibi confero Sacramentum Baptiſmi, ut alibi diximus; ita ſignificatio ſacramentalis formæ hujus Sacramenti eſt, confero tibi Sacramentum Extremæ-Unctionis. Ergo ſicut valet Baptiſmus in caſu aſſignato, ita & Extrema-Unctio. R. omiſſo Ant. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod Baptiſmus non ſit tantum inſtitutus ad deletionem peccati originalis, ſed etiam ut homo incorporetur Chriſto & Eccleſiæ, fiatque capax aliorum Sacramentorum. At Sacramentum Extremæ-Unctionis eſt inſtitutum contra peccata actualia, ſicut Sacramentum Pœnitentiæ, cujus eſt complementum. Unde qui nunquam peccaverunt actualiter, neutrius ſunt capaces: ſicut e contra qui peccaverunt, quamvis nihil remaneat de peccatis, ſunt utriuſque capaces. Nec argumenta a pari hic urgent, cum totum pendeat a voluntate Chriſti Sacramenta inſtituentis. Omiſi Ant. quia poteſt negari. Non enim erga pueros, & perpetuo amentes, magis verificaretur forma ſacramentalis Extremæ Unctionis, quam forma Pœnitentiæ: utraque eſſet falſa, quia ſignificaret conferri Sacramentum, quod non eſſet Sacramentum, cum ſubjectum eſſet incapax, non ſecus ac ſi mortuus, aut jam baptizatus baptizaretur.

Si inſtes. Juxta S. Th. ſupra q. 30. a. 1. o. hoc Sacramentum conferri contra debilitatem ex peccato actuali vel originali. R. S. Doctorem hic a. 4. ad 3. ſeſe explicare; cum enim idem argumentum ſibi oppoſuiſſet, reſpondet, quod non detur contra reliquias peccati originalis, niſi ſecundum quod ſunt per actualia peccata confortatæ.

Ex his colliges 1. probabilius loquendo non eſſe conferendum hoc Sacramentum his, qui licet potuerint peccare, nunquam tamen peccaverunt, ſi caſus ſit moraliter poſſibilis; neque B. Virginem hoc Sacramentum ſuſcepiſſe, neque illius fuiſſe capacem, quippe quæ nunquam nequidem venialiter peccavit. Colliges 2. e contra conferendum eſſe amentibus, qui aliquando habuerunt uſum rationis, ſi ex profeſſione Chriſtiana præſumi poſſit, quod illud voluiſſent, ſi advertiſſent, ſicut dictum eſt de ſubito oppreſſis; quia jure præſumuntur peccaſſe. Neque obſtat, quod Auctor hic a. 3. & 4. requirat ad hoc Sacramentum motum liberi arbitrii, imo devotionem actualem; vel enim intelligit de diſpoſitione convenienti & non neceſſaria, vel de motu liberi arbitrii & actuali devotione, quæ ſit, aut fuit, nec eſt revocata, quo ſenſu dicitur actualis; ſi quidem doceat 3. p. q. 79. a. 8. quod qui eſt voluntarie diſtractus in ſuſceptione Euchariſtiæ, poſſit conſequi augmentum gratiæ. Et q. 80. art. 9. dicat illis amentibus conferendam eſſe Euchariſtiam, qui prius dum erant ſui compotes, devotionem ad illam habuerunt.

Colliges 3. pueros, qui utuntur ratione, eſſe hujus Sacramenti capaces, etiam antequam admittantur ad Communionem; uſus tamen in pluribus locis obtinuit, ut ipſis denegetur. Qua ratione? Non ſatis apparet; cum enim admittantur ad Sacramentum Pœnitentiæ, cur non ad Sacramentum Extremæ-Unctionis, quod eſt Pœnitentiæ completivum, & quod ipſis prodeſſe poteſt? Aliunde non requiritur tanta diſcretio ad hoc Sacramentum, ſicut ad Sacramentum Euchariſtiæ. Forte timent Parentes, ne ſi ſui liberi ungantur, jure funeralia majorennium ſolvere cogantur. At hæc ratio levis eſt; & aliunde eam urgere non deberent Paſtores, cum Majorennes fiant, non ex caſu fortuito, ſed ex jure communi. Colliges denique ex dictis in toto articulo, ſubjectum Extremæ-Unctionis eſſe hominem baptizatum periculoſe ægrotantem, qui habeat aut habuit uſum rationis, & aliquando peccavit actualiter. De Baptiſmo nihil diximus, ſed

ſup-

ſuppoſuimus; quia ſine Baptiſmo nemo eſt capax aliorum Sacramentorum cum ſit janua ad illa, ut alibi dictum eſt: neque Eccleſia unquam Extremam Unctionem non baptizatis etiam Catechumenis ferventiſſimis conceſſit.

ARTICULUS VII.

De obligatione ſuſcipiendi & adminiſtrandi Extremam Unctionem; necnon de ejus iteratione ac de diſpoſitione ad illam; per Quæſtiunculas.

PEtes 1. Utrum hoc Sacramentum ſit neceſſarium ad ſalutem? R. 1. Non eſt vi ſuæ inſtitutionis neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem. Eſt communis & certa: tum quia ſupponit gratiam & amicitiam Dei per pœnitentiam, cujus eſt complementum: tum quia gratia confortans animum ægroti poteſt aliunde haberi.

R. 2. Neque videtur neceſſarium neceſſitate præcepti divini vel humani per ſe directe obligantis. Eſt communior cum Auctore 3. p. q. 65. a. 4. o. Ubi dicit hoc Sacramentum non eſſe neceſſarium, ſed utile tantum. Ratio eſt; quia nullum aſſignari poteſt præceptum ſtricte per ſe obligans ad ſuſceptionem hujus Sacramenti, ſive in Scriptura, ſive in Traditione, ſive in Decretis Conciliorum, aut Summorum Pontificum. Non debet autem aſſeri præceptum ſine gravi & aperto fundamento, Ergo. Maj. patebit ex Sol. Obj. Unde

Obj. præceptum hoc reperiri 1. In Scriptura in his Jacobi verbis: *Inducat Presbyteros Eccleſiæ*. 2. In Concilio Trid. Seſſ. 14. cap. 3. ubi ait: *Nulla ratione audiendi ſunt, qui ... docent hanc unctionem vel figmentum eſſe humanum, vel ritum a Patribus acceptum, nec mandatum Dei, nec promiſſionem gratiæ habentem*. 3. In Concilio Cabilonenſi an. 813. Can. 48. ubi legitur: *Secundum B. Apoſtoli Jacobi documentum, cui etiam documenta Patrum conſentiunt, infirmi oleo quod ab Epiſcopis benedicitur, a Presbyteris ungi debent*. 4. In Concilio Colonienſi an. 1538. dicente: *Hæc ſacra Unctio impendatur cum expoſitione mandati Apoſtoli*. Ergo. R. ex his omnibus erui non poſſe præceptum ſtricte & per ſe obligans quemlibet fidelem periculoſe decumbentem ad ſuſceptionem hujus Sacramenti. In primis hæ voces *inducat*, *debent*, non important neceſſario præceptum rigoroſum: his enim & ſimilibus vocibus ſæpe utimur in iis, quæ non ſunt ſtricte præcepta; ut cum dicimus, fidelis audiat ſæpe Sacrum, frequenter adſit divinis Officii, frequenter confiteatur; vel, fideles debent frequenter confiteri, ſæpe audire Miſſam, frequenter adeſſe divinis Officiis, & tamen de his non eſt præceptum ſtricte obligans. Inſuper dato his vocibus, ſicut & iſta *Mandatum* importari ſtrictum præceptum; intelligi debent de præcepto vel quoad ipſam inſtitutionem Sacramenti, quod eſt mandatum & præceptum ut exiſteret; vel reſpective ad Miniſtros, quibus præceptum eſt illud conferre & tali modo conferre fidelibus petentibus, Reſponſionis noſtræ veritas conſtat 1. ex Innocentio I. ad Decentium, ubi expendens verba Jacobi dicit: *Fideles ægroti ſancto Oleo perungi poſſunt*. Et, *Eo omnibus Chriſtianis uti licet*; quibus verbis nullum innuitur præceptum. 2. Ex Trid. Seſſ. 14. c. 1. in quo ait hoc Sacramentum fuiſſe per Jacobum Apoſtolum, *Fidelibus commendatum & promulgatum*, ubi nihil de præcepto: & c. 3. addit: *Nec vero tanti Sacramenti contemptus abſque ingenti ſcelere & ipſius Spiritus S. injuria eſſe poſſet*. Quibus verbis damnantur, qui contemnunt, non qui non ſuſcipiunt hoc Sacramentum. 3. Quia Eccleſia cap. *Quod in te* de Pœnit. & Remiſſ. tempore interdicti denegat Extremam Unctionem graviter infirmis, licet concedat Euchariſtiam & Pœnitentiam; non denegaret autem, ſi eſſet præcepti maxime divini.

Si reponas cum Tournely effectum hujus Sacramenti, ſcilicet gratiam confortantem, in hac extrema lucta eſſe maxime neceſſarium. R. 1. Hoc argumento probari hoc Sacramentum eſſe neceſſarium neceſſitate medii, quod negat objiciens. 2. R. hunc effectum poſſe abſolute aliunde obtineri.

Dixi, *per ſe directe obligantis*: omnes enim conveniunt, quod per accidens ratione ſcilicet ſingularis periculi, contemptus, aut ſcandali, quilibet teneatur hoc Sacramentum ſuſcipere: quia ſcandalum & rerum divinarum contemptus ſtricte probibentur, & quilibet ſaluti ſuæ providere tenetur per media, quæ hic & nunc reputantur abſolute neceſſaria. Unde ſi infirmus tentationibus ſolito gravioribus concuteretur, quas vix aut ne vix poſſet ſuperare, ad illud teneretur: item oblatum non poſſet ſine cauſa abſolute recuſare ratione ſcandali & præſumpti contemptus, etſi forte non eſſet. Confer de Confirmat. a. 8. §. 2. Cæterum hæc dicta ſint ſpeculative diſputando. Quantum ad praxim, cum ſoleant urgere tentationes in hoc ultimo agone, ad quas ſuperandas hoc Sacramentum eſt inſtitutum, magnam ſalutis ſuæ incuriam & de ſe præſumptionem oſtenderet, qui illud negligeret aut recuſaret.

Petes 2. Utrum Paſtor teneatur hoc Sacramentum ſuis Parochianis adminiſtrare cum evidenti vitæ ſuæ periculo, ut contingit tempore peſtis, aut alterius morbi contagioſi? Suppono ante Reſponſionem, Parochum extra caſum evidentis periculi vitæ, etſi aliquod leve & remotum ſubſit, teneri ex juſtitia hoc Sacramentum ſuis Parochianis miniſtrare; quia officium Paſtoris eſt paſcere oves, quod fit maxime per adminiſtrationem Sacramentorum; hoc ergo fungi tenetur Paſtor etiam cum aliquo ſuo incommodo & periculo. Quantum vero ad alios Sacerdotes, tenentur tantum, deficiente Paſtore, ex charitate, quæ licet communiter non obliget ſub mortali, ſi tamen eſſet caſus, in quo hoc Sacramentum judicaretur neceſſarium ſaluti moribundi, de quo modo, obligaret ſub mortali. His ſuppoſitis, ad Petitionem R. adhibita quorundam diſtinctione, quæ nobis probatur. Vel infirmus ſupponitur accepiſſe abſolutionem certam, vel dubiam tantum, quatenus ſcilicet fuit abſolutus ſenſibus privatus ſine confeſſione formali & explicita, ex quibuſdam tantum ſignis, puta quia eſt Catholicus, &c. & eodem ſtatu durante non poteſt aliter abſolvi, de cujus abſolutionis validitate dubitent plures & graves Theologi. Itaque ſi primum: communior ſententia eſt, ipſum non teneri; quia tunc iſtud Sacramentum non eſt abſolute neceſſitatis, ſed majoris tantum utilitatis, quam non tenetur Paſtor procurare ſuo Parochiano cum evidenti vitæ ſuæ periculo. Confir. Ipſemet Parochianus non tenetur cum evidenti vitæ ſuæ periculo ſuſcipere Sacramenta vivorum aliunde præcepta, ut Sacramentum Euchariſtiæ, quando creduntur tantum utilia. Ergo nec tenetur Paſtor cum eodem ſuo periculo illis conferre; cur enim magis teneretur Paſtor conferre, quam Parochianus ſuſcipere? Neque id rationabiliter exigeret Parochianus. Si ſecundum, videtur teneri; quia tunc periclitatur ſalus Parochiani, forte enim attritus per hoc Sacramentum ſalvabitur, ſine quo damnabitur; obligatur autem Paſtor ponere animam pro ſalute æterna periclitante ſuæ ovis.

Petes 3. Utrum hoc Sacramentum ſit iterabile? Non poſſe iterari opinati ſunt ſæculo 12. Goffridus Abbas Vindocinenſis, & Ivo Carnotenſis, quos impugnarunt Petrus Cluniacenſis, Magiſter ſent. & Hugo Victorinus. Quidam cenſuerunt non poſſe eundem bis ungi in anno, Sic refert Petrus Cantor in Summa c. 132. de Clarevallenſibus. R. 1. (*Ibid. q. 33. a. 1. o.*) verbis Trid. ſeſſ. 14. cap. 3. *Quod ſi infirmi poſt ſuſceptam hanc Unctionem convaluerint, iterum Sacramenti hujus ſubſidio juvari poterunt*. (*Ibid.*) Rationem profert Auctor: tum quia hoc Sacramentum non habet effectum perpetuum, ſicut ea, quæ imprimunt characterem; tum quia ordinatur, ut curatio & medicina ad ſanandum: medicina autem ſanativa toties iterari debet, quoties infirmitas iteratur. Quidquid ſit de conſuetudine, quæ dicitur olim apud aliquos invaluiſſe pluries iterandi Unctiones in eodem infirmitatis ſtatu, de qua Menardus in lib. Sacram. S. Gregorii & Martene l. 1. de antiquis Eccl. Ritibus: & hac data, fueritne omnes illæ Unctiones Sacramentales, an cæremoniales tantum excepta una? (*Hic q. 35. a. 2. o. s.*) Certum eſt nunc non licere hoc Sacramentum iterare eadem infirmitate, ſeu potius ejuſdem infirmitatis ſtatu ac periculo durante. Id conſtat 1. ex Trid. cit. quod ſtatuit poſſe iterari, ſi infirmus convaluerit. Ergo iterari non poteſt, ſi non convaluerit; exceptio enim firmat regulam. 2. Ex univerſali Eccleſiæ praxi. 3. Quia durante eodem infirmitatis ſtatu & periculo, ſufficit ſemel collatum ad curationem ſpiritualem.

Dixi; (*Ibid.*) *Durante eodem infirmitatis ſtatu & periculo*: quia ſi unctus in periculo illud evaſerit, & poſtea quamvis ab eadem infirmitate non plene convaluerit, in illud relabatur, ut contingit in morbis diuturnis, verbi gratia, Hectica, Hydropiſi, & hujuſmodi, poteſt iterum ungi; quia, licet non ſit alia infirmitas ſimpliciter, eſt tamen alius ſtatus infirmitatis. Et ita eſt praxis communis.

Petes 4. Quæ diſpoſitio requiratur ad hujus Sacramenti ſuſceptionem? R. Præmitti debere Confeſſionem, ſi infirmus ſit conſcius peccati mortalis; quia, ut ſæpe dixi, eſt complementum Pœnitentiæ, Sacramentum vivorum, & curatio ſpiritualis, ideoque ſupponit vitam animæ. Quod ſi infirmus non poſſit præmittere Confeſſionem, debet, in quantum poteſt, elicere actum Contritionis.

Quantum ad cæremonias & ritum adminiſtrandi hoc Sacramentum unuſquiſque conſulat Rituale ſuæ Eccleſiæ. Et hæc de Sacramento Extremæ Unctionis.

TRACTATUS DE SACRAMENTO ORDINIS.

D. Thom. Suppl. a Q. 34. ad 41.

SUMMA DOCTRINÆ CATHOLICÆ DE ORDINE

EX CONCILIIS FLORENTINO ET TRIDENTINO.

Decretum Concilii Florentini pro Inſtructione Armenorum (*Sub Eugenio IV. anno 1439. Ex S. Th. Opuſc. 5.*)

SExtum Sacramentum eſt Ordinis, cujus materia eſt illud, per cujus traditionem confertur Ordo, ſicut Preſbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem. Diaconatus vero per libri Evangeliorum dationem. Subdiaconatus vero per Calicis vacui cum patena vacua ſuperpoſita traditionem: & ſimiliter de aliis per rerum ad Miniſteria ſua pertinentium aſſignationem. Forma Sacerdotii talis eſt: Accipe poteſtatem offerendi Sacrificium in Eccleſia pro vivis & mortuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Et ſic de aliorum Ordinum formis, prout in Pontificali Romano late continetur. Ordinarius Miniſter hujus Sacramenti eſt Epiſcopus. Effectus augmentum gratiæ, ut quis ſit idoneus Miniſter.

Canones Concilii Tridentini de Ordine. (*Seſſ. 23. 15. Julii 1563. ſub Pio IV.*)

I. SI quis dixerit non eſſe in novo Teſtamento Sacerdotium viſibile, & externum; vel non eſſe poteſtatem aliquam conſecrandi, & offerendi verum corpus & ſanguinem Domini & peccata remittendi, & retinendi; ſed officium tantum, & nudum Miniſterium prædicandi Evangelium, vel eos qui non prædicant, prorſus non eſſe Sacerdotes; anathema ſit.

II. Si quis dixerit, præter Sacerdotium non eſſe in Eccleſia Catholica alios Ordines, & majores, & minores, per quos velut per gradus quoſdam in Sacerdotium tendatur; anathema ſit.

III. Si quis dixerit, Ordinem, ſive ſacram Ordinationem non eſſe vere & proprie Sacramentum, a Chriſto Domino inſtitutum, vel eſſe figmentum quoddam humanum, excogitatum a viris rerum Eccleſiaſticarum imperitis, aut eſſe tantum ritum quemdam eligendi Miniſtros verbi Dei & Sacramentorum; anathema ſit.

IV. Si quis dixerit per Sacram Ordinationem non dari Spiritum S. ac proinde fruſtra Epiſcopos dicere: Accipe Spiritum S. aut per eam non imprimi characterem; vel eum qui Sacerdos ſemel fuit, Laicum rurſus fieri poſſe; anathema ſit.

V. Si quis dixerit ſacram unctionem, qua Eccleſia in ſancta Ordinatione utitur, non tantum non requiri, ſed contemnendam & pernicioſam eſſe; ſimiliter & alias Ordinis cæremonias; anathema ſit.

VI. Si quis dixerit in Eccleſia Catholica non eſſe hierarchiam divina Ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris; anathema ſit.

VII. Si quis dixerit Epiſcopos non eſſe Presbyteris ſuperiores, vel non habere poteſtatem confirmandi & ordinandi; vel eam, quam habent, illis eſſe cum Presbyteris communem, vel Ordines ab ipſis collatos, ſine populi, vel poteſtatis ſæcularis conſenſu, aut vocatione, irritos eſſe, aut eos qui nec ab Eccleſiaſtica & Canonica poteſtate rite ordinati, nec miſſi ſunt, ſed aliunde veniunt, legitimos eſſe verbi & Sacramentorum Miniſtros; anathema ſit.

VIII. Si quis dixerit Epiſcopos, qui auctoritate Romani Pontificis aſſumuntur, non eſſe legitimos, & veros Epiſcopos, ſed figmentum humanum; anathema ſit.

Huc uſque egimus de Sacramentis, quibus homo perficitur quoad propriam perſonam, reſtat agendum de his, quibus perficitur in ordine ad communitatem, quæ ſunt Ordo & Matrimonium.

DISSERTATIO I.

DE EXISTENTIA SACRAMENTI ORDINIS ET DE NUMERO ORDINUM.

D. Thom. Quæſt. 34. & 37.

HOC nomen *Ordo* (*Supp. q. 34. a. 2. ad 4.*) generaliter ſumptum ſignificat habitudinem, ſeu relationem prioris & poſterioris, vel ſuperioris & inferioris inter plura. Sumitur etiam pro ipſo gradu ſeu ſtatu, in quo fundatur iſta relatio, quo ſenſu dicimus Ordinem ſeu ſtatum nobilem, plebejum, Senatorium, Religioſum, & maxime propter eminentiam, Ordinem Clericalem, in quo ſunt varii Ordinationis gradus, alii aliis ſuperiores, ordinati ad celebrandum Euchariſtiæ Sacramentum, & dicitur Hierarchia Eccleſiaſtica. Tranſlato autem nomine effectus ad cauſam, Ordo dicitur ipſa actio, qua conferuntur iſti diverſi gradus Ordinis Clericalis; unde melius dicitur Ordinatio quam Ordo. Dari in Eccleſia Ordinem Clericalem ad ſacra Miniſteria, nec illis obeundis parem eſſe quemque de plebe ex ſola communitatis deputatione probavimus contra Novatores de Sacramentis in genere Diſſert. 5. a. 2. Concl. 2. & de Euchariſtia Diſſert. 7. art. 1. Videat Lector.

Hæc vox *Clerus* græca eſt, ſignificat latine ſortem ſeu hæreditatem Chriſti, quæ licet toti Eccleſiæ competat, ſpeciali tamen titulo tribuitur Miniſtris Eccleſiæ, quia ſpecialiter vocati ſunt in ſortem & hæreditatem Chriſti, ſeu Chriſtus eſt ipſis ſpecialiter ſors & hæreditas.

Quæſtio eſt modo de ipſa ordinatione, quæ a Græcis dicitur *Chirotonia*, id eſt manuum impoſitio, ſeu extenſio, ab illius ritu, ac 1. Utrum ſit Sacramentum. 2. Quot ſint Ordines. 3. Utrum omnes Ordines ſint Sacramenta. 4. Quid de Tonſura.

ARTICULUS I.

Utrum Ordo ſeu Ordinatio ſit Sacramentum?

DEFINITUR Ordo ſeu Ordinatio a Magiſtro ſent. l. 4. d. 24. *Signaculum quoddam Eccleſiæ, quo ſpiritualis poteſtas traditur ordinato:* quam definitionem approbat Auctor hic a. 2. *Signaculum*, id eſt ſignum exterius, eſt genus; cæteræ particulæ differentia. Ab aliis definitur etiam bene: *Sacramentum novæ Legis, quo traditur ſpiritualis poteſtas, & confertur gratia ad debite obeunda munia Eccleſiaſtica.*

Dico. (*Ibid. ad 1.*) Ordo ſeu Ordinatio, qua in Eccleſia inaugurantur ſacri Miniſtri, eſt verum & proprie dictum novæ Legis Sacramentum. Eſt contra Hæreticos hodiernos, qui licet fateantur opus eſſe delegatione ad ſacra munia obeunda, ne omnia ſint perturbata & confuſa, volunt tamen hanc delegationem poſſe fieri per communitatem, vel alios Miniſtros abſque Sacramento, ita ut delegatione revocata Miniſter redeat ad ſtatum laicalem; perinde ac ſi nunquam ſacro Miniſterio functus fuiſſet. Contra quos ſic definit Tridentinum ſeſſ. 23 Can. 3. *Si quis dixerit Ordinem ſive ſacram Ordinationem non eſſe vere & proprie Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum, anathema ſit.*

Prob. Inſuper Concluſio 1. argumento fundato in Scripturis. Illud eſt vere & proprie Sacramentum, quod eſt ſignum ſenſibile permanenter a Chriſto inſtitutum gratiæ ſan-

Digitized by Google

ſanctificantis; hæc namque eſt definitio Sacramenti. Atqui talis eſt Ordinatio. Ergo. Prob. Min. 1. Eſt ſignum ſenſibile: notum eſt enim conferri modo, & ab initio fuiſſe collatum aliquo ſigno exteriori, ſive exhibitione inſtrumentorum, ſive impoſitione manuum, ut habetur Act. 6. & 1. ad Tim. 4. 2. Eſt ſignum a Deo inſtitutum: Chriſtus inſtituit Apoſtolos cæteroſque Miniſtros Act. 22. 1. Cor. 12. Galat. 2. dedit Apoſtolis poteſtatem conſecrandi, remittendi peccata, ſacra Myſteria diſpenſandi & regendi Eccleſiam, atque alios Miniſtros inſtituendi Joan. 20. Matt. 26. 1. Cor. 11. & 12. Inſuper ſolus Deus poteſt inſtituere ſigna collativa gratiæ. 3. Eſt permanenter inſtitutum; patet ex imperturbato uſu Eccleſiæ ab Apoſtolis uſque ad nos. Inſuper nunquam ſtabit Eccleſia ſine Miniſtris, ſtabit autem Eccleſia uſque in finem ſæculorum. Denique ordinantur Miniſtri ad confectionem Euchariſtiæ, quæ nunquam deficit in Eccleſia. 4. Et præcipua eſt ſignum gratiæ; conſtat ex 1. ad Tim. 4. *Noli*, inquit Apoſtolus, *negligere gratiam, quæ data eſt tibi per Prophetiam, cum impoſitione manuum Preſbyterii*. Et 2. ad eundem 1. *Admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ in te eſt, per impoſitionem manuum mearum*. Ergo. Quid his reſpondeant Hæretici diluemus in ſol. Obj.

Prob. 2. ex Patribus. Greg. Nazianz. Orat. in Baptiſma Chriſti: *Eadem*, inquit, *verbi poteſtas etiam Sacerdotem auguſtum Ǝ honorandum facit novitate benedictionis a communitate vulgi ſeparatum*. Addit eundem Sacerdotem quamvis exterius non immutatum, *quadam tamen inviſibili Ǝ inaſpectabili gratia, interiorem animum gerere in meliorem reformatum*. Aug. l. 2. contra Parm. cap. 13. probat contra Donatiſtas amitti non poſſe Ordinem, ſicut nec Baptiſmum: *Utrumque enim*, inquit, *Sacramentum eſt, Ǝ quadam conſecratione utrumque homini datur, illud cum baptizatur, iſtud cum ordinatur: ideoque in Catholica utrumque non licet iterari ... Ipſi explicent quomodo Sacramentum Baptiſmi non poſſit amitti, Sacramentum Ordinis poſſit amitti ... Si enim utrumque Sacramentum eſt, quod nemo dubitat, cur illud non amittatur, Ǝ illud amittatur?* Quibus verbis, ut patet, S. Doctor non ſolum aſſerit Ordinem eſſe Sacramentum, ſicut Baptiſma, & utrumque permanere, ſed & de hoc neminem dubitare, quod palmare eſt contra Hæreticos. Idem argumentum urget Hieronymus contra Luciferianos. Legendi ſunt inſuper Chryſoſt. l. 3. de Sacerdotio; item in Ep. 1. Tim. & alibi, S. Cyrillus Alex. l. 12. Joan. Tertullianus lib. de præſcript. c. 40. S. Cyprianus Ep. 33. & 66. S. Leo Ep. 11. alias 81. ad Dioſcorum, Gregorius Mag. l. 4. in lib. Reg. c. 5. & alii, quorum omnium textus referre longum foret.

Prob. 3. ex Conciliis. Concilium Chalced. an. 451. Can. 2. jubet deponi Epiſcopos, *qui propter pecunias ordinationem fecerint, Ǝ non venalem gratiam in venditionem adduxerint*. Idem tradunt Synodi Romana, Ticina, Rhamenſis, & Moguntina ſub Leone IX. circa medium xi. ſæculi. Idem Braccarenſis III. an. 1572. Adde Florent. Decreto unionis, & Trid. de quo ſupra.

Prob. 4. Ex conſenſu utriuſque Eccleſiæ Græcæ & Latinæ, quæ Ordinem in numero Sacramentorum recenſet, ut probavimus, dum de Sacramentis in genere Diſſert. 7. art. 1.

Solvuntur Objectiones.

OBJ. 1. Impoſitio manuum, de qua Apoſtolus in utraque ad Tim. quæ eſt fundamentum præcipuum noſtræ Concluſionis, non erat ad conferendum gratiam ſanctificantem, ſed gratiam gratis datam tantum. Ergo inde probari non poteſt Ordinem eſſe Sacramentum. Prob. Ant. 1. Quia Apoſtolus non utitur verbo *Charitas*, ſed *Chariſma*, quod ſignificat tantum gratiam gratis datam, ut patet ex 1. Cor. 12. 2. Quia dicit datam eſſe hanc gratiam Timotheo *per Prophetiam*, quæ pertinet ad gratias gratis datas. 3. Quia de gratia gratis data intelligunt Hieronymus in c. 4. 1. ad Tim. & Chryſoſtomus hom. 13. in eundem locum. Ergo. R. N. Ant. Ad 1. probationem in primis falſum eſt *Chariſma* ſignificare ſolum gratiam gratis datam, ſed ſignificat quamcumque gratiam, ſicut *Charis*. Sic docent Dictionaria Græco Latina, inter illa Ambroſius Calepinus: *Charis*, inquit, *latine Gratia ... a quo Chariſma in eadem ſignificatione*. Item *gratia interdum idem eſt, quod beneficium ... inde dictum, quod gratis nobis detur, Chariſma*. Hoc eodem verbo uſus eſt Apoſtolus ad ſignificandam gratiam ſanctificantem citato c. 12. 1. Cor. ubi recenſitis variis gratiis gratis datis, concludit dicens: *Æmulamini autem Chariſmata meliora*: ubi verbo *Chariſmata* ſignificari gratiam ſanctificantem indubium eſt, cum non ſit veriſimile Apoſtolum nos hortari ad æmulationem ſignorum, & non potius ſanctitatis. Similiter ad Rom. 5. agens de gratia ſanctificante illam exprimit verbo *Chariſma* dicens; ſed non ſicut delictum, ita & donum, Græce, *Chariſma*. Denique hoc verbum intellexiſſe in locis a nobis citatis de gratia ſanctificante, evidens eſt. Etenim poſt hæc verba; *Admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum*, immediate ſubjungit: *Non enim dedit nobis Deus Spiritum timoris, ſed virtutis Ǝ dilectionis Ǝ ſobrietatis*; certum eſt autem Spiritum dilectionis & ſobrietatis eſſe gratiam ſanctificantem. Unde Chryſoſtomus hom. 1. in 2. Ep. ad Tim. expendens hæc verba: *Admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei*: *Hoc eſt*, inquit, *gratiam Spiritum, quam accepiſti ad Eccleſiæ inſtitutionem, vel ad amae Religionis obſequium; quippe in nobis eſt hanc vel extinguere, vel excitare*. Deinde probat gratiam, quæ in nobis extinguitur, eſſe gratiam adoptionis & charitatis, juxta illud 1. ad Theſſal. 4. *Spiritum nolite extinguere*.

Ad 2. Probationem, etſi daretur Timotheum donum Prophetiæ in ſua Ordinatione accepiſſe, inde non ſequitur, quod non ſimul acceperit donum gratiæ ſanctificantis, ſeu *Dilectionis Ǝ ſobrietatis*, ut exprimit ibidem Apoſtolus; ſed veriſimilius eſt, juxta celebriores interpretes, Apoſtolum per *Prophetiam* intellexiſſe revelationem ſibi factam de ordinatione Timothei, conformiter ad id, quod dixerat 1. ad eundem 1. *Hoc præceptum commendo tibi fili Timothee ſecundum præcedentes in te Prophetias*. Ad 3. Hieronymus & Chryſoſt. interpretando hæc loca de gratiis gratis datis non excludunt gratiam ſanctificantem; hæc enim omnia ſimul conferebantur in Ordinatione ad inſtitutionem Eccleſiæ: Gratias autem gratis datas exprimunt quia ſunt notiores; ſed & alibi explicant etiam gratiam ſanctificantem, ut modo vidimus de Chryſoſtomo.

Ob. 2. Impoſitio illa manuum, de qua Apoſtolus, erat cæremonia communis, quam ipſe & alii Apoſtoli adhibebant, dum curabant infirmos, aut pro aliquo orabant. Ergo. R. Apoſtolos equidem manuum impoſitionem adhibuiſſe, dum curabant infirmos, aut aliquem Deo commendabant; at alia & ſingularis fuit, quæ in Ordinatione miniſtrorum fiebat, tum quia ad hanc ſequebatur gratia ut dictum eſt; tum quia Apoſtolus 1. ad Tim. 5. dicit: *Manus nemini cito impoſueris, neque communicaveris peccatis alienis*; certum eſt autem, quod imponere manum ad curandos infirmos, aut ad orandum pro aliquo, quiſquis ſit, non ſit communicare ejus peccatis, ſicut communicaret, qui ordinaret indignum, & ideo monet Apoſtolus, ne id fiat ſine maturo examine.

Inſt. Ordinatio apud nos fit per Epiſcopos. Ordinatio autem Timothei facta fuit per Preſbyteros, *Per impoſitionem manuum Preſbyterii*, inquit Apoſtolus. Ergo. R. N. Min. Per Preſbyterium enim non intelligitur Preſbyter, ſed cœtus Sacerdotum. Dicitur igitur Timotheus Ordinatus *Per impoſitionem manuum Preſbyterii*; quia plures Sacerdotes impoſuerunt ei manus. Unde ipſemet Apoſtolus in altera Ep. ad eundem Timotheum dicit: *Per impoſitionem manuum mearum*: & Chryſoſtomus hom. 13. in 1. Ep. ad Tim. exponens illa verba, *Per impoſitionem manuum Preſbyterii*, dicit: non de Preſbyteris hoc ait, ſed de Epiſcopis; non enim Preſbyteri Epiſcopum ordinaverant.

Obj. 3. Chriſtus Apoſtolos ordinavit ſine manuum impoſitione. Ergo. R. Ant. eſſe incertum; non enim omnia, quæ Chriſtus fecit, ſcripta ſunt. 2. Dato Ant. N. Conſeq. habebat enim Chriſtus poteſtatem excellentiæ, quæ non erat alligata ſignis exterioribus, ſicut poteſtas Eccleſiæ.

Ob. 4. Juxta Scripturam & Tertullianum omnes Chriſtiani ſunt Sacerdotes. Solutiones hujus argumenti require, quantum ad Scripturam, Diſſert. 5. de Sacramentis in genere art. 2. Quantum ad Tertullianum, Diſſert. 7. de Euchariſtia art. 1.

Obj. 5. Sacramenta ordinantur per ſe ad ſanctificationem ſuſcipientium. Atqui Ordo non ordinatur per ſe ad ſanctificationem ſuſcipientium, ſed potius aliorum. Ergo. R. D. Maj. Sacramenta ordinantur per ſe primo ſemper ad ſanctificationem ſuſcipientium, N. Per ſe primo, vel per ſe ſecundo, C. Hoc autem Sacramentum ordinatur per ſe primo ad dignam adminiſtrationem Sacramentorum, quæ eſſe non poteſt ſine gratia ſanctificante.

ARTICULUS II.

Quot ſint Ordines?

SUPPONO ut fide certum, plures eſſe Ordines; ſic enim definit Trid. ſeſſ. 23. can. 2. *Si quis dixerit præter Sacerdotium, non eſſe in Eccleſia Catholica alios Ordines Ǝ majores Ǝ minores, per quos veluti gradus quoſdam in Sacerdotium tendatur; anathema ſit.*

Congruentiæ ſunt: 1. (*Supp. q. 37. a. 1.*) propter Dei ſapientiam commendandam, quæ in diſtinctionem rerum ordinata maxime relucet tam in naturalibus, quam in ſpiritualibus. 2. Ad ſubveniendum humanæ infirmitati, quia per unum non poterant omnia, quæ ad divina pertinebant, exequi ſine magno gravamine. 3. Ut via proficiendi hominibus amplior detur, dum plures in diverſis officiis diſtri-

ſtribuuntur; ut omnes ſint Dei cooperatores, quo nihil eſt divinius.

Dico. (*Ibid. n. 2. o.*) Sunt ſeptem Ordines, Presbyteratus, Diaconatus, Subdiaconatus, Acolythatus, Exorciſtatus, Lectoratus, & Oſtiariatus. Prob. 1. Ex Conciliis. Concilium Carthag. IV. 214. Epiſcoporum an. 398. a Canone 5. ad 9. refert ſeptem Ordines aſſignatos, & ritum, quo ab Epiſcopo conferuntur. Concilium Aquiſgranenſe an. 816. l. 1. de inſtit. cleric. omnes ſeptem recenſet. Trid. ſeſſ. 23. c. 2. poſtquam dixit de Sacerdotibus & Diaconis apertam mentionem fieri in ſacris litteris, addit: *Ab ipſo Eccleſiæ initio ſequentium Ordinum nomina, atque uniuſcujuſque eorum propria miniſteria, Subdiaconi, ſcilicet, Acolythi, Exorciſtæ, Lectoris, & Oſtiarii, in uſu fuiſſe cognoſcuntur.*

Prob. 2. ex ſum. Pontificibus. Cornelius Papa, Ep. ad Fabianum Antiochenum ſcripta an. 252. apud Euſebium l. 6. c. 43. alias 35. deſcribens Clericos, qui erant Romæ initio Schiſmatis Novatiani, ſic numerat: *Presbyteri 44. Diaconi 7. totidem Subdiaconi; Acolythi 42. Exorciſtæ cum Lectoribus & Oſtiariis 52.* Cajus item Romanus Pontifex in Pontificali edito ex vetuſtiſſimis codicibus ab Anaſtaſio Bibliothecario prohibet, ne aliquis ſit Epiſcopus, niſi prius fuerit *Oſtiarius, Lector, Exorciſta, Sequens,* (Acolythus), *Subdiaconus, Diaconus, Presbyter.*

Quantum ad SS. Patres, modo unum, modo alterum memorant, ſecundum quod exigit occaſio. Omnes ſeptem recenſent & explicant Iſidorus Hiſpal. ſub initium 7. ſæculi l. 7. Originum c. 12. & 62. de divinis offic. Alcuinus ſequenti ſæculo de divinis offic. Rabanus Sæculo 9. l. 1. de inſtit. Cleric. c. 4. Hugo Vict. ſæculo 11. erudit. Theologicæ 32. & l. 2. de Sacram. p. 3. c. 5. S. Th. ſupp. qu. 37. art. 2. S. Bonavent. & alii tam veteres, quam Recentiores Scholaſtici.

Suadetur ratione congrua; (*Ibid.*) ratio enim a priori eſt voluntas Chriſti. Diſtinctio Ordinum eſt accipienda ſecundum relationem ad Euchariſtiam; quia poteſtas Ordinis aut eſt ad Conſecrationem ipſius Euchariſtiæ, aut ad aliquod Miniſterium ordinatum ad illam. Si 1. modo, eſt Ordo Sacerdotum. Si 2. modo, vel Miniſterium eſt in Ordine ad ipſum Sacramentum, vel in Ordine ad Suſcipientes. Si ſit in Ordine ad ipſum Sacramentum, eſt triplex: Primum eſt, quo Miniſter cooperatur Sacerdoti in ipſo Sacramento, vel diſpenſando illud, vel tradendo materiam proximam ad illud, & hoc pertinet ad Diaconum. Secundum eſt Miniſterium ordinatum ad præparandam materiam Sacramenti in vaſis Sacris; & hoc eſt Subdiaconorum. Tertium eſt Miniſterium ad præparandam materiam in vaſis non Sacris, eamque offerendam Diacono; & hoc eſt Acolythorum. Si vero ſit in ordine ad præparationem ſuſcipientium, non poteſt eſſe niſi ſuper immundos. Triplex autem eſt genus immundorum. Quidam enim ſunt omnino infideles credere nolentes, & hi totaliter a viſione divinorum & cœtu fidelium arcendi ſunt; & hoc pertinet ad Oſtiarios. Quidam ſunt volentes credere, ſed nondum inſtructi, ſcilicet Catechumeni, & ad eorum inſtructionem ordinatur lectoratus. Quidam tandem ſunt fideles & inſtructi, ſed impedimentum habentes ex dæmonis poteſtate, ſcilicet Energumeni, & ad hoc Miniſterium eſt Ordo Exorciſtarum. Sicque patet ratio & numeri & gradus Ordinum.

Solvuntur Objectiones.

OBj. 1. In plurimis antiquis monumentis recenſentur inter Clericos Pſalmiſtæ, ſeu Cantores, & laborantes, ſeu foſſarii, inhumandis corporibus deſtinati. Item plures tenent Tonſuram & Epiſcopatum eſſe Ordines. E contra Anacletus Ep. 3. ſcribit inſtitutos tantum eſſe a Deo duos Ordines, ſcilicet Epiſcoporum & Sacerdotum: *Et amplius*, inquit, *quam iſti duo, nec nobis a Deo collati ſunt, nec Apoſtoli docuerunt.* Ergo. R. ad 1. Cantores & foſſarios quandoque numerari inter Clericos, non ratione Ordinis, ſed Officii Eccleſiaſtici. Unde Concilium Carthag. IV. cit. Can. 10. de Pſalmiſta ſeu Cantore dicit; *quod poſſit abſque ſcientia Epiſcopi ſola juſſione Presbyteri Officium ſuſcipere cantandi.* Idem dicit Iſid. l. 2. de Officiis c. 12. Deinde cum Cantor nihil addat officio Lectoris, quam aliquam vocis modulationem, non erat neceſſarius Ordo Cantoris diſtinctus ab Ordine Lectoris. Foſſariis pariter nudum officium ſine Ordine competere probat Baronius ex Epiphan. ad an. Chriſti 34. & 44. Ad 2. dicemus infra. Ad 3. dato quod hæc Epiſtola ſit Anacleti, quod hodie communius negatur, ejus textus refertur truncatus: non enim dixit ſimpliciter *duo Ordines*; ſed *duo Ordines Sacerdotum*: & prius dixerat *Ordinem Sacerdotum eſſe bipartitum*, ſcilicet in ordinem Epiſcoporum & Presbyterorum; agebat enim contra quoſdam, qui Primates & Patriarchas in altiori Ordine collocabant quam Epiſcopos. Cæterum Anacletum plures agnoviſſe Ordines, quam Epiſcopatum & Presbyteratum, conſtat tum ex ejus vita, in qua legitur ordinaſſe Diaconos, tum ex ejus prima Epiſtola, in qua meminit Diaconorum & Subdiaconorum.

Obj. 2. Græci numerant tantum quatuor Ordines nempe Presbyteratum, Diaconatum, Subdiaconatum, & Lectoratum. Ergo. Prob. Ant. 1. In Euchologio Græcorum apud Goarium, in quo poſt Ordinationem Lectorum & Cantorum ſequitur ritus Ordinationis Subdiaconi. 2. Conſtitutiones Apoſtolicæ l. 8. c. 16. & ſequentibus, Canones Apoſtolici, Liturgia S. Marci, Concilium Sardicenſe can. 10. Synodus 8. quæ Photium exauctoravit, quatuor tantum Ordines recenſet. 3. Clericos a gradu Lectoratus ad Subdiaconatum aſcendere ſcribunt Auctores Græci. S. Jo. Damaſcenus initio Decalogi contra Manichæos, Nicetas in vita S. Ignatii Conſtantinop. Simeon Theſſalonicenſis in Dialogo de Sacramento Ordinis. Ergo.

Propter hæc argumenta ex Morino, Goario, & Martenio collecta, cenſent quidam Recentiores, revera apud Græcos non exiſtere Acolythatum, Exorciſtatum, & Oſtiariatum. At diſſentiunt alii, cum quibus R. N. Ant. Pluribus enim teſtimoniis conſtat alios Ordines minores præter Lectoratum extitiſſe in Eccleſia Orientali. 1. S. Ignatius Epiſt. ad Antiochenos; *Saluto*, inquit, *ſanctum Presbyterium, ſaluto ſacros Diaconos, ſaluto Subdiaconos, Lectores, Cantores, Oſtiarios, Laborantes, Exorciſtas, Confeſſores.* 2. S. Dionyſius de Eccleſ. Hierar. c. 5. præter Lectores enumerat alios, *Quorum nonnulli foribus Templi aſſiſtunt, cæteri autem aliud quidpiam, quod ſit ſui ordinis, agunt.* Et quamvis hæc duo a quibuſdam reputentur apocrypha, fatentur tamen omnes, eſſe primæ antiquitatis, quod nobis nunc ſufficit. 3. Synodus Laodicena circa ann. 321. can. 24. *Quoniam*, inquit, *non oportet Clericos ſervientes a Presbyteris uſque ad Diaconos & deinceps Ordinis Eccleſiaſtici omnes uſque ad Miniſtros aut Lectores, aut Pſalmiſtas, aut Exorciſtas, aut Oſtiarios, aut etiam eos, qui in propoſito continentiæ ſunt, tabernas intrare.* 4. S. Epiphanius in expoſitione fidei poſt Hæreſim 80. poſt Lectores numerat Exorciſtas, Copiatas id eſt Foſſarios, & Janitores. Simeon Theſſal. apud Goarium ante inaugurationem Lectoris numerat Ceroferarios ſeu Acolythos, & conqueritur, quod eorum ordinatio negligatur; cum, inquit, ſit ſcripta in antiquis Ritualibus, & paulo ante in uſu erat in Eccleſia Theſſalonicenſi. Gabriel Philadelph. apud Morinum p. 3. omnes ſeptem Ordines recenſet.

Ad hæc reſpondent Adverſarii: 1. Simeon Theſſ. & Gabrielem Philadelphien. eſſe junioris ætatis, ut fidem faciant contra antiquiora monumenta prius laudata. 2. Exorciſtas, Oſtiarios, & Acolythos ab his & aliis Auctoribus nominatos, non eſſe accipiendos de Ordinibus, ſed de Miniſteriis in Templo exercendis, abſque Ordinis collatione, ſicut conſtat de Cantoribus, Foſſariis, ſeu laborantibus, & aliis, quos ſimul nominant. Sed contra primum. Gabriel Philadelph. in confirmationem ſuæ Sententiæ citat Can. ſeptimum Antiochenum & quartum Trullanum: Simeon autem Theſſal. teſtatur Ordinationem Acolythi fuiſſe in uſu in ſua Eccleſia. Contra ſecundum: 1. in Concilio Trullano laudato a Gabriele Philadelph. legitur: *Si quis Epiſcopus vel Presbyter, vel Diaconus, vel Subdiaconus, vel Lector, vel Cantor, vel Oſtiarius, cum muliere Deo dicata coierit, deponatur, ut qui Chriſti ſponſam vitium attulerit; ſin autem Laicus, ſegregetur.* En Oſtiarius a Laicis ſegregatus, & in Ordine Clericali conſtitutus. Ex Concilio autem Carthag. 4. ſupra cit. habemus Cantorem non ordinari. 2. Can. 10. Antiochenus ab eodem Gabriele citatus dicit Chorepiſcopum non poſſe *ordinare Diaconum & Presbyterum, ſed poſſe tantum ordinare Subdiaconos, Lectores, & Exorciſtas.* En ordinatio Exorciſtæ, quæ permittitur Chorepiſcopis, ſicut ordinatio Subdiaconi & Lectoris. 3. In Euchologio habetur Oratio in ordinatione deputati & Ceroferarii, id eſt Acolythi; & Simeon Theſſal. ut vidimus, miratur hanc negligi, quæ paulo ante ſervabatur in ſua Eccleſia, & erat ſcripta in Ritualibus.

His itaque poſitis, ad teſtimonia contraria reſpondemus dupliciter. 1. Ex his non ſequitur, quod non dentur iſti tres inferiores Ordines, ſed tantum quod in pluribus Eccleſiis Orientalibus fuerint omiſſi, & Clerici fuerint per ſaltum promoti, ſive ex negligentia, ſive ob merita ſingularia promovendorum, ſicut factum legimus in Eccleſia Africana, in qua tamen, fatentibus adverſariis, ſicut in Romana ſemper extiterunt ſeptem Ordines. S. enim Cyprianus Afer, juxta Simeonem Metaphraſtem apud Surium, e Lectore factus eſt Subdiaconus; & juxta Pontium in ejus vita, *Ad officium Sacerdotii & Epiſcopatus gradum, adhuc Neophytus, & ut probatur, novellus electus eſt.*

2. Ideo Græci numerant tantum quatuor Ordines, non quod alii tres non extent, ſed quia non conferuntur diſtinctis Ordinationibus. Acolythatus namque & Oſtiariatus conferuntur cum Subdiaconatu. Exorciſtatus autem

a re-

a recentioribus tantum Græcis negligitur, ſed apud alios Orientales confertur vel cum Diaconatu, vel cum Lectoratu. Primum de Acolythatu & Oſtiariatu collatis cum Subdiaconatu probatur ex Codicibus Græcis & Rituali Maronitarum apud Morinum, & ex Auctoribus Græcis ſuorum rituum peritiſſimis, Abrahamo Ecchellenſi in annotationibus ad Canones Nicænos n. 18. Joanne Morino l. de Sacerdotio c. 11. & 16. Joanne Daseno l. de Hierar. Eccleſiaſtica, Dionyſio Barſalibo, qui legi poſſunt Tom. 2. Concil. Labb. pag. 409. Exorciſtatum conferri cum Diaconatu apud Siros tradunt jam laudati Scriptores. Maronitæ autem cenſent apud ipſos conferri cum Lectoratu, quia in hujus Ordinatione Epiſcopus tradens librum Pſalmorum, quo in Eccleſia Orientali exorcizantur Energumeni, dicit: *Mereatur conculcare ſerpentes & ſcorpiones*. Cæterum rem videtur definiviſſe ſupremum Eccleſiæ Caput Benedictus XIV. in jam laudata Conſtit. *Etſi Paſtoralis*, in qua n. 7. definit, quod Clericus Græcus, Lector tantum inſtitutus, ſi a Sede Apoſtolica obtinet, ut ritu Latino ad majores Ordines aſcendat, *Antequam Subdiaconus ordinetur tres minores Ordines omiſſos debeat ritu latino ſuſcipere. Si vero præter Lectoris Ordinem ad Subdiaconatum etiam ritu græco aſcendit, & ex diſpenſatione ejuſdem Apoſtolicæ facultas ſibi facta ſit, cæteros Ordines ritu latino ſuſcipiendi, antequam inter Diaconos cooptetur, ex minoribus Ordinibus Exorciſtatum tantummodo ſupplere cogitur, cum per Subdiaconatum græco ritu collatum, Acolythatum & Oſtiariatum recepiſſe cenſeatur*. Qua definitione habemus Acolythatum & Oſtiariatum apud Græcos cum Subdiaconatu conferri, & ſolum Exorciſtatum a Recentioribus Græcis negligi. Quædam alia argumenta art. ſeq. proponentur.

ARTICULUS III.

Utrum omnes Ordines ſint Sacramenta?

SUppono 1. (*Supp. q. 37. a. 3. o.*) Ordines diſtingui in ſacros & non ſacros. Sacri, qui & majores, ſunt Sacerdotium, Diaconatus, & Subdiaconatus. Non ſacri, qui & minores, ſunt alii quatuor, non quod ſecundum ſe non ſint ſacri, cum omnes ſint Sacramenta, ut jam dicemus, ideoque faciant animam conferendo gratiam; ſed tres priores dicuntur ſacri duplici titulo ſpeciali. 1. Quia propius accedunt ad Euchariſtiam, & habent actum circa materiam conſecratam, ſcilicet Sacerdotium & Diaconatus circa Corpus & ſanguinem Chriſti, Subdiaconatus circa vaſa conſecrata. 2. Quia eis annexa eſt continentia & obligatio recitandi horas. Suppono 2. ut fide certum, Sacerdotium eſſe Sacramentum; quia ut Art. 1. probavimus ex definitione Tridentini, & aliis momentis, Ordo eſt Sacramentum; inter Ordines autem primum locum tenet Sacerdotium. Unde eſt tantum quæſtio de Diaconatu, & maxime de Subdiaconatu, & minoribus, quam duobus ſequentibus §§. expendemus. Undo ſit

§. I. *Utrum Diaconatus ſit Sacramentum?*

DIco. Diaconatus eſt Sacramentum.

Eſt ita communis & certa, ut opinionem contrariam Durandi, & Cajetani Theologi plures temeritatis arguant. Prob. Ordinatio Diaconi eſt ſignum ſenſibile gratiæ permanenter a Chriſto inſtitutum. Ergo Sacramentum. Prob. Ant. 1. *Eſt ſignum ſenſibile*; fuit enim facta Act. 6. per impoſitionem manuum Apoſtolorum cum oratione, & etiam fit nunc per impoſitionem manus Epiſcopi, & porrectionem inſtrumentorum. 2. *Eſt ſignum ſenſibile gratiæ*; tum quia ad manuum impoſitionem cum oratione conferebatur gratia, ut vidimus ex Apoſt. Art. 1. tum quia Epiſcopus in Ordinatione Diaconi dicit: *Accipe Spiritum S. ad robur, & ad reſiſtendum Diabolo & tentationibus ejus*: id et fruſtra non dicit; ſic enim Trid. ſeſſ. 23. can. 4. definit: *Si quis dixerit per ſacram Ordinationem non dari Spiritum S. ac proinde fruſtra Epiſcopos dicere, accipe Spiritum S.... anathema ſit*. 3. *Eſt a Deo inſtitutum*; quia non erat in Apoſtolis, nec eſt in Eccleſia poteſtas inſtituendi ſigna practica gratiæ. Et Trid. ib. can. 6. definit: *Si quis dixerit in Eccleſia Catholica non eſſe Hierarchiam divina Ordinatione inſtitutam, quæ conſtat Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris; anathema ſit*. Sub Miniſtris autem comprehendit ad minus Diaconos Presbyteris proximiores. 4. Denique eſt *Permanenter inſtitutum*, ut patet ex conſtanti & inviolata Eccleſiæ praxi ab Apoſtolis uſque nunc. Prob. inſuper Concluſio omnibus argumentis, quibus §. ſeq. probavimus Subdiaconatum, & minores Ordines eſſe Sacramenta.

Obj. 1. Septem primi Diaconi inſtituti ſunt ad miniſtrandum menſis, ut habetur Act. 6. ibi enim narratur, quod, cum Græci murmurarent adverſus Judæos, eo quod eorum viduæ deſpicerentur in miniſterio quotidiano menſarum, quarendo non tantum dabatur eis, quantum viduis Judæorum, Apoſtoli dixerint, non eſſe æquum, ut derelinquerent verbum Dei, & miniſtrarent menſis, & ideo elegerint, atque inſtituerint ſeptem Diaconos, qui iſtud officium obirent. Atqui inſtitutio ad hujuſmodi officium civile non eſt Sacramentum. Ergo. R. D. Maj. Septem primi Diaconi inſtituti fuerunt ad miniſtrandum menſis occaſionaliter, & per accidens, C. per ſe primo, N. Alioquin non erat neceſſe convocare multitudinem nec ſingularem curam adhibere, ut eligerentur viri *Pleni Spiritu ſancto & ſapientia*, neque electis manus imponere cum oratione; hæc omnia ſunt impertinentia ad officium civile. Sicut ergo, dum v. g. occaſione Belli matrimonia ineuntur inter Principes, pax inde nata poteſt dici effectus per accidens, & occaſionatus Matrimonii, non per ſe, & primarius; ita ſimiliter quod narratur Act. 6. fuit occaſio & effectus per accidens, non per ſe, & primarius inſtitutionis Diaconorum. Confir. hæc reſponſio 1. Ex muniis ſacris, quæ ſtatim Stephanus & Philippus inſtituti Diaconi obierunt. Primus eodem capite tanta animi fortitudine annuntiavit Chriſtum Judæis, ut ab eis fuerit lapidatus. Secundus cap. ſubſequente Chriſtum Samaritanis evangelizavit, & inde miſſus ab Angelo Eunuchum Candacis Reginæ fide imbuit, & baptizavit. 2. Diaconi inſtituti erant, ubi fideles non agebant vitam communem, nec ideo opus erat miniſtris ad menſas. Ad Philippenſes 1. v. 1. & 1. ad Tim. c. 3. v. 8. & 12.

Inſt. 1. Nulla videtur ratio, ſeu neceſſitas occaſione miniſterii civilis inſtituendi Miniſtros ſacros. Ergo. R. Eſto non fuerit neceſſitas abſoluta, fuit neceſſitas ſecundum quid, & ad melius eſſe. 1. Ut Miniſtri per ſacrum Ordinem in dignitate conſtituti majori pollerent auctoritate inter fideles, ſicque facilius & efficacius iſtud miniſterium implerent. 2. Quia non præficiebantur tantum communi menſæ, ſed etiam menſæ Euchariſticæ, quæ tunc regulariter comitabatur menſam communem. 3. Quia eis committebatur diſpenſatio collectarum, quæ fiebant diebus Dominicis in Eccleſia; congruum autem erat, ut ii addicerentur Altari.

Inſt. 2. Hieronymus Ep. ad Evangelium vocat Diaconos menſarum Miniſtros. *Quis patiatur*, inquit, *menſarum & viduarum Miniſter ſupra eos tumidus ſe efferat, ad quorum preces corpus Chriſti, ſanguiſque efficitur*. Ergo. R. Hieronymum voluiſſe dumtaxat deprimere quorumdam Diaconorum inſolentiam, qui ſe Presbyteris coæquabant; & ideo objicit eis vile officium, quo olim functi fuerant, & cujus occaſione fuerant inſtituti. Non ignorabat autem ſacrum eorum miniſterium, ſi quidem in fine ejuſdem Epiſtolæ dicit eis convenire ſacrum miniſterium, & eos eſſe in Eccleſia Chriſti, quod erant Levitæ in antiqua Lege. Et contra Vigilantium c. 1. Diaconatum vocat Sacramentum; ibi enim reprehendens quoſdam Epiſcopos, qui non ordinabant Diaconos, niſi prius uxores duxiſſent, uſurpat hæc verba: *Sacramenta non tribuunt*.

Inſt. 3. Concilium Trullanum, ſeu Quiniſextum can. 16. prolatis, quæ leguntur Act. 6. dicit: *Hæc interpretans Eccleſiæ Doctor Jo. Chryſoſtomus ſic proſequitur .... Quamnam aut habebant hi* (Diaconi) *auctoritatem, & quam acceperunt ordinationem ſcire neceſſarium eſt. Num quid Diaconorum? Atqui hoc non eſt in Eccleſiis. An Presbyterorum diſpenſatio? Atqui nullus adhuc erat Epiſcopus, ſed ſoli Apoſtoli. Unde nec Diaconorum, nec Presbyterorum nomen exiſtimo apertum eſſe, ac manifeſtum*. Quibus verbis prolatis ſubjicit Synodus: *Propter hæc ergo nos quoque prædicamus, ut prædicti ſeptem Diaconi non de iis accipiantur, qui myſteriis ſerviant, ut eſt prius expoſita Doctrina, ſed eos eſſe, quibus fuit concredita, ac tradita diſpenſatio communi eorum uſui, qui tunc collecti fuerant*. Ergo.

R. 1. Ex hoc argumento, ſiquid valeret, inferri Chryſoſtomum negaſſe Presbyteros & Epiſcopos fuiſſe ab initio Eccleſiæ, quod eſt prorſus improbabile. Sed directe R. 2. verba Chryſoſtomi non integre refecti a Synodo; ſic enim S. Doctor abſolvit ſuam propoſitionem: *Unde nec Diaconorum, nec Presbyterorum nomen exiſtimo apertum eſſe ac manifeſtum*: Sed interea ad hoc fuerunt ordinati. Vult ergo Chryſoſtomus non fuiſſe tunc apertum diſcrimen inter Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos, quantum ad nomen, omneſque appellatos fuiſſe ſacros Miniſtros, quamvis interea ad diſtincta illorum munia fuerint ordinati. Quæ igitur Synodus Trullana infert, ac ſtatuit ex verbis Chryſoſtomi adulteratis, nullius ſunt ponderis, & aliunde hujus auctoritas non recipitur in Eccleſia.

Obj. 2. S. Cyprianus Ep. 65. ad Rogatianum dicit: *Meminiſſe autem Diaconi debent, quoniam Apoſtolos, id eſt Epiſcopos & Præpoſitos, Dominus elegit, Diaconos autem poſt aſcenſum Domini in Cœlos Apoſtoli conſtituerunt Epiſcopatus ſui, & Eccleſiæ Miniſtros*. Ergo Diaconatus non eſt inſtitutionis divinæ, ideoque nec Sacramentum. R. N. Conſ. Non enim dicit Cyprianus Chriſtum non inſtituiſſe Diaconatum, ſed non elegiſſe ſeu conſecraſſe per ſe imme-

mediare Diaconos, ſicut conſervaverat Apoſtolos. Sic autem loquitur Cyprianus, ut coerceret audaciam alicujus Diaconi, qui Rogatianum contumeliis affecerat.

Obj. 3. Sacramentum non confertur ad tempus. Atqui Diaconatus confertur ad tempus, ut patet ex Vigilio Papa Ep. ad Ruſticum & Sebaſtianum, quæ legitur Collat. 7. Concilii generalis 5. ubi Pontifex alloquens Sebaſtianum dicit: *Abſentibus filiis noſtris Diaconis, Anatolio, atque Stephano, a nobis poſtulaſti, ut ad tempus pro implendo officio, abſentium loco, Diaconum te interim faceremus: quod tibi ad præſens ſperanti conceſſimus*. Ergo. R. N. Min. Vigilius enim non loquitur ibi de charactere & poteſtate interiori Diaconatus, ſed de honore, gradu, & officio Diaconi Cardinalis, ad quæ Sebaſtianus jam Diaconus erat aſſumptus in locum Anatolii & Stephani abſentium.

§. II. *Utrum Subdiaconatus & quatuor minores Ordines ſint Sacramenta?*

DIco (*Ibid. q. 37. a. 2. & 3. n.*) Subdiaconatus & quatuor Ordines minores ſunt Sacramenta. Quamvis hæc Concluſio non ſit tam certa, quam præcedens, eſt tamen communior & probabilior. Prob. 1. ex Conciliis Florent. & Trid. Florentinum in Decreto unionis definit Ordinem in genere eſſe Sacramentum; *Sextum Sacramentum*, inquit, *eſt Ordinis*: ſub Ordine autem tanquam ſub genere ponit Presbyteratum, Diaconatum, Subdiaconatum, & reliquos. Ergo hi omnes Ordines ſunt Sacramenta; ſpecies enim participat rationem generis. Trid. ſeſſ. 23. c. 2. dicit eſſe ſeptem Ordines, ſingulos nominando: & c. 3. declarat per ſacram Ordinationem conferri gratiam, & Ordinem eſſe vere Sacramentum, quod intelligi debet de quacumque ordinatione & de quocumque Ordine, cum propoſitio indefinita in materia dogmatica æquivaleat univerſali. Item Can. 2. definit *præter Sacerdotium eſſe in Eccleſia Catholica alios Ordines & majores & minores, per quos, velut per gradus quoſdam, in Sacerdotium accedatur*. Et Can. 3. immediate ſequenti definit pariter ſine ulla limitatione *Ordinem ſive ſacram Ordinationem eſſe vere & proprie Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum*. Ergo idem quod prius. Denique Can. 6. definit in Eccleſia eſſe Hierarchiam divina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris, quos ſcilicet deſignaverat cap. 2. Ergo.

Prob. 2. Iſti quinque Ordines traduntur per ſignum exterius collativum characteris & gratiæ. Ergo ſunt Sacramenta. De ſigno exteriori conſtat. Prob. de impreſſione characteris. 1. Eſt expreſſa auctoritas D. Th. q. 35. a. 2. 0. 2. Ex Pontific. Romano tit. de Ordinibus conferendis, ubi dicitur: *Moneat Epiſcopus ordinandos, ut tangant inſtrumenta quibus character imprimitur*. 3. Per quemlibet illorum Ordinum aliquis conſtituitur ſupra plebem in aliquo gradu poteſtatis ordinatæ ad Sacramentorum diſpenſationem, quod eſt proprium characteris. 4. Denique iſti Ordines ſunt initerabiles; id autem non habent niſi ex charactere indelebili. Neque dicas conſecrationem Templorum non iterari, licet tamen non imprimat characterem: inde enim potius roboratur ratio facta. Nam ideo Templa ſemel conſecrata iterum non conſecrantur, quia Chriſmatio tribuit permanentem & indelebilem conſecrationem. Ergo ſimiliter ſemel ordinati iterum non ordinantur, quia ordinatio imprimit aliquid indelebile in ordinato. Prob. de collatione gratiæ, 1. quia poſito uno effectu ſacramentali, qualis eſt character, alter, qui eſt gratia, ſequitur, niſi obſtet indiſpoſitio ſuſcipientis. 2. Quia Florentinum in Decreto unionis dicit, quod effectus Ordinis generice ſumpti ſit *augmentum gratiæ*.

Confir. 1. Si iſti quinque Ordines non eſſent Sacramenta imprimentia characterem, ſed officia ſeu miniſteria ſimplicia, ut ſunt officia Sacriſtarum, Cantorum, & ſimilium, non eſſet ratio, cur per Excommunicationem aut depoſitionem non amitterentur, & ordinati ad ſtatum laicalem non reducerentur, atque poſtea abſoluti iterum non ordinarentur; ſicut contingit in officiis ſimplicibus. Item non eſſet ratio, cum ſeptem tantum numerarentur.

Confirm. 2. Iſti quinque Ordines dicuntur conferri per ordinationem. Unde Concilium Carthag. 4. a Canone 2. ad 9. dicit de Subdiacono, Acolytho, & aliis Minoriſtis, ſicut de Presbytero & Diacono, *Ordinatur*. Can. autem 10. & 11. ubi agit de Pſalmiſta & de conſecratione Monialis, abſtinet a verbo *Ordinationis*. Porro ordinatio ſic diſtincte notata pro omnibus nihil aliud videtur ſignificare, quam veri Sacramenti collationem.

Obj. 1. Neque in Evangelio, neque in Scriptis Apoſtolorum ulla fit mentio iſtorum quinque Ordinum. Ergo non ſunt inſtitutionis divinæ, ſed Eccleſiaſticæ, conſequenter nec Sacramenta. Unde Gratianus in Proœmio diſt. 51. dicit: *Levitas ab Apoſtolis ordinatos legimus, Subdiaconos & Acolythos procedente tempore Eccleſia ſibi conſtituit*. R. N. Conſ. (*Ib. a. 2. ad 2.*) non enim ideo non fit mentio de iſtis Ordinibus in Evangelio aut ſcriptis Apoſtolorum, quia non erant inſtituti a Chriſto; ſed quia propter paucitatem fidelium & Miniſtrorum illorum Miniſteria committebantur tunc Diaconis. At creſcente numero fidelium non longe poſt primordia Eccleſiæ, miniſteria, quæ erant ſeparabilia, diverſis perſonis fuerunt diſtributa. Ita expreſſe S. Dionyſius c. 3. cœleſtis Hierar. Hoc ſenſu intelligendus eſt Gratianus, aut ſi quid aliud intendat, ejus auctoritate, quæ eſt parvi ponderis, non movemur.

Inſt. 1. Urbanus II. in Synodo Beneventana relatus d. 60. c. *Nullus*, dicit: *Sacros Ordines dicimus Diaconatum & Presbyteratum: hos ſiquidem ſolos primitiva legitur habuiſſe Eccleſia*. Ergo. R. huic inſtantiæ poſſe præcedentem ſolutionem adhiberi. Communior tamen reſponſio eſt, quod Urbanus loquatur de Ordinibus ſacris tantum. Subdiaconatus autem non habebatur olim ſacer, ſaltem ſicut Presbyteratus & Diaconatus. 1. Quia non exprimitur in Scripturis. 2. Quia illi non erat annexa lex continentiæ. 3. Quia Subdiaconus non habebatur capax, qui eligeretur in Epiſcopum. Hanc eſſe mentem Urbani conſtat ex Innocentio III. cap. *A multis*, Extra. l. 1. tit. 14. ubi relatis verbis Urbani dicit: *Urbanus ad ſtatum primitivæ Eccleſiæ ſe referens, in quo Subdiaconatus Ordo ſacer minime dicebatur, &c.*

Inſt. 2. S. Clemens, aut quiſquis Auctor Conſtit. Apoſtol. l. 8. dicit, quod Exorciſta non ordinetur. Et Socrates l. 9. Hiſt. tripartitæ c. 38. dixit Alexandriæ Lectores indifferenter fieri ex Chriſtianis & Catechumenis. Catechumeni autem non ſunt capaces Sacramenti Ordinis. Ergo. Ad 1. R. 1. Conſtitutiones Apoſtolicas in multis eſſe vitiatas, ut omnibus compertum eſt, etiam in præſenti materia; dicit enim eod. lib. c. 19. Diaconiſſas ordinari per impoſitionem manuum, cum tamen contrarium ſtatuat Concilium Nicænum I. Can. 19. 2. Ibi ſermo eſt de eo, qui receperat gratiam liberandi Energumenos ex ſpontanea Dei benevolentia & gratia, ut ibid. dicitur. Hunc autem ordinari non erat neceſſe. Ad 2. Socrates loquitur de iis, qui aſſumebantur ad exercendum officium Lectoris abſque ordinatione.

Obj. 2. Plura ſimul. 1. Officia minorum Ordinum exercentur a Laicis. Non ergo neceſſe, ut aliqui ad hæc, adhibito Sacramento, initientur. 2. Omnes minores Ordines referuntur ad Euchariſtiam, ſicut Catechiſmi & Exorciſmi ad Baptiſmum; hi autem non ſunt Sacramenta. Ergo nec illi. 3. Legitur Chryſoſtomum, Gregorium Nazianz. Theodoretum, Paulinianum Fratrem S. Hieronymi, & alios fuiſſe promotos ad majores Ordines prætermiſſis Minoribus. 4. Minores Ordines poſſunt conferri per Abbates & ſimplices Sacerdotes. 5. Denique ſi minores Ordines eſſent Sacramenta, erunt tredecim Sacramenta. Ergo. R. ad 1. (*Ib. a. 4. ad 9.*) Laicos exercere officia minorum Ordinum, ſed non ex officio, ſicut ea exercent Minoriſtæ, qui ad hæc poteſtatem & auctoritatem habent ex ſua ordinatione: ſic ad Sacerdotem pertinet baptizare ex officio, quamvis id alii præſtare poſſint: ſic iterum poteſt dici Miſſa in domo non conſecrata, & tamen Conſecratio Eccleſiæ ad hoc ordinatur, ut in ea Miſſa poſſit dici. Ad 2. N. Ant. Diſparitas eſt, quod Catechiſmi & Exorciſmi ſint meræ diſpoſitiones ad Baptiſmum. At minores Ordines, ultra quod diſponant ad Sacerdotium, habent effectus ſibi proprios; conferunt enim poteſtatem ſpiritualem, imprimunt characterem, & Clericos a Laicis ſeparatos in ſtatu digniori conſtituunt. Ad 3. Si hoc argumentum valeret, ſequeretur, quod nec Diaconatus eſſet Sacramentum; refert enim Morinus l. de ſacris Ordinationibus parte 3. plures & ſpeciatim S. Auſtrigeſilum Archiepiſcopum Bituricenſem prætermiſſo Diaconatu promotum fuiſſe ad Sacerdotium. Idem refert Theodoretus in Hiſt. Religioſa de Macedonio, Acepſima, & Salamane. Itaque id eſt intelligendum, vel quatenus non ſervatis interſtitiis eodem die minores Ordines cum majoribus ſuſceperint; vel quod eorum officia ante ſuſceptionem ſuperioris Ordinis non exercuerint, vel tandem quod ob ſingulare meritum, aut aliquam aliam gravem cauſam per ſaltum fuerint ordinati. Ad 4. N. Conſ. Ex Antecedente enim ſequitur tantum, quod ſimplex Sacerdos poſſit eſſe Miniſter extraordinarius minorum Ordinum; ſicut diximus de Miniſtro Confirmationis; quod non negamus. Sed de hoc infra. Ad 5. N. Sequelam Ant. Quia ſeptem Ordines ſic ſunt Sacramenta, ut ſex ordinentur ad unum, ſcilicet ad Sacerdotium, cui deſerviunt, & quod participant. Unde ratione hujus ordinis ſeu relationis omnes dicuntur unum Sacramentum ſpecie ſubalterna, quæ ſubdividitur in plures ſpecies infimas. Cum autem numerantur ſeptem Sacramenta, intelliguntur ſpecies, quæ proxime ſubjiciuntur Sacramento ut ſic, ſive illæ ſpecies ſint ſubalternæ, ſive atomæ.

Ex dictis colliges omnes Ordines fuiſſe a Chriſto inſtitutos. Quia hoc ipſo, quod ſunt Sacramenta, non habent alium Auctorem præter Chriſtum, ut probavimus de Sacramentis in communi. Id etiam ſuadetur ex eo, quod

Digitized by Google

ſint in Eccleſia vetuſtiſſimi , nec eorum initium aſſignari poſſit , neque veriſimile ſit , quod Chriſtus ea , quæ pertinent ad ſacra Myſteria & ad Hierarchiam Eccleſiaſticam , non inſtituerit.

Quandonam autem inſtituit? incertum eſt. Probabiliter dicitur eos inſtituiſſe vel in ultima Cœna , quando Apoſtolos ordinavit Sacerdotes ; vel eo tempore , quo poſt Reſurrectionem cum Apoſtolis converſatus eſt , loquens de Regno Dei , & ſuam Eccleſiam formans.

ARTICULUS IV.

De Tonſura Clericali.

PEr Tonſuram hic non intelligitur quæcumque Capillorum Tonſura ſeu Raſura , ſed ea , quæ fit in modum coronæ : unde etiam dicitur Corona.

Petes 1. Utrum Tonſura ſit Ordo ? R. Negative , ſed eſt tantum præparatio ad Ordines. Ita communiter Theologi cum Auctore (*Supp. qu. 40. a. 2.*) contra Fagnanum & quoſdam alios Canoniſtas.

Prob. 1. Concilium Trid. Seſſ. 23. c. 2. dicit *Plures ac diverſos Ordines ita diſtribui , ut qui jam Clericali Tonſura inſigniti eſſent , per minores ad majores aſcenderent*. Quibus verbis ſupponit , ut patet , Tonſuram eſſe præviam ad Ordines , ſeu ut dicit Auctor *Præambulum ad Ordinem ſuſcipiendum*. Idem Concilium ibid. c. 6. de Ref. diſtinguit Tonſuram ab Ordinibus , dum dicit : *Nullus prima Tonſura initiatus , aut etiam in minoribus Ordinibus conſtitutus ante decimum quartum annum beneficium poſſit obtinere*. Unde ejuſdem Concilii Catechiſmus p. 2. c. 7. nu. 13. dicit *Clericalem Tonſuram quamdam præparationem eſſe ad Ordines accipiendos : ut enim homines ad Baptiſmum Exorciſmis , ad Matrimonium ſponſalibus præparari ſolent ; ita cum tonſo capillo Deo dedicantur , tanquam aditus ad Ordinis Sacramentum illis aperitur*. Confirm. In Concilio Carthag. 4. in antiquis Pontificalibus & in lib. Sacram. S. Gregorii omnes Ordinationes incipiunt ab Oſtiariatu , nec uſlibi legitur Tonſura inter Ordines recenſita ; quod eſt manifeſtum indicium eam pro Ordine non haberi in Eccleſia.

Prob. 2. Ratione . Nulla per Tonſuram ſpiritualis poteſtas confertur , ſed tantum aliquis deputatur ad decantandum præ cæteris divinas laudes , ad quod non requiritur ſpiritualis poteſtas , cum iſtud miniſterium ſit commune omnibus miniſtris , nec pertineat peculiari titulo ad Euchariſtiam . Ergo . Neque obſtat , quod Tonſurati poſſint excommunicare , ſuſpendere , &c. quia hi actus non pertinent ad poteſtatem Ordinis , ſed juriſdictionis.

Dices 1. Innocentius III. cap. *cum contingat* Extra. l. 1. Tit. 14. dicit ; quod per Tonſuram Clericalis Ordo confertur . 2. Tonſura initiati aliquando degradantur , ut conſtat ex Pontificali Rom. 3. par. de forma degradationis , & ex cap. *Degradatio* de Pœnit. in 6. 3. Sixtus V. conſtit. *Sanctum & ſalutare* tribuit Tonſuratæ Characterem Clericalem . Ergo . R. ad 1. Innocentium ſumere ordinem in latiori ſignificatione pro ſtatu , quo Clerici præeminent Laicis , non pro Ordine , ut eſt Sacramentum , & confert ſpiritualem poteſtatem . Ad 2. Tonſurati degradantur ab habitu , officio , & privilegiis ſtatus , non a Sacramento & charactere quo carent . Ad 3. Sixtus ſumit Characterem non pro interna & ſpirituali poteſtate , ſed pro ſigno exteriori , ſcilicet detonſione capillorum , quo Tonſurati ſecernuntur a Laicis , & quæ a Græcis vocatur *Character Tonſuræ*.

Inſt. In forma Degradationis Tonſurati a Pontificali præſcripta Epiſcopus ſic loquitur : *Eximus te Ordine , Beneficio , & Privilegio Clericali*. Ergo . R. per Ordinem intelligi , ut jam dixi , ſtatum ſeu gradum , a quo dejectus Tonſuratus reducitur ad ſtatum Laicalem ; non vero ordinem proprie dictum , a quo , ſi quidem cum ſit indelebilis , nemo poteſt exui.

Petes 2. Quæ ſit antiquitas Tonſuræ Clericalis ? R. inter varias opiniones eam videri probabiliorem , quæ hunc ritum refert ad ætatem Apoſtolorum.

Prob. Anicetus Papa 2. ſæculo relatus D. 23. c. 2. in Ep. ad Epiſcopos Galliæ ſcribit : *Prohibete fratres per univerſas veſtrarum Regionum Eccleſias , ut Clericis juxta Apoſtolum comam non nutriant , ſed deſuper caput in modum Sphæræ radant*. Et quamvis forte hæc Declaratio non ſit Aniceti , eſt tamen antiquiſſima , cum de ea fiat mentio in vetuſtiſſimis Pontificum Catalogis apud Anaſtaſium p. 2. Sidonius Apollinaris circa medium 5. ſæculi l. 4. Ep. 13. de Germanico Epiſcopo ſcribit : *Veſtis adſtricta , tonſus Corburus , Crinis in Rotæ ſpeciem acciſus*. Gregorius Turonenſis 7. ſæculo l. 1. de Gloria Martyrum c. 27. ait Patrum Apoſtolum inſtituiſſe , *ut Caput deſuper tonderetur*. S. Iſidorus ſub initium 7. ſæculi l. 2. de Officiis Eccleſ. c. 2. ait : *Quod vero detonſo Capite ſuperius , inferius circuli corona relinquitur , Sacerdotium regnumque Eccleſiæ in eis exiſtimo figurari*. Concilium Toletanum IV. an. 638. Can. 41. *Omnes Clerici* , inquit , *detonſo ſuperius toto capite , inferius ſolum circuli coronam relinquant*. Venerabilis Beda initio 8. ſæculi l. 4. Hiſt. Anglorum c. 1. & l. 5. c. 22. Rabanus Maurus circa medium 9. ſæculi 1. de Inſtit. Cleric. c. 3. idem adſtruunt. Confir. ab univerſali & conſtanti Eccleſiæ praxi , cujus initium non invenitur ; *quod enim* , inquit Auguſtinus contra Donatiſtas , *univerſa tenet Eccleſia , nec Conciliis inſtitutum , ſed ſemper cuſtoditum invenitur , non niſi ab Apoſtolis traditum rectiſſime creditur*.

Obſervandum tamen aliquam fuiſſe varietatem quoad modum Tonſuræ coronatæ. Orientales non novacula , ſed forcipe totum fere occipitium , & magnam partem ſincipitis tondebant , ita ut cutis non appareret , ne aſſimilarentur Sacerdotibus Iſidis & Serapidis , qui omnes omnino crines radebant . Unde Hieronymus in c. 44. Ezech. Tonſuram Orientalium deſcribens dicit Sacerdotes non debere incedere *Raſis capitibus , ſicut Sacerdotes Iſidis atque Serapis , nec rurſum comam dimittere , nec ita ad preſſum tondendum caput , ut aperta ſit cutis* . Concilium Tolet. proxime citatum jubet , ut *Omnes Clerici detonſo ſuperius capite toto , inferius ſolum circuli coronam relinquant* ; quia ut ibidem dicitur , Hæretici in Hiſpaniis prolixas comas gerebant , & in ſolo capitis apice modicum circulum tondebant . In Galliis vero & alibi juxta Decretalem Aniceti Clerici deſuper caput in modum Coronæ tondebant , relictis aliis capillis , ut etiam nunc obſervatur.

Dices cum Juenin & Tournely . 1. Hegeſippus apud Euſebium l. 2. Hiſt. c. 23. dicit , quod S. Jacobus Apoſtolus *nunquam comam totondit* . 2. Si quatuor primis ſæculis , quando ſerviebat perſecutio , Clerici habuiſſent Tonſuram eo ſigno facile deprehendi potuiſſent , & morti addici : non videtur autem veriſimile Eccleſiam in tam evidens periculum ſuos conjicere . Ergo . R. ad 1. ſenſum non eſſe S. Jacobum non fuiſſe tonſum , ſed non fuiſſe raſum novacula , ſic enim fert phraſis græca : *Novacula ſuper caput ejus non aſcendit* . Ad 2. fovet equidem opinioni contrariæ ; at non ſat infringit teſtimonia a nobis producta , poteſtque reſponderi , quod cum tunc non eſſet neceſſe amplam coronam deferre , nec verticem nudatum habere , non ita facile inde Ethnici poterant Clericos dignoſcere . Cæterum non negamus aliquos hoc indicio deprehenſos : legimus enim in Actis Eccleſiæ Divionenſis apud Martenium S. Benignum Presbyterum S. Polycarpi Diſcipulum agnitum fuiſſe a Terentio Comite ex tonſi capitis Corona . Baronius ad an. 58. n. 128. probat ex l. 18. Ammiani Marcellini , tempore Juliani Apoſtatæ , quemdam Theodorum Presbyterum fuiſſe ab Ethnicis ſupplicio affectum , eo quod tondendo pueros eos in Clericos cooptaret . Et hæc confirmant Concluſionem noſtram.

Petes 3. Quæ fuerit cauſa ſeu ratio hujus Ritus in Eccleſia ? (*Ibid. a. 1. a.*) R. varias a variis adduci . Probabiliores nobis videntur , quas profert Auctor . Prima , ut per Tonſuram in modum Coronæ ſeu Circuli , quæ eſt ſignum Regni & perfectionis , ſignificetur Clericos eſſe eminentia ſtatus a Laicis ſejunctos , & debere eſſe in virtute perfectos . Secunda , ut per ſubtractionem capillorum , qui ſunt ſuperfluitates corporis , moneantur Clerici , temporalium curas ſuperfluas reſecare , & ſpiritualibus inhærere.

Petes 4. Utrum omnes Clerici teneantur deferre Tonſuram ? R. affirmative . Quia eſt Lex Eccleſiaſtica , cap. *Clerici* , & cap. *Si quis* d. 23. Obſervat tamen Sylvius Clericos primæ Tonſuræ , aut Minorum Ordinum ſine Beneficio , non videri hac Lege adſtrictos , ſed ſolos Clericos majorum Ordinum , & alios Beneficiatos ; ſic enim videtur uſu receptum . Addit laudatus Theologus , nec iſtos facile judicandos peccare mortaliter ex eo , quod Tonſuram non geſtent , niſi notabili admodum tempore id faciant , vel poſt ſerias ab Ordinario admonitiones.

Petes 5. Utrum omnes Tonſurati gaudeant privilegiis Clericalibus ? Triplex diſtingui debet privilegium Clericale . Unum , quod dicitur privilegium fori , quo eximuntur Clerici a juriſdictione ſæculari . Secundum eſt privilegium Immunitatis a Tributis . Tertium dicitur privilegium Canonis , quo excommunicantur percutientes Clericum . Hac diſtinctione poſita , R. Quantum ad 1. ex Concilio Trid. ſeſſ. 23. c. 6. de Ref. quod prima Tonſura initiatus , aut etiam in minoribus Ordinibus conſtitutus *Fori privilegio non gaudeat , niſi Beneficium Eccleſiaſticum habeat , aut Clericalem habitum & Tonſuram deferens alicui Eccleſiæ ex mandato Epiſcopi inſerviat , vel in Seminario Clericorum , aut in aliqua ſchola vel univerſitate , de licentia Epiſcopi , quaſi in via ad majores ſuſcipiendos , verſetur* . Cum autem privilegium fori ſecum trahat immunitatem a Tributis , nam tributum ſolvere eſt ſignum ſubjectionis , hinc qui gaudet privilegio fori , gaudet immunitate ; & e contra qui privatur privilegio fori , Privatur privilegio immunitatis . Et ideo qui non ſervant conditiones prædicti Canonis Tridentini , privantur etiam privilegio Immunitatis.

ritis. Ita Layman l. 4. Tract. 9. c. 7. n. 3. poſt plures alios. Et quamvis quidam contradicant attento præciſe Canone, fatentur tamen ſic eſſe ex conſuetudine recepta, non contradicente ſum. Pontifice. Quantum ad privilegium Canonis; quamvis non exprimatur in Decreto Trid. quidam tamen ex conſequenti idem cenſent, ac de privilegio fori; quia qui gaudent privilegio canonis, gaudent privilegio fori; utrumque enim conceditur perſonis, quia ſacræ ſunt. Qui vero non ſervant prædicti Decreti conditiones non gaudent privilegio fori. Ergo nec Canonis. Ita Andreas a Matre Dei Tract. 8. de Ordine c. 7. puncto. 5. n. 59. poſt Suarem, Layman, & alios.

Circa vero præſens Trid. Decretum obſervandum eſt 1. Quod ſub disjunctione dicat: *Niſi Beneficium Eccleſiaſticum habeat, aut Clericalem habitum & Tonſuram deferens alicui Eccleſiæ ex mandato Epiſcopi inſerviat*. Ex quo plures inferunt, quod ſi Beneficium quantumvis tenue poſſideat, etſi Eccleſiæ non inſerviat, gaudeat privilegio fori. Ita prælaudatus Theologus cum pluribus aliis. Obſervant 2. Theologi circa has particulas, *Aut Clericalem habitum & Tonſuram deferens*, To & non ſumi copulative ſed disjunctive prout æquivalet *vel*; ſicut cum dicit Petrus Act. 3. *Argentum & aurum non eſt mihi*, id eſt, argentum vel aurum; ita ut ſufficiat alterutrum deferre, ut non amittatur privilegium. Sic Barboſa Allegat. 12. n. 21. de officio & poteſtate Epiſcopi intelligit eandem expreſſionem de eodem caſu in cap. *Si Judex* de ſenten. Excom. in 6. Obſervandum 3. Clericum minoribus initiatum non ſtatim privilegium amittere, ſi ſemel aut iterum habitum, ſeu Tonſuram Clericalem deferre omiſerit, ſed tantum ſi id in conſuetudine habuerit. Nec jure novo Tridentini trina admonitio Epiſcopi requiritur, ut privilegium amittat, licet antiquo jure requireretur. Obſervandum 4. Mandatum ſeu licentiam Epiſcopi requiſitam ad ſerviendum alicui Eccleſiæ, aut ad ſtudendum in aliqua ſchola debere eſſe expreſſam, ſive ſcripto, ſive verbo traditam, modo poſſit probari: quia quæ ſunt de forma ſubſtantiali actus, debent eſſe expreſſa. Ita Barboſa Allegat. cit. 12. n. 13.

Quantum ad Clericos conjugatos definit Trid. eodem c. 6. quod ſi cum unicis & Virginibus contraxerint, habitum & Tonſuram Clericalem deferentes alicujus Eccleſiæ ſervitio, in ſpiritualibus ſcilicet, ſint ab Epiſcopo deputati, gaudeant privilegio fori & Canonis.

Petes 6. Quæ ſint diſpoſitiones requiſitæ ad Tonſuram? R. verbis Tridentini ſeſſ. cit. 23. c. 4. de Ref. *Prima Tonſura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non ſuſceperint, & fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere & ſcribere neſciant, & de quibus probabilis conjectura non ſit, eos non ſæcularis judicii fugiendi fraude, ſed ut Deo fidelem cultum præſtent, hoc vitæ genus elegiſſe.*

DISSERTATIO II.

DE MATERIA ET FORMA SINGULORUM ORDINUM.

ARTICULUS I.

Quæ ſit materia & forma Presbyteratus?

Ritus ordinandi Presbyterum in Eccleſia Latina hic eſt. 1. Epiſcopus nihil dicendo imponit ambas manus ſuper caput ordinandi; idem præſtant Sacerdotes adſtantes. 2. Et ſtatim tam Epiſcopus, quam Sacerdotes tenent manus extenſas ſuper caput ordinandi, & Epiſcopus dicit: *Oremus Fratres chariſſimi*, &c. prout habetur in Pontificali Rom. 3. Imponit illi ſtolam & Caſulam, & ungit ejus manus oleo Catechumenorum. 4. Tradit illi Calicem cum vino & aqua, & patenam ſuperſitam cum pane, dicens: *Accipe poteſtatem offerendi Sacrificium pro vivis & mortuis, in nomine Patris*, &c. 5. Peragitur Miſſæ Sacrificium, & ordinatus una cum Epiſcopo verba Conſecrationis pronuntiat. 6. Poſt Communionem Epiſcopus ſolus utramque manum ejus capiti imponit dicens: *Accipe Spiritum S. quorum remiſeris peccata, remittuntur eis, quorum retinueris, retenta ſunt.*

Apud Græcos vero ſic ordinantur Presbyteri. 1. Epiſcopus caput ordinandi ter ſigno Crucis obſignat. 2. Tenens manum dextram ſuper caput ejus, dicit: *Divina gratia, quæ ſemper infirma curat, & ea, quæ deſunt, adimplet, promovet N. Venerabilem Diaconum in Presbyterum. Oremus pro eo, ut veniat ſuper eum gratia Spiritus S.* 3. Iterum ter eum ſignat orando. 4. Induit illum caſula. 5. Sub tempus Conſecrationis porrigit illi panem vel conſecratum ſecundum quoſdam, vel conſecrandum juxta alios. In hoc autem Ritu, ut patet, nihil habetur de porrectione Calicis cum vino, & patenæ cum pane; ſed Sacerdos eſt complete ordinatus per impoſitionem manus dextræ Epiſcopi cum dicta forma, *Divina gratia* &c.

Ex hac diverſitate naſcitur gravis controverſia, quæ ſit materia & forma eſſentialis Presbyteratus. Quidam volunt eſſe ſolam manuum impoſitionem, juxta aliquos ſecundam, juxta alios tertiam cum forma adjuncta, porrectionem autem inſtrumentorum eſſe materiam integrantem tantum. Pro hac ſententia citantur S. Bonav. Durandus, Morinus, Goarius, Menardus, uterque Habert, Juenin, VVitaſſe, Tournely, &c. Quidam e contra tenent materiam eſſentialem eſſe ſolam porrectionem inſtrumentorum cum forma comitante; impoſitionem autem manuum eſſe tantum de integritate. Ita Capreolus, Dominicus Soto, Vaſques, Gonet, &c. Alii denique ſtatuunt duplicem materiam partialem, ſcilicet porrectionem inſtrumentorum, & impoſitionem manuum, & duplicem formam partialem, ſcilicet verba cuilibet materiæ correſpondentia. Ita Petrus Soto, Cardinalis Hoſius, Martinus Ledeſma, Eſtius, Bellarminus, Sylvius: ex Recentioribus Platel, Henno, Steyaert, Boudart, Piette, Daelman; &c. Ita ut nunc videtur communior, eſtque nobis probabilior.

Omitto quorumdam opinionem, qui volentes has diverſas ſententias conciliare, putant in impoſitione manuum contineri implicite porrectionem inſtrumentorum, & in porrectione inſtrumentorum impoſitionem manuum eo potiſſimum quod utraque fiat per manum, quæ eſt *organum organorum*; at hac ratione Baptiſmus & Extrema-Unctio erunt impoſitio manuum & porrectio inſtrumentorum; ſimiliter quidquid fit per manus. Omiſſa itaque hac opinione ut minus fundata,

Dico 1. Materia & forma eſſentialis Presbyteratus apud Latinos eſt calicis cum vino, & patenæ cum pane traditio cum his verbis, *accipe poteſtatem* &c., & impoſitio tertia manuum cum his verbis; *Accipe Spiritum S. &c.*; ita ut ſint duæ materiæ & duæ formæ partiales, ex quibus una totalis conſtituitur. Prob. 1. Pars de porrectione inſtrumentorum. 1. Ex Concilio Florent. in decreto unionis, ubi dicit: *Sextum Sacramentum eſt Ordinis, cujus materia eſt illud, per cujus traditionem confertur Ordo, ſicut Presbyteratus traditur per Calicis cum vino & patenæ cum pane porrectionem*. Et mox: *Forma Sacerdotii talis eſt: Accipe poteſtatem offerendi Sacrificium pro vivis & mortuis in nomine Patris &c.* Abſurdum autem foret dicere Concilium intellixiſſe de materia & forma accidentali, & ſiluiſſe de eſſentiali in Decreto edito pro inſtructione Armenorum; id ſane non fuiſſet illos inſtruere, ſed decipere. Alioquin cum Concilium aſſignat materiam & formam aliorum Sacramentorum, non intelligit accidentalem, ſed eſſentialem; cur aliter intelligeret in hoc Sacramento?

2. Hæc S. Synodus deſumpſit ex Angelico Doctore Opuſc. 5. cujus ſunt ferme eadem verba. Idem S. Doctor docet hic q. 37. a. 5. dicens: *Quia principalis actus Sacerdotis eſt conſecrare corpus & ſanguinem Chriſti, ideo in ipſa datione Calicis ſub forma verborum determinata character Sacerdotalis imprimitur.*

3. Nihil eſt in toto ritu latino, per quod expreſſius ſignificetur poteſtas ſpiritualis Sacerdotum, quæ eſt præcipue in corpus Chriſti naturale, quam porrectio dicta cum forma adjuncta. Iſtud autem cenſeri debet materia & forma Sacramenti, quod eſt ſignum expreſſum & ſenſibile principalis ejus effectus.

4. Ante inſtrumentorum porrectionem & hæc verba *Accipe poteſtatem* &c., cantatur *Veni Creator*, & Candidati vocantur *Ordinandi*. Poſt vero vocantur *Ordinati*, & in ſignum acceptæ poteſtatis pronuntiant cum Epiſcopo verba conſecrationis. Ergo.

Prob. 2. pars de impoſitione manuum. 1. Ex Concilio Carthag. 4. can. 3. ex conſtanti & perpetuo uſu Eccleſiæ Græcæ & Latinæ, quæ ſemper adhibuit manuum impoſitionem; & ex Concilio Trid. ſeſſ. 14. n. 3. ubi loquens de Extremæ Unctionis Miniſtro dicit eſſe Epiſcopos aut Sacerdotes rite Ordinatos, per impoſitionem manuum Presbyterii. Denique ex D. Th. qui 3. p. q. 84. a. 4. o. reddit rationem, cur in Sacramento Pœnitentiæ & Baptiſmi non requiratur manuum impoſitio, requiratur autem in Sacramento Confirmationis & Ordinis: *Quia*, inquit, *impoſitio manuum in Sacramentis Eccleſiæ fit ad ſignificandum aliquem copioſum gratiæ effectum, quo illi, quibus manus imponuntur, quodammodo per quamdam ſimilitudinem continuantur Miniſtri, in quibus copia gratiæ eſſe debet. Et ideo manus impoſitio fit in in Sacramento Confirmationis, in quo confertur plenitudo Spiritus S. & in Sacramento Ordinis, in quo confertur quædam excellentia poteſtatis in di-*

vinis

vinis Myſteriis. *Unde & 2. ad Tim. 1. Reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.*

2. Nihil habemus, quo probemus ex Scripturis contra hæreticos Ordinem eſſe Sacramentum, quam impoſitionem manuum, quæ in eis refertur. Ergo eſt eſſentialis Sacramento; alioquin inefficax eſt noſtrum argumentum. Neque dicas cum Gonet porrectionem inſtrumentorum non eſſe ritum formaliter, ſed materialiter tantum, diverſum ab impoſitione manuum. Eſto id nos concedamus, non concedent Hæretici, ſicque ipſos inefficaciter ex Scripturis urgebimus. 3. Impoſitionem manuum ſub iſta forma, *Accipe Spiritum S.* &c., eſt ſignum practicum gratiæ. Ergo Sacramentum. Prob. Ant. ex Trid. ſeſſ. 23. can. 4. ubi ferit anathemate, *qui dixerit per Sacram Ordinationem non dari Spiritum S. proinde fruſtra dicere Epiſcopos, Accipe Spiritum S.* Ergo.

Prob. & ſimul explicatur tota concluſio. Duplex poteſtas confertur Sacerdoti in ſua Ordinatione: una in corpus Chriſti verum ad illud conſecrandum: altera in corpus Chriſti myſticum ad illud paſcendum & judicandum in foro interiori. Unde quamvis Sacerdos ut ſic, abſtrahendo ab hoc vel illo ſtatu, ſit tantum ad ſacrificandum; Sacerdos tamen novæ legis, & prout eſt a Chriſto inſtitutus, eſt ad ſacrificandum & judicandum, ſicque eſt ſimul Sacrificator & judex: nec poteſt eſſe perfectus & completus Sacerdos novæ legis niſi per utramque poteſtatem. Atqui per porrectionem inſtrumentorum cum hac forma, *Accipe poteſtatem* &c., confertur prima poteſtas; & per impoſitionem manuum cum hac forma, *Accipite Spiritum S. quorum remiſeritis peccata &c.*, confertur ſecunda. Ergo, Neque dici poteſt ſecundam conferri in prima, aut vice verſa, tum quia, neque ex parte Sacramenti, neque ex naturali concomitantia ſunt inter ſe connexæ, ſed ſunt poteſtates omnino diverſæ; tum quia una non ſignificatur per materiam & formam alterius; Sacramenta autem non conferunt effectum, quem non ſignificant: (*In 4. d. 24. q. 2. a. 3. ad 2.*) tum denique quia Chriſtus ipſe has poteſtates ſeorſim & diverſo tempore contulit; poteſtatem enim conſecrandi contulit in ultima cœna; poteſtatem autem remittendi peccata poſt reſurrectionem, dum inſufflando in Diſcipulos, ait illis: *Accipite Spiritum S. quorum remiſeritis peccata*, &c.

Dico 2. Materia & forma Preſbyteratus apud Græcos eſt ſola impoſitio manuum cum his verbis: *Divina gratia* &c., ut ſupra. Prob. Certum eſt ex omnibus Euchologiis & omnium conſenſu Græcos nunquam adhibuiſſe, neque nunc adhibere ad Ordinationem Preſbyteri inſtrumentorum porrectionem, ſed ſolam manuum impoſitionem cum verbis citatis: & tamen non eſt minus certum validas eſſe apud illos Preſbyterorum Ordinationes; cum Eccleſia nunquam illas improbaverit, quin imo permittat eas hoc ritu fieri Romæ, ſicque Ordinatos Miſſam facere nobis audientibus, quod eſſet Idololatria, ſi non eſſent vere Ordinati. Nec in Concilio Florent. de earum validitate ullum dubium motum eſt. Ergo,

Solvuntur Objectiones.

OBj. 1. Contra porrectionem inſtrumentorum. Materia eſſentialis Sacramenti Ordinis debet eſſe eadem ubique & omni tempore, alioquin non foret idem Sacramentum. Atqui ex conceſſis Græci in Ordinatione Preſbyteri non utuntur porrectione inſtrumentorum, nec Latini ſemper ea uſi ſunt, cum non ſuperet octingentos annos. Ergo. R. D. Maj. Materia eſſentialis Sacramenti Ordinis debet eſſe ubique & omni tempore eadem formaliter in ratione ſigni ſenſibilis, C. Debet eſſe eadem materialiter & in ratione rei, N. Dicimus itaque Chriſtum non inſtituiſſe materiam hujus Sacramenti determinando in ſpecie hanc vel illam rem eſſe materiam; ſed determinando tantum in genere conferendum eſſe per aliquod ſignum ſenſibile, quod foret ſignificativum poteſtatis traditæ; determinationem autem hujus ſigni in ſpecie, an eſſet talis vel talis res, an impoſitio manuum, an porrectio inſtrumentorum, an utraque ſimul, reliquiſſe Eccleſiæ, ut jam dixi de materia & forma Confirmationis. Eccleſia itaque hac poteſtate ſibi a Chriſto tradita utens determinavit, ſeu ſaltem conſenſit, quod impoſitio manuum cum forma illi reſpondente pro Eccleſia Græca, & forte etiam in prioribus ſæculis pro Eccleſia Latina, eſſet ſignum legitimum utriuſque poteſtatis traditæ ad conſecrandum & ad abſolvendum. At poſtea determinavit pro Eccleſia Latina, quod porrectio inſtrumentorum cum his verbis, *Accipe poteſtatem* &c., eſſet ſignum legitimum poteſtatis conſecrandi; impoſitio autem manuum cum his verbis, *Accipe Spiritum S.* &c. ſignum poteſtatis abſolvendi. Ita quod Græcus ordinatus ritu Latinorum, aut Latinus ritu Græcorum ſine diſpenſatione ſum. Pontificis invalide ordinaretur. Hanc porro fuiſſe inſtitutionem & voluntatem Chriſti, colligimus cum innumeris pene Theologis, 1. Ex ipſa diverſitate materiarum & formarum; non ſolum in hoc Sacramento, ſed etiam in quibuſdam aliis præſertim in Confirmatione, quæ vix aliter explicari poſſunt ſalva unitate Sacramenti. 2. Ex cap. *Presbyter* de Sacramentis non iterandis, ubi Gregorius IX. dicit impoſitionem manuum eſſe *ritum ab Apoſtolis introductum*. 3. Ex Innocentio III. qui ad iſtud caput, prout citatur a Delugo, Sylvio, Steyaertio, & aliis, dicit: *Niſi eſſent formæ poſtea inventæ, ſufficeret Ordinatori dicere, ſis Sacerdos, vel alia æquivolentia verba* (intellige, addita aliqua materia) *ſed ſubſequentibus temporibus formas, quæ ſervantur, Eccleſia ordinavit, & tantæ neceſſitatis ſunt dictæ formæ, quod ſi iis non ſervatis aliquis fuerit ordinatus, ſupplendum eſt quod omiſſum eſt.*

Quidam paulo aliter explicant, & dicunt Chriſtum revera inſtituiſſe pro materia & forma hujus Sacramenti porrectionem inſtrumentorum & impoſitionem manuum cum formis ipſis correſpondentibus, ſed reliquiſſe Eccleſiæ alterutram vel ambas adhibere. Hæc Reſponſio non eſt improbabilis.

Inſt. contra 1. Reſponſionem, quæ eſt communior. Eccleſia non poteſt mutare materiam Sacramentorum, alias mutaret eorum ſubſtantiam, quod eſt contra Trid. ſeſſ. 21. c. 1. Ergo. R. D. Ant. Eccleſia non poteſt mutare materiam Sacramentorum formaliter ſumptam in ratione ſigni, ut a Chriſto inſtitutam, C. Materialiter ſumptam in ratione rei, N. Sic enim mutare materiam non eſt mutare ſubſtantiam Sacramenti. Simile quid habemus in Matrimonio, pro cujus materia Chriſtus determinavit ſignum legitimum interioris conſenſus, quo fieret contractus validus; quale autem foret iſtud ſignum, reliquit diſpoſitioni Eccleſiæ: ſicut ergo Eccleſia mutando hoc ſignum quoad rem & materialiter, prius enim ſufficiebat ſignum clandeſtine expreſſum, nunc requiritur ſignum coram Parocho & teſtibus expreſſum, non dicitur mutaſſe ſubſtantiam Sacramenti; ita nec determinando aut mutando rem, per quam ſignificatur traditio poteſtatis in Ordine. Confer, quæ dixi de Sacramentis in genere Diſſert. 1. a. 5. Obj. 3.

Inferes. Ergo pari ratione Sacerdos Latinus invalide conſecraret in fermentato, & Sacerdos Græcus in azymo, quod non admittitur. Prob. illatio. Eccleſia pariter determinavit pro materia Conſecrationis azymum in Eccleſia Latina, & fermentatum in Græca. Ergo. R. N. Illationem. Ad probat. D. Ant. Eccleſia determinavit panem azymum in Eccleſia Latina, ut neceſſarium neceſſitate præcepti, C. Ut neceſſarium neceſſitate Sacramenti, N. Ratio diſparitatis eſt, quod Chriſtus determinavit in ſpecie panem pro materia Conſecrationis, ſicut aquam pro Baptiſmo. Eccleſia autem non poteſt facere, quod panis azymus aut fermentatus non ſit panis. At Chriſtus non determinavit in ſpecie hanc vel illam rem, ut eſſet materia ordinationis, ſed in genere aliquid, quod foret ſignum ſenſibile poteſtatis traditæ. Quid autem foret iſtud aliquid, reliquit determinandum ab Eccleſia.

Repones. Dum Chriſtus ordinavit Apoſtolos Sacerdotes, uſus eſt determinata materia & determinata forma. Ergo non reliquit determinandam ab Eccleſia. R. N. Conſeq. Non enim omne, quod Chriſtus fecit, faciendum inſtituit aut præcepit. Conſecravit determinate in vino albo vel rubro, in pane azymo vel fermentato, & tamen neutrum determinate præcepit. Quomodo autem Chriſtus Apoſtolos inſtituerit Sacerdotes, incertum eſt. Probabiliter dicitur, quod inſtituerit his ſolis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem.*

Obj. 2. contra impoſitionem manuum. Concilium Florent. aſſignans materiam hujus Sacramenti in Decreto inſtructionis Armenorum non meminit impoſitionis manuum, ſed tantum porrectionis inſtrumentorum. Ergo impoſitio manuum non eſt eſſentialis, vel diminuta fuit inſtructio Concilii. R. N. Conſeq. 1. Quia licet non meminerit, non tamen negavit; ex argumento autem negativo nihil ſequitur, alioquin pariter arguam porrectionem inſtrumentorum non eſſe materiam eſſentialem, quia nec SS. Patres, nec Concilium Trid. illius meminerunt; ſed tantum impoſitionis manuum. 2. Ideo Concilium Florent. non expreſſit impoſitionem manuum, quia intendebat tantum inſtruere Armenos inquirentes unionem Eccleſiæ Romanæ in iis, quæ ignorabant, aut de quibus dubitabant circa illius ritus; non ignorabant autem impoſitionem manuum eſſe adhibendam quam ipſimet cum tota Eccleſia adhibebant, ſed ignorabant porrectionem inſtrumentorum eſſe neceſſario requiſitam in Eccleſia Romana; & ideo hanc expreſſit Concilium: ſic Trident. ſeſſ. 14. c. 5. cit. non meminit porrectionis inſtrumentorum, ſed impoſitionis manuum tantum, quia intendebat ibi ſolum declarare, quando Sacerdos fieret idoneus Miniſter Extremæ Unctionis; quod tunc demum obtinet, quando per impoſitionem manuum accipit poteſtatem abſolvendi; quia ut alibi dixi ex Trident. Extrema-Unctio eſt conſummativa

Pœnitentiæ. Nec tamen Florentinum omnino tacuit impoſitionem manuum, ſed implicite ſignificavit remittendo ad Pontificale Roman. *Prout*, inquit, *in Pontificali Romano late continetur*: in Pontificali autem exprimitur impoſitio manuum tanquam materia eſſentialis.

Inſt. 1. Gregorius IX. jam citatus cap. Presbyter Extra. l. 1. tit. 16. duo dicit. Primum, impoſitionem manuum eſſe ritum introductum ab Apoſtolis. Secundum, quod ſi in ordinatione Presbyteri vel Diaconi ſit prætermiſſa, nihil ſit iterandum, ſed id, quod prætermiſſum eſt, ſuo tempore eſſe ante ſupplendum. Ergo impoſitio manuum non eſt materia eſſentialis, alioquin non haberet inſtitutionem ab Apoſtolis, & ea omiſſa Sacramentum foret iterandum. R. N. Conſeq. Utrumque enim Ant. bene dicitur in noſtra ſententia, & illi favet. Primum, manus impoſitio eſt introducta ab Apoſtolis, quatenus ſignum ſenſibile a Chriſto in genere determinatum; Apoſtoli autem ad hanc rem ſpecifice, ſcilicet ad impoſitionem manuum, determinarunt. Secundum; prætermiſſa tamen impoſitione manuum, non eſt iterandum Sacramentum, qua parte confert poteſtatem conſecrandi, quia ex hac parte eſt validum per traditionem inſtrumentorum; ſed ſupplenda ſeu ponenda eſt impoſitio manuum omiſſa, ut habeatur poteſtas abſolvendi, qua completur Sacerdotium novæ Legis.

Inſt. 2. Candidatus poſt porrectionem inſtrumentorum & formam ipſi reſpondentem ante tertiam impoſitionem manuum eſt Sacerdos; Vocatur enim in Pontificali *Ordinatus*, & verba Conſecrationis profert cum Ordinatore. Ergo iſta manuum impoſitio eſt accidentalis. R. D. Ant. Candidatus poſt porrectionem inſtrumentorum eſt ſacerdos incomplete, C. complete, N. Sacerdotium enim novæ Legis ſecundum inſtitutionem Chriſti duplicem poteſtatem includit, primam conſecrandi, alteram abſolvendi. Unde ſi una abſit, non eſt completum. Si inſtes per impoſitionem manuum ordinari quidem ut Judicem, non ut Sacerdotem, N. Quia, ut dixi, non eſt perfacte Sacerdos novæ Legis ſine poteſtate abſolvendi, & ideo per impoſitionem manuum ordinatur etiam ut Sacerdos.

Urgebis: una pars eſſentiæ non poteſt eſſe ſine alia. Ergo. R. D. Ant. In compoſitis phyſicis, C. in moralibus, N. Conſtat enim ſæpe partibus eſſentialibus ſucceſſivis:

Obj. 3. contra eandem. Quando aliquis Ordo habet plura officia, in collatione officii principalis tota ejus eſſentia conſiſtit, ut patet in Ordinibus minoribus. Atqui præcipuum officium Presbyteratus eſt conſecrare corpus Chriſti. Ergo in ritu hujus poteſtatis collativo, qui eſt porrectio inſtrumentorum, tota ejus eſſentia conſiſtit. R. D. Maj. Si ea officia ſint levis momenti, & ita inter ſe connexa, ut minora ſequantur ex majori, C. Secus, N. In Presbyteratu autem duæ poteſtates collatæ ſunt maximi momenti, nec ita inter ſe connexæ, ut una ſequatur ex altera, ut dictum eſt. Aliunde in his, quæ pendent ex voluntate Inſtituentis, non urget argumentum a pari.

Inſt. Tota eſſentia Sacramenti Ordinis eſt per relationem ad corpus Chriſti conſecrandum, per id enim diſtinguitur ab aliis Sacramentis. Ergo poſita ſemel hac poteſtate, cætera ſunt accidentalia. R. N. Ant. Quamvis enim in Presbyteratu relatio ad corpus Chriſti conſecrandum ſit primum & præcipuum ejus diſtinctivum, ſecundario tamen ad ejus eſſentiam, prout eſt inſtitutus a Chriſto, pertinet relatio ad adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ.

Petes 1. Utrum in collatione Presbyteratus conferatur duplex character? R. id eſſe incertum. Quidam exiſtimant conferri unum tantum in porrectione inſtrumentorum, qui extenditur in impoſitione manuum, idque colligunt ex D. Th. hic q. 37. a. 5. & q. 38. a. 1. ad 4. alii duplicem agnoſcunt characterem: quia duplex eſt poteſtas diſtincta; character autem nihil aliud eſt quam poteſtas. Neque id repugnare S. Thomæ probat hic Sylvius qu. 37. a. 5. ſed quidquid ſit, res eſt levis momenti.

Petes 2. Qualis contactus materiæ ſit neceſſarius neceſſitate Sacramenti, non ſolum in Presbyteratu, ſed etiam in aliis Ordinibus? R. juxta quoſdam ſufficere contactum moralem ſitum in porrectione materiæ, & aliquo ſigno acceptationis, v. g. extenſione manus verſus inſtrumenta, quia ſic quandoque conferuntur officia ſæcularia. Alii & tutius requirunt contactum phyſicum, ſaltem mediatum. Auctor (*ib. q. 34. a. 5. ad 3.*) utramque ſententiam proponit, & quamvis videatur primam, ut probabilem, admittere, magis tamen inclinat in ſecundam, dum poſt relatam primam addit: *Tamen ipſa verba formæ videntur oſtendere, quod tactus materiæ ſit de eſſentia Sacramenti, quia dicitur: Accipe hoc vel illud*. Idque videtur probare magna Epiſcoporum ſollicitudo, ut materia phyſice tangatur ab Ordinandis; unde innuitur hanc eſſe Eccleſiæ intentionem, ſic materiam determinantis in ſpecie. Adde in aliis Sacramentis, Baptiſmo, Confirmatione, Extrema-Unctione sequiri contactum phyſicum; quidni in iſto? Hinc ſequitur aliter ordinatum eſſe ſaltem ſub conditione reordinandum. Dixi, *Saltem mediatum*; quia probabile eſt, non tamen certum; quod ſufficeret tangere materiam mediante velo, vel chirotheca. Indubium autem eſt, quod ſufficiat tangere mediante ſuo continente, vinum mediante calice, panem mediante patena; quia illud vere dicitur tangi, quod tangitur in ſuo continente. Et ita eſt praxis Eccleſiæ.

Petes 3. Quæ ſint officia Sacerdotis? R. Primum eſt conficere Euchariſtiam. Secundum ligare, aut abſolvere pœnitentes, ut digne accedant ad Sacramentum Euchariſtiæ, ſuppoſita tamen juriſdictione. Tertium adminiſtrare alia Sacramenta, ſcilicet Baptiſmi, Euchariſtiæ, & Extremæ-Unctionis accedente conſenſu proprii Sacerdotis. Quartum benedicere populum etiam in Miſſa benedictione ſimplici, non ſolemni, prætermiſſo, *Adjutorium noſtrum in nomine Domini*: id enim pertinet ad Epiſcopum in ſua Diœceſi, ad Archiepiſcopum in tota Provincia, cum ipſam viſitat; ad Legatos in terminis ſuæ Legationis, ad Abbates in Eccleſiis ſibi pleno jure conceſſis.

ARTICULUS II.

Quæ ſit materia & forma Diaconatus?

DIACONATUS generaliter eſt *Miniſterium*. Diaconus *Miniſter*, ſed uſu Eccleſiaſtico ab Apoſtolis derivato dicitur Diaconus, qui proximus miniſtrat Sacerdoti ſacrificanti.

Dico. Probabilius eſt Diaconatus, ſicut Presbyteratus in Eccleſia Latina duplicem eſſe materiam & formam, ſcilicet impoſitionem manuum Epiſcopi cum his verbis: *Accipe Spiritum S. ad robur, & ad reſiſtendum Diabolo & tentationibus ejus*; & traditionem libri Evangeliorum cum his verbis: *Accipe poteſtatem legendi Evangelium in Eccleſia Dei, tam pro vivis, quam pro defunctis*.

Prob. 1. Quia Concilium Carthag. 4. Can. 4. ex una parte aſſignat pro materia Diaconatus impoſitionem manuum Epiſcopi: *Diaconus*, inquit, *cum ordinatur, ſolus Epiſcopus, qui eum benedicit, manum ſuper caput illius ponat, quia non ad Sacerdotium, ſed ad Miniſterium ordinatur*. Non eſt autem veriſimile Concilium aliquid accidentale aſſignaſſe, omiſſo eſſentiali. Ex altera parte Concilium Florent. in Decreto unionis aſſignat pro materia traditionem libri Evangeliorum. Ut ergo hæ duæ Synodi concilientur, dicendum eſt duplicem eſſe materiam & formam, ut in concluſione. 2. Uterque ritus refertur in Pontificali, tanquam materia & forma Diaconatus. 3. In impoſitione manuum, de qua magis dubitatur, confertur gratia, ut patet ex ejus forma, adjuncto Tridentino, ut ſupra. Ergo eſt veriſimiliter pars Sacramenti.

Dices 1. contra 1. partem. Per impoſitionem manuum non confertur Diacono ſpecialis aliqua poteſtas, ſed quid commune omnibus Sacramentis, ut patet ex ejus forma. Atqui Ordo conſiſtit in poteſtate. Ergo. R. N. Maj. Confertur enim, ut verba ſonant, illa animi fortitudo, qua Diaconus debet eſſe inſtructus ad miniſtrandum Sacrificio, & ad annuntiandum Evangelium ex officio contra omnia impedimenta occurrentia ex parte hoſtium fidei, quibus Diabolus utitur tanquam Miniſtris; quæ animi fortitudo eſt poteſtas ſpecialis, non minus quam ea, quæ confertur in Confirmatione ad profitendam fidem ex officio coram Tyranno.

Dices 2. contra 2. partem. Initio Eccleſiæ non erat liber Evangeliorum, nec conſequenter legebatur Evangelium in Miſſa. Ergo. R. N. Conſeq. Eſto enim initio Eccleſiæ liber Evangeliorum non fuerit materia partialis Diaconatus; poſtea tamen Eccleſia, cum vellet diſertius ſignificare poteſtatem Diaconi, (*Ibid. q. 37. a. 5. ad 5.*) nec poſſet ad hoc deſignare Calicem cum vino, & patenam cum pane, quia eſt materia Presbyteratus, neque Calicem vacuum, & patenam vacuam, quia eſt materia Subdiaconatus, deſignavit traditionem libri Evangeliorum, qua optime ſignificatur tradi poteſtatem miniſtrandi Sacerdoti in Sacrificio, & ſpecialiter cantandi in eo ſolemniter Evangelium, quod eſt unum ex præcipuis ejus Miniſteriis. Cætera argumenta præoccupata ſunt Articulo præced.

Petes 1. Utrum in Diaconatu conferatur duplex character, ſicut diximus probabiliter conferri in Presbyteratu? R. probabilius negative, quia non ſunt poteſtates tam diverſæ, nec tanti momenti. Unde videtur ſufficere ejuſdem characteris extenſio, ne ſine neceſſitate multiplicentur characteres?

Petes 2. Quando conferatur character? R. probabilius conferri in principaliori materia, quam putamus eſſe traditionem libri Evangeliorum, cum per eam habeatur proximior acceſſus ad Euchariſtiam. Nec refert, quod ſit poſterior tempore impoſitione manuum; totum enim Sacramentum moraliter perſeverat, donec principalior pars perficiatur; & ſic nihil impedit, quominus character per eam impreſſus extendatur ad priorem partem.

Pe-

Petes 3. Quæ ſint officia Diaconi ? R. primum eſſe Sacerdoti celebranti immediate aſſiſtere & miniſtrare. Secundum ſolemniter legere Evangelium in Miſſa. Tertium ex commiſſione Epiſcopi vel Parochi ſolemniter baptizare. Quartum de licentia Epiſcopi prædicare. Quintum ex commiſſione Parochi in neceſſitate Eucharíſtiam diſpenſare.

ARTICULUS III.

De materia, forma, & officiis Subdiaconatus, & minorum Ordinum.

SUBDIACONUS, qui & olim hypodiaconus, ſeu ſubminiſter, dictus eſt eo quod ejus miniſterium ſit deſervire in Sacrificio Diacono, qui eſt principalis Miniſter. Dico 1. Materia totalis Subdiaconatus eſt traditio calicis vacui, & patenæ vacuæ; forma vero hæc verba: *Videte, cujus Miniſterium vobis traditur, ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere poſſitis.*

Prob. Hanc, & non aliam tam materiam, quam formam aſſignant Concilium Carthag. 4. Can. 5. Concilium Florent. in Decreto unionis, S. Thomas in 4. d. 25. q. 1. a. 1. ad 2. conſequenter ea traditione character imprimitur.

Dices. Traditio libri Evangeliorum eſt eſſentialis Diaconatui. Ergo traditio libri Epiſtolarum eſt eſſentialis Subdiaconatui, maxime ſi attendatur hæc forma: *Accipe librum Epiſtolarum, & habe poteſtatem legendi eas in Eccleſia*, &c. R. N. Conſeq. 1. Quia in poſitivis, ſeu quæ pendent ex voluntate, non valet argumentum a pari. Eccleſia autem, ex cujus voluntate pendet determinatio materiæ Ordinis in ſpecie, ut diximus, aſſignat pro materia Diaconatus traditionem Libri Evangeliorum, & non aſſignat pro materia Subdiaconatus traditionem libri Epiſtolarum; illius enim non meminerunt Concilium Carthaginenſe & Florent. quæ de materiis Ordinum agunt. 2. Diſparitas eſt, quod præcipuus actus Diaconi non poterat deſignari, ut jam dixi, per traditionem Calicis cum vino, & patenæ cum pane, quia hæc eſt materia Presbyteratus; neque per traditionem Calicis vacui & patenæ vacuæ, quia hæc eſt materia Subdiaconatus. Unde debuit deſignari per traditionem libri Evangeliorum, cujus ſolemnis decantatio in Miſſa eſt unus ex præcipuis ejus actibus. At per traditionem Calicis vacui & patenæ vacuæ abſolute deſignatur præcipuus actus Subdiaconi, qui eſt miniſtrare Diacono, non cantare Epiſtolam, cum olim cantaretur a Diacono. Quando ergo Epiſcopus tradit Subdiacono Librum Epiſtolarum cum his verbis: *Accipe Librum*, &c. non imprimit illi Characterem, qui imprimitur, ut dixi, in traditione Calicis & patenæ, ſed deputat ſimpliciter ad officium cantandi Epiſtolam, ſicut deputat ad varia alia officia, cum illum veſtibus ſacris induit, ad quarum ſingulas varia adhibet.

Itaque primum & præcipuum officium Subdiaconi eſt deſervire Sacrificio, miniſtrando Diacono Calicem & patenam, eique offerendo panem & vinum, tanquam oblationes Populi, ut eas tradat Sacerdoti. Secundum cantare ſolemniter Epiſtolam in Miſſa. Tertium deferre Crucem in Proceſſionibus.

Dico 2. Materia Acolythatus eſt duplex. Prima Traditio urceoli vacui cum hac forma: *Accipe urceolos ad ſuggerendum vinum & aquam in Euchariſtiam ſanguinis Chriſti in nomine Domini.* Secunda traditio candelabri cum cereo extincto ſub iſta forma: *Accipe ceroferarium cum cereo, ut ſcias te ad accendenda Eccleſiæ lumina mancipari in nomine Domini*: unde Acolythi dicebantur olim Ceroferarii. Dicuntur etiam ab aliquibus *Acolythi*, id eſt *ſequentes* ſeu *pedſſequi*, quia ſequuntur Diaconum in miniſterio.

Dubitatur, an utraque materia ſit eſſentialis. At cum utraque referatur in Concilio Carthag. Can. 6. & in Pontificali Rom. nihil obſtare videtur, quominus utramque dicamus eſſentialem. Equidem S. Th. hic q. 37. a. 5. ad 6. dicit, quod principalior actus Acolythi ſit miniſtrare in urceolo, & quod in ejus traditione imprimatur character; verum id non impedit, quin materia minus principalis ſit etiam eſſentialis, & ad eam extendatur character, ſicut diximus de Diaconatu.

Officium Acolythi eſt 1. Urceolos cum vino & aqua ad Miſſam præparare & Miniſtris offerre, non vero in Calicem immittere in Miſſa ſolemni, quod pertinet ad Subdiaconum. 2. Cereos præparare, accendere, deferre ad Evangelium tempore Conſecrationis, &c. Materia Exorciſtatus eſt liber Exorciſmorum; & forma: *Accipe & commenda memoriæ, & habe poteſtatem imponendi manus ſuper Energumenos, ſive Baptizatos ſive Catechumenos.* Unde patet ejus proprium Officium eſſe, invocatione nominis Dei, impoſitione manuum & Exorciſmis ab Eccleſia approbatis, pugnare adverſus Dæmones, ut a corporibus obſeſſis exeant.

Utrum vero omnes fideles poſſint Exorciſmos probatos ſuper Energumenos privatim legere? Quidam negant; affirmant Suares T. 2. de Relig. l. 4. c. 2. n. 11. Sanchez in opere morali l. 2. c. 42. n. 18. Quia, inquiunt, omnes fideles habent poteſtatem impugnandi & arcendi Dæmones; majorem tamen habent, qui ad hoc ab Eccleſia ſunt ordinati, & ideo hi ſoli ſolemniter & ex Officio exercere poſſunt.

Materia Lectoratus eſt codex divinarum Lectionum; forma: *Accipe & eſto Verbi Dei Zelator, habiturus, ſi fideliter & utiliter Officium tuum impleveris, partem cum iis, qui Verbum Dei ab initio miniſtraverunt.*

Officium Lectoris eſt alta voce legere, ſive cantando, ſive ſimpliciter recitando ſacras Scripturas, etiam ipſum Evangelium, non in Miſſa, ſed in aliis divinis Officiis. Olim etiam novos fructus oblatos a fidelibus benedicebat, & Catechumenos rudimenta Fidei docebat. Item Epiſcopo concionaturo eam Scripturæ partem, quæ explicanda erat, prælegebat. Sed hæc in diſſuetudinem abierunt. Quidam arbitrantur etiam Lectori competere Officium prædicandi, quia in Pontificali habetur: *Lectorem oportet legere ea, qua prædicat*; ſed hi hallucinantur: *Prædicare* enim ibi nihil aliud ſignificat, quam alta & clara voce recitare. Unde ſenſus eſt, quod Lector debeat ex libro & non ex propria mente legere, quæ alte & diſtincte recitat.

Materia Oſtiariatus eſt traditio clavium Eccleſiæ; forma hæc verba: *Sic age quaſi redditurus Deo rationem pro iis rebus, quæ his clavibus recluduntur.* Officium Oſtiarii erat portas Eccleſiæ aperire & claudere, indignos ab illa arcere. Indigni autem reputabantur Ethnici, Excommunicati, Interdicti, Energumeni, flagitioſi, publice pœnitentes in primo gradu pœnitentiæ. Item Veſtes ſacras, depoſita fidelium, & omnem Eccleſiaſticam ſupellectilem cuſtodire.

Hæc omnia quoad materiam & formam Subdiaconatus & Minorum Ordinum ex Concilio Carthagin. 4. & ex Pontificali Rom. collecta ſunt.

DISSERTATIO III.

DE MINISTRO ET SUBJECTO SACRAMENTI ORDINIS.

D. Thom. Supp. a QQ. 35. 36. 38. & 39.

ARTICULUS I.

Quis ſit Miniſter Sacramenti Ordinis.

DUPLEX diſtinguitur Miniſter Sacramenti Ordinis, Ordinarius & Extraordinarius. De utroque eſt quæſtio. Dico 1. (*Supp. q. 38. a. 1. & Opuſc. 5.*) Solus Epiſcopus eſt Miniſter Ordinarius Sacramenti Ordinis. Conſtat 1. ex Scriptura, quæ non aliis quam Apoſtolis & eorum Succeſſoribus Epiſcopis jus tribuit conferendi Ordines. Act. c. 6. v. 6. & c. 14. v. 22. 2. ad Tim. c. 1. v. 6. 2. Ex conſtanti Traditione, quam evincunt Concilium Carth. an. 348. Can. 5. Arelatenſe 5. anno 554. can. 7. Braccarenſe anno 563. Can. 8. Hiſpalenſe anno 619. Can. 5. Item S. Athanaſius in Synodo Laodicena an. 313. probat Ischyram accuſatorem ſuum non eſſe vere Presbyterum quia ordinatus fuerat a Collutho, qui non erat Epiſcopus. S. Epiphanius Hæreſ. 75. Hieron. Ep. ad Evangelum, S. Chryſoſtom. Hom. 11. in 1. Tim. hoc diſcrimen ſtatuunt inter Epiſcopum & ſimplicem Sacerdotem, quod Epiſcopus poſſit ordinare, non ſimplex Sacerdos. 3. Ex Conciliis Flor. & Trid. Florentinum in Decreto unionis ſic habet: *Ordinarius Miniſter hujus Sacramenti* (Ordinis) *eſt Epiſcopus.* Et Trid. Seſſ. 23. Can. 7. *Si quis dixerit Epiſcopos non eſſe Presbyteris ſuperiores, vel non habere poteſtatem confirmandi & ordinandi, vel eam quam habent, illis eſſe cum Presbyteris communem . . . anathema ſit.* Unde Concluſio eſt de fide.

Suffragatur ratio. 1. (*Hic Ibid.*) Ad ſolum Principem jure ordinario pertinet miniſteria publica diſtribuere. Atqui ſolus Epiſcopus eſt in Republica Chriſtiana Princeps. Ergo. 2. Poteſtas ordinandi non eſt poteſtas juriſdictionis, ſed Ordinis, quam Epiſcopus accipit in ſua Conſecratione. Ergo illam non habet, qui non eſt Epiſcopus conſecratus. Et ideo dixi in Concluſione: *Epiſcopus con-*

ſecratus: quia Epiſcopus ſolum electus & confirmatus, non conſecratus, licet poſſit alteri Epiſcopo committere ordinationem ſui ſubditi, non poteſt tamen ipſe illum ordinare; quia illa commiſſio eſt actus juriſdictionis, Ordinatio autem actus Ordinis.

Dices 1. Nicephorus l. 8. c. 19. & 24. dicit ordinatos a Meletio, qui ſibi Epiſcopalem vindicabat auctoritatem, fuiſſe valide ordinatos. Si reſpondeatur Meletium fuiſſe vere Epiſcopum, ſaltem ii, quos ordinaverat Sacerdotes, & ejus Schiſmati non adhæſerant, juxta Concilium Nicænum I. in Ep. Synodica ad Eccleſiam Alexandr. habebant *Jus ordinandi, & eos, qui digni Clero fuerint, nominandi*. Ergo. R. Revera Meletium fuiſſe Epiſcopum, ſed illegitime ordinatum, qua de cauſa Nicephorus dicit ipſum ſibi vindicare poteſtatem Epiſcopalem, cujus exercitio erat privatus. Jus autem *Ordinandi* in Epiſtola Synodica Concilii Nicæni non ſumitur pro jure conſecrandi, ſeu ordinandi ſacramentaliter, ſed pro jure eligendi, ſuo ſuffragio probandi, & confirmandi Miniſtros a populo electos & nominatos, quo jure privabantur ii, qui Meletii Schiſmati adhæſerant.

Dices 2. Epiſcopus poteſt Epiſcopum ordinare. Ergo Presbyter Presbyterum. Item qui poteſt majus, poteſt minus. Atqui ſimplex Sacerdos poteſt conſecrare Euchariſtiam, quod eſt quid majus quam conſecrare Sacerdotes. Ergo. R. 1. Hæc argumenta a pari, & a majori ad minus non valere in iis, quæ pendent ex voluntate Chriſti. 2. a. Ad 1. diſparitas eſt. 1. Quod Epiſcopus & non Presbyter ſit Princeps, cujus eſt diſtribuere miniſteria publica. 2. Quia Epiſcopus non habet ſuperiorem in poteſtate Ordinis, unde ſi ab Epiſcopo ordinari non poſſet, a nullo poſſet ordinari. Presbyter autem habet Epiſcopum ſe ſuperiorem. (*Ibid. ad* 4.) Ad 2. valet commune adagium in iis, quæ ſunt ejuſdem non diverſi generis; conſecrare autem Euchariſtiam & conſtituere Miniſtros publicos ſunt diverſi generis.

Dico 2. (*Ibid. ad* 3.) Simplex Sacerdos ex commiſſione Eccleſiæ ſeu ſum. Pontificis poteſt eſſe Miniſter extraordinarius Tonſuræ & quatuor Minorum.

Prob. Concil. Nicænum II. an. 787. can. 14. hanc facultatem concedit Abbatibus Sacerdotibus ab Epiſcopo benedictis & Choreipiſcopis, refertur cap. *Quoniam* d. 69. Idem Innocentius III. c. cum contingat extra. l. 1. tit. 14. Alexander III. cap. *Requiſivit* ibid. tit. 13. dicit, quod *hujuſmodi Ordines a non Epiſcopis quandoque conferuntur*. Eadem facultas conceditur ſive ex conſuetudine, ſive ex Privilegio Cardinalibus Presbyteris. Tandem Concilium Trid. ſeſſ. 23. c. 10. de Reformat. dicit; *Abbatibus & aliis quibuſcumque quantumvis exemptis & privilegiatis non liceat in poſterum.... cuiquam, qui Regularis ſubditus ſibi non ſit, Tonſuram vel minores Ordines conferre*. Ergo ſupponit ſuis Religioſis poſſe conferre.

Dices. Si ſum. Pontifex poſſit ſimplici Sacerdoti concedere facultatem conferendi minores Ordines, id poteſt vel ratione Ordinis, vel ratione Juriſdictionis. Non ratione Ordinis, alias Epiſcopus, qui eſt æqualis Papæ quoad Ordinem, pariter id poſſet, quod non admittitur. Non ratione Juriſdictionis, quia hæc non reſpicit corpus naturale Chriſti, ſed myſticum. Ergo. Reſpondent quidam id poſſe ſummum Pontificem ratione facultatis ſibi a Chriſto conceſſæ. Sed & reſponderi poteſt id poſſe ratione ſupremæ & plenæ Juriſdictionis in totam Eccleſiam. Ad probat. in contrarium D. Poteſtas Juriſdictionis non reſpicit directe corpus Chriſti naturale, C. indirecte, N. ratione enim Juriſdictionis Epiſcopus poteſt dare facultatem ſuo ſubdito ut ab alio Epiſcopo ordinetur.

Inſt. Conferre Ordines eſt actus Ordinis & non Juriſdictionis. alioquin Epiſcopus electus & non conſecratus poſſet ordinare. Vel ergo eſt actus Ordinis ſeu Conſecrationis Epiſcopalis, vel Presbyteralis. Si hoc ſecundum, quivis Sacerdos poteſt jure ſuo, non ſecus ac Epiſcopus valide ordinare. Si primum, non poteſt alteri quam Epiſcopo committi: non enim actus Ordinis poteſt committi illi, qui non habet Ordinem. Ergo. R. Conferre Ordines jure ſuo ordinario eſſe actum Ordinis Epiſcopalis; conferre autem Ordines jure extraordinario eſſe actum Ordinis Sacerdotalis, quatenus per Ordinem Sacerdotalem confertur Presbytero inchoata poteſtas ad ordinandum, quæ per commiſſionem Pontificiam perficitur & completur. Confer, quæ dixi de Confirm. a. 7. §. 2. obj. 2.

Quantum ad Subdiaconatum, plures cenſent etiam poſſe ex commiſſione conferri a ſimplici Presbytero: quia Gelaſius Ep. 1. admonet Presbyteros, ut meminerint ſibi nullo modo concedi, *ut Subdiaconum vel Acolythum ordinent abſque Romani Pontificis permiſſione*. Ergo ea permiſſione accedente poſſunt. Refertur etiam privilegium conceſſum Ciſtercienſibus, de quo modo. Quidam arbitrantur id a D. Th. negari hic q. 38. a. 1. ad 3. quia dicit, quod *ex commiſſione Papæ Sacerdos ſimplex poſſit conferre minores Ordines & Confirmationem.... non autem majores Ordines, qui habent immediatam relationem ad corpus Chriſti*. Sed, ut apparet, S. Doctor intelligit de Ordinibus, qui quovis tempore habiti ſunt ſacri ſeu majores propter immediatam relationem, quam habent ad Corpus Chriſti, qualis eſt Sacerdos, qui illud conſecrat, & Diaconus, qui miniſtrat, non Subdiaconus.

De Diaconatu major eſt difficultas. Negat S. Thomas loco cit. poſſe conferri ex diſpenſatione a ſimplici Presbytero. Idem cenſet Scotus & communiter antiqui Scholaſtici cum pluribus junioribus. Principium D. Thomæ eſt, quod Papa non habeat majorem poteſtatem in corpus Chriſti, quam Sacerdos ſimplex, ex quo infert, quod ſimplex Sacerdos ex ejus commiſſione non poſſit habere poteſtatem conferendi Ordines, qui habent immediatam relationem ad corpus Chriſti, qualem habent Presbyteratus ad conſecrandum, & Diaconatus ad deferendum vel diſtribuendum. Affirmant autem plures Recentiores, fundati præſertim in Privilegio, quod dicunt conceſſum Abbati Ciſtercienſium ab Innocentio VIII. an. 1489. quo ipſi concedit facultatem conferendi minores Ordines, Subdiaconatum & Diaconatum ſuis Religioſis, ut auferatur ipſis occaſio diſcurrendi extra Monaſterium. Hoc Privilegium relatum in Bullario Rodrigues, teſtatur ſe vidiſſe Vaſques. Similiter Berti teſtatur ſe legiſſe in Bullario Ciſtercienſium & Rodrigues; atque hoc Privilegio uſum fuiſſe Generalem Ciſtercienſium an. 1662. Romæ, ſciente & probante ſum. Pontifice, & an. 1663. Gandavi in Belgio, ſubditos ſuos ordinando Subdiaconos & Diaconos referunt Henno & Berti. Unde dicunt; quod ſi S. Thomas, Scotus, & veteres Scholaſtici hoc & alia privilegia ſimilia, quæ circumferuntur, vidiſſent, ſententiam mutaſſent.

Reſpondent autem alii Bullam hujus Privilegii multis titulis eſſe dubiæ fidei. 1. Quia non invenitur in Bullario Romæ edito. 2. Quia Ciſtercienſes eo privilegio non uſi ſunt, nec utuntur, quod ſi verum eſſet, non omitterent præſertim in Gallia, ubi eorum Monaſteria ſunt conſtituta, & Concilium Trid. non ſemper fuit receptum quantum ad reformationem: *Nec noſtra nec Patrum noſtrorum memoria*, inquit Hallerius ſect. 5. de Miniſtro ſacræ Ordinar. art. 2. §. 2. *Ciſtercienſes eo privilegio uſi ſunt. Quod ſi a ſancta Sede obtinuiſſent, nuſquam procul dubio ab ejus uſu tamdiu ſe continuiſſent, præſertim in Gallia*. Quod autem referunt in contrarium Henno & Berti de Generali Ciſtercienſium, nullo fulciunt teſtimonio. 3. Non ſolent Pontifices concedere pluſquam petitur, petebat autem tantum Abbas Ciſtercienſis renovari privilegium conferendi ſuis Monachis Tonſuram & Minores Ordines, ut patet ex prima parte Bullæ, & in poſteriori parte, ſeu in conceſſione datur facultas conferendi Subdiaconatum & Diaconatum. 4. Concilium Trid. ſeſſ. 23. cap. 10. de Ref. referens & reſtringens privilegia Abbatum quantum ad Ordinationes, hujus nullam facit mentionem, ſed tantum privilegii conferendi Tonſuram & Minores. Quod autem quidam dicunt ſe iſtud privilegium legiſſe in quibuſdam collectionibus particularibus, non probat eſſe legitimum & a S. Sede emanatum. Reſpondent inſuper, eſto, quod extat hujuſmodi privilegium, ſum. Pontificem in hoc ſe geſſiſſe ſecundum quod convenientius & melius exiſtimavit ex privata ſententia; at nihil hoc facto definiviſſe.

Quantum ad Presbyteratum, communiſſima S. Thomæ ſententia, contra paucos admodum, eſt, quod non poſſit etiam diſpenſatione conferri a ſimplici Sacerdote. De Epiſcopatu idem cenſent omnes unanimiter: quia in tota retro antiquitate nuſquam & nullibi legitur Eccleſiam quoad alterutrum diſpenſaſſe, cum tamen non defuerint occaſiones, & ſæpe urgeret neceſſitas; maxime tempore perſecutionum, cum Epiſcopi vel interficiebantur, vel incarcerabantur, vel exulabant.

Dices. In Synodo Antiochena Can. 10. legitur de Choreipiſcopis: *Ordinent autem Lectores, Subdiaconos, atque Exorciſtas, quibus iſtæ promotiones ſufficiant. Nec Presbyterum vero, nec Diaconum audeant ordinare præter Civitatis Epiſcopum, cui ipſe cum poſſeſſione ſubjectus eſt*. Ergo accedente conſenſu Epiſcopi poterant ordinare Diaconos & Presbyteros. Subſumo. Atqui Choreipiſcopi erant ſimplices Presbyteri, ut patet ex Ep. 4. Damaſi & Ep. 88. S. Leonis. Ergo. R. Quamvis Choreipiſcopi ſecundum ſe eſſent ſimplices Presbyteri, qui in Villis & Pagis ab Epiſcopis præficiebantur aliis Presbyteris, eo fere modo quo Decani rurales apud nos conſtituuntur, per accidens tamen inter illos reperiebantur quandoque Epiſcopi: ii enim Epiſcopi, qui ab Hæreticis ad Eccleſiam revertebantur, aut Catholici, qui ad propriam ſedem accedere non poterant, ne ſine omni honore remanerent, ad aliquem Choreipiſcopatum promovebantur. Conſtat ex ipſo Canone Antiocheno cit. licet ipſum ab Arianis editum putent Baronius & Bellarminus, qui ſic incipit: *Qui in vicis vel poſſeſſionibus Choreipiſcopi nominantur, quamvis ma-*

menus impoſitionem Epiſcoporum perceperint, & ut Epiſcopi conſecrati ſint, tamen, &c.

ARTICULUS II.

Utrum omnis Epiſcopus ſit legitimus Miniſter Ordinationis?

DUPLEX hic occurrit quæſtio reſolvenda. 1. utrum Epiſcopus poſſit licite ordinare non ſubditum? 2. utrum Epiſcopus intruſus, hæreticus, ſchiſmaticus, excommunicatus, aut ſimoniacus valide ordinet? Utramque duplici §. reſolvemus.

§. I. *Utrum Epiſcopus poſſit licite ordinare non ſubditum?*

DICO 1. Unuſquiſque a proprio Epiſcopo ordinari debet, aut ab alio de ejus licentia: ſi ſecus fiat, ordinans a collatione Ordinum per annum, & Ordinatus a ſuſceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio ordinario videbitur expediſſe, eſt ſuſpenſus. Ita in terminis Trid. ſeſſ. 23. cap. 8. de Ref. Quamvis ergo valida ſit Ordinatio, ut patet, peccant graviter tam Ordinans quam Ordinatus.

Dico 2. Ille proprius ſeu ſuperior intelligitur in hoc caſu Epiſcopus, de cujus Diœceſi eſt hic, qui ad Ordines promoveri deſiderat, oriundus, ſeu in cujus Diœceſi Beneficium obtinet Eccleſiaſticum, ſeu habet, licet alibi natus fuerit, domicilium in eadem. Ita etiam in terminis Bonifacius VIII. cap. *Cum nullus*, de tempore ordinandorum in 6.

Triplici itaque titulo quis alicui Epiſcopo fit ſubditus quoad Ordines recipiendos, ſcilicet titulo nativitatis ſeu originis, Beneficii, & Domicilii. Audio tamen in quibuſdam Provinciis nunc non admitti niſi titulum nativitatis, ſeu originis; forte ex conſuetudine juri communi derogante. Hos autem tres titulos explicat Innocentius XII. in Conſtit. *Speculatores*, data 6. Novembris 1694. De titulo originis dicit: *Subditus ratione originis is tantum ſit, ac eſſe intelligatur, qui naturaliter ortus eſt in ea Diœceſi, in qua ad Ordines promoveri deſiderat, dummodo tamen ibi ortus non fuerit ex accidenti, occaſione nimirum itineris, officii legationis, mercaturæ, vel cujuſvis temporalis moræ, ſeu permanentiæ ejus Patris in illo loco; quo caſu nullatenus ejuſmodi fortuita nativitas, ſed vera tantum & naturalis Patris origo erit attendenda.* In iis vero, quorum Parentes & locus originis ignorantur, ut ſunt infantes expoſiti, locus Baptiſmi reputatur locus originis. De titulo domicilii, *Subditus autem*, inquit, *ratione domicilii ad effectum ſuſcipiendi Ordines, is dumtaxat cenſeatur, qui licet alibi natus fuerit, illud tamen adeo ſtabiliter conſtituerit in aliquo loco, ut, vel per decennium ſaltem in eo habitando, vel majorem rerum ac bonorum ſuorum partem cum inſtructis ædibus in locum hujuſmodi transferendo, ibique inſuper per aliquod conſiderabile tempus commorando, ſatis ſuperque ſuum perpetuo ibidem permanendi animum demonſtraverit: & nihilominus ulterius utroque caſu ſe vere & realiter animum hujuſmodi habere jurejurando affirmet.* De titulo Beneficii ſic: *Licet .... Clericus ratione cujuſvis Beneficii in aliena Diœceſi obtenti ſubjici dicatur juriſdictioni illius Epiſcopi, in cujus Diœceſi Beneficium hujuſmodi ſitum eſt ...., tamen volumus, ut nemo ejuſmodi ſubjectionem ad effectum ſuſcipiendi Ordines acquirere cenſeatur, niſi Beneficium prædictum hujus ſit reditus, ut ad congruam vitæ ſuſtentationem, ſive juxta taxam ſynodalem, ſive ea deficiente, juxta morem Regionis, pro promovendis ad ſacros Ordines, detractis oneribus, per ſe ſufficiat, illudque ab ordinando pacifice poſſideatur, ſublata quacumque facultate ſupplendi, quod deficeret fructibus ejuſdem Beneficii cum adjunctione patrimonii etiam pinguis, quod ipſe ordinandus in eadem ſeu quavis alia Diœceſi obtineret; ac Epiſcopus ſic ordinans ... de reditu Beneficii hujuſmodi expreſſam in conſueta collatorum Ordinum atteſtatione mentionem facere debebit.*

Obſervandum eſt tamen ex Trid. ſeſſ. 23. c. 9. de Ref. quod Epiſcopus poſſit familiarem ſuum non ſubditum ordinare, ſi per triennium ſecum fuerit commoratus, & Beneficium, quacumque fraude ceſſante, ſtatim reipſa ipſi conferat.

Dixi in Concluſione; *aut ab alio de ejus licentia*: quia Epiſcopus infirmitate aut alia cauſa legitime impeditus ſubditos ſuos probatos & examinatos ad alium Epiſcopum ordinandos dimittere poteſt, ut ſtatuit Trid. ſeſſ. 23. cap. 3. de Ref. quæ licentia ſolet dari litteris, quæ dicuntur *Dimiſſoriæ*: de quibus ſic Trid. *Non licet Capitulis Eccleſiarum, ſede vacante, infra annum a die vacationis ordinandi licentiam, aut litteras dimiſſorias, ſeu reverendas, ut aliqui vocant, ... alicui, qui Beneficii Eccleſiaſtici recepti ſive recipiendi occaſione arctatus non fuerit* (ut ſi deberet fieri Sacerdos pro Paſtoratu obtento) *concedere. Si ſecus fiat, Capitulum contraveniens Eccleſiaſtico ſubjaceat interdicto; & ſic Ordinati, ſi in minoribus Ordinibus conſtituti fuerint, nullo privilegio Clericali, præſertim in criminalibus, gaudeant: in majoribus vero ab executione Ordinum, ad beneplacitum futuri Prælati, ſint ipſo jure ſuſpenſi.* Ita in terminis Trid. ſeſſ. 7. cap. 10. de Ref.

Petes, a quo Regulares exempti debent habere litteras dimiſſorias? R. Prælati Regulares exempti debent dare ſuis ſubditis litteras dimiſſorias, ſeu, ut vocant, præſentationem ad Epiſcopum loci, quo ſitum eſt Monaſterium, ipſo autem abſente vel non ordinante, ad Epiſcopum benevolum. Conſtat 1. ex Decreto Sixti V. qui moderando declarationem Gregorii XIII. prædeceſſoris ſui dicit: *Regulares poſſe concedere dimiſſorias ad Epiſcopum Diœceſanum, qui ſi abfuerit, ad quemcumque, dummodo ab Epiſcopo, qui Ordines contulerit, examinetur quoad Doctrinam.* 2. Ex Decreto S. Congreg. de Mandato Clementis VIII. dato Romæ 15. Martii 1596. quo ſtatuitur *Superiores Regulares poſſe ſuo ſubdito, itidem regulari, qui præditus qualitatibus requiſitis Ordines ſuſcipere voluerit, litteras dimiſſorias concedere, ad Epiſcopum tamen Diœceſanum, nempe illius Monaſterii, in cujus familia ab iis, ad quos pertinet, Regularis poſitus fuerit: & ſi Diœceſanus abfuerit, vel non eſſet habiturus ordinationes, ad quemcumque alium Epiſcopum, dum tamen ab eo Epiſcopo, qui Ordines contulerit, examinetur quoad Doctrinam: dum ipſi Regulares non diſtulerint de induſtria conceſſionem dimiſſoriarum in id tempus, quo Epiſcopus Diœceſanus, vel abfuturus, vel nullas habiturus eſſet ordinationes. Verum cum a Superioribus Regularibus, Epiſcopo Diœceſano abſente, vel ordinationes non habente, litteræ dimiſſoriæ dabuntur, in eis utique hujuſmodi cauſam abſentiæ Diœceſani Epiſcopi, vel ordinationum ab eo non habendarum, exprimendam eſſe. Quod qui non fecerint, officii & dignitatis ſeu adminiſtrationis, & vocis activæ & paſſivæ privationem, ac alias arbitrio ejuſdem ſanctiſſimi D. N. Papæ reſervatas pœnas incurrant.*

§. II. *Utrum Ordinationes factæ ab Epiſcopis intruſis, Hæreticis, Schiſmaticis, Excommunicatis, Degradatis, Simoniacis, ſint validæ?*

HUJUSMODI ordinationes eſſe illicitas indubium eſt; eſſe etiam invalidas, ſaltem a ſimoniacis factas, & ſimoniacas, aliquando dubitatum eſt. Sed a temporibus D. Th. vix ullus earum validitatem in dubium revocat. Quæſtio hæc poſſet videri ſufficienter diſcuſſa in Tract. de Sacramentis in genere Diſſert. 5. a. 3. ubi probavimus generaliter Sacramenta per malos Miniſtros valide poſſe conferri: quædam tamen ſpecialia de Sacramento Ordinis ſuperſunt expendenda. Unde breviter

Dico (*Hic q.* 38. *a.* 2. *o.*) Ordinationes factæ ab Epiſcopis intruſis, Hæreticis, Schiſmaticis, Excommunicatis, degradatis, aut ſimoniacis, modo aliunde neceſſaria ad earum validitatem adhibeantur, ſcilicet materia, forma, & intentio faciendi quod facit Eccleſia, ſunt validæ. Concluſionem hanc omni argumentorum genere probavimus loco cit. de Sacram. in genere. Hæc pro dictis hic habeto, pauca tamen exempla antiquitatis ſubjiciam.

1. S. Cornelius vertente 3. ſæculo recepit abſque nova ordinatione Maximum Presbyterum, & alios Novatianos. 2. S. Athanaſius in Synodo coacta an. 362. ſtatuit inter Clericos recipiendos eſſe, qui ab Ariana hæreſi, ad quam violentia quadam compulſi fuerint, redirant; ut conſtat ex Actis ejuſdem Synodi, ex Ep. S. Athanaſii ad Rufianum, & ex actione 1. ſecundæ Synodi Nicænæ. 3. Anatolium, qui in locum S. Flaviani in Sedem Conſtantinopolitanam a Latrocinio Epheſino fuerat intruſus, inſtantibus Marciano Auguſto, & Pulcheria, recepit S. Leo, & factas ab eo ordinationes probavit, ut conſtat ex ejuſdem S. Leonis Ep. 78. alias 54. 4. Ordinatos a Donatiſtis Eccleſia recepit, ut valide Ordinatos: *Non ſunt rurſus Ordinati*, inquit Aug. l. 2. adverſus Parmen. c. 13. *Sed ſicut Baptiſmus in eis, ita ordinatio manſit integra.* 5. Nicolaus II. relatus cauſa 1. q. 1. c. 107. Concilium Romanum ſub Alexandro II. S. Gregorius VII. ad Raynaldum Epiſcopum Comenſem, recipiunt ut validas ordinationes factas ab Epiſcopis aliunde ſimoniacis, ipſas vero ordinationes ſimoniacas S. Baſilius in Ep. ad Epiſcopos ſuæ curæ commiſſos, eas non rejicit ut invalidas, ſed dicit: Hæc ſi ita ſint, poſt hæc non fiant, ſed emendentur. Item refert de S. Chryſoſtomo Palladius in ejus vita, & B. Petrus Damianus ſæculo XI. in opuſculo, quod *Gratiſſimum* appellavit, multis argumentis probat validitatem ordinationum ſimoniacarum.

Ratio vero generalis pro his omnibus ordinationibus eſt (*Ibid.*), quia poteſtas collata Epiſcopo in ſua Conſecratione nullo crimine deletur. Unde Trid. ſeſſ. 7. can. 9. definit: *In tribus Sacramentis Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione, & Ordine imprimi characterem in anima, hoc eſt, ſignum quoddam ſpirituale & indelebile, unde iterari non*

poſſunt. Et ſeſſ. 23. can. 4. *Si quis dixerit per ſacram Ordinationem ... non imprimi characterem, vel eum, qui Sacerdos ſemel fuit, Laicum rurſus fieri poſſe, anathema ſit.*

Solvuntur Objectiones.

OBjectiones plurimas propoſuimus & ſolvimus loco cit. Quaſdam tunc omiſſas, quæ ſpecialiter ſpectant Ordinis Sacramentum, compendioſe propono; ſed prius revocanda ſunt in memoriam, quæ tunc dicebamus, ſcilicet diſtinguendum eſſe inter Hæreticos, qui Sacramenti formam ſervant, & illos, qui non ſervant, priorum Sacramenta Eccleſiam recipere, poſteriorem rejicere. Item diſtinguendum eſſe inter Sacramentum, quoad ſubſtantiam, & ejus effectum, qui eſt gratia: Malum Miniſtrum, quantum eſt ex ſe, conſerre Sacramentum & gratiam Sacramenti, ſed ſuſcipientem non recipere gratiam, quia peccat, & ſic ponit obicem gratiæ: atque defectu hujus diſtinctionis exatiſſe famoſam illam controverſiam inter S. Stephanum & S. Cyprianum, cæteroſque rebaptizantes. Hæc ibi.

Inſuper obſervandum eſt his verbis, *Ordo, ordinatio, ordinare, ordinari*, non ſemper apud antiquos ſignificari Sacramentum Ordinis conſerens characterem, ſed quandoque reſtitutionem honoris & privilegiorum, atque exercitii poteſtatis ſuſpenſæ, quæ fiebat reſipiſcentibus cum impoſitione manuum, & etiam aliquando adhibitis rurſus inſignibus & inſtrumentis ordinationum; ut conſtat ex hoc c. 28: Concilii Tolet. 4. an. 633. *Epiſcopus, Presbyter, aut Diaconus, ſi a gradu ſuo injuſte dejectus in 2. Synodo innocens reperiatur, non poteſt eſſe quod fuerat, niſi gradus amiſſos recipiat coram altario de manu Epiſcopi. Si Epiſcopus eſt, orarium, annulum, & baculum. Si Presbyter, orarium & planetam. Si Diaconus, orarium & albam. Si Subdiaconus, patenam & calicem; & ſic reliqui gradus ea in reparationem ſui recipiant, quæ cum ordinarentur, perceperant.* Ex his obſervationibus facilis erit reſponſio ad objecta.

Obj. 1. Concilium Nicænum 1. can. 8. jubet, ut ordinati a Novatianis *Ordinentur, & ſic maneant in Clero*. Ita refertur a Gratiano d. 7. cap. 8. 2. Innocentius I. Ep. 18. ratum habet Baptiſma, non ordinationes Hæreticorum. 3. Synodus Conſtantinopolitana can. 4. habet irritas ordinationes factas a Maximo Cynico, qui ejuſdem Eccleſiæ ſedem dolo uſurpaverat. 4. Stephanus IV. declaravit irritas ordinationes factas a Conſtantino in Sedem Romanam introſo, & ab ipſo ordinatos iterum ordinavit. 5. Synodus 8. nullas declaravit ordinationes factas a Photio Sedis Conſtantinopolitanæ invaſore. 6. Leo IX. Sæculo XI. caſſavit ordinationes factas a ſimoniacis, & plures ſimoniace ordinatos reordinavit. 7. Hincmarus in Synodo Sueſſionenſi irritavit ordinationes Ebbonis exauctorati. 8. Stephanus VII. ordinatos a Formoſo prædeceſſore ſuo iterum ordinavit. 9. Cæcilianus ordinatus Epiſcopus Carthaginenſis a Felice Aptungitano, quem Donatiſtæ dicebant eſſe traditorem, & ob quam cauſam rejiciebant ordinationem Cæciliani, dicit ipſis apud Optatum l. 1. n. 19. *Ut ſi Felix in me, ſicut illi arbitrabantur, nihil contuliſſet, ipſum tanquam adhuc Diaconum ordinarent in Epiſcopum*. 10. Denique Eccleſia poteſt apponere quædam impedimenta ut ſchiſma, hæreſim, ſimoniam, quæ ordinationem irritam reddant, ſicut apponit in Matrimonio.

R. ad 1. 1. Textus Græcus a Dionyſio exiguo ſic vertitur, *Ut impoſitionem manuum accipientes ſic in Clero permaneant*. Ab Hervero: *Ut impoſitis eis manibus ſic in Clero maneant*. Emendanda itaque lectio Gratiani, quam accepit ab Iſidoro Mercatore. 2. Dicitur, ſive *ordinentur*; ſive *impoſitio manuum*, intelligendum eſt de reſtitutione in gradum honoris, & exercitium poteſtatis, ut obſervabam modo. Sunt quidem, qui per impoſitionem manuum, ſeu ordinationem, intelligunt ordinationem ſacramentalem, non iteratam; ſed factam a Novatianis, ita ut ſenſus ſit, *Eos, qui manus impoſitionem perceperunt, ita in Clero permanere*, ſeu, *ut qui ex illis erant ordinati*, ſic maneant in Clero. Ita habent antiquiores verſiones, & ita acceperunt S. Hieronymus in Dialogo adverſus Lucifer. & Innocentius I. Ep. 22. ad Epiſcopos Maced.

Ad 2. Innocentius habet ratum Baptiſma & non ordinationes Hæreticorum, quatenus Baptizati ab Hæreticis dum redeunt ad Eccleſiam, ſtatim ſublata fictione recipiunt gratiam, qua privabantur. At ab eis ordinati, non ſtatim ac redeunt, recipiunt honorem Clericatus & functionem ſui Ordinis. Ad 3. Synodus habuit irritas ordinationes Maximi Cynici, non quoad characterem, ſed quoad ejus functiones. Ad 4. Similiter Stephanus irritavit ordinationes Conſtantini quoad gradum & functiones, & eas iteravit, id eſt adhibuit cæremoniam, qua exhibitis iterum inſignibus ordinationis prius ordinati reſtituebantur in gradum & functiones.

Ad 5. eadem eſt reſponſio. Ordinationes Photii declaratæ ſunt irritæ quoad gradum & exercitium functionum, non quoad ſubſtantiam & characterem, ſi quidem ipſe Photius & Ordinati ab ipſo in ſuis gradibus poſtea reſtituti fuerint abſque nova ordinatione. Ad 6. iterum eadem reſponſio. Leo caſſavit ordinationes, id eſt prohibuit uſum gradus & functionum; reordinavit, id eſt cæremoniis adhibitis reſtituit in gradum & functiones. Patet, quia Petrus Damianus narrat, quod cum ex hac ceſſatione ſeu ſuſpenſione perpetua ab Ordinum functionibus tumultus eſſet exortus, eo quod divina officia & Miſſæ amplius non celebrarentur, Leo priorem ſententiam temperavit, & edixit, ut qui ſcienter a Simoniacis ordinati eſſent, *quadraginta dierum pœnitentiam agerent, & ſic in accepti Ordinis officio miniſtrarent*. Dubium ergo, quo pulſabatur Pontifex, & de quo loquitur Damianus, veriſimiliter non erat de ſubſtantia Ordinationis, ſed de pœna imponenda ſic ordinatis, an deberet eſſe degradatio ſeu ſuſpenſio perpetua. Quamquam daremus dubitaſſe ad tempus de ſubſtantia ordinationis, nihil noceret; non enim negamus aliquando de validitate hujuſmodi ordinationum dubitatum eſſe.

Ad 7. Quæ fecit Hincmarus cum Collegis in Synodo Sueſſionenſi, reſciſſa ſunt a Nicolao I. Epiſtola data 8. idus Decembris an. 866. Inſuper in toto hoc negotio non agebatur de ſubſtantia Ordinis accepti, ſed de functionum exercitio. Ad 8. Ex facto impio & inhumano Stephani in Formoſum nihil poteſt erui contra concluſionem; maxime cum omnes, exceptis paucis, qui Stephano adhærebant, ſtarent pro validitate Ordinationum Formoſi. Ad 9. 1. Reſponſum Cæciliani erat conditionatum, *Si Felix nihil contuliſſet*. 2. Hoc dixit Cæcilianus *Ad irridendos* Donatiſtas, *quoniam certus erat Ordinatores ſuos non eſſe traditores*, inquit Aug. in Breviculo Collationis tertiæ diei c. 16. Ad 10. N. Ant. & paritatem. Diſparitas eſt, quod poteſtas ordinandi fundetur in charactere, quem delere non poteſt Eccleſia; at Sacramentum Matrimonii fundatur in contracto valido, cujus validitas pendet ex legibus Eccleſiæ & Principum. De quo infra. Quod objici poſſet ex S. Cypriano & aliis rebaptizantibus, non urget; notum eſt enim eos ordinationis extra Eccleſiam factæ, ſicut Baptiſmi extra Eccleſiam collati validitatem immerito impugnaſſe. Cætera argumenta require loco cit. de Sacramentis in genere.

A P E N D I X.

De Ordinationibus Anglicis.

HOC de argomento multa ſcripſerunt his temporibus noſter P. Le Quien, P. Hardouin, P. Boucat, D. Tournely &c. adverſus P. Le Courayer pro harum ordinationum validitate decertantem.

Quæſtio eſt de ordinationibus factis ſecundum Rituale Edoardi VI. approbatum a Pſeudo-Synodo Londonenſi an. 1562. quo ritu ab hoc tempore factæ ſunt & fiunt ordinationes Anglicæ, fatentibus P. Le Courayer & Scriptoribus Angliæ. Sic autem ſtatuitur in hoc Rituali. 1. Epiſcopus Ordinator exigit ab Ordinando mandatum Regium, loco Bullarum ſummi Pontificis. 2. Exigit juramentum de ſuprema Regis poteſtate in ſpiritualibus & temporalibus, & rejiciendo *omnes extraneas poteſtates, ſuperioritates, & auctoritates*; conſequenter auctoritatem Papæ & Conciliorum. 3. Interrogat, *an ſibi perſuaſum habeat ſe vocatum eſſe juxta voluntatem Chriſti & conſtitutionem hujus Regni*, quæ in eo ſita eſt, ut abdicata ſummi Pontificis obedientia, & Eccleſiæ Romanæ Doctrina, propugnentur novæ Hæreſes receptæ in Anglia. 4. Interrogat, utrum perſuaſum habeat *ſacras Scripturas ſufficienter ad ſalutem requiri*; conſequenter inutiles & rejiciendas eſſe traditiones. 5. Interrogat, *an paratus ſit fidelem & diligentem operam impendere ad exterminandam quamcumque peregrinam, erroneam, verboque divino contrariam doctrinam, alioſque tam privatim quam publice ad idem faciendum provocare atque excitare*. Hæc autem doctrina peregrina, erronea, & verbo divino contraria in ſenſu interrogationis eſt manifeſte Romana. His igitur Interrogationibus aperte continetur Doctrina Hæretica Eccleſiæ Romanæ directe contraria.

Poſtquam Epiſcopus deſignatus ad hæc omnia interrogata ſuis reſponſionibus affirmativis ſatisfecit, Epiſcopus conſecrator, impoſitis ſuper illum manibus, formam ordinationis pronuntiat his verbis: *Deus omnipotens, Pater noſter Cœleſtis, qui hanc tibi voluntatem conceſſit, concedat inſuper vires ac facultatem AD HÆC efficaciter præſtanda, ut opus iſtud ſuum, quod incepit in te, abſolvat, teque integrum ac inculpabilem inveniat in illo ſupremo die, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum: Amen*. His ſuppoſitis,

R. Ordinationes Anglicas eſſe abſolute invalidas. Prob. ex inſufficientia formæ in his ordinationibus adhibitæ.

Pri-

Primo. Christus eſt auctor omnium Sacramentorum, & quorum formas non determinavit in ſpecie, determinandas reliquit non alicui Eccleſiæ particulari, aut privatis hominibus, alioquin tot forent Sacramentorum formæ, quot ſunt particulares Eccleſiæ, aut privati hominum conventus; ſed univerſæ & uni ſuæ Eccleſiæ. Atqui ordinationum Anglicarum forma non eſt ab Eccleſia determinata, ſed a privatis hominibus, Laicis, & hæreticis. Ergo.

Secundo. Forma ſecundum ſe & ſeorſim ambigua, & ex adjunctis circumſtantiis aperte hæretica, non eſt ſufficiens ad validam ordinationem. Atqui talis eſt forma ordinationum Anglicarum. Ergo. Prob. Min. Dum dicitur, *Deus Omnipotens concedat facultatem ad hæc efficaciter præſtanda*, non ſignificatur, quid per to *ad hæc* ſit intelligendum, ideoque ambiguum; attentis autem interrogatis & reſponſis immediate præcedentibus, evidens eſt per to *ad hæc* intelligi hæreticam doctrinam in his contentam, atque perinde eſſe ac ſi diceretur: Deus concedat tibi vires & facultatem ad propugnandum Primatum Regis in ſpiritualibus, ad debellandam auctoritatem Sedis Apoſtolicæ, ad impugnandas Traditiones, ad conculcandam doctrinam Eccleſiæ Romanæ, & ad aſſerendos errores Novatorum: hæc enim omnia continentur in interrogatis & reſponſis immediate præcedentibus. Ergo. Atque hoc duplici argumento arbitror exſufflati omnes argutias Patris Le Courayer, ideoque ſupervacaneum eſſe plura addere; quæ tamen ſi videre cupiat curioſus lector, adeat Scriptores prius laudatos.

ARTICULUS III.

De Subjecto Ordinationis.

TRIPLICEM quæſtionem hic proponimus reſolvendam: 1. quinam ſint capaces ordinationis? 2. quæ diſpoſitiones requirantur in Ordinando, ut licite recipiat Ordines? 3. quæ ſint obligationes Ordinatorum?

§. I. *Quinam ſint capaces Ordinationis?*

DIFFICULTAS eſt de mulieribus, de non Baptizatis, de Infantibus, & de invitis. Mulieres non ſolum in Diaconiſſas, ſed in Presbyteras, & Epiſcopas ordinabant Montaniſtæ, teſte S. Epiphanio hæreſi 49. & S. Aug. l. de Hæreſibus c. 27. Non baptizatos poſſe valide ordinari opinati ſunt quidam tempore Innocentii III. ineunte ſæculo 13. Infantes eſſe Ordinis incapaces docet Durandus, quem ſequitur Honoratus Tournely contra communem ſenſum Theologorum. Invitum valide ordinari cenſent Morinus, Decocq, Vanroy, & pauci alii. Contra quos omnes pono ſequentes Concluſiones.

Dico 1. (*Supp. q. 39. a. 1. o.*) Mulier eſt incapax Ordinis. Ratio a priori eſt voluntas Chriſti, quæ nobis innoteſcit ex Apoſtolo & ex Traditione. (*Ibid.*) Ex Apoſt. qui 1. Cor. 14. 1. ad Tim. 2. & ad Epheſ. 5. ſcribit mulieri non eſſe permiſſum loqui in Eccleſia, nec docere, nec dominari in virum, ſed eam debere diſcere in ſilentio cum omni ſubjectione. Atqui Ordinis Charactere inſignitis competit ex officio loqui in Eccleſia, docere, & habere aliquam ſuperioritatem & præeminentiam in alios. Ergo. Item Ep. citata ad Cor. 11. dicit: *Turpe eſt mulieri tonderi*, eique præcipit ut *velata capite* ſemper incedat. Ergo nec Tonſuræ Clericalis eſt capax. Ex Traditione. Chriſtus condendo Eccleſiam ſolos viros Sacerdotes ordinavit in ultima Cœna, non mulieres, nequidem ſanctiſſimam Matrem, cui tamen hæc dignitas præ ceteris omnibus mulieribus competebat, ſi alicui concedenda fuiſſet. A Chriſto uſque nunc, neque per Apoſtolos, neque per eorum Succeſſores, ulla unquam mulier fuit ſacramentaliter ordinata. Ergo.

Congruentias plures protulit Apoſtolus locis citatis: 1. Quia vir eſt caput mulieris, ſicut Chriſtus Eccleſiæ; ideo non mulier viro, ſed vir mulieri debet dominari. 2. Quia mulier eſt ex viro, non vir ex muliere. 3. Quia mulier eſt propter virum, non vir propter mulierem. Ad hæc conformiter Doctor noſter (*Ibid.*): *Per Sacramentum Ordinis*, inquit, *ſignificatur, & confertur aliqua eminentia gradus, quæ non habet locum in muliere*; cum, ut dictum eſt, ſit collocata in ſtatu ſubjectionis, & ideo ejus ſtatus repugnat ſignificationi Sacramenti. Addo ex S. Bonav. in 4. diſt. 25. quod Mediator noſter, cujus legatione funguntur Sacerdotes, vir fuerit, non mulier.

Dices in veteri Teſtamento fuerunt quædam mulieres Propheteſſæ. Item Debbora præfuit Populo Iſraelitico. Ergo. R. 1. in his, quæ pendent a voluntate Chriſti, non currere argumentum a pari, nec ullam aliam rationem eſſe quærendam niſi voluntatem inſtituentis. (*Ibid. ad 1.*) 2. Diſparitas eſt, quod Prophetia non ſit Sacramentum, ſed Donum Dei: unde ibi non exigitur ſignificatio, ſed ſolum res; & quia ſecundum rem in his, quæ ſunt animæ, mulier non differt a viro, nam quandoque mulier, quantum ad animam, invenitur melior multis viris, ideo donum Prophetiæ & alia hujuſmodi poteſt recipere, ſed non Ordinis Sacramentum, cujus ſignificatio non convenit ſtatui ſubjectionis illius. (*Ibid. ad 3.*) Quantum ad Debboram, non præfuit in Sacerdotalibus, ſed in temporalibus ex commiſſione extraordinaria, ſicut & nunc poſſunt mulieres temporaliter dominari.

Inſt. 1. Abbatiſſæ præſunt in ſpiritualibus ſuis Monialibus. Ergo. (*Ibid.*) R. D. Ant. Abbatiſſæ præſunt Prælatura ordinaria & proprie dicta, quæ ſit juriſdictio Eccleſiaſtica, N. Alias poſſent ferre Cenſuras. Prælatura ex commiſſione & improprie dicta, quæ nihil aliud eſt, quam quædam cura domeſtica, quæ ipſis committitur propter periculum cohabitationis virorum ad mulieres, C. Inſuper juriſdictio externa eſt ab Eccleſia: Juriſdictio interna in animas, qualis habetur per Sacramentum Ordinis, eſt a Deo. Unde eſto prima concedi poſſet mulieribus, non ſequitur, quod ſecunda concederetur.

Inſt. 2. Secundum plures & probatos Auctores mulier Joanna fuit Papa. Ergo. R. Ant. eſſe fabuloſum, ut demonſtrabo in Digreſſione Hiſtorica. Sed illo gratis dato nihil ſequitur. Sicut enim ipſa mulier decepit ſuos Ordinatores mentiendo ſexum, ut referunt iſti Auctores, ſic ipſa decepta fuit, nec quidquam Sacramentalis Ordinis, cujus erat incapax, per ordinationem accepit.

Inſt. 3. Saltem in primis Eccleſiæ Sæculis erant Diaconiſſæ. Ergo. R. Diaconiſſas non fuiſſe ſacramentaliter ordinatas, ut etiam oſtendam in altera Digreſſione.

Dico 2. Homo non baptizatus eſt incapax ordinationis. Hæc Concluſio probata manet ex his, quæ diximus Diſſert. 3. de Baptiſmo a. 1. Petit. 2. ubi probavimus ex jure & rationibus, Baptiſmum ut januam & fundamentum aliorum Sacramentorum eſſe neceſſarium ad eorum validam ſuſceptionem. Vide ibi. Addo: Nemo poteſt eſſe Miniſter publicus in Eccleſia, niſi ſit ejus membrum; fit autem Eccleſiæ membrum per Baptiſmum. Item nemo poteſt agere & generare, niſi ſit natus; naſcimur autem in Eccleſia per Baptiſmum, & in ea agimus ac ſpirituales filios generamus per ordinem: Ergo. Unde Concilium generale Nicænum 1. Can. 19. jubet Pauliniſtas, qui non ſervabant formam Baptiſmi, rebaptizari, & ab eis ordinatos reordinari.

Dices 1. Homo per fidem fit membrum Chriſti. Ergo eſt capax Sacramentorum. R. D. Ant. Homo per fidem fit membrum Chriſti inchoate & quoad unionem internam, C. perfecte & quoad unionem tam internam quam externam, N. Et ideo non eſt capax Sacramentorum, per quæ Deus voluit Eccleſiam ſuam & ejus membra viſibiliter colligari, ut dicit Auguſtinus.

Dices 2. Socrates l. 5. Hiſt. tripartitæ c. 22. dicit Alexandriæ Lectores aſſumi indifferenter ex fidelibus & Catechumenis. Ergo. Reſpondi jam alibi ibi non agi de Ordinatione, ſed de Officio legendi & pſallendi, quod etiam Laicis committitur, & Catechumenis poteſt committi.

Dico 3. (*Ibid. a. 2. o. Ibid. in a. ſ. 1.*) Infantes ſunt capaces Ordinationis.

Prob. 1. Ex Cap. *Tuæ Litteræ* de Clerico per ſaltum ordinato l. 5. tit. 29. ubi Innocentius III. eum, qui ſuſceptis minoribus Ordinibus infra annos diſcretionis, omiſſo Diaconatu, ad Sacerdotium fuerat promotus, jubet ordinari Diaconum, non vero iterari minores Ordines ante annos diſcretionis collatos. Ergo cenſebat illos valide collatos.

Prob. 2. ab exemplis. 1. In vita Euthymii Abbatis, auctore Cyrillo Scytopolitano, refertur ipſum triennem fuiſſe baptizatum, tonſum, & Lectorem ordinatum. 2. In Libro Pontificali legitur Eugenium I. qui creatus eſt Pontifex an. 652. fuiſſe Clericum a cunabulis. Plura in hanc rem legi poſſunt apud Morinum p. 3. de Sacr. Ordinat. Exerc. 5. & Marten. l. 1. de Antiquit. Rit. c. 8. a. 3.

Prob. 3. Ratione. (*Ibid. & o.*) Sacramenta, quæ imprimunt characterem, non requirunt actum ſeu conſenſum ex parte Infantis recipientis. Ergo. Prob. Ant. 1. in Baptiſmo & Confirmatione. 2. Quia hujuſmodi Sacramenta conferunt non actum, ſed poteſtatem ad actum; poteſtas autem præcedit actum. Ergo licet Infantes non poſſit habere actum Ordinis, poſſunt tamen habere poteſtatem ſeu characterem, ſicut habent potentiam ratiocinandi, licet ejus actus non exerceant.

Dices 1. cum Durando. Ad validam ſuſceptionem Sacramenti requiritur intentio ſuſcipientis, vel propria vel interpretativa, qualis eſt v. g. intentio Parentum in Baptiſmo ſuorum Infantium. Atqui neutra intentio eſt in Infante reſpectu Ordinis; non propria, ut patet, neque interpretativa, quia voluntas parentum dici non poteſt voluntas parvulorum, niſi in iis, quæ ſunt de neceſſitate

ſa-

ſalotis, ut in Baptiſmo. Ergo. R. D. Maj. Ad validam ſuſceptionem Sacramenti requiritur intentio ſoſcipientis adulti, C. propter rationes, quas deduximos Diſſert. 6. de Sacram. in genere a. 1. Vide. Suſcipientis Infantis, N. In eo enim neque propria, neque interpretativa voluntas requiritut, ſed ſufficit, quod Miniſter illi applicet formam & materiam cum intentione debita. Unde ſicut, ſi renitentibus Parentibus baptizaretur, aut confirmaretur infans, eſſet valide baptizatus, aur confirmatus; ita ſimiliter, ſi iiſdem renitentibus ordinaretur; cum hoc tamen diſcrimine, quod ſic baptizatus teneretur Legem Evangelicam ſervare, quia eſt neceſſaria ſaluti, cui providere tenetur; at ſic Ordinatus non teneretor Legibus Clericorom, ſi vellet abſtinere a functionibos Ordinis, quia illæ non ſunt neceſſariæ ad ſalutem.

Inſt. In forma ordinationis dicit ordinator: *Accipe poteſtatem*, &c. Ergo ex parte recipientis requiritur acceptatio, conſequenter conſenſos. R. N. Conſeq. Quia iſta poteſtas non traditur per donationem aut contractum, ad quem requiritur conſenſus conttahentis aut Donatarii, ſed per efficacem operationem virtute charaćteris Epiſcopalis, reſpectu cujos recipiens ſe habet mere paſſive, ſicus cera reſpecto ſigilli. Nec magia mirandum; quod dicatur Infanti ordinando; *Accipe poteſtatem*, quam quod dicatur Infanti baptizando: *Accipe ſal ſapientiæ: Accipe ſignum crucis*.

Inferes. Ergo Infans poteſt eſſe & dici Sacerdos & Epiſcopus, quod videtur abſurdum. R. non eſſe abſurdum, quod Infans ſit & dicatur Sacerdos, quia hæc denominatio non eſt ab actu, ſed a poteſtate illi collata per ordinationem; ſicut Infans baptizatus dicitur fidelis a fide, non actuali, ſed habituali.

Quantum ad Epiſcopatum, S. Th. hic videtur negare Infantem ordinatum poſſe eſſe & dici Epiſcopum, quia cum Epiſcopus accipiat poteſtatem in corpus Chriſti myſticum, requiritur actus ſuſcipientis curam animarum paſtoralem. Verom duo diſtinguenda ſunt in Epiſcopo, ſcilicet extenſio characteris ſeu poteſtas, & cura paſtoralis animarum atque Eccleſiæ, quacum init matrimonium ſpirituale. Ad hoc 2. requiritur conſenſus, non ad 1. Et hoc ſenſu intelligendum eſſe S. Th. docent nobiles ejus Interpretes, Paludanus, Dominicus Soto, Gonet, &c.

Dices 2. cum Honor. Tournely. Nullum extat in tota Traditione exemplum ordinationis valide collatæ infanti. Ergo. R. ex duabos primis probationibus Concluſionis noſtræ objicientem falſi convinci.

Dices 3. cum eodem. Nemo poteſt ſine proprio conſenſu adſtringi alicui ſtatui, cui grave & indebitum onus eſt annexum, ut eſt continentia annexa Ordini. Ergo. R. Infantem ordinatum; dum ad annos diſcretionis pervenerit, non teneri, ut jam dixi ad legem continentiæ, ſi ab exercitio Ordinis velit abſtinere.

Inferes. Ergo etiam amentes & dormientes poſſont valide ordinari. (*Ib. & c.*) R. perpetuo amentes poſſe valide ordinari, quia eadem eſt ratio de illis ac de Infantibus. Amentes aotem ad tempus, ſicut & dormienres, ſi ante amentiam vel ſomnum habuerint voluntatem ſuſcipiendi Ordines, poſſunt valide ordinari; ſecus non poſſunt; quia com ſint adulti, requiritur in eis aliqua intentio ſeu conſenſus. Confer locum citatum de Sacram. in genere Diſſetr. 6. a. 1.

Repones. Non datur poteſtas ad actum impoſſibilem. Atqoi in pueris & perpetuo amentibus actus Ordinis eſt impoſſibilis. Ergo. R. D. Maj. Non datur poteſtas ad actum impoſſibilem per ſe aur pro ſemper, C. Impoſſibilem per accidens, aut ad tempus, N. Sic in utriſque datur poteſtas ratiocinandi, quamvis in Infantibos actus ſit impoſſibilis ad tempus, & in perpetuo amentibus per accidens.

Dico 4. Nemo abſolute invitus valide ordinator. Probationes hujus Concloſionis cum Objectionibus require loco citato de Sactament. in genete Diſſert. 6. a. 1.

§. II. *Quæ diſpoſitiones requirantur in ſubjecto ad legitime & licite ſuſcipiendos Ordines?*

DIXIMUS §. præcedenti de requiſitis ex parte ſubjecti ad validam ordinationem. Quærimus nunc de reqoiſitis ad licitam ordinationem?

Dico. Novem conditiones ſeu diſpoſitiones requiruntur in ordinando ad licitam ſuſceptionem Ordinum, ſcilicet vocatio, recta intentio, probitas morum, ſcientia, ætas legitima, interſtitia, titulus, ordinatio gradatim & non per ſaltum, ac tandem immunitas ab irregularitate, quæ breviter probantur & explicantur.

Vocatio.

PRIMA diſpoſitio in aſpirante ad Ordines eſt vocatio a Deo, juxta illod Apoſt. Heb. 5. *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo tanquam Aaron. Sic et Chriſtus non ſemetipſum clarificavit ut Pontifex fieret, ſed qui locutus eſt ad eum: Filius meus es tu.* Unde Chriſtus ipſe ſibi delegit Apoſtolos. Ratio eſt, qoia altiſſima munia & graviſſima onera, ad quæ vocatur ordinandus, exerceri non poſſunt abſque ſpeciali Dei auxilio. Inter varia autem vocationis indicia potiſſimum eſt recta intentio. Unde

Recta intentio.

SECUNDA diſpoſitio eſt recta intentio ordinandi, ſcilicet, ut abdicatis curis ſæcularibus liberius & devotius Deo ſerviat. Unde peccat mortaliter, qoi ſacræ militiæ adſcribitur principaliter & præciſe, ut obtineat pingue Beneficium, ſicque lautius ac honorificentius vivat, ut docet Auctor 2. 2. q. 185. a. 1. de Epiſcopo apperente Epiſcopatum propter divitias. Ratio eſt, quia utitor fruendis & fruitur utendis in re gravi. Secus tamen ſi principaliter intenderet Deo ſervire, & ſecundario frui Beneficio. Idem ſub eadem diſtinctione plures cenſent de eo, qui Tonſuram tantum & minores Ordines ſuſcipit, eo præciſe animo, ut Beneficiis & Privilegiis Clericalibus ad tempus fruatur, & exinde ducat uxorem, aot aliter ſtatum clericalem dimittat; quod tamen alii non probant.

Probitas morum.

TERTIA diſpoſitio eſt probitas morum ex Trid. ſeſſ. 23. cap. 12. ubi loquens de ordinandis dicit: *Sciant tamen Epiſcopi non ſingulos in ea ætate conſtitutos debere ad hos Ordines aſſumi, ſed dignos dumtaxat, & quorum probata vita ſenectus ſit.* Et c. 14. de promovendis ad Sacerdotium: *Ita*, inquit, *pietate & ſanctis moribus ſint conſpicui, ut præclarum bonorum operum exemplum & vitæ monita ab iis poſſint expectari.* Qualis debeat eſſe Epiſcopus, docet Apoſtolus 1. ad Tim. c. 3. & ad Tit. c. 1. Qualis Presbyter ibidem. Qualis Diaconus 1. Tim. 3. Qui conſcius peccati mortalis ſine prævia confeſſione aut contritione Ordines, etiamſi minores, ſuſcipit, peccat mortaliter, ſecus ſi Tonſuram; quia ſecundum nos minores ſunt Sacramenta, non Tonſura.

Scientia.

QUARTA diſpoſitio eſt ſcientia, major vel minor pro ratione Ordinis, ad quem promovendus eſt. Pro Tonſura Trid. ſeſſ. 23. c. 4. requirit, ut ſit rudimentis fidei instructus, & ſciat legere & ſcribere ſaltem ſuo idiomate. Pro minoribus ibid. cap. 11. requirit ulterius, ut ſaltem linguam latinam intelligat. *Minores Ordines*, inquit, *iis, qui ſaltem linguam latinam intelligant, per tempora interſtitiorum, niſi aliud Epiſcopo magis expediens videbitur, conferantur.* Ubi To *niſi aliud Epiſcopo magis expediens videbitur*, ſecundum probabiliorem & communiorem interpretationem, afficit rantum interſtitia & non Intelligentiam linguæ latinæ, in qua proinde diſpenſare non poteſt Epiſcopus.

Pro Subdiaconatu & Diaconato ibid. c. 13. requirit, ut promovendi ſint litteris & iis, quæ ad Ordinem exercendum pertinent, inſtructi. Pro Sacerdotio, ultra quod debeat etiam intelligere ſuum Ordinem, id eſt ſcire materiam, formam, ritum celebrandi, Rubricas, in quibus & quomodo obligent, qoalis debeat formari intentio in Miſſa, quæ diſpoſitiones mentis & corporis, qui defectus occurrentes, & quomodo ſit ipſis ſupplendum; requirit inſuper Trid. ibid. c. 14. ut *ad Populum docendum ea, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem ac adminiſtranda Sacramenta, diligenti examine præcedente idonei comprobentur.* Sacramenta autem intellige, quæ miniſtrare poteſt, ſcilicet Baptiſmum, Euchariſtiam, Extremam Unctionem, & in neceſſitate Pœnitentiam, cujos formam ſaltem ſcire debet. Quantum ad caſus conſcientiæ, quamvis dedeceat eos penitus ignorare, non tamen ita debet ſcire, ſicut ille, cui cura animarum incumbit.

Pro Epiſcopatu ſeſſ. 22. c. 3. requirit, qood *ſcientia ejuſmodi polleat, ut muneris ſibi injungendi neceſſitati poſſit ſatisfacere; ideoque antea in univerſitate ſtudiorum Magiſter, ſive Doctor, aut Licentiatus in ſacra Theologia, vel jure Canonico merito ſit promotus, aut publico alicujus Academiæ teſtimonio idoneus ad alios docendos oſtendatur.*

Peccat ergo graviter Epiſcopus admittens ad Ordines prorſus illitteratos & ignorantes, præſertim ea, quæ a Trid. decernuntur, prævaricans in ſuo miniſterio in grave damnum, & injuriam Eccleſiæ. Unde tenetur per ſe, vel

vel per alios examinare, niſi de ipſorum ſufficientia conſtet, ot ſi habeant litteras dimiſſotias a ſuo Ordinario, vel a ſuo Supetiore Regulari; quos nihilominus itetum examinare poteſt, & inſufficientes repertos repellere.

Ætas legitima.

QUINTA diſpoſitio eſt ætas legitima. Quidquid ſit de jure antiquo, iure novo Tridentini pro Tonſura & Minoribus nulla determinatur ætas, modo initiandi ſciant, quæ Concilium citatum ſupra requirit in ipſis, & judicentur idonei munlis ſuia obeundis. Pro Subdiaconatu requitit Concilium Seſſ. 23. c. 12. annum 22. pro Diaconatu 23., pro Sacerdotio 25. intellige pro quolibet Ordine annum inchoatum, ita ut qui complevit v. g. annum 24. ſi vel una hora anni vigeſimi quinti effluxetit, poſſit ordinarii Sacerdos. Imo quidam docent, quod ſi inchoatut annus 25. a metidie, poſſit eodem die mane ordinari; quia, inquiunt, in ſavorabilibus dies inceptus habetur pto completo. Ita Ledeſma, Diana, &c. quos citat, & ſequitur Andreas a Matre Dei. Verum id neque certum, neque tutum eſt. Sicut nec quod alii dicunt, diem biſſextilem non eſſe computandum; quia annus requiſitus computandus videtut juxta ritum & conſuatudinem Eccleſiæ. Pro Epiſcopatu autem requiritur 30. annus completus c. *Cum in cunctis* 7. Extra. l. 1. tit 6.

Pro Beneficio obtinendo ex Trid. ſeſſ. 23. c. 6. & ſeſſ. 24. c. 12. requiritur 14. annus inchoatus. Pro Beneficio curato, aut dignitate, cui annexa eſt cura animarum, 25. inchoatus. Pro aliis dignitatibus, quibus non eſt annexa cura animarum, annus 22. inchoatus.

Pius II. Conſtitut. *Cum Sacrorum* data 15. Kal. Decemb. 1461. contra *temeritatem* illorum, qui ante legitimam ætatem ſe ordinari faciunt, ſic animadvertit. *Statuimus & ordinamus, quod omnes & ſinguli, qui abſque diſpenſatione Canonica, aut legitima licentia, ſive extra tempora a jure ſtatuta, ſive ante ætatem legitimam, vel abſque dimiſſoriis litteris .... ad aliquem ex ſacris Ordinibus ſe fecerint promoveri, a ſuorum Ordinum executione ipſo jure ſuſpenſi ſint, & ſi hujuſmodi ſuſpenſione durante in eiſdem Ordinibus miniſtrare præſumpſerint, eo ipſo irregularitatem incurrant.* Obſervandum eſt circa hanc Conſtitutionem, in ea agi de ſacris Ordinibus tantum. 2. Suſpenſionem hanc eſſe perpetuam, & non tantum uſque compleatur ætas requiſita, ut quidam abſque fundamento intetpretantur. Unde qui etiam poſt completam ætatem, in iis Ordinibus miniſtrare *præſumeret*, id eſt ſcienter, & non ex ignorantia, ſine diſpenſatione Pontificia, aut Epiſcopali, ſi factum ſit occultum, irregularitatem incurreret.

Obſervantia interſtitiorum & temporis a jure ſtatuti.

SEXTA diſpoſitio eſt obſervantia interſtitiorum & temporis a jure ſtatuti. Concilium Trid. ſeſſ. 23. cap. 11. de Ref. juber, ot minores Ordines *per temporum interſtitia, niſi aliud Epiſcopo magis expedire videbitur, conferantur.* Idem ibidem a minoribus Ordinibus ſuſceptis ad Subdiaconatum requirit interſtitia unius anni, *Niſi neceſſitas aut Eccleſiæ utilitas, judicio Epiſcopi aliud expoſcat.* Attamen cuoſuetudine introductum eſt in pluribus Diœceſibus, ut Tonſura & Minores ſimul eodem die conſerantut, & Subdiaconatus poſt unum vel alterum diem. Imo plures cenſent poſſe eodem die conferri Tonſuram, quatuor minotes, & Subdiaconatum, partim ex conſuetudine pluribus in locis recepta, partim quia Tridentinum prohibet tantum eodem die conferri plures ſacros Ordines.

Item eadem ſeſſ. c. 13. & 14. jubet ſervari interſtitia unius anni inter Subdiaconatum & Diaconatum, ſimiliter unius anni inter Diaconatum & Sacerdotium, *niſi ob Eccleſiæ utilitatem, aut neceſſitatem aliud Epiſcopo videretur.* Iſta autem utilitas aut neceſſitas non debet eſſe publica, & totius Eccleſiæ, ſufficit, quod ſit alicujus Eccleſiæ particularis aut Monaſterii. Annus autem interſtitiorum non computatur mathematice a die ad diem, ſed eccleſiaſtice a quatuor temporibus unius anni ad eadem quatuor tempora ſequentis anni. Qui, non ſervatis interſtitiis, ſine diſpenſatione ordinaretur, peccaret graviter contra Eccleſiæ præceptum; non tamen incurreret ſuſpenſionem aut irregularitatem, quia nulla eſt ideo lata in jure.

Diſpenſare in interſtitiis pertinet ad Epiſcopum ordinandi, non ad Ordinatorem, ſi vi dimiſſorialium extraneum ordinet. Quantum ad Regulares: quidam tenent ab ipſis ſuis ſuperioribus poſſe & debere diſpenſari, & vi privilegii Alexandri VI. poſſe tribus Dominicis aut Feſtis conſecutivis tres ſacros Ordines recipere; neque iſtud privilegium eſſe a Trid. revocatum, quin imo confirmatum & innovatum poſt Trid. a Gregorio XIV. & Clemente VIII. apud Rodrigues. Verum eſto ita ſit: Quid proderit iſtud privilegium, ſi Epiſcopus, cui perſuaſum eſt ſibi propriam eſſe hac in re diſpenſandi facultatem, nolit admittere hanc diſpenſationem, nec Ordines conſerre?

Quantum ad tempus Ordinationis: quatuor Minores ſolent conferri feria 4. aut 6. ante ſabbathum quatuor Temporum. Poſſunt etiam conferri privatim pro aliquibus, non generaliter pro omnibus, quavis die Dominica, aut feſto duplici, ex Pontificali Romano. Pro collatione vero ſacrorum Ordinum ſex ſabbatha a jure determinantur. Scilicet ſabbathum ante Dominicam 2. Quadrageſimæ, ante Dominicam Paſſionis, ante Feſtum Paſchæ, ante Dominicam Trinitatis, ante Dominicam 4. Septembris, & ante Feſtum Nativitatis, niſi incidat in Dominicam; tunc enim eſt Sabbathum præcedens. Qui ſine licentia ſum. Pontificis ordinatur extra tempora, incurrit ſuſpenſionem, & ſi miniſtret in Ordine, irregularitatem, ut dixi prius ex Bulla Pii V.

Quantum ad Regulares videtur, quod illuſtriſſimi Epiſcopi, ſi ita ipſis placeret, poſſent tuta conſcientia abſque diſpenſatione Pontificia illis conferre Ordines ſacros extra tempora diebus Dominicis aut Feſtis. Ita ſerunt eorum privilegia ab Alexandro VI. Eugenio IV. & aliis conceſſa, quæ nec videntur revocata a Trid. Et dato quod poſſit prætendi aliqua revocatio, ea poſt Trid. confirmarunt & innovarunt Gregorius XIV. & Clement VIII. Ita cenſent Rodrigues, Barboſa, Portellus, Diana, Philibert, &c. quos citat, & ſequitur Andreas a Matre Dei, hic. Tract. 8. c. 4. Puncto 5.

Titulus.

SEPTIMA diſpoſitio eſt Titulus. Eſt autem Titulus jus perpetuum ad neceſſaria pro congrua & decenti ſuſtentatione Clerici, ſive ex Beneficio, ſive ex Patrimonio, ſive ex Profeſſione Religioſa. Unde triplex eſt Titulus, nempe, Beneficii, Patrimonii, & Profeſſionis Religioſæ.

Circa hanc diſpoſitionem; ſeu conditionem requiſitam, ſequentia ſtatuit Trid. ſeſſ. 21. c. 2. 1. Requirit Beneficium, quod *Ad victum honeſte ſufficiat*, conſequenter perpetuum. Unde quis illicite ordinaretur titulo Beneficii, judicio prudentum, aut ſecundum Legem Diœceſis, inſufficientis, niſi adjuncto patrimonio fiat ſufficiens, ſicque ex utroque coaleſcat Titulus integer. Pariter ordinaretur illicite titulo Vicariæ temporalis: licite autem titulo Capellaniæ perpetuæ, item præſtimonii ſeu penſionis perpetuæ ex aliquo beneficio, ſi aliunde ſufficiant ad victum. 2. Requirit Beneficium *Pacifice poſſeſſum*. Unde non ſufficit Beneficium litigioſum, neque ſperatum tantum, neque ſimplex præſentatio, aut nominatio ad Beneficium. 3. Prohibet, ne ordinatus Titulo Beneficii ipſum *Beneficium reſignare poſſit, niſi facta mentione, quod ad illius Beneficii titulum ſit promotus, neque ea reſignatio admittatur, niſi conſtet, quod aliunde commode vivere poſſit, & aliter facta reſignatio ſit nulla.*

4. Declarat Titulo Patrimonii ordinari non poſſe *niſi eos, quos Epiſcopus judicaverit aſſumendos pro neceſſitate vel commoditate Eccleſiarum ſuarum.* Nota ante duodecimum ſæculum neminem ordinari niſi titulo Beneficii, & primam mentionem patrimonii haberi in Concilio Lateran. III. ſub Alexandro III. an. 1179. in quo ſtatuitur, quod Epiſcopus, qui ſine titulo Beneficii Clericum ordinaſſet, ei ad vitam neceſſaria miniſtrare teneretur, niſi ex bonis patrimonialibus habeat ſubſidium. Idem Innocentius III. cap. *Cum ſecundum* de Præbendis, & c. *Accepimus* de ætate & qualitate, &c.

5. Vult *Patrimonium vel penſionem vere ab eis obtineri, taliaque eſſe, quæ eis ad vitam ſuſtentandam ſatis ſint.* Hinc inferes eos peccare moraliter contra Eccleſiæ præceptum, qui ordinantur cum patrimonio ficto, ſive ſit datum eo animo & pacto, ot ordinatus ejus Dominium non acquirat, nec eo utatur; ſive eo pacto ot ejus dominium ſaltem apparenter acquirat, ſed poſt ordinationem reddat, ſive quia eſt bonum hypothecatum, ſive quia declarantur proventus annui longe pinguiores quam ſint, & tanquam ſufficientes ſecundum morem, ſeu taxam Diœceſis, cum tamen ſint notabiliter inſufficientes. 6. Declarat, quod hoc Patrimonium & penſio *deinceps ſine licentia Epiſcopi alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus poſſint, donec Beneficium Eccleſiaſticum ſufficiens ſint adepti, vel aliunde habeant unde vivere poſſint.* Unde non eſt improbabile, quod iſta alienatio vel remiſſio ſine licentia Epiſcopi ſit invalida, tum ex ipſo textu Concilii, *Nullatenus poſſint*, tum quia Epiſcopus in hoc patrimonium quoddam jus acquiſivit, ne teneatur alere ordinatum: tum quia videtur eadem ratio ac de Beneficio.

Sed quæſtio eſt, utrum, obtento Beneficio, aut alia poſ-

ſeſſione

Digitized by Google

feſſione ſufficienti ; requiratur adhuc neceſſario licentia Epiſcopi ad alienandum patrimonium. Quidam negant, & hærendo litteræ non eſt improbabile. Alii affirmant; quia alias fruſtra requireretur licentia Epiſcopi: is enim ante obtentionem beneficii aut alterius boni ſufficientis nec vellet, nec poſſet dare licentiam prius patrimonium alienandi; requiritur ergo ejus licentia, ut obtento Beneficio, vel alio patrimonio ſufficienti, prius alienari poſſit. Unde hæc particula *Donec* limitat conſenſum Epiſcopi ad tempus novæ acquiſitionis, ita ut ſenſus ſit: non permittat Epiſcopus alienari patrimonium, donec ipſi conſtet ordinatum hoc titulo habere aliunde, quo vivere poſſit. Et hoc eſt probabilius.

7. Denique Synodus *Antiquorum Canonum pœnas ſuper his innovat*. Pœna Ordinantis ſcienter ſine titulo eſt obligatio alendi promotum, ſi aliunde non habeat unde vivat, ex Concilio Lateran. & juribus ſupra citatis. Dixi *Scienter*; ſi enim adhibita ſufficienti diligentia deceptus fuit Epiſcopus, ad nihil tenetur; neque ſi patrimonium poſtea deſtruatur; neque ſi extraneum cum dimiſſoriis ordinaverit; mittentis enim eſt examinare patrimonium ſui ſubditi. Si vero Epiſcopus ſive ordinans, ſive mittens, examen patrimonii commiſerit Vicariis Generalibus aut Examinatoribus, & ipſi falſo teſtentur veritatem & ſufficientiam patrimonii, hi tenentur loco Epiſcopi ad alendum promotum.

Pœna ordinati ſine titulo aut cum titulo ficto, juxta cap. *Neminem* Concilii Chalcedo. & c. *Sanctorum* Urbani II. D. 70. eſt ſuſpenſio ab Ordinis executione. Sed cum Innocentius III. qui obiit 1216. cap. *Cum ſecundum* extra. de præbendis l. 3. tit. 5. hanc clerici ſine titulo ordinati pœnam mutaverit in obligationem impoſitam Epiſcopo illum alendi, videaturque Tridentinum innovaſſe tantum Canonum pœnas, quæ tunc vigebant, non vero revocatas, quidam cenſet ordinatum ſine Titulo, aut cum Titulo ficto, nullam pœnam nunc incurrere.

Attamen probabilius videtur eum incurrere ſuſpenſionem latam per antiquos Canones. 1. Quia Concilium dicit ſe *Innovare*, quo ſignificat ſe non tantum pœnas tunc vigentes confirmare; ſed etiam revocatas innovare. Inſuper dicit *Antiquorum Canonum*, reſpiciens potius, ut videtur, ad antiquos Canones Concilii Chalcedonenſis & Urbani II. quam ad recentiores Concilii Lateran. & Innocentii III. 2. Quia ſi Epiſcopus decipiatur ab Ordinato, non tenetur illum alere, ſicque nulla erit pœna, quod videtur contrarium Concilio innovanti pœnas antiquorum Canonum. 3. Quia refertur a Fagnano reſolutio Sacræ Congreg. Cardinalium data 27. Novembris 1610. his verbis: *Sacra Congregatio Cardinalium cenſuit Clericum, qui, adhibito dolo conficto que titulo Ordinatorem decepit, eſſe ipſo jure ſuſpenſum, careraque Ordinum functione*. Hanc autem ſuſpenſionem etiam incurrit, qui etſi conſentiente Epiſcopo ordinatur ſine titulo.

Petes 1. Utrum qui ordinatur cum vero titulo, ſed inſufficienti, incurrat ſuſpenſionem? R. probabiliter negative: quia cum probabile ſit juxta antiquos Canones non requiri titulum ſufficientem ad ſuſtentationem, ſed quemcumque; etiam probabile eſt, quod qui ordinatur cum titulo tenuiori, licet peccet mortaliter contra præceptum Trid. non incurrat tamen ſuſpenſionem latam ab antiquis Canonibus, & a Trid. Innovatam.

Petes 2. Utrum qui habet patrimonium cum pacto illud reddendi poſt Ordinationem, incurrat ſuſpenſionem? Videtur quod non; quia tempore ordinationis habet verum titulum, licet poſtea reddendum. R. tamen probabilius affirmative: quia hujuſmodi donatio Tituli poſt ordinationem reddendi videtur in foro conſcientiæ nulla; non enim donans intendit vere donare & transferre Dominium, ſed apparenter tantum, ut decipiatur Epiſcopus; alioquin ſi vere donaret & transferret Dominium, donatarius non poſſet reddere ſine licentia Epiſcopi, qui illam certo non concederet. Equidem in foro exteriori donanti, eo quod Eccleſiam decipiat, non datur actio in donatarium, ſed aliud eſt in foro conſcientiæ.

Petes 3. Utrum exercens Ordinem in hac ſuſpenſione incurrat irregularitatem? R. affirmative. Quia effectus violationis cujuſcumque ſuſpenſionis a functionibus ſui Ordinis eſt irregularitas. Cap. *Cum æterni* 1. de ſententia & re judicata l. 2. tit. 14. in 6. cap. *Cum medicinalis* 1. & cap. *Is cui* 20. de ſentent. Excom. l. 5. tit. 11. in 6.

Quantum ad regulares, eis ſufficere pro titulo profeſſionem ſolemnem in Religione approbata indicatur can. 6. Concilii Chalcedo. Ubi reponens eos in eodem loco cum Beneficiariis, decernit nullum eſſe ordinandum, *niſi ſpecialiter in Eccleſia Civitatis vel Pagi aut in Martyrio* (hi tunc erant tituli Beneficiorum) *aut in Monaſterio, qui ordinandus eſt, pronuntietur*. Quod deinde variis conſtitutionibus & uſu perpetuo firmatum eſt; & merito, cum Religioſis ex bonis Monaſterii, aut ex fidelium eleemoſynis, habeant, unde vivant.

Dixi, *Profeſſionem ſolemnem*: quia Novitii & non profeſſi ſolemniter non poſſunt titulo Paupertatis ordinari ex Bulla Pii V. *Romanus Pontifex Sacrorum* 75. in qua & ordinatus ſuſpenditur ab exercitio Ordinum, & ordinans a collatione Ordinum per annum. Excipe tamen Patres Societatis Jeſu, qui ex ſpeciali conceſſione Gregorii XII. poſt ſimplicem profeſſionem poſſunt ordinari.

Ordinatio per gradus, & non per ſaltum.

ORDINATIO per ſaltum dicitur, quando quis, omiſſo Ordine inferiori, ſuſcipit ſuperiorem, v. g. ſi Subdiaconus, omiſſo Diaconatu, fiat Sacerdos. Quamvis Ordinatio per ſaltum (*Supp. q. 35. a. 5.*) ſit graviter prohibita *c. Sollicitudo* d. 52. c. *Tuæ Litteræ* de Clerico per ſaltum ordinato, & Trid. Seſſ. 23. c. 15. de Ref. eſt tamen valida, cum jura laudata jubeant tantum conferri inferiorem omiſſum, non iterari ſuperiorem ſuſceptum: & aliunde ſunt poteſtates diſtinctæ, & una, quantum eſt de ſui ratione, non requirit aliam in eodem ſubjecto; excipe Epiſcopatum, qui eſſentialiter ſupponit Ordinem, ut dicemus infra. Probabilius eſt, quod Ordinatus per ſaltum incurrat ſuſpenſionem ex cap. *Tuæ Litteræ* citato, & ex Trid. citato, ubi dicitur: *Cum promotis per ſaltum, ſi non miniſtraverint, Epiſcopus ex cauſa legitima poſſit diſpenſare*. Supponit ergo incurriſſe ſuſpenſionem, in qua indiget diſpenſari. Qui vero exercet functiones Ordinis, quem non ſuſcepit, ipſo facto fit irregularis cap. *Si quis baptizaverit*, de Clerico non ordinato miniſtrante, extra. l. 5. Tit. 27.

Immunitas ab Irregularitate.

IRREGULARITAS eſt impedimentum canonicum, quo quis redditur directe & primario inhabilis ad Ordines licite ſuſcipiendos, conſequenter ad eos exercendos. Dixi *licite*; quia irregularis valide ordinatur. Amplior explicatio pertinet ad materiam de Cenſuris.

ARTICULUS IV.

De Continentia annexa ſacris Ordinibus.

CLERICUS majores adſtringi recitationi Horarum Canonic. ex univerſali Eccleſiæ conſuetudine vim legis habente, dixi in Tract. de Relig. Diſſ. 2. a. 8. Præter hanc obligationem contrahunt aliam de continentia perpetuo ſervanda: de qua modo.

Dico 1. In Eccleſia Occidentali omnes Clerici majorum Ordinum ab Epiſcopo ad Subdiaconum incluſive tenentur ſervare continentiam perpetuam, ita ut nec poſt Ordinem ſuſceptum Matrimonium contrahere poſſint, nec Matrimonio ante Ordinem contracto uti. Conſtat ex variis textibus juris cap. *Presbyteris* D. 27. cap. *Si qui* Extra. l. 3. Tit. 3. & pluribus aliis infra citandis. Unde Concilium Trid. Seſſ. 24. Can. 9. ſic definit: *Si quis dixerit Clericos in ſacris Ordinibus conſtitutos .... poſſe Matrimonium contrahere, contractumque validum eſſe, non obſtante Lege Eccleſiaſtica vel voto ...., anathema ſit.*

Viguit iſta Lex ab Eccleſiæ incunabulis ſaltem quoad Sacerdotes & Diaconos, ut conſtat ex Concilio Carthag. 2. anno 390. Can. 2. ubi dicitur: *Placuit & condecet Sacroſanctos Antiſtites & Dei Sacerdotes, nec non & Levitas, vel qui Sacramentis divinis inſerviunt, continentes eſſe in omnibus, ut quod Apoſtoli docuerunt, & ipſa ſervavit Antiquitas, nos quoque cuſtodiamus.*

Dixi, *Saltem quoad Sacerdotes & Diaconos*; videtur enim quoad Subdiaconos non eamdem ſemper fuiſſe diſciplinam in Eccleſia Latina. In altero enim Concilio Carthag. an. 398. Can. 8. legitur: *Placuit Epiſcopos & Presbyteros & Diaconos ſecundum priora Statuta etiam ab uxoribus continere .... Cæteros autem Clericos ad hoc non cogi, ſed ſecundum uniuſcujuſque Eccleſiæ conſuetudinem obſervari debere*. S. Leo invenitur primus, qui expreſſe nominavit Subdiaconos, prohibens ipſis ut Epiſcopis, Sacerdotibus, & Diaconis, non ſolum contrahere Matrimonium, ſed etiam Matrimonio ante Subdiaconatum contracto uti. Sic enim habet Ep. 84. nunc 12 cap. 4. *Nec Subdiaconis connubium carnale conceditur, ut & qui habent, ſint tanquam non habentes, & qui non habent, permaneant ſingulares. Quod ſi in hoc Ordine qui quartus a capite eſt, dignum eſt cuſtodiri, quanto magis in primo, aut ſecundo, vel tertio ſervandum eſt?*

Neque tamen tunc ubique obtinuit hoc Decretum, ſi quidem poſt ſæculum integrum tempore S. Gregorii Subdiaconi in Sicilia adhuc uterentur Matrimonio prius contracto. Et an. 721. in Concilio Rom. ſub Gregorio II. Can. 1. 2. & 3. & in altero Concilio Rom. ſub Zacharia an. 743. fit mentio continentiæ Presbyterorum & Diaconorum, nulla Subdiaconorum. Undecimo tantum Sæcu-

lo

lo videtur ubique recepta lex de continentia Subdiaconorum. Unde Leo IX. qui obiit an. 1054. contra Epiſtolam Nicetæ Abbatis: *omnino*, inquit, *confitemur non licere Epiſcopo, Presbytero, Diacono, Subdiacono propriam uxorem cauſa Religionis abiicere a cura ſua, ſcilicet ut ei victum & veſtitum largiatur, non ut cum illa ex more carnaliter jaceat ... nec ſit deinceps inter eos carnale conjugium*. Refertur cap. *omnino* d. 31. In Concilio Melfenſi an. 1089. ſub Urbano II. can. 12. ſic decernitur: *Eos, qui in Subdiaconatu uxoribus vacare voluerint, ab omni ſacro Ordine removemus; officio atque Beneficio Eccleſiæ carere decernimus*. Mirum videri non debet tardius hanc Legem viguiſſe pro Subdiaconis; ſiquidem Subdiaconatus non ſemper annumeratus fuerit inter ſacros Ordines.

Dixi, *In Eccleſia Occidentali*; quia apud Græcos, quamvis ſemper fuerit prohibitum ſaltem Presbyteris & Epiſcopis, & etiam nunc ſit prohibitum Diaconis contrahere Matrimonium poſt Ordinem ſuſceptum, attamen a tempore Concilii Trullani, ſeu Quini-Sexti, Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi, non Epiſcopi, utuntur Matrimonio prius contracto, idque tolerat Eccleſia pro bono pacis.

Dico 2. (*ib. & 2. 2. q. 88. a. 11.*) Continentia annexa eſt Ordini ſacro, non jure naturali aut divino, ſed Eccleſiaſtico. Non jure naturæ; (*Hic ibid.*) quia licet congruum ſit, ut qui Sacra & Sacramenta tractant, munditiam corporalem per continentiam ſervent, id tamen per ſe neceſſario non exigit Ordo, quia per illum homo non traditur Deo ad vivendum caſte, ſicut per religioſam Profeſſionem, ſed tantum ad ſacrum Miniſterium exercendum, cui eſſentialiter non repugnat Matrimonium; ut patet ex ſe & in Levitis, imo & ſummis Sacerdotibus antiquæ Legis, qui uxores ducebant. Non jure divino; quia neque in Scriptura, neque in Tradit. eſt aſſignabile, ut patebit ex Sol. Object.

Confir. utraque pars. Apud Græcos Clerici majores, exceptis Epiſcopis, licite utuntur Matrimonio ante ordinationem contracto, cap. *aliter* d. 32. ex Stephano Papa, & cap. *cum olim* de Clericis conjugatis extra. l. 3. Tit. 3. ex Innocentio III. Item ex Concilio Floren. & aliis, in quibus cum ageretur de unione utriuſque Eccleſiæ, Latini adverſus hanc Græcorum diſciplinam non ſunt conqueſti. Atqui ſi continentia eſſet annexa Ordini ſacro, jure naturæ aut divino, Clericis majores apud Græcos non uterentur licite Matrimonio, etiam accedente diſpenſatione Eccleſiæ, quippe quæ diſpenſare non poteſt in jura naturæ aut divino. Ergo.

Dico 3. Rationabiliter atque convenienter Eccleſia annexuit Ordini ſacro continentiam. Eſt contra Novatores, qui legem hanc velut injuſtam, tyrannicam, verbo Dei, ac ipſi naturæ contrariam traducunt.

Prob. 1. Ex Apoſt. 1. Cor. 7. ubi vult conjugatos abſtinere ad tempus ab uſu conjugii, ut vacent Orationi. Atqui ſacrorum Miniſtrorum Officium eſt pro populo ſemper orare & Miniſteria ſacra peragere. Ergo congrue admodum interdicuntur uſu conjugii. 2. Idem Apoſtolus 2. Timot. 2. vult ipſum, ut bonum militem Chriſti, non implicari negotiis ſæcularibus. Atqui nihil magis implicat negotiis ſæcularibus quam Officium conjugale & curæ matrimoniales. Ergo,

3. Sacerdotes in antiqua Lege tempore vicis ſuæ ab uxoribus abſtinebant. Ergo rationabiliter Eccleſia exigit, ut Sacerdotes & ſacri Miniſtri novæ Legis, qui quotidiani & longe dignioris Miniſterii neceſſitatibus occupantur, ab uxoribus abſtineant. Ita Innocentius I. Ep. 9. ad Victricium Rothomagenſem. 4. Si ſacri Miniſtri non ſecus ac ſæculares uxoribus uterentur, 1. Minus honorarentur a Populo. 2. Minus expediti eſſent ad faciendas eleemoſynas. 3. Proventus Eccleſiaſtici paſſim applicarentur uſibus profanis, & Beneficia Eccleſiaſtica ad filios quaſi hæreditario jure tranſmitterentur; ſin minus Eccleſia teneretur eos alere. Ergo.

Solvuntur Objectiones.

OBJ. 1. contra 2. Concluſionem. Ordini ſacro annexum eſt votum ſolemne caſtitatis. Atqui hac ratione profeſſio religioſa ex natura rei dirimit Matrimonium. Ergo. R. N. Ant. Si intelligatur de voto ſtricte ſolemni. Etenim votum proprie ſolemne caſtitatis dicit traditionem perſonæ voventis ad continentiam ſervandam: Ordinatio autem ſacra ex ſe non dicit traditionem Ordinati ad continentiam, ſed ad ſacrum Miniſterium, de cujus eſſentia non eſt Cœlibatus, ſicut eſt de eſſentia Religionis. Religio enim eſſentialiter conſtituitur ex tribus votis; ſi quod ergo votum caſtitatis nunc includat Ordinatio ſacra, id fit juxta diſpoſitionem Eccleſiæ, nec eſt votum ſolemne, ſed ſimplex; vocatur quidem ſolemne a Bonifacio VIII. Tit. de voto & voti Redempt. in 6. non quia ſit ſtricte tale, ſed quia ſolemnizatur per ſolemnem Conſecrationem, ſeu ſacram Ordinationem, ſecundum quam habet, quod dirimat Matrimonium, ſicut Votum ſolemne Religionis. Unde dici poteſt & debet ſolemne.

Inſt. Sacris Ordinibus initiati ſunt Deo ſacri, ſecluſa omni Lege Eccleſiaſtica & voto. Atqui contra naturam eſt, quod res Deo ſacra convertatur ad uſus profanos, ſicut v. g. quod calix deſerviat potui communi. Ergo. R. D. Maj. Sacris Ordinibus initiati ſunt Deo ſacri ſecundum quid, C. Simpliciter, N. Non enim ſunt Deo ſacri ad paupertatem, continentiam, &c. ſervandam, ut Religioſus, ſed ad ſacrum dumtaxat Miniſterium, cui licet de congruo, non tamen eſſentialiter contrariatur matrimonium. Unde D. Min. Contra naturam eſt, quod res Deo ſacra convertatur ad uſus profanos eſſentialiter ſuæ ſacrationi contrarios, Tranſeat Min. Non eſſentialiter contrarios, N.

Obj. 2, contra eandem. Apoſt. ad Tit. 1. *Oportet Epiſcopum continentem eſſe*. Euſeb. Cæſar. l. 1. de demonſtrat. Evang. c. 9. dicit: *Secundum Leges novi Teſtamenti debere ſacris initiatos ab uxoribus abſtinere*. Siricius Papa ſupra citatus docet Chriſtum voluiſſe Eccleſiam ſuam ſplendore caſtitatis radiare. Ergo cœlibatus eſt de jure divino annexus Ordini ſacro. R. his teſtimoniis nihil aliud evinci, quam quod cœlibatus Miniſtrorum Eccleſiæ ſit ex inſtitutione & præcepto Apoſtolorum conformiter intentioni & beneplacito Chriſti, non tamen ſecundum ejus inſtitutionem, ut indicant verba ſubſequentia Syricii: *Sicut per Apoſtolum ſuum inſtituit*.

Inſt. Sacerdotes & Levitæ veteris Teſtamenti jure divino tenebantur abſtinere ab uſu conjuali tempore ſuæ vicis. Ergo Sacerdotes & Levitæ novi Teſtamenti a fortiori toto vitæ tempore, quia ſunt ſemper vices eorum in ſacro Miniſterio, quod eſt longe excellentius veteri, R. N. Conſeq. Quia in pluribus locis veteris Teſtamenti id erat præceptum a Deo Sacerdotibus ſuis; in nullo autem novi Teſtamenti id præcipitur noſtris, niſi per Apoſtolos & Eccleſiam.

Repones. Illud præceptum in veteri Teſtamento erat morale, adeoque non ceſſavit in novo. R. D. Ant. Erat morale ſecundum congruentiam & condecentiam, C. Secundum neceſſitatem abſolutam, N.

Obj. 3. contra 3. Concluſionem cum Hæreticis. Eccleſia non potuit præcipere cœlibatum ſuis Miniſtris. Ergo. Prob. Ant. 1. Quia Apoſtolus 1. ad Tim. 3. dicit: *Oportet Epiſcopum eſſe unius uxoris virum*. 2. Ad Heb. 13. jubet eſſe honorabile connubium, non ſolum in aliquibus, ſed in omnibus. 3. Sextus Canon Apoſtolorum habet, ut *Epiſcopus aut Presbyter nequaquam ſub obtentu Religionis uxorem abiiciant*, 4. Quia 1. ad Tim. 4 Apoſtolus damnat eos, qui venturi erant prohibentes nuptias. 5. Matrimonium eſt jure naturæ a Deo præceptum, Geneſ. 1. *Creſcite & multiplicamini*; aut ſaltem Deus illud reliquit omnibus liberum. Ergo Eccleſia non potuit illud aliquibus prohibere. R. N. Ant. Ad 1. probationem dico, ſenſum Apoſtoli non eſſe, quod Epiſcopus poſt ordinationem ſuam accipiat uxorem, ſed quod non eligatur in Epiſcopum, niſi is, qui nec habeat, nec ante ſuam ordinationem habuerit pluſquam unam uxorem, ut per hoc excluderet bigamos, qui ſenſus patet ex hoc, quod cap. 5. ejuſdem Epiſtolæ velit viduam eligi in Diaconiſſam, quæ *fuerit unius viri uxor*, id eſt, quæ non habuerit plures maritos, quam unum; implicat enim, quod vidua habeat actu virum.

Ad 2. Sermo Apoſtoli dirigitur ad conjugatos hoc ſenſu ſcilicet; in omnibus legitime conjunctis honorabile ſit connubium, cubile immaculatum, ſtupris aut adulteriis non dehoneſtatum: vel ut alii intelligunt, ſit honorabile connubium in omnibus, hoc eſt ex omni parte, tam ſcilicet ex parte Sacramenti, quam ex parte fidei & prolis, quæ ſunt tria bona matrimonii; alterutrum autem ſenſum eſſe legitimum patet ex eo, quod immediate ſubjungat, *Fornicatores enim & Adulteros judicabit Deus*.

Ad 3. Eo Canone ſignificatur conjugatos, qui aſſumuntur ad clerum, non poſſe abjicere uxores ſuas quoad curam victus. Sic intellexit S. Leo Ep. 92. c. 3. & Leo IX. in 1. Concluſione laudatus. Ad 4. Apoſtolus prædicit venturos, qui damnaturi erant nuptias ut per ſe malas, quales fuerunt Tatianus, Marcionitæ, & Manichæi, quod non facit Eccleſia. Ad 5. Matrimonium eſt de jure naturæ permiſſive, non præceptive reſpectu ſaltem cujuslibet particularis, ut dicemus dum de Matrimonio. Præceptum autem divinum obligavit ſingulos eos tempora, quo paucitas hominum exigebat, ut quilibet generationi vacaret, quæ ratio nunc non urget. Ad id, quod additur de libertate matrimonii, negatur Conſequentia, ſeu D. ergo Eccleſia non potuit prohibere abſolute, Tranſeat; poſita certa conditione libera, N. Omnibus enim liberum relinquit nubere abſolute, ſed ſi velint ſponte ordinari, exigit continentiam; ſicut liberum Deus reliquit omnibus eſſe negotiatorem; quod tamen Eccleſia juſte prohibet quibuſdam, puta Sacerdotibus.

Obj. 5. Apoſtoli poſt Reſurrectionem Chriſti habuerunt uxores, ut patet ex 1. Cor. 9. ubi Apoſtolus dicit: *Nunquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem circumducendi ut cæteri Apoſtoli, & Fratres Domini, & Cephas?* Item Concilium Ancyranum *Angouri* in Galatia an. 314. Can. 9. relato cap. *Diaconi* diſt. 28. ſic habet: *Diaconi quicumque ordinantur, ſi in ipſa ordinatione proteſtati ſunt & dixerint, velle ſe conjugio copulari, quia ſic manere non poſſunt: hi ſi poſtmodum uxores duxerint, in miniſterio maneant, propterea quod eis Epiſcopus licentiam dederit. Quicumque ſane tacuerint, & ſuſceperint manus impoſitionem, profeſſi continentiam, & poſtea nuptiis obligati ſunt, a miniſterio ceſſare debebant.* Item Concilium generale Nicænum cum vellet ſtatuere, ne Clerici majorum Ordinum uterentur uxoribus prius ductis, Paphnutius Confeſſor diſſuaſit, eique acquieverunt cæteri. Ita referunt Socrates l. 1. c. 8. Sozomenus l. 1. c. 22. Nicephorus l. 8. c. 19. Ergo. R. 1. ex his nihil ſequi contra nos. Eſto enim, quod nec Apoſtoli nec Clerici priorum ſæculorum ſervaverint continentiam, id probat tantum, quod lex continentiæ non eſſet tunc impoſita Clericis, ſed non probat, quod poſtea non fuerit juſte impoſita, quod unum aſſerimus. Cum enim ſit res diſciplinæ, poteſt eſſe diverſa in diverſis temporibus, poteratque primitus Eccleſia propter penuriam Miniſtrorum ipſis permittere uſum conjugii, quibus poſtea multiplicatis juſte denegavit. Inſuper ex abundantia ad ſingula. R. Ad 1. de nullo, quam de Petro Matth. 8. conſtat habuiſſe uxorem; ſed etſi habuerint, conſtat etiam eos illas reliquiſſe ex illo Matth. 19. *Ecce nos reliquimus omnia*, &c. Quod autem inter illa omnia comprehendatur uxor quoad thorum conjugalem, patet ex Reſponſione ſubjuncta Chriſti interpretantis, quid ſit relinquere omnia: *Omnis, qui reliquerit Patrem aut Matrem aut uxorem*, &c. Ad locum Apoſtoli dicendum, quod loquebatur de piis mulieribus, quæ quibuſdam Apoſtolis erant comites, ut neceſſaria vitæ miniſtrarent. Nec obſtat contraria explicatio Clementis Alexandrini apud Euſeb. 4. l. Hiſt. c. 24. non enim ipſe ſolus debet præponderare Tertulliano, Hieron. Aug. &c. licet etiam ipſe Clemens intelligat de uxoribus, quas tamen haberent ut Sorores.

Ad 2. dici poteſt temporariam fuiſſe hanc diſpenſationem a lege communi factam ab Epiſcopo ad proteſtationem Diaconi, ut innuit textus, *propterea quod eis Epiſcopus licentiam dederit*. Unde nullum ſimilem Canonem legere eſt in Orientalibus Synodis ſex priorum ſæculorum. Dubitant autem quidam, an recte egerint Epiſcopi hujus Synodi ſic diſpenſando, niſi forte propter penuriam Miniſtrorum. Ad 3. 1. Baronius cum multis aliis rejiciunt hiſtoriam Socratis, Sozomeni, & Nicephori, ut adulterinam in hac parte; quia neque Theodoretus, neque Rufinus de Paphnutio loquentes, neque ullus Scriptor, qui ante tres nominatos de rebus in Concilio peractis ſcripſerant, hujus hiſtoriæ meminerunt. 2. Suppoſita veritate hujus hiſtoriæ, Patres Concilii cum Paphnutio nihil aliud voluerunt, quam quod pœnis non animadverteretur contra Clericos, qui non abſtinebant a conjugibus diſſimulantes malum, quod propter incontinentiam Clericorum, quæ tunc ſerpebat, immedicabile judicabant, ne forte abſolute reſecando ipſum exaſperarent. Ita Domin. Soto in 4. d. 38. q. 1. a. 2. Quod autem Socrates addit ex Paphnutio, *antiquam Eccleſiæ traditionem hoc tantum præcepiſſe, ut ſacris initiati a nuptiis ineundis abſtinerent*, rem locutus eſt de ſuo, non quæ fuerit unquam in ore Paphnutii, aut ſaltem quoad hoc ipſi opponuntur Epiphanius & Hieronymus. Epiphanius hæreſi 59. ſic habet: *Eccleſia adhuc viventem, & liberos gignentem, unius uxoris virum non ſuſcipit, ſed eum, qui ſe ab una continuit, aut in viduitate vixit, Diaconum, Presbyterum, & Epiſcopum, & Hypodiaconum, maxime ubi ſinceri ſunt Canones Eccleſiaſtici. At dices mihi, in quibuſdam locis adhuc liberos gignere & Presbyteros, & Diaconos. At non eſt juxta Canonem, ſed juxta hominum mentem, quæ per tempus elanguit.* Hieronymus adverſus Vigilantium c. 1. *Quid facient*, inquit, *Orientis Eccleſiæ, Ægypti, & Sedis Apoſtolicæ, quæ aut Virgines Clericos accipiunt; aut continentes, aut ſi uxores habuerint, mariti eſſe deſiſtunt* quoad uſum ſcilicet. Hæc dicta ſint in gratiam eorum, qui tenent legem continentiæ Clericis majoribus, tam Græcis, quam Latinis fuiſſe communem in Eccleſia ab ejus exordio, quamvis ab aliquibus violaretur, aut forte aliquando in ea diſpenſaretur, ut contingit quotidie in Legibus Eccleſiaſticis. Iterum de hac materia, dum de impedimentis Matrimonii.

ARTICULUS V.

Variæ Quæſtiunculæ circa præcedentem materiam reſolvuntur.

PEtes 1. Utrum Clerici majores in Eccleſia Latina obligentur ad continentiam immediate ex præcepto Eccleſiæ, an mediante voto quod emittunt? R. probabilius obligari ex voto. Patet ex jure. Greg. l. 1. Ep. 42. refertur c. 1. d. 20. dicit: *Nullum facere Diaconum præſumant Epiſcopi, niſi qui ſe victurum caſte promiſerit.* Eadem diſt. c. *Diaconi* ex Concilio Ancyrano: *Quicumque ſane tacuerunt, & ſuſceperunt manus impoſitionem profeſſi continentiam*, &c. & c. *Cum olim* de Clericis conjugatis: *Nos igitur attendentes quod Orientalis Eccleſia votum continentiæ non admiſit.* Similiter plura alia Concilia, & communiter Theologi.

Reſpondet Franciſcus Henno cum quibuſdam aliis, jura & Theologos ſumere votum ſimilitudinarie pro lege obligante ad continentiam, quia Clerici ſe illi voluntarie ſubjiciunt, ſicut qui voluntarie emittunt votum. Sed contra 1. In aliis Eccleſiæ præceptis lex nunquam exprimitur nomine legis, quia lex illud præcipit. 2. Quomodo S. Th. Theologorum Princeps, & ad cujus principia accommodavit ſuam Theologiam laudatus Scriptor, ſumeret votum ſimilitudinarie pro ſimplici lege obligante ad continentiam, cum infra q. 53. a. 3. expreſſe diſtinguat inter legem & votum, & dicat, quod Græci obligentur tantum ratione Ordinis, ſeu legis Ordini annexæ; Latini vero obligentur ratione voti, quod eſt ſacris Ordinibus annexum, & addit, *quod hoc votum ſi quis verbo tenus non emittat, ex hoc ipſo tamen, quod Ordinem ſuſcipit ſecundum ritum Occidentalis Eccleſiæ, intelligitur emiſiſſe*: & inde infert, quod Ordo Sacer impediat apud Orientales Matrimonium contrahendum, ſed non Matrimonii prius contracti uſum; e contra apud Occidentales impediat & Matrimonium contrahendum, & Matrimonii antea contracti uſum. 3. Si Clerici ſola lege Eccleſiaſtica, & non voto tenerentur ſervare continentiam, poſſet nunc ſummus Pontifex abſque ulla cauſa, valide, ſi non licite, abſolvere omnes Clericos præſentes ab illa lege, ita quod omnes Subdiaconi, Diaconi, Sacerdotes, & Epiſcopi poſſent nubere; nulla enim ratio requiritur in Legiſlatore ad diſpenſandum valide in ſua lege; quod ſane foret magnum inconveniens, nec, ut puto, admiſſum ab adverſariis. Non poſſet autem, ſi teneantur voto; quia ad valide diſpenſandum in voto requiritur legitima cauſa.

Petes 2. Utrum qui ſuſciperet ſacrum Ordinem ante uſum rationis, aut poſt ex gravi metu injuſte incuſſo teneretur ad continentiam? R. negative; quia votum debet eſſe ex proprio conſenſu, cujus eſt incapax infans; & factum ex gravi metu injuſte incuſſo eſt irritum. Deberet tamen abſtinere a functionibus Ordinis, ſi vellet uti matrimonio.

Petes 3. Utrum qui ignoraret votum continentiæ eſſe annexum Ordini ſacro, ad illam ſervandam teneretur? R. affirmative ratione voti impliciti, quia qui vult aliquod officium, implicite vult ea, quæ ſunt illi annexa.

Petes 4. Quid ſi ſuſcipiens Ordinem expreſſe nollet vovere? R. Videtur quod non teneretur voto, quod eſſe non poteſt ſine conſenſu ſaltem implicito, qui hic excluditur per voluntatem expreſſe contrariam. Neque ut videtur Lege Eccleſiaſtica, quia non datur lex apud Latinos immediate de obſervanda caſtitate, ſed de emittendo voto caſtitatis; teneretur autem vi iſtius legis ſtatim emittere votum, & quamdiu differret, tamdiu peccaret, eſſetque inhabilis vi iſtius legis ad contrahendum Matrimonium.

Petes 5. Quo ſe recipere debent uxores Clericorum poſt Ordinationem continentium? R. Prioribus ſæculis habitabant in propriis ædibus maritorum, tamquam ſorores, cubiculo tamen remotæ. Can. 12. Concilii Trull. id prohibitum fuit Epiſcopis. Apud Latinos vero propter varios Clericorum conjugatorum lapſus cautum eſt, ut eorum uxores in Monaſteriis recluderentur.

Petes 6. Utrum Clerici minorum Ordinum aliquando fuerint obſtricti lege continentiæ? R. Novem prioribus ſæculis ab ea lege fuiſſe immunes; at ſæculo 10. & 11. in quibuſdam Conciliis Provincialibus, Auguſtano an. 952. Toloſano anno 1056. & aliis fuerunt adſtricti, ſed ſequentibus ſæculis eæ ſanctiones aboleverunt, nec ulla amplius in Conciliis de illis facta eſt mentio, ſed tantum de majoribus Clericis.

Quærit S. Th. hic q. 35. de effectu Sacramenti Ordinis. Sed ex Diſſertat. 1. & 2. de Sacramentis in genere, & ex dictis hinc & inde in præſenti Tract. conſtat eſſe duplicem, ſcilicet gratiam, qui eſt effectus communis omnibus Sacramentis, & characterem.

D I-

DIGREſSIO I. HISTORICA.

De Epiſcopabus, Presbyterabus, Diaconiſſis, & Subdiaconiſſis?

AD §. 1. ART. 3. PRÆCED. DISSERT.

PER QUÆSTIUNCULAS.

PETES 1. Quæ ſuerint olim Epiſcopæ, Presbyteræ, Diaconiſſæ, & Subdiaconiſſæ, de quibus apud veteres eſt frequens mentio? R. vario ſenſu ſic dictas fuiſſe. 1. Sic dictæ ſunt, quæ erant uxores eorum, qui aſſumebantur ad Epiſcoparum, ad Presbyteratum, ad Diaconatum, & Subdiaconatum. Ita vocaotur in Connilio Turon. 2. an. 567. can. 13. in Concilio Antiſſiodorenſi an. 578. can. 21. apud S. Greg. l. 4. Dialog. c. 11. in Concilio Romano an. 721. c. 1. Hæ autem tenebantur ſe recipere in Monaſterium, ut jam dixi, & ibi profiteri; aut ſi manerent in ſæculo, vovere caſtitatem, ita Concilium Antiſſiodor. citatum, Romanum, & plura alia. 2. Presbyteræ quandoque dicebantur *Viduæ ſeniores*, Presbyter enim eſt ſenior. Ita Concilium Laodicenſe relatum cap. *Mulieres* Diſt. 32. & D. Th. hic q. 39. art. 1. o. 3. Diaconiſſæ præſertim, de quibus eſt frequentior mentio, dicebantur, quæ ad certa munia Eccleſiaſtica alicujus Ordinis functionibus affinia deputabantur, ut patebit ex petitione ſequenti. Unde

Petes 2. Quæ erant Diaconiſſarum Miniſteria? R. Primum erat ſubſervire Epiſcopo, vel Presbytero baptizanti mulieres, ut modeſte nudarentur, & caute operirentur, ne paterent aſpectui baptizantis. Ex l. 8. conſtit. Apoſtol, c. 29. & S. Epiphanio, hær. 79. Secundum, aperire & claudere januam Eccleſiæ, per quam mulieres intrabant Eccleſiam. Conſtit. Apoſt. ibid. Tertium, comitari mulieres, quæ Diaconum vel Epiſcopum adibant; nulli enim mulieri ſine Diaconiſſa ad eos accedere licebat, Ibid, l. 2. c. 26. Quartum, rudibus mulieribus rudimenta fidei & ritus Baptiſmi exponere. Ex Concilio Carthag. 4. can. 12. Quintum, mitti ad Chriſtianas mulieres conſolandi vel ſublevandi gratia. Conſtit. Apoſt. l. 3. c. 15. Sextum, habere curam pauperum viduarum. Ex Apoſt. R. 16. Quædam alia referuntur; ſed hæc ſunt præcipua.

Petes 3. Quæ mulieres aſſumebantur ad munus Diaconiſſæ? R. aſſumebantur viduæ probatæ unius viri, & Virgines, ex Conſtit. Ap. l. 9. c. 17. Viduæ ſexagenariæ, ex Apoſt. 1. ad Tim. 5. Et Virgines quadragenariæ, ex Concilio Chalced. can. 15. quia majus eſt periculum in junioribus viduis matrimonium expertis, quam in Virginibus inexpertis. Frequentius Viduæ quam Virgines, quia illæ erant magis aptæ pluribus muniis Diaconiſſarum, quam iſtæ.

Petes 4. An aliquo ritu Diaconiſſæ conſecrarentur? R. affirmative; qui tamen ritus non erat Ordinario propria & Sacramentalis. Prob. 1. pars 1. ex Conſt. Apoſt. l. 8. c. 19. & 20. ubi præſcribitur forma ordinandi Diaconiſſas cum impoſitione manuum Epiſcopi, præſentibus Presbyteris, Diaconis & Diaconiſſis & cum oratione. 2. Ex Concilio Chalcedonenſi can. 15. Ubi fit mentio impoſitionis manuum in ordinatione Diaconiſſæ. 3. Ex Ordine Romano edito in Bibliotheca Patrum tom. 13. pag. 736. ubi legitur ritus ordinandi Diaconiſſam inter Miſſarum ſolemnia poſt Graduale, cui, conſecratione peracta, *ponat Epiſcopus orarium in collo ejus dicens, ſtola jucunditatis induat te Dominus; ipſa autem imponat velamen capiti ſuo, palam omnibus de altari acceptum*. 3. Ex Euchologiis Græcorum, in quibus etiam referuntur certi ritus conſecrandi Diaconiſſas.

Secunda pars conſtat 1. ex Concilio Laodic. can. 11. ubi vetatur mulieres *in Eccleſiam tamquam ordinatas conſtitui*. Ex Concilio Epaunenſi an. 517. can. 21. & Concilio Arelat. 2. can. 17. 2. Ex hoc, quod nunquam Diaconiſſæ *ad Sacerdotii functionem aut ullam hujuſmodi adminiſtrationem* admiſſæ ſint, inquit S. Epiphanius hær. 79. ſicut Diaconi admittuntur. 3. Quia, ut probavimus, ſexus fœmineus eſt incapax ordinationis Sacramentalis. Quando ergo veteres vocant quandoque hunc ritum *Ordinem* ſeu *Ordinationem*, ſumunt Ordinem vel Ordinationem improprie pro cæremonia Eccleſiaſtica ſeu benedictione, qua Diaconiſſæ ad Eccleſiaſtica miniſteria deputabantur. Nec obſtat, quod Euchologia Græcorum referant ea peragi in Ordinatione Diaconiſſæ, quæ peragi ſolent in Ordinatione Diaconi. Eſto: deeſt capacitas ex parte ſubjecti, & intentio ex parte Miniſtri.

DIGREſSIO II. HISTORICA.

De Fabula Papiſſæ.

AD EUNDEM §. 1. ART. 3.

HANC fabulam primus invexit Marianus Scotus; en ejus verba in Chronico ad an. Chriſti 853. & 854., ſi tamen non ſint adulterata: *Leo Papa obiit Kalendis Auguſti. Huic ſucceſſit Joanna mulier annis duobus, menſibus quinque, diebus quatuor*. Quam ſolidiſſime confutarunt Baronius, Bellarminus, Florimundus, Ræmundus, Onuphrius Panvinius, & alii plures: etiam ex hæreticis Blondellus Miniſter Calvinian. recenter & fuſiſſime noſter P. Le Quien in opere, cui titulus *Oriens Chriſt.* t. 3. p. 381. & ſequen. ſufficienter & bene noſter Natalis Alexander in hiſt. Eccleſ. Sæculo 9. Diſſert. 3. cui nonnulla ex dicendis accepta referimus.

Dico. Aperta & putida eſt fabula mulierem nomine Joannam ad ſum. Pontificatum evectam fuiſſe inter Leonem IV. & Benedictum III. Nota Marianum Scotum primum hujus fabulæ auctorem obiiſſe ann. 1086. ideoque ipſum floruiſſe pluſquam 200. annis poſt Leonem IV. & Benedictum III. nos autem contra ipſum, non niſi teſtimonia Scriptorum utrique Pontifici coævorum aut ſupparium proferemus. Prob. 1. Leoni IV. mortuo 17. Julii an. 855. ſtatim & immediate ſucceſſit Benedictus III. Ergo aperte fabuloſum eſt inter eos ſediſſe mulierem duobus annis, quinque menſibus, & quatuor diebus.

Prob. Ant. multipliciter: Ex Adone Viennenſi Scriptore coævo in chronico an. 855. *Pontifex Romanus Gregorius moritur*, inquit, *atque ejus loco Sergius ordinatur. Illo defuncto Leo ſuccedit, quo obeunte, Benedictus in Sede Apoſtolica ſubſtituitur, jam tum defuncto Lothario Imperatore*. 2. Ex Anaſtaſio Bibliothecario item coævo in vita Benedicti III. *Leo quidem ubi hac luce ſubtractus Præſul occubuit, Mox omnis clerus iſtius Romanæ protectæ Sedis univerſique proceres ... uno conſenſu, unoque conamine Benedictum .. promulgaverunt eligere*. Item ex eodem Anaſtaſio in hiſtoria Schiſmatis orti contra Electionem Benedicti artibus Arſenii Epiſcopi Eugubini, in qua ſeribit, Anaſtaſio pſeudo-Pontifice per Legatos Imperatoris pulſo, Benedictum ipſis præſentibus fuiſſe conſecratum Pontificem 28. Septembris an. 855. cum lectus fuiſſet 1. Auguſti, ſtatim a morte Leonis, qui obierat eodem an. 17. Julii, & per Schiſma Anaſtaſii ejus conſecratio impedita fuiſſet. 3. Ex Lupo Abbate Ferrarienſi etiam coætaneo, qui Ep. 103. ad Benedictum data gratulatur ipſi ob ejus exaltationem & virtutum paritatem cum ſuo præceſſore Leone, teſtaturque ſe hanc Epiſtolam ſcripſiſſe ſtatim ac accepit Leonis obitum & ipſius ſcilicet Benedicti creationem. 4. Ex Annalibus Bertinianis ad an. 855. *Menſe Auguſto Leo Apoſtolicæ Sedis Antiſtes defunctus eſt, eique Benedictus ſuccedit*.

5. Ex Hincmaro Rhemenſi Epiſt. 26. in qua ſcribit, quod Nuntii, quos Romam direxerat, acceperint in via mortem Leonis Papæ, pervenientes autem Romam obtinuerint Privilegium, quod petebat *A Domino nomine & re Benedicto*. Ergo Benedictus immediate Leoni ſucceſſit, & non poſt duos annos & quinque menſes, niſi ridicule fingas iſtos Nuntios tres ferme annos in itinere inſumpſiſſe. 6. Ex diplomate, quod ipſe Benedictus ad Epiſcopos Galliæ direxit pro privilegiis Abbatiæ Corbeienſis; *Menſe Octobri, imperante Lothario & ejus filio*. Obiit autem Lotharius 28. Septembris ann. 855. duobus menſibus poſt Leonem IV. ut expreſſe teſtantur Ado citatus, Annales Bertiniani citati, & Regino Prumienſis Abbas in chronico ad an. 855. Equidem tempore dati Diplomatis jam obierat Lotharius; obiit enim 28. Septembris, vel nocte præcedente, & Benedictus 1. Auguſti electus conſecratus tantum fuit 28. aut 29. Septembris ejuſdem anni; ſed nondum tunc Romam pervenerat Nuntius de Morte Lotharii. 7. Ex Photio, qui lib. de Spiritus S. proceſſione adverſus Latinos Benedictum immediate ſubjungit Leoni, Similiter Metrophanes Smyrnæus alter Romanæ Eccleſiæ hoſtis, Porro ſi mulier tunc temporis ſediſſet in Romana Sede, id procul dubio non ſiluiſſent hoſtes ejus infenſiſſimi, idque ei exprobraſſent, ſicut poſtea Leo IX. Epiſtola ad Michaelem Epiſcopum Conſtantinop. c. 23. exprobravit Græcis mulierem in Sedem Conſtantinopolitanam irrepſiſſe, quod certe non auſus fuiſſet Leo objicere Græcis, ſi tale quid accidiſſet Romanis. Plura alia in probationem ejuſdem Ant. omittimus; quia quibus hæc non ſufficiunt, plura non proderunt.

Prob. 2. Concluſio. Hæc narratio habet omnes characteres ineptiſſimæ fabulæ. 1. Nullo coævorum auctorum teſtimonio fulcitur, ſed a Recentiore, ſcilicet Mariano Scoto poſt 200. & amplius annos primum vulgata eſt. 2. Progreſſu temporis crevit adjunctis ſemper novis circumſtantiis. Imprimis enim Marianus Scotus ſimpliciter dixit

Leoni V. fœminam ſucceſſiſſe duobus annis & quinquu menſibus. Martinus autem Polonus, ſeu verius ejus interpolatores, poſt annos 185. a Mariano & 420. ab electione Benedicti, commentum ſimplex variis figmentis ornaverunt, ſcribentes fœminam illam vocatam fuiſſe Joannem Anglicum in Moguntia oriundam, in ſolemni ſupplicatione peperiſſe inter Templum S. Clementis & Coliſæum, atque in hujus facinoris execrationem ſupplicationes publicas ab hac via deinceps declinaſſe. Poſtea Theodoricus Niemius circa an. 1413. addidit Statuam in ejus eventus memoriam erectam fuiſſe. Platina deinde circa an. 1481. ſedem perforatam ſeu ſtercorariam retulit, in qua ſexus novi Pontificis exploraretur ab ultimo Diarono. Alii poſt alios centum annos addideruut banc Papiſſam non ſulum fuiſſe meretricem, ſed etiam præſtigiatricem. Alii tandem ipſam coronaſſe Luduvicum ſecundum Imperatorem. Sic ſabulæ creſcunt eundo.

3. Scatet contradictionibos & ineptiis, quæ illam deſtruunt. 1. Dicit iſtam Joannam fuiſſe Anglicam ex Moguntia uriundam, cum Moguntia ſit in Germania & non in Anglia. Ut autem banc contradictionem ſalvent fabulæ Scriptores, inter ſe pugnant. Quidam dicunt natam in Anglia, ſed ex Parentibus Moguntiacis. Platina e contra fuiſſe natam Moguntiæ, ſed ex Parentibus Angiis. Magdeburgenſes neque natam, nequu oriundam ex Anglia, ſed ibi educatam. 2. Dicit operam dediſſe Litteris Athenis, cum conſtet ex Syneſio, qui vivebat paulo poſt tempore S. Baſilii, Ep. 35. ad Fratrem ſuum, jam tunc non ſupereſſe Athenis niſi locorum Academiæ nomina: *Athenæ*, inquit, *quandam civitas fuit ſapientum Domicilium: nunc eam Mallatores celebrant*. Et ex Cedreno & Zonara in vita Michaelis & Theodoræ Imperatorum habemus, quod illic ſint reſtituta tantom ſtudia a Barda Cæſare ſub finem imperii Michaelis, qui contigit ſub Nicolao I. Benedicti III. Succeſſore, conſequenter poſt mortem Papiſſæ fabuloſæ. 3. Dicit Joannam, poſtquam biennium Romæ legiſſet, & vita atque ſcientia magnæ opinionis eſſet, in Papam concorditer fuiſſe electam. At incredibile eſt, quod fœmina ignota, incertæ originis & Patriæ, ſine ullo ordine & teſtimonio anteactæ vitæ ſic facta fuerit Pontifex, præſertim cum a S. Petro uſque ad Formoſum, qui fuit ulectus anno 890. nullus fuerit creatus Pontifex, qui in Eccleſia Romana non eſſet educatus, & per omnium Ordinum gradus ad Diaconatum ſaltem non perveniſſet. 4. Dicit ab Amaſio impræguatam in ſupplicatione publica peperiſſe. At quis eredat eam, quæ juvenis habuerat Amaſium ſine partu, Pontificem quis factam & jam ſenem peperiſſe? Quis credat mulierem novem menſibus gravidam nulli ex ſuis familiaribus, Medicis, Aulicis innotuiſſe, aut ipſam aperto ſe prodendi periculo voluiſſe ſe exponeru? 5. Dicunt Magdeburgenſes peperiſſe, cum ex Vaticano vellet inviſere Eccleſiam Lateranenſem. At certum eſt, reſte Onuphriu in lib. de 7. Eccl. Romanos Pontifices uſque ad tempora Bonifacii IX. id eſt uſque ad ann. 1390. non habitaſſe in Vaticano, ſed in Lateran. Palatio. Quomodo ergo ſi in Laterano hitababa, volubar ex Vaticano inviſere Lateranum!

Salvantar Objectiones.

OBJ. 1. Teſtimonium Mariani Scoti, de quo ſupra. 2. Teſtimonium Sigeberti in Chronico ad an. 854. ubi hæc habet: *Fama eſt hunc Jaannem fœminam fuiſſe, & uni ſoli familiari tantum cognitam, qui eam complexus eſt, & gravida facta peperit Papa exiſtens. Eam inter Pontifices non numerant quidam*. Florebat autem Sigebertus ineunte 12. ſæculu. 3. Teſtimonium Martini Poloni Ordinis Prædicaturum Niculaii III. Pœnitentiarii, qui latius factum expoſuit, ut patebit ex ſequenti teſtimonio. 4. Teſtimonium S. Antonini par. 2. Chronicorum tit. 16. cap. 1. §. 6. ubi hanc de Papiſſa narrationem ex Martino Polono ſic exſcribit. *Poſt hanc Leonem Martinus in Chranica ſua poſuit Joannem natiana Anglicum. Qui ſadit anno Domini 850. in Cathedra Petri annis duobus, menſibus tribus, diebus ſex. Quo mortua ceſſavit Papatus menſe uno. Hic, inquit Martinus, ut aſſeritur, fœmina fuit, & in puellari ætate a quodam ſuo Amaſio in habitu virili Athenas adducta ſic in diverſis ſcientiis profecit ut nullus ſibi par inveniretur, adeo ut poſt Romæ in triviis legens magnos Magiſtros, Diſcipulos & auditores haberet. Et cum in urbe in ſcientia & vita magna apinionis eſſet, in Papam concorditer eligitur poſt Leonem: ſed in Papatu per ſuum familiarem impraegnatur. Verum tempus partus ignorans, cum de S. Petro in Lateranum tendeet, anguſtiata in partu inter Eccleſiam S. Clementis & Coliſaeum peperit in via. Et in partu mortua ibidem ſepulta dicitur. Et quia Papa eandem viam ſemper obliquat, cum Lateranum accedit, creditur a pleriſque, quod ob deteſtationem facti hoc faciat*. Nec ponitur in *Catalogo ſan. Pontificum propter mulieris ſexum*. 5. Teſtimonium Platinæ in lib. de Vitis Pontificum in Joanne VIII. *Joannes*, inquit, *Anglicus ex Moguntiaco oriundus, malis artibus, ut ajunt, Pontificatum adeptus eſt. Mentitus enim ſexum &c.* ut in teſtimonio Martini Poloni, præterquam quod addat de ſede ſtercoraria. 6. Pontifices eundo ad Lateranum ſemper declinant a via, in qua Joanna peperiſſe dicitur, licet ſit brevior, in deteſtationem hujus facinoris. 7. Tandem in hujus rei memuriam poſita fuir in eadem via ſtatus quædam repræſentans mulierem cum infante, quæ poſtea aliquo jubente Pontifice in Tiberim projecta eſt. Item Senis in majori Templo inter Pontificum ſtatuas collocatum fuit Joannæ Papiſſæ ſimulacrum uſque ad Clementis VIII. Pontificatum.

R. 1. Generaliter, Scriptoribus Coævis, quos retulimus, majorem eſſe fidem adhibendam, quam recentioribus, præſertim cum eorum narratio contradictionibus ſcateat, & alios babeat characteres fabulæ, ut oſtendimus. R. 2. ad ſingula. Ad primum 1. In antiquiſſimis Codicibus Mariani Scoti hanc fabulam non reperiri teſtatur, qui edidit Coloniæ ann. 1574. Metropolim Alberti Krantſii, & notis illuſtravit, etſi hanc notam eraſerint Typographi Frantofurtenſes; ut obſervat Leo Allatius. Hujus Reſponſionis veritas inde firmatur, quod nullus ex aſſertoribus bujus fabulæ poſt Marianum Scotum, exceptis Recentioribus, ejus teſtimonium proferunt, ſed Martini Poloni; *Omnes quos legi, inquit Ptolomeus Lucenſis l. 16. Hiſt. c. 8. præter Martinum* (Polonum) *tradunt poſt Leonem IV. fuiſſe Benedictum III. Martinus autem Polonus ponit Joannem Anglicum.*

2. Dato ſic ſcripſiſſe Marianum, varii ejus anacroniſmi etiam in bac ipſa ætate, de qua agitur, fidem ipſi auferunt. Inter alios ſcribit Leonem IV. obiiſſu 1. Auguſti 853. & tamen conſtat ex Anaſtaſio Bibliothecario Leonem eodem anno 8. Decembris congregaſſe Romæ Concilium, in quo dupoſitus fuit Anaſtaſius Cardinalis. Item conſtat ipſum anno ſequenti condidiſſu Urbem Leopolim. Totum ergo tempus, quod Joannæ Papiſſæ concedit, ad annum ipſius Leonis ſpectat, ſicque nullum pro Papiſſa relinquitur. Inſuper ſcribit Benedictum III. ſediſſe ad an. 857. & tamen conſtat ex Anaſtaſio ſupra cit. exaltatum fuiſſe 19. Septembris 855. Præterea ſi Leo IV. obiit 8. Auguſti 853. & Benedictus III. fuit tantum creatus an. 857. non igitur duobus tantum annis & quinque menſibus inter utrumque ſedit Joanna, ut ſcribit, ſed ad minus tribus annis & quinque menſibus. Plures alios hujus Scriptoris nævos ruſert Natalis Alexander citatus. Ad 2. Sigberti Chronicon hac in parte eſſe interpolatum, & hæc, quæ objiciuntur, manu aliena eſſe addita conſtat ex Autographo Monaſterii Gemblacenſis, ubi Sigebertus erat Monachus, quod teſtantur ſe vidiſſe Joannes Molanus Doctor Lovanienſis & Aubertus Miræus, qui illud edidit, in quo hæc Lacinia de Joanna Papiſſa deſideratur. Id confirmatur ex eo, quod Vincentius Bellovocenſis lib. 25. Speculi hiſtorialis cap. 36. & Guilielmus Nangius in Chronico, qui Sigebertum in Hiſtoriis borum temporum de verbo ad verbum exſcribunt, nullam Joannæ Papiſſæ mentionem faciant.

Ad 3. Chronicon Martini Poloni eſſe pariter corruptum eique aſſutam fuiſſe banc Papiſſæ fabulam, invicte probat noſter Echard in opere, cui Titulus *Scriptores Ordinis Prædicatorum* ad *Martinum Polonum* Tom. 1. p. 361. Advertit 1. eruditiſſimus Scriptor Martiuum in ſcribendo ſuo Chronico hanc methodum ſervaſſe. In qua pagina ad lævam exhibet Pontifices, in altera ad dexteram Imperatores. Quamlibet paginam in 50. lineas dividit, & in margine ad caput cujuſque lineæ annum ſcribit, adeo ut in qualibet pagina ſint 50. anni diſtincte notati; nomen cujuſque Pontificis poſitum eſt initio lineæ, cui junctus eſt in margine annus, quo iniit Pontificatum, totque ſibi vindicat lineas, quot ſedit annis, licet non omnes plenas, ſed quandoque vacuas. Idem de Imperatoribus. Ea methodo ſcriptum eſſe codicem Vaticanum Urbani VIII. innuit Allatius, eadem ſuum Fabricius, eadem quoſdam ex Cæſareis Lambecius, eadem Florentinum S. Mariæ Novellæ teſtatur ipſe Echard, qui vidit.

Advertit 2. quod in omnibus codicibus hujus methodi a quibus exulat Fabula Papiſſæ, ſervetur exacta Chronologia. Sic Leo IV. ſeu V. in linea ſcriptus eſt, ad quam e latere ſignatus eſt an. 847. & cum dicatur ſediſſe octo annis, tribus menſibus, & ſex diebus, debentur ei octo lineæ, quas implet: Benedictus III. collocatur immediate in linea ſequenti ad an. 855. & ſic habent codices laudati; nullus, ut patet, ſupereſt locus, nec ſupereſſe poteſt Joanni Moguntino. In codicibus vero ejuſdem methodi, in quibus aſſuta eſt fabula, Chronologia eſt omnino perturbata & confuſa; patet in codice Victorino, in quo ut locum Joannæ Papiſſæ reperiret Exſcriptor, duas integras paginas perturbavit, collocando Pontifices Leonem præcedentes an-

nis

Digitized by Google

nis ſuperioribus quam electi fuerant, paucioreſque lineas & annos concedendo quam ſederint, & eadem ratione rejiciendo ſequentes Leonem ad annos inferiores, & eorum Pontificatum intra pauciores annos coarctando.

Advertit 3. Codices manuſcriptos eſſe quadruplicis generis. Primi puri & ſinceri ſunt, a quibus omnino exulat Fabula, quales ſunt Vaticanus Urbani VIII. ab Allatio laudatus, Fabricianus, quatuor Cæſarei a Lambecio laudati, Naudæanus a Labbæo Biblioth. nov. p. 222. Navarricus, & indubie plures alii.

Secundi generis ſunt, in quibus fabula in margine tantum eſt addita, Pontificum Catalogo intacto, quales ſunt Florentinus S. Mariæ Nov. Pariſienſis D. Abbatis de Camps, Tongerloenſis a Suffrido laudatus, Leodienſis ornatiſſimi viri D Baronis de Craſſiet, quem in ejus elegantiſſima atque ampliſſima Bibliotheca ego ipſe legi. Tertii generis ſunt ſecundum methodum Martinianam, & ipſi interpolati, in quibus a margine in textum fabula irrepſit, & Chronologia eſt interturbata, ut Victorinus. Quarti generis ſunt citra methodum Martinianam, in quibus vel deeſt Chronologia, vel unus tantum annus in margine, aut in textu apponitur, inſerta in pleriſque fabula; & hi corrupti: Ex his manifeſtum apparet nullam fidem eſſe adhibendam iis codicibus, qui illam fabulam referunt eamque contra mentem Auctoris fuiſſe aſſutam.

Conjectat eruditiſſimus Scriptor rem ſic evaniſſe. Cum Chronicon Martini hac methodo ſcriptum commodum videretur, & omnes deſiderarent, aliunde iſta fabula jam in pluribus annis in vulgus eſſet ſparſa, eam 1. ad marginem e regione Leonis quidam ſcripſerunt, ut ut res ſe haberet; poſtea vero e margine in Catalogum alii invexerunt, & ut locum ei facerent, Pontifices Leonem antecedentes & ſubſequentes loco eis ab Auctore dato moverunt, omninoque in duabus paginis perturbarunt. Nec ibi ceſſatum: nam cum Chronicon iſtud ad methodum Martini ſemper ſcribere eſſet moleſtum, quia id nonniſi in codicibus in folio ſervari poterat, & forma minori ſcriptum commodius videretur, quidam Chronologiam omnino omiſerunt, alii aliquem ex annis cujuſque Pontificis annotarunt, non attendentes ſcrupuloſe, an eſſet primus, vel ſecundus, vel tertius, & inde in hujuſmodi codicibus tanta Chronologiæ varietas. Hæc fuſius diſcuſſa & probata legi poſſunt apud laudatum Echar. Addam dumtaxat neque in opere interpolato Martini hanc fabulam aſſeri ut veram hiſtoriam, ſed ut populari & incerta fama jactatam; *Hic*, inquit, ut aſſeritur, *fœmina fuit . . Et in partu mortua ibidem ſepulta* dicitur . . . : *Et quia Papa eandem viam ſemper obliquat*, creditur *a pleriſque, quod ob deteſtationem facti hoc faciat*.

Ad 4. S. Antoninus ab interpolatoribus Martini Poloni deceptus eorum dumtaxat verba refert, & de eorum veritate dubitat, maxime ob ſilentium Vincentii Bellovacenſis & Joannis de Columna. *Vere*, inquit, *valde mirandum . . . Si verum fuit quod vulgo dicitur, ut iſte refert . . . Vincentius tamen in ſpeculo hiſtoriali & Joannes in Columna nihil de hac re referunt. Sed etſi verum fuit, &c.* Ad 5. Platina pariter ab interpolatis Martini Poloni codicibus fabulam hauſit; nec tamen eam ut veram aſſerit, quin imo ſignificat potius eam fabularum loco habendam eſſe: ſubdit enim: *Hæc quæ dixi, vulgo circumferuntur, incertis tamen & obſcuris Auctoribus: quæ ideo ponere breviter & nude inſtitui, ne obſtinate nimium & pertinaciter omiſiſſe viderer, quod fere omnes affirmant. Erremus etiam nos hac in re cum vulgo, quamquam appareat ea, quæ dixi, ex his eſſe, quæ fieri poſſe creduntur.*

Quod vero de Sede ſtercoraria additur ad explorandum ſexum Pontificis deſtinata, id ut fabuloſum rejicit ipſe Platina, aitque Pontificem in illa ſedere, ut ſe hominem eſſe & naturæ neceſſitatibus obnoxium meminerit: unde & ſtercoraria dicitur. Idque fit non ante electionem, ſed poſt, cum novus Pontifex ritu ſolemni Lateranenſem Baſilicam prima vice ingreditur. Alii volunt hanc ſedem lapideam in porticu Lateranenſis Baſilicæ collocatam *ſtercorariam* dictam, non a forma, neque enim eſt perforata, ſed a verſu, qui, Pontifice in ea ſedente, canebatur: *Suſcitat de pulvere egenum, & de ſtercore elevat pauperem, ut ſedeat cum Principibus & ſolium gloriæ teneat*. Adde Platinæ fidem in Pontifices eſſe ſuſpectam ob injuriam ipſi a Paulo II. factam, a quo propter ſeditionis ſuſpicionem in carcerem detruſus fuerat.

Ad 6. Pontifices eundo Lateranum deflectunt ab illa via breviori, non in deteſtationem ullius ſceleris, ſed quia eſt anguſta & anfractuoſa, ideoque incommoda Pontificio comitatui, qui ſemper frequentiſſimus eſſe ſolet; Quamquam teſte Onuphrio in notis ad Platinam Pontifices per hanc viam non ſemel tranſierint, etiam ab eo tempore, quo fingitur fabula Papiſſæ. Ad 7. Statua, quæ olim viſebatur, non mulierem repræſentabat, nec infantem in ſinu poſitum, ſed puerum grandiorem præcedentem. Unde conjecerunt rei antiquariæ periti in ea repræſentari Sacerdotem Ethnicum ad ſacrificandum, præeunte Miniſtro, pergentem, præſertim cum altera manu ramum palmæ deferret, quod non eſt inſigne Pontificum, qui crucem aut claves geſtantes repræſentantur. Illa autem ſtatua ſublata eſt tempore Sixti V. qui hanc viam ſicut plures alias rectiorem & ampliorem fieri curavit in urbis ornamentum & utilitatem.

Statua Templi Senenſis equidem Papiſſam repræſentabat, at imperitiæ eorum, qui opus curabant, & Senenſium conniventiæ, atque errori ac licentiæ Sculptoris tribuendum eſt, juxta illud Horatii: *Pictoribus atque Poetis quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas*. Hæc vero ſtatua juſſu Clementis VIII. ſublata eſt.

DISSERTATIO IV.

DE EPISCOPATU.

Div. Thom. Supp. Quæſt. 40.

EPiſcopus græco idem eſt ac latine, *Inſpector*, *Explorator*, *Superintendens*; Sacerdos, *Sacra-donans*; Preſbyter, *Senior*; Diaconus, *Miniſter*. Tria hic potiſſimum inquirimus. 1. An Epiſcopus ſit inſtitutione divina ſuperior Preſbyteris? 2. An Epiſcopatus ſit Ordo diſtinctus a Preſbyteratu? 3. Quot Epiſcopi requirantur ad ordinationem Epiſcopalem?

ARTICULUS I.

Utrum Epiſcopus ſit inſtitutione divina ſuperior Preſbyteris?

AErius ſæculo IV. ægre ferens repulſam ab Epiſcopatu, quam ambierat, ut ſe ſolaretur, contendit nullum eſſe jure divino diſcrimen inter Epiſcopos & Preſbyteros. De quo Epiphanius hær. 75. & Aug. l. de hæreſib. c. 53. Similiter VViclef ſpe fruſtratus obtinendi Epiſcopatum Vigornienſem eandem inſaniam adoptavit, ut ſcribit Thomas Valdenſis l. 2. Doctrinæ Fidei a. 3. Horum veſtigia premit Calvinus l. 4. inſtit. cap. 4. cui adhærent Puritani ſeu Preſbyteriani in Anglia, pro quibus Blondellus Calviniſtarum Miniſter prolixam inſtituit diſputationem, quam inſcripſit: *Apologia S. Hieronymi de Epiſcopis & Preſbyteris*. Hunc enim S. Doctorem vel invitum in ſuas partes trahere conantur.

Obſerva Quæſtionem eſſe de jure divino; non enim negant Hæretici Epiſcopos præeminere Preſbyteris jure humano, ſive tanquam primogeniti, qui fuerunt prius admiſſi in Clerum, ſive ſicut Princeps electus eſt ſuperior civibus ex eorum electione & inſtitutione. Unde plures ex noſtris fruſtra congerunt argumenta, quibus probant ſimpliciter eminentiam Epiſcoporum ſupra Preſbyteros, non diſtinguentes inter jus divinum & humanum. Inſiſtendum eſt ergo juri divino.

Duplex in Epiſcopo diſtinguitur poteſtas, una Ordinis, qua non ſolum Sacramenta conficit & adminiſtrat, ſed etiam fideles confirmat, chriſma conficit, Sacerdotes & alios Miniſtros conſecrat, &c. Altera juriſdictionis, tam in foro interno, qua ligat vel abſolvit a peccatis, quam in foro externo, qua regit Eccleſiam, dogmata definit, diſciplinam ſancit, mores corrigit, refractarios coercet, &c. Eſt enim juriſdictio exterior poteſtas dicendi jus in alterum etiam invitum. De utraque poteſtate eſt quæſtio.

Dic. (*Supp. qu. 40. art 4. c.*) Epiſcopi ſunt ex inſtitutione divina ſuperiores Preſbyteris poteſtate Ordinis & juriſdictionis. Prob. de poteſtate Ordinis. 1. Apoſtolus ad Tit. 1. dicit: *Hujus gratia reliqui te Cretæ . . . ut conſtituas per civitates Preſbyteros*. Poteſtas inſtituendi Preſbyteros eſt poteſtas Ordinis, nec ab alio, quam a Chriſto poteſt obvenire Epiſcopis: nihil enim Eccleſia poteſt in poteſtatem abſolutam conferendi Sacramenta. Unde licet poſſit v. gr. impedire, ne Sacerdos licite conſecret, non poteſt tamen impedire, quin valide conſecret. 2. Chriſtus ſolis Apoſtolis, & non ſeptuaginta duobus Diſcipulis dixit: *Sicut miſit me vivens Pater, & ego mitto vos*, quod com-

prehendit utramque poteſtatem Ordinis & Juriſdictionis Joan. 20. Item ſolis Apoſtolis conceſſa eſt poteſtas dandi Spiritum S. per Confirmationem, quod eſt actus Ordinis Act. 8. v. 14. & ſeq. Epiſcopi autem ſunt ſucceſſores Apoſtolorum, ſicut Presbyteri 72. Diſcipulorum, ut definit Trid. ſeſſ. 23. c. 4. poſt Damaſum Ep. 4. S. Hieronymum Ep. 27. ad Marcellam, & S. Leonem Ep. 88. Si dicas ſecundum ipſum Trid. ſeſſ. 22. c. 1. Sacerdotes etiam ſuccedere Apoſtolis. R. Eos ſuccedere Apoſtolis reſtricte quoad Sacerdotium, ſeu munus ſacrificandi & abſolvendi tantum, non vero ſimpliciter quoad omnia alia munia. Hunc eſſe ſenſum Tridentini patet ex ipſo textu. 3. Eccleſia ab initio conſtanter agnovit in ſolis Epiſcopis poteſtatem confirmandi, Chriſma conficiendi, Sacerdotes, & alios Miniſtros ordinandi; nec alia ratione Synodus Alexandrina declaravit Iſchyram S. Athanaſii accuſatorem non eſſe Presbyterum, quam quia ordinatus fuerit a Collutho ſimplici Presbytero; poteſtas autem conferendi Sacramenta, ut jam dixi, non eſt niſi a Chriſto.

Prob. de poteſtate juriſdictionis (*Ib.*) 1. Quamvis Sacerdotes accipiant in ſua ordinatione poteſtatem abſolvendi in foro interno, uſum tamen hujus poteſtatis non habent, niſi dependenter ab Epiſcopo, qui ſic denegare aut reſtringere poteſt, ut non poſſit Sacerdos valide illâ uti; quod inutiliter tentaret Epiſcopus, niſi ſic eſſet ordinatum a Chriſto; ſicut inutiliter reſtringeret, aut impediret uſum poteſtatis conſecrandi in Sacerdote, quia hæc poteſtas eſt a Chriſto. 2. Epiſcopi ſunt inſtituti ad regendam Eccleſiam; ſic Apoſtol. Act. 20. *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus S. poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*. 2. Ad definiendum dogmata Fidei & Religionis, ſic Act. 15. Apoſtoli in Concilio Jeroſolym. congregati dixerunt; *Viſum eſt Spiritui S. & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc neceſſaria*, &c. 3. Ad corrigendum; Apoſt. ad Tit. 1. *Reliqui te Cretæ, ut ea quæ deſunt corrigas*, qua poteſtate uſus eſt ipſe Apoſtolus excommunicando in nomine Domini inceſtuoſum Corinthium 1. Cor. 5. quamque dicit ſe a Deo accepiſſe 2. Cor. 10. *Etſi amplius*, inquit, *glorioſus fuero de poteſtate noſtra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in deſtructionem veſtram, non erubeſcam*. 4. Ad judicandum Presbyteros 1. ad Tim. 5. *Adverſus Presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus*. Porro nihil horum legimus unquam fuiſſe conceſſum Presbyteris vi ſui ordinis. Ergo jure concludimus hæc Epiſcopis eſſe conceſſa ex inſtitutione divina, ut expreſſe dicit Apoſtolus de poteſtate corrigendi devios, & regendi Eccleſiam.

Prob. utraque Pars. Juxta Trid. ſeſſ. 23. can. 6. *In Eccleſia eſt Hierarchia, divina ordinatione inſtituta, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris*. Idem docent SS. Patres & Concilia. Et eadem ſeſſ. cap. 4. dicitur: *Epiſcopos, qui in Apoſtolorum locum ſucceſſerunt, ad hanc Hierarchiam præcipue pertinere, & poſitos, ſicut Apoſtolus ait, a Spiritu S. regere Eccleſiam Dei, eoſque eſſe Presbyteris ſuperiores, ac Sacramentum Confirmationis conferre, Miniſtros Eccleſiæ ordinare*, &c. Et can. 7. *Si quis dixerit Epiſcopos non eſſe Presbyteris ſuperiores, vel non habere poteſtatem confirmandi & ordinandi, vel eam quam habent, illis eſſe cum Presbyteris communem, anathema ſit*. Ex hic conſtat, quod quamvis Concilium non dicat expreſſe Epiſcopos Presbyteris eſſe ſuperiores jure divino, id tamen aperte indicat: tum quia dicit Hierarchiam eſſe ex inſtitutione divina, & Epiſcopos præcipue ad illam pertinere, quatenus poſiti ſunt a Chriſto, ut regant Eccleſiam, & conferant Confirmationem & Ordines, in hiſque ſunt ſuperiores Presbyteris, quibus hæ prærogativæ non competunt, quod eſt aperte dicere eos eſſe ex inſtitutione divina Presbyteris ſuperiores: tum quia Synodus non definiret tanquam fidei dogma Epiſcopos præeminere Presbyteris, ſi hanc præeminentiam haberent ab hominibus.

Prob. iterum ex SS. Patribus. S. Ignatius Martyr Ep. ad Epheſios: *Epiſcopi per terræ terminos definiti ex Jeſu-Chriſti ſunt ſententia: Unde decet vos in Epiſcopi ſententiam concurrere*. Ep. ad Magneſianos, *Sed & vos decet*, inquit, *non familiariter ac ſuperbe uti ætate Epiſcopi, ſed ſecundum virtutem Dei Patris omnem impertiri illi reverentiam ... non reſpicientes ad apparentem juvenilem ordinationem, ſed ut prudentes in Deo credentes ipſi, non ipſi autem, ſed Patri Jeſu Chriſto omnium Epiſcopo. In honorem igitur illius, qui vult, decet vos obedire ſine ulla hypocriſi, quia nequaquam Epiſcopum hunc quis fallit qui videtur, ſed illudit inviſibili*, &c. His & aliis Ignatii Epiſtolis nihil habent Presbyteriani, quod reſpondeant, niſi quod ſint ſuppoſititiæ. At eorum germanitatem ſolide vindicant noſtri, inter quos Natalis Alex. Diſſ. 20. in Hiſt. 1. ſæculi, & Diſſ. 44. in Hiſt. 4. ſæculi. S. Cyprianus Ep. 57. ad Lapſos, *Dominus noſter*, inquit, *cujus præcepta metuere & obſervare debemus, Epiſcopi honorem, & Eccleſiæ ſuæ rationem diſponens, in Evangelio loquitur & dicit Petro: Ego tibi dico, quia tu es Petrus, & ſuper iſtam petram ædificabo Eccleſiam meam; &c. inde per temporum & ſucceſſionum vices, Epiſcoporum ordinatio, & Eccleſiæ ratio decurrit, ut Eccleſia ſuper Epiſcopos conſtituatur, & omnis actus Eccleſiæ per eoſdem præpoſitos gubernetur. Cum hoc itaque divina Lege fundatum ſit, miror quoſdam audaci temeritate ſic mihi ſcribere voluiſſe; quando Eccleſia in Epiſcopo & Clero, & in omnibus ſtantibus ſit conſtituta?* Nihil expreſſius contra Presbyterianos. Innumeros pene alios Patres omitto, quia prolixius foret eos referre. Id unum advertant Novatores, Aerianos juxta Epiphanium hæreſi 75. ſemper in Eccleſia habitos fuiſſe hæreticos, præcipue quod nullum diſcrimen agnoſcerent inter Epiſcopos & Presbyteros.

Ratio congrua ſuadet. (*Ib. in n. ſ. c.*) Divina Miniſteria debent, Deo diſponente, eſſe magis ordinata quam humana. Atqui humanorum officiorum ordo exigit, ut in quolibet officio præponatur unus, qui ſit Princeps illius officii; ſicut præponitur militibus Dux. Ergo & Sacerdotibus debet aliquis præponi, qui ſit Sacerdotum Princeps: & hic eſt Epiſcopus.

Solvuntur Objectiones.

OBJ. 1. Juxta Scripturam idem eſt Epiſcopus ac Presbyter. Ergo. Prob. Ant. Paulus ad Philipp. 1. ſalutat Epiſcopos & Diaconos, ubi per Epiſcopos intelligit Presbyteros, non enim in una civitate erant plures Epiſcopi. Idem ad Tit. 1. cum illi dixiſſet: *Reliqui te Cretæ ut ... conſtituas per civitates Presbyteros*, ſtatim ſubjungit: *Oportet Epiſcopum ſine crimine eſſe*. Et Act. 20. cum vocaſſet ad ſe *Majores natu Eccleſiæ*, id eſt Presbyteros, ipſos alloquens appellat Epiſcopos: *Attendite*, inquit, *vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*. Ergo. R. D. Ant. Juxta Scripturam idem eſt Epiſcopus ac Presbyter, quoad nomen, C. Quoad gradum & poteſtatem, N. Quamvis ergo dignitates, gradus, poteſtates, & officia Epiſcoporum & Presbyterorum fuerint ſemper diſtincta, nomina tamen eorum initio Eccleſiæ erant communia, ita ut Epiſcopi quandoque vocarentur Presbyteri, & Presbyteri Epiſcopi. Hinc Chryſoſtomus expendens illa verba Ep. ad Philipenſes, *Cum Epiſcopis & Diaconibus. Quid hoc*, inquit, *unius urbis multi erant Epiſcopi? Nequaquam, ſed Presbyteros appellavit: tunc enim adhuc communicabant nominibus. Procedente vero tempore, proprium cuique diſtributum eſt nomen, ut hic quidem Epiſcopus, ille vero Presbyter appellatur*.

Inſt. Epiſcopus poteſt ordinari a Presbytero, ut patet e Timotheo 1. ad Timoth. 4. ubi dicitur ordinatus per manum Presbyterii. Ergo par eſt Epiſcopi & Presbyteri poteſtas. R. N. Ant. Per Presbyterium enim intelligitur cœtus Epiſcoporum ſeu Presbyterorum, qui præter Ordinem Presbyteralem etiam Epiſcopalem habebant. Ita Chryſoſtomus, qui hom. 13. in 1. ad Tim. dicit, *Presbyterium non intelligendum eſſe de Presbyteris, ſed de Epiſcopis, non enim Presbyteri Epiſcopum ordinaverant*.

Obj. 2. S. Hieronymus in c. 1. Ep. ad Tit. & Ep. 101. ad Evangelum, alias 75. ſequentia docet: 1. Eoſdem eſſe Presbyteros, quos & Epiſcopos. 2. Eminentiam Epiſcoporum non fuiſſe ab Eccleſiæ exordio, ſed in remedium Schiſmatis. 3. Eccleſiam tunc communi Presbyterorum conſilio fuiſſe gubernatam. 4. Epiſcopos magis ex conſuetudine Eccleſiæ, quam diſpoſitionis Dominicæ veritate, Presbyteris eſſe majores. 5. Presbyterum fieri Epiſcopum electione Compresbyterorum, ſicut miles vel Tribunus fiebat Imperator electione commilitonum; & Diaconus Archidiaconus nominatione Condiaconorum. In electione autem Imperatoris aut Archidiaconi non eſt præter electionem alius ritus ſeu conſecratio, quæ conferat characterem ſeu poteſtatem aliquam internam. Ergo juxta Hieronymum Epiſcopi non præeminent Presbyteris jure divino, ſed humano.

Antequam huic argumento, cui potiſſimum confidunt Presbyteriani, reſpondeam, obſervo 1. S. Hieronymum iis ipſis locis objectis dogma Catholicum aperte docere. In 1. loco comparat Epiſcopos Moyſi, *qui cum haberet in poteſtate ſolus præeſſe populo Iſrael, ſeptuaginta elegit, cum quibus populum judicaret*. Indubium eſt autem Moyſem ordinatione divina majori præditum fuiſſe poteſtate, quam ſeptuaginta quos elegit. In ſecundo loco agnoſcit in Epiſcopo poteſtatem ordinandi, quam denegat Presbyteris: *Quid enim*, inquit, *facit, excepta ordinatione, Epiſcopus, quod Presbyter non faciat?* Sub ordinatione intelligit etiam Confirmationem, ut patebit ex mox dicendis. Ibidem dicit *omnes Epiſcopos Apoſtolorum ſucceſſores eſſe*. Erant autem Apoſtoli jure divino Presbyteris, quos ordinabant, ſuperiores. Tandem hanc Ep. ad Evangelum ſic concludit: *Et ut ſciamus Traditiones Apoſtolicas ſumptas de veteri Teſtamento; quod Aaron & filii*

ejus atque Levitæ in templo fuerint, *hoc ſibi Epiſcopi & Presbyteri & Diaconi vindicent in Eccleſia*. Nemo autem neſcit majorem ex Inſtitutione divina fuiſſe poteſtatem Aaronis, quam Levitarum. Erat enim Aaron ſummus Sacerdos ſeu Pontifex, ſolus poterat ingredi ſemel in anno Sanctuarium, habebat partem ſpecialem ex oblationibus, & ſuper Sacerdotes & Levitas ampliſſimam juriſdictionem: Exod. 28. Levit. 9. Eccli. 45. Eandem doctrinam aliis in locis conſtanter tenet S. Doctor. In Dialogo contra Luciferianos dicit poteſtatem confirmandi in Epiſcopis *ex auctoritate deſcendere*, *quod Spiritus S. ad Apoſtolos deſcendit*. Ep. 54. ad Marcellam hoc inter Catholicos & Montaniſtas ponit diſcrimen: *Apud nos Apoſtolorum locum tenent Epiſcopi*, *apud eos Epiſcopus tertius eſt*, Item l. 1. adverſus Jovin. c. 19. Ep. 2. ad Nepotium & alibi.

Obſervo 2. Hieronymum in 1. loco agere contra Epiſcopos, qui immoderate ſupra Presbyteros ſe efferebant: in 2. Contra arrogantiam Falcidii Diaconi, qui ſe Presbyteris coæquabat; & ideo in utroque loco totus eſt in extollenda Presbyterorum dignitate: familiare autem eſt Scriptoribus, cum unum extremum acrius impugnant, ut in aliud extremum impingere videantur.

Obſervo 3. ut ſupra, duplicem eſſe Epiſcopi poteſtatem, Ordinis ſcilicet & juriſdictionis præſertim hic exterioris; hancque poſſe conſiderari dupliciter vel ſecundum ſe & in actu primo, vel quoad uſum & actum ſecundum. Quamvis autem priori modo conſiderata ſit propria ſolis Epiſcopis, ejus tamen uſum & exercitium in exordio Eccleſiæ communicabant Presbyteris, eos adhibentes tamquam conſiliarios in regimine exteriori Eccleſiæ ad exemplum Moyſis, inquit ipſe Hieronymus citatus, qui cum haberet in poteſtate ſolus præeſſe populo Iſrael, ſeptuaginta elegit, cum quibus populum judicaret.

Ex his facile intelligitur, quæ fuerit mens S. Hieronymi, & ſponte fluit ſolutio ad ea, quæ ex ipſo objiciuntur. Unde

Ad 1. D. Secundum Hieron. iidem ſunt Presbyteri, qui & Epiſcopi quoad nomen & aliquem uſum juriſdictionis externæ gratis conceſſum, C. Quoad characterem, gradum, & ipſam poteſtatem ſive Ordinis, ſive juriſdictionis, N. Solutio patet ex dictis, & partim traditur ab ipſo Hieron. in Commentariis cit. in Ep. ad Tit. *In una civitate*, inquit, *plures*, *ut nuncupantur*, *Epiſcopi eſſe non poterant*; *ſed quia eoſdem Epiſcopos illo tempore quos & Presbyteros appellabant*, *propterea indifferenter de Epiſcopis quaſi de Presbyteris eſt locutus*. Inſuper ex his verbis colligitur Hieronymum agnoviſſe Epiſcopum gradu & dignitate diſtinctum a Presbytero; ſi enim non poterat eſſe niſi unus Epiſcopus in una civitate, in qua plures eſſent Presbyteri. Ergo Epiſcopus gradu & dignitate diſtinguebatur a Presbyteris.

Ad 2. eadem eſt diſtinctio. Præeminentia Epiſcoporum ſupra Presbyteros, quoad poteſtatem Ordinis & juriſdictionis, non fuit ab exordio Eccleſiæ, ſed in remedium Schiſmatis, N. Quoad aliquem uſum iſtius juriſdictionis, C. Diximus enim tunc Eccleſias regi & res Eccleſiaſticas adminiſtrari communi Presbyterorum cum Epiſcopo conſilio, cui tamen Epiſcopus jure ſuffragii, & auctoritate judicandi & decernendi, præſidebat. Cum vero Schiſmata inde orirentur, & diceretur in populis; ego ſum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ, ut contigit apud Corinthios; hæc regiminis forma immutata eſt, & penes ſolum Epiſcopum omnis Eccleſiæ cura remanſit. Quod vero ex hoc Schiſmate Hieronymus repetat inſtitutionem Epiſcoporum, ut prætendit Blondellus, aperte falſum eſt. Non enim ignorabat S. Doctor B. Jacobum Fratrem Domini fuiſſe ordinatum Epiſcopum Jeroſolymis, S. Petrum ſediſſe Antiochiæ, Marcum Alexandriæ, & S. Petrum Evodium ſucceſſorem ſuum ordinaſſe, antequam oriretur Schiſma inter Corinthios.

Ad 3. patet ſolutio ex dictis. Ad 4. D. Epiſcopi magis conſuetudine quam diſpoſitione divina ſunt majores Presbyteris quantum ad poteſtatem Ordinis & juriſdictionis, N. Quantum ad actuale regimen Eccleſiæ & totius juriſdictionis uſum, C. Non enim eſt juris divini, quod res Eccleſiæ a ſolo Epiſcopo, excluſis Presbyteris, de facto adminiſtrentur. Imo ſecundum ſe, & ſepoſitis inconvenientibus, convenientius foret, quod Eccleſiæ adminiſtrarentur communi Senatus Eccleſiaſtici conſilio, & hoc ſenſu addit S. Hieronymus *Epiſcopos in communi debere Eccleſiam regere*. Hanc eſſe mentem S. Doctoris clare ſignificat exemplum Moyſis, de quo ſupra, quod immediate ſubjungit: *Imitantes*, inquit, *Moyſen*, *qui cum haberet in poteſtate ſolus præeſſe populo Iſrael*, *ſeptuaginta elegit*, *cum quibus populum judicaret*. Ex quo conſtat juxta Hieron. ut jam obſervavimus, quod Epiſcopi ſint jure divino Presbyteris ſuperiores quoad ipſam poteſtatem, ſicut Moyſes erat ex inſtitutione divina ſuperior ſeptuaginta, quos elegerat, quamvis initio conſueverint uſum ſuæ juriſdictionis communicare Presbyteris, ſicut Moyſes ſeptuaginta electis. Unde quod nunc amplius non communicent, conſuetudine potius quam inſtitutione divina effectum eſt.

Ad 5. comparatio Hieronymi tenet quoad aliquid, non quoad omnia. In hoc ergo eſt paritas, quod ſicut olim eligebatur Imperator a commilitonibus ex corpore exercitus, ſic eligebantur Epiſcopi a Compresbyteris ex cœtu Presbyterorum. Sed in hoc eſt diſparitas, quod præter electionem requiratur in Epiſcopo conſecratio, qua illi confertur poteſtas interna Ordinis & juriſdictionis, ſecus in Imperatore. Hanc autem Conſecrationem in Epiſcopo requiſitam non expendit Hieronymus, quia nihil ad ſuum inſtitutum conferebat.

Si objicias Catonem Presbyterum & S. Britium apud S. Gregorium Turonenſem, nec non quoſdam alios ex quibuſdam hiſtoriis Scoticis & Britannicis, qui videntur creati Epiſcopi ex ſola Sacerdotum aut populorum electione, abſque ulla alia conſecratione. R. vel illos non fuiſſe veros Epiſcopos, ut patet de Catone ex ipſo Gregorio Turonenſi, vel præter electionem Cleri aut populi fuiſſe conſecratos ab Epiſcopis, ſive vicinis, ſive extraneis advocatis vel quæſitis, ut probat Natalis Alex. Diſſert. 44. in Hiſt. Sæculi. Ex huc uſque dictis de S. Hieronymo habetur ſolutio ad quædam affinia, quæ opponuntur ex S. Chryſoſt. Theodoreto, Theophylacto, Iſidoro Hiſpalenſi, Beda, Alcuino, Amalario, Hincmaro & aliis. Multa inſuper opponit Blondellus ex aliis SS. Patribus & Scriptoribus antiquioribus, ſed ſunt levioris momenti, & partim ex dictis ſolvuntur. Ea ſigillatim refert & ſolide refellit laudatus Alexander Diſſert. cit. nobis autem diutius iis immorari non vacat.

Obj. 3. Presbyteri baptizant, conſecrant, interſunt Conciliis, interdum etiam ordinant & confirmant, ut alibi diximus: Quod ergo inter eos & Epiſcopos diſcrimen? Item juxta Aug. Hieron. & Iſidorum, hoc eſt diſcrimen inter Epiſcopum & Presbyterum, quod nomen Epiſcopi ſit nomen officii, nomen autem Presbyteri nomen ætatis. Denique Aug. Epiſcopus Ep. 82. olim 19. non audet ſe præferre Hieronymo ſimplici Presbytero. Ergo. R. ad 1. Presbyteri baptizant & conſecrant, ſed non generant alios Presbyteros, inquit Epiphanius. Quod ſi generent Miniſtros inferiores, & confirment baptizatos, id non faciunt poteſtate ordinaria ſicut Epiſcopi, ſed ex diſpenſatione & commiſſione. Interſunt Conciliis, non jure ſuffragii & deciſionis, & ideo non ſubſcribunt Decretis Conciliorum, niſi ſint miſſi ab Epiſcopis; ſed jure conſultationis, atque ut fidem adſtruant ac defendant. Ad 2. laudati Patres recte explicant horum nominum etymologiam; Epiſcopus enim idem eſt ac inſpector, ſeu ſuperintendens, ut jam dixi, quod eſt officii; Presbyter idem ac ſenior, quod eſt ætatis. At aliud eſt id, a quo nomen imponitur, aliud id, ad quod ſignificandum imponitur. Ad 3. Auguſtinus non audet ſe comparare Hieronymo non quoad dignitatem Epiſcopalem, ſed quoad ætatem, eruditionem, & ſanctitatem, quod ejus humilitati tribuendum eſt.

Ob. 4. Secundum plurium ſententiam Epiſcopos accipit juriſdictionem a Papa. Ergo non eſt jure divino Presbyteris ſuperior ſaltem quantum ad juriſdictionem. R. N. Conſeq. Eſto enim Epiſcopus accipiat ſuam juriſdictionem immediate a Papa, de quo nunc non eſt quæſtio, non ſequitur, quod Chriſtus non ſic inſtituerit, ut Epiſcopus majorem a Pontifice juriſdictionem accipiat quam Presbyter, ſicque ſit ex inſtitutione divina Presbytero ſuperior etiam quoad juriſdictionem. Hanc autem juriſdictionem accipit Epiſcopus, quando ex Apoſtolicæ Sedis licentia ordinatur.

ARTICULUS II.

Utrum Epiſcopatus ſit Ordo diſtinctus a Sacerdotio?

ORDO (*Supp. q. 40. a. 5 o.*) poteſt dupliciter accipi, uno modo ſtricte ſecundum quod eſt Sacramentum ordinatum ad Euchariſtiam, alio modo late ſecundum quod eſt officium quoddam reſpectu quarumdam actionum ſacrarum. Item Epiſcopatus poteſt dupliciter conſiderari: 1. Adæquate ſecundum omnem poteſtatem, quam eſſentialiter importat, ſcilicet conſecrandi, abſolvendi, ordinandi, confirmandi, & gubernandi. Eſt enim Epiſcopus eſſentialiter Sacerdos, ut dicam modo. 2. inadæquate pro eo quod addit ſimplici Sacerdotio, ſeu pro poteſtate tantum ordinandi, confirmandi, & gubernandi.

Suppono 1. (*Ibid.*) Epiſcopatum inadæquate ſumptum eſſe Ordinem in latiori ſignificatione a Sacerdotio diſtinctum; quia confert poteſtatem in actionibus hierarchicis reſpectu corporis Chriſti myſtici, ſcilicet poteſtatem ordinandi, confirmandi, & juriſdictionis, quam non habet ſimplex Sacerdos. Suppono 2. Epiſcopatum adæquate ſumptum vere eſſe & dici Ordinem ſtricte ſumptum ſeu Sacramentum

Ordinis; quia, ut jam dixi & dicam iterum infra, eſſentialiter importat Sacerdotium, & quod illi ſuperaddit, non deſtruit rationem & denominationem Ordinis, quia perfectio ſuperveniens generi non deſtruit rationem & denominationem illius. Sic rationale ſuperveniens animali non deſtruit rationem & denominationem animalis in homine, qualitas Ducis ſuperveniens militi non deſtruit rationem & denominationem militis in Duce. Supereſt itaque quæſtio, utrum Epiſcopatus inadæquate ſumptus pro eo, quod addit ſimplici Sacerdotio, ſit Ordo ſtricte ſumptus pro Sacramento, ab ipſo Sacerdotio diſtinctus.

Dico. (*Ibid.*) Epiſcopatus inadæquate ſumptus pro eo, quod addit ſimplici Sacerdotio, probabilius non eſt Ordo ſtricte ſumptus, ſeu Sacramentum Ordinis, nec conſequenter Ordo diſtinctus a Sacerdotio, ſed eſt ejus extenſio & perfectiſſimum complementum. Præter Auctorem citantur pro ea ſententia Magiſter, Albertus Magnus, S. Bonav., Scotus, Richardus, Paludanus, Dominicus Soto, Nugno, Bonacinas, Reginaldus, Henriques, Comitolus, Amicus, Gabriel, &c. & communiter Thomiſtæ, exceptis paucis contra plures præſertim Recentiores.

Prob. 1. Trid. ſeſſ. 23. c. 2. recenſendo Ordines, ſeptem tantum numerat & nominat, omiſſo Epiſcopatu; & Can. 2. loquitur de Sacerdotio tanquam de ſupremo Ordine, ad quem per alios Ordines aſcenditur: *Si quis*, inquit, *dixerit præter Sacerdotium non eſſe in Eccleſia Catholica alios Ordines majores & minores, per quos velut gradus quoſdam in Sacerdotium tendatur; anathema ſit.* Atqui ſi Epiſcopatus eſſet Ordo diſtinctus e Sacerdotio, non tantum forent ſeptem, nec appareret ratio, cur Concilium illum omiſiſſet: item nec Sacerdotium foret Ordo ſupremus, ſed Epiſcopatus.

Reſpondent Concilium, non numeraſſe Epiſcopatum inter Ordines, quia licet a Sacerdotio ſpecie diſtinguatur, genere tamen eſt unus. Sed contra: Eadem ratione non debuiſſet numerare ſeptem Ordines, quia licet inter ſe ſpecie diſtinguantur, ſunt tamen etiam genere ſeu ratione generica ordinis unius.

Prob. 2. (*Ibid. & q. 37. a. 2. o.*) Diſtinctio Ordinum accipitur ſecundum habitudinem, quam habent ad Euchariſtiam; quia poteſtas Ordinis aut eſt ad Conſecrationem, aut ad aliquod miniſterium ordinatum ad Sacramentum Euchariſtiæ, quæ eſt finis cæterorum & Sacramentum Sacramentorum. Atqui Epiſcopatus non dicit ſpecialem habitudinem ad Euchariſtiam conſecrandam, ſed eam ſupponit completam & perfectam in Sacerdotio; non enim poteſt Epiſcopus magis conſecrare, quam ſimplex Sacerdos. Ergo.

Reſpondent, quod dicat habitudinem indirectam & remotam ad Euchariſtiam, quatenus ordinat Presbyteros, qui poſſunt illam conficere, & conſecrat Calices ad Euchariſtiam conficiendam. Sed contra: 1. Epiſcopatus non ordinat proprium ſubjectum ad Euchariſtiam, ſicut alii Ordines, ſed alienum tantum ſubjectum, & cum ſupponat in proprio ſubjecto completam poteſtatem conſecrandi ratione characteris ſacerdotalis, non poteſt eſſe niſi illius complementum, quo ſcilicet ſit potens alios ad Euchariſtiæ miniſterium ordinare. 2. Si per hanc habitudinem indirectam & remotam Epiſcopatus conſtitueretur Ordo diſtinctus e Sacerdotio, eſſet illi inferior, ſiquidem poteſtas ſacerdotalis conſecrandi corpus Chriſti ſit longe nobilior & excellentior, quam poteſtas conſecrandi Sacerdotes & Calices. Confir. Si Epiſcopatus eſſet Ordo diſtinctus a Presbyteratu, vel eſſet ipſi par, vel inferior, vel ſuperior. Non par; quia eſſentiæ rerum non ſecus ac numeri per inæqualitatem conſtituuntur. Non inferior, quia Epiſcopatus eſt & dicitur apex Sacerdotii, & Epiſcopus dicitur a S. Auguſtino primus Sacerdos, ſeu Princeps Sacerdos. Non ſuperior; quia, ut modo dicebam, nulla eſt poteſtas ſuperior & ſublimior poteſtate in corpus Chriſti naturale, quam confert Sacerdotium, hæcque longe præſtat poteſtati in corpus Chriſti myſticum, quam confert Epiſcopatus.

Prob. 3. (*Hic. in a. ſ. c.*) Epiſcopatus includit Sacerdotium, non eminenter tantum, ſicut v. g. Sacerdotium includit Diaconatum, ſed eſſentialiter formaliter, ita ut non poſſit eſſe nec concipi Epiſcopus ſine Sacerdotio, & ideo dicitur Sacerdos primus, Sacerdos Princeps, nec characterem diſtinctum imprimit, ſed Sacerdotalem tantum extendit. Ergo non eſt Ordo a Sacerdotio ſpecie diſtinctus; una enim ſpecies non includit formaliter eſſentialiter alteram, alias jam non forent duæ ſpecies, ſed una. Prob. Ant. Si Epiſcopatus contineret tantum eminenter & non formaliter eſſentialiter Sacerdotium, ſicut Ordines ſuperiores continent inferiores, & imprimeret characterem diſtinctum; non Sacerdos poſſet valide fieri Epiſcopus, ſicut non Diaconus poteſt valide fieri Sacerdos; inter enim Ordines diſtinctos non eſt eſſentialis dependentia, ſic ut ſuſceptio ſuperioris pendeat a ſuſceptione inferioris. Et ſicut non Diaconus Sacerdos conſecratus poſſet omnia munia Diaconi implere, quia illum eminenter continet, ita non Sacerdos conſecratus Epiſcopus poſſet omnia Sacerdotis munia exercere, conſequenter conficere Euchariſtiam ſine charactere ſacerdotali, quia Epiſcopatus illum eminenter continet; quod plane eſt abſurdum. Ergo.

Reſpondet Tourneiy & Berti poſt Eſtium ideo non poſſe valide conſecrari Epiſcopum, qui non ſit Sacerdos, quia poteſtas ordinandi & confirmandi, cum ſit eximia, ex divina inſtitutione ſolis Sacerdotibus communicari poteſt. Sed contra; non advertunt oculatiſſimi Theologi poteſtatem conſecrandi corpus Chriſti eſſe nedum eximiam, ſed longe præſtantiorem poteſtate confirmandi & ordinandi, & tamen non eſſe divinam inſtitutionem, ut non communicetur, niſi Diaconis. Quare ergo eſſet divina inſtitutio, ut poteſtas, longe inferior ordinandi & confirmandi non communicetur, niſi Sacerdotibus; ſic enim ſe habet Epiſcopatus ad Sacerdotium, in hypotheſi reſpondentium, ſicut Sacerdotium ad Diaconatum. Gratuita igitur videtur hæc reſponſio, & aliunde repetenda eſt hujus diſparitatis ratio. Nec videtur alia, quam quia Sacerdotium continet Diaconatum eminenter tantum, non formaliter; Epiſcopatus e contra continet Sacerdotium formaliter. Admittimus itaque divinam inſtitutionem, ſed eam, qua Presbyteratus & Epiſcopatus ſic ſunt inſtituti, ut Epiſcopatus contineat formaliter Presbyteratum; ſic autem Diaconatus & Presbyteratus, ut Presbyteratus contineat eminenter tantum Diaconatum, ideoque Presbyter ſine Diaconatu poſſit ordinari, non Epiſcopus ſine Sacerdotio.

Solvuntur Objectiones.

OBJ. 1. Ex his, quæ Apoſtolus dicit 1. ad Tim. 4. *Noli negligere gratiam, quæ data eſt tibi . . . cum impoſitione manuum Presbyterii*; & 2. ad Tim. 1. *Admoneo te, ut reſuſcites gratiam, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum*, probant noſtri Theologi Ordinem eſſe Sacramentum; nec habent, unde efficacius illud probent ex Scripturæ. Atqui ibi agitur de Epiſcopatu collato Timotheo. Ergo vel Epiſcopatus eſt Sacramentum, vel non habemus, unde efficaciter probemus ex Scripturis contra Hæreticos Ordinem eſſe Sacramentum. R. 1. Hoc argumentum non militare contra nos, qui dicimus Epiſcopatum adæquate ſumptum eſſe vere Sacramentum Ordinis, includens formaliter eſſentialiter Sacerdotium. 2. Etiam ſumendo Epiſcopatum inadæquate, N. Conſeq. quia hoc ipſo quo eſt complementum intrinſecum Sacramenti Ordinis, ex locis Scripturæ, in quibus agitur de illo, bene probatur Ordinem eſſe Sacramentum; quia fieri non poteſt, quod Ordo compleatur in ratione Sacramenti per Epiſcopatum, niſi Ordo ſit Sacramentum.

Obj. 2. Plures SS. Patres Conſecrationem Epiſcopi vocant ordinationem, Ordinem, Sacramentum. Trident. ſeſſ. 23. Can. 6. definit Eccleſiaſticam Hierarchiam divina ordinatione inſtitutam conſtare Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris: & cap. 4. declarat Epiſcopos ad eam præcipue pertinere. S. Dionyſius cap. 5. de Eccl. Hierarchia aſſignat hos tres Ordines Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, Epiſcopum, Sacerdotem, & Miniſtrum. Ergo. R. hæc intelligenda eſſe, vel de Ordine, prout eſt officium ad aliquos actus ſacros, qui diverſi ſunt ſecundum diverſos gradus Hierarchiæ, vel de Epiſcopatu adæquate ſumpto, prout includit formaliter Sacerdotium. Sin minus appellant Sacramentum, quia eſt complementum intrinſecum Sacramenti.

Obj. 3. Conſecratio Epiſcopi eſt cæremonia ſenſibilis diſtincta a Conſecratione Presbyteri, confert gratiam, & characterem. Ergo nihil ipſi deeſt, quominus ſit Sacramentum, & Ordo diſtinctus a Presbyteratu. Ant. quoad 1. partem conſtat; ſecunda traditur a Concilio Trident. ſeſſ. 23. Can. 4. a D. Thom. in cap. 4. 1. ad Timoth. lect. 4. & in cap. 1. 2. ad Timoth. lect. 1. a S. Ambroſio de dignitate Epiſcopali cap. 5. & aliis. Tertia pars probatur; quia traditur ſpecialis poteſtas ſpiritualis & indelebilis ad ordinandum & confirmandum, quæ non competit Sacerdoti. Atqui character nihil eſt aliud, quam poteſtas ſpiritualis indelebilis ad ſacros actus. Ergo. R. Conceſſa 1. parte Ant. ad 2. ſufficere, quod Epiſcopatus ſit complementum intrinſecum Sacramenti, ut conferat gratiam. (*Ibid. ad 2.*) Ad 3. nego conferri characterem diſtinctum e ſacerdotali, ſed hunc extendi; non moraliter, ſed per realem & phyſicum modum ad Miniſteria ulteriora, ſicut in ordinatione Presbyteri character ſacerdotalis ad conſecrandum collatus in porrectione inſtrumentorum extenditur ad abſolvendum & ligandum, quando poſtea dicitur: *Accipe Spiritum S., quorum remiſeris peccata*, &c.

Obj. 4. S. Th. Opuſc. 18. c. 24. ſic habet: *Quod quarto opponitur, quod Epiſcopatus non eſt Ordo, hoc manifeſte continet falſitatem, ſi abſolute intelligatur.* Et poſtea

Quod

Quod autem habet aliquem ordinem, & non juriſdictionem ſolam, ſicut Archidiaconus, vel Curatus Presbyter, patet ex hoc, quod poteſt multa facere, quæ non poteſt committere, ſicut confirmare, ordinare, &c. Et ſcribens in 2. ad Tim. c. 1. dicit, quod in impoſitione manuum, qua Timotheus fuit ordinatus Epiſcopus, data fuerit gratia Spiritus S. Hæc autem ſcripſit poſt commentaria in 4. unde concluſio noſtra deſumpta eſt, ideo cenſeri debent probabiliora, & præcedentium revocatoria. Ita doctiſs. Sylvius. R. Mirot ſpectantiſſimum Doctoris Angelici interpretem hæc non potuiſſe conciliare cum his, quæ hic docet S. Doctor, ſi quidem aperte ſe explicet. Dicit ergo, quod Epiſcopatus ſit Ordo, ſi nempe Ordo conſideretur *ſecundum quod eſt officium quoddam reſpectu quarumdam actionum ſacrarum, non vero ſecundum quod Ordo eſt Sacramentum*. Hæc dicit non ſolum in præſenti articulo, quem expendimus, ſed etiam in ipſo opuſculo 18. cit. in objectione, ubi poſt verba objecta ſubjungit: *Habet enim Ordinem Epiſcopus per comparationem ad corpus Chriſti myſticum, quod eſt Eccleſia . . . ſed quantum ad Corpus Chriſti verum, non habet Ordinem ſupra Presbyterum*: docet autem priori loco, quod Ordo, ut eſt Sacramentum, attendatur ſecundum relationem ad corpus Chriſti naturale. Quantum ad collationem gratiæ, diximus ſufficere, quod Epiſcopatus ſit pars & complementum intrinſecum Sacramenti.

ARTICULUS III.

Quot Epiſcopi requirantur ad ordinationem Epiſcopalem?

SUPPONO 1. tanquam certum, tres Epiſcopos requiri ex præcepto ſaltem Eccleſiaſtico ad unius Epiſcopi ordinationem licitam, ita ut aliter ordinans, & ordinatus peccent mortaliter. Ita enim præcipitur Can. 20. Concilii Arelat. 1. an. 324. Can. 4. Concilii generalis Nicæni 1. an. 325. Can. 12. Concilii Carthag. 2. Can. 39. Concilii Carthag. 3. & in Pontificali Rom. atque ita ab Eccleſiæ exordio conſtanter obſervatum eſt.

Suppono 2. etiam ut certum, quidquid dicant aliqui, Ordinationem Epiſcopalem factam ab uno tantum ex diſpenſatione Pontificia eſſe & licitam & validam. Conſtat ex variis exemplis. 1. S. Gregorius l. 10. Ep. 64. interrogatus ab Auguſtino Anglorum Epiſcopo, an poſſet ſolus Epiſcopos ordinare? Sic reſpondet: *Et quidem in Anglorum Eccleſia, in qua adhuc ſolus tu Epiſcopus inveniris, ordinare Epiſcopum non aliter niſi ſine Epiſcopis potes*. Vitioſa eſt altera lectio, quæ habet, *niſi cum Epiſcopis potes*, ut notat nova Editio Pariſienſis. Et patet, quia non præmiſiſſet Gregorius: *Tu ſolus Epiſcopus inveniris*, ſi voluiſſet ſignificare, quod non niſi cum Epiſcopis poſſet alios Epiſcopos ordinare. 2. Henriques Tom. 4. c. 20. refert Gregorium XIII. conceſſiſſe Patriarchæ Æthiopiæ Jeſuitæ, ut ſolus conſecraret Epiſcopos. 3. Herinx, referente Henno, teſtatur ſe vidiſſe duo indulta Innocentii X. quorum uno concedebat, ut Jacobus de la Torre conſecraretur Archiepiſcopus Epheſinus a ſolo Epiſcopo Netitenſi, qui fuit poſtea Alexander VII. modo aſſiſterent duo in Eccleſiaſtica dignitate conſtituti; & altero permittebat Suffraganeo Leodienſi conſecrari in Epiſcopum Dionyenſem a quolibet Antiſtite Catholico, modo concurrerent duo Abbates. 4. Alexander VII. an. 1663. teſte Andrea a Matre Dei conceſſit Joſepho a S. Maria Carmelitæ Diſcalceato Epiſcopo Hieropolitano, ut ſolus cum duobus Presbyteris conſecraret Epiſcopum in Regno Malabar Alexandrum de Campo. 5. Innocentius X. teſte Gavardi Tom. 6. p. 526. conceſſit Godefrido Duci Franciæ Orientalis, ut ab uno Epiſcopo cum aſſiſtentia duorum Abbatum ordinaretur Epiſcopus. Hæc autem omnia negare, moroſi foret ac pervicacis animi.

Et ex his quidam inferunt tres Epiſcopos non requiri jure divino ad validitatem Ordinationis Epiſcopalis, ſed unum ſufficere, quia, inquiunt, Pontifex non poteſt diſpenſare in jure divino. Verum arbitror illegitimam eſſe illationem. Potuit enim Chriſtus inſtituere, ut tres Epiſcopi eſſent Miniſtri ordinarii Conſecrationis Epiſcopalis, & quod unus ex commiſſione Pontificis eſſet Miniſter extraordinarius, ſicut diximus de Miniſtro Confirmationis & Ordinis; in quo caſu Pontifex non diſpenſaret in jure divino, ſed ſecundum jus divinum ageret. Et ita cenſent plures, qui ſuſtinent neceſſitatem trium Epiſcoporum jure divino ad validam conſecrationem Epiſcopalem. Quæſtio eſt itaque, utrum, ſecluſa diſpenſatione Pontificia, tres Epiſcopi jure divino requirantur ad conſecrationem validam unius? Plures affirmant, nec improbabiliter. Plures negant, & ut videtur probabilius; cum quibus

Dico. Tres Epiſcopi non requiruntur jure divino ad validam ordinationem Epiſcopalem, ſed unus ſufficit. Prob. 1. In Conſtit. Apoſt. quæ tribuuntur S. Clementi l. 8. c. 27. alias 33. dicitur; *Si neceſſitas urgeret, Epiſcopus ab uno ordinari poſſet*. Reſpondet Gonet hunc textum eſſe vitiatum, ſed non ſufficienter probat. Si inſuper dicas Conſtitutiones Apoſtolicas eſſe dubiæ fidei, quia ſunt apocryphæ, dicam pariter Epiſtolam Anacleti, in qua potiſſimum fundantur Adverſarii, eſſe dubiæ fidei, quia etiam eſt apocrypha.

2. In Pontificali Romano unus tantum Epiſcopus vocatur *Conſecrator*, alii vero *Aſſiſtentes*. Et S. Gregorius citatus Epiſcopos alios ab uno conſecrante vocat *teſtes*. Quamvis autem non repugnet Conſecratorem dici aſſiſtentem & teſtem, ſi tamen omnes æque conſecrent, non eſt ratio, cur unus tantum dicatur Conſecrator, & alii ſolum aſſiſtentes & teſtes.

Confir. Juxta Can. 2. Concilii Carthag. 4. ab omnibus Epiſcopis tangitur caput Electi, ſed ab uno tantum *funditur benedictio*, ſeu forma pronuntiatur. Ergo unus eſt Conſecrator. Si dicas Chriſtum ſic potuiſſe inſtituere, ut plures ponerent materiam, & unus proferret formam: ita quidem potuit, ſed an fecerit, quæſtio eſt, nec ſupponendum, ſed probandum.

3. Unus Epiſcopus habet plenam poteſtatem Ordinis, quæ ex aliorum præſentia non augetur, nec minuitur. Ergo poteſt unus, quod poſſunt tres. Confir. In aliis Sacramentis ſufficit unus Miniſter; quidni in Ordinatione Epiſcopi ſive ſit Sacramentum, ſive complementum Sacramenti? Neque eſt, quod iterum recurras ad voluntatem Chriſti ſic inſtituentis; de hac enim voluntate diſputatur, nec ſufficienter probatur in ſententia oppoſita, ut patebit ex Solutionibus Objectionum.

4. Prob. exemplis. Inter plura duo ſeligo. Primum, Theodoretus l. 5. Hiſt. c. 23. refert Evagrium IV. ſæculo conſecratum fuiſſe Epiſcopum Antiochen. a ſolo Paulino, hujuſque Evagrii Communionem Occidentales retinuiſſe contra Flavianum etiam Epiſc. Antiochiæ, conſequenter ejus ordinationem ut validam habuiſſe; quamvis factam contra Canones. Item Innocentius Ep. 22. ad Bonifacium jubet Ordinatos ab Evagrio recipi, & quamvis cauſa ejus in Synodo Rom. Capuana, & Alexandrina fuerit diſcuſſa, ſemper habita fuit valida.

Reſpondent 1. ex Baronio, Theodoretum Flaviani partibus addictum falſa narraſſe de Ordinatione Evagrii facta a ſolo Paulino; quia Socrates l. 5. c. 15. & Sozomenus l. 7. c. 12. referunt Evagrium non fuiſſe ordinatum niſi poſt mortem Paulini. 2. Dato Evagrium a ſolo Paulino ordinatum fuiſſe, probandum reſtaret id factum fuiſſe ſine diſpenſatione Pontificis. Sed contra 1. Sozomenus nihil hac de re habet loco cit. a Baronio ſaltem in Editione Colonienſi 1613. qua utor. Socrates vero dicit tantum, *quod cum Paulinus morte occubuerat, Populus illius Eccleſiæ Flavianum deteſtatus eſt: & propterea Evagrium ſive ſuæ factionis Epiſcopus deſignari conſtituit*. Quibus verbis non ſignificatur Evagrium tunc ordinatum fuiſſe, ſed Paulini votis acceſſiſſe Populi ſuffragium, eumque Epiſcopum voluiſſe, quem prius ordinaverat Paulinus. Idem dicit ipſe Theodoretus: *Cum Evagrius*, inquit, *ejus* (Paulini) *ſedem poſt illum obtinuiſſet*. Quoad 2. facile probatur non acceſſiſſe diſpenſationem Pontificiam pro hac ordinatione a ſolo Paulino facta, ex ipſo Theodoreto, qui ſcribit ibidem *Evagrium contra Legem Eccleſiæ deſignatum fuiſſe, complures Canones in ejus ordinatione violatos, ſi quidem Canones neque faciant poteſtatem cuiquam jam mortem oppetituro quemquam in locum ſuum ſufficere: atque omnes Provinciæ Epiſcopos jubent in unum ad eam rem convocari: quin etiam vetant rurſus quemquam abſque tribus Epiſcopis Epiſcopum conſtitui; attamen nihil horum ſcire cupientes* (Romani & Ægyptii) *Evagrii communionem ſunt illi amplexati*.

Alterum exemplum. Concilium Regenſe an. 439. improbat Ordinationem Armentarii, qui ordinatus fuerat Epiſcopus Ebredunenſis a duobus tantum Epiſcopis non expetitis Comprovincialium litteris, & ſine conſenſu Metropolitani: & tamen Can. 4. concedit ipſi, ut baptizatos confirmet, & ordinatis ab ipſo, ſi ſint inculpatæ vitæ, permittit in ſuis Ordinibus permanere.

Reſpondent ſimplicem Presbyterum poſſe confirmare ex diſpenſatione Pontificia, & ordinatos ab Armentario fuiſſe de novo conſecratos. Et hæc, quia in ſecundo Canone Ordinatio Armentarii dicitur *irrita, vacuanda, & nihil habere quod faceret Epiſcopum*.

Sed contra. Quis credat Patres Concilii Regenſis Presbytero ſimplici Canonum violatori indulſiſſe, ut Epiſcopi omnia obiret, eamque licentiam a ſummo Pontifice in ejus gratiam emendicaſſe? Ordinatos ab Armentario rurſus nova ordinatione fuiſſe initiatos, figmentum eſt, cujus ne vel umbra in dicto Concilio. Ratio autem utriuſque Reſponſionis omnino frivola; quia hi termini, *irrita, nulla, evacuanda, non facere Epiſcopum, non eſſe Epiſcopum*, & ſimiles, ſunt æquivoci, & tam ſolius executionis, quam ſubſtantiæ privationem important. Sic Ponti-

tiſices & Synodi declarant Simoniacorum ordinationes eſſe caſſas & irritas : item Concilium Nicænum Can. 17. declarat irritam ordinationem ſactam a non proprio Epiſcopo. His ergo terminis in præſenti materia ſignificatur non ordinatum a tribus Epiſcopis privari non charactere & poteſtate Epiſcopali, ſed ejus functionibus, honore nominis & gradus, ac ſi non eſſet Epiſcopus, eumque eſſe deponendum, alioquin ſequeretur invalidam etiam eſſe ordinationem ſactam, non expetitis Comprovincialium litteris & voluntate Metropolitani neglecta : hæc enim jungit Concilium defectui trium Epiſcoporum. Confer Objectiones ſequentes.

Solvuntur Objectiones.

OBj. 1. Can. *Porro* d. 66. Anacleto Ep. 2. ad Epiſcopos Italiæ dicitur : *Jeroſolymitanus primus Archiepiſcopus B. Jacobus ... a Petro, Jacobo, & Joanne Apoſtolis eſt ordinatus, ſucceſſoribus videlicet ſuis dantibus formam, ut non minus quam a tribus Epiſcopis, reliquis omnibus aſſenſum præbentibus, nullatenus Epiſcopus ordinetur, & communi voto ordinatio celebretur*. Nec obſtat, quod Jacobus jam eſſet ordinatus a Chriſto, & tantum fuerit, ita ut dicam, inthronizatus a tribus Apoſtolis; ſaltem juxta Anacletum per hunc ritum Apoſtoli dederunt formam ordinandi Epiſcopum per tres alios Epiſcopos. Sine forma autem non ſubſiſtit Ordinatio. Ergo. R. omiſſo quod opponi poſſet contra auctoritatem hujus decretalis, quæ communiter habetur apochrypha, D. Maj. Apoſtoli in ordinatione Jacobi dederunt formam ordinandi Epiſcopos cæremonialem & accidentalem, ſine qua ordinatio eſt illicita, C. Eſſentialem, ſine qua Ordinatio eſt invalida, N. Veritas hujus ſolutionis manifeſta eſt ex Canone præcedente ibidem, ubi ex Aniceto, Ep. ad Epiſcopos Galliæ, dicit : *Archiepiſcopus ab omnibus ſuæ Provinciæ Epiſcopis ordinetur ... ſin aliter præſumptum fuerit, viribus carere non dubium eſt, quia irrita erit ejus ſecus acta Ordinatio*. Hæc ſane fortius urgent, quam quæ objiciuntur, ſi quidem in illis declaretur *Viribus carere & irritam* eſſe ordinationem Archiepiſcopi non factam ab omnibus Suffraganeis, quod non habetur in Ep. Anacleti : & tamen nemo cenſet Ordinationem Archiepiſcopi non factam ab omnibus ſuis Suffraganeis eſſe invalidam. Hi ergo termini & ſimiles, ut jam dixi, nihil aliud ſignificant, quam quod ſic ordinatus contra Canones privetur functionibus & honore ſui Ordinis, habeaturque tamquam non Epiſcopus.

Obj. 2. Cap. *Chorepiſcopi* d. 68. ex Damaſo Papa dicitur de Chorepiſcopis : *Quod autem Epiſcopi non ſint, qui minus quam a tribus ſunt ordinati Epiſcopis, omnibus patet; quoniam ut bene noſtis, prohibitum a ſanctis eſt Patribus, ut qui ab uno vel a duobus ſunt ordinati Epiſcopis, nec nominentur Epiſcopi : ſi nomen non habent; qualiter officium habebunt?* Iiſ. Ergo. R. D. Ordinati minus quam a tribus Epiſcopis non ſunt Epiſcopi quoad honorem, gradus, & officium, ut Canon ipſe dicit, C. Quia ſunt ſuſpenſi a ſuis functionibus, & quantum ad hoc habentur quaſi non Epiſcopi. Quantum ad Characterem & poteſtatem Epiſcopalem, N. Solutio patet ex præcedentibus.

Inſt. Leo III. ad Epiſcopos Galliæ tempore Caroli Magni declarat non eſſe Sacerdotes & Diaconos, qui erant a Chorepiſcopis ordinati. Ergo. R. vel Leonem loqui de Chorepiſcopis, qui erant ſimplices Sacerdotes; vel intelligit Ordinatos illicite ab ipſis non eſſe Sacerdotes & Diaconos quoad exercitium ſui Ordinis, non quoad characterem, ut dictum eſt.

Urgebis. Epiſcopi Galliæ & Germaniæ, hoc reſponſo Leonis accepto, pronuntiarunt *Irritum* quidquid a Chorepiſcopis epiſcopaliter præſumptum eſt; *nam Epiſcopi non erant*, inquiunt, *quia nec canonice a tribus Epiſcopis ordinati*. Ergo. R. iterum ut ante. Pronuntiarunt *Irritum*, id eſt illicitum, dixerunt *non eſſe Epiſcopos* quoad officium ſcilicet & uſum ſuarum functionum. Vel dicendum, quod cum eſſent Chorepiſcopi duplicis generis, ut alibi diximus, alii ſimplices Presbyteri, alii Epiſcopi, & ubique lex de adhibendis tribus Epiſcopis in Ordinatione Epiſcopi ſervaretur, bene inferebant Præſules Galliæ & Germaniæ eos, qui ab uno tantum ordinati fuerant, non fuiſſe ordinatos in Epiſcopos, ſed in ſimplices Presbyteros.

Repones. S. Cyprianus Ep. 68. ſcribit cuſtodiendum & tenendum eſſe *de traditione divina & Apoſtolica ordinatione, ut ad ordinationes rite celebrandas, cum plebe, cui præpoſitus ordinatur, Epiſcopi ejuſdem Provinciæ proximi quique conveniant*. R. 1. Hanc inſtantiam non favere iis, quos oppugnamus, qui tres tantum Epiſcopos de neceſſitate Sacramenti requirunt, non plebem, nec omnes Epiſcopos proximos Provinciæ. 2. N. Conſeq. ſolum quæ ſunt eſſentialia Sacramentis, ſed etiam quæ ſunt tantum ipſis cæremonialia quandoque habemus ex Apoſtolica Traditione, ut patet in mixtione aquæ cum vino ad conſecrationem. Unde in hac materia ſicut in aliis pluribus diſtinguendæ ſunt Traditiones, quæ pertinent ad diſciplinam, & quæ ſtatuunt dogmata inviolabilia.

Cæterum his omnibus teſtimoniis Anacleti, Damaſi, Leonis, Joannis, & Præſulum Galliæ & Germaniæ oppono can. 1. Apoſt. in quo dicitur; *Epiſcopus duobus vel tribus ordinetur*. Cap. 2. l. 3. Conſtitut. Apoſt. ubi legitur : *Jubemus, ut a tribus Epiſcopis Epiſcopus ordinetur, & ut minimum a duobus, ita ut ab uno conſtitui non poſſit, teſtimonium enim duorum & trium firmius eſt & certum*. Neque dicas intelligi duos præter Metropolitanum. Id enim aperte falſum evincit ſecundum teſtimonium, ſic enim dicit poſſe a duobus, ut non poſſit ab uno; ergo duos ſic intelligit, ut altero detracto, remaneat unus. Item dicit : quia *teſtimonium duorum & trium eſt firmius & certum*; ſi autem intellexiſſet Metropolitanum cum duobus aut tribus, debuiſſet dicere teſtimonium trium & quatuor. Aliunde probandum foret tunc fuiſſe Metropolitanos in omnibus Provinciis, in quibus ordinabantur Epiſcopi, quod difficile probaretur. Item oppono c. 17. Conſtitut. Apoſt. l. 8. cir. ubi dicitur, quod *ſi neceſſitas urgeat, Epiſcopus ab uno ordinari poſſit*.

Obj. 3. Novatianus cum non inveniret Romæ, a quo Epiſcopus ordinaretur, accerſivit ex aliqua Italiæ Provincia tres viles Epiſcopos, a quibus temulentis & crapula oppreſſis fuit conſecratus. Ergo tunc ea erat opinio fidelium, invalidam fore ordinationem Epiſcopalem, quæ non fieret a tribus Epiſcopis. R. N. Conſ. Idem enim voluit Novatianus ordinari a tribus Epiſcopis, ut ſe conformaret diſciplinæ communiter receptæ, ne ſi eam aperte traſgrederetur, majorem in ſe concitaret invidiam, & difficilius Pontificatum obtineret.

Obj. 4. Juxta Apoſt. Heb. 7. *Quod minus eſt, a meliore benedicitur*. Atqui unus Epiſcopus non eſt melior aut dignior alio. Ergo ad benedicendum Epiſcopo plures requiruntur, qui ſimul ſint meliores & digniores uno. R. 1. Benedicentem propria auctoritate debere eſſe meliorem & digniorem, ſecus ſi benedicat auctoritate Dei & ut ejus miniſter. 2. Epiſcopus nondum benedictus, ſed benedicendus, eſt minor Epiſcopo benedicente, nec tres ſunt majores & meliores uno intenſive.

Verum obſervandum eſt, quod quamvis hæc ſententia nobis ſit ſpeculative probabilior; quia tamen oppoſita eſt etiam vere probabilis, & hic agitur de valore Sacramenti, quod eſt maximi momenti, in praxi ſtandum eſt contrariæ ſententiæ.

Et hæc ſufficiant de Sacramento Ordinis.

Digitized by Google

TRACTATUS DE MATRIMONIO.

D. Thom. Suppl. a Q. 41. ad 67.

SUMMA DOCTRINÆ CATHOLICÆ DE MATRIMONIO

EX CONCILIIS FLORENTINO ET TRIDENTINO.

Decretum Concilii Florentini pro inſtructione Armenorum (*Sub Eugenio IV. anno 1439. Ex S. Th. Opuſc. 5.*)

Septimum eſt Sacramentum Matrimonii, quod eſt ſignum conjunctionis Chriſti & Eccleſiæ, ſecundum Apoſtolum dicentem: Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia. *Cauſa efficiens Matrimonii regulariter eſt mutuus conſenſus per verba de præſenti expreſſus. Aſſignatur autem triplex bonum Matrimonii. Primum eſt proles ſuſcipienda & educanda ad cultum Dei. Secundum eſt fides, quam unus conjugum alteri ſervare debet. Tertium indiviſibilitas Matrimonii, propter hoc quod ſignificat indiviſibilem conjunctionem Chriſti & Eccleſiæ. Quamvis autem ex cauſa fornicationis liceat tori ſeparationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas eſt, cum matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum ſit.*

Canones Concilii Tridentini de Matrimonio (*Seſſ. 24. 11. Novemb. 1563. ſub Pio IV.*)

I. Si quis dixerit, Matrimonium non eſſe vere & proprie unum ex ſeptem Legis Evangelicæ Sacramentis a Chriſto Domino inſtitutum, ſed ab hominibus in Eccleſia inventum, neque gratiam conferre; anathema ſit.

II. Si quis dixerit licere Chriſtianis plures ſimul habere uxores, & hoc nulla lege divina eſſe prohibitum; anathema ſit.

III. Si quis dixerit, eos tantum conſanguinitatis & affinitatis gradus, qui Levitico exprimuntur, poſſe impedire Matrimonium contrahendum & dirimere contractum; nec poſſe Eccleſiam in nonnullis illorum diſpenſare, aut conſtituere, ut plures impediant & dirimant; anathema ſit.

IV. Si quis dixerit Eccleſiam non potuiſſe conſtituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis conſtituendis erraſſe; anathema ſit.

V. Si quis dixerit propter hæreſim, aut moleſtam cohabitationem, aut affectatam abſentiam a conjuge diſſolvi poſſe Matrimonii vinculum; anathema ſit.

VI. Si quis dixerit Matrimonium ratum non conſummatum per ſolemnem Religionis profeſſionem alterius conjugum non dirimi; anathema ſit.

VII. Si quis dixerit Eccleſiam errare, cum docuit & docet juxta Evangelicam & Apoſtolicam Doctrinam propter adulterium alterius conjugum Matrimonii vinculum non poſſe diſſolvi; & utrumque, vel etiam innocentem, qui cauſam adulterio non dedit, non poſſe, altero conjuge vivente, aliud Matrimonium contrahere, mœcharique eum, qui, dimiſſa adultera, aliam duxerit; & eam, quæ, dimiſſo adultero, alii nupſerit; anathema ſit.

VIII. Si quis dixerit Eccleſiam errare, cum ob multas cauſas ſeparationem inter conjuges, quoad torum, ſeu quoad cohabitationem, ad certum, incertumve tempus fieri poſſe decernit; anathema ſit.

IX. Si quis dixerit Clericos in ſacris Ordinibus conſtitutos, vel Regulares, caſtitatem ſolemniter profeſſos, poſſe Matrimonium contrahere, contractumque validum eſſe, non obſtante Lege Eccleſiaſtica, vel voto; & oppoſitum nihil aliud eſſe, quam damnare Matrimonium, poſſeque omnes contrahere Matrimonium, qui non ſentiunt ſe caſtitatis, etiamſi eam voverint, habere donum; anathema ſit. Cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos ſupra id quod poſſumus tentari.

X. Si quis dixerit ſtatum conjugalem anteponendum eſſe ſtatui virginitatis, vel cœlibatus, & non eſſe melius ac beatius manere in virginitate, aut cœlibatu, quam jungi Matrimonio; anathema ſit.

XI. Si quis dixerit prohibitionem ſolemnitatis nuptiarum certis anni temporibus ſuperſtitionem eſſe tyrannicam, ab Ethnicorum ſuperſtitione profectam; aut benedictiones & alias cæremonias, quibus Eccleſia in illis utitur, damnaverit; anathema ſit.

XII. Si quis dixerit cauſas matrimoniales non ſpectare ad Judices Eccleſiaſticos; anathema ſit.

DISSERTATIO I.

DE MATRIMONIO SECUNDUM SE.

D. Thom. Quaeſt. 41. & 42.

ARTICULUS I.

De Nominibus, Definitionibus, & Eſſentia Matrimonii.

NOMINA.

Matrimonium ſecundum varias conſiderationes varia ſortitur nomina. (*Supp. q. 44. a. 2.*) Conſideratum ſecundum eſſentiam, quæ eſt, ut dicimus, nexus ſeu conjunctio maris & fœminæ, dicitur *Conjugium*, quaſi junctio duorum ſub uno jugo, unde & *Conjuges*. Spectatum ſecundum cauſam, quæ eſt deſponſatio ſeu contractus ſolemnitas, vocatur *Connubium* & *Nuptiæ* a verbo *nubo* ſeu *velo*, quia in ipſa ſolemnitate deſponſationis capita nubentium velantur, ſeu velamine obnubuntur in ſignum pudoris & modeſtiæ, quam inter ſe ſervare debent. Conſideratum ſecundum effectum nempe prolem vocatur *Matrimonium*; quia ut ait Aug. l. 9. contra Fauſtum c. 26. *Non ob aliud debet fœmina nubere, quam ut Mater fiat*. Potius autem dicitur Matrimonium a Matre, quam Patrimonium a Patre: tum quia, ut ait Gregorius IX. cap. *Ex litteris* de converſione Infidel. licet Pater ſit ſexu dignior, Matri tamen fœtus eſt *ante partum oneroſus, doloroſus in partu, poſt partum laborioſus*; maxime enim illi cura prolis incumbit: tum quia prolis certa Mater eſt, non ſemper certus Pater.

Definitiones.

Matrimonium eſt & contractus civilis in officium naturæ, quam propagat & conſervat, & Sacramentum novæ Legis gratiam conjugibus conferens ad proles chriſtiane educandas & ad ſuſtinenda Matrimonii onera. Ut eſt officium naturæ, (*Ib. a. 3. c.*) communiter definitur ex Magiſtro ſentent: *Viri mulieriſque conjunctio maritalis inter legitimas perſonas, individuam vitam ſocietatem retinens*, quibus particulis ſi addas, & *gratiam conjugibus conferendam ſignificans*, habebis definitionem Matrimonii, ut eſt Sacramentum novæ Legis.

Explicatur Definitio. Dicitur *Conjunctio*, & hæc particula tenet locum generis, cæteræ particulæ tenent locum differentiæ: Dicitur *Maritalis*, ut diſtinguatur ab aliis conjunctionibus viri & mulieris, puta filiali, fraterna, negotiationis, &c. Dicitur *viri & mulieris*, quo deſignatur ſubjectum Matrimonii, & quidem viri & mulieris in ſingulari, ut excludatur Polygamia. Dicitur *inter legitimas perſonas*, id eſt inter perſonas habiles ad contrahendum, quæ nullo impedimento ſunt irretitæ. Dicitur, *indivi-*

duam

duam vitæ ſocietatem retinens, id eſt perpetuam & indiſſolubilem, Matrimonium enim ſola morte unius conjugis, non conſenſu partium, ut alii contractus, ſolvi poteſt. Dicitur, *gratiam conjugibus conferendam ſignificans*, practice ſcilicet & efficaciter, quod eſt proprium Sacramenti novæ Legis.

Eſſentia.

IN Matrimonio plura concurrunt. 1. Mutuus conſenſus exterius expreſſus, ſeu contractus. 2. Mutua corporum traditio. 3. Nexus ſeu vinculum reſultans inter conjuges. 4. Jus mutuum ad copulam. 5. Denique uſus Matrimonii, ſeu ipſa copula. Quæſtio eſt, in quo ex his omnibus ſita ſit eſſentia Matrimonii conſiderati in facto eſſe, & ut eſt res permanens. Si enim conſideretur in fieri & cauſaliter, conſtat ſitam eſſe in ipſo conſenſu exterius expreſſo, ſeu contractu.

Dico. (*Ib. a.* 1. *o.*) Matrimonium in facto eſſe conſiſtit eſſentialiter in vinculo formali ſeu nexu indiſſolubili reſultante ex mutuo contrahentium conſenſu. Innuitur his verbis Geneſ. 2. *Erunt duo in carne una ... quamobrem derelinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit uxori ſuæ*. Prob. Matrimonium in facto eſſe non conſiſtit eſſentialiter in conſenſu mutuo, ſive externo, ſive interno, neque in mutua traditione corporum; quia iſta tranſeunt remanente Matrimonio. Neque in jure mutuo ad copulam, tum quia jus iſtud ad copulam eſt quid conſequens ad matrimonium jam conſtitutum; ideo enim conjuges habent jus ad copulam, quia ſunt Matrimonio juncti: tum quia ſubſiſtit Matrimonium abſque iſto jure, ut in iis, qui mutuo conſenſu ſe obligant ad ſervandam continentiam; niſi forte intelligas de jure radicali, quod nihil eſt aliud quam ipſe nexus ſeu conjunctio formalis & paſſiva. (*Supp. q.* 42. *a.* 4. *o.*) Neque conſiſtit in ipſo uſu ſeu copula. 1. Quia uſus & operatio rei non eſt de illius eſſentia; facultas enim & potentia eſt eſſentialiter conſtituta, antequam operetur. 2. Quia fuit verum Matrimonium inter Adam & Evam in Paradiſo Terreſtri, cum tamen inter eos non intercesſerit copula, niſi poſt expulſionem e Paradiſo: item inter S. Joſephum & B. Virginem fuit verum Matrimonium ſine copula. Pariter eſt verum Matrimonium inter eos, qui voto mutuo ſe ad continentiam adſtringunt, aut qui ante conſummationem Religionem profitentur. Ergo. Dixi, *in vinculo formali*; quia non ſumitur vinculum cauſaliter pro re, quæ vinculat; ſic enim eſt ipſe contractus; ſed pro modo & nexu formali ſeu conjunctione paſſiva ex vinculo cauſali reſultante, quam Auctor q. 44 a. 1. reponit in relatione conjunctorum.

Dices 1. Matrimonium eſt Sacramentum. Atqui vinculum iſtud non eſt Sacramentum, cum non ſit aliquid ſenſibile. Ergo. R. D. Maj. (*Ib.* 44. *a.* 1. *ad* 2.) Matrimonium in fieri & cauſaliter ſumptum eſt Sacramentum, C. in facto eſſe & eſſentialiter ſumptum, Subdiſtinguo; eſt Sacramentum tantum, N. Eſt Sacramentum & res Sacramenti, C. Quod autem eſt Sacramentum & res Sacramenti, non neceſſario debet eſſe ſenſibile ſecundum ſe, ſed ſufficit, quod ſit ſenſibile in ſua cauſa.

Dices 2. Matrimonium eſt in officium generationis & in remedium concupiſcentiæ. Atqui neutrum habetur niſi per copulam. Ergo copula pertinet ad eſſentiam Matrimonii. R. N. Conſ. (*Ib. q.* 42. *a.* 4. *ad* 3. & 4.) quia aſſecutio finis alicujus rei non eſt de illius eſſentia. Inſuper remedium contra Concupiſcentiam unum eſt in habitu, & hoc præſtatur per gratiam ante copulam, ut ſcilicet legitimo affectu conjuges poſſint convenire. Alterum eſt in actu ſeu uſu, per quem ſatisfaciendo concupiſcentiæ cavet ab alia turpitudine; hoc autem non pertinet ad eſſentiam Matrimonii, ſed ad perfectionem ſeu integritatem ejus ſecundariam & accidentalem.

Dices 3. Quod pertinet ad ſignificationem Sacramenti, eſt de illius eſſentia. Atqui carnalis commixtio pertinet ad ſignificationem Sacramenti. Ergo. Prob. Min. Matrimonium ſignificat conjunctionem Chriſti cum Eccleſia. Atqui hæc conjunctio ſignificatur per commixtionem carnalem. R. D. Maj. (*Ib. ad* 2.) Quod pertinet ad ſignificationem Sacramenti quantum ad rem in eo contentam, ſcilicet gratiam, eſt de illius eſſentia, C. Quantum ad rem in eo non contentam, qualis eſt conjunctio Chriſti cum Eccleſia, N. Inſuper duplex eſt conjunctio Chriſti cum Eccleſia; una naturalis per incarnationem; altera moralis ſeu ſpiritualis per charitatem & amorem; hæc ſignificatur per mutuum conſenſum contrahentium; prima ſignificatur formaliter per commixtionem carnalem, radicaliter & remote etiam per ipſum conſenſum mutuum, qui ordinatur implicite ad copulam.

Poſſent objici quædam auctoritates Patrum ex Gratiano c. *Inſtitutum*, cap. *ſi quippe*, cap. *non dubium*, cauſa 27. q. 2. Sed Gratianum depravatis SS. Patrum Sententiis fuiſſe deceptum oſtendunt Soto in 4. d. 26. q. 26. q. 2. art. 4. Sylvius hic q. 42. a. 4. & alii.

ARTICULUS II.

De Matrimonio ut eſt in officium naturæ.

TRIA in præſenti articulo ponuntur in quæſtione: 1. utrum Matrimonium ſit hominibus naturale? 2. utrum ſit in præcepto? 3. utrum ejus actus ſit licitus, poſſitque eſſe meritorius?

§. I. Utrum Matrimonium ſit hominibus naturale?

SENSUS quæſtionis non eſt, utrum coitus maris cum fœmina cauſa generationis ſit naturalis? Id enim indubium eſt, quandoquidem affectus & inſtinctus naturæ in rebus corruptioni obnoxiis ſit conſervare ſpeciem per generationem. Sed ſenſus eſt, utrum id ſit hominibus, præter alia animalia, a natura inditum, ut mas & fœmina ad officium generationis deſtinati nexu indiſſolubili copulentur? Hoc enim intelligitur nomine Matrimonii, ut dictum eſt.

Naturale dupliciter dicitur. (*Supp. q.* 41. *a.* 1. *o.*) Uno modo prout diſtinguitur contra liberum, quod ſcilicet ex principiis naturæ neceſſario cauſatur, ut igni moveri ſurſum, gravi deorſum; & ſic certum eſt Matrimonium non eſſe naturale, nec aliquid eorum, quæ moventur movente libero arbitrio. Alio modo dicitur naturale, ad quod natura inclinat, licet per liberum arbitrium compleatur, ut actus virtutum exercere, ſumere cibum, &c. Quo ſenſu

Dico. (*Ib.*) Matrimonium eſt hominibus naturale. Prob. (*Ib.*) Illud eſt homini naturale, ad quod ejus ratio naturalis inclinat. Atqui ratio naturalis hominis inclinat ad Matrimonium. Ergo. Prob. Min. Naturalis ratio hominis ipſum inclinat ad conſervationem ſpeciei per generationem prolis, non minus, imo fortius quam ad conſervationem individui per ſumptionem cibi; quia bonum ſpeciei eſt univerſalius & præſtantius bono individui. Atqui ad hunc finem eſt neceſſarium Matrimonium. Ergo. Prob. Min. Natura in conſervatione ſpeciei non ſolum intendit generationem prolis, ſed & ejus traductionem ac promotionem ad ſtatum perfectum ſecundum corpus & animam. Atqui ad hæc requiruntur determinati Parentes aliquo vinculo colligati, in quo conſiſtit Matrimonium, ut diximus. Ergo. Conferantur dicenda de indiſſolubilitate Matrimonii.

Inferes. Ergo Virginitas & Cœlibatus ſunt contra inclinationem, conſequenter ſunt peccata. R. Data prima illatione, N. ſecundam. Non enim omne, quod eſt contra naturalem inclinationem præciſe, eſt ſemper peccatum, ſed tantum id, quod eſt contra inclinationem naturalem ex dictamine rationis obligantem. Nunc vero multiplicato ſufficienter genere humano, ratio dictat ad id non eſſe neceſſarium Matrimonium in quolibet; conſequenter inclinatio naturalis non obligat ad illud. Adde, quod etiam quandoque liceat agere contra inclinationem naturalem, propter majus bonum animæ, ut patet in eo, qui mortificationis ergo abſtinet a cibo utili & aliqualiter neceſſario corpori, ad quem tamen eſt inclinatio naturalis.

Dices. Inclinatio naturalis eſt communis omnibus. Atqui non apparet in omnibus inclinatio naturalis ad Matrimonium. Ergo. R. eſſe quidem in omnibus, ſed in aliquibus non ita ſenſibiliter ſe exerit, eo quod conſervatione ſpeciei ſufficienter ſit proviſum. Sit paritas in inclinatione naturali, quæ omnibus ineſt, defendendi bonum commune & Rempublicam.

§. II. Utrum Matrimonium cadat ſub præcepto?

DICO 1. Matrimonium cadit aliquo ſenſu ſub præcepto naturali. Prob. Medium maxime neceſſarium ad finem a natura intentum cadit ſub præcepto naturæ. Atqui Matrimonium eſt maxime neceſſarium ad finem a natura intentum, ſcilicet ad debitam & congruam conſervationem ſpeciei, ut patet ex §. præcedenti. Ergo. Hoc autem præceptum indicavit Deus dum dixit Geneſ. 2. *Quamobrem relinquet homo Patrem ſuum & Matrem, & adhærebit uxori ſuæ*. Neque ſimile eſt de aliis animalibus, quibus non datur præceptum, ſed ſufficit inclinatio naturalis ad conſervationem ſpeciei; tum quia non ſunt præcepti capacia; tum quia homo non obſtante hac inclinatione naturali, manet adhuc liber ad illi aſſentiendum vel diſſentiendum.

Si petas, ad quod præceptum naturale iſtud reducatur? R. reduci ad præceptum de dilectione proximi.

Dico 2. (*Ib. a.* 2. *o.*) Præceptum de Matrimonio obligat per ſe directe & primario communitatem, ut curet aliquos nubere, non unumquemque ut nubat, niſi forte caſu quo paucitas hominum exigeret, ut quilibet generationi vacaret. Prob. 1. pars. (*Ib.*) Jure naturali quiſque tenetur ad ea, quæ propriam perfectionem & conſervationem ſpectant. Atqui Matrimonium ſpectat perfectio-

nem

nem & conſervationem communitatis. Ergo præceptum de Matrimonio illam per ſe directe obligat. Verum cum homines propria voluntate ſufficienter vacent conſervationi ſpeciei, Reſpublica ab illa cura nunc liberatur.

Prob. 2. pars. (*Ib. in a. ſ. c. & o.*) 1. Apoſt. 1. Cor. 7. dicit: *Qui non jungit Matrimonio Virginem ſuam, melius facit*, ſcilicet quam qui jungit. Item; *Solutus es ab uxore, noli quærere uxorem*. Item; *Dico non nuptis & viduis, bonum eſt illis, ſi ſic permaneant ſicut & ego*: & alia ſimilia ibidem. 2. Nulli debetur præmium propter tranſgreſſionem præcepti; ſed virginibus debetur præmium ſpeciale, ſcilicet Aureola. Ergo. 3. Ad ea, quæ ſpectant perfectionem multitudinis, cum multa ſint hujuſmodi, quorum unum impedit aliud, non obligatur quilibet, alias omnes tenerentur ad agriculturam, ad artem ædificatoriam, & ſimilia, quæ ſunt communitati neceſſaria, ſed huic inclinationi ſatisfit, cum per diverſos diverſa de prædictis complentur. Atqui ad perfectionem multitudinis humanæ neceſſarium eſt aliquos vitæ contemplativæ vacare, quæ maxime per Matrimonium impeditur. Ergo. Tertia pars patet: quia ſicut in caſu neceſſitatis quilibet tenentur ad defenſionem Reipublicæ, ita ad conſervationem ſpeciei; hæc enim non eſt minus neceſſaria quam illa.

Dices 1. Apoſt. 1. ad Cor. 8. dicit: *Unuſquiſque uxorem ſuam habeat*: Ex Exod. 23. præcipitur, ut *non ſit infæcunda & ſterilis in terra Iſrael*. Ergo. R. ad 1. hæc Apoſtoli verba ſpectare conjugatos, quibus non præcipitur, ſed permittitur ad vitandam fornicationem ſua conjugenti. Ad 2. non continetur ibi præceptum, cum non ſit in poteſtate hominum, ut mulieres non ſint ſteriles, ſed promiſſio fœcunditatis.

Dices 2. Quilibet tenetur ad cibum. Ergo & ad conjugium. R. N. Conſeq. Quia individuum ſervari non poteſt abſque eo, quod quilibet ſibi ſumat cibum. Species autem poteſt conſervari abſque eo, quod quilibet vacet generationi.

Cætera argumenta require in Tract. de Temperantia Diſſert. 4. a. 2. ubi probavimus contra Lutheranos Virginitatem eſſe licitam.

§. III. *Utrum actus Matrimonii ſit licitus, poſſitque eſſe meritorius?*

DIco. Actus Matrimonii eſt licitus, poteſtque eſſe meritorius. Eſt (*Ibid. a. 3. & 4. o.*) contra antiquos Hæreticos, Saturninum, Marcionem, Manichæos, Encratitas, & alios. Sequitur ex dictis; ſi enim natura inclinat imo præcipit Matrimonium, evidens eſt, quod ejus actus ſit licitus & poſſit eſſe meritorius. Inſuper tamen Prob. (*Ib. a. 3. in a. ſ. c.*) 1. pars ex Apoſt. 1. Cor. 7. *Si nupſerit Virgo, non peccavit*. Ibidem; *uxori vir debitum reddat, ſimiliter autem & uxor viro*: & plura ſimilia ibidem. 1. Tim. 5. *Volo juniores nubere, filios procreare*. Lege Matth. 19. & Joan. 2. in quem locum Aug. Tract. 9. dicit, quod Dominus invitatus venit ad nuptias, ut prædamnaret eos, *qui futuri erant, de quibus dixit Apoſtolus: Prohibentes nubere, & dicentes, quod malæ eſſent nuptiæ, & quod diabolus eas feciſſet*. Plura ſcribit in hanc rem S. Doct. l. 1. de nupt. & concup. c. 4. de bono conjugali c. 7. de hæreſibus; contra 2. 2. Ep. Pelag & alibi. Item alii Patres.

Accedit (*Ibid. o.*) ratio. Ea, quæ pertinent ad conſervationem naturæ corporalis, & ad quæ inclinat natura, non poſſunt dici univerſaliter mala & illicita: Natura enim corporalis non eſt a Deo malo creata, ut ſomniabant Manichæi & alii veteres hæretici, ſed a bono Deo inſtituta. Atqui ex dictis natura inclinat ad actum Matrimonii ſeu prolis procreationem, per quam natura ſpeciei conſervatur. Ergo.

Prob. (*Ib. a. 4. in a. ſ. c. & o.*) 2. pars 1. Omnis actus, quo impletur præceptum, eſt meritorius, ſi ex charitate fiat. Atqui eſt hujuſmodi actus Matrimonii; *Uxori vir debitum reddat: Similiter autem & uxor viro*. Ergo. 2. Ad actum Matrimonii inducere poteſt virtus vel juſtitiæ, ut debitum reddat, vel Religionis, ut proles ad cultum Dei procreetur. Atqui tunc erit meritorius, ſi nulla intercedente circumſtantia vitietur: omnis enim actus virtutis eſt meritorius. Ergo. Ne tamen inde inferas conſulendum eſſe conjugibus frequentare actus Matrimonii; quamvis enim ſint boni, non tamen ſunt optimi; ſic bonum eſt comedere, melius tamen aliquando abſtinere.

Obj. 1. Ab auctoritate. 1. Luc. 14. Matrimonium impedit hominem a Cœna Patrisfamilias. 2. Rom. 8. *Qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt*; quod Siricius Papa Ep. 1. c. 6. & 7. applicat Matrimonio: & cap. 5. Matrimonium vocat pollutiones. 3. Ubi venia ſeu indulgentia eſt, ibi culpa: *Evidenter denotas culpam, dum tribuis veniam*, inquit Aug. l. de peccato originali c. 38. at juxta Apoſt. 1. Cor. 7. Matrimonium conceditur ſecundum indulgentiam. 4. Ibid. Apoſt. dicit: *Bonum eſt homini mulierem non tangere*. Ex quo Hieronymus l. 1. contra Jovin. c. 4. infert: Ergo malum eſt tangere. 5. Idem Apoſt. 1. Cor. 7. dicit: *Qui nubunt, ſint tanquam non nubentes*. Sed non nubentes non habent actum Matrimonialem. Ergo. R. ad 1. id contingere non conjugii, ſed conjugati vitio. Ad 2. ſenſus eſt, quod qui in carne & ſecundum carnem vivunt, Deo placere non poſſunt. Siricius autem locis cit. loquitur de conjugiis Sacerdotum, Monachorum, & eorum, qui poſt publicam pœnitentiam attentabant nova conjugia, quod erat illis prohibitum can. 21. Concilii Arelat. 2. vel aliunde illicitis fruebantur amplexibus. Ad 2: Apoſtolus intelligit de uſu Matrimonii, qui licet intra limites Matrimonii, non fit tamen propter fines debitos, ſcilicet cauſa debiti reddendi vel prolis generandæ, quem eſſe peccatum veniale dicemus infra. Ad 4. data conſequentia Hieronymi; tangere mulierem eſt malum non culpæ, ſed pœnæ; quia id non fit ſine turpi concupiſcentia, quæ eſt pœna peccati originalis, quod tamen excuſatur a peccato per bona Matrimonii, ut dicam infra. Alii negant conſequentiam Hieronymi, & dicunt Apoſtolum per *bonum* intellexiſſe *melius*, ſicut ibidem dum dicit: *Qui ſtatuit in corde ſuo ſervare Virginem ſuam, bene facit*: per *bene* intelligit *melius*; ſtatim enim addit: *Qui Matrimonio jungit Virginem ſuam, bene facit, & qui non jungit, melius facit*. (*Ib. a. 3. ad 1.*) Ad 5. Apoſtolus in his verbis non prohibuit uſum Matrimonii, ſicut nec rerum poſſeſſionem, cum dixit ibidem: *Qui utuntur hoc mundo, ſint quaſi non utentes*; ſed in utroque fruitionem prohibuit; quod patet ex ipſo modo loquendi: non enim dixit, ſicut non utentes vel non habentes, ſed *tanquam* non utentes, vel non habentes.

Obj. 2. a Ratione. 1. Actus Matrimonialis habet ſemper annexam concupiſcentiam; concupiſcentia autem eſt turpis. 2. Superfluitas paſſionis corrumpit virtutem. Atqui in uſu Matrimonii eſt ſuperfluitas paſſionis, adeo ut abſorbeat rationem, quæ eſt principale bonum hominis. Ergo. 3. Nihil excuſatur niſi peccatum. Sed actus Matrimonii indiget excuſari per bona Matrimonii, ut dicetur infra. Ergo. 4. Uſus Matrimonii dividit hominem a Deo. Unde Exod. 19. & alibi, qui debebant Deum videre, aut ſacra tangere, prohibentur accedere ad uxores. Solum autem peccatum dividit hominem a Deo, juxta illud Iſaiæ 59. *Iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum*. 5. Matrimonium poſt peccatum eſt inſtitutum in remedium concupiſcentiæ. Ergo qui eo ſic utuntur, peccant, cum ipſam concupiſcentiam expleant. 6. Uſus Matrimonii eſt cauſa originalis peccati in prole. Ergo.

R. (*Ib. ad 3.*) ad 5. ut ante. Concupiſcentia, quæ reperitur in actu conjugali, eſt turpis turpitudine pœnæ provenientis ex peccato primi Parentis, non turpitudine culpæ. (*Ibid. ad 6.*) Ad 2. ſuperfluitas paſſionis, quæ virtutem corrumpit, non ſolum impedit rationis actum, ſed etiam tollit rationis ordinem, quod non facit delectationis intenſio in actu Matrimoniali: quia etſi tunc non ordinetur homo, eſt tamen a ratione præordinatus. (*Ibid. ad 4. & quæſt. 49. art. 1, ad 2.*) Ad 3. D. Nihil excuſatur per bona extrinſeca niſi peccatum, C. Per bona intrinſeca, N. Bona itaque, quæ Matrimonium honeſtant, ſunt de ratione ipſius, & idcirco non eis indiget quaſi extrinſecis quibuſdam ad honeſtandum, ſed quaſi cauſantibus in ipſo honeſtatem, quæ ei ſecundum ſe competit, conſequenter eſt ſecundum ſe bonum. Dicitur autem excuſari, quia habet ſimilitudinem mali, & affert quædam incommoda, quæ indigent compenſari. De hoc latius infra. (*Hic ib. ad 2.*) Ad 4. actus conjugalis non dividit hominem a Deo quantum ad habitum charitatis, quod eſt proprium peccato; ſed tantum quoad actum contemplationis & amoris, quod accidit etiam iis, quæ non ſunt peccata; aliqua enim occupatio licita circa res inferiores animum diſtrahit, ut actu Deo conjungi non ſit idoneus; & hoc præcipue accidit in carnali commixtione, in qua detinetur mens propter delectationem intenſam. Ad 5. Matrimonium ſive ante ſive poſt peccatum non eſt proprie inſtitutum in remedium concupiſcentiæ, ſed ad procreationem & educationem prolis: hæc enim eſt ejus proprius finis in utroque ſtatu. Remedium autem concupiſcentiæ eſt aliquis ejus effectus, quem qui ſpectant, dum utuntur Matrimonio propter proprium ejus finem, aut cauſa reddendi debiti, non peccant. Ad 6. negatur. Non enim uſus Matrimonii, ſed voluntas Adami eſt cauſa peccati originalis. De quo vide Diſſ. 6. de peccatis a. 2. §. 2.

ARTICULUS III.

De Matrimonio ut eſt Sacramentum.

Et primo

Utrum ſit Sacramentum novæ legis proprie dictum?

SACRAMENTUM generaliter & late ſumptum, ut alibi ſcripſi, eſt quodcumque ſignum rei ſacræ. Sacramentum ſtricte & proprie dictum, prout ſumitur in nova lege, eſt ſignum practicum & effectivum rei ſacræ, gratiæ

ſci-

ſcilicet nos ſanctificantia ? Suppono Matrimonium ex inſtitutione divina eſſe Sacramentum late ſumptum ; fuit enim inſtitutum a Deo, ut ſignificaret conjunctionem Chriſti cum natura humana, & Eccleſia, tam naturalem per Incarnationem, quam moralem & ſpiritualem per charitatem. Patet ex his, quæ Gen. 2. Adam afflatus divino Spiritu prophetice dixit : *Hoc nunc os ex oſſibus meis & caro de carne mea ... Propter hoc relinquet homo Patrem ſuum & Matrem, & adhærebit uxori ſuæ*. Juxta enim SS. Patres his verbis Adam prædixit conjunctionem Chriſti cum Eccleſia in ſua Incarnatione figuratam per ſuum Matrimonium cum Eva; Eccleſia enim eſt ex oſſibus Chriſti in cruce pendentis formata; Chriſtus dereliquit Patrem ſuum in Cœlis, non derelictione divinitatis, ſed aſſumptione humanitatis, & Matrem ſuam Synagogam, erat enim natus Judæus, atque adhæſit indiſſolubiliter Eccleſiæ ſponſæ ſuæ. Ita interpretatur Tertull. l. de animac. 11. Hieron. in c. 5. ad Epheſ. Aug. l. 9. de Geneſ. ad litt. c. 19. & ipſum Trid. Seſſ. 24. cap. unico de Matrim. atque aperte exprimit Apoſt. ad Epheſ. 5. *Propter hoc*, inquit, *relinquet homo Patrem & Matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una ; Sacramentum hoc magnum eſt. Ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.*

Neque dicas cum Hæreticis, To *Sacramentum* in textu Apoſtoli non referri ad Matrimonium, ſed ad unionem Chriſti cum Eccleſia, ita ut ſenſus ſit conjunctionem Chriſti cum Eccleſia eſſe magnum *Sacramentum*, græce, *Myſterium*. Enimvero To *hoc* refertur ad id, quod præcedit : *Propter hoc relinquet, &c.* id eſt ad Matrimonium. Quando ergo Apoſtolus dicit *Sacramentum hoc*, intelligit Matrimonium ; favet etiam textus Græcus, qui habet *in Chriſtum & Eccleſiam*, ſignificans unionem Chriſti cum Eccleſia eſſe terminum ſeu objectum ſignificatum per unionem conjugalem Adæ & Evæ. Negant a fortiori Lutherani & Calviniſtæ Matrimonium eſſe Sacramentum novæ legis proprie dictum. Magiſter ſententiarum, quamvis annumeret Matrimonium Sacramentis novæ legis, ipſi tamen denegat vim cauſandi gratiam. Durandus non agnoſcit ipſum niſi ut Sacramentum late ſumptum pro ſigno rei ſacræ. Hi duo ante definitiones ſolemnes Eccleſiæ in Conciliis Conſtantienſi, Florent. & Trid. quorum ideo opinionem Doctor Angelicus non impugnat ut hæreticam, ſed tantum ut minus probabilem.

Dico. (*Supp. q. 42. a. 1, & 3. c.*) Matrimonium in nova lege eſt vere & proprie dictum Sacramentum.

Quamvis quidam arbitrentur concluſionem probari poſſe tantum ex Traditione, Conciliorum definitionibus firmata, non ex Scriptura ſacra, duo tamen loca proferimus, ex quibus non obſcure eruitur veritas Catholica. 1. Apoſt. Epheſ. 5. ut jam obſervavimus, dicit Matrimonium eſſe Sacramentum ſeu ſignum conjunctionis Chriſti cum Eccleſia, & ibi loquitur de conjunctione non ſolum naturali per Incarnationem, quæ eſt communis toti generi humano, ſed etiam de conjunctione morali per gratiam & charitatem, quæ eſt propria Eccleſiæ ; dixerat enim prius, *Viri diligite uxores veſtras, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam*. Atqui Matrimonium non poſſet eſſe ſignum hujus unionis moralis, niſi conjuges uniat non ſolum carnali vinculo, ſed etiam gratia & charitate, conſequenter niſi ſit ſignum practicum & efficax gratiæ, quod eſt Sacramentum ſtricte dictum. Atque ita ratiocinatur Trid. Seſſ. 24. cap. unico de Matrimonio.

2. Chriſtus Joan. 2. invitatus ad nuptias, illas inſigni miraculo approbavit, atque illis benedixit, eis conferendo vim cauſandi gratiam. Ita tradunt SS. Patres. Cyrillus Ep. ad Neſtor. a Patribus Epheſinis confirmata p. 1. Act. cap. 26. dicit *Chriſtus diſpenſatorie ipſis tunc benedixiſſe nuptiis, cum in Cana Galilææ cum ſanctis vocatus eſt*. Idem l. 2. in Joan. ſcribit Chriſtum ad nuptias veniſſe, *ut illas ſua præſentia honeſtaret, & veterem partus triſtitiam depelleret, iiſque quoque, qui poſtea naſcituri erant, gratiam præſtitueret*. Epiph. hæreſi 67. *Nam*, inquit, *venerabiles eſſe nuptias, & Dei aſpirante gratia regnum obtinere, quis vel ex eo non agnoſcat, quod ad nuptias invitatus Salvator ipſe fuerit, ut iis benediceret*. Aug. Tract. 9. in Joan. c. 2. *Per hoc ergo*, inquit, *Dominus invitatus venit ad nuptias, ut conjugalis caſtitas firmaretur, & oſtenderetur Sacramentum nuptiarum.*

Prob. Traditione. Tertullianus de præſcript. c. 4. dicit diabolum æmulari *Res divinorum Sacramentorum in idolorum myſteriis*, tingere ſuos, frontibus obſignare, mitra condecorare, panem offerre ; id eſt imitari Sacramenta Baptiſmi, Confirmationis, Ordinis, & Euchariſtiæ : tum addit : *Quid ? Quod & Summum Pontificem in unis nuptiis ſtatuit* : ubi Tertullianus Sacramentis proprie dictis Matrimonium annumerat. Ambroſius l. 1. de Abraham c. 7. *Cognoſcimus*, inquit, *præſulem cuſtodemque conjugii eſſe Deum, qui non patiatur alienum torum pollui ; & ſi qui fecerit peccare in Deum, cujus legem violat ; gratiam ſolvat : & ideo quia in Deum peccat, Sacramenti cœleſtis amittit conſortium* : Siricius Papa Ep. 1. c. 4. vocat violationem Matrimonii a Sacerdote benedicti Sacrilegium. Aug. l. 1. de nuptiis & concup. c. 10. l. 5. contra Julianum c. 12. l. de bono conjugali c. 24. duo diſtinguit in Matrimoniis infidelium, nempe finem, qui eſt generatio prolis, & fidem : tertium autem addit in Matrimoniis fidelium, ſcilicet Sacramentum. *Bonum igitur nuptiarum*, inquit ultimo loco citato, *per omnes gentes atque homines in cauſa generandi eſt, & in fide caſtitatis; quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in ſanctitate Sacramenti*. Evidens eſt, quod ſumat ſtricte Sacramentum, cum illud deneget Matrimoniis infidelium, quæ tamen habent rationem Sacramenti late ſumpti pro ſigno unionis Chriſti cum natura humana per Incarnationem. Et eodem lib. de bono conjugali c. 18. vocat Matrimonium *Signaculum & Sacramentum*, & caput ſic concludit : *In noſtrarum quippe* (mulierum) *nuptiis plus valeat ſanctitas Sacramenti, quam fœcunditas uteri* : & l. de fide & operibus c. 7. *in Eccleſia nuptiarum non ſolum vinculum, verum etiam Sacramentum ita commendatur*. Plura alia tum Aug. tum cæterorum Patrum teſtimonia, brevitatis cauſa omitto. Legi poſſunt apud Bellarminum, & alios.

Hanc traditionem firmant varia Concilia. Lucius III. qui florebat ſæculo 3. in Concilio Veronæ habito anathema dicit omnibus, qui de Baptiſmo, Euchariſtia, Confeſſione, Matrimonio, vel reliquis Sacramentis aliter ſenſerint quam ſacro ſancta Romana Eccleſia. Refertur cap. *Ad abolendam* extra. de hæreticis. Concilium Conſtantienſe ſeſſ. 15. & in Bulla Martini V. *Inter cunctas*, Florentinum in Decreto unionis agnoſcunt Matrimonium, ut Sacramentum novæ Legis, ac denique Concil. Trid. ſeſſ. 7. Can. 1. annumerat Matrimonium 7. Sacramentis : & ſeſſ. 24. Can. 1. ſic definit : *Si quis dixerit Matrimonium non eſſe vere & proprie unum ex ſeptem Legis Evangelicæ Sacramentis a Chriſto Domino inſtitutum, ſed ab hominibus in Eccleſia inventum, neque gratiam conferre, anathema ſit.*

Confir. ex hoc, quod ab Eccleſiæ incunabulis Matrimonium ſemper celebratum fuerit, ut res ſacra, in loco ſacro, ritibus ſacris, coram Miniſtro ſacro, quod ſane non ita ſemper obſervatum fuiſſet, ſi eſſet contractus mere civilis. Confer inſuper Diſſer. 7. de Sacramentis in genere art. 1. ubi probavimus ex Scriptura, Patribus, Conciliis ac conſenſu utriuſque Eccleſiæ Græcæ & Latinæ eſſe ſeptem Sacramenta.

Vix aliquid momenti objiciunt Hæretici, unde eorum argumenta leviter perſtringam. Dicunt itaque 1. Unum Sacramentum non opponitur alteri. Sed Ordo opponitur Matrimonio. Ergo. 2. In unoquoque Sacramento aſſignari debet Sacramentum tantum, res & Sacramentum, & res tantum, quæ aſſignari non poſſunt in Matrimonio. 3. Sacramentum efficit, quod ſignificat. Matrimonium ſignificat conjunctionem Chriſti cum Eccleſia per Incarnationem & charitatem, & tamen eam non efficit. 4. Non datur pecunia pro Sacramentis, datur autem pro Matrimonio. 5. Inter primos parentes, deinde in Lege naturæ & ſcripta, ac tum inter Infideles, eſt & fuit verum Matrimonium, & tamen nec eſt, aut fuit Sacramentum proprie dictum. 6. Matrimonium non cauſat gratiam, alioquin ſequitur, quod deſerens ſtatum Virginitatis, quem ſancte colebat, adipiſceretur augmentum gratiæ, quod videtur abſurdum, cum a perfectiori ſtatu ad imperfectiorem deficiat, & eſt contra Apoſt. 1. Cor. 7. dicentem, *Qui Matrimonio jungit virginem ſuam, bene facit, & qui non jungit, melius facit*. 7. Actus conjugalis eſt pars Matrimonii, & tamen non cauſat gratiam. 8. Magiſter & Durandus tenent Matrimonium non eſſe proprie Sacramentum, nec cauſare gratiam, & tamen neque S. Th. neque S. Bonav. illos damnant ut Hæreticos. 9. Eſto Matrimonium cauſet gratiam, non ſequitur inde, quod ſit proprie Sacramentum; Martyrium enim cauſat gratiam, neque tamen eſt Sacramentum. 10. Eccleſia in Conc. Trid. mutavit materiam Matrimonii, irritando conſenſum clandeſtinum ; quod facere non potuiſſet, ſi Matrimonium eſſet Sacramentum.

R. Ad 1. Sacramentum Ordinis non opponi Matrimonio, ſi quidem Sacerdotes Græci utantur Matrimonio; ſed in Eccleſia Latina conjugati arcentur ab Ordinibus, non ratione Sacramenti, ſed ratione ſtatus conjugalis, qui adfert varia impedimenta functionibus Sacerdotii. Ad 2. N. Min. (*Ibid. a. 1. ad 5.*) In Matrimonio enim Sacramentum tantum eſt conſenſus mutuus contrahentium exterius expreſſus, res & Sacramentum eſt vinculum, res tantum eſt gratia. 3. Matrimonium ut Sacramentum late ſumptum ſignificat conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, quam non efficit, ut Sacramentum late ſumptum ſignificat gratiam, quam efficit. Ad 4. Matrimonium eſt ſimul contractus civilis & Sacramentum. Datur pecunia pro illo, non prout eſt Sacramentum, ſed prout eſt contractus civilis gravia inferens onera, quibus ſublevandis neceſſaria eſt pecunia. Ad 5. D. Inter primos Parentes, in lege naturæ & ſcripta, & inter Infideles eſt & fuit verum

Ma-

Digitized by Google

Matrimonium in ratione contractus civilis in officium naturæ, C. In ratione Sacramenti, Subdiſtinguo. In ratione Sacramenti late ſumpti pro ſigno conjunctionis Chriſti cum Eccleſia, C. In ratione Sacramenti proprie ſumpti pro ſigno efficaci gratiæ, N. Ad 6. Comparando ſtatum cum ſtatu, ſtatus continentiæ eſt excellentior ſtatu Matrimonii, & melius facit, qui non jungit virginem ſuam, quam qui jungit; ſed hoc non impedit, quin continens, contrahendo Matrimonium, creſcat in gratia, quia Sacramentum, in quocumque ſtatu ſuſcipiatur, confert gratiam. Verum ſi continens in ſuo ſtatu manſiſſet, plus gratiæ inveniſſet apud Deum, quam ſit id, quod habet per Sacramentum. Ad 7. Uſus Matrimonii non eſt pars Matrimonii, ſed ejus actus & officium: gratia autem datur, dum perficitur Matrimonium. Si dicas copulam poſſe eſſe partem, Matrimonii caſu nempe, quo ſponſalibus ſuperveniret affectu maritali in locis, in quibus Trid. non eſt receptum. R. 1. nihil abſurdi eſſe, quod in hoc caſu copula ſecundum ſe poſſit cauſare gratiam, ſicut non eſt abſurdum, quod ſit meritoria; de facto tamen non cauſaret; quia Eccleſia ſemper prohibuit Matrimonia clandeſtina, & ideo peccaret, qui ſic contraheret, atque gratiæ poneret obicem. R. 2. non copulam, ſed conſenſum de præſenti comitantem copulam, efficere Sacramentum. Ad 8. Magiſter & Durandus non ſatis attendentes ad Traditionem erraverunt, & in hoc ſunt deſerendi. Excuſantur tamen ab hæreſi, eo quod nondum eſſet tunc ſolemnis Eccleſiæ definitio. Ad 9. Diſparitas eſt, quod Martyrium non ſit a Deo inſtitutum tanquam inſtrumentum ordinarium & permanens in Eccleſia ad cauſandam gratiam quod requiritur ad rationem Sacramenti; ſecus Matrimonium, ut jam dicam. Ad 10. Eccleſia non mutavit materiam Matrimonii formaliter; eſt enim ſemper conſenſus legitimus, ut erat antea; ſed mutavit materialiter tantum, efficiendo quod contractus, qui erat legitimus, non ſit amplius legitimus; ſicut qui converteret vinum in acetum, mutaret materiam Euchariſtiæ materialiter tantum, non formaliter. De hac diſtinctione jam dixi Diſſert. 1. de Sacram. in genere art. 5. Object. 3. & amplius dicam infra, dum de clandeſtinitate.

Petes 1. Quandonam Chriſtus inſtituit hoc Sacramentum? R. Id non conſtare inter Auctores. Quidam aſſignant nuptias in Cana Galilææ, quando eis Chriſtus benedixit, & eas ſua præſentia ac inſigni miraculo honeſtavit: idque innuunt Patres ſuperius laudati Cyrillus, Epiphanius, & Aug. & Alii dicunt inſtitutum fuiſſe, quando Chriſtus Matth. 19. abrogata lege repudii Matrimonium ad ſuam primam indiſſolubilitatem revocavit dicendo: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparat*. Alii tandem inſtitutum exiſtimant poſt reſurrectionem intra illos quadraginta dies, quibus Chriſtus frequenter de Regno Dei cum Apoſtolis loquebatur.

Petes 2. ad quid valeat gratia ſacramentalis Matrimonii? R. valere ad ſanctificationem conjugum, ad fovendum & perficiendum inter eos amorem mutuum, ut ſe caſte diligant, ſe intra limites Matrimonii contineant, & infirmitates invicem ſupportent, atque ad educationem chriſtianam prolium.

ARTICULUS IV.

Utrum Matrimonium inter abſentes contractum ſit proprie dictum Sacramentum?

SUPPONO Matrimonium inter abſentes initum eſſe validum in ratione Contractus Civilis, modo ſerventur conditiones requiſitæ a jure, de quibus infra: quia alii contractus inter abſentes ſunt validi, quidni matrimonialis? Aliunde jus Canonicum cap. finali de Procuratoribus in 6. l. 1. tit. 19. ſtatuit certas conditiones, ut Matrimonium inter abſentes contrahatur. Ergo ſupponit valide contrahi. Item l. *Sufficit* l. finali ff. de Sponſalibus habetur validus contractus Matrimonii inter abſentes. Et l. *Mulieres* de ritu nuptiarum dicitur: *Mulierem abſenti per litteras ſuas vel nunciam poſſe nubere, ſi placet*. Neque Trid. hæc jura revocavit aut mutavit ullatenus; ſed tantum requiſivit præſentiam Parochi & duorum teſtium, quæ conditio ſervari poteſt inter abſentes.

Difficultas eſt igitur, utrum valeat in ratione Sacramenti. Dupliciter autem vel tripliciter Matrimonium poteſt contrahi inter abſentes. 1. Per Procuratores, qui gerant vices contrahentium dicendo v. g. *Accipio te in uxorem nomine Petri*: & mulier reſpondeat: *Et ego, te mediante, Accipio Petrum in meum*; idque fiat coram Parocho & duobus teſtibus. 2. Per litteras, ut ſi vir ſcribat mulieri: me tibi trado in maritum, accepto tui traditionem, ubi facta fuerit coram Parocho & teſtibus. Et mulier viciſſim ſcribat viro; me tibi trado in uxorem, & accepto tui traditionem, ubi facta fuerit coram Parocho & teſtibus. Tunc lectis utriuſque litteris coram Parocho

& teſtibus perficitur Sacramentum; quia litteræ ſuccedunt loco contrahentium, non ſecus ac Procuratores. Similiter ſi loco litterarum contrahant per nuntios, qui coram Parocho & teſtibus exprimant mutuam traditionem & acceptationem contrahentium.

Dico. Matrimonium inter abſentes contractum, ſive per Procuratores, ſive per litteras, ſive per nuntios, eſt proprie dictum Sacramentum. Eſt communior contra Cajet. Cano, Sylvium, & quoſdam alios: Prob. 1. Eccleſia permittit hæc Matrimonia, ut patet ex jure cit. & uſu præſertim inter Magnates. Atqui Eccleſia non permitteret, nec permittere poſſet, ſi non eſſent vera Sacramenta: tum quia eſt contra inſtitutionem Chriſti, qui rationem Sacramenti annexuit omni valido contractui Matrimoniali: tum quia eſſet privare perpetuo ſic contrahentes gratia ſacramentali; eo quod traditio & acceptatio corporum ſemel valide facta iterari non poteſt, cum res donata non ſit amplius ſub dominio donatoris; proindeque ſi non fuit ab initio Sacramentum, nunquam fiet Sacramentum, nec conſequenter gratiam unquam conferet. Confer infra Petitionem 6. art. ſeq.

2. Chriſtus inſtituendo Sacramentum Matrimonii nihil immutavit in contractu matrimoniali; ſed eum validum elevavit ad eſſe Sacramenti. Atqui ex ſuppoſitis eſt contractus validus inter abſentes. Ergo. Confirm. In hoc contractu reperiuntur omnia neceſſaria ad eſſe Sacramenti, materia, forma, Miniſter, ſive ſit Sacerdos, ſive ſint contrahentes, & intentio; contrahentes enim ſunt moraliter præſentes per procuratores, qui ſunt eorum inſtrumenta. Ergo.

3. Eccleſia judicat de iſtis Matrimoniis. Ergo non ſunt contractus mere civiles, ſed ſacri.

Solvuntur Objectiones.

OBJ. 1. Alia Sacramenta non recipiuntur per Procuratores. Ergo nec Matrimonium. R. N. Conſequ. Diſparitas eſt, quod alia Sacramenta non fundentur in contractu ſicut Matrimonium, cujus ideo naturam ſequitur, contractus autem fieri poteſt inter abſentes per Procuratorem.

Inſt. 1. Quamvis Sacramentum Matrimonii fundetur in contractu, ipſa tamen ratio Sacramenti ſuperaddita impedit, quominus poſſit conferri abſenti. Ergo. Prob. Min. Sic quamvis aliquis abſens poſſit judicialiter abſolvi in foro externo, attamen abſolutio pœnitentialis in foro interno, eo quod ſit Sacramentalis, non poteſt conferri abſenti. Ergo ſimiliter quamvis, &c. R. N. Ant. Ad Probat. Dato Ant. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod in judicio externo alius ſit reus, alius accuſator, alius teſtis, nec in reo requiratur diſpoſitio, & ideo poteſt exerceri in abſentes. At in foro interno pœnitentiæ idem eſt reus, accuſator, & teſtis, in quo requiritur diſpoſitio, & quæ debet innoteſcere judici. Quapropter abſolutio pœnitentialis, non ſolum quia eſt ſacramentalis, ſed etiam quia eſt judicialis, non poteſt exerceri in abſentes, & ideo omiſi Ant. Verum nihil obſtat, quominus Matrimonium, cum ſit contractus humanus, perficiatur inter abſentes, non ſolum in ratione contractus, ſed etiam in ratione Sacramenti, quippe quæ fundata eſt in ipſo contractu, & ipſi accommodata.

Inſt. 2. Sicut collatio Sacramenti eſt perſonalis, ita & ejus receptio. Ergo Sacramentum Matrimonii recipi non poteſt per procuratorem. R. D. Conſeq. Ergo Sacramentum Matrimonii non poteſt recipi per procuratorem, ſic ut procurator recipiat Sacramentum, C. Sic ut Procurator ſit inſtrumentum, mediante quo mandans ſeu contrahens recipiat Sacramentum, N. Non ergo procurator ſed contrahens recipit Sacramentum recipiendo gratiam, ſicque receptio eſt perſonalis.

Inſt. 3. Hujuſmodi Matrimonium non poteſt cauſare gratiam. Ergo. Prob. Ant. Cum Sacramenta novæ Legis ſecundum nos cauſent phyſice gratiam, debent exiſtere phyſice. Atqui conſenſus contrahentis, quo efficitur Matrimonium, dum Procurator ejus nomine contrahit, non exiſtit phyſice, ſed moraliter tantum in conſenſu Procuratoris. Ergo. R. N. Ant. Ad Probat. Dixi in Tract. de Sacramentis in genere, Sacramenta novæ Legis cauſare gratiam phyſice, quando adſunt conditiones requiſitæ ad cauſalitatem phyſicam, quarum præcipua eſt exiſtentia, qua deficiente cauſant tantum moraliter.

Inferes. Ergo ſi dum Procurator contrahit, mandans dormiat, recipiet gratiam dormiendo. Atqui id videtur abſurdum. Ergo. R. N. Min. Sicut enim non eſt abſurdum, quod qui ante ſomnum habuit intentionem ſuſcipiendi Baptiſmum, aut patiendi martyrium, ſi dormiens baptizetur, aut occidatur, recipiat gratiam in ſomno: ita ſimiliter in noſtro caſu.

Obj. 2. Hæc verba, *Baptizo te*, *abſolvo te*, &c. requirunt præſentiam phyſicam baptizandi aut abſolvendi. Ergo & iſta: *Accipio te in meam*, &c. requirunt præſen-

tiam phyſicam contrahentium. R. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod hæc verba, *Baptizo te*, *abſolvo te*, *&c.* directa ad perſonam præſentem ſint eſſentialia Sacramento Baptiſmi & Pœnitentiæ; quia ſunt eorum formæ. At hæc verba, *Accipio in meam*, *&c.* non ſunt eſſentialia Sacramento Matrimonii, ſed poſſunt adhiberi quæcumque alia; vel etiam ſigna aut nutus, quibus exprimatur conſenſus contrahentium, quod proinde poteſt fieri per Procuratores, vel per litteras aut nuntium.

Inſt. Concilium Trid. Seſſ. 24. c. 1. de Ref. exigit, ut Parochus, *Viro & muliere interrogatis & eorum mutuo conſenſu intellecto, vel dicat*; Ego vos in Matrimonium conjungo in nomine Patris, *&c. vel aliis utatur verbis, juxta receptum uniuſcujuſque Provinciæ ritum*. Atqui hæc ſupponunt præſentes contrahentes. Ergo. R. D. Min. Hæc ſupponunt contrahentes præſentes phyſice, N. Præſentes moraliter per Procuratores, C. Dum enim interrogat Procuratores, interrogat contrahentes, quorum vice gerunt, dum dicit *conjungo vos*, conjungit contrahentes non Procuratores, qui ſe habent tantum tamquam inſtrumenta; ſicut dum Sacerdos in nomine Chriſti dicit, *Hoc eſt corpus meum*, non ſuum, ſed corpus Chriſti conſecrat. Adde Trid. ibi præſcribere modum ordinarium celebrandi Matrimonium in facie Eccleſiæ, non quæ ſunt neceſſaria ad ejus validitatem.

Obj. 3. Qui contrahunt per Procuratores, iterum contrahunt perſonaliter coram Parocho. Ergo Matrimonium contractum per Procuratores non erat Sacramentum, alioquin iterari non poſſet. R. quoſdam ſentire, quod renovent conſenſum, ut ſi forte prior fuerit invalidus ad rationem Sacramenti, jam nunc valeat. At immerito: contractus enim donationis ſemel validus iterari non poteſt, ut jam dixi, cum res ſemel valide donata non ſit amplius ſub dominio donatoris, & ideo nec fieri Sacramentum, ſi antea non erat; quia ratio Sacramenti ſequitur ad contractum in fieri, non in facto eſſe. Vide Petit. 6. Art. ſequentis. Negandum eſt itaque Ant. & dicendum, quod ſuppleantur tantum ſolemnitates omiſſæ, & quod contrahentes ratihabendo Matrimonium per Procuratores contractum declarent ſe perſeverantes fuiſſe in conſenſu, dum contrahebant ſuo nomine.

ARTICULUS V.

Variæ Quæſtiunculæ circa præſentem materiam breviter reſolvuntur.

PEtes 1. Quæ ſint conditiones a jure requiſitæ, ut Matrimonium inter abſentes ſit validum? R. Sex requiri. Prima eſt, ut Procurator ad hoc habeat ſpeciale mandatum, nec ſufficit generalis commiſſio ad omnia, quæ mandantem ſpectant. Secunda, quod non poſſit alium deputare, niſi hoc eidem ſit ſpecialiter conceſſum. Tertia, quod mandatum non ſit revocatum etiam mentaliter antequam Procurator contraxerit. Si enim revocatum fuerit, licet revocatio neque mandatario, neque mulieri cum qua contrahit, innotuerit, nullum eſt Matrimonium quia deeſt conſenſus, quem jus ſupplere non poteſt, ſicut poteſt in aliis contractibus, qui ideo in præſenti caſu ſunt validi; ut habetur in jure l. *Si mandatum* 15. ff. *Mandati* Clementina unica de renuntiatione, & c. *In parte* 33. Extra. de reſcriptis. Has tres conditiones expreſſe requirit Bonifacius VIII. cap. finalis de Procuratoribus in 6. l. 1. tit. 19. Quarta, ut mandatum ſit ſpeciale non ſolum de Matrimonio contrahendo, ſed etiam cum determinata perſona: L. generali 34. ff. de Ritu nuptiar. Quinta, quod mandatarius non excedat fines mandati l. *Diligenter* ff. mandati. Unde ſi illi ſit mandatum, ut ſub tali re, ſub his vel illis conditionibus contrahat, aliter contrahens nihil efficit; ſecus tamen ſi formam mandati excedat, ut ſi mandatum ipſi fuit contrahere ſecundum formam Trid. præmiſſis bannis, & omittat ſive ex licentia, ſive ſine licentia, valet Matrimonium, quia mandans non cenſetur præſcripſiſſe formam aliter, quam ſit ab Eccleſia præſcripta, nec voluiſſe apponere conditionem, ſine qua non valeat Matrimonium; ſed tantum indicare, & certiorem reddere mandatarium, ut hoc modo mandatum exequatur. Sexta, ut contrahat coram Parocho & teſtibus ſecundum formam a Trid. præſcriptam.

Petes 2. An mandatum debeat dari coram Parocho & teſtibus? R. negative; quia id tantum requirit Tridentino quando Matrimonium de facto contrahitur.

Petes 3. Utrum, ſi mandans dederit mandatum ficte, valeat Matrimonium; ſi antequam celebretur, mutaverit animum & ratum habuerit mandatum? R. probabilius affirmative; quia verba Procuratoris ſunt tantum ſigna conſenſus pro tunc in mandante exiſtentis, & ſi conſenſum præteritum ſignificent, eſt quatenus cenſetur moraliter præſens.

Petes 4. An ſi mandans incidat in amentiam, antequam mandatarius contrahat, validum ſit Matrimonium? R. probabilius affirmative, quia quamdiu conſenſus non revocatur, ſemper remanet virtualiter. Vide de Sacram. in genere Diſſert. 5. a. 7. §. 3. Concl. 1. in Object.

Petes 5. Utrum inter fideles baptizatos poſſit dari Matrimonium validum in ratione contractus; & non in ratione Sacramenti? Suppono poſſe dari inter infideles, & etiam fideles non baptizatos, ſcilicet catechumenos, quippe qui defectu Baptiſmi ſunt aliorum Sacramentorum incapaces. R. ad quæſtionem affirmative; quia Chriſtus elevando contractum matrimonialem ad eſſe ſacramentale non minuit vim contractus, ſed virtutem tantum ſupernaturalem ſuperaddidit; ſicut elevando ablutionem in Baptiſmo ad rationem Sacramenti, non abſtulit illi vim abluendi, ſed virtutem tantum ſupernaturalem abluendi ſpiritualiter, ſeu ſanctificandi contulit, & ſic de aliis Sacramentis. Sicut ergo qui ablueret ſine intentione conferendi Sacramentum, vere & efficaciter ablueret corpus, & non conficeret Sacramentum, ita qui contractum Matrimonii iniret ſine intentione Sacramenti, vere & valide contraheret, & non faceret Sacramentum, quia ad validitatem Sacramenti requiritur intentio.

Quamvis ergo Deus inſtituerit Sacramenta independenter a voluntate hominum, noluit tamen hæc in actu poni abſque eorum voluntate & intentione, ut alibi probavimus. Neque obſtat, quod dixerit: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*. Hoc enim dixit de indiſſolubilitate Matrimonii, non de conjunctione contractus cum Sacramento. Aliunde non omnia, quæ Deus conjunxit, talia ſunt, quæ ſeparari non poſſint, aut debeant; conjunxit animam corpori, quam tamen juſtus Judex, occidendo furem, ſeparat.

Petes 6. Utrum Matrimonium inter infideles contractum fiat Sacramentum, dum poſtea baptizantur, præſertim ſi renovent conſenſum? R. negative, quia Sacramentum Matrimonii conſiſtit in fieri contractus, ſicut omnia alia Sacramenta, excepta Euchariſtia, conſiſtunt in fieri, & in actione tranſeunte; ſic Baptiſmus conſiſtit in actuali applicatione aquæ ad corpus, & ſic de cæteris. Atqui in caſu non poteſt fieri novus contractus Matrimonii, quia res ſemel donata & tradita, cum non ſit amplius ſub dominio donatoris, non poteſt amplius valide donari, ſicut qui vendidit & tradidit equum, nihil efficeret, ſi vellet iterum illum vendere. Unde quando S. Th. dixit in 4. D. 39. Q. unica a. 2. ad 1. Matrimonium infidelium eſſe *Aliquo modo Sacramentum habitualiter, non actualiter*, ſic intelligi debet, quod hujuſmodi Matrimonium quantum eſt ex ſe & ratione contractus, ſit aptum, ut fiat Sacramentum, ſi contraheretur in fide Eccleſiæ ſuſcepta per Baptiſmum.

Petes 7. Utrum Sacramentum Matrimonii poſſit claudicare, ita quod ſit in uno contrahentium & non in alio; ut ſi fidelis ex diſpenſatione pontificia contraheret cum infideli, aut ſi fideles contrahentes intendant ambo conficere Sacramentum, unus autem non intendat recipere? R. probabilius negative; quia Matrimonium, ut contractus, non poteſt eſſe in uno & non in alio; ſed eſt neceſſario in duobus. Ergo ſimiliter Matrimonium, ut Sacramentum; ſequitur enim ut tale naturam contractus. Unde quamvis duo contrahentes intendant conferre Sacramentum, ſi unus intendat non recipere, nec alter recipit, non obſtante intentione recipiendi; quia non eſt ſubjectum capax. Non enim ſunt plura Sacramenta, quorum unum ſit in uno contrahente, & aliud in alio, ſed eſt unum in duobus partialibus ſubjectis ſe habentibus per modum unius. Si dicas, quod unus poſſit recipere gratiam, & non alter defectu diſpoſitionis, ita eſt, ſed in hoc caſu uterque recipit Sacramentum, cujus effectui unus ponit obicem, non alter.

ARTICULUS VI.

Quis ſit Miniſter Matrimonii?

UNANIMIS fuit antiquorum Theologorum ſententia, ſi forte excipias Guillelmum Pariſienſem, contrahentes eſſe ipſos Miniſtros Matrimonii, non ſolum in ratione contractus, ſed & in ratione Sacramenti, donec Melchior Cano l. 8. de locis Theologicis c. 5. in ſol. ad 3. novam viam ingreſſus docuit Sacerdotem eſſe Miniſtrum Sacramenti Matrimonii; verba *Ego vos conjugo* eſſe formam; materiam conſenſum mutuum contrahentium. Hunc non pauci nec ignobiles Theologi ſunt ſecuti, Eſtius, Sylvius, & inter Recentiores Juenin, Tournely, & alii. Verum cum Scholarum Principibus, Magiſtro ſententiarum, Doctore Angelico, Doctore Subtili, cumque antiquiori & etiam nunc communiori ſententia.

Dico. Miniſter Sacramenti Matrimonii ſunt ipſi contrahentes. Prob. 1. Cauſa efficiens Sacramenti Matrimonii eſt illius Miniſter. Atqui contrahentes ſunt cauſa efficiens Sacramenti Matrimonii. Ergo. Prob. Min. ex Concilio Floren-

rent. in Decreto pro inſtructione Armenorum, ubi dicitur: *Cauſa efficiens Matrimonii eſt mutuus conſenſus per verba de præſenti regulariter expreſſus*, ſeu contrahentes per hunc mutuum conſenſum. Ergo. Dixit autem Concilium *Per verba regulariter expreſſus*, quia poteſt exprimi conſenſus aliter quam per verba, nempe per nutus ac ſigna.

Reſpondet Tournely, quod dicit Concilium de cauſa efficiente, non ſpectare Matrimonium quatenus eſt Sacramentum, ſed quatenus eſt contractus, ex quo reſultat vinculum indiſſolubile. *Et ita eſſe*, inquit, *oſtendit mutata loquendi ratio, qua uti ſolet Eugenius in aliis Sacramentis. Statim enim ac dixit v. g. primum omnium Sacramentorum eſt Baptiſmus, addit* Hujus Sacramenti materia, *&c. At in præſenti caſu mutat loquendi rationem & ſimpliciter ait:* Cauſa efficiens Matrimonii, *&c. ne ſcilicet rem ſueret in ſcholis hinc & inde agitatam*. Sed contra. Concilium in his verbis loqui de Matrimonio, ut eſt Sacramentum, conſtat 1. quia loquitur de Matrimonio, quod immediate ante dixerat eſſe *Septimum Sacramentum*; id enim exigit ſermonis ſeries; nec veriſimile eſt, quod proponens agere de Matrimonio ut Sacramento, ſtatim ab inſtituto deflectat. Quia initio hujus cap. de Sacramentis dicit: *Eccleſiaſticorum Sacramentorum veritatem pro ipſorum Armenorum ... faciliori doctrina ſub hac breviſſima redigimus formula*. De Sacramentis ergo qua talibus Concilium intendit inſtruere Armenos, conſequenter de Matrimonio ut Sacramento. Et velim, ut quid indigebant inſtrui Armeni de cauſa efficienti Matrimonii in ratione contractus? ignorabant forte, quod neminem latet, eſſe conſenſum contrahentium? 3. Nullum etiam Miniſtrum deſignat Concilium, neque Sacerdotis meminit, cujus tamen præſentiam cum aliqua formula debuiſſet requirere, ne forte ejus defectu nullum eſſet Sacramentum, ſi vera ſit adverſariorum ſententia. Conjectura autem Tournely futilis eſt ac infundata; ideo enim Concilium dixit, *Cauſa efficiens Matrimonii*, & non *hujus Sacramenti*, ut in aliis Sacramentis, ne To *hujus Sacramenti* referretur ad conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, de qua immediate locutum fuerat. En ejus verba: *Septimum eſt Sacramentum Matrimonii, quod eſt ſignum conjunctionis Chriſti & Eccleſiæ, ſecundum Apoſt. dicentem*, Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia: *Cauſa efficiens Matrimonii eſt*, *&c.* Res in aperto eſt.

Prob. 2. Concilium Trid. Seſſ. 24. cap. 1. de Ref. Matrim. declarat, quod quamvis Eccleſia ſemper deteſtata ſit, atque prohibuerit Matrimonia clandeſtina, *Ea tamen ſint rata & vera Matrimonia*; quamdiu Eccleſia ea irrita non fecit, & anathemate damnat eos, qui ea *vera ac rata* eſſe negant.

Reſpondet Tournely, Matrimonia clandeſtina fuiſſe vera & rata in ratione contractus, non in ratione Sacramenti. Sed contra. Secundum jura omne Matrimonium Chriſtianorum ratum eſt Sacramentum; ita declarat Innocentius III. cap. *Quanto* de divortiis extra. l. 4. tit. 19. *Etſi*, inquit, *Matrimonium verum inter Infideles exiſtat, non eſt tamen ratum: inter fideles autem verum & ratum exiſtit, quia Sacramentum fidei, quod ſemel eſt admiſſum, nunquam amittitur, ſed ratum efficit conjugii Sacramentum*. Vides Matrimonium inter infideles eſſe verum, ſed non ratum; quia defectu Baptiſmi non eſt Sacramentum: inter fideles autem ratione Baptiſmi eſſe ratum, quia eſt Sacramentum. Unde Fagnanus ad c. *Quod nobis* de clandeſt. Deſponſat. n. 51. & plures apud ipſum docent, Catholicos ſemper ſenſiſſe Matrimonium verum & ratum Chriſtianorum, cum debita intentione contractum, eſſe Sacramentum, ita ut contrarium aſſerere ſit ſecundum illos periculoſum in fide.

Prob. 3. Sacra Congr. Concilii Trident. 2. Martii 1580. declaravit hæc verba, *Ego vos conjungo*, quæ juxta Trid. Seſſ. 24 c. 1. de Ref. Nat. Parochus, viro & muliere interrogatis, debet dicere, non pertinere ad ſubſtantiam Matrimonii: *Ideoque valere, etiamſi verba prolata ſint tantum a contrahentibus & non a Parocho, dummodo adſit præſentia Parochi, quam abſque verbis ſufficere putavit*. Palam eſt Congregationem loqui de Matrimonio ut Sacramentum; tum quia de hoc interrogabatur, tum quia loquitur de Matrimonio ad ſenſum Trid. quod interpretatur.

Reſpondet Tournely poſt Sylvium, hanc declarationem nullius eſſe ponderis, nec illi fidem eſſe adhibendam; quia Urbanus VII. decreto dato 2. Auguſti 1631. edixit de declarationibus Congregationis Concilii Trid. *tam impreſſis & imprimendis, quam manuſcriptis nullam eſſe fidem in judicio & extra adhibendam; ſed tantum illis, quæ authentica forma, ſolito ſigillo & ſubſcriptione Eminentiſſimi Cardinalis Præfecti ac Secretarii ejuſdem Congregationis pro tempore exiſtentis, munitæ fuerint*. Sed contra 1. Fagnanus vir integerrimus, qui circa tempora Urbani erat Secretarius Congregationis, & decretum Pontificis apprime noverat, refert hanc declarationem ad c. *Quod nobis* jam cit. eam autem veriſimiliter non citaſſet, ſi authentica non fuiſſet. 2. Dato non eſſe authenticam, Urbanus hujuſmodi declarationibus deneget fidem juridicam tantum, non hiſtoricam, ut late probavi Diſſert. 6. de ſcientia media a. 6. §. 8. tit. *De Paulo V.* object. 2. Non enim Papa poteſt efficere, id, quod factum eſt, non fuiſſe factum.

Prob. 4. Matrimonium contractum invalide coram Parocho & teſtibus propter impedimentum occultum gravis metus, ſi poſtea accedat conſenſus ſpontaneus utriuſque partis, fit validum abſque præſentia Parochi, juxta reſponſum S. Congregationis & declarationem S. Pii V. apud Fagnanum ad cap. *Is qui fidem* de ſponſalibus n. 14. Convaleſcere autem non ſolum in ratione contractus, ſed etiam Sacramenti juxta mentem ſum. Pontificis & S. Congregationis indubitatum videtur, cum non ſit credibile ſum. Pontificem & S. Congregationem voluiſſe tantum docere, quid eſſet neceſſarium ad validitatem contractus civilis, & omiſiſſe, quod requiritur ad rationem Sacramenti conjugatis ſumme neceſſarii. Similiter Matrimonium contractum per verba de præſenti coram Parocho & teſtibus ſub conditione de futuro, adimpleta conditione convaleſcit abſque præſentia Parochi, ut declaravit S. Pius V. apud Fagnanum loco cit. id autem fieri non poſſet, ſi Parochus proferens hæc verba, *Ego vos conjungo* ut formam Sacramenti, eſſet Miniſter. Forma enim Sacramenti debet proferri dum perficitur Sacramentum, ut patet in omnibus aliis Sacramentis. Item dum ſacra Pœnitentiaria committit Confeſſario facultatem diſpenſandi ſuper. Matrimonio inito cum impedimento occulto affinitatis ex fornicatione, apponit hanc clauſulam: Ut Commiſſarius cum taliter conjugatis de nullitate prioris conſenſus certioratis diſpenſet, *ut Matrimonium ſecrete inter ſe contrahere valeant*. Non eſt autem veriſimile, ut jam dixi, ſacram Pœnitentiariam eſſe ſollicitam de procuranda validitate contractus civilis, & non curare ſanctitatem Matrimonii eorum, qui ad eam pro diſpenſatione recurrunt.

Prob. 5. Chriſtus inſtituendo Sacramentum Matrimonii nihil aliud fecit, quam elevare inter Chriſtianos contractum matrimonialem validum, ut in uſu erat, ad dignitatem Sacramenti; ſi quid aliud, probent Adverſarii, ſi poſſunt, ex Scriptura vel Traditione. Ergo iidem ſunt Miniſtri Sacramenti qui & contractus, & qui antea ſe ciebant contractum tantum, jam faciunt Sacramentum. Subſumo. Atqui Miniſtri contractus, ſecundum omnes, ſunt contrahentes. Ergo & Sacramenti. Quantum ad D. Th. expreſſa eſt ejus ſententia in 4. d. 26. q. 2. a. 1. ad 1. refertur in Supp. q. 42. a. 1. ad 1. *Verba*, inquit, *in quibus conſenſus matrimonialis exprimitur, ſunt forma hujus Sacramenti, non autem benedictio Sacerdotis, quæ eſt quoddam ſacramentale*. Item in 4. d. 28. q. unica a. 3. o. Supp. q. 45. a. 5. o. ubi quærit, utrum conſenſus in occulto per verba de præſenti faciat Matrimonium? Dicit: *Conſenſus expreſſus per verba de præſenti inter perſonas legitimas ad contrahendum, Matrimonium facit; quia hæc duo ſunt de eſſentia Sacramenti; alia autem omnia ſunt de ſolemnitate Sacramenti, quia ad hoc adhibentur, ut Matrimonium convenientius fiat: unde ſi omittantur, verum eſt Matrimonium, quamvis peccent ſic contrahentes, niſi per aliquam legitimam cauſam excuſentur*. Et cum ibidem 2. loco ſibi objeciſſet: *Sacramentum Pœnitentiæ non perficitur niſi mediantibus Eccleſiæ Miniſtris: ergo nec Matrimonium perfici poteſt in occulto abſque Sacerdotali benedictione*. Reſpondet ſic: *Ad 2. dicendum, quod actus noſter in Pœnitentia, quamvis ſit de eſſentia Sacramenti, non tamen eſt ſufficiens ad inducendum proximum effectum Sacramenti, ſcilicet abſolutionem a peccatis, & ideo oportet, quod ad perfectionem Sacramenti interveniat actus Sacerdotis. Sed in Matrimonio actus noſtri ſunt cauſa ſufficiens ad inducendum proximum effectum, qui eſt obligatio; quia quicumque eſt ſui juris, poteſt ſe alteri obligare. Et ideo Sacerdotis benedictio non requiritur in Matrimonio quaſi de eſſentia Sacramenti*. Hæc teſtimonia ſole clariora obſcurare nititur Sylvius, ſed irrito conatu, ut patebit ex ſolutionibus objectionum.

Solvuntur Objectiones.

OBJ. 1. Concilium Trid. ſeſſ. 24. cap. 1. de Ref. Matrim. præcipit, ut Parochus intellecto conſenſu dicat: *Ego vos in Matrimonium conjungo in nomine Patris*, &c. Iſta autem verba vera ſunt. Ergo Parochus vere illos conjungit in Matrimonium; non quatenus eſt contractus, quia ſic jam ſunt conjuncti per mutuum conſenſum. Ergo in ratione Sacramenti. Ita Sylvius.

R. D. conſeq. Ergo Parochus vere illos conjungit abſolute & coram Deo, N. in facie Eccleſiæ, quatenus efficit, ut habeantur in jure pro legitime conjunctis, C. Vel ut alii dicunt, conjungit approbative, quatenus approbat & declarat legitimam eorum conjunctionem. Si dicas, hoc non eſſe proprie conjungere, ſed declarare conjunctio-

tractus poſſit initi nutibus, hi nutus æquivalent verbis, quatenus non ſecus ac verba ſignificant interiorem conſenſum; & nihil aliud requirere Concilium conſtat ex eo, quod agens de Matrimonio dicat, quod cauſa efficiens Sacramenti Matrimonii ſit *Mutuus conſenſus per verba de præſenti regulariter expreſſus*. Dixit, *regulariter*, quia aliquando exprimitur per nutus, qui verbis æquivalent. Ad 2. partem Min. illam N. Quamvis enim contrahentes ignorent ſe eſſe Miniſtros, ſufficit, quod intendant facere, quod alii faciunt, & quod intendit Eccleſia, ut faciant.

Inſt. Si quis tentaret aliquod aliud Sacramentum conficere per nutus & ſigna, nihil efficeret. Ergo ſimiliter in Matrimonio. R. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod alia Sacramenta non fundentur in contractu ſicut Matrimonium, ex quo fit, quod ſicut ad contractum ſufficiunt nutus, qui æquivaleant verbis, ita ad Sacramentum Matrimonii.

Obj. 4. Miniſtri aliorum Sacramentorum ſunt Sacerdotes. Ergo & Matrimonii. R. 1. N. Ant. univerſaliter ſumptum; inſtantia eſt in Baptiſmo, cujus Miniſter poteſt eſſe Laicus. 2. Dato Ant. N. Conſeq. Diſparitas eſt proxime data, quod alia Sacramenta non fundentur in contractu, Matrimonium autem nihil ſit aliud quam contractus elevatus ad eſſe Sacramenti. Unde cauſa efficiens contractum efficit ſimul Sacramentum. Diſparitatem amplificat Auctor, (*Supp. q. 45. a. 3. ad. 5.*) ut vidimus in probationibus.

Inſt. 1 In aliis Sacramentis non eſt idem conficiens & ſuſcipiens Sacramentum. Ergo nec in Matrimonio. R. N. Conſeq. Eadem eſt ſemper diſparitatis ratio. Sacramentum Matrimonii id habet ſpeciale, quod ſit contractus elevatus ad eſſe Sacramenti. Unde ſicut contrahentes ſunt Miniſtri, & ſubjecta contractus, ita & Sacramenti. Neque id mirum videri debet, quod in duobus ſit unum Sacramentum, quia in duobus eſt unus contractus, quod non contingit in aliis Sacramentis.

Inſt. 2. Vel quilibet contrahens ſibi, vel unus alter viciſſim Sacramentum adminiſtrat. Primum dici non poteſt, quia nullus ſibi miniſtrat Sacramentum, quod in actione conſiſtit. Secundum difficile concipitur in noſtra ſententia; vix enim exponi poteſt, an prius vir mulieri, an viro mulier Sacramentum conferat, an ſimul & eodem inſtanti ſibi invicem. Ita Tourneiy. R. eodem modo contrahentes ſibi invicem conferre Sacramentum, quo contractum conficiunt; & quia contractum ſimul conficiunt per mutuam traditionem & acceptationem, ita ſibi conferunt Sacramentum; nec refert, quod unus prius loquatur, moraliter enim durat ejus conſenſus donec alter accedat, quo accedente completur contractus & Sacramentum.

Inſt. 3. Miniſter cujuſvis Sacramenti illud confert v[illegible] & in perſona Chriſti juxta illud: *Hic eſt qui baptiza*[illegible] Atqui dum contrahentes dicunt *accipio te in meum* vel *meam*; non loquuntur vice & in perſona Chriſti; non enim Chriſtus principaliter accipit in ſuam, aut uxorem ducit. Ergo. R. D. Min. Dum contrahentes dicunt; accipio te, &c. non loquuntur vice & in perſona Chriſti, quatenus ineunt contractum civilem, ſeu ſe jungunt in ordine ad carnale commercium, C. Quatenus faciunt Sacramentum ſeu ſe jungunt per gratiam ſacramentalem, N. Sic enim Chriſtus eſt principalis Miniſter & accipit ſponſum in ſuum & ſponſam in ſuam, ſicut accipit in ſuos omnes, quibus confert gratiam.

Inſt. 4. Ante Trid. & in locis, in quibus non eſt receptum, copula ſupplebat & ſupplet vices horum verborum, *Accipio te*, &c. Atqui copula non fiebat, nec fit vice & in perſona Chriſti. Ergo. R. D. Maj. Copula præciſe ſupplebat vices verborum *Accipio te*, &c. N. Copula cum manifeſtatione conſenſus mutui in ordine ad contractum matrimonialem, C. Cauſa itaque efficiens Sacramentum Matrimonii eſt conſenſus mutuus ſigno externo expreſſus; quod ſit autem hoc vel illud ſignum, materialiter & accidentaliter ſe habet. Cum ergo copula etiam poſt ſponſalia poſſit haberi animo fornicario vel conjugali, non ipſa. ſed conſenſus mutuus materialis exterius expreſſus fit vice & in perſona Chriſti.

Obj. 5. S. Th. in 4. D. 1. q. 1. a. 3. ad 5. hæc habet; *Matrimonium ſecundum quod eſt in officio naturæ, & Pœnitentia ſecundum quod eſt virtus, non habet aliquam formam verborum, ſed ſecundum quod utrumque eſt Sacramentum in diſpenſatione Miniſtrorum exiſtens, utrumque habet aliqua verba, ſicut in Matrimonio ſunt verba exprimentia conſenſum & iterum benedictiones ab Eccleſia inſtituta.* Item D. 17. q. 3. a. 3. q. 1. Supp. q. 8. a. 1. *Solus*, inquit, *eſt ille Miniſter Sacramentorum, in quibus gratia datur, qui habet miniſterium ſuper Corpus Chriſti verum, quod ſolius Sacerdotis eſt*. Item d. 18. q. 2. o. Supp. q. 22. a. 2. & l. 4. cont. Gent. cap. 78. dicit Matrimonium eſſe Sacramentum Eccleſiæ, quia per Miniſtros Eccleſiæ diſpenſatur: *Unde*, inquit, *& quædam benedictio adhibetur per Miniſtros Eccleſiæ adhibeatur*. Ex his infert doctiſſ. Sylvius, quod ſi S. Doctor Summam abſolviſſet, agniturus fuiſſet Sacerdotem pro Miniſtro Matrimonii. R. Quod cum omnia fere, quæ objiciuntur, ſcripſerit S. Th. antequam ſcriberet quæ pro concluſione noſtra retulimus, & his prioribus non obſtantibus decretorie aſſerat concluſionem noſtram in ſequentibus; ex prius dictis infundate conjicit Sylvius, quod ſi Summam abſolviſſet, agnoviſſet Sacerdotem pro Miniſtro Matrimonii; ſicut enim prius dicta in Commentariis in 4. non obſtiterunt, quominus in ſequentibus aſſeruerit concluſionem, ita non obſtarent, ſi eadem dixiſſet in Summa. Et hoc maxime, quia hæc facile conciliantur, ſi priora intelligantur non de Miniſtro & forma Sacramenti quoad ſubſtantiam, ſed de Miniſtro & forma ſolemnitatis, ut ipſe ſe explicat 1. loco in Objectione poſito, *Sicut in Matrimonio*, inquit, *verba exprimentia conſenſum, & iterum benedictiones ab Eccleſia inſtitutæ*. Ubi aſſert pro forma eſſentiali verba exprimentia conſenſum, & benedictionem Sacerdotis pro cæremonia ſeu forma accidentali, quippe quæ non ſit a Chriſto, ſed *ab Eccleſia inſtituta*. Adde, quod ſi ita non intelligas, cogeris admittere S. Doctorem in poſterioribus operibus, quæ citavimus pro concluſione noſtra, vel mutaſſe ſententiam in favorem noſtrum, vel ſibi contradicere; idemque foret dicendum, ſi ſimilia haberet in Summa. Nec alio ſenſu accipiendus eſt textus ex lib. 4. contra Gentes; non enim dixit S. Th. Matrimonium eſſe Sacramentum, quia *per Miniſtros Eccleſiæ diſpenſatur*; quaſi exiſtimaſſet Sacerdotem hujus Sacramenti Miniſtrum eſſentialem, ſed quia ex eo, quod adhibeatur Miniſter Eccleſiæ, dignoſcitur, tanquam ex ſigno, quod Matrimonium ſit Sacramentum, & non contractus mere civilis. Ita Ferrarienſis in hunc locum.

Quantum ad alia quædam argumenta, quæ opponi poſſunt, conſule art. ſequentem.

A R T I C U L U S VII.

De Materia & forma Sacramenti Matrimonii.

QUi tenent Sacerdotem eſſe Miniſtrum Sacramenti Matrimonii, dicunt contrahentes eſſe materiam remotam ſeu circa quam, actus ſenſibiles contrahentium materiam proximam & ex qua; hæc verba Sacerdotis, *Ego vos conjungo*, formam. At aliter qui contrahentes pro Miniſtris agnoſcunt. Unde

Dico 1. Materia remota & circa quam Sacramenti Matrimonii ſunt contrahentium corpora, ſeu ut alii volunt, quod perinde eſt, dominium mutuum in corpora in ordine ad uſum conjugalem. Patet, quia Matrimonium tam [illegible] ratione contractus, quam in ratione Sacramenti verſa[illegible] circa corpora contrahentium, ſeu circa mutuum eo[illegible]m dominium, ſicut venditio agri verſatur circa agrum & ejus dominium. Dixi *in ordine ad uſum conjugalem*, per quod diſtinguitur ab aliis contractibus, in quibus res conceditur ad omnem uſum lege permiſſum.

Dico 2. Materia proxima & ex qua Sacramenti Matrimonii ſunt verba contrahentium, prout exprimunt traditionem mutuam corporum: forma, eadem verba, prout exprimunt acceptationem traditionis. Eadem enim verba, ſcilicet *accipio te in meum*, & *accipio te in meum*, ſic ſignificant acceptationem ab una parte, ut etiam ſignificent traditionem proprii corporis ſeu ejus dominii: ſine enim hac mutua traditione & acceptatione non ſubſiſteret Matrimonium, & ideo eadem verba ſecundum diverſas conſiderationes ſunt materia & forma.

Prob. Sacramentum Matrimonii nihil eſt aliud quam contractus civilis elevatus ad eſſe Sacramenti, nulla mutatione facta circa materiam & formam. Ergo ea eſt materia & forma Sacramenti, quæ contractus. Subſumo. Atqui in contractibus civilibus, conſequenter in Matrimoniali, traditio rei ſeu conſenſus in traditionem exterius expreſſus eſt materia, acceptatio ſeu conſenſus in acceptationem exterius expreſſus eſt forma. Ergo. Prob. Subſumptum. Ille habet rationem materiæ, quod eſt determinabile, habet autem rationem formæ, quod eſt determinativum, ut dixi de Sacramentis in communi. Atqui in omni contractu civili traditio eſt determinabilis, completurque in ratione perfecti contractus per acceptationem quæ ſe habet ut determinativum. Ergo. Neque obſtat, quod acceptatio aliquando videatur præcedere traditionem, ut in eo qui cupit habere, antequam alter velit dare; iſta enim cupiditas debet potius dici voluntas accipiendi, quam acceptatio, quippe quæ eſt correlativa ad traditionem: nec cenſetur perfectus contractus, niſi re donata donatarius perſeveret in priori acceptatione, aut eam ratihabeat.

Dices inſuper. Conſenſus eſt cauſa efficiens Sacramenti, Ergo non eſt neque materia, neque forma. R. D. Conſeq. Non eſt neque materia neque forma, ſub eadem ratione, C. Sub diverſa ratione, N. Quatenus cauſat vinculum, eſt cauſa efficiens; quatenus determinat traditionem,

compartis, eſt forma; quatenus vero ut traditio determinatur ab acceptatione compartis, eſt materia.

Inſt. In aliis Sacramentis materia diſtinguitur realiter a forma, & Miniſter efficiens a materia remota. Unde Concilium Florent. in decreto unionis dicit Sacramentum perfici tribus, ut realiter diſtinctis, materia, forma, & intentione Miniſtri. Ergo & in Matrimonio: Subſumo: Atqui in noſtra ſententia idem conſenſus eſt materia & forma, & Miniſter efficiens eſt materia remota. Ergo. R. N. Conſeq. Quia id eſt ſpeciale Matrimonio, quod ſit contractus; in contractu autem non eſt diſtinctio realis inter materiam & formam, ſed idem conſenſus ſub diverſo reſpectu & materia & forma. Item poteſt idem eſſe cauſa efficiens & materia remota contractus, ut patet in eo, qui ſe vendit in Servum. Quamvis autem Florentinum dixerit Sacramenta perfici materia, forma, & intentione Miniſtri, non tamen dixit hæc tria in omnibus Sacramentis debere diſtingui realiter.

DISSERTATIO II.

DE SPONSALIBUS.

Div. Thom. Supp. Quæſt. 43.

POSTQUAM Auctor eſſentiam matrimonii tam in ratione contractus, quam Sacramenti expendit, agit de ſponſalibus, quæ ſunt diſpoſitiones ad Matrimonium, & quædam ejus inchoatio, unde ſit

ARTICULUS I.

Quid ſint Sponſalia?

SPONSALIA ſic dicta a *ſpondendo* ſumuntur aliquando late & improprie pro muneribus ſponſalitiis, quæ dicuntur jocalia 1. Reg. 18. vel etiam pro ipſo Matrimonio rato non conſummato, quo ſenſu Matth. 1. B. V. dicitur *deſponſata Joſeph*, quia (*Supp. q. 43. a. 1. ad 6.*) ſicut qui init ſponſalia proprie dicta, ſpondet Matrimonium, ita qui init Matrimonium, ſpondet ordinarie actum Matrimonii. Itaque

Dico. (*Ib. a.*) Sponſalia proprie ſumpta ſunt & definiuntur a jure, a D. Th., & communiter *Futurarum nuptiarum mutua promiſſio, aliquo ſigno ſenſibili expreſſa*. Explicatur. Dicitur, *futurarum nuptiarum*, per quod diſtinguitur a Matrimonio, quod contrahitur per verba de præſenti, ut *accipio te in meam*, ſponſalia vero per verba de futuro, ut *accipiam te*, &c. Dicitur, *Promiſſio*: quia ſimplex deſiderium aut propoſitum etiam exterius expreſſum non ſufficit. Dicitur *mutua Promiſſio*: quia cum ſponſalia ſint Matrimonium inchoatum, ejus naturam ſapiunt; Matrimonium autem non poteſt eſſe ſine mutua & reciproca obligatione; unde ſicut Maritus non eſt ſine uxore, ſic non eſt ſponſus ſine ſponſa. Et ideo in jure l. 1. ff. de ſponſalibus promiſſio ſponſalium dicitur *Repromiſſio*. Itaque ſi una pars tantum promitteret, & altera præſens acceptaret non repromittendo, non forent ſponſalia, nec induceretur impedimentum publicæ honeſtatis: teneretur tamen promittens præſtare promiſſum, non vi ſponſalium, ſed vi promiſſionis ſimplicis. Quamvis enim Matrimonium fieri non poſſit abſque reciproca obligatione, poteſt tamen quis promittere & ſe obligare ad contrahendum Matrimonium, ſi & quando alter voluerit contrahere. Sicut v. g. licet non poſſit eſſe venditio ſine emptione, poteſt tamen aliquis promittere & ſe obligare ad vendendum, puta domum, ſi & quando alter voluerit emere, abſque eo, quod iſte incurrat obligationem emendi. Aliud ergo eſt contrahere de facto Matrimonium, aliud ſe obligare ad contrahendum; aliud acceptare fidem alterius, aliud illi ſuam obligare. Per quod evertitur fundamentum oppoſitæ ſententiæ, quam tenent Vaſques, Pontius, & quidam alii. Supponi tamen debet, quod promittens intendat vere promittere & ſe obligare, etiamſi alter non repromittat; quod fateor rarum eſſe, niſi forte id quandoque fiat ad ſignificandam gratitudinem pro accepto beneficio. Dicitur *ſigno ſenſibili manifeſtata*; quia homines non communicant inter ſe, niſi per ſigna ſenſibilia. Vide Diſſert. 2. de Contract. a. 1.

Inſuper ſponſalia debent habere alias conditiones communes omnibus promiſſionibus & contractibus. Unde debent eſſe vera promiſſio, hoc eſt cum animo promittendi & ſe obligandi; alias non eſſet promiſſio; non tamen cum animo præſtandi promiſſum, licet in hoc caſu teneretur reparare injuriam alteri factam, aut ejus damnum, ſi quod patiatur. Vide loco citato. Item debet eſſe promiſſio libera, non ſolum libertate phyſica, ſed etiam morali, ita ut non fiat ex gravi metu injuſte incuſſo; hujuſmodi enim ſponſalia etiamſi jurata irritantur c. *Ex litteris* de deſponſat. Impub. Extra. l. 4. tit. 2. Quia juramentum, quod ſine peccato impleri non poteſt, non obligat; Contractus autem, qui propter bonum commune irritantur, qualis eſt contractus ſponſalium ex gravi metu initus, non poſſunt impleri ſine peccato, quia quod eſt contra bonum commune, peccatum eſt. Vide Diſſert. 1. de Contractibus a. 6. Sponſalia vero inita ex levi metu injuſte incuſſo, non ſunt ipſo facto irrita, ſed irritanda tantum ad nutum metum paſſi. Hæc eſt autem differentia inter ſponſalia irrita & irritanda, quod prima non inducant impedimentum publicæ honeſtatis, ſecunda vero inducant.

Tandem debet promiſſio eſſe acceptata; id enim jure poſitivo & naturali requiritur ad omnem promiſſionem validam. Vide Diſſ. 2. de Contract. a. 1. Utrum vero debeat eſſe expreſſa acceptatio, an ſufficiat ſilentium promiſſarii? R. ſufficere in ratione ſimplicis acceptationis, non in ratione repromiſſionis, ita ut promiſſio valeat in ratione ſimplicis promiſſionis, non in ratione ſponſalium; quia in rebus, in quibus commodum & nihil incommodi ſequitur, valet hæc Regula 46. juris: *Qui tacet, conſentire videtur*. Secus ubi incommodum ſequitur, quod accideret, ſi ex ſilentio ſequeretur repromiſſio. Excipitur tamen, ſi Parentes acceptent ſponſalia pro filiis præſentibus & non contradicentibus; ita expreſſe ſtatuit in jure c. unico de deſponſ. impub. in 6. l. 4. tit. 2.

Petes 1. Utrum ſponſalia clandeſtina poſt Tridentinum ſint valida? R. affirmative: quia nec in Concilio Trid. nec alibi datur ulla Lex poſitiva Civilis aut Eccleſiaſtica irritans ſponſalia clandeſtina. Ergo cum jure naturæ ſint valida, non eſt, unde ſiant nulla.

Dices ex lege *Oratio* ff. de ſponſalibus: *Prohibito Matrimonio cenſetur prohibitum id omne, per quod ad illud pervenitur*. Atqui Matrimonium clandeſtinum eſt prohibitum & irritum. Ergo & ſponſalia clandeſtina. R. verum eſſe illud allatum axioma, quando Matrimonium abſolute & omnibus modis prohibetur, tunc enim ſponſalia forent promiſſio rei illicitæ, & ideo nulla. At vero Matrimonium a Trid. non prohibetur abſolute, ſed tantum ne clandeſtine fiat. Unde cum nulla ſit connexio inter ſponſalia clandeſtina & Matrimonium clandeſtinum, poſſunt enim ſponſalia clandeſtine contrahi & Matrimonium publice celebrari; irritatione Matrimonii clandeſtini non ſequitur ullo modo irritatio ſponſalium clandeſtinorum. Adde, quod ratio, cur prohibitum ſit & irritatum Matrimonium clandeſtinum, ſcilicet ad adulteria vitanda, non militet pro ſponſalibus.

An autem ſint etiam licita? R. quod jure communi ſint licita, & in uſu in pluribus Diœceſibus, ut in noſtra Leodienſi: in quibuſdam tamen aliis Diœceſibus prohibentur. An ſub gravi peccato? Affirmative reſpondet Natalis Alex. & cum ipſo Henricus a S. Ignatio. Sed ut nobis videtur parum dure, cum vix unquam ſiant publice, niſi antea contracta fuerint privatim inter Amaſium & Amaſiam; de quo tamen non ſolent reprehendi. Verum quia in locis, in quibus viget mos contrahendi ſponſalia publice, multi ignorant clandeſtina eſſe valida, & inde contrahi impedimentum publicæ honeſtatis, de hoc contrahentes monendi ſunt a Paſtoribus, ſi ſubſit periculum, quod promiſerint Matrimonium ſorori ſuæ ſponſæ, aut alteri in primo gradu conſanguineæ.

Petes 2. Utrum Matrimonium clandeſtinum, aut quodvis aliud jure ſive naturali ſive poſitivo nullum, habeat ſaltem vim ſponſalium? R. negative. Contractus enim invalidus nullam inducit obligationem; nec conſenſus in unum ex natura rei eſt conſenſus in alterum; ſuntque qui velint de facto contrahere, & tamen qui nollent promittere Matrimonium in futurum; ſicut ſunt qui hic & nunc volunt dare, & tamen nolunt ſe obligare ad dandum in poſterum. Inſuper refertur declaratio S. Congreg. Cardin. his verbis: *Matrimonium contractum coram teſtibus, ſed ſine Parocho, vel alio Sacerdote de ejus licentia poſt Concilium Trid. non ſolum eſt nullum, ſed nec vim habet ſponſalium, adeo ut ſic contrahentes ad denuo contrahendum compelli non poſſint*. Item altera ſimilis declaratio ejuſdem Cong. data fuit Epiſc. Patavino. Hæc leguntur in editione Concilii Trid. Antuerpiæ 1633. ad Seſſ. 24. c. 1. de Reform. Matrimonii pag. mihi 353.

Excipitur Matrimonium inter impuberes contractum propter ſpecialem diſpoſitionem juris cap. finali de deſponſat. impub. Extra. l. 4. t. 2. & c. unico eodem tit. in 6. modo tamen non ſit clandeſtinum, ut habetur in dictis declaratio-

cla-

Digitized by Google

clarationibus Concilii Trid. ad cap. 3. ejuſdem Seſſ. 24. pag. 373. Ubi de Matrimonio inter impuberes contracto dicitur : *Quod ſi malitia ætatis defectum non ſupplevit, hujuſmodi Matrimonium, ſi, modo forma ſervata Concilii, contractum fuit, reſolvi in ſponſalia de futuro, ex quibus etiam oritur vinculum publicæ honeſtatis juſtitiæ*. Ergo ſi non ſervata fuit forma Concilii, non reſolvitur in ſponſalia.

Petes 3. Utrum dum vir dicit puellæ, nullam aliam ducam niſi te, vel e contra puella viro, ſint ſponſalia? R. negative : quia ſenſus hujus propoſitionis eſt disjunctivus, ſcilicet, vel nullam ducam, vel ſi aliquam, te ducam. Unde non obligatur ad ducendum, ſed tantum caſu quo velit nubere, quod liberum eſt.

Petes 4. An neceſſario ſint præmittenda ſponſalia Matrimonio? R. negative, re ſpectata ſecundum ſe; quia poteſt fieri mutua traditio corporum abſque eo, quod præceſſerit promiſſio tradendi; ſicut quis poteſt vendere domum, etſi antea non promiſerit vendere. Unuſquiſque tamen debet ſiſtere moribus ſuæ Diœceſeos.

Petes 5. Quibus de cauſis præmittuntur ſponſalia Matrimonio? R. 1. Ut Matrimonium tot oneribus & difficultatibus implicatum cum majori deliberatione & diſpoſitione celebretur. 2. Ut hoc tempore intermedio poſſit deprehendi, an nihil obſtet Matrimonio. 3. Ut dicit Aug. l. 8. Confeſſ. cap. 3. *Ne vilem habeat maritus datam, quam non ſuſpiraverit dilatam.*

ARTICULUS II.

Quot modis contrahantur ſponſalia?

Ubi

De ſponſalibus conditionatis.

Dico. (*Hic q. 43. a. 1. o.*) Sponſalia duobus modis contrahuntur, abſolute & conditionate. Abſolute quatuor modis. 1. Nuda promiſſione; ut cum dicitur, accipiam te in meam, & e converſo. 2. Datis arrhis ſponſalitiis, ut pecunia vel aliquo hujuſmodi. 3. Annuli ſubarrhatione. 4. Interveniente juramento. Conditionate autem contrahuntur dupliciter; ſcilicet ſub conditione honeſta vel inhoneſta. Si honeſta, ut accipiam te in meam ſi parentibus placeat; ſtante conditione, ſive ſit de præſenti ſive de futuro, ſtat promiſſio, non ſtante non ſtat. Si inhoneſta, vel eſt contraria bonis Matrimonii; ut ſi dicam, accipiam te, ſi venena ſterilitatis procures, & tunc non contrahuntur ſponſalia; aut non eſt contraria bonis Matrimonii, ut ſi dicam, accipiam te, ſi furtis meis conſentias; & tunc ſtat promiſſio, inquit S. Doct. ſed tollenda eſt conditio. Verum hoc ultimum D. Th. intellige pro foro externo, in quo ejuſmodi turpes conditiones habentur pro non adjectis c. *Quicumque* cap. illis cap. *Si conditiones* extra. de condition. appoſit. & in quo his non obſtantibus præſumitur abſolutus conſenſus. In foro tamen interno, ſi conditio turpis apponatur revera ad indicandum diſſenſum, ſeu non eſſe conſenſum niſi conditione poſita, ut plerumque fit v. g. dicendo, accipiam te, ſi dederis mihi copiam tui corporis, non ſtant ſponſalia conditione non impleta; nec etiam ſtarent in foro externo, ſi de tali diſſenſu conſtaret. Idem dic de conditione impoſſibili. Vide Diſſert. 1. de Contractibus a. 7. ubi hæc materia fuſe diſcutitur. Conditione autem quamvis turpi poſita convaleſcunt ſponſalia; quia licet nulla poſſit eſſe obligatio ad ponendam conditionem turpem, ideoque reſcindenda ſint hujuſmodi ſponſalia, & auferenda ſit conditio, ea tamen purificata licet illicite oritur obligatio ſervandi promiſſum, ut late probavi Diſſert. 1. de Contractibus a. 8. Vide.

Petes 1. Utrum ſi conditio ſit honeſta, ſed tamen contraria bonis Matrimonii v. g. ut uterque conjux maneat in perpetua caſtitate, valeant ſponſalia? R. ſub diſtinctione. Si hæc conditio feratur in ipſum jus ad copulam impediendum, non valent; quia jus ad copulam eſt eſſentiale Matrimonio; ſi vero feratur tantum in uſum copulæ impediendum, conceſſo jure, ſed ligato, valeat, quia uſus copulæ non eſt eſſentialis Matrimonio, ut fuſius dicam infra, dum de objecto conſenſus Matrimonialis.

Petes 2. An contractus ſponſalitius initus ſub conditione honeſta de futuro, adimpleta conditione, ſtatim valeat, abſque novo contractu aut conſenſu? R. perſeverante eadem contrahentium voluntate valet, non perſeverante autem non valet, niſi novus conſenſus accedat, ad quem quidem pars diſſentiens tenetur. Ratio 1. partis eſt; quia perſeverante eadem voluntate, perinde eſt ac ſi tunc primo poneretur conſenſus. Et hoc modo convaleſcunt alii contractus, ut probavimus Diſſert. 1. de Contract. a. 7. Concl. 3. Cenſetur autem perſeverare virtualiter, quamdiu non revocatur. Ratio 2. partis eſt; quia licet in aliis contractibus jura ſuppleant id, quod deeſt conſenſus, ita ut, ſemel poſita conditione, in abſolutum tranſeant, id tamen non poſſunt in Matrimonio & ſponſalibus, in quibus conſenſus perſonalis contrahentium eſt eſſentialis. Ratio 3. Partis eſt, quia ex contractu conditionato oritur duplex obligatio; una abſoluta expectandi eventum conditionis; altera ſuſpenſa & conditionata præſtandi, quod promiſſum eſt, ſi purificetur conditio. Priorem autem hanc obligationem, utpote ortam ex mutuo conſenſu, non potuit reſiliens propria auctoritate extinguere, ſicque tenetur reddere conſenſum, quem illicite revocavit. Vide Diſſert. 1. de Contract. a. 7. Concl. 2.

Hinc infeies ſponſalia inita cum impedimento dirimente diſpenſabili ſub conditione futuræ diſpenſationis, obtenta diſpenſatione, probabilius valere ſine novo conſenſu, modo prior non fuerit revocatus. Utrum idem cenſendum ſit de Matrimonio conditionato? Dicam infra. Id autem venit obſervandum, quod ex ſponſalibus conditionatis nullum oriatur impedimentum publicæ honeſtatis, donec impleatur conditio, quia eo uſque ſunt invalida. Exiſtimat Sylvius hic quæſtiunc. c. 3. quod oriatur ex Matrimonio coram Parocho & teſtibus ſub conditione contracto; quia juxta ipſum Matrimonium conditionatum, juxta formam Trid. contractum, habet vim ſponſalium donec impleatur conditio. Id quidem non probat laudatus Theologus, ſed videtur niti in declaratione S. Congreg. ad cap. 2. Seſſ. 24. Concilii Trid. citata in Reſponſione ad Petit. 2. præcedentis art. Cæterum numquam permittant Parochi, ut tam ſponſalia, quam matrimonia conditionate contrahantur, ſed omnino efficiant, ut ſint abſoluta juxta formam in Ritualibus præſcriptam.

Petes 3. Utrum ſponſalia conditionata inter perſonas habiles ad Matrimonium per copulam ſubſequentem tranſeant in abſoluta? R. negative poſt Trid. in locis ubi eſt receptum. Ideo enim ante Trid. copula auferebat conditionem, quia per eam affectu conjugali habitam efficiebatur Matrimonium. At nunc cum non valeat ad Matrimonium, conditionem non aufert.

Petes 4. Utrum poſſit apponi ſponſalibus conditio pœnalis, quæ reſilientem obliget? Secundum jura l. *Mulier* c. de ſponſalibus l. 5. tit. 1. & Novella 18. Leonis Imperatoris, duplex pœna hic diſtinguitur; una de præſenti, ut ſi quis in ipſo contractu ſponſalitio tradat aliquid, ut annulum, torquem, pecuniæ ſummam, &c. quod cedat alteri ſi tradens reſiliat, & ſi e contra recipiens reſiliat, reddat acceptum, & inſuper æquivalens, aut duplum ſecundum quod conventum eſt. Altera pœna eſt de futuro, ut dum contrahentes inter ſe paciſcuntur de ſolvenda pecuniæ ſumma ab eo, qui reſiliet. Primum in jure dicitur *Arrha*; ſecundum *pœna*, licet utrobique ſit pœna. R. In contractu ſponſalitio illicite & invalide apponitur pœna, tam de præſenti, quam de futuro juſte reſilienti, aut indiſtincte juſte vel injuſte reſilienti, nec juſte reſiliens ad illam obligatur. Licite autem & valide imponitur injuſte reſilienti, iſque ad illam obligatur.

Prob. 1. Pars. Jura cap. *Gemma* de ſponſalibus extra l. 4. tit. 2. l. *Titia* ff. de verborum obligat. L. *Mulier* cap. de ſponſalibus, prohibent & irritant pœnam appoſitam in contractu ſponſalitio, quæ læderet libertatem Matrimonii. Atqui obligatio ad pœnam, ſive præſentem, ſive futuram in eo, qui habet juſtam cauſam reſiliendi, læderet libertatem Matrimonii, cum ne perderet Arrham, vel cogeretur ſolvere pecuniam, quandoque invitus contraheret Matrimonium, ex quo jurgia, rixæ, & alia plurima inconvenientia orirentur. Ergo. Confirm. Non debet imponi pœna, ubi non eſt culpa. Ergo juſte reſiliens non obligatur ad pœnam. Et de hac pœna impoſita juſte reſilienti intelligendus eſt S. Th. hic a. 1. ad 4. dum dicit, quod *Talis conditio non ſtat*.

Idem dicendum etiamſi non ipſi contrahentes, ſed eorum Parentes & Amici paciſcerentur de pœna, quia damnum Parentum & Amicorum reputatur proprium, & eorum motu pariter læderetur libertas Matrimonii, ſecus ſi ab extraneis, non inſtantibus ſponſis, ſed motu proprio apponeretur. Totumque id verum eſt, etiamſi pœna ſit levis; quia jura non diſtinguunt inter pœnam gravem & levem, ſed prohibent abſolute ullam pœnam apponi, & ab illa eximunt obligatum. Inſuper quamvis levis, ſemper minueret aliqualiter libertatem contrahentium, quod ſi in aliquo caſu ita non accidat, erit per accidens : lex autem non attendit ad id, quod raro, & per accidens, ſed quod per ſe & communiter accidit. Excipe, niſi pœna adeo eſſet levis, ut pro nihilo reputaretur.

Prob. 2. Pars. Si injuſte reſiliens a ſponſalibus non obligaretur ad pœnam, nec liceret eam apponere, ideo eſſet, quia læderet libertatem Matrimonii, ideo enim jura prohibent apponi, & eſt ratio adverſariorum. Atqui iſta ratio non currit in injuſte reſiliente; quia etiam ſecluſa pœna tenetur ſtare promiſſis, & ad hoc ipſa jura eum cogunt. Ergo.

Si dicas. Jus civile l. *Mulier* cap. de ſponſalibus permittit Arrhas, prohibet pœnas, nos vero de utriſque

eo-

eodam modo loquimur. R. Hoc jus antiquius eſſe emandatum per Novullam 18. Leonis Imperatoris, nec eſſe emplius in uſu.

Petes 5. Utrum ſi juſto reſiliens ſe obligaverit ſob juramento ſolvere pœnam, illud juramentum firmet contractum, aut ſaltam per ſe obliget? R. probabilius negative. 1. Non firmat contractum, quia contractus, qui a jure infirmatur propter bonum commune, ut eſt contractus ſponſalitius ſub conditione pœnæ juſta reſilienti impoſitæ, juramento non firmatur, quia obſervari non poteſt ſine peccato. 2. Ipſum juramentum per ſe non obligat, quia juramentum, quod non poteſt ſarvari ſine peccato, nullum eſt, non eſt enim vinculum iniquitatis. Vide hanc materiam abundanter tractatam Diſſ. 1. de Cont. a. 6.

Petes 6. Utrum ſi juſte reſiliens ſolvat pœnam altari, iſte poſſit ratinare? R. Vel ſolvans ſciebat ſe non obligari, vel non ſciebat. Si 1. recipiens poteſt retinare; quia tunc alter non cenſetur dare vi promiſſionis; quam ſcit eſſe nullam, ſed vel gratuito, vel ut ſalvet fidem ſuam coram hominibos, etſi ad hoc non teneatur. Si 2. recipiens non poteſt retinara; quia donans cenſetur date vi promiſſionis, quæ ſecundum jura eſt nulla.

ARTICULUS III.

Qui poſſint contrahere ſponſalia?

Dico 1. Quicumque habent impedimantom ſive dirimens, ſive impedians Matrimonium, nec licita, nec valide contrahunt ſponſalia; quia promiſſio illicita eſt nulla.

Dico 2. Sponſalia contracta ante uſum rationis, etiamſi poſt ſeptennium, ſunt invalida; quia promiſſio eſt actus humanus, qui non eſt abſque uſo rationis. Dico 3. (*Q. 43. a. 2. c.*) Septenniom eſt tempus a jure convenienter determinatum ad contrahande ſponſalia.

De hujus temporis determinatione axtant in jure plura decreta, Cap. *Litteras*, cap. *Acceſſit*, cap. *Ad diſſolvendum* de deſponſat. Impub. & cap. *Infantes* eodem tit. in 6. Ratio hujus convenientiæ eſt; quia qui contrahunt ſponſalia, debent habere aliquam providentiam da futuris, cum ſint promiſſiones futurorum; hoc autem communiter contingit in fine primi ſeptennii, in quo incipit illucaſcere ratio. Ergo. Hinc inferes ſponſalia contracta notabili ſaltam tompore ante ſeptenniom ex juris diſpoſitione eſſe invalida, nec inducare impedimentom publicæ honeſtatis. Dixi *Notabili ſaltem tempore*, & idao

Petes 1. An ſi paulo ante ſeptennium contrahantes habeant uſum rationis ſufficientem, valeant ſponſalia? R. probabilius affirmative. Ita daterminaruot de Matrimonio quoad tempus pubertatis Aloxander III. c. 6. de deſponſat. Impub. & Innocantius III. cap. ultimo eodam tit. Ergo idem dicendum de ſponſalibos; quia cum ordinantur ad Matrimonium, ut ejus inchoatio, debent ſequi ejus leges, & aliunde non ſunt tanti momenti ac Matrimonium, & poſſunt facilius diſſolvi. Unde D. Th. (*Ibid. ad 7.*) ſic ait: *In ſponſalibus etiam ſimiliter ſi appropinquant contrahentes ad tempus ſeptennii, contractus ſponſalium habet robur: quia ſecundum Philoſoph. in 2. phyſic. lib. 2. texta 56.* Quod parum deeſt, quaſi nihil deeſſe videtur. *Hæc autem propinquitas a quibuſdam determinatur tempus ſex menſium: ſed melius eſt, quod determinetur ſecundum conditionem contrahentiam; quia in quibuſdam magis acceleratur uſus rationis, quam in aliis.*

Dicere, qood S. Th. loquatur attento jure naturæ, non poſitivo, videtur aperte falſum, tum quia in toto articulo nihil aliud intendit probare, quam quod ſeptennium ſit convenienter a jure poſitivo daterminatum; tum quia argumentum, cui reſpondet, procedit da jura poſitivo datermiuante tempos pro Matrimonio. Si dicas argumentum a paritate in poſitivis non probare, R. Id eſſe verum, quando nullum eſt fundamentum interpretandi intentionem legis pro pari. Hic autam habemus fundamentum intelligendi lagem de tampore ſponſalium ad ſenſum legis de tempore Matrimonii; tum ax ipſa natura contractus ſponſalium, qui eſt inchoatum Matrimonium, nec tanti momenti, tum ex D. Th. & ax communiori Thaologorum ſantentia. Sic quia Profeſſio Raligioſa ſecundum jura diſſolvit Matrimonium ratum inferunt Theologi etiam diſſolvere ſponſalia.

Inſt. cap. *Litteras* & cap. *Acceſſit* de Deſponſat. Impub. Pontifex intarrogatus, an ſponſalia ante ſeptennium completum valeant? Reſpondet negative attendens ad ſolam ætatam. R. Ita reſpondiſſe Pontificem, quia in foro externo præſumitur non adeſſe ſufficientam uſum rationis ante ſeptennium, niſi probatur. Notat tamen Sylvius non fore valida ſponſalia aorum, in quibus tertio vel quarto anno (dicerem ego, uno vel altaro anno) fuiſſet accaleratus uſus rationis: quia intentio Eccleſiæ fuit hujuſmodi ſponſalia irritare, eo quod communiter non ſit ſufficiens diſcretio ante ſeptennium aut circiter; lex enim attendit, quod communiter, non quod per accidens & raro contingit.

Petes 2. Quis rationis uſus requiratur ad contrahenda ſponſalia? R. quibuſdam videtur ſufficere illom uſom rationis, qui ſatis eſt ad peccandum mortaliter; ſed oppoſitum expreſſe docet Auctor (*Ibid. ad 2.*): Quia, inquit, ad peccatum mortale ſufficit conſenſus præſens, ſeu in rem præſentem, ſed in ſponſalibus eſt conſenſus in futurum major autem diſcretio rationis requiritur ad providendum in futurum, quam ad conſentiandum in unum actum præſentem: & ideo poteſt homo peccare mortaliter, antequam poſſit ſe obligare ad aliqoid futurum.

Pates 3. An Parentes poſſint ſponſalia contrahere pro filiis minoribus? R. (*Ibid. ad 1.*) poſſe quidam ax cauſa rationabili, ſed valida non ſubſiſtuot, niſi ratificentur a filiis, qui abſolute poſſuot ea non habare rata. Unde quod dicitur cap. *Tua nos* de Deſponſat. Impuberem, filios debere implere ſponſalia contracta a Parentibus, debet intalligi de debito decentiæ ſeu reverentiæ erga Parentes, ſi nulla filiis ſubſiſtat cauſa recuſandi. Cenſentur autem, inquit S. Doctor, ea ratificare, cum ad debitam ætatem vanientes non reclamant.

Petes 4. An qui contraxerunt ſponſalia ante pubertatem (quæ in maſculis eſt annus 14. in fœminis 12.) cum eam attigerint, poſſint ab eis reſilire etiam invita una parte. R. affirmative, modo intra triduum reſiliant. nec inter eos ante pubertatis annos intervenerint copula carnalis, nec juramento firmata ſint. Ita in jure cap. *de illis* & cap. *a nobis* tit. de Deſponſat. Impub. & cap. *ex Litteris* de Sponſalibus.

ARTICULUS IV.

De Effectibus Sponſalium.

Dico. Duplex eſt effectus ſponſalium. Primus eſt obligatio gravis ad contrahendom Matrimonium cum ea perſona, cum qua fuerunt inita. Alter eſt impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis, quod oritur ax omnibos & ſolis ſponſalibus validis. De hoc ſecundo agemus dum de impedimentis Matrimonii. Quantum ad primum, præter varia ſum. Pontificum Decrata, ratio eſt: quia omnis promiſſio acceptata, præſertim mutua, adeoque utrimque oneroſa, obligat ex juſtitia, & quidam gravitar ubi eſt materia gravis, qualis eſt præſens. Unde D. Th. in 4. d. 27. q. 2. art. 1. ad 2. dicit reſilientem ſine legitima cauſa peccara mortalitar.

Petas 1. Quo tempora ſint adimplenda ſponſalia? R. dimplenda eſſe tampore præfixo, ſi quod fuit; ſi non, imo tampore opportune, parte petente implicite vel plicite. Qui renuarit, cenſetur eſſe in mora; quia in omnibus obligationibus, in quibus dias non ponitur, præſenti die debetur, & ſolvi debet, ſi petatur. Rag. juris 14. ff. de Rag. jur. Inſuper quando quis promittit Matrimonium, promittit alteri pro toto tempore vitæ conſortium conjugale. Ergo tamdiu illum ſuo jure injuſte fraudat, quamdiu illo inſtante & opportunitate data differt.

Petas 2. An nolens aut differens adimplere ſponſalia ſit compellendus? R. Compelli debere tam a Confeſſario per negationam abſolutionis, quam a Judice Eccleſiaſtico etiam par cenſuras, carceram, mulctas, & ſimiles modos; quia ipſis ax officio incumbit compellere ſubditos, ut reddant quod ax juſtitia debent. Maxima tamen in his prudentia opus eſt, cum ex talibus Matrimoniis coactis ſæpe nimis ſequantur exitus pernicioſi, jurgia, diſſidia, rixæ, divortia, &c Unde ubi talia fundate metuit Judex, ſi rogando, monando, obligationem inculcando, non poteſt nolentem vincere, expedit, ut interpoſita ſua auctoritate abſolutum dimittat, ipſum taman obligando, ut omnia compartis damna inde obvaniantia reſarciat, imo ipſum egregie mulctando. Unde in his totum negotium ralioquitur prudantiæ Judicis attantis omnibus. Et juxta hanc explicationam intelligendum venit capitulum *Requiſivit* tit. de Sponſalibus, ubi Lucius III. dicit monandam potius quam cogendam eam, quæ a ſponſalibus juratis vult reſilire, quia Matrimonia debent eſſe libera; loquitur enim ex præſumptione metus graviom malorum qui metus dum ceſſat, Alaxandar III. ibidam Capitulo *ex Litteris* 2. vult Eccleſiaſticis cenſuris agendum, ut pars reclamans fidem ſervat.

Pates 3. An obligatio, quam habent deſponſati, tanta ſit, ut ſi alteruter peccatum fornicationis committat cum alia parſona, ſit paccatum ſpeciala, nedum contra caſtitatam & tamperantiam, ſed etiam contra juſtitiam, adeoque diſtinctum a ſimplici fornicationa & in confeſſiona accuſandum? R. probabilius affirmativa; quia licet daſponſati non habeant jus in re ad corpus alterius, habent taman jus ad rem; eo quod promiſſio contractus ſponſalium obligans ex juſtitia ſit promiſſio faciendi corpus proprium

ſponſi

ſponſi vel ſponſæ corpus, ex quo ſequitur, quod ſi alteri ipſum tradat, ſicut tradit per fornicationem, peccet peccato ſpeciali injuſtitiæ, quod reductive pertinet ad ſpeciem adulterii, ſicut imperfectum ad perfectum ſui generis; ſicut enim ſponſalia reducuntur ad Matrimonium, ſuntque Matrimonium inchoatum, ita peccata contra ſponſalia reducuntur ad peccata contra Matrimonium.

Dices. Sic ſe habent ſponſalia ad Matrimonium, ſicut votum Religionis ingrediendæ ad profeſſionem Religioſam. Atqui qui poſt votum ingrediendæ Religionis committeret peccatum carnis, ejus peccatum non eſſet diſtinctum a ſimplici fornicatione. Ergo. R. D. Maj. Sic ſe habent ſecundum quid ſponſalia ad Matrimonium, ſicut votum Religionis ingrediendæ ad profeſſionem Religioſam, C. Sic ſe habent ſimpliciter, N. In hoc ergo eſt paritas, quod ſicut ſponſalia ſunt promiſſio, & Matrimonium traditio, ita votum Religionis ingrediendæ eſt promiſſio, & Profeſſio Religioſa eſt traditio. Sed in hoc eſt diſparitas, quod votum Religionis ingrediendæ fiat ſoli Deo, & ex eo Religio nullum jus acquirat in vovente. At ſponſalia ſunt promiſſio mutua ſponſorum, quorum quilibet acquirit jus licet imperfectum, ſcilicet ad rem, in corpus alterius, quod violatur, dum alteri traditur per fornicationem.

ARTICULUS V.

Aſſignantur cauſæ, ex quibus dirimi poſſunt Sponſalia.

1. DISSOLVUNTUR (*Ibid. q. 43. art. 3. ad 4.*) Sponſalia etiam jurata mutuo & libero contrahentium puberum conſenſu: Cap. *Præterea* de Sponſalibus. Ratio eſt, quia omnis contractus natura ſua ſolubilis poteſt per eas cauſas diſſolvi, per quas poteſt fieri, niſi jus reſiſtat ejus diſſolutioni. Atqui contractus ſponſalitius fit mutuo contrahentium conſenſu, eſt natura ſua ſolubilis, nec jus ejus diſſolutioni reſiſtit, imo permittit. Ergo. Inſuper ſic diſſolvi poſſunt omnes alii contractus ſolubiles, quidni ſponſalitius?

Dixi 1. *Etiam jurata*; (2. 2. *q. 89. a. 9. ad* 2.) quia quando juramentum annectitur promiſſioni homini factæ, pendet ab illa ut acceſſorium a principali, quo ceſſante ceſſat acceſſorium. Dixi 2. *Conſenſu libero*; quia non ſufficit, ſi vi vel dolo ſuit extortus. Dixi 3. *Puberum*; quia impuberes, quamdiu tales, non poſſunt etiam mutuo conſenſu valide renuntiare ſponſalibus, c. *a nobis* de Deſponſat. impub. Puberes autem facti poſſunt, etiam una parte invita, reſilire, modo id fiat intra triduum, nec ſint ſponſalia jurata, nec ſubſecuta ſit copula carnalis, alias non poſſunt niſi mutuo conſenſu; eodem cap. & cap. *Ex litteris Sylvani* de ſponſal. Si unus prior pubes factus ſit, poteſt, ſub iiſdem reſtrictionibus tamen, reſilire non expectata alterius pubertate. Si vero dum contraxerunt, unus eſſet pubes, alter impubes, hic adepta pubertate poteſt pro nutu reſilire, non alter niſi ex mutuo conſenſu. Obſervandum, quod ubi ſponſalia contrahuntur publice, quamvis ſecreto conſenſu mutuo valide diſſolvantur, non tamen licite, niſi interveniente auctoritate Eccleſiæ, per quam fuere contracta.

2. Solvuntur ſponſalia etiam jurata per Profeſſionem Religioſam; ſi enim Matrimonium ratum per eam ſolvitur, cap. *Commiſſum* de ſponſal. & Can. 6. ſeſſ. 24. Concilii Trid. a fortiori ſponſalia, quorum obligatio minor eſt quam Matrimonii rati. Unde tam in ſponſalibus, quam in Matrimonio rato ſubintelligitur ex jure hæc conditio, *niſi Religionem ſuſcepero*. (*Supp. q. 61. a. 2. a.*) idque ratio ſuadet; ſponſalia enim ſicut & Matrimonium ratum non conſummatum, nondum important vinculum carnale, ſed ſpirituale tantum, Ergo ſicut vinculum carnale ſolvitur per mortem carnalem, ita ſpirituale per mortem ſpiritualem, qualis eſt Profeſſio Religioſa.

Si petas, an ſponſalia diſſolvantur non tantum per Profeſſionem, ſed etiam per ſolum ingreſſum Religionis? R. quod diſſolvantur reſpectu manentis in ſæculo, non alterius; ita ut priori liberum ſit alteri nubere, non poſteriori, caſu quo egrediatur, & a comparte requiratur. Ratio 1. partis eſt, quod ingrediens Religionem cenſeatur cedere juri ſuo, & in pejori ſtatu reſpectu compartis ſe conſtituit, cum plures nollent contrahere cum deſertore Religionis. Ratio 2. partis eſt: quia in tantum Religio diſſolvit ſponſalia, in quantum eſt mors ſpiritualis, ut dicit D. Th. cit. & in quantum inhabilem reddit contrahentem ad Matrimonium. Atqui hoc facit ſola profeſſio, non ingreſſus Religionis. Ergo. Adde, quod nullum ſit jus dirimens abſolute ſponſalia in hoc caſu. Nec obſtat, quod diximus ſupra, ſponſalia non claudicare; id verum eſt quidem de ſponſalibus in fieri, non in facto eſſe, ut patet ſi una pars fornicetur, altera manet libera non fornicans.

De voto ingrediendæ Religionis quid ſit cenſendum, dicemus in ſuo articulo.

Obſervandum, quod ſicut invita comparte liberum eſt ac licitum profiteri, ita ſimiliter liberum & licitum ſit & ingredi & vovere ingreſſum Religionis, modo tamen id non fiat in fraudem, vel cum damno gravi alterius partis, quod aliter quam per Matrimonium reparari non poſſit, ut quod ſpe Matrimonii ſit violata cum infamia, aut impregnata; tunc enim & ingreſſus Religionis, & votum de illo, forent illicita & invalida utpote de re mala ex circumſtantiis.

Dices. Alexander III. cap. *Commiſſum* de ſponſalibus juratis dicit tutius eſſe Religioſo juramenti ſervato prius contrahere, & poſtea ſi elegerit, ad Religionem migrare. R. dato, quod ſit tutius ſecundum vulgi opinionem, non tamen verius. Inſuper loquitur Pontifex de eo, qui inſtante Matrimonio nondum plene reſolutus adhuc deliberat de Religione, ut patet ex his verbis, *& poſtea ſi elegerit*, cui ut tali tutius eſt prius contrahere, & poſtea ſi tempore bimeſtri conceſſo poſt Matrimonium ratum ad deliberandum religionem elegerit, ad eam migrare, quam ex intentione nondum firma Religionem ingrediendi ſponſum deſerere, & fidem juratam non ſervare.

3. Dirimuntur ſponſalia per ſuſceptionem Ordinis ſacri, quia affert impedimentum dirimens Matrimonii futuri cap. unico de voto in 6. ubi autem promiſſionis adimpletio ſit impoſſibilis, deſinit obligare. Utrum etiam votum ſuſcipiendi Ordines ſacros pariter diſſolvat ſponſalia, poſſitque ſponſus invita ſponſa illos ſuſcipere, patebit ex dicendis in fine articuli de voto ſimplici caſtitatis.

4. Solvuntur (*Hic q. 43. a. 3. ad 7.*) ſponſalia per Matrimonium ſubſequens cum altera perſona propter ſuam indiſſolubilitatem cap. *Sicut*, cap. *Si inter* de ſponſal. &c. Ita tamen quod mortua uxore debeat redire ad partem relictam, ſi ipſa petierit; quia cum Matrimonium ſubſequens non ſit vinculum perpetuum, ſicut Ordo ſacer aut Profeſſio Religioſa, non extinguit abſolute ſponſalia, ſed potius ſuſpendit, quamdiu fortius vinculum durat: Pars autem relicta omnino abſolvitur a ſua obligatione; quia alter ceſſit juri ſuo.

5. Pariter (*Ibid. ad* 4.) ſolvuntur, ſi superveniat impedimentum dirimens Matrimonium futurum, ut affinitas orta ex copula cum conſanguinea alterius in 1. vel 2. gradu, aut cognatio ſpiritualis ex ſuſceptione prolis ſponſæ; quia, ut jam dixi, promiſſio, cujus adimpletio eſt impoſſibilis, deſinit obligare. Si tamen pars innocens urgeat promiſſionis adimpletionem, pars altera, quæ contraxit voluntarie impedimentum, tenetur petere diſpenſationem.

6. Et eſt Regula generalis pro diſſolvendis ſponſalibus. Si superveniat talis mutatio ſive intrinſeca ſive extrinſeca, quæ ſi tempore contractus extitiſſet, aut prævisa fuiſſet, homines hujus conditionis prudentes retraheret a contrahendo. Ratio eſt, quia promiſſio ſponſalium, ſicut quælibet altera, intelligitur facta rebus in eodem ſtatu permanentibus, & nulla notabili mutatione superveniente. Unde communi hominum ſenſu cenſetur apponi hæc conditio: *Niſi ſuperveniat tale quid, ratione cujus homo prudens ejuſdem conditionis non erat promiſſurus*. Non tamen inde ſequitur omnia ſponſalia eſſe conditionata, & nunquam inducere impedimentum publicæ honeſtatis, quia hujuſmodi conditio non apponitur, ut ſuſpendat valorem contractus, ſed ut habeatur jus illum reſcindendi, ubi ratio ſufficiens ſupervenerit. Unde poſita conditione non eſt de facto reſciſſus, ſed reſcindibilis.

Dixi, *Quæ viros prudentes retraheret*; non enim ſufficit, ut quidam volunt, quod contrahens dicat ſe, ſi talis cauſa ſubſtitiſſet, non fuiſſe promiſſurum, inde enim fieret, quod quilibet ex levi cauſa a ſponſalibus poſſet reſilire.

Hinc colliges 1. (*Ib. ad* 3.) poſſe reſcindi ſponſalia etiam jurata ob ſupervenientem gravem & habitualem infirmitatem, quæ compartem multum debilitet, ut Epilepſia vel Paralyſis, aut eam multum deformet, ut abſciſſio naſi, cæcitas oculorum, vel aliquid hujuſmodi, aut quæ ſit contra bonum prolis, ut lepra, &c. cap. *Quemadmodum* de jurejurando Extra. l. 2. tit. 24. Addit ulteriorem rationem Auctor; ne, inquit, invicem ſibi diſpliceant, & Matrimonium ſic contractum malum exitum ſortiatur: nec pro pœna punitur relicta, ſed ex pœna damnum reportat, quod non eſt inconveniens. Idem dicendum ſi compars propter crimen proprium, vel Parentum propinquorum, aut ex alio quovis eventu patiatur notabile detrimentum in fama, honore, aut divitiis.

Colliges 2. Sponſalia etiam jurata poſſe diſſolvi propter fornicationem ſubſequentem alterutrius, eod. c. *Quemadmodum*, in quo quamvis fiat tantum mentio de fornicatione ſponſæ, quia turpius eſt ejus delictum; attamen juxta communem ſenſum Theologorum extendi debet ad ſponſum, eo quod uterque frangat fidem; frangenti autem fidem fides non ſervanda. Idem etiam videtur dicendum, ſi ſponſa vi oppreſſa fuerit, quia licet non fregerit fidem,

dem, inde tamen facta eſt vilior. Idem etiam multi cenſent, ſi ſponſa voluntarie admittat ab alio tactus impudicos; quia iſti tactus ex parte ſponſæ cedunt in magnum dedecus ſponſi; non ſic ſimiles tactus habiti a ſponſo cum alia, ſaltem ſi tranſeunter & raro fiant; nam ſi eſſent frequentes, indicarent animum in aliam propenſum, idque ſufficeret ſponſæ ad reſiliendum. Sed quid, ſi uterque fornicetur? Quidam volunt neutrum poſſe reſilire; quia datur compenſatio delicti. Sed oppoſitum videtur verius; non datur enim compenſatio delicti, ubi delicta ſunt imparia. At ſponſus & ſponſa fornicando non ſunt in pari delicto quoad omnia; in ordine enim ad Matrimonium longe gravius eſt crimen ſponſæ, quam ſponſi, eo quod major infamiæ nota ſit, ſi ſponſus ducat ſponſam fornicantem, quam ſi ſponſa nubat viro fornicanti. Unde ſequitur, quod in hoc caſu poſſit ſponſus fornicans dimittere ſponſam fornicantem, non e contra. Neque ſimile eſt de compenſatione, quæ datur inter conjuges adulterantes; quia in adulterio conjugum ſola ſpectatur fides conjugalis, quæ æque a viro ac ab uxore frangitur; in ſponſalibus autem inſuper ſpectatur infamia, quæ major eſt in ſponſa fornicante, quam in ſponſo. Quidam volunt, quod ſi una pars inexpectato fiat longe ditior, non poſſit ideo reſilire, ſive quia per hoc alleviatur Matrimonium, ſive quia nulla eſt mutatio in comparte, quæ eſt objectum conſenſus. Verum hæ rationes videntur nobis elumbes. His enim non obſtantibus, hæc mutatio eſt talis, quæ ſi tunc extitiſſet, retraxiſſet virum prudentem ejuſdem conditionis a contrahendo, quæ ratio ſufficit ad diſſolvenda ſponſalia, ut dictum eſt.

7. Et eſt altera regula generalis pro diſſolvendis ſponſalibus; ſi comparti ignoranti innoteſcant cauſæ antecedentes ſponſalia, quæ ſi fuiſſent cognitæ, retraxiſſent virum prudentem ejuſdem conditionis ab illis contrahendis, ſi tamen dederint cauſam contractui. Quia proinde eſt, ac ſi mutatio notabilis ſponſalibus ſuperveniret; cenſetur enim res fieri cum innoteſcit, & e contra, idem eſt non eſſe ac non apparere l. *in lege* ff. de contrahenda emptione, l. 18. tit. r. 1. ideoque, ſicut in præcedenti caſu, cenſetur appoſita hæc conditio: *Niſi ſuperveniat cognitioni meæ id, quod prudentem virum ejuſdem conditionis retraheret a ſponſalibus*. Igitur cauſæ, quæ ſupervenientes ſponſalibus, de quibus caſu præcedenti, ſufficiunt ad eorum reſciſſionem, eædem regulariter ſufficiunt, ſi ignotæ præceſſerint.

Hinc ſi ſponſus reperiat ſponſam corruptam, quam credebat virginem, pauperem, quam credebat divitem, ignobilem, quam credebat nobilem, poteſt reſilire a ſponſalibus. Similiter ſponſa reſpectu ſponſi, niſi in caſu fornicationis ſponſi, quæ ſi præcedat, non ſufficit ad diſſolvenda ſponſalia, cum tamen ſufficiat, ſi ſequatur. Ratio hujus diſcriminis eſt, quia antecedenter ad ſponſalia fornicando fidem non fregit, quam fregit fornicando poſt ſponſalia; nec ex fornicatione antecedente cenſetur vilis factus, ſicut mulier. Aliud tamen eſſet, ſi ex fornicatione ſponſi antecedente nata ſit proles expenſis familiæ nutrienda; inde enim natæ ſunt ſequi diſſenſiones.

Dixi 1. *Ignoranti*, quia ſi ſcivit, cenſetur cedere juri ſuo, & velle inire Matrimonium cum tali onere. Unde etiam ſi ſit diſpar conditio, ut ſi ſit longe nobilior comparte, tenetur ſtare promiſſis; niſi ex tali Matrimonio prævideantur ſecutura ſcandala, jurgia, & diſſenſiones inter parentes & conſanguineos, quo caſu ſponſalia etiam jurata non eſſent ſervanda, quia eſſent de re illicita.

Dices. Qui promittit mille aureos meretrici pro uſura ejus corporis, non tenetur ad hanc ſummam, ſed ad id quod juſtum eſt. Ergo qui ſciens promittit Matrimonium longe diſpari, non tenetur eam ducere. R. Dato Ant. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod hæc magna pecuniæ ſumma promittatur meretrici in pretium contractus; in pretio autem debet ſemper ſervari æqualitas. At in noſtro caſu non promittitur traditio corporis per Matrimonium in pretium, ſed ex mera liberalitate illius, qui eſt dominus ſui, &, cui vult, nubere poteſt.

Dixi 2. *Si tamen iſtæ cauſæ antecedentes dederint cauſam contractui*: quia ſi contrahendo ita affectus eſſes, ut ſi has cauſas cognoviſſes, nihilominus contraxiſſes, non potes reſilire, quia in tantum id jus habes, in quantum cenſeris promiſiſſe ſub conditione, *Si eſſet talis caſus, non contraherem*. Ergo ſi ſis ita affectus, ut, non obſtante tali cauſa, contraheres, cenſeris promiſiſſe nulla appoſita conditione, ſicque reſilire non potes.

Petes, utrum qui habet defectus occultos, teneatur illos detegere comparti ante ſponſalia, ſeu ſaltem ante Matrimonium? R. ſub diſtinctione. Vel illi defectus ſunt comparti probroſi & damnoſi, ita ut poſitive incommodum afferant, reddantque Matrimonium odioſum & injurioſum alteri, ut ſunt lepra, morbus Gallicus, infamia orta ex genere vel delicto, & ea, quæ ſive generationi, ſive educationi prolis officiunt: vel illi defectus non ſunt probroſi aut damnoſi, ita ut Matrimonium non reddant poſitive odioſum & injurioſum alteri, ſed tantum minus gratum & minus commodum, ut ſi compars ſit pauper, ignobilis, corrupta, &c. quæ creditur dives, nobilis, virgo, &c. Si primum, tenetur detegere: quia nemo poteſt quærere ſuum commodum cum damno alterius, & ſicut qui vendens equum cum defectu, quo redderetur inutilis aut nocivus emptori vel fini ad quem emitur, tenetur illum manifeſtare; ita in noſtro caſu. Adde, quod ex talibus Matrimoniis nati ſint ſequi infauſtiſſimi eventus. Si ſecundum, non tenetur manifeſtare parti non inquirenti, quia in aliis contractibus v. g. emptionis, nemo tenetur manifeſtare defectus occultos, leviores, & non poſitive nocivos; & ea eſt praxis communis tam in ſponſalibus, quam in venditionibus & permutationibus. Inſuper debet ſibi imputare compars, quæ diligentiorem inquiſitionem non fecerit. Excipe tamen, niſi compartem deceperit ſe fingendo divitem, nobilem, virginem, cum non ſit.

Dixi, *Non inquirenti*; quia ſi petat, cum habeat jus petendi, videtur ineſſe obligationem alteri veraciter & ſincere reſpondendi, niſi foret defectus infamans, puta, quod fuerit corrupta, in quo caſu poteſt, non quidem negare mentiendo, ſed diſſimulare.

8. Et eſt 3. regula generalis pro diſſolvendis ſponſalibus. Si pars una ita ſe gerit, ut moraliter juxta prudentum judicium cenſeatur reſilire; quod duobus modis potiſſimum contingit, ſcilicet per lapſum temporis Matrimonio contrahendo præfixi, vel per receſſum ad alias partes. Itaque inferes 1. Quod ſi una pars non legitime impedita recuſet adimplere promiſſum tempore præfixo ad adimplendum, hoc ipſo ceſſat obligatio ex parte illius, qui eſt paratus adimplere: cap. *Sicut ex litteris* de ſponſalibus. Nec obſtat, quod l. *Celſus* ff. de receptis qui arbit. videatur contrarium aſtruere; ibi enim agitur de tempore præfixo non ad finiendam obligationem, ſed ad eam ſollicitandam; ſponſi autem ſolent præfigere tempus ad finiendam obligationem, quia nolunt diutius obligari & expectare ſeu Matrimonio fruſtrari, cum ex longiori mora immineat ipſis periculum non melius nubendi, vel incidendi in fornicationem. Alioquin jus civile in hac præſertim materia cedere debet juri canonico, ut mox dicam.

Dixi, *Non legitime impedita*: quia qui propter legitimam impedimentum, ſaltem brevi terminandum, differt, non videtur ideo privandus jure ſuo. Hæc enim exceptio licet non fuerit expreſſa in contractu, rationabiliter cenſetur tacite incluſa, & habet fundamentum in jure can. *Quia diverſitatem* de conceſſione Præbendæ extra. l. 3. tit. 8. ubi dicitur, quod legitime impedito tempus non currat. At vero ſi nullum ſit tempus præfixum, tunc ceſſat obligatio ex parte illius, qui non eſt cauſa dilationis, quando oblata commode opportunitate contrahendi Matrimonium, alter ter aut quater requiſitus alterius differt, nulla allegata cauſa dilationis ſufficiente; ſola cenſetur tunc moraliter cedere juri ſuo, cum ſciat intentionem compartis non fuiſſe, ſe tanto tempore privare Matrimonio.

Inferes 2. Quod ſi unus ſponſorum ſine conſenſu alterius diſcedat in alia loca, unde non eſt brevi reditutus, alter maneat deobligatus. ita Alexander III. cap. *De illis* tit. de ſponſal. & Mat. his verbis: *De illis autem, qui præſtito juramento promittunt ſe aliquas mulieres ducturos, & poſtea eis incognitis dimittunt terram, ſe ad alias partes transferentes, hoc tibi volumus innoteſcere, quod liberum erit mulieribus iſtis* (ſi non eſt amplius in facto proceſſum, hoc eſt ſecuta copula aut Matrimonium) *ad alia ſe vota transferre, recepta tamen de perjurio pœnitentia, ſi per eam ſteterit quominus Matrimonium fuerit conſummatum*. Et ratio eſt, quia per talem diſceſſum diſcedens ſuam fidem retractare, & voluntate mutare cenſetur, & inſuper gravatur inde ſponſa.

Quidam volunt ex jure Civili l. 2. c. de ſponſ. & l. 2. c. de repudiis expectandum eſſe biennio, ſi intra eandem Provinciam diſcedat, triennio, ſi ad aliam Provinciam. Alii excipiunt caſum, quo ex juſta cauſa diſcedat, juxta l. *Sæpe* ff. de ſponſal. Sed contra. Nihil horum meminit jus Canonicum citatum; in cauſis Matrimonii vero magis ſtandum eſt diſpoſitioni juris Canonici, quam civilis: cum enim Matrimonium ſit Sacramentum, deciſio controverſiarum ad illud ſpectantium magis ſpectat ad Judices Eccleſiaſticos, quam ad Sæculares, & ideo ſolis primis id committitur a Concilio Trid. ſeſſ. 24. Can. 12. cur autem hic jura diſcordent? Ratio eſt, quia jus Canonicum intendit bonum ſpirituale, ſcilicet vitare periculum fornicationis ex nimia mora: Jus autem civile per ſe intendit publicam utilitatem tantum.

Petes, an ſponſalia ſolvantur per poſteriora jurata, aut ſubſecuta copula? R. Negative pro utraque parte. Ratio 1. partis; quia cum promiſſio poſterior ſit nulla, utpote de re alteri obligata, juramentum ſuperveniens eſt etiam nullum, quia eſt de re illicita. Ratio 2. partis eſt. Si copula ſequens ſecunda ſponſalia, prima ir-

irritaret, ideo eſſet, quia eſt traditio corporis, ut volunt adverſarii. Atqui falſum Conſequens. Ergo. Prob. Min. Nulla fit traditio valida corporis niſi per Matrimonium. Atqui poſt Trid. irritans Matrimonia clandeſtina in locis, in quibus eſt receptum, copula ſubſequens ſponſalia non facit amplius Matrimonium. Ergo. Unde ſententia oppoſita admitti poteſt in locis, in quibus Trid. non viget.

Exiſtimat noſter Gonet, quod ſi ex copula cum ſecunda ſponſa ignara priorum ipſi gravia damna obveniat ſolo Matrimonio reparanda, priori autem nullum aliud, quam non exhibitio rei promiſſæ, ſponſus debeat ducere ſecundam non quidem vi poſteriorum ſponſalium, quæ nulla ſunt, neque vi præſumpti Matrimonii, quod nullum eſt, ſed ratione damnorum, quæ ſecunda ſponſa injuſte pateretur, ad quæ reparanda vir magis obligatur, quam ad implendam promiſſionem, ex cujus omiſſione nullum, aut leve damnum promiſſario obvenit. Addi poteſt priorem ſponſam in hoc caſu teneri ex charitate relaxare obligationem ſponſi. Id totum eſt probabile.

CASUS DUBIUS.

Utrum votum ſimplex caſtitatis perpetuæ, ſubſequens ſponſalia, illa abſolute diſſolvat?

DIxi; ſubſequens ſponſalia; quia ſi præcedat, certum eſt, quod illa etiamſi jurata dirimat, quia ſunt de re jam Deo obligata, ideoque de re illicita. Circa caſum propoſitum eſt duplex ſententia ferme æque probabilis, & in hoc verſatur difficultas, an in contractu ſponſalitio ſubintelligatur hæc conditio, *Niſi ſtatum perfectiorem elegero*. Negant plurimi cum S. Antonio, quia neque ex jure, neque ex natura rei hæc conditio ſupponitur; alioquin etiam ſupponeretur iſta; *Niſi a Matrimonio abſtinere voluero*; quia perfectius eſt non nubere, quam nubere. Si autem ſponſalia ſint abſolute & ſine conditione inita, Deus non acceptat votum de re alteri obligata. Inſuper proferunt cap. *Veniens* tit. *Qui clerici & voventes*, ubi mulier, quæ poſt ſponſalia votum caſtitatis emiſerat, jubetur pœnitentiam agere de fide non ſervata ſponſo, & permittitur inire Matrimonium cum illo. Alii affirmant hanc conditionem, *Niſi ſtatum perfectiorem elegero*, ſubintelligi in ſponſalibus ex voluntate præſumpta contrahentium; quia cum contrahentes non intendant promittere in grave ſui præjudicium, præſumuntur contrahere ſub hac tacita conditione; *Niſi ſtatum perfectiorem elegero*, ſicut omnes fatentur ex eodem principio, quod contrahant ſub hac tacita conditione; *Niſi notabilis mutatio ſupervenIat*. Nec inde ſequitur, quod etiam contrahant ſub hac tacita conditione: *Niſi voluero abſtinere a Matrimonio*; quia non nubere præciſe ſine voto non eſt ſtatus, nec notabilis vitæ mutatio in melius. Ad caput *Venicas* reſpondent, quod illa mulier votum emiſerat fraudulenter, eo ſcilicet fine, ut non cogeretur illi ſponſo copulari, ſed poſſet alteri; non enim ſtatuerat ſervare continentiam. Unde jubetur agere pœnitentiam pro fide ſponſo mentita: & quia erat periculum fornicationis, diſpenſatum eſt, ut Matrimonium cum eodem poſſet inire, impoſita tamen pœnitentia pro voto violato, ex quo patet valuiſſe. Unde Pontifex dicit: *Tutius eſt, ut præfata mulier poſt fidem datam, & votum ſimpliciter oblatum, Matrimonium contrahat, quam fornicationis reatum incurrat*. Quantum ad D. Th. citatur pro hac 2. ſententia infra q. 53. a. 1. ad 1. ubi dicit: *Propter votum ſimplex ſunt ſponſalia dirimenda*. Sed reponunt alii S. Th. loqui de voto antecedente non ſubſequente ſponſalia; ut, inquiunt, ex argumento & reſponſione S. Doctoris patet.

Itaque juxta priorem ſententiam votum illud tenet tantum ex parte voventis, qui illud ſervare debet quantum poteſt ſine injuria compartis, ita ut ipſa requirente teneatur inire Matrimonium, & reddere debitum, niſi primo bimeſtri, non tamen petere. Ipſa vero conſentiente, debet abſolute ſervare continentiam, nec poteſt mortua conjuge ad alias nuptias tranſire; quia, inquiunt, licet Deus non acceptet hujuſmodi votum in præjudicium compartis, acceptat tamen in quantum præciſe reſpicit voventem. Pariter dicunt votum profitendi Religionem & votum ſuſcipiendi Ordines ſacros non irritare ſponſalia præcedentia, præſertim cum ſint de futuro, imo nec poſſe ſuſcipi ſacros Ordines invita comparte; quia eædem rationes militant, ſcilicet quod corpus ſponſi ſint abſolute, & ſine conditione obligatum ſponſæ, excepto ſolo caſu Religioſæ Profeſſionis. Eſt tamen diſparitas inter utrumque votum, quod votum ſuſcipiendi Ordinis non impediat petitionem debiti, quam impedit votum caſtitatis; quia qui vovet ſuſcipere ſacros Ordines, nondum vovet caſtitatem.

Juxta vero poſteriorem ſententiam poteſt una pars alia parte invita vovere non ſolum caſtitatem & religionem profitendam, ſed etiam ſuſceptionem ſacrorum Ordinum, & illos de facto ſuſcipere; quia contractus ſponſalitius fuit initus ſub hac conditione; *Niſi ſtatum perfectiorem eligere voluero*. Quod ſi vovens, non obſtante voto alterutro ineat Matrimonium, tenetur votum ſervare, quantum poteſt. Si vovit caſtitatem, poteſt reddere debitum, non petere; ſi vovit profiteri Religionem, aut ſuſcipere ſacros Ordines, poteſt reddere & petere. Mortua vero conjuge, vel ea conſentiente, vel adulterante, tenetur profiteri Religionem, ſuſcipere ſacros Ordines; & qui vovit caſtitatem, eam perpetuo ſervare, ut dictum eſt in prima ſententia. Utramque ſententiam probabilem cum ſuis fundamentis, & conſectariis erudito Lectori, propono, ut quam probabiliorem judicaverit, ſequatur. Quantum ad me, quamvis utcumque propendeam in ſecundam, quænam tamen ſit vera, definire nolim.

Petes, an in omnibus caſibus aſſignatis ipſo jure ſolvantur ſponſalia? Reſpondeat Auctor (*Ibid. n. 3. 0.*) *quod in duobus tantum, ſcilicet cum quis ad Religionem confugit, & cum alter conjugum cum altera per verba de præſenti contrahit, ipſo jure ſponſalia dirimuntur. Sed in aliis caſibus dirimi debent ſecundum judicium Eccleſiæ*. Hoc ultimum tamen intellige, ubi ſponſalia ſunt publica, & non certo conſtat de cauſa ſufficienti diſſolutionis. Si enim ſint occulta, poſſunt ipſi contrahentes diſſolvere: imo etiamſi ſint publica, modo cauſa diſſolutionis ſit etiam evidens & publica. Si autem ſint publica ſponſalia, & cauſa occulta, recurrendum eſt ad judicem propter evitandum ſcandalum.

Sed quid ſi cauſa occulta probari non poſſit in judicio, v. g. fornicatio ſponſæ? R. Quod ſecluſo ſcandalo poſſit alter propria auctoritate reſilire. Si autem ſit ſcandalum, & compars juridice urgeat, debet ſuppreſſo crimine acquieſcere: quia crimen, quod non poteſt probari, injuſte aperitur.

ARTICULUS VI.

De Bannis, ſeu publicis futuri Matrimonii denuntiationibus.

BANNUM eſt vox germanica ſignificans edictum, ſeu publicam proclamationem. Igitur Banna hic ſunt publicæ denuntiationes futuri Matrimonii inter tales perſonas.

Dico 1. Publicæ denuntiationes futuri Matrimonii ſunt neceſſario præmittendæ Matrimonio neceſſitate præcepti, non Sacramenti. Prima pars conſtat ex Concilio Lateran. III. cap. ultimo de clandeſt. deſponſat. in quo ſic decernitur: *Statuimus, ut cum Matrimonia fuerint contrahenda, in Eccleſiis per Presbyteros publice proponantur competenti termino præfinito, ut intra illum qui voluerit & valuerit, legitimum impedimentum opponat*. Quod Decretum innovans & extendens Concilium Trid. Seſſ. 22. c. 1. de Ref. Matrimonii, ait: *Præcipit (Synodus) ut in poſterum, antequam Matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus feſtivis in Eccleſia inter Miſſarum ſolemnia publice denuntietur, inter quos Matrimonium ſit contrahendum, quibus denuntiationibus factis, ſi nullum legitimum impedimentum opponatur, ad celebrationem Matrimonii in facie Eccleſiæ procedatur ... quod ſi aliquando probabilis fuerit ſuſpicio Matrimonium malitioſe impediri poſſe, ſi tot præceſſerint denuntiationes, vel una tantum denuntiatio fiat, vel Parocho & duobus vel tribus teſtibus præſentibus Matrimonium celebretur. Deinde ante illius conſummationem denuntiationes in Eccleſia fiant, ut ſi aliqua ſubſunt impedimenta, facilius detegantur, niſi Ordinarius ipſe expedire judicaverit, ut prædictæ denuntiationes remittantur, quod illius prudentiæ & judicio S. Synodus relinquit*.

Secunda Pars etiam conſtat, quia quamvis a laudatis Conciliis ſevere prohibeantur Matrimonia ſine præviis Bannis, nullibi tamen irritantur. Nec obſtant quædam Edicta Regum Galliæ, quibus declarantur hujuſmodi Matrimonia *non valide contrahi*: hæ enim particulæ juxta Juriſconſultos & Theologos Gallos referuntur ad defectum præſentiæ Parochi aut libertatis, qui etiam in his Edictis eſt inſertus; & ita reſponſum fuiſſe Regis nomine an. 1630. Clero Gallicano, qui poſtulaverat dictæ clauſulæ in Edicto Luduvici XIII. inſertæ interpretationem, refert Honor. Tournely. Verum cum plura contineat laudatum Decretum Trid. rem præſentem ſpectantia, indiget expoſitione. Quapropter

Exponitur Decretum Concilii Tridentini.

IMPRIMIS cum iſta lex de præmittendis Matrimonio publicis denuntiationibus ſit in re gravi, graviter obligat, ita ut tam Parochus aſſiſtens, quam contrahentes illam tranſgredientes peccent mortaliter, niſi in caſu neceſſitatis, quo v. g. quis inſtante morte vellet ducere concubinam ad legitimandas proles, nec ſupereſſet tempus recurrendi ad Epiſcopum pro diſpenſatione. 2. Dicitur in

De-

Digitized by Google

Decreto has denuntiationes debere fieri *a proprio contrahentium Parocho*, ita ut ſi ſint duplicis Parochiæ, ab utroque Parocho debeant fieri. Si quis tamen a pauco tempore habitaret in una Parochia, & ibi vellet contrahere Matrimonium, videtur, quod convenientius proclamationes fierent *a* Parocho loci, in quo prius morabatur, quam *a* Parocho loci, in quo nunc habitat, alias non obtinetur finis legis, qui eſt detegere impedimenta Matrimonii. Quando autem littera adverſatur menti Legiſlatoris, eſt deſerenda. Cæterum quiſque ſequatur mores ſuæ Diœceſeos. 3. Dicitur proclamationes debere fieri *ter tribus continuis diebus feſtivis*. Dies feſtivi, quo nomine venit etiam dies Dominica, intelliguntur continui, quando inter eos non intercedit alius feſtus dies, licet intercedat dies Ferialis. Imo in aliquibus Diœceſibus, ſi tres dies feſti ſe immediate ſequantur, nullo alio interjecto, non debent intra iſtud triduum fieri omnes denuntiationes, ſed oportet inter primam & ſecundam, vel inter ſecundam & tertiam, diem unam ſaltem intercedere, ne brevitate temporis eludantur, qui aliquod impedimentum revelare tenentur, *ita* Rituale Pariſienſe. Secundum vero Statuta hujus Diœceſis Leodienſis emanata *a* Georgio Ludovico, ſecunda Proclamatio non debebat fieri niſi infra octiduum a prima.

4. Dicitur debere proclamari Banna *in Eccleſia inter Miſſarum ſolemnia*; quia tunc frequentior eſt populus, unde facilius detegi poteſt, ſi quæ ſint impedimenta. Non videtur tamen culpandus ſaltem graviter Parochus, qui extra Eccleſiam, aut die feriali in ſolemni concione, vel ubi adeſt magnus Populi concurſus, proclamationes faceret; quia in hoc non deviaret *a* fine Legis. 5. Dicitur Ordinarium poſſe diſpenſare ex legitima cauſa, & quamvis unam tantum aſſignet Concilium, ſcilicet ne Matrimonium malitioſe impediatur, alias tamen non excludit, ut patet ex praxi communi, & ex eo quod hanc diſpenſationem Epiſcopi *prudentiæ & judicio committat*; non tamen ſic ut a ſolo ejus arbitrio pendeat, ſed ſi occurrat juſta cauſa diſpenſandi. Unde idem Trid. Seſſ. 25. cap. 18. generaliter dicit: *Sciant univerſi ſacratiſſimos Canones exacte ab omnibus & quoad ejus fieri poterit indiſtincte obſervandos. Quod ſi urgens, juſtaque ratio & major quandoque utilitas poſtulaverint cum aliquibus diſpenſandum eſſe, id cauſa cognita ac ſumma maturitate atque gratis a quibuſcumque, ad quos diſpenſatio pertinebit, erit præſtandum; aliter facta diſpenſatio ſurreptitia cenſeatur*. Hinc viderint, qui ob quamcumque cauſam etiamſi levem & leviſſimam, vel ad ſolam petitionem contrahentium aut Parochi, nulla allegata cauſa ſufficiente, diſpenſat. Nomine Ordinarii hic venit etiam Vicarius Generalis Epiſcopi, niſi Epiſcopus in his diſpenſandi facultatem ſibi reſervaverit.

Petes 1. Utrum non ſint aliquando repetendæ denuntiationes? R. verbis Ritualis Romani: *Si infra duos menſes poſt factas denuntiationes Matrimonium non contrahatur, denuntiationes repetantur, niſi aliter Epiſcopo videatur*.

Petes 2. Quas pœnas incurrunt tam Parochus aſſiſtens, quam contrahentes Matrimonium ſine prævijs proclamationibus, aut legitima diſpenſatione? R. Parochus aut alter Sacerdos aſſiſtens Matrimonio contracto ſine prævijs denuntiationibus debet ſuſpendi ab officio ad triennium. Cap. *cum inhibitio* Extra. l. 4. tit. 3. ex Innocentio III. in Concilio Lateran. Contrahentes vero ſine denuntiationibus in gradu prohibito, etiamſi illum ignoraverint, *Spe diſpenſationis conſequendæ careant .... Non enim dignus eſt, qui Eccleſiæ benignitatem facile experiatur, cujus ſalutaria præcepta temere contempſit*. Ita Trid. Seſſ. 24. c. 5. de Ref. Matrim. Unde in petitione diſpenſationis ſuper gradu prohibito debet exprimi iſte defectus proclamationum, alioquin diſpenſatio cenſebitur ſurreptitia. Item quamvis ſecundum jura filii nati ex Matrimonio contracto in gradu prohibito legitimentur, non ſic tamen, ſi non præceſſerint denuntiationes. Eodem cap. *Cum inhibitio*.

Petes 3. Utrum qui poſt unam aut duas proclamationes contrahit Matrimonium, has pœnas incurrat? R. Qui poſt unam denuntiationem contrahunt Matrimonium, non incurrunt pœnas latas a Concilio Lateran. cap. cit. *Cum inhibitio*: quia Concilium non requirit plures denuntiationes, ſed tantum quod publice proponatur in Eccleſia Matrimonium eſſe contrahendum, ut patet ex ejus textu initio articuli. Qui vero poſt duas denuntiationes contraherent, probabile eſt, quod etiam non incurrerent pœnam latam a Trid. ſecus ſi poſt unam tantum; quia hæc pœna eſt lata contra eos, *qui ſolemnitates requiſitas neglexerunt*, qui autem adhibuit duas proclamationes, non neglexit ſolemnitates, ſed ſolemnitatem tantum. Odioſa porro ſunt reſtringenda, & ſtricte intelligenda: non tamen culpa vacaret.

Petes 4. Utrum qui novit impedimentum, teneatur revelare? R. 1. Si ſit impedimentum dirimens, ſive publicum ſive occultum, quod poſſit probari, tenetur ſecundum omnes revelare; quia ideo fiunt proclamationes, & alioquin tacens cauſa foret, cur contrahentes viverent in continuo concubinatu, aut cum ſcandalo ſepararentur. 2. Si impedimentum dirimens non poſſit probari, & contrahentes ſint in bona fide, quidam cenſent non eſſe revelandum; quia inutilis foret revelatio. Alii dicunt eſſe revelandum; quia hic non agitur de reo puniendo, ad quod requiruntur duo teſtes omni exceptione majores, ſed de malo vitando, ad quod, inquiunt, ſufficit unus teſtis fidei probatæ, & juratus, qui deponat ex certa ſcientia, idque colligi putant ex jure. Hoc autem teſtimonio fretus Parochus poteſt & debet denegare aſſiſtentiam Matrimonio. Verum ſi lis ea de re moveatur coram Officiali? Quid continget? Dicant Juriſperiti. 3. Si impedimentum ſit tantum impediens, ut votum ſimplex caſtitatis, tenetur reſciens revelare eo fere modo, quo tenetur revelare impedimentum dirimens, quantum ſcilicet tenetur impedire, in quantum poteſt, peccatum proximi. 4. Quæ poſſunt & debent revelari, poteſt & debet reſciens revelare, etiamſi ſciat ſub ſecreto naturali, quia ſecretum naturale debet cedere honori Sacramenti & ſaluti proximi, etiam cum aliqua ejus infamia, niſi forte ſecretis monitionibus poſſint contrahentes a Matrimonio retrahi.

Sed quid ſi Parochus noverit impedimentum ex ſola Confeſſione ſacramentali? R. Si ex Confeſſione impediti, debet in quantum poteſt a Matrimonio contrahendo deterrere; quod ſi non obtineat, & pœnitens petat Matrimonium, non poteſt Parochus recuſare propter Religionem Sigilli. Si autem ſciat ex Confeſſione compartis aut alterius, debet ipſum monere de obligatione revelandi impedimentum, qui, ſi nolit ſatisfacere, non eſt abſolvendus.

DISSERTATIO III.

DE CONSENSU AD MATRIMONIUM REQUISITO.

Div. Thom. a Quæſt. 45. ad 49.

ARTICULUS I.

Utrum poſſit eſſe Matrimonium ſine conſenſu Conjugum?

Matrimonium, ut jam obſervavimus, poteſt conſiderari vel cauſaliter & in ratione contractus, vel formaliter & in ratione vinculi. Certum eſt Matrimonium non poſſe etiam de potentia Dei abſoluta ſubſiſtere in ratione contractus ſine conſenſu mutuo conjugum; quia contrahere eſt conſentire, & contractus eſt mutuus conjugum conſenſus; nec conſequenter poteſt eſſe Sacramentum ſine conſenſu contrahentium; quia Sacramentum fundatur in contractu, & eſt ipſe contractus ad eſſe Sacramenti elevatus. Quæſtio eſt igitur de Matrimonio in ratione vinculi, cujus cauſa efficiens, inquit Florentinum, eſt conſenſus contrahentium.

Dico. Deus poteſt abſolute efficere vinculum Matrimonii ſine mutuo conjugum conſenſu, non aliqua poteſtas humana. Prob. 1. pars. Cum Deus ſit ſupremus Dominus corporum & animorum, poteſt tradere dominium corporis viri mulieri, & viciſſim, eiſque inſpirare amorem mutuum, quem connaturaliter exigit Matrimonium. Atqui ex iſta traditione dominii mutui in corpore, adjuncto præſertim amore mutuo, reſultat vinculum inter utrumque, ſicut reſultat, dum mutuo conſenſu ſibi invicem tradunt dominium in ſua corpora. Ergo. Quod ſi forte nolis hoc vinculum vocari matrimoniale, quia non efficitur a conſenſu matrimoniali, non diſputabimus de nomine, modo fatearis eſſe vinculum æquivalens matrimoniali, quod unum intendimus.

Prob. 2. pars. Nulla poteſtas humana ſive civilis, ſive eccleſiaſtica poteſt tradere dominium corporis viri in mulierem, nec mulieris in virum in ordine ad Matrimonium. Atqui in illa mutua traditione ſitum eſt vinculum matrimonii, ſeu ex illa reſultat. Ergo. Prob. Maj. Nulla eſt poteſtas humana contra bonum ſive commune ſive privatum; non enim datur a Deo in deſtructionem, ſed in ædificationem. Atqui talis poteſtas foret exitioſa bono communi & privato. Ergo. Prob. Min. Quia ex hujuſmodi Matrimoniis ſine conſenſu & amore mutuo, quem

quem poteſtas humana infundere non poteſt ſicut Deus, nati ſunt ſequi infauſtiſſimi eventus in perniciem boni communis & privati, continuæ diſſenſiones, jurgia, homicidia, adulteria, divortia, peſſima prolium educatio, &c. Ergo. Confir. Nunquam Eccleſia aut Reſpublica uſa eſt hoc jure, quamvis eo utendi, ſi habuiſſet, non raro fuerit neceſſitas pro Regnorum tranquillitate aut fidei propagatione. Ergo illud non habet.

Obj. contra 1. partem. 1. Matrimonium eſt corporum & animorum conjunctio. Atqui non poteſt conjunctio animorum ſine conſenſu. Ergo. 2. Non datur vinculum Religionis ſine voto. Ergo nec vinculum Matrimonii ſine conſenſu. 3. Non datur relatio mutui juris, in qua conſiſtit vinculum Matrimonii, ſine fundamento; iſtud autem fundamentum quid eſt niſi conſenſus mutuus? Ergo. R. ad 1. N. Maj. Patet in eo, qui metu juſte incuſſo ducit mulierem ſibi exoſam; vel qui amore divitiarum aut honoris, potiuſquam mulieris, Matrimonium init. Item in eis, qui divortio ſunt disjuncti. Dicitur ergo Matrimonium unio animorum, non quod amor ſit illi eſſentialis, ſed quia illum connaturaliter exigit & fovet, hunc autem Deus in caſu infunderet. Ad 2. N. Ant. Poteſt enim Deus ratione ſupremi dominii ſubjicere aliquem Religioni, & ejus operibus, ſicut ipſa ſe per votum ſubjicit. Quod ſi velis hoc vinculum non debere dici Religionis, quia non eſt ex voto, dicam ut ante eſſe quæſtionem de nomine. Ad 3. Fundamentum hujus relationis in caſu foret voluntas Dei tradentis dominia corporum.

Obj. contra 2. partem. 1. Reſpublica habet dominium in corpora Civium; poteſt enim ex cauſa eos vita privare ſeu tradere in ſervitutem. Ergo. 2. Eccleſia poteſt cogere invitum ad acceptandum Epiſcopatum; qui eſt Matrimonium ſpirituale Epiſcopi cum Eccleſia, Ergo ſimiliter. 3. Ante Trid. juxta cap. *Is qui fidem* de ſponſalibus, ſponſalia tranſibant per copulam in Matrimonium: & cap. finali de condition. appoſ. habetur validum Matrimonium ſub conditione impoſſibili contractum. Atqui in his caſibus non videtur adeſſe conſenſus. Ergo. R. ad 1. D. Ant. Reſpublica habet dominium in corpora civium in ordine ad bonum commune, ut contingit in caſibus aſſignatis, C. Contra bonum commune ut accideret, ſi invitos in Matrimonium compelleret, N. Ad 2. D. Ant. Eccleſia poteſt præcepto vel minis cogere, hoc eſt inducere invitum, ut conſentiat in Epiſcopatum, C. Ut ſine conſenſu fiat Epiſcopus, N. Similiter Eccleſia poteſt quandoque juſtis de cauſis cogere ſeu inducere præcepto vel minis virum & mulierem ad conſentiendum Matrimonio; non autem efficere, ut ſine conſenſu ſint Matrimonio juncti. Ad 3. Eccleſia in his caſibus ſupponit adeſſe conſenſum.

ARTICULUS II.

Qualis debeat eſſe conſenſus?

Dico 1. (*Supp. q. 45. a. 4. o.*) Conſenſus neceſſario requiſitus ad Matrimonium debet eſſe interior, nec ſufficiunt verba conſenſus exterius prolata. Prob. 1. Secundum omnia jura & omnes Theologos conſenſus requiritur ad Matrimonium. Atqui vocabulum *Conſenſus* dicit actum interiorem voluntatis. Unde communiter dicitur ex cauſa 27. q. 2. c. 1. *Matrimonium non coitus facit ſed voluntas:* Innoc. III. cap. *Tua nos* de ſponſalibus declarat irritum fuiſſe Matrimonium alicujus viri, qui licet verba exterius protuliſſet, quia tamen nomen proprium ſimulaverat, credebatur non habuiſſe propoſitum contrahendi, addens pro ratione: *Quoniam ... ſine conſenſu cætera nequeunt fœdus perficere conjugale*. Et cauſa 27. q. 2. cap. *Sufficiat* Nicolaus Papa dicit: *Si conſenſus in nuptiis ſolus forte defuerit, cætera omnia etiam cum ipſo coitu celebrata fruſtrantur*. Ratio eſt; quia nemo transfert a ſe dominium rei, quam habet, nec graves ſibi imponit obligationes; niſi velit: idque eſt eſſentiale omni contractui, ut latius probavi Diſſ. 1. de Contract. a. 5. inſpice.

Petes 1. Ad quid teneatur, qui ficte conſenſit? R. regulariter & per ſe loquendo teneri ponere conſenſum, & partem deceptam ducere, quia quando duo contrahunt, una parte ſincere procedente, tenetur altera pariter ſincere procedere, alioquin alteri illudit, & contra juſtitiam agit: atqui hoc debitum per fraudem non extinguitur. Ergo. Unde dicit Auctor, (*Ib. ad 1.*) quod fraus & dolus ei *non patrocinantur, nec in foro conſcientiæ, nec in foro Eccleſiæ, quia in utroque foro pro hoc punitur*, quatenus ſcilicet in utroque obligatur ducere eam, quam decepit.

Dixi, *Regulariter & per ſe loquendo*: quia in certis caſibus non tenetur 1. ſi tanta ſit conditionis diſparitas, vel tanta evidentia fictionis, ut merito cenſeatur mulierem voluntarie fuiſſe deceptam. 2. Si mulier deceperit virum, ſimulando ſe Virginem; tunc enim datur compenſatio injuriæ. 3. Si decipiens legitime contrahat cum alia; quia hoc ſecundum Matrimonium eſt validum, & primum invalidum. Unde, inquit Auctor, (*Ibid. ad 3.*) *debet potius Excommunicationis ſententiam ſuſtinere, quam ad primam uxorem accedere, vel debet in alias Regiones remotas fugere*; tenetur tamen injuriam priori illatam arbitrio prudentum compenſare. Sed hic caſus rarus eſt, quia Eccleſia ordinarie præſumit pro primo Matrimonio, nec ſecundum permittit. 4. Si grandia mala ex tali Matrimonio fundate timeantur: quo caſu ſufficit compenſatio pecuniaria.

Petes 2. Utrum pars decepta teneatur alteri ſimpliciter aſſerenti ſe non conſenſiſſe, credere, & ab uſu conjugii abſtinere? R. negative. Nec enim ipſa Eccleſia ſic aſſerenti credit, ſed poteſt exiſtimare, quod qui aſſerit ſe prius mentitum fuiſſe, nunc mentiatur. *Indignum eſt*, inquit Innocentius III. c. *Per tuas* de probationibus, *ut quod ſua voce quiſpiam dilucide eſt proteſtatus, in eundem caſum proprio valeat teſtimonio infirmare*. Si tamen evidentia proferret indicia ſe non conſenſiſſe, teneretur alter credere, & poſſet ad alias nuptias convolare, accedente tamen Judicis Eccleſiaſtici ſententia, ſi Matrimonium fuit publicum, & paſſim habitum pro valido. Idem quidam dicunt, ſi juret ſe non conſenſiſſe, modo ſit de quo præſumi poſſit; quod non pejeret.

Dico 2. (*Ibid. a. 2. o.*) Conſenſus internus debet exterius exprimi per verba aut ſigna de præſenti. Ita Florentinum in decreto unionis, *Cauſa efficiens Matrimonium*, inquit, *regulariter eſt mutuus conſenſus per verba de præſenti expreſſus*. Ubi To *regulariter*, ut jam obſervavi, non afficit *conſenſum exterius expreſſum*, ſed *verba*, quia regulariter conſenſus exprimitur per verba; poteſt tamen exprimi per alia ſigna verbis æquivalentia. Ratio concluſionis eſt; quia Matrimonium & eſt Sacramentum, conſequenter ſignum ſenſibile, & contractus humanus: contractus humanus poſtulat ex natura ſua fieri aliquo ſigno humano & ſenſibili, per eum enim homo agit cum homine, ut homo eſt conſtans corpore & anima, nec aliter fiunt cæteri contractus. Plura vide Diſſ. 2. de Contract. a. 1.

Dices. Cap. *Tuæ fraternitati* de ſponſalibus l. 4. tit. 1. Innocentius III. dicit: *Matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri & mulieris conſenſum, ſed neceſſaria ſunt quantum ad Eccleſiam verba conſenſum exprimentia de præſenti*. Ergo. R. Innocentium loqui de verbis proprie dictis, quæ dicit eſſe neceſſaria quoad Eccleſiam, quia talis eſt ejus praxis, & certius per ea illi conſtat de conſenſu interno. Patet ex verbis immediate ſequentibus: *Nam*, inquit, *ſurdi & muti poſſunt contrahere Matrimonium per conſenſum mutuum ſine verbis*, non tamen ſine ſignis æquivalentibus.

In cap. *Cum loco* ibid. c. *ſufficiat* cauſa 27. q. 2. & alibi dicitur per ſolum conſenſum perfici Matrimonium. Ergo. R. To *Solum* non excludere verba vel ſigna conſenſum exprimentia, ſed quædam accidentalia, ut cæremonias, conſenſum parentum, &c.

Repones. Deus, qui videt animos, poteſt conſenſus internos approbare. Ergo. R. Poteſt quidem, ſed non ſic approbat, ut efficiant Matrimonium, quod voluit & inſtituit fieri humano modo. Alia argumenta require loco cit. de Contractibus.

Dixi 1. (*Ibid. ad 2.*) *Per verba, vel ſigna*, verbis utique æquivalentia; quia modo per hæc exprimatur conſenſus, ſufficiunt in Matrimonio ſicut in aliis Contractibus. Unde Innocentius III. mox citatus definit Matrimonium poſſe contrahi a ſurdis & mutis, & Florentinum dicit contrahi *regulariter* per verba, innuens poſſe aliquando contrahi aliter.

Si petas, quæ ſigna ſufficiant? R. & ſit Regula generalis; quoties ſignum, vel ex natura ſua, vel ex juris diſpoſitione, vel ex Regionis conſuetudine eſt certa nota interni conſenſus conjugalis erga ſponſum, aut ſponſam ſufficit ad Matrimonium. Hinc in quibuſdam ſufficit annuli ſubarrhatio, in aliis porrectio manus, in aliis traductio ſolemnis ſponſæ in domum ſponſi, &c. (*Ib. ad 3.*) imo & conſenſus Parentum præſente & tacente ſponſa præ verecundia? niſi forte taceret, quia non conſentiret. Obſervandum tamen præſentes debere per verba contrahere, quando loqui poſſunt; quia ſic certius innoteſcit, & facilius poteſt probari conſenſus. Unde qui recuſaret, juxta Sylvium & quoſdam alios, peccaret mortaliter; quia ſine cauſa recederet a notabili ritu, quem Eccleſia ſemper obſervavit, & videtur præcepiſſe obſervari cap. citato *Tuæ Fraternitati*. Alii tamen reputant tantum peccatum veniale, quia non videtur res gravis momenti, niſi ſigna ſint æquivoca.

Dixi 2. (*Ib. a. 3. o.*) *Per verba vel ſigna de præſenti*: quia qui promittit aliquid ſe facturum, nondum facit illud: qui autem conſentit per verba de futuro, ut cum dicit; *Accipiam te in meam, habebo te in uxorem*; promittit tantum ſe cum illa contracturum Matrimonium: Ergo. Confirm. Matrimonium conſiſtit non in promiſſione tradendi corpora, ſed in ipſa mutua traditione. Ergo non poteſt

exprimi par verba da futuro, dicando accipiam te, quæ ſolum important promiſſionem, ſed per verba de præſanti, dicendo; *Accipio te*, quæ important actualam traditionem.

Obſervandum tamen quandoqoe verba grammaticalitar eſſe de ſuturo, quæ ex adjunctis habent ſenſum de præſenti, & e contra, v.g. hæc: *Ex nunc babebo te in meam*, *babebo* grammaticaliter eſt de ſuturo, propter tamen *ex nunc* adjunctum, eſt de præſenti. E cootra; *Accipio te pro Paſchate proximo*: *Accipio* grammaticalitar eſt da præſenti, revera tamao da futuro propter adjunctum. Quando autem attantis omnibus dubium eſt; an ſint de præſenti vel de futuro, conſulenda eſt intentio contrahentium.

Præter has conditiones requiritur inſuper quod conſenſus ſit in ſcie Ecclaſiæ, & immunis ab errore & metu. Da 1. agit Auctor hic e. 3. De att. 2. q. 51. a. 1. De utroque dicemus, dum de impedimentis. De 3. agit q. 47. att. 3. pro quo ſit

ARTICULUS III.

Utrum Matrimonium ex metu initum ſit irritum, & quo jure?

PRO præmiſſis ad hunc articulum habear & lagat ſtudioſus Lector, quæ dixi Diſſert. da Contract. att. 4. cui titulus eſt: *Utrum metus irritet contractum?* His ſuppoſitis nunc

Dico 1. (*Supp. q. 47. a. 3. c.*) Matrimoniom contractum ex gravi metu, a cauſa libera injuſte & ad extorquendum conſenſum incuſſo, irritum eſt jure poſitivo, non naturali. Prob. (*Ib. in a. ſ. c.*) 1. pars ex pluribus locis juris, c. *Significavit* 2. de eo qui duxit, c. *Cum locum* 14. c. *veniens* 15. & c. *Conſultationi* de ſponſalibus. Nequo dicas jura præſumere metu coactum non vere conſenſiſſe: contrarium enim aperte patat ex cap. cit. *Significavit*, ubi Pontifex diſerte ſignificat eum, qui conſenſit in unam, ſed per vim & non ſponte, validum cum altera Matrimonium contraxiſſe. Inſoper, ut arguit Auctor, (*Ib. c.*) Eccleſia non præſomit peccatum de aliqoo, niſi probetur. Præſomerat autem peccatum mendacii, ſi exiſtimaret eum, qui coactus eſt, non conſenſiſſe, quando dicebat ſe conſentire.

Prob. 2. pars. Si metus gravis injuſte incuſſus ad extorquendum conſenſum jure naturæ irritarat Matrimonium, eſſet vel propter defectum conſenſus voluntarii, vel propter injoriam illatam patienti metum. Atqui ex neutro capita id præſtat, Ergo. 1. Non propter defectum conſenſus voluntarii, quia quæ fiunt ex mato, ſunt ſimplicitat voluntaria. Et licet omnimoda ſpontaneitas convenientior foret Matrimonio ob perpetuitatem ejus, non tamen eſſantialiter requiritur, ſed ſufficit illud voluntarium, quod ſatis eſt ad translationem dominii corporis, ut in aliis contractibus; alias ſaquaretur, quod Matrimonium contractum ex matu gravi juſto a cauſa libera val naturali foret etiam invalidum, cum nac iſta ſit ſpontaneitas omnimoda; quod tamen nollus admittit. 2. Non propter injuriam illatam, quia ſuppoſito conſenſu ſufficianti ad translationam dominii corporis nulla injuria ullum contractum ex natura rei irritat, ſed dat tantum jus vel reſcindendi, ſi reſcindibilis ſit; vel petendi ſatisfactionem. Sufficit anim jure naturæ ad validum contractum conſenſus voluntarius contrahentium. Inſuper ſequaretur, quod metus injuſta incuſſus ob alium finem, quam ad conſenſum extorquandum, etiam irritaret Matrimoniem, cum tunc non minor irrogetur injuria; quod taman communiter non admittitur.

Dixi 1. *Ex gravi metu*. Si enim ſit levis metus, non irritatur Matrimonium: quia jura requiruot metum cadantem in virom conſtantem: & l. *Nec timorem* ff. de eo quod metus cauſa ſit, metus levis pro nihilo reputatur. Sed

Petes 1. Quæ mala debent timeri, ut cenſeator gravis metus? R. Hæc iſto verſu continentur (*Ib. a. 2. ad 2.*) *Stupri ſive ſtatus, verberis atque necis*: & ſimilia ejuſdem momenti, vel gravis infamia; ſive iſta immineant timenti, vel proximis ejus parentibus, patri, matri, uxori, frattibus, &c.

Petes 2. An ſi minora mala timeantur, ſed timens ſit puſillanimis & timidus, cenſeatur etiam metus gravis irritans Matrimonium? R. ſub diſtinctione. Vel, ſpectata hujuſmodi conditionis perſonarum qualitate, indole, &c. ejuſmodi mala, ut gravia ab eis ſolent apprehendi, vel non, ſed ſolum ab hac particulari perſona ob ejus ſpecialem meticuloſam indolem talia apprahenduntur. Si primum, metus cenſetur reſpective gravis irritans Matrimonium. Secus ſi ſecundum. Ratio primi eſt; quia licet talis metus non ſit abſolute gravis, eſt tamen talis reſpective; nec minus voluntarium & libertatem minuit reſpectu talium perſonarum, quam gravis abſolute reſpectu conſtantium virorum. Adde, quod l. *Metus autem* 3. ff. *ex quibus cauſis majores*, dicitur, juſtum metum intelligi ex affectu ejus, qui eum patitur: quod tamen ſic intellige, ut ita evenire ſoleat in perſonis ejuſdem conditionis. Unde Ratio ſecundi eſt, quia jura non reſpiciunt, quid in particulari ſit huic proprium, ſed quid communiter ſoleat accidere: alias omnia eſſent plena litibus & incerta.

Petes 3. An metus reverentialis cenſeatur gravis? R. Vel conſideratur pro ſolo pudore & verecondia, quam habent proles reſpectu parentum, pupilli reſpectu tutorum, ſubditi reſpectu Magiſtrorum, &c. ſi eorum voluntati non acquieſcant; & tunc ille metus cenſetur levis, & inſufficiens ad irritandum Matrimonium. Vel conſideratur ut habet adjunctas graves minas, periculum diuturnæ offenſionis cum aſperitate vultus & verborum ejus, cui reverentia debetur; & tunc, reſpectu præſertim puellarum, cenſetur gravis metus.

Dixi 2. *A cauſa libera*: quia ſi a cauſa naturali, v. g. a tempeſtate, bello, peſte, &c. ſit incuſſus metus, non irritat Matrimonium, cum nulla tunc contrahenti irrogetur injuria, ad quam maxima attendunt jura. Hinc valet Matrimonium, ſi quis concubinam ducat metu inferni vel mortis ex naufragio. Dixi 3. *Injuſte*: quia ſi a cauſa libera quidem ſive publica, ſive privata, ſed juſte metus incutiatur, non irritat Matrimonium; quia tunc nulla ſit injuria coacto, qui potius a ſuo delicto, adeoque a ſe ipſo cogitur quam ab alio. Unde ſolet Eccleſia etiam ſub graviſſimis pœnis cogere ad Matrimonium ſtupratores Virginum; aut qui a ſponſalibus injuſte reſiliunt. Hinc ſi Parentes minentur adducere coram Judice inventum in ſtupro, & tali metu compulſus ſtupratam ducat, validum eſt Matrimonium. Si autem minarentur mortem per ſe inferre, aut aliud grave malum, niſi ducat, compulſus hoc metu invalide contraheret, quia in hoc caſu foret injuſte incuſſus metus. Habent enim parentes jus accuſandi coram Judice ſtupratorem, non autem per ſe mortem, aut vulnera inferendi. Si autem ex ira velint interficere ſtupratorem; ipſe autem ſua ſponte offerat Matrimonium ſperans ſe ita iratos animos poſſe placare, & mortem evadere, valide contrahit; quia metus non eſt incuſſus in ordine ad Matrimonium. Unde

Dixi 4. *Et ad extorquendum conſenſum incuſſo*: quia ſi incutiatur ad alium finem, per accidens ſe habet ad Matrimonium, ac proinde habendus eſt eodem loco, ac ſi fuiſſet incuſſus a cauſa mere naturali. Hinc valet Matrimonium, ſi ad mortem damnatus & petitus ab aliqua in conjugium, cum ea contrahit, ut mortem evadat. Item ſi puella, ne occidatur a ſicario, offerat ipſi nubere, &c.

Solvuntur Objectiones.

OBJ. 1. Contra 1. partem. Si Matrimonium ex metu gravi &c. initum ſit jure poſitivo irritum, ſequitur ſic contrahentem neceſſario reum eſſe mendacii & ſacrilegii; Mendacii in quantum dicit: *Accipio te in meam*, quod non intendit; Sacrilegii in quantum utitur forma Sacramenti ſuper materiam indebitam; ſicut qui metu mortis proferret formam abſolutionis in ſubjectum indiſpoſitum. Atqui hoc videtur abſurdum. Ergo. R. N. utramque Sequelam. Quantum ad 1. etſi verum ſit, quod ſi contrahens, ſciens tale Matrimonium eſſe nullum, verba proferat formaliter, & intus non conſentiat, peccet mentiendo, ad id tamen non neceſſitatur; poteſt enim conſentire quantum fieri poteſt ex parte ſua, vel proferre verba ſolum materialiter more pſittacorum, quia in his circumſtantiis non tenetur reſpondere juxta intentionem cogentis, & verba e circumſtantibus ſic intelligi poſſunt & debent, cum ſciant talem in Matrimonium efficacitar conſentire non poſſe; utrovis modo fiat, poteſt non eſſe mendacium. Ex quo etiam patet ad 2. ſequelam ſcilicat nullum eſſe ſacrilegium. Proferens enim verba alterutro modo, eam non profert, ut formam Sacramenti, nec ponit illius materiam, ſed ſe habet, ſicut qui Miſſam exercendo verba Conſecrationis ſuper hoſtiam chartaceam proferret. Ad exemplum de proferente verba abſolutionis ſuper indiſpoſitum, diſparitas eſt, quod ille ex perſona Dei falſum judicium exterius proferat, & conſentiat ei, qui directe petit aliquid impium & ſacrilegum: unde aperte ſacrilegium committit. Matrimonium autem directe tantum petitur, ut eſt contractus, non qua Sacramentum. Quare contrahentes non ſuſtinent immediate perſonam Chriſti ſua merita diſpenſatis, ſed perſonam privatam ineuntis contractum, cui per accidens adjuncta eſt a Chriſto ratio Sacramenti; atque ita metu contrahens, cum manifeſtum ſit talem contractum eſſe nullum, non fingit ſacrilege ſe diſpenſare merita Chriſti, aut Sacramentum ponere, ſed tantum inire contractum, qui cum nullus ſit, nullum eſt etiam Sacramentum, adeoque nullum ſacrilegium.

Re-

Digitized by Google

Repones. Talis contrahens utitur quibuſdam ritibus ſacris contra eorum reverentiam. R. Quod hæc reverentia in tanto periculo non obliget.

Inferes. Ergo metu coactus licite poterit contrahere cum quovis alio impedimento. R. Quod ſi impedimentum ſit juris Eccleſiaſtici, poterit eadem ratione. Si vero impedimentum ſit juris divini aut naturalis, quidam tenent non licere; quia ſic contrahere eſſet intrinſece malum, quippe contra jus naturæ tale Matrimonium prohibens. Alii vero dicunt licere. Ratio eſt, quia ex una parte non fit Matrimonium, neque ponitur id, cui annexa eſt ratio Sacramenti, adeoque abeſt ſacrilegium. Ex altera autem parte conſenſus ille ineſficax in Matrimonium ex gravi metu a peccato excuſatur. Nec refert, quod videantur attentare id, quod eſt contra jus naturæ: attentant enim dumtaxat ineſficaciter ſine animo, imo cum certitudine non faciendi. Suppono enim, quod non intendant conſummare, alias peccarent.

Obj. 2. Contra 2. partem. Vinculum Matrimonii eſt perpetuum & indiſſolubile; atqui metus repugnat perpetuitati, coacta enim non durant, ut dicitur communiter. Ergo jure naturæ eſt irritum Matrimonium ex metu contractum: & ita arguit S. Th. hic o. R. D. Min. Metus repugnat connaturaliter perpetuitati, C. eſſentialiter, N. Poteſt enim eſſe vinculum perpetuum etſi coactum, ut in ſervitute; & ut non excurramus extra præſentem materiam, Matrimonium initum ex metu a cauſa naturali vel libera, ſed juſte incuſſo, aut etiam injuſte, ſed ſine ordine ad Matrimonium, inducit vinculum perpetuum, & tamen non eſt minus coactum, quam illud, quod eſt in quæſtione. Non diſſitemur tamen Matrimonium ob perpetuitatem exigere connaturaliter eſſe liberum a metu, & hac ratione mota eſt Eccleſia, ut aliter contractum irritaret. Nec aliud intendit S. Th. adſerens dumtaxat rationes congruentes, quæ moverunt Eccleſiam, ut hujuſmodi Matrimonia declararet invalida.

Inſt. Matrimonium eſt vinculum amoris. Atqui metus injuſtus impedit amorem. Ergo. R. Matrimonium dici vinculum amoris; quia, ut jam obſervavi, amor ordinarie in illud inducit, & ab illo fovetur: non vero quod amor ſit illi eſſentialis, ut patet in iis, qui ex metu naturali, aut ſolo amore divitiarum vel honorum Matrimonium ineunt. Item in eo, qui ex metu juſte incuſſo ducit puellam ſibi exoſam, quam deſloravit. Item in iis, qui divortio ſunt ſejuncti.

Obj. 3. Donatio facta latroni jure naturæ eſt invalida. Ergo ſimiliter Matrimonium ex metu contractum. R. D. Ant. Donatio facta latroni, præciſe ut ceſſet ab injuſta vexatione, eſt invalida, C. Ob alium finem, N. Ideo in primo caſu iſta donatio eſt invalida non ob defectum voluntarii, ſed quia ceſſatio ab injuſta vexatione non eſt materia, de qua poſſit contrahi: cum enim ſit ex juſtitia debita vexationem patienti, non eſt vendibilis magis, quam equus furto ſublatus ſit vendibilis ſuo Domino. At in Matrimonio ultra ceſſationem a vexatione datur corpus, quod eſt materia contractus. Vide loco cit. de Contractibus Concluſ. 1.

Obj. 4. Si tale Matrimonium jure naturæ ſit validum, non poteſt irritari a jure poſitivo. Ergo. Patet Ant. Quia jus poſitivum nihil poteſt in jus naturæ. R. D. Ant. Non poteſt irritari factum, C. Faciendum, N. Quia jus poſitivum poteſt apponere certas conditiones, ſine quibus non ſubſiſtit Matrimonium, ut patet de præſentia Parochi. Nec in hoc jus poſitivum dominatur juri naturæ; quia jus naturæ hic ſe habet tantum permiſſive ſicut circa diviſionem bonorum & ſimilia.

Inferes. Ergo tale Matrimonium erit validum inter infideles? R. affirmative, ſi nulla lex civilis ſit apud eos, quæ illud irritet.

Petes 1. Utrum Matrimonium ex metu gravi initum, & jure poſitivo nullum, firmetur juramento, aut ſaltem juramentum obliget? R. negative; quia contractus, qui a jure poſitivo irritantur propter bonum publicum, ut contingit in præſenti caſu, juramento non firmantur, ut docuimus Diſſert. 1. de Contract. art. 6. Neque juramentum ſuperveniens ſecundum ſe obligat; quia quod eſt contra bonum publicum, eſt contra bonos mores & illicitum; juramentum autem non obligat ad illicitum. Vide loco citato. Si tamen qui contraxit ex metu, poſtea ſponte & libere juret ſe validaturum hujuſmodi Matrimonium, ad id virtute Religionis tenetur, quia hoc Matrimonium validari non eſt illicitum. Utrum autem hoc matrimonium validetur per copulam, aut per conſenſum clandeſtinum ſequentem liberum & ſpontaneum, dicemus infra.

Petes 2. Utrum ſi coactus ad contrahendum Matrimonium ſimiliter cogatur ad conſummandum, poſſit licite? R. Negative, quia Matrimonium eſt abſolute nullum.

Petes 3. Quæ ſint pœnæ cogentium ad Matrimonium? R. ex Concilio Trid. Seſſ. 24. cap. 9. de Ref. Matrim. *Dominos temporales & Magiſtratus, qui quovis modo directe vel indirecte Subditos ſuos vel quoſcumque alios cogant, quominus libere Matrimonium contrahant*, ipſo facto incurrere Excommunicationem. De aliis cogentibus, qui non ſunt Domini temporales aut Magiſtratus, ſilet Concilium.

Petes 4. Utrum proles natæ ex Matrimonio defectu conſenſus, aut ratione alicujus impedimenti nullo, ſint legitimæ? R. ſi Matrimonium fuit contractum in facie Eccleſiæ, & cum bona fide ſaltem ex parte unius conjugum, proles in tali Matrimonio natas, imo & conceptas ante ejus diſſolutionem eſſe legitimas. Ita declaratur in jure cap. *Cum inter* & cap. *Ex tenore* Extra. l. 4. tit. 17. Et ita docent Juriſconſulti, tam Canonici, quam Civiles.

ARTICULUS IV.

De Matrimonio conditionato.

QUÆ ſpectant Matrimonium conditionatum prævenimus Diſſ. 1. de Contract. art. 7. §. 1. & Diſſ. præcede. 2. de Sponſalibus conditionatis; eadem enim eſt ratio de Matrimonio conditionato ac de Sponſalibus conditionatis; cum utrimque ſit contractus humanus. Unde ne eadem tædioſe repetamus præſertim in materia infrequenti, breviter

Dico 1. Matrimonium initum ſub conditione ſive de præterito, ſive de præſenti, ſive de futuro non neceſſario, ſive poſſibili, ſive impoſſibili, ſive honeſta, ſive turpi, modo bonis & ſubſtantiæ matrimonii non ſit contraria, poſita conditione ſubſiſtit matrimonium, non poſita non ſubſiſtit, ſaltem in foro interno. Quia vinculum matrimonii dependet a contrahentium voluntate. Ergo ſi illud non velint non poſita conditione, & velint ea poſita, non habetur non poſita conditione, & ea poſita habetur. Explicationem hujus Concluſionis require locis cit.

Dico 2. Probabilius eſt matrimonium ſub conditione de futuro contingenti contractum conditione poſita ſtatim convaleſcere abſque novo conſenſu, modo prior non fuerit revocatus. Prob. 1. Quia prima voluntas virtualiter durans ſe habet, ac ſi de novo poneretur; cenſetur autem virtualiter durare, quamdiu non revocatur. 2. Quia alii contractus ſic convaleſcunt, & de matrimonio ſic declaraſſe S. Pium V. & Clementem VIII. refert Fagnanus in cap. *Super eo* de conditionibus appoſitis.

Dices 1. S. Th. hic. o. dicit: *Quod idem ſit judicandum de tali conſenſu, ſicut de conſenſu, qui fit per verba de futuro. Unde non facit matrimonium.* Ergo. R. cum Sylvio S. Thomam loqui reſpective ad tempus, quo initur iſte contractus conditionatus, non reſpective ad tempus, quo adimpletur conditio. Et ſic verum eſt, quod dum initur iſte contractus, ſit judicandum de illo, quod non ſit matrimonium, ſicut nec ille, qui fit per verba de futuro; quia non eſt abſolutus, ſed pendens in futurum. Nihilominus plus valet quam Contractus Sponſalitius, eſt enim medius inter ſponſalia & matrimonium abſolutum, magiſque accedit ad hoc quam ad illa, quia conſenſus exprimitur per verba de præſenti, licet ſuſpendatur in futurum.

Dices 2. Matrimonium eſt Sacramentum. Ergo aliquid ejus ſenſibile debet exiſtere phyſice, dum perficitur. Atqui dum conditio ponitur, nihil tale exiſtit. Ergo. R. N. Subſumptum; exiſtit enim tunc phyſice ipſa conditio, per quam ex pacto contrahentium ſenſibilis efficitur eorum conſenſus virtualiter perſeverans; in illam enim conditionem dirigitur, & ad illam uſque extenditur. Intelligendam arbitror hanc ſententiam, modo Parochus & Teſtes in locis, ubi Trid. eſt receptum, adſint præſentes, & dum conſenſus ponitur, & dum adimpletur conditio, aut de ea certiorentur: quia ſi adſint tantum, dum ponitur conſenſus, vere non aſſiſtunt matrimonio; cum enim tunc non ſit præſens, ſed futura tantum corporum traditio, conſequenter non eſt præſens matrimonium, aut ſaltem de illo non erunt certi, ſi non ſufficienter ipſis ſignificetur adimpletio conditionis. Si vero adſint tantum adimpletioni conditionis, non fuerunt præſentes conſenſui, qui proinde debet coram eis renovari.

Plures aliæ difficultates poſſunt circa præſentem materiam proponi; ſed quia ut plurimum ſunt ſolutæ locis citatis de Contract. & Diſſert. præced. de Sponſalibus conditionatis, & aliunde rariſſime permittantur, & fiant matrimonia conditionata, eas ut inutiles aut jam præoccupatas omittimus.

ARTICULUS V.

De Objecto conſenſus matrimonialis.

SUPPONO conſenſum contrahentium debere neceſſario ferri in ipſam mutuam corporum traditionem, ſeu in vinculum inde reſultans; quia, ut alibi dixi, in eo ſita eſt eſſentia matrimonii. Unde difficultas eſt, an etiam debeat neceſſario ferri in copulam carnalem? Quidam abſolute negant. Quidam abſolute affirmant. Alii media via incedentes cum Auctore dicunt conſenſum implicitum in copulam requiri, non explicitum, cum quibus

Dico. (*Supp. q. 48. a. 1. o.*) Conſenſus explicitus in copulam non eſt neceſſarius ad matrimonium; ſed implicitus. Probat. utraque pars ſimul, (*Ib. in n. ſ. c.*) Conſenſus, qui facit matrimonium, ſic eſt in copulam, ſicut copula ſe habet ad matrimonium; quia conſenſus, qui facit matrimonium, eſt conſenſus in matrimonium, hoc eſt in eſſentialia matrimonii; effectus enim proprius voluntatis eſt ipſum volitum. Atqui copula carnalis non continetur explicite & eſſentialiter in matrimonio, ſed implicite tantum, ſicut actus in potentia & effectus in cauſa. Ergo. Prob. Min. Matrimonium, ut diximus Differt. 1. a. 2. non eſt eſſentialiter ipſa copula carnalis, ſed jus ſeu poteſtas ad illam. Ergo.

Prob. 1. pars ſeorſim. Jus ſeu poteſtas eſt diſtincta & ſeparabilis ab uſu, ſive, ut alii dicunt, dominium directum eſt diſtinctum & ſeparabile a dominio utili; ſæpe enim lege fit, ut habens dominium directum & proprietatem non habeat dominium utile ſeu uſum, ut patet in Feudo & Emphyteuſi: item in pupillis, quorum dominium in propria bona eſt ligatum & impeditum quoad uſum. Ergo poſſunt conjuges ſibi tradere jus ſeu dominium directum in mutua corpora, non tradendo nec intendendo explicite tradere uſum. Subſumo. Atqui in tali jure ſeu dominio directo conſiſtit eſſentialiter Matrimonium. Ergo. Confir. Qui cum animo expreſſo ingrediendi Religionem ante conſummationem Matrimonii contrahit Matrimonium, valide contrahit, ut patet ex cap. *Commiſſum* de ſponſal. Atqui talis non poteſt explicite intendere copulam. Ergo. Imo inter Baptizatos omne Matrimonium ſub tali conditione & pacto contrahitur, ut neuter teneatur reddere debitum, ſi velit ante conſummationem Religionem ingredi. Tandem inter B. Virginem & S. Joſeph fuit verum Matrimonium, ut docet S. Th. 3. p. q. 29. a. 2. & dicam infra. Atqui tamen B. Virgo nunquam conſenſit explicite in copulam, utpote Virgo mente & corpore.

Prob. 2. pars. Qui conſentit in id, quod eſſentialiter ordinatur ad copulam carnalem, conſentit implicite in illam. Atqui qui conſentit in Matrimonium, conſentit in id, quod eſſentialiter ordinatur ad copulam. Ergo. Prob. Min. Qui conſentit in Matrimonium, formaliter & explicite conſentit in jus & poteſtatem ad copulam & in cauſam illius. Atqui jus eſſentialiter ordinatur ad uſum, potentia ad actum, cauſa ad effectum. Ergo.

Unde quod quidam dicunt requiri tantum conſenſum implicitum in copulam ex parte contractus, non ex parte contrahentis, non videtur admittendum; eſt enim implicantia, quod quis intendat jus & contractum eſſentialiter ordinatum ad copulam, & eam ipſe implicite non intendat. Quamvis enim alio actu tale jus poſſit ſuſpendere & ligare, vi tamen actus, quo jus intendit, implicite, licet ineſſicaciter, uſum intendit. Hinc colliges conſenſum implicitum in carnalem copulam non ita eſſe accipiendum, quaſi eſſet propoſitum quoddam virtuale copulæ carnalis; ſed quia eſt conſenſus in eam poteſtatem, in qua talis copula continetur implicite, ut actus in potentia, & effectus in cauſa.

Solvuntur Objectiones.

OBJICIES 1. contra 1. partem. Copula carnalis pertinet ad eſſentiam Matrimonii. Ergo debet eſſe conſenſus explicitus in illam ſicut in Matrimonio. Prob. Ant. multipliciter: 1. Aug. l. 19. contra Fauſtum c. 26. *Matrimonium*, inquit, *ex hoc appellatum eſt, quod non ob aliud fœmina debeat nubere niſi ut mater fiat.* 2. Idem l. de bono viduitatis c. 9. dicit ex Apoſtolo 1. Tim. 5. quod voventibus virginitatem, non ſolum nubere, ſed & velle nubere damnabile eſt: id autem non eſſet damnabile niſi ratione copulæ, quæ ſola opponitur Virginitati. 3. Idem S. Doctor apud Grat. cap. Inſtitutum cauſa 27. c. 39. *Non dubium eſt illam mulierem non pertinere ad Matrimonium, cum qua docetur non fuiſſe commixtio ſexus.* 4. In commixtione corporum conſiſtit ratio Sacramenti, ut conſtat ex c. *Societas* ibid. deſumpto ex S. Leone Ep. 92. ubi legitur: *Cum ſocietas nuptiarum ita a principio ſit inſtituta, ut præter commixtionem ſexuum non habeant in ſe nuptiæ conjunctionis Chriſti & Eccleſiæ Sacramentum, non dubium eſt illam mulierem non pertinere ad Matrimonium, cum qua docetur non fuiſſe nuptiale Miniſterium.* 5. Denique referuntur multi Patres, qui docent Matrimonium perfici carnali commixtione. Ergo. R. N. Ant. Ut patet ex probationibus concluſionis & ex a. 2. Differt. 1. hujus Tractatus. Ad 1. probationem, Aug. loquitur de illis, quæ nubunt propter carnales amplexus, & docet, quod non debeant illos appetere propter concupiſcentiam, ſed propter prolem generandam, ſeu ut matres fiant, quod probat ex ipſo vocabulo Matrimonii.

Ad 2. Apoſtolus & Aug. loquuntur de Virginibus, quæ volunt nubere cum intentione aut periculo conſummandi Matrimonium, ut fit ordinarie, & ſic intelligenda eſt Reſponſio D. Th. hic ad primum conformiter ad ea, quæ dicit in 4. D. 30. q. 2. a. 1. q. 2. ad 3. Alioquin votum Virginitatis non repugnat Matrimonio. Hæc enim duo ſimul conſtituunt, vovere Deo perpetuam continentiam, & tradere homini poteſtatem corporis, qua certo ſcis nunquam uſurum. Ad 3. hæc verba non ſunt Aug. ſed Gratiani, ut notatur in emendatione decreti. Ad 4. item verba S. Leonis non referuntur fideliter. Sic habet S. Leo: *Unde cum ſocietas nuptiarum ita ab initio inſtituta ſit, ut præter ſexuum conjunctionem haberet in ſe Chriſti & Eccleſiæ Sacramentum: dubium non eſt eam mulierem non pertinere ad Matrimonium, in qua non docetur nuptiale fuiſſe myſterium.* Quibus verbis docet S. Leo concubinam non eſſe uxorem; quia quamvis non deſit commixtio ſexuum, non eſt tamen cum ea initum myſterium ſeu fœdus nuptiale ſignificans conjunctionem Chriſti & Eccleſiæ. Ad 5. Patres intelligunt Matrimonium perfici per copulam, perfectione non eſſentiali, ſed accidentali, ſicut potentia perficitur per ſuum actum.

Ob. 2. Si mulier dicat viro: *Conſentio in te, dum tamen non cognoſcas me*; eſt invalidum Matrimonium. Atqui, ſi non requireretur conſenſus explicitus in carnalem copulam, foret validum. Ergo. Prob. Maj. Quia talis conditio eſt contra ſubſtantiam Matrimonii. Ergo. R. D. Maj. Si conditio illa apponatur ut impeditiva juris concedendi, C. Maj. Si ut impeditiva uſus tantum, N. Maj. ad hunc ſenſum, D. ejus probationem. Talis ergo conditio, *Modo non cognoſcas me*, & ſimilis ex intentione contrahentis poteſt apponi, vel quia non vult ipſi concedere jus in proprium corpus, vel quia licet jus tale concedat, vult tamen ipſum ligari, & uſum retentat. Si primo modo, repugnat ſubſtantiæ matrimonii, & quia iſte ſenſus eſt hujus conditionis & locutionis connaturalior, ideo D. Th. hic ad 3. & Gregorius IX cap. *Si conditiones* de conditionibus appoſ. dicunt, quod repugnet ſubſtantiæ matrimonii. Si ſecundo modo non repugnat ſubſtantiæ matrimonii: quia 1. ut diximus, matrimonium eſſentialiter conſiſtit in jure ad uſum & non in ipſo uſu. 2. quia illam apponere poſſunt, ſi velint ingredi Religionem, & ſic quidem ſemper de jure cenſetur appoſita. 3. quia pactum de ſervanda caſtitate conſiſtere poteſt cum matrimonio jam contracto, adeoque & contrahendo; quod enim eſt contrarium eſſentiæ alicujus rei, nunquam cum ea ſive in fieri, ſive in facto eſſe conſiſtere poteſt; vel enim illam elidit, vel ab illa eliditur. Neque obſtat, quod impedimentum ſuperveniens matrimonio ſtat cum illo jam contracto, non tamen cum contrahendo. Diſparitas eſt enim, quod impedimentum dirimens ſe teneat ex parte cauſæ, reddens ſcilicet perſonam inhabilem ad contrahendum; defectus autem, ubi eſt in cauſa efficiente, habet bene quidem vim impediendi effectum ſecuturum, non deſtruendi jam factum; quia effectus a cauſa pendet in fieri, non in facto eſſe; ſed conditio ſive obligatio, quæ eſſentiæ ipſius contractus repugnat, ei ſive in facto eſſe, ſive in fieri repugnat, cum ſit eadem eſſentia in fieri & in facto eſſe.

Inſt. Talis conditio appoſita obeſt bono prolis. Ergo eſt contra ſubſtantiam matrimonii. R. obeſt bono prolis poſitive, N. Negative, id eſt nihil confert ad bonum prolis, C. Sed ad hoc nihil tenentur conferre nubentes, cum poſſint variis de cauſis abſtinere ab uſu conjugii; & ſi poſſint in Matrimonio ex mutuo conſenſu continentiam ſervare, quidni poſſint nubendo illam Deo promittere ſalvo Matrimonio, & nihil agendo contra ſubſtantiam ejus.

Inſiſtes. Totum dominium reale, quod per Matrimonium acquiritur in corpora, nihil eſt aliud, quam ipſum jus utendi corpore conjugis ad uſum generationis. Atqui jus utendi non ſtat cum conditione ſeu obligatione non utendi, alias eſſet jus & non jus. Ergo. R. data Maj. D. Min. Jus utendi proximum & expeditum non ſtat, &c. C. Min. Jus utendi remotum & ligatum, &c. N. Min. Illud autem ſufficit ad matrimonium contrahendum, ſi quidem ſufficiat contractui. Sic in pupillis ſtat jus remotum & ligatum diſponendi de rebus ſuis (quod dicitur dominium directum & proprietatis) cum obligatione tamen non diſponendi.

Replicabis. Talis conditio, aut etiam intentio, nunquam exercendi copulam non ſtat cum conſenſu etiam

im-

implicito in copulam; quia ſunt intentiones contrariæ. Atqui tamen ex ſecunda parte requiritur etiam ex parte contrahentis conſenſus implicitus in copulam. Ergo. R. D. Maj. Talis conditio &c. non ſtat cum conſenſu implicito efficaci in copulam, C. Maj. cum conſenſu implicito inefficaci, N. Nihil enim obſtat aliquem velle aliquid inefficaciter, dum vult contrarium efficaciter, maxime dum illud, quod inefficaciter intenditur, non in ſe ſed in alio, a quo ſeparari poteſt, intenditur, ut ſit in præſenti caſu. In tantum enim contrahens dicitur intendere copulam, in quantum intendit jus ad illam; quod tamen cum velit ligari, copulam inefficaciter intendit.

Repones. Tale jus nullum habebit uſum; eritque omnino inutile. Ergo nullum. R. 1. N. Conſeq. Quia cum dominium diſtinguatur ab uſu, nihil repugnat aliquem habere dominium inutile, ut patet in pupillis. R. 2. N. Ant. Quia tale jus & dominium efficit, 1. Ut conjuges nequeant aliud Matrimonium contrahere. 2. Quod acceſſus ad aliam ſit adulterium. 3. Quod ſi ſe mutuo cognoſcant, non ſit fornicatio, imo ſi non voverint caſtitatem; nullo modo peccent. 4. Efficit bonorum communionem & vinculum charitatis, qua ſe mutuo juvant & ſolantur in adminiſtratione familiæ & caſibus adverſis. 5. Individuam vitæ ſocietatem.

Urgebis tandem. Qui transfert dominium equi ad certum uſum, cenſetur & ipſum concedere. Ergo qui concedit jus corporis ad uſum copulæ, cenſetur & copulam concedere. R. D. Conſeq. Ergo cenſetur &c. ordinarie, C. Si pactum de contrario interveniat, N. Cur autem in primo caſu ita ſemper transferatur uſus cum dominio, ideo eſt, quia alias equi conceſſio foret inutilis & nugatoria, imo nociva; non ſic in noſtro caſu, ut patet ea ſolutione præcedenti. Argumentum contra ſecundam partem præoccupavimus in probationibus. De Matrimonio inter B. Virginem & S. Joſeph dicemus infra in Digreſſione hiſtorica.

ARTICULUS VI.

Utrum ad Matrimonium requiratur neceſſario conſenſus Parentum?

LUTHERANI & Calviniſtæ contendunt Matrimonium ſine conſenſu Parentum eſſe irritum jure naturali & divino poſitivo. Inter Catholicos quidam volunt eſſe irritum jure humano.

Suppono Eccleſiam potuiſſe illud irritare; quia cum ſit contractus, potuit reddere filios inhabiles ad contrahendum ſine conſenſu Parentum, ſicut reddit omnes inhabiles ad contrahendum ſine præſentia Parochi & duorum teſtium.

Dico 1. Matrimonium ſine conſenſu Parentum contractum non eſt irritum jure naturali, nec divino poſitivo. Prob. 1. pars 1. Non Parentum, ſed contrahentium conſenſus eſt cauſa efficiens Matrimonii. 2. Filius ſufficientis ætatis & rationis habet plenum dominium in proprium corpus in ordine ad ſtatum totius vitæ eligendum, ut iterum dicam Concluſione ſequenti. 3. Ex natura rei convenit, ut homo ſit plene liber & ſoli Deo ſubditus in diſponendis iis, quæ ad totius vitæ ſtatum pertinent, ut ſunt Matrimonium, continentia perpetua, profeſſio monaſtica. Unde Canones maxime cavent, ne lædatur iſta libertas, ut vidimus in præcedentibus. Hæc autem libertas valde minueretur, ſi filiifamilias penderent a conſenſu parentum ad contrahendum valide Matrimonium. 4. Si jure naturali Matrimonia filiorum ſine conſenſu Parentum eſſent irrita, neque filii emancipati, neque viduæ poſſent valide contrahere ſine conſenſu Parentum, quod non admittitur. Ergo. Prob. 2. pars. Scriptura nullibi irritat Matrimonia filiorum ſine conſenſu Parentum contracta, ut patebit ex ſol. Obj. E contra exhibet plura Matrimonia valida ſine conſenſu Parentum inita, ut Matrimonium Jacob cum Lia & cum Ancillis Geneſ. 29. & 30. Matrimonium Tobiæ junioris Tob. 7. Matrimonium Eſau cum tribus mulieribus, invitis Iſaac & Rebecca Geneſ. 26. Et Apoſt. 1. Cor. 7. de vidua dicit: *Cui vult nubat tantum in Domino*. Ergo.

Dico 2. Matrimonium filiorumfamilias ſine conſenſu Parentum contractum, non eſt jure humano invalidum. Prob. Cap. *Sufficiat* cauſa 27. q. 2. dicitur: *Sufficiat ſecundum Leges ſolus eorum conſenſus, de quorum conjunctionibus agitur*. Cap. *Eum virum* Extra. de Regularibus l. 3. tit. 31. de puella nubili dicitur: *Quia liberum habet arbitrium in electione propoſiti ſui, ſequi Parentum non cogitur voluntatem*. Sed maxime Trid. ſeſſ. 24. c. 1. de Ref. Matrim. *Anathemate damnat eos, qui falſo affirmant matrimonia a filiisfamilias ſine conſenſu Parentum contracta, irrita eſſe, & parentes ea rata vel irrita facere poſſe*.

Reſpondent quidam Trid. his verbis voluiſſe dumtaxat damnare Lutheranos & Calviniſtas, qui dicunt hujuſmodi matrimonia jure naturali & divino eſſe irrita; non autem ſtatuiſſe diſciplinam univerſalem contrariam legibus plurium Regnorum. Sed contra 1. Concilium ſtatuit Parentes non poſſe irritare hujuſmodi matrimonia; ſi autem intendiſſet tantum damnare hæreticos intactis legibus civilibus contrariis, poſſent adhuc modo Parentes vel filiarum hæc matrimonia irritare. 2. Concilium non diſtinguit inter jus naturale aut divinum & jus humanum, ſed pronuntiat indefinite proindeque univerſaliter hæc matrimonia non eſſe irrita, nec irritari poſſe a Parentibus. Figmentum eſt ergo iſtud decretum reſtringi ad jus divinum aut naturale, præſertim cum quæſtio maxime controverteretur in Concilio, an expediret hæc matrimonia Lege Eccleſiaſtica irritari?

Rationes, quibus mota eſt S. Synodus, ut matrimonia filiorum ſine conſenſu contracta declararet valida, ſunt. 1. Quia interdum filii ſunt parentibus prudentiores, præſertim dum ſunt jam ætate provecti, & parentes præ ſenio minus ſapientes. 2. Quia quandoque parentes ſunt perverſæ & ſuſpectæ Religionis. 3. Quia ſæpe contingit parentes eſſe ſordide avaros, qui, ne dotem ſolvere in filiorum vel filiarum nuptiis cogantur, aut eorum laboribus priventur, recuſant aut procraſtinant conſenſum cum magno animarum detrimento, aut uxores magis dotatas quam morigeratas quærunt. 4. Quia quandoque ex zelo præpoſtero vel etiam ex deteriori cauſa filios aut filias in Monaſterium detrudere volunt. 5. Quia plerumque non attendunt filiorum ſeu filiarum inclinationem etſi rationabilem, quæ tamen maxime eſt neceſſaria matrimonio, ſed ſolum ad majus commodum & decus familiæ. Ex matrimonio autem abſque inclinatione & amore mutuo contracto quid expectare licet, niſi continuas diſcordias, odia, jurgia, adulteria, divortia, & alios infauſtiſſimos eventus; ut infelici & quotidiana experientia comprobatur? 6. Multi ſunt filii & filiæ extra patriam poteſtatem, ut emancipati, illegitimi, vidui, viduæ, longe diſtantes, quos omnes iniquum foret ea lege adſtringi, ut ſine conſenſu Parentum non poſſent valide matrimonium inire.

Dico 3. (*Supp. q. 47. a. 5. o.*) Pater non poteſt per ſe præcepto cogere filium, aut filiam ad matrimonium, ſed poteſt eum inducere ex rationabili cauſa: & tunc ſicut ſe habet filius ad cauſam, ſic ſe habet ad præceptum Patris, ut ſcilicet ſi cauſa illa cogat de neceſſitate vel de honeſtate, & præceptum Patris ſimiliter, alias non.

Prob. 1. pars. 1. (*Ibid.*) In matrimonio eſt quaſi quædam ſervitus perpetua, in quam ordinarie inducit amor, & ad quam connaturaliter requiritur. Atqui Pater non poteſt præcepto cogere filium ad hanc perpetuam ſervitutem, cum ſit natus liberæ conditionis, & coactio impediat amorem, ſeu ſaltem non inducat. Ergo. Neque dices ſecundum jura antiqua Patrem poſſe vendere filium in ſervum. Diſparitas eſt, quod ſervitus civilis non ſit perpetua, poteſt enim redimi pecunia, neque connaturaliter exigit amorem, ſicut matrimonium.

Prob. 2. (2. 2. *q.* 104. *a.* 5. *o.*) Superioris eſt aliquem compellere præcepto. Atqui Pater non eſt filio ſuperior, dum agitur de matrimonio eligendo. Ergo. Prob. Min. verbis & ratione Auctoris. In his, quæ ad naturam hominis pertinent, homo homini obedire non tenetur, ſed ſolum Deo, quia omnes homines ſunt natura pares, non hoc ſenſu; quod attenta ſola natura nulla foret hominum æqualitas, ſed quod quantum ad ea, quæ ſpectant naturam, hoc eſt corporis ſuſtentationem & prolis generationem, omnes homines ſint pares, & nullus alteri obedire tenentur per ſe loquendo; ſicque ubi agitur de matrimonio contrahendo & de ſuſtentatione corporis per cibum & potum, neque ſervi dominis, neque filii parentibus per ſe obedire tenentur.

Secunda pars patet: quia filii propter pietatem & reverentiam debitam parentibus tenentur eorum voluntati acquieſcere pro ratione & juſtitia eorum voluntatis, etiam in his rebus, in quibus illis non ſubduntur, alioquin gravem, pro gravitate materiæ, illis irrogaturi injuriam. Juxta hanc rationem iſta obligatio, ut patet, non eſt obedientiæ, ſed pietatis & reverentiæ. Poteſt etiam eſſe obedientiæ per accidens. Si enim filius aliunde teneatur ad Matrimonium, puta quia virginem defloravit ſub ſpe Matrimonii, aut Matrimonium eſt neceſſarium ad ſedandas graves, & inveteratas inimicitias, vel ad ſuſtentandam inopiam Patris, poteſt Pater præcipere Filio, ut faciat id, ad quod aliunde tenetur, & conſequenter ut ineat Matrimonium, circa quod libertatem amiſit, cui præcepto tenetur filius per accidens obedire, & ideo dixi in Concluſione *Per ſe*.

Dico 4. Quamvis Matrimonia inconſultis, aut etiam invitis Parentibus ſint rata & valida: quamvis Parentes per ſe non poſſint filios aut filias præcepto cogere ad Matrimonium, plerumque tamen hæc Matrimonia ſunt graviter illicita. Prob. 1. Quia jure tam civili, quam canonico ſevere prohibentur, ut patebit ex ſol. Obj. 2. Quia ut modo dicebam, honor debitus parentibus exigit, ne liberi

quid magnum & perpetuum, quale Matrimonium, ſuſcipiant abſque conſilio & conſenſu Parentum. 3. Quia intereſt parentum, quem generum, aut quam nurum ſint habituri, cui dotem numereat, & parentis officia tanquam filio & filiæ impendant. 4. Quia parentes experientia & ætate plerumque filiis prudentiores poſſunt illis recte conſulere, idque volunt, quia eos impenſe diligunt. 5. Quia filii etiam conjugati in multis adhuc indigent conſilio & auxilio parentum. Dixi, *Plerumque*: quia in certis caſibus licitum eſt filiis contrahere Matrimonium inconſultis, aut etiam invitis Parentibus: ut ſi filius longe diſtet a Parentibus, & urgeat honeſtum ac utile Matrimonium; vel ſi Parentes ſint, aut prudenter judicentur irrationabiliter inviti, pura, ſicut modo dicebam, ſi contradicant ex odio, ex moroſitate, ex avaritia, quia nolunt ſolvere dotem, aut privari laboribus filiorum, vel quia ex pietate præpoſtera volunt inducere in Religionem.

Solvuntur Objectiones.

OBj. 1. Contra 1. Concluſionem. Scriptura paſſim filiorum conjugia conſtituit in poteſtate Parentum, Exod. 22. & Deut. 7. Eccli. 7. 1. Cor. 7. Ergo. ℟. Ex Scripturis nihil aliud evinci, quàm quod ad Parentes pertineat cura providendi filiis Matrimonia convenientia, & quod honeſtas & reverèntia debita Parentibus exigant, quod filii & maxime filiæ, quæ ſunt verecundiores, acquieſcant in hoc conſilii Parentum.

Inſt. Si filia aliquid voverit, Pater poteſt illius votum irritare Num. 30. Ergo pariter Matrimonium. R. Legem hanc ſecundum aliquos ſpectare puellam impuberem, ſecundum alios ſpectare vota de rebus domeſticis, non de his, quæ pertinent ad ſtatum vitæ.

Obj. 2. Contra 2. Concluſionem. Evariſtus Papa Epiſt. ad Epiſcopos Africanos, quæ refertur cauſa 3. q. 1. cap. 1. dicit non eſſe legitimum Matrimonium ſine conſenſu Parentum, & aliter contracta vocat adulteria, ſtupra, & fornicationes. Ergo. R. Evariſtum ibidem præter conſenſum plura alia requireſe ad legitimum Matrimonium, ut quod puella dotetur, quod a Paranymphis cuſtodita & ſociata offeratur, quod Matrimonium benedicatur a Sacerdote cum precibus & oblationibus, & quod conjungendi biduo vel triduo orationi vacent & caſtitatem ſervent, atque aliter contracta matrimonia dicit pariter eſſe illegitima, & vocat adulteria, fornicationes, &c. Quis tamen dicat matrimonia abſque his omnibus circumſtantiis inita eſſe illegitima, fornicationes, & adulteria ? Palam eſt ergo Evariſtum vocare hæc matrimonia illegitima, non quia ſunt invalida, ſed quia non contrahuntur ſecundum leges; vocat autem adulteria, fornicationes, &c. ſecundum quandam exaggerationem, quia ſunt illicita & prohibita; manifeſtum eſt enim non eſſe adulteria. Habent tamen ſpeciem fornicationis & adulterii; quia furtive fiunt, & meretricio magis quam maritali affectu ſuſcipiuntur. Unde Pontifex paulo poſt vocat ea mala & illicita, non præcipit tamen ea diſſolvi, ſed puniri.

Inſt. S. Baſilius Ep. ad Amphiloch. cap. 42. Matrimonia contracta invitis parentibus vocat ſicut Evariſtus fornicationes, c. 40. Idem affirmat de conjugiis ſervorum ſine conſenſu Domini, & can. 42. hanc rationem profert; *quia eorum, qui ſunt in alterius poteſtate, pacta conventu firmi nihil habent*. In eandem rem laudantur Tertullianus l. 2. ad uxorem c. 9. Ambroſ. lib. de Abraham c. ult. S. Leo Ep. 92. c. 2. Concil. Aurel. an. 541. Pariſ. 557. Turon. 757. & alia. R. Hæc SS. Patrum dicta & ſtatuta intelligenda eſſe de matrimoniis illicitis, non invalidis, aut de invalidis, non in foro conſcientiæ, ſed in foro Eccleſiæ, quæ de occultis non judicat. Niſi dicas eum quibuſdam hæc matrimonia juxta veterem quarumdam Eccleſiarum diſciplinam habita fuiſſe olim invalida, ſed hanc veterem diſciplinam, & antiqua jura particularia eſſe emendata per poſteriora, præſertim per Trid. Quod non nocet noſtræ Concluſioni, nec favet Hæreticis, qui dicunt hæc Matrimonia irrita jure naturali & divino.

Obj. 3. Leges & edicta plurium Regum Galliæ, quibus matrimonia filiorumfamilias ſine conſenſu Parentum declarantur invalida, *valablement contractès*; ita fert edictum Henrici III. in comitiis Bleſanſibus an. 1759. annis ſexdecim poſt Concilium Trid. Hoc autem edictum fuit confirmatum edicto Henrici IV. 1606. & Ludovici XIII. 1629. & 1639. *Volumus*, inquit in priori edicto, *omnia matrimonia contra dicti ſtatuti* (Bleſenſis) *tenorem contracta declarari invalide contracta: obligenturque Judices Eccleſiaſtici cauſas matrimoniales convenienter huic articulo dijudicare*: Ergo: R. His edictis matrimonia ſine conſenſu Parentum contracta declarari invalida quoad civiles effectus tantum, nempe quoad dotem uxoris, jus ad hæreditatem, prolium legitimationem, & ſimilia, non vero quoad contractum humanum & ſpiritualem Sacramenti. Ita reſpondit Ludovicus XIII. libello ſupplicis Cleri Gallicani in Comitiis generalibus Pariſiis congregatis an. 1639. Tenor libelli ſupplicis ſic eſt: *Rex humiliſſime ſupplicatur, ut conſiderare non pigeat, quantum ſit momentum in hoc articulo, qui eget expoſitione ad duarum difficultatum elucidationem. Prima eſt, ut non aliter intelligantur hæ voces* Valide *aut* invalide *contractum matrimonium, quam per relationem ad contractum civilem, & nullatenus ad contractum ſpiritualem Sacramenti. Secunda, ut non adſtringantur Eccleſiaſtici ad judicandum ſecundum hujus edicti ſimulque Bleſenſis articulos, ſed juxta ſacros Canones & Eccleſiaſtica Decreta, quæ ſunt unica regula & norma Judicii Eccleſiaſticorum. Hi enim nec poſſunt, nec debent juriſdictionem, quam a ſolo Deo collatam habent circa res ſpirituales, ab ipſis Laicis mutuare. Quapropter neceſſe eſt ex articulo reſecare hæc verba:* Et obligabuntur Eccleſiaſtici Judices in cauſis iſtiuſmodi matrimonium judicare ad hujus articuli normam. Huic Cleri Gallicani ſupplici poſtulationi Rex chriſtianiſſimus per Regii ſigilli Cuſtodem *De Murilluc*, alioſque ſelectos Comites Conciſtorianos ſic reſpondit: *Commonitio Cleri, quod ſpectat ad priorem difficultatem, ſi reſoluta fuit, valide, aut invalide contracta matrimonia non eſſe aliter explicanda, quam per ſolam relationem ad contractum civilem per Laicos Judices. Altera pariter difficultas juſta & rationi congrua viſa eſt.* Ita refert Honor. Tournely ex tom. 5. commentariorum Cleri Gallicani.

Inſt. 1. Ita his edictis matrimonia ſine conſenſu Parentum declarantur invalida, ut iis, qui ſic contrahunt, fiat poteſtas convolandi ad alias nuptias, quod conſtat ex pluribus Arreſtis ſupremarum curiarum in Gallia, quæ referunt Collectores. Ergo declarantur nulla non ſolum quoad effectus civiles, ſed etiam quoad contractum humanum & ſpiritualem Sacramenti. R. Et in primis, Arreſtis oppono alia etiam ſupremarum curiarum, quibus dicta matrimonia declarantur valida. Hæc arreſta, teſte Tournely, referunt Auctor Diarii audientiarum tom. 1. pag. 177. & 284. Bardet in ſua collectione tom. 2. pag. 227. & 329. Baſnagius in Commentariis in conſuetudinem Normanniæ tom. 2. p. 31. oppono inſuper declarationem contrariam Ludovici XIII. de qua paulo ſupra. Ut ergo iſta omnia concilientur: R. 2. Arreſtis in Inſtantia relatis matrimonia ſine conſenſu Parentum declarata fuiſſe nulla, non præciſe propter defectum conſenſus Parentum, ſed propter vel clandeſtinitatem, vel raptum, vel aliquod aliud impedimentum dirimens ſimul occurrens, vel ſaltem ex præſumptione, quod qui inſciis parentibus contrahunt, in aliquem defectum matrimonio eſſentialem impingant, nec contrarium evinci poteſt ex laudatis Arreſtis.

Inſt. 2. Matrimonia filiæ Caroli Calvi cum Balduino Comite, & Gaſtonis Ducis Aurelianenſis Fratris Ludovici XIII. cum Margharita Lotharinga an. 1633. ob ſolum defectum conſenſus Regis, judicio Eccleſiaſtico & civili declarata fuerunt invalida. Ergo. Reſpondent Scriptores Galli hoc eſſe ſpeciale Privilegium Regum Galliæ, *antiqua conſuetudine præſcriptam & Eccleſiaſtica auctoritate munitum*, ut loquitur Clarus Gallicanus in Comitiis generalibus anni 1637. quod ſine eorum conſenſu invalida ſint matrimonia filiorum ſuorum & aliorum Regi ſanguinis Principum, qui ſolio ſunt proximi.

Denique toti huic argumento ſit hæc brevis Reſponſio. Cum cauſas matrimoniales ad Judices Eccleſiaſt. & non ad Laicos pertinere definiverit ſub anathemate Concilium Trid. ſeſſ. 24. Can. 12. ſicque quoad præſentem caſum declaraverit Ludovicus XIII. jura civilia hac in re cedere debent Juri Eccleſiaſtico.

Petes, an ſint juſtæ leges civiles permittentes Parentibus exhæredare filios contra eorum voluntatem contrahentes matrimonium? Quidam negant, eo quod noceant libertati matrimonii. Alii tamen communius affirmant; quia videntur neceſſariæ ad refrænandos ſtultos & indiſcretos Adoleſcentum amores, ex quibus tot infelicia & ſcandaloſa matrimonia ſequuntur. Ad rationem oppoſitam R. eas leges nocere quidem libertati matrimonii effrænatæ, at non honeſtæ & moderatæ: ubi enim probatur injuſtus Parentum diſſenſus, nulla eſt aut eſſe debet exhæredatio; non enim cenſentur leges eam in hoc caſu permittere. Cæterum meminerint Parentes libertatis matrimonii, nec nimis rigide his legibus inſiſtant.

ARTICULUS VII.

Quomodo Matrimonium invalide contractum ratum effici poſſit & debeat?

OBSERVANDUM imprimis matrimonium poſſe duplici modo invalide contrahi. 1. Inter perſonas inhabiles ratione impedimenti dirimentis. 2. Inter perſonas aliunde habiles defectu ſolius eorum conſenſus; quia nempe vel ficte, vel ex metu, vel ex errore conſenſerunt, nullo alio irretitæ impedimento, item matrimonium eſt inva-

Digitized by Google

invalidem vel occulte, vel publice. Voco hic publice invalidum, non ſolum quando eſt deductum ad forum contentioſum, ſed etiam quando duobus teſtibus idoneis ejus invaliditas probari poteſt. His obſervatis

Suppono 1. ad matrimonii invalidi invalidationem (venia ſit verbo) neceſſario eſſe adhibendum & ſupplendum, quod ipſi defuit. Unde ſi defuit conſenſus inter perſonas habiles, debet ſaltem qui non conſenſit, aut coacte, vel errore conſenſit, libere conſentire. Si perſonæ erant inhabiles ratione impedimenti, debent reddi habiles obtenta diſpenſatione impedimenti, & tunc de novo conſenſum mutuum exterius exprimere. 1. Quia diſpenſatio, per quam remotum eſt impedimentum, non dat valorem matrimonio prius contracto, ſed ſolum facit illas perſonas habiles ad contrahendum. 2. Quia conſenſus antea expreſſus erat omnino illegitimus, utpote inter perſonas inhabiles & ſuper materiam illegitimam, ac propterea nullus. Ergo debet novus accedere. Nec poteſt dici, quod prior perſeveret, quia conſenſus, qui nunquam fuit verus, non poteſt permanere. Suppono 2. Quod quando matrimonium eſt publice nullum, aut ejus nullitas poteſt probari duobus ſaltem teſtibus ſufficientibus, debeat de novo contrahi coram Parocho & teſtibus, quantumvis jam fuerit antea ſolemnizatum: quia ſi tunc ſufficeret conſenſus clandeſtinus ad matrimonium valide de novo contrahendum, ex tali matrimonio oriri poſſent inconvenientia, propter quæ Trid. voluit irrita eſſe matrimonia clandeſtina, ſcilicet diſſolubilitas hujus veri matrimonii, perpetuus cum alia concubinatus, &c. Poſſet enim probari ejus nullitas, & non poſſet probari validitas, ſicque impune conjuges poſſent ad nutum ſeparari, & ad alias nuptias convolare. Quidam idem cenſent, ſi aut Parochus aut unus teſtium noverit nullitatem; quod quidem verum exiſtimo, ſi aliunde quam ex Confeſſione nullitatis conſcius fuerit, quando prior contractus actu celebrabatur; quia tunc non poteſt dici teſtis matrimonii; nec poteſt de ejus valore teſtificari. Secus vero ſi tunc ignorabat, & poſtea reſciat, ſed taliter quod non poſſit probari in foro externo: quia tunc fuit teſtis contractus præſumpte validi in facie Eccleſiæ, idque poteſt teſtari, quod ſufficit. Non enim debent nec poſſunt teſtes teſtificari reipſa eſſe validum matrimonium, cum id ſcire nequeant, ſed tantum quod ſecundum formam Eccleſiæ, nullo apparente defectu, contraxerint.

Difficultas eſt igitur 1. An quando conſenſus unius tantum defuit, debeat ex parte utriuſque renovari. 2. An nullitas matrimonii debeat innoteſcere parti, cujus requiritur de novo conſenſus, vel utrique, ſi utriuſque requiratur, antequam conſenſum innovent. 3. An conſenſus debeat iterum exprimi coram Parocho & teſtibus. Graves ſunt difficultates pro praxi, nec parum implicatæ. Probabiliore ſequendo

Dico 1. Quando matrimonium eſt nullum defectu conſenſus unius, qui nempe, vel ficte, vel metu, vel errore conſenſit, probabilius ſufficit, ut convaleſcat, hunc poni conſenſum, quamdiu alter adhuc in priori conſenſu perſeverat, ſeu eum non revocavit. Colligitur ex D. Thom. quæſt. 47. art. 4. ad 2. ubi dicit, quod *ex conſenſu libero illius, qui coactus eſt, non fit matrimonium, niſi in quantum conſenſus præcedens in altero adhuc manet*. Ergo cenſet fieri matrimonium, ſi conſenſus præcedens perſeverat, cenſetur autem perſeverare, quamdiu non revocatur. Citantur etiam pro ea ſententia S. Bonaventura, S. Antoninus, Paladanus, Soto, Richardus, Navarrus, Sylvius, & alii; eamque eſſe communem Theologis & Canoniſtis probat Fagnanus ad c. *Licet* de ſponſa duorum, nu. 2. Contradicunt tamen plures, Leſſius, Pontius, Hurtado, Averſa, Henno, &c.

Ratio fundamentalis noſtræ aſſertionis eſt, quia conſenſus alterius fuit, quantum eſt ex ſe, validus & legitimus ac ſufficiens ad matrimonium, nec eſt revocatus, imo ita moraliter & virtualiter perſeverat, ut vi illius perſiſtat in poſſeſſione alterius compartis tanquam rei ſuæ, ſubindeque nihil ex parte ejus deſideratur, ſed ſolum deeſt conſenſus legitimus alterius. Ergo hoc accedente convaleſcit matrimonium. Conf. 1. Secundum omnes, Conjugum conſenſus non debet ſimul exprimi, id enim foret ridiculum, ſed ſufficit, quod unus ponatur, quando alter adhuc moraliter perdurat. 2. Matrimonium ſpirituale, quod contrahitur inter eligentes & electum, valet, licet electi & eligentium conſenſus eodem tempore non ponantur cap. *Cum inter Canonicos* de elect. 3. Si pars, quæ coacte contraxit, ſponte poſtea cohabitet, vel alteri commiſceatur affectu conjugali, convaleſcit matrimonium; juxta c. *Ad id* de ſponſal. & mat. c. *Significavit*, de eo, qui duxit & c. *Propoſuit* de conjugiis ſervorum. Tandem ita convaleſcunt alii contractus civiles.

Dices. Conſenſus alterius vere conſentientis fuit etiam nullus & illegitimus. Ergo etiam debet renovari. Prob. Ant. Fuit conſenſus ſub conditione, ſi altera pars nunc conſentiat, ita ſcilicet; *Trado me tibi, ſi tu de præſenti me acceptas*. Item, *Accepto te, ſi nunc te mihi tradas*; non enim valet traditio unius ſine acceptatione alterius, nec acceptatio ſine traditione. Atqui alter tunc non tradidit, non acceptavit. Ergo. Confir. Ex eo quod Clemens VIII. reſponderit utriuſque conſenſum de novo requiri, ut refert Comitolus lib. 1. Reſp. moral. c. 120. R. N. Ant. Ad prob. N. Maj. Verum enim quidem eſt conſenſum alterius fuiſſe ſub conditione: *Si acceptas, ſi viciſſim te mihi tradas*; non tamen pro tempore præſenti tantum; ubi enim hoc ſcriptum eſt, & quo fundamento probatur? Sed conſenſus fertur in tempus præſens cum perſeverantia in ſubſequens tempus, donec revocetur; ut fit in aliis contractibus civilibus, v. g. venditionis, emptionis, &c. Unde conſenſus partis ſerio & libere contrahentis fuit ex ſe intrinſece validus, valida traditio, valida acceptatio pro quocumque tempore, quo alter vere conſentiret, vere traderet & acceptaret, & ſolum extrinſece quoad effectum pro tunc fuit invalidus, vel potius ſuſpenſus, quamdiu altera pars legitime non conſentiret, qua proinde conſentiente ſimpliciter matrimonium convaleſcit. Ad Clementis VIII. Reſcriptum, R. de eo non conſtare authentice, vel non fuiſſe datum, niſi tanquam a Doctore particulari ſequente, quod eſt tutius. Nam ſimiliter requirit novam Parochi & Teſtium præſentiam, cujus tamen oppoſitum declaraſſe Pium refertur.

Petes, utrum ſaltem ille novus conſenſus unius partis non debeat aliquo ſigno exteriori exprimi? R. tutius & probabilius affirmative: quia cum debeat eſſe ſenſibiliter expreſſus, non videtur poſſe reddi ſenſibilis per priorem conſenſum tamdiu antecedentem. Cæterum ad hoc ſufficit quodcumque ſignum, quo quis alteram partem tanquam conjugem tractat & habet.

Dico 2. Per ſe loquendo, ut matrimonium nullum convaleſcat, nullitas matrimonii debet innoteſcere parti, cujus conſenſus requiritur, vel utrique, ſi utriuſque requiratur, tanquam conſenſum innovent. Eſt communis. Ratio eſt; quia cum prius matrimonium fuerit nullum, debent contrahentes novum intendere. Atqui contrahens inſcius nullitatis matrimonii novum matrimonium non intendit, cum perſuaſus de validitate primi credat id ſibi impoſſibile & intendit ad ſummum prius factum confirmare. Ergo. Non eſt tamen ſemper neceſſe, ut cauſa nullitatis aperiatur ipſi ignoranti, ſi inde periculum infamiæ aut ſcandali ſubſit, ut ſi v. g. ſit impedimentum affinitatis ortum ex copula illicita cum ſorore conjugis, ſed ſufficit indicare ob aliquem defectum in genere invalidum fuiſſe prius matrimonium. Exiſtimat Sylvius poſſe allegari defectum conſenſus, etſi fuerit datus; quia, inquit, cum fuerit invalidus, poteſt appellari non conſenſus.

Dixi, *Per ſe loquendo*: quia ſi ex declaratione nullitatis matrimonii parti eam ignoranti gravia mala & ſcandala timerentur, ut deſertio, matrimonii diſſolutio, prolium expoſitio, infamia gravis, rixæ, & odia, &c. ut non raro contingit, tunc ſufficeret, ſi novus conſenſus partis ignorantis procedat ex cognitione non quidem expreſſa nullitatis matrimonii, ſed æquivalenti; ut ſi conſcius nullitatis ſollicitet alium in ſui amorem, & dicat: *Ita tibi afficior, ut ſi non eſſet inter nos matrimonium, nihilominus te acciperem, & jam de facto ita te accipio, nunquid tu ſimiliter?* Si reſpondeat quod ſic; matrimonium convaleſcit; quia ignarus nullitatis non ſolum intendit permanere in matrimonio prius contracto; ſed etiam inire novum, ſi prius non fuerit validum. Unde talis conſenſus ex errore non procedit. Ubi adverte non ſufficere verba velleitatis, *te acciperem, ſi non eſſes mea uxor*, ſed requiri verba abſoluta de præſenti; *te accipio in uxorem, ſi non ſis*: Vel, *accipio te in meam, quaſi nunquam accepiſſem, idem ego facit*, &c.

Quis autem modus, & quando ſit adhibendus, ut talem conſenſum obtineat a difficile comparte, petendum eſt ex conjugis conditione variiſque circumſtantiis rara prudentia perpenſis. Cæterum extra caſum talis extremitatis & neceſſitatis ſiſtendum eſt concluſioni. Sed ſi nec talis conſenſus poſſit obtineri? Hoc opus, hic labor eſt. Tunc vel abſolute, ſecreto tamen, ſunt ſeparandi ſaltem quoad torum; vel ſi uterque ignoret nullitatem, in bona fide ſunt relinquendi.

Dico 3. Ut matrimonium occulte nullum convaleſcat, non videtur requiri nova præſentia Parochi & teſtium, ſed ſufficit, obtenta diſpenſatione, ſi requiratur, ut conjuges nullitatis conſcii, ut dictum eſt, inter ſe ſolos renovent conſenſum. Eſt probabilior & communior; ita Navarrus, Binsfeld, Henriquez, &c. quos citat & ſequitur Sylvius, Coninch, Layman, Bonacina, Henricus a S. Ignatio, &c.

Dixi 1. *Occulte nullum*: quia ſi eſſet publice nullum, aut duobus teſtibus ejus nullitas poſſet probari, deberet iterum exprimi conſenſus coram Parocho & teſtibus, ut advertimus in capite articuli. Dixi 2. *Non præſentia*;

ſup-

ſuppono enim, quod prius contraxerint, licet invalide propter occultum impedimentum, coram Parocho & teſtibus; alias indubitatum eſt coram illis ſecundum conſenſum debere exprimi, cum ſecus utrobique foret matrimonium clandeſtinum, adeoque nullum.

Prob. Concluſio. Tota ratio, quæ movit Concilium Trid. ad irritanda matrimonia clandeſtina, eſt, ut impedirentur grandia mala, quæ ex eis oriri ſolent, puta quod contrahentes ſæpe cohabitent ſine vero matrimonio; aut ſi verum ſit, cum probari non poſſit, diſſolvant ad libitum, & ad alias nuptias tranſeant. Atqui iſta ratio ceſſat in noſtro caſu, nec talia inconvenientia inde obvenire poſſunt; conſtat enim Eccleſiæ de ejus valore, quantum conſtare poteſt; nec poteſt malitioſe diſſolvi, cum fuerit contractum in facie Eccleſiæ, & ejus nullitas non poſſit probari, ut ſupponimus. Imo gravia incommoda & graviſſima ſcandala ſæpiſſime ſequerentur, ſi matrimonia, quæ publice valida habebantur, iterum coram Parocho & teſtibus contrahi deberent. Ergo merito colligimus Tridentinum ſuo Decreto non comprehendiſſe caſum quo matrimonium antea publice contractum: ſed occulte invalidum revalidari debeat.

Confir. 1. Concilium Trid. ut ex textu patet, ſolum intendit irritare matrimonia clandeſtina, quæ jam erant antea prohibita. Atqui nullibi apparet prohibitam fuiſſe occultam revalidationem matrimonii, prius in facie Eccleſiæ celebrati, ſed ob impedimentum occultum invalidi. Confir. 2. Quia juxta Stylum Curiæ, in Reſcripto diſpenſationis ſuper hunc caſum a majori Pœnitentiario ponitur: *Diſpenſo ut matrimonium ſecreta inter ſe contrahere valeant.*

Opponitur ex Comitolo l. 1. Reſp. moral. q. 120. contraria reſolutio Clementis VIII. Verum nos viciſſim opponimus aliam reſolutionem S. Pii V. Clementinæ contrariam ex Navarro c. 22. n. 7. & l. 4. Conſil. Conſ. 14. item aliam S. Congregationis pariter contrariam, ut legitur in remiſſ. ad Concil. Trid. Seſſ. 24. c. 1. de Ref. matrim. At neque ex illa neque ex iſtis declarationibus aliquid certo erui poteſt pro alterutra ſententia, quia non ſunt authenticæ. Et forte in caſu Clementis VIII. nullum periculum aut damnum ſequebatur ex iteratione publica matrimonii: unde merito præcipiebat, quod eſt tutius, forte autem ſequebatur in caſu S. Pii V. Sic enim & nos quantum ad praxim ſuademus, quod eſt tutius, ſcilicet revalidationem publicam matrimonii, in quantum fieri poteſt ſine gravi damno aut ſcandalo. Et ſi Parochus difficile adeſſe poſſit, Confeſſarius ab eo obtineat licentiam, quam in hoc caſu dare tenetur Parochus, & coram duobus fidiſſimis teſtibus res ſecreto agatur. Sed ſi nec ita res facile fieri poſſit, tunc locus eſt ſententiæ aſſertæ.

Petes, an ſi, in Reſcripto diſpenſationis ponantur hæc vel ſimilia verba: *Diſpenſo, ut inter ſe publice & ſervata forma Tridentini contrahant*; poſſint nihilominus renovare conſenſum inter ſe ſine Parocho & teſtibus, ſi jam prius contraxerant coram illis? Reſpondent affirmative Sylvius hic q. 45. a. 2. Pontius, Sporer, & alii: quia forma Concilii, quam intendit diſpenſatio, jam ſervata eſt, nec ipſi attentarunt aliter contrahere quam coram Parocho & teſtibus.

DIGRESSIO HISTORICA.

Utrum inter B. Virginem & S. Joſephum fuerit verum Matrimonium?

AD ART. V. PRÆCED. DISSERT.

Dico. (3. *p. q.* 29. *a.* 2. a.) Inter B. Virginem & S. Joſephum fuit verum matrimonium. Eſt communior & verior.

Prob. ex Scriptura. Matth. 1. dicitur; *Jacob genuit Joſeph virum Mariæ*. Item; *cum eſſet deſponſata Mater ejus Maria Joſeph*. Item; *Joſeph vir ejus*. Et, *noli timere accipere Mariam conjugem tuam*. Luc. 2. Joſeph aſcendit in Bethleem *cum Maria deſponſata ſibi uxore prægnante*. Confir. ex verbis Virginis Luc. 2. ſic alloquentis Filium; *Pater tuus & ego dolentes quærebamus te*. Item verbis ejuſdem Evangeliſtæ; *Erant Pater ejus & Mater mirantes*. Non ſic locuta fuiſſet Mater filio, nec Evangeliſta fidelibus, niſi Joſeph fuiſſet Mariæ conjux. Confir. iterum ex eo, quod Judæi vocabant Jeſum Filium Joſeph, filium fabri, & Joſeph Patrem ejus: hujus autem Judæorum opinionis tametſi falſæ alia ratio non fuit, quam quia notum erat Joſeph & Mariam eſſe vere conjuges, alioquin Judæi Chriſto indubie exprobraſſent ipſum ex fornicatione eſſe natum.

Prob. ex Patribus. S. Ambroſius lib. de inſtitut. Virginis c. 6. contra id, quod objiciebatur tunc, & etiam nunc objicitur, inter B. Virg. & Joſeph non fuiſſe verum conjugium; quia inter eos non interceſſit copula carnalis, dicit: *Nec illud moveat, quod ait; quia Joſeph accepit conjugem ſuam; cum enim initiatur conjugium, tunc conjugii nomen adſciſcitur. Non enim defloratio Virginitatis facit conjugium, ſed pactio conjugalis. Denique cum jungitur puella, conjugium eſt, non cum virili admixtione cognoſcitur*. S. Aug. l. 5. c. 12. adverſus Julian. qui dicebat Mariam fuiſſe conjugem Joſeph in hominum opinione tantum, ſicut Luc. 3. dicitur de Chriſto, quod putabatur Filius Joſeph, ſic arguit: *Nunquid & Angelus loquens unus ad unum contra conſcientiam & ſuam & ipſius, cui loquebatur, ſecundum opinionem potius, quam ſecundum veritatem fuerat locuturus, qui ei dixit, noli timere accipere Mariam conjugem tuam? .... Dicit autem Lucas Evangeliſta de Domino, quod putabatur Filius Joſeph, quia ita putabatur, ut per ejus concubitum genitus crederetur. Hanc falſam voluit removere opinionem, non Mariam illius viri negare conjugem, contra Angelum teſtem*. Eandem veritatem aſſerit Aug. variis in locis ſerm. 63. de diverſis l. 1. de nupt. & concupiſc. cap. 11. l. 2. de conſenſu Evang. c. 1. & alibi. Similiter alii Patres.

Huc accedunt rationes (*Ib. a.* 1. a.), propter quas congruebat, ut Chriſtus naſceretur ex Virgine deſponſata. Duodecim enumerat S. Th. quarum præcipuæ ſunt 1. ut per genealogiam Joſeph, cui Maria erat cognata, origo quoque Mariæ monſtraretur. 2. Ne ipſa Virgo, ſi extra matrimonium filium haberet, infamaretur tanquam fornicaria, aut etiam lapidaretur ſecundum legem Deut. 22. & filius ejus tanquam ex fornicatione natus pro Meſſia non reciperetur. 3. Ut B. Virgo fugiens in Ægyptum haberet ſolatium, atque inde reverteus ipſa & Filius haberent obſequia & ſubſidia paterna. 4. Ut ejus partus celaretur diabolo, dum occaſione matrimonii deceptus putaret illum non de Virgine, ſed de uxore natum; quamvis enim potuiſſet diſcernere inter Virginem & corruptam, attamen vel id ex divina diſpenſatione non fuit permiſſum, vel ad ſingula in rebus humanis non ſemper attendit.

Obj. 1. ex Scriptura. Matt. 1. Luc. 1. & 2. Maria Virgo dicitur tantum *Deſponſata Joſeph*. Ergo non erat conjugata. Item ibid. Joſeph cum inveniſſet Mariam habentem in utero, *voluit occulte dimittere eam*. Juxta vero Deuter. 24. vir non poterat dimittere uxorem niſi dato illi libello repudii. Ergo Joſeph non habebat Mariam pro uxore. R. ad 1. juxta morem Scripturæ ii dicuntur ſponſi & ſponſæ, qui quamvis per verba de præſenti ſint conjuncti, nondum tamen ſunt carnaliter commixti; ſic etiam nos loquimur, dum in nuptiarum celebratione vocamus conjunctos ſponſum & ſponſam. Unde Luc. 2. Joſeph dicitur aſcendiſſe in Bethleem *cum Maria ſibi deſponſata uxore*. Ex quo manifeſtum eſt fuiſſe eandem ſimul deſponſatam & uxorem. Ad 2. libellus repudii ſecundum legem non dabatur, niſi cum vir ſic dimittebat uxorem, ut illi faceret poteſtatem alteri nubendi; non autem Joſeph volebat dimittere uxorem, ut ipſe aliam duceret, & illi permitteret alium ducere. Sed volebat eam occulte dimittere quoad habitationem tantum: cum enim videret illam fœtam, & cauſam ignoraret, & aliunde perſpectam haberet ejus pudicitiam, noluit eam traducere ut adulteram; voluit tamen occulte ſe ab ea ſeparare, ne forte, ſi vi illata, aut aliqua ratione ſibi incognita, fuiſſet impregnata, eam retinendo aliquam infamiam incurreret.

Obj. 2. ex SS. Patribus. Multi Patres dicunt Mariam manſiſſe innuptam, & non fuiſſe uxorem Joſeph. Epiphanius hæreſ. 78. *Deſponſata*, inquit, *fuit Maria, non nupta*: &, *videbatur uxor & non erat*. Hieron. cont. Helvid. & in c. 1. Matth. ad hæc verba, *Jacob genuit Joſeph virum Mariæ*, ait: *Cum virum audieris, ſuſpicio tibi non ſubeat nuptiarum, ſed recordare conſuetudinis Scripturarum, quod ſponſi viri & ſponſæ uxores vocantur*. Aug. Serm. 17. de temp. de B. Virg. ſcribit: *Concepit Virgo antequam ſponſum haberet, parit antequam nubat*. Greg. in Evang. lib. 2. hom. 26. de Joſeph ait: *Qui tamen ad ejus* (Mariæ) *nuptias non pervenit*. Ergo. R. SS. Patres propugnantes contra Hæreticos Virginitatem Mariæ in his & ſimilibus ſententiis vocare nuptias, conſummationem matrimonii; & nuptas ſeu uxores, jam viro cognitas; ſicut innuptas & ſponſas vocant, quæ licet ſint matrimonio junctæ, nondum tamen ſunt cognitæ viris. Unde Epiphan. loco cit. dicit, quod Virgo non fuerit uxor Joſeph; *Quatenus nullam cum ea habuit corporis copulationem*: & Hieron. *quatenus oſcula amplexuſque non miſcuerunt, nec rem egerunt nuptiarum*. Idem cenſendum de aliis. Inſuper ſermo laudatus de tempore non eſt Auguſtini.

Obj. 3. Secundum communem opinionem B. Virgo emiſerat votum caſtitatis, antequam deſponſaretur Joſeph. Atqui ſtante ejus voto non poterat matrimonium inire. Ergo. R. hujus argumenti ſolutio patet ex a. 5. præced. Diſſert. Sive ergo B. Virgo ante deſponſationem voverit caſtitatem conditionate tantum, ut ſentit Auctor 3. p. q. 28. a. 4. ſive abſolute, ut volunt alii, votum ejus non repugnabat matrimonio; quia matrimonium, ut diximus,

con-

conſiſtir in traditione poteſtatis in mutua corpora, quæ poteſtas poteſt ſeparari ab uſu. Solua autem uſus repugnat voto caſtitatis. (*In 4. d. 3.*) Cum itaque B. Virgo ſeiret ex divina revelatione & inſtinctu, quod uſus nunquam ſequeretur, potuit ſine læſione voti etiamſi abſoluti tradere poteſtatem ſui corporis Joſepho, & acceptare poteſtatem illius, ſicque facere verum matrimonium.

Petes, utrum Matrimonium inter B. Virg. & S. Joſeph fuerit perfectum? R. fuiſſe perfectum perfectione eſſentiali, quæ conſiſtit in mutua traditione & acceptatione poteſtatis in corpora. Defuit autem illi aliqua perfectio accidentalis, nempe copula carnalis, per quam ſignificaretur unio Chriſti cum Eccleſia per naturam: ſed non erat opus hic illa ſignificatione, quia in illo matrimonio res ipſa erat exhibenda, ſcilicet verbi incarnatio, per quam conjungitur Eccleſiæ ſecundum naturam.

D I S S E R T A T I O IV.

DE BONIS ET ACTU MATRIMONII.

Div. Thom. Quæſt. 49. & 64.

A R T I C U L U S I.

De bonis Matrimonii.

EX Aug. & aliis Patribus impugnantibus Hæreticos, qui negabant nuptias eſſe licitas, inductum eſt in ſcholas nuptias per quædam bona excuſari, ideoque eſſe licitas. (*Supp. q. 49. art. 4 a.*) Excuſatio hic non ſumitur ex parte agentis, ut cum quis agit, quod eſt per ſe malum, excuſatur per ignorantiam aut inadvertentiam; ſed ex parte actus, quatenus ſit bonus & licitus. Tria aſſignatur (*Ibid. a. 2. & in reſp. ad arg.*) Matrimonii bona, *Proles*, *fides*, & *Sacramentum*. Per *Prolem* non intelligitur ſola ejus procreatio, ſed etiam ejus educatio & religioſa inſtitutio. Per *Fidem* intelligitur fidelitas, quam conjuges ſibi invicem debent, ſic ut neuter comparti petenti deneget, nec alteri commiſceatur. Per *Sacramentum* intelligitur firmitas & indiſſolubilitas, quam habet ex ſacra ſignificatione. Quamvia enim vinculum matrimonii ſit ex ſe indiſſolubile, ut dicemus, ex hoc tamen quod Deus ipſum inſtituit ad ſignificandam conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, majorem habet firmitatem & indiſſolubilitatem. Unde hæc tria bona reperiuntur etiam in Matrimoniis Infidelium; ordinantur enim ad prolem, obligant ad fidem, & habent aliquam ſacram ſignificationem.

Dico. (*Ibid. a. 1. & 2.*) Convenienter aſſignantur tria bona, *Proles*, *Fides*, *Sacramentum*, quibus excuſatur matrimonium. Prob. (*Ibid.*) Nemo ſapiens debet jacturam aliquam ſuſtinere, niſi pro aliqua recompenſatione alicujus æqualis vel melioris boni. Atqui in matrimonio plures incurruntur jacturæ, plura damna & incommoda, quæ his tribus bonis aſſignatis compenſantur. Ergo. Prob. Min. Tria potiſſimum damna, & incommoda incurruntur in matrimonio. Primum libido & ex ea reſultans detrimentum ejus rationis, debilitatio corporis, & ſenium obtuſio; & hoc damnum compenſatur bono prolis, ſeu procreatione liberorum, quibus genus humanum propagatur, & Deus perpetuo colitur. Secundum damnum eſt ſollicitudo moleſta placendi comparti, ſuſcipiendi, concipiendi, parturiendi, educandi proles, & rebus familiæ providendi; & hoc damnum compenſatur bono fidei, qua alter alteri tenetur reddere debitum, nec poteſt alteri commiſceri. Tertium damnum eſt perpetua quædam ſubjectio ſeu ſervitus, qua vir uxori, & uxor viro obligatur, & iſtud damnum compenſatur bono Sacramenti, id eſt vinculi indiſſolubilis, quo conjuges repræſentant conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, teneturque ſe invicem diligere, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam. Sumitur enim hic Sacramentum, ut dictum eſt, pro vinculo indiſſolubili matrimonii, quod eſt res & Sacramentum. Quamquam etiam multo magis compenſetur hoc damnum bono Sacramenti proprie ſumpti pro ſigno efficaci gratiæ, quatenus ſanctificat conjuges, eis confert auxilia ſupernaturalia ad ſe mutuo diligendum, præſtandaque ſuaviter & fideliter uſque ad finem vitæ cætera munia & onera matrimonialia.

Dices. Vel matrimonium eſt de ſe bonum, & ſic non indiget magis excuſari, quam alia bona; vel eſt malum, & ſic nulla excuſatio ſufficit? vel eſt indifferens, & neque ſic opus habet excuſatione, quemadmodum nec aliæ res indifferentes, ut ambulare, loqui, &c. Ergo. R. (*Ib. a. 1. ad 2.*) Matrimonium eſſe ſimpliciter & abſolute bonum, ideoque revera nullis bonis extrinſecis indigere, quibus honeſtetur, quomodo ea, quæ ſunt indifferentia, aut in malum ſonantia de ſe non bona poſſunt honeſtari. Quia tamen ſecum adfert multa incommoda, indiget illis bonis, quæ vocantur bona matrimonii, quæ quidem ſunt de ratione ipſius, quantum nempe ad intentionem, ſi non contrahentium, ſaltem inſtituentis matrimonium, & hoc ſenſu dicitur excuſari & honeſtari per ea quaſi per ſua eſſentialia & cauſantia in illo honeſtatem, quæ ipſi ſecundum ſe competit.

Inferes. Ergo omnia illa, quæ ſunt ex ſe bona, poſſunt etiam dici, excuſari, & honeſtati per ſua eſſentialia & intrinſeca. R. N. Conſ. Quia alia bona non ſemper ſecum adferunt ſpeciem turpitudinis, nec tot, & tanta incommoda, quæ compenſati indigeant, ſicut matrimonium. Unde cum majori proprietate dicitur illud excuſari & honeſtari per ſua bona, quam aliæ res, ſeu actus boni.

A R T I C U L U S II.

De actu Matrimonii.

§. I. Utrum actus conjugalis excuſetur per bona Matrimonii.

QUAMVIS Diſſ. 1. hujus Tract. 1. 2. §. 3. iam probaverimus actum matrimonii eſſe licitum, & poſſe eſſe meritorium, occaſione tamen bonorum matrimonii hic adhuc breviter inquirimus cum Auctoritate, an & quomodo per iſta bona excuſentur. Unde

Dico. Actus matrimonialis ſic excuſatur per bona aſſignata, ut ſit bonus, & poſſit eſſe ſanctus. Ratio 1. partis; quia per bonum prolis habetur intentio debiti finis; per bonum fidei habetur debita materia, & per hæc actus recedit a duobus extremis, mollitie & fornicatione, inter utrumque tenens medium, ſicque conſtituitur in ratione virtutis moralis, quæ conſiſtit in medio. Ratio 2. partis eſt; quia indiſſolubilitas, quæ dicitur Sacramentum, ex divina inſtitutione ſignificat conjunctionem Chriſti & Eccleſiæ in carne, in gratia, charitate, & gloria. Si ergo conjuges adjuti gratia intendant in actu matrimonii hunc finem, ſcilicet procreare prolem non ſolum ut filium hominis naturalem, ſed ut Eccleſiæ colonum, filium Dei adoptivum, & cœleſtis Regni hæredem, religioſa educatione perficiendum, actus matrimonii non ſolum erit bonus generali ratione virtutis, ſed etiam ſanctus & meritorius.

Dico 1. Qui ſuſtinet damnum majoris boni propter minus bonum, peccat; quia inordinate agit. Atqui bonum rationis, quod læditur in ipſo actu conjugali, eſt majus, quam hæc tria bona conjugum. Ergo prædicta bona non ſufficiunt ad excuſandum, &c. R. D. Maj. (*Ib. a. 4. ad 3*) Qui ſuſtinet damnum majoris boni quoad habitum propter minus bonum, peccat, C. Maj. Qui ſuſtinet damnum majoris boni, quoad actum brevem propter &c. N. Maj. Non enim eſt inconveniens, quod quandoque aliquis actus, qui eſt melior ſecundum genus ſuum, tantillam patiatur eclypſim propter minus bonum, quod eſt permanentius, & ad perpetuitatem boni communis neceſſarium, ſic licet quandoque dormire, quandoque ab actu contemplationis vacare, ut vacetur activæ vitæ. Jam autem damnum rationis, quod homo incurrit per actum matrimonii, non eſt per modum habitus, ſed per modum actus tranſeuntis.

Inferes. Ergo pariter licebit ſe inebriare ad recuperandam ſanitatem. R. N. illationem. Diſparitas eſt 1. Quod ſe inebriare ſecundum ſe ſit malum, conſequenter nullo bono fine cohoneſtandum; non ſic actus matrimonialis. 2. Ebrietas neque a Deo, neque a natura eſt ordinata ad recuperandam ſanitatem, ſicut actus matrimonii eſt ordinatus ad generandam prolem. 3. In ebrietate totaliter abſorbetur ratio, & aufertur potentia proxima ad illam pro nutu recuperandam, non ſic in actu matrimonii. Vide plura de hoc arg. Diſſ. 3. de Temperantia art. 3.

Dices 2. Hæc bona efficere non poſſunt, quominus delectatio in illo actu ſit immoderata, neque poſſunt ejus verecundiam abſtergere. Atqui immoderatio paſſionis eſt vitium in moribus, & verecundia non eſt niſi de malo. Ergo. R. D. Min. (*Ib. ad 3 & 4.*) Immoderatio paſſionis ſumpta pro quantitate & intenſione eſt vitium in moribus, N. Sumpta pro exceſſu ſupra limites rationis, C. Superabundantia igitur paſſionis, quæ facit vitium in moribus, non attenditur præciſe ſecundum quantitatem ipſius ad intentionem, ſed ſecundum diſproportionem ejus ad rationem. Unde tunc ſolum paſſio reputatur proprie immoderata, quando excedit limites rationis. Delectatio autem, quæ eſt in actu matrimonii, quamvis ſit intenſiſſima ſecundum quantitatem, non tamen excedit limi-

tes

tes ſibi a ratione prius præfixos, quamvis in ipſa delectatione ratio eos ordinare non poſſit, & ideo ſit malum pœnæ. De verecundia ſimiliter reſpondetur, quod non ſit tantum de malo culpæ, ſed etiam de malo pœnæ, qualis eſt turpitudo illius actus; quia de quolibet defectu homo naturaliter erubeſcit.

Inſt. Greg. cauſa 33. q. 4. cap. *Vir cum propria*, dicit voluptatem, quæ in actu conjugali reperitur, nullatenus poſſe eſſe ſine culpa. R. Gregorium loqui de voluptate, quæ dominatur, & propter quam exerceatur copula, ut inferius ſubdit.

§. II. *Utrum actus conjugalis excuſari poſſit ſine bonis matrimonii, atque adeo exerceri ob ſolam voluptatem, aut fornicationem in ſe vitandam?*

Dico 1. (*Ib. a. 5.*) Actus conjugalis excuſari non poteſt ſine bonis matrimonii: quia remota cauſa removetur effectus, qui ab ea dependet. Atqui cauſa honeſtatis actus conjugalis ſunt bona matrimonii, ut dictum eſt. Ergo ſine eis excuſari non poteſt. Præterea actus conjugalis non differt a fornicario, niſi in prædictis bonis. Hinc (*Ib.*) inferes duobus ſolum modis conjuges abſque omni peccato poſſe convenire, nempe cauſa generandæ prolis, quod ſpectat primum bonum, & debiti reddendi, quod pertinet ad bonum fidei. Bonum autem Sacramenti potius pertinet ad matrimonium ſecundum ſe, quam ad ejus uſum, licet poſſit etiam intendi, ut dictum eſt, & actus fieri meritorius; ſed etiam tunc intenditur bonum prolis. Verum ut hæc, de quibus non omnes conveniunt, diſtinctius exponantur;

Dico 2. (*Ib. & n. 6.*) Actus conjugalis ob ſolam voluptatem, aut fornicationem in ſe vitandam, eſt venialiter malus. Sequitur ex præcedenti, quoad utramque partem: quia licet adſit bonum fidei, & bonum Sacramenti, deeſt bonum prolis, ſeu ſaltem non intenditur. Inſuper

Prob. 1. Pars. 1. Ex hac propoſitione damnata ab Innocentio XI. *Opus conjugii ob ſolam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.* Eſt 9. inter damnatas. Prob. 2. Perverſum eſt ordinare ad delectationem, & ad operationem, ad quam ipſa delectatio eſt a natura ordinata. Atqui natura ordinavit delectationem ad operationem, & non operationem ad delectationem, ut in confeſſo eſt apud omnes. Ergo. Confir. Agere propter delectationem ſenſibilem eſt proprium brutorum, & non hominis, qui debet in omnibus agere ut homo, id eſt ſecundum rationem, conſequenter intendere bonum honeſtum, ſeu rationi conforme, ut amplius probavimus Diſſ. 6. de Act. hum. a. 6. Confer.

Prob. 2. Pars, de qua major eſt difficultas 1. Ex Scriptura 1. Cor. 7. poſtquam Apoſtolus dixit: *Nolite fraudare invicem, niſi forte ex conſenſu ad tempus, ut vacetis orationi, & iterum revertimini in idipſum, ne tentet vos ſatanas propter incontinentiam veſtram:* Subdit: *Hoc autem dico ſecundum indulgentiam, non ſecundum imperium.* Atqui indulgentia, ſeu, ut græce habetur, *ignoſcentia*, denotat culpam, ut ait Aug. Enchirid. c. 78. *Quis autem peccatum eſſe neget*, inquit, *cum dari veniam facientibus Apoſtolica auctoritate fateatur.*

Prob. 2. ex Patribus. Idem Aug. lib. de bono conjugali c. 7. *Reddere debitum conjugale nullius eſt criminis, exigere autem ultra generandi neceſſitatem, culpæ venialis.* Fulgentius Ep. 1. de conjugali debito c. 4. *Maritum contrahit... quiſquis non pro ſola generatione, ſed etiam propter fragilitatem carnis ſuæ miſcetur uxori.* Greg. lib. 32. moral. c. 17. *Tunc*, inquit, *ſolum conjuges in admixtione ſine culpa ſunt, cum... pro ſuſcipienda prole miſcentur:* intellige petendo. De D. Th. non poteſt eſſe dubium: *Duobus ſolis modis*, inquit, (*Ib. ad 5. o.*) *conjuges abſque omni peccato conveniunt, ſcilicet cauſa procreandæ prolis & debiti reddendi; aliis autem ſemper eſt ibi peccatum ad minus veniale.* Item (*Ibid. ad 2.*): *Si intendat vitare fornicationem in ſe, ſic eſt ibi aliqua infirmitas, & ſecundum hoc eſt peccatum veniale nec ad hoc matrimonium eſt inſtitutum niſi ſecundum indulgentiam, quæ eſt de peccatis venialibus.*

Prob. 3. ratione. Obſequi ac ſervire libidi etiam intra limites matrimonii eſt peccatum veniale, ut patet ex dictis. Atqui qui mere ad vitandam in ſe incontinentiam copulatur, obſequitur libidini intra limites matrimonii, quamvis nolit obſequi extra limites illius. Ergo. Probat. Min. Ille revera quærit in matrimonio voluptatem, ne eam quærat extra, eamque pro fine copulæ habet, licet ſimul intendat abſtinere a voluptate non matrimoniali; ſicut tentatus ad carnes manducandas die prohibito, ſi ad hoc evitandum velit delectari in eſu delicato piſcium, ne delectet ſe in carne, revera obſequitur gulæ circa materiam licitam, ne ei obſequatur circa materiam illicitam. Ergo. Si dicas hanc delectationem aſſumi in matrimonio ut medium ad vitandam delectationem extra matrimonium. Eſto. Semper verum eſt eam aſſumi ut finem proximum copulæ matrimonii, ſicque operationem ordinari ad delectationem, quod eſt perverſum, ut diximus. Inſuper delectatio in copula matrimonii non eſt medium a Deo, vel natura ordinatum ad vitandam delectationem extra matrimonium. Sicut delectatio in eſu piſcium die prohibito non eſt medium ordinatum ad vitandam delectationem carnium. Unde ſicut iſte inordinate agit, ſic & ille.

Prob. 4. evertendo præcipuum fundamentum adverſæ partis. Si actus conjugalis eſſet licitus ad vitandam in ſe fornicationem, ideo eſt, quia vitatio fornicationis eſt finis ſaltem ſecundarius matrimonii: ſic volunt Adverſarii. Atqui iſta ratio nulla eſt. Ergo. Prob. Min. Evitatio fornicationis in ſe dicitur finis ſecundarius matrimonii, non quod Deus aut natura directe & immediate illum ordinaverint ad fornicationem vitandam (Deus enim ſub hac ratione indulget tantum ut vidimus, & natura ordinat ad generationem prolis) ſed quia concupiſcentia per copulam matrimonialem ſedata non ita ſtimulat ad fornicationem; ad quod etiam juvat gratia ſacramentalis. Unde debet potius dici effectus conſequens ad matrimonium, quam ejus finis ſecundarius, niſi ſecundum indulgentiam, ut dicit Auctor.

Dixi, *venialiter malus:* (*Ibid.*) quia uſus rei aliunde licitæ ob ſolum defectum debiti finis non eſt ſemper mortaliter malus, ut patet in eo, qui manducat & bibit moderate ob ſolam voluptatem. Poſſet tamen contingere peccatum mortale; ſi nempe quis non attendat in conjuge, quod ſit conjux, ſed quod ſit mulier, affectu actuali paratus idem facere cum ea, ſi non eſſet conjux, quia tunc copula exercetur animo fornicario.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Matrimonium eſt conceſſum humanæ fragilitati, ut fornicatio vitetur. Ergo qui eo utitur ad hunc finem, non peccat. R. D. Maj. (*Ib. a. 5. ad 2. a.*) Eſt conceſſum humanæ fragilitati, ut fornicatio vitetur, mediante copula exercita propter bona matrimonii, C. Mediante copula exercita propter ipſam fornicationem vitandam, Subd. Eſt conceſſum ſecundum indulgentiam ut minus malum, C. Ut quid licitum & bonum, N. Solutio patet ex probationibus.

Inſt. Licitum eſt petere debitum ad vitandam incontinentiam in comparte. Ergo & propriam. R. N. Conſ. (*Ibid.*) Diſparitas eſt 1. quia dum petit debitum propter alterius periculum, in effectu potius reddit quam petit, quia altera pars tunc interpretative petit, cui ideo ex juſtitia & ex charitate tenetur petendo reddere. 2. Diſparitas eſt, quia unuſquiſque poteſt ſuo periculo occurrere per alia remedia: ut per voluntatem propriam gratia Dei adjutam reſiſtendo, orando, jejunando. Periculo autem alterius non poteſt, cum non habeat in ſua poteſtate voluntatem alienam ſicut ſuam.

Repones. Pars, quæ propter periculum incontinentiæ propriæ interpretative petit, illicite petit ſecundum nos. Ergo alter non poteſt, nec tenetur ei reddere. R. D. Ant. Petit illicite venialiter & ex parte ſua, C. Illicite mortaliter & ex parte actus, N. Subeſt autem juſta cauſa in reddente permittendi iſtud peccatum veniale in petente, ut dicemus infra de redditione debiti.

Obj. 2. Qui utitur re ſua ad libitum, non facit injuſtitiam. Ergo non peccat. Subſumo. Atqui per matrimonium uxor efficitur res viri & e contra. Ergo. (*Ib. ad 3.*) R. N. Conſ. Ex hoc enim, quod quis non peccet contra juſtitiam, non ſequitur, quod non peccet omnino; quia debita circumſtantia non ſufficit ad hoc, quod actus ſit bonus, & ideo non oportet, quod qualitercumque quis utitur re ſua, ſit bonus, ut patet in prodigo, ſed quod utitur re ſua, ut debet ſecundum omnes circumſtantias.

Obj. 3. Bonum eſt vitare fornicationem, & actus conjugalis eſt honeſtus, aptuſque ad illum finem intuendum: ubi ergo peccatum? Quod enim eſt bonum ex genere, non efficitur malum, niſi ex mala intentione, ut recte arguit S. Th. arg. 4. R. in hoc eſſe peccatum, quod actus conjugalis non ſit a natura ordinatus, nec a Deo, niſi ſecundum indulgentiam, ad illum finem obtinendum: eſt autem malum intendere bonum per media indebita, & ad id non ordinata. Adde, quod in caſu ſit obſequi libidini, & agere propter illam, ut probatum eſt.

Inſt. 1. Hoc ipſo quod aliquod medium habet aptitudinem & proportionem ad aliquem finem obtinendum, etſi a natura non ſit ad illum primario ordinatum, cenſetur tamen finis ejus ſecundarius, ita ut ad illum ſine peccato poſſit ab agente ordinari: v. g. oculi ſunt a natura inditi ad videndum, licite tamen quis eis utitur aliquando ad ſignificandum aliquid alteri. Vox eſt a natura ordinata ad exprimendos alteri ſuos conceptus, licitus eſt tamen ejus uſus ad cantum. Imo ipſum matrimonium eſt

eſt inſtitutum ad conſervationem ſpeciei, nec peccaret tamen, qui illud contraheret propter alium finem honeſtum, v. g. propter probos mores ſponſæ, propter conformitatem humorum, propter inimicitias componendas in Regno, vel in familia, propter ſocialem vitam tranquilliorem habendam, &c. Ergo licet actus conjugalis ſit primario ordinatus ad generationem prolis; quia tamen poteſt eſſe aptus ad fornicationem vitandam, non videtur illicitum eo uti ad illum finem, qui poteſt dici ejus finis ſecundarius. R. N. Conſ. & paritatem. Diſparitas eſt, quod neque in uſu oculorum aut vocis aut in ipſo matrimonii contractu ulla reperiatur inordinatio, aut detrimentum rationis: in uſu autem matrimonii ſemper ſequitur inordinatio libidinis, detrimentum & abſorptio rationis, propter quæ mala non videtur adhibendus niſi ad eos fines, ad quos Deus ſua natura permiſit aut ordinavit. Sicut non poteſt ebrietas adhiberi, ut remedium ſanitatis; quamvis ad eam poſſit aliquando juvare.

Inſt. 2. Actus matrimonialis propter ſanitatem conſervandam aut recuperandam eſt licitus. Atqui tamen ad hunc finem non eſt ordinatus. Ergo pariter. R. 1. Maiorem a S. Th. (*Ib. ad 4*) diſerte negari. *Quamvis*, inquit, *intendere ſanitatis conſervationem non ſit per ſe malum: tamen hæc intentio efficitur mala, ſi ex aliquo ſanitas intendatur, quod non eſt ad hoc de ſe ordinatum, ſicut qui ex Sacramento Baptiſmi tantum ſalutem corporalem quæreret. Et ſimiliter etiam eſt in propoſito in actu matrimonii.* Adde, quod emiſſio ſeminis, quando fit ex libidine, ſit magis nociva corpori, quam proficua. 2. Etſi daretur Maior, ſemper foret diſparitas, quod qui exercet actum conjugalem propter fornicationem in ſe vitandam, agat propter libidinem, & ei obſequatur; ſecus qui illam exercet propter ſanitatem.

Inferes. Ergo ſaltem juxta Sententiam D. Th. caſu quo quis minaretur conjugi mortem, niſi exigat debitum, & coeat cum parte, non poterit talis conjux etiam pro evitanda morte certo infligenda petere copulam, ſi compars ſit ſenex, ſterilis, aut jam gravida. R. Vel ille, qui minatur mortem, cogit, ut coeant coram ſe, quod eſt ex ſe verecundum, pudendum, & maxime ſcandaloſum, adeoque ex hoc ſolo capite illicitum, vel ut coeant in ipſius abſentia, & tunc occurrunt alii plures modi tale periculum evadendi, adeo ut caſus evadat metaphyſicus. Cæterum ſtando in Sententia D. Th. non licet facere malum morale etſi veniale tantum pro quovis maximo bono phyſico.

Obj. 4. Poteſt quis inire matrimonium propter vitandam incontinentiam, ut colligitur ex Apoſt. 1. Cor. dicente; *Quod ſi non ſe continent, nubant. Melius eſt enim nubere quam uri*; non enim id videtur permiſſio poſitive & conſilium. Ergo poteſt etiam uti matrimonio propter eundem finem. R. 1. Ant. non erui ex textu Apoſtoli, licitum eſt enim conſulere minus malum volenti committere majus. 2. D. Ant. Poteſt quis inire matrimonium propter vitandam incontinentiam per copulam exercendam propter debitos fines, ſcilicet generationem prolis aut redditionem debiti, C. Sicut enim qui exercet copulam propter iſtos fines, poteſt intendere & expectare tanquam effectum ſedationem concupiſcentiæ, ſic a fortiori cum init matrimonium, præſertim cum matrimonium ſit ſecundum ſe honeſtum, nec quidquam inordinatum contineat, ſicut ipſa libido in actu matrimoniali. Per copulam exercendam propter libidinem, N. Cum enim talis copula ſit illicita, non poteſt intendi e contrahente matrimonium.

Obj. 5. ab inconvenientibus. Ex noſtra Sententia ſequitur 1. Quod mulieribus gravidis, ſterilibus, & ſenibus ſit illicitus actus conjugalis, & viris illicitum cum eis decumbere. 2. Quod ſenes & ſteriles non poſſint ſine peccato matrimonium inire, cum ipſis non ſit amplius ſpes prolis, & quod Eccleſia non poſſit talibus matrimoniis aſſiſtere, niſi ſaltem contrahentes moneat de non exigendo debito. 3. Quod ſtatus matrimonii ſit continuis peccatis venialibus obnoxius, quæ omnia dura ſunt, odioſa, & quodam modo abſurda juxta praxim communem. R. ad 1. Sequelam, actum conjugalem eſſe quidem illicitum mulieribus gravidis, ſterilibus, & ſenibus, exigendo, non tamen reddendo; viris autem eſt licitum cum talibus decumbere, non ad exigendum debitum, ſed ad reddendum petenti. Intellige tamen de mulieribus gravidis, quarum ita venter intumuerit, ut ſuperfœtatio operari non poſſit. Ad 2. illationem, N. Conjugium enim non eſt propter ſolam filiorum procreationem, ſed etiam propter ipſam naturalem in diverſo ſexu ſocietatem, mutua obſequia, &c. ait Aug. l. de bono Conjug. c. 3. Eo ergo fine poſſunt ſenes inire matrimonium, intendendo caſto vivere, vel etiam matrimonio uti, reddendo tamen, non exigendo debitum; quod ſi aliud intendant, ut ſæpe fit, peccabunt, ſed venialiter tantum. Nec ſequitur Eccleſiam imprudenter agere aſſiſtendo talibus matrimoniis & ea permittendo. tum quia propter rectum finem aſſignatum ſenes & ſteriles contrahere poſſunt: quod ſi intendant copulam ad delectationem, aut ad concupiſcentiæ ſedationem, id ipſi prudenter permittit cum Apoſtolo, ut minus malum ad vitandum majus. Neque neceſſe eſt, ut eos moneat de non exigendo debito, ſicut non monet juvenes de non exigendo ob ſolam voluptatem, cum id ſciat vix aut ne vix ab ipſis eſſe ſervandum. Unde melius eſt diſſimulare eis minus malum, quam commonendo exponere eos gravioribus peccatis incontinentiæ extra matrimonium, quod etiam ab ipſis Confeſſariis obſervandum eſt.

Ad 3. agnoſco eſſe veram non quidem ratione ſtatus matrimonii præciſe, ſed ex hominum corruptione, qui ideo in hoc ſtatu ſæpe debent dicere, Dimitte nobis debita noſtra. Unde cupit Apoſtolus, ut omnes ſint ſicut ipſe; & S. Petrus dicit, quod *non expedit nubere*. Cæterum ſedulo advertant Confeſſarii, ut jam monebam, nunquam avertere a matrimonio contrahendo, aut copula exercenda eos, qui dicunt ſe id velle in remedium concupiſcentiæ, ne ſapientes ſupra Apoſtolum eos inducant in mortalia, quos a venialibus indiſcrete retrahere ſatagunt. Idem agendum cum iis, qui accedunt ad mulieres ſteriles, ſenes, aut gravidas, cum ſit par ratio. Imo expedit nunquam de hac materia loqui coram uxoratis, utramvis Sententiam teneas. Si enim dicas id licere, ampliabunt ultra limites. Si dicas ipſis non licere, eris ipſis in laqueum ad graviora perpetranda.

Petes 1. Utrum ſit etiam venialis culpa, quando intenditur partim delectatio, partim prolis generatio: R. probabilius affirmative; quia tunc intenditur revera etſi inadæquate finis, ad quem actus ex natura ſua non ordinatur, ſervitur que libidini quodammodo dominanti, cum propter eam agatur.

Petes 2. Utrum eam delectationem admittere, & ei conſentire ut medio tantum ad actum propter generationem prolis, vel redditionem debiti exercitum, ſit etiam venialis culpa? Reſpondet Sylvius affirmative; quod conatur probare quibuſdam Aug. & Fulgentii auctoritatibus, quæ tamen poſſunt explicari ad ſenſum petitionis præcedentis. Ratio fundamentalis hujus Sententiæ eſt, quia illa delectatio in natura corrupta eſt in ſe turpis, immoderata, inhoneſta, rationi non obediens, ſed eam obſcurans, cui ideo nihil deeſt ad rationem peccati, niſi voluntarium. Atqui in caſu petitionis ei voluntarie conſentit ratio, & ei obſequitur. Ergo. Unde iſte Auctor vult tantum licere conjugibus eam permittere, non ipſi conſentiendo, ſicut Princeps poteſt permittere uſuras, quibus non conſentit, quando habet juſtam cauſam eas permittendi: Neque neceſſe reputat voluntatem conſentire libidini, eo quod conſentiat actui, cui ipſa adjungitur; non enim qui conſentit uni, ſtatim conſentit omni conjuncto cum illo; ſic claudus licet libentiſſime ambulet, non tamen libenter claudicat. Et ſi forte ſit impoſſibile rationem in ipſo actu libidinem refrænare, quia ea quaſi abſorbetur, *Poteſt tamen eam ordinare ante principium*, ait D. Th. q. 41. a. 3. ad 6. & hic a. 4 ad 3. Hæc Sententia eſt probabilis, ſed difficillimæ praxis. Unde

Reſpondet Dominicus Soto hic d. 31. q. 1. a. 3. cum multis aliis nullam eſſe culpam etiam venialem conſentire delectationi propter actum; ſive accedere ad conjugem cum delectatione placente, in caſu concluſionis. Ratio ejus eſt: quia exercere actum conjugalem ea ratione & conditione, qua a natura inſtigatur, nullum eſt peccatum. Atqui natura ſagaciter illi actui delectationem adjunxit propter conſervandæ ſpeciei neceſſitatem, ſicut ſumptioni cibi & potus propter conſervationem individui. Unde Hieron. Ep. 10. dicit, quod voluptas huic actui ſit a Deo inſita. Et certe quis ab illo non abhorreret, ſi voluptas non alliceret? Ergo ſicut nullum eſt peccatum cibum & potum cum delectatione ſumere, modo non edatur propter delectationem, ita nec exercere pariter conjugalem amplexum: & qui contrarium ſentiunt, inquit præfatus Auctor, contendunt homines privare naturali ſenſu, cum tunc vix aut ne vix poſſit ratio delectationi diſſentire.

Huic Sententiæ favere videtur S. Doctor o. cum dicit hanc delectationem eſſe ſecundum ſe bonam, ſicut actus, ad quem ſequitur, eſt per ſe bonus & honeſtus. Et quidem voluptas ſenſuum non eſt per ſe mala ſed bona: unde etiam in ſtatu innocentiæ actus conjugalis habuiſſet voluptatem, ut ait D. Thom. 1. p. quæſt. 98. art. 2. ad 3. Verum utraque Sententia conciliari poteſt, ſi prius advertas delectationem veneream in actu matrimoniali poſſe conſiderari dupliciter: 1. Ut delectatio eſt præciſe prout fuiſſet in ſtatu innocentiæ abſque eo, quod nunc eſt in ea inordinatum. 2. Ut eſt per peccatum originale inordinata, immoderata rationem non ſequens, ſed obtenebrans, adeoque turpis & pudenda, quomodo ſortitur nomen libidinis. Quo notato

R. Conſentire delectationi in actu matrimonii ad ſen-

ſum petitionis, præciſe ut eſt delectatio, diſſentiendo ejus exceſſui & inordinationi, nullum videtur eſſe peccatum etiam veniale, idque probant rationes 2. Sententiæ. Neque debet reputari impoſſibile conſentire delectationi & non ejus inordinationi conjunctæ, ſi quidem 1. Sententia non reputat impoſſibile conſentire in actum & non in delectationem annexam; poteſt ergo in unum conſentire & aliud tantum permittere, dum ſubeſt cauſa, ipſi non conſentiendo. Conſentire vero delectationi immoderatæ & inordinatæ, ut nunc eſt in natura corrupta, videtur venialia noxa: & id probant rationes 1. ſententiæ.

ARTICULUS III.

De aliis peccatis conjugum in uſu matrimonii.

PRæter peccata, quæ conjuges committere poſſunt ex indebito fine in uſu conjugii, ut vidimus Art. præced. poſſunt alia committere ex parte modi, ſitus, temporis, loci, aliarumque circumſtantiarum copulæ. Pro quo præmiſſa elevatione mentis ad Deum, nota pro fundamento reſolutionum tanquam principium generale, modum eſſentialem copulæ, quæ eſt principaliter ordinata ad generationem prolis, eſſe ut fiat cum immiſſione & retentione ſeminis intra vas naturale, alioquin niſi ibi recipiatur & retineatur ſemen, impoſſibilis erit generatio.

Quoad modum & ſitum copulæ.

DIco. Uſus copulæ inter conjuges, in quo non ſervantur tria ſubſtantialia aſſignata, vas debitum, immiſſio, & retentio ſeminis in eo, aut periculum morale ſubſit, ne non ſerventur, eſt peccatum mortale contra naturam, gravius inter conjuges, quam inter ſolutos, utpote quaſi adulterium contra fidem, quæ prohibet omnem uſum carnis extra limites conjugii, & obligat, ut uterque ſervet alteri corpus ſuum. Si vero his tribus ſubſtantialibus ſervatis, & certo ſervandis, accidat inordinatio circa accidentalia tantum copulæ in modo & ſitu, non eſt pluſquam veniale; quia ſubſtantialia copulæ ſervantur ad finem generationis.

Hinc colliges 1. Copulam inter conjuges in vaſe præpoſtero, vel quocumque alio non naturali, ore, aure, &c. ſive eam ibi conſummentur, ſive propter majorem delectationem ibi inchoent, cum intentione conſumandi & ſeminandi in vaſe naturali, eſſe nefandiſſimum flagitium contra naturam, includens inſuper rationem aliquam adulterii, ut dixi, & ſodomiæ imperfectæ; attamen, parce pudice Lector, ſimpliciter oſculari, lambere obiter, ſolum ore excipere verenda viri, aut eaſ fricare in ſuperficie vaſis poſterioris uxoris, excuſant a mortali Filliucius, Jacobus Marchantius, Sanchez, quos citat & ſequitur Sporer; quia ſic habentur pro tactibus impudicis. Colliges 2. Quod omnis pollutio voluntaria inter conjuges, aut effuſio ſeminis extra vas legitimum, abrupta, vel nondum inchoata copula, ſit lethale crimen. Si tamen ait Soto in 4. d. 31. a. ult. dum vir bona fide legitime congredi conatur, feſtinantius fortaſſe extra vas ſeminat, non eſt vitio dandum, etiamſi metus aliquis eum prius ſubierit, quia illud feſtinationi naturæ tribuendum eſt. Idem videtur dicendum, ſi id præter intentionem accidat ob ſenium, vel ob indiſpoſitionem partis alterius etiam voluntariam, quamdiu ſpes probabilis remaneat copulam debite perficiendi. Ita Sporer poſt Cajet. Sanchez, &c.

Colliges 3. Uxores, quæ ſemen jam receptum ejiciunt, aut conantur ejicere, quacomque de cauſa faciant, ſive paupertatis, ne multiplicetur proles, ſive infirmitatis vitandæ, ſive etiam periculi mortis in partu, peccare mortaliter. Si tamen ceſſante omni periculo pollutionis in utroque conjuge mutuo conſenſo copulam abrumpant, antequam ſaltem fœmina ſeminaverit, ne proles generetur, ob inopiam, ſive ob aliam cauſam, non peccare mortaliter docent ſatis communiter Doctores Cajet. Palud Armilla, Sporer, Baſilius, Pontius, & alii: quia illa vaſis fœminei penetratio abſque ſeminatione, & pollutionis periculo reputatur inſtar tactuum pudendorum, qui inter conjuges excuſantur ſaltem a mortali. Dixi; antequam fœmina ſaltem ſeminaverit; quia ſi fœmina jam ſeminavit, aut ad id excitata ſit, lethale crimen erit abrumpere copulam ante ſeminationem viri.

Colliges 4. Quod quando vir uxori reſupinæ ſuccumbit; aut præpoſtere accedit in vaſe tamen naturali, non videatur peccatum mortale, ſed veniale, craſſum quidem, obſcœnum, & viris probis exhorrendum. Quod ſit peccatum ſaltem veniale patet, quia eſt inverſio ordinis naturæ. Quod non ſit mortale etiam patet; quia niſi ob peculiarem corporis diſpoſitionem aut morbum, non eſt periculum ſeminationis extra vas, aut conceptionis impediendæ, eo quod ſemen non recipiatur in matricem per infuſionem ſeu deſcenſum, ſed per virtutem attractivam, ſicut cibus in ſtomachum: imo multi volunt, & bene nullum eſſe peccatum præpoſtere in vaſe tamen naturali aut viro ſuccubo coire, ſi adſit juſta cauſa, v. g. ne proles ſuffocetur, ſi uxori prægnanti vir incumbat, &c. Unde in Tribunali, quando conjuges confitentur ſe ſic conveniſſe, non eſt opus communiter inquirere, an ſemen extra effuderint, ſed tantum acriter eos objurgare, & a tali coitu deterrere, ubi non eſt juſta cauſa. Utrum neceſſe ſit ad conceptionem prolis, conjuges ſimul ſeminare? id tanquam magis prolificum requirunt medici, non ut abſolute neceſſarium. Unde non peccat ſaltem mortaliter vir ſe tactibus ad venerem excitans, ſciens ſe ob id citius fœmina ſeminare; & poſtquam ſeminavit, non tenetur fœminæ ſeminationem expectare. Ubi autem vir ſemine intra vas recepto membrum virile extraxit, poteſt fœmina, quæ nondum ſeminavit, tactibus ſe excitare ad ſeminationem; quia iſta excitatio eſt actus conjugalis conſummatio & perfectio, & alioquin maximo periculo committendi peccata mortalia exponeretur.

Quantum ad circumſtantias loci & temporis.

DIco 1. Locum ſecretum eſſe oportere ipſa naturalis verecundia dictat, & ne fiat in loco ſacro, debita ipſi reverentia, & lex Eccleſiæ prohibent ſub mortali, etiam probabilius in caſu neceſſitatis, de quo vide de Temperantia Diſſ. 6 a. 8.

Dico 2. Tempus ſecretum & nocturnum ſuadet verecundia naturalis, non videtur tamen ſtricte obligare. Dico 3. (*Supp. q. 64. a. 5. 6. 7.*) Convenientiſſimum & decentiſſimum eſt abſtinere a carnali copula diebus feſtivis, præſertim die, quo SS. Euchariſtia recipienda, vel recepta eſt; ita tamen quod non ſit pluſquam veniale in petente, in reddente autem ſæpe nullum, maxime ſi carnales illecebræ non diu hæreant imaginationi; de quo vide de Euchariſtia Diſſ. 6. a. 4. ſ. 2.

Dico 4. Exigere copulam tempore menſtrui, ſeu puerperii, multi cum S. Bonaventura accuſant peccati mortalis; reddere venialis, propter periculum prolis vitioſæ & monſtruoſæ, quod ex tali copula imminet. At cum raro credatur conceptio fieri in congreſſu tempore menſtrui, & rariſſima appareant in prolibus damna, licet innumeri tunc copulentur, Sylvius cum Paludano, S. Antonino, Cajetano, Navarro, & aliis, quos citat, tenent eſſe dumtaxat veniale in petente, in reddente autem nullum, ſi non poſſit commode recuſare.

Affertur quidem ab adverſariis in contrarium lex Levit. 15. 18. 20. & Ezech. 18. quam S. Aug. l. 3. de peccat. meritis c. 2. inter illa præcepta annumerat, quæ non ſunt figurate accipienda. Sed R. Præceptum vetans congreſſum mariti cum menſtruata eſſe quidem naturale, quatenus ille congreſſus eſt jure naturæ malus propter materiæ indiſpoſitionem & indecentiam, ac turpitudinem. Non videtur tamen hac ratione obligare ſub mortali; quapropter ex ea parte, qua lex pœnam mortis comminatur, eſt judicialis, ac proinde ſub hac ratione abrogata.

Dico 5. Actus conjugalis cum uxore gravida, ubi nulla eſt ſpes ſuperfœtationis, eſt peccatum tantum veniale ex parte petentis, nullum ex parte reddentis, ſi commode recuſare non poteſt, niſi immineat periculum abortus. Unde

Dico 6. Generaliter exercere actum conjugalem cum periculo morali abortus monſtruoſæ prolis, gravis detrimenti ſalutis corporalis in alterutro conjuge, eſt per ſe loquendo peccatum, vel mortale, vel veniale pro gravitate vel levitate periculi & detrimenti. Per ſe patet; quia ſicut non licet iſta damna creare, ita nec illorum periculum ſubire. Id magis explicabitur Art. ſeq.

Quantum ad neceſſaria copulæ, oſcula, tactus, amplexus, aſpectus, delectationes moroſas, &c.

DIco 1. Quæcumque oſcula, tactus, amplexus, aſpectus, turpiloquia libidinoſa inter conjuges præſentes ſine periculo pollutionis, & intra terminos honeſtatis naturalis, ſunt licita, ſi fiant in ordine, & ex intentione copulæ; ſunt autem peccata dumtaxat venialia, ſi in eis ſiſtatur, nec ordinetur ad copulam.

Dico 2. Tactus & aſpectus libidinoſi proprii corporis in uno conjuge, ſaltem altera parte abſente, ſunt peccata mortalia.

Dico 3. Delectatio venerea de copula in conjuge abſente probabilius eſt peccatum mortale, propter commotionem carnis, quæ in caſu non ordinatur ex ſe ad copulam, ſed ad pollutionem.

Has tres concluſiones probatas & explicatas habes in Tract. de Temperantia Diſſ. 6. duas primas a. 17. tertiam a. 15. ſ. 4. illuc te remitto, Lector benevole, ne actum agam.

A R-

Digitized by Google

ARTICULUS IV.

De obligatione reddendi debitum.

§. I. *Utrum conjux teneatur petenti reddere debitum?*

Est inter debitum conjugale & alia debita diſcrimen, quod qui petit debitum conjugale, petat uſum rei ſuæ; per matrimonium enim corpus viri tranſiit ſub dominium uxoris tamquam res ſua, & corpus uxoris viciſſim in dominium viri: qui autem petit alia debita ſive ex contractu, ſive ex delicto, non ſemper petit uſum rei ſuæ, ſed ut res fiat ſua. Unde petens debitum conjugale poteſt comparari repetenti depoſitum, cum hac tamen differentia, quod repetens depoſitum ſolus eo utatur, petens autem debitum conjugale eo non utitur, niſi ſimul compars utatur. Ex quo jam habes, quod quando iſte uſus eſt intrinſece malus, non poſſit magis reddi, quam peti. Suppono conjugem per ſe non teneri petere debitum; quia poteſt cedere juri ſuo, & non uti re ſua. (*Supp. q.* 64. *a.* 2.) Dixi *per ſe*: quia per accidens aliquando tenetur, ſi nempe judicet compartem deſiderare, & præ verecundia non audere petere expreſſe, quod frequentius eſt in fœminis, quam in viris; idque præſertim ſi videant imminere periculum incontinentiæ; ſed tunc eſt potius redditio debiti, quam petitio, quia alter tacite petit.

Dico. (*ib. a.* 1. *o.*) Conjugi ſerio & rationabiliter petenti expreſſe vel tacite debitum conjugale compars reddere tenetur ſub mortali. Ratio eſt; quia in contractu Matrimoniali facta eſt mutua traditio & acceptatio corporum ad uſum conjugalem; ex quo oritur obligatio juſtitiæ reddendi petenti ſerio & rationabiliter corpus ad hunc uſum: & cum iſta obligatio ſit in re gravi, eſt gravis. Unde Apoſt. 1. Cor. 7. *Uxori*, inquit, *vir debitum reddat, ſimiliter & uxor viro*: rationemque reddit: *Quia mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir. Similiter autem vir corporis poteſtatem non habet, ſed mulier.*

Ex quo inferes graviter peccare viros contra hanc obligationem, qui ſive pollutionibus, ſive frequenti acceſſu ad alias, ſive laboribus aut macerationibus indiſcretis ſe reddunt impotentes ad redditionem debiti. Similiter mulieres, quæ indiſcretis abſtinentiis aut mortificationibus ita ſe deformes exhibent, ut reddantur exoſæ maritis; ſecus tamen ſi abſtinentiis & macerationibus moderatis ſe minus potentes aut minus gratas redderent; quia non cenſentur ſe obligaſſe ad omittendum moderatum exercitium virtutis cum detrimento ſalutis ad ſatisfaciendum huic debito. Inferes item conjugem non poſſe diu abeſſe conjuge invita, maxime ſi immineat periculum incontinentiæ, niſi forte id abſolute requirant neceſſitate familiæ, aut niſi contrahendo matrimonium ſciverit, aut præmonita fuerit compars de abſentiis futuris conjugis, ut ſi duxit negotiatorem, militem, aulicum, tunc enim cenſetur conſenſiſſe.

Dixi 1. *Serio petenti*, tanquam ſcilicet debitum juſtitiæ, quod colligitur, ſi inſtanter petat, nec niſi ægre & cum aſperitate repulſam patiatur; ſecus ſi petat amicabiliter, ut amicus ab amico petit, quod aliunde eſt debitum, ſed nolens in rigore obligare; quod colligitur in viro, ſi facile acquieſcat, non in uxore, quæ ſæpe ex verecundia non audet urgere. Dixi 2. *Petenti rationabiliter*, ita ut nulla ſubſit cauſa juſta, ſive ex parte petentis, ſive ex parte reddentis, ſive copulæ, ſive prolis, denegandi vel differendi; ſic enim intelligitur omnis contractus humanus, nec ullus prudenter contrahens cenſetur ſe obligare ad aliquid irrationabile.

Hinc inferes 1. non peccare conjugem negando debitum petenti in amentia, in furore, vel abſoluta ebrietate, quia non petit rationabiliter & ut homo, ſed ut beſtia. Excipe, niſi ad aliam eſſet acceſſurus, aut ſe polluturus, tunc enim per accidens ex charitate tenetur reddere. Item non peccat denegando frequentius & importunius petenti, ut ſi ter quaterve in eadem nocte petat, ſi diu noctuque, neque etiam ſi rationabiliter petenti parum differat, ut in aliis debitis, niſi forte ſit periculum incontinentiæ in mora. Inferes 2. (*ib. a.* 1. *o.*) non peccare, qui denegat in morali periculo mortis aut gravis morbi, ut ſi petens laboret lepra, morbo venereo, vel alio contagioſo, aut ſi mulier ex medicorum conſilio, vel experientia conſtituatur in periculo probabili mortis, ſi concipiat aut pariat: *Quia*, inquit Doctor noſter, *Matrimonium principaliter inſtitutum eſt in officium naturæ, & ideo in actu ipſius ſervandus eſt naturæ motus, ſecundum quem nutritiva non miniſtrat generativæ, niſi illud quod ſuperfluit ad conſervationem individui; quia hic eſt ordo naturalis, ut prius aliquid in ſe ipſo perficiatur, & poſtmodum alteri de perfectione ſua communicet, & hic eſt etiam ordo charitatis, quæ naturam perficit. Et ideo cum uxor in virum poteſtatem non habeat niſi quantum ad generativam virtutem, non autem quantum ad ea, quæ ſunt ad conſervationem individui ordinata, vir tenetur uxori debitum reddere in his, quæ ad generationem prolis ſpectant, ſalva tamen prius perſonæ incolumitate.* Imo nec liceret in tanto periculo reddere; quia homo non habet dominium ſui corporis, aut vitæ, etiamſi adverteret in comparte periculum incontinentiæ; quia non eſt in extrema neceſſitate, cum poſſit aliis remediis ſuæ incontinentiæ ſubvenire; poſſet tamen ſancte & laudabiliter reddere in hoc ultimo caſu, profundens ex charitate vitam temporalem, ne proximus in æternum pereat.

Si huic illationi opponas Alexandrum III. c. 2. de conjug. lepros. ſic reſpondiſſe: *Si virum vel uxorem leproſum fieri contigerit, & infirmus a ſano debitum exigat, generali præcepto Apoſtoli, quod exigitur eſt ſolvendum.* Reſpondent communiter Theologi Pontificem locutum fuiſſe ex præſumptione, quod non adſit periculum proximum infectionis, quippe quod caveri poteſt veſtitu aut ſitus mutatione. Ita etiam intelligendus eſt S. Th. hic ad 4. Similiter non eximeretur mulier a reddendo debito propter levem febrim, dolorem dentium, alioſve dolores & infirmitates prægnantibus & parturientibus communes.

Inferes 3. quod ſi ſit periculum morale abortus, aut prolem non eſſe edendam vivam, nec petere, nec reddere liceat cum tanto damno tam corporali quam ſpirituali prolis; quod ſi ſit tantum periculum infirmitatis in prole, licet reddere; quia, ut ait Auctor (*ibid.*), melius eſt ei ſic eſſe, quam penitus non eſſe. Inferes 4. probabilius, non eſſe per ſe licitum negare petenti debitum ob multiplicationem prolium, quia matrimonium eſt ad id inſtitutum, & melius eſt proli, quod vivat inops, quam quod non vivat, præſertim cum inter Chriſtianos vix unquam eveniat extrema paupertas, Deo, qui volatilia paſcit, providente, & piorum hominum charitate opitulante. Dixi, *per ſe*, quia multi opinantur, quod ſi Parentes nec in re, nec in ſpe habeant, unde provideant liberis decenter ad ſuum ſtatum, in hoc caſu licitum ſit petenti denegare, ſecluſo tamen incontinentiæ periculo, quod ego arbitror raro abeſſe, quando perſeveranter, & diu denegatur. Conſultum foret conjugibus in hoc caſu paciſci de non petendo, nec reddendo debito, quod licite poſſunt propter hunc finem.

§. II. *Utrum ſit reddendum debitum illicite petenti?*

Plures hic diſtinguunt inter petitionem injuſtam & illicitam. Dicunt petitionem eſſe injuſtam, quando petens privatur jure petendi, ut ſi contraxit affinitatem per copulam inceſtuoſam cum conſanguinea uxoris in 1. vel 2. gradu: petitionem eſſe illicitam, quando petens non eſt privatus jure petendi, peccat tamen petendo, ut ſi ſit adſtrictus voto caſtitatis. At ſalva doctiſſimis Theologis reverentia debita exiſtimo neutrum privari jure petendi debitum, ſed in utroque ligari, in uno per legem Eccleſiaſticam, in altero per votum ſeu promiſſionem de non concedendo uſu ſui corporis alteri; primus enim non minus quam ſecundus retinet dominium in corpus ſuæ compartis; & ideo ſi copulentur, non ſunt adulteri. Ergo retinet jus, quod eſt ipſum dominium, aut in quo fundatur, niſi dicas utrumque privari jure proximo & expedito, quod non negamus.

Poteſt autem copula eſſe illicita vel ex parte petentis, ut ſi prohibeatur petere propter votum, aut affinitatem dictam, aut cognationem ſpiritualem contractam ex Baptiſmo ſeu ſuſceptione prolis matris ſeu communis. Vel eſt illicita ex parte actus, ut ſi petatur indebito modo, loco, tempore, aut cum periculo ſuffocationis prolis, &c.

Dico 1. Quando copula eſt mortaliter illicita ex parte actus, ut ſi petatur in loco ſacro vel publico, in vaſe præpoſtero, cum periculo ſuffocationis prolis, &c. non licet reddere petenti debitum. Eſt communis & certa; quia cum reddens ponat copulam ſicut ipſe petens, concurrit cum ipſo ad eundem actum malum. Dico 2. Quando copula eſt mortaliter illicita ex parte ſolius petentis, ſive ob affinitatem aut cognationem ſpiritualem, ſive ob votum, ſi debitum poſſit commode negari, non licet reddere: ſi vero ex denegatione prævideantur gravia incommoda, iræ, diſſenſiones, odia, acceſſus ad aliam, &c. poteſt & debet reddi.

Ratio 1. partis eſt, quia alioquin reddens concurreret indirecte ad peccatum petentis, quod tenetur impedire, dum commode poteſt. Neque dicas licitum eſſe dare burſam latroni, uſuras uſurario, depoſitum furenti; nec enim id tibi licitum eſt, ſi commode poſſis impedire, nec in eo excuſaris, niſi propter neceſſitatem & periculum graviorum incommodorum. Ratio 2. partis eſt; quia tunc reddens ſe habet permiſſive ad peccatum alterius, cum habeat juſtam cauſam illud non impediendi. Pro utraque Concluſione confer, quæ dixi Diſſert. 8. de Jure & Juſtitia a. 15. §. 6.

Quidam conſulunt pro praxi, ut para libera ſuſpicans partem impeditam petituram debitum, ipſa prius petat, quod ſi præveniatur a comparte, nihilominus convertat redditionem in petitionem.

Dixi in Concluſione utraque; *Quando copula eſt mortaliter illicita*: quia plures exiſtimant, quod ſi ſit tantum venialiter mala, poſſit & debeat reddi. Et quidem id videtur certum, ſi ſit tantum venialiter mala ex parte petentis, quia non tenemur ſemper corripere fratrem venialiter delinquentem, nec abſtinere ab actu alias licito propter peccatum veniale alterius, alias vix ſubſiſteret ſocietas humana. Non autem eſt ita certum, ſi copula ſit venialiter illicita ex parte actus, quia eſſet poſitive concurrere ad actum ſecundum ſe malum. At dicunt, quod non ſit venialiter malus niſi propter aliquam indecentiam, quam abſtergit neceſſitas. Cæterum nollem ingerere ſcrupulum ingenuæ mulieri, quæ pro bono pacis, & ne quid pejus contingat, in his morem gereret marito, dum impedire commode non poteſt.

Petes 1. Quid ſit cenſendum, ſi uterque conjux habeat impedimentum affinitatis aut voti. R. neutrum poſſe per ſe petere, nec reddere; quia ſive petendo, ſive reddendo peccat contra legem aut votum. Si tamen ex negatione redditionis ſequerentur graviſſima mala, multi volunt, quod tunc poſſit reddi, etiamſi votum mutuo conſenſu eſſet emiſſum; quia, inquiunt, nec Eccleſia obligat, nec Deus votum acceptat cum tanto damno. Non poteſt autem conjux ſine conſenſu compartis votum caſtitatis emittere, quia invalidum eſt votum de re, quæ eſt alterius, aut alteri obligata. An ſaltem poſſit vovere non petere debitum? Require Diſſer. 4. de Relig. a. 8. Concl. 7.

Petes 2. Utrum ſi mulier violenter opprimatur a conſanguineo viri ſui, impediatur petere debitum? R. quod, quamvis affinitatem contrahat, non prohibeatur tamen petere debitum; quia pœna non imponitur niſi propter culpam; hic autem non eſt culpa. Aliud eſſet, ſi ex gravi metu conſentiret, quia eſſet ibi culpa; quamvis aliis contrarium non improbabiliter videatur, quia Eccleſia benigna Mater non cenſetur velle tanta gravi pœna mulctare eos, qui in tali anguſtia non ſervant ejus leges.

Petes 3. Utrum conjux conſentiens concubitui inceſtuoſo ſuæ compartis, contrahat inde impedimentum petendi debitum? Reſpondent multi affirmative; quia cap. *diſcretionem*, & cap. *Tuæ fraternitatis* de eo, qui cognovit l. 4. tit. 13. dicitur, quod affinitas iſta *non debet efficere ei, qui hujuſmodi iniquitatis particeps non exiſtit*. Ex quo inferunt a contrario ſenſu, quod ſi particeps fuerit, ei noceat. Verum reſpondent alii, nec minus probabiliter, in odioſis & pœnis non recte argui a contrario ſenſu; neque pœnam tam gravem eſſe aſſerendam, niſi exprimatur formaliter in jure, quod non ſit in præſenti caſu.

Petes 4. Utrum contrahant hoc impedimentum, qui ignorant legem? R. impedimentum ortum ex copula inceſtuoſa contrahi ab ignorante Legem Eccleſiaſticam, quia non ignorat legem naturalem, quam tranſgreditur; pœna autem imponitur ab Eccleſia, non ſolum propter tranſgreſſionem ſuæ legis, ſed etiam propter tranſgreſſionem legis naturalis, quam vult obſervari, non incurreret tamen, ſi ignoraret mulierem, ad quam accedit, eſſe conſanguineam ſuæ uxoris in 1. vel 2. gradu; quia tunc non foret inceſtus formaliter. Impedimentum autem ortum ex Baptiſmo vel ſuſceptione prolis matris ſeu communis non incurritur ab ignorante hanc legem, quia ipſa non peccat; ubi autem non eſt peccatum, non eſt pœna. Confer, quæ dixi Diſſ. 5. de peccatis a. 7.

Petes 5. Quid in dubio de valore matrimonii, quantum ad petitionem & redditionem debiti? R. 1. Conjux dubitans de valore matrimonii, dubio non levi aut ſcrupuloſo (illud enim debet contemni), ſed fundato & diſcretu, non poteſt petere debitum, ſed petenti debet reddere. Ita expreſſe quoad omnes Reſponſionis partes Innocent. III. c. *Inquiſitioni* de ſentent. Excom. Et ratio eſt quia in dubiis tutius eſt eligendum. Tutius autem eſt non petere, quia petendo ſe exponit periculo fornicationis ſine neceſſitate, cum ſit ipſi liberum non petere: & tutius eſt reddere; quia licet reddendo exponatur etiam periculo fornicationis, non reddendo exponitur periculo injuſtitiæ contra compartem, quæ non dubitat, & ideo habet jus petendi; gravius autem eſt peccatum injuſtitiæ quam fornicationis, ideoque tutius eſt ſe exponere periculo fornicationis, quam injuſtitiæ.

At forte ideo dubitat de valore matrimonii, quia dubitat de morte prioris conjugis? In quo caſu erit etiam periculum injuſtitiæ, ſi reddat. Ergo non poterit reddere. R. N. Conſeq. Quia ſi non reddat ultra periculum injuſtitiæ, erit ſimul ex parte petentis periculum iræ, blaſphemiæ, pollutionis, commixtionis cum alia forte uxorata, aut conſanguinea, aut moniali, quæ omnia cum periculo injuſtitiæ ſunt quid gravius, quam periculum ſimplicis injuſtitiæ, quod incurrit reddendo. R. 2. Si uterque conjux dubitet de valore matrimonii, neuter poteſt petere debitum, aut reddere per ſe loquendo. Non petere, quia ſine neceſſitate exponitur periculo fornicationis, eo modo dicebam. Non reddere; quia petens in dubio peccat petendo. Si tamen ex denegatione redditionis prævideantur ſecutura gravia mala, pejora quam periculum fornicationis, poteſt reddere, & ſe habere permiſſive ad peccatum petentis, cum ſint juſtæ cauſæ illud non impediendi, ſicque ſemper eligit tutius. Harum Reſponſionum fundamenta habentur in Tract. de Actibus human. Diſſ. 6. de opinionum probabilitate art. 2.

Petes 6. Utrum adulter privetur jure petendi debitum? R. non ſic privari, quod peccet petendo; ſed ſic quod compars poſſet illi denegare; quia frangenti fidem fides merito non ſervatur. Et aperte colligitur ex c. 5. & 9. Matth. Si autem compars ſit etiam adultera, negare non poteſt, quia jam eſt compenſatio injuriæ. Similiter ſi pars innocens ſemel remiſit injuriam, ſive expreſſe verbis, ſive tacite ſignis, ut ſponte reddendo debitum, aut exhibendo ſigna amoris conjugalis, modo tamen his non obſtantibus animo non gerat ſervare ſuum jus.

DISSERTATIO V.

DE UNITATE ET INDISSOLUBILITATE MATRIMONII,

a Quæſt. 59. ad 67.

Poſtquam egimus de eſſentia, diſpoſitionibus, cauſa efficiente & bonis matrimonii, nunc de ejus proprietatibus, quæ ſunt unitas & indiſſolubilitas, quas bona matrimonii important.

ARTICULUS I.

De Unitate Matrimonii.

Unitatem Matrimonii voco, quando eſt unius cum una, & dicitur *Monogamia*. Illi opponitur multiplicitas virorum cum una, & dicitur *Biviratus*, & multiplicitas uxorum cum uno viro, quæ ſi ſit ſimultanea, dicitur *Polygamia*, ſi ſit ſucceſſiva poſt mortem prioris uxoris, dicitur *Bigamia*.

Suppono (*Supp. q. 65. a. 1. ad. 7.*) ut certum, Biviratum, ſeu multiplicitatem virorum ſimul cum una muliere eſſe jure naturæ illicitum; quia eſt contra primarium finem matrimonii, conſequenter contra prima præcepta Legis naturæ. Finis enim primarius matrimonii eſt prolium generatio & educatio; per commixtionem autem plurium ſeminum impeditur generatio, ut patet in meretricibus; & ex plurium congreſſu cum una incertum eſt, cujus viri ſit proles, ſicque nullus illius educationis curam ſuſcipit. Et ideo nunquam Lege vel conſuetudine permiſſum eſt unam mulierem habere ſimul plures viros. Eſt ergo quæſtio de Polygamia & Bigamia. Unde

§. I. Utrum Polygamia ſit jure naturæ prohibita?

Dico. (*Ibid. a.*) Polygamia non repugnat finibus primariis matrimonii, ſed ſecundariis; conſequenter non eſt contra jus primarium naturæ, ſed contra ſecundarium; quia id, quod eſt contra finem primarium a natura intentum in certa materia, eſt contra primarium naturæ præceptum, non univerſaliſſimum, ſed in illa materia; quod autem reddit iſtum finem difficilem, ſeu eſt contra finem ſecundarium a natura intentum, eſt contra ſecundarium naturæ præceptum.

Prob. 1. (*Ib.*) Pars. Finis primarius matrimonii eſt procreatio & educatio prolis. Atqui unus homo ſufficit pluribus fœminis fœcundandis & pluribus prolibus ex eis educandis. Ergo. Prob. 2. (*Ib.*) Pars. Finis ſecundarius matrimonii eſt ſocialis & pacifica vita atque mutua obſequia. Atqui his finibus repugnat pluralitas uxorum; inde enim natæ ſunt ſequi diſſenſiones propter Zelotypiam naturalem in ſexu fragili cauſatam, ſive ex inæqualita-

litate affectus unius viri ; ſive quia unus vir non poteſt ſatisfacere pluribus ſimul petentibus debitum , ſive quia communicatio plurium in eodem officio cauſat lites ; ſicut figuli corrixentur ad invicem.

Alter finis ſecundarius matrimonii eſt ſignificatio conjunctionis Chriſti cum Eccleſia , quam etiam tollit Polygamia ; Chriſtus enim eſt unus & Eccleſia una . Denique cum uxor totaliter tradat corpus ſuum , æquitas naturalis exigit, ut vir totaliter etiam ſuum tradat.

Obj. contra 1. partem . Matrimonium eſſentialiter conſiſtit in mutua traditione corporum . Atqui quod eſt ſemel traditum uni, non poteſt alteri tradi. Ergo. Confir. Apoſtolus 1. Cor. 7. dicit : *Mulier non habet poteſtatem ſui corporis , ſed vir: ſimiliter nec vir poteſtatem habet ſui corporis , ſed mulier* . 2. Id , quod habuit matrimonium in prima ſua inſtitutione , videtur de ejus eſſentia . Atqui ex dictis matrimonium habuit ex ſua prima inſtitutione eſſe unius cum una. Ergo . 3. Unum ex primariis & univerſalibus naturæ principiis eſt ; quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Atqui vir non vellet uxorem habere alios viros. Ergo . 4. Obligatio reddendi debitum petenti eſt eſſentialis matrimonio. Atqui vir non poteſt reddere debitum pluribus uxoribus ſimul petentibus . Ergo . 5. Polygamia eſt contraria educationi prolis , quam diximus eſſe de primario fine matrimonii . Ergo. Prob. Ant. ex D. Th. hic a. 1. ad 4. Ubi dicit animalia, in quibus ad educationem prolis requiritur ſollicitudo maris & fœminæ , naturali inſtinctu ſervare conjunctionem unius ad unam , ſicut patet in Turture & Columba & hujuſmodi : & inde probat Polygamiam eſſe contra jus naturæ . Ergo quia eſt contra educationem prolis ; alioquin ejus probatio eſſet inefficax. R. ad 1. D. Maj. *Ib. ad 6.*) Eſſentia Matrimonii conſiſtit in mutua traditione corporum, quantum ad uſum conjugalem neceſſarium fœcundationi uxoris, C. Quantum ad omnia, N. Unde attenta præciſe eſſentia matrimonii non repugnat , quod vir etiam alteri tradat, cum poſſit plures fœcundare.

Inferes . Ergo hæc conditio, quod poterit corpus alteri tradere, poteſt apponi in contractu matrimoniali . R. D. illatum . Hæc conditio poteſt apponi attenta præciſe eſſentia matrimonii, C. Intelligendo ſcilicet de aliis uxoribus. Attento ſtatu Legis Evangelicæ, in quo Polygamia eſt abrogata , & matrimonium revocatum ad ſuam primam inſtitutionem , ut dicemus, N. hinc patet Reſponſio ad confirmationem ; quia loquitur Apoſtolus de Matrimonio attento ſtatu Legis Evangelicæ , non attenta præciſe ejus eſſentia.

Ad 2. N. Ant. (*Ib. ad* 5.) Quia natura humana abſque omni defectu inſtituta eſt , & ideo non ſolum fuerunt ei indita illa , ſine quibus matrimonii finis principalis eſſe non poteſt , ſed etiam illa , ſine quibus ſecundarius finis matrimonii haberi non poſſet , & hoc modo homini in ipſa ſui inſtitutione habere unam uxorem ſufficit. Ad 3. (*Ib. ad.* 7.) Illud præceptum Legis naturæ, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, debet intelligi eadem proportione ſervata . Non enim ſi Prælatus non vult ſibi reſiſti a ſubdito, ipſe ſubdito reſiſtere non debet. Et ideo non oportet ex vi illius præcepti, quod, ſicut vir non vult, quod uxor ſua habeat plures viros vel alium virum , ipſe non habeat aliam uxorem ; quia unum virum habere plures uxores non eſt contra prima præcepta Legis naturæ, ut dictum eſt; ſed unam uxorem habere plures viros eſt contra prima præcepta Legis naturæ.

Ad 4. (*Ibid. ad* 6.) jam reſponſum eſt, quod attenta præciſe eſſentia Matrimonii vir non dat per matrimonium ſui corporis poteſtatem uxori quantum ad omnia, ſed ſolum quantum ad illa , quæ matrimonium requirit . Non autem requirit matrimonium, ut quolibet tempore uxori petenti vir debitum reddat , niſi quantum ad id , ad quod matrimonium eſt principaliter inſtitutum , ſcilicet ad bonum prolis, & hoc eſt quantum ſufficit ad impregnationem. Ad 5. N. Ant. Ad Probat. ex D. Th. N. Conſeq. Nam S. Th. in corpore articuli expreſſis verbis aſſerit , quod Polygamia *neque aliqualiter impedit matrimonii primum finem, cum unus vir ſufficiat pluribus uxoribus fœcundandis & educandis filiis ex eis natis*. Ergo juxta ipſum Polygamia non eſt contra educationem prolis. Nec tamen ſequitur , quod ejus probatio ſit inefficax : in hoc enim ſita eſt , quod ſicut in animalibus ſollicitudo de prole cauſa eſt , cur retineant conjunctionem unius ad unum , ita in hominibus , cum hoc tamen diſcrimine , quod in animalibus pluralitas fœminarum immediate hanc ſollicitudinem impediret , in hominibus impediet tantum aliquid ſecundarium , ſequens ad hanc curam , ſcilicet ſocialem vitam & communicationem in mutuis obſequiis , quod eſt finis ſecundarius matrimonii.

Obj. contra 2. partem 1. Ambroſius cit. cap. *dixit* cauſa 33. q. 4. excuſans Abraham , quod præter Saram duxerit Agar , dicit : *Non commiſit in Legem , ſed Legem prævenit* . Ergo cenſebat Polygamiam non eſſe contra legem naturæ. 2. Aug. l. 22. contra Fauſt. c. 47. dicit pluralitatem uxorum factam fuiſſe licitam in antiqua Lege ex conſuetudine : *Quando* , inquit , *mos erat , crimen non erat , & nunc propterea crimen eſt , quia mos non eſt* . Atqui conſuetudo non poteſt contra jus naturæ prævalere . Ergo . 3. Aliquando pluralitas uxorum eſt neceſſaria fini primario matrimonii , ut ſi uxor ſit ſterilis . Fines autem ſecundarii debent cedere primario . Ergo . 4. Uxor poteſt in toto cedere juri ſuo, v. g. conſentiendo, ut vir fiat Religioſus. Ergo poteſt cedere in parte, conſentiendo, ut vir alteri nubat . R. ad 1. Ambroſium loqui de lege poſitiva , quæ tunc nondum erat prohibens ſub pœna adulterium & Polygamiam . Vide §. ſeq. Ad 2. Auguſtinus intelligit de conſuetudine fundata in legitima diſpenſatione , quæ hanc conſuetudinem induxit , nunc autem quia ceſſavit diſpenſatio, ceſſavit & conſuetudo. Ad 3. D. Min. (*Ib. a. 2. 4.*) Fines ſecundarii debent cedere primario ex diſpenſatione Legiſlatoris , C. Secus , N. Itaque ea , quæ ſunt contra legem naturæ quoad ſecundaria præcepta tantum & concluſiones deductas ex primis , qualis eſt pluralitas uxorum, ut dictum eſt , variari poſſunt ſecundum diverſas conditiones perſonarum , temporum , & aliarum circumſtantiarum , ſed quia non eſt facile determinare hujuſmodi varietates; ideo illi, ex cujus auctoritate lex efficaciam habet , reſervatur , ut licentiam præbeat legem prætermittendi in illis caſibus , ad quos legis efficacia ſe extendere non debet, & talis licentia diſpenſatio dicitur. Quamvis ergo in aliquibus caſibus fines ſecundarii debeant cedere primario , hoc determinare non pertinet ad quemlibet , ſed ad eum , qui legem ſtatuit , ut ex ejus diſpenſatione licite fiat : ſeu brevius, ut alibi dicit S. Doctor: Hoc eſt per accidens, quod autem eſt per accidens, non cadit ſub determinatione legis, ſed quod eſt per ſe. Ad 4. D. Uxor poteſt cedere juri ſuo, in quantum eſt in ejus favorem, C. Et ſic poteſt conſentire, ut vir fiat Religioſus; in quantum eſt in favorem Matrimonii, N. Unde non poteſt conſentire ſeu præbere facultatem viro, ut aliam ducat; quia hoc eſt contra naturam Matrimonii.

§. II. *Utrum Polygamia fuerit aliquando licita?*

DICO 1. (*Ib. a. 2. c.*) Poſt diluvium Polygamia fuit licita ex diſpenſatione divina . Prob. 1. ex Scriptura . Deuteron. 21. Deus per Moyſen dicit : *Si habuerit homo uxores duas , unam dilectam & alteram odioſam , genuerintque ex eo liberos , & fuerit filius odioſæ primogenitus , volueritque ſubſtantiam inter filios ſuos dividere , non poterit filium dilectæ facere primogenitum & præferre filio odioſæ* . Ibi aperte ſupponitur fuiſſe apud Judæos conſuetudinem habendi plures uxores, nec reprobatur . 2. Ab exemplis ſanctiſſimorum Patriarcharum Abrahæ , Jacob, & Davidis, qui plures habuerunt uxores, nec in hoc reprehenduntur . 3. Ex SS. Patribus . Ambroſius lib. 1. de Abraham c. 4. dicit conjugium Abrahæ cum Agar non fuiſſe peccatum ; quia Deus id voluit ad ſignificandum myſterium . Auguſt. in pluribus locis l. 16. de civit. c. 30. l. 22. contra Fauſt. c. 47. l. de bono conjugali cap. 17. l. 3. de Doct. Chriſt. c. 12. aſſerit veteres non peccaſſe ſibi copulando plures uxores . Pariter Chryſoſt. hom. 56. in Geneſ. Et Innocent. III. cap. *Gaudemus* de divort. *Nulli*, inquit , *unquam licuit ſimul plures uxores habere , niſi cui fuit divina revelatione conceſſum ; ſicut Jacob a mendacio , Iſraelitæ a furto , Samſon ab homicidio , ſic & Patriarchæ & alii viri juſti , qui plures leguntur ſimul habuiſſe uxores , ab adulterio excuſantur* .

Obj. 1. Joan. 8. Judæi dicebant : *Nos ex fornicatione non ſumus nati* ; id eſt non deſcendimus ex Agar , ſicut Iſmaelitæ, ſed ex Sara legitima uxore . Et Ambroſ. lib. 1. cit. de Abraham cap. 4. volens excuſare acceſſum Abrahæ ad Agar dicit 1. adulterium tunc temporis nondum fuiſſe prohibitum . 2 Quod non amore libidinis , ſed poſteritatis hoc fecerit ; & quod *pro hujus facti pœnitentia Deus dixit illi ; Ego ſum Deus tuus , ambula in conſpectu meo, & eſto ſine querela*, Geneſ. 17. v. 1. Ergo juxta Ambroſium Deus non diſpenſaverat in Polygamia . Item Aug. L. 22. contra Fauſt. c. 30. & l. 16. de Civit. c. 25. hac etiam ſola ratione excuſat Abraham , quod *non libidine , ſed prolis gratia , id que uxore cogente fecerit* . Efficacius autem excuſaſſet , ſi Agar fuiſſet vere uxor Abrahæ . R. dictum Judæorum intelligendum eſſe de fornicatione ſpirituali, id eſt idololatriæ ; quippe quæ in Scripturis ſæpe appellatur fornicatio . Patet ex præcedentibus & ſubſequentibus; prius enim dixerant : *Pater noſter Abraham eſt* ; & poſt verba inſtantiæ, *unum Patrem habemus Deum* , quaſi dixiſſent : Nos non deſcendimus ex idololatris, ſed ex Patriarchis, qui unum Deum colebant. Sed eſto, quod de fornicatione carnali loquerentur, non ſequitur ; quod de fornicatione Abrahæ cum Agar intelligerent. Et hoc iterum dato, nihil nos cogit falſæ eorum opinioni ſubſcribere . Ad Ambroſium . Equidem laboravit in excuſando Abraham, & videtur in hoc

hoc aliquando fluctuaſſe. Quantum ad 1. ejus rationem, jam diximus intelligendum eſſe de lege poſitiva: quod ſi de lege naturali intellexerit, admitti in hoc non poteſt, cum certum ſit adulterium omni tempore fuiſſe lege naturæ prohibitum. Quantum ad 2. rationem revera per eam excuſandus venit Abraham ſecundum quid, & magis quam ſi ex libidine id feciſſet, licet ut omnino excuſaretur, non ſufficaret ſine diſpenſatione in lege. Quod autem addit, quod *Deus pro hujus facti pœnitentia dixit illi, ambula coram me*, ſumit pœnitentiam improprie pro majori conatu quam antea ad perfectionem & fiduciam; ſubdubitabat enim Abraham, an Sara ſterilis & nonagenaria poſſet parere. Habet Vulgata noſtra: *Ambula coram me, & eſto perfectus*. At tertiam rationem & hanc veram addit Ambroſius, cur non peccaverit in hoc Abraham, ſcilicet quia Deus voluit id eum facere propter myſterium. Ad Aug. Hanc ſolam rationem ibi adducit S. Doctor, quia ejus ſcopo ſufficiebat; agebat enim contra Manichæos, qui objiciebant libidinem Abrahæ, quibus reſpondet *non lubrico carnis, ſed poſteritatis amore ad multas acceſſiſſe uxores*. Alibi autem agnoſcit veteres non peccaſſe in Polygamia, ut patet ex probationibus.

Obj. 2. Mulieres, quibus antiqui Patriarchæ culpabantur, erant concubinæ; ſic enim paſſim vocantur in Scripturis. Ergo non veræ uxores. R. N. Conſeq. Quia ſæpe in Scripturis nomine concubinæ ſignificatur vera uxor, ſed quæ non cum tanta ſolemnitate fuerat ducta, neque in omnibus bonis & honoribus communicabat, neque admittebatur ad gubernationem familiæ ſicut præcipua uxor, habebat tamen jus ad torum conjugalem. Sic Agar, Cethura, Bala, & Zelpha modo uxores, modo concubinæ vocantur, Geneſ. 16. 25. 30. 35.

Inſt. 1. S. Leo Ep. 2. alias 92. ad Ruſticum diſtinguit uxorem a concubina, & liberam ab ancilla, dicitque concubinam non eſſe vere uxorem, in cujus probationem adfert exemplum Saræ & Agar. Ergo. R. S. Leonem, dum affert exemplum Saræ & Agar, loqui tantum de libera & ancilla, neque inde prætendit eandem ſemper eſſe ancillam & concubinam, cum ſint plures concubinæ liberæ. Si quid aliud intendat S. Leo, velitque Agar non fuiſſe veram uxorem Abrahæ, in hoc deſerendus.

Inſt. 2. Salomon reprenditur, quod plures habuerit uxores 3. Reg. 11. Ergo. R. Salomonem non fuiſſe reprehenſum, præciſe quia accepit plures uxores; ſed quia accepit alienigenas & idololatras, *per quas cor ejus depravatum eſt, ut ſequeretur Deos alienos*.

Obj. 3. Deus non diſpenſat in lege naturæ. Atqui ſecundum nos Polygamia eſt contra jus naturæ. Ergo. R. D. Maj. Deus non diſpenſat in lege naturæ quoad primaria & univerſaliſſima ejus præcepta, C. Quoad ſecundaria, Subdiſtinguo: non diſpenſat proprie, C. Improprie, mutata materia, vel mutatis circumſtantiis, N. Deus autem in præſenti caſu mutavit materiam legis, quatenus ut ſupremus corporum Dominus integram poteſtatem ſuper corpus viri, quæ uni tantum competere poterat, diviſit in plures; & decernendo cultum divinum eſſe propagandum per prolium multiplicationem, neceſſe erat uni viro plures jungi mulieres; (*Ibid. a. 2. o.*) quia principalior finis magis eſt obſervandus, quam ſecundarius. Unde cum bonum prolis ſit principalis matrimonii finis, ubi prolis multiplicatio neceſſaria erat, debuit negligi ad tempus impedimentum, quod poſſet in ſecundariis finibus evenire. Confer pro hac ſolutione Diſſert. 2. de legibus art. 4.

Dixi in Concluſione; *poſt diluvium*; quia Lamech ex nepotibus Cain, qui ante diluvium primus accepit duas uxores Geneſ. 4. ab omnibus reprehenditur tanquam Tranſgreſſor legis matrimonii. Vide in jure cap. *An non* 14. q. 3. & cap. *Quomodo* 31. q. 1. Nulla enim tunc neceſſitas urgebat, cum longæva ætas hominum ſufficeret ad multiplicationem generis humani.

Petes 1. Quandonam facta ſit hæc diſpenſatio? R. probabilius ſtatim poſt diluvium factam fuiſſe Noe, & per ipſum poſteris communicatam; quia tunc urgebat neceſſitas multiplicandi genus humanum, cujus ſupererant tantum octo animæ, nec ætas hominum eſſet longæva, ſicut ante diluvium.

Petes 2. Quomodo facta ſit hæc diſpenſatio? R. (*Ib. ad 3.*) factam fuiſſe per internam inſpirationem: quia cum lex de Monogamia non fuerit ſcripta, ſed cordibus impreſſa, utpote lex naturæ, ſic diſpenſatio non fuit ſcripto tradita, ſed per internam inſpirationem factam, ut dixi, Noe, & forte aliis Patriarchis & per eos aliis communicatam; qualis enim eſt lex, talis debet eſſe diſpenſatio legis.

Petes 3. Quibus de cauſis fuerit diſpenſatum in lege Monogamiæ? R. primam fuiſſe multiplicationem generis humani ad Dei cultum propagandum: ſecundam ad ſignificationem Myſteriorum, nempe diſtinctionis graduum in Eccleſia tam militante quam triumphante, reductionis populi gentilis & Judaici in unum corpus, duorum teſtamentorum ad Galat. 5. & aliorum, de quibus agit Aug. lib. 22. contra Fauſtum c. 54. 55. 56. & Tract. 11. in Joan.

Petes 4. Utrum hæc diſpenſatio etiam pertineret ad Gentiles? R. probabilius affirmative. Quia Scriptura refert Eſau, qui non erat de populo Dei, plures accepiſſe uxores, nec in hoc ipſum reprehendit. 2. Quia piiſſima Eſther non fuiſſet paſſa ſe jungi in Matrimonium Regi Aſſuero jam habenti uxorem (licet enim Vaſthi eſſet repudiata, erat tamen adhuc vera uxor), neque Mardochæus vir timens Deum hoc conjugium conſuluiſſet & approbaſſet, ſi illicitum & invalidum fuiſſet. Unde Aug. l. 22. contra Fauſt. c. 47. docet Jacob licite accepiſſe plures uxores a Laban Idololatra, in terra Gentilium, ſcilicet Meſopotamia ob inculpabilem, quæ tunc ibi vigebat, conſuetudinem: *Quando mos erat*, inquit, *peccatum non erat, nunc propterea crimen eſt, quia mos non eſt*. Neque tamen inde ſequitur nunc adhuc eſſe licitam inter Infideles Polygamiam, quia Chriſtus omnia matrimonia tam fidelium quam infidelium ad primævam inſtitutionem revocavit, ut jam ſum dicturus. Unde

Dico 2. A tempore Legis Evangelicæ Polygamia eſt illicita & irrita. Prob. Chriſtus Matth. 19. revocans Matrimonium ad primævam ſuam inſtitutionem dicit Phariſæis ipſum interrogantibus; an liceret dimittere uxorem quacumque ex cauſa? *Non legiſtis, quia qui fecit hominem ab initio, maſculum & fœminam fecit eos? Et dixit; propter hoc dimittet homo Patrem & Matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una; itaque jam non ſunt duo, ſed una caro ... Dico autem vobis, quia quicumque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*. Et Marc. 10. *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam*. Porro ſi adulter eſt, qui dimiſſa uxore alteri conjungitur, ergo a fortiori ea retenta.

In eamdem veritatem aſſerendam concurrunt Patres & jura. Concil. Milevitanum II. can. 17. S. Ambroſius l. 1. de Abraham c. 7. S. Aug. l. 2. de adult. conjug. c. 4. Innocentius I. Ep. 3. ad Exuperium c. 6. Nicolaus I. in reſponſ. ad Conſulta Bulgarorum c. 51. cap. *Gaudemus* de divort. c. *Licet* de ſponſal. duorum, &c. Unde Trid. Seſſ. 24. can. 2. ſic definit: *Si quis dixerit licere Chriſtianis plures ſimul habere uxores, & hoc nulla lege divina eſſe prohibitum anathema ſit*. Hinc inferes, Polygamiam, ut jam dixi, etiam in Infidelibus eſſe nunc prohibitam, quia Lex Chriſti eſt univerſalis; *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam & aliam duxerit, mœchatur*. Idemque docet Innocent. III. cap. cit. *Gaudemus*.

Dices. Gregorius III. apud Gratianum cauſa 32. q. 7. c. *Quod propoſuiſti*, conceſſit cuidam facultatem ducendi ſecundam uxorem propter infirmitatem prioris. R. 1. Hoc Gregorii reſcriptum pluribus videri ſuppoſititium. 2. Suppoſita ejus veritate, in eo agitur de muliere, quæ impotentia antecedente perpetua laborabat, ſeu ut fert reſcriptum, quæ *Non valuerit debitum viro reddere*, conſequenter invalide contraxerat.

Oppones inſuper quædam exempla Imperatorum Chriſtianorum Conſtantii, Lotharii, & Valentiniani, qui plures habuerunt uxores; idque aliis, legibus latis, permiſerunt. Ergo. R. ex inique factis nullum jus ſtatui. Conſtantius erat Arianus: Lotharium cum ſua pellice excommunicavit Nicolaus Papa cap. *Si non* cauſa 24. q. 3. Valentinianus, ut averteret a ſe duplicis conjugii dedecus, hanc legem inique tulit, ſi tamen tulit, nullibi enim præterquam in Socrate l. 4. c. 2. ejus mentio reperitur; & Baronius ad annum 370. oſtendit hanc Socratis narrationem fabuloſam eſſe, Valentinianumque, Severa priore conjuge mortua, Juſtinam duxiſſe, ex qua inter cæteros habuit Valentinianum juniorem. Ex his inferes vinculum prioris Matrimonii, etiamſi non conſummati, quod dicitur *Ligamen*, eſſe impedimentum dirimens ſubſequens Matrimonium. Et ita definitur in jure cap. penult. de ſponſal. cap. *Licet*, &c. finali de ſponſal. duorum.

§. III. *Utrum Bigamia ſit licita?*

Dico (*Supp. q. 63. a. 1. & 2.*) Bigamia eſt licita, & verum Sacramentum. Prob. 1. pars 1. ex Apoſt. 1. Cor. 7. ubi dicit: *Mulier alligata eſt legi quanto tempore vir ejus vivit, quod ſi dormierit vir ejus, liberata eſt, cui vult nubat tantum in Domino*. Et ibid. *Dico autem non nuptis & viduis, bonum eſt illis, ſi ſic permaneant, ſicut & ego. Quod ſi non ſe continent, nubant, melius eſt enim nubere quam uri*. Similiter ad Rom. 7. In his, ut patet, Apoſtolus non reſtringit jus Bigamiæ ad ſecundas, tertias, aut quartas nuptias, ſed indefinite loquitur. 2. ex Concilio Nicæno I. generali cap. 8. ubi jubet, ut Novatiani, qui ſecundas nuptias damnabant, redeuntes ad Eccleſiam profiteantur inter cætera *Bigamis ſe communicare*. 3. ex Patribus, qui videntur hac in re unanimes, Clemens Alexandrinus, Greg. Nazian. Chryſoſt. Epiphan. Ambroſ. Hieron. Inter cæteros S. Baſilius, qui ſpecialiter opponitur; can. 4. Epiſt. ad Amphiloch. ſic habet: *Quæ in*

vi-

Digitized by Google

viduitate poteſtatem ſui habet , & viro cohabitat , ab omni accuſatione libera eſt , ſi nemo eſt , qui conjugium divellat ; cum Apoſtolus dicat , ſi mortuus ſit maritus , libera eſt , ut nubat , cui velit , tantum in Domino. 4. ex praxi univerſalis Eccleſiæ , & ratione : nam per mortem prioris conjugis vinculum Matrimonii eſt ſolutum . Ergo nihil impedit quominus licitum ſit & validum ſecundum & ulterius Matrimonium , ſicut primum fuit licitum & validum . Hinc Concilium Florent. in ſpeciali decreto pro Armenis dato pridie nonas Februarii 1441. quod legitur tom. 13. Conciliorum Labb. pag. 1211. declarat ex Apoſt. *non ſolum ſecundas nuptias , ſed tertias & quartas & ulteriores , ſi aliquod canonicum impedimentum non obſtat , licite contrahi poſſe .*

Prob. 2. pars. (*Ib. n. 2.*) In ſecundis & ulterioribus nuptiis inveniuntur omnia , quæ ſunt de eſſentia Sacramenti , ſcilicet debita materia , quam facit perſonarum legitimitas , debita forma , nempe expreſſio conſenſus interioris per verba de præſenti , ac tandem intentio Miniſtrorum , qui ſunt ipſi contrahentes . Ergo . Confir. Juxta Trid. Seſſ. 24. can. 1. verum Matrimonium eſt Sacramentum . Atqui ſecundum & ulterius Matrimonium eſt verum Matrimonium , ut probavimus . Ergo . Item omne Sacramentum , quod non imprimit characterem , poteſt iterari . Atqui Matrimonium non imprimit characterem . Ergo .

Obj. 1. contra 1. partem . Multi SS. Patres damnant ſecundas & maxime tertias & quartas nuptias , præcipue S. Baſil. Ep. ad Amphiloch can. 4. ubi vocat Bigamiam *Caſtigatam fornicationem* , & can. 50. tertium Matrimonium , *Eccleſiæ inquinamentum* : & quod plus eſt , eodem Can. 4. cit. dicit tertium virum non eſſe verum maritum , ſicut de quinto , quem habebat mulier Samaritana , dixit Chriſtus , *Quem nunc habes , non eſt maritus* . Item dicit de ſecundo viro Hieron. l. 1. cont. Jovin. & Chryſoſt. hom. 32. operis imperf. in Matth. dicit ſecundas nuptias eſſe veram fornicationem . Ergo. R. (*Ib. n. 1. ad 1.*) SS. Patres damnaſſe ſecundas nuptias non in ſe , nec ratione ſui , ſed ratione principii , ſcilicet incontinentiæ & libidinis , a quo ut plurimum procedunt ; & quia in ipſam incontinentiam vehementi impetu invehebantur , viſi ſunt ipſas ſecundas nuptias damnaſſe . Sic ſæpe contingit in diſputationibus , ut dum quis aliquem errorem vehementius impugnat , videtur in errorem oppoſitum impingere , ut de ſe ipſo fatetur Aug. diſputans pro libero arbitrio , & pro gratia . Hanc interpretationem , ſi non admittas , cogeris admittere 1. Quod ipſi Patres damnaverint praxim , & fidem univerſalis Eccleſiæ , quæ ſemper ſecundas & ulteriores nuptias ut legitimas agnovit & admiſit ; quod non eſt credibile de tantis Patribus . 2. Quod ſibi aperte contradicant , cum alibi ſecundas & ulteriores nuptias ut licitas agnoſcant . Patet de S. Baſilio in probationibus . Item de S. Hieron. Ep. 30. olim 50. ad Pammachium , quæ eſt Apologia pro ſuis adverſus Jovinianum ſcriptis , ubi ſic ait : *Aperiant quæſo aures obtrectatores mei , & videant me ſecundas & tertias nuptias conceſſiſſe in Domino* . Ibid. *Omnia licent , ſed non omnia expediunt . Non damno bigamos , imo nec trigamos , ſi dici poteſt , octogamos* , &c. Et de Chryſoſtomo hom. 19. in Ep. ad Cor. & hom. 20. ad Epheſ. Inſuper opus citatum in objectione non eſt Chryſoſtomi , quippe in quo plures reperiuntur errores .

Obj. 2. Convolantes ad ſecundas nuptias fiunt irregulares . Imo in pluribus Conciliis Neocæſarienſi , Ancyrano , & Laodiceno , qui illas ineunt , pœnitentia plectuntur , ubi autem non eſt culpa , non imponitur pœna . R. (*Ib. ad 4.*) Quantum ad irregularitatem eam non ſemper incurri propter culpam , ſed propter defectum ſignificationis , ut patet in judice , & ſic in præſenti caſu ; quia ſecundum matrimonium , ſi conſideretur reſpective ad primum , non ſatis ſignificat matrimonium Chriſti & Eccleſiæ , quod eſt unius cum una . Quantum ad pœnitentiam Bigamis impoſitam ea fuit ſeverior quarumdam Eccleſiarum particularium diſciplina in hac re , ſicut in pluribus aliis , quam univerſalis Eccleſia nunquam probavit , & quæ jam diu inolevit . Cæterum pœnitentiam injungebant , non præciſe propter nuptias in ſe , ſed propter ipſam incontinentiam , a qua , ut jam dixi , plerumque procedebant ; patet ex ipſo Concilio Laodiceno , quod Can. 1. agnoſcit ſecundas nuptias , ut legitimas , & tamen imponit pœnitentiam illis , qui eas contrahunt . Hinc ad probationem patet non impoſitam fuiſſe pœnam ſine culpa ; ipſa enim incontinentia , propter quam pœna imponitur , culpa eſt .

Obj. 3. contra 2. partem . Significatio eſt de eſſentia Sacramenti . Atqui ſignificatio deeſt ſecundo matrimonio , non enim ſignificat unionem Chriſti cum Eccleſia , quia non eſt unius cum una , & ideo non benedicitur . Ergo . R. D. Min. (*Ib. a. 2. ad 3.*) Atqui ſignificatio accidentalis deeſt ſecundo matrimonio , C. Eſſentialis , N. In unione Chriſti cum Eccleſia , quam ſignificat matrimonium , reperitur , quod ly unius cum una , & hoc eſt ipſi primum , & eſſentiale ; item quod non fuerit prius cum altera , & hoc eſt ipſi ſecundarium , & accidentale . Igitur ſecundum matrimonium , ſi conſideretur ſecundum ſe , eſt unius cum una : unde in eo reperitur ſignificatio eſſentialis ; ſi autem conſideretur reſpective ad præcedens , fuit cum alia , & ſic deeſt ipſi ſignificatio unionis Chriſti , quoad aliquid ſecundarium & accidentale ; & ratione hujus defectus non benedicuntur ſecundæ nuptiæ , ſi tamen ſunt ſecundæ ex parte mulieris ; nam ſi virgo contrahat cum viro , qui habuit aliam uxorem , nihilominus nuptiæ benedicuntur ; ſalvatur enim aliquo modo ſignificatio unius in ordine ad primas nuptias : quia Chriſtus , etſi unam Eccleſiam ſponſam habeat , habet tamen plures perſonas deſponſatas in una Eccleſia ; ſed anima poteſt eſſe ſponſa alterius quam Chriſti , quia alias cum dæmone fornicatur , nec eſt ibi matrimonium ſpirituale . Et propter hoc , quando mulier ſecundo nubit , nuptiæ non benedicuntur propter defectum ſignificationis .

Petes 1. Utrum ſufficiat probabilitas de morte prioris conjugis ad contrahendum ſecundum matrimonium ? R. negative , ſed requiritur certitudo moralis . Ita reſolvit Clemens III. c. *In præſentia* de ſponſal. ubi dicit : *Conſultationi tuæ taliter reſpondemus , quod quantocumque annorum numero ita remaneant , viventibus viris ſuis , non poſſunt ad aliorum conſortium canonice convolare , nec permittas auctoritate Eccleſiæ contrahere , donec certum nuntium recipiant de morte virorum* . Unde ad id , quod opponitur ex cap. *Cum per bellica* , ſufficere exiſtimationem de morte conjugis ; & ex cap. *Quoniam §. porro* ſufficere veriſimilitudinem , intelligendum eſt de exiſtimatione & veriſimilitudine certa moraliter , habita per certum nuntium . Vel dicendum hæc jura eſſe correcta per poſteriora . Ratio plane ſuadet ; quia nemo prudenter agit , maxime in re tanti momenti , in qua graviſſima inconvenientia occurrere poſſunt , niſi ſit moraliter certus de honeſtate ſuæ actionis , ut fuſe probavimus , dum de probabilitate . Per certum autem nuntium non intelligitur unus tantum teſtis , ſiquidem ſecundum jura unus teſtis ſit nullus teſtis ; neque ſola fama publica , cum poſſit eſſe ab incerto Auctore , niſi adſint adminicula , quæ judicio prudentum ſimul cum uno teſte , aut cum fama publica mortem moraliter certam reddant ; ut ſi cum uno teſte , vel fama publica diu ſit abſens , & nihil de ipſo auditum , ſi erat ſenex , aut infirmæ valetudinis , ſi fuerit in prælio , & diu expectatus non eſt reverſus , & ſimilia . Obſervandum , quod ſecundum matrimonium , quantumvis cum certitudine morali de morte prioris conjugis initum , ſit nullum , ſi revera prior conjux non ſit mortuus , ita ut conjux , quæ convolavit ad ſecundas nuptias , ubi hoc reſciverit , debeat ſeparari a ſecundo viro , & redire ad primum , ſi compareat . Atque ita ſtatutum eſt c. *Dominus* de ſecundis nuptiis .

Petes 2. Utrum conjux dubitans de morte conjugis , vel etiam putans eum eſſe vivum , valide contrahat , ſi revera obierit prior conjux ? R. Si credat ſe poſſe ſic contrahere , & revera contrahat ſub conditione mortis conjugis , aut meliori quo poteſt modo , ut validum ſit matrimonium , valide contrahit ; quia nihil deeſt ad validitatem matrimonii . Si vero credat ſecundum matrimonium eſſe impoſſibile , non contrahit valide , cum non poſſit eſſe voluntas abſoluta ad impoſſibile . Et idem dicendum de contrahentibus cum aliis impedimentis dirimentibus .

ARTICULUS II.

De indiſſolubilitate Matrimonii .

TRIPLEX diſtinguitur matrimonium ; legitimum , ratum , & conſummatum . Legitimum ſeu verum eſt , quod valide & ſecundum leges eſt contractum , ut eſt inter infideles . Ratum eſt , quod per Sacramentum Baptiſmi firmatur , ut inter Chriſtianos , in quibus eſt Sacramentum proprie dictum & indiſſolubile , niſi in uno caſu Religioſæ Profeſſionis , ex privilegio Chriſti . Conſummatum eſt , quod per carnalem copulam maritalem & commixtionem ſeminum completur ; quia tunc conjuges fiunt una caro , & perfecte ſignificat inſeparabilem Chriſti unionem cum Eccleſia per incarnationem . Dixi ; *Et commixtionem ſeminum* ; quia neque per ſolam penetrationem vaſis ſine ſeminatione , neque per ſolam viri ſine ſeminatione mulieris conſummatur matrimonium in foro conſcientiæ , licet conſummatum præſumatur in foro exteriori ; quia ſine commixtione ſeminum apta generationi non fiunt una caro inchoative , quæ inchoatio completur per prolem , in cujus una carne complete adunantur .

Plures quæſtiones hic occurrunt reſolvendæ 1. an & quo jure matrimonium ſit indiſſolubile ? 2. an & quo jure matrimonium infidelium conſummatum dirimi poſſit ? 3. an matrimonium diſſolvi poſſit propter adulterium unius conjugis ? 4. utrum & quo jure Matrimonium ratum diſſolvatur per religioſam Profeſſionem ? 5. utrum ſummus Pontifex poſſit diſpenſare in matrimonio rato ? 6. de divortio . 7. tandem de libello repudii apud Judæos . Sit itaque

§. I. *An & quo jure Matrimonium ſit indiſſolubile?*

DIco 1. Omne matrimonium verum & legitimum jure divino eſt indiſſolubile. Prob. 1. Ex ejus inſtitutione & ex Evangelio cum Trid. Seſſ. 24. c. unico de matrimonio. *Matrimonii perpetuum indiſſolubilemque nexum*, inquit Concilium, *primus humani generis parens, divini Spiritus inſtinctu pronuntiavit cum dixit: Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea, quamobrem relinquet homo patrem ſuum & matrem & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una... Ejuſdem nexus firmitatem* (Chriſtus) *ab Adamo tanto ante pronuntiatam his verbis confirmavit: Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*. Concilium ergo colligit indiſſolubilitatem matrimonii & ex ejus inſtitutione & ex verbis Chriſti; loquitur autem Concilium de matrimonio ſecundum ſe vero & legitimo, ſive ſit conſummatum, ſive non, ut patet ex toto textu capitis. Equidem ſunt, qui verba Adami intelligunt de matrimonio conſummato, ex his verbis: *Erunt duo in carne una*. Verum licet per conſummationem modo perfectiori fiant una caro, poſſunt tamen vero ſenſu dici fieri una caro per contractum matrimonialem, partim quia fiunt unum principium ad generationem ordinatum, partim propter poteſtatem, quam habet unus conjux in corpus alterius, partim propter affectum, quo ſe mutuo diligunt tanquam unum corpus. Inſuper Adam inſtinctu divino non pronuntiavit firmitatem ſolius matrimonii conſummati, ſed indiſtincte firmitatem matrimonii legitime initi. Quantum ad verba Chriſti videntur aperte reſpicere omne matrimonium legitimum, etſi non conſummatum; quia Deus non minus in matrimonio rato quam conſummato operatur vinculum conjugale: dicit: *Quod autem Deus conjunxit*, inquit Chriſtus, *homo non ſeparet*. 2. Marci 1. Chriſtus dicit: *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam*. Et Luc. 16. *Omnis, qui dimittit uxorem ſuam & alteram ducit, mœchatur, & qui dimiſſam a viro ducit, mœchatur*, Hi autem termini *Quicumque, omnis* ſpectant ſine exceptione omnes conjuges, ſive ante ſive poſt conſummationem matrimonii. 3. Apoſt. 1. Cor. 7. dicit iis, qui matrimonio juncti ſunt; *Præcipio, non ego, ſed Dominus, uxorem a viro non diſcedere, quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari*. Similiter ib. v. 39. & ad Rom. 7. Qui autem legitimum matrimonium inierunt, ſunt etiam ante conſummationem *matrimonio juncti*.

Dico 2. (*Supp. q. 67. a. 1. o.*) Matrimonium ſaltem conſummatum eſt jure naturæ indiſſolubile. Prob. (*Ibid.*) Matrimonium ex intentione naturæ ordinatur ad prolis educationem, non ſolum ad aliquod tempus, ſed per totam vitam prolis. Natura enim parentibus hanc curam & ſollicitudinem perpetuam filiorum in quovis ſint ſtatu & ætate indidit, eſtque de lege naturæ, quod Parentes filiis theſaurizent, & filii ſint Parentum hæredes. Atqui proles eſt commune bonum viri & uxoris, & ad earum educationem utriuſque conjugis cura concurrit. Ergo oportet eorum ſocietatem perpetuo manere indiviſam ſecundum dictamen legis naturæ. Confir. Ex diſſolubilitate Matrimonii eadem nata ſunt ſequi inconvenientia, quæ ex fornicatione. Atqui fornicatio eſt contra legem naturæ. Ergo & diſſolubilitas matrimonii.

Si dicas poſſe aliunde provideri prolium educationi. R. Id pariter fieri poſſe in fornicatione, quo tamen non obſtante fornicatio eſt contra legem naturæ. Et ratio eſt, quia utrobique id eſt per accidens, natura autem intendit id, quod eſt per ſe & non per accidens. Has rationes cum præfata inſtantia ſuſius diſcuſſas, require Diſſert. 9. de Temperantia a. 4. ubi de fornicatione.

Dixi; *Saltem conſummatum*; quia multi negant matrimonium non conſummatum eſſe jure naturæ indiſſolubile. Id tamen non eſt improbabile, partim quia matrimonium naturaliter exigit amorem mutuum & mutua obſequia; ubi autem liberum eſt uni ab alio diſcedere, frigeſcit amor & languent obſequia: partim quia matrimonium definitur: individua, id eſt indiſſolubilis vitæ ſocietas: Quod autem ponitur in definitione pertinet ad naturam rei. Partim quia id eſt de lege naturæ, quod natura accepit in ſuo principio: Matrimonium autem accepit in ſuo principio indiſſolubilitatem. Ergo.

Obj. 1. Deus non poteſt diſpenſare in jure naturæ. Atqui diſpenſat in indiſſolubilitate matrimonii etiam conſummati Infidelium. Ergo. R. Solutione jam prius data, D. Maj. Deus non poteſt diſpenſare in jure naturæ quoad prima & univerſaliſſima præcepta, C. Quoad ſecundaria præcepta, quale eſt indiſſolubilitas matrimonii, ſubdiſtinguo: non poteſt diſpenſare proprie, C. improprie mutando materiam præcepti, N. Sic autem fit in præſenti caſu, quatenus Deus ut ſupremus corporum dominus aufert poteſtatem, quam habebant conjuges in mutua corpora, qua ſublata non eſt amplius matrimonium. Unde quamvis jus naturæ ſit invariabile formaliter, materia tamen in ſecundariis præceptis mutari poteſt. Vide Diſſert. 2. de Legibus a. 4. Ubi hæc quæſtio ex profeſſo diſcutitur.

Obj. 2. Natura & finis matrimonii ſunt propter prolem. Atqui ſæpe nulla eſt ſpes prolis, ut in matrimonio ſterilium. Ergo matrimonium tunc ex natura ſua exigit diſſolubilitatem. R. D. Min. Sæpe nulla eſt ſpes prolis, & hoc eſt per accidens, C. Et hoc eſt per ſe, N. Lex autem attendit id, quod eſt per ſe & non per accidens, ut jam dictum eſt.

Obj. 3. Multi Imperatores Chriſtiani permiſerunt repudium, ut Conſtantinus Magnus l. 3. Codicis Juſtin. Tit. 16. de Repudiis, & Juſtinianus Novella 117. Imo mutuo conſenſu olim diſſolvi matrimonium probat Baſilius Pontius l. 9. c. 1. Ergo. R. N. Conſeq. e facto enim ad jus non valet Conſequentia. Factum eſt; ergo licet; non ſequitur. Neque cogimur agnoſcere omnes leges civiles eſſe juſtas & conformes legi æternæ, licet forte Legiſlatores bonum finem intenderent. Plures namque jam fuerunt emendatæ, & plures ſunt adhuc emendandæ. Unde Hieron. Ep. 84. alias 30. *Aliæ ſunt*, inquit, *Leges Cæſarum, aliæ Chriſti, aliud Papinianus, aliud Paulus noſter præcipit*. Ambroſ. l. 8. in c. 16. Lucæ: *Dimittis ergo uxorem, quaſi jure ſine crimine, & putas id tibi licere, quia lex humana non prohibet, ſed divina prohibet*. Et Aug. Serm. 392. alias 49. inter 50. *Hoc non licet jure poli, etſi liceat jure fori*.

Obj. 4. Per quaſcumque cauſas res naſcitur, per eaſdem diſſolvitur, ut dicitur in jure. Atqui matrimonium fit mutuo conſenſu contrahentium. Ergo per eundem diſſolvi poteſt, & ita alii contractus diſſolvuntur. R. hoc juris principium valere dumtaxat in iis, quæ ſunt naturæ ſuæ diſſolubilia, non in iis, quæ ſemel facta, ratione finis, exigunt perpetuitatem, ut contingit in matrimonio.

§. II. *An & quo jure Matrimonium Infidelium conſummatum dirimi poſſit?*

DIco. (*Supp. q. 59. a. 5. o.*) Matrimonium infidelium etiam conſummatum jure divino diſſolvi poteſt, ſi unus conjugum ad fidem convertatur, & alter vel diſcedat, vel nolit cohabitare ſine contumelia creatoris, vel conjugem fidelem pertrahat ad peccatum mortale. Ita in terminis Innocentius III. c. *quanto* de divortiis. *Si alter infidelium conjugum*, inquit, *ad fidem Catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel non ſine blaſphemia divini numinis, vel ut pertrahat ad peccatum mortale, ei cohabitare volente: qui relinquitur, ad ſecunda, ſi voluerit, vota tranſibit, & in hoc caſu intelligimus, quod ait Apoſtolus, ſi infidelis diſcedit, diſcedat: Frater enim & ſoror non eſt ſervituti ſubjectus in hujuſmodi*. Ex his ergo Apoſtoli verbis 1. Cor. 7. Eccleſia colligit matrimonium infidelium, uno ad fidem converſo, in tribus caſibus aſſignatis ex diſpenſatione divina poſſe diſſolvi. Nec obſtat, quod Apoſtolus aſſignet tantum pro cauſa diſceſſum infidelis; quia qui non vult cohabitare niſi cum contumelia Creatoris, licet phyſice non diſcedat, diſcedit tamen aut quærit moraliter diſcedere.

At dices. Per *diſcedat* Apoſtolus intelligit tantum ſeparationem quoad cohabitationem, non quoad vinculum. Ergo. Prob. Ant. ex præcedentibus. Cum enim prius dicit Apoſtolus: *Iis autem, qui Matrimonio juncti ſunt, præcipio, non ego ſed Dominus, uxorem a viro non diſcedere, quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari*. Per τὸ *diſcedere*, intelligit tantum ſeparationem quoad cohabitationem. Ergo ſimiliter dum poſtea dicit: *Si infidelis diſcedit, diſcedat*. R. N. Ant. Ad probat. N. Conſeq. In prioribus enim verbis manifeſtum eſt ex his particulis, *manere innuptam aut viro ſuo reconciliari*, Apoſtolum loqui de ſeparatione quoad habitationem tantum, & non quoad vinculum. At in poſterioribus verbis dicit ſimpliciter & indefinite ſine his adjunctis, *ſi diſcedit, diſcedat*. Propoſitio autem indefinita æquivalet univerſali, & alioquin conjux fidelis maneret ſubjectus ſervituti ſeu vinculis hujus matrimonii; merito igitur inde colligit Eccleſia ſeparationem quoad vinculum.

Ex dictis (*Ibid.*) colliges contra Bellarminum, Coninch, & quoſdam alios, quod ſi Infidelis velit cohabitare pacifice, ſine contumelia creatoris, converſus non poſſit ſolvere vinculum conjugii: quia citato cap. *Quanto* aſſignantur tantum tres cauſæ diſſolutionis matrimonii, nempe, *altero non converſo, vel nullo modo, vel non ſine blaſphemia divini numinis, vel ut pertrahat ad peccatum mortale, ei cohabitare volente*. Et cap. *Gaudemus* ibid. Innocentius III. expreſſe definit, quod *numquam ea vivente* (uxore) *licite poterit aliam, etiam ad fidem Chriſti converſus habere, niſi poſt converſionem ipſius illa renuat cohabitare cum ipſo, aut etiam ſi conſentiat, non tamen abſque contumelia creatoris, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum*. Ita etiam expreſſe docet Doctor noſter citatus in margine. Ratio item ſuadet: quia iſtud Privilegium non eſt

a Deo

a Deo conceſſum niſi in gratiam fidei, & ne conjuges fideles perpetuo maneant cœlibes, quod plures poſſet retrahere a profeſſione fidei; hoc ipſo autem quo Infidelis vult cohabitare pacifice, fides non periclitatur, & converſus non manet cœlebs.

Petes 1. Quandonam Matrimonium in caſu cenſeatur ſolutum? R. non ſolvi, (*Ibid. ad* 1.) niſi quando converſus de facto contrahit aliud Matrimonium. Patet ex cit. cap. *Gaudemus* de divortiis, ubi Innocent. III. poſt aſſignatas tres cauſas diſſolvendi Matrimonium hujuſmodi, addit, quod *ſi converſum ad fidem & illa converſa ſequatur, antequam propter cauſas prædictas legitimam ille ducat uxorem, eam recipere compelletur*. Ergo propter tres cauſas aſſignatas non erat ſolutum vinculum Matrimonii, ſed ſolum per ſubſequens Matrimonium, alias vir fidelis non compelleretur recipere uxorem poſtea converſam.

Hinc infertur 1. Infidelem invalide contrahere Matrimonium cum alio, priuſquam converſus de facto ad alias nuptias tranſierit. 2. Quod ſi poſt ſecundum Matrimonium initum contingat conjugem Infidelem converti, non tenetur prius converſus, mortua ſecunda conjuge, ad priorem converſam reverti; quia fuit extinctum vinculum primi Matrimonii. 3. Quod debeat non converſus moneri, an velit legitime cohabitare, antequam contrahantur ſecundæ nuptiæ, quia non poſſunt valide contrahi, niſi in caſu, quo nolit legitime cohabitare, ut dictum eſt. Excipe, niſi monitio eſſet moraliter impoſſibilis, vel ob periculum vitæ, aut ſubverſionis, vel ob locorum diſtantiam. Ita conceſſit Greg. XIII. Angolanis, Æthiopibus, Braſilienſibus, & aliis Indorum Nationibus, cujus Literas deſcribit Baſilius Pontius l. 7. c. 48. n. 23.

Petes 2. Utrum conjuge fideli tranſeunte ad alias nuptias, Infidelis poſſit pariter inire aliud Matrimonium? R. affirmative; quia per novum Matrimonium fidelis ſolvitur vinculum Matrimonii: ſolutum autem ex una parte, ſolvitur ex altera, quia non claudicat Matrimonium.

Petes 3. Utrum fidelis converſus poſſit aut debeat cohabitare cum Infideli nolente converti, volente tamen pacifice & legitime cohabitare? R. (*Ibid. n. 3. 6.*) Infidelitatem & adulterium pari paſſu currere quoad cohabitationem & redditionem debiti: quia utrumque eſt contra bonum prolis. Unde ſicut vir innocens poteſt manere cum adultera ſub ſpe correctionis (non autem ſi in peccato adulterii ſit obſtinata, ne videatur Patronus turpitudinis; quamvis etiam cum ſpe correctionis poſſit illam libere dimittere; ſimiliter Fidelis converſus poteſt cum Infideli commanere cum ſpe converſionis, ſi eam in Infidelitate obſtinatam non viderit, & bene facit commanendo, tamen non tenetur: & de hoc eſt conſilium Apoſtoli dicentis 1. Cor. 7. *Cæteris ego dico, non Dominus: Si quis frater uxorem habet Infidelem, & hæc conſenſit habitare cum illo, non dimittat illam.*

Obſervandum (*Ibid. ad* 2.) quod in primitiva Eccleſia, cum Judæi & Gentiles paſſim convertebantur ad fidem, erat ſpes de converſione Infidelis. Procedente vero tempore Judæi facti ſunt obſtinatiores, & ideo cap. Judæi 28. q. 1. prohibitum fuit in quibuſdam Hiſpaniarum Provinciis quod converſus habitaret cum uxore Judæa, ſecus cum Gentili. Nunc autem, inquit Auctor, cum Gentiles & Judæi ſint obſtinati, non permittitur converſo habitare cum uxore ſive Judæa, ſive infideli. Attamen pauloante tempora D. Th. Innocentius III. qui obiit 1216. c. *Gaudemus* de divortiis permittit in favorem Religionis & fidei, ut viri converſi maneant cum mulieribus non converſis, ne, inquit, mulieres timentes ſe a viris deſeri, ipſos a ſuſceptione fidei avocent. Unde in caſu omnia perpendenda ſunt judicio vel Epiſcopi, vel Confeſſarii, vel viri prudentis, & quod videbitur tutius & utilius eligendum.

Petes 4. Utrum Matrimonium fidelium ſolvatur per unius hæreſim? R. negative, ita Trid. ſeſſ. 24. Can. 6. ſic: *Si quis dixerit propter hæreſim aut moleſtam cohabitationem, aut affectatam abſentiam a conjuge, diſſolvi poſſe Matrimonii vinculum, anathema ſit.* Idem prius definierat Innocent. III. ejr. c. *Quanto*, qui rationem hanc adfert; quia Matrimonium inter fideles contractum, cum ſit Sacramentum, firmius eſt quam contractum inter Infideles. Neque hic valet argumentum a paritate, quia totum pendet ex voluntate divina.

§. III. *Utrum Matrimonium diſſolvi poſſit propter adulterium unius Conjugis?*

HANC Quæſtionem adeo obſcuram ſibi aliquando viſam fuiſſe teſtatur Aug. ut l. de fide & oper. cap. 19. dicat: *In ipſis divinis ſententiis ita obſcurum eſt, utrum & iſte, cui quidem ſine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur, ſi alteram duxerit; ut quantum exiſtimo venialiter ibi quiſque fallatur.* Unde mirum non eſt, ſi quidam veteres in re implicata & nondum definita obſcure & dubie locuti fuerint.

Dico. Matrimonii vinculum diſſolvi non poteſt propter adulterium alterius conjugis. Prob. 1. ex verbis Chriſti Marc. 10. & Luc. 16. §. 5. Concl. 1. relatis: *Quicumque dimiſerit uxorem, &c.* Et, *omnis qui dimittit uxorem, &c. mœchatur*; quæ propoſitiones ſunt univerſales & abſque exceptione ulla. Unde Aug. illas expendens l. 1. de adulterinis conjugiis c. 9. dicit: *Qui ergo ſumus nos, ut dicamus, eſt qui mœchatur, uxore ſua dimiſſa, alteram ducens, & eſt qui hoc faciens, non mœchatur; cum Evangelium dicat omnem mœchari, qui hoc facit?* 2. Ex Apoſt. qui, ut vidimus §. citato dicit generaliter eſſe præceptum Domini, ut mulier ſit alligata viro, & ab eo non diſcedat, quamdiu vivit. 3. Ex SS. Patribus, quorum longum Catalogum texunt Bellarminus, Tournely, & alii, apud quos legi poſſunt; eos enim omnes referre majoris eſſet otii. Denique Trid. ſeſſ. 24. poſtquam cap. unico aſſeruit abſolutam indiſſolubilitatem Matrimonii, Can. 7. ſic definit: *Si quis dixerit Eccleſiam errare, cum docuit & docet juxta Evangelicam & Apoſtolicam Doctrinam propter adulterium alterius conjugum Matrimonii vinculum non poſſe diſſolvi, & utrumque vel etiam innocentem, qui cauſam adulterio non dedit, non poſſe, altero conjuge vivente, aliud Matrimonium contrahere, mœcharique eum, qui, dimiſſa adultera, aliam duxerit, & eam, quæ, dimiſſo adultero, alii nupſerit, anathema ſit.* Porro ſi non errat Eccleſia, dum docet juxta Evangelicam & Apoſtolicam Doctrinam, matrimonium non poſſe diſſolvi propter adulterium alterius conjugis: ergo errat contra Evangelicam & Apoſtolicam Doctrinam, qui dicit poſſe diſſolvi: conſequenter dogma fidei eſt, & non ſolum res diſciplinæ.

Totus difficultatis nodus ſitus eſt in interpretatione horum verborum Chriſti Matth. 5. & 19. ubi interrogatus a Phariſæis. *An licet homini dimittere uxorem quacumque ex cauſa?* Reſpondit: *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Ergo, inferunt a contrario, qui dimiſerit ob fornicationem, & aliam duxerit, non mœchatur, ſicut ſi dicatur: quicumque peccaverit, niſi pœnitentiam agat, peribit; valet a contrario, ergo ſi pœnitentiam agat, non peribit. R. Has particulas, *Niſi ob fornicationem*, afficere duntaxat To *Dimiſerit*, & non To *Aliam duxerit*, quaſi dixiſſet: *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, quod non licet, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Duo ergo docet hic Chriſtus; primum non licere dimittere uxorem, niſi ob gravem cauſam, qualis eſt fornicatio: ſecundum quod qui, dimiſſa uxore, aliam ducit, mœchatur, & ſic adæquate reſpondet interrogationi Judæorum. Duo enim continebat, ſaltem implicite, interrogatio Judæorum; primum utrum liceret dimittere uxorem quacumque ex cauſa. Alterum, an ea dimiſſa liceret aliam ducere: hæc enim duo continebat dimiſſio familiaris apud Judæos, quæ licet non diſtinguebant in interrogatione, prudenter tamen Chriſtus illa diſtinguit ad ampliorem eorum inſtructionem. Hanc interpretationem eſſe legitimam conſtat ex duobus aliis Evangeliſtis, Marco & Luca, apud quos, ut vidimus, Chriſtus abſolute, & abſque hac clauſula exceptiva (niſi ob fornicationem) pronuntiat, *Quicumque*, & *omnis, qui dimiſerit uxorem, & aliam duxerit, mœchatur.* Item ex Apoſt. & Trid. in probationibus.

Quapropter non valet hæc illatio a contrario; *Ergo qui dimiſerit uxorem ob fornicationem, non mœchatur*, quia non eſt ibi contrarium, quod debet eſſe de eodem, ſub eadem ratione; prima enim propoſitio Chriſti continet duo membra, ſcilicet, qui dimittit, niſi ob fornicationem, peccat, & qui alteram ducit, mœchatur; ita ut *Mœchatur* afficiat tantum, *Qui aliam duxerit*: in illationem autem, To *Mœchatur*, afficit, & *dimiſerit* & *duxerit*: ſicque argumentum non eſt in genere contrariorum. Et hinc patet reſponſio ad paritatem; cum enim dico; quicumque peccaverit, niſi pœnitentiam agat, peribit: ideo valet iſta illatio a contrario: ergo ſi pœnitentiam agat, non peribit; quia prima propoſitio non eſt bimembris, & exceptio, *Niſi pœnitentiam egerit*, non poteſt afficere niſi unum, ſcilicet ipſam pœnitentiam, vel ejus abſentiam, ſicque ſunt contrariæ iſtæ propoſitiones; qui pœnitentiam agit, non peribit; qui pœnitentiam non agit, peribit: unde valet argumentum a contrario. At non ſic in propoſitione Chriſti, ut dictum eſt.

Inſt. Si particula exceptiva afficiat tantum To *Dimittere*, ſequitur, quod propter nullam aliam cauſam, quam propter fornicationem, licebit dimittere uxorem quoad cohabitationem. Atqui falſum Conſequens, cum conſtet propter plures alias rationes poſſe ſeparari conjuges quoad cohabitationem. Ergo. R. D. Sequelam. Sequitur, quod propter nullam aliam cauſam quam propter fornicationem licebit dimittere uxorem, ſicut poteſt dimitti propter fornicationem, C. Abſolute, N. Ideo ergo Chriſtus ſolam fornicationem (ſub qua intellige alia graviora crimina in eodem genere) aſſignavit, quia propter hanc ſolam poteſt fieri dimiſſio perpetua, & jure matrimoniali,

ita

ita ut pars adultera, etſi emendata, poſſit ea juſtitia repelli a toro & cohabitatione; non ſic aliæ cauſæ dimiſſionis. Unde diſtincta Min. ad hunc ſenſum, N. Conſ.

Repones. Cap. *Quædam* 33. q. 7. dicitur. *Quædam eam fratre viri ſui dormivit; Decretum eſt, ut adulteri nunquam conjugio copulentur; illi vero, cujus uxor ſtuprata eſt, licita conjugia non negentur*. Ergo. R. Ibi agit de matrimonio ineundo mortua conjuge, quo in pœnam privabantur olim adulteri, non pars innocens.

Quantum ad argumenta, quæ opponi poſſunt ex Patribus & Decretis antiquis, legendi ſunt Sixtus Senenſis l. 6. Annot. 81. Bellarminus de matrim. c. 17. Toornely q. 5. de matrim. a. 2. & alii. His, ut jam dixi, immorari non vacat. Id unum obſervo, quod cum hæc difficultas antiquitus eſſet implicata, nec eliquata, & definita ſicut nunc, quidam antiqui obſcure & dubie de illa re viſi ſunt loqui, quos benigne & bono ſenſu juvat explicare, uno vel altero excepto, qui videntur aperte contrarium ſenſiſſe; ſed id traditioni innumeris pene aliorum teſtimoniis innixæ non officit, cum conſtet aliquos interdum Patres in aliis materiis veritatem non attigiſſe, nec ideo concuſſam fuiſſe traditionem. Quantum ad Græcos, equidem Recentiores tenent matrimonium poſſe diſſolvi propter adulterium alterius conjugis; ſed in hoc recedunt a ſuis Patribus, ut probant Auctores laudati & Arcudius.

§. IV. *Utrum & quo jure Matrimonium ratum per Profeſſionem Religioſam diſſolvatur?*

SUPPONO tanquam certum, matrimonium conſummatum (*Supp. q. 61. a. 1. o.*) non ſolvi per Profeſſionem religioſam, ſive unius, ſive utriuſque conjugis, ſive invita comparte, ſive ex mutuo conſenſu: tum quia Eccleſia nunquam agnovit hanc diſſolutionem; quin imo in juribus infra referendis contrarium ſupponit: tum quia, ut ratiocinatur Auctor, per conſummationem matrimonii compars non ſolum transfertur in dominium, ſed etiam in carnalem poſſeſſionem compartis, quod non fit in matrimonio rato tantum: quod autem eſt alteri traditum, & ab illo poſſeſſum, non poteſt Deo offerri.

Dico. (*Ibid. a. 2. o.*) Matrimonium ratum & non conſummatum diſſolvitur per ſolemnem Religionis Profeſſionem. Conſtat ex Concil. Trid. ſeſſ. 24. can. 6. ſic definiente: *Si quis dixerit matrimonium ratum, & non conſummatum per ſolemnem Religionis Profeſſionem alterius conjugum non dirimi, anathema ſit*. Id antea definiverant ſum. Pontifices, Innocentius III. cap. *Ex parte tua*, de converſ. conjugatorum, aſſerens ſe in hoc ſequi veſtigia ſuorum Prædeceſſorum, Alexander III. ibid. c. *Ex publico*, & c. *Verum*, ubi probat definitionem ſuam exemplis Sanctorum, & hac ratione, quia conjuges ante conſummationem non ſunt una caro. Idem cap. *Commiſſum* de ſponſal. & Joannes XXII. Extravag. *Antiquæ*.

Confir. Exemplis Sanctorum, qui in prioribus ſæculis poſt initum, ſed non conſummatum matrimonium, ſponſos aut ſponſas reliquerunt, ut perpetuam continentiam profiterentur, voto, ut veriſimile eſt, ſecundum morem hujus temporis ſolemni, emiſſo. De S. Tecla teſtantur S. Ambroſius l. 2. de virg. c. 3. & S. Epiphan. hæreſi 78. De duobus militibus narrat Aug. l. 8. Conf. c. 6. De Macario Eremita apud Grat. c. *Scripſit* 27. q. 2. De Virgine Gregoria S. Gregorius l. 3. Dial. c. 14. De Deobardo Greg. Turon. de vitis Patrum cap. ultimo. De Edildrida Regina venerabilis Beda l. 4. Hiſt. Anglorum c. 19. Nemini non notum eſt exemplum S. Alexii. Unde hic currit Regula S. Aug. l. 4. contra Donatiſtas c. 24 *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur*. Hanc autem Doctrinam tenet univerſa Eccleſia, nec inveniri poteſt, quando primum inſtituta eſt. Ergo eſt ex Apoſtolica Traditione. Dixi, *Per ſolemnem Religionis Profeſſionem*: unde non ſolvitur matrimonium ratum per ingreſſum Religionis; & ideo pars manens in ſæculo debet expectare profeſſionem compartis, antequam poſſit inire matrimonium. Neque diſſolvitur per vota ſimplicia quæ emittuntur in Societate poſt biennium novitiatus, aut a coadjutoribus formatis; quia non ſunt Profeſſio ſolemnis nec perpetua ex parte ſocietatis admittentis.

Dico 2. Matrimonium ratum probabilius non ſolvitur per Profeſſionem Religioſam jure naturæ neque jure Pontificio, ſed ſolo jure divino. Prob. 1. Pars: 1. Quia attenta ſola rerum natura matrimonium ratum potius diſſolveret Religioſam Profeſſionem, quam ab ea ſolveratur, ſi quidem res uni tradita, ſicut fit per matrimonium ratum, attenta rerum natura, non poteſt valide alteri tradi. 2. Ideo ſecundum adverſarios Profeſſio Religioſa jure naturæ diſſolvit matrimonium ratum, quia eſt mors ſpiritualis, & matrimonium ratum vinculum tantum ſpirituale; ſicut autem mors corporalis ſolvit vinculum carnale matrimonii conſummati, ita mors ſpiritualis ſolvit vinculum ſpirituale matrimonii rati. Atqui iſta ratio, quæ eſt Auctoris, eſt congrua tantum, & illam ut talem profert S. Doctor, non vero convincens. Ergo. Prob. Min. Quia mors illa primo eſt metaphorica, ſecundo eſt compoſſibilis cum vinculo conjugali, ut patet in iis, qui mutuo conſenſu poſt matrimonium conſummatum profitentur Religionem.

Prob. 2. pars; 1. Summi Pontifices, qui declarant matrimonium ratum ſolvi per votum ſolemne, hoc jus non agnoſcunt ut ſuum, ſed ut Traditione ad ſe tranſmiſſum. Alexander III. cit. illud eruit *Secundum interpretationem ſacri eloquii*: & Innoc. III. etiam citatus ex revelatione. 2. Si Matrimonium ratum per Profeſſionem Religioſam ſolveretur jure Pontificio, poſſet ſum. Pontifex auferre iſtud jus ſeu diſpenſationem, & efficere, ut Matrimonium ratum non ſolveretur per Profeſſionem Religioſam. Atqui falſum conſequens, nec puto probatum adverſariis. Ergo. Matrimonium ratum dirimi per Profeſſionem Religioſam eſt certiſſimum, & a nemine negatur: poſſe autem ſum. Pontificem diſpenſare in indiſſolubilitate Matrimonii rati eſt incertum, & a pluribus negatur, ut patebit §. ſequenti, ex quo præſens concluſio confirmabitur. Ergo. Reſtat ergo, quod Matrimonium ratum per Profeſſionem Religioſam diſſolvatur jure divino, ſeu ex Privilegio a Chriſto Profeſſioni Religioſæ annexo, quod privilegium Eccleſiæ per Traditionem innoteſcit; ita ut vi illius in omni contractu Matrimoniali tacite includatur hæc conditio; *Niſi ante conſummationem Religionem profiteatur*: quod non poteſt dici de aliis caſibus, niſi ſimile privilegium probetur. Unde argumenta a ratione & a paritate hic deficiunt, & hoc uno ſolvuntur: Sic voluit Chriſtus in hoc caſo, & non in aliis.

Dico 3. (*ib. a. 1. ad 1.*) Conceditur a jure Bimeſtre conjugibus ad deliberandum de ingreſſu Religionis, intra quod tempus non tenentur reddere debitum petenti, quo tranſacto tenentur. Ita cap. *Ex publico*, de converſ. conjugat. Extra. l. 4. tit. 32.

Petes 1. An elapſo Bimeſtri, ſed non conſummato Matrimonio, poſſit adhuc conjux ingredi Religionem, &, ſi in ea profiteatur, diſſolvatur Matrimonium? R. non poſſe licite invita comparte, quia elapſo Bimeſtri tenetur reddere debitum petenti, ſicque non poteſt invita comparte licite profiteri Religionem, quæ eſt incompoſſibilis cum uſu Matrimonii. Videtur tamen, quod valide profiteretur & hac profeſſione diſſolveretur Matrimonium; quia jura & ſpecialiter Tridentinum in gratiam Religionis abſolute ſtatuunt per Profeſſionem Religioſam diſſolvi Matrimonium inconſummatum. Iſtud autem in caſu, etiamſi elapſo Bimeſtri, imo poſt 10. aut 20. annos, eſt inconſummatum. Ergo. Unde Bimeſtre non cenſetur ab Eccleſia conceſſum, niſi ut intra illud poſſit negari debitum petenti, ultra illud non poſſit.

Petes 2. Utrum conjux, qui non intendit ingredi Religionem, poſſit intra Bimeſtre negare debitum? Probabilius affirmative: quia licet nunc non intendat, poteſt tamen mutare animum, & utitur jure ſuo non ſini præcludendo aditum ad hunc ſtatum.

Petes 3. An uxor vi oppreſſa a marito intra Bimeſtre poſſit adhuc ingredi & profiteri Religionem? R. probabilius affirmative; quia per violentiam ſibi illatam non debet privari jure ſuo. In hoc tamen caſu Profeſſio Religioſa non ſolveret Matrimonium, quia eſt vere conſummatum. Unde pars manens in Sæculo non poteſt tranſire ad alias nuptias, niſi poſt mortem compartis. Dixi intra Bimeſtre, quia eo elapſo non habet amplius jus negandi debitum, ſicque conjux non facit ipſi injuriam, ſi etiam vi copulam extorqueat.

§. V. *Utrum ſummus Pontifex poſſit diſpenſare in Matrimonio Rato?*

SUPPONO tanquam certum, Papam non poſſe diſpenſare in Matrimonio conſummato; tum quia eſt indiſſolubile jure naturæ, in quo nihil poteſt ſummus Pontifex: tum quia Chriſtus dixit: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*; quod ad minus intelligi debet de matrimonio conſummato: tum denique quia nunquam id fuit attentatum ab ullo ſummo Pontifice, licet ſæpe fuerint rationes urgentiſſimæ diſpenſandi.

Dico. Probabilius eſt Papam non poſſe diſpenſare in Matrimonio rato. Prob. Papa non poteſt diſpenſare in iis, quæ ſunt juris divini, niſi conſtet ipſi a Deo eſſe conceſſum. Atqui indiſſolubilitas matrimonii rati eſt juris divini, ut ſuperius probatum eſt; nec conſtat ſive ex Scriptura, ſive ex Traditione, ſive ex ratione, facultatem in ea diſpenſandi eſſe ipſi a Deo conceſſam. Ergo. Prob. Min. Non ex Scriptura; nihil enim ex ea proferi poteſt, quod non æque probet facultatem diſpenſandi in matrimonio conſummato. Illud enim, *Quodcumque ſolveris*, &c. non magis probat facultatem diſpenſandi in matrimonio

rato,

Digitized by Google

rato, quam in conſummato; quod tamen fatentibus adverſariis eſt indiſpenſabile a Papa. Imo Scriptura contrarium docet his verbis: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*; quod non debet etiam intelligi de matrimonio rato, ut ſupra probatum eſt: cum Deus etiam matrimonium ratum conjungat. Non Traditione: nam ante Martinum V. qui obiit an. 1431. non legitur ullum Pontificem id attentaſſe. Non denique ratione, quæ enim poſſet aſſerri? Neceſſitas? At hæc quandoque magis urget pro diſſolutione matrimonii conſummati, quod tamen non obſtante manet indiſpenſabile a Papa.

Dices 1. Plures Pontifices diſpenſarunt in matrimonio rato, Martinus V. teſte S. Antonino 3. p. tit. 1. c. 21. Paulus III. & Pius IV. teſte Navarro in ſumma c. 22. Henriques l. 2. de Matrim. c. 8. refert Gregorium XIII. uno die diſpenſaſſe cum undecim. Item plures alii. R. His Pontificibus oppono Alexandrum III. in appendice Concilii III. Lateran. parte 6. c. 8. Innocent. III. c. *Ex parte* de converſ. conjug. & Nicolaum I. c. *Hi qui Matrimonium* cauſa 32. q. 7. qui hanc poteſtatem in ſe nec agnoverunt, nec admiſerunt. Priores itaque Pontifices ſecuti ſunt ſententiam, quam reputabant probabiliorem, & eatenus tutiorem, quod hac probabili facultate uterentur ad graviora mala avertenda; ſed ex Pontificum facto non neceſſario ſtatuitur jus certum, ſeu, ut dicit Dominic. Soto in 4. D. 27, q. 1. a. 4. *Factum Pontificum non facit articulum fidei*; præſertim cum ab aliis Pontificibus non admittitur. Idque ulterius patet ex ipſo Alexandro III. loco cit. c. 17. & 18. ubi fatetur nonnullos ex ſuis prædeceſſoribus cenſuiſſe matrimonium ratum dirimi per ſubſequens conſummatum, cujus ipſe contrarium reſolvit ibid. c. 8. Neque inde detrahitur quidquam infallibilitati ſummorum Pontificum: non enim dicuntur infallibiles, niſi cum loquuntur ex Cathedra, proponendo aliquod dogma toti Eccleſiæ credendum ſub anathemate.

Dices 2. Papa diſpenſat in votis. Ergo. R. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod poteſtas Papæ diſpenſandi in votis conſtet ex Traditione, non poteſtas diſpenſandi in matrimonio rato. Inſuper cum homines facile promittant, & facile eos pœniteat promiſiſſe, rariſſime autem occurrat neceſſitas diſpenſandi in matrimonio rato; longe magis expediebat ad pacificum Eccleſiæ regimen, ut Pontificibus concederetur facultas diſpenſandi in votis, quam in matrimonio rato. Adde iterum Deum facilius remittere jus ſibi, quam proximo acquiſitum.

Dices 3. Alexander III. in Appendice Concilii Lateranenſis p. 12. cap. 4. refertur partim cap. 2. de eo qui cognovit: jubet conjugium ratum, non conſummatum, cum puella, cujus Matrem ipſe Maritus poſtea cognovit, reſcindi, ſi crimen ſit publicum, ſecus ſi ſit occultum. En verba: *Quod ſi occultum eſſet hujus delictum, non poſſet reſcindere matrimonium, quod publice contractum eſſet; verum ſi publicum eſt, quod Matri ſponſæ carnaliter adhæſit, imponenda eſt pœnitentia paulo major quam de adulterio, & exinde peracta pœnitentia vel parte pœnitentiæ, poterit ex diſpenſatione cum alia matrimonium contrahere, & illa alii nubere. Cæterum ſi ſponſam cognoverit ante quam matrem vel poſt, nunquam poterit eam vel aliam in uxorem accipere.*

Quidam reſpondent ibi agi de ſponſalibus, non de Matrimonio propter hæc ultima verba, *Nunquam poterit eam* (quam intelligunt ſponſam) *vel aliam accipere*. Verum expreſſe loquitur Pontifex *de Matrimonio, quod publice contractum eſt*, per quod intelligi non poſſunt ſponſalia, maxime cum dicat: *Quod ſi delictum ſit occultum, non debeat reſcindi*, quaſi vero propter tale delictum etſi occultum non poſſent reſcindi ſponſalia. Unde hac reſponſione omiſſa, R. N. Ant. Non hoc dicit Pontifex, ſed dicit, quod ſi crimen ſit occultum, & matrimonium publicum, non debeant ſeparari neque quoad vinculum, neque quoad habitationem. Si vero crimen ſit publicum, non dicit, quod ſolvatur vinculum matrimonii, ſed quod debeat imponi pœnitentia marito nocenti, qua vel ejus parte peracta poterit diſpenſari cum eo, ut ducat aliam, & uxor alteri nubat, ſcilicet ille poſt mortem uxoris, & illa poſt mortem viri; in quo Pontifex relaxat rigorem antiquiorum Canonum, quibus conjugi reo prohibebantur ulteriores nuptiæ. Ac tandem dicit, quod ſi cognovit ſponſam ante vel poſt matrem, non poſſit eam, id eſt matrem, neque aliam ducere etiam uxore defuncta. Et ſane quis credat ipſum Pontificem, qui negat ſe poſſe diſpenſare in Matrimonio rato, ibidem diſpenſaſſe?

Dices 4. Extravag. *Antiquæ* de voto: Pontifex dicit votum ſolemnizatum in ſuſceptione Ordinis ſacri non dirimere Matrimonium ratum; *Quia neque jure divino, neque per ſacros Canones reperimus hoc ſtatutum*. Ergo ſupponit per ſacros Canones ſic poſſe ſtatui. R. N. Conſeq. Sic enim reſpondet Pontifex, non quod crederet id Eccleſiam poſſe, ſed ut rationem redderet in utraque ſententia, ſive quæ dicit id fieri poſſe auctoritate Eccleſiæ, ſive quæ negat. Quidam intelligunt ſacros Canones, non ut ſtatuentes jus, ſed ut explicantes jus divinum.

§. VI. *De Divortio, per Quæſtiunculas.*

Divortium eſt ſeparatio conjugum. Dicitur enim a divertendo, eo quod conjux divertat a conjuge. Triplex diſtingui poteſt conjugum ſeparatio, una quoad vinculum, de qua huc uſque diximus, altera quoad Torum tantum, tertia quoad Torum & cohabitationem, quæ proprie divortium dicitur, de quibus hic quærimus. Unde

Petes 1. Utrum poſſit fieri divortium propter adulterium alterius conjugis? R. affirmative, (*Supp. q. 62. a. 1. o.*) exceptis quibuſdam caſibus: quia Chriſtus Matth. 5. & 19. docens non eſſe dimittendam uxorem, excipit caſum fornicationis ſeu adulterii: & quamvis loquatur tantum de viro, id tamen etiam intelligitur de muliere, (*Ib. a. 4. q. 2.*) quia paria ſunt jura viri & mulieris quoad torum. Ratio reſponſionis eſt, quia ex jure naturali non eſt obligatio ſervandi fidem illi, qui eam frangit. Nomine autem fornicationis ſeu adulterii intelliguntur alia peccata graviora in eodem genere, ut ſunt Beſtialitas & Sodomia ſaltem completæ, ſcilicet cum ſeminatione intra vas ſive ordinarium ſive extraordinarium; quia alias non cenſetur diviſio carnis; licet alii exiſtiment ſufficere pollutionem; idque videtur declaratum cap. Idololatria 28. qu. 1. & S. Th. hic ad 4. dicit: *Etiam propter vitium contra naturam poteſt procedi ad divortium*. Sed dubium eſt, an per vitium contra naturam intelligat hic pollutionem; quia dicit, quod *rarius accidat*; dici autem non poteſt, quod pollutio rarius accidat, quam adulterium. Cæterum praxis favet primæ opinioni.

Dixi; (*Ibid. a. 1.*) *exceptis quibuſdam caſibus*. Septem recenſet Auctor, in quibus vel uxor immunis eſt a culpa, vel uterque eſt culpabilis. Primus eſt, ſi compars ſimiliter adulterata fuerit c. *Ex Litteris* de divortiis; quia tunc eſt injuriæ compenſatio. Nec refert, quod unus tantum ſemel, alter vero pluries adulteratus fuerit, neque quod unus ſimplex adulterium, alter Sodomiam aut Beſtialitatem commiſerit; quia jura attendunt ad fidei fractionem & carnis diviſionem, quæ utrobique reperitur. Intellige tamen, niſi poſt mutuam condonationem & reconciliationem alter in adulterio perſeveret, tunc enim datur locus divortio. Secundus, ſi vir uxorem proſtituerit, aut proſtitutionis fuerit particeps, ei conſentiendo, vel eam tolerando, cum poſſet commode impedire; ipſe enim ſibi debet imputare; non tamen ſi cauſam tantum adulterandi remotam dederit, ut habetur expreſſe c. *ſignificaſti* de divortiis, a fortiori, ut videtur, ſi tantum debitum negaverit. Tertius, ſi uxor virum ſuum probabiliter mortuum credens propter longam ejus abſentiam alteri nupſerit; c. *Cum per bellicam* cauſa 34. q. 1. Quartus, ſi latenter cognita fuerit ab aliquo ſub ſpecie viri lectum ſubintrante. Quintus, ſi fuerit vi oppreſſa. Sextus, ſi reconciliavit eam ſibi, ſive verbis ſinceris, ſive factis, ut copula, oſculis, amplexibus animo reconciliationis exhibitis cum notitia ſui juris. Septimus, ſi matrimonium in infidelitate utriuſque contracto vir dederit uxori libellum repudii, & uxor alteri nupſerit, tunc enim ſi uterque convertatur, tenetur vir eam recipere.

Petes 2. Utrum non ſolum liceat, ſed etiam debeat ex præcepto fieri divortium propter adulterium alterius conjugis? R. (*Ib. a. 2. o. & ad 1.*) Si adulter non pœniteat, nec poſſit verbis aut verberibus corrigi, & prudenter credatur per dimiſſionem corrigendus, debet dimitti: alioquin alter *Patronus turpitudinis & lenocinii reus habetur c. apud miſericordiam* cauſa 32. q. 1. &c. *Si vir de* adulteriis, deeſtque debito charitatis erga compartem omittendo media ejus correctioni neceſſaria. Cum tamen rarum ſit, quod vir propter dimiſſionem ſe corrigat, rarum eſt etiam, quod uxor virum, etſi non emendatum, dimittere teneatur. Extra hunc caſum non tenetur pars innocens dimittere compartem adulteram, quia cum dimiſſio adulterantis ſit præcepta ad ejus correctionem, ſi pœniteat, aut alio modo poſſit corrigi, ceſſat obligatio dimittendi. Poteſt tamen attenta juſtitia dimittere, ſed charitas non ſuadet, maxime ſi agatur de dimiſſione uxoris, cum per dimiſſionem detur ei occaſio adulterandi.

Petes 3. Utrum præter adulterium ſint aliæ cauſæ divortii? R. eſſe alias, ut contra Hæreticos expreſſe definit Trid. Seſſ. 24. Can. 8. Prima eſt ſævitia conjugis tanta, ut alter ſine periculo cohabitare non poſſit. Ita c. *Litteras*. De Reſtit. Spol. & c. *Tranſmiſſa* ibid. Ad hanc cauſam reducuntur odium implacabile, verbera, continua jurgia, aut convitia, item morbus contagioſus, gravis infamia, quæ redundaret in compartem cohabitantem; item ſi unus dilapidet omnia bona, & ſimilia. Secunda eſt, ſi pars compartem pertrahat, aut ſollicitet ad peccatum mortale. Dicit enim Chriſtus Matt. 18. *Si manus tua vel pes tuus* (id eſt quæcumque res tibi maxime neceſſaria) *ſcandali-*

zat

zat te, *abſcinde eum, & projice abs te.*; & ſi periculum ſit in mora, poteſt propria auctoritate dimittere aut diſcedere, donec detur locus conveniendi Judicem. Tertia (*Ib. a. 1. ad 3.*) eſt hæreſis ſeu infidelitas compartis, juxta illud Apoſtoli ad Tit. 3. *Hæreticum hominem poſt unam & ſecundam correptionem devita.* Ratio eſt, quia infidelitas eſt fornicatio ſpiritualis contra bonum prolis, ſcilicet educandæ ad cultum Dei. Eſt tamen diſparitas, quod propter unum actum fornicationis carnalis poteſt procedi ad divortium, non autem propter unum actum infidelitatis, ſed propter conſuetudinem, quæ pertinaciam oſtendit, in qua infidelitas perficitur. Si ſit periculum in mora, idem dicendum ac de priori caſu.

Quidam exiſtimant, quod infidelitas non ſit cauſa ſufficiens divortii, ſi infidelis nec verbo nec exemplo compartem inducat in hæreſim; quia in c. *Quæſivit* de Divortiis dicitur: *Si conjugem ſuam ad infidelitatis maleficium traxerit, a viro poterit ſeparari.* Ergo ſi non traxerit, non poterit ſeparari. Verum negari poteſt Conſequentia, jus enim ibi exprimit, quid liceat, ſi traxerit, tacet autem, quid liceat, ſi non traxerit; quod exprimunt alia jura ſtatuendo abſolute & ſine hac conditione, infidelitatem ſufficere ad divortium c. ult. de Converſ. Conjug. c. *Illa* de Divortiis & c. *Non ſolum* cauſa 28. qu. 1. Aliunde ſemper imminet periculum vel perverſionis in conjuge, vel infectionis in prolibus; ſerpit enim hæreſis ut cancer. Si quæras caſu, quo unus ſit hæreticus & alter adulter, fiat compenſatio, ita ut neuter alterum poſſit dimittere? R. in jure non ſtatui compenſationem in hoc caſu. Quod ſi uterque eſſet hæreticus, poſſet forte per Sententiam Judicis compenſatio ſtatui.

Petes 4. Qua auctoritate poſſit & debeat fieri divortium? R. 1. (*Ibid. a. 3. c.*) Divortium quoad torum tantum poſſe fieri auctoritate privata, ubi parti certo conſtat de alterius adulterio, ita ut non teneatur debitum reddere exigenti, etiamſi per cenſuram compellatur; quia Judex Eccleſiaſticus fundatur in falſa præſumptione innocentiæ alterius. Excipe, niſi ſit ſcandalum, forte quia alii ſuſpicantur contemni Cenſuras aut Eccleſiæ præceptum, quod raro eſt, cum redditio debiti in ſecreto agatur. Et hoc ſenſu intelligendus eſt Auctor hic, quando dicit, *niſi per Eccleſiam compellatur*, ratione ſcilicet ſcandali. Ratio reſponſionis eſt, quia per adulterium adulter amiſit jus ad debitum: & iſta actio non eſt publica, quæ indigeat auctoritate publica. R. 2. (*Ibid.*) Divortium publicum quoad cohabitationem propter adulterium occultum fieri non poteſt niſi judicio Eccleſiæ. Ita c. *Sæculares*, cauſa 33. q. 2. ex Concilio Agath. c. 25. ubi excommunicantur mariti, qui privata auctoritate dimittunt uxorem adulteram, *antequam diſſidii cauſas dixerint, & priuſquam in judicio damnentur uxores*. Ratio eſt, quia hujuſmodi divortium eſt actio publica pertinens ad externam gubernationem, quæ ideo abſque perturbatione & ſcandalo fieri non poteſt privata auctoritate. Adde, quod etiam non liceat privata auctoritate aliquem publice diffamare.

Dixit 1. *Divortium publicum*: quia multi volunt, quod maritus certus de adulterio ſuæ conjugis poſſit ſine ſtrepitu & occulte eam deſerere ſub prætextu peregrinationis, militiæ, mercaturæ, aut alio ſimili. In cujus confirmationem adducunt exemplum S. Joſeph, qui B. Virginem uxorem ſuam voluit occulte dimittere. Verum ex altioribus hoc factum excuſat Auctor his verbis: (*Ib. ad 2.*) *Joſeph voluit Virginem dimittere, non quaſi ſuſpectam de fornicatione, ſed ob reverentiam ſanctitatis ejus, timens cohabitare ei. Nec tamen eſt ſimile, quia tunc ex adulterio non ſolum procedebatur ad divortium, ſed ulterius ad lapidationem, non autem nunc quando agitur judicio Eccleſiæ.*

Dixi 2. propter adulterium occultum: quia probabilis eſt plurium opinio, quod ubi adulterium eſt ita publicum, quod nulla tergiverſatione celari poſſit, ut ſi mulier poſt unum aut alterum annum abſentiæ mariti pariat aut ſit gravida, liceat marito non expectata Judicis ſententia illam dimittere; quia tunc ceſſat periculum perturbationis ſcandali, & diffamationis; idque videtur ſignificari c. *Significaſti* de divortiis, ubi dicitur: *Si notorium eſt mulierem ipſam adulterium commiſiſſe, ad eam recipiendam vir, qui illam dimiſerat, cogi non debet*; & c. *Ex parte*, de ſponſal. *Nemini licet uxorem niſi ex manifeſta cauſa fornicationis dimittere*. Ergo licet, ſi manifeſta ſit fornicatio. Idque videtur innuere Auctor, dum, poſtquam dixit virum non poſſe dimittere uxorem adulteram niſi judicio Eccleſiæ, addit; *Niſi poſſet incontinenti fornicationem probare*. His non obſtantibus vix credo Eccleſiæ probari divortium publicum, factum ex quacumque cauſa, abſque auctoritate.

Petes 5. Utrum conjux innocens teneatur nocentem emendatum, redire petentem, recipere? R. quod ſi divortium ſit ex judicio Eccleſiæ factum abſolute, & non ad tempus, non teneri ex juſtitia, quia per ſententiam Judicis eſt ab onere conjugali abſolute liberatus. Unde poteſt aſſumere ſtatum incompoſſibilem cum uſu Matrimonii: ut Religionem vel Ordinem ſacrum. Si tamen reuſio ſit nocenti ſalutifera, & innocenti non graviter incommoda, charitas exigit, ut recipiatur.

Petes 6. Utrum conjux nocens teneatur, divortio etiam juridice facto, ad conjugem innocentem eum revocantem redire abſque nova Judicis ſententia? R. affirmative: *Quia*, inquit Auctor, (*Ib. ad 2.*) *illud, quod inducitur in favorem viri* (idem dic de muliere), *non aufert ei jus petendi debitum, vel revocandi uxorem. Unde uxor tenetur ei reddere, & ad eum redire, ſi fuerit revocata.*

DIGRESSIO HISTORICA.

De libello repudii apud Judæos,

AD PRÆCED. DISSERT.

LIBELLUS repudii apud Judæos ſcripto ſub hac forma tradebatur, *Ego Rabbi N. filius Rabbi N. filii Rabbi N. die 3. menſis ſecundi, anno a creatione mundi, &c. hic & in hac Civitate ex animi mei conſenſu & ſine ulla coactione, repudiavi Rachel filiam Rabbi N. filii Rabbi N. & dedi illi libellum repudii in manu, Schedam abſciſſionis & ſignaculum diviſionis, ut ſit a me abjecta, & abeat quocumque voluerit, ducique poſſit ab omni viro, nec eam quiſquam prohibere præſumat juxta Conſtitutionem Moyſis & Iſrael.* Sic ſaltem circumfertur. Brevior apud Romanos erat forma libelli repudii, hæc nempe: *Res tuas tibi habeto*: vel, *res tuas tibi agito.*

Ut cenſeretur legitimus libellus repudii apud Judæos, 1. debebat ſcripto dari, & a Scribis publicis ſcribi, tum ut ex mora ſcribendi tardior eſſet maritus ad repudiandum, & locus daretur iræ: tum ut Scriba expenderet cauſas repudii, & ſi injuſtas deprehenderet, denegaret libellum repudii, & ad pacem redintegrandam conaretur. Cauſas repudii Scriptura non exprimit, niſi ſub vocabulo communi *fœditatis* ſcilicet ſpiritualis vel corporalis. 2. Debebat ipſi repudiatæ dari. 3. Non debebat dari niſi ex legitima cauſa, quam tamen exprimere in libello non erat neceſſe.

Quæſtio eſt, utrum repudium apud Judæos fuerit licitum, & per illud diſſolveretur vinculum matrimonii, ita ut uxor repudiata poſſet licite & valide alteri nubere? An e contra eſſet tantum impune toleratum ut minus malum ad præcavenda majora mala, ſcilicet uxoricidia, in quæ valde erant propenſi Judæi, ita ut per illud non ſolveretur vinculum matrimonii, & repudiata non poſſet licite & valide alteri nubere? Utramque ſententiam ut probabilem ſuſtinet & utriuſque argumenta ſolvit S. Th. hic q. 67. a. 3. & 4. dicitque ſecundam ſententiam eſſe ſuo tempore communiorem, eamque tenet Hieronymus l. 1. comment. in Matth. c. 5. Videtur tamen hodie prima ſententia communior, pro qua

Dico. Probabilius videtur libellum repudii apud Judæos, Deo diſpenſante, fuiſſe licitum, eoque diſſolvi vinculum matrimonii, ita quod mulier repudiata poſſet licite & valide alteri nubere. Prob. 1. ex ipſa lege repudii Deut. 24. ubi Moyſes ſic ſtatuit: *Si acceperit homo uxorem & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, ſcribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo ſua, cumque egreſſa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii & dimiſerit de domo ſua, non poterit prior maritus recipere eam in uxorem.* Atqui hæc verba in ſenſu naturali & obvio non important ſolum permiſſionem ſeu tolerantiam minoris mali ad evitandum majus, ſed veram permiſſionem juris, qua res ſit licita, licet minus bona, & matrimonium inde ſecutum ſit validum. Nam 1. dicit: *Dimittet eam*, quod non poſſet dici, ſi id eſſet illicitum, ſicut nunc dici non poteſt: *Si vir odio habuerit uxorem, dimittat illam*; quia hoc nunc eſt illicitum. 2. Virum ſecundum vocat maritum; non eſſet autem maritus, ſi primum matrimonium ſubſiſteret, & ſecundum eſſet nullum. 3. Dicit, quod ſi is quoque oderit eam, dabit etiam illi libellum repudii; ſolus autem maritus poterat dare libellum repudii, ſubſumo. Atqui ſecundum Regulam ab Aug. traditam l. 2. de Doct. Chriſt. c. 10. verba Scripturæ, quantum fieri poteſt, intelligenda ſunt in proprio & obvio ſenſu, præſertim in legibus, quæ clare debent exprimi, ne detur anſa continuis prævaricationibus, ut hic contigiſſet; nec Moyſes alibi, cum exponeret res vere licitas & non ſolum toleratas, aliter loqueretur. Ergo. Confirm. Per hanc legem prior vir prohibebatur recipere uxorem repudiatam. Atqui ſi non eſſet diſſolutum primum matrimonium, non erat prohibendum, ſed potius optandum, ut uxor ad priorem & unicum maritum rediret, ne perſeveraret in adulterio. Ergo.

Prob. 2. (*Supp. q. 67. a. 3. c.*) Lex vetus, quamvis gratiam non conferret, tamen ad hoc data erat, ut peccatum oſtenderet,

Digitized by Google

deret, ut communiter SS. Patres docent. Unde ſi Judæi repudiando uxorem peccaſſent, hoc ſaltem eis per legem aut Prophetas indicari debuiſſet juxta illud Iſaiæ 58. *Annuntia populo meo ſcelera eorum*; alias viderentur nimis eſſe neglecti, ſi ea, quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem, quæ non cognoſcebant, numquam eis nuntiata fuiſſent, quod non poteſt dici, cum juſtitia legis tempore ſuo obſervata vitam mereretur æternam. Hæc & bene S. Doctor. Subſumo. Atqui nunquam per legem aut Prophetas fuit nunciatum Judæis eos peccare repudiando uxores, & repudiatas peccare nubendo alteri viro; quin e contra lege lata id fuit eis permiſſum. Ergo. Confir. Quando in lege quædam permittuntur ſeu tolerantur ut minus mala, alibi redarguuntur, ut patet de uſuris, quæ Judæis permittebantur erga alienigenas, & quæ reprehenduntur Ezech. 18. & Pſ. 14. nullibi autem, ut dictum eſt, reprehenduntur Judæi, quod uxores repudiarent; & quod repudiatæ nova conjugia inirent. Ergo.

Quantum ad S. Th. jam diximus ipſum utramque ſententiam deſendere ut probabilem, & 3. cont. Gent. videtur inclinare in ſententiam noſtram oppoſitam. Sed in c. 9. Matth. dicit, quod *licet repudium inordinatum quid eſſet, noluit tamen Deus, quod Judæis imputaretur ad culpam*, quia ſcilicet in eo diſpenſaverat; & 1. 2. q. 102. a. 5. ad 3. dicit, quod Matrimonium in veteri lege non erat Sacramentum conjunctionis Chriſti cum Eccleſia; *Quia dabatur in ea libellus repudii*, quod eſt contra rationem Sacramenti; ſi vero non diſſolveret Matrimonium quoad vinculum, ſed ſolum quoad cohabitationem, non eſſet contra rationem Sacramenti, ſi quidem nunc divortium diſſolvat Matrimonium quoad torum & cohabitationem, & tamen non eſt contra rationem Sacramenti. Neque obſtat, quod 1. 2. q. 105. a. 4. ad 8. dicat repudium non fuiſſe *Simpliciter juſtum* & p. 108. a. 3. ad 2. non eſſe *Per ſe juſtum*: ſic enim loquitur, partim quia ortum habebat ex duritia cordis, partim quia attenta rei natura non erat juſtum & licitum, ſed ex ſola diſpenſatione divina id conſequebatur. Immerito itaque quidam adverſariorum præſumunt, quod ſi S. Doctor Summam abſolviſſet, in eorum ſententiam deſcendiſſet. Econtra potiori jure præſumitur quod noſtram ſententiam amplexus fuiſſet, aut ſaltem quod hanc quæſtionem problematice tractaſſet, ſicut fecit in comment. in lib. ſentent.

Obj. 1. Chriſtus Matth. 19. Phariſæis interrogantibus de libello repudii reſpondet, Moyſem ipſis eum permiſiſſe propter duritiam cordis eorum. Atqui duritia eorum non excuſat eos a peccato. Ergo videtur, quod Moyſes illis tantum permiſerit libellum repudii, non ut licitum, ſed ut minus malum, quod poſſet fieri abſque punitione ad præcavenda graviora mala, ſicut permiſit illis fœnerari extraneis, ne fœnerarentur fratribus. R. (*ibid. ad* 4.) quod quamvis duritia non excuſaret a peccato, tamen permiſſio ex duritia ſeu ejus occaſione facta excuſat. Quædam enim prohibentur ſanis, quæ non prohibentur infirmis corporaliter, nec tamen infirmi peccant permiſſione ſibi facta utentes. Ad paritatem de uſuris, diſparitas eſt, quod uſuræ alibi in lege reprehendantur ut illicitæ, nullibi libelus repudii reprehenditur ut illicitus. Si dicas his verbis Malach. 2. *Cum odio habueris, dimitte*, juxta plures interpretes, Deum ironice carpere repudium, quod patet ex verbis immediate ſequentibus, *Operiet autem iniquitas veſtimentum ejus*, nempe repudiantis. R. ibi agi ut patet ex terminis, de repudio ex ſolo odio, ſine cauſa legitima, quod licet ſecundum aliquos eſſet validum, erat tamen illicitum.

Inſt. Non eſt veriſimile Deum diſpenſaſſe generaliter in lege naturæ, niſi propter aliquem finem honeſtum; ſic dum diſpenſavit in lege Monogamiæ, habebat pro fine multiplicationem generis humani. Atqui hic non aſſignatur alius finis libelli repudii, quam duritia cordis. Ergo. R. indulgentiam Dei, qua volebat conſulere fragilitati Judæorum, fuiſſe cauſam ſufficientem, ut permitteret illis libellum repudii.

Obj. 2. Deuteron. 24. uxor repudiata, quæ alteri nupſit dicitur *Polluta & abominabilis coram Deo*. Ergo. R. (*Ib. a. 4 ad* 5.) dici pollutam & abominabilem coram Deo, non immunditia culpæ, ſed cujuſdam irregularitatis legalis, ſicut immundus dicebatur, qui mortuum vel leproſum tetigerat; & ideo non licebat Sacerdotibus viduam aut repudiatam ducere. Inſuper juxta textum Hebræum & Græcum legitur! *Quoniam hoc* (redire ſcilicet ad priorem virum) *eſt abominatio coram Domino*; quia libellus repudii datus, ſic ut repudiata poſſet redire ad priorem virum, ſapuiſſet Lenocinium, quaſi mulier ad tempus eſſet alteri commodata, idque præbuiſſet occaſionem Judæis facilius repudiandi uxores ſuas.

Inſt. Jerem. 3. Mulier repudiata & alteri nupta comparatur fornicariis. Ergo. R. Deum illic arguere a minori ad majus, & ſignificare tantum, quod licet lex non permitteret recipere mulierem repudiatam, ipſe tamen ex ſingulari miſericordia reciperet in gratiam populum Iſrael poſt multas fornicationes cum amatoribus ſuis, id eſt poſt iteratam Idololatriam, quamvis eſſet major ratio ipſum rejiciendi, quam mulierem repudiatam.

Obj. 3. Aug. lib. de bono conjug. cap. 8. dicit in libello repudii magis apparuiſſe exprobrationem divortii, quam approbationem; & c. 18. *Sicut duobus*, inquit, *pluribuſque ſervire, ſic a viro vivo in alterius tranſire connubium, nec tunc licuit, nec nunc licet, nec unquam licebit*. Ergo. R. ad 1., etſi in libello repudii apparuerit exprobratio divortii, quia ſcilicet non permittebatur tanquam ex natura ſua bonus, ſed ut bonus & licitus ex diſpenſatione, nihilominus permittebatur; ſicut, licet Judæis petentibus Regem, in ejus inſtitutione apparuerit exprobratio novi regiminis; dixit enim Deus Samueli, *Non te abjecerunt, ſed me*; nihilominus Rex fuit inſtitutus, & novum regimen, priore extincto, fuit erectum. Ad 2. palam eſt Aug. loqui ſecluſa Dei diſpenſatione; non ignorabat enim ex divina diſpenſatione, etiam in nova lege, Matrimonium Infidelium etſi conſummatum diſſolvi per converſionem alterius ad fidem, & Matrimonium ratum fidelium per Profeſſionem Religioſam.

DISSERTATIO VI.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII IN COMMUNI.

Div. Thom. Quæſt. 50.

ARTICULUS I.

Quot & quæ ſint impedimenta Matrimonii in communi?

DIco. (*Supp. q. 50. a. unic.*) Impedimenta Matrimonii ſunt duplicis generis, ſcilicet prohibentia ſeu impedientia tantum, & dirimentia. Prohibentia ſeu impedientia tantum dicuntur, quæ impediunt, ne Matrimonium contrahatur licite, licet valide. Impedimenta dirimentia ſunt, quæ impediunt, ne valide contrahatur, ita ut contractum cum hujuſmodi impedimento ſit nullum, & ideo debet dirimi ſeu diſſolvi. Quamvis autem (*Ib. ad* 1.) alia Sacramenta etiam impediri poſſint, ſi aliquid, quod ſit de eorum eſſentia vel ſolemnitate, ſubtrahatur, ſpecialiter tamen aſſignantur impedimenta pro Matrimonio; tum quia non ſolum eſt Sacramentum, ſed etiam contractus; contractus autem a natura, lege, variiſque aliis impediri poteſt; tum quia requirit pro materia duorum contrahentium actus.

Impedimenta impedientia tantum numerantur quinque, his verſibus comprehenſa:

Eccleſiæ vetitum, nec non tempus feriatum,
Atque Catechiſmus, ſponſalia, jungito votum.

Plura olim fuerunt orta ex crimine, ſed hæc, ſicut Catechiſmus, qui erat quædam cognatio ſpiritualis orta ex Catechiſmo prævio ad Baptiſmum, deſuetudine abrogata ſunt. S. Thomas hic numerat tantum duo, ſcilicet Eccleſiæ vetitum, & tempus feriatum, quia alia reducuntur ad impedimenta dirimentia, tamquam imperfectum ad perfectum ſui generis, ſponſalia ad ligamen, votum ſimplex ad votum ſolemne, Catechiſmus ad cognationem perfectam, cætera ad crimen.

Impedimenta dirimentia olim numerabantur tantum duodecim, ſed jure novo Trid. addita ſunt duo, ſcilicet clandeſtinitas & raptus. Unde nunc ſunt quatuordecim his verſibus comprehenſa:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus diſparitas, vis, ordo, ligamen, honeſtas,
Si ſis affinis, ſi clandeſtinus & impos,
Raptave ſit mulier, parti nec reddita tutæ:
Hæc ſocianda vetant, connubia facta retractant.

Congruentiam numeri duodenarii adfert hic S. Doctor. Vide ſi lubet.

Cum circa impedimenta impedientia vix ullæ ſint difficultates, ea hic breviter explicabimus.

Per *Eccleſiæ vetitum* intelligitur prohibitio, qua Papa vel Epiſcopus, aut Parochus, aut Judex Eccleſiaſticus prohibet ex juſta cauſa matrimonii celebrationem. Et hæc prohibitio poteſt eſſe vel generalis, ut cum Eccleſia prohibet

hibet celebrare matrimonium ſine prævils denuntiationibus aut earum diſpenſatione ; vel particularis, ut cum aliquibus prohibetur matrimonium contrahere ex ſpeciali cauſa, v. gr. ut vitetur ſcandalum, ut dignoſcatur impedimentum, de quo dubitatur, &c. videturque talis Eccleſiæ prohibitio graviter obligare: tum quia res eſt gravis ; tum quia contravenientes gravibus pœnis mulctat c. a. de matrim. contracto.

Per *Tempus feriatum* intelligitur certum anni tempus, quo Eccleſia prohibet celebrari nuptias, quod licet olim pretenſius foret, nunc tamen poſt Trid. ſeſſ. 24. c. 10. de reform. matrimonii, eſt tantum ab Adventu uſque in diem Epiphaniæ, & a die Cinerum uſque ad octavam Paſchæ incluſive. Porro his temporibus non prohibetur ab Eccleſia celebrare matrimonium ſimpliciter, ſed tantum cum ſolemnitatibus, quales ſunt nuptias ſolemniter benedicere, traducere palam ſponſam, nuptialia convivia celebrare: ut patet tum ex textu Trid. tum ex declaratione Cardinalium Concilii Trid. interpretum, tum ex Rituali Rom. Quia tamen homines carnales vix ab his ſolemnitatibus abſtinere poſſunt, quovis tempore matrimonium ineunt ; ideo in quibuſdam Diœceſibus in Adventu & Quadrageſima matrimonii celebratio ſimpliciter prohibetur ſine licentia Epiſcopi ; & qui huic Eccleſiæ ordinationi contradicit ſolemniter matrimonio celebrando præfatis temporibus, videtur peccare mortaliter tum ratione inobedientiæ, tum ratione ſcandali.

Utrum vero interdictum generale, ſeu particulare, quod eſt cenſura Eccleſiaſtica, ſub hoc vel præcedenti impedimento contineatur? Reſpondent negative plures graves Auctores, Navarrus, Toletus, Sa, Vivaldus citatus a Sylvio, item Gonet, Genuo, &c. Unde juxta illos licitum eſt illo caſu & tempore celebrare matrimonium, modo tamen id fiat ſine ſolemnitate. Cum enim, inquiunt, matrimonium ſit res ardua, & ad quod homines habent a natura & inclinationem, & plenum jus, non eſt præſumendum Pontifices velle illud prohibere quoad ſubſtantiam per interdictum locale vel perſonale abſolutum, niſi de eo expreſſam faciat mentionem. Et hoc eſt probabile.

Per *Sponſalia* intelligitur promiſſio futurarum nuptiarum facta uni, quæ, niſi prius ex juſta cauſa diſſolvatur, impedit, ne cum altero, vel altera licite contrahatur matrimonium. Dixi *Licite*, valide enim contraheret, niſi ſponſalia eſſent cum ſorore illius, quacum per verba de præſenti contrahit, propter impedimentum publicæ honeſtatis. Qui contrahit cum tali impedimento, peccat mortaliter. Per *Votum*, intelligitur votum ſimplex vel caſtitatis, vel Ordinis ſacri ſuſcipiendi, vel Religionis ingrediendæ, vel non nubendi. Unde tali voto obſtrictus non poteſt ſine peccato mortali contrahere matrimonium, valide tamen contraheret : quia votum ſimplex eſt tantum promiſſio proprii corporis facta Deo ad continentiam ſervandam : res autem promiſſa manet adhuc ſub dominio promittentis, & poteſt valide, licet illicite, ab eo alteri donari. De quo fuſius infra. In his quatuor impedimentis nunc vigentibus Epiſcopus poteſt diſpenſare, excepto voto ſimplici caſtitatis & Religionis ingrediendæ.

ARTICULUS II.

Quis poſſit ſtatuere impedimenta dirimentia Matrimonium?

DIco. Eccleſia poteſt ſtatuere impedimenta dirimentia matrimonium. Prob. 1. Ex Trid. ſeſſ. 24. Can. 4. ſic definiente contra Lutheranos : *Si quis dixerit Eccleſiam non potuiſſe conſtituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis conſtituendis erraſſe ; anathema ſit.* Idem Can. 3.

Reſpondet Launoius, per Eccleſiam intelligendos eſſe Reges & Principes ſæculares. Sed contra. 1. Quia omnes, vel ipſi pueri leviter inſtructi, per Eccleſiam intelligunt ſocietatem fidelium ſub regimine priorum Paſtorum ſpiritualium, non Principes ſæculares, niſi quatenus ſunt & ipſi ſicut alii fideles membra privata ejuſdem ſocietatis. Et dum leges dicuntur latæ ab Eccleſia, nemo eſt, qui non ſtatim intelligat primos Paſtores, per quos Eccleſia loquitur, non Principes ſæculares. Unde abſurda prorſus eſt, & communi ſenſui repugnans hæc Launoii reſponſio. 2. Concilium *Eccleſiam* intelligit eo ſenſu, quo intelligebat Lutherus, quem ibi damnat, alias nihil definiret contra ipſum. Atqui quando Lutherus negabat Eccleſiam poſſe ſtatuere impedimenta matrimonii, non intelligebat per *Eccleſiam* Principes ſeculares, ſi quidem eos ſolos aſſerebat poſſe hujuſmodi impedimenta ſtatuere, ſed intelligebat Superiores ſpirituales, & Paſtores Eccleſiæ. Ergo.

Prob. ex perpetua traditione, & praxi Eccleſiæ. Concilium Eliberit. an. 315. ſecundum alios 305. can. 15. 16. 61. & 66. ſtatuit non poſſe iniri conjugia cum infidelibus aut hæreticis, nec cum ſorore uxoris. Concilium Ancyran. an. 314. can. 11. irritat matrimonium viri cum puella a ſe rapta. Concilium Neocæſarienſe eodem an. can. 1. confirmat impedimentum Ordinis. Concilium Agathenſe an. 506. ca. 61. ſtatuit diverſos gradus conſanguinitatis & affinitatis dirimentes matrimonium. Concilium Lateran. IV. an. 1215. cap. 50. impedimenta conſanguinitatis ad 4. gradum contraxit. Quantum ad Patres : Tertullianus de corona militis cap. 14. & toto libro ad uxorem docet conjugia cum Ethnicis eſſe prohibita. Aug. l. 15. de civit. c. 16. ſic ſcribit : *Quis dubitet honeſtius hoc tempore etiam conſobrinarum prohibita eſſe conjugia?* Gregorius Magnus l. 12. Ep. Ep. 31. ad Auguſtinum Anglorum Epiſcopum dicit non eſſe attendendum ad Legem Romanorum permittentem matrimonia in 2. gradu, ſed tantum poſſe iniri in 3. & 4. gradu. Nicolaus I. ſæc. 9. ad conſulta Bulgar. c. 39. conſanguinitatis gradus ſtatuit, inter quos matrimonium contrahi non poſſit, Ergo.

Reſpondent Eccleſiam uſurpaſſe hanc poteſtatem in præjudicium poteſtatis Regiæ. At dicant velim, quis primus Pontificum hanc poteſtatem uſurpavit? Quis Principum ſæcularium reclamavit? Quin e contra hanc in Eccleſia auctoritatem ipſimet agnoverunt & venerati ſunt. Enimvero, & hinc corroboratur probatio, Vigilius, qui ſedit an. 540. irritavit matrimonium Theodeberti Francorum Regis cum vidua Fratris ſui. Leo III. renuntiatus Pontifex an. 795. diremit matrimonium Henrici I. Caſtellæ Regis cum filia Regis Luſitaniæ propter impedimentum conſanguinitatis. Gregorius V. creatus Pontifex an. 996. irritum pronuntiavit matrimonium inter Robertum Regem Galliæ & Bertam ejus conſanguineam. Chilpericus in cap. editis an. 595. art. 2. & Carolomannus in Congreſſu Liptinenſi cap. 3. jubent, ut inceſtuoſa matrimonia judicio Epiſcoporum emendentur. Idem Carolus M. l. 5. Capit. num. 5. & 7. quod confirmavit exemplo repudians poſt ſententiam Epiſcoporum Bertam filiam Regis Longobardorum propter inhabilitatem ad generationem. Denique id liquido apparuit in Concilio Trident. cum Oratores Galliarum inſtanter nomine Regis poſtularunt, ut per ſacrum conſeſſum matrimonia clandeſtina & filiorumfamilias ſine conſenſu Parentum irritarentur, quorum primum conceſſit ſacra Synodus, ſecundum denegavit.

Prob. 3. Ratione. Chriſtus inſtituendo Eccleſiam illi contulit poteſtatem condendi leges optimo & ſancto ejus regimini neceſſarias, ſicut decet omnem Rempublicam bene ordinatam. Atqui nemo negat, quin bono communi & ſancto Eccleſiæ regimini apprime neceſſarium ſit impedire matrimonia, ex quibus oriantur graviſſima inconvenientia in animarum perniciem, atque in everſionem boni communis, & publicæ tranquillitatis. Ergo. Confir. Omnis Reſpublica civilis habet poteſtatem ſtatuendi impedimenta irritantia contractus, ubi id exigit bonum publicum, idque ipſi Calviniſtæ fecerunt circa contractus matrimoniales, ut conſtat ex ſtatutis Eccleſiæ Genevenſis. Quidni hanc poteſtatem a fortiori haberet Eccleſia? Nomine Eccleſiæ intelligitur Papa & Concilium generale, quia ad eos præcipue ſpectant, quæ ad Eccleſiæ tranquillum regimen ſunt neceſſaria, Epiſcopus autem quamvis forte vi ſuæ Juriſdictionis pro ſua Diœceſi, & Concilium Nationale pro natione poſſint ſtatuere impedimenta matrimonium dirimentia, antiqua tamen & univerſali Eccleſiæ conſuetudine hæc poteſtas videtur eis adempta.

Dices. Eccleſia non poteſt mutare materiam Sacramenti. Ergo. R. Hoc argumentum jam prius eſſe ſolutum, & iterum infra fore ſolvendum, dum de clandeſtinitate. Interim breviter nunc dico per appoſitionem impedimenti irritantis contractum matrimonialem non mutari materiam Sacramenti formaliter, ſed materialiter tantum ; non enim efficitur, quod contractus legitimus non ſit materia Sacramenti, quod eſſet illam mutare formaliter ; ſed efficitur, quod contractus, qui alioquin foret legitimus, jam non ſit legitimus ; ſicut qui mutaret vinum in acetum, non mutaret materiam conſecrationis formaliter, ſemper enim vinum eſſet materia conſecrationis ; ſed mutaret materialiter, in quantum efficeret quod id, quod erat vinum jam non ſit vinum.

Quæſtio intricatior eſt, an etiam Principes ſæculares poſſint ſtatuere impedimenta matrimonii, circa quam adeo variantur implicantur & ſententiæ, ut nulla plene ſatisfaciat. Ea nobis videtur planior & expeditior, quæ dicit Principes ſæculares per ſe loquendo & attenta præciſe poteſtate Regia poſſe ſtatuere impedimenta matrimonii, attento tamen præſenti rerum ſtatu non poſſe. Ratio 1. partis eſt ; quia contractus civiles ſubjacent juri civili & legibus Principum, quibus poſſunt irritari. Atqui matrimonium eſt contractus civilis, & in contractu civili fundatur ratio Sacramenti, Ergo poteſt irritari Principum legibus, & eo irritato irritatur Sacramentum in eo fundatum.

Atque ita ſentire videtur S. Th. hic q. 50. a. unico ad 4. ubi dicit : *Matrimonium in quantum eſt in officium natu-*

re,

Digitized by Google

tæ, ſtatuitur lege naturæ, in quantum eſt Sacramentum, ſtatuitur jure divino, in quantum eſt in officium communitatis, ſtatuitur lege civili; & ideo ex qualibet dictarum legum poteſt alia perſona effici ad matrimonium contrahendum illegitima. Item ducet cont. Gent. c. 78.

Confir. Principes infideles, fatentibus omnibus, poſſunt opponere impedimenta matrimonio. Ergo & Principes fideles, non enim per fidem imminuta eſt eorum poteſtas. Neque obſtat, quod Chriſtus matrimonium fidelium elevavit ad dignitatem Sacramenti; nihil enim ideo mutavit in natura contractus, ita quod contractus validus ſit Sacramentum, invalidus non ſit Sacramentum; penes autem Principem eſt ſtatuere conditiones, quibus poſitis ſit validus aut invalidus contractus.

Ratio 2. partis eſt; quia Eccleſia, ſive, ſecundum aliquos, annuentibus, aut ſaltem non contradicentibus Principibus ſæcularibus, ſive, ſecundum alios, auctoritate ſua ſuprema ſibi ſoli vindicavit cauſas matrimoniales, ut patet ex Trid. ſeſſ. 24. Can. 12. ſic definiente: *ſi quis dixerit cauſas matrimoniales non ſpectare ad Judices Eccleſiaſticos, anathema ſit.* Idem jam diu antea ſtatutum erat in jure cap. *Multorum* 35. q. 6. & cap. *Accidentibus* de exceſſu Prælat. Atque iſtud jus agnoſcunt & venerantur Principes ſæculares, ut vidimus in 2. probatione Concluſionis: videturque expreſſa ſententia Auctoris hic q. 57. a. 2. ad 4. ubi dicit, quod *Prohibitio legis humanæ non ſufficeret ad impedimentum matrimonii, niſi interveniret Eccleſiæ auctoritas, quæ idem etiam interdicit:* attento ſcilicet præſenti rerum ſtatu. Unde niſi teneas eam, quam proponimus, ſententiam pro utraque ejus parte, vix 2. Doctorem poteris conciliare.

Ex quo inferes 1. Quod ſi quæ ſint modo, aut in poſterum ſtatuantur a Principibus ſæcularibus impedimenta matrimonium dirimentia, non valeant niſi ad effectus civiles, ut ſunt exhæredatio, reſciſſio donationum, privatio omnium, quæ vi conſuetudinis aut contractus matrimonialis obvenire poſſunt, &c. ut declaravit Cuſtos ſigillorum Regiorum nomine Regis Galliæ circa Edicta Henrici III. & Ludovici XIII. ad ſupplicationem Cleri Gallicani l. de quo ſupra, dum de matrimonio filiorum familias. Et etiam patet ex Jure Canonico revocante plura impedimenta ſtatuta a Jure civili l. *Filiusfamilias* ff. de ritu nuptiarum, & l. *Tutor* de ſponſalibus. Inferes 2. Infideles ſive in terris fidelium exiſtant, ſive non, non teneri legibus Eccleſiæ circa matrimonium; quia ejus poteſtati non ſubjiciuntur; teneri autem legibus ſuorum Principum infidelium, ſi illis ſubjiciantur. Inferes 3. Fideles, ubivis locorum exiſtant, teneri legibus Eccleſiæ circa matrimonium, quia ſive ſint Hæretici, ſive Apoſtatæ, non deſinunt eſſe ſubjecti Eccleſiæ ratione characteris baptiſmalis indelebilis. Excipe legem de impedimento clandeſtinitatis propter ſpecialem hac de re Tridentini diſpoſitionem, de quo infra.

ARTICULUS III.

Quis poſſit diſpenſare in impedimentis dirimentibus Matrimonium? Ubi plura de diſpenſatione.

SUPPONO nullum mortalium poſſe diſpenſare in impedimentis, quæ ſunt juris naturalis, ut ſunt ligamen, votum ſolemne, impotentia, & quæ propter defectum conſenſus dirimunt, ut ſunt error, vis, & amentia. Impedimenta autem juris divini nulla ſunt nunc, antiqua lege abrogata. Quæſtio igitur eſt de impedimentis Juris Eccleſiaſtici, ut ſunt ſervitus, Ordo, conſanguinitas, affinitas, cognatio tam legalis quam ſpiritualis, publica honeſtas, crimen, clandeſtinitas, & raptus.

Dico. Eccleſia poteſt diſpenſare in impedimentis dirimentibus matrimonium. Ita Concilium Trid. ſeſſ. 24. Can. 3. ſic: *Si quis dixerit eos tantum conſanguinitatis & affinitatis gradus, qui Levitico exprimuntur, poſſe impedire matrimonium contrahendum & dirimere contractum, nec poſſe Eccleſiam in nonnullis eorum diſpenſare, aut conſtituere, ut plures impediant & dirimant, anathema ſit.* Ratio eſt, quia ejus eſt diſpenſare in legibus, cujus eſt leges condere. Hæc autem poteſtas reſidet in ſum. Pontifice, ad quem ut ad ſupremum Eccleſiæ caput viſibile, quæcumque ſunt Juris Eccleſiaſtici, ſpectant: Epiſcopi tamen, ſive ex delegatione expreſſa vel tacita, ſive ex uſu approbato diſpenſant in aliquibus impedimentis etiam publicis & matrimonium præcedentibus, idque varie in variis Diœceſibus. In his partibus diſpenſant in tertio & quarto gradu conſanguinitatis, qua in re ſervandus eſt uſus receptus cuique Diœceſi proprius. Plura inſcripſi circa præſentem diſpenſationis materiam in Tract. de Legibus Diſſert. 5. a. 3. per plures §§. quæ hic ex integro repetere longum foret. Quapropter ſummatim repetendo,

Dixi 1. Epiſcopos ex conſenſu tacito ſummi Pontificis diſpenſare in iis, quæ non patiuntur moram; ut ſi omnibus ad nuptias præparatis innoteſcat impedimentum, & matrimonium abſque gravi ſcandalo differri non poſſit;

item in impedimentis occultis, quæ ſuperveniunt matrimonio contracto cum bona fide ſaltem unius partis: item in impedimento petendi debitum ex copula inceſtuoſa in primo vel ſecundo gradu affinitatis §. 1. Dixi 2. Sum. Pontificem diſpenſare illicite ſine juſta cauſa in impedimentis matrimonii, ſicut in aliis legibus; valide tamen: Epiſcopos vero nec licite, nec valide §. 2.

Si petas, quæ ſint cauſæ diſpenſandi in impedimentis dirimentibus matrimonium? R. Prima eſt inveteratæ diſcordiæ aut gravis litis compoſitio. Secunda, ſingulare meritum Oratoris in Eccleſiam, aut ingens pecuniæ ſumma in urgentes Eccleſiæ neceſſitates expendenda. Tertia, conſervatio illuſtris familiæ intra eundem ſanguinem, aut etiam ampliſſimarum in ea divitiarum. Quarta, ſi una pars ſive vir, ſive fœmina non poteſt ſine gravi incommodo invenire comparem ſuo ſtatui convenientem, ut ſi debeat deſerere ſuum oppidum. Quinta, periculum gravis infamiæ aut ſcandali. Sexta, ſi votum caſtitatis, cujus petitur diſpenſatio, admodum difficile ſervari poſſit.

Præter has rationes ſunt aliæ nunc, juxta ſtylum Curiæ Romanæ, communiores, & quarum aliqua apponi ſolet in formula diſpenſationis, licet non fuerit expreſſa in libello ſupplici. Prima eſt, ſi copula interceſſerit inter Oratores petentes diſpenſationem ſuper gradus conſanguinitatis; quæ ſi habita fuerit ex intentione, ut facilius obtineatur diſpenſatio, id debet exprimi, quia tunc difficilius conceditur diſpenſatio, & gravior imponitur pœnitentia: quod ſi omittatur, diſpenſatio eſt nulla. Secunda eſt, ſi ſit vehemens ſuſpicio copulæ ex nimia familiaritate inter Oratores. Tertia eſt ætas puellæ excedens vigeſimum quartum annum, & hac de cauſa manentis innuptæ. Quarta, anguſtia loci, ut in pagis & parvis oppidis, ubi incolæ ſunt fere omnes conſanguinei aut affines. Quinta, periculum hæreſis in vicinia Hæreticorum. Itaque aliqua ex his quinque cauſis juxta ſtylum Curiæ Romanæ ſolet nunc exprimi in petitione diſpenſationis, ſi tamen his prætermiſſis exprimantur aliæ, & Papa in diſpenſatione, omiſſis quæ fuerant expreſſæ, exprimat unam ex quinque præfatis, non ideo cenſetur diſpenſatio invalida, ſed præſumitur, quod quamvis cauſa allegata ab Oratore ſit judicata ſufficiens, non tamen eſt expreſſa in diſpenſatione; quia non eſt de ſtylo curiæ. Unde quamvis expreſſa in diſpenſatione non ſubſiſteret, ſi ſubſiſtat expreſſa in petitione, valida eſt diſpenſatio.

Dixi 3. Diſpenſationem eſſe obreptitiam, quando allegatur falſum pro ea obtinenda, eſſe ſubreptitiam quando reticetur verum, & quod ſi obreptio aut ſubreptio cadat ſupra cauſam principalem diſpenſationis, hæc ſit nulla: item probabilius ſi cadat ſuper cauſam impulſivam tantum, ex malitia allegantis, ſecus ſi ex ejus ignorantia vel ſimplicitate ibid. §. 4. Dixi 4. Quod ſubreptio ſeu reticentia veri per ſe & intrinſece ad rem pertinens, ſeu error circa ſubſtantiam moralem rei, reddat diſpenſationem nullam: ſimiliter reticentia eorum, quæ ſtylus Curiæ Romanæ requirit, quando in ea petitur diſpenſatio, ibidem: quæ autem exprimi requirat ſtylus curiæ, ibidem dixi. Dixi 5. Diſpenſationem peti a ſacra Dataria in triplici forma; in forma *nobilium*, *honeſtorum*, & *pauperum:* Pauperes non cenſeri niſi ſint tales, ut de ſuis laboribus & induſtria tantum vivant. Hanc particulam *tantum* neceſſario debere apponi in petitione, alias nullam fore diſpenſationem. Debentque eſſe pauperes ex utraque parte: Pauperem autem ex Pirrho Corrado cenſeri, qui non habet in bonis quinquaginta aureos. ibid. §. 4. Hæc inquam omnia fuſius explicata require locis citatis. Nunc ad majorem Lectoris inſtructionem ſequentia addo.

Primum. Clariſſimus vir Daelman Doctor Lovanienſis Quæſt. ult. Obſer. ult. de Matrimonio ſcribit illos debere cenſeri pauperes, qui ſive in mobilibus, ſive in immobilibus habent duo vel tria millia florenorum: tum quia ſi peterent in forma *honeſtorum*, deberent majori parte hujus ſummæ ſpoliari pro diſpenſatione, pro qua petitur mille, vel duo millia florenorum, juxta graduum propinquitatem, & ſic fierent pauperes: tum quia hæc pauca bona ſunt eis quaſi inſtrumentum, quo labore & induſtria fructuoſe operari valeant, nullos inde percipientes fructus, aut ita modicos, ut pro nihilo reputentur. Addit laudatus Theologus Nuncium Apoſtolicum ſic judicare, quando Oratores a Parochis ad ipſum mittuntur.

Secundum. Ex Trid. Seſſ. 22. de Ref. c. 5. Diſpenſationes Romæ conceduntur in duplici forma, nempe in forma commiſſoria, quæ non tam eſt diſpenſatio, quam mandatum diſpenſandi factum illi, ad quem diriguntur Litteræ Apoſtolicæ; & in forma gratioſa, quæ eſt proprie diſpenſatio.

Tertium. Duplex eſt Romæ Tribunal, ad quod recurritur pro diſpenſationibus obtinendis, ſcilicet ſacra Pœnitentiaria & Dataria: Hæc ſunt inter utrumque diſcrimina. 1. Diſpenſationes pro impedimentis occultis conceduntur in ſacra Pœnitentiaria: pro manifeſtis aut facile manifeſtandis, in Dataria. 2. In Pœnitentiaria gratis con-

ceditur diſpenſatio; in Dataria autem ſolvitur juxte propinquitatem graduum & conditionem perſonarem, vel nobilium, vel honeſtarum, vel pauperum, ut diximus: hæ autem pecuniæ impenduntur in propagationem fidei, vel in alios uſus pios. 3. Diſpenſatio ſacræ Pœnitentiariæ valet tantum pro foro interno; Diſpenſatio Datariæ valet pro utroque foro. Quando petitur diſpenſatio a Dataria, debent exprimi Oratorum nomina, in ſacra Pœnitentia; quia in ea agitur de crimine aut impedimento occulto.

DISSERTATIO XII.

DE IMPEDIMENTIS DIRIMENTIBUS IN PARTICULARI.

Div. Thom. Supp. Quæſt. 51. ad 61.

DE impedimento, quod dicitur *vis*, diui, dum de conſenſu requiſito; de impedimento ligaminis dum de Poligamia; & de impedimento raptus in Tract. de Temp. Diſſ. 6. a. 4. §. 2. Ubi inter ulie ſingularem Honor. Tuurn. hac de re opinionem confutavimus. Vide locis cit. ne eadem repetere cogamur. Nunc ergo de cæterie impedimentis,

ARTICULUS I.

De Impedimenta erroris & conditionis.

QUADRUPLEX error circa matrimonium contingere poteſt, ſcilicet error *perſonæ*, quo quis credit eſſe talem perſonem, v. g. Mariam, & eſt Berta, non quidem quoad nomen tantum, ſed quoad perſonam nominatam, Error *Conditionis*; ſervilis ſcilicet, quo quis creditur liber, & eſt ſervus. Error *qualitatis*, quo quis creditur habere qualitatem, quem non habet, v. g. quod ſit Virgo, Catholica, Sobria, &c. Error *fortunæ*, quo quis exiſtimetur dives & eſt pauper. Ita in jure cauſa 29. q. 1. cap. unico. De hoc igitur quadruplici errore Quæſtio nunc eſt, præſuppoſitis tamen iis, quæ ſcripſi Diſſ. 1. de Contractibus a. 3. quæ prælegi debent.

Dico 1. (*Supp. q. 51. a. 2. o.*) Error perſonæ jure naturæ dirimit matrimonium. Prob. (*Ibid.*) Matrimonium non eſt ſine conſenſu in objectum primarium & ſubſtantiale matrimonii. Atqui error perſonæ tollit hunc conſenſum. Ergo. Prob. Min. Objectum primarium & principale Contractus Matrimonialis eſt hæc determinera perſona. Atqui Error perſonæ tollit conſenſum in hanc determinatem perſonam, dum quis credit contrahere cum Berte, & eſt Joanna. Ergo. Idque verum eſt, etiamſi error ſit vincibilis & ſupinus, quia hic non agitur de culpa committenda, ſed de conſenſu neceſſario, qui deeſt, etiamſi error ſit vincibilis. Item verum eſt etiam, ſi error ſit antecedens ſeu dans cauſam contractui; ſed concomitans tantum & non dans cauſam contractui; quia licet tunc non ſit involuntarium poſitive, eſt tamen negative, ſeu non voluntarium. Unde ſi contrahas cum Joanne credens eſſe Bertam, ita diſpoſitus, quod ſi ſcires eſſe Joannam nihilominus contraheres, nullum eſt matrimonium, non enim inde fit, quod de facto habeas voluntarem contrahendi cum Joanna, ſed tantum quod haberes, ſi ſcires; conſenſus autem tunc actualis fertur in Bertam & non Joannam. Conſer locum cit. de Contractibus.

Dices 1. Sicut conſenſus requiritur ad matrimonium, ita intentio requiritur ad Baptiſmum. Sed ſi quis baptizaret Joannem, & credit baptizare Petrum, nihilominus Joannes vere eſt baptizatus. Ergo error perſonæ non excludit matrimonium. R. D. Maj. (*Ibid. a. 1. ad 3.*) Ly *ſicut* dicente omnimodam paritatem, N. Dicente aliqualem, C. Diſparitas eſt igitur inter matrimonium & alia Sacramenta, quod matrimonium ſit contractus, & quidem realis, qui non ſolum eſt inter perſonam, ſed etiam de ipſis certis & determinatis perſonis, quæ ſe ipſas hinc inde tradunt ut materiem contractus, ita ut intentio contrahentis feretur in talem perſonam cum excluſione aliarum. Unde ſicut alii contractus, ſi ſupponatur res alia quam ea, de que conventum eſt, irriti ſunt, ita & matrimonium. Alia autem Sacramenta neque ſunt contractus, neque qui ea confert, ordinarie habet intentionem ad perſonam Petri vel Pauli determinate cum excluſione aliarum, ſed ad perſonam præſentem; ac proinde ſi putans baptizare Petrum baptizet Joannem, Joannes eſt vere baptizatus. Si tamen haberet intentionem ad Petrum cum excluſione aliorum, nullum eſſet Sacramentum Baptiſmi.

Dices 2. Inter Liam & Jacob fuit verum matrimonium. Sed ibi fuit error perſonæ. Ergo. R. D. Maj (*Ibid. ad 4.*) Inter Jacob & Liam fuit verum matrimonium ex ipſo concubitu, ſeu conſenſu, qui per errorem contigit, N. Ex conſenſu, qui poſtmodum acceſſit, C.

Repones. Benedictio Iſaac errantis in perſona fuit valida. Ergo. R. Cum Aug. l. 6. de Civit. c. 37. & aliis D. Ant. Fuit valida ab initio, N. Per ratificationem ſequentem, quam Iſaac, fraude detecta & voluntate Dei cognita, ex inſtinctu divino fecit, C. Reſponderi poteſt e. Intentionem Iſaac fuiſſe benedicendi filio præſenti, non ſatis diſcernens, an is fuerit Jacob, an Eſau.

Dices 3. Sicut emptio eſt quidam contractus, ita & matrimonium. Atqui in emptione & venditione, ſi detur aurum æquivalens pro alio auro, non impeditur venditio. Ergo nec matrimonium impeditur, ſi pro una muliere alia accipiatur. R. N. (*Ibid. a. 2. ad 7.*) Conſeq. Diſparitas eſt, quod pecunia in contractibus accipiatur quaſi menſura aliarum rerum, ut patet 5. Ethic. c. 5. & non quaſi propter ſe quæſita; & ideo ſi non detur illa pecunia, quæ creditur, ſed alia æquivalens, nihil obeſt contractui; ſed ſi in re quæſita propter ſe eſſet error, impediretur contractus, ſicut ſi alicui venderetur aſinus pro equo, & ſimiliter in præſenti.

Dico 2. (*Ibid. a. & in reſ. ad argo.*) Error qualitatis aut fortunæ non dirimit Matrimonium niſi involvat errorem perſonæ, aut limitet conſenſum contrahentis. Prob. (*Ibid.*) Error qualitatis aut fortunæ eſt error circa accidentia Matrimonii. Atqui error circa accidentia non irritat contractum. Ergo. Prob. Min. Non obſtante errore circa accidentia habetur conſenſus in objectum principale & ſubſtantiam contractus. Atqui is conſenſus ſufficit ad contractum, ut diximus loco cit. de Contractibus. Ergo. Confirm. Si error qualitatis aut fortunæ irritaret Matrimonium, vix nullum ſubſiſteret, cum ut plurimum errent conjuges circa qualitates & fortunas alterutrius. Ergo.

Dixi 1. (*Ibid. ad 5.*) *Niſi error qualitatis involvat errorem perſonæ*; tunc enim dirimeret, non ut error qualitatis, ſed ut error perſonæ. Cenſetur autem error qualitatis involvere errorem perſonæ, quando conſenſus contrahentis fertur primario & directe in illam qualitatem ſeu in perſonam ſub hac qualitate, & tunc cenſetur intendere directe & primarie hanc qualitatem, quando antequam perſonam cognoſcat, concipit perſonam, cum qua vult contrahere hic & nunc ſub certa qualitate non communi, ut eſt bonitas, opulentia, virginitas, ſed particulari & individua, ut quod ſit filius Regis, quod ſit primogenitus talis familiæ. Unde ſi contrahens intendat conſentire in filium Regis, ut primogenitum, quicumque ille ſit, & alter ei offeratur, eſt error perſonæ dirimens Matrimonium. Si vero prius perſonam cognoſcet & cum ea vult contrahere, quamvis moveatur qualitate, circa quam errat, non cenſetur intendere directe & primario illam qualitatem; nec ideo error hujus qualitatis involvit errorem perſonæ, niſi apponatur ut conditio; & ideo

Dixi 2. *Niſi error qualitatis limitet conſenſum contrahentis.* Si enim non intendat contrahere, niſi adſit talis qualitas, deeſt conſenſus in perſona ea qualitate non ſubſiſtente, talis autem limitatio debet eſſe actualis ſeu ſaltem virtualis ex præcedente actuali; nec ſufficit habitualis, aut interpretativa; exinde enim ſequitur tantum, quod non conſenſiſſet, ſi error abfuiſſet, ſed non fit, quod de facto non conſenſerit in ſubſtantialia Matrimonii: & alioquin quot forent Matrimonia irrita, cum ſint pene innumeri, qui ſi noviſſent defectus compartis, noluiſſent contrahere. Vide loco cit. de Contractu conditionato art. 7. §. 1.

Dices 1. Error ex natura ſua tollit Matrimonium. Ergo omnis error. R. D. Ant. (*Ibid. ad 1.*) Error ex natura ſua generica tollit Matrimonium, N. Ex ſua natura differentiali, C. Non enim habet error ex parte generis, quod tollat Matrimonium, ſed ex parte ſuæ differentiæ, prout ſcilicet eſt error alicujus eorum, quæ ſunt de eſſentia Matrimonii.

Inſt. Error tollit Matrimonium, in quantum tollit voluntarium. Sed omnis error tollit voluntarium. Ergo. R. D. Maj. (*Ibid. ad 2. 2.*) Error tollit Matrimonium in quantum tollit voluntarium circa ſubſtantialia Matrimonii, C. Circa accidentalia, N. Et ſimiliter, D. Min. Omnis error tollit voluntarium circa ea, circa quæ verſatur, C. Circa alia, N. Unde ſi verſetur tantum circa accidentia Matrimonii, facit involuntarium circa illa, ſed relinquit voluntarium circa ſubſtantialia.

Dices 2. Error paupertatis in dante eleemoſynam irritat illam, ita ut pauper fictus teneatur illam reſtituere. Atqui eſt ibi tantum error qualitatis; quia ſcilicet putatur pauper, cum ſit dives. Ergo ſimiliter in Matrimonio. R. N. Conſeq. & paritatem. Diſparitas eſt quod paupertas ſit objectum ſubſtantiale & finis per ſe & directus eleemoſynæ; datur enim in ſublevamen miſeriæ realis alienæ; unde talis error verſatus circa ejus ſubſtantiam. At

vero in Matrimonio qualitates perſonæ non ſunt objectum ſubſtantiale nec finis per ſe conſenſus, ſed ipſa perſona, niſi aliter exprimat.

Dices 3. Conſenſus matrimonialis eſt indiviſibilis. Ergo qui conſentit in Bertam Virginem, non cenſetur in illam conſentire, ſi non ſit Virgo. R. D. Ant. Conſenſus matrimonialis in objectum ſubſtantiale Matrimonii tantum eſt indiviſibilis, C. In objectum ſubſtantiale ſimul & in accidentali. N. Unde poteſt ſubſiſtere circa objectum ſubſtantiale, licet non ſubſiſtat circa accidentia.

Dico 3. Error conditionis, ſeu ſervitus ignorata ab altero contrahento libero, dirimit Matrimonium jure poſitivo, non naturali. Per conditionem igitur intelligitur hic ſervitus, non qua quis inſervit alterius officiis, ut ſunt ancillæ & famuli in his partibus; ſed qua quis ut verum mancipium eſt totaliter in poteſtate Domini tanquam ejus poſſeſſio. Exulavit a Chriſtianiſmo, ſaltem in his partibus: unde quæ eam ſpectant, paucis perſtringemus. Prima pars conſtat ex jure c. 2. 3. & ultimo de conjug. ſervor. & cap. *Si quis ingenuus* cauſa 29. q. 2.

Prob. 2. pars. Si ſervitus ignorata ex natura ſua dirimeret Matrimonium, etiam ſcita dirimeret, ſicut impotentia perpetua ſive ſcita, ſive ignorata dirimit. Atqui ſervitus ſcita non dirimit Matrimonium. Ergo nec ignorata.

Si dicas, quod ſervitus ſcita non dirimat Matrimonium, quia tunc pars libera cedit juri ſuo. R. 1. Quod ſive cedat, ſive non cedat, non poteſt efficere, quod id, quod de ſe dirimit Matrimonium, non dirimat, ut patet in exemplo allato impotentiæ. 2. Injuria, quam patitur ignorans, non ſufficit ad dirimendum Matrimonium, quando adeſt conſenſus in ſubſtantialia Matrimonii, ut patet in aliis contractibus, quos injuria paſſi non irritat de facto, ſed tantum facit irritabiles, ſi non ſint aliunde indiſſolubiles, qualis eſt contractus matrimonialis. Eaque videtur aperta mens Auctoris hic q. 52. a. 1. ad 3. dicentis *jure poſitivo determinante eſt factum, quod ſervitus ignorata Matrimonium impediat, ne aliquis ſine culpa puniatur.*

Unde quando S. Doctor hic & art. præced. probat ratione ſervitutem ignoratam dirimere Matrimonium, non adducit rationem convincentem, ſed convenientem tantum, qua motum fuit jus poſitivum, ut tale impedimentum ſtatueret. Nec enim diffitemur jus humanum, quo irritatur Matrimonium contractum ex errore ſervitutis, habere maximum fundamentum in jure naturæ, eo quod ſit magna inæqualitas in tam gravi contractu, cum pars libera tradat plenam ſui corporis poteſtatem, ſerva autem reſtrictam & ſecundum quid impeditam: tum etiam quia officit aliquo modo bono prolis, quæ non ita commode poſſet educari in tali conjugio, eo quod non poſſet eſſe continua & libera habitatio conjugum ſimul. Hæ tamen rationes non ſufficerent, ut de ſe dirimerent Matrimonium, niſi accederet jus poſitivum; alias ſervitus ſcita, ut dictum eſt, etiam dirimeret, cum eadem incommoda importet.

Dices. Error ſervitutis verſatur circa ſubſtantialia Matrimonii. Ergo. Prob. Ant. Verſatur circa poteſtatem mutuam in corpora, in ordine ad debitum conjugale. Ergo. N. R. Ant. Ad Probat. D. Ant. Verſatur circa poteſtatem mutuam, quæ ſimpliciter impediatur, N. Quæ impediatur ſecundum quid, C. Servus enim licet non poſſit tam facile & tam libere reddere debitum, poteſt tamen abſoluto & quandoque; alias etiamſi ſciretur ſervus, non ſtaret matrimonium; idem enim eſſet ſicut de impotentia perpetua. Unde ſemper hic habetur objectum ſubſtantiale conſenſus matrimonialis, ſcilicet vera poteſtas ſimpliciter tradita, licet quidem non ita expedita: & ideo diximus tale impedimentum fundari in jure naturæ.

Dixi 1. *Servitus ignorata*; quia ſi alter contrahens ſit conſcius ſervitutis compartis, non dirimit, eo quod cenſeatur cedere juri ſuo. Dixi 2. *Ab altero contrahente libero*; quia ſi ipſe etiam ſit ſervus, non dirimit matrimonium; quia tunc nulla ſit ipſi injuria, ſed habetur compenſatio. Quod ſi liber credat ſervam, quæ eſt libera, valide etiam contrahit: quia tunc nihil eſt in præjudicium, ſed potius in commodum alterius contrahentis.

Petes 1. Utrum ſervus vel ſerva poſſit licite & valide contrahere matrimonium ſine conſenſu Domini? R. affirmative; (*Ibid. q.* 52. *a.* 2.) quia ſicut ſervus non ſubditur domino, quin libere poſſit comedere & dormire, & alia hujuſmodi facere, quæ ad neceſſitatem corporis pertinent, ita non ſubditur ei quantum ad hoc, quod non poſſit libere contrahere matrimonium, quod eſt neceſſarium ad conſervationem ſpeciei.

Dices. Servus eſt Domini. Ergo. R. D. Ant. Servus eſt Domini quantum ad civilia, quæ naturalibus ſuperadduntur, C. Quantum ad naturalia, N. In his enim omnes ſunt pares, adeoque ſervus ſui juris quantum ad hæc.

Petes 2. Cujus conditionem proles ſequi debeat, an Patris, an Matris? R. (*Ibid. a.* 4.) Quod quantum ad libertatem, ſeu ſervitutem debeat ſequi conditionem matris, ita ut proles ſit ſerva, ſi patre libero mater ſit ſerva; e contra proles ſit libera, ſi parte ſervo mater ſit libera. Ita decernunt jura civilia, ut partus ſequatur ventrem, & ita declaravit Pontifex cap. unico de natis ex libero ventre idque rationi conformiter. 1. Quia licet proles habet a Patre complementum formæ; a matre tamen habet ſubſtantiam corporis. Atqui ſervitus eſt corporalis conditio, cum ſervus ſit quaſi inſtrumentum Domini in operando. Ergo. 2. Quia, ut communiter dicitur, receptum eſt in recipiente per modum recipientis, & non per modum dantis. Ergo rationabile eſt, quod ſemen receptum in muliere ad conditionem ipſius trahatur. Ubi autem eſt contraria conſuetudo, quod proles ſequatur conditionem patris, tenenda eſt. Cap. *Licet* de conjugio ſervor. Et ſimiliter ubi eſt conſuetudo, quod ſemper ſequatur deteriorem partem; licet talis conſuetudo non ſit multum rationabilis, inquit S. Doct. Quantum autem ad ea, quæ pertinent ad dignitatem, ut ſunt honores, hæreditates, nobilitates, &c. proles ſequitur conditionem patris; quia habet a patre quod eſt dignius, ſcilicet complementum formæ.

ARTICULUS II.

De impedimento Voti.

DUPLEX eſt Votum; aliud ſimplex, aliud ſolemne; de quibus dixi Diſſert. 4. de Religione a. 5. De utroque procedit Quæſtio. Unde ſit

§. I. *Utrum Votum ſimplex impediat & dirimat matrimonium ſubſequens.*

DICO. (*Supp. q.* 53. *a.* 1. *o.*) Votum ſimplex, ſive caſtitatis, ſive Religionis ingrediendæ, ſive Ordines ſacros ſuſcipiendi, ſive non nubendi, impedit matrimonium licite contrahendum, non dirimit contractum. Ita in jure c. *Meminimus*, & c. *Conſuluit*: Extra. l. 4. tit. qui clerici vel voventes, & c. *Hæc vero* cauſa 27. qu. 1. Prob. (*Ib.*) Homo per votum ſimplex, in concluſione, poteſt adhuc, illicite quidem, valide tamen tradere alteri ſuum corpus. Atqui in tali traditione conſiſtit matrimonium. Ergo. Prob. Maj. Et 1. Quod illicite, patet quia tenetur adimplere votum. Quod valide, probatur. Poſt votum ſimplex homo remanet adhuc dominus ſui corporis. Ergo poteſt valide illud alteri tradere. Prob. Ant. in voto ſimplici non eſt niſi promiſſio corporis ad continentiam Deo ſervandam. Atqui ex eo quod aliquis promittat rem aliquam, non deſinit res illa eſſe in ejus poteſtate & dominio, rerum enim dominia non transferuntur promiſſione, ſed traditione. Ergo.

Dices 1. Fortius vinculum abrumpit debilius. Atqui votum Deo factum eſt fortius matrimonio. Ergo. R. D. Min. (*Ibid. ad* 4.) Eſt fortius quantum ad id, cui & ad quod obligat, hoc eſt dignius, C. Min. Quia per votum obligatur Deo ad continentiam; per matrimonium autem obligatur uxori ad redditionem debiti: eſt fortius quantum ad modum & vim ligandi, N. Min. Quia per matrimonium traditur actualiter vir in poteſtatem uxoris, non autem per votum ſimplex, ut dictum eſt; potior eſt autem conditio poſſidentis: unde argumentum quidem valeret de ſponſalibus, ſed non valet de matrimonio.

Dices 2. & inſtabis. Donatio illicita eſt nulla, ut patet in Donatione ſimoniaca. Atqui. Ergo. R. D. Maj. Donatio per ſe ex natura rei, hoc eſt ratione generis & ſubſtantiæ Dominationis illicita, eſt invalida, C. Maj. Et ita eſt Donatio ſimoniaca, quia ſpiritualia non ſunt mercatu venalia: illicita tantum ratione circumſtantiæ, puta quia eſt exceſſiva, ut in prodigo, vel ratione ſubjecti, quia in eo alteri virtuti repugnat, N. Maj. Et ita eſt illicita traditio per matrimonium in eo, qui voto obſtrictus eſt: matrimonium enim de ſe non eſt illicitum, ſed ratione ſubjecti, quia repugnat promiſſioni caſtitatis, quam fecit.

Repones. Contractus, quo quis ſe obligat ad illicitum, nullus eſt. Atqui qui poſt votum ſimplex contrahit matrimonium, ſe obligat ad illicitum; ſcilicet ad copulam. Ergo. R. D. Min. Se obligat ad copulam reddendam, C. Et hoc, tradito valide corpore, non eſt ipſi illicitum, eo modo quo dicemus infra. Ad exigendam, N.

Pete, quando & quomodo peccat, qui poſt votum ſimplex, vel caſtitatis, vel Religionis ingrediendæ, vel Ordines ſacros ſuſcipiendi contrahit matrimonium? R. 1. Qui poſt votum non nubendi contrahit matrimonium, certo peccat mortaliter, quia violat votum. Qui poſt votum ſimplex caſtitatis, aut Religionis ingrediendæ, aut ſuſcipiendi Ordines ſacros contrahit matrimonium, ordinarie peccat etiam mortaliter; quia ordinarium eſt, quod contrahentes intendant conſummare matrimonium. Quod ſi non animo conſummandi, ſed ingrediendi Religionem contrahat, non peccabit contra votum, ſed niſi adſit juſta cauſa ingrediendi Religionem, poterit peccare erga uxorem eam decipiendo, & ei nocendo, quatenus non poteſt tam facile alteri nubere, & debebit expectare unum vel alterum annum probationis, ut poſſit nubere. R. 2. Qui poſt votum non nubendi contraxit matrimonium, po-

teſt licite petere & reddere debitum; quia illius votum ſe extendit tantum ad matrimonium, & non ultra. R. 3. Qui poſt votum Religionis ingrediendæ contraxit matrimonium, peccat mortaliter prima vice conſummans matrimonium, ſive reddendo, ſive petendo debitum. Conſummato autem ſemel matrimonio poteſt licite petere & reddere. Ratio 1. partis eſt, quia cum Profeſſio Religioſa diſſolvat matrimonium ratum, & non conſummatum, ante conſummationem adhuc ipſi poſſibilis eſt adimpletio voti, per conſummationem autem reddit ſibi impoſſibilem. Ratio 2. partis, quia ſuppoſito, quod non liceat Religionem ingredi, actus conjugalis etiam petendo non eſt contra ejus votum, cum talis non voverit caſtitatem, ſed tantum Religionem, cujus obligationibus non obſtringitur, niſi ſit in ea collocatus.

Utrum vero qui poſt votum ſimplex caſtitatis, aut Ordines ſacros ſuſcipiendi contraxerit matrimonium, teneatur ſimiliter ingredi Religionem pro ſervando voto, ſi tamen ad Religionem ſit idoneus? Videtur, quod ſi aliter non poſſit ſervare votum attenta ſui natura, teneatur, quia licet iſtud medium ſervandi votum ſit arduum & difficile, eſt tamen inter homines uſitatum, & ſatis ordinarium, ut ad illud homo teneatur, præſertim ſi in hanc neceſſitatem ſponte ſe conjecerit, ut ſine illo votum ſervare non poſſit; & ita tenet Auctor hic a. 1. ad 3. Scotus, Petrus Soto, Sylveſter, Navarrus, & plures alii. Attamen attenta diſpenſatione juris videtur multis contrarium colligi ex Extrav. *Antiquæ concertationis* Joannis XXII. in qua Pontifex decernit eum, qui poſt contractum matrimonium invita uxore fuerat ordinatus Sacerdos, eſſe quidem inducendum ad Religionem, ſed nolentem compellendum, ut petente ſponſa conſummet matrimonium. Cæterum dici poteſt, quod Pontifex illum non cogat abſolute ad Religionem, non quia non teneatur; ſed propter periculum graviorum inconvenientium; ſicut Judices Eccleſiaſtici propter eandem rationem ordinarie non cogunt ad Matrimonium illum, qui inivit ſponſalia, licet teneatur; nec etiam abſolute compellitur ad reddendum debitum, ſed conditionate tantum, ſi nolit Religionem ingredi. Cætera, quæ huc ſpectant, require ſupra de obligatione reddendi debitum.

§. II. *Quo jure votum ſolemne Religionis dirimat Matrimonium ſubſequens?*

SUPPONO tanquam fide certum, votum ſolemne Religionis dirimere Matrimonium ſubſequens. Ita definivit Concilium Trid. ſeſſ. 24. Can. 9. Id prius definiverant plures Pontifices, Alexander III. cap. *Meminimus*, Innocentius III. cap. finali, tit. *Qui Clerici vel voventes*. Bonifacius VIII. cap. unico *De voto in 6.* & alibi. Sed difficultas eſt, an etiam jure naturali dirimat?

Dico. (*Ibid. a. 2. o.*) Votum ſolemne Religionis non ſolum Jure Eccleſiaſtico, ſed etiam jure naturali dirimit matrimonium ſubſequens. Ita Auctor cum ſuis communiter & pluribus extraneis, contra Scotum, Cajetanum, Coninch, & plures alios. Prob. (*Ibid.*) Qui ſemel alicui rem ſuam donavit & tradidit, donatione ab illo acceptata, jure naturæ non poteſt eandem rem alteri donare, præſertim in uſum contrarium. Atqui homo per votum ſolemne Religionis donat & tradit Deo corpus ſuum ad perpetuam continentiam, quæ traditio & donatio ab eo per Religionis Prælatos acceptatur. Ergo non poteſt valide ipſum tradere per matrimonium in poteſtatem conjugis ad uſum copulæ. Maj. patet quia per donationem & traditionem acceptatam donans amittit dominium ſuæ rei, quod in donatarium tranſtulit. Prob. Min. Hæc eſt differentia inter votum ſimplex & votum ſolemne, quod votum ſimplex ſit nuda promiſſio, votum autem ſolemne promiſſioni ſuperaddat traditionem & acceptationem; non quidem quod ſit unius ejuſdem rei promiſſio & traditio; hæc enim duo de eadem re inter ſe pugnant; ſed eſt promiſſio unius & traditio alterius, ſcilicet promiſſio fructuum & traditio arboris; promittuntur enim actus caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ, & traditur perſona voventis ad illa ſervanda. Ergo. Hanc differentiam inter votum ſimplex & ſolemne, in qua ſita eſt tota vis argumenti, variis argumentis probatam & contra impugnationes Adverſariorum propugnatam require Diſſ. 4. de Rel. a. 5. Conf. Concil. Trid. ſeſſ. 24. Can. 9. 9. declarat matrimonium Clericorum in ſacris Ordinibus, & Religioſorum eſſe irrita propter legem Eccleſiaſticam vel votum, ſcilicet illa propter Legem Eccleſiaſticam, iſta propter votum; hæc autem diſtinctio locum non haberet, ſi vota Religioſorum ex ſola Lege Eccleſiaſtica, & non ex natura ſua, matrimonium dirimerent.

Solvuntur Objectiones.

PLURA argumenta, quæ militant contra rationem fundamentalem Concluſionis, nimirum differentiam ſtatutam inter votum ſimplex & ſolemne, hic omitto, quia abunde fuerunt propoſita & ſoluta loco citato de Religione, vide. His itaque nunc præſuppoſitis,

Obj. 1. Traditio corporis etiamſi fiat in voto ſolemni, non repugnat eſſentiæ Matrimonii. Ergo non dirimit ex natura ſua matrimonium. Patet Conſeq. Quia non alia ratione dirimeret, quam quod iſta duo vincula inter ſe pugnant, ut dictum eſt. Prob. Ant. Conjugati, manente conjugii vinculo, valide Religionem profitentur, & ſunt tam perfecte Religioſi quam quivis alii. Ergo. R. D. Ant. Traditio corporis in voto ſolemni non repugnat eſſentiæ matrimonii præcedentis, C. Ant. Subſequentis, N. Sicut v. g. impotentia, ſi ſubſequatur matrimonium, illud non dirimit, licet dirimat, ſi præcedat. Ratio diſparitatis in noſtro caſu eſt: quia cum ad matrimonium requiratur translatio corporis & juris ad copulam facta comparti, & ad Profeſſionem Religioſam tranſlatio perſonæ & juris ad caſtitatem ſervandam facta Deo; conjugati poſſunt cedere juri ſuo, aut illud per adulterium amittere, & ſic manente vinculo, quod ex conſenſu conjugali ſemel poſito reſultavit, jus illud, quod recuperarunt, Deo tradere poſſunt, ſicque fieri Religioni idonei. Deus autem non poteſt amittere jus, quod per votum ſolemne acquiſivit, ut ipſi ſervetur caſtitas; & licet poſſit ipſi cedere, nunquam tamen facit, nec facere, feciſſe, aut facturum ulla ratione ſuaderi poteſt: Quamdiu autem tale jus manet apud Deum, non poteſt tradi homini jus contrarium ſcilicet ad copulam, adeoque nec valide iniri matrimonium.

Inſt. Matrimonium, ex dictis, poteſt ſubſiſtere in facto eſſe ſine jure ad copulam. Ergo & in fieri. Ergo Religioſus poteſt valide iniri matrimonium ex natura rei. R. D. Ant. Matrimonium poteſt ſubſiſtere in facto eſſe ſine jure proximo & expedito ad copulam, C. Radicali & impedito, N. Itaque cum jus ad copulam ſit aut de eſſentia matrimonii, aut ejus proprietas inſeparabilis, dicendum, quod cum in noſtro caſu matrimonium ſubſiſtat in conjugato Religionem profitente, maneat etiam aliquale jus ad copulam, cum res in facto eſſe non poſſit magis eſſe ſine ſua eſſentia aut proprietate, quam in fieri; jus tamen illud eſt impeditum per traditionem juris expediti ad caſtitatem, & radicaliter tantum remanet ratione conſenſus conjugalis ſemel irrevocabiliter dati & vinculi indiſſolubilis inde reſultantis & permanentis, ratione cujus compars remanet ſemper ſua, ita ut accedendo ad illam non committeret adulterium carnale, & e contra ſi accederet ad aliam, foret adulter. Ex quo patet negandam eſſe ſecundam Conſequentiam, ſcilicet Religioſum poſſe valide inire matrimonium; quia non poteſt tradere comparti jus ullum etiam radicale, eo quod per Profeſſionem Religioſam tradatur abſolute Deo totum jus, quod tradi poteſt ad caſtitatem ſervandam, adeoque & radicale dum poteſt.

Repones. Poteſt ſtare Profeſſio Religioſa ſine jure radicali, ut patet ex ſolutione præcedenti. Ergo potuit Religioſus tradere tantum jus proximum Deo, & reſervare ſibi radicale tradendum uxori. R. D. Ant. Poteſt ſtare Profeſſio Religioſa ſine jure radicali, quando non eſt tradibile, C. Quando eſt tradibile, N. Quia, ut dictum eſt, profeſſio eſt abſoluta traditio omnis juris poſſibilis ad caſtitatem ſervandam.

Inferes, Ergo conjugatus, qui Religionem profitetur de conſenſu comparis, non eſt tam perfecte Religioſus, quam non conjugatus, quia iſte tradit Deo jus radicale & proximum ad caſtitatem ſervandam, alter autem tradit tantum jus proximum. R. D. illatum: non eſt tam perfecte Religioſus extenſive & materialiter, Tranſeat: intenſive & in ratione meriti, N. Quia illud jus radicale, quod retinet ad copulam, eſt impeditum & inefficax: unde jus proximum & expeditum, quod Deo tradit ad caſtitatem ſervandam, tantum valet & præſtat ad hunc finem, quantum valeret & præſtaret, ſi foret ſimul jus radicale.

Obj. 2. Si votum ſolemne ex natura rei dirimeret matrimonium, eſſet vel quia eſt votum, vel quia eſt ſolemne. Neutrum dici poteſt. Ergo. R. non præciſe quia votum, alias omne votum etiam ſimplex dirimeret; neque præciſe quia ſolemne, quia ſi aliquis faceret aliud votum ſolemne quam caſtitatis, non ideo eſſet inhabilis ad matrimonium, ſed quia eſt ſolemne Religionis ſeu caſtitatis.

Huic cum opponitur non eſſe majorem traditionem Religioſi Deo, quam ſervi Domino, qua tamen non obſtante ſervus poteſt inire matrimonium, diſparitas eſt, quod ſervus tradatur Domino, non ad caſtitatem ſervandam, ſed ad civilia obſequia, Religioſus autem Deo ad caſtitatem ſervandam; unde non poteſt alteri ſe tradere ad copulam.

Inſt. 1. Votum ſolemne non dirimit matrimonium ex natura rei, quia eſt ſolemne Religionis aut caſtitatis. Ergo. Prob. Ant. Non præciſe, quia eſt caſtitatis, alias votum ſimplex dirimeret; nec etiam quia eſt ſolemne caſtitatis, quia ſolemnitas voti eſt tantum ex Conſtitutione Eccleſiæ, ut dicit Boniſac. VIII. cap. unico de voto & voti redempt. in 6. his verbis. *Cum voti ſolemnitas ex ſola Conſtitutione Eccleſiæ ſit adinventa, matrimonii vero vinculum ſit ab ipſo Deo, illud votum debet dici ſolemne, quod per ſuſceptionem ſacri Ordinis aut per profeſſionem*

in

in Religione approbata ſolemnizatur. Et D. Th. 2. 2. q. 88. a. 7. dicet, quod ſolemnitas voti attendatur ſecundum aliquam ſpiritualem Benedictionem, quæ ex inſtitutione Apoſtolorum adhibetur. Ergo R. N. Ant. Ad Prob. D. Ant. Solemnitas accidentalis voti eſt tantum ex Inſtitutione Eccleſiæ, C. Ant. Solemnitas eſſentialis, N. Duplex igitur in voto diſtinguenda eſt ſolemnitas; una eſſentialis ſeu ſubſtantialis, quæ conſiſtit in Traditione ſui ipſius facta ſuperiori ad ſervandum ea, quæ promittunt, & acceptatione, quam is facit vice Dei: Altera accidentalis, quæ conſiſtit in quibuſdam cæremoniis ab Eccleſia inſtitutis tanquam conditionibus, ſine quibus invalidæ forent traditio & acceptatio. Et hæc Solemnitas dicitur a Sum. Pontifice ex ſola conſtitutione Eccleſiæ adinventa. Licet enim ſubſtantia voti ſolemnis ſeu ſolemnitas voti ſubſtantialis per Eccleſiam non ſtatuatur, ita ut facere non poſſit, quin ſit votum ſolemne dirimens matrimonium, ut ſemel, eſt valida traditio & acceptatio vice Dei, ex ea tamen pendet ſtatuere certas conditiones, ſine quibus non fiat valide acceptatio vice Dei, ut de facto ſtatuit eam aliter non poſſe fieri quam certa ætate, in Religione approbata, a Superiore legitimo, &c. Sicut licet ſubſtantia matrimonii non ſit ab Eccleſia, ita ut non poſſit efficere, quin contractus validus ſit verum matrimonium, ab ejus tamen auctoritate pendet ſtatuere certas conditiones, ſine quibus invalidus eſt contractus matrimonialis, ut de facto ſtatuit quoad matrimonium clandeſtinum. Ad D. Th. dico illam benedictionem, de qua loquitur, nihil aliud eſſe, quam aſſumptionem perſonæ voventis ad ſtatum ſanctitatis per acceptationem illam, quam ritu ab Apoſtolis introducto facit ſuperior. Neque alia benedictio aut ſolemnitas hic requiritur, poſita enim valide & traditione voventis & acceptatione vice Dei, votum ſolemne ſua eſſentialia habet, & vim obligandi ad ea, quæ promiſſa ſunt, adeoque ex natura ſua dirimendi matrimonium. Confer loco cit. de Religione Object. 1. & 2.

Inſt. 2. Pontifex ex ſolemnitate inſtituta ab Eccleſia definit, quodnam debeat dici votum ſolemne ad dirimendum Matrimonium. Atqui hoc non poteſt definiri ex ſolemnitate accidentali, ſi quidem ſecundum nos ſit eſſentiale voto ſolemni dirimere matrimonium. Ergo. R. D. Min. Hoc non poteſt definiri ex ſolemnitate accidentali tamquam ex intrinſecis conſtituentibus, C. Tamquam ex ſigno extrinſeco, N. Unde ſenſus definitionis Pontificiæ eſt, quod cum ſigna declarativa voti ſolemnis & conditionis ad illud requiſitæ ſint ex Conſtitutione Eccleſiæ, & ex illa conſtitutione iſta ſigna & iſtæ conditiones reperiantur tantum in duobus votis, ſcilicet in eo, quod annectitur Ordinis ſacri ſuſceptioni, & in eo, quod emittitur in Religionis profeſſione, dicendum ſit duo tantum eſſe vota ſolemnia dirimentia matrimonium ſubſecutum.

Inſt. 3. Sum. Pontifex eo modo loquitur de voto Religioſi & ordinati. Atqui ſolemnitas eſſentialis voti Ordinis dirimens matrimonium eſt ex ſola Conſtitutione Eccleſiæ. Ergo. R. Eodem modo loquitur quoad vim dirimendi matrimonium, C. Quoad jus quo illud dirimunt, N.

Obj. 3. Plures Pontifices diſpenſarunt cum Monachis & Monialibus, ut nuberent. Atqui diſpenſare non poſſunt in jure naturæ. Ergo. Hoc argumentum cum ſuis Probationibus radicitus ſolutum require Diſſert. 4. de Religione a. 9. obj. 4.

ARTICULUS III.

De Impedimento Ordinis.

DISSERTATIONE 3. de Ordine art. 4. & 5. plura dixi de Continentia Clericorum, inter alia, eam eſſe annexam Ordini ſacro non jure naturali aut divino, ſed Eccleſiaſtico. Unde hic tantum diſcutiendum reſtat, utrum Ordo Sacer non ſolum impediat, ſed etiam dirimat matrimonium? Suppono Ordinem ſacrum, quamvis ab Eccleſiæ incunabulis impediverit matrimonium, ſaltem in Presbyteris & Diaconis, ut dixi loco citato, non tamen ſemper diremiſſe. Canones enim antiqui, quibus nuptiæ ordinatis prohibentur, nullam irritationis clauſulam appoſuerunt, nec uſquam juſſerunt, ut qui ſic contraxiſſent, ab uxoribus ſepararentur, ſed tantum pœnam, qua mulctarentur, determinarunt. Imo Canon 1. Concilii Neocæſarienſis jubet gravius puniri eum Presbyterum, qui fuerit fornicatus, quam illum, qui uxorem duxerit, verba ſunt: *Presbyter ſi uxorem acceperit, ab Ordine deponatur. Si vero fornicatus fuerit vel adulterium perpetraverit, amplius pelli debet, & ad pœnitentiam redigi.* Ergo non cenſet invalidum eſſe matrimonium; alias minorem pœnam non ſtatueret, cum æquale foret delictum, utpote utrobique fornicatio. Videtur ſacrum Ordinem id obtinuiſſe, ut dirimeret matrimonium, circa ſæculum undecimum, ut patebit ex Concluſ. ſequ.

Dico (*Ibid. ad 3.*) Ordo Sacer jure Eccleſiaſtico dirimit matrimonium ſubſequens. Prob. Calixtus III. vel ſecundum Correctionem Romanam Urbanus II. circa an. 1009. cap. *Presbyteri*, diſt. 27. ſic ſtatuit: *Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, & Monachis, concubinas habere, ſeu matrimonia contrahere penitus interdicimus: Contracta quoque matrimonia ab hujuſmodi perſonis disjungi & perſonas ad pœnitentiam redigi debere, juxta ſacrorum Canonum definitiones judicamus.* Quod poſtea confirmatum fuit in Concilio Lateran. II. ſub Innocentio II. & alio Lateran. ſub Alexandro III. refertur in jure c. 1. & 4. tit. de Clericis conjugatis: & tandem noviſſime in Trid. Seſſ. 24. Can. 9. ubi dicitur: *Si quis dixerit Clericos in ſacris Ordinibus conſtitutos, vel Regulares caſtitatem ſolemniter profeſſos, poſſe matrimonium contrahere, contractumque validum eſſe, non obſtante lege Eccleſiaſtica vel voto; anathema ſit.*

Petes 1. Utrum Ordo Sacer poſſit ſupervenire matrimonio? R. (*Ib. a. 4.*) Matrimonio junctus, ſi ad ſacros Ordines accedat, etiam reclamante uxore, nihilominus Sacramentum Ordinis ſuſcipit, ſtante matrimonio, ſive ſit conſummatum, ſive non; ſed peccat mortaliter, & executione Ordinis caret. Si autem volente uxore, vel ipſa defuncta, vel cauſam divortii dante, ordinetur, recipit Ordinem & Executionem, nec peccat.

Prob. 1. Pars. (*Ibid. a. 5.*) Ideo Ordo præcedens impedit matrimonium contrahendum, quia ejus cauſa efficiens eſt actus humanus, ſcilicet conſenſus contrahentium, qui ex arbitrio Eccleſiæ pendens ab illa irritari poteſt, ſicut de facto irritatur in ordinatis ad validitatem contractus matrimonialis. Atqui cauſa efficiens Sacramenti Ordinis imprimentis characterem non eſt conſenſus noſter, is enim ſe tenet tantum diſpoſitive ex parte ſubjecti; ſed cauſa a Deo immutabiliter determinata, quæ poſita materia & forma in volente ſuum effectum infallibiliter producit. Ergo quantumvis reclamet uxor, ſi maritus voluntarie ad Ordines accedit, valide Sacramentum ſuſcipit, permanente quidem matrimonio etiam inconſummato, quod eſt inſolubile, ſicut conſummatum, extra caſum Profeſſionis Religioſæ. Prob. 2. Pars. Quia talis eſt graviter & uxori & Ordini ſacro injurioſus, quapropter Extravag. Joannis XXII. *Antiquæ* de voto tit. 6. niſi Religionem profiteatur, non modo privatur executione Ordinis ſuſcepti, ſed etiam prohibetur promoveri ad ſuperiores Ordines (quod eſt eſſe irregularem), & aliquod Beneficium aut Officium Eccleſiaſticum obtinere. Prob. tertia Pars: (*Ibid. in a. ſ. c.*) Religioſi non minus, imo magis tenentur ad continentiam, quam illi qui ſunt in ſacris Ordinibus. Atqui poſt matrimonium conſentiente uxore, vel cauſam divortii dante, vel defuncta, poteſt aliquis licite Religionem intrare. Ergo & Ordinem ſuſcipere, ita etiam decernitur c. *Conſtitutus* de Converſione Conjug.

Petes 2. Ad quid teneatur uxor, quæ in mariti ordinationem conſentit? R. (*Ibid. ad 4.*) quod ipſa teneatur vovere continentiam; & ſi periculum incontinentiæ ſubſit, tenetur inſuper ingredi Religionem. Ita cap. 4. 5. 8. 18. de Converſione Conjug.

ARTICULUS IV.

De Impedimento conſanguinitatis.

CONSANGUINITAS eſt ſpecies cognationis: Cognatio autem ut ſic eſt perſonarum propinquitas ſeu vinculum. Triplex eſt, una ſpiritualis; quæ inducitur ratione Baptiſmi & Confirmationis. Secunda legalis, quæ inducitur per adoptionem legis. Tertia carnalis, quæ oritur ex carnali generatione, & dicitur conſanguinitas, cui accedit affinitas, & huic juſtitia publicæ honeſtatis. Igitur de conſanguinitate agemus in hoc art. de aliis cognationibus in ſeq. Sed hic prævie nota, quod ſecundum leges civiles cognatio & agnatio diſtinguatur in hoc, quod agnati per patrem, cognati per matrem ab eodem deſcendant. At ſecundum Canones Eccleſiaſtaſticos illa diſtinctio non admittitur; ſive enim per patrem, ſive per matrem deſcendant, dicuntur cognati.

§. I. *Quid ſit Conſanguinitas?*

DICO. (*Supp. q. 54. a. 1. c.*) Conſanguinitas eſſe definitur: *Vinculum perſonarum ab eodem ſtipite deſcendentium, carnali propagatione contractum.* Eſt communis, excepto quod quidam addant; *Vel quarum una ab alia deſcendit*, ut non excludatur conſanguinitas genitorum cum genitis in linea recta. Sed præter Adam, pro quo non eſt adinventa iſta definitio, eo quod ſingulariter fuit factus, verificantur in omnibus conſanguineis etiam lineæ rectæ, iſtæ particulæ, *Ab eodem ſtipite deſcendentium:* etenim pater & filios ab eodem ſtipite ſcilicet Avo

deſcendunt, & ſic de cæteris. Verum eſt quidem, quod ab eo non habeant pater & filius inter ſe conſanguinitatem, ſed nec hoc vult definitio; dicit enim ſolum, quod conſanguinitas ſit vinculum perſonarum ab eodem ſtipite provenientium; iſtud autem vinculum non dicit contrahi per carnalem propagationem ab illo eodem ſtipite, a quo deſcendunt, ſed ſimpliciter carnali propagatione, quæ quidem aliquando eſt ab eodem ſtipite, aliquando non, ſed unius ab altero, ut in linea recta filii a patre, ſed ab hoc abſtrahit definitio. Vel poteſt dici 2. cum Soto hic, ſenſum definitionis eſſe ſubdisjunctione, ſcilicet, vel ambos ab uno deſcendere, vel unum ab altero. Cæterum addantur iſtæ particulæ majoris explicationis ergo, non multum reluctamur. Hac itaque levi difficultate evacuata

Prob. Concluſio. Illa definitio conſanguinitatis eſt bona, in qua ponitur genus, ſubjectum, principium, & differentia conſanguinitatis. Atqui iſta omnia ponuntur in prædicta definitione. Ergo. Prob. Min. *Vinculum* eſt genus, ſubjectum perſonæ deſcendentes ab eodem ſtipite, quarum eſt hujuſmodi vinculum, principium carnalis propagatio, quæ eſt differentia. Ergo.

Explicatur magis prædicta definitio. Dicitur *Vinculum*, hoc eſt propinquitas, ſeu relatio quædam mutua in communicatione ejuſdem ſanguinis fundata, quæ ſit amicitiæ radix. *Stipes* generaliter vocatur ea perſona, a quo aliqui velut rami a trunco ducunt originem, ſive ut pater ſive ut mater: nam vir & uxor, cum ſint una caro, unum eundemque ſtipitem conſtituunt.

Dices 1. Omnes homines deſcendunt ab eodem ſtipite, ſcilicet Adamo, carnali propagatione. Atqui non omnes ſunt conſanguinei. Ergo. N. D. Maj. (*Ibid. ad* 1.) Omnes homines deſcendunt ab eodem ſtipite propinquo, ſeu cujus virtus perſeveret in eiſdem, N. Ab eodem ſtipite remoto, ſeu cujus virtus non perſeveret in eiſdem, C. Definitio autem intelligitur de eodem ſtipite propinquo, cujus virtus maneat in propagatis ab eo: quia conſanguinitas eſt, in quantum multi communicant in virtute generantis ab eo in multos per propagationem deducta.

Ad cujus elucidationem obſervandum eſt (*Ibid.*) quod virtus generantis nedum movet ad id, quod eſt ſpeciei, ſecundum quam omnes homines ſunt ſimiles, ſed etiam ad id, quod eſt individui, qua ratione filius patris, nepos avi, &c. nonnunquam imaginem refert, & morum effigiem, quæ utique convenientia individualis, ſeu communicatio virtutis, quatenus movet ad individualia accidentia primi generantis, dicitur conſanguinitas, ſeu ejus fundamentum. Virtus autem illa paterna licet, quatenus eſt ſpeciei, recipiatur in genito ſecundum totam ſuam perfectionem, quam habet in agente, unde ſemper perſeverat, non tamen quatenus eſt individui, quia quatenus eſt ſpeciei recipitur in genito permanenter, ac ipſi propria, & conſtituit cauſam principalem alterius generandi quoad ſpeciem; quatenus autem eſt individui, & virtus propria patris recipitur in ipſo genito tranſeunter, & ut virtus patris, non propria geniti. Unde genitus agit per eam, ut inſtrumentum motum a patre, ſeu virtute patris, qui eſt principale agens. Jam vero virtus agentis non recipitur in inſtrumento ſecundum eam perfectionem, ſecundum quam eſt in principali agente, ſed dum per multa media deducitur, paulatim attenuatur & debilitatur, ita ut tandem per longius intervallum tota deficiat. Quemadmodum, inquit Soto, in arbore truncus radicibus proximus robuſtior eſt, mox rami, qui trunco ſunt propinquiores, eo ſunt valentiores, deinde tamen ramuſculi ita propagantur exiles, ut tandem in cacumine evaneſcant, ita ſimiliter virtus patris, quatenus ipſi propria, ſeu qua individualis, non eſt ita perfecte in filio, ſicut erat in patre, & adhuc in nepote minus, & ſic deinceps donec tota deficiat, ac per Conſequens ipſa conſanguinitas in communicatione hujus virtutis, & ſanguinis fundata. Per quot autem gradus jure naturæ dilatetur infra videbimus.

Addi poteſt alia ſolutio argumenti ex Soto, quod cum conſanguinitas ſit amicitiæ genus, eatenus protenditur, quatenus ſecundum communem curſum ejuſmodi amicitiæ affectioniſque reſpectus & conditio perdurat.

Dices 2. Carnalis propagatio eſt communis hominibus, & animalibus; ſed in animalibus non contrahitur ex carnali propagatione vinculum conſanguinitatis. Ergo nec in hominibus. R. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod bruta animantia, cum cognitione finis & libertate careant, qua poſſunt ſuarum actionum habere dominium, licet præ ſe ferant ſocietatis & amoris quandam ſpeciem, incapaces tamen ſunt veræ amicitiæ. Unde non conjunguntur ad mutuæ amicitiæ unitatem propter propagationem multorum ex uno Parente proximo, ſicut eſt de hominibus. Communicatio autem ſanguinis inde ſumpta conſanguinitatis nomen non obtinet, ſed quatenus eſt amicitiæ & humanitatis fundamentum.

§. II. *Utrum conſanguinitas convenienter diſtinguatur per gradus & lineas?*

Dico. (*Ibid. a.* 2. *o.*) Conſanguinitas convenienter diſtinguitur per gradus & lineas. Prob. (*Ib.*) Conſanguinitas eſt propinquitas fundata in naturali communicatione ſecundum actum generationis, quia natura propagatur. Atqui hujuſmodi communicatio varios habet progreſſus; & inſtar arboris per ramos, pluresque ſubinde ramuſculos diffunditur & propagatur, non enim motus generationis quieſcit in uno extremo, ſed ultra progreditur. Ergo.

Pro cujus intelligentia (*Ibid. & in Reſp. ad arg.*) exponendum eſt, quid & quotuplex ſit linea? Quid & quotuplex ſit gradus? Igitur linea conſanguinitatis eſt ordinata collectio perſonarum conſanguinitate conjunctarum diverſos continens gradus, metaphora deſumpta a linea, quæ ab uno puncto videtur derivari: hic tamen non ſumitur ſtricte pro linea, quæ eſt una dimenſio inter duo puncta & ſpecies quantitatis, ſed pro rebus ipſis dimenſis, & linealiter ordinatis, quæ quidem linea conſtat ex pluribus unitatibus ſeorſim diviſis ſicut numerus. Unde differunt linea conſanguinitatis, & ipſa conſanguinitas, quod conſanguinitas ſit habitudo & reſpectus inter ipſas perſonas; linea autem perſonarum illarum collectio, ſeu ipſæ perſonæ complexim ſumptæ.

Triplex eſt linea, Aſcendentium, Deſcendentium, & Tranſverſalis, ſeu Collateralis. Aſcendentium ſecundum habitudinem principiati ad principium, geniti ad genitorem. Deſcendentium ſecundum habitudinem principii ad principiatum, genitoris ad genitum. Tranſverſalis, ſeu collateralis ſecundum habitudinem eorum, quæ ſunt ab uno principio ad invicem, ut fratrum inter ſe. Verum cum duæ priores ratione tantum differant, re ipſa autem ſint una & eadem, ſicut eadem eſt ſcala, per quam aſcenditur & deſcenditur, ideo ſecundum diſtinctionem realem duplex eſt tantum linea conſanguinitatis, *Recta* ſcilicet & *Tranſverſa*. Recta eſt collectio eorum conſanguineorum, quorum alii ex aliis deſcendunt. Tranſverſa ſeu collateralis eſt eorum, qui non deſcendunt alter ab altero, ſed omnes ex eodem, quique vel æquali propinquitate ſeu diſtantia, ut duo fratres, frater & ſoror: vel inæquali, ut patruus & ejus nepos ex avo. Et hinc patet in lineis debere aſſignari gradus, cum motus propagationis non quieſcat in uno extremo, ſed ultra progrediatur, ut dictum eſt.

Eſt autem gradus formaliter menſura diſtantiæ conſanguineorum ſeu habitudo diſtantium perſonarum, qua cognoſcitur, quantum ipſæ diſtant a ſe invicem: materialiter eſt una generationis alicujus progreſſio in linea recta. Porro ut recte advertit Auctor (*Ibid o.*) gradus propinquitatis non poteſt eſſe, ubi non eſt propinquitas, & ideo identitas & nimia diſtantia gradum conſanguinitatis tollunt, quia nullus eſt ſibi propinquus, ſicut nec ſibi ſimilis, nec etiam nimis diſtant, ut patet ex art. præcedenti. Et propter hoc nulla perſona per ſe ipſam facit aliquem gradum, ſed comparata alicui perſonæ gradum facit ad ipſam, ſicut unus baculus in ſcala non facit gradum, ſed diſtantia inter unum & alterum, gradus enim ſignificat aſcenſum vel deſcenſum, deſcenſus autem duo extrema ſeu terminos ſignificat, a quo & ad quem. Itaque neque Pater ſolus, neque Mater ſola, neque Pater & Mater ſimul, utpote quæ habentur per modum unius, ponuntur primus gradus, ſed ut primum extremum primi gradus, qui terminatur ad filium.

Ad dignoſcendum igitur, quoto gradu duo conſanguinei inter ſe diſtant

Statuuntur tres regulæ una pro linea recta, duæ pro linea Collaterali.

PRIMA regula. (*Ib.*) In linea recta perſona, quæ primo in progreſſu propagationis occurrit ſive aſcendendo, ſive deſcendendo diſtat a ſtipite in primo gradu, ut pater & filius; quæ ſecundo occurrit, diſtat in ſecundo gradu, ut avus & nepos, & ſic deinceps. Hoc eſt perſonæ conſanguineæ in linea recta tot gradibus inter ſe diſtant, quot ſunt progreſſiones generationis factæ a ſtipite ad ipſas, vel ut communiter dicitur (quod idem eſt) quot ſunt perſonæ in ea linea ordine ſanguinis ſeu progreſſu generationis collocatæ, una dempta. Dico, una dempta; quia, ut diximus, una perſona per ſe non conſtituit gradum, ſed comparata ad alterum. Unde ſi tantum computentur duæ perſonæ, ut Pater & Filius, eſt unus gradus, ſi tres ut Avus, Pater, & Filius ſunt duo gradus. Ratio regulæ eſt; quia gradus conſanguinitatis in linea recta contrahitur ex hoc, quod una perſona propagatur ex alia eorum, inter quos gradus conſideratur. Ergo quæ primo occurrit in progreſſu propagationis, eſt in primo gradu, ſive tot ſunt gradus, quot ſunt progreſſiones ge-

ne-

nerationis : & hoc tam ſecundum computationem legalem, quam Canonicam.

Secunda regula. (*Ib.*) Perſonæ conſanguineæ in linea collaterali, ſi æqualiter diſtent a ſtipite, quoto gradu diſtant a ſtipite, diſtant inter ſe, ut duo fratres in primo gradu, eorum filii in ſecundo: quia conſanguinitas eorum, qui ſunt in linea tranſverſali, contrahitur, non ex hoc quod unus eorum ex alio propagatur, ſed quia uterque propagatur ex uno, & ideo debet gradus conſanguinitatis in hac linea computari per comparationem ad unum principium, ſtipitem ſcilicet, ex quo propaganrur.

Tertia regula. (*Ib.*) Perſonæ conſanguineæ in linea collaterali, ſi inæqualiter diſtent a ſtipite, quoto gradu remotior diſtat a ſtipite, diſtant & ipſi inter ſe, ut patruus & filius ejus fratris ſeu nepos in 2. gradu, pronepos in 3. &c. Ratio regulæ eſt, quia, ut jam dicebamus, cum perſonæ conſanguineæ in linee collaterali non habeant inter ſe conſanguinitatem niſi ratioue communis ſtipitis, in quo uniunrur, & a quo trahunt eundem ſanguinem & eandem virtutem, tota ratio propinquitatis vel diſtantiæ illorum inter ſe debet deſumi ex ordine ad illum communem ſtipitem. Unde non poſſunt eſſe inter ſe conjunctiores, quam ſint cum illo ſtipite; nam propter quod unumquodque tale & illud magis. Si autem computarentur gradus ſecundum rationem propinquioris, ille, qui eſt in 4. gradu v. g. abnepos, eſſet propinquior ei, qui eſt in 2. gradu elterius lineæ v. g. filio abavi, quam ipſi ſtipiti, ſcilicet abavo. Poſſunt tamen eſſe a ſe invicem remotiores, quam ſit una eorum a ſtipite, propter ſcilicet majorem diſtantiam alterius a ſtipite. Inſpice infra ſubjectam erborem. Hæc utraque regula treditur in jure Canonico, prima ab Alexandro. II. c. *Ad Sedem* 35. q. 5. & a Zacharia c. *Parentelæ* ibid. ſecunda a Gregorio IX. cap. *Vir qui* tit. de Conſanguinirate, & ab Alexandro II. c. *Ad Sedem* cirato; approbatur eriam Concilio Lateran. ut conformis antiquis Eccleſiæ Canonibus.

Verum hic ſunr duo obſervanda. Primum, has duas regulas valere dumtaxat juxta computationem Canonicam, non legalem aur civilem. Secundum hanc enim perſonæ Conſanguineæ in linea collaterali tot gradibus inrer ſe diſtant, quot ſunt utrimque perſonæ, dempto ſtipite, vel quot ſunt gradus utriuſque perſonæ a ſtipite, ita ut ſemper duplirentur. Unde duo fratres in jure Civili diſtant duobus gradibus inter ſe, quia uterque diſtat uno gradu a Patre; duo nepotes quatuor gradibus, quia uterque diſtat duobus gradibus ab avo.


Rario hujus diſcriminis eſt, quia jus Canonicum attendit ad conſanguinitatem ratione Matrimonii contrahendi; cumque Conſanguinei Collaterales non jungantur vel diſtenr intet ſe, niſi ratione communis ſtipitis, non poſſunt magis inter ſe jungi aut diſtare, quam jungantur ſtipiti, aut ab eo diſtent, ut dictum eſt; jus vero civile attendit ed conſanguinitatem rarione hæreditatis transferendæ, quæ counaturaliter transferri debet ei, qui propinquior eſt illi, e quo provenit hæreditas, vel æqualirer omnibus iis, qui ſunt æqualiter ei propinqui; quod non obtineretur ſecundum cumputum Canonicum; v. g. agatur de hæreditate Sempronii: Sempronius diſtat quinque gradibus a communi ſtipite, Titius ab eodem communi ſtipite diſtat duobus gradibus, Cajus ab eodem quatuor gradibus. Juxta compurum Canonicum Sempronius diſtat e Titio & Caio quinque gradibus, & ideo inter utrumque dividende ſoret æqualiter hæreditas. At juxta computum civilem Sempronius diſtat e Titio ſeptem gradibus, a Caio novem gradibus, conſequentet Titio deſerenda eſt hæreditas.

Alterum, quod venit obſervandum circa tertiam regulem, eſt, quod licet attendatur tantum gradus remotior in ordine ad impedimentum Matrimonii cognoſcendum, ad impetrandam tamen diſpenſationem deber collateralium inæqualium gradus & remotior & propinquior manifeſtari; elias nulla foret diſpenſatio. Ita fert Stylus Curiæ.

Dices 1. contra concluſionem & regulas. Gradus eſt habitudo diſtantium perſonarum & conſanguinitas eſt perſonarum propinquitas. Arqui diſtantia propinquiteti opponitur. Ergo conſanguinites non conſtat ee gradibus, alias unum contrariorum componeretur ex altero. (*Ibid. ad* 4) R. D. Min. Diſtantia quælibet opponitur cuilibet propinquitati, N. Min. Diſtantia aliqua opponitur alicui propinquitati, C. Min. Non igitur omnis diſtantia opponitur omni propinquitati; imo ſicut non poteſt eſſe ſimilitudo, ubi non eſt alique diverſitas, alias foret identitas, ita non poteſt eſſe propinquiras, ubi non eſt aliqua diſtantia; alias foret unio ſeu unitas, non propinquitas: ſed aliqua diſtantia opponitur alicui propinquitati, ſcilicet major diſtantia majori propinquitati, v. g. diſtantia quinque gradibus opponitur propinquitati ad quatuor gradus; & cum ſiſtat conſanguinitas in quarto gradu, diſtantia ad quinque gradus tollit conſanguinitatem. Ex hac ſolutione colligi gradum & conſanguinitatem re ipſe eſſe quid idem, ſed ratione diſtingui, eadem enim intercapedo eſt ſimul a parte rei diſtantia & propinquitas, & per conſequens gradus & conſanguinitas, ſi quidem per idem [illegible] res duæ appropinquant, per quod diſtant, ſub diverſa tamen ratione; quatenus enim Pater & filius v. g. conſiderantur in illa intercapedine ut propinqui, conſanguinitas eſt, quatenus ſub illa conſiderantur ut diſtantes, dicitur primus gradus.

Dices 2. Si conſanguinitas per gradus diſtinguitur, oportet, quod illi, qui ſunt in eodem gradu, ſint æqualiter conſanguinei. Atqui falſum Conſequens, quia duo fratres ſunt in 1. gradu inrer ſe & reſpectu patris, & tamen ſunt magis propinqui & conſanguinei Patri, quam inter ſe. Ergo. R. D. Maj. (*Ib. ad* 5.) Si conſanguinitas, &c. oportet; quod illi, qui ſunt in eodem gradu, ſint æqualiter conſanguinei dimenſive, C. Maj. intenſive, N. Et ſic diſtincta Min. N. Conſeq. Sicut igitur una albedo dicitur major dupliciter, uno modo intenſive propter majorem ejus perfectionem ſeu radicationem in ſubjecto: alio modo dimenſive ſeu extenſive propter dilatationem ejus in majori quantitate ſuperficiei: ita conſanguinitas dicitur major vel minor dupliciter, uno modo intenſive ex narura ipſa conſanguinitatis conjunctioris; alio modo quaſi dimenſive propter extenſionem & dilatationem ejus ad plures perſonas; & hoc ſecundo modo gradus conſanguinitatis diſtinguuntur. Unde contingit, quod filius v. g. ſit magis intenſive conſanguineus ſuo Patri, quam ſuo fratri; quia eſt arctius vinculum inter genitorem & genitum, cauſam & effectum, quam inter duos genitos ex eodem Patre, duos effectus ejuſdem cauſæ; dimenſive tamen filius non eſt propinquior Patri quam ſuo fratri, quia non diſtat e fratre, niſi in quantum diſtat a Patre, & ſicut nulla eſt perſona media inter Patrem & filium, ſic nec inter duos fratres.

Repones. Saltem ex Antecedente poſito ſequitur, quod qui diſtant inrer ſe æquali gradu, debeant attingere tertium in eodem gradu & æquali propinquitate. Falſum iterum Conſequens: nam ego & frater meus v. g. ſumus in primo gradu, & ramen filius fratris mei, qui primo gradu diſtat a ſuo patre, diſtat a me ſecundo. Ergo. R. D. Maj. Sequitur, quod qui diſtant inter ſe æquali gradu, debeant attingere tertium æquali conſanguinitate, ſi iſte rertius æqualiter diſtet a communi ſtipire, C. Secus, N. Quia, ut ſæpe dictum eſt, gradus conſanguinitaris deſumuntur in ordine ad eumdem communem ſtipitem. Sic duo fratres attingunt in eodem gradu, in quo ſunt, alterum tertium fratrem; quia omnes ab eodem communi ſtipire æqualiter diſtant: at filius fratris mei non attingit æqualiter ſtipitem mihi & ipſi communem, ſcilicet Patrem meum, rarione cujus ſum ipſi conſanguineus; ego enim attingo in primo gradu, ille in ſecundo.



Arborem hanc ſeu figuram conſanguinitatis, ramorum & ramuſculorum multitudine reſecata, in duas tantum lineas ab eodem ſtipite ſub forma bicorni ſubjiciamus, utpote quæ minus ſit intricate, & ſufficiat ad intelligentiam graduum, ut conſideranti & prædicta conferenti patebit.

§. III.

§. III. *Utrum conſanguinitas impediet & dirimat Matrimonium? Quo gradu, & quo jure?*

Dico 1. (*Ib. a. 4. o.*) A mundi exordio uſque nunc non una fuit diſciplina in contrahendis matrimoniis inter conſanguineos fideles, ſed ſecundum diverſa tempora conſanguinitas ſecundum diverſos gradus matrimonium impedivit & diremit. Nunc vero dirimit uſque ad 4. gradum incluſive. Prob. (*Ib.*) diſcurrendo per varias mundi ætates ab Exordio ad hæc uſque tempora. In principio generis humani ſolus Pater & Mater a matrimonio repellebantur: quia tunc temporis erat paucitas hominum, & oportebat propagationi generis humani maximam curam impendere. Unde non erant removendæ niſi illæ perſonæ, quæ matrimonio incompetentes erant, quales ſunt Pater & Mater reſpectu prolium, ut dicemus Concluſione ſequ. Igitur propter hanc ſummam neceſſitatem fratres & Sorores nati ex Adamo ſimul nubebant; poſtea evacuata priori hac neceſſitate nati ex filiis & filiabus Adam nubebant Conſobrinis. Item Patrui ſeu Avunculi ducebant neptes, & nepotes amitas. Primum patet in Abrahamo, qui duxit Saram neptem ſuam, filiam ſcilicet Aran fratris ſui ex Thare Geneſ. 20 Secundum in Amram Patre Moyſis, qui nupſit Jocabed amitæ ſuæ, utpote filiæ Levi avi Amran Numer. 26. Hæc in lege naturæ uſque ad legem ſcriptam.

Poſtmodum vero (*Ibid.*) multiplicato genere humano per legem Moyſis, quæ concupiſcentiam jam reprimere incipiebat, plures perſonæ exceptæ ſunt a matrimonio, ut patet Levit. 18. ibi enim prohibentur conjugia 1. in 1. & 2. grado lineæ rectæ, ſcilicet inter Patrem & filiam, Matrem & filium, qui eſt primus gradus, inter avum & neptem, aviam & nepotem, qui eſt ſecundus. 2. In linea collaterali prohibentur in 1. gradu, ſcilicet inter fratrem & ſororem, & partim ſaltem in 2. utpote inter conſobrinum ſeu nepotem & amitam ſeu materteram, non tamen ita certo inter neptem & patruum. Unde Jud. 1. v. 13. Othoniel duxit Axam filiam fratris ſui; forte quia eſt ſpecialis repugnantia, quod amita, quæ jure naturæ eſt ſuperior, nepoti ipſi per matrimonium ſubjiciatur. inconveniens non currit, dum Patruus ducit neptem: ideo autem perſonæ nominatæ fuerunt per legem exceptæ a Matrimonio, quia eum in una familia habitare ſoleant, maximum incentivum libidini præſtaretur, ſi inter eos liceret copula carnalis aut Matrimonium, cujus nempe ſpes ad impudica excitat, e contra deſperatio avertit. Alios autem gradus conſanguinitatis lex vetus permiſit, imo quodam modo præcepit, ut ſcilicet de cognatione ſua unuſquiſque uxorem acciperet, ne ſucceſſionum confuſio eſſet, & quia tunc temporis cultus divinus per ſucceſſionem generis propagabatur.

In lege nova (*Ib.*), quæ eſt lex ſpiritus & amoris, plures gradus conſanguinitatis ſunt prohibiti; quia jam per ſpiritualem gratiam, non per carnis originem, cultus Dei derivatur & multiplicatur. Unde oportet, ut homines etiam magis a carnalibus retrahantur, ſpiritualibus vacantes, & ut amor amplius diffundatur. Et ideo antiquitus uſque ad remotiores gradus conſanguinitatis matrimonium impediebatur, ut ad plures per conſanguinitatem & affinitatem naturalis amicitia promanaret.

Hæc porro fuit Eccleſiæ diſciplina quatuor prioribus ſæculis; rara admodum erant matrimonia in ſecundo gradu lineæ collateralis æqualis, ſcilicet inter conſobrinum & conſobrinam, non tamen videntur prohibita fuiſſe abſolute; ut patet ex Aug. l. 15. de civit. c. 16. ſed tunc prohibita erant in ſecundo gradu lineæ collateralis obliquæ, ſcilicet inter Patruum & neptem, amitam & nepotem. Conſtat ex Suetonio in vita Claudii Imperatoris c. 16. & ex lege Theodoſii junioris, *de inceſtis nuptiis* l. 3. tit. 13. Ineunte ſæculo 7. conſuetudo obtinuit, ut matrimonia non inirentur niſi infra ſeptimum gradum, ut conſtat ex Ep. Gregorii Magni, qui florebat an. 604. ad Felicem Epiſcopum Meſſanenſem, & hoc rationabiliter; quia ultra 7. gradum non de facili remanebat communis radicis memoria, exceptis tamen Anglis, quibus ex diſpenſatione ejuſdem Gregorii licebat inire conjugia in quarta progenie, ut patet ex Reſcripto ejuſdem Gregorii ad eundem Felicem. A Sæculo 7. ad 13. ſervata fuit conſuetudo de non ineundis nuptiis, niſi infra 7. gradum, ut patet ex Ep. 1. Gregorii II. ad Bonifacium an. 731. ubi dicit: *Progeniem vero ſuam unumquemque uſque ad ſeptimam generationem obſervare decrevimus.* Id etiam probatur ex Synodo Vvormatienſi an. 868. Ab hac tamen lege excepti ſunt Germani a Gregorio II. an. 714. ita ut poſſent contrahere intra 4. gradum, ut patet ex ejus Pontificis Ep. 13. ad Bonifacium Epiſcopum; ſed hæc indulgentia revocata fuit a Gregorio III. qui ſuffectus eſt Gregorio II. an. 733. & a Zacharia Papa in Concilio Romano an. 743. quod confirmavit Nicolaus I. Bulgaris reſpondens cap. 29. circa an. 868.

Ineunte Sæculo 13. anno ſcilicet 1215. in Concilio Later. ſub Innocentio III. reducti ſunt gradus conſanguinitatis matrimonium dirimentes ad quartum incluſive. Ita habet Canon 50. hujus Concilii: *Prohibitio quoque copulæ conjugalis quartum conſanguinitatis & affinitatis gradum de cætero non excedat, quoniam in ulterioribus gradibus jam non poteſt abſque gravi diſpendio hujuſmodi prohibitio generaliter obſervari ... Cum ergo jam uſque ad quartum gradum prohibitio conjugalis copulæ ſit reſtricta, eam ita eſſe perpetuam volumus ... ut ſi qui contra prohibitionem hujuſmodi præſumpſerint copulari, nulla longinquitate defendantur annorum.* Hinc habes conſanguinitatem dirimere matrimonium uſque ad quartum gradum incluſive, & ita ſervatur nunc in omnibus Eccleſiis Latinis.

Hujus reductionis & taxationis convenientes rationes affert D. Th. (*Ib.*) Inutile, inquit, & periculoſum quippe erat gradus conſanguinitatis ultra quartum his temporibus prohibere. Inutile quidem, quia ad remotiores conſanguineos quaſi nullum fœdus amicitiæ majoris quam ad Extraneos habetur, charitate in multorum cordibus frigeſcente. Periculoſum autem, quia concupiſcentia & negligentia prævalente tam numeroſam conſanguineorum multitudinem homines non ſatis obſervabant; & ſic laqueus damnationis multis injiciebatur ex remotiorum graduum prohibitione. Satis etiam convenienter uſque ad quartum gradum protenditur dicta prohibitio: tum quia uſque ad quartam generationem homines vivere conſueverunt, ut ſic non poſſit conſanguinitatis memoria aboleri. Unde Deus in tertiam & quartam generationem peccata parentum ſe viſitaturum in filiis comminatur. Tum etiam quia in qualibet generatione nova mixtio ſanguinis (cujus identitas conſanguinitatem facit) fit cum ſanguine alieno, & quantum miſcetur alteri, tantum receditur a primo, qui receſſus viſus eſt ſufficiens in 4. gradu, ut non cenſeretur amplius conſanguinitas.

Dico 2. (*Ib. n. 3. o.*) Primus gradus conſanguinitatis in linea recta impedit & dirimit matrimonium jure naturæ. Prob. (*Ib.*) Ille gradus conſanguinitatis impedit & dirimit jure naturæ matrimonium, in quo contractum matrimonium redderetur incompetens reſpectu finis, ad quem primo & per ſe eſt a natura ordinatum. Atqui ſi matrimonium in 1. gradu lineæ rectæ contraheretur, redderetur incompetens reſpectu finis, ad quem per ſe primo a natura eſt ordinatum. Ergo. Prob. Min. Finis matrimonii primo & per ſe a natura intentus eſt bonum prolis. Atqui matrimonium in 1. gradu lineæ rectæ contractum foret incompetens bono prolis, non quidem ut totaliter tollatur, quia filia ex ſemine Patris poteſt prolem ſuſcipere, & ſimul cum patre nutrire & inſtruere, in quibus bonum prolis conſiſtit; ſed ut non convenienti modo fiat. Ergo. Prob. Min. Inordinatum eſt & inconveniens maximum atque rationi naturali repugnans, quod filius aut filia, quos natura jubet Patri ſeu Matri per omnia ſubjici & honorificentiam exhibere, velut ex eis immediate procedentes illis per matrimonium aſſocientur ut æquales cauſa generandæ & educandæ prolis, ac per matrimonii uſum eorum turpitudinem revelent. Id inquam I. inordinatum eſt, ac naturæ contrarium, ut omnes gentes aliquo modo inſtitutæ ſemper illud abominatæ ſint & ſi quædam permiſerint, habitæ ſunt omnino barbaræ ac belluinæ; quin imo bruta ipſa plurima ab eo abhorrent, ut teſtantur Ariſtot. l. 9. Hiſtor. animalium c. 47. & Plinius l. 9. hiſtor. naturalis c. 42. ubi miranda hac de re exempla refert. Ergo. Qua ratione probatur magis repugnare matrem nubere filio, quam Patrem filiæ; quia reverentiæ, quæ Parentibus debetur, magis derogatur, ſi mater filio nubat, eo quod uxor aliter ſubjiciatur viro, nun vir uxori.

Sed dices, hac ratione D. Thomæ probari tantum matrimonium inter Patrem & filiam eſſe jure naturæ illicitum, non tamen eſſe irritum: ex hoc enim quod aliquid ſit jure naturæ illicitum, non ſemper ſtatim ſequitur eſſe irritum. Sic v. g. voto ſimplici caſtitatis obſtrictus, aut ſponſalibus cum alia contractis, facit contra jus naturæ, ſi cum alia matrimonium ineat, & tamen non eſt irritum illud matrimonium. Ergo ſimiliter in præſenti caſu, & eo maxime quod Pater & filia ſint ſuppoſita diſtincta, habentia proprii corporis dominium, proinde poſſant ſibi mutuo tradere. R. hanc oppoſitionem ex ratione D. Thomæ ſatis infringi, ſi non formaliter & explicite, ſaltem implicite & illative. Cum enim non habeamus abſolutum omnino dominium noſtri corporis, ſed tale ſolum, quale Deus Auctor naturæ nobis concedit, non poſſumus illud valide per matrimonium alteri tradere alia ratione, quam qua Deus hoc conceſſerit. Incredibile autem prorſus eſt Auctorem naturæ dediſſe nobis poteſtatem hanc transferendi corporis noſtri dominium ad eum uſum, qui in nullo unquam caſu foret honeſtus, ſed ſemper ſumme inhoneſtus, quem recta ratio ſumme deteſtatur, imo quem ipſa bruta abhorrent, qualis eſt uſus matrimonii inter prolem & Parentem, ut diximus: hæc autem indecentia & repugnantia non reperitur in matrimonium eorum, qui voto ſimplici caſtitatis ſeu ſponſali-

fallibus cum altera ſunt obſtricti, ut dicatur ab Auctore naturæ reprobari ut invalidum.

Repones inde ſequi matrimonium in primo gradu lineæ tranſverſæ & in omnibus gradibus lineæ rectæ etiam eſſe irritum, quia in eis magna etiam reperitur indecentia. R. id a multis quidem probari, nec inſundate, de quo modo, non tamen ita certo & evidenter deduci, ut pro matrimoniis aſſignatis, quam pro matrimonio in primo gradu lineæ rectæ; quia licet ſit utrimque indecentia, longe tamen major eſt in iſto quam in illis.

Huc uſque, quod certum eſt, definivimus, ſed gravior reſtat difficultas, an quidam gradus ultra primum lineæ rectæ jure naturæ dirimat matrimonium? Multi quippe volunt omnibus gradibus lineæ rectæ eſque in infinitum id competere; ita ut ſi Adam modo viveret, aut reſurgeret, nulli fœminæ poſſet nubere. Ita Scotus, Conintk, &c. Alii id excendunt tantum ad ſecundum gradum in linea recta, ſcilicet inter avum & neptem, aviam & nepotem; ita Dominic. Soto, qui etiam id tribuit primo gradui lineæ tranſverſæ, quod ultimum tenent etiam Sylvius & Gonet. Alii tandem nulli alteri gradui id tribuunt, quam primo lineæ rectæ, de quo in præcedenti Concluſione. Ita Cajetanus, Sylveſter, Bonac. &c. quod videtur D. Thomæ conformius. Unde

Dico 3. Juxta mentem & doctrinam D. Thomæ probabilius videtur nullum alium gradum conſanguinitatis præter primum lineæ rectæ jure naturæ dirimere matrimonium. Prob. ex D. Th. 1. S. Doctor hic a. 3. ex profeſſo quærens, an & qui gradus conſanguinitatis jure naturæ diriment matrimonium, ſolum primum in linea recta aſſignat, alios autem revocet ad jus divinum, aut humanum. Ergo evidens eſt juxta D. Th. illum ſolum primum jure naturæ dirimere, alias fuiſſet diminutus. 2. Art. ſequenti 4. n. dicit, quod *in principio generis humani ſoler Pater & Mater e matrimonio repellebantur, eo quod tunc temporis erat paucitas hominum, & oportebat propagationi generi humani maximam curam impendere. Unde non erant removendæ, niſi illæ perſonæ, quæ matrimonio incompetentes erant, etiam quantum ad finem matrimonii principalem, qui eſt bonum prolis*, ut dictum eſt articulo præced. Ergo aliæ perſonæ conſanguineæ non ſunt incompetentes matrimonio, quantum ad finem matrimonii principalem; alias fuiſſent etiam removendæ. Subſumo; atqui ſola incompetentia ad finem principalem, hoc eſt, ut diximus, maxima generandæ prolis, ſeu uſus conjugalis indecentia & turpitudo, irritat jure naturæ matrimonium inter conſanguineos; aliæ enim rationes, quæ ſolent adduci ex D. Th., ut periculum incontinentiæ, nimius ardor libidinis, communicatio amicitiæ, ſunt quidem congruentiæ, quibus Legiſlatores moti ſunt ad prohibendum matrimonium inter conſanguineos, non autem rationes ſufficientes, ut per ſe ipſas ipſo jure naturæ illud irritent, ut fuſius mox dicemus. Ergo.

3. Et apertius S. Doctor 2. 2. q. 154. a. 9. reſolvens, inceſtum, hoc eſt conſanguineorum vel affinium concubitum intra gradus prohibitos eſſe determinatam ſpeciem luxuriæ, 3. loco ſibi proponit argumentum hoc: *Illud, quod de ſe non importat aliquam deformitatem, non conſtituit aliquam determinatam ſpeciem vitii; ſed accedere ad conſanguineos, vel affines, non eſt ſecundum ſe difforme, alias nullo tempore licuiſſet*. Cui argumento reſpondet his verbis, quæ & mentem ipſius & Concluſionem noſtram manifeſte evincunt. *Ad 3. dicendum, quod in commixtione perſonarum conjunctarum aliquid eſt, quod ſecundum ſe eſt indecens & repugnans rationi naturali, ſicut quod commixtio fiat inter Parentes & filios, quorum eſt per ſe immediata cognatio. Nam filii naturaliter debent honorem Parentibus... Aliæ vero perſonæ, quæ non conjunguntur ſecundum ſe ipſas, ſed per ordinem ad Parentes, non habent ita ex ſeipſis indecentiam: ſed variatur circa hoc decentia vel indecentia ſecundum conſuetudinem & legem humanam vel divinam; quia, ut dictum eſt, uſus venereorum, quia ordinatur ad bonum commune, ſubjacet legi. Et ideo, ſicut Aug. dicit 15. de Civit. c. 16. Commixtio ſororum & fratrum, quanto fuit antiquior, compellente neceſſitate, tanto poſtea facta eſt damnabilior, Religione prohibente*.

Unde quod dixit S. Doctor a. & in quo fundantur Sylvius & Gonet, *Naturaliter hominem debere quamdam honorificentiam Parentibus & per conſequens aliis conſanguineis, qui ex eiſdem Parentibus de propinquo originem ducunt*, non infirmat reſolutionem noſtram, nec contradicit teſtimoniis allatis. Verum enim eſt, quod homo naturaliter debeat honorificentiam aliis conſanguineis, qui ex Parentibus de propinquo originem ducunt, ſed longe minorem, quam Parentibus ipſis. Unde licet commixtio inter eos haberet aliquam indecentiam, non talem tamen, quæ ex natura rei ipſos a copula arceat, ſed talem tantum, quæ moveat homines, ut per conſuetudinem vel legem inter tales copulam interdicant, ut evidenter patet ex ultimo loco D. Thomæ.

Nec valet, ſi dicas cum Soto, S. Doctorem eo loci tantum poſuiſſe exemplum in primo gradu, ut in evidentiori; manifeſtum eſt enim, quod eximat a jure naturæ, & ad conſuetudinem vel legem poſitivam revocet omnes alias perſonas, quæ non conjunguntur ſecundum ſe ipſas, ſed per ordinem ad Parentes, quales ſunt omnes extra primum gradum lineæ rectæ. Item aſſignat rationem, cur Parentes jure naturæ a matrimonio cum filiis repellantur, quia ſcilicet *eorum eſt per ſe & immediate cognatio*, quæ ratio in ſolo primo gradu lineæ rectæ & in nullo alio cujuſvis lineæ reperitur.

Ratio itaque fundamentalis noſtræ Concluſionis ea eſt, quam D. Th. teſtimonio jam laudato ad tertium affert, & quam jam ſæpius repetivimus, ſcilicet cum inter conſanguineos aliorum graduum extra primum lineæ rectæ non ſit per ſe & immediata cognatio, ſed per accidens tantum mediata & per ordinem ad Parentes, non videtur inter eos talis & tanta indecentia copulæ carnalis, quæ jure naturæ dirimat matrimonium, licet tamen talis ſit, ut ſufficienter moveat omnes Legiſlatores, ut hujuſmodi matrimonium prohibeant, ſaltem inter propinquiores. Specialiter: quod non omnes gradus lineæ rectæ in infinitum, imo nec ſecundus dirimant matrimonium jure naturæ, ut quidam volunt, ultra ea, quæ diximus, res quoad primum plane videtur confici ex cap. *Non debet* de conſanguinitate, ubi, nulla linearum facta diſtinctione, reſtringitur conſanguinitas ad 4. conſanguinitatis & affinitatis gradum, & quoad 2. ex cap. *Gaudemus* de divortiis, ubi Pontifex ſimiliter indiſtincte concedit infidelibus ad fidem converſis, qui ante converſionem matrimonium contraxerant in 2. gradu, ut non ſeparentur. Et tandem ex Conſtitutione Concilii Trid. ſeſſ. 24. cap. 5. quæ ſic habet: *In 2. gradu nunquam diſpenſetur, niſi inter magnos Principes, & ob publicam cauſam*. Ergo in eo poteſt abſolute per Eccleſiam diſpenſari. Ergo non eſt de jure naturæ.

Neque valet ſi dicas cum Coninck jura eſſe intelligenda de linea tranſverſa tantum, non de recta; quia ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. Item de 1. gradu lineæ tranſverſæ videtur ſpeciale argumentum in filiis Adæ. Non enim videtur credibile Auctorem naturæ, initio naturæ conditæ, ipſius naturæ limites tranſgredi voluiſſe, ipſumque matrimonium ita inſtituiſſe, ut neceſſe fuerit ſtatim in filiis Adæ ejus inſtitutionem immutare, copulando fratres & ſorores. Quare dicendum videtur, quod ſi matrimonium inter fratres & ſorores eſſes jure naturæ irritum, Deus alias perſonas potius creaſſet ſine Patre & Matre ſicut Adam, quam tunc & juribus naturæ contraire, & inſtitutionem matrimonii a ſe factam invertere. In Confirmationem accedunt 1. Quod Sara uxor Abrahæ, ſecundum probabilem Sententiam, fuerit ejus propria ſoror. 2. Quod Thamar dixerit Amon fratri ſuo volenti eam opprimere; *Loquere ad Regem, & non negabit me tibi*. 3. Quod Martinus V. ex Sylveſtro diſpenſavit in eo gradu.

Solvuntur Objectiones.

OBJ. 1. Omnes rationes D. Thomæ, quibus probari ſolet aliquos gradus conſanguinitatis jure naturæ dirimere matrimonium, non militant ſolum pro primo gradu lineæ rectæ, ſed etiam pro gradibus aliis propinquioribus utriuſque lineæ. Ergo. Prob. Min. iſtæ rationes ſunt 1. reverentia debita parentibus, & indecentia actus conjugalis inter eos. 2. Maxima inter eos familiaritas, unde maxime periclitaretur pudicitia, ſi matrimonium eis non interdiceretur. 3. Communicatio amicitiæ ad plures propagandæ. Atqui omnes iſtæ rationes etiam militant pro propinquioribus gradibus ultra primum lineæ rectæ, maxime pro primo lineæ tranſverſæ, & pro ſecundo lineæ rectæ. Ergo. R. D. Ant. Omnes rationes D. Th. &c. militant etiam pro aliis gradibus æquali ac tanta vi, quanta pro primo lineæ rectæ, N. Minori vi, C. Cum enim vis harum rationum petatur ex ratione cognationis & propinquitatis, quo major eſt cognatio, eo magis urgent; quo minor cognatio, eo minus; porro nulla major cognatio, quam inter patrem & filiam, matrem & filium: in aliis omnibus longe minor, & eo minor, quo ſunt remotiores. Et tandem nulla, ubi deficit ſanguinis identitas; ut patet ex articulis præcedentibus. Inſuper notandum, quod ſola prima ratio probet directe actum matrimonii ex ſe habere aliquam indecentiam inter conſanguineos, unde ea ſola utitur D. Th., cum agit de matrimonio inter parentes & liberos. Ceteræ autem rationes ſunt congruentiæ dumtaxat, quæ ſuadent expedire, ut talia matrimonia impediantur, non tamen probant ea per ſe ullam habere repugnantiam cum recta ratione, quæ dirimat matrimonium.

Inſt. In omnibus aſcendentibus & deſcendentibus lineæ rectæ requiritur ratio principii & principiati, vereque dicun-

cuntur, & ſunt parentes & liberi. Ergo hi debent illis naturaliter reverentiam ſicut parentibus proximis. R. D. Ant. In omnibus, &c. reperitur ratio principii & principiari, &c. mediate & per accidens, C. immediate & per ſe, N. Ant. & Conſeq. Solutio patet ex dictis.

Repones. Eo major eſt reverentia ad avos, quo altiora ſunt principia. Ergo. R. D. Ant. Eo major eſt reverentia ad avos, &c. ex conſuetudine & ratione ſenectutis, C. Ant. Reverentia naturali, & ratione principii, N. Naturalis enim tam pudor, quam reverentia, major eſt ad parentes proximos, quam ad remotiores; quia ipſi ſoli ſunt cauſa per ſe immediata filiorum, remotiores autem ſolum mediata, & per accidens. Addo, quod non ratio principii præciſe dirimat matrimonium jure naturæ inter parentes liberos, cum ſecundum adverſarios ſit irritum in primo gradu lineæ tranſverſæ, in qua non reperitur ratio principii, ſed ratio conſanguinitatis maxima, ſeu ſanguinis unitas & identitas, in qua fundatur conſanguinitas, & ex qua oritur naturalis ille pudor, & reverentia inter illos. Qui autem dicat ſanguinem Adæ, & filiorum ejus in nobis nunc eundem permanere, & communi ordine naturali, ac hominum judicio eſſe radicem amicitiæ, & reverentiæ inter nos & illos. Profecto propinquius videntur ſe attingere Galli & Angli, quam attingerent Adam & ejus filios, ſi modo viverent.

Replicabis l. 1. inſtitut. tit. de nuptiis §. *Ergo non omnes*, perpetuum in linea recta ſtatuitur impedimentum uſque in infinitum. Ergo. R. Juri civili præponendum eſſe jus canonicum ſupra cit.

Obj. 2. In Levitico 28. prohibentur ſecundus gradus lineæ rectæ, & primus lineæ tranſverſæ. Ergo hi jure naturæ, aut divino ſaltem, dirimunt matrimonium. R. N. Conſeq. pro utraque parte. Non jure divino; lex enim Levitici nunc Chriſtianos non obligat, niſi quoad ea, quæ juris naturæ continet; non jure naturæ, quia non omnes gradus, quos illic prohibet, matrimonium jure naturæ irritare conſtat; tum ex eo quod illic prohibeat ſecundum gradum lineæ tranſverſæ ex parte amitæ cum nepote, & plures gradus affinitatis, quos certum eſt matrimonium jure naturæ non dirimere; tum quia plures Sancti in antiqua lege in his gradibus in Levitico prohibitis nupſerunt, ut patet de Jacob, qui duxit duas ſuas ſorores: item tandem quia Concilium Trid. ſeſſ. 24. can. 3. definit Eccleſiam in aliquibus ex his poſſe diſpenſare.

Obj. 4. & ſimul inferes. Ergo ſecluſa lege Eccleſiaſtica, vel conſuetudine, liceret inter fratrem & ſororem, avum & neptem commixtio carnalis & matrimonium, quod videtur abſurdum. R. 1. Poſſe negari illationem. Ex hoc enim quod dicamus matrimonium inter tales non eſſe jure naturæ, aut divino irritum, non ſequitur non eſſe illicitum; multa enim valide fiunt, & tamen illicite, ut patet in matrimonio illius, qui voto caſtitatis adſtringitur; item in Prodigo, qui valide, licet illicite, ſua bona diſpergit. Unde in Matrimonio inter fratrem & ſororem, avum & neptem, poteſt eſſe talis, ac tanta indecentia, quæ ipſum jure naturæ illicitum reddat, ſed non talis, ac tanta, quæ ipſum jure naturæ irritet. R. 2. Tranſeat illatio, quæ etiam nec videtur neganda in principiis D. Thomæ. S. Doctor enim tertio loco citato nullum agnoſcit inceſtum ex lege naturæ, niſi in primo gradu lineæ rectæ; quoad alios autem gradus dicit hoc pendere, variari per conſuetudinem, legem Eccleſiaſticam, vel Divinam. Divina lex hac de re in novo teſtamento non extat. Ergo ſecluſa conſuetudine, jure gentium, aut lege Eccleſiaſtica, commixtio carnalis conſanguineorum extra 1. gradum lineæ rectæ non foret inceſtuoſa, adeoque nec illicita, ſubſiſtente aliqua cauſa. Idque non parum innuit commixtio carnalis filiorum & filiarum Adæ. Non eſt enim credibile, ut diximus, Deum ipſam condendo naturam ſtatim ejus leges diſpenſatione contraria invertere voluiſſe, cum aliis ulla neceſſitati, quæ tunc erat, propagandi genus humanum occurrere poſſet. Unde debet negari abſurditas; licet fatendum ſit talem eſſe in ea commixtione indecentiam, ut merito omnes gentes morigeratæ unanimi ſenſu eam ſemper prohibuerint & reſpuerint, ex quo ſufficienter multiplicatum fuerit genus humanum.

Inferes item ex hac 2. ſolutione. Ergo ſum. Pontifex poteſt diſpenſare in 1. gradu lineæ tranſverſæ, 2. lineæ rectæ ad matrimonium contrahendum. R. Tranſeat iterum illatio per ſe loquendo: attento tamen præſenti rerum ſtatu, & immemorabili hominum uſu, quo talia matrimonia reſpuunt, gravique ideo ſcandalo, quod inſeparabiliter ſequeretur, ſi permitterentur, in eis diſpenſare nunquam expedit. Et forte hac de cauſa, aut propter probabilitatem alterius ſententiæ, raro, aut nunquam legitur diſpenſatum fuiſſe.

Obj. 4. cum Soto. Innocentius III. cap. *Gaudemus* de divortiis dicit infideles noviter converſos eſſe ſeparandos, ſi cum conſanguineis in 1. gradu contraxerint; non eſſe autem ſeparandos, ſi in 2. aut 3. gradu nupſerint. Ergo ſaltem in 1. gradu lineæ tranſverſæ irritum eſt jure naturæ, aut ſaltem divino, matrimonium. R. cum Coninck & Sanchez, N. Ant. Non enim ibi dicit Pontifex infideles conjugatos in 1. gradu eſſe ſeparandos, ſed conjugatos in 2. & 3. gradu non eſſe ſeparandos, ex quo non ſequitur definiviſſe ſeparandos eſſe conjugatos in 1. gradu. Quia Pontifex ibi tantum definit, quod certum eſt, & ipſi propoſitum fuerat; de Paganis autem in 2. & 3. gradu conjunctis propoſita fuerat ipſi quæſtio, an deberent ſeparari, non de conjunctis in 1. gradu: unde primum reſolvit, ſecundum intactum relinquit; quia ipſi propoſitum non fuerat. R. Etiam Paganos in 1. grade lineæ tranſverſæ conjunctos jure eſſe ſeparandos, eo quod talia matrimonia irrita forent non jure naturæ aut divino, ſed humana omnium conſuetudine, & maxime legibus civilibus Romanorum, quæ erant apud Paganos receptæ, & obligabant. Patet ex cap. *Quædam lex* 35. q. 3.

Obj. 5. Abraham putavit ſufficienter celare matrimonium ſuum cum Sara, dicendo Gentilibus eam eſſe ſuam ſororem. Ergo tale matrimonium erat jure naturæ irritum. R. N. Conſeq. Ad intentum enim Abrahæ ſufficiebat tale matrimonium humana conſuetudine reſpui, & non eſſe in uſu.

Obj. 6. Frater & ſoror æque ſunt conſanguinei, ac pater & filia: Ergo. Prob. Ant. utrique ſunt in primo gradu. Ergo. R. D. Ant. Æque ſunt conſanguinei dimenſive, C. Ant. Intenſive, N. Ant. Solutio patet ex arg. 2. Articuli præced.

Eccleſiam autem poſſe taxare gradus prohibentes, & dirimentes probavimus Differt. præced.

ARTICULUS V.

De Impedimento affinitatis.

§. I. *Quid ſit Affinitas, & ex quo cauſetur?*

AFFINITAS ſecundum nominis Etymologiam eſt idem quod confinitas, id eſt finium propinquitas. Dicuntur enim agri affines, ſeu confines, quia finis unius eſt proximus fini alterius, & ipſum attingens. Cum ergo per copulam carnalem vir & uxor fiant una caro, ſanguis unius attingit alterius ſanguinem, & vice verſa, atque adeo conſanguinei unius efficiuntur alteri affines. Itaque ſicut ſtipes conſanguinitatis eſt pater & mater, ita fundamentum affinitatis eſt copulatio mariti & uxoris: ex quibus eruitur hæc vulgaris definitio.

Dico 1. (*Supp. q. 55. art. 3. in c. ſ. c.*) Affinitas communiter definitur: *Propinquitas perſonarum ex carnali copula proveniens, omni carens parentela*. Patet ex jam dictis, & magis explicatur. Dicitur 1. *Ex carnali copula*, intellige, vel ex facultate tradita ad illam per matrimonium ratum, ut dicam modo. Intellige etiam copulam ſive licitam, ſive illicitam, ut mox etiam dicam. Intellige tandem copulam carnalem cum conſanguineo, vel conſanguinea illius, ad quem vel ad quam contrahitur affinitas. Unde bene etiam cum Navarro poteſt definiri affinitas: *Propinquitas duarum perſonarum, quarum una cum conſanguineo, vel conſanguinea alterius habuit copulam carnalem*. Per quod excluditur affinitas improprie dicta cauſata ex alia affinitate; de qua infra. Dicitur 2. *Omni carens parentela*, quod intelligitur in ſenſu formali & per ſe, quatenus hæc propinquitas eſt talis, ut nullam per ſe habeat parentelam ſeu conſanguinitatem, licet per accidens & diverſa ratione unus poſſet eſſe alteri affinis & conſanguineus ſimul.

Dico 2. (*ibid. art. 1. o. & 4. ad 2.*) Affinitas cauſatur complete ex matrimonio conſummato, inchoative ex matrimonio non conſummato. Prob. 1. Pars 1. (*Ib. art. 1. in a. ſ. c.*) Per Matrimonium conſummatum vir & uxor fiunt una caro. Atqui vir ſecundum carnem omnibus ſuis conſanguineis attinet. Ergo mulier eadem ratione attinet eiſdem & vice verſa.

Notat tamen Auctor, (*Ibid. o.*) quod iſtæ duæ neceſſitudines ſeu duo vincula differant; ſicut ordo, qui eſt in cauſis univocis, & ille, qui eſt in cauſis æquivocis, quia perſona conjuncta alicui per carnis propagationem, ſicut filius Patri, fit particeps ejuſdem radicis & ſanguinis. Unde eandem rem & nomen retinet, ſeu eodem genere vinculi colligatur conſanguineis Patris, quo Pater conjungebatur, ſcilicet conſanguinitate, quamvis ſecundum aliam gradum propter majorem diſtantiam a radice; ſed perſona conjuncta per carnalem copulam, cum non fiat particeps ejuſdem radicis & ſanguinis, non enim uxor trahit ſanguinem a marito & e contra, ſed quaſi extrinſecus adjuncta, non retinet idem nomen & eandem rem cum viro, hoc eſt non fit conſanguinea conſanguineis viri, ſed efficitur aliud genus vinculi, quod affinitas dicitur. Et hoc ſignificatur iſto verſu: *Mutat nupta genus, ſed generata gradum*. Id eſt uxor nupta mutat genus attinentiæ, nam conſanguineos facit

cit affines ; proles autem genita non mutat genus , quia manet conſanguinea, ſed mutat gradum in eodem genere.

Prob. 2. Para contra Scotiſtas, qui volunt ex Matrimonio rato oriri tantum publicam honeſtatem . Vinculum , quod oritur ex Matrimonio rato , majus eſt & alterius rationis , quam illud , quod oritur ex ſponſalibus. Atqui non eſt conſanguinitas, & illud , quod oritur ex ſponſalibus, eſt publica honeſtas . Ergo quod oritur ex Matrimonio rato , eſt affinitas. Patet Conſeq. Quia inter conſanguinitatem & publicam honeſtatem nihil mediat niſi affinitas . Prob. Maj. Sponſalia non inducunt vinculum ſeu impedimentum niſi ratione matrimonii . Atqui matrimonium ratum verum eſt matrimonium , & contractus fortior ac alterius rationis quam ſponſalia . Ergo . Confir. Non minus vinculum nec minor propinquitas oritur ex matrimonio licito & perpetuo, quam ex copula illicita, cum illud ſit firmius fundamentum amicitiæ & reverantiæ , quam iſta . Atqui ex iſta oritur affinitas , ut dicemus modo. Ergo ex illo.

Dices. Per Matrimonium ratum & non conſummatum vir & uxor non fiunt una caro. Atqui , ut diximus ſupra, ideo ex matrimonio oritur affinitas, quia per illud vir & mulier fiunt una caro. Ergo. R. D. Maj. (*Ib. art. 4. ad 2.*) Per, &c. non fiunt una caro perfecte, C. Imperfecte, N. Ratione enim Societatis conjugalis, ſecundum quam matrimonium etiam naturale eſt , poſſunt dici aliquo modo una caro & principium affinitatis , ſaltem imperfectæ & inchoatæ , eo quod tunc tradatur mutua facultas ad carnalem copulam . Itaque dicendum hoc vinculum , quod oritur ex matrimonio rato etiam invalido, modo non ex defectu conſenſus , ut dicamus infra, dirimere matrimonium contrahendum uſque ad quartum gradum ſicut perfectam affinitatem : nec reſtrictionem factam a Concilio Trid. Seſſ. 24. c. 3. de publica honeſtate, uſque ad 1. gradum pertinere ad propinquitatem ortam ex matrimonio rato, ut declaravit Pius V. an. 1568. Bulla *Ad Romanum ſpectat Pontificem* . Ex quo confirmatur Sententia noſtra . Vide infra de impedimento publicæ honeſtatis.

Dico 3. (*Ib. a. 3. o.*) Affinitas cauſatur ex quavis copula illicita, etiamſi involuntaria, ut in ſomnis aut vi habita , modo ſit talis , quæ ex ſe ſufficiat ad prolis generationem. Prob. 1. Ex jure cap. *Nec eam* 35. q. 3. c. *Tranſmiſſæ*, c. *Diſcretionem* & c. *Tuæ* , tit. de eo , qui cognovit conſanguineam uxoris, & maxime ex Concilio Trid. Seſſ. 24. c. 4. Item ex definitione affinitatis. Prob. 2. (*Ib.*) Matrimonium affinitatem cauſat , non ſolum ſecundum quod eſt Societas quædam ad communem vitam , quæ eſt ejus finis ſecundarius , ſed principaliter ſecundum quod eſt quædam carnis commixtio ad generationem prolis , quæ eſt ejus finis primarius . Atqui hoc ſecundum reperitur in fornicario concubitu , etſi primum deſit . Ergo. Confir. (*Ibid. in 4. ſ. c.*) Adhærens meretrici unum corpus & una caro efficitur cum illa , ut dicit Apoſt. 1. Cor. 6. Atqui ex hac cauſa matrimonium affinitatem cauſat , Ergo . Quæ rationes probant nedum jure poſitivo , ſed ex natura rei affinitatem contrahi ex copula illicita contra quoſdam.

Dicas 1. Conjunctio maritalis in tantum cauſat affinitatem , in quantum eſt fundamentum amicitiæ naturalis & reverantiæ , ut dictum eſt Concluſione 2. Atqui fornicarius concubitus non fundat amicitiam naturalem , nec reverentiam, ſed potius odium & indignationem inter conſanguineos fornicariæ & fornicarium , & e contra. Ergo. R. D. Min. (*Ib. ad 1.*) Fornicarius concubitus quatenus inordinatus non fundat , &c. C. Min. Quatenus naturalis , ſeu ſecundum ſe ſpectatus, N. In fornicario enim concubitu eſt aliquid naturale , quod eſt commune fornicationi & matrimonio ; & ex hac parte , in quantum in ſe eſt , fundat amicitiam naturalem , ideoque cauſat affinitatem . Aliud eſt ibi inordinatum , per quod a matrimonio dividitur , & ex hac parte non fundat amicitiam naturalem , nec ideo affinitatem cauſat.

Dices 2. Leges civiles dicunt ex ſolis juſtis nuptiis oriri affinitatem . Ergo . R. Leges civiles intelligendas eſſe quoad delationem hæreditatis , non quoad prohibitionem matrimonii .

Dixi in Concluſione : *Modo copula ſit talis , quæ ex ſe ſufficiat ad prolis generationem* : quia alias vir & uxor non fierent unum principium generationis , ſeu una caro ad generationem, ex quo tamen oritur affinitas. Cenſetur autem copula apta generationi , quando vir ſaltem ſeminavit in vaſe naturali . Dico *Vir ſaltem* ; quia cum D. Th. 3. p. q. 31. art. 5. cenſeat ſemen fœminæ non eſſe materiam de neceſſitate requiſitam ad conceptum , plures exiſtimant , quod quando hic requirit commiſtionem ſeminum , per ſemen ex parte mulieris intelligat vel ſemen , vel aliquid loco ſeminis , v. g. ſanguinem. Ita Sylveſter verbo *Matrim.* 8. q. 15. Ledeſma & Sylvius ad hunc articulum, juxta quam Sententiam ſufficit ſeminatio ex parte viri ad cauſandam affinitatem, de quo tamen non omnes conveniunt . Conſtat autem , quod (*Ib. a. 4. ad 2.*) neque ex copula ſodomitica, neque ex copula naturali ſine ſeminatione intra vas, neque ex omni alia pollutione , aut tactibus, oriatur affinitas; quia ex his non eſt nata per ſe ſequi generatio . Ex copula tamen completa inter ſteriles aut ſenes orietur , quia talis , quantum eſt ex ſe, ſufficit & ordinatur ad generationem.

Dico 4. (*Ibid. art. 5. o.*) Affinitas non cauſat affinitatem , ſed aliud genus attinentiæ. Ante probationem nota (*Ib.*) ſecundum jus antiquum tria eſſe neceſſitudinum genera , quas pertinentias & quodam modo affinitatis genera vocabant . v. g. Maria fratri meo matrimonio juncta erat mihi & ſorori meæ affinis in 1. genere. Si autem fratre meo defuncto eadem Maria nuberet Petro, ille fiebat mihi & ſorori meæ affinis in 2. genere : & ſi Maria defuncta Petrus duceret Annam , illa efficiebatur mihi affinis in 3. genere. Dicebantur autem genera affinitatis, non gradus; quia non erant ejuſdem ſpeciei ſolum , quippe primum pertingit ad affinitatem proprie dictam ; ut patebit ex probatione Concluſionis. Secundum autem & tertium non tam affinitatem, quam quandam publicam honeſtatem inducunt , ratione cujus olim jure antiquo impediebant matrimonium , ſed ex Concilio Lateran. ſub Innocentio III. iſtud jus antiquum ceſſavit, & ſolum primum genus , quod eſt propriæ affinitatis, reſervatum eſt ac reſtrictum ad 4. gradum ut conſanguinitas cap. *Non debet* cit. de Conſanguin. & Affinit.

Prob. (*Ibid.*) Secundum ordinem & proceſſum in cauſis æquivocis effectus producitur ſpecie diverſus a cauſa, & quotieſcumque ille proceſſus iteratur , aliam ſpeciem facit , ut ex puncto per motum procedit linea non punctum ; & ex linea linealiter mota non procedit linea , ſed ſuperficies , & ex ſuperficie corpus . Atqui affinitas cauſatur ſecundum ordinem & proceſſum cauſæ æquivocæ . Ergo affinitas non cauſat affinitatem , ſed aliquod aliud genus attinentiæ , ut dicebamus modo . Prob. Min. Perſona propter maritalem copulationem conſanguineæ conjuncta non fit ipſi conſanguinea ; quia non participat eundem cum ipſo ſanguinem . Sed fit ipſi affinis , quia dum fit una caro cum marito, proxime attingit illius conſanguinei ſanguinem , adeoque ſi ille modus procedendi iteretur, non erit affinitas, ſed aliud genus attinentiæ , de quo in notamine poſt Concluſionem . Conſule etiam notamen ſubjectum ſecundæ Concluſioni.

Hinc colliges cum Sylvio , quod conſanguinei uxoris nullam , niſi cum ejus marito , habeant affinitatem , & vice verſa conſanguinei viri nullam , niſi cum ejus uxore : inter ipſos autem mariti & uxoris conſanguineos nulla prorſus ſit affinitas : ita ut nunc , jure antiquo ſublato, quoad præfata duo poſteriora genera affinitatis impropriæ , duo fratres poſſint nubere duabus ſororibus , frater & ſoror fratri & ſorori , filius viri filiæ uxoris , pater & filius matri & filiæ : item Titius v. g. qui duxerat Caiam ſororem Sempronii , poſt mortem Sempronii ducere poteſt viduam ejus.

§. I. *Utrum affinitas habeat per ſe gradus ? Quæ Regula illos dignoſcendi : & quouſque extendatur ?*

Dico 1. (*Ibid. art. 7. o.*) Affinitas non habet per ſe gradus, ſed ratione conſanguinitatis . Prob. (*Ibid.*) Illa tantum propinquitas habet per ſe gradus , cui carnis ejuſdem propagatio per ſe , & immediate comparatur . Atqui carnis propagatio per ſe tantum comparatur conſanguinitati , affinitati autem ratione conſanguinitatis. Ergo . Patet Min. Quia ex carnis propagatione immediate conſanguinitas contrahitur , & mediante conſanguinitate affinitas. Prob. Maj. Res non dividitur diviſione per ſe , niſi ratione illius , quod competit ſibi per ſe, ſeu ſecundum genus ſuum ; ſicut animal per ſe dividitur per rationale & irrationale, non autem per album & nigrum . Atqui gradus attinentiæ , ſeu propinquitatis diſtinguuntur per propagationem carnis. Ergo illa tantum propinquitas habet gradus per ſe, ad quam per ſe & immediate ejuſdem carnis propagatio comparatur. Hinc ſtatuitur

Regulæ generalis dignoſcendi gradus affinitatis.

Quoto gradu conſanguinitatis attinet mihi vir , toto gradu affinitatis attinet mihi ejus uxor . (*Ibid.*) Igitur, ſtipes affinitatis , ut jam diximus , ſunt maritus & uxor, ſicut conſanguinitatis pater & mater. Affines autem ſunt in linea recta, qui in eadem linea ſunt alteri conjugum conſanguinei , ut aſcendendo ſocer & ſocrus, id eſt pater & mater alterutrius conjugum, Proſocer & Proſocrus, &c. quibus reſpondent relative deſcendendo, Gener & Nurus, Progener & Pronurus, &c. Item Vitricus , id eſt maritus matris meæ poſt obitum patris mei , & noverca , id eſt uxor patris mei poſt obitum matris meæ , quibus reſpondent relative deſcendendo Privignus & Privigna.

Digitized by Google

vigna. In linea collaterali ſunt affines, qui uni conjugum in eadem linea ſunt conſanguinei, ut frater, aut ſoror uxoris ſunt marito affines in primo gradu lineæ collateralis, & ſic de cæteris proportionaliter.

Dico 2. (*Ibid. a.* 8. *a.*) Gradus affinitatis extenduntur, ſicut gradus conſanguinitatis, nunc ſcilicet uſque ad quartum gradum. Patet ex præced. Concluſione. Hoc ipſo enim quod gradus affinitatis ſumantur juxta gradus conſanguinitatis, oportet, quod tot ſint gradus affinitatis, quot ſunt gradus conſanguinitatis. Ergo. Notandum (*Ibid.*) quod quia affinitas eſt minus vinculum, quam conſanguinitas, facilius & olim, & nunc diſpenſatio fiat in remotis gradibus affinitatis, quam in remotis gradibus conſanguinitatis.

§. III. *Utrum affinitas impediat & dirimat matrimonium? Quo gradu & quo jure?*

Dico 1. (*Ibid. a.* 6. *a.*) Affinitas præcedens impedit & dirimit matrimonium. Eſt communis & certa, patebitque ex jure ſequenti Concluſione citando. (*Ibid.*) Rationes autem congruentes hujus impedimenti ſunt eædem, ac impedimenti conſanguinitatis. Sicut enim ineſt neceſſitas quædam habitationis, amicitiæ vinculum, & reverentiæ debitum inter conſanguineos, ita & inter affines. Atqui his rationibus conſanguinitas convenienter impedit & dirimit matrimonium. Ergo & affinitas.

Dixi; *Affinitas præcedens*; quia ſi ſupervenìat matrimonio, ſemel valide contracto, illud dirimere non poteſt; ſed impedit eum, qui culpabiliter eſt cauſa hujus affinitatis a petendo debito, non tamen a reddendo; quod ſi uterque fuerit in culpa, utrumque a petendo impedit, niſi diſpenſationem obtineant, quæ ab Epiſcopo concedi poteſt. Si vero talis affinitas cauſata ſit citra culpam, puta per copulam, per vim, aut ignorantiam invincibilem habitam, nequidem a petendo debito impedit; quia nemo citra culpam debet privari jure, quod ipſi lege naturæ competit. Ita c. *Diſcretionem*, de eo, qui cognovit uxoris conſanguineam. De quo dictum eſt ſuperius.

Dices. Qui fornicarie cognoſcit mulierem, ad illam propinquius attinet, quam ejus, ſcilicet fornicarii, conſanguinei. Atqui fornicarius ille non prohibetur hanc mulierem ducere. Ergo nec affines. R. N. Conſeq. Quia ille fornicarius, neque conſanguineus, neque affinis efficitur mulieri fornicariæ, ſed una caro, quæ non impedit vinculum, imo illud facit.

Dico 2. Affinitas olim jure Eccleſiaſtico impediebat, & dirimebat matrimonium contrahendum uſque ad 7. gradum, cap. *Æqualiter* 35 q. 3. Nunc autem a Concilio Lateran. ſub Innocentio III. ſi orta ſit ex matrimonio, ſive conſummato, ſive non, impedit & dirimit, uſque ad 4. gradum incluſive, cap. *Non debet* 8. de conſangu. Si vero proveniat ex copula illicita, impedit & dirimit tantum uſque ad 2. gradum incluſive jure novo Tridentini ſeſſ. 24. cap. 4. itaut in 3. & 4. gradu nedum valide, ſed & licite, de quo aliqui dubitabant, matrimonium contrahi poſſit, ut declaravit Pius V. an. 1588. Bulla *Ad Romanum Pontificem*. Hæc certa ſunt & communia. Sed utrum aliquis gradus affinitatis jure naturæ dirimat matrimonium? Major eſt opinionum diverſitas. Difficultas eſt maxime circa 1. gradum utriuſque lineæ rectæ & collateralis, quam duabus Concluſionibus dirimemus.

Dico 3. Matrimonium affinium in 1. gradu lineæ collateralis non eſt jure naturæ irritum. Eſt nunc communis. Non diffitemur tamen eſſe aliqualiter illicitum propter quandam indecentiam, quam videtur involvere, ſed quæ accedente rationabili cauſa facile poteſt abſtergi, adeoque & matrimonium reddi licitum. Hæc appendix probatur rationibus 1. Concluſionis hujus §. Prob. Concluſio 1. Major eſt propinquitas conſanguinitatis in 1. gradu lineæ collateralis, quam affinitatis ejuſdem lineæ in eodem gradu. Atqui conſanguinitas in 1. gradu lineæ collateralis non dirimit jure naturæ matrimonium, ut probavimus ſupra. Ergo nec affinitas in 1. gradu utriuſque lineæ. 2. Ex Scriptura Geneſ. 29. Jacob ſine urgenti cauſa accipit duas ſorores Liam & Rachel. Deuter. 25. nedum permittitur, ſed etiam præcipitur, ut frater nubat uxori fratris ſine prole defuncti, ut ſuſcitet ſemen ejus. 3. Ex jure Innocentius III. cap. final. de divortiis permittit recenter ad fidem converſo permanere cum vidua fratris ſui, quam adhuc infidelis ſibi matrimonio junxerat. Ergo ſupponebat illud validum. 4. Ex variis ſum. Pontificum diſpenſationibus, qui cum nihil poſſint contra jus naturæ, recte inde concluditur talia matrimonia jure naturæ non eſſe invalida. Diſpenſavit autem Alexander VI. ut Emmanuel Rex Portugalliæ duas ſorores ſucceſſive acciperet. Similem diſpenſationem conceſſerat Martinus V. ut refert S. Antoninus 3. p. tit. 1. cap. 11. Julius II. diſpenſavit, ut Henricus VIII. Rex Angliæ duceret Catharinam Aragoniam fratris ſui Arturi viduam, quam diſpenſationem Clemens VII. conſultis fere totius orbis Doctoribus & Academiis legitimam eſſe & validam declaravit Decreto, quod refert Alphonſus a Caſtro l. 1. de lege pœnali cap. 12.

Dices 1. Levit. 18. prohibetur matrimonium in primo gradu affinitatis lineæ collateralis, tanquam aliquid turpe, his verbis: *Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis*. Ergo ut juri naturæ contrarium. 2. Matth. 14. Jo. Baptiſta arguit Herodem, quod haberet uxorem fratris ſui, non viventis ſed mortui, ut interpretatur Chryſoſt. hom. 49. in Matth. 3. Innocentius III. cap. *Gaudemus* tit. de divortiis ſignificat matrimonium Infidelium in 1. gradu contractum eſſe irritum. Hæc ſunt præcipua, quibus olim Angli contendebant matrimonium Henrici VIII. cum Cathrina Aragonia eſſe illegitimum & dirimendum, ut ab eo ſolutus Rex poſſet ducere Annam Bolenam, cujus amore exardeſcebat. Sed facili negotio diſſolvuntur. Unde R. ad 1. jam diximus legem Levitici nunc Chriſtianos non obligare, niſi quoad ea, quæ jure naturæ continet, pariterque diximus non omnes gradus illic prohibitos eſſe jure naturæ. Et quoad præſentem prohibetur quidem, ut quid turpe, id eſt aliqualiter indecens ſine cauſa, non tamen ut graviter illicitum; ſi quidem ut dictum eſt, e contra præcipiebatur Deut. 25. caſu quo frater ſine liberis moreretur: imo ex ipſo citato Levitico, dum prohibetur conjugium cum ſorore uxoris, quod eſt in eodem gradu ac cum uxore fratris; dicitur: *Nec revelabis turpitudinem ejus, adhuc illa vivente*; quibus verbis inſinuatur prohiberi tantum vivente uxore, licere autem illa mortua.

Ad 2. veriſimilius eſt, quod Herodis frater adhuc viveret, ut tradunt Hieronymus, Beda ſuper Matth. Euſeb. l. 1. c. 11. Egeſippus l. 2. c. 1. Joſephus l. 18. antiquit. c. 6. & ipſum officium divinum in Feſto Decollationis S. Jo. Baptiſtæ, Reſponſ. ad 2. Lect. ubi legitur: *Joannes arguebat Herodem propter Herodiadem, quam tulerat fratri ſuo viventi uxorem*. Inſuper dato quod frater Herodis fuiſſet mortuus, nihilominus reprehenſibilis erat Herodes, quia profitebatur Legem Judaicam, qua, ut obſervatum eſt, prohibebatur, ne frater duceret uxorem fratris, niſi in caſo, quo obiiſſet frater ſine liberis, qui locum non habebat in Philippo, cujus erat filia ex Herodiade, ſcilicet puella ſaltatrix. Ad 3. Innocentius loquitur de conſanguinitatis gradibus, non affinitatis.

Dico 4. Matrimonium in primo gradu affinitatis lineæ rectæ eſt graviter illicitum ſine urgenti cauſa, non videtur tamen ipſo jure naturæ irritum; ſive affinitas proveniat ex copula licita, ſive illicita. De copula illicita omnes conveniunt; etiam de licita Cajetanus, Abul. Petrus Ledeſma, Henriques, Sa, Amicus, quos citat & ſequitur Sanchez.

Prob. 1. pars. Quia non modica videtur in tali matrimonio indecentia, quæ, niſi aliqua urgenti ratione abſtergatur, ipſum reddit illicitum. Ergo. Confer quæ dixi 1. Concluſione & art. præced. de conſanguinitate. Prob. 2. pars: 1. Non videtur major indecentia & repugnantia in matrimonio affinium primi gradus lineæ rectæ, quam in matrimonio conſanguineorum primi gradus lineæ collateralis. Atqui hæc non eſt tanta, ut ipſo jure naturæ dirimat illud, ut diximus ſupra. Ergo nec illa. Maj. videtur admittenda, quia licet prima indecentia excedat ſecundam propter ſuperioritatem & inferioritatem, ſecunda tamen excedit ratione longe ſtrictioris vinculi conſanguinitatis. Ergo. Sed & dato quod ſit major indecentia in 1. gradu affinitatis lineæ rectæ, quam in 1. conſanguinitatis lineæ lateralis, nulla tamen ratione poteſt evinci eſſe tantam ac talem, quæ ex natura rei dirimat & irritet matrimonium, ut patebit ex ſolutionibus argumentorum. 2. Concilium Agathenſe Can. 6. & Aurelianenſe 3. Can. 10. prohibendo matrimonium in primo gradu affinitatis in linea recta, ſimul ſtatuunt non eſſe diſſolvendum, ſi ante Baptiſmum contractum fuerit. Ergo ſupponunt jure naturæ eſſe validum.

Dices 1. Omnes gentes matrimonia in 1. gradu affinitatis lineæ rectæ ſemper deteſtatæ ſunt, ut naturæ contraria. Unde Apoſt. 1. Cor. 5. dicit: *Omnino auditur inter vos fornicatio & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem Patris ſui aliquis habeat*. Ergo. R. 1. dato Ant. ex eo non evinci abſolute, quod hujuſmodi matrimonia ſint jure naturæ irrita, ſed bene quod ſint illicita ſine urgenti cauſa. R. 2. N. Ant. Mos enim fuit apud Perſas, ut filius mortuo Patre Novercam duceret: & teſte Valerio Maximo l. 5. c. 7. Rex Seleucus ſuam uxorem Stratonicam ceſſit proprio filio Antiocho, ex alia uxore genito, nec factum reprehendit Valerius. Unde ad Apoſtolum dicendum, quod loquatur de Privigno, qui vivente adhuc Patre uxorem ejus acceperat, ut docent S. Anſelmus & S. Th. in hunc locum, colliguntque ex his ſequentibus verbis Apoſtoli 2. Cor. 7. *Scripſi vobis, non propter eum, qui fecit injuriam, nec propter eum, qui paſſus eſt*. &c. Vel ſi defunctus fuerit Pater, loquitur de copula non maritali, ſed fornicaria, alias, ut patet ex dictis,

ctis, non potuiſſet Apoſtolus dicere, *qualis nec inter gentes*. Alterutra ſolutione venit ſolvendum, quod opponitur ex Levit. 20. *Qui dormierit cum Noverca ſua, & revelaverit ignominiam Patris ſui, morte moriantur ambo*. Eſt enim intelligendum vel de Patre adhuc vivente, vel de copula fornicaria, vel quia id eſt jure naturæ illicitum ſine cauſa gravi.

Repone. D. Th. loco cit. ad Cor. dicit: *Uxor Patris repellitur a matrimonio, ſicut perſona Patris vel Matris*. Atqui Pater & Mater repelluntur a matrimonio jure naturæ. Ergo. R. D. Thomam paritatem facere quoad impedimentum, non quoad jus illud ſtatuens. Verum eſt enim, quod uxor Patris repellatur a matrimonio, ſicut perſona Matris, ſed hæc jure naturæ, iſta Jure Eccleſiaſtico. Vel loquitur de matrimonio quoad rationem illiciti tantum. Similiter interpretaberis Auguſtinum, dum dicit l. 24. contra Fauſt. c. 61. *Si vir & uxor, non duo ſed una caro ſunt, non aliter eſt nurus deputanda quam filia*.

Dices 2. In jure cap. *Si vir* 35. q. 3. decernitur tantam deberi reverentiam uxori Patris, ac ipſi Patri. Et cap. de propinquis 35. q. 3. dicitur ita eſſe abſtinendum ab affinibus, ſicut a conſanguineis. Ergo. R. illa jura verificari ſecundum Legem Eccleſiaſticam; pluſquam enim evidens eſt longe majorem reverentiam jure naturæ deberi vero parenti, quam ejus uxori, & longe ſtrictius eſſe impedimentum ex conſanguinitate, quam ex affinitate. Unde ut dicebamus de S. Th. & Aug. paritas eſt in obligatione aut impedimento, non in jure obligante aut ſtatuente.

Dices tandem. Summi Pontifices nunquam in tali matrimonio diſpenſarunt. Ergo. R. N. Conſeq. Ex argumento enim negativo nihil hic concludi poteſt, maxime cum non invaliditas ex natura rei, ſed indecentia gravis, quæ illic reperitur, potuerit eſſe cauſa, cur nec Pontifices diſpenſaverint, nec fideles diſpenſationem petierint. Unde poteſt diſtingui Ant. Nunquam diſpenſaverunt in tali matrimonio quia invalido, N. Quia graviter indecenti, C.

Si opponas cum P. Coninck Concilium Limenſe, & jura civilia, de quibus aliunde, certo & clare non conſtat: ipſis opponimus Concilia Agathenſe, Aurelianenſe ſupra cit. & etiam Epaonenſe Can. 30.

Petes, utrum manentibus perſonis, inter quas contracta eſt affinitas, ipſa deſinat, ſi moriatur perſona, ratione cujus contracta eſt? R. negative: (*Ib. art. 2. o.*) quia cauſa affinitatis nunquam deſinit. Affinitas enim cauſatur non ex eo ſolum, quod aliqui conjungantur actu, alioquin tranſacta actuali conjunctione, deſinerent eſſe affines; ſed ex hoc, quod ſint conjuncti; quod autem ſemel eſt conjunctum, nunquam deſinit fuiſſe conjunctum; ut enim communiter dicitur: quod factum eſt, infectum fieri nequit. Atqui ſubſiſtente cauſa affinitatis & manentibus perſonis, inter quas contracta eſt, non deſinit affinitas. Ergo. Prob. Min. Relatio, qualis eſt affinitas, non deſinit, niſi ex ſubtractione cauſæ vel ſubjecti. Ergo.

ARTICULUS VI.

De impedimento juſtitiæ publicæ honeſtatis, per Quæſtiunculas.

PETES 1. Quid ſit juſtitia publicæ honeſtatis? R. (*Supp. q. 55. a. 4 o.*) Quod ſit *propinquitas ex ſponſalibus proveniens, robur trahens ex Eccleſiæ inſtitutione propter ejus honeſtatem*. Dicititur; *Propinquitas ex ſponſalibus proveniens*, quia ſicut ex matrimonio ipſo provenit quædam propinquitas cum conſanguineis conjugis, quæ dicitur affinitas; ita ex pactione ipſius matrimonii, ſeu ſponſalibus, oritur quædam propinquitas, affinitate tamen inferior, quæ dicitur juſtitia publicæ honeſtatis. Dicitur, *robur trahens ex Eccleſiæ inſtitutione*, ut ſignificetur hanc propinquitatem ex natura rei non habere vim dirimendi matrimonium ſed ex ſolo jure Eccleſiaſtico. Dicitur; *Propter ejus honeſtatem*; quibus verbis inſinuatur cauſa, cur Eccleſia ſtatuit eam propinquitatem impedire matrimonium. Æquum eſt enim & honeſtati congruum, ut quia in ſponſalibus matrimonium inchoatur, non poſſit, qui cum aliqua ſponſalia inivit, cum illius conſanguineis matrimonio copulari. Unde cum dicitur, *Juſtitia publicæ honeſtatis*, idem valet, quod *Juſtitia*, quæ eſt *publica honeſtas*.

Petes 2. Ex quibus ſponſalibus oriatur iſtud impedimentum? R. olim oriebatur ex omnibus ſponſalibus *puris*, id eſt non conditionatis in futurum, & *certis*, id eſt cum certa & determinata perſona, ſive validis, ſive invalidis, modo non eſſent invalida defectu conſenſus. Ita Bonifacius VIII. c. unico de Sponſalibus in 6. ubi ſic habetur. *Ex Sponſalibus puris & certis, etiamſi conſanguinitatis, affinitatis, frigiditatis, Religionis, aut alia quavis ratione ſint nulla, dummodo non ſint nulla ex defectu conſenſus, oritur efficax ad impediendum & dirimendum ſequentia ſponſalia vel matrimonia, non ad præcedentia diſſolvenda, impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis*. Nunc autem jure novo Trid. Seſſ. 24. c. 3. oritur ex omnibus & ſolis validis ſponſalibus, non ex quomodocumque invalidis. *Juſtitiæ*, inquit, *publicæ honeſtatis impedimentum, ubi ſponſalia quacumque ratione valida non erunt, ſancta Synodus prorſus tollit*.

Petes 3. Quo gradu iſtud impedimentum dirimat matrimonium? R. olim jure antiquo dirimebat uſque ad 4. gradum: nunc autem jure novo Trid. loco cit. non excedit primum: *Ubi autem valida fuerint ſponſalia*, ſubjungit S. Synodus poſt verba mox allata, *primum gradum non excedat*. Hinc ſequitur ſponſum non poſſe validum matrimonium inire cum matre aut ſorore ſponſæ, nec ſponſam cum Patre aut fratre ſponſi; poſſe tamen cum ulterioribus conſanguineis. Si ergo ſponſus de facto contraheret matrimonium cum ſorore ſponſæ, deberet redire ad priorem ſponſam. Si autem carnaliter cognoſceret ſecundam, neque hanc, neque priorem poſſet ducere; non priorem propter affinitatem ex copula cum ſecunda; neque ſecundam propter publicam honeſtatem ex ſponſalibus cum prima.

Petes 4. Utrum iſtud impedimentum duret poſt mortem alterutrius ſponſæ aut ſponſi? R. affirmative. Ratio eſt eadem ac de affinitate, de qua art. præced. in Reſp. ad Petitionem in calce articuli.

Petes 5. an etiam duret, etſi ſponſalia mutuo conſenſu, vel ex alia juſta cauſa diſſolvantur? R. affirmative eadem ſemper ratione. Sed & adverte quod traditur in declaratione Cardinalium ſub Alexandro VII. apud Proſp. Fagnanum, in cap. *ad audientiam* de Sponſal. & Matrim. & Tamb. cap. 9. n. 7. Ubi poſt narratum caſum Alphonſi Rodriguez, qui poſt ſponſalia contracta cum Iſabella Ruia, & in hujus gravi morbo mutuo ſanoque conſenſu diſſoluta, poſtea volebat contrahere cum Maria ejuſdem Iſabellæ ſorore; ſic habetur: *Jubente ſanctiſſimo Domino noſtro propoſitum fuit in ſacra Congregatione Concilii; An ſponſalibus valide initio contractis, deinde mutuo conſenſu diſſolutis, ſit ſublatum impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis. Et dubio pluries propoſito & matura examinato, tandem ſub die ſexta Julii anno 1658. Eminentiſſimi Patres in antiqua ejuſdem Congregationis ſententia conſentientes, cenſuerunt non eſſe ſublatum. Cujus ſententiæ una cum rationibus hinc inde deductis & recentibus ejuſdem Congregationis in hac materia Reſponſis facta relatione ad Sanctiſſimum, Sanctitas ſua die 10. ejuſdem menſis prædictæ Congregationis probavit Concluſionem, eamque juſſit in dubium deinceps non revocari*. Itaque corrigenda videtur opinio contraria Barboſæ, noſtri Gonet, & quorumdam aliorum, qui fundantur in quadam anteriori declaratione ejuſdem Congregationis; de qua aliunde certo non conſtat.

Obſervanda circa Conſtitutionem Bonifacii VIII.

CUM Bonifacius VIII. in Conſtitutione ſupra citata decernat impedimentum publicæ honeſtatis oriri ex quibuſvis ſponſalibus puris & certis etſi invalidis, modo non ſint invalida defectu conſenſus, inde colligunt communiter Theologi & Juriſconſulti, paucis exceptis, idem cenſendum eſſe a fortiori de impedimento vel affinitatis imperfectæ ſecundum nos, vel publicæ honeſtatis ſecundum alios, quod oritur ex matrimonio rato non conſummato, illud ſcilicet cauſari, quantumvis matrimonium ſit invalidum, modo ſit purum & certum, nec ſit invalidum ex defectu conſenſus. Et cum Pius V. Bulla *Ad Romanum Pontificem*. 1. Julii an. 1568. declaraverit reſtrictionem factam a Concilio Trid. circa impedimenta publicæ honeſtatis procedere tantum de impedimento exorto ex ſponſalibus, non de illo, quod oritur ex matrimonio rato, non conſummato, concludunt præfati Theologi, iſtud impedimentum ex matrimonio rato, etſi invalido, ut dictum eſt, adhuc nunc vigere, juxta jus antiquum Bonifacii VIII. & matrimonium dirimere uſque ad quartum gradum. Quapropter ex matrimonio contracto cum Monacho, conſanguineo, &c. & etiam clandeſtino, oritur, hoc impedimentum, quia revera non eſt invalidum defectu conſenſus, ſed defectu ſolemnitatis ab Eccleſia requiſitæ. Non oritur autem ex matrimonio ficte contracto, licet exterius præſumatur validum, & probari non poſſit fictio, quidquid contradicant aliqui: quia ubi jus non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. Decernit autem jus ſine aliqua reſtrictione tale impedimentum non oriri ex matrimonio invalido defectu conſenſus. Cæterum adverte, neque tunc ex talibus ſponſalibus, neque nunc ex tali matrimonio, ex natura rei, ullam oriri propinquitatem, ſive affinitatis, ſive publicæ honeſtatis, cum revera invalida ſint, ſed propinquitatem ipſam, ſicut vim ejus impediendi matrimonium ex ſola ordinatione Eccleſiæ ortum habere.

Petes 6. tandem utrum requiratur, quod ſuſceptores tangant corporaliter Baptizatum, tenendo, offerendo, levando, aut alio ſimili modo, dum actu baptizatur. R. Sylvius 3. p. q. 67. a. 7. refert hac de re varios variarum Diœceſium uſus. Ex quo infert ſufficere, quod ſuſceptores verbo aut aſſiſtentia declarent ſe officium ſuſceptoris ſuſcipere. Alii autem referunt declarationem Cardinalium ad ſeſſ. 24. Tridentini impreſſionis Lugdunenſis an. 1640. qua decernitur requiri, ut Compater & Commater teneant eum, qui baptizatur aut confirmatur, vel ſaltem de manibus Baptizantis eum immediate ſuſcipiant: ita ut non ſufficeret v. g. Commatri, ſi de manibus Compatris ſuſciperet, aut e contra. Ita Gonet n. 48. Sanchez, Perea, Pontius, Bonac. Gobat, quos citat & ſequitur Sporer, qui inſuper faciunt vim in hoc, quod Concilium Trid. utatur ſemper verbis, *tangendi*, *levandi*, *tenendi*, &c. Unde videtur huic ſecundæ ſententiæ adhærendum, & ad oppoſitam ſententiam Sylvii dicendum, quod uſus & auctoritates, quas citat, conveniant omnes quoad factum, ſcilicet eſſe tangendum, diſcrepare autem ſolum quoad tempus *tangendi*. Videſis.

Utrum autem debeant tangere, dum actu baptizatur aut confirmatur? R. id ordinarie & convenienter obſervari debere, ut ſic vere dicantur ſuſceptores. Non videtur tamen eſſentialiter requiri, ſed ſufficere, quod paulo poſt tangant, ut declarat praxis. Videtur etiam, quod tactus non debeat eſſe neceſſario immediatus, ſed ſufficiat, quod fiat mediantibus veſtibus, linteo, diſco, &c.

ARTICULUS VIII.

De impedimento cognationis legalis, per Quæſtiunculas.

COGNATIO legalis eſt quædam propinquitas orta ex adoptione. Unde

Petes 1. Quid & quotuplex ſit adoptio? R. 1. (*Q. 57. a. 1. 2.*) Adoptio recte definitur; *Extraneæ perſonæ in filium vel nepotem, vel deinceps legitima aſſumptio*. Ad cujus intelligentiam (*Ibid.*) obſervandum eſt, quod cum ars imitetur naturam, & illius ſuppleat defectum in illis, in quibus deficit, jus autem ſit ars æqui & boni, juris conditores excogitaverunt, ut quemadmodum per generationem naturalem aliquis producitur, ita ubi natura deficeret, & filios non procrearet, poſſet quiſpiam ſpontanea electione aliquem extraneum inſtar naturalis filii ſibi aſſumere, quo filiorum deperditorum defectum ſuppleret, & inde ſolatium caperet; propter quod præcipue adoptio eſt introducta. Unde ſicut in generatione naturali eſt terminus ad quem, forma ſcilicet, quæ eſt finis generationis, & terminus a quo, ſcilicet, forma contraria, ſeu formæ privatio, ita ut de non homine fiat homo: ita pariter in generatione legali eſt terminus a quo & ad quem, ita ut de non filio fiat filius, de non nepote nepos. His notatis,

Probatur Reſponſio. (*Ibid.*) Hæc definitio conſtat genere & differentia, atque explicat terminum a quo & ad quem adoptionis. Ergo eſt bona. Prob. Ant. *Aſſumptio* eſt genus, *legitima*, id eſt juxta leges, eſt differentia, qua a naturali generatione diſcrepat. Dum dicitur *extraneæ perſonæ* deſignatur terminus a quo: & terminus ad quem, cum dicitur *in filium vel nepotem*. Ergo. Porro per Ly *Extranea* non intelligitur, quæ ſit e genere adoptantis prorſus aliena: nam Jacob filios filii ſui Joſeph adoptavit Gen. 48. ſed quæ ſit extra poteſtatem adoptantis, & aliena a jure, ad quod aſſumitur. Dicitur autem; *in filium vel nepotem & deinceps*. (*Ibid. ad 6.*) quia ſicut contingit amitti filios, ita & nepotes. Et ideo cum adoptio ſit inducta in ſolatium filiorum amiſſorum, ſicut aliquis per adoptionem poteſt ſurrogari in locum filii, ita in locum nepotis & deinceps.

R. 2. (*Ib. ad 1.*) Duplex eſt adoptionis ſpecies, quæ perfecte imitatur naturalem filiationem, per quam traducitur adoptatus in poteſtatem & familiam adoptantis ut naturalis ejus filius: proprio nomine vocatur *Adrogatio*. Altera, quæ imperfecte imitatur filiationem naturalem, per quam adoptatus non tranſit in poteſtatem & familiam adoptantis, & communi nomine vocatur *Adoptio ſimplex*. Differunt autem iſtæ duæ Adoptiones inter ſe 1. Quod Adrogatus tranſeat in poteſtatem Adrogantis, ſicut filius ejus naturalis, ut dictum eſt, ſubindeque eſt hæres neceſſarius Patris, quem nec Pater poteſt privare, ſine culpa legitima, ſcilicet quarta parte hæreditatis. Adoptatus autem ſimpliciter non tranſit omnino in poteſtatem adoptantis, ſubindeque licet ſit hæres ab inteſtato; non tamen neceſſarius, nec tenetur adoptans ei aliquid de bonis ſuis in teſtamento dimittere, niſi velit. Unde talis adoptio non eſt vera adoptio, ſed magis diſpoſitio ad perfectam adoptionem. 2. Adoptari poteſt, qui non eſt ſui juris, non autem adrogari. 3. Adrogatio fieri non poteſt niſi auctoritate Principis. Adoptio ſimplex auctoritate ſolius Magiſtratus. Ita in jure l. *generalis* ff. de Adopt. & Inſtitut. §. *Adoptio*.

Petes 2. Quinam generaliter poſſint adoptari & adoptare? R. (*Ib. a. 3. ad 3.*) Adoptari poſſunt tam viri quam fœminæ, ſui juris tamen, ſi agatur de adoptione perfecta. Adoptare vero poſſunt 1. Soli viri regulariter, non mulieres, niſi ex ſpeciali conceſſione Principis. 2. Ii ſoli, qui ſunt prorſus ſui juris. 3. Nati viginti quinque annos. (*ad 4.*) 4. Soli naturaliter potentes ad conſummationem matrimonii. 5. Octodecim annis majores adoptato. Ita in jure, de quo vide Sylveſtrum verbo *Adoptio* q. 5.

Petes 3. Utrum legalis cognatio impediat & dirimat matrimonium? R. Cognatio legalis, quæ provenit ex adoptione perfecta, impedit & dirimit matrimonium jure humano per Eccleſiam approbato. Patet ex pluribus locis juris cap. *Ita diligere*, cap. *poſt ſuſceptum*, cap. *per adoptionem* Cauſ. 30. q. 3. c. unico *de Cognatione legali*, l. 4. Decretal. ubi Nicolaus Papa dicit; *Si qua per adoptionem mihi ſoror eſſe cœperit, quamdiu durat adoptio inter me & ipſam, nuptiæ conſiſtere non poſſunt*. Rationes convenientes hujus legis eædem ſunt ac impedimenti cognationis carnalis, quæ etiam pro legali ſuo modo militant. Inter alias hanc deducit D. Th. (*Ibid.*) Lex divina illas præcipue perſonas a matrimonio excludit, quas neceſſe erat cohabitare, ne, ut Rabbi Moyſes dicit, ſi ad eas liceret uti carnali copula, facilis pateret concupiſcentiæ locus, ad quam reprimendam matrimonium eſt ordinatum. Atqui filius perfecte adoptatus converſatur in domo Patris adoptantis ſicut filius naturalis. Ergo convenienter Legibus humanis & Eccleſiaſticis prohibitum eſt inter tales matrimonium contrahi.

Dixi; *Cognatio, quæ provenit ex adoptione perfecta*: ea enim, quæ provenit ex adoptione imperfecta, non dirimit; quia eædem rationes non currunt pro ea ac pro prima; nec eſt vera adoptio, ſed potius via ad veram adoptionem, inquit S. Th. eamque eſſe illius mentem patet, tum ex q. tum ex Reſp. ad 1. & 4. a. ſequentis. Ita etiam cenſent Soto, Sylveſter, Ledeſma, &c. quos citat & ſequitur Sylvius.

Petes 4. Inter quos contrahatur cognatio legalis, ſeu quot ſint ejus ſpecies? R. (*Ibid. ad 3. a.*) Triplex eſt legalis cognatio. Prima quaſi deſcendentium, quæ contrahitur inter Patrem adoptantem ex una parte, & ex altera filium adoptatum; filium filii adoptivi, nepotem & ſic deinceps uſque ad quartum gradum veriſimiliter ad inſtar cognationis carnalis. Secunda quaſi collateralium, quæ eſt inter filium adoptivum & filios, ſeu filias naturales adoptantis. Tertia per modum cujuſdam affinitatis, quæ eſt inter Patrem adoptantem ex una parte & uxorem filii adoptivi ex altera, & e contrario inter filium adoptatum & uxorem Patris adoptantis. Eſt autem inter eas cognationes differentia, quod prima & tertia perpetuo matrimonium impediant, id eſt etiam poſt diſſolutionem adoptionis aut emancipationem adoptati. Secunda autem non, niſi quamdiu perſona adoptata manet in poteſtate Patris adoptantis: unde Patre mortuo, vel filio aut filia emancipatis, poteſt contrahi matrimonium inter filium adoptivum & filiam naturalem adoptantis & contra. Ita in juribus citatis.

ARTICULUS IX.

De Impedimento Impotentiæ.

NOTA 1. Nomine impotentiæ hic non intelligi impotentiam generandi, ſed impotentiam coeundi carnaliter uſque ad conſummationem copulæ. Inter ſenes enim & ſteriles ad generationem ineptos validum eſt matrimonium, modo ſint apti ad copulam carnalem; quia conſummatio matrimonii non conſiſtit in actuali generatione, ſed in hoc, quod vir & uxor fiant una caro per commixtionem ſeminum. Igitur impotentia, de qua hic agitur, eſt defectus impediens copulam conjugalem, hoc eſt ſeminationem in vaſe idoneo; & commixtionem ſeminum, ſeu eorum, quæ ſunt loco ſeminum ex parte mulieris. Unde quantumvis vir vas mulieris penetret, ſi in eo ſeminare non poſſit, impotens cenſetur: quia tunc non conſummatur matrimonium, nec fiunt una caro.

Nota 2. (*Q. 58. a. 1. o.*) Multiplicem diſtingui impotentiam. Alia eſt ex cauſa intrinſeca & naturali, ut ex frigiditate, quæ, quia eſt cauſa frequentior, ſub frigiditatis nomine comprehenditur omnis impotentia naturalis, etſi tamen poſſit etiam provenire ex variis aliis capitibus, puta ex nimia arctatione mulieris, ex privatione naturali membrorum, & etiam, licet rarius, ex nimio calore. Alia eſt ex cauſa extrinſeca & accidentali, ut ex maleficio. Item (*Ib.*) alia eſt perpetua, alia temporalis. Perpetua dicitur, quæ ſine aut miraculo, aut peccato, aut gravi mortis periculo, tolli non poteſt, quamvis poſſit iſtis tolli. Temporalis e contra, quæ per media arte, aut preces Eccle-

ſiæ communes ſine miraculo, peccato, aut mortis periculo tolli poteſt. Tandem (*Ibid. ad 2. o.*) alia eſt abſoluta, quæ eſt in viro per ordinem ad omnes mulieres, vel in muliere ad omnes viros; alia reſpectiva, quæ tantum conſtituit impotentem reſpectu unius determinatæ perſonæ, non aliarum.

Dico. (*Ib. a. 1. & 2.*) Omnis impotentia antecedens perpetua, ſive naturalis, ſive accidentalis, ſive abſoluta, ſive reſpectiva inter eos, inter quos ſubſiſtit, impedit & dirimit matrimonium jure naturali & Eccleſiaſtico, ſecus ſi ſit temporalis. De jure Eccleſiaſtico quoad primam partem conſtat ex cap. *Quod ſedem* cap. *fraternitatis*, cap. *literæ*, & aliis *de frigidis & maleficiatis*. De jure naturæ probatur (*Ibid. a. 1. o.*). Ille contractus eſt jure naturali nullus, in quo quis ſe obligat ad id, quod non poteſt dare, vel facere. Atqui laborans impotentia coeundi perpetua ſe obligat in contractu matrimonii ad id, quod non poteſt dare vel facere. Ergo. Maj. patet, quia nemo poteſt ſe obligare ad impoſſibile. Prob. Min. Contractus matrimonii conſiſtit in hoc, quod conjuges ſe obligent ad copulam carnalem, ſeu mutuo ſibi debitum ſolvere: quia ad hoc dant ſibi invicem corporis poteſtatem juxta illud Cor. 7. *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir*. Unde materia contractus matrimonii non eſt corpus tantum, ſed corpus cum potentia coeundi: & ita declaravit Sixtus V. Bulla *Cum frequenter* an. 1587. Ergo.

Prob. 2. Pars 1. Ex cap. cit. *Fraternitatis*, 2. Quia impotens ad tempus tantum poteſt ex nunc tradere corpus cum obligatione copulæ, ubi impotentia ceſſaverit; ſicut qui non eſt hodie ſolvendo, poteſt ſe obligare ad ſolvendum, quando habebit pecunias. Notandum tamen, quod ſi talis impotentia ſit diu duratura, nec de illa compartem moneat, graviter peccet ſic contrahens propter injuriam comparti irrogatam; ſubſiſtit tamen matrimonium. Dixi; *Impotentia antecedens*: quia ſi ſuperveniat matrimonio ſemel legitime contracto, etiamſi non conſummato, illud non dirimit, tum propter ejus indiſſolubilitatem, ut decernitur cap. *Hi qui matrimonium* 32. q. 7. tum etiam propter ipſius contractus naturam, qui non diſſolvitur, eo quod res vendita aut tradita deterioretur, modo tempore contractus bona eſſet, & ſufficiens.

Dices 1. Copula carnalis non eſt de eſſentia matrimonii. Unde ſupra diximus pari voto continentes poſſe valide conjungi, ut in B. Virgine, & S. Joſeph. Ergo. R. (*Ibid. ad 1.*) Quod quamvis actus carnalis copulæ non ſit de eſſentia matrimonii: tamen potentia ad actum eſt de ejus eſſentia: quia per matrimonium datur utrique conjugum poteſtas in corpus alterius reſpectu carnalis copulæ. Voto autem continentes, etſi ſint moraliter impotentes, retinent tamen ſemper potentiam naturalem & phyſicam, quæ ſufficit.

Dices 2. Si mulier ſciat virum eſſe frigidum, quando cum eo contrahit, verum eſt matrimonium, ut admittit D. Th. hic ad 4. his verbis: *Si ſciat illius, cum quo contrahit, hanc impotentiam, & nihilominus contrahit, oſtenditur, quod alium finem in contractu quærit, & ideo contractus ſtat. Si autem neſcit, tunc contractus eſt nullus*. Ergo frigiditas de ſe, & ex natura rei non tollit matrimonium. R. quod frigiditas perpetua, ſive ſciatur, ſive non, tollat matrimonium: *quia in quolibet contractu hoc univerſaliter tenetur, quod ille, qui eſt impotens* (perpetuo ſcilicet) *ad ſolvendum aliquid, non reputatur idoneus ad contractum illum, quo ſe obligat ad ejus ſolutionem*. Verba ſunt D. Thomæ in eadem Reſp. ad 4. & ita declaravit Sixtus V. Bulla cit. Unde ad textum objectum R. cum Soto & Sylvio intelligendum eſſe de impotentia temporali, quæ ſi ſciatur, quamvis non tollatur, non impedit, quin ſit verum conjugium. Si autem ignoretur, accidere poteſt, quod tollat matrimonium, quando ſcilicet tollit conſenſum; etſi regulariter id non accidat. Hanc autem eſſe mentem Auctoris patet ex hoc, quod loquatur de impotentia comparative ad ſervitutem, quæ tolli poteſt, & alias ſibi in o. & in eadem ſolutione contradiceret. Quidam reſpondent S. Thomam loqui de contractu amicabili ſocietatis, non matrimonii, ſed prior explicatio magis conſentanea videtur.

Conſectaria præcedentis Doctrinæ.

EX dictis colliges 1. Eunuchos, Spadones, utroque teſticulo orbatos, abſolute eſſe incapaces matrimonii; quia ſunt perpetuo impotentes: licet enim vas mulieris penetrare valeant, attamen vel non ſeminant, vel ſemen eorum non eſt ejuſdem rationis cum prolifico. Similiter ſi uterque teſticulus ſit omnino attritus: ſecus vero ſi uno dumtaxat teſticulo careant. Colliges 2. Senes, qui non poſſunt, vel membrum erigere, vel intra vas ſeminare, invalide contrahere. Equidem quoſcumque jungit Eccleſia, ſed quia ſupponit capaces, cum ſenectus ordinarie potentiam non auferat. E contra moribondos ordinarie poſſe valide contrahere, quia etſi vi morbi potentia ſit in eis impedita, ordinarie tamen non cenſetur ablata. Colliges 3. Mulieres, quæ ita ſunt arctæ, ut viris ſuis aptari non poſſint ad copulam, matrimonium invalide contrahere. Solam tamen impotentiam fœminæ ad ſeminandum multi cenſent non dirimere matrimonium, quia juxta D. Th. ſemen ejus non eſt neceſſarium ad generationem. Unde ſufficienter fit una caro cum viro per hoc, quod viri ſemen intra ſe recipit. Ex quo ulterius inferunt nihil etiam officere validitati matrimonii, ſi ſit impotens ad retinendum virile ſemen, poſtquam ſemel illud intra ſe ſuſceperit. Sed hoc ſecundum non ita videtur certum in principiis D. Thomæ, qui requirit ad conſummationem matrimonii, qua vir & mulier cenſentur una caro, quod fiat commixtio ſeminum, ſeu eorum, quæ ſunt loco ſeminis ex parte mulieris, ut explicuimus ſupra.

Petes, an ſi arctitudo illa mulieris poſſit dilatari, teneatur mulier illam dilatationem pati? R. Quod ſi per levem inciſionem poſſit mulier viro aptari, cum tunc impotentia non ſit perpetua, adeoque ſtet matrimonium, teneatur operationem pati, ut ſatisfaciat juſtitiæ debito; niſi tamen ex illa inciſione ſequatur maximum incommodum, tale quale ipſam excuſaret a reddendo debito: tunc enim etſi matrimonium valeret, non teneretur illam operationem admittere. At ſi illa mulier non poſſit viro ſuo aptari ſine periculo vitæ, tunc cum non ſtaret matrimonium, quia cenſeretur perpetuo impotens, non teneretur pati inciſionem: & ſi forte patiatur & curetur, velitque cum eodem viro commanere, debet iterari matrimonium, utpote prius invalidum.

Colliges 4. Matrimonium impuberum (Pubertas in maſculis eſt anno 14., in fœminis 12.) ſi ante hoc tempus ſint capaces conſenſus matrimonii, non eſſe jure naturæ irrita, etſi tunc temporis propter ætatis defectum eſſent copulæ incapaces; quia talis impotentia non eſt perpetua. Jure Eccleſiaſtico tamen cap. *Tua nobis*, cap. *continebatur*, cap. *de illis* de deſponſat. impub. irritantur, niſi malitia ſuppleret ætatem, & quoad conſenſum, & quoad copulam, ut dicemus Art. ſeq. Colliges 5. Hermaphroditos non eſſe abſolute impotentes. Unde poſſunt valide contrahere matrimonium juxta ſexum, qui prævalet; ſi autem uterque ſit in ipſis æqualis, poſſunt & debent alterutrum eligere, & ſecundum illum contrahere, ſed ſemel facta electione, ſi compars moriatur, prohibentur ſecundum alium ſexum nubere; ſi tamen faciant, ſtat matrimonium; quia per electionem non eſt ſublata potentia. Colliges 6. Laborantes impotentia antecedente perpetua, ex quavis cauſa procedat, ubi de ea conſtat, ſtatim eſſe ſeparandos; utpote nullo modo conjuges; ſi tamen velint cohabitare ut frater & ſoror, id ipſis conceditur cap. *Requiſiſti* 33. q. 1. modo id poſſint ſine periculo incontinentiæ vel ſcandali. Alioquin omnino ſeparentur auctoritate Judicis, relicta ei, qui potens eſt, libertate tranſvolandi ad alias nuptias, vel etiam utrique, ſi in ipſis ſit impotentia reſpectiva tantum, quas ſi attentent ante ſententiam judicis de eorum ſeparatione, valebunt quidem, ſed graviter peccabunt propter ſcandalum. Sed

Petes 1. Quid facto opus ſi dubitetur, an impotentia ſit perpetua vel temporalis? R. (*Ib. a. 1. o.*) Eccleſiam tempus determinatum adhibuiſſe, in quo hujus rei poſſit eſſe experimentum, ſcilicet triennium cap. *Laudabilem* de frigidis, ita quod ſi poſt triennium, quo fideliter ex utraque parte dederunt operam carnali copulæ implendæ, adhibueruntque ſufficienter alia media, communia ſive naturalia, ſi impotentia ſit naturalis, ſive ſupernaturalia ut preces, exorciſmos, &c. ſi ſit ex maleficio, invenitur matrimonium non eſſe conſummatum, judicio Eccleſiæ diſſolvitur, & impotentia cenſetur perpetua.

Illud autem triennale ſpatium computatur *A tempore celebrati conjugii*, cap. citato, ſuppoſito tamen quod ex tunc attentata ſit copula. Unde multi dicunt a die attentatæ copulæ, ſi enim ob infirmitatem, abſentiam, aliudve impedimentum, ſufficientem non adhibuiſſent experientiam, cenſent Auctores, poſſe etiam ultra triennium experiri; ſecus ſi ſufficiens experimentum adhibitum ſit; tunc enim non plus illis licet, quam ſolutis. Attamen in nonnullis Galliæ Provinciis videtur conſuetudo triennalis non ſervari; in quibuſdam quidem conceditur tantum experientia trimeſtris; in aliis experientia unius diei a judice præfixi, ſeu etiam 3. vel 4. horarum cum certis conditionibus; ſed tam breve experimentum ipſimet Doctores Galli merito improbant, ut Cabaſſutius, Merbeſius, Natalis Alex. l. 1. de Matrim. c. 4. art. 11. reg. 10. apud quem Cyprianus Ep. 62. monet, quod in exploranda puellarum Virginitate *Et manus obſtetricum & oculus ſæpe falluntur*.

Petes 2. Quid ſi poſt judicium Eccleſiæ vel medicorum de perpetuitate impotentiæ, & ſeparationem factam contingat eam impotentiam tolli, quod dignoſci poteſt maxime in impotentia naturali, ſi is, qui erat abſolute im-

po-

potens, perfecit copulam cum illa: aut ſi erat reſpectivè impotens, perfecit cum eadem, ſeu etiam cum alia ſimilis conditionis? R. quod ſi ſit ſublata hæc impotentia per miraculum, vel per medium illicitum, vel cum vitæ periculo, rectè judicatum fuit prius matrimonium irritum, debentque manere ſeparati conjuges & liberi, vel inter ſe de novo, vel cum aliis contrahere; quia revera erat ex ſe perpetua impotentia.

Si vero ſublata ſit per media ordinaria, tunc, inquit S. Th. (*Ib. c.*) Eccleſia, quæ ſe deceptam invenit, ut potè quod judicaverit perpetuam impotentiam, quæ revera non erat perpetua, redintegrat præcedens matrimonium, & ſecundum, ſi attentatum fuerit, dirimit, quamvis de ejus licentia factum, ita etiam c. *Laudabilem* & cap. *Fraternitatis* de frigidis. Si tamen alter conjugum ſeparatorum Religionem profeſſus fuerit, non poteſt redire ad comparem; & ſi nondum profeſſus velit profiteri, non tenetur redire; uxor autem poteſt alteri nubere ubi profeſſus fuerit. Quod ſi ante profeſſionem nupſerit, ſeparanda eſt a ſecundo viro, eo quod priore nondum profeſſo matrimonium cum ſecundo ſit nullum. Si vero vir ſuſceperit ſacrum Ordinem, & ab uxore repetatur, redire ad eam tenetur. Si non repetatur, poteſt manere in Miniſterio, & uxor cum altero validè contrahere non poteſt, quia prius matrimonium ſubſiſtit.

Petes 3. Quibus ſignis poterit dignoſci eſſe impotentiam ex maleficio, adeoque adhibendos eſſe exorciſmos? R. dignoſci poſſe, ſi vir, qui polluitur in ſomno, vel calidus eſt extra copulam, ad acceſſum fœminæ, etſi aliunde amabilis, totus frigeſcit. Similiter ſi mulier ad congreſſum viri aliunde dilecti ſubito coarctetur. Si conjuges, qui antea ſe diligebant, ſubito reddantur ſibi mutuo exoſi. Si omnia membra ex utraque parte ſint rite diſpoſita cum erectione & calore; & tamen coire nequeant: item variis aliis ſignis, quæ frigiditati naturali non competunt.

Petes 4. Quibus remediis occurri poſſit impotentiæ ex maleficio? R. 1. Adhiberi debere preces, Pœnitentiam, exorciſmos, & ſimilia ab Eccleſia inſtituta & probata. 2. Poſſe adhiberi remedia naturalia, quando maleficium habet cauſam naturalem. 3. Non poſſe peti a malefico, etſi parato, ut per aliud maleficium tollat, quia cum maleficium ſit intrinſece malum, eſſet cooperari ejus peccato. 4. Poſſunt deſtrui ſigna maleficii in contemptum & deteſtationem dæmonis ejuſque artis ſuperſtitioſæ. An autem ſpe & intentione ceſſaturi nocumenti id liceat? Vide, quæ ea de re dixi in Tract. de Religione Diſſert. 7. art. 5. § 2.

Petes 5. Utrum detur impotentia naturalis perpetua reſpectiva. R. S. Th. a. 2. o. & n. 1. ad 4. videtur ſentire negative. *Dicendum*, inquit loco ultimo, *quod non poteſt eſſe perpetuum impedimentum naturale viro reſpectu unius perſonæ & non reſpectu alterius*. Et cum ſibi objeciſſet, quod aliquando vir eſt ſufficienter calidus ad cognoſcendam corruptam, qui non eſt ſufficiens ad cognoſcendam Virginem ob reſiſtentiam clauſtri Virginalis, ſubjungit: *Sed ſi non poſſit implere carnalem actum cum Virgine, & tamen poſſit cum corrupta, tunc medicinaliter aliquo inſtrumento poſſunt clauſtra pudoris frangi, & ei conjungi. Nec eſſet hoc contra naturam; quia non fieret ad delectationem, ſed ad medicamentum*.

Attamen cum judices Eccleſiaſtici & plures Auctores ſequantur ſententiam oppoſitam, poſſitque accidere, quod clauſtra pudoris frangi non poſſint ſine periculo vitæ, aut nonniſi per miraculum, quo caſu tunc foret impotentia perpetua reſpectiva, priora verba D. Th. videntur intelligenda de impotentia abſolute & omnino naturali; ita quod ſit abſolute talis independenter ab impedimento, ſeu reſiſtentia accidentali alterius: idque non leviter innuit, dum in fine ejuſdem Reſponſionis dicit, quod qui foret frigidus ſeu impotens reſpectu turpis mulieris, de eo idem ſit cenſendum ac de maleficiato, ſcilicet quod poſſet eſſe potens reſpectu alterius. Unde poſteriora verba de caſu Virginis intelligenda ſunt ſecundum id, quod ordinarie accidit; ſicut dum dicit impotentiam ex maleficio eſſe reſpectivam a. 2. o. intelligit ſecundum id, quod ordinarie accidit: ordinarie enim clauſtrum Virginale per inſtrumentum chirurgicum ſeu medicinas vaſis laxativas abſque vitæ periculo aut miraculo poteſt aperiri. Si tamen contrarium accidat, quod nihil repugnare videtur, deberet cenſeri perpetua impotentia reſpective: & ita tenet Soto d. 34. q. 1. *a.* 2. §. *Sed ais*.

Utrum autem talis Virgo teneretur pati inciſionem, ſi nullum inde ſequatur grave incommodum? Si enim ſequeretur, certum eſt, quod non teneretur, ut ſupra diximus de ea, quæ foret nimis arcta. R. multos non improbabiliter opinari, quod non tenetur ſaltem ex juſtitia, quia ineptitudo ad copulam non tam ſe tenet ex parte Virginis, licet ſuo modo concurrat, quam ex parte viri debilioris. Unde potius vir deberet ad id conari per medicamentum & cibos calidiores; ex charitate tamen teneretur, ſi præſentiret virum in periculo incontinentiæ.

Petes 6. Quid agendum in dubio utrimque æquali, an impotentia præceſſerit vel ſubſecuta fuerit Matrimonium? R. præſumendum eſſe in favorem Matrimonii; quod illud ſubſecuta fuerit cap. finali de ſentent. & re judicata & cap. *Si quis accepit* 33. q. 1. frequentius autem emergit dubium de impotentia ex maleficio; de naturali enim, quando copula nunquam potuit exerceri, & nullis indiciis conſtat, quando contracta ſit, probabilius eſt, quod præceſſerit Matrimonium.

Petes 7. An matrimonium ante annos pubertatis contractum ſit nullum? R. eſſe plerumque nullum, partim jure naturæ, partim jure poſitivo. De jure naturæ patet; quia ante illud tempus plerumque ratio non ſatis viget, ut de re tanta ſufficienter deliberare poſſit. De jure poſitivo extant cap. *Ubi c. atteſtationis*, c. *ex Literis* de deſponſ. impub. & de frigidis c. *Quod ſedem*; reſpexit autem jus tum ad rationem datam, tum quia ante illam ætatem natura non cenſetur ordinarie idonea ad debitum conjugale ſolvendum. Dixi *plerumque*: quia ſi ante hanc ætatem vigor & naturæ & rationis defectum ætatis ſuppleat, ita ut ambo reperiantur idonei & ad conſenſum & ad copulam, validè contrahunt c. *De illis* &c. *Tua* tit. de deſponſ. impub. Quod ſi forent tunc apti ad conſenſum, ſed non ad copulam, licet attento ſolo jure naturæ validè contraherent, quia adeſſet ſufficiens conſenſus, & impotentia non cenſetur perpetua; invalidè tamen ex diſpoſitione juris poſitivi, quod requirit in ſupplementum ætatis nedum prudentiam, ſed & copulæ potentiam. Unde colliges inter Infideles, qui Legibus Eccleſiæ non ſubſunt, fore in hoc caſu validum matrimonium.

Nota autem, quod quando matrimonium defectus ætatis eſt nullum, æquivaleat ſponſalibus cap. unico de Sponſal. in 6. ſi tamen non ſit clandeſtinum.

ARTICULUS X.

De Impedimento Diſparitatis Cultus.

DISPARITAS cultus (*Supp. q. 59. a. ad 5.*) de qua hic agitur, non eſt, qua unus eſt fidelis, alter hæreticus: ſed qua unus eſt baptizatus, alter non: cum enim matrimonium ſit Sacramentum novæ Legis, merito requirit paritatem quantum ad Sacramentum fidei, quod eſt Baptiſmus.

Dico 1. (*Ib. o.*) Matrimonium fidelis cum infideli jure naturali, divino, & Eccleſiaſtico eſt regulariter illicitum, Prob. (*Ibid.*) Tale matrimonium adverſatur principaliori bono Matrimonii. Ergo. Prob. Ant. Principale bonum matrimonii eſt proles ad cultum Dei educanda. Atqui tale matrimonium huic bono adverſatur. Ergo. Prob. Min. Educatio ſit communiter per Patrem & Matrem. Atqui intentiones Patris & Matris in tali conjugio erunt contrariæ ad educandam prolem, cum uterque ſecundum fidem ſuam intendat prolem educare. Ergo. Confirm. Ex tali matrimonio oritur periculum evidens ſubverſionis partis fidelis propter mutuum amorem, familiaritatem arctiſſimam, & continuam converſationem conjugum inter ſe. Item perturbatio pacis domeſticæ & exercitii veræ Religionis.

Hinc ſicut in veteri Teſtamento Exod. 34. Deuteron. 7. Eſdræ 1. c. 6, & Eſdræ 2. c. 13. prohibentur talia conjugia, ita & in novo 2. Cor. 6. his verbis: *Nolite jugum ducere cum infidelibus*, & 1. Cor. 7. *Cui vult nubat, tantum in Domino*, hoc eſt, Chriſtiano, ut interpretantur SS. Patres Hieron. Tertull. Cyprian. Aug. &c. His acceſſerunt Decreta Eccleſiaſtica Concilii Eliberitani Can. 19. Chalced. Can. 14. Aurelian. 2. Can. 18. & alia apud Gratianum.

Dixi; *Regulariter*: quia certis caſibus, ubi non eſt periculum, ne fidelis aut liberi ſubvertantur, ſed potius ſpes, quod pars infidelis convertatur, vel aliud inſigne bonum expectatur; erit licitum conjugium fidelis cum infideli, ſpectato jure naturæ aut divino; ſic Moyſes & David Gentibus nupſerunt, Eſther Aſſuero, S. Cæcilia Valeriano, S. Monica Patricio Ethnico, &c.

Dico 2. (*Ibid.*) Diſparitas cultus præcedens irritat matrimonium, non jure naturali aut divino, ſed Eccleſiaſtico conſuetudinario. Dixi, *præcedens*: quia ſi matrimonio ſuperveniat, ut quando alter conjugum convertitur ad fidem, non per ſe diſſolvit illud, ſed propter aliud, ut dixi de indiſſolubilitate matrimonii.

Prob. 1. Pars. Licet diſparitas cultus aliquo modo adverſetur bono matrimonii, ut dixi in prima Concluſione, non tamen abſolute & omnino; poſſunt enim abſolute ex tali matrimonio proles naſci, & certis cautelis adhibitis catholice educari, quamvis difficilius plerumque, quam ſi ambo conjuges forent fideles. Ergo. Prob. ſecunda Pars. Nullum extat in lege tam veteri quam nova præceptum irritans tale matrimonium. Ergo. Confirm.

utraque pars. Multa matrimonia tam in Lege veteri, quam ſcripta, fuerunt valida inter diſpares cultus, ut patet ex dictis; nec ulla legitur a Deo facta diſpenſatio.

Dices 1. Deuteron. 7. v. gr. 3. dicitur: *Neque ſociabis cum eis* (Gentilibus) *conjugia*. Ergo. R. illam Legem & alias ſimiles eſſe prohibitivas tantum, non irritativas, vel ſi irritativæ fuerint, ceſſaſſe in nova lege, ut pote judiciales.

Inſt. contra 1. Solutionem, quod 1. Eſdræ 10. facta ſit ſeparatio uxorum alienigenarum, quæ non erant Cananeæ. R. illam ſeparationem poſſe intelligi non quoad vinculum, ſed quoad habitationem tantum: unde vocantur *uxores*: & eorum conjunctiones *Matrimonia*. Secundum hanc primam Solutionem intelligendus eſt Apoſtolus prima Concluſione citatus.

Dices 2. Tertull. l. 2. ad uxorem c. 15. ait: *Gentilium matrimonia ſubeuntes ſtupri reos eſſe conſtat*. Auguſt. l. de Adult. conjug. c. 21. *Hoc eſt ergo Domini præceptum, tam in veteri quam in novo Teſtamento, ut non niſi unius Religionis & fidei conjugia ſibi maneant copulata*. R. ad 1. intelligi debere de ſtupro non corporis, ſed mentis, exponendo ſcilicet ſe periculo ſubverſionis. Ad 2. ex Aug. pariter intelligit de copulatione per charitatem; ubi enim fides disjungit, charitas non conjungit. Vel ita loquuntur, quia talia matrimonia ſunt illicita, non quia invalida.

Prob. 3. Pars Concluſionis. Conſenſu communi totius Eccleſiæ irrita cenſentur matrimonia fidelium cum infidelibus. Atqui non irritantur jure naturæ aut divino, ut probatum eſt. Ergo jure Eccleſiaſtico: quod quidem non in aliquo generali canone legitur, ſed univerſali conſuetudine introductum & firmatum eſt.

Si petas, quo tempore incepit hæc conſuetudo? R. Sæculo 5. poſt tempore Auguſtini viguit in Imperio Romano ex Legibus Imperatorum, conſentiente Eccleſia, l. 3. Cod. Theodoſiani tit. 14. de Nuptiis Gentilium l. 1. 9. ejuſdem Codicis tit. 4. l. 5. quæ Leges, licet datæ fuerint Sæculo 4. non tamen obſervatæ fuerunt in omnibus Imperii Provinciis niſi Sæculo 5. cum Auguſtinus l. 1. de fide & oper. ſcribat ſuo tempore in Africa frequentiſſime celebrari hæc matrimonia, & non credi peccata. Univerſaliter autem circa Sæculum 12. vigebat hæc conſuetudo in Eccleſia, cum ab hoc tempore omnes Theologi & Canoniſtæ communi conſenſu illam ſupponant & aſſerant.

Ex his colliges 1. Eccleſiam poſſe diſpenſare in hoc impedimento, ubi abeſt periculum ſubverſionis. 2. Sponſalia fidelis cum infideli, ſi ſint abſoluta, eſſe invalida, ſecus ſi apponatur conditio de converſione futura infidelis. 3. Matrimonium contractum inter fidelem & infidelem, ſi infidelis poſtea convertatur, non convaleſcere, quia ab initio fuit nullum. 4. Matrimonium Catechumeni cum Baptizato eſſe etiam nullum, ſaltem nunc; quia licet interius fidem habeat, non eſt tamen baptizatus; qua ratione venit intelligendus in præſenti ſub nomine infidelis. Dixi *ſaltem nunc*; quia videtur, quod olim tale matrimonium fuerit & licitum & validum, eo quod diu differebatur Baptiſma.

Petes 1. Quid ſit cenſendum de matrimoniis Catholicorum cum Hæreticis? R. eſſe prohibita jure naturæ propter periculum perverſionis partis fidelis & liberorum, ut diximus de Matrimoniis cum infidelibus: jure divino ad Tit. 3. & Ep. 2. Joan. ubi jubetur devitari hæreticus: & jure Eccleſiaſtico Can. 13. Concilii Calced. 31. Laodiceni apud Gratianum cauſa 28. q. 1.

Sunt tamen valida, quia nullo jure irritantur: non jure naturæ aut divino, ut patet ex dictis de Matrimoniis cum infidelibus: neque jure Eccleſiaſtico, quia nullum poteſt aſſignari irritans, ſed tantum prohibens. Vide infra, de Clandeſtinitate, Decretum Benedicti XIV.

Petes 2. Quare Eccleſia potius irritaverit matrimonium inter fidelem & non baptizatum, quam inter Fidelem & Hæreticum? R. plures poſſe afferri rationes. Prima eſt, quia quando uterque eſt baptizatus, non eſt proprie diſparitas Cultus quantum ad Profeſſionem Chriſtianiſmi, & pars Hæretica non eſt ſoluta ab obligatione Religionem Catholicam profitendi. Secunda, quia matrimonium inter Fidelem & Hæreticum poteſt deferri ad Tribunal Eccleſiæ, a quo non eximitur Hæreticus; ſecus autem inter fidelem & non baptizatum. Tertia, quia Hæreticus computatur inter Chriſtianos, adeoque conveniens eſt, ut permittatur eſſe ſuſceptivus Sacramentorum Chriſti.

De validitate matrimonii inter ipſos Infideles & de ejus diſſolutione, caſu quo una pars convertatur ad fidem, dixi ſuperius, dum de indiſſolubilitate matrimonii.

ARTICULUS XI.

De impedimento Criminis.

DOcet S. Th. hic. a 1. (*Supp. q. 60. a. 1.*) non licere marito occidere uxorem in adulterio deprehenſam, quia nulli licet occidere aliquem propria auctoritate. Quod autem leges civiles videantur id permittere: reſpondet his legibus Eccleſia non eſtringi, & inſuper has leges non ſimpliciter permittere talem occiſionem, quaſi præcipientes, aut prohibentes, ſed quaſi pœnam homicidii non infligentes, hoc eſt permittere, non ut fiat, ſed ut impunitum maneat, ſi fiat, propter juſtiſſimum mariti dolorem diſſimulantes.

Art. 2. (*Ib. a. 2.*) docet uxoricidium impedire tantum matrimonium contrahendum, quando vir propter adulterium, aut odium occidit mulierem; dirimere autem contractum, ſi occidat, ut ducat eam, cum qua mœchatur. Et hoc eſt, quod dicitur impedimentum criminis, ſed certis adhibitis conditionibus. Unde

Dico, Crimen, quod eſt, vel adulterium tantum, vel homicidium tantum, vel utrumque ſimul, poſitis certis conditionibus jam aſſignandis, dirimit matrimonium jure poſitivo. Prob. Aſſignando conditiones & loca juris. 1. Adulterium tantum tunc dirimit matrimonium inter adulteros, quando conjungitur moraliter cum promiſſione contrahendi inter ſe, defuncta propria comparte, aut cum contractu per verba de præſenti, quamvis irrito. Ita cap. *Relatum* 3. q. 1. & cap. *cum haberet* cap. *finali*, tit. de eo, qui duxit; adeo ut adulterium nudum ſine promiſſione contrahendi, vel contractu actuali, aut promiſſio contrahendi, ſive contractus ſine adulterio, non dirimat matrimonium: quia ſecundum jura iſta dumdebent conjungi, adulterium & fides. Nihil refert autem, an fides præcedat, vel ſubſequatur adulterium, modo, ſi præceſſerit, non fuerit revocata. Si autem ſubſecuta fuerit, & revocetur, nihilominus dirimit, quia ſufficit, ut ſimul, & ſemel adulterium & fides conjungatur. Intelligitur autem promiſſio facta & acceptata; item facta, vivente conjuge, & cum ſcientia matrimonii exiſtentis.

2. Homicidium tantum tunc dirimit matrimonium, quando vir aut mulier, ex mutuo tamen conſenſu, ſeu, ut dicitur, cum machinatione, occidit ſuum vel ſuam, aut alterius conſentientis conjugem, cum intentione matrimonii inter ſe poſt mortem conjugis contrahendi. Ita cap. *Laudabilem* de converſ. infidel. cap. *Si quis vivente* 31. q. 1. ubi quamvis fiat tantum mentio viri occidentis mulierem, perinde eſt tamen, ſi mulier occidat virum, ut tradunt omnes Theologi. Item perinde eſt ſive phyſice, ſive moraliter, ſive per ſe, ſive per alium occidat, modo effectus ſequatur.

Dicitur 1. *Ex mutuo conſenſu, ſeu cum machinatione*. Ita colligunt Theologi communiter ex cap. citato *Laudabilem*. Unde ſi unus occidat, altero nullatenus ſive conſilio, ſive mandato, ſive auxilio, aut alio quovis modo concurrente ad mortem, non contrahitur impedimentum: neque etiam ſi ſit tantum occiſionis ratihabitio. Dicitur; *Cum intentione contrahendi inter ſe matrimonii*: quia intentio, & finis legis eſt per hanc pœnam & impedimentum impedire, ne quis cupiditate alieni matrimonii occidat propriam, vel alterius conjugem. Ita communius Theologi, Navarrus, Sanchez, Layman, Pontius, Peres, quos citat & ſequitur Sporer, Henno, & alii contra Sylvium hic. Unde ſi ex odio, vindicta, aut alio fine quam matrimonii inter ſe contrahendi, aliqui etiam cum machinatione occiderent alterius compartem, non incurrerent impedimentum; imo nec ſi occiderent cum intentione contrahendi matrimonii, ſed cum altera, quam cum complice; ita docet Coninck, Layman, & alii.

Non requiritur tamen pactum, ſeu fides de contrahendo cap. *Super hoc* tit. *de eo qui duxit*, ſed ſufficit, quod uterque habeat animum contrahendi inter ſe, etiamſi, ſaltem ſecundum aliquos, non mutuo ſibi innoteſcat. In foro autem Eccleſiæ ſemper præſumitur talis animus, ubi conſtat de machinatione.

3. Adulterium ſimul cum homicidio tunc impedit & dirimit matrimonium, quando adulter, vel adultera occidit ſuam vel alterius conjugem, etiam ſine mutuo conſenſu, aut machinatione, modo tamen occidens habeat animum contrahendi cum adultera, ut dictum eſt in præcedenti caſu ex fine legis. Hæc itaque tria crimina matrimonium dirimentia his paucis verbis comprehendo. 1. Adulterium cum fide. 2. Homicidium cum machinatione & animo contrahendi. 3. Homicidium cum adulterio & intentione contrahendi ſine machinatione. Obſervandum vero hoc impedimentum dirimere matrimonium contrahendum inter ipſos criminoſos tantum, non cum aliis.

ARTICULUS XII.

De Impedimento Clandeſtinitatis.

§. I. Utrum Matrimonia clandeſtina fuerint olim & ſint etiam nunc valida?

JUre antiquo matrimonium illud cenſebatur clandeſtinum, quod non poterat probari teſtibus cap. *Quod nobis*, & c. *cum inhibitio* tit. de clandeſtina diſpenſatione. Jure autem novo Concilii Tridentini illud matrimonium pro-

proprie eſt clandeſtinum, quod contrahitur abſque præſentia Parochi, vel alterius Sacerdotis de ejus licentia, & duorum teſtium. Quod autem fit abſque bannis ſeu denuntiationibus, non cenſetur clandeſtinum proprie.

Suppono matrimonia clandeſtina ſemper fuiſſe ab Eccleſia prohibita, adeoque ſemper illicita inter Chriſtianos ut patet ex Innocent. III. c. 3. de clandeſt. deſponſat. & Concilio Trid. ſeſſ. 24. in decreto Reſ. matrim. c. 1. ubi dicit, *Sancta Dei Eccleſia ex juſtiſſimis cauſis illa ſemper deteſtata eſt, atque prohibuit*. Rationes autem hujus prohibitionis erant graviſſima inconvenientia ex clandeſtinis matrimoniis obvenientia. Qui enim ſic clandeſtine contraxerant, relicta priora uxore, cum alia palam contrahebant, vel priore invita, vel utroque ſibi remittente fidem prius imprudenter & ſtulte datam. Et inſuper ſi relicta ſecunda uxore ad primam redire vellent, compellebantur a Judice Eccleſiaſtico, qui non judicat de occultis, manere cum ſecunda, cum qua tamen non ſubſiſtebat matrimonium. Inſuper inibant matrimonium, quaſi eſſet nudus contractus civilis, ſine reverentia & cæremoniis Eccleſiæ, qualiter decet ſuſcipi Sacramentum, &c.

Aſſignat tamen Sylvius quoſdam caſus, in quibus licitum erat contrahere clandeſtine, ut ſi gravis quædam neceſſitas ad id cogeret: unde concludit matrimonia clandeſtina non eſſe per ſe mala, ſicut fornicationem; licet tamen, ut dicit D. Th. q. 3. habeant ex ſe ſpeciem turpitudinis. Quæſtio eſt ergo, utrum fuerint, & ſint valida?

Dico. (*Supp. q. 45. a. 5. o. & in reſp. ad arg.*) Matrimonia clandeſtina ex natura rei ſunt valida, nec unquam jure Eccleſiaſtico invalida fuerunt ante Trid. jure autem novo Tridentini abſolute irritantur. Prob. 1. Pars. (*Ibid. o. & in a. ſ. c.*) Quandocumque ponuntur eſſentialia alicujus contractus, aut Sacramenti, utrumque eſt validum, etiamſi omittantur ſolemnitates accidentales. Atqui in matrimonio clandeſtino ponuntur omnia eſſentialia ex natura rei ad contractum matrimonialem, & ad eſſe Sacramenti. Ergo. Prob. Min. Eſſentialiter contractui matrimoniali ex natura rei, & ſecluſa Eccleſiæ diſpoſitione eſt conſenſus mutuus per verba de præſenti inter legitimas perſonas, ſive in publico, ſive in occulto fiat. Eſſentialia matrimonii, ut eſt Sacramentum, ſunt materia debita, ſcilicet legitimæ perſonæ ad contrahendum, & debita forma ſcilicet verba de præſenti conſenſum exprimentia. Atqui hæc omnia ponuntur in matrimonio clandeſtino. Ergo.

Secunda Pars patet ex hoc, quod nulla decreta extent ante Trid. irritantia matrimonia clandeſtina. Unde Trid. ſeſſ. 24. de Reſ. matrim. cap. 1. ait, *non eſſe dubitandum clandeſtina matrimonia libero contrahentium conſenſu facta rata & vera eſſe matrimonia, quamdiu Eccleſia ea irrita non fecit, & proinde jure damnandi ſunt illi, ut eos ſancta Synodus anathemate damnat, qui ea rata & vera eſſe negant*. Quibus verbis ſatis inſinuat Concilium, Eccleſiam nunquam irritaſſe matrimonia clandeſtina.

Inſuper ſi fuiſſet talis lex ab Eccleſia, illius procul dubio meminiſſet Concilium, & declaraſſet ſe eam renovare, ſicut paulo ante fecerat de Decreto Concilii Lateran. quoad proclamationes præmittendas. Idque eo verius eſt, quod eſſent in Concilio plures Patres & Doctores, qui dubitabant, an Eccleſia poſſet irritare Matrimonia clandeſtina. Quod opponi poteſt ex Decreto Evariſti c. *Aliter* 30. q. 5. & Concilio Colon. diſſolvimus ſupra, dum de Matrimonio ſine conſenſu parentum inito.

Si inſuper urgeas, quod Clemens, vel, ut alii volunt, Cæleſtinus III. c. *Videtur* 35. q. 6. dicat, conjugium, quod contra ordinem Eccleſiæ factum eſt, eſſe irritum. R. Pontificem loqui de caſu particulari, quo poſt ſponſalia & copulam ſubſecutam contrahitur cum alia: & reſpondet ſecundum Matrimonium eſſe nullum; quia juxta cap. *Is qui* tit. de ſponſalibus, ſponſalia cum priori præſumebantur tunc per copulam tranſire in Matrimonium.

Prob. 3. pars ex Concilio Trid. ſeſſ. 24. citata c. 1. his verbis; *Qui aliter quam præſente Parocho vel alio Sacerdote de ipſius Parochi, ſeu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus teſtibus Matrimonium contrahere attentabunt, eos ſancta Synodus ad ſic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujuſmodi contractus irritos & nullos eſſe decernit prout eos præſenti decreto irritos facit & annullat*. Concilium autem id potuiſſe ſtatuere patet: tum quia Eccleſia errare non poteſt in definiendis rebus ad fidem vel mores ſalutares pertinentibus; tum etiam quia ex perpetuo uſu, & pluribus ejuſdem Concilii Canonibus, conſtat eam poſſe ſtatuere impedimenta Matrimonium dirimentia, ut dixi ſupra, & patebit ex Solutionibus Objectionum. Sic autem ſtatuit Concilium, quia advertebat præcedentes hac de re inhibitiones propter hominum inobedientiam non prodeſſe; nec aliter occurri poſſe malis ex clandeſtinitate provenientibus.

Dices 1. Matrimonia clandeſtina valida ſunt jure naturæ: Atqui Eccleſia nihil poteſt contra jus naturæ. Ergo. R. 1. D. Maj. matrimonia clandeſtina valida ſunt jure naturæ permittente, C. Maj. præcipiente, N. Ma. Hoc ſenſu igitur dicuntur valida matrimonia clandeſtina jure naturæ, non quod jus naturæ præcipiat ſic contrahi, & ſic eſſe valida, ſed quod ea ſic contracta non faciat irrita, quin potius ſinit eſſe valida. Quod autem jus naturæ non irritat, poteſt per legem aliquam poſitivam irritari, ſic contractus prodigorum & pupillorum, & alii, licet ſtando juri naturæ ſint validi, per leges tamen civiles irritantur. R. 2. clarius. Matrimonia clandeſtina jure naturæ ſunt valida, ſi contrahantur inter perſonas legitimas & habiles, C. Si inter illegitimas & inhabiles, N. Illegitimæ autem & inhabiles ſunt ex Decreto Trid. qui attentant contrahere clandeſtine. Nec minus id potuit ſtatuere Eccleſia, quam poſſit Legiſlator civilis reddere aliquem inhabilem ad vendendum vel emendum, qui tamen ſecluſa lege foret habilis: cum enim Eccleſia ſit Reſpublica bene ordinata, debuit in ea eſſe poteſtas ad regulandos contractus ſacramentales ſuorum ſubditorum, atque adeo potuit ſtatuere quaſdam conditiones, ſine quibus aut contrahentes forent inhabiles, aut ipſi contractus eſſent nulli.

Dices 2. Eccleſia non poteſt mutare materiam & formam Sacramentorum. Atqui conſenſus clandeſtinus ante Trid. erat materia & forma ſufficiens Matrimonii. Ergo non potuit efficere, ut non eſſet amplius materia & forma ſufficiens. R. D. Min. Conſenſus clandeſtinus legitimus ſeu inter perſonas habiles & legitimas erat ante Tridentinum materia & forma ſufficiens Matrimonii, C. Min. Conſenſus illegitimus ſeu inter perſonas illegitimas & inhabiles, N. Min. Unde eadem materia & forma ſubſtantialis Matrimonii, quæ erat ante Trid. immutata manet poſt illud, ſcilicet conſenſus legitimus & contractus validus. Adeoque Concilium nihil immutavit circa eſſentialia Sacramenti, ſed tantum fecit, quod contractus, qui antea erat legitimus, nunc non ſit amplius legitimus; & hoc dupliciter, 1. indirecte & mediate reddendo perſonas inhabiles ad contrahendum clandeſtine. Directe & immediate ceſſando & irritando conſenſum & contractum clandeſtinum, in quo non mutavit materiam & formam Sacramenti formaliter ſumptam (nam eſt ſemper ſicut fuit, contractus validus ſeu conſenſus legitimus) ſed tantum materialiter, faciendo ſcilicet, quod id, quod erat conſenſus legitimus & contractus validus, jam non ſit legitimus & validus, adeoque non elevabilis ad eſſe Sacramenti. Chriſtus enim non elevavit qualemcumque contractum matrimonialem ad eſſe Sacramenti, ſed tantum eum, qui eſſet validus & legitimus, hoc eſt inter perſonas baptizatas & legitimas initus, ſive impedimentum dirimens non habentes. Sicut igitur qui ex aqua cereviſiam faceret, aut ex vino acetum, non ideo mutaret materiam Baptiſmi aut Euchariſtiæ formaliter ſumptam, quamvis faceret, ut id, quod prius erat materia illorum Sacramentorum, jam non ſit res, quæ ſit eorum materia; ita ſimiliter qui contractus prius legitimum efficit illegitimum, aut perſonam prius habilem reddit inhabilem, non mutat materiam Sacramenti Matrimonii, formaliter ſumptam, quia ſemper remanet, quod ſit conſenſus legitimus, ſed tantum materialiter, in quantum facit, quod res, quæ erat materia, jam non ſit res, quæ ſit materia, quia eam rem in aliam immutavit. Mutaret autem formaliter, ſi faceret, ut quod prius erat materia, manens immutatum deſineret eſſe materia, v. gr. aqua manens aqua, conſenſus legitimus manens legitimus non ſint materia Baptiſmi vel Matrimonii, quod non fecit Eccleſia. Ita argumentabatur Camillus Campegius Dominicanus in Concilio Trid. cui annuerunt cæteri Patres.

§. II. *Variæ difficultates circa Matrimonia clandeſtina & præfatum Tridentini Decretum reſolvuntur.*

PETES 1. Quis & qualis ſit Parochus in præſenti materia? R. 1. Nomine Parochi hic intelligitur omnis, qui habet juriſdictionem ordinariam in contrahentes, qualem habet Papa in tota Eccleſia, Epiſcopus & ejus Vicarius Generalis in ſua Diœceſi, Archiepiſcopus in tota Provincia, dum actu viſitat, Curatus in Parochia, &c. R. 2. Non eſt opus ad valorem Matrimonii, quod Parochus ſit Sacerdos. Ita declaravit S. Congreg. Concilii an. 1595. approbante Clemente VIII. ut videre eſt apud Dianam p. 1. Tract. 3. Reſol. 32. Unde quando Concilium dicit: *Præſente Parocho, vel alio Sacerdote*, facies hunc ſenſum, *Vel alio qui ſit Sacerdos*, nihil determinando, an Parochus debeat eſſe Sacerdos, ita ſaltem communior ſententia, quamvis oppoſita ſit in praxi tutior. R. 3. Nihil refert ad valorem Sacramenti, an Parochus ſit excommunicatus irregularis, ſuſpenſus, aut interdictus, ſive ipſe aſſiſtat, ſive alteri Sacerdoti committat; quia non eſt ibi actus juriſdictionis, ſed meræ præſentiæ. Ita declaravit S. Congregatio tempore Cardinalis Matthæi, re diligenter examinata, apud Fagnanum in cap. *Litteræ quas* de Matrimonio contracto contra interdictum Eccleſiæ. Secus autem

Digitized by Google

tem ſi Parochus eſſet publicus Hæreticus in loco, ubi Trid. eſt promulgatum, quia hoc ipſo privatur Beneficio, & deſinit eſſe Parochus. Similiter ſiſit Parochus intruſus ſine titulo colorato.

R. 4. Ad valorem Matrimonii ſufficit præſentia unius Parochi, etſi contrahentes ſint diverſæ Parochiæ; quia Trid. requirit præſentiam Parochi, non Parochorum. Uſus quidem invaluit, ut adhibeatur ille, in cujus Parochia celebratur Matrimonium; ſed & alium ſufficere declaravit S. Congregatio Concilii apud Fagnanum in c. *Quod nobis* de clandeſt. deſponſat. Imo etiamſi Matrimonium contraheretur extra Parochiam utriuſque contrahentis, & quidem in alia Diœceſi, valide tamen conjungeret alterutrius Parochus: quia non eſt actus juriſdictionis ſaltem contentioſæ; illicite tamen ageret, ſi aut publice & cum ſtrepitu, aut invito Parocho loci procederet; quia prohibitum eſt exercere ea, quæ ſolemnitatem requirunt in alieno territorio.

R. 5. Proprius Parochus in hac materia non eſt tantum ille, qui eſt proprius loci, ubi contrahentes habent fixum domicilium, aut quaſi domicilium, hoc eſt habitationem per majorem anni partem, ſed etiam ille, qui eſt proprius loci, in quo habent ſimplicem habitationem, quamvis non intendant diu ibi habitare, modo tamen non ſint ibi ſolius recreationis cauſa vel ad ruralia exercenda, vel alia brevi cauſa, ſtatim ad ſuum domicilium reverſuri. Ita declaraſſe Congregationem Concilii refert Fagnanus in c. *Significavit* de Parochis & alienis Parochianis n. 30. his verbis; *Cum vir & mulier Trajectenſes timentes impedimentum a Parentibus ad vicinam urbem Aquiſgranenſem ſe contuliſſent, & ibi aliquamdiu morati matrimonium contraxiſſent: S. Congregatio conſulta ſuper validitate cenſuit exprimendum tempus, quo contrahentes Aquiſgrani manſerunt; quod ſi fuerit ſaltem unius menſis dandam eſſe deciſionem pro validitate, alias de novo referendam in Congregatione*. Hinc ſtudentes in aliqua univerſitate, Tyrones opificiorum, famuli, mercatores in Emporiis, milites præſidiarii, & ii, qui cauſa belli, aut peſtis habitationem mutant, valide contrahunt coram Parocho illius loci, in quo habitant; nec eſt neceſſe, ut majore parte anni habitaverint, ſed ſtatim ac habitare incipiunt, efficiuntur Parochiani, non minus quoad matrimonium, quam quoad alia Sacramenta ſuſcipienda. Ita Sylvius poſt Sylveſtrum, Sanchez, Angelum, Sa. Item Henricus a S. Ignatio. Qui vero duplicem habent Parochiam habitationis, poſſunt coram alterutro contrahere, quamvis tamen ſit conſultius & tutius aſſumere Parochum illius loci, in quo habitant tempore matrimonii.

R. 6. Vagabundorum, qui certas ſedes non habent, proprius Parochus eſt ille iſtius loci, in quo ſe reperiunt, & ubi Confeſſionis & Euchariſtiæ Sacramenta poſſunt recipere: quia nullus eſt alius eorum proprius Parochus. Verum Concilium Trid. ut obviaret inconvenientibus, quæ ex talibus matrimoniis vagorum evenire ſolent, præcipit ſeſſ. 24. c. 7. ne matrimoniis illorum interſint Parochi, niſi, poſt inquiſitionem diligenter factam, obtinuerint licentiam ab Ordinario. Si tamen de facto aſſiſterent abſque tali licentia, quamvis peccarent, matrimonium valeret, quia lex Concilii eſt prohibens, non irritans, & illi Sacerdotes ſunt tam Parochi illorum Vagorum, quam Epiſcopus ſit eorum ordinarius. Ita Sylvius cum Ledeſma, Henriques, & Sanchez.

R. 7. Quando Parochus dat alteri licentiam aſſiſtendi, talis licentia debet eſſe exterius & prius conceſſa, nec ſufficit ratihabitio. Inſuper delegatus debet eſſe Sacerdos. Item debet eam acceptaſſe per ſe vel per alium.

Petes 2. Quæ & qualis præſentia, tam Parochi, quam Teſtium requiratur? R. 1. Non ſufficere naturalem, quomodo beſtiæ poſſunt eſſe præſentes, ſed neceſſaria eſt humana & moralis, qua ſcilicet non tantum adſint corpore, ſed etiam ſciant, & advertant quid agatur: quia ideo a Concilio requiruntur, ut poſſint de contractu teſtificari. Et inſuper Parochus requiritur, ut repræſentans perſonam Eccleſiæ, ut ſic poſſit dici matrimonium contractum in facie Eccleſiæ. Facies autem Eccleſiæ non aliud eſt, quam ipſius Eccleſiæ per Parochum repræſentatæ conſpectus, contractum fieri intelligentis & advertentis, c. *Quod nobis*, de clandeſt. deſponſat. Hinc matrimonium contractum coram Parocho, aut teſtibus amentibus, ebriis, dormientibus, non eſſet validum. Idem videtur tutius dicendum, ſi quidem poſſent advertere & intelligere, per affectationem tamen revera non intelligerent, puta quia obſtruerent aures, clauderent oculos. Quia tunc non valerent teſtificari de validitate contractus. Equidem Fagnanus refert declarationem Cardinalium contrariam, ſed non conſtat, ut dicunt alii, eſſe inſtructam conditionibus ab Urbano VIII. requiſitis, ut fidem faciat.

R. 2. Sufficit præſentia Teſtium & Parochi, etiamſi vi, metu, dolo, aſtutia, v. gr. ſub alio prætextu vocati, quantumvis reniterentur, aut affectarent non videre aut intelligere, modo tamen intelligant, ut dicebamus modo; quia tunc eſt matrimonium vere contractum coram Parocho & Teſtibus, qui poſſunt illud certificare. Idem dicendum, ſi caſu fortuito adeſſent, v. gr. tranſeundo, convivando, celebrando, aut aliquid aliud agendo, modo tamen contrahentes utantur ea præſentia in hunc finem; alias enim ſi non attendentes ad Parochum & Teſtes præſentes contraxiſſent, licet illi caſu, puta tranſeundo, contractum obſervaſſent, non valeret matrimonium: quia debent formaliter adhiberi ad hunc finem, ut declaravit S. Congregatio Cardin. Concil. Trident. an. 1591. 29. Auguſti. Cenſentur autem adhiberi formaliter in hunc finem, quando coram ipſis, etſi fortuito præſentibus, aut alia de cauſa ſuppoſititia vocatis, contrahentes intendunt coram ipſis verba ſerio proferre, & contractum inire. Et ſic intelligi debet declaratio Congregationis apud Fagnanum, quæ poſſet huic reſolutioni opponi, eo quod dicat non ſufficere, ſi per accidens tantum eſſet præſens Parochus, puta cauſa convivandi, confabulandi, &c. Non enim cenſentur adhibiti, & præſentes per accidens, ſed formaliter in finem debitum, quando contrahentes intendunt coram ipſis contrahere.

Petes 3. Quales eſſe debeant Teſtes? R. Non eſſe neceſſarium, ut illi Teſtes ſint omni exceptione majores, ſive ut habeant qualitates jure in aliis negotiis requiſitas, ſed ſufficere quoſcumque, qui poſſint intelligere & intelligant, quid contrahentes dicant & faciant. Unde adhiberi poſſunt conſanguinei, fœminæ, impuberes, amici, infideles, infames, excommunicati, boni, & mali. Ratio eſt. 1. Quia licet Concilium potuerit requirere teſtes omni exceptione majores, non tamen requiſivit ut patet ex textu, & teſtatur quotidiana praxis. 2. Quia alias ob teſtium qualitates matrimonia forent magis ambigua, quam ante Trid. & infinitæ lites circa illa moverentur.

Petes 4. An aliquibus caſibus valeant matrimonia clandeſtina, & quibus? R. 1. Matrimonia clandeſtina contracta in locis, ubi non fuit promulgatum Decretum Concilii Trid. ab Incolis illarum Regionum, ſunt certo valida. Patet, quia Concilium ſeſſ. 24. c. 1. *Decernit ut hujuſmodi Decretum in unaquaque Parochia ſuum robur poſt triginta dies habere incipiat a die primæ publicationis in eadem Parochia factæ, numerandos*. Ergo ante illud tempus non habet robur, &c. R. 2. Incolæ locorum, ubi viget, & publicatum fuit Decretum Concilii, valide contrahunt clandeſtine in iis locis, ubi non fuit promulgatum, ſi revera in eis habitent, quamvis in fraudem: quia per habitationem eximuntur a legibus ſuæ Patriæ, & ſubduntur legibus locorum, in quibus ſunt. Et ita declaraſſe Urbanum VIII. an. 1627. 4. Auguſti refert Manigart cum ejus Bulla, in ſua praxi Paſtorali p. 2. c. 4. Neque obſtat, quod fraus nemini patrocinetur: non enim eis fraus patrocinatur quoad validitatem matrimonii, ſed ipſa eorum conditio ſeu habitatio, qua fit, ut potiantur juribus talis loci, in quo habitant, fraudulenter quidem egerunt eo fine mutantes habitationem, ſed non ideo poſtea irritum eſt, quod agunt, quando illic vere habitant, & talis Eccleſiæ ſunt Parochiani.

R. 3. Imo probabilius videtur mere peregrinos & tranſeuntes in prædictis locis valide contrahere clandeſtine, excepta tamen pro illis fraude & dolo. Ratio eſt: quia peregrini poſſunt ſe conformare legibus locorum, per quæ tranſeunt, nec legibus ſuæ Patriæ, v. gr. Feſtorum, Jejuniorum tenentur, ſive juris interpretatione, ſive tacito conſenſu Legiſlatorum. Et certe nunquid tenentur legibus loci, in quo ſunt, v. g. Jejuniorum, Feſtorum, imo & ſolemnitatis matrimonii, ſi illic vigeret? Congruum ergo videtur, ut eximantur a legibus loci, in quo non ſunt; juxta illud: qui ſentit incommodum, ſentiat & commodum. Ita noſter Gonet poſt Pontium, Sanchez, & alios; item Henno. Nec argumenta, quæ in contrarium affert Sylvius, videntur convincere. Dixi: *Excepta fraude*: quia cum tales, non jure quidem per habitationem acquiſito, ſicut præcedentes, ſed tacito conſenſu Superiorum potiantur privilegiis locorum, in quibus ſunt; æquum non eſt, nec veriſimile Legiſlatorem ſua benignitate & conſenſu doloſis & fallacibus annuere & patrocinari. Et quidem hac in re ſuam Eccleſia mentem aperuit, dum Cardinales Trid. interpretes a Ferdinando Leodienſi Epiſcopo conſulti reſponderunt matrimonium in noſtro caſu, ſuppoſita fraude, nullum eſſe, quod confirmavit Urbanus VIII. præfata Bulla cit. apud Manigart & Henricum a S. Ignatio n. 346.

R. 4. Si duo contrahentes ſint diverſarum Parochiarum, in quarum una fuit publicatum Decretum Concilii, & non in altera, valet matrimonium clandeſtinum, ſi fuerit celebratum in Parochia, in qua Decretum non fuit promulgatum. Ita cenſet Gonet citans declarationem Cardinalium n. 67. & Henricus a S. Ignatio. Ratio eſt; quia

quia contractus quoad valorem ſequitur leges loci, in quo celebratur, cap. finali, de foro competenti.

R. 4. Matrimonium clandeſtine contractum ab Infidelibus non baptizatis, etiam in locis, ubi viget Decretum Concilii, validum eſt: quia eſt lex Eccleſiaſtica, cui non ſubjiciuntur Infideles.

Specialis Difficultas de Matrimoniis in Hollandia celebratis.

UTrum matrimonia in fœderatis Belgii Provinciis, in quibus publicatum fuit Trid. Decretum per Margaritam Parmenſem, de Mandato Philippi II. contracta, non ſervata Concilii Trid. forma, ſint valida?

Difficultatem hanc diu inter Theologos controverſam ad inſtantiam Illuſtriſſimi ac multis mihi titulis colendiſſimi Guillelmi DELVAUX Epiſcopi Iprenſis dirimit tandem ſanctiſſimus ac ſapientiſſimus Pontifex hodiernus Benedictus XIV. Conſtitutione, quæ incipit *Matrimonia* data 4. Novembris 1741. in qua ſic ſtatuit ac definit.

Primo ſcilicet quod attinet ad matrimonia ab Hæreticis inter ſe in locis fœderatorum Ordinum dominio ſubjectis celebrata, non ſervata forma per Tridentinum præſcripta, licet Sanctitas ſua non ignoret, alias in caſibus quibuſdam particularibus, & attentis tunc expoſitis circumſtantiis, S. Congregationem Concilii pro eorum invaliditate reſpondiſſe, æque tamen compertum habens nihil adhuc generatim, & univerſe ſuper ejuſmodi matrimoniis fuiſſe ab Apoſtolica Sede definitum, & alioquin oportere omnino ad conſulendum univerſis fidelibus in iis locis degentibus, & plura avertenda graviſſima incommoda, quid generaliter de hiſce matrimoniis ſentiendum ſit, declarare: negotio mature perpenſo, omnibuſque rationum momentis hinc inde ſedulo libratis, declaravit (ſua Sanctitas) ſtatuitque: matrimonia in dictis fœderatis Belgii Provinciis inter Hæreticos uſque modo contracta, quæque impoſterum contrahentur, etiamſi forma a Trid. præſcripta non fuerit in iis celebrandis ſervata, dummodo aliud non obſtiterit Canonicum impedimentum, pro validis habenda eſſe; adeoque ſi contingat, utrumque conjugem ad Catholicæ Eccleſiæ ſinum ſe recipere, eodem, quo antea, conjugali vinculo ipſos omnino teneri, etiamſi mutuus conſenſus coram Parocho Catholico ab eis non renovetur; ſin autem unus tantum ex conjugibus ſive maſculus ſive fœmina, convertatur, neutrum poſſe, quamdiu alter ſuperſtes erit, ad alias nuptias tranſire.

Quod vero ſpectat ad ea conjugia, quæ pariter in iiſdem fœderatis Belgii Provinciis abſque forma a Tridentino ſtatuta contrahuntur a Catholicis cum Hæreticis, ſive Catholicus vir Hæreticam fœminam in matrimonium ducat, ſive Catholica fœmina Hæretico viro nubat, dolens imprimis quam maxime Sanctitas ſua, eos eſſe inter Catholicos, qui inſano amore turpiter dementati ab hiſce deteſtabilibus connubiis, quæ S. Mater Eccleſia perpetuo damnavit atque interdixit, ex animo non abhorrent, & prorſus ſibi abſtinendum non ducunt; laudanſque magnopere zelum illorum Antiſtitum, qui ſeverioribus propoſitis ſpiritualibus pœnis Catholicos coercere ſtudent, ne ſacrilego hoc vinculo ſeſe Hæreticis conjungant: Epiſcopos omnes, Vicarios Apoſtolicos, Parochos, Miſſionarios, & alios quoſcumque Dei & Eccleſiæ fideles Miniſtros in iis Partibus degentes, ſerio graviterque hortatur, & monet, ut Catholicos utriuſque ſexus ab hujuſmodi nuptiis in propriarum Animarum perniciem ineundis, quantum poſſint, abſterreant, eaſdemque nuptias omni meliori modo intervertere, atque efficaciter impedire ſatagant. At ſi forte aliquod hujus generis matrimonium, Tridentini forma non ſervata, ibidem contractum jam ſit, aut impoſterum (quod Deus avertat) contrahi contingat, declarat Sanctitas ſua, matrimonium hujuſmodi, alio non concurrente Canonico impedimento, validum habendum eſſe, & neutrum ex conjugibus, donec alter eorum ſupervixerit, ullatenus poſſe ſub obtentu dictæ formæ non ſervatæ, novum matrimonium inire; id vero debere ſibi potiſſime in animum inducere conjugem Catholicum, ſive virum ſive fœminam, ut pro graviſſimo ſcelere, quod admiſit, pœnitentiam agat, ac veniam a Deo precetur, coneturque pro viribus alterum conjugem a vera fide deerrantem ad gremium Catholicæ Eccleſiæ pertrahere, ejuſque animam lucrari, quod porro ad veniam de patrato crimine impetrandam opportuniſſimum foret, ſciens de cætero, ut mox dictum eſt, ſe iſtius matrimonii vinculo perpetuo ligatum iri.

Ad hæc declarat Sanctitas ſua, ut quidquid hactenus ſancitum, dictumque eſt de matrimoniis, ſive ab Hæreticis inter ſe, ſive inter Catholicos & Hæreticos, initis, in locis fœderatorum Ordinum Dominio in Belgio ſubjectis, ſancitum, dictumque intelligatur etiam de ſimilibus matrimoniis extra fines Dominii eorumdem fœderatorum Ordinum contractis ab iis, qui addicti ſunt Legionibus ſeu Militaribus copiis, quæ ab eiſdem fœderatis Ordinibus tranſmitti ſolent ad cuſtodiendas, muniendaſque arces conterminas, vulgo dictas di Bariera, ita quidem ut matrimonia ibi præter Tridentini formam ſive inter Hæreticos utrinque, ſive inter Catholicos, & Hæreticos, inita valorem ſuum obtineant, dummodo uterque conjux ad eaſdem copias ſive legiones pertineat; & hanc declarationem vult Sanctitas ſua complecti etiam civitatem Moſæ Trajectenſis a Republica fœderatorum Ordinum, quamvis non Jure Dominii, ſed tantum oppignorationis, ut ajunt, nomine poſſeſſam.

Tandem circa conjugia, quæ contrahuntur, vel in Regionibus Principum Catholicorum ab iis, qui in Provinciis fœderatis domicilium habent, vel in fœderatis Provinciis ab habentibus domicilium in Regionibus Catholicorum Principum, nihil Sanctitas ſua de novo decernendum, aut declarandum eſſe duxit, volens ut de iis, juxta Canonica Juris communis principia, probataſque in ſimilibus caſibus alias editas a Sacra Congregatione Concilii reſolutiones, ubi diſputatio contingat, decidatur, & ita declaravit, ſtatuitque, ac ab omnibus impoſterum ſervari præcepit. Die 4. Novembris 1741. A. Card. Gentili S. C. Concilii Præf. C. A. Archi Philippen. Secret.

Obſervanda circa præfatam Conſtitutionem.

OBSERVANDUM 1. inter varias rationes, quibus moveri potuit Pontifex, ut ſic ſtatueret, has videri præcipuas. 1. Quia obſervantia Decreti Trid. in his partibus eſt moraliter impoſſibilis ipſis Hæreticis. 2. Quia foret Religioni pernicioſa, quatenus Hæretici advertentes ſua matrimonia a Catholicis haberi illegitima, & proles ſuas ſpurias, non ſolum quemvis alium contrahendi modum, ſed etiam omne aliud Religionis exercitium interdicerent Catholicis, ſicque recrudeſceret perſecutio. 3. Quia noceret ſaluti contrahentium, obſtaretque eorum converſioni. Pone enim unum ex duobus Hæreticis conjunctis velle ſe convertere; debebit iterum contrahere coram Parocho Catholico, quod nunquam obtinebit a comparte hæretica; aut tenebitur illam & proles deſerere, quod patitur undequaque graviſſimas difficultates, vix ſuperabiles, ſicque obex converſioni. 4. Celebrato Matrimonio coram Magiſtratu Hæretico, aut coram Miniſtro & teſtibus, habetur finis, quem intendit Concilium, ſcilicet certitudo matrimonii.

Obſervandum 2. Hoc Decretum ſpectare tantum fœderatum Belgium, ut patet ex ejus tenore. An vero in aliis Provinciis vel Regni, in quibus etiam promiſcue vivunt Hæretici cum Catholicis, & in quibus Decretum Trid. fuit promulgatum, ut in Germania, ſint pariter valida matrimonia, abſque forma Tridentini? R. vi præſentis Decreti non eſſe valida, quia, ut dictum eſt, ſpectat tantum fœderatos Belgas. Si tamen eædem rationes concurrant, quæ in Belgio, præſumendum videtur Eccleſiam benignam matrem relaxare ſuam legem reſpectu illorum, ſicut reſpectu Belgarum, non in favorem Hæreticorum rebellium, ſed in favorem Religionis & Catholicorum; *Et hoc vel maxime ex eo colligitur*, inquit noſter VVigandt Scriptor Germanus, *quod ſi ambo conjuges Hæretici fiant Catholici, non denuo contrahunt coram vero & proprio Parocho Catholico, quod tamen plane eſſet neceſſarium, quia ſicut antea vixiſſent, ſic & poſtea ſemper in fornicatione & concubinatu.*

Obſervandum 3. Hoc Decreto dirimi tantum quæſtionem de Matrimoniis Hæreticorum inter ſe, aut Catholicorum cum Hæreticis, non Catholicorum inter ſe, ut patet ex textu. Unde de his ultimis remanet difficultas: ad quam R. Matrimonium Catholicorum inter ſe, in Provinciis fœderatis, & aliis, abſque forma Trid. contracta eſſe irrita, niſi iſta loca careant omnino Epiſcopis, aut Parochis, aut aliis Sacerdotibus ad id delegatis, aut certe ita abſit, ut ad eos tutus acceſſus non pateat; Ita reſpondiſſe S. Congregationem Octavio Epiſcopo Tricarienſi per Belgium Nuntio Apoſtolico, teſtantur Sylvius Chapeavilie, Henricus a S. Ignatio: eamque declarationem authenticam refert Zypeus juris pontif. novi Analyt. enarrat. lib. 4. tit. de ſponſalibus. Neque enim rationes prima Obſervatione deductæ militant pro Catholicis inter ſe contrahentibus, ſicut pro Hæreticis inter ſe, vel cum Catholicis contrahentibus. Perinde eſt autem ſive Parochus abſit, ſive adſit, ſed cui prohibitum eſt ſub pœna mortis, aut alia gravi, Matrimonii celebrationi aſſiſtere. Ita reſpondit Eſtius D. Miræo Epiſcopo Antuerpienſi; quia paria videntur, abeſſe Parochum ſic, ut tutus ad eum acceſſus non pateat, & Parochum adeſſe, ſed ſic, ut ejus opera tuto uti non liceat, quia utrobique eſt periculum accedendo ad Parochum.

Obſervandum 4. Quantum ad Matrimonia contracta in Urbibus vulgo dictis *Barriera*, ut ſint valida, utrumque conjugem debere pertinere ad legiones ſeu copias, quæ tranſmitti ſolent ad eas arces cuſtodiendas. Unde ſi miles ex his copiis velit ducere puellam civilem, debet ſervare in hoc, ſicut in aliis, leges locales, ideoque contrahere ſecundum formam Trid. Ii autem omnes & ſoli cenſentur pertinere ad illas copias, qui juri militari ſubſunt; non annonarii aut ſimiles, qui copias ſequi ſolent.

SUP-

SUPPLEMENTUM
CURSUS THEOLOGIÆ
R. AC EXIMII PATRIS CAROLI RENATI BILLUART,

Continens Tractatus de Opere ſex dierum, de Statu Religioſo, & de Myſteriis Chriſti.

Opus poſthumum ab eodem Auctore elucubratum.

TRACTATUS
DE OPERE SEX DIERUM.

D. Th. 1. p. a Quæſt. 44. ad 48. & a Quæſt. 67. ad 103.

DISSERTATIO I.
DE PROCESSIONE CREATURARUM A DEO.

D. Thom. 1. Par. Quæſt. 44. 45. 46.

ARTICULUS I.

Utrum omne ens ſit effective a Deo? Ubi de Carteſianiſmo,

GNostici teſte S. Epiphanio hæreſi 25. & 26. negarunt mundum eſſe a Deo conditum. Manichæi ex eodem Epiphanio hæreſi 22. & ſequent. & ex Aug. hæreſi 46. duos adſtruebant Deos a ſe independentes, unum bonum, qui eſſet Auctor novi Teſtamenti, lucis, rerum ſpiritualium & incorruptibilium: alterum malum, qui eſſet Auctor veteris Teſtamenti, tenebrarum, & rerum viſibilium corruptibilium. Plato & Hermogenes apud Tertull. l. de præſcript. c. 33. Seleuciani & Hermiani apud Aug. hæreſi 59. dixerunt materiam non fuiſſe a Deo productam, ſed ipſi coæternam, ex qua mundum viſibilem produxit.

Dico. (Q. 45. a. 1. o.) Omne ens aliud a Deo, quod eſt quomodocumque, eſt effective cauſatum a Deo. Eſt de fide, qua credimus in Symbolis Niceno & Conſtantinopolitano, *in Deum factorem cæli & terræ, viſibilium omnium & inviſibilium*. Et c. *firmiter* de ſumma Trin. Eccleſia in Concil. Lateran. 4. confitetur, *Deum unum, Patrem & Filium & Spiritum S. eſſe unum univerſorum principium, Creatorem omnium viſibilium & inviſibilium, ſpiritualium & corporalium*. Unde Concil. Braccarenſe I. Can. 13. ſic definit: *Si quis dixerit creationem univerſæ carnis non opificium eſſe Dei, ſed malorum Angelorum, ſicut Manichæus & Priſcillianus dixerunt, anathema ſit*. Atque id aperte exprimit Scriptura Gen. 1. *In principio creavit Deus cælum & terram*: ubi ſub cœlo omnia cœleſtia, & ſub terra omnia inferiora continentur; unde Exod. 20. *Sex diebus fecit Dominus cælum & terram & omnia, quæ in eis ſunt*. Iſa. 44. *Ego Dominus faciens omnia, extendens cœlos ſolus, ſtabiliens terram*. P. 145. *Qui fecit cælum & terram, & mare, & omnia, quæ in eis ſunt*. Joan. 1. *Omnia per ipſum facta ſunt*. Rom. 11. *Ex ipſo & per ipſum & in ipſo ſunt omnia*. Act. 17. *Deus qui fecit mundum & omnia, quæ in eo ſunt*.

Suadetur ratione. (*Ibid.*) Omne quod quomodocumque eſt, continetur virtualiter & eminenter in Deo. Ergo omne, quod quomodocumque eſt, eſt a Deo participatum & cauſatum. Patet conſequentia: quia ſi eſſet aliquod ens, quod non eſſet a Deo cauſatum, illud non contineretur virtualiter & eminenter in Deo. Prob. Ant. Deus ſic eſt ens per eſſentiam, ut complectatur omnem rationem entis ſecundum totam ejus latitudinem & extenſionem; id enim important rationes actus puri, entis infiniti & infinite perfecti, quæ competunt Deo. Ergo omne quod quomodocumque eſt, continetur virtualiter & eminenter in Deo; alias Deus non contineret omnem plenitudinem entis.

Dices. Eſſentiæ rerum ſunt æternæ, & non dependent a Deo; ſic ab æterno & independenter a Deo homo eſt animal rationale. Ergo.

R. D. Ant. Eſſentiæ rerum ſunt æternæ, & non dependent a Deo quoad connexionem prædicati & ſubjecti, C. Quoad eſſe actuale, N. Id enim habent a Deo in tempore.

Hinc inferes 1. (*Ibid. a. 2. o.*) materiam, circa quam maxime erraverunt antiqui Philoſophi, ut exponit auctor hic art. 2. eſſe etiam a Deo productam; quia cum Deus, ut dictum eſt, ſit cauſa entis in quantum ens, eſt cauſa omnium, quæ pertinent ad rationem entis: materia autem pertinet ad rationem entis corporei: quamvis enim ſecundum ſe non ſit ens actu, ſed tantum per formam, ſine qua non producitur, ex ea tamen & forma fit ens actu: & ideo proprie loquendo materia non creatur, ſed concreatur. Inferes 2. Hypotheſim Carteſii, quam ut Theſim hodie propugnant quidam ejus Diſcipuli, aperte pugnare cum Scriptura & ratione.

Hæc eſt autem hypotheſis ſeu Theſis. Supponit 1. Carteſius materiam eſſe a Deo creatam ex natura ſua homogeneam ſeu ejuſdem rationis. 2. Eſſentiam ejus conſiſtere in trina extenſione longi, lati & profundi, ſicque materiam, corpus, extenſionem, ſpatium, eſſe ſynonyma. Unde 3. materiam nullos habere fines ſuæ extenſionis; quia quidquid & ubicumque concipitur, concipitur ut quid extenſum, & non poteſt aliter concipi. Unde 4. vacuum etiam divinitus eſſe impoſſibile; quia omne ſpatium immaginabile trina extenſione conſtat, adeoque materia & corpore, quæ idem ſunt. Hinc 5. mundum hunc eſſe infinitum, ſeu, ut dicit abſurditatem declinare volens, indefinitum. Inde 6. plures mundos eſſe impoſſibiles, neque minimam materiæ portionem poſſe de novo creari; quia omnia ſpatia imaginaria ſunt repleta, & duo corpora non poſſunt eſſe in eodem loco, alias forent duo, ut ſupponitur, & non duo, quia eandem haberent extenſionem, quæ non diſtinguitur a corpore. Et, omiſſis pluribus aliis ejuſdem farinæ fictionibus, 7. Supponit Deum diviſiſſe materiam in partes æquales, non quidem ſphericas, ne daretur vacuum, ſed angulares, puta cubicas, ut contactu quaqua parte immediato omne vacuum excluderent. 8. Supponit illis materiæ fragminibus duos motus a Deo impreſſos, unum cuique particulæ circa proprium centrum, alterum pluribus communem circa centrum commune, quo duplici motu a Deo materiæ impreſſo contendit mundum hunc ſtructura, diſpoſitione, varietate atque ornamentis adeo mirabilem, nihil Deo ulterius agente, facillime potuiſſe conſtrui.

Primo itaque motu, inquit, cujuslibet particulæ circa proprium centrum, ancones & ramenta particularum effracta ſunt, ita ut ex angulatis factæ ſunt globoſæ ſeu ſphericæ; deinde ex continuo attritu tum globorum inter ſe, tum ramentorum effractorum deciſa fuit ſcobs tenuiſſima; ancones vero & ramenta contracta molecularum inſtar coaluerunt. Hinc ſuorum elementorum ſeu principiorum geneſis. Hæc enim ſcobs tenuiſſima eſt primum elementum, quam vocat materiam ſubtilem, globuli ſecundum, tertium ramenta, quæ dum inter ſpatiola a globulis inter ſe compreſſis relicta vi motus comprimuntur, in tres ſtrias juxta ſpatium a globulis relictum efformantur, unde illa vocat partes ſtriatas, vulgo, *parties canelées*.

Secundo motu fingit partes materiæ eſſe diſtributas in varios vortices, a quorum centro facilius & vehementius ad circumferentiam recedentes globuli, utpote ad motum

Digitized by Google

tum aptiores, in illud propellunt partem materiæ ſubtilis citiſſime agitatam, ex qua conſtantur corpora lucida, ſol ſcilicet & ſtellæ fixæ, altera parte materiæ ſubtilia diſcurrente promiſcue inter globulorum ſpatiola, ut ipſa repleat. Globuli vero ſic ad circumferentiam convolantes & materiæ ſubtili circumfuſi conſtituunt corpora diaphana, ſcilicet cœlos. Tandem ramenta ad invicem complicata, id eſt materia ſtriata, ad motum minus apta propter figuras ſuas irregulares, a ſubtilioribus partibus motu vehementiſſimo agitatis, a centro verſus circumferentiam ad inſtar ſpumæ extruduntur, & illic inter globulos ſeu corpora diaphana, ſcilicet cœlos, quaſi in æquore natantia conſtituunt diverſa corpora opaca in diverſis cœlorum partibus, ſcilicet planetas, Jovem, Saturnum, Lunam, &c. Imo & Terram noſtram cum omnibus corporibus ſuis, etiam animantibus; ita ut Sol ſit centrum mundi hujus, circa quem motu illius vorticis gyrando continuo abripiuntur cœli, planetæ, & terra noſtra.

Hoc inquam ſyſtema, quod Carteſius propoſuit, ut hypotheſim dumtaxat poſſibilem, hodie quidam ejus diſcipuli propugnant ut Theſim de facto veram contra Scripturam & rationem. Contra Scripturam, Geneſ. 1. dicitur: *In principio Deus creavit*, non materiam rudem, ſed *Cœlum & terram*, item; *dixitque Deus, fiat lux, & facta eſt lux ... Dixit quoque Deus, fiat firmamentum ... & fecit Deus firmamentum ... Dixit autem Deus, fiant luminaria magna in firmamento cœli .... fecitque Deus duo luminaria magna ... creavitque Deus cete grandia & omnem animam viventem atque motabilem*: & ſic de cæteris. Non ergo ſolam materiam informem, cui motum impreſſit, ſed diſtinctas omnium rerum ſpecies & individuas produxit. Pugnat inſuper hæc Theſis cum aliis textibus Scripturæ ſuperius citatis; item cum profeſſione Fidei & Eccleſiæ decretis, de quibus ſupra.

Contra rationem 1. Præter materiam & motum ſunt innumera alia entia in mundo: atqui ut probatum eſt in Concluſione, omne quod eſt quomodocumque ens, eſt effectus a Deo: ergo.

2. Juxta principia ſyſtematis Carteſii, materia eſt æterna, increata, a ſe neceſſario exiſtens, adeoque alter Deus: ergo. Prob. Ant. juxta principia Carteſii materia, extenſio, corpus, ſpatium, ſunt unum & idem: atqui determinato quolibet æternitatis puncto in inſtanti præcedenti concipitur extenſio, adeoque materia, poſito quolibet materiæ termino concipitur ultra extenſio, conſequenter materia, poſita tandem qualibet volitione in Deo non creandi materiam, ſemper concipitur extenſio, ideoque materia. Ergo materia eſt æterna, increata, & neceſſario a ſe exiſtens: ergo alter Deus.

3. Motus, qui, juxta Carteſium, eſt quaſi anima ejus mundi, eſt in ejus ſyſtemate impoſſibilis. Ergo. Prob. Ant. Juxta ſyſtema Carteſii omnia ſunt plena, vacuum etiam divinitus eſt impoſſibile, nec una pars poteſt comprimi in minus ſpatium, ut alteri locum cedat, ut docet 2. p. n. 33. Atqui in hoc ſyſtemate motus eſt impoſſibilis. Ergo. Prob. Min. Fit motus localis, dum corpus ſeu pars mota migrat de loco in locum: atqui ſi omnia ſunt plena, ſi vacuum eſſe non poſſint, nec una pars in ſe comprimi, ut locum alteri cedat, quo ibit pars, quæ ſupponitur mota? Hæc capiant, ſi poſſint, Carteſiani; nos interim paradoxum abſonum & inconceptibile reputabimus.

Et ut rem, ſeu hujus ſyſtematis implicantiam magis in aperto ponam; finge hanc cameram eſſe ex omni parte repletam fragmentis lapideis, ita ut vel minimum vacuum dari non poſſit, nec unum fragmentum in anguſtius ſpatium cogi, nulla unquam vi quantumvis inſigni poterit in illis fieri vel minimus motus, longe minus vortices & circuli Carteſiani.

Reſpondet Carteſius 2. p. n. 33. in omni motu circulum ſeu annulum materiæ ſimul moveri, ita ut prima pars annuli moveat ſecundam, ſecunda tertiam, & ſic ſucceſſive in gyrum uſque ad ultimam, quæ eodem inſtanti occupat locum relictum a prima. Sed contra 1. Inde ſequitur omnem motum neceſſario eſſe circularem, nullum poſſe eſſe rectum contra Carteſium, qui docet omnem motum eſſe ex natura ſua rectum, nec niſi occurſu alterius corporis obliquari. Item ſequitur ne unam partem poſſe moveri, quin omnes partes ejuſdem vorticis & circuli ſimul moveantur, nec unam quieſcere, quin omnes quieſcant. Quibus poſitis patens eſt motum, quem Carteſius ſupponit liberrimum in ſuis particulis, eſſe revera difficillimum, atque plane chymericum ex eo ſemper circulari & uniformi poſſe formari omnia mundana corpora etiam viventium. Contra 2. Circulus materiæ non poteſt moveri inter alios circulos, niſi inter hunc & ipſos interjaceat aliquod vacuum, quod eſt impoſſibile ſecundum Carteſium. Contra 3. Impoſſibile eſt, quod una ex particulis Carteſii ſtatim adæquate occupet locum alterius, quod tamen fieri deberet, ſi non detur vacuum. Ergo. Prob. Ant. Omnes particulæ Carteſii ſunt vel ſphericæ, vel angulares, vel ramoſæ, vel alicujus alterius figuræ. Ponamus igitur motum fieri in globulis, eadem eſt ratio de cæteris, globulus pellens non poteſt ſtatim adæquate replere ſpatium globuli pulſi, niſi illi ſtatim ſuccedat ſecundum Diametrum, quod eſt impoſſibile.

Reſpondet Carteſius hæc interſtitiola inter globulos ſeu alias partes relicta repleri materia ſubtili, quæ omni loco diffunditur, & cuilibet figuræ ſe accomodat, ſuæ parum tenax, non ſecus ac aer replet ſpatiola granorum in acervo. Sed contra 1. Ante ortum materiæ ſubtilis erat motus, cum per motum ex continuo attritu globulorum & fragmentorum ſit effecta. Ergo. Contra 2. Partes materiæ ſubtilis ſunt ſolidiſſimæ, cum careant poris ex Carteſio. Ergo ſibi contradicit, dum dicit eam ſe omni figuræ accommodare, ſuæ parum tenacem. Contra 3. Omnes partes materiæ ſubtilis ſunt etiam ſuis figuris præditæ, aliæ ramoſæ, aliæ triangulares, &c. ex Carteſio: ergo ſicut de globulis, ſi de iſtis probat argumentum unam non poſſe ſtatim adæquate locum alterius replere.

Ad exemplum Carteſii patet ex Reſponſione data diſparitatem eſſe, quod partes materiæ ſubtilis non natent in aliqua ſubtiliori materia, ſicut grana in aere. Inſuper juxta nos aer poteſt facile comprimi & dilatari, quod ſuis particulis denegat Carteſius.

In clariorem hujus Reſponſionis Carteſianæ ſolutionem redeat exemplum prius allatum de fragmentis lapideis in camera. Finge illorum quædam angulis excuſſis eſſe in globulos tornata, alia in pulverem minutiſſimam deciſa, alia in partes paulo craſſiores, quarum omnium particularum cum nullum poteſt in anguſtius ſpatium comprimi, erit pariter impoſſibile ullum in eis fieri motum.

Huic itaque invincibili argumento ſuccumbens Carteſius deſperata tandem ſolutione fatetur aliquid fieri in motu, quod mens humana non capit, ſcilicet diviſionem particularum materiæ in infinitum. Ita Carteſius 2. par. Principiorum n. 34. & 35.

Bene dixit Carteſius, *quod mens humana non capit*. Ecquis enim capere poteſt in quolibet motu etiam minimo, materiam reipſa conteri in partes infinitas? Quis capit id, quod ulterius eſt diviſibile, eſſe reipſa diviſum in infinitum? Quis capit unam particulam, puta materiæ ſubtilis, poſſe conterere & confringere aliam particulam adamante duriorem in partes infinitas? Et hoc dato evaneſcit libertas & facilitas motus, quam tantopere prædicat Carteſius. Denique admiſſa gratis hac chymerica diviſione materiæ in partes infinitas, remanet nihilominus impoſſibilis motus, ut patet exemplo prius allato de fragmentis lapideis in Camera. Hæc pauca de Carteſianiſmo, longe plura apud Phyſicos.

ARTICULUS II.

Utrum Deus ſit cauſa exemplaris & finalis omnium rerum?

Dico 1. (*Ib. a. 3. o.*) Deus eſt prima cauſa exemplaris omnium rerum. Quia Deus habet rationes ſeu ideas & exemplaria omnium rerum, quas producit ſecondum determinatas ſpecies, non enim Deus cum ſit agens intelligens agit cæco modo aut fortuito; hæ autem ideæ ſeu exemplaria nihil aliud ſunt realiter, quam divina eſſentia, ut eſt diverſimode participabilis a creaturis. De ideis divinis diximus in Tract. de Deo Diſſert. *6. a. 7. §. 1.*

Dico 2. (*Ib. a. 4 o.*) Deus eſt cauſa finalis omnium rerum, juxta illud Prov. 16. *Univerſa propter ſemetipſum fecit Dominus*. Ratio eſt. (*Ibid.*) illud eſt cauſa finalis rerum omnium, quod primum & univerſale agens intendit omnibus communicare, & quod omnia intendunt, prout poſſunt, conſequi. Atqui divina bonitas eſt id, quod Deus intendit omnibus communicare, & quod omnia conſequi intendunt, ſive appetitu rationabili, ſive ſenſibili, ſive naturali. Ergo. Prob. Min. Deus ut primum & univerſale agens, atque infinito perfectum non agit propter finem acquirendum, bonorum enim noſtrorum non indiget, ſed agit propter perfectionem ſuam, quæ eſt ejus bonitas, communicandam, & quælibet res creata intendit ſuam bonum & ſuam perfectionem, quæ eſt ſimilitudo & participatio divinæ bonitatis. Ergo.

Verum difficultas eſt, utrum Deus, ſive divina bonitas ſit etiam cauſa finalis divinæ operationis immanentis? Dixi *immanentis*: quia certum eſt, quod operatio Dei, quæ dicitur tranſiens, & recipitur in creaturis, cum ſit aliquid creatum, habeat ſicut cætera creata pro fine ultimo Deum, ſive divinam bonitatem.

Dico 3. Deus ſeu divina bonitas non eſt proprie & ſtricte cauſa finalis divinæ operationis immanentis: quia inter cauſam proprie dictam & effectum neceſſario debet eſſe diſtinctio realis & realis dependentia effectus a cauſa. Atqui tam Deus quam divina bonitas & divina opera-

Digitized by Google

ratio immanens ſunt una eadem res ſimpliciſſima abſque ulla diſtinctione reali & dependentia, nimirum una & eadem eſſentia divina. Ergo.

Recte tamen dicitur, quod divina bonitas ſit ratio divinæ operationis, ſeu ſit Deo ratio volendi & agendi; quia, ut inquit Auctor q. 19. a. 2. ad 2. cum Deus non velit alia a ſe niſi propter finem, qui eſt ſua bonitas, nihil aliud movere poteſt ejus voluntatem, niſi ſua bonitas. Neque ad hoc ut aliquid ſit ratio alterius abſque cauſalitate, requiritur inter utrumque realis diſtinctio, ſed ſufficit diſtinctio rationis; nec etiam requiritur dependentia realis unius ab alio; ſic v. g. juxta Auctorem q. 10. a. 1. & ejus Interpretes immaterialitas eſt in Deo ratio æternitatis, non tamen cauſa proprie dicta; quia non diſtinguitur realiter ab æternitate, neque æternitas realiter ab illa dependet, cum utraque ſit una & eadem res ſimpliciſſima in Deo.

Itaque Deus vult & agit propter bonitatem ſuam, non quia illam deſiderat; quod enim deſideratur, nondum habetur; ſed quia illam perfecte amat; amor enim eſt etiam de præſenti; ex hoc autem, quod perfecte amet ſuam bonitatem, vult illam aliis communicari.

ARTICULUS III.

De modo emanationis rerum a Deo, qui dicitur creatio.

CREATIO poteſt ſumi tripliciter. (*Q. 45. a. 1, ad 1.*) 1. Late pro qualibet cujuſcumque rei productione, quo ſenſu Eccli. 2. dicitur de Sapientia, quod ſit ab initio creata. 2. Æquivoce pro elevatione ad ſuperiorem gradum, quo ſenſu quis dicitur creari Epiſcopus. 3. Stricte pro productione totius entis ex nihilo.

Pro quo obſervandum eſt præpoſitionem *Ex* non importare habitudinem cauſalitatis affirmativæ, quaſi nihilum ſit materia ejus rei, quæ producitur, ut cum dicitur; gladius fit ex ferro, ſed importare habitudinem cauſæ, quæ negatur, ita ut *ex nihilo*, idem ſit ac, *non ex aliquo*. Itaque creatio (*Ib. d. a.*) eſt emanatio totius entis a cauſa univerſali; ſicut enim emanatio particularis eſt ex non ente particulari, ut productio ignis ex non igne, ita emanatio univerſalis eſt omnino ex non ente, ac per conſequens ex nihilo.

Dico, Deus res in eſſe produxit ex nihilo; hoc eſt, creavit. (*Ibid. art. 2. a.*) Prob. 1. ex Script. Geneſ. 1. dicitur: *In principio creavit Deus cælum & terram*. 2. Machab. 7. *Peto nate, ut aſpicias ad cælum & terram & ad omnia, quæ in eis ſunt, ut intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus & hominum genus.*

Prob. 2. ex definitione Eccleſiæ in Concil. Later. ſub Innocentio III. ubi definitur, quod *Deus utramque de nihilo condidit creaturam ſpiritualem & corporalem, angelicam videlicet & mundanam*. Item in Symbolo Apoſtolorum: *Credimus in unum Deum .,. creatorem cœli & terræ.*

Prob. 3. duplici ratione. (*Ib.*) Prima, ſi Deus non feciſſet aliquid ex nihilo, debuiſſet omnia producere ex aliquo præſuppoſito, Falſum Conſequens. Ergo & Ant. Prob. Min. Si Deus non ageret niſi ex aliquo præſuppoſito, iſtud præſuppoſitum non eſſet ab ipſo cauſatum, ſicut cum artifex facit ſtatuam ex ligno, lignum non eſſet ab ipſo cauſatum: atqui falſum conſequens; tum quia Deus eſt cauſa univerſalis totius entis, ut conſtat ex Art. 1. tum quia ſi eſſet aliquod ens a Deo non cauſatum, eſſet ens a ſe, conſequenter Deus utpote ens infinite perfectum: a quo enim poſſet limitari in ſuis perfectionibus? Non ab alio, cum a nullo, nec ab ipſo Deo dependeret; non a ſe; cum enim eſſet ens neceſſarium, nullam a ſe perfectionem excluderet.

Secunda: Vel rebus, quas Deus produxit, aliquid præextitit, vel non. Si hoc ſecundum, habemus intentum. Si primum, cum non ſit procedere in infinitum, neceſſe eſt devenire ad aliquod primum, cui non præexiſtat aliud & tamen ſit factum a Deo, conſequenter factum ex nihilo.

Dices 1. Fuit apud antiquos Philoſophos communiter receptum hoc axioma: *Ex nihilo nihil fit*: Ergo. R. (*Ib. ad 1.*) hoc axioma verum eſſe de emanatione effectuum particularium a cauſis particularibus, quod tantum conſiderabant antiqui Philoſophi, non vero de emanatione ab univerſali principio.

Inſt. Inter ens & nihil eſt diſtantia infinita: Atqui infinita diſtantia eſt impertranſibilis. Ergo. R. D. Maj. (*Ib. ad 1.*) Inter ens & nihil eſt diſtantia infinita poſitive, N. Negative, C. Et ad hunc ſenſum diſtincta Min. N. Conſeq. Itaque inter ens & nihil non eſt diſtantia ſic poſitive infinita, quod ſit aliquod infinitum medium quod debeat pertranſiri, ſed ſic tantum quod non eſſe ſimpliciter tendat ad eſſe ſimpliciter. Porro ſicut fieri poteſt virtute finita ut a non eſſe ſecundum quid fiat tranſitus ad eſſe ſecundum quid, v. g. a non eſſe ignis ad eſſe ignis; ſic fieri poteſt virtute infinita, ut a non eſſe ſimpliciter fiat tranſitus ad eſſe ſimpliciter.

Urgebis. Quod fit, nondum factum eſt. Ergo fieri præcedit factum eſſe. Ergo debet aſſignari ſubjectum in quo ſuſtentetur ipſum fieri: Subſumo: Atqui in eo quod creatur non poteſt aſſignari ſubjectum, in quo ſuſtentetur fieri ſeu creari, cum ſit ex nihilo: Ergo non poteſt aliquid fieri ex nihilo. R. D. Ant. (*Ib. ad 3.*) Quod fit actione ſucceſſiva, nondum factum eſt, C. Actione inſtantanea, N. Sic v. g. dum aer illuminatur, eſt illuminatus, dum verbum in corde formatur, eſt formatum: Creatio autem eſt actio inſtantanea; ſique cum aliquid creatur creatum eſt, & terminus creationis eſt res creata ipſa creatione producta. Per quod præoccupatur altera inſtantia.

Dices 2. Sap. 11. Deus dicitur *creaſſe orbem terrarum*, hoc eſt mundum, *ex materia inviſa*; Ergo non ex nihilo. R. N. Conſeq. per *materiam inviſam*, græce informem, non intelligitur materia nudata omni forma, ſic enim exiſtere non poteſt, & Gen. 1. dicitur; *In principio Deus creavit cælum & terram*: ſed intelligitur corpus pro tunc inviſibile & informe; quia prima die antequam lux fieret, non erat aſpectabile, neque plantis, animalibus, hominibus, &c. erat ornatum. Senſus ergo Scripturæ eſt, quod ex hoc corpore ſeu materia informi Deus produxerit entia diſtincta, plantas, animalia, hominem, &c. Verum hanc materiam Deus ex alia materia non produxit, ſed ex nihilo, ut diſerte aſſerit Aug. infra citandus.

Hinc colliges Deum non omnia, ſtricte loquendo, creaſſe ſeu produxiſſe ex nihilo, ſi quidem & ex auctoritate citata, & ex cap. 1. Geneſ. conſtet ex priori materia plantas, animalia produxiſſe, atque hominum ex limo terræ formaſſe; item & quotidie multa producere non ex nihilo, ſed ex præſuppoſito ſubjecto; ſed tantum aliqua proprie creaſſe & creare, ut cœlum & terram, Angelos & animas rationales. Attamen aliquo ſenſu, non omnino improprio poſſet dici creaſſe ſeu feciſſe omnia ex nihilo, quatenus ea vel ſecundum ſe tota, vel ſecundum eorum partem intrinſecam & eſſentialem, nempe materiam, facit ex nihilo. Unde Aug. l. 1. de Geneſ. contra Manichæos c. 6. dicit: *Ideo Deus rectiſſime creditur omnia de nihilo feciſſe, quia etſi omnia formata de iſta materia facta ſint, ipſa tamen materia de omnino nihilo facta eſt*. Si vero creare ſumatur generaliter, prout idem eſt ac facere ſeu producere, conſtat ex Art. 1. Deum, hoc ſenſu, omnia creaſſe.

ARTICULUS IV.

Utrum ſit ſolius Dei creare.

DICO 1. Dogma fidei eſt ſolum Deum de facto creaſſe univerſum. Conſtat 1. ex variis locis Scripturæ. Geneſ. 1. legitur Deum univerſa creaſſe: Eccli. *Unus eſt altiſſimus Creator omnipotens*. Iſa. 44. *Ego ſum Dominus faciens omnia, extendens cœlos ſolus, ſtabiliens terram & nullus mecum*. Heb. 3. *Qui omnia creavit Deus*. In eundem ſenſum ſcribunt SS. Patres: Athanaſ. l. 3. cont. Arianos. Cyrillus Alex. l. 6. Theſauri c. 2. Aug. l. 3. de Trinit. c. 8. Damaſc. l. 2. de fide 3. Atque ita definitum eſt in Symbolo Apoſtolorum & in Concil. Lateran. ſub Innoc. III. de quibus Art. præced.

Dico 2. (*Ib. n. 5. a.*) Sic ſolius Dei eſt creare, ut nulla creatura poſſit eſſe cauſa principalis creandi. Prob. 1. (*Ib.*) Effectus univerſaliores debent reduci in cauſas univerſaliores. Atqui effectus creationis eſt univerſaliſſimus & ſolus Deus cauſa univerſaliſſima. Ergo. Min. pro 2. parte patet. Prob. 1. pars; Effectus creationis non eſt ens particulare, ſeu hoc vel illud ens ex aliquo præexiſtente, ſed eſt eſſe ſimpliciter & abſolute, ſeu ens ſecundum ſe totum, ſeu ſecundum omnia, quæ ad ejus rationem & eſſe ſubſtantiale pertinent. Ergo. 2. (*Ib. ad 2. & 3.*) Ad creandum principaliter requiritur virtus infinita. Atqui nullius creaturæ, ſed ſolius Dei virtus eſt aut eſſe poteſt infinita. Ergo. Min. conſtat. Prob. Maj. Tanto major requiritur virtus in agente ad producendam formam ex potentia, quanto magis eſt remota potentia & minores ſunt diſpoſitiones ad illam formam. Ergo ubi nulla eſt potentia, nullæ diſpoſitiones, ut in creatione, requiritur virtus infinita.

Dico 3. (*Ibid. a.*) Probabilius eſt creaturam non poſſe aſſumi ut cauſam etiam inſtrumentalem phyſicam creationis. Prob. (*Ib.*) De ratione cauſæ inſtrumentalis phyſicæ eſt, quod per actionem ſibi propriam (niſi ſit ipſamet actio) operetur diſpoſitive ad effectum cauſæ principalis, non quidem ſemper & neceſſario ex parte rei operatæ, quaſi debeat ſemper & neceſſario producere aliquam diſpoſitionem in ſubjecto, in quo recipitur effectus cauſæ principalis; id quidem contingit in inſtrumentis creaturarum, quæ adhibent inſtrumenta ex indigentia, non vero neceſſario in inſtrumentis Dei; poteſt enim, ut docet Auctor,

ctor, aſſumere actum immanentem, ut volitionem vel intellectionem in cauſam inſtrumentalem miraculi v. g. ſed ex parte modi operandi, modificando nempe per actionem propriam actionem cauſæ principalis, ut operetur modo cauſæ inferioris, ſicque cum illa & ex illa elevata attingat ejus effectum; ſi enim inſtrumentum ex ſe nihil ageret, ſed otioſum maneret, non eſſet in genere cauſæ, nec ideo inſtrumentum, ſed purum medium deferens influxum principalis agentis. Subſumo. Atqui nulla actio creaturæ poteſt concurrere etiam inſtrumentaliter ad creationem. Ergo. Prob. Subſumpt. Actio creaturæ cum ſit accidens, dependet a ſubjecto in eſſe & operari. Ergo ſi Deus agat ad modum illius & per eam attingat ſuum effectum, operabitur dependenter a præſuppoſito ſubjecto, quod repugnat creationi, quæ eſt ex nihilo. De hoc argumento latius in Phyſica Tract. de cauſis.

Petes utrum creare ſit proprium alicui perſonæ divinæ? R. (*Ibid. a. 6. o.*) non eſſe proprium alicui perſonæ, ſed toti Trinitati commune. 1. (*Ib.*) Quia omne agens agit ſibi ſimile, ſic ignis generat ignem: Atqui creare eſt producere eſſe rerum. Ergo creare convenit Deo ſecundum ſuum eſſe, quod eſt ſua eſſentia, quæ eſt communis tribus Perſonis. 2. Juxta commune axioma Theologicum, opera Divinitatis ad extra ſunt indiviſa & tribus Perſonis communia. 3. Potentia creans, ſapientia ſeu intellectus per quem creatur, affectio ſeu voluntas ex qua creatur, ſunt communes tribus Perſonis. Ergo.

Attamen quia potentia accommode tribuitur Patri, ſapientia Filio, amor Spiritui S., ideo in ſenſu accommodato tres Perſonæ dicuntur diverſimode creare: Pater dicitur Creator, Filius per quem creatur, Spiritus S. ex quo creatur.

ARTICULUS V.

Utrum mundus ſit unicus, & perfectus?

Dico 1. (*Hic q. 25. a. 5 & q. 47. a. 3.*) Sunt poſſibiles plures mundi, eſt tamen reipſa unicus. Prob. 1. pars. Unius mundi creatione non eſt exhauſta infinita Dei potentia. Ergo.

Dices cum Carteſianis. Mundus eſt indefinite extenſus. Ergo non ſunt plures mundi poſſibiles. Prob. Ant. Idea extenſionis & idea materiæ atque corporis ſunt una & eadem. Atqui indefinita eſt extenſio; concipe enim ultra mundum viſibilem, concipis extenſionem, conſequenter concipis materiam & corpus. Ergo. R. N. Ant. Ad probat. N. Maj. Alioquin ut arguebamus Art. 1. Confect. 5. Prob. 2. a ratione, ſequeretur, quod corpus ſeu materia eſſet æterna, increata, neceſſario a ſe exiſtens; ſic enim concipitur extenſio ſeu ſpatium. Inſuper corpus eſt naturaliter impenetrabile, ſecus extenſio.

2. Pars conſtat ex Scriptura, quæ unius dumtaxat mundi creationem commemorat, atque in eo omnia Dei opera contineri docet. Ita Geneſ. 2. *Complevit Deus die ſeptimo opus ſuum quod fecerat; & requievit ab omni opere quod patrarat.* Atque ita decebat, tum ut unitas opificis in unitate operis reluceret; (*Hic q. 47. art. 3.*) tum quia decet ſapientem artificem, opera ſua non diſſipata facere, ſed quantum fieri poteſt adunare & ordinare in unius artefacti conſenſum.

Dico 2. Mundus eſt perfectus. Intellige perfectionem non eſſentialem, ut eſt v. g. in homine conſtante corpore & anima, tanquam partibus eſſentialibus; non enim mundus eſt compoſitum ſubſtantiale, ſed aggregatum per accidens; ſed perfectionem accidentalem, quatenus eſt inſtructus omnibus neceſſariis & ſibi debitis ad ſuos fines, qui ſunt duo; unus proximus, ut ſcilicet ſit domicilium commodum & utile homini; alter ultimus, ſcilicet gloria Dei: ſpectanda eſt ergo perfectio mundi ſicut perfectio artefacti, puta ædificii, nempe ſecundum partes, illarumque ad invicem proportionem & diſpoſitionem ad conſequendum finem, ob quem conditus eſt: & hæc perfectio ut patet non conſiſtit in indiviſibili, ſed admittit latitudinem. His obſervatis,

Prob. Concluſio; 1. ex Scriptura Geneſ. 1. dicitur: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Deuter. 32. *Dei perfecta ſunt opera.* 2. Mundus eſt inſtructus omnibus ſibi neceſſariis & debitis ad conſequendos fines ſuos, ſcilicet utilitatem hominis & gloriam Dei. Enim vero 1. Naturæ, quibus conſtat, ſunt integræ & perfectæ; Deus enim & natura, ut fert commune adagium, non deficiunt in neceſſariis, nec abundant in ſuperfluis. 2. Eſt in eo mirabilis varietas rerum. 3. Pulcherrimus ordo tempeſtatum & dierum, ſapientiſſima inter hæc omnia coordinatio & ſubordinatio; nam non viventia ordinantur ad viventia, viventia vegetativa ad ſenſitiva, ſenſitiva ad hominem, homo ad Deum: ita ut ſi quædam in mundo ſecundum ſe conſiderata appareant minus perfecta & defectuoſa, conſiderata tamen in ordine ad concentum totius univerſi, ſint bona & perfecta: ſicut licet umbræ in imagine, ſecundum ſe conſideratæ, ſint defectuoſæ, conſideratæ tamen in ordine ad totam imaginem, cujus colores earum ope magis eluceſcunt, ſunt bonæ & utiles.

Dices 1. Mundus poteſt perfici, poteſt enim Deus creare in eo varias aliarum rerum ſpecies, virtutes in exiſtentibus augere, &c. Atqui quod poteſt perfici, eſt imperfectum. Ergo. R. D. Min. Quod poteſt perfici, eſt imperfectum poſitive vel negative, id eſt non habet omnem perfectionem poſſibilem ſibi debitam vel indebitam, C. Quod poteſt perfici, eſt imperfectum ſemper poſitive, ſic ut careat perfectione ſibi debita, N. Sic v. g. domus omnibus partibus neceſſariis inſtructa poteſt adhuc perfici additione alicujus ornamenti, non tamen antea erat imperfecta ſaltem poſitive; quia iſtud ornamentum non erat neceſſarium ad ejus perfectionem ſimpliciter conſideratam; ita mundus reſpectu perfectionis poſſibilis.

Dices 2. Plura ſunt in mundo, quæ imperfectionem arguunt. Ergo. Prob. Ant. 1. Plura ſunt inutilia in mundo, ut tot individua ad conſervationem ſpecierum, cum in paucioribus poſſent conſervari; imo multæ ſpecies inutiles, ut muſcæ, vermes, pulices, pediculi, &c. 2. Multa incongrua & indecora, ut monſtra & peccata. 3. Multa nociva, ut venena, intempeſtiva frigora, nimii æſtus, &c. Ergo. R. N. Ant. Ad 1. Prob. D. Sunt multa inutilia, hoc ſenſu quod ſine illis mundus foret adhuc perfectus, C. Hoc ſenſu quod illis poſitis mundus ſit imperfectus, N. Cum enim perfectio mundi, ut dixi, non conſiſtat in indiviſibili, ſed admittat latitudinem, poſſunt in eo plura eſſe, quorum neque præſentiam, neque abſentiam neceſſario exigat, quæ ſi ſunt, tamen conducunt ad ejus perfectionem, ut ad ejus locupletionem, varietatem, ornatum, & ad alios fines nobis ignotos. Ad 2. Prob. Cum natura tam in Phyſicis quam in moralibus ſit defectibilis ex hoc, quod ſit ex nihilo, proviſoris univerſalis eſt permittere, quod aliquando deficiat, tum ne multa bona deſint, ſi omnia mala impedirentur, tum ut oppoſitorum pulchritudo & integritas magis eluceſcat, ſicut pictor permittit umbras in imagine, ut magis eluceſcant colores; tum quia Deus ita potens eſt, ut ex malo eliciat bonum.

Id eleganter exponit S. Th. 1. 2. q. 22. a. 2. ad 2. *Dicendum, inquit, quod aliter de eo eſt, qui habet curam alicujus particularis, & de proviſore univerſali; quia proviſor particularis excludit defectum ab eo, qui ejus curæ ſubditur, quantum poteſt; ſed proviſor univerſalis permittit aliquem defectum in aliquo particulari accidere, ne impediatur bonum totius: unde corruptiones & defectus in rebus naturalibus dicuntur eſſe contra naturam particularem; ſed tamen ſunt de intentione naturæ univerſalis (Dei ſcilicet) in quantum defectus unius cedit in bonum alterius, vel etiam totius univerſi; nam corruptio unius eſt generatio alterius, per quam ſpecies conſervatur. Cum igitur Deus ſit univerſalis proviſor totius entis, ad ipſius providentiam pertinet, ut permittat quoſdam defectus eſſe in aliquibus particularibus rebus, ne impediatur bonum univerſi perfectum; ſi enim omnia mala impedirentur, multa bona deeſſent univerſo; non enim eſſet vita leonis, ſi non eſſet occiſio animalium, nec eſſet patientia Martyrum, ſi non eſſet perſecutio Tyrannorum: unde dicit Aug. in Enchirid. Deus omnipotens nullo modo ſineret malum aliquod eſſe in operibus ſuis, niſi adeo uſque eſſet omnipotens & bonus, ut bene faceret etiam de malo.* Hæc S. Th.

Ad 3. Prob. Quæ ſunt nociva ex una parte, ex altera ſunt utilia: ſic venena attemperata ſerviunt medicinæ, intempeſtiva frigora, nimii æſtus, licet per accidens noceant herbis, ſunt aliunde utilia animalibus, dum aerem purgant, & noxios humores conſumunt, &c.

ARTICULUS VI.

Utrum mundus ſit aut potuerit eſſe ab æterno?

Dico 1. De fide eſt mundum non eſſe ab æterno, ſed tempore productum. Eſt contra antiquos Philoſophos. Prob. 1. ex Scriptura. Prov. 8. de Sapientia æterna dicitur: *Deus poſſedit me ab initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret a principio .... Nondum erant abyſſi & ego jam concepta eram ... ante colles ego parturiebar, adhuc terram non fecerat & flumina & cardines orbis terræ.* Chriſtus Joan. 17. dicit Patri: *Clarifica me tu Pater apud temetipſum claritate, quam habui priuſquam mundus fieret:* & ſub fine ca. *Dilexiſti me ante mundi conſtitutionem.* Epheſ. 1. ait Apoſt. *Elegit nos ante mundi conſtitutionem.* Idem pluries alibi. Prob. 2. ex definitione Eccleſiæ in Concilio Later. jam ſæpe citato; refertur c. *firmiter* de ſumma Trin. in qua dicitur, quod *Deus ſua omnipotenti virtute ſimul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem & corporalem, Angelicam videlicet & mundanam.* 3. Suadetur ratione: non con-

Digitized by Google

congruebat mundum eſſe ab æterno. 1. Ut inde probaretur ſolum Deum eſſe æternum. 2. Ne daretur occaſio exiſtimandi mundum eſſe a ſeipſo. 3. Ne videretur Deum ex neceſſitate illum creaſſe.

Dices. Cujus actio eſt æterna, effectus eſt æternus. Atqui actio Dei, utpote ejus ſubſtantia, eſt æterna. Ergo. R. D. Maj. (*Hic q. 46. art. 1. ad 10.*) Cujus actio eſt æterna, eſt effectus æternus in agentibus neceſſariis, C. In agentibus liberis, N. In his enim effectus ſequitur ſecundum determinationem intellectus & imperium voluntatis; Deus autem libere condidit mundum; *operatur enim omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*. Epheſ. 1. Cætera argumenta require in Auctore loco citato in margine.

Quantum ad 2. partem tituli major eſt difficultas, pro qua nota, *res* in mundo duplicis eſſe generis. Quædam ſunt permanentes, quæ ſcilicet habent ſimul omnes ſuas partes & omnia neceſſaria ad eſſe, ut Angelus, anima rationalis, lapis, cœlum, &c. Aliæ ſunt ſucceſſivæ, quæ in quodam fluxu conſiſtunt, ut tempus, alteratio, augmentatio & alii motus. De utriſque eſt difficultas. Pro cujus reſolutione

Dico 2. Probabilius eſt mundum potuiſſe eſſe ab æterno quantum ad res permanentes. Prob. Non repugnat mundum quoad res permanentes potuiſſe eſſe ab æterno, neque ex parte Dei producentis, neque ex parte effectus producendi, neque ex parte ipſius actionis ſeu creationis: ergo ex nullo capite repugnat. Patet Conſequentia a ſufficienti enumeratione. Prob. Ant. pro 1. parte: non eſt minor Dei potentia ab æterno quam in tempore, nec minor cum libere agit, quam ſi neceſſario ageret: atqui potuit res permanentes producere in tempore, & ſi neceſſario egiſſet, ab æterno produxiſſet: ergo non repugnat ex parte Dei producentis, &c. Prob. Ant. pro 2. parte. 1. Quia creaturæ ſunt poſſibiles ab æterno, nec incipiunt eſſe poſſibiles in tempore. 2. Quia de facto ſunt creaturæ æternæ a parte poſt. 3. Tandem quia etſi æternitas per eſſentiam, qualis Deo competit, creaturæ repugnet, non tamen ipſi repugnat æternitas per participationem, quæ nihil aliud foret quam propria creaturæ duratio creatæ æternitati a parte ante coexiſtens. Ergo non repugnat ex parte effectus producendi. Prob. Ant. pro tertia parte: ſi foret repugnantia ex parte actionis productivæ, ex triplici potiſſimum capite oriretur. 1. Quia actio non præcederet ſuum effectum. 2. Quia non foret libera. 3. Quia non ſalvaretur ratio creationis, quæ eſt tranſitus de non eſſe ad eſſe: atqui nihil horum ſequitur: ergo. Prob. Min. Non primum: quia cum actio Dei ſit inſtantanea, non requiritur, quod tempore præcedat ſuum effectum, ſed natura tantum, ut patet in ſole, cujus actio, ſcilicet illuminatio, natura tantum, non tempore præcedit lucem, quia eſt inſtantanea. Non ſecundum; quia libera Dei determinatio, cum ſit ipſa Dei eſſentia, non in tempore, ſed ab æterno fit. Non tertium; quia ad creationem ſeu tranſitum de non eſſe ad eſſe non requiritur, quod non eſſe ſeu nihilum tempore præcedat creaturam, ita ut creatura per aliquod tempus ſit nihil, deinde tranſeat ad eſſe, ſed ſufficit, ſi nihilum ſeu non eſſe natura tantum præcedat creationem, ſic ut ex ſe, ſeu ex natura ſua, nihil ſit, & totum quod habet, a ſolo Deo habeat, ſine concurſu alicujus ſubjecti; ſic enim non eſſe natura præcedit eſſe; quia prius eſt natura id, quod eſt ex ſe, ſeu ex natura rei, quam id, quod eſt per aliud; atque hoc ſenſu concipitur tranſitus de non eſſe ad eſſe. Ergo. Adde, quod creatio proprie non ſit tranſitus de non eſſe ad eſſe; ſed, ut dixi, eſt totius rei productio ex nullo præſuppoſito ſubjecto: unde illa creationis notio, dum dicitur tranſitus de non eſſe ad eſſe, ſoli creationi temporali convenit.

Dico 3. Probabilius eſt mundum non potuiſſe eſſe ab æterno quantum ad res ſucceſſivas. Prob. 1. Si motus vel alias res ſucceſſiva potuiſſet eſſe ab æterno, fuiſſet ſimul ſucceſſiva & non ſucceſſiva. Hoc implicat. Ergo. Prob. Maj. Fuiſſet ſucceſſiva, ut ſupponitur; non fuiſſet ſucceſſiva, quia fuiſſet permanens: ergo. Prob. Ant. Quod permanet & durat infinita duratione abſque fluxu partis prioris deſinentis & poſterioris incipientis, eſt permanens. Atqui motus, vel ſaltem pars motus ab æterno creata cum re mobili, puta cum cœlo, duraſſet & permanſiſſet duratione infinita, ſcilicet æterna, & ut patet abſque fluxu partis prioris deſinentis & poſterioris incipientis. Ergo. Prob. 2. Si poſſet dari tempus ab æterno, poſſet dari infinitum actu. Hoc implicat. Ergo. Prob. Sequela: ſi tempus eſſet ab æterno, jam eſſent tranſactæ infinitæ partes temporis. Atqui in qualibet parte vel inſtanti potuiſſet creari unus Angelus vel una anima rationalis. Ergo jam darentur infiniti Angeli, aut infinitæ animæ actu, ſunt enim immortales. Ergo.

Atque hinc ſequitur motus & generationes aliarum rerum non potuiſſe eſſe ab æterno; ſicut enim animæ immortales naturaliter perſeverant, ſic Deus poſſet ſupernaturaliter conſervare alias formas, quæ ideo eſſent etiam tunc infinitæ actu. Adde, quod omnis generatio ſupponat prius duratione materiam ſub alia forma. Eſt enim generatio ex præſuppoſita materia; materia autem non potuit creari ſola, ſed ſub aliqua forma, cum ſine forma exiſtere non poſſit, ut probatur in Phyſica.

Solvuntur Objectiones contra 2. Concluſionem.

OBJ. 1. plures SS. Patrum auctoritates. S. Athanaſius Ep. ad Serapionem de Spiritu S. dicit: *Quemadmodum filius quia ſemper eſt, non eſt creatura, ita quoniam ſemper eſt Trinitas, nulla eſt in ea creatura, quapropter non eſt creatura Spiritus*. S. Aug. l. 8. de Geneſi ad Litt. c. 23. *Omnino incommutabilis eſt illa natura Trinitatis & ob hoc ita æterna, ut ei coæternum aliquid eſſe non poſſit*. S. Damaſcenus l. 1. de fide cap. 8. *Rei natura non patitur, ut quod ex non eſſe ad eſſe deducitur, coæternum ei ſit, quod ſine principio & ſemper eſt*. Ita plures alii. Imo inde probant contra Arianos Filium Dei non eſſe creaturam, quia eſt æternus, quod argumentum non concluderet, ſi etiam aliquæ creaturæ poſſent eſſe æternæ. R. (*Q. 3. de pot. art. 14. ad. 1.*) cum S. Th. SS. Patres intelligendos eſſe de æternitate per eſſentiam & ex omni parte indefectibili, quæ ſoli Deo competit, non vero de æternitate per participationem, quæ a Deo creaturæ ex ſe defectibili communicari poteſt. Unde etiam argumentum contra Arianos petitum ex æternitate Verbi recte concludit ipſum non eſſe creaturam; quia æternitas per eſſentiam, de qua loquebantur, nulli creaturæ convenire poteſt. Adde argumenta Patrum, ut plurimum procedere ex ſuppoſitione, quod creaturæ non ſint ab æterno, ut aperte traditur in Scripturis, quas admittebant Ariani.

Obj. 2. & ſimul inſt. Si creaturæ poſſent eſſe ab æterno æternitate etiam participata, non haberent principium. Atqui omne, quod creatur, habet principium. Ergo. R. D. Sequelam: non haberent principium durationis, C. Cauſalitatis & originis, N. Ad cujus ſenſum diſtincta Min. N. Conſeq. Sic ſi pes ab æterno fuiſſet in pulvere (eſt exemplum quo utitur Aug.) ab æterno cauſaſſet veſtigium: hoc veſtigium a calcante cauſatum fuiſſet, ut patet, ſicque haberet principium cauſalitatis ſeu productionis, non tamen haberet principium durationis. Non eſt ergo neceſſe, quod, ut aliquid dicatur creari, prius tempore non fuerit & poſtea in tempore incipiat, ſed ſufficit, quod ex ſe nihil ſit, & totum, quod habet, illud habeat a Creatore, ut dictum eſt in probatione Concluſionis.

Inſt. 1. Quod creatur, debet habere initium durationis. Ergo. Prob. Ant. Quod creatur, tranſit de non eſſe ad eſſe. Atqui quod tranſit de non eſſe ad eſſe debet prius non eſſe. Ergo. R. N. Ant. Ad prob. omiſſa Maj. D. Min. Quod tranſit de non eſſe ad eſſe debet prius non eſſe prioritate naturæ, C. Prioritate temporis, N. Amplior ſolutio habetur in probatione Concluſionis ſub finem.

Inſt. 2. Quod annihilatur, debet prius tempore fuiſſe. Ergo quod creatur, debet prius tempore non fuiſſe; oppoſitorum enim eſt oppoſita ratio. R. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod annihilare ſit deſtruere exiſtentiam rei, proindeque eam præſupponi: unde ſi res fuiſſet ab æterno annihilata, debuiſſet exiſtere ante æternitatem: creare vero eſt dare eſſe rei, quod non ſupponit neceſſario rem prius tempore non fuiſſe, ut patet ex præcedentibus Solutionibus & ex probatione Concluſionis. Ad Probat. Dico oppoſitorum oppoſitam eſſe rationem, quando ſumuntur ſub ea ratione, ſub qua ſunt oppoſita, ſecus autem quando ſumuntur ſub alia ratione. Porro creatio in hoc tantum opponitur annihilationi, quod creatio det eſſe, annihilatio vero deſtruat eſſe, non in eo quod præſupponant vel non præſupponant aliquod eſſe: ſic v. g. ex eo quod album ſit diſgregativum viſus, bene ſequitur, quod nigrum ſit congregativum viſus; quia in illa ratione album & nigrum opponuntur. Ex eo vero quod album ſit viſibile, non ſequitur, quod nigrum non ſit viſibile, quia in ratione viſibilis non opponuntur.

Inſt. 3. Ut aliquid ſit creatum, oportet quod aliquando fuerit verum dicere; *nunc creatur*. Atqui quod non habet principium durationis ſed eſt æternum, nunquam poteſt dici; *nunc creatur*. Ergo. R. N. Min. In hoc enim caſu fuiſſet verum dicere, ſemper mundus creatur, ſemper creabitur, ſemper creatus eſt, ſicut ſi pes ab æterno fuiſſet in pulvere, verum eſſet dicere; veſtigium ſemper imprimitur, ſemper imprimetur, ſemper impreſſum eſt.

Inferes. Ergo nullum fuiſſet diſcrimen inter creationem & conſervationem. Prob. Illatio: Creatio differt a conſervatione, quod creatio ſit prima rei productio, conſervatio autem ſit illius productionis continuatio: Atqui ſi mundus ſemper fuit creatus, nunquam fuiſſet prima ejus productio: Ergo.

R. N. Illationem. Ad probat. N. Maj. Nam creatio non in hoc differt a conſervatione, quod creatio ſit prima rei pro-

productio ; ſed in hoc quod quamvis utraque ſit eadem actio (unde communiter dicitur quod conſervatio ſit continuata productio) attamen illa unica actio prout dat eſſe, dicitur *creatio*, prout vero continuat idem eſſe per durationem ſive finitam ſive infinitam, dicitur *conſervatio*, quod diſcrimen ſtaret, ſi mundus eſſet ab æterno.

Obj. 3. Omnis cauſa debet eſſe prior ſuo effectu: Ergo nullus effectus poteſt eſſe æternus.

R. D. Maj. Omnis cauſa debet eſſe prior ſuo effectu prioritate naturæ, C. Prioritate temporis, N. Sic ſol non eſt prior tempore ſuo radio, ſed natura tantum, quamvis ſit ſolus effectus. Amplior ſolutio patet ex dictis.

Inſt. Saltem cauſa libera debet eſſe prior tempore ſuo effectu: Atqui Deus eſt cauſa libera mundi: Ergo. Prob. Maj. Cauſa libere agens, debet priuſquam agat, eſſe indifferens ad agendum & non agendum: Ergo.

R. N. Maj. Ad probat. D. Ant. Cauſa libere agens debet eſſe indifferens ad agendum & non agendum, priuſquam agat prioritate naturæ, C. Prioritate temporis, N. Non ergo requiritur ad libertatem præſertim perfectiſſimam & actualiſſimam, qualis competit Deo, ut aliquo tempore ante actionem maneat ſuſpenſa & indeterminata: Apage: Id prorſus repugnat ſummæ Dei perfectioni & actualitati; ſed ſufficit quod pro illo priori naturæ ad ſuam determinationem ſit indifferens, ita ut ſic ſe determinet & ſic agat quod potuerit ſe non determinare, nec agere.

Obj. 4. Si mundus eſſet ab æterno, Deus ab æterno illum conſervaſſet tota æternitate: Ergo tota æternitate non fuiſſet annihilabilis, quod eſt contra rationem creaturæ quæ eſt annihilabilis.

R. D. Conſequens: Ergo tota æternitate non fuiſſet annihilabilis ſecundum ſe, N. Ex hypotheſi quod Deus velit illam conſervare, C. Quod non eſt contra rationem creaturæ: ſic v. g. ſuppoſito quod Deus velit rem exiſtere tali hora, non poteſt, facta hac hypotheſi, illam rem tali hora deſtruere. Similiter ſi Deus velit mundum eſſe ab æterno, facta hac hypotheſi, non poteſt illum deſtruere ab æterno, poterit tamen poſt infinitam durationem annihilari in aliquo inſtanti temporis.

Obj. 5. S. Th. hic q. 46. art. 1. initio corporis dicit: *Nihil poteſt præter Deum ab æterno fuiſſe*: Ergo.

R. Licet ſic legatur in aliquibus Editionibus, in aliis tamen, ut in Duacenis legitur: *Nihil oportet præter Deum ab æterno fuiſſe*: & ſic legendum eſſe conſtat ex ſequentibus ibid dicit enim in ejuſdem articuli corpore: *Non eſt neceſſarium Deum velle, quod mundus fuerit ſemper*. Et poſtea: *Non eſt igitur neceſſarium mundum ſemper fuiſſe*.

Solvuntur Objectiones contra 3. Concluſionem.

OBJ. 1. S. Th. hic q. 46. a. 2. & q. 3. de potent. a. 148. docet mundum potuiſſe eſſe ab æterno. Ergo.

R. D. Ant. Docet mundum potuiſſe eſſe ab æterno quantum ad aliqua ſcilicet permanentia, C. Quantum ad omnia etiam ſucceſſiva; N.

Inſt. Etiam quoad ſucceſſiva. Prob. Ant. S. Th. tenet mundum fuiſſe ab æterno eo modo quo tenuit Ariſtoteles: atqui Ariſtoteles tenuit mundum eſſe ab æterno etiam quoad ſucceſſiva: Ergo. Prob. Maj. S. Th. præſertim hic ſolvit rationes eorum, qui contra Ariſtotelem contendebant mundum non eſſe ab æterno. Ergo. R. 1. N. Ant. Ad probat. N. Maj. Ad prob. N. Ant. univerſaliter ſumptum. Non enim ſolvit ultimum argumentum de infinitate animarum, ſi darentur generationes hominum ab æterno, ſed inſolutum relinquit & ſic concludit: *Conſiderandum tamen eſt quod hæc ratio particularis eſt; unde poſſet dicere aliquis quod mundus fuit æternus vel ſaltem aliqua creatura, ut Angelus, non autem homo: Nos autem intendimus univerſaliter an aliqua creatura fuerit ab æterno*. Ex quo patet mentem S. Thomæ non eſſe quod omnia potuerint eſſe ab æterno, ſed tantum aliqua, ut Angelus, quod fatemur; & alia non potuiſſe, ſcilicet ſucceſſiva, ut ſunt generationes hominum, in quo recedit ab Ariſtotele. R. 2. D. ultimum Ant. Solvit rationes eorum, qui contra Ariſtotelem contendebant mundum non potuiſſe eſſe ab æterno, ut non plene demonſtrativas, C. ut minus probabiles, N. Ratio ſolutionis eſt, quia S. Th. in hac parte agit contra quoſdam ſui temporis Philoſophos, qui contendebant poſſe independenter a revelatione rationibus naturalibus evidenter demonſtrare infidelibus mundum non fuiſſe ab æterno, ſed incepiſſe in tempore, quibus contradicit S. Doctor, docendo in hoc articulo, mundi creationem factam in tempore eſſe tantum credibilem & non evidenter demonſtrabilem. *Et hoc utile eſt ut conſideretur*, inquit in fine corp. *ne forte aliquis quod fidei eſt demonſtrare præſumens, rationes non neceſſarias inducat, quæ præbeant materiam irridendi infidelibus exiſtimantibus nos propter hujuſmodi rationes credere quæ fidei ſunt*. Nos vero non contendimus rationes noſtras eſſe demonſtrativas, ſed tantum probabiles & oppoſitis probabiliores: unde nihil contra nos ex D. Th.

Obj. 2. Potuit produci ab æterno ignis applicatus ſtupæ. Atqui ignis applicatus ſtupæ ſtatim illam combureret. Ergo. Prob. Min. Nihil deeſt ad Combuſtionem. Ergo. R. N. Min. Ad Prob. D. Ant. Nihil deeſt ad combuſtionem in tempore, C. Ad combuſtionem ab æterno, N. Non itaque ille ignis combureret ſtupam niſi poſt durationem infinitam, tum quia pars motus qua cum ignis ille crearetur deberet durare duratione infinita ſine tranſitu & deſitione, ſicque non eſſet motus, ſed res permanens; tum quia ſtupa ab æterno creata & ab æterno conſervata non poſſet ab æterno comburi & corrumpi, alias ab æterno foret & non foret. Potuiſſet ergo ſtupa comburi prius & prius in infinitum ſincategorematice.

Inſt. Si ſol ab æterno eſſet, ab æterno illuminaret. Ergo ſimiliter ſi ignis ab æterno eſſet applicatus ſtupæ, ab æterno illam combureret. R. N. Conſeq. Diſparitas eſt quod illuminatio ſit motus inſtantaneus, combuſtio vero ſucceſſivus.

Obj. 3. Homo potuit eſſe ab æterno. Ergo & motus cordis. Patet Conſeq. Quia motus cordis eſt neceſſarius homini. R. omiſſa Maj. quam ex principiis poſitis non tenemur admittere, ſuppoſito quod homo neceſſario motum cordis involvat, N. Conſ. Ad Prob. D. Ant. Motus cordis eſt neceſſarius homini ad vitam qualem nunc habemus, C. Qualem tunc habuiſſet homo, N. Si namque Deus decreviſſet creare hominem ab æterno, illum feciſſet talem qualem exigit ille ſtatus, liberum ſcilicet a defectibus qui æternitati repugnant, qualis eſt alteratio & motus cordis. Neque eſt quod mireris, ſimile quid enim contingit naturaliter: ſic reſpiratio non eſt minus neceſſaria homini quam motus cordis, & tamen infans in utero matris vivit abſque reſpiratione, quia huic ſtatui non convenit.

Obj. 4. Motus & tempus poſſunt eſſe æterna a parte poſt. Ergo a parte ante. R. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod æternum a parte poſt non ſit æternum duratione infinita actu, ſed potentia tantum & ſincategorematice; æternum autem a parte ante foret æternum duratione infinita actu & categorematice.

ARTICULUS VII.

Quo anni tempore mundus fuerit creatus?

PLURES præſertim Recentiores non improbabiliter cenſent mundum incepiſſe ab Autumno; attamen Dico: Probabilius eſt mundum fuiſſe conditum verno tempore, ſeu menſe Martio.

Cum de hoc facto Scriptura ſileat, non niſi Traditione & quibuſdam congruentiis probari poteſt. Itaque Prob. ex communi Sententia SS. Patrum; ſic enim tenent Ambroſius L. 1. in Hexameron. Cyrillus Jeroſol. Catech. 14. Gregorius Nazian. Orat. de Nativit. Domini. Theodoretus q. 12. in Exod. Leo Magnus Serm. de Paſſ. Damaſcenus L. 2. c. 5. & alii plures, qui veriſimiliter id acceperunt per Traditionem.

Suadetur congruentiis. 1. Congruum erat, ut primus & ſecundus Adam, ſcilicet Chriſtus, eodem tempore formarentur, eodemque tempore mundus repararetur quo fuit conditus: Chriſtus autem tempore verno conceptus fuit & paſſione ſua mundum redemit. 2. Congruum erat, ut mundus inciperet tempore totius anni amœniſſimo & plantarum germinationi aptiſſimo; unde dicitur: *Germinet terra herbam virentem*: hoc autem eſt Ver & non Autumnus, non enim in Autumno herbæ vireſcunt, ſed marceſcunt.

Dices 1. Initio mundi fructus arborum erant maturi. Atqui non ſunt maturi Vere, ſed Autumno. Ergo. R. in Regionibus calidioribus, qualis eſt Palæſtina, multos arborum fructus eſſe maturos tempore verno; conſtat enim ex Levit. 4. Iſraelitis mandatum fuiſſe offerre manipulum ſpicarum ſecundo die azymorum, qui celebrabatur Vere. Et Exod. 13. menſis, in quo egreſſi ſunt de Ægypto, qui erat etiam Martius, conformiter ad feſtum Azymorum dicitur *menſis novarum frugum*.

Dices 2. Hebræi ducebant initium anni ab Autumno, quod veriſimile eſt eos accepiſſe a Patribus ſuis & hos ab Adamo. Ergo. Prob. Ant. Feſtum Tabernaculorum, quod celebrabatur menſe, qui poſtea dictus eſt ſeptimus, & correſpondet partim noſtro Septembri, partim Octobri dicitur Exod. 23. celebrari *in exitu anni*, quando congregatæ ſunt omnes fruges de agro; ſi autem tunc erat exitus anni, erat conſequenter initium ſequentis. Ergo. Item Exod. 12. ubi agitur de menſe deſtinato ad immolationem agni, qui erat Martius, ſic ſtatuit Moyſes: *Menſis iſte vobis principium menſium, primus erit in menſibus anni*. Ergo antea non erat, alioquin inutile fuiſſet ſtatuere, ut deinceps eſſet primus. R. nullo argumento poſſe probari Hebræos, antequam deſcenderent in Ægyptum, ſuos annos ab Autumno computaſſe. Equidem verum eſt, quod ex quo fuerunt in Ægypto ſecuti ſint conſuetudinem Ægyptiorum, qui ſic annos ſuos computabant, eamque

conſuetudinem ; poſtquam egreſſi ſunt de Ægypto, retinuerit quoad annos civiles, Nundinationibus & Contractibus ſervientes; ſed quantum ad res ſacras, eos Moyſes revocavit ad primævam computationem a Verno tempore, ut patet ex c. 12. etiam citato ibidem, ubi menſis qui dicitur *Exitus anni*, poſtea dictus eſt ſeptimus.

Si quæras, qua de cauſa Ægyptii & alii populi Orientales initium anni ducerent ab Autumno? R. quia id tempus erat commodius Agricolis & pecuariis, quales erant fere omnes, ad Contractus civiles: Collectis enim frugibus, eiſque venditis, atque inde collectis pecuniis, commode contractus venditionum, locationum, emptionum, & alios celebrabant.

Inſt. Menſis, quo incepit diluvium, dicitur ſecundus Gen. c. 7. Atqui ſecundum Joſephum l. 1. Antiquit. incepit diluvium in Autumno, Ergo. R. ad Min. ita quidem ſentire Joſephum, ſed S. Ambroſ. l. 1. de Arca c. 14. Rupertus l. 4. in Geneſ. c. 25. & alii docent diluvium incepiſſe verno, & menſem ſecundum fuiſſe, qui Majo noſtro ſaltem quoad poſteriorem ſuam partem reſpondet, non Octobrem, qui Exod. 24. dicitur ſeptimus. Hancque rationem afferunt, ut ſcilicet Deus manifeſte oſtendat aquas diluvii non eſſe naturales ex imbribus ſive Autumnalibus, ſive Hiemalibus, ſed ex ſpeciali Dei providentia in majorem vindictam peccatorum, quos exterminare voluit tempore anni amœniſſimo, quo nonniſi proſpera & læta expectabant.

Petes, a quo tempore mundus ſit conditus? R. numerando ſecundum communiorem nunc Sententiam annos 4000. a creatione mundi ad Nativitatem Chriſti, dicendum eſt, a mundo condito effluxiſſe annos 5755. annos, cum hæc ſcribimus.

DISSERTATIO II.

DE SEX DIEBUS CREATIONIS MUNDI, NECNON DE REBUS QUÆ IN UNOQUOQUE DIE CREATÆ SUNT.

ARTICULUS I.

Utrum ſex dies creationis ſint reales?

MOYSES cap. 1. Geneſ. narrat Deum ſex dierum ſpatio mundum creaſſe. Quæſtio eſt, quomodo iſti dies ſint intelligendi? an realiter pro ſpatio 24. horarum, an figurate pro diverſis cognitionibus Angelorum?

Auguſtinus, in Libris de Gen. ad Lit. eos accipit figurate ſecundum diverſas cognitiones Angelorum, diverſitate petita non ex parte cognitionis, ſed ex parte objectorum, docetque S. Doctor Deum mundum uno die, imo uno inſtanti creaſſe. Tum dividit omnes res creatas in ſex genera juxta ſex dies numeratos a Moyſe, quorum Deus cognitionem impreſſit menti Angelicæ: Angelus autem cognovit primum genus rerum in ſemetipſis, & vocat Aug. hanc cognitionem veſpertinam: deinde cognovit in Verbo; & hanc cognitionem vocat matutinam; quia res clarius cognoſcuntur in Verbo, quam in ſeipſis. Atque, inquit, *ſic factum eſt veſpere & mane dies unus*; & ſic de cæteris.

Verum intelligit quædam tantum ſecundum ſpeciem eſſe actu producta uno die, ſcilicet cœlum, terram, ſolem, lunam, firmamentum, & alia, ſi quæ ſint facta ex nihilo; cætera autem, quæ ſunt ex materia præjacente, ut herbas, animalia, hominem quoad corpus, &c. eodem die facta eſſe, non quidem ſecundum ſpeciem actu diſtincta, ſed tantum in ſemine ſeu potentia; vel ut alii dicunt, ſecundum ſubſtantiam. Quatenus vero diſtincta ſunt ſecundum ſpeciem, producta eſſe poſtea decurſu temporis, ſicut ea, quæ Deus quotidie nunc producit. Sola ergo facta ex nihilo, & alia facta in ſemine ſeu potentia intelligenda ſunt, in Sententia Aug. ſecundum dies inviſibiles, ſeu cognitiones Angelorum: facta autem ex materia ſecundum ſpeciem intelligenda ſunt ſecundum dies naturales extra ſex dies aſſignatos a Moyſe. Vide D. Th. hic q. 74. a. 2. cum Commentariis Cajetani & Berti l. 11. c. 5.

Cæterum quamvis hæc Sententia videatur eſſe Auguſtini in libris cit. de Gen. ad Litt. non conſtat tamen illum in ea firmiter ſtetiſſe, partim quia l. 2. Retract. c. 14. dicit, quod in Libris de Gen. ad lit. *plura quæſita quam inventa ſunt, & eorum quæ inventa ſunt, pauciora firmata*. Partim & præcipue lib. de catech. rudibus c. 17. poſtquam dixiſſet Deum ſex diebus cœlum & terram, & omnia, quæ in eis ſunt, creaſſe, addit: *Poterat enim omnipotens & uno momento temporis omnia facere*. Quibus verbis aperte ſignificat Deum quidem potuiſſe uno inſtanti omnia facere, voluiſſe tamen ſex diebus realibus facere, & ſeptimo requieviſſe.

Cæteri autem SS. Patres communiter intelligunt ſex dies naturales. Quartum ad S. Th. neutram Sententiam improbat hic a. 2. quem ſic concludit: *Ut igitur neutri Sententiæ præjudicetur, utriuſque rationibus reſpondendum eſt*. Et q. 4. de Pot. t. 2. dicit Sententiam Aug. *eſſe ſubtiliorem, aliorum vero Sanctorum eſſe planiorem, & verbis Litteræ, ſaltem quantum ad ſuperficiem, magis conformem, neutram tamen a verbis fidei diſcordare*. His notatis,

Dico ſex dies creationis mundi ſunt reales viginti quatuor horarum. Prob. 1. ex contextu Scripturæ. Geneſ. 1. Moyſes narrat Deum ſex diebus feciſſe cœlum & terram, ſolem, &c. Atqui per cœlum intelligitur id, quod hoc nomen proprie & communiter ſignificat, nempe verum & reale cœlum, per terram vera & realis terra, per ſolem verus & realis ſol. Ergo per ſex dies diverſos dies veri & naturales. A pari; vel afferant Adverſarii rationem diſparitatis.

Confir. 1. Scriptura ſacra debet intelligi in ſenſu proprio & litterali, ſi inde non ſequatur abſurdum. Atqui ſex dies diverſos expreſſe numerat Scriptura; & ſi intelligantur ſex dies naturales, nullum ſequitur abſurdum. Ergo. Reſpondet Berti explicationem Aug. eſſe litteralem, non figuratam & myſticam. Sed contra. Conſulas Scriptor Auguſtinianus omnia vocabularia ſeu Dictionaria, in quibus habetur litteralis & propria ſignificatio verborum; fallor, ſi in aliquo reperiat diem ſignificare proprie & litteraliter cognitionem Angelicam. Equidem S. Th. hic q. 67. a. 1. ubi dicit hoc vocabulum *Lux* ſecundum impoſitionem dici tantum proprie de corporalibus, concedit quod, ſecundum uſum communem, dicatur etiam proprie de ſpiritualibus; at neque ipſe, neque ullus alius, ut puto, dixit diem ſecundum uſum communem dici proprie & litteraliter de cognitione angelica. Neque obſtat, quod refert Berti ex Aug. l. 4. de Gen. ad Litt. c. 8. in quo S. Doctor dicit: *Ubi ergo melior & certior lux, ibi etiam verior dies*. Verus quidem dies quia perfectione excedit diem naturalem, at non proprius dies. Sicut Joan. 15. Chriſtus dicitur *vitis vera*, quatenus nobilius influit in palmites ſuos homines, quam vitis naturalis; at non ideo eſt vitis propria. Confir. 2. Moyſes contexuit hiſtoriam creationis mundi principaliter pro Populo Judaico. Ergo veriſimile eſt, quod per ſex dies intellexerit, non cognitiones angelicas, quæ a Populo rudi & ſimplici intelligi non poterant, ſed dies naturales, qui facile intelliguntur, ſicut per cœlum & terram intellexit cœlum naturale & terram naturalem, ut jam dictum eſt.

Prob. 2. Deus Exod. 20. condens legem de obſervando Sabbato, hanc rationem adjicit: *Sex enim diebus fecit Deus cœlum & terram & mare & omnia, quæ in eis ſunt, & requievit die ſeptimo*; quaſi diceret: Sicut Deus ſex diebus operatus eſt & ſeptimo ceſſavit ab opere, ſic vobis permittitur operari ſex diebus, ſed ſeptimo debetis ab operibus ceſſare. Atqui hæc ratio nullius foret ponderis, ſi non ſex diebus naturalibus, ſed uno tantum Deus omnia creaſſet: quæ enim conſecutio: Sicut Deus uno die operatus eſt, ſic vos ſex diebus poteritis operari, & ſicut ſecundo die naturali ceſſavit ab opere, ſic vos ſeptimo die debetis ceſſare ab opere?

Reſpondet Berti, quod quemadmodum Sabbatum & requies, qua Deus ceſſavit a creatione univerſi longe differt a Sabbato & requie, in qua Hebræi ceſſant ab omni opere ſervili, ita ſex dies, quibus mundum Deus molitus eſt, diſcrepant a diebus hebdomadalibus, de quibus legimus in Exodo, ſex diebus facietis opus. Sed contra: 1. Hac reſponſione non ſolvitur argumentum, ſed firmatur; hoc ipſo enim quo non intelligis dies creationis proprie & naturaliter, nulla eſt ratio Scripturæ in permittendis operibus ſex diebus & in prohibendis ſeptima die. 2. Sabbatum ſeu requies, tam in Deo quam in homine eodem modo ſumitur, nempe pro ceſſatione ab opere, ſive præceſſerit labor aut defatigatio, ſive non. Ergo etiam ſex dies debent eodem modo ſumi tam in Deo quam in homine pro ſex diebus hebdomadalibus. Vide Auctorem infra q. 73. a. 2.

Prob. 3. Juxta communem Patrum & Eccleſiæ ſenſum, Mundus incepit die Dominica: unde Eccleſia in Hymno ad Matutinum diei Dominicæ cantat: *Primo die omnium quo mundus extat conditus, vel quo reſurgens conditor, nos morte victa liberat*. Si ergo Deus omnia uno die creavit, requievit ab omni ſuo opere feria 2. & non Sabbato ſeu die ſeptima, quod eſt contra Scripturam.

Prob. 4. ab inconvenientibus. Si Deus omnia uno die, imo uno inſtanti creavit, ſimul fuerunt lux & tenebræ,

quæ

aquæ ſimul confuſæ & diviſæ, terra aquis ſimul cooperta & diſcooperta, &c.

Solvuntur Objectiones.

OBj. 1. cum Laurentio Berti. Poſtquam Moyſes c. 1. Geneſ. rerum aſpectabilium creationem ſex diebus peractam eſſe narravit, c. 2. dicit: *Iſtæ* ſunt generationes cæli & terræ quando creata ſunt in die, quo fecit Dominus cœlum & terram & virgultum agri, antequam oriretur in terra, omnemque herbam Regionis, antequam germinaret. Ergo omnes generationes a Moyſe ſuperius enarratæ ſpectant ad unum eundemque diem, neque ſpatium temporis interfuit inter diem primam, in qua creavit Deus cœlum & terram, & diem tertiam, in qua fuerunt producta germina & ligna. R. N. Conſ. 1. Quia per diem, in textu citato, intelligitur tempus, ſecundum uſum non infrequentem Scripturæ, ut cum Num. 7. dicitur; *Hæc in Dedicatione Altaris oblata ſunt a Principibus Iſrael in die, qua conſecratum eſt*; ubi ponitur pro tempore, ſi quidem ex capite præcedenti conſtet hæc oblata fuiſſe, non una die, ſed 12. diebus, ſecundum numerum Tribuum Iſrael, atque per hoc evaneſcit Inſtantia Berti, qui dicit, quod apud Hebræos, cum dies deſignat tempus, ponatur in plurali numero, cujus contrarium hic patet. 2. Quia dato per diem c. 2. Geneſ. intelligi verum propriumque diem, & non tempus ex pluribus diebus conflatum, ſenſus eſt, quod Deus hac die fecerit virgultum & herbam in ſemine & quoad ſubſtantiam, & non quoad ſpeciem diſtinctam; unde dicitur virgultum antequam oriretur & herba antequam germinaret; una enim die Deus creavit omnem ſubſtantiam viſibilem & corpoream, ex qua ſequentibus diebus aſtra, plantas, & alia formavit. Hæc ſolutio eſt S. Gregorii l. 32. moral.

Obj. 2. cum eodem. Solem Deus condidit quarta die. Atqui ex luce ſolis dies naturalis conſtituitur. Ergo tres dies priores non fuerunt naturales. R. D. Maj. (*Q. 67. a. 4. ad 3. & q. 70. a. 1. ad 1.*) Solem Deus condidit 4. die quoad perfectiones accidentales, C. Quoad eſſentiam, N. Et ad hunc ſenſum diſtincta Min. N. Conſ. Itaque lux prima die creata erat lux ſolis, ſed informis & imperfecta ad modum auroræ ſeu crepuſculi; quæ tamen motu ſuo circirculari cum corpore cœleſti diſtinxit diem ac noctem. Quarta autem die aucta eſt & perfecta lux ſolis, eique collata eſt virtus ad proprios effectus, ſecundum quod videmus alios eſſe effectus radiorum Solis, alios radiorum Lunæ. Item eadem 4. die Sol & alia luminaria poſita ſunt in ſigna & tempora & dies & annos. Pro quo

Obſervandum eſt, quod eſt duplex motus in cœlo: unus communis toti cælo, qui facit diem ac noctem, & iſte videtur inſtitutus prima diei alius (*Ib. q. 67. & q. 70. a. 2. ad 2.*) autem eſt, qui diverſificatur per diverſa corpora, ſecundum quos motus fit diverſitas dierum ad invicem & menſium & annorum, puta quatenus dies eſt calidior die, annus anno, tempore. Et ideo prima die fit mentio de ſola diſtinctione noctis & diei, quæ fit per motum communem cæli. Quarta autem die fit inſuper mentio de diverſitate dierum & annorum & temporum, cum dicitur: *Et ſint in tempora, & dies, & annos*; quæ quidem diverſitas per motus proprios.

Inſt. Dicitur quarta die; fiant luminaria in firmamento cœli, & divident diem ac noctem. Ergo antea non dividebant. R. D. Conſ. Ergo antea non dividebant tam clare & perfecte, C. Abſolute, N. Cum itaque quarta die ſit aucta & perfecta lux luminarium cœleſtium, & perfectius dividerent diem ac noctem, ideo conjungitur hic effectus cum aliis novis effectibus ex motu cuique proprio cauſatis.

Obj. 3. cum eodem illud vulgatiſſimum Eccl. 18. *Qui vivit in æternum, creavit omnia ſimul.* Ergo non plurium dierum intervallo. R. N. Conſ. quia To *ſimul* non ſignificat ſimultatem temporis, ſed *communiter, pariter, æque*, ita ut ſenſus ſit, quod Deus creaverit omnia pariter nullo excepto, quod Joan. 1. exprimitur his verbis; *omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil*. Hæc interpretatio fundatur tum in textu græco, in quo vox *koini*, pro qua Vulgata habet ſimul, ſignificat *communiter & pariter*, tum in uſu Scripturæ, quæ non infrequenter uſurpat *ſimul* pro *communiter & pariter*; ſic Pſ. 48. *ſimul*, id eſt pariter, *inſipiens & ſtultus peribunt*. Pſ. 13. *Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt*: & alibi ſæpe, ſive quia ſpatium ſex dierum attenta tanta multitudine & dignitate rerum productarum poteſt accipi pro uno temporis puncto; ſive tandem juxta S. Gregorium jam citatum, Deus ſimul, ſeu una die creavit omnia in ſemine & quoad ſubſtantiam, non quantum ad ſpecies diſtinctas; quia prima die univerſam corporalem ſubſtantium creavit, ex qua ſequentibus diebus produxit plantas, animalia, &c.

Inſtat Berti contra 1. explicationem. Theologi, ut plurimum, probant Angelos eſſe prima die creatos, ex cap. *Firmiter* de ſum. Trinit. ubi dicitur Deum *ſimul ab initio temporis utramque de nihilo condidiſſe naturam ſpiritualem & corporalem, Angelicam videlicet & mundanam*. Ergo ſimiliter verba Eccl. *creavit omnia ſimul* probant omnia eadem die creaſſe. R. N. Conſ. Diſparitas eſt, quod *ſimul* junctum *ab initio temporis* in cap. *Firmiter* ſignificet primam diem, non vero *ſimul* ſimpliciter poſitum in textu Scripturæ.

Obj. 4. Job. 40. dicitur: *Ecce Behemot quem feci tecum*, Per Behemot intelligitur Diabolus. Ergo diabolus & homines facti ſunt eadem die. Subſumo. Atqui Diabolus factus eſt prima die, homo ſexta. Ergo prima & ſexta dies ſunt una dies. R. 1. Behemot juxta 70. Interpretes ſignificare Beſtias: Unde vertunt: *Ecce Beſtias apud te*. Cum autem ibi ſit ſermo de aliqua Beſtia in particulari, communiter intelligitur Elephas, qui ibidem dicitur; *Principium viarum Domini*, id eſt habens aliquem Principatum ſeu primatum inter alias Beſtias ob corporis proceritatem, fortitudinem, & docilitatem, quo ſenſu Jacobi 1. de nobis dicitur: *Ut ſimus initium aliquod creaturæ ejus*, ideſt ut excellentiam aliquam obtineamus inter ejus creaturas. Beſtiæ autem & homo fuerunt creari eadem die, ſcilicet ſexta. R. 2. Dato per *Behemot* intelligi myſtice Diabolum, ſenſus eſt *quem feci tecum*, id eſt eodem ferme tempore: *Tecum* enim non importat neceſſario omnimodam ſimultatem, ſed poteſt ſignificare ſimultatem iſtius ſpatii ſex dierum, juxta quo Deus omnia creavit, ita ut ſenſus ſit Diabolum fuiſſe creatum cum homine; quia non diu ante illum fuit creatus, ſed in eodem illo ſpatio ſex dierum, quod Deus omnia creavit. Poſſet etiam dici ſenſum eſſe; *Quem feci æque ac te*: unde Vatablus vertit: *Ecce quæſo te, ut Elephas quem æque ac te condidi*.

Quædam alia objici poſſent, quæ ex dicendis circa opera ſingulorum dierum ſolventur.

ARTICULUS III.

De opere primæ diei.

OPus primæ diei ſic narrat Moyſes Geneſ. cap. 1. *In principio creavit Deus cælum & terram: Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem Abyſſi, & Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas. Dixit Deus, fiat lux, & facta eſt lux. Et vidit Deus lucem quod eſſet bona, & diviſit lucem a tenebris, appellavitque lucem diem, & tenebras noctem. Factum eſt veſpere & mane dies unus*. Conſtat ergo ex hoc textu, cœlum, terram, aquas, & lucem prima die eſſe creata.

Petes 1. Quid nomine cœli & terræ intelligatur? R. nomine cœli, juxta plures tum Patres cum Interpretes intelligi ſolum cœlum ſupremum ſeu empyreum cum omnibus ſuis ornamentis, ut eſſet ſedes Angelorum eodem die creatorum & cæterorum Beatorum. Juxta alios, cum cœlo empyreo intelliguntur omnes orbes cœleſtes, informes tamen & imperfecti, imo & ipſe aer, qui pluries in Scripturis dicitur cælum, ut dicam infra. Utraque ſententia, ſalvo Scripturæ ſenſu, ſuſtineri poteſt. Nomine terræ intelligitur ipſa terra informis & vacua, aquis involuta, cum duobus aliis elementis igne & aere, ſi aer non intelligatur nomine cœli, juxta illud Exod. 20. *Sex diebus fecit Dominas cœlum & terram & mare, & omnia quæ in eis ſunt*: nullus autem ex ſex diebus præter primum convenientior eſt creationi aeris, & ignis, qui ſunt rerum primordia & elementa.

Petes 2. Quid intelligatur nomine *Spiritus*, qui ferebatur ſuper aquas? R. ſecundum quoſdam erat ventus validus aquas commovens. Secundum alios erat vis quædam vitalis, qua omnia ſenſibilia producerentur. Secundum alios & communius erat Spiritus ſanctus, qui ferebatur ſuper aquas, non loco aut motu, ſed præcellente potentia; ſicut, inquit Aug. l. 1. de Geneſ. ad litt. c. 7. *Voluntas & idea artificis ſuperfertur rebus fabricandis*. Hac ergo potentia & voluntate aquis & terræ incubabat Spiritus ſanctus, eiſque vim prolificam conferebat ut animalia & gramina producerent.

Petes 3. Quid intelligatur nomine lucis? R. intelligi omnia corpora lucida, ſcilicet, planetas & ſtellas, informia & imperfecta, quæ Deus quarta die diſtinxit & perfecit, ut dictum eſt articulo præcedente.

Petes 4. Quid intelligatur per hanc Dei vocem, *fiat lux*? R. non intelligi ſonum articulatum, ſeu verbum oris, quod fuiſſet prorſus inutile; ſed verbum mentis, non notionale, ſed eſſentiale & commune tribus Perſonis, quo Deus concepit, decrevit, imperavit, & imperando re ipſa lucem produxit. Similiter de aliis creatis.

Angelos etiam prima die fuiſſe creatos ſub nomine cœli vel lucis: & quare Moyſes eorum creationem aperte non expreſſerit, dixi in Tract. de Angelis Diſſ. 1. Art. 1.

ARTICULUS III.

De opere ſecundæ diei.

SIC opus ſecundæ diei refertur ibidem : *Dixit quoque Deus , fiat firmamentum in medio aquarum , & dividat aquas ab aquis : & fecit Deus firmamentum , diviſitque aquas quæ erant ſub firmamento , ab his quæ erant ſuper firmamentum. Et factum eſt ita ; vocavitque Deus firmamentum cœlum. Et factum eſt veſpere & mane dies ſecundus.*

Difficultas eſt , quid intelligitur nomine firmamenti , conſequenter in quo loco ſunt aquæ , quæ dicuntur eſſe ſuper firmamentum.

Dico. Secundum probabilem plurium ſententiam , firmamentum eſt cœlum ſydereum , ſeu in quo ſunt ſtellæ fixæ. Hujus ſententiæ probabilitas patebit ex objectionibus infra ſubjiciendis. Secundum vero communiorem ſententiam , firmamentum eſt totum illud ſpatium , quod a terra extenditur uſque quo acies oculorum pertingere poteſt , comprehendens conſequenter aerem & omnes orbes cœleſtes cum cœlo ſydereo. Hanc interpretationem *laude digniſſimam* judicat Aug. l. 2. de Gen. ad litt. c. 4. lib. autem imperfecto de Gen. c. 12. ſignificat totam æthercam ſubſtantiam , quæ aerem & ſuperiora corpora comprehendit , vocari firmamentum.

Eam S. Th. hic q. 68. 1. & 2. non rejicit , quin imo q. 79. art. 1. ad 3. dicit per firmamentum intelligi tum ſpatium in quo eſt aer , tum ſpatium illud in quo ſunt ſydera : *Firmamentum* , inquit , *factum eſt 2. die , quantum ad inferiorem partem . In firmamento autem poſita ſunt ſydera 4. die quantum ad ſuperiorem partem , ut totum pro uno accipiatur ſecundum quod ſenſui apparet* . Favet huic interpretationi 1. Textus Hebraicus , qui vocat *expanſionem* quod Vulgata dicit *Firmamentum* . 2. Quia Deus hoc firmamentum vocavit cœlum : *Cœli* autem nomine , juxta uſum frequentem Scripturæ , intelliguntur orbes cœleſtes & ipſe aer : Hinc Pſ. 8. *Volucres cœli* . Jerem. 8. *Milvus in cœlo*; Et alibi ſimiliter.

Juxta 1. Sententiam , aquæ , quæ dicuntur ſupra firmamentum , ſunt ſupra cœlum ſydereum , nec videntur ejuſdem ſpeciei cum aquis elementaribus , inquit S. Th. hic 68. a. 3. Ad quem autem uſum ſint illuc poſitæ , via dici poteſt , niſi forte ad ornatum mundi , vel ad temperandum ardorem ſyderum & ſolis , ne cœlis ſuperioribus & inferioribus & terræ nimio ſuo calore noceant. Juxta 2. Sententiam , aquæ iſtæ ſunt in media regione aeris ejuſdem ſpeciei cum elementaribus , ſcilicet vapores qui in nubes concreſcunt & in pluviam reſolvuntur.

Dices 1. contra 2. Sententiam , quam ut communiorem & etiam nobis probabiliorem proponimus : Vox *fiat* non ſignificat deputationem rei antea factæ , ſcilicet mediæ regionis aeris ad dividendum aquas ab aquis , ſed ſignificat realem rei quæ jubetur productionem , ut cum dicitur ; *fiat lux*. Atqui hic pariter dicitur , *fiat firmamentum*. Ergo. R. D. Maj. Vox *fiat* ſimpliciter poſita non ſignificat , &c. tranſeat Maj. Vox *fiat* cum addito modificante , N. Maj. Hic autem non dicitur ſimpliciter *fiat firmamentum* , ſed cum addito ; *fiat firmamentum in medio aquarum* ; quatenus conſtitutus eſt limes firmus inter aquas ſuperiores & inferiores , datumque eſt illi , ut eſſet locus naturalis generationis aquarum pluvialium , illaſque poſſet continere uſque ad tempus , quo defluunt in terram.

Nec obſtat , quod aquæ ſuperiores in hæc inferiora defluentes cum aquis inferioribus miſceantur ; non enim ſic diffluunt & miſcentur , quin adhuc in ſuperioribus remaneant & ea abundantia , ut inter eas & ſuperiores ſemper aer remaneat medius.

Dices 2. Quarta die Deus fecit luminaria magna & ea poſuit in firmamento : atqui non poſuit in aere. Ergo. R. 1. neque Solem & Lunam poſuiſſe in cœlo ſydereo. 2. Per firmamentum non intelligitur ſolus aer , ſed etiam omnes orbes cœleſtes viſu attingibiles , ut diximus , & ideo poſuit duo luminaria in firmamento ſecundum partem ejus ſuperiorem , aquas autem ſecundum partem inferiorem.

Dices 3. Volatilia , quæ ſunt in aere Geneſ. 1. v. 20. dicuntur eſſe ſub firmamento cœli. Ergo aer non eſt firmamentum cœli. R. N. Conſ. Quia eſſe ſub firmamento cœli idem eſt ac eſſe in aliqua firmamenti parte inferiori ; ſicut dicimus piſces eſſe ſub aquis aut homines natare ſub aquis ; quia aliquas partes aquæ ſuper ſe habent , licet etiam partes aliquas habeant ſub ſe , nec fundum aquæ attingant : ut enim aliquid dicatur eſſe ſub vaſto corpore , non eſt neceſſe , quod iſtud ei emineat ſecundum omnes ſuas partes , ſed ſufficit , quod ſecundum aliquas , ut patet in exemplis citatis.

ARTICULUS IV.

De opere tertiæ diei.

OPus tertiæ diei ſic proponitur ibidem . *Dixit vero Deus ; congregentur aquæ quæ ſub cœlo ſunt in locum unum & appareat arida ; & factum eſt ita . Et vocavit aridam terram , congregationeſque aquarum appellavit Maria . Et vidit Deus , quod eſſet bonum . Et ait : Germinet terra herbam virentem & facientem ſemen , & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus ſuum , cujus ſemen in ſemetipſo ſit ſuper terram . Et factum eſt ita . Et protulit herbam virentem & facientem ſemen juxta genus ſuum , lignumque faciens fructum & habens unumquodque ſementem ſecundum ſpeciem ſuam . Et vidit Deus , quod eſſet bonum . Et factum eſt veſpere & mane dies tertius .*

Petes 1. in quem Terræ locum potuerint congregari aquæ? Terra enim prius undique erat aquis cooperta , ut dictum eſt . Non erat ergo aliquis locus ſuper terram , in quem aquæ congregari poſſent . R. (*Q. 69. a. 1. ad 2.*) id triplici modo fieri potuiſſe . 1. Quatenus aquæ in majorem altitudinem ſint elevatæ in loco ubi ſunt : nam mare ſecundum plures eſt altius terra . 2. Quatenus aqua rarior velut nebula terram tegebat , quæ congregatione denſata minorem occupavit locum . 3. Quatenus factæ ſunt quædam concavitates in terra , quæ aquas receperunt .

Petes 2. Quomodo aquæ congregatæ ſunt in unum locum , cum conſtet eſſe in multis locis? R. (*Ib. ad 3.*) id intelligendum eſſe , vel quatenus aquæ omnes habent unum terminum ſcilicet mare , in quem confluunt manifeſtis aut occultis meatibus , juxta illud Eccl. 1. *Omnia flumina intrant in mare* . Vel quatenus *unus locus* non accipitur ſimpliciter & ſtricte , ſed unus dicitur per comparationem ad locum terræ ſiccæ , ut ſit ſenſus ; congregentur aquæ in aliquem locum diverſum ab eo , quem hactenus cum terra occupant . Vel denique quatenus *unus locus* non ſumitur determinate , ſed confuſe , ac ſi diceretur ; ſingulæ congregationes aquarum congregentur in aliquem locum a loco terræ diverſum , unaquæque in ſuum : non eſt ergo ſenſus , quod omnium aquarum ſit unus locus , ſed quod ſingulæ congregationes habeant unum ſuum locum .

Petes 3. Utrum herbæ & arbores fuerint tertio die productæ actu & adultæ , an tantum cauſaliter & in ſemine? Hoc ultimum tenet Auguſtinus l. 1. de Geneſ. ad Litt. c. 3. Verum R. (*Ibid. ad 3. o.*) ex communi aliorum Patrum & Interpretum Sententia herbas & arbores fuiſſe tertia die productas actu adultas & quaſdam ſaltem cum fructibus maturis . Aperte favet huic Sententiæ textus Scripturæ , ubi poſtquam Deus juſſit terram germinare herbam virentem & lignum pomiferum faciens fructus , protinus additur : *Et factum eſt ita . Et protulit terra herbam virentem ... lignumque faciens fructum.*

Dices . Geneſ. c. 2. dicitur , quod Deus fecerit *omne virgultum agri antequam oriretur de terra , omnemque herbam regionis priuſquam germinaret* . Atqui ſi virgultum factum ſit antequam oriretur , & herba facta antequam germinaret , ergo tertia die qua dicuntur creata , in ſemine tantum & cauſaliter creata ſunt . Quod confirmatur ex ratione ſubjuncta : *Non enim pluerat Dominus ſuper terram & homo non erat , qui operaretur terram* . Expectabant ſcilicet ſemina , ut germinarent , cœli pluviam , & culturam hominis . R. N. Sequelam Min. & ejus confirmationem ; quia ſenſus Scripturæ eſt , quod virgultum factum ſit antequam vi & modo naturali ex ſemine oriretur , ut ſit modo coadjuvante pluvia & hominis labore ſimiliter herba.

Petes 4. Utrum eadem die tertia germinavit ſpinas & tribulos? Videtur quod non ; quia c. 3. Gen. dicit Deus Adæ poſt ejus peccatum , *ſpinas & tribulos germinabit tibi* . R. (*Ib. ad 2.*) Spinas & tribulos tertia die fuiſſe productos , non ſecus ac alia virgulta , ſed non in pœnam peccati , ſicut factum eſt poſt peccatum Adæ : unde non eſt illi dictum ſimpliciter *germinabit* , ſed *germinabit tibi* : neque enim ager , qui ante peccatum excultus fuiſſet in cibum , ſpinas & tribulos germinaſſet , fuiſſent tamen & erant in aliis locis ad ornatum univerſi , ſive ad varias utilitates vel hominum vel beſtiarum . Idem dic de herbis venenoſis.

Petes 5. an marmora & metalla ſeu mineralia in viſceribus terræ latentia fuerint etiam producta tertia die? R. (*Ibid. ad 3.*) veriſimilius affirmative . Horum autem non meminit Moyſes , tum quia ea tantum propoſuit , quæ in manifeſto apparent ; mineralia autem habent generationem occultam ; tum quia non habent manifeſtam diſtinctionem a terra , ſed quædam terræ ſpecies videntur.

A R-

Digitized by Google

ARTICULUS V.

De opere quartæ diei,

OPus quartæ diei ſic deſcribitur ibidem: *Dixit autem Deus, fiant luminaria in firmamento cœli & dividant diem ac noctem, & ſint in ſigna & tempora & dies & annos ... fecitque Deus duo luminaria magna, luminare majus ut præeſſet diei, & luminare minus ut præeſſet nocti, & ſtellas, & poſuit eas in Firmamento cœli ... Et factum eſt veſpere & mane dies quartus.*

Jam dixi a. 1. hujus Diſſ. Obj. 2. Solem & Sydera nomine lucis creata fuiſſe prima die quoad ſubſtantiam; ſed hac quarta die perfectionem & complementum tam quoad lucem, quam quoad alios effectus & influentias accepiſſe: & ideo dicuntur facta quarta die, juxta uſum frequentem Scripturæ, qua res aliqua dicitur fieri, quando vel ſuum complementum vel inſignis perfectio illi accedit. Sic Iſa. 65. Deus dicitur creare cœlos novos & terram novam, propter ſingularem aliquam perfectionem, quam eſt illis collaturus.

Dicuntur autem luminaria eſſe *in ſigna*, ſcilicet prognoſtica aeris mutationum & tempeſtatum: ita ut ſenſus ſit; in ſigna temporum, dierum & annorum, quatenus ex diverſis qualitatibus & influentiis illorum prodeunt diverſis temporibus, diebus, & annis, æſtus, frigora, ſerenitas, pluviæ, grandines, nives, venti, hiems, æſtas, ver, autumnus, atque inde dignoſcitur tempus ſerendi, plantandi, metendi, navigandi, & ſimilium, quod indicatur, Matt. 16. his verbis; *facto veſpere dicitis, ſerenum erit, rubicundum eſt enim cœlum. Et mane, hodie tempeſtas, rutilat enim triſte cœlum.* Horum, inquam, effectuum naturalium ſunt ſigna, non autem actionum humanarum a libera voluntate pendentium, quod pertinet ad aſtrologiam judiciariam, quæ eſt ſuperſtitio vana, falſa, & execrabilis. (*q. 70. a. 1. ad 3.*) Dicuntur ſol & luna luminaria magna, non quod magnitudine excedant cætera aſtra, ſed quia apparent nobis majores. Dicuntur tandem luminaria poſita in firmamento, non quod omnia ſint in cœlo, in quo ſunt ſtellæ fixæ; quod ſpecialiter dicitur firmamentum, conſtat enim Planetas eſſe inferiores, ſed quia ſunt in ea parte ſpatii, quod a terra ad cœlum ſtellatum protenditur, quod etiam propter ſuam ſtabilitatem vocatur firmamentum, ut diximus Art. 3.

Petes, utrum corpora cœleſtia ſint animata? R. (*Ib. a. 3. n.*) non eſſe animata proprie, ſic ut anima ipſis uniatur tanquam forma materiæ, ut ſit in plantis & animalibus: poſſunt tamen dici animata improprie & æquivoce, quatenus ſubſtantia ſpiritualis illis utitur contactu virtutis, ut motor mobili.

ARTICULUS VI.

De opere quintæ diei.

OPus quintæ diei ſic refert Moyſes ibidem: *Dixit etiam Deus, producant aquæ reptile animæ viventis & volatile ſuper terram ſub firmamento cœli: Creavit Deus cete grandia & omnem animam viventem atque motabilem quam produxerant aquæ in ſpecies ſuas & omne volatile ſecundum genus ſuum ... Et factum eſt veſpere & mane dies quintus.*

Piſces dicuntur reptiles; quia id omne dicitur reptile, quod caret pedibus, aut cui ſunt tam breves, aut non ſint aut vix ſint apti ad greſſum; ſicut ergo ſerpentes in terra ſupra pectus rependo moventur, ita piſces qui carent pedibus in aqua quaſi rependo natant. Difficultas eſt, utrum non ſolum piſces, ſed etiam aves eſſe productæ ex terra. Alii & communius affirmant; utrique in Scriptura fundati.

Primæ Sententiæ favet 1. Textus hebraicus, in quo volatile non eſt accuſativus verbi *producant*, ſed nominativus verbi *volet*; ſic enim habet: *Producant aquæ reptile animæ viventis, volatile volet ſuper terram.* 2. Favet cap. 2. Geneſ. ubi aves dicuntur formatæ ex terra his verbis: *Formatis igitur Dominus de humo cunctis animantibus terræ & univerſis volatilibus cœli.* (*quæſt. 71. artic. unico.*) Secundæ autem Sententiæ, quæ eſt Hieronymi, Cyrilli, Ambroſii, Damaſceni, S. Thom. & plurium aliorum, favet 1. Textus Vulgatæ relatus in capite articuli. 2. Paraphraſis Chaldaica & Verſio *animarum viventium & volatilia, ſeu quæ volant*, aut Septuaginta, quæ ſic habet: *Producant aquæ reptilia quæ volare apta ſunt ſuper terram.* Favet etiam huic Sententiæ affinitas, quæ eſt inter piſces & aves. Et 1. Quantum ad locum naturalem utriuſque, aerem ſcilicet & aquam, ſunt enim elementa vicina & cognata, utrumque eſt diaphanum, humidum, molle, ſubtile, agitabile, facile cedens & in invicem tranſmutabile; aer enim facile in aquam & aqua in aerem vertitur. 2. Corpora avium & piſcium ſunt etiam affinia quoad agilitatem & levitatem, alæ avium correſpondent pinnis piſcium, & plumæ avium ſquamis piſcium. 3. Qualis eſt natus piſcium in aqua, talis eſt volatus avium in aere, ita ut piſces videantur aves aquatiles, & aves piſces aerii. 4. Denique multæ aves ſunt aquatiles, ut Cyni, Anſeres, Anates, Merguli, Halycones, &c.

Ad primum fundamentum 1. Sententiæ reſpondetur 1. in textu Hebraico poſſe ſubaudiri pronomen *quod*, ut frequens eſt in hebræo, ita ut ſenſus ſit; & volatile, quod volet ſuper terram, ut vertunt Septuaginta. 2. Vulgata, quæ ab Eccleſia declarata eſt authentica, præferenda eſt textui hebraico. Ad 2. reſpondetur ex Aug. l. 9. de Geneſ. ad Litt. c. 1. vel copulam *Et* non afficere hoc totum *formatis de humo*, ſed priorem tantum vocem *formatis*, ita ut ſenſus ſit, formatis igitur ex humo cunctis animantibus terræ, ac etiam formatis volatilibus cœli: Vel Moyſem humum appellaſſe terram aquoſam ſeu aquæ mixtam. Verum hæc ultima Solutio non videtur cohærere cum his, quæ docet Auctor hic, nimirum piſces productos eſſe ex aqua denſiore, aves ex ſubtiliore, quales ſunt vapores in aere.

Petes 1. Quomodo aquæ produxerunt piſces & aves? R. non produxiſſe efficienter, ſed materialiter, miniſtrando ſcilicet materiam omnipotenti Dei verbo.

Petes 2. Quid intelligitur per cete grandia? (*Ib. ad 4.*) R. non intelligi unam ſpeciem piſcium, ſed omne genus piſcium magnorum, cujuſcumque ſpeciei; vox enim hebræa ſignificat Dracones & omnia grandia animantia; facta eſt autem mentio ſpecialiter magnorum piſcium, & non magnorum aliorum animalium; quia inter alia animalia nulla ſunt tam prodigioſæ magnitudinis quam inter piſces: refert enim Plinius l. 3. Hiſt. c. 1. cetos 600. pedum longitudinis & 300. latitudinis intraſſe flumen Arabiæ: Nihil autem videtur in aliis animalibus.

ARTICULUS VII.

De opere ſextæ diei.

OPus ſextæ diei ſic exponitur ibidem; *Dixit quoque Deus: Producat terra animam viventem in genere ſuo, jumenta & reptilia & beſtias terræ ſecundum ſpecies ſuas. Factumque eſt ita. Et fecit Deus beſtias terræ juxta ſpecies ſuas & jumenta & omne reptile terræ in genere ſuo. Et vidit Deus quod eſſet bonum, & ait: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram & præſit piſcibus maris & volatilibus cœli & beſtiis univerſæque terræ, omnique reptili quod movetur in terra; & creavit Deus hominem ad imaginem ſuam: ad imaginem Dei creavit illum, maſculum & fœminam creavit eos ... viditque Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona, factum eſt veſpere & mane dies ſextus.*

Recenſentur hic tria genera animalium præter hominem, jumenta, beſtiæ, & reptilia. Per jumenta intelliguntur animalia domeſtica, ut equi, boves, canes, oves, &c. Per beſtias intelliguntur animalia ſylveſtria, ut leones, urſi, lupi, cervi, &c. Per reptilia intelliguntur, quæ carent pedibus, aut tam breves habent, ut vix eleventur a terra, ut ſerpentes, vermes, lacertæ, &c.

Petes utrum omnes omnino animalium terreſtrium ſpecies ſint hac ſexta die productæ. R. omnes ſpecies animalium perfectas, quæ ſcilicet naturaliter produci poſſunt ex commixtione maris & fœminæ ejuſdem ſpeciei, fuiſſe hac 6. die productas. Ita communiter; idque videbatur exigere perfectio univerſi; (*Q. 72. art. unico, & q. 96. a. 1. ad 2.*) conſequenter etiam eas ſpecies animalium, quæ nunc ſunt homini vel veneno vel voracitate nociva. Conſtat enim ex c. 2. Gen. ſerpentem tunc fuiſſe productum. Adde hæc animalia pertinere ad perfectionem univerſi, tum propter varietatem, tum propter varias utilitates. Attamen tunc non nocuiſſent homini, ſi non peccaſſet, nec ſe invicem, Deo ſic diſponente, devoraſſent, donec eſſet ſufficienter propagata ſpecies.

Quantum ad minuta animalia ſeu inſecta, quæ naſcuntur ex ſudore, putrefactione, exhalatione per virtutem ſyderum, vel elementis inditam, ut ſunt pulices, pediculi, &c. diſtinguit S. Th. (*Hoc ibid. ad 5.*) Quæ naſcuntur ex vitio ſeu corruptione aliorum animalium, negat fuiſſe actu producta 6. die, ſed potentialiter tantum: quæ vero naſcuntur ex corruptione rerum ignobiliorum, ut aquæ, terræ, ligni, plantarum, concedit ea fuiſſe actu producta ſexta die: quia, inquit; quod ex corruptione ignobiliorum generentur nobiliora, non repugnat primæ rerum inſtitutioni, ſicut repugnaret, ſi ex corruptione nobiliorum generarentur ignobiliora. (*Q. 73. a. 1. ad 3.*) Quantum denique ad animalia, quæ naſcuntur ex congreſſu animalium diverſæ ſpeciei, ut mulus ex equa & aſino, leopardus ex leæna & pardo, negat fuiſſe actu producta 6. die, ſed potentialiter tantum, quatenus data eſt virtus.

tus aliis animalibus illa producendi; quia talis commixtio eſt præter naturam. Unde Judæis fuit prohibita Levit. 9.

Ex dictis colliges quantum a veritate aberrent Carteſiani, qui brutis denegant animam ſentientem, & volunt ea eſſe meras machinas. Non enim ſolum in textu laudato, ſed in pluribus aliis formaliſſime aſſeritur bruta vivere. Sic in eodem c. 1. Geneſ. v. 29. & 30. conceduntur brutis ſicut hominibus herbæ & arborum fructus ad veſcendum. *Ecce*, inquit Deus, *dedi vobis omnem herbam & omnia ligna ... ut ſint vobis in eſcam, & cunctis animantibus terræ, omnique volucri cœli, & univerſis quæ moventur in terra, in quibus eſt anima vivens, ut habeant ad veſcendum*. Nunquid puræ machinæ, comedunt, veſcuntur, nutriuntur ſicut homines? Et c. 9. ejuſdem libri: *Ecce*, inquit Deus, *ego ſtatuam pactum meum vobiſcum & cum ſemine veſtro poſt vos, & ad omnem animam viventem, quæ eſt vobiſcum, tam in volucribus, quam in jumentis & pecudibus terræ cunctis ... Et nequaquam ultra interficietur omnis caro aquis diluvii*. Quomodo autem interfici poſſet, quod non vere vivit? Et eodem modo loquitur Deus de interfectione beſtiarum ac interfectione hominis. Vivunt ergo beſtiæ ſicut vivit homo. Lege reliquum cap. 9. in quo ſæpe repetitur bruta vivere.

Equidem ſcio Scripturam aliquando loqui ad ſenſum vulgi imperiti. Verum non licet ad hanc ſolutionem confugere, relicto ſenſu litterali & obvio, niſi cogente aliqua evidenti ratione, quæ hic non ſubſiſtit. Non enim negari poteſt eſſe poſſibilem ſubſtantiam non extenſam in partes, quæ ſit capax ſolius ſenſationis & directæ cognitionis ſenſibilium; in hoc enim nulla involvitur implicantia; hæc autem ſubſtantia non foret ſpiritus, quia eſſet rationalis, neque materia aut corpus, quia non eſſet extenſa in partes, in qua tamen extenſione Carteſiani reponunt eſſentiam materiæ & corporis, ſed foret media inter ſpiritum & materiam, & cum eſſet ordinata ad conſtitutionem & conſervationem corporis, poſſet & deberet dici, hac ratione, forma ſubſtantialis materialis; in his, inquam, nulla eſt implicantia. Cum ergo ſit poſſibilis anima ſentiens, & Scriptura tot in locis tam luculenter aſſerat eam brutis ineſſe; qua fide, qua fronte id negare audent Carteſiani, & ſenſu Scripturæ naturali & obvio relicto, nulla cogente ratione, confugiunt ad improprium, *ſecundum*, inquiunt, *opinionem Vulgi imperiti*: quaſi vero ſolum vulgus imperitum, & non doctiſſimi quique atque univerſum genus humanum non ſemper cenſuiſſet bruta vere vivere atque ſentire: *Irrationalia quoque animalia*, inquit Aug. de vera Relig. c. 29. *vivere atque ſentire nemo ambigit*.

Confir. 1. Scriptura & SS. Patres paſſim docent hominem convenire cum brutis in vita ſenſitiva & paſſionibus; unde partem illam animæ, quæ ſenſu & paſſionibus viget, *animalem* vocant, & homines, qui ſenſum & paſſiones ſequuntur, neglecta ratione, animales & pecudibus ſimiles: *Homo*, inquit Pſalmiſta, *cum in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis*. Et 1. Cor. 2. *Animalis homo non percipit ea, quæ Dei ſunt*. Ergo ſicut homo, ſic bruta vivunt vita ſenſitiva. Confir. 2. Non ſunt majora indicia animæ rationalis in hominibus, quam animæ ſenſitivæ in brutis: ergo ſi his non obſtantibus poſſum dicere bruta eſſe meras machinas, eadem ratione, ſecluſa revelatione, potero reputare omnes homines a me diſtinctos puras machinas, quod quam ſit abſurdum nemo non videt.

Quapropter attenta ſuavi Dei providentia, veracitate, & bonitate, exiſtimo non eſſe poſſibilem machinam, quæ abſque anima ſenſitiva omnia & eo modo peragat, quæ & quo modo peragit brutum tam ad conſervationem propriam, quam ad conſervationem & propagationem ſpeciei generando ſibi ſimile; hoc enim eſſet nos inducere in errorem, ſecluſa revelatione, irreparabilem; quod repugnat ſuavi Dei providentiæ, veracitati, & bonitati. Plura de his ad Philoſophos.

De homine autem, qui, quia eſt totius creaturæ corporeæ finis & Dominus, ultimo productus eſt, & de quo multa ſunt dicenda, ſit

DISSERTATIO III.

DE HOMINE QUANTUM AD ANIMAM.

ARTICULUS I.

Utrum anima hominis ſit materialis ſeu corporea, aut ſpiritualis?

QUIDAM antiqui Philoſophi poſuerunt animam eſſe corpus; (*Hic q. 75. a. 1. o.*) quia non valentes tranſcendere imaginationem, quæ ſolum circa corpora verſatur, exiſtimabant id, quod non eſt corpus, eſſe nihil. In hunc errorem impegit Tertullianus factus Montaniſta, quem impugnat Aug. in pluribus locis. Inter incredulos hujus temporis, vulgo Deiſtas, ſunt qui, ut ſibi viam parent ad animæ mortalitatem, contendunt eam eſſe materialem, unde dicti *Materialiſtæ*, contra quos omnes hic decertamus.

Suppono animam rationalem eſſe formam ſubſtantialem hominis conſtitutivam cum corpore. Ita definit Concilium Viennenſe Clement. unica, de ſum. Trinit. §. *Porro* his verbis: *Doctrinam ſeu poſitionem aſſerentem aut vertentem in dubium, quod ſubſtantia animæ rationalis ſeu intellectivæ vere, & per ſe humani corporis non ſit forma, ut erroneam, & veritati Catholicæ inimicam prædicto approbante Concilio damnamus*. Patet inſuper ratione; quia homo eſt animal rationale; quatenus animal cum ſit ſenſitivum, debet habere corpus, quatenus rationale debet habere principium ratiocinandi, quod neque eſt corpus, alias omnia corpora eſſent rationalia, neque alia forma quam rationalis.

Porro definitur anima rationalis: *Primum principium ratiocinandi*. Vel: *Actus primus corporis organici potentiam ſed vitam habentis*.

Nota ſpiritum triplici modo ſumi poſſe, 1. Sumitur prout opponitur ſolidiori materiæ, quo ſenſu purior ſanguis dicitur ſpiritus aut vitalis aut animalis. 2. Sumitur pro anima ſive ſenſitiva, ſive rationali; quo ſenſu Eccl. 3. dicitur: *Quis novit ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum, & ſi ſpiritus jumentorum deſcendat deorſum*. 3. Sumitur pro ſubſtantia immateriali & incorporea, & hoc ſenſu quæſtio hic movetur de anima rationali. Pro cujus reſolutione

Dico. (*Ib. & a. 2. o.*) Anima rationalis non eſt materialis ſeu corporea, ſed eſt entitative ſpiritualis. Prob. 1. ex Scriptura. Pſal. 30. *In manus tuas commendo ſpiritum meum*. Eccl. ultimo: *Revertatur pulvis in terram ſuam unde erat, & Spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*. 1. Cor. 2. *Quis enim hominum ſcit, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt? Ita & quæ Dei ſunt nemo cognovit niſi Spiritus Dei*.

Si dicas in Scripturis etiam animam brutorum vocari ſpiritum, ut patet ex Notamine. R. idem equidem eſſe vocabulum, ſed ſenſum diverſum, ut colligitur ex circumſtantiis: anima enim hominis dicitur ſpiritus per oppoſitionem ad corpus Eccl. ultimo cit. Spiritui autem jumentorum tribuitur tantum, quod eſt corporeum, ſcilicet deſcendere deorſum. Quibus patet ſpiritum in homine ſumi proprie pro ſubſtantia ſpirituali & incorporea, in brutis autem pro corpore vivente

Prob. 2. ex definitionibus Eccleſiæ. In 6. Synodo Generali Act. 11. Chriſtus dicitur habere animam rationalem & incorpoream; ejuſdem autem naturæ fuit anima Chriſti ac noſtra. Item Concilium Generale Later. ſub Innocentio II. refertur c. *Firmiter* de ſum. Trin. definit *Deum ex nihilo utramque condidiſſe creaturam ſpiritualem & corporalem, angelicam ſcilicet, & mundanam, ac deinde humanam quaſi communem ex corpore, & ſpiritu conſtantem*. Ergo anima eſt entitative ſpiritus & non corpus.

Prob. 3. ex SS. Patribus. Aug. Ep. 28. & 157. hæreſ. 80. l. cont. Ep. fundam. c. 16. l. 4. de anima c. 12. & ſequentibus, & alibi aſſerit & probat animam rationalem non eſſe corpus, ſed ſpiritum. Idem S. Baſil. hom. 3. in illud dictum: *Attende tibi ipſi*. Ambroſ. l. de Noe & Arca c. 25. S. Bernard. ſerm. 40. in cant. & alii PP. communiter.

Si quidam forte opponantur, qui videntur dixiſſe animam eſſe corpus, exponendi ſunt ſicut Aug. hær. 86. exponit Tertullianum dicentem Deum eſſe corpus, de corpore improprie ſumpto pro omni eo, quod naturaliter ſubſiſtit, & opponitur nihilo, non vero de corpore proprie ſumpto pro mole extenſus in partes, & opponitur ſubſtantiæ immateriali. Vel eis opponatur communiſſima aliorum Patrum Sententia.

Prob. 4. ratione. Principium operationis ſpiritualis eſt ſpirituale, non materiale aut corporeum. Atqui anima rationalis eſt principium operationis ſpiritualis. Ergo. eſt certa; totum enim, quod habet operatio, habet a ſuo principio. Prob. Min. Anima eſt principium cogitationis, intellectionis, volitionis, odii, amoris, deſiderii, ſpei, &c. item reflexionis ſuper has ſuas operationes. Atqui iſtæ operationes ſunt ſpirituales, non materiales. Ergo. Pro Min. dupliciter: 1. ſi iſtæ operationes eſſent mate-

riales;

rialas, haberent partes, eſſent extenſæ in longum, latum, & profundum, eſſent figuratæ, quadratæ, rotundæ, oblongæ, &c. eſſent capaces motus localis, haberent ſurſum, deorſum, dextrum & ſiniſtrum, &c. Hæc enim omnia ſunt proprietates materiæ quantumvis minutæ & quovis modo modificatæ naturaliter inſeparabiles. Conſequens eſt abſurdum: ergo.

Prob. 2. eadem Min. Illæ operationes attingunt ſpiritualia, Deum, & Angelos, myſteria fidei, virtutem, juſtitiam, pietatem, naturas, ſeu quidditates univerſales abſtractas a materia & ſingularitate, rerum diſtinctionem & poſſibilitatem, æternitatem, infinitum, &c. Hæc enim & plura alia ſunt ſpiritualia & intelligibilia dumtaxat. Atqui operatio, cujus objectum eſt ſpirituale, eſt ipſa ſpiritualis, & non materialis, cum ſpecificetur a ſuo objecto. Ergo.

Confir. 1. Anima reflectit ſupra ſe, ſupra ſuas cognitiones & alias operationes, ut jam diximus, eas perpendit, diſcutit, approbat aut reprobat. Atqui hujus reflexionis, diſcuſſionis, & judicii eſt incapax materia, non ſolum quia id totum eſt quid ſpirituale, ſed etiam quia materia non poteſt agere in ſeipſam, cum non habeat in ſe principium actionis, ſed ex ſe ſit iners & immota: ergo. Confir. 2. Datur in homine conſcientia, quæ ipſum terret, dum vult committere crimen, & remorſibus cruciat dum commiſit. Atqui non materia, ſed ſola natura ſpiritualis eſt capax hujuſmodi conſcientiæ. Ergo. Prob. Min. Leges morales non imponuntur materiæ cæcæ. Ergo materia non poteſt eſſe nocens, nec conſequenter capax conſcientiæ terrentis aut remordentis.

Obj. Anima informat corpus, & eſt radix quantitatis & cætararum proprietatum corporearum: ergo eſt corporea & materialis. R. D. Conſeq. Ergo eſt corporea & materialis eminenter, ſeu, ut alii dicunt, ut quo & informativa, C. Formaliter ſeu ut quod entitative, N. Id eſt anima rationalis habet in ſe eminentiori modo, quidquid habent formæ corporeæ & materiales, & ideo poteſt communicari corpori, & ipſi tribuere quidquid aliæ formæ corporeæ ipſi tribuunt, ſcilicet quantitatem & alias affectiones corporeas: at in ſua entitate eminet formis corporeis, & attingit ad nobilitatem formarum immaterialium, ut patet ex probationibus Concluſionis, præſertim ex ejus operationibus.

Inſt. 1. Anima individuatur a corpore: ergo ab eo dependet in ſuo eſſe, ſicque eſt corporea. R. D. Ant. Anima individuatur a corpore quoad perſeitatem exiſtentiæ, N. Quoad perſeitatem incommunicabilitatis, C. Individuatio duo dicit: 1. Perſeitatem exiſtentiæ ſeu exiſtere per ſe independenter ab alio tanquam a ſubjecto ſeu materia. 2. Incommunicabilitatem ulteriori ſuppoſito; hanc habet anima a corpore; perſeitatem autem exiſtentiæ a ſe ipſa, quam corpori communicat, non propter dependentiam ſed propter abundantiam.

Inſt. 2. Anima in intelligendo dependet a ſenſibus corporeis & phantaſmatibus imaginationis; juxta enim vulgatum axioma, nihil eſt in intellectu, quod non fuerit prius in ſenſu: ergo & in eſſendo; eſſe enim & operari proportionantur. R. D. Ant. (*Ibid. a. 2. ad 3.*) Anima in intelligendo dependet a ſenſibus exterioribus & phantaſmatibus ſeu ſpeciebus materialibus imaginationis, præſuppoſitive tanquam a Miniſtris proponentibus objecta, Tranſeat Ant. univerſaliter ſumptum; tanquam a principio & ſubjecto intellectionis, N. Cum enim, ut probavimus, intellectio ſit actio immaterialis, non poteſt procedere a principio materiali, nec ſubjectari in ſubjecto materiali.

Dixi; *Tranſeat Ant. univerſaliter ſumptum*: quia licet verum ſit corporea & ſenſibilia a nobis intelligi pro hoc ſtatu, dependenter a corporeis & ſenſibilibus, multi tamen hodie negant id eſſe verum univerſaliter, voluntque multa eſſe quæ omnino independenter a ſenſibus externis & a phantaſmatibus materialibus imaginationis cognoſcuntur. Sic v. g. cognoſco me cogitare, me velle, me amare, me odiſſe, me credere, cognoſco æternum, infinitum, &c. Horum objectorum cognitiones, inquiunt, non hauriuntur ex ſenſibus externis viſu, tactu, auditu, &c. iſta enim objecta non ſunt viſibilia, tangibilia, ſonora, &c. neque dependenter a phantaſmatibus ſeu ſpeciebus materialibus imaginationis; iſta enim objecta non ſunt extenſa in longum, latum, & profundum, non ſunt figurata, &c. qualia ſunt phantaſmata utpote materialia.

Si dicas: Quidquid concipimus, ad inſtar corporis concipimus, R. 1. juxta præcedentem Recentiorum ſolutionem, N. Ant. Cujus enim corporis figuram dabis cogitationi, volitioni, amori, odio, &c.? R. 2. D. Anteced. Quidquid concipimus ad inſtar corporis, concipimus primo intuitu, Tranſeat Ant. Diſcurrendo, N. Sic enim removemus ab omni objecto corporeitatem, & pervenimus ad quidditatem præciſe intelligibilem, quod eſt apertum indicium corporeitatem non eſſe objectum intellectionis noſtræ, cum nullus actus feratur in aliquid, removendo ab ipſo ſuum objectum ſpecificativum.

ARTICULUS II.

Utrum anima rationalis ſit incorruptibilis & immortalis?

Dico. (*Ibid. a. 6. a.*) Anima rationalis eſt incorruptibilis & immortalis. Prob. 1. ex Scripturis & Patribus. Sapiens 2. poſtquam ſæpius retulit verba & ſenſus impiorum de mortalitate animæ, ſic concludit: *Hæc cogitaverunt & erraverunt, excæcavit enim illos malitia eorum*. Ibid. *c. 3. Juſtorum animæ in manu Dei ſunt . . . viſi ſunt oculis inſipientium mori, illi autem ſunt in pace*. Et c. 5. *Juſti autem in perpetuum vivent*. Eccle. 12. *Revertatur pulvis in terram ſuam unde erat, & ſpiritus redeat ad Deum qui dedit illum*: Ergo non perit anima cum corpore. 2. Machab. 12. *Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis ſolvantur*. Matth. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere*. Ibid. c. 25. *Ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam*. Ibid. c. 22. Chriſtus referens illud Exod. *Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob*, ſubſumit contra Sadducæos: *Non eſt Deus mortuorum, ſed viventium*: Vivebant ergo illi Patriarchæ ſecundum animam, licet eſſent corpore mortui. Apoc. 6. *Animæ* interfectorum propter Verbum Dei adhuc vivunt & accipiunt ſinguli ſtolas.

Hæc ſufficiant de Scripturis; immenſus enim forem, ſi omnia, quæ in illis probant immortalitatem animæ, referrem. Similiter de SS. Patribus, qui unanimiter immortalitatem animæ aſſerunt. Inter eos legendi ſunt præſertim Chryſoſt. Hom. 4. de Providentia, Athanaſ. Orat. cont. Gent. Gregorius Thaumat. in diſput. de anima, Ambroſ. de bono mortis c. 9. lib. de fide & lib. 2. de Cain c. 10. Hieron. in c. 22. Matth. & in c. 51. Iſaiæ, Aug. lib. 2. de Immortalit. animæ lib. c. de Trinit. c. 1. & alibi.

Prob. 2. ex definitionibus Eccleſiæ. In Concilio generali Lateran. ſub Leone X. Seſſ. 8. ſic definitur. *Sacro approbante Concilio damnamus & reprobamus omnes aſſerentes animam intellectivam mortalem eſſe*. Et cap. *Firmiter* de Sum. Trinit. ex Concilio generali Lateran. ſub Innocent. III. habemus definitum, quod *Reprobi punientur in æternum cum Diabolo, & juſti præmiabuntur in æternum cum Chriſto*. Ex his ſequitur immortalitatem animæ pertinere ad fidem pro his, qui illam lumine naturali non attingunt.

Prob. 3. ratione ſpeculativa. Duplici modo poteſt aliquid corrumpi, (*Ibid.*) per ſe & per accidens. Per ſe, quando forma ſui conſtitutiva deſtruitur, ſic v. g. corrumpitur equus; vel quando ſeparatur, ſic corrumpitur homo. Per accidens quando deſinit ad deſitionem ſubjecti, ſic corrumpuntur accidentia; vel ad ſeparationem materiæ, ſic corrumpuntur formæ materiales. Atqui anima rationalis neutro modo eſt corruptibilis: non per ſe, quia anima rationalis eſt forma ſimplex, non compoſita ex aliqua forma, ſed componens hominem cum corpore: non per accidens ad deſitionem ſubjecti, quia non eſt accidens, ſed forma ſubſtantialis; neque ad deſitionem materiæ, quia cum non ſit materialis, utpote non educta de materia, ſed ſpiritualis a Deo creata & unita materiæ, cui communicat ſuum eſſe, nec in eſſe nec in fieri dependet a materia, ſed eſt per ſe independenter a quovis ſubjecto ſeu materia ſubſiſtens. Ergo.

Confir. 1. (*Ibid.*) Non eſt corruptio ubi non eſt contrarietas; generationes enim & corruptiones ſunt ex contrariis & in contraria; unde cœleſtia corpora, quæ non habent materiam contrarietati ſubjectam, ſunt incorruptibilia. Atqui in anima intellectiva nulla eſt contrarietas tam ex parte ſuæ ſubſtantiæ, quæ eſt ſimplex, quam ex parte receptorum; rationes enim contrariorum, quæ recipiuntur in anima, non ſunt in ea contrariæ, cum ſit una & eadem contrariorum ſcientia. Ergo.

Neque refert, quod in anima poſſint eſſe contrariæ opiniones, & quod poſſit tranſire de errore in ſcientiam, quod eſt mutatio de contrario in contrarium; quia tam opiniones quam error ſecundum entitatem ſunt in anima ſine contrarietate; ſecundum autem veritatem & falſitatem ſunt quædam contrariæ, ſed non ex parte ſubjecti, ſed ex parte objecti; ex hoc enim quod res eſt vel non eſt, propoſitio dicitur vera vel falſa, & una propoſitio eadem manens poteſt de vera fieri falſa & e contra.

Si dicas. Nihil obſtat, quin detur aliquod agens naturaliter in animam, ejus exiſtentiam deſtruens. R. Id fieri non

non poſſe; quia tunc non eſſet corruptio, ſed annihilatio, cum tota anima abiret in nihilum, nihil ſui relinquens: annihilatio autem ſicut creatio ſoli Deo competit, cum ſit ſuſpenſio totalis ejus concurſus, quem nullum agens creatum ſuſpendere poteſt. Unde reſtat animam eſſe naturaliter & ab intrinſeco immortalem & incorruptibilem, atque tantum per ſolam Dei potentiam extraordinariam eſſe annihilabilem; de facto autem nunquam eſſe annihilandam evincunt duæ primæ probationes Concluſionis, & ordo divinæ providentiæ, quæ nihil horum, quæ fecit, annihilat. Unde Confir. 2. Diſſoluta corporis & animæ unione, corpus non annihilatur, ſed ſolvitur in partes, quarum nulla perit aut annihilatur. Atqui anima cum ſit ſpiritus non habet partes in quas diſſolvatur, & cum ſit longe nobilior & dignior corpore, rationi repugnat, quod iſto permanente illa annihiletur. Ergo.

Prob. 4. argumento morali. Virtuti debetur præmium & pœna peccato: ita recta ratio & æquitas naturalis exigunt, idque obtinet in omni Republica bene ordinata, a fortiori in adminiſtratione & gubernatione univerſi, quæ eſt a Deo ejus Auctore. Atqui ſæpius in hac vita boni affliguntur & opprimuntur, dum mali proſperantur & lætantur. Ergo eſt altera vita, in qua boni meritorum coronas & mali peccatorum pœnas recipiant.

Si dicas malis in hac vita eſſe ſupplicium per terrores & remorſus, quibus cruciantur, bonis eſſe præmium per pacem internam & voluptatem, quam in exercenda virtute deguſtant. R. 1. Neque impii terroribus & remorſibus in hac vita cruciantur in perpetrandis criminibus, neque juſti pace & voluptate fruuntur in exercenda virtute, niſi quia utique expectant & certo ſciunt eſſe juſtum Judicem in altera vita, peccatorum vindicem & meritorum præmiatorem. Tolle hanc expectationem, neque impii terrebuntur, neque juſti conſolabuntur. 2. Sæpe contingit, quod impii, cum in profundum impietatis venerint, nullis amplius terroribus & remorſibus crucientur, & juſti e contra gravioribus ſcrupulis & anxietatibus torqueantur; proderit ergo impio, in omnia vitia irruendo conari excutere omnem remorſum, & virtus in juſto abſolute manebit abſque præmio. Hinc Apoſt. 1. Cor. 15. *Si in hac vita tantum in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.* Ex his habes contra Scotum, immortalitatem animæ non ſolum fide cognoſci, ſed etiam ratione naturali demonſtrari.

Solvuntur Objectiones.

OBj. 1. Ex multis Scripturæ locis eruitur animam hominis eſſe mortalem. 1. Pſ. 145. dicitur: *Exibit ſpiritus ejus* (ſcilicet hominis) *& revertetur in terram ſuam.* 2. Eccle. 3. *Unus eſt interitus hominis & jumentorum & æqua utriuſque conditio, ſicut moritur homo, ſic illa moriuntur, ſimiliter ſpirant omnia & nihil habet homo jumento amplius.* 3. 1. Tim. 6. Solus Deus dicitur immortalis. Ergo. R. N. Ant. Ad 1. textum ſenſus eſt: Exibit ſpiritus hominis; & homo ſecundum corpus revertetur in terram ſuam; ſeu quod idem eſt; exibit ſpiritus ejus a corpore, & corpus revertetur in terram ſuam: conformiter ad hanc alteram ſententiam Eccle. ultimo: *Revertatur pulvis in terram ſuam unde erat, & ſpiritus redeat ad Deum qui dedit illum.*

Ad 2. (*Ibid. ad* 1.) Prima Reſponſio S. Th. eſt, Eccleſiaſten locutum fuiſſe in perſona impiorum; dicit enim: *Dixi in corde de filiis hominum*, id eſt quid ſentiant filii hominum, ſcilicet *unus eſt interitus*, &c. Idque patet ex cap. ultimo jam citato ejuſdem libri, ibi idem Auctor aſſerit immortalitatem animæ dicendo *Revertatur pulvis in terram ſuam unde erat, & ſpiritus redeat ad Deum qui dedit illum*, (*Ibid. & q. de anima a.* 1.) Altera reſponſio ejuſdem S. Th. eſt, Eccleſiaſten loqui de homine quantum ad corpus, ſecundum quod eſt ejuſdem conditionis cum jumentis, non vero quoad animam, ut patet ex ultimo cap. jam pluries citato.

Si dicas Eccleſiaſten addere: *Quis novit ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum, & ſi ſpiritus jumentorum deſcendat deorſum*: ubi agitur de anima hominis. R. ſenſum eſſe, vel difficile eſſe cognoſcere per rationem animam eſſe immortalem, idque a paucis cognoſci, vel neminem id poſſe cognoſcere notitia ſenſuum ſeu experimentali; non tamen negat id poſſe cognoſci ratione naturali & revelatione.

Ad 3. Solus Deus dicitur immortalis perfecte & omnimode, tum quia habet immortalitatem per eſſentiam, quam Angeli & homines habent per participationem; tum quia annihilari non poteſt ſicut poſſunt Angeli & animæ rationales per ſuſpenſionem concurſus divini.

Inferes. Ergo anima rationalis non eſt ſimpliciter immortalis, ſi quidem poſſit deſinere per annihilationem. R. N. Illationem; tum quia non dicitur aliquid ſimpliciter immortale ex eo quod non poſſit a Deo annihilari, ſed ex eo quod nullum in ſe habeat principium corruptionis, ut eſt anima rationalis; tum etiam quia licet ſit abſolute annihilabilis, numquam tamen facto eſſe annihilandam ex juſto Dei nutu evincunt Scripturæ, Patres, & Concilia, ut patet ex primis probationibus Concluſionis.

Inſt. in 6. Synodo Generali Act. 11. Anima rationalis dicitur immortalis, non per naturam, ſed per gratiam Dei. Ergo non eſt ex ſe & ab intrinſeco immortalis. R. N. Conſeq. Quia ſenſus Concilii eſt, quod anima rationalis non ſic ſit immortalis per naturam, quaſi ab alio in ſuo eſſe pendeat ut Deus, ſed per gratiam, non quidem quæ ſit beneficium ordinis ſupernaturalis, ſed liberale donum & influxus Dei auctoris naturalis ſine meritis præcedentibus collatum, quo indigent omnes creaturæ ut vivant vel exiſtant; quo ſenſu quilibet homo poteſt de ſe ipſo dicere, quod per Dei gratiam vivat & ſit homo.

Obj. 3. Quæ conveniunt in uno eſſe, uno corrupto aliud corrumpitur. Atqui anima rationalis & corpus conveniunt in uno eſſe. Ergo. R. D. Maj. Quæ conveniunt in uno eſſe, uno corrupto aliud corrumpitur, ſi ab invicem dependeant in eſſe. C. Secus, N. Anima autem rationalis & corpus ſic conveniunt in uno eſſe hominis, ut tamen ab invicem non dependeant in eſſe, non enim anima dependet in eſſe a corpore, ſed illi ſuum eſſe communicat.

ARTICULUS III.

Utrum anima rationalis creatur, vel traducatur a Parentibus.

SEnsus quæſtionis eſt, utrum ſicut per virtutem Patris relictam in ejus ſemine producitur corpus filii, ita & producatur anima filii, ſicut producuntur aliæ formæ ſubſtantiales? An vero a ſolo Deo immediate creetur & corpori organizato infundatur? Traductionem animarum ſuſtinuerunt Tertullianus, Apollinaris, & plures Occidentales, teſte Hieronymo, obſcuriores tamen. De ea dubitavit Aug. quem dubitantem ſecuti ſunt S. Gregorius, Eucherius, Salvianus, & Rabanus Maurus; quia videbatur ipſis difficile concipere, quomodo aliter anima infantis contraheret peccatum originale in inſtanti conceptionis, cum Deus non ſit auctor peccati.

Dico. (*Hic q.* 118. *a.* 2. *c.*) Anima rationalis non traducitur a Parentibus, ſed a Deo creatur & unitur corpori ſufficienter diſpoſito. Prob. 1. ex Scriptura. Geneſ. 2. Deus dicitur formaſſe hominem de limo terræ, & inſpiraſſe in ejus faciem ſpiraculum vitæ, id eſt illi infudiſſe animam. Eccle. 12. *Revertatur pulvis in terram ſuam unde erat, & ſpiritus redeat ad Deum qui dedit illum.* Porro ſi ſpiritus ſit ex ſemine, Deus non magis dedit illum quam corpus, & corpus non eſt magis ex terra quam ſpiritus. Hebr. 12. Parentes dicuntur *Patres carnis*, Deus autem dicitur *Pater ſpirituum.* Quod ſi animæ a Parentibus traducantur, Parentes erunt pariter Patres ſpirituum, & Deus non erit magis Pater ſpirituum quam carnis. Ita Zach. 12. Deus dicitur *fingens ſpiritum hominis in eo.* Et Pſ. 32. *Qui finxit ſigillatim corda eorum*, nomine autem cordis Scriptura ſolet intelligere animam.

Prob. 2. ex Conciliis & Patribus. Concil. Tolet. 1. in aſſertione fidei dicit: *Animam hominis non divinæ eſſe ſubſtantiæ aut Dei Patris, ſed creaturam dicimus Dei voluntate creatam.* Et Lateran. ſub Leone X. Seſſ. 8. definit animam eſſe immortalem, *& pro corporum quibus infunditur multitudine, ſingulariter multiplicabilem.* S. Ambroſ. l. de Arca & Noe c. 5. dicit: *Ex nulla homine generatur anima.* S. Hieronymus in c. 12. Eccle. *Satis ridendi ſunt qui putant animas cum corporibus ſeri, & non a Deo, ſed a corporum Parentibus generari.* S. Hier. l. 10. de Trinit. probat, Chriſtum non aſſumpſiſſe animam de B. Virgine, eo quod *anima hominis opus ſit Dei, carnis vero generatio ſemper ex carne ſit ... anima numquam ab hominis gignentium originibus, præbetur.* S. Leo Ep. 93. c. 10. dicit Catholicam fidem conſtanter prædicare, quod *animæ hominum priuſquam ſuis inſpirarentur corporibus, non fuerint, nec ab alio incorporentur niſi ab opifice Deo.* S. Bernad. Serm. 2. de Nativit. *creando immittitur, immittendo creatur.* Hæc Patres Latini. Quantum ad Græcos legendi ſunt Cyrillus Alex. l. 1. in Joan. c. 9. Theodoretus ſub finem l. 4. de materie & mundo, Athanaſ. Gregorius Niſſ. Chryſoſt. &c. Ex quibus omnibus Concluſionem noſtram nunc ad fidem pertinere & oppoſitam eſſe hæreticam videtur multis cum Auctore, qui q. 118. cit. a. 2. dicit: *Hæreticum eſt dicere quod anima intellectiva traducatur cum ſemine.*

Prob. 3. (*Ib. c.*) Ratione. Si foret virtus relicta ab anima Parentis in ſemine ad producendam animam, eſſet vel materialis vel ſpiritualis. Atqui neutrum dici poteſt.

Er-

Digitized by Google

Ergo Min. Non eſt materialis; quia nulla virtus activa agit ultra genus ſuum. Ergo virtus materialis non poteſt producere ſubſtantiam ſpiritualem. Neque dicas id poſſe in ratione virtutis inſtrumentalis, ut patet in igne inferni agente in animas & in Sacramentis producentibus gratiam ſpiritualem. Diſparitas eſt enim, quod virtus inferni & Sacramentorum ſit ab omnipotentia Dei, qui eſt ex omni parte immaterialis; at virtus ſeminis eſt ab anima, non ut omnino immaterialis, ſed ut eſt actus corporis, utens in hac operatione organo corporeo; anima autem ut eſt actus corporis non pertinet ad ordinem immaterialium, ſed materialium. 2. Non eſt ſpiritualis: tum quia, ut jam dicebam, non eſt ab anima ut eſt ſpiritualis, ſed ut eſt actus corporis, qua parte pertinet ad ordinem materialium: tum quia non poſſet permanenter ſubjectari in ſemine corporeo, donec corpus eſſet ſufficienter organizatum; quod enim permanenter recipitur in ſubjecto, ad modum illius recipitur. Ergo. Confir. Quidquid ſit illa virtus, intelligi non poteſt, quomodo maneat iners uſquequo corpus ſit perfecte organizatum, & per quid corpore perfecte organizato extincta aut ſopita excitetur ad producendam inſtrumentaliter animam; hæc inquam ſunt in intelligibilia. Ergo.

Prob. 4. (2. *cont. Gent. c. 87.*) Eorum, quæ ſunt unius generis, eſt idem modus prodeundi in eſſe. Atqui anima eſt de genere ſubſtantiarum intellectualium, quæ aliter non poſſunt intelligi prodire in eſſe niſi per viam creationis, ut patet in Angelis. Ergo.

Prob. 5. Id, cui convenit proprie fieri & non fit ex materia, creatur. Atqui animæ rationali convenit proprie fieri & non fit ex materia. Ergo creatur. Maj. & Min. ſunt probandæ. Prob. Maj. Quæ non creantur, ſed fiunt per realem traſmutationem materiæ, vel ſunt accidentia ſeu formæ non ſubſtantiales, quibus non convenit proprie & per ſe fieri, cum non per ſe & proprie ſubſiſtant, ſed dependenter a ſubjecto; vel ſunt compoſita materialia, quibus quidem convenit per ſe fieri, ſed ex materia. Ergo id cui competit proprie fieri, & non ſit ex materia, creatur. Prob. 1. Min. quoad primam partem. Illi convenit proprie & per ſe fieri, cui convenit eſſe per ſe, fieri enim eſt via ad eſſe. Atqui animæ rationali convenit eſſe per ſe, cum ſit ſubſtantia ſpiritualis independens in eſſe a quocumque ſubjecto. Ergo. Prob. eadem Min. quoad 2. partem. Anima rationalis non fit ex materia corporea, cum ipſa ſit immaterialis & incorporea; neque ex alia ſubſtantia ſpirituali; quia ſubſtantiæ ſpirituales non ſunt ad invicem tranſmutabiles. Ergo.

Solvuntur Objectiones.

OBj. 1. ex Scriptura. Geneſ. 46. dicitur: *Cunctæ animæ quæ ingreſſæ ſunt cum Jacob in Ægyptum & egreſſæ ſunt de femore illius ... Sexaginta ſex*: Quod autem egreditur de femore Patris fit per traditionem ſeminis. Similiter Geneſ. 12. Abraham dicitur tuliſſe animas, quas tum ipſe, tum Loth fecerant in Haran. Ergo. R. (*Hic q. 118. a. 2. ad 1.*) in utroque textu, per ſynecdochen partem poni pro toto, ſcilicet animam pro homine; quæ figura eſt frequens in Scriptura; non tamen hoc ſenſu, quod totus homo ſic egrediatur de femore Patris, ut quælibet pars inde egrediatur, ſed hoc ſenſu, quod virtus ſeminis ex femore Patris egredientis diſponat ad unionem animæ & corporis, ea qua unione fit homo.

Inſt. 1. Juxta Apoſt. Heb. 7. Levi decimatus eſt in lumbis Abrahæ & non Chriſtus. Atqui id non poteſt intelligi de corpore, ſi quidem Chriſtus erat in lumbis Abrahæ ſecundum corpus. Ergo de anima. Ergo animæ Levi & filiorum ejus non ſunt creatæ ſed genitæ. R. N. Min. Ad Prob. D. Chriſtus erat in lumbis Abrahæ ſecundum corpus quantum ad corporalem ſubſtantiam, C. Quantum ad rationem ſeminalem, N. Soli autem Abrahæ poſteri fuerunt decimati, id eſt Melchiſedecho decimas per Abraham dederunt, qui erant in eo non ſolum ſecundum corpus, ſed ſecundum ſeminalem rationem, qualis non fuit Chriſtus, ſecundum autem animam nullus fuit in lumbis Abrahæ.

Inſt. 2. Levit. 17. dicitur: *Anima omnis carnis in ſanguine eſt*: atqui ſanguis traducitur cum ſemine. Ergo & anima. R. N. Conſeq. Quia per animam hic intelligitur vita animalis ſive bruti tantum, ut quidam volunt, ſive etiam hominis ut intelligit Auguſtinus; & ſenſus eſt, quod vita præcipue pendeat e ſanguine, ſine quo animal moritur.

Obj. 2. In homine una & eadem eſt anima ſecundum ſubſtantiam, vegetativa, ſenſitiva, & intellectiva. Atqui anima ſenſitiva in homine generatur ex ſemine ſicut in aliis animalibus. Ergo & intellectiva. R. D. Min. (*Ibid. ad 2.*) Anima ſenſitiva, quæ recipitur in Embryone ante introductionem animæ intellectivæ, generatur ex ſemine, C. Sed iſta anima non eſt una & eadem cum anima intellectiva; ſed deſinit adveniente anima intellectiva: Anima ſenſitiva, quæ eſt in corpore humano poſt introductam animam intellectivam, generatur ex ſemine, N. Eſt enim una & eadem cum anima intellectiva, per quam homo eſt ſenſitivus & intellectivus, & quæ creatur a Deo.

Si petas, per quid corrumpantur præcedentes animæ; vegetativa & ſenſitiva? R. corrumpi per accidens per virtutem formatricem ſemini inhærentem, quæ ut inſtrumentum generantis diſponit & provenit materiam ad ulteriorem formam, animam ſcilicet rationalem, quæ eſt primarium intentum & finis generationis; unde corruptio præcedentium formarum eſt, ut dixi, per accidens, & tanquam conditio requiſita ad receptionem animæ intellectivæ, non ut principaliter intenta a generante.

Inſt. Si eſſet anima ſenſitiva in Embryone ante infuſionem animæ rationalis, ex illo non poſſet fieri homo. Falſum Conſequens. Ergo. Prob. Maj. Animalium animæ ſpecie diverſæ conſtituunt animalia ſpecie diverſa. Ergo ſi anima ſenſitiva eſſet in Embryone ante infuſionem animæ rationalis, conſtitueret animal, ſcilicet brutum, ſpecie diverſum ab homine. Subſumo. Atqui diverſæ ſpecies animalium non tranſeunt in invicem; canis enim non fit ex equo, nec bos ex cane. Ergo R. N. Sequelam. Ad Probat. D. Ant. (*Q. 3. de pot. a. 9. ad* 10.) Animæ animalium ſpecie diverſæ conſtituentes ens completum & in ſuo ultimo termino conſtituunt animalia ſpecie diverſa, C. Animæ animalium ſpecie diverſæ non conſtituentes ens completum, ſed in via tantum ad ſuum complementum, ut eſt anima ſenſitiva in Embryone, N. Sicque Embryo non eſt in ſpecie niſi per reductum, ſicut incompletum reducitur ad ſpeciem completam. Subſumptum autem non eſt verum niſi de ſpeciebus completis.

Inferes. Ergo ſaltem poterit dici, quod homo, qui tunc naſcitur, prius fuerit beſtia. R. N. Illationem 1. Quia dum Embryo ſuberat animæ ſenſitivæ nondum erat homo, ſicque non poterat tunc dici, Hic homo eſt beſtia, conſequenter nec poteſt nunc dici, Hic homo fuit beſtia; quia nulla propoſitio de præterito eſt vera, quæ non habuit aliquando ſuam de præſenti veram. 2. Quia ſolæ formæ, quæ inſunt perfecte, & ut ultimus terminus generationis denominant, non autem quæ ſunt imperfecte & ut via tantum ad ultimum terminum generationis, quales ſunt animæ vegetativæ & ſenſitivæ in Embryone hominis; denominatio enim deſumitur ab eo, quod eſt perfectum & ultimus terminus generationis, quo completur ac ponitur in certo genere vel certa ſpecie, non autem ab eo, quod eſt tantum via ad illum. Non erit tamen abſurdum dicere, quod materia, quæ ſubeſt nunc animæ rationali, ſubfuerit animæ vegetativæ, & ſenſitivæ, ſicut non eſt abſurdum dicere, quod fuerit ſemen immundum omni anima privatum.

Si tandem petas, quid ergo ſit Embryo hominis ante infuſionem animæ rationalis; ſi neque ſit planta, neque brutum? R. quod ſit compoſitum ex humano ſemine & forma diſponente ad animam rationalem.

Obj. 3. Homo generat ſibi ſimilia ſecundum ſpeciem. Atqui ſpecies humana conſtituitur per animam rationalem. Ergo anima rationalis eſt a generante. R. D. Maj. (*Hic. q. 18. a. 2. ad 4.*) Homo generat ſibi ſimile ſecundum ſpeciem, in quantum virtute ſui ſeminis diſponit materiam ad ſuſceptionem formæ, ex qua homo ſpeciem ſortitur, C. In quantum efficit ipſam formam, N. Ad hoc enim ut aliquid dicatur producere aliquod compoſitum, non eſt neceſſe, quod vel omnes vel aliquas ejus partes efficiat, ſed ſufficit, quod cauſet illarum conjunctionem, ex qua reſultat compoſitum; ſic qui facit album, neque corpus, neque albedinem efficit, ſed utrumque tantum conjungit. Eſt ergo in generatione hominis duplex actio & duplex terminus. Prima actio eſt creatio, quam facit ſolus Deus, ejus terminus eſt anima ſecundum ſuum eſſe ſimpliciter. Altera actio eſt generatio, quam facit Deus & homo, cujus terminus eſt anima ſecundum ſuum ineſſe, ſeu ſecundum unionem ad corpus.

Obj. 4. Si anima non traducatur a Parentibus, ſed a Deo creatur, concipi non poteſt, quomodo peccatum originale traducatur ab Adamo in poſteros. Ergo. Prob. Ant. Peccatum originale eſt in anima. Atqui Deus creando animam, illam non vitiat, cum non ſit auctor peccati; neque caro, in qua recipitur anima, vel ſemen per quod generatur; cum enim ſint corpora, non poſſunt naturaliter agere in animam, quæ eſt ſpiritus, nec illam inficere. Ergo non poteſt concipi, &c. Hæc fuit ratio Auguſtino & quibuſdam aliis dubitandi de traductione animarum. R. N. Ant. Ad Probat. N. Conſeq. Concipitur enim peccatum originale traduci per generationem, non quod anima per illam traducatur, neque quod Deus animam creando illam inficiat, neque quod caro aut ſemen agat efficienter in animam, ut bene probat argumentum: ſed quatenus ſemen movet diſpoſitive ad animam & ad ejus

con-

conjunctionem cum corpore, ex qua conjunctione fit hic homo, hæc natura humana, quæ invenitur privata juſtitia originali, in qua privatione, ut nobis voluntaria in Adamo, conſiſtit peccatum originale. De quo latius dixi in majori Opere Tract. de Peccatis Diſſet. 6. a. 2. §. 2.

Obj. 5. Si animæ rationales a Deo crearentur, Deus cooperaretur adulteris, ex quorum illicito coitu proles generatur. Falſum Conſequens. Ergo. R. (*Ibid. ad 5.*) quod in actione adulterorum id, quod eſt naturæ, bonum eſt, & huic Deus cooperatur: quod vero eſt inordinatæ voluntatis, malum eſt, & huic Deus non cooperatur.

Obj. 6. Illud ſolum creatur, quod producitur nullo præſuppoſito ſubjecto. Atqui anima rationalis non producitur nullo præſuppoſito ſubjecto: Ergo. R. D. Maj. Illud ſolum creatur, quod producitur nullo præſuppoſito ſubjecto, a quo educatur & dependeat in eſſe, C. Quod producitur nullo præſuppoſito ſubjecto tanquam mera conditione, a qua non dependeat in eſſe, N. Anima rationalis autem non præſupponit materiam ex qua educatur & dependeat in eſſe, cum per ſe ſubſiſtat etiam ſeparata a corpore.

ARTICULUS IV.

Utrum animæ fuerint creatæ ante corpora?

ERror fuit Originis & Priſcillianiſtarum omnes animas ab initio mundi fuiſſe creatas cum Angelis, & in pœnam peccatorum, quæ commiſerunt tunc ſine corpore, fuiſſe detruſas in corpora tanquam in carceres. Contra quos

Dico. Animæ rationales non fuerunt creatæ ante corpora, ſed creantur & corporibus ſuis infunduntur, dum ſunt ſufficienter diſpoſita. Prob. 1. ex illo Apoſt. Rom. 9. *Cum nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent vel mali*. Ergo ante nativitatem hominis, animæ neque peccaverunt neque bene egerunt. Ergo nec extiterunt; non enim otioſæ fuiſſent. Prob. 2. ex S. Leone cit. probat. 2. præcedentis art. qui dicit fidem catholicam conſtanter prædicare, quod *animæ hominum priuſquam ſuis inſpirarentur corporibus non fuerint*. Idem docent conſtanter SS. Patres, qui adverſus Origeniſtas & Priſcillianiſtas inſurrexerunt, S. Cyrillus l. 1. in Joan. c. 6. S. Hierony. Ep. 27. S. Chryſoſt. S. Bernardus, & alii. Prob. 3. (*Ibid.*) ratione. Anima rationalis eſt per ſe forma corporis, ut definitum eſt in Concil. Viennenſi & habetur Clementina de ſum. Trin. Ergo illi naturale eſt uniri corpori. Subſumo. Atqui non fuit conveniens, ut Deus ſuum opus inciperet ab imperfectis, quæ ſunt præter naturam; non enim fecit hominem ſine manu vel pede, quod eſſet præter naturam hominis. Ergo multo minus fecit animam ſine corpore. Prob. 4. Si animæ ab initio mundi creatæ cum Angelis peccaſſent, nunquam fuiſſet ſtatus innocentiæ, qualis a Scriptura deſcribitur & ab Eccleſia defenditur. Ergo. Confir. Scriptura ſæpe exprobat hominibus peccata præſentis vitæ, nunquam vitæ anterioris. Unde hoc? niſi quia nulla fuit vita anterior.

Dices 1. Geneſ. 2. dicitur: Deus requievit die ſeptimo ab univerſo opere quod patrarat. Ergo nihil nunc Deus producit per creationem; conſequenter nec animas rationales. R. N. (*Ibid. q. 118. a. 3. ad 1.*) Conſeq. Deus enim dicitur ceſſaſſe ab omni opere, non ſimpliciter, ſi quidem dicatur Joan. 5. *Pater meus uſque modo operatur*; ſed a novis rerum generibus & ſpeciebus condendis, quæ in primis operibus non aliquo modo extiterunt; animæ autem humanæ, quæ nunc creantur, præextiterunt ſecundum ſimilitudinem ſpeciei in primis operibus, in quibus anima Adæ fuit creata.

Dices 2. Sapient. 8. Salomon dicit. *Puer autem eram ingenioſus & ſortitus ſum bonam animam, & cum eſſem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum*. Ergo anima creata erat ante corpus. R. N. Conſeq. Senſus enim ſapientis eſt, quod cum bonam animam Dei munere ſortitus eſſet, effecit corpus ſuum purum a coinquinationibus ſæculi. Adde, quod hæc auctoritas non faveat Origeniſtis & Priſcillianiſtis, qui dicunt animas eſſe in corpora ut in carceres detruſas in pœnam peccatorum.

ARTICULUS V.

An & qua ratione homo ſit factus ad imaginem Dei?

HOMINEM eſſe factum ad imaginem Dei aperte conſtat ex Scriptura. Geneſ. 1. dicit Deus: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram ... Et creavit Deus hominem ad imaginem ſuam, ad imaginem Dei creavit illum, maſculum & fœminam creavit eos*. Sap. 2. & Eccli. 17. ſed quæſtio eſt, qua ratione homo ſit imago Dei?

Dico (*Hic q. 93. a. 1. & 2.*) Homo eſt vera Dei imago ratione naturæ intellectualis, imperfecta tamen. Prob (*Ib.*) 1. pars. Ad rationem imaginis duo requiruntur. Primum, quod ſit ſimilis illi, cujus eſt imago in ratione ſpecifica & ultima differentia, vel in ſigno ſpeciei, vel ſaltem in nobiliſſima proprietate illius. Secundum, ut ſimilitudo ſit expreſſa & deducta ex eo, cujus dicitur imago: quia imago dicitur ex eo, quod imitatur alterum; ſic Filius eſt imago Patris, repræſentatio Cæſaris in tela vel cupro eſt imago Cæſaris; quia utrumque eſt in ſimilitudinem naturæ ſpecificæ vel in ejus ſignum, & expreſſum atque deductum ex eo, cujus eſt imago; defectu primæ conditionis pediculi, qui naſcuntur ex homine, non ſunt ejus imagines, quia illi non aſſimilantur in natura ſpecifica, ſed generica tantum; defecto ſecundæ conditionis ovum non eſt imago alterius ovi; quia licet ſit illi ſimile in natura ſpecifica, non eſt tamen ex eo deductum & expreſſum. Atqui homo habet has duas conditiones reſpectu Dei, ratione naturæ intellectualis. Ergo. Prob Min. Homo eſt expreſſus & factus ab ipſo Deo ſecundum ſimilitudinem illius naturæ intellectualis, quæ eſt in Deo ultima differentia & quaſi ſpecies; ſecundum enim hanc naturam intellectualem homo eſt aptus ad cognoſcendum & amandum Deum, ſicut Deus ſe cognoſcit & amat. Ergo. Prob. (*Ibid.*) 2. pars. Similitudo Dei in homine non eſt ad æqualitatem, cum exemplar excedat in infinitum hoc exemplatum. Et hoc indicat Scriptura dicens hominem factum ad imaginem Dei; præpoſitio enim *ad* acceſſum quemdam ſignificat, qui competit rei diſtanti. Unde ſolus Filius Dei eſt perfecta imago Patris æterni.

Ex dictis colliges 1. (*Ibid. a. 2. c.*) Creaturas irrationales proprie loquendo non eſſe factas ad imaginem Dei; quia licet illi aſſimilentur aliquo modo ſecundum genus, ſcilicet in eſſe & vivere, non tamen ſecundum ſpeciem ſeu gradum intellectualis naturæ, qui eſt ſupremus gradus naturæ. Colliges 2. (*Ibid. a. 3. c.*) Angelos eſſe perfectius factos ad imaginem Dei, quam homines; quia ſunt perfectiores in natura intellectuali. Colliges 3. (*Ibid. a. 4. c. & ad 1.*) Imaginem Dei reperiri in quolibet homine, ſive maſculo, ſive fœmina, ſive bono, ſive malo, quia in quolibet homine eſt anima intellectualis, ſecundum quam eſt aptus ad cognoſcendum & amandum Deum. Unde Geneſ. 1. cum Moyſes dixiſſet: *Ad imaginem Dei creavit illum*, ſcilicet hominem, ſubdit, *maſculum & fœminam creavit eos*.

Attamen (*Ibid. ad 1.*) ſecundum aliquid ſecundarium imago Dei invenitur in homine ſecundum quod non invenitur in muliere: nam vir eſt principium & finis mulieris, ſicut Deus eſt principium & finis omnis creaturæ. Unde cum Apoſt. 1. Cor. 11. dixiſſet; quod vir ſit *imago & gloria Dei, mulier autem gloria viri*, oſtendit quare hoc dixerit ſubdens; *non enim vir ex muliere eſt, ſed mulier ex viro*, quantum ſcilicet ad primam eorum creationem; & *non eſt creatus vir propter mulierem, ſed mulier propter virum*. Adde quod in homine magis vigat ratio, quam in muliere.

Obſervandum eſt autem, (*Ibid. c.*) quod cum homo ſecundum naturam intellectivam ad imaginem Dei eſſe dicatur, ideo ſit maxime ad imaginem Dei ſecundum quod intellectualis natura Deum imitari poteſt; imitatur autem maxime Deum intellectualis natura in hoc, quod Deus ſeipſum cognoſcit & amat. Unde imago Dei poteſt tripliciter conſiderari in homine: uno quidem modo ſecundum quod homo habet aptitudinem naturalem ad cognoſcendum & amandum Deum, & hæc aptitudo conſiſtit in ipſa natura mentis, ſecundum quam creatus eſt homo, & ideo vocatur imago creationis ſeu naturæ. Alio modo ſecundum quod homo per fidem & charitatem cognoſcit & amat Deum ſupernaturaliter, ſed tamen imperfecte, quod cum fiat per gratiam, per quam anima novo quodam modo creatur, dicitur imago recreationis. Tertio modo ſecundum quod homo Deum per lumen gloriæ & charitatem patriæ perfecte cognoſcit & amat, de qua Rom. 8. *Prædeſtinavit conformes fieri imaginis filii ſui*. Et hæc imago dicitur imago ſimilitudinis gloriæ. Prima convenit omnibus hominibus etiam malis. Secunda ſolis juſtis. Tertia ſolis beatis. Quando ergo quidam Patres dicunt imaginem Dei per peccatum deleri in hominibus, intelligendi ſunt de imagine recreationis per gratiam, non de imagine creationis ſeu naturæ.

Petes, utrum in homine ſit imago Dei non ſolum quantum ad naturam divinam, ſed etiam quantum ad Trinitatem perſonarum? R. affirmative: (*Ibid. art. 6. 7. & 8. opuſc.*) quia homo non ſolum imitatur naturam divinam quatenus ſe intelligit & diligit, ſed etiam quatenus ſe intelligendo producit verbum & ſe diligendo amorem: homo enim ſimiliter cognoſcendo Deum producit verbum, & ipſum diligendo producit amorem, ſicque in eo repetitur principium verbi, verbum, & amor, quibus in Deo conſtituitur Trinitas perſonarum.

DIS-

DISSERTATIO IV.

DE CONDITIONE PRIMI HOMINIS, QUANTUM AD INTELLECTUM ET VOLUNTATEM.

ARTICULUS I.

Utrum homo in ſtatu innocentiæ viderit Deum vel Angelos per eſſentiam?

Dico 1. (*Hic q. 94. a.* 1. 2.) Primus homo in ſtatu innocentiæ non vidit Deum per eſſentiam ſecundum communem ſtatum illius vitæ, perfectius tamen illum cognovit, quam nos illum cognoſcamus. Prob. 1. pars: (*Ibid.*) viſionem permanentem Dei per eſſentiam ſequitur neceſſario impeccabilitas, ut alibi probavimus. Atqui Adam non fuit impeccabilis. Ergo.

Dixi; *ſecundum ſtatum communem illius vitæ*; quia poſſet eſſe dubium, num in extaſi ſeu ſopore, quem Deus Adæ immiſit, non viderit Deum per eſſentiam per modum tranſeuntis, ſicut alibi diximus Moyſen & Paulum vidiſſe. Quamvis Auctor nihil hic determinet, propendet tamen in ſententiam negantem q. 18. de verit. a. 1. ad 14. ubi dicit: *Quia non expreſſe habetur, quod illo ſopore Deum per eſſentiam viderit, poſſumus dicere, quod in illa extaſi elevatus fuit non ad ipſam Dei eſſentiam, ſed ad cognoſcenda quædam profundiora de divinis myſteriis.*

Prob. 2. pars. (*Ibid.*) Adam in ſtatu innocentiæ non ſolum cognoſcebat Deum ex ſenſibilibus & intelligibilibus effectibus ſicuti nos, ſed etiam per immediatam revelationem; & dum nos a plena & lucida intelligibilium contemplatione impedimur per ſenſibilia, per quæ diſtrahimur & circa quæ occupamur, Adam non impediebatur; quia in ea rectitudine, in qua creatus fuerat, inferiora ſuperioribus ſubdebantur, & ſuperiora ab inferioribus non impediebantur. Ergo.

Dico 2. (*Ibid. a.* 2. *c.*) Primus homo in ſtatu innocentiæ non vidit Angelos per eſſentiam, perfectius tamen eos cognovit, quam nos cognoſcamus. Prob. 1. pars. (*Ibid.*) Primus homo in ſtatu innocentiæ naturaliter cognoſcebat ſicuti nos, per converſionem ad phantaſmata. Atqui in phantaſmate, quod eſt corporeum & materiale, non poteſt repræſentari eſſentia ſubſtantiæ ſpiritualis, qualis eſt Angelus. Ergo. Prob. Maj. Anima tam in ſtatu naturæ innocentis, quam lapſæ erat accommodata corpori ſecundum animalem vitam, dicitur enim; *primus homo factus eſt in animam viventem*, id eſt dantem corpori vitam utique animalem. Atqui modus operandi ſequitur modum eſſendi. Ergo anima accomodata corpori ſecundum vitam animalem operatur & intelligit ſecundum modum vitæ animalis, qui eſt per converſionem ad phantaſmata.

Erat tamen diſcrimen, quod, ut jam diximus, nos per ſenſibilia diſtrahimur & impedimur a lucida contemplatione intelligibilium, non ſic Adam in ſtatu innocentiæ, in quo inferiora ſubdebantur ſuperioribus, nec ſuperiora impediebantur ab inferioribus; unde ad nutum utebatur phantaſmatibus ſicut pede aut manu. Et hinc ſequitur Adam in ſtatu innocentiæ habuiſſe fixiorem & certiorem intelligentiam Angelorum quam nos; quod eſt 2. pars Concluſionis.

ARTICULUS II.

Quarum rerum cognitionem habuerit primus homo?

Dico 1. (*Ibid. a.* 3. 2.) Primus homo habuit cognitionem a Deo infuſam omnium rerum, quas homines naturaliter cognoſcere poſſunt, ſupernaturalium vero tantam habuit cognitionem, quanta erat neceſſaria ad gubernationem humanæ vitæ ſecundum illum ſtatum ordinatam ad finem ſupernaturalem. Prob (*Ibid.*) Primus homo a Deo conditus eſt, ut eſſet principium aliorum hominum, non ſolum per generationem corporalem; ſed etiam per inſtructionem & gubernationem, non ſolum in ordine naturali & morali; ſed etiam ſupernaturali, ad quem erat elevatus. Ergo ſicut inſtitutus eſt in ſtatu perfecto quantum ad corpus ut ſtatim poſſet generare, ita etiam inſtitutus eſt in ſtatu perfecto quantum ad animam ut poſſet ſtatim alios inſtituere, ſe & alios gubernare tam in ordine naturali & morali, quam ſupernaturali, ad quem totum genus humanum in Adamo erat elevatum. Subſumo. Atqui non potuiſſet bene alios inſtruere, ſe & alios gubernare tam in ordine naturali & morali, quam ſupernaturali, niſi habuiſſet cognitionem omnium rerum tam naturalium, quam moralium, quæ ſtudio & diligentia humana acquiri poſſunt, & earum ſupernaturalium, quæ ad finem ſupernaturalem ſunt ſcitu neceſſariæ. Ergo. Hinc Eccli 7. Sapiens de primis parentibus dicit: *Diſciplina intellectus replevit illos, creavit illis ſcientiam ſpiritus, ſenſu implevit cor illorum, &c.*

Hinc inferes 1. Adam habuiſſe fidem explicitam myſteriorum divinorum & ſpecialiter incarnationis, et docet Auctor 2. 2. q. 2. a. 7. non quidem ut ordinabatur ad liberationem a peccato: Adam enim non fuit præſcius ſui peccati, alioquin fuiſſet miſer ante peccatum, ſed ut ordinabatur ad conſummationem gloriæ. Porro ſi incarnationis, conſequenter Trinitatis habuit fidem explicitam, cum incarnationis non poſſit explicite credi ſine fide explicita Trinitatis. Inferes 2. Adam habuiſſe cognitionem rerum omnium naturalium non ſolum terreſtrium, ſed etiam cœleſtium. Præter dicta, confirmatur eo quod omnia animalia adducta ſint ad Adam, ut illis nomina imponeret, indubie non ad placitum, ſed juxta naturas & proprietates illorum; ſubditur enim; *Omne quod vocabit Adam animæ viventis, ipſum eſt nomen ejus*, id eſt ipſius naturæ conveniens. Cognovit ergo Adam omnium animalium naturas & proprietates; quidni etiam naturas & proprietates aliarum rerum naturalium ſive terreſtrium ſive cœleſtium.

Si opponas cum Cajetano illud Pſ. 146. de Deo: *Qui numerat multitudinem ſtellarum & omnibus eis nomina vocat*: ex quo infert notitiam rerum cœleſtium ſoli Deo eſſe reſervatam. R. N. Conſeq. Licet enim ex eo quod Adam impoſuerit omnibus animalibus nomina eorum naturis convenientia, bene ſequatur, quod ea cognoverit, ex eo tamen, quod non impoſuerit nomina aſtris, non ſequitur, quod ea non cognoverit; multa enim cognovit, ut inanimata & vegetabilia, quibus tamen nomina non impoſuit. Intelligitur ergo textus Pſalmi de perfectiſſima aſtrorum notitia, quæ ſoli Deo competit, non de communi & humana, ſi quidem illam dedit Deus Salomoni juxta illud Sap. 7. *ut ſciat diſpoſitionem orbis terrarum & virtutes elementorum, viciſſitudinum permutationes & commutationes temporum, anni curſus & ſtellarum diſpoſitiones.* Si autem Salomoni hanc Deus tradidit notitiam, a fortiori Adæ, qui erat inſtitutus Magiſter & Doctor poſterorum.

Dices. Geneſ. 3. Serpens promiſit primis Parentibus ſcientiam boni & mali. Ergo eam non habebant. R. Serpentem non promiſiſſe primis Parentibus ſcientiam, qualem habent homines, & qualem nos dicimus infuſam fuiſſe primis Parentibus, ſed mendaciter promiſit illis ſcientiam divinam; unde dicebat; *Eritis ſicut Dii ſcientes bonum & malum.*

Quantum vero ad ea, quæ nec ſtudio humano ſciri ſunt, nec ſunt ſcitu neceſſaria ad finem ſupernaturalem conſequendum, à primo Parente fuiſſe cognita, nec auctoritas nec ratio ſuadent. Quapropter non ſcivit ſecreta cordium, nec futura omnino contingentia, quæ ſcilicet pendent e libero arbitrio, nec omnia & ſingula ſpecierum individua, quæ ejus conſpectui non offerebantur, puta quot lapilli jaceant in flumine & ſimilia. Unde potuit proficere in ſcientia tam quoad numerum individuorum in unaquaque ſpecie, quam ad modum ſciendi, quæque ſciebat per ſcientiam infuſam potuit ſcire per exprimentalem.

Petes 1. Utrum ſcientia naturalium Adæ infuſa eſſet ejuſdem ſpeciei ac noſtra? R. affirmative, (*Ib. a. a. 3. ad 1.*) quia erat tantum per accidens infuſa, cum poſſet acquiri humano ſtudio. Sic oculi, quos Chriſtus cæco nato dedit, fuerunt ejuſdem ſpeciei cum oculis, quos natura producit,

Petes 2. Utrum Adam fuerit omnium hominum ſapientiſſimus? R. affirmative, excepto Chriſto; patet, quia nullus præter Adamum inſtitutus fuit Magiſter & Gubernator omnium hominum vel per ſe vel per ſuos poſteros, quos ipſe inſtruxiſſet. Ergo conveniens erat, ut ipſe cæteris hominibus ſcientiæ præſtantia antecelleret.

Dices 3. Reg. 3. Deus dicit Salomoni: *Dedi tibi cor ſapiens & intelligens, in tantum ut nullus ante te ſimilis tui fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit.* Ergo. R. 1. Sermonem ibi eſſe de ſapientia naturali, non de ſupernaturali; unde dato Salomonem eſſe præferendum omnibus in ſcientia naturali, in ſcientia ſupernaturali tamen non eſt præferendus Adamo, imo nec Abrahæ, Moyſi, pleriſque Prophetarum & Apoſtolorum, maxime B. Virgini. R. 2. Neque etiam quoad ſapientiam naturalem eſt præferendus Adamo; quia juxta communem interpretum ſententiam comparatio in hoc textu fit cum aliis hominibus vulgari modo procreatis, quorum nullus fuit, ſicut Adam a Deo immediate creatus & conſtitutus Magiſter ac Gubernator generis humani. Vel juxta Hierony. in c. 1 Eccle. Comparatio fit tantum cum iis, qui ante Salomonem fuerunt in Jeruſalem, et ipſe Salomon dicit cit. c. Eccle. *Ecce*,

inquit, *magnus effectus ſum & præceſſi omnes ſapientia, qui fuerunt ante me in Jeruſalem.*

Dixi; *excepto Chriſto*, de quo nullus dubitat. De B. Virgine autem poſſet eſſe dubium, quod ſic reſolvimus cum S. Antonino p. 4. Tit. 15. c. 10. Quantum ad notitiam rerum ſupernaturalium & Theologicarum majorem habuit B. Virgo quam Adam. Quantum vero ad notitiam rerum materialium & civilium majorem habuit Adam quam B. Virgo; quia inter eas res plures ſunt, quas B. Virginem ſcire nihil referebat, & quæ in ea fuiſſent ſuperfluæ. ut ſunt plures artes, quæ ſunt propriæ viris, v. g. Militiæ, Mercaturæ, Navigationis, Cementariæ, &c. Item ea, quæ ſpectant populorum gubernationem, ad quam non erat deſtinata B. Virgo.

Petes 3. Utrum homo in ſtatu innocentiæ potuerit errare ſeu decipi? R. negative. (*Ib. a. 4. o.*) 1. Quia error ſeu deceptio eſt malum, manente autem ſtatu innocentiæ, nullum in homine malum eſſe potuit. Unde Aug. l. 3. de lib. arbit. c. 18. dicit: *Approbare falſa pro veris, ut erret invitus, non eſt natura inſtituti hominis, ſed pœna damnati.* 2. Quia rectitudo & perfectio hujus ſtatus requirebat, ut homo eſſet ſapientiſſimus, ideoque quantum ad ea, quæ ſciebat, non aliter judicaret, quam e parte rei ſe habebant, quantum autem ad ea, quæ neſciebat, aſſenſum cohiberet, donec veritas ei conſtaret, aut ſi ex indiciis & conjecturis judicium ferret, illud non eſſet de ipſis rebus, ſed de earum vel poſſibilitate, vel veriſſimilitudine, juxta vim indiciorum & conjecturarum, in quo non eſt falſitas. (*Ibid. ad 4.*) Ad hæc autem, ut patet, neceſſaria erat ſpecialis Dei providentia, quæ hominem ab omni errore præſervaret.

Dices. Eva decepta fuit a Serpente, ut ipſamet fatetur Geneſ. 3. dicens: *Serpens decepit me.* Similiter Adam, juxta Aug. l. 14. de Civit. c. 11. fuit deceptus quatenus exiſtimavit, quod non eſſet gravis culpa ſi manducaret de fructu vetito, ne contriſtaret uxorem. Ergo R. ad 1. (*Ib. ad 1.*) quod in Eva deceptionem præceſſerit peccatum non operis quidem ſed cordis, ſcilicet mentis elatio, quo ſuam excellentiam inordinate appetiit, quam elationem ad verba Serpentis ſtatim concepit. Ad 2. Aug. non intelligit Adamum habuiſſe judicium poſitivum, quod iſtud peccatum eſſet leve, ſed tantum quod ſe habuerit negative, quatenus non conſideravit gravitatem culpæ, conſtat enim ex 1. Tim. 2. Adamum non fuiſſe ſeductum. Sed eſto fuerit ſeductus, (*Ib. ad 4.*) R. ut prius de Eva, peccatum in ejus corde, ſcilicet mentis elationem, præceſſiſſe deceptionem.

Inſt. Eva exiſtimavit ſerpentem ex natura ſua poſſe loqui. Ergo erravit. Prob. Ant. Non horruit Serpentem loquentem. Ergo exiſtimavit, &c. R. N. Ant. Ad Prob. N. Conſeq. (*Ib. ad 2. & q. 18. de verit. a. 6. ad 3.*) ideo enim Eva non horruit Serpentem loquentem, non quia putavit eum ex natura ſua poſſe loqui, ſed partim quia in illo ſtatu beſtiæ erant homini ſubditæ, nec illi noxiæ, partim quia putavit ſerpentem loqui per virtutem aliquam occultam, non reflectens an eſſet a bono vel malo ſpiritu.

ARTICULUS III.

Utrum primus homo creatus fuerit in gratia ſanctificante?

PRIMUM hominem conſtitutum fuiſſe in gratia, antequam peccaret, eſt Doctrina fidei definita in Concilio Trid. Seſſ. 5. Can. 1. his verbis: *Si quis non confitetur primum hominem Adam, cum mandatum Dei in Paradiſo fuiſſet tranſgreſſus, ſtatim ſanctitatem & juſtitiam in qua conſtitutus fuerat amiſiſſe, anathema ſit.* Concilium dicit *conſtitutus*, & non *creatus*, ut declinaret controverſiam inter Theologos, de qua hic eſt quæſtio. (*Hic q. 95. a. 1. o.*) Quidam enim, ſaltem tempore D. Th. agnoſcebant quidem donatum fuiſſe gratia ſanctificante antequam peccaret, eam tamen non accepiſſe in ſua creatione: ſed cum communi nunc & longe probabiliori ſententia

Dico. (*Ib.*) Primus homo creatus fuit in gratia ſanctificante. Prob. 1. ex illo Eccle. 7. *Fecit Deus hominem rectum.* Atqui ſecundum phraſim Scripturæ, recti dicuntur juſti: unde Cantic. 1. *Recti diligunt te.* Pſ. 7. *Salvos facit rectos corde.* Pſ. 32. *Exultate juſti in Domino, rectos decet collaudatio.*

Prob. 2. ex Patribus. Hieronymus l. 1. adverſus Jovin. c. 19. dicit: *Cum boni creati ſimus & recti a Deo, ipſi vitio noſtro ſumus ad pejora delapſi.* Hilar. apud Aug. l. 2. cont. Jul. c. 8. *In Adæ offenſa generoſitatem primæ & beatæ creationis amiſimus.* Ipſe Aug. l. de corrept. & grat. c. 11. *Nec ipſam ergo Adamum Deus eſſe voluit ſine gratia, quam reliquit in ejus libero arbitrio.* Et in Enchird. c. 105. dicit Adamum fuiſſe *conditum in ſalute.* Damaſc. l. 2. de fide c. 12. *Creavit Deus hominem innocentem, rectum, probum, omni virtutum genere ornatus, Angelum alterum, adoratorem mixtum ſpiritum ſimul & carnem, ſpiritum ob gratiam.*

Prob. 3. Rationibus. 1. (*Ib. in arg. ſed c.*) Eadem eſt hic ratio de homine ac de Angelo, æqualiter enim uterque ordinatur ad gratiam. Atqui Angeli fuerunt creati in gratia, ut probavimus in Tract. de Angelis, & definit. Aug. l. 12. de Civit. dicens de Angelis: *Deus erat ſimul in illis condens naturam & largiens gratiam.* Ergo.

R. Rectitudo, in qua Deus creavit hominem, in hoc ſita erat, quod ratio ſubdebatur Deo, rationi inferiores vires, & animæ corpus; prima autem ſubjectio erat cauſa ſecundæ & tertiæ. Atqui ſecunda & tertia non erant naturales; alioquin manſiſſent poſt peccatum. Ergo nec prima: ſicque erat per donum ſupernaturale gratiæ. 3. Deus creavit alias creaturas cum virtute aſſequendi ſuos fines: ergo & hominem. Subumo. Atqui finis, ad quem homo erat ordinatus, eſt ſupernaturalis, quem conſequi non poterat ſine gratia ſanctificante. Ergo.

Dices 1. Apoſt. 1. Cor. 15. diſtinguens Adamum a Chriſto dicit: *Factus eſt primus Adam in animam viventem, noviſſimus autem in Spiritum vivificantem.* Atqui vivificatio Spiritus eſt per gratiam. Ergo. R. N. Conſeq. Quia Apoſtolus ibi comparat Adamum cum Chriſto, non quantum ad animam, ſed quantum ad corpus in ejus reſurrectione, ita ut ſenſus ſit, quod Adam in ſua creatione acceperit corpus animale indigens alimento, ut cætera animalia; Chriſtus autem in ſua reſurrectione acceperit corpus ſpiritale, hoc eſt non indigens alimentis.

Dices 2. S. Cyprianus Ep. 74. cum dixiſſet hominem naſci per Baptiſmum, & accipere per Confirmationem Spiritum S. ſubjungit; *ut Spiritum jam natus accipiat, ſicut in primo homine factum eſt, cum enim Deus plaſmavit & tunc inſufflavit in faciem ejus flatum vitæ* (ſcilicet Spiritum S.) *neque enim poteſt accipi Spiritus, niſi prius fuerit qui accipiat.* Ergo. R. S. Cyprianum quantum ad Adamum intelligere de prioritate naturæ, non temporis, ut patet ex ultimis verbis. Unde paritas cum Sacramento Confirmationis tenet quoad prioritatem ſimpliciter, non vero quoad qualitatem prioritatis.

Dices 3. Hieron. in Ep. ad Philemonem negat Adamum fuiſſe bonum & rectum. Ergo R. Hieronymum loqui de bonitate, quæ non voluntarie, ſed ex neceſſitate eſſet in Adamo, ita ut ab ea excidere non poſſet, ut ibid. explicat S. Doctor.

Dices 4. Bernardus ſuper illud: *Ecce nos reliquimus omnia*, dicit Evæ ante tranſgreſſionem defuiſſe prudentiam, Adæ temperantiam. Ergo. R. Bernardum nihil aliud velle, quam quod iſtæ virtutes primis Parentibus defuerint, quando peccabant; dicit enim ibidem, quod pariter Petro defuerit fortitudo, non quod antea non habuerit, ſed quia non exhibuerit quando erant exhibenda. Aliunde de fide eſt, ut dixi prius, Adamum antequam peccaret accepiſſe gratiam & conſequentes virtutes.

Plura poſſent objici ex Aug. contraria Concluſioni noſtræ, quæ quidam explicare conantur: ſed brevius reſpondeo hæc Auguſtinum retractaſſe non ſolum locis citatis inter probationes, ſed etiam l. 1. de Retract. c. 10. & 14. l. 2. c. 24.

Petes 1. Utrum primus homo juſtificatus fuerit more adultorum mediante actu liberi arbitrii, ſcilicet conſenſu in acceptationem gratiæ. R. probabilius affirmative. 1. (*Ibid. ad 5.*) Quia per collationem gratiæ contrahitur ſpiritualis amicitia inter Deum & hominem; amicitia autem importat mutuam animorum conſenſionem. Ergo dum confertur gratia habenti uſum rationis, conveniens eſt ut ipſi illius collationi per aliquem ſuum actum conſentiat. Subſumo. Atqui Adam creatus fuit cum perfecto uſu rationis. Ergo. 2. Quia modus recipiendi gratiam, libere ejus infuſioni conſentiendo, nobilior eſt quam ille modus, quo infantes recipiunt; nihil autem vetat hunc nobiliorem modum primo Parenti attribuere. Porro hic conſenſus liberi arbitrii, licet fuerit ſimul tempore cum infuſione gratiæ, poteſt tamen dici diſpoſitio ad illam, quatenus eam natura præcederet in genere cauſæ materialis; ſequeretur autem in genere cauſæ efficientis. Confer. majus Opus noſtrum Tract. de Gratia Diſſ. 6. a. 5.

Quid ſit integritas naturæ? Quid juſtitia originalis? Require in eodem Tract. Diſſert. 2. art. 1. §. 2. & 3. Aut in Compendio Tract. de Grat. Diſſert. 1. a. 5. Hanc integritatem & juſtitiam originalem non ſic eſſe debitam humanæ naturæ, ut ſtatus naturæ puræ eſſet impoſſibilis. Ibid. art. 2. Tam Adamo quam Angelis præter gratiam habitualem fuiſſe neceſſariam gratiam actualem per ſe efficacem ad perſeverandum. Ibid. art. 4.

Petes 2. Utrum in primo homine fuerint animæ paſſiones? R. 1. (*Ib. a. 2 o.*) Paſſiones, quæ reſpiciunt malum ut timor & dolor & hujuſmodi, ſimiliter illæ paſſiones, quæ reſpiciunt bonum non habitum, nec habendum, ut cupiditas æſtuans, non fuerunt in primo homine inno-

cente,

cente ; quia in primo ſtatu nullum malum aderat, nec imminebat difficile vitabile, neque aliquod bonum aderat, quod cuperet voluntas pro illo tempore habendum. Unde quamvis Adam ſciret ſe poſſe peccare, & quod ſi peccaſſet incurreret mortem, neutrum tamen timebat; quia objectum timoris non eſt quodcumque malum, ſed malum imminens difficile vitabile; Adæ vero in ſtatu innocentiæ nullum malum, nec etiam peccatum, quod non poſſet facile vitare, imminebat. 2. (*Ib.*) Paſſiones, quæ poſſunt eſſe de bono præſenti, ut gaudium & amor, vel quæ ſunt de futuro bono ſuo tempore habendo, ut deſiderium, & ſpes non affligens, fuerunt in primo homine innocente, cum nihil habeant quod repugnet ſtatui innocentiæ; fuerunt tamen aliter quam in nobis; quia in nobis, cum appetitus ſenſualis, in quo ſunt paſſiones, non totaliter & perfecte ſubdatur rationi, quandoque paſſiones præveniunt judicium rationis & illud impediunt; in ſtatu vero innocentiæ, appetitus inferior erat totaliter rationi ſubjectus; unde in eo non erant paſſiones, niſi ex judicio rationis conſequentes.

Petes 3. Utrum Adam in ſtatu innocentiæ habuerit omnes virtutes? R. (*Ibid. a. 4. o.*) Adam in ſtatu innocentiæ aliqualiter habuit omnes virtutes; quia, ut dictum eſt, talis erat rectitudo primi ſtatus, quod ratio erat Deo ſubjecta, inferiores autem vires rationi; Atqui virtutes nihil aliud ſunt, quam perfectiones quædam, quibus ratio ordinatur in Deum, & inferiores vires diſponuntur ſecundum regulam rationis. Ergo. Confir. Primus homo ut diximus, fuit creatus in gratia ſanctificante. Atque gratia ſanctificans eſt radix omnium virtutum, quæ ab ipſa tanquam proprietates ab eſſentia fluunt. Ergo.

Dixi: *Aliqualiter*; quia non omnes virtutes eodem modo & æque perfecte fuerunt in primo homine: quædam enim fuerunt quoad habitum & actum; quædam quoad habitum tantum. Virtutes, quæ nullam involvunt imperfectionem, ut charitas & juſtitia, fuerunt quoad habitum & actum: quæ important imperfectionem, ſed non repugnantem perfectioni primi ſtatus, ut fides, quæ eſt de non viſis, & ſpes, quæ eſt de non habitis, pariter fuerunt quoad habitum & actum: quæ vero important imperfectionem repugnantem perfectioni primi ſtatus, ut pœnitentia & miſericordia, fuerunt quoad habitum tantum & non quoad actum; perfectioni enim primi ſtatus repugnabat peccatum de quo eſt pœnitentia, & miſeria aliena de qua eſt miſericordia; erat tamen ſic diſpoſitus Adam, ut ſi peccaſſet, doleret, & ſi miſeriam in alio videret, eam pro poſſe repelleret, ſicque pœnitentia & miſericordia in eo erant quoad habitum.

ARTICULUS IV.

De Dominio quod habuerit primus homo in ſtatu innocentiæ ſuper alias creaturas.

Dico 1. (*Hic q. 96. a. 1. o.*) Primus homo habuit dominium ſuper omnia animalia non ſolum quoad jus & poteſtatem, ſed etiam quoad exercitum & uſum, ita ut imperaret & ei obediebatur. Conſtat (*Ibid. in art. ſ. c.*) ex Geneſ. 1. ubi de homine dicitur: *Et præſit piſcibus maris & volatilibus cæli & beſtiis univerſæ terræ, omnique reptili, quod movetur in terra.* Item ibid. Deus dicit primis parentibus: *Dominamini piſcibus maris & volatilibus cæli & univerſis animalibus, quæ moventur ſuper terram.*

Prob. ratione. (*Ibid. o.*) Inobedientia ad hominem eorum, quæ naturaliter debent eſſe ei ſubjecta, ſubſecuta eſt in pœnam ejus; eo quod ipſe fuit inobediens Deo. Ergo ante hanc primam inobedientiam nihil ei repugnabat, quod deberet eſſe naturaliter ei ſubjectum. Subſum. Atqui omnia animalia ſunt naturaliter homini ſubjecta. Ergo. Prob. Subſumptum tripliciter. 1. Imperfectiora naturaliter cedunt in uſum perfectorum; ſic plantæ utuntur terra ad ſui nutrimentum, animalia plantis, & homines plantis & animalibus. Ergo homo naturaliter dominatur animalibus. 2. Secundum primam naturæ inſtitutionem talis erat divina providentia, ut inferiora gubernaret per ſuperiora, & inferiora ſine repugnantia ſubjicerentur ſuperioribus. Atqui homo ad imaginem Dei factus eſt ſuperior omnibus animalibus. Ergo. 3. In aliis animalibus invenitur ſecundum æſtimationem naturalem quædam participatio prudentiæ ad aliquos particulares actus, v. gr. in hirundine ad nidificandum; in homine autem eſt univerſalis prudentia, quæ eſt ratio omnium agibilium. Atqui quod eſt per participationem, ſubditur ei, quod eſt per eſſentiam & univerſaliter. Ergo.

Dices. Naturalia per peccatum non fuerunt ablata. Atqui ex dictis Dominium ſuper animalia eſt naturale homini. Ergo etiam nunc, ſicut tunc, homo habet Dominium in omnia animalia, cujus tamen experimur contrarium. R. D. Min. Dominium quoad jus & poteſtatem ſuper omnia animalia eſt naturale homini, C. Quoad exercitium & uſum, N. Hoc eſt ipſa ſubjectio eſt naturalis, ſed obedientia erat ſupernaturalis, quatenus gratia perficiebat naturam, & quod natura ſubjecerat, gratia reddebat obediens; ſicut ſupra diximus de corpore reſpectu animæ & de viribus inferioribus reſpectu rationis; unde D. Conſeq. Ergo etiam nunc ſicut tunc homo habet Dominium in alia animalia quoad jus & poteſtatem, C. Quoad exercitium ſeu obedientiam ex parte animalium, N. Eſt enim ex hac parte valde imminutum, cum paucis animalibus valeat nunc imperare efficaciter, & non niſi cum difficultate & labore obediunt. Sed

Petes quomodo Adam potuiſſet ſibi ſubjicere animalia a ſe longe diſtantia, & eis pro arbitrio uti? R. Quod id ſingulari Dei providentia ad nutum Adæ factum fuiſſet miniſterio Angelorum, ſicut factum eſt, cum ei adducta ſunt ut eis nomina imponeret.

Dico 2. (*Ibid. a. 2. o.*) Homo in ſtatu innocentiæ habuit Dominium, non ſolum ſuper animalia, ſed etiam ſuper omnes res creatas ſe inferiores. Patet ex præcedenti Concluſione. Poterat ergo primus homo omnibus rebus creatis ſe inferioribus, vel imperare, vel eis pro nutu ſine impedimento uti, vel ſaltem uti commoditatibus ex eis provenientibus: quod ultimum addo propter cœlos & aſtra; non enim videtur, quod primus homo potuiſſet eis pro arbitrio uti, aut de eis diſponere, ſed tantum uti ſine impedimento commoditatibus, quæ ex illis proveniunt.

Dico. 3. (*Ibid. a. 3. o.*) In ſtatu innocentiæ omnes homines non fuiſſent æquales. In primis fuiſſet diverſitas ſexuum, ſine qua non eſſet generatio: Item fuiſſet diverſitas ætatum; filii enim fuiſſent juniores Parentibus. 2. (*Ibid.*) Quoad animam fuiſſet diverſitas; quia cum homo, non ex neceſſitate, ſed per liberum arbitrium operaretur, potuiſſet magis vel minus animum applicare ad aliquid vel faciendum, vel volendum, vel cognoſcendum: onde quidam magis profeciſſent in juſtitia & ſcientia, quam alii. 3. Ex (*Ibid.*) parte etiam corporis poterat eſſe diverſitas; quia corpus humanum non erat totaliter a legibus naturæ exemptum, indigebat enim cibis ut ſuſtentaretur, & etiam ab exterioribus agentibus aliquod commodum aut auxilium magis vel minus recipiebat. Et ſic nihil prohibet dicere, quominus juxta diverſitatem ciborum, diverſam diſpoſitionem aeris & diverſum ſitum ſtellarum, fuiſſent aliqui aliis robuſtiores, grandiores, pulchriores & melius complexionati; ita tamen quod in illis, qui excederentur, nullus eſſet defectus ſeu peccatum, tam circa animam, quam circa corpus. Quantum ad id, (*Ibid. ad 1.*) quod dicit Gregorius, quod ubi non deliquimus, omnes pares ſumus; ſenſus eſt, quod omnes ſint boni & recti, nullus malus aut diſtortus. Et dum Auctor 2. 2. q. 104. a. 5. dicit omnes homines eſſe natura pares, intelligit in his, quæ pertinent ad corporis ſuſtentationem & prolis generationem, ita ut nullus per ſe loquendo habeat in his poteſtatem ſuper alios.

Dico 6. (*Ibid. a. 4. o.*) In ſtatu innocentiæ homo dominatus fuiſſet, non Dominio deſpotico, quod exercetur in ſervum, in propriam utilitatem Domini, atque incutiendo timorem & intentando pœnas; tale enim Dominium eſt pœnale, nulla autem fuiſſet pœna in ſtatu innocentiæ, ſed Dominio civili & libero, quod abſque pœnarum intentione, per ſe loquendo, exercetur in utilitatem ipſius ſubditi vel communitatis. 1. Quia homo eſt animal ſociale; unde homines in ſtatu innocentiæ vixiſſent ſocialiter; vita autem ſocialis multorum eſſe non poſſet, niſi aliquis præſideret, qui ad bonum commune intenderet; multi enim per ſe intendunt ad multa, unus ad unum. 2. Quia in eo ſtatu fuiſſent alii aliis ſapientiores, ut dictum eſt ſuperiori Concluſione. Congruum eſt autem, quod ſapientiores regant minus ſapientes.

DISSERTATIO V.

DE CONDITIONE PRIMORUM PARENTUM QUANTUM AD CORPUS.

ARTICULUS I.

De formatione corporis Adæ.

PEtes 1. Utrum corpus Adæ fuerit de limo terræ? R. affirmative. (*Hic q. 91. a. 1. c.*) Conſtat ex his verbis, Gen. 2. *Formavit Deus hominem de limo terræ*; ubi, per *hominem*, intelligitur ſolus Adam, ſiquidem poſtea dicatur Evam factam eſſe ex una coſta Adæ. Hinc Job 8. dicit: *Tu feciſti Adam de limo terræ, dediſtique ei adjutorium Evam.* Limus autem eſt terra ſeu pulvis aqua mixtus: unde Scriptura hominem ſæpe vocat *lutum*, ut Iſaiæ 45. & 64. Jerem. 18. Eccli. 33. Rom. 9. Job 10. Atque ita fieri congruum erat, quia licet corpus humanum ſicut corpora aliorum animalium ſit compoſitum ex quatuor elementis virtualiter permanentibus, debebat tamen in eo magis abundare terra & aqua ſecundum quantitatem; ſi enim ignis & aer magis abundarent, cum ſit majoris virtutis in agendo, quam terra & aqua, eas ad ſe attraherent & impedirent æqualitatem mixtionis convenientis corpori humano. (*Ib. ad 4.*) Et ideo Scriptura facit tantum mentionem de terra & aqua in formatione hominis, non de igne & aere. Adde quod in tota rerum productione, de igne & aere, qui ſenſu a rudibus non percipiuntur, nullam facit mentionem Scriptura, quæ rudi populo tradebatur.

Ratio autem moralis hujus facti, juxta Hieron. eſt ut homo intuens materiam ſui corporis, ſciat nihil eſſe ea vilius, ſibique deſinat de ſua origine gloriari. Altera ratio, ſecundum alios eſt, ut ſpes Reſurrectionis confirmaretur & homines admonerentur, quod qua facultate Deus potuit corpus Adæ e pulvere in principio mundi formare, eadem poſſet a ſepulcrali pulvere corpora noſtra evocare, & ſuæ priſtinæ integritati reſtituere.

Petes 2. Utrum corpus humanum ſit immediate a Deo productum? R. affirmative; (*Ib. a. 1. c.*) quia omne quod fit a creatura, fit ex aliquo præexiſtente ſimili ſecundum ſpeciem, factum enim & faciens oportet eſſe ſimilia ſecundum ſpeciem. Atqui in prima formatione corporis humani nullum fuit præexiſtens ſimile ſecundum ſpeciem. Ergo. Confir. (*Ib. ad 1.*) Quoad Angelos de quibus poſſet eſſe dubium: Angeli non poſſunt transmutare corpora ad aliquam formam, niſi applicando activa paſſivis; nihil enim poſſunt in corpora niſi per motum localem. Atqui ante primam formationem corporis Adæ nullum erat activum corporis humani; quia activum corporis humani eſt ſemen humanum. Ergo.

Si dicas (*Ibid.*) nihil prohibere quominus Angeli aſſumpti fuerint ut inſtrumenta divinæ potentiæ ad formandum primum corpus humanum. R. 1. Id abſque ullo fundamento five ab auctoritate ſive a ratione fingi. Niſi forte dicas Angelos collegiſſe pulverem ad formationem corporis Adæ, ſicut colligent ad reſurrectionem mortuorum, quod eſt valde incertum. Sed dato quod intendit argumentum, non obſtat Concluſioni; quia quod principalis cauſa facit mediante inſtrumento, cenſetur immediate facere, cum inſtrumentum agat in virtute illius.

Quidam Judæi & Ariani in ea fuerunt opinione, quod hæc verba: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, dirigentur a Deo, non ad perſonas divinas, ſed ad Angelos. At falſa prorſus eſt hæc opinatio: tum quia homo non dicitur in Scriptura factus ad imaginem Angeli, ſed Dei; tum quia Deus non ſolet dicere Angelis ut ſociis; *Faciamus*, ſed ipſis imperat ut miniſtris. Hæc autem verba, (*Ib. a. 4. ad 1.*) quæ ſunt quaſi conſultantis & deliberantis, adhibuit Deus in formatione hominis & non aliarum creaturarum, ut oſtenderet quanta ſit dignitas hominis, & quod ipſe principaliter intenderetur, cætera propter ipſum; quæ enim principaliter intendimus cum majori deliberatione & ſtudio conſuevimus facere.

Petes 3. Utrum corpus hominis habuerit convenientem diſpoſitionem? R. (*Ib. a. 3. c.*) Corpus humanum fuit e Deo conſtitutum in optima diſpoſitione, non ſimpliciter; ſed ſecundum quod congruit animæ rationali & ejus operationibus.

Prob. 1. ex illo Eccle. 7. *Deus fecit hominem rectum*: (*Ib. in arg. f. c.*) quod quamvis intelligatur de anima, conſequenter tam intelligitur etiam de corpore; quia corpus & anima debent eſſe ſibi ad invicem proportionata. Prob. 2. (*Ib. a.*) Corpus humanum eſt Dei artificiatum; quilibet autem artifex intendit ſuo operi optimam diſpoſitionem inducere, non ſimpliciter, ſed per comparationem ad finem quem intendit, & ſi hæc diſpoſitio habeat adjunctum aliquem defectum artifex non curat; ſic v. g. artifex, qui facit ſerram ad ſecandum, facit eam ex ferro, ut ſit idonea ad ſecandum, nec curat eam facere ex vitro vel auro quorum materia eſt pulchrior; quia talis pulchritudo eſſet impedimentum finis. Ergo Deus, qui eſt ſapientiſſimus artifex, dedit corpori humano optimam diſpoſitionem, non ſimpliciter, ſed ſecundum ordinem ad proprium finem. Subſumo. Atqui corpus humanum eſt propter animam rationalem & ejus operationes; materia enim eſt propter formam, & inſtrumenta propter operationes agentis. Ergo Deus conſtituit corpus humanum in optima diſpoſitione ſecundum quod congruit animæ rationali & operationibus ejus: & ſi aliquis defectus in humani corporis diſpoſitione eſſe videtur, talis defectus ſequitur ex neceſſitate materiæ ad ea, quæ requiruntur in corpore, ut ſit debita proportio ipſius ad animam & animæ operationes.

Hinc cum complexio corporis humani (*Ib. ad 1. & 3.*) ſit omnium animalium temperantiſſima, & magis a primarum qualitatum exceſſu remota, ita ut propius accedat ad æqualitatem, quam in cæteris animalibus, fit quod quidam ſenſus exteriores, qui ex aliqua qualitate ſuperabundante dependent, magis vigeant in brutis, quam in homine, ut perfectior odoratus in canibus, ſubtilior viſus in felo, velocior motus in avibus. Item inde fit, quod homo non habeat cornua & ungues, quæ ſunt quorumdam animalium arma, neque ſpiſſitudinem corii, neque multitudinem pilorum aut plumarum, quæ ſunt tegumenta animalium; quia hæc atteſtantur abundantiæ terreſtris elementi, quæ repugnat æqualitati & teneritudini complexionis humanæ. Sed iſtorum loco habet homo rationem & manus, quibus ſibi comparare poteſt arma & tegumenta & alia vitæ neceſſaria infinitis modis.

Quantum vero ad ſtaturam hominis, (*Ibid. ad 3.*) eam convenienter eſſe rectam probatur quatuor congruentiis, 1. Quia ſenſus ſunt dati homini, non ſolum ad vitæ neceſſaria procuranda, ſicut in aliis animalibus, ſed etiam ad cognoſcendum. Unde cum cætera animalia non delectentur in ſenſibilibus, niſi per ordinem ad cibos & venerea, ſolus homo delectatur in pulchritudine ſenſibilium ſecundum ipſam. Et quia ſenſus præcipue vigent in facie, ideo cætera animalia habent faciem pronam ad terram quaſi ad cibum quærendum & ſibi providendum de victu, homo vero habet faciem erectam, ut per ſenſus & præcipue per viſum, qui eſt ſubtilior, & plures rerum differentias oſtendit, libere poſſit ex omni parte ſenſibilia & cœleſtia & terrena conſiderare, & ex omnibus intelligibilibus veritatem cognoſcere. 2. Ut interiores ſenſus liberius ſuas operationes habeant, dum cerebrum, in quo quodam modo perficiuntur, non eſt depreſſum, ſed ſuper omnes partes corporis elevatum. 3. Si homo haberet ſtaturam pronam, deberet uti manibus loco pedum anteriorum, & ſic utilitas manuum ad diverſa opera perficienda ceſſaret. 4. Si homo haberet pronam ſtaturam & uteretur manibus loco pedum anteriorum, deberet ore cibum capere, & ita haberet os oblongum, labia dura & groſſa, item linguam etiam duram, ne ab exterioribus læderetur, ut patet in aliis animalibus; talis autem diſpoſitio impediret locutionem, quæ eſt proprie opus rationis.

Et tamen homo (*Ibid.*) habens ſtaturam rectam maxime differt a plantis, quæ ſunt etiam ſtaturæ rectæ: Nam homo habet ſuperius & principale ſui, ſcilicet caput verſus ſuperius mundi, & inferius ſui verſus inferius mundi; & ideo eſt optime diſpoſitus ſecundum diſpoſitionem totius. Plantæ vero habent ſuperius ſui, id eſt principalem & maxime vitalem partem ſcilicet radicem verſus inferius mundi (radix enim in planta comparatur ori in animali) inferius autem ſui, ſeu minus principale & minus vitale, ſcilicet culmen, verſus ſuperius mundi.

Petes 4. In quanta magnitudine fuerit productum corpus Adæ? R. fuiſſe productum in ea magnitudine, quæ convenit viro perfecto puta ſex pedum circiter. Neque obſtat quod Joſua 14. dicatur: *Adam maximum inter Enacim ſitus eſt*: ex quo quidam dixerunt Adamum fuiſſe proceritatis giganteæ; quia ibi nomen *Adam* non eſt nomen proprium primo parenti, ſed nomen appellativum ſeu commune ſpeciei humanæ, quaſi diceretur, vir vel homo inter filios Enacim, qui erant gigantes. Adde, quod in Scriptura nulla fiat mentio Gigantum, niſi c. 6. Geneſ. poſt mortem Adæ.

Petes 5. In qua ætate fuerit productus Adam? Fuiſſe productum in ætate florentiſſima ad operationes tam corporis quam mentis maxime idonea, quæ eſt 30. aut 35. annorum circiter. Patet ex præcedentibus.

ARTICULUS II.

De formatione corporis Evæ.

QUæ dixi Art. præced. RR. 2. 3. 4. & 5. ſcilicet corpus Adæ fuiſſe a Deo immediate productum ſecundum convenientem diſpoſitionem in magnitudine, ætate ido-

idonea ad operationes corporis & animæ, dicenda ſunt pariter de formatione corporis Evæ: quia eædem rationes militant pro utroque. Inſuper ſit

§. I. *Quo ſenſu intelligenda ſit formatio Evæ ex viro & coſta viri, an litterali vel metaphorico?*

MOYSES Genſ. 2. ſic narrat formationem Evæ: *Dixit quoque Dominus Deus: Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adjutorium ſimile ſibi. Immiſit ergo Dominus ſoporem in Adam, cumque obdormiſſet, tulit unam de coſtis ejus & replevit carnem pro ea, & ædificavit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem, & adduxit eam ad Adam: dixitque Adam: Hoc nunc os ex oſſibus meis & caro de carne mea; hæc vocabitur Virago, quoniam de viro ſumpta eſt. Quamobrem relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.* Quæſtio eſt igitur, an hæc narratio intelligenda ſit in ſenſu proprio & litterali, an ſenſu metaphorico, ut contendit Cajetanus in Geneſ.

Dico. Hæc formationis Evæ narratio intelligenda eſt in ſenſu proprio & litterali, non metaphorico. Eſt communis & certa. Prob. 1. Scriptura ſacra, maxime dum refert hiſtoriam, debet intelligi in ſenſu proprio & litterali, & non detorqueri ad metaphoras, niſi id declaretur in aliis Scripturæ textibus aut Eccleſiæ definitionibus, vel niſi ex ſenſu litterali ſequatur inconveniens, alioquin nihil certi haberemus ex Scriptura ſacra. Atqui nullum horum hic invenitur: non duo prima, patet; neque tertium, ut patebit ex ſol. Object. Ergo.

Confir. 1. Quæ dicit Adam poſt formationem Evæ: *Hoc nunc os ex oſſibus meis & caro de carne mea: Hæc vocabitur Virago, quia de viro ſumpta eſt: Quamobrem relinquet homo patrem ſuum & matrem & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una:* Hæc, inquam, vera ſunt in ſenſu litterali, cum litteraliter obſerventur, & in his Adam ſecundum Apoſt. ad Epheſ. 5. prophetice annuntiavit Sacramentum matrimonii ſpiritualis inter Chriſtum & Eccleſiam. Atqui hæc non ſunt vera litteraliter, niſi quia verum eſt litteraliter Evam ex Adam & ex coſta Adami eſſe formatam, ſi quidem ex iſto primo tanquam conſectaria deducantur. Ergo. Confir. 2. Scriptura referens formationem Adæ ex limo terræ, in ſenſu proprio & litterali intelligitur. Ergo pari ratione referens ibidem formationem Evæ ex coſta Adami dormientis intelligitur litteraliter.

Prob. 2. ex aliis Scripturæ locis. Eccli. 17. referens hiſtorice formationem viri & mulieris dicit: Deus creavit de *terra hominem* ... & poſtea: *Creavit ex ipſo adjutorium ſimile ſibi*. Prius intelligitur litteraliter. Ergo & poſterius. Apoſt. Act. 17. dicit: *Deus fecit ex uno genus hominum*; quod falſum eſſet, ſi Eva non eſſet ex Adamo. Et 1. Cor. 11. Non vir ex muliere, *ſed mulier ex viro*. Quid expreſſius? Quærere in his metaphoram deſipere eſt.

Prob. 3. ex SS. Patribus, qui unanimiter formationem Evæ ex coſta Adami in ſenſu proprio & litterali intellexerunt; præſertim Ambroſ. l. de Paradiſo c. 11. Aug. l. 9. de Geneſ. c. 13. Hiron. ſuper c. 9. Amos, & in Ep. ad Philemon. ubi dicit non poſſe aliquem credere in Deum, niſi credat vera eſſe, quæ ſcripta ſunt, ſcilicet Adamum a Deo plaſmatum & Evam ex coſta illius & latere fabricatam. Adde Concil. Vien. Clementina 1. de ſum. Trinit. ubi dicitur Eccleſiam fuiſſe formatam de latere Chriſti, ac ejus typum fuiſſe formationem Evæ ex coſta Adami. Prob. 4. ratione. Verba Scripturæ, quæ aliquam Dei actionem important, quamvis metaphoram, vel in re facta, vel in modo actionis contineant, debent nihilominus neceſſario aliquam Dei actionem explicare, ut ſaltem in aliquo ſenſu vera ſint. Atqui in metaphora, quam hic fingit Cajetanus, nulla actio Dei declaratur. Ergo. Prob. Min. Metaphora, ſecundum quam intelligit hunc textum Cajetanus, in eo ſita eſt: 1. quod per coſtam ſignificetur vita inter virum & uxorem. 2. Quod per ſubtractionem coſtæ denotetur diminutio roboris in viro propter uxorem. 3. Quod ex eo quod coſta fuerit una tantum, ſignificetur debilitas fœminæ. 4. Quod ex eo, quod Deus replevit carnem pro coſta, denotetur præfatam diminutionem roboris viri ob uxorem compenſari fructu prolis. Atqui in his omnibus nulla apparet actio Dei, quæ per verba illa metaphorice ſumpta explicetur. Ergo.

Solvuntur Objectiones.

OBJ. 1. Vel illa coſta, ex qua dicitur Eva formata, erat neceſſaria Adamo vel ſuperflua. Si neceſſaria: ergo ea ſublata Adam manſit mutilus & mancus. Si ſuperflua: ergo ante ſubtractionem Adam erat monſtrum. Neutrum dici poteſt. Ergo. R. 1. juxta Auctorem (*Hic q. 92. a. 3. ad 2.*) coſtam illam fuiſſe neceſſariam Adamo, non prout erat aliquod individuum particulare, ſed prout erat principium generis humani, ſicut ſemen eſt neceſſarium, non prout eſt aliquod individuum particulare, ſed prout principium generationis. Sicut ergo homo non eſt monſtrum ex ſemine, nec mutilus ex ejus ſubtractione, ita Adam non erat monſtrum ex illa coſta, nec factus eſt mutilus ejus ſubtractione. R. 2. juxta alios: dato hanc coſtam fuiſſe abſolute neceſſariam Adamo, ex ejus tamen ſubtractione non manſit mutilus; quia in ejus loco alia ſtatim fuit repoſita, dicitur enim: *Et replevit carnem pro ea*: per carnem autem intelligitur caro cum coſta, ſeu coſta carne veſtita, juxta illud Adæ: *Hoc nunc os ex oſſibus meis & caro de carne mea.*

Inſt. Coſta non poteſt ſeparari ab homine abſque dolore. Sed dolor non fuit ante peccatum. Ergo. R. (*Ibid.*) quod ſicut ſemen operatione naturali cum delectatione reſolvitur, multo magis virtute divina potuit coſta ſeparari ab Adam abſque dolore.

Obj. 2. Coſta Adami erat longe minor corpore Evæ. Ergo debuit fieri major, vel per rarefactionem, vel per additionem; hoc enim duplici modo tantum ex minori fit majus. Subſumo. Atqui non per rarefactionem, corpus enim Evæ erat æque ſolidum & denſum ac corpus Adæ: non per additionem, alias ex illo majori addito magis diceretur mulier formata, quam ex coſta viri. Ergo. R. N. (*Ib. ad 1.*) Subſumptum pro ſecunda parte, & dico illud augmentum factum fuiſſe per additionem materiæ; & nihilominus dicendum eſt mulierem formatam eſſe ex coſta & non ex addita materia; quia coſta fuit principaliter aſſumpta; ut ex ea tanquam ex principali fundamento & principio formaretur Eva; materia vero addita fuit acceſſorium & per modum ſupplementi. Porro denominatio deſumitur ex præſtantiori & fundamentali parte.

Utrum vero hæc materia addita fuerit per novam creationem vel per materiæ præjacentis converſionem? Lectio communis S. Th. hic ſic habet: *Neceſſe eſt ponere additionem materiæ, vel per creationem, quod probabilius eſt, vel per converſionem*. Verum Doctiſſimus Sylvius contendit hunc textum eſſe vitiatum, eſſeque legendum: *Neceſſe eſt ponere additionem materiæ vel per creationem, vel, quod probabilius eſt, per converſionem*. Idque probat tum ex codice manuſcripto vetuſtiſſimo Eccleſiæ Metropolitanæ Cameracenſis, tum ex aliis textibus S. Th. in 2. d. 18. q. 1. a. 1. Item 3. p. q. 44. a. 4. ad 4. tum ex magno indice operum S. Doctoris, in quo ſic legitur: *Multiplicatio coſtæ fuit per additionem materiæ noviter creatæ, vel verius per converſionem alterius materiæ præjacentis.*

Obj. 3. Adam & Eva fuerunt ſimul creati. Ergo. Prob. Ant. Geneſ. 1. dicitur: *Maſculum & fœminam creavit eos* Ergo. R. N. Ant. Ad probat. N. Conſeq. Non enim dicit Scriptura maſculum & fœminam eſſe *ſimul* creatos; ſed c. 1. utriuſque formationem breviter refert, ut intelligeremus utriuſque productionem pertinere ad opus ſex dierum: tum c. 2. illorum formationem reſumit, atque ordinem explicatius exponit. Sed de hoc latius infra.

Obj. 4. Scriptura dicit Deum adduxiſſe Evam ad Adam. Ergo erat loco diſtans, nec conſequenter ex ejus coſta formata. R. N. utramque conſequentiam. Dicitur Eva adducta ad Adam, quatenus ſtatim poſt formationem fuit præſentata oculis ejus, neque tamen dicitur ſimiliter Adam adductus ad Evam; quia hæc facta eſt ex viro & ei ſubjecta, non vir ex muliere. Nihil etiam vetat dicere Deum formaſſe Evam ex coſta Adami dormientis, in loco a dormiente paululum diſtanti, ad quem mox expergefactum duxerit Evam.

Obj. 5. Quædam narrantur c. 2. Geneſ. de formatione Evæ, quæ non niſi metaphorice poſſunt intelligi. 1. Dicitur, quod *Dominus Deus immiſit ſoporem in Adam*; non poteſt autem intelligi de ſomno proprio & naturali, ſi quidem 70. Interpretes loco ſoporis vertant Ecſtaſim. 2. Dicitur, quod adductis omnibus animalibus ad Adam: *Adæ vero non inveniebatur adjutor ſimilis ejus*, quod intellectum litteraliter videtur ridiculum: quis enim quæreret inter bruta adjutorium ſimile Adæ. Ergo. R. N. Ant. Ad 1. probat. illam N. Fuit enim ſomnus Adæ verus & proprius; & ideo ſtatim ſubditur, quod *obdormiverit*; & quamvis non fuerit naturalis quantum ad cauſam, quia non ex fatigatione aut vaporibus aſcendentibus fuit cauſatus, ſed divina virtute immiſſus, erat tamen naturalis quantum ad eſſentiam. Nec obſtat, quod 70. dixerint Ecſtaſim, quia fuit ſomnus cum Ecſtaſi mentis, quatenus in profundo ſomno mens Adæ elevabatur ad cognoſcenda quædam ſupernaturalia, ut formationem mulieris ex ſe quam non videbat, & in ea Sacramentum Chriſti cum Eccleſia figuratum. *Et hinc eſt*, inquit Aug. l. 9. de Geneſ. ad litt. c. 19. *quod evigilans tanquam prophetiæ plenus, cum ad ſe adductam mulierem ſuam videret, eructavit continuo, quod magnum Sacramentum commendat Apoſtolus ad Epheſ.* Hoc nunc os ex oſſibus meis & caro de carne mea... Quamobrem relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit uxori ſuæ.

Ad 2. probat. Scriptura non dicit Deum aut Adamum quæſiviſſe inter bruta adjutorium ſimile ſibi, ſed non inventum fuiſſe, ſcilicet ab Adamo. Unde ſenſus Scripturæ eſt, quod cum vidiſſet Adam in qualibet ſpecie animalium eſſe utrumque ſexum, maſculum & fœminam, quaſi ad ſe reverſus advertit ſibi ſoli deeſſe ſociam ſibi ſimilem.

§. II. *Quandonam Eva producta fuerit?*

DIco 1. (*Hic q. 92. a.*) Eva producta fuit in prima rerum productione. Prob. 1. (*Ib. & in a. ſ. c.*) ex illo Geneſ. 2. *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adjutorium ſimile ſibi*. 2. Quia mulier eſt neceſſaria viro ad opus generationis, per quod non ſolum intelligitur ſola generatio prolis, ſed ejus educatio & quædam miniſteria in rebus domeſticis, quæ generationem prolis ſequuntur, quæque ſic fieri per mulierem debent, ut non deceat virum ea facere. Et ſic intelligi debet id, quod dicit hic Auctor, quod *ad quodlibet aliud opus (a generatione) convenientius poſſit juvari vir per alium virum, quam per mulierem*; id eſt ad quodlibet opus aliud a generatione, non ſolitarie ſumpta, ſed ut ſecum adducit alia officia in rebus domeſticis, ut ſe explicat art. ſeq. o. Hæc concluſio magis conſtabit ex ſequenti. Interim

Dices. Mulier eſt quid occaſionatum & deficiens in natura. Atqui nihil deficiens debuit produci in prima rerum productione. R. D. Maj. (*Ib. ad 1.*) Mulier eſt quid occaſionatum & deficiens reſpective ad naturam particularem, C. Reſpective ad naturam univerſalem, N. itaque fœmina reſpective ad naturam particularem generantis eſt quid occaſionatum & deficiens; quia virtus activa, quæ eſt in ſemine maris ex ſe & appetitu naturali, intendit producere ſibi ſimile perfectum ſecundum ſexum maſculum; quod autem fœmina generetur, hoc eſt propter virtutis activæ debilitatem, vel propter aliquam materiæ indiſpoſitionem, vel etiam propter aliquam tranſmutationem ab extrinſeco, ſive a ventis, ſive ab imaginatione; ſed reſpective ad naturam univerſalem fœmina non eſt quid occaſionatum & deficiens, ſed eſt de intentione naturæ ad opus generationis ordinata. Intentio autem naturæ univerſalis dependet a Deo, qui eſt univerſalis Auctor naturæ, & ideo inſtituendo naturam, non ſolum marem, ſed etiam fœminam producere debuit. Confer Diſſertat. ſeq. a. 1. §. 4.

Dico 2. Eva non fuit producta ſimul & eodem inſtanti ac Adam, ſed tamen eadem die, ſcilicet, ſexta creationis. Patet 1. pars; tum quia Geneſ. Deus dixit: *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus adjutorium ſimile ſibi*. Ergo ante mulierem adjutricem erat homo factus; tum quia ibidem Adamo creato & adductis coram ipſo omnibus animalibus, ut eis nomina imponeret, dicitur: *Adæ vero non inveniebatur adjutor ſimilis ejus*. Ergo nondum erat producta Eva; & ideo immediate poſt narratur ejus productio ex coſta Adæ; quod litteraliter eſſe intelligendum conſtat ex §. præcedent. Noluit autem Deus (*Ibid. o.*) in creatione hominis facere ſimul maſculum & fœminam, ſicut fecit in creatione aliorum animalium, ut oſtenderet hominem eſſe ordinatum ad nobilius opus, quam ad opus generationis, nempe ad opus intellectionis. Quapropter ſeorſim vir productus eſt & ſeorſim mulier: ut tamen etiam ſignificaretur aliquando eſſe conjungendos ad opus generationis, poſt formationem mulieris ſtatim ſubjungitur: Erunt duo in carne una.

Prob. 2. pars 1. c. 1. Geneſ. Moyſes inter Opera ſextæ diei reponit productionem viri & mulieris, dicens: *Et creavit Deus hominem ad imaginem ſuam ... maſculum & fœminam creavit eos*. Ergo. 2. ibid. immediate ſubjungitur: *Benedixitque illis Deus & ait; creſcite & multiplicamini & replete terram*. Quæ verba dirigi non poſſunt niſi ad duos, maſculum & fœminam, ſine quibus nec generatio nec multiplicatio eſſe poſſunt. Hæc autem pertinere ad ſextam diem certo conſtat ex clauſula, quæ poſt hæc narrata ſubjungitur: *Viditque Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona: Et factum eſt veſpere & mane dies ſextus*.

Dices 1. Inter creationem Adam & Evæ tot interceſſerunt facta, ut non ſit probabile utrumque eodem die fuiſſe creatum. Ergo. Prob. Ant. Adam creatus ſexta die, poſt creationem animalium terreſtrium etiam eadem die factam, translatus eſt in Paradiſum. Deinde omnia animalia adducta ſunt ad eum, ut eis nomina imponeret, & impoſuit. Poſt hæc dormivit Adam & formata eſt Eva ex ejus coſta. At qui non videtur probabile hæc omnia contigiſſe uno die. Ergo. R. N. Ant. Ad probat. N. Min. Creatis enim ſummo mane & in uno inſtanti omnibus animantibus terræ ad imperium Dei, ſimiliter ſtatim poſt, etiam in inſtanti, creato Adamo, facile intelligitur ſupereſſe ſufficiens tempus uſque ad veſperam, qua formata eſt Eva, ut Adam transferretur in Paradiſum, & ad eum miniſterio Angelorum adducerentur omnia animalia, hoc eſt duo individua, mas & fœmina cujuſque ſpeciei (non enim omnia individua adducta ſunt) quibus nomina impoſuit; tunc demum ſub veſpera formaretur Eva ex coſta Adami dormientis.

Dices 2. Moyſes Geneſ. 2. narrat formationem mulieris poſt diem ſextum. Ergo non fuit formata die ſexta. R. N. Conſeq. Narrat enim etiam Moyſes poſt diem ſextum creationem Adæ, quem tamen certo conſtat fuiſſe creatum ſexta die. Reſumit itaque Moyſes c. 2. quæ prius c. 1. dixerat: & cum c. 1. ſummatim retuliſſet creationem Adæ & Evæ, explicat c. 2. modum, quo creati fuerunt, ſcilicet Adam de limo terræ, & Eva de coſta Adæ.

Dices 3. S. Th. q. 73. a. 1. ad 3. indicat Evam formatam eſſe poſt diem ſextam. Ergo. R. id a S. Th. indicari obiter tantum & abſque probatione; hic vero ex profeſſo docet contrarium, dum probat Evam fuiſſe formatam in prima rerum productione; prima enim rerum productio abſoluta fuit ſexta die.

§. III. *An fuerit conveniens Evam formari ex viro & coſta viri?*

DIco 1. (*Ib. a. 2. o.*) Conveniens fuit mulierem in prima rerum inſtitutione formari ex viro. 1. (*Ibid.*) Propter dignitatem viri, ut ſic majorem Dei ſimilitudinem haberet, dum ipſe eſſet principium ſuæ ſpeciei, ſicut Deus eſt principium totius univerſi. 2. Ut vir magis diligeret mulierem, & ei inſeparabiliter inhæreret, dum cognoſceret eam ex ſe eſſe productam. Unde dicitur Geneſ. 2. *De viro ſumpta eſt. Quamobrem relinquet homo Patrem ſuum & Matrem & adhærebit uxori ſuæ*. Et hoc maxime neceſſarium fuit in natura humana, in qua mas & fœmina commanent per totam vitam, quod non contingit in aliis animalibus. 3. Quia mas & fœmina conjunguntur in natura humana, non ſolum propter neceſſitatem generationis, ut in aliis animalibus, ſed etiam propter domeſticam vitam, in qua cum vir ſit caput mulieris convenienter ex viro formata eſt mulier tanquam ex ſuo principio. 4. Propter rationem ſacramentalem; per hoc enim figuratur, quod Eccleſia a Chriſto ſumat principium. Unde Apoſt. Epheſ. 5. dicit: *Sacramentum hoc magnum eſt: Ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia*.

Dico 2. (*Ibid. a. 3.*) Conveniens fuit mulierem in prima mundi creatione formari ex coſta viri. 1. (*Ibid.*) Ut ſignificaretur inter virum & mulierem debere eſſe ſocialem conjunctionem, ſic ut mulier non deberet dominari in virum, & ideo non eſt formata ex capite, neque vir deberet uxorem deſpicere tanquam ſerviliter ſubjectam, & ideo non eſt formata de pedibus, ſed eſſe ſociam, ut dixi, & collateralem, & ideo formata eſt de ejus latere. (*Ibid.*) Propter Sacramentum, ut ſcilicet inde ſignificaretur ex latere Chriſti in cruce dormientis Eccleſiam eſſe formatam, quatenus ex illo fluxerunt ſanguis & aqua, quæ ſunt ſymbola Sacramentorum, quibus nobis applicatur pretium Redemptionis noſtræ; per aquam enim intelligitur Baptiſmus, qui eſt janua aliorum Sacramentorum, & per ſanguinem Eucbariſtia, quæ eſt eorum finis & conſummatio, ſicque per hæc duo Sacramenta cætera intelliguntur. Non ergo, ut vides, Eccleſia dicitur formata ex latere Chriſti in cruce pendentis, quaſi poſt mortem meruit illam formari; id enim vivens præſtiterat; ſed quia ex ejus latere fluxerunt ſymbola Sacramentorum, quibus Eccleſia formata eſt.

Si petas, quare de dormientis & non de vigilantis coſta Deus voluerit formare Evam? Reſpondent quidam Patres, Chryſoſt. & Epiphan. ut Adam nullum ſentiret dolorem. Verum extra dubium eſt Deum æque ex latere vigilantis potuiſſe ſubtrahere coſtam abſque dolore, quam ex latere dormientis. Poſſet forte dici, vel quod ſic Deus voluerit præfigurare Eccleſiam ex latere Chriſti in cruce dormientis, ut prius dictum eſt, vel quod noluerit Adamum eſſe ſpectatorem hujus fabricæ, ut commendaret notitiam, quam de illo divinitus accepit in ſomno.

ARTICULUS III.

De conditione primorum Parentum in ſtatu innocentiæ quantum ad conſervationem individui.

§. I. *Utrum homo in ſtatu innocentiæ fuerit immortalis?*

QUod quis ſit immortalis, dupliciter intelligi poteſt. 1. Quod non poſſit mori, ſic Angeli, ſic Beati in cœlo ſunt immortales. 2. Quod poſſit non mori. Certum eſt Adamum non fuiſſe immortalem primo ſenſu, ſi quidem ſit mortuus, niſi intelligatur in ſenſu compoſito ſtatus innocentiæ, ſcilicet quod eo perſeverante non potuiſſet mori. Quæſtio itaque de immortalitate ſecundo ſenſu accepta procedit. Hanc primis Parentibus denegarunt Pelagiani dicentes eos independenter a peccato fuiſſe mortales, ſicuti nos ſumus modo. Contra quos

Dico. (*Hic q. 97. a. 1. o.*) Primi Parentes ſic fuerunt im-

immortales, ut ſi in innocentia perſeveraſſent, nunquam fuiſſent mortui. Eſt de fide. Prob. 1. (*Ib.*) ex illo Geneſ. 2. *In quocumque die comederis, morte morieris*, id eſt mortalis eris, ibi enim ſermonem eſſe de morte corporis conſtat ex c. ſeq. ubi Deus in executionem hujus comminationis dicit Adæ peccatori: *Quia audiſti vocem uxoris tuæ & comediſti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes ... In ſudore vultus tui veſceris pane, donec revertaris in terram de qua ſumptus es, quia pulvis es & in pulverem reverteris.* Confir. ex Apoſtolo, qui cum ad Rom. 5. dixiſſet; *per unum hominem peccatum introivit in mundum & per peccatum mors*, & c. 6. *Stipendia peccati mors*, ſe intelligere de morte corporali aperte indicat cap. 8. ubi dicit, *Corpus quidem mortuum eſt*, id eſt morti obnoxium, *propter peccatum, ſpiritus autem vivit propter juſtificationem*. Et 1. Cor. 15. *Per hominem*, inquit, ſcilicet Adamum, *mors, & per hominem*, ſcilicet Chriſtum, *Reſurrectio mortuorum*; ubi aperte loquitur de morte corporali, quam opponit Reſurrectioni corporum. Adde, Sap. 1. dicitur: *Deus mortem non fecit*, id eſt, Deus non ita hominem condidit, ut eſſet morti obnoxius, ſi in eo ſtatu perſeveraſſet, in quo Deus creavit illum. Et c. 2. *Deus creavit hominem inexterminabilem ... Invidia autem Diaboli mors introivit in orbem terrarum*; id eſt, Deus creavit hominem immortalem, græce *in incorruptione*, ſi Diabolo tentanti non conſenſiſſet; per illius enim invidiam mors introivit in mundum.

Prob. 2. ex definitionibus Eccleſiæ. Concil. Milev. can. 1. ſic definit: *Quicumque dixerit Adam primum hominem mortalem factum, ita ut ſive peccaret, ſive non peccaret, moreretur in corpore, non peccati merito, ſed neceſſitate naturæ, anathema ſit*. Similiter Trid. ſeſſ. 5. can. 1. *Si quis non confitetur Adam, cum mandatum Dei fuiſſet tranſgreſſus, incurriſſe per offenſam prævaricationis iram & indignationem Dei atque ideo mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus ... Anathema ſit*. Prob. 3. ab auctoritate Patrum: legendi ſunt Athanaſ. Orat. cont. Gent. Hieron. in QQ. Hebraic. Gregorius l. 11. moral. c. 27. ſed maxime Aug. Ep. 89. l. 2. de civit. c. 23. l. 1. Retract. cap. 13. & præſertim l. 1. de peccat. merit. & remiſſ. c. 2. & 4.

§. II. *Unde primo homini in ſtatu innocentiæ proveniebat immortalitas?*

CERTUM eſt non proveniſſe ex natura ſeu ab intrinſeco hominis; cum enim corpus Adæ eſſet ſicut noſtrum, compoſitum ex qualitatibus elementorum contrariis, calido ſcilicet & frigido, ſicco & humido, quæ continuo inter ſe pugnant, ex hac pugna debebat ſequi naturaliter diſſolutio corporis. Quæritur ergo, quæ fuerit altera cauſa hujus immortalitatis, quam §. præced. illi aſſeruimus.

Dico. Fuerunt plures cauſæ ſimul concurrentes ad immortalitatem primorum Parentum in ſtatu innocentiæ. 1. (*Ibid.*) & præcipua juxta S. Th. hic a. 1. erat virtus ſupernaturaliter indita animæ, per quam poterat ab omni corruptione corpus ſervare, quamdiu ipſa anima Deo ſubjecta manſiſſet; hanc autem virtutem ſupernaturaliter inditam videtur S. Doctor intelligere ipſam juſtitiam originalem: etenim 1. 2. q. 85. a. 5. o. dicit: *Per peccatum primi Parentis ſublata eſt originalis juſtitia, per quam, non ſolum inferiores animæ vires continebantur ſub ratione, abſque omni deordinatione, ſed totum corpus continebatur ſub anima abſque omni defectu*. 2. Cauſa erat bona diſpoſitio ſeu complexio corporis, qua non equidem reddebatur indiſſolubile, ſed idoneum, ut ab anima præſervaretur a mortalitate per vim ſupernaturalem ipſi animæ inditam. 3. (*Ib. n. 4. o.*) Erat eſus ligni vitæ, de quo mox. 4. (*Ibid. n. 2. ad 4.*) Erat hominis innocentis ſcientia, & prudentia. 5. Singularis Dei providentia circa hominem innocentem. Hæ autem duæ ultimæ cauſæ maxime ſpectant præſervationem hominis innocentis a morte violenta, ſeu a nocivis extrinſecis, ut igne, aqua, gladio, veneno, & ſimilibus.

Petes, quomodo eſus ligni vitæ concurrebat ad immortalitatem hominis innocentis? R. Eſus ligni (*Ib. n. 4. o.*) concurrebat ad immortalitatem primorum Parentum in quantum confortabat ad tempus virtutem activam ſpeciei ſeu potentiam nutritivam, ne debilitaretur ex ſumptione alimenti extranei. Dixi ad tempus, quia non cauſabat ſimpliciter immortalitatem, ſed ſecundum quid tantum, ut mox explicabo.

Ad quorum intelligentiam obſervandum eſt (*Ibid.*) eſſe in homine duos defectus, ex quibus ſi non repararentur, aut impedirentur, ſequeretur mors. Primus eſt diminutio humidi radicalis per actionem caloris naturalis; & contra hunc defectum ſubveniebatur homini in ſtatu innocentiæ per eſum fructuum aliarum arborum, ſicut nunc ſubvenitur nobis per cibos, quos ſumimus. Secundus defectus (*Ib.*) eſt debilitatio virtutis activæ ſpeciei ſeu potentiæ & virtutis nutritivæ ex alimento extraneo. Sicut enim aqua admixta vino primo quidem convertitur in ſaporem vini, ſed ſi magis addatur, diminuit vini fortitudinem & tandem vinum fit aquoſum: ſic in principio virtus activa ſpeciei eſt adeo fortis, ut poſſit convertere de alimento, non ſolum quod ſufficit ad reſtaurationem deperditi, ſed etiam quod ſufficit ad augmentum; poſtmodum vero quod aggeneratur non ſufficit ad augmentum, ſed ſolum ad reſtaurationem deperditi: tandem in ſenectute nec ad hoc ſufficit, unde ſequitur decrementum & finaliter diſſolutio corporis. Contra hunc igitur defectum ſubveniebatur homini innocenti per lignum vitæ, non quidem reſtaurando virtutem debilitatam, ſed præveniendo & impediendo debilitationem quatenus habebat vim fortificandi virtutem contra debilitatem provenientem ex admixtione extranei.

Neque tamen cauſabat (*Ibid.*) ſimpliciter immortalitatem, ſed ſecundum quid, ut dixi, quia non poterat præſtare corpori, ut nunquam diſſolvi poſſet; cum enim virtus cujuſcumque corporis ſit finita, hæc ligni vitæ virtus erat finita, nec poterat dare corpori virtutem durandi infinito tempore; quo enim major vel minor eſt virtus, eo majorem vel minorem durabilitatem imprimit effectui. Lignum ergo vitæ ſumptum præſervabat a corruptione & ſenectutis debilitate ad determinatum tempus tantum, quo finito, vel homo tranſlatus fuiſſent ad vitam ſpiritualem, vel indiguiſſet iterum ſumere de ligno vitæ.

Dices. Geneſ. 3. ejicitur Adam de Paradiſo terreſtri, *ne forte ſumat de ligno vitæ & vivat in æternum*. Ergo. R. vel *æternum*, juxta Auctorem & plures alios: ſumi pro diuturno, ut non raro ſumitur in Scriptura; ſic *montes æterni*, vel juxta alios hoc eſſe dictum ironice, ſicut illud prius: *Ecce Adam quaſi unus ex nobis, &c.*

Ex dictis colliges 1. (*Hic. n. 3. o.*) primos Parentes in ſtatu innocentiæ indiguiſſe cibo & potu ad reſtaurandum humidum radicale; quod diminuebatur per actionem caloris naturalis, ut dictum eſt. Inſuper agebant vitam animalem ut nos, ad quam pertinent opera animæ vegetativæ, quæ ſunt alimento uti, generare, & augere. Id etiam patet ex illo Geneſ. 2. *Præcepitque ei dicens; ex omni ligno Paradiſi comede, de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas*. Eſto enim, ut quibuſdam placet, præceptum cadat ſuper poſteriorem partem de non comedendo fructu ligni Scientiæ boni & mali, & ſit tantum permiſſio comedendi de aliis fructibus, ſemper ſequitur eos indiguiſſe cibo. Ut quid enim permitteretur ipſis comedere de fructu, quo non indigerent? Conſequenter ſequitur in ſtatu innocentiæ fuiſſe famem & ſitim, non quidem cruciantem, ſeu, ut inſert moleſtiam, ſed ut eſt nudus appetitus cibi & potus neceſſarii. Adde. quod cibus ſit non eſurienti ingratus, non eſt autem dubium, quin cibus fuerit gratus primo homini. Ergo eſuriit. Quod ergo Aug. l. 14. de Civ. c. 26. cit. ab Auctore hic. a. 4. dicat, *quod cibus aderat homini ne eſuriret, potus ne ſitiret*, intelligendum eſt de fame & ſiti cruciante ſeu inferente moleſtiam. Unde l. 13. c. 20. dicit: *Alebantur aliis, quæ ſumebant, ne animalia corpora moleſtiæ aliquid eſuriendo ac ſitiendo ſentirent*. Quibus cibis uſi ſint aut fuiſſent, dicemus Diſſ. ſeq. a. 1. §. 3. Item inde ſequitur, (*Ibid. ad 4.*) quod in ſtatu innocentiæ fuiſſet emiſſio ſuperfluitatum, ſed fuiſſet divinitus proviſum, ut nulla ex hoc eſſet indecentia.

Dices. Si primus homo neceſſario debuiſſet uti cibo ad reſtaurationem humidi radicalis per actionem caloris naturalis deperditi, fuiſſet paſſibilis paſſione corruptiva. Atqui id ex profeſſo impugnat S. Th. a. 2. hujus Quæſtionis. Ergo. R. D. Sequelam: fuiſſet paſſibilis paſſione corruptiva partis, & quæ totum non removeret a naturali diſpoſitione, C. Paſſione corruptiva totius, quæ illud removeret a naturali diſpoſitione, N. Hanc autem ſolam paſſionem impugnat loco citato S. Doctor, non primam, quam expreſſe admittit art. ſequ. ad 1. Cum ergo tantum humidi radicalis per cibum adjiceretur, quantum per calorem abſumebatur, hæc paſſio non erat ad totius corporis deſtructionem, & quamvis non eſſet ſine malo partis, erat tamen ſine malo totius.

Inſt. Saltem diminutio virtutis activæ ſpeciei ex admixtione cibi extranei, ad quam reſtaurandam opus erat ligno vitæ, erat paſſio corruptiva totius. Ergo. R. N. Suppoſitum Ant. Non enim erat iſta diminutio actu, ſed potentia tantum, nec ordinabatur lignum vitæ ad illam reparandam, ſed ad illam impediendam, fortificando, ut dixi, illam virtutem activam ſpeciei, ne diminutionem pateretur ex admixtione alimenti extranei.

Repones: omne agens agendo repatitur: ergo vis nutritiva agendo in alimentum ab eo repatiebatur. R. D. Ant. Omne agens agendo repatitur ſecluſo ſpeciali privilegio, C. Suppoſito ſpeciali privilegio, N. Sic autem vis nutritiva confortabatur tum virtute indita animæ, tum virtute ligni vitæ, ut ab alimento non repateretur.

Colliges 2. Quod quamvis immortalitas poſſit dici naturalis primis Parentibus, hoc ſenſu, quod fuerit eis col-

lata

lata in primæ naturæ inſtitutione, ſimpliciter tamen loquendo fuerit ſupernaturalis & indebita, quia cauſa illius nempe virtus animæ indita ſeu juſtitia originalis erat ſupernaturalis & virtus ligni vitæ non erat eis debita, ſed donum a Deo gratuito collatum; cum enim corpus humanum componeretur intrinſece ex contrariis, ex quorum pugna ſequitur naturaliter alteratio & corruptio, non potuiſſet ex principiis intrinſecis eſſe perpetuum. Hinc jure damnata eſt hæc Propoſitio inter Bajanas 78. *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, ſed naturalis conditio.*

Nec obſtat, quod Aug. & Concil. Arauſ. dicant contra Pelagianos, mortem inflictam eſſe naturæ humanæ in pœnam peccati; quia loquuntur de natura, non ſecundum principia ejus intrinſeca, ſed prout inſtituta fuerat a Deo in primo homine; ſic enim illum conſtituerat, ut nunquam moreretur, ſi non peccaret. De hoc Corollario latius vide in majori noſtro Opere Tract. de Grat. Diſſert. 2. a. 2. vel in Compendio eodem Tract. Diſſert. 1. a. 2.

ARTICULUS IV.

De conditione primorum Parentum in ſtatu innocentiæ, quantum ad conſervationem ſpeciei.

§. I. *Utrum in ſtatu innocentiæ fuiſſet generatio ad multiplicationem hominum?*

VIDETUR quod non; quia generatio ordinatur ad hoc, ut conſervetur in ſpecie, quod ſecundum individuum corruptibile conſervari non poteſt: unde in individuis, quæ in perpetuum durant, ut in Angelis, non invenitur generatio: atqui in ſtatu innocentiæ homo in æternum abſque morte duraſſet: ergo in ſtato innocentiæ non fuiſſet generatio. Nihilominus

Dico (*Hic q. 98. a. 1. o.*): in ſtatu innocentiæ fuiſſet generatio ad multiplicationem hominum. Prob. 1. (*Ib. in a. ſ. c.*) Geneſ. 1. Deus dixit primis Parentibus, antequam peccarent: *Creſcite & multiplicamini & replete terram*. Ergo.

Si dicas Deum id dixiſſe primis Parentibus, quia prævideret eos peccaturos, & ob peccatum fore obnoxios morti, ideoque ne morientibus illis ceſſaret genus humanum voluiſſe vi iſtius benedictionis ante peccatum datæ, ut poſt peccatum vacarent generationi ad multiplicationem hominum. R. 1. hanc evaſionem eſſe merum figmentum ubique ullo fundamento, ſive ex Scriptura, ſive ex Traditione, aut a ratione, imo contra ſenſum naturalem & obvium Scripturæ. 2. Hæc eadem verba dixit Deus brutis animantibus, quæ non ſunt capacia peccari. Ergo independenter a peccato verificanda fuiſſent.

Confir. Incredibile eſt Deum creaſſe hunc univerſum & omnia, quæ in eo ſunt, ad uſum duorum duntaxat hominum, & hos ſolos duos compleviſſe numerum Electorum ad cœleſtem Patriam.

Prob. 2. ratione. (*Ibid. o.*) Principalis intentio naturæ univerſalis eſt ad id, quod eſt ſemper & perpetuum: ad temporale vero non eſt niſi in quantum ordinatur ad aliud, quod ſit perpetuum, alioquin eo temporali corrupto caſſa & fruſtra maneret principalis intentio naturæ univerſalis: atqui in rebus corruptibilibus nihil eſt perpetuum & ſemper manens niſi ſpecies; ſubſtantiæ vero incorruptibiles ſemper manent, non ſolum ſecundum ſpeciem, ſed etiam ſecundum individua: ergo licet in rebus corruptibilibus ſolum bonum ſpeciei ſit de principali intentione naturæ univerſalis, ad cujus conſervationem generatio ordinatur; in ſubſtantiis tamen incorruptibilibus non ſolum ſpecies, ſed ipſa etiam individua ſunt de principali intentione naturæ univerſalis. Subſumo: atqui homo eſt quaſi medium inter naturas coruptibiles & incorruptibiles; conſtat enim corpore, quod eſt corruptibile, & anima, quæ eſt incorruptibilis: ergo licet ex parte corporis competat ei generatio, ut ſervetur bonum ſpeciei, ex parte tamen animæ competit, quod multitudo individuorum ſit per ſe intenta a natura univerſali ſeu potius ab auctore naturæ, qui ſolus eſt animarum humanarum Creator; conſequenter, quod generatio ad multiplicationem hominum fuiſſet in ſtatu innocentiæ.

Confir. Si multiplicatio hominum in ſtatu innocentiæ fuiſſet tantum ad conſervationem ſpeciei, ſolus Adam & non Eva debuiſſet creari immortalis, ſi quidem in eo ſolo ſufficienter conſervaretur ſpecies humana.

Et hinc (*Ib. ad 2.*) Quamvis enim in ſtatu innocentiæ non fuiſſet generatio propter conſervationem ſpeciei, fuiſſet propter multiplicationem individuorum.

Prob. 3. ab inconvenienti. (*Ib. o.*) Si in ſtatu innocentiæ non fuiſſet generatio ad multiplicationem generis humani, ſequitur, quod peccatum neceſſarium fuiſſet ad tantum bonum, qualis eſt multiplicatio generis humani & maxime Electorum: atqui peccatum non fuit neceſſarium: ergo independenter a peccato fuiſſet multiplicatio generis humani.

Dices. Incarnatio eſt maximum bonum: atqui ad illud fuit neceſſarium peccatum. Unde Eccleſia canit: O neceſſarium Adæ peccatum: ergo ſimiliter.

R. Cum Cajetano, N. Conſeq. Sunt enim duplicis generis bona: quædam ſupponunt malum ut pœnitentia, patientia, martyrium, &c. Quædam vero ſunt ſimpliciter & ex omni parte bona. Ad prima, neceſſarium eſt eſſe malum. Ad ſecunda, oportere eſſe malum, inconveniens eſt. Multiplicatio generis humani eſt de genere bonorum ſimpliciter & ex omni parte, pertinet enim ad perfectionem ſpecificam; & ideo non oportuit eam occaſionari ex peccato: Incarnatio vero, quamvis ſecundum ſe ſit etiam bonum ex omni parte, & ideo non oportuerit ſimpliciter eam occaſionari ex peccato; attamen ut eſt nobis revelata; eſt de genere bonorum ſupponentium mala, non enim eſt revelata, niſi ut redemptrix, conſequenter captivorum & peccatorum; idque ex ordinatione divina, quantum ſcimus ex revelatione.

Altera ratio diſparitatis eſt, quod quamvis non ſit inconveniens, quod tale bonum, ſeu bonum ſimpliciter occaſionari debeat ex peccato, ſi tamen jam exiſtat hoc bonum abſque peccato, inconveniens eſt, quod ad ejus augmentum adhibeatur peccatum; ſic autem eſt in propoſito. Suppoſitis primis parentibus immortalibus in ſtatu innocentiæ, multiplicatio generis humani dicit tantum augmentum iſtius boni, ſtando intra limites bonitatis humanæ: at vero Incarnatio divina elevat naturam in aliam rationem boni ſcilicet ſupernaturalis; & ideo eſt tale bonum ſeu bonum ſimpliciter, & non tantum augmentum boni jam præexiſtentis.

Hæc concluſio amplius confirmabitur ex dicendis §. ſequenti. Unde ſit

§. II. *Utrum in ſtatu innocentiæ generatio fuiſſet per coitum?*

QUIDAM SS Patres (*Ib. a. 2. o.*) conſiderantes concupiſcentiæ fœditatem, quæ invenitur in coitu in præſenti ſtato, cenſuerunt, quod in ſtatu innocentiæ non fuiſſet generatio per coitum, ſed per aliquem alium modum vel quod homines multiplicati fuiſſent virtute divina per creationem ſicut Angeli. Ita Greg. Nyſſ. l. 1. de hominis opificio cap. 57. quem ſecutus eſt Chryſoſt. hom. 8. in Geneſ. favet Aug. l. 1. de Geneſ. cont. Manich. Sed contrariam Sententiam tenet l. 9. de Geneſ. ad Litt. c. 7. & ſequentibus l. 14. de Civit. a cap. 21. ad 26. & l. 1. Retract. cap. 19. ubi corrigit, quod dixerat l. 1. de Geneſ. cont. Manich.

Dico. (*Ibid.*) In ſtato innocentiæ generatio fuiſſet per coitum.

Prob. 1. (*Ib. in a. ſ. c.*) Geneſ. 1. & 2. legitur, quod Deus ante peccatum fecerit in humano genere maſculum & fœminam. Atqui hæc ſexuum diſtinctio non eſt niſi ad generationem per commixtionem. Ergo. Item Geneſ. 2. Deus dicitur feciſſe mulierem in adjutorium viri. Atqui vir non indigebat adjutorio mulieris niſi ad generationem per coitum; ad alia enim opera diverſa a generatione & aliis quæ generationem comitantur, melius potuiſſet adjuvari a viro quam a muliere. Ergo.

Si iterum dicas Deum hæc dixiſſe & feciſſe reſpiciendo ad futurum ſtatum peccati, in quo futurus erat uſus conjugii, atque ideo feciſſe maſculum & fœminam in adjutorium viri, non vero ut in hoc ſtato innocentiæ commiſcerentur. Contra 1. jam reſpondi ſupra Deum in brutis peccati incapacibus feciſſet diſtinctionem ſexuum ad generationem per coitum. Ergo independeret a peccato ſic fuiſſet in homine. 2. Adam, qui non erat peccati ſui præſcius, videns Evam ex ſe formatam dixit: *Hoc nunc os ex oſſibus meis & caro de carne mea: Quamobrem relinquet homo Patrem ſuum & Matrem & adhærebit uxori ſuæ & erunt duo in carne una.* Non fiunt autem vir & mulier una caro niſi per commixtionem, ut per ſe patet & declarat Alexander III. de converſ. conjug. Ergo etiam independenter a peccato fuiſſet generatio per coitum. 3. naturalia in homine non ſunt data aut adempta per peccatum. Atqui differentia ſexuum eſt homini naturalis utpote de intentione naturæ univerſalis, ut diximus ſuperius, & alioquin in Beatis, in quibus ceſſant omnes defectus peccati, non foret diverſitas ſexuum, quæ ſunt falſa & damnata ab Innocentio III. in Concil. Lateran. c. damnamus in fine extra. de ſum. Trinit. & Fide Catholica, ubi inter articulos damnatos Almarici iſte eſt: *Si homo non peccaſſet, in duplicem ſexum partitus non fuiſſet, nec generatur, ſed eo modo quo Angeli ſancti, multiplicati fuiſſent homines.*

Prob. 2. ex principio jam poſito: (*Ibid. o.*) Quæ ſunt naturalia homini, neque illi ſubtrahuntur, neque dantur per peccatum: Atqui homini ſecundum vitam animalem quam etiam ante peccatum habebat, naturale eſt generare per coitum: Ergo. Min. conſtat; tum quia ad hunc

uſum

uſum deputata ſunt in homine naturalia membra, quorum uſus fuiſſet ante peccatum, non ſecus ac cæterorum membrorum.

Confir. (*Ibid.*) In omni generatione requiritur virtus activa & paſſiva. Atqui in omnibus, in quibus eſt diſtinctio ſexuum, virtus activa eſt in mare, virtus paſſiva in fœmina. Ergo naturæ ordo exigit, ut ad generandum conveniant per coitum mas & fœmina.

Quantum vero ad fœditatem generationis per coitum in præſenti ſtatu, (*Ibid.*) quam moti ſunt quidam Patres ut eam non admitterent in ſtatu innocentiæ, obſervandum duo eſſe conſideranda in coitu ſecundum præſentem ſtatum, unum quod naturæ eſt, ſcilicet conjunctio maris & fœminæ, alterum, quædam difformitas immoderatæ concupiſcientiæ & inordinationis membrorum genitalium, cui ratio dominari non poteſt. Primum fuiſſet in ſtatu innocentiæ, non ſecundum, ſi quidem in eo virtus inferiores omnino ſubdebantur rationi, & eo voluntatis motu movebantur membra genitalia quo cætera ſine ardore & illecebroſo ſtimulo, cum tranquillitate animæ & corporis.

Neque tamen inde inferas (*Ibid. ad 3.*) non fuiſſe delectationem ſecundum ſenſum in actu conjugali, imo tanto major fuiſſet, quanto prior eſſet natura & corpus magis ſenſibile, ſed vis concupiſcibilis regulata per rationem delectationi non inhærebat immoderate; ſicut ſobrius in cibo moderate ſumpto non minorem habet delectationem quam guloſus, ſed animus ejus concupiſcibilis ſuper hujuſmodi delectatione requieſcit, nec ultra regulam rationis ſe extendit.

Dices. In generatione per coitum fit reſeratio clauſtri virginalis, quæ non eſt ſine corruptione, & in partu viſcerum muliebrium, quæ non eſt ſine dolore. Atqui in ſtatu innocentiæ neque fuiſſet corruptio, neque dolor. Ergo. R. S. Th. hic ad 4. admittit in ſtatu innocentiæ reſerationem viſcerum muliebrium in partu; ſed motus auctoritate Aug. videtur negare reſerationem clauſtri virginalis in coitu, his verbis: *Dicendum*, inquit, *quod ſicut Aug. dicit 14. de Civit. c. 26. in illo ſtatu nulla corruptione integritatis infunderetur gremio maritus uxoris, ita enim potuit utero virginis, ſalva integritate feminis genitalis, virile ſemen immitti, ſicut nunc poteſt, eadem integritate ſalva, ex utero virginis fluxus menſtrui cruoris emitti.* Attamen in 2. d. 20. q. 1. a. 2. ad 1. hanc clauſtri virginalis reſerationem per coitum in primo ſtatu agnoſcit dicens: *In omni concubitu ſolvitur virginitas, quantum ad integritatem carnis etiam in primo ſtatu.*

Ad horum conciliationem dicendum eſt S. Th. dic. loqui de reſeratione violenta clauſtri virginalis, ut fit in præſenti ſtatu, quæ non eſt ſine aliqua corruptione. In 2. vero cit. loquitur de reſeratione ſpontanea ſine violentia & corruptione: unde integritas carnis, prout opponitur fractioni violentæ clauſtri virginalis, manſiſſet in ſtatu innocentiæ, integritas vero, prout opponitur ſimplici & ſpontaneæ aperitioni abſque violentia, non manſiſſet. Hanc autem explicationem eſſe admittendam conſtat. 1. Quia concipi non poteſt quomodo ſemen virile immitti poſſit in uterum fœminæ ſine aliqua relaxatione clauſtri virginalis. 2. Quia S. Doctor hic admittit relaxationem viſcerum muliebrium in partu ſine dolore, quidni coitu, cum in iſto ſit longe minor reſeratio quam in partu, & hoc ultimo ſuppoſito non poſſit manere integritas carnis prout opponitur ſpontaneæ relaxationi.

Neque obſtat, quod dicat hic S. Th. quod ſemen virile potuit immitti in uterum mulieris, ſicut nunc ex utero virginis fluxus menſtrui cruoris emittitur: non enim in hoc tenet paritas quod ſicut ille ſanguis exit ſine reſeratione clauſtri virginalis, ita ſine hac reſeratione ſemen virile in uterum mulieris immitteretur; conſtat enim ſecundum medicos, quod ille cruor non exeat per clauſtrum virginale, ſed per venas ad hoc deputatas, quarum orificia terminantur in ſuperficie vaſis fœminei: ſed in hoc tenet paritas quod ſicut iſtarum venarum orificia, licet ſint ordinarie complicata & clauſa, ſtatis tamen temporibus ſponte & ſine violentia aperiantur, ut ſanguis menſtruus exeat, ita ad congreſſum voluntarium maris & fœminæ clauſtrum virginale ſine violentia aperitur & dilatatur, ut ſemen virile in matricem mulieris immittatur.

In ſumma igitur pro ſolutione argumenti dicendum quod in ſtatu innocentiæ coitus fuiſſet abſque corruptione & partus ſine dolore; quia ad congreſſum voluntarium clauſtrum mulieris ſponte & abſque violentia reſeratum fuiſſet, ſimiliter in partu tempore a natura ſtatuto viſcera muliebria ſponte & ſine violentia aperta fuiſſent, ſicut nunc aperitur os aut manus.

Hinc inferes, quod mulieres in ſtatu innocentiæ non manſiſſent ſimpliciter virgines, quia licet manſiſſet integritas carnis, hoc ſenſu quod non fuerit vi corrupta, & non fuiſſet immoderata delectatio venerea, nihilominus voluntarie ſolutum fuiſſet ſignaculum virginale, & adhibita fuiſſet voluntarie delectatio venerea etſi moderata: eſt enim inſeparabilis a coitu. Virginitas autem ſimpliciter conſiſtit in conſervatione voluntaria ſignaculi virginalis, & in immunitate ab omni voluntaria delectatione venerea, ut docet Auctor 2. 2. q. 152. a. 1.

Inſt. Continentia eſt laudabilior matrimonio, ut probat Auctor loco proxime cit. a. 4. Atqui non debemus denegare ſtatui innocentiæ, quod eſt laudabilius. Ergo. R. D. Maj. (*Ibid.*) Continentia pro præſenti ſtatu eſt laudabilior matrimonio, C. Pro ſtatu innocentiæ, N. ideo enim continentia eſt laudabilior pro hoc ſtatu quam matrimonium quia importet abſtinentiam ab immoderata libidine & immunitatem a variis ſollicitudinibus & miſeriis hujus ſæculi, quibus impeditur homo a contemplatione divinorum. At in ſtatu innocentiæ fuiſſet fœcunditas ſine immoderata libidine, ſine ſollicitudinibus, & miſeriis diſtrahentibus hominem a divina contemplatione: nihil quippe immoderatum fuiſſet in actu conjugii, nulla in conjugio moleſtia ſive circa conjugem, ſive circa liberos, res domeſticas etc.; fuiſſet inter conjuges amor caſtiſſimus, fides intemerata, denique bonum perpetuum fœcunditatis, ex quo tot ſancti laudarent & glorificarent Deum, quo bono caruiſſent Virgines abſque compenſatione alterius boni, ſicque conjugium fuiſſet excellentius virginitate.

Unde ſequitur, quod in hoc ſtatu nullus manſiſſet virgo, ſed omnes matrimonio uſi fuiſſent; non enim in hoc ſtatu ſervaſſent, quod eſt minus laudabile & minus bonum. Sequitur ulterius, (*Q. 99. a. 2. ad 3.*) quod cum nullus manſiſſet virgo, & matrimonium ſit unius cum una, tot debuiſſent naſci mulieres, quot viri; de quo iterum infra. Sequitur denique, quod cum non uſi fuiſſent matrimonio niſi ad finem, ob quem erat inſtitutum, ſcilicet ad generationem prolis, non eſſet in hoc ſtatu ulla ſterilitas, quæ eſt defectus, ſed ex quodlibet congreſſu nata fuiſſet proles.

Dices. Si laudabilius fuiſſet uti matrimonio, quam ſervare virginitatem, quare ergo primi Parentes eo non ſunt uſi in Paradiſo terreſtri. R. (*Ib. ad 2.*) Ideo primos Parentes non fuiſſe uſos matrimonio in Paradiſo terreſtri, vel quia formata muliere, poſt modicum tempus, propter peccatum de Paradiſo ejecti ſunt; vel quia ad determinatum tempus commixtionis expectabant divinam auctoritatem, a qua acceperant univerſale mandatum; congruum enim erat, inquit Aug. l. 9. de Geneſ. ad litt. cap. 4. ut ad hanc rem expectaretur divina auctoritas, ad quam nulla concupiſcentia, tanquam ſtimulus inobedientis carnis, urgebat.

DISSERTATIO VI.

DE CONDITIONE PROLIS GENERANDÆ IN STATU INNOCENTIÆ.

ARTICULUS I.

De conditione prolis generandæ in ſtatu innocentiæ quantum ad corpus.

§. I. *Utrum ſi perſeveraſſet ſtatus innocentiæ, iidem numero homines in eo nati fuiſſent, qui in ſtatu naturæ lapſæ nati ſunt, naſcuntur, & naſcentur?*

QUOT homines in ſtatu innocentiæ, ſi perſeveraſſet, nati fuiſſent, & an tot quot naſcuntur in ſtatu naturæ lapſæ; prorſus incertum eſt, cum nihil de hoc habeamus ex Scriptura aut Traditione; & aliunde ſit nobis ignotum, quanto tempore homines tunc fuiſſent in via & vacaſſent generationi. Pariter incertum eſt, an tunc nati fuiſſent quidam reprobi & damnandi.

Quæſtio eſt igitur, utrum iidem numero homines, qui naſcuntur in ſtatu naturæ lapſæ, nati fuiſſent in ſtatu innocentiæ, tam quoad corpus, quam quoad animam, abſtrahendo ab æqualitate numeri.

Dico 1. (*Quodl. a. 8. a.*) Adam non peccante non fuiſſent nati iidem homines quantum ad corpus, qui nunc naſcuntur. Prob. (*Ibid.*) Impoſſibile eſt eandem numero prolem quoad corpus naſci, ſi alius ſit pater aut alia mater: atqui in primo ſtatu fuiſſent alii Parentes, quam nunc: ergo diſtinctæ numero proles quoad corpus. Major conſtat; quia in generatione hominis ſicut & aliorum animalium ſemen patris eſt agens, materia vero a matre miniſtrata patiens; impoſſibile eſt autem eundem numero effectum produci a diverſis cauſis ſive activis ſive paſſivis, ſicut non eſt idem numero ſigillum, ſive ſit altera cera, ſive aliud corpus ſigilli,

Digitized by Google

gilli, ex cujus impreſſione cera ſigillatur. Prob. Min. In primo ſtatu unus homo non habuiſſet pluras uxores & nullus ex fornicatione vel adulterio naſceretur. Atqui hæc contingunt in præſenti ſtatu: conſequantar, qui in præſenti ſtatu naſcuntur ex uno patre & pluribus uxoribus, ſive legitimo concubitu, ut dum vigebat polygamia, ſive illegitimo, ut in fornicatione & adulterio, non fuiſſent nati iidem numero in ſtatu innocentiæ. Confir. Omnes, qui in hoc ſtatu naturæ lapſæ moriuntur innupti, ſive pueri, ſive adulti, in ſtatu innocantiæ nupſiſſent & filios procreaſſent, qui conſequanter eſſent alii numero ab his, qui nunc naſcuntur in ſtatu naturæ lapſæ. Item poſt peccatum pluras fœminæ ſunt ſteriles, quæ in ſtatu innocentiæ fuiſſent fœcundæ. Ergo generaſſent homines, qui nunc non generantur.

Prob. 2. Ad individuationem prolis non ſufficit identitas Parentum, ſi quidem ex eodem patre & eadem matre naſcantur diſtincta individua, ſed requiritur inſuper identitas variarum circumſtantiarum; puta loci, temporis, influentiarum cœlaſtium, actionis elamentorum, qualitaris ſeminis in mare, & materiæ in ſemina: atqui hæ omnes circumſtantiæ non ſunt mere eædem, quæ fuiſſent in ſtatu innocentiæ, ut conſtat, & ſpecialiter de ſamine in mare & ſanguine in fœmina; ſamen enim in mara & ſanguis in ſemina ſapiunt & retinent qualitatem ciborum, quibus formantur: in ſtatu autem innocentiæ fuiſſent cibi diſtinctiſſimi, ut dicam inſra, moderatius ſumpti & longa ſalubriores, tum ratione ſui, cum ratione locorum & temporum, quam in præſenti ſtatu: ergo.

Dico 2. Non aſt omnino improbabile homines in ſtatu innocentiæ fuiſſe futuros eoſdem numero quoad animam quam nunc. Prob. Anima rationalis ſicut non dapendet in eſſa e corpore, ita nec ex ſe limitatur ad informandum potius hoc corpus quam aliud. Equidem verum eſt, quod quando unitur uni corpori, eo eo limitetur, ne ultra alteri communicentur, quo ſenſu diximus ſuperius animam individuari a corpore; ſed antequam unietur, non eſt ax ſe determinate ad informandum potius hoc corpus, quam aliud, ſed id habet e ſolo Deo, a quo hæc numero anime immediate creatur. Ergo hanc numero animam, quæ huic nunc aorpori inſunditur, potuiſſet Daus in ſtatu innocentiæ alteri corpori infundere, & in hoc corpore eliam animam ereare; id enim totum dependet e libera ejus voluntate.

Confir. Individuatio animæ quoad perſeitetem exiſtentiæ non dependat a circumſtantiis loci, temporis, influxuum cœlaſtium, idantitata, temperamento, & diſpoſitione parentum, ſicut diximus de individuatione aorporis, ſed a ſolo Deo, qui abſque interventu elterius cujuſvis cauſæ eam creat: ergo nihil obſtat, quominus eædem numero enimæ, quæ nunc informat corpore, informaſſent in ſtatu innocentiæ. Ite vero fieri conveniens eſſe ſuadetur. Adam e Deo acceperet juſtitiam originalem ea conditione, ut ſi non peccaret, eam tranſmitterat in poſteros; & ſi peccaret, eam ſibi & poſteris amitteret: ergo viderur rationi cogruum, ut in utroque ſtatu naturæ innocentis & lapſæ homines haberent eaſdem numero animas, ut iidem ſecundum partem ſui nobiliorem ſentirent val bonum juſtitiæ origiualis, vel damnum peccati.

At forte dices, Deum in hac diſpoſitione reſpexiſſe naturam ſpecificam, non perſonas diſtinctas. Contra eſt 1. quod major providentiæ perfectio reluceret, ſi perſonas diſtinctas, & non ſolam naturam reſpaxiſſet. 2. Præſcientia Dei eſt clara & diſtincta, non confuſa: ergo quando dedit juſtitiam originalam Adæ ea conditione, ut ſi non peccaret, eam ſibi & poſteris ſervaret; ſi vero peccaret, eam ſibi & poſteris amitteret; veriſimile aſt eum clare & diſtincte concepiſſe poſtaros Adæ in individuo, ita ut eædem perſonæ, quæ privantur nunc bono juſtitiæ originalis illud expertæ fuiſſent ſecundum præſtantiorem ſui partem ſcilicet animam rationalem, ſi Adam non peccaſſet.

Si dicas inde probari etiam fuiſſe aaſdem numero perſonas quoad corpus, quia plure juſtitiæ originalis commoda illud ſpectant, ſicut ex ejus emiſſione plura incommoda patitur. Contra: eſto id de potantia Dei abſoluta fieri potuiſſet; quia tamen individuatio corporis naturaliter pendet a pluribus circumſtantiis materialibus, quæ non fuiſſent eædem in ſtatu naturæ innocantis & lapſæ, & contra individuatio animæ rationalis non dependeat ab his circumſtantiis materialibus, ratio eſt cur dicamus Deum eaſdem numero animas fuiſſe creaturum in primo ſtatu ac in præſenti, & non eadem corpora; Deus enim ſecundas cauſas ſinit operari juxta proprias vires & conditiones, & ideo juxta diverſos concurſus cauſarum ſecundarum corpora diverſas ſortiuntur individuationes.

Adde, quod tam gratia ſanctificans, quæ eſt radix juſtitiæ originalis, quam culpa originalis, quæ ex libera voluntate Adæ deſcendit, primario & principaliter ad animam pertineant, ſecundario vero materialiter tantum ad corpora; unde ratio, quæ militat pro identitate numerica animarum in utroque ſtatu; non militat paritar pro identitate corporum.

Cæterum quoad 2. Concluſionem dicta ſint ſpaculando tantum, fateor enim nihil certi hac de re proferri poſſe, cum totum pendeat ax libara Dei voluntata, quæ neque in Scripturis, neque in Traditione aſt nobis revelata.

§. II. *Utrum pueri in ſtatu innocentiæ mox nati virtutem perfectam habuiſſent ad quemlibet motum membrorum.*

Dixi ſuperius in ſtatu innocentiæ non omnas homines futuros fuiſſe æquales ſive quoad corpus, ſive quoad animam. Item certum eſt non naſcituros tunc homines in aa corporis magnitudine, quam habere ſolent homines in ætate virili, ſad in ea corporis mole, in qua naſai ſolant infantes; quia id eſt homini naturale, ſicque ideo contigiſſet in ſtatu innocentiæ. Aliunde fieri non potuiſſet abſque megno miraculo; quod corpus quinque vel ſex pedum contineretur in utaro matris, & ab illo ederetur. Ad quæſtionam itaque propoſitam in titulo §.

Dico. (*Q. 99. a. 1. o.*) In ſtatu innocentiæ pueri mox nati non habuiſſent virtutem motivam membrorum ſufficientam ad quoslibet motus, bene taman ſufficientem ad actus convenientes pueritiæ. Prob. 1. pars. (*Ibid.*) Quod naturale eſt homini, ipſi contigiſſet in ſtatu innocentiæ, ut jam dictum eſt. Atqui naturale eſt homini, utpote ax principiis naturæ humanæ competens, ut pueri mox nati non habeant ſufficientem virtutem ad quoslibet motus membrorum. Ergo. Prob. Min. Homo naturaliter habet cerebrum majus in quantitate ſecundum proportionam ſui corporis, quam cætera animalia; unde naturala eſt, quod propter maximam humiditatem cerebri in pueris nervi, qui ſunt inſtrumenta motus, non ſint idonei ad movendum membra ſecundum quoslibat actus. Ergo. Confir. (*Ibid. in a. ſ. c.*) Omne generatum prius eſt imperfectum quam perficiatur; ſed pueri in ſtatu innocentiæ fuiſſent per generationem producti. Ergo a principio fuiſſent imperfecti & quantitate & virtute corporis.

Prob. 2. pars. (*Ibid. o.*) Deus juxta Scripturam fecit hominem rectum; & ſimiliter recti nati fuiſſent ejus poſteri, ſi non peccaſſet. Atqui iſta rectitudo conſiſtebat partim in perfecta ſubjectiona corporis ad animam, unde raquirebat, quod naqua in membris eſſet aliquid; quod repugnaret ordinatæ hominis voluntati, neque quod membra deficerent ejus volunteti ordinatæ. Ergo puari potuiſſent movere mambra ſicut voluiſſent. Subſumo. Atqui nihil tunc voluiſſent ordinata voluntate, niſi quod erat conveniens ſuo ſtatui. Ergo potuiſſent movare membra ad motus ætati puerili convenians, puta movere pedes, manus, linguam, quantum illa ætas requirit, ſive ad ſugenda ubera, ſive ad alia ſimilia.

Dices contra primam partem. Aug. l. de Baptiſmo parvul. & l. de peccat. maritis c. 37. dicit infirmitatem carnis infantilis eſſe quid pœnale. Atqui in ſtatu innocentiæ nulla pœne fuiſſet. Ergo. R. Aug. (*Ibid. ad 1.*) non loqui de infirmate, quæ in ſtatu innocentiæ fuiſſet in pueris ad quoslibat actus, ſed de infirmitate, quæ nunc eſt in illis etiam quantum ad actus eorum pueritiæ convanientes. Nunc enim pueri mox nati neque pedes ad ulium incaſſum, neque manus ad aliquid faciendum movare poſſunt, & niſi os papillæ uberis ope nutricis admovaatur, *juxta ſe jacentibus mammis magis poſſunt eſurientes flere quam ſugere*, inquit ipſe Aug. loco cit. Unde patet ipſum loqui de infirmitate puerorum hujus ſtatus, quæ revera eſt pœna peccati.

Inſt. Homo in ſtatu innocentiæ tantum roboris habuiſſet in ætate ſenili, quantum in ætate virili. Ergo & in puerili. R. N. Conſeq. Diſparitas eſt, (*Ibid. ad 4.*) quod homo in ſtatu innocentiæ fuiſſe incorruptibilis & immortalis: & ideo debuit carare defectibus, qui ordinantur ad aorruptionem & ad mortem, quales ſunt ægritudines & defectus ſenilas: ſed habuit initium vitæ per generationem, & ideo nihil prohibet eum habuiſſe defectus pueriles, qui ſequuntur generationem.

Subſumes. Atqui nullus defectus fuiſſet in ſtatu innocentiæ: ergo. R. D. Subſumptum. Nullus defectus poſitivus, ſeu ſumptus pro privatione boni debiti erat in ſtatu innocentiæ, C. Defectus negativus ſeu ſumptus pro carentia boni tunc non debiti, N. Hoc enim ſenſu ſumptus defectus multiplex fuiſſet in ſtatu innocentiæ.

Repones: quædam animalia ſtatim cum naſcuntur habant virtutem ſufficienram ad multiplicem uſum membrorum. Atqui homo eſt nobilior eiis animalibus. Ergo. R. N. Conſeq. (*Ibid. ad 2.*) Quia, quod quædam animalia ſtatim nata habeant uſum membrorum, non eſt ax eorum nobilitate, ſi quidem quædam animalia perfectiora hoc non habeant, ſed hoc eis contingit ex ſiccitate cerebri, & quia actus proprii talium animalium ſunt imperfecti, ad quos parva virtus ſufficere poteſt.

§. III.

§. III. Quibus cibis uſi fuiſſent homines in ſtatu innocentiæ?

DIxi ſupra Diſſert. præced. art. 3. §. 3. quod homines indiguiſſent cibo in ſtatu innocentiæ, nunc quærimus, quo cibo uſi fuiſſent?

Certum videtur primos Parentes in ſtatu innocentiæ non fuiſſe uſos carnibus, tum ex illis verbis Evæ ad Serpentem Geneſ. 2. *De omni ligno Paradiſi veſcimur*, quibus ſignificare videtur, quod ex ſolis fructibus arborum veſcerentur, tum quia non eſt veriſimile, quod in tam brevi intervallo temporis, quod fuit inter creationem primorum Parentum & eorum peccatum, cogitaverint de cæde animalium & eſu carnium; ſed quæſtio eſt, an ſi diutius duraſſet ſtatus innocentiæ, ipſi primi Parentes & eorum poſteri uſi fuiſſent carnibus animalium?

Dico. Q. (*96. art. 1. ad 3.*) Probabilius eſt, quod neque primi Parentes, neque eorum poſteri uſi fuiſſent carnibus etiamſi diuriſſime perſeveraſſet ſtatus innocentiæ. Prob. 1. Deus in ſtatu innocentiæ abundanter providerat homini de cibis neceſſariis ad conſervationem vitæ & ſuavitatem guſtus per fructus terræ, ut patet tum ex verbis Evæ ad Serpentem mox laudatis, & ex his Geneſ. 1. *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & univerſa ligna, quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, ut ſint vobis in eſcam*. Item ex his Geneſ. 2. *Omne lignum pulchrum viſu & ad veſcendum ſuave*. Tum, quia ut probavimus a. 3. ſupra cit. per lignum vitæ confortabatur vis nutritive, ut per ſenectutem non deficeret, & per fructus aliarum arborum reſtaurabatur humidum radicale per caloris naturalis actionem deperditum. Ergo ſuperfluum fuiſſet, his fructibus relictis confugere ad carnes animalium.

2. Nedum ſuperfluum, ſed & inordinatum: 1. Quia eſſet aliquo modo culpare divinam providentiam, quaſi non providiſſet de ſufficienti cibo, aſſignando fructus terræ. 2. Eſſet indulgere gulæ, cum abſque neceſſitate carnes adhiberentur. 3. Occupari in animalibus occidendis, eſcoriandis, exenterandis, lavandis, aſſandis, eſſet mentem diſtrahere a divinis contemplationibus, quibus homo in ſtatu innocentiæ erat addicendus. 4. Denique hoc ipſo quo eſſet ſuperfluum, erat inordinatum; nihil autem inordinatum erat in ſtatu innocentiæ.

Unde ſequitur, quod ſuppoſita rectitudine & diſpoſitione ſtatus innocentiæ, illicitum erat jure naturæ veſci carnibus, ſi quidem erat inordinatum attenta hujus ſtatus ordinatione & diſpoſitione.

Dixi; *jure naturæ*: Quia id fuiſſe a Deo poſitive prohibitum nullibi conſtat. Quamvis enim conceſſerit expreſſe herbas & fructus ad veſcendum, non ſequitur, quod poſitive prohibuerit omnem aliam eſcam; forte enim expreſſit fructus terræ, ut ſapidiores, ſalubriores & faciliores obtentu, non tamen poſitive prohibitis aliis cibis.

Quod autem dixi de carnibus, pari ratione dicendum videtur de ovis, lacticiniis, pane & vino.

At vero deſtructo per peccatum ſtatu innocentiæ, homine gravibus laboribus addicto, ejecto de Paradiſo & privato fructibus illius præſertim ligni vitæ, nihil vetabat tunc homines veſci carnibus & aliis. Utrum tamen de facto uſi fuerint ſaltem ante diluvium? Quidam dubitant; quia tantum poſt diluvium facta eſt expreſſa conceſſio iis utendi his verbis Geneſ. 9. *Omne, quod movetur, erit vobis in cibum, quaſi olera virentia tradidi vobis omnia*. Sed reſponderi poteſt, Deum his verbis voluiſſe tantum indicare carnium uſum tunc fore frequentiorem; quia licet ante diluvium non prohiberetur, non erat tamen communis ſicut fuit poſt diluvium; vel voluiſſe ſolemniter & expreſſe declarare, quod antea tacite tantum erat conceſſum.

§. IV. Utrum in ſtatu innocentiæ natæ fuiſſent fœminæ?

QUAMVIS art. 4. præcedentis Diſſert. §. 2. jam dixerimus naſcituras fuiſſe fœminas in ſtatu innocentiæ, imo tot naſcituras quot maſculos; juvat tamen cum Auctore hanc quæſtionem iterum breviter examini ſubjicere. Unde.

Dico. (*Hic q. 99. a. 2. o.*) In ſtatu innocentiæ, ſi perſeveraſſet, natæ fuiſſent fœminæ. Primo quia natura ſic in generando proceſſiſſet, ſicut Deus eam inſtituit. Atqui Deus inſtituit in natura humana marem & fœminam. Ergo. Secundo diverſitas ſexus pertinet ad perfectionem naturæ humanæ, ſicut in aliis animalibus pertinet ad eorum perfectionem. Atqui nihil eorum, quæ ad perfectionem & complementum naturæ pertinent, defuiſſet in ſtatu innocentiæ. Ergo.

Dices. Dicitur communiter ex Philoſopho, quod fœmina ſit mas occaſionatus, quaſi præter naturæ intentionem proveniens. Atqui in ſtatu innocentiæ nihil eveniſſet innaturale in generatione hominis. Ergo. Reſpondimus jam ſupra, (*Ib. ad 1.*) eſſe fœminam eſſe præter intentionem naturæ particularis, non eſſe tamen præter intentionem naturæ generalis.

Inſt. Omne generans generat ſibi ſimile, niſi impediatur, vel propter defectum virtutis activæ, vel propter indiſpoſitionem materiæ. Atqui in ſtatu innocentiæ nullus fuiſſet defectus virtutis activæ in mare, nec indiſpoſitio materiæ in fœmina. Ergo omnes nati fuiſſent maſculi. R. generationem fœminæ (*Ibid. ad 3.*) non ſolum contingere ex defectu virtutis activæ, vel ex indiſpoſitione materiæ; ſed etiam quandoque ex aliquo extrinſeco. Sic juxta Philoſophum lib. de animalibus, ventus Septentrionalis coadjuvat ad generationem maſculorum; Auſtralis ad generationem fœminarum; quandoque etiam ex imaginatione ſeu conceptione animæ, ad quam de facili immutatur corpus: & hoc poterat eſſe præcipue in ſtatu innocentiæ, in quo corpus erat magis ſubjectum animæ, ita quod ſecundum voluntatem Parentum diſtingueretur ſexus in prole.

ARTICULUS II.

De conditione prolis generandæ in ſtatu innocentiæ quantum ad juſtitiam.

DIco 1. (*Hic q. 100. a. 1. o.*) In ſtatu innocentiæ homines nati fuiſſent in juſtitia originali, conſequenter in gratia ſanctificante, quæ eſt radix juſtitiæ originalis.

Prob. (*Ibid.*) Juſtitia originalis erat donum divinitus conceſſum toti naturæ humanæ. Ergo. Prob. Ant. Oppoſita ſunt unius generis. Atqui peccatum originale, quod opponitur Juſtitiæ originali, eſt peccatum naturæ, unde traducitur a Parentibus in poſteros. Ergo.

Dico 2. (*Ibid. a. 2. o.*) In ſtatu innocentiæ homines non fuiſſent nati confirmati in juſtitia. Prob. (*Ibid.*) Pueri in ſua nativitate non habuiſſent plus perfectionis quam eorum Parentes in ſtatu generationis. Atqui Parentes quamdiu genuiſſent, non fuiſſent confirmati in gratia. Ergo. Prob. Min. Creatura rationalis de lege ordinaria & ſecluſo ſpeciali privilegio non confirmatur in juſtitia, niſi per claram Dei viſionem, cui viſo non poteſt non inhærere, cum ipſe ſit eſſentia bonitatis, a qua nullus poteſt averti; ſi quidem nihil deſideretur & ametur niſi ſub ratione boni. Ergo.

Dixi; ſecluſo ſpeciali privilegio, quale creditur conceſſum B. Virgini.

Dices. Greg. l. 4. moral. ſuper illud Jacob. *Somno meo requieſcerem*, dicit: *ſi Parentem primum nulla putredo peccati corrumperet, nequaquam ex ſe filios gehennæ generaret; ſed hi qui nunc per Redemptorem ſalvandi ſunt, ſoli ab illo electi naſcerentur*. Ergo in ſtatu innocentiæ naſcerentur omnes confirmati in gratia. R. N. Conſeq. (*Ib. ad 1.*) Ad prima verba Gregorii, ſenſus eſt, quod ſi Adam non peccaſſet, non generaſſet ex ſe filios gehennæ, hoc eſt non generaſſet filios, qui contraherent peccatum, quod eſt cauſa gehennæ; poſſent tamen fieri filii gehennæ per liberum arbitrium. Quantum ad verba ſequentia, (*Quodl. 5. a. 8.*) Gregorius non facit comparationem perſonalem, quaſi iidem numero, qui per Redemptorem ſalvantur, nati fuiſſent in ſtatu innocentiæ; hoc enim eſſe falſum probavimus Art. præcedente §. 1. ſed facit comparationem ſimplicem, ſcilicet quod tunc ſoli Electi naſcerentur, ſi nempe neque Adam peccaret, neque aliquis alius.

Inſt. 1. Anſelmus lib. *Cur Deus homo*, dicit; *Videtur; quod ſi primi Parentes ſic viciſſent, ut tentati non peccaſſent, ita confirmarentur cum omni propagine, ut ultra peccare non poſſet*. Ergo. R. (*Hic ad 2.*) Anſelmum hoc dixiſſe non aſſerendo, ſed opinando; quod patet ex ipſo modo loquendi cum dicit: *Videtur quod ſi viciſſent*, &c.

Inſt. 2. Bonum eſt fortius malo. Atqui ex peccato primi hominis conſecuta eſt neceſſitas peccandi in his qui naſcuntur ex illo. Ergo ſi in juſtitia perſtitiſſet, derivaſſetur ad poſteros neceſſitas ſervandi juſtitiam, ſicque eſſent confirmati in ea. R. N. Conſeq. (*Ib. ad 3.*) Diſparitas eſt, quod neceſſitas peccandi, quam nunc incurrunt poſteri Adæ peccatoris, non ſit talis ut per eam obfirmentur in peccato, & non poſſint per liberum arbitrium gratia adjutum ad juſtitiam redire; ſed neceſſitas tantum vaga & indeterminata ſeu moralis ſumpta pro magna difficultate non peccandi, qua fit, ut moraliter loquendo non poſſint non aliquando peccare, ſalva tamen ſemper potentia reſurgendi. At vero Confirmatio in gratia talis eſt, ut ea donati ſimpliciter non poſſint peccare. Unde non ſequitur, quod ſi poſteri Adæ peccatoris contrahant hujuſmodi neceſſitatem peccandi, poſteri Adæ juſti fuiſſent in gratia confirmati.

Inſt. 3. Angelus adhærens Deo, aliis peccantibus, ſtatim fuit in juſtitia confirmatus, ut ulterius peccare non poſſet: ergo ſimiliter homo, ſi tentationi reſtitiſſet fuiſſet in juſtitia confirmatus: qualis autem ipſe fuiſſet, tales

alios

alios generaſſet. R. N. Conſeq. (*Ibid. ad* 4.) Diſparitas eſt, quod homo habeat liberum arbitrium verribile, & ante & poſt electionem, non autem Angelus poſt electionem, ut late probavimus de Angelis Diſſert. 3. art. 1.

ARTICULUS III.

De conditione prolis generandæ in ſtatu innocentiæ quoad ad Scientiam.

Dico 1. (*Hic q.* 101. *a.* 1. *o.*) Pueri in ſtatu innocentiæ non fuiſſent nati perfecti in ſcientia, facile tamen proceſſu temporis eam acquiſiviſſent. Prob. prima pars 1 (*Ibid.*) de his, quæ ſunt ſupra naturam, ſoli auctoritati creditur; unde ubi auctoritas deficit, ſequi debemus naturæ conditionem. Atqui naturale eſt homini non habere ſcientiam congenitam, ſed paulatim per ſenſus acquirere, nec contrarium habemus revelatum pro poſteris Adæ innocentis. Ergo. Prob. 2. pars: homines in ſtatu innocentiæ habuiſſent plures prærogativas, tam ex parte corporis, quam ex parte animæ, quibus juvarentur ad acquirendas ſcientias, ſive addiſcendo a Parentibus, ſive inveniendo: ex parte corporis juvaret impaſſibilitas, perpetua valetudo, firmitas virium & integritas ſenſuum tam exteriorum, quam interiorum: ex parte animæ ingenium perſpicaciſſimum, memoria feliciſſima, judicium excellentiſſimum & propenſio ad ſciendum. Ergo.

Dices 1. (*Ibid ad* 1.) Qualis fuit Adam, tales genuiſſet: atqui Adam fuit in Scientia perfectus. Ergo. R. D. Maj. Qualis fuit Adam quantum ad accidentia naturalia aut gratuita totius naturæ, tales genuiſſet, C. Qualis fuit Adam quantum ad accidentia individualia ſeu perſonalia, tales, &c. N. Scientia autem fuit accidens individuale primi Parentis, quatenus erat inſtitutus Pater & inſtructor totius generis humani.

Dices 2. Ignorantia eſt ex peccato: atqui ignorantia eſt privatio Scientiæ: ergo ante peccatum nulla fuit privatio ſcientiæ. R. D. Min. (*Ibid. ad* 2.) Ignorantia eſt privatio ſcientiæ pro tunc debitæ ineſſe, C. Pro tunc non debitæ ineſſe, N. Eſt enim ſic ſimplex neſcientia, non ignorantia. Porro pueri in ſtatu innocentiæ habuiſſent ſcientiam, quæ eis competebat ſecundum illud tempus, puta aliquam Dei notitiam, & principiorum univerſalium juris naturæ, per quam poſſent diſcernere inter bonum & malum, inter noxium & innoxium. Unde ignorantia in eis non fuiſſet, ſed fuiſſet ſimplex neſcientia aliquorum, quorum cognitio non debebatur illis in ſtatu puerili.

Dico 2. (*Ib. art.* 2. *o.*) Pueri mox nati in ſtatu innocentiæ non habuiſſent perfectum uſum rationis: quia perfectus uſus rationis pendet ex uſu perfecto virium ſenſitivarum: unde ligato ſenſu & impeditis viribus ſenſitivis, homo perfectum uſum rationis non habet, ut patet in dormientibus & phreneticis: atqui in ſtatu innocentiæ in infantibus, ſicut nunc, impeditus fuiſſet perfectus uſus virium ſenſitivarum per nimiam humiditatem cerebri: ergo. Habuiſſent tamen perfectiorem uſum rationis quam nunc, quantum ad ea, quæ ad eos pertinebant ſecundum ſtatum puerilem, ſicut ſuperius diximus de uſu membrorum.

DISSERTATIO VII.

DE LOCO HOMINIS, QUI EST PARADISUS.

ARTICULUS I.

Utrum Paradiſus ſit locus corporeus?

Paradisus græce, latine Hortus, interdum ſumitur pro ſtatu veræ beatitudinis, ut Luc. 23. *Hodie mecum eris in Paradiſo*. Interdum ſumitur pro horto ſingulariter amœno, ut Cant. 4. *Emiſſiones tuæ Paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus*. De Paradiſo hoc ultimo ſenſu accepto quæſtio eſt, utrum Paradiſus, in quo dicuntur collocati primi Parentes, ſit locus corporeus? Philo de opificio mundi, & Origines in libris ſupra Geneſim negant, & totam hiſtoriam Paradiſi, quam narrat Moyſes c. 2. Geneſ. intelligunt allegorice: unde Hieron. Ep. ad Pammachium, quæ eſt 71. inter alios errores Origenis, hunc reponit, quod *ſic Paradiſum allegorizet, ut hiſtoriæ auferat veritatem, pro arboribus Angelos, pro fluminibus virtutes cæleſtes intelligens, totamque Paradiſi continentiam tropologica interpretatione ſubvertat*. Itaque

Dico: (*Q.* 102. *a.* 1. *o.*) Paradiſus, de quo agitur Geneſ. 2. eſt locus vere corporeus. Eſt certa & communis tam apud Patres, quam apud Theologos.

Prob. ex principio Aug. communiter recepto: (*Ibid.*) Scriptura ſacra, maxime dum refert hiſtoriam, non debet detorqueri ad metaphoras, ſed litteraliter intelligenda eſt, niſi ex ſenſu litterali ſequatur inconveniens; alioquin nihil certi ex Scriptura haberemus: atqui quæ Scriptura hiſtorice narrat de Paradiſo litteraliter intellecta, ſignificant locum corporeum, & inde nullum ſequitur inconveniens, imo ſequeretur ſi metaphorice intelligerentur. Ergo.

Prob. Min. 1. Geneſ. 2. dicitur: *Plantaverat autem Dominus Deus Paradiſum voluptatis a principio, & in eo poſuit hominem quem formaverat*: atqui plantari eſt propriæ rei corporeæ, & homini, utpote corporeo atque vitam animalem agenti, competebat locus corporeus. Ergo. 2. Ibid. iſte locus irrigabatur fonte, qui in quatuor flumina diviſus eſt, quorum duo Tigris & Euphrates etiam hodie ſub propriis nominibus fluunt, illud per Aſſyriam, iſtud per Armeniam: ergo erat corporeus. 3. ibid. iſte locus erat conſitus plantis & arboribus corporeis, nimirum pulchris viſu & ad veſcendum ſuavibus, utique viſu corporeo & manducatione corporea, conformiter ad id, quod c. 3. dicitur: *Vidit mulier, quod bonum eſſet lignum ad veſcendum & pulchrum oculis aſpectuque delectabile, & tulit de fructu ejus & comedit*. Adde, quod primi Parentes poſt peccatum conſuerunt ſibi folia ficus, utique in Paradiſo exiſtentis, ut cooperirent ſuam nuditatem: hæc omnia ſane ſi ad metaphoras detorqueas, corruit fides Eccleſiæ circa omnia, quæ credit de peccato primorum Parentum. Unde Epiphan. in Anchorato ait: *Si non ſit Paradiſus locus ſenſibilis, non eſt fons, non ficus, non folia, non comedit Eva, veritas jam fabuloſa eſt*.

Ob. 1. S. Hieron. in QQ. Hebraicis expendens illa verba: *Plantaverat Dominus Paradiſum voluptatis ab initio*, cenſent Paradiſum ante cœlum & terram fuiſſe creatum. Atqui certum eſt nihil corporeum fuiſſe creatum ante cœlum & terram. Ergo. R. Senſum Hieronymi non eſſe, quod Deus creaverit Paradiſum antequam crearet cœlum & terram quoad ſubſtantiam; ſed antequam crearet cœlum & terram quantum ad eorum perfectionem & ornatum, quem ſex diebus perfecit, & de quo Geneſ. 2. dicitur: *Perfecti ſunt cœli & terra & omnis ornatus eorum*: Hieronymum autem certo tenuiſſe Paradiſum eſſe corporeum conſtat ex ejus verbis contra Originem relatis initio Articuli.

Obj. 2. S. Ambroſius in toto libro de Paradiſo ipſum intelligit ſpiritualiter: nempe ipſum Paradiſum, animam juſti; ligna fructifera, merita juſtorum; fontem irrigantem, ſapientiam; quatuor flumina inde manantia, quatuor Virtutes cardinales: & ſic de cæteris. Ergo. Reſpondent quidam, Ambroſium, eſſe in hoc ſingularem, & a communi aliorum Patrum Sententia diſcordem. Reſpondent alii & melius, Ambroſium equidem agnoſcere Paradiſum corporeum, ſed, ea veritate ſuppoſita, totum eſſe in explicandis myſticis ejus ſignificationibus.

Obſervandum eſt enim (*Ibid.*) ex Aug. 13. de Civit. quod quæ commode dici poſſunt de intelligendo ſpiritualiter Paradiſo, nemine prohibente, dicantur, dum tamen & illius hiſtoriæ fideliſſima veritas rerum geſtarum narratione commendata credatur.

Ambroſius autem in eodem opere agnoſcere Paradiſum corporeum conſtat 1. quia c. 1. dicit: *In hoc ergo* Paradiſo *Deus hominem poſuit, quem plaſmavit, intellige, quod non eum hominem, qui ſecundum imaginem Dei eſt, poſuit, ſed eum qui ſecundum corpus; incorporalis enim in loco non eſt*. Ergo juxta Ambroſium Paradiſus erat locus corporeus, in quo Adam ſecundum corpus fuit poſitus.

2. Cap. 3. ejuſdem libri dicit: Quatuor flumina Phiſon, Gehon, Tigrim & Euphratem egredi de Paradiſo, Phiſon eſſe Gangem, Gehon Nilum, flumina notiſſima, Tigrim autem & Euphratam ſic intercipere Meſopotamiam, ut inde ſuam denominationem ſumat. Cenſet ergo Ambroſius Paradiſum eſſe corporeum, ex quo fluunt illa quatuor flumina corporea.

3. Cap. 7. ejuſdem libri quærens unde mors proveniret Adæ, an a Deo, an a natura ligni? Reſpondet, quod neque a Deo, neque a natura ligni, ſed ab ejus inobedientia quod manducaverit de ligno vetito. Ergo juxta Ambroſium erat lignum corporeum ſcientiæ boni & mali in Paradiſo plantatum. Ergo & ipſe Paradiſus erat corporeus.

Obj. 3. Sciebat Deus hominem peccaturum & in Paradiſo corporeo non relinquendum. Ergo fruſtra illum produxiſſet.

R. N. Conſeq. (*Ib. a.* 2. *ad* 3.) Sciebat enim pariter Deus hominem peccaturum & per peccatum amiſſurum inno-

cen-

centiam & immortalitatem, neque tamen fruſtra creavit eum in innocentia & immortalitate. Creavit ergo Deus Paradiſum, etſi ſciret hominem brevi ex eo expellendum; 1. Quia erat locus ſtatui innocentiæ maxime conveniens, nec Deus punit peccatores antequam peccent, & quamvis ſciat peccaturos, non deſinit eis benefacere, quod maxime commendat ejus benignitatem. 2. Ut amiſſo Paradiſo tam ipſe Adam quam nos cognoſceremus quanto bono & ipſe & nos propter peccatum privati ſumus, indeque peccatum majori odio haberemus. 3. Quia probabile eſt Henoch & Eliam etiam nunc in ipſo habitare.

Obj. 4. Si Paradiſus eſſet corporeus, creatus fuiſſet intra ſex dies creationis & maxime tertia die, quando Deus creavit plantas & arbores. Atqui Moyſes Geneſ. 2. narrat ejus productionem poſt ſex dies creationis. Ergo. R. N. Conſeq. Quia Moyſes non dicit, hoc 2. capite, plantationem Paradiſi fuiſſe factam poſt ſex dies, ſed per recapitulationem fuſius explicat quæ ſummatim dixerat cap. 1. Unde Textus noſter habet: *Plantaverat autem Dominus Deus Paradiſum voluptatis ab initio.*

ARTICULUS II.

Utrum Paradiſus terreſtris ſit locus particularis & ubi ſitus ſit?

DICO 1. (*Ib.*) Paradiſus terreſtris eſt aliquis locus particularis & non tota terra. Prob. 1. Geneſ. 2. dicitur, quod Deus hominem extra Paradiſum creatum, poſtea poſuerit in Paradiſo, & cap. 3. quod poſt peccatum eum ejecerit de Paradiſo, non autem ejecit illum de tota terra. Ergo. 2. Expulſo Adamo e Paradiſo Deus collocavit Cherubim ad Paradiſi portam, ut homines ab ejus ingreſſu arceret. Ergo erat aliquis locus particularis & non tota terra.

Dices 1. Scriptura Geneſ. 2. narrat quatuor flumina egredi de Paradiſo, Phiſon nunc Gangem, Gehon nunc Nilum, Tigrim & Euphratem. Atqui hæc quatuor flumina ex uno & eodem loco particulari non ſcaturiunt; Ganges enim habet originem in Monte Caucaſo, Nilus in Africa, Tigris, & Euphrates in montibus Armeniæ majoris. Ergo. R. ex Aug. l. 8. de Geneſ. ad litt. c. 7. (*Hic a. 1. ad 2.*) quod hæc quatuor flumina diverſas nunc habeant origines, inde provenit, non quod ex uno fonte Paradiſi ortum non habeant, ſed quia in decurſu ſub terras per cavitates fluentia, poſt longos diverſarum regionum tractus, aliis in locis eruperint. Neque id gratis dictum, cum in aliis fluminibus id etiam contingere experientia conſtet.

Dices 2. Si Adam non peccaſſet, omnes ejus poſteri habitaſſent in Paradiſo terreſtri. Atqui omnes Adæ poſteri non potuiſſent contineri intra anguſtias alicujus loci particularis, etſi amplum & extenſum ſupponas, ſicut Regnum Hiſpaniæ vel Galliæ, ut quidam fingunt. Ergo. Quidam negant Min. Quia putant longe minorem futurum fuiſſe numerum poſterorum Adæ innocentis, quam Adæ lapſi: quod cum nullo ſatis firmo fundamento dicatur, R. D. Maj. Si Adam non peccaſſet, omnes ejus poſteri habitaſſent in Paradiſo terreſtri ſtricte dicto, N. Late ſumpto, C. Quamvis ergo tota terra non fuiſſet iſte Paradiſus, de quo nunc agitur, fuiſſet tamen ad inſtar Paradiſi, quatenus, licet non habuiſſet omnem omnino ornatum, quem habebat Paradiſus, nulli tamen maledicto fuiſſet obnoxia, ſed ad convenientem & commodam humani generis habitationem benedicta & fœcundata.

In hanc autem Sententiam adducimur 1. quia Deus Geneſ. 2. dixit primis Parentibus ante peccatum; *Creſcite & multiplicamini & replete terram*, per vos ſcilicet & per veſtros poſteros; per terram autem non intelligitur hic parvus angulus terræ, ſed univerſa terra conformiter ad tantam fecunditatem promiſſam; & quia homines ex conceſſione Dei ibidem debebant dominari univerſæ terræ & omnibus animantibus in ea. 2. Quia Iſaiæ 45. dicitur: *Dominus fecit terram, ipſe Plaſtes ejus, non in vanum creavit eam, ut habitaretur formavit eam.* Si autem homines in ſtatu innocentiæ non habitaſſent extra Paradiſum, terra ſine habitatoribus fuiſſet vana & inutilis, inculta, ſylveſtris & indecora, aſſimilareturque Deus Principi, qui ampliſſimum & magnificentiſſimum extruxiſſet palatium, ut una tantum & exigua camera habitaretur. 3. Quia ut dicit argumentum, non eſt veriſimile tot homines, quot promittebantur ex benedictione Dei, potuiſſe habitare in ambitu unius horti, quamvis illi concedas circuitum duodecim leucarum, ut fingit Abulenſis, vel unius Regni Galliæ aut Hiſpaniæ, ut conjicit Suares.

Verum ſtatim ſe offert difficultas, quomodo homines in univerſam terram diſperſi potuiſſent edere de ligno vitæ in ſolo Paradiſo plantato, ad præveniendos ſenectutis defectus. Item præceptum de non edendo de ligno ſcientiæ boni & mali, quod non ſoli Adæ, ſed omnibus ejus poſteris erat impoſitum, ut dicam infra, fuiſſet multis inutile. Inſuper S. Th. hic a. 2. docet Paradiſum eſſe locum convenientem habitationi hominum ſecundum primæ immortalitatis ſtatum, ſtatus autem immortalitatis fuiſſet communis omnibus poſteris Adæ, ſi non peccaſſet: Ergo. R. ad 1. lignum vitæ fuiſſe multiplicandum in diverſis Regionibus Terræ, vel ex ſola virtute ſupernaturali animæ indita ſuper corpus, de qua antea, proviſum fuiſſet immortalitati hominum. Ad 2. Suppoſito quod lignum Scientiæ boni & mali non fuiſſet multiplicatum, dicendum eſt, non eſſe inconveniens, quod quidam a tranſgreſſione præcepti communis per accidens & defectu occaſionis eximantur, præſertim cum potuiſſent aliunde peccare & amittere innocentiam, ut diximus prius. Ad 3. jam dixi, quod quamvis univerſa terra non omnem Paradiſi amœnitatem haberet, eſſet tamen ad inſtar Paradiſi, nulli maledicto ſubjecta, ſed a Deo benedicta & fœcundata, ſicque eſſet etiam locus conveniens homini ſecundum immortalitatis ſtatum.

Dico 2. Probabilius eſt Paradiſum Terreſtrem eſſe in Oriente. In qua autem determinata parte Orientis incertum eſt. Prob. 1. Pars 1. ubi Vulgata noſtra Geneſ. 2. habet: *Plantaverat autem Dominus Deus Paradiſum voluptatis ab initio*; Hebraice legitur: *Plantaverat Deus hortum in Eden ab Oriente*; ſive, ut vertunt 70. Interpretes, *ad Orientem*. 2. Non eſt dubium (*Ib.*) quin Paradiſus ſit conſtitutus in nobiliſſimo loco totius terræ: atqui Oriens, juxta Philoſophum in 2. Cœl. eſt dextera Cœli, & dextera eſt nobilior ſiniſtra: ergo conveniens fuit, ut Paradiſus terreſtris in Oriente conſtitueretur a Deo. Secunda pars conſtat ex eo, quod ſint variæ admodum opiniones de loco determinato Paradiſi, nec ulla ſit, quæ certo fundamento fulciatur.

Dices. Multis videtur probabile Paradiſum eſſe in Meſopotamia. 1. Quia, ut dixi, hebraice legitur: *Plantavit Deus hortum in Eden ab Oriente*: Eden autem eſt Regio Meſopotamiæ, ſeu inter Meſopotamiam & ſinum Perſicum. 2. Quia Tigris & Euphrates quæ ſunt flumina Paradiſi, fluunt in Meſopotamia. Ergo. R. id quidem aliquibus videri probabile, pluribus autem videri minus fundatum. Unde ad 1. Probationem reſpondent 1. vocem *Eden* non eſſe ſemper nomen loci, ſed aliquando ſignificare voluptatem & divitias. 2. Eſto ibi foret nomen loci, non eſſet idem ac *Eden* Meſopotamiæ; quia 1. juxta peritos linguæ Hebraicæ *Eden* Paradiſi ſcribitur cum quinque punctis, *Eden* vero Meſopotamiæ cum ſex. 2. Quia Geneſ. 4 de Cain dicitur; *Habitavit profugus in terra ad Orientalem plagam Eden*, quæ eſt *Eden* Meſopotamiæ; abſurdum autem foret dicere Paradiſum datum fuiſſe Cain pro exilio.

Ad 2. Probat. Magis nocet quam favet huic Sententiæ. Non enim ſolum hæc duo flumina Tigris & Euphrates pertinent ad Paradiſum, ſed etiam Ganges, olim Phiſon, & Nilus olim Gehon, juxta illud Aug. l. 8. de Gen. ad Litt. c. 7. *Duobus eorum nomina vetuſtas mutavit: Gehon quippe eſt, qui nunc dicitur Nilus: Phiſon autem ille dicebatur, quem nunc Gangem appellant, duo vero cæteri Tigris & Euphrates antiqua etiam nomina retinuerunt.* Idem ſentiunt Hieron. in QQ. hebraicis. Epiph. Ep. ad Joan. Jeroſol. Ambroſ. lib. de Paradiſo c. 3. & ante ipſos Joſephus l. 1. Antiqu. c. 2. idque fundatur in Scriptura Jerem. 2. ubi, quod legitur ſecundum Vulgatam; *Quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam*, indubie Nili; 70. vertunt: *Quid tibi & viæ Ægypti, ut bibas aquam Gehon.* Porro Ganges & Nilus valde procul a Meſopotamia fluunt. Tigris & Euphrates quamvis intra Meſopotamiam fluant, non tamen inde habent originem, ſed in montibus Armeniæ. Unde patet ex his fluminibus potius evinci Paradiſum terreſtrem non eſſe in Meſopotamia. Adde, quod etſi Tigris & Euphrates ſcaturirent in Meſopotamia, incertum eſſet, an forent primæ eorum origines, an non, poſt varios ſub terra circuitus, novæ eruptiones, ut dixi prius.

ARTICULUS III.

Utrum etiam nunc exiſtat Paradiſus terreſtris?

NON amplius exiſtere cenſent quidam recentiores, Eugubinus, Ekius, Janſenius Gandenſis, Maldonatus, Pererius & quidam alii. Contra quos

Dico. Probabilius eſt etiam nunc exiſtere Paradiſum terreſtrem. Prob. 1. Quia ſic communiter tenent SS. Patres, Baſilius in Hexam. Juſtinus in QQ. ad Orthod. q. 85. Irenæus l. 5. cont. Hær. c. 5. Athanaſius in Ep. de decretis Synodi Nicænæ, Theodoretus q. 29. in Geneſ. Hieron. Ep. 49. c. 10. Aug. l. de Peccato Orig. c. 23 l. de Peccat. meritis c. 3. l. 8. de Geneſ. c. 7. S. Th. hic a. 1. ad 3. a. 2. ad 5. & 3. p. q. 49. a. 5. ad 2. Hos ſecuti ſunt Scholaſtici, Abulenſis, Cajetanus, Sixtus Senen. Malvenda, Bannes, Cumel, Bellarminus & alii. Imo Aug. loco cit. de peccato Origin. docet exiſten-

tiam Paradiſi terreſtris pertinere ad fidem Chriſtianam; cum enim dixiſſet poſſe ſalva fide diſputari, *qualis vel ubi ſit Paradiſus*, ſubjungit: *Cum tamen eſſe illum Paradiſum fides Chriſtiana non dubitet*.

Neque dicas Aug. his verbis non ſignificare Paradiſum nunc exiſtere, ſed non eſſe rem fictam aut parabolicam: quia quæſtiones, quas dicit ſalva fide poſſe diſputari, ut *qualis ſit, & ubi ſit Paradiſus*? ſupponunt Paradiſum etiam nunc extare in rerum natura, alioquin prius quærendum foret, an de facto Paradiſus exiſtat? Deinde, qualis ſit & ubi ſit. 2. Quia nulla ſufficienti ratione aut auctoritate evincitur Paradiſum non amplius exiſtere, ut patebit ex Sol. Obj. 3. Secundum ſenſum communem fidelium Henoch & Elias tranſlati ſunt in aliquem locum amœnum a conſortio hominum ſegregatum, in quo tranquillam vitam agunt, donec occurrant Antichriſto. Atqui non poteſt illis aſſignari locus amœnior & congruentior, quam Paradiſus terreſtris, præſertim cum Vulgata Eccli. 44. habeat *Henoch placuit Deo, & tranſlatus eſt in Paradiſum, ut det Gentibus pœnitentiam*. Neque dicas hanc vocem *Paradiſus* eſſe æquivocam, & ſignificare quandoque Paradiſum terreſtrem, quandoque quemlibet locum amœnum: advertunt enim Interpretes, quod hæc vox *Paradiſus*, quando in Scriptura non ſignificat Paradiſum terreſtrem, ſed quemlibet locum amœnum, ponatur ſemper cum adjunctis, quæ illum a ſignificatione Paradiſi terreſtris detorquent, ut cum Cantic. 4. dicitur: *Emiſſiones tuæ Paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus*, Quando vero ſolitarie ponitur; ut hic, ſignificet Paradiſum terreſtrem aut cœleſtem, cujus terreſtris eſt figura.

Obj. 1. Paradiſus terreſtris aquis diluvii obrutus periit. Ergo. R. 1. Quod ſicut Henoch fuit ab aquis diluvii miraculoſe præſervatus, ſive in aerem ſublatus, ſive in terra ab aquis intactus, ſive alio modo ſoli Deo cognito, ita Paradiſus propter ipſum aquis diluvii non fuit obrutus. R. 2. Eſto Paradiſum terreſtrem fuiſſe aquis diluvii coopertum ſuaque pulchritudine ſpoliatum, non ſequitur eſſe omnino deſtructum. Potuit enim, ſicut alia Terræ loca, paulatim poſtea ſuum virorem & decorem, ſaltem magna ex parte recuperaſſe, præſertim cum nec omnes arbores diluvio perierint, nec omnis earum viror; conſtat enim Geneſ. 8. Columbam reportaſſe in Arcam ramum Olivæ florentibus foliis.

Inſt. contra 1. Solutionem. Juxta Scripturam Geneſ. 7. aquæ diluvii operuerunt *omnem terram*. Ergo. R. Scripturam ibidem pariter dicere, quod *univerſi homines* mortui ſint in aquis diluvii, & quod *remanſit ſolus Noe, & qui cum eo erant in Arca*; & tamen Henoch non eſt mortuus. Sicut ergo Scriptura intelligenda eſt de univerſis hominibus mortalem vitam communi modo agentibus; ita intelligenda eſt de omni terra, quæ erat ab hominibus peccatoribus habitabilis & data, ut communi peccatorum uſui ſerviret.

Repones. Si Paradiſus terreſtris fuit ab aquis diluvii præſervatus, fruſtra Noe fabricaſſet Arcam, potuiſſet enim commode cum ſua familia conſervari in Paradiſo. Ergo. R. N. Sequelam. Ad ejus probationem, D. Noe potuiſſet commode & convenienter cum ſua familia conſervari in Paradiſo, N. Potuiſſet commode, ſed inconvenienter, C. Erat enim deſtinatus a Deo Paradiſus hominibus innocentibus ab omni ærumna & miſeria immunibus. Unde non erat conveniens, ut Noe & ejus filii ærumnis & miſeriis hujus vitæ obnoxii in eo habitarent. Quæ tamen ratio non militat de Henoch, qui cum ſit b miſeriis hujus vitæ exemptus, convenienter in eo habitabat.

Obj. 2. Plantæ & arbores Paradiſi terreſtris ex natura ſua erant corruptibiles, ita ut etiam Adamo non peccante non ſemper eædem numero duraſſent: unde Geneſ. 2. dicitur: *Tulit Dominus Deus hominem & poſuit eum in Paradiſo voluptatis, ut operaretur & cuſtodiret illum*, id eſt ut ſine moleſtia ſereret, plantaret, putaret, ſicque illum Paradiſum in ſua amœnitate ſibi cuſtodiret. Atqui ab ejus peccato, nullus hominum ipſum excoluit, & novas plantas aut arbores inſeruit. Ergo. Reſp. Eſto primævam & perfectiſſimam Paradiſi venuſtatem non amplius ſubſiſtere, ea tamen adhuc ſubſiſtit, quæ locum amœnum & nomine Paradiſi voluptatis dignum reddat; ſeneſcentibus enim plantis & arboribus, novæ ſuccreſcunt ex priorum ſeminibus in terram cadentibus, eæque vireſcunt, florent, fructus producunt, favente præſertim optima cœli temperie.

Obj. 3. Nullus hominum huc uſque invenit Paradiſum, quamvis omnibus viatoribus pervii ſint loci Orientis, in quo juxta Scripturam fuit plantatus. Ergo. Reſpondet S. Th. hic a. 1. ad 3. locum illum ſecluſum eſſe a noſtra habitatione aliquibus impedimentis vel montium, vel marium, vel alicujus æſtuoſæ Regionis, quæ pertranſiri non poſſunt, vel dic ſpeciali Dei providentia effici, ut homines in hunc locum non incurrant.

ARTICULUS IV.

De ligno Scientiæ boni & mali.

De ligno vitæ dixi Differt. V. a. 3. §. 2. Reſtat dicendum de ligno ſcientiæ boni & mali per quæſtiunculas. Unde peres 1. Utrum lignum ſcientiæ boni & mali ſit vera & realis arbor? R. affirmative. (*Ib.* a. 1. *ad* 4.) Colligitur ex illo Geneſ. 2. *Produxitque Deus de humo omne lignum pulchrum viſu & ad veſcendum ſuave, lignum vitæ in medio Paradiſi & lignum Scientiæ boni & mali*. Sicut ergo cætera ligna, & etiam lignum vitæ erant veræ & reales arbores, ita & lignum ſcientiæ boni & mali.

Peres 2. quæ ſpeciatim arbor fuit? R. Id eſſe incertum. Quidam dicunt fuiſſe ficum; quia primi Parentes poſt peccatum fecerunt ſibi Perizomata ex foliis ficus. Verum hæc ratio magis nocet quam prodeſt; ſcientes enim primi Parentes quantum malum ex eſu arboris Scientiæ boni & mali incurrerant, illam debebant potius odiſſe, quam ad eam iterum confugere. Adde, quod Geneſ. 3. dicatur fructum ſcientiæ boni & mali fuiſſe *pulchrum oculis & viſu delectabilem*; quod magis aliis fructibus quam ficui convenit. Alii conjiciunt eſſe malum ex illo Cant. 8. *ſub arbore malo ſuſcitavi te, ibi corrupta eſt mater tua, ibi violata eſt genitrix tua*, quod intelligunt de Eva: & canit Eccleſia: *Quando pomi noxialis morſu in mortem corruit*.

Petes 3. Unde hæc arbor dicta eſt ſcientiæ boni & mali? R. cum Aug. l. 14. de Civit. c. 17. & Auctore (*Ib.*) hic dictam fuiſſe ſcientiæ boni & mali ab eventu, quatenus primi Parentes per ejus eſum experimentaliter noverunt quantum bonum amiſerant, & quantum malum incurrerant.

Petes 4. Quomodo primi Parentes conſuerunt ſibi folia ficus ad propriam nuditatem tegendam? carebant enim inſtrumentis ad id neceſſariis. R. uſos fuiſſe pro filo herbis longioribus & ſolidioribus; acu autem non indigebant pro perforandis foliis ficus.

Petes 5. Quos obligabat præceptum de non comedendo fructu Ligni Scientiæ boni & mali? R. quamvis hoc præceptum ſoli Adæ fuerit immediate intimatum, ut patet ex verbis Dei præcipientis Adæ in ſingulari *de Ligno autem Scientiæ boni & mali ne comedas*, Geneſ. 2. attamen per ipſum erat Evæ indicandum, eamque obligabat, & non eam tantum, ſed & omnes Adæ poſteros, ſi ſtatus innocentiæ perſeveraſſet. Prob. de Eva. 1. ex ejus verbis ad Serpentem Geneſ. 3. *Præcepit nobis Deus ne comederemus*, &c. 2. Ex pœnis, quas incurrit poſt eſum hujus ligni, perdidit namque gratiam ſanctificantem, conſequenter ſtatum innocentiæ & omnia dona illi annexa, & facta eſt obnoxia doloribus, ærumnis & morti, non ſecus ac ipſe Adam. Par autem pœna ſupponit par peccatum.

Prob. de Poſteris Adæ. 1. Hoc ipſo quo hoc præceptum licet ſoli Adæ immediate intimatum obligabat etiam Evam, ſignum eſt quod non erat perſonale, ſed totam naturam ab Adamo propagandam ſpectabat. 2. Quia Deus Geneſ. 2. dicit Adæ: *Ex omni ligno Paradiſi comede, de ligno autem Scientiæ boni & mali ne comedas*. Atqui 1. pars hujus propoſitionis, ſive fuerit præceptum, ut quidam volunt, ſive tantum permiſſio ut probabilius eſt, ſpectabat omnes Adæ poſteros. Ergo & ſecunda. 3. Proteſtatio divinæ ſubjectionis & obedientiæ, ad quam erat impoſitum hoc præceptum, debebat eſſe perpetua, nec minus conveniebat filiis quam Parentibus. Ergo.

Petes 6. utrum iſtud præceptum obligaret ſub peccato mortali? videtur quod non, quia erat materia levis. R. affirmative. 1. Quia propter ejus tranſgreſſionem Adam & Eva amiſerunt vitam animæ & corporis: ex gravitate autem pœnæ colligitur gravitas obligationis præcepti. 2. quia licet materia videatur ſecundum ſe levis, attento tamen fine præcepti erat gravis, impoſitum enim erat ut homo per ejus obſervantiam proteſtaretur Deo ſuam ſubjectionem, obedientiam & gratitudinem pro tot ac tantis Beneficiis acceptis.

ARTICULUS V.

A quo tentata fuit Eva ut manducaret de ligno vetito?

Scriptura Geneſ. 3. narrat Evam fuiſſe tentatam a Serpente. Ophitæ teſte Iren. l. 1. de Hæreſ. c. 34. Tertul. l. de Præſcript. c. 47. Epiphan. Hæreſi 27. & aliis, dixerunt Serpentem hunc fuiſſe Dei Sapientiam, quibus poſtea adhærentes Manichæi dicebant eſſe Chriſtum, quorum inſanum errorem confutant Aug. hæreſi 17. & Epiphan. hæreſi 47. Cajetanus in c. 3. Geneſ. docuit Diabolum tentaſſe Evam per ſolam ſuggeſtionem interiorem, ſicut nos nunc tentare ſolet, metaphorice intelligens quæ dicuntur de Serpente. Contra quos

Dico. (2. 2. *q.* 165. a. 2. *ad* 2. & 3.) Eva tentata fuit a Diabolo per Serpentem verum & naturalem, quo Diabolus uſus

eſt

Digitized by Google

eſt ut inſtrumento ad formandas voces humanis ſimiles. Prob. 1. pars 1. ex illo Sap. 2. *Invidia Diaboli mors introivit in mundum*; & ex illo Joan. 8. *Diabolus fuit homicida ab initio*. 2. Quia illa tentatio, in qua colloquebantur ad invicem Eva & Serpens, non potuit eſſe niſi a creatura intellectuali: creaturæ autem intellectuales non ſunt niſi Angelus & homo. Atqui non potuit eſſe illa tentatio ab homine, quia præter Adam nullus alius adhuc erat; & etiamſi fuiſſet non potuiſſet formare voces per Serpentem; non ab Angelo bono, qui tanti mali non fuit auctor. Ergo ab Angelo malo ſeu Diabolo.

Prob. 2. pars. 1. Geneſ. 3. dicitur: *Sed & ſerpens erat callidior omnibus animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus, qui dixit ad mulierem*, &c. Et infra: *Et ait Dominus Deus ad Serpentem; quia feciſti hoc, maledictus es inter omnia animantia & beſtias terræ: Super pectus tuum gradieris, & terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ*. In primis fit in his locis comparatio inter Serpentem & cætera animalia terræ. Atqui inepta foret comparatio, ſi per Serpentem intelligatur Diabolus aut fictus Serpens & non verus & naturalis Serpens, qui ſit animal terræ. Item cum dicitur: *Maledictus es inter omnia animantia & beſtias terræ*; aperte ſignificatur ipſum eſſe de numero animantium & beſtiarum terræ. Denique quæ adduntur, *ſuper pectus tuum gradieris & terram comedes*, &c. non niſi vero & naturali Serpenti conveniunt.

2. Narratio hiſtorica Scripturæ non debet, ut jam diximus, transferri ad metaphoras, niſi aliunde conſtet aperte ea, quæ narrantur, fuiſſe dicta metaphorice, quod hic non currit.

Obj. 1. Congruentius Diabolus tentaſſet Evam per ſuggeſtionem interiorem; ſicut nos tentare ſolet, quam per aliquid ſenſibile. Ergo. R. (*Ibid.*) Id tum non potuiſſe diabolum, quia minimum poteſtatis habebat in hominem in ſtatu innocentiæ, ſicque non poterat in ejus phantaſiam immediate agere ut eam mutaret, ſed exterius tantum mediante aliqua re ſenſibili.

Obj. 2. Serpens naturalis non eſt callidior omnibus aliis animalibus. Ergo non poteſt intelligi de vero ſerpente, ſed de Diabolo.

R. Serpentem hic dici poſſe callidiorem omnibus animalibus 1. Propter diabolum qui eo utebatur, ſicut dicimus *linguam doloſam*, non quod ei inſit dolus, ſed quia eam movet mens doloſa. 2. Quia revera callidiſſimus eſt ſerpens tum ad inſidioſe nocendum, tum ad ſe incolumen ſervandum: unde dicit Chriſtus; *Eſtote prudentes ſicut Serpentes*: & ideo diabolus, permittente Deo, hunc elegit, ut inſtrumentum ſuæ calliditati congruum.

Obj. 3. Diabolus ſine corpore aſſumpto vocatur in Scriptura, *Draco*, *Serpens*, ut Apocal. 12. & Iſa. 27. Ergo, quod dicatur *Serpens*, non ſequitur, quod fuerit verus & naturalis Serpens.

R. N. Conſeq. Quia hic ex adjunctis *Serpens* determinatur ad ſignificationem veri & naturalis Serpentis, ut patet ex probatione. Inſuper, quod aliqua vox metaphorice intelligatur in aliquo loco Scripturæ, non ſequitur, quod in omnibus ſic debeat intelligi, præſertim ubi agitur de narratione hiſtorica, quando nihil cogit eam ad metaphoricum ſenſum transferre, ut diximus prius.

Obj. 4. Si verus Serpens Evam allocutus fuiſſet, Eva exhorruiſſet & turbata ſtatim fugiſſet: ergo.

R. N. Sequelam; quia ut jam antea obſervavimus, omnia animalia erant tunc homini ſubjecta, nec ei poterant nocere: quod vero loqueretur Serpens exiſtimavit Eva, id fieri ab aliquo ſpiritu, non reflectens an a bono vel malo. Vel ut alii dicunt putavit Eva non aſſentiendo, ſed cogitando ſecum, num Serpens haberet aliquam vim loquendi? Conditio enim mulieris non exigebat tam perfectam cognitionem rerum naturalium, ſi ut exigebat conditio viri.

Inſt. Non potuit loqui Serpens abſque miraculo, cujus tamen nullam mentionem fecit Moyſes: ergo.

R. N. Ant. Potuit enim Diabolus abſque miraculo formare per Serpentem ex aere voces humanis ſimiles, ſicut fecit Angelus per Aſinam Balaam, Num. 22.

Obj. 5. Angeli ſive boni ſive mali, quando apparent & loquuntur hominibus, non ſolent aſſumere vera & naturalia corpora ſive hominum ſive aliorum animalium, ſed ſimulacra tantum, quæ ſibi formant ex aere vel aliis corporibus: ergo veriſimile eſt ſic contigiſſe in tentatione Evæ; conſequenter non fuiſſe ſaltem verum & naturalem Serpentem, ſed tantum ſimulacrum Serpentis.

R. N. Conſeq. Eſto id non ſolere Angelos, non ſequitur id eos non poſſe. Poſſe autem & feciſſe aſſumendo verum Serpentem, conſtat ex narratione hiſtorica Geneſ. 3. ſicut conſtat ex Num. 22 Angelum bonum per veram & naturalem Aſinam Balaam voces efformaſſe, ſicque eam ad hunc effectum aſſumpſiſſe.

Obj. 6. Maledictio lata in Serpentem Geneſ. 3. non convenit vero & naturali Serpenti, ut quod *ſuper pectus ſuum gradietur, & quod terram comedet*; id enim eſt ipſi naturale, & ante maledictionem id ipſi conveniebat. Ergo. R. Maledictionem latam in Serpentem, ſenſu naturali verum & naturalem Serpentem afficere, ſic ut quæ ipſi erant naturalia, eo quod fuerit inſtrumentum diaboli, facta ſint illi infamia & probroſa; ſenſu autem myſtico, quem Spiritus ſanctus hic videtur intendere præcipue, afficit dæmonem, ut ex Aug. explicat S. Thomas loco prius cit. ad 4.

Petes, quare Deus permiſit tentari primos Parentes, quos præſciebat peccaturos? R. Aug. l. 11. de Geneſ. ad litt. c. 4. ſic reſpondet: *Si ergo quæritur, cur Deus permiſerit tentari hominem, quem tentatori conſenſurum eſſe præſciebat? Altitudinem quidem conſilii ejus penetrare non poſſum, & longe ſupra vires meas eſſe conſiteor*. Nihilominus alibi varias hujus permiſſionis rationes affert. Prima eſt, ut manifeſtaret ſua attributa, nimirum omnipotentiam, quæ tanta eſt, ut de malo elicuerit bonum, juſtitiam puniendo & miſericordiam parcendo. Secunda; quia ad ejus providentiam generalem pertinet unumquodque in ſua natura relinquere, ſicque ſinere homines libero arbitrio præditos pro ſua libertate reſiſtere vel cedere tentatori; & hinc Tertia; ut manifeſtaret homini infirmitatem ſuam, oſtenderetque quid liberum arbitrium ex ſe poſſet, licet gratia ſit inſtructum.

DISSERTATIO VIII.

DE PECCATO PRIMORUM PARENTUM ET EJUS POENA.

D. Thom. 2. 2. Quæſt. 163. & 164.

ARTICULUS I.

Quodnam fuerit primum peccatum primorum Parentum?

Dico 1. (2. 2. *q.* 163. *a.* 1. *o.*) Primum peccatum primorum Parentum fuit ſuperbia. Prob. (*Ibid. in a. ſ. c.*) 1. ex Scritura. Eccli. 10. dicitur: *Initium ſuperbiæ hominis*, hoc eſt primus ſuperbiæ hominis actus, *apoſtatare a Deo, quoniam ab eo, qui fecit illum, receſſit cor ejus, quoniam initium omnis peccati eſt ſuperbia*; ubi manifeſtum eſt ſermonem eſſe de primo peccato hominis & non angeli. Item Tob. 4. Tobias morti proximus filium ſuum his verbis hortatur: *Superbiam ne unquam in tuo ſenſu, aut in tuo verbo dominari permittas; in ipſa enim initium ſumpſit omnis perditio*, ſcilicet, ut patet, inter homines.

Prob. 2. ex Patribus. Aug. l. 11. de Geneſ. ad Litt. c. 5. *Neque arbitrandum eſt* inquit, *quod eſſet hominem dejecturus iſte tentator, niſi præceſſiſſet in anima hominis quædam elatio comprimenda*. Et l. 14. de Civit. c. 13. *In occulto mali eſſe cœperunt, ut in apertam inobedientiam laberentur: non enim ad malum opus perveniretur niſi mala voluntas præceſſiſſet. Porro malæ voluntatis initium, quid potuit eſſe niſi ſuperbia? initium enim omnis peccati ſuperbia*. S. Ambroſ. ſerm. 14. in Pſ. 118. *Superbia hominem primo dejecit*. S. Proſper l. 2 de vita contemplat. c 19. de primis Parentibus dicit: *Non deſeruerant Deum niſi ſuperbirent, & ſimilitudinem Dei miſerabiliter appetiiſſent*. S. Leo ſerm. 5. de Nativit. vocat vulnera ſuperbiæ, quæ inflicta fuerint generi humano ex parte Adæ. S. Greg. l. 34. Moral. c. 17. poſtquam retulit illud Eccli. *Omnis peccati initium ſuperbia*, ſubjungit; *per hanc enim ipſe* (Diabolus) *ſuccubuit, per hanc ſequentem hominem ſtravit*.

Prob. 3. ratione. (*Ibid. o.*) Primi Parentes non potuerunt peccare ex affectu alicujus objecti ſenſibili, in quod concupiſcentia immediate ferretur; cum tunc appetitus inferior eſſet perfecte ſubjectus rationi & ratio Deo, appetitus inferior non poterat deordinari, niſi ſuperior prius deficeret a Deo: ergo primo peccaverunt primi Parentes ex appetitu boni ſpiritualis ultra menſuram ſibi competentem, qui eſt nimius amor propriæ excellentiæ, ideoque ſuperbia.

Solvuntur Objectiones.

OBJ. 1. Eva antequam ſuperbiret, peccavit colloquendo cum Serpente, debebat enim ſtatim fugere. Item peccavit dum mendaciter dixit Deum prohibuiſſe, ne tangerent

Digitized by Google

rent fructum ligni vetiti; non enim tactum, ſed eſum dumtaxat Deus prohibuerat. Item dum dubitavit de pœna mortis a Deo abſolute ſtatutæ dicendo, *ne forte moriamur*. Atqui hæc contigerunt antequam ex verbis Serpentis ſuperbire poſſet; nondum enim tunc Serpens dixerat: *Eritis ſicut Dii, ſcientes bonum & malum*; ex quibus verbis in ſuperbiam elata eſt.

R. ad 1. Evam non peccaſſe colloquendo cum Serpente, quando enim quis prudens & fortis colloquitur cum inſidiatore, non ideo peccat, quod loquatur, ſed quod non ſe gerat, ut virum prudentem, & fortem, ſeque ſinat vinci. Et eſto conſultius fuiſſet Evæ abrumpere ſtatim colloquium & fugere, non ſequitur, quod peccaverit loquendo; non enim hoc ipſo, quo aliquid eſt conſultius, ſequitur, quod ſit abſolute neceſſarium ex præcepto. Ad 2. Non eſt mentita Eva dicendo Deum prohibuiſſe tactum hujus fructus; intelligebat enim de tactu in ordine ad manducationem, qui erat vere prohibitus. Inſuper non deſunt, qui exiſtimant etiam Deum prohibuiſſe tactum ſimpliciter, ut longius abeſſet periculum comedendi. Ad 3. Eva non dubitavit de veracitate Dei, ſed potuit abſque infidelitatis peccato dubitare, an pœna mortis eſſet abſolute a Deo ſtatuta & infallibiliter infligenda, an tantum eſſet comminatio remiſſibilis. Adde, quod hoc vocabulum *forte*, non ſit ſemper dubitantis, ſed ſæpe aſſerentis, idem valens ac *certe & indubie*; ut Matth. ubi de Sodomitis; ſi apud eos facta fuiſſent ſigna, quæ facta ſunt in Capharnaum, dicitur: *forte*, id eſt certo, *manſiſſent uſque in hanc diem*. Item Joan. 4. de muliere Samaritana: *Si ſcires donum Dei, & quis eſt, qui dicit tibi, da mihi bibere, forſitan*, id eſt indubie, *petiiſſes ab eo*. Etiam quandoque ponitur *forte*, reſpective ad effectum ſecundum ſe contingentem, licet ſit aliunde certo eventurus.

Obj. 2. Primi Parentes non appetierunt ſimilitudinem Dei, niſi quia crediderunt vera eſſe, quæ Serpens dixit: *Non moriemini*, ſed *eritis ſicut Dii ſcientes bonum & malum*. Atqui hic eſt error contra fidem. Ergo primum peccatum primorum Parentum eſt infidelitas. Prob. Min. 1. Non poterant credere eſſe vera, quæ dixit Serpens; *Non moriemini*, niſi, crederent eſſe falſa, quæ dixerat Deus, *morte morieris*, & hic eſt error contra fidem. 2. Non poterant ſine errore in fide credere ſimilitudinem Dei eſſe poſſibilem. Ergo. R. N. Min. Ad probat. D. Ant. pro utraque parte. Quoad 1. jam dixi, quod ex verbis Serpentis, *non moriemini*, primi Parentes non crediderint Deum fuiſſe mentitum, ſed crediderint aut dubitaverint, num eſſet pœna abſolute & irremiſſibiliter ſtatuta, an tantum comminatio remiſſibilis, præſertim Adam, qui videbat Evam adhuc viventem poſt eſum fructus vetiti; & hic error non eſt contra fidem. Ad 2. partem: ex verbis ſeq. *eritis ſicut Dii*, &c. non crediderunt ſimilitudinem Dei ad æqualitatem eſſe poſſibilem, quod eſſet contra fidem, ſed tantum ſimilitudinem ſecundum quandam imitationem ſeu participationem in ſcientia, quod non eſt impoſſibile, nec ideo contra fidem.

Inſt. Aug. l. 11. ſupra Geneſ. c. 4. in illud 1. Tim. 2. *Mulier ſeducta in prævaricatione fuit*, dicit: *Hanc proprie ſeductionem appellavit Apoſtolus, per quam id quod ſuadebatur, cum falſum eſſet, verum eſſe putatum eſt, ſcilicet, quod Deus ideo lignum illud tangere prohibuerit, quod ſciebat eos, ſi tetigiſſent, velut Deos futuros, tanquam eis divinitatem invideret, qui eos homines fecerat*. Atqui hoc credere pertinet ad infidelitatem. Ergo. R. ex eodem Aug. l. 11. de Geneſ. ad litt. c. 30. (*Hic 2. 2. 163. a. q. 1. ad 4.*) quod *verbis Serpentis mulier non crederet a bona atque utili re divinitus ſe fuiſſe prohibitos, niſi jam ineſſet menti amor ille propriæ poteſtatis & quædam de ſe ſuperba præſumptio*. Quod non eſt ſic intelligendum quaſi ſuperbia præceſſerit ſuaſionem activam Serpentis, ſed quia ſtatim poſt illam invaſit mentem Evæ elatio, ex qua conſecutum eſt, ut memor verborum Serpentis: *Quare vobis prohibuit Deus* &c., crederet verum eſſe, quod Dæmon dicebat, ſcilicet Deum ex invidia prohibuiſſe eſum ligni ſcientiæ boni & mali.

Repones: Fides eſt initium juſtitiæ: ergo infidelitas eſt initium injuſtitiæ. R. N. Conſeq. Quia quod eſt primum in ædificatione, eſt ultimum in deſtructione.

Obj. 3. Primum peccatum Adæ fuit inordinatus amor uxoris, quo magis illi placere cupivit, quam mandatum Dei ſervare. Ergo. Prob. Ant. Cum Deus Adamum argueret, reſpondit: *Mulier, quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno & comedi*; quaſi diceret; amore ſociæ quam dediſti mihi illectus comedi. Quam reſponſionem eſſe veram Deus videtur ſignificare reſpondendo, *quia audiſti vocem uxoris tuæ & comediſti*, &c. Ergo. R. N. Ant. Ad prob. N. Conſeq. Equidem Adam habuit inordinatum amorem erga uxorem, & iſte amor præceſſit tranſgreſſionem exteriorem præcepti, & hoc probant, quæ afferuntur in argumento; at non probant hunc amorem præceſſiſſe ſuperbiam interiorem, qua ex verbis Serpentis per Evam relatis, appetiit excellentiam ſupra menſuram ſibi competentem. Unde Aug. l. 14. de Civit. c. 13. dicit: *Si voluntas in amore ſuperioris immutabilis boni, a quo illuſtrabatur, ut videret, & accendebatur ut amaret, ſtabilis permaneret, non inde ad ſibi placendum averteretur, & ex hoc intenebreſceret & frigeſceret, ut vel illa verum crederet dixiſſe Serpentem, vel ille Dei mandato uxoris præponeret voluntatem*.

Inſt. Aug. l. 11. de Geneſ. ad litt. c. 41. dicit, quod Adam, quando uxor conſenſit ad edendum fructum, nondum ſenſerat concupiſcentiam. Ergo nondum peccaverat. R. N. Conſeq. Quia non dicit Aug. quod nondum habebat concupiſcentiam, ſed quod nondum ſenſerat: quamvis autem non ſentiebat, habebat tamen interius, quando exterius peccavit; ſicut Eva non illam ſenſit, niſi poſtquam fructum Adæ porrexit, licet antea interius haberet.

Obj. 4. Primum peccatum Adæ non fuit ex amore ſui. Ergo non fuit ſuperbia. Prob. Ant. ex diſcrimine inter Angelum & hominem. Angelus utpote totus ſpiritualis primo ſe intelligit, ideoque potuit primo peccare per ſuperbiam ex amore ſui. Sed primus homo, cum naturaliter non intelligeret niſi dependenter a ſenſibus & phantaſmatibus, prius objecta ſenſibilia quam ſe intellexit. Ergo primum hominis peccatum non potuit eſſe ex amore ſui, ſed ex amore alicujus objecti ſenſibilis. R. N. Ant. Ad probat. N. Conſeq. Quia licet cognitio ſui non fuerit prima in Adamo, potuit tamen, poſtquam objectorum ſenſibilium, deinde ex his, ſui cognitionem habuit, primo peccare ex amore ſui; non enim fuit neceſſe, quod eo ordine, quo cognovit objecta, eodem poſtea ex illorum amore peccaret; præſertim cum in eo ſtatu, ut jam non ſemel dixi, appetitus ſenſitivus non poſſet deordinari circa ſenſibilia, quin prius appetitus rationalis deordinatus erga Deum.

Cæterum obſervandum eſt, quod quamvis primum hominis peccatum fuerit ſuperbia, non fuit tamen ſolum, ſed plura fuerint ei conjuncta. Itaque ſecundum Evæ peccatum fuit infidelitas ſeu error, quo credidit vera eſſe verba Serpentis, videlicet Deum prohibuiſſe primis Parentibus eſum ligni ſcientiæ boni & mali, ne ad ejus ſimilitudinem pervenirent, *tanquam hoc tantum bonum*, inquit Aug. l. 11. de Geneſ. ad litt. c. 42. *creaturæ ſuæ creator invideret*. Tertium fuit gula; ut conſtat ex his verbis Geneſ. 3. *Vidit mulier, quod bonum eſſet lignum ad veſcendum & pulchrum oculis, aſpectuque delectabile*. Quartum fuit realis manducatio hujus fructus, adeoque ſpecialis inobedientia, quæ fuit conſummatio tranſgreſſionis præcepti poſitivi. Quintum fuit ſcandalum, quatenus nempe induxit virum ad peccatum. Secundum peccatum Adæ fuit inordinatus amor uxoris, quod colligitur ex eo, quod pro excuſatione reſponderit Deo culpam exprobranti: *Mulier, quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno & comedi*. Tertium fuit gula, ſeu nimius appetitus comedendi fructum vetitum, quem videbat pulcherrimum, & audiebat ſuaviſſimum. Quartum fuit ſpecialis inobedientia ſeu actualis manducatio fructus vetiti, quæ fuit conſummatio tranſgreſſionis præcepti poſitivi, ut in Eva.

Reſtat difficultas non levis, an Adam fuerit ſeductus? Ex una parte negat Apoſtolus 1. Tim. 2. ubi volens oſtendere, quod vir & non mulier debeat docere, affert hanc rationem; quia *Adam non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta in prævaricatione fuit*; judicans his verbis, quod cum mulier non vigeat judicio & vigore animi, ſicut vir, quod patet, quia vir non fuit ſeductus, & ipſa fuit ſeducta, facilius quam vir induceretur in errorem, ſicque eſt inidonea ad docendum. Ex altera parte SS. Patres communiter cenſent Adamum fuiſſe ſeductum. Ita S. Ignatius ad Trallianos, S. Irenæus l. 3. c. 35. S. Cyrillus Alex. l. 2. in Joan. c. 3. S. Epiphanius hæreſ. 38. S. Ambroſius l. de Paradiſo c. 4. S. Hilarius c. 3. in Matth. S. Aug. l. 14. de civit. c. 25. In Pſ. 68. & Conc. 11. in Pſ. 118. S. Proſper contra collat. c. 21. S. Fulgentius l. de Incarnat. c. 22. & alii. Et quidem Adamum non ſecus ac Evam credidiſſe Serpenti dicenti: *Non moriemini, ſed eritis ſicut Dii ſcientes bonum & malum*; ideoque pariter fuiſſe ſeductum, colligitur ex ironica increpatione Dei: ſi enim his Serpentis verbis non credidiſſet Adam, Deus illi exprobrando ironice non dixiſſet: *Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt ſciens bonum & malum*: Hæc enim alludunt ad verba Serpentis.

Ad horum conciliationem varii varias ineunt vias. Qui cenſent cum Apoſtolo Adamum non fuiſſe ſeductum, intelligunt SS. Patres de ſeductione non ſpeculativa, ſed practica, qua quis errando peccat, exiſtimans ſibi convenire ſic agere, quod tamen non convenit, quo ſenſu dicitur, *omnis peccans ignorans*; &: *errant qui operantur iniquitatem*: hoc autem ſenſu, inquiunt, juxta SS. Patres, Adam ſeductus fuit ſicut Eva, non tamen ſeductione ſpeculativa, de qua loquitur Apoſtolus. Verum difficile foret ad hunc ſenſum reſtringere SS. Patres, quorum quidam accu-

ſunt

ſant Adamum infidelitatis; alii dicunt amiſiſſe fidem, alii ipſum ſeductum fuiſſe cum Eva & ſicut Evam adhibendo fidem Serpenti.

Qui vero cenſent cum Patribus Adamum ſeductum fuiſſe etiam ſpeculative; quidam dicunt ſupplendum eſſe, *primus*, in textu Apoſtoli; ſicut enim verſu præcedenti dixerat: *Adam enim primus formatus eſt, deinde Eva*; ita ſupplendum eſſe in verſu ſequenti, *primus* ſcilicet: *Et Adam non eſt* primus *ſeductus, mulier autem ſeducta in prævaricatione fuit*. Alii dicunt revera Adam fuiſſe ſeductum, hoc eſt, falſum credidiſſe ex verbis Serpentis, ſed non proprie & formaliter; dicitur autem proprie & formaliter ſeductus, qui ab altero ex animo & intentione fallendi inducitur in errorem; hoc autem modo Adam non fuit ſeductus; non a Serpente, quem non audivit; non ab Eva, quæ licet viro falſum perſuaſerit, ea tantum fuit decepta & non decipiens nec animo fallendi. Verum neutra interpretatio videtur congruere ſcopo Apoſtoli: Quod enim quis ſecundus tantum ſeducatur, aut non proprie & formaliter ſeducatur, ſi tamen vere ſeducatur, non magis oſtendit vigorem judicii & animi, quam qui primus aut formaliter ſeducitur, nec ideo eſt magis aptus ad docendum.

Quapropter, ſalvo meliori judicio, exiſtimo aliter diſtinguendas eſſe ſeductiones. Alia eſt ſeductio in errorem formaliter contra fidem. Alia eſt ſeductio in peccatum, ſeu etiam in errorem, ſed non formaliter contra fidem, ſed materialiter tantum. Adam itaque ſeductus fuit in peccatum ſeu etiam in errorem, vel quia dubitavit, an pœna mortis eſſet irremiſſibiliter ſtatuta, an eſſet tantum comminatio remiſſibilis; vel quia credidit eſum ligni vetiti, ratione levitatis materiæ, eſſe leve peccatum; vel quia credidit, quod per hunc uſum acquireret aliquam & imperfectam Dei ſimilitudinem in ſcientia boni & mali; iſti autem errores non ſunt formaliter & aperte contra fidem, ſed materialiter tantum. Et Eva ſeducta fuit in errorem formaliter & aperte contra fidem; quatenus reflectens ad verba Serpentis; *cur præcepit vobis Deus*, &c. credidit juxta Aug. l. 11. de Geneſ. ad litt. c. 42. Et S. Th. hic ad 4. & expreſſius a. 4. Deum ex invidia prohibuiſſe ipſi & Adæ eſum ligni ſcientiæ boni & mali, ne ad ejus ſimilitudinem pervenirent, ſicque voluit habere aliquid contra Dei voluntatem; quod eſt formaliter & aperte errare contra fidem. Non autem id credidit Adam, ſicque verum eſt quod dicit Apoſtolus, conformiter ad ſuum ſcopum, quod Adam non fuit ſeductus, & Eva fuit ſeducta: qui enim facile ſeducitur in errorem formaliter contra fidem, magis eſt ineptus ad docendum ea, quæ ſunt fidei, quam qui ſeducitur tantum in peccatum aut in errorem ſolum materialem. Unde quando quidam Patres accuſant Adam infidelitatis, aut dicunt eum amiſiſſe fidem, intelligendi ſunt de infidelitate & fide materialiter ſumptis.

Petes, utrum ſuperbia primi hominis fuerit in hoc, quod appetierit divinam ſimilitudinem? R. (*Hic q. 2.*) Superbia primi hominis fuit in hoc, quod appetierit inordinate divinam ſimilitudinem, non æquiparentiæ ſeu ad æqualitatem, hæc enim ſimilitudo ad Deum cadit ſub apprehenſione ſaltem ſapientis; ſed ſimilitudinem ſecundum quamdam imitationem ſeu participationem in ſcientia boni & mali ultra ſuam menſuram ſibi competentem. Unde Serpens non dixit Evæ; *Eritis Dii*, ſed, *Eritis ſicut Dii*: & Deus exprobrando Adæ non dixit: Ecce Adam Deus effectus eſt; ſed; *Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt, ſciens bonum & malum*.

ARTICULUS II.

De gravitate peccati primorum Parentum.

DUo hic quæruntur; primum utrum peccatum primorum Parentum fuerit omnium peccatorum graviſſimum? ſecundum, quodnam fuit gravius peccatum, Adæ an Evæ?

Dico. 1. (*Ibid. art. 3. c.*) Peccatum primi hominis non fuit omnium peccatorum graviſſimum ſimpliciter & abſolute, ſed tantum ſecundum quid. Prob. 1. pars. (*Ib.*) Illud peccatum dicitur graviſſimum ſimpliciter, quod eſt tale ſecundum ſpeciem & ex objecto. Atqui peccatum primi Parentis quod fuit ſuperbia non fuit graviſſimum ſecundum ſpeciem & ex objecto; peccata enim quæ ſunt directe contra Deum, ut odium & contemptus formalis Dei; item alia quæ opponuntur Virtutibus Theologicis, ſunt hac ratione graviora quam ſuperbia. Ergo. Prob. 2. pars: (*Ibid.*) Illud peccatum dicitur ſecundum quid graviſſimum, quod eſt tale ſecundum aliquam circumſtantiam. Atqui peccatum primi hominis fuit graviſſimum. 1. Ratione conditionis perſonæ peccantis, cui erat faciliimum non peccare, cum nihil haberet intrinſecus, quod ipſum ad peccandum impelleret. Unde Aug. l. 14. de civit. c. 15. dicit: *Magna fuit in peccando iniquitas, ubi tanta fuit in non peccando facilitas*. 2. Ratione nocumenti; hoc enim peccatum infecit totam naturam humanam.

Dico 1. (*Ibid. a. 4. c.*) Si peccatum Adæ & Evæ conſideretur ſecundum genus, utrumque fuit æquale; quia utrumque fuit ſuperbia. Si conſideretur ſecundum ſpeciem, peccatum Evæ fuit gravius; quia credidit Serpenti non ſolum dicenti; *Eritis ſicut Dii*, ſed dicenti: *Scit enim Deus, quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dii ſcientes bonum & malum*: ſicque credidit Deum prohibuiſſe eſum hujus ligni ex invidia, ne illum manducando fierent Deo ſimiles, conſequenter appetiit ſimilitudinem divinam contra Dei agnitam voluntatem. Ad id non credidit Adam, & ideo non appetiit divinam ſimilitudinem contra Dei agnitam voluntatem, ſed ut poſſibilem obtentu per ſe ipſum; ſicque gravior fuit ſuperbia Evæ quam Adæ. Si vero conſideretur utrumque peccatum ex conditione perſonæ peccantis, gravius peccavit Adam quam Eva, quia erat ille longe perfectior ſecundum animam.

Itaque in ſumma: Peccatum Evæ fuit ſimpliciter & abſolute gravius peccato Adæ: Peccatum autem Adæ fuit gravius ſecundum quid. Et hinc ſolvuntur argumenta, quæ opponi poſſunt.

ARTICULUS III.

De pœnis peccati primorum Parentum.

DIco. (*q. 164. art. 1. c.*) Prima pœna peccati primorum Parentum utrique communis per ſe, & directe a Deo impoſita, eſt amiſſio juſtitiæ originalis & ſupernaturalium donorum illi annexorum. Prob. (*Ibid.*) Homini in prima ſui inſtitutione hoc beneficium fuerat collatum divinitus, ut quamdiu mens ejus eſſet Deo ſubjecta, quod habebat per gratiam ſanctificantem, omnes vires inferiores animæ ſubjicerentur rationi, & corpus animæ, & in hoc ſita erat juſtitia originalis. Cum ergo homo per peccatum amiſerit gratiam, mens ejus a divina ſubjectione receſſit, & inde conſecutum eſt, quod nec vires inferiores ſubjicerentur amplius totaliter rationi, nec corpus animæ; atque hinc neceſſitas moriendi, defectus corporales, & omnes hujus vitæ pœnalitates, quæ dicuntur pœnæ primi peccati. Hujus autem pœnæ non meminit Moyſes c. 3. Geneſ. ubi deſcribit pœnas, quas Deus primis Parentibus impoſuit, quia hi jam illam experiebantur, & ſe illam luere teſtabantur nuditate, erubeſcentia & fuga; Deus autem non quod jam patiebantur, ſed quod deinceps paſſuri erant, ſignificare voluit.

Secunda pœna (*Ibid.*) etiam utrique Parenti communis eſt mors, juxta illud Dei ad Adam: *Quocumque die comederis ex eo morte morieris*. Et patet; quia privatio propter culpam beneficii accepti eſt pœna. Atqui primi Parentes erant beneficio creatoris immortalitate donati, ut antea probavimus. Ergo. Unde Apoſt. Rom. 5. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccaverunt*.

Dices 1. Mors eſt naturalis homini compoſito ex contrariis. Atqui quod eſt naturale non eſt pœna. Ergo. R. D. Maj. (*ibid. ad 1.*) Mors eſt naturalis homini, ſed a qua erat immunis beneficio creationis, C. A qua non erat immunis, N. Et ad hunc ſenſum diſtincta Min. N. Conſeq. Privatio enim, ut dixi, propter culpam, beneficii accepti eſt pœna.

Dices 2. Primi Parentes poſt eſum fructus vetiti non mortui ſunt eodem die, ſed adhuc diu vixerunt. Ergo. R. D. (*Ib. ad 8.*) Ant. Non mortui ſunt eodem die ſimpliciter & abſolute, tranſeat. Ad ſenſum Dei comminantis, N. Quia ex tunc fuerunt neceſſitati mortis addicti. Dixi tranſeat; quia poteſt dici aliquo ſenſu, quod ex tunc ſint mortui, quatenus diſpoſitione corporis in deterius mutata, tendebant ad mortem.

Prima pœna mulieri propria explicatur his verbis Geneſ. 3. (*Ib. a. 2. ad 2.*) *Multiplicabo ærumnas tuas & conceptus tuos*. Intellige multiplicationem conceptuum, non quoad ſubſtantiam & generationem prolis, ſic enim etiam fuiſſet in ſtatu innocentiæ, ſed propter multitudinem afflictionum, quas mulier patitur, ex hoc quod portat fœtum conceptum in utero. Senſus eſt ergo: Multiplicabo ærumnas conceptuum, ut fert phraſis hebraica: vel multiplicabo ærumnas etiam in conceptibus tuis conformiter ad verſionem 70. qui, omiſſa voce *conceptus*, poſuerunt ſimpliciter, *multiplicabo triſtitias & gemitum tuum*. Quo pacto feminæ, quæ virginitatem colunt aut ſunt ſteriles, etiam patiuntur ærumnas; quia licet non concipiant, ex propria tamen conditione ſexus plura incommoda, tædia, dolores, ægritudines patiuntur ex materia ad conceptum ordinata. Adde, quod ſterilitas in conjugatis ſit pene æquiva-

lens incommodis conceptus. Secunda pœna mulieris eſt hæc: *In dolore paries filios*. Ibid. In ſtatu enim innocentiæ mulieres abſque dolore pepetiſſent, apertis ſine violentia viſceribus, ut diximus alibi. Tertia pœna molieris ſic exponitur: *Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui*. Ibid. Non quod in ſtatu Innocentiæ mulier non ſubjiceretur viro, & vir non dominaretur uxori, ſed tunc ſubjectio erat grata & libera, quatenus mulier nihil concipiebat quod repugnaret voluntati viri, & dominium viri erat non diſpoticum, ſed liberum & directivum tantum, & quatenus vir nihil præcipiebat niſi ſuavite & honeſte, & quod erat rationi & voluntati uxoris conſonum. Nunc vero amiſſa juſtitia originali, mulier ex ſua parte ſæpe inordinate concupiſcit, ob quod renuit obedire viro, aut ſi obediat, non niſi ægre & cum moleſtia. Vir ex ſua parte ſæpe irrationabilia exigit, nimis dure imperat uxori, aut nimis ſevere eam punit; indiget enim quandoque mulier correctione quam ægre fert, & quam vir ſæpe immoderate infligit; ſicque ſubjectio mulieris ad virum, & dominium viri in uxorem, eſt nunc pœna mulieris. Pœna propria hominis continetur his verbis, ibidem: *Maledicta terra in opere tuo, in labore comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, ſpinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ, in ſudore vultus tui veſceris pane, donec revertaris in terram, de qua ſumptus es*.

Dicitur: *Maledicta terra*, &c. non quod natura terræ ſit mutata, ſed quia in ſtatu innocentiæ erat a Deo benedicta & fœcundata, ita ut ſine labore, aut cum leviſſimo, fructus uberrimos produceret; nunc autem relicta ſuæ nativæ ſterilitati; nihil profert, niſi graviſſimis laboribus exculta. Dicitur: *Spinas & tribulos germinabit tibi*; attende ad hoc vocabulum *Tibi*; quia licet ante peccatum germinaret etiam ſpinas & tribulos, non tamen germinabat homini, hoc eſt homini nocivos, quatenus non germinabat in tanta quantitate, nec germinabat aut germinaſſet in terris ab homine excultis aut excolendis ſicut nunc. Dicitur: (*Ib. ad 3.*) *In ſudore vultus tui veſceris pane*. Per panem intelligitur omnis cibus. Cum ergo in ſtatu innocentiæ terra ſponte proferret fructus homini neceſſarios ad cibum, nunc non niſi magno labore neceſſaria victui haberi poſſunt. Qui autem agriculturam non exercent, aut corporaliter non laborant, in aliis laboribus occupantur: *Homo enim naſcitur ad laborem*; Job. 5. Et ſic panem cum aliis manducant in ſudore vultus.

Dices: Si mors, morbi, dolores mulierum in conceptu & in partu, cæteræque pœnalitates, eſſent pœna peccati primorum Parentum, deberent eſſe in omnibus æquales, ſicque omnes homines æqualiter morerentur & infirmarentur, omnes mulieres in conceptu & in partu æqualem dolorem paterentur, &c. Atqui falſum conſequens; alii enim aliis citius moriuntur, alii aliis gravius infirmantur; inter mulieres aliæ graviorem, aliæ leviorem dolorem in conceptu & in partu ſentiunt. Ergo. Prob. Sequela. Omnes homines æqualiter derivantur a primis Parentibus, & in ipſis æqualiter peccaverunt. Atqui æquali peccato æqualis debetur pœna. Ergo. R. D. Sequelam: (*Ibid.*) *a. 1. ad 4.*) Si mors, morbi & aliæ pœnalitates eſſent pœna peccati primorum Parentum per ſe primo & directe impoſita, deberent eſſe in omnibus æquales, C. Si eſſent pœna peccati primorum Parentum per accidens tantum conſequens ad primam & directam pœnam, deberent eſſe æquales in omnibus, N. Duplex itaque debet diſtingui pœna, una quæ per ſe & directe imponitur peccato velut a Judice aut lege taxata, in qua ſemper ſervatur æqualitas cum propoſitione ad Legem & peccatum, & hæc debet eſſe æqualis in omnibus æqualiter peccantibus. Alia eſt per accidens conſequens ad primam & directam, & hæc non debet eſſe æqualis in omnibus æqualiter peccantibus. Sic, v. g. quod ex duobus excæcatis propter æqualem culpam unus cadat, alter non, excæcatio, quæ eſt pœna per ſe & directe impoſita, eſt æqualis in utroque; caſus autem, qui eſt pœna per accidens ſequens ad excæcationem, non debet neceſſario eſſe æqualis in utroque. Porro pœna per ſe & directe impoſita peccato primorum Parentum eſt, ut diximus, privatio juſtitiæ originalis, & eſt æqualis in omnibus; mors autem, morbi, dolores mulierum in conceptu & in partu, cæteræque pœnalitates, ſunt pœnæ per accidens ſequentes ad privationem juſtitiæ originalis juxta varias perſonarum conditiones & complexiones, & varias divinæ Providentiæ diſpoſitiones. Unde non debent eſſe in omnibus æquales.

ARTICULUS IV.

De pœnitentia & ſalute primorum Parentum.

Dico 1. Adam pœnitentiam egit de ſuo peccato & veniam obtinuit. Prob. 1. ex illo Sap. 10. *Hæc* (ſapientia) *illum, qui primus formatus eſt a Deo Pater orbis terrarum, cum ſolus eſſet creatus, cuſtodivit & eduxit illum a delicto ſuo*. Educere a delicto eſt liberare a peccato. Prob. 2. ex Patribus. Irenæus l. 3. c. 37. loquens de Adamo dicit: *Tranſgreſſionis fecit pœnitentiam, pœnitentibus autem largitur benignitatem ſuam Deus*. Aug. ſerm. 104. de temp. *Adam, qui interrogatus Domino confeſſus eſt peccatum quod commiſit, veniæ redditus eſt*. Greg. Magnus l. 6. Ep. 31. *Adam poſtmodum per pœnitentiam ad vitam rediit*. Suadetur ex benignitate, qua Deus Adamum correxit & punivit, & firmabitur ex Concluſione ſequenti. Unde

Dico 2. Adam æternam ſalutem conſecutus eſt, Prob. 1. ex Scriptura. Sap. 9. dicitur: *Per ſapientiam ſanati ſunt quicumque tibi placuerunt Domine*: & verſu ſequenti horum primus nominatur Adam, his verbis: *Hæc illum, qui primus formatus eſt a Deo, eduxit a delicto ſuo*. Non ſolet autem Scriptura dicere de damnatis, quod placuerint Deo. Prob. 2. ex Patribus, præſertim ex Aug. qui Ep. 99. ad Evodium dicit: *De illo quidem primo homine generis humani, quod eum ibidem Chriſtus ad inferna deſcendens ſolverit, Eccleſia ferre tota conſentit, quod eam non inaniter credidiſſe credendum eſt, undecumque hoc traditum, etiamſi canonicarum Scripturarum hinc expreſſa non proferatur auctoritas*. Porro ſi id tota fere credat Eccleſia, temerarium foret & erroneum negare.

Hilarius in Pſ. 119. dicit: *Adam veniæ reſervatus & glorificatus in Chriſto eſt*. Greg. Nazian. Orat. 31. c. 19. in Matth. loquens de Adamo & Eva dicit: *Utrumque Serpens decepit, utrumque Chriſtus Paſſione ſua ſalute donavit*. Anſelmus l. *Cur Deus homo* c. 16. ait: *Adamum & Evam ad illam pertinuiſſe redemptionem dubitandum non eſt*. Ipſum autem loqui de Redemptione quoad efficaciam & non ſolum quoad ſufficientiam, conſtat ex his verbis, quæ ſubjungit: *Quamvis hoc auctoritas divina aperte non pronuntiet*. De redemptione enim quoad ſufficientiam auctoritas divina aperte pronuntiat; Rom. 5. *ſicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, ſic per unius juſtitiam in omnes homines in juſtificationem vitæ*. 1. Tim. 2. *Qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus*. Et alibi. Quod diximus de Adamo, idem de Eva cenſent communiter Patres & Theologi.

TRACTATUS
DE STATU RELIGIOSO.

D. Th. 2. 2. a Quæſt. 186. ad ultimum.

DISSERTATIO I.
DE HIS IN QUIBUS PRINCIPALITER CONSISTIT STATUS RELIGIOSUS.

ARTICULUS I.

D. Th. Quæst. 186.

Quid ſit ſtatus in communi? Quid ſtatus perfectionis?

Dico. 1. Nomen Status dupliciter ſumi poteſt: 1. Generaliter pro quavis vitæ conditione, in qua quis, ſive ad tempus, ſive perpetuo permanet; quo ſenſu dicitur Status Eccleſiaſticus, ſtatus ſæcularis, ſtatus viduarum; ſtatus præſentis vitæ, ſtatus futuræ, &c. 2. Stricte pro immobili vitæ conditione, per quam quis alteri perpetuo adſtringitur: (*Hic. quæſt. 183. art. 1. c.*) Nomen enim ſtatus importat quandam firmitatem & rectitudinem; ſic homo rectus & quieſcens dicitur ſtare; ſi jaceat aut moveatur non dicitur ſtare. Hoc ſenſu diſtinguuntur tres ſtatus in Eccleſia, ſcilicet ſtatus Epiſcoporum & conjugatorum: Epiſcopi enim vinculo perpetuo adſtringuntur obſequio ſuæ Eccleſiæ; Religioſi divino cultui; Conjugati mutuo obſequio; ſic tamen quod Epiſcopa-

ſcopatus & Religio ſint ſtatus ſpirituales, conjugium autem ſtatus ſæcularis. Item quod Epiſcopatus & Religio ſint ſtatus perfectionis. Quod ut intelligatur.

Dico. 2. (*Ib. q.* 184. *a.* 1. *o.*) Perfectio Chriſtianæ vitæ attenditur ſpecialiter ſecundum charitatem: quia unumquodque dicitur eſſe perfectum in quantum attingit proprium finem, qui eſt ultima rei perfectio. Atqui charitas eſt, quæ unit nos Deo, qui eſt finis ultimus humanæ mentis, *Qui enim manet in charitate in Deo manet & Deus in illo*. 1. Joan. 4. Ergo.

Dico 3. (*Ibid. a.* 3. *o.*) Poſito quod perfectio Chriſtianæ vitæ attendatur ſpecialiter ſecundum charitatem, ſequitur, quod per ſe & eſſentialiter conſiſtat in obſervatione præceptorum ipſius charitatis Dei & proximi & aliorum Præceptorum, ſive divinorum, ſive humanorum, quorum violatio ſit contraria charitati; ſecundario autem & quaſi miniſterialiter in obſervantia conſiliorum, quæ ordinantur ad charitatem, non quidem ſic quod ſine illis non poſſit haberi charitas, ſed quatenus removent ea, quæ maxime impediunt exercitium charitatis, licet eam non extinguunt, ut ſunt matrimonium, occupatio negotiorum ſæcularium, & alia hujuſmodi.

Dico 3. (*Ibid. a.* 4. *&* 5. *a.*) Ex dictis ſequitur id, quod antea diximus, Epiſcopatum & Religionem eſſe ſtatus perfectionis; quia ad ſtatum perfectionis requiritur obligatio perpetua ad ea, quæ perfectionem promovent; cum aliqua ſolemnitate; ſtatus enim, ut diximus, importat permanentiam, & in his, quæ inter homines firmitatem & perpetuitatem obtinent, adhibetur aliqua ſolemnitas. Atqui Religioſi ſe voto adſtringunt ad abſtinendum a rebus ſæcularibus per paupertatem, continentiam & obedientiam, ut liberius Deo vacent, in quo conſiſtit perfectio præſentis vitæ, idque fit cum aliqua ſolemnitate, quando emittunt vota Religionis, ſive ſolemnia ſive ſimplicia, ſecundum ordinationem & approbationem Eccleſiæ. Similiter Epiſcopi ſe obligant ad ea, quæ perfectionis ſunt, aſſumentes paſtorale officium, ad quod pertinet ut ponant animam ſuam pro ovibus ſuis; & totam vitam impendant in utilitatem proximi, idque cum ſolemnitate conſecrationis in ſua ordinatione. Ergo.

Dices. Si omnes Epiſcopi & Religioſi ſint in ſtatu perfectionis, ſequitur, quod qui inter illos non ſunt perfecti, ſint mendaces & ſimulatores. Falſum conſequens. Ergo. Prob. Sequela. Status exterior debet interiori reſpondere, alioquin incurritur mendacium & ſimulatio, Ergo. R. D. Sequelam, (*Ibid.* a. 5. *ad* a.) Sequitur, quod qui inter illos non ſunt perfecti, nec intendunt perfectionem, ſint mendaces & ſimulatores. C. Si intendant perfectionem, N. Quia homines ſtatum perfectionis aſſumunt, non quaſi profitentes ſe eſſe perfectos, ſed profitentes ſe tendere ad perfectionem, ſicut qui frequentat Scholas non profitetur ſe eſſe doctum, ſed ſe tendere ad doctrinam. Unde non committit mendacium ad ſimulationem, qui in ſtatu perfectionis non eſt perfectus, ſed qui ab intentione perfectionis animum revocat, de quo iterum a. ſeq.

Hinc inferes. (*Ibid. a.* 4. *o.*) Non omnem, qui eſt perfectus, eſſe in ſtatu perfectionis, nec omnem, qui eſt in ſtatu perfectionis, eſſe perfectum; quia, ut dictum eſt, ad ſtatum perfectionis exteriorem ſcilicet de quo hic agitur, requiritur obligatio perpetua cum aliqua ſolemnitate; poteſt autem aliquis ſine hac obligatione & ſolemnitate facere opera perfectionis & per charitatem adhærere Deo, ſicque eſſe perfectus ſine ſtatu perfectionis, cum e contrario, qui ſe obligavit perpetuo ad opera perfectionis cum ſolemnitate, & ea non implet, non erit perfectus, licet ſit in ſtatu perfectionis. Inferes 2. (*Ibid. a.* 6. *o.*) Presbyterum Curatum non eſſe in ſtatu perfectionis; quia licet debeat ut Miniſter Epiſcopi ſe impendere in ſalutem Parochianorum, ad id tamen non obligatur immobiliter, quia poteſt etiam abſque licentia Epiſcopi deſerere ſuam Curam & tranſire ad Statum Religioſum, ut habetur cauſa 19. q. 2. cap. *Duæ ſunt*; quod non poteſt Epiſcopus abſque diſpenſatione Papæ. Vide Cajetanum in hunc Art.

Petes, qui ſtatus ſit perfectior, Epiſcoporum an Religioſorum? R. (*Ibid. a.* 10. *o.*) Statum Epiſcoporum eſſe perfectiorem ſtatu Religioſorum. Quia ſemper Agens eſt præſtantius patiente. Atqui in genere perfectionis Epiſcopi ſe habent ut perfectores & Magiſtri, qui perfectionem doceant. Religioſi vero ut perfecti, ſeu perficiendi & Diſcipuli inſtruendi, qui aquirendæ perfectioni ſtudeant; quorum prius, ut patet, pertinet ad actionem, ſecundum ad paſſionem. Ergo. Et ideo ſtatus Epiſcoporum dicitur ſtatus perfectionis acquiſitæ, ſtatus autem Religioſorum ſtatus perfectionis acquirendæ.

Neque dicas Religioſos adſtringi tribus votis Paupertatis, Continentiæ & Obedientiæ, quibus, ſaltem votis Paupertatis & Obedientiæ, non adſtringuntur Epiſcopi; nam ad aliquid majus his adſtringuntur Epiſcopi, nempe ad ponendam animam pro aliorum ſalute. (*Ibid. ad* 1.) Inſuper præterquam quod teneantur ad Caſtitatem, temporalia ſua debent erogare ſuorum ſubditorum neceſſitatibus, ſicque in præparatione animi eſſe pauperes, quod pertinet directius ad perfectionem, quam paupertas in actu, quæ eſt tantum perfectionis inſtrumentum. Item cum Religioſi uni tantum Prælato obediunt, Epiſcopi omnium ſuorum ſubditorum ſe ſervos conſtituunt, dum non quod illorum eſt ſed quæ Ieſu Chriſti ſunt, tenentur quærere: unde Apoſt. 2. Cor. 4. *Non noſmetipſos prædicamus, ſed Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, nos autem ſervos veſtros per ipſum*; atque hinc, juxta S. Th. Opuſculo de perfectione vitæ ſpiritualis c. 17. Conſuetudo obtinuit ut ſum. Pontifex ſe ſcribat ſervum ſervorum Dei.

ARTICULUS II.

In quibus principaliter conſiſtat Status Religioſus?

NOTA: Religio tripliciter ſumitur. 1. Pro virtute qua Deus ut ſupremus omnium Dominus colitur, de qua ſat alibi diximus. 2. Pro quadam formula cultus divini omnibus communi, per quam homo addicitur obſequio divino, quantum eſt præciſe neceſſarium ad ſalutem; qualis nunc eſt Religio Chriſtiana, & fuit olim Judaica. 3. Pro quadam ſpeciali formula cultus divini, per quam homo ex libera ſua electione totaliter mancipatur divino obſequio, continet omnia, ad quæ obligat Religio Chriſtiana & alia ſuperaddit, quæ maxime ad perfectionem conducunt. Unde (*Q.* 186. *a.* 1. *o.*) dicitur antonomaſtice *Religio* & ejus Profeſſores *Religioſi* vocabantur ab Apoſtolis, teſte Dionyſio c. 6. de cæleſt. Hierar. Terapeutæ a puro Deo obſequio & cultu. Eodem nomine vocat illos Philo de contemplat. Item teſte eodem Dionyſio ibid. vocabantur etiam ab Apoſtolis *Monachi*, a *vita indiviſibili & ſingulari, qua in Deiformem monadem colliguntur & perficiuntur*. Secundum quam Etymologiam omnes Religioſi ſunt Monachi. Attamen ſecundum vulgarem ſignificationem & etymologiam hi ſoli dicuntur Monachi, qui vitam ſolitariam agunt, vel contemplationi ſunt totaliter dediti; quo ſenſu Religioſi mendicantes non ſunt Monachi, & conſtat ex jure c. *Licet* 18. de Regular. c. *Nullus* 1. & c. 2. *Mandamus* 19. q. 3. In favorabilibus tamen nomine Monachi veniunt omnes Religioſi, ut docet Panormitanus in c. *Ex parte* de poſtulat. Prælat. & alii.

Virgines, quæ Religionem profitentur, jam tempore Aug. vocabantur *Sanctimoniales*, ut patet ſer. 23. de verbis Domnune, brevitatis cauſa, vocantur *Moniales*: Dicebantur etiam *Nonnæ* ex Hieron. Ep. 22. c. 6. tam in his partibus quam in Gallia, Hiſpania & Italia Religioſi Sacerdotes præſertim mendicantes vocantur *Patres*, eo quod in plebem & pauperes quoſlibet paternum affectum & officia præſtent; quod nomen ideo eſt magis benevolentiæ & charitatis, quam honoris, quale eſt nomen *Domnus*, quo cæteri Religioſi & ſæculares Sacerdotes vocantur.

Dico. (*Q.* 186. a. 6. *o.*) Status Religioſus conſiſtit in immobili vitæ conditione ab Eccleſia approbata, in qua homines per tria vota Paupertatis, Continentiæ & Obedientiæ & certam Regulam tendunt ad perfectionem. Explicatur & probatur, Dicitur 1. *Immobilis vitæ conditio*; ut diximus, ſtatus exigit firmitatem perpetuam. Unde qui obſervaret paupertatem, caſtitatem & obedientiam abſque voto, non eſſet Religioſus, nec in ſtatu Religioſo, qui haberet libertatem reſiliendi. Dicitur 2. *Ab Eccleſia approbata*, propter plures rationes. 1. Quia ſtatus Religioſus eſt Status ſpiritualis & naturalis diſtinctus a communi ſtatu Chriſtianorum, proindeque deſcendens a Chriſto, mediante Eccleſia. Atqui ſine approbatione Eccleſiæ non foret ſtatus ſpiritualis diſtinctus a communi ſtatu Chriſtianorum, ſed omnes forent Laici, poteſtati ſæculari ſubjecti, niſi qui eſſent ex illis Clerici, ſed id non haberet vi ſtatus, ſed vi ordinis. Ergo.

2. Religioſus tenetur obedire ſuperiori, non ſolum ratione voti, ſed etiam ſuppoſito voto & traditione ſui, ratione juriſdictionis ſpiritualis, quam Superior habet in illum, ſicut Epiſcopus habet in ſuos Diœceſanos. Unde Religioſus inobediens peccat duplici peccato, ſcilicet peccato ſacrilegii ratione voti, & peccato injuſtitiæ ratione juriſdictionis in Superiores, quam violat. Atqui talis juriſdictio ſpiritualis haberi non poteſt niſi interveniat auctoritas Eccleſiæ.

Si dicas. Poſſum me alteri ſubjicere eligendo illum in Superiorem, eique vovendo paupertatem, continentiam & obedientiam. Atqui iſte habebit juriſdictionem ſpiritualem in me. Ergo. R. N. Min. Non enim habebit aliam poteſtatem in te, quam eam, quam tu illi dares; non potes autem illi dare in te juriſdictionem ſpiritualem, cum eam in te non habeas, nemo enim in ſe habet juriſdictionem qua ſe cogere poſſit, ſibique præcepti obligationem imponere; nemo autem dat quod non habet.

Unde

Unde illa poteſtas erit tantum naturalis ſeu moralis, teneberiſque ſolum illi obedire ratione voti, ſicut ſi voviſſes parere ejus conſiliis. Adde, quod ſic non eſſes in ſtatu ſpirituali, ſed maneres Laicus.

3. Sine illa approbatione Eccleſiæ Religio non haberet ſtabilitatem, poſſet enim facile diſſolvi ſecundum hominum inſtabilitatem, neque haberet ſecuritatem; poſſent enim errores in ſtatutis irrepere, ſicut contigit in Religione VValdenſium. 4. Denique ad ſtatum Religionis requiritur non ſolum promiſſio ex parte voventis, ſed totalis ejus traditio in cultum divinum, atque hujus traditionis acceptatio nomine Dei; non eſt autem qui nomine Dei poſſit acceptare niſi Eccleſia, aut is cui Eccleſia committit.

Porro per approbationem Eccleſiæ intellige nunc approbationem Sum. Pontificis. Quamvis enim olim plures Religiones, ut SS. Antonii, Baſilii, Aug. & Benedicti non fuerint approbatæ immediate a Romanis Pontificibus, ſed admiſſæ, ſeu uſu receptæ ab Epiſcopis, quibus tum ſuberant, non contradicente Romano Pontifice; nunc tamen a tempore Concilii Lateran. ſub Innoc. III. hanc approbationem ſibi reſervarunt Romani Pontifices: ſic enim in Concilio quod refertur cap. *Ne nimia l. 3.* Tit. 30. de Relig. domibus legitur: *Ne nimia Religionum diverſitas gravem in Eccleſiam Dei confuſionem inducat, firmiter prohibemus ne quis de cætero novam Religionem inveniat*, ſcilicet abſque approbatione Sum. Pontificis, ut habetur in Rubrica, & patet, ſi quidem poſtea plures adhuc Religiones erectæ ſunt cum approbatione ſum. Pontificis. Idem ſtatuitur in Concilio Lugdun. ſub Gregorio X.

Hinc ſequitur, quod Profeſſio in Religione non approbata ſit invalida, & quod profitens probabilius non teneatur ad vota; tum quia Eccleſia non acceptat hanc profeſſionem quoad illa; tum quia profitens non intendit vovere niſi in Religione, ut ſic vovendo fiat Religioſus, quod cum in eo ſit deceptus, non videtur teneri; imo id videtur certum quoad vota paupertatis & obedientiæ, quia cum poſſit hanc Religionem deſerere utpote nullam, non habet Superiorem a quo dependeat in voto Paupertatis & Obedientiæ.

Secus dicendum de quibuſdam piis inſtitutis, quæ longo uſu cenſentur ab Eccleſia adprobata, non ut Religiones, ſed ut pia inſtituta; eorum enim Profeſſio habet vim votorum ſimplicium, a quibus proinde profitentes non poſſunt eximi ſine diſpenſatione Epiſcopi, qui illos ex cauſa poteſt abſolvere a voto paupertatis & obedientiæ, non tamen a voto caſtitatis perpetuæ, quod reſervatur Papæ.

Dicitur 3. *Per tria vota paupertatis, continentiæ, & obedientiæ*, utpote quæ ſunt eſſentialia Religioni, ut probabimus art. ſeq. Dixi *Per tria vota* ſimpliciter & non ſolemnia; quia licet jure antiquo requireretur ad ſtatum Religioſum quod tria vota eſſent ſolemnia, id eſt quod eſſet totalis & perpetua traditio ex parte voventis; & ſimiliter perpetua acceptatio ex parte Superioris ſeu Religionis; jure tamen novo ſufficiunt vota ſimplicia. Declaravit enim Gregorius XIII. Bulla *Aſcendente Domino*, vota emiſſa a Scholaribus Societatis Jeſu poſt biennium probationis eſſe ſimplicia (quia acceptatio ex parte Societatis non eſt abſoluta & perpetua, ſed poteſt Profeſſum dimittere) & tamen eos eſſe vere Religioſos.

Dicitur 4. *Et certam Regulam*: Quia licet per ſe loquendo ſufficiat ad ſtatum Religioſum ea Regula, quæ divinis Mandatis & prædictis tribus votis continetur, ſi quidem hæc ſufficiunt ut ducant ad perfectionem; quia tamen Eccleſia non conſuevit approbare aliquem ſtatum tanquam Religioſum abſque aliqua particulari Regula, ideo requiritur, ſi non per ſe, ſaltem per accidens & ex inſtitutione Eccleſiæ.

Dicitur 5. *Tendunt ad perfectionem*: (*Q. 184. a. 5. ad 2. & q. 189. a. 2. ad 1.*) Quia licet ut diximus, Religio ſit ſtatus perfectionis, qui tamen illum aſſumunt, non profitentur ſe eſſe perfectos, ſed tendere ad perfectionem, ſicut diſcipuli frequentando Scholas non profitentur ſe doctos, ſed tendere ad doctrinam: Unde non tranſgreditur ſuam Profeſſionem Religioſus qui non eſt perfectus, ſed ſolum ſi contemnat tendere ad perfectionem, ſeu ab intentione perfectionis animum revocat, ut ſi apud ſe ſtatuat manere in ſtatu mediocritatis in quo eſt, aut dicat: Nolo ad perfectionem tendere, vel etiam ſi ſola obſervatione præceptorum obligantium ſub mortali contentus proponat tranſgredi ea, quæ obligant ad veniale tantum, aut ad ſolam pœnam.

Petes utrum quilibet Religioſus teneatur ad omnia Conſilia? R. negative: (*q. 186. a. 2. c.*) Quia nemo tenetur ad opera ſupererogationis niſi ex propria electione, aut niſi in caſu neceſſitatis, ſed tunc non forent mera conſilia, ſed præcepta: atqui quilibet Religioſus non ſe obligat per ſuam profeſſionem ad omnia conſilia, ſed ad aliqua determinata ſecundum ſuam Regulam. Ergo. Confirmatur: Quilibet Religioſus poteſt pervenire ad perfectionem charitatis per obſervantiam regularem ſui inſtituti, ſi quidem ſit ab Eccleſia approbatum ut ſufficiens ad hunc finem: Atqui nullum eſt inſtitutum quod omnium conſiliorum obſervationem præcipiat. Ergo. Peccaret tamen graviter, qui ea conſilia contemneret.

ARTICULUS III.

Utrum tria Vota Paupertatis, Continentiæ, & Obedientiæ ſint eſſentialia Statui Religioſo?

Dico. (*Ibid. a. 3. 4. 5. & 7. c.*) Tria vota Paupertatis, Continentiæ & Obedientiæ ſunt eſſentialia ſtatui Religioſo. Prob. (*Ibid. a. 7. c.*) Status Religioſus poteſt conſiderari tripliciter: 1. Secundum quod eſt exercitium tendendi ad perfectionem charitatis. 2. Secundum quod eſt portus & ſtatio quædam quietans animum a ſollicitudinibus ſæcularibus. 3. Secundum quod eſt perfectiſſimum Sacrificium, ſcilicet Holocauſtum, per quod aliquis totaliter ſe & ſua offert Deo: Atqui ſtatus Religioſus ſecundum hanc triplicem conſiderationem exigit eſſentialiter tria vota aſſignata. Ergo.

Prob. 1. pars Min. Ad exercitium perfectionis requiritur quod aliquis a ſe removeat illa, per quæ poſſit impediri, ne totaliter ejus affectus tendat in Deum, in quo conſiſtit perfectio charitatis. Atqui hujuſmodi ſunt tria: Primum cupiditas exteriorum bonorum, quæ tollitur per votum paupertatis. Secundum concupiſcentia ſenſibilium delectationum, inter quas præcellunt delectationes venereæ, quæ excluduntur per votum caſtitatis. Tertium inordinatio voluntatis humanæ, quæ excluditur per votum obedientiæ: Ergo. Hæc autem tria impedimenta deſignavit S. Joannes 1. Ep. c. 2. his verbis: *Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum & ſuperbia vitæ*. Prob. 2. pars Min. Sollicitudinis ſæcularis inquietudo præcipue ingeritur homini circa tria: 1. Circa diſpenſationem rerum exteriorum, & hæc ſollicitudo per votum paupertatis homini aufertur. 2. Circa gubernationem uxorum & liberorum, quæ amputatur per votum continentiæ. 3. Circa diſpenſationem propriorum actuum, quæ tollitur per votum obedientiæ, quo aliquis ſe alterius diſpoſitioni committit. Ergo. Prob. 3. pars Min. Holocauſtum eſt, cum aliquis totum quod habet offert Deo: Atqui homo habet triplex bonum: 1. Habet bonum rerum exteriorum, quas totaliter offert Deo per votum voluntariæ paupertatis. 2. Habet bonum corporis, quod præcipue offert Deo per votum continentiæ, quo abrenuntiat maximis delectationibus. 3. Eſt bonum quod totaliter offert Deo per votum obedientiæ, quatenus per illud offert Deo propriam voluntatem; per voluntatem enim homo utitur omnibus potentiis & habitibus animæ. Ergo. Hinc cap. *cum ad Monaſterium*. Tit. de ſtat. Monach. Innocent. III. dicit: *Abdicatio proprietatis, ſicut & cuſtodia caſtitatis, adeo eſt annexa Regulæ monachali, ut contra eam nec Sum. Pontifex poſſit licentiam indulgere*.

Dices 1. Status Epiſcoporum eſt perfectior quam ſtatus Religionis. Atqui Epiſcopi poſſunt habere proprium. Ergo & Religioſi. R. N. Conſeq. (*Ibid. a. 3. ad 3.*) Diſparitas eſt quod ſtatus Epiſcopalis non ordinatur ad perfectionem acquirendam, ſed potius ut ex perfectione, quam quis habet, alios gubernet, non ſolum miniſtrando ſpiritualia, ſed etiam temporalia, quod pertinet ad vitam activam, in qua multa operanda occurrunt inſtrumentaliter per divitias: & ideo ab Epiſcopis, qui profitentur gubernationem gregis Chriſti, non exigitur ut proprio careant, ſicut a Religioſis, qui profitentur diſciplinam perfectionis acquirendæ.

Dices 2. Divitiæ ſunt utiliores ad perfectionem acquirendam quam paupertas. Ergo. Prob. Ant. Proverb. 14. dicitur: *Corona Sapientum divitiæ eorum*. Et Eccli. 7. *utilior eſt ſapientia cum divitiis*. Ergo. R. N. Ant. Ad 1. Probat. Divitiæ dicuntur corona, id eſt ornamentum & decus ſapientum, tum quia Sapientes bene illis utendo ſibi decus parant: tum quia divitiæ apud vulgum auctoritatem conciliant. Ad 2. Probat. ſenſus eſt, quod ſapientia cum divitiis ſit utilior, quam divitiæ ſine ſapientia, quatenus ſapiens bene utendo divitiis, maxime utilis eſt proximo per liberalitatem & miſericordiam.

Dices 3. Primum perfectionis exemplar nobis in Abraham oſtenditur, cui Dominus dixit Geneſ. 17. *Ambula coram me & eſto perfectus*. Atqui Abraham habuit divitias & uxores. Ergo ad perfectionem Religionis non requiritur paupertas & continentia. R. N. Conſequ. (*Ibid. art 4. ad 2.*) quia ut dicit Aug. de bono conjugali, *Abraham caſtus ſine conjugio eſſe potuit, ſed non oportuit*. Quod ergo antiqui Patres perfectionem animæ cum divitiis & matrimonio habuerint, hoc pertinet ad magnitudinem virtutis & perfectionis acquiſitam. Et ideo infirmiores non debent præſumere ſe tantæ eſſe virtutis, ut cum divitiis & matrimonio poſſint ad perfectionem pervenire; ſicut nec aliquis præſumit hoſtes inermis invadere, quia Samſon cum maxilla aſini, multos hoſtes peremit.

Pe-

Petes quodnam ſit inter iſta tria vote potiſſimum? R. (*Ibid. a.* 8. *a.*) eſſe votum obedientiæ. 1. Quia per illud eliquid majus Deo offertur, quam per reliqua: per votum enim paopertatis offeruntur Deo bona fortunæ: per votum continentiæ corpus: per votum autem obedientiæ ipſe animus ſeu proprie voluntas, quæ eſt quid majus bonis fortunæ & corporis. 2. Quia votum obedientiæ continet ſub ſe elia duo vota; ſed non convertitur; quamvis enim Religioſus teneatur ex voto ſervate continentiam & paupertatem, tamen hæc etiam ſub obedientia cadunt; & in noſtro Prædicat. Ordine promittitur tantum explicire obedientia. Hinc. Jo. XXII. Etrav. *Quorumdam* de verborum ſignificationibus dicit: *Magna eſt paupertas, ſed major continentia, maxima autem obedientia,*

ARTICULUS IV.

Ad quid teneatur Religioſus vi voti Paupertatis?

Dico. Paopertas Religioſa eſt volontarie abdicatio, voto firmata, rerum temporalium, quantum ad dominium, proprietatem & uſum juris, ſeu utendi irrevocabiliter & independenter a voluntare Superioris, non tantum quantum ad uſum facti ſeu ſimplicem uſum revocabliem & dependentem a voluntare Superioris. Ita jura cap. cit. *cum ad Monaſterium* & Concil. Trid. Seſſ. 25. de Regul. c. 3. Ratio eſt; quia ille non cenſetur vere pauper, qui alicujus rei temporalis habet dominium & proprietatem, qee de illa tamquam ſua poſſit pro natu diſponere ad quemlibet uſum, neque qui habet jus utendi irrevocabilitet & independenter ab alterius voluntate; ſecus ſi habeat tantum uſum facti revocabilem & dependentem ab alterius voluntate; ſic ſervi, qui nihil habent proprii & ſunt vere pauperes, habent nihilominus uſum facti veſtium & ciborum, quæ illis e Dominis conceduntur.

Dixi; *rerum temporalium*; quia terum ſpiritualium Religioſus habet dominium; unde poteſt ſine conſenſu Prælati pro amico orare, prædicare, Miſſas celebrare, ſi tamen habeat liberas intentiones, etiamſi amicus recipiat ſtipendium; ſimiliter poteſt ſine conſenſu Prælati dere Reliquias SS. Agnus Dei & ſimilia, quæ pretio temporali non æſtimantur, non tamen Imagines, Scapularia, Numiſmata, Roſaria; hæc enim pretio temporali æſtimantur. Item eſt dominus ſui honoris & famæ, ut docet S. Th. hic q. 186. a. 7. ad 4.

Ex Concluſione ſequitur 1. Religioſum nulla re temporali poſſe uti tanquam ſua, ſed tanquam aliena ſeu Monaſterii, ideoque animo debet eſſe diſpoſitus ea carere ad nutum Prælati; alioquin eſt votiſragus, quales ſunt ii, qui ea, quæ habent, occultant, ne e Superiore auſerantur. Sequitur 2. Religioſum nullam rem temporalem ſive ex bonis communibus, ſive ex conceſſis ad uſum, poſſe dare, vendere, mutuare, commodare ſeu extraneis, ſeu domeſticis abſque licentia Prælati, quia hæc ſunt actus dominii aut uſus fructus, cum ipſe tantum habeat uſum facti e Prælato dependentem; ideoque alienatio eſt nulla. Sequitur 3. Religioſum nullum temporale poſſe recipere, ſive ab extraneis. ſive a domeſticis, aut acceptum retinere ſine licentia Prælati cap. cit. *Ad monaſterium*, Et patet; quia ſeclusa Prælati licentia, illud haberet ut proprium. Sequitur 4. Religioſum non poſſe ea, quæ ſibi ad uſum ſunt conceſſa, expendere in res illicitas aut vanas, ut in turpia, veſtes ſericas, multos canes venaticos, ſumptuoſa convivia, &c. Quia ſecundum jura Clementina 1. de ſtatu Monach. Prælatus non poteſt illud permittere. Item eadem ratione & eodem jure non poteſt Religioſus habere ſuperflue in notabili quantitate, quæ mediocritatem Religioſam notabiliter ſuperet. Obſerva tamen circa 1. partem hujus Corollarii, Religioſum poſſe cum licentie Prælati exponere ludo aliquid moderatum, juxta leges, opes & conſuetudinem ſui Conventus; quia ludus non eſt quid illicitum. Item poſſe, ſuppoſita eadem licentia, facere donationes *ex cauſa gratitudinis, conciliationis benevolentiæ, ejuſdemque conſervationis erga ipſam Religionem vel Conventum, aliiſve cauſis, ex ſui natura actum virtutis & meriti continentibus, modeſte tamen & diſcrete*: ita in terminis Urbanus VIII. in Conſtitutione *Nuper*, per quam moderatur rigorem Conſtitutionis *Religioſæ* Clementis VIII. De quo vide plura in noſtro Tract. de Contractibus Diſſert. 2. art. 2. §. 2.

Sequitur 5. Religioſum non poſſe, ſub prætextu, quod omnia ſint in Religione communia, res Communitatis, aut particularibus ad uſum conceſſas, ſibi appropriere; quia in hoc ſe gereret ut Dominum & Proprietarium. Si tamen Prælatus denegaret Religioſo ſimpliciter neceſſaria ad victum & amictum, non peccaret Religioſus ea accipiendo, ſive data a ſæcularibus, ſive ex bonis communibus Monaſterii etiam ſine licentia Prælati; quia iſte foret rationabiliter invitus, & Religioſus uteretur jure ſibi a natura conceſſo ad ſui conſervationem, aliunde cenſetur conſentire Religio. Dixi, *ſimpliciter neceſſaria*, quia ſecus dicendum foret; ſi eſſent tantum utilia ſeu neceſſaria ſecundum quid & non abſolute, qui ſunt enim vere pauperes non raro ſentire debent & ſentiunt incommoda paupertatis, deficientibus utilibus & neceſſariis ſecundum quid. Unde non ſibi adblandiantur Religioſi fingentes abſolutam neceſſitatem, dum eſt tantum neceſſitas ſecondum quid, ſeu minor commoditas.

Sequitur 6. Religioſum teneri res ſibi conceſſas rationabili cura conſervare, non deſtruere, aut prodige & cum gravi negligentia tractare; quia cum habeat tantum uſum facti, non poteſt de eis diſponere, niſi juxta mentem Prælati, & modo Religioſæ paupertatis congruo. Sequitur 7. Officiales in Monaſteriis non poſſe res ſuæ adminiſtrationi commiſſas diſpenſare pro libitu, ſed tantum juxta mentem Superioris, alioquin diſpenſarent ut Domini ab alterius voluntate independentes.

Petes 1. Quæ licentia requiratur & ſufficiat, ut Religioſus poſſit licite uti rebus aliquibus, ſive donando, ſive recipiendo, ſive aliter diſponendo. R. Non requiri neceſſario licentiam expreſſam, ſed ſufficere tacitam ſeu probabiliter præſumptam, ut in terminis docet S. Th. 2. 2. q. 32. a. 8. ad 1. quæ ſcilicet ex circumſtantiis & ſignis probabiliter conjicitur & præſumitur actualiter adeſſe. Sic ſi ſit conſuetudo in aliqua Religione quædam levia recipiendi, vel expendendi ſine licentia expreſſa Superioris, indicat tacitam ejus conſenſum. Similiter ſi Superior ſciat quædam recipi aut expendi abſque expreſſa ejus licentia, & toleret cum poſſet facile impedire, quod addo, quia ſi toleraret, quia non poſſet facile impedire, puta propter gravia quædam inconvenientia, hæc tolerantia non indicaret tacitum ejus conſenſum. Item ſi Prælatus conferat Religioſo officium, tacite concedit ea omnia, quæ ad debitam ejus adminiſtrationem pertinent. Item ſi permittat alicui emere vel recipere ea, quibus ſcit ipſum non indigere ad proprium uſum, ut ſunt Imagines, Roſaria, Scapolaria, &c. tacite permittitur ut aliis donet. Item Religioſus abſens, puta ſtudens, aut itinerans, merito præſumit conſenſum Prælati ad expenſas & donationes, quales facere ſolent Religioſi ejuſdem Ordinis & conditionis.

Dixi; *Licentia, quæ ex circumſtantiis & ſignis probabiliter conjicitur & præſumitur actualiter adeſſe*; non vero, quæ præſumitur danda ſi peteretur: quia ad legitimum uſum præſentem requiritur licentia præſens, non futura: cum autem in caſu non ponatur conditio, ſcilicet petitio, ex qua ſequeretur licentia, non eſt de facto licentia, ſed tantum foret ſi peteretur. Sicut ergo ex hoc, quod ſcias Legiſlatorem diſpenſaturum, ſi petes diſpenſationem, non ideo es vere diſpenſatus, ita ex hoc, quod ſcias ſuperiorem conceſſurum licentiam, ſi peteres, non es ideo licentiatus. Requiritur ergo, non ſolum ut concederet præciſe ſi peteres, ſed etiam ut attenta ejus habituali diſpenſatione cenſeatur de facto concedere, neque velle, ut in his circumſtantiis expreſſe petas. Sicut ut vinculum legis ceſſet per Epiikiem requiritur, ut de facto mens Legiſlatoris ſit, ut non tenearis in hoc caſu agere ſecundum verba legis, neque petere diſpenſationem.

Non poteſt autem præſumi hæc præſens habitualis diſpoſitio & inde conſenſus actualis tacitus Superioris, etſi petitus concederetur in omni caſu & in rebus gravioribus; quia inde evaneſceret Religioſa paupertas & obedientia regularis, ſequerenturque graves abuſus, cum inde inferiores ſemper pro libitu agerent, ſibi perſuadendo rem eſſe juſtam & concedendam licentiam, ſi peterent. Si ſit ergo Superior qualis debet eſſe, debet cenſeri in gravioribus invitus, non ſolum quoad modum, ſed etiam quoad ſubſtantiam, & velle ut petatur expreſſe licentia. In rebus tamen levioribus & ordinariis poteſt præſumi conſenſus præſens tacitus, non ſolum ex circumſtantiis & ſignis, de quibus paulo ante, ut ex conſuetudine, ex ſilentio Prælati, &c. ſed etiam ex aliis, ut ſi Superior ſit facilis ad concedendum, ſi inferior ſit vel ſenex, vel de Religione bene meritus, vel Superiori gratus & amicus; item ſi Superior ſit abſens, & urgeat juſta ratio agendi. Item facilius præſumitur in rebus acceptis, quam in rebus datis, facilius in datis in commodum Communitatis, quam particularis. Ex his & ſimilibus indiciis præſumi poteſt, non ſolum, quod ſi peteretur licentia, facile concederetur, ſed etiam, quod ſit talis præſens diſpoſitio Superioris, quod cenſeatur nunc tacite conſentire, aut ſaltem, quod non velit inferiorem gravi obligatione teneri ad petendam expreſſe licentiam, ſicque, quod non ſit invitus, ſaltem quoad ſubſtantiam; quod ſi ſit invitus quoad modum, erit peccatum veniale, ſed non contra votum paupertatis; ſicut in furto, ſi ſciam Dominum parvi æſtimare, aut in me ita eſſe affectum, ut ſi rem peterem libentiſſime mihi concederet, jure præſumo ipſum non eſſe invitum quoad ſubſtantiam, nec velle me gravi obligatione teneri. Conformiter ad hæc intelligenda ſunt, quæ

olim

olim dixi in Tract. de Contractibus Diſſert. 2. art. 3. §. 3. de præſumpta licentia, ſeu conſenſu tacito.

Petes 2. Quanta materia requiratur ad peccatum mortale in tranſgreſſione voti paupertatis? R. tantam requiri, quanta requiritur in furto. Plures dicunt, quanta requiritur in furto filiorum familias; in furto autem filiorum familias ad peccatum mortale requiritur major quantitas, & ſatis probabiliter duplo major, quam in furtis extraneorum, ut expendimus in Tract. de Jure & Juſtitia Diſſert. 11. art. 5.

Verum puto hic eſſe diſtinguendum: ſi agatur de rebus uſu conſumptibilibus, ut ſunt omnia eſculenta & poculenta, exiſtimo de iis loquendum eſſe, ac de furtis filiorum familias in eadem materia; quia in his Prælati, ſicut Parentes, quorum loco ſuccedunt, non cenſetur regulariter inviti quoad ſubſtantiam, ſed quoad modum tantum. Si autem agatur de rebus permanentibus, ut ſunt pecuniæ, ſupellectilia & ſimilia, res mihi videtur dubia. Equidem ex una parte Religioſi ſunt in Monaſterio ſicut Filiifamilias, imo ſunt partes & membra Communitatis, ad quam pertinent iſta bona; quapropter probabile eſt Prælatos in furtis non eſſe magis invitos reſpectu illorum, quam Parentes reſpectu filiorum.

Ex altera parte propter votum paupertatis nunquam erunt illorum bonorum Domini, ſicut filiifamilias bonorum paternorum, etſi in illorum furtis tanta requireretur quantitas, quanta requiritur in furtis filiorum familias, cum plures eſſe ſoleant in Monaſteriis, gravi bonorum communium diſſipationi janua aperiretur. Quibus de cauſis eſt etiam probabile Prælatum non eſſe minus invitum reſpectu illorum, quam reſpectu extraneorum, niſi forte ex indiciis conjiciatur aliam eſſe ſuperioris mentem.

Adverte tamen majorem quantitatem requiri ad peccatum mortale in iis, quæ ab extraneis recipiuntur, quam quæ e Monaſterio ſurripiuntur; minorem e contra requiri in iis, quæ dantur extraneis, quam in iis, quæ ſuis aut confratrum uſibus applicat Religioſus: item minorem, ſi detur ex bonis communibus, quam ſi ex proprio peculio; quia ubi major vel minor fit injuria Monaſterio, cenſetur Prælatus magis vel minus invitus.

Ex his inferes 1. Quod licet uſum ad tempus alicujus rei non conſumptibilis ipſo uſu, v. gr. libri, ſibi ſine licentia uſurpare, vel alteri ſive domeſtico ſive extraneo concedere ſeu commodare repugnet voto paupertatis, excuſetur tamen a peccato mortali ob levitatem materiæ, niſi notabiliter ipſo uſu atteratur, quia ſimplex uſus ad tempus, v. g. libri, non tanti æſtimetur, ut ſit materia peccati mortalis. Inferes 2. Quod licet commutatio ſit actus dominii, & ideo ſi ſit res gravis momenti, ſit peccatum mortale; rerum tamen communium, ut libri, cultri, veſtis, &c. regulariter ſit peccatum veniale; quia ſi fiat, ut ſupponitur, cum æquali aut fere æquali, non videtur materia ſufficiens ad peccatum mortale, cum inde non gravetur notabiliter Monaſterium, & Prælatus non cenſeatur graviter invitus ſaltem quoad ſubſtantiam, licet ſit forte quoad modum.

Petes 3. Utrum peccet Religioſus, qui pecunia ex cenſu vitalitio: aut aliunde cum licentia acceptas, retinet ſine licentia in cella vel alibi, & non in communi depoſito, ſeu apud depoſitarium communem? R. 1. Si retineat animo celandi Superiori aut expendendi ſine ejus licentia, peccat mortaliter ex genere contra votum paupertatis, quia intendit dominium aut uſum independentem. 2. Si retineat non animo celandi aut expendendi ſine licentia Superioris, non peccat mortaliter ſtando in natura voti paupertatis; quia ex illa ſimplici retentione, ſine animo celandi aut expendendi ſine licentia, non habet, nec intendit ullum dominium aut uſum independentem. Neque refert, ſi dicas, quod poſſideat illas pecunias ſine licentia; non enim poſſidet ut ſuas, ſed ut alienas; unde non eſt vera & ſtricta poſſeſſio, quæ jus ſupponat aut conferat, ſed ſimplex detentio, qualis foret retentio depoſiti, cujus dominium & adminiſtrationem retinet deponens; hæc autem retentio ſeu poſſeſſio non repugnat voto paupertatis, & ſine illius violatione poteſt haberi a Religioſo, etiam non petita licentia. 3. Si ſit præceptum non retinendi apud ſe pecunias, ſed eas reponendi in depoſito communi, ſeu apud communem depoſitarium, ut ſolet eſſe in omni Religione bene ordinata, peccabit ſecundum qualitatem præcepti, mortaliter, ſi ſit præceptum rigoroſum in virtute ſanctæ obedientiæ; venialiter tantum, ſi ſit præceptum commune ſeu ordinatio communis, niſi forte ſit aliis ſcandalum, aut ſibi occaſio proxima, ut ſæpe ſolet eſſe, expendendi has pecunias ſine licentia. Unde hæc praxis nullatenus eſt toleranda.

Petes 4. Utrum Religioſus peccet contra votum paupertatis, ſi ſine licentia Prælati recipiat ab aliquo pecunias, vel alia dona, non pro ſe, ſed ut det aliis, puta conſanguineis, vel pauperibus quibus voluerit? R. ſub diſtinctione. Religioſus peccat contra votum paupertatis, ſi donationem in caſu poſito abſolute acceptet, ita ut non ſit in poteſtate dantis illam revocare, & dona ſeu pecunias aliter, quam voluerit Religioſus expendere, quamvis dantis nomine diſtribuat, quia ſic jus aliquod pretio æſtimabile acquirit. Non peccat autem contra votum paupertatis, ſi dominium non acceptet, ſed maneat penes dantem donata revocare & in alios uſus expendere: quia licet pecuniæ aut dona in manus Religioſi tradantur, nihil tamen juris, aut dominii pretio æſtimabilis ipſi acquiritur, ſed ſe habet ut alterius internuntium ſeu eleemoſynarium, cui dona vel pecuniæ committuntur, ut, dantis nomine, conſanguineis vel pauperibus, quos ipſe Religioſus elegerit, diſtribuat.

Petes 5. Utrum Religioſus peccet dicens aliquid eſſe ſuum, v. g. mea cella, mea veſtis; meus liber, &c.? R. Quod ſi id dicat intendens ſe habere dominium illius, aut uſum independentem, mentiatur & peccet peccato proprietatis contra votum paupertatis, ſi autem id dicat, aut velit dicere eſſe ſuum quoad uſum facti dependentem a Superiore, non mentitur, nec peccat contra votum paupertatis.

Petes 6. Utrum liceat Religioſis habere peculium? Nomine peculii hic intelligo non ſolum aliquam pecuniæ ſummam, ſed etiam penſionem annuam, ſeu cenſum vitalitium, ſive Parentes aut Monaſterium Religioſo conceſſerint, ſive ſibi ante Profeſſionem reſervaverit, aut aliunde acquiſiverit. R. affirmative; quia peculium a Superioris voluntate dependens & ad ejus nutum revocabile non repugnat ex natura ſua Religioſæ paupertati: & talis eſt praxis omnium fere Religionum.

Dices. Concilium Trid. Seſſ. 25. c. 2. de Regular. ſic ſtatuit: *Nec deinceps liceat Superioribus bona ſtabilia alicui Regulari concedere etiam ad uſum fructum, vel uſum.* Per bona autem ſtabilia etiam intelliguntur cenſus. Ergo. R. Concilium loqui de uſu bonorum ſtabilium civili & independente atque irrevocabili ad nutum Superiorum, non autem de ſimplici uſu facti dependente & revocabili ad nutum Superiorum. Patet ex eo quod immediate præcedit: *Nemini*, inquit, *liceat bona tamquam propria, aut etiam nomine Conventus poſſidere vel tenere.* Nihil ergo aliud intendit Concilium, quam amovere a Religioſis dominium & proprietatem. Idque conſtat ex praxi communi Regularium, etiam in iis Provinciis in quibus viget Religioſa Tridentini obſervatio, ut in Hiſpania, Luſitania, Belgio, imo in Italia, ſub oculis Summorum Pontificum. Unde ſi aliud intenderit Tridentinum, dicendum foret non eſſe in iſto rigore receptum.

Petes 7. Utrum licitum ſit Religioſis habere bona in communi? R. affirmative: id enim conceſſit Trid. Seſſ. 25. c. 3. omnibus Religioſis, exceptis Minoribus de Obſervantia & Capuccinis; ſed quia eſt Privilegium, illi poſſunt Religiones renuntiare, ſicut de facto renuntiarunt Domus Profeſſæ Societatis & Carmelitæ Diſcalceati in Hiſpania. Idem ante Trid. Sixtus IV. conceſſerat FF. Prædicatoribus; ut habetur in eorum Conſtitutionibus d. 2. c. 1. & 10.

Neque id repugnat Religioſæ paupertati, ſi quidem Chriſtus, Apoſtoli, & primi Chriſtiani, qui colebant perfectam paupertatem, habuerint bona in communi; ut patet Act. 2. & alibi; ſicque declaravit Joannes XXII. Extrav. *Ad Conditorem*, & Extrav. *inter nonnullos*, de verborum ſignificatione.

Petes 8. Quid poſſint Prælati Regulares circa alienationem bonorum communium Monaſterii? Ante reſponſionem nota bona communia eſſe vel immobilia vel mobilia. Mobilia ſunt vel pretioſa, quæ ſervanda ſervari poſſunt, ſaltem ad triennium, ut ſunt vaſa aurea vel argentea, gemmæ, &c. Quidam etiam inter hæc reponunt greges ovium aut caprarum, armenta boum & ſimilia. Alia ſunt non pretioſa, ut vinum, frumentum, oleum, item & pecunia, ſi tamen non ſit in valde notabili quantitate, juxta aliquos, aut non ſit voto vel juramento emendis immobilibus deſtinata, vel etiam niſi proveniat ex redemptione Cenſus. Hoc notato, ad Petitionem R. 1. Poſſunt Prælati Regulares abſque licentia Superioris majoris & conſenſu Conventus alienare, ſive dando, ſive vendendo, ſive permutando bona mobilia non pretioſa, ſeu etiam pretioſa, quæ ſervanda ſervari non poſſunt ad triennium, prudenter tamen & diſcrete, atque juxta Conſtitutiones & conſuetudinem ſui Ordinis vel Monaſterii.

Ratio eſt 1. Quia Prælatura Regularis eſt quoddam beneficium: Beneficiarius autem etiam regularis de jure communi poteſt diſponere inter vivos de fructibus ſui Beneficii, non ſecus ac ſæcularis, ut docent Navar. Leſſ. Sa, Layman, & alii, & colligitur aperte ex Clementina. 2. §. *Sed talis* de vita & honeſt. Cleric. l. 3. Tit. 1. 2. Quia Prælati Regulares ſunt adminiſtratores abſoluti bonorum Communitatis, conſequenter ad eos pertinet illa diſpenſare juxta ſtatuta & uſus ſuæ Religionis, ex conſenſu præſuppoſito aut ſaltem debito Communitatis, penes quam eſt dominium. R. 2. Prælatus Regularis non poteſt

teſt alienare immobilia & mobilia pretioſa, quæ ſervando ſervari poſſunt ſaltem ad triennium, ſive donando, ſive vedendo, ſive permutando, niſi de licentia Prælati Superioris & conſenſu Communitatis & in ejus utilitatem. Ita communiter Auctores & praxis.

Si petas, quis ſit iſte Prælatus Superior, cujus licentia requiritur? R. quod ſecundum Extrav. *Ambitioſæ* Pauli II. ſit Papa; ſecundum vero Decretum S. Congregat. Concilii datum 1624 ſit ipſa S. Congregatio. Verum Navarrus in Manuali c. 27. n. 149. dicit, quod hæc Bulla Pauli II. juxta Sylveſtrum in nullo ſit recepta. Verba autem Sylveſtri V. *Alienatio* q. 15. ſunt, *De qua* (Bulla) *dic ut de Lege moribus utentium non recepta, & quod conſuetudo valet contra illam*. Idem forte dicendum de Decreto Congregationis. In noſtro Prædicatorum Ordine Prælatus Superior eſt Generalis, ex indulto Leonis X. & Clementis VIII. ut habetur in noſtris Conſtitut. d. 2. c. 1. §. 3. Litt. H. Quia tamen juxta eaſdem Conſtitutiones d. 2. c. 3. §. 10. Prior Provincialis eandem habet poteſtatem in ſua Provincia, quam & Magiſter Ordinis in toto Ordine, inde infert Joannes de la Cruz, quod Licentia Provincialis ſufficit, additque de facto ita ſervari.

Advertunt etiam Auctores, quod quando res alienanda eſt modici valoris, non requiritur licentia Prælati Superioris, nec conſenſus Communitatis, ex cap. *Terrulas* 12. q. 2. Quantum ad locationem bonorum Religioſorum, dixi in Tract. de Contractibus Diſſert. 6. §. 1. juxta Clement. *de Rebus Eccleſiæ* l. 3. Tit. 4. non poſſe locari niſi ad modicum tempus, quod juris Interpretes intelligunt minus decennio.

ARTICULUS V.

Ad quid teneatur Religioſus vi voti Caſtitatis.

Dico. Vi voti Caſtitatis tenetur Religioſus abſtinere ab omni actu venereo, tam interno, ut eſt turpis cogitatio, delectatio moroſa, &c. quam externo, ut eſt tactus, aſpectus, coitus, pollutio, &c. Ita ut peccatum Religioſi in materia venerea importet ſemper duplicem malitiam, unam contra virtutem Caſtitatis, aliam ſacrilegii contra Religionem. Et hæc malitia ſacrilegii eſt mortalis, quando libido eſt mortalis, venialis autem ſi libido ſit venialis; quia circumſtantia voti Caſtitatis non mutat obligationem juris naturalis ſervandi Caſtitatem, ſed ſolum addit circumſtantiam ſacrilegii, quæ ſequitur naturam actus, cui conjungitur.

Porro docuimus in Tract. de Temperantia Diſſ. 5. art. 2. in re venerea directe in ſe volita non dari levitatem materiæ excuſantem a mortali; bene tamen in re venerea volita tantum indirecte & in cauſa. Id autem habet proprium votum ſolemne Caſtitatis, quod irritet non ſolum ſponſalia, ante & poſt ipſum contracta, & Matrimonium ſubſequens, ſed etiam antecedens nondum conſummatum, ut fuſius diximus alibi. Pro voto Caſtitatis melius ſervando inducta eſt clauſura, tam Religioſorum, quam Monialium, de qua dicemus infra.

ARTICULUS VI.

Ad quid teneatur Religioſus vi voti Obedientiæ.

Dico. Voto Obedientiæ Religioſus tenetur obedire præcepto legitimi Superioris in iis, quæ pertinent directe vel indirecte ad vitam Regularem, hoc eſt ad obſervantiam votorum, Regulæ, & conſtitutionum; in his enim conſiſtit vita Regularis.

Explicatur. Dicitur 1. *Obediendi præcepto Superioris*. Pro quo obſervandum eſt non omne præceptum Superioris obligare ad culpam ſaltem mortalem, etiam in re gravi, ſed tantum quando præcipiendo ſic obligare intendit; non cenſetur autem, ex uſu recepto in Religionibus intendere obligare, niſi præcipiendo his aut ſimilibus formulis utatur: *Sub formali præcepto; in virtute Spiritus S. in virtute ſanctæ Obedientiæ*. Si ergo his aut ſimilibus terminis utatur, obligat ad mortale in materia gravi, ad veniale in materia levi, niſi tranſgreſſio fiat ex perfecto contemptu, prout explicabo Art. ſeq. Si vero his aut ſimilibus formulis non utatur, non cenſetur velle obligare ſub mortali, etiam in re gravi, niſi aliunde conſtet de ejus intentione. An autem obliget ſub veniali? Puto quod ſic, ſi revera intendat ſic obligare. At quandonam cenſetur id intendere? Cenſetur meo ſaltem judicio, ſalvo meliori, ſi præcipiendo alicui particulari dicat: *Mando, præcipio tibi*: tum quia utendo his terminis non cenſetur velle conſulere aut ſuadere, ſed aliquo modo præcipere & obligare; tum quia ipſa ratio diſciplinæ regularis exigit, ut inferior obtemperet, etiamſi extremum præceptum illi non imponatur. Si autem ſit mandatum commune toti Communitati, non cenſetur velle obligare ſub culpa, ſed ſub pœna tantum & correctione regulari, quomodo ipſæ Regulæ obligant.

Dicitur 2. *Obediendi præcepto Superioris legitimi*; ut diſtinguatur a voto, quod quis faceret obediendi alicui particulari, puta Confeſſario, qui non eſſet Superior, nec haberet juriſdictionem, ſicut habet Superior in Religione, ex Conſtitutionibus Eccleſiaſticis, & ex ipſa profitentis traditione & acceptatione. Unde juxta probabilem plurium ſententiam inobedientia in Religioſo continet duplicem malitiam, ſcilicet inobedientiæ Superiori legitimo, & ſacrilegii ratione voti; votum autem obediendi addit novam obligationem illi, quam quiſque habet obediendi ſuo legitimo Superiori; ſicut ſi ſervus aut filius familias voveret obedire Domino aut Patri, inobediendo duplex peccatum committeret, unum inobedientiæ, aliud ſacrilegii.

Dicitur 3. *In his quæ pertinent ad obſervantiam votorum, Regulæ, & conſtitutionum*. Tum quia Religioſus, per votum, non intendit ſe obligare ad vivendum & obediendum, niſi ſecundum proprium inſtitutum: ut per ſe patet & docet S. Th. Quodl. 10. a. 10. in 1. arg. ſ. c. Tum quia obedientia, ut dicit idem S. Doctor ibid. o. non ſe extendit ultra poteſtatem & jus Prælationis, quæ ſecundum Regulam limitatur; & idem concludit ibidem, quod *ſi aliqua ſunt, quæ nullatenus* (Scilicet neque directe, ne indirecte, ut mox explicabo) *ad regulam reducantur, videtur eſſe verior opinio, quod obedire in hujuſmodi non ſit de neceſſitate obedientiæ, ſed de perfectione*, ut dicit Bernardus l. 1. de præcepto & diſpenſat. Verba autem S. Bernardi ſunt: *Prælati juſſio vel prohibitio non prætereat terminos Profeſſionis, nec ultra extendi poteſt, nec contrahi citra. Nihil me Prælatus prohibeat horum quæ promiſi, nec plus exigat, quam promiſi. Vota mea nec augeat ſine mea voluntate, nec minuat ſine certa neceſſitate*.

Hinc ſequitur 1. quod cum non ſit una omnium Religionum Regula, non ſit una omnium Religioſorum obedientia; ſed aliis plus, alii minus, ſecundum diverſitatem Regularum teneantur obedire.

Sequitur 2. Quod ſi Prælatus præcipiat aliquid contra Regulam v. g. manducare carnes, inferior non teneatur obedire, niſi Prælatus poſſit diſpenſare, & adſit juſta cauſa diſpenſandi, tunc enim inferior tenetur obedire. A fortiori non tenetur obedire, ſi Superior præcipiat rem illicitam; in dubio tamen an res ſit illicita, debet deponere dubium & obedire, ut fuſius probo in Tract. de Act. hom. Diſſert. 5. poſt Art. 2. Neque tenetur obedire, ſi Superior præcipiat ſupra Regulam, ut ire ad Infideles cum manifeſto periculo mortis aut ſervitutis, diu jejunare aut abſtinere a carnibus & ſimilia, quando non habentur in Regula; niſi forte injungantur in juſtam punitionem criminis, vel propter aliquam neceſſitatem publicam, ſicut Eccleſia quandoque præcipit Fidelibus. Neque tandem tenetur obedire, ſi Superior præcipiat indifferentia & impertinentia ad Regulam. Poſſe autem præcipere actus mere internos dixi, dum de Legibus.

Dicitur 4. (*In 2. Diſſ. ult. a. 3*) *In his, quæ pertinent recte vel indirecte ad Regulam*; directe pertinent ad Regulam, quæ in ea expreſſe continentur, ut abſtinere a carnibus, ſervare ſilentium, &c. Indirecte pertinent, quæ licet in eo expreſſe non contineantur, ſunt tamen neceſſaria vel valde utilia ad ejus obſervationem, ut ſunt mutua obſequia, ſine quibus ſtatus Religionis ſervari non poſſet, pœnæ tranſgreſſionum, quædam ſtatuta Regularitati ſervandæ vel reſtaurandæ opportuna: quia qui promittit explicite obedire quoad ea, quæ continentur expreſſe in Regula, cenſetur promittere explicite obedire etiam quoad ea, quæ Regulæ obſervationi ſunt neceſſaria aut valde utilia. Hac ratione Eccleſia in Concilio Trid. & in variis ſum. Pontificum conſtitutionibus præcepit clauſuram Monialibus, licet non contineretur expreſſe in earum Regula, nec unquam in earum Monaſteriis fuiſſet obſervata, quia judicavit eam ſervandæ caſtitatis voto neceſſariam.

ARTICULUS VII.

An & quando peccet Religioſus tranſgrediens Regulam?

Nomine Regulæ hic intelligimus etiam Conſtitutiones Regulæ ſuperadditas.

Dico. 1. (*q. 186. a. 9. o.*) Religioſus tranſgrediens Regulam non ſemper peccat mortaliter: ſed peccat aliquando mortaliter, aliquando venialiter, aliquando non peccat, ſecundum ſcilicet quod quæ continentur in Regula, vel ſunt præcepta obligantia ſub mortali, vel obligantia ſub veniali, vel conſilia ſeu monita non obligantia ſub aliqua culpa. Prob. (*Ibid.*) Qui profitetur Religionem non vovet ſervare omnia & ſingula, quæ in Regula continentur, ſed vovet regularem vitam juxta præſcriptum Regulæ. Atqui Regula non præſcribit omnia ſub peccato mortali, ſed quædam tantum ſub mortali, ut ea præ-

ſet-

ſertim quæ ſpectant tria vota, in quibus primario & eſſentialiter conſiſtit vita Regularis; quædam ſub veniali, ut ſunt exteriores obſervantiæ, quæ conducunt ad obſervantiam votorum; quædam, ut conſilia & monita tantum. Ergo. Prob. Maj. Triplici modo fit Profeſſio Religioſa. Quidam profitentur ſeu vovent ſervare Regulam. Quidam cautius profitentur vivere ſecundum Regulam. Quidam adhuc cautius profitentur obedire ſecundum Regulam, ut in meo Prædicatorum Ordine. De his, qui 2. & 3. modo profitentur, patet, quod non voveant ſervare omnia & ſingula, quæ in Regula continentur, ſed vitam Regularem eo modo, quo præſcribit Regula. De his autem, qui vovent ſimpliciter ſervare Regulam, ut ſunt Fratres Minores, pariter definitum eſt in jure cap. *Exiit §. Imprimis* de verb. ſignific. in 6. & Clementina t. ſ. *Cum igitur* eod. Tit. quod non omnis illius tranſgreſſio ſit culpa mortalis; ſed vel mortalis, vel venialis, vel etiam nulla, ſecundum quod contenta in Regula vel ſunt præcepta rigoroſe obligantia ſub mortali, vel communia ſtatuta obligantia ſub veniali, vel communia ſtatuta obligantia ſub veniali, vel tantum conſilia aut monita ſub nulla culpa obligantia. Ergo.

Inſuper, (*Ibid. in a. ſ. c.*) cum multa & minima contineantur in Regulis Religionum, ſi Religioſi tenerentur ſub mortali ad omnia & ſingula, quæ in his continentur, Religio foret jugum intolerabile, & ſtatus Religionis, qui debet eſſe ſecurior, quam ſtatus ſæcularis, foret iſto periculoſior, & periculoſiſſimus.

Dico 2. In Ordine FF. Prædicatorum Regula & Conſtitutiones, exceptis votis & præceptis, non obligant ad culpam etiam venialem; ita ut earum tranſgreſſio, exceptis duobus prædictis, non ſit culpa nequidem venialis ex genere ſuo, ſeu ex parte operis, poteſt tamen eſſe culpa ex parte operantis.

Concluſio conſtat ex Prologo Conſtitutionum præfati Ordinis § 4. his verbis: *Ut igitur unitati & paci totius Ordinis provideamus, volumus & declaramus, ut Regula noſtra & Conſtitutiones noſtræ non obligent nos ad culpam, niſi propter præceptum vel contemptum ... Præceptum autem in Regula nullum (niſi quando de natura ſua eſt ratione trium votorum, vel divinæ aut Eccleſiaſticæ legis,) contineri volumus & declaramus: & idem in Conſtitutionibus, niſi ubi ponitur ſententia excommunicationis, aut formaliter exprimitur per verbum*, præcipimus in virtute Sanctæ Obedientiæ. *Et hoc idem in Ordinationibus & Prælatorum verbis & literis intelligi volumus*.

Idem dic de quacumque alia Religione habente ſimile ſtatutum; ut eſt Soc. Jeſu, teſte Sanchez & Palaus, Ordo Minimorum, teſte Paſſarel, & forte aliiquidam Ordines.

Neque obſtat, quod in Regula S. Aug. quam profitetur Ordo Prædicatorum, dicatur: *Hæc ſunt quæ, ut obſervetis, præcipimus*. Quia verbum *præcipimus* non ſumitur hic ſtricte pro præcepto rigoroſo, ſed late pro monitione, ordinatione, ſtatuto, &c. Idque indicant multitudo & parvitas rerum, quæ in ea Regula continentur. Quod ſi contendas hoc verbum rigoroſe accipi, R. hanc Regulam ſub iſto rigore non eſſe in Ordine Prædicatorum receptam, ſed ea tantum conditione, ut non obligaret ad culpam, niſi in caſibus in Conſtitutione expreſſis, ut patet ex Prologo citato.

Neque etiam obſtat, quod in Conſtitutionibus ejuſdem Ordinis habeantur ſpecialia capitula, de levi, gravi, graviori, graviſſima culpa, & in capitulis de levi & gravi culpa multa levia contineantur, quæ non eſſent culpæ, niſi eſſent prohibita per Conſtitutiones: Non obſtat, inquam, quia ut advertit Cajetanus hic, hæc Conſtitutio in Prologo, quæ eximit tranſgreſſores a culpa, edita fuit in 2. Capitulo generaliſſimo, an. 1237. poſt jam editas Conſtitutiones, & ideo remanſerunt iſta Capitula ſub nominibus levis aut gravis culpæ. Inſuper in eodem Prologo §. 6. legitur: *Statuimus etiam, quod tam in Conſtitutionibus, quam extra, quidquid, non ſecundum ſe mortale, mandatur ſub quacumque pœna, niſi Excommunicationis, ad ſolam pœnam obliget, non obſtante, quod in Capitulo de graviori culpa dicitur*, ut qui membrum Diaboli culpam perpetrando non erubuit fieri. Ex, quo evidenter patet, quod illis Capitulis nomen *culpæ* ſumatur large pro quacumque tranſgreſſione.

Dixi 1. Hujuſmodi Regulam & Conſtitutiones obligare ad pœnam; intellige obligationem ad pœnam ſub culpa; quia hoc ipſo, quo decernunt ſe non obligare ad culpam, ſed ad pœnam, excipiunt tranſgreſſionem pœnæ ſubeundæ ab ipſo generali ſtatuto non obligandi ad culpam.

Utrum vero Religioſus teneatur ſub culpa pœnam a lege taxatam ſponte & ex ſe ſubire abſque mandato, ſeu ſaltem declaratione Prælati? affirmat Paſſerinus. At quo fundamento non video. Sufficienter enim habetur obligatio ſub culpa ſubeundi pœnam, quando aderit mandatum, ſeu ſaltem declaratio Superioris eam eſſe ſubeundam. Inſuper ſententia Paſſerini videtur aperte pugnare contra jus & uſum.

Contra jus; quia in eodem Prologo eodem §. 4. ſic habetur: *Pœnis tamen dimiſſionis ab officio, privationis vocis activæ, vel paſſivæ, gravioris culpæ & aliis majoribus (quantumcumque tam in Conſtitutionibus quam extra ipſo facto ſint incurrendæ) niſi ſit pœna Excommunicationis latæ ſententiæ, nullus ſit ſubjectus, niſi ſuperveniat declaratio Prælati in particulari reſpectu hujus, quantumcumque etiam notorium facti vel juris, aut utriuſque interveniat*. Contra uſum: quia inauditum puto in Ordine S. Dominici, quod Religioſus, qui v. g. ſepties ſilentium fregerit inter duo capitula, ſponte & ex ſe, abſque mandato, aut ſaltem declaratione Prælati, in uno prandio ſedeat in terra, ut ſtatuitur in dictis Conſtitutionibus Diſt. 1. 12. ſ. 2. & plura alia ſimilia.

Dixi 2. *Tranſgreſſionem Regulæ & Conſtitutionum hujuſmodi non eſſe culpam ex parte operis; poſſe tamen eſſe culpam ex parte operantis*. Et hoc triplici modo, inquit S. Th. (*Ibid. ad* 1.) ſcilicet ex negligentia, libidine, & contemptu. Explicatur. Ex negligentia, cum quis abſque rationabili cauſa ſeu fine honeſto, movetur ad non implendum ſtatutum; cenſetur enim negligi ſtatutum ſeu lex, quando ſine rationabili cauſa non ſervatur; agere autem etiam in indifferentibus abſque rationabili cauſa eſt peccatum veniale. Quod ſi ex honeſto & rationabili cauſa Regulam tranſgreditur, non ſolum non peccat, ſed facit actum virtutis; virtus enim eſt agere ex motivo honeſto indifferentia, qualis eſt in caſu tranſgreſſio legis, quoad ſubſtantiam, vi decreti non obligantis ad culpam.

Sed ſtatim inſurgit difficultas, quomodo obligatur ad pœnam ille, qui non ſolum non peccat, ſed facit actum virtutis, pœna enim non debetur niſi culpæ. R. Pœnam hic non ſumi ſpecialiter pro vindicta peccati, ſed communiter pro pœnalitate, ad quam quis ſponte ex pacto ſe obligavit, quod poteſt contingere etiamſi actus aut omiſſio, ex qua contrahitur hæc obligatio, ſit virtuoſa; ſic v. g. in contractu, in quo maneat libertas a culpa aliquid agendi vel non agendi, eum pacto tamen, ut qui omittit ſolvat tantum; ſi omiſſio fiat ex motivo honeſto, erit virtuoſa, & tamen omittens tenebitur ſolvere ſummam conventam. Similiter inter Religionem & Religioſum initur contractus ſervandi Regulam, ſic tamen ut qui non ſervat, ſit liber a culpa, ſed teneatur ſubire talem pœnam. Unde qui omittit ſervare Regulam ex fine honeſto, v. g. qui frangit ſilentium, ut conſoletur amicum afflictum, virtuoſe agit, & tamen tenetur ſubire pœnam conventam, niſi forte ſit talis cauſa, ut merito præſumatur in ea Superior diſpenſare in lege, aut per Epiikiam intelligatur in hoc caſu regulam non obligare.

Ex libidine. Libido ſeu cupiditas eſt inordinata voluntas, qua aliquid concupiſcitur pluſquam dicta rectat ratio. Eſt ex genere ſuo peccatum veniale. Unde Religioſus, qui v. g. ex ſenſualitate ſeu nimia cupiditate cibi violaret jejunium regulare, aut ex nimia curioſitate ſeu loquacitate frangeret ſilentium, peccaret venialiter. Ex contemptu. (*Ib. ad* 4.) Tunc aliquis tranſgreditur Regulam ex contemptu, quando voluntas ejus renuit ſubjici ordinationi legis, & ex hoc procedit ad faciendum contra illam; ſi enim propter aliquam cauſam particularem, puta concupiſcentiam, vel iram, inducitur ad aliquid faciendum contra ſtatutum Legis, non peccat ex contemptu, ſed ex aliqua alia cauſa, etiamſi frequenter ex eadem cauſa, vel alia ſimili Legem tranſgrediatur; frequentia tamen peccati diſpoſitive ad contemptum inducit. Duplex autem debet diſtingui contemptus, perfectus & imperfectus. Perfectus eſt, quando quis renuit in toto ſubjici Superiori vel Legi, & tranſgreſſio ex tali contemptu procedens, etiam in re levi, eſt ſemper peccatum mortale, quia licet res ſit levis, intentio tamen, qua directe tendit contra totam ſuperioritatem, importat gravem injuriam. Imperfectus contemptus eſt, quando quis renuit ſubjici Superiori vel Legi in aliqua re tantum, ſive gravi, ſive levi, paratus ipſi obedire in aliis. Tranſgreſſio ex tali contemptu, ſi ſit in re gravi, eſt mortalis, ſi in re levi, eſt venialis.

Petes 5. Utrum in ordine Prædicatorum præceptum non impoſitum ſub hac forma: *Præcipimus in virtute ſanctæ obedientiæ*; ſed ſub alia æquivalenti, puta, *in virtute Spiritus S. ſub formuli præcepti*, vel ſimili obliget ſub mortali? R. Ledeſma & Sanchez tenuere partem affirmativam: quia cum Prælatus habeat jus obligandi, & præceptum nihil ſit aliud quam ejus abſoluta voluntas ſufficienter ſignificata ſubdito, nihil intereſt, quod Prælatus utatur hac vel illa forma, ſi ſufficienter ſuam voluntatem abſolutam manifeſtet.

Verum Paſſerinus mordaciter tenet partem negativam ex illo textu Prologi conſtitutionum ejuſdem Ordinis §. 4. *Præceptum autem in Regula nullum ... contineri volumus & declaramus, & idem in conſtitutionibus, niſi ubi ponitur Sententia Excommunicationis, aut formaliter exprimitur*

tur

tur per verbum præcipimus in virtote ſanctæ obedientiæ. *Et hoc idem in Ordinationibus & Prælatorum verbis & litteris intelligi volumus.* Ea quo ſic arguit, 1. Lex iſta non eſt affirmativa, ſed negativa, concepta per hanc vocem *nullum*, quæ univerſaliſſimam oegationem importat & ſignificat, quod ſub quacumque alia forma verborum concepta ordinatio Prælati, vel ſtatutum, non ſit rigoroſum præceptum, nec habeat vim obligandi. 2. Illa conſtitutio vult, quod in Ordine Prædicatorum nulla forma verborum æquivaleat huic: *Præcipimus in virtute ſanctæ obedientiæ*; voluit enim conſtitutio tollere omnem ambiguitatem, difficultatem, & ſcrupulum, & quod omnino manifeſtum ſit quando Prælati præcipiunt, & ideo non vult, Prælatis licere uti alia forma etiam æquivalenti.

Unde ad rationem Sententiæ oppoſitæ negat Suppoſitum; qooniam in hoc Ordine voluntas Prælati, ut obligans ſub mortali, non poteſt ſufficienter innoteſcere per alia verba, cum Lex omnia alia verba reddat inſufficientia ad id præſtandum.

Hæ rationes habent ſuam probabilitatem, & licet forte non plene convincant, juvant ſaltem, ut Prælati ad cautelam non omittant in ſuis præceptis hæc verba: *In virtute ſanctæ obedientiæ*.

Petes 2. Utrum Religioſus eodem genere peccati gravius peccet, quam ſæcularis? R. (*Ib. n. 10. c.*) Peccatum Religioſi eſſe gravius diverſimode. 1. Si ſit contra votum & ſimul contra Legem Dei vel Eccleſiæ, puta ſi fornicetur aut furetur; tunc enim præter malitiam luxuriæ aut injuſtitiæ includit malitiam ſacrilegii. 2. Ratione majoris ingratitudinis propter majora beneficia a Deo accepta. 3. Ratione ſcandali, ſi peccatum ejus ſit publicum; quia ad vitam Religioſi ut ad exemplar virtutum reſpiciunt ſæculares.

Aliunde (*Ibid.*) tamen peccatum Religioſi eſſe levius: quia, ſi ſit veniale, quaſi abſorbetur multitudine bonorum operum, quæ facit; ſi vero ſit mortale, facilius & citius ab eo reſurgit, tum propter conſuetudinem rectæ intentionis, quæ licet ſit ad horam interrupta, facilius per Dei gratiam reparatur ex reſtantibus reliquiis priſtinæ pietatis; tum quia ad reſurgendum juvatur a Fratribus per ſalubres exhortationes & ferventes preces.

DISSERTATIO II.

DE CLAUSURA, TAM RELIGIOSORUM, QUAM MONIALIUM.

CUM Clauſura, ut jam obſervavimus, ſit inducta pro melius ſervandis votis, præſertim voto continentiæ; præcedenti Diſſertationi, ubi egimus de votis, Diſſertationem de clauſura ſubjicimus.

Spectari autem poteſt Clauſura, vel quoad egreſſum Religioſorum & Monialium e Monaſterio, vel quoad ingreſſum mulierum in Monaſterium virorum, & ingreſſum virorum & mulierum in Monaſterium Monialium. Unde ſit

ARTICULUS I.

De Clauſura Religioſorum quoad Egreſſum.

NOTA 1. Clauſura dicitur a Clauſtro; Clauſura autem & Monaſterium pro eodem ſumuntur apud Canoniſtas; & eſt locus, in quo clauduntur Religioſi & Moniales ad quietius Deo vacandum. Sumitur etiam pro obligatione non egrediendi e Monaſterio, & non ingrediendi Monaſterium ſine licentia. Nota 2. Non eſſe eandem rationem Clauſuræ reſpectu egreſſus Religioſorum e Monaſterio, & reſpectu ingreſſus mulierum in Monaſterium. Etenim reſpectu mulierum ingredientium Eccleſia, Chorus, Sacriſtia, Atrium ſeu Locutorium, non ſunt intra Clauſuram. Reſpectu vero Religioſorum egredientium, iſta loca ſunt intra Clauſuram; ſicut enim mulier ingrediens Eccleſiam, Chorum, Sacriſtiam, Locutorium non dicitur ingredi Clauſuram, ita Religioſus vadens ad iſta loca non dicitur egredi e Clauſura. Nota 3. Etiam eſſe aliam rationem Clauſuræ Religioſorum & Clauſuræ Monialium. In Clauſura Religioſorum idem locus poteſt eſſe extra Clauſuram reſpectu ingredientium, & intra Clauſuram reſpectu egredientium, ut patet ex præcedenti notamine; ita ut mulieres & Religioſi poſſint eſſe ſimul in eodem loco abſque violatione Clauſuræ. At vero in Clauſura Monialium idem locus non poteſt eſſe extra Clauſuram reſpectu ſæcularium ingredientium & intra Clauſuram reſpectu Monialium egredientium; ſed quicumque locus, ad quem accedere poſſunt ſæculares, ut Eccleſia exterior, Locutorium exterius, ſit extra Clauſuram reſpectu Monialium egredientium: & quicumque locus, ad quem accedere poſſunt Moniales, eſt intra Clauſuram reſpectu ſæcularium ingredientium. Ita ut Moniales & Sæculares non poſſint accedere ad eundem locum abſque violatione Clauſuræ.

Id eruitur ex Bulla *Deo ſacris* Gregor. XIII. data 1572. §. 6. *Cæterum*, ubi ſic ſtatuitur: *Declaramus præterea nullis Monialibus etiam Tertiariis licere habere oſtium, per quod ex Monaſterio introiri poſſit in ipſarum Monialium Eccleſiam exteriorem, in quam Sæcularibus ad Miſſas & divina Officia patere ſolet aditus, ſed omnino muro obſtruendum: neque itidem licere Monialibus etiam Tertiariis egredi januam Monaſterii, quæ eſt pro Clauſura ipſius Monaſterii, etiam ad claudendam aliam ulteriorem januam, per quam patere ſolet aditus Sæcularibus venientibus, vel ad Rotam, vel ad Crates, ſeu loca colloquiis deſtinata, quæ vulgo Parlatoria vocantur, vel ad pulſandam ipſam januam Clauſuræ, quæ loca, cum ſaltem pro cauſis prædictis patere ſolent Sæcularibus, extra Clauſuram cenſeri debent, etiam tempore, quo clauſa ſunt.* Ex quo inferunt generaliter Auctores ea omnia loca, ad quæ Sæcularibus patet liber aditus, eſſe extra Clauſuram reſpectu Monialium egredientium, & viciſſim ea omnia loca ad quæ Monialibus patet liber aditus, eſſe intra Clauſuram reſpectu Sæcularium ingredientium: ita ut ſine violatione Clauſuræ, nec Sæculares accedere poſſint ad ea loca, ad quæ accedere poſſunt Moniales, nec Moniales ad ea loca, ad quæ accedunt Sæculares.

Dico 1. Exitus e Monaſterio ſine licentia Superioris non videtur prohibitus Religioſi jure communi. Quamvis enim cauſa 19. q. 1. multis Canonibus prohibeatur exitus Monachis, non tamen prohibetur, ut exitus ſimpliciter, ſed ut talis exitus, nempe ad malum finem, ſeu ad exercenda munia Eccleſiaſtica, tunc Monachis interdicta. Concilium Trid. Seſſ. 25. art. 4. de Regular. prohibet quidem Religioſis, *a ſuis Conventibus recedere* ſine licentia, ſed receſſus importat non ſimplicem exitum, ſed exitum ad multam diſtantiam & multum tempus. Quantum ad Conſtitutionem Clementis VIII. de Reform. Regularium, confirmatam ab Urbano VIII. qua exitus ſimplex prohibetur, videtur in multis caſibus non eſſe uſu receptam.

Dico 2. Egreſſus e Monaſterio ſine licentia eſt prohibitus Religioſis ex uſu & conſuetudine. Patet ex praxi omnium Religionum, in quibus hujuſmodi egreſſus ſemper habitus fuit, ut res gravis & gravi pœna mulctatus.

Dico 3. Suppoſita inſtitutione & profeſſione vitæ Cœnobiticæ, ejuſmodi egreſſus ſine licentia, non ſolum uſu & conſuetudine, ſed etiam jure naturali videtur prohibitus. Quia Religio cœnobitica eſt cœtus virorum in eodem loco ſub obedientia Superioris viventium: atqui juxta S. Th. hic q. 186. a. 5. ad 4. votum obedientiæ ſe extendit ad diſpoſitionem totius vitæ humanæ, ita ut Religioſus teneatur obedire pro quocumque loco & tempore. Ergo vi ſtatus cœnobitici & voti obedientiæ, Religioſus non poteſt exire e Cœnobio, niſi ſciente & conſentiente Superiore, alioquin exit ab obedientia quam vovit, cum ſe ponat in ſtatu, in quo Superior non poteſt pro eo tempore illi præcipere.

Hinc inferes egreſſum ejuſmodi ſine licentia, etiam abſtrahendo a pravis circumſtantiis, puta contemptu, malo fine, ſcandalo, gravi damno, & ſimul præſcindendo a ſpecialibus ſtatutis Religionum, in quibus magis vel minus ſtricte Clauſura præcipitur, eſſe ſecundum ſe peccatum mortale ex genere, utpote contra votum obedientiæ & juſtitiam Prælato debitam. Hoc ipſo enim quo Religioſus vi voti obedientiæ ſe obligat ad obediendum Prælato pro omni loco & tempore, ſimul ſe obligat ad non recedendum a ſtatu & loco obediendi, quod facit, ſi e Monaſterio, quod eſt locus obedientiæ, recedat Prælato neſciente & non conſentiente. Fit autem veniale ex levitate materiæ, ut ſi egreſſus, ſecluſis malis circumſtantiis, fiat de die, ad breve tempus. Cenſent Donatus & Paſſerinus duos vel tres dies eſſe breve tempus: ſi ſit ad diuturnius reputabitur egreſſus fugitivus. Dicitur autem Religioſus fugitivus, qui ad notabile tempus exit ſine licentia e Monaſterio, cum animo redeundi. Apoſtata dicitur, qui exit ſine animo redeundi, etiamſi retento habitu. Nullum autem erit peccatum exire e Monaſterio ſine licentia, imo ea denegata, ſi ſit gravis & manifeſta neceſſitas exeundi, quæ moram non patitur, ut ad abſolvendum moribundum: tunc enim Superiore locali irrationabiliter recuſante, adeſt præſumpta licentia juris & majorum Superiorum.

Petes, utrum egreſſio furtiva & nocturna ſit ſemper peccatum mortale? R. partem affirmativam a multis teneri: quia ex Clemente VIII. eſt caſus reſervabilis; non reſervantur autem niſi peccata mortalia. Id tamen videtur dubium Paſſerino, ſi agatur de egreſſione præ-

eſſe furtiva & nocturna, ſecluſo pravo fine, ſcandalo, infamia Religionis & omni alia prava circumſtantia; quia exiſtere per unam noctem extra Monaſterium inſcio Superiore, non videtur materia gravis. Ideo autem eſt reſervabilis, quia regulariter ex aliqua mala circumſtantia eſt peccatum grave, & præſumptive eſt tale.

Porro egreſſio dicitur *furtiva*, quæ fit ſine licentia Superioris, etiamſi ab aliis ſciatur. Dicitur *nocturna*, quæ fit integra nocte, & non in crepuſculis; quia de ratione noctis eſt totalis abſentia lucis. Addit Paſſerinus, quod etſi fiat de nocte, ſed ante totalem & ultimam clauſuram Portarum (ut dum in hyeme non clauduntur ſtatim ab initio noctis) & fit reditus antequam portæ ultimo & totaliter claudantur, non debeat cenſeri nocturna egreſſio quoad reſervationem; quia hoc tempus eſt velut complementum diei conceſſum exitui ad negotia; & ideo talis brevis egreſſio debet reputari inter diurnas in materia odioſa, qualis eſt reſervatio caſuum.

ARTICULUS II.

De clauſura Religioſorum quoad ingreſſum?

DIco. Prohibitum eſt mulieribus quibuſcumque uſum rationis adeptis ſub pœna Excommunicationis latæ Sententiæ Papæ reſervatæ, ne accedant aut præſumant ingredi Monaſteria Religioſorum, niſi in certis caſibus: ipſis vero Religioſis, ne illas introducere, admittereve præſumant, ſub pœna privationis Officiorum, quæ in præſentia obtinent, & inhabilitatis in poſterum ad illa & alia omnia, & ſuſpenſionis a Divinis ipſo facto, ſine alia declaratione, incurrenda. In probationem hujus Concluſionis proferuntur Bulla S. Pii V. *Regularium perſonarum* data Romæ 23. Octobris 1566. & Bulla Gregorii XIII. *Ubi gratiæ* data Romæ idibus Junii 1575. Sed veritas eſt, quod iſtæ Bullæ, illorum verbis præciſe ſiſtendo, non loquuntur de quibuſvis mulieribus, ſed de iis ſolum, quæ ſub prætextu quorumdam Privilegiorum ingredi præſumunt: unde illis præciſe ſtando, non probatur integre Concluſio.

Verum Pius V. in altera Bulla, *Decet Romanum Pontificem* data Romæ 16. Julii 1570. apud Conſettium pag. mihi 147. Edit. Colon. declarat mentem ſuam in priori Bulla fuiſſe comprehendere, non ſolum mulieres habentes ſeu prætendentes habere privilegia ingrediendi Monaſteria, ſed etiam omnes & quaſcumque alias tam in genere quam in ſpecie: nihil autem tale habemus ex Gregorio XIII. licet quidam dicant ſic etiam explicuiſſe ſuam mentem, ſed id neque certum eſt, neque authenticum. Unde ſolum utrique Bullæ Pianæ inſiſtimus, omiſſa quoad generalitatem mulierum Bulla Gregoriana, maxime cum contineat aliquid, quod non continetur in Bullis Pianis; ſubjicit enim Excommunicationi Papæ reſervatæ non ſolum mulieres ingredientes, ſed etiam Prælatos ingredi facientes aut permittentes, quod non habent Bullæ Pianæ. Porro tota noſtra Concluſio in hac utraque Bulla Piana continetur: unde indiget tantum explicatione. Itaque

Dicitur 1. *Mulieribus quibuſcumque*, id eſt, *cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, & conditionis, & quacumque dignitate ac præeminentia præditis, etiam Comitiſſis, Marchioniſſis, Duciſſis*. Sunt verba Bullæ. Non nominantur Imperatrices & Reginæ, nec earum filiæ: unde & propter maximam earum dignitatem Auctores communiter eas excipiunt cum ſuis ſequacibus. Idem eiſdem rationibus quidam cenſent de Principiſſis. Quantum ad Fundatrices, quidam eas etiam excipiunt; tum eadem ratione, quia non nominantur; tum quia domum ſuam ingrediuntur. Alii autem non excipiunt.

Dicitur 2. *uſum rationis adeptis*; quia puellæ ante uſum rationis, cum ad peccatum incitare non valeant, quod intendit vitare Sum. Pontifex; & ideo reſpectu illorum ceſſet finis legis, poſſunt intrare. Non tamen Adultæ Fatuæ, quia licet non ſint præcepti capaces, & ideo non peccent intrando, peccant tamen & pœnis ſubjiciuntur, qui introducunt; quia movere poſſunt ad peccatum. Dicitur 3. *Sub pœna Excommunicationis latæ Sententiæ Papæ reſervatæ*, a qua tamen abſolvere poſſunt extra Italiam Confeſſarii Mendicantium, vi ſuorum Privilegiorum.

Dicitur 4. *Ne accedant vel præſumant*, id eſt ex malitia & certa ſcientia; id enim important audacia & præſumptio. Mulier ergo, quæ ignoraret, etſi vincibiliter, hanc prohibitionem, vel bona fide aut ex ſimplicitate crederet id non eſſe malum, nec cenſuris obnoxium, etſi forte poſſet peccare venialiter, non tamen incurreret Excommunicationem, cum non feratur niſi in contumaces, præſertim iſta; quia dicitur in Bulla: *Poſtquam harum Litterarum notitiam habuerunt*. Unde raro mulieres ingredientes Monaſteria Religioſorum incurrunt Excommunicationem. Dicitur 5. *Ingredi Monaſteria Religioſorum*: Nomine Monaſterii intellige tantum Clauſtrum, Dormitorium ſeu Domum, & Officinas interiores: ſic declararunt Sum. Pontifices Innocentius V. Nicolaus III. Gregorius IX. in expoſitione Regulæ Minorum vetantis dictum ingreſſum. Et in Conſtitutionibus noſtris Diſt. 2. c. 1. §. 5. ſimpliciter dicitur: *Mulieres Clauſtrum, vel Oratorium, vel alias Officinas noſtras nunquam ingrediantur*. Unde Eccleſia, Chorus, Locutorium, Sacriſtia, Chors (*Baſſe Cour*) Officinæ exteriores adjectæ Monaſterio, non ſunt intra Clauſuram reſpectu mulierum ingredientium, ſi ad hæc loca pateat aditus non tranſeundo per Monaſterium.

Difficultas eſt de horto contiguo, qui continetur intra ambitum muri continui & deſervit deambulationi Religioſorum. R. ex laudatis Pontificibus probabiliter non eſſe intra clauſuram reſpectu mulierum ingredientium, ſi ad illum ingrediantur non tranſeundo per Monaſterium; quia neque eſt Clauſtrum, neque Dormitorium, neque Domus, neque Officina interior.

At dices. Gregorius XIII. in ſua Bulla de qua ſupra probibet intrare *Monaſteria & Loca*: Hortus autem eſt locus Monaſterii. Ergo. R. Præterquam quod hæc Bulla, ut jam dixi, non ſpectet niſi mulieres, quæ ſub prætextu alicujus Indulti præſumunt intrare per Monaſteria & loca, nihil aliud importatur quam quæ diximus ex prælaudatis Pontificibus, ſcilicet Clauſtrum, Dormitorium, ſeu Domus, & Officinæ interiores; alioquin ſi etiam intelligas hortum, quia eſt locus Monaſterii, eadem ratione debes intelligere Eccleſiam, Chorum, Sacriſtiam, Locutorium, &c. ſunt enim etiam loca Monaſterii, ſicque ea continentur intra Clauſuram, quod eſt falſum.

Inferes. Ergo etiam hortus Monialium Monaſterio contiguus & earum ambulationi & recreationi deſerviens erit extra Clauſuram reſpectu Sæcularium ingredientium, præſertim cum Nicolaus III. cap. *Exiit* de verborum ſignific. in 6. §. *Denique*, cui innititur reſolutio noſtra, loquatur de Monialibus, cum dicit: *Et nomine Monaſterii volumus Clauſtrum, Domos, & Officinas interiores intelligi*. Atqui falſum conſequens; certum eſt enim Hortum Monialium, Monaſterio contiguum, earum deambulationi ſervientem, eſſe intra Clauſuram reſpectu Sæcularium ingredientium. Ergo. R. Eſto forte poſſet admitti illatio ſiſtendo Bullæ Nicolai III. ſecus tamen attento jure poſteriori Gregorii XIII. qui Bulla *Deo ſacris*, de qua Notamine 3. Art. 1. hujus Diſſert. declarat omnia loca, ad quæ Sæcularibus patet liber aditus, eſſe extra Clauſuram reſpectu Monialium egredientium, & viciſſim omnia loca, ad quæ Monialibus liber patet acceſſus, conſequenter hortum deſervientem earum recreationi eſſe intra clauſuram reſpectu Sæcularium ingredientium. Vide Bullam loco cit.

Oppones tandem uſum communem, juxta quem hortus contiguus reputatur intra Clauſuram, ab eoque ideo arcentur fœminæ. R. 1. falſo ſupponi univerſaliter hunc uſum communem, nam Joannes De La Crux Hiſpanus dicit uſum eſſe contrarium. Et Paſſerinus refert Romæ in Conventu S. Xiſti hortum contiguum, valde amplum, intra ambitum ejuſdem muri contentum, per ſimplicem ſepem, ſeu foſſam in duas partes dividi, & unam partem locari Sæcularibus, ad quam tamen etiam accedere poſſunt Religioſi. 2. Eſto in aliquibus locis iſte uſus ſit communis; vel oritur ex opinione plurimorum, quod hortus contiguus vi legis contineatur ſub clauſura reſpectu mulierum ingredientium, quod cum, ſecundum nos, fundetur in falſa præſumptione legis, non obligat; vel oritur ex eo quod ſit magis decens & magis conveniens ad removendum periculum & occaſionem peccandi, quamvis non cenſeatur inter Clauſuram, quem uſum maxime probo & ſedulo ſervandum conſulo. Cæterum in propoſitam Sententiam eo facilius adducor, quod cum leges Clauſuræ ſint pœnales & in materia odioſa, ſint potius reſtringendæ quam extendendæ. Hæc tamen, ſalvo meliori judicio. Item nomine *Monaſterii* non intelliguntur, nec ideo legibus Clauſuræ adſtringuntur Hoſpitia, Prioratus, Vicariatus, & ſimilia loca, in quibus divinum Officium non celebrant communiter. Denique notandum uſu receptum eſſe, quod Clauſuratam Religioſorum quam Monialium non ſit obſervanda quoad ingreſſum, quando per deſtructionem muri aut parietis, vel per aliquid aliud eſt fracta. Exoticum plane nobis videtur, quod Pontas verbo *Monaſtere* Caſu 6. dicit hunc uſum ſeu conſuetudinem eſſe abuſum; quia, inquit, eſt contrarius Conſtitutionibus Canonicis; quaſi vero conſuetudo non poſſit præſcribere, & quotidie non præſcribat contra Conſtitutiones Canonicas. Id negare eſt negare principium ab utroque jure Canonico & Civili, a S. Thoma, & ab omnibus Theologis unanimiter aſſertum, atque quotidianæ experientiæ aperte contradicere. Numquid enim in omnibus regnis, maxime in Chriſtianiſſimo Galliæ Regno, vigent uſus & conſuetudines contrariæ variis Conſtitutionibus Canonicis tum Pontificum cum Conciliorum.

Dices 6. *niſi in certis caſibus*. Poſſunt enim mulieres licite, & libere ingredi Clauſtra & loca regularia Religioſorum, quando in eis Miſſa & alia divina Officia cele-

btan-

Digitized by Google

brantur ; dum Proceſſiones fiunt (conſequenter dum deferetur proceſſionaliter Viaticum ad Infirmum): quando Chriſti fidelium cadavera ibi ſepeliuntur, ac etiam pro eis ſuffragia fiunt : quando in eis verbum divinum annuntiatur: item quando eſt tantus concurſus populi, ut Eccleſiæ porta non ſufficiat ad commodum ingreſſum & egreſſum ; tunc enim licet mulieribus ingredi vel egredi per portam Clauſtri, recto tamen tramite. Hi omnes caſus continentur in laudata Bulla S. Pii V. *Decet Romanum Pontificem*.

Verum circa hæc dubitatur 1. utrum Superior poſſit inſtituere Proceſſionem eo fine, ut mulieres ingrediantur? 2. Utrum mulieres poſſint intrare ante tempus celebrationis Officii & ipſo peracto ibi manere? 3. Utrum poſſint progredi ad alia loca? R. ad 1. Superiorem id non poſſe; quia abuteretur ſua poteſtate. Ita communiter. Videtur, quod neque ipſe, neque mulieres intrantes, incurrerent Pœnas, quia non agunt contra legem ; imo quod neque mulieres peccent; quia non ad ipſas pertinet judicare de juſtitia Proceſſionis, & utuntur jure ſuo. Ad 2. cum mulieres non poſſint eſſe in dictis locis, niſi quando divina Officia celebrantur, peccant, ſi notabiliter tempus præveniant, aut eo peracto notabiliter remaneant; ſecus ſi neque anticipatio, neque mora ſit notabilis; quia res morales non conſiſtunt in indiviſibili ; ſed admittunt latitudinem moralem ad arbitrium prudentum. Ad 3. pariter peccant progrediendo ad alia loca, quia ipſis tantum conceditur ingredi loca, ubi celebrantur divina Officia.

Quantum vero ad excommunicationem exiſtimo, quod in hoc ultimo caſu, neque in præcedenti ſaltem diuturnioris moræ, non incurrant; quia videtur lata tantum in ingredientes indebite, non autem in ingreſſas debite, diutius commorantes, aut ultra progredientes. Ita Bonacin. Q. 5. de Clauſura, Puncto 4. n. 16. Id quidem negant quoad ultimum caſum Diana & Donatus ; quia, inquiunt, S. Pius V. non ſolum prohibet ingredi Januam, Clauſuram, ſed etiam Officinas interiores. At falluntur. S. Pius V. in 1. Bulla, *Regularium perſonarum* prohibet mulieribus ſub pœna Excommunicationis ſimpliciter, *ne dictas domos & Monaſteria* ingredi audeant; quæ autem ſemel ingreſſa ad ulteriore loca progreditur, non dicitur ingredi domum vel Monaſterium, ſed ipſum perluſtrare. In altera vero Bulla, *Decet Romanum Pontificem*, nihil habet de Excommunicatione.

Inſuper poſſunt mulieres ingredi in caſu veræ neceſſitatis, ut ſi deficientibus medicis mulier perita poſſet ſuccurrere Religioſo infirmanti ; aut ſi quæſita ad necem non poſſet aliter evadere quam intrando Monaſterium : Præceptum enim Eccleſiaſticum in his & ſimilibus caſibus non obligat.

Dicitur 7. *Ipſis vero Religioſis prohibitum eſt, ne illas introducere, admittereve præſumant*. Cenſentur autem introducere, admittereve, qui cooperantur ad ingreſſum, portam aperiendo, claves præbendo, jubendo, conſulendo, impellendo, imo & non impediendo, ſi ſit Prælatus, aut Janitor, qui cuſtodiam portæ habeat. Quidam cenſent, quod ingreſſas detinere ſaltem diutius confabulationibus ac deambulationibus ſit illas admittere, latius enim, inquiunt, patet admittere quam introducere. Equidem fateor, quod ſic diutius detinendo, ingreſſas admittant & peccent ; non tamen admittunt ingredientes ſicut cenſeretur admittere, qui urbane reciperet eas ad portam; & ideo exiſtimamus, quod non incurrant pœnas ; quæ videntur tantum latæ in eos, qui vel introducunt, vel ingredientes admittunt. Ita Sanchez, Portel, Merolla, Tamburinus, Pellizz apud Donatum, Tom. 3. Tract. 5. Q. 9.

Dicitur 8. *Sub pœna privationis officiorum, quæ in præſentia obtineat, & inhabilitatis in poſterum ad illa & alia omnia, & ſuſpenſionis a Divinis ipſo facto ſine alia declaratione incurrenda*. Nomine Officii communius intelligitur Officium habens Superioritatem & Juriſdictionem, ut Provincialatus & Prioratus, non autem ſimplex Officium ſine Superioritate, ut ſunt Officia Procuratoris, Lectoris, Prædicatoris, Superioris præſente Prælato. Quia ſic declaravit Sixtus V. in Conſtitutione circa illegitimo natos. Et quamvis ibi dicat : *Declaramus, hoc in re de qua agitur, appellatione dignitatum*, &c. Quaſi ſignificaret ſe loqui tantum de iſto caſu & de iſta conſtitutione a ſe edita, & non de aliis, a ſe vel ab aliis editis aut edendis ; Auctorum tamen communis extendunt ad alios caſus, & ad alias conſtitutiones.

Suſpenſio a divinis Officiis eſt ſuſpenſio ab exercitio Ordinum. Unde qui in illa ſuſpenſione exerceret ex officio actum Ordinis quem habet, etiamſi Minoris, ut cantare Epiſtolam, Evangelium, Collectas in Choro ut Hebdomadarius, celebrare Miſſam, adminiſtrare Sacramenta, cereos deferre ut Acolythus, &c. peccaret mortaliter & incurreret Irregularitatem. Dixi *qui exerceret ex officio*, quia ſine peccato & irregularitate exercere poteſt ut Laicus, a Laico exerceri poſſunt, ut cereos deferre, cantare Epiſtolam ſine veſtibus ſacris.

Joannes de la Cruz & Donatus volunt ; quod ſuſpenſi a Divinis etiam ſuſpendantur ab officiis, quæ non ſunt annexa Ordinibus, ſive intra ſive extra Eccleſiam fiant, exceptis horis Canonicis, quas privatim recitare tenentur. Unde, juxta illos, qui ſuſpenſus a Divinis pſalleret in Choro, cantaret Reſponſoria, Litanias, baptizaret, ſine ſolemnitate more Laicorum, audiret Miſſam, Sacramenta reciperet, acceptaret Electionem, &c. peccaret mortaliter, non tamen incurreret irregularitatem, quia hæc non ſunt actus Ordinis. At contra ſunt Bonac. Diſp. 3. Puncto 2. n. 15. & bene. Id enim nullibi in jure reperitur & videtur alienum a definitione ſuſpenſionis in genere : definitur enim ſuſpenſio: *Cenſura Eccleſiaſtica privans Clericum uſu poteſtatis ſeu Juris Eccleſiaſtici*. In his autem actibus nulla poteſtas aut Jus Eccleſiaſticum exercetur. Et unde quæſo habent, quod ſuſpenſus magis teneatur recitare Horas Canonicas, quam audire Sacrum in die feſto?

Petes 1. Utrum iſtæ pœnæ incurrantur ante Sententiam Judicis ? R. Excommunicationem & ſuſpenſionem, quia ſunt Cenſuræ, incurri ante Sententiam Judicis, alias autem pœnæ non incurruntur ante Sententiam Judicis, non ſolum quia inhumanum foret hominem teneri ſe ſponte prodere, ſe infamare, ſe bonis habitis privare, ſed etiam quia eſt communis praxis & communis Auctorum Sententia, nec aliter hæ & ſimiles Leges ſunt uſu receptæ. Neque obſtat quod ponatur, *abſque alia declaratione* ; id etiam ſpectat pœnam, non culpam aut factum, ita ut ſenſus ſit, abſque alia declaratione pœnæ, non tamen abſque alia declaratione facti, cui eſt annexa pœna.

Petes 2. Quis poſſit abſolvere ab iſtis Cenſuris? R. Confeſſarios Mendicantium extra Italiam vi Privilegiorum poſſe abſolvere ab Excommunicatione etſi reſervatis & a ſuſpenſione. Alias autem pœnas, ſcilicet privationis officiorum & inhabilitatis ad illa & alia, utpote non reſervata, tollere poſſunt Prælati Mendicantium : quia c. *Si Clerici* de judiciis dicitur ; quod in adulterio & minoribus delictis (qualis eſt ingreſſus prohibitus in Monaſteria) poteſt Epiſcopus diſpenſare cum Clericis, peracta pœnitentia, in pœnis etiam delictorum, quando iſtæ pœnæ non reſervantur : Prælati autem Mendicantium habent reſpectu ſuorum ſubditorum Juriſdictionem quaſi Epiſcopalem ; ſive ſunt eis æquipollenter Epiſcopi.

Petes 3. Ad quem pertineat deſignare terminos Clauſuræ? Reſpondetur communiter pertinere ad Prælatos Religioſorum; quia ſunt illorum Judices ordinarii & Paſtores. Ita Confetelus, Suarez, Naldus, Lezana, quos citat & ſequitur Donatus Tom. 1. p. 2. Tract. 2. q. 3. Id tamen intelligendum eſt, ſalvis Legibus Canonicis Clauſuræ. Unde Prælatus non poteſt ponere extra Clauſuram Clauſtrum integrum, Dormitorium, & Officinas interiores ; quia hæc de jure continentur intra Clauſuram : ſed poſſet, meo ſaltem judicio, ponere extra Clauſuram quædam alia loca, ad quæ pertinet aditus per proprias portas, ſine tranſitu per Clauſtrum, Dormitorium, aut Officinas interiores, ut ſunt v. g. area ruſtica ſeu chors, pars horti, etiam in eorum Sententia, quia tenent hortum eſſe in Clauſura, ut patet ex Paſſerino ſupra laudato : item quædam officinæ hoc ſenſu exteriores, quod a via publica immediate ſit aditus, propter quædam opera fœminis propria, & quæ a viris commode fieri non poſſunt ; ſicque videmus eſſe in uſu in pluribus locis.

Petes 4. Utrum ſepes poſſint eſſe termini & limites Clauſuræ? R. ſub diſtinctione. Reſpective ad egreſſum Religioſorum e Clauſura ſepes poſſunt eſſe termini & limites Clauſuræ, ita ut totum quod intra ſive muros, ſive ſepes, ſive circumferentiam continuam Conventus continetur, cenſeatur reſpective ad egreſſum Religioſorum eſſe intra Clauſuram ; quia totum eſt veluti ſub oculis Superioris, qui ad omnem locum facile poteſt accedere, neque extra ejus poteſtatem ponitur, qui eſt intra ſepta Conventus. Imo addit Paſſerinus, quod ad virorum clauſuram reſpectu egreſſus ſufficiat, quod quomodocumque ſit a Superiore deſignata, etiam ſine muro aut ſepe ; quia linea a Superiore deſcripta ſufficit, ut in virtute Obedientiæ contineat Religioſos, ne illam tranſgrediantur ſine licentia. At vero reſpective ad ingreſſum mulierum in Monaſteria Religioſorum & virorum, ac mulierum in Monaſteria Monialium, videtur non ſufficere ſepes, ſed requiri muros aut parietes ad clauſuram : ita tenet Donatus. Et ratio eſt, quia in Concilio Aquiſgrano ſub Ludovico I. Imperatore ſtatutum eſt, ut *Clauſtra ... firmis undique circumdent munitionibus, ut nulli omnino intrandi aut exeundi, niſi per portam, pateat aditus* ; ad quod ordinarie non ſufficiunt ſepes, quas facile eſt plerumque, vel frangere, vel aperire, vel tranſilire ; atque hic videtur ſenſus communis. Non enim puto mulieres, quæ locum Monaſterii ſepibus tantum clauſum intrant, cenſent clauſuram violaſſe.

ARTICULUS III.

De clauſura Monialium quoad Egreſſum.

DIco. Nemini Sanctimonialium licet poſt Profeſſionem exire e Monaſterio, etiam ad breve tempus, quocumque prætextu, niſi ex aliqua cauſa legitima ab Epiſcopo approbanda, indultis quibuſcumque & privilegiis non obſtantibus. Ita in terminis Concil. Trid. Seſſ. 25. De Regular. c. 5. Illas egredientes, ſeu licentiam exeundi quomodocumque concedentes, necnon comitantes, ac illarum receptrices perſonæ, ſive Laicæ aut Sæculares vel Eccleſiaſticæ, conſanguineæ vel non, Excommunicationis majoris latæ ſententiæ vinculo eo ipſo abſque alia declaratione ſubjacent, a quo præterquam a Romano Pontifice, niſi in mortis articulo abſolvi nequeant. Ita S. Pius V. Bulla *Decori & honeſtati* data 1570.

Explicatur. Dicitur 1. *Nemini Sanctimonialium*: Intellige Sanctimoniales præſentes atque futuras cujuſcumque Religionis & Ordinis, tacite vel expreſſe Religionem profeſſas, etiamſi converſas, aut quocumque alio nomine appellentur, etſi ex inſtitutis vel fundationibus earum Regulæ ad clauſuram non teneantur, & nunquam in earum Monaſteriis clauſura ſervata fuerit. Ita in terminis S. Pius V. Bulla *Circa Paſtoralis* data an. 1566.

Intellige etiam Tertiarias, quæ collegialiter vivunt & emittunt vota ſolemnia, quia tunc ſunt veræ Religioſæ. Quæ autem emittunt tantum vota ſimplicia, hortandæ ſunt, ut emittant ſolemnia, & ſic clauſuræ ſubjiciantur. Quæ renuunt remittendæ ſunt, & nulla in poſterum recipiatur, niſi emittat vota ſolemnia, alias nulla ſit profeſſio. Ex eodem S. Pio V. Bulla cit.

Dicitur 2. *exire e Monaſterio*. Nomine Monaſterii Monialium tam quoad egreſſum Monialium quam quoad ingreſſum Sæcularium, intelligitur illud ſpatium muro circumſeptum, quod intra januam, quæ ſolet eſſe ſemper clauſa, continetur; ita ut ubicumque eſſe poſſunt Moniales, illuc ingredi non poſſint Sæculares; & e converſo quocumque ingredi poſſunt Sæculares, illuc accedere non poſſint Moniales, ut explicuimus cum Gregorio XIII. a. t. hujus Diſſ. Not. 3. Vide. Et talis egreſſus vel ingreſſus, ſi ſit completus, ita ut totum corpus egredientis ſit extra clauſuram, aut totum corpus ingredientis ſit intra clauſuram, juxta communem Sententiam non admittit levitatem materiæ. 1. Quia cum clauſura certis terminis definiatur, tam illos excedit, qui ad unum aut alterum paſſum egreditur vel ingreditur, quam qui longius progreditur. 2. Quia reſpective ad Moniales, videtur æquale inconveniens in diſtantia unius aut alterius paſſus; ac in majori diſtantia. Dixi, *reſpective ad Moniales*; quia ſcio quoſdam non apprehendere tantum inconveniens in clauſura virorum, dum introitus ſit per portam clauſtri; ideoque cenſent eſſe levitatem materiæ excuſantem a peccato & cenſuris, ſi mulier per portam clauſtri ingrediatur Eccleſiam, ubi porta clauſtri & porta Eccleſiæ non niſi paucis paſſibus diſtant. Ita P. Henno.

Verum dato eſſe minus inconveniens, ſubſiſtit tamen 1. ratio, quæ videtur æque militare pro Clauſura Religioſorum ac pro Clauſura Monialium; niſi forte dicas Clauſuram Religioſorum eſſe minus ſtrictam Clauſura Monialium, & terminos Clauſuræ Religioſorum non eſſe ita fixe definitos, ſicut terminos Clauſuræ Monialium, cum illos & non iſtos poſſint Prælati extendere aut reſtringere, imo & ponere partem Clauſtri extra Clauſuram. An hæc ſufficiant ſolvendæ i. rationi? affirmare non auſim; videant oculatiores.

Dicitur 3. Niſi ex cauſa legitima. Cauſas legitimas aſſignavit & reſtrinxit S. Pius V. Bulla *Decori & honeſtati*, *ad tres*, dicens: *Niſi ex cauſa magni incendii, vel infirmitatis Lepræ & Epidemiæ*. Sub nomine autem Lepræ & Epidemiæ intelligitur omnis morbus contagioſus. Item non obſtante dictione taxativa *Niſi*, Auctores communiter extendunt ad omnes alios caſus ſimiles, in quibus eadem vel urgentior ratio militat, & ſic uſu receptum eſt. Hinc inferunt Moniales poſſe exire cum licentia Superioris. 1. Propter ingruens bellum. 2. Propter ingentem alluvionem ruinam Monaſterii minantem. 3. Si Monialis deputetur ad reformandum vel fundandum Monaſterium, vel ut ſit Abbatiſſa, Magiſtra Novitiarum, &c. in alio Monaſterio, in quo ad hæc munera non habentur idoneæ. 4. Si Abbatiſſa vel Prioriſſa teneatur propter feudum præſtare juramentum Domino ſæculari, quod præſtare non poſſit per Procuratorem. 5. Si velit tranſire ad aliam perfectiorem Religionem vel perfectiorem Conventum. 6. Si Conventus neceſſitas exigat, ut converſæ exeant ad petendas eleemoſynas. Quia in his omnibus caſibus & ſimilibus agitur de bono communi, & ut dixi, ita uſu receptum eſt. Quæ autem exeunt propter aliquam ex his cauſis, ea ceſſante debent ſtatim moraliter redire ad Monaſterium. Ita decernunt jura cap. *Periculoſo* de ſtatu regulari in 6. & Bulla *Decori & honeſtati* S. Pii V.

Gravior difficultas eſt, utrum poſſit concedi licentia Moniali exeundi e Monaſterio ob morbum non contagioſum, ſed ex quo ipſi imminet periculum vitæ, aut diuturnæ infirmitatis, ſi in Monaſterio curari non poſſit? R. plures affirmant. 1. Quia lex humana non obligat cum tanto detrimento, niſi ubi honor Dei, vel Religionis, vel magna boni communis neceſſitas interveniat, quorum nullum hic reperitur. Imo nec votum perpetuæ clauſuræ, quod quædam emittunt, non fit ab eis ſub iſto rigore, nec habetur in earum Regula, ſicut habetur in Regula Carthuſianorum, potius eſſe moriendum quam manducare carnes. 2. Quia ſi Monialis ab alieno invaderetur, nec poſſet aliter periculum evadere, quam exeundo, poteſt exire juxta communem Doctorum Sententiam, Ergo pariter in noſtro caſu, cum par ſit ratio. 3. Denique quia licet Pius V. excipiendo tres præfatos caſus intenderit ſolum providere communi incolumitati Monialium, non eſt tamen cenſendus voluiſſe excludere ab exceptione caſum, in quo violaretur jus naturale, quod quiſque habet ad tuendam propriam vitam; ſic ſecundum communem Sententiam non excluſit, ut modo dicebam caſum, quo Monialis ab aliquo invaderetur, nec poſſet aliter evadere quam exeundo.

Cæterum dato id a jure eſſe prohibitum, videtur illi quoad hoc eſſe derogatum ſaltem in his partibus, in quibus videmus paſſim Moniales cum licentia Superiorum exire e Monaſteriis ob infirmitates ſibi ſolis nocivas. Nec inde ſequitur inconveniens, quod extollunt Adverſarii, ſcilicet inde laxandam omnino Clauſuram.

Dicitur 4. *Niſi ex cauſa legitima ab Epiſcopo approbanda*. Approbationem Epiſcopi requiri pro Monialibus ſibi ſubjectis eſt extra dubium; ex textu Trid. cit. in Concluſione. Requiri autem etiam pro Monialibus ab Epiſcopi juriſdictione exemptis & ſolis Regularibus ſubjectis, certum pariter videtur ſtando Bullæ S. Pii V. *Decori & honeſtati*, in qua præcipitur licentiam egrediendi pro Monialibus Regularibus ſubjectis dandam eſſe e Superioribus Ordinis & ab Epiſcopo.

Dixi, ſtando Bullæ Pii V. quia juxta Bonacinam & plures alios, quos citat, hæc Bulla non eſt ubique recepta, & Jo. de La Cruz Hiſpanus teſtatur hanc Bullam in Hiſpania pro hac parte eſſe abrogatam; & Moniales cum ſola licentia ſuorum Superiorum exire.

Secunda pars Concluſionis ex ſe patet. Quantum ad abſolutionem ab Excommunicatione, e quo ſit danda, dixi prius, dum de Clauſura Religioſorum quoad ingreſſum.

ARTICULUS IV.

De Clauſura Monialium quoad Ingreſſum.

DIco. Ingredi intra ſepta Monaſterii Monialium nemini licet, cujuſcumque generis aut conditionis, ſexus vel ætatis fuerint, ſine Epiſcopi vel Superioris licentia in Scriptis obtenta; ſub Excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda. Dare autem tantum Epiſcopus vel Superior licentiam debet in caſibus neceſſariis, nequa alius ullo modo poſſet, etiam vigore cujuſcumque facultatis vel indulti hactenus conceſſi vel concedendi. Ita in terminis Concil. Trid. Seſſ. 25. de Regul. c. 5.

Gregorius XIII. Bulla *Ubi gratiæ*, & Paulus V. Bulla *Monialium* idem prohibent ſub Excommunicationis pœna reſervata Papæ iis, qui ſub prætextu alicujus indulti dicta Monaſteria ingredi *audent*: Abbatiſſis vero, necnon Abbatibus, Conventibus & aliis Monaſteriorum utriuſque ſexus perſonis ſub eadem & privationis ſuorum Officiorum, quæ quæ obtinent, & inhabilitatis ad illa & alia in poſterum obtinenda, ipſo facto ſine alia declaratione incurrendis pœnis ingredi faciant aut permittant, inquit Gregorius, introducere ſeu admittere, vel admiſſum quoquo modo retinere audeant ſeu præſumant, inquit Paulus V. Imo idem Gregorius ibid. ſub iiſdem pœnis ipſo facto incurrendis prohibet generaliter quibuſvis perſonis, ne prætextu licentiarum ab Epiſcopis, vel a Superioribus, Monaſteria ipſa Monialium, niſi in caſibus neceſſariis ingredi, neve Moniales ſub iiſdem pœnis illas aliter admittere præſumant.

Explicatur. Dicitur 1. *Ingredi intra ſepta Monaſterii Monialium*. Quid nomine Monaſterii Monialium intelligatur, dixi Art. præcedenti. Dicitur 2. *Nemini licet cujuſcumque generis aut conditionis, ſexus, vel ætatis*. Intellige ſub iiſdem exceptionibus, quas Art. 2. appoſuimus ingreſſui mulierum in Monaſterium Religioſorum. Dicitur 3. *Sine Epiſcopi, vel Superioris licentia*: Epiſcopi reſpectu Monialium ſibi ſubjectarum, & Superioris Regularis reſpectu Monialium a juriſdictione Epiſcopi exemptarum. Ita communiſſima Sententia contra Donatum, qui ex quibuſdam declarationibus S. Congregationis contendit ultra licentiam Superioris regularis requiri licentiam Epiſcopi. Verum iſtæ declarationes vel non ſunt authenticæ,

vel

Digitized by Google

vel non ſunt receptæ, aut ſaltem uſu communi contrario ſunt abrogatæ.

Per Epiſcopum intelligitur etiam Vicarius ejus Generalis & Capitulum, Sede vacante. Per Superiorem Regularem intelligitur Generalis, Provincialis, Prælatus Localis, ut Abbas, Prior, Guardianus, &c. qui ſit Monaſterii Superior; non autem Abbatiſſa, ſeu Prioriſſa, niſi Prælatus ſuperior ipſis hanc facultatem delegaverit: quia illius eſt ſolvere, cujus eſt ligare; ad ſolos autem Prælatos pertinet ligare ſeu addicere Moniales Clauſuræ, non vero Abbatiſſæ aut Prioriſſæ, quippe quæ ipſæmet ligantur & addicuntur.

Dicitur 4. *Licentia in Scriptis obtenta*. Communius cenſent Auctores licentiam in Scriptis non requiri in caſibus ordinariis, puta quoad Medicos, Chirurgos, opifices, & ſimiles, quorum opera paſſim indigent Moniales; ſed pro his Abbatiſſam ſeu Prioriſſam poſſe oretenus dare licentiam, ſive ex commiſſione Superioris, ſive ex præſumpta ejus voluntate; & talis eſt uſus. Quoad caſus vero extraordinarios, Navarrus, Homobonus, Diana, Bellocbius, Pelliz citati a Donato, cenſent ex Innocentio, Abbate & Felino, dictum Concilii Trid. de Licentia ſcriptis obtenta intelligendum eſſe pro foro fori, non pro foro conſcientiæ, quia in interiori foro animæ, in quo attenditur veritas, ſufficit, quod interveniat conſenſus jure naturali requiſitus, qualis eſt, qui etiam oretenus conceditur; puto ſic eſſe in uſu, ſaltem in his partibus. Urbanus VIII. Bulla *Sacro-Sanctum* exigit inſuper conſenſum Monialium capitulariter datum per vota ſecreta; ſed neque id eſt in uſu.

Dicitur 5. *Sub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda*. Non reſervatur, niſi ingreſſus fiat ad malum finem. Dicitur 6. Dare autem tantum Epiſcopus vel Superior licentiam debet in caſibus neceſſariis. Intellige neceſſitatem non phyſicam & ſtrictam, ſed moralem, ut in aliis præceptis Eccleſiæ, a quorum obſervatione excuſat neceſſitas moralis. Itaque poſſunt ingredi Medici, Chirurgi, Opifices neceſſarii, Superior pro viſitando Monaſterio, Confeſſarius pro adminiſtratione Sacramentorum infirmis, & hic toties quoties exigit devotio vel diſpoſitio infirmæ. Denique generaliter omnes, qui requiruntur ad debitam Monaſterii conſervationem, ſeu adminiſtrationem ſive temporalem ſive ſpiritualem.

Hæc autem neceſſitas moralis admittit latitudinem, minor enim cauſa requiritur pro concedenda licentia fœminis quam viris, minor pro matre aut ſorore quam pro extraneis, minor ad ingredienda loca viciniora portæ Clauſuræ, quam interiores Officinas.

Inſuper, juxta Bonifacium VIII. cap. *Periculoſo*, quod innovat & confirmat Trid. requiritur, quod cauſa ſit manifeſta, hoc eſt quod non ſit obſcura & dubia, nemo enim licite operatur cum conſcientia dubia; ſufficit tamen, quod probabilius reputetur juſta, alioquin daretur locus infinitis ſcrupulis, & aliunde licet agere ſecundum probabiliorem Sententiam.

Quantum ad ingredientes ſub prætextu alicujus indulti, & permittentes eorum ingreſſum: item de ingredientibus ſub prætextu licentiarum ab Epiſcopis vel Superioribus, in caſibus non neceſſariis, ſufficienter explicatur in 2. parte Concluſionis.

Obſervatio neceſſaria ad totam Diſſertationem.

CUM omnia fere, quæ hucuſque diximus de Clauſura Religioſorum & Monialium, ſint juris poſitivi humani, poteſt illi derogari per contrarium uſum; ita ut, juxta Donatum, Suarem, & alios, Clauſura poſſit per uſum contrarium abrogari in una Provincia & non in alia, & intra eandem Provinciam in una Religione & non in alia, imo in uno Monaſterio ejuſdem Religionis & non in alio. Debet ergo unuſquiſque attendere ad legitimum uſum ſuæ Provinciæ, vel Religionis, vel Conventus: videmus namque in variis locis, Conſtitutionibus Apoſtolicis eſſe derogatum, ſive quoad ingreſſum in Monaſteriis Religioſorum & Monialium, ſive quoad iſtarum egreſſum.

DISSERTATIO III.

DE IIS, QUÆ COMPETUNT RELIGIOSIS NEC NON DE RELIGIONUM DISTINCTIONE.

Div. Thom. QQ. 187. & 188.

ARTICULUS I.

De his quæ competant Religioſis.

POSTQUAM S. Th. tractavit de ſtatu Religionis & de votis, votorumque obligatione, in quibus principaliter conſiſtit Religio, agit de actionibus, quæ Religioſis competere poſſunt. Huic quæſtioni locum dederunt tempore S. Ludovici Francorum Regis quidam Magiſtri Pariſienſes, quorum præcipuus erat Guillelmus de ſancto Amore, qui in naſcentes Ordines Mendicantium, Fratrum Prædicatorum & Fratrum Minorum inſurgentes contendebant eorum ſtatum eſſe damnabilem, & iis non licere docere, prædicare, Sacramenta adminiſtrare, & ſimilia, neque etiam mendicare, ſed teneri manibus laborare; eaque de re librum edidit præfatus Guillelmus, cui Titulus: *Tractatus brevis de periculis noviſſimorum temporum*. Contra quem ſcripſit S. Th. Opuſculum, inter alia, decimum nonum, quod inſcripſit: *Contra impugnantes Dei cultum & Religionem*; & hanc præſentem Quæſtionem 187. in Summa.

Librum Guillelmi ab Alexandro IV. fuiſſe damnatum refert ex Ptolomæo Lucenſi Odoricus Raynaldus ad an. 1256. num. 20. Et addit nu. 24. quod unus ex iſtis Magiſtris Pariſienſibus *Chriſtianus* nomine, morti proximus *amariſſimo corde contritus, recognovit nihil ſe & complices ſuos contra dictos Ordines habuiſſe, niſi quod illis æquari in ſcientia non valerent, & ob hoc eos parvipenderent Auditores*. Et ſubjunxit: *Quoniam nihil habeo, quod vobis pro injuria gravi illata refundam, in ſignum tamen, quod ex corde pœniteo, corpus meum apud vos Fratres Prædicatores tradendum Sepulturæ relinquo.*

Verum quia iſte error Magiſtrorum Pariſienſium cum ipſis eſt extinctus, totam hanc quæſtionem hoc uno Articulo breviter perſtringam. Unde

Dico 1. (*Hic q. 187. a. 1. o.*) Religioſi vi ſtatus non prohibentur docere, prædicare, Sacramenta Euchariſtiæ & Pœnitentiæ adminiſtrare, aliaſque functiones Eccleſiaſticas exercere: quia vi ſtatus, qui eſt ſtatus perfectionis, non ſiunt ad hæc inepti, ſed e contra magis idonei, neque habent in Regula præceptum iſta prohibens. Ergo. Sed neque (*Ib.*) etiam vi ſtatus præciſe poſſunt licite iſtas functiones exercere, quia vi ſtatus non habent poteſtatem & juriſdictionem ad illas. Ex (*Ib.*) quibus ſequitur, quod licite eas exercere poſſunt, ſi ipſis a Superioribus, quibus ex officio competunt, committantur. Ex variis autem Privilegiis Sum. Pontificum eis commiſſum eſt docere, prædicare, Sacramenta Euchariſtiæ & Pœnitentiæ adminiſtrare, mediante tamen quoad hoc ultimum approbatione Epiſcopi.

Dico 2. (*Ib. a. 2. o.*) Non licet Religioſis & Clericis gerere negotia ſæcularia, ſive judicialia, ſive extrajudicialia, ex cupiditate, vanitate, aut alio motivo profano; quia per hæc impedirentur a divinis contemplationibus & exercitiis ſpiritualibus, ad quæ tenentur vi ſtatus. Et hoc ſenſu intelligitur illud Apoſtoli 2. Tim. 2. *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus.*

Licet autem (*Ib.*) cum debita moderatione ſecundum licentiam Superioris, ex charitate, juxta illud Galat. 6. *Alter alterius onera portate & ſic adimplebitis legem Chriſti*. Quia & in hoc ipſo, quod proximis ſerviunt propter Deum, obſequuntur dilectioni divinæ, in qua ſita eſt perfectio Religioſa. Unde Jacobi 1. dicitur: *Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem hæc eſt, viſitare pupillos & viduas in tribulatione eorum*, id eſt ſuccurrere eis, qui carent præſidio in tempore neceſſitatis. Inſuper utraque pars Concluſionis habetur d. 86. cap. *Pervenit*, ex Concilio Chalced.

Dixi: *cum debita moderatione*; quia ſunt quædam negotia ſæcularia, quæ omnino dedecent ſtatum Religioſum quæ ideo per ſe exercere non debet Religioſus, ſed per alios, dirigendo, inſtruendo, alloquendo, &c.

Dico 3. (*Ib. a. 4. o.*) Religioſi per ſe & ſecluſo præcepto ſuæ Regulæ, ſi quod ſit, non magis tenentur laborare manibus, quam Sæculares.

Prob. (*Ib.*) Labor manuum eſt neceſſarius vel ad victum quærendum, vel ad otium vitandum, vel ad carnem macerandam, vel ad eleemoſynam faciendam in urgente neceſſitate pauperum. Atqui Religioſi, non ſecus ac Sæculares poſſunt aliunde, quam ex labore manuum habere unde vivant, puta ex poſſeſſione bonorum in communi, vel ex eleemoſynis & beneficiis fidelium comparatis propter obſequia ſpiritualia ipſis præſtita, docendo, concionando, Sacramenta miniſtrando, orando, &c. Otium vitare poſ-

ſunt & carnem macerare ſicut Sæculares per aliud, quam per laborem manuum, nempe per jejunia, Vigilias, Orationes, & alia Exercitia ſpiritualia. Tandem neceſſitas laborandi ad dandam eleemoſynam non urget niſi in pauperum neceſſitate, cui non poſſit aliter ſuccurri, quo caſu non magis obligantur Religioſi operari manibus, quam Sæculares; Religioſi enim non obligantur ad alia, quam Sæculares, niſi ad ea vi ſuæ Regulæ obligentur. Ergo.

Dixi: *Secluſo præcepto Regulæ, ſi quod ſit*. Fuit autem hujuſmodi præceptum in variis Regulis, ut S. Benedicti c. 48. S. Macharii c. 10. & 11. S. Baſilii Reg. 37. 38. 39. 40. & 42. & in aliis pluribus. De qua re etiam ſcripſerunt S. S. Aug. *De opere Monachorum*. S. Hieronymus Ep. ad Ruſticum, Caſſianus l. 2. Inſtitutionum c. 3. & 5. l. 10. fare per totum, & Collat. c. 11. & 12.

Obſervandum eſt, quod cum manus ſit organum organorum, per laborem manuum intelligantur omnia opera corporalia, ex quibus homines victum lucrantur, ſive exerceantur manibus, ut ars ſartoria, ſutoria, & aliæ artes fabriles, ſive pedibus, ut curſores; ſive oculis ut cuſtodes & excubitores; ſive etiam lingua, in ordine ad effectum corporeum, ut Architectus lingua dirigens artifices & arte ſactum.

Pro Solutione Argumentorum notandum eſt, tempore Aug. extitiſſe quoſdam Monachos, qui dixerunt Religioſos non ſolum non teneri, ſed nec licite poſſe operari manibus ſine detrimento perfectionis: unde contendebant laborem manuum etiam pro ſuſtentanda vita eſſe Monachis illicitum, & ab eo abſtinebant ſub prætextu operum ſpiritualium, Orationis, Lectionis, inſtructionis privatæ, &c. addentes illud Criſti, Matth. 6. *Ne ſolliciti ſitis, quid manducetis*. Contra quos inſurrexit Aug. lib. *de opere Monachorum*, & quos damnavit Conc. IV. Carthag. cui etiam interfuit & ſubſcripſit Aug.

Alii e contra, ſcilicet quidam Magiſtri Pariſienſes, de quibus ſupra, ut Religioſos mendicantes a ſtudio Sacræ Doctrinæ, prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione, &c. amoverent, dixerunt Religioſos teneri laborare manibus, quos, ut dixi, impugnat S. Th. Opuſc. 19. & præſenti articulo, apud quem utroque loco vide ſi lubet Argumenta.

Dico 4. (*Ibid.*) *a*. 4. *c*.) Licitum eſt Religioſis vivere ex eleemoſynis, ſive ſint parvæ & quotidianæ, ſive conſiſtant in perpetuis redditibus; quia licet unicuique vivere de eo quod ſuum eſt. Atqui eleemoſynæ, ex quibus vivunt Religioſi, ſunt ſuæ, ſaltem quantum ad uſum, utpote ipſis donatæ, vel mera liberalitate, vel ex aliquo debito ratione Miniſterii ſpiritualis. Ergo,

Dico 5. (*Ibid. a.* 5. *c.*) Religioſis non ſecus ac Sæcularibus licitum eſt mendicare cauſa humilitatis, neceſſitatis, & utilitatis, non cauſa acquirendi divitias aut victum otioſa. Prob. & explicabitur: (*Ib.*) *Cauſa humilitatis*: eſt enim laudabile virtutem colere; mendicatio autem, quæ habet adjunctam abjectionem, eſt efficax remedium contra ſuperbiam. Ergo laudabile eſt, abdicatis divitiis propter Chriſtum, mendicare cauſa humilitatis.

Atque hoc modo mendicavit Chriſtus (*Ibid. in arg. ſ. c.*) quando Luc. 2. abfuit a Parentibus per triduum, quando Joan. 4. dixit Mulieri Samaritanæ, *da mihi bibere*; quando Luc. 19. petiit aſellum, quo ingrederetur Jeroſolymam; & Luc. 22. quando petiit locum ubi celebraret Paſcha. Unde illud Pſ. 39. *Ego autem ſum mendicus & pauper*; ubi dicit Gloſſa; *Hoc dicit Chriſtus de ſe ex forma ſervi*. Sic etiam mendicaverunt Apoſtoli & Apoſtolici viri; ſic plures Sancti, S. Fabiola apud Hieron. B. Arſenius in vitis Patrum, S. Alexius toti orbi notus.

Cauſa neceſſitatis, (*Ib. a.*) ut cum quis non poteſt habere unde vivat niſi mendicando. *Cauſa utilitatis*, ut cum quis intendit aliquid facere, quod ſine eleemoſynis fidelium facere non poteſt, ut dum agitur de conſtructione Pontis aut Eccleſiæ, vel quibuſvis aliis operibus, quæ vergunt in utilitatem communem,

Non cauſa acquirendi divitias, vel victum otioſe. 1. Quia mendicitas non eſt medium ordinatum ad diteſcendum, ſed ad ſublevandam miſeriam, & otium eſt Reipublicæ perniciosum. 2. Quia qui dant eleemoſynam, non intendunt fovere otium, vel favere cupiditati diteſcendi. Adde, quod talis mendicitas jure civili prohibeatur cod. de mendicis lib. 11.

Petes utrum dives poſſit in ſpiritu humilitatis, & pœnitentiæ, ſive ſponte, ſive ex injunctione Eccleſiæ, ſuſcipere peregrinationem mendicando? R. affirmative; quia cum mendicare etiam ad tempus ſit valde abjectum & aſperum, eſt medium aptum ad humilitatem & pœnitentiam. Nec obſtat, quod ſit dives; quia cum extra domum ſine pecuniis, & ſine commeatu peregrinetur, pro tunc eſt pauper & vere indiget.

Dico 6. (*Ib. a.* 6. *c.*) Religioſi non ſolum licite, ſed etiam laudabiliter, utentur vilibus veſtibus; quia vilitas veſtium conducit ad humilitatem, eſtque ſignum pœnitentiæ & contemptus mundi: ſtatus autem Religionis eſt ſtatus humilitatis, pœnitentiæ, & contemptus mundanæ gloriæ. Secus dicendum, ſi vilitas veſtium procederet vel ex inani gloria, vel avaritia, vel ex negligentia. Confer, quæ dixi de Temperantia Diſſert. 7. a. 4. §. 5.

ARTICULUS II.

De Religionis diſtinctione.

§. I. *Utrum ſit una tantum Religio, an plures?*

Dico. (*Q.* 188. *a.* 1 *c. & ad* 1. *&* 2.) Si ſpectetur finis remotus principalis omnium Religionum & exercitia ſeu media principalia ad hunc conſequendum, eſt unica Religio; quia finis remotus & principalis eſt unus in omnibus, ſcilicet perfectio charitatis, & eadem in omnibus media principalia ad hunc finem conſequendum, ſcilicet tria vota eſſentialia. Si vero ſpectentur fines proximi & diverſa media ad hos fines, ſunt, ut patet, diverſæ Religiones. Atque id fuit conveniens ad decorem & utilitatem Eccleſiæ, majuſque Dei obſequium.

Ad decorem Eccleſiæ; (*Ibid. in arg. ſ. c.*) quia Eccleſia tamquam Regina tot Religionum circumdata varietate, nunc decoratur Pſ. 44. *Ad utilitatem Eccleſiæ*; quia attentis diverſis hominum temperamentis, inclinationibus, & moribus, non conveniret una omnibus Religio: alii enim ſolitudinem amant, alii vitam ſocialem, his placet vita activa, illis contemplativa; hi in hoc exercitio delectabilius operantur; iſti in otio: ut ergo omnium ſaluti conſulatur, juvat Religionum varietas, ut cui minus placet vita ſolitaria, eligat ſocialem; cui minus contemplativa, eligat activam; cui minus rigidiores obſervantiæ, eligat faciliores, & ſic de cæteris. *Ad majus Dei obſequium*; quia omnibus charitatis obſequiis non ſufficit una Religio; non enim qui militat, poteſt in Xenodochio curam infirmorum habere, & qui Xenodochio deſervit, non poteſt prædicationi vacare, & ſic de cæteris.

Antiquiſſima autem eſt in Eccleſia iſta Religionum varietas; nam S. Hieronymus Ep. ad Euſtochium de virginitate, S. Aug. lib. *de moribus Eccleſiæ* c. 31. Caſſianus collat. 18. plurium generum Monachorum, Anachoretarum, & Cœnobitarum mentionem faciunt. Idem Caſſianus collat. 14. c. 4. refert ex Religioſis ſui temporis aliquos vacare contemplationi, alios curando Xenodochio, alios alendis pauperibus, alios inſtruendis imperitis.

§. II. *Ad quid poteſt inſtitui Religio.*

Dico 1. (*Ibid. a.* 2. *c.*) Potuit inſtitui Religio aliqua ad corporalia opera vitæ activæ, ut ad ſuſcipiendos peregrinos, redimendos captivos, curandos aut viſitandos infirmos, ſepeliendos mortuos, & ad alia quæcumque charitatis & miſericordiæ opera; quia Status Religionis ordinantur ad perfectionem charitatis; charitas autem ſe extendit ad dilectionem Dei & proximi; unde ſicut ex charitate diligitur proximus propter Deum, ita etiam obſequium delatum in proximos redundat in Deum, ſecundum illud Matth. 25. *Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*.

Hinc ſequitur 1. (*Ib. a.* 3. *c.*) potuiſſe inſtitui Religionem ad militandum, non quidem propter aliquid mundanum, ſed propter defenſionem ſive fidei & Religionis, ſive Reipublicæ, ſive pauperum & oppreſſorum; hæc enim ſunt opera vitæ activæ ſubventionem proximorum ſpectantia. Si dicas defenſionem Reipublicæ & oppreſſorum eſſe quid mundanum ipſis etiam Paganis commune. R. defenſionem Reipublicæ & oppreſſorum, materialiter & ſecundum ſe conſideratam eſſe quidem quid mundanum; ſecus autem aſſumptam in obſequium Dei & exercitium charitatis aut alterius virtutis. Ex fine ergo diſtinguuntur militia mundana & religioſa; quia illa habet pro fine aliquid temporale ibi ſiſtendo, iſta autem habet pro fine Dei obſequium, & ſic poteſt eſſe finis, ad quem Religio militaris inſtituatur.

Sequitur 2. & a fortiori (*Ib. a.* 4. *c.*) poſſe inſtitui Religionem ad prædicandum & Confeſſiones excipiendas; quia per hujuſmodi officia ſpiritualia magis procuratur utilitas proximorum & Dei obſequium, quam per opera ad ſubventionem corporalem proximorum ordinata, ad quæ diximus poſſe Religionem inſtitui. Sic tamen intellige iſtud Conſectarium, non quaſi quilibet, hoc ipſo quo talem Religionem eſt profeſſus, poſſit propria auctoritate prædicare, & Confeſſiones excipere, ſed ſolum ſi iſta munia ab Epiſcopo, vel a Sum. Pontifice illi committantur.

Dico 2. (*Ib. a.* 5. *a. & ad* 3.) Congrue poteſt inſtitui Religio ad ſtudium ſacræ Doctrinæ & conſequenter earum Doctrinarum, ſine quibus ſacra Doctrina haberi non poteſt.

Prob. Et 1. ſi ſit Religio ordinata ad docendum, prædicandum, & adminiſtrandum Sacramenta, patet, ad hæc requi-

requiri ſtudium ſacræ Doctrinæ. 2. Si ſit Religio ordinata ad vitam contemplativam, opus eſt etiam ſacra Doctrina, qua illuſtretur intellectus & dirigatur in conſideratione divinorum, removeanturque pericula contemplationis, ſcilicet errores, qui in contemplatione divinorum frequenter accidunt his, qui Scripturas ignorant, ſicut in collationibus Patrum collat. 10. c. 4. legitur Abbatem Serapionem propter ſimplicitatem incidiſſe in errorem Anthropomorphitarum, qui Deum habere formam humanam arbitrantur. Adde, quod in quacumque Religione etiam contemplativa oportet eſſe aliquos, qui conſcientias dirigant, Sacramenta adminiſtrent, ignorantes doceant, & in via ſalutis deducant. 3. Denique omni Religioni, ſive contemplativæ, ſive activæ utile eſt ſtudium ſacræ Doctrinæ ad obſervantiam trium votorum eſſentialium; nam ſtudium concupiſcentiam carnis domat, juxta illud Hieronymi; *Ama ſcientiam Scripturarum, & carnis vitia non amabis*; amorem divitiarum frænat; qui enim ſtudio ſacræ Doctrinæ animum adjicit, nequidem cogitare de divitiis vacat, tandem promptam obedientiam reddit propter plurima exempla, documenta, & præmia obedientiæ, quæ in ſacris Litteris inveniuntur.

§. III. *Quæ ſit Religio excellentior?*

NOta (*Ib. a. 6.*) excellentiam unius Religionis ſupra aliam primario & principaliter attendi ſecundum Religionis finem; ſecundario autem & minus principaliter ſecundum exercitia ſeu media ad illum finem; quia finis eſt id, quod propter ſe appetitur, media propter finem.

Dico. (*Ib.*) Inter Religiones ſupremum gradum tenent mixtæ, quæ ſic contemplationi vacant, ut ex plenitudine contemplationis contemplata fidelibus communicant per Doctrinam, prædicationem, & alia officia ſpiritualia; quia ſicut magis eſt illuminare, quàm lucere ſolum; ſic magis eſt contemplata aliis ex charitate tradere, quam contemplari tantum; excellentia autem unius Religionis ſuper aliam attenditur primario & principaliter, ut dictum eſt, ex potiori fine. Adde, quod hoc fuerit officium Chriſti & Apoſtolorum. Secundum gradum (*Ib.*) tenent Religiones, quæ ad contemplationem ordinantur. Tertium, quæ circa res corporales occupantur, ut eleemoſynas diſtribuere, captivos redimere, peregrinos ſuſcipere, infirmos curare, &c. Quia vita contemplativa præeminet activæ ſolum, juxta illud Chriſti Luc. 10. *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.*

Dico 2. (*Ib.*) In ſingulis ex prædictis tribus gradibus præminentia inter ſe attendi poteſt ex triplici capite. 1. Ex fine ſi nempe una Religio ordinetur ad perfectiorem actum in eodem genere; ſic inter opera vitæ activæ potius eſt redimere captivos, quam peregrinos hoſpitio ſuſcipere; inter opera vitæ contemplativæ melior eſt oratio, quam lectio. 2. Si una Religio ad plures actus in eodem genere ordinetur, quam alia, ſic enim reſpicit finem. 3. Quando eumdem ſeu æqualem finem habent, deſumitur præeminentia ex parte mediorum ſeu ſtatutorum & obſervantiarum, non quidem ſecundum ſe, ſeu ſecundum quantitatem, ſed quatenus ſunt convenientiora & magis accommodata ad finem æqualem conſequendum. Non enim, (*Ib. ad 3.*) quod advertas, una Religio eſt potior altera ad eundem finem ordinata, ex hoc præciſe, quod habeat arctiores obſervantias, ſed ex hoc, quod majori diſcretione per obſervantias ſint ad finem ordinatæ & accommodatæ; quia obſervantiæ non quæruntur propter ſe, ſed propter finem, & ideo non ſunt id, quod præcipue in Religione commendatur. Unde in collationibus Patrum collat. 2. c. 3. refertur S. Antoninum prætuliſſe diſcretionem per quam aliquis omnia operatur, vigiliis, jejuniis, & omnibus hujuſmodi obſervantiis.

§. IV. *Utrum habere aliquid in communi minuat perfectionem Religionis?*

NOte 1. cum Cajetano hic triplicem diſtingui perfectionem vitæ ſpiritualis, unam hominis abſolute, alteram Status Epiſcopalis, tertiam Status Religionis; fuerunt namque viri perfectiſſimi, non Religioſi, non Epiſcopi, non Pauperes, ut Abraham, Iſaac, David, &c. Item neceſſarias eſſe Epiſcopis divitias, probatum eſt ſupra. Verum alia eſt ratio de perfectione Religionis; cum enim votum paupertatis ſit de ejus ſubſtantia, merito quæritur, utrum poſſeſſio bonorum in communi minuat perfectionem Status Religioſi?

Nota 2. (*Ib. a. 7. a.*) Perfectionem Religionis non conſiſtere eſſentialiter in paupertate, ſed in ſequela Chriſti, juxta illud Hieronymi in c. 19. Matth. *Quia non ſufficit tantum relinquere, addit Petrus quod perfectum eſt: Et ſecuti ſumus te.* Paupertas autem eſt inſtrumentum perfectionis, quatenus removet impedimenta perfectionis ex divitiarum poſſeſſione provenientia: & hæc ſunt tria: ſcilicet ſollicitudo circa divitias acquirendas & conſervandas, amor divitiarum qui ex illarum poſſeſſione creſcit, juxta illud vulgatum: *Quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ*; & inanis gloria ſeu elatio, quæ etiam ex divitiis naſcitur. Primum impedimentum (*Ib.*) non poteſt totaliter ſeparari a divitiis etſi parvis; quia neceſſe eſt hominem aliqualiter ſollicitari de acquirendis & conſervandis exterioribus rebus ſibi neceſſariis ad victum & amictum, ſed ſi res exteriores non quærantur vel habeantur niſi in modica quantitate, quantum ſufficiunt ad ſimplicem victum & amictum, talis ſollicitudo non multum diſtrahit; unde nec perfectioni Chriſtiani repugnat; non enim omnis ſollicitudo a Domino interdicitur, dum dicit Matth. 6. *Ne ſolliciti ſitis animæ veſtræ quid manducetis*; ſed ſollicitudo ſuperflua & nociva. At abundans divitiarum poſſeſſio abundantiorem ſollicitudinem ingerit; quibus animus hominis multum diſtrahitur & impeditur, ne totaliter feratur in Dei obſequium. Alia vero duo impedimenta, nempe amor divitiarum & inanis gloria, non conſequuntur niſi ſuperabundantes divitias.

Nota 3. (*Ibid.*) quod ſollicitudo circa proprias divitias pertineat ad amorem privatum, quo quis ſe temporaliter amat; ſed ſollicitudo circa divitias communes pertinet ad amorem charitatis, quæ non quærit, quæ ſua ſunt, ſed omnibus intendit. Et quia Religio ad perfectionem charitatis ordinatur, quam perficit amor Dei uſque ad contemptum ſui, ideo habere aliquid proprium repugnat perfectioni Religionis; ſed ſollicitudo circa communia poteſt, ut dixi, pertinere ad charitatem, quamvis etiam per eam poſſit impediri aliquis altior actus charitatis, puta contemplationis divinæ, aut inſtructionis proximorum.

Nota 4. Paupertatem poſſe conſiderari ſecundum ſe, & ſecundum quod eſt inſtrumentum ad perfectionem acquirendam. Certum eſt, eam, quæ abdicat omne dominium tam in particulari, quam in communi, eſſe altiorem, & altiſſimam in genere paupertatis; in quo ſenſu verificatur, quod dixit Innocentius V. & refertur Extra. *Quia quorumdam*, ſcilicet altam eſſe paupertatem, quæ pauca habet propter Chriſtum; altiorem, quæ nulla habet propria, in mundo nec in proprio nec in communi. Conſiderata vero paupertas in ratione inſtrumenti, ea eſt perfectior, quæ eſt magis accommodata fini Religionis. His notatis,

Dico 1. (*Ib.*) Poſſeſſio abundantium divitiarum in communi non tollit totaliter perfectionem Religionis, ſed eſt aliquod impedimentum illius, ſeu non tollit perfectionem Religionis quoad ſubſtantiam, ſed quoad gradum. Patet 1. pars: (*Ib.*) tum quia ſollicitudo circa res communes poteſt pertinere ad charitatem, ut dixi Nota. 4. Tum quia, ut mox dicam, abundantia bonorum in communi eſt neceſſaria quibuſdam Religionibus, & tamen omnes ſunt ſtatus perfectionis, & omnes Chriſtum pauperem imitantur, atque paupertatem evangelicam profitentur. Secunda pars etiam conſtat: (*Ib.*) Quia, ut dixi Nota 2. abundantia bonorum adfert varias diſtractiones, quibus impeditur animus, ne tam aſſidue vacet divinæ contemplationi, & ne totaliter feratur in Dei obſequium. Item inde natum eſt augeri amorem divitiarum, & oriri inanem gloriam.

Dico 2. (*Ib.*) Si conſideretur Paupertas reſpective ad finem communem Religionum, qui eſt vacare divinis Officiis, poſſeſſio bonorum, quantum ſufficit ad ſimplicem victum & amictum, non impedit perfectionem Religionis: quia ſive iſte ſimplex victus & amictus habeatur ex bonis moderatis poſſeſſis in communi, ſive aliunde quæratur, non adfert tot ac tantas diſtractiones, neque alia impedimenta, quæ adfert bonorum abundantia, ſicque non impedit vacare divinis Officiis. Si vero (*Ib.*) Paupertas conſideretur reſpective ad fines ſpeciales Religionum, tanto unaquæque Religio erit perfectior ſecundum paupertatem, quanto habebit paupertatem magis ſuo fini accommodatam; quia, ut dictum eſt, paupertas aſſumitur a Religione, ut inſtrumentum, & medium ad ſuum finem. Hinc fuit ſequens Concluſio trimembria.

Dico 3, (*Ib.*) Religionibus, quæ ordinantur ad corporales actiones vitæ activæ, ut ad militandum, ad hoſpitalitatem ſectandam, ad curandum infirmos, &c. competit habere abundantiam divitiarum communium; alioquin non poſſent aſſequi finem, ad quem ſunt inſtitutæ, & ſic non haberent paupertatem ſuo fini accommodatam. Religionibus (*Ib.*) accommodatis ad contemplandum ſimpliciter competit habere divitias moderatas, potiuſquam abundantes; quia quanto minores ſunt divitiæ, tanto minor eſt ſollicitudo circa illas; quo autem minor eſt ſollicitudo, eo magis animus eſt contemplationi idoneus. Religionibus, (*Ib.*) quæ ordinantur ad contemplandum, & ſimul contemplata aliis tradendum per Doctrinam, prædicationem, & alia ſpiritualia exercitia, competit habere quam minimum bonorum in communi, ea ſcilicet mo-

mobilia vitæ neceſſaria, quæ congruo tempore procurata conſervantur: quia tanto magis ſollicitudo temporalium impedit Religionem, quanto ſollicitudo ſpiritualium major ad Religionem requiritur: Atqui majorem ſpiritualium ſollicitudinem requirit Religio inſtituta ad contemplandum, & contemplata aliis tradendum per Doctrinam, Prædicationem, & alia Exercitia ſpiritualia, quam illa, quæ eſt inſtituta ad contemplandum tantum. Ergo talem Religionem decet paupertas, quæ minimam ſollicitudinem temporalem ingerit. Subſumo. Atqui minorem ſollicitudinem temporalem ingerit ſervare uſui hominum pauca neceſſaria tempore congruo procurata, quam poſſidere immobilia. Ergo.

Et hæc quidem vera ſunt per ſe loquendo, & ſuppoſitis in Religioſis magno animi fervore & aſpera parſimonia atque temperantia in victu & amictu. Verum quia non ſolet plerumque ſic eſſe, aut ſaltem non diu permanere tantus fervor & tanta vitæ auſteritas; ideo ſpectato præſenti ſtatu nihil obſtat, quominus Religiones ad ſalutem proximorum inſtitutæ habeant modicas immobilium poſſeſſiones in communi: id enim ex una parte non affert magnam ſollicitudinem, & ex altera juvat tum ad perfectiorem Regulæ obſervantiam, cum ad conſervandam ſtatus Religioſi immobilitatem.

§. V. *Utrum perfectior ſit Religio in ſocietate viventium quam agentium ſolitariam vitam?*

NOTA 1. (*Ib. a. 8.*) quod ſolitudo, ſicut ipſa paupertas, non ſit eſſentia perfectionis, ſed perfectionis inſtrumentum. Nota 2. (*Ib.*) quod ſolitudo non ſit inſtrumentum congruum actioni, ſed contemplationi, ſecundum illud Oſeæ 2. *Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor ejus.* Unde non congruit Religionibus, quæ ſunt ordinatæ ad opera vitæ activæ ſive corporalia, ſive ſpiritualia, niſi forte ad tempus exemplo Chriſti, qui ut dicitur Luc. 6. *Exiit in montem ſolus orare; & erat pernoctans in Oratione Dei.* Competit autem Religionibus ad contemplationem ordinatis.

Non facit hic itaque S. Th. comparationem inter Religionem & Religionem, ſed inter gradus ejuſdem Religionis, ſcilicet contemplativæ, ſi quidem dicat ſolitudinem non competere Religioni activæ, ſed ſoli contemplativæ. Et aliunde certum eſt, quod Religio mixta, cum habeat perfectiorem finem, quam contemplativa tantum, ut ſuperius dictum eſt, ſit iſta ſimpliciter perfectior; perfectio enim ex fine excedit eam, quæ eſt ex medio tantum.

Dico. (*Ib.*) Inter Religiones ſoli contemplationi vacantes major eſt perfectio eorum, qui vitam ſolitariam ducunt, quam qui vitam cœnobiticam ſeu ſocialem agunt: quia quod jam perfectum eſt, præeminet ei, quod ad perfectionem tendit. Atqui vita cœnobitica eſt eorum, qui ad perfectionem tendunt, vita autem ſolitaria, ſi debite aſſumatur, eſt perfectorum; non enim debite aſſumitur, niſi ab eo, qui jam perfectus eſt, tam quoad intellectum, quam quoad voluntatem, ſive ex divino munere, ut S. Joannes Baptiſta, ſive exercitio virtutum: alioquin qui nondum perfectus ſolus vivit, a quo inſtruetur ad contemplandum ſine errore? Quomodo humilitatem, obedientiam, paſſionum mortificationem diſcet & acquiret, quapropter vita ſolitaria indebite aſſumpta eſt periculoſiſſima.

DISSERTATIO I.

DE RELIGIONIS INGRESSU, NOVITIATU, ET PROFESSIONE.

Div. Thom. Quæſt. 189.

ARTICULUS I.

De conditionibus recipiendorum ad Religionem.

DICO. Quiſquis baptizatus, qui eſt ſui juris, & nullo aliunde impedimento irretitus, poteſt admitti ad Religionem: quia Religio eſt bonum commune, a quo nemo repelli poteſt abſque juſta cauſa.

Explicatur Concluſio. Dicitur 1. *Quiſquis baptizatus*, quia Religio eſt pars Eccleſiæ, cui nullus incorporari poteſt, niſi ſit Eccleſiæ & ipſi Chriſto per Baptiſmum incorporatus. Dicitur 2. *Qui eſt ſui juris*; quia alioquin non poſſet ſe totum tradere Religioni, ut ſit per Profeſſionem religioſam.

Hinc ſequitur 1. Servum ſeu mancipium non poſſe, ſine conſenſu Domini, admitti ad Religionem, nec validam eſſe ejus Profeſſionem, niſi fiat poſt triennium ab ingreſſu; quia ſi intra triennium non ſit requiſitus a Domino, valide elapſo triennio profitetur; tum quia Dominus cenſetur renuntiaſſe juri ſuo; tum quia vi juris mox citandi ſervus tunc recuperat ſuam libertatem. Ita in jure Cap. *Si quis* 17. q. 2. ex Bonifacio I. his terminis: *Si quis incognitus Monaſterium ingredi voluerit, ante triennium Monachi habitus ei non præſtetur: Et ſi intra tres annos aut ſervus aut Libertus colonus* (id eſt qui alteri eſt obligatus non ratione pecuniæ ſed perſonæ) *quæratur a Domino ſuo, reddatur ei cum omnibus, quæ attulit, fide tamen accepta de impunitate. Si autem intra triennium non fuerit requiſitus, poſtea quæri non poteſt, niſi ſit tam longe, quod inveniri non poſſet, ſed tantum ea quæ in Monaſterium attulit, Dominus Servi accipiat.* Recipientes autem ſine licentia Domini excommunicantur. Cap. *Qui vere* 16. q. 1. ex Conc. Carth. Intellige, ſi noverint eum eſſe ſervum, quo caſu invalida eſt Profeſſio etiam poſt triennium; quia Eccleſia non intendit favere fraudibus, textuſque juris expreſſe loquitur de incognito, teneturque Religio reſtituere non ſolum ſervum & ea, quæ attulit, ſed etiam damna ſecundum illius æſtimationem.

Sequitur 2. (*Hic. q. 189. a. 7. o.*) Epiſcopos nec licite nec valide poſſe admitti ad Religionem ſine Licentia Papæ; quia ratione voti taciti, quod emittunt in ſua Conſecratione, perpetuo aſtringuntur ſuæ Eccleſiæ ſub obedientia Papæ; Officium autem Epiſcopi eſt per modum cauſæ principalis, & ex natura ſua perpetuum. Et ita habetur Cap. *Licet quibuſdam* 18. de Regularibus & tranſeuntibus ad Religionem l. 3. tit. 31.

Secus dicendum (*Ibid.*) de Presbyteris etiam Curatis & Archidiaconis; hi enim licite & valide poſſunt ingredi & profiteri Religionem, etiam contradicente Epiſcopo, non tamen eo inconſulto. Ita Cap. *Duæ ſunt* 16. q. 2. Et ratio eſt, quia eorum officium non eſt principale, ut officium Epiſcoporum, & ideo non eſt perpetuum, illudque deſerere poſſunt.

Sequitur 3. Conjuges conſummato Matrimonio nec licite nec valide poſſe admitti ad Religionem, niſi ex conſenſu compartis; aut niſi propter adulterium notorium illius; quia per conſummationem Matrimonii conjuges ſunt una caro, ita quod vir ſit mulieris & mulier viri, ſicque non ſunt ſui juris.

Dixi 1. Conſummato Matrimonio: quia ante conſummationem intra primum bimeſtre, quod a jure conceditur conjugibus ad deliberandum de ingreſſu Religionis, & quo non tenentur reddere debitum, poſſunt conjuges, etiam invita comparte, licite & valide admitti ad Religionem, ita ut adveniente Profeſſione diſſolvatur Matrimonium, & pars remanens in ſæculo poteſt tranſire ad ſecundas nuptias. Si autem elapſo bimeſtri non ſit conſummatum Matrimonium, conjux non poteſt licite invita comparte tranſire ad Religionem; quia tenetur ei petenti reddere debitum; ſi tamen ingrediatur, & profiteatur, videtur multis Profeſſio valida; quia jura in gratiam Religionis generaliter ſtatuunt Matrimonium inconſummatum diſſolvi per Profeſſionem Religioſam, ſicque videntur non conceſſiſſe bimeſtre niſi ut intra illud poſſet negari debitum petenti, ultra illud non poſſet.

Utrum autem uxor vi a marito oppreſſa intra bimeſtre poſſet adhuc ingredi & profiteri Religionem? Reſpondi olim cum pluribus probabilius affirmative, quia per violentiam ſibi illatam non debet privari jure ſuo. Verum nunc re attentius conſiderata, Reſolutio mihi videtur dubia: quia revera, etſi per violentiam Matrimonium eſt conſummatum, & conjuges facti una caro, indeque poteſt naſci proles; paſſa eſt quidem injuriam uxor, ſed ex illa injuria videtur facta inhabilis ad Religionem, ſicut ſi per violentiam amputatum eſſet illi utramque brachium: pro injuriis autem ſatisfaciat illi oppreſſor meliori, quo poteſt, modo.

Porro ſi Matrimonium ratum & non conſummatum non impedit, quominus conjuges poſſint licite, & valide ingredi & profiteri Religionem; a fortiori ſponſalia etiam jurata non impediunt, quippe quæ ſunt minus vinculum, quam matrimonium ratum, & quæ contrahuntur ſemper ſicut matrimonium ratum ſub hac tacita conditione, niſi voluero intrare Religionem. Intellige tamen modo ſponſus non violaverit ſponſam ſub promiſſione matrimonii; tenetur enim tunc ex juſtitia matrimonium cum illa non ſolum contrahere; ſed etiam conſummare; quia res promiſſa non eſt tantum matrimonium ratum, ſed etiam conſummatum, hoc eſt enim, quod nomine ma-

matrimonii abſolute intelligunt promittentes & promiſſarii. Idem dic de illo, qui ſine promiſſione matrimonii, ſed vi vel fraude virginem defloravit, ſi non poſſit, niſi nubendo, ejus infamiam impedire, tunc enim eſt debitum perſonale, non reale tantum aut pecuniarium. In his tamen caſibus foret valida profeſſio licet illicita.

Dixi 2. *Niſi ex conſenſu compartis*: par autem conſentiens, ſi ſit juvenis, debet pariter ingredi & profiteri Religionem; ſi vero ſit ſenex, poteſt remanere in ſæculo, ſed cum voto continentiæ. Ita in jure c. *Cum ſis*, cap. *uxoratus*, & cap. *Ad Apoſtolicam Sedem* de Converſione conjugat. l. 3. Tit. 32. Dixi 3. *Vel niſi propter adulterium notorium illius*. Cap. *Significaſti* de divortiis l. 4. Tit. 19. modo tamen pars volens Religionem ſuſcipere non ſit etiam adultera; nam paria crimina mutua compenſatione delentur. Cap. finali de Adulteriis l. 5. Tit. 16. Parte autem innocente ingrediente Religionem non tenetur pars nocens, etſi juvenis, ingredi Religionem, vel vovere continentiam; quia id nullo jure ſtatuitur, ſicut ſtatuitur in præcedenti. Dicitur 3. in Concluſione; *& nullo alio impedimento irretitus*; ſunt autem multiplicis generis impedimenta Religionis ſuſcipiendæ. Quædam ſunt ex jure naturæ, quædam ex jure poſitivo: quædam impedientia tantum, quædam dirimentia, non ſecus ac in matrimonio; eſt enim Profeſſio Religioſa non ſecus ac matrimonium, contractus inter Profitentem & Religionem acceptantem, ita ut poſſit quandoque eſſe invalida, quandoque valida, ſed illicita, non enim Lex prohibens profeſſionem ſemper illam irritat.

Impedimenta dirimentia.

PRIMUM impedimentum, quo Receptio & Profeſſio Religioſa fit nedum illicita, ſed etiam invalida, præter jam dicta de defectu juris in ſeipſum, eſt differentia ſexus, ita ut vir nec licite nec valide poteſt recipi aut profiteri in Conventu Mulierum, nec mulier in Conventu Virorum. Non ſolum quia in jure Cap. *Definivit*, & Cap. *In nullo* 17. q. 1. prohibetur cohabitatio Monachorum cum Monialibus; non enim, ut jam dixi, omne quod prohibetur irritatur; ſed quia hujuſmodi Profeſſio non fit in Religione ab Eccleſia approbata; Religiones enim virorum non ſunt approbatæ pro mulieribus, nec mulierum pro viris. Secundum impedimentum dirimens eſt, ſi Recipiendus ſit Hermaphroditus. Sed hic opus eſt diſtinctione. Communis Sententia tenet Hermaphroditum, ſi uterque ſexus ſit æqualis, nec licite nec valide poſſe recipi aut profiteri; quia reſpectu fœminarum eſt vir & reſpectu virorum eſt mulier; ſi autem unus ſexus prævaleat, poſſe, ſi non licite, ſaltem valide profiteri Religionem in Conventu ejuſdem ſexus cum eo, qui in eo prævalet, non in Conventu alterius ſexus. Verum exiſtimo hoc ultimum intelligendum eſſe ſub aliqua diſtinctione; ſi namque unus ſexus prævaleat, ut alter ſit omnino ineptus & inutilis ad uſum Venereorum, Reſolutionem admitto; ſecus autem ſi quamvis unus ſexus prævaleat, alter tamen ſit adhuc aptus ad uſum venereum; quia cum talis Hermaphroditus in ordine ad incontinentiam poſſit cum mulieribus agere, quæ viri ſunt, & cum viris pati, quæ ſunt mulieris, reſpective ad mulieres venire debet nomine viri, & reſpective ad viros nomine mulieris. Quod ſi detur talis Hermaphroditus, qui neutrum ſexum habeat, prout natura requirit ad uſum venereum, is ſecundum Medicos debet cenſeri fœmina, & ſic nihil prohibet eum admitti in Monaſterio feminarum.

Sed quid ſi mulier evadat in virum? R. quod ſimpliciter loquendo, nunquam ſecundum Medicos poſſit mulier evadere in virum, ſed tantum poteſt contingere, quod quæ apparebat mulier, poſtea appareat vir, quatenus ſexus virilis, qui propter frigiditatem non ſe prodibat, adveniente pubertate & calore creſcente manifeſtetur; quo caſu, ſi uterque ſexus maneat ad uſum venereum aptus, neque inter viros, neque inter mulieres poteſt valide admitti, ut ſupra dictum eſt; ſi autem ſit unius ſexus virilis & forte profeſſus ſit in Monaſterio mulierum, ejus profeſſio nec eſt nec unquam fuit valida; quia ſemper fuit vir, etſi talis non appareret, ſicque profeſſus eſt in Religione non approbata pro viris.

Tertium impedimentum dirimens eſt amentia, ſi adſit dum actu emittitur Profeſſio; quia ad illam requiritur conſenſus liber, cujus amens eſt incapax.

Neque dicas manere virtualiter conſenſum ex priori voluntate profitendi; non eſt enim virtualis conſenſus, niſi adſit confuſa ſaltem notitia rei quæ agitur, item confuſa memoria voluntatis præcedentis ac tandem facultas amplius deliberandi & priorem voluntatem revocandi, quæ non ſunt in amente. Qui vero eſt amens tantum circa aliquam materiam, aut habet lucida intervalla, quamvis poſſit valide admitti & profiteri, non tamen licite, quia non eſt aptus ad Religionem.

Quartum impedimentum dirimens eſt defectus ætatis ſexdecim annorum completorum & anni Novitiatus. Ita Trid. ſeſſ. 25. de Regul. cap. 15. his terminis: *In quacumque Religione tam virorum, quam mulierum, profeſſio non fiat ante 16. annum completum; neque minori tempore quam per annum poſt ſuſceptum habitum in probatione ſteterit, ad profeſſionem admittatur: Profeſſio autem antea facta ſit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicujus Regulæ, vel Religionis, vel Ordinis obſervantiam, aut ad alios quoſcumque effectus*. De anno Novitiatus dicam infra dum de Novitiatu.

Impedimenta impedientia tantum.

PRIMO. (*Hic. q. 189. a. 6. c.*) Illicite admittitur & profitetur filius, cujus Parentes ſunt in gravi neceſſitate, & quibus manens in ſæculo ſuccurrere poteſt ſine ſalutis diſpendio: quia præceptum naturale de honorandis Parentibus prævalet conſilio, imo & voto ingrediendi Religionem. De hoc caſu latius dixi in Tract. de virtutibus juſtitiæ annexis Diſſ. 1. de pietate art. 2. require. 2. Illicite admittuntur criminoſi, id eſt homicidæ, fures, & ſimilium ac graviorum criminum rei, ſi tamen ſint notorii, aliqua notorietate juris, puta quod de iis facta ſit accuſatio, ſeu inquiſitio a Judice ſæculari. Ita Sixtus V. in Conſt. *Cum omnibus*, & Conſt. *Ad Romanum* qui illorum profeſſionem irritaverat, ſed quam irritationem ſuſtulit Clemens VIII. Conſt. *In ſupremo* relictis tamen pœnis, quas præfatos recipientibus impoſuerat Sixtus V. ſcilicet privatione vocis activæ & paſſivæ, & officiorum, graduum, dignitatum, ac inhabilitatis ad illa.

3. Excommunicatus etiamſi toleratus illicite recipitur in Religione; quia licet Fideles poſſint cum illo communicare, ille tamen non poteſt ſe ingerere communicationi fidelium. Unde & ipſe peccat, & qui ipſum recipit; quia illius peccato cooperatur. Aliæ autem Cenſuræ quatenus impediunt a divinis etiam impediunt ſuſceptionem habitus. 4. Illegitimos illicite recipitur in Religione, in qua ejus Pater profeſſus adhuc vivit, & recipiens excommunicatur ex Greg. XIV. Bulla *Circumſpecta*, valide tamen recipitur & profitetur, quia non irritatur.

5. Ingenti ære alieno ſupra vires ſuarum facultatum gravati, vel ratiociniis reddendis obnoxii, ita ut ex ejuſmodi cauſa lis vel moleſtia ſit illata, vel timendum ſit ne inferatur, non poſſunt licite in Religione admitti, niſi debitores cedant ſuis bonis, & nulla ſeu vix ulla ſit ſpes, quod remanendo in ſæculo ſint ſolvendi. Admittentes autem privantur voce activa & paſſiva, officiis, dignitatibus, gradibus, & ſunt perpetuo inhabiles ad illa. Ita Sixtus V. Bulla *Cum omnibus*, in qua etiam irritaverat illorum poſſeſſionem, ſed Clemens VIII. irritationem ſubſtulit, manentibus tamen pœnis contra recipientes. De hoc impedimento late diſſerui in Tract. de Jure & Juſt. Diſſ. 8. a. 20. de cauſis excuſantibus a reſtitutione quarta cauſa. Vide ibi.

Obſervandum dumtaxat hac conſtitutione Sixtina non comprehendi, 1. Moniales ut idem Sixtus V. declaravit alia Conſtitutione, *ad Romanum*. 2. Non comprehenduntur Ordine militares, quia cum ſua bona adminiſtrent ex conſenſu Religionis, non magis redduntur inhabiles ad ſolvendum, quam ſi manerent in ſæculo. 3. Non comprehenduntur debitores incerti; qui ſcilicet ignorant cui debeant. Colligitur ex Bulla Sixtina ubi dicitur; *Quorum Dominus facta diligenti inquiſitione poteſt ſciri*. Adde, quod hujuſmodi debitum incertum poſſit converti in uſus pios, atque adeo applicari Monaſterio, quod quis ingreditur. 4. Non comprehenduntur debitores, cujus debitum eſt levis momenti, aut non ſuperat facultates debitoris, ut patet ex textu Bullæ. 5. Non comprehenduntur debitores ex liberali promiſſione, tum quia promiſſio liberalis nunquam obligat ſupra vires; tum quia debitor ex promiſſione liberali non gravatur ære alieno; tum denique quia in omni promiſſione liberali ſemper ſubintelligitur, niſi voluero Religionem ingredi. Comprehenduntur tamen debitores ex delicto, quia qui intulit alteri damnum pecunia æſtimabile, eſt vere ære alieno gravatus, quatenus habet alterius damnum, quod eſt pecunia redimendum.

6. Illicite recipiuntur infames, ſive ex delicto enormi notorio notorietate juris, ſive ex pœna ignominioſa, puta morte, flagellatione, triremibus, a Judice impoſita, ſive ex genere artis ſeu facti, ut ſunt carnifices, ſcurræ, hiſtriones, lenones, &c. Niſi infames ex delicto aut pœna pœnitentia diuturna & morum ſanctitate, infames autem ex officio, niſi eo dimiſſo ſingularibus meritis infamiam diluerint: quia Religio eſt ſtatus honorificus, quem libenter aſſumunt viri tum genere nobiles, tum virtutibus & honore præeminentes, quibus eſſet grave fieri ſocios & confratres perſonarum infamium, indeque Religio amitteret ſuam dignitatem & ſuum decorem.

AR-

ARTICULUS II.

De Novitiatu.

NOVITIATUS eſt mutuum experimentum, quo Religio ex una parte experitur mores & qualitates Novitii, ut videat, an expediat illum admittere vel ejicere, & Novitius ex altera parte experiatur Religionis auſteritates, & ſtatuta, ſuamque indolem, ut videat, an ſibi expediat illam profiteri. Quod cum ſit nunc inſtitutum non in ſolam privatam utilitatem Novitii & Monaſterii, ſed in bonum totius Religionis & Eccleſiæ, ne ſcilicet ex profeſſione temere facta ſequantur gravia damna & ſcandala, non poteſt illi renuntiari ex conſenſu utriuſque partis nempe Novitii & Monaſterii, ut fiebat olim.

Quæſtio eſt 1. An in habitu Religioſo debeat peragi Novitiatus? 2. In qua ætate? 3. In quo loco? 4. Quanto tempore? 5. An tempus iſtud debeat eſſe continuum? Quas quæſtiones diſtinctis §§. diſcutiemus. Unde ſit

§. I. *In quo habitu debeat peragi Novitiatus?*

DICO 1. Novitiatus debet regulariter peragi in habitu Religionis, quam intendit profiteri Novitius. Patet tum ex jure communi cap. *Ad Apoſtolicam*, cap. *Superno*, R. cap. *Statuimus* de Regularibus; item c. 1. eod. Tit. in 6. & Clement. *Ne* eodem Tit. ubi ſic ſtatuitur: tum ex communi praxi omnium Religionum: tum denique, quia geſtatio habitus Religioſi eſt aliqua Religionis auſteritas, quam convenit experiri Novitium.

Dico 2. Habitus Religionis non videtur de eſſentia Novitiatus: unde poteſt valide peragi in habitu ſæculari, imo & licite, ſubſiſtente juſta cauſa.

Prob. 1. Pars ex c. *Porrectum*, ubi dicitur, quod *Monachum non faciat habitus, ſed Profeſſio Religioſa*; & ex cap. *Quia ingredientibus* de teſtamentis, ubi Abbatiſſa declaratur profeſſa, quæ nunquam induerat habitum Monialium. Secunda pars conſtat ex communi praxi Religioſorum in Anglia, Hybernia, & in aliis locis Hæreticorum, ubi ſuos Novitios probant in habitu ſæculari, nemine reclamante. Satius tamen foret, ſi admiſſi ad Religionem in his partibus mitterentur ad partes Catholicorum, ut in Conventu & in habitu Religionis ſuum Novitiatum perficerent, ſicut modo faciunt noſtri Hyberni.

Dices. Tridentinum ſupponit ſuſceptionem habitus Religionis pertinere ad eſſentiam Novitiatus. Etenim ſeſſ. 25. c. 15. de Regul. irritat profeſſionem, quæ fieret ante annum integrum probationis *poſt ſuſceptum habitum*. Ergo. R. D. Ant. Sic autem loquitur Concilium, quia ſic fit ordinarie. Sumit itaque diem ſuſceptionis habitus pro die, quo quis incorporatur Religioni. Si namque voluiſſet ſuſceptionem habitus eſſe de eſſentia Novitiatus, id aperte declaraſſet, ſicut declaravit de anno & ætate.

Dices 2. Geſtatio habitus Religioſi eſt una ex auſteritatibus Religionis. Ergo eam debet experiri Novitius. R. N. Conſ. Ergo eam debet experiri Novitius, ut Novitiatus ſit validus, N. Ut ſit licitus Subd. regulariter loquendo, ut dicitur in prima Concluſione, C. Per accidens, & ubi juſta cauſa adeſt aliter agendi, N. Non enim Novitius tenetur neceſſario experiri omnes Religionis auſteritates in ſpecie, ſed poteſt in eis ex cauſa diſpenſari, & ſufficit, quod ſit ſub obedientia Prælati, paratus ad omnia, quæ juſſerit.

Petes 1. Utrum habitus proprius Novitiorum debeat eſſe diſtinctus ab habitu Profeſſorum? R. Id nullo jure, ſive antiquo, ſive novo ſtatui. Unde in noſtro Prædicat. Ordine idem eſt habitus Novitiorum & Profeſſorum, niſi quod in Profeſſione benedicatur, & non in ſuſceptione. Cæterum ſervandus eſt Ritus cujuslibet Religionis, & ſi forte ex alicujus ſtatuto declararetur irritus Novitiatus non peractus in habitu diſtincto, habendus eſſet pro irrito.

Petes 2. A quo debeat recipi Novitius? R. debere recipi a legitimo Superiore, quia in Novitiatus ſuſceptione fit conventio inter Novitium & Religionem, non eſt autem Conventio ſine mutuo contrahentium conſenſu, conſequenter ſine conſenſu legitimi Superioris, qui nomine Religionis cum Novitio contrahit & acceptat.

§. II. *Qua ætate ſit inchoandus & perficiendus Novitiatus?*

DICO. Novitiatus non poteſt inchoari ante annum pubertatis, qui eſt 12. completus in fœminis, & 14. completus in maſculis; quia ante hoc tempus non poteſt haberi experimentum ſufficiens quoad ea, quæ votum caſtitatis ſpectant. Et ita communiter ſentiunt Auctores. Completo autem anno pubertatis nihil obſtat, quominus poſſit ſtatim licite & valide inchoari, & perfici annus Novitiatus, quo tamen finito non poterit immediate ſequi profeſſio, ſed debebit differri ad annum decimum ſextum completum, quia ex Trid. Seſſ. 25. de Regul. c. 15. non poteſt valide fieri ante hoc tempus.

Dices. Tridentinum ibid. c. ſeq. 16. ſtatuit, quod *finito tempore Novitiatus, Superiores Novitios, quos habiles invenerit, ad profitendum admittant, aut a Monaſterio eos ejiciant*. Ergo ſupponit Concilium Novitiatum non poſſe inchoari niſi anno decimo quinto completo, alioquin Novitius non poterit profiteri revoluto anno Novitiatus, ut intendit Concilium. R. N. Illationem: quia Concilium ibi loquitur de Novitiis habilibus ad Profeſſionem: Novitius autem in noſtro caſu non eſt ſecundum Concilium habilis ad Profeſſionem, cum non attigerit annum 16. completum, qui requiritur a Trid. ad Profeſſionem. Inſuper non intendit Concilium ita conjungere finem Novitiatus cum Profeſſione, quin hæc poſſit differri ex cauſa, puta propter infirmitatem, aut majorem & certiorem probationem, & ſimilia, ut dicetur infra.

§. III. *In quo loco ſit perficiendus Novitiatus?*

DICO 1. Jure antiquo, cum Novitiatus non eſſet de ſubſtantia Religionis, ſed illi poterat renuntiari ex conſenſu partium, poterat fieri extra Monaſterium. Id evidenter patet ex cap. *Inſinuante*, Dit. *Qui Clerici vel Voventes* l. 4. Tit. 6. ubi mulier, quæ habitum regularem receperat & votum emiſerat, nec unquam Monaſterium ingreſſa fuerat, declaratur vere Religioſa. Dico 2. Nunc cum jure novo Trid. annus probationis ſit de ſubſtantia Religionis, ita ut ante illum completum emiſſa profeſſio ſit nulla, ſicque ei renuntiari non poſſit de conſenſu partium, videtur, quod Novitiatus perfici valide non poſſit extra Monaſterium vel Domum illius Ordinis, quem vult profiteri Novitius: quia cum ſit inſtitutus, ut & Monaſterium mores Novitii experiatur, & Novitius mores Religionis, exigit hujus probationis natura, ut habeatur intra Clauſtra, & in conſortio Religioſorum: neque enim Regulæ rigor, & Novitii mores extra Monaſterium ſatis probari poſſunt. Et ita Congregationem Cardinalium declaraſſe refert Sanchez l. 5. Summæ c. 4. n. 17.

Nihil obſtat tamen, quominus Novitius poſſit de licentia Superioris abeſſe a Monaſterio etiam per aliquot menſes, ſive neceſſitatis alicujus, ſive etiam recreationis cauſa: tum quia ubicumque ſit Religioſus ad tempus de licentia, & ſub obedientia Superioris, cenſetur fictione juris eſſe Monaſterio: tum quia non eſt neceſſarium, ut Novitius toto tempore Novitiatus auſteritates Religionis experiatur, ut patet in ægrotis; ſed ſufficit, ſi illas aliquo tempore experiatur, & alias ſit paratus illas experiri ad nutum Superioris. Peccaret tamen Superior, qui ſine juſta cauſa talem licentiam concederet. Vide infra §. 5. Concl. 2. Dixi in Concluſione *vel domum*; quia in Anglia & in Hybernia Novitii probantur in aliqua domo particulari, in qua habitant quidam Confratres.

Dico 3. Intra fines Italiæ, & Inſularum adjacentium, Novitiatus debet fieri non ſolum in Monaſterio, ſed in Monaſterio a S. Sede deſignato, alioquin eſt irritus, & profeſſio nulla. Ita Conſtitutiones Clementis VIII. & Innocentii X.

§. IV. *Quanto tempore debeat durare Novitiatus?*

DICO. Secluſo privilegio Novitiatus debet durare per annum integrum, alioquin nulla eſt Profeſſio. Ita Trid. Seſſ. 25. de Regul. C. 15. *Nec*, inquit, *minori tempore, quam per annum, poſt ſuſceptum habitum in probatione ſteterit, ad profeſſionem admittatur; Profeſſio autem antea facta ſit nulla*, &c. Et quamvis jure antiquo Cap. *Ad Apoſtolicam* de Regul. l. 3. c. 31. poſſet anno integro Novitiatus renuntiari ex conſenſu partium, ut jam dixi, quia tamen nunc, jure novo Tridentini cit. annus integer probationis eſt de ſubſtantia Novitiatus tanquam illius forma, utpote ſine quo nulla eſt profeſſio, eſtque inſtitutus, non in ſolum favorem partium contrahentium, ſed etiam totius Religionis, & Eccleſiæ, cum gravia damna & ſcandala nata ſint ſequi ex Profeſſione temere facta, ut jam etiam dictum eſt, illi non poteſt renuntiari ex conſenſu partium, ſicut Clericus non poteſt renuntiare privilegio Clericatus.

Adde, quod alioquin fruſtra eſſet poſita Lex Concilii; nam ante illam Profeſſio facta ante annum integrum probationis ſine conſenſu mutuo Novitii, & Monaſterii, erat jam invalida, lex autem correctiva prioris debet ſic intelligi, ut non ſit ſuperflua.

Sed difficultas eſt, an iſte annus debeat eſſe integer mathematice a momento ad momentum; an e contra ſufficiat, ſi ſit integer moraliter, qualis dicitur ſi ſit cœpta ultima dies, aut ſi ei deſint aliquot horæ, vel aliquot inſtantia, ut ſit completa. R. Communior Sententia tenet annum debere eſſe integrum mathematice a momento ad momentum, ita ut ſi quis inchoet Novitiatum hora 10. primæ diei hujus anni 1756. non poſſit valide profiteri niſi hora 10. primæ diei anni ſequentis, ſitque

inva-

invalida Profeſſio, ſi fiat vel inſtanti ante dictam horam. Ratio eſt 1. Quia ſic intelligitur an. *16.* completus requiſitus a Trid. ergo & annus integer Novitiatus. 2. Quia quando lex aſſignat initium alicujus temporis a die terminata, computari debet a momento ad momentum, ut colligitur ex L. *Denique ſ. 3. Minorem* ff. Lib. 4. Tit. 4.

Alii tamen, etiam numero plures, intelligunt hanc Legem Tridentini de integritate morali anni, ita ut ſi inchoata ſit dies ultima anni, vel deſint aliquot horæ, vel aliqua inſtantia ad complementum mathematicum anni, valida ſit Profeſſio. 1. Quia in favorabilibus dies cœpta habetur pro integra. 2. Quia in moralibus parum pro nihilo reputatur. Adde, quod hujuſmodi anticipatio nihil faciat moraliter loquendo ad finem Legis; poſito enim, quod ſumptum fuerit ex utraque parte experimentum, uſque ad ultimam diem inceptum, nihil moraliter accidere poteſt, quod vel Religio in Novitio, vel Novitius in Religione experiri poteſt. Cæterum in re tanti momenti a communi & tutiori Sententia non puto eſſe recedendum: neque ante factum ſuaderem, licet poſt factum improbare non auderem.

Quantum ad annum biſextilem, ſecundum 1. Sententiam, non cenſetur integer niſi computato die ſuperaddito, quia politice, & civiliter ille annus non cenſetur integer niſi conſtans *366.* diebus, & tam jure Eccleſ. quam Civili duo dies dicuntur ſexto Kalendas Martii & pro uno die habentur. Unde qui incepit Novitiatum 25. Februarii an. 1755. non poteſt profiteri niſi 28. Februarii anni ſequentis.

Si petas quandonam incipiat Novitiatus? R. quod in Religionibus, in quibus non eſt Conventus deſignatus pro Novitiatu, incipiat in perſona habili a die ſuſcepti habitus, ſeu incorporationis in Religione ex Trid. Seſſ. 25. Cap. 15. In Religionibus vero, in quibus eſt Conventus deſignatus pro Novitiatu, incipit in perſona habili a die Receptionis Novitii in Conventu deſignato. Quod ſi perſona non ſit habilis ad Novitiatum, quando ſuſcipit habitum, aut recipitur in Conventu deſignato, annus Novitiatus incipit tantum a tempore habilitatis habitæ.

Dixi in Concluſione; *ſecluſo privilegio*; quia Pius V. Conſtit. *Summi Sacerdotis* data an. 1570. conceſſit Monialibus S. Dominici, conſequenter per communicationem aliis tam mulieribus, quam viris, ut in caſu morbi, Medici judicio mortalis, poſſint profiteri ante annum completum Novitiatus, dummodo tamen habeant ætatem requiſitam, ſcilicet annum 16. completum. Huic privilegio non fuiſſe derogatum per Conſtitutionem *In tanta* Gregorii XIII, multis probat Paſſerinus ad Q. 189. D. Th. pag. 105. præſertim quia Gregorius XIII. non revocavit per hanc Bullam omnes gratias factas Regularibus a Pio V. ſed eas tantum de quibus ibi mentionem facit, & quæ concernunt intereſſe Epiſcoporum, & Parochorum; nullam autem mentionem facit de iſto privilegio, quod aliunde nihil intereſt Epiſcoporum, & Parochorum.

Sed gravior difficultas eſt, utrum hujuſmodi Profeſſio ſit abſoluta, & rata, ita ut Novitius vel Novitia, ſi convaleſcat, non teneatur complere annum integrum Novitiatus, & aliam Profeſſionem facere. Multi negant eo, quod Pius V. dicat ſe motum eſſe ad facultatem ſic profitendi concedendam, quia *ſalutem animarum dictarum Monialium Novitiarum, ſic ante Profeſſionis emiſſionem, & durante tempore probationis earumdem decedentium, ſincero deſiderat affectus*. Item dicit ſe largiri *iiſdem Monialibus Novitiis ita tunc profeſſis decedentibus plenariam peccatorum ſuorum indulgentiam*, &c. Ex quibus videtur hæc profeſſio eſſe facta & acceptata ſub conditione mortis ſecuturæ; ita quod ſi mors non ſequatur, nulla ſit, ſed debeat fieri altera, completo prius anno Novitiatus. Si tamen mors ſequatur, Profeſſio prius conditionata, purificata conditione, evadit abſoluta, & Monaſterium habet jus ad dotem.

Petes, utrum tempus Novitiatus poſſit prorogari? R. poſſe prorogari ex cauſa legitima, puta, infirmitatis, defectus ſcientiæ aut morum, qui tamen defectus ſperentur corrigibiles. Eſt Sententia communis Doctorum, & praxis communis Religionum. Neque id ullo jure invenitur prohibitum, quin imo conceſſum ex variis declarationibus S. Congreg. ut mox patebit.

Dices. Concilium Trid. Seſſ. 25. de Regularibus ſtatuit, quod Novitius per annum poſt ſuſceptum habitum ad Profeſſionem admittatur. Ergo: R. ex declaratione S. Congreg. Concilii apud Paſſerinum ad Q. 189. S. Th. Inſpect. 4. n. 57. quæ ſic eſt: *Concilium voluit quampiam minori* tempore, quam per annum ſtare in probatione, idque expreſſim diſpoſuit. Ne autem hoc tempus longius extendi poſſit, non prohibuit, ideoque arbitrio Superioris extendi, & prorogari poteſt. Et ſic communiter interpretantur Theologi.

Inſt. Trid. eamdem Seſſ. cap. 16. ſic ſtatuit: *Finito tempore Novitiatus Superiores Novitios, quos habiles invenerint ad profitendum admittant, aut Monaſterio ejiciant*. Ergo. R. ſenſum hujus Decreti eſſe, quod Superiores admittant ad Profeſſionem Novitios, quos invenerint ſimpliciter & abſolute habiles, & in quibus nulla ſit cauſa differendi: ejiciant autem ſimpliciter & abſolute inhabiles, non tamen inhabiles ſecundum quid, ſeu eos in quibus eſt ſpes, quod intra certum tempus fient habiles. Ita ex ore Pii V. declaravit S. Congr. apud Paſſerinum ibid. n. 59. his verbis: *Sanctitas ſua dixit decretum hujuſmodi Concilii procedere tantum in illis Novitiis, quos Superiores, lapſo tempore Novitiatus, habiles invenerint, non autem in his, quos inhabiles invenerint, ut ſunt illi, qui non bene didicerunt: & ideo, quod attinet ad illos, Sanctitas ſua conceſſit, quod Superiores poſſint prolongare illorum Profeſſionem, dummodo habeant ſpem probabilem, quod efficiantur habiles infra ſex menſes*.

Ex his ultimis particulis quidam inferunt Profeſſionem non poſſe differri ultra *6.* menſes, & ſic legitur in noſtris Conſtitutionibus Diſtinct. 1. Textu 11. Cap. 14. Litt. O. ubi denuntiatur Pium V. declaraſſe *Profeſſionem alicujus ad profitendum incepti ad ſextum tantummodo menſem poſſe differri*.

Attamen Paſſerinus loco cit. dicit ſe vidiſſe fieri contrarium ex juſta cauſa; contenditque reſtrictionem Pii V. ad *6.* menſes non eſſe præceptivam, ſed directivam tantum: quia quando inhabilitas eſt perſonalis, puta ex defectu Scientiæ vel morum, regulariter ſufficiunt 6. menſes, ut Novitius cenſeatur vel ſimpliciter habilis, vel ſimpliciter inhabilis. Non prohibet autem, quod ſi adſit juſta cauſa majoris dilationis, qualis eſſe poteſt, ſi quæ proveniat ab extrinſeco, ulterius differri Profeſſionem, ſed tantum declarat jus commune, quod exigit ut ſine cauſa non protrahatur Profeſſio poſt probationem annuam. Poteſt ergo differri Profeſſio ad arbitrium viri prudentis, attentis omnibus circumſtantiis.

§. V. *Utrum annus Novitiatus debeat eſſe continuus?*

Dico *1.* Annus Novitiatus debet eſſe continuus, alias eſt nulla Profeſſio. Ita communiſſime Theologi, Canoniſtæ, & Juriſtæ. 1. Quia ſecundum communem acceptationem hæc vox *Annus* continuum decurſum *12.* menſium ſignificat; & jura, quæ important certum tempus, intelliguntur de tempore continuo, quia regulariter omne tempus eſt continuum. 2. Quia alias Novitius non eſt in ſtatu idoneo experiendi omnes auſteritates Religionis, gravius eſt enim experiri abſtinentiam per annum continuum, quam per interpolatum; quamvis autem non teneatur Novitius actu experiri omnes auſteritates Religionis in ſpecie, debet tamen eſſe in ſtatu idoneo omnes experiendi. Sed difficultas eſt, quando & per quot actus diſcontinuetur annus Novitiatus? Pro cujus reſolutione

Dico 2. Saltem ſiſtendo in terminis antiquorum Canonum & Concilii Trid. annus Novitiatus non diſcontinuatur per exitum Novitii e clauſtro de licentia Superioris. Prob. 1. Quia Religioſus ubivis ſit de licentia, & ſub obedientia Superioris, fictione juris, ut jam dixi. cenſetur eſſe intra clauſtra. 2. Quia quamvis in jure decretum ſit, quod Novitius debeat probari per annum continuum, nullibi tamen decretum eſt, quod per annum continuum debeat manere intra Clauſtra, neque quod debeat experiri omnes auſteritates Religionis in ſpecie & continuo, ut patet in ægrotis & in eis, qui legitime diſpenſantur; ſed ſufficit, ſi illas probet in genere vivendo ſub obedientia Superioris. 3. Negari non poteſt, quin ſuperior poſſit ex rationabili cauſa concedere ſuo ſubdito licentiam manendi extra Clauſtrum, 4. Converſi, non ſecus ac Clerici tenentur ad Novitiatum continuum, & tamen non poſſunt experiri auſteritates, ad quas recipiuntur, niſi mittantur extra Clauſtra ad quæſtus faciendos. 5. Denique ſic fuiſſe declaratum a S. Congr. Concilii, refert ex Navarro & Fagnano Paſſerinus loco prius cit. n. 86. Propoſito enim dubio, an valeret Profeſſio illius, qui tantum per menſem & dimidium anni Novitiatus manſerat in Monaſterio, & reſiduo illius anni tempore, de licentia & mandato Prælati ſteterat ſub ejus obedientia in quadam curia agens gravia ſui Monaſterii negotia, & in fine anni Profeſſionem per Procuratorem emiſit? Reſponſum eſt valere. Ex quibus colliges, quod quamvis ſit de ſubſtantia & forma Novitiatus ut poſt ſuſceptum habitum aliquamdiu in Conventu maneat, non ſit tamen de ſubſtantia & forma Novitiatus, quod Novitius per annum continuo maneat in Conventu.

Quod poſſet opponi ex §. 3. quod Novitiatus debeat fieri in Monaſterio, ibidem ſolutum eſt. Sufficit autem, quod licentia ſit valida ſeu conceſſa ab habente auctoritatem, etiam ſi ſit illicita, ſeu ſine juſta & rationabili cauſa conceſſa; quia Novitius, qui ex licentia etiam illicita exit e Clauſtro, non deſerit Religionem, neque ex propria voluntate operatur, ſed ut Superiori ſubditus. Peccat quidem Superior, non vero Novitius, qui ex bona fide agit, & cujus non eſt diſcutere cauſas licentiæ, ſed etſi injuſtæ licentiæ eſſet conſcius, peccaret quidem, non ta-

men

men ejus exitus redderet Novitiatum irritum; quia, ut dictum eſt, non eſt contra ſubſtantiam & formam Novitiatus.

Dixi in Concluſione; *ſaltem ſiſtendo in terminis antiquorum Canonum & Concilii Trid.* Quia hærendo terminis Conſtitutionum Clementis VIII. & Innocentii X. qui ſtatuunt Novitiatum in Italia & Inſulis adjacentibus debere perfici in Conventu deſignato, quidam exiſtimant, quod permanentia per annum in Conventu ſit de forma & ſubſtantia Novitiatus, adeoque, quod exitus ex illa diſcontinuet Novitiatum: ideo enim, inquiunt, volunt laudati Pontifices Novitiatum peragi in Conventibus deſignatis, ubi viget ſtrictior obſervantia, ut ſit optima Novitiorum educatio ſecundum Regulam: intendunt ergo, quod in illis non ſolum recipiant habitum, ſed etiam quod in illis continuo habitent per annum.

Verum reſponderi poteſt quemcumque Novitiatum eſſe inſtitutum, ut ſit optima Novitiorum educatio ſecundum Regulam, & tamen permanentiam per annum in Conventu non eſſe de ſubſtantia & forma cujuſcumque Novitiatus. Ratio eſt, quia optima educatio Novitiorum utrobique eſt finis legis, finis autem legis non cadit ſub lege. Porro medium ad hunc finem conſequendum de novo præceptum per Conſtitutiones Clementis VIII. & Innocentii X. quoque pertinet ad formam & ſubſtantiam Novitiatus, eſt, quod habitus recipiatur in Conventu deſignato, & in eo peragatur Novitiatus, talis tamen qualis peragendus eſt de jure communi: circa id enim nihil innovarunt laudati Pontifices.

Cæterum defenſores hujus ſententiæ ita illam limitant ut vix differat a noſtra Concluſione. 1. Fatentur eam non habere locum in Converſis. 2. Concedunt exiſtentiam diurnam extra Conventum non interrumpere Novitiatum. 3. Admittunt parvitatem materiæ: unde quidam horum exiſtimant, quod manere extra Conventum ad pie peregrinandum, ad recuperandam ſanitatem, ad negotium gerendum, imo & ad inviſendum Parentes non diſcontinuet Novitiatum; quia, inquiunt, Leges & Decreta admittunt rationabiles interpretationes. 4. Excipiunt caſum neceſſitatis; non ſolum phyſicæ, ſed etiam moralis.

Dico 3. Per exitum e Conventu dimiſſo habitu, & cum animo relinquendi Religionem, ſive id faciat Novitius propria voluntate, ſive juſte ejectus, interrumpitur Novitiatus, ita ut ſi poſt unum vel alterum diem, vel etiam poſt aliquas horas, Novitius redeat ad Conventum, aut a Conventu readmittatur, teneatur denuo probationis annum inchoare. Conſtat ex declaratione S. Congr. Cardinalium Concilii Trid. interpretum, quam declarationem ſe habere apud ſe authenticam teſtatur Paſſerinus ad Q. 189. D. Th. Inſpectione 3. n. 132. Et ratio eſt, quia poſito exitu extra Conventum cum dimiſſione habitus & animo derelinquendi Religionem habetur perfecta & conſummata abdicatio & deſertio ſtatus Religioſi, ſicque nova ejuſdem ſtatus aſſumptio non poteſt cenſeri continuata cum priori.

Hinc inferes 1. Novitium, qui dimiſit habitum animo redeundi ad ſæculum, ſi antequam exeat e Conventu, facti pœnitens habitum reaſſumat, non interrupiſſe Novitiatum, quia quamdiu manet in Conventu, eſt adhuc aliquo modo in ſtatu Religioſo, & nondum conſummata deſertio, inferes 2. Novitium, qui retento habitu exit ſine licentia e Conventu, etiam animo non redeundi; ſi iſte animus non manifeſtetur exterius per aliquam circumſtantiam, qualis eſſe poteſt diuturnior permanentia extra Conventum, non interrumpere Novitiatum; quia delatio habitus eſt magnum ſignum permanentiæ in ſtatu Religioſo: nec obſtat animus interior non redeundi, ſi non manifeſtetur exterius, quia cum Religio ſit ſtatus viſibilis in facie Eccleſiæ, ita continuatio vel diſcontinuatio Novitiatus, qui eſt hujus ſtatus inchoatio, debet eſſe viſibilis in facie Eccleſiæ; unde cum Eccleſia non judicet de internis, quivis animus Religioni contrarius, ſi non manifeſtetur exterius, non interrumpit Novitiatum, qui eſt de Jure Eccleſiaſtico. Inferes 3. Novitium, qui non dimiſſo ad ſemper, ſed depoſito tantum ad tempus habitu, exit e Conventu ſine licentia, non animo, ut patet, relinquendi Religionem, ſed ob aliam cauſam, ſive bonam puta ad fugiendam ſævitiam Magiſtri, ad recurrendum ad Superiores majores, &c. ſive malam, ut ad fornicandum, ad tripudiandum, &c. non interrumpere Novitiatum; quia licet ſit inobediens actu, non abjicit tamen ſtatum & obligationem obediendi, cum intendat redire & ſit paratus ſubire pœnas inobedientibus debitas; ſolus autem ſtatus & deputatio ſeu obligatio ad experimentum obedientiæ ſecundum Regulam eſt de ſubſtantia Novitiatus, non actualis obedientia aut actuale experimentum auſteritatum ut patet v. g. in Novitio, qui ſine licentia abeſt a Choro, comedit carnes in cella, frangit ſilentium, &c. Si tamen diu maneat extra Conventum ſine habitu & licentia, juſte præſumitur abjeciſſe animum redeundi, & Novitiatum ejus interrumpi. Inferes 4. Novitium injuſte expulſum non ſic diſcontinuare Novitiatum, ut ſi poſtea readmittatur, debeat ex integro novum Novitiatum incipere; quia nemo ſine culpa debet privari jure ſuo; debet tamen adimplere annum integrum Novitiatus, non computato tempore abſentiæ, quia non cenſebatur eo tempore Novitius. Ita tutius & nobis probabilius.

Dico 4. Infirmitas Novitii poſt ſuſceptum habitum, etſi durans per totum annum non diſcontinuat Novitiatum, ita ut expleto anno, ſi aliunde ſit habilis ad Religionem, poſſit admitti ad Profeſſionem; quia ut jam ſæpe dictum eſt, non tenetur Novitius omnes Religionis auſteritates in individuo & in ſpecie experiri, ſed ſufficit, ſi experiatur in genere perſeverando per annum ſub obedientia Prælati. Inſuper non poteſt quis melius experiri ſtatum Religionis, & ejus auſteritatem quam in infirmitate, & aliunde Religio mores Novitii poteſt probare ex modo vivendi in infirmitate.

Dico 5. Si poſt ſuſceptum habitum ſuperveniat amentia accidentalis cauſata ex morbo, ut phrænesis ex violenta febri, non interrumpit nec ſuſpendit Novitiatum, Patet 1. ex praxi communi omnium Religioſorum. 2. Quia talis amentia non habet in Novitio cauſam ſtabilem & permanentem, ſed eſt accidentalis effectus infirmitatis, qui non durat niſi per aliquot dies: unde perinde eſt ac ſi Novitius eo tempore letargo laboraret & dormiret.

Si autem amentia proveniat ex propria cauſa, ſcilicet ex perturbatione cerebri, & duret per aliquot menſes aut etiam per menſem, non equidem diſcontinuat Novitiatum, quia Novitius ratione carens non abdicat ſtatum, ſed ſuſpendit & eſt complendus per tantum tempus, quanto amentia laboravit; quia uſus rationis eſt de eſſentia probationis humanæ, qualem leges præcipiunt: ſi tamen per paucos dies puta per decem aut duodecim dies duraret ſicut phrænesis ex morbo, idem ac de iſto foret dicendum, ſcilicet, quod nec diſcontinuet nec ſuſpendat novitiatum, quia iſta ſunt moraliter ſumenda & definienda, moraliter autem parum pro nihilo reputatur. Ita communiter Canoniſtæ.

Dices. Canon *Si tenor* de Regularibus lib. 3. Tit. 31. videtur nihil aliud exigere, quam quod Novitius ſit mentis compos, quando Profeſſionem emittit; dicit enim Novitium ſatuum non eſſe Monachum, *niſi poſtquam mentis factus eſt compos, ſpontanea voluntate Profeſſionem fecerit Monachalem*. Ergo.

R. N. Ant. ad Prob. Equidem Canon requirit, quod profitens ſit mentis compos; non vero dicit, quod non debuerit eſſe mentis compos tempore Novitiatus. Inſuper iſte Canon eſt Innocentii III. quo tempore annus continuus non erat de ſubſtantia Novitiatus, ſicut nunc eſt poſt Alexand. IV. c. *Non ſolum* in 6. poſt Decretum Trid.

§. VI. *Variæ Quæſtiones circa præcedentem materiam diſcutiuntur.*

PETES 1. Utrum qui ficte ingreditur Religionem animo non profitendi, valide incipiat & peragat Novitiatum. Item utrum qui tempore Novitiatus mutat animum, quem prius habuerat profitendi; non interrumpat Novitiatum? R. & primum valide incipere & peragere Novitiatum, & ſecundum illum non interrumpere, ita ut ſi uterque finito anno Novitiatus intendat ſincere profiteri, valide profiteatur abſque novo Novitiatu; quia Novitiatus eſt tantum de jure poſitivo; jus autem poſitivum præcipiens Novitiatum non præcipit intentionem, quæ eſt actus internus, & non eſt neceſſaria ad probationem & mutuum experimentum, quod lex intendit.

Idem dicendum de eo, qui vi aut metu ſuſcipit habitum, & in eo perſeverat uſque ad finem anni, modo ceſſante vi aut metu libere profiteatur; quia licet vis & metus repugnent Profeſſioni, non repugnant tamen Novitiatui, cui ſufficit, quod Novitius ex quacumque voluntate etiam coacta ſit per annum ſub habitu Religionis & obedientia Superioris in ſtatu experiendi tam active quam paſſive Religionem, id enim & nihil aliud præcipit lex Novitiatus.

Petes 2. Utrum, qui abſoluto anno Novitiatus, non emiſſa Profeſſione ſive tacita, ſive expreſſa exit e Conventu, ſive cum licentia, ſive ſine licentia, ſive retento, ſive dimiſſo habitu & animo non redeundi, ſi poſtea, redeat, poſſit valide profiteri abſque novo anno Novitiatus? R. affirmative, niſi Religionis aut perſonæ conditio ſit ita mutata, ut neceſſarium ſit novum experimentum annuale.

Ita declaravit S. Cong. Concilii 27. Feb. 1597. pro iis, qui redeunt ad ſæculum cum licentia, & 12. Febr. 1598. pro iis, qui exeunt ſine licentia, his verbis: *Propoſito dubio, an Novitia, quæ finito anno Novitiatus exivit a Monaſterio abſque licentia Ordinarii, iterum reverſa, poſſit ſine nova probatione ad Profeſſionem emittendam admitti? die 12. Febr. 1598. S. Congregatio cenſuit poſſe, niſi conditio Religionis aut perſonæ ſit mutata; idque a Superioribus Monaſterii diligenter eſt diſpiciendum.*

In-

Intellige mutationem talem, quæ neceſſario requirat experimentum, qualis non eſt ſimplex mutatio animi, ſeu propoſitum redeundi ad ſæculum, ut patet ex laudatis declarationibus: equidem hæc animi mutatio, quæ forte animi levitatem & inconſtantiam Novitii indicat, poteſt inducere Religionem, ut non admittat amplius aut differat Profeſſionem, non tamen ut exigat Novitiatum annualem.

Ratio præter laudatas declarationes ſuffragatur; quia annus Novitiatus non eſt neceſſarius Profeſſioni ex natura rei, ſed ſolo jure poſitivo; unde eo ſecluſo & attento ſolo jure naturæ, poſſet quis profiteri Religionem in ipſa ſuſceptione habitus vel ſtatim poſt: Jus autem poſitivum præcipiens annum Novitiatus non præcipit, ſaltem ſub pœna nullitatis, Profeſſionem faciendam ſtatim poſt annum Novitiatus; poteſt enim ultra annum prorogari Novitiatus, ut ſuperius dixi. Si ergo medio tempore exeat Novitius, & poſtea redeat, virtute prioris Novitiatus ſecundum legem peracti, poterit profiteri, cum & ipſa auſteritates Ordinis, & Religio ipſius mores ſufficienter, ſecundum præſcriptum legis, exploraverint. Excipe cum S. Congregatione, niſi conditio Novitii aut Conventus ſit adeo mutata, ut novum experimentum ſit neceſſarium. Ita pluſquam viginti Auctores quos citat & ſequitur Paſſerinus contra Suarem, Pedrinum, Palaum, & Vechium, qui adhæret P. Henno,

Dices. Trid. Seſſ. 25. c. 15. de Regul. ſtatuit, ut poſt annum a ſuſceptione habitus Novitius Profeſſionem emittat: & cap. 16. decernit, ut finito anno Novitiatus, Novitius admittatur aut ejiciatur. Ergo præcipit continuationem anni Novitiatus cum Profeſſione. R. 1. N. Conſ. Nihil enim aliud intendit Concilium his decretis niſi prohibere, ne Profeſſio fiat ante annum Novitiatus, non vero prohibere, ne Profeſſio poſſit differri ultra annum; ut oſtendi ſupra. 2. Dato Conſeq. iſta decreta non ſunt irritantia, ſed prohibentia tantum aut præcipientia.

Inſtes. Ergo poteſt quis poſt decem annos & amplius profiteri. R. N. Illationem; quia moraliter loquendo impoſſibile eſt, quod per 10. annos, aut amplius conditio perſonæ, aut Conventus non ſit mutata, aut ſaltem non ſit dubium de mutatione perſonæ, quo caſu neceſſarium eſt novum experimentum; ſed ſi ſupponatur ex nulla parte factam eſſe mutationem, & id utrique parti conſtet, quod tamen vix eſt credibile, tunc non eſſet neceſſarium novum experimentum, & admittenda eſſet illatio,

Petes 3. Utrum tranſeuntibus ab una ad aliam Religionem neceſſarius ſit novus & integer annus probationis? R. 1. Tranſeuntibus ab uno Conventu ad alium, aut ab una Provincia ad aliam, ſive arctiorem, ſive laxiorem intra eundem Ordinem, & ſub eodem Generali, non eſt neceſſarius novus annus probationis; quia non ſunt diverſæ Religiones: In una enim parte ſeu Provincia, in qua ſtrictius vivitur ſub eodem Generali, nihil præcipitur, ut ſuppono, quod ſit ſupra Regulam, & Leges fundamentales Ordinis; unde eſt ſimpliciter una Regula & una ejuſdem Regulæ Profeſſio. Patet in Ordine noſtro, in quo, qui a quibuſdam dicuntur *Reformati*, ab illis non differunt niſi in obſervantia exactiori ejuſdem Regulæ & earumdem Conſtitutionum, & quod non utantur tam facile diſpenſationibus, ſicut alii utuntur. Aliud dicendum foret, ſi in Provinca, ad quam tranſit, aliquid gravis momenti foret additum ſuper Regulam, etiamſi eſſet ſub eodem Generali, propter rationes ſequentis Reſponſionis. R. 2. Tranſeuntibus ab una Religione ad aliam ſive ſtrictiorem ſive laxiorem neceſſarius eſt novus annus probationis; quia licet ſubſtantialia Religionis, ſcilicet tria vota eſſentialia, ſint eadem in omnibus Religionibus, diverſæ tamen ſunt Regulæ & Conſtitutiones, in quibus neceſſe eſt probari Novitium.

Inſuper. Ex una parte Religio, ad quam fit tranſitus, jure ſuſpicatur hunc tranſitum fieri ex levitate & temeritate, atque tranſeuntem eſſe inconſtantem, inquietum, turbulentum, vel obedientiæ parum aſſuetum. Ex altera parte timere ſibi debet tranſiens, ne vel deficiat a fervore, vel angatur ſcrupulis, vel non valeat alterius Ordinis moribus accommodari. Quod ſi ad laxiorem Ordinem tranſeat, facile contingere poteſt, quod ex affectu auſterioris vitæ mores Religioſorum in Ordine laxiori viventium deſpiciat & carpat, Religioſique viciſſim ejus aſperitatem & cenſuram ægre ferant, ſicque oriantur diſcordiæ, & pax turbetur. Ita communiter Auctores; ita communis omnium Religionum praxis, eſtque Sententia probabilior & tutior; & ideo abſolute tenenda in praxi, ubi agitur de nullitate Profeſſionis.

Petes 4. Utrum Novitii gaudeant omnibus privilegiis Profeſſorum? R. affirmative; quia ſecundum jura in favorabilibus reputantur Religioſi; & æquum eſt, ut qui ſentit incommodum, ſentiat & commodum. Hinc. 1. Gaudent Privilegio Canonis; *ſi quis ſuadente*, &c. & fori, ita, ut pro delicto, aut debito non poſſint conveniri a Judice Sæculari, vel Epiſcopo, niſi ſe illi ſubjiciant, vel non ſint Religionis exempte. 2. Eximuntur a Gabellis & tributis. 3. Poſſunt per Prælatus, aut per alios legitime deputatos abſolvi ab omnibus peccatis, pœnis, Cenſuris, & irregularitatibus, a quibus abſolvi poſſunt Profeſſi; ita ut ſi egrediantur, non reviviſcant ea, a quibus fuerunt abſoluti; quia non ſecus ac Profeſſi fuerunt abſolute & ſimpliciter abſoluti. 4. Poſſunt confiteri Religioſis a Superiore deputatis, etſi non approbatis ab Ordinario.

Utrum autem poſſint etiam valide confiteri aliis ſive Regularibus ſive Sæcularibus a ſolo Ordinario approbatis & a Superiore non deputatis? Quidam affirmant; quia ſunt adhuc de facto ſæculares. Alii negant; quia nemo poteſt valide confiteri niſi proprio Sacerdoti, vel alteri de ejus licentia; proprius autem Sacerdos Novitii eſt Prælatus Monaſterii. Proprius enim cujuſlibet fidelis Sacerdos eſt ille, in cujus diſtrictu fidelis habet domicilium; Novitius autem habet domicilium in Monaſterio. Adde, quod ſi Epiſcopus eſſet proprius Sacerdos Novitii, is non poſſet confiteri niſi Sacerdoti ab Epiſcopo approbato & deputato, quod ex generali praxi contraria conſtat eſſe falſum. Hæc Sententia mihi eſt valde probabilis, & cum ſit tutior, tenenda eſt in praxi.

Petes 5. Quam poteſtatem habeat Prælatus Regularis in Novitios? R. non habere poteſtatem patriam & dominativam, qualem habet in Profeſſos; quia Novitii nondum ſe abſolute tradiderunt Religioni: ſed habent poteſtatem juriſdictionis, qualem habet Epiſcopus in Clericos. Ita jura concedunt; tum quia id neceſſarium eſt ad bonum regimen Conventus & Novitii; tum quia æquum eſt, ut qui eximitur a juriſdictione Epiſcopali & Sæculari, ſubjiciatur Regulari. Hinc Prælatus Regularis non poteſt irritare ſimpliciter vota Novitiorum; poteſt tamen in illis diſpenſare.

ARTICULUS III.

De Profeſſione Religioſa.

§. I. *Quid & quotuplex ſit Profeſſio Religioſa.*

Dico. 1. Profeſſio Religioſa non eſt ſimplex promiſſio, ut in voto ſimplici, ſed eſt ſimul ſui traditio ad cultum divinum, ſeu ad vivendum caſte, ſine proprio, & ſub obedientia in Religione approbata, & ſimul traditionem acceptante. Prob. Quod quis ſe privet, non ſolum dominio, ſed etiam uſu libero ſui, ſuæ libertatis, ſui corporis, & ſuarum rerum, non fit niſi traditione, per quam ſe alteri donat, atque in illum ſui dominium transfert. Atqui in Religioſa Profeſſione profitens ſe ſui, ſuæ libertatis, & ſuarum rerum dominio & uſu libero privat, illudque dominium Religioni transfert. Unde perinde eſt ac ſi quis alteri promitteret fructus agri & promittendo daret ipſum agrum, ſeque obligaret ad illum excolendum juxta voluntatem acceptantis.

Iſta autem traditio non fit per aliquem contractum reciprocum, & utrimque obligatorium, quod Religioſus ſe mancipat & obligat Religioni ad obſequia ſpiritualia, & Religio ſe obligat profitenti ad ejus alimenta & veſtimenta; id enim foret aperte ſimoniacum; ſed eſt donatio, & traditio liberalis ex parte profitentis ad ſuam propriam utilitatem & perfectionem, & acceptationem ex parte Religionis. Quod autem Religio teneatur ad alimenta & veſtimenta profitentis, non eſt ex vi alicujus pacti vel contractus, ſed ex vi inſtitutionis vitæ monaſticæ, & quia Monaſteriorum bona inſtituta & ordinata ſunt in victum & amictum Religioſorum. Et ſane turpe foret, quod Religioſus ſe daret Religioni principaliter & ex pacto, ut aleretur ab ea, & quod Religio daret illi alimenta ut pretium converſionis in Deum

Qui ſint admittendi ad Profeſſionem, qui rejiciendi, patet ex ſupra dictis Art. 1. hujus Diſſert. Quibus adde, quod tam Profeſſio, quam acceptatio debeant eſſe liberæ. Unde gravis metus injuſte incuſſus in ordine ad Profeſſionem emittendam, vel ad ejus acceptationem per Religionem, utramque irritat, ut dixi de Contractibus Diſſert. 1. Art. 4.

Dico 2. Duplex diſtinguitur Profeſſio, expreſſa, quæ verbis, & tacita, quæ factis exprimitur; & de qua jura loquuntur in pluribus locis. Non differunt eſſentialiter, ut patet, ſed in modo tantum. Unde conditiones, quæ requiruntur ad Profeſſionem expreſſam, ut ſit licita & valida, requiruntur pariter ad tacitam. Ut ergo ſit Profeſſio tacita, requiritur ex una parte, quod actus, per quem dicitur induci, fiat ſciente & conſentiente eo, ad quem ſpectat admittere ad Profeſſionem; non eſt enim Profeſſio Religioſa, niſi acceptata a Religione: ex altera parte, quod Novitius exercens actum inductivum Profeſſionis, illum cognoſcat ut talem & intendat per eum profiteri; hoc enim eſt de eſſentia Profeſſionis. Unde fit, quod ratæ

ſint Profeſſiones tacitæ coram Deo; quia rari ſunt Novitii, qui intendunt aliter profiteri, quam verbis expreſſis, licet in foro fori poſſint præſumi Profeſſi. Pontas dicit ex variis Sententiis Curiarum Supremarum Profeſſiones tacitas in Gallia non amplius admitti.

Duplici modo inducitur Profeſſio tacita, vel geſtando habitum proprium Profeſſis, vel exercendo actus ipſis proprios, prout habetur in variis textibus juris. Quantum ad 1. obſervandum eſt, quod in pluribus Religionibus habitus Novitiorum ſit diſtinctus ab habitu Profeſſorum, ſive in aliquo permanente, ut in colore, vel forma, vel ſciſſura, ſive in aliqua actione tranſeunte, ut ſi habitus Profeſſorum benedicatur ſolemniter, non habitus Novitiorum, vel ſi habitus Profeſſorum de jure detur in uno loco, puta in Choro, & habitus Novitiorum in alio, puta in Capitulo; vel ſi ille de jure detur ab uno Superiore, puta a Provinciali, & iſte ab alio, puta a Priore, &c. In quibuſdam autem aliis Regionibus habitus Novitiorum eſt indiſtinctus ab habitu Profeſſorum, ut in noſtra Prædicatorum Ordine, quamvis enim habitus Profeſſorum benedicatur & non habitus Novitiorum, notet tamen Paſſarinus, quod hæc cæremonia non ſit ſolemnis, nec neceſſaria, ſed accidentalis.

Quantum ad 2. Actus proprii Profeſſis dicuntur, qui ſunt vel jure tales, ut vox activa & paſſiva in Electionibus, ſusceptio ſacrorum Ordinum, &c. vel ex conſuetudine, ut certæ oblationes a Profeſſis fieri ſolitæ Cap. *Vidua* de Regularibus l. 3. Tit. 31. Qui ergo depoſito habitu Novitiorum geſtat habitum Profeſſorum, aut qui in habitu communi Novitiis & Profeſſis exercet aliquem actum proprium Profeſſis, in foro exteriori præſumitur Profeſſus.

Dixi, *in foro exteriori*; quia in foro interiori & coram Deo nulla eſt Profeſſio, ut ſupra dictum eſt, ſine intentione expreſſa profitendi in Novitio & acceptandi in Religione vel in Superiore. Unde ſi fiat proteſtatio in contrarium, ſive ex parte Novitii, ſive ex parte Religionis, neque geſtatio habitus proprii Profeſſis, neque exercitium actuum illis proprium etiam in foro exteriori, inducunt Profeſſionem.

§. II. *De Effectibus Profeſſionis validæ.*

PRimus effectus Profeſſionis validæ eſt, quod Profeſſus non ſit amplius ſui juris, ſed quod tranſeat ſub poteſtate & Dominio Religionis ratione traditionis, per quam ſelpſum totum Religioni donando tradit, & hanc traditionem voto conſecrat atque confirmat. Unde oritur ex parte Religionis vi vitæ cœnobiticæ & ex natura bonorum Monaſterii, ut jam dixi, obligatio ſubminiſtrandi neceſſaria Profeſſo. Secundus effectus (*Hic q. 189. a. 3. ad 3.*) eſt remiſſio omnium pœnarum peccatis debitarum, non ex opere operato, quia Profeſſio non eſt Sacramentum, ſed ex excellentia operis, quod eſt condigna ſatisfactio pro tota pœna peccatis debita. Unde ſecundum S. Hieron. Ep. 8. 25. & S. Bernardum lib. de Præcepto & Diſpenſat. Profeſſio Religioſa comparatur Baptiſmo. Adde quod Summi Pontifices conceſſerunt Indulgentiam plenariam profitentibus. Note tamen, quod profeſſio debeat fieri in ſtatu gratiæ; non enim remittitur pœna, niſi remiſſa culpa. Tertius effectus eſt extinctio omnium votorum Profeſſionem præcedentium, ſive ſint reſervata, ſive non, ſive realia, ſive perſonalia, ſive in ſæculo, ſive in Novitiatu emiſſa. Ita S. Th. quem unanimiter ſequuntur Theologi. Sic autem habet S. Doct. 2. 2. q. 88. a. 12. ad 1. *Dicendum*, inquit, *quod omnia alia vota ſunt quorumdam particularium operum; ſed per Religionem homo totam vitam ſuam Dei obſequio deputat; particulare autem in univerſali includitur, & ideo Decretalis dicit, quod* reus voti fracti non habetur, qui temporale obſequium in perpetuam Religionis obſervantiam commutat. *Nec tamen Religionem ingrediens tenetur implere vota vel orationum, vel aliorum hujuſmodi, quæ exiſtens in ſæculo fecit, quia Religionem ingrediens moritur priori vitæ. Et etiam ſingulares obſervantiæ Religioni non competunt, & Religionis onus ſatis hominem onerat, ut alia ſuperaddere non oportest*. Idem docet hic q. 189. a. 3. ad 3. & in 4. d. 38. q. 1. a. 4. ad 1. & 2.

Sed quæſtio eſt, utrum iſta extinctio votorum fiat ipſo jure vi Profeſſionis independenter ab intentione Profitentis? R. probabilius & communius affirmative. Et eſt expreſſa Sententia D. Th. qui loco cit. in 4. ad 1. dicit: *Ex ipſa vi voti Religionis a prioribus votis eſt abſolutus rationibus dictis*. Rationes autem dictæ, quas habet ibid. & quas retulimus ſupra ex 2. 2. q. 88. probant ſic fieri tam jure naturali divino, quam Eccleſiaſtico.

Jure naturali divino probatur. Profeſſio Religioſa habet ſe ad particularia vota prius emiſſa, ut totum ad partes, quatenus omnia illa particularia vota continentur formaliter vel eminenter in voto Profeſſionis. Ergo. Prob. Ant. deductione: ſic votum Caſtitatis continetur formaliter in voto Profeſſionis; vota eleemoſynarum, largitionum, oblationum, &c. eminenter continentur in voto paupertatis; certo enim homo perfectiori modo ſolvit Deo omne debitum pecuniarium, dum per Profeſſionem dat Deo totum, quod habet, & quod habere poteſt in poſterum. Tandem alia opera honeſta, quæ poſſunt eſſe materia votorum particularium, quæ poſſunt exerceri ab homine in ſtatu Religioſo; eminentius continentur in voto obedientiæ, quo homo ſe totum & ſua opera dat Deo. Ergo. Hinc vere dixit S. Th. loco cit. in 4. ad 2. quod Profeſſio Religioſe ſit *quodammodo ampliatio voti, magis quam commutatio*. Confir. Homo per Profeſſionem religioſam moritur priori vitæ, id eſt voluntati & libertati, ita ut non ſit amplius ſui juris, ſed juris Religionis & Dei; ergo non amplius tenetur priori obligationi, quæ ex privata ſua voluntate ortum habebat.

Jure Eccleſiaſtico prob. ex Cap. *Scripturæ* de voto, ubi dicitur univerſaliter de omnibus votis: *Reus voti fracti non habetur, qui temporale obſequium in perpetuam Religionis obſervantiam commutat*; ubi hæc vox *commutat* ſignificat quidem actum hominis, ſed qui in ipſa Profeſſione conſiſtit, non in ſpeciali Profitentis Intentione: eſt enim ſenſus apertus, quod profitendo commutat; quia ſcilicet ipſa Profeſſione commutat. Confir. ex Cap. penultimo de Regularibus in 6. ubi dicitur, quod qui voverat ingredi Religionem ſtrictiorem, & profitetur ſolemniter in laxiori, licet peccet, prius ejus votum ſimplex ſit extinctum per ſolemne. Nuſquam enim hic eſt exceptio juris communis, ſed eſt reſolutio ex ipſo jure communi, hujus enim reſolutionis hæc affertur ratio: *Quia voto priori tanquam ſimplici per ſecundum ſolemne noſcitur derogatum*. Audis, non *deroget*, ſed *noſcitur derogatum*; a quo autem derogatum, niſi ab ipſo jure communi, tam naturali divino, quam Eccleſiaſtico, ut probatum eſt. Hinc vides quantum a vero aberrat idem Henno, dum dicit S. Th. non eſſe contrarium oppoſitæ Sententiæ; ſi quidem non ſolum omnes rationes, quas protulimus ſicut ex ipſo, ſed ipſe in terminis dicat, quod profitens *ex ipſa vi voti Religionis a prioribus votis ſit abſolutus*. Hic error frequens eſt in iſto Auctore, ubi agitur de mente S. Thom.

Quartus effectus eſt diſſolvere præcedens matrimonium ratum, non conſummatum, & dirimere ſubſequens contractum. Trid. Seſſ. 24. Cap. 6. & 9. De iſto matrimonii impedimento, vide plura in Theologia noſtra, Tract. de Impedimentis matrimonii.

Quintus effectus eſt tollere irregularitatem ortam ex defectu natalium in ordine ad ſacros Ordines ſuſcipiendos, non tamen in ordine ad Prælaturas & dignitates c. 1. de filiis Presbyterorum. Item tollere inhabilitatem ad teſtificandum; ita ut Profeſſus poſſit teſtificari judicialiter; quamvis antea ratione perjurii, aut furti, fuiſſet ad id declaratus inhabilis. Authent. de Monachis Collat. 1. Sextus effectus eſt eximere Profeſſum a patria poteſtate, in his ſcilicet, in quibus eſt utile filio ab ejuſmodi poteſtate eſſe liberum, ſecus in iis, in quibus id caderet in ejus damnum. Item a Juriſdictione Laicali, ita ut Profeſſus gaudeat Privilegio fori & Canonis, ut dixi de Novitiis. Denique a Juriſdictione Ordinarii.

Opponet contra hoc ultimum caput *Volentes* de Privilegiis in 6. ubi Innocentius IV. in Concil. Lateran. declarat exemptos ſubjici Juriſdictioni Ordinarii in tribus caſibus, ſcilicet ratione delicti, contractus initi, & rei litigioſæ, ſi hæc fiant aut exiſtant intra locum exemptionis. Et Trid. Seſſ. 7. c. 14. hanc declarationem confirmat & innovat. R. Caput *Volentes* loqui in hac exceptione de exemptis localiter tantum, non de exemptis perſonaliter, quales ſunt hodie plerumque Regulares ex quibuſdam Conſtitutionibus ſequentium Pontificum; qui etiam expreſſe huic Decretali ad abundantiorem cautelam derogarunt; exemptio autem perſonalis ubique afficit exemptum. Veritas hujus Reſponſionis patet ex ipſa Decretali. Nam ibid. §. *In omnes* agens de exemptis perſonaliter quantum ad Cenſuras declarat, quod Epiſcopus non poſſit Monachos *pro ulla cauſa, ullove loco interdicere, ſuſpendere, vel excommunicare*. Unde ad Trid. dicendum eſt ipſum innovaſſe hoc decretum in ſuo ſenſu, ſcilicet quoad exemptos localiter tantum. Idque patet tum ex citato c. 14. ubi Concilium in cauſis miſerabilium perſonarum ſubjicit Regulares Epiſcopi *ut delegatis a S. Sede*: ſimiliter ſeſſ. 6. c. 3. Ex quo evidenter conſtat, quod non agnoſcat in eis juriſdictionem ordinariam in Regulares. Sed quod rem decretorie conficit, Paulus V. conſtit. *Religioſorum* data 14. Aug. 1607. declarat Regulares non comprehendi ſub Decretali *Volentes*, neque ſub Decretis Concilii Trid. ſeſſ. 7. cap. 14. & ſeſſ. 24. cap. 10.

ARTICULUS IV.

De Profeſſione invalida.

§. I. Utrum Profeſſio invalida habeat aliquem effectum?

Quidam volunt Profeſſionem invalidam defectu alicujus conditionis jure poſitivo requiſitæ valere in ratione voti ſimplicis, tum ad Religionem alteram profitendam, tum ad caſtitatem ſervandam. Contra quos

Dico. Probabilius videtur Profeſſionem quovis jure invalidam nullum habere effectum. Prob. Profeſſio Religioſa non eſt ſimplex promiſſio vitæ regularis facta Deo, ſed eſt ſui traditio & donatio ad vitam regularem, in hac ſpecifica & individua Religione acceptante, quam donationem profitens voto facto Deo confirmat & ſigillat: ergo ex quovis capite ſit invalida donatio, eſt pariter invalidum votum de ea emiſſum, ſicque nullam inducens obligationem etiam voti ſimplicis, ſive ad Religionem in communi, ſive ad caſtitatem ſervandam.

Unde Trid. Seſſ. 25. cap. 15. de Profeſſione invalida defectu ætatis 16. annorum aut anni Novitiatus, quæ ſunt ſolemnitates a jure poſitivo requiſitæ, declarat, quod *ſit nulla, nullamve inducat obligationem ad alicujus Regulæ vel Religionis, vel Ordinis obſervationem, aut ad alios quoſcumque effectus*. Hi autem termini univerſales excludunt omnem prorſus obligationem etiam voti ſimplicis. Quod propter identitatem rationis videtur dicendum de aliis ſimilibus caſibus.

Dices 1. Secundum jura antiqua quædam Profeſſiones invalidæ cenſentur valere, vel ad Religionem in communi, vel ad caſtitatem ſervandam in ſæculo. Ergo. R. Jura antiqua ſic cenſuiſſe ex præſumptione, quod Profeſſioni acceſſiſſet votum ſimplex, ſive antecedens, ſive concomitans, ſive ſubſequens Profeſſionem, ut ſi quis prius voviſſet ſimpliciter ingredi Religionem, vel ſervare caſtitatem, & ut vel ſimpliciter, vel melius voto ſatisfaciat, Religionem profitetur, ſuppoſita nullitate Profeſſionis remanet obligatio voti ſimplicis; ſed ſecluſo ſimili voto ſimplici nulla reſtat obligatio præciſe ex Profeſſione invalida.

Dices 2. Leg. tam Auguſtini ff. de ſervit. & cap. unic. de ſponſ. in 6. ſtatuitur hæc Regula: *Quando actus non valet ſicut fit, valet eo modo quo valere poteſt*: ergo quando Profeſſio religioſa non valet in ratione voti ſolemnis, valet ſaltem in ratione voti ſimplicis. R. hanc juris Regulam non habere locum in actibus, quorum totus valor deſumitur ab intentione agentis, ut eſt profeſſio religioſa, ſed in his actibus ſervanda eſt hæc altera Regula: *Actus tantum valet, quantum agens vult ut valeat*. Adde, quod ex prima Regula ſequeretur, quod Profeſſio religioſa non valeret tantum in ratione voti ſimplicis Caſtitatis, ut volunt Adverſarii, ſed etiam in ratione voti ſimplicis Paupertatis & Obedientiæ, quippe quæ etiam fieri & ſervari poſſunt in ſæculo.

§. II. De Reclamatione contra Profeſſionem invalidam.

Reclamare contra Profeſſionem invalidam eſt petere facultatem dimittendi habitum & ſtatum religioſum, allegando cauſas nullitatis Profeſſionis. De iſta Reclamatione extat ſpeciale decretum Concilii Trid. Seſſ. 25. Cap. 19. his verbis: *Quicumque Regularis prætendat per vim & metum ingreſſum eſſe Religionem, aut etiam dicat ante ætatem debitam profeſſum, aut aliquid ſimile; velitque habitum dimittere quacumque de cauſa, aut etiam cum habitu diſcedere ſine licentia Superiorum, non audiatur, niſi intra quinquennium tantum a die Profeſſionis, & tunc non aliter niſi cauſas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore ſuo & Ordinario. Quod ſi ante habitum ſponte dimiſerit, nullatenus ad allegandum quamcumque cauſam admittatur, ſed ad Monaſterium redire cogatur & tanquam Apoſtata puniatur; interim vero nullo privilegio ſuæ Religionis juvetur*. Circa hoc Decretum occurrunt variæ quæſtiones reſolvendæ.

Petes 1. Quos iſtud decretum comprehendat? R. comprehendere omnes Religioſos etiam militares, qui tria vota emittunt; quia ſunt vere Religioſi: item eos, qui Societati Jeſu ſunt poſt biennium incorporati; quia in Bullis SS. Pontificum ſunt etiam Religioſi. Denique omnes Moniales. Conſtat ex his terminis Decreti: *Quicumque Regularis*, qui cum ſint univerſales, omnes quovis nomine vel titulo Regulares comprehendunt. Ita communiter.

Petes 2. utrum etiam comprehendat perpetuo inhabiles ad profitendum. Item eos, qui toto tempore quinquennii non potuerunt ratificare Profeſſionem invalidam, nec reclamare ex impedimento quidem temporali, ſed toto tempore quinquennii durante, v. g. metu vel ignorantia nullitatis Profeſſionis.

Multis videtur præfatos non comprehendi. Quia Concilium determinavit quinquennium ex præſumptione, ne, quod toto eo tempore ratificaretur Profeſſio invalida quod præfati non potuerunt facere. 2. Sequeretur, quod id, quod eſt inſtitutum in bonum Religionis, cederet in ejus gravamen; dum cogeretur retinere perpetuo inhabiles aut nolentes profiteri. 3. Quia nemo cogi debet ad Religionem, cum ſit onus graviſſimum ſummæ libertate ſuſcipiendum. 4. Sequeretur, quod mulier, quæ mentito ſexu profeſſa eſſet in Monaſterio virorum, & non reclamaſſet tempore quinquennii, cogeretur in eo perpetuo manere, quod eſt abſurdum. Hinc volunt, quod iſtæ particulæ Decreti *Ex quacumque cauſa* reſtringi debeant ad habiles ad profitendum. His non obſtantibus R. probabilius nobis videri etiam cum multis præfatos ſub iſto Decreto comprehendi, excepto impedimento perpetuo facti notorii permanentis, ut explicabo infra. 1. Quia hæ particulæ *Ex quacumque cauſa*, cum ſint univerſales, comprehendunt omnes caſus; nec eſt ratio, cur reſtringantur ad ſolos habiles ad profitendum, ut patebit tum ex rationibus ſequentibus, tum ex ſolutione rationum oppoſitarum. Unde 2. Quia intentum Concilii fuit, ut judicium nullitatis Profeſſionis non eſſet penes ſolum Profeſſum, tum ne pateret lata via ad Apoſtaſias impune habendas, quod accideret, dum quiſque diceret ſe eſſe aut fuiſſe inhabilem; tum quia ſecundum ſe injuſtum eſt, ut parte inaudita auferatur ab ea, quod legitime poſſidet: poſſidet autem legitime Religio quoquo modo profeſſum. 3. Quia Concilium iſtud Decretum edidit, non ſolum ex præſumptione, quod tempore quinquennii ratificaretur Profeſſio invalida, aut ederetur tacita, ut ſupponit oppoſita Sententia, ſed etiam pro tranquillitate Religionum, quæ numquam haberetur, ſi ſub quovis prætextu liceret toto tempore vitæ Religioſis & Religioni reclamare. Et ideo ad limitandum tempus hujuſmodi litium & contentionum decrevit pro Religione, & Religioſis præſcriptionem Profeſſionis terminato quinquennio, ſive fuerit valida Profeſſio, ſive invalida.

Quidam addunt in Confirmationem hujus Sententiæ quaſdam declarationes S. Congregationis; ſed eſto forte de his declarationibus non ſatis conſtare, ſaltem ſtylus & praxis Curiæ eſt, quod nullum, elapſo quinquennio, admittat ad reclamandum, niſi via extraordinaria obtinuerit a S. Sede apertionem oris, ſeu, ut dicitur communiter, reſtitutionem in integrum. Dixi: *Excepto impedimento perpetuo facti notorii permanentis*; ut ſi mulier mentito ſexu profeſſa eſſet in Monaſterio virorum, aut vir in Monaſterio mulierum, aut Hermaphroditus perfectus & certus in alterutro; cum enim is teneretur exire, id poſſet ſe ſolo, non petita licentia, nec ſervata forma præcedentis decreti, non ſolum poſt quinquennium, ſed poſt 20. 30. annos, & amplius. Quia, inquiunt Auctores, notorium facti permanentis non eget probatione, nec requirit ordinem judicii, & quod extrinſecus patet, expreſſe probare non eſt neceſſe.; quæ enim neceſſitas probandi eum eſſe cœcum, qui non habet oculos.

Et hinc patet Reſponſio ad quartam probationem Sententiæ oppoſitæ. Ad 1. patet Reſponſio ex tertia ratione noſtræ Sententiæ, nimirum quia Concilium decretum iſtud edidit, non ex ſola præſumptione ratificationis tempore quinquennii, ſed etiam pro tranquillitate Religionum, quæ non poſſet haberi, ſi toto tempore vitæ locus eſſet reclamationi. Ad 2. R. majus eſſe inconveniens, quod Religio exponatur perpetuis litibus & contentionibus quam quod retineat Religioſum inhabilem tempore ejus vitæ. Ad 3. R. veram eſſe per ſe, ſecus per accidens ad vitandum majus inconveniens. Adde, quod pateat ipſi recurſus ad S. Sedem pro obtinenda reſtitutione in integrum. Sed

Petes 3. a quo temporis puncto incipiat iſtud quinquennium? R. non incipere, ut quidam volunt, a ceſſatione impedimenti ad profitendum, aut a ceſſatione ignorantiæ nullitatis Profeſſionis, ſed a tempore Profeſſionis ſive expreſſæ ſive tacitæ, præſumptæ ſcilicet per exercitium alicujus actus Profeſſis proprii. Conſtat tum ex Reſponſione præcedenti, tum ex his verbis expreſſis Decreti; *niſi intra quinquennium tantum a die Profeſſionis numerandum*: Ubi particulæ *niſi* & *tantum* ſic affirmant, quod ponunt, ut excludant omnes alios caſus præter expreſſum; ex quo etiam colligitur, quod iſtud quinquennium ſit numerandum de momento ad momentum: quia iſtæ particulæ ſunt taxativæ, & non admittunt ampliationem, aut diminutionem; unde nullus elapſo quinquennio a profeſſione eſt audiendus, niſi obtinuerit a Sede Apoſtolica reſtitutionem in integrum.

Quæ objici poſſunt contra hanc Reſponſionem, ſoluta ſunt in præcedenti Reſponſione.

Si dicas ulterius poſſe contingere, quod Profeſſio aut permanentia Profeſſi in Religione ſit manifeſte contra legem naturalem aut divinam, ut ſi ſit ſcandalum, quod dubius Hermaphroditus maneat in Monaſterio, aut ſi maritus prætextu adulterii uxoris Religionem profeſſus ſit, & poſt multos annos inveniatur nulliter profeſſus, eo quod ipſe ante Profeſſionem pariter adulteratus fuiſ-

ſet, & inde perdiderat jus profitendi Religionem invita uxore; foret enim aperta injuſtitia ipſum non reddere uxori: nulla autem lex humane prævelere debet legi naturali vel divinæ. R. Reſponſionem noſtrem eſſe intelligendam ſalve Lege naturali, & divine, non enim Concilium intendit peccatum, eut peccati incentivum. Attemen ceſus propoſiti non multum urgent. In 1. enim poſſet ſepereri dubius Hermaphroditus, ſic ut abſit ſcandalum, donec de ejus cauſa per Judices definiatur. In 2. equidem reſtitutio eſt de jure natureli, ſed poteſt differri ex cauſe, queiis poteſt eſſe neceſſitas cognoicendi nullitatem Profeſſionis in facie Eccleſiæ. Cæterum ſi attentis circumſtentiis lex naturalis obliget ad ſtatim, ſervenda eſt.

Ee dictis in duabus præcedentibus Reſponſionibus colliges nulli, ſive ſit dubius, ſive etiam certus de nullitate ſuæ Profeſſionis, quem tamen nullitatem poſſit in judicio probare, licere deſerere Religionem & redire ad ſæculum, non ſerveta hujus Decreti forme. Equidem ſi ſit certus de nullitate ſuæ Profeſſionis, non erit Apoſtate coram Deo, nec incurret cenſuras contre Apoſtatas latas; quia Apoſtaſia ſupponit Profeſſionem Religioſam, peccabit tamen & erit Apoſtate in foro Eccleſiæ, atque ut telis punietur. Dixi: *Quam tamen nullitatem poſſit in judicio probare*; quia exiſtimo, ſalvo meliori judicio, quod qui omnino certus eſt de nullitete ſuæ Profeſſionis, & eem nullitatem non poteſt probare, poſſit licite, ſecluſo tamen ſcandalo, ſine licentie & non ſerveta forme hujus Decreti, deſerere Religionem & redire ad ſæculum; quia Decretum non videtur comprehendere niſi eos, qui cauſa nullitetis ſuæ Profeſſionis deducere & probare poſſunt in judicio.

Petes 4. Utrum qui dimiſſo habitu receſſit ſine licentia & ideo non eſt audiendus, ſi redeat ſive ſponte, ſive coacte, poſſit, reeſſumpto habitu, audiri? R. juxte communem Sententiam affirmative; quia Concilium non prohibet audiri, ſi redeet; intellige durante quinquennio a Profeſſione, quia eo elepſo non eſt audiendus, ut dictum eſt, niſi obtinuerit reſtitutionem in integrum.

Petes 5. De quo Superiore & de quo Ordinario intelligendum ſit Decretum? R. intelligendum eſſe de Superiore locali Conventus, in quo emiſſa fuit Profeſſio, & de Ordinario Diœceſis, in qua ſitus eſt ille Conventus, ita communiter. Sub nomine Ordinerii veniunt Capitulum Sede vecente, & Vicarius Epiſcopi. Adjunxit autem Concilium Ordinarium Superiori, ut eb eis conjunctim fieret Inquiſitio & ferretur Sententia, quia Superiorem non judicavit Judicem ex omni parte integrum, eo quod agatur de re ſue, & poſſet induci vel ad dimittendum valide Profeſſum, quia eſt Religioni noxius, vel ad retinendum invelide Profeſſum, quia eſt Religioni utilis. In caſu autem, quod iſti duo Judices non conveniant, lis per Sedem Apoſtolicem eſt dirimenda.

Petes 6. Utrum in hoc juditio citandi ſint Parentes vel hæredes aut alii intereſſe habentes? R. a pluribus negeri. Attemen Paſſerinus refert Rotam irriteſſe hujuſmodi Sententias, quia non fuerant citati intereſſe habentes. Indubitatum eſt autem citandam eſſe Religionem ſeu Conventum Collegialem, qui per ſuum Procuratorem compareat.

Petes 7. Quæ bona dimiſſus, probate nullitate Profeſſionis, ſecum deferet? R. deferre 1. Quæ Religioni donavit intuitu Profeſſionis; quia hæc donete ſunt ſub conditione, quæ non purificatur. 2. Quæ in Religione ipſi donata vel legata fuerunt ab amicis eut conſanguineis ratione perſonæ, ipſius ſunt; ſecus ſi fuerint donete intuitu Religionis, licet occaſione Profeſſi. 3. Quæ ecquiſivit in Religione docendo, concionando, miniſtrando Sacramenta, &c. etiam ipſius ſunt & ſecum defert; quia eſt capax dominii, nec intendit acquirere Religioni, niſi ex errore Profeſſionis validæ, ſi enim ſciviſſet eſſe invalidam, nec ipſam retificare voluiſſet, indubie ſibi aquiſiviſſet; error eutem non tribuit verum titulum nec verum dominium.

Verum eſt quidem ſic nulliter profeſſum teneri Religioni de alimentis & veſtimentis; quia in ſæculo vixiſſet de ſuo; in Religione autem vixit de alieno. Unde ſi ſit poſſeſſor bonæ fidei, tenetur ad id in quo factus eſt ditior; ſi ſit malæ fidei, tenetur ad totum.

Si dicas ipſum interim inſerviſſe Religioni. R. obſequia communia Religionis eſſe ſimpliciter in utilitatem Religioſi operantis & non Religionis, ſicque non debere intrare compenſationem pro alimentis & veſtimentis e Religione ſubminiſtretis: ſecus autem foret dicendum, ſi obſequia eſſent ſpecielia, neceſſeria, aut utilia Religioni.

Quæ huc uſque diximus de reclamatione nulliter Profeſſi contre ſuam Profeſſionem, periter dicende ſunt de reclametione Religionis contra ejus Profeſſionem, quia ſunt correlativa, & quæ ſtatuuntur de uno correletivo, cenſentur de alio.

TRACTATUS DE MYSTERIIS CHRISTI.

Div. Thom. 3. Par. a Quæſt. 17. ad 60.

Diſcuſſis in Tractat. de Incarnatione, quæ ſpectant unionem Dei & hominis, & quæ ad illam conſequuntur, gratum fore exiſtimavi Lectori pio ac curioſo, ſi ſpeciali Tractatu expenderem cum Angelico Doctore, (*Q. 27. Præm.*) quæ Filius Dei incarnatus in natura humana ſibi unita geſſit vel paſſus eſt, etiamſi iſta Scholarum diſputationibus ſubjici non ſoleant. Expendemus itaque 1. ea quæ pertinent ad ingreſſum ejus in mundum. 2. Ea quæ pertinent ad progreſſum vitæ ipſius in hoc mundo. 3. Exitum ejus ex hoc mundo. 4. Ea quæ pertinent ad exeltationem ipſius poſt hanc vitam. Et quie beatiſſima ejus Mater pertinet ad ingreſſum ipſis in mundum, ideo ſit

DISSERTATIO I.

DE BEATISSIMA VIRGINE MARIA MATRE CHRISTI.

D. Thom. QQ. 27. 28. 29.

ARTICULUS I.

De Sanctificatione B. M. Virginis. D. Th. Q. 27.

Quatuor in hoc articulo quæruntur. I. utrum B. Virgo Mater Dei fuerit ſanctificata in utero. II. utrum per hanc ſanctificationem fomes fuerit in ea totaliter ſublatus? Dicitur fomes appetitus ſenſitivus, non ſecundum ſe, ſed ut habitualiter inclinatus ad actus contrarios rationi. III. utrum B. V. nunquam peccaverit etiam venialiter? IV. utrum habuerit plenitudinem gratiæ?

Dico 1. (*Q. 27. a. 1. c.*) Quamvis Scripture ſacra nihil dicat de ſanctificatione B. Mariæ in utero, ſicut nec de ipſius nativitate; rationabiliter tamen creditur fuiſſe in utero ſanctificatam. An in 1. vel 2. inſtanti Conceptionis, non diſputo. Vide quæ dixi de peccato originali. Prob. (*Ib.*) Rationabiliter creditur, quod illa, quæ genuit Unigenitum a Patre plenum gratiæ & veritatis, præ cæteris omnibus majore privilegio gratiæ ſanctificationis acceperit. Unde Angelus Luc. 1. ei dixit, *Ave gratia plena*. Atqui invenimus quibuſdam aliis hoc privilegium fuiſſe conceſſum, ut in utero ſanctificarentur, ſicut Jeremiæ, cui dictum eſt Jerem. 1. *Antequam exires de vulva, ſanctificavi te*. Et Jo. Bapt. de quo dictum eſt Luc. 1. *Spiritu S. replebitur adhuc ex utero Matris ſuæ*. Ergo.

Dico 2. (*Ibid. a. 3. c.*) Per hanc primam ſanctificationem fomes non fuit totaliter ſublatus in B. Virgine, ſed per ſecundam tantum in conceptione Chriſti. 1. Quia SS. PP. S. Leo ſerm. 2. de Nativ. S. Joan. Damaſc. l. 4. orthod. fid. c. 15. S. Bernard. ſerm. 3. de Purif. & Hom. 3. ſuper *Miſſus*, dicunt B. Virginem ex conceptione Chriſti fuiſſe purgatam & puriſſimam factam. Remanebat ergo tunc in ea aliquid purgendum; non peccatum, ergo infectio fomitis. 2. (*Ibid.*) Quia ſicut ante immortalitatem carnis Chriſti reſurgentis nullus adeptus fuit carnis immortalitatem; inconveniens eſſe videtur dicere, quod ante Chriſti carnem, in que nullum fuit peccatum, caro Virginis Matris ejus, aut cujuſvis alterius fuerit abſque fomite, qui dicitur lex carnis ſeu membrorum. Fuit tamen in B. V. (*Ibid.*) ligatus fomes per primam ſanctificationem, quate-

Digitized by Google

tenus per virtutem gratiæ & providentiam ſingularem cohibebantur vires inferiores, ne moverentur contra rationem. Unde ſequitur nullum unquam fuiſſe in B. V. motum inordinatum etiam indeliberatum.

Dico 3. (*Ib a. 4. o.*) B. Virgo nunquam peccavit etiam venialiter. Ita communiter SS. PP. & Theologi. Unde Trid. ſeſſ. 6. can. 23. dicit, quod Eccleſia teneat B. Virginem ex ſpeciali privilegio in tota vita ſua vitaſſe omnia peccata etiam venialia. Prob. (*Ib.*) Illos, quos Deus eligit ad aliquid, ita præparat & diſponit, ut ad id, ad quod eliguntur, inveniantur idonei: B. autem Virgo fuit divinitus electa ut eſſet Mater Dei; & ideo non eſt dubitandum quin Deus per ſuam gratiam eam ad hoc idoneam reddiderit. Subſumo: atqui non fuiſſet idonea Mater Dei, ſi peccaſſet aliquando. Ergo. Prob. Subſumptum. 1. Quia ſicut honor parentum redundat in prolem, ſecundum illud Prov. 17 *Gloriam filiorum Patres eorum*, ita per oppoſitum ignominia Matris redundaſſet in prolem. 2. Quia ſingularem affinitatem habuit ad Chriſtum, qui ab ea carnem accepit: dicitur autem 2. Cor. 6. *Quæ conventio Chriſti ad Belial*. 3. Quia ſingulari modo Dei Filius, qui eſt Dei ſapientia, in ipſa habitavit, non ſolum in anima, ſed etiam in utero: dicitur autem Sap. 1. *In malevolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis*. Ergo.

Dices 1. Chryſoſt. Hom. 45. in Matth. exponens illud Matth. 12. *Ecce Mater tua & Fratres tui foris ſtant quærentes te*, dicit: *Manifeſtum eſt, quod ſolum ex vana gloria hoc faciebant*. Et ſuper illud Joan. 2. *Vinum non habent*, dicit idem Chyſoſt. hom. 20. in Joan. quod Mater Jeſu *volebat jam eam gratiam hominum conciliare, & ſeipſam clariorem facere per Filium, & fortaſſis quid humanum patiebatur, quemadmodum & fratres ejus dicentes, manifeſta teipſum mundo*. Et poſt pauca: *Nondum enim quam oportebat, de eo opinionem habebat*. Atqui conſtat hoc totum eſſe peccatum. Ergo. R. uno verbo cum Auctore (*Ibid. ad 3.*) Chryſoſtomum in illis verbis exceſſiſſe contra communem SS. Patrum & Eccleſiæ ſenſum.

Inſt. Chriſtus Joan. 2. reprehendit Matrem dicens: *Quid mihi & tibi mulier*. Ergo peccaverat. R. hæc verba non eſſe reprehendentis, ſed inſtruentis circumſtantes ſe nihil habere commune cum Matre, ubi agitur de miraculis, quæ ſunt propria opera divinitatis, non humanitatis, quam habebat a Matre. Quod autem quidam SS. Patres dicunt verba Chriſti eſſe reprehenſionis, intelligendi ſunt non de reprehenſione proprie dicta propter culpam, ſed de reprehenſione quoad apparentiam tantum; quatenus ſi verba nude ſpectentur, habebant ſpeciem reprehenſionis; ſeu ut dicit Auctor (*Ib.*), in Matre cohibuit Dominus non inordinatum gloriæ motum quantum ad ipſam, ſed id quod ab aliis poſſet æſtimari. Quod autem addit Chriſtus: *Nondum venit hora mea:* quidam intelligunt de hora ſeu tempore mortis ſuæ, quia familiare erat Chriſto deſignare ſuam paſſionem per hanc vocem *Hora*, in qua debebat agnoſcere Matrem. Alii intelligunt de tempore patrandi miracula; quia nondum tunc omnibus innotuerat defectus vini, quod requirebat Chriſtus, ut per hoc miraculum evidentius probaret ſuam Divinitatem.

Dices 2. B. Virgo poterat orare: *Dimitte nobis debita noſtra*. Ergo. R. ſic potuiſſe orare, non in ſua, ſed in aliorum perſona.

Dico 4. (*Ib. ad 5. c.*) B. Virgo majorem præ omnibus aliis, ſive Angelis ſive hominibus, habuit gratiæ plenitudinem. Quia quanto aliquid magis appropinquat principio in aliquo genere, tanto magis participat effectum illius principii. Atqui Chriſtus eſt principium gratiæ ſecundum Divinitatem quidem auctoritative, ſecundum humanitatem vero inſtrumentaliter, & B. Virgo illi fuit propinquiſſima ſecundum humanitatem, quia ex ea accepit humanam naturam. Ergo.

ARTICULUS II.

De B. Virginis parentibus, ortu, educatione, & oblatione in Templo.

CIRCA ſeculum VIII. invaluit opinio apud Græcos, deinde apud Latinos quoſdam, B. Virginem a Parentibus Joachim & Anna ſenibus & ſterilibus miraculoſe in lucem editam eſſe, eam ætatis ſuæ anno tertio ex voto Parentum in Templo fuiſſe oblatam, ac tunc Virginitatis voto ſe adſtrinxiſſe: traditam Levitis & Sacerdotibus ad educationem, in Templo, imo in Sancto Sanctorum per 11. annos fuiſſe commoratam & cœleſti pabulo enutritam, donec annum 14. aſſecuta tradita fuerit in Matrimonium Joſepho virgæ florentis indicio deſignato, qui Virginitatem ejus cuſtodiret, non violaret. Quærimus utrum hæc omnia ſint vera?

Dico 1. Hæc omnia ſunt dubia & incerta. Quia ſunt excerpta ex ſcriptis partim ſpuriis & apocryphis, partim recentioris ætatis. Quantum ad S. Gregor. Nyſſ. qui laudatur, id refert ex hiſtoria incerti Auctoris: ſimiliter Epiſtola Evodii Apoſtolorum in Sede Antiochena Succeſſoris, quæ citatur, habetur apocrypha: cæteri ſunt recentioris ætatis.

Equidem Baronius multis argumentis probat id fieri potuiſſe, at non ſequitur ita factum eſſe, imo non fuiſſe ita factum duo ſuadent. Primum: ſi B. Virgo tanto honore tantiſque privilegiis fuiſſet decorata nunquam Judæi Chriſto in probrum vertiſſent ejus Matris vilitatem, ut ejus miracula, ſapientiam, & virtutes deprimerent; neque dixiſſent Matth. 13. *Unde huic ſapientia hæc & virtutes? Nonne hic eſt fabri filius? Nonne Mater ejus dicitur Maria? Unde ergo huic hæc omnia iſta?* Secundum: quia juxta Apoſt. Heb. 9. nemini niſi Summo Pontifici ſemel in anno licuit Sanctum Sanctorum ingredi ex Mandato Dei Exodi 30. & Levit. 17. Quæ Religio vigebat adhuc apud Judæos tempore Philonis, ut ipſe teſtatur in Libro de Legatione ad Cajum Imperatorem. Nullatenus autem eſt veriſimile Sacerdotes & Levitas admiſiſſe aut toleraſſe contra Religionem ſuam & Dei mandatum in Sancto Sanctorum commorantem puellam, cujus dignitatem & excellentiam ignorabant, neque enim eam futuram Dei Matrem ſciebant.

At, inquies, quid ergo Eccleſia celebrat die 21. Novembris ſub nomine Præſentationis B. Virginis? R. Celebrat Eccleſia actum illum pientiſſimum & generoſiſſimum, quo B. Virgo ſe adhuc tenera ætate voto Virginitatis adſtrinxit, atque profeſſione vitæ perfectioris ſe Deo dicavit atque conſecravit, quod factum eſſe in Templo creditur. An autem hæc oblatio facta fuerit a Parentibus ex voto? An triennis oblata fuerit puella? An in Sacerdotum diſciplinam tradita? An in Sanctum Sanctorum inducta & ibi undecim annis commorata? An 14. anno ætatis Joſepho floreſcentis virgæ indicio deſignato in matrimonium tradita? Nec dicit nec colit Eccleſia. Imo cum olim in oratione Feſti Præſentationis legeretur: *Deus, qui ſanctam tuam genitricem tabernaculi ſancti Spiritus poſt triennium in Templo præſentari voluiſti*; Sixtus V. juſſit hanc Orationem emendatam ſic legi, prout hodie legitur: *Deus, qui B. Mariam ſemper Virginem Spiritus ſancti habitaculum hodierna die in Templo præſentari voluiſti, præſta, quæſumus, &c.*

Dico 2. Parentes B. Virginis coluntur ab Eccleſia ſub nominibus *Joachimi & Annæ*, ſed incertum eſt, an ſint vera & propria eorum nomina, an ratione myſticæ ſignificationis tantum impoſita? *Joachim* enim hebraice ſignificat *Præparationem Domini*; *Anna* ſignificat *Gratiam*. Non pauci putant nomen proprium Patris B. Virginis eſſe *Heli*, ut dicemus dum de Geneal. Chriſti. Cæterum in id curioſius inquirere ſuperfluum reputat S. Petrus Damianus Ser. 3. de Nativit. *quia*, inquit, *Lector nimis inutiliter quærit, quod Evangeliſta narrare ſuperfluum duxit*.

ARTICULUS III.

De Virginitate B. Mariæ. D. Th. Q. 28.

DICO 1. B. Maria Virgo concepit, Virgo peperit. (*Q. 28. a. 1. & 2.*) Prima Pars eſt contra Cerinthum, qui dicebat Chriſtum ex ſemine Joſeph conceptum. Secunda contra Jovinianum, qui licet agnoſceret B. Mariam fuiſſe Virginem in conceptu, volebat tamen in partu fuiſſe corruptam, ut refert Aug. Hæreſ. 82. & L. 1. cont. Jul. c. 2. Utraque pars eſt de fide. Conſtat 1. ex illo Iſa. c. 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium*. Neque dicas cum quibuſdam Judæis vocem Hebræam *Haalma* non ſignificare Virginem, ſed puellam adoleſcentulam, ſive virginem ſive non: obſervant enim linguæ Hebraicæ periti vocem hanc *Haalma* cum articulo emphatico *ha* nullibi uſurpari in Scriptura niſi pro puella virgine. Alioquin Iſaias hoc loco prænuntiat portentum ingens & inauditum, quid vero novi & portenti haberet, ſi puella virum experta ſit filium paritura. Unde Matthæus c. 1. volens probare Chriſtum eſſe conceptum ex Spiritu S. dicit: *Hoc totum factum eſt ut adimpleretur, quod dictum eſt a Domino per Prophetam dicentem: Ecce Virgo in utero habebit & pariet filium*.

2. Conſtat ex Symbolis Apoſtol. & Conſtantinopol. in quibus dicitur Chriſtus *Conceptus ex Spiritu S. natus ex Maria Virgine*. 3. Conſtat ex perpetua Traditione Eccleſiæ. Plures congruentias pro utraque parte adfert S. Th. 1. & 2. Art. hujus Quæſt. quas videre poteſt curioſus Lector. Exivit itaque Chriſtus ex utero clauſo penetratione miraculoſa, ſicut poſt Reſurrectionem intravit ad Diſcipulos januis clauſis. Atque hinc ſequitur, quod B. Virgo peperit abſque dolore; cauſa enim dolorum in partu eſt apertura ſeu fractura clauſtrorum, quæ hic abfuit.

Dices. S. Ambroſius in c. 2. Luc. dicit de Chriſto: *Hic eſt, qui aperuit Matris ſuæ vulvam ut immaculatus exiret*. Ergo. R. (*Ibid. art. 2. opuſ.*) quod iſta apertio non ſi-

gnificat reſerationem clauſtri pudoris virginei, ſed ſolum exitum prolis de utero Matris. Unde idem Ambroſius L. de Inſtit. Virg. c. 8. dicit: *Bona porta Maria, quæ clauſa erat & non aperiebatur, tranſivit per eam Chriſtus, ſed non aperuit.*

Dico 2. (*Ib. a. 3. a.*) B. Maria poſt partum virgo permanſit.

Eſt iterum de fide contra Helvidium; qui dixit Matrem Chriſti poſt partum a Joſeph fuiſſe carnaliter cognitam, & alios genuiſſe filios.

Prob. 1. (*Ibid. in a. ſ. c.*) ex illo Ezechielis 44. *Porta hæc clauſa erit & non aperietur, & vir non tranſibit per eam, quia Dominus Deus Iſrael ingreſſus eſt per eam.* Quod exponens Aug. Serm. 18. de Temp. dicit: *Quid eſt porta in domo Domini clauſa, niſi quod Maria ſemper erit intacta? Et quid eſt, homo non tranſibit per eam, niſi quod Joſeph non cognoſcet eam? Et quid eſt, Dominus ſolus intrat & egreditur per eam, niſi quod Spiritus S. impregnavit eam, & Angelorum Dominus naſcetur per eam? Et quid eſt; clauſa erit in æternum, niſi quod Maria Virgo eſt ante partum, & Virgo in partu, & poſt partum?* Eodem ſenſu allegorice exponunt hunc locum alii SS. Patres, & Interpretes.

2. Hæc eſt Eccleſiæ Catholicæ Traditio & Fides adeo indubitata & univerſalis, ut in omnibus ſuis Officiis, Mariam ſemper Virginem, Virginem prius & poſterius, Virginem ante partum, in partu, & poſt partum, unanimi conſenſu celebret. Et hoc ipſo, quo quis profert nomen *Maria*, ſtatim Virgo intelligitur. *Neque enim*, inquit Epiphan. Hæreſ. 78. *altera videtur S. Mariæ vox & Virgo*. Unde in V. Synodo generali dicitur: *Mariæ virginitas ante partum, in partu, & poſt partum interminabilis*. 3. Suadent (*Ib. a.*) variæ rationes Auctoris. 1. Error Helvidii derogat perfectioni Chriſti, qui ſicut ſecundum divinam naturam unigenitus eſt Patris, tamquam perfectus per omnia Filius ejus, ita decuit; ut eſſet unigenitus Matris tamquam perfectiſſimum germen ejus. 2. Hic error injuriam facit Spiritui S. cujus Sacrarium fuit uterus virginalis, in quo carnem Chriſti formavit: unde non decebat, quod de cætero violaretur per commixtionem virilem. 3. Derogat dignitati & ſanctitati Matris Dei, quæ ingratiſſima videretur, ſi tanto Filio contenta non eſſet, & ſi virginitatem, quæ in ea miraculoſe conſervata fuerat, ſponte perdere vellet per carnis concubitum. 4. Etiam ipſi Joſepho eſſet ad maximam præſumptionem imputandum, ſi eam, quam revelante Angelo, de Spiritu S. Deum concepiſſe cognoverat, polluere attentaret. Ergo.

Obj. 1. Matth. 1. dicitur de Maria & Joſeph: *Antequam convenirent, inventa eſt habens de Spiritu ſancto*: quod non poteſt dici niſi de conventuris; ſicut nemo dicet de non pranſuro, antequam pranderet. Ergo. 2. Ibid. dicitur, Joſeph *accepit uxorem ſuam, & non cognoſcebat eam, donec peperit Filium ſuum primogenitum*. To *Donec* ſignificat tempus determinatum, quo fit id quod uſque ad illud tempus dilatum eſt. 3. Primogenitus non dicitur niſi qui habet fratres ſequentes. 4. Chriſtum revera habuiſſe fratres exprimit Scriptura Joan. 2. ubi dicitur; quod fratribus ſuis &c. Ergo. R. ad 1. cum S. Hieron. l. cont. Helvid. de perpet. Virg. Mariæ, quod licet particula *Antequam* ſæpe conſequentia indicet, nonnumquam tamen ea tantum, quæ cogitabantur, aut ſolebant fieri, oſtendit: nec neceſſe eſt, ut cognita vel ſolita fieri fiant cum aliquid intervenit, quod impedit ne fiant: ſicut diceretur, antequam nautæ in portu paranderent, navigaverunt, non ſignificaretur nautas pranſiſſe in portu poſtquam navigaverint, ſed eos ſolitos & cogitantes prandere in portu, abiiſſe impranſos. Ita ſimiliter cum Evangeliſta dicit, *antequam convenirent, inventa eſt*, &c. non ſignificat, quod poſtea conveniret, ſed quod dum ſecundum opinionem vulgi viderentur conventuri, prævenit conceptio per Spiritum S. ex quo factum eſt, ut ulterius non convenerint.

Ad 2. (*Ib. ad 3.*) R. ex eodem Hieron. in Comment. ad 1. c. Matth. quod quamvis *uſque* ſeu *donec* ſignificet quandoque certum tempus, quandoque etiam ſignificet tempus indefinitum; ut cum dicitur Pſ. 133. *Oculi noſtri ſemper ad Dominum, donec miſereatur noſtri*, non eſt ſenſus, quod poſt impetratam miſericordiam oculi avertantur a Deo, cum tunc debeant magis converti. Et ſecundum hunc modum loquendi ſignificantur ea, de quibus poſſet dubitari, ſi ſcripta non fuiſſent; cætera vero intelligentiæ noſtræ relinquuntur. Secundum igitur hunc modum Evangeliſta ſcribit Matrem Dei non eſſe cognitam uſque ad partum, de quo poſſet dubitari, imo contrarium præſumi, ut multo magis intelligamus cognitam non fuiſſe poſt partum.

An 3. (*Ib. ad 4.*) Primogenitus in Scripturis dicitur antequam nullus eſt genitus, ſive poſt eum alii gignantur, ſive non. Unde ſecundum legem primogenita debebant redimi, antequam aliud non naſceretur.

Ad 4. (*Ibid. ad 5.*) Secundum morem Scripturæ fratres Domini dicuntur, qui erant ejus conſanguinei; ut patet de Abraham & Loth Gen. 13. & de Laban & Jacob Gen. 29. Quoto autem gradu conſanguinitatis non conſtat. Plures volunt, quod eſſent filii Cleophæ, qui aliter dicebatur Alphæus, fratris S. Joſeph, ſicque erant ſecundo gradu. Alii dicunt, quod eſſent filii Mariæ Cleophæ Sororis B. V. & ſic reipſa erant conſanguinei Chriſti in ſecundo gradu.

ARTICULUS IV.

De voto Virginitatis a Deipara emiſſo.

Quatuor hic quærimus. 1. utrum Deipara emiſerit votum Virginitatis? 2. cujus conditionis fuerit illud votum, an conditionatum, an abſolutum? 3. quandonam emiſit? 4. an prima emiſerit?

Dico 1. (*Ib. a. 4. c.*) Deipara emiſit votum Virginitatis. Eſt contra Calviniſtas, qui inde vident probari vota monaſtica, quæ odio habent. Prob. 1. (*Ib. in a. ſ. c.*) ex reſponſo ipſius Deiparæ facto Angelo nuntianti, quod Chriſtum conciperet & pareret: *Quomodo*, inquit, *fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Quibus verbis objicit difficultatem, quam patiebatur. Iſta autem difficultas non oriebatur ex ſimplici propoſito ſervandæ Virginitatis, quod propria voluntate mutare poterat, neque ex hoc quod actum cognitionis nunquam exercuerat, partus enim proponebatur futurus ab Angelo: non repugnat autem, quod quæ nondum cognovit virum, poſtea cognoſcat & pariat; neque repugnat, quod poſtea cognoſcat & pariat; neque repugnat, quod poſtea cognoſcat, niſi votum Virginitatis emiſſum. Hanc ergo impotentiam cognoſcendi B. Virgo his verbis exprimit: *Virum non cognoſco*, id eſt, cognoſcere non poſſum, ſicut dum abſtemius dicit, *non bibo vinum*, id eſt, bibere non poſſum, vel cæcus, *lumen cœli non video*, id eſt videre non poſſum. Unde Aug. l. de S. Virginit. c. 4. dicit: *Hoc profecto non diceret, niſi Deo Virginem ſe ante voviſſet*.

Si dicas Deiparam non ignoraſſe Meſſiam naſciturum ex Virgine juxta illud Iſa. 7. *Ecce virgo concipiet & pariet*. R. id non ipſi ſtatim occurriſſe, ut ad ſe pertinens: unde dicitur turbata in ſermone Angeli. Inſuper *quomodo id fieri poſſet* (quod Meſſias naſceretur ex Virgine) *ſi ante non legeret*, inquit Ven. Beda in c. 1. Lucæ.

Prob. 2. ex SS. PP. Præter Aug. jam laudatum S. Greg. Nyſſ. orat. in diem natalem Chriſti, Venerab. Beda ſupra c. 1. Luc. Bernard. Serm. 4. ſuper *Miſſus*, S. Edmerus l. de Excellentia B. V. c. 4. & alii votum B. Virginis adſtruunt.

3. Ratio ſuffragatur. (*Ib. c.*) Perfectionis opera magis ſunt laudabilia, ſi ex voto fiant, ut docuimus 2. 2. ad art. 9. q. 88. Atqui Virginitas debuit excellere in Matre Dei, propterea quod aliis Virginibus proponenda erat in exemplum, & propter alias rationes congruentes, quas refert Auctor a 1. hujus q. Ergo.

Dico 2. (*Ibid.*) Probabile eſt Deiparam primum voviſſe Virginitatem conditionate, ſi nempe Deo placeret, aut aliud non ordinaret; poſtea, cognita Dei voluntate, & accepto ſponſo, ſecundum quod mores illius temporis exigebant, una cum ipſo abſolute voviſſe. Eſt expreſſa Sententia S. Th. non ſolum hic, ſed etiam in 4. diſt. 30. q. 2. a. 1.

Prob. Erat Deiparæ juſta ratio dubitandi, num Virginitatis votum Deo placeret, imo & timendi, ne ipſi diſpliceret. Ergo prudens & religioſa Virgo illud abſolute non emiſit, ſed conditionate, ſi Deo placeret, ne ſe exponeret periculo diſplicendi Deo. Prob. Ant. Eſto non fuerit tunc præceptum ſtrictum ſaltem ſingulis vacandi generationi, cum jam eſſet ſufficienter propagatum genus humanum & multiplicatus populus fidelis; attamen colere Virginitatem erat adhuc tunc contrarium moribus Iſraelitarum præſertim quoad mulieres. Ergo Deiparæ juſta ratio fuit, &c. Prob. Ant. 1. auctoritate Patrum. S. Aug. de bono viduit. c. 7. dicit *Sanctas fœminas propheticis temporibus nubere obedientia, non concupiſcentia compellebat*. Idem habet Hieron. l. contra Helvid. c. 10. S. Bernard. de Virgine ad illa verba Apocal. *Signum apparuit in cœlo*, dicit B. Virginem vovendo Virginitatem *Legis Moſaicæ decreta tranſcendiſſe*.

Has autem auctoritates Theologi, etiam ii, qui his nobis adverſantur, exponunt de lege improprie ſumpta pro conſuetudine, quæ tunc vigebat apud Judæos, ut omnes nuberent ad propagationem Populi fidelis, item de obedientia & neceſſitate reſpective ad hanc conſuetudinem: & bene ex ipſo Aug. qui l. de Virginit. c. 4. expendens votum a Deipara nuncupatum dicit: *Hoc Iſraelitarum mores adhuc recuſabant*. Ergo ſecundum SS. PP etiam fatentibus Adverſariis colere Virginitatem erat adhuc tunc contrarium moribus Iſraelitarum. Prob. 2. idem Ant. Licet habeamus quædam exempla virorum, qui tempore Legis manſerunt cœlibes, ut Joſue, Eliæ, Eliſæi, &c. nullam tamen legimus mulierem coluiſſe Virginitatem.

Id

Id equidem quidam opinantur de Maria Sorore Moyſis, ſed aperte contradicit Joſeph l. 3. Antiquit. c. 2. ubi dicit Mariam fuiſſe junctam Matrimonio *Huri*, qui unacum Aarone Moyſis brachia in monte ſuſtinebat, Exodi 17. Aliunde unius ſactum, ſicut non facit, ita nec deſtruit morem. Ergo.

Dices 1. SS. Patres, qui votum Virginitatis in Deipara agnoſcunt, votum ſimpliciter dicunt, nec diſtinguunt inter abſolutum, & conditionatum. 2. Quod eſt perfectius, eſt tribuendum B. Virgini: atqui perfectius eſt abſolute vovere, quam conditionate, Ergo. 3. B. Maria erat Virginibus proponenda in exemplum: iſtæ autem abſolute vovent. 4. Nulla eſt ratio, quæ cogat agnoſcere in B. V. votum tantum conditionatum. Non præceptum Legis Judaicæ vacandi generationi; quia vel nullum fuit, vel ſaltem ſpectabat communitatem, non ſingulos niſi in caſu neceſſitatis, quæ tunc non erat. Non matrimonium initum cum S. Joſeph; quia eſſentia matrimonii conſiſtit in Jure mutuo ad copulam, non in ipſo uſu copulæ, qui poteſt ſeparari a jure; Votum autem abſolutum Virginitatis non repugnat juri mutuo ad copulam, ſed ipſi tantum uſui copulæ. Ergo. R. ad 1. Argumentum eſt negativum, quod nihil probat. Inſuper non erat ratio, cur SS. PP. diſtinguerent inter votum abſolutum & conditionatum, cum utrumque B. V. emiſerit.

Si dicas, juxta SS. Patres B. V. emiſit votum abſolute ante matrimonium initum cum S. Joſeph; quod nos dicimus emiſſum tantum inito matrimonio: ſic S. Aug. l. de Virginit. c. 4. *Deſponſata eſt*, inquit, *viro juſto, non violenter ablaturo, ſed potius contra violentos cuſtodituro, quod illa jam voverat*. Et S. Greg. Nyſſ. in diem Natalis Chriſti: *Non liberorum cauſa Joſepho nupſit, quinimo neſos illi fuit cognoſcere virum*. R. laudatos Patres poſſe intelligi de voto conditionato, *Si Deus aliter non ordinaret*: quamdiu enim id non innoteſcebat illi, tenebatur voto. Adde, quod hoc argumentum militet tantum contra circumſtantiam temporis, in quo dicimus emiſſum votum abſolutum, non autem probat, quod ab initio fuerit abſolutum.

Ad 2. D. Min. Perfectius eſt vovere abſolute, quam conditionate, ſecundum ſe, C. Attentis circumſtantiis, ut ſi eſſet periculum diſplicendi Deo per votum abſolutum, N. Sic autem erat in caſo. Adde, quod Deipara etiam voverit abſolute, ut jam dictum eſt, & quidem ante Annuntiationem Angeli. Et per hoc patet reſponſio ad 3. Ad 4. R. quod neque ratione præcepti ſtricti Legis Moſaicæ, neque ratione matrimonii initi cum Joſeph dicamus Deiparam non voviſſe abſolute, ſed quia *hoc mores Iſraelitarum adhuc recuſabant*, ut dicit Aug. ſupra laud.

His tamen non obſtantibus Sententiam contrariam ut vere probabilem etiam agnoſco propter rationes mox deductas, & quia a pluribus inſignis Theologis etiam Thomiſtis propugnatur, ita ut videatur hodie communior. Et quantum ad D. Th. qui videtur aperte contrarius, obſervat noſter Serrius S. Doctorem in Sententiam voti conditionati iviſſe deluſum ſuppoſititio teſtimonio Auguſtini, a Magiſtro Sent. & Gratiano laudato, cujus ſuppoſitionem S. Th. in ſua ætate propter probatorum Codicum penuriam deprehendere non potuit. Sic enim Aug. loquentem inducunt Magiſter Sent. l. 4. d. 30. & Gratianus Can. *Sufficiat* cauſa 27. q. 2. *Virgo propoſuit ſe ſervaturam votum virginitatis in corde, ſed ipſum votum non expreſſit ore, ſubjecit ſe divinæ diſpoſitioni: propoſuit ſe perſeveraturam virginem, niſi Deus ei aliter revelaret, committens Virgo ſuam virginitatem divinæ diſpoſitioni, conſenſit in carnalem copulam, illam non appetendo, ſed divinæ inſpirationi in utroque obediendo. Poſtea vero ſimul cum viro labiis expreſſit, & uterque in virginitate permanſit*. Quo Auguſtini teſtimonio bona fide accepto Sententiam firmat S. Th. in q. cit. d. 30. q. 2. a. 2. dicens: *Et hoc eſt quod Auguſtinus in littera tradit, quod propoſuit ſe perſeveraturam virginem, niſi Deus aliter ordinaret*. Attamen nihil horum habet Aug. neque L. de Nupt. & Concup. qui apud Magiſtrum Sent. citatur in margine, neque L. de Virginitate a Gratiano notato.

Cæterum, quidquid ſit, cum utraque Sententia admittat Deiparam voviſſe abſolute virginitatem, & ſit tantum diſputatio de tempore, an ab initio, an decurſu temporis, quando novit ex divina revelatione id Deo placere, quod eſt contra Hæreticos hodiernos, reſtant argumenta eorum ſolvenda.

Obj. Præceptum erat in lege vacandi generationi, Gen. 1. v. 28. his verbis: *Creſcite & multiplicamini, & replete terram*. Quod Deus repetit poſt diluvium ibid. c. 9. v. 1. Ergo Mater Dei non potuit abſque tranſgreſſione, & peccato vovere abſolute virginitatem. R. 1. Hæc verba non eſſe Dei præcipientis, ſed benedicentis & promittentis fœcunditatem: eadem enim legimus c. 1. cit. v. 22. dicta brutis, quæ non ſunt capacia præcepti. 2. Eſto fuerit, præceptum iſtud obligabat tantum per ſe directe, & primario communitatem, non privatos niſi in caſu neceſſitatis propter propagationem generis humani, & multiplicationem populi fidelis, ut probavi in Tract. de Matrim. Diſſ. 1. a. 1. §. 2. & docet S. Th. in 4. d. 37. q. 3. a. 2. ad 2. Tempore autem B. Virginis ex neutro capite neceſſitas urgebat; ſufficienter enim propagatum erat Genus Humanum, & multiplicatus populus fidelis.

Inſt. 1. Exodi 23. v. 26. legitur: *Non erit infœcunda, & ſterilis in terra tua*. Et Deut. 7. v. 14. *Non erit in te ſterilis tam in hominibus, quam de gregibus tuis*. Ergo. R. ut ante: 1. Non eſſe prohibitionem colendæ caſtitatis, ſed promiſſionem futuræ fœcunditatis; non enim ſterilitas ſeu fœcunditas ſubjacere poteſt præcepto, cum non ſit in poteſtate hominis; neque pecora ſint capacia præcepti. 2. Si ſit præceptum, non afficit ſingulos niſi in caſu neceſſitatis, qui jam non erat.

Inſt. 2. Saltem in vet. Teſtam. Sterilitas erat probroſa, & inſtar maledictionis habebatur. Oſeæ 9. *Da eis vulvam ſterilem*. Rachel Gen. 30. ubi peperit filium, *abſtulit*, inquit, *Deus opprobrium meum*. Et contra fœcunditas pro benedictione & ſumma felicitate habebatur, Iſa. 26. *Beatus, qui habet ſemen in Sion*. Et Lucæ 1. Eliſabethæ propter natum Joannem Bapt. *Congratulabantur vicini, & cognati, quia magnificavit Dominus miſericordiam ſuam* cum illa. Ergo. R. D. Ant. Sterilitas ex impotentia in conjugatis, qui cum vellent generare non poſſunt, erat probroſa, C. Sterilitas ex electione in virginibus, quæ cum poſſent generare, nolunt majoris perfectionis ſtudio, N. Similiter de fœcunditate, eſt ſumma felicitas, & benedictio in conjugatis; quia aſſequuntur, quod optant in conjugio; at major eſt felicitas, & benedictio ſervata virginitas, quia virgines bonum excellentius, quod quæruot, ſcilicet carnis incorruptionem, aſſequuntur: juxta illud Sap. 3. *Felix eſt ſterilis incoinquinata, quæ neſcivit torum in delicto, habebit fructum in reſpectione animarum ſanctarum*.

Quantum ad quoſdam Patres, qui videntur agnoſcere legem vacandi generationi, explicuimus ſupra de lege improprie ſumpta pro moribus & conſuetudine Iſraelitarum.

Dico 3. Conſtat ex 1. Concluſione Deiparam votum virginitatis abſolutum emiſiſſe, antequam ſalutaretur ab Angelo, cui ideo reſpondit: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco*, id eſt cognoſcere non poſſum ob votum virginitatis, ut expoſui loco cit. Si namque votum fuiſſet conditione ſuſpenſum, *ſi Deo placeret, aut aliud non ordinaret*, ex nuntio Angeli ſtatim intellexiſſet id Deo non placere, ſed aliud ordinaſſe, neque reſpondiſſet, *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco*, id eſt cognoſcere non poſſum, cum ſe ſenſiſſet ſolutam a voto conditionato, conditione non purificata.

Qui tenent votum fuiſſe ab initio conditionatum, dicunt emiſſum fuiſſe abſolute poſt matrimonium contractum cum S. Joſeph: alii ante matrim. Quo vero ætatis Deiparæ anno incertum æſtimant.

Dico 4. Juxta quoſdam SS. Patres Deipara mortalium prima virginitatem vovit, eamque ex voto ſervavit. Prob. S. Bernardus Serm. de Virg. in hæc verba Apocal. *Signum magnum apparuit in Cælo*: dicit: *Propoſitum virginitatis, & ipſius quoque propoſiti novitas virginitatem carnis illuſtrat, quod videlicet in libertate Spiritus, Legis Moſaicæ decreta tranſcendens, illibatam Deo corporis & Spiritus ſanctimoniam vovit*. S. Anſelmus in ſtimulo amoris dicit Chriſto: *Deſcendiſti e regali ſolio ſublimis gloriæ tuæ in humilem & abjectam in oculis ſuis puellam primo virginitatis continentiæ voto ſigillatam*. Rupertus Abbas l. 3. in Cantica: *Quia votum egregium Deo prima voviſti, votum virginitatis*, &c.

ARTICULUS V.

De Matrimonio B. Virginis cum S. Joſeph.

VERUM extitiſſe Matrimonium inter B. Virginem & S. Joſephum probavi in Digreſſione hiſtorica ad calcem Diſſ. 3. de Matrim. illuc recurrat Lector, & ſimul conſerat Art. 5. ejuſdem Diſſ. de Objecto conſenſus matrimonialis. Hoc ſuppoſito reſtant duæ quæſtiones ſolvendæ: 1. quandonam matrimonium iſtud fuit contractum: 2. quoto utriuſque ætatis anno. Unde

Dico 1. Matrimonium inter B. Virginem & S. Joſephum non fuit contractum tribus menſibus poſt Salutationem Angelicam, quando nempe B. Virgo reverſa ex viſitatione Eliſabeth apparuit Joſepho gravida, & ipſe de Myſterio fuit inſtructus ab Angelo, ut quibuſdam Patribus viſum eſt: ſed probabilius contractum fuit, antequam B. Virgo ſalutaretur ab Angelo. Ita ſentiunt Chryſoſtomus Hom. 4. in Matth. S. Ambroſ. in Luc. c. 1. S. Bernard. hom. 2. ſuper *Miſſus*, S. Petrus Chryſol. Serm. 175. S. Th. hic q. 29. a. 2. ad 3. & alii.

Prob. 1. Idem ſecundum SS. Patres, etiam illos qui hic nobis adverſantur, Chriſtus voluit naſci ab uxorata, ut

Ma-

Matris honori conſuleretur, ne ſcilicet haberetur fornicaria. Atqui ſi poſt tres menſes tantum a conceptione juncta ſit matrimonio, apparuiſſet gravida ex concubitu fornicario, ſive cum Joſepho, ſive cum altero. Ergo. 2. Ideo juxta eoſdem SS. Patres Deipara juncta fuit matrimonio, ut partus ejus celaretur Diabolo, dum de Joſeph ſemine & non de Virgine putat eſſe natum. Atqui ſi tribus menſibus poſt imprægnationem iniviſſet matrimonium, quando jam apparebat gravida, Diabolus non putaſſet ex Joſeph ſemine eſſe conceptum. Ergo.

Dices. Matth. 1. ſic legitur: *Cum eſſet deſponſata Mater Jeſu Maria Joſeph, antequam convenirent, inventa eſt in utero habens de Spiritu S. Joſeph autem vir ejus cum eſſet juſtus, & nollet eam traducere, voluit occulte dimittere illam. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis ei dicens. Joſeph Fili David noli timere accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in ea natum eſt, de Spiritu S. eſt, pariet autem Filium, & vocabis nomen ejus Jeſum ... Exurgens autem Joſeph a ſomno, fecit, quod præcepit ei Angelus Domini, & accepit conjugem ſuam.* Atqui ex toto hoc contextu eruitur, quod tunc ſolum Joſeph acceperit Mariam in conjugem ſuam, quando ei revelatum eſt ab Angelo Myſterium divinæ fœcunditatis. Ergo. R. N. aſſumptum: quin imo ex hoc contextu attente perpenſo eruitur contrarium. Nam 1. Tunc jam Joſeph dicitur *Vir ejus*, ſcilicet Mariæ: ergo jam tunc erat Joſepho juncta matrimonio. 2. Dicitur: *Voluit dimittere illam*: nemo autem dimittit uxorem, quam reipſa non duxit: *Quam non accepit*, inquit Ambroſ. l. 2. in Luc. c. 1. *nemo dimittit, & ideo, qui volebat dimittere, fatebatur acceptam.* 3. Dicitur: *Noli timere accipere conjugem tuam*: & poſtea: *Joſeph accepit conjugem ſuam.* Qui autem in matrimonio primum jungitur, non dicitur *accipere conjugem ſuam*, ſed *accipere in conjugem ſuam*.

Itaque ſenſus horum verborum eſt: *Cum eſſet deſponſata Mater Jeſu Maria Joſeph*, non per verba de futuro, quæ ſponſalia tantum efficerent, ſed per verba de præſenti, quæ verum matrimonium efficiunt: quo ſenſu dixit Luc. c. 2. *Aſcendit Joſeph a Galilæa cum Maria deſponſata ſibi uxore prægnante. Antequam convenirent*, id eſt antequam ullam copulam haberent. *Joſeph autem cum eſſet juſtus, & nollet eam traducere, voluit occulte dimittere illam*: id eſt, cum nollet eam diffamare & in judicium deducere, voluit occulte dimittere illam de domo ſua & convictu: *Noli timere accipere conjugem tuam*, id eſt acceptam retinere in domo & convictu.

Quod poſſet opponi ex his verbis: *Antequam convenirent*, quaſi poſtea carnaliter convenirent, dilutum eſt ſupra dum de virginitate B. Mariæ.

Quantum ad ætatem utriuſque conjugis, quidam ex Epiſtola Evodii in Sede Antiochena S. Petri Succeſſoris dixerunt Joſephum, dum contraxit matrimonium cum Deipara, fuiſſe ſenem ad minus octogenarium. Et Baronius ex eadem Ep. ſcribit B. Virginem fuiſſe 14. annorum: ſicque eos exhibere ſolent pictores. Verum hæc Evodii Epiſtola nunc ab Eruditis pene omnibus rejicitur, ut apocrypha, ſpuria, & neniis atque fabulis referta. Unde.

Dico 2. Joſeph dum cum Maria matrimonium iniit, non erat ſenex octogenarius, ſed vir ætate florens. Prob. 1. Ideo, juxta unanimem SS. Patrum ſenſum, Joſeph datus eſt Maritus B. Virgini, ut illi eſſet ſolatio & præſidio in fovenda & educanda prole, in rebus domeſticis gerendis, in oneribus matrimonii ferendis, utque pauperem familiam arte & induſtria aleret. Atqui hæc præſidia & ſubſidia a ſene octogenario expectari non poterant. Ergo.

2. Item juxta eoſdem SS. Patres Deus B. Mariam matrimonio jungi voluit, ut ejus honor in tuto poneretur, poſſetque ejus partus marito tribui ab his, qui myſterium ignorarent: atqui in hunc finem congruebat virum eſſe ætate florentem, non ſenem effœtum: quin imo effœta Mariti ætas male ſuſpicandi de uxore juvencula pariente anſam præbuiſſet.

Dico 3. Nullum extat certum antiquitatis monumentum B. Virginem ætatis ſuæ anno 14. iniiſſe matrimonium; quin potius rationi videtur conformius eam tunc fuiſſe grandiuſculam, & maturioris ætatis. 1. Quia poſt aliquot menſes a matrimonio contracto longam & difficilem peregrinationem ſuſcepit in montana Judææ ſalutatura cognatam ſuam Eliſabeth. 2. Quia cum nuberet non libidine, aut deſiderio prolis impulſa, ſed ut Judæorum moribus ſe conformaret, nulla erat ratio accelerandi ſuum matrimonium.

Quo autem præciſe ætatis ſuæ anno & ipſa & Joſeph matrimonium contraxerint, incertum plane eſt.

ARTICULUS VI.

De Annuntiatione B. Virginis. D. Th. Q. 30.

PLURA hic occurrunt diſcutienda. 1. utrum fuerit conveniens annuntiari B. Virgini Incarnationem Verbi in ea eſſe perficiendam. 2. utrum iſta Annuntiatio debuerit fieri per Angelum? 3. quis, ex qua Hierarchia & ex quo Ordine fuerit Angelus Gabriel miſſus ad B. Virginem? 5. utrum debito ordine peracta ſit Salutatio Angelica? 6. ubi & quando ſit peracta? 7. unde orta ſit turbatio B. Virginis, de qua S. Lucas c. 1. Pro quorum reſolutione

Dico 1. (*Q. 30. art. 1. c.*) Conveniens fuit annuntiari B. Virgini Incarnationem Verbi in ea eſſe perficiendam. 1. Ut debito ordine (*Ibid.*) prius Deum mente conciperet, quam corpore. Unde Aug. l. de Virginit. c. 3. dicit: *Beatior eſt Maria percipiendo fidem Chriſti, quam concipiendo carnem Chriſti.* Et infra: *Materna propinquitas nihil Mariæ profuiſſet, niſi felicius Chriſtum corde, quam carne geſtaſſet.* 2. Ut ſuper hoc Sacramentum divinitus inſtructa poſſet illius eſſe certior teſtis. 3. Ut voluntarie Deo ſua obſequia offerret, ad quod promptam ſe exhibuit dicens: *Ecce ancilla Domini.* 4. Ut obtineretur ejus conſenſus, quia in hoc myſterio intercedebant ſponſalia ſeu ſpirituale matrimonium tum inter Verbum divinum & naturam humanam, quam induit; tum inter Spiritum S. & Mariam, quam impregnavit: tum inter Chriſtum & Eccleſiam, quam inſtituit. Ad ſponſalia autem ſeu matrimonium requiritur conſenſus ſponſæ, quem B. Virgo ſuo & Eccleſiæ totiuſque naturæ humanæ nomine dedit. (*Ib. a. 2. c.*) Item requirebatur iſte conſenſus, ut ſicut fœmina dando conſenſum Angelo tentatori ruinæ generis humani initium dedit, ſic fœmina dando conſenſum Angelo ſalutanti redemptionis generis humani initium daret.

Dico 2. (*Ibid.*) Annuntiatio B. Virginis convenienter facta eſt per Angelum. 1. (*Ibid.*) Quia hæc eſt Dei ordinatio, quod mediantibus Angelis, niſi quid obſtet, divina ad homines perveniant. 2. Congruum erat ut ſicut Angelo tentatore perierat Genus humanum, ita Angelo miniſtrante repararetur. 3. Sic etiam congruebat virginitati Matris Dei. Unde Hieron. in Serm. Aſſumpt. dicit: *Bene Angelus ad Virginem mittitur, quia ſemper eſt Angelis cognata virginitas, profecto in carne præter carnem vivere non terrena vita eſt, ſed cœleſtis.*

Dico 3. (*Ibid. ad 4.*) Angelus Gabriel miſſus ad Mariam non eſt ſupremæ Hierarchiæ, ſed infimæ, primus ex ſecundo Ordine, qui eſt Archangelorum. Ad quorum intelligentiam obſervandum eſt Angelos diſtribui in tres Hierarchias, & quamlibet in tres Ordines. Suprema Hierarchia continet Seraphinos, Cherubinos, & Thronos. Media Dominationes, Virtutes, & Poteſtates. Infima Principatus, Archangelos, & Angelos.

Prob. itaque Concluſio. 1. Quia Gabriel miſſus ad Mariam ab Eccleſia & Patribus dicitur paſſim Archangelus. 2. Quia tanti myſterii excellentia requirebat, ut illius nuntius eſſet ſummus inter eos, qui ſumma nuntiat: atqui Spiritus Superiorum Ordinum non mittuntur ad ferenda nuntia, ſed ſoli Archangeli & Angeli, Archangeli quidem ad ſumma, Angeli ad communia. Nec obſtat (*Ibid.*) dictum Gregor. hom. 34. in Evang. *Summum Angelum venire dignum fuerat, qui ſummum omnium nuntiabat.* Per ſummum enim non intelligit primum omnium, ſed primum inter eos, qui mittuntur ad ferenda nuntia. Unde ibid. paulo ante vocat ipſum Archangelum *Ad Mariam Virginem*, inquit, *non quilibet Angelus, ſed Gabriel Archangelus mittitur. Et hoc nomen*, ut ibid. addit, *officio ſui congruit: Gabriel enim fortitudo Dei nominatur. Per Dei ergo fortitudinem nuntiandus erat, qui virtutum Dominus & potens in prælio ad debellandas aereas poteſtates veniebat.*

Dico 4. (*Ib. a. 3. c.*) Angelus in humana ſpecie apparuit B. Virgini. Id aperte indicat ſeries narrationis Evangelicæ Luc. 1. Dicitur enim Angelus ingreſſus ad Mariam, cum ea locutus, & finito colloquio diſceſſiſſe: quæ omnia externam ſpeciem & quidem humanam referunt.

Idem ſuadent congruentiæ: (*Ib.*) 1. quia cum Angelus nuntiaret Deum inviſibilem aſſumpturum viſibilem carnem humanam, congruum erat, ut inviſibilis creatura formam, qua appareret viſibilis, aſſumeret. 2. quia cum B. Virgo non ſolum in mente, ſed etiam in ventre corporea Dei Filium receptura erat, non ſolum ejus mens, ſed etiam ſenſus corporei erant viſione Angelica reficiendi. 3. ut Maria certior fieret ejus, quod annuntiabatur; ea enim, quæ ſunt oculis ſubjecta, certius apprehendimus, quam ea quæ imaginamur. Unde Chryſoſt. hom. 4. in Matth. dicit: *Quod Angelus non in ſomnis, imo viſibiliter Virgini aſtitit: nam quia magnam valde relationem accipiebat ab Angelo, egebat, ante tantæ rei eventum, viſione ſolemni,*

Di-

Dico 5. (*Ibid. a. 4. o.*) Salutatio Angelica debito ordine peracta eſt. Prob. (*ibid.*) Tria Angelus intendebat circa B. Virginem, 1. quidem reddere ejus mentem attentam ad tantæ rei conſiderationem, quod facit eam ſalutando nova quadam & inſolita ſalutatione, in qua præmittit ejus idoneitatem ad conceptum, dicens, *Gratia plena*; exprimit conceptum mox futurum, dicens, *Dominus tecum*, & prænuntiat honorem inde conſequentem, dum dicit, *Benedicta tu in mulieribus*. 2. Intendebat eam inſtruere de Myſterio Incarnationis in ea perficiendo, quod facit, tum prænuntiando conceptum & partum: *Ecce concipies & paries*, *&c.* tum indicando dignitatem prolis concipiendæ: *Hic erit magnus*, *&c.* tum denique demonſtrando modum conceptionis: *Spiritus S. ſuperveniet in te*, *&c.* 3. Intendebat animum ejus inducere ad conſenſum, quod fecit exemplo Eliſabeth & argumento ex omnipotentia Dei deducto: *Non erit impoſſibile apud Deum omne verbum*.

Obſervandum, quod Angelus propoſuerit exemplum conceptus Eliſabeth, non ut B. Virgini quaſi incredulæ myſterium Incarnationis perſuaderet: iſte enim conceptus longa minor erat conceptu quem annuntiabat; ſed proponebat ut in aliquo ſimili myſterium explicaret, & rem ipſam confirmaret. Sicut Angelus nuntians Paſtoribus Chriſti Nativitatem dedit eis ſignum, quamvis ipſi de re indicata non dubitarent.

Dico 6. Salutatio Angelica peracta eſt in Civitate Galilææ, cui nomen Nazareth. Ita S. Lucas c. 1. Nec obſtat, quod Joſeph & Maria utpote Judæ tribules debuerint habere domum in Judæa, quæ in partione Terræ Sanctæ obtigerat Tribubus Judæ & Benjamin, non in Galilæa, quæ in ſortem Tribuum Zabulon & Nephtali ceſſerat. Non obſtat, inquam, quia partitio facta a Joſue erat poſſeſſionum, non habitationum. Poterant ergo Joſeph & Maria habere in Galilæa domunculam elocatam, poſſeſſiones vero in Judæa. Adde, quod poſt captivitatem Babylonicam limites poſſeſſionum a Joſua præſcripti non ita fuerint religioſe ſervati, quin potius omnes ſuſdeque permixti.

Dico 7. juxta Eccleſiæ Traditionem peracta eſt Salutatio Angelica 25. Martii; ita ut inter Conceptionem Chriſti & ejus Nativitatem, quæ pariter creditur contigiſſe 25. Decembris, intercesſerint novem menſes integri.

De hora incertum eſt: & ideo ad memoriam & venerationem hujus ſacratiſſimi momenti uſus obtinuit inter Fideles, ut ter in die, mane, meridie, & veſperi Salutationem Angelicam recitarent.

Non eſt tamen omnino improbabilis illorum opinio, qui cenſent Salutationem Angelicam peractam eſſe ſtatim poſt mediam noctem ſub initium diei naturalis. 1. Quia hac ipſa hora Chriſtus natus eſt, ſicque juſte completi ſunt 9. menſes geſtationis in utero. 2. Quia id ſignificatum videtur his verbis Sap. 18. *Cum quietum ſilentium contineret omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens ſermo tuus exiliens de cælo a regalibus ſedibus, durus debellator, in mediam exterminii terram proſilivit.*

Dico 8. Turbatio B. Virginis, de qua Lucas c. 1. orta eſt ex aliquo timore, quem ut excuteret Angelus, dixit: *Ne timeas Maria*. Quæ fuerit autem cauſa timoris? Varii variam aſſignant. Ambroſ. l. 2. de Abraham c. 9. aſſignat introitum Angeli ſub ſpecie viri. At non dicitur turbata *in introitu ejus*, ſed *in ſermone ejus*, & non cogitabat quis & qualis eſſet, qui apparebat, ſed *qualis eſſet iſta Salutatio*.

Alii aſſignant ſublimitatem myſterii ab Angelo nuntiati. Verum ſublimitas myſterii non tam timorem, quam admirationem cauſaſſet, & hunc timorem, ſi inde natus eſſet, non ſedaſſet, ſed auxiſſet Angelus dicendo, *Spiritus ſuperveniet in te*, *&c.* Alii dicunt B. Virginem inde timuiſſe, quod dubitaret qualis eſſet Angelus, qui loquebatur, an bonus, vel malus, qui eam laudando ad ſuperbiam provocaret? Verum non dicitur, ut jam obſervavi, cogitaſſe de Salutatore, quis eſſet, ſed qualis eſſet cujus Salutatio.

Quapropter verius videntur ſentire, qui dicunt eam fuiſſe turbatam ex eo, quod timeret fractionem voti Virginitatis, quod prius emiſerat; ſubintellexerat enim ex his Angeli verbis, *Benedicta tu in mulieribus*, prolem concipiendam, eo quod hæc eſſet ſolita in veteri Teſtamento mulierum benedictio, & cum nundum ſciret modum, quo id perficiendum eſſet, timebat, ne cum jactura Virginitatis fieret. Unde quærit: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco*. Quod poſſet opponi ex Prophetia Iſa. c. 7. quam non ignorabat Maria, ſolutum eſt ſupra art. 4 Concl. 1.

DISSERTATIO II.

DE CONCEPTIONE CHRISTI,

Div. Thom. QQ. 31. 32. 33. 34.

ARTICULUS I.

De Conceptione Chriſti ſecundum ſe.

Plura hic ſubjicimus examini. 1. Quo inſtanti Salutationis Angelicæ Chriſtus ſit conceptus? 2. Utrum aſſumpſerit carnem de Adam? 3. Utrum de fœmina? 4 Quas partes habuerit B. Virgo in Conceptione Chriſti, quas Spiritus ſanctus? 5. Utrum ſolus Spiritus S. active egerit in Conceptione Chriſti? 6. Utrum Spiritus S. ſeu tota Trinitas debeat dici Pater Chriſti ſecundum carnem?

Dico 1. Chriſtus non fuit conceptus ſub initium Salutationis Angelicæ, quando Angelus dixit: *Ave gratia plena, Dominus tecum*: ſed in fine, quando B. Virgo præbens conſenſum dixit: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum*. Prob. ex Scriptura. Lucæ c. 1. poſtquam Angelus dixit: *Ave gratia plena, Dominus tecum*; ſubdit: *Ecce concipies*. Ergo nondum conceperat. Item: *Spiritus S. ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*. Ergo nondum obumbraverat ad conceptum. Ipſa autem B. Virgo interrogat de modo; *quomodo fiet iſtud*: ergo nondum factum erat. Item Luc. 2. dicitur ab Angelo vocatum nomen *Jeſu priuſquam in utero conciperetur*; & tamen nondum vocatum erat, dum dixit Angelus: *Dominus tecum*. Denique conſtat Angelum fuiſſe miſſum ad Mariam, ut obtineret ejus conſenſum; non conſenſit autem niſi in fine colloquii, dum dixit, *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum*. Atque ita ſentiunt Aug. ſerm. 18. de Sanctis, Greg. Mag. l. 18. Moral. c. 27. Joan. Damaſc. l. 3. de fide c. 2. S. Bernard. ſerm. 4. ſuper *Miſſus*, & alii plures. Unde quæ opponuntur ex quibuſdam aliis Patribus, qui videntur contrarium docuiſſe, benigne ſunt intelligenda, & ad ſenſum rectum flectenda; non enim credendum ipſos cenſuiſſe contra aperta Scripturæ teſtimonia.

Qui ergo dicunt B. Virginem concepiſſe, dum ſalutata eſt gratia plena, &c. intelligunt de integra ſalutatione, quæ fuit abſoluta, dum dixit Virgo: *Ecce Ancilla Domini*. Qui dicunt Chriſtum fuiſſe conceptum quando dixit Angelus *Dominus tecum*, intelligunt de conceptu mox futuro.

Qui denique dicunt Mariam fuiſſe gratia plenam, quia Chriſtum conceperat, non intelligunt conceptum factum antequam ſalutaretur, quod eſſet abſurdum; ſed prædeſtinationem ad hanc dignitatem; ita ut ſenſus ſit Mariam fuiſſe gratia plenam, quia hanc plenitudinem requirebat dignitas Matris Dei, ad quam erat deſtinata.

Dico 2. (*Quæſt. 31. a. 1. o.*) Chriſtus accepit carnem de Adam. Conſtat 1. (*Ib. in a. ſ. c.*) ex Apoſt. Heb. 2. dicente: *Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit*. Semen autem Abrahæ ſumptum eſt ex Adam. 2. Ratione. (*Ibid. o.*) Chriſtus aſſumpſit naturam humanam, ut eam purgaret. Ergo congruum erat, ut aſſumeret illam, quæ purgatione indigebat. Hæc autem eſt, quæ ex Adam deſcendit.

Dico 3. (*Ib. a. 4. o.*) Chriſtus aſſumpſit carnem de fœmina. Ita Apoſt. Galat. 4. *Miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere*. Idque convenientiſſimum fuit: (*Ibid.*) licet enim Filius Dei carnem humanam aſſumere potuiſſet ex quacumque materia voluiſſet, congruum tamen erat, ut de fœmina acciperet. 1. Quia per hoc tota natura humana nobilitata eſt. 2. Quia per hoc veritas carnis adſtruitur. Unde Aug. Epiſt. 3. ad Voluſianum ait: *Si omnipotens Deus hominem ubicumque formatum, non ex utero materno crearet, ſed repentinum adferret aſpectibus, nonne opinionem erroris confirmaret, nec hominem verum ſuſcepiſſe ullo modo crederetur? Et omnia mirabiliter facit, aut ferret, quod miſericorditer facit*. 3. Quia per hunc modum completur omnis diverſitas generationis humanæ: nam primus homo productus eſt ex limo terræ ſine viro, & fœmina, Eva producta eſt ex viro ſine fœmina: alii vero homines naſcuntur ex viro & fœmina. Unde hoc quartum quaſi Chriſto proprium relinquebatur, ut produceretur ex fœmina ſine viro.

Dico 4. B. Virgo (*Ib. a. 5. o. & q. 32. a. 11.*) more aliarum fœminarum præparavit & ſubminiſtravit materiam, puriſſimum ſcilicet ſanguinem conceptui aptum: Spiritus autem ſanctus hunc puriſſimum ſanguinem deduxit in uterum,

rum,

rum, ex quo factum Corpus organizatum illic formavit, eique animam creatam infudit: ita ut totum, quod efficaciæ & virtutis eſt in virili ſemine, modo excellentiori præſtiterit Spiritus S. B. Virgo autem quidquid eſt corporalis ſubſtantiæ ſubminiſtraverit.

Dico 5. (*Ibid.*) Non ſolus Spiritus S. ſed tota Trinitas active operata eſt conceptionem Chriſti: quia opera ad extra ſunt communia toti Trinitati. Attamen appropriatione quadam ſpecialiter tribuitur Spiritui S. propter tria. 1. Quia Incarnatio eſt divini amoris opus juxta illud Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret.* Amor autem tribuitur Spiritui S. quippe eſt amor Patris & Filii. 2. Quia eſt maxime opus gratiæ: Gratia autem tribuitur Spiritui S. juxta illud 1. Cor. 12. *Diviſiones gratiarum ſunt, idem autem Spiritus.* 3. Quia per Incarnationem ſingulariter ſanctificata eſt humanitas Chriſti: Sanctificatio autem etiam tribuitur Spiritui S.

Dico 6. (*Ibid. n. 3. c.*) Nihilominus Spiritus S. ſeu tota Trinitas non debet dici Pater Chriſti ſecundum carnem. Quia ad denominationem Patris requiritur, ut generans conferat aliquid de ſua ſubſtantia ad formationem prolis, & quod eam producat in ſimilitudinem ſuæ naturæ: Paternitas enim ſequitur generationem: Generatio autem eſt origo ſeu productio viventis a vivente in ſimilitudinem naturæ ſpecificæ. Atqui Spiritus S. ſeu tota Trinitas neutrum præſtitit in conceptione Chriſti ſecundum carnem; nihil enim contulit de ſua ſubſtantia, nec produxit ſimilem in natura. Ergo.

ARTICULUS II.

Ex qua tribu & Familia ortus ſit Chriſtus?

ARticulo præced. diximus Chriſtum carnem ſumpſiſſe ex Adam. Nunc gravior Quæſtio hoc integro articulo diſcutienda, ex qua Tribu & Familia ſit ortus. Cum enim notum ſit ex vet. Teſt. Meſſiam futurum de Tribu Juda & Familia David, Iſa. 11. Pſ. 88. 131. & alibi, Religionis Chriſtianæ hoſtes, Celſus, Porphyrius, Julianus Apoſtata, Tatianus, & Fauſtus Manichæus, ut Jeſu noſtro Meſſiæ dignitatem eriperent, dixerunt eum non eſſe de Tribu Juda, & ſtirpe David, ſed ex Tribu Levi, ideoque non eſſe Meſſiam. Contra quos

Dico. (*q. 31. a. 2. c.*) Chriſtus ſecundum carnem eſt ex ſtirpe David. Prob. 1. Certo certius eſt Joſephum eſſe de Tribu Juda, & Familia David, Luc. 1. & 2. ſpecialiter Matth. 1. ubi ejus genealogia deducitur ab Abraham per Judam, Davidem, & Salomonem: atqui Maria ejus uxor erat ejuſdem Tribus & Familiæ cum Sponſo ſuo: Ergo & Jeſus Mariæ Filius. Prob. Min. Lege lata Num. 36. occaſione filiarum Salphad prohibitum erat filiabus, quæ defectu fratrum erant hæredes parentum, nubere niſi viris ſuæ Tribus & Familiæ. Sic fert Lex: *Filiæ nubant, quibus volunt, tantum ut ſuæ Tribus hominibus nubant, ne commiſceatur poſſeſſio filiarum Iſrael.* Et adhuc clarius in Hebræo: *Omnis filia hæreditans hæreditatem* (id eſt hæres Patris defectu fratrum) *uni de familia Tribus Patris ſui erit in uxorem.* Atqui Maria erat hæres Parentum ſuorum, carebat enim fratribus, & cum tam ipſa, quam Joſeph eſſent religioſi Legum Obſervatores, indubie ſecundum hanc Legem, qua tenebantur, matrimonium inter ſe contraxerunt, proindeque erant ejuſdem Tribus & familiæ. Ita Hieron. Chryſoſt. Hilarius, Damaſcenus, & alii.

Dices. Eadem Lex lata erat pro viris; dicitur enim ibid. *Omnes viri ducent uxores de tribu & cognatione ſua, & cunctæ fœminæ de eadem tribu maritos accipient, ut hæreditas permaneat in familiis.* Quæ tamen Lex multas paſſa eſt exceptiones etiam in religioſis viris, ut probant varia exempla. Sic Aaron de Tribu Levi duxit Joſabet filiam Joram de Tribu Juda: Exodi 6. Sic David de Tribu Juda duxit Michol de Tribu Benjamin: 1. Reg. 18. Jojadas de Tribu Levi duxit Joſabeth filiam Joram de Tribu Juda 2 Paralip. 22. Ergo ex illa Lege erui non poteſt B. Virginem fuiſſe ejuſdem Tribus & Familiæ cum ſuo ſponſo. Item omnes Tribus Iſrael Judic. 21. jurarunt ſe non daturos filias ſuas in matrim. Benjamitis: quod innuit id jam fuiſſe antea uſitatum, & ideo legem etiam pro puellis non amplius vigere.

R. ad 1. hanc legem non fuiſſe generalem nec ſpectare omnes viros, ſed eos ſolum, de quibus mota fuerat quæſtio coram Moyſe, ſcilicet ratione quorum hæreditas uxoris devolvenda eſſet ad aliam Tribum & Familiam. Quare reciprocam eo in caſu obligationem Deus imponit: ut ſicut jubet puellæ hæredi nubere alicui de ſua Tribu & Familia, ita jubet viro huic puellæ proxime cognato eam ducere, niſi cedat juri ſuo, & alteri ejuſdem familiæ eam requirenti transferat, ut factum legitur Ruth 4. Id patet tum ex occaſione hujus legis, tum ex ejus fine, tum ex textu Hebræo citatum ex exemplis citatis in object. Ad 2. Fatemur uſitatum fuiſſe; ut filiæ non hæredes, aut hæredes quidem, ſed quæ renuntiarent hæreditati ſuæ, nuberent quibus vellent etiam aliarum Tribuum, & illas ſpectabat juramentum Tribuum Iſrael contra Benjamitas. At B. Virgo erat hæres, ut dictum eſt, nec eſt ulla ratio fingendi eam renunciaſſe hæreditati ſuæ, ut nuberet Joſepho.

Conſ. præcedens ratio ex titulo, quem Matthæus præfigit Genealogiæ Joſeph: *Liber generationis Jeſu Chriſti Filii David, Filii Abraham.* Porro ſi Mater Jeſu nihil attineret ad Joſephum, non eſſet *Liber generationis Jeſu Chriſti*, ſeu Joſephi dumtaxat, ſicque falſo titulo Matthæus hanc genealogiam decoraſſet, quod admitti non poteſt.

Reponit Serrius id feciſſe Matthæum ut veluti argumento ad hominem magis urgeret Judæos, qui Chriſtum verum & naturalem Joſephi filium habebant, ſicque eos convinceret eſſe filium David. Quaſi vero Matthæus adhibuiſſet mendacium ut veritatem probaret: eſt enim in oppoſita ſententia falſum & mendacium hanc genealogiam eſſe *librum generationis Jeſu Chriſti*. Quin imo Matthæus Judæos confirmaſſet in ſuo errore: ſic enim ratiocinati fuiſſent: Chriſtus eſt Filius David, nec eſt talis niſi per Joſephum. Ergo eſt verus & naturalis Filius Joſeph.

Prob. 2. & confirmatur præcedens probatio. Maria Mater Chriſti ſecundum carnem erat vere ex ſtirpe & familia David: Ergo & Jeſus ejus Filius. Prob. ex Hiſtoria Evangelica. Lucas c. 2. ſic narrat: *Exiit Edictum a Cæſare Auguſto ut deſcriberetur univerſus orbis, & ibant omnes ut profiterentur ſinguli in ſuam Civitatem*, (id eſt, quæ eſſet caput familiæ.) *Aſcendit autem & Joſeph a Galilæa de Civitate Nazareth in Judæam in Civitatem David, eo quod eſſet de domo & familia David, ut profiteretur cum Maria deſponſata ſibi uxore prægnante.* Non dicit ſimpliciter Lucas, (quod bene nota) *Aſcendit Joſeph in Civitatem David cum Maria*, quaſi eam viæ comitem tantum habuiſſet; ſed dicit, *Aſcendit in Civitatem David ut profiteretur cum Maria ſibi deſponſata uxore prægnante.* Profeſſa eſt ergo Maria in civitate David: Ergo erat de domo & familia David: *Ibant* enim *omnes, ut profiterentur ſinguli, in ſuam Civitatem.* Idem probatur ex genealogia Chriſti per B. Virginem ſecundum Lucam, ut videbimus Art. ſeq.

Prob. 3. ex Evangelio, in quo Chriſtus pluries vocatur Filius David, etiam ab iis, qui ipſum ex ſola Virgine natum noverant: ſic Matth. 1. *Liber generationis Jeſu Chriſti Filii David, Filii Abrahæ.* Sic Angelus Luc. 1. *Dabit ei Dominus ſedem David Patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum.*

Si dicas etiam Joſephum vocari a B. Virgine Patrem Jeſu, Luc. 2. *Ecce Pater tuus & ego dolentes quærebamus te*, licet opinione tantum eſſet ejus Pater. Ergo ſimiliter. R. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod quamvis Joſeph non eſſet Pater Jeſu, hoc ſenſu, quod ex ejus ſemine eſſet ortus, erat tamen ratio cur vere vocaretur Pater Jeſu, quia ſcilicet erat Sponſus Matris ejus. Jure ergo dicebatur & erat Pater Jeſu, non ratione copulæ conjugalis, ſed ratione matrimonii inter ipſum, & Matrem Jeſu contracti, & quia Jeſus natus erat in fundo ipſius, in eo ſcilicet corpore, ad quod ratione conjugii poteſtatem habebat. At ſi Jeſus non ſit revera ex ſemine David, non eſt ratio cur David dicatur Pater ejus.

Prob. 4. ex Apoſt. Rom. 1. de Chriſto dicit: *Qui factus eſt ex ſemine David ſecundum carnem.* 2. Timoth. 2. *Memor eſto Dominum Jeſum reſurrexiſſe a mortuis ex ſemine David.* Eſſe vero ex Tribu Juda, & non ex Tribu Levi, non ſolum aſſerit Heb. 7. dicens: *Manifeſtum eſt, quod ex Juda ortus ſit Dominus noſter, in qua tribu nihil de Sacerdotibus Moyſes locutus eſt*; ſed etiam probat dum addit ibid. *Si conſummatio per Sacerdotium Leviticum erat, quid adhuc neceſſe fuit ſecundum ordinem Melchiſedech alium ſurgere Sacerdotem, & non ſecundum Aaron.*

Obj. 1. Maria erat cognata Eliſabeth de filiabus Aaron: ergo & ipſa erat de eadem Tribu & familia. 2. Quidam SS. Patres dicunt Chriſtum eſſe de genere Sacerdotali, quod ſoli Tribui Levi addictum erat. 3. Nathan, per quem Lucas deducit Genealogiam Chriſti a Davide, erat Filius David adoptivus tantum, non naturalis ſed Uriæ, aut certe erat Propheta, qui David de adulterio reprehendit. Hic autem non erat de Tribu Juda & familia David. Ergo. R. ad 1. Mariam fuiſſe cognatam Eliſabeth, non quod ipſa ſicut Eliſabeth eſſet ex Tribu Levi, ſed quia vel aliquis avorum Mariæ duxerat aliquam ex Tribu Levi, vel e contra, quia aliquis avorum Eliſabeth duxerat aliquam ex Tribu Juda.

Ad 2. Eadem ratione quidam Patres dixerunt Chriſtum eſſe de genere Sacerdotali, quia nempe aliquis ex proavis B. Virginis duxerat uxorem ex filiabus Aaron. Nec enim contradixerunt Apoſtolo dicenti Rom. 7. *Manifeſtum eſt, quod ex Juda ortus ſit Dominus noſter, in qua Tribu nihil de Sacerdotibus Moyſes locutus eſt.* Ad 3. N.

Ant.

Ant. pro utraque parte. Et 1. Nathanem, per quem Lucas deducit genealogiam Chriſti, eſſe verum & naturalem filiem David, conſtat ex 2. Reg. 5. ubi dicitur: *Hæc ſunt nomina filiorum, qui nati ſunt David in Jeruſalem, Samna, & Sobab, & Nathan, & Salomon.* Idem legitur 1. Paral. 3. 2. Iſte Nathan filius David natus eſt in Jeruſalem, ut patet ex Textu cit. Nathan autem Propheta in Gabbath, nec cujus ſit Tribus certo ſcitur, licet quidam dixerint eſſe de Tribu Levi.

ARTICULUS III.

De Genealogia Chriſti.

DIFFICULTAS eſt in conciliendis tum inter ſe, tum cum veteri Teſtamento binis Chriſti genealogiis a Matthæo & Luca deſcriptis, quas duplici §. reſolvere conabimur. Unde ſit

§. I. Conciliantur inter ſe bina Chriſti genealogiæ.

MATTHÆUS cap. 1. Chriſti genealogiam deſcribit deſcendendo ab Abraham uſque ad Joſeph: Lucas aſcendendo a Joſeph uſque ad Adam & Deum. Inter utramque apparent quædam diſſonantiæ & contradictiones. In primis Matthæus dicit Joſephum filium Jacob: *Jacob autem genuit Joſeph virum Mariæ.* Lucas dicit fuiſſe filium Heli: *Joſeph, qui fuit Heli.* Impoſſibile eſt autem unum filium habere duos Patres. Hinc 2. Avi & Proavi in utraque genealogia ſunt diverſi, exceptis Salathiele & Zorobabele, qui in utraque genealogia reperiuntur, cum hoc tamen diſcrimine, quod Matthæus aſſignet illis Patrem Jechoniam dicens: *Jechonias genuit Salathiel, Salathiel autem genuit Zorobabel:* Lucas vero aſſignet illis Patrem Neri, dicens, *Zorobabel, qui fuit Salathiel, qui fuit Neri.* Denique 3. Matthæus deducit genealogiam Chriſti ad Davidem per Salomonem; Lucas per Nathanem alterum filium Davidis.

Ad conciliandas has apparentes diſſonantias duæ ſunt viæ. Prima eſt Julii Africani tertio ſæculo: dicendo Matthæum deſcripſiſſe genealogiam carnalem Joſeph; Lucam, legalem. Pro cujus intelligentia obſervandum eſt fuiſſe legem latam Deut. 25. *Quando habitaverint fratres ſimul, & unus ex eis abſque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri, ſed accipiet eam frater ejus, & ſuſcitabit ſemen fratris ſui, & primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit,* at *non deleatur nomen ejus in Iſrael.*

Hæc autem Lex non intelligitur de fratribus ſtricte, qui ex eodem patre & matre nati ſunt, ſed latiori ſenſu ſecundum phraſim ſolitam Scripturæ de cognatis & propinquis, conſequenter nec de habitantibus ſimul in eadem domo, ſed de viventibus ſimul eodem tempore, ita ut To *ſimul* ſit adverbium temporis, non loci. Quomodo enim in eadem domo habitaſſent omnes cognati. Neque etiam frater matrimonio junctus, cui poſſeſſio jam erat ſeparata, poterat manere in eadem domo cum aliis fratribus abſque confuſione familiarum. Inſuper utrumque patet ex hiſtoria Ruth 4. viduæ Chelionis: cum enim actum eſt de jure illam ducendi, contentio non fuit inter fratres Chelionis, ſed inter ejus cognatos & propinquos; eamque obtinuit Booz non frater Chelionis habitans cum ipſo, ſed ejus cognatus & propinquus. Itaque ſecundum hanc Legem, quæ dicebatur *Leviratus*, quia *Levir* idem eſt ac *Mariti frater*, Heli abſque liberis defuncto, Jacob, ſive fuerit frater ejus uterinus, ut quidam voluit, ſive cognatus tantum, duxit ejus viduam, ex qua genuit Joſeph. Erat ergo Joſeph filius naturalis Jacob; & filius legalis Heli. Unde non mirum, ſi in utraque genealogia recenſeantur diverſi avi & proavi, quo uſque perventum ſit ad communem ſtipitem, ſcilicet Davidem.

Quantum ad Salathielem & Zorobabelem, qui in utraque genealogia reperiuntur, dicendum eſt, quod Salathiel erat filius naturalis ſeu carnalis Jechoniæ, gener vero Neri, & hoc ſenſu ejus filius, quia filiam unicam Neri duxerat. Iſte Salathiel genuit Zorobabel deſcendentem a Davide per Salomonem ex parte patris, & per Nathan ex parte matris. Zorobabel genuit Abiud, qui ponitur in genealogia Matthæi, & Reſa, qui ponitur in genealogia Lucæ.

Obj. 1. Si Joſeph eſſet filius legalis Heli, debuiſſet ejus nomine vocari *Heli* & non Joſeph, juxta hæc verba legis Leviratus: *Et primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, ut non deleatur nomen ejus ex Iſrael.* Ergo. 2. Si Joſeph fuerit filius Heli legalis tantum, idem dicendum erit de omnibus nominatis in genealogia Lucæ: ſic Iſaac erit filius legalis Abrahæ, Jacob Iſaaci, & ſic de cæteris. Falſum conſequens. Ergo. Prob. Sequela. De omnibus dicitur eodem modo ac de Joſeph: qui fuit Mathat, qui fuit Jacob, qui fuit Iſaac, qui fuit Abraham, &c. Ergo. R. ad 1. N. Sequelam. Quia ſenſus legis non eſt, quod filius ex ſecundo matrimonio natus debeat prioris mariti nomine appellari; non enim natus ex ſecundo matrimonio Ruth cum Booz vocatus eſt nomine prioris mariti *Chelion*, ſed *Obed*. Senſus eſt igitur, quod filius ex ſecundo matrimonio natus habebitur ac reputabitur filius prioris mariti, atque hæres illius conſtituetur, et non pereat ejus memoria ex Iſrael. *Ad hoc valet*, inquit Aug. l. 2. Retract. c. 12. *ut ejus filius diceretur, non ut hoc, quod ille vocaretur.* Ad 2. N. Sequelam. Ad Prob. D. Ant. Dicitur eodem modo quoad aliquid, C. Quoad omnia, N. In hoc ergo eſt paritas, quod Joſeph habeatur filius & hæres Heli, ſicut cæteri nominati reſpectu eorum quorum dicuntur. At eſt diſparitas, quod Joſeph id haberet ex privilegio legis, cæteri ex natura & carnali generatione. Porro hunc conciliationis modum a Chriſti cognatis ſe accepiſſe ſcribit Julianus Africanus Ep. ad Ariſtidem: *Cognati*, inquit, *Salvatoris noſtri, ſive ad oſtendendam generis ſui nobilitatem, ſive ut ſimpliciter rem docerent, veraci utique ſermone nobis hæc tradiderunt.* Huncque ſecuti ſunt plures ex antiquis Patribus, Euſeb. l. 1 Hiſt. c. 7. Hieron. ad c. 1. Matth. Nazianz. in carmine de Chriſti genealogia, Ambroſ. l. 3. in Luc. c. 1. Aug. loco cit. licet de eo antea dubitaverit; S. Th. hic q. 31. a. 3. ad 2.

Alter conciliationis modus, qui pluribus & etiam nobis arridet, eſt, ut dicamus, Matthæum texere genealogiam Chriſti per progenitores naturales Joſeph, Lucam vero per progenitores naturales B. Virginis, ut is, qui vocatur in Evangelio Heli, ſit Eliachim, vel Joachim Pater B. Virginis Socer Joſephi, adeoque iſtorum verborum, quibus Lucas incipit ſuam genealogiam, *Jeſus, ut putabatur, filius Joſeph, qui fuit Heli*, duplex eſt ſenſus. Primus ut Joſeph ſit filius Heli, non natura, ſed jure matrimonii, quia eſt ejus gener, ſuæ filiæ B. Virginis Sponſus. Alter, ut To *Qui fuit* non referatur ad Joſeph, ſed ad Jeſum: ſic ſcilicet: erat Jeſus incipiens annorum quaſi 30. (ut putabatur filius Joſeph), qui tamen fuit Heli, & ideo Heli nepos. En illa diverſitas progenitorum in utraque genealogia, donec ad communem ſtipitem, ſcilicet Davidem regreſſi, in unam poſtea coaluerint genealogiam.

At dices 1. Pater B. Virginis vocatur Joachim, non Heli. 2. Secundum Genealogiam Lucæ hoc modo explicatam Chriſtus non eſt ortus ex David per Salomonem, ſed per Nathan. Atqui ex 2. Reg. 7. debuit naſci ex David per Salomonem. Ergo. R. ad 1. dixi ſuperius: Parentes B. Virginis equidem coli ab Eccleſia ſub nominibus Joachim & Annæ, ſed utrum hæc ſint nomina propria, an ratione myſticæ ſignificationis, quod Joachim ſignificet *præparationem Domini*, & Anna *gratiam*, non conſtare. Inſuper fuit forte Joachim binominis, ut in pluribus contingit.

Ad 2. Solutio patet ex his, quæ ſuperius dixi, Salathielem ſcilicet, qui ponitur in genealogia Lucæ, ut filius ſeu gener Neri, fuiſſe filium carnalem Jechoniæ, qui deſcendit ex Davide per Salomonem.

Si petas, cur Matthæus deſcripſerit genealogiam Joſeph, & Lucas genealogiam Mariæ? Reſponſio in promptu eſt: quia Matthæus ſcribens Judæis voluit illorum morem ſequi: mos autem Judæorum erat, non mulierum, ſed virorum genealogias texere, ut teſtatur Hieron. ſuper Matth. c. 1. Ambroſ. l. 3. in Luc. Aug. contra Fauſtum l. 3. c. 2. Lucas vero ſcribebat Theophilo Antiocheno, apud quem nulla erat neceſſitas ſequendi morem Judæorum in texendis genealogiis uſitatum.

§. II. Conciliantur binæ Chriſti genealogiæ cum veteri Teſtamento.

CONCILIATIS inter ſe binis Chriſti genealogiis, reſtant conciliandæ cum veteri Teſtamento, quocum videntur etiam habere quaſdam diſſonantias.

Prima diſſonantia eſt, quod Matthæus ſcribat, *Joram genuit Oſiam*, cum tamen 4. Reg. c. 8. & 11. legatur: *Joram genuit Ochoſiam, Ochoſias genuit Joas, Joas genuit Amaſiam, Amaſias genuit Oſiam.* R. ſenſum Matthæi eſſe, Joram genuiſſe Oſiam mediate, ſcilicet mediantibus tribus recenſitis 4. Reg. quo ſenſu Iſaias 51. dixit: *Attendite ad Abraham Patrem veſtrum, & ad Saram, quæ genuit vos.* Ideo autem Matthæus hos tres omiſit, qui erant ex progenie Achabi, (Joram enim genuit Ochoſiam ex Athalia filia Achabi) cui progeniei Achabi Deus maledixerat 3. Reg. 21. Nec obſtat, quod Evangeliſta nominaverit Oſiam, & ſequentes, qui erant etiam ex poſteris Achabi: quia maledictio Dei lata contra filios ob peccata parentum non extenditur ultra tertiam, & quartam generationem, Exod. 20.

Secunda diſſonantia. Lucas in ſua genealogia ſcribit, Arphaxad genuiſſe Cainan, Cainan genuiſſe Sale: *Sale, qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad.* Attamen in veteri Teſtamento Gen. c. 10. v. 24. c. 11. v. 12. & 13. & 1. Paralip. c. 1. v. 18. legitur Arphaxad, omiſſo Cainan, genuiſſe Sale. Neque exponi poteſt, quod modo dicebam de Joram reſpe-

reſpectu Oſiæ, ſcilicet Arphaxad genuiſſe Sale mediante nempe Cainan; quia c. 11. Gen. cit. dicitur: *Arphaxad vixit 35. annis & genuit Sale*. Porro ſi genuiſſet immediate Cainan & eo mediante Sale, non tantum fuiſſet 35. annorum, quando genuiſſet Sale, ſed plurium, ſcilicet eorum, quos Cainan numerabat, quando genuit Sala. Et quod obſervandum eſt, hæc antilogia reperitur in vulgata Editione; unde ejus authenticitas non magis favet uni, quam alteri loco. R. Oſcitantia vel Amanuenſium, vel Typographorum, vel temere emendantium irrepſiſſe mendum in alterutro textu. Neque tamen id officit authenticitati vulgatæ Editionis; tum quia eſt vitium ſive Amanuenſium; ſive Typograph. ſive temere emendantium, non ſacrorum Scriptorum: tum quia eſt quid levis momenti, ex quo non eſt natus ſequi error pernicioſus contra fidem, aut mores. Authenticitas enim vulgatæ Edit. in hoc ſita eſt, juxta communiorem Sententiam, quod nihil contineat fidei, aut bonis moribus repugnans, ex quo pernicioſus error natus ſit ſequi; ut late diximus in Tract. de Reg. Fidei Diſſ. 1. a. 6.

Ex qua vero parte ſtet mendum, diſſentiunt Interpretes. Quidam volunt eſſe in veteri Teſtamento, quia 70. Interpretes interſerunt Cainan inter Arphaxad & Sale, ſicut Lucas in ſua genealogia: ſic enim habent: *Arphaxad 35. annorum genuit Cainan: Cainan 30. annorum genuit Sale*. Atque ita cenſent Euſeb. Ambroſ. Aug. Lippom. Canus, Tolet. Bellarm. & alii plures. Alii volunt, mendum ſtare ex parte genealogiæ Lucæ: tum, quia facilius eſt mendum irrepere in uno loco, quam in quatuor locis: in veteri autem Teſtamento quater omittitur Cainan inter Arphaxad & Sale, in novo ſemel tantum inſeritur: tum quia Textus hebraicus Geneſis & Paralipom. item Verſio Chaldaica & Samarit. ſimiliter omittunt Cainan. Et quamvis hodierna verſio 70. habeat Cainan, veriſimile eſt, eſſe interpolatam, ſiquidem Julius Africanus, Irenæus, Origenes, & Epiphan. qui illa utebantur in genealogia Patriarcharum, omittunt Cainan. Ita Serrius, & valde probabiliter.

Tertia diſſonantia. Matthæus ſcribit: *Joſias genuit Jechoniam & fratres ejus in tranſmigratione Babylonis*: & tamen ex 4. Regum c. 24. & 25. & 1. Paralip. 3. notum eſt Joſiam non genuiſſe Jechoniam, ſed Eliacim ſeu Joakim, neque ipſum, & fratres ſcilicet Johanan, qui obiit ante Patrem, Joachas dictum Sellum, & Mathaniam dictum Sedeciam, genuiſſe in tranſmigratione Babylonis, cum ante illam occiſus fuerit a Pharaone in Mageddo, 4. Reg. 23.

Reſpondent quidam Joſiam genuiſſe Jechoniam non immediate, ſed mediate, mediante ſcilicet Joakimo: ſed hæc non ſolvit nodum: dicit enim Matthæus Joſiam genuiſſe Jechoniam, & fratres ejus; Jechonias autem filius Joakimi non habuit fratres, ſed unum tantum nomine Sedeciam 1. Paralip. 3. v. 16.

Quapropter dicendum eſt cum aliis, hunc Joakim ſeu Eliacim, quem genuit Joſias, eſſe ipſum Jechoniam, quem nominat Matthæus, eo quod etiam hoc illi nomen eſſet, cujus fratres, ut jam notavi, erant Johanan, Joachas, alias Sellum, & Mathanias, alias Sedecias, iſte autem Joakim ſeu Jechonias genuit filium ſui nominis dictum Jechoniam & Joachim, item & Sedeciam alterum 1. Paralip. 3. v. 16. Contigit autem ex ſcriptorum vitio, Jechoniam non fuiſſe bis repetitum, ſeu hunc ſecundum Jechoniam eſſe omiſſum ut filium primi Jechoniæ in genealogia Matthæi, quæ ideo ſic intelligenda eſt: Joſias genuit Jechoniam ſeu Joakim, & fratres ejus in tranſmigratione Babylonis; Jechonias autem ſeu Joakim genuit Jechoniam ſeu Joachim, & poſt tranſmigrationem Babylonis iſte ſecundus Jechonias genuit Salathiel.

Quantum ad id, quod Matthæus dicit *In tranſmigratione Babylonis*, intelligitur imminente tranſmigratione ſeu circa tempus tranſmigrationis: vel, ut alii dicunt, Tò *in tranſmigratione* non refertur ad *genuit*, ſed ad *fratres ejus*, ita ut ſenſus ſit, genuit Jechoniam, & fratres ejus, qui fuerunt in tranſmigratione Babylonis.

Cæteræ apparentes antilogiæ. 1. Matthæus ſcribit, *Et poſt tranſmigrationem Babylonis Jechonias genuit Salathiel*, quem tamen Jechoniam Jeremias c. 22. ſcribit virum ſterilem. 2. Salathiel 2. Paralip. 35. dicitur genitus in tranſmigratione, non poſt tranſmigrationem Babylonis. 3. Matthæus dicit, *Salathiel genuit Zorobabel*, & tamen 1. Paralip. 3 Zorobabel dicitur filius Phadaiæ. R. ad 1. Jechoniam dici a Jeremia *virum ſterilem*, non abſolute, & phyſice, cum conſtet 1. Paralip. 3. multos habuiſſe filios, ſed ſterilem ſecundum quid & moraliter, quia nullum habuit filium, qui illi ſuccederet in regia dignitate. Ita aperte ſe explicat Propheta: *Scribe*, inquit, *virum ſterilem, qui in diebus ſuis non proſperabitur, nec enim erit de ſemine ejus vir, qui ſedeat ſuper ſolium David*. Ad 2. Matthæus intelligit poſt actum tranſmigrationis: 1. autem Paralip. 3. intelligitur tempus commorationis in Babylone, quod duravit 70. annis, quo tempore Jechonias genuit Salathiel. Ad 3. quidam dicunt Salathielem & Phadaiam eſſe eundem, qui fuit binomius: ſed id videtur contrarium Scripturæ 1. Paralip. 3. ubi Salathiel, & Phadaia ponuntur, ut duo filii diſtincti Jechoniæ: *Filii Jechoniæ fuerunt, Aſir, Salathiel, Melchiram, Phadaia*, &c. Unde verius videtur Zorobabelem, Filium Phadaiæ, eſſe diverſum a Zorobabele filio Salathielis.

ARTICULUS IV.

De modo & ordine Conceptionis Chriſti, nec non de perfectione prolis conceptæ.

Petes 1. Utrum Conceptio Chriſti facta ſit in inſtanti? (*Ib. q. 33. a. 1. o.*) Conceptio Chriſti, quantum ad formationem corporis, in qua principaliter conſiſtit conceptio, facta eſt in inſtanti.

Prob. 1. (*Ibid.*) Agens infinitæ virtutis poteſt in inſtanti materiam diſponere ad debitam formam: tanto enim agens poteſt citius materiam diſponere, quanto majoris eſt virtutis; atqui agens, per quem formatum eſt corpus Chriſti, nempe Spiritus S. eſt infinitæ virtutis. Ergo.

2. Si ante formationem perfectam corporis præceſſiſſet tempore corpus imperfecte conceptum, illud non aſſumpſiſſet Filius Dei, non enim debuit aſſumere aliquid imperfectum, & ſic tota conceptio non terminaretur ad ipſum, nec ſimpliciter & integre dici poſſet *Filius Dei conceptus*, quod tamen confitemur in Symbolo Apoſtolorum.

Dices. Motus localis interceſſit in conceptione Chriſti, ſcilicet tranſmiſſio puriſſimi ſanguinis in locum naturalem generationis, ejus coagulatio, condenſatio, & configuratio; ad hæc enim omnia requiritur motus localis: atqui motus localis non fit in inſtanti, cum de ejus ratione ſit, quod partes ſucceſſive ſubintrent locum. Ergo. R. (*Ib.*) quæ aſſignantur in majori, non conſtituere eſſentiam conceptionis, quæ, ut dixi, conſiſtit principaliter in formatione corporis, ſed eſſe præambula ad illam. Igitur ſanguine citiſſime coagulato, condenſato, & configurato, in inſtanti corpus formatur.

Petes 2. (*Ib. a. 3. 2.*) Utrum corpus Chriſti animatum fuerit in primo inſtanti ſuæ conceptionis? R. Affirmative. Quia ut conceptio filio Dei attribuatur, terminative ſcilicet, ſicut confitemur in Symbolo, ut jam dictum eſt, neceſſe eſt, ut ipſum corpus Chriſti a Verbo fuerit aſſumptum, quando concipiebatur: atqui non aſſumpſit corpus niſi animatum, ut probavimus in Tract. de Incarnat. Diſſ. 7. a. 2. ad Q. 6. D. Th. Ergo.

Petes 3. Utrum corpus Chriſti in primo inſtanti ſuæ conceptionis fuerit a Verbo aſſumptum? R. affirmative. (*Ib. a. 3. o.*) jam patet ex præcedenti Reſp. item quia ſi caro Chriſti fuiſſet concepta, antequam ſuſciperetur a Verbo, habuiſſet hypoſtaſin præter hypoſtaſin Verbi, quod eſt contra rationem incarnationis, ſecundum quam ponimus Verbum Dei eſſe unitum humanæ naturæ & omnibus partibus ejus in unitate hypoſtaſis. Nec fuit conveniens, quod hypoſtaſin præexiſtentem humanæ naturæ, vel alicujus partis ejus Verbum Dei ſua aſſumptione deſtrueret; non enim venit deſtruere humanitatem, ſed perficere. Et ideo contra fidem eſt dicere, quod caro Chriſti prius fuerit concepta, & poſtmodum aſſumpta a Verbo. Unde Aug. l. de fide ad Petrum cap. 18. dicit: *Firmiſſime tene & nullatenus dubites, carnem Chriſti non fuiſſe conceptam in utero Virginis, priuſquam ſuſciperetur a Verbo*.

Petes 4. Utrum Chriſtus in primo inſtanti ſuæ conceptionis habuerit plenitudinem gratiæ ſanctificantis? R. affirmative: (*Q. 34. a. 1. o.*) quia abundantia gratiæ ſanctificantis animæ Chriſti derivatur ex ipſa Verbi unione, quæ in primo inſtanti ſuæ conceptionis facta eſt, ut modo dicebamus. Ergo. Confer Diſſ. 8. de Incarnat. a. 1. ad q. 7. D. Th.

Petes 5. Utrum Chriſtus in primo inſtanti ſuæ conceptionis habuerit uſum liberi arbitrii? R. affirmative: (*Ib. a. 2. o.*) quia Chriſtus in primo inſtanti ſuæ conceptionis habuit ſpiritualem perfectionem, ut patet ex dictis. Atqui perfectio ultima non conſiſtit in potentia ſeu habitu, ſed in operatione. Ergo Chriſtus habuit in 1. inſtanti ſuæ conceptionis illam operationem ſpiritualem, quæ poteſt in inſtanti haberi, qualis eſt operatio intellectus & voluntatis, in qua conſiſtit uſus liberi arbitrii.

Petes 6. Utrum Chriſtus in 1. inſtanti ſuæ conceptionis meruerit? R. affirmative. (*Ib. a. 3. a.*) Vide Diſſ. 19. de Incarnat. a. 1. Concl. 2.

Petes 7. Utrum Chriſtus fuerit comprehenſor in 1. inſtanti ſuæ conceptionis? R. affirmative. (*Ib. a. 3. a.*) Vide Diſſ. 10. de Incarnat. a. 1. Concl. 2.

Digitized by Google

ARTICULUS V.

De Peregrinatione B. Virginis in Montana Judææ ad viſitandam cognatam ſuam Eliſabeth.

LUCAS c. 1. narrat, quod poſtquam Angelus diſceſſiſſet a Maria, ipſa abierit cum feſtinatione in Provinciam Judæ viſura cognatam ſuam Eliſabeth. Quod non debet intelligi factum ipſa die diſceſſus Angeli. Quamvis enim dicatur iter confeciſſe cum feſtinatione, non dicitur tamen ſuſcepiſſe cum feſtinatione; quin potius contrarium innuitur, dum dicitur: *Et diſceſſit ab illa Angelus: Exurgens autem Maria in diebus illis abiit in Montana cum feſtinatione*: quæ loquendi formula, *in diebus illis*, ſignificat non ipſa die, qua diſceſſit Angelus, iter fuiſſe ſuſceptum, ſed circa id tempus, & paucis poſt diebus. Circa hanc peregrinationem 3. quæruntur. 1. qua de cauſa B. Virgo illam ſuſceperit? 2. utrum Joſeph illam comitatus fuerit? 3. utrum exultatio ſeu motus Joannis in utero matris fuerit naturalis & corporis tantum, ut contingit aliquando naturaliter in infantibus adhuc in utero, an ſupernaturalis & animi? Ex quibus reſolutis quædam Corollaria deducemus. Itaque

Dico 1. B. Virgo hanc peregrinationem non ſuſcepit, ut exploraret veritatem dictorum ab Angelo, aut ut certior de ea fieret, ut quidam minus digne ſenſerunt: omnimodam enim fidem dictis Angeli præbuit, dum dixit: *Ecce ancilla Domini*, &c. & de firmitate fidei laudatur ab Eliſabeth: *Beata, quæ credidiſti, quoniam perficientur ea, quæ dicta ſunt tibi ab Angelo*. Neque dicas non dubitaſſe de ſua, ſed de Eliſabeth impprægnatione; quæ enim majus & difficilius credit, de minori & faciliori non dubitat.

Suſcepit ergo hanc peregrinationem B. Virgo ex ſpeciali inſtinctu Spiritus S. qui ea mediante volebat replere ſua gratia Eliſabeth & Joannem in ejus utero, ac utrique revelare myſterium Incarnationis, quamvis iſtos ſines forte tunc ignoraret B. Virgo, ſed ſolo animo obediendi divino inſtinctui hoc iter ſuſceperit.

Dico 2. S. Joſeph non eſt comitatus B. Virginem in hoc itinere. Prob. Joſeph poſt reditum B. Virginis ignorabat adhuc myſterium divinæ ejus fœcunditatis, & ideo videns ejus uterum intumeſcentem volebat illam dimittere. Atqui illud probe noviſſet, ſi comes viæ prodigia, quæ patrata ſunt in domo Zachariæ, vidiſſet, & audiviſſet Eliſabeth exclamantem: *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini ad me*. Ergo. Vel igitur B. Virgo ſola perfecit hanc peregrinationem propter ſecretum myſterii, vel ſociam adhibuit gravem aliquam matronam, prout honeſtas poſtulare videbatur.

Quæ ſit autem illa Civitas Judæ, ad quam acceſſit B. Virgo ſalutatura Eliſabeth, non certo ſcitur, cum Scriptura dicat dumtaxat eam iviſſe in Civitatem Judæ. Veriſimile eſt tamen fuiſſe *Cariatharbe*, quæ *Hebron*, ſeu *Chebron* dicta eſt: quia Civitas, in qua habitabat Zacharias Sacerdos, erat Sacerdotalis & in monte Juda; nulla autem alia Civitas in monte Juda fuit Sacerdotalis quam Hebron. Hæc autem diſtat a Nazareth 26. leucis circiter.

Dico 3. Exultatio ſeu motus Joannis in utero Matris fuit ſupernaturalis, & non corporis tantum, ſed etiam animi. Prob. 1. ex prædictione Angeli ad Zachariam, Luc. 1. v. 15. *Spiritu S. replebitur adhuc ex utero Matris ſuæ*. Quod non alio tempore fingi poteſt completum, quam cum ad adventum Domini exultavit in utero Matris. 2. Ex his verbis Eliſabeth ibid. v. 24. *Exultavit in gaudio Infans in utero meo*. Non utique in gaudio Matris, ut quidam fingunt, ſed in gaudio ſuo, ut aperte innuit Lucas his verbis ibid. *Ut audivit ſalutationem Mariæ Eliſabeth, exultavit Infans in utero ejus, & repleta eſt Spiritu ſancto Eliſabeth*. Super quæ verba Ambroſ. l. 2. in Luc. dicit: *Exultavit Infans & repleta eſt Mater, non prius repleta Mater, quam Filius, ſed cum Filius eſſet repletus Spiritu ſancto replevit & matrem*. Et Aug. Ep. olim 57. ad Dardanum, nunc 187. *Joannes*, inquit, *nondum in hanc editus lucem, tamen exultavit in gaudio, quod utique niſi operatione Spiritus ſancti fieri poſſe quis credat?*

Ex his colliges 1. uſum rationis tunc acceleratum fuiſſe in Joanne: quale enim gaudium abſque uſu rationalis illi eſſet potuiſſet? An autem fuerit inſtantaneus, an continuatus, non ita conſtat. Fuiſſe continuatum, ſaltem quoad intelligentiam myſteriorum, tradunt Origenes & Ambroſius, primus hom. 9. in Luc. ſecundus l. 2. in Luc. ubi ſcribunt, Mariam manſiſſe tres menſes apud Eliſabeth, ut ex ejus præſentia proficeret Joannes; nullus autem profectus abſque uſu rationis. Item Orig. hom. 10. in Luc. & Ambroſ. loco cit. dicunt Joannem recens natum intellexiſſe Canticum Zachariæ. *Potuit*, inquit Ambroſ. *vocem Patris natus audire, qui Mariæ ſalutationem, antequam naſceretur, audivit*.

Colliges 2. Fuiſſe ſanctificatum in utero, cum ibi fuerit repletus Spiritu S. ſicque mundatum a peccato originali, quocum ſubſiſtere non poteſt ſanctificatio. Nec obſtat, quod nemo poſſit renaſci, niſi prius fuerit natus, id namque verum eſt dumtaxat de regeneratione communi, quæ fit per Baptiſmum; non de regeneratione, quæ fit miraculoſe occulta Dei virtute.

DISSERTATIO III.

DE NATIVITATE CHRISTI,

Div. Thom. Quæſt. 35.

ARTICULUS I.

De Nativitate Chriſti ſecundum ſe conſiderata.

PLURA hic occurrunt expendenda. 1. utrum tribuendæ ſint Chriſto duæ Nativitates? 2. utrum pariter tribuendæ ſint duæ filiationes? 3. utrum B. Virgo ſit vera & naturalis Mater Chriſti? 4. utrum poſſit & debeat dici Mater Dei 5. utrum pepererit ſine dolore?

Dico 1. (*Q. 35. a. 1. c.*) Tribuendæ ſunt Chriſto duæ Nativitates. Quia Nativitas & omnis generatio comparatur ad naturam, ſicut motus ad terminum, & motus diverſificatur ſecundum diverſitatem terminorum. Atqui in Chriſto ſunt duæ naturæ, divina ſcilicet & humana. Ergo illi tribuendæ ſunt duæ Nativitates; una qua æternaliter natus eſt ex Patre, altera qua temporaliter natus eſt ex Matre. Atque ita canit Eccleſia in Symbolo S. Athanaſii: *Deus eſt ex ſubſtantia Patris ante ſæcula genitus; & homo eſt ex ſubſtantia Matris in ſæculo natus*. Sicque definivit V. Synodus can. 2. his verbis. *Si quis non confitetur, Dei Verbi eſſe duas Nativitates, &c. anathema ſit*.

Hinc inferes, Chriſtum poſſe dici bis natum. Neque refert, quod prima Nativitas non fuerit interrupta, neque quod ſecunda non ſit ejuſdem ſpeciei cum prima: nam proverbium *Bis* non requirit interruptionem temporis: unde qui ab uno Epiſcopatu tranſit in alium, dicitur bis Epiſcopus, etiamſi nulla fuerit interruptio. Item Beatus, qui rem intelligit viſione beatifica & cognitione naturali, dicitur bis intelligere, quamvis nulla ſit intellectionis interruptio. Neque etiam proverbium *Bis* requirit actus ejuſdem omnino ſpeciei, ſed ſufficiunt duo actus qui in aliqua communi ratione analoga conveniunt: unde quamvis generatio & reſurrectio differant, attamen homo reſurgens dicitur bis productus.

Dico 2. (*Ib. a. 2. c.*) Sunt in Chriſto duæ filiationes, ſicut ſunt duæ Nativitates, una æterna, altera temporalis, cum hoc diſcrimine, quod relatio filiationis temporalis in Chriſto non ſit realis, ſed rationis tantum. Quod prob. (*Ib.*) Subjectum inhæſionis filiationis non eſt natura ſola; ſed totum compoſitum ex natura & ſubſiſtentia, ſeu ſuppoſitum & perſona; non enim dicimus, quod natura ſit filia, ſed quod ſubſiſtens ſit filius. Atqui in Chriſto eſt unicum ſuppoſitum, idque divinum, quod non poteſt eſſe ſubjectum inhæſionis accidentis realis. Ergo. Neque tamen id obſtat, quin Chriſtus ſit verus & realis filius B. Virginis, quia ad hoc ſufficit relatio realis in Matre ad ipſum. Sicut licet non ſit relatio realis Domini in Deo, ſed rationis tantum, eſt tamen vere & realiter Dominus ex reali relatione ſubjectionis creaturarum ad ipſum.

Dico 3. (*Ibid. a. 3. c.*) B. Virgo eſt vera & realis Mater Chriſti: quia totum præſtitit in conceptione Chriſti, quod ſolent præſtare aliæ Matres, ſubminiſtravit ſcilicet materiam aptam conceptui, ut dixi ſupra.

Si dicas in ea non fuiſſe reſolutionem ſeminis fœminei; ſicut in aliis Matribus. R. (*Ib. ad 3.*) reſolutionem ſeminis fœminei non requiri ad conceptionem tamquam quid neceſſarium, ſed tamquam quid utile tantum, & ut melius ac perfectius fiat conceptio, quod a Deo potuit ſuppleri per virtutem Spiritus S. abſque detrimento Maternitatis in B. Virgine. Unde Joan. 2. vocatur *Mater Jeſu*, Luc. 1. *Mater Domini*, & ſic alibi.

Dico 4 (*Ib. a. 4. c.*) B. Virgo vere & proprie poteſt &

debet dici Mater Dei. Eſt de fide decisa in Conc. Epheſino contra Neſtorium: deinde in Conc. Chalcedon. Act. 8. & in aliis.

Prob. (*Ib.*) Ex eo mulier dicitur Mater alicujus, quod eum conceperit & genuerit. Atqui B. Virgo verum Deum concepit & genuit. Ergo. Prob. Min. 1. Juxta Scripturam Chriſtus eſt Deus ex B. Virgine conceptus & genitus. Luc. 1. *Quod ex te naſcetur*, *vocabitur* (id eſt, vere erit & celebrabitur) *Filius Dei*. Et paulo ante Angelus nuntiat Mariæ, quod is, quem concipiet & pariet, *vocabitur Altiſſimi Filius*. Ergo. Prob. 2. ead. Min. Concipi & generari tribuitur perſonæ, & ad eam terminatur; non enim dicimus naturam concipi aut naſci, ſed perſonam. Atqui in Chriſto eſt unica perſona, eaque divina, ad quam in primo inſtanti conceptionis aſſumpta eſt natura humana in utero Virginis. Ergo B. Virgo vere concepit & genuit Perſonam divinam ſeu Deum, nimirum in natura humana.

Obj. Actio B. Virginis terminata eſt ad naturam humanam, priuſquam aſſumeretur a Verbo: prius enim eſt eſſe quam uniri. Ergo non poteſt dici Mater Dei niſi improprie, id eſt Mater illius, qui poſtea factus eſt Deus. R. D. Ant. Actio B. Virginis terminata eſt ad humanam naturam priuſquam uniretur Verbo, prioritate naturæ, C. Prioritate temporis. N. In eodem enim inſtanti reali conceptionis in utero B. Virginis, Verbum univit ſibi hypoſtatice humanitatem ex B. Virgine aſſumptam, ſicque fuit illius conceptionis & generationis terminus. Quapropter non eſt improprie Mater Dei, ſive ad ſenſum Neſtorii, eo quod genuerit hominem, in quo poſtea Deus per gratiam habitaret ut in Templo, ſive eo ſenſu, quo mulier dicitur Mater Epiſcopi, quia genuit eum, qui poſtea Epiſcopus factus eſt; ſed vere & proprie, quatenus ejus actio generativa terminata eſt ad Perſonam divinam.

Inſt. Divinitas non eſt aſſumpta ex B. Virgine. Ergo non eſt Mater Dei. R. N. Conſequ. Ut enim mulier ſit & dicatur Mater alicujus, non eſt neceſſe, ut ex ſe conferat totum, quod eſt in compoſito, ſed ſufficit, quod ex ea aſſumatur corpus, ut patet in homine, cujus anima non eſt ex Matre, quæ tamen dicitur Mater hominis: in Chriſto autem corpus eſt aſſumptum ex B. Virgine.

Urgebis. B. Virgo nec eſt nec dici poteſt Mater Verbi divini. Ergo nec Filii Dei. R. omiſſo Antec. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quod To *Verbum* formaliter ſignificet terminum generationis æternæ per divinum intellectum. At To *Filius* ſignificat indifferenter terminum generationis ſive æternæ ſive temporalis. Omiſi Ant. quia multi promiſcue & ſine ſcrupulo vocant B. Virginem Matrem Verbi ſicut Matrem Dei: & ſenſu catholico, intelligendo ſcilicet materialiter, quod ſit Mater illius, qui eſt Verbum Patris.

Inſiſtes. Mater debet eſſe conſubſtantialis ſuo filio: atqui B. Virgo non eſt conſubſtantialis Chriſto. Ergo. R. D. Maj. Mater debet eſſe conſubſtantialis filio ex parte, C. Maj. ex toto, N. Maj. ad cujus ſenſum diſtincta Min. N. Conſeq. Hujus quidem rei exemplum non habemus in natura; quia myſterium eſt ſingulare, & ſi exemplo conſtaret, ſingulare non foret, ut ait Aug. Ep. 2. ad Voloſian.

Inferes. Ergo B. Virgo poterit dici cauſa Dei, quod non admittitur. R. N. Illat. quia To *Cauſa* magis late patet, quam To *Mater*: eſſe enim cauſa ſignificat generalem cauſalitatem totius illius, reſpectu cujus dicitur: eſſe autem Mater ſignificat peculiarem modum cauſalitatis, ſcilicet per generationem.

Dico 5. (*ibid a. 6. o.*) B. Virgo peperit abſque dolore. Quia dolor parientis cauſatur ex apertione meatuum, per quos proles egreditur: Chriſtus autem, ut dixi ſupra egreſſus eſt ex utero clauſo Matris. Deinde decebat, ut quæ ſine libidine conceperat, ſine dolore pareret: adeo, ut nervi umbilicaris, quo fœtus utero matris cohæret, ſectio abſque ſenſu matris Deo operante facta creditur. Neque (*Ibid.*) tantum ſine dolore, ſed cum ingenti jucunditate & lætitia peperit B. Virgo juxta illud Iſa. 35. *Germinans germinabit ſicut lilium, & exultabit lætabunda & laudans*. Attamen ut ſervetur partus proprietas, dicendum eſt, quod B. Virgo actione & impulſu quodam emiſerit fœtum per partes genitales, abſque tamen violentia & labore. Ita cenſent Hieron. cont. Helvid. c. 9. & Epiphan. l. 3. cont. Hæreſes, atque ſic canit Eccleſia: *Enixa eſt puerpera*.

Hinc inferes, nullam illic fuiſſe obſtetricem, quæ parienti opem ferret: *Nulla ibi obſtetrix*, inquit Hieron. cit. *nulla muliercularum ſodalitas intercessit; ipſa pannis involvit infantem, ipſa & Mater & obſtetrix fuit*. Hinc ridendi ſunt pictores, qui Virgini parienti obſtetricem affingunt, ei decumbenti ac quaſi infirmæ ſubſidia præbentem.

Utrum vero fuerit ſordes in hoc puerperio, ſicut in aliis puerperiis? Negare videntur plures SS. Patres. Aug. Orat. de 5. Hæreſibus cap. 5. ubi loquens contra Manichæum, qui nolebat Filium Dei dici Filium hominis, a quo ipſum inter alia deterrebant humanæ nativitatis ſordes, dicit: *Stulte, unde ſordes in Virgine Matre, ubi non eſt concubitus cum homine Patre? Unde ſordes in ea, quæ nec concipiendo libidinem, nec pariendo perpeſſa eſt laborem? Unde ſordes in domo, ad quam nullus habitator acceſſit?* S. Fulgentius Serm. de Laud. B. Virginis loquens de Concept. Chriſti: *O*, inquit, *conjunctio ſine ſordibus facta. Hoc ſplendore concipitur Dei Filius, hoc munditia generatur*. Bern. Ser. 3. de Purif. inducit B. Virginem ſic loquentem: *Quid mihi opus purificationis? .... Nihil in hoc conceptu, nihil in partu impurum, nihil illicitum, nihil purgandum .... Quid in me legalis purificet obſervatio, quæ puriſſima facta ſum in ipſo partu immaculato*. Si dicas ibi agi de purificatione ab immunditia legali, verum eſt, ſed immunditia legalis oriebatur ex immunditia naturali puerperarum. Pro eadem ſententia citantur Epiph. (l. 3. cont. Hæreſ. circa finem). Ildephunſ. l. de perpetua Virgin. denique Hieronym. c. 4. cont. Helvid. ubi dicit: *Polluatur cruore puerpera, obſtetrices ſuſcipiant parvulum vagientem, Maritus laſſam teneat uxorem: ſic incipiant nuptiæ, ne Evangeliſta mentitus ſit: ſed abſit, ut hoc de Matre Salvatoris, & viro juſto ſit æſtimandum*. Unde quod objicitur ex eodem Hieron. c. 9. ejuſd. lib. dictum eſt per tranſitionem, quaſi diceret: eſto ita ſit, non ideo erubeſceremus, qui crucem ignominioſam ſuſtinuiſſe confitemur.

Non deſunt tamen Theologi & interpretes, Toſtatus, Chriſtianus Lupus, Serrius, qui contrarium opinentur, hoc nixi fundamento, quod cum Chriſtus per omnia nobis ſimilis factus ſit, atque humanæ naturæ ſordes & contumelias toto decurſu vitæ non horruerit, illas naſcendo horruiſſe non ſit putandus.

Ad SS. Patres reſpondent eos eſſe intelligendos de ſordibus animi, non corporis. Verum non ita facile hanc ſolutionem accommodabis quibuſdam textibus citatis, ut legenti patet.

ARTICULUS II.

De Circumſtantiis Nativitatis Chriſti.

§. I. *De Loco Chriſti naſcentis.*

TRia hic quærimus. 1. utrum Chriſtus ſit natus in Bethleem? 2. utrum in ipſa Civitate Bethleem, an in ejus Suburbio? 3. utrum Chriſto naſcenti Bos & Aſinus adfuerint?

Dico 1. (*Ib. a. 7. o.*) Juxta Evangeliſtas, Matth. 2. & Lucam 2. Chriſtus natus eſt in Bethleem Civitatem Judææ ſeu Tribus Judæ. Exprimitur civitas Judæ, ut diſtinguatur ab altera Bethleem Tribus Zabulon.

Voluit autem Chriſtus naſci in Bethleem, in qua natus eſt David. 1. Ut oſtenderet ſe eſſe ex ejus ſemine, & promiſſionem ipſi factam eſſe impletam, quod deſignat Evangeliſta, dicens: *Eo quod eſſet de domo & familia David*. 2. Quia ut Greg. dicit homil. 8. in Evang. Bethleem domus panis interpretatur: ipſe autem eſt, qui ait: *Ego ſum panis vivus, qui de Cœlo deſcendi*: ſicque adimpletum eſt, quod prædixerat Michæas 5. *Et tu Bethleem Ephrata, parvulus es in millibus Juda, ex te mihi egredietur, qui ſit Dominator in Iſrael*. Vocat Propheta Bethleem *Ephrata*, quia ſic antiquitus vocabatur, Gen. 35. & 48.

At forte quis movebitur, quod Matthæus 2. referens illam Prophetiam ſcribat: *Et tu Bethleem terra Juda, nequaquam minima es in Principibus Juda, &c.* cum tamen Propheta vocet eam *Parvulam in millibus Juda*: quæ videntur contraria. Reſpondet Hieron. Matthæum Prophetiam hanc non retuliſſe ex ſe, ſed prout reddita fuerat a Principibus Sacerdotum & Scribis Herodi interroganti, ubi Chriſtus naſceretur, eamque vitiationem noluiſſe corrigere, ut omnibus innoteſceret, quanta tunc eſſet in Sacerdotibus & Scribis Scripturarum ignorantia. Qui vero exiſtimant Matthæum retuliſſe Prophetiam proprio nomine, dicunt hæc verba Prophetiæ, *Parvulus es in millibus Juda*, non eſſe dicta a Michæa affirmando, ſed interrogando: quaſi diceret Propheta: *Tune Parvula es in millibus Juda?* Nec mirum, quod id non exprimatur in Scriptura, quia Hebræi interrogationis puncta ſcribendo non habent: unde Matthæus dicendo, *Nequaquam minima es in Principibus Juda*, expreſſit ſenſum germanum Prophetiæ.

Dico 2. Probabile eſt Chriſtum natum eſſe in ſuburbio Bethleem, in ſpelunca diverſorio conjuncta brutis animantibus deſtinata. Colligitur ex Scriptura. 1. Lucas 2. narrat *Paſtores cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum*, ſeu ſub dio cum grege cubantes, veniſſe adoratum Dominum: non autem habuiſſent facilem aditum de nocte intra Civitatem probabiliter muris circumſeptam; nec facile in Civitate Puerulum natum inveniſſent. 2. Quia Herodes juſſit occidi omnes infantes, non ſolum in Civitate natos, ſed *in omnibus finibus ejus*, hac ſcilicet de cauſa, quod Bethleem nomine ſciret intelligi non ſolum ipſam civitatem, ſed etiam ejus Suburbia. Cæterum ita confert Eu-

ſeb. qui l. 7. demonſt. Evang. c. 2. dicit, *Agrum juxta Bethleemum demonſtrari, ubi Virgo enixa Infantem depoſuit*: & Juſtinus in Dial. cum Tryph. qui dicit ſpeluncam, in qua natus eſt Jeſus, eſſe *juxta Bethleemam poſitam*.

Dixi, *in ſpelunca, diverſorio conjuncta brutis animantibus deſtinata*, ſeu ſtabulo. Ita conſtat ex Luc. 2. dicente: *Reclinavit eam in præſepio, quia non erat eis locus in diverſorio*. Erat autem veriſimiliter illa ſpelunca in terra vel rupe exciſa, ut moris erat in illis partibus. Et ideo Hieron. Ep. 27. vocat *parvum terræ foramen*. Euſeb. l. 3. de vita Conſtant. vocat *Antrum*, & Venerab. Beda l. de locis ſanctis c. 8. *Semiantrum*.

Dico 3. Chriſto naſcenti adfuiſſe bovem & aſinum, antiqua Traditio eſt apud Hieron. Ep. 27. Greg. Nazian. Orat. 38. de Nativit. Chriſti, Greg. Nyſſ. de Chriſti generatione, Paulinum ad Severian. Ep. 11. Cyrillum Catecheſi 12. Aug. contra Judæos c. 13. &c. Hi nempe hanc Sententiam Iſa. 1. *Bos cognovit poſſeſſorem ſuum, & Aſinus præſepe Domini ſui*, quæ ſenſu litterali intellecta exprobrat populo Judaico ingratitudinem ſuam erga Dominum præ bobus & aſinis, qui grati ſunt dominis ſuis; ſenſu accommodatitio applicant bovi & aſino, qui Chriſto recens nato in præſepio Bethleemitico aſtiterunt, eumque ſive naturali ſive miraculoſa aliqua reverentia agnoverunt & adoraverunt. Idem de hac altera Sententia Prophetæ Habacuc c. 3. ſecundum 70. *In medio duorum animalium cognoſceris*; quæ licet per duo animalia ſignificet Cyrum & Darium, qui ab Iſaia duobus animalibus, ſcilicet aſino & camelo, aſſimilantur, allegorice tamen Patres varie intelligunt, modo de duobus Teſtamentis, modo de duobus latronibus, modo de Chriſto recens nato in præſepio poſito inter bovem & aſinum, & a Paſtoribus agnito. Atque hanc Traditionem recipit Eccleſia, quæ in officio Nativitatis Reſponſ. 4. canit: *O Magnum myſterium & admirabile Sacramentum, ut animalia viderent Dominum natum jacentem in præſepio!* Et Reſp. 6. Feſti Circumciſionis: *In medio duorum animalium jacebat in præſepio & fulgebat in cælo*.

Scio quoſdam Recentiores, inter quos noſter Serrius, habere Traditionem pro fabula, hac potiſſimum ratione, quod Lucas, qui Chriſti Nativitatem accurate deſcribit, nihil de bove & aſino ſcribat, & Angelus, qui Paſtoribus ſigna recens nati Salvatoris dedit, non dixit in medio duorum animalium eſſe poſitum. At hæc ſunt argumenta negativa; quæ non ſatis evincunt contra Traditionem auctoritate Patrum & uſu Eccleſiæ firmatam. Inſuper & Lucas deſcribendo Chriſti Nativitatem, & Angelus eam nuntians Paſtoribus, ſufficienter indicaverant locum Chriſti naſcentis, dicendo ipſum jacere in præſepio, nec erat neceſſe commemorare omnia, quæ ſolent eſſe in præſepiis, fœnum, paleas, & alia hujuſmodi.

Ad SS. Patres, qui ſcribunt, bovem & aſinum cognoviſſe poſſeſſorem ſuum & præſepe Domini ſui, reſpondent allegorice & figurate locutos fuiſſe, eoque bovis & aſini ſubjugalium animalium ſymbolo Paſtores genere & Religione Judæos ferendo Moſaicæ Legis oneri aſſuetos intellexiſſe, qui ex dato ſibi ſigno ab Angelo natum Salvatorem in præſepio cognoverunt & adoraverunt; vel ut alii volunt, intellexiſſe Magos & Paſtores, Gentiles & Judæos.

Verum nulla figura apparet in his, quæ cantat Eccleſia; neque in his, quæ plures ex laudatis Patribus dicunt. Sic Hieron. Ep. 27. de Paula dicit: *Inde Bethleem ingreſſa, in ſpecum Salvatoris introiens, poſtquam vidit ſacrum Virginis diverſorium & ſtabulum, in quo agnovit Bos poſſeſſorem ſuum & Aſinus præſepe Domini ſui*, &c. Neque ſpecus, neque diverſorium, neque ſtabulum hic ponuntur figurate; ergo neque bos & aſinus. Item Greg. Nazian. Or. 38. de Nativit. *Cognoſce*, inquit, *ut bos, poſſeſſorem tuum, & cum aſino præſepe Domini tui, cum ſtella curre, cum Magis adora, cum Angelis tripudia*. Nunquid vere & litteraliter ſtella præceſſit, Magi adoraverunt, Angeli lætantes gaudium magnum nuntiaverunt? Ergo vere & litteraliter bos & aſinus Chriſto naſcenti adfuerunt.

Denique cum natus ſit Chriſtus in ſpelunca brutis animalibus deſtinata, ut omnes conveniunt, nihil miri aut abſurdi, quin potius convenientiæ eſt, ſi dicatur ibi reperta fuiſſe quædam animalia.

§. II. *De Tempore Chriſti naſcentis.*

TRIA hic expendenda occurrunt: 1. quo anno a creatione mundi Chriſtus natus ſit? 2. quo menſe & qua die menſis? 3. qua hora diei?

Dico 1. Secundum communem nunc Sententiam, computando ſex mundi ætates juxta textum Hebraicum & Vulgatam Editionem, natus eſt Chriſtus anno circiter 4000. a creatione mundi.

Hic annus (*Quæſt.* 35. *a.* 8. *o.*) erat 41. Imperii Auguſti Cæſaris, ſub quo uno Principe vivebat Orbis univerſus, & profunda pace fruebatur. Porro congruebat eo tempore naſci Chriſtum, qui eſt pax noſtra *faciens utraque unum*, ut dicitur Epheſ. 2. & qui venerat congregare ſuos in unum, *ut eſſet unum ovile & unus Paſtor*: Joan. 10. Dixi, *computando juxta Textum hebraicum & vulgatam Editionem*: quia computando juxta Verſionem 70. longe major eſt annorum numerus. Sed vitiata in hoc communiter creditur Editio 70. quamvis unde vitiatio provenerit incertum ſit. Atque hinc factum eſt, quod Martyrologium Romanum, quod editum fuit tempore, quo Eccleſia communiter utebatur Editione 70., numeret a creatione mundi ad Chriſtum natum anno 5199. quamvis & hic numerus nondum attingat numerum 70. Verum Eccleſia ad hæc utpote leviora accuratius diſquirenda Majeſtatem ſuam non dimittit, inquit Cano, ſed calculo Chronologorum relinquit.

Dico 2. Univerſa Eccleſia tam Græca quam Latina ex conſtanti Majorum Traditione tenet Chriſtum eſſe natum 24. Decembris. Improbanda eſt itaque opinio Eccleſiarum Ægypti, quæ exiſtimant Chriſtum eſſe natum 6. Januarii, & ideo hac die quatuor myſteria celebrant, ſcilicet Nativitatis Chriſti, Epiphaniæ, Baptiſmi Chriſti, & primi ejus miraculi in Cana Galilæa, utpote contraria Traditioni univerſæ Eccleſiæ, & quam aliunde ut minus fundata impugnat Hieron. in c. 1. Ezechiel.

Dices cum quibuſdam Heterodoxis, quorum alii 20. Aprilis, alii 20. Maii Chriſtum eſſe natum volunt, veriſimile non eſſe Chriſtum eſſe natum media hieme; habetur enim Luc. 2. Chriſto naſcente Paſtores cuſtodiviſſe vigilias noctis ſuper gregem ſuum, id eſt ſub dio cubantes: id autem fieri non potuit media hieme. Ergo. R. N. aſſumptum. Palæſtina enim ſicut aliæ orientales & auſtrales plagæ ſunt temperatiſſimæ, in quibus etiam media hieme greges ſub dio pernoctant, & Paſtores juxta accubant.

Dico 3. Natus eſt Chriſtus media nocte. Quod ſit natus de nocte, colligitur ex Luca, qui narrata Chriſti Nativitate immediate ſubjungit: *Paſtores erant in eadem regione vigilantes & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum*. Quod media nocte: conſtat partim ex antiquiſſima Eccleſiæ praxi, quæ a primis ſæculis ideo hac die ſua Officia celebrat media nocte: partim ex illo Sap: c. 18. *Cum quietum ſilentium teneret omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens ſermo tuus a Regalibus Sedibus, durus debellator in mediam exterminii terram proſilivit*. Quod dictum de Chriſti Nativ. multi Patres interpretantur.

Petes, utrum e Virgine pariente abfuerit S. Joſeph? R. verbis S. Petri Damiani Serm. 62. *Adeſt & Joſeph, ſed ab utroque remotus, & in receſſu mentis miratur, & mirari ſatis non poteſt, qualiter ſit ad tantæ dignitatis admiſſus arcanum*. Recte quidem: non enim veriſimile eſt, quod quidam comminiſcuntur, ſanctiſſimum Sponſum media nocte abfuiſſe domo, & Sponſam partui proximam dereliquiſſe.

DISSERTATIO IV.

DE MANIFESTATIONE CHRISTI NATI.

Div. Thom. Quæſt. 36.

ARTICULUS I.

Utrum Manifeſtatio Chriſti nati convenienter facta fuerit?

QUÆ hac q. 36. docet S. Th. pro majori parte ſequentibus concluſionibus breviter perſtringo. Unde dico 1. (*Q.* 36. *a.* 1. *c.*) Non debuit Nativitas Chriſti communiter & promiſcue omnibus manifeſtari: quia ſi fuiſſet omnibus manifeſtata per ſigna exteriora eam oſtenſione ſignati, adjuncto lumine interiori fidei, ſicut fuit manifeſtata Paſtoribus, Magis, Simeoni & Annæ, Chriſtus non habuiſſet perſecutores & crucifixores, juxta illud 1. Cor. 2. *Si cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent*: indeque impedita fuiſſet Redemptio generis humani, quæ per crucem peracta eſt.

Dico 2. (*Ibid. art.* 2. *o.*) Debuit tamen aliquibus manifeſtari Nativitas Chriſti. Tum quia nulli profuiſſet,

ſi omnibus fuiſſet occulta; juxta illud Eccl. 10. *Sapientia abſcondita & theſaurus inviſus, quæ utilitas in utriſque?* Tum quia ordo divinæ ſapientiæ eſt, ut ejus dona & opera non maneant penitus occulta; neque tamen omnibus æqualiter innoteſcant, ſed quibuſdam prærordinatis, & per eos ad alios perveniant. (*Ibid. ad* 1.) Tum denique quia tolleretur fides, ſi nulli cognitum fuiſſet iſtud myſterium, a quo ab aliis poſſet audiri; *fides enim ex auditu*, Rom. 10. Neque ſufficiens fuiſſet Joſephi & Mariæ teſtimonium, quia, cum eſſet domeſticum, fuiſſet ſuſpectum.

Dico 3. (*Ib. ad* 3. *o.*) Convenienter fuerunt electi illi, quibus Chriſti Nativitas eſt manifeſta, nempe Paſtores, Magi, Simeon & Anna. Quia cum Chriſtus eſſet Salvator omnium, ejus Nativitas convenientiſſime omnibus hominum conditionibus eſt manifeſtata, ſcilicet Paſtoribus, qui erant Judæi, pauperes, & ſimplices; Magis, qui erant Gentiles, ſapientes, potentes, & peccatores; viris & mulieribus, ſcilicet Simeoni & Annæ, qui erant juſti; ut ſignificaretur, nullam conditionem a ſalute Chriſti excludi, juxta illud Coloſſ. 3. *In Chriſto Jeſu non eſt maſculus & fæmina, & Gentilis, & Judæus, ſervus, & liber.*

Si petas, ubi ab Angelis nuntiata fuerit Paſtoribus Chriſti Nativitas? R. juxta Hieron. nuntiatam fuiſſe ad Turrim *Ader* ſeu *Eder*, id eſt *Gregis*, ſitam inter Bethleem & Jeruſalem, diſtantem a Bethleem mille paſſibus, ubi Paſtores greges ſuos de nocte paſcebant, & inde veniſſe adoratum Dominum. Ita S. Doctor in Traditionibus hebraicis ad c. 35. Geneſ. & Ep. 27. ubi hæc habet: *Haud procul inde deſcendit Paula ad turrim Eder ſeu Gregis, juxta quam pavit Jacob greges ſuos, & Paſtores nocte vigilantes audire meruerunt Gloria in excelſis Deo, & ſuper terram pax hominibus bonæ voluntatis.* Quantum ad numerum, tres vulgo numerantur ex Beda de locis ſanctis, c. 8. Quidam tamen quatuor numerant.

Dico 4 (*Ib. a.* 4 *o.*) Non decebat, quod Chriſtus per ſeipſum manifeſtaret ſuam Nativitatem: quia id derogaret fidei humanitatis; & aliunde voluit naſci nobis ſimilis, omnibus infantiæ infirmitatibus obnoxius.

Dico 5. Convenientiſſima fuerunt media, quæ divina ſapientia aſſumpſit, ut Chriſti Nativitatem manifeſtaret. Prob. (*Ibid.*) Manifeſtatio, quæ fit per ſigna, debet fieri per ea, quæ ſunt familiaria iis, quibus fit manifeſtatio. Porro juſtis eſt familiare & conſuetum interiori Spiritus S. inſtinctu edoceri abſque ſignorum ſenſibilium demonſtratione; & ideo convenienter Simeoni & Annæ tamquam juſtis manifeſtata eſt Chriſti Nativitas per interiorem inſtinctum Spiritus S. ſecundum illud Luc. 2. *Reſponſum acceperat Simeon a Spiritu S. non viſurum ſe mortem, niſi prius videret Chriſtum Domini.* Alii vero corporalibus rebus dediti per ſenſibilia ad intelligibilia deducuntur: unde Paſtoribus & Magis corporalibus addictis manifeſtata eſt Chriſti Nativitas per viſibiles apparitiones Angelorum & Stellæ. Paſtoribus quidem per apparitionem Angelorum, quia apud Judæos frequenter fiebant apparitiones Angelorum: Magis autem per apparitionem Stellæ, quia erant aſſueti ſyderum contemplationi.

Obſervandum tamen (*Ib. ad* 4. *& a.* 8. *o.*) quod hæc Stella non fuiſſet Magis certum ſignum nati Salvatoris Dei & hominis, niſi præter illam ſpeciem, quæ corporalem incitavit obtutum, fulgentior veritatis radius eorum corda perdocuiſſet: non enim ex ſola novæ Stellæ conſideratione ad tanti myſterii veritatem pervenire poterant.

Dico 6. (*Ib. a.* 6. *o.*) Convenienti ordine manifeſtata eſt Nativitas Chriſti: 1. Paſtoribus, deinde Magis, poſtremo Simeoni & Annæ. Quia Paſtores repræſentabant Apoſtolos & Judæorum Primitias: Magi erant Primitiæ Gentium: Juſti autem in Templo repræſentabant plenitudinem Judæorum. Porro fides Chriſti primo manifeſtata eſt Apoſtolis: deinde plenitudini Gentium; poſtremo in fine ſæculorum manifeſtabitur plenitudini Judæorum.

ARTICULUS II.

De Magis Chriſti naſcentis Adoratoribus.

EXpoſitis iis, quæ docet S. Th. ſex primis artic. hujus q. 36. reſtant variæ difficultates circa ipſos Magos Chriſti Adoratores & Stellam, quæ iis apparuit. 1. Quænam fuerit hæc Stella? 2. Utrum exiſtens in Oriente apparuit Magis, an potius exiſtens in Judæa apparuit Magis exiſtentibus in Oriente? 3. Utrum duxerit Magos ab Oriente in Jeruſalem? 4. Cujuſnam conditionis fuerint Magi? 5. Unde venerint?

Dico 1. (*Ib. a.* 7.) Stella, quæ apparuit Magis, non erat una ex ſyderibus cœleſtibus, neque Cometa, ſed nova Stella ex elementari aliqua materia miraculoſe formata. Patet, quia iſta Stella ita movebatur ſecundum divinam voluntatem, ut modo ſtaret, modo progrederetur, modo eſſet occulta, modo conſpicua etiam in meridie. Hæc autem non competunt ſyderibus cœleſtibus, neque Cometis. Inſuper non fulgebat in cœlo ſtellato, ſed in aere terræ vicino, alioquin nec Magos ducere, nec certam domum eis indicare potuiſſet.

Dico 2. (*Ibid.*) Hæc Stella exiſtens in Oriente apparuit Magis. Id ſignificare videtur Matthæus cap. 2. dicens: *Stella, quam viderant in Oriente*, ſitam ſcilicet; & illa verba Magorum: *Vidimus Stellam ejus in Oriente*, ſcilicet fulgentem.

Si objicias Vaticinium Balaam Num. 24. *Orietur Stella ex Jacob.* R. hoc Vaticinium intelligi de Chriſto ipſo, qui Apocal. 22. vocatur *Stella ſplendida & matutina*, cujus Stella, quæ apparuit Magis, erat nuncia. Hanc autem Stellam non fuiſſe viſam Judæis, colligitur ex Evangelio, quo docemur Herodem non niſi ex Magis didiciſſe tempus Stellæ. Aliunde, ſi ex ſola relatione apparitionis Stellæ turbatus fuerit Herodes, & omnis Jeroſolyma cum illo, quanto magis fuiſſent turbati, ſi vidiſſent ipſam Stellam ab Jeruſalem in Bethleem progredientem.

Dico 3. Probabilius eſt, hanc Stellam duxiſſe Magos ab Oriente in Jeruſalem. Prob. 1. ex Matth. c. 2. qui dicit de Magis egreſſis Jeruſalem: *Et ecce Stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, uſque dum veniens ſtaret, ubi erat puer.* Si ab Jeruſalem in Bethleem duxit, cur non ab Oriente in Jeruſolymam, cum tunc eſſet magis neceſſaria.

Si dicas: his verbis, *quam viderant in Oriente*, innui Stellam ſolum viſam fuiſſe in Oriente, non præiviſſe. N. Aſſumptum: Evangeliſta namque narrat, quod primum factum eſt, non narrat, quod inde ſubſecutum eſt.

Prob. 2. auctoritate Eccleſiæ, quæ in ſacro hymno cantat: *Ibant Magi quam viderant, Stellam ſequentes præviam.* 3. Auctoritate Patrum. Chryſoſtomi Serm. 15. dicentis: *Ambulante Mago, Stella ambulat, dormiente excubat.* S. Leonis Serm. 2. de Epiph. *Magos ad Chriſtum adorandum prævia Stella perduxit*: & S. Th. hic a. 7. o. qui tamen addit, id a quibuſdam relinqui ſub dubio. Equidem non deſunt clariſſimi Interpretes, qui nullum in Stella ab Oriente in Jeruſalem motum agnoſcunt, ſed ſive Orienti ſive Judææ incubantem viſam fuiſſe a Magis fixam dicunt, eos autem ex Prophetia Balaam Num. 24. *Orietur Stella ex Jacob*, intellexiſſe, quid iſta nova Stella, quam videbant, indicaret; ſicque eos ſine ductore veniſſe in Judæam. In hanc Sententiam adducuntur præſertim ex verbis Matth. cit. *Stella, quam viderant in Oriente*, ut dixi ſupra. Fatemur, hanc Sententiam non eſſe improbabilem: ſed prior eſt communior, & Eccleſiæ ac Patrum ſenſui videtur conformior.

Dico 4. Magos Chriſti adoratores non fuiſſe magicis artibus & dæmonum invocationibus addictos, ſed Philoſophos, Sapientes, & Syderum ſcientiæ peritos, qui in Oriente vocantur Magi, communior & probabilior eſt Sententia. Non fuiſſe Reges ſimpliciter, qui Populis & Provinciis ſuprema poteſtate dominantur, probabilius nobis videtur. 1. Quia nullus veterum Patrum eis talem regiam dignitatem, ſed ſapientiam & ſyderum notitiam attribuit. Primus omnium Theophylactus auctor XI. ſæculi hanc eis tribuit. 2. Quia Matthæus illos, nec regio titulo, nec regio apparatu adventantes deſignat, quod non omiſiſſet ad majorem naſcentis Chriſti gloriam & famam. 3. Herodes ipſos alloquitur, ut inferioris conditionis homines, & cum iis ex imperio agit. *Mittens eos in Bethleem dixit: Ite & interrogate diligenter de puero, & cum inveneritis, renuntiate mihi.* 4 Non eſt veriſimile, Reges exteros ingreſſos fuiſſe limites alterius Regni, nullis miſſis Nuntiis aut Legatis: nec Herodes, qui ad ſimplicem nuntium novi Regis Judæorum nati turbatus eſt, illorum ingreſſum facile permiſiſſet.

Dices. Eccleſia in Feſto Epiphaniæ uſurpat hæc verba Pſ. 71. *Reges Tharſis & Inſulæ munera offerent, Reges Arabum & Saba dona adducent.* Item Prophetiam Iſaiæ 60. *Ambulabunt Gentes in lumine tuo, & Reges in ſplendore ortus tui.* Ergo. R. hæc utriuſque Prophetiæ verba dicta eſſe generatim de converſione Regum Gentium, Nationumque barbararum ad Chriſti cultum. Ea autem Eccleſia accomodat ſuis officiis in Feſto Epiphaniæ, quia Magi fuerunt primitiæ converſionis Gentium. Alias ſi de Magis Chriſti naſcentis adoratoribus litteraliter dicta velis, neceſſe erit dicere Magos fuiſſe, non qualeſcumque Reges, ſed Reges Æthyopes, Tharſenſes, Inſulenſes, Arabes, & Sabeos, imo omnes Reges terræ ad Chriſtum naſcentem in præſepe convolaſſe. Dicit enim Pſalmiſta loco cit. *Coram illo procident Æthyopes, & inimici ejus terram lingent. Reges Tharſis & Inſulæ munera offerent. Reges Arabum & Saba dona adducent; & adorabunt eum omnes Reges terræ.*

Quia tamen ſenſus communis Fidelium eſt eos fuiſſe Reges, & ſub titulo Regum feſtum Epiphaniæ celebrant, nihil obſtat quominus dicamus cum pluribus eos fuiſſe Reges ſeu Regulos ſecundum Phraſim Scripturæ, quæ cujuſ-

juſvis Oppidi aut certi territorii Dominos ſeu Toparchas ſolet vocare Reges, ut patet de 5. Regibus, quos Abraham debellavit Geneſ. 14. Et ſic conciliantur Sententiæ.

Tres fuiſſe vulgo creduntur ex S. Leone ſerm. de Epiph. 1. 3. 5. & 6. incerta eorum nomina, de quibus nihil fuit auditum ante finem 12. ſæculi. Veriſimile eſt ſingulos obtuliſſe tria munera, Aurum, Thus, & Myrrham; quia cum ea offerrent, ut ſymbola fidei ſuæ, qua credebant Chriſtum eſſe Regem, Deum, & hominem mortalem, debuerunt ſinguli omnia hæc tria offerre, Aurum ut Regi, Thus ut Deo, Myrrham ut homini mortali in ſepulturam ejus.

Dico 5. Certum eſt ex Evangelio Magos veniſſe ex Oriente, quod debet intelligi reſpective ad Jeruſalem. Sed ex qua parte Orientis? Magna eſt SS. Patrum diſſenſio. Quidam dicunt eos veniſſe ex Chaldæa, in qua Magorum ſcientia florebat. Quidam, ut Origenes & Baſil. Mag. ex Meſopotamia. Alii, ut Juſtinus Martyr, Tertul. Epiph. Hilarius, &c. tenent eos veniſſe ex Arabia felice, ubi aurum, thus, & myrrhe abundant. Alii tandem tradunt veniſſe ex Perſide, in qua Magorum nomen & profeſſio celebria erat, & vigebat mos adorandi cum muneribus. Hujus Sententiæ ſunt Chryſoſtomus, Clemens, & Cyrillus Alexand. & ipſe S. Th. hic a. 7. o.

Cæterum undecumque venerint, extra dubium videtur omnes ex una & eadem Regione, eaqua orientali veniſſe. Unde abſque fundamento depingitur unus inter illos niger, quaſi ae Æthyopia vel altera Regione Aſiticæ eſſet oriundus. Qui error creditur manaſſe ex collectaneis aprocryphis V. Bedæ falſo adſcriptis.

ARTICULUS III.

De tempore adventus Magorum.

SUPPONO cum ſententia communi contra paucos, Stellam apparuiſſe Magis non biennio ante Chriſti Nativitatem, ſed ipſo jam nato. Conſtat ex verbis Magorum Matth. 2. *Ubi eſt, qui natus eſt Rex Judæorum; vidimus enim Stellam ejus*, utique nati, non naſcituri. Hoc ſuppoſito quidam, inter quos Epiphanius, cenſent Magos adventaſſe Jeruſolymam, ſubinde Bethleem biennio poſt Nativitatem Chriſti. Alii ſentiunt non adveniſſe niſi poſt Purificationem B. Virginis. Noviſſime noſter Serrius tenet non adveniſſe niſi 26. vel 27. Januarii, non alio fundamento nixus, quam quod falſo putat omnia bene cohærere in ſua ſententia, non in aliis. Contra quos omnes

Dico. (*Ibid. a. 6.* a.) Magi advenerunt Jeruſalem, ſubinde Bethleem die 13. poſt Chriſti Nativitatem, hoc eſt 6. Januarii. Hic eſt ſenſus communis Fidelium & Eccleſiæ Traditio, quam defendunt celebres Auctores, S. Th. hic cit. Baron. ad annum 1. Chriſti n. 31. & ſeq. Melchior Cano de locis Theolog. l. 11. c. 5. ad 5. Janſenius Gand. in Concord. c. 9. Sylvius hic, Tournelius, & alii; nec quidquam opponitur, quod illam efficaciter impugnet, ut patebit ex ſol. obj. quin potius contra duas primas ſententias militat hoc efficax argumentum.

Si Magi (*Ibid.*) non advenerunt niſi biennio poſt Chriſtum natum, aut nonniſi poſt Purificationem B. Virginis & præſentationem Filii in Templo, non inveniſſent Puerum Jeſum & Parentes ejus in Bethleem, ſiquidem ex Luc. 2. *Ut perfecerunt omnia ſecundum Legem Domini*, id eſt, poſt peractam Purificationem Mariæ, & Præſentationem Jeſu in Templo, *reverſi ſunt in Galilæam in Civitatem ſuam Nazareth.*

Item Matthæus 2. narrat: *Cum natus eſſet Jeſus, ecce Magi ab Oriente venerunt*. Atqui ſi poſt biennium vel poſt 6. hebdomadas, vel etiam poſt menſem, non dixiſſet Evangeliſta: *Cum natus eſſet, ecce Magi*. Hæc enim loquendi formula non adhibetur de re tam ſera, ſed ſubita, & improviſa, ac præſenti ſeu quaſi præſenti. Sic Geneſ. 24. dicitur: *Necdum verba compleverat* ſervus Abrahæ, *Ecce Rebecca egrediebatur*. Item cum dixit Angelus Mariæ: *Ecce concipies*, ipſa intellexit ſe ſtatim concepturam, unde e veſtigio ſubdit: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco.*

Si dicas cum Serrio Matthæum eamdem loquendi formulam adhibere de iis, quæ inter ſe pluſquam menſe diſtant: dicit enim c. 2. *Qui* Reges cum *receſſiſſent, ecce Angelus apparuit in ſomnis Joſeph dicens, ſurge & accipe puerum & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum*: & tamen ſecundum nos inter receſſum Regum & monitum Angeli mediant 6. circiter hebdomadæ: Ergo. R ex Aug. l. 2. de conſenſu Evang. c. 5. Matthæum prætermittere, quæ Lucas 2. narrat geſta circa Dominum & Matrem ejus in Templo. Undetexendo unam narrationem ex utraque, dicendum & intelligendum eſt: Qui Magi cum receſſiſſent, poſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ, & peracta omnia ſecundum legem Domini, venerunt in Nazareth: & ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Joſeph, &c.

Obj. 1. Herodes, teſte Matth. 2. a Magis *diligenter didicit tempus ſtellæ, quæ apparuit eis*, & ut vidit ſe ab iis eſſe deluſum, occidi juſſit omnes pueros *a bimatu, & infra ſecundum tempus, quod exquiſierat a Magis*. Unde colligitur ſtellam eis biennio apparuiſſe, antequam Jeruſalem advenirent; ſtella autem, ut ſupponimus, non apparuit niſi Chriſto nato. Ergo Magi advenerunt Jeruſalem biennio poſt Chriſtum natum. R. Sequelam in antecedente ex verbis Matthæi male deduci: hæc enim verba, *ſecundum tempus, quod exquiſierat a Magis*, non referuntur ad iſtas particulas *a bimatu*, ſed ad has ſequentes, *& infra*, quas immediate afficiunt; ita ut ſenſus ſit; Herodem juſſiſſe occidi omnes pueros a bimatu, nec ſolum illos, ſed etiam alios infra bimatum. non tamen omnes, ſed *ſecundum tempus, quod exquiſierat a Magis*, id eſt eos ſolos, licet non bimulos, qui nati eſſent ante apparitionem ſtellæ Magis, non vero eos, qui poſt nati eſſent; quia certo ſciebat eos non poſſe eſſe Chriſtum: ſicque non initium, ſed terminum occiſionis ſtatuit Herodes, *ſecundum tempus, quod exquiſierat a Magis.*

Urgebis: ut quid ergo Herodes juſſit occidi omnes pueros a bimatu, ſi Magi advenerint 13. die poſt Chriſtum natum? R. cum Chryſoſt. hom. 7. in Matth. id factum eſſe *pro abundantia cautionis*. Quamvis enim Herodes didiciſſet tempus ſtellæ, dubitare tamen poterat, num natus eſſet Chriſtus antequam ſtella apparuiſſet. (*Ib. ad* 3.) Item ſuſpicari poterat, ne puer, cui Sydera famulabantur, ſpeciem ſuam paulo ſupra ætatem transformaret. Similiter quamvis ex Principibus Sacerdotum & Scribis didiciſſet Chriſtum naſciturum in Bethleem, hoc tamen non obſtante juſſit occidi pueros non ſolum in Bethleem, ſed etiam in omnibus finibus ejus. Sicut ergo pro abundantia cautionis extendit locum, ſic etiam extendit tempus.

Obj. 2. Matth. c. 2. ſcribit Herodem ſtatim atque perſenſit ſe a Magis eſſe illuſum, juſſiſſe pueros occidi: hæc autem cædes nonniſi aliquot diebus poſt Purificationem peracta eſt, dum Virgo Deipara illiuſque ſponſus Jeroſolymis diſceſſiſſent, & Nazarethum perveniſſent, atque inde ab Angelo moniti in Ægyptum aufugiſſent, hoc eſt elapſo ut minimum menſe integro poſt 6 Januarii, qua Magos adventaſſe dicimus. Atqui unius menſis ſpatium non fuit neceſſarium Herodi, ut ſe a Magis per aliam viam reverſis deluſum intelligerat, puerorumque cædem ediceret, maxime cum 6. dumtaxat milliari ſeu 2. leucis Bethleem diſtaret Jeroſolymis. Ergo Magi die 6. Januarii adventarunt. Ita Serrius. R. N. Subſumptum: (*Ib. ad* 3.) exiſtimavit enim Herodes, cum de Magis nihil audiret, ipſos fallacis ſtellæ viſione deceptos non inveniſſe quem natum putaverunt, & erubuiſſe ad ipſum redire. Peractis vero Purificatione B. Virginis & Præſentatione Jeſu in Templo, vulgatiſque iis, quæ de ipſo Simeon & Anna dixerant, ſe ſenſit deluſum. Hinc quæſivit puerum ad perdendum eum, & cædem Innocentum edixit: quod proinde factum eſt, cum eſſent Jeſus & Parentes ejus in Nazareth, ubi ab Angelo moniti ſunt fugere in Ægyptum.

Obj. 3. Magi tam brevi temporis intervallo tam longum iter agere nequiverunt, præſertim ſi ex Perſide acceſſiſſe ſupponantur, leucis ſupra quingentis ab Jeroſolymis diſtante. Ergo. Ita iterum Serrius. R. incertum eſſe unde profecti ſint Magi, cum alii ex Chaldæa, alii ex Meſopotamia, alii ex Arabia, alii ex Perſide profectos velint, unde nihil certi ex hoc argumento erui poteſt contra noſtram concluſionem. Si enim vel ex Chaldæa, vel Meſopotamia, vel Arabia non longe a Judæa diſtantibus, potuerunt facile pervenire Jeruſalem die decima tertia.

2. Id etiam potuerunt, ſuppoſito quod venerint ex Perſide. Ex deſcriptione enim Aſiæ tempore Auguſti comperimus Perſidem diſtare a Judæa non 500. leucis & ultra, ut dicit Serrius, ſed 150. leucis circiter. Sed & dato Perſidem a Judæa diſtare 500. leucis, (*Ibid.*) etiam iſtud iter 13. diebus conficere potuerunt, partim virtute divina, partim velocitate Dromedariorum, qui juxta Philoſtratum in vita Apollonii una die iter mille ſtadiorum, id eſt 50. leucarum conficiunt, & juxta Ariſtotelem hiſt. animal. c. ult. ſunt equis Niſæis velociores.

Obj. 4. Si Magi ante Purificationem venerint, B. Virgo, quæ tunc magnam auri copiam ab illis receperat, non oblationem pauperum, ſed divitum feciſſet: ergo. R. N. Sequelam: quia hanc auri copiam, ſi fuerit, vel in pauperes jam diſtribuerat Mater miſericordiæ, vel in ſacros uſus ſervabat. Sed quidquid ſit, non decebat, ut quæ pauper erat conditione & ab omni faſtu aliena, oblationem divitum imitaretur, mutaretve conditionem, quam ſciebat Filio Dei placuiſſe. Neque dicas ſic tranſgreſſam fuiſſe legem; non enim erat obnoxia legi, ut dicam infra.

Petes, quam ſpeciem adorationis Magi exhibuerint Chriſto nato, an civilem tantum, an ſpiritualem & religioſam. R. (*Ib. a.* 8. a.) exhibuiſſe ſpiritualem & religioſam, ut homi-

hominis Deo. Eſt contra Socinianos. Ita ſentiunt Patres. Orig. l. 1. contra Celſum, Greg. Nazianz. Orat. 38. Ambroſ. l. 2. in Luc. Aug. Serm. 30. nunc 200. & ſeq. de temp. Hieron. in cap. 2. Matth. & alii.

Prob. inſuper ratione. (*Ibid. art. 1.*) 1. Multi Reges Judæorum nati ſunt atque defuncti; item erat Herodes actualiter regnans: atqui tamen nullum eorum Magi adorandum quæſierunt. Ergo diſtinctionem Regni Judaici non attendebant, neque Regi Judæorum, quales illic eſſe ſolebant, hunc magnum honorem longinqui, alienigenæ, & ab eodem Regno prorſus extranei, a ſe deberi arbitrabantur; ſed talem eſſe natum didicerunt, in quo adorando ſe ſalutem, quæ ſecundum fidem eſt, conſecuturos minime dubitabant.

2. (*Ibid. o.*) Magi fuerunt primitiæ Gentium in Chriſtum credentium, in quibus apparuit, ut in quodam preſagio, fides & devotio Gentium venientium a remotis ad Chriſtum: atqui fides & devotio Gentium fuit & eſt ad Chriſtum, ut hominem & Deum. Ergo. Conſ. ex muneribus, quibus fidem ſuam in Chriſtum ut Regem, ut Deum, & ut hominem teſtati ſunt Magi; obtulerunt enim illi aurum ut Regi, thus ut Deo, myrrham ut homini mortali. Unde Irenæus l. 3. c. 10. dicit: *Deduæ ctos Magos a ſtella ad Emmanuel, per ea, quæ obtulerunt munera, oſtendiſſe, quis erat, qui adorabatur.*

Dices. Moris erat apud Orientales venerari hominem ſe proſternendo & offerendo munera. Inſuper verbum *Adoro* non ſemper ſumitur in Scriptura pro cultu latriæ, ut docent Interpretes. Ergo. R. nos facere vim in his ſolis verbis: *Et procidentes adoraverunt eum*: neque præciſe in muneribus quoad ſubſtantiam; ſed tum in auctoritate Patrum, tum in rationibus deductis in 1. & 2. probatione, & qualitate munerum. Inſuper licet in veteri Teſtamento verbum *Adoro* non ſemper ſumatur pro cultu latriæ, vix tamen aut ne vix ſumitur aliter in novo Teſtamento, maxime ſi adjuncta ſit proſtratio.

DISSERTATIO V.

DE LEGIBUS CIRCA PUERUM JESUM SERVATIS, DE FUGA IN ÆGYPTUM DE CÆDE INFANTIUM, NEC NON DE INSTITUTO VITÆ CHRISTI USQUE AD SUUM BAPTISMA.

Div. Thom. Quæſt. 37.

ARTTICULUS I.

De Chriſti Circumciſione.

CHriſtum fuiſſe circumciſum fides eſt Eccleſiæ: quamvis enim Lucas 2. non dicat expreſſe fuiſſe circumciſum, id tamen aperte innuit, dum ſcribit: *Poſtquam conſummati ſunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum eſt nomen ejus Jeſus*. Ad quid enim adnotaſſet, *ut circumcideretur puer*, niſi revera fuiſſet circumciſus? Adde, quod tum fuerit ipſi impoſitum nomen, quod non imponebatur, niſi in Circumciſione. Neque te moveat, quod dicat: *Poſtquam conſummati ſunt dies* 8. cum tamen non liceret circumcidere puerum poſt octavum diem a nativitate. Conſummatio enim non refertur ad ipſos dies, quaſi expletis omnino totis 8. diebus ſit circumciſus, ſed ad numerum dierum, quaſi 7. dies integri erant completi & octavus inchoatus, qui per ſynecdochen dicuntur 8. dies phraſi Hebræis familiari, ſicut dicitur Marci 8. *oportet Filium hominis poſt tres dies reſurgere*, id eſt, 3. die. Unde non dixit ſimpliciter & abſolute Lucas, *Poſtquam conſummati ſunt dies* 8. ſed, *ut circumcideretur puer*.

Porro ideo non dixit expreſſe Chriſtum fuiſſe circumciſum, ſicut expreſſe dixit nominatum fuiſſe Jeſum; quia Circumciſio erat in uſu pro omnibus maſculis, & idcirco illam ut indubitatam ſuppoſuit: impoſitio autem nominis *Jeſu* erat Chriſto propria, & ideo illius expreſſe & diſtincte meminit. Hoc ſuppoſito,

Quæritur 1. utrum Chriſtus debuerit circumcidi? 2. Ubi fuerit circumciſus? 3. A quo fuerit circumciſus? 4. Quid factum ſit de illius præputio? 5. Ubi extet ſacrum præputium. 6. Denique utrum nomen *Jeſus* fuerit Chriſto convenienter impoſitum?

Dico 1. (*Q. 37. art. 1. o.*) Quamvis Chriſtus non eſſet legi Circumciſionis ſummo jure adſtrictus, non enim erat obnoxius legi, ut docet Auctor art. 4. & nos dicemus infra: convenienter tamen ſe illi legi ſubjecit.

1. (*Ib.*) Ut oſtenderet veritatem carnis humanæ, quam Manes dixit phantaſticam, Apollinaris conſubſtantialem Divinitati, Valentinus cœleſtem. 2. Ut approbaret Circumciſionem, quam Deus olim inſtituerat, & oſtenderet ſe eſſe de genere Abrahæ, qui circumciſionis mandatum acceperat. 3. Ut Judæis excuſationem auferret, ne ipſum reciperent, ſi eſſet incircumciſus. 4. Ut obedientiæ & humilitatis exemplum nobis præberet. 5. Ut legis onus in ſe ſuſtinens alios a legis onere liberaret, ſecundum illud Galat. 4. *Miſit Deus Filium ſuum factum ſub lege, ut eos, qui ſub lege erant, redimeret.*

Dices. Si Chriſtus fuit circumciſus, ergo & nos debemus circumcidi. Patet Conſeq. Quia omnis actio Chriſti eſt inſtructio noſtra. R. N. illationem. (*Ibid. ad 1.*) Ad prob. D. Omnis actio Chriſti eſt inſtructio noſtra modo & tempore debito, C. Secus, N. Eſt enim cuique negotio tempus & opportunitas, ut dicitur Eccl. 8. Et alioquin ſequeretur, quod debemus obſervare alia Legis Moſaicæ præcepta, quæ obſervavit Chriſtus. Itaque Chriſtus fuit circumciſus tempore, quo Circumciſio erat ſub præcepto. Nunc autem nec præceptum, nec tempus eſt Circumciſionis, quæ diſtinguebat Judæos a Gentibus. Unde hanc Chriſti actionem in hoc imitari debemus, ut obſervemus ea, quæ ſunt noſtro tempore in præcepto.

Dico 2. Chriſtus non fuit circumciſus in Templo aut Synagoga, ſed in ſpelunca Bethleemitica; vel in vicina domo, ad quam forte SS. Parentes cum divina prole commigrarant poſt peractam deſcriptionem & evacuata diverſoria. Prob. 1. ex S. Epiphan. hæreſ. 20. *Natus eſt*, inquit, *in Bethleem, circumciſus in ſpelunca, oblatus in Jeruſalem*, &c. & ex Nicephoro l. 1. Hiſt. c. 12. *In die octavo, Dominico ſcilicet, circumciditur in Bethleem in domo Joſeph*, in qua nimirum hoſpitabatur.

2. Nullus locus, ſive Templum, ſive Synagoga, erat aliqua lege determinatus ad Circumciſionem, ſed ſolebat fieri in domo Parentum, vel in alio quovis loco. Id conſtat ex Abraham, cui primum indicta eſt Lex Circumciſionis; ipſe enim domi ſuæ ſe, Filium, & omnes vernaculos circumcidit, Geneſ. 17. Sephora circumcidit Filium ſuum in diverſorio, dum iter ageret, Exod. 4. Joſue circumcidit omnem Populum, tranſacto deſerto, in valle præputiorum Joſue 5. Et ne forte dicas ita peractum eſſe ante conſtructionem Templi, ipſe Joannes Bapt. fuit circumciſus in domo Parentum: aderat enim tunc Eliſabeth Mater ejus, quæ cognatis volentibus Zachariæ nomen Infanti imponere, dixit: *Nequaquam, ſed vocabitur Joannes*; id procul dubio dixit domi; cum enim eſſet puerpera octo dierum, non poterat domo exire, ut in Templum vel Synagogam ſe transferret, cum ex præcepto Legis deberet per 40. dies manere in ſanguine ſuæ purificationis, Levit. 12. Nec obſtat, quod Lucas dicat: *Factum eſt die octavo, venerunt circumcidere puerum*: id namque dictum eſt non de Zacharia & Eliſabeth, ſed de cognatis & amicis, qui *vocabant eum nomine Patris ſui Zachariam*.

Dico 3. Chriſtus non fuit circumciſus a ſummo Pontifice, neque ab alio Sacerdote, ſed ab alterutro Parente; quia miniſterium Circumciſionis non erat Sacerdotale, imo nec Leviticum, ſed Laicum, quod a Parentibus exerceri ſolebat. Patet tum ex 2. probatione Concluſionis præced. tum ex Act. Apoſt. c. 7. ubi dicitur Abraham circumcidiſſe Iſaac, Iſaac Jacob, Jacob 12. Patriarchas; & ex 2. Machab. 6. ubi duæ Matres dejectæ leguntur de muro ex mandato Antiochi, eo quod ſuos filios circumcidiſſent. A quo autem Parente fuerit circumciſus? Libro de vera Circumciſione inter Apocrypha S. Hieron. & l. de lamentatione B. Virginis inter Apocrypha S. Bernardi legitur circumciſum fuiſſe a Maria. Verius tamen videtur circumciſum fuiſſe a S. Joſeph: tum quia id diſerte aſſerit S. Ephrem hom. de Transfiguratione, cujus auctoritas potior eſt, quam operum apocryphorum: tum quia moris erat apud Judæos, ut viri, tamquam familiarum capita, hoc munus obirent, & non mulieres, niſi in neceſſitate. Corrigendi ſunt itaque Pictores, qui nobis exhibent ſummum Pontificem circumcidentem in Templo Puerum Jeſum.

Dico 4. Secundum communem Teologorum opinionem Chriſtus reliquit in terra ſuum præputium ad venerationem Fidelium. Unde ad id, quod opponitur de integritate corporis Chriſti reſurgentis, reſpondent, tam exiguam partem, quæ vix latitudinem unguis humani æquat, non pertinere moraliter loquendo ad integritatem corporis Chriſti, maxime ſi conſideretur, ut Filius Abrahæ & vir Judæus, cui ex lege præputium debebat deeſſe, ſicque eo carere exigebat ejus conditio. Hinc inferes Divinitatem non manſiſſe hypoſtatice unitam præputio, quia non debebat reſumi in Reſurrectione.

Dico

Dico 5. Non poteſt certo definiri, ubinam extet ſacrum præputium propter pugnantes eadem narrationes. S. Brigitta l. 6. Revelat. c. 112. ſcribit ſervari Romæ. Idem Innoc. III. l. 4. de myſteriis Miſſæ, c. 4. ſcribens ab Angelo delatum fuiſſe Carolo Magno, qui illud depoſuit Aquiſgrani, & poſtea tranſlatum a Carolo Calvo Romam in Baſilicam Lateran. atque depoſitum in loco, qui dicitur *ſancta Sanctorum*. Alii dicunt ſervari Antuerpiæ. Alii licet non negent, olim ſervatum fuiſſe Anterpiæ, volunt tamen, furente Calviniſmo, inde fuiſſe ſublatum, quo vero non dicunt. Alii Brugis, alii Anicii ſervari ſcribunt. Quidam denique, ut concilient iſtas pugnantes narrationes, dicunt, ſacrum præputium diviſum fuiſſe in plures particulas, quæ in variis Urbibus fuerunt diſtributæ. Ridet Serrius Vindelinum hujus conciliationis Auctorem: *Quia*, inquit, *hanc partitionem præputii exiguitas non patitur, quod vix minimæ unguli humanæ latitudinem æquat*. Verum, quamvis hanc partitionem, ut veram aſſerere nolim, non video tamen, cur ſit ridenda: poteſt enim ungula humana dividi in 4. aut 5. partes bene ſenſibiles.

Dico 6. (*Ibid. art. 2. c.*) Nomen *Jeſu* fuit convenienter Chriſto impoſitum: quia *Jeſus* idem eſt ac Salvator: Chriſtus eſt Salvator omnium hominum, & quoad animam liberans eos per gratiam a morte peccati, & quoad corpus per immortalitatem in reſurrectione conferendam. Quamvis ergo (*Ib. ad 1.*) quibuſdam veteris Teſtamenti, ut Nave, Sirach, & Joſedech inveniatur impoſitum hoc nomen propter aliquam particularem & temporalem ſalutem, ſoli tamen Chriſto perfecta & integra ejus ſignificatio convenit, utpote qui ſolus ſpiritualem, univerſalem, & æternam ſalutem attulit. Et ideo illi ſoli eſt proprium hoc nomen, in quo flectatur omne genu cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.

ARTICULUS II.

De Purificatione B. Virginis & oblatione Pueri Jeſu in Templo.

S. Lucas c. 2. ſic narrat: *Poſtquam impleti ſunt dies purgationis ejus ſecundum Legem Moyſi, tulerunt illum in Jeruſalem, ut ſiſterent eum Domino, ſicut ſcriptum eſt in Lege Domini: quia omne maſculinum adaperiens vulvam ſanctum Domino vocabitur, & ut darent hoſtiam, ſecundum quod dictum eſt in Lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.*

Ad quorum intelligentiam obſervandum eſt in veteri Teſtamento triplicem fuiſſe legem latam de puerperis Levit. c. 12. & alteram quartam de primogenitis, Exodi c. 13. Prima lex Levit. 12. hæc eſt: *Mulier ſi ſuſcepto ſemine pepererit maſculum, immunda erit 7. diebus juxta dies ſeparationis menſtruæ*: (quo tempore domi recludebatur, nec cum quoquam commercium habere poterat, niſi cum eo qui cibum & neceſſaria afferret, & hic ob hoc ipſum legaliter immundus erat) *Et die 8. circumcidetur Infantulus: ipſa vero 33. diebus manebit in ſanguine Purificationis ſuæ; omne ſanctum non tanget, nec ingredietur in Sanctuarium, donec impleantur dies purgationis ſuæ.* Sicque erant 40. dies purgationis, ſeptem primi ſtrictiores, cæteri minus ſtricti.

Secunda Lex ibid. *Sin autem fœminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus juxta ritum fluxus menſtrui, & 66. diebus manebit in ſanguine Purificationis ſuæ*: id eſt, 80. diebus: quia juxta Hippocrat. l. de natura pueri, & Franciſcum Valeſium de ſacra Philoſophia c. 18. purgatio parientis fœminam diuturnior eſt quam parientis maſculum.

Tertia Lex ibid. *Cumque impleti fuerint dies Purificationis ſuæ pro filio ſive pro filia*. (Id eſt, purgationis ab immunditia contracta ex partu filii aut filiæ) *deferet agnum anniculum in holocauſtum*, (hoc eſt, ut Deo gratias agat) *& pullum columbæ ſive turturem pro peccato*, (ſcilicet immunditie legali) *ad oſtium Tabernaculi teſtimonii, & tradet Sacerdoti, qui offeret illa coram Domino, & orabit pro ea, & ſic mundabitur a profluvio ſanguinis: Iſta eſt Lex parientis maſculum aut fœminam. Quod ſi non potuerit offerre agnum, ſumet duos turtures vel duos pullos columbarum, unum in holocauſtum, & alterum pro peccato, orabitque pro ea Sacerdos, & ſic mundabitur*. Quarta Lex eſt de Primogenitis Exodi 13. his verbis: *Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen dicens: Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vulvam in filiis Iſrael, tam de hominibus, quam de jumentis: Mea ſunt enim omnia*, non ſolum titulo creationis, ſed etiam quia primogenitos Iſrael a communi ſtrage primogenitorum Ægyptiorum per Angelum exterminatorem exemerat: in cujus beneficii memoriam, & gratiarum actionem hæc Lex lata eſt.

Per ſanctificationem autem in hac ultima lege intellige conſecrationem & oblationem factam Deo primogenitorum animalium mundorum ad immolationem, primogenitorum autem hominum ad ſervitium Dei perpetuum: ſed quia Deus loco primogenitorum totius Iſraelis, qui tota vita alligati fuiſſent ſervitio Tabernaculi & Templi, elegit & ſubſtituit ſolam & totam Tribum Levi, ideo primogeniti hominum redimendi erant 5 ſiclis, Num. 3. hoc eſt 5. circiter florenis Belgicis. His præſuppoſitis

Quæſtio eſt, 1. de cujus purgatione loquitur Lucas c. 2. an Matris, an Prolis? 2. Utrum B. Virgo debuerit purificari? 3. Utrum Chriſtus debuerit offerri in Templo? 4. Quis fuerit Simeon, qui Jeſum excepit in ulnas ſuas, an Sacerdos, an Laicus?

Dico 1. S. Lucas his verbis: *Poſtquam impleti ſunt dies purgationis ejus ſecundum Legem Moyſi*, loquitur de purificatione ſolius Matris, non Prolis. Prob. 1. ex mente Eccleſiæ, quæ eſt Scripturarum fidelis interpres. Hæc autem in Evangelio purificationis loco *ejus* legit *Mariæ*, & cantat in Evangelio: *Poſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ*, non addendo verbo Dei, ſed illud explicando. Item in Officiis & Martyrologio vocat Purificationem B. Virginis. Prob. 2. ex ipſis Lucæ verbis: 1. Nulla erat lex purgationis pro Primogenitis, ſed oblationis tantum, Exodi 13. Erat autem pro puerperis Levit. 12. Ergo quando Lucas dicit: *Poſtquam impleti ſunt dies purgationis ejus ſecundum Legem Moyſi*, non poteſt intelligi de purgatione Prolis, ſed Matris dumtaxat.

Nec obſtat, quod in 3. Lege Levitici ſtatuatur, offerendum eſſe agnum & turturem aut pullum columbæ *pro filio ſive pro filia*; quia hæc verba *pro filio ſive pro filia* non referuntur ad ſequentia, *deferet agnum*, &c. ſed ad præcedentia, *Poſtquam impleti ſunt dies purgationis ejus*; ita ut ſenſus ſit, ut jam notavi: poſtquam impleti ſunt dies purgationis ejus pro filio ſive pro filia, id eſt, purgationis ab immunditia contracta ex partu filii aut filiæ, deferet agnum, &c. Eodem ſenſu intelligendum eſt, quod dicit Lucas ibid. de parentibus Chriſti, quod *facerent ſecundum conſuetudinem Legis pro eo*, & quod canit Eccleſia in Officio hujus feſti: *Obtulerunt pro eo Domino*, id eſt, eo quod B. Virgo eum pepererat. Eodem ſenſu intelligendus S. Th. hic a. 3.

2. Nullum erat tempus determinatum in Lege pro oblatione Primogenitorum: quamvis enim dicatur Num. 18. *Cujus redemptio erit poſt unum menſem ſiclis argenti quinque*: hæc redemptio non erat oblatio: imo redimebatur infans, ut familiæ ſuæ ac Reipublicæ civis redditus, miniſterii ſacris non adſtringeretur; nec fiebat in Templo, neque cum cæremoniis: unde in oblatione Chriſti nulla mentio facta eſt de ejus redemptione. Erat autem in Lege tempus determinatum pro purificatione puerperarum, ſcilicet 40. dies ſi peperiſſet maſculum, & 80. ſi peperiſſet fœminam. Ergo dum Lucas dicit: *Poſtquam impleti ſunt dies purgationis ejus ſecundum legem Moyſi*, manifeſtum eſt, quod loquatur de purgatione Matris, & non Prolis, cujus occaſione Jeſus fuit etiam oblatus in Templo: unde addit Lucas: *Et, ut darent hoſtiam, ſecundum quod dictum eſt in lege Domini, par turturum aut duos pullos columbarum*, quæ erat lex puerperarum.

Si forte dicas Annam non obtuliſſe Samuelem niſi poſt triennium, & poſtquam eſſet ablactatus: ergo ſi non ex lege, ſaltem ex conſuetudine triennium erat tempus determinatum pro oblatione primogeniti: hoc argumento recens Auctor Hiſtoriæ Populi Dei in 2. parte contendit probare utramque cæremoniam tam Purificationis Mariæ, quam oblationis Jeſu non fuiſſe peractam, niſi poſt triennium in reditu ex Ægypto. R. unicum unius factum neque legem neque conſuetudinem adſtruere, præſertim cum in illo ſingulari facto eſſet ratio differendi oblationem ad triennium, quæ non currit pro aliis infantibus; ſic enim Samuel debebat ex voto Matris offerri Domino, ut nunquam poſtea recederet a Tabernaculo: ad id autem requirebatur certa ætas infantis, & quod eſſet ablactatus. Inſuper hallucinatur laudatus Auctor, dum putat, ſacram Familiam triennio manſiſſe in Ægypto; nec enim uno anno integro remanſit, ut probabo infra.

Obj. præcipue. Lucas dicit: *Poſtquam impleti ſunt dies purgationis ejus*: Tò *ejus* ſecundum regulam Grammatices & uſum communem debet referri ad perſonam, de qua immediate facta eſt mentio. Atqui hæc fuit Jeſu, de quo dixit Evangeliſta: *Poſtquam conſummati ſunt dies 8. ut circumcideretur puer, vocatum eſt nomen ejus Jeſus, quod vocatum eſt ab Angelo priuſquam in utero conciperetur*, immediate ſubjungens: *Et poſtquam impleti ſunt dies purgationis ejus*. Ergo. R. 1. Equidem ordinarie ſic eſſe, ut Tò *ejus* referatur ad perſonam immediate præcedentem, niſi aliunde eruatur ſenſus contrarius, ut hic eruitur, tum ex mente Eccleſiæ, tum ex verbis Lucæ collatis cum lege. 2. Obſervandum eſt cum quibuſdam integram periodum de Chriſto eſſe ibi inſertam velut intra parentheſim, proindeque Tò *ejus* referendum eſſe ad perſonam, de qua fuit ſermo ante parentheſim: fuit autem ſermo de B. Virgine, de qua dixerat Evangeliſta: *Maria autem conſervabat*

bat omnia verba hæc conferens in corde ſuo. Ad Mariam ergo, & non ad Jeſum, Tò *ejus* referendum eſt.

Inſt. juxta Eſtium legitur græce *auton* pluraliter *eorum* ſcilicet Matris & Filii. Ergo. R. Eſto forte in quibuſdam codicibus, in quos incidit Eſtius, legatur *auton*, Janſenius Jprenſis, a Lapide, & alii teſtantur non legi in Græco neque *auton* ſingulariter maſculine, neque *auton* pluraliter, ſed *autes* ſingulariter fœminine. Inſuper magis ſtandum eſt auctoritati Eccleſiæ, quam textui græco, maxime non conſtanti.

Dico 3. (*Ibid. a. 4. o.*) B. Virgo legi Purificationis non fuit ſummo jure adſtricta: convenienter tamen ſe illi ſubjecit. Prob. 1. Pars (*Ibid. ad. 2.*) 1. Lex ita fert: *Mulier ſi ſuſcepto ſemine peperit maſculum, immunda erit*, &c. Atqui B. Virgo non peperit Chriſtum ex ſuſcepto ſemine, ſed ex Spiritu S. Ergo. Unde Bernardus Serm. 3. de Purif. *Lex ipſa*, inquit, *Matrem Domini non includit, quæ non ſuſcepto ſemine peperit*.

Si dicas per *ſemen* intelligi *prolem*, ut familiare eſt in Scripturis; ita ut ſenſus ſit, *Si mulier, ſuſcepta prole, maſculum peperit*. R. Quamvis non raro in Scripturis ſemen ſumatur pro prole, ſic tamen hic accipi vetat tum textus hebraicus, qui habet, *ſi mulier ſuſcepto ſpermate*: tum quia Moyſes ponit, *ſuſcepto ſemine*, tamquam cauſam, cur mulier ſit immunda; non eſt autem immunda præciſe quia prolem edit, ſed quia illam edit ex immundo ſemine: tum quia parere ex ſuſcepto ſemine proprie eſt edere prolem ex ſemine ſuſceptam.

Prob. 2. ideo ex lege debebat mulier purificari, quia immunda erat ex profluvio ſanguinis: ſic enim dicit lex: *Mundabitur a profluvio ſanguinis*. Atqui profluvius ſanguinis non fuit in B. Virgine, quæ ſine apertione clauſtri virginalis fœtum effudit, & in qua, cum conceperit ex Spiritu S. ſolus fuit ſanguis neceſſarius ad nutrimentum fœtus, quo egreſſo, converſus eſt ſanguis ad ubera, ut lac fieret.

Prob. 2. Pars. (*Ibid. a.*) Decebat ut, ſicut Filius, ita & Mater humilitatis & obedientiæ exemplum præberet, legem approbaret, & occaſionem calumniæ Judæis eriperet. Ergo.

Dico 5. (*Ib. a. 3. & 4. o.*) Chriſtus legi primogenitorum non erat etiam ſummo jure adſtrictus: convenienter tamen ſe illi ſubjecit. 1. Quidam probant 1. partem ex eo, quod lex dicat: *Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vulvam*. Chriſtus autem naſcendo non aperuit vulvam Matris, ſicque ſub lege non comprehenditur. Verum hæc ſententia videtur contraria Evangeliſtæ, qui hanc legem ipſi Chriſto aptat, ut videre eſt in textu cit. initio articuli. Aperire vulvam igitur hic nihil eſt aliud, quam eam ſibi perviam facere, ita ut primo naſcenti nullo ſit impedimento; ſive hoc fiat fractione clauſtri, ut fit communiter; ſive clauſo manente, penetratione miraculoſa, ut ſingulariter factum eſt in Chriſto. Neque iſte loquendi modus eſt inuſitatus in Scripturis. Sic Matth. 3. de Chriſto baptizato dicit: *Ecce aperti ſunt ei Cæli, & vidit Spiritum Dei deſcendentem ſicut Columbam*. Et Act. 7. S. Stephanus cum lapidaretur, dicebat: *Ecce video cælos apertos & Jeſum ſtantem a dextris Dei*: non quod ſoliditas cælorum ſit diſrupta, ſed oculis pervia, nulloque fuerit impedimento, quominus & Chriſtus Spiritum deſcendentem videret, & Stephanus Jeſum ſtantem a dextris Dei.

Aſt, inquies, ſi ita ſit, fruſtra ergo Moyſes addit, *quod aperit vulvam*, ſed ſatis fuiſſet dicere *primogenitum*: hoc ipſo enim, quo eſt primogenitus, primus ex utero egreditur. R. N. illationem. Ad Prob. D. hoc ipſo, quo eſt primogenitus ſimpliciter & abſolute, primus egreditur, C. hoc ipſo, quo eſt primogenitus ſecundum quid tantum, N. Primogenitus ſimpliciter & abſolute eſt, antequam nulla generatio ſive maſculi ſive fœminæ præceſſit, & iſte aperit vulvam. Primogenitus ſecundum quid eſt, qui primus inter maſculos naſcitur, licet puellæ generatio præceſſerit, & iſte non aperuerit vulvam, ſed apertam ſupponit. Quia vero lex erat de primogenitis ſimpliciter & abſolute, ut deſignarentur, debuit addi: *Quod aperit vulvam*. Aliunde igitur petenda eſt probatio concluſionis. In primis videtur expreſſa ſententia D. Th. hic a. 4. o. ubi dicit: *Chriſtus licet non eſſet legi obnoxius, voluit tamen circumciſionem & alia legis onera ſubire*.

Prob. ratione. Legiſlator non tenetur ſua lege, non ſolum vi coactiva, ſed etiam nec directiva, quando eſt diſpar conditio Legiſlatoris & ſubditorum reſpective ad legem. Atqui ſic erat in caſu. Chriſtus enim homo Deus erat Legiſlator, & vi unionis ſubſtantialis divinitatis ad humanitatem erat ſanctus & in ſervitium Dei perpetuo conſecratus, non ſic alii primogeniti, ſicque non indigebat oblatione ſeu conſecratione legali.

Si dicas. Chriſto licet ſubſtantialiter ſancto per gratiam unionis hypoſtaticæ, neceſſaria fuit ſanctificatio accidentalis per gratiam habitualem, ut docent Thomiſtæ in Tract. de Incarn. Ergo pariter ipſi ſancto & conſecrato ſubſtantialiter unione Divinitatis, neceſſaria fuit conſecratio legalis. R. N. Conſeq. Diſparitas, eſt, quod præter gratiam unionis neceſſaria erat Chriſto gratia habitualis, qua poſſet elicere connaturaliter actus ſupernaturales, id enim non conferebat gratia unionis, ut late dixi in Tract. de Incar. Diſſ. 8. a. 2. conſecrationi autem ſubſtantiali nihil addebat conſecratio legalis, ſicque nullatenus erat neceſſaria. Quando ergo SS. Patres dicunt Chriſtum debuiſſe ſubire hanc legem, intelligendi ſunt de debito decentiæ, non ſtrictæ obligationis.

Prob. 2. pars. (*Ib. a. 3. o.*) Decebat, ut Chriſtus, ſicut diximus de ſanctiſſima ejus Matre, humilitatis & obedientiæ exemplum præberet, legem approbaret, & occaſionem calumniæ Judæis tolleret: quæ præſtitit per oblationem ſui in Templo.

Poſtquam narravit Lucas Parentes Jeſu ipſum tuliſſe Jeruſalem, ut ſiſterent eum Domino, ſicut ſcriptum eſt in lege Domini, e veſtigio ſubdit: *Et ecce homo erat in Jeruſalem, cui nomen Simeon, & homo iſte juſtus & timoratus, expectans conſolationem Iſrael ... Et cum inducerent Puerum Jeſum Parentes ejus, ut facerent ſecundum conſuetudinem legis pro eo, & ipſe accepit eum in ulnas ſuas, & benedixit Deum*. &c. Hinc quæſtio eſt, quis fuerit iſte Simeon, an Sacerdos, an Laicus?

Dico 1. Simeon, qui Jeſum excepit in ulnas ſuas, non erat Sacerdos, ſed vir laicus. Prob. 1. ex ſilentio Lucæ, qui cum alias Simeonis qualitates accurate deſcribat, nihil de ejus Sacerdotio dicit. Item ex ſilentio utriuſque Eccleſiæ Græcæ & Latinæ, quæ in ſuis Officiis & Martyrologiis Simeonem a Sacerdotio non commendant. Idem dic de SS. Patribus, quorum nullus Sacerdotii Simeonis meminit: Imo Theophylactus enarrat. in c. 2. Lucæ, & Euthymius in 4. Evangel. c. 3. diſerte dicunt Simeonem fuiſſe laicum. Prob. 2. Sacerdotes in interiori parte templi pueros de manibus parentum exceptos offerebant, nec niſi poſt Purificationem Matrum: ante enim matres *omne ſanctum non tangebant, nec ingrediebantur in ſanctuarium*, Levit. 12. Atqui Simeon occurrit Parentibus Jeſu ante fores aut in foribus Templi: id enim aperte indicant verba Lucæ: *Et ecce*, inquit, *homo erat in Jeruſalem cui nomen Simeon*: hæc verba indicant rem novam & inſolitam, quod non dixiſſet Lucas de Sacerdote: *Et cum inducerent Puerum Jeſum parentes ejus, ut facerent ſecundum conſuetudinem legis pro eo, & ipſe accepit in ulnas ſuas*: nondum ergo induxerant, nondum fecerant ſecundum conſuetudinem legis: ſicque ante fores vel in foribus ante Purificationem Matris.

Dices. S. Aug. ſerm. 13. de Tem. dicit: *In Templo præſentabatur, & a Simeone ſene, annoſo, probato, coronato agnoſcebatur*. Atqui per To *coronato* nihil aliud videtur poſſe intelligi, quam Mitram Sacerdotalem. Ergo. R. N. Min. Quidam dicunt per To *coronato* Auguſtinum alluſiſſe ad hæc verba Ep. Jacobi c. 1. *Beatus vir, qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ*: ſicque intellexiſſe non coronam ſacerdotalem aut aliam temporalem, ſed coronam vitæ æternæ, *quam repromiſit Deus diligentibus ſe*. At forte non abſurde quis intelliget Tò *coronato* de defectu capillorum in vertice capitis, ut frequenter ſenibus contingit, ex quo fit quædam corona: idque indicare videntur verba Aug. *ſene, annoſo, coronato*.

ARTICULUS III.

De Fuga in Egyptum.

DUO hic potiſſimum inquirimus. 1. unde & quando S. Joſeph cum Maria & divina Prole profectus ſit in Ægyptum? 2. quamdiu ſacra Familia commorata ſit in Ægypto? Quaſdam etiam quæſtiunculas incidentes reſolvemus.

Dico 1. S. Joſeph cum Maria & divina Prole profectus eſt de Nazareth paulo poſt Purificationem B. Virginis & oblationem Jeſu in Templo. Prob. ſecundum Lucam 2. *Ut perfecerunt omnia ſecundum legem Moyſi*, (id eſt, ſtatim ac perfecerunt) *reverſi ſunt in Galilæam in Civitatem ſuam Nazareth*. Ante vero illud tempus non acceperat Joſeph mandatum ab Angelo fugiendi in Ægyptum: cum enim ex Matth. 2. ſtatim ac accepit, eadem ipſe nocte conſurgens ſeceſſerit in Ægyptum cum Maria & ejus Prole, non potuiſſent adeſſe Jeroſolimis quadrageſima die a Nativitate ad perficiendum officium Purificationis. Ex quibus ſequitur, quod nec Bethleemi nec Jeroſolymis acceperit iſtud mandatum, ſed Nazareth, unde profectus eſt poſt Purificationem. Quod poſſet opponi ex Matth. mandatum fuiſſe datum Joſepho fugiendi ſtatim poſt diſceſſum Magorum, ſolutum eſt a. 3. præced. Diſſ. poſt probationes.

Dices inſuper. Regreſſus in Nazareth poſt Purificationem, de quo loquitur Lucas, non fuit præceps, quem ſta-

tim

tim exciperet fuga in Ægyptum, ſed fuit conſtans & perpetua Nazarethi habitatio Chriſti una cum Maria & Joſeph, poſtquam enim dixit Lucas v. 39. *Ut perfecerunt omnia ſecundum legem Moyſis, reverſi ſunt in Galilæam in Civitatem ſuam Nazareth*, immediate ſubjungit v. 40. ſeq. *Puer autem creſcebat & confortabatur plenus ſapientia*: quæ verba indicant non tranſeuntem, ſed permanentem Nazarethi habitationem. Ergo. R. Evangeliſtas in ſuis narrationibus non ſemper ſervare ordinem, quo res geſtæ ſunt, ut patet ex inſtantia præcedenti, & poſſet pluribus aliis exemplis probari: cum ergo Lucas omittat fugam in Ægyptum, quam refert Matthæus, hic inſerenda eſt, & verba objecta intelligenda ſunt de habitatione Chriſti Nazarethi poſt reditum ex Ægypto.

Sed petes. Quid fuga opus? Duo enim videntur obſtare. 1. Chriſtus Dominus omnipotens poterat aliter furorem Herodis declinare. 2. Si, ut contendimus, erat tunc Nazareth, poterat ibi tuto manere, aut in alio loco Judææ, cum Herodes juſſerit tantum occidi Infantes Bethleem in omnibus finibus ejus. R. ad 1. (*Ib. a. 36. a. 4. o.*) quod non conveniebat Chriſtum adhuc Infantem per ſe edere miracula: tum quia in ſimilitudinem hominum factus voluit habere Infantiam ſimilem Infantiæ aliorum hominum: tum quia ſi per ſe feciſſet miracula, derogaſſet fidei humanitatis, (*Ib. ad 3.*) & Judæi exiſtimaſſent Incarnationem eſſe phantaſma, atque ante tempus opportunum ipſum cruci affixiſſent livore liquefacti; tum quia ſi in prima ætate feciſſet miracula, Judæi non indiguiſſent alio manifeſtante, cum tamen Joannes Bapt. dicat Joan. 1. *Ut manifeſtetur in Iſrael, propterea veni in aqua baptizans*. Inſuper Chriſtus arripuit fugam, ut oſtenderet ſe vitam pauperem, ærumnis & periculis plenam aſſumpſiſſe, & nobis daret exemplum fugiendi inſtante perſecutione.

Ad 2. Quamvis Herodes juſſiſſet occidi Infantes Bethleemi tantum & in ejus finibus, variis tamen aliis artibus & modis per univerſum Regnum ſuum ipſe cum Sacerdotibus & Scribis, qui pariter fuerant turbati, inſidiabatur vitæ Infantis, ut ſcribit Hieronym. l. 1. Comment. in Matth. præſertim poſtquam vulgata ſunt, quæ dixerant & prædixerant Simeon & Anna die Purificationis. Quapropter nullus Infanti locus tutus erat intra fines Regni Herodis, qui dominabatur non ſolum in Judæa proprie dicta, ſed etiam in Galilæa: ſolum enim poſt ejus mortem diviſum eſt Regnum in 4. Tetrarchias.

At, inquies, ſi tot inquiſitiones faciebat Herodes, quare non juſſit occidi Joannem Bapt. cujus fama divulgabatur ſuper omnia Montana Judææ propter ea, quæ contigerant in illius circumciſione, & quem inde poterat conjicere Herodes eſſe Chriſtum. R. quoſdam cenſere Zachariam Patrem Joannis Bapt. fuiſſe occiſum, eo quod puerum ſuum ſubduxiſſet. At id maxime controverſum eſt. Cæterum veriſimile eſt Herodem auditis, quæ de Joanne dicebantur, veritum, ne ipſe eſſet Chriſtus, juſſiſſe ipſum occidi; ſed divina providentia factum eſt, ut transferretur in loca deſerta, & ibi uſque ad obitum Herodis educaretur.

Si ulterius petas quare mandatum fuit fugere in Ægyptum potius, quam in aliam Regionem. R. 1. ex Matt. v. ut id, quod erat dictum per Oſeam 11. litteraliter de populo Judaico ut gerente perſonam Chriſti, & allegorice de Chriſto, per hanc fugam & reditum verificaretur. *Ex Ægypto vocavi filium meum*. 2. Quia Ægyptus erat antiquum refugium Iſraelitarum, cujus Joſeph, qui erat figura Chriſti, dictus eſt Salvator; & erant tunc in Ægypto plura millia Judæorum.

Dico 2. Sacra Familia commorata eſt in Ægypto non 9., aut 7., aut 5., aut 3. annis, ut quidam opinati ſunt, ſed anno necdum integro. Prob. Reverſi ſunt in Galilæam, dum Archelaus defuncto Patre ſuo Herode regnaret in Judæa: ſic enim ſcribit Matt. c. 2. *Audiens autem Joſeph, quod Archelaus regnaret in Judæa pro Herode Patre ſuo, timuit, illo ire, & admonitus in ſomnis ſeceſſit in partes Galilææ*. Atqui Herodes magnus ſecundum Joſephum l. 17. Antiquit. c. 11. & 12. miſere tabe confectus obiit circa Feſtum Paſchæ eodem anno, quo edixit ſtragem infantium: Archelaus autem ejus Filius nonniſi poſt 6. circiter menſes regnare incepit in Judæa, non Regis, ſed Tetrarchæ titulo; ut enim narrat Joſeph, totam æſtatem poſt mortem Patris Romæ tranſegit, ut ab Auguſto Patris Regnum vel partem obtineret. Ponamus nunc, ut ante diximus, S. Joſephum ſeceſſiſſe in Ægyptum poſt Purificationem & ante cædem Innocentum, veriſimiliter circa medium ſeu finem Februarii numerabis 9. vel 10. menſes circiter commorationis in Ægypto.

Dices non conſtare Joſephum rediiſſe in Galilæam ſtatim ac Archelaus Regnum ſeu Tetrarchiam Judææ adminiſtrare cœpit: potius ergo poſt 3., vel 5., vel 7., vel 9. annos rediiſſe. R. id plane conſtare ex Scriptura: dicit enim Matth. 2. v. 15. *Et erat ibi* (in Ægypto) *uſque ad obitum Herodis*. Et v. 19. *Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit Joſeph in Ægypto dicens: Surge & accipe Puerum & Matrem ejus & vade in terram Iſrael: defuncti ſunt enim, qui quærebant animam pueri. Qui conſurgens accepit Puerum & Matrem ejus, & venit in terram Iſrael. Audiens autem, quod Archelaus*, &c. Porro hæ loquendi formulæ non ſignificant longam plurium annorum moram, ſed brevem aliquot menſium. Et quomodo verum eſſet Joſephum manſiſſe in Ægypto *uſque ad obitum Herodis* dumtaxat, ſi 3. 5. 7. vel 9. annis poſt hunc obitum ibi manſiſſet. Id autem optime verificatur moraliter loquendo, ſi poſt aliquot menſes tantum ab hoc obitu ex Ægypto receſſerit.

ARTICULUS IV.

An & quæ miracula patrata ſint ingrediente Jeſu in Ægyptum?

BARONIUS ad an. Chriſti 1. duo narrat & approbat; videlicet incurvationem arboris, quæ dicebatur *Perſis* vel *Perſea*, & commotionem ac concuſſionem ſimulacrorum. Serrius hæc ut commenta rejicit Exercitatione 38.

Dico. Quamvis hæc duo miracula ut certe vera non aſſeramus, non tamen ut commenta rejicimus, ſed ut probabilia facta ſuſtinemus. Prob. in primis Sozomenus Auctor 5. ſæculi l. 5. Hiſt. Eccleſiaſt. cap. 20. dicit: *Memorant arborem eſſe, quæ* Perſis *dicitur, Hermopoli, quod eſt Oppidum Thebaidis, cujus fructus aut folium aut particula aliqua corticis ægrotis admota morbos a compluribus depulerit: nam traditum eſt, Joſeph, cum propter Herodem, aſſumptis ſecum Chriſto & Maria ſancta Deipara, fugiſſet, veniſſe Hermopolim, atque ſimul ut portæ appropiaquavit, ſtatim arborem, licet plane maximam, adventu Chriſti turbatam eſſe, atque ad ſolum uſque ſe inclinaviſſe & Chriſtum adoraſſe. Atque hæc quidem, ſicut a multis audivi, a me commemorata ſunt. Quæ quidem, ſi quid ego judico, vel ſignificabat jam Chriſtum in Urbe adeſſe, vel, ut eſt veriſimile, non modo arborem, quam incolæ propter magnitudinem & pulchritudinem lege gentilitia venerabantur, dæmone jam, qui ibi colebatur, ob Chriſtum talium everſorem, qui in eo loco comparebat, perhorreſcente, ſua ſponte commotam eſſe; verum etiam omnes Ægyptiorum ſtatuas, adventante tum Chriſto, juxta Prophetiam Iſaiæ convulſas. Itaque dæmone inde abacto, arbor, quo rei geſtæ teſtimonium eſſet, remanſit ibi, fideleſque morbis liberavit. Atque ut Ægyptii & Palæſtini iſtarum rerum, ſicut alii ſinguli aliarum, quæ apud ipſos geſtæ ſunt, teſtes locupletes exiſtunt.*

Nicephorus l. 10. c. 31. poſtquam retulit, quæ narrat Sozomenus de arbore Perſea & de ſimulacris Ægyptiorum, quæ dicit *diffluxiſſe Chriſti non ferentia adventum, juxta id, quod ab Iſaia eſt dictum*, ſic concludit caput: *Cæterum dæmone ex Arbore ea expulſo, ad certum rei geſtæ indicium prona & inclinata permanſit, fide accedentes ſanans. Harum Palæſtini & Ægyptii idonei fideque digni ſunt teſtes.*

Evagrius in vitis Patrum l. 2. c. 7. dicit: *Vidimus & alium ſanctum virum nomine Apollonium apud Thebaidam in finibus Hermopolis, ad quam Civitatem Salvatorem cum Maria & Joſeph de Judææ finibus veniſſe tradunt ſecundum Prophetiam Iſaiæ: Vidimus ergo ibi & Templum ipſum in quod ingreſſo Salvatore corruiſſe omnia Idola in terram & comminuta eſſe memorabatur.*

Dicit Serrius has auctoritates non facere fidem integram quia narrant prodigia facta 400. annis ante eorum ætatem patrata: idque ſine teſtimonio veterum & ex traditione obſcura. R. Non facere quidem fidem integram, certam, & indubitatam, facere tamen probabilem; ſunt enim Auctores ſinceri, probati & fide digni, qui, quæ narrant, ab incolis locorum, in quibus res geſtæ ſunt, acceperunt: hi autem ex Traditione majorum, non obſcura, ſed quorum erant teſtes locupletes, idonei, & fide digni, & quorum patens extabat indicium, nimirum ipſa arbor inclinata. Quot ſunt ſane, quæ non pro commentis, ſed pro probabilius habentur, quæ non tam ſolido nituntur fundamento. Quantum ad id, quod dicit Serrius, ea ab iſtis Auctoribus referri abſque teſtimonio veterum, mox examinabitur.

Oraculum autem Iſaiæ, quod afferunt iſti Auctores, hoc eſt c. 19. *Ecce Dominus aſcendit ſuper nubem levem & ingredietur Ægyptum & commovebuntur ſimulacra Ægypti a facie ejus, & cor Ægypti tabeſcet in medio ejus.* Reſpondit Serrius hoc Oraculum litteraliter prænuntiare everſionem Ægypti per Sennacherib & Nabuchodonoſor: allegorice ſignificare Chriſtum aliquando ingreſſurum Mundum & Idolulatriam longe lateque diffuſam deleturum; idque probare contendit ex Hieron. qui per Ægyptum intelligit mundum.

Verum eſto S. Hieron. per Ægyptum intellexiſſet mundum

dum. non ſequitur, quod non poſſit etiam intelligi terra Ægypti, prout intellexerunt alii Patres & Interpretes. Unde Eſtius in hunc locum dicit: *Hoc de Adventu Chriſti pueri in Ægyptum, quando Herodes eum ad mortem quærebat, plerique interpretantur*. Et Tirinus ibid. dicit, quod S. Athanaſius, S. Hieron. S. Aug. Procopius, Theodoretus, Euſebius, Haymo, Hugo, & Lyranus *id allegorice exponunt de Chriſto ejus B. Virginis in Ægyptum invecto*. Non ergo ſine teſtimonio veterum locuti ſunt laudati Hiſtorici, quod maxime patebit ex diſerto teſtimonio Euſebii illis omnibus antiquioris. Unde

Prob. 2. Ex Euſebio. Is l. 6. Demonſt. Evang. c. 2. expendens præfatum Oraculum Iſaiæ, ſecundum verſionem Aquilæ, hæc habet: *Scriptura dixit*; Ecce Dominus aſcendit ſuper craſſitudinem & venit in Ægyptum. *Igitur ipſa hæc Prophetiæ particula ad verbum exitum ſortita eſt, quo tempore Angelus Domini in ſomnis viſus ipſi Joſeph dixit: Surge, accipe puerum & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum & eſto ibi donec dicam tibi. Tunc igitur ipſe Dominus Deus Verbum, puerilem ætatem ingreſſus & ſuo corpori, quod ex S. Virgine acceperat, conjunctus in terra Ægyptiorum diverſatur*. (Jam vides Euſebium hunc Prophetiam Iſaiæ non interpretari de ingreſſu Chriſti in mundum, ſed in terram Ægypti). Proſequitur: *Hi qui prius incolebant Ægyptum vitioſi pravique dæmones per multa ſæcula in Simulacris latitantes, animaſque Ægyptiorum omni ſuperſtitionis errori addicentes ac ſubjicientes, cum ſenſiſſent novam quamdam divinamque virtutem ad ſe acceſſiſſe, illico commoti ſunt, & fluctuationem ac perturbationem in ſeipſis perpeſſi ſunt, corque ipſorum & vis intelligendi intrinſecus in ipſis convicta ſunt, eſſeruntque ac fugata ſunt ab ea virtute, quæ viſum effugiens illos compellebat, & ignis inſtar ineffabili quadam ratione adurebat. Et hæc quidem inviſibiliter Dæmones talia paſſi ſunt, cum Salvator noſter Jeſus Chriſtus in Ægyptum cum viſibili corpore pervenit*.

Serrius, quod forte miraberis, contendit hoc teſtimonio etſi pro nobis apertiſſimo, non probari concuſſa Idola Ægyptiorum, ſed potius negari, quia, inquit, Euſebius priorem tantum partem Oraculi Iſaiæ, quæ futurum Domini ingreſſum in Ægyptum portendebat, *ad Verbum exitum ſortitam eſſe* dicit; alteram autem, quæ commota everſaque ſimulacra prænuntiabat, non item. At ſi everſorum ſimulacrorum prodigium reipſa contigiſſet, utraque Prophetiæ pars *ad Verbum* tunc temporis exitum habuiſſet. Verum in primis jugulum ſibi petit Serrius, qui prius contendebat Prophetiam Iſaiæ intelligendam eſſe de ingreſſu Domini, non in terram Ægypti, ſed in mundum. 2. Non mirum ſi Euſebius de ſola 1. parte hujus Prophetiæ, & non de 2. dixerit, quod *ad verbum* ſortita eſſet exitum, quia ſolam 1. & non 2. retulerat: in his autem, quæ poſtea ſubjungit, alludens ad 2. partem, aperte oſtendit etiam fuiſſe *ad verbum* impletam, ut legenti patet.

Inſtat Serrius. Euſebius dicit quidem dæmones in ſimulacris latitantes, Chriſto in Ægyptum intrante, divina virtute fuiſſe commotos, perturbatos, convictos, & fugatos, ſed *intrinſecus* tantum & *inviſibiliter*, non autem aperte, externe, & manifeſte per everſionem Idolorum. R. Recte quidem Euſebius. Quis enim ſibi fingat puros ſpiritus, quales ſunt dæmones, poſſe extrinſecus & viſibiliter commoveri, turbari, convinci, fugari; ſed iis intrinſecus & inviſibiliter commotis, turbatis, convictis, fugatis, bene ſequitur ſimulacra, in quibus latitabant, remanſiſſe muta & inertia, atque hoc ſenſu fuiſſe concuſſa, commota, & turbata, ut loquuntur Iſaias, Euſebius & Sozomenus. Equidem Evagrius dicit omnia *corruiſſe in terram*, ſed loquitur de ſolis Idolis, quæ erant in Templo, in quod ingreſſus eſt Chriſtus; non de aliis Idolis Ægypti. Neque neceſſe eſt intelligere etiam ſenſu dicto de omnibus omnino Idolis Ægypti univerſalitate abſoluta, ſed accommoda, id eſt de pluribus & in pluribus locis.

Urget Serrius. Ipſo Baronio teſte, Ægypti Idololatria, illiuſque fana & ſimulacra ad an. Chriſti 389. perennarunt quo tempore a Theodoſio Imperatore everſa ſunt. Ergo commentum eſt, quod dicimus de prodigiis factis ad ingreſſum Chriſti in Ægypto. R. N. Conſeq. Non enim dicimus tunc Idololatriam Ægypti omnino & pro ſemper ceſſaſſe, omniaque ejus fana & ſimulacra fuiſſe everſa, ſed ingrediente Chriſto in Ægyptum, ac forte ibi eo commorante, dæmones conturbatos expulſos fuiſſe e pluribus ſimulacris, quæ ideo manſerunt muta & inertia, atque hoc ſenſu concuſſa ac commota: recruduiſſe autem Idololatriam, egreſſo Domino, & redeuntibus dæmonibus ſimulacra convaluiſſe non negamus.

ARTICULUS V.

De cæde Infantium, & vitæ Chriſti inſtituto uſque ad ſuum Baptiſma.

TRIA hic breviter reſolvenda occurrunt. 1. Quandonam Herodes edixit cædem Infantium? 2. Quot Infantes fuerunt occiſi? 3. Quodnam fuit vitæ Chriſti inſtitutum uſque ad ſuum Baptiſma?

Dico 1. Herodes cædem Infantium edixit, non biennio poſt Nativitatem Chriſti, ſed ſtatim poſt Purificationem & fugam in Ægyptum. Prob. 1. pars. Ideo quidam ad biennium differunt cædem Infantium, vel quia Herodes juſſit occidi Infantes a bimatu & infra ſecundum tempus ſtellæ, quod exquiſierat a Magis, quam inde putant non apparuiſſe niſi biennio poſt Nativitatem Chriſti: vel quia, ut exiſtimant, Herodes de variis criminibus accuſatus, ut objecta dilueret, Romam apud Cæſarem pergere coactus eſt, & ibi biennio commoreri. At primum fundamentum concuſſimus a. 3. Diſſert. præcedentis. Secundum falſum eſſe conſtat ex eo, quod ſecundum Joſephum & Dionem Herodes iter Romam non ſuſceperit, imo nec ſuſcipere potuerit poſt diem Chriſti natalem; quia ultimo vitæ ſuæ anno, qui ſecutus eſt Chriſti Nativitatem acerbis & continuis doloribus vexatus fuit.

Prob. 2. pars. Tunc indixit Herodes cædem Infantium, quando ſe ſenſit deluſum a Magis. Atqui non ſenſit ſe deluſum a Magis, ſtatim ac ipſi receſſerunt; exiſtimavit enim eos fallaci ſtella fuiſſe deceptos, nec auſos redire Jeruſalem, ne ipſi & toti populo eſſent ludibrio, ſicque putavit id, quod Magi dixerant de nato Rege Judæorum, eſſe figmentum. Verum cum audivit, quæ de ipſo contigiſſent in Templo die Purificationis, tunc ſe ſenſit illuſum a Magis, & cædem Infantium Bethleemi & in finibus ejus indixit, eorum ſcilicet, qui eſſent bimuli & inferioris ætatis uſque ad illud tempus, quo ſtella Magis illuxerat. Cur autem a bimatu juſſerit occidi? Dixi ſuperius id fuiſſe ex abundantia cautionis.

Dico 2. Numerus Infantium occiſorum eſt incertus, ſilentibus ea de re tam Evangelio, quam antiquis Patribus. Unde ut gratis fictum reputamus, quod Græci in ſuis Menologiis referunt fuiſſe 14. millia. Nullatenus enim veriſimile eſt in Oppidulo & anguſtis ejus finibus, tot Infantes, præter puellas, & maſculos, qui interea temporis mortui ſunt, biennio natos eſſe. Hos vero Infantes occiſos eſſe vere Martyres, ſi non animo, ſaltem facto & ex gratia Chriſti probavimus in Tract. de Fortitudine Diſſ. 1. a. 2. obj. 1. & Tract. de Bapt. Diſſ. 1. a. 6.

Dico 3. Chriſtus uſque ad ſuum Baptiſma exercuit cum S. Joſepho artem fabrilem, qua poſſet ſuæ & parentum inopiæ ſuccurrere, atque humilitatis ac modeſtiæ exemplum præberet. Prob. Judæi, quibus notum erat externum vitæ Chriſti inſtitutum, ipſum vocabant, non ſolum *fabri filium*, ſed etiam *fabrum*, Marci 6. *Nonne hic eſt faber?* Atque ita docent Aug. l. 2. de conſenſ. Evan. c. 42. S. Baſil. in Aſcetia, S. Chryſoſt. hom. 13. in c. 13. Matth. & S. Th. ibid.

Si ulterius petas, quam artem fabrilem exercuerit, an ferrariam, an lignariam? R. S. Hilar. in c. 14. Matth. & S. Pet. Chryſologus ſerm. 8. dicunt *ferrariam*. At S. Juſtinus his longe antiquior, quippe qui vivebat 2. ſæc. in Dial. cum Tryphone dicit *lignariam*: cui ſubſcribit Ambroſ. l. 3. in Luc. Inſuper Theodoret. l. 3. Hiſt. c. 18. & Sozomenus l. 3. c. 23. referunt, quod cum Libanius Ethnicus Juliani Apoſtatæ familiaris irridendo petiiſſet a quodam Ludimagiſtro Chriſtiano: *Quid agit nunc fabri filius?* intelligens Chriſtum; reſpondit Ludimagiſter: *Juliano ille feretrum fabricatur*. Quod eventu probatum eſt: paulo poſt enim Julianus fuit occiſus, & in feretro ad tumulum delatus.

DISSERTATIO VI.

DE JOANNE BAPTIZANTE ET CHRISTO BAPTIZATO.

Div. Thom. QQ. 38. & 39.

ARTICULUS I.

De Joanne Baptizante.

OCCURRUNT hic diſcutienda, 1. utrum fuerit conveniens Joannem baptizare? 2. Utrum illius Baptiſmus eſſet a Deo? 3. Utrum conferebat gratiam? 4. Utrum baptizati Baptiſmo Joannis eſſent poſtea baptizandi Baptiſmo Chriſti?

Dico 1. (*Q. 38. a. 1. o.*) Conveniens fuit Joannem baptizare. 1. Ut Chriſtus manifeſtaretur: unde ipſe Joannes dicit Joan. 1. *Ut manifeſtetur Chriſtus in Iſrael, propterea veni in aqua baptizans*; concurrentibus enim turbis ab Ba-

ptiſ-

ptiſmum; annuntiabat Chriſtum, quod facilius ſic factum eſt, quam ſi ad ſingulos diſcurriſſet, ut obſervat Chryſoſt. hom. 10. in Joan. 2. Ut ſuo Baptiſmo homioes aſſuefaceret Baptiſmo Chriſti. 3. Ut homines ad pœnitentiam inducens, eos præpararet ad digne ſuſcipiendum Baptiſma Chriſti.

Dico 2. (*Ibid. a. 2. o.*) Baptiſmus Joannis quantum ad ritum fuit a Deo, qui familiari Spiritus S. revelatione Joannem ad baptizandum miſit, juxta illud Joan. 1. *Qui me miſit baptizare in aqua, ille mihi dixit, ſuper quem videris*, &c. Quantum vero ad effectum, qui nihil aliud erat quam mundatio corporis, ut patebit ex ſequentibus, erat ab homine, non a Deo, niſi in quantum Deus operatur in homine.

Dico 3. (*Ib. a. 3. o.*) Baptiſmus Joannis gratiam non conferebat, ideoque non erat Sacramentum. Prob. 1. ex illo Matth. 3. Luc. 3. Marci 1. *Ego baptizavi vos aqua, ille vero baptizabit vos Spiritu S.* Si autem Baptiſmus Joannis etiam conferret gratiam, non ſtaret hæc inter utrumque differentia, cum aliunde uterque conferretur in aqua. Ergo. Conf. Qui baptizati erant Baptiſmo Joannis Act. 9. nec acceperant Spiritum S. nec an eſſet Spiritus S. audierant.

Prob. 2. (*Ib.*) Tota Doctrina, & operatio Joannis præparatoria erat ad Chriſtum, ſicut miniſtri & inferioris artificis eſt præparare materiam ad formam, quam inducit principalis artifex: atqui gratia conferenda erat hominibus per Chriſtum, ſecundum illud Joan. 1. *Gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt*. Ergo Baptiſmus Joannis gratiam non conferebat, ſed ſolum ad gratiam præparabat, 1. per doctrinam Joannis inducentem ad fidem Chriſti: 2. Aſſuefaciendo homines ad ritum Baptiſmi Chriſti: 3. Per pœnitentiam ad quam inducebat, erat enim ſignum & proteſtatio pœnitentiæ peragendæ ab his qui illum ſuſcipiebant.

Dices. Marci 1. dicitur: *Fuit Joannes in deſerto baptizans & prædicans Baptiſmum Pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum*. Atqui remiſſio peccatorum eſt per gratiam. Ergo. R. (*Ib. ad 1.*) quod Baptiſmum Joannis dicatur Baptiſmus pœnitentiæ, quia, ut jam dictum eſt, erat inductivum ad pœnitentiam, ut quædam proteſtatio, qua profitebantur homines ſe pœnitentiam acturos: pœnitentia autem ducit ad remiſſionem peccatorum, non per ipſum Baptiſma Joannis, ſed per Chriſtum conferendam.

Dico 4. (*Ib. a. 6. o.*) Baptizati Baptiſmo Joannis, etiamſi habuiſſent fidem & ſpem in Chriſtum, erant poſtea baptizandi Baptiſmo Chriſti. Sequitur ex præcedenti. (*Ibid.*) Baptiſmus Joannis non conferebat gratiam, neque etiam characterem. Atqui fides & ſpes eorum, qui illum ſuſcipiebant, non poterat hos defectus ſupplere. Ergo. Unde Act. 19. qui erant baptizati Baptiſmo Joannis, juſſu Pauli baptizati ſunt Baptiſmo Chriſti. Conf. Chriſtus Joan. 3. dicit: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non poteſt intrare in regnum Dei*. Atqui ſolus Baptiſmus Chriſti erat in Spiritu S. Ergo. Atque ita ſentiunt unanimiter SS. Patres.

Petes, utrum Joannes fuerit baptizatus Baptiſmo Chriſti? R. (*Ibid ad 3.*) probabilius affirmative. Suadetur ex hoc quod Chriſtus Matth. 3. Joanni dicenti: *Ego debeo a te baptizari*: reſpondit: *Sine modo*: quaſi dixiſſet: fac modo, quod peto, faciam poſtea, quod petis. Ita SS. PP. Greg. Nazianz. Orat. 39. Chryſoſt. hom. 12. in Matt. Aug. Serm. 292. Hieron. in cap. 3. Matth. & alii. Interpretari autem cum Serrio SS. Patres non de Baptiſmo, ſed de abundantiori effuſione gratiæ, eſt illorum verba ab obvio & naturali ſenſu gratis detorquere, & noſtro Doctori contradicere.

Ex his ſequitur Apoſtolos etiam fuiſſe baptizatos Baptiſmo Cbriſti: de quo dixi alibi.

ARTICULUS II.

De Chriſto baptizato.

QUÆRITUR hic 1. utrum fuerit conveuiens Chriſtum baptizari a Joanne? 2. Quo ſuæ ætatis anno fuerit baptizatus? 3. Quo loco 4. De prodigiis Chriſti Baptiſmum ſecutis, nimirum de apertione cœlorum, de deſcenſu Spiritus ſancti in ſpecie columbæ, & voce Patris audita.

Dico 1. (*qu. 3. a. 1. & 2. o.*) Conveniens fuit Chriſtum baptizari a Joanne. 1. Ut tactu mundiſſimæ carnis ſuæ aquas ſanctificaret, ac eis poſtea vim regenerandi conferret. 2. Ut Baptiſmum Joannis comprobaret. 3. Ut & ipſe faceret, quod aliis faciendum præcipiebat: & hoc eſt quod ipſe dicit Matth. 3. *Sic decet nos implere omnem juſtitiam*: ut enim Ambroſ. ait l. 2. in Luc. cap. ult. *Hæc eſt juſtitia, ut quod alterum facere velis, ipſe incipias & tuo alios horteris exemplo*. 4. Ut in tanta multitudine Judæorum, qui ad Joannem confluebant, reciperet teſtimonium Patris, quo ſuum miniſterium majori cum auctoritate poſtea obiret.

Dico 2. (*Ibid. a. 3. o.*) Chriſtus baptizatus eſt anno ætatis ſuæ circiter 30. Conſtat ex Luc. c. 3. ubi cum dixiſſet: *Factum eſt autem cum baptizaretur omnis populus, & Jeſu baptizato*, paucis interjectis ſubdit, *& ipſe Jeſus erat incipiens quaſi annorum 30.*

Scio aliquos referre To *incipiens* ad miniſterium Chriſti, non ad ejus ætatem: quaſi diceret Evangeliſta: *Et ipſe Jeſus erat incipiens* publicum prædicationis miniſterium, *quaſi annorum* 30. Alii tamen non minus probabiliter referunt ad ætatem Chriſti, ita ut ſenſus ſit: Jeſus incipiebat eſſe ferme annorum 30. ſcilicet completorum, inchoaverat enim annum 30. Huic ſenſui favent multi SS. Patres, Iren. l. 2. c. 39. Juſtin. in Dial. cum Tryph. Euſeb. l. 1. Hiſt. c. 10 Hieron. in c. 1. Ezech. Aug. l. 2. de Doct. Chriſt. c. 28. &c. Et hic quidem videtur ſenſus obvius horum verborum Lucæ 3. *Anno 15. Imperii Tiberii Cæſaris ... Et ipſe Jeſus erat incipiens quaſi annorum* 30. Senſus, inquam, obvius eſt, quod annus 15. Imperii Tiberii Cæſaris ſit annus Chriſti 30. inchoatus.

Sed utut ſit, cætera verba Lucæ ſufficiunt probandæ concluſioni. *Et ipſe Jeſus erat .., quaſi annorum* 30. vel enim particula *Quaſi* ſumitur *aſſertive*, ut Joan. 1. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi Unigeniti a Patre*; & tunc habemus Chriſtum decurrere annum 30. aut ipſum abſolviſſe & incipere 31. Vel ſumitur *diminutive*, quo ſenſu Chriſtus deſinente anno 29. jamjam inchoaturus erat 30. Vel ſumitur *dubitative*, pro *circiter*, ut ſumi ſolet dum præponitur numero rotundo: ſic Matth. 1. *Manſit autem Maria cum illa, quaſi menſibus* 3. Marci 8. dicuntur *quaſi 4000. virorum* manducaſſe, qui Matth. 15. dicuntur 4000. Sic autem ſumpta particula *Quaſi*, Chriſtus fuit babtizatus vel deſinente anno 29. vel decurrente anno 30. vel inchoante anno 31. Et ideo poſui in concluſione, anno circiter 30.

Dico 3. (*Ib. a. 4. o.*) Chriſtus baptizatus fuit in Jordane prope Bethaniam. Conſtat ex illo Marci: *Venit Jeſus a Nazareth Galilææ, & baptizatus eſt a Joanne in Jordane*, Et ex illo Joann. 1. *Hæc facta ſunt in Bethania trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans*.

Intellige Bethaniam, non illam, quæ Marthæ & Mariæ erat domicilium prope Jeroſolymam, ſed alteram trans Jordanem, ubi ſolitus erat fluvii trajectus, & quæ alio nomine vocabatur *Bethabara*: utriuſque enim vocis eſt fere eadem vis: Bethania hebraica ſonat locus navis & Bethabara locus tranſitus.

Dico 4. Prodigia, ſcilicet apertio cœlorum, deſcenſus columbæ, & vox Patris audita, non contigerunt dum actualiter baptizaretur Chriſtus, ut ſolent exhibere pictores, ſed ipſo baptizato & orante, juxta illud Matt. 3. *Baptizatus autem Jeſus confeſtim aſcendit de aqua, & ecce aperti ſunt ei cœli*, &c. Et iſtud Luc. 3. *Jeſu baptizato & orante, apertum eſt cœlum, & deſcendit Spiritus S. corporali ſpecie, ſicut columba in ipſum, & vox de cœlo facta eſt*, &c.

Dico 5. Jeſu baptizato & orante aperti ſunt cœli, non ſyderei & proprie dicti, hi enim naturaliter ſcindi non poſſunt, ſupernaturaliter autem eſſet ſuperfluum, ſed ſuprema aeris regio cœlis propinqua, quæ in Scripturis ſæpe cœlum appellatur, quatenus dum ejus partes aliquæ hinc inde condenſantur, medio aere manente rariore hiatus apparet, ex quo columba deſcendere cerneretur, & vox Patris audiretur. Matthæus dicit, *aperti ſunt ei cœli* non quod ipſe ſolus & non alii viderint cœlos apertos, ſed quia propter ipſum ſunt aperti.

Dico 6. S. Th. hic a. 7. poſt Aug. Hieron. & Anſelmum docet columbam fuiſſe verum animal: ſed in 1. d. 16. a. 3. ad 5. docet contrarium his verbis: *Dicendum, quod columba non fuerit verum & naturale animal, ſed tantum ſimilitudo columbæ viſibiliter oſtenſa in aliqua materia ad hoc præparata. Unde & peracto officio in priſtinam materiam reverſa eſt. Nec fuit ibi aliqua fictio, quia illa ſimilitudo columbæ non oſtendebatur ad manifeſtandam aliquam veritatem in ipſa columba, ſed ad manifeſtandas proprietates inviſibilis miſſionis. Et ideo non fuit ibi falſitas ſigni, quia ſignatum reſpondebat ſigno & res ſimilitudini.* Hæc autem ſententia eſt communior. Porro deſcendit Spiritus S. in Chriſtum, non ut Chriſtum ſanctificaret, aut ejus ſanctitatem augeret, quippe qui erat perfecte ſanctus a conceptione, ut ſuperius dictum eſt; ſed ut ſignificaretur adſtantibus præſentia Spiritus S. in Chriſto & in eis, qui ejus Baptiſmo baptizarentur. Deſcendit autem ſub ſpecie columbæ ad exprimendas proprietates columbinas, quas tum in Chriſto tum in baptizatis operatur. Has proprietates fuſe explicat Auctor hic a. 6. ad 4.

Dico 7. (*Ibid. a. 8. o.*) Chriſto baptizato convenienter vox Patris Filium proteſtantis audita eſt. Quia in Baptiſmate Chriſti, quod fuit exemplar ſeu potius figura noſtri Baptiſmatis, debuit demonſtrari id, quod in noſtro Baptiſmate perficitur. Baptiſma autem noſtrum conſecratur invocatio-

Digitized by Google

ratione & virtute Trinitatis ; ſecundum illud Matth. ult. *Euntes docete omnes Gentes , baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus S.* Ergo in Baptiſmo Chriſti convenienter Trinitas demonſtratur, quatenus ſcilicet Filius in humana natura baptizatur, Spiritus S. deſcendit in columbæ ſpecie , & vox Patris teſtimonium Filio perhibentis auditur. Hæc autem vox, quamvis non fuerit vera & naturalis , quatenus non erat per organa vitæ prolata , erat tamen verus, ſenſibilis , & articulatus ſonus , non ſolum a Joanne , ſed etiam ab adſtantibus auditus , ut ex eo Joannes poſſet efficacius teſtificari de Chriſto : Ex quo ſequitur, quod etiam apertio cæli & deſcenſus columbæ fuerint viſi a populo, alioquin ſi ſolam vocem audiviſſent abſque alio ſigno viſibili , potuiſſent adſtantes exiſtimare, quod Joannem & non Chriſtum ſpectaret.

Et quamvis iſta vox formata fuerit a tota Trinitate , quia opera Dei ad extra ſunt indiviſa, per appropriationem tamen attribuitur Patri , quia formata eſt ut ſolum Patrem ſignificaret , ſicut ſpecies columbæ miſſa eſt , ut ſolum Spiritum S. repræſentaret.

DISSERTATIO VII.

DE MODO CONVERSATIONIS CHRISTI, NECNON DE ET TENTATIONE IN DESERTO.

D. Thom. Quæſt. 40. & 41.

ARTICULUS I.

Quæ fuerit humanæ faciei & corporis Chriſti forma?

Dico . Humana faciei & Corporis Chriſti forma non fuit inſigniter venuſta , neque inſigniter deformis , ſed mediocriter pulchra . Prob. Chriſtus humanam faciei & corporis formam aſſumpſit, quæ conditioni ac miniſterio conveniret ; ſicut ergo , ut modo dicam, noluit eſſe dives , ut divitiarum contemptum nos doceret, ita inſigniter venuſtus eſſe noluit , ut vanam eſſe corporis pulchritudinem demonſtraret . Item cum deberet converſari cum hominibus , eos verbis ſuis ad fidem perducendo , non decuit ipſum eſſe ita facie deformem , ut eiiorum oculos offenderet, & eos a ſuo conſortio removeret. Sequitur ergo eum fuiſſe mediocriter pulchrum. Unde Auctor in Pſ. 44. dicit : *Pulchritudinem Chriſtus habuit , ſecundum quod competebat ad ſtatum & reverentiam ſuæ conditionis . Non eſt ergo intelligendum , quod Chriſtus habuerit capillos flavos , vel fuerit rubeus , quia hoc non decuit eum.* Et in c. 63. Iſa. *Chriſto non erat aſpectus magnificus, ſecundum quod dicitur , ſpecies Priami digna eſt imperio .*

Obj. 1. contra 1. partem concl. illud Pſ. 44. *Speciosus forma præ filiis hominum , diffuſa eſt gratia in labiis tuis , propterea benedixit te Deus in æternum ... ſpecie tua & pulchritudine tua, intende proſpere , procede , & regna .* Quæ de Chriſto dicta . R. hæc verba Regii Vatis referri ad Divinitatem Chriſti , vel ad pulchritudinem animi , non corporis. Ita SS. PP. Baſil. in hunc Pſ. 44. Theodoret. ibid. Aug. in Pſ. 43. 113. & 118. & alii. Et bene ad mentem Regii Vatis: inſulſum enim foret Chriſtum ob pulchritudinem corporis benedictum eſſe a Patre , & ipſa ſua pulcritudine corporali debellaſſe hoſtes , & ſibi ac nobis obtinuiſſe regnum ut ferunt verba laudati Pſ. 44.

Inſt. Hieron. Ep. 140. ad Principiam dicit : *Niſi habuiſſet in vultu oculiſque quiddam ſydereum , nunquam eum ſtatim ſecuti fuiſſent Apoſtoli , nec qui ad eum comprehendendum venerant, corruiſſent .* Et in cap. 9. Matth. *Fulgor iſte , & majeſtas Divinitatis occulta , quæ etiam in humana facie relucebat , ex primo ad ſe videntes trahere poterat aſpectu.* Et Chryſoſt. hom. 27. in Mat. *Non enim* , inquit , *miracula dumtaxat faciens admirabilis erat , ſed etiam, cum ſimpliciter aſpiceretur , ingenti abundabat gratia.* Ergo . R. hæc non ſpectare nativam Chriſti vultus formam, ſed ſignificare tantum radium, ſeu , ut dicit Hieron. fulgorem Divinitatis in ejus facie miraculoſe , quando volebat , apparentem , alioquin dicendum foret , & Apoſtolos ad ejus ſequelam & fidem attractos fuiſſe, & milites corruiſſe ex ejus oris venuſtate, quod eſt ridiculum.

Obj. 2. Nicephorus l. 1. Hiſt. c. 40. deſcribit ſingula oris Chriſti lineamenta, membrorum compoſitionem, atque integram corporis formam , eamque excellenter venuſtam , idque dicit acceptum a veteribus. Item in Epiſtola alicujus Lentuli ad Senatum Romanum deſcribitur etiam venuſta forma Chriſti. Ergo. R. Nicephorum Auctorem ſæculi 14. nullam horum notitiam habere potuiſſe , tacentibus Evangeliſtis & antiquis Patribus ; dicit quidem id acceptum a veteribus , ſed nullum nominat . Epiſtola autem iſtius cujuſdam Lentuli ab omnibus ſpuria habetur . Adde , quod ejus deſcriptio non conveniat in omnibus cum deſcriptione Nicephori.

Obj. 3. præſtantiſſimas Chriſti & Deiparæ imagines a S. Luca depictas , quæ in pluribus Templis proſtant. R. his imaginibus fidem adhiberi tamquam a S. Luca depictis tria obſtant . Primum , quod 7. Synodus , 2. Nicæna , & Patres ejus ævi , qui contra Iconomachos tot exempla imaginum conquiſierunt & congeſſerunt , ut dogma de cultu imaginum confirmarent , harum a S. Luca depictarum non meminerint . 2. Quia Lucas a Paulo Coloſſ. 4. dicitur Medicus , non Pictor , quo titulo eum decoraviſſet primus , quod ſciam , Metaphraſtes ſæculo IX. 3. Quia Lucas vel fuit natione Judæus , & unus ex 71. diſcipulis , ut volunt Epip. & Gregor. Mag. vel genere Gentili Antiochiæ natus , & a Paulo ad fidem converſus , ut cenſent Tertull. Irenæus, Euſeb. & Hieron. quodque videtur verius . Si primum, non fuit Pictor , quia ars picturæ ſicut & ſculpturæ erat tunc prohibita Judæis , ut teſtantur Philo l. de Decalogo , & l. de delegatione ad Cajum , Joſeph. l. 17. Antiquit. c. 8. & Origenes, qui l. 4. contra Celſum dicit: *In Civitatem eorum (Judæorum) nullus pictor admittitur , nullus ſtatuarius , legibus hoc totum genus arcentibus , ne qua occaſio præberetur hominibus craſſis , neve animi eorum avocarentur de cultu ad res humanas per hujuſmodi illecebras .* Si ſecundum , non potuit Lucas depingere ad vivum, quos nunquam viderat, quod ſaltem de Chriſto certum eſt : non enim eſt credibile , hominem Ethnicum veniſſe e Syria Jeroſolymam, ut hominem ſibi ignotum, & cui non credebat, depingeret.

Obj. 4. contra 1. Partem Concl. Iſaias c. 53. de Chriſto dicit: *Non eſt ſpecies ei neque decor , & vidimus eum & non erat aſpectus , & deſideravimus eum : deſpectum & noviſſimum virorum , virum dolorum & ſcientem infirmitatem , & quaſi abſconditus vultus ejus & deſpectus , unde nec reputavimus eum .* Ergo . R. juxta SS. Patres hæc eſſe intelligenda non de naturali corporis Chriſti forma , ſed de tempore Paſſionis , quo tot Judæorum injoriis dehoneſtatus erat, ut vix hominis ſpeciem referret: vel ut interpretatur S. Th. ibid. Iſaias locutus eſt in perſona impiorum , prænuntians eorum convitia in Chriſtum in cruce pendentem conjecta.

ARTICULUS II.

Utrum Chriſtus debuerit agere vitam ſolitariam & auſteram?

Dico 1. (*Q. 40. a.* 1. *c.*) Chriſtus non debuit vitam ſolitariam agere, ſed debuit converſari cum hominibus . Prob. (*Ib.*) Chriſtus debuit hoc vitæ genus eligere, quod conveniret fini Incarnationis. Atqui fini Incarnationis non conveniebat vita ſolitaria , ſed vita communis cum hominibus. Ergo . Prob. Min. 1. Chriſtus incarnatus eſt ad manifeſtandam veritatem. Ergo non debebat ſe occultare vitam ſolitariam agens , ſed in publicum procedere prædicando. 2. Chriſtus incarnatus eſt, ut peccatores ſalvos faceret. Ergo, inquit Chryſoſt. in c. 1. ad Tim. licet in eodem loco manendo poſſet ad ſe omnes attrahere, ut ejus prædicationem audirent , non tamen hoc fecit , præbens nobis exemplum , ut perambulemus & requiramus pereuntem, ſicut paſtor ovem perditam, & ſicut medicus accedit ad infirmum. 3. Venit Chriſtus , ut per eum habeamus acceſſum ad Deum, ut dicitur Rom. 5. Ergo conveniens fuit , ut cum hominibus familiariter converſando , daret omnibus fiduciam ad ſe accedendi . Unde dicitur Matth. 9. *Factum eſt diſcumbente eo in domo, ecce multi publicani , & peccatores venientes diſcumbebant cum Jeſu & Diſcipulis ejus .* Quod exponens Hieron. ibid. dicit : *Videbant Publicanum a peccatis ad meliora converſum , locum inveniſſe pœnitentiæ : & ob id etiam ipſi non deſperant ſalutem .*

Dico 2. (*Ib. a.* 2. *c.*) Chriſtus non debuit auſteram vitam eligere. Quia, ut dictum eſt, congruum erat fini Incarnationis, ut Chriſtus non ageret ſolitariam vitam , ſed cum hominibus converſaretur. At, qui cum aliquibus converſatur , convenientiſſimum , ut ſe eis in converſatione conformet , ſecundum illud Apoſt. 1. Cor. 9. *Omnibus omnia factus* . Ergo convenientiſſimum fuit , ut in cibo & potu communiter ſe , ſicut alii , haberet . Et ideo de illo dicitur Matth. 11. *Venit Filius hominis manducans , & bibens* , quia utebatur cibo & potu communi ſicut alii :

cum

Digitized by Google

cum e contta Joannes dictos ſit, *nec mandacans neque bibens*, quia illo victu, quo Judæi utebantur, non utebatur. Neque tamen exiſtimandum eſt, Chriſtom molem & delicatam vitam egiſſe, ſed moderatam ſuo fini accommodatam.

Obj. 1. Chriſtus multo magis prædicavit perſectionem vitæ, qnam Joannes. Atqui Joannes auſteram vitam duxit, ut ſuo exemplo homines ad perfectionem vitæ provocaret. Ergo. R. (*Ib. ad* 2.) Chriſtum in ſua converſatione exemplum perſectionis dediſſe in omnibus, quæ per ſe pertinent ad ſalutem: ipſa autem abſtinentia cibi & potus non per ſe pertinet ad ſalutem, ſecondum illud Rom. 14. *Non eſt Regnum Dei eſca & potus:* ſed urraque vita eſt licita & laudabilis ſecundum diverſitatem conditionum, ut ſcilicet a communi homiuum conſortio ſegregatus abſtinentiam ſervet, & ut in ſocietate poſitus communi vita utatur.

Obj. 2. Chtiſtus habuit tantum unicam veſtem, & incedebat nudis pedibus contra uſum communem Judæorum. Atqui hæc pertineut ad auſteritatem vitæ. Ergo. Prob. 1. pars Maj. Chriſtus Matth. 10. prohibet ne diſcipuli duas tunicas habeant, & Marci 6. *ne induerentur duabus tunicis*. ipſe autem dubio procul ſaciebat, qood diſcipulis præcipiebat. Ergo. Prob. 2. pars Maj. 1. Matt. 10. prohibet Apoſtolis portare calceamenta. 2. In partitione veſtium Chriſti a militibus nihil de calceis. 3. Magdalena non potuiſſet lavare pedes Chriſti calceati. Ergo.

R. N. Maj. ad prob. 1. partis, certum eſt Chriſtum plures habuiſſe veſtes, nimirum, tunicam inconſutilem & alias veſtes, quas partiti ſunt milites. Inſuper Joan. 13. dicirur: *Surgens a cœna poſuit veſtimenta ſua*, aliquod dubie retinebat, ne uudus appareret. Non ergo Chriſtus prohibuit habere ſimplicitet duas veſtes, ſed habere plures veſtes ejuſdem rationis, volens nimirum ut præter veſtes, quibus induti erant, dum proficiſcebantur, alias non deferrent, quas, prioribus ſordeſcentibus, induere poſſent: quo etiam ſenſu intelligitur illud Luc. 3. *Qui habet duas tunicas*, ſcilicet ejuſdem generis, *det non habenti* unam tamquam ſuperfluam.

Ad 1. prob. 2. partis Majoris, R. prohiberi Apoſtolis uti calceis totum pedem regentibus, non ſandaliis, ut patet Marci 6. Ad 2. R. calceamenta Chriſti comprehenſa fuiſſe ſub nomine veſtimentorum, vel, quia vilia, contempta fuiſſe. Ad 3. nihil obſtat dicere Magdalenam detraxiſſe calceos aut ſandalia, ut ejus pedes lavaret.

ARTICULUS III.

Utrum conveniens fuerit, Chriſtum pauperem vitam ducere, & ſecundum legem converſari?

Dico 1. (*Ibid. a.* 3. *o.*) Chriſtum decuit in hoc mundo pauperem viram ducere.

Ptimo, (*Ibid.*) quia hoc erat congruum prædicationis officio, propter quod venerat: oportet enim Prædicatores verbi Dei, ut ſeduio vacent prædicationi, a ſæcularium rerum cura eſſe omnino abſolutos, quod facere non poſſunt, qui divitias poſſident. Unde ipſe Chriſtus Apoſtolos ad prædicandum mittens dicit eis Matth. 10. *Nolite poſſidere aurum neque argentum.*

2. (*Ibid.*) Ne, ſi Chriſtus divitias habuiſſet, cupiditati ejus prædicatio adſcriberetur. Unde Hieron. in cap. 10. Matth. dicit, quod *ſi Diſcipuli ejus divitias habuiſſent, viderentur non cauſa ſalutis hominum, ſed cauſa lucri prædicare*. 3. (*Ib.*) Ut tanto major virtus divinitaris in converſione orbis oſtenderetur, quanto per paupertatem videbatur abjectior.

Dices 1. Chriſtus debuit eligibiliſſimam vitam aſſumere: atqui eligibiliſſima vita eſt, quæ eſt mediocris inter paupertatem & divitias: dicitur enim Proverb. 3. *Mendicitatem & divitias ne dederis mihi, tribue tantum victui meo neceſſaria*. R. N. Min. ad prob. (*Ib. ad* 1.) ideo Salomon non petiit a Deo neque divitias neque paupertatem, quia ſunt homini occaſio peccandi, divitiæ ſuperbiendi, paupertas furandi & mentiendi, imo & perjurandi: hæc autem ratio non currebat pro Chriſto. Inſuper non quælibet paupertas eſt furandi & perjurandi occaſio, ſed ſola illa, quæ eſt contraria voluntati, ad quam vitandam homo furatur & perjurat: paupertas autem voluntaria, qualem aſſumpſit Chriſtus, hoc periculum non habet.

Dices 2. Exteriores divitiæ ad uſum corporis ordinantur, quantum ad victum & amictum. Atqui Chriſtus in victo & amictu communem viram duxit ſecundum modum aliorum quibus convivebat. Ergo videtur, quod in divitiis & paupertate communem vivendi modum ſervare debuerit, & non uti maxima paupertate. R. N. Conſ. (*Ib. ad* 2.) Quia poteſt aliquis communi vita uti quantum ad victum & amictum, non poſſidendo divitias, ſed a divitibus neceſſaria accipiendo; quod circa Chriſtum factum; eſt dicitur enim Luc. 8. quod *mulieres quædam ſequebantur eum, miniſtrantes ei de facultatibus ſuis*. Unde Hieron. in c. 27. Matt. dicit: *Conſuetudinis Judaicæ fuit, nec ducebatur in culpam more Gentis antiquæ, ut mulieres de ſubſtantia ſua victum atque veſtitum præceptoribus ſuis miniſtrarent; ſed quia hoc ſcandalum facere poterat in Nationibus, Paulus ſe abjeciſſe commemorat*. Sic ergo communis victus poterat eſſe ſine ſollicitudine impediente prædicationis officium, non autem divitiarum poſſeſſio.

Si petas, qualis & quanta fuerit Chriſti paupertas? R. quod interdum habuerit aliquarum rerum dominium in communi, id eſt, cum Collegio Apoſtolorum. Ita definivit Joan. XXII. in Extra. *Quia quorumdam*. Et hoc conformiter Scripturæ Joan. c. 5. v. 8. c. 6. v. 5. c. 12. v. 6. c. 13. v. 29. ubi legitur Collegium Apoſtolorum habuiſſe loculos, quos ſervabant in uſum tempore neceſſitatis. Interdum vero Chriſtus nullarum rerum habuit dominium etiam in communi. Ita declaravit Nicolaus IV. cap. *Exiit* de verb. ſignific. in 6. etiam conformiter Scripturæ, tum Matth. 8. ubi legitur: *Filius hominis non habet ubi caput reclinet*: tum Luc. 8. ubi *ſequebantur eum mulieres, quæ miniſtrabant ei de facultatibus ſuis*.

Utrum vero mendicitatem exercuerit? R. non exercuiſſe ex profeſſo & regulariter: ſequitur ex dictis: regulariter enim vel habebat loculos in communi, vel ei miniſtrabatur a mulieribus eum ſequentibus. Probabile eſt tamen petiiſſe aliquando id, quo indigebat, quod eſt mendicare, ut in triduo, quo remanſit in Jeruſalem ſine Parentibus, Luc. 2. & quando petiit aquam a muliere Samaritana, Joan. 4. & alias. Ita S. Th. Opuſc. contra impug. Relig. c. 7.

Dico 2. (*Ibid. a.* 4. *o.*) Quamvis Chriſtus non eſſet legi ſubjectus, convenienter tamen illam ſervavit. 1. Ut legem approbaret. 2. Ut eam obſervando in ſe ipſo conſummaret & terminaret, oſtendens quod ad ipſum erat ordinata. 3. Ut Judæis occaſionem calumniandi ſubtraheret. 4. Ut homines a ſervitute legis liberaret, ſecundum illud Galat. 4. *Miſit Deus filium ſuum factum ſub lege, ut eos, qui ſub lege erant, redimeret*.

Dices. Chriſtus Sabbatho curavit hominem & ei mandavit tollere lectum ſuum. Atqui id videtur prohibitum lege Sabbathi, qua præcipiebatur, ut nihil operis in eo fieret. Ergo. Reſp. Neg. Min. 1. Quia lege Sabbathi prohibebatur tantum opus humanum, non divinum, quale erat ſanatio miraculoſa hominis. 2. Quia iſta lege non prohibebantur opera, quæ erant de neceſſitate ſalutis etiam corporalis, Luc. 13. & 14. 3. Quia non prohibebantur opera, quæ pertinent ad cultum Dei, Matt. 12. Quod autem Chriſtus mandavit paralytico, ut ſuum lectum portaret, ad cultum Dei pertinebat, nempe ad manifeſtationem & confirmationem miraculi in laudem virtutis divinæ.

ARTICULUS IV.

De tentatione Chriſti in Deſerto.

MATTH. 4 legitur: *Ductus eſt Jeſus a ſpiritu in Deſertum, ut tentaretur a Diabolo*. Dicitur ductus *a ſpiritu*, ſuo ſcilicet, ſeu Spiritu S. Dicitur *ut tentaretur a Diabolo*, non quod Chriſtus activam Diaboli tentationem intenderet, ſed tantum eam permitteret & exciperet in loco ad eam opportuno. Potuit autem Chriſtus quærere occaſionem tentationis, quia inde nullum ipſi imminebat periculum peccandi, quod de nobis dici non poteſt; & ideo nos occaſionem tentationis non quærere, ſed fugere debemus. Quærimus itaque circa hanc Chriſti tentationem, 1. utrum fuerit conveniens eum tentari? 2. Quandonam fuerit tentatus? 3. An Diabolus ipſum portaverit ſupra pinnaculum Templi, an tantum duxerit?

Dico 1. (*Q.* 41. *a.* 1. *o.*) Conveniens fuit Chriſtum tentari. Propter noſtram cautelam, ut nullus quantumcumque Sanctus ſe æſtimet ſecurum & immunem a tentatione. 2. Propter exemplum, ut ſcilicet nos inſtrueret qualiter tentationes Diaboli vincamus. 3. Ut fiduciam præberet recurrendi in tentationibus ad ipſum, qui ſicut nos fuit tentatus.

Dices. Tentare eſt experimentum capere, quod non fit niſi de re ignota. Atqui Chriſtus & ejus Divinitas erat nota Dæmonibus; dicitur enim Luc. 4. quod non ſinebat Dæmones loqui, quia ſciebant ipſum eſſe Chriſtum. Ergo. R. (*Ibid.*) *ad* 1.) Quod Dæmones ab initio & ante tentationem non ſciebant Chriſtum eſſe Meſſiam & Filium Dei, ideo enim eum tentaverunt, ut id explorarent; unde dicebat tentator, *Si Filius Dei es*. Poſtea vero evidentia ſignorum coacti, ipſum aliqualiter ut Meſſiam & Filium Dei agnoverunt, non tamen pro certo, cum enim ſimul viderent in eo ſigna infirmitatis humanæ, inde, adjuncto pravo affectu, accipiebant occaſionem dubitandi.

Dico 2. (*Ibid. a.* 3. *o.*) Tres tentationes viſibiles, quas referunt Matth. & Lucas, nonniſi poſt jejunium 40. dierum factæ ſunt. Patet ex Matth. 4. *Cum jejunaſſet*,

inquit, 40. *diebus & 40. noctibus*, ab omni ſcilicet cibo abſtinens, *poſtea eſuriit, & tunc acceſſit ad eum tentator*, nempe viſibili ſpecie. Propter illam enim eſuriem ſuſpicatus eſt Diabolus, ipſum eſſe purum hominem, qui non potuit pluſquam Moyſes & Elias protrahere jejunium, unde audaciam aſſumpſit, ipſum viſibiliter per tentationem aggrediendi. Nihil obſtat tamen quominus ipſum Diabolus, licet non viſibilis, aliis modis tentaverit durante jejunio, puta inſolite mutando aerem, incitando beſtias, ut ipſi eſſent moleſtæ, &c. quo ſenſu dicit Auctor hic ad 2. ex Ven. Beda, *Dominus tentabatur 40. diebus & 40. noctibus*.

Dico 3. Utrum Diabolus portaverit Chriſtum ſuper pinnaculum Templi, an tantum duxerit, problema eſt. Fuiſſe portatum videtur innui his verbis Matth. 4. *Tunc aſſumpſit eum Diabolus in Sanctam Civitatem, & ſtatuit eum ſuper pinnaculum Templi*. Atque ita ſentiunt Greg. hom. 26. in Evang. & Ven. Beda in Lucam. Non fuiſſe autem portatum, ſed ſponte ſecutam fuiſſe Diabolum ductorem, innuit Lucas cap. 4. ubi ſic ſcribit: *Duxit illum Diabolus in montem excelſum*. & poſtea: *Duxit illum in Jeruſalem*. Unde Auctor a. 1. hujus Q. 2. dicit ex Origene: *Chriſtus ſequebatur Diabolum ad tentationem quaſi athleta procedens*.

Nec obſtat verbum *aſſumpſit* apud Matth. dicitur enim de Chriſto Matth. 16. *Aſſumens eum Petrus* & c. 17. *Aſſumit Jeſus Petrum*, &c. ubi non eſt ſermo de tranſportatione. Similiter non obſtat verbum *ſtatuit*, qui enim aliquem in certum locum deduxit, dicitur illum in hoc loco ſtatuiſſe.

Juxta hanc ſententiam (*Ib. a. 4. ad 7.*) dicendum Chriſtum ut vitaretur inquiſitio vel ſcandalum aſpicientium, effeciſſe, ut a nemine videretur, idque inſcio Diabolo.

Si tamen petas, quomodo Diabolus Chriſto in monte conſtituto oſtenderit omnia regna mundi? R. (*Ib.*) oſtendiſſe demonſtrando digito varias terræ partes, in quibus iſta regna ſunt poſita, ſimulque exponens eorum magnificentiam.

DISSERTATIO VIII.

DE DOCTRINA ET MIRACULIS CHRISTI

NECNON

DE EJUS TRANSFIGURATIONE.

Div. Thom. QQ. 42. 43. 44. & 45.

ARTICULUS I.

De Doctrina Chriſti.

QUæstio eſt 1. Utrum convenienter Chriſtus ſolis Judæis prædicaverit, & non Gentilibus? 2. Utrum omnia publice docuerit?

Dico 1. (*Q. 42. a. 1. n.*) Conveniens fuit, Prædicationem Chriſti tam per ipſum quam per Apoſtolos a principio ſolis Judæis exhiberi. Et ideo Matt. 16. dicit: *Non ſum miſſus niſi ad Oves, quæ perierant Domus Iſrael*.

Primo, (*Ib.*) ut oſtenderet, per ſuum adventum impleri promiſſiones antiquitus factas Judæis, & non Gentilibus. 2. Quia hoc exigebat debitus ordo, ut Judæis, qui erant Deo propinquiores per fidem & cultum unius Dei, prius Doctrina proponeretur & per eos tranſmitteretur ad Gentes, ſicut etiam in Celeſti Hierarchia per ſuperiores Angelos ad inferiores divinæ illuminationes proveniunt. 3. Ut Judeis auferret calumniandi materiam: *Oportebat*, inquit Hieron. in c. 10. Matth. *Primum Adventum Chriſti nuntiari Judæis, ne juſtam excuſationem haberent, dicentes, ideo ſe Dominum ejeciſſe, quia ad Gentes & Samaritanos Apoſtolos miſerit*.

Dices. Chriſtus venit in lumen & ſalutem non ſolum Judeorum, ſed etiam Gentium: ergo non ſolum Judæis, ſed etiam Gentibus debuit prædicare. R (*Ib. ad 1.*) Quod Chriſtus fuerit in lumen & ſalutem Gentium, per Diſcipulos ſuos, quos ad prædicandum Gentibus miſit.

Cæterum quamvis (*Ib. ad 3.*) Chriſtus per ſeipſum ſolis Judæis principaliter & ex officio prædicaverit, & ideo Rom. 4. dicitur *Miniſter Circumciſionis*, ne tamen Gentiles viderentur omnino negligi & ſpes ſalutis eis præcludi, quibuſdam, ob excellentiam Fidei & devotionis eorum, prædicavit, ut Chananeæ Matth 15. Samaritanæ Joan. 4.

Dico 2. (*Ibid. a. 3. o.*) Chriſtus omnia publice docuit. Conſtat ex Evangelio Joan. 8. *Ego palam locutus ſum in mundo &c.* Et, *In occulto locutus ſum nihil*.

Explicator. (*Ib.*) Tripliciter alicujus Doctrina poteſt tradi in occulto: uno modo ex intentione docentis, qui intendit Doctrinam ſuam non manifeſtare multis, ſive propter invidiam, ſive propter inhoneſtatem eorum, quæ docet. Neutrum potuit contingere in Chriſto. Secundo modo Doctrina alicujus dicitur tradi in occulto, quia paucis proponitur: nec ſic Chriſtus docuit in occulto, quia omnem doctrinam ſuam vel turbæ toti propoſuit, vel omnibus Diſcipulis in communi, & quidem ea intentione ut omnibus illam communicarent. Tertio modo aliqua Doctrina dicitur eſſe in occulto quantum ad modum docendi, quatenus obſcure proponitur. Hoc ſenſu poteſt dici, quod Chriſtus aliqualiter docuerit in occulto, quatenus Parabolis utebatur ad annuntiandum Myſteria ſpiritualia Judæis, ad quæ percipienda non erant idonei vel digni. Et tamen melius erat eis, ſic tegumento Parabolarum ſpiritualium Doctrinam audire, quam omnino ea privari. Harum tamen Parabolarum apertam & nudam veritatem Dominus Diſcipulis exponebat, per quos deveniret ad alios, qui eſſent idonei, & ex hac parte non erat occulta.

ARTICULUS II.

Utrum Chriſtus ſuam Doctrinam ſcripto tradiderit? ubi De mutuis Abgari ad Jeſum & Jeſu ad Abgarum Epiſtolis.

DOcet hic S. Th. (*Ib. a. 4. ad o.*) Chriſtum Doctrinam ſuam ſcripto non tradidiſſe; tum quia ille eſt excellentior Doctor, qui cordi, quam qui chartæ ſuam Doctrinam imprimit: tum quia ſic ſignificatum eſt, tantam eſſe Doctrinæ excellentiam, ut ſcripto tota contineri non poſſit. Verum refertur ab Euſebio l. 1. Hiſt. c. 13. Epiſtola Jeſu ad Abgarum Regem Edeſſæ in Syria reſponſalis ad Epiſtolam Abgari. Hæc utraque Epiſtola ſic legitur apud Euſeb. cit. ex verſione Chriſtophorſoni.

Epiſtola Abgari ad Jeſum.

ABgarus Princeps Edeſſæ, Jeſu Salvatori propitio, qui in confiniis Jeruſalem in carne apparuit, ſalutem. Inſignes illas virtutes & curationes, quæ abs te ſine medicamentis & ſine herbis factæ ſunt, auditione accepi. Cæcos enim, ut fama eſt, videre efficis, claudos ambulare: Leproſos mundas, ſpiritus immundos & dæmones ejicis: eos etiam, qui diuturnis morbis preſſi ſunt, ſanas; mortuos denique ad vitam revocas. Quæ quidem cum de te audiviſſem, de duobus hiſce alterum eſſe cogitabam; Te aut Deum eſſe & e Cæli faſtigio delapſum, aut Dei Filium ſaltem, qui iſta tam ſtupenda edas miracula. Quapropter hæc ad te ſcripſi magnopere precatus laborem ad me accedendi ſuſcipere, huncque, quo crucior, morbum curare non graveris. Etenim audio Judæos tibi obſtrepere malevole, & velle libenter te aliquo magno malo afficere. Eſt mihi civitas perexigua quidem, ſed ornata ſane & illuſtris, quæ utique noſtrum rerum neceſſariarum ſuppeditabat ſatis.

Epiſtola Jeſu ad Abgarum.

ABgare beatus es, qui cum non videris me, in me tamen credidiſti; de me enim ſcriptis proditum eſt, eos qui me viderunt, in me non credere, ut hi, qui me non viderunt, credant & vitam conſequantur. Quod ſcribis ad me, te velle ut ad te veniam; eas res, quarum gratia ſum miſſus, debeo hic neceſſario obire, quas cum plane perfecero, ad eum recipi, qui me miſit; quo ſimul ac aſſumptus fuero, aliquem ex Diſcipulis meis miſſam ad te, qui morbo, quo tantopere torqueris, faciat medicinam, & vitam tibi tuiſque impertiat.

Quæſtio eſt itaque inter Eruditos non parum controverſa, an illæ duæ Epiſtolæ ſint genuinæ, an apocryphæ, & ſuppoſititiæ.

Dico. Iſtæ duæ Epiſtolæ videntur nobis apocryphæ & ſuppoſititiæ. Prob. 1. ex Gelaſio Papa, qui in Concilio Romano 70. Epiſcop. ſic de illis pronuntiavit: *Epiſtola Jeſu ad Abgarum Regem apocrypha. Epiſtola Abgari ad Jeſum apocrypha*.

Reſpondet Serrius Exerc. 46. poſt Baronium ad an. 31. declaratam fuiſſe a Gelaſio Epiſtolam Chriſti ad Abgarum

aro.

Digitized by Google

apocrypham, quia non poſita in Canone Scriptur. ſacrarum. Sed contra. Gelaſius in Concilio Romano declaravit Epiſtolam Jeſu ad Abgarum apocrypham eodem ſenſu, quo declaravit Epiſtolam Abgari ad Jeſum apocrypham, ut patet ex terminis. Atqui non declaravit Epiſtolam Abgari ad Jeſum apocrypham, eo quod non eſſet poſita in Canone Script. ſacrarum, de hoc enim non erat quæſtio; ſed quia erat incerti Auctoris, vel dubiæ & ſuſpectæ fidei; eſt enim hæc communis ſignificatio vocis *apocryphum*. Ergo idem cenſendum de Epiſtola Jeſu ad Abgarum.

Prob. 2. Illa Epiſtola eſt evidenter ſuppoſititia, in qua inducitur Chriſtus citans verba Evangelii de ſe ſcripti, nullum enim Evangelium fuit ſcriptum, niſi poſt Aſcenſionem Chriſti. Atqui in hac Epiſtola inducitur Chriſtus citans verba Evangelii de ſe ſcripti. Ergo. Prob. Min. ex verbis Epiſtolæ: *Abgare*, inquit Chriſtus, *beatus es, qui cum non videris me, in me credidiſti: de me enim* SCRIPTIS PRODITUM EST, *eos qui me viderunt in me non credere, ut qui me non viderunt, credant & vitam conſequantur*. Atqui hoc nullibi reperitur ſcriptis proditum niſi in Evangelio, præſertim Joan. 20. ubi refertur Chriſtus exprobrans incredulitatem Thomæ & dicens: *Beati, qui non viderunt & crediderunt*.

Prob. 3 Aug. l. de conſenſu Evang. cap. 7. & S. Th. poſt ipſum hic a. 4. docent Chriſtum nihil abſolute ſcripſiſſe. Hæc ſunt verba Aug. loc. cit. *Sed illud prius diſcutiendum eſt, quod ſolet nonnullos movere, cur ipſe Dominus nihil ſcripſerit, ut aliis de ipſo ſcribentibus neceſſe ſit credere. Hoc enim dicunt illi vel maxime Pagani, qui Dominum ipſum Jeſum Chriſtum culpare aut blaſphemare non audent, atque attribuunt excellentiſſimam ſapientiam, ſed tamen tamquam homini; Diſcipulos vero ejus dicunt Magiſtro ſuo amplius tribuiſſe, quam erat .... Cum ergo quærunt, quare ipſe non ſcripſerit, videntur parati fuiſſe hoc de illo credere, quod de ſe ipſe ſcripſiſſet, non quod alii de illo pro ſuo arbitrio prædicaſſent.*

Si dicas cum Serio, SS. Aug. & Th. loqui de Scriptionibus paulo fuſioribus, quibus ſua geſta & ſuam doctrinam complexus eſſet, non vero de Epiſtola quatuor linearum, qua miſſurum ſe dumtaxat diſcipulum monet, qui ſanitatem Abgaro laboranti reſtituat. R. Chriſtum hac Epiſtola non monere ſe miſſurum diſcipulum ad ſanandum Abgarum, ſed etiam prædicare ſua geſta & miracula atque ſuam divinitatem, dum approbando Epiſtolam Abgari, in qua hæc continentur, dicit: *Abgare, beatus es, quia cum non videris me, in me tamen credidiſti; de me enim ſcriptis proditum eſt, eos qui me viderunt, in me non credere, ut hi, qui me non viderunt, credant & vitam conſequantur*. Quid expreſſius potuiſſet ſcribere pro aſſerenda ſua divinitate, & quid amplius exoptare potuiſſent apud Aug. Pagani, qui Jeſu de ſe ſcribenti credere erant parati?

Conf. 1. Si iſtæ Epiſtolæ viſæ fuiſſent Patribus genuinæ, illas procul dubio Ariani oppoſuiſſent, cum apertum contineant Divinitatis Verbi teſtimonium; nullus tamen illas oppoſuit. 2. Vix credibile eſt Chriſtum non mandaſſe alicui Diſcipulorum, ut illum Principem adiret, ſicut promittit in Epiſtola, ſed Thomam poſt mortem Chriſti miſiſſe Thaddæum, ut fidem Chriſti liberaret, prout fert hiſtoria. 3. Quomodo tam honorificam Chriſto legationem omnes Evangeliſtæ omiſerunt? 4. Item quo pacto Epiſtola Abgari Chriſto in Judæa commoranti ſcripta, Edeſſam reverſa eſt? Fert enim hiſtoria illam repertam fuiſſe cum Epiſtola Jeſu in Archivis Edeſſenorum.

Obj. Euſebius Auctor 4. ſæculo l. 1. Hiſt. c. 13. has Epiſtolas integras refert, atque ait ſe eas deſcripſiſſe ex Tabulario Urbis Edeſſenæ, & de verbo ad verbum e Syriaca lingua in Græcam vertiſſe. S. Ephrem Syrus & Eccleſiæ Edeſſenæ Diaconus eod. ſæculo has Epiſtolas in ſuo teſtamento etiam laudat. Sequenti ſæculo Darius Comes Ep. ad Aug. quæ eſt inter Auguſtinianas 23. olim 203. harum etiam Epiſtolarum meminit. Adſtipulantur Procopius l. 2. de bello Perſico c. 12. Evagrius l. 4. Hiſt. c. 26. Nicephorus l. 2. c. 7. & alii. R. Euſebium & S. Ephrem non ſatis expendiſſe fidem illorum monumentorum, aut ſi expenderint, in eorum cenſura fuiſſe deceptos; magis enim in hac parte ſtandum judicio Eccleſiæ, quæ has Epiſtolas declaravit apocryphas, & rationibus allatis, quam privatis Hiſtoricis; præſertim cum inter alias rationes, propter quas Conc. Romanum declaravit Hiſtoriam Euſebii apocrypham, hæc una fuit, inquit Cano l. 11. de Locis Theologicis c. 6. quod has Epiſtolas in ſua Hiſtoria retulit.

Quantum ad alios, & cum ſecuti ſint Euſebium, & S. Ephrem, non majorem merentur fidem. Adde, quod Darius Comes non aſſertive, ſed ex incerta fama loquatur: *Fertur*, inquit, *Satrapæ ſeu Regis potius cujuſdam Epiſtola*, &c. Unde nec Aug. inde motus eſt, ut huic Epiſtolæ fidem adhiberet, ut patet ex tertia prob.

A fortiori rejicienda eſt tamquam fabuloſa altera narratio præcedenti addita a Scriptoribus poſterioris ætatis, de imagine Chriſti linteo impreſſa, & ab ipſo Chriſto Regi Abgaro miſſa: de ea enim nullum extat monumentum antiquitatis, & ſilent Euſebius & S. Ephrem, quam certo non omiſiſſent, ſi cum Epiſtolis reperta fuiſſet in Tabulario Urbis Edeſſenæ. Neque refert de ea imagine fieri mentionem in Actis 7. Synodi Oecumenicæ; notum eſt enim quædam documenta dubia, imo & falſa his Actis fuiſſe inſerta pro tuendo imaginum cultu.

ARTICULUS III.

De Miraculis Chriſti.

CONSIDERANDUM hic 1 de miraculis Chriſti in generali, deinde in particulari. Circa 1. an conveniens fuit, ut faceret miracula? Quando incepit facere miracula? Et an ſufficienter probent ejus Divinitatem? Circa 2. an convenienter fecerit miracula circa Dæmones, cœleſtia corpora, homines, & creaturas irrationales?

Dico 1. (*Q.* 43. *a.* 1. *o.*) Conveniens fuit, ut Chriſtus faceret miracula. Prob. (*Ib.*) Duplex eſt finis miraculorum. Primus & principalis eſt ad confirmandam veritatem ſupernaturalem, quam aliquis docet: cum enim ea, quæ ſunt fidei, humanam rationem excedant, non poſſunt per humanam rationem probari, ſed oportet, ut probantur per argumentum divinæ virtutis, ut cum aliquis facit opera, quæ ſolus Deus facere poteſt, credantur ea, quæ dicuntur eſſe a Deo, ſicut cum aliquis defert litteras annulo Regis ſignatas, creditur ex voluntate Regis proceſſiſſe, quod in illis continetur. Alter finis miraculorum eſt ad oſtendendam ſanctitatem ſeu præſentiam Dei in homine per gratiam Spiritus S. ut dum ſcilicet homo facit opera Dei, credatur Deus habitare in eo per gratiam. Atqui utrumque circa Chriſtum erat hominibus manifeſtandum, ſcilicet, quod Deus erat in eo per gratiam, non adoptionis, ſed unionis, & quod ejus doctrina ſupernaturalis eſſet a Deo. Ergo convenientiſſimum fuit, ut Chriſtus miracula faceret. Unde ipſe dicit Joan. 10. *Si mihi non vultis credere, operibus credite*. Et Joan. 5. *Opera quæ mihi dedit Pater, ut faciam, ipſa ſunt quæ teſtimonium perhibent de me.*

Dico 2. (*Ib. a.* 3. *o.*) Non erat conveniens, ut Chriſtus per ſe viſibiliter agens operaretur miracula ante perfectam ætatem. Conſequenter primum miraculum, quod ſic viſibiliter agens operatus eſt, fuit converſio aquæ in vinum in Cana Galilææ, juxta illud Joan. 2. *Hoc fecit initium ſignorum Jeſus in Cana Galilææ*. Prob. (*Ib.*) Chriſtus fecit miracula præcipua in confirmationem ſuæ doctrinæ. Ergo non debuit ante miracula facere, quam docere ante perfectam ætatem, ut ſupra diximus ad q. 39. dum de ejus Baptiſmo. Ergo. Dixi, *per ſe viſibiliter agens*: quia licet miracula, quæ contigerunt in ejus Nativitate & probabiliter in ingreſſu Ægypti, etiam ipſe fecerit, non tamen viſibiliter agens illa operatus eſt.

Dico 3. (*Ib. a.* 4. *o.*) Chriſti miracula ſufficienter probant Divinitatem. 1. Quia ſecundum ſpeciem conſiderata tranſcendunt omnem poteſtatem creatæ virtutis. 2. Quia quantum ad modum ea fecit Chriſtus, non orando ex indigentia, ſicut alii, ſed propria virtute & ex imperio: unde: unde Luc. 6. dicitur, quod *virtus de illo exibat & ſanabat omnes*. Quod ergo verba orationis aliquando adhibuerit, id fecit non ex neceſſitate, ſed ad exemplum & inſtructionem noſtram. 3. Quia hæc miracula faciebat in teſtimonium veritatis ſuæ doctrinæ, qua dicebat ſe Deum eſſe.

Hæc itaque tria, non ſeorſim ſumpta, ſed ſimul juncta probant ipſum eſſe Deum. Ex eo enim quod Chriſtus fecerit miracula præciſe, non ſequitur ipſum eſſe Deum; ſed ſequitur ex eo, quod ea fecerit in teſtimonium ſuæ Divinitatis: cum enim miracula ſint teſtimonia divina, certo probant eſſe vera ea, in quorum confirmationem ſiunt, alioquin Deus eſſet teſtis falſitatis, quod eſt impoſſibile.

Dico 4. (*Q.* 44 *art.* 1. 2. 3. & 4. *o.*) Chriſtus convenienter fecit miracula. 1. circa ſubſtantias ſpirituales, ejiciendo Dæmones e corporibus; tum quia id erat prænuntiatum Zach. 13. *Spiritum immundum auferam de terra*; tum ad oſtendendum, quod excluderet Dæmonum poteſtatem ab hominibus credituris in eum. 2. Circa cœleſtia corpora, ut contigit tempore Paſſionis in defectione ſolis, ut oſtenderet ſe eſſe Deum, qui ſolus poteſt immutare cœleſtia corpora. 3. Circa homines, eos ſanando & reſuſcitando, ut oſtenderet ſe eſſe omnium univerſalem & ſpiritualem ſalvatorem. 4. Circa creaturas irrationales ut oſtenderet omnia eſſe ſibi ſubjecta.

ARTICULUS IV.

De Chriſti Transfiguratione.

QUæritur hic 1. (*Q. 45. a. 1. ad 1.*) In quo ſitu fuerit Transfiguratio Chriſti? 2. An convenienter transfiguratus fuerit? 3. An convenienter adhibiti fuerint teſtes? 4. Ubi peracta fuerit?

Dico 1. In eo poſita fuit Transfiguratio Chriſti, quod manente omnino immutata corporis & faciei ſubſtantia & figura, ſplendorem clariſſimum ad inſtar ſolis emiſerit. Ita S. Hieron. in c. 17. Matth. Tertull. lib. de Reſurrect. carnis, S. Th. hic cit. Idque conformiter Scripturæ Matt. 17. dicenti: *Et reſplenduit facies ejus ſicut ſol, veſtimenta autem ejus facta ſunt alba ſicut nix.* Ubi quamvis Matth. & alii Evangeliſtæ mentionem tantum faciant faciei, veriſimile eſt tamen totum corpus eodem ſplendore reſplenduiſſe, eoſque per faciem tamquam per partem corporis magis aſpectabilem totum corpus intellexiſſe. Sic ſaltem ſentiunt Hieron. in c. 17. Matth. Ambroſ. de Symbolo c. 22. & Aug. l. 22. de Civit. c. 9.

Dices. Transfigurari eſt figuram mutare: ergo non manſit immutata faciei Chriſti figura. R. (*Ib. a. 2.*) quod cum figura ſit penes ſuperficiem & extremitates corporis, ea quæ pertinent ad ſuperficiem, ut color & claritas, aliquo modo ad aliquam figuram pertinent. Adde, quod non ſit eadem ſignificatio hujus vocis *Transfiguratio* in Sacris Scripturis ac in Scriptis profanis. Sic Satanas dicitur ſe transfigurare in Angelum lucis, ex eo ſolum, quod quædam bona in ſpeciem ſuggerat hominibus, ut eos decipiat. Sic 2. Cor. 11. Pſeudo-Apoſtoli dicuntur *ſe transfigurare in Apoſtolos Chriſti*, ratione ſimilis miniſterii externi.

Porro (*Ib. a. 3. 2.*) hæc claritas Corporis Chriſti transfigurati fuit claritas gloriæ; qualem habebunt corpora Beatorum poſt reſurrectionem, non quidem per modum qualitatis permanentis, ſed per modum paſſionis tranſeuntis. Et quamvis divinitati Chriſti & ejus animæ beatæ ſecundum ſe deberetur, quia tamen Chriſtus aſſumpſit, ſecundum præſentem diſpoſitionem, animam beatam in ordine ad Deum tantum & non in ordine ad corpus, ſed e contra aſſumpſit corpus paſſibile non aſſumptis dotibus gloriæ, ideo hæc ejus claritas cenſenda eſt miraculoſa, ſicut agilitas, dum ambulavit ſuper aquas; & ſubtilitas, dum exivit ex utero clauſo B. Virginis.

Dico 2. (*Ib. a. 1. 2.*) Convenienter Chriſtus fuit transfiguratus. 1. Ut oſtenderet finem, ad quem perventurus erat per crucem. 2. Ut de cordibus Apoſtolorum crucis ſcandalum tolleret: 3. Ut illos cæteroſque fideles ipſa gloria, cujus tenuis radius fulgebat, ad adverſa quæque toleranda excitaret.

Dico 3. (*Ib. a. 3. 2.*) Convenienter inducti ſunt teſtes Transfigurationis, cum ex hominibus, qui præceſſerunt Chriſtum, tum ex his, qui eum ſecuti ſunt. Quia transfigurari voluit, ut gloriam ſuam hominibus oſtenderet, & ad eam deſiderandam eos provocaret, ut modo dictum eſt. Atqui ad gloriam æternæ beatitudinis adducuntur homines per Chriſtum, non ſolum, qui poſt eum fuerunt, ſed etiam, qui eum præceſſerunt; ergo conveniens erat, ut de præcedentibus ipſum teſtes adeſſent, & de ſequentibus.

Dico 4. (*Ib. a. 3. & 4.*) Ex præcedentibus convenienter inducti ſunt teſtes Moyſes & Elias: ex ſequentibus Petrus, Joannes, & Jacobus. Prob. 1. pars. 1. Quia cum turbæ dicerent Chriſtum eſſe Eliam aut Jeremiam aut unum ex Prophetis, capita Prophetarum ſecum ducit, ut ſaltem hic appareat differentia ſervorum & Domini. 2. Quia Moyſes legem dedit, Elias pro gloria Domini æmulator fuit. Unde ex hoc, quod ſimul cum Chriſto apparent, excluditur calumnia Judæorum accuſantium Chriſtum tamquam transgreſſorem Legis & blaſphemum, Dei ſibi gloriam uſurpantem. 3. Ut oſtenderet ſe poteſtatem vitæ & mortis habere, & eſſe Judicem vivorum & mortuorum, per hoc, quod Moyſem jam mortuum & Eliam adhuc viventem ſecum ducit. 4. Quia ſicut Lucas dicit, loquebantur cum eo de exceſſu, quem completurus erat in Jeruſalem, id eſt, de Paſſione & morte ſua: & ideo ut ſuper hoc animos Diſcipulorum confirmaret, inducit eos in medium, qui ſe pro Deo morti expoſuerunt: nam Moyſes cum periculo mortis ſe obtulit Pharaoni, Elias vero Regi Achab. 5. Quia volebat, ut Diſcipuli æmularentur Moyſis manſuetudinem & zelum Eliæ.

Prob. 2. pars. (*Ib. ad 4.*) Petrus, Joannes, & Jacobus erant potiores inter Apoſtolos: Petrus quidem in dilectione, quam habuit ad Chriſtum & in poteſtate ſibi conceſſa. Joannes in privilegio amoris, quo a Chriſto diligebatur propter ſuam virginitatem & propter prærogativam Evangelicæ Doctrinæ. Jacobus propter prærogativam Martyrii inter Apoſtolos. Adde conveniens fuiſſe hos habere teſtes ſuæ gloriæ, quos habiturus erat teſtes ſuæ infirmitatis & agoniæ in horto.

Attamen (*Ib.*) illis prohibuit aliis nuntiare, quod viderant ante ſuam reſurrectionem; ne vel audientibus incredibile appareret pro rei magnitudine, vel a populo impediretur Paſſio Chriſti.

Dico 5. Communis opinio eſt Chriſtum fuiſſe transfiguratum in monte Tabor, qui eſt mons excelſus in Galilæa. Ita ſentiunt Hieron. Ep. 27. ad Euſtoch. de Epitaphio Paulæ, Cyrill. Hieroſol. Catecheſi 12. Damaſc. ſerm. de Transfig. Beda de locis ſanctis c. 17. Patres Concilii Flor. Seſſ. 1. & alii.

DISSERTATIO IX.

DE PASSIONE CHRISTI.

D. Thom. Quæſt. 46.

ARTICULUS I.

De neceſſitate, convenientia, & acerbitate Paſſionis Chriſti.

DIco 1. (*Q. 46. a. 1. & 2. 2.*) Non fuit ſimpliciter & abſolute neceſſarium Chriſtum pati: poterat enim Deus, apud quem non eſt impoſſibile omne verbum, alio modo ſalvare hominem. Erat tamen neceſſarium ſecundum quid, ſcilicet ex ſuppoſitione finis & ordinationis divinæ: quia Deus ordinaverat, ut Chriſtus pateretur, & ut ſine ejus paſſione non ſalvaretur genus humanum.

Dico 2. (*Ib. a. 3. 2.*) Convenientiſſimum fuit Chriſtum pati ad liberationem generis humani. Prob. (*Ib.*) Tanto aliquis modus eſt convenientior ad aſſequendum finem, quanto per ipſum plura concurrunt, quæ expediunt fini. Atqui ex hoc, quod Chriſtus paſſus eſt propter liberationem hominis, plura concurrunt ad ejus ſalutem præter liberationem a peccato. Ergo. Prob. Min. 1. Per hoc homo cognoſcit, quantum Deus ipſum diligat, & inde provocatur ad eum diligendum, in quo perfectio ſalutis humanæ conſiſtit. 2. Quia per hoc dedit nobis exemplum obedientiæ, humilitatis, conſtantiæ, juſtitiæ, & cæterarum virtutum, quæ in ejus paſſione elucent, & quæ ſunt neceſſariæ ad humanam ſalutem. 3. Quia inde major eſt inducta homini neceſſitas ſe a peccato immunem ſervandi, cum ſe tanto pretio, ſcilicet Chriſti ſanguine, redemptum cogitat, ſecundum illud 1. Cor. 6. *Empti eſtis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore veſtro.* 4. Quia hoc ad majorem hominis dignitatem ceſſit, ut ſicut homo mortem meruit, ita homo moriendo mortem ſuperaret.

Dico 3. (*Ib. a. 4. 2*) Convenientiſſimum fuit Chriſtum pati in cruce. Primo (*Ib.*) ad exemplum virtutis; ſunt enim homines, qui quamvis mortem ipſam non timeant, genus tamen mortis horreſcunt: ut ergo nullum genus mortis homini recte viventi metuendum eſſet, Chriſtus, cui de blaſphemia accuſato, ſecundum legem Judæorum, non crucifixio, ſed lapidatio debebatur, in cruce mori voluit, quo ſupplicio inter omnia genera mortis, quæ in hac vita inferuntur ex lege vel uſu, nullum eſt execrabilius & formidabilius, ſive ignominiam, ſive dolorem ſpectes. Quantum ad ignominiam patet: quia apud Romanos nonniſi latrones, apud Judæos vero ex recenti ſecundum Philonem l. de ſpecial. leg. nonniſi homicidæ ſupplicio crucis plectebantur. Quantum ad dolorem etiam patet; tum quia cruciarii configuntur in locis nervoſis, ubi maxime viget ſenſus tactus, & ipſum pondus corporis pendens continuo dolorem auget; tum propter diuturnitatem cruciatus, cum non ſtatim moriantur. Unde Cicero orat. in Verrem, *Facinus*, inquit, *vincire civem Romanum, ſcelus verberare, prope parricidium necare. Quid dicam in crucem tollere? Verbo ſatis digne tam nefaria exprimi nullatenus poteſt.*

2. (*Ib.*) Conveniens erat, ut peccatum commiſſum eſu ligni vetiti repararetur in ligno: unde illud Eccleſiæ: *Ut qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur.* Item *Et medelam ferret, hoſtis unde læſerat.* 3. (*Ibid.*) Quia id genus mortis indicat univerſalem ſalvationem generis humani, quatenus crux in quatuor extremitates porrecta ſignificat virtutem & providentiam illius, qui in ea pependit, ubique diffuſam. 4. Quia hoc genus mortis (*Ibid.*) multis figuris reſpondet. 1. Humanum ge-

nus e diluvio arca lignea liberavit. 2. Moyſes virga lignea mare diviſit, Pharaonem proſtravit, populum Dei ſalvavit, & ſalutarem undam de petra eilcuit. 3. Idem Moyſes ligno in aquam miſſo aquam amaram in dulcem commutavit. 4. Lex Dei arcæ ligneæ creditur, ut his omnibus ad lignum crucis per quoſdam gradus veniatur.

Dico 4. (*Ib. a. 5. o.*) Certum eſt Chriſtum non ſuſtinuiſſe omnes paſſionum ſpecies, quæ ab hominibus inferri poſſunt: non enim fuit igne combuſtus, nec gladio percuſſus, nec excoriatus, &c. Suſtinuit tamen omnes paſſiones quantum ad genus, hoc ſcilicet ſenſu, quod paſſus ſit ab omni hominum genere, in omni bono humano, in omnibus membris, & in omnibus ſenſibus corporis.

Paſſus eſt (*Ib.*) ab omni genere hominum, ſcilicet a Gentilibus & Judæis, a maſculis & fœminis, ut patet de ancillis accuſantibus & notia, ut patet de Juda proditore & Petro eum negante. Paſſus eſt in omni bono humano, in ſuis amicis eum deſerentibus, in fama per blaſphemias contra eum prolatas, in honore & gloria per irriſiones & contumelias ei illatas, in rebus ſuis per hoc quod veſtibus ſit ſpoliatus, in anima per triſtitiam, tædium, & timorem, in corpore per vulnera & flagella. Paſſus eſt in omnibus membris, in capite pungentium ſpinarum coronam, in manibus & pedibus fixionem clavorum, in facie alapas & ſputa, in toto corpore flagella. Paſſus eſt denique ſecundum omnem ſenſum, ſecundum tactum flagellatus & clavis confixus, ſecundum guſtum felle & aceto potatus, ſecundum olfactum in loco fœtido cadaverum appenſus patibulo, ſecundum auditum laceſſitus vocibus blaſphemantium & irridentium, ſecundum viſum videns Matrem & Diſcipulum, quem diligebat, flentes.

Dico 5. (*Ib.*) Si conſiderentur ſimul omnes cauſæ doloris Chriſti, ejus dolor fuit intenſive major omnibus doloribus præſentis vitæ. 1. (*Ib. a. 6. o.*) Dolor vel eſt ſenſibilis cauſatus ex aliquo nocivo, vel eſt interior cauſatus ex apprehenſione alicujus nocumenti, & dicitur triſtitia. Cauſa autem doloris ſenſibilis in Chriſto fuit corporis læſio acerbiſſima, tum propter generalitatem paſſionis, cum propter genus mortis, ut dictum eſt duabus præcedentibus concluſionibus. Doloris interioris cauſa fuit, 1. omnia peccata generis humani, pro quibus ſatiſfaciebat patiendo, ſingulariter peccata Judæorum & aliorum in ejus morte delinquentium. 2. Etiam amiſſio vitæ corporalis, quæ naturaliter eſt horribilis naturæ humanæ.

2. (*Ib.*) Poteſt conſiderari magnitudo doloris Chriſti ex perceptibilitate patientis ſecundum animam & ſecundum corpus. Nam ſecundum corpus Chriſtus erat optime complexionatus, cum ejus corpus fuerit miraculoſe formatum virtute Spiritus S. & ideo in eo maxime viguit ſenſus tactus, ex cujus perceptione ſequitur dolor: anima etiam ſecundum vires interiores efficaciſſime apprehendit omnes cauſas triſtitiæ. 3. (*Ib.*) Magnitudo doloris Chriſti poteſt conſiderari ex doloris & triſtitiæ puritate, atque privatione omnis lenitivi. Nam in aliis patientibus mitigatur dolor exterior & triſtitia interior ex aliqua conſideratione rationis per quamdam derivationem ſeu redundantiam e ſuperioribus ad inferiores: quod in Chriſto non fuit, quatenus mentem & imaginationem non avertit a conſideratione illorum, quæ triſtitiam cauſare poſſunt, ſed ea omnia attente conſideravit, & ſimul dimiſit unicuique tormentorum agere, & unicuique virium agere & pati, quod illis proprium eſt; ita ut unus actus impediret alium, nec gaudium unius partis redundaret in aliam; idque maxime, quia paſſionem illam & dolorem voluntarie aſſumpſit propter liberationem generis humani a peccato, & ideo tantam doloris quantitatem aſſumpſit, quæ eſſet proportionata magnitudini fructus, qui inde ſequebatur.

Ex his igitur omnibus cauſis ſimul conſideratis manifeſte apparet, quod dolor Chriſti fuerit intenſive maximus dolorum præſentis vitæ.

Dicitur, *ex omnibus cauſis ſimul conſideratis*; quia ſi una tantum cauſa conſideretur, poſſet in aliquibus eſſe major dolor. Dicitur, *præſentis vitæ*, quia hic non agitur de pœnis Inferni & Purgatorii; licet Sectarii dixerint blaſphemando, Chriſtum illas ſuſtinuiſſe in hac vita.

ARTICULUS LI

Variæ Paſſionis Chriſti circumſtantiæ breviter expenduntur. De Judæ proditione.

PETES 1. Quantum fuit proditionis pretium Judæ a Judæis conſtitutum? R. juxta Scripturam Matt. 26. conſtitutos fuiſſe 30. argenteos. Sed difficultas, quid intelligatur per 30. argenteos.

Per 30. argenteos vulgo intelligunt 30. denarii: unde communiter dicitur Chriſtum venditum fuiſſe 30. denariis: & ſic intelligit Ambroſ. l. de Spiritu S. c. 18. denarius autem apud Hebræos æquivalebat 10. circiter aſſibus monetæ gallicæ, & ſic Chriſtus venditus fuiſſe 15. circiter libris gallicis.

Verum interpretes communius & probabilius per *argenteum* intelligunt ſiclum, ſi non ſpecie monetæ, ſaltem valore; ſicque videtur intelligendum ex collatione Scripturarum. Etenim 3. Reg. 10. ubi narratur emptio a Salomone facta quadrigarum & equorum, dicitur quadrigam quamlibet emptam eſſe 600, *ſiclis*, equum quemlibet 150. *ſiclis*; lib. autem 2. Paralip. c. 1. ubi eadem hiſtoria refertur, quadriga quælibet dicitur empta 600. *argenteis*, & equus quilibet *argenteis* 150. ubi argenteus & ſiclus pro eodem habentur: ſicque paſſim uſurpat Hieron. in verſione Scripturæ. Siclus autem argenti, alio nomine Stater, juxta communem æſtimationem eruditorum, qui hac de re ſcripſerunt, valebat duas drachmas Hebraicas, 4. Atticas, ſeu 4. denarios, ſeu 4. ſolidos, uno verbo 40. circiter aſſes. Unde Chriſtus venditus fuit 60. circiter libris gallicis.

Oppones 1. Illud Amos c. 2. *Super tribus ſceleribus Iſrael, & ſuper quatuor non convertam eum, pro eo, quod vendiderit pro argento juſtum, & pauperem pro calceamentis*: hoc eſt tam vili pretio, ut vix ſufficiat emendis calceamentis. Hoc autem dictum de venditione Chriſti intelligitur. Ergo non 30. ſiclis, ſed 30. denariis venditus fuit. R. Quod ſi iſte locus litteraliter intelligatur, neque etiam 30. denariis venditus fuit, ſuperant enim pretium calceamentorum. Eſt itaque figurata locutio ad magis exprimendam vilitatem pretii reſpective ad dignitatem rei venditæ: ſicut apud eumdem Amos c. 6. dicitur: *Poſſideamus pauperes pro calceamentis*: id eſt, habeamus pauperes pro re vili.

Oppones 2. Romæ in Eccleſia S. Crucis & alibi oſtenduntur nummi ex iis, quibus venditus eſt Chriſtus. Atqui non ſuperant valorem 20. aſſium. Ergo. R. In primis non conſtare, eſſe veros nummos, quibus venditus eſt Chriſtus. Et dato id conſtare, nihil inde evinci poteſt contra nos: ante omnia enim probandum foret, integram ſummam 30. argenteorum fuiſſe Judæ ſolutam eadem ſpecie monetæ, & non pluribus minutioris monetæ integram ſummam conflatam fuiſſe: id autem certe quis ſcit?

Petes 2. Quo genere mortis obierit Judas? R. Juxta Matth. 27. *Laqueo ſe ſuſpendit*. Et Act. 1. *Suſpenſus crepuit medius & diſperſa ſunt omnia viſcera ejus*. Verum Græci referunt ex Papia Joannis Evangeliſtæ Diſcipulo Judam ſuſpendio vitam non finiviſſe, ſed dejectum ex arbore ſuperviĳiſſe, tum poſtea corpore adeo inflatum, ut progredi non poſſet, & ex curru pertranſeunte compreſſum fuiſſe, ut ita effunderentur ejus viſcera, & ſic explicant locum Act. Verum non conſtat ullatenus hæc eſſe ex Papia. Et aliunde ſenſus obvius Scripturæ eſt, quod in vel ex ſuſpendio crepuerit medius, *ſuſpenſus crepuit medius*, ſive ex violentia ſtrangulationis, ſive ex permiſſione Divina, ſive ex eo, quod ceciderit ſuper ventrem, qui ideo crepuit.

Petes 3. Ex qua Patria ortus ſit Judas? R. Ortum eſſe ex urbe *Cariot*, & ideo dictus eſt *Iſcariotes*, quaſi vir *Cariot*, ſeu vir natus *Carioti*; *Iſch* enim Hebraice idem ſonat ac *vir*. Cum autem fuerit duplex civitas *Cariot*, una in Tribu Juda, Joſ. 15. altera in Tribu Ephraim, Amos 2. & Jerem. 48. incertum eſt ex qua ſit oriundus Proditor. Hieron. exiſtimat ortum eſſe ex *Cariot* Ephraim, qua ratione non explicat: ipſi tamen ſubſcribunt plures Interpretes.

De Flagellatione.

JOANNIS 19. legimus: *Apprehendit Pilatus Jeſum & flagellavit*. Matt. 27. *Jeſum flagellatum tradidit eis*. Marci 16. *Tradidit Jeſum flagellis cæſum*. Monet autem Lucas c. 23. hanc pœnam Chriſto a Pilato fuiſſe inflictam, non ut delicto debitam, ſed ut hoc ſupplicio deliniret furorem Judæorum, & ſic Chriſtum a morte eriperet.

Petes 1. An virgis, an funiculis nodoſis, an loris Chriſtus fuerit flagellatus? R. Id non adeo liquere: flagellum enim eſt terminus communis ſignificans, ſive virgas, ſive funiculos, ſive lora. Id unum notandum eſt, quod jure Romano ff. de pœnis L. *Significans*, L. *Porcia*, & L. *Sempronia* flagellatio per virgas eſſet pœna liberorum, flagellatio autem per funiculos ſeu lora eſſet pœna ſervorum. Veriſimile eſt autem Pilatum virum Romanum ad vile ſervorum ſupplicium Chriſtum addixiſſe.

Petes 2. Quantus fuerit numerus plagarum Chriſto inflictarum? R. Id pariter incertum eſſe. Quidam dixerunt exceſſiſſe 5000. ſed qua ſpecie veri non apparet. Nam 1. Pilatus more Romano indubie proceſſit in ſuo judicio: more autem Romano taxabatur a judice numerus plagarum, & unus tantum lictor flagellationis miniſterium obibat, juxta illud ſolemne apud Romanos: *I, lictor, colliga manus, caput obnubito, virgis cædito*. Non potuit autem unus lictor tam brevi ſpatio tot plagas infligere; non enim Pilatus Principes Sacerdotum, & plebem clamoribus

Chriſti necem depoſcentes diu remoratus eſt. Corpus humanum non poteſt naturaliter tot millibus plagarum ſupervivere, & cum juxta hujus ſententiæ patronos hæ plagæ eſſent omnes ſanguineæ, totius corporis ſanguis his non ſuffeciſſet.

Quantum vero numerum plagarum determinaverit Pilatus, ignoratur. Equidem ſecundum legem Judæorum non poterat excedere 40. ſed Romano jure nihil erat determinatum. Cæterum cum milites injuſſi, & ex propria malitia poſt flagellationem impoſuerint Chriſto coronam ſpineam, & ipſum ludibrio habuerint, non negaverim, quin contra Legis & Judicis determinationem plures ad flagellationem concurrerint, & numerum plagarum determinatum aliquo uſque auxerint.

Petes 3. An Chriſtus ſemel tantum fuerit flagellatus? R. quoſdam comminiſci Chriſtum duas flagellationes ſuſtinuiſſe; quia ex formula Judicii Romani omnes cruciarii ante crucifixionem flagellabantur. At præceſſerat in Chriſto flagellatio paulo ante, unde ulteriorem non juſſit Pilatus, quod inde patet, quia cum in procinctu crucifixionis fieri deberet, nihil de ea referunt Evangeliſtæ, qui tamen nullam crucifixionis circumſtantiam omittunt.

Petes 4. Quomodo Chriſtus fuit flagellatus? R. Quamvis ſecundum legem Deut. 25. v. 3. Judæi proſtratos humi flagellabant; attamen Chriſtus ligatus ad columnam fuit flagellatus. Ita referunt Greg. Nazianz. Conc. 1. in Julian. Hieron. Ep. 27. S. Paulinus Ep. 24. Beda de locis ſanctis c. 13. Greg. Turon. de gloria Martyrum c. 2. eaque columna viſitur Romæ in Templo S. Praxedis.

De corona Spinea.

UNicum eſt dubium, ex qua materie fuerit contexta? Communior ſententia eſt contextam fuiſſe, non ex juncis marinis; ſed ex ſpinis rubi vel ſentis: 1. Quia *Spina proprie loquendo*, inquit Calepinus, *eſt aculeus ſentis vel rubi, quo pungimur*. 2. Quia juncus marinus nullam ſive in ſuſte ſive in ramis ſpinam habet, ſed ſolum ejus acumina in formam ſpinarum deſinunt. 3. Quia non eſt veriſimile milites agentes Jeroſolymis, quæ urbs longe diſtat a littore maris, habuiſſe ad manum juncos marinos, bene autem ſpinas ex rubis vel ſentibus circa urbem creſcentibus.

Verum his rationibus bene ſundantibus opponitur corona ſpinea Salvatoris, quam S. Ludovicus magno pretio ex Barbarorum manibus redemit, & quæ nunc magna veneratione Pariſiis colitur. Hanc enim aſſerunt ex juncis marinis eſſe compactam, nec ſolum frontem cingere ad inſtar diadematis, ſed totum caput ad inſtar pilei regere. Hæc, inquit Serrius, omnes Pariſini teſtabuntur. Quæ ſi vera ſint, corruunt rationes congruentes, & quæ alibi oſtenduntur ſpinæ coronæ Dominicæ, habendæ erunt, ut ſuppoſititiæ: quod omnibus ſuadere haud facile puto.

De Sententia mortis in Chriſtum lata.

QUidam opinati ſunt, Pilatum non tuliſſe Sententiam mortis in Chriſtum, ſed tantum eum dimiſiſſe arbitrio Judæorum. At obſtat, quod Pilato dicente Judæis; *Accipite eum vos, & ſecundum legem veſtram judicate eum*, illi recuſarunt dicentes, *nobis non licet occidere quemquam*. Sive hoc dicerent ratione ſolemnitatis Paſchalis, ſive quia agnoſcebant ademptam ſibi a Romanis hanc poteſtatem, quam tamen poſtea uſurparunt in occiſione S. Stephani. Niſi dicas cum quibuſdam, id ipſis permitti a Romanis circa crimina ſua tantum lege prohibita. Unde Pilatus ſedens pro Tribunali, *Adjudicavit fieri petitionem illorum*: hoc eſt, Jeſum crucifigendum pronuntiavit, prout illi petebant.

Si quæras: cur Judæi Jeſum de blaſphemia accuſatum crucifigendum poſtulaverint, cum ſecundum eorum legem Levit. 24. blaſphemi non crucifigendi, ſed lapidandi erant. R. Crucifigendum poſtulaſſe, quia cum eſſent Romanis ſubjecti, & a Judice Romano ſententiam requirerent, formulas judicii Romani ſequi debebant. Apud Romanos autem frequens erat crucis ſupplicium, nuſquam lapidatio. Aliunde non de ſola blaſphemia accuſabatur, ſed etiam de crimine læſæ Majeſtatis, quod ſe faceret Regem, & prohiberet dare tributum Cæſari.

De Crucis bajulatione & Veronica.

PRolata e Pilato in Jeſum mortis ſententia, exuitur chlamyde deriſoria, & propriis induitur veſtibus. Crux, cui affigendus erat, ſuper humeros ejus imponitur; id enim erat ex formula judicii Romani, ut crucifigendus crucem ſuam portaret ſaltem uſque ad egreſſum Urbis; quo cum perveneriſ Chriſtus, milites *Simonem quemdam hominem Cyrenæum angariaverunt, ut tolleret crucem ejus*, Matth. 27. Quia vero Lucas 23. dicit milites impoſuiſſe Simoni crucem portare poſt Jeſum, multi opinantur ambos ſimul portaſſe, Chriſto præeunte & partem ſuperiorem portante, Simone ſequente & partem inferiorem bajulante, ſicque ſolent repræſentare pictores.

Verum reclamant SS. Patres; qui communiter docent, Chriſtum onere liberum præiviſſe, & Simonem ſolum eo onuſtum ſequutum fuiſſe.

Chriſtum ad locum ſupplicii pergentem comitatæ ſunt piæ mulieres plangentes & lamentantes. Fertur autem unam ex eis nomine *Veronicam* ſudarium Chriſto obtuliſſe, ut faciem ſudore & ſanguine madentem abſtergeret, atque illud e Chriſto ſtatim recepiſſe ejus facie impreſſa inſignitum.

Duplex hic occurrit quæſtio. 1. de ipſo facto, an ſit verum? 2. de ipſa perſona, an vocetur *Veronica*? Circa 1. tam in Evangelio, quam in Ss. Patribus & Scriptoribus Eccleſiaſticis uſque ad ſæculum XI. altum eſt de eo ſilentium. Quod enim Marianus Scotus Auctor XI. ſæculi laudet in hanc rem Methodium, ignoratur, quis ſit iſte Methodius, & quando vixerit: non enim eſt magnus ille Methodius Tyriorum Epiſcopus, cum nihil ſimile legatur in ejus ſcriptis, & fabulæ, quas ex ſuo Methodio narrat Marianus, tanto viro tribui nequeunt. Ab XI. ſæculo plures Scriptores Eccleſiaſtici; Marianus Scotus, Lucius Dexter, Petrus Diaconus, Baronius, & alii, imo ſummi Pontifices Nicolaus IV. Clemens VI., VII. VIII., & Greg. XIII. ſuis Diplomatibus teſtantur, hanc ſacram imaginem ſervari & coli Romæ in Baſilica Vaticana. Quapropter factum neque negare neque aſſerere auſim.

Quantum ad perſonam, quæ dicitur *S. Veronica*, neque antiqui neque recentiores, quos modo citavimus, illam agnoſcunt. Equidem hi ipſam imaginem ſudario impreſſam vocant *Veronicam*, ſed non mulierem imaginem geſtantem. Inde igitur videtur natus error, quod *Veronica* græce idem eſt ac *vera icon*, ſeu *vera imago*; & cum vulgus audiret nomen *Veronicæ*; exiſtimavit eſſe nomen non imaginis ſudario impreſſæ, ſed mulieris illam geſtantis, atque hinc dixerunt *Sanctam Veronicam*.

De crucis magnitudine & forma.

CRucis longitudinem ad 15. pedes, latitudinem ad 8. aſcendiſſe, multorum eſt opinio, ſed infundata. Obſtat enim 1. quod Chriſtus multo ſanguine in flagellatione & coronatione eadem nocte fuſo debilitatus, non potuiſſet ſolus illam ferre uſque ad exitum urbis. 2. Quia titulus crucis tribus linguis ſcriptus in tabella non admodum ampla, qualis nunc videtur Romæ & characteribus haud magnis, vix aut ne vix in tanta altitudine legi potuiſſet a prætereuntibus. Dicendum ergo videtur crucem fuiſſe humilem octo, aut ad ſummum decem pedum, prout mos erat pro hominibus vulgaribus, qualem Judæi & Romani reputabant noſtrum Chriſtum, utpote fabrum & fabri filium: viris enim eminentioris ſtatus cruces eminentiores parabantur.

Major eſt difficultas de forma crucis. Baronius ad an. 34. ſcribit ex Irenæo l. 2. c. 42. Tertull. Apolog. c. 6. Ambr. ſerm. 55. Aug. Tract. 118. in Joan. & ex ſenſu univerſæ Eccleſiæ, ut conſtat ex antiquis imaginibus, crucis Chriſti hanc fuiſſe formam, ut ſumma pars pali ſuper tranſverſum lignum emineret ad hunc modum ✚: putatque de his ambigere, inſaniæ potius, quam inſcitiæ adſcribendum eſſe.

Verumtamen crucem Chriſti habuiſſe tantum tres extremitates & referre figuram litteræ T, cui poſtmodum adjectus titulus in tabella quartam extremitatem oſtenderit, contendit Serrius exercitat. 53. etiam ex Tertull. l. 3. cont. Marcion. dicente: *ipſa littera Græcorum Tau, noſtra autem T ſpecies crucis eſt*. Ex Hieron. in cap. 9. Ezech. ubi dicit: *Antiquis Hebræorum litteris, quibuſque hodie Samaritæ utuntur, extrema Tau crucis habet ſimilitudinem*. Idem S. Paulinus Ep. 2. ad Severum, Sozom. l. 7. c. 15. Rufin. l. 2. c. 29. ſed & maxime Innoc. III. Serm. habito in Conc. Lateran. ubi dicit: *Tau eſt ultima littera Hebraici Alphabeti exprimens formam crucis, qualis erat antequam Domino crucifixo Pilatus titulum ſuppoſuerat*. Rationem addit laudatus Serrius, ſcilicet ſi in eminenti deſuper pali parte titulus fuiſſet affixus, dum Helena Conſtantini Mater tres cruces ſcilicet Chriſti & latronum, disjectumque ſeorſim titulum invenit, eruitque, nullo hominis redivivi portento fuiſſet opus ad diſcernendum, a qua Dominus perpendiſſet, cum vel ipſa affixi olim tituli clavorum veſtigia atque foramina in ſumma ligni parte extantia prodidiſſent. Verum hæc ratio non cogit: potuit enim tabella tituli ſummitati crucis, non clavis, ſed uncis adjici, vel equidem clavis affigi, ſed in ſummitate alterius ſtipitis ſeu columnæ ſupereminentis e retro ſupremam extremitatem crucis, ut agnoſcit ipſe Serrius factum in figura crucis, quam propugnat. Quantum ad Patres laudatos pro prima ſententia, dicit idem Scriptor intelligendos eſſe de titulo recto

crucis

crucis palo ſuperaddito in modum columnæ ſeparatæ, quo fit quadrara forma, fiunt quatuor extrema, & quatuor dimenſiones crucis, ut loquuntur laudati Patres.

Verum juxta hanc explicationem equidem crux apparebit quadrata, quatuor extremorum, & quatuor dimenſionum, at revera non erit in ſe talis, ſicut tamen eſſe dicunt SS. Patres. Irenæus cit. *Ipſe habitus crucis*, inquit, *fines & ſummitates, id eſt extremitates, habet quinque, duos in longitudine, duos in latitudine, & unum in medio, ubi requieſcit, qui clavis configitur*. Aug. cit. *Lata eſt quippe in tranſverſo ligno .... longa eſt a tranſverſo ligno uſque ad terram ... alta eſt in cacumine, quod tranſverſum lignum ſurſum verſus excedit*. Habet itaque utraque ſententia ſuos Patronos ex SS. Patribus: primæ autem favet ſenſus communis Fidelium fatente ipſo Serrio.

Inſuper habemus ex verbis Irenæi cit. in medio crucis lignum breve ſeu ſedile fuiſſe fixum cui inſederit crucifixus. Idem teſtatur S. Juſtinus in Dial. cum Tryph. *In medio crucis*, inquit, *defixum eſt lignum, quod etiam ut cornu eminet, in quo vehuntur & inſident qui crucis ſupplicium ſubeunt*. Idem Tertull. l. 2. contra Marcion.

Majori certitudine conſtat ſuppedaneum ſcabellum in infima parte crucis fuiſſe aptatum, cui crucifixi pedes ſuppoſiti affigerentur. Ita S. Greg. Turon. l. de gloria Martyr. c. 6. *In ſtipe recto*, inquit, *foramen factum manifeſtum eſt, per quoque parvulæ tabulæ in hoc foramen inſertus: ſuper hanc vero tabulam tamquam ſtantis hominis ſacræ affixæ ſunt plantæ*. Et Innoc. III. ſerm. de Martyre uno: *Fuerunt autem*, inquit, *in cruce dominica ligna quatuor, ſtipes erectus & lignum tranſverſum, truncus ſuppoſitus, & titulus ſuperpoſitus*. Atque ita exibent antiquæ crucifixi imagines.

De Crucifixione.

SOLET depingi Chriſtus cruci humi proſtratæ & jacenti affixus, tum magno conatu cum cruce elevatus. Attamen probabile eſt cruci jam erectæ & terræ cuneis infixæ fuiſſe affixum. Sic enim ferebat uſus Gentilium, apud quos erant familiares hæ loquendi formulæ: *Tollere in crucem, agere in crucem, aſcendere in cruce*. Unde Rex Darius Eſd. l. 1. c. 6. ſtatuit, ut *omnis, qui hanc mutaverit juſſionem, tollatur lignum de domo ipſius, & erigatur, & configatur in eo*. Et S. Athan. ſerm. de Paſſ. dicit de Chriſto: *Venit ad locum, ubi erat illi aſcendenda crux*.

Certum autem videtur non tribus tantum, ſed quatuor clavis Chriſtum fuiſſe crucis affixum: 1. Quia ſic ferebat uſus Romanorum, ut diſcimus ex Plauto in Moſtellaria, dicente: *Affigantur bis pedes, bis brachia*. 2. Id teſtantur SS. Patres Greg. Turon. l. de gloria Martyr. c. 6. *Clavi Dominici*, inquit, *quod quatuor fuerint, hæc eſt ratio, duo ſunt affixi in palmis & duo in plantis*. Aug. l. Medit. c. 6. *Immaculata Chriſti veſtigia binis confixa clavis*. 3. S. Brigitta l. 7. c. 7. refert id ſibi revelatum: & VVadingus in Annalibus Minorum ad an. 1224. teſtatur S. Franciſci ſtigmata quatuor clavos repræſentare. 4. Huic ſententiæ ſuffragantur Theodoretus, Ruffinus, & Caſſiodorus, qui inventionem S. Crucis ab Helena Conſtantini Matre referentes, dicunt clavos alios fræno equino, alios galeæ Conſtantini fuiſſe inſertos; ſupponunt ergo fuiſſe quatuor. Denique hanc ſententiam tenent Scaliger, Caſaubonus, & plures alii.

Chriſtum omnino nudum e cruce pependiſſe, ac ne velatis quidem partibus, quas naturalis pudor in nobis obtegi jubet, non pauci ſentiunt ob teſtimonia SS. Patrum, qui paſſim ſcribunt Chriſtum fuiſſe in cruce nudum ſicut naſcimur, ſicut cœlum petemus, ſicut Protoparentes fuerunt in Paradiſo: inter quos S. Ambroſ. l. 10. in Lucam dicit Chriſtum nudum aſcendiſſe in crucem talem, *quales nos auctore Deo natura formavit, & qualis Adam in Paradiſo habitavit*.

His non obſtantibus in hanc ſententiam ægre deſcendo; ſi enim juxta illius Patronos pictores ſint laudandi, qui Chriſtum renes velo cinctum nobis exhibent, quia, ut inquiunt, in hoc pudori conſulunt, quomodo Chriſtus ipſe puritatis auctor & amator pudori non conſuluiſſet, ſed ſuum corpus omnino nudum oculis tot ſpectantium etiam mulierum exhibuiſſet, præſertim cum corpus naturale nudum longe magis offendat pudorem, quam ejus imago? Malim ergo interpretari SS. Patres de nuditate paulo latius accepta, qua quiſque dicitur nudus, qui omnibus veſtimentis exuitur, licet genitalibus coopertis aliquo tenui velamine, quod inter veſtimenta non computatur. Atque ita ſibi revelatum fuiſſe ſcribit S. Brigitta l. 1. c. 10. & l. 7. c. 70.

De Latronibus cum Chriſto crucifixis.

SICUT Chriſtus (*Q. 46. a. 11. o.*) pro nobis maledictum crucis factus eſt, ſic pro omnium ſalute inter noxios quaſi noxius crucifigitur, juxta illud Iſa. 53. *Et cum ſceleratis reputatus eſt*. Voluit inſuper, ut in ipſa ſpecie patibuli monſtraretur illa diſcretio omnium hominum, quæ fiet in judicio generali: unde communiter cenſent Patres, bonam Latronum fuiſſe a dextris & malum a ſiniſtris Chriſti. Et Aug. Tract. 31. in Joan. *Ipſa crux*, inquit, *ſi attendas, tribunal fuit: in medio enim Judice conſtituto, unus qui credidit liberatus alius qui inſultavit damnatus eſt: jam ſignificabat quid facturus ſit de vivis & mortuis, alios poſiturus ad dextram, alios vero ad ſiniſtram*.

Corrigendus eſt hic error popularis, quo multi credunt hos latrones non clavis fuiſſe cruci affixos, ſed funibus alligatos, & ita plerumque depinguntur: repugnat enim 1. vox *crucifixionis*. 2. Si ſolus Chriſtus fuiſſet clavis affixus, Helena Conſtantini Mater facile ejus crucem ex foraminibus clavorum a crucibus latronum diſtinxiſſet, neque opus fuiſſet miraculo hominis redivivi ex ejus contactu ad eam dignoſcendam.

Difficultas eſt, an unus tantum latro, an uterque Chriſtum blaſphemaverit? Matthæus c. 27. dicit: *Latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei*. Idem Marcus c. 15. Lucas vero c. 23. dicit. unum tantum blaſphemaſſe, altero increpante, & ſuſcipiente partes Chriſti. Hinc multi Patres dixerunt, utrumque ab initio blaſphemaſſe, unum poſtea ex divina inſpiratione reſipuiſſe. At id videtur minus probabile. 1. Quia ſi ipſe paulo antea blaſphemaſſet, quomodo potuiſſet exprobrare alteri, ut habetur apud Lucam? *Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es? Et nos quidem digna factis recipimus, hic vero nihil mali geſſit*. 2. Quia debuiſſet blaſphemiæ veniam petere a Chriſto, priuſquam peteret admitti in regnum ejus, quod tamen non legitur feciſſe.

Probabilius itaque cum aliis Patribus, quorum dux eſt Aug. l. 3. de conſenſu Evang. c. 16. dicimus Matthæum, & Marcum dixiſſe *Latrones* indefinite per ſyllepſim ponendo numerum pluralem pro ſingulari, ut adnotarent, non numerum, ſed conditionem blaſphemantis. Et hæc loquendi formula non eſt infrequens in ſacris Scripturis. Sic Matth. 2. *Mortui ſunt enim, qui quærebant animam pueri*, cum tamen de uno Herode loqueretur. Sic Exodi 32. *Hi ſunt Dii tui, Filii Iſrael*, cum tamen de ſolo vitulo aureo ſit ſermo.

Latronem pœnitentem nonniſi in cruce fuiſſe converſum, ſive ex viſis prodigioſis tenebris, ſive potius ex inſpiratione gratiæ, communis eſt SS. Patrum ſententia. Aug. l. 4. cont. Donat. cap. 22. & alibi refert narrationem ſuo tempore vulgatam, ſcilicet latronem pœnitentem aqua fluente e latere Chriſti tamquam ſalutari Baptiſmo fuiſſe perfuſum, cui tamen narrationi fidem integram non adhibet S. Doctor, & bene; veriſimiliter enim latro confractis cruribus erat mortuus, antequam Chriſti latus aperiretur, ex Joan. c. 19. Inſuper non indigebat Baptiſmo ad ſalutem, cum tunc nondum eſſet in præcepto: & aliunde Chriſtus virtutem ſuam Sacramentis non alligavit.

Dixit illi Chriſtus: *Hodie mecum eris in Paradiſo*, Luc. 23. non terreſtri, tali enim Paradiſo non indigeret anima ſeparata, non cœleſti ſeu Cœlo empyreo, nondum enim erat apertus, ſed generaliter in loco ſeu ſtatu felicitatis ex clara Dei viſione, quæ intuitu mortis Chriſti ſtatim atque expiravit conceſſa eſt Patribus in Limbo & latroni pœnitenti.

De loco & tempore Crucifixionis.

CONSTAT ex Evangelio Chriſtum crucifixum fuiſſe Jeruſalem, non quidem in ipſa Civitate, ſed extra portam in ſuburbio, hoc eſt in monte Calvariæ, Hebraice Golgotha. Et utrumque fuit conveniens. Primum, (*Ibid. a. 10. o.*) quia primo Jeruſalem erat locus a Deo electus ad ſacrificia ſibi offerenda, & hæc ſacrificia figurabant paſſionem Chriſti, quæ eſt verum ſacrificium. 2. Quia cum virtus Paſſionis ejus ad totum mundum diffundenda erat, pati voluit in medio terræ habitabilis tunc agnitæ, id eſt in Jeruſalem, quæ dicitur umbilicus terræ. 3. Quia maxime conveniebat ejus humilitati, ut ſicut turpiſſimum genus mortis elegit, ita in loco celeberrimo confuſionem pati non recuſaret. 4. Ut oſtenderet, a Principibus populi Judaici exortam eſſe iniquitatem occidentium ipſum.

Conveniens etiam fuit, ut extra portam pateretur: (*Ibid.*) 1. Ut veritas reſponderet figuræ: nam vitulus & hircus, qui ſolemniſſimo ſacrificio ad expiationem totius multitudinis offerebantur, extra caſtra comburebantur, Levit. 16. Unde Apoſt. Heb. 13. dicit. *Quorum animalium infertur ſanguis pro peccato in Sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra caſtra: propter quod & Jeſus, ut ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt*. 3. Ut per hoc daret nobis exemplum exeundi a mundana converſatione: unde ibidem ſubditur: *Exeamus igitur ad eum extra caſtra, improperium ejus portantes*. 4. Ut dicit Chryſoſtomus de paſſione

Noluit

Noluit Dominus pati ſub tecto, nec in Templo Judaico, ne putaretur, pro illa tantum plebe oblatum ſacrificium ſalutis. Et ideo foras Civitatem, foras muros, ut ſcias ſacrificium eſſe commune.

Occurrit hic quæſtio, unde huic monti, in quo Chriſtus paſſus eſt, *Calvariæ* nomen? S. Th. hic ad 3. docet ex Hieron. in cap. 27. Matth. ſic dictum, non a capite ſeu Calvaria Adæ, qui eſſet ibi ſepultus, ſed a capitibus ibi decollatorum. Erat enim locus ſupplicii communis apud Joroſolymitanos. Huic ſententiæ ſuſcribunt Iſidor. l. 15. Originum, c. 8. Ven. Beda in cap. 27. Matth. Attamen contrariam opinionem tenent S. Cyprian. Tract. de Reſurr. Chriſti, Orig. Tract. 35. in Matth. Epiphan. hæreſi 46. Aug. Serm. 71. de temp. Chryſoſt. hom. 84. in Joan. Athan. l. de Paſſione, Ambroſ. l. 5. Ep. 19. Tertull. l. 2. Concionum cont. Marcion. &c. voluntque Adam in hoc monte fuiſſe ſepultum, & ab ejus capite ſeu cranio fuiſſe dictum *Calvariæ*.

Quod autem 1. ſententia opponit, Adam fuiſſe ſepultum in *Hebron*, antea dictum *Cariath Arbe*, juxta illud Joſue 14. *Nomen Hebron antea vocabatur Cariath Arbe, Adam maximus ibi inter Enacim ſitus eſt*. Reſpondetur nomen *Adam* non ſemper ſignificare primum Parentem, ſed eſſe quandoque nomen commune ſignificans quemcumque hominem, vel potius hic eſſe nomen proprium alicujus Gigantis ex ſtirpe Enac patris Gigantum, ut ſonant ipſa verba: *Maximus inter Enacim*: idque ſuadet ipſum nomen Civitatis *Cariath-Arbe*, id eſt Civitas Arbe. Fuit enim Arbe Joſue 15. Pater Enac Patris Gigantum, & habitavit in Hebron. Unde Joſeph. l. 5. Antiquit. c. 2. teſtatur, temporibus ſuis monſtrari in Hebron oſſa Gigantum, qui fuerant ibi ſepulti, adeo magna, qualia vix credant, qui non viderunt.

Cæterum ad aliquam conciliationem utriuſque ſententiæ nihil vetat dicere, hunc montem fuiſſe dictum *Calvariæ*, tum a capite Adæ ibi ſepulti, tum a capitibus ibi decollatorum.

Quantum ad tempus crucifixionis: conſtat ex his, quæ dixi de tempore inſtitutionis Euchariſtiæ in Tract. de Euchar. Diſſ. 2. a 3. Chriſtum fuiſſe crucifixum luna 15. hoc eſt feria 6. & non luna 14. ſeu feria 5. volunt Græci. Qua autem hora? Marcus 15. dicit hora 3. Joannes 19. dicit hora quaſi 6. Et utrumque verum eſt. Dividebant enim Judæi diem in 4. horas: Prima incipiebat ab ortu ſolis uſque ad nonam: Secunda, quæ dicebatur tertia, a nona ad duodecimam: Tertia, quæ dicebatur ſexta, a duodecima ad tertiam: Quarta, quæ dicebatur nona, a tertia uſque ad occaſum ſolis ſeu ſextam. Chriſtus itaque crucifixus fuit ſub finem horæ tertiæ, id eſt paulo ante meridiem, ideoque hora tertia & quaſi ſexta.

De apertione Lateris.

JOANNES 19. narret, quod cum milites latronum crura fregiſſent, *ad Jeſum cum veniſſent, ut viderunt jam mortuum, non fregerunt ejus crura, ſed unus militum lancea ejus Latus aperuit, & continuo exivit Sanguis & aqua*. Hunc militem fuiſſe Longinum nomine, qui poſtea Martyr occubuit, tenet communis opinio, ſicque inſertum legitur in pluribus Martyrologiis Latinis & in Menologio Græcorum. *Cæſareæ in Cappadocia*, inquit Martyrologium Romanum, *Paſſio Longini militis, qui Latus Domini lancea perforaſſe dicitur*.

Hanc communem opinionem impugnat Baronius ad an. Chriſti 34. n. 131. tamquam ex apocryphis ſcriptis hauſtam: vultque Longini nomen tribuendum eſſe non militi Latus Chriſti aperienti, ſed centurioni Chriſtum e cruce pendentem Filium Dei viſis prodigiis confitenti. Baronio ſubſcribit Tillemontius, & ex parte Serrius; vultque iſte hunc errorem natum ex ſiniſtra intelligentia textus Græci, eo quod lanceæ nomen, Græce λόγχη aliquanto corruptum, *Longi* ſeu *Longini* militis nomen imperite creditum ſit, quaſi Evangeliſta dixiſſet; *Unus militum Longinus Chriſti Latus aperuit*.

Verum non video his ſatis efficaciter elevari auctoritatem Martyrologiorum, Romani ſcilicet, Uſuardi & Adonis, Menologii Græcorum, Surii, S. Bonaventuræ & aliorum, communiſque ſenſus Fidelium, apud quos miles, qui Chriſti Latus lancea aperuit, dicitur Longinus, qui poſtea Martyrium pro Chriſto ſubiit.

Cenſoræ Baronii ſubſcribimus quoad aliud, quod quidam ex apocryphis revera ſcriptis narrant, & ibidem refert Annalium Parens, ſcilicet hunc militem fuiſſe cæcum, & ex aqua & Sanguine a latere Chriſti in ejus oculos ſaliente, viſum miraculoſe recepiſſe: id plane fabuloſum agnoſcimus. Quis enim credat militem cæcum a Romanis adhibitum fuiſſe cuſtodem reorum, & ipſum certo ictu perforaſſe Latus Chriſti, ut probaret, an eſſet mortuus? Item hunc militem pictores effingunt plerumque equo inſidentem, forte quod putent peditem non potuiſſe attingere Latus Chriſti ex alta cruce pendentis. Sed perperam. Oſtendimus enim ſupra crucem Chriſti non altam ſed humilem & mediocrem fuiſſe, qualem ſcilicet viribus & ſanguine exhauſtus ferre potuit, cujus ideo latus pede oblonga lancea attingere potuit. Adde, apud Romanos pedites & non equites lanceis ſeu haſtis uſos fuiſſe, ut conſtat ex Tito Livio l. 4.

Reſtat inquirere, utrum fluxus aquæ ex latere Chriſti fuerit miraculoſus? Negant Medici, contendentes in pericardio imo & in pleura contineri aqueum humorem, qui ex alterutro læſo per lanceam naturaliter effluxit. Attamen miraculum agnoſcunt SS. Patres, Ambr. Aug. Cyrill. Alex. & alii; forte, quia non aqueus humor, ſed vera aqua effluxit, & non ſimul Sanguini mixta, ſed ſucceſſive poſt ſanguinem fluxit.

De Maria Matre Jeſu juxta crucem ſtante.

STabat juxta crucem Jeſu Mater ejus*, inquit Joannes 19. Stabat, inquam, non ejulans, non indecore ſe gerens, non exanimis humi jacens, aut inter adſtantium brachia collapſa, ſed licet lachrymoſa & doloroſa, erecto tamen animo & voluntati divinæ perfecte conformi, probe ſciens, hoc ſacrificio opus ſalutis humanæ conſummandum eſſe. Unde Ambroſ. l. de inſt. virg. c. 7. ait: *Stabat juxta crucem Mater, & fugientibus viris ſtabat intrepida*. Ita communiter Interpretes antiqui & recentiores; quamvis S. Bonaventura, & S. Laurentius Juſtin. contrarium ſcripſerint, ſed probabiliter deluſi apocrypho libello de lamentatione B. Virginis S. Bernardo ſuppoſito.

De Tortoribus Chriſti.

SERRIUS acriter contendit, miniſtros Paſſionis Chriſti tam in flagellatione, quam in crucifixione fuiſſe Bruttios, nunc Calabros; quia, inquit, cum primi a Romanis ad Hannibalem defeciſſent, hac pœna mulctati ſunt, ut reorum eſſent Tortores. Ex quo infert huic ferali miniſterio erga Chriſtum a Romano Judice damnatum inſerviſſe. Verum eſto, hanc pœnam olim in Bruttios fuiſſe latam, utrum tamen duraret adhuc tempore Paſſionis Chriſti non conſtat. Imo conſtat tempore Tertulliani non amplius fuiſſe in uſo. Tradit enim l. de corona militis, cujuſcumque nationis milites huic miniſterio inſervire, dum ſuadens homini Chriſtiano, ne militet; dicit: *Et vincula & carcerem, & tormenta & ſupplicia adminiſtrabit, nec ſuarum ultor injuriarum*.

De Prodigiis, Chriſto in cruce pendente, factis, & 1. de tenebris.

PRIMUM inter prodigia, quæ Chriſto e cruce pendente contigerunt, fuerunt tenebræ, quæ ab hora ſexta ad nonam, hoc eſt a meridie ad tertiam pomeridianam factæ ſunt ſuper univerſam terram, Matth. 27. Marci 15. Lucæ. 23. Circa quod duplex occurrit difficultas. 1. quomodo iſtæ tenebræ fuerunt inductæ, an per veram eclypſim, quæ fit per interpoſitionem lunæ ad ſolem, an per miraculoſam radiorum ſolis ſubtractionem ſeu extinctionem lucis, ſeu per oppoſitionem alicuius alterius corporis opaci? 2. an iſtæ tenebræ fuerunt diffuſæ per totum, qua late patet, orbem?

Quantum ad 1. difficultatem S. Dionyſius Areopagita Ep. ad Polycarpum tradit fuiſſe veram & proprie dictam, ſed præternaturalem eclypſim: ſic enim, loquens de Apollophane Philoſopho, dicit: *Eramus ambo & ſtabamus ad Heliopolim* (Civitas eſt Ægypti) *ac cernebamus, nec inopinato, cum luna ſe ſoli objiciebat: nec enim conjunctionis tempus erat: rurſuſque cum eadem ab hora ſexta ad veſperam ſe medio ſolis lineæ præter naturæ ordinem opponebat*. Idem habet Ep. ad eundem Apollophanem. Ejuſdem opinionis eſt Aug. Ep. 8. ad Heſychium.

Scio plures hodie non moveri auctoritate S. Dionyſii, quippe qui contendunt opera, quæ ſub ejus nomine circumferuntur, eſſe illi ſuppoſita, & ab aliquo Auctore V. ſæculi fuiſſe conſarcinata, quod non eſt hujus loci diſcutere. Unum dumtaxat obſervabo, Auctorem hunc V. ſæculi debuiſſe impudentem, mendacem, & effrontem impoſtorem eſſe, cum multa de ſe narret, quæ nonniſi vero Dionyſio Areopagitæ conveniunt, ut quod fuerit diſcipulus S. Pauli, quod ſolis eclypſim Chriſto patiente viderit, quod cum Apoſtolis adfuerit funeribus B. Virginis, quod ſcripſerit ad S. Joannem Evangeliſtam, ad Titum, ad Timoth. & ad Polycarpum, &c. Habere autem Auctorem iſtorum operum, ut impudentem, mendacem, & effrontem impoſtorem, obſtant ipſa opera, quæ nonniſi ſanam doctrinam, pietatem, & ſanctimoniam ſpirant. Plura alia videri poſſunt apud Baronium, Spondanum, Natalem Alex. & alios contra ævi noſtri criticos. Cyprianus, Hieron. & Theophyl. cenſent has tenebras contigiſ-

tigiſſe; non per veram & proprie dictam eclypſim, ſed vel miraculoſa extinctione lucis, vel oppoſitione alicujus alterius corporis opaci. Et videtur hæc ſententia communior apud Interpretes.

Quantum ad 2. difficultatem, ſtando ſententiæ S. Dionyſii & S. Aug. de vera & proprie dicta eclypſi per interpoſitionem lunæ, dicendum videtur has tenebras per univerſum orbem non fuiſſe diffuſas, ſed per Palæſtinam tantum & Regiones vicinas, qualis erat Ægyptus. Cum enim luna ſit longe ſole & terra minor, impoſſibile eſt ut ex lunæ interpoſitione ſol obſcuretur reſpecto totius orbis.

Unde juxta hanc ſententiam, quod Evangelium dicit tenebras factas eſſe *in univerſam terram*, intelligendum eſt accommodate de univerſa terra Judææ & Regionum vicinarum, ſicut cum Lucæ 2. dicitur: *Exiit Edictum a Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur univerſus orbis*, non intelligitur totus qua late patet orbis, ſed iſte tantum, cui imperabat Auguſtus. Vel dicendum id fuiſſe dictum per hyperbolem. Stando vero aliorum ſententiæ, nihil obſtat quominus dicamus tenebras per totum qua late patet orbem fuiſſe diffuſas.

At ſi ita ſit, inquies, quomodo fieri potuit, nullum Scriptorem ex Gentilibus harum tenebrarum mentionem feciſſe. R. Phlegontem Adriani Imperatoris Libertum in hiſtoria, quam ſcripſit per Olympiades, harum tenebrarum meminiſſe. Hujus verba refert Euſebius in Chronico, & ex Euſebio Hieron. etiam in Chronico. Hæc ſunt: *Quarto autem anno 202. Olympiadis, magna & excellens inter omnes, quæ ante eam acciderunt, defectio ſolis facta eſt. Dies hora ſexta ita in tenebroſam noctem verſus eſt, ut ſtellæ in cælo viſæ ſint, terraque motus in Bithynia Niceæ Urbis multas ædes ſubverterit*. Idem refertur in Chronico Alexandriæ. Idem Euſebius in Chronico ibid. refert adhuc alia monumenta Ethnicorum, quæ narrant tenebras & motus terræ tempore Paſſionis Chriſti: dicit enim: *Quo tempore* Paſſionis Chriſti *& in aliis Ethnicorum Commentariis hæc ad verbum ſcripta reperimus, Soli facta defectio & tenebræ ſuper univerſam terram. Bithynia terræ motu concuſſa, & in Urbe Nicæna ædes plurimæ corruerunt. Quæ omnia iis congruunt, quæ in Paſſione Salvatoris acciderunt*. Tertullianus in Apologetico eundem Phlegontem vel alium Gentilem indicans, dicit: *Eodem quidem momento diei, medium orbem ſole ſignante, ſubducta eſt, deliquium utique putaverunt, qui id quoque ſuper Chriſtum prædicatum neſcierunt. Et tamen eum mundi caſum relatum in Archivis veſtris habetis*. Similiter S. Lucianus in actis ſui Martyrii apud Rufinum, Gentiles alloquens: *Perquirite*, inquit, *in Annalibus veſtris, & invenietis temporibus Pilati, fugato ſole, interruptum tenebris diem*.

Male me habet, quod Serrius Phlegontis teſtimonium futilibus, ut mihi videtur, rationibus Religioni eripere conetur. Vult ergo incertum eſſe Phlegontem ſcripſiſſe de obſcuratione ſolis, quæ contigit moriente Chriſto. 1. Quia Origenes dicit, quod hoc teſtimonium *neminem ſapientem movere poſſet*. 2. Quia Phlegon non dicit ſuum ſolare deliquium luna plena contigiſſe. 3. Quia ſilet de eo ad tres horas perduraſſe. 4. Quia narrat terræ motus Niceæ in Bithynia factos, ſilet de terræ motibus factis in Palæſtina. 5. Dicit has tenebras contigiſſe anno 4. Olympiadis 202. quæ eſt morientis incert. Epocha. R. ad 1. Origenem contra Celſum Phlegontis teſtimonium urgere. Alioquin quidquid ſit, uni Origeni prævalent Euſebius, Hieron. Tertull. Lucianus, Chronicon Alexandriæ, &c. Ad 2. ut quid Phlegon meminiſſet plenilunii, cum non aſſerat, has tenebras contigiſſe per veram & proprie dictam eclypſim ex interpoſitione lunæ ad ſolem, ut imaginatur Serrius; dicit ſimpliciter Phlegon, *defectio ſolis facta eſt*: ſive autem ſol obſcuretur per interpoſitionem lunæ, ſive alterius corporis, ſive ſubtractione radiorum aut extinctione lucis, ſemper eſt defectio ſolis. Sed eſto Phlegontem intellexiſſe veram & proprie dictam eclypſim ex interpoſitione lunæ, non notavit plenilunium, ſive quia in monumentis, ex quibus id excripſit, non invenit notatum defectu ſcientiæ aſtrorum in Scriptoribus; ſive quia ipſe Phlegon in hac ſcientia parum verſatus non attendit, an hæc eclypſis eſſet naturalis vel ſupernaturalis. Quidquid ſit, hac difficultate non ſunt moti Euſebius, Hieron. & alii, quos citavimus. Ad 3. N. Conſeq. quaſi vero ex omiſſione unius circumſtantiæ neganda ſit ſubſtantia facti. Ad 4. Phlegon potuit ſcire motus terræ factos in Bithynia, & ignorare factos in Palæſtina. Ad 5. Epocha mortis Chriſti ſecundum communiorem opinionem eſt tempus notatum a Phlegonte, ſcilicet anno 4. Olympiadis 202. qui incidit cum an. 18. Imperii Tiberii & 33. anno æræ communis, quo mortuus eſt Chriſtus.

De ſciſſione Veli.

MATTH. 27. legitur: *Jeſus autem clamans voce magna emiſit Spiritum, & ecce Velum Templi ſciſſum eſt in duas partes a ſummo uſque deorſum*. Similiter Marc. 15. Juxta Joſephum de velo Judaico, erat duplex velum: unum exterius, quod ſeparabat atrium, in quo conſiſtebat populus, a Sancto ſeu loco, in quo Sacerdotes ſacra munia obibant. Alterum interius, quod ſeparabat Sanctum a Sancto Sanctorum, in quod introibat ſummus Pontifex ſemel in anno. Agnoſcunt pariter hoc duplex velum Origenes Tract. 75. in Matth. & Hieron. Ep. ad Hebidiam 150. q. 8. idque ſignificat Paulus Heb. 9. v. 3. dicens: *Poſt velamentum autem ſecundum*, &c.

Iidem ibidem docent velum exterius, non interius fuiſſe ſciſſum. Verba ſunt Hieron. cit. *Quærendum, quod velum Templi ſciſſum ſit, exterius, an interius? Mihi videtur in Paſſione Domini illud velum eſſe conſciſſum, quod in Tabernaculo & in Templo foris poſitum fuerat, & appellabatur exterius. Quia nunc ex parte videmus, & ex parte cognoſcimus: cum autem venerit, quod perfectum eſt, tunc & velum interius diſrumpendum eſt, ut omnia, quæ nunc nobis abſcondita ſunt, domus Dei Sacramenta videamus*. Equidem quidam alii Patres, Cyrillus, Lactantius, Leo, M. Beda, &c. cenſent velum interius, quod ſeparabat Sanctum a Sancto Sanctorum, fuiſſe ſciſſum: ſed forte quia non diſtinguebant duplex velum.

Quid autem myſterii habet veli ſciſſio? Præter jam dicta ex Hieron. de veli exterioris ſciſſione, circa ſciſſionem veli indiſtincte varii protulerunt. Quidam dixerunt ea ſignificari velamen legalium ſacrificiorum & cæremoniarum morte Chriſti eſſe diſſolutum & revolutum, ita ut etiam Ethnici luce Evangelii jam clare videant, quæ tot Judæorum figuris adumbrabantur. Alii abrogationem ac veluti diſſolutionem Synagogæ. Alii Judaici populi diſſipationem atque diviſionem. Alii Paſſionem Chriſti eſſe finitam & animam a corpore eſſe ſeparatam. Alii luctum Templi veſtem ſuam more Judaico conſcindentis. Alii demum jam apertam eſſe viam cœli, ut exponit Apoſt. Heb. 9. v. 8.

De Motu Terræ.

SUBJUNGIT immediate Matth. *Et terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierunt, ſurrexerunt. Et exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem ejus, venerunt in ſanctam Civitatem, & apparuerunt multis*. Hunc terræ motum non fuiſſe univerſalem, probabilius eſt, cum de illo ut tali ſileant omnes Scriptores tam ſacri quam profani, ſed fuit dumtaxat in Judæa, & in aliquibus Provinciis vicinis, ut in Bithynia, teſte Phlegonte, de quo ſupra.

Idem cenſendum eſt de ſciſſione Petrarum, & apertione Monumentorum, quæ iſto terræ motu factæ ſunt. De iis, qui tunc ſurrexerunt, dicam infra, dum de Reſurrectione Chriſti.

De magno Pane.

EUSEBIUS l. 5. Præparationis c. 9. narrat ex Plutarcho l. 1. de Defect. Orac. quoſdam navigantes circa Inſulas Echinades audiviſſe vocem ex inſula Praxis clamantem *Magnum Panem eſſe mortuum*, eademque voce juſſum Thamo navis gubernatori, ut id denuntiaret ac proclamaret, dum eſſet juxta Palodem in Cypro. Quod cum ipſe feciſſet, magna voce clamans: *Magnus Pan mortuus eſt*, ſubito innumerabilium gemitus & clamores auditi ſunt. Hæc cum Tiberio Cæſari renuntiata eſſent, is accitos Philoſophos interrogavit: quiſnam eſſet iſte Pan? qui reſponderunt: ſibi videri eum eſſe, qui ex Mercurio & Penelope natus eſſet. At quomodo tunc mortuus eſſet iſte Pan, qui longe antea jam obierat? Neque poteſt intelligi de Dæmone, qui cum ſit purus Spiritus, morti non ſubjacet.

Aliter ergo intellexerunt Scriptores Eccleſiaſtici. Baronius per mortem Panis intelligit mortem Chriſti, qui eſt verus Pan, hoc eſt univerſorum Dominus. Sed repugnare videtur, Chriſtum conſtituiſſe nuntios ſuæ mortis, ſcilicet Dæmones, quos noluit habere præcones ſuæ divinitatis, Luc. 4. & voluiſſe indigitari nomine infamis Æegyptiorum Idoli. Verius intellexit Euſebius per mortem Panis, everſionem Regni Dæmonis morte Chriſti illatam, idque convenienter inſtituto Plutarchi, qui ibi agit de defectione Oraculorum. Et hæc probabiliora ſunt ſuppoſita veritate hiſtoriæ, cui, licet a pluribus receptæ, plures etiam fidem detrectant, aut ſaltem nolunt eam habere quidquam commune cum morte Chriſti. Quod nos ſub dubio relinquimus.

DISSERTATIO X.

DE CAUSA EFFICIENTE PASSIONIS CHRISTI, DE EJUS CAUSALITATE ET EFFECTIBUS.

D. Thom. QQ. 47. 48. & 49.

ARTICULUS I.

De cauſa efficiente Paſſionis Chriſti,

QUÆRITUR hic. 1. Utrum Chriſtus fuerit ab aliis occiſus, an a ſeipſo? 2. Ex quo motivo ſe paſſioni tradiderit? 3. Utrum Pater eum tradiderit ad patiendum? 4. Utrum conveniens fuerit, ut pateretur a Gentilibus vel potius a Judæis? 5. Utrum ejus occiſores eum cognoverint? 6. Quam grave fuerit eorum peccatum? Pro quorum reſolutione

Dico 1. (*Q. 47. a. 1. o.*) Perſecutores Chriſti fuerunt cauſa directa illius mortis; quia cauſam ſufficientem mortis ei intulerunt cum intentione occidendi & effectu conſequente: ex illa enim cauſa mors eſt ſubſecuta.

Chriſtus (*Ibid.*) autem fuit cauſa indirecta ſuæ mortis, quatenus vim illatam ſuo corpori non impedivit, prout poterat, ſed acceptavit, (*Ibid. c.*) Et hoc ſenſu verum eſt, quod dicit Joan. 10. *Nemo tollit animam meam a me*, invito ſcilicet, *ſed ego pono eam*.

Dices. Qui ab aliis occiduntur, paulatim debilitata natura deficiunt, & maxime hoc apparet in crucifixis, qui, ut ait Aug. 5 de Trinit. c. 13. *Longa morte cruciantur*. Atqui hoc non accidit Chriſto, nam *clamans voce magna emiſit Spiritum*, Matt. 27. Ergo. R. (*Ibid. ad 2.*) quod ut Chriſtus oſtenderet, quod paſſio illata per violentiam ejus animam non eripiebat, niſi in quantum vellet, naturam corporalem in ſua fortitudine conſervavit, ſaltem quantum ad hoc, ut in extremis poſitus voce magna clamaret, quod inter alia miracula mortis computatur. Unde Marci 15. *Videns Centurio, qui ex adverſo ſtabat, quia ſic clamans exſpiraſſet*, ait: *Vere hic homo Filius Dei erat*. Quod autem Auctor addit ibidem id fuiſſe etiam mirabile, quod citius mortuus ſit aliis, qui ſimili paſſione afficiebantur, non intelligit fuiſſe miraculum, quaſi anima corpus deſeruerit priuſquam adeſſet cauſa ſufficiens mortis, ſed intelligit id fuiſſe mirabile iis, qui ignorabant teneram ejus complexionem, ſecundum quam vulnera citius in eo cauſarunt mortem quam in aliis. Et hac de cauſa *mirabatur Pilatus ſi jam obiiſſet*: Marci 15.

Dico 2. (*Ibid. a. 2. o.*) Chriſtus ex obedientia mortuus eſt. Conſtat (*Ibid. ad 1.*) ex Joan. 10. ubi ipſe Chriſtus dicit: *Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam, & hoc mandatum accepi a Patre meo*, ſcilicet ponendi animam meam & ſumendi eam. Item ibid. 14. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio: ſurgite, eamus hinc*, ſcilicet ad locum paſſionis. Item ex illo Philip. 2. *Factus eſt obediens uſque ad mortem*. (*Ib. o.*) Id autem erat conveniens juſtificationi hominum, ut ſicut per unius hominis inobedientiam peccatores conſtituti ſunt multi, ita per unius obedientiam juſti conſtituerentur multi, ut dicitur Rom. 5.

Dices. Chriſtus mortuus eſt ex charitate, ſecundum illud Epheſ. 5. *Ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos & tradidit ſemetipſum pro nobis*. Ergo. R. (*Ib. ad 3.*) Quod eadem ratione Chriſtus paſſus eſt ex charitate & obedientia, quia & ipſa charitatis præcepta erga Deum & homines ex obedientia implevit, & obediens fuit ex charitate ad Patrem præcipientem. Plura de rigoroſo præcepto moriendi Chriſto impoſito require in Tract. de Incarn. Diſſ. 18 art. 4.

Dico 3. (*Ibid. a. 3. o.*) Deus Pater tradidit Chriſtum Paſſioni, juxta illud Rom. 8. *Proprio Filio ſuo non pepercit Deus, ſed pro nobis omnibus tradidit illum*. Et hoc triplici modo. 1. Quia ſua æterna voluntate præordinavit paſſionem Chriſti ad humani generis liberationem; non quidem decernendo ullas actiones Judæorum erga Chriſtum quatenus erant peccaminoſæ, ſed decernendo Chriſtum pati a Judæis, ejuſque paſſionem ordinando ad noſtram redemptionem. 2. In quantum ei inſpiravit voluntatem patiendi pro nobis infundendo charitatem. 3. Non protegendo eum a paſſione, ſed exponendo perſequentibus.

Dico 4. (*Ib. a. 4. o.*) Conveniens fuit, ut Chriſtus a Judæis pati inciperet, & poſtea Judæis tradentibus per manus Gentilium ejus paſſio finiretur. Quia ſic in ipſo modo Paſſionis Chriſti præfiguratus eſt ejus effectus. Primo enim Paſſio Chriſti effectum ſalutis habuit in Judæis, quorum plurimi in morte Chriſti baptizati ſunt, Act. 2. & 3. Deinde Judæis prædicantibus, effectus Paſſionis Chriſti tranſivit ad Gentes.

Dico 5. (*Ibid. a. 5. o.*) Primates Judæorum, qui notum Principes dicebantur, cognoverunt Chriſtum eſſe Meſſiam in lege promiſſum: videbant enim in eo omnia ſigna, quæ Prophetæ futura prædixerant de Meſſia; nec obſtat, quod Luc. 22. illis interrogantibus, an Jeſus eſſet Chriſtus, reſponderit ipſe Chriſtus, *ſi vobis dixero, non credetis*: vel enim intelligendum eſt de Chriſto, ut Filio Dei, ut patet ex interrogatione altera verſu ſeq. *Tu ergo es Filius Dei?* Vel dicuntur non credere, quia licet ſignis patentibus convicti eſſent, voluiſſent tamen & conabantur ex perverſitate cordis ea infirmare.

Minores ſeu plebii, (*Ibid.*) qui myſteria Scripturæ non noverant, non plene cognoverunt eſſe Chriſtum ſeu Meſſiam. Licet enim aliqui eorum in eum crediderint, multitudo tamen non credidit. Et ſi aliquando dubitaverint, an ipſe eſſet Chriſtus propter ſignorum multitudinem, poſtea tamen decepti a ſuis Principus fuerunt, ut non crederent eum eſſe Chriſtum.

Neutri autem (*Ibid.*) cognoverunt eſſe Deum & Filium Dei naturalem, juxta illud Joan. 16. *Non noverunt Patrem, neque me*. Cum hoc tamen diſcrimine, quod ignorantia Majorum non excuſaret eos abſolute a crimine, quia erat craſſa & quodammodo affectata: videbant enim evidentia ſigna Divinitatis ipſius, ſed ex odio & invidia in ipſum ea pervertebant, & verbis ejus, quibus ſe Dei Filium aſſerebat, credere nolebant. Unde ipſe Chriſtus de nis dicit Joan. 15. *Si non veniſſem & locutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo*. Et poſtea ſubdit: *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*.

Si quidem Patres, ut Chryſoſt. & Beda, dicant (*Ibid. ad 1.*) eos agnoviſſe eſſe Filium Dei, vel loquuntur de Filio Dei, non per naturam, ſed per excellentiam gratiæ ſingularis: vel intelligunt, eos cognoviſſe verum Dei Filium, quatenus evidentia ſigna hujus rei habebant, quibus tamen propter odium & invidiam aſſentire noluerunt, ut eum cognoſcerent eſſe Filium Dei.

Dico 6. (*Ib. a. 6. o.*) Peccatum crucifigentium Chriſtum fuit graviſſimum. In Principibus quidem tam ex genere ſeu objecto, quia erat contra Deum, ſeu contra eum, quem poterant & debebant ſcire eſſe Deum, quam ex parte peccantium, quia maxima malitia illud admiſerant. In popularibus autem ex genere tantum, minuebatur enim ex parte illorum propter ignorantiam. Dixi, *graviſſimum peccatum*, id eſt, valde grave, non autem graviſſimum comparate ad omnia alia peccata, quia odium Dei, blaſphemia, & ſimilia, quæ ſunt formaliter contra Deum, graviora ſunt, quam quæ ſunt formaliter contra humanitatem, & materialiter tantum contra Divinitatem, quale fuit peccatum crucifigentium Chriſtum, ut docet Auctor infra q. 80. a. 5. Quamvis enim odiſſent Chriſtum, eum tamen odio habebant formaliter, ut hominem tantum, non formaliter, ut Deum, quem ignorabant, licet vincibiliter.

ARTICULUS II.

Quomodo Paſſio Chriſti operata ſit noſtram ſalutem?

DICO 1. (*q. a. 1. o.*) Paſſio Chriſti operata eſt noſtram ſalutem per modum meriti. Quia Chriſtus habuit gratiam, quæ eſt principium meriti, non tantum ut ſingularis homo, ſed ut caput aliorum, ideoque per voluntariam paſſionem non ſolum ſibi, ſed ſuis membris meruit ſalutem.

Dices. Chriſtus ab inſtanti ſuæ conceptionis meruit nobis ſalutem, ſingulæ ejus actiones ab initio conceptionis fuerunt infiniti valoris. Atqui ſuperfluum eſt aliquem iterum mereri, quod jam antea meruerat. Ergo. R. D. Maj. Chriſtum ab initio ſuæ conceptionis meruit nobis ſalutem, attento valore operum, C. Attenta Dei ordinatione, N. Quamvis ergo ſingulæ Chriſti actiones ab inſtanti conceptionis eſſent infiniti & pluſquam ſufficientis valoris ad redemptionem noſtram, Deus tamen illas non ordinaverat ad redemptionem noſtram in paſſione propter rationes, quas deduximus n. 1. Diſſ. præced. concl. 2. Unde independenter a paſſione non conferebant jus abſolutum & perfectam ad ſalutem, ideoque ſalus noſtra tribuitur paſſioni.

Dico 2. (*Ibid. q. 2. o.*) Paſſio Chriſti operata eſt ſalutem noſtram per modum ſatisfactionis: quia Chriſtus patiendo exhibuit, ut caput noſtrum, Deo aliquid majus, quam exigeret recompenſatio totius offenſæ generis humani: 1.

Propter magnitudinem charitatis ex qua patiebatur. 2. Propter dignitatem vitæ ſuæ, quæ erat vita Dei & hominis quam ponebat. 3. Propter generalitatem paſſionis & magnitudinem doloris aſſumpti, ut explicuimus a. 1. Diſſ. præced. concl. 4. & 5. Hæc autem a ſuppoſito divino, a quo procedebant, habebant valorem infinitum, tam ſatisfactorium, quam meritorium. Quantum ad has duas concluſiones, vide, quæ fuſe dixi in Tract. de Incarnat. Diſſ. 19. de merito & ſatisfactione Chriſti.

Dico 3. (*Ibid. a. 3. o.*) Paſſio Chriſti operata eſt noſtram ſalutem per modum ſacrificii: quia fuit oblatio rei ſenſibilis cum ſui immutatione, facta in honorem Deo proprium, hoc eſt in recognitionem ſupremi illius Domini & ad ipſum placandum; hoc enim eſt proprie ſacrificium. Quod autem hic dicit Auctor ex Aug. l. 10. de Civit. c. 6. omne opus bonum, quod agitur, ut charitate inhæreamus Deo, eſſe verum ſacrificium, intelligendum eſt, quod ſit verum ſacrificium veritate fructus & excellentiæ, non veritate eſſentiæ. Vide plura de Paſſione Chriſti, ut ſacrificio, in Tract. de Incarnat. Diſſ. 19. a. 4. prob. 2. & Diſſ. 2. a. 3.

Dico 4. (*Ibid. a. 4. o.*) Paſſio Chriſti operata eſt noſtram ſalutem per modum Redemptionis: quia fuit ſufficiens & ſuperabundans ſatisfactio pro peccato & reatu pœnæ, ut dictum eſt. Atqui ſatisfactio, qua quis ſatisfacit pro ſe, ſive pro alio, pretium quoddam eſt, quo ſeipſum vel alium redimit a peccato & pœna. Ergo redemptio. Unde Matth. 20. *Filius hominis venit dare animam ſuam redemptionem pro multis.* Et Rom. 3. *Juſtificati ſumus per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu.*

Dices. Nullus emit vel redimit, quod ſuum eſſe non deſiit. Atqui homines nunquam deſierunt eſſe Dei. Ergo. R. D. Min. (*Ibid. ad* 1.) Homines nunquam deſierunt eſſe Dei quoad ſubjectionem ejus poteſtati, C. quoad unionem per charitatem, N. per peccatum enim facti ſumus Deo inimici, & ab eo ſecundum affectum diviſi, atque ſervituti Diaboli ſubjecti.

Inferes. Ergo pretium redemptionis noſtræ ſolvendum & offerendum erat Diabolo, & non Deo. Prob. Illatio. Quicumque emit aut redimit aliquid, pretium ſolvit ei, qui poſſidet. Atqui ex ſolutione præcedenti Diabolus homines poſſidebat, utpote ejus ſervituti ſubjectos, ut dictum eſt. Ergo.

R. N. Illat. ad prob. D. Min. (*Ibid. ad* 2. *&* 3.) Diabolus homines poſſidebat, ut tortor ſeu miniſter ex permiſſione & ordinatione Dei, C. ut Judex ſeu Princeps propria auctoritate, N. Ad quorum intelligentiam obſervandum eſt, quod homo peccando obligatus erat Deo & Diabolo. Quantum enim ad culpam Deum offenderat, & Diabolo conſentiens ſe ei ſubdiderat. Unde ratione culpæ non erat factus ſervus Dei, ſed potius ab ejus ſervitute recedens Diaboli ſervitutem incurrerat, Deo ut Principe offenſo juſte id permittente; ſed quantum ad pœnam principaliter homo erat obligatus Deo ſicut ſummo Judici, Diabolo autem tanquam tortori. Quamvis ergo Diabolus teneret hominem ſub ſervitute & quantum ad pœnam & quantum ad culpam, quia tamen ſic erat quantum ad culpam ex permiſſione Dei per illam offenſi, & quantum ad pœnam ex juſta ejus ordinatione, ita ut Diabolus eſſet tantum in iis miniſter, ideo non illi, ſed Deo pretium redemptionis erat ſolvendum, & offerendum.

Dico 5. (*Ibid. a.* 5. *o.*) Chriſto homini proprium eſt eſſe redemptorem ſtricte ſumptum; quia redimere ſtricte & proprie eſt de ſuo ſolvere pretium liberationis. Atqui ſolus Chriſtus ſolvit rigoroſe de ſuo pretium noſtræ liberationis, fundendo ſcilicet vitam & ſanguinem ſuum. Ergo. Dixi *Redemptorem ſtricte ſumptum* (*Ib. & ad* 1. *&* 2.) quia ſi latiori ſenſu dicatur Redemptor is, qui eſt prima cauſa & actor redemptionis, dando eum qui ſolvit, inſpirando illi voluntatem ſolvendi, & cum illo ad omne opus redemptionis operando, hoc ſenſu tota Trinitas nos redemit: hæc enim dedit nobis Chriſtum hominem, inſpiravit illi voluntatem patiendi, & omnes actiones redemptionis humanæ in eo operata eſt. Et ideo Auctor dicit, quod *eſſe immediate Redemptorem proprium ſit Chriſti in quantum eſt homo; quamvis ipſa redemptio poſſit attribui toti Trinitati, ſicut primæ cauſæ.*

Dices 1. Merita ſanctorum nobis applicantur per Indulgentias in remiſſionem pœnarum peccatis noſtris debitarum. Ergo dici poſſunt noſtri Redemptores. 2. Sancti dicuntur noſtri Mediatores, Galat. 5. Ergo & Redemptores. 3. Moyſes Act. 7. dicitur Redemptor. Ergo. R. Ad 1. merita Sanctorum non nos a culpa & pœna æterna, ſed temporali tantum liberare, idque nonniſi præſuppoſita redemptione per Chriſtum facta, & ideo neque ſecundum rigorem juſtitiæ. Quando autem dicimus eſſe proprium Chriſto eſſe redemptorem, intelligimus de redemptione a culpa & pœna æterna, atque ſecundum rigorem juſtitiæ. Et hinc patet ad 2. quia in mediatione non importatur æqualitas & rigor juſtitiæ, ſicut in redemptione. Ad 3. Moyſes dictus eſt Redemptor, non reſpective ad culpam aut pœnam æternam, ſed ad captivitatem Ægypiacam, a qua Iſraelitas liberavit. Neque id fuit proprie redimere, cum nihil fuerit ſolutum pro liberatione.

Dico 6. (*Ibid. a.* 6. *o.*) Paſſio Chriſti, hoc eſt humanitas Chriſti, ut aliquando ſubjecta Paſſioni, ſalutem noſtram operatur efficienter; quia eſt inſtrumentum Divinitatis. Sic intelligendum eſſe Auctorem, cum dicit Paſſionem Chriſti cauſare efficienter noſtram ſalutem, conſtat; quia ad efficientiam realem & phyſicam requiritur exiſtentia cauſæ: non autem amplius exiſtit Paſſio Chriſti: & ita ſe explicat S. D. q. ſeq. a. 1. in fine corp.

ARTICULUS III.

De effectibus Paſſionis Chriſti.

DIco (*Q.* 49. *a.* 1. *o.*) Per Paſſionem Chriſti liberati ſumus a peccato, quatenus Chriſtus, ſicut dictum eſt Art. præced. ut caput noſtrum per Paſſionem tanquam per pretium redemit nos, ut membra ſua a peccatis; ſicut ſi homo per aliquod opus meritorium, quod manu exercet, redimeret ſe a peccato, quod pedibus commiſiſſet. Sicut enim corpus naturale eſt unum ex membrorum diverſitate conſiſtans, ita tota Eccleſia, quæ eſt myſticum corpus Chriſti, computatur quaſi una perſona cum ſuo capite, quod eſt Chriſtus. Cæterum concluſionem ſic intellige, (*Ibid. ad* 3. *&* 4.) non quod Paſſio Chriſti actu efficaciter omnes homines liberet a peccato, (quot ſunt enim qui adhuc in eo permanent?) ſed quod ſit cauſa univerſalis ſufficiens ad redemptionem peccatorum totius generis humani, quæ tamen ut effectum habeat, debet applicari. Sicut ſi medicus præpararet medicinam omnis generis morborum ſanativam, nullum ſanaret niſi applicata ſeu ſumpta.

Ex hac Concl. ſequitur 1. (*Ib. a.* 2. *o.*) quod per Paſſionem Chriſti liberati ſimus a poteſtate Diaboli, in cujus ſervitutem incideramus per peccatum. Sequitur 2. (*Ibid. a.* 3. *o.*) ſublato peccato nos liberari a pœna æterna illi debita. Sequitur 3. (*Ibid. a.* 4. *s.*) nos eſſe Deo reconciliatos ſoluta cauſa inimicitiæ, quæ erat peccatum. Sequitur 4. (*Ibid. a.* 5. *o.*) apertam nobis eſſe januam Cæli ſublato impedimento ad ejus ingreſſum, quod eſt peccatum. Has omnes ſequelas intellige ad ſenſum datum concluſionis: ſcilicet Paſſionem Chriſti eſſe cauſam univerſalem, quæ ſit ſufficiens ad hos omnes effectus, quos tamen ut actu operetur, debet applicari per ſacramenta & bona opera.

Dico 2. (*Ib. a.* 6. *o.*) Chriſtus per ſuam Paſſionem meruit exaltari. Pro quo vide Tract. de Incarn. Diſſ. 19. a. 2.

DISSERTATIO XI.

DE MORTE, SEPULTURA, ET DESCENSU CHRISTI AD INFEROS.

Div. Thom. QQ. 50. 51. *&* 52.

ARTICULUS I.

De Morte Chriſti.

OCCURRUNT in hoc Articulo diſcutienda. 1° An conveniens fuerit Chriſtum mori? 2. An per mortem Divinitas fuerit ſeparata a corpore? 3. An ab anima? 4. An in triduo mortis Chriſtus fuerit homo? 5. Utrum ejus corpus fuerit idem numero vivum & mortuum? 6. Utrum mors ejus aliquid operata ſit ad noſtram ſalutem? Ad quorum reſolutionem.

Dico 1. (*Q.* 50. *a.* 1. *s.*) Conveniens fuit Chriſtum mori, 1. ut ſatisfaceret pro nobis, qui propter peccatum adjudicati eramus morti. 2. Ut oſtenderet veritatem naturæ aſſumptæ; ſi enim poſt converſationem cum hominibus ſubito ſine morte evanuiſſet, ab omnibus crederetur Phantaſma. 3. Ut moriendo nos a timore mortis liberaret. 4. Ut reſurgendo a mortuis & virtutem ſuam oſtenderet, qua mortem ſuperavit, & nobis ſpem reſurgendi a mortuis daret. Unde Apoſtolus 1. Cor. 15. *Si Chriſtus prædicatur, quod reſurrexit a mortuis; quomodo quidam in vobis dicunt, quod reſurrectio mortuorum non eſt?* Confer Diſſ. 9. a. 1. Concl. 2.

Dico

Dico 2. (*Ibid. a. 2. c.*) In morte Chriſti Divinitas non fuit ſeparata ab ejus corpore; ſed ipſi manſit hypoſtatice unita, ita ut non eſſet alia hypoſtaſis Verbi Dei & carnis poſt mortem.

Prob. 1. (*Ibid.*) Quod per gratiam Dei conceditur ut quid natura ſua permanens, nunquam abſque culpa revocatur; unde Rom. 11. dicitur, quod ſine *pœnitentia ſunt dona Dei*: ſic gratia adoptionis, per quam homines ſanctificantur, nunquam perditur ſine culpa. Atqui gratia unionis, per quam Divinitas eſt unita carni Chriſti in perſona, multo major eſt gratia adoptionis, & etiam magis permanens ex ſui ratione, quia hæc ordinatur ad unionem perſonalem, gratia autem adoptionis ad quandam unionem affectualem, neque in Chriſto fuit, aut potuit eſſe ullum peccatum. Ergo.

2. Ea, (*Ibid. in a. 1. c.*) quæ ſunt humanæ naturæ, non dicuntur de Filio Dei niſi ratione unionis hypoſtaticæ. Atqui de Filio Dei dicitur, quod convenit Corpori Chriſti poſt mortem, ſcilicet eſſe ſepultum, ut patet ex Symbolo Fidei, in quo dicitur, quod Filius ſit, *paſſus*, *mortuus*, & *ſepultus*. Ergo Divinitas non fuit in morte ſeparata a Corpore. Neque etiam fuiſſe in triduo mortis ſeparatam a Sanguine fuſo, dixi in Tract. de Incar. Diſſ. 7. a. 2. in fine.

Dico 3. (*Ib. a. 3. c.*) In morte Chriſti Divinitas non fuit ſeparata ab ejus anima. 1. quia anima unita eſt Verbo Dei per prius & immediatius quam corpus, ſiquidem corpus fuerit unitum mediante anima ſeu ratione animæ: Chriſtus enim aſſumpſit naturam humanam, Corpus autem per animam pertinet ad naturam humanam. Atqui in morte Chriſti Divinitas non fuit ſeparata a Corpore, ut dictum eſt. Ergo multo minus ab anima. 2. De Filio Dei prædicatur, quod eſt animæ, ſcilicet, quod deſcenderit ad Inferos. Atqui, ut dictum eſt, ea, quæ ſunt naturæ humanæ, non dicuntur de Filio Dei, niſi ratione unionis hypoſtaticæ. Ergo.

Dico 4. (*Ibid. a. 4. c.*) Erroneum eſt dicere Chriſtum in triduo mortis eſſe hominem: quia cum ſit vere mortuus, anima ejus a Corpore ſeparata eſt, in qua ſeparatione ſita eſt mors & deſtructio humanitatis, ſicut in eorum unione ſita eſt humanitas.

Neque etiam in triduo mortis proprie fuit Chriſtus: quia Chriſtus dici ſuppoſitum exiſtens in natura divina & humana; tunc autem natura humana deſierat per ſeparationem animæ a corpore, ut dictum eſt. Poterat tamen per Synecdochen dici Chriſtus, ſicut etiam nunc dicimus, *S. Petrus*.

Dico 5. (*Ib. a. 5. c.*) Corpus Chriſti vivum & mortuum fuit idem numero abſolute: quia aliquid dicitur idem numero abſolute, quod eſt idem ſuppoſito; corpus autem Chriſti vivum & mortuum fuit idem ſuppoſito, ut patet ex dictis. Non fuit tamen idem numero omnino & totaliter, quia vita quam amiſit in morte, eſt de eſſentia corporis viventis. Unde non fuit idem numero ſecundum ſpeciem naturæ humanæ.

Si petas, utrum corpus Chriſti mortuum manſerit ſine forma ſubſtantiali? R. probabilius negative, ſed aſſumpſiſſe formam cadaveris humani; quia ſecundum principia Philoſophiæ materia non poteſt naturaliter eſſe ſine forma, nec videtur hic neceſſitas adſtruendi miraculum.

Inferes 1. Ergo eſt diverſitas corporis. 2. Ergo Verbum dimiſit aliquando, quod aſſumpſit. R. ad 1. eſſe diverſitatem corporis ratione novæ formæ, & ideo non eſſe idem numero ſecundum ſpeciem naturæ humanæ, ut dictum eſt, remanet tamen idem ſuppoſito. Ad 2. Nihil repugnat, quod Chriſtus dimiſerit id, quod non fuit principaliter aſſumptum, ut fuit forma cadaverica.

Dico 6. (*Ibid. a. 6. c.*) Mors Chriſti in facto eſſe nihil operata eſt ad noſtram ſalutem per modum meriti, quia Chriſtus tunc mortuus erat extra ſtatum merendi. Si autem per mortem in facto eſſe intelligamus carnem mortuam, potuit operari efficienter ad noſtram ſalutem, quia remanebat inſtrumentum Divinitatis ſibi unitæ.

ARTICULUS II.

De Sepultura Chriſti.

Dico 1. (*q. 51. a. 1. c.*) Convenienter Chriſtus fuit ſepultus, tum ad comprobandam veritatem mortis; non enim aliquis in ſepulchro ponitur, niſi quando jam de veritate mortis conſtat: tum quia per hoc, quod Chriſtus de ſepulchro reſurrexit, datur ſpes reſurgendi per ipſum his, qui ſunt in ſepulchro.

Dico 2. (*Ibid. a. 2.*) Convenienti modo Chriſtus fuit ſepultus. Juxta Matth. 27. & Joan. 19. Joſeph ab Arimathæa cum Nicodemo, 1. Corpus Chriſti unxit centum libris aromatum ex myrrha & aloe, emptis a Nicodemo: 2. Involvit ſindone munda. 3. Poſuit in monumento ſuo novo. 4. Hoc monumentum erat in horto vicino. 5. Exciſum erat in petra. 6. Advolvit magnum ſaxum ad oſtium monumenti. Hæc autem omnia dicimus convenienter facta.

1. (*Ibid. ad 2. & 3.*) Corpus Chriſti aromatibus myrrhæ & aloes conditur convenienter moribus Judæorum, qui ſic ſolebant condire corpora, ut diutius conſervarentur illæſa. In hujuſmodi autem officiis, quæ mortuis exhibentur, mos cujuſlibet gentis eſt ſervandus, inquit Aug. Tract. 120. in Joan. 2. (*Ibid. ad 3.*) Involvitur Sindone munda ad decentiam honeſtatis. 3. (*Ib. ad 4.*) Sepelitur in monumento alieno, ut qui domum in vita non habuit, poſt mortem quoque in alieno ſepulchro reconderetur. Item in monumento novo, in quo ſcilicet nemo antea poſitus fuerat, ne alius ibi ſepultus reſurrexiſſe fingeretur & crederetur. 4. Hoc monumentum erat in horto, quia nemo ſepeliebatur in Urbe. 5. (*Ibid.*) Exciſum erat in petra, ſic diſponente divina providentia, ne ſi ex lapidibus fuiſſet extructum, ſuffoſſis fundamentis, vel dirutis, & repoſitis lapidibus, raptum a Diſcipulis fingeretur. Si etiam in terra fuiſſet ſepultus, dicere poterant, ſuffoderunt terram, & furati ſunt eum. 6. Advolvit ſaxum magnum ad oſtium monumenti, iterum contra calumnias Reſurrectionis, ut ſine plurimorum auxilio reſerari non poſſet monumentum.

Dico 3. (*Ib. a. 3. c.*) Corpus Chriſti manſit incorruptum in ſepulchro, ad oſtenſionem divinæ virtutis, & ne crederetur, mortem ejus fuiſſe ex infirmitate naturæ & non voluntariam: corruptio enim cujuſcumque corporis provenit ex infirmitate naturæ illius corporis, quæ non poteſt amplius corpus continere in unum.

Dico 4. (*Ibid. a. 4. c.*) Chriſtus fuit convenienter una die & duabus noctibus in ſepulchro. Ratio eſt, (*Q. 53. a. 2. c.*) quia iſtud tempus requirebatur & ſufficiebat ad probandam veritatem mortis Chriſti, ut dicam de ejus Reſurrectione.

Dices. Matth. 12. dicit Chriſtus: *Sicut Jonas fuit in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus; ita Filius hominis erit in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus*. Ergo. R. hic tres dies & tres noctes, ſcilicet naturales, intelligenda eſſe per Synecdochen, ſumendo partem pro toto. Sic ergo primus dies & prima nox computantur ab extremitate diei feriæ ſextæ, qua Chriſtus mortuus & ſepultus eſt, uſque ad mediam noctem Sabbathi. Secundus dies & ſecunda nox a media nocte Sabbathi, uſque ad mediam noctem diei Dominicæ. Tertius dies & tertia nox a media nocte diei Dominicæ ad auroram ejuſdem diei, qua Chriſtus reſurrexit.

ARTICULUS III.

De Deſcenſu Chriſti ad Inferos.

Occurrunt hic explicanda, 1. an anima Chriſti realiter & ſubſtantialiter, & non tantum ſecundum effectum deſcenderit in Infernum? 2. an convenienter deſcenderit? 3. in quem Infernum deſcenderit? 4. utrum aliquam moram ibi traxerit? 5. utrum SS. Patres ab Inferno liberaverit? 6. utrum etiam damnatos & pueros in peccato originali defunctos? 7. Item & an animas Purgatorii?

Dico 1. (*Q. 52. art. 1.*) Chriſtus, hoc eſt anima Chriſti realiter & ſubſtantialiter deſcendit ad Inferos, & non tantum ſecundum effectum & operationem. Prob. 1. ex Symbolo Apoſtol. in quo dicitur, *Deſcendit ad Inferos*, quod obvie & naturaliter intelligitur de deſcenſu reali & ſubſtantiali, & non ſecundum effectum tantum, ſicque intelligit communis ſenſus Fidelium. (*2. 2. q. 1. a. 9. ad. 4.*) Hujus autem non meminit Symbolum Nicænum, quia ſuppoſuit expreſſum in Symbolo Ap. & nullus tunc error circa hunc articulum exortus erat, qui indigeret nova expreſſione.

2. Pſ. 15. *Non relinques animam meam in Inferno*: quod Petrus Act. 2. de Chriſto interpretatur.

3. Epheſ. 4. *Quod autem aſcendit quid eſt, niſi quia & deſcendit primum in inferiores partes terræ?* Inferiora autem terræ, inquit Hieron. Infernus accipitur. Eo modo ergo juxta Apoſt. Chriſtus deſcendit in Infernum, quo modo aſcendit in cœlum; realiter autem & ſubſtantialiter aſcendit in cœlum. Ergo.

4. Tandem hanc doctrinam tradunt Conc. Lateran. ſub Innoc. III. cap. *Firmiter* de SS. Trinitate, Symbolum dictum S. Athanaſii, S. Ignat. Ep. ad Trallianos, Nazianz. Orat. 2. de Reſurr. Nyſſenus Orat. 1. Aug. Ep. 57. & 99. & alii.

Dices cum Durando. 1. Anima ſeparata non poteſt moveri localiter. 2. Subſtantia ſpiritualis non eſt in loco niſi per operationem. Atqui anima Chriſti ſeparata nullam habebat operationem in Inferno. Ergo. R. ad 1. (*Hic a. 1. ad 3.*) quod anima Chriſti non deſcenderit ad Inferos eo genere motus, quo corpora moventur, ſed eo genere motus, quo Angeli moventur.

Ad 2.

Ad 2. (*In 3. d. 22. q. 2. a. 2. q. 1.*) N. Min. Anima enim Chriſti, ut inſtrumentum Divinitatis operata eſt in inferno expellendo tenebras exteriores, & hunc locum illuminando.

Dico 2. (*Q. 52. a. 1. c.*) Conveniens fuit, ut Chriſtus deſcenderet in Infernum. Primo, (*Ibid.*) quia homo per peccatum incurrerat non ſolum mortem corporis, ſed etiam deſcenſum ad inferos. Ergo ſicut fuit conveniens ipſum mori, ut nos liberaret a morte, ita conveniens fuit eum deſcendere ad inferos, ut nos ab illo liberaret: cum hoc tamen diſcrimine, quod mors illi pœna fuit, non deſcenſus ad inferos: quia per mortem opus Redemptionis conſummatum erat, & ſuperabundanter ſatisfactum divinæ juſtitiæ: unde deſcendendo ad inferos aſſumpſit, quod nobis pœna erat, ſed non ut pœnam ſibi, nec ſub ratione pœnæ.

Obſervandum ſemel pro ſemper, quod cum dicimus Chriſtum nos liberaſſe a morte corporis, non eſt ſenſus, quod nos liberaverit a neceſſitate moriendi, morimur enim omnes, ſed a neceſſitate permanendi in morte, quia reſurgemus. Et hoc ſenſu Chriſtus dicitur habere imperium mortis, & mortem moriendo viciſſe, juxta illud Oſeæ 3. *Ero mors tua, o mors.*

2. (*Ibid.*) Quia conveniens erat, ut victo diabolo per paſſionem, vinctos ejus, qui detinebantur in Inferno, eriperet, ſecundum illud Zach. 9. *Tu quoque in ſanguine Teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu.*

3. (*Ibid.*) Ut ſicut poteſtatem ſuam oſtendit in terra vivendo & moriendo, ita etiam poteſtatem ſuam oſtenderet in Inferno ipſum viſitando & illuminando, ut ſic in nomine Jeſu omne genuflectatur non ſolum cœleſtium, ſed etiam infernorum. Philipp. 2.

Dico 3. (*Ib.*) Chriſtus non deſcendit in infernum damnatorum ſecundum præſentiam realem. Quia juxta SS. Patres, Hieron. in cap. 4. Epheſ. & alios, ideo Chriſtus deſcendit ad inferos, ut eos, qui ibi detinebantur, conſolaretur & liberaret; nullum autem ex inferno damnatorum conſolatus eſt & liberavit, ut dicam modo. Inſuper infernus damnatorum non erat locus conveniens Chriſto. Deſcendit ergo in infernum damnatorum ſecundum effectum tantum, eos arguendo & convincendo de ſua infidelitate & malitia; idque per modum locutionis, aut manifeſtationis, quæ inter ſpiritus non impeditur ex diſtantia loci.

Obj. Dicitur ex ore divinæ ſapientiæ, quæ eſt Chriſtus Eccl. 24. *Penetrabo omnes inferiores partes terræ.* Atqui inter inferiores partes terræ computatur infernus damnatorum. Ergo. R. (*Ibid. a. 2. o.*) quod Chriſtus, qui eſt Dei ſapientia, penetravit omnes inferiores partes terræ non localiter ſecundum animam omnes circumeundo, ſed effectum ſuæ potentiæ aliqualiter ad omnes extendendo.

Repones. Epheſ. 4. Chriſtus dicitur deſcendiſſe ad inferiores partes terræ, hoc eſt ad infima terræ, ubi eſt infernus damnatorum. Ergo. R. 1. ſolutione præcedenti. 2. Totus infernus, in quem deſcendiſſe Chriſtum agnoſcimus, licet non in omnes ſinus inferni, reſpectu hujus locis vocatur infimum & profundiſſimum.

Inſt. Act. 2. Petrus dicit: *Quem* (Chriſtum) *Deus ſuſcitavit ſolutis inferni doloribus, juxta quod impoſſibile erat teneri illum ab eo.* Atqui dolores inferni ſunt in Inferno damnatorum. Ergo. R. 1. In textu Græco loco *Inferni* legi *Mortis*, juxta quam ſenſus eſt eum ſuſcitaſſe Chriſtum, ipſum ſolvendo a doloribus ſeu pœna & miſeria mortis, & vitæ reſtituendo. R. 2. (*Ibid. ad 1.*) Retinendo lectionem Vulgatæ: Chriſtus ſolvit dolores inferni, liberando Patres, non a pœna ſenſus, quam non patiebantur, ſed a pœna damni, quam patiebantur ex dilatione gloriæ. Poteſt etiam dici, quod ſolverit aliquas animas Purgatorii a pœna ſenſus & damni, de quo infra, & hoc ſenſu intelligendi ſunt SS. Patres. Juxta quem diſtinguenda eſt minor. Additur: *Juxta quod impoſſibile erat teneri illum ab eo*, vel *ab ea*: quia juxta divinum decretum Chriſtus non debebat manere in morte, neque in Inferno.

Urgebis: 1. Petri 3. dicitur, quod Chriſtus *his qui in carcere erant ſpiritibus veniens prædicavit, qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur Arca.* Atqui increduli erant in inferno damnatorum pœnam damni & ſenſus patientes. Atqui illic agi de deſcenſu Chriſti ad inferos, conſtat ex cap. ſeq. ubi dicitur: *Mortuis Evangelizatum eſt.* Ergo. R. In hoc textu ſermonem eſſe de his, qui, ut ait Petrus, *fuerant aliquando increduli*; ſed tamen in infidelitate non permanſerant. Noe enim diluvium annuntiante non omnes in ſua incredulitate perierunt, ſed quidam pœnitentes ab incredulitate converſi ſunt, licet in pœnam infidelitatis prioris aquis Diluvii perierint: & hi erant vel in Limbo Patrum, vel potius in Purgatorio; quia Limbus non dicitur carcer, ſed ſinus Abrahæ. His ergo prædicavit Chriſtus & evangelizavit nuntiando ipſis, ſe eſſe eorum Redemptorem.

Dico 4. (*Ibid. ad 2.*) Sicut Corpus Chriſti fuit una die & duabus noctibus in ſepulchro, tantumdem ejus anima manſit in inferno, ſcilicet uſque ad momentum Reſurrectionis, ita ut ſimul anima exiret de inferno, & corpus educeretur de ſepulchro. Unde Eccleſia in benedictione cerei Paſchalis cantat: *Hæc nox eſt, in qua Chriſtus ab inferis victor aſcendit.* Atque ita ſentiunt Patres, Iren. l. 5. adverſ. Hær. c. 31. Nyſſ. orat. 1. de Reſur. Tertull. l. de anima c. 55. & alii.

Dico 5. (*Ibid. art. 4. c.*) Chriſtus deſcendens ad inferos liberavit SS. Patres. 1. Exhibendo eis ſtatim a morte ſua claram Divinitatis viſionem, qua hucuſque privati fuerant, nondum ſoluto redemptionis noſtræ pretio: deinde eos e loco Inferni educendo. Et hoc eſt, quod dicitur Zach. 9. *Tu vero in ſanguine Teſtamenti tui eduxiſti vinctos de lacu in quo non erat aqua.* Et Coloſſ. 2. *Expolians principatus & poteſtates*, ſcilicet infernales, auferendo juſtos, *traduxit eos* ab hoc loco tenebrarum in cœlum. Conſentiunt veteres: Tertull. l. de anima c. 55. Aug. hom. 57. Greg. hom. 22. in Ev. Hier. in c. 2. Jonæ. Hinc canit Eccleſia: *O vere digna hoſtia, per quam fracta ſunt tartara, redempta plebs captivata, reddita vitæ præmia.*

Dico 6. (*Ibid. art. 5. c.*) Chriſtus deſcendens ad inferos nullum damnatorum liberavit: quia cum Chriſtus in hoc deſcenſu egerit per virtutem ſuæ Paſſionis, eos ſolos liberavit, quos Paſſioni ſuæ conjunctos invenit per fidem charitate informatam: Damnati autem vel non habuerunt fidem de Paſſione Chriſti, vel illi non fuerunt finaliter conjuncti per charitatem.

Neque refert, quod virtus Paſſionis Chriſti nunc ſe extendat etiam ad eos, qui ſunt in peccato. Diſparitas eſt, quod ſecundum Divinas ordinationes in præſenti vita ſit locus converſioni & tranſmutationi a culpa ad gratiam, ſecus poſt mortem, quia damnati ſunt confirmati in malo, ſicut beati in bono. Hinc illud: *Ubi ceciderit arbor, ibi manebit.* Propter eandem rationem (*Ib. a. 6. c.*) pueri, qui cum originali peccato deceſſerunt, non fuerunt per Chriſtum liberati.

Dico 7. (*Ibid. a. 7. c.*) Chriſtus ſuo deſcenſu ad inferos non liberavit omnes animas a Purgatorio. Prob. (*Ibid. art. 8.*) Deſcenſus Chriſti ad inferos liberatorius fuit in virtute Paſſionis. Virtus autem Paſſionis non habuit tunc majorem virtutem quam nunc habeat. Atqui nunc non liberat omnes animas, quæ ſunt in Purgatorio, ſed tantum eas, vel quæ ſunt ſufficienter purgatæ, vel quibus Paſſio Chriſti, quæ eſt velut cauſa univerſalis, applicatur per ſatisfactiones juſtorum viventium, vel per ſacramenta novæ Legis ad hoc divinitus inſtituta. Porro deſcenſus Chriſti ad inferos neque fuit ſatisfactorius, neque medium divinitus inſtitutum ad applicandam virtutem ſuæ Paſſionis omnibus animabus in Purgatorio tunc exiſtentibus. Liberavit ergo dumtaxat eos, qui erant ſufficienter purgati, vel etiam, qui dum viverant, meruerunt ex congruentia per fidem & devotionem ad mortem Chriſti, ut eo deſcendente liberarentur.

Dices 1. Eccleſ. 24. Sapientia dicit: *Illuminabo omnes ſperantes in Domino.* 2. Aug. in Pſ. 39. docet omnes animas electorum per Chriſti deſcenſum ab inferno eſſe liberatas. 3. Antiqui Patres, dum loquuntur de juſtorum liberatione, nullos excipiunt niſi impios. Ergo. R. Quoſdam propter hæc momenta cenſere, quod licet deſcenſus Chriſti per ſe non liberaverit omnes animas Purgatorii, id tamen tunc præſtiterit ex privilegio quaſi ex Indulgentia plenaria. Hæc ſententia non eſt improbabilis: non cogunt tamen nos ejus momenta recedere a ſententia Auctoris. Unde

Ad 1. Per illuminationem non neceſſario intelligitur abſoluta liberatio, ſed quædam conſolatio & novum gaudium de gloria poſt purgationem ſtatim accipienda. Ad 2. S. Aug. ibi loquitur de animabus in ſinu Abrahæ exiſtentibus, id eſt, de juſtis. Ad 3. Similiter dici poteſt antiquos Patres loqui de juſtis in Limbo, quos nihil a gloria retardabat niſi communis reatus naturæ ex peccato originali.

DISSERTATIO XII.

DE RESURRECTIONE CHRISTI.

D. Thom. QQ. 53. 54. & 55.

ANte omnia obſervandum eſt Reſurrectionem Chriſti fuiſſe pluries in veteri Teſtamento prænuntiatam verbis & factis. Verbis Gen. 49. de Juda dicitur. *Requieſcens accubuiſti, ut leo & quaſi leæna; quis ſuſcitabit eum?* Quod de Reſurrectione Chriſti interpretatur Ambroſ. l. de Bened. Patriarch. c. 4. Aug. l. 12. cont. Fauſt. c. 42. & alii. Pſ. 2. *Filius meus es tu, Ego hodie genui te.* Quibus verbis utitur Paulus Act. 13. ad probandam Reſurrectionem Chriſti. Pſ. 15. *Non relinques animam meam in inferno; Nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem:* Quod tam ipſe Paulus ibid. quam Petrus Act. 2. intelligunt de Reſurrectione Chriſti. Sophoniæ 3. *Expecta me, dicit Dominus, in die reſurrectionis meæ in futurum.* Quod Aug. l. 18. de Civit. c. 33. interpretatur pariter de Reſurrectione Chriſti. Oſeæ 3. *In die tertia ſuſcitabit nos:* quod item Aug. ibid. c. 28. Bernard. Serm. 1. de Reſurr. Tertull. contra Judæos interpretantur de Reſurrectione Chriſti.

Factis. Plura enim figurate geſta ſunt in prænuntiationem Reſurrectionis Chriſti futuræ: ut in Iſaac immulando & tamen ſervato; in Joſeph educto de carcere 3. anno, de quibus Proſper l. 1. Prædictionum c. 17. & 29. in Jona 3. die de ventre Ceti prodeunte, quod ſuæ Sepulturæ & Reſurrectionis tertia die fuiſſe figuram teſtatur ipſe Chriſtus Matth. 12. & 16. Hinc Apoſt. 1. Cor. 15. jure dicit: *Chriſtus reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas.*

ARTICULUS I.

Utrum neceſſarium fuerit Chriſtum reſurgere?

NEceſſarium intellige, non ſimpliciter, ſed ex ſuppoſitione divinæ ordinationis, Prophetiarum, meritorum Chriſti, & noſtræ utilitatis.

Dico (*Q. 53. a. 1. c.*) Neceſſarium fuit Chriſtum reſurgere propter 5. rationes in ſcripturis fundatas. 1. (*Ibid.*) Ad commendationem divinæ Juſtitiæ, ad quam pertinet exaltare illos, qui ſe propter Deum humiliant, ſecundum illud Lucæ 1. *Depoſuit potentes de ſede, & exaltavit humiles.* Quia igitur Chriſtus propter charitatem & obedientiam erga Deum, ſe humiliavit uſque ad mortem crucis, oportebat ut exaltaretur a Deo uſque ad glorioſam Reſurrectionem. Unde ex ejus perſona dicitur Pſ. 138. *Tu cognoviſti*; id eſt approbaſti *ſeſſionem meam*, id eſt humilitatem & Paſſionem, *& Reſurrectionem meam*, id eſt glorificationem in Reſurrectione, ut exponit Gloſſa.

2. (*Ibid.*) Ad fidei noſtræ inſtructionem; quia per Chriſti reſurrectionem propria virtute, & in ſignum ſuæ Divinitatis factam, confirmata eſt fides noſtra circa ejus Divinitatem: ut enim dicitur 2. Cor. ult. *Etſi crucifixus eſt ex infirmitate; ſed vivit ex virtute Dei*, id eſt ſua: & ideo 1. Cor. 15 dicitur; *Si Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt prædicatio noſtra, inanis eſt fides veſtra*, Non quod fides noſtra, etiamſi Chriſtus non reſurrexiſſet, abſolute loquendo, non potuiſſet eſſe vera & utilis ad ſalutem, ſed ſupponendo ea, quæ prædicta erant de ejus Reſurrectione, & quod ipſe ſæpe promiſerat ſe reſurrecturum, ſi revera non reſurrexit falſum docuit homines & eos decepit; Ideoque inanis eſt prædicatio Apoſtolorum, inanis & fides noſtra, quia utraque falſa. 3. (*Ib.*) Ad ſublevamen ſpei noſtræ, quia dum videmus Chriſtum, qui eſt caput noſtrum, reſurgere, ſperamus & nos reſurrecturos. Unde dicitur 1. Cor. 15. *Si Chriſtus prædicatur, quod reſurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam reſurrectio mortuorum non eſt?* 4. (*Ibid.*) Ad informationem vitæ Fidelium ſecundum illud Rom. 6. *Quomodo Chriſtus ſurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Et infra: *Chriſtus reſurgens ex mortuis jam non moritur, ita & vos exiſtimate mortuos quidem eſſe peccato, viventes autem Deo.* 5. (*Ib.*) Ad complementum noſtræ juſtificationis: quia ſicut per hoc, quod mala ſuſtinuit, humiliatus eſt moriendo, ut nos liberaret a malis: ita glorificatus eſt reſurgendo, ut nos promoveret ad bona, ſecundum illud Rom. 4. *Traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram.* Non tamen hoc ſenſu, quod ejus Reſurrectio meruit juſtificationem noſtram; non enim erat opus viatoris; neque quod eſſet dumtaxat exemplar noſtræ juſtificationis; ſed quia ſi Chriſtus non reſurrexiſſet, juſtitiam, quam per paſſionem nobis promeruerat, non eſſemus aſſecuti. Erat enim in divinis Decretis ſic ordinatum, ut non daretur Spiritus S. nec mitterentur Apoſtoli ad prædicandum, neque nobis applicaretur generaliter paſſionis fructus, niſi poſt Reſurrectionem, juxta illud Lucæ 4. *Oportebat enim Chriſtum pati, & reſurgere a mortuis tertia die & prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remiſſionem peccatorum.* Et illud Joan. 7. *Nondum erat ſpiritus datus; quia Jeſus nondum erat glorificatus.*

ARTICULUS II.

De die & hora qua Chriſtus reſurrexit.

CHriſtum 3. die a morte ſua reſurrexiſſe indubitata fides eſt ſæpe in Scripturis aſſerta: utrum autem id ſit convenienter factum?

Dico 1. (*Ibid. ad 2.*) Conveniens fuit Chriſtum reſurgere 3. die. Prob. Reſurrectio, (*Ibid.*) ut dixi Art. præced. neceſſaria fuit ad inſtructionem fidei noſtræ. Eſt autem fides noſtra de Divinitate & Humanitate Chriſti; non enim ſufficit alterum ſine altero credere. Atqui ad hoc, quod confirmaretur fides de veritate Divinitatis ipſius, oportuit, quod cito reſurgeret, & ejus reſurrectio non differretur uſque ad finem mundi: ad hoc autem, quod confirmaretur fides de veritate humanitatis & mortis ejus, oportuit moram eſſe inter mortem & reſurrectionem; ſi enim ſtatim poſt mortem reſurrexiſſet, videri poſſet, quod ejus mors vera non fuerit, & per conſequens nec reſurrectio vera: ad veritatem autem mortis manifeſtandam, ſufficiebat, quod uſque ad 3. diem ejus reſurrectio differretur, quia non contingit, quin infra hoc tempus, in homine, qui mortuus videtur, cum vivat, appareant aliqua indicia vitæ. Ergo.

Dico 2. (*Ibid ad 3.*) Tertia dies, qua Chriſtus reſurrexit, fuit prima hebdomadæ, quæ apud nos eſt dies Dominica, diluculo ſeu ſub aurora. Quantum ad diem, patet 1. Quia cum ex dictis conſtet eſſe mortuum die 6. hebdomadæ & reſurrexiſſe 3. die ſequente, conſequens eſt, quod reſurrexerit prima die hebdomadæ. 2. Quia mulieres, quæ dicuntur in Evangelio veniſſe ipſa præfata die ſummo mane ad ſepulchrum, invenerunt jam Reſurrectionem factam; dicuntur enim veniſſe una ſeu prima Sabbathi, id eſt prima die hebdomadæ; quia nomine Sabbathi apud Judæos non ſolum ſignificatur ſeptima dies quieti deſtinata, ſed etiam tota hebdomada 7. diebus conſtans, ut patet ex illo Luc. 18. *Jejuno bis in Sabbatho*, id eſt in hebdomada, impoſſibile eſt enim jejunare bis in una die.

Quantum ad horam, Chriſtum reſurrexiſſe diluculo ſeu ſub aurora communis eſt ſententia SS. Patrum, Aug. in Enar. 2. Pſ. 26. & l. 4. de Trin. c. 6. Hilarii can. 33. in Matth. Prudentii in Hymno ad Galli cantum, S. Th. hic & q. 51. a. 4. & aliorum Scholaſticorum in 3. d. 22. Item eſt ſenſus communis Eccleſiæ, quæ cantat cum S. Ambroſio in Hymno Paſchali: *Aurora lucis rutilat ... cum Rex ille fortiſſimus ... victor ſurgit de funere.* Item quod præcipuum eſt, videtur expreſſum in Scriptura Marci ult. his verbis: *Surgens autem mane prima Sabbathi*: Græce: *Cum ſurrexiſſet mane.* Adde quod ſi reſurrexiſſet ante illuceſcentem diem, non fuiſſet 3. diebus & 3. noctibus in corde terræ, ut dicitur Matth. 12. Quando ergo S. Hieron. q. 6. ad Hebidiam dicit Chriſtum reſurrexiſſe hora qua ipſa voluit, & quæ nulli mortalium eſt cognita, intelligendus eſt de inſtanti Reſurrectionis; aurora enim decurrit per plura inſtantia.

Obj. 1. Matth. 28. dicit mulieres veniſſe ad ſepulchrum, veſpere Sabbathi. Ergo non poſt Sabbathum. R. Per veſperam Sabbathi apud Matth. intelligi ipſam noctem, quæ ſequitur Sabbathum, apud Hebræos enim ſæpe tota nox vocatur *Veſpera*, totus dies, *mane*, ut patet Geneſ. 1. *Factus eſt veſpere & mane dies primus.* Senſus ergo Matthæi, qui alludit ad duplex Sabbathum, de quo ſupra, eſt: Veſpera ſeu nocte ſequente Sabbathum, quæ luceſcit in prima Sabbathi ſeu prima die hebdomadæ, conformiter ad textum Græcum, in quo ſic legitur: *Tarde poſt Sabbatha ea die, quæ luceſcit in primam Sabbathi.*

Obj. 2. Joannes 20. dicit Mariam Magdalenam veniſſe ad ſepulchrum, *cum adhuc tenebræ eſſent*: ergo non diluculo ſeu ſub aurora. R. N. Conſe. 1. Quia juxta Aug. l. 3. de conſenſu Evang. in diluculo, cum dies incipit tantum illuceſcere, nondum omnino ſunt expulſæ tenebræ, & ſic poteſt dici, *cum adhuc tenebræ eſſent.* 2. Quia juxta eundem ibid. Mulieres egreſſæ ſunt de domibus ſuis, cum adhuc tenebræ eſſent, ſed quia hortus, in quo ſepultus jacebat Chriſtus, erat extra Civitatem ſitus ad occidentem, ad illum non pervenerunt niſi orto jam ſole, ut dicit Marcus 16. (*Ibid.*) Intellige tamen ortum

ſolum,

ſolem, non de corpore ſolis ſuper Horizontem, ſed de primis radiis tenebras depellere incipientibus.

Quomodo autem Chriſtus, ſi ſurrexerit 3. die ſummo mane, manſerit 3. diebus & 3. noctibus in ſepulchro, ut dicitur Matth. 12. diximus Diſſ. præced. a. 2. in fine.

ARTICULUS III.

De Chriſto primo omnium reſurgente & aliis cum ipſo reſurgentibus.

Dico 1. (*Ib. a. 3. c.*) Quamvis plures ante Chriſtum reſurrexerint reſurrectione imperfecta, quæ eſt liberatio a morte actuali tantum; ipſe tamen primus omnium reſurrexit reſurrectione perfecta, quæ eſt liberatio non ſolum a morte actuali, ſed etiam a neceſſitate, & quod plus eſt a poſſibilitate moriendi; reſurrexit enim ad vitam immortalem. Unde 1. Cor. 15. dicitur: *Chriſtus reſurrexit primitiæ dormientium*. Coloſſ. 1. *Qui eſt principium primogenitus ex mortuis*. Apocal. 1. *Primogenitus mortuorum*.

Quantum ad 2. partem tituli, Matthæus c. 27. poſtquam ſignificavit Chriſtum in cruce animam egiſſe, inter varia prodigia, quæ tunc contigiſſe narrat, dicit: *Et monumenta aperta ſunt, & multa corpora ſanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt, & exeuntes de monumentis poſt Reſurrectionem ejus venerunt in Sanctam Civitatem, & apparuerunt multis*. Ubi Evangeliſta occaſione apertionis monumentorum, quæ contigit Chriſto moriente ex terræ motu, ponit per anticipationem reſurrectionem mortuorum ante Reſurrectionem Chriſti, cum tamen nonniſi poſt illam eam cum illa facta ſit, ut patet ex eo, quod ſubjungit, *Et exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem ejus... apparuerunt multis*. Abſurdum enim foret dicere eos triduo vivos manſiſſe in ſepulchris ſive clauſis, ſive apertis. Item cum finis Reſurrectionis eorum eſſet, ut apparendo hominibus Chriſti Reſurrectionem teſtarentur, ſi non apparuerunt niſi poſt Chriſti Reſurrectionem, nec ante illam reſurrexerunt.

Quinam autem fuerint Sancti, qui cum Chriſto reſurrexerunt, non dicit Scriptura: ſed veriſimile eſt, ut tenet communior opinio, fuiſſe illos, qui ſpecialem reſpectum habuerunt ad Chriſtum, fueruntque illuſtriores ejus figuræ, ut Abraham, Iſaac, Jacob, Moyſes, David, Melchiſedech, &c. & etiam nonnullos recens defunctos, ut Zachariam, Joannem Bapt. Simeonem, &c. qui cum hi eſſent Judæis noti, aptiores erant, ut teſtarentur illis Chriſtum reſurrexiſſe, & ipſum eſſe ſuæ reſurrectionis auctorem.

Verum gravior difficultas eſt, utrum ad vitam immortalem reſurrexerint, & aſcendente Chriſto in cœlum, ipſi etiam cum ſuis corporibus in cœlum aſcenderint: an e contra iterum mortui ſint, & ad ſepulchra ſua redierint communem reſurrectionem expectaturi. Primam ſententiam tenent S. Ignat. Ep. ad Magneſianos, Orig. in c. 27. Matth. Euſeb. l. 4. Demonſt. Evang. c. 12. Ambroſ. ſuper Luc. & alii. Secundam amplectuntur S. Aug. Ep. 99. ad Evod. Chryſoſt. hom. 28. in Ep. ad Heb. Theodoret. c. 11. ejuſdem Ep. S. Greg. Mag. l. 1. Moral. in Job, S. Th. hic a. 3. ad 2. quamvis junior oppoſitum tenuerit in 4. d. 43. a. 3. Huic ſecundæ ſententiæ aliquanto mihi probabiliori ſubſcribens

Dico 2. (*Ibid. ad 2.*) Qui cum Chriſto reſurrexerunt, iterum mortui ſunt, & ad ſua ſepulchra redierunt ſecundo reſurrecturi in fine mundi. Prob. 1. Apoſt. Heb. 11. dicit, Juſtos veteris Teſtamenti non conſecuturos conſummatam felicitatem, quæ in glorificatione animæ & corporis ſita eſt, niſi nobiſcum, id eſt, cum communi cœtu Fidelium in generali reſurrectione. *Hi omnes*, inquit, *teſtimonio fidei probati, non acceperunt repromiſſionem, Deo pro nobis aliquid melius diſponente, ut non ſine nobis conſummarentur*.

Reſpondet 1. Sylvius, id verum eſſe communiter & ſalvo privilegio. Sed contra. Omnino gratis & abſque ullo fundamento fingitur hujuſmodi privilegium pro his, qui ſurrexerunt cum Chriſto, imo contra dictum Apoſtoli: etenim inter eos, qui ſurrexerunt cum Chriſto, veriſimillimum eſt, ut diximus, fuiſſe Abraham, Iſaac, Jacob, Moyſem, Davidem, &c. & tamen illis non fuiſſe conceſſum privilegium conſummatæ felicitatis ante generalem reſurrectionem expreſſe tradit Apoſt. dicens: *Et hi omnes*, quos ſcilicet nominavit in toto capite, nominavit autem Abraham, Iſaac, Jacob, Moyſem, Davidem, &c *Non acceperunt repromiſſionem*.

Reſpondet 2. Apoſtolum poſſe intelligi de ſola gloria animæ, quam Patres antiqui non acceperunt ſine nobis, id eſt ante ſtatum novæ Legis. Sed contra, Apoſt. loquitur de felicitate conſummata, *non ſine nobis conſummarentur*: felicitas autem conſummata in glorificatione corporis ſimul & animæ ſita eſt.

Prob. 2. (*Ib.*) Davidem fuiſſe de numero juſtorum, qui cum Chriſto reſurrexerunt, jam dictum eſt: et adhuc ipſum fuiſſe in ſepulchro poſt Aſcenſionem Domini conſtat ex Apoſtolo Petro, qui act. 2. die Pentecoſtes Judæis probat hæc verba Pſ. 15. *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*, de Davide non eſſe dicta, *quoniam*, inquit, *defunctus eſt & ſepultus eſt, & ſepulchrum ejus eſt apud nos uſque in hodiernum diem*. Quæ ratio nihil probaret, niſi intelligatur continens cum contento, id eſt ſepulchrum, in quo tunc eſſet corpus Davidis jam corruptum.

Reſpondet Sylvius, quod ſepulchrum, quod jam diu continuerat corpus Davidis, eſſet ſufficiens argumentum corruptionis illius: etiamſi forte cum Apoſt. Petrus illa diceret, non tunc illud contineret. Sed contra 1. (*Ib.*) Si corpus Davidis non erat tunc in ſepulchro, nihil evincebat Petrus, quia etſi David ſtatim a morte ſurrexiſſet, & caro ejus non vidiſſet corruptionem, poſſet nihilominus illud monumentum manere. 2. Si ſepulchrum vacuum Davidis eſſet ſufficiens argumentum ejus corruptionis, quia illud continuerat, pariter ſepulchrum Chriſti vacuum, quod erat tunc apud Judæos, & eſt adhuc in terra, eſſet ſufficiens argumentum corruptionis illius, & retorquere potuiſſent Judæi in Petrum dicendo: Ergo de illo dictum non eſt: *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*.

Prob. 3. Inter eos, qui ſuſcitati ſunt cum Chriſto, fuit indubie Joannes Bapt. Atqui caput ejus ſervatur Romæ. Ergo. 4. Communis ſenſus Fidelium eſt neminem præter Chriſtum & B. Virginem cum corpore cœlos aſcendiſſe.

Obj. cum laudato Sylvio 1. Sancti, qui cum Chriſto reſurrexerunt, non convixerunt cum aliis hominibus, nec omnibus apparuerunt, ſed aliquibus tantum, quod eſt proprium corporum glorioſorum. 2. Surrexerunt in teſtimonium Reſurrectionis Chriſti, quæ fuit ad vitam immortalem. 3. Connaturale eſt animæ beatæ uniri corpori immortali. 4. Nullum alioquin eis collatum fuiſſet beneficium, ſed potius pœna. Ergo. R. ad 1. Sanctos, qui reſurrexerunt cum Chriſto, non convixiſſe cum aliis, quia ad hoc non fuerunt ſuſcitati, ſed dumtaxat, ut eſſent teſtes Reſurrectionis Chriſti. Non apparuerunt omnibus, quia non omnibus ſe conſpicuos exhibuerunt. Cæterum eſto, inde inferretur, quibuſdam corporum glorioſorum qualitatibus fuiſſe ex ſpeciali privilegio donatos, has habuerunt non per modum habitus permanentis, ſed per modum diſpoſitionis tranſeuntis, qualiter habuit Moyſes in Transfiguratione.

Ad 2. Fuerunt ſufficientes teſtes Reſurrectionis Chriſti per ſuam reſurrectionem realem, nec ad hoc erat neceſſe, ut parem cum Chriſto immortalitatem conſequerentur. Ad 3. Connaturale eſt animæ beatæ in omnibus ſubjici divinæ ordinationi, & uniri corpori, quomodo & quando ipſi placuerit. Ad 4. Reſurrectio Sanctorum facta eſt non tam in illorum gratiam, quam in gratiam Reſurrectionis Chriſti. Neque ſecunda mors illis fuit pœna, quia contingit ſine ulla vi & ſine ullo dolore, ſed ſimplici ſeparatione animæ a corpore.

Petes, utrum Chriſtus fuerit cauſa ſuæ Reſurrectionis? R. (*Ibid. art. 4. c.*) Chriſtus ſecundum Divinitatem fuit cauſa efficiens principalis ſuæ Reſurrectionis; inſtrumentalis autem ſecundum humanitatem, ſeu quatenus anima & corpus erant inſtrumentum Divinitatis: cauſa denique meritoria fuit per ſuam paſſionem.

ARTICULUS IV.

De Qualitate Chriſti reſurgentis.

Quatuor hic occurrunt expendenda. 1. an Chriſtus reſurgendo verum & idem corpus reſumpſerit? 2. an integrum? 3. an glorioſum? 4. an cum cicatricibus? Pro quorum reſolutione

Dico 1. (*Q. 54. a. 1. c.*) Chriſtus reſurgendo verum & idem corpus reſumpſit, alioquin non fuiſſet vera Reſurrectio: illud enim reſurgere dicitur, quod cecidit; Corpus autem Chriſti per mortem cecidit, quatenus anima, quæ erat formalis ejus perfectio, fuit ab eo ſeparata. Ergo ut eſſet vera ejus reſurrectio, oportuit, ut verum & idem corpus iterato eidem animæ uniretur.

Dices 1. Verum corpus non poteſt eſſe ſimul cum alio corpore in eodem loco. Atqui corpus Chriſti poſt reſurrectionem fuit ſimul cum alio corpore in eodem loco, dum intravit ad Diſcipulos januis clauſis, Joan. 20. Ergo. 2. Verum corpus ab oculis intuentium non evaneſcit, niſi forte corrumpatur, quod tamen contigit Chriſto, Luc. ult. 3. Cujuslibet veri corporis eſt determinata figura; ſed corpus Chriſti apparuit Diſcipulis in alia effigie; Marci ult. Ergo.

R. Ad 1. (*Ib. ad 1.*) penetrationem hanc factam fuiſſe miraculoſa virtute divinitatis unitæ, quæ, ſervata quantitate, poteſt ab ea ſeparare ejus proprietatem, qualis eſt impenetrabilitas. Ad 2. (*Ibid. ad 2.*) Hæc eſt diſpoſitio corporis glorioſi, quale habuit Chriſtus, ſicut mox di-

dicam, ut ſit omnino ſubjectum ſpiritui ita ut omnis actio corporis ſubdatur ſpiritus voluntati. Quod autem aliquid videatur, fit per actionem viſibilis viſum, & ideo quicumque habet corpus glorificatum, in poteſtate ſua habet videri, quando vult, & non videri, quando non vult. Hoc tamen habuit Chriſtus non ſolum ex conditione corporis glorioſi, ſed etiam ex virtute Divinitatis, per quam fieri poteſt, ut corpora etiam non glorioſa miraculoſe non videantur. Dicitur ergo, quod Chriſtus ab oculis Diſcipulorum evanuit, non quod corrumperetur aut reſolveretur in aliqua inviſibilia, ſed quia ſua voluntate deſiit ab eis videri, ſive præſens, ſive abſcedens velociter per dotem agilitatis. Ad 3. (*Ib. ad 3.*) Chriſtus in reſurrectione nullatenus mutavit vultus effigiem, quantum ſcilicet ad lineamenta, nihil enim in ipſo inordinatum erat; ſed ſicut in poteſtate ejus erat, ut corpus ſuum videretur vel non videretur, ita in poteſtate ejus erat, ut ex ejus aſpectu formaretur in oculis intuentium vel forma glorioſa, vel non glorioſe, vel commixta, vel qualitercumque ſe habens. Adde, quod modica differentia ſufficiat ad hoc, quod aliquis videatur in alia effigie apparere.

Dico 2. (*Ibid. art. 2. o.*) Corpus Chriſti reſurrexit integrum: quia fuit ejuſdem naturæ in reſurrectione ac erat ante mortem, ut dixi ſuperius, licet alterius gloriæ: unde quidquid ad naturam corporis humani pertinet, ut ſunt oſſa, carnes, ſanguis, & alia hujuſmodi, totum fuit in corpore Chriſti reſurgentis. Specialis eſt difficultas de ſanguine, an totum, qui effuſus eſt in paſſione, reſumpſerit? Pro quo vide Tract. de Incar. Diſſ. 7. c. 2. Concl. 2. præſertim obj. 2. ubi reſolvimus reſumpſiſſe totum ſanguinem, moraliter loquendo de ſanguine, qui ſit neceſſarius ad integritatem corporis, non phyſice loquendo de quibuſdam minimis particulis ſanguinis, ſine quibus ſtat integrum corpus. Altera difficultas eſt de præputio, an illud reſumpſerit? Reſpondi negative in præſenti Tract. Diſſ. 5. a. 7. Vide.

Dico 3. (*Ibid. a. 3, o.*) Corpus Chriſti reſurrexit glorioſum. Ante probationem notandum, corporis glorioſi quatuor qualitates numerari a Theologis, ſcilicet claritatem impaſſibilitatem ſeu incorruptibilitatem, ſubtilitatem, & agilitatem, juxta illud Apoſt. 1. Cor. 15. *Sicut ſtella differt a ſtella in claritate, ſic & reſurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione; ſeminatur in ignobilitate, ſurget in gloria; ſeminatur in infirmitate, ſurget in virtute.* Dicimus itaque, Corpus Chriſti reſurrexiſſe his quatuor qualitatibus inſtructum, quod Prob. 1. (*Ibid.*) Reſurrectio Chriſti fuit exemplar & cauſa noſtræ reſurrectionis. Atqui ſancti in reſurrectione habebunt corpora glorioſa, ut patet ex Apoſt. cit. Ergo multo magis corpus Chriſti reſurgentis fuit glorioſum. Patet Conſequentia, quia cauſa eſt potior cauſato & exemplar exemplato. 2. Chriſtus per humilitatem paſſionis meruit gloriam reſurrectionis. 3. Anima Chriſti a principio ſuæ conceptionis fuit glorioſa per fruitionem perfectam Divinitatis, ut ſupra dixi: fuit autem diſpenſative factum, ut ab anima gloria non redundaret in corpus, ut myſterium Redemptionis noſtræ ſua paſſione impleret. Ergo perfecto hoc myſterio Paſſionis & Mortis Chriſti, ſtatim anima in corpus reſurrectione reſumptum ſuam gloriam derivavit.

Dices 1. Corpora glorioſa ſunt propter claritatem fulgentia. Atqui corpora fulgentia videntur ſecundum rationem lucis & non ſecundum rationem coloris, qualiter tamen viſum eſt corpus Chriſti; viſum eſt enim ſicut prius videbatur. Ergo. 2. Corpus Chriſti in reſurrectione fuit palpabile Luc. ult. Ergo corruptibile; quod enim palpatur, corrumpi neceſſe eſt, inquit Greg. Hom. 26. in Evang. & patet, quia palpabile conſtat qualitatibus elementaribus, ratione quarum eſt tangibile. 3. Corpus, quod manducat & bibit, eſt animale & alterabile. Atqui Chriſtus poſt reſurrectionem manducavit & bibit cum Diſcipulis. Ergo. R. ad 1. (*Ib. ad 1.*) Quod ſicut in poteſtate hominis glorificati eſt, ut corpus ejus videatur vel non videatur, ut dictum eſt prima Concl. ita in poteſtate ejus eſt, ut claritas ejus videatur vel non videatur: unde poteſt in ſuo colore ſine aliqua claritate videri. Et hoc modo Chriſtus Diſcipulis ſuis poſt reſurrectionem apparuit.

Adde, (*Ibid.*) quod omne, quod recipitur in aliquo, ad modum recipientis recipitur; fulgor, qui ab anima derivatur in corpus glorioſum, recipitur ſecundum colorem humano corpori naturalem, ſicut vitrum diverſimode coloratum recipit ſplendorem ex illuſtratione ſolis, ſecundum modum ſui coloris.

Ad 2. (*Ib. ad 2.*) Equidem, quod eſt palpabile, eſt naturaliter corruptibile propter rationem datam: ſed ratione dotis glorioſæ fit ſupernaturaliter incorruptibile.

Ad 3. (*Ibid. ad 3. & q. 55. a. 6. ad. 1.*) Chriſtus manducavit & bibit, non quaſi indigens potu & cibo ad nutritionem, ſed ut ſic naturam corporis reſurgentis adſtrueret, & ideo non ſequitur, quod fuerit ejus corpus animale & alterabile. Fuit tamen vera comeſtio, quia per inſtrumenta naturalia corporis animati; non ſic comeſtio Angelorum in aſſumptis corporibus, ut patet Tob. 12. Si quæras, quo evaſerit cibus & potus? R. evaſiſſe vi caloris naturalis in aerem & vapores eo modo, quo ſol abſumit aquas, non ut ſibi uniat, ſed ut in aerem & vapores reſolvat.

Dico 4. (*Ibid. a. 4. o. & ad 2.*) Chriſtus convenientiſſime reſurrexit cum cicatricibus. Quod intellige non de nudis ſignis & veſtigiis vulnerum, ſed de ipſis patentibus & apertis foraminibus. Quod patet ex hoc, quod dixit Chriſtus Thomæ Joan. 20. *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & offer manum tuam, & mitte in latus meum.* Id itaque (*Ibid. o.*) convenientiſſimum fuit: 1. Propter gloriam ipſius Chriſti, & ut reportati Triumphi inſignia permanerent. 2. Ad confirmandum corda Diſcipulorum circa fidem ſuæ Reſurrectionis, utque eos convinceret idem corpus reſurrexiſſe, quod fuerat crucifixum. 3. Ut Patri pro nobis ſupplicans, & apertas cicatrices oſtendens, veluti perpetuum ſacrificium offerret. 4. Ut in extremo Judicio has cicatrices hominibus judicandis oſtendat; Juſtis quidem, ut incentivum gratitudinis & amoris, Reprobis vero in exprobrationem & ignominiam.

Si dicas aperturas vulnerum contrariari integritati corporis, quia per eas diſcontinuatur corpus. R. (*Ibid. ad 2.*) quod licet illa apertura vulnerum ſit cum quadam ſolutione continuitatis, totum hoc tamen compenſatur per majorem decorem gloriæ, ita ut corpus non ſit minus integrum, ſed magis perfectum.

Petes utrum Thomas non tantum viderit, ſed etiam tetigerit vulnera Chriſti? Affirmat Auctor (*Ibid.*) ex S. Leone. Idem tradunt Ambroſ. in c. ult. Luc. Aug. l. 4. de Trinit. c. 3. Greg. Hom. 26. in Ev. & alii. An autem cæteri Apoſtoli etiam tetigerint, dum Luc. 24. dictum eſt eis: *Palpate & videte*, incertum eſt.

ARTICULUS V.

De Manifeſtatione Reſurrectionis.

VERTITUR hic in quæſtionem 1. Utrum Chriſtus debuerit per ſe manifeſtare ſuam Reſurrectionem omni populo, & non tantum aliquibus: legimus enim Act. 10. quod ſe manifeſtaverit *non omni populo, ſed teſtibus præordinatis a Deo*. 2. Utrum fuiſſet conveniens, quod diſcipulis videntibus reſurgeret? 3. Cui primo apparuerit? 4. Utrum poſt Reſurrectionem debuerit continuo converſari cum illis? Sequuntur quædam Quæſtiunculæ. Dico 1. (*Q. 55. art. 1. o.*) Chriſtus poſt Reſurrectionem non debuit ſe omnibus promiſcue manifeſtum exhibere: quia quæ ſunt ſupernaturalia & excedunt lumen humanum, nec niſi lumine gratiæ cognoſcuntur, qualis fuit Reſurrectio Chriſti, non ſolent omnibus revelari, ſed aliquibus tantum, per quos deinde aliis manifeſtentur.

Simili ferme ratione (*Ibid. a. 2. o.*) non debuit reſurgere Diſcipulis videntibus: quia ſecundum ordinem a Deo inſtitutum, quæ ſupra naturam ſunt, denuntiari ſolent hominibus per Angelos. Dixi *ſolent*, quia aliter aliquando fit, nec dubium eſt, Apoſtolos plura circa Myſteria Trinitatis, Incarnationis, & alia accepiſſe immediate a Chriſto vel e Spiritu S.

Si petas, utrum ipſi cuſtodes ſaltem viderint Chriſtum reſurgere? R. negative, tum ex ratione data; tum quia ex Scriptura 1. Magdalenæ apparuit, ut dicam modo; tum quia cuſtodes dicuntur exterriti, non viſione Chriſti reſurgentis, ſed Angeli deſcendentis de cœlo, terram concutientis & lapidem revolventis ad oſtendendum Sepulchrum vacuum mulieribus. Et eſto, fuerint tunc vigiles cuſtodes, in poteſtate glorioſi corporis Chriſti erat ſe exhibere videndum cui vellet.

Dico 2. Pia & probabilis eſt ſententia, quæ dicit Chriſtum e mortuis reſurgentem 1. apparuiſſe B. V. Matri ſuæ. Ita docent Ruper. Abbas, Albertus M. S. Bonavent. & plures Recentiores: atque ita ſuadet pius Filii in amantiſſimam Matrem affectus. Ad id, quod opponitur ex Marci 16. *Surgens mane prima Sabbathi, apparuit primo Mariæ Magdalenæ*: reſpondetur, Tò *Primo* non ſignificare prioritatem abſolutam, ſed ſecundum quid, ſcilicet *primo* inter Diſcipulos, teſtes & nuntios Reſurrectionis, vel primo inter apparitiones ab Evangeliſtis relatas.

Dico 3. Æque minus probabile eſt Chriſtum reſurgentem 1. apparuiſſe M. Magdalenæ. Quia Tò *primo* in textu Marci ſimpliciter poſitum videtur ſecundum ſenſum obvium importare prioritatem abſolutam. Unde Eccleſia in officio S. M. Magdalenæ cantat: *Celſi meriti Maria, quæ ſolem verum reſurgentem videre meruiſti mortalium prima.*

Conf. 1. ex SS. Patribus, Aug. Cyrillo, Beda & aliis,

qui

qui dum apparitionum Chriſti ordinem & numerum recenſent, primam omnium Magdalenæ factam conſtanter ponunt. 2. Ex ſilentio Evangeliſtarum circa iſtam apparitionem factam B. Virgini.

Hæc tamen duo non multum urgent. Ad 1. enim reſponderi poteſt, Patres loqui tantum de apparitionibus recenſitis ab Evangeliſtis. Ad 2. Evangeliſtas non recenſuiſſe omnes Chriſti apparitiones, ut patet ex 1. Cor. 15. & mox dicam.

Dico 4. (*Ibid. a. 3. o.*) Chriſtus poſt ſuam Reſurrectionem non debuit continue converſari cum Diſcipulis. Quia (*Ibid.*) circa Reſurrectionem Chriſti duo erant Diſcipulis declaranda, ſcilicet ipſa veritas Reſurrectionis & gloria Reſurgentis. Ad veritatem autem Reſurrectionis ſufficiebat, quod pluries eis apparuerit, cum eis familiariter converſatus fuerit, comederit, biberit, & ſe iis palpandum exhibuerit. Ad gloriam Reſurgentis manifeſtandam non conveniebat, ut continue cum eis converſaretur, ſicut prius fecerat, ne videretur ad talem vitam reſurrexiſſe, qualem prius habuerat, ſcilicet mortalem. Unde Luc. ult. dicit eis: *Hæc ſunt verba quæ locutus ſum ad vos, cum eſſem adhuc vobiſcum*, id eſt cum eſſem adhuc in carne mortali, in qua eſtis vos.

Petes 1. Quot fuerint Chriſti apparitiones? R. (*Ibid. ad 3.*) decem referri ab Evangeliſtis juxta obſervationem Aug. l. 3. de conſenſu Evang. in fine: quinque ipſa die Reſurrectionis, alias poſtea. 1. Itaque facta eſt Magdalenæ, Marci ult. & Joan. 20. 2. mulieribus e ſepulchro redeuntibus, Matth. 28. 3. Petro: duobus enim Diſcipulis redeuntibus ex Emmaus, dixerunt alii ſimul congregati: *Surrexit Dominus vere & apparuit Simoni*, Luc. ult. 4. Diſcipulis euntibus in Emmaus, Luc. ult. 5. cum Dominus intravit ad Diſcipulos januis clauſis, abſente Thoma, Luc. 24. Joan. 20. 6. die octava iterum Diſcipulis præſente Thoma, Joan. 20. 7. ad mare Tiberiadis, Joan. 21. qui vocat eam tertiam, ſcilicet ex his, quæ factæ fuerant pluribus Diſcipulis ſimul, vel tertiam inter eas, quas ipſe recenſuit. 8. undecim Diſcipulis in monte Galilææ, ubi conſtituerat illis Jeſus, Matth. 28. 9. *noviſſime recumbentibus undecim Apoſtolis* Jeroſolymis, Marci ult. 10. denique ipſa die Aſcenſionis in monte Oliveti prope Bethaniam, Luc. 24. & Act. 1.

Circa nonam difficultas eſt. Plures enim volunt hanc apparitionem fuiſſe ultimam ex his, quæ factæ ſunt die Reſurrectionis, proinde quintam, idque videtur innui in textu; poſtquam enim Marcus narravit apparitionem factam Magdalenæ & duobus Diſcipulis euntibus in Emmaus, quibus cæteri non crediderant, immediate ſubjungit: *Noviſſime*, græce, *poſtea recumbentibus illis undecim apparuit, & exprobravit incredulitatem eorum*, &c. Neque veriſimile eſt Chriſtum ipſo ſuæ Aſcenſionis die exprobraſſe incredulitatem Apoſtolis, quia jamdiu antea crediderant. Neque obſtat tunc non fuiſſe undecim Apoſtolos, ſed decem tantum; Thomas enim aberat, ut dictum eſt, & etiam adfuiſſe alios ex Diſcipulis, quia a nobiliori parte conſeſſus vocabatur *undecim* virorum, eo quod poſt Judæ diſceſſum collegium Apoſtolorum tot conſtabat capitibus. Juxta hanc Sententiam non improbabilem erunt tantum novem apparitiones ab Evangeliſtis relatæ.

Petes 2. Ubi Chriſtus eſſet extra tempus harum 10. apparitionum? R. veriſimiliter fuiſſe aliquando cum dilectiſſima Matre, aliquando cum Patribus, quos æterna beatitudine donaverat (*Ib.*), certo autem aliquando cum Diſcipulis. Præter enim has 10. apparitiones ab Evangeliſtis recenſitas, plures alias factas eſſe ipſis Diſcipulis ad eorum conſolationem & inſtructionem, conſtat partim, ut jam dixi, ex Apoſt. 1. Cor. 15. ubi refert apparitionem factam 500. Fratribus ſimul, deinde Jacobo, de quibus tamen nulla eſt mentio apud Evangeliſtas: partim ex illo Act. 1. *Per dies 40. apparens eis & loquens de Regno Dei*: id eſt de rebus Eccleſiam ſpectantibus: non enim omnia ſcripta ſunt, inquit Auctor ex Joanne.

Petes 3. Quis ſenſus horum verborum Chriſti ad Magdalenam Joan. 20. *Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad Patrem*: cum tamen paulo poſt permiſerit ſe tangi a mulieribus redeuntibus e ſepulchro, & probabiliter a Magdalena, quæ forte in reditu eas attigerat. R. ſenſum litteralem horum verborum eſſe hunc: Ne nunc moreris in mei amplexu & pedum oſculis, ſed vade cito & nuntia fratribus meis meam reſurrectionem, erit tibi poſtea ſufficiens tempus ſatisfaciendi tuo deſiderio; *Nondum enim aſcendi*, pro *aſcendo, ad Patrem*. Id eſt non decrevi tam cito aſcendere ad Patrem, & a vobis diſcedere. Permiſit autem paulo poſt aliis mulieribus illum tangere, ſed breviter & non morando, ſicut volebat facere Magdalena præ ſui amoris fervore, & ſecundum quod antea conſueverat.

Petes 4. Quoties Magdalena & aliæ mulieres acceſſerint ad ſepulcrum? R. bis acceſſiſſe. In 1. acceſſu non viderunt Chriſtum, ſed Angelos tantum, qui dixerunt eis illum reſurrexiſſe, atque id nuntiarent Diſcipulis, quod & fecerunt, Luc. 24. v. 9. 10. & 23. In 2. acceſſu viderunt Chriſtum, Magdalena prope ſepulchrum, aliæ mulieres in via, dum redirent e ſepulchro, qui pariter dixit eis, ut id nuntiarent fratribus ſuis, quod etiam fecerunt, Joan. 20. Marci 16. v. 10. Matth. 28. v. 10.

ARTICULUS VI.

De veritate Reſurrectionis Dominicæ?

Dico 1. (*Ibid. a. 6. o. & ad 2.*) Chriſtus variis teſtimoniis & argumentis, ſeu ſignis ſenſibilibus ſufficienter probavit veritatem ſuæ Reſurrectionis. Prob. (*Ibid.*) Chriſtus veritatem ſuæ Reſurrectionis probavit, 1. teſtimonio Scripturarum, Luc. ult. 2 Teſtimonio Angelorum. 3. Se oculis diſcipulorum corporaliter præſentem exhibendo in eadem effigie, converſantem, manducantem, bibentem cum illis, ſeque ab eis palpandum cum ſuis cicatricibus præbendo. 4. Aſſerendo ſeipſum eſſe, atque hanc aſſertionem miraculis confirmando, ut ingreſſu ad eos januis clauſis, ſubitaneo diſceſſu ab eorum oculis, ſtupenda captura piſcium, Aſcenſione ſua in cœlum, &c. Adde alia miracula, quæ tempore vitæ fecit in aſſertionem ſuæ doctrinæ, cujus caput erat reſurrectio futura.

Dices. Angeli ſæpe apparuerunt hominibus in ſpecie humana, atque cum illis converſati ſunt, manducaverunt, & biberunt, & tamen non erant veri homines. Ergo apparitiones Chriſti inſufficienter probant ejus reſurrectionem. R. (*Ibid. ad 1.*) Quamvis apparitiones Chriſti ſeorſim ſumptæ non ſufficerent ad probandam veritatem Reſurrectionis, ſufficiunt tamen junctæ aliis argumentis, ſcilicet teſtimonio Scripturarum & Angelorum atque aſſertioni Chriſti miraculis confirmatæ; cum enim miracula ſint a Deo, repugnat ejus veracitati & bonitati facere miracula in aſſertionem falſi, ex quo homines invincibiliter in errorem inducerentur. Porro Angeli, qui apparuerunt in effigie humana, non aſſeruerunt ſe eſſe veros homines, & ſi aſſeruiſſent, non ſunt patrata miracula, ut hoc crederetur.

Dico 2. Veritas Reſurrectionis Chriſti invictiſſime probatur teſtimonio Apoſtolorum. In primis Act. 2. ipſa die Pentecoſtes Petrus in medio Jeruſalem toti plebi annuntiat Reſurrectionem Chriſti, qua una prædicatione convertuntur ad Chriſtum 3000. Judæorum. Paulo poſt Act. 3. & 4. pariter in medio Jeruſalem prædicat cum Joanne Chriſtum reſurrexiſſe, hujus facti ſe teſtes aſſerunt, & in hujus aſſertionis veritatem inſigne miraculum edunt, ſanando claudum ex utero matris, qui quotidie ſedebat ad portam Templi, ut peteret eleemoſynam, atque inde convertuntur 5000. virorum. Stant coram Principibus Sacerdotum, Sadducæis, & Phariſæis, a quibus interrogati qua virtute aut quo nomine iſtud miraculum fecerint, reſpondit Petrus ſe feciſſe in nomine Jeſu Chriſti, *quem*, inquit, *vos crucifixiſtis, quem Deus ſuſcitavit a mortuis*. Prohibent ipſis Sacerdotes & Magiſtratus, ne ultra *loquerentur & prædicarent in nomine Jeſu*. *Petrus vero & Joannes reſpondentes dixerunt ad eos: Si juſtum eſt in conſpectu Dei vos potius audire, quam Deum, judicate: non enim poſſumus, quæ vidimus & audivimus, non loqui. At illi comminantes dimiſerunt eos.*

Quid huic teſtimonio opponere poteſt humana ratio? Reſumamus ſingula. 1. Ad unam Petri prædicationem publicam, quod Chriſtus reſurrexerit, convertuntur 3000. Judæorum, ad alteram 5000. qua virtute, niſi divina? Vera ergo prædicabat Petrus. 2. Qua iterum virtute ſanatus eſt claudus ex utero matris in confirmationem prædicationis Petri? Non diabolica, Diabolus enim non poteſt facere vera miracula, & eſto poſſet, non faceret in deſtructionem ſui imperii, ipſius autem maxime intererat, ut non crederetur, Chriſtum reſurrexiſſe. Ergo virtute divina: Deus autem non facit miracula in aſſertionem falſi, ut jam dixi. 3. Quare Principes & Magiſtratur non arguunt Apoſtolos falſi, objicientes, quod ipſimet furati ſint corpus Jeſu, ut juſſerant antea publicari per cuſtodes? Quare eos non cogunt iſtud corpus reddere? Hoc ſolo res confecta fuiſſet, & impoſtura Apoſtolorum palam declarata. 4. Tandem quo motivo Apoſtoli antea tremuli & occulti propter metum Judæorum, nunc ſub periculo vitæ ſuæ toti plebi reſurrectionem Chriſti annuntiant, & coram Magiſtratibus conſtanter aſſerunt, indictum de ea re ſilentium contemnunt, ſi ſciant revera Chriſtum non reſurrexiſſe.

2. Matthæus ſuum Evangelium & in eo hiſtoriam mortis & reſurrectionis Chriſti ſcripſit octavo circiter anno poſt mortem Chriſti, adjunctis pluribus factis publicis, ut, quod moriente Chriſto velum Templi ſit ſciſſum, quod terra tremuerit, petræ ſciſſæ, monumenta aperta, quod

poſt reſurrectionem corpora defunctorum pluribus apparuerint, quod Sacerdotes & Magiſtratus ſignaſſent oſtium ſepulchi & munierint cuſtodibus, quos poſtea induxerunt numerata pecunia, ut teſtarentur, ipſis dormientibus corpus Chriſti ab ejus Diſcipulis fuiſſe ſublatum. Hæc, inquam, facta publica & toti Jeroſolymæ nota narrat Matthæus, quando vivebant adhuc inumeri teſtes oculari & auriti, qui, ſi falſa dixiſſet, extemplo ipſum mendacii arguiſſent, & tamen nemo illi tunc contradiait; aut certe proferatur Auctor hujus ætatis, quo conſtet ipſi & aliis Evangeliſtis eadem narrantibus ab aliquo fuiſſe contradictum.

3. Cum certum ſit corpus Chriſti in ſepulchto revoluto lapide tertia die non fuiſſe inventum, fatendum eſt vel ipſum reſurrexiſſe, vel ab aliquibus fuiſſe furtim ſublatum. Hoc ſecundum dici non poteſt, cum Principes Judæorum omnem curam adhibuerint, ne poſſet auferri, obſignantes ſcilicet oſtium ſepulchri, & apponentes illi milites cuſtodes. Aſt, inquiunt, Diſcipuli Jeſu illud furtim ſuſtulerunt, cuſtodibus dormientibus (id enim, ut teſtarentur cuſtodes, dederunt Principes illis pecuniam, ut jam dixi). Verum hoc putidum figmentum aperte refutant ſequentia. 1. Dormientes teſtes adhibent, quod riſu potius, quam ſeria refutatione dignum eſt: quomodo enim reſcire potuerunt, quod ipſis dormientibus factum eſt? 2. Poſt vulgatam Chriſti reſurrectionem Apoſtoli adhuc diu manſerunt Jeroſolymis: ſi ſuſtuleraut corpus Jeſu, quare Principes Judæorum ab illis illud non repetierunt, & ſpectandum populo non propoſuerunt? hoc enim ſolo facto famam de Chriſti reſurrectione penitus aboleviſſent. 3. Quis credat Apoſtolos viros ſimplices, rudes, meticuloſos, & ad vocem ancillæ trepidantes, auſos fuiſſe ſurripere corpus Jeſu præſentibus cuſtodibus, quos, etiamſi ſupponas dormientes, leviſſimum murmur excitare potuiſſet, non poterat autem ſine gravi ſtrepitu revolvi magnus lapis ab oſtio monumenti? Si dicas Apoſtolos cuniculos ſubterraneos egiſſe, & terra ſuffoſſa corpus Chiſti ab ima parte ſepulchri ſurripuiſſe, ad quod non attenderunt cuſtodes; contra eſt, quod ſepulchrum non in terra, ſed in rupe fuerit exciſum. Impoſſibile autem erat abſque immenſo labore, magno ſtrepitu, & longiſſimo tempore rupem ab imo ſcindere, ſic ut per ſciſſuram extraheretur corpus. Et dato id fieri potuiſſe, non excitatis cuſtodibus, remanſiſſent in ſciſſa rupe furti indicia, quæ nulla arte, neque terra ingeſta, neque inſertis lapidibus potuiſſent explorationi Judæorum ſubduci; ſicque aperte fraudem Diſcipulorum cognoviſſent, nec fabulam de cuſtodibus dormientibus excogitaſſent. Inſuper dicant, quis revolvit lapidem magnum ab oſtio monumenti? viderant enim cuſtodes revolutum lapidem, viderant Angelos ſtantes ad ſepulchrum, quorum aſpectu territi fugerunt, atque totum factum ac vacuum ſepulchrum Magiſtratibus denuntiarunt. Porro ut quid opus erat agere cuniculos ſubterraneos ab ima parte ſepulchri, cum ſuperius eſſet omnino apertum?

4. Tandem, dato, quod omnino incredibile eſt, Apoſtolos potuiſſe quovis modo ſurripere corpus Chriſti, quis credat eos id voluiſſe? Quo enim motivo inducti fuiſſent, ut abſque ulla ſpe præmii fingerent atrociſſimum mendacium reſurrectionis, quo toti generi humano illuderent, & Judæorum odium in ſe concitarent, illudque cum famæ, bonorum, & vitæ periculo ſuſtinerent? Is ſane inſanos fuiſſe credat, quiſquis eos id attentaſſe credit. Concludamus igitur cum Aug. contra Judæos: *Aut ſepultum reddant, aut reſurgentem nobiſcum adorent*.

Peres, utrum Reſurrectio Chriſti ſit cauſa noſtræ reſurrectionis? R. (*Q. 56. art. 1. & 2. c.*) eſſe cauſam efficientem inſtrumentalem & exemplarem reſurrectionis noſtrorum corporum & noſtrarum animarum. Eſt cauſa efficiens, (*Ibid. art. 1. ad 3.*) non ut eſt actus, qui ſtatim tranſiit, ſed quatenus, ſecundum quam Chriſtus reſurrexit, eſt inſtrumentum Divinitatis conjunctæ ad ſuſcitanda corpora noſtra & juſtificandas noſtras animas. Eſt autem cauſa exemplaris, (*Ibid. a. 1. & 2.*) quatenus corpore & anima conformamur Chriſto reſurgenti.

DISSERTATIO XIII.

DE ASCENSIONE CHRISTI ET MISSIONE SPIRITU SANCTI.

Div. Thom. QQ. 57. & 58.

ARTICULUS I.

De Aſcenſione Chriſti ſecundum ſe.

SUPPOSITA fide de aſcenſu Chriſti in cœlum, de quo pluries Scriptura, ſubjicitur examini, 1. Utrum conveniens fuerit Chriſtum aſcendere in cœlum? 2. Cur poſt 4. dies? 3. Qua virtute aſcenderit? 4. Quis fuerit terminus Aſcenſus? 5. Qui effectus & fructus illius?

Dico 1. (*Q. 57. a. 1. c. & ad 3.*) Conveniens fuit Chriſtum aſcendere in cœlum. 1. Quia locus debet eſſe proportionatus locato: cœlum autem eſt locus incorruptionis, terra generationis, & corruptionis. Atqui Chriſtus poſt reſurrectionem habebat corpus incorruptibile. Ergo. 2. Quia mortis & inferorum Victori ac Triumphatori hæc Sedes Regia debebatur. 3. Ad augmentum fidei, quæ eſt de non viſis; ad ſublevamen ſpei, quia per hoc, quod Chriſtus ut caput noſtrum aſcendit in cœlum, dedit nobis, ut ſuis membris ſpem illuc perveniendi; unde ipſe dicit: *Vado parare vobis locum*. Item ad incentivum affectus charitatis in cœleſtia: unde Apoſt. Coloſſ. 3. *Quæ ſurſum ſunt quærite, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens, quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram*. 4. Ut oſtenderet doctrinam ſuam non eſſe terrenam, ſed cœleſtem, Regnum ſuum non eſſe temporarium, ſed æternum, & ut mittendo Spiritum S. doctrinæ ſuæ confirmatorem, probaret eum ab ipſo procedere. Confer concl. 5.

Dico 2. (*Ibid. ad 4.*) Chriſtus convenienter aſcendit in cœlum poſt 40. dies a Reſurrectione. 1. Ut efficacius probaret veritatem Reſurrectionis. 2. Ut abſentiam 40. horarum qua moriendo Diſcipulos afflixerat, præſentia 40. dierum compenſaret; ab hora enim 9. feriæ ſextæ, qua mortuus eſt Chriſtus, ad auroram diei Dominicæ, qua reſurrexit, numeramus 40. circiter horas. 3. Ut ſicut Deus Moyſi poſt tranſitum maris rubri ſe viſendum exhibuit per 40. dies, ut ipſum de Myſteriis Legis inſtrueret, ſic Chriſtus poſt tranſitum maris ſuæ Paſſionis voluit ſe per 40. dies viſendum exhibere Apoſtolis, ut ipſos de dogmatibus, Sacramentis, ſacris ritibus, de quibus ſilet Evangelium, inſtrueret. Unde Act. 1. dicitur: *Per 40. dies apparens eis & loquens de Regno Dei*, id eſt de rebus ad Eccleſiam pertinentibus.

Dico 3. (*Ibid. a. 3. c.*) Chriſtus aſcendit propria virtute. 1. Divina, quia eſt verus Deus. 2. Virtute animæ moventis prout vult corpus glorificatum & dote agilitatis præditum.

Dices. Matth. ult. dicitur, quod *Dominus Jeſus poſtquam locutus eſt Diſcipulis, aſſumptus eſt in cœlum*. Et Act. 1. *Videntibus illis elevatus eſt, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum*. Atqui quod aſſumitur & elevatur, ab alio videtur moveri. Ergo. R. (*Ibid. ad 1.*) quod ſicut Chriſtus dicitur propria virtute reſurrexiſſe, & tamen eſt ſuſcitatus a Patre, eo quod eadem ſit virtus Patris & Filii, ita etiam Chriſtus propria virtute aſcendit in Cœlum, & tamen a Patre eſt elevatus & aſſumptus.

Nec obſtat, (*Ib. a. 4. ad 4.*) quod dicatur: *Et nubes ſuſcepit eum*. Non enim ſenſus eſt, quod nubes eum ſuſtentaverit & elevaverit, ſed quod eum ſubduxerit ab oculis diſcipulorum; & ideo dicitur *Nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum*. Apparuit autem iſta nubes in ſignum Divinitatis, ſicut gloria Dei Iſrael apparebat ſuper Tabernaculum in nube. Statim vero ac ſubduxit eum nubes, cum antea pedetentim elevaretur, ut melius a Diſcipulis obſervaretur, uno quaſi momento ad inſtar fulguris immenſa cœlorum ſpatia penetravit & ad cœlorum verticem pervenit.

Dico 4. Probabile eſt Chriſtum ſic aſcendiſſe ſuper omnes cœlos, ut pedibus contingat convexum ſupremi cœli, & totus ſit extra cœlos, conformiter Scripturæ dicenti Eph. 4. *Aſcendit ſuper omnes cœlos*, & Heb. 7. *Pontifex ... excelſior cœlis factus*. Hanc ſententiam tenet S. Th. hic a. 4. & poſt ipſum Cajet. Suares, a Lapide, &c. Attamen eſt id minus æque probabile Chriſtum aſcendiſſe dumtaxat in ſupremam partem cœli empyrei, & totum in eo eſſe: idque etiam conformiter Scripturæ Marci ult. & Act. 1. *Aſſumptus eſt in cœlum*. Act. 3. *Quem oportet cœlum ſuſcipere*. Et Pſ. 10. Cœlum dicitur *Sedes Dei*. Atque hanc ſententiam tenet S. Th. in 3. d. 22. q. 3. a. 3. dicens; *Non dicitur aſcendiſſe ſuper cœlos, quia extra cœlum empyreum ſit; ſed quia in altiſſimam partem cœli empyrei aſcendit*. Quem ſequuntur Sylveſter, Paludanus, & communius recentiores.

Neque ſane textus laudati pro 1. ſententia, neque aliqua ratio nos cogunt collocare Chriſtum toto corpore extra cœlum. Ad 1. ergo textum Eph. 4. *Aſcendit ſuper omnes cœlos*, R. cum S. Th. ultimo citato intelligendum eſſe, quod in altiſſimam cœli partem aſcendit: ſicut dicimus aſcendiſſe ſuper arborem vel ſuper turrim, non ſolum, qui verticem tranſcendit, ſed etiam, qui altiores ra-

ramos vel gradus conſcendit, etſi infra verticem hæreat. Ad 2. dicitur *Pontifex excelſior cœlis factus*: id eſt Pontifex poritate ſuperior cœleſtibus Spiritibus, *qui non habet neceſſitatem quotidie quemadmodum Sacerdotes, prius pro ſuis delictis hoſtias offerre*, ut immediate ſubdit Apoſtol. Vel dicitur *excelſior cœlis factus*, quia penetravit omnes cœlos uſque ad ſummum, & ſedens ad dexteram Patris ſupremum in rebus obtinet locum & imperium.

Dico 5. Effectus ſeu fructus Aſcenſionis Chriſti ſunt partim ea, quæ recenſuimus in 1. Concluſ. tamquam motiva illius, ſcilicet augmentum fidei, ſpei, & charitatis, & miſſio Spiritus S. Inſuper apertio Regni Cœlorum, quorum introitus peccato Protoparentis erat nobis occluſus. Item officium Advocati, quod Chriſtus pro nobis erga Patrem exercet juxta illud 1. Joan. 2. *Advocatum habemus ad Patrem, qui etiam interpellat pro nobis*. Denique manifeſtatio ſuæ ſupremæ poteſtatis, Majeſtatis, gloriæ, triumphi, adimpletionis omnium Prophetiarum, ac munificentiæ in omnes homines, quos omnis generis donis, gratiis, ſignis, miraculis cumulat, juxta illud Eph. 4. *Aſcendit ſuper omnes cœlos, ut adimpleret omnia*.

ARTICULUS II.

De Tempore & loco Aſcenſionis Chriſti,
Necnon,
De ejus Seſſione ad dexteram Patris.

Dico 1. Chriſtus aſcendit in cœlum 5. Maii, quæ hoc anno incidit in feriam 5.

Prob. Chriſtus crucifixus eſt feria 6. quæ erat 25. Martii, ſurrexit die 3. quæ erat Dominica dies 27. ejuſdem Martii, in Act. Apoſt. c. 1. numerantur 40. dies a die Reſurrectionis ad diem Aſcenſionis. Ergo contigit Aſcenſio 5. Maii feria 5. hebdomadæ.

Dico 2. Probabile eſt Chriſtum aſcendiſſe in Cœlum circa meridiem ſeu paulo poſt: quia Lucas Act. 1. poſtquam dixit: *Et conveſcens præcepit eis ab Jeroſolymis ne diſcederent, ſed expectarent promiſſum Patris*: paulo poſt ſubdit: *Videntibus elevatus eſt*. Per to *conveſcens* autem intelligitur prandium, quod ſolet accipi circa meridiem. Scio quoſdam loco *conveſcens* legere *converſans*, ſed inſiſtimus Vulgatæ.

Dico 3. Chriſtus aſcendit in Cœlum ex monte Oliveti. Prob. Lucas Act. 1. poſtquam retulit Aſcenſionem Domini coram Diſcipulis, ſubjungit: *Tunc reverſi ſunt Jeroſolymam a Monte, qui vocatur Oliveti, qui eſt juxta Jeruſalem, Sabbathi habens iter.*

Si dicas eumdem Lucam cap. ult. Evangelii ſcribere: *Eduxit Diſcipulos ſuos foras in Bethaniam, & elevatis manibus benedixit eis, & factum eſt, dum benediceret illis, receſſit ab eis & elevatus eſt*. R. Hæc cum præcedentibus minime pugnare; quia Bethania erat in declivio Montis Oliveti ſita. Tranſivit ergo Jeſus Bethania, atque inde aſcendit montem, unde & in Cœlum elevatus eſt.

Teſtantur Hieron. de locis Hebraicis, S. Aug. Tract. 47. in Joan. S. Paulinus Nolanus Ep. 11. ad Severum Sulpicium, Beda de locis Sanctis c. 7. &c. Chriſtum in monte impreſſiſſe terræ pedum veſtigia conſtanter permanentia, & Templum ibi ab Helena Conſtantini matre extructum nunquam potuiſſe contegi. Hæc ſunt Hieronymi verba loco cit. *Mons Oliveti ad Orientem Jeroſolymæ, torrente Cedron interfluente, ubi ultima veſtigia Domini humo impreſſa hodieque monſtrantur: cumque terra eadem quotidie a credentibus hauriatur, nihilominus tamen eadem ſancta veſtigia priſtinum ſtatum continuo recipiunt. Denique cum Eccleſia, in cujus medio ſunt, rotundo ſchemate & pulcherrimo opere conderetur, ſummum tantum cacumen, ut perhibent, propter Dominici corporis meatum, nullo modo contegi & concamerari potuit; ſed tranſitus ejus a terra ad cœlum uſque patet apertus.*

Dico 4. Probabilius eſt aſcendenti Chriſto præter Apoſtolos adfuiſſe præſentes B. Virginem Matrem Jeſu; & ejus cognatos cum aliis mulieribus: quia Lucas Act. 1. poſtquam deſcripſit Aſcenſionem Chriſti coram Apoſtolis, & dixit eos regreſſos Jeruſalem introiſſe cœnaculum, immediate ſubdit: *Hi omnes erant perſeverantes unanimiter in oratione cum mulieribus & Maria Matre Jeſu & fratribus ejus*: quo contextu innuitur hos ultimos rediiſſe cum Apoſtolis e Monte Oliveti poſt Aſcenſionem Chriſti, & huic adfuiſſe cum illis.

Dico 5. (*Quæſt.* 58. *a.* 1. 2. 3. 4.) Sedere ad dexteram Patris convenit Chriſto qua Deo & qua homini; diverſo tamen modo. Prob. (*Ibid.*) Dextra Patris non ſumitur hic corporaliter ſenſu Anthropomorphitarum, quaſi in Deo ſint humana membra, ſed metaphorice pro divinis bonis, ſcilicet gloria Divinitatis, æterna beatitudine, atque regnandi & judicandi poteſtate. Unde ſedere ad dexteram Patris eſt tranquille & immobiliter poſſidere divina bona nempe gloriam divinitatis, æternam beatitudinem, & regalem ac judiciariam poteſtatem: Atqui Chriſtus qua Deus poſſidet eſſentialiter gloriam Divinitatis, æternam beatitudinem, atque regalem & judiciariam poteſtatem, Ita ut To *Ad*, quod eſt tranſitivum, reſpective ad Chriſtum qua Deum importet tantum diſtinctionem perſonarum & ordinem originis, non gradum naturæ vel dignitatis, in quo eſt æqualis Patri: Chriſtus autem qua homo excellenter poſſidet præ cæteris creaturis æternam beatitudinem atque regalem & judiciariam poteſtatem: inde Joan. 5. dicitur: *Dedit ei Pater judicium facere, quia Filius hominis eſt*. Ergo.

Ex 1. parte concluſionis colliges, non poſſe dici de Patre, quod ſedeat ad dexteram Filii & Spiritus S. neque de Filio, quod ſedeat ad dexteram Spiritus S. quia neque Pater a Filio & Spiritu S. neque Filius a Spiritu S. habent originem; poſſe vero dici de Spiritu S. quod ſit ad dexteram Patris & Filii, quia ab utroque habet originem. Ex 2. parte concluſionis colliges ſedere ad dexteram Patris eſſe proprium Chriſto qua homini, quia eſt in excellenti poſſeſſione divinorum bonorum præ cæteris creaturis, etiam angelicis. Unde Apoſt. Hebr. 1. *Ad quem enim Angelorum dixit aliquando, ſede a dextris meis.*

Quando ergo legimus de Sanctis, quod regnabunt cum Chriſto, & ſedebunt ſuper ſedes 12. judicantes 12. Tribus Iſrael, intelligendum eſt hos regnaturos & judicaturos gradu longe inferiori ad Chriſtum, & tanquam ejus miniſtros.

Dices. Dextera eſt locus dignioris, ſiniſtra inferioris. Si ergo Chriſtus ſit a dextris Patris, Pater eſt ab ejus ſiniſtris: quomodo ergo Chriſtus non eſt dignior Patre? R. Hac metaphora non ſignificari, Chriſtum reſpicere Patrem tamquam ſiniſtrum, ſed tamquam medium in ſupremo throno collocatum, ad cujus dexteram aſſideat, qui eſt illi proximus. Sic 3. Reg. 2. legimus Salomonem matrem ſuam ſibi ad dexteram collocaſſe, primo ſcilicet poſt Regem loco.

ARTICULUS III.

De Miſſione Spiritus Sancti.

S. Lucas act. 2. ſic narrat: *Et cum complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes*, ſcilicet centum fere viginti, de quibus dixerat c. præced. *pariter in eodem loco*, ſcilicet cœnaculo, *& factus eſt repente de cœlo ſonus tamquam advenientis Spiritus vehementis, & replevit totam domum ubi erant ſedentes, & apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum, & repleti ſunt omnes Spiritu S. & cœperunt loqui variis linguis prout Spiritus S. dabat eloqui illis.*

Ad quorum elucidationem ſubjicimus hic examini, 1. de qua Pentecoſte loquatur Lucas, an de Judaica; an de Chriſtiana, proinde qua die deſcenderit Spiritus S.? 2. Quid intelligatur per *diſpertitas linguas*? 3. De effectibus miſſionis Spiritus S. & præcipue de dono linguarum. 4. Qui hos effectus receperint?

Dico 1. Probabilius eſt, Lucam locutum fuiſſe de Pentecoſte Judaica, non de Chriſtiana; quia tunc nondum erat inſtituta Pentecoſte Chriſtiana, ut diſtincta a Judaica.

Si dicas ſaltem inſtitutam fuiſſe tunc, cum hæc ſcriberet Lucas, anno ſcilicet circiter 28. poſt Chriſtum; adeoque dum ait Spiritum S. illapſum eſſe, dum complerentur dies Pentecoſtes, intellexiſſe dies Pentecoſtes, quæ jam ſua ætate celebrabatur. R. N. Aſſumptum: quia ipſe Lucas Act. 20. dicit Paulum *feſtinaſſe, ut ſi poſſibile ſibi eſſet, diem Pentecoſtes faceret Jeroſolymis*. Intelligit autem Pentecoſtem Judaicam, non Chriſtianam; quia Chriſtiana ubique celebrari poterat, Judaica autem Jeroſolymis tantum, conſequenter nondum erat inſtituta Pentecoſtes Chriſtiana ut diſtincta a Judaica.

Hinc ſequitur deſcenſum Spiritus S. contigiſſe die Sabbathi, non die Dominica: quia 50. dies Pentecoſtes Judaicæ numerabantur a Paſchate Judaico, non a 1. die, ſed a 2. quando offerebatur novus manipulus hordeaceus, ut ſcribit Joſephus lib. 3. Antiq. c. 10. Secunda autem dies Paſchatis hoc anno erat Sabbathum, ideoque ab hinc quinquageſimus erat etiam Sabbathum.

Si dicas oblationem primi manipuli hordeaci dilatam fuiſſe hoc anno ad diem ſequentem, quæ apud nos eſt Dominica, quia metere Sabbatho non licebat: unde numerando 50. dies a 3. die Paſchatis quinquageſima erit Dominica. R. N. Aſſumpt. ad prob. D. Metere Sabbatho meſſe communi non licebat, C. quia erat opus ſervile. Meſſe particulari manipuli hordeacei ad offerendum Deo in Templo, N. quia non cenſebatur opus ſervile, ſed actus Religionis; ſicut extruere ignem in domibus privatis erat opus ſervile lege prohibitum, ſecus extruere in Templo. Idque aſſerit R. Moyſes in Commentariis ſuper *Miſna*,

Conſ.

Conſ. Conſectatum : Petrus Act. 2. probat Apoſtolos ipſa die deſcenſus Spiritus S. variis linguis loquentes non eſſe ebrios, ut dicebant quidam ex adſtantibus, quia erat tantum hora diei 3. ſcilicet ab ortu ſolis more Judaico computata, id eſt hora circiter 9. matutina more noſtro; *Non, ſicut vos æſtimatis*, inquit, *hi ebrii ſunt, cum ſit hora diei tertia*. Atqui hæc ratio nihil probaret, ſi non ponas deſcenſum Spiritus S. Sabbatho, ſed die ſequenti. Ergo, Prob. Min. iden Apoſtoli non poterant Sabbatho eſſe ebrii hora nona matutina, quia cum hac die offerretur Sacrificium ſolemne, non licebat ſumere cibum antequam eſſet conſummatum, ut ſcribit Joſephus in vita ſua, conſummabatur autem circa horam ſextam ſeu meridiem : aliis autem diebus, quibus non offerebatur ſacrificium ſolemne, licitum erat quavis hora manducare. Si ergo non Sabbatho, ſed ſequenti die, qua ſolemne Sacrificium non offerabatur, & erat ideo licitum quavis hora manducare & bibere, illapſus ſit Spiritus S. imbellis erat ratio Petri, cum non ſit impoſſibile, imo nec rarum homines eſſe ebrios circa horam 9. matutinam quin etiam aliquando ſummo mane videamus ebrios. Atque ex verbis Petri citatis habes, deſcenſum Spiritus S. contigiſſe hora ab ortu ſolis 3. id eſt hora circiter 9. matutina, ut dixi. Unde canit Eccleſia : *Dum lucis hora tertia repente mundus intonat, orantibus Apoſtolis, Deum veniſſe nuntiat*.

Dico 2. Per diſpertitas linguas intelligimus juxta communem ſententiam Interpretum & Fidelium linguas velut igneas diſtributas ſupra ſingulorum capita, inferius coaleſcentes, ſed ſuperius diviſas ob ſuam agilitatem & velocitatem, ut ſolet flamma vel ſponte ſua, vel vento agitata. Atque hic eſt ſenſus obvius & naturalis horum verborum : *Apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tamquam ignis, ſeditque*, ſcilicet ignis, vel ſi vis, Spiritus S. ſub ſymbolo linguæ velut igneæ, *ſupra ſingulos eorum*.

Paradoxum itaque exiſtimamos dicere cum Serrio Exercitat. 62. per diſpertitas linguas intelligendas eſſe illorum ipſorum adſtantium linguas in ore proprio hiante viſas velut igneas & in duas partes ſciſſas. Mirum ſane fuiſſet & riſu dignum ſpectaculum, quod ad ſonum tamquam venti flantis, omnes adſtantes centum fere viginti, eodem ſimul moto oris hiantis concitati linguas velut igneas & diſſectas exhibuiſſent.

Vuleum & futile hujor exoticæ opinionis fundamentum profert laudatus Scriptor, ſcilicet, quoſdam Patres per linguas diſpertitas intelligere diviſas & diſſectas, atque legere : *Viſæ illis linguæ diviſæ ſicut ignis*. Verum quid inde ? Et nos etiam dicimus diviſas ſuper ſingulorum capita, & diſſectas in parte ſuperiori ad modum flammulæ vento agitatæ, ut dixi in concluſione.

Dico 3. Effectus miſſionis Spiritus S. fuerunt : 1. Augmentum gratiæ ſanctificantis. 2. Septem dona, quæ vulgo dicuntur Spiritus S. ab Iſaia c. 11. enumerata, ſcilicet dona ſapientiæ, intellectus, conſilii, fortitudinis, ſcientiæ, pietatis, & timoris Domini, de quibus vide S. Th. 1. 2. q. 68. 3. Duodecim fructus ex his donis permanentes, quos recenſet Apoſtolus Galat. 6. his verbis : *Fructus autem Spiritus eſt Charitas, Gaudium, Pax, Patientia, Benignitas, Bonitas, Longanimitas, Manſuetudo, Fides, Modeſtia, Continentia, Caſtitas*, de quibus v. S. Th. ibid. q. 70. 4. Gratiæ gratis datæ, quæ novem recenſet Apoſtolus 1. Cor. 12. his verbis : *Alii per Spiritum datur ſermo ſapientiæ : alii autem ſermo ſcientiæ ſecundum eumdem Spiritum : alii fides in eodem Spiritu : alii gratia ſanitatum in uno Spiritu : alii operatio virtutum : alii Prophetia : alii diſcretio Spirituum : alii genera linguarum : alii interpretatio ſermonum*.

Dico 4. Donum linguarum ſic fuit collatum ſingulis Apoſtolis, ut & variis Nationum linguis loquerentur, & etiam quandoque una lingua loquentes a variarum Nationum populis audirentur. Prob. 1. Pars. Act. 2. dicitur : *Cœperunt loqui variis linguis*. 1. Cor. 14. Apoſtolus dicit : *Omnium veſtrum lingua loquor*; Omnium ſcilicet, qui ex variis mundi partibus Corinthum confluebant. Marci 16. id futurum promiſerat Chriſtus, *ut linguis loquerentur novis*. Conf. Evangelicæ prædicationi non ſufficiebat, ut Apoſtoli audirentur a diverſis Nationibus, ſed etiam neceſſe erat, ut illas loquentes audirent, alias non potuiſſent cum illis miſcere colloquia; ergo earum linguas callebant.

Prob. 2. Pars. Quandoque unus Apoſtolus pluribus diverſarum linguarum hominibus loquebatur, a quibus audiebatur, ut contigit Petro ipſa die Pentecoſtes, Act. 2, 14. Atqui, licet variis linguis inſtructi, non poterant tamen multis ſimul loqui, ſed una tantum. Ergo. Inſuper non videtur negandum Apoſtolis, quod legimus conceſſum noviſſimis temporibus S. Vincentio Ferrerio, S. Ludovico Bertrando, S. Antonio Patavino, & aliis.

Dices. Si ſinguli Apoſtoli aliarum Nationum linguas calluiſſent, aut ſi loquentes una lingua a diverſis Nationibus auditentur, non indiguiſſent Interpretibus : Atqui ſecundum Patres, Irenæum, Melitonem, Hieron. Clementem Alex. & alios, Marcus fuit Interpres Petri & Titus Pauli; imo ipſe Paulus 2. Cor. 11. fatetur *ſe imperitum ſermone* græco. Ergo. R. D. Maj. Non indiguiſſent Interpretibus idiomatis, C. Sententiarum, N. Cum enim Apoſtoli ex impetu Spiritus S. aliquando ſublimia & obſcura proferrent, horum explicatio Interpretibus relinquebatur. Quod autem Apoſtolus dicat ſe *imperitum ſermone*, intelligendum eſt, non de ignorantia idiomatis, ſed de elegantia & ornatu : donum enim linguarum non conferebat Apoſtolis, ut eleganter loquerentur, ne crederetur homines attrahi ad fidem elegantia & ornatu ſermonis; ſed ut loquerentur intelligibiliter, quantum opus erat, ut docet Auctor 2. 2. q. 176. a. 1. ad 1.

Dico 5. Non ſolum Apoſtoli, ſed omnes, qui erant in Cœnaculo centum fere viginti acceperunt donum linguarum & alios effectus Spiritus S. dicitur enim Act. 2. *Repleti ſunt omnes*, qui erant in Cœnaculo, *Spiritu S. & cœperunt loqui variis linguis*. Neque ſane iis negandum eſt, quod ipſis Gentilibus ad fidem converſis concedebatur : legimus autem Act. 10. Gentiles ad fidem converſos Apoſtolorum miniſterio hac gratia fuiſſe donatos.

APPENDIX.

De Actis Pilati circa geſta & miracula Chriſti ad Tiberium Imperatorem miſſis.

AGNOSCIMUS cum Eruditis Acta & Epiſtolas, quæ nunc apud nos circumferuntur ſub nomine Pilati ad Tiberium de geſtis & miraculis Chriſti, eſſe apocrypha & falſa. Hujus furfuris ſunt Epiſtola, quam exhibet Hegeſippus 4. vel 5. ſæculo; altera, quam refert Sixtus Senenſis l. 2. Bibliothecæ ſanctæ; altera, quam edidit Florentinus in notis & exercitationibus ad Apoſtolorum indiculum; altera, quam Bollandiſtæ referunt ad 4. Februarii; altera denique, quam profert D. Fabricius ex Bibliotheca Colbertina; utpote in quibus ſunt plura apertæ falſitatis indicia, ſed & maxime Acta impia & blaſphema de geſtis Chriſti ſub nomine Pilati ad Tiberium miſſa, juſſu Maximini Imperatoris in odium Chriſti & ejus Religionis fabricata.

Quæſtio eſt ergo, utrum independenter ab his omnibus Actis & Epiſtolis Pilatus revera renuntiaverit Tiberio geſta & miracula Chriſti, tam quæ vivens operatus eſt, quam quæ in ejus morte & poſt ejus mortem contigere : atque his motus Tiberius tentaverit Apotheoſim Chriſti apud Senatum Romanum.

Dico. Probabiliſſimum eſt, Pilatum nuntiaſſe Tiberio Cæſari geſta & miracula Chriſti, ejus mortem & reſurrectionem, atque inde Tiberium tentaſſe Apotheoſim Chriſti apud Senatum Romanum.

Prob. teſtimonio veterum Scriptorum fide dignorum. S. Juſtinus Martyr, qui occubuit an. 150. Apologia 2. ad Antoninum Imperat. prius enarratis Chriſti miraculis dicit : *Hæc ita geſta eſſe cognoſcere ex Actis, quæ ſub Pilato ſunt ſcripta*. Et poſtea : *Et quod iſta fecerit Chriſtus, ex eis, ſub Pilato ſunt conſcripta Commentaria, cognoſcere poteſtis*. Tertullianus in Apolog. contra Gentes c. 5. *Apud vos*, inquit, *de humano arbitratu divinitas penſitatur. Niſi homini Deus placuerit; Deus non erit. Homo jam Deo propitius eſſe debebit. Tiberius ergo, cujus tempore nomen chriſtianum in ſæculum introivit, annuntiatum ſibi ex Syria Palæſtina, quæ illic veritatem ipſius divinitatis revelaverat, detulit ad Senatum cum prærogativa ſuffragii ſui : Senatus quia non ipſe probaverat, reſpuit. Cæſar in ſententia permanſit; comminatus periculum accuſatoribus Chriſtianorum*. Et cap. 21. præmiſſis geſtis & miraculis Chriſti, ſubdit : *Ea omnia ſuper Chriſto Pilatus, & ipſe jam pro ſua conſcientia Chriſtianus, Cæſari tunc Tiberio nuntiavit; ſed & Cæſares credidiſſent ſuper Chriſto, ſi aut Cæſares non eſſent ſæculo neceſſarii, aut ſi & Chriſtiani potuiſſent eſſe Cæſares*.

S. Lucianus Martyr ſub Decio videtur eadem Acta indicare cum diceret ad Præſidem : *Conſulite Annales veſtros & invenietis Pilati temporibus, dum pateretur Chriſtus, medio die fugatum ſolem & interruptum diem*. Euſebius ſæc. 4. l. 2. Hiſt. c. 2. *Cum*, inquit, *per omnem jam locum de Reſurrectione & mirabilibus Domini Jeſu Chriſti, & de Aſcenſione ejus ad cœlum felix fama loqueretur, ac per omnium aures beati hujus rumoris volveretur opinio : quoniam antiqui moris erat apud Romanos, ut provinciarum Judices, ſi quid forte novi in his, quas regebant, Provinciis accidiſſet, vel Principi, vel Senatui nunciarent; ut ne ex his, quæ gerebantur, ignorare aliquid viderentur. De Reſurrectione a mortuis Domini & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, quæ jam in omnem locum fuerat promulgata, Pilatus Tiberio Principi refert; ſed & de cæteris mirabilibus ejus, & ut poſt mortem, cum reſurrexiſſet, a quam*

plu-

plurimis jam Deus eſſe crederetur. Tiberius quæ compererat, retulit ad Senatum. Senatus autem ſpreviſſe dicitur pro eo quod non ſibi prius hujus rei judicium fuerit delatum, ſed auctoritatem ſuam præveniſſet Vulgi ſententia. Lex etenim erat antiquitus deſignata, ne quis apud Romanos Deus haberetur, niſi Senatus decreto, atque ſententia firmatus. Porro autem pro vero hoc erat, quod verebatur, ne divina virtus humanis putaretur aſſertionibus indigere. Cumque ſecundum ea, quæ ſupra diximus, renuiſſet Senatus; Tiberius tamen tenuit ſententiam ſuam, ut ne quid adverſus doctrinam Chriſti contrarium molíretur. Idem in Chronico ad an. 37. Chryſoſt. homil. 26. in Ep. 2. ad Cor. *Romanorum Senatus*, inquit, *hanc poteſtatem habebat, ut Deos crearet, atque conſcriberet. Quippe cum res omnes a Chriſto geſta nunciatæ ſunt, Romam miſit is, qui Judæorum Nationi præerat, ſciſcitans ex ipſis, num eum quoque Deum creare placeret; id vero illi recuſarunt, quod inique atque infenſe animo ferrent, ante decretum ſuum atque ſententiam, crucifixi potentiam affulgentem, univerſum Orbem ad ſui cultum & venerationem attraxiſſe.* Eadem ſcribunt Paulus Oroſius l. 7. Hiſt. c. 4. S. Greg. Turonenſis l. 1. Hiſt. c. 24. & Nicephorus l. 2. Hiſt. c. 8. Tot autem ac tantis viris fidem detrectaſe temerarium eſt.

Dices cum Tanaquillo hæretico, 1. Tertullianus, quem alii ſecuti ſunt, hauſit, quæ ſcripſit, ex Actis apocryphis Pilati. 2. Non eſt veriſimile Tiberium Gentilem tentaſſe apotheoſim Chriſti apud Senatum Romanum. 3. Si hoc tentaſſet, non auſus fuiſſet Senatus illi reſiſtere. R. ad 1. Juſtinum eſſe antiquiorem Tertulliano, a quo proinde nihil accipere potuit. 2. Neque Juſtinum, neque Tertullianum, neque Lucianum tam male famæ & Religioni ſuæ conſuluiſſe, ut fidenter provocarent Romanos ad eorum Archivia & Annales, quibus, ſi minus vera dixiſſent, facile falſitatis argui potuiſſent. Ad 2. Veriſimillimum eſt Tiberium licet gentilem Chriſti virtutibus & prodigiis motum tentaſſe ejus apotheoſim apud Senatum Romanum. Adrianus Gentilis erat, Alexander Severus Gentilis erat, & tamen, teſte Lampridio in vita Adriani, Templa Chriſto erigere decreverant, a quo eos deterruerunt Idolorum Sacerdotes. Ad. 3. Non mirum, ſi Senatus voluntati Tiberii quantum ad Chriſti Apotheoſim non conſenſerit: ea enim erat animi moderatione erga Senatum, teſte Suetonio, ut eum ſuæ ſententiæ acquieſcere recuſantem ægre non ferret, ubi putabatur adeſſe juſta ratio: Multæ vero rationes juſtæ videbantur Senatui, Chriſti Apotheoſim rejiciendi. Prima eſt, quam referunt Auctores laudati, quod inconſulto Senatu jam ut Deus coleretur, cum tamen ad Senatum pertineret Deos creare: 2. quia cum Chriſtus deberet coli ſolus, omnes alii Dii ſua ſede fuiſſent expellendi: 3. quia Romani tunc opibus & imperio florantes a Chriſti humilitate & paupertate abhorrebant, eoſque pudebat venerari ut Deum, quem vir Romanus infami crucis ſupplicio affixerat. Sed & mentes noſtras altius erigentes dicamus cum quibuſdem ex laudatis Auctoribus, id divino conſilio factum fuiſſe, ne Chriſtus ad inſtar falſorum Numinum Divinitatem ab hominibus accipere videretur, neve Chriſtiana Religio Senatus Romani judicio atque præſidio fundata ac propugnata cenſeretur.

DISSERTATIO XIV.

DE MORTE ET ASSUMPTIONE DEIPARÆ VIRGINIS.

ARTICULUS I.

De Morte Deiparæ.

DUæ potiſſimum hic vertuntur in quæſtionem. 1. an mortua ſit B. Virgo? 2. ubi ſit mortua?

Dico 1. Certiſſime tenendum eſt, B. Virginem eſſe mortuam.

Prob. 1. ex lege generali, qua *ſtatutum eſt omnibus hominibus ſemel mori*. Heb. 9. & Pſ. 88. *Quis eſt homo, qui vivet, & non videbit mortem?* Prob. 2. auctoritate Eccleſiæ, quæ in Officio Aſſumptionis pluries agnoſcit, B. Virginem eſſe vita functam, præſertim in Collecta ex Sacramentario S. Gregorii deprompta, *Sancta Dei Genitrix Virgo mortem ſubiit temporalem:* & in ſecreta, *Quam pro conditione carnis migraſſe cognoſcimus*. Prob. 3. ex communi ſenſu SS. Patrum, quorum nullus ante S. Epiphanium de morte B. Virginis dubitavit.

Levi autem fundamento nixus dubitavit S. Epiphanius, quia nimirum Scriptura ſilet de B. V. morte: *Quærant*, inquit hæreſi 78. *veſtigia Scripturarum & invenient aliquis, neque an mortua ſit, an non mortua, neque an ſepulta ſit, an non ſepulta .... Non omnino definio hoc & non dico, quod immortalis manſit, ſed neque affirmo an mortua ſit*. Quaſi vero neceſſe ſit, mortem alicujus exprimi in Scriptura, ut crederetur mortuus, dum conſtat nullum ab ea lege excipi. Nullius Apoſtolorum excepto Jacobo mors exprimitur in Scriptura, ideo ne dubitamus, an ſint mortui? Neque locus erat referendi mortem Virginis in Evangelio, quod Chriſti dumtaxat hiſtoriam continet uſque ad ejus Aſcenſionem; neque in Actis, quæ hiſtoriam Apoſtolorum præſertim Petri & Pauli tantum referunt. Epiſtolæ vero Apoſtolicæ ſingulares tractant materias, quæ nihil attinent ad tranſitum B. Virginis.

Dices inſuper 1. Mors eſt pœna peccati originalis. Atqui B. Virgo immunis fuit a peccato Originali. Ergo. 2. Henoch, Elias, S. Jo: Evangeliſta non ſunt mortui; quidni eodem privilegio donatam Deiparam dicamus? R. ad 1. omiſſa Min. D. Maj. Mors eſt pœna peccati originalis tantum, N. Maj. Eſt inſuper nativa conditio naturæ humanæ ſibi relictæ, C. Maj. Equidem Adam ex privilegio juſtitiæ originalis fuiſſet immortalis, & peccando amiſit juſtitiam originalem, atque inde promanans privilegium immortalitatis, ſicque ex illa parte mors eſt pœna peccati. Sed etſi fuiſſet creatus Adam abſque hoc privilegio, & conditioni naturæ ſuæ ex qualitatibus contrariis ſeſe deſtruentibus relictus, mortem etiam ſubiiſſet independenter a peccato: ideoque B. Virgo, etiamſi ſupponatur a peccato originali immunis, cum tamen non eſſet juſtitiæ originalis privilegio donata, mortem ſubire debuit. Quinimo Chriſtus, in quo certo non erat peccatum originale, nativæ ſuæ conditioni relictus mortem ſeneſcendo ſubiiſſet, ſi ab hominibus non fuiſſet occiſus, ut docet Aug. l. 2. de peccat. mer. & remiſſ. c. 29. Ad 2. N. Conſeq. Henoch enim & Elias non ſunt tranſlati in cœleſtem Patriam, ſed in locum amœnum mortalibus impervium, donec veniat Antichriſtus, contra quem pugnabunt, & quo devicto morientur, actum demum æternam beatitudinem obtinebunt: quæ de B. Virgine dici non poſſunt. Idem foret dicendum de S. Jo: Evangeliſta, ſi verum eſſet, quod non obierit, ſed contraria Sententia eſt longe probabilior & communior.

Dico 2. Quo loco obierit Deipara, *an Epheſi*, an Jeroſolymis, certo definiri non poteſt, propter probabilitatem utriuſque ſententiæ. Obiiſſe Epheſi ſuadet potiſſimum Epiſtola Synodica Concilii Epheſini an. 341. ad Clerum & Populum Conſtantinopol. ubi Patres Synodici referunt Neſtorium damnatum in urbe Epheſi, *in qua*, inquiunt, *Theologus Joannes & Dei genitrix Virgo ſancta Maria*, hoc enim ſubintelligendo *eſt*, quod juxta leges linguæ Latinæ & Græcæ eleganter ſubintelligitur, ſignificat Joannem Theologum & B. Virginem *eſſe* Epheſi, utique inhumatos, quomodo enim tunc aliter eſſe poſſet? Equidem aliqui dicunt hanc phraſim eſſe mutilam, & ſupplendum, vel *aliquando habitaverant*, vel *ſacras ædes habent*, vel *magno ſunt in honore*. Sed ex nullo codice probatur mutilatio, & ſi ſubintelligatur *eſt* ſecundum uſum Linguæ Græcæ & Latinæ, non eſt recurrendum ad mutilationem.

Conf. Patres Epheſini idem voluerunt ſignificare, Joannem illic eſſe inhumatum, id enim apud ipſos conſtabat, ut patet ex Epiſtola Cœleſtini Papæ, in qua eos hortatur, ut Joannis documenta ſequantur, *cujus reliquias*, inquit, *præſentes veneramini*. Et Epiſcopi Orientales, qui ad Concilium venerant, conqueruntur injectam ſibi moram, ne SS. Martyrum & ſingulariter Joannis Evangeliſtæ reliquias deoſcularentur.

His non obſtantibus remanet dubium: difficile eſt enim deſignare tempus, quo B. Virgo potuerit venire Epheſum, ſi revera venerit. Communiter dicitur veniſſe cum S. Jo: Evangeliſta. Is autem juxta Irenæum l. 3. c. 3. S. Epiphanium hæreſi 51. & Acta S. Timothei apud Bollandiſtas ad 24. Januarii, non venit Epheſum ſaltem ad habitandum & ad regendam Eccleſiam, niſi valde ſenex & poſt mortem SS. Petri, & Pauli, hoc eſt anno æræ vulgaris 66. quo tempore habuiſſet B. Virgo 85. annos, ſupponendo quod pepererit Salvatorem anno ætatis ſuæ 16. ut quidam volunt, aut annos 94. ſupponendo cum aliis, quod pepererit Chriſtum anno ætatis ſuæ 24. Non eſt autem veriſimile; nam tot annis gravatam hoc iter ſuſcepiſſe. Neceſſe eſt ergo dicere, S. Joannem prius veniſſe Epheſum cum B. Virgine; ſed ibi non fuiſſe commoratum: at quo fundamento id dicatur, non liquet, nec eſt veriſimile Joannem illuc adduxiſſe B. Virginem, ut ſtatim eam deſereret.

Inſuper Polycrates Epheſiorum Epiſcopus in Epiſtola ad Victorem Papam, quam refert Euſebius l. 5. Hiſt. c. 24. refert magna ſanctitatis lumina Epheſi in Aſia extincta, nec B. Virginis meminit.

Reſpondet Serrius, ideo non meminiſſe B. Virginis,

quia

quia recenſendo iſta ſanctitatis lumina intendebat probare eorum exemplo Paſcha eſſe celebrandum 14. Martii: cum autem B. Virgo breve tempus duxerit Epheſi, & paulo poſt adventum obierit, non fuit illi occaſio celebrandi illic Paſchatis, unde non erat cur Polycrates eam cum aliis Paſcha decima quarta diu celebrantibus laudaret. Verum hæc ultima facilius dicuntur, quam probantur; unde enim ſciri poſſunt?

Obiiſſe vero Jeroſolymis quidam probant ex D. Dionyſio, qui c. 3. de divinis nominibus dicit ſe cum Apoſtolis & Hierotheo illuc conveniſſe ad videndum corpus B. Virginis. Sed præterquam quod multi hodie habeant iſta ſcripta ut D. Dionyſio ſuppoſita ab Auctore quodam V. ſæculi, non pauci etiam cenſent Dionyſium ſive verum, ſive fictitium, non loqui de corpore Virginis, ſed de ſepulchro Chriſti, & inde natum errorem, quod legeretur *Somatos* corpus pro *Simatos* ſepulchrum, ita S. Maximus, Hincmarus, Harduinus, Combefiſius, Thomaſſinus, Tillemontius, & alii. Certum itaque argumentum inde peti non poteſt. Omitto alia ſcripta potiori jure reputata apocrypha, ut liber, qui appellatur *Tranſitus B. Virginis*, Melitoni Sardenſi Epiſcopo ſuppoſitus, ſermo de Aſſumptione ab aliquibus S. Hieronymo, ab aliis Sophronio ejus amico affictus, quidam Sermones SS. Athanaſio & Aug. falſo adſcripti. S. Jo: Damaſcenus, Andreas Cretenſis, Nicephorus, referunt ex Euthymio Juvenalem Epiſcopum Jeroſolymitanum an. 451. reſpondiſſe Marciano Auguſto & Pulcheriæ de corpore Deiparæ ſollicitis, ejus ſepulchrum Gethſemini prope Jeroſolymam eſſe ſitum, ſed vacuum.

At reponunt alii 1. Euthymium eſſe Auctorem ignotum, cui ideo certa fides adhiberi non poteſt. 2. Dato Juvenalem ſic reſpondiſſe Marciano, ipſum majorem fidem non mereri, quippe qui, juxta Cyrillum, vir fuit ambitionis immodicæ, adjutor Dioſcori in Latrocinio Epheſino, & qui juxta S. Leonem falſa monumenta ſuppoſuit in favorem ſui Patriarchatus Jeroſolymitani. Inſuper S. Leo in litteris ad eundem Juvenalem datis 3. circiter anno poſt datum, ut dicitur, Marciano reſponſum de ſepulchro Mariano, in quibus ex profeſſo agit de locis Jeroſolymorum Religione Fidelium frequentatis, nihil prorſus habet de ſepulchro Deiparæ, quod procul dubio non omiſiſſet, ſi ex reſponſo ipſiuſmet Juvenalis ad Imperatorem jam factum eſſet celebre.

His igitur omnibus omiſſis, hujus ſententiæ probabilitatem repetimus tantum ex his, quæ refert Baronius ad an. 48. n. 19. ubi poſtquam dixit non multum ante tempora Juvenalis Marianum ſepulchrum fuiſſe repertum, ſubjungit: *Qui loca illa inviſiti ſunt, eademque fideliter deſcripſere* (citat in margine Burchardum l. 1. c. 7. §. 47.) *jam teſtantur, poſt cladem Jeroſolymitanam a Romanis illatam, ſepulchrum Dei Genitricis, ruinis propinquorum ædificiorum, ſic fuiſſe coopertum & obrutum, ut per gradus circiter 60. pateat ad illum locum deſcenſus. Et qui noſtris temporibus illuc peregrinati ſunt, teſtantur illud in petra exciſum eſſe & inſtar ſepulchri Domini, nativi lapidis cohærentia, loco immobiliter inhærere. Meminit & Beda de Locis ſanctis ſepulchum Dei Genitricis ſuis temporibus vacuum cerni in dicto loco. Unde miramur, quomodo illud dicatur Conſtantinopolim fuiſſe tranſlatum.* Hæc Baronius. Unde non mirum S. Hieronymum & S. Epiphanium, qui loca ſancta frequentarunt, mentionem non feciſſe ſepulchri Mariani (quod eſt argumentum oppoſitæ ſententiæ) ſiquidem dicatur poſt illorum tempora repertum.

Longe magis incertum eſt, quo anno vitæ ſuæ & Chriſti obierit B. Virgo. Alii dicunt mortuam eſſe an. Chriſti 48. Alii uſque ad extremam ſenectutem deveniſſe. Alii vita functam dicunt ipſo anno Chriſti in cœlum aſſumpti. Alii anno Chriſti 57. ætatis ſuæ 52. vel ut aliis placet 61.

Placida vero morte obiiſſe, & non martyrio, ut quidam commenti ſunt, communiſſima eſt ſententia. Nec favet contrariæ illud Luc. 2. *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius*: non enim de gladio materiali intelligendum eſt, cum materialis gladius non poſſit tranſfigere animam, ſed de doloribus, quos, Chriſto patiente, paſſa eſt.

ARTICULUS II.

De Aſſumptione B. Virginis.

Dico. Temerarium foret negare, B. Virginem eſſe corpore & animo aſſumptam in cœlum. Prob. 1. auctoritate Eccleſiæ, quæ in Officio Aſſumptionis inſeruit Lectiones ex S. Joanne Damaſceno & S. Bernardo, in quibus aſſeritur Aſſumptio corporea B. Virginis, & in Collecta dicit: *Sancta Dei Genitrix mortem ſubiit temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit.* Per nexus mortis vero intelligit Eccleſia corruptionem corporis, non peccata, ut quidam fingunt, alioquin nihil tribueret B. Virgini præ cæteris Sanctis, cum nullus juſtorum moriendo deprimatur peccato. 2. Auctoritate Patrum & Theologorum. Sic enim docent S. Greg. Turonenſis ſæc. 6. l. de miraculis c. 4. Andreas Cretenſis orat. 2. de laudibus Deiparæ, S. Greg. Mag. ex cujus Sacramentario deprompta eſt collecta, de qua ſupra, S. Joannes Damaſc. orat. 2. de dormitione Deiparæ, B. Petrus Damiani ſerm. de Aſſumpt. S. Bernardus ſer. 1. de Aſſumpt. Idem unanimiter docent Scholaſtici. S. Th. hic q. 27. in a. 2. 4. d. 45. q. 1. a. 3. & opuſc. S. Hugo a S. Victore l. 3. Erudit. Theologicæ c. 125. Durandus l. 7. de divinis Officiis, & cæteri communiter. 3. Ex communi ſenſu Fidelium, qui magna cum ſolemnitate feſtum Aſſumptionis B. M. celebrant, intelligentes Aſſumptionem corpore & animo. 4. Variis congruentiis: ita enim exigebat 1. pientiſſimi Filii in Matrem dilectiſſimam affectus. 2. Summa ejus cum Chriſto conjunctio, ut quæ in vita illi corpore & animo adhæſit, ab eo poſt vitam nec corpore nec animo ſepararetur. 3. Dignitas Matris Dei; *quomodo enim*, inquit Damaſc. citatus, *corruptio invaderet corpus illud, in quo vita ſuſcepta eſt?* 4. Sanctitas ſupereminens omnibus Angelis & hominibus.

Quis neget gravem temeritatis notam incurrere eum, qui ſententiam tot auctoritatibus ac rationibus fultam tamque Matri Dei honorificam impugnare auſus fuerit? Nihilominus

Dices 1. Quoſdam antiquos Patres dubitaſſe, an B. Virgo ſit corpore aſſumpta in Cœlum. S. Epiphanius ſæc. 4. hæreſi 78. S. Ildephonſus Tolet. Serm. 6. de Aſſumpt. Ven. Beda l. de Locis Sanctis. Imo ipſa Eccleſia Romana ea de re dubitavit, diu enim uſa eſt Martyrologio Uſuardi, in quo ad diem 15. Auguſti legitur, *Dormitio ſanctæ Dei Genitricis Mariæ . . . quo autem venerabile illud Spiritus S. Templum nutu & conſilio divino occultatum ſit, plus elegit ſobrietas Eccleſiæ cum pietate neſcire, quam aliquid frivolum & apocryphum inde tenendo docere.* Item in ſolemni officio legebat olim Sermonem de Aſſumpt. D. Hieronymo affictum, in quo pariter hoc dubium exprimitur. Ergo. R. Potiorem & pluris faciendam eſſe aſſertionem eorum, quos pro nobis citavimus, quam aliorum dubitationem; dubia enim argumenta nihil poſſunt adverſus poſitiva. Et eſto, Eccleſia aliquando de ea re dubitaverit; conſtat tamen jam dudum acceptis novis luminibus dubitationem excuſſiſſe, & palam profiteri atque colere Aſſumptionem corpoream B. Virginis.

Dices 2. Plures SS. Patres docent Chriſtum ſolum reſurrexiſſe non amplius moriturum. Sic S. Ambroſ. l. 1. in Job c. 6. *Solus ipſe* (Chriſtus) *adhuc reſurrectione perpetua reſurrexit.* S. Avitus Viennenſis in fragmentis, *Chriſtus hactenus ſolus eſt, qui non moriturus reſurrexit.* Ergo. R. D. Ant. Plures SS. Patres docent Chriſtum ſolum reſurrexiſſe non amplius moriturum de lege ordinaria & ſummo jure, C. ex privilegio, N. ſecundum enim plures alios Patres, Ignatium Ep. ad Magneſianos, Originem in c. 27. Matth. Euſebium l. 4. Demonſt. Evang. c. 12. S. Epiphan. hæreſ. 57. qui ſurrexerunt cum Chriſto, eo aſcendente Cœlum, ipſi quoque cum ſuis corporibus aſcenderunt. Longe vero potiori jure ſimile privilegium Matri Dei eſt concedendum.

Dices 3. Patres Epheſini in Ep. Synodica ad Clerum & populum Conſtant. de qua art. præc. dum dicunt, *in qua Theologus Joannes & Dei genitrix S. Maria*, eodem modo loquuntur de B. Virgine ac de S. Joanne, ut ibidem diximus. Atqui de Joanne intelligunt, quod ſint ibi ejus reliquiæ, ut patet ex Cœleſtino & Patribus Orientalibus ibid. citatis. Ergo. R. D. Maj. Eodem modo loquuntur &c. quoad inhumationem, C. Quoad reliquias exiſtentes, N. Patet ex ipſo Cœleſtino & Patribus Orientalibus citatis, qui loquuntur dumtaxat de veneratione reliquiarum S. Joannis, non omiſſuri reliquias B. Virginis, ſi pariter credidiſſent eas ibi exiſtere, majorem enim iſtæ venerationem merebantur, quam illæ.

Hic Lectorem monitum velim, quod quamvis in hoc Tractatu non paucas celeberrimi viri R. P. Hyacinthi Serry opiniones ex ejus Exercitationibus impugnaverim, ipſe tamen etiam in quibuſdam aliis mihi fuerit adjumento. Juvat enim reddere cuique, quod ſuum eſt, nec laboribus alienis velle gloriari.

ALTERUM SUPPLEMENTUM
QUATUOR OPUSCULA CONTINENS,

Quorum primum eſt D. HAGENS, *refutantis* P. BILLUART *ſyſtema* de Relatione Operum in Deum; *tria vero ſequentia ab Auctore noſtro fuerunt elucubrata.*

SYSTEMA NOVUM
R. PATRIS BILLUART
DE RELATIONE OPERUM IN DEUM.

Refutatum a Reverendo admodum ac Eruditiſſimo D. HAGENS, in alma Univerſitate Lovanienſi Sacræ Theologiæ Licentiaro, Profeſſore Regio, &c. &c.

MONITUM AD LECTOREM.

HUjus Syſtematis Refutatio, licet a Perilluſtri, ac Eruditiſſimo Cenſore Leodienſi a 3. annis approbata, in lucem non prodiiſſet, niſi Syſtema R. P. B.LLUART, *quod in operibus ſuis Leodii impreſſis non habetur, alibi contra bonam Fidem typis mandatum fuiſſet, & quidem a quibuſdam Profeſſoribus, ſeu potius Lectoribus Leodienſibus approbatum, qui monſtra ſibi effingunt, priuſquam intelligant; qua autem authoritate hi in Approbatores Librorum ſeſe erigant non ſcimus.*

1. QUÆSTIONEM Theologicam de Relatione operum in Deum a R. P. BILLUART conſcriptam pedetentim refutare intendimus. Ac in primis, ut utamur verbis ipſius P. (*Secunda Secundæ pag.* 140.) *Suſcipientes Eccleſiæ definitiones, agnoſcimus non omnia opera Infidelium eſſe peccata, nec omnes virtutes eſſe vitia*; non tamen contendimus, prout ibidem proſequitur ignorantia noſtræ ſententiæ laborans P. B., *eos peccare in omni ſuo opere*, ad ſummum enim peccant in non opera: imo nequidem ſemper peccant *peccato omiſſionis, ſeu defectu relationis in Deum propter ſe dilectum*: Infideles enim poſſunt actus aliquos bonos non tantum exercere, ſed & eos ad Deum ex amore aliquo imperfecto & inchoato dirigere; quia in ipſis nonnunquam ſunt piæ affectiones erga primam veritatem, illuminationes, ut habet Aug. præambula Fidei. *Volumus itaque hominem, quotieſcumque deliberate agit, teneri ſub peccato veniali actum referre in Deum ex amore non quidem charitatis*, ſtricte ſcilicet, *ſed benevolentiæ relatione virtuali implicita; ſic tamen ut defectus hujus relationis ipſum quidem operantem inficiat, at non ipſum opus.*

2. Suum ſyſtema oppoſitum ita proponit (*Ibid*) *ut tam operans quam opus eximantur a peccato .... ſufficit ubi non urget præceptum dilectionis Dei ſuper omnia, quod opus ſit ex objecto honeſtum, & nullo pravo fine, nullave alia prava circumſtantia vitiatum; ſic ut operans .... diligens honeſtatem particularem hujus operis conſeatur diligere virtualiter implicita primigenitam & fontalem honeſtatem, quod eſt ipſe Deus, cujus hæc particularis honeſtas eſt participatio, conſequenter intendat implicite ipſum Deum*. Hanc ſuam relationem in Deum vocat *implicitam & ex parte operantis*, hoc ſenſu, quod operans ex libera electione facit opus, quod ex ſe tendit in Deum. Ad hoc citat Sylvium & Laurentium Berti; ſed reflectat P. B. ad id, quod addit præfatus Berti: *atque hoc arbitror ſufficere ad opus bonum morale*. Hoc autem nullatenus negamus. Porro negamus, nec probat P. B. quod implicita ejus Dei dilectio & operis in Deum relatio ſit veri nominis & moralis; id eſt, quæ non tantum hominis, ſed humana ſit: ut infra demonſtrabimus. Jam referamus & refellamus ejus probationes.

3. I. Probare conatur (*Ibid.*) ex eo, quod *præceptum dilectionis Dei, cum ſit affirmativum, non obligat pro ſemper. Ergo*, inquit, *ubi non urget hoc præceptum; non tenetur homo referre opus ſuum in Deum aliter, quam ſit dictum in ſua Concluſione*. R. 1. Diſtinguo Antecedens: Præceptum dilectionis Dei, cum ſit affirmativum, non obligat pro ſemper, ad actus continuos, Concedo; non obligat pro ſemper *virtute*, Nego. Sic ergo præceptum iſtud utpote affirmativum, non obligat pro ſemper, quaſi actualis relatio, ſeu actus relationis debeat eſſe continuus; ſed obligat ad hanc actualem relationem tam ſæpe & tam vigoroſe ponendam, ut vi illius omnia noſtra procedant. Deinde non ſemper deliberate agimus; neque ſemper urget hoc præceptum. R. 2. Retorqueo argumentum: Præceptum affirmativum non obligat pro ſemper: ergo ubi non urget hoc præceptum, non tenetur homo referre opus ſuum in Deum, modo relato in Concluſione Patris B. ſeu implicite. Atqui tamen P. B. agnoſcit hominem, toties quoties deliberate agit, teneri referre ſuum actum in Deum relatione virtuali implicita, quatenus tenetur ſemper agere, quod de ſe bonum eſt. (*Ibid. pag.* 142.)

4. Ut probet primum Mandatum & alia relationis præcepta non obligare *Pro ſemper*, affert P. B. S. Th. in 2. Diſ. 40. a. 5. ad 6. ubi dicit: Si quæratur quando oporteat actum referre in finem ultimum, hoc nihil aliud eſt, quam quærere quando oporteat habitum charitatis exire in actum. R. hoc ita intelligit P. B. quando oporteat ex præcepto referendi actum referre, &c. An igitur aut a parte rei, aut juxta S. Th. dum & quoties præcipitur relatio, præcipitur ut fiat ex habitu charitatis? Quid tunc erit de infidelibus, quid de quovis extra ſtatum gratiæ? Sed accipe, quod certe non ita ſit juxta S. Th. Hanc ipſam opinionem rejicit S. Th. in terminis, & de eo, quod hac ſtatuitur, dicit; *Quod falſum eſt*. In 4. Diſt. 36. a. 6. o. & ib. ad 5. ſic habet: *Dicendum, quod modus charitatis plus importat quam relationem operis in finem debitam; importat enim quod actus ex habitu charitatis procedat, quo multi carentes, actus ſuos in Deum referunt*. Subintellige, *Sicut præcipitur* 1. Cor. 10. quod enim hoc ita fieri poſſit ſine habitu charitatis eſt illud ipſum, quod hic oſtendere vult S. Th.

5. Quod amplius eſt, eodem art. ad 2. docet S. Th. quod neque primo mandato præcipiatur actus dilectionis, qui fiat ex habitu charitatis; aut ſi in eo hoc præcipiatur, illud magis ſit ad oſtendendum, quo tendere debeamus, *quam ad obligandum*: ſeu ut hic dicit in corpore articuli, hoc in eo præcipitur *Quantum ad intentionem Legislatoris, non quantum ad obligationem Legis*. Ex his S. Th. omnino perſpicuum eſt, quod hic meus a Patre B. objectus ejus ſenſu intelligi non poſſit. Idem etiam ex hoc ipſo loco perſpicuum eſt, uti & quod hic ſit ejus ſenſus: *Si quæratur quando ad merendum oporteat*, &c. quod ſic probatur. Perſpicuum eſt, quod To *Si quæratur quando*, hic ſit ſenſus; *Si quæratur quando* in ordine ad hoc de quo hic agitur, id eſt, de quo hic objectio & hactenus mea reſponſio, oporteat, &c. Atqui & hic in objectione, & hactenus hic in reſponſione, agitur & actum eſt de eo: quid requiratur & ſufficiat *Ad merendum*; nempe ut hoc ſimpliciter poſitum intelligatur a S. Th. *Ad merendum de condigno* Ergo ex hoc ipſo loco perſpicuum eſt, quod ille quem diximus genuinus ſenſus ſit: id eſt quod in loco a Patre B. allato, hoc doceat S. Thomas: *Si quæratur, quando, ad merendum de condigno, oporteat actum referre in finem ultimum; hoc nihil aliud eſt, quam quærere quando oporteat habitum charitatis exire in actum.*

6. Mirum etiam quod P. B. hic afferat S. Th. 2. 2. q. 100. a. 10. ubi dicit quod primum mandatum, & illud Apoſtoli 1. ad Cor. 10. *Cum ſint præcepta affirmativa, non obligant ad ſemper*. Nam R. Phraſi S. Th. præceptum non obligat niſi dum & in quantum adſtringit ſub mortali; ut evidens eſt ex eo quia docet S. Th. in terminis, quod qui peccat venialiter peccato omiſſionis, *Non prætermittit id, ad quod lex per præceptum obligat*. 1. 2. q. 88. a. 1. ad 1. & paria dicit alibi & ſæpe. Igitur dum dicit S. Th. dicta precepta *Non obligare ad ſemper*, hoc nec aliud dicit, quam illa *Non aſtringere ſub mortali ad ſemper*; quod admittimus: imo ſtatuimus cum S. Th. & omnibus. Quod autem eadem illa precepta relationem noſtram *Non pro ſemper* intendant *ut modum rationis quem lex intendit*, hoc nullibi dicit S. Thomas, ſed ſæpe docet oppoſitum. Mirum ſane, quod talia argumenta moveat P. B. tum quia Thomiſta eſt, & per conſequens probe callere debet phraſim S. Th.

Digitized by Google

S. Th. tum quia ipſe admittit præceptum affirmativum relationis ſuæ implicitæ, phraſi communi & omnium *Obligans pro ſemper*, & admittere debet tale eſſe præceptum *De honeſtate actionis*; & omnes debent admittere ſaltem tale eſſe præceptum *De referibilitate operis in Deum*, quæ etiam eſt in indifferentibus. Piget ejuſmodi centies attritis refellendis immorari.

7. Prob. 2. conatur (*Ibid. pag. 140.*) P. B. hoc modo, *Infidelis ſeu peccator, qui nulla præcedente actuali relatione in Deum propter ſe dilectum, facit eleemoſynam ex motivo miſericordiæ, ... ex nullo capite peccat ... non ex defectu finis*, &c. Ergo. R. Diſtinguo Ant. ex nullo capite ſe tenente ex parte operis, C. ſe tenente ex parte operantis, N. Similiter Diſtinguo rationem additam: non peccat ex defectu finis operis, finis proximi, intrinſeci; ſeu non peccat ex defectu honeſtatis particularis hujus operis, C. non peccat ex defectu finis operantis, finis ultimi, extrinſeci, ſeu non peccat ex defectu relationis in Deum, N. De his fuſius infra. (*Ibid. & col. 2.*) Hæc eſt vis Argumentorum. *Qui vult opus honeſtum formaliter explicite propter particularem illius honeſtatem, vult virtualiter explicite propter honeſtatem ſecundum ſe ... & cum hæc honeſtas ſecundum ſe in re ſit Deus, vult virtualiter implicite propter Deum*. Tum probationem adjicit ex principio S. Th. 1. 2. q. 1. a. 6.

8. Aſt hoc verum eſt; nec probat P. B. quod implicita ejus Dei dilectio & operis in Deum relatio ſit veri nominis & moralis. Ac 1. oſtendam nihil magis abſurdi & exotici eſſe, quam hoc D. Th. principium adhibere in probationem hujus opinionis. En verba; *Neceſſe eſt, quod omnia, quæ homo appetit, propter ultimum finem*; nimirum de jure, ſeu ut ſubdit, *bonum perfectum*, quod Deus & ſolus Deus eſt; *quia quidquid homo appetit, appetit ſub ratione boni, quod quidem ſi non appetitur ut bonum perfectum, quod eſt ultimus finis, neceſſe eſt ut appetatur ut tendens in bonum perfectum; quia ſemper inchoatio alicujus ordinatur ad conſummationem ipſius*. Atqui dum & quoties homo, ut finem actionis ultimum appetit e. g. voluptatem aut edendi aut bibendi; imo dum & quoties ſic appetit finem malum, e. g. vanam gloriam, hæc certe appetit *ſub ratione boni*. Ergo etiam utrumque hoc & appetit homo, & neceſſe eſt, ut hoc appetat *propter ultimum finem, ac ut tendens in bonum perfectum*, quod Deus eſt. Atqui nemo, nec etiam P. B. dixerit, quod hoc caſu ſit in homine veri nominis & moralis *Dei dilectio*, aut *operis in Deum relatio*. Ergo & *Dei dilectio*, & *operis in Deum relatio*, de quibus hic S. Th. non ſunt tales, ſed ſunt meræ ſpeculationis abſtracta & ſcholaſtica, & *Dei dilectio*, & *operis in Deum relatio*, ut eſt illa S. Th. qua iſtam etiam peccatum veniale, ſaltem mediante hujus fine, refertur in Deum ab homine juſto.

9. Quod amplius eſt, eamdem ſuam implicitam *Dei dilectionem & operis in Deum relationem*, de quibus hic S. Th. ubi in terminis ſtatuit eſſe in appetitione *omnis finis*, adeoque etiam in appetitione finis mali; ac ibidem quoque hanc etiam *in ipſis dæmonibus* eſſe, & ſtatuit, & probat *eadem ſua ratione*, qua hic probat, & ſtatuit eas eſſe etiam in dictis hominibus. Hæc facit S. Th. q. de voluntate a. 2. ubi in corpore ex allata dicta ſuaratione ſic concludit. *Et ideo ſicut Deus propter hoc quod eſt primum efficiens, agit in omni agente; ita propter hoc quod eſt ultimus finis, appetitur in omni fine. Sed hoc eſt appetere ipſum Deum implicite*. Ibid. autem ad 3. ſtatuit in terminis. *Ipſi dæmones ... appetunt & eſſe, & vivere naturaliter, & in hoc ipſum Deum appetunt & diligunt*. Atqui certum & evidens eſt (neque hoc ipſe P. B. negavit) quod in referente opus ad finem malum, ac in ipſis etiam dæmonibus, non ſit veri nominis & moralis, aut *Dei dilectio*, aut operis in Deum relatio. Ergo & certum & evidens eſt, quod tales non ſint, & Dei dilectio, & operis in Deum relatio, de quibus S. Th. in hoc loco, & in priore, quem ex Summa attulimus.

10 Ex his ſponte fluit, quod neque rationibus vel minimum probet, aut probare poſſit P. B. quod illa ſua, quam talem eſſe vult, ſit veri nominis & moralis *Dei dilectio*, aut *operis in Deum relatio*: imo talem non eſſe pluribus perſpicuis argumentis oſtendi poteſt, & oſtenditur e. g. ſequentibus. Certe ac evidenter nulla eſt hominis *Dei dilectio* (idem eſt de relatione in Deum) & veri nominis & moralis, niſi quæ ab eo procedit, & ponitur humano modo. Atqui nulla ab eo ponitur humano modo, niſi ei voluntaria: in omni enim Theologia primo verum eſt, quod ut nulla bonum, ita nec Dei dilectio ſit voluntaria, niſi hanc ut talem & ſecundum id quod eſt, quatenus eſt Dei dilectio, velit & intendat operans. Ergo ut hanc Patris B. Dei dilectionem certe non ſic vult, & intendit operans; ita certe ea non eſt voluntaria, ac proinde certe ab eo non procedit humano modo; adeoque certe non eſt veri nominis & moralis Dei dilectio. Si P. B. contenderet, aut ſtatueret, quod hanc ſuam ita velit & intendat, operans (quod verum non eſt) hoc ipſo ſtatuit, quod hæc ſua ſit ipſa noſtra, & omnium virtualis; ac, ut ipſe loquitur, *explicita* Dei dilectio.

11. 2. Illa Patris B. & Dei dilectio, & operis in Deum relatio, non eſt talis, qualis homini facienda præcipitur. Atqui ſi talis non ſit, certe nec eſt veri nominis & moralis, Ergo illa Patris B. non eſt veri nominis & moralis Dei dilectio; &c. Probata Majore cum cætera in eo clara ſint, admittendum eſt hujus argumenti Conſequens. Prob. Major. Quidquid unquam morali præcepto homini agendum præcipitur, hoc ei certe ac evidenter ſic præcipitur, ut in quantum eſt id quod præcipitur, non ſolum ſit actus hominis, ſed etiam actus humanus. Atqui quemadmodum, ut ſupra oſtendimus, Patris B. relatio non ſit ab homine humano modo, ita non eſt talis, quæ in quantum eſt relatio in Deum, ſeu id quod præcipitur, ſit actus humanus. Ergo hæc Patris B. relatio operis in Deum non eſt talis, qualis homini facienda præcipitur.

12. Ex dictis patet, quod extra Scholam & Scholaſtica nemo unquam has, quas P. B. eſſe vult veri nominis, ac moralem & Dei dilectionem, & operis in Deum relationem, tales eſſe dixerit, aut dicat; minus tales eſſe agnoverit, aut agnoſcat; minus tales eſſe ſtatuerit, aut ſtatuat. Etenim quis unquam extra Scholam & Scholaſtica dixit, aut dicit ſimpliciter, aut etiam cum addito, quod homo faciens opus ob finem malum, aut quod etiam ipſi dæmones diligant Deum? aut quod hoc faciant implicite? imo quod etiam ipſi dæmones hoc ſemper faciant; ut dicendum foret? quia & in quantum ſemper appetunt & eſſe, & vivere, & beatitudinem in communi.

13. Patet etiam, quod dum P. B. ſuam (*Ibid. pag. 142.*) ſententiam vocat communiſſimam, ludat in æquivoco. Etenim in quantum hæc negat noſtram referendi obligationem, in tantum ſit hodie communiſſima. Sed hoc procul abeſt a vero, in quantum hæc eadem ſententia Patris B. relationem ejus implicitam, & ex parte operantis hic affert & ſtatuit. Quis enim in tantum hanc ſententiam vel hodie tuetur, ſi ſolos Thomiſtas dempſeris; enique, ut puto, ſane non omnes. Profecto plurimi non hanc relationem implicitam hic afferunt; ſed hac aut non agnita, aut inſuper habita, hic afferunt, & ſufficere ſtatuunt maxime S. Thomæ, ſolam relationem habitualem; alii ſolam, quæ in actu charitatis, quo Deus diligitur ſuper omnia, involvitur, omnium ſecutorum operum vel in globo, vel ſigillatim relationem; alii ſolam noſtram, & omnium relationem, ſed hanc alicujus temporis tantum; alii ſolam operum, quæ etiam eſt in indifferentibus, referibilitatem in Deum; alii denique ſolam relationem ex parte operis, & non ex parte operantis, quæ per ſe inſit cuivis operi honeſto non vitiato. Ita hi, qui omnes ſimul juncti ſane plurimi ſunt; quia, aut ſi velis, in quantum primam & regiam de locis e. g. Scripturæ, Patrum &c ſenſu proprio, naturali, & obvio intelligendis, interpretandi regulam relinquunt, in multiplices & ſane diverſas abeunt ſententias. Cum certe hi omnes cupiant, quam minimum poſſibile eſt, recedere a ſenſu proprio locorum, e. g. Scripturæ & Patrum: cumque hæc loca, ut per ſe clarum eſt, ac ipſe etiam P. B. ſtatuit, in hoc ſenſu ſuo proprio dicant, & Dei dilectionem, & relationem operum, cujuſvis temporis, ac ex parte operantis; ſi illa Patris B. eis viſa fuiſſet & videretur etiam eſſe veri nominis & moralis operum in Deum relatio, hanc certe non ita, ut fecerunt & faciunt hi omnes, reliquiſſent & relinquerent.

14. 3. Eodem loco ſupra allato q. de voluntate a. 2. ſic habet S. Th. *Appetitus creaturæ rationalis non eſt rectus, niſi per appetitum explicitum ipſius Dei*. Ex quo peremptorium hoc conficitur argumentum. Si illa implicita & non niſi mere implicita Patris B. Dei dilectio, ſeu quod idem eſt, ille ejus implicitus & non niſi mere implicitus Dei appetitus S. Thomæ foret & veri nominis ac moralis Dei appetitus, & talis, qui & qualis divino rationis operum in Deum præcepto præcipitur, & quo huic, ut vult P. B. ſatisfit; hic S. Thomæ & certe & evidenter foret rectus, ut eſt Patri B., idque eodem modo & eadem ex cauſa. Atqui S. Th. de hoc appetitu hic dicit in terminis, *non eſt rectus*. Ergo hic Dei appetitus implicitus & non niſi mere implicitus, & certe & evidenter non eſt S. Th. id quod eſt Patri B., & quod hunc S. Thomæ eſſe vult hic Pater, & quod hunc etiam a parte rei eſſe ex S. Th. probare nititur idem Pater.

15. Quod amplius eſt. Dum, ubi S. Th. de hoc appetitu hic in terminis dicit: *Non eſt rectus*; hic Pater de eodem dicit: *Eſt rectus*; in terminis contradicit S. Thomæ. Igitur ſi hoc facere, ut certe nolle debet, etiam nolit hic Pater, debet admittere quod hac ſua implicita & mere implicita operum in Deum relatione ſic, ut contendit, e. g. præcepto Apoſtoli 1. Cor. 10. v. 31. nec ſatisfiat nec ſatisfieri poſſit. Eadem ex cauſa idem admittere debet etiam de altera non multum diſpari dicta relatio-

latione ex parte operum tantum, proinde cum ſtatuat hoc præcepto Apoſtoli præcipi, ut loquitur, *univerſalitatem actionum noſtrarum*, non mediate tantum & in cauſa, ſed etiam *immediate in ſe ipſis*, per neceſſarium & ineluctabile conſequens, cum jam alia nulla ſuperſit relatio, debet admittere hoc Apoſtoli præcepto præcipi ipſam relationem noſtram; ac ita ſaltem hac in parte vel invitus nobis aſſentiri.

Reſolutio.

16. HAbes jam & ſignanter mea oſtenſum, quomodo Pater ille hic ſequatur S. Thomam, & quomodo ea S. Th. hic ſua ſtabiliat; id eſt nullatenus. Si hiſce jungas præcedentia noſtra, etiam habes quæ & qualia in ſe ſint, quæ Pater ille hic ſtatuit, & quomodo hæc probet's ratione, id eſt nullatenus ab hac probet. Malum profecto omen, quod nec melius, id eſt nullo modo aliena ſeu noſtra enervet, minus evertat, ut etiam oſtendere aggredimur. itaque.

17. Conatur (*Ibid. pag.* 141.) P. B. probare 3. Præcludendo, ut ait, effugium adverſariis. *Actus*, ait, *cui deeſt aliqua circumſtantia, quæ debet ineſſe, malus eſt. Atqui ſi homo teneatur referre ſuum actum in Deum relatione virtuali explicita & non referat, actui ejus deeſt circumſtantia quæ debet ineſſe, ſcilicet iſta virtualis relatio in Deum.* Ergo defectus hujus relationis vitiaret non ſolum operantem, ſed etiam opus. R. Negando Minorem, quam nullatenus probat P. B. equidem *bonum ex integra cauſa, malum ex quolibet defectu*: & ex S. Th. *Actio in quantum deficit ei aliquid de plenitudine eſſendi, quæ debetur actioni humanæ, in tantum deficit a bonitate & ſic dicitur mala*: Item *actus non ordinatus ad debitum finem eſt inordinatus & malus*. Sed niſi hoc, quod circa opus facere debet operans, ſpectet ad *operis plenitudinem eſſendi*, hujus defectus non poteſt vitiare opus: Igitur niſi probet P. B. quod relatio noſtra, poſita Doctrina noſtra, ſpectet ad *plenitudinem eſſendi*, e. g. eleemoſynæ, nehilo quidem hic proficere aut concludere poteſt. Hoc autem ne hilo quidem probat P. B.

18. Nos contra probamus oppoſitum hoc argumento. Addere eleemoſynæ unius quadrantis reſiduum floreni, non ſpectat ad plenitudinem eſſendi hujus eleemoſynæ. Ergo nec relatio noſtra, etiam poſita Doctrina noſtra. Pone jam quod Confeſſarius pro pœnitentia injungat pœnitenti pro ſeptima ut omnia ſua opera relatione noſtra referat in Deum, & quod, hoc præcepto Confeſſarii non obſtante, penitens omittat eleemoſynam, quamdam, ſic in Deum referre, ſi dicat P. B. quod hæc eleemoſyna, hoc præcepto relationis etiam poſito, non inficiatur, infero ineluctabiliter: Ergo nec poſito præcepto referendi noſtro. Si dicat, quod inficiatur, dicere debet, quod hoc præceptum Confeſſarii mutet naturam operum, e. g. eleemoſinæ, idque ſic ut jam ad ejus plenitudinem eſſendi ſpectet: quod ridiculum & abſurdum eſt.

19. Aliud argumentum ex genuina mente D. Thomæ. Juxta S. Th. actus timoris ſervilis malus eſt *ex parte ſervilitatis ſuæ*, ſeu in quantum qui facit hunc actum, in eo hic & nunc *non amat juſtitiam*, ſed ſolum *pœnam timet*; proinde ut juxta S. Th. in terminis, *ſervilitas ejus eſt mala*. Atqui cuivis catholico certum eſſe debet, quod hac ſervilitatis malitia hic actus non inficiatur *in ſe*, ſed contra omnino bonus & laudabilis ſit, ac poſitis ponendis Spiritus S. Donum. Ergo & pariter certum eſt quod defectu debitæ relationis noſtræ actus non inficiatur *in ſe*, ſed contra omnino bonus & laudabilis ſit, &c. adeoque relatio noſtra quæ abeſt, non ſpectet ad ejus plenitudinem eſſendi.

20. Mirum quantum continuo laboret falſo ſuppoſito P. B. e. g. (*Ibid.*) in hoc argumento. Si in individuo fiat eleemoſyna ſine debito loco, tempore, modo, &c. erit mala: Ergo ſimiliter ſi fiat ſine *Debito fine*. Supponit enim, quod Deus propter ſe dilectus ſit debitus finis eleemoſynæ in individuo ſpectatæ, quod negamus in noſtris principiis, & nullatenus probat, aut probare poteſt. Præterea ludit in æquivoco dum dicit ſi fiat eleemoſina *Sine debito loco, tempore, modo*. An ſine loco debito eleemoſynæ? An ſine loco debito eleemoſinanti? An ſine loco debito poſitive, ſeu an eleemoſynam referat ad locum indebitum? An ſine debito negative, ſeu mere omittens locum debitum? Si fiat eleemoſyna ſine loco debito eleemoſynæ, mala eſt, eſto. Ergo a pari ſi fiat ſine fine debito eleemoſynæ, concedimus totum. Quid inde? Dixi *Eſto*; quia, dum generatim dicit P. B. quod eleemoſyna, ſeu hujus voluntas, quæ certe *Eſt voluntas boni*, ſi fiat ſine debito tempore, erit mala, contrarium ſtatuit doctrinæ D. Th. 1. 2. q. 19. art. 2. ad 2. dicenti: *Suppoſito, quod voluntas ſit boni, nulla circumſtantia poteſt eam facere malam*. Si eleemoſyna fiat ſine loco debito poſitive, ſeu ſi eleemoſynam referat ad locum indebitum, mala eſt, eſto: ergo a pari ſi illam referat ad finem indebitum, concedo totum. Quid inde rurſus? Num Deus propter ſe dilectus eſt debitus finis eleemoſynæ? Num dans eleemoſynam, illam refert ad finem indebitum, ex eo quod me re omittat illam explicite referre ad Deum? Quis talia ſomniaret?

21. Jam oſtendamus, quod ſatis diſtinguamus inter actum ſecundum ſpeciem & actum in individuo. Actus ſecundum ſe indifferens eſt malus in individuo, ſi careat fine ſuo proximo honeſto; hactenus, bene, conformiter ad principia D. Th. ſed inſuper addit P. B. *Qui tamen finis eſt operantis, & actui ſecundum ſpeciem extrinſecus*. Quaſi vero finis, a quo tamquam ab objecto actus in individuo deſumit totam ſuam moralitatem, non eſſet finis & finis intrinſecus actui in individuo & ſecundum ſpeciem moralem conſiderato. Sic (ut retorquendo utamur ipſiſmet verbis P. B.) ambulationi e. g. ſecundum ſpeciem, (nempe phyſicam) conſideratæ, eſt extrinſecus & indebitus finis bonus, ut ſic enim eſt indifferens; ſi tamen exerceatur & non fiat propter bonum finem erit mala: quis tunc conſideratur ſecundum ſpeciem moralem. Unde in hoc videtur hallucinari P. B. quod non ſatis diſtinguat inter actum ſecundum ſpeciem & actum in individuo; item quod nullatenus diſtinguat inter actum ſecundum ſpeciem phyſicam & actum ſecundum ſpeciem moralem.

22. Indeclinabiliter errat in ſuo eodem falſo ſuppoſito P. B. dum (*Ibid.*) dicit; quod non minus rectæ rationi ... repugnet, quod actus, qui debet referri ad finem ultimum extrinſecum, ad ipſum non referatur. Si enim rigoroſe & ſcholaſtice ad captum Patris B. loquamur, conſtanter negamus, quod actus debeat referri ad finem ultimum extrinſecum. Dum autem ſubdit, quod finis proximus honeſtus ſit extrinſecus operi ſecundum ſpeciem indifferenti, hoc verum eſt; quia tunc iſtud opus eſt tantum ſecundum ſpeciem phyſicam, cui proinde bonitas aut malitia morales ſunt extrinſecæ. Si vero ſpectaretur opus ſecundum ſuum eſſe morale, ipſi ſane finis honeſtus eſſet intrinſecus. Hinc iterato confundit P. B. eſſe morale & phyſicum. Niſi in Scotiſtarum partes tranſlatus Thomiſta tertiam moralitatis ſpeciem admittere velit. Confundens materiale & formale peccati male arguerat contra prædeterminationem phyſicam, juxta Patrem B. utpote Thomiſtam. Confundens finem operis & finem operantis, eſſe morale & eſſe phyſicum actus, an melius ratiocinetur?

23. Ad exemplum Daelmanni reſpondet P. B. *omiſſionem ſolutionis* 50. *florenorum non eſſe circumſtantiam afficientem moraliter ſolutionem* 50. *florenorum, ſicut omiſſio finis debiti, &c.* R. Cum hoc ſit illud ipſum, quod quæritur, hactenus eſt petitio principii. Sed audiamus, ſi non probam, ſaltem *indicium*, quod ſic ſubjicit P. B. *Cujus indicium eſt, quod tranſacta ſolutione* 50. *florenorum remanent adhuc obligatio ſolvendi alios* 50. *ſic ipſum operantem ſeu debitorem afficiens, ut adhuc peccet donec ſolverit. At tranſacto opere, v. g. eleemoſyna, non remanet amplius obligatio relationis ad Deum, neque ex hac parte deinceps peccat operans*. R. Falſum eſt, quod in operante, *tranſacto opere, non remaneat amplius obligatio relationis ad Deum*. Hæc enim in eo manet, & eſt reſpectu cujuſcumque operis alterius; ut e. g. reſpectu alterius eleemoſynæ ſecuturæ; æqualiter ſicut in caſu Daelmanni in operante eſt & manet obligatio reſpectu alterius ſecuturæ ſolutionis aliorum 50. Imo in caſu noſtro nunquam non eſt in operante obligatio relationis ad Deum pro quovis opere deliberato, & fuit in eo reſpectu hujus eleemoſynæ, quam non refert, dudum antequam hanc daret. Quod autem deinceps non peccet operans non referendo hanc eleemoſynam ante factam, mere per accidens eſt; nempe quia eum excuſat impotentia, quia *Quod factum eſt, infectum fieri nequit*. Eadem ex cauſa ſi immediate poſt ſolutionem primorum 50. operans habeat impotentiam, ſeu fiat impotens ſolvendi hos alios 50. florenos, deinceps tranſacta ſolutione priore, non peccabit hos alios 50. non ſolvendo.

24. Ex hac refutatione, ſi valeat, ut puto valere, inferes P. B. incaſſum muſſitare circa propoſitiones damnatas in Baio & Queſnello, præſertim circa iſtam Baii: *Omnia opera infidelium ſunt peccata* ... Sed & dato, proſequitur P. B. (*Ib.*) (rectius dixiſſet demonſtrato) opus defectu relationis non infici, ſed ſolum operantem, nec ideo, ut videtur *Oculis capto*, omnino evadimus. Hinc enim

25. In ſuo *Probatur* 4. *concluſio* infert P. B. ex noſtra ſententia, o. abſurdum hoc: *Quod neceſſe ſit infidelem, quamdiu manet infidelis, in omni opere peccare*. R. at quid perpetuo tibi arridet, nec nauſeam movebit ſemper idem falſum ſuppoſitum? In ſententia noſtra infidelis qua talis non peccat *in opere*, ſed cum eo & [illegible]. Non relatio eſt extra opus; ſicut in caſu prædicto Daelmanni, non ſolutio aliorum 50. eſt extra ſolutionem 50. florenorum, qui ſolvuntur & ſolvi debent. *De tali Reſponſione*, addicit P. B. *hac ratione, an ſocus dicuntur, expendant doctiores* ... *videant an propoſitio damnata non ſit excogitata ut* [illegible] *tur ſententia Adverſariorum & eximeretur a cenſura Baiana? Videant denique, num qui facit opus, cui deeſt debiti*

ſuis

finis circumſtantia, non vere dicatur in ſenſu naturali & obvio peccare in iſto opere. Bona verba, quæſo, Reverende P. quia negat, quod ille, qui facit opus cui deeſt debiti finis circumſtantia, non vere dicatur in ſenſu naturali & obvio peccare in iſto opere? Aerem hic more ſolito verberas; & falſo ſuppoſito corruente, cætera tua *videas* ſponte ruunt.

26. Deinde in eadem noſtra ſententia, etiam neceſſe non eſt, quod Infidelis manens talis vel ſic peccet extra quodlibet opus ſuum; ut ſignanter patet exemplo Platonicorum, qui Aug. teſte, docebant omnia opera in Deum ut finem ultimum, non relatione implicita P. B. ſed noſtra ac omnium, eſſe referenda; quam eorum ſententiam vocat Aug. in terminis, doctrinam, rationem veritatis, veram ſalubremque ſententiam; addens pernicioſiſſimum fuiſſe generi humano, quod hæc non reciperetur, idque in moralibus Ep. 118. n. 16. 17. &c. Convenio hic P. B. hoc tranſumpto illo, quo Julianum convenit Auguſtinus. *Obſecro te, non ſit religioſior Philoſophia Gentilium, quam noſtra Chriſtiana, quæ una eſt vera Philoſophia*. Lib. 4. contra Jul. c. 14. n. 72.

27. Ex eadem (*Ibid.*) infert P. B. 2. hanc damnatam: *Revera peccat*, &c. & reſponſio noſtrorum de particula *offenſum* reponit: *Quaſi peccator, qui dolet de ſuo peccato propter ejus turpitudinem, ſi referat hunc dolorem ad Deum, poſſit referre ad Deum non offenſum*. R. quaſi vero, qui elicit odium peccati, mere ex motivo turpitudinis ejus, non poſſet hoc ipſum odium manens tale, & hunc ipſum actum odii elicitum ex virtute obedientiæ ut actum ab hac imperatum, referre ad Deum *ut mandantem* odium peccati etiam ob ejus turpitudinem. Per quam & in qua relatione hoc odium certo non refert ad Deum ut offenſum; licet illud referat ad Deum, qui offenſus eſt: hoc nec alio ſenſu ad *Deum offenſum*. Ludit igitur P. B. hic perſpicue in aperto æquivoco circa reſponſionem noſtrorum, qua ex ſuperabundanti oſtendimus tantum abeſſe ut in doctrina noſtra ille, de quo objecta damnata, ſic, ut hæc dicit, revera peccet; ut contra etiam fieri poſſit, ut nequidem peccet omittendo relationem noſtram.

28. Hæc ſequens autem hic eſt directa reſponſio noſtra, quam P. B. ne attingit quidem. Hæc objecta damnata falſa eſt in ſenſu ſuo proprio, & in tantum naturali & obvio; ſcilicet in hoc quod ille peccet odiendo peccatum ob ejus turpitudinem, quod adeo falſum eſt, ut contra, in quantum hoc facit, etiam faciat, quod præceptum eſt. Eſt igitur hæc damnata falſa, ut hæc falſa eſt in ſenſu proprio: revera peccat, qui ſolvit 50. florenos debitos, ſine ſolutione aliorum 50. quos hic & nunc debet ſolvere eidem creditori. Ille enim non peccat ſolvendo 50. debitos licet peccet & mere peccet non ſolvendo alios 50. En quam ſolida ſuam ſententiam hic probet P. B. & noſtram evertat abſurdis, quæ ex hac conſequantur; ut reſponſionem hic noſtram directam ne attingat quidem, & circa noſtram hic ſuperabundantem in aperto ludat æquivoco. Sicut (*Ib.*) dum

29. Infert 3. Patet ille hic pugnat caeillo, qui vocatur *ignoratio Elenchi*, ſeu ignorans ſtatum quæſtionis hic iterum aerem verberat: ſic enim agit. *Sequitur 3. Quod qui elicit actus fidei, ſpei, aut etiam operatur bonum ſolius æternæ mercedis intuitu, abſque ulteriori relatione ad Deum propter ſe dilectum, peccat, quod quam ſit abſurdum*, &c. Hic To *propter ſe* ſumit ille Pater pro modo ſuo & ſtatuendi & arguendi pure Scholaſtico; ac ex peculiari ex circumſtantiis ſenſu ſumitur, dum charitas ſtricta Theologica definitur, aut de hujus actu, & non niſi de eo, ſermo eſt, nimirum convertibiliter propter ſe *ut in ſe bonus eſt*. Sed toto, ut ajunt, cœlo hic aberrat Pater ille: nam ut vel ex eo ſolo, quod hic ex Daelmanno affert, & quod a nobis ſtatuitur de actu ſpei, perſpicuum eſt, To *propter ſe* hic non ſumi a nobis hoc ſtricto & peculari ſenſu Scholaſtico; ſed latius, ac in ſenſu ſuo naturali & obvio, ac communis intelligentiæ, hoc quo idem eſt, quod *non propter illud*. Quidquid enim diligitur, certum & evidens eſt, quod diligatur *propter aliquid*, adeoque vel *propter ſe*, vel *propter aliud a ſe*; non enim datur medium. Atqui omnis finis actionis *ultimus* non diligitur *propter aliud a ſe*. Ergo hic omnia certe diligitur *propter ſe*. Igitur quam certum & evidens eſt, quod in actu Spei Theologicæ Deus non diligatur *propter aliud a ſe*; tam certum & evidens eſt, quod in eo diligatur *propter ſe*, ſenſu communis intelligentiæ & noſtro.

30. Certe Pater ille, etiam ut Scholaſticus hæc ignorare non debebat, neque etiam ſequentia, deſumpta ex Aug. quam hic ſequi profitemur. *Nihil appetere*. Lib. 83. q. 35. *Quæ non* propter ſe *amantur*, non amantur. Lib. 1. Soliſſ. c. 11. n. 22. Igitur quam certum & evidens eſt, quod ipſo in ſe actu amoris Spei Theologicæ Deus amatur; tam certum & evidens eſt, quod eo, juxta Aug. & juxta hanc ipſam ejus *definitionem* amoris, Deus ametur *propter ſe*, & quod juxta hæc Auguſtini, omnis finis actionis ultimus ametur *propter ſe*, & ſolus ille ametur: ut mox a ratione oſtendimus.

31. Auguſtino conſonat S. Bernardus, dum lib. de diligendo Deo c. 7. dicit: *Quidquid propter aliud amare videaris, id plane amas, quo amoris finis pertendit, non per quod tendit*. Per to *non per quod tendit* ſtatuit hic S. Bernardus, ut ſupra Aug. non amari media; ſeu quod idem eſt, non amari illud, quod *propter aliud* amatur; quod per *amari videaris* hic exprimit S. Bern. Proinde, ut non hoc, ſed ſolum illud, quo amoris *finis pertendit*, amari hic dicit S. Bernardus; ita, ut ſupra Aug. hic ſtatuit omnem finem actionis ultimum amari *propter ſe*, & hunc ſolum amari.

32. Inſuper non ſolos Patres, ſed etiam ipſum S. Th. tametſi ejus phraſis ſcholaſtica ſit, hic ſequitur. Nam 1. 2. q. 8. a. 2. o. ſic definit finem, nimirum finem ſimpliciter dictum, id eſt, actionis ultimum: *Id quod eſt propter ſe bonum & volitum, eſt finis*. In hac definitione ubi, ſi unquam, proprie loquimur, modum, quo omnis & ſolus finis actionis ultimus *non propter aliud* amatur, hic S. Th. vocat in terminis velle ſeu amare hunc finem *propter ſe*. Cumque hunc finem definiens, ponat pro differentia definiti to *propter ſe* amari, hic habet & ponit ut convertibiliter proprium fini actionis ultimo.

33. Ex his ſponte fluit, quod non in ſolo actu Spei Theologicæ, ſed etiam in actu Fidei involvatur, *Relatio virtualis explicita in Deum dilectum propter ſe*; hoc ſumendo ſenſu noſtro, ſenſu proprio, naturali, & obvio, ſenſu communis intelligentiæ, Auguſtini, & Patrum, ac ipſius S. Th. Etenim in hoc ipſo in ſe actu, dum in eo præſtamus & deferimus debitum aſſenſum Deo revelanti, hunc evidenter Deo præſtamus & deferimus ut fini cui actionis ultimo; adeoque hac relatione actuali vel virtuali explicita ad Deum ut finem cui actionis ultimum, Deum ut finem diligimus *propter ſe* dicto ſenſu noſtro.

34. Quod amplius eſt, hæc Dei dilectio etiam benevola eſt proprie ac amor amicitiæ erga Deum. Atque hæc omnia, non ſolum juxta Aug. ſed etiam juxta ipſum S. Th. Nam per ſe evidens eſt, quod dum hac dilectione Deo ut fini cui præſtamus aſſenſum debitum, hunc ei volumus certe non ut malum, ſed ut bonum. Jam vero dicit S. Thomas in terminis 1. p. q. 20. a. 1. ad 3. 1. *Eſt proprie amare aliquem, velle ei bonum*. 2. *Ad illud cui aliquis vult bonum habetur amor amicitiæ*. 1. 2. q. 26. a. 4. o. 3. *Benevolentia proprie dicitur actus voluntatis quo alteri bonum volumus*. 2. 2. q. 27. a. 2. o.

35. Inſilit in oculos, quod ſit plane eadem ratio, & actus Religionis, & actus, quo Deo mandanti formalem obedientiam deferimus, ac omnium ejuſmodi; ſeu omnium in quibus Deus eſt operantis finis *cui* actionis ultimus relatione qua facimus quidquid facimus, ut Aug. loquitur, id eſt relatione actuali vel virtuali & omnium & noſtra. Igitur etiam evidens eſt, quod in his quoque actibus, ut in actu fidei involvatur relatio virtualis explicita in Deum dilectum propter ſe; quæ non ſolum juxta Aug. ſed etiam juxta ipſum S. Th. idque proprie, eſt *benevola Dei dilectio*, ac *amor amicitiæ erga Deum*, *quo etiam proprie amatur Deus*, & *propter ſe amatur*.

36. Hanc ipſam relationem noſtram ſecundum hic delineatam ſuam latitudinem, idque ſub ipſa ſua formali ratione propoſitam, primo Mandato præceptam eſſe in terminis docet S. Th. atque hac opus referre in Deum, vocat *Deum diligere*: & utrumque hic facit illo & tali loco, in quo primum Mandatum ex inſtituto enucleare, imo articulatim, & quoad ſingulas ejus partes, & quoad ſingula in eo præcepta exponit. Hoc autem Mandato primo præcepta Dei dilectio omnium ſcitu & conſenſu eſt Dei dilectio *propter ſe*. S. Th. 2. 2. quæſt. 44. art. 5. opuſc. ſicut diximus exponens primum Mandatum dicit: *Præcipitur nobis 1. Ut noſtra intentio feratur in Deum, quod eſt ex toto corde ... Deum diligere*. 2. *Quod intellectus noſter ſubdatur Deo, quod eſt ex tota mente ... Deum diligere*. 3. *Quod appetitus noſter regulatur ſecundum Deum, quod eſt ex tota anima ... Deum diligere*. 4. *Quod exterior actus noſter obediat Deo, quod eſt ex tota fortitudine, vel virtute, vel viribus Deum diligere*. Dicit igitur hic S. Th. in terminis, quid ſit Deum diligere. 1. Dum *intentio noſtra fertur in Deum*; ut certe fit in quavis relatione noſtra. 2. Dum *intellectus noſter ſubditur Deo*, ut certe fit in quovis actu Fidei chriſtianæ, in quantum eo creditur. 3. Dum *appetitus noſter regulatur ſecundum Deum*; ut certe fit, e. g. in quovis actu Temperantiæ qua tali, dum quis in ea ob Dei voluntatem appetitum edendi vel bibendi refrænat. 4. Dum *exterior actus noſter obedit Deo*; ut certe fit, e. g. in quovis actu eleemoſynæ qua tali, dum quis hanc porrigit ut Deo mandanti obediat.

37. Cum, ut ex mox dictis patet, hanc Doctrinam noſtram in exemplis allegando, hoc Patris B. argumentum ab abſurdo penitus enervet Daelmannus, profecto

bello

belle & iterum errans de hac Daelmanni reſponſione hic dicit P. B. *Sic reſpondere, non eſt argumentum ſolvere, ſed, mea ſaltem judicio, illi ſuccumbere.* Sed accipe quæ & qualia idque tametſi conſequentia prorſus irrita, nobis tamen inſultans, inferat ulterius. *Ergo magna illa principia & generalia alia præcepta, quæ tantopere extollunt Adverſarii, ſcilicet Deum eſſe ex toto corde diligendum, omnia in gloriam Dei, in nomine Chriſti, in charitate eſſe facienda, non continent univerſalitatem actionum noſtrarum immediate in ſeipſis, nec obligant pro ſemper. Ergo penitus ruunt fundamenta hujus Sententiæ; hæc ſunt enim fere unica.*

Parturiunt Montes, naſcetur ridiculus mus.

Etenim hic iterum toto Cœlo aberrat a vero, idque ex ignorantia claræ & expreſſæ Doctrinæ noſtrorum hic, ut ubique Ducum, ſeu tam Auguſtini, quam S. Thomæ, quam ignorare eum, utpote Thomiſtam minime decebat. Perſpicuum enim eſt, quod pro ſuo, quo hic omnia & ſua ſtatuit, & noſtra impugnat, modo concipiendi pure pute Scholaſtico P. B. hoc errore & hic labatur, & hic pugnet, quo exiſtimat primo mandato non alios actus præcipi, quam tales, qui ſint charitas ſtricte Theologica.

38. Poſt hæc (*Ibid.*) ex ſententia noſtra infert 4. hoc abſurdum, peccatorem, qui timet Deum & ejus juſtitiam, ſi hunc timorem non referat ad Deum propter ſe dilectum, non diſponi ad Dei amorem, & ſui juſtificationem. Contra Trid. Seſſ. 6. cap. 6. Hanc miram ſuam ſequelam ex hoc & non aliunde probat, *quia non concipitur quomodo homo peccando, etiamſi venialiter tantum, diſponitur ad Dei amorem, & ſui juſtificationem ... & quantum per bonum timorem diſponitur ad Dei amorem, & ſui juſtificationem, tantum retrahitur, &, ut ita dicam, indiſponitur per peccatum, ita ut melius eſſet non timere, quam timendo non referre, &c.* R. Itane vero? an ergo melius eſſet pro Patre B. non recitare Officium Eccleſiaſticum, quam recitando vice una venialiter diſtractum eſſe? an melius non dare ex pura puta miſericordia ſummopere indigenti & merenti eleemoſynam 100. florenorum, quam eam ſic dare cum vana gloria ſeſe furtim ingerente, & ſic venialiter peccando? An hæc Patris B. recitatio Officii cæteroquin pia & devota, ob dictam venialem diſtractionem, illum Patrem, & an hæc eleemoſyna, ob dictam vanam gloriam illum eleemoſynarium non diſponeret ad amorem Dei? an uterque quantum per hoc bonum ſuum opus diſponitur, tantum *indiſponitur* per ſuum peccatum veniale? Quid Paradoxi non foret, aliquid ex his affirmare? & tamen hæc paradoxa ſingula & omnia in exacte pari affirmat P. B. imo confidenter ſtatuit; & ex his paradoxis, velut rem ſtrenue gerendo, & ſua a ſe ſtabiliri, & noſtra debilitari, imo everti prætendit. Sed, inquies, *vix* non concipit illud. R. Si quod hoc non concipiat, proveniat ex parte intellectus, hunc ſane non penetrantem habeat oportet; cum hoc in utroque a nobis allato exacte pari facile & clare concipiat vel ruſticus. Si proveniat ex parte voluntatis, eſt in caſu hujus: *Noluit intelligere*, &c.

39. At inſuper hunc Patrem, non modo in eo, in quo ſemper, æquivoco hic hærentem; verum etiam S. Auguſtini, imo ipſius S. Th. n. 19. a nobis allatam de timore Doctrinam hic ignorantem, & juxta S. Aug. *perverſe fortem* notabimus. 1. Ut juxta oſtenſa ſæpius alibi, hic hæret P. B. dum defectum relationis noſtræ hic exprimit per hoc, quod timor non referatur ad Deum *propter* ſe dilectum. Nam ex Aug. in Pſ. 28. v. 10. *Timor Domini, non ſervilis, ſed caſtus, gratis amans, non puniri timens ab eo quem tremit, ſed ſeparari ab eo quem diligit.* Si quis igitur diligens Deum, ſummum bonum ſuum, timeat ſeparari ab eo, is timorem ſuum charitate Auguſtini, ac proinde relatione noſtra refert ad Deum, tametſi Deum ſenſu Patris B. *propter ſe* non diligat. Hæret igitur hic P. B. manifeſte in æquivoco. Jam Doctrinæ Auguſtini a Patre B. ignoratæ ſpecimen demus. Lib. 2. ad Bonifac. c. 9. ſic habet: *Quando timore pœnæ, non amore juſtitiæ, fit bonum, nondum bene fit bonum.* Id eſt, ut Ench. c. penultimo dicit Aug. *nondum fit quemadmodum fieri oportet.* Igitur juxta Aug. peccator Patris B. dum recedit a peccato timore ſervili, in *tantum facit bonum*, ac proinde & timor ejus, & receſſus a peccato actus bonus eſt; ſed in quantum id non facit ex amore juſtitiæ, in tantum hoc bonum *nondum bene facit*; & non facit *quemadmodum fieri oportet*: adeoque hic ejus *non amor juſtitiæ* juxta Aug. malus eſt; ut hunc etiam malam voluntatem, aut *peccatum* non ſemel vocat Aug. Accipe etiam quibus verbis exponens dictum Aug. dogma hic doceat S. Th. 2. 2. q. 19. a. 4. ad 1. *Verbum illud Aug. intelligendum eſt de eo, qui facit aliquid timore ſervili, in quantum eſt ſervilis, ut ſcilicet non amet juſtitiam, ſed ſolam pœnam timent.*

40. Poſtremum notemus Patrem B. juxta Aug. hic eſſe *perverſe fortem*, imo quod etiam Auguſtino hic directe contradicat. Clarum eſt, quod P. B. eum hic inferens ſtatuit, quod peccator non niſi ex timore ſervili, ſeu judiciorum Dei recedens a peccato, ſi id peccans venialiter faciat, melius faceret non ſic timendo, quam ſic timendo; & ipſe *non velit primo Deum ſic timere*, & in effectu de peccatore dicat, *non diſcat ſic timere, non diſcat ad tempus ſic eſſe ſollicitus.* Atqui dicit Aug. in terminis, & de eo qui non vult primo Deum ſic timere, quod *perverſe fortis ſit*; & de peccatore, *diſcat ſic timere, diſcat ad tempus ſic eſſe ſollicitus.* Ergo & P. B juxta Aug. in terminis hic perverſe fortis eſt, & hic Auguſtino directe contradicit. Probatur Minor ex Aug. ſerm. 348. *Perverſe fortis eſt, qui primo Deum non vult timere, ut timendo audiat, audiendo diligat, & diligendo non timeat ... cum enim timetur pœna quam minatur, diſcitur amari præmium, quod pollicetur, & ſic per timorem bona vita retinetur, per bonam vitam bona conſcientia comparatur, ut per bonam conſcientiam nulla pœna timeatur. Quapropter diſcat timere, qui non vult timere. Diſcat ad tempus eſſe ſollicitus, qui ſemper vult eſſe ſecurus. Ut enim dicit Joannes, timor non eſt in charitate, ſed perfecta charitas foras mittit timorem.* En quomodo & qualiter ex ſententia noſtra P. B. hic inferat abſurda. En quomodo, & qualiter inferendo hic ſua ſtabiliat, noſtra evertat.

41. Denique ſententiam ſuam probat ultimo (*Ib. pag.* 142.) per hoc quod noſtra referendi obligatio deberet eſſe *Ex genere ſuo ſub mortali peccato*; quam ſequelam tripliciter aſtruere nititur. 1. Quia hæc obligatio eſt ex primo mandato, quod juxta omnes in materia gravi obligat ſub gravi. R. Ita eſt etiam ut ac quando primum mandatum hic & nunc obligat ad actum charitatis Theologicæ ſtricte dictæ, qui ſit dilectio Dei totius cordis intenſiva, ut hæc relatio noſtra eſt materia gravis, ita etiam primum mandatum ad hanc obligat ſub gravi. Verum dum quis e. g. dans eleemoſynam unius quadrantis, hanc tenetur referre ad Deum aliqua charitate Auguſtini, ſtatuimus non eſſe niſi materiam levem; & quidni talis foret? Evidentia rei hic, partialis noſtra eſt probatio, quam hic aliquam a nobis petit P. B. probet igitur oppoſitum. Aſſignet hic pro materia gravi; *Si longa ſeries actionum in ſtatu eligendo ſubtrahatur Deo*, per non relationem noſtram. Quis, amabo, hic vitæ ſtatus eſt, in quo eligendo hoc fieret? Sed hoc unico actu fieri non poteſt, niſi mere in propoſito, quod non eſt ipſa harum ſecuturarum actionum non relatio ad Deum; quia hoc non obſtante adhuc poteſt operans has ipſas ſecuturas actiones omnes omnino ad Deum referre, ſicque eas Deo non ſubtrahere. Admittimus autem, quod in propoſito deliberato longam ſeriem actionum ſecuturarum Deo ſubtrahendi ſit peccatum grave commiſſionis, non autem omiſſionis noſtræ. En quomodo vera falſis hic miſceat P. B. ut facere hic pergit, dum inde falſum concludens 2. Dicit, quod obligationem referendi noſtram fundemus in præcepto naturali conſtituendi Deum finem ultimum noſtrum, quod eſt materia gravis. R. Nonne ſervare regulam SS. Dominici, Franciſci, &c. eſt materia gravis? Non tamen, ut arbitror, dicit P. B. quod ſinguli ab ea defectus ſint peccatum mortale. 3. Dicit P. B. *Alia præcepta, ſive naturalia, ſive divina, ubi objectum ſecundum ſe eſt grave, obligant ſecundum ſe & ex genere ſuo ſub mortali.* R. quid hoc ſingularis ignorantiæ eſt? Eteuim divini præcepti vivendi ſecundum Evangelium (*E. G. Joan.* 12. & 14) objectum certe ſecundum ſe eſt grave; deſipit tamen P. B ſi ſingulos ab eo defectus peccatum mortale eſſe ſtatuat.

42. Hactenus oſtendimus, quod P. B. neque ab auctoritate, neque a ratione, ſua vel hilo ſtabiliat, neque in quantum ſuam referendi obligationem ſtatuit, neque in quantum noſtram negat & impugnat. Nunc oſtendere aggredimur, in quantum hoc nondum oſtenſum eſt, quod etiam argumenta hic noſtra & fundamenta ne hilo quidem debilitet, minus enervet. Inprimis ad argumentum quod ducimus ex 1. Cor. 10. & ex c. 16. & ex Coloſſ. 3. admittit P. B. (*Secunda Secundæ pag.* 142.) hæc eſſe præcepta, *Sed omnia verificari in ſua ſententia*; quia in ea homo tenetur aliquoties elicere actum amoris Dei ſuper omnia, in quo involvitur virtualiter ordinatio omnium ſuorum operum in Deum, ſicque facit omnia in gloriam Dei, in charitate, & in nomine Chriſti. R. hic in terminis ſtatuit P. B. quod ut & in quantum homo facit jam ante dictam P. B. ordinationem operum ſuorum in Deum, *Sic faciat omnia* opera ſua cujuſvis temporis futuri *in gloriam Dei.* Cum luce meridiana clarius ſit, quod quemadmodum hic homo, in quantum facit hanc ordinationem, ne unicum quidem ex ſecuturis operibus ſuis *faciat*, ita in tantum ne unicum quidem ex iis *in gloriam Dei faciat*: dum hujus luce meridiana clarioris, non modo contradictorium, ſed etiam contrarium in terminis hic ſtatuit P. B. neceſſe eſt, ut vel deliret, vel genus humanum delirare exiſtimet. Quod ſubdit relatione ſua implicite ſatisfieri his præceptis, jam ante numeris §. 9. 10. 11. 12. 14. & 15. everſum eſt.

43. Dum hic pro 1. Cor. 16. addit (*Ibid.*) aliquid de do-

doctrina noſtre; hujus, ut ſæpe alibi, ſuam prodit ignorantiam: nam hoc præceptum intelligimus præciſe ut S. Th. in his verbis, quæ affert P.B. *Quod omnia debeant referri ad finem charitatis, ſcilicet, ut fiant propter Deum & proximum*, nempe dilectum propter Deum. In c. 16. 1. Cor. lect. 2. Quod addit pro præcepto Coloſſ. 3. nimirum *illud non ſpectare niſi fideles*, ſi hujus præcepti litteram, non mentem & rem ſpectes, verum eſt: ſed etiam ipſi huic litteræ contradicit, ut oſtendimus. Nos autem ex hac littera *aſtringimus* (verbis Patris B. loquor) ſolos fideles; ex mente vero & re etiam infideles.

34. Poſt hæc (*Ibid. pag.* 143.) movet ſibi Inſtantiam ex S. Th. commentario in 1. ad Cor. c. 10. in quo S. Th. in 2. Diſt. 40. q. 1. art. ultimo ad 7. hoc præceptum Apoſtoli de relatione ad Deum noſtra & omnium virtuali, *Quæ ſit virtute conjuncta actioni noſtræ cuilibet*, exponit verbis tam claris, ut clariora nec habeamus, nec dari poſſint, quibus hanc relationem noſtram, & omnium virtualem, aut exprimamus, aut definiamus. Hinc ſubjicit P. B. atqui hæc ipſiſſima eſt ſententia adverſariorum: ergo. Reſpondet P. B. ſententiam S. Thomæ non eſſe ipſiſſimam ſententiam adverſariorum; quia S. Th. hic ſubdit: *Et contingit omiſſionem ejus eſſe venialem vel mortalem*: *Adverſarii* vero, inquit P. B., *volunt omiſſionem* relationis ſuæ *in quovis caſu eſſe tantum venialem*. R. cum certe P. B. non ſit malæ fidei, iterum ignorantia doctrinæ noſtræ errat & ceſpitat ille Pater. Nam Majores noſtri apud S. Sedem *Hæc omnia profitentur ſe ſentire ac docere juxta ſenſum, quem S. Aug. tradit*, &c. Jam vero de omiſſione relationis noſtræ ſub notione *Fruitionis* utendorum, ſeu creatorum dicit Aug. l. 1. de Doctr. Chriſt. c. 3. *Si eis* (creatis) *quibus utendum eſt, frui voluerimus, impeditur curſus noſter* (ad æterna) *& aliquando etiam deflectitur; ut ab his rebus, quibus fruendum eſt* (ab æternis) *vel retardemur, vel etiam revocemur*. Luculentum eſt, quod ſub notione dictæ *fruitionis*, de omiſſione relationis noſtræ, hic in terminis doceat Aug. quod hac ſimpliciter loquendo non niſi venialiter peccemus ſeu ut Aug. loquatur, hac curſus noſter ad æterna tantum impediatur, & nos ab eis tantum retardemur. Sed tamen aliquando etiam hac eadem *mortaliter* peccemus; ſeu, ut Aug. hic loquitur, hac curſus noſter ad cœleſtem patriam ab ea aliquando etiam deflectatur, & nos ab ea revocemur. Igitur conſtantem Magiſtri ſui doctrinam ſequitur S. Thomas e. g. in verbis hic a Patre B. objectis. Habes hic partiale fundamentum noſtrum, quod a nobis efferri petit P. B. in verbis ſuis, de quibus egimus ſupra num. 41. ubi etiam retulimus caſum, in quo, ut in aliis ejuſmodi, præceptum relationis juxta nos obligat ſub mortali; item caſum, in quo, ut in alii ejuſmodi, non niſi ſub veniali obligat. Brevitatis cauſa omittimus referre textus quos citat P. B. (*Ibid.*) ex quibus nihil pro ſe inferre poteſt; & remittimus ad ea, quæ diximus a numero 4. ad 15. utrobique incluſive.

45. Non poſſum tamen non referre hanc parentheſim a Patre B. omiſſam in textu cit. ex S. Th. in 2. diſt. 41. q. 1. a. 2. ad 4. ſcilicet, non obligamur ad hoc, quod quilibet actus actu dirigatur in finem illum, in quem non poteſt niſi fides dirigere, quia præcepta affirmativa non obligant ad ſemper, quamvis ſemper obligent. Et ideo non oportet, ut actus infidelium, qui in finem illum (ſcilicet in quem non poteſt niſi fides dirigere) non eſt ordinatus, ſemper ſit peccatum, ſed ſolum, &c. Si P. B. hic primam ſuam parentheſim, ut certe, ſi aliqua hic ponatur, poni debet, etiam poſuiſſet, pateret, quod S. Th. hic ſolum loquatur de debito referendi opera in Deum, ut finem ultimum talem, *in quem non poteſt niſi fides dirigere*: adeoque non loquatur de debito referendi, de quo, & de quo ſolo inter nos & ipſum quæſtio eſt.

46. Hic etiam noto, quod P. B. (*Ib.*) pariter incaſſum afferat verba Matth. 5. etenim illa, quæ his verbis præſcribitur Dei glorificatio, certe talis eſt, quæ a nobis fiat humano modo, & ſic nobis voluntaria ſit; adeoque juxta ante probata, non poteſt eſſe Patris B. implicita operum in Deum relatio. *Huic intelligentiæ*, ſubdit ibid. P. B., *aperte favet Aug. ſerm. 2. in Pſ. 2. in Pſ. 34. in fine ubi ſic ait: Suggero remedium unde tota die laudes Deum, ſi vis: quidquid egeris, bene age, & laudaſti Deum. Quando cantas hymnum, laudas Deum .... Et quoties tu ceſſaſti ab hymno cantando, diſcedis ut reficiaris, noli inebriari, & laudaſti Deum, &c.* R. Solus hoſpes in Doctrina Aug. ignorare poteſt *bene agere* in phraſi S. Aug. hoc eſſe nihil aliud quam illud facere *propter Deum*: ut manifeſtum eſt vel ex ſolo hoc loco Aug. l. 4. contra Jul. c. 2. n. 33 *Sine laude Creatoris, nullus quiſquam bene utitur creaturis*. Igitur illud, quod in loco e Patre B. hic allato Auguſtinus *ſuggerit remedium unde tota die laudes Deum, ſi vis*, phraſi communi convertibiliter hoc eſt: *Quidquid egeris, propter Deum age, & laudaſti Deum*.

47. Exinde objicienti ſibi 2. primum mandatum, (*Ibid.*) Reſpondet P. B. etiam, juxta ipſum, omnem affectum cordis debere referri ad Deum, vel virtualiter explicite in actu charitatis, vel virtualiter implicite appetendo ſecundum rectam rationem bonum honeſtum, &c. Sed hoc ſponte corruit ex ante a nobis probatis. Riſu, non reſponſione, dignum eſt, quod hic nobis veluti multum errantibus opponat hoc ſuum allatum ex S. Th. 2. 2. q. 184. a. 3. ad 2. *ut nihil ſupra Deum*, &c. quod eſt, ut ait P. B., *vere & ſincere diligere Deum ſuper omnia appretiative*, Nam ut habet S. Th. 1. 2. q. 21. a. 4. ad 3. *Totum, quod homo eſt, & quod poteſt & habet, ordinandum eſt ad Deum*. Ex quo præcepto, amabo, ſi non ex primo mandato?

48. Poſt hæc P. B. (*Ibid*) ſibi objicit 3. loco illa generatim, quæ ex S. Aug. aſſerimus, & ſpeciatim duo famoſa reſpective ex n. 21. & ex n. 30. capitis 3. lib. 4. contra Julianum. Antequam reſpondeat P. B. obſervat S. Auguſtinum ex his & aliis ſimilibus principiis inferre contra Julianum infidelium opera eſſe peccata & eorum virtutes vitia: & bene obſervat. Si ergo Auguſtinus, infert P. B. iſta ſic intellexit, ut neceſſaria ſit relatio explicita, debent Adverſarii admittere, hanc illationem, ſcilicet, *omnia infidelium opera eſſe peccata*, eſſe ex mente Aug. aut fateri Auguſtinum male ratiocinatum fuiſſe. R. etiam nos admittere hanc illationem ad mentem Aug. intellectam, *omnia infidelium opera*, de quibus contra Julianum, *eſſe peccata*, in ſenſu non quidem Scholaſtico, ut non ſcripſit ſtylo Scholaſtico, ſed in ſenſu communis intelligentiæ, & ſuo proprio naturali & obvio; nempe hoc, quod opera bona, *in quantum* ſine Auguſtini, & noſtra in Deum relatione fiunt, peccata eſſe dicat ob defectum relationis in Deum, quo non obſtante vocamus cum Aug. dona Dei, & tamen ſimul toto cœlo cum Auguſtino recedere & diſtare a damnatis erroribus; ut ſupra oſtendimus. *Neutrum admittimus*, ſubdit ille P. ſed hoc non eſt verum. Primum enim admittimus, non in ſenſu Scholaſtico, ſed in ſenſu proprio & obvio S. Aug. quem cum non admittat P. B. fateatur, neceſſe eſt, ſe non attingere legitimum ſenſum Aug. ut infra oſtendimus. Itaque nunc

49. Reſpondet 1. P. B. (*Ibid.*) Auguſtinum hæc verba, *non recto fine, non in Domino gloriari*, & ſimilia, non ſumere contradictorie ſed negative, ſed contrarie, quaſi diceret, *in alio quam in Domino gloriari, & perverſo fine agere*, peccatum eſt; ut videlicet ex negatione affirmatio intelligatur. R. Verba Aug. non poſſe intelligi contrarie, quia tunc nihil conficeret contra Julianum ſtatuentem etiam infideles veras poſſe habere virtutes. En Aug. hoc ita teſtantis verba: n. 25. Juliano dicit Aug. *Nec per eos potes probare, quod vis, etiam infideles veras poſſe habere virtutes*. Jam vero ad hoc refutandum Aug. ponit pro exemplo hujus peccati ſui, ſeu quod idem eſt hujus ſuæ non veræ virtutis, hic etiam ponit opera quæ ad finem malum non referuntur: e. g. n. 21. ponit virtutes illas, quæ quibuſcumque commodis & emolumentis temporalibus ſerviunt: & n. 25. ponit illa infidelium bona opera, de quibus Apoſtolus ad Rom. 2. ℣. 14. ſic etiam in loco hujus conflictus origine, ſeu l. de nupt. & concup. c. 4. dicit Aug. peccatum ſuum eſſe opus pudicitiæ conjugalis non relatum ad Deum. *Etiamſi tanta ſit* (*Conjugum*) *obſervantia, ut ſecundum matrimoniales tabulas non niſi liberorum procreandorum cauſa concumbant*. Ecce ne unico quidem hujus conflictus loco opus infidelium relatum ad malum finem, in quantum refertur ad malum finem, ſaltem S. Auguſtino non excidit, ex exemplo ſui peccati, de quo cum Juliano diſputet? Ecce (ut omittam alia loca) decies ſepties a n. 14. ad n. 33. ſui brevis conflictus, ſuam mentem contradictorie, ſeu negative conſtanter exprimit?

50. Ut oſtendat ſuum commentarium ſubdit P. B. *Quo ſenſu in Script. 1. Regum 18. Saul dicitur non rectis oculis aſpexiſſe Davidem*. R. Ex parte materiæ, Concedo; in vim ſignificationis, Nego. Equidem dicitur Saul aſpexiſſe Davidem *non rectis oculis*, id eſt non talibus, quibus debebat aſpicere virum, qui fecerat ſalutem in Iſrael, nempe blandis, benignis, adfaventibus oculis. Quod autem hic ſimul etiam intelligamus oculos torvos, invidos, deſpicientes, iratos, &c. id non eſt *in vim ſignificationis*, ſed *ex parte materiæ*, ut ajunt; nempe quia ex circumſtantiis, quas Scriptura narrat, ſcimus Saulis oculus, quibus Davidem aſpiciebat, etiam tales fuiſſe. Non ſic noſtro caſu. Sit hoc *Simile*. *Quoties arma ſumit miles, & non illa ſumit, quæ ſumi debere Dux militiæ præcipit, ipſis non rectis armis peccat*. Hoc dictum primo Auguſtini famoſo loco tam ſimile eſt, ut non poſſit ovum ovo eſſe ſimilius; jam vero inſiſtit in oculos, quod in hoc dicto iſto *non rectis armis* ſumatur & ſumendum ſit *negative*, ſeu ut P. B. loquitur, *contradictorie*, pro *non armis rectis*, quæ ſumi debere Dux militiæ præcipit. 2. Quod hic ſumi non poſſit affirmative, ſeu ut P. B. loquitur, *contrarie*, id eſt *pro malis armis*, ſeu vetitis. Ratio inter cæteras evidens eſt hæc; quia in caſu poſito certe fieri poſſet, quod

quod nulla prorſus arma vetita ſumeret miles, imo quod non niſi aliqua a Duce malitiæ præcepta ſumeret, ſed non omnia. Itaque non ſolum pateret, ut in allatu Scripturæ loco, Tu *non rectis oculis*, ita in his Aug. famoſis locis Tò *non recto fine*, *in vim ſuæ ſignificationis* ſumitur, & ſumendum eſt, ſicut diximus; ſed ita ſumi debere, nec aliter ſumi poſſe ex ipſis adjunctis ei in hoc ipſo loco verbis aliis, ut in ſimili oſtendimus, evidens eſt. Nihil prorſus vel per umbram ſimile, ut pro allato Scripturæ loco attulimus, pro hoc Aug. loco *ex parte Materiæ* a P. B. affetti poſſe ex præmiſſis luculentum eſt.

51. Deinde ſuum commentarium firmare vult auctoritate S. Thomæ, & Eſtii, dum ibidem addit: Ita Auguſtinum interpretantur S. Th. & Eſtius. R. Secundus Auguſtini famulus locus a S. Th. aliter exponitur, quam hic, & parallela Auguſtini loca exponat Eſtius: etenim Eſtius Auguſtinum hic ita exponit, ut dum Auguſtinus dicit infidelium opera eſſe peccata, id *non intelligat convertibiliter* de operibus, quæ infidelis ſic agit, ut opus *ordinet ad finem ſuæ infidelitatis*, id eſt, ad idolum; ſed ut ex *dominante* cupiditate opus ordinet ad finem aliquem malum, ſive is idolum ſit, ſive non, ſeu aliud ſit. Contra S. Thomas ſic exponit, ut Auguſtinus idem *intelligat convertibiliter* de opere, quod infidelis ſic agit; ut opus *ordinet ad finem ſuæ infidelitatis*, id eſt ad idolum. Cum igitur hi duo commentarii *contradictorie* opponantur, ſi hunc amplectatur P. B. neceſſe eſt, ut alterum deſerat. Itaque nos, ob rationes n. 49. allatas, recedimus ab hoc commentario Eſtii. Hoc jure facere poſſumus, nec ipſe ſuccenſeret Eſtius: cum hic ipſe ſæpe recedat ab ipſius Auguſtini in varia Scripturæ loca commentariis. Maxime attento, quod cum ejus tempore hæc noſtra de relatione operum in Deum quæſtio non adeo ferveret ac hodie, is non ex inſtituto, aut certe non ſic, ut deinde noſtri e. g. Steyartius, examinavit Auguſtini in ſuo cum Juliano conflictu doctrinam. Si P. B tanta ſit auctoritas Eſtii, cur ab hac in commentario in 1. Cor. 10. recedit ad commentarium S. Thomæ, ſi talis ſit qualem eum hic affert P. B. cum debita proportione idem dicimus. Si nos hic reprehendat P. B. ſeipſum reprehendit; nam ipſe hic Eſtii commentarium ſequens ab ipſo S. Thomæ commentario recedit, tametſi, ut profitetur, in omnibus Thomiſta ſit.

52. Ad 1. Daelmanni (*Ib. pag.* 143.) Reſpondens P. B. fallitur, ut patet ex n. 49. *Et quæſo*, inquit (*Ib.*) *nos, omneſque nobis conſentientes, qui negamus eſſe peccatum non gloriari explicite in Domino, audebit forte Daelman vocare impios?* R. Sicuti juxta Patrem B. certe nihil prorſus probaret, ſi id quod hic petit, faceremus; ita nihil prorſus probat, quod illud non faciamus, & abſit ut faceremus. Hic enim ipſum inter & nos ea ſolum vertitur quæſtio, quid in hoc conflictu contra Julianum docuerit Auguſtinus. Ad 2 Daelmanni reſpondet P. B. *Auguſtinum potuiſſe eo in caſu dicere, quod veſtire nudum non ſit ex objecto peccatum, ſed ex fine operantis*. R. Sic eſt: hoc potuit dicere. Verum hoc non dicit Aug. ſed hoc, illud opus in *ſeipſo* non eſſe peccatum; quod in eo caſu dicere potuit; uti nec, quod hoc & ejuſmodi opera ſint *Dona Dei*.

53. Sponte corruit & aperte falſum eſt id, quod in R. 2 dicit P. B. Auguſtinum non loqui de bonis operibus *moraliter ſumptis*, *ſed prout ſunt meritoria regni cœleſtis*. Etenim Aug. cum Juliano certe non diſputavit de bonis operibus, an meritoria ſint an non; quia illa, de quibus diſputabant, meritoria non eſſe ultro *concedebat* Julianus, idque ipſo Auguſtino hic in terminis teſte, uti etiam Juliano. En verba Aug. l. 4. cont. Julianum c. 3. n. 33. *Quoniam ſaltem concedis opera infidelium, quæ tibi eorum videntur bona, non tamen eos ad ſalutem ſempiternam regnumque perducere*, *ſcito*, &c. En verba Juliani. Ib. *Ego ſteriliter bonos dici homines, qui non propter Deum facien*do bona, *quæ faciunt, non ab eo vitam conſequuntur æternam*. Unde Aug. non dicit: *Per quæ ſolum homo ad æternum donum regnumque perducitur*; ſed dicit: *Per quæ ſolum homo poteſt ad æternum Dei donum regnumque perduci*; quia hoc prærequiritur, ut poſſit, &c.

54. Poſt hæc recurrit P. B. ad ſuam relationem *implicitam*, & ſibi inſtantiam movens dicit: *Hæc relatio virtualis implicita non ſufficit Auguſtino: ergo. Prob. Ant. ex l. 19. de Civit. c. 25. ubi ſic ait de Virtutibus hominis infidelis*: Virtutes quas ſibi habere videtur ... niſi ad Deum retulerit, etiam ipſa vitia ſunt potius quam virtutes, cum ad ſeipſa referuntur, nec propter aliud expetuntur, etiam tunc inflatæ ac ſuperbæ ſunt, & ideo non virtutes, ſed vitia judicanda ſunt. *Atqui dum virtutes propter ſe appetuntur, eſt ſecundum nos virtualis relatio implicita in Deum: ergo*. Imprimis non ſine artificioſo aliqua Auguſtini verba hic omittit P. B. (quia forte obſtant reſponſioni ejus ſecundæ) idque ſine punctis indicibus omiſſionis: nempe poſt hæc *vitia ſunt potius quam virtutes*, omittit, *Nam licet a quibuſdam tunc veræ honeſtæ putentur eſſe virtutes*. Ad hunc Auguſtini locum (*Ibid.*), reſpondet 2. Nam quod reſpondet 1. verum non eſſe patet ex n. 17. & ſequentibus. *D. Min. Dum virtutes propter ſe appetuntur, eſt virtualis relatio implicita in Deum, ſi in eis non ultimate ſiſtatur*, *C. Min. Si in eis ultimate ſiſtatur tamquam in vera beatitudine*, *N. Min. & hoc ſenſu loquitur Aug. ut patet ex verbis immediate ſequentibus*. Sicut enim, *inquit*, non eſt a carne, ſed ſuper carnem, quod facit vivere; ſic non eſt ab homine, ſed ſuper hominem; quod hominem facit beate vivere.

55. R. Accipe quid & quid ſolum in his verbis ſequentibus intelligat Auguſtinus. In his illud quod dixerat, virtutes non relatas ad Deum, etiam dum ad ſeipſas, nec ad aliud referuntur, eſſe vitia, probat Aug. hac ratione a pari probata, quod non harum virtutum amor honeſti, qui eſt *ab homine*, ſed Deus qui eſt ſuper *hominem*, ſit finis hominis ultimus. Ut ex hoc, quemadmodum, Cicerone teſte, omnium Philoſophorum Sententia, ad finem ultimum omnes actiones, omnia conſilia referenda ſunt, ſponte fluit, quod ad Deum etiam hæ virtutes referendæ ſint; ita ex hoc Aug. hic inferendum relinquit, quod cum hæ virtutes ad Deum non referantur, adeoque hunc *non ſic glorificent*, in tantum, ut dixerat, *inflatæ ac ſuperbæ ſunt*, &c., ut quoque dixerat, *ideo non virtutes*, *ſed vitia judicanda ſunt*. Hicque videtur proprius, naturalis, & obvius ſenſus. Hinc ne vel umbra conſequentiæ hic infert P. B. Auguſtinum hic tantum loqui de iis virtutibus, *in quibus*, ſeu in quarum honeſtate *ultimate ſiſtitur*, *tamquam in vera beatitudine*; quod proinde peccatum mortale eſt.

56. Quis enim unquam, e. g. ſic ex ſola miſericordia ſubvenit miſero, ut in hac individuali ſua miſericordia hic & nunc conſtitueret finem ſuum ultimum? Nonne plene deſiperet qui ſuorum floreni, propter quod hic & nunc agit ultimate, exiſtimaret eſſe veram beatitudinem, licet exiſtimet hanc in divitiarum aggregationem ſitam eſſe? Præterea Aug. hic loquitur de talibus, quæ *a quibuſdam veræ & honeſtæ putantur eſſe virtutes*, utique opinione veriſimili, non vero evidenter & palpabiliter falſa. Atqui virtutes Patris B. nequidem opinione veriſimili putarentur eſſe veræ & honeſtæ virtutes: ſunt enim omnium ſcitu & conſenſu peccatum mortale. Ergo Aug. hic non loquitur de Virtutibus Patris B. Diximus in Majore, *utique opinione veriſimili*, &c. ne forte hoc neget P. B. Probatur. Certe nec Aug. imo nullus prudens Chriſtianus diceret, e. g. *licet a quibuſdam* (puta ab Epicureis) *tunc veræ putentur eſſe virtutes cum ad voluptatem referuntur, nec propter aliud expetuntur; etiam tunc non virtutes ſed vitia judicanda ſunt*: atque hoc ideo; quia opinio, quod hæ veræ virtutes ſint, non eſt veriſimilis, ſed evidenter & palpabiliter falſa. Atqui etiam opinio, quod dictæ virtutes Patris B. veræ virtutes ſint, certe non eſt veriſimilis, ſed evidenter & palpabiliter falſa, etiam judicio Platonicorum Gentilium; Auguſtino teſte. Ergo ob rationis paritatem, &c.

57. Quid ulterius (*Ib.* 144.) ad hunc Aug. locum reſpondeat P. B. videamus. *Poſſet etiam dici Auguſtinum loqui de virtutibus, quæ ad ſe referuntur, non ratione ſui, ſed ratione operantis qui in eis gloriam quærit: Unde vocat eas inflatas & ſuperbas*. R. eſtne conceptibile, quod virtutes, dum quacumque demum ratione *operans in eis gloriam quærit*, ad hanc non referantur, ut ad finem operantis vel operis? ac proinde eſtne conceptibile, quod hæ virtutes *non expetantur propter aliud a ſe*? Cum hoc nec conceptibile ſit, ſole clarius eſt, quod hæ virtutes *propter aliud a ſeipſis expetantur*; ac proinde quod Aug. ipſas hos virtutes in hoc ipſo loco diſertiſſime & directe excludat per Tò *nec propter aliud expetuntur*. Patrem B. in hoc tali commentario nullatenus juvari per Tò *inflatæ & ſuperbæ* Auguſtini, patet ex naturali & genuino hujus ſenſu, quem attulimus ſupra, exponentes verba Auguſtini hunc locum immediate ſequentia, allata a Patre B.

58. Cum commune omnium non ſit, mitto hic argumentum a ratione, quod P. B. hic ſibi objicit 4. (*Ib.*) Denique pro Coronide dicit (*Ib. pag.* 145.) P. B. alia argumenta noſtra a ratione *levia eſſe*, & nihil aliud probare, quam quod, cum Deus ſit primum principium, ita debeat eſſe finis ultimus. Ad hoc reſpondet ille Pater. *Id ultro concedimus*, *cum hoc diſcrimine quod Adverſarii velint*, &c. *Nos vero dicimus ſufficere* (*relationem*) ... *virtualem implicitam* toties quoties. Statuit igitur P. B. in hac ſua tali conceſſione, *ultro*, & nobiſcum, ac ut nos, proprie dictam obligationem referendi omnia & ſingula deliberata cujuſvis temporis opera ad Deum; quia & in quantum eſt primum principium & Creator noſter, & ideo ac ita finis ultimus. Atqui quævis alia ejuſmodi obligatio quodcumque demum faciendi eſt obligatio hoc faciendi humano modo; ſeu ſic ut hoc faciendi voluntarium ſit. Ergo ob rationis paritatem, etiam illa, quam hic nobiſcum & *ultro* ſtatuit P. B. referendi obligatio eſt talis. Ex hoc autem ſponte fluit & ineluctabiliter conſequitur, quod ad ſatisfaciendum huic obligationi referendi, quam ipſe hic ſta-

Digitized by Google

tuit P. B. certe ſufficere non poſſit ullo caſo implicita hujus Patris Relatio operum in Deum; cum, ut evidens eſt, io hac & per hanc illud quod eſt *Referre opus in Deum*, ſeu *relatio in Deum*, quod ex dicta obligatione faciendum eſt, certe facienti non ſit voluntarium, adeoque ab eo non fiat homano modo. Hoic igitur noſtro a ratione argumento, juxta Patrem B. *Levi*, ſuccumbit ille P., tantum abeſt, ot illud ſolvat. Diximus, *Succumbit*: quia, ut ex ipſius verbis mox allatis patet, hojus argumenti, quod a nobis affertur, Antecedens, Conſequentiam etiam evidenter legitimam, & conſequens admittit, imo ſtatuit ille Pater. Igitur & in tantum, ac ut ex iiſdem ejus verbis patet, etiam directe & *ultro* admittit, imo ſtatuit hoc conſeqoens verom eſſe, ſeo verum eſſe quod omnia & ſingula deliberata opera in Deum referenda ſint; licet hoc, quod hic ita admittit & ſtatuit, nitator alio, quam noſtro ſenſu, exponere. Atqoi, ut evicimus, hoc conſequens intellectum ſenſu hojus Patris verum eſſe non poteſt. Ergo, cum alius non ſuperſit, velit nolit, debet admittere hoc conſequens ſenſu noſtro verum eſſe; adeoque, velit nolit, ipſam ſententiam noſtram admittere, & hic nobiſcum ſeotire & ſtatuere debet. En quam levia ſint noſtra a ratione argumenta.

59. Horum ſummam, in quantum hanc inculcat Religio, etiam pueri in Catechiſmo docemur: nempe creatum eſſe hominem a Deo, ut *Huic ſini ſeo* ſerviat utique eodem illo modo, quo pervertendo hunc ordinem homo ſervit finibus creatis, ſcilicet *Relatione actuali vel virtuali* noſtra & omnium. Eamdem ſummam, in quantum hanc oſtendit ratio, proponimus nos; & comprehendimus aſſumendo in ſubſtantia illo, qood hic poſtremum affert P. B., & cui, ut oſtendimus, ſuccumbit ille Pater. Etiam hujus & evideotia, & dialexi ſeu energa perſuaſi Gentiles Platonici, ut jam ſupra nu. 26. Auguſtino in terminis teſte, (*Ep. 118. n. 17. 17. &c.*) *Solu ratione naturali* ſtatueruot illud ipſum in ſubſtantia, quod nos mox argumento noſtro concludimus & ſtatuimus; quodque P. B. chriſtianus, imo religioſus, non ſolum negat, ſed etiam manibus pedibuſque evertere nititur. Nempe *Solo naturæ lumine* agnoverunt ſententiam hic noſtram *verum* eſſe; quam etiam eodem loco Augoſtinus in terminis vocat *Veram ſalubremque ſententiam*: *rationem veritatis*, *doctrinum veritatis*; dicitque *perniciosiſſimum fuiſſe generi humano*, quod hæc, & *hoc in moralibus* non reciperetur, ſed *imperitorum populorum terrenarum rerum dilectione cæcatorum*, & ideo *non valentium intelligere* ſolum Deum eſſe propoſitum animo humano *ad fruendum*, *irriſione* ſordeſceret.

60. Sed ſi, ut futorum arbitror, a Patre B. etiam nos hanc eamdem Platonicorum juxta Aug. *Veram ſalubremque ſententiam* tuentes plus vice una *irridente*, ac ut *ſordeſceret* mirum quantum etiam cupiente & laborante, obtinere non poſſim ut in mox allatis deferat vel tali auctoritati Aug. hic iterum, quibus Julianum convenit Auguſtinus, eum convenio Auguſtini verbis. *Obſecro te non ſit religioſior Philoſophia Gentilium quam noſtra Chriſtiana, quæ una eſt vera Philoſophia*. Lib. 4. cont. Jul. c. 14. n. 72.

QUÆSTIO THEOLOGICA
R. PATRIS BILLUART
DE RELATIONE OPERUM IN DEUM,

Adverſus Opuſculum ſub nomine R. P. HAGENS, *Licentiati & Profeſſoris Regii in Univerſitate Lovanienſi, Typis Leodienſibus editum vindicata.*

PROLUDIUM.

I. AUCTOR, ſeo potios Editor Opuſculi, qood impugno, illud inſcribit: *Siſtema novum R. P. Billuart de Relatione operum in Deum refutatum*. Hoc ſyſtema, neque eſt mihi propriom, neque novum; ſed commune Scholarum catholicarum, ut teſtantur quindecim ejus Approbatores & fere omnes Theologi extra Scholam Lovanienſem. Sed forte Editor, more mulierecularum ſibi invicem conviciantium, primom dixit hoc ſyſtema *novum*, ut hanc labem amoveret a ſoo, quod longe potiori jure poteſt dici *novum*.

II. Dicit in Monito ad Lectorem, hanc meam Quæſtionem, *contra bonam fidem*, Typis fuiſſe mandatam. Num forte aliquando promiſi me nunquam, nec uſpiam illam Typis mandaturum? Somnium eſt. Quin imo in Opere meo Tract. de Gratia Diſſert. 3. a. 3. §. 2. bis promitto me aliquando curaturum illam imprimi; *de quo alibi*, inquio. Calumniatur ergo qui me malæ fidei hic inſimulat.

III. Dicit approbatam eſſe a *quibuſdam Profeſſoribus*, *ſeu potius Lectoribus Leodicenſibus*. Quare *potius Lectores quam Profeſſores*? Nonne qui legit aliis Theologiam illam profitetur, & qui illam docendo profitetur, legit? Numquid Doctores poſſunt dici Profeſſores, ſi ſimplices Licentiati eo nomine inſigniuntur? Lego in Dictionario, verbo *Lecteur*, *Doctor*, *Profeſſor*: pariter verbo *Profeſſeur*, *Doctor*, *Profeſſor*. At hæc, nugæ.

IV. *Monſtra*, inquit, *ſibi effingunt*, *priuſquam intelligant*. Similiter indubie duodecim alii Approbatores, tam Doctores quam Licentiati & emeriti Profeſſores in Univerſit. Duacena; imo & ipſe Cenſor Ordinarius Iprenſis *ſibi monſtra effingunt*, *priuſquam intelligunt*. Adeo ne eſt obſcorum ſyſtema, quod impugno, ot ſoli ejus aſſertores ipſum intelligant, ipſi ſoli ſint videntes, alii ſtupidi & cæci? Belle profecto.

V. Neſcit *qua auctoritate hi in Approbantes Librorum ſeſe erigant*. Ita oe peregrinus in re literaria, ut neſciat peritos quoſcumque in arte quotidie judicium doctrinale ferre de operibus artis?

IV. Declarat Editor hanc dictam Refutationem a. 3. annis fuiſſe approbatam a perilluſtri ac Eruditiſſimo Cenſore Leodienſi; cum tamen noſtra Quæſtio non niſi a. 6. menſibus circiter lucem aſpiciat. Sed ænigma capio. Cenſor ordinarius, cui a. 3. annis codices meos probandos commiſeram, & quibus inſerta erat præſens Quæſtio, forte illos R. D. Hagens communicavit; ut ab eo *dictam refutationem* emendicaret, & ideo meos codices, me invito & reclamante, diu ultra tempus debitum detinuit. Idne ſit ſecundum *bonam fidem*, judicent alii.

VII. Auctor hujus *dictæ Refutationis*, quiſquis ſit, cum magna coofidentia & elato ſupercilio procedit, meque paſſim agreſtibus afficit injuriis, quæ nec virum gravem, nec Theologum Chriſtianum decent, immemor in praxi charitatis, quam ore tantopere prædicat. Ego vero ſummo animo contemno ejus injurias, memore lege divina prohibitum eſſe reddere maledictum pro maledicto, nec eſſe miſerum qui patitur, ſed qui facit injuriam, idque eſſe proprium malæ cauſæ defendi injuriis. Conabor itaque juxta leges charitatis, quas puto me huc uſque ſervaſſe præſertim in hac Quæſtione, communem Scholarum Catholicarum ſententiam defendere adverſus impetus Adverſarii, ſaltem quantum ad præcipua, multa enim profert inutilia; & quantum intelligere fas erit quæ ſcribit: adeo enim hirſuta & ſalebroſa eſt ejus dictio, ut plures Lectores hac barbarie & intelligendi difficultate deterriti Lectionem abrumpant & abjiciant. Id ſit dictum abſque invidia; experimento probabunt quicumque legerint.

VIII. Singulare eſt, & forte pluribus mirum videbitur, qua de cauſa unus & alter Lovanienſis tanta iracundia & zelo tam amaro in me inſurgunt, dum tacent erga alios, qui ante me longe duriora contra ipſos ſcripſerunt. Lego enim in Auctore Lovanienſibus non ignoto: *Valdu periculoſum eſt docere ſententiam oppoſitam.* (*Lovanienſium*) *cum omnibus illum ſine præventione examinantibus videatur a S. Sede condemnata; & omnia, quæ contra damnationem adferunt Adverſarii, appareant meræ eluſiones & ſubterfugia. Et certe quis non videat illos cum Cenſuris Apoſtolicis ludere, quando Roma decernit deteſtantem peccatum ſine ullo ad Deum reſpectu non peccare, & noſtri docent deteſtantem ſine relatione ad Deum peccare? Præterea decreverat S. Sedes contra Baium, non omnia infidelium opera eſſe peccata; & cum videret noſtros non inde moveri, quia tenebant defectum Relationis non inficere opus, ſed operantem, decernit non eſſe neceſſe Infidelem in omni opere peccare, adeoque defectum relationis nec opus nec operantem inficere. Tamen adhuc ſuæ ſententiæ adhærent, dicentes non eſſe neceſſe, ut peccet ratione operis, licet ſit neceſſe defectu relationis; cum tamen certo ſciant condemnatam eſſe propoſitionem, quia ejus Auctores dicebant Infidelem peccare non ratione operis ſecundum ſe, ſed ratione operis non relati, ut non relati*. Ad hæc, inquam, & ſimilia Lovanienſes, ſaltem inquantum ſcio, tacent, niſi forte cum communiter defendunt ſuam ſententiam, & excandeſcunt in me, qui pro mea erga celeberrimam Academiam

miam

miam reverentia ſic ſcribo: *Cæterum hæc dicta ſunt diſputatione ergo; abſit enim ut ullam notam inuramus Theologis, non minus Religionis quam doctrina commendatiſſimis, præſertim cum ipſi teſtentur hanc ſuam ſententiam fuiſſe an. 1677. S. Sedi propoſitam nec improbatam.* Scio quoſdam cauſam hujus diſcriminis ſuſpicari & aſſignare; ſed non eſt meum illam prodere.

IX. Syſtema ſuum Adverſarius his verbis exprimit initio Opuſculi: *Volumus itaque omnem, quotieſcumque deliberate agit, teneri ſub peccato veniali actum retinere in Deum ex amore, non quidem charitatis, ſtricte ſcilicet, ſed benevolentiæ, relatione virtuali explicita; ſic tamen, ut defectus hujus relationis ipſum quidem operantem inficiat, at non ipſum opus.* Iiſdem fere verbis ergo illud expoſui initio meæ Quæſtionis; ideoque injuria mihi toties exprobrat, quod illud ignorem; imo conſtanter illi inſiſto, nec Adverſarium patior ab illo deflectere.

TEXTUS QUÆSTIONIS.

QUÆSTIO THEOLOGICA,

An & quomodo homo deliberate agens teneatur omnia & ſingula ſua opera referre in Deum?

HUc revocandæ ſunt variæ intentiones ſeu relationes operum in finem, quas art. 5. Diſſert. 1. de ultimo fine recenſuimus, ſcilicet actualis, virtualis; interpretativa, & habitualis: ſed maxime attendendum ad duplicem virtualem, quarum unam diximus explicatam ratione prioris intentionis actualis virtualiter perſeverantis, alteram implicitam ratione objecti ex ſe tendentis in finem, cujus objecti honeſtate movetur agens ad agendum. Vide prænotamen dicti articuli.

Quidam Theologi, ea qua par eſt reverentia, ſuſcipientes Eccleſiæ definitiones, agnoſcunt non omnia opera infidelium eſſe peccata, nec omnes eorum virtutes eſſe vitia, ſed contendunt eos peccare in omni ſuo opere, non peccato commiſſionis, ſed omiſſionis; ſcilicet defectu relationis in Deum propter ſe dilectum: volunt enim hominem quotieſcumque deliberate agit, teneri ſub peccato veniali actum referre in Deum ex amore, non quidem charitatis, ſed benevolentiæ, ratione virtuali explicita, relicta ſcilicet ex actuali relatione præcedente, quæ adhuc perſeveret & in opus influat; ſic tamen, ut defectus hujus rationis ipſum quidem operantem inficiat, at non ipſum opus.

Hujus opinionis praxim eſſe piam & omnibus conſulendam ultro concedimus, at ad eam præcepto adſtringere minus verum arbitramur, itaque pro explicatione & aſſertione ſententiæ communiſſimæ

Dico 1. Homo tenetur aliquoties omnia opera ſua referre relatione virtuali explicita in Deum; ut ultimum finem, ſive naturalem, ſive ſupernaturalem, eo ſcilicet modo quo illum cognoſcit, aut cognoſcere poteſt.

Prob. Quia omnis homo, ſive fidelis, ſive infidelis, tenetur aliquoties eligere actum amoris Dei, ut finis ultimi, ſeu ſuper omnia, ſcilicet in 1. inſtanti moralis uſus rationis vel ſaltem circa illius & ſæpius in vita, id omnes admittunt etiam de infidelibus, quia licet Deum, ut Auctorem naturæ non cognoſcant, poſſunt tamen illum cognoſcere: cum de eo non datur ignorantia invincibilis ut dicimus in 1. Parte. Atqui in actu hujuſmodi amoris Dei ſuper omnia, & ut ultimi finis, involvitur virtualiter relatio hominum operum in Deum, ut ultimum finem, finis enim ultimus eſt id quod propter ſe appetitur & cætera propter ipſum. Unde Auctor in 2. diſt. 40. q. unica a. 6. *Quando aliquis*, inquit, *cogitat ſe totum ad Dei dilectionem dirigere, tunc quidquid ad ſe ipſum ordinat, in Deum ordinatum erit.* Et ibidem infra: *Quandocumque habitus charitatis exit in actum, fit ordinatio totius hominis in finem ultimum, & per conſequens omnium eorum, quæ in ipſum ordinantur, ut bona ſibi.*

Dico 2. Ut tam operans quam opus eximantur a peccato, non eſt neceſſe quod homo deliberate agens toties quoties referat opus ſuum in Deum propter ſe dilectum relatione virtuali explicita, ſed ſufficit relatio virtualis implicita: ſeu, ut diſtinctius loquar; non eſt neceſſe, quod præceſſerit actualis relatio in Deum propter ſe dilectum, cujus vi & influxu eliciatur opus, ſed ſufficit, ubi non urget præceptum dilectionis Dei ſuper omnia, quod opus ſit ex objecto honeſtum & nullo pravo fine, nullave alia prava circumſtantia, vitiatum ſic ut operans ex libera electione conformiter dictamini rectæ rationis & legis naturalis ſponte ſe ſubjiciat Auctori hujus legis, diligenſque honeſtatem particularem hujus operis cenſeatur diligere virtualiter implicite primigeniam & fontalem honeſtatem, quod eſt ipſe Deus, cujus hæc particularis honeſtas eſt participatio, conſequenter intendat implicite ipſum Deum.

Ita communiter Theologi, exceptis paucis, in hoc tamen diſcordes, quod quidam dicant hanc Relationem eſſe tantum ex parte operis, alii eſſe etiam ex parte operantis; ſed quæſtio mihi videtur de nomine. Puto enim apud omnes eſſe compertum hanc relationem non poſſe dici ex parte operantis, niſi ratione operis, hoc eſt, niſi quia operans ex libera electione facit opus, quod ex ſe tendit in Deum, motus hujus operis honeſtate. *Refertur in Deum ab operante*, inquit doctiſſ. Sylvius 1. 2. q. 109. a. 2. concl. 6. ad 5. *quatenus ipſe intendit propter honeſtatem virtutis vel rectæ rationis operari id quod ad Deum referri aptum eſt, neque iſti relationi ullum ponit impedimentum.* Et Laurentius Berti noviſſimus Scriptor ex Familia Eremitarum S. Aug. l. 8. c. 3. *Dico*, inquit, *hujuſmodi Regulæ (rationi) conſentanea, etſi in Deum non referantur explicite, quod neceſſarium eſt, ut ad æternam vitam perducant, referri implicite: non quod intrinſeca bonitas honeſtarum operationum ſe ipſa referatur in ſummum bonum, id enim neceſſarium & naturale eſt, non liberum & morale, ſed quia intentione animi opera illa fiunt ob intimam legem honeſtatis, quæ implicite eſt Deus. Atque hoc arbitror ſufficere ad opus bonum morale ordinis naturalis; quia, ne ſit vitii labes, ſufficit uniformitas legi nobis naturaliter indita.*

Prob. 1. Concluſio. Nulla lex, nullum præceptum aſſignari poteſt, quo homo deliberate agens teneatur referre opus ſuum in Deum aliter quam ſit dictum in concluſione, niſi præceptum dilectionis Dei, quod cum ſit affirmativum, non obligat pro ſemper, ſed certis temporibus & circumſtantiis. Ergo ubi non urget hoc præceptum, non tenetur homo referre opus ſuum in Deum, aliter quam ſit dictum in concluſione. Antecedens ultra quod patebit ex ſol., eſt expreſſe S. Th. in 2. citat. ad 6. ubi ait: *Si quæratur quando oporteat actum referre in finem ultimum, hoc nihil aliud eſt quam quærere quando oporteat habitum charitatis exire in actum.* Et 1. 2. q. 100. a. 10. ſibi objiciens illud Apoſtoli: *Omnia in gloriam Dei facite*: Reſpondet ad 1. ſic: *Sub præcepto charitatis continetur, ut diligatur Deus ex toto corde, ad quod pertinet, ut omnia referantur in Deum; & ideo præceptum charitatis implere homo non poteſt, niſi etiam omnia referantur in Deum. Sic qui honorat parentes tenetur ex charitate honorare, non ex vi hujus præcepti, quod eſt; honora parentes; ſed ex vi hujus præcepti; diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Et cum iſta ſint duo præcepta affirmativa, non obligantia ad ſemper, poſſunt pro diverſis temporibus obligare, & ita poteſt contingere quod aliquis implens præceptum de honoratione parentum, tunc tranſgreditur præceptum de omiſſione modi charitatis.* Si dicas cum Adverſariis S. Th. hic agere de charitate ſtricte dicta: Eſto: ſed quod dicit de charitate, eſt etiam intelligendum de amore Dei benevolo, cum utrobique ſit eadem ratio præcepti affirmativi.

VINDICIÆ.

Multa congerit Adverſarius, ut huic argumento occurrat. Primo diſtinguit Ant. ſic: Præceptum dilectionis Dei cum ſit affirmativum non obligat pro ſemper ad actus continuos, C. Non obligat pro ſemper virtute; N. Obligat enim, inquit, ad actualem relationem tam ſæpe & tam rigoroſe ponendam, ut vi illius omnia noſtra procedant. 2. Retorquet argumentum in nos, quatenus præceptum referendi implicite noſtras actiones in Deum ſit affirmativum, & tamen ſecundum nos obligat pro ſemper & toties quoties homo deliberate agit. 3. Ad 1. auctoritatem D. Th., dicit ipſum loqui de habitu charitatis, 4. Ad 2. auctoritatem dicit, phraſi S. Thomæ præceptum non obligare, niſi dum & in quantum adſtringit ſub mortali.

CONTRA. Ad 1. Eſt directe contra S. Th. Eodem enim modo loquitur S. Doctor de præcepto charitatis ac de præcepto honorandi parentes: iſtud autem non obligat virtute pro ſemper: Ergo nec illud. Inſuper inauditum puto in Scholis præcepta affirmativa obligare virtute pro ſemper; hoc enim eſſet ipſa ſimpliciter obligare pro ſemper. Ad 2. Diſparitas eſt quod præceptum affirmativum referendi omnes actiones in Deum relatione noſtra virtuali implicita coincidat cum præcepto negativo, nihil unquam mali agendi: non ſic præceptum affirmativum charitatis. Ad 3. Jam data eſt ſolutio. Licet S. Th. loquatur de habitu charitatis, idem intelligendum eſt de amore benevolo, quia utrobique eſt eadem ratio præcepti affirmativi, & tam ex actu benevolentiæ quam charitatis, omnia, quæ homo ordinat ad ſe, ut ſibi bona, ordinantur ad Deum ut ultimum finem. Ad 4. Quamvis S. Th. aliquando dicat peccatum veniale non eſſe contra legem, ſed præter legem, quia non evertit finem legis; non ita tamen ſemper loquitur; in pluribus enim locis docet peccatum veniale eſſe contra legem, hoc ſenſu, quod prohibeatur a lege. Sic 1. 2. q. 74. a. 10 ad 1. agnoſcit peccatum veniale eſſe contra rationes æternas. 2. 2. q. 100. a. 3. Dicit omne mendacium eſſe contra illam legem, Eccl. 7. *Nolli velle mentiri omne mendacium*; & tamen do-

docet mendacium jocoſum eſſe veniale. Item ibid. q. 86. dicit, quod Religioſus tranſgrediens ſuas leges in re non gravi peccet venialiter. Hoc autem ſenſu eſſe intelligendum hic, dum dicit, poſſe contingere, quod aliquis implens præceptum de honoratione parentum, non tunc tranſgrediatur præceptum de omiſſione modi charitatis, quatenus ſcilicet hoc præceptum non obligat hic & nunc etiam venialiter, evidenter patet; quia id S. Doctor deducit ex natura præcepti affirmativi, quod certo non obligat pro ſemper venialiter.

TEXTUS QUÆSTIONIS.

Prob. 2. Infidelis ſeu peccator, qui nulla præcedente actuali relatione in Deum propter ſe dilectum facit eleemoſynam ex motivo miſericordiæ, honorat parentes ex motivo pietatis, ſolvit debita ex lege juſtitiæ, ex nullo capite peccat; non ex parte objecti, quia bonum & honeſtum eſt; non ex parte circumſtantiarum, quia ſuppono nullam pravam adeſſe; non ex defectu finis, quia habet pro fine proximo & explicito honeſtatem particularem hujus operis; & cum hæc honeſtas particularis ex ſe tendat & referatur ad fontem, auctorem, & conſummatorem totius honeſtatis, qui eſt Deus, Deum habet virtualiter implicite pro fine ultimo. Ergo.

Confirm. 1. Qui vult aliquod opus honeſtum, v. g. eleemoſynam formaliter explicite propter particularem illius honeſtatem, vult virtualiter explicite propter honeſtatem ſecundum ſe; non enim movetur formaliter explicite ab honeſtate particulari, quin moveatur virtualiter explicite ab honeſtate ſecundum ſe; & cum hæc honeſtas ſecundum ſe in re ſit Deus, vult virtualiter implicite propter Deum.

Confirm. 2. Et magis explicatur hæc fundamentalis ratio. Peccator ſeu Infidelis, in quo amor honeſtatis & æquitatis naturalis non eſt penitus abolitus qui ex eo amore quædam juſta & honeſta facit abſque ulla admixtione pravæ circumſtantiæ, ſed conformiter dictamini rectæ rationis & legis naturalis, v. g. reddit proximo, quod ſuum eſt, ſervat fidem amico datam, miſeretur innocentis afflicti &c., præciſe quia hæc juſta videt, & ad ea ſe teneri lumine naturali ſentit: 1. Hic & nunc obedit Deo, licet eum non ſatis explicite cognoſcat, quia facit id quod Deus omnis æquitatis auctor facere præcipit. 2. Operatur implicite propter Deum, quia operatur propter æquitatem & honeſtatem naturalem, cujus Deus eſt auctor & conſummator. 3. Implicite & ſecundum quid amat Deum, ut primam actionum honeſtarum regulam; quia amat honeſtatem quam Deus amare præcipit: unde Aug. in Pſ. 100. dicit: *Quidquid bene fit, Deo fit, quia ex ejus præcepto fit.* Id etiam habemus ex Scriptura, quia dicit Obſtetrices Ægyptias timuiſſe Deum & ob id non interfeciſſe pueros Hebræorum; non enim eſt ſenſus eas ex motivo per fidem cognito ab hoc homicidio abſtinuiſſe, cum eſſent Infideles, ſed ex reverentia naturalis præcepti vetantis innocentes interficere, quam lato modo Scriptura vocat timorem Dei, id eſt reverentiam præcepti divini naturalis. Similiter Abraham inter infideles commorans dicebat Geneſ. 20. *Cogitavi mecum dicens, forſitan non eſt timor Dei in iſto loco, & interficient me propter uxorem meam.* Non enim dubitabat Abraham, ſed certo ſciebat hujus Regionis incolas eſſe infideles, ſed dubitabat an ita mali eſſent, ut timor naturalium Dei præceptorum violandorum illos impediret quin eum propter uxorem interficerent: quo ergo ſenſu Scriptura dicit infideles, dum ſecundum dictamen rationis & legis naturalis bona faciunt abſque relatione explicita in Deum, eos timere Deum, eodem nos dicimus eos amare Deum & propter ipſum agere, ſicque eorum opera non carere fine debito.

Dices, his non obſtantibus relationem hanc noſtram implicitam videri neceſſariam, conſequenter non conferre actui bonitatem moralem: dicimus enim operantem referre implicite opus ſuum ad Deum, quia ipſum opus ex ſe & neceſſario tendit in Deum.

R. Noſtram relationem non eſſe neceſſariam abſolute, ſed eſſe ex ſuppoſitione libera; operans enim ex plena deliberatione ſciens & volens eligit opus vere bonum & honeſtum, nulla prava circumſtantia vitiatum, ſed conforme rationi & legi naturali, quod ideo ex ſe tendit in Deum.

Hujus noſtræ rationis fundamentum quidam ex noſtris repetunt ex principio, quod ſtatuit S. Th. 1. 2. q. 1. a. 6. ubi docet: *Neceſſe eſſe, quod omnia quæ homo appetit, appetat propter ultimum finem; quia quidquid homo appetit, appetit ſub ratione boni, quod quidem ſi non appetitur ut bonum perfectum, quod eſt ultimus finis, neceſſe eſt ut appetatur ut tendens in bonum perfectum, quia ſemper inchoatio alicujus ordinatur ad conſummationem ipſius, ſicut patet tam in his quæ fiunt a natura, quam in his quæ fiunt ab arte.* Equidem ibi ſiſtendo, illa relatio eſt neceſſaria, ſeu, ut quidam dicunt, abſtracta, non moralis, convenitque peccantibus. Sed obſervandum eſt, quod iſte finis ultimus, quem homo neceſſario appetit in omni ſuo actu, ſit bonum ut ſic, ſeu beatitudo in communi: Homo autem ex deliberatione illud bonum in communi determinat ad aliquod bonum ſpeciale verum vel apparens; ſi ad bonum apparens, peccat, & actus ejus non eſt referibilis in Deum, ſed averſivus a Deo; ſi ad bonum verum & honeſtum, ut in ſuo gradu conſtitutum & conformiter rationi, nihil prohibet adhiberi dictum generale S. Th. & quod ille dixit de ultimo fine in communi, dicere de ultimo fine particulari & determinato, atque ex illo inferre, quod iſte actus vere bonus & honeſtus tendat in Deum, quia inchoatio alicujus ordinatur ad conſummationem ipſius; Deus autem eſt auctor & conſummator totius honeſtatis & veræ bonitatis: & hæc relatio non eſt neceſſaria & abſtracta, ſed ut modo dicebam libera & moralis, quatenus operans ſciens & volens eligit conformiter rectæ rationi & legi bonum verum & honeſtum, non apparens.

Hæc obiter dicta ſint, non quod exiſtimem neceſſaria aſſertioni Concluſionis noſtræ, ſed ut oſtendam illos, qui hoc D. Th. principium adhibent in probationem hujus ſententiæ, nihil abſurdi aut exotici proferre, ut quibuſdam viſum eſt.

VINDICIÆ.

Huic probationi tam firmis rationibus innixæ nihil habet, quod reſpondeat Adverſarius, niſi quod is, de quo in probatione, peccet defectu finis extrinſeci, qui eſt Deus, cum tamen invicte probemus hujus actionem referri in Deum, ut in finem.

Ne tamen videatur obmuteſcere, & habeat, quod garriat, fingit me aſſumere in hujus argumenti probationem principium D. Th. 1. 2. q. 1. a. 6. Cum e contra in terminis dicam, quod non ego, ſed *aliqui ex noſtris fundamentum hujus rationis repetant ex illo principio D. Th.* & poſtquam expoſui, quo ſenſu noſtri poſſint illud adhibere, ſubjungo: *Hæc obiter dicta ſunt non quod exiſtimem neceſſaria aſſertioni Concluſionis noſtræ, ſed ut oſtendam illos, qui hoc principium D. Th. adhibent in probationem hujus ſententiæ, nihil abſurdi aut exotici proferre, ut quibuſdam viſum eſt.* Aerem ergo verberat dum ſex ferme paginas implet, ut probet noſtram ſententiam non poſſe deduci ex illo principio D. Thom. quapropter illa omitto, quia non me tangunt.

Unum dumtaxat obſervari velim, Adverſarium truncaſſe textum D. Th. Q. de voluntate a. 2. ſic enim refert verba S. Doctoris: *Appetitus creaturæ rationalis non eſt rectus, niſi per appetitum explicitum Dei.* Habet autem S. Th. *Appetitus creaturæ rationalis non eſt rectus, niſi per appetitum explicitum Dei ACTU VEL HABITU.* Et hinc corruunt quæ inde infert contra me.

TEXTUS QUÆSTIONIS.

Prob. 3. Præcludendo effugium Adverſariis. Si homo deliberate agens tenetur referre omnes actiones ſuas in Deum propter ſe dilectum relatione virtuali explicita, ad ſenſum Adverſariorum, defectus hujus relationis vitiaret non ſolum operantem, ſed etiam opus: atqui falſum conſequens, fatentibus ipſis Adverſariis; ergo & Ant. Prob. ſequela majoris. Actus cui deeſt aliqua circumſtantia, quæ debet ineſſe, malus eſt: atqui ſi homo tenetur referre ſuum actum in Deum relatione virtuali explicita & non referat, actui ejus deeſt circumſtantia, quæ debet ineſſe, ſcilicet iſta virtualis relatio in Deum: ergo. Maj. conſtat ex illo principio communiter recepto: *Bonum ex integra cauſa, malum ex quovis defectu*: & ex Auctore (1. 2. q. 18. a. 1. c.) dicente: *Quod actio in quantum deficit ei aliquid de plenitudine eſſendi, quæ debetur actioni humanæ, in tantum deficit a bonitate, & ſic dicitur mala.*

Confirm. Actus non ordinatus ad debitum finem eſt actus inordinatus & malus: unde Auctor dicit: *Actus a ratione deliberativa procedens, ſi non ſit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipſo repugnat rationi & habet rationem mali.* Ex quo principio probat non dari actum indifferentem in individuo: atqui juxta Adverſarios, actus non relatus ad Deum propter ſe dilectum relatione virtuali explicita, eſt actus non ordinatus ad debitum finem: ergo.

Reſpondent, Deum propter ſe dilectum eſſe finem extrinſecum operi & eſſe ipſi debitum, non ratione ipſius operis, ſed operantis, ſicque ejus defectus inficit non opus, ſed operantem: idque variis exemplis illuſtrant, v. g. qui debet ſolvere 100. florenos intra menſem, ſolvit tantum 50. peccat, & tamen ſolutio 50. florenorum non inficitur, nec mala eſt: ita Daelman. Sic ſervus in arte pingendi peritus, qui tenetur omnia ſuo Domino afferre, ſi imaginem, quam eleganter pinxit, ſubtrahat Domino, peccat; at non ideo vitiatur illa imago; Ita, in-

quiunt,

quiunt, homo tenetur eleemoſyuam, quæ utique eſt opus bonum & laudabile, referre ad Deum; ſi non referat, peccat; at ideo eleemoſyna non vitiatur: ita Aurelius Pierre.

Sed contra: quamvis Deus propter ſe dilectus ſit finis entrinſecus operi, puta eleemoſynæ ſecundum ſe conſideratæ, & ipſi ſic conſideratæ debitus ex parte operantis tantum; ſuppoſito tamen quod fiat & ponatur in individuo, non eſt minus illi intrinſecus & ratione ſui debitus, quam quævis alia circumſtantia, ita ut ſi deſit, opus, quod eſt ex objecto bonum, fiat in individuo malum: ſic v. g. locus, tempus, modus &c. ſunt circumſtantiæ extrinſecæ actui, puta eleemoſynæ ſecundum ſpeciem conſideratæ; attamen in individuo, ſi fiat eleemoſyna ſine debito loco, tempore, modo &c., erit mala: ergo ſimiliter ſi fiat ſine debito fine. Idque eo verius eſt, quod S. Th. & cum eo communius Theologi probent actum ſecundum ſe indifferentem eſſe malum in individuo, non quia operans apponit illi malum finem, ſed quia non apponit ipſi bonum finem, qui tamen finis eſt operantis & actui ſecundum ſpeciem extrinſecus. Sic ambulationi v g ſecundum ſpeciem conſideratæ eſt extrinſecus & indebitus finis bonus, ut ſic enim eſt indifferens, ſi tamen exerceatur & non fiat propter bonum finem, erit mala. Unde in hoc videntur hallucinari Adverſarii, quod non ſatis diſtinguant inter actum ſecundum ſpeciem & actum in individuo.

Neque dicas cum Daelman, quod defectus relationis in finem honeſtum, in acto ſecundum ſpeciem indifferente, ſit defectus Regulæ proximæ actuum humanorum, quæ Regula eſt debita actioni deliberatæ eamque afficit: defectus autem relationis in Deum propter ſe dilectum ſit defectus regulæ remotæ & finis ultimi, qui non perinde ac Regula proxima afficit ipſum opus, ſed operantem.

Contra eſt enim 1. quod non minus rectæ rationi, quæ eſt proxima Regula actuum humanorum, repugnet, quod actus qui debet referri ad finem ultimum extrinſecum, ad ipſum non referatur, quam quod actus, qui debet referri ad finem proximum extrinſecum, ad ipſum non referatur. Ergo ſi defectus relationis ad finem proximum extrinſecum afficiat actum, ita & defectus relationis ad finem ultimum extrinſecum. 2. Ideo opus ſecundum ſpeciem indifferens eſt in individuo malum, quia operans tenetur illi præfigere, & non præfigit finem proximum honeſtum, quantumvis iſte finis ſit extrinſecus huic operi ſecundum ſe conſiderato: atqui juxta Adverſarios tenetur pariter illi præfigere finem ultimum, ſcilicet Deum propter ſe dilectum: ergo defectu hujus ultimi finis opus erit etiam malum.

Ad 1. exemplum oppoſitum R. omiſſionem ſolutionis 50. florenorum non eſſe circumſtantiam afficientem moraliter ſolutionem 50. florenorum, ſicut omiſſio finis debiti afficit opus, ſed eſſe concomitantem tantum, ſicut eſſet omiſſio ſacri aut jejunii præcepti: cujus indicium eſt, quod tranſacta ſolutione 50. florenorum, remaneat adhuc obligatio ſolvendi alios 50. ſic ipſum operantem ſeu debitorem afficiens, ut adhuc peccet donec ſolverit: at tranſacto opere, v. g. eleemoſynæ, non remanet amplius obligatio relationis ad Deum, neque ex hac parte deinceps peccat operans.

Ad 2 Exemplum diſparitas eſt, quod imago ſit quid phyſicum, & non morale, ideoque defectu finis debiti non vitietur, ſecus autem actus humanus in individuo.

Ex hac probatione, ſi valeat, ut puto valere, inferes Adverſarios non ita facile ſe expedire a Propoſitionibus damnatis in Baio & Queſnello, præſertim ab illa Baii: *Omnia opera infidelium ſunt peccata, & Philoſophorum virtutes ſunt vitia*; & ab aliis ejuſdem ſenſus damnatis an. 1690. ab Alexandro VIII., ſcilicet 7. 8. 11. 13. & 15.

VINDICIÆ.

Contra hanc probationem plura inutilia profert, & valde iracunde deblaterat Adverſarius, more ſuo admodum obſcure & involute. Præcipua expendamus.

1. Negat majorem argumenti, quam dicit me nullatenus probare, cum tamen ipſas meas probationes referat; ſed addit: *Niſi hoc quod circa opus facere debet operans, ſpectet operis plenitudinem eſſendi, hujus defectus non poteſt vitiare opus*. Non probo autem relationem virtualiter explicitam in Doctrina Adverſarii pertinere ad plenitudinem eſſendi.

CONTRA. Quid ergo probat illud? *Bonum ex integra cauſa, malum ex quovis defectu*: quid probat hoc aliud S. Th. *Actus ad debitum finem non ordinatus eſt inordinatus & malus*. Inſuper dico relationem virtualem explicitam, in ſententia Adverſarii pertinere ad plenitudinem eſſendi operis, non ſecundum ſe, ſed in individuo.

Inſtat contra duplici paritate. 1. *Pone*, inquit, *quod Confeſſarius pro pœnitentia injungat pœnitenti pro ſeptimana, ut omnia ſua opera relatione noſtra referat in Deum, & quod, hoc præcepto Confeſſarii non obſtante, pœnitens omittat eleemoſynam, quam dat, ſic referre in Deum. Si dicat P. B. quod hæc eleemoſyna, hoc præcepto relationis etiam poſito, non inficiatur; infero ineluctabiliter: ergo nec poſito præcepto referendi noſtro. Si dicat quod inficiatur, dicere debet quod hoc præceptum Confeſſarii mutat naturam operum v. g. eleemoſynæ, idque ſic ut jam ad eius plenitudinem eſſendi ſpectet: quod ridiculum & abſurdum eſt. 2. Juxta S. Th.* inquit, *Actus timoris ſervilis malus eſt ex parte ſervilitatis ſuæ, ſeu in quantum qui facit hunc actum in eo hic & nunc non amat juſtitiam, ſed ſolum pœnam timet: proinde ut juxta S. Th. in tormentis ſervilitas eius eſt mala: atqui cuivis Catholico certum eſſe debet, quod hæc ſervilitatis malitia hic actus non inficiatur in ſe, ſed contra omnino bonus & laudabilis ſit, ac, poſitis ponendis, Spiritus S. donum: ergo & pariter certum eſt, quod defectu debitæ relationis noſtræ actus non inficiatur in ſe, ſed contra omnino bonus & laudabilis ſit &c.; adeoque quod relatio noſtra, quæ abeſt, non ſpectet ad eius plenitudinem eſſendi.*

R. ad 1. Diſparitas eſt, quod obligatio relationis virtualis explicitæ in ſententia Adverſarii oriatur ex lege naturali & ex jure ac dominio, quod Deus, ut primum principium & ultimus finis habet non ſolum in agentem ſed etiam in ejus actionem; ideoque hæc obligatio afficit & actionem & agentem: ſecus autem præceptum Confeſſarii erga Pœnitentem. Inſuper non ſatis probat Adverſarius ridiculum & abſurdum eſſe, quod hæc eleemoſyna, ſuppoſito præcepto Confeſſarii illam referendi in Deum, non ſit mala: quod enim affert, inde ſequi Confeſſarium poſſe mutare naturam operum; forte quis reſponderet diſtinguendo: naturam operum moralem, C. phyſicam, N. Ad 2. Non explicat Adverſarius quo loco S. Th. habeat in terminis, ut dicit, quæ ex ipſo refert; nec puto alibi reperiri. Equidem S. Doctor 2. 2. q. 19. a. 4. docet timorem ſervilem, ſi conſideretur ſecundum ſubſtantiam, eſſe bonum; quia timor ſervilis ſic conſideratus nihil aliud dicit quam timorem pœnæ, qui ibi ſiſtendo, eſt bonus; conſideratum autem ſecundum ſervilitatem, ſeu ut communiter dicitur, timorem ſerviliter ſervilem, eſſe malum; quia ſic conſideratus ejicit timorem pœnæ ut principalis mali, quod eſt malum. Hæc porro doctrina nihil quidquam favet Adverſario. 2 Negat Deum propter ſe dilectum in ſuis principiis eſſe debitum finem actionis in individuo ſpectatæ, aſſeritque me id nullatenus probare; nec poſſe.

CONTRA. Prob. ex antecedentibus: ille finis eſt debitus actioni in individuo, ad quem ex lege naturali, atque ex jure ac dominio, quod habet ille finis in hanc actionem, referri debet: atqui in principiis Adverſarii, actio in individuo debet referri in Deum propter ſe dilectum ex lege naturali, & ex jure ac dominio, quod Deus ut primum principium & ultimus finis habet in illam: ergo. Et per hoc exſufflantur cætera, quæ contra hoc argumentum valde implexe profert.

Addam verbum circa ſolutionem datam exemplo domini Daelman. Reſpondet 1. Adverſarius, tranſacta actione, puta collatione eleemoſynæ, remanere obligationem referendi alias actiones ad Deum. Verum non agitur de obligatione referendi alias actiones, ſed hanc quæ tranſiit. Reſpondet 2. non remanere obligationem hanc actionem referendi per accidens, quia tranſiit actio, & quod factum eſt, infectum fieri nequit. Et ego dico, quod non deſineret, deſinente actione, niſi eſſet ejus circumſtantia eam moraliter afficiens; ſicut facta ſolutione 50. florenorum, non deſinit obligatio ſolvendi alios 50. quia hæc obligatio non erat circumſtantia moraliter afficiens priorem ſolutionem, ſed concomitans tantum. Cæterum neque in præſenti argumento 3. totam vim repoſui. Addo enim:

TEXTUS QUÆSTIONIS.

Sed dato opus defectu relationis non infici, ſed ſolum operantem, nec ideo, ut videtur, omnino evadunt Adverſarii. Hinc enim

Prob. 4. Concluſio ab abſurdis: ſi homo defectu relationis virtualis explicitæ in Deum propter ſe dilectum peccat, cum opus ex objecto bonum agit, ſequitur 1. quod neceſſe ſit infidelem, quamdiu manet infidelis, in omni opere peccare, quod videtur damnatum ab Alex. VIII. in hac propoſitione: *Neceſſe eſt infidelem in omni opere peccare*. Eſt 8. quod obvio ſenſu intelligitur, quamdiu eſt infidelis.

Reſpondet D. Daelman *infidelem*, juxta ſuam ſententiam, *non peccare in opere, quod ex ſe bonum eſt, ſed in defectu relationis*.

De tali Reſponſione dicam, quod de ſententia ipſa Adverſariorum dixit Eſtius Academiæ Lovanienſis Alumnus & Decus, in 2. d. 41. §. 4. *Hæc recte ne, an ſecus dicantur, expendant doctiores*. Videant utrum Alexander VIII. nihil aliud voluerit damnare in hac propoſitione: *Neceſ-*

ſe

ſe eſt infidelem in omni opere peccare. Quam quod jam damnaverant tres ſummi Pontifices in hac propoſitione Baji: *Omnia infidelium opera ſunt peccata*. Videant an hæc propoſitio damnata non ſit excogitata, ut exprimeretur ſententia Adverſariorum & eximeretur a cenſura Bajanæ? Videant denique, num qui facit opus, cui deeſt debiti finis circumſtantia, non vere dicatur in ſenſu naturali & obvio peccare in iſto opere.

VINDICIÆ.

Nihil horum impugnat Adverſarius niſi ultimum, contendens operi, cui deeſt ſua relatio in Deum, non deeſſe circumſtantiam finis debiti, cujus contrarium probavimus ſuperius.

Addit etiam in ſua ſententia neceſſe non eſſe, quod infidelis peccet *intra quodlibet opus ſuum*, id eſt, ut fert propoſitio damnata, *in omni opere ſuo*: quod probat exemplo Platonicorum, qui Aug. teſte, Ep. 118. olim 51. docebant omnia opera in Deum, ut finem ultimum, eſſe referenda ſua Adverſarii relatione.

CONTRA. Figmentum eſt Platonicos apud Aug. Ep. citata docere relationem Adverſarii: id unum docent contra Epicureos & Stoicos, ſummum bonum hominis non eſſe fixum in bonis corporis vel animæ, ſed eſſe quid divinum. Et dato, quod falſum eſt, Platonicos ſic docuiſſe; caſus eſſet extra theſim: Theſis enim eſt de infidelibus qua talibus, qui verum Deum ignorant: hi autem in ſuppoſito definerent quantum ad hoc eſſe infideles. Hinc propoſtere in me contorquet verba Aug. contra Julianum, de quo iterum in fine.

TEXTUS QUÆSTIONIS.

Sequitur 2. quod qui dolet de peccato mero ob ejus turpitudinem, ſine ullo ad Deum offenſum reſpectu, peccet: quod iterum videtur ab eodem Pontifice damnatum in hac propoſitione: *Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem & diſconvenientiam cum natura, ſine ullo ad Deum offenſum reſpectu*. Scio Adverſarium vim facere in hac particula *offenſum*, quaſi peccator, qui dolet de ſuo peccato propter ejus turpitudinem, ſi referat hunc dolorem ad Deum, poſſit referre ad Deum non offenſum.

VINDICIÆ.

Quod huic conſectario reſpondet Adverſarius, ita eſt involutum, ut vix intelligas. Videtur velle, quod qui odio habet peccatum propter ejus turpitudinem, poſſet ex virtute obedientiæ iſtud odium referre ad Deum, ut mandantem, ſicque ad Deum, qui offenſus eſt, licet non qua offenſum, idque ſufficere, ut non peccet & declinetur condemnatio.

CONTRA. Ex condemnatione propoſitionis habemus, quod non peccet, qui odium peccati propter ejus turpitudinem non refert ad Deum offenſum: atqui in principiis Adverſarii is peccat: ergo. Prob. Min. in principiis Adverſarii peccat, qui non refert actionem ſuam ex amore benevolentiæ ad Deum propter ſe dilectum, atqui odium peccati non poteſt referri ex amore benevolentiæ ad Deum propter ſe dilectum, niſi ut peccato offenſum; qui enim amat Deum ſuper omnia amore benevolentiæ, dolet ſe eum offendiſſe: ergo. Hinc 2. referre odium peccati ad Deum, ut mandantem, non eſt referre ad Deum propter ſe dilectum ex amore benevolentiæ: atqui ſic debet referri in ſyſtemate Adverſarii, quale profeſſus eſt initio Opuſculi, & ut mox videbimus: ergo. 3. Si ut agens non peccet, ſufficiat actionem referre ad Deum mandantem, vicimus: qui enim ſolvit debita, ut obediat legi naturali juſtitiæ, cujus Deus eſt auctor, refert ex virtute obedientiæ hanc ſolutionem ad Deum mandantem, ſicut refert qui odit peccatum, ut obediat legi pœnitentiæ, cujus etiam Deus eſt auctor: ſimiliter qui honorat parentes, ut obediat legi naturali pietatis, qui facit eleemoſynam, ut obediat legi naturali miſericordiæ, & ſic de cæteris. Ergo, ut quis non peccet, non eſt neceſſaria relatio virtualis explicita ex amore benevolentiæ, ſed ſufficit noſtra virtualis implicita in omni opere facto conformiter dictamini legi naturalis & rectæ rationis.

TEXTUS QUÆSTIONIS.

Sequitur 3. quod qui elicit Actus fidei, ſpei, aut etiam operatur bonum ſolius æternæ mercedis intuitu, abſque ulteriori relatione ad Deum propter ſe dilectum, peccet; quod quam ſit abſurdum, Scripturæ, Patribus, & ſanæ doctrinæ repugnans, perſenſit ipſe Daelman, dum reſpondet id eſſe ſpeciale Actibus fidei & ſpei, quod habeant Deum pro objecto formali, & in actu fidei includatur pia affectio erga primam veritatem, & in actu ſpei amor concupiſcentiæ, quo Deum appetimus ut ultimum finem noſtrum, dicitque id ſufficere ut operans non peccet defectu relationis. Verum ſic reſpondere non eſt argumentum ſolvere, ſed, meo judicio, eſt illi ſuccumbere. Hinc enim habemus, fatente Adverſario, ut operans non peccet, non requiri relationem virtualem explicitam in Deum propter ſe dilectum: neque enim pia iſta affectio erga primam veritatem, ut objectum formale, neque iſte amor concupiſcentiæ ultimi finis noſtri, ut objecti formalis, reſpiciunt Deum propter ſe dilectum, ſicque quidquid agat homo ex amore ſpei, ſeu propter obtinendum ultimum finem, ſive orando, ſive ſtudendo, ſive laborando, ſive carnem macerando, ſive indigenti ſuccurrendo, ſive parentes colendo, ſive debita ſolvendo, aut quidquid aliud ex genere bonorum, ſine ullo reſpectu ad Deum propter ſe dilectum, non peccat. Ergo magna illa principia & generalia præcepta, quæ tantopere extollunt Adverſarii, ſcilicet Deum eſſe ex toto corde diligendum, omnia in gloriam Dei, in nomine Chriſti, in charitate eſſe facienda, non continent univerſalitatem actionum noſtrarum immediate in ſeipſis, nec obligant pro ſemper. Ergo penitus ruunt fundamenta hujus ſententiæ; hæc ſunt enim fere unica.

VINDICIÆ.

Mirum quot & quantos conatus adhibet, quotque fingit Adverſarius, ut ab hoc laqueo ſe extricet.

In primis mihi exprobrat, quod loquar ſenſu ſcholaſtico. Vah exprobrationem! Quaſi vero qui ſcholaſtica docet, non debeat loqui ſenſu ſcholaſtico. Senſus ſcholaſticus eſt verus & ſtricte verus: Ergo juxta illum loqui debent quicumque ſcolaſtica recte docent, explicando tamen, prout facimus, quæ latiori ſenſu, ſi occurrant, ſint intelligenda.

Deinde omnes nervos contendit, ut probet Actum fidei & ſpei eſſe propter Deum, ut ultimum finem, quia ſunt propter ſe, id eſt propter Deum, & non propter aliud; advocatque in auxilium SS. Aug. Bernardum, & Th.

Verum in his omnibus canit extra Chorum. Siſtamus in ejus & Lovanienſium principiis, quæ me ignorare toties effutit. Hæ ſunt in terminis ipſiuſmet Adverſarii in principio Opuſculi. *Volumus*, inquit, *hominem quotieſcumque deliberate agit teneri ſub peccato veniali actum referre in Deum, ex amore, non quidem charitatis, ſtricte ſcilicet, ſed benevolentiæ relatione virtuali explicita &c.* Subſumo: Atqui Actus fidei & ſpei non ſunt ex amore benevolentiæ: Ergo non eſt eis relatio, qualem exigit Adverſarius. Prob. Min. Actus benevolentiæ non ſecus ac amor charitatis fertur in Deum, ut in ſe bonum: Ergo. Atque hoc brevi argumento evaneſcunt omnia, quæ per quinque paginas incaſſum agglomerat.

Quod enim ducit ex D. Th. lege charitatis ſeu primo mandato præcipi, ut tota intentio noſtra feratur in Deum, ut intellectus noſter ſubdatur Deo, ut appetitus noſter reguletur ſecundum Deum, &c. Quis de his dubitat? Quis neſcit præcepto charitatis præcipi totius legis obſervantiam? ſed ſub ſuo motivo formali, ſcilicet propter Deum ut in ſe bonum, ſub qua ſola ratione eſt ultimus finis formaliter. Unde quidquid fit propter Deum ſub alia ratione, non eſt ex amore charitatis ſeu benevolentiæ, nec propter ultimum finem moraliter. Stat itaque inconcuſſum conſectarium noſtrum, eoque evincitur Adverſarium aut debere corrigere ſuum ſyſtema, aut fateri illud niti falſis principiis.

TEXTUS QUÆSTIONIS.

Tandem ſequitur 4. peccatorem, qui timet Deum & ejus juſtitiam, ſi hunc timorem non referat ad Deum propter ſe dilectum, non diſponi ad Dei amorem & ſui juſtificationem contra Trid. ſeſſ. 6. cap. 6. Non enim concipitur quomodo homo peccando, etiamſi venialiter tantum, diſponitur ad Dei amorem & ſui juſtificationem. Si dicas eum non peccare, quia timet, ſed quia timorem non refert ad Deum propter ſe dilectum: Capio. Sed interim peccat & quantum per bonum timorem diſponitur ad Dei amorem & ſui juſtificationem, tantum retrahitur, & ut ita dicam, indiſponitur per peccatum, ita ut melius eſſet non timere, quam timendo non referre timorem ad Deum propter ſe dilectum. Dices. Referat ad Deum propter ſe dilectum: bene: ſed ad hoc deberet prius amare, quam timere, & tamen Concilium definit timorem, ſecundum legem Dei ordinariam, præcedere amorem & ad eum diſponere.

Cæterum hæc dicta ſint diſputationis ergo. Abſit enim ut ullam notam inuramus Theologis, non minus Religione, quam doctrina commendatiſſimis, præſertim cum ipſi teſtentur hanc ſuam ſententiam fuiſſe an. 1677. S. Sedi propoſitam, nec improbatam.

VINDICIÆ.

Ad hæc reſpondet Adverſarius quærendo, num melius ſit Sacerdoti omittere Officium eccleſiaſticum, quam illud recitare cum diſtractione veniali? Item num melius ſit omittere eleemoſynam pinguem, quam eam facere cum vana gloria?

R. Sufficere argumento meo peccantem venialiter non diſponi, ſed potius, ut ita dicam, indiſponi ad juſtificationem; quod verum eſt. Item melius eſſe omittere aliquod opus bonum, quando non urget præceptum, quam offendere Deum venialiter; & hoc iterum verum eſt.

Cætera, quæ adjicit ex Aug. nihil faciunt ad rem. Agnoſco enim & tanquam fide certum teneo, timorem ſervilem, qui non ſit ſerviliter ſervilis, diſponere ad juſtificationem; quia ſecundum nos, qui non requirimus eum referri ad Deum ex amore benevolentiæ, eſt bonus, & ſic timens bene facit & ſe diſponit ad juſtificationem. Unde pueriliter infert ex Aug. quod ſim *perverſæ ſortis*, quaſi nollem peccatorem debere timere.

TEXTUS QUÆSTIONIS.

Probatur ultimo. Si eſſet obligatio referendi virtualiter explicite omnia opera ad Deum propter ſe dilectum, hæc obligatio foret ex genere ſuo ſub mortali peccato. Atqui falſum conſequens, fatentibus Adverſariis. Ergo & Ant. Prob. ſequela majoris 1. Quia iſtam obligationem fundant in præcepto diligendi Deum ex toto corde. Atqui hoc præceptum obligat ex genere ſuo ſub mortali, ita ut illius tranſgreſſor in re gravi peccet mortaliter, ut omnes fatentur; poteſt autem hic eſſe materia gravis, ut ſi v. g. longa ſeries actionem in ſtatu eligendo ſubtraheretur Deo, & ad ipſum propter ſe dilectum non referatur. Ergo. 2. Quia fundant iterum hanc obligationem in præcepto naturali agnoſcendi & conſtituendi Deum ſicut primum principium, ita & finem ultimum omnium actionum noſtrarum. Atqui objectum hujus præcepti naturalis eſt ſecundum ſe grave. Ergo & obligatio gravis: quia obligatio præcepti naturalis ſequitur naturam ſui objecti. 3. Quæro ab Adverſariis, quo fundamento nixi, Deo præcipiente omnia ad ſe propter ſe dilectum referri, dicunt iſtud præceptum obligare tantum ſub veniali, dum alia præcepta ſive naturalia, ſive divina, ubi objectum ſecundum ſe eſt grave, obligant ſecundum ſe & ex genere ſuo ſub mortali?

Reſpondet 1. D. Daelman, quod licet opus ſit quid notabile, non deberet ſub gravi obligatione. Sed hoc eſt, quod quæro, cur iſtud præceptum non obliget graviter in re notabili? Reponit: *Qui diebus feriatis omittit aſſiſtere ſacro, dum nihil omnino habet occupationis propter quandam incuriam ſalutis, peccat tantum venialiter, licet ſacrum ſit quid notabile. Item peccaret tantum venialiter, qui debens rem notabilem proximo ex quadam & communi gratitudine, illam non daret.*

Sed contra. Ad 1. ideo peccat tantum venialiter, qui ex incuria ſalutis omittit ſacrum die feriali, quia non eſt præceptum audiendi ſacrum tali die, ſed eſt tantum præceptum commune non negligendi ſalutem. Omiſſio autem ſacri non præcepti eſt materia levis reſpectu hujus præcepti communis.

At hic, juxta Adverſarios, eſt ſtrictum & ſpeciale præceptum omnia referendi in Deum ſuo ſenſu, & iſtud præceptum poteſt cadere ſupra rem notabilem.

Ad 2. S. Th. 2. 2. q. 107. a. 3. o. docet quod ingratitudo privative, quæ quis omittit reddere alteri, quod debet ex gratitudine, poſſit eſſe peccatum mortale: *Propter conditionem ejus, quod ſubtrahitur, quod ex neceſſitate debetur beneficio, ſive ſimpliciter ſive in aliquo caſu neceſſitatis.* Quod autem extra hunc caſum ingratitudo non ſit peccatum mortale, ideo eſt, quia obligatio gratitudinis non eſt ſtricti juris, ſed tantum ex debito honeſtatis, quod non poſſunt dicere Adverſarii de præcepto referendi ſuo ſenſu omnia in Deum, quod juxta ipſos eſt præceptum diligendi Deum ex toto corde & ipſum agnoſcendi ac conſtituendi primum principium & ultimum finem.

Reſpondet 2. *Quod non ſubtrahatur Deo notabilis ſubſtantia actionis, quæ ſupponitur rigoroſe non deberi, quia non eſt præcepta, ſed tantum ſubtrahitur modus relationis, qui non ſemper conſtituit materiam notabilem.*

Sed contra. Quo tendat D. Daelman in hac ſua reſponſione, pro tenuitate mea, fateor, vix aut ne vix capio. Etenim qui ſolvit debita, qui honorat parentes, urgente præcepto, qui ſubvenit extreme aut graviter indigenti, ſine relatione Adverſariorum, ſubtrahit Deo notabilem actionum ſubſtantiam, quæ rigoroſe debetur, quia eſt præcepta. Quod ſi forte intelligat harum actionum ſubſtantiam non eſſe præceptam vi præcepti Relationis in Deum, verum eſt; ſed ipſarum actionem relatio vi hujus præcepti eſt præcepta & rigoroſe debetur. Si ergo non referantur, ſubtrahitur Deo notabilis actionum ſubſtantia, quæ rigoroſe debet illi referri, quia præcepta eſt referri, & ſic remanet tota vis noſtri argumenti. Inſuper dum dicit, quod ſubtrahatur tantum modus relationis, qui *non ſemper conſtituit materiam notabilem*, ſupponit, quod aliquando conſtituat materiam notabilem; qui enim dicit non ſemper aliquid fieri, ſupponit aliquando fieri. Quando ergo continget, quod iſte modus relationis conſtituat materiam notabilem, ejus defectus erit peccatum mortale.

VINDICIÆ.

Hic hærent aquæ Adverſario, & ſe ſuis Reſponſis victum probat.

Ad 1. probationem argumenti reſpondet his verbis: *Ita eſt etiam ut & quando primum mandatum hic & nunc obligat ad actum charitatis Theologicæ ſtricte ſumptæ, qui ſit dilectio Dei totius cordis intenſiva, ut hæc relatio noſtra eſt materia gravis, ita etiam primum mandatum ad hanc obligat ſub gravi.*

CONTRA. Fiat lux. Non puto ipſum velle dilectionem Dei totius cordis intenſivam debere iterum alia relatione ad Deum propter ſe dilectum referri, hoc foret abſonum; ſed videtur velle ipſum actum explicitum & formalem dilectionis Dei, quando hic & nunc urget præceptum, eſſe ſecundum ſe materiam gravem, & præceptum obligare ſecundum ſe ſub gravi peccato. At nullus de hoc dubitat, ſed non eſt hæc quæſtio præſens. Quæſtio eſt utrum dum non urget hic & nunc præceptum eliciendi actum explicitum & formalem charitatis ſeu benevolentiæ, homo deliberate agens teneatur vi illius primi mandati, quamlibet ſuam actionem referre ad Deum propter ſe dilectum, relatione virtuali explicita & ſub quali peccato? An ſub mortali ex genere, ita ut in materia gravi ſit peccatum mortale non referre, in materia levi peccatum veniale?

Singularis eſt Reſponſio Adverſarii: *Dum quis*, inquit, *dat eleemoſynam unius quadrantis eſt materia levis*. Bene. Sed ſi det eleemoſynam mille florenorum, ſi exponat vitam pro defenſione Parentis, annon materia gravis & obligatio ſub gravi referendi ſua relatione has actiones in Deum? Si concedat. Ergo errat dum dicit in ſuo ſyſtemate hanc obligationem tantum eſſe ſub veniali. Si neget. Ergo fateri debet ſuam ſententiam non fundari in primo mandato diligendi Deum, quippe quod obligat ex genere ſuo ſub mortali.

Ad 2. probationem reſpondet ſic: *Nonne ſervare Regulam SS. Dominici; Franciſci, &c. eſt materia gravis? Non tamen dicet P. B. quod ſinguli ab ea defectus ſint peccatum mortale.*

CONTRA. Eadem ſemper chorda aberrat. Quantum ad Regulam S. Dominici loquitur in falſo ſuppoſito, exceptis enim tribus votis Conſtitutiones noſtræ non obligant ad culpam, ſed ad pœnam. Quantum ad Regulam S. Franciſci & forte aliorum; equidem ejus obſervantia eſt ſecundum ſe materia gravis & obligatio eam ſervandi ſecundum ſe & ex genere eſt gravis. Unde fit quod ſicut eam tranſgredi in materia levi ſit peccatum veniale, ſic illam tranſgredi in materia gravi ſit peccatum mortale. Stando igitur in paritate Adverſarii, dicendum eſt, quod lex referendi actiones in Deum illius relatione, obliget ex ſe & ex genere ſub gravi peccato, ita ut in materia levi non referre ſit peccatum veniale, in materia gravi mortale. Si id concedat Adverſarius, ſibi contradicit & evertit ſuum ſyſtema. Si neget; fateatur hanc ſuam referendi obligationem non fundari in præcepto naturali conſtituendi Deum finem ultimum omnium actionum noſtrarum, quippe quod obliget ſecundum ſe & ex genere ſuo ſub peccato mortali.

Ad 3. probationem ſic reſpondet: *Quia hoc ſingularis ignorantiæ eſt. Etenim divini præcepti vivendi ſecundum Evangelium objectum certe ſecundum ſe eſt grave. Deſipit tamen P. B. ſi ſingulos ab eo defectus peccatum mortale eſſe ſtatuat.* Ita modeſte rigidus charitatis prædicator.

CONTRA. Meum argumentum eſt tale. Alia præcepta ſive naturalia, ſive divina, ubi objectum ſecundum ſe eſt grave, obligant ſecundum ſe & ex ſuo genere ſub mortali. Ergo & præceptum referendi omnes actiones ſuas in Deum, quale adſtruit Adverſarius. Equidem eſt hic ſingularis ignorantia, ſed ex qua parte judicet Lector. Ex hoc argumento ego infero, quod qui tranſgreditur hoc præceptum referendi ſuas actiones in Deum, aliquando peccet mortaliter, aliquando venialiter, pro gravitate vel levitate materiæ, ut in aliis præceptis. Alter infert me dicere quod ſinguli defectus contra hoc præceptum, ſicut contra præceptum vivendi ſecundum Evangelium, ſint peccata mortalia. Quis ignorat? Quis deſipit?

TEXTUS QUÆSTIONIS.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 2. Apoſt. 1. Cor. 10. dicit: *ſive manducatis, ſive bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in Dei gloriam facite*. Cap. 16. *Omnia veſtra in charitate fiant*. Et ad Coloſſ. 3. *Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jeſu Chriſti gratias agentes Deo & Patri per ipſum*. Atqui juxta S. Th. in c. 3. ad Coloſſ. lect. 3. & alibi, hæc ſunt præcepta & non mera conſilia. Ergo.

Neque dicas eſſe præcepta affirmativa, quæ non obligant pro ſemper; quia præcepta affirmativa, quæ præcipiunt univerſalitatem actionum noſtrarum, qualia ſunt aſſignata, obligant pro ſemper.

R. Nos fateri cum Auctore hæc eſſe præcepta, ſed omnia verificari in noſtra ſententia. Dicimus namque hominem teneri aliquoties referre omnia opera ſua in Deum propter ſe dilectum relatione virtuali explicita, quia tenetur aliquoties elicere actum amoris Dei ſuper omnia, ſive ut auctoris naturalis tantum, ſi ſit infidelis; poteſt enim illum ſic cognoſcere; ſive ut auctoris ſupernaturalis, ſi ſit fidelis, in quo actu amoris involvitur virtualiter ordinatio omnium ſuorum operum in Deum propter ſe dilectum, ſicque facit omnia in gloriam Dei, in charitate, & in nomine Chriſti.

Cum autem opponitur præcepta affirmativa, quæ præcipiunt univerſalitatem actionum noſtrarum, obligare pro ſemper: id quidem verum eſt de præceptis affirmativis præcipientibus univerſalitatem actionum immediate in ſe ipſis. non vero de præcipientibus univerſalitatem actionum mediate tantum & in cauſa: præceptum autem referendi explicite omnes actiones in Deum propter ſe dilectum, non eſt de univerſalitate actionum immediate in ſe ipſis, ſed in cauſa, ſcilicet in ipſo actu formali charitatis, ut diximus ex S. Th. in utraque concluſione: quod præceptum charitatis, cum ſit affirmativum, non obligat pro ſemper. Cum autem iſta ordinatio & conſecratio omnium actuum vi charitatis facta per peccatum mortale intercipitur, manat quidem obligatio iterum illos ordinandi per alium actum charitatis, quod ut dictum eſt, non obligat pro ſemper, nec toties quoties.

Inſuper agnoſcimus hominem, toties quoties deliberate agit, teneri referre ſuum actum in Deum relatione virtuali implicita, quatenus tenetur ſemper agere, quod de ſe bonum & honeſtum eſt, non ultimate in eo ſiſtendo, neque in aliquem pravum finem detorquendo, ſed conformiter dictamini rectæ rationis & legis naturalis, & ut in ſuo gradu conſtitutum, ſicque intendere implicite Deum, qui eſt hujus legis auctor & hujus boni plenitudo, & ultimus finis, propter quem eſt creatum. Et dicimus hac virtuali relatione ſatisfieri præcepto Apoſtoli extra caſus, in quibus obligat præceptum charitatis, ut plenius adhuc explicabitur in Reſponſione ad ſequ. Inſtantiam.

Addo ſecundum textum Apoſtoli eſſe explicandum ab ipſis opponentibus; non enim volunt opera noſtra eſſe ad Deum referenda ex charitate ſtricte dicta, ſed tantum ex amore benevolo: nos ergo dicimus cum Auctore (*In cap. 16. 1. Cor. lect. 2.*) ſenſum eſſe, *quod omnia debeant referri ad finem charitatis, ſcilicet, ut fiant propter Deum & proximum* eo modo, quo ferunt Concluſiones noſtræ. Quantum ad tertium etiam addo iſtud præceptum non ſpectare niſi fideles, ſicque in eo fundari non poſſe ſententiam Adverſariorum, qui etiam Infideles adſtringunt præcepto referendi omnia opera relationi virtuali explicita in Deum propter ſe dilectum.

VINDICIÆ.

Ad 1. ſolutionem reſpondet Adverſarius, quod homo per ordinationem actus charitatis, ſicut non facit unum actum ex ſecuturis, ita nec nullum actum in gloriam Dei faciat: ex quo infert, quod *delirem, vel genus humanum delirare exiſtimem*.

CONTRA. S. Th. in 2. diſt. 40. q. unica art. 5. ad 6. dicit: *Si quæratur quando oporteat actum referri in finem ultimum; hoc nihil aliud eſt quam quærere, quando oporteat habitum charitatis exire in actum*. Ibid. *Quando aliquis cogitat ſe totum ad Dei dilectionem dirigere, tunc quidquid ad ſe ipſum ordinat, in Deum ordinatum erit*. Item ibid. *Quandocumque habitus charitatis exit in actum, fit ordinatio totius hominis in finem ultimum, & per conſequens omnium eorum, quæ in ipſum ordinantur, ut bona ſibi*. Deliratne S. Th. aut genus humanum delirare exiſtimat?

Dicendum itaque ex S. Doctore ſatisfieri præcepto Apoſtoli de relatione operum in Deum, 1. Eliciendo actum charitatis, quo omnia, quæ facturus eſt homo, referantur virtualiter explicite in Deum. 2. Faciendo ex dictamine legis naturalis & rectæ rationis, & ex amore honeſtatis, opus bonum, quod virtualiter ſimpliciter refertur ad Deum, qui eſt auctor legis naturalis & rectæ rationis, atque ipſa eſſentialis & fontalis honeſtas.

Addit Adverſarius ſe hanc ſecundam relationem implicitam antea evertiſſe: at nec eam attigit. Impugnavit quidem relationem implicitam prout deductam ex aliquo principio S. Th. quod finxit contra expreſſa mea verba me pariter adhibere, ut fundamentum relationis noſtræ: ſicque evertit chymeram quam ſibi finxit.

Ad præceptum Apoſt. Coloſſ. 3. dicit illud ſpectare Infideles, non ſecundum litteram, ſed ſecundum mentem, ſcilicet quam fingit, vultque Infideles eo adſtringi, non ex littera, ſed *ex mente & re*. Infero: ergo peccant re Infideles, ſi non faciant omnia in nomine Jeſu Chriſti, ad ſenſum Adverſarii. At quomodo facient in nomine Jeſu Chriſti, quem invincibiliter ignorant? Vel igitur non datur Infidelitas negativa, vel infidelitas negativa eſt peccatum, & non excuſat a peccato in rebus fidei, quod eſt damnatum in Baio.

TEXTUS QUÆSTIONIS.

Inſt. S. Th. in 2. diſt. 40. q. 1. a. ultimo ad 7. explicans illud Apoſtoli: *Omnia in gloriam Dei facite*, dicit: *Hoc poſſit intelligi dupliciter; vel affirmative, vel negative: ſi negative, ſic eſt ſenſus: nihil contra Deum facite, & hoc modo præceptum eſt. Et ſic præceptum hoc præteritur vel per peccatum mortale, quod contra Deum fit, vel per peccatum veniale, quod præter præceptum & præter Deum fit: ſi autem intelligatur affirmative, hoc poteſt eſſe dupliciter; aut ita quod actualis relatio in Deum ſit conjuncta actioni noſtræ cuilibet, non quidem in actu, ſed in virtute, ſecundum quod virtus primæ intentionis manet in omnibus actionibus ſequentibus, ſicut & virtus ultimi finis manet in omnibus finibus ad ipſum ordinatis, & ſic adhuc præceptum eſt, & contingit omiſſionem ejus eſſe venialem vel mortalem.*

Atqui hæc ipſiſſima eſt ſententia Adverſariorum. Ergo.

R. N. Min. Nam adverſarii volunt omiſſionem præcepti de relatione virtuali explicita in Deum propter ſe dilectum, in quovis caſu eſſe tantum venialem: S. Th. vero dicit omiſſionem præcepti de relatione, de qua agit, eſſe venialem vel mortalem. Ergo ſententia S. Th. non eſt ipſiſſima ſententia Adverſariorum. Dicendum itaque, quod dum S. Doctor dicit: *Secundum quod virtus primæ intentionis manet in omnibus actionibus ſequentibus*; in quibus verbis ſita eſt vis argumenti, per virtutem primæ intentionis nihil aliud intelligat quam actum charitatis ſeu amoris Dei ſuper omnia, per quam homo virtualiter omnia ſua ordinavit & donavit Deo, quæ ordinatio & donatio perſeverat donec per peccatum mortale revocetur, qua revocatione poſita obligatur iterum omnia ſua ordinare & conſecrare Deo per alium actum charitatis, non tamen ſtatim, nec pro ſemper, ſed certo tempore & certis circumſtantiis, in quibus ſi non eliciat actum amoris Dei ſuper omnia, peccabit venialiter aut mortaliter, ſecundum quod obligabit præceptum charitatis attenta qualitate materiæ & circumſtantiarum. Per id autem temporis intervallum, quo actiones non ſunt amplius ordinatæ vi actus charitatis, nec urget ejus præceptum, non peccat homo, dum agit actus ex objecto bonos ſine aliqua prava circumſtantia, quia ſunt adhuc virtualiter implicite ordinatæ ad Deum, ad ſenſum concluſionis.

Hanc eſſe mentem S. Th. conſtat ex ejus Reſponſione immediate præcedente, ubi dicit: *Non oportet, quod intentio actualis ordinans in finem ultimum ſit ſemper conjuncta cuilibet actioni, quæ dirigitur in aliquem finem proximum, ſed ſufficit, quod aliquando actualiter omnes illi fines in finem ultimum referantur, ſicut fit quando aliquis cogitat ſe totum ad Dei dilectionem dirigere, tunc enim quidquid ad ſe ipſum ordinat, in Deum ordinatum erit. Et ſi quæratur* (attende) *quando oporteat actum referre in ultimum finem, hoc nihil aliud eſt quam quærere quando oporteat habitum charitatis exire in actum; quia quandocumque habitus charitatis in actum exit, fit ordinatio totius hominis in finem ultimum & per conſequens omnium eorum, quæ in ipſum ordinantur, ut bona ſibi*. Et in 2. d. 41. q. 1. a. 2. ad 4. *Præcepta affirmativa non obligant ad ſemper, & ideo non oportet, ut actus infidelium, qui in finem illum (ſcilicet ultimum) non eſt ordinatus (ſcilicet explicite) ſemper ſit peccatum, ſed ſolum pro tempore illo, in quo tenetur actum ſuum in finem ultimum referre*. Idem dicit ibid. ad 2. Et Lect. 7. in c. 10. Ep. 1. Cor. dicit: *Relatio hæc in gloriam Dei intelligitur, vel in actu, vel in aptitudine referendi*. Scilicet explicite. Unde juxta S. Th. ſenſus præcepti Apoſtolici affirmative ſumpti, quando non urget præceptum charitatis, eſt quod omnia noſtra opera ſint talia, ut de ſe tendant in gloriam Dei, ſicque implicite ad ipſum referantur, & ex his Deus & Chriſtus poſſint glorificari & proximus ædificari, juxta illud Matth. 5. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt*.

Huic

Huic intelligentiæ aperte ſavet Aug. ſerm. 2. in P. 32. in fine ubi ait: *Suggero remedium, unde tota die laudes Deum, ſi vis. Quidquid egeris, bene age & laudaſti Deum. Quando cantas hymnum, laudas Deum .... Et quoties tu ceſſaſti ab hymno cantando, diſcedis ut reficiaris, noli inebriari & laudaſti Deum. Agrum colis, noli litem movere & laudaſti Deum. In innocentia operum tuorum præpara te ad laudandum Deum tota die*. Ex his & dictis in Concluſionibus facile reſpondetur ad quædam alia, quæ ex S. Doctore objici poſſunt.

VINDICIÆ.

Horum nihil impugnat expreſſe Adverſarius niſi id quod dixi, relationem, de qua loquitur S. Th. non eſſe relationem Adverſariorum; quia hi volunt omiſſionem præcepti de relatione virtuali explicita in Deum propter ſe dilectum in quovis caſu eſſe tantum venialem, S. Th. vero dicit omiſſionem ſuæ relationis aliquando eſſe mortalem: contendit autem Adverſarius omiſſionem ſuæ relationis aliquando eſſe mortalem, ſcilicet, ut prius dixit, quando hic & nunc urget præceptum ad actum formalem & explicitum charitatis, et de eo non eſſe quæſtionem præſentem ibidem pariter diximus; ſi in aliquo alio caſu aſſignet; ſed ſimul corrigat ſuum ſyſtema, prout ipſemet expoſuit initio opuſculi, ut vidimus. Quidquid igitur ultra adfert, vel nihil probat, vel evertit ſuum ſyſtema.

Textus S. Th. in quibus clariſſime patet mens S. Doctoris & quos laudavimus, dicit ſe omittere brevitatis cauſa: melius dixiſſet; defectu reſponſionis. Nos equidem remittit ad ea, quæ dixi n. 4. & ſequ. uſque ad 15. ſed in his omnibus locis nullum ex citatis textibus niſi primum attingit, quem ad ſcopum ſuum exponere fruſtra tentavit, ut ibidem oſtendimus.

Vitilitigat tamen, quod in textu S. Th. ex diſt. 41. poſuerim hanc parentheſim (ſcilicet ultimum) eum debuiſſem, inquit, ponere iſtam (*in finem in quem non poteſt niſi fides dirigere.*) Scrupulus eſt: ſive enim hanc, ſive priorem parentheſim appoſuerim, eadem eſt via argumenti in hoc ſita, quod præcepta affirmativa, quale eſt tam præceptum fidei quam præceptum referendi explicite actus in ultimum finem, non obligent pro ſemper. Adde, quod uſurpaverim ipſa S. Th. verba, ut patet in fine textus laudati.

Quantum ad textum D. Aug. contendit ipſum nobis non favere; *Quia*, inquit, *ſolus hoſpes in Doctrina Aug. ignorare poteſt*, *te* bene agere *in phraſi S. Aug. hoc eſſe nihil aliud, quam illud facere propter Deum*. Sed quomodo propter Deum? An virtualiter explicite, an virtualiter implicite? Dicit equidem Aug. l. 4. contra Julianum *c. 3. Sine amore Creatoris, nullus quiſquam bene utitur creaturis*. At ſolus hoſpes in Doctrina Aug. ignorare poteſt S. Aug. per amorem Creatoris, ſeu etiam charitatis ſæpe intelligere bonam voluntatem. At numquid non habet bonam voluntatem, qui adhibet temperantiam in cibo & potu, qui opus ſuum peragit pacifice vitando contentiones & rixas?

TEXTUS QUÆSTIONIS.

Obj. 2. Matth. 22. dicitur: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo & in tota anima tua & in tota mente tua: atqui non ſic diligimus Deum, ſi vel unus affectus cordis ad ipſum non referatur, ſed tunc in creatura hæremus: ergo.

R. etiam juxta nos omnem affectum cordis debere referri in Deum; vel virtualiter explicite in actu charitatis, vel virtualiter implicite appetendo ſecundum rectam rationem bonum honeſtum, in cujus appetitu Deus implicite appetitur, ut dictum eſt. Neque tunc hæremus in creatura, quia illud bonum honeſtum non appetimus, in eo ultimate ſiſtendo, ſed ut bonum inchoatum tendens ad perfectum & ut rem in ſuo gradu conſtitutam ordinatam ultimate ad Deum, ut explicuimus.

Cæterum multum a vero aberrant Adverſarii, ſi ſic intelligant iſtud dilectionis Dei præceptum, quaſi nihil præter Deum ſit amandum, aut nihil amandum, quod ad ipſum propter ſe dilectum explicite non referatur, nempe extra tempus quo urget præceptum charitatis. Longe verius Doctor Angelicus 2. 2. q. 184. a. 3. ad 2. illud intelligit ſic, *ut nihil ſupra Deum, aut contra eum, aut æqualiter ei, diligatur*: quod eſt, ut communiter dicitur, vere & ſincere diligere Deum ſuper omnia appretiative.

VINDICIÆ.

Nihil habet Adverſarius, quod huic ſolutioni reponat, niſi, inquit, quod antea dixit: hoc eſt nihil quod obſtet, Sed addit: *Riſu non Reſponſione dignum eſt quod hic nobis veluti multum errantibus opponat hoc ſuum allatum ex S. Th.* 2. 2. q. 184. a. 3. Ubi nihil ſupra Deum &c. *Quod eſt, ut ait P. B. vere & ſincere diligere Deum ſuper omnia appretiative.*

CONTRA. Facile movetur iſte ſcriptor modo ad riſum, modo ad iram & utrimque ſine cauſa. Numquid forte falſo citavi S. Th.? En ejus verba fuſius loco cit. *Tranſgreſſionem præcepti (charitatis) evadit qui quocumque modo perfectionem divinæ dilectionis attingit. Eſt autem infimus divinæ dilectionis gradus, ut nihil ſupra eum, aut contra eum, aut æqualiter ei diligatur... Non eſt tranſgreſſor præcepti (charitatis), qui non attingit ad medios perfectionis gradus, dummodo attingat ad infimum.* Idem docet q. 44. hujus partis a. 4. ad 2. item q. 24. a. 8. o.

Verum, inquit Adverſarius, S. Th. 1. 2. q. 21. a. 4. ad 3. dicit: *Totum quod homo eſt & quod poteſt & habet, ordinandum eſt ad Deum.* Equidem hoc facit homo, dum elicit actum charitatis, quo diligit Deum, ut ultimum finem & quo actu ordinat omnia alia quæ diligit ad ipſum Deum. Numquid forte id negavi? Cum aperte ſignificem id debere fieri, dum actus charitatis exercetur ex præcepto his verbis: *Extra tempus quo urget præceptum charitatis*, Relegantur verba mea. Ubi nunc cauſa ridendi?

TEXTUS QUÆSTIONIS.

Obj. 3. & præcipue ex Aug. c. 3. l. 4. contra Julianum; ibi S. Doctor inter plura alia alloquens Julianum dicit: *Noveris non officiis, ſed finibus, a vitiis diſcernendas eſſe virtutes; officium eſt autem, quod faciendum eſt; finis vero, propter quod faciendum eſt. Cum itaque facit homo aliquid ubi peccare non videtur, ſi non propter hoc faciat propter quod facere debet, peccare convincitur.* Et infra; *Quidquid autem boni fit ab homine, & non propter hoc fit propter quod fieri vera ſapientia præcipit, ipſo non recto fine, peccatum eſt*. Item infra: quærenti Juliano, ſi Gentilis nudum operuerit, numquid quia non eſt ex fide peccatum eſt? Reſpondet: *Prorſus inquantum non eſt ex fide, peccatum eſt, non quia per ſe ipſum factum, quod eſt nudum operire, peccatum eſt, ſed de tali opere non in Domino gloriari ſolus impius negat eſſe peccatum*. Ex quibus evidens eſt non ſufficere Auguſtino, ut agens non peccet quod ejus opus ſit ex objecto bonum, ſed inſuper requiratur, quod alia ulteriori relatione referatur in Deum, quæ alia eſſe non poteſt niſi virtualis explicita.

Antequam reſpondeam, obſervo S. Aug. ex his & aliis ſimilibus principiis inferre contra Julianum opera infidelium eſſe peccata & eorum virtutes vitia: ſi ergo Aug. iſta ſic intellexit, ut neceſſaria ſit relatio explicita, ſine qua homo opus ex objecto bonum agens peccat, ut intelligunt & volunt Adverſarii, debent admittere hanc illationem, ſcilicet, *omnia infidelium opera eſſe peccata*, eſſe ex mente Aug. aut fateri Aug. male ratiocinatum fuiſſe: Neutrum admittunt: ergo fateantur neceſſe eſt, ſe non tingere legitimum ſenſum Aug. Quis autem ſit S. Doctoris ſenſus legitimus, in bona luce poſuimus diſſ. 3. de Gratia art. 3. §. 2. Vide. Itaque nunc

R. 1. Aug. hæc verba, non recto fine, non in Domino gloriari, & ſimilia, non ſumere contradictorie, ſeu negative, ſed contrarie quaſi diceret, in alio quam in Domino gloriari, & perverſo fine agere peccatum eſt; ut videlicet ex negatione affirmatio intelligatur. Quo ſenſu in Scriptura 1. Reg. 18. Saul dicitur non rectis oculis aſpexiſſe Davidem. Ita Aug. interpretantur S. Th. & Eſtius, ut vidimus loco cit. de Gratia. Idque manifeſtum eſt ex ipſo Aug. eodem cap. cit. 3. *Quia*, inquit, *non fideli, ſed infideli, hoc eſt, STULTA ET NOXIA faciunt voluntate. Poſſunt ergo aliqua bona fieri non bene facientibus a quibus fiunt: bonum eſt enim ut ſubveniatur homini periclitanti, præſertim innocenti; ſed ille, qui hoc facit, ſi AMANDO GLORIAM HOMINUM magis, quam Dei facit, non bene bonum facit, quia non bonam facit, quod non bona voluntate facit, abſit enim ut ſit vel dicatur voluntas bona, quæ in ALIIS VEL IN SEIPSA non in Domino gloriatur.*

Occurrit Daelman non poſſe dici, quod Aug. agat de illis, qui actiones ſuas referunt in malum finem, ſicque non glorientur in Domino; quia nulla unquam de tali re potuit eſſe quæſtio, quin hoc eſſet malum. Nec Aug. eo in caſu potuiſſet dicere, veſtire nudum non eſſe peccatum.

Ad 1. Fallitur Vir eruditiſſimus; probavimus enim loco cit. de Gratia ex Aug. Julianum ita deſipuiſſe, ut aſſereret opera ex officio bona, etiamſi malo fine fierent, eſſe vere bona, & virtutes pravo fine turpes & deformes eſſe veras germanaſque virtutes. Require loco cit. Obj. 2. Et quæſo, nos, omneſque nobis conſentientes, qui negamus eſſe peccatum non gloriari explicite in Domino, audebit forte Daelman vocare impios? Quod a mente religioſi Viri puto alienum. Et tamen ſolus impius negat, quod prætendit Aug. Ad 2. R. Aug. potuiſſe eo in caſu

dicere, quod veſtire nudum non ſit ex objecto peccatum, ſed ex fine operantis.

R. 2. Opera, quæ fiunt ſine fide per dilectionem operante, ex recto tamen fine naturali, vocari ab Aug. peccata lato ſenſu, ſumendo peccatum pro omni eo, quod a fine deficit, & cui deeſt plenitudo ſuæ perfectionis, qualia ſunt hujuſmodi opera, quæ cum non fiant ex charitate, ſunt ſterilia ad regnum cœlorum. Eodem ſenſu dicit virtutes Philoſophorum non eſſe veras virtutes, ſed vitia, quia quamvis poſſint eſſe, etſi raro, ſine malo fine, non tamen conducunt ad vitam æternam. Loquitur enim Au. de virtutibus & bonis operibus, non moraliter & ſecundum Philoſophos ſumptis, ſed prout ſunt meritoria regni cœleſtis, ſeu ut dicit in eodem c. *Per quæ ſolum homo poteſt ad æternum Dei donum regnumque perduci*. Vide locum integrum loco cit. de Gratia.

Tandem Aug. agnoſcere in Infidelibus, etſi raro, opera vere bona & laudabilia, non ſolum ex objecto, ſed etiam ſpectato fine, invicte probavimus, præſertim ex lib. de Spir. & Littera, loco cit. de Gratia, Prob. 2. Certum eſt autem infideles non habere explicite pro fine ultimo Deum propter ſe dilectum quem ignorant, ſed implicite tantum in honeſtate actus, quem appetunt, & in dictamine rationis, quod ſequuntur.

VINDICIÆ.

Ad ea, quæ dixi ante ſolutionem, reſpondet Adverſarius hanc propoſitionem: *Omnia infidelium opera ſunt peccata*, quatenus fiunt ſine ſua relatione, *in ſenſu communis intelligentiæ & ſuo proprio naturali & obvio* eſſe veram & eam ſe cum Aug. admittere.

Subſumo. Atqui dum Eccleſia damnat propoſitiones, eas damnat in ſuo ſenſu proprio naturali & obvio. Ergo juxta Adverſarium Aug. ſententia & ſua eſt damnata ab Eccleſia.

Deinde 1. ſolutionem noſtram duplici medio impugnat. 1. Si intelligatur Aug. in his verbis, *Non recto fine, non in Domino gloriari*, contrario, id eſt perverſo fine, & non negative, nihil conficeret contra Julianum ſtatuentem etiam Infideles poſſe habere veras virtutes. 2. Quia Aug. in hoc conflictu contra Julianum nullum exemplum adfert operis Infidelium relati ad malum finem.

CONTRA. Utrumque aſſumptum eſt falſum. Et quoad ultimum evidens eſt ex ipſis Aug. verbis in ſolutione noſtra laudatis. Quantum ad primum etiam patet; quia Julianus ita deſipiebat (quod non debebat ignorare Adverſarius) ut aſſereret virtutes & opera ex officio bona, licet ea pravo fine facta, eſſe veras virtutes & opera vere laudabilia. Ita cenſuiſſe Julianum probat Aug. ex ipſiſmet Juliani verbis: *Hæc ubi didiceris*, inquit S. Doctor laudato c. 3. alloquens Julianum *neſcio*. *Jam tamen carnis, ut arbitror, conſequens eſſe, ut vera ſit virtus avarorum, quæ excogitant genera lucellorum... Ergo virtutes iſtæ* tali fine turpes *atque deformes, & ideo nullo modo germanæ veræque virtutes, tibi tamen veræ videntur & pulchræ, ut* (verba ſunt Juliani) *nec nominis ſui poſſint, nec generis ſuſtinere diſpendium.... En quo te tanta abſurditas ſequitur ut verum cogaris appellare juſtitiam, etiam cujus Dominum reperis*. Merito itaque negat Aug. ad ſenſum Juliani, virtutes Infidelium eſſe veras virtutes & eorum opera ex objecto bona eſſe vere bona; ſed & hæc eſſe peccata & illas eſſe vitia quatenus nempe pravo fine exercentur.

Addidi S. Thomam ſic interpretari Aug. En ejus verba 2. 2. q. 23. a. 7. ad 1. *Aug. dicit in 4. cont. Julian. quod actus Infidelis, in quantum eſt Infidelis, ſemper eſt peccatum, etiamſi nudum operiat, vel aliquid hujuſmodi faciat, ordinans ad finem ſuæ infidelitatis*. Doctori Angelico adjunxi Eſtium in Aug. Doctrina verſatiſſimum & Lovanienſis Academiæ Alumnum & Decus. At, inquit Adverſarius, Eſtius interpretabatur Aug. de cupiditate dominante. Ex quo perperam infert ejus expoſitionem eſſe contradictoriam expoſitioni D. Th. Infidelis enim, qui opus ſuum refert ad finem ſuæ infidelitatis, agit ex dominante cupiditate; & qui agit ex dominante cupiditate, refert opus ſuum ſive ad idolum, ſive ad alium finem pravum. Nec S. Th. ita poſuit finem infidelitatis, ut excluderet alios pravos fines. Sed hæc futilia ſunt.

Adverſus 2. ſolutionem dicit, quod Aug. cum Juliano non diſputavit de operibus, an eſſent meritoria vel non; quia illa, de quibus diſputabant, meritoria non eſſe ultro concedebat Julianus.

CONTRA. Equidem Julianus concedebat hæc opera non eſſe meritoria, volebat tamen in eis conſtitui veram perfectamque juſtitiam, & valere ad effugiendam æternam damnationem. Contra quem Aug. oſtendit 1. Abſurdum eſſe veram perfectamque juſtitiam conſtitui ſine fide per dilectionem operante. 2. Quod ſi iis operibus & virtutibus infideles conſtituerentur ſimpliciter & perfecte juſti, non ſolum valerent ad effugiendam æternam damnationem, ſed etiam ad acquirendum regnum cœleſte, ſicque Julianum ſibi contradicere, dum diceret ſteriles ad regnum cœlorum. Agit ergo Aug. contra Julianum de operibus & virtutibus in ordine ad regnum cœlorum, non ut probet bona opera & virtutes Juliani non conducere ad regnum cœlorum, id quidem id concedebat Julianus, ſed ut probet, quod cum ſint ſteriles ad regnum cœlorum non debent cenſeri & dici bona opera, & perfectæ virtutes, ut dicebat Julianus, ſed non bonæ & potius peccata ſeu vitia, quatenus deficiunt a fine & eis deeſt plenitudo ſuæ perfectionis, licet alio ſenſu poſſint dici bona opera & virtutes.

Sed audiamus Aug. ſe ipſum ſic explicantem & totam hanc concertationem cum Juliano concludentem verbis ſequentibus. *Breviter*, inquit, *accipe ne forte cum in rebus ipſis tantum erres, quantum errari plurimum poteſt, videar tecum certare de verbis... Quoniam ſaltem concedis opera Infidelium, quæ tibi eorum videntur bona, non eos ad ſalutem ſempiternam regnumque* perducere. *Scito nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum, ſine Dei gratia, quæ datur per unum mediatorem Dei & hominum, nemini poſſe conferri, per quod ſolum homo poteſt ad æternum Dei donum regnumque perduci. Omnia proinde cætera, quæ videntur inter homines habere aliquid laudis, videantur tibi veræ virtutes, videantur opera bona & ſine ullo peccato facta, dicantur ſecundum te hujuſmodi voluntates arbores bonæ, ſufficit, quod apud Deum* ſteriles *ſint, ac per hoc non bonæ*. Quibus verbis luce clarius patet S. Aug. hoc unum contendere contra Julianum opera & virtutes Infidelium, (ſcilicet quæ ſunt ex recto fine, de his enim etiam loquitur, & ea agnoſcit, etſi raro in Infidelibus, ut dixi in ſecunda ſolutione) hoc ſenſu non eſſe bona, quia ab ordine vitæ æternæ deficiunt, eodemque ſenſu dici peccata & vitia, quia eis deeſt ſuæ perfectionis plenitudo; hoc vero conceſſo permittere ut ſecundum alium ſenſum dicantur bona & virtutes.

TEXTUS QUÆSTIONIS.

Inſt. Hæc relatio virtualis implicita non ſufficit Aug. Ergo. Prob. Ant. ex l. 19. de Civit. c. 25. ubi ſic ait de virtutibus hominis infidelis: *Virtutes quas ſibi habere videtur... niſi ad Deum retulit, etiam ipſa vitia ſunt potius quam virtutes, cum ad ſe ipſas referunt, nec propter aliud expetuntur, etiam tunc inflatæ ac ſuperbæ ſunt, & ideo non virtutes, ſed vitia judicanda ſunt*. Atqui dum virtutes propter ſe appetuntur, eſt ſecundum eos virtualis relatio implicita in Deum. Ergo.

R. 1. Et hanc ſententiam eſſe ab ipſis Adverſariis ſolvendam. Non enim volunt opera Infidelium ſine ſua relatione virtuali explicita eſſe peccata & vitia, ut hic dicit Aug. ſed Infidelem duntaxat in his peccare non referendo in Deum.

R. 2. D. Min. Dum virtutes propter ſe appetuntur eſt virtualis relatio implicita in Deum, ſi in eis non ultimate ſiſtatur, C. Min. Si in eis ultimate ſiſtatur tanquam in vera beatitudine, N. Min. Et hoc ſenſu loquitur Aug. ut patet ex verbis immediate ſeq. *Sicut enim*, inquit, *non eſt a carne, ſed ſuper carnem quod carnem facit vivere, ſic non eſt ab homine, ſed ſuper hominem, quod hominem facit beate vivere*. Aug. ergo illic reprehendit Stoicos, qui in virtutibus moralibus ſuam beatitudinem conſtituebant, & de quibus ſerm. 13. de verbis Apoſtoli c. 7. ſic loquitur: *Extiterunt autem alii ſuperbi quaſi carne ſe removentes & totam ſpem beatitudinis ſuæ in anima ſua conſtituentes, poſuerunt ſummum bonum in virtute ſua... Tales fuerunt Philoſophi; qui Stoici nuncupati ſunt... Dicebat Epicureus; mihi frui carne bonum eſt. Dicebat Stoicus; mihi frui mea mente bonum eſt. Dicebat Apoſtolus; mihi adhærere Deo bonum eſt*. Fatemur autem virtutes ſic propter ſe ultimate appetitas non eſſe veras virtutes, ſed vitia, quippe quod hac prava intentione intercipiatur virtualis relatio ad Deum & hæreatur in creatura, illa fruendo. Sed ſi voluntas feratur in opus ex objecto bonum, non hærendo ultimate in ipſo, neque in ſeipſum, aut in alium pravum finem retorquendo, ſed ut eſt bonum inchoatum & in ſuo gradu conſtitutum ſecundum rectam rationem, dicimus, quod ſit moraliter bonum, & agens non peccet, quia virtualiter implicite intendit Deum, ut hujus boni inchoati perfectionem & conſummationem.

Poſſet etiam dici Aug. loqui de virtutibus, quæ *ad ſe referuntur*, non ratione ſui, ſed ratione operantis, qui in eis gloriam quærit. Unde vocat eas inflatas & ſuperbas.

VINDICIÆ.

Primam ſolutionem dicit non eſſe veram, idque patere ex numero 17. & ſequ. Nihil autem habet his locis, quod vel leviter eam infringat.

Se-

10

Digitized by Google

Secundam ſolutionam conator impugnare arbitraria Auguſt. interpretatione. Deinde arguit ab abſurdo. *Quis*, inquit, *unquam ſic ex ſola miſericordia ſubvenit miſero, ut in hac individuali miſericordia hic & nunc conſtitueret ſuum finem ultimum, &c.*

R. Ex Auguſt. laudato Stoicos conſtituiſſe ſuum finem ultimum in ſua virtute, ideoque partialiter in quolibet actu individuali ſuæ virtutis.

Deinde conqueritur, quod non ſine induſtria, ſeu ſecundum ejus phraſim, *non ſine artificio*, poſt hæc Aug. verba: *Vitia ſunt potius, quam virtutes*, omiſerim hæc ſequentia: *Nam licet a quibuſdam tunc veræ & honeſtæ putentur eſſe virtutes.* Quia, inquit, nemo ſaltem veriſimiliter putabit eſſe veras virtutes, quæ ſic appetuntur, ut in iis ultimate ſiſtatur.

R. Me eas particulas omiſiſſe, quia ſunt impertinentes ad propoſitum. Non enim ſoli Stoici, contra quos agit Aug. putabant ſibi veriſimiliter, juxta falſa ſua principia, hujuſmodi virtutes eſſe vere virtutes; ſed etiam Julianus, ut vidimus ſupra ex Aug. volebat virtutes, non ſolum in ſe ultimate ſiſtentes, ſed etiam relatas ad pravum finem eſſe vere virtutes.

Adjicio ad cumulum, quod ſi quis pertinaciter contendat Aug. loqui de virtutibus, in quibus non ultimate ſiſtitur, nec gloria quæritur, debat dicere, quod S. Doctor ſumat vitium laxo ſenſu, pro eo, quod eſt ſterile ad vitam æternam, & cui deeſt aliquid de plenitudine ſuæ perfectionis, ut dicebamus ex ipſo Aug. in præcedenti inſtantia; alioquin vix ſalvare poteris S. Doctorem a condemnatione Eccleſiæ, ut arguo in 1. Reſponſione ad præſentem Inſtantiam.

Ex hoc, quod conceſſerim in fine Quæſtionis cum Adverſariis Deum eſſe ſicut primum principium, ita & ultimum finem, & ideo ad eum eſſe referendas omnes noſtras actiones; cum hoc tamen diſcrimine, quo Adverſarii velint relationem virtualem explicitam in Deum ut ultimum finem toties quoties; nos vero dicimus ſufficere virtualem explicitam, quando urget præceptum charitatis, & virtualem implicitam toties quoties.

Ex hoc, inquam, ſic arguit. Obligatio referendi omnes noſtras actiones ad Deum debet adimpleri per relationem voluntariam. Atqui noſtra relatio virtualis implicita non eſt voluntaria. Ergo. Et hoc putat ineluctabile argumentum.

R. D. Min. Noſtra relatio virtualis implicita non eſt voluntaria immediate in ſe, C. Mediate in opere bono, quod voluntarie & liberrime eligitur ex amore honeſtatis, quæ Deus eſt, & ex dictamine legis naturalis, cujus Deus eſt auctor, & hac ratione in Deum refertur, N. Hoc autem ſufficere ut non peccet operans ſat ſuperque probatum eſt.

In fine refricat, quod ſuperius de Platonicis dixerat ex Aug. Ep. 183. & quod nos ibid. ut merum figmentum exploſimus. Nihilominus quaſi certo vera dixiſſet, inde me convenit hac Aug. ſententia l. 4. contra Julianum c. 14. *Obſecro te ut non ſit religioſior Philoſophia Gentilium, quam noſtra Chriſtiana, quæ una eſt vera Philoſophia.* Quaſi Aug. hæc protulerit adverſus noſtram ſententiam, cum tamen S. Doctor ſic loquatur contra Julianum, quia laudabat libidinem, tanquam bonam, & quam Tullius in Hortenſio damnabat ut malam. Numquid ergo forte ego ſicut Julianus laudo libidinem tanquam bonam, ut hæc verba ſimpliciter & crude in me contorqueantur? Quam verius in ipſum regererem illud Petri Actuum 15. alia tamen occaſione dictum. *Quid tentatis Deum imponere jugum ſuper cervices Diſcipulorum, quod neque Patres noſtri, neque nos portare potuimus?*

Ex his & aliis huc uſque dictis habes, amice Lector, quanta ſinceritate, ſoliditate, claritate, modeſtia, & charitate proceſſerit iſte Scriptor, quamque fidem, quemve aſſenſum illi adhibere debeas. Vale.

EADEM QUÆSTIO THEOLOGICA
DE RELATIONE OPERUM IN DEUM.

Adverſus Opuſculum R. PATRIS MAUGIS Doctoris Regentis Lovan. iterum propugnata.

An & quomodo homo deliberate agens teneatur omnia & ſingula ſua opera referre in Deum?

HUc revocandæ ſunt variæ intentiones ſeu relationes operum in finem, quas ex tractatu de ultimo fine recenſuimus, ſcilicet actualis, virtualis, interpretativa & habitualis; ſed maxime attendendum ad duplicem virtualem, quarum unam diximus explicitam ratione prioris intentionis actualis virtualiter perſeverantis; alteram implicitam ratione objecti ex ſe tendentis in finem, cujus objecti honeſtate movetur agens ad agendum. Confer prænotamen dicti Articuli.

Lovanienſes docent hominem, quotieſcumque agit deliberate, teneri ſub peccato veniali actum referre in Deum ex amore, non quidem charitatis, ſed benevolentiæ, relatione virtuali explicita, relicta ſcilicet ex actuali relatione præcedente, quæ adhuc perſeveret, & in opus influat, ſic tamen ut defectus hujus relationis ipſum quidem operantem inficiat, at non ipſum opus. Pro explicatione & aſſertione Sententiæ contrariæ, quæ eſt communis aliarum Scholarum Catholicarum,

Dico 1. Homo tenetur aliquoties omnia opera ſua referre relatione virtuali explicita in Deum ut ultimum finem, ſive naturalem, ſive ſupernaturalem, eo ſcilicet modo, quo illum cognoſcit aut cognoſcere poteſt. Prob. Quia omnis homo, ſive fidelis ſive infidelis, tenetur aliquoties elicere actum amoris Dei, ut ultimi finis, ſeu ſuper omnia. Id omnes admittunt, etiam de infidelibus; quia licet Deum ut auctorem naturæ non cognoſcant, poſſunt tamen illum cognoſcere, cum de eo non detur ignorantia invincibilis, ut diximus in 1. parte. Atqui in actu hujuſmodi amoris Dei ſuper omnia, & ut ultimi finis, involvitur virtualiter relatio omnium operum in Deum ut ultimum finem; finis enim ultimus eſt id, quod propter ſe appetitur & cætera propter ipſum. Unde Auctor in 2. d. 40. q. unica a. 5. ad 6. *Quando aliquis*, inquit, *cogitat ſe totum ad Dei dilectionem dirigere, tunc quidquid ad ſeipſum ordinat, in Deum ordinatum erit.* Et infra: *Quandocumque habitus charitatis exit in actum, fit ordinatio totius hominis in finem ultimum, & per conſequens omnium eorum, quæ in ipſum ordinantur ut bona ſibi.*

Dico 2. Ut tam operans, quam opus eximantur a peccato, non eſt neceſſe, ut homo deliberate agens toties quoties referat opus ſuum in Deum propter ſe dilectum relatione virtuali explicita, ſed ſufficit relatio virtualis implicita. Seu, ut diſtinctius loquar, non eſt neceſſe, ut præceſſerit actualis relatio in Deum propter ſe dilectum, cujus vi & influxu eliciatur opus, ſed ſufficit ubi non urget præceptum dilectionis Dei ſuper omnia, ut opus ſit ex objecto honeſtum, & nullo pravo fine, nullave alia prava circumſtantia vitiatum, ſic ut operans ex libera electione conformiter dictamini rationis & legis naturalis ſponte ſe ſubjiciat auctori legis, diligenſque honeſtatem particularem hujus operis cenſeatur diligere virtualiter implicite primigeniam & fontalem honeſtatem, quæ eſt ipſe Deus, cujus hæc particularis honeſtas eſt participatio, conſequenter intendat implicite ipſum Deum.

Hanc Concluſionem 1. impugnavit D. HAGENS Profeſſor, Lovanienſis opere poſthumo, ſi tamen illius ſit, cui appoſui *Vindicias*. Eandem Concluſionem & Vindicias poſtea impugnavit R. P. MAUGIS, Doctor Regens Lovan. cui nunc breviter reſpondeo, paulo tamen latius quam ferat ratio Compendii; ſed ignoſcat Lector benevolus, in ejus gratiam, quantum licebit, contraham. Et quia novus Adverſarius in id potiſſimum intendit, ut conquiſitis undequaque SS. Aug. & Th. textibus, oſtendat SS. Doctores nobis adverſari; ego viciſſim maxime intendam, ut diſcuſſis articulatim omnibus textibus, iiſque vero ſenſu intellectis, probem SS. Doctores nullatenus Sententiæ noſtræ refragari. Ad hæc ſi adjiciam ſolutionem eorum, quæ contra præcipuas probationes noſtras opponit, rem, ut puto, confecero, omiſſis quibuſdam aliis pro & contra, non quod ſint *convincentia* contra me, ut fingere poſſet, & aliquando dixit, ſed quia minus neceſſaria, minus apta Compendio, & quæ dicam, abunde ſufficient firmandæ Concluſioni contra ejus conatus. Ipſe plura omiſit ex his, quæ dixi in utraque editione hujus Quæſtionis, ideone ſe victum putat? igitur

Prob. 1. Concluſio. Nulla Lex, nullum præceptum aſſignari poteſt, quo homo deliberate agens teneatur referre opus ſuum in Deum aliter, quam ſit dictum in Concluſione, niſi præceptum dilectionis Dei, quod cum ſit affirmativum, non obligat ad ſemper, ſed certis temporibus & circumſtantiis. Ergo ubi non urget hoc præceptum, non tenetur homo referre opus ſuum in Deum aliter, quam ſit dictum in Concluſione. Antecedens, ultra quod patebit ex ſol. obj. eſt expreſſe D. Th. in 2. cit. ad 6. ubi ait: *Si quæratur, quando oporteat actum referre in finem ultimum, hoc nihil aliud eſt quam quærere, quando oporteat habitum charitatis exire in actum.* Et 1. 2. q. 100. a. 10. ſibi objiciens illud Apoſtoli: *Omnia in gloriam Dei facite*; reſpondet ad 1. ſic: *Sub præcepto charitatis continetur, ut diligatur*

Deus ex toto corde, ad quod pertinet, ut omnia referantur in Deum, & ideo præceptum charitatis implere homo non poteſt, niſi etiam omnia referantur in Deum. Sic qui honorat parentes, tenetur ex charitate honorare, non ex vi hujus præcepti, quod eſt: honora parentes, ſed ex vi hujus præcepti: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Et cum iſta ſint duo præcepta affirmativa non obligantia ad ſemper, poſſunt pro diverſis temporibus obligare; & ita poteſt contingere, quod aliquis impleat præceptum de honoratione parentum, tunc non transgrediatur præceptum de omiſſione modi charitatis. Si dicas cum Adverſariis S. Th. hic agere de charitate ſtricte dicta: eſto; ſed quod dicit de charitate, eſt etiam intelligendum de amore Dei benevolo, cum utrobique ſit eadem ratio præcepti affirmativi.

Contra hanc probationem opponit 1. Adverſarius, præceptum dilectionis Dei, cum ſit affirmativum, non obligare ad ſemper per actus continuos, obligare tamen ad ſemper virtute. R. ut in Vindiciis, hanc objectionem eſſe directe contra S. Th. eodem enim modo loquitur S. D. de præcepto charitatis ac de præcepto honorandi parentes. Iſtud autem non obligat virtute ad ſemper. Ergo nec illud. Inſuper inauditum puto in Scholis, præcepta affirmativa obligare virtute pro ſemper; hoc enim eſſet ipſa ſimpliciter obligare pro ſemper.

Inſt. 1. S. Th. q. 1. de charitate art. 11. & alibi in terminis docet præceptum charitatis obligare virtute ad ſemper. Quomodo ergo ſolutio præcedens eſſet directe contra S. Th. & inaudita in Scholis, præſertim in Schola Thomiſtica? R. S. Th. neque q. 1. ſol. obj. 4. Sicque remanet, quod iſta ſolutio ſit directe contra S. Th. & inaudita in Scholis.

Inſt. 2. S. Th. eo modo loquitur de præcepto charitatis ac de præcepto honorandi parentes, dum agitur de tempore, quo elici debet actus charitatis theologicæ, aut quo honorandi ſunt parentes, non autem dum agitur de præcepto referendi opera in Deum: nullibi enim dicit S. Th. quod non teneamur virtualiter & explicite opera noſtra referre in Deum, niſi quando urget præceptum eliciendi actum charitatis. Sed contra. Dicit in terminis S. Th. in 2. d. 40. q. unica a. 5. ad 6. *Si quæratur quando oporteat actum referre in finem ultimum, hoc nihil aliud eſt quam quærere, quando oporteat habitum charitatis exire in actum.*

Reponit. S. Th. loquitur de habitu charitatis. Adverſarii autem non dicunt ad relationem virtualem explicitam operum in Deum requiri habitum charitatis, alias qui carens habitu charitatis amaret Deum ſuper omnia amore benevolo, per quod adimpletur præceptum charitatis, non referret virtualiter explicite omnia ſua opera in Deum; quod non admittunt. R. quod id, quod S. Th. hic dicit de habitu charitatis, intelligat etiam de amore benevolo: quamvis enim non ſit in omnibus eadem ratio habitus charitatis & amoris benevoli, eadem eſt tamen, ſecundum S. Th. & rei veritatem, quoad relationem virtualem explicitam operum in Deum. Ideo enim ſecundum S. Th. & rei veritatem, qui elicit actum charitatis habitualis, omnia opera ſua virtualiter explicite refert in Deum: *quia quando aliquis cogitat ſe totum ad Dei dilectionem dirigere, tunc quidquid ad ſe ordinat, in Deum ordinatum erit*. Sunt verba S. Doct. loc. citat. Atqui qui elicit actum amoris benevoli Dei ſuper omnia, per quem adimplet præceptum charitatis, ſe totum ad Dei dilectionem dirigit. Ergo eadem eſt ratio habitus charitatis & amoris benevoli quoad relationem virtualem explicitam in Deum.

Neque verum eſt, ut prætenditur, S. Th. ibi agere dumtaxat de eo, quod requiritur ad meritum de condigno, quaſi ſenſus ejus verborum eſſet: *Si quæratur quando oporteat actum referre in finem ultimum*, ut operans relatione mereatur de condigno, *hoc nihil aliud eſt quam quærere, quando oporteat habitum charitatis exire in actum*. Hoc, inquam, nullatenus verum eſt; ſi quidem homo juſtus ſæpe mereatur de condigno abſque eo, quod habitus charitatis exeat in actum formalem, ut docet S. Th. ib. ad 2.

Opponit 2. contra eandem probationem, retorſionem argumenti ſic; Præceptum affirmativum non obligat ad ſemper. Ergo non tenetur homo ad ſemper opus ſuum referre relatione virtuali implicita in Deum. R. N. Conſ. Diſparitas eſt; quod præceptum affirmativum referendi virtualiter implicite omnia opera in Deum, non ſolum involvat, ſed coincidat cum præcepto negativo nunquam agendi malum, ſeu in eo fundatur tamquam in ratione ſui, non ſic præceptum charitatis. Quærenti enim, cur tenear referre virtualiter implicite actum meum in Deum, recte reſpondeo, quia prohibeor aliquem actum malum facere; hoc ipſo enim quod bonum abſolute ago, virtualiter implicite refertur in Deum. Nec aliquid ulterius reſponderi poteſt. Quærenti vero, cur tenear referre omnia opera virtualiter explicite in Deum, reſponderi non poteſt, quia prohibeor non referre, aut aliquem actum malum facere, ſed quia Deus eſt ultimus finis. Si dicas: *Quia non licet hærere in creatura*; ulterius quæram, cur non liceat hærere in creatura, & nihil aliud reſponderi poteſt quam quia Deus & non creatura eſt ultimus finis. Inſuper falſum eſt, quod qui actum abſolute bonum virtualiter implicite ad Deum relatum facit, hæreat in creatura.

Opponit 3. contra eandem probat. S. Th. in his verbis 1. 2. q. 100. a. 10. *Et cum iſta duo præcepta, nimirum diligendi Deum & honorandi parentes, non obligantia ad ſemper, poſſint diverſis temporibus obligare, & ita poteſt contingere, quod aliquis impleat præceptum de honoratione parentum, non tunc transgrediatur præceptum de omiſſione modi charitatis*. In his, inquit, verbis, ex conceſſis nobis, D. Th. agit de charitate ſtricta & ſub gravi obligante, ſed non ad ſemper, quia præceptum charitatis ſtatis dumtaxat temporibus obligat. Quod quis autem poſſit implere præceptum de honoratione parentum, & non peccare mortaliter, quamvis non eliciat actum charitatis, non ſequitur, quod poſſit illud implere & nequidem peccare venialiter, quamvis omittat relationem in Deum. R. 1. Nego me conceſſiſſe S. Th. agere ibi de charitate ſtricta, id tantum permiſi. *Eſto*, inquio: quod vocabulum, ut omnes norunt, non eſt concedentis, ſed tranſire permittentis. 2. Quamvis præceptum charitatis ſecundum ſe obliget ſub gravi peccato, non tamen conceſſi, quod non poſſet per accidens & ex circumſtantiis obligare ſub levi peccato; ut in aliis præceptis credendi, ſperandi, honorandi parentes, ſolvendi debita, &c. 3. Non concedimus, quod præceptum charitatis etiam late ſumptæ, referendi omnes & ſingulos actus noſtros virtualiter explicite in Deum, ſi detur, ſecundum ſe obliget tantum ſub veniali. De quo infra 4. Denique S. Th. loquatur de charitate ſtricte vel late ſumpta pro amore benevolo, perinde eſt quoad præſentem Quæſtionem, cum utriuſque præceptum ſit affirmativum. Quæſtio eſt inter nos Adverſarios, utrum ſecundum S. Doctorem teneamur ex præcepto charitatis ſive ſtricte ſive late ſumptæ pro amore referre virtualiter explicite omnes & ſingulos actus noſtros in Deum? Si teneamur, ut volunt Adverſarii, ergo obligat illud præceptum in omni actu, quod tamen diſerte negat S. Th. quia eſt affirmativum. Videat nunc quæ ſit vis argumenti.

Ad id, quod dixerat D. HAGENS, phraſi S. Th. præceptum non obligare niſi dum & in quantum adſtringit ſub mortali, Reſpondi in Vindiciis ſenſum S. Th. eſſe, quod peccatum veniale non ſit contra Legem hoc ſenſu, quod non evertat finem Legis, eſſe tamen contra Legem hoc ſenſu, quod prohibeatur a Lege. Et hoc concedit novus Adverſarius; ſed quia in hanc rem quoſdam textus D. Th. citaveram, contendit me perperam eos citaſſe, & videtur me quaſi oſcitantiæ aut malæ fidei arguere. Quamvis non difficile foret noſtrum ſenſum in his textibus comprobare; quia tamen concedit, quod principaliter intendo, & ipſa dicat ſe iſtis non indigere, ſufficit ad amovendam oſcitantiæ aut malæ fidei ſuſpicionem, ſi dicam me hos textus citaſſe eodem modo & eodem ſenſu, quo illos citavit celeberrimus Sylvius 1. 2. q. 71. a. 6. quem nemo, ut puto, oſcitantiæ & malæ fidei arguet. Maneat ergo inconcuſſa 1. probatio.

Prob. 2. Concluſio. Infidelis ſeu peccator, qui nulla præcedente actuali relatione in Deum propter ſe dilectum facit eleemoſynam ex motivo miſericordiæ, honorat parentes ex motivo pietatis, ſolvit debita ex motivo juſtitiæ, ex nullo capite peccat; non ex parte objecti, quod bonum & honeſtum eſt: non ex parte circumſtantiarum, quia ſuppono nullam pravam adeſſe; non ex defectu finis, quia habet pro fine proximo & explicito honeſtatem particularem hujus operis; & cum hæc honeſtas particularis ex ſe tendat & referatur ad fontem, auctorem, & conſummatorem totius honeſtatis, qui eſt Deus, Deum habet virtualiter implicite per finem ultimum.

Conf. 1. Qui vult aliquod opus bonum, v. g. eleemoſynam formaliter explicite propter particularem illius honeſtatem, vult virtualiter explicite propter honeſtatem ſecundum ſe; non enim movetur formaliter explicite ab honeſtate particulari, quin moveatur virtualiter explicite ab honeſtate ſecundum ſe; & cum hæc honeſtas ſecundum ſe in re ſit Deus, vult virtualiter implicite propter Deum.

Conf. 2. & magis explicatur hæc fundamentalis ratio. Peccator ſeu Infidelis, in quo amor honeſtatis & æquitatis naturalis non eſt penitus abolitus, qui ex eo amore quædam juſta & honeſta facit abſque ulla admixtione pravæ circumſtantiæ; ſed conformiter dictamini rectæ rationis & Legis naturalis, v. g. reddit proximo quod ſuum eſt, ſervat fidem amico datam, miſeretur innocentis afflicti, &c. præcise, quia hæc juſta videt, & ad ea ſe teneri lumine naturali ſentit: 1. Hic & nunc obedit Deo, licet eum non ſatis explicite cognoſcat, quia facit, quod Deus om-

omnis æquitatis auctor facere præcipit. 2. Operatur implicite propter Deum, quia operatur propter æquitatem & honeſtatem naturalem, cujus Deus eſt auctor & conſummator. 3. Implicite & ſecundum quid amat Deum ut primam actionum honeſtarum regulam, quia amat honeſtatem, quam Deus amare præcipit. Unde Aug. in Pſ. 100. *Quidquid bene fit, Deo fit, quia ex ejus præcepto fit.*

Et hæc eſt expreſſiſſima S. Th. ſententia, qui in c. 14. Rom. Lect. 3. decretoriis verbis dicit: *In homine infideli cum infidelitate eſt bonum naturæ. Et ideo cum aliquis infidelis ex dictamine rationis aliquod bonum facit, non referendo ad malum finem, non peccat.* Nihil ſane expreſſius, & eſt ipſa concluſio noſtra, nec video, quid reſpondeant Adverſarii. Neque enim dicere poſſunt, quod non peccet peccato operis, ſed operantis, cum dicat S. D. abſolute, indefinite, & ſine ulla reſtrictione, *Non peccat*: ergo neque peccato operis, neque peccato operantis, alias peccaret. At forte S. Th. intelligit de peccato mortali, ſcilicet, quod non peccet mortaliter, bene tamen venialiter. Ita quidem interpretatur Adverſarius, ſed toto cœlo aberrat. Subdit enim immediate S. D. poſt verba laudata: *Non tamen opus ejus eſt meritorium, quia non eſt gratia informatum.* Ut quid amabo S. Thom. hanc obſervationem addidiſſet, ſi cenſuiſſet hunc infidelem peccare venialiter in bono ſuo opere? Num forte aliquis unquam ſomniavit hominem peccando venialiter mereri, aut peccatum veniale eſſe meritorium?

Sed inquit Adverſarius, S. Th. ſatis ſe explicat ſe intelligere de peccato mortali, immediate ſubjiciens: *Cum vero homo infidelis aliquid agit, ex eo quod infidelis eſt, manifeſtum eſt quod peccat*; utique mortaliter. Sed contra: Imprimis fallitur Adverſarius: non immediate, ſed poſt plures lineas S. Doctor hæc verba prioribus ſubjicit. At id parum. S. Th. his poſterioribus verbis priora explicare ad ſenſum Adverſarii, ne vel Argus centum oculis videret. S. Th. in poſterioribus verbis agit de peccato mortali: Eſto, ideone in prioribus verbis? infidelis agens ex infidelitate peccat mortaliter: ergo infidelis agens ex dictamine rationis aliquod bonum, non referendo ad malum finem, peccat venialiter, licet non mortaliter. Qualis conſequentia! Sit exemplum familiare. Adverſarius pœnitenti conſulenti de diffamatione proximi reſpondet: ſi reveles gravia peccata proximi propter bonum & neceſſarium, non peccas: ſi reveles ex odio & intentione diffamandi abſque neceſſario fine, peccas. In 2. membro agitur de peccato mortali: ideone etiam in primo? ideone revelans peccatum proximi ob bonum & neceſſarium finem peccat venialiter, etſi non mortaliter? E quibus groſſis & interpretamentis, obſcurantur verba clariſſima S. Doctoris, ut vel invitus habeatur Patronus ſingularis opinionis contra communem Scholarum Catholicarum ſententiam. Redeat ergo argumentum prius factum. S. Th. dicit abſolute, indefinite, & ſine ulla reſtrictione hunc infidelem non peccare. Ergo non peccat, neque mortaliter, neque venialiter, alioquin peccaret, quod negat S. Thom. Eodem modo & ſenſu loquitur S. D. 1. 2. q. 10. art. 4. o. ubi dicit: *Non oportet, quod in omni ſuo opere peccent Infideles, ſed quandocumque aliquod opus operantur ex infidelitate, tunc peccant.* Inſuper contra hanc probationem opponit 1. Adverſarius retorſionem argumenti de actu conjugali ex D. Th. in 4. d. 31. qu. 2. art. 2. ſed de hoc in ſol. Obj. Obj. 5. Opponit 2. Iſte Infidelis ſeu peccator non peccat quidem peccato actionis, peccat tamen peccato omiſſionis, in quantum opus ſuum actu vel virtute non refertur ulterius in Deum, & ita ſtat in creatura, quod ſine peccato eſſe non poteſt. R. Hunc infidelem ſeu peccatorem neque peccare peccato omiſſionis, quia opus ejus ſufficienter refertur in Deum, nec datur præceptum ulterius referendi, vel aſſignet, ſicque non hæret in creatura. Inſuper S. Th. formaliſſime, indefinite, abſolute, & abſque ulla reſtrictione dicit hunc non peccare; quid ergo nobis occentat diſtinctionem inter peccatum actionis & omiſſionis? forte illa diſtinctio ſubterfugit ſagacitatem Angelici Doctoris? Opponit 3. contra eandem probationem. Noſtra virtualis relatio non excuſat ab omni peccato, ut patet ex S. Th. de actu conjugali. Sed ut ante de hoc arg. in ſol. Obj. Obj. 5. Interim audiat S. Th. cit. *Non peccat.* Ergo excuſatur ab omni peccato. Opponit 4. contra eandem prob. Noſtra relatio non eſt veri nominis relatio, alias qui legit aut ſtudet, quia amat aliquam particularem virtutem, cenſeretur implicite Deum diligere, qui eſt prima veritas. R. Veritatem eſſe objectum intellectus, non voluntatis, niſi ut bonam, ſtatui ſuo convenientem ſecundum dictamen rationis & prudentiæ; hinc cenſebitur diligere Deum virtualiter implicite, ſicut in aliis bonis operibus. Et ſic manent inermes conatus Adverſarii contra hanc probationem, quæ proinde ſtat in ſuo robore.

Prob. 3. Concluſio. Si homo deliberate agens tenetur referre omnes actiones ſuas in Deum propter ſe dilectum relatione virtuali explicita ad ſenſum Adverſariorum, defectus hujus relationis vitiaret non ſolum operantem, ſed etiam opus. Atqui falſum Conſequens, fatentibus ipſis Adverſariis. Ergo. Prob. Sequela Majoris. Actus non ordinatus ad debitum finem eſt actus inordinatus & malus. Unde S. Th. 1. 2. q. 18. a. 1. o. dicit: *Actus a ratione deliberativa procedens, ſi non ſit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipſo repugnat rationi, & habet rationem mali.* Ex quo principio infert non dari actum indifferentem in individuo. Atqui juxta Adverſarios actus non relatus ad Deum propter ſe dilectum relatione virtuali explicita, eſt actus non ordinatus ad debitum finem. Ergo.

Reponunt Adverſarii defectum relationis operantem afficere, ſed nullo modo opus; conſequenter etſi peccet operans per relationis explicitæ defectum, opus tamen manet intactum. Idque probare contendunt variis exemplis: ſic, inquiunt, qui voto tenetur recitare 7. Pſalmos pœnitentiales flexis genibus, ſi eos attente & devote recitet ſtando, peccat, ſed ejus actio non eſt mala. Sic qui ex præcepto Confeſſarii tenetur referre virtualiter explicite in Deum eleemoſynam ſibi injunctam, & dando eleemoſynam hanc relationem omittit, peccat, ſed eleemoſyna non eſt mala: ſic qui ex præcepto Eccleſiæ tenetur jejunare ad avertendum bellum & famem, & jejunat tantum propter unum finem, peccat, ſed ejus jejunium non eſt malum, &c. R. Diſparitatem eſſe, quod in his & ſimilibus exemplis obligatio afficiat agentem & non actum; in noſtro autem caſu, ſecundum principia Adverſariorum, afficit utrumque: quia juxta illos iſta obligatio oritur ex dominio, quod Deus ut primum principium, & ultimus finis habet non ſolum in agentem, ſed etiam in ejus actionem; conſequenter hæc obligatio afficit agentem & actum; nec minus iſte finis debetur actioni in individuo, quam qui dicitur aliunde intrinſecus, eſtque diverſæ rationis ab aliis circumſtantiis: unde ſicut, ſecundum nos, actus foret malus, ſi ratione alicujus circumſtantiæ non referretur virtualiter implicite in Deum, ſic ſecundum Adverſarios debet cenſeri malus, ſi non referatur explicite in Deum, præſertim cum juxta illos hæreat in creatura.

Contendit Adverſarius ſolum defectum finis debiti nunquam formaliter vitiare actionem. Qui ergo vult S. Th. ... quando dicit, quod *Actus a ratione deliberativa procedens, ſi non ſit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipſo repugnat rationi, & habet rationem mali?* Reſpondet: *Non dicit S. Th. ... quod actus ad nullum debitum finem ordinatus formaliter vitietur a ſolo defectu finis.* Dicat, velim, num actum repugnare rationi, & fieri malum ex defectu debiti finis, non ſit actum vitiari formaliter ex defectu debiti finis? iſta ſunt Synonima.

Non negamus tamen agentem abſque debito fine habere realem finem, non ſecundum ſe, ſed hoc ſenſu malum, quia non eſt debitus; ex hoc ipſo enim, inquit S. Th. actus repugnat rationi, & habet rationem mali, eodemque ſenſu dixit S. Th. in 2 d. 41. a. 5. ad 5. quod finis actus deliberati non poſſit eſſe indifferens. Et ſic concidunt præcipua argumenta Adverſarii. Inſuper dato requiri finem poſitive, & ſecundum ſe malum in agente abſque debito fine, ut ejus actus ſit malus, habetur in ſententia Adverſariorum, ſcilicet hæſio in creatura. Cæterum repeto, quod dixi in prima editione hujus Quæſtionis, & deinde in Vindiciis, me non inſiſtere principaliter huic argumento. Imo permiſi, & etiam nunc permitto Adverſariis, quod intendunt. Dato, inquiebam, *Opus defectu relationis non infici.* Quapropter ſupervacaneum puto hic diutius immorari.

Prob. 4. Concluſio. Si homo defectu relationis virtualis explicitæ in Deum propter ſe dilectum peccat, cum opus ex objecto bonum facit, ſequitur quod neceſſe ſit infidelem, quamdiu manet infidelis, peccare in omni opere, quod eſt damnatum ab Alex. VIII. in hac propoſitione: *Neceſſe eſt infidelem in omni opere peccare.* Eſt 8. Quod obvio ſenſu intelligitur, quamdiu eſt infidelis.

Opponit 1. contra hanc probationem Adverſarius ſe agnoſcere in Infidelibus gratias ſufficientes, cum quibus poſſunt vitare peccatum. R. Vel illæ gratiæ ſufficientes inferunt cognitionem veri Dei, vel non: ſi primum, deſinunt ex hac parte eſſe infideles; propoſitio autem damnata intelligitur de infidelibus, quamdiu manent Infideles: ſi ſecundum, non potuerunt referre actus ſuos virtualiter explicite in Deum, quem ignorant, & ſic defectu hujus relationis neceſſario peccabunt in omni ſuo opere.

Opponit 2. Infideles in ſua ſententia non peccare in opere, ſed in omiſſione. Senſus autem obvius hujus propoſitionis, *Peccare in opere*, eſt quod opus ſit vitioſum. R. Quod ſenſus obvius hujus propoſitionis, *Infidelis peccat in omni opere*, ſit, *Infidelis peccat quoties operatur*, ſive peccet peccato operis, ſive operantis. Sicut cum dicimus gallice, *Il peche dans toutes ſes actions*, ſenſus eſt, *Il peche toutes les fois qu'il agit.* Admittunt autem Adverſarii Infidelem peccare quoties operatur, defectu ſcilicet relationis explicitæ. Inſuper hunc eſſe ſenſum damnatæ Propoſ-

poſitionis eruimus ex circumſtantiis : quia ſi ſum. Pontifex damnaſſet tantum hanc Propoſitionem, quatenus dicit opus eſſe vitioſum, nihil aliud damnaſſet, quam quod jam erat damnatum a tribus ſum. Pontificibus in Bajo, ſcilicet omnia opera Infidelium eſſe peccata. Neque dicas hanc 2. Propoſitionem adjicere primæ novam falſitatem, dum dicit : *Neceſſe eſt* omnia opera Infidelium eſſe peccata : id enim etiam importatur in prima. Si namque omnia Infidelium opera ſunt peccata, procul dubio neceſſe eſſe ſic eſſe, alioquin aliter aliquando contingeret. 2. Quia juxta Bajum hujus Propoſitionis Auctorem ideo omnia infidelium opera ſunt peccata, quia non referuntur explicite in Deum. Atqui impoſſibile eſt opera in Deum explicite referri ab iis, qui illum ignorant, ut ſunt Infideles. Ergo neceſſe eſt, in ſenſu Propoſitionis damnatæ omnia Infidelium opera eſſe peccata.

Item Bajus dicebat opera Infidelium ad Deum non relata eſſe peccata, quia adſcribebat defectum relationis ipſi operi. Et cum quidam Theologi poſt ejus damnationem, ut eam declinarent, dicerent opus non eſſe peccatum, ſed tamen operantem peccare defectu relationis, adſcribentes nimirum defectum relationis operanti & non operi, iterum fuerunt damnati in ſuperiori Propoſitione. Non ergo fuerunt damnati, quia dicebant opera Infidelium eſſe peccata, ſed quia dicebant infidelem peccare in opere ſeu operando ſine relatione.

Inſtat Adverſarius. Qui dicit de aliquo Auctore, *Peccat in ſtylo*, ſenſus eſt, quod ſtylus ſit vitioſus. Ergo cum dicitur, *infidelis peccat in omni opere*, ſenſus eſt, quod omnia ejus opera ſint vitioſa. R. Dato Ant. N. Conſeq. Diſparitas eſt 1. quod in Propoſitione Adverſarii explicite determinetur objectum & materia in qua peccatum eſt; non ſic cum dicitur generaliter, *peccat in omni opere*, quod ſecundum communem intelligentiam ſignificat, quoties operatur, ut dictum eſt. Secundo diſparitas eſt, quod ſenſum, quem tribuimus Propoſitioni damnatæ, eruamus ex circumſtantiis, quales non habet propoſitio ſingularis Adverſarii : ſenſus autem naturalis & obvius alicujus Propoſitionis attendi debet ex circumſtantiis. Cæterum, ut jam alias monui, hæc dicta ſint arguendo & diſputando, non aſſerendo; neminem enim damnare intendimus.

Prob. 3. Concluſio. Si eſſet obligatio referendi virtualiter explicite omnia opera ad Deum propter ſe dilectum, hæc obligatio foret ex genere ſuo ſub mortali peccato. Atqui falſum Conſequens, fatentibus Adverſariis. Ergo & Ant. Prob. Sequela Maj. 1. Quia iſtam obligationem fundant in præcepto diligendi Deum ex toto corde. Atqui hoc præceptum obligat ex genere ſuo ſub mortali, ita ut illius tranſgreſſor in re gravi peccet mortaliter, ut omnes fatentur; poteſt autem hic eſſe materia gravis, ut ſi v. g. longe ſeries actionum in ſtatu eligendo ſubtraheretur Deo, & ad ipſum propter ſe dilectum non referretur. Ergo. 2. Quia fundant iterum hanc obligationem in præcepto naturali agnoſcendi & conſtituendi Deum ſicut primum principium, ita & ultimum finem omnium actionum noſtrarum. Atqui objectum hujus præcepti naturalis eſt ſecundum ſe grave. Ergo & obligatio gravis; quia obligatio præcepti naturalis ſequitur naturam ſui objecti. 3. Quæro ab Adverſariis, quo fundamento, Deo præcipiente omnia ad ſe propter ſe dilectum referri, dicunt iſtud præceptum obligare tantum ſub veniali, dum alia præcepta ſive naturalia, ſive divina poſitiva, ubi objectum ſecundum ſe eſt grave, obligant ſecundum ſe & ex genere ſuo ſub mortali?

Opponit Adverſarius contra hanc Probationem ſic. Qui ſolvit gravia debita, vitam pro Patria fundit, non ſubtrahit Deo relationem rei notabilis, quæ eſt quid leve. R. Qui hæc facit abſque relatione explicita in Deum in principiis Adverſariorum, ſubtrahit Deo rem notabilem. 1. Quia quod fit, & non fit propter Deum, illi ſubtrahitur. 2. Quia in his gravibus non habet Deum pro ultimo fine, & hæret in creatura, quod eſt quid grave. 3. Quia in re gravi tranſgreditur præceptum dilectionis Dei ſuper omnia.

Inſtat. Qui voviſſet referre Deo explicite omnia ſua opera deliberata in Deum, non peccare mortaliter omittendo relationem rei notabilis. Ergo ſimiliter. R. 1. N. Conſ. quia votum non obligat niſi ſecundum intentionem voventis; non cenſetur autem vovens intendiſſe ſe obligare ſub mortali ad relationem unius aut alterius rei etiam notabilis : at non ſic de præcepto naturali & divino referendi explicite omnia ad Deum, ſi detur. 2. Abſtrahendo ab intentione contraria voventis, exiſtimo verum, quod qui tali voto adſtrictus pluries & diu in gravibus negotiis omitteret hanc relationem, peccaret mortaliter.

Inſtat iterum. Tenemur juxta nos omnia opera noſtra referre in Deum relatione virtuali implicita ex præcepto naturali & divino, quod in materia gravi obliget graviter. Ergo peccat mortaliter qui eleemoſynam mille florenorum erogat pauperibus ex vana gloria; quod eſt falſum. R. N. Conſeq. Quia præceptum referendi virtualiter implicite omnia opera noſtra in Deum non diſtinguitur a præcepto non faciendi malum, ut jam alibi dixi : unde obligat juxta quantitatem mali, ita ut ſi malum ſit grave, obliget ſub mortali; ſi leve, ut eſt vana gloria, obliget ſub levi. Id autem dici non poteſt de præcepto referendi omnia in Deum relatione virtuali explicita, ſi detur, ut jam antea ponderavimus.

Quæ ulterius opponit Adverſarius contra hanc probationem, redibunt in ſol. Obj. Et hæc pluſquam ſufficiunt ad ſtabiliendam & firmandam Sententiam, quæ eſt communis Scholarum Catholicarum, ut teſtantur 14. ejus Approbatores in prima Editione. Quamobrem & ne diutius in Compendio detineam Lectorem pro iis, quæ ſunt minoris momenti, quaſdam alias probationes ab inconvenienti hic omitto.

Id unum dumtaxat obſervari velim, quod juxta Adverſarios teneamur omnes actus referre relatione explicita in Deum ex amore benevolentiæ, idque ratione præcepti diligendi Deum ſuper omnia, & quia eſt noſter ultimus finis, & alias eſſet hærere in creatura. Quando autem inde inferimus, quod qui obſervat mandata Dei ex obedientia tantum, qui elicit actum fidei aut ſpei, ſeu agit intuitu æternæ mercedis ſine ulteriori relatione ad Deum propter ſe dilectum, peccet, quia illa non refert ad Deum, ut in ſe bonum, adeoque non ex amore benevolentiæ, nec ut eſt ultimus finis. Reſpondent ad 1. quod omnis actus benevolentiæ feratur in Deum ut in ſe bonum : quia ſecundum D. Th. amare Deum amore benevolentiæ eſt velle illi bonum, quod in præfatis actibus reperitur. Ad 2. quod hi actus referantur in Deum ut ultimum finem; hoc ſenſu quod ſint propter ipſum, & non propter illud.

Contra 1. Amare Deum amore benevolentiæ, eſt quidem velle illi bonum, ſed abſque præjudicio objecti formalis hujus amoris, quod eſt Deus in ſe bonus. Etenim objectum amoris eſt bonum; vel ergo homo amat Deum ut ſibi bonum, & eſt amor concupiſcentiæ; vel ut in ſe bonum, & eſt amor benevolentiæ. Unde S. Th. 2. 2. q. 27. art. 2. ad 1. dicit, quod cum Philoſophus definit amare, quod eſt velle alicui bonum, *definiat amare non ponens totam rationem ipſius, ſed aliquid ad ejus rationem pertinens, in quo maxime manifeſtatur dilectionis actus*. Contra 2. Finis ultimus eſt ſupremum bonum, quod propter ſe appetitur, & omnia propter ipſum, ratione cujus ideo debemus, ſecundum Adverſarios, omnes actus noſtros ad illum referre. Ergo ad inducendam hanc obligationem non ſufficit finis ultimus ſecundum quid, ut exponunt.

Et hæc ſunt præcipua, quæ continentur in his, quæ hic fuſius non expendimus, & quæ non tam probant Adverſarios ex hac parte male ſentire, quam eos non loqui conſequenter de ſua principia.

Convelluntur fundamenta Adverſarii.

OPINIONIS ſuæ fundamenta repetit Adverſarius ex variis textibus SS. Aug. & Th. quos ſibi favere exiſtimat. Hos ergo diſcutiamus.

Sol. Obj. ex S. Thoma.

OBJ. 1. S. Th. in 1. d. 1. q. 3. art. unico, quærens utrum utendum ſit de omnibus aliis a Deo, dicit 1. *Pœna utendum eſt & ordinanda ad finem ſecundum quod promovet meritum hominis, ducens eum in conſiderationem ſuæ infirmitatis, & ſecundum quod purgat peccata*. Atqui tolerantia pœnæ propter finem naturalem & honeſtum non promovet meritum hominis, nec purgat peccata. Ergo. 2. Ibidem 2. loco objicit ſic : *Illo utimur, quo tendentes ad beatitudinem juvamur : ſed creaturis impedimur frequenter, &c. Ergo non omnibus poſſumus uti*. Cui argumento ſic reſpondet. *Ad 2. dicendum, quod creaturæ quantum eſt ex ſe non impediunt nos a conſequenda beatitudine, ſed ex parte noſtra, in quantum eis abutimur in eis ſiſtendo ut in fine.* Ergo agit D. Th. de tali creaturæ uſu, qui tendentes ad beatitudinem juvet; admittit enim ut verum majorem argumenti propoſiti. Atqui creaturæ uſus ad beatitudinem juvans explicitam relationem importat; implicita enim, cum ſit naturalis, ad eam non juvat. Ergo. 3. Ibid. ad 3. dicit : *Secundum Theologum nullus actus procedens a voluntate deliberante eſt indifferens; quia ſi fertur in Deum, ſuppoſita gratia, eſt meritorius; ſi autem non eſt referibilis, peccatum eſt; ſi vero referibilis eſt, & non refertur, vanus eſt*. Atqui actus referibilis in Deum non eſt actus malus; neque actus ſecundum ſpeciem indifferens; quia cum relatio ſit circumſtantia, præſupponit actum in ſpecie mali conſtitutum. Ergo eſt actus moraliter honeſtus. Ergo præter ejus relationem implicitam indiget explicita, alioquin ſecundum D. Th. eſt vanus & otioſus.

R. 1.

Digitized by Google

R. 1. Generaliter S. Th. in hoc art. nihil aliud intendere, quam quod poſſit & debeat homo uti creaturis & non frui, ſicut dixerat de Deo q. præced. Inter autem varios modos utendi creaturis, dicimus quod qui facit opus bonum, v. g. qui ſolvit debita ex amore juſtitiæ, parentes honorat ex pietate, ſine ulteriori relatione, utatur, & non fruatur creatura, quod nuſquam negat S. Th. R. 2. Etiam generaliter S. Th. in hoc art. ut homo non peccet in uti creaturæ, ſeu in operibus ſuis, requirere dumtaxat relationem habitualem. *Similiter*, inquit in fine corporis, *Opera noſtra, quæ mala non ſunt, ab ipſo ſunt, & propter ipſum facienda, non quod quamlibet operationem oporteat ſemper actualiter referre in Deum, ſed ſufficit ut habitualiter in Deo conſiſteat finem ſuæ habilitatis*.

Reponit Adverſarius To *habitualiter* ſumi a D. Th. pro *virtualiter*. Sed contra. Quamvis non negem ita aliquando ſumi a S. D. non ita tamen ſumit in hoc articulo. Patet ex reſponſ. ad 9. ubi dicit peccantem venialiter habere Deum *habitualiter* pro fine: ubi To *habitualiter* ſumi non poteſt pro *virtualiter*, cum certum ſit hominem non peccare propter Deum virtualiter. Non eſt autem veriſimile S. Th. eundem terminum diverſo ſenſu accepiſſe in eodem art.

Inſtat Adverſarius. S. Th. ad 3. dicit: *Si actus refertur in Deum ſuppoſita gratia, meritorius eſt*. Atqui ſi S. Th. terminum *habitualiter* non ſumat pro termino *virtualiter*, ejus reſponſio habebit hunc ſenſum, *Si actus refertur in Deum vel actualiter vel habitualiter, ſuppoſita gratia, meritorius eſt*; quod eſt falſum, cum relatio habitualis non ſufficiat ad meritum. R. N. Min. Quia S. Th. intelligit de gratia influente, eſt enim neceſſarius influxus gratiæ ad meritum: ubi autem eſt influxus gratiæ, eſt pluſquam relatio habitualis.

Et hæ duæ reſponſiones generales ſufficerent ad omnia, quæ opponit ex D. Th. loco cit. ex abundantia tamen R. ad ſingula.

Ad 1. 1. D. Min. Tolerantia pœnæ propter finem naturalem non promovet meritum hominis, nec purgat peccata actualiter formaliter, C. præſuppoſitive, N. Non dicit autem S. Th. quod utendum ſit pœna actualiter merendo & purgando peccata, ad id enim non ſufficeret relatio explicita; ſed quod ſit utendum pœna ſecundum quod promovet ad meritum ducens hominem in conſiderationem ſuæ infirmitatis, & ſecundum quod peccata purgat: qui autem patienter patitur, v. g. morbum cauſatum ex intemperantia, aut mortem, ad quam eſt damnatus propter homicidium, agnoſcens pœnam ſuo crimini eſſe debitam, is pœna utitur ſecundum quod promovet ad meritum, ducens ipſum in conſiderationem ſuæ infirmitatis & ſecundum quod purgat peccata, hoc ſenſu, quod hujuſmodi tolerantia præſupponatur & prærequiratur ad meritum actuale, ita ut concurrentibus aliis ad meritum requiſitis, de facto mereretur. 2. Dato, quod S. Th. intelligat de uſu actualiter meritorio in hoc docuit modum optimum utendi pœna, ſed non neceſſarium; niſi velis omnem uſum pœnæ, qui non eſſet meritorius, eſſe malum, quod falſum eſt. Ad 2. Nihil eſt in reſponſo D. Th. quod militet contra ſententiam noſtram, niſi ſupponendo, quod admittat Majorem Argumenti propoſiti non ſolum ut veram, ſed etiam ut excluſivam omnis alterius modi utendi creaturis, quod non probat nec probabit Adverſarius, niſi intelligendo, ut ſupra de uſu creaturæ, qui juvet præſuppoſitive tendentes ad beatitudinem. Ad 3. N. Min. pro 2. parte & illius probationem, quia in actibus ſecundum ſpeciem indifferentibus, circumſtantia finis confert illi primam ſpeciem moralem in individuo, ut docetur in Tract. de Actibus humanis. Inſuper non dicit S. Th. quod qui actum referibilem non refert ſimpliciter peccat, ſed quod ejus actus ſit vanus, otioſus, & peccaminoſus, quod jugulat ſententiam Adverſariorum, ſi intelligatur de relatione explicita; negant enim actum defectu relationis explicitæ eſſe malum & peccaminoſum.

Obj. 2. Textum D. Th. in 2. d. 40. q. 1. a. ult. ad 7. cui abunde ſatisfeci in 1. & 2. editione hujus Quæſt. Et cum nihil aliud reponat Adverſarius quam quod dixit D. Hagens, pro reſponſione videantur Vindiciæ noſtræ p. 36. 45. & ſequentibus.

Obj. 3. S. Th. in 4. d. 31. q. 2. a. 2. habetur q. 49. Supp. a. 5. in reſp. 1. dicit, *quod proles prout eſt bonum Sacramenti, addit ſupra prolem prout eſt intentum a natura: natura enim intendit prolem prout in ipſa ſalvatur bonum ſpeciei; ſed in prole, ſecundum quod eſt bonum Sacramenti Matrimonii, ultra hoc intelligitur, ut proles ſuſcepta ulterius ordinetur in Deum: & ideo oportet, quod intentio naturæ, qua prolem intendit, referatur actu vel habitu ad intentionem prolis, prout eſt bonum Sacramenti, alias ſtaretur in creatura, quod ſine peccato eſſe non poteſt. Et ideo quando natura tantum movet ad actum matrimonii, non excuſatur a peccato omnino, etſi in quantum motus naturæ ordinatur actu vel habitu ulterius ad prolem, ſecundum quod eſt bonum Sacramenti*. Non poteſt autem intelligi per habitualem relationem relatio implicita, quæ jam ſupponitur in ipſo actu conjugali rite peracto, cauſa prolis & fidei, ſiquidem ultra illam, aliam requirat S. Th. Ergo explicitam requirit.

Pro hujus Argumenti ſolutione exponenda eſt Doctrina laudati art. In primis S. Th. in corpore art. dicit, *quod ſicut bona matrimonii ſecundum quod ſunt in habitu, faciunt matrimonium honeſtum & ſanctum; ita etiam ſecundum quod ſunt in actuali intentione, faciunt actum matrimonii honeſtum quantum ad illa duo bona, quæ ipſius actum reſpiciunt*. Duo autem bona, quæ actum matrimonii reſpiciunt, ſunt proles & fides. Et ideo addit S. Th. *Unde quando conjuges conveniunt cauſa prolis procreandæ, vel ut ſibi invicem debitum reddant, quæ ad fidem pertinent, totaliter excuſantur a peccato*. Nihil ergo aliter requiritur, ut actus conjugii excuſetur totaliter a peccato, quam intentio prolis vel fidei ſine aliqua prava circumſtantia. Et rationem ſubjicit S. D. quia nempe tertium bonum, quod eſt bonum Sacramenti, non pertinet ad actum, ſed ad eſſentiam matrimonii. *Sed tertium bonum*, inquit, *non pertinet ad uſum matrimonii, ſed ad eſſentiam ipſius, ut dictum eſt: unde facit ipſum matrimonium honeſtum, non autem actum ejus*.

Concilianda eſt hæc Doctrina cum reſp. ad 1. quæ nobis objicitur. Si S. Th. requirat neceſſario relationem explicitam in bonum Sacram., ut conjuges excuſentur totaliter ab omni peccato: ergo non ſolum bonum prolis & fidei, ſed etiam bonum Sacramenti pertinet ad actum conjugii; neque ſolum ipſum matrimonium, ſed etiam ejus actum honeſtum reddit: quod diſerte negat S. Th. Item neque conjuges convenientes tantum cauſa prolis vel fidei totaliter excuſantur a peccato, quod diſerte affirmat D. Th. Dicendum itaque, quod in Reſponſione ad 1. per relationem habitualem ad bonum Sacramenti non intelligat iſtam relationem explicitam Adverſariorum, ſed implicitam in ipſo actu conjugali rite peracto cauſa prolis vel fidei abſque ulla circumſtantia vitiante.

At, inquit Adverſarius, jam ſupponitur relatio habitualis in actu conjugali cauſa prolis vel fidei. Ergo aliquid aliud requirit S. Th. R. D. Ant. Jam ſupponitur relatio habitualis in actu conjugali cauſa prolis vel fidei, ſi nulla circumſtantia vitietur, C. Si vitietur aliqua circumſtantia, prout facile vitiari poteſt, in hac præſertim materia, N. Cum enim tunc non referatur ad Deum, nec ad bonum Sacramenti refertur.

Adde, quod ſi S. Th. per relationem habitualem intelligeret explicitam, ſequeretur, quod ſine iſta non ſolum conjuges peccarent ſimpliciter, ſed quod eorum actus eſſet malus; dicit enim S. D. *quod actus non excuſatur omnino, niſi in quantum motus naturæ ordinatur actu vel habitu ulterius ad prolem ſecundum quod eſt bonum Sacramenti*. Quod ſane evertit ſyſtema Adverſariorum.

Neque dicas S. Th. prævidiſſe hanc inſtantiam, eo quod in fine reſponſionis dicat: *Nec tamen ſequitur, quod motus naturæ ſit malus, ſed quod ſit imperfectus, niſi ad aliquod bonum matrimonii ulterius ordinetur*. Nam aliud eſt motus ad actum, aliud ipſe actus: motus naturæ ad actum poteſt non eſſe malus, ſed imperfectus tantum, & tamen ipſe actus vitiari aliqua circumſtantia, quæ impediat relationem habitualem quam requirit, ideoque eſſe malus. Et ſane quis iſta duo conciliare poteſt: Actus non excuſatur a peccato omnino, &, actus non eſt malus?

Obj. 4. S. Th. q. de charitate a. 11. quærens utrum omnes teneantur ad perfectam charitatem, ad 2. dicit: *Quod omnia virtuta referantur in Deum, hoc pertinet ad perfectionem charitatis, ad quam omnes tenentur*. Illa autem virtualis relatio non poteſt intelligi de ratione implicita, quia non pertinet ad perfectionem charitatis, & quia S. Th. dicit ib. quod per eam homo poteſt in omnibus mereri, ſi charitatem habeat; per relationem autem implicitam non poterit mereri. Ergo intelligit de relatione explicita. R. S. Th. per relationem virtualem hic intelligere relationem equidem explicitam, ſed importatam in actu charitatis ſtrictæ, aut in æquivalenti, ſcilicet in amore Dei benevolo ſuper omnia, per quem, ut docet in 2. d. 28. q. 1. a. 3. impletur præceptum charitatis. *Quandocumque enim*, inquit in 2. d. 40. q. unica a. 5. ad 6. *aliquis cogitat ſe totum ad Dei dilectionem dirigere, tunc quidquid ad ſeipſum ſpectat, in Deum ordinatum erit*. Conſtat autem quod per amorem Dei ſuper omnia homo, ſi charitatem habeat, mereri poſſit, & quod iſte amor poſſit elici a peccatore nondum juſtificato, ſeu charitatem non habente, ut probamus de attritione in Tract. de Pœnit.

Obj. 5. S. Th. q. 22. de charitate a. 2. dicit: *Sicut in demonſtrativis ſcientiis non recta ſumitur concluſio niſi per reſolutionem ad prima principia, ita appetitus creaturæ rationalis non eſt rectus niſi per appetitum explicitum ipſius Dei actu vel habitu*. R. 1. S. Th. in hoc articulo reſolvere,

Digitized by Google

re, quod omnia entia appetant Deum, inanimata & non cognoſcentia implicite, creatura rationalis explicite. Unde hic ſumit appetitum explicitam, non prout importat diſtinctam Dei cognitionem, ſed prout opponitur appetitui innato inanimatorum, & ideo addit, *per appetitum explicitum Dei actu vel habitu*. R. 2. Datu per appetitum explicitum S. Thom. intelligere diſtinctam Dei cognitionem, dicit appetitum non explicitum non eſt rectum, non quod ſit malus, ſed quia non eſt perfectus. Id evidens eſt ex ipſo textu: Si quis enim eliciat legitimam concluſionem ex immediatis principiis, licet non reſolvat in prima principia, iſta concluſio erit bona, ſed non perfecta. Ergo ſimiliter qui appetit aliquod bonum particulare propter ejus honeſtatem, licet non propter Deum explicite, appetitus non erit malus, ſed tamen imperfectus; alioquin dicendum foret non ſolum quod agens peccaret, ſed etiam quod actus ejus eſſet malus, quod non admittunt Adverſarii.

Inſt. S. Th. 1. 2. q. 19. a. 10. dicit: *Ad hoc quod aliquis recta voluntate velit aliquod particulare bonum oportet, quod illud commune divinum ſit volitum materialiter, bonum autem commune divinum ſit volitum formaliter*. R. etiam in noſtra ſententia bonum commune divinum eſſe volitum formaliter: qui enim vult aliquod particulare bonum, illud vult formaliter propter bonitatem & honeſtatem, ut ſic, quæ eſt Deus.

Obj. 6. S. Th. 1. 2. q. 21. a. 5. ad 3. dicit: *Totum, quod homo eſt & quod poteſt & habet, ordinandum eſt ad Deum: & ideo omnis actus hominis bonus vel malus habet rationem meriti vel demeriti apud Deum, quantum eſt ex ipſa ratione actus*. Atqui non poteſt intelligi de relatione implicita, alias ratio meriti apud Deum fundaretur in ſolis naturæ viribus. Ergo de explicita. R. N. Min. ad prob. D. Ratio meriti improprie dicti & ad mercedem temporalem fundaretur in ſolis naturæ viribus, C. Meriti proprie dicti & ad mercedem æternam, N. Non eſt autem in iſtis articulis, inquit Sylvius, ſermo præciſe de merito vitæ æternæ vel de merito reſpectu vitæ ſempiternæ, ſed generaliter intelligitur meritum, prout meritum dicitur omne id, quod facit aliquam mercedem aliquo modo debitam, ſive temporalem, ſive æternam, ſive debitam ex juſtitia proprie dicta, ſive ex alia. Ita celeberrimus Doctor Lovanienſis.

Inſt. S. Th. 1. 2. q. 102. a. 6. ad 7. dicit: *Cœleſtis intentio omnibus operibus noſtris debet adjungi*: atqui relatio implicita non eſt cœleſtis. Ergo. R. 1. D. Min. Relatio implicita non eſt cœleſtis explicite, C. Min. implicite, N. Min. 2. Dato intelligendum eſſe cœleſtem explicite, nihil aliud his verbis intendit S. Th. quam quod dicit alibi, ſcilicet omnia debere referri in Deum explicite, non immediate in ſe, ſed mediate in ſua cauſa, nempe in actu charitatis, quando ejus præceptum obligat; non autem obligat ad ſemper. Vide 1. Concluſionem, item 1. & 2. probationem ſecundæ Concluſionis. 2. Si contendas intelligendam eſſe intentionem cœleſtem quoad ſingulos actus immediate in ſe, D. Maj. Debet adjungi omnibus operibus noſtris in ordine ad vitam æternam, C. in ordine ad bonitatem moralem, N. *Cum* enim, inquit S. D. cit. in ſecunda Prob. ſecundæ Concl. *aliquis ex dictamine rationis facit aliquod bonum, non referendo ad malum finem, non peccat*. Adde S. Th. illic agere dumtaxat de Fidelibus verum Deum colentibus; ſicque in hoc ejus dicto fundari non poſſe ſententiam Adverſariorum, qui etiam Infideles adſtringunt præcepto omnia opera referendi explicite in Deum propter ſe dilectum.

Obj. 7. S. Th. 2. 2. q. 83. art. 14. o. dicit: *De oratione dupliciter loqui poſſumus: uno modo ſecundum ſeipſam, alio modo ſecundum cauſam ſuam. Cauſa autem orationis eſt deſiderium charitatis, ex quo procedere debet oratio, quod quidem debet eſſe in nobis continuum vel actu vel virtute. Manet enim virtus hujus deſiderii in omnibus, quæ ex charitate facimus: Omnia autem debemus in gloriam Dei facere, ut dicitur 1. Cor. 10. Et ſecundum hoc, id eſt, quia & in quantum omnia debemus in Dei gloriam facere, oratio debet eſſe continua. Unde Aug. dicit ad Probam: In ipſa fide & charitate continuato deſiderio ſemper oramus*. Ex quibus ſic arguitur. S. Th. fundat debitum orationis continuæ in præcepto Apoſtoli, *Omnia in gloriam Dei facite*. Ergo in relatione explicita; quia non niſi per hanc poteſt eſſe oratio continua. Prob. Ant. Dicit S. Th. *Et ſecundum hoc*, nimirum quia & in quantum debemus omnia in Dei gloriam facere, ratio debet eſſe continua. Ergo. R. N. Ant. ad prob. N. expoſitionem textus, & dico To *Secundum hoc* referri ad deſiderium ſalutis, & non ad præceptum Apoſtoli. Si attendatur cauſa ſalutis, inquit Sylvius in expoſitione hujus articuli, quæ eſt deſiderium ſalutis rerumque ſalutarium, ex quo procedere debet oratio, oportet orationem eſſe diuturnam, imo continuam; quia tale deſiderium debet homini chriſtiano eſſe perpetuum pro ſe & pro aliis, ſaltem virtute. Ita eximius S. Th. interpres, Idque patet ex ipſo textu Aug. quem cit. Th. Non enim dicit Aug. *in actibus fidei & charitatis*, ſed *in ipſa fide & charitate continuo deſiderio ſemper oramus*. Et alioquin ſequeretur, quod homo etiam charitate inſtructus, cum nihil ageret, aut mente diſtractus ageret, nihil actu faciens in gloriam Dei, deficeret ab oratione, ſicque non oraret continuo; quod eſt alienum a ſenſu S. Th. Inſuper S. Th. 1. 2. q. 100. a. 10. & alibi intelligit textum Apoſtoli de charitate ſtricta: nolunt autem Adverſarii ſuam relationem eſſe ex charitate ſtricta. Ergo non favet ipſis S. Th.

Solvuntur Objectiones ex Auguſtino.

OBj. 1. S. Aug. l. 1. de Trinit. c. 13. dicit: *Illa viſio Dei, qua contemplabimur incommutabilem atque humanis oculis inviſibilem Dei ſubſtantiam... ſola eſt ſummum bonum noſtrum, cujus adipiſcendi cauſa præcipimur agere, quidquid recte agimus*. Ergo S. Aug. non ſufficit implicita relatio. Prob. Conſ. Recte factum & nulla prava circumſtantia vitiatum eſt in Deum implicite relatum. Atqui tamen juxta S. Aug. hoc ipſum recte factum ſummi boni adipiſcendi cauſa præcipimur agere. Ergo ulterius debet referri. R. Aug. ſumere præceptum latu ſenſu pro conſilio illius, quod eſt bonum & optimum, alioquin ſequeretur, quod qui ex alio motivo etiam ſupernaturali quam adipiſcendæ beatitudinis recte operaretur, peccaret.

Neque dicas cum Adverſario ſenſum Aug. non eſſe, quod in omni actione debeamus formaliter intendere beatitudinem æternam, & ad illam omnia opera noſtra referre, ſed quod præcipiatur nobis, quod in omni actu ad illam tendamus referendo illum ad Deum. Contra eſt enim quod Aug. formaliſſime dicat, quod cauſa adipiſcendæ beatitudinis præcipimur agere quidquid recte agimus: quid eſt autem agere cauſa beatitudinis adipiſcendæ omne quod agimus, niſi intendere formaliter beatitudinem & ad illam omnia opera noſtra referre? Vel dicendum S. Aug. hac phraſi nihil aliud velle, quam quod debeamus in omni opere habere Deum pro ultimo fine: ille autem habet Deum pro ultimo fine, qui dum agit opus ex objecto bonum, illud nulla prava circumſtantia, nullo pravo fine inficit. Et niſi alterutro ſenſu Aug. intelligas, ipſum conciliare non poteris. Docet enim S. D. l. de ſpir. & litt. c. 27. & alibi, quædam Infidelium opera, etiam attento fine, eſſe laudanda, licet non ſint facta cauſa æternæ beatitudinis adipiſcendæ, nec relata explicite in Deum.

Obj. 2. S. Aug. l. 19. de Civ. c. 25. de virtutibus hominis infidelis dicit: *Virtutes, quas ſibi habere videtur ... niſi ad Deum retulerit, etiam ipſa vitia ſunt potius quam virtutes, cum ad ſeipſas referuntur, nec propter aliud expetuntur, etiam tum inflatæ & ſuperbæ ſunt, & ideo non virtutes ſed vitia judicanda ſunt*. Atqui dum virtutes propter ſe appetuntur, eſt ſecundum nos virtualis relatio implicita in Deum. Ergo. R. 1. Hanc objectionem ab Adverſariis eſſe ſolvendam: non enim volunt opera Infidelium ſine ſua relatione virtuali explicita eſſe peccata & vitia, ut dicit Aug. ſed infidelem dumtaxat peccare non referendo in Deum. Reponit Adverſarius has Infidelium virtutes ſecundum Aug. eſſe vitia, non ſumendo vitium pro actione ſecundum ſe, ſed pro complexo ex actione & omiſſione, juxta communem modum loquendi. Sic v. g. dicimus de famulo, qui injuncti laboris mediam partem tantum implevit, quod male fecerit: nemo tamen, infert quod peccaverit laborando. Sed contra. Aug. non dixit Infideles in his virtutibus peccare, ſed eas eſſe vitia & peccata. Sicut ergo ſi dicerem de famulo, qui injuncti laboris mediam partem tantum implevit, quod ejus labor eſt malus, juxta communem modum loquendi intelligeretur de labore ſecundum ſe, & non de complexo: ita ſimiliter in noſtro caſu. Idque eo evidentius patet, quod Aug. vocet iſtas infidelium virtutes *inflatas & ſuperbas*. Neque dicas cum Adverſario ideo ſic vocari ab Aug. quia cum non expeterentur propter Deum, debito honore illum privabant; qui enim furatur aut fornicatur, longe magis Deum debito honore defraudat, quam qui ad eum actionem bonam non refert explicite, & tamen ille fur, aut fornicator non dicitur inflatus & ſuperbus. R. 2. D. Min. Dum virtutes propter ſe appetuntur, eſt virtualis relatio implicita in Deum, ſi in eis non ultimate ſiſtatur. C. Min. Si in eis ultimate ſiſtatur tamquam in vera beatitudine, N. Min. Et hoc ſenſu loquitur Aug. ut patet ex verbis immediate ſeq. *Sicut enim*, inquit, *non eſt a carne, ſed ſuper carnem, quod carnem facit vivere; ſic non eſt ab homine, ſed ſuper hominem, quod hominem facit beate vivere*. Auguſt. ergo hic alludit ad Stoicos, qui in virtutibus moralibus ſuam beatitudinem conſtituebant, & de quibus ſerm. de verbis Apoſtoli c. 7. ſic loquitur: *Extiterunt autem alii ſuperbi quaſi a carne ſe removentes & totam ſpem ſuæ beatitudinis in anima ſua conſtituentes, poſuerunt ſummum bonum in virtute ſua ... Tales fuerunt Philoſophi, qui Stoici nuncupati ſunt ... Di-*

cebat

cebat Apoſtolus : Mibi adbarere Deo bonum eſt . Fatemor autem victutes , ſic propter ſe ulrimate appetitas , non eſſa veras virtures, ſed vitia, quippe quod hac prava intuitione intercipiatur virtualis relatio ad Deum , & hæreatur in creatora illa fruendo. Sed ſi voluntas feratur in opus ex objecto bonum , non hærendo ultimate in ipſo , neque in ſaipſum aut in allum pravum finem retorqueo do , ſed ut eſt bonum inchoatum in ſuo gradu conſtitutum ſecundum rectam cationem , dicimus , quod ſit moraliter bonum, & agens non peccer, quia virtualiter implicite intendit Deum , ut hujus boni inchoati perfectionem & conſummationam.

Inſt. Adverſarius. Aug. loco cit. de Civit. non magia agit de Sroicis quam de Turcia, ſed ganaralirar agit de omnibus illis, apud quos non eſt vera Religio. R. Adverſarium hic loqui contradictoria . Si namque agat Aug. generalitec de omnibus , apud quos non eſt vera Religio , ergo etiam egit da Sroicia, apud quos non erat vara Religio, & magis, quam da Turcis , qui tunc nondum exrabant : ſicut ſi nunc agarem genaraliter de omnibus, apud quos non eſt vera Religio , indubie agaram de Turcis , apud quos non eſt vara Religio . Et ſicut non implicat , quod qui ageret generaliter da omnibus infidelibus, interdum ſermonem deflecteret ad Turcas , ita nihil impedit , quominus Aug. agens generaliter de infidelibus, de Sroicis in particulari, occaſione dara , locutus fuerir . Et ita aſſe patet ex eo , quod in otroque loco aundam modum loquendi teneat. In lib. da Civit. vocat virtutes infidalium *inflatus & ſuperbas* . In Serm. de varbis Apoſtoli vocat Stoicos *ſuperbos* . In lib. de Civit. dicir : *Sicut enim non eſt a carne , ſed ſuper carnem , quod facit vivera , ſic non eſt ab bomine , ſed ſuper hominem , quod hominem facit beate vivere* . Quæ verba exprimunt aperte dogma Sroicorum coo formiter ad ea, quæ de ipſis dicit in Serm. de verbis Apoſtoli. *Extiterunt autem*, inquit ibi, *alii ſuperbi quaſi a carne ſe removentes , & totam ſpem ſuæ beatitudinis in animo ſuo conſtituentes , poſuerunt ſummum bonum in virtute ſua , Tales fuerunt Philoſophi, qui Stoici nuncupati ſunt*.

Naque dicas cum Adverſario ſenſum horum verborum in lib. de Civit. *Sicut enim non eſt a carne* &c. non eſſa , quod infideles exiſtimarent , quod in virturibus ad ſe & non ad Deum relatis conſiſteret beatitudo , ſed quod conducerent ad beatitudinem. Contre enim 1. ſiſtendo in paritate Aug. Sicut da materia ad vitam diſpoſita , licet conducat ad viram , non dicitur ſecundum Aug. quod faciat vivera , ſed ſolus Deus , ita nec de virtuta conducente ad vitam beatam dicitur ſecundum eundem Aug. quod faciat vivere beata , ſed ſolus Deus. 2. Aug. expraſſe docat in Serm. de verbis Apoſtoli Stoicos conſtituiſſe ſuam beatitudinam in ſua virture : quid ni haberet eundam ſenſum in lib. da Civit. ubi tanet eundem modum loquendi . 3. Denique juxta aliquos reſponderi poteſt S. Aug. in lib. de Civit. condemnare eos , qui expatabant virtutes propter ſe quidam , non taman ſecundum ſe præciſa & ut abſtractas a ſubjecto, ſed in concreto & ut in ſubjecto, ſcilicat ut virtuoſi apparerent. Si loſaraa. Ergo non ſolum propter ſe, ſed proptec aliud experebanrur. R. quod ſolum propter ſe in concreto & ut in ſubjecto expetebantur , & hoc ſenſu non proprar aliud. Cæterum niſi alrerutro ſanſu Aug. intelligas, non video quomodo ſalvari poſſit a damnatione hujus propoſitionis : *Omnia infidelium opera ſunt peccata , & Philoſophorum virtutes ſunt vitia*. Nequa dicas cum Adverſario S. Aug. alibi admittere opera infidalium poſſe eſſe bona; nam etiam ipſi Auctores propoſitionis damnatæ non nagabant opera infidelium poſſe aliquo ſenſu dici bona, & nihilominus fuerunt damnari.

Obj. 3. S. Aug. l. 1. de Doct. Chriſt. c. 22. dicit : *Hæc ... regula dilectionis divinitus conſtituta eſt : Diliges , inquit , proximum tuum ſicut teipſum , Deum vero ex toto corde & ex tota anima & ex tota mente , ut omnes cogitationes tuas , & omnem vitam & omnem intellectum in illum conferas , a quo habes ea ipſa quæ confers . Cum autem ait , toto corde , tota mente , nullam vitæ noſtræ partem relinquit , quæ vacare debeat & quaſi locum dare , ut alia re velit frui , ſed quidquid aliud diligendum venerit in animum , illuc rapiatur , quo totus dilectionis impetus currit* . Ergo juxta Aug. omnia ſunt referenda ad Deum , ita ut nulla pars vitæ noſtræ relinquatur, quæ vacare debeat & quaſi locum dare , ut alia re frui valit. Quid autem ſit re aliqua frui, expreſſit ibidem Aug. c. 4 *Frui eſt amore alicui rei inhærere propter ſeipſam : uti autem , quod in uſum venerit , ad id quod amas , obtinendum referre* . R. hæc omnia verificari ſecundum Sententiam noſtram : 1. In actu charitatis, dum urget præceptum . Deinde etiam extra caſum , quo urgat præceptum , in omni actu bono nulla ex parte vitiato . Cum enim appetatur formaliter explicite propter honeſtatam particularem hujus actus, appetitur virtualirer explicite propter honeſtatem, ut ſic, quæ eum in re ſit Deus , appetituc virtualitec implicite propter Deum , ſicque non eſt ea de re frui, ſed uti.

Contra hanc 2. Reſponſionam inſurgit Adverſarius ex Aug. ibid. c. 22. Cum dixiſſet : *Res illæ tantum ſunt quibus fruendum eſt , quas æternas atque incommutabiles commemoravimus* , ſubdit : *Cæteris autem utendum eſt , ut ad illarum fruitionem pervenire poſſimus* . Atqui relatio virtualis implicita, cum ſit naturalis, non conducit ad Dei fruitionem. Ergo. 2. S. Aug. ibid. c. 22. ſic loquitur : *Quæritur , utrum propter ſe homo ab homine diligendus ſit , an propter aliud ? Si enim propter ſe , fruimur eo ; ſi propter aliud , utimur eo. Videtur autem mihi propter aliud diligendum* . Ergo juxta Aug. diligare proximum propter ſe , ſeu propter ejus particularem bonitatem , non eſt ſufficienter referre actum ſuum in Deum , cum ſic diligere non ſit uti proximo , ſed frui. R. ad 1. Imprimis non dixit Aug. quod cæteris utendum ſit , quatenus iſte uſus *conducit ad* beatitudinem, ſed quod ſit cæteris utendum , *ut pervenire poſſimus* ad beatitudinem. Qui autem facit actum bonum nulla ex parte vitiatum , ſic utitur creaturis , ut , aliis adhibitis , poſſit pervenire ad beatitudinam ; neceſſe eſt enim ad illam adipiſcendam , ut actus bonos & non malos faciat , licet ſoli non ſufficiant. Sed etſi Aug. dixiſſet , quod iſte uſus debeat *conducere* ad beatitudinem , nihil obeſſet ; quia revera conducit , non quidem poſitive , ſed præſuppoſitive & negative . Præſuppoſitive , quia ut jam dixi , prærequiritur ad adeptionem beatitudinis , ut actus ſit moralitar bonus & nulla ex parte vitiatus . Negative , quia faciendo actus moraliter bonos , non peccat , & ſic remanet impedimentum beatitudinis ; quod voco concurrare negative . Ad 2. D. Propoſitionem Aug. & ſimul Conſeq. Si hominem propter ſe diligimus conſtituendo in eo noſtrum finem , eo fruimur , C. Non conſtituendo in eo noſtrum finem , N. Hæc ſolutio ſeu explicatio non eſt mea , ſed ipſius Aug. qui in eodem l. c. 33. dicit : *Si vero inhæſeris atque permanſeris* in delectatione creaturæ finem in ea ponens *lætitiæ tuæ tunc vere & proprie frui dicendus es*. Requiritur ergo juxta Aug. ut dicamur frui creaturæ ; ut in ea finem noſtrum ponemus . Porro qui facit actum moraliter bonum nulla ex parte vitiatum , v. g. qui abſque ullius pravæ circumſtantiæ admixtione diligit parentes , amicos , viros probos , motus honeſtate particulari hujus legitimi amoris , nullatenus conſtituit finem ſuum in iſtis objectis, ſed in ipſa honeſtate ut ſic , quæ in re Deus eſt. Et hæc ſemel dicta ex Aug. ſufficiant ſæpe iteratis inſtantiis Adverſarii petitis ex uſu & fruitione creaturarum.

Obj. 4. S. Aug. l. 9. de Trinit. c. 7. & 8. dicit. *Nemo volens aliquid facit , quod non in corde ſuo prius dixerit : quod verbum amore concipitur ſive creaturæ ſive creatoris .... Ergo aut cupiditate aut charitate. Non quod non ſit amanda creatura , ſed ſi ad creatorem refertur ille amor , non jam cupiditas ſed charitas erit . Tunc enim eſt cupiditas , cum propter ſe amatur creatura , tunc non utentem adjuvat , ſed corrumpit fruentem*. R. S. Aug. ibi ſumere charitatem lato ſanſu pro amore boni honeſti , ut ipſi familiare eſt . Sic lib. de Grat. Chriſti c. 21. *Quaſi vero*, inquit , *aliud ſit bona voluntas quam charitas* . In Pſ. 136. *Ipſa eſt charitas , quæ dicitur bona voluntas* . Et l. 8. de Trinit. *Quid eſt dilectio vel charitas , niſi amor boni ?* Sic ergo juxta Aug. amor creaturæ , v. g. parentum , uxoris , filiorum , ſecundum dictamen rectæ rationis , eſt charitas dicto ſanſu , & refertur ad Deum. Amor autem creaturæ conſtituendo in ea finem , vel illum prava circumſtantia aut pravo fine inficiendo , eſt cupiditas ; quia non refertur ad Deum , nec etiam virtualiter . Neque enim dici poteſt amorem parentum juxta dictamen rationis, nulla circumſtantia vitiatum , eſſe cupiditatam ; quia tunc non ſolum peccaret amans , ſed ejus amor , utpote cupiditas , foret malus ; quod neque juxta Aug. neque juxta Adverſarios dici poteſt.

Inſt. Aug. l. 3. de Doct. Chriſt. c. 10. definiens charitatem , dicit : *Charitatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipſum , & ſe atque proximo propter Deum* . Ergo . R. Non negamus Aug. ſæpe ſumare charitatam ſtricto ſenſu : ſed negari non poteſt , quin etiam ſæpe ſumat lato ſenſu pro amore boni , ut vidimus. Aliunde non volunt Adverſarii , quod teneamur referre opera noſtra in Deum ex charitate ſtricta ; ut quid ergo urgent ex Aug. charitatem ſtrictam?

Denique ſi primus textus Aug. & quæ illi ſubjicit Adverſarius n. 238. dicens , *quidquid ſit , amore fieri vel creaturæ vel creatoris , & conſequenter cupiditate vel charitate* , Si hæc , inquam , intelligantur de charitate ſtricta & ſupernaturali , ita ut omne , quod non eſt ex charitate ſtricta , ſit ex cupiditate vitioſa ; ſtatim occurrunt ſequentes propoſitiones damnatæ. Prima : *Non ſunt niſi duo amores , unde volitiones & actiones omnes noſtræ naſcuntur ; amor Dei , qui omnia agit propter Deum , quemque Deus remuneratur ; & amor quo nos ipſos ac mundum diligimus , qui quod ad Deum referendum eſt , non refert , & propter hoc ipſum ſit malus*. Eſt 44. inter Queſnellianas . Affines ſunt ſequentes uſque ad 59. Secunda : *Omnis amor creaturæ rationalis , aut vitioſa eſt cupiditas , qua mundus diligitur , quæ a Joanne prohibetur ; aut laudabilis illa charitas , qua*

per

per Spiritum S. in corde diffuſa Deus amatur. Eſt 38. inter Baianas. Tertia: *Omnis humana actio deliberata eſt Dei dilectio vel mundi, ſi Dei, charitas Patris eſt; ſi mundi concupiſcentia carnis, hoc eſt, mala eſt*. Eſt 7. inter damnatas ab Alex. VII.

Ob. 5. Aug. l. 4. cont. Jul. c. 3. alloquens Julianum dicit: *Noveris non officiis, ſed finibus a vitiis diſcernendas eſſe virtutes: Officium eſt autem, quod faciendum eſt, finis vero propter quod faciendum eſt. Cum itaque facit homo aliquid, ubi peccare non videtur, ſi non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur*. Et infra. *Quidquid autem boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri vera ſapientia præcipit, ipſo non recto fine peccatum eſt*. Item infra, quærenti Juliano, ſi Gentilis nudum operuerit; numquid quia non eſt ex fide, peccatum eſt? Reſpondet; *Prorſus in quantum non eſt ex fide, peccatum eſt, non quia per ſeipſum factum, quod eſt nudum operire, peccatum eſt, ſed de tali opere non in Domino gloriari, ſolus impius negat eſſe peccatum*. Ex quibus evidens eſt non ſufficere Aug. ut agens non peccet, quod ejus opus ſit ex objecto bonum, ſed inſuper requiratur ut alia ulteriori relatione referatur in Deum, quæ alia eſſe non poteſt niſi virtualis explicita.

Antequam reſpondeam, obſervo S. Aug. ex his principiis inferre contra Julianum, opera Infidelium eſſe peccata; & eorum virtutes vitia. Si ergo Aug. iſta ſic intellexit, ut neceſſaria ſit relatio explicita, ſine qua homo opus ex objecto bonum agens, peccat, ut intelligunt & volunt Adverſarii, debent admittere hanc illationem, ſcilicet *Omnia opera Infidelium ſunt peccata*, eſſe de mente Aug. aut fateri Aug. male ratiocinatum fuiſſe. Neutrum admittunt. Ergo fateantur neceſſe eſt, ſe non intelligere legitimum ſenſum Aug. Quis ſit autem S. Doctoris ſenſus legitimus in bona luce poſuimus Diſſ. 3. de Gratia c. 3. §. 2. in majori noſtro Opere. Itaque nunc

R. 1. Aug. hæc verba, *Non recto fine, non in Domino gloriari*, & ſimilia, non ſumere contradictorie ſeu negative, ſed contrarie, quaſi diceret. In alio, quam in Domino gloriari, & perverſo fine agere, peccatum eſt; ut videlicet ex negatione affirmatio intelligatur. Quo ſenſu in Scriptura 1. Reg. 18. Saul dicitur non rectis oculis aſpexiſſe Davidem. Ita Aug. interpretantur S. Th. & Eſtius, ut oſtendimus loco cit. de Gratia. Idque manifeſtum eſt ex ipſo Aug. eodem c. 3. cit. *Quia*, inquit, *non fideli, ſed infideli, hoc eſt, STULTA ET NOXIA faciunt voluntate*. Ibid. *Poſſunt ergo aliqua bona fieri, non bene facientibus a quibus fiunt: bonum eſt enim ut ſubveniatur homini periclitanti, præſertim innocenti; ſed ille, qui hoc facit, ſi AMANDO GLORIAM HOMINUM magis, quam Dei facit, non bene bonum facit; quia non bonum facit, quod non bona voluntate facit. Abſit enim ut ſit vel dicatur voluntas bona, quæ IN ALIIS VEL IN SEIPSA, non in Domino gloriatur*.

Ad obſervationem præmiſſam reſponſioni obmuteſcit Adverſarius, cum tamen ſit graviſſimi ponderis: contra vero reſponſionem ſic arguit. Nunquam admiſit Julianus, quod opera ad malum finem relata eſſent bona. Ergo deſuper non fuit controverſia inter Aug. & Julianum. Prob. Ant. Dicit Aug. Juliano: *Jam cernis, ut arbitror, conſequens eſſe ut vera ſit virtus avarorum prudentia, qua excogitant genera lucellorum*. Ex quibus patet, quod virtutes ad malum finem relatas eſſe veras virtutes ſit conſequens quod Aug. deducit ex principio Juliani, non doctrina Juliani. Ergo R. N. Ant. Ad Probat. D. Virtutes ad malum finem relatas eſſe veras virtutes eſt conſequens, quod Aug. deducit ex principio Juliani, & quod negabat Julianus, N. & quod non negabat Julianus, quodque eum admittere ſupponebat Aug. C. & N. Conſeq. Patet tum ex textu Aug. in Reſp. noſtra laudato, ubi impugnando Julianum oſtendit opera facta ex malo fine non eſſe bona. Ut quid enim in hoc deſudaſſet Aug. ſi non admiſiſſet Julianus eſſe bona? Tum ex ipſis verbis objectis & ſequentibus. Dicit enim Aug. *Jam tamen cernis, ut arbitror, conſequens eſſe, ut vera ſit virtus avarorum prudentia, qua excogitant genera lucellorum .... Ergo virtutes iſtæ tali fine turpes atque deformes*, & *ideo nullo modo germanæ veræque virtutes, tibi tamen videantur & pulchræ*, ut (verba ſunt Juliani) *nec nominis ſui poſſint, nec generis ſuſtinere diſpendium .... En quo te tanta abſurditas ſequitur, ut verum cogaris appellare juſtitiam, etiam cum DOMINAM reperis AVARITIAM*. Sic autem Aug. non potuiſſet alloqui Julianum, niſi ſupponendo eum admittere conſequens, quod ex illius principio ducebat. Sit exemplum: v. g. Moliniſta arguens contra Thomiſtam aut Auguſtinianum ex poſitione gratiæ per ſe efficacis deſtrui liberum arbitrium: non poſſet dicere Thomiſtæ vel Auguſtiniano: *Jam cernis, ut arbitror, conſequens eſſe, ut gratia per ſe efficax deſtruat liberum arbitrium. Ergo deſtructio liberi arbitrii per gratiam ex ſe efficacem tibi videtur dogma verum: ex quo te tanta abſurditas ſequitur, ut cogaris appellare dogma verum, quod eſt hæreticum*. Non poſſet, inquam, ſic loqui Moliniſta niſi ſupponendo Thomiſtam aut Auguſtinianum admittere conſequens, ſcilicet ex poſitione gratiæ per ſe efficacis deſtrui liberum arbitrium. Ita in noſtro caſu. Inſuper S. Th. ut jam dixi, intelligit ſicuti nos Auguſtinum. En ejus verba 2. 2. q. 23. a. 8. ad 1. *Aug. dicit in 4. contra Julianum, quod actus Infidelis, in quantum eſt infidelis, ſemper eſt peccatum, etiamſi nudum operiat, vel aliquid hujuſmodi faciat, ordinans ad finem ſuæ infidelitatis*.

Aſt, inquit Adverſarius, S. Th. non dicit concertationem inter Aug. & Julianum fuiſſe de operibus bonis ad malum finem relatis. R. S. Th. dicere Aug. ſcribentem contra Julianum loqui de operibus bonis ad malum finem relatis, quod eſt dicere S. Aug. diſputaſſe contra Julianum de operibus relatis ad malum finem, præſertim ſi attendatur ad ea, quæ dixi in reſponſione. Sed neque hoc ſolum dicit S. Th. in eadem reſp. ad 1. loquens de actu Infidelis procedente ex bono naturæ, non relato ad malum finem, non dicit, quod ſit malus, ſed *bonus ex ſuo genere, non tamen perfecte bonus, quia deeſt debita ordinatio ad ultimum finem*: quæ eſt ſecunda reſponſio noſtra, ut mox videbimus. Sicque S. Th. duplici membro ſuæ reſponſionis concludit totam concertationem inter Aug. & Julianum, quæ fuit & de actibus ex objecto bonis Infidelium ad malum finem relatis, qui ideo ſunt mali; & de iſtis actibus ad malum finem non relatis, qui non ſunt perfecte boni. Sancto Th. quoad interpretationem Aug. adjunxeram celeberrimum Eſtium Doctorem Lovanienſem, de quo ſilet Adverſarius.

Denique noſtram interpretationem eſſe legitimam ulterius conſtat ex hoc, quod Aug. dicat in objectione, quod *ſolus impius* neget eſſe peccatum *non gloriari in Domino* de eleemoſyna. Si enim non ſumat S. D. *non gloriari in Domino* contrarie, pro eo, quod eſt in alio quam in Domino gloriari & ex pravo fine agere, ſed contradictorie, pro eo quod non eſt referre explicite in Deum, ut volunt Adverſarii; ſequitur, quod omnes nobiſcum ſentientes, hoc eſt ferme omnes Doctores Catholici, qui negant eſſe peccatum non referre virtualiter explicite opus bonum in Deum, dicendi ſint impii, quod non admittunt Adverſarii.

Singularius nobis videtur reſponſio Adverſarii ad hanc Inſtantiam. Dicit, quod tempore Aug. nullus Catholicus negabat obligationem relationis explicitæ, ſed omnes Catholici in eam ſententiam conſpirabant, & ideo non dicit Aug. quod eſſet impietas illam negare, ſed quod ſolus impius illam neget: unde non ſequitur, quod nunc dicendi ſumus impii. Fallor, ſi hæc reſponſio non videatur omnibus, exceptis forte Lovanienſibus, paradoxum. Incredibile namque eſt omnes Scholas Catholicas, excepta, quod ſciam, Lovanienſi, receſſiſſe e tot annis in materia præcepti divini a ſententia, in quam tempore Aug. omnes Catholici conſpirabant, & in errorem oppoſitum lapſas eſſe, abſque eo quod vel Eccleſia, vel ſummi Pontifices, vel Epiſcopi reclamaverint. Jucundum foret ſcire ubi, quando, quo Auctore error primum irrepſit in Scholas catholicas.

R. 2. ad principale argumentum. Opera, quæ ſunt ſine fide per dilectionem operante, ex recto tamen fine naturali, vocari ab Aug. peccata lato ſenſu, ſumendo peccatum pro omni eo, quod a fine deficit, & cui deeſt plenitudo ſuæ perfectionis, ſeu ut dicit S. Th. prius cit. pro non perfecte bono, qualia ſunt hujuſmodi opera, quæ cum non fiant ex charitate, ſunt ſterilia ad Regnum Cœlorum. Eodem ſenſu dicit virtutes Philoſophorum non eſſe veras virtutes, ſed vitia, quia licet poſſint eſſe, etſi raro, ſine malo fine, ut admittit Aug. lib. de Spiritu & Litt. non tamen conducunt ad vitam æternam. Loquitur enim Aug. de virtutibus & bonis operibus, non moraliter & ſecundum Philoſophos, ſed prout ſunt meritoria Regni cœleſtis, ſeu ut dicit in eodem cap. 3. *Per quæ ſolum homo poteſt ad æternum Dei donum, regnumque perduci*.

Contra hanc reſp. ſic arguit Adverſarius. Julianus concedebat ſua bona opera non eſſe meritoria vitæ æternæ. Ergo Aug. non agit de illis, ut meritoriis. R. D. Conſeq. Non agit de illis, ut meritoriis, id eſt ut probet non eſſe meritoria, C. Id enim concedebat Julianus, ut probet non debere dici abſolute bona, N.

Inſt. Si S. Aug. fuiſſet noſtræ ſententiæ, Julianus potuiſſet illi reſpondere ipſa opera poſſe aliquo ſenſu dici bona; id enim nos dicimus. R. Id etiam concedi Juliano ab Aug. in fine capitis, ut mox videbimus. Et numquid ipſi Adverſarii concedunt hujuſmodi opera eſſe aliquo ſenſu bona?

Reponit. Aug. Ibid. dicit: *Fieri non poteſt, ut ſteriliter boni ſimus*. Ergo ſi iſta opera ſunt bona, ſunt meritoria. R. D. Conſeq. Si iſta opera ſunt bona bonitate ſupernaturali ad ſenſum Aug. ſunt meritoria, C. Si ſint bonitate morali tantum, Subdiſtinguo, ſunt meritoria mercedis temporalis, C. Æternæ, N.

Verum rem peremptorie dirimit Aug. Ipſe in fine hujus c. 3. concludens totam ſuam Diſſertationem cum Juliano

no

no verbis ſequentibus, quæ vix attigit Adverſarius; *Breviter*, inquit S. D. *accipe, ne forte cum in rebus ipſis tantum erres, quantum errari plurimum poteſt, videar tecum certare de verbis... Quoniam ſalutem concedis opera infidelium, quæ tibi eorum videatur bona, non eos ad ſalutem ſempiternam regnumque perducere: Scito nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum, ſine Dei gratia quæ datur per unum Mediatorem Dei & hominum, nemini poſſe conferri, per quod ſolum homo poteſt ad æternum Dei donum regnumque perduci. Omnia proinde cætera, quæ videntur inter homines habere aliquid laudis, videantur tibi veræ virtutes, videantur opera bona, & ſine ullo peccato facta... dicantur ſecundum te hujuſmodi voluntates arbores bonæ, ſufficit, quod apud Deum ſteriles ſint, ac per hoc non bonæ.* Quibus verbis luce clarius patet S. Aug. hoc unum contendere contra Julianum, opera & virtutes Infidelium, quæ non referuntur ad malum finem, hoc ſenſu non eſſe bona, quia ab ordine vitæ æternæ deficiunt, eoque ſenſu dici peccata & vitia; quia eis deeſt ſuæ perfectionis plenitudo. hoc vero conceſſo permittere ut ſecundum alium ſenſum dicantur bona & virtutes. Quædam leviora, quæ ex ſæpe cit. cap. 3. opponuntur, omitto, quia ex dictis facile ſolvuntur. Tandem hoc præceptum referendi explicite omnes actiones ſuas in Deum concludit & infert Adverſarius non eſſe intolerabile, ut objeceram, ex eo quod conſilium de eadem relatione, me concedente, non ſit intolerabile. At fallitur vir eruditus. Poteſt enim conſilium de re difficili eſſe tolerabile, & præceptum de eadem re intolerabile, quia adſtringit præceptum, non conſilium. Sic conſilium de caſtitate perpetua, de paupertate & obedientia religioſa, eſt tolerabile, præceptum autem foret intolerabile.

Plura alia hanc Quæſtionem ſpectantia, & hic omiſſa, requirenda ſunt in prima & ſecunda ejus editione typis impreſſibus. Hic enim mihi una mens fuit reſpondere R. P. MAUGIS.

DISSERTATIO

DE MOTIVIS CREDIBILITATIS RELIGIONIS CHRISTIANÆ ADVERSUS INCREDULOS VULGO DEISTAS.

INCREDULI ſeu Deiſtæ dicuntur, qui ens ſupremum ſeu verum Deum agnoſcunt, ſed negant eum quidquam revelaſſe hominibus, ideoque Religionem Chriſtianam cum ſuis myſteriis figmentum humanum reputant. Volunt autem in his, quæ ſive Deum, ſive alios ſpectant, ſola ratione duci, eamque unam in omnibus & veritatis & vitæ regulam ac Judicem agnoſcunt. Hinc in varias abeunt adinventiones. Quidam cenſent animam rationalem eſſe materialem, ideoque negant ejus immortalitatem, qui dicuntur *Materialiſtæ*; alii animam rationalem ſpiritualem & immortalem agnoſcunt. Quidam negant providentiam divinam circa res humanas, Deumque mala punire aut bona præmiare; alii contra ſentiunt. Quidam juſtitiam & injuſtitiam non niſi verba reputant, ſummamque Regulam in propria utilitate reponunt. Alii creaturam rationalem certis officiis erga Deum & æquales ſecundum dictamen rationis ſubjiciunt. Nec mirum ſi ſic inter ſe ſcindantur, cum enim, ut dixi, unam rationem pro duce & regula habeat, quiſque pro nutu ſuæ rationis ſyſtema ſibi cudit.

Adverſus hunc peſtilentiſſimum errorem totius Religionis everſivum, & his temporibus invaleſcentem, plurima atque eruditiſſima prodierunt ſcripta, quibus varia ejus ſyſtemata efficaciter impugnantur, & error penitus profligatur. Verum ego compendio intendens in gratiam ſtudioſæ Juventutis rem puto me ſufficienter confeciſſe, ſi invicte probavero Religionem Chriſtianam eſſe divinam, a Deo revelatam atque inſtitutam: hoc enim poſito, palam ſequitur omnia, quæ proponit credenda, ut ſunt myſteria SS. Trinitatis & Incarnationis. Providentia divina circa res humanas, immortalitas animæ, Leges morum, peccatum originale, æternitas pœnarum, reſurrectio mortuorum, Sacramenta, &c. eſſe vera, eiſque certam & indubitatam Fidem eſſe adhibendam, non obſtante eorum incomprehenſibilitate; Deus enim nec falli nec fallere poteſt, ut concedunt ipſi Deiſtæ; ſicque evaneſcunt omnia illorum & figmenta & ſophiſmata. Et cum hi ſolam rationem audiunt, etiam ſola ratione eos impugnabo, exponendo præcipua motiva credibilitatis Religionis Chriſtianæ, quibus nemo, niſi humanæ rationis lumen in ſe extinguat, reſiſtere poteſt.

Sic ergo argumentor. Ratio ſuadet, imo cogit, niſi ſit prorſus inverſa & turbata, agnoſcere hanc Religionem eſſe veram, a Deo revelatam & inſtitutam, quam 1. Prophetæ longe antea prænuntiarunt. 2. Quam ejus Auctor & illius cooperatores pariter Propheticis adimpletis & patentiſſimis miraculis confirmarunt. 3. Denique quæ ſola virtute divina contra omnes humanæ prudentiæ Leges eſt nata, adulta, & per orbem univerſum propagata. Atqui hæc eſt Religio Chriſtiana. Ergo. Majorem negare non poſſunt Deiſtæ, tria enim aſſignata ſunt evidentiſſima Divinitatis argumenta. Sola ergo Minor eſt probanda. Unde in ejus probationem ſit

ARTICULUS I.

Vaticinia Prophetarum de Religione Chriſtiana & ejus Auctore.

VATICINIA Religionis Chriſtianæ continentur in libris Moyſis & aliorum Prophetarum. 1. Deus locutus eſt Moyſi, eique Religionem Judaicam revelavit, ut patet Exod. 19. Porro ſi Religio Judaica ſit vera & revelata; Ergo Chriſtus eſt Meſſias. Ergo Religio Chriſtiana, quam inſtituit, & cujus Religio Judaica erat fundamentum, eſt vera & revelata. 2. In libris Moyſis & Prophetarum prænuntiatur Meſſias, ejus nativitas, locus, tempus nativitatis, vita, doctrina, opera, miracula, paſſio, mors, reſurrectio, & alia huc ſpectantia, vocatio gentium, rejectio Judæorum, abolitio Templi & Sacrificii, ſubſtitutio novæ Legis & novi Sacrificii, &c. Atqui hæc omnia adamuſſim verificata ſunt de Jeſu Nazareno Auctore Legis Chriſtianæ. Ergo ipſe eſt Meſſias: ergo vera & divina ejus Religio.

Prob. Min. 1. Noſter Chriſtus natus eſt adempto ſceptro a Juda juxta Vaticinium Jacob, Gen. 49. Tempore ſtatuto in 70. hebdomadibus Danielis, Daniel. c. 9. Ante deſtructionem ſecundi Templi ut prædixerant Aggæus c. 2. & Malachias c. 3. 2. Natus eſt in Bethleem ut prænuntiatum erat Mich. 5. Ex Tribu Juda & Familia David, Iſa. 11. Ex Virgine, Iſa. 7. 3. Adventum ejus præceſſit, qui pararet vias ejus, Malach. 3. 4. Fecit miracula ut prædixerat Iſa. c. 61. 5. Venditus eſt 30. argenteis, quibus emptus eſt ager figuli, ut prædixit Zachar. c. 11. 6. Conſpuitur & cæditur in faciem, Iſa. 50. 7. Flagellatus fuit, Pſ. 34. & 158. 8. Manus & pedes ejus fuerunt perforati Pſ. 21. 9. Fuit crucifixus inter Latrones, Pſ. 53. Diviſa ſunt ejus veſtimenta, miſſa ſorte in togam, Pſ. 21. Pendens in cruce fuit felle potatus, Pſ. 68. Eo moriente ſol deliquium paſſus eſt, Amos c. 8. Reſurrexit, Pſ. 3. Aſcendit in Cœlum, Pſ. 67. Miſit Spiritum S. Joel 2. 10. Vocavit per Apoſtolos Gentes ad ſuam Religionem, & Idololatriam deſtruxit, ut prædictum erat Geneſ. 20. 22. & 40. Iſa. 2. 19. & 49. Zachar. 13. & alibi. 11. Novum Sacerdotium ſubſtituit Levitico, novam Legem legi Moſaicæ, ac tandem Judæos rejecit, ut prænuntiatum eſt paſſim in Prophetis, Iſai. Jerem. Oſe. Amos, Mich. Hæc omnia latius expoſita require in priori noſtro Opere Tract. de Incarn. Diſſert. 2. a. 3.

Quid ad hæc Deiſta? Dicet ne Moyſen eſſe fabulatorem & impoſtorem, qui falſa & ficta pro veris fraudulenter venditavit Iſraelitis? Sed contra 1. Moyſes eorum, quæ narrat, ipſos Iſraelitas teſtes oculatos appellat. Narrat plagas Ægypti, Iſraelitis videntibus innoxias. Narrat ipſos tranſiiſſe incolumes per mare rubrum, Ægyptiis in eo ſubmerſis. Narrat manna cœlitus ipſis datum per 40. annos, per id tempus eorum veſtes fuiſſe detritas. Narrat Legem ipſis divinitus datam in Monte Sinai inter fulgura & tonitrua. Narrat ſe in eorum ſublevamen eliciuiſſe fontem de rupe, Dathan & Abiron, ipſis ſpectantibus, vivos in terra fuiſſe abſorptos, ut prædixerat; legi duriſſimæ ipſos ſubjicit, etiam ſub pœna mortis in certis capitibus. Narrat ſe juſſiſſe occidi per Levitas 25000. hominum propter Idololatriam & plura alia. Si ergo hæc omnia falſa ſunt, & Moyſes pro veris fraudulenter venditavit Iſraelitis, neceſſe eſt Moyſen fuiſſe ſtultum, qui ſperaret ſe poſſe perſuadere Iſraelitis eos vidiſſe, quæ non viderant, & inde eos legi duriſſimæ ſubjiceret; Iſraelitas pariter fuiſſe ſtultos, qui crederent ſe vidiſſe, quæ non viderant, & inde ſe ſubjicerent legi duriſſimæ. 2. In memoriam factorum & prodigiorum, quæ narrat Moyſes, inſtituta fuerunt tunc Feſta & Sacrificia, quæ etiam nunc ſcrupoloſe ſervantur a Judæis. Quis autem credet Gentem integram inſtituiſſe Feſta & Sacrificia pro eventibus ſibi non certo notis aut fabuloſis, & ea per tot ſæcula tam religioſe obſervare? 3. Moyſes non ſolum facta & prodigia narrat, ſed multa prænuntiat futura, quæ ex ſola Dei voluntate pendent, & quæ fuerunt adimpleta: ſimiliter alii Prophetæ. Non eſt autem impoſtoris nec cujuſvis alterius hominis prædicere futura, quæ ex ſola Dei voluntate pendent.

Reponet forte neque Moyſen neque Prophetas unquam exti-

Digitized by Google

extitiſſe; aut ſi extiterint, libros, qui ipſis tribuuntur, non eſſe ipſis proprios, ſed poſt natum Chriſtianiſmum ab aliquo impoſtore fuiſſe fabricatos. Sed contra 1. Tam certum eſt extitiſſe Moyſen & Prophetas & ſcripſiſſe ea, quæ ipſis tribuuntur, quam certum eſt extitiſſe Cyrum, Alexandrum, Cæſarem, Ciceronem, Virgilium, & Scripta, quæ eis tribuuntur eſſe ipſis propria. De his autem nullus dubitat propter conſtantem traditionem, cui nihil opponi poteſt. Ergo nec de illis dubitare licet. Item tam certum eſt Moyſen & Prophetas extitiſſe, & opera, quæ eorum nominibus inſcribuntur, eſſe ab illis ſcripta, quam certum eſt extitiſſe & nunc exiſtere Gentem Judaicam, quæ illos ut Prophetas & Sanctos ſemper coluit & colit, & eorum Scripta ut divina ſumma diligentia ſemper cuſtodivit & cuſtodit. Exiſtere autem & extitiſſe Gentem Judaicam ante ortum Chriſtianiſmum univerſo orbi notum eſt. 2. Ariſtæus, unus ex Legatis Ptolemæi ad Eleazarum Summum Judæorum Pontificem, cujus liber extat in Bibliotheca Patrum Tom. 7. Joſeph & Philo uterque Judæus referunt vetus Teſtamentum ex Hebræo Græcum fuiſſe tranſlatum a 70. Interpretibus ſub Ptolemæo Rege Ægypti 200. annis ante Chriſtum natum. Item Hiſtorici prophani, Cicero, Phlegon, Tacitus, Suetonius, Saluſtius, Quintus Curtius mentionem faciunt de Lege, Templo, & Bellis Judæorum. 3. Qua arte iſta Impoſtor potuiſſet perſuadere Judæis hanc eſſe Hiſtoriam & legem ſuæ Gentis divinitus traditam, de qua nihil unquam audiviſſent, quæque multa illis probroſa continet & duriſſima præcipit, atque ab eis obtinere tam ſcrupuloſam hujus legis duriſſimæ obſervantiam, qualem nunc etiam profitentur? Quiſquis ſane id tentaſſet, dubio procul ceu Fanaticus a Judæis habitus fuiſſet. 4. Si vetus Teſtamentum ſit opus recentis Impoſtoris, idem dicendum erit de novo, cum iſtud non ſit niſi explicatio & adimpletio veteris, Chriſtuſque ſæpe provocet Judæos ad Moyſen & Prophetas veteris Teſtamenti. 5. Dicant Deiſtæ quis fuerit iſte Impoſtor, cujus conditionis, generis, & Religionis? An Judæus, an Samaritanus, an Chriſtianus? Si Judæus, nihil obtinuiſſet a Samaritanis Judæorum hoſtibus infenſiſſimis. Similiter ſi Samaritanus reſpectu Judæorum. Inſuper nunquam inſeruiſſet in his libris, quæ nationi Judaicæ & Samaritanæ adeo ſunt ignominioſa, eorum ſcilicet crimina, ingratitudines, idololatriam, & puniones; ſi Chriſtianus, quomodo a Judæis & Samaritanis hoſtibus pariter Chriſtianorum infenſiſſimis acceptus fuiſſet?

Item dicant, quo tempore, quo anno, in qua parte mundi apparuit iſte Impoſtor, quos 1. decepit, quomodo Judæi, Samaritani, Chriſtiani toto orbe diſperſi ſtatim & ſimul fuerunt inſtructi exemplaribus omnium iſtorum librorum, in omni lingua, Hebraica, Syriaca, Chaldaica, Græca, prout erant naſcente Chriſtianiſmo. Ad hæc obmuteſcunt Deiſtæ. Agnoſcant ergo ſua figmenta, & ſeipſos prodere Impoſtores, dum ficti Impoſtoris cauſam agunt.

Maneat itaque inconcuſſum libros Moyſis & Prophetarum eſſe genuina ipſorum opera, vaticinia, quæ continent de Religione Chriſtiana & ejus auctore, eſſe divina & revelata, conſequenter Religionem Chriſtianam eſſe veram, divinam, & revelatam; nullum quippe eſt efficacius argumentum veritatis alicujus doctrinæ quam vaticinia de illius Auctore & veritate, ſi quidem nullus niſi Deus, aut divino Spiritu afflatus poſſit diu ante futura contingentia, quæ ex ſola Dei voluntate pendent, cum omnibus ſuis circumſtantiis prædicere, juxta illud Iſa. 41. *Annuntiate quæ ventura ſunt, & ſciemus quia Dii eſtis.*

Si opponas Paganiſmum etiam habuiſſe ſua oracula. R. 1. Nulla unquam oracula ſive a Sacerdotibus Idolorum, ſive a Pythonibus, ſive a Dæmonibus per idola prodiiſſe de eventu futuro, qui ex ſola Dei voluntate pendeat, ſicut oracula Chriſtianiſmi, ſed fuiſſe vel de eventibus recentibus alibi jam peractis, aut quæ ipſi facturi erant, vel de futuris naturalibus quæ ex circumſtantiis conjecturaliter prænuntiabant, & ideo de illis ipſe Cicero l. 2. de Divinat. dicit, quod erant *Partim falſa, partim caſu vera*, 2. Oracula, quæ futurum ſpectabant, erant ambigua, ita ut quidquid eveniſſet, verificarentur. Tale fuit oraculum Apollinis Delphici datum Crœſo Regi Lydiæ, quod *Si tranſiret flumen Halys magna regna perderet*: An ſua, an aliena, hoc reſtabat divinandum. Item iſtud ejuſdem Apollinis datum Pyrrho conſulenti de eventu belli contra Romanos: *Aio te Æacida Romanos vincere poſſe*, quod æque ſignificat Græcos poſſe vinci a Romanis, ac Romanos poſſe vinci a Græcis. 3. Hæc Paganiſmi oracula ceſſarunt naſcente Chriſto & proficiente Chriſtianiſmo. Suidas verbo Auguſtus, Suetonius in Octavio, Nicephorus l. 1. c. 17. referunt Apollinem Delphicum, poſtquam diu mutus manſiſſet, tandem Cæſari Auguſto ipſum conſulenti coactum fuiſſe reſpondere ſic,

Me puer Hebræus, divos Deus ipſe gubernans,
Cedere ſede jubet, triſtemque redire ſub orcum,
Aris ergo dehinc tacitis abſcedito noſtris.

Notum eſt Apollinem Daphniticum in ſuburbio Antiochiæ diu pariter obmutuiſſe non obſtantibus Sacrificiis iteratis Juliani Apoſtatæ, ac tandem illi reſpondiſſe cauſam ſui ſilentii eſſe quoſdam mortuos in vicino loco ſepultos: hi autem erant SS. Martyres, inter quos S. Babylas.

Tertullianus in Apolog. affirmat quemlibet Chriſtianum primo occurrentem poſſe reddere Dæmones mutos & eos e corporibus ejicere, provocatque Romanos, ut experimentum faciant, & conſentit hunc Chriſtianum morti addici, ſi deficiat. Pariter Lactant. l. de vera Sap. refert omnem Chriſtianum ſigno crucis Dæmones mutos efficere, & e corporibus expellere.

ARTICULUS II.

Miracula Chriſti & Apoſtolorum, item promiſſiones Chriſti adimpletæ in confirmationem Religionis Chriſtianæ.

§. I. Quædam Quæſtiones circa miracula breviter reſolvuntur.

PEtes 1. Quid ſit miraculum? (1. *p. q.* 110. a. 4. 2.) Miraculum eſt effectus omnipotentiæ divinæ contra leges communes & ſupra omnes vires totius naturæ, ſeu, ut dicit S. Th. præter ordinem totius naturæ. Unde neque Angeli, neque Dæmones, neque ulla quævis creatura poteſt propria virtute facere verum miraculum, ſed ſolus Deus, qui cum condendo naturam illi libere Leges conſtituit, ſic ſolus illis poteſt ad nutum derogare. Neque inde ſequitur, quod Deus mutetur, ut ſtupide fingit Spinoſa; non enim mutat voluntatem faciendo miraculum, ſed facit in tempore, quod ab æterno decrevit facere. Quando ergo (*Ib. ad* 1. *&* 2. 2. *q.* 178. a. 1. *ad* 1.) Angeli vel Sancti dicuntur facere miracula, non eſt ſenſus, quod habeant in ſe virtutem habitualiter permanentem faciendi miracula: cum enim principium operandi miracula ſe extendat ad omnia, quæ ſupernaturaliter fieri poſſunt, nihil eſt aliud quam omnipotentia divina, quæ nulli creaturæ communicari poteſt: & aliunde ſequeretur, quod poſſent facere miracula quando vellent, quod eſt falſum. Patet ex interrogatione Apoſtolorum Matth. 17. *Quare nos non potuimus ejicere illum?* ſcilicet Dæmonem. Item Eliſæus non potuit ſuſcitare filium viduæ per ſui baculi applicationem, Item Paulus petiit a ſe removeri ſtimulum carnis, nec obtinuit. Senſus eſt ergo, quod ad eorum ſive poſtulationem, ſive vocem, ſive contactum alicujus ad ſe pertinentis, Deus operetur miraculum, utens iis rebus tanquam inſtrumentis.

Petes 2. Utrum omnia, quæ videntur aut dicuntur miracula, ſint vera & proprie dicta miracula? R. negative. (*Ibid.* a. *a.* 2. *o.*) Quædam enim non ſunt vera facta, ſed phantaſtica, quibus ludificatur homo, ut videatur aliquid quod non eſt. Quædam ſunt quidem vera facta, ſeu veræ res, ſed non habent rationem veri miraculi, quatenus fiunt virtute aliquarum cauſarum naturalium nobis ignota, & ideo non dicuntur miracula ſimpliciter, ſed quoad nos tantum. Hæc duo facere poſſunt Dæmones, & Magi ope Dæmonum. Hujuſmodi fuerunt miracula Magorum in Ægypto, & erunt miracula Anti-Chriſti, de quibus Apoſt. dicit 2. Theſſal. 2. quod ejus adventus erit *Secundum operationem Satanæ in omni virtute & ſignis & prodigiis mendacibus*. Solus autem Deus, ut dixi, facit vera miracula, quæ omnem totius naturæ virtutem ſuperant.

Petes 3. Quomodo dignoſci poteſt aliquod miraculum eſſe factum virtute divina, & non virtute naturæ nobis ignota; ideoque eſſe verum miraculum? R. triplicem eſſe regulam. Pro 1. ſuppono eſſe quoſdam effectus, qui communi & conſtanti ſenſu omnium hominum cujuſvis temporis & nationis reputantur ſuperare omnes totius naturæ vires & vere miraculoſi, qualis eſt v. g. reſurrectio mortui; quovis e loco, quovis tempore reſurgat homo vere mortuus, ut erat v. g. Lazarus, nemo eſt, qui non reputet verum & proprie dictum miraculum; unde illud Cæci nati Joan. 9. *A ſæculo non eſt auditum quia aperuit quis oculos Cæci nati. Niſi eſſet hic a Deo, non poterat facere quidquam.* Hoc ſuppoſito, dico: Quando eſt talis effectus, qui communi & conſtanti ſenſu omnium hominum cujuſvis temporis & nationis cenſetur miraculoſus, certo tenendum eſt eſſe verum miraculum; quia hic ſenſus tam conſtans & tam univerſalis omnium hominum cujuſvis temporis & nationis, attenta infinita Dei bonitate, ſapientia, & veracitate, non poteſt eſſe falſus; alioquin Deus, qui eſt Auctor ſenſus communis & rationis, aut nos deciperet, aut permitteret nos decipi, abſque eo quod ullo medio poſſemus dignoſcere errorem & ab eo liberari, quod repugnat infinitæ ejus bonitati, ſapientiæ, & veracitati, maxime ſi ſit error circa aliquod dogma.

Pro 2. regula ſuppono vera miracula eſſe teſtimonia divina alicujus veritatis inducendæ aut confirmandæ. Hoc ſuppoſito dico: Miraculum factum in nomine Dei Creatoris in aſſertionem alicujus dogmatis nunquam poteſt eſſe falſum, nec inducere in errorem. Quia infinitæ Dei boni-

bonitati, ſapientiæ, veracitati repugnat 1. quod permittat ſuum nomen interponi ad ſubſtituendum falſum miraculum pro vero; 2. quod patiatur ſuum nomen adduci in teſtem mendacii, ex quo homines neceſſario & invincibiliter inducerentur in errorem contra id, quod debent Deo, & eſt neceſſarium ſuæ ſaluti. Nihil enim habent homines quod opponant miraculo facto in nomine Dei Creatoris in atteſtationem alicujus dogmatis.

Tertia regula. Dignoſcuntur vera miracula ex doctrina & moribus eorum, qui illa operantur, & e effectibus ſingularibus & permanentibus, qui ex his miraculis ſequuntur: ſi nempe qui operantur miracula, tradant doctrinam Deo honorificam, rectæ rationi conformem, bonos mores inducentem, & vitæ ſociali adfaventem, ſi iidem vitam & mores ad hujus doctrinę normam accurate componant: denique ſi ex his miraculis ſequantur permanenter cultus ſupremi numinis, everſio cultus Dæmonum, reformatio morum conformitar ad rectam rationem, concordia civium & vita ſocialis: impoſſibile eſt enim, quod hujuſmodi miracula fiant Auctore Dęmone in ſui perniciem. Hęc regula deſumpta eſt ex Origene lib. 2. contra Celſum.

Petes 4. Unde dignoſci poſſit factum miraculoſum, quod narratur, non eſſe ſuppoſitum & fabuloſum? R. Tunc cenſeri verum & non ſuppoſitum 1. Quando eſt factum exterius, oculis vel auribus pervium. 2. Quando eſt factum coram multis videntibus ſeu audientibus attentis, & omnes facti circumſtantias mature perpendentibus. 2. Quando in memoriam hjus facti tunc erecta ſunt monumenta publica & opere impoſita quæ perdurant. Ex his, inquam, conditionibus ſimul poſitis certo eruitur veritas facti.

§. II. *Facta ſunt vera miracula in confirmationem Religionis Chriſtianæ.*

JAM dixi de miraculis Moyſis in confirmationem Legis a Deo ipſi traditæ, quæ erat fundamentum Legis Evangelicæ. Miracula, facta a Chriſto & Apoſtolis in confirmationem Religionis Chriſtianæ continentur in libris novi Teſtamenti, ſcilicet 4. Evangeliis SS. Matth. Marci, Lucæ, & Joannis, Epiſtolis SS. Pauli, Judæ, Jacobi, & Joannis, & in Actis Apoſtolorum a S. Luca ſcriptis.

Tria nobis hic præſtanda ſunt adverſus incredulos. Primum, hos libros eſſe genuinos Apoſtolorum, quorum nomina referunt. Secundum, facta quæ narrant eſſe vera. Tertium, eſſe vera miracula.

PRIMUM.

Libri novi Teſtamenti non ſunt ſuppoſiti.

HOS libros non eſſe ſuppoſitos ſed proprios eorum, quorum nominibus inſcribuntur, conſtat; 1. Ex fide publica & conſtanti traditione, quæ ſemper ſuis Auctoribus illos adjudicavit, nemine unquam, ſive ex Judæis, ſive ex Paganis, ſive ex Hæreticis reclamante, quamvis maxime illorum intereſſet id denegare. Hujuſmodi autem Fidei publicæ & conſtanti traditioni certa Fides adhibetur, niſi contrarium evincat peremptoria ratio, quæ deeſt Incredulis.

2. Dicant Deiſtæ, ſi hi libri non ſint Apoſtolorum, quis illos fabricavit, & quo tempore; an viventibus Apoſtolis, an poſt illorum mortem? Non ipſis viventibus, alioquin certo contra fraudem reclamaſſent. Non poſt eorum mortem, nam extant opera SS. Ignatii, Clementis, Polycarpi, qui cum Apoſtolis vixerunt, item opera SS. Juſtini & Irenæi, qui fuerunt diſcipuli priorum Diſcipulorum Apoſtolorum, & hi omnes libros novi Teſtamenti adſcribunt Apoſtolis, & ſic omnes deinceps uſque ad nos. Item dicant qua arte iſte fabricator potuit perſuadere Romanis, Corinthiis, Galatis, Epheſiis, Theſſalonicenſibus, & Philippenſibus Epiſtolas, quæ nomine S. Pauli inſcribuntur, fuiſſe ab eo ſcriptas, & ad ſe directas, de quibus nihil unquam audiviſſent?

3. Hi libri continent Religionem, qua nulla eſt ſublimior, nulla purior, nulla ſanctior, nulla auſterior, ergo non ſunt opus alicus impoſtoris. Item continent veritates & myſteria, quæ ſuperant captum rationis humanæ, & quæ proinde ab ipſa attingi & excogitari non potuerunt abſque revelatione, ut ſunt myſteria SS. Trinitatis & Incarnationis, Peccatum originale, Reſurrectio mortuorum, &c.

SECUNDUM

Facta quæ narrant ſunt vera.

CONSTAT 1. Quia alioquin facile & aperte mendacii argui potuiſſent. Ea enim narrant in medio Jeroſolymæ, ubi plurima fuerunt peracta, & paucis poſt annis ab eorum eventu, ita ut tot teſtes mendacii habuiſſent, quot adhuc erant tunc homines a morte Chriſti ſuperſtites. Matthæus enim ſcripſit Evangelium 9. circiter annis poſt Chriſti mortem, deinde cæteri.

2. Quia pro aſſerenda veritate eorum, quæ narrant, mortem oppetiere. Nemo autem eſt adeo ſtultum, ut mortem oppetat pro aſſerendo facto, quod ſcit eſſe falſum, niſi aliquid melius poſt mortem ſperet; quid autem melius poſt mortem ſperare poterant impoſtores?

3. Plurima ex his factis agnoverunt vera ipſi Chriſtianę Religionis hoſtes, Judæi & Pagani. In primis quotquot ex Judæis & Paganis amplexi ſunt Religionem Chriſtianam, ea omnia indubie, ut vera, agnoverunt. Hi, autem ſunt & fuerunt innumeri ex omni gente & conditione. Suetonius de Imperatore Claudio c. 44. narrat edicto hujus Imperatoris pulſos fuiſſe Roma Judæos qui ſequebantur Religionem Chriſti, quod factum legitur in Actis Apoſt. c. 18. Tacitus Annal. l. 15. c. 44. refert Chriſtum ſubiiſſe mortem ſub Pontio Pilato Judææ Gubernatore, imperante Tiberio, prout refertur in Evangelio. Celſus, quo nullus fuit infenſior Religionis Chriſtianæ adverſarius, agnoſcit Chriſtum ſanaſſe claudos & cæcos: En ejus verba apud Orig. qui illum impugnavit, l. 2. cont. Celſ. *Credidiſtis ipſum eſſe Dei Filium, eo quod claudos & cæcos ſanavit.* Similiter Julianus Apoſtata apud Cyril. l. 6. fatetur Chriſtum ſanaſſe claudos & cæcos, & liberaſſe energumenos. Phlegon, qui florabat in aula Adriani Imperatoris circa medium 2. ſæculi in Hiſt. Olympiad. l. 13. refert eclypſim ſolis & terræ motum, qui contigerunt moriente Chriſto, ut legimus Matth. c. 27. Thallus alter Paganus antiquior Phlegona l. 3. Hiſtor. Syriac. narrat hanc eclypſim contigiſſe anno 18. imperii Tiberii quo paſſus eſt Chriſtus. Hæc duo teſtimonia Plegonis & Thalli ſimul juncta maxime urgebant Origenes, Tertullianus, Minutius Felix, S. Juſtinus & alii contra Celſum, Porphyrium, & Julianum, qui ad hæc obmuteſcebant.

4. Conſtat de veritate iſtorum factorum ea regula §. præcedenti poſita. Hæc enim facta ſunt exteriora oculis & auribus pervia; facta ſunt coram multis videntibus vel audientibus, attente & mature omnes circumſtantias perpendentibus. Denique in eorum memoriam inſtituta ſunt monumenta publica, ſcilicet Feſta ſolemnia, quæ ab exordio uſque nunc permanent & impoſitæ obligationes, ſcilicet Legis Evangelicæ. Hæc autem veritatem factorum aſſerunt, ut dictum eſt.

TERTIUM.

Iſta facta ſunt vera miracula.

PROB. ex triplici regula §. 1. poſita & aliis momentis. 1. Inter illa facta plura ſunt, quæ juxta conſtantem & univerſalem omnium hominum ſenſum ſuperant vires totius naturæ, & habentur pro veris miraculis, ut ſunt ſuſcitatio Lazari, & filiæ Jair, ipſa Chriſti Reſurrectio, multiplicatio 5. panum, quibus ſatiantur 5. millia hominum, miſſio Spiritus S. ſubita tranſmutatio Diſcipulorum in alios viros, donum linguarum & miraculorum eis conceſſum &c. Hæc, inquam, & ſimilia juxta communem omnium ſenſum habentur pro veris miraculis, ergo talia ſunt; ſenſus enim communis omnium hominum non poteſt eſſe falſus, ut dictum eſt.

2. Omnia iſta miracula facta ſunt a Chriſto & Apoſtolis in nomine Dei in atteſtationem dogmatum Religionis Chriſtianæ. Ergo non poſſunt eſſe falſa nec inducere in errorem, ut fert 2. Regula.

3. Chriſtus & Apoſtoli eorumque Succeſſores, qui hæc miracula patrarunt, tradebant Doctrinam Deo dignam, rectæ rationi conformem, bonos mores inducentem, & vitæ ſociali faventem. Vitam ſuam & mores ad hujus doctrinæ normam adamuſſim componebant, & ex eorum miraculis innumeri homines omnium nationum facti ſunt & permanent eorum doctrinæ Sectatores, eorum vitæ imitatores, ſupremi numinis religioſi cultores, charitate inter ſe concordes, dæmonum hoſtes & victores. Impoſſibile eſt autem, ut dictum eſt in 3. Regula, hęc miracula facta fuiſſe auctore dæmone in ſuæ dominationis deſtructionem.

4. Quotquot ex Judæis & Paganis Religioni Chriſtianæ nomen dederunt, hæc facta ut vera miracula agnoverunt. Inter illos autem erant viri maximæ eruditionis & perſpicaciſſimi ingenii, ut S. Juſtinus Martyr, Lactantius, Arnobius, Minutius Felix, Quadratus, Ariſtides, Melito, Athenagoras, &c. Hi, inquam, & alii, non niſi explorata veritate miraculorum per accuratum examen, ut momentum rei exigebat, antiquam Religionem ſenſibus faventem exuerunt, ut novam ſenſibus plane repugnantem induerent, & pro ea plurimi mortem ſubirent. Quis porro ſanæ mentis hujuſmodi teſtibus fidem non adhibeat potius quam heſternis quibuſdam incredulis, qui non niſi ex pravitate cordis, & nulla fulti ratione, miracula noſtra impugnant? Adde, quod ipſimet Imperatores Pagani veritatem miraculorum Chriſti agnoverint

rint & venerati ſint. His motus Tyberius Chriſtum detulit Senatui, ut numero Deorum adſcriberetur, quod abnuit Senatus eo quod non eſſet Auctor hujus Conſilii. Ita refert Tertull. in Apologetico ipſi ſenatui Romano oblato. Lampridius Auctor Paganus in vita Alexandri Severi narrat Imperatorem Adrianum plura Templa abſque idolis erexiſſe eo animo, ut illa Templa Chriſto conſecraret, ſed a propoſito fuiſſe deterritum, ne, ſi id faceret, omnia alia Templa delererentur, & omnes Chriſti Religionem amplecterentur, prout reſponderant oracula.. Refert iterum idem Lampridius ibid. Alexandrum Severum habuiſſe in ſuo Palatio Oratorium, in quo Chriſtum adorabat & illi Sacrificia offerebat.

5. Non ſolum Apoſtoli miracula Chriſti, ut vera narrant, & ſe pro eorum veritate afferenda morti & ſuppliciis offerunt, ſed inſuper teſtantur ſe ab eo accepiſſe virtutem faciendi vera miracula. Vel ergo fecerunt vera miracula, vel non. Si fecerint, nobis ſufficit; ſi non fecerint, Ergo ſponte ſe pro impoſtoribus palam exhibebant. Quis credat? Niſi ſupponat illos fuiſſe omninu mente captos. Omitto innumera alia miracula, quæ Succeſſores Apoſtolorum & ſancti Viri invocato Dei vel Chriſti nomine, quovis tempore & ubique fecerunt in confirmationem Religionis Chriſtianæ. Plurima referant SS. Ambroſius, Aug. Gregor. Annales Eccleſ. & alii probati Auctores. Item nullus declaratur Sanctus, niſi inviſtiſſime probetur ediſiſſe vera miracula. Quæ omnia ſi neges, nulla ſtabit vera hiſtoria, & omnia inter fabulas erant recenſenda.

6. Denique ſi quis proterve neget vera miracula in confirmationem Religionis Chriſtianæ, agnoſcat omnium miraculorum maximum, quod hæc Religio, quam art. ſeq. deſcribemus, abſque miraculis totum mundum pervaſerit. Ita poſt Aug. argumentatur Auctor 1. cont. Gent. c. 6. *Cum conſtet*, inquit, *Romanum Imperium univerſumque orbem tot potentibus Viris, Philoſophis, Oratoribus, refertum, Chriſti Doctrinæ nate repugnantem, ad eam poſtmodum fuiſſe converſum; Quæro an virtute ſignorum & prodigiorum, ab antiquis ritibus, diuque obſervata Religione. in hanc novam & inauditam ſit hæc facta mutatio? Si fateberis mundum ad hanc perſuaſionem tractum fuiſſe vi miraculorum, quibus contradicere nequaquam poterat, fateri oportebit a Deo Auctore miraculorum & qui facit mirabilia magna ſolus, Religionem hanc proceſſiſſe: ſin autem negas illis miraculis mundum ad hanc recipiendam fidem fuiſſe provocatam, negando miracula, ingens miraculum ingeris: quid enim poteſt dici mirabilius, quam Romanum Imperium, totamque Gentilitatem, Religionem, quam tam acriter impugnabant, ſubvertereque moliebantur, deſertis paternis ritibus nullis viſis ſignis, miraudiſque operibus, ſponte ſuſcepiſſe, & in ea retinenda tam conſtantes fuiſſe?*

Opponunt Deiſtæ plura miracula facta a Gentilibus, & inde inferunt, non poſſe probari veritatem Religionis Chriſtianæ ex miraculis. Sic, inquiunt, Magi in Ægypto virgas ſuas in ſerpentes converterunt, & ranas produxerunt, ſic Veſpaſianus ſanavit cæcum & claudum, ſic Appollonius Thyanæus, inter plura miracula, reſuſcitavit puellam mortuam.

R. 1. Nego ullum verum miraculum unquam factum fuiſſe a Gentibus; tum quia nullum factum eſt in nomine Dei creatoris, quod eſt teſſera veri miraculi, tum quia quæ referuntur non ſuperant vires naturæ, aut ſunt falſa & ſuppoſita. Quantum ad prodigia Magnrum Ægypti, plures volunt fuiſſe tantum ludificationes ſenſuum, Alii & communius cum S. Th. exiſtimant fuiſſe quidem veras ranas & veros ſerpentes, non quos Magis ſupra omnes virtutes totius naturæ produxerit, ſed quos ex ſeminibus in elementis diſperſis, applicando virtute naturali activa paſſivis effecerunt, ut fieri poteſt in his, quæ ex putrefactione naſcuntur, ut docet S. Th. (*1. p. q. 114. a. 4. o. & ad* 2.) poſt Aug. vel aliunde aſportatos exhibuerunt, quod videtur probabilius. Sed & qua fronte Deiſtæ audent opponere miranda a Magis in Ægypto peracta veris Moyſis miraculis, cum ex eodem Scriptura conſtet Moyſen viciſſe Magos, ita ut illius ſerpens horum ſerpentes devoraverit, & cum perventum eſt ad quartum prodigium, ſtetit iners ars Magorum & coacti fuerint dicere de miraculis Moyſi: *Digitus Dei hic eſt*. Quæ de Veſpaſiano referuntur, nullo teſte ſed fama incerta nituntur. Inſuper, claudus & cæcus, quos dicitur ſanaſſe, non erant, Medicorum judicio, naturaliter inſanabiles, ut refert ipſe Tacitus Hiſt. L. 4. n. 81. Quantum ad Apollonium: unus Philoſtrates centum & amplius annis poſt Apollonii mortem ejus Hiſtoriam fabulis refertam ſcripſit, iſtamque cujuſdam puellæ ſuſcitationam ex rumoribus incertis abſque ullo teſtimonio refert, nec conſtat ex ejus narratione vere mortuam fuiſſe puellam. Deinde Apollonium habitum fuiſſe impoſtorem, inde evincitur, quod nullum Sectatorem habuerit, nec ſectam fecerit.

R. 2. Dato, quod Deus, propter cauſas ſibi notas, faceret aliquod miraculum pro Paganiſmo, nunquam illud faceret in confirmationem idololatriæ, id enim repugnat ejus bonitati, ſapientiæ, & veracitati, ut ſupra diximus. Miracula vero Chriſti, Apoſtolorum, & Succeſſorum facta ſunt invocato nomine Dei in confirmationem divinitatis Chriſti, ejus Miſſionis, & Religionis ab ipſo inſtitutæ.

§. III. *Prophetiæ & promiſſiones Chriſti adimpletæ.*

CHRISTUS promiſit ſe tertia die reſurrecturum, Joan. 2. Matth. 20. & alibi. 2. Promiſit ſe poſt mortem converſurum ad ſe Gentes, & Judæos rejecturum, Joan. 12. Matth. 8. & 23. & Luc. 13. 3. Promiſit Apoſtolis ſe facturum illos Piſcatores hominum. Matt. 4. Marc. 1. Luc. 5. Se miſſurum illis Spiritum S. Joan. 15. Se collaturum illis donum ſapientiæ, fortitudinis, & linguarum; Luc. 21. Joan. 15. & 16. & Matth. 6. Tandem promiſit ſe illis adfuturum uſque ad conſummationem ſæculi. Hæc omnia præſtare non poteſt niſi ſolus Deus: præſtitit Chriſtus, reſurrexit die tertia, convertit ad ſe Gentes & rejecit Judæos, hæc ad oculum patent; fecit Apoſtolos Piſcatores hominum, miſit illis Spiritum S. conceſſit illis donum linguarum, ſapientiæ, & fortitudinis: Denique adfuit, adeſt, aderit illis, id eſt ſuæ Eccleſiæ indefectibili uſque ad conſummationem ſæculi: Ergo Chriſtus eſt Deus; Ergo vera & divina ejus Religio.

ARTICULUS III.

Modus mirabilis & plane divinus, quo Chriſtiana Religio fuit fundata & propagata.

UT tota via hujus argumenti bene percipiatur, plura ſunt obſervanda. 1. Hæc Religio celerrime diffuſa eſt: Paulus enim ad Coloſſ. 1. verſ. 6. ait jam ſem pore ſuo Chriſti fidem in univerſo mundo creſcere & fructificare: Juſtinus Martyr, qui florebat initio 2. ſæculi, in Dial. cum Tryphone dicit nullum eſſe genus hominum, apud quos non colatur: ſimiliter, Irenæus L. 1. c. 3. Tertull. l. cont. Judæos c. 7. & Plinius junior, qui etiam florebat ineunte 2. ſæculo L. 10. Ep. 97. ad Trajanum: *Non Civitates tantum*, inquit, *ſed vicos atque agros ſuperſtitionis iſtius* (Chriſtianæ) *contagio pervagata eſt*. 2. Introducta & propagata eſt per paucos Piſcatores, homines plebeios, rudes, ignaros, pauperes, & contemptibiles; non ut aliæ Religiones, armorum potentia, magnatum favore, opum, voluptatum, honorum illecebris, aut vi eloquentiæ humanæ, ſed ſola Chriſti virtute & ſapientia; juxta illud Apoſt. 1. Cor. 1. *Quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus, ut confundat fortia, & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt* (id eſt quæ pro nihilo reputantur) *ut ea quæ ſunt* (id eſt quæ pro maximo habentur) *deſtruat*. 3. Hæc Fidei doctrina talis eſt, ut potius hominibus videretur ſtultitia, quam ſapientia, nimirum, quod homo inter opprobria in crucem actus & mortuus, ſit verus Deus colendus, quod reſurrexit, quod non ſit aliud nomen in quo oporteat non ſalvus fieri; quam in nomine hujus hominis crucifici: unde Apoſt. 1. Cor. 1. *Nos prædicamus Chriſtum crucifixum, Judæis quidem ſcandalum, Gentibus ſtultitiam, ipſis autem vocatis Judæis atque Græcis Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam*. Talis eſt, inquam, hæc Religio & Doctrina, quæ nihil conducit ad terrenam felicitatem, quæ paſſiones reſtænandas, honores, divitias, voluptates contemnendas docet, quæ nihil niſi lacrymas, pœnitentiam, mortificationem inculcat, nihil in hoc mundo promittit niſi pericula, afflictiones, perſecutiones, humiliationes, tormenta, cruces. 4. Sub hujus Religionis apparenter ſtultæ tam duræ & aſperæ jugo hi pauci piſcatores contemptibiles ſubjecerunt non indoctos ſolum & ſimplices, ſed viros doctiſſimos; Dionyſium, Clementem, Irenæum, Juſtinum, Arnobium, Athenagoram, Lactantium, Tertullianum, &c. Neque ſolum plebeios, ſed ipſos Principes, Reges, Imperatores. 5. Denique hæc Religio atque Doctrina propagata eſt, & crevit in mediis perſecutionibus, impugnantibus Principibus & Magiſtratibus, contradicentibus Philoſophis, ſæviente Diabolo, atque omni ſuppliciorum genere contranitente, & quanto magis impugnabatur, tanto magis crevit ac prævaluit, ita ut ſanguis Martyrum factus ſit ſemen Chriſtianorum.

Quis ſanæ mentis, ſi ad hæc attendat, non cognoſcat Religionem, qualem deſcripſimus, hoc modo natam, adultam, & propagatam non eſſe ingenii humani inventum, ſed opus Dei omnipotentis. Neque enim fieri potuit, ut doctrina a ſapientia humana tam aliena, tam ſenſibus repugnans, tam aſpera & dura, Orbem univerſum tam celeriter pervaderet, & inter perſecutiones, tormenta, & contradictiones hominum & dæmonum reciperetur a Principibus & Eruditis, idque per paucos piſca-

catores, pauperes, & rudes, niſi Deus efficaciſſime operatus fuiſſet, tam in eis qui illam prædicarunt, quam in eis qui illam receperunt.

His poſitis reſumo argumentum initio Diſſertationis factum. Ratio ſuadet, imo cogit, niſi ſit prorſus inverſa & turbata, agnoſcere hanc Religionem eſſe veram, a Deo revelatam, & inſtitutam. 1. Quam Prophetæ longe antea prænuntiarunt. 2. Quam ejus Auctor & illius cooperatores pariter Prophetiis adimpletis & miraculis patentiſſimis confirmarunt. 3. Denique quæ ſola virtute divina contra omnes humanæ prudentiæ Leges eſt nata, adulta, & per Orbem univerſum propagata: Atqui hæc eſt Religio Criſtiana: Ergo ratio ſuadet imo cogit, niſi ſit inverſa & turbata, agnoſcere Religionem Criſtianam eſſe veram, a Deo revelatam, & inſtitutam. Majorem nemo ſanæ mentis negare poteſt: Minorem invicte probavimus. Stat itaque inconcuſſa Concluſio, proindeque neceſſum eſt, ut vel Deiſta nuntium remittat rationi, vel agnoſcat Religionem Chriſtianam eſſe veram & divinam.

Executiuntur Cujuſdam Scrupuli circa ea, quæ docui in Tractatu de Deo.

PAucis ad hinc diebus pervenit ad me Theſis propugnata in Seminario Gandenſi 19. Auguſti anni 1748. Præſide R. P. Carolo de' Bierens Soc. Jeſu S. Theologiæ Profeſſore. Poſitione 4. De Gratia ſub finem conqueritur Erudit. Theſeos Auctor me ſyſtemati ſcientiæ mediæ affricuiſſe, quod hominis libertas ſit emancipata & a Deo independens, quod ſe ſolis naturæ viribus diſcernat, quod gratia ſolum moraliter moveat voluntatem, & quod a libero arbitrio præveniatur, non ſatis memorem Religioſæ modeſtiæ, quam mihi in Præfatione operis propoſueram: deinde petit, ut edicam ipſe, quo fine hæc prælegi Tyronibus in Scholis noſtris cupiam? alias ſubinde quæſtiones facit.

Ut itaque quereiis ac votis, verius dicam ſcrupulis, Religioſi viri ſatisfaciam; imprimis hæc affricui, ſub aliqua tamen diſtinctione, ſyſtemati ſcientiæ mediæ more Theologico, arguendo & probando. Utrum evicerim, Lectoris eſt judicare. In quo ſi immodeſtiæ ſim arguendus, eadem labe notandi ſunt quotquot diſputant in Scholis, ſed & maxime qui quotidie arguunt, ſiſtema Thomiſticum evertere libertatem, Deum conſtituere Auctorem peccati, &c. Ad Petitionem, R. Me cupere hæc prælegi in Scholis noſtris eodem fine, quo Theſeos Auctor impugnat in ſuis ſyſtema Thomiſticum.

Petit 2. *Qua fiducia* citem pro me Par. 1. de Deo pag. 184. Commentaria in Ep. ad Heb. tamquam D. Thomæ eſſent, contra Antiquiores noſtros Trivetum & Natalem Alex.? R. Me ita citare *fiducia* veritatis: quia vere hæc Commentaria ſunt D. Thomæ. Ita teſtantur *Antiquiores* Bernardus Guidonis, Clemens VI. Pignon, Ludovicus a Valleoleti, S. Antoninus apud Echard. Tom. 1. pag. 330. contra Trivetum, cujus ſolius teſtimonio nititur Natalis Alex. Sed & ipſe & Trivetus agnoſcunt, ſi hæc Commentaria a S. Th. non fuerint ſcripta, ex ejus ſaltem Lectionibus fuiſſe collecta.

Petit 3. *Qua fidelitate* trunco S. Thomam Quodlib. 12. art. 4.? R. Non eſſe infidelitatem, nec reprehenſibilem truncationem, quando verba omiſſa, nec proſunt, nec obſunt, & germanus Auctoris ſenſus ſervatur, ut hic contigit. Dixerit enim S. Thomas: *Sic prædeſtinatio habet certitudinem ex parte ſcientiæ Dei, quæ non poteſt falli, & ex parte voluntatis, cui non poteſt aliquid reſiſtere*: hæc verba, *Ex parte ſcientiæ Dei*, nihil nobis nocent, nihil objurganti proſunt: quia S. Doctor non loquitur de ſcientia prævia decreto, ſed illi innixa; loquitur enim de ſcientia viſionis, quæ ſecundum omnes ſupponit decretum. Patet ex Reſponſione a 1. ibid. ubi S. Doctor dicit, quod Scientia Dei non imponat neceſſitatem Prædeſtinato, *quia eſt futurorum prout ſunt in præſenti* (ſcilicet æternitatis) *& ſecundum hoc ſunt determinata*: hujuſmodi autem ſcientiam eſſe viſionis nemo neſcit.

Petit 4. Qua Latini ſermonis peritia pag. 196. in textu Aug. per To *diſcernendum* intelligo *conciliandum*? R. me non ſubſtituiſſe in textu Aug. *conciliandum* pro *diſcernendam*, neque ex to *diſcernendum* præciſe intellexiſſe *conciliandam*, ut vellet innuere *peritus* Theſeos Scriptor; ſed ex toto textu Aug. l. de Grat. Chriſti c. 47. & ex altero de Dono Perſever. c. 14. collegi cum innumeris aliis conciliationem liberi arbitrii cum gratia viſam fuiſſe difficilem Auguſtino. S. Doctoris verba iterum oculis & judicio Lectoris ſubjicio. *Iſta quæſtio*, inquit 1. loco, *ubi de libero arbitrio voluntatis & de gratia diſputatur, ita eſt ad diſcernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem aſſeritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri.* Et 2. loco: *Numquid*, inquit, *ideo negandum eſt quod apertum eſt, quia comprehendi non poteſt, quod occultum eſt? Numquid, inquam, propterea dicturi ſumus, quod ita eſſe perſpicimus, non ita eſſe, quoniam cur ita ſit non poſſumus invenire?* Quis *Latini ſermonis* tantillum *peritus* mecum ex his non intelligit Auguſtinum apprehendiſſe difficilem & obſcuram liberi arbitrii cum gratia conciliationem? Id ita apertum eſt, ut ſapientiſſimi Lovanienſes operum Aug. Editores, ad textum de Gratia Chriſti, ponant pro nota marginali: *Liberi arbitri & gratiæ Dei conciliandæ difficultas*. Idque vel invitus ipſe objiciens ſua explicatione ſignificat, ſi enim, ut dicit, ex libertate aſſerta Pelagiani, & ex gratia aſſerta Manichæi argumenta depromebant, illi contra gratiam, *iſti* contra libertatem, difficile eſt igitur utramque defendere & conciliare.

Tandem quaſi palmaria protuliſſet, R. P. Præſes ſuæ Cenſuræ Colophonem imponit his verbis: *Quid plura? Hæc enim ſufficiunt, ut merito ſubjiciatur, quod ipſe eximio viro Honor. Tournelio applicat*. Ita ſit, lubens annuo. Hæc cum meis reſponſis ſufficiant, ut mihi & illi applicetur: *Ex ungue leonem.*

Hos Scrupulos ac vitiligationes alto ſilentio præteriiſſem, niſi me moviſſet nomen Illuſtriſſimi Patroni mei, cui hæc Theſis eſt dicata, & in cujus Seminario fuit propugnata. De cætero, qui opus meum impugnare voluerit, quod cuique liberum eſt, graviora proponat, libros libris opponat, non Theſes, non folia errantia, non privata Scholarum ſcripta. Hæc enim reſponſo non dignabor, ſed ſuæ obſcuritati & levitati dimittam.

PROTESTATIO AUCTORIS.

QUæ huc uſque ſcripſi ad majorem Dei gloriam & Scholarum, noſtræ præſertim, utilitatem non ſolum Romani Pontificis, cujus ſum obediens Filius, ſed cujuſvis melius ſapientis correctioni ſponte ſubjicio.

Item proteſtor me neminem ex animo læſiſſe; errores, non errantes impugnare, & veritatem, ſicut novi, pro viribus defendere mens mihi una fuit. Quod ſi aliquod verbum minus gratum præter intentionem exciderit, pro non dicto haberi cupio. De cætero, Lector benevole, ſi quid in Scriptis meis tibi diſpliceat, tenuitati meæ condona; ſi quid placeat, Deo bonorum omnium largitori adſcribe, cujus donis fruere & vale.

FINIS.

VITA AUCTORIS

A. F. DEODATO LABYE, CONVENTUS REVINIENSIS ORD. FF. PRÆDICAT. RELIGIOSO, S. THEOL. BACCALAUREO, COLLEGII S. THOMÆ DUACI ANTEHAC REGENTE, AC PROVINCIÆ S. ROSÆ IN BELGIO PROVINCIALIS SOCIO SCRIPTA.

VIri nemini ſuo ævo ſecundi vitam deſcribere ſuſcipio, non verboſitate floribus eloquentiæ fucata, ementitis enim encomiis non indiget Vir potens opere & ſermone, & quem tot præclara merita univerſo orbi celebrem fecerunt; ſed ſtylo ſimpliciori ea, quæ vidi, audivi, & quæ manibus contrectavi, ſincere referendo. Ego enim, qui hæc ſcribo, a triginta annis ſocius ſui itinerum & laborum ejus, ſecretiores cordis ſui motus mihi non celavit, omniumque elucubrationum ac manuſcriptorum ſuorum pridie mortis me depoſitarium conſtituit. Hoc depoſitum tamquam noviſſimum ejus amicitiæ argumentum & in Eruditorum obſequium fideliter aſſervo, neminemque latere volo. Quamvis profundam ejus eruditionem ſat alte proclament tot volumina edita; quia tamen in omnibus humilitas ipſi præibat, dextera plura operata eſt, quæ ignoravit ſiniſtra. Hæc ergo ut manifeſtarem, mihi mandavit Reverendiſſimus P. Joannes Thomas de Boxadors, Magiſter Generalis noſter, quod & præſtare intendo ad gloriam auctoris ac largitoris omnium bonorum, in perpetuam mei Conſanguinei ac intimi Amici memoriam, & ad exemplum ac ſolatium Lectoris.

Patria, Ortus, Parentes, & juventus ejus.

Patriam habuit Revinium Civitatem ad Ripam Moſæ, Campaniæ finitimam, Diœceſis Leodienſis, Ditioni ſupremæ Domini Abbatis Prumienſis, nunc Electoris Trevirenſis, & Domini Comitis de Brias ſubditam, Galliæ Regnicolam, Chriſtianiſſimique Regis protectione ac defenſione ſtipatam. Natus eſt die 18. Januarii anno 1685. ex honeſtis ac piis Parentibus Domino Joanne-Franciſco Billuart, & Dom. Eliſabeth Jadot, Sorore in 3. Ordine S. Dominici, Conjugibus ac Conventus noſtri Benefactoribus. & eodem die baptizatus, ſuſcipientibus de ſacro Fonte Domino Carolo de Rouville & Dom. Maria de Mornin, nomine Domini Renati d'Epinoy, Toparchæ de Loni, & Dom. Ludovicæ Bouttez, Conjugum. Egregia corporis ſtructura & facies decora gaudia ominabantur; nec ſpem fefellit eventus. Vix evacuatis infantilibus pii Parentes amantiſſimi Filii ſui educationi & inſtructioni providere volentes ipſum miſerunt Carolopolim, ut in Collegio Jeſuitarum humaniorum litterarum ſtadium decurreret. Puer autem creſcebat & proficiebat & ætate & ſapientia. Solitudinis amator, puerilium ludorum contemptor, ſtudiis unice intentus ſuos condiſcipulos longe ſuperavit, ſeque eis potius mirandum, quam imitandum exhibuit. Vix attigerat 16. ætatis annum, cum jam meditaretur mundo renuntiare, ſeque Religioni mancipare, ut Deo & ſtudiis liberius liaret; mentem ejus explorat Profeſſor Jeſuita, & poſt plurima tentamina tandem cordis ſecreto detecto nihil non molitur, ut diſcipulum ad ingreſſum Societatis inducat; nec fruſtra: annuit enim optimus juvenis: ſed obſtant Parentes vocationem Filii ſui probare intendentes, qui tandem inſtantiis victi conſenſerunt.

Fit proſelyta Jeſuitarum. Hæc ex ore ejus audivi.

Aggreditur ergo iter Proſelyta Jeſuitarum ſub auſpiciis ſui Profeſſoris, & comitibus Patre & Fratre tendit Muſſipontum, Societatis toga induendus. Sed Providentia ſic diſponente, dum tranſit, Sedano, Rectoremque Sedanici Collegii, ut par erat, inviſit; ab eo (quod candidatis rarum eſt) minus urbaniter excipitur, imo ipſi ipſiuſque ſociis tectum & menſa negantur. Hæc res Adoleſcentis ſtomachum movit. Nocte tota vigilans recogitat ſecum hinc blanditias ſui Profeſſoris, illinc acerbam Rectoris repulſam: utraque non ſibi quadrantia judicans mentem mutat, repetendæ Patriæ deſiderium Patri & Fratri applaudentibus patefacit. Verum quomodo ab oculis Pædagogi ſui ſeſe eripiet? Vexatio dat intellectum. Summo mane cum Argus nihil tale ſuſpicatur, Fratri adjunctus aufugit, relicto Padre, qui mutatum filii propoſitum nunciet. Stupet ad hoc claſſium Regens, ſed non deſpondet animum. Fugitivi juvenis veſtigiis inſiſtit, brevi in pago vicino Patris adventum expectantem attingit. Quid porro non agit, ut offenſum adoleſcentis animum placet? Blanditur iterum, urget, Satanæ totum iſtud negotium eſſe prædicat, tentationis victoriam ſpondet, ſi velit tantummodo unum recitare Roſarium. Sed ſurdo canebat; vicerat enim Dominicus (*P. Matthæus Doct. Hybernus inter plures verſus hunc protulit.*), qui tunc *Ignatio dixit, jam puer iſte meus.* Et ſane redux in domum Paternam, gratiæ per ſe efficacis, quam poſtea tam nervoſe propugnavit, vim expertus, motu proprio ad pedes Patris Prioris Conventus Revinienſis provolutus enixe poſtulat cooptari inter filios S. Dominici.

Ingreditur & profitetur Ordinem Prædicatorum. Sacerdos conſecratur.

Anno 1701. ingreditur Ordinem FF. Prædicatorum, mittiturque Inſulas, ut Tyrocinia Religionis ponat, & perſoluto anno probationis profeſſionem emittit in dicto Conventu noſtro Revinienſi die 7. Novembris anno 1702.

Quo pede inceperat, eodem ſemper inceſſit. Emenſo Revinii Philoſophiæ & Theologiæ curriculo; prævia diſpenſatione Papæ ſuper defectum ætatis, Sacerdos conſecratur ab Epiſcopo Namurcenſi 1. Januarii an. 1708.

Eodem anno Leodium proficiſcitur ad propugnandam Theologiam ſub Patre Poelman, Profeſſore Conventus Gandenſis. Quibus peractis Lector Philoſophiæ inſtituitur in Collegio noſtro Duaceno anno 1710. Anno 1711. ad inſtantiam Patrum ſui Conventus a Magiſtro Generali Cloche inſtituitur Lector curſus Philoſophiæ Revinii inchoandi anno ſequenti, cum diſpenſatione ſupra ſecundum curſum Duacenum. Deinde ibidem legit Theologiam uſque ad an. 1715. quo Magiſter Studentium in Collegio noſtro S. Thomæ Duaci renuntiatur.

Typis edit Opuſculum contra D. Le Grand.

Tunc temporis Typis edidit Opuſculum continens 160. paginas in 12. cui titulus: *De mente Eccleſiæ Catholicæ circa accidentia Eucharistiæ, adverſus Dom. Antonium Le Grand, S. Th. Licentiatum & Philoſophiæ Carteſianæ Profeſſorem in Academia Duacenſi. Leodii Typis U. Ancion.* Opus univerſo applauſu exceptum & cui non voluit reſpondere Adverſarius.

Creatur Baccalaureus & Regens. Concionatur Leodii. Trajecti Hæreticos vincit.

Anno 1717. creatur Baccalaureus, & anno 1718. recipit Litteras patentes Officii Regentis Secundarii in Collegio noſtro Duaceno ſequenti anno inchoandi. Annis 1718. & 1719. Leodienſes Conciones ejus per Adventum & Quadrageſimam attoniti audiunt & mirantur. Fama ejus longe lateque vulgata, a prænobili & pientiſſimo Comite de Tyili, Equitatus Provinciarum confœderatarum Generaliſſimum, ac Civitatis Trajectenſis Gubernatore, rogatur, ut ibidem concionem haberet in Feſto Ven. Sacramenti, & præſentiam realem Chriſti in Euchariſtia contra Calviniſtas forti Argumento vindicaret. Omnes & Catholici & Hæretici adſtant. Illi Oratoris eloquentia rapti novo igne amoris erga Auguſtiſſimum Sacramentum inflammabantur, dum alii dentibus frendentes præ invidia diſrumpebantur; & vi rationum ejus ſuccumbentes dicebant, ipſum eſſe bonum malæ cauſæ Patronum. Sed nondum ſat. A Prætore & præcipuis hæreticæ ſectæ ſtipitibus in Aulam Civicam advocatur, ac concertatio ſupra dictam materiam proponitur & acceptatur. A primario Satanæ Miniſtro textus Auguſtini truncatus ſubdole profertur, eoque ſenſum figuralem aſſerere contendit. Aſt dolum ſtatim ſubodoratur Doctor noſter, fraudemque detegit recurrendo ad fontem, & oſtendendo Calviniſtam Sacramento attribuere, quod Auguſtinus de Sacrificio affirmat. Tunc Miniſtri obmuteſcentes, ſicut Phariſæi tentantes Dominum, abierunt pudore ſuffuſi; & Primores noſtrum Oratorem honoribus ac gratiarum actionibus cumulatum dimiſerunt. Hinc noſtrorum applauſus, illinc inimicorum cordis cruciatus. Hoc anno tendit Pariſios, & ab Eruditis honoratur.

Typis mandat Opuſculum, Thomiſme vengè.

Anno 1720. Typis mandat Opuſculum gallice ſcriptum continens 97. pag. in 12. cui titulus. *Le Thomiſme vengè de ſa pretendue condamnation par la Conſtitution* UNIGENITUS, *addreſsè en forme de Lettre à un Abbè, par un Religieux de l'Ordre de S. Dominique. A Bruxelles de l'Imprimerie de Jean Leonard*. Hoc Opus a nemine fuit impugnatum, ſed ab omnibus laudatum ac rapida diſtributione ſublatum, nec immerito, nemo enim hucuſque ſyſtemata Thomiſticum, Janſenianum, & Jeſuiticum in clariori luce expoſuit.

Eligitur Prior.

Anno 1721. eligitur Prior ſui Conventus, & in hoc officio continuat uſque ad ann. 1725. quo Licentiatus factus eſt, & ad Officium Regentis Primarii in Collegio noſtro Duaceno aſſumptus. Quantæ fuerit prudentiæ & dexteritatis in agendo & regendo, vix dici poteſt. Optimus Pater, Benefactor munificus, forma ſui gregis, patiens ad omnes; intus & extus dilectus, zelo cultus Dei maxime ardens, Templum præcipuis ornamentis decoravit, organa, cratem ferream, pavimentum Eccleſiæ, Altaria, Sedes Confeſſionales, Cathedram concionatoriam, Campanas, Pavimentum Chori marmoreum, plures tabellas, alta candelabra, Tabernaculum, crucem, &c. argentea, magnifica linteamina ſacrario procuravit. Sed hæc minora ſunt.

Edit Opuſculum Lettre aux Docteur de Douai, *& Opuſculum* Examen critique *&c.*

Non obſtantibus ſollicitudinibus ab Officio Prioratus inſeparabilibus & ſuis continuis infirmitatibus, diu noctuque a ſtudiis non ceſſavit. Anno 1723. elucubravit opus galice ſcriptum in 4. 42. paginas continens, cui titulus: *Lettre du R. P. Charles Renè Billuart, &c. A Meſſieurs les Docteurs de la Facultè de Theologie de l'Univerſitè de Douai, avec des Reflexions ſur les Notes calomnieuſes qu'ils ont attachè à leur cenſure du 22. de Aout 1722. contre les RR. PP. Maſſouillè & Contenſon de l'Ordre des FF. Precheurs*. Huic Epiſtolæ reſponſum non dederunt præfati Doctores; nec mirum: nullum dari poterat; turpiter enim erraverunt, & eorum cenſura merito damnata fuit Romæ per Decretum Apoſtolicum datum 18. Julii 1729. Et dictæ Facultati motiva condemnationis per ſuum Procuratorem quærenti, correctionemque ſpondenti, reſponſum eſt: *Deleantur parallelum contentum in monito ad Lectorem ac in Præfatione, & Scripta contra PP. Maſſouillè & Contenſon & contra S. Thomam, hiſque correctis, cenſura Romana remittatur ut approbetur*. Id conſtat ex Ep. apud me extante R. Patris Goolzat, qui ex ore Secretarii Indicis acceperat. Hæc Epiſtola refertur in fine Apologiæ Thomiſmi Triumphantis.

Anno 1724. Die 19. Novembris in lucem prodiit Breve *Demiſſas preces* BENEDICTI Papæ XIII. ad univerſos Fratres Ordinis Prædicatorum Profeſſores, adverſus calumnias Doctrinæ SS. Aug. & Thomæ intentatas. Et hoc fuit Seminarium diſcordiarum & querelarum Jeſuitas inter & Thomiſtas. Quidam, tacito nomine, ſcripſit gallice Reflexiones ſupra prædictum Breve, inſinuans quod non ad Jeſuitas, ſed ſolum ad Queſnelliſtas, tamquam calumniatores noſtræ Scholæ dirigatur, & quod tantum declaret Thomiſtas poſſe ſuas opiniones libere docere ſicut ante, noſtramque Doctrinam nullam aliam inde prærogativam obtinuiſſe. His Reflexionibus Pater BILLUART oppoſuit Opuſculum gallice ſcriptum in 4. continens 21. paginas, cui titulus: *Examen critique des Reflexions ſur le Bref de notre S. Pere le Pape BENOIT XIII. du 6. de Novembre 1724. addreſsè aux Dominicains*, quo probat, Papam calumniæ reatum inurere non ſolum Queſnelliſtis, ſed & Moliniſtis, hoſque reputare inter calumniatores Doctrinæ Thomiſtarum; inſuper quod hæc Doctrina a Sum. Pontifice commendetur & præferatur opinionibus Moliniſtarum ſolum negative toleratis; concluditque non amplius licere Janſeniſtis & Queſnelliſtis ex una parte deridere gratiam ſufficientem Thomiſtarum, eorum ſyſtema indigeſtam farraginem (*galimatias*) vocando: ex altera parte Moliniſtas non poſſe abſque rebellione erga Summum Pontificem; ultra ſuis dictam noſtram Doctrinam de Gratia ab intrinſeco efficaci, ſeu de Prædeterminatione phyſica *non eſſe a S. Th traditam, nocere libertati, eſſe injurioſam juſtitiæ & ſanctitati Dei, eſſe contrariam S. Scripturis & Concilio Trid. eſſe ſimilem notioni Calvini, ſicut ovum ovo*: quod tamen iiſdem fere verbis aſſeruit P. Fontaine, Profeſſor Jeſuita Duaci in Theſi anno 1725. poſt dictum Breve propugnata. Sed hic advertendum, quod Pater BILLUART uni e ſuis amicis (cujus nomini parco) ſuum Manuſcriptum tradiderat, ut illud fideliter prælo ſubjiceret. Hic, inſcio Auctore, plura ſubmiſit ſpectantia Congregationes de Auxiliis & Ritus Sinenſes. Nam quæ in Exemplaribus impreſſis ab ultima linea paginæ tertiæ uſque ad 28. lineam paginæ 5. & quæ ab undecima linea paginæ 12. uſque ad 13. paginæ decimæ quartæ leguntur, non reperiuntur in Originali Manuſcripto apud me extante. Merito ergo illud opus ſic deformatum repudiavit, & ut ſuppoſititium reputavit, imo mandavit ut Exemplaria ſupprimerentur, ſed tardius; multa enim erant jam ſparſa.

Edit Opuſculum le Thomiſme Triomphant, *& Reſpondet D. Stievenard.*

Hinc Anonymus contra Auctorem prædicti Examinis critici debacchatur, Litteraſque ad ipſum dirigit probris ac conviciis atrocibus refertas. His Litteris Pater BILLUART oppoſuit opus gallice ſcriptum in 4 continens 214. paginas, cui titulus: *Le Thomiſme Triomphant par le Bref* DEMISSAS PRECES *de BENOIT XIII. ou juſtification de l'Examen critique des Reflexions ſur ce Bref, contre une Lettre anonyme addreſſè à l'Auteur de l'Examen par un Theologien de l'Ordre de St. Dominique*. Auctor quamvis Examini critico adjecta tamquam ſuppoſitia reputet; ea tamen ut vera probare contendit, ſuumque opus in duas partes dividit, ac variis argumentis duo momenta in Examine critico aſſerta corroborat & demonſtrat, Apologiamque Hiſtoriæ Patris Serry contra calumnias ab Anonymo illiberaliter impactas ſuſcipit. Occaſione hujus operis novum ſibi ſuſcitat Adverſarium. Alter amicus textum primæ Epiſtolæ Domini de Fenelon ad Queſnellum adulteratum ſubminiſtrat. Noſter Auctor in fide ſui amici ætate & eruditione venerandi textum allegat pag. 8. (1) Tunc anno 1726. inſurgit D. Stievenard Canonicus Cameracenſis, opus excudit, in quo Patrem BILLUART tamquam fallacem & calumniatorem traducit, reparationemque injuriæ memoriæ Archiepiſcopi irrogatæ apud Superiores noſtros urget. Jam indiget Auctor noſter armis a dextris & a ſiniſtris, ut more ambidexterorum confœderatos diſſolvere & diſſipare valeat; quod & præſtitit reſpondendo Domino Stievenard per Opuſculum in 4. continens 8. paginas, cui titulus: *Rèponſe de l'Auteur du Thomiſme Triomphant à Monſieur Stievenard, Chanoine de Cambrai, au ſujet de ſon Apologie pour feu Monſeigneur de Fenelon, Archeveque de Cambrai*, in quo fatetur, ſe infideli commentario deceptum, quoad hoc verbulum DE LA GRACE DES THOMISTES, idque revocat, ſed ſenſum ſuæ propoſitionis remanere, ac Dominum de Fenelon Thomiſtas cum Janſeniſtis confudiſſe probat, eo quod hic Præſul contra Queſnellum & alios eadem allegantes expreſſe non reclamaverit.

Reſpondet 2. & 3. D. Stievenard.

Sed necdum finis Controverſiarum. Eodem anno Dom. Stievenard ſecundam adornat Apologiam pro D. de Fenelon, qua redarguit Patrem BILLUART, eo quod ſua motiva a Janſeniſtis Domino de Fenelon infenſis mutuet, & præfatum Patrem mordaci ſtilo inſequitur. Huic Apologiæ replicat Pater BILLUART per opuſculum in 4. continens 21. paginas, cui titulus: *Avis d'un Eccleſiaſtique de Paris à Monſieur Stievenard, Chanoine de Cambrai, ſur la ſeconde Apologie, pour feu Monſieur de Fenelon, Archeveque de Cambrai*, additque ſupplementum. In hoc monito multis aliis momentis & quinque demonſtrationibus confirmat Auctor id, quod in precedenti opere allegaverat. His non acquieſcens Dominus Stievenard tertiam elucubrat Apologiam; cui Pater BILLUART opponit aliud opuſculum in 4. continens 21. paginas, cui titulus eſt: *Juſtification de l'Avis d'un*

(1) *Oui il faut que ce ſoit uniquement ce ſyſteme DE LA GRACE DES THOMISTES, que l'Egliſe a voulu condamner dans Janſenius, ou bien cette Egliſe n'a voulu condamner rien de ſerieux; ſi ce n'eſt pas la préciſement ce qu'elle y condamne, elle agit comme un homme en délire, ou bien elle ſe joue & de la foi & de ſa propre auctorité & de la croyance de ſes Enfans; cette Egliſe imagine un ſens chimerique & ridicule pour ſervir de phantome ſu le quel tombent tous ſes Anathemes.*

Eccleſiaſtique de Paris, &c. In quo prætermiſſis repetitionibus, puerilitatibus, invectivis ab Apologiſta prolatis, ac præcipuo puncto inſiſtens Adverſarium mireſtringit, illiuſque contradictiones & calumnias in clara loco exponit.

Eligitur Provincialis. Edit Opuſculum, Apologie du Thomiſme triomphant.

Anno 1728. d. 15. Octobris, cum inchoaret tertium annum officii Regentis primarii in Collegio noſtro Duaceno, aſſumptus eſt in Priorem Provincialem Provinciæ noſtræ S. Roſæ in Belgio. Felix Provincia ſub tali Duce! Exemplis lucet, Verbis inſtruit, Charitate incendit, Comitate demulcet, Studia promovet, Ordinationes pro obſervantia regulari & adminiſtratione temporalium ſapienter condit, jugum Chriſti ſuave efficit & onus ejus leve, non tamen emollit, omnibuſque omnia factus omnium non ſolum ſubditorum, ſed & exterorum præcipue Epiſcoporum & Magnatum animos ſibi devincit. Anno ſubſequenti laurea doctorali inſignitur. Interea inimicus homo non dormiebat, ſed ſcholis noſtris ſub auſpiciis BENEDICTI Papæ XIII. triumphantibus invidus novas ſtruxerat inſidias ſpargendo novem litteras anonymas dicteriis & probris plenas adverſus defenſorem Thomiſmi triumphantis. Pater BILLUART, qui ſuis Officiis alio diſtractos certamen ſuſpenderat, Anonymo iterum occurrit, & una manu Regiminis habenas tenens, altera opponit opus in 4. continens 196. paginas, cui titulus: *Apologie du Thomiſme Triomphant, contre les neuf Lettres Anonymes, qui ont paru depuis peu. On juſtifie auſſi par occaſion l'Hiſtoire des Congregations de Auxiliis du P. Serry contre les chicanes de ſes Adverſaires. A Liege, chez J. P. Gramme* 1731. Non mirum, quod iſtud opus manſerit inconcuſſum quia veritate demonſtrata nixum.

Iterato concionatur Leodii. Typis mandat Opuſculum de Cultu B. V.

Anno 1732. Conciones per quadrageſimam iterato habet Leodii coram innumerabili concurſu populorum. Anno 1733. menſe Novembri eligitur Prior ſui Conventus Revinienſis & continuatur uſque ad an. 1741. Anno 1734. Opuſculum in 4. dedit continens 63. paginas, cui titulus: *Reſponſe à l'Auteur d'un Libelle imprimé cette année 1734. à Roterdam, intitulé: La Creance des Egliſes Reformées touchant la S. Vierge, ou l'on fait voir les impoſtures groſſieres & les calomnies atroces, les paralogiſmes & les inepties dont cet Ouvrage eſt rempli: Avec permiſſion des Superieurs.* Ad hoc opuſculum obmutuit hæreticus.

Tendit Pariſios.

Anno 1736. Sereniſſimus Princeps Ludovicus Dux Aurelianenſis, vir, qualem nec tulit, nec longa feret ætas, Dominium Civitatis Revinienſis obtinebat. Cum ad aures ejus fama Patris BILLUART perveniſſet, deſideravit plus Princeps faciem illius videre; quo audito, dictus Pater profectus eſt Pariſios, me comite, qui menſe præcedente præfueram Theſibus iſti Principi dicatis: Statim ac advenit, a ſapiente ac affabili Principe ſub auſpiciis Comitis d'Argenſon humaniſſime excipitur, ore ad os eum alloquitur, & de multis familiari colloquio erudite differunt. Quantis honoris & benevolentiæ ſignis ac beneficiis cumulatis receſſerit, ego, qui vidi & audivi, teſtari poſſum. Annis 1737. & 1738. ope dicti Principis adjutus inchoavit & ad culmen erexit præclarum & amplum ædificium infirmorum, Bibliothecæ, & Hoſpitum, Conventumque ſuum amplificavit, ornavit, & illuſtravit.

Apologiam P. Soto edit.

Tunc temporis prodiit pſeudohiſtoria Baianiſmi a Patre Ducheſne Jeſuita edita. Hanc impugnavit Pater BILLUART opuſculo in 12. continente 242. paginas, cui titulus: *Apologie du R. P. Pierre Soto Dominicain, & des anciennes Cenſures de Louvain & de Douai, contre l'Hiſtoire du Baianiſme, compoſée par le Pere Ducheſne Jeſuite, & condamnée à Rome le 17. Mars 1734. par Louis de Lomaniſe. A Avignon, chez Marc Chave* ex 1738.

Iterato eligitur Provincialis.

Anno 1741. Iterato ad Provincialatum provehitur: eundem conſtanter ſervat regendi modum: hortatur, arguit, obſecrat, increpat in omni patientia & Doctrina. Sed Provincialatus munia tanti ingenii capacitatem non explent; ideo antiquum intentum reſumit. In Comitiis Provincialibus anno 1733. celebratis Duaci ſub ipſomet Patre BILLUART, Vicario Generali, ad inſtantiam RR. PP. Moderatorum Collegii noſtri S. Thomæ Duaci commiſſum fuerat R. Patri Provinciali electo, ut provideret de mediis diſponendi per eruditum Theologum Ordinis noſtri, Typiſque edendi, ad communem uſum Provinciæ noſtræ, Curſum Theologicum juxta mentem, & in quantum liceret, juxta Litteram noſtri Doctoris Angelici D. Thomæ Aquinatis, inſertis, pro re nata, Quæſtionibus Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantibus. Hoc conſilium placuit Reverendiſſimo P. Magiſtro Generali, hujuſque Operis executionem commiſit Patri Magiſtro BILLUART, & jure merito, quippe Viro conſummatæ eruditionis ac ſummæ Religionis, qui orationem ſtudio præmittere ſolebat, & ſæpius dum alii confabularentur, coram Altari proſtratus divina contemplabatur. Sed variis diſtractus muniis, tanti moliminis conſilio manum adhibere aliquantulum diſtulit.

Typis mandat Curſum Theologiæ.

Ab anno 1746. uſque ad an. 1751. meis curis ſub prælo ſudavit iſtud grande ac mirabile Opus continens 19. tomos in 8. cui titulus: *Summa S. Thomæ hodiernis Academiarum moribus accommodata, ſive Curſus Theologiæ juxta mentem, & in quantum licuit, juxta Ordinem & Litteram D. Th. in ſua Summa, inſertis pro re nata Digreſſionibus in Hiſtoriam Eccleſiaſticam. Ad uſum Scholarum Thomiſticarum. Leodii apud Everardum Kints, S. S. E. Typographum cum Privilegio S. Cæſareæ Majeſt.* Octo tomos de Virtutibus Cardinalibus, de Deo & Angelis, annis 1746. & 1747. excuſos, Sereniſſimo Ludovico Duci Aurelianenſi primo Regii Sanguinis Principi dedicavit; hos ego obtuli Tomos dicto Principi, qui, antequam prælo ſubjicerentur, manuſcriptum legere voluerat. Quanta benignitate & affabilitate me exceperit; quantis encomiis opus celebraverit; quæ benevolentiæ ſigna erga Auctorem exhibuerit, exprimere non valeo. Unum dicam, quod me honore & beneficiis cumulatum dimiſerit, & in poſterum cum Auctore noſtro commercium habuerit Litterarum gratiſſimarum, quas aſſervo. Anno 1748. prodiere tres tomi in 1. 2. S. Thomæ ſub auſpiciis illuſtriſſ. ac Reverendiſſ. D. Guilielmi Delvaux, Iprenſium Epiſcopi, qui Litteris & factis ſuum erga opus & Auctorem affectum ſæpius comprobavit. Anno 1749. eligitur Prior ſui Conventus, ſed ſe excuſat. Eodem anno & ſequenti Typis edidit ſex tomos in 3. Partem S. Thomæ, quorum tres primi dedicati fuerunt illuſtriſſ. ac Reverendiſſ. D. Maximiliano Vandernoote, Gandenſium Epiſcopo, & alii tres Reverendiſſ. D. Vigori de Briois antiquiſſimi & celeberrimi monaſterii S. Vedaſti Atrebati Abbati meritiſſimo. Illud Opus multum placuiſſe iſtis Præſulibus, ſed præcipue Abbati & ſuo ſodalitio, ſolus ignorare poteſt, qui perantiquam Scholarum confœderationem inter Vedaſtinos & Dominicanos ignorat. Anno 1751. tandem prodeunt duo ultimi tomi de Virtutibus Theologicis, illuſtriſſ. ac Reverendiſſ. D. Dominico de Gentis Antuerpienſium Epiſcopo nuncupati, qui & hos & integrum opus ſingularibus præconiis celebravit, ac ſuis Clericis commendavit. Nemo non miratur hujus Operis profundam eruditionem, ſtyli venuſtatem ac brevitatem; Doctrinæ tam in Moralibus, quam in Speculativis puritatem & ſoliditatem: a nullo non laudatur & ſuſcipitur tamquam fidele S. Thomæ Commentarium; & ut verum dicam, nullus noſtro ævo Scholæ Thomiſticæ tot præſtitit obſequia.

Tertio eligitur Provincialis. Compendium ſuæ Theologiæ adornat.

Anno 1752. unanimi Electorum Suffragio Provincialis tertio proclamatus. Opus certe grave Viro annoſo, & præ infirmitatibus ac aſſiduo labore viribus hauſto; illud tamen generoſe uſque ad finem ſuſtinuit, & laudabiliter adimplevit.

Anno 1754. Typis mandat Compendium ſui majoris Operis in 6. tomos diſtributum & nuncupatum Reverendiſſ. P. Magiſtro Generali Antonino Bremond, ſuo Amico intimo. Hic illum ſæpe Romam advocaverat, imo Doctorem Caſanatenſem nominaverat, ſed Fratrum & Conventus ſui amor ſemper prævaluit. In hoc Opere monitum dat Patri Concina, a quo impudenter accuſatus fuerat de laxitate ſuper Quæſtione de Bonis ſuperfluis

Cle-

Clericorum & de Simonia. Pari vigore iteratas vindicias ſuæ Quæſtionis *De Relatione Operum in Deum* dirigit ad Patrem Maugis, Doctorem Lovanienſem, primos in fine primi tomi Compendii, alios anno elapſo ſub nomine *Ludovici Franc.* Tandem duobus extremis vitæ annis, cum vix reſpiraret præ continuis doloribus & debilitate pectoris, ad ſolatium & tædii vitandi cauſa ſcripſit hoc Tractatus *de Opere ſex dierum, de Statu Religioſo, & de Myſteriis Chriſti*, in Supplementum ſui majoris Operis. Sed dolendum, quod morte præoccupatus Tractatu *de Noviſſimis Hominis* imperfectum reliquerit, ac ſolam primam Diſſertationem adumbraverit. Menſe ante mortem, cum non valeret legere Sacrum, quotidie celebrare faciebat, & ſæpe SS. Euchariſtiam accipiebat; ſed jam ſentiens imminere diſſolutionem ſui corporis, judicium tamen ſanum ſervans uſque ad extremam vitæ periodum, Sacramenta extrema ſibi dari, ac Indulgentiam Roſarii impertiri petit.

Moritur. Ejus Epitaphium.

Die 20. Januarii anno 1757. cum apud ipſum pernoctaſſem, de Deo colloquentes, medio octavæ matutinæ, ætatis annum 73. inchoans, vitam meritorum plenioſem, quam dierum placida morte mutavit, & ſepultus eſt ſequenti die ſub marmore albo in medio Sanctuarii, ſuper quod ſequens Epitaphium in perpetuum gratitudinis ac antiquæ Viri amicitiæ argumentum mœrens appoſui.

HIC JACET R. AC EXIMIUS PATER CAROLUS RENATUS BILLUART,

Revinienſis, hujus Conventus Alumnus ac quinto Prior, Collegii S. Thomæ Duaci Regens, S. Theologiæ Doctor, necnon Provinciæ Gallo-Belgicæ ter Provincialis; Vir ſcriptis & virtutibus clarus, Religioni & Orbi commendatiſſimus. Sed eheu! obiit 20. Januarii 1757. Ætatis 73. Profeſſionis 55. Sacerdotii 49. Precare, morituro, ut requieſcat in pace.

Videte, quoniam non ſibi ſoli laboravit, ſed omnibus exquirentibus veritatem, & quod non minus vere de eo dicitur, ac de filio Oniæ, (*Eccli.* 50.) Sacerdos, qui adeptus eſt gloriam in converſatione Gentis, & ingreſſum domus & atrii amplificavit. Hic vir omni laude major ac immortalitate dignus jugum Domini ab adoleſcentia ſua portavit, omneſque adunavit dotes Virum Religioſum, Prælatum, & Doctorem perficientes. Judicii ac conſilii ſoliditatem cum immatura ætate, Orationem & Studium in ſolitudine, Prudentiam & Zelum in Regimine, altam Scientiam & profundam humilitatem in Cathedris miro fœdere ſociavit. Gratus ac Beneficus, qui publice obligavit omnes, privatim ſingulos; Concordiæ amator, ſalutis animarum Zelator, ac Verbi divini facundus Prædicator, bonus Paſtor, virtutum exemplar ac Doctorum Doctor: Patriæ & exteris charus; Conventui munificus; Religioni commendatiſſimus, ac in Scholis celeberrimus. Ergo Vir, Religioſus, Prælatus, & Doctor Poſteris æmulandus. Hæc dum legis & obſtupeſcis, luge decus orbi ereptum, lauda virtutis prodigium, æternam ei precare requiem, qui ut Eccleſia, Religio, & Patria quieſcerent, numquam quievit.

Parce, Lector, tenuitati ſtyli & brevitati dictionis. Elegantiorem & fuſiorem calamum meruiſſet talis ac tantus Vir; ſed elegantiæ minus, quam veritati ſtudui.

F I N I S.

INDEX

Digitized by Google

I N D E X

DISSERTATIONUM, ARTICULORUM, PARAGRAPHORUM, PETITIONUM, CONSECTARIORUM, DIGRESSIONUM, &c.

Quæ in hoc Tomo continentur,

TRACTATUS DE INCARNATIONE.

PROOEMIUM, in quo recenſentur variæ hæreſes circa Incarnationis Myſterium. Pag. 1
DISSERTATIO I. De poſſibilitate & cognoſcibilitate Incarnationis. ibid.
Art. I. Utrum Incarnatio Verbi ſit poſſibilis? 4
Solvuntur Objectiones. ibid.
Art. II. Utrum lumine naturali poſſit demonſtrari aut cognoſci poſſibilitas Incarnationis? 5
Solvuntur Objectiones. ibid.
Conſectarium? ibid.
Petes an & quibus revelatum fuerit myſterium Incarnationis? 6
DISSERTATIO II. De exiſtentia Incarnationis contra Judæos. ibid.
Art. I. Præmittenda de divinitate Meſſiæ. ibid.
Art. II. Utrum Meſſias advenerit. ibid.
§. I. Prima probatio ex Vaticinio Jacob. ibid.
Præcluduntur effugia Judæorum. 7
§. II. Secunda probatio ex ſeptuag. Hebdomadibus Danielis. 8
Solvuntur Objectiones Judæorum. 9
§. III. Tertia probatio ex Prophetis Aggæo & Malachia prædicentibus Meſſiam oriturum ſtante ſecundo Templo. ibid.
Art. III. De peracto Incarnat. myſterio in Jeſu Nazareno. ibid.
§. I. Prima probatio petita ex jam laudatis vaticiniis Jacob & Danielis. 10
Difficultas I. Quid nomine Judæ in Jacobæo vaticinio ſit intelligendum? an ſola Tribus Juda, an tota Gens Judaica? ibid.
Difficultas II. Utrum Herodes fuerit genere Judæus an alienigena? 12
Petes 1. Si Herodes non fuerit ex genere Judæorum, ex quo ergo alio genere? ibid.
Petes 2. Quo ſenſu Chriſtus in Vaticinio Jacob dicitur Expectatio gentium? *Et ab Aggæo* deſideratus gentibus, *cum ejus futuri adventus Gentes nullam haberent notitiam?* ibid.
§. II. Secunda probatio ex Prophetis prænuntiantibus circumſtantias Nativitatis, vitæ, & mortis Meſſiæ adimpletas in Jeſu Nazareno. ibid.
§. III. Tertia probatio ex his, quæ prænuntiata ſunt ex adventu Meſſiæ ſubſecutura, & quæ ex adventu Chriſti noſtri ſunt adimpleta. 13
§. IV. Quarta probatio ex miraculis Chriſti comparatis cum miraculis Moyſis. 15
Art. IV. Solvuntur Objectiones. ibid.
DIGRESSIO I. HISTORICA. *De Joſephi teſtimonio; ſitne genuinum an ſuppoſitium?* 16
DIGRESSIO II. HISTORICA. *De libris Sibyllinis. Utrum ſint genuini an ſuppoſititii?* 17
DISSERTATIO III. De convenientia, neceſſitate, & motivo Incarnationis. 18
Art. I. De convenientia Incarnationis. ibid.
Art. II. De neceſſitate Incarnationis. 19
§. I. Utrum Incarnatio fuerit neceſſaria ad reparationem generis humani? ibid.
Solvuntur Objectiones. ibid.
§. II. Utrum ad condignam ſatisfactionem pro peccato neceſſaria fuerit Incarnatio? 20
Solvuntur Objectione. 21
Art. III. De motivo Incarnationis. Utrum ſi homo non peccaſſet, Deus ex præſenti decreto incarnatus fuiſſet? 22
Solvuntur Objectiones. 23
Art. IV. Ad quæ peccata delenda venerit Chriſtus. 26
DISSERTATIO IV. De quidditate Incarnationis, ſive de ipſa unione hypoſtatica. 27
Art. I. Utrum unio Verbi incarnati facta ſit in natura vel in perſona? ibid.
Conſectarium. 28
Solvuntur Objectiones Eutychianorum contra primam Concluſionem. ibid.
Solvuntur Objectiones Neſtorianorum contra ſecundam Concluſionem. 29
Art. II. Utrum Chriſtus ſit perſona compoſita? 30
Solvuntur Objectiones. ibid.
Art. III. Utrum unio naturæ divinæ & humanæ ſit aliquid creatum, ſive utrum detur nexus evidens formalis inter utramque? 31
Solvuntur Objectiones. ibid.
Corollaria. 32
Art. IV. Utrum unio humanitatis & divinitatis ſit ſubſtantialis, atque omnium maxima? 33
Art. V. Variæ difficultates expenduntur ex cæteris articulis D. Thom. ibid.
DIGRESSIO I. HISTORICA. *De Neſtorianiſmo.* ibid.
Sectio I. Synopſis hiſtorica Neſtorianiſmi. ibid.
De Concilio Epheſino in cauſa Neſtorii? 34
De Pace inter S. Cyrillum & Joannem Antiochenum. ibid.
Sectio II. Utrum Neſtorius purus hæreticus jure aſſeri poſſit? ib.
Solvuntur Objectiones. 35
Sectio III. De convocatione & præſidentia Concilii Epheſini. Quis illud convocavit? Quis illi præfuit? ibid.
Sectio IV. De Epiſtolis & anathematiſmis S. Cyrilli. Utrum hæc ſcripta ſint erroris pura? 36
Solvuntur Objectiones. ibid.
Sectio V. De Fide Joannis Antiocheni & Epiſcoporum Orientalium in Cauſa Neſtorii. Utrum Joannes Antiochenus cum ſuis Orientalibus erroris Neſtorii adhæſerit? 37
DIGRESSIO II. HISTORICA. *De Eutychianiſmo.* 38
Sectio I. Synopſis hiſtorica Eutychianiſmi. ibid.
De Prædatoria Synodo ſeu Latrocinio Epheſino. ibid.
De Concilio Chalcedonenſi in cauſa Eutychetis. ibid.
Synodi Chalcedonenſis hoſtes? 39
Henoticon Zenonis. ibid.
Acephali. ibid.
Theopaſchitæ. 40
Sectio II. In quo ſitus error Eutychetis? ibid.
Sectio III. De convocatione & præſide Concilii Chalcedonenſis. Quis illud convocavit; quis illi præfuit? ibid.
Sectio IV. De Epiſtola dogmatica S. Leonis ad S. Flavianum in Concilio Chalcedonenſi approbata. 41
Sectio V. Utrum Theodoretus merito coactus ſit a Concilio Chalcedonenſi dicere Anathema Neſtorio? ibid.
Solvuntur Objectiones. 42
DISSERTATIO V. De cauſa tam morali quam phyſica Incarnationis. 43
Art. I. Utrum Chriſtus meruerit aut mereri potuerit ſuam Incarnationem? ibid.
Solvuntur Objectiones. 44
Art. II. Utrum Chriſtus meruit circumſtantias ſuæ Incarnationis? 45
Art. III. Utrum ſancti Patres meruerint Incarnationem? 46
Art. IV. Quæ fuerit cauſa phyſica Incarnationis? 47
DISSERTATIO VI. De perſona aſſumente. ibid.
Art. I. Utrum proprium ſit perſonæ Divinæ naturam alienam terminare? ibid.
Solvuntur Objectiones. 48
Art. II. Per quid immediate terminatur natura humana in Chriſto? An per aliquid abſolutum, vel per aliquid relativum? ibid.
Art. III. Utrum Deus ſecundum ſe abſtrahendo a Perſonalitatibus relativis poſſit naturam alienam aſſumere? 49
Art. IV. Utrum plures perſonæ divinæ poſſint ſimul, vel diviſim aſſumere eandem numero naturam humanam? Et e contra, an plures humanitates poſſint ſimul ab eadem perſona divina aſſumi? ibid.
Corollaria. 51
DISSERTATIO VII. De natura aſſumptibili & aſſumpta, necnon de ordine aſſumptionis. ibid.
Art. I. De natura aſſumptibili. ibid.
§. I. Utrum omnis natura completa ſit aſſumptibilis a Verbo? ibid.
Solvuntur Objectiones. 52
§. II. Utrum Verbum aſſumere potuerit naturam propria ſubſiſtentia terminatam, ea retenta? ibid.
Variæ Quæſtiunculæ reſolvuntur. ibid.
§. III. Utrum ſubſtantiæ incompletæ & accidentia poſſint aſſumi a Verbo? 53
Art. II. De natura aſſumpta. Ibid.
Specialiter de Sanguine. 55
Solvuntur Objectiones. Ibid.
Art. III. De Ordine aſſumptionis. 56
DISSERTATIO VIII. De gratia Chriſti ſecundum quod eſt ſingularis homo. ibid.
Art. I. De ſanctificatione Chriſti per gratiam ſubſtantialem unionis. ibid.
§. I. Prima difficultas reſolvitur. 57
Solvuntur Objectiones. ibid.
§. II. Secunda difficultas reſolvitur. 58
Solvuntur Objectiones. ibid.
Art. II. Utrum in anima Chriſti fuerit gratia habitualis? 59
Variæ Quæſtiunculæ reſolvuntur. ibid.
Art. III. An omnes virtutes fuerint in Chriſto? 60
Art. IV. Utrum in Chriſto fuerint dona Spiritus ſancti & gratiæ gratis datæ? 61
Art. V. De perfectione gratiæ Chriſti. ibid.
Art. VI. Utrum gratia habitualis Chriſti de potentia Dei abſoluta poſſit augeri? 62
Solvuntur Objectiones. ibid.
DISSERTATIO IX. De gratia Chriſti ſecundum quod eſt caput Eccleſiæ. 63
Art. I. Utrum Chriſtus ut homo ſit caput Eccleſiæ, tam quoad corpus quam quoad animam? ibid.
Art. II. Utrum Chriſtus ſit Caput omnium hominum? 64
§. I. Prima difficultas reſolvitur. ibid.
Solvuntur Objectiones. ibid.
Conſectaria. ibid.
§. II. Secunda difficultas reſolvitur. ibid.
Solvuntur Objectiones. ibid.
§. III. Tertia difficultas reſolvitur. 66
Solvuntur Objectiones. ibid.
Art. III. An Chriſtus ſit caput Angelorum? 67
Solvuntur Objectiones contra 1. Concluſionem. 68
Solvuntur Objectiones contra 2. Concluſionem. 69
Art. IV. Per quam gratiam Chriſtus conſtituatur caput Eccleſiæ? 71
Solvuntur Objectiones. ibid.
Art. V. Variæ quæſtiunculæ circa præſentem materiam ex cæteris articulis D. Th. breviter expenduntur. ibid.
DISSERTATIO X. De ſcientia beata animæ Chriſti. 72
Art. I. Utrum ſcientia beata fuerit in Chriſto, & quando. ibid.
Art. II. Utrum anima Chriſti per ſcientiam beatam comprehendit divinam eſſentiam, aut ſaltem eam clarius videat quam quælibet alia creatura? 73

Art.

Art. III. Utrum Chriſtus per ſcientiam beatam cognoſcat omnia in Verbo. ibid.
Solvuntur Objectiones contra primam Concluſionem. ibid.
Solvuntur Objectiones contra ſecundam Concluſionem. 74
DISSERTATIO XI. De ſcientia Chriſti infuſa. 75
Art. I. Utrum in Chriſto fuerit ſcientia infuſa præter Beatam. ibid.
Art. II. Utrum Chriſtus per ſcientiam infuſam omnia cognoverit? 76
Conſectaria notatu digna. ibid.
Petes utrum Chriſtus per ſcientiam infuſam cognoſcat etiam omnia poſſibilia? 77
Art. III. Aliæ difficultates breviter expenduntur ex cæteris articulis D. Thomæ. ibid.
Quæritur 1. Utrum Chriſtus potuerit uti hac ſcientia infuſa ſine converſione ad phantaſmata? ibid.
Petes in quo conſiſtat hæc converſio ad phantaſmata? 78
Quæritur 2. Utrum ſcientia infuſa Chriſti fuerit collativa ſeu diſcurſiva? ibid.
Quæritur 3. Utrum ſcientia infuſa in Chriſto fuerit perfectior ſcientia Angelorum? ibid.
Quæritur 4. Utrum ſcientia infuſa Chriſti fuerit habitualis? ibid.
Quæritur 5. Utrum ſcientia infuſa in Chriſto fuerit diſtincta per diverſos habitus? ibid.
DISSERTATIO XII. De ſcientia Chriſti acquiſita. ibid.
Art. I. Utrum ſcientia per ſe acquiſibilis fuerit in Chriſto & quomodo? An infuſa per accidens, an propriis actibus acquiſita? ibid.
Solvuntur Objectiones contra ſecundam Concluſionem. 79
Art. II. Expenduntur breviter aliæ difficultates ex quatuor articulis Quæſtionis 12. D. Thomæ. 80
Quæritur 1. Utrum Chriſtus per ſcientiam acquiſitam omnia cognoverit? ibid.
Quæritur 2. Utrum Chriſtus in hac ſcientia profecerit? ibid.
Quæritur 3. Utrum Chriſtus aliquid ab homine vel Angelo didicerit? ibid.
DISSERTATIO XIII. De potentia animæ Chriſti. ibid.
Art. I. Utrum humanitas Chriſti habuerit omnipotentiam ſimpliciter? ibid.
Art. II. De potentia humanitatis Chriſti circa immutationem creaturarum? 81
§. I. *Exponitur articulus D. Th. qui eſt ſecundus hujus Q. 13.* ib.
§. II. *Utrum humanitas Chriſti ſit inſtrumentum phyſicum gratiæ, miraculorum, & aliorum effectuum ſupernaturalium?* ibid.
Solvuntur Objectiones. ibid.
Art. III. De Potentia animæ Chriſti reſpectu proprii corporis & executionis ſuæ voluntatis. 83
DISSERTATIO XIV. De defectibus corporis aſſumpti a Filio Dei. ibid.
Art. I. Utrum conveniens, an etiam neceſſarium fuerit corpus Chriſti ſubjacere defectibus? ibid.
Art. II. Utrum Chriſtus omnes defectus corporales hominum aſſumpſerit? 84
DISSERTATIO XV. De defectibus animæ a Chriſto aſſumptis, ubi de ejus impeccabilitate. ibid.
Art. I. Utrum in Chriſto fuerit potueritve eſſe peccatum? ibid.
Art. II. Utrum Chriſtus ut homo vi præciſa gratiæ unionis ſit peccabilis? 85
Solvuntur Objectiones. 86
Conſectaria. 87
Art. III. Utrum in Chriſto fuerit aut potuerit eſſe fomes peccati? ibid.
Art. IV. De cæteris animæ defectibus aſſumptis a Chriſto. 88
Quæritur 1. Utrum in Chriſto fuerit ignorantia? ibid.
Quæritur 2. Utrum anima Chriſti fuerit paſſibilis? ibid.
Quæritur 3. Utrum in Chriſto fuerit dolor ſenſibilis? ibid.
Quæritur 4. Utrum in Chriſto fuerit triſtitia? ibid.
Quæritur 5. Utrum in Chriſto fuerit timor? ibid.
Quæritur 6. Utrum in Chriſto fuerit admiratio? ibid.
Quæritur 7. Utrum in Chriſto fuerit ira? ibid.
Quæritur 8. Utrum Chriſtus fuerit viator & comprehenſor? ibid.
DISSERTATIO XVI. De conſequentibus unionem quantum ad ea, quæ conveniunt Chriſto ſecundum eſſe & fieri, ſeu de communicatione Idiomatum. 89
Art. I. Utrum admittenda ſit in Chriſto Communicatio Idiomatum? ibid.
Regula Communicationis Idiomatum. ibid.
Art. II. Breviter diſcutiuntur cæteri Articuli D. Thomæ. 90
Quæritur 1. Utrum hæc propoſitio, Deus eſt homo, *ſit vera & propria? Item utrum ſit eſſentialis & per ſe?* Ibid.
Petes, utrum homo prædicetur univoce de Deo & de nobis in hoc Myſterio? ibid.
Quæritur 2. Qualis ſit hæc propoſitio, homo eſt Deus. ibid.
Quæritur 3. Utrum Chriſtus poſſit dici homo Dominicus? ibid.
Quæritur 4. Quid ſit dicendum de iſtis propoſitionibus, Deus factus eſt homo: Homo factus eſt Deus? ibid.
Quæritur 5. Utrum hæc propoſitio ſit ſimpliciter concedenda? Chriſtus eſt creatura. ibid.
Quæritur 6. Utrum hæc propoſitio, hic homo, *deſignato Chriſto,* incepit eſſe, *ſit vitanda?* ibid.
Quæritur 7. Quid dicendum de iſtis propoſitionibus, Chriſtus ſecundum quod homo eſt creatura; Chriſtus ſecundum quod eſt Deus; Chriſtus ſecundum quod homo eſt perſona. ibid.
DISSERTATIO XVII. De pertinentibus ad unitatem in Chriſto quantum ad eſſe. 91
Art. I. Utrum Chriſtus ſit unum vel duo? ibid.
Petes, utrum poſſit dici, Chriſtus eſt divinitas & humanitas ſimul? ibid.
Art. II. Utrum in Chriſto ſit unica exiſtentia eaque divina? ibid.
Solvuntur Objectiones. 92
DISSERTATIO XVIII. De pertinentibus ad unitatem in Chriſto quantum ad voluntatem. ibid.
Art. I. Utrum in Chriſto ſint duæ voluntates? ibid.
Solvuntur Objectiones Hæreticorum. 93
Art. II. Quædam Quæſtiunculæ circa voluntatem Chriſti breviter reſolvuntur. ibid.
Quæritur 1. Utrum in Chriſto fuerit voluntas ſenſualitatis? ibid.
Quæritur 2. Utrum fuerit in Chriſto duplex voluntas rationis? ibid.
Quæritur 3. Utrum fuerit in Chriſto contrarietas voluntatum? Ib.
Quæritur 4. Utrum voluntas Chriſti ſemper fuerit conformis voluntati divinæ? ibid.
Petes utrum non poſſint admitti in voluntate Chriſti, ut ratio eſt, quidam actus inefficaces, & imperfecti non conformes divinæ voluntati in volito materiali? ibid.
Art. III. Utrum in Chriſto fuerit liberum arbitrium? 94
Art. IV. Concordia libertatis Chriſti cum ejus impeccabilitate. ib.
§. I. *Referuntur variæ ſententiæ circa præceptum moriendi & impugnantur.* ibid.
Prima ſententia. ibid.
Impugnatur. ibid.
Secunda ſententia. 95
Impugnatur. ibid.
Tertia ſententia. ibid.
Impugnatur. ibid.
Communibus argumentis ſimul impugnantur hæ tres Sentent. ibid.
§. II. *Vera ſententia ſtabilitur.* ibid.
§. III. *Solvuntur Objectiones contra Libertatem Chriſti circa præceptum dilectionis Dei & alia præcepta naturalia.* 97
DIGRESSIO HISTORICA. *De Monothelismo ad Art. I. præced. Diſſertat.* 98
Sectio I. Synopſis Hiſtorica Monothelismi. ibid.
Auctores & fautores Monothelismi. ibid.
Impugnatores Monothelismi. ibid.
Sectio II. In quo ſitus ſit error palmaris Monothelitarum? ibid.
Sectio III. Quis convocaverit Concilium ſextum generale? Quis illi præfuit? 99
Sectio IV. De Honorii Romani Pontificis damnatione in ſexta Synodo generali. ibid.
Subſectio I. Utrum Honorius fuerit damnatus in ſexta Synodo? ib.
Solvuntur Objectiones. 100
Subſectio II. Quo titulo Honorius fuerit damnatus in ſexta Synodo. 101
Solvuntur Objectiones. 102
DISSERTATIO XIX. De operibus Chriſti meritoriis & ſatisfactoriis. 103
Art. I. De merito Chriſti: An, quando, & per quos actus Chriſtus meruerit? ibid.
Art. II. Quænam Chriſtus ſibi meruerit? 104
Art. III. Utrum, & quæ Chriſtus meruerit Angelis & hominibus? 105
Art. IV. Utrum Chriſtus vere & proprie pro nobis ſatisfecerit, an improprie tantum & metaphorice? ibid.
Solvuntur Objectiones Socinianorum. 108
Art. V. Utrum operationes Chriſti fuerint ab intrinſeco valoris ſimpliciter infiniti tam ad merendum, quam ad ſatisfaciendum? 110
Solvuntur Objectiones. 111
Art. VI. Utrum ſatisfactio Chriſti fuerit ab intrinſeco non ſolum condigna, ſed etiam ſuperabundans? 112
Solvuntur Objectiones. 113
Art. VII. Utrum ſatisfactio Chriſti fuerit ex toto rigore juſtitiæ, ſeu ad apices juris? 114
Solvuntur Objectiones. ibid.
Art. VIII. Utrum ſatisfactio Chriſti procedat a juſtitia commutativa? 116
Solvuntur Objectiones. ibid.
DISSERTATIO XX. De ſervitute, oratione, & Sacerdotio Chriſti. 117
Art. I. Utrum Chriſtus ut homo fuerit vere ſervus Dei? ibid.
Solvuntur Objectiones. 118
Art. II. De Oratione Chriſti. 119
Quæritur 1. Utrum competat Chriſto orare? ibid.
Quæritur 2. Utrum Chriſtus nunc exiſtens in cælo vere & proprie oret pro nobis? ibid.
Quæritur 3. Utrum Chriſtus oraverit ſecundum ſuam ſenſualitatem? ibid.
Quæritur 4. Utrum Chriſtus oraverit pro ſe? ibid.
Quæritur 5. Utrum oratio Chriſti ſemper fuerit exaudita? ibid.
Art. III. De Sacerdotio Chriſti? ibid.
DISSERTATIO XXI. De adoptione Chriſti. 120
Art. I. Utrum Deo conveniat adoptare creaturam intellectualem? ib.
Art. II. Utrum Chriſtus quatenus homo ſit Filius Dei adoptivus? ibid.
§. I. *Prænotamina, ubi de Hæreſi Felicis Urgelitani & Elipandi Toletani.* ibid.
§. II. *Utrum Felix & Elipandus filiationem adoptivam in Chriſto ſenſu Neſtoriano propugnaverint?* ibid.
§. III. *Utrum Concilium Francofordienſe rejecerit filiationem adoptivam in Chriſto non ſolum in ſenſu Felicis & Elipandi, qui Neſtorianus erat, ſed etiam abſolute & quovis ſenſu?* 122
§. IV. *Impugnatur rationibus Theologicis filiatio adoptiva Chriſti ſecundum humanitatem & adoptio humanitatis.* ibid.
Solvuntur Objectiones. ibid.
Petes 1. Utrum Chriſtus ut homo ſit Filius naturalis totius Trinitatis? 124
Petes 2. Utrum Chriſtus ut homo ſit Filius naturalis B. M. Virginis? ibid.
DISSERTATIO XXII. De Prædeſtinatione Chriſti? ibid.
Art. I. Utrum Chriſtus ſit prædeſtinatus & ad quid? ibid.
Art. II. An & quomodo Prædeſtinatio Chriſti ſit cauſa noſtræ Prædeſtinationis? 125
DISSERTATIO XXIII. De adoratione Chriſti & cultu imaginum. 126
Art. I. Prænotamina ad totam Diſſertat. ibid.
Art. II. Utrum una eademque adoratione ſit adoranda Chriſti divinitas & ejus humanitas? 127
Art. III. De cultu Imaginum Chriſti & Sanctorum. 128
§. I. *Synopſis Hiſtorica Iconoclaſtorum.* ibid.
§. II. *Aſſeritur cultus Imaginum Chriſti & Sanctorum?* 129
§. III. *Solvuntur Objectiones Iconomachorum tam veterum, quam recentiorum?* 130
§. IV. *Utrum Imagines Dei & Angelorum poſſint depingi & coli?* 133
§. V. *Quo cultu Imagines ſint colendæ?* ibid.
Expenditur prima ſententia & rejicitur. ibid.

Expo-

Exponuntur duæ aliæ ſententiæ? 756
Reſolutio Quæſtionis. 579
Solvuntur argumenta tertiæ ſententiæ in quantum militant contra hanc ſecundam Concluſionem. 581
Petes utrum cultus Imaginum cadat ſub præceptum? 587
Art. IV. De cultu crucis & Reliquiarum? ibid.
Solvuntur Objectiones. 589
Quæritur utrum Mater Chriſti ſit adoranda adoratione latriæ? 593
Summa Doctrinæ Catholicæ de Sacramentis in communi ex Conciliis Florentino & Tridentino. 138

TRACTATUS DE SACRAMENTIS IN COMMUNI.

DISSERTATIO I. de quidditate Sacramenti. 139
Art. I. Utrum Sacramentum ſit in genere ſigni? ibid.
Solvuntur Objectiones. ibid.
Art. II. Quale ſignum ſit Sacramentum? 140
Signum ad placitum. ibid.
Signum practicum. ibid.
Signum ſacrum ex parte rei ſignificantis. 141
Signum ſacrum ex parte rei ſignificatæ. ibid.
Signum ſtabile & permanens. ibid.
Conſectaria præcedentis Doctrinæ. ibid.
Art. III. Utrum Sacramentum ſit res ſenſibilis? 142
Art. IV. Utrum Sacramenta conſtent rebus & verbis, & quomodo res & verba in illis ſe habeant? ibid.
§. I. Utrum in Sacramentis verba rebus convenienter adjungantur? 143
§. II. Utrum Sacramenta novæ Legis conſtent rebus tamquam materia, & verbis tamquam forma, & ut partibus eſſentialibus? ibid.
Solvuntur Objectiones. ibid.
Obſervanda pro praxi circa ſtatum materiæ & formæ in Sacramentis. 144
§. III. Utrum verba Sacramentorum ſint promiſſoria & concionatoria, an conſecratoria? 145
Art. V. Utrum res & verba in Sacramentis novæ legis ſint & debuerint eſſe a Chriſto determinata; ideoque proinde ſit neceſſe uti? 146
Solvuntur Objectiones. ibid.
Conſectaria. 147
Art. V. De mutatione formæ & materiæ in Sacramentis. ibid.
§. I. An & quæ mutatio formæ vel materiæ tollat veritatem Sacramenti? ibid.
Obſervanda pro praxi circa varios modos; quibus contingit mutatio ſive ſubſtantialis ſive accidentalis in forma ſacramentali. 148
§. II. Quale ſit peccatum mutare materiam vel formam Sacramenti? ibid.
Appendix I. De repetitione materiæ ſeu formæ ſacramentalis. 149
Appendix II. De forma conditionali. ibid.
DISSERTATIO II. De neceſſitate & exiſtentia Sacramentorum? 150
Art. I. Utrum Sacramenta ſint neceſſaria ad ſalutem humanam? ibid.
Art. II. Utrum etiam ante peccatum fuerint homini neceſſaria Sacramenta? ibid.
Solvuntur Objectiones. 151
Art. III. Utrum poſt peccatum ante Chriſtum debuerint eſſe Sacramenta? ibid.
Solvuntur Objectiones! 152
Art. IV. Utrum poſt Chriſtum debuerint eſſe Sacramenta? 153
DISSERTATIO III. De principali effectu Sacramentorum, qui eſt gratia. ibid.
Art. I. Utrum Sacramenta novæ Legis gratiam cauſent ex opere operato? ibid.
Probationes ex Scriptura. 154
Ex Conciliis. ibid.
Ex Patribus. ibid.
Ratione Theologica. ibid.
Ab inconvenientibus. 255
Solvuntur Objectiones. ibid.
Art. II. Utrum Sacramenta novæ Legis gratiam cauſent moraliter tantum, an etiam phyſice? ibid.
Solvuntur Objectiones. 158
Deeſt exiſtentia. ibid.
Deeſt contactus phyſicus. ibid.
Deeſt actio prævie diſpoſitiva ad effectum cauſæ principalis. ibid.
Deeſt virtus participata a cauſa principali. ibid.
Conſectarium. ibid.
Art. III. Quam gratiam cauſent Sacramenta novæ Legis, an primam vel ſecundam? ibid.
Solvuntur Objectiones contra ſecundam partem ſecundæ Concluſionis. ibid.
Art. IV. Utrum Sacramenta æqualem cauſent gratiam: & quæ diſpoſitio requiratur ex parte ſuſcipientis ad ejus conſecutionem? ibid.
§. I. Prima difficultas reſolvitur. ibid.
§. II. Secunda difficultas reſolvitur. 16a
Solvuntur Objectiones. ibid.
Art. V. Utrum gratia ſacramentalis addat aliquid ſub gratiam communiter dictam? 163
Petes an gratia ſacramentalis poſſit conferri extra Sacramenta? 164
Art. VII. Utrum Sacramenta veteris Legis gratiam cauſarent? ibid.
DISSERTATIO IV. De altero effectu Sacramentorum, qui eſt character. 166
Art. I. Utrum & quæ Sacramenta novæ Legis characterem conferant? ibid.
Solvuntur Objectiones Hæreticorum. 67
Art. II. Quid ſit Character? ibid.
Art. III. Variæ Quæſtiunculæ circa characterem breviter reſolvuntur. 168
DISSERTATIO V. De cauſa Sacramentorum. 169
Art. I. Utrum omnia novæ Legis Sacramenta ſint immediate inſtituta a Chriſto? ibid.
Petes 1. Utrum Concluſio noſtra ſit de fide? 170
Petes 2. Utrum Chriſtus poteſtatem excellentiæ potuerit puro homini communicare? ibid.
Art. II. Quis ſit Sacramentorum Miniſter? ibid.
Art. III. Utrum per malos Miniſtros Sacramenta valide conferri poſſint? 171
Solvuntur Objectiones ab auctoritate. 172
Solvuntur Objectiones a ratione. 174
Art. IV. Utrum mali miniſtrantes Sacramenta peccent? 175
Conſectaria. 176
Art. V. Utrum Miniſter mortalis peccati ſibi conſcius teneatur confiteri, antequam Sacramenta conficiat aut miniſtret. ibid.
Art. VI. Utrum liceat Sacramenta petere & accipere a malis Miniſtris? 177
Art. VII. De intentione Miniſtri. 178
§. I. Dogma Catholicum de intentione Miniſtri contra Hæreticos aſſeritur. 179
Solvuntur Objectiones Hæreticorum. ibid.
§. II. Quæ intentio requiratur & ſufficiat in Miniſtro ad perfectionem Sacramenti? 180
Solvuntur Objectiones contra primam Concluſionem. 186
Objectiones ex praxi & definitionibus Eccleſiæ. ibid.
Objectiones ex SS. Auguſtino & Th. veteribuſque Scholaſticis. 188
Objectiones a Ratione. 191
§. III. De qualitate intentionis internæ requiſitæ ad integritatem Sacramenti. 193
Quædam Quæſtiunculæ reſolvuntur. ibid.
DIGRESSIO HISTORICA. *De controverſia inter S. Stephanum & S. Cyprianum circa Baptiſma Hæreticorum.* 195
Sectio I. Utrum Cyprianus & ejus Collegæ exiſtimaverint controverſiam de Baptiſmo ad fidem pertinere, eamque ut talem definiverit Stephanus? 196
Sectio II. Utrum Stephanus Papa de facto excommunicaverit S. Cyprianum, Firmilianum, & alios Rebaptizantes. 197
Sectio III. Utrum Cyprianus & Firmilianus errorem depoſuerint? 198
Sectio IV. Utrum Cyprianus, Firmilianus, & iis conſentientes excuſari poſſint ab omni culpa? ibid.
Sectio V. Utrum Stephanus decreto ſuo contra Rebaptizantes in errorem oppoſitum lapſus ſit, approbando omnium promiſcue Hæreticorum Baptiſma? 199
Sectio VI. An ſint alii Patres qui Rebaptizantium ſententiæ adhæſerint? 200
De ſancto Dionyſio Alexandrino. ibid.
De ſancto Baſilio. ibid.
De ſancto Athanaſio. ibid.
De ſancto Optato Milevitano. 201
De S. Cyrillo Jeroſolymitano. 202
Sectio VII. Quodnam Concilium plenarium totius Orbis intellexerit Auguſtinus, in quo toties dicit definitam & terminatam fuiſſe controverſiam de Baptiſmo Hæreticorum? ibid.
DISSERTATIO VI. De Subjecto Sacramentorum. 203
Art. I. An & quæ intentio in ſuſcipiente Sacramentum requiratur ad ejus integritatem? ibid.
Solvuntur Objectiones contra primam Concluſionem. 205
Art. II. Utrum liceat miniſtrare Sacramenta Peccatori ea petenti? 206
DISSERTATIO VII. De Numero, Ordine, & Cæremoniis Sacramentorum, necnon de Sacramentalibus. 207
Art. I. De Numero Sacramentorum. ibid.
Solvuntur Objectiones. 208
Art. II. De comparatione Sacramentorum ad invicem. 209
Art. III. De Cæremoniis Sacramentorum. ibid.
Art. IV. De Sacramentalibus. 210

TRACTATUS DE BAPTISMO.

Summa Doctrinæ Catholicæ de Baptiſmo. 211
Decretum Concilii Florentini. ibid.
Canones Concilii Tridentini de Baptiſmo. ibid.
DISSERTATIO I. De Sacramento Baptiſmi ſecundum ſe. 212
Art. I. Quid ſit Baptiſmus. ibid.
Art. II. De tempore inſtitutionis & obligationis Baptiſmi. ibid.
§. I. Quandonam inſtitutus fuerit Baptiſmus? ibid.
Solvuntur Objectiones. 213
§. II. Quandonam Baptiſmus cœpit obligare. 214
Solvuntur Objectiones. ibid.
Art. III. De Materia Baptiſmi. 216
§. I. Utrum aqua ſit materia remota Baptiſmi? ibid.
Solvuntur Objectiones contra primam Concluſionem. 217
§. II. De materia proxima Baptiſmi. 218
§. III. Variæ Quæſtiunculæ circa utramque Baptiſmi materiam breviter reſolvuntur. 219
Art. IV. De forma Baptiſmi. 220
§. I. Quæ ſit forma legitima Baptiſmi? ibid.
§. II. Quæ verba ſint eſſentialia in forma Baptiſmi? 221
§. III. An Apoſtoli aliquando ex divina diſpenſatione baptizaverint in ſolo nomine Chriſti? 223
Momenta Sententiæ affirmantis. ibid.
Momenta Sententiæ negativæ. 224
§. IV. Leviores quædam difficultates circa formam Baptiſmi breviter expediuntur. ibid.
Art. V. Utrum Baptiſmus poſſit iterari? 225
Caſus dubii. 226
Art. VI. Utrum convenienter aſſignentur tria Baptiſmata, ſcilicet Fluminis, Flaminis, & Sanguinis? ibid.
§. I. Utrum Baptiſmus Flaminis ſuppleat vices Baptiſmi aquæ, quantum ad gratiæ collationem? 227
Solvuntur Objectiones. 220
§. II. Utrum Baptiſmus ſanguinis ſeu Martyrium ſuppleat vices Baptiſmi aquæ, & quomodo? 227
Solvuntur Objectiones. ibid.
DISSERTATIO II. De Miniſtro Baptiſmi. 230
Art. I. Quis ſit Miniſter ſolemnitatis in Baptiſmo? ibid.
Art. II. Quis ſit Miniſter neceſſitatis in Baptiſmo? 231
Solvuntur Objectiones. ibid.
Art. III. Leviores quædam difficultates circa Miniſtrum Baptiſmi ſuccincte reſolvuntur. 233

Art. IV.

Art. IV. De Suſceptoribus Baptizandorum, ſeu Patrinis per varias Quæſtiunculas. 234
DISSERTATIO III. De Suſcipientibus Baptiſmum. ibid.
Art. I. Utrum Baptiſmus ſit omnibus neceſſarius ad ſalutem? ibid.
Solvuntur Objectiones. ibid.
Variis petitionibus ſatisfit. 236
Art. II. Utrum Pueri ſint baptizandi? 237
Solvuntur Objectiones. ibid.
Art. III. Utrum Pueri in uteris maternis poſiti ſint baptizandi? 238
Art. IV. Utrum Pueri Judæorum vel aliorum infidelium ſint invitis Parentibus baptizandi? 240
Solvuntur Objectiones contra primam Concluſionem. 241
Art. V. De Adultis baptizandis. Per Quæſtiunculas. 242
Art. VI. Utrum tam pueris, quam adultis Baptiſmus ſit differendus? 243
DIGRESSIO PRIMA HISTORICA. De veteri Catechumenatu. 244
Varii Gradus ſeu Ordines Catechumenatus. ibid.
DIGRESSIO SECUNDA HISTORICA. De Baptiſmo Conſtantini Imperatoris. 245
Momenta Baptiſmi Conſtantino collati Romæ a S. Sylveſtro. ibid.
Momenta Baptiſmi Conſtantino collati Nicomediæ ſub finem vitæ. ibid.
DISSERTATIO IV. De Effectibus Baptiſmi. 247
Art. I. Varii Effectus Baptiſmi recenſentur. ibid.
Art. II. Utrum Baptiſmus ficte ſuſceptus recedente fictione reviviſcat? 248
Solvuntur Objectiones. 249
Quibuſdam petitionibus ſatisfit. ibid.
DISSERTATIO V. De Circumciſione & Cæremoniis Baptiſmi. 250
Art. I. De Circumciſione. In quem finem fuerit inſtituta? ibid.
Solvuntur Objectiones. 252
Art. II. De Cæremoniis Baptiſmi. ibid.

TRACTATUS DE CONFIRMATIONE.

Summa Doctrinæ Catholicæ de Confirmatione. 253
Decretum Concilii Florentini. ibid.
Canones Concilii Tridentini de Confirmatione. 254
DISSERTATIO UNICA. De omnibus, quæ hoc Sacramentum ſpectant. ibid.
Art. I. Utrum Confirmatio ſit Sacramentum? ibdi.
Solvuntur Objectiones Hæreticorum 255
Petes a quo & quando inſtitutum fuerit Sacramentum Confirmationis. 256
Art. II. Quæ ſit Materia Confirmationis. 257
Solvuntur Objectiones contra Chriſmationem. 258
Solvuntur Objectiones contra manuum impoſitionem. 259
Art. III. Utrum balſamum ſit neceſſario permiſcendum oleo, neceſſitate Sacramenti? ibid
Solvuntur Objectiones. 260
Art. IV. Utrum ſit de neceſſitate Sacramenti, quod Chriſma ſit ab Epiſcopo benedictum? ibid.
Solvuntur Objectiones. 261
Art. V. Quædam leviores quæſtiones circa materiam Confirmationis compendioſe reſolvuntur. ibid.
Art. VI. Quæ ſit forma Confirmationis. 262
Solvuntur Objectiones. ibid.
Art. VII. De Miniſtro Confirmationis. 263
§. I. Utrum ſolus Epiſcopus ſit Miniſter ordinarius Confirmationis? ibid.
Solvuntur Objectiones. 264
§. II. Utrum ſimplex Sacerdos poſſit eſſe Miniſter extraordinarius Confirmationis? 265
Solvuntur Objectiones. 266
Petes utrum ſolus ſummus Pontifex poſſit committere Sacerdoti, ut ſit Miniſter extraordinarius Confirmationis. 267
Art. VIII. De ſubjecto & neceſſitate Confirmationis? Ibid.
§. I. Qui ſint capaces Confirmationis? ibid.
Petes, quæ ſint diſpoſitiones requiſitæ in ſuſcipiente Confirmationem? ibid.
§. II. Quæ ſit neceſſitas ſeu obligatio ſuſcipiendi Sacramentum Confirmationis? ibid.
Petes utrum Confirmatio ſit præmittenda primæ Tonſuræ & ſacris Ordinibus. 258
Art. IX. De Effectibus Confirmationis. ibid.
Art. X. De Ritibus Confirmationis. 270

TRACTATUS DE ALMO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

Summa Doctrinæ Catholicæ de Euchariſtia. ibid.
Decretum Concilii Florentini. ibid.
Canones Concilii Tridentini de Euchariſtia. 271
DISSERTATIO. I. De veritate & exiſtentia Euchariſtiæ, ſive de vera & reali præſentia Chriſti in Euchariſtia. ibid.
Art. I. De variis nominibus, ſignis & definitionibus Sacramenti Euchariſtiæ. ibid.
Nomina. ibid.
Figuræ. 272
Definitiones. ibid.
Art. II. De variis erroribus circa veritatem Euchariſtiæ. ibid.
Art. III. Aſſeritur Dogma Catholicum de reali præſentia Chriſti in Euchariſtia. 273
§. I. Primum momentum ex Capite ſexto Joannis. ibid.
§. II. Secundum momentum ex verbis inſtitutionis. 274
§. III. Tertium momentum ex Apoſtolo. ibdi.
§. IV. Quartum Momentum ex Conciliis. 275
§. V. Quintum Momentum ex Patribus. ibid.
§. VI. Sextum momentum ex præſcriptione ſeu continua poſſeſſione. 278
§. VII. Momenta a Ratione. 279
Art. IV. Solvuntur Objectiones Hæreticorum. 280
§. I. Solvuntur Objectiones ex Scriptura. ibid.
§. II. Solvuntur Objectiones ex Patribus. 282
§. III. Solvuntur Objectiones a Ratione. 284
Art. V. De Tranſſubſtantiatione. 286
Art. VI. Solvuntur Objectiones. 287
§. I. Solvuntur Objectiones ex Patribus. ibid.
§. II. Solvuntur Objectiones ex accidentibus remanentibus, & ſimul impugnatur Carteſianiſmus. 288
Impugnatur primus dicendi modus Carteſianorum. ibid.
Impugnatur ſecundus dicendi modus Carteſianorum. ibid.
§. III. Solvuntur Objectiones contra probationem deſumptam ex verbis Conſecrationis. 291
Art. VII. Variæ Quæſtiones circa Tranſſubſtantiationem breviter reſolvuntur. 293
Petes 1. Utrum ſubſtantia panis & vini poſt Conſecrationem annihiletur? ibid.
Petes 2. Qualis actio ſit Tranſſubſtantiatio, an adductiva, an unitiva, an conſervativa, an productiva ſeu reproductiva? ibid.
Petes 3. Utrum abſtrahendo a verbis Conſecrationis, poſſit de Dei potentia abſoluta Corpus Chriſti eſſe præſens in Euchariſtia abſque converſione panis in ipſum? 293
Petes 4. Utrum Tranſſubſtantiatio fiat in inſtanti? ibid.
DISSERTATIO II. De eſſentia, unitate, & inſtitutione Sacramenti Euchariſtiæ. 294
Art. I. In quo conſiſtat Sacramentum Euchariſtiæ? ibid.
§. II. Utrum Sacramentum Euchariſtiæ conſiſtat in re permanente, an in uſu tantum? ibid.
Solvuntur Objectiones. 295
Conſectaria de adoratione Chriſti in Euchariſtia. 296
§. II. Quid habeat propriæ rationem Sacramenti in Euchariſtia? ibid.
Solvuntur Objectiones. 297
Art. II. Utrum Sacramentum Euchariſtiæ ſit unum vel plura ibid.
Art. III. Quandonam Sacramentum Euchariſtiæ fuerit inſtitutum? 299
Solvuntur Objectiones. 300
Solvuntur aliæ Objectiones. 301
Petes utrum unam vel plures cœnas Chriſtus habuerit pridie Paſſionis? 302
DIGRESSIO HISTORIA. De inſtitutione Feſti Corporis Chriſti, necnon de Auctore illius Officii. ibid.
Sectio I. Quæ fuerit prima origo & occaſio inſtitutionis Feſti Corporis Chriſti? ibid.
Sectio II. Quis ſit auctor officii Feſti Corporis Chriſti. 303
DISSERTATIO III. De materia Sacramenti Euchariſtiæ.
Art. I. Utrum panis & vinum ſint materia Sacramenti Euchariſtiæ? ibdi.
Conſectaria. ibid.
Art. II. Utrum hoc Sacramentum debeat confici in azymo? 305
§. I. De Antiquitate uſus Azymi & fermentati tam in Eccleſia Latina, quam Græca. ibid.
§. II. Quæſtio propoſita reſolvitur. Ibid.
Quæritur utrum Græcus apud Latinos poſſit conſecrare in azymo, & vice verſa Latinus apud Græcos in fermentato? 306
Art. III. Utrum aqua ſit vino miſcenda? Quo jure & qua quantitate? ibid.
Art. IV. Utrum aqua Calici infuſa immediate convertatur in ſanguinem Chriſti? 307
Solvuntur Objectiones. 308
Art. V. Utrum una ſpecies poſſit conſecrari ſine altera? 309
Solvuntur Objectiones. 310
Art VI. Utrum materia conſecranda debeat eſſe præſens Miniſtro, determinata in individuo & ſub certa quantitate? 311
Conſectaria. 312
Petes utrum ſi materia non conſecrata ita miſceatur cum conſecrata, puta ſi hoſtia non conſecrata cadat inter conſecratas, aut gutta vini conſecrati miſceatur cum vino non conſecrato, ita ut non poſſit diſcerni a materia conſecrata, valide conſecretur? ibid.
DISSERTATIO IV. De modo, quo Chriſtus eſt in hoc Sacramento. ibid.
Art. I. Utrum totus Chriſtus contineatur ſub hoc Sacramento & quomodo? ibid.
Petes 1. Quid intelligatur nomine corporis, quod ponitur ex vi verborum in hoc Sacramento? 312
Petes 2. Utrum vi verborum ponatur tantum ſanguis Chriſti, qui effuſus eſt in Paſſione, propterea quod Chriſtus dixit: Qui pro vobis effundetur? ibid.
Petes 3. Utrum Pater & Spiritus S. ſint in hoc Sacramento per concomitantiam? ibid.
Art. II. Expenduntur breviter variæ Quæſtiunculæ circa præſentem materiam ex cæteris Articulis D. Thomæ. ibid.
Petes 1. Utrum quantitas dimenſiva corporis Chriſti ſit in hoc Sacramento? ibid.
Petes 2. Utrum corpus Chriſti ſit in Sacramento ſicut in loco? ibid.
Petes 3. Utrum corpus Chriſti ſit mobiliter in hoc Sacramento? 314
Petes 4. Utrum corpus Chriſti in Euchariſtia poſſit videri oculo? ibid.
Petes 5. Utrum quando in hoc Sacramento apparet miraculoſe, vel caro, vel ſanguis, vel puer, ſit vere ibi corpus Chriſti, & an maneat ſacramentaliter? ibid.
Quomodo ſe gerere debeat Sacerdos celebrans, cui talis apparitio contingit? ibid.
DISSERTATIO V. De forma Sacramenti Euchariſtiæ. 315
Art. I. Utrum Chriſtus conſecrando verbis uſus fuerit? ibid.
Conſectaria. ibid.
Art. II. Utrum ſolis Verbis Dominicis, & non Precibus præcedentibus aut ſubſequentibus fiat Conſecratio? ibid.
Solvuntur Objectiones. ibid.
Art. III. Quæ ſint verba eſſentialia utriuſque formæ panis & Calicis? ibid.
§. I. Quæ ſint verba eſſentialia formæ Conſecrationis panis? ibid.
§. II. Quæ ſint verba eſſentialia formæ Conſecrationis Calicis? ibid.
Solvuntur Objectiones. ibid.
Appendix. Explicantur verba utriuſque formæ. 320
DISSERTATIO VI. De uſu ſeu ſumptione, nec non de effectibus Euchariſtiæ. ibid.
Art. I. De neceſſitate ſeu obligatione ſumendi Euchariſtiam. ibid.

§. I. Utrum ſumptio Euchariſtiæ ſit neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem? ibid.
Petes. Quomodo Confirmatio, Extrema-Unctio, & Matrimonium ordinentur ad Euchariſtiam tanquam ad finem? 321
§. II. Utrum ſit Præceptum divinum ſacramentaliter communicandi? 322
Conſectaria. ibid.
Petes 1. Utrum hoc præceptum divinum obliget omnes adultos tam Fideles, quam Infideles? ibid.
Petes 2. Quandonam obliget iſtud præceptum divinum? ibid.
Petes 3. Utrum, qui heri vel hodie mane communicavit, & veſpere incidit in periculum mortis, teneatur iterum communicare per modum Viatici? ibid.
Petes 4. Utrum pueri doli capaces & apti ad Confeſſionem, ſed nondum admiſſi ad communionem, ſi in periculo mortis conſtituantur, teneantur ex præcepto divino communicare? 323
§. III. De obligatione communicandi ex præcepto Eccleſiæ. ibid.
Explicatur præceptum. ibid.
Petes 1. Ubi & a quo ſumenda eſt Communio Paſchalis? ibid.
Petes 2. An qui ſive culpabiliter ſive inculpabiliter non communicavit in Paſchate, ſit liber a Præcepto uſque ad ſequens Paſcha? ibid.
§. IV. Utrum per communionem ſacrilegam adimpleatur Præceptum tam divinum quam Eccleſiaſticum communicandi? 324
Solvuntur Objectiones. ibid.
§. V. Quid ſit ſentiendum de frequenti & quotidiana Communione? ibid.
Decretum Innocentii XI. de ſacra Communionis uſu, datum anno 1679. 325
Art. II. De Communione ſub utraque ſpecie. 326
§. I. Utrum Communio ſub utraque ſpecie ſit neceſſaria ex Præcepto divino? ibid.
Petes, utrum uſus Calicis non ſit aliquando licitus Laicis? 327
Solvuntur Objectiones. ibid.
§. II. Utrum major gratia conferatur communicanti ſub utraque ſpecie, quam ſub una? 328
Art. III. Quibus ſit exhibenda, quibus deneganda Communio ſacramentalis? 329
Art. IV. De diſpoſitionibus requiſitis ad percipiendam Communionem Sacramentalem. 330
§. I. Diſpoſitiones requiſitæ ex parte animæ. ibid.
Conſectaria. ibid.
§. II. Diſpoſitiones ex parte corporis. 331
Explicatur Concluſio. 332
Conſectaria. ibid.
Petes, utrum non ſit etiam præceptum manere aliquamdiu jejunus poſt ſumptionem Euchariſtiæ? ibid.
Munditiæ Corporis. 333
Art. V. De modo quo Chriſtus uſus eſt hoc Sacramento. Utrum ipſe ſumpſerit, & ſumendum dederit Corpus & Sanguinem ſuum Judæ. ibid.
Petes 1. Utrum Chriſtus ſumpſerit & dederit Diſcipulis ſuum Corpus paſſibile? 334
Petes 2. Utrum ſi hoc Sacramentum tempore mortis Chriſti fuiſſet ſervatum aut conſecratum, Chriſtus ibi moreretur? ibid.
Art. VI. De effectibus hujus Sacramenti. ibid.
§. I. Recenſentur varii effectus Euchariſtiæ. ibid.
§. II. Variæ Quæſtiunculæ circa præſentem materiam breviter reſolvuntur. 335
Petes 1. Utrum Euchariſtia proſit aliis quam ſumentibus? ibid.
Petes 2. Utrum per veniale peccatum impediatur effectus hujus Sacramenti? ibid.
Petes 3. Quandonam Euchariſtia cauſet gratiam? ibid.
Petes 4. Utrum hoc Sacramentum cauſet gratiam ex opere operato non ſolum quando actu manducatur, ſeu quando completur manducatio, ſed etiam toto tempore quo ſpecies manent in ſtomacho? ibid.
DIGRESSIO HISTORICA. De Communione Laica. ibid.
DISSERTATIO VII. De Miniſtro Euchariſtiæ. 336
Art. I. Quis ſit Miniſter Conſecrationis Euchariſtiæ? ibid.
Solvuntur Objectiones. ibid.
Art. II. Leviores quædam difficultates de Miniſtro Conſecrationis expenduntur. 337
Petes 1. Utrum Neomiſtæ conſecrent ſimul cum Epiſcopo ordinante? ibid.
Petes 2. Utrum mali Sacerdotes valide conſecrent? ibid.
Petes 3. Utrum Miſſa mali Sacerdotis æque valeat ac Miſſa boni Sacerdotis? ibid.
Petes 4. Utrum liceat Sacerdoti omnino ceſſare a celebratione Miſſæ? ibid.
Obſervanda circa præfata Teſtimonia. ibid.
Art. IV. Quædam quæſtiunculæ de miniſtro diſpenſationis Euchariſtiæ breviter reſolvuntur. ibid.
Petes 1. Utrum quilibet Sacerdos poſſit Euchariſtiam diſpenſare? ibid.
Petes 2. Quo tempore poſſit & debeat adminiſtrari Euchariſtia? 339
Petes 3. Utrum in Miſſa Defunctorum poſſit dari Communio? ibid.
Petes 4. Quandonam Parochus teneatur adminiſtrare Euchariſtiam ſuis Parochianis? ibid.
Petes 5. Utrum Paſtor teneatur ſuis Parochianis peſte infectis adminiſtrare Euchariſtiam cum gravi vitæ ſuæ periculo? ibid.
DISSERTATIO VIII. De Euchariſtia in quantum eſt Sacrificium, ſive de Sacrificio Miſſæ. ibid.
Art. I. Utrum Miſſa ſit verum ac proprie dictum Sacrificium? ibid.
Solvuntur Objectiones. 341
Art. II. In qua actione conſiſtat eſſentia Sacrificii Miſſæ? 342
Solvuntur Objectiones. ibid.
Petes 1. Utrum ad eſſentiam hujus Sacrificii requiratur Conſecratio utriuſque ſpeciei? 343
Petes 2. Quæ ſit hoſtia hujus Sacrificii? ibid.
Petes 3. In quo hoc Sacrificium differat ab aliis Sacrificiis? ibid.
Petes 4. In quo differat Sacrificium Miſſæ a Sacramento Euchariſtiæ. 344
Art. III. De effectibus Sacrificii Miſſæ. Qui ſint & quomodo cauſentur? ibid.
Art. IV. De iis qui offerunt & pro quibus offertur hoc Sacrificium, nec non de ejus applicatione. 345
Quantum ad offerentes. ibid.
Quantum ad eos pro quibus offertur. ibid.
Quantum ad applicationem. ibid.
Petes 1. Utrum qui ratione ſtipendii, vel Beneficii, vel mandati ſuperioris tenetur applicare uni, poſſit valide applicare alteri? ibid.
Petes 2. Utrum liceat applicare Sacrificium pro eo qui primo petit vel dabit ſtipendium? ibid.
Art. V. Utrum valor Sacrificii ſit infinitum? ibid.
Art. VI. De ſtipendio Miſſarum, per Quæſtiunculas. 347
Petes 1. Utrum ſit licitum accipere ſtipendium pro Miſſa? ibid.
Petes 2. Utrum ſaltem Sacerdos non poſſit per unam Miſſam ſatisfacere duobus ſtipendiis, applicando uni partem ſolitam, & alteri ſibi propriam? ibid.
Petes 3. Quantum ſtipendium liceat exigere? ibid.
Petes 4. Utrum qui accepit pingue ſtipendium, poſſit per alium ſatisfacere collato illi minori ſtipendio, juſto tamen, alia parte ſtipendii ſibi retenta? ibid.
Petes 5. Utrum qui plura pinguia ſtipendia Miſſarum accepit, quæ ſtatuto tempore non poteſt perſolvere, poſſit dicere alteri, adjuva me, poſtea adjuvabo te? ibid.
Petes 6. Utrum qui accepit pecunias pro Miſſis, poſſit in alios transferre pro mercibus, puta pro libris. ibid.
Petes 7. Utrum qui unam Miſſam, pro qua recepit ſtipendium, omittit, peccet mortaliter? ibid.
Petes 8. Utrum liceat differre celebrationem Miſſarum, pro quibus acceptum eſt ſtipendium, & quamdiu? 348
Petes 9. Utrum Parochus vi ſui Beneficii teneatur aliquoties celebrare pro ſuis Parochianis, non accepto ſtipendio? ibid.
Petes 10. Utrum qui accepit ſtipendium pro Miſſa votiva aut de Requiem, ſatisfaciat celebrando Miſſam diei occurrentis? ibid.
Art. VII. De Miſſis privatis. ibid.
Solvuntur Objectiones. 349
Art. VIII. De tempore celebrationis Miſſæ. ibid.
Art. IX. De loco celebrandi. 350
Petes 1. Quot modis polluatur & execretur Eccleſia? 351
Petes 2. Utrum hæ omnes cauſæ pollutionis Eccleſiæ, debeant eſſe publicæ, ut cenſeatur Eccleſia polluta? ibid.
Petes 3. A quo & quomodo Eccleſia polluta debeat reconciliari? ibid.
Art. X. De Altari, ejus ornatu, necnon de Vaſis & Veſtibus ſacris. 352
De Altari. ibid.
De Ornatu Altaris. ibid.
De Vaſis ſacris. ibid.
De Veſtibus ſacris. ibid.
Petes 1. A quo Corporalia, Pallæ, Ciborium, Lunulæ, & veſtes ſacræ ſint benedicendæ? 353
Petes 2. An hucuſque dicta, ſcilicet Eccleſiæ, Altaria, Calices, Veſtes ſacræ per ipſum ſacra fiant? ibid.
Petes 3. Quibus liceat tangere ſacra Vaſa? ibid.
Art. XI. De iis, quæ dicuntur & fiunt in celebratione Miſſæ. ibid.
Art. XII. Quædam Quæſtiunculæ, quæ ſuperſunt circa præſentem materiam breviter reſolvuntur. 354
Petes 1. Utrum Canon Miſſæ convenienter ſubmiſſa voce recitetur? ibid.
Petes 2. Utrum Miſſa ſit celebranda in lingua vulgari? ibid.
Petes 3. Utrum ſit licitum interrumpere Miſſam, ſive poſtea perficiendam, ſive non? ibid.
Petes 4. Quid facere debeat Sacerdos celebrans, ſi advertat ſe aliquid omiſiſſe, aut unum pro alio legiſſe? ibid.
Petes ultimo, utrum Rubricæ Miſſalis, de quibus toties diximus in præcedentibus articulis, ſint obligatoriæ? ibid.
DIGRESSIO HISORICA. Quis fuerit Melchiſedech? 355

TRACTATUS DE SACRAMENTO PŒNITENTIÆ.

Summa Doctrinæ Catholicæ de Pœnitentia ex Conciliis Florentino & Tridentino. 356
Decretum Concilii Florentini pro Inſtructione Armenorum. ibid.
Canones Concilii Tridentini de Pœnitentia. ibid.
DISSERTATIO I. De Pœnitentia ſecundum quod eſt Sacramentum. 357
Art. I. Utrum Pœnitentia ſit Sacramentum? ibid.
§. I. Errores circa exiſtentiam Sacramenti Pœnitentiæ. ibid.
§. II. Dogmata Catholica de exiſtentia Sacramenti Pœnitentiæ aſſeruntur. ibid.
§. III. Solvuntur Objectiones Montaniſtarum & Novatianorum contra primam Concluſionem. 358
§. IV. Solvuntur Objectiones Recentiorum Hæreticorum contra ſecundam & tertiam Concluſionem. 361
Art. II. De materia Sacramenti Pœnitentiæ. ibid.
Solvuntur Objectiones contra quintam Concluſionem. 363
Art. III. De Forma Sacramenti Pœnitentiæ. 364
§. I. Quæ ſit forma hujus Sacramenti? ibid.
Conſectaria. 365
§. II. Quis ſit ſenſus horum verborum Abſolvo te? ibid.
§. III. Utrum abſolutionis forma deprecatoria poſſit eſſe valida? 366
Solvuntur Objectiones. ibid.
Art. IV. De inſtitutione, neceſſitate, & iteratione Sacramenti Pœnitentiæ. 368
§. I. Quandonam fuerit inſtitutum hoc Sacramentum? ibid.
§. II. Utrum hoc Sacramentum ſit neceſſarium ad ſalutem? ibid.
§. III. Utrum hoc Sacramentum ſit pluries iterabile? ibid.
DISSETATIO II. De Pœnitentia ſecundum quod eſt virtus. 369
Art I. Utrum Pœnitentia ſit Virtus ſpecialis, & quæ? ibid.
Obſervanda circa peccatum mortale. ibid.
Art. II. De ſubjecto & principio Pœnitentiæ. 370
DIGRESSIO HISTORICA. De Pœnitentia Salomonis. Utrum Salomon egerit Pœnitentiam? 371
Momenta ex Scriptura pro aſſtruenda Pœnitentia Salomonis cum reſponſis negantium. ibid.
Momenta ex Scriptura contra Pœnitentiam Salomonis, cum reſponſis eum adſtruentium. ibid.

Quan-

Digitized by Google

Quoniam ad SS. Patres. 372
DISSERTATIO III. De Effectibus Pœnitentiæ. ibid.
Art. I. De effectu principali Pœnitentiæ, ſcilicet de remiſſione peccatorum mortalium. ibid.
§. I. Utrum omnia peccata mortalia deleri poſſint per Pœnitentiam, & ſine illa? Reſponſio affirmativa. ibid.
Petes de qua potentia id ſit intelligendum. ibid.
§. II. Utrum unum peccatum mortale poſſit dimitti ſine alio? 373
§. III. Utrum remiſſa culpa per Pœnitentiam remaneat Reatus pœnæ? ibid.
Solvuntur Objectiones. 374
Art. II. De Remiſſione peccatorum venialium. ibid.
§. I. Utrum peccatum veniale poſſit remitti ſine ulla pœnitentia? ibid.
§. II. Utrum peccatum veniale poſſit remitti ſine gratia? 375
§. III. Utrum & quomodo peccata venialia remittantur per Sacramenta & Sacramentalia? 376
Art. III. Utrum peccata per pœnitentiam dimiſſa redeant per ſequens peccatum? 377
Solvuntur Objectiones. ibid.
Art. IV. Utrum per Pœnitentiam virtutes reſtituantur? 378
Art. V. De reviviſcentia meritorum per Pœnitentiam. 379
§. I. Utrum merita per peccatum mortificata reviviſcant per Pœnitentiam? ibid.
§. II. In quo gradu & quantitate merita per peccatum mortificata reviviſcant per Pœnitentiam? 380
DISSERTATIO IV. De partibus Sacramenti Pœnitentiæ in particulari, & primo de contritione. 382
Art. I. De quidditate & qualitate Contritionis. ibid.
Explicatur definitio Contritionis. ibid.
Art. II. De quantitate Contritionis. 383
Obſervandum. ibid.
Art. III. De neceſſitate Contritionis. 385
Solvuntur Objectiones contra ſecundam Concluſionem. 386
Art. IV. De diviſione Contritionis. 387
Conſectarium. ibid.
Art. V. Utrum Attritio concepta ex ſolo metu Gehennæ ſit bona & utilis? 388
Obſervanda. ibid.
Solvuntur Objectiones. 389
Petes utrum metus gehennæ ſit non ſolum bonus, ſed etiam ſupernaturalis? ibid.
Art. VI. Utrum metus gehennæ poſſit ſe ſolo excludere voluntatem peccandi? ibid.
Solvuntur Objectiones. 309
Art. VII. Utrum ad juſtificationem cum Sacramento ſufficiat attritio pure formidoloſa, an e contra requiratur aliquis Dei amor & qualis? 391
§. I. Prænotamina ex D. Thoma. ibid.
§. II. Rejicitur amor charitatis. 392
§. III. Aſſeritur neceſſitas amoris benevoli in attritione. 393
Conſectaria. 394
§. IV. Solvuntur Objectiones. 396
Art. VIII. Quædam Quæſtiunculæ circa præſentem materiam reſolvuntur. 398
Petes 1. Quid cenſendum de ſyſtemate Tournely, &c. ibid.
Petes 2. Utrum liceat ſequi in praxi ſententiam de ſufficientia attritionis formidoloſæ, &c. 399
Petes 3. Quandonam debeat elici actus attritionis, ut ſufficiat cum Sacramento? ibid.
Petes 4. Utrum qui immediate poſt Confeſſionem accuſat peccatum oblitum, teneatur ad novam contritionem? 400
Petes 5. Utrum ſufficiat dolere ſe non dolere de peccatis? ibid.
DISSERTATIO V. De altera parte Sacramenti Pœnitentiæ, ſcilicet de Confeſſione, & primo de ejus neceſſitate. ibid.
Art. I. Utrum Confeſſio ſacramentalis ſit neceſſaria ad ſalutem? ib.
§. I. Prænotanda. ibid.
§. II. Neceſſitas confeſſionis ſacramentalis aſſeritur. ibid.
§. III. Solvuntur Objectiones. 403
DIGRESSIO HISTORICA. Utrum Confeſſio publica aliquando fuerit in præcepto? 405
Art. II. Quinam teneantur ad Confeſſionem? 406
Petes, utrum ſaltem Eccleſia poſſit præcipere Confeſſionem venialium? 407
Conſectaria. ibid.
Art. III. Quandonam Peccator teneatur confiteri? ibid.
§. I. Quandonam peccator teneatur confiteri ex Præcepto divino? ibid.
Conſectaria. ibid.
§. II. Quandonam peccator teneatur confiteri ex Præcepto Eccleſiaſtico? 408
Art. III. Reſolvuntur variæ Quæſtiunculæ circa præſentem materiam. ibid.
Petes 1. Unde annus Confeſſionis ſit inchoandus? ibid.
Petes 2. Utrum qui prævidet ſe ante finem anni fore ut non poſſit confiteri, teneatur Confeſſionem anticipare? ibid.
Petes 3. An qui omiſit confiteri intra annum, illo elapſo teneatur adhuc ſtatim confiteri? 409
Petes 4. An ille, de quo in præcedenti caſu, teneatur iterum ad ſecundam Confeſſionem pro obligatione præſentis anni? ibid.
Petes 5. Per quam Confeſſionem impleatur iſtud præceptum. ibid.
Petes 6. An qui non ſatisfacit huic præcepto incurrat de facto Excommunicationem? ibid.
Petes 7. An peccatum celatum in Confeſſione hujus anni, debeat ſubjici clavibus ante annum ſequentem? ibid.
Petes 8. Utrum cum aliquo diſpenſari poſſit ut nunquam confiteatur? ibid.
DISSERTATIO VI. De Miniſtro Confeſſionis. ibid.
Art. I. Utrum ſolus Sacerdos ſit Miniſter Confeſſionis? ibid.
Solvuntur Objectiones. 410
Art. II. Utrum omnis Sacerdos ſit Miniſter legitimus Confeſſionis, ſive utrum præter poteſtatem Ordinis ſit in Miniſtro Confeſſionis neceſſaria poteſtas juriſdictionis? ibid.
§. I. De Juriſdictione. 411
Petes 1. Quid ſit Juriſdictio? ibid.
Petes 2. An hæc poteſtas ſit diſtincta ab illa, quæ confertur in corpus Christi myſticum omni Sacerdoti in ſua ordinatione? ibid.
Petes 3. Quotuplex ſit Juriſdictio? ibid.

Petes 4. Quibus competat juriſdictio ordinaria & reſpectu quorum? ibid.
Petes 5. Quot modis aliquis ſit alterius ſubditus, quoad hoc Sacramentum. ibid.
Specialiter de juriſdictione delegata? 412
Petes 1. Quotuplex ſit juriſdictio delegata? ibid.
Petes 2. Quot & quibus modis acquiritur juriſdictio delegata tum directe quam indirecte? ibid.
Dubium: an Prælati eligere debeant Confeſſarium approbatum ab Ordinario. ibid.
Petes 3. Utrum ad delegationem ab homine ſufficiat ratihabitio ſperata? ibid.
§. II. Reſolvitur quæſtio propoſita in titulo Articuli. ibid.
Solvuntur Objectiones. 413
Art. III. Utrum Confeſſio annua facta alteri quam Sacerdoti Parochiali, de licentia ſuperioris, ſit valida & licita? 414
Solvuntur Objectiones. 415
Art. IV. De juriſdictione putativa & probabili. 416
§. I. De juriſdictione putativa ex errore. ibid.
§. II. De juriſdictione probabili. 417
Art. V. De Approbatione requiſita ad Juriſdictionem, per Quæſtiunculas. ibid.
Petes 1. Quid ſit approbatio? ibid.
Petes 2. Utrum neceſſario requiratur approbatio Epiſcopi ad Confeſſiones audiendas? ibid.
Petes 3. Cujus Epiſcopi approbatio ſit neceſſaria, an Pœnitentis, an Confeſſarii, an loci ubi Confeſſio excipitur? 418
Petes 4. Utrum approbatus ab uno Epiſcopo cenſeatur approbatus pro omni loco? ibid.
Petes 5. Utrum Epiſcopus poſſit repellere ab examine eos, qui ſe præſentant, aut examinatos non approbare? 419
Petes 6. Utrum Epiſcopus poſſit revocare approbationes Regularium? ibid.
Petes 7. Utrum approbatio injuſte denegata vel revocata debeat haberi pro conceſſa? ibid.
Petes 8. Utrum hæc clauſula, de conſenſu quorum intereſt, ſit limitativa approbationum? ibid.
Petes 9. Quam pœnam incurrat qui audit Confeſſiones ſine approbatione Epiſcopi? ibid.
Art. VI. De Caſibus reſervatis. ibid.
§. I. Quid ſit Caſus reſervatus? ibid.
Petes 1. Utrum, ſi quis caſum reſervatum dubium confeſſus ſit communi Confeſſario, & poſtea deprehendat eſſe certo reſervatum, liberetur a reſervatione? 420
Petes 2. Utrum crimen complicis in materia venerea . . . ſit caſus reſervatus? ibid.
§. II. An & a quibus poſſint reſervari Caſus? ibid.
Caſus Papales. ibid.
Obſervanda circa Caſus Papales. 421
Caſus Epiſcopales. 422
Caſus Epiſcopo Laudienſi reſervati ſuccincte exponuntur. ibid.
Caſus Regulares. 424
§. III. Quinam poſſint abſolvere a Caſibus reſervatis? ibid.
Petes 1. Quando pœnitens habens caſus reſervatos impeditur adire ſuperiorem vel ab eo delegatum ad reſervata, poſſit abſolvi a quolibet Confeſſario? 425
Petes 2. Utrum qui legitime confitetur habenti poteſtatem abſolvendi a reſervatis, ſi obliviſcatur alicujus reſervati, tollatur reſervatio? ibid.
Petes 3. An per Confeſſionem factam habenti poteſtatem in reſervata, ſi defectu diſpoſitionis in Pœnitente ſit invalida, tollatur reſervatio? ibid.
Petes 4. Utrum facultas abſolvendi a caſibus reſervatis expiret morte vel amotione concedentis? ibid.
Petes 5. Quomodo debeat ſe gerere Confeſſarius non habens poteſtatem in reſervata, dum audit in Confeſſione aliquod reſervatum? 426
Petes 6. Quam pœnam incurrant abſolventes a caſibus reſervatis ſine licentia? ibid.
Petes 7. Quomodo debeat ſe gerere ſuperior quando ad ipſum accedunt Pœnitentes cum caſibus reſervatis? ibid.
Art. VII. De Juriſdictione delegata Regularium Mendicantium circa Confeſſiones Sæcularium. Per Quæſtiunculas. ibid.
Petes 1. An & a quo Religioſi Mendicantes habeant juriſdictionem excipiendi Confeſſiones Sæcularium? ibid.
Petes 2. Quos vi ſuæ juriſdictionis abſolvere poſſint Regulares? ib.
Petes 3. An Regulares poſſint omni tempore audire Confeſſiones Sæcularium? ibid.
Petes 4. Utrum Regulares poſſint ubique excipere confeſſiones Sæcularium? ibid.
Petes 5. A quibus caſibus abſolvere poſſint Regulares privilegiati? ibid.
Petes 6. An non requirantur quædam conditiones, ut Regulares tam ampla juriſdictione valide & licite utantur? 427
Art. VIII. De juriſdictione in articulo mortis, ſive utrum Pœnitens poſſit abſolvi in fine vitæ a quolibet Sacerdote? ibid.
Solvuntur Objectiones. ibid.
Petes 1. Utrum Sacerdos non approbatus valide abſolvat in articulo mortis, ſi facile poſſit haberi approbatus. 428
Petes 2. Utrum idem ſit cenſendum de periculo ac de articulo mortis? ibid.
Petes 3. Utrum qui fuit abſolutus propter periculum mortis per ſimplicem Sacerdotem, teneatur iterum accedere ad alium poteſtatem habentem, ut denuo abſolvatur? ibid.
Art. IX. De aliis Dotibus requiſitis in Miniſtro Confeſſionis. ibid.
§. I. De bonitate requiſita in Confeſſario. ibid.
§. II. De ſcientia requiſita in Confeſſario. 429
Petes 1. In quo gradu ſcire debeat Confeſſarius? ibid.
Petes 2. An Confeſſarius debeat ferre determinatum judicium de quolibet peccato confeſſo in individuo? An hoc ſit mortale, an veniale? ibid.
Petes 3. An debeat habere diſtinctam ſingulorum notitiam, quando vel ſatisfactionem injungit, vel abſolutionem profert? ibid.
Petes 4. Utrum defectu ſcientiæ in Confeſſario ſit aliquando invalida confeſſio, adeoque iteranda? ibid.
Petes 5. Quando & qualiter peccat Confeſſarius defectu ſcientiæ? ib.
Art. X. De obligatione & officio Confeſſarii. ibid.
§. I. An & quando Confeſſarius teneatur audire confeſſiones? ibid.

§. II. *Quomodo & de quibus Confeſſarius teneatur examinare & interrogare Pœnitentem?* 430
Petes quid agere debeat Confeſſarius quando novit peccatum pœnitentis, de quo non ſe accuſat? ibid.
§. III. *Qualiter & de quibus Confeſſarius teneatur inſtruere & monere Pœnitentem?* ibid.
Conſectaria. ibid.
§. IV. *Qualiter Confeſſarius teneatur abſolvere diſpoſitum & non alium?* 431
§. V. *Quomodo ſe gerere debeat Confeſſarius cum iis, qui verſantur in occaſione proxima?* ibid.
§. VI. *Quomodo ſe gerere debeat Confeſſarius cum Conſuetudinariis & Recidivis?* 432
Solvuntur Objectiones. 433
Petes 1. Quid ſit dicendum de frequenter recidivis in peccata venialia? 434
Petes 2. Quæ remedia ſint præſcribenda conſuetudinariis & frequenter recidivis? ibid.
Petes 3. Utrum conſuetudinarius teneatur Confeſſario interroganti fateri ſuam conſuetudinem? ibid.
§. VII. *Quomodo Confeſſarius debeat ſe gerere cum Moribundo inopinate oppreſſo & ſenſibus externis deſtituto?* 435
Sectio I. Utrum Moribundus inopinate oppreſſus & ſenſibus externis deſtitutus debeat abſolvi? ibid.
Petes utrum Moribundus in caſu, tam adſtantibus quam Confeſſario ignotus, nec ullum habens apud ſe Religionis indicium ſit abſolvendus? 436
Sectio II. Utrum iſte moribundus, de quo Sectione præcedenti, ſit abſolvendus abſolute, vel conditionate? ibid.
§. VIII. *Quid debeat agere Confeſſarius, quando errorem in Confeſſione admiſit?* 437
DIGRESSIO HISTORICA. *De veteri Eccleſiæ Diſciplina circa ſolutionem datam vel denegatam certis peccatoribus, tum ſanis quam infirmis.* ibid.
Sectio I. Utrum ſanis graviorum peccatorum reis pœnitentibus abſolutionem ſacramentalem aliquando denegaverit Eccleſia? ibid.
Sectio II. Utrum peccatoribus quibuſcis ſero & in exitu tantum pœnitentibus abſolutionem ſacramentalem aliquando denegaverit Eccleſia? 438
DISSERTATIO VIII. De qualitate Confeſſionis. 439
Art. I. Utrum poſſit eſſe confeſſio informis & valida? ibid.
Art. II. De integritate confeſſionis? 440
§. I. *Utrum Confeſſio debeat eſſe integra?* ibid.
Cauſæ excuſantes ab integritate materiali Confeſſionis: omnes reducuntur ad impotentiam phyſicam, vel moralem. 441
Impotentia phyſica. ibid.
Impotentia moralis. ibid.
Obſervanda circa prædictas cauſas. ibid.
§. II. *Utrum complices, aut ulterius tertii, qui ſit objectum peccati confitenti, infamia, apud ſolum Confeſſarium excuſet ab integritate materiali Confeſſionis.* ibid.
§. III. *Utrum ad integritatem Confeſſionis neceſſario debeant accuſari circumſtantiæ notabiliter aggravantes intra eandem ſpeciem?* 442
Solvuntur Objectiones contra ſecundam Concluſionem. 443
§. IV. *Utrum ad integritatem confeſſionis neceſſarium ſit peccata dubia confiteri?* 444
§. V. *Variæ Quæſtiones circa integritatem & validitatem Confeſſionis breviter reſolvuntur.* 445
Petes 1. Qualis & qualiter numerus peccatorum ſit exprimendus ad integritatem confeſſionis? ibid.
Petes 2. An & quale examen requiratur ad confeſſionem? ibid.
Petes 3. Utrum mentiri in confeſſione ſemper ſit peccatum mortale? 446
Petes 4. Utrum qui culpabiliter reticet aliquod peccatum mortale in confeſſione, teneatur repetere omnes confeſſiones ab illa factas? ibid.
Petes 5. Utrum qui inſtituit confeſſionem generalem, teneatur explicare, aliquod peccatum nunquam fuiſſe confeſſum, aut ab ultima confeſſione fuiſſe commiſſum, & quod? ibid.
Petes 6. Quid agendum ei, qui advertit Confeſſarium dormire, aut dormiviſſe audiendo confeſſiones? ibid.
Petes 7. Utrum qui timet ne peccata memoria excidant, teneatur ea ſcribere & de ſcripto vocaliter confiteri Sacerdoti? ibid.
Petes 8. Utrum quis poſſit valide abſolvi a peccatis priuſquam ab Excommunicatione? ibid.
Petes 9. Utrum confeſſio facta ex fine venialiter malo, v. g. ex vana gloria, ſit invalida? ibid.
Petes 10. Quomodo confeſſio invalida ſit iteranda? ibid.
Art. III. Utrum quis poſſit per alium, ſeu per ſcriptum confiteri? 447
§. I. *De Confeſſione facta præſenti Sacerdoti per ſcriptum ſeu interpretem.* ibid.
§. II. *De Confeſſione facta Sacerdoti abſenti per litteras aut Internuncium.* ibid.
Art. IV. Utrum ſexdecim conditiones requirantur ad Confeſſionem? 448
DISSERTATIO VIII. De Sigillo Confeſſionis. 449
Art. I. Utrum in nullo caſu liceat Sacerdoti revelare peccata, quæ audivit in Confeſſione? ibid.
Conſectaria. 450
Solvuntur Objectiones. ibid.
Petes ex qua Confeſſione oriatur obligatio ſigilli? ibid.
Art. II. Ad quæ ſe extendat Sigillum confeſſionis? 451
Explicantur breviter ſingula. ibid.
Petes 1. Utrum Confeſſarius poſſit imponere pœnitentiam publicam, ex qua ſequitur indirecta revelatio confeſſionis? ibid.
Petes 2. Utrum Confeſſarius poſſit injungere, ſub comminatione negandi abſolutionem, quod judicat neceſſarium, ſive ad ſeparationem præteriti, ſive ad cautelam futuri, ex quo ſequatur indirecta revelatio confeſſionis? ibid.
Petes 3. Utrum ſecretum creditum & acceptum extra confeſſionem ſub ſigillo confeſſionis, reipſa cadat ſub ſigillo confeſſionis? ibid.
Art. III. Quinam teneantur ſigillo confeſſionis? ibid.
Petes an ipſe Pœnitens teneatur ſigillo? 452
Art. IV. Utrum de licentia Confitentis poſſit Sacerdos ejus peccatum alteri prodere? ibid.
Petes 1. Utrum Confeſſarius poſſit loqui cum ipſo pœnitente de auditis in confeſſione abſque ejus licentia? ibid.
Petes 2. Utrum de auditis formaliter in confeſſione liceat Confeſſario loqui cum licentia pœnitentis? ibid.
Art. V. Utrum liceat uti notitia ex ſola confeſſione ſacramentali hauſta? ibid.
Petes an Confeſſarius vocatus ad pœnitentem, cujus conſcientiam ex prioribus confeſſionibus novit valde intricatam, poſſit ſub alio prætextu recuſare, aut ſe abſcondere ne accedat? 453
DISSERTATIO IX. De ſatisfactione. ibid.
Art. I. Quid & quotuplex ſit Satisfactio? ibid.
Art. II. De poſſibilitate & neceſſitate ſatisfactionis. 454
Solvuntur Objectiones contra ultimam concluſionem. 455
Conſectaria de ſatisfactione neceſſario injungenda a Sacerdote. ibid.
Art. III. Quando ſit implenda & imponenda ſatisfactio? ibid.
Art. IV. Utrum pœnitens teneatur acceptare pœnitentiam injunctam, & acceptatam adimplere, an ve poſſit ab aliquo commutari? 456
Quid faciendum ſi pœnitens oblitus fuerit pœnitentiæ injunctæ? ibid.
Petes utrum facta commutatione pœnitentiæ liberum ſit pœnitenti redire ad primam. 457
Art. V. Utrum unus poſſit pro altero ſatisfacere? ibid.
Petes 1. Utrum etiam pro Defunctis in purgatorio aliquis poſſit ſatisfacere? 458
Petes 2. Utrum ſatisfactio unius pro alio ſit de condigno? ibid.
Petes 3. Utrum aliquis ſatisfaciendo pro alio, ſatisfaciat etiam pro ſe? ibid.
Art. VI. Quanta ſit ſatisfactio pœnitenti injungenda a Confeſſario? ibid.
§. I. *Prænotanda?* ibid.
Canones pœnitentiales. ibid.
§. II. *Reſolvitur quæſtio.* 459
Conſectaria. ibid.
Petes utrum Confeſſarius poſſit imponere pœnitentiam publicam pro peccatis publicis? ibid.
Art. VII. Utrum opera in ſtatu peccati mortalis facta ſatisfaciant? 460
Solvuntur Objectiones. ibid.
Petes utrum homo poſſit ſatisfacere pro uno peccato, & non pro alio? 461
Art. VIII. De qualitate operum per quæ fit ſatisfactio. ibid.
§. I. *Utrum ſatisfactio fieri debeat per opera pœnalia?* ibid.
§. II. *Utrum omnis actus virtutis ſit pœnalis & conſequenter ſatisfactorius.* ibid.
Conſectaria. 462
§. III. *Utrum opera alias debita ſint ſatisfactoria, poſſintque imponi a Confeſſario in pœnitentiam?* ibid.
§. IV. *Utrum flagella præſentis vitæ ſint ſatisfactoria?* ibid.
§. V. *Utrum convenienter enumerentur opera ſatisfactoria, ſcilicet Eleemoſyna, Jejunium, & oratio.* ibid.
Art. IX. De Conditionibus & effectibus ſatisfactionis. 463
DIGRESSIO HISTORICA. *De veteri Eccleſiæ diſciplina circa pœnitentiam publicam ſeu ſolemnem.* ibid.
Sectio I. De origine, variis gradibus, ritu, & abrogatione pœnitentiæ ſolemnis? ibid.
Sectio II. Quæ peccata fuerint pœnitentiæ ſolemni ſubjecta? 464
Sectio III. Utrum Clerici majores, ſcilicet Sacerdotes & Diaconi ſubjicerentur pœnitentiæ ſolemni? 465
Sectio IV. De unitate pœnitentiæ ſolemnis & de multiplici tum manus impoſitione, tum pœnitentium reconciliatione. ibid.
Sectio V. Utrum hæc ultima & ſolemnis reconciliatio poſt peractam pœnitentiam eſſet reconciliatio cum Deo per abſolutionem ſacramentalem, an ſolum reconciliatio cum Eccleſia per admiſſionem ad Euchariſtiæ & aliorum Sacramentorum participationem? ibid.

TRACTATUS DE CENSURIS, IRREGULARITATE, ET INDULGENTIIS

Pertinens ad Tractatum de Pœnitentia.

DISSERTATIO I. De Cenſuris in Communi. 467
Art. I. Quid & quotuplex ſit Cenſura? ibid.
Art. II. An ſit in Eccleſia poteſtas ferendi Cenſuras, & qui poſſint eas ferre? 468
Petes, Utrum Cenſura debeat ferri in ſcriptis, cauſa Cenſuræ expreſſa. 469
Art. III. In quos poſſit ferri Cenſura? ibid.
Petes, Utrum Peregrinus ſubjiciatur Cenſuris Diœceſeos per quam tranſit, &c. ibid.
Art. IV. Ob quam cauſam poſſit ferri Cenſura? ibid.
Petes 1. Utrum ſi Cenſura non ſit latæ, ſed ferendæ ſententiæ, Judex poſſit ſtatim procedere contra reum convictum, & in ipſum ferre cenſuram abſque monitione? 470
Petes 2. Utrum ignorantia excuſet a Cenſura? ibid.
Petes 3. Utrum qui ex gravi metu facit actionem prohibitam ſub cenſura, eam incurrat? ibid.
Art. V. Utrum cenſura injuſte lata habeat aliquem effectum? ibid.
Art. VI. Quis poſſit abſolvere a Cenſura? ibid.
Petes 1. Utrum ad validam abſolutionem a cenſuris requiratur determinata verborum forma? ibid.
Petes 2. Utrum abſens, vel invitus poſſit abſolvi a cenſura? 471
DISSERTATIO II. De Cenſuris in particulari, necnon de Irregularitate. ibid.
Art. I. De Excommunicatione. ibid.
§. I. *Quid ſit Excommunicatio, & qui ejus effectus?* ibid.
Explicantur effectus Excommunicationis. ibid.
Petes, utrum qui voluntarie remanet in Excommunicatione, dum poteſt ab ea abſolvi, peccet contra præceptum audiendi Miſſam, confitendi annue, &c. ibid.
Petes 1. Utrum Excommunicatus ſit inhabilis ad penſionem recipiendam? 472
Petes 2. Utrum Clericus Excommunicatus poſſit percipere fructus ſui Beneficii? ibid.
Cauſæ excuſantes communicationem cum Excommunicatis. ibid.
§. II. *Variæ Quæſtiones circa Excommunicationem breviter reſolvuntur.* 473
Petes 1. Qui ſint Excommunicati non tolerati, & vitandi? ibid.
Petes 2. Quodnam ſit peccatum & quæ pœna communicantis cum Excommunicato? ibid.
Petes 3. Quid ſit Excommunicatio minor? 43[illegible]

Pe-

Digitized by Google

Petes 4. Utrum aliqua univerſitas ſeu communitas poſſit excommunicari? ibid.
Petes 5. Utrum qui ſemel eſt Excommunicatus, poſſit ulterius excommunicari? ibid.
Petes 6. Utrum qui eſt pluribus Excom. ligatus, poſſit abſolvi ab una & non ab omnibus? 474
§. III. De Excommunicatione ob percuſſionem Clerici. ibid.
Art. II. De ſuſpenſione. ibid.
Art. III. De interdicto. 475
Petes, utrum violatio interdicti ſit ſemper peccatum mortale? 475
Art. IV. De Irregularitate. ibid.
§. I. Quid & quotuplex ſit irregularitas. ibid.
§. II. Exponuntur irregularitates ex delicto. ibid.
§. III. Exponuntur irregularitates ex defectu. 477
§. IV. Quis poſſit diſpenſare in irregularitate? 478
Petes, quid in dubio irregularitatis contractæ? ibid.
DISSERTATIO III. De Indulgentiis. 479
Art. I. Quid & quotuplex ſit indulgentia? ibid.
Petes 1. Utrum in indulgentia locali pluries in die viſitans Eccleſiam ſeu locum, cui annexa eſt indulgentia, toties illam lucretur? ibid.
Petes 2. An, quando in conceſſione indulgentiæ partialis exprimitur de pœnitentiis injunctis, valeat tantum ad relaxationem pœnitentiæ injunctæ a Confeſſario ſeu pœnæ illi correſpondentis? ibid.
Petes 3. An pœnitens, quia vacat indulgentiæ lucrandæ, poſſit omittere pœnitentiam a Confeſſario injunctam? 480
Art. II. Utrum ſit in Eccleſia poteſtas concedendi indulgentias? ibid.
Solvuntur Objectiones. 481
Art. III. Quibus competat poteſtas conferendi indulgentias. 482
Petes 1. Utrum ad conceſſionem indulgentiæ requiratur poteſtas Ordinis? ibid.
Petes 2. Utrum indulgentia ſit mera ſolutio pretii pro pœna reſtante, an etiam abſolutio ſeu remiſſio judicialis & auctoritativa? ibid.
Petes 3. Quomodo ergo Papa ſeu Epiſcopus faciens indulgentias, poſſit illarum particeps fieri? ibid.
Art. IV. An & quæ cauſa requiratur, ut indulgentia ſit rata? ibid.
Solvuntur Objectiones. 483
Art. V. De requiſitis ex parte ſuſcipientis indulgentiam. 484
Petes 1. Utrum ſuſcipiens indulgentiam debeat eſſe in ſtatu gratiæ? ibid.
Petes 2. Utrum alia opera injuncta præter ultimum, debeant etiam adimpleri in ſtatu gratiæ? ibid.
Petes 3. Utrum ſatis ſit facere opus injunctum quoad ſubſtantiam, ita ut indulgentiæ conſequendæ non obſtet, etiamſi ex fine vel circumſtantiis fiat peccatum veniale? ibid.
Petes 4. Utrum qui opera præſcripta devote adimplet præciſe toties quoties præſcripta ſunt, tantum participet de indulgentia, quam qui pluries & devotius adimplet? ibid.
Petes 5. Utrum ad conſequendam indulgentiam requiratur in ſuſcipiente propoſitum & ſollicitudo per ſe propriis laboribus ſatisfaciendi? 485
Petes 6. Utrum ad indulgentiam conſequendam adhibenda ſit Confeſſio ſacramentalis? ibid.
Petes 7. Utrum qui partem operis præſcripti implevit, & propter morbum aliamve juſtam cauſam reſiduum implere non potest, lucretur indulgentiam? ibid.
Petes 8. Utrum qui facit opus præſcriptum ſine intentione lucrandi indulgentiam, puta quia neſcit aut oblitus eſt ei eſſe annexam indulgentiam, illam lucretur? ibid.
Petes 9. Utrum translato feſto transferatur indulgentia ei annexa? ibid.
Art. VI. De indulgentiis quæ applicantur defunctis. 486
Petes 1. Utrum indulgentiæ poſſint applicari & prodeſſe defunctis? ibid.
Petes 2. Quomodo applicantur & proſunt indulgentiæ defunctis? ibid.
Petes 3. Utrum Deus teneatur ex Juſtitia ſeu certa lege acceptare indulgentias applicatas defunctis? ibid.
Petes 4. An indulgentiæ applicatæ uni, vel aliquibus perſonis determinatis proſint omnibus? ibid.
Petes 5. Utrum qui lucratur indulgentias pro defunctis, debeat eſſe in ſtatu gratiæ. ibid.

TRACTATUS DE SACRAMENTO EXTREMÆ-UNCTIONIS.

Summa Doctrinæ Catholicæ de Extrema-Unctione. 487
Decretum Concilii Florentini. ibid.
Canones Concilii Tridentini de Extrema-Unctione. ibid.
DISSERTATIO UNICA Complectens omnia, quæ hoc Sacramentum ſpectant. ibid.
Art. I. Utrum Extrema-Unctio ſit Sacramentum? ibid.
Solvuntur Objectiones. 488
Art. II. De Materia Extremæ-Unctionis. 489
§. I. De Materia remota Extremæ-Unctionis. 490
Petes utrum ad validitatem Sacramenti ſufficiat benedictio quovis modo facta ab Epiſcopo vel Sacerdote? ibid.
§. II. De Materia proxima Extremæ-Unctionis. 491
Obſervanda circa Unctiones. ibid.
Petes utrum ſit validum Sacramentum, ſi quinque ſenſus ungantur ſub una forma, illos omnes diſtincte exprimente? 492
Art. III. De forma Extremæ-Unctionis. ibid.
Petes 1. Quæ verba formæ ſupra deſcriptæ ſint eſſentialia? ibid.
Petes 2. Utrum hoc Sacramentum non obſtantibus pluribus materiis & formis ſit unum. 493
Art. IV. De Effectibus Extremæ-Unctionis. ibid.
Petes quandonam iſtud Sacramentum producat ſuum effectum? 494
Art. V. De Miniſtro Extremæ-Unctionis. ibid.
Petes. 1. Utrum quilibet Sacerdos poſſit hoc Sacramentum conferre? 495
Petes 2. Quot requirantur Sacerdotes in adminiſtratione hujus Sacramenti? ibid.
Petes 3. Utrum hoc Sacramentum a pluribus collatum ſit validum? ibid.
Art. VI. De ſubjecto Extremæ-Unctionis. ibid.
Petes an poſt vel ante Viaticum ſit conferendum? ibid.
Conſectaria. ibid.
Art. VII. De obligatione ſuſcipiendi & adminiſtrandi Extremam-Unctionem, nec non de ejus iteratione, ac de diſpoſitione ad illam; per Quæſtiunculas. 497
Petes 1. Utrum hoc Sacramentum ſit neceſſarium ad ſalutem? ibid.
Petes 2. Utrum Paſtor teneatur hoc Sacramentum ſuis parochianis adminiſtrare cum evidenti periculo vitæ ſuæ? ibid.
Petes 3. Utrum hoc Sacramentum ſit iterabile? ibid.
Petes 4. Quæ diſpoſitio requiratur ad hujus Sacramenti ſuſceptionem? ibid.

TRCTATUS DE SACRAMENTO ORDINIS.

Summa Doctrinæ Catholicæ de Ordine. 498
Decretum Concilii Florentini. ibid.
Canones Concilii Tridentini de Ordine. ibid.
DISSERTATIO I. De Exiſtentia Sacramenti Ordinis, & de numero Ordinum. ibid.
Art. I. Utrum Ordo ſeu Ordinatio ſit Sacramentum? ibid.
Solvuntur Objectiones. 499
Art. II. Quot ſint Ordines? ibid.
Solvuntur Objectiones. 500
Art. III. Utrum omnes Ordines ſint Sacramenta? 501
§. I. Utrum Diaconatus ſit Sacramentum? ibid.
§. II. Utrum Subdiaconatus & quatuor minores Ordines ſint Sacramenta? 502
Art. IV. De Tonſura Clericali? 503
Petes 1. Utrum Tonſura ſit Ordo? ibid.
Petes 2. Quæ ſit antiquitas Tonſuræ Clericalis? ibid.
Petes 3. Quæ fuerit cauſa hujus ritus in Eccleſia? ibid.
Petes 4. Utrum omnes Clerici teneantur deferre Tonſuram? ibid.
Petes 5. Utrum omnes Tonſurati gaudeant Privilegiis clericalibus? ibid.
Petes 6. Quæ ſint diſpoſitiones requiſitæ ad Tonſuram? 504
DISSERTATIO II. De materia & forma ſingulorum Ordinum. ibid.
Art. I. Quæ ſit materia & forma Presbyteratus? ibid.
Solvuntur Objectiones. 505
Petes 1. Utrum in Collatione Presbyteratus conferatur duplex Character? 506
Petes 2. Qualis contactus materiæ ſit neceſſarius neceſſitate Sacramenti? ibid.
Petes 3. Quæ ſint Officia Sacerdotis? ibid.
Art. II. Quæ ſit materia & forma Diaconatus? ibid.
Petes 1. Utrum in Diaconatu conferatur duplex Character? ibid.
Petes 2. Quando conferatur Character, ibid.
Petes 3. Quæ ſint Officia Diaconi? 507
Art. III. De materia, forma, & Officiis Diaconatus & minorum Ordinum. ibid.
DISSERTATIO III. De Miniſtro, ſubjecto, & effectu Sacramenti Ordinis. ibid.
Art. I. Quis ſit Miniſter Sacramenti Ordinis? ibid.
Art. II. Utrum omnis Epiſcopus ſit legitimus Miniſter Ordinationis? 509
§. I. Utrum Epiſcopus poſſit licite ordinare non ſubditum? ibid.
Petes a quo Regulares exempti debent habere litteras dimiſſorias? ibid.
§. II. Utrum Ordinationes factæ ab Epiſcopis intruſis, Hæreticis, Schiſmaticis, Excommunicatis, Degradatis, Simoniacis, ſint validæ? ibid.
Solvuntur Objectiones. 510
Appendix de Ordinationibus Angelicis. ibid.
Art. III. De Subjecto Ordinationis. 511
§. I. Quinam ſint capaces Ordinationis? ibid.
§. II. Quæ diſpoſitiones requirantur in ſubjecto ad legitime & licite ſuſcipiendos Ordines? 512
Vocatio. ibid.
Recta intentio. ibid.
Probitas morum. ibid.
Scientia. ibid.
Ætas legitima. 513
Obſervantia interſtitiorum & temporis a jure ſtatuti. ibid.
Titulus. ibid.
Petes 1. Utrum qui ordinatur cum vero titulo, ſed inſufficienti, incurrat ſuſpenſionem? ibid.
Petes 2. Utrum qui habet patrimonium cum pacto illud reddendi poſt ordinationem incurrat ſuſpenſionem? ibid.
Petes 3. Utrum exercens Ordinem in hac ſuſpenſione incurrat irregularitatem? ibid.
Ordinatio per gradus & non per ſaltum. ibid.
Immunitas ab Irregularitate. ibid.
Art. VI. De Continentia annexa ſacris Ordinibus. ibid.
Solvuntur Objectiones. 515
Art. V. Variæ Quæſtiunculæ circa præcedentem materiam reſolvuntur. 516
Petes 1. Utrum Clerici majores in Eccleſia Latina obligentur ad continentiam immediate ex præcepto Eccleſiæ, an mediante voto, quod emittunt? ibid.
Petes 2. Utrum, qui ſuſciperet ſacrum Ordinem ante uſum rationis, aut poſt ex gravi metu injuſte incuſſo, teneretur ad continentiam? ibid.
Petes 3. Utrum, qui ignoraret votum continentiæ eſſe annexum Ordini ſacro, ad illam ſervandam teneretur? ibid.
Petes 4. Quid ſi ſuſcipiens Ordinem expreſſe nollet vovere? ibid.
Petes 5. Quo ſe recipere debent uxores Clericorum poſt ordinationem continentium? ibid.
Petes 6. Utrum Clerici minorum ordinum aliquando fuerint obſtricti lege continentiæ? ibid.
DIGRESSIO I. HISTORICA *De Epiſcopabus, Presbyterabus, Diaconiſſis, & Subdiaconiſſis.* 517

Petes 1. *Quæ fuerint olim Epiſcopæ, &c. de quibus apud veteres eſt frequens mentio?* ibid.
Petes 2. *Quæ fuerit Diaconiſſarum miniſterium?* ibid.
Petes Quæ mulieres aſſumebantur ad munus Diaconiſſæ? ibid.
Petes 4. *An aliquo ritu Diaconiſſæ conſecrarentur?* ibid.
DIGRESSIO II. HISTORICA. *De Fabula Papiſſæ.* ibid.
Solvuntur Objectiones. 518
DISSERTATIO IV. De Epiſcopatu. 519
Art. I. Utrum Epiſcopus ſit inſtitutione divina ſuperior Presbyteris? ibid.
Solvuntur Objectiones. 520
Art. II. Utrum Epiſcopatus ſit Ordo diſtinctus a Sacerdotio? 521
Solvuntur Objectiones. 522
Art. III. Quot Epiſcopi requirantur ad ordinationem Epiſcopalem. 523
Solvuntur Objectiones. 524

TRACTATUS DE MATRIMONIO.

S*Umma Doctrinæ Catholicæ de Matrimonio.* 525
Decretum Concilii Florentini. ibid.
Canones Concilii Tridentini de Matrimonio. ibid.
DISSERTATIO I. De Matrimonio ſecundum ſe. ibid.
Art. I. De Nominibus, Definitionibus, & Eſſentia Matrimonii. ibid.
Nomina. ibid.
Definitiones. ibid.
Eſſentia. 526
Art. II. De Matrimonio, ut eſt in officium naturæ. ibid.
§. I. Utrum Matrimonium ſit hominibus naturale? ibid.
§. II. Utrum Matrimonium cadat ſub præcepto? ibid.
§. III. Utrum actus Matrimonii ſit licitus, poſſit que eſſe meritorius? 527
Art. III. De Matrimonio ut eſt Sacramentum. Et 1. Utrum ſit Sacramentum novæ legis proprie dictum? ibid.
Petes 1. *Quandonam Chriſtus inſtituit hoc Sacramentum?* 529
Petes 2. *Ad quid valeat gratia Sacramentalis Matrimonii?* ibid.
Art. IV. Utrum Matrimonium inter abſentes contractum ſit proprie dictum Sacramentum? ibid.
Solvuntur Objectiones. ibid.
Art. V. Variæ Quæſtiunculæ circa præſentem materiam breviter reſolvuntur. 530
Petes 1. *Quæ ſint conditiones a jure requiſitæ, ut Matrimonium inter abſentes ſit validum?* ibid.
Petes 2. *An mandatum debeat dari coram Parocho & Teſtibus?* ibid.
Petes 3. *Utrum, ſi mandans dederit mandatum ficte, valeat Matrimonium, ſi antequam celebretur ratum habuerit mandatum?* ibid.
Petes 4. *An ſi mandans incidat in amentiam antequam mandatarius contrahat, validum ſit Matrimonium?* ibid.
Petes 5. *Utrum inter fideles baptizatos poſſit dari Matrimonium validum in ratione contractus & non in ratione Sacramenti?* ibid.
Petes 6. *Utrum Matrimonium inter Infideles contractum fiat Sacramentum, dum poſtea baptizantur, præſertim ſi renovent conſenſum?* ibid.
Petes 7. *Utrum Sacramentum Matrimonii poſſit claudicare?* ibid.
Art. VI. Quis ſit Miniſter Matrimonii? ibid.
Solvuntur Objectiones. ibid.
Art. VII. De materia & forma Sacramenti Matrimonii? 533
DISSERTATIO II. De Sponſalibus. 534
Art. I. Quid ſint Sponſalia? ibid.
Petes 1. *Utrum ſponſalia clandeſtina poſt Tridentinum ſint valida?* ibid.
Petes 2. *Utrum Matrimonium clandeſtinum, aut quodvis aliud jure nullum habeat ſaltem vim ſponſalium?* ibid.
Petes 3. *Utrum dum vir dicit puellæ, nullam aliam ducam niſi te, vel e contra puella viro, ſint ſponſalia?* 535
Petes 4. *An neceſſario ſint præmittenda ſponſalia Matrimonio?* ibid.
Petes 5. *Quibus de cauſis præmittuntur ſponſalia Matrimonio?* ibid.
Art. II. Quot modis contrahuntur ſponſalia? ibid.
Petes 1. *Utrum ſi conditio ſit honeſta, ſed tamen contraria bonis Matrimonii, valeant ſponſalia?* ibid.
Petes 2. *An contractus ſponſalitius initus ſub conditione honeſta de futuro, adimpleta conditione, ſtatim valeat abſque novo contractu aut conſenſu?* ibid.
Petes 3. *Utrum ſponſalia conditionata inter perſonas habiles ad Matrimonium, per copulam ſubſequentem tranſeant in abſoluta?* ibid.
Petes 4. *Utrum poſſit apponi ſponſalibus conditio pœnalis, quæ reſilientem obliget?* ibid.
Petes 5. *Utrum ſi juſte reſiliens ſe obligaverit ſub juramento ſolvere pœnam, illud juramentum firmet contractum?* ibid.
Petes 6. *Utrum ſi juſte reſiliens ſolvat pœnam alteri, iſte poſſit retinere?* ibid.
Art. III. An ſi paulo ante ſeptennium contrahentes habeant uſum rationis ſufficientem, valeant ſponſalia? ibid.
Petes 1. *Quis rationis uſus requiratur ad contrahenda ſponſalia?* ibid.
Petes 2. *An Parentes poſſint ſponſalia contrahere pro filiis minoribus?* ibid.
Petes 3. *An qui contraxerunt ſponſalia ante pubertatem, cum eam attingerint, poſſint ab eis reſilire, etiam invita una parte?* ibid.
Art. IV. De Effectibus Sponſalium. ibid.
Petes 1. *Quo tempore ſint adimplenda ſponſalia?* ibid.
Petes 2. *An nolens aut differens adimplere ſponſalia ſit compellendus?* ibid.
Petes 3. *An obligatio quam habent deſponſati tanta ſit, ut ſi alteruter peccatum fornicationis committat cum alia perſona, ſit peccatum ſpeciale contra juſtitiam, & in confeſſione accuſandum?* ibid.
Art. V. Aſſignantur cauſæ ex quibus dirimi poſſunt Sponſalia? 537
Petes 4. *Utrum qui habet defectus occultos teneatur illos detegere comparti ante ſponſalia ſeu ſaltem ante Matrimonium?* 538
Petes an ſponſalia ſolvantur per poſteriora jurata, aut ſubſecuta copula? ibid.
Caſus dubius. Utrum votum ſimplex caſtitatis perpetuæ ſubſequens ſponſalia, illa abſolute diſſolvat? 539
Petes an in omnibus caſibus aſſignatis ipſo jure ſolvantur ſponſalia? ibid.
Art. VI. De Bannis. ibid.
Exponitur Decretum Concilii Tridentini. ibid.
Petes 1. *Quas pœnas incurrant tam Parochus aſſiſtens quam contrahentes Matrimonium ſine prævias proclamationibus, aut legitima diſpenſatione?* ibid.
Petes 2. *Utrum qui poſt unam aut duas proclamationes, contrahit Matrimonium, has pœnas incurrat?* ibid.
Petes 3. *Utrum non ſint aliquando repetendæ denuntiationes?* 540
Petes 4. *Utrum qui novit impedimentum teneatur revelare?* ibid.
DISSERTATIO III. De conſenſu ad Matrimonium requiſito. ibid.
Art. I. Utrum poſſit eſſe Matrimonium ſine conſenſu Conjugum? ibid.
Art. II. Qualis debeat eſſe conſenſus? ibid.
Petes 1. *Ad quid teneatur qui ficte conſenſit?* ibid.
Petes 2. *Utrum pars decepta teneatur alteri ſimpliciter aſſerenti ſe non conſenſiſſe, credere & ab uſu conjugii abſtinere?* ibid.
Art. III. Utrum Matrimonium ex metu initum ſit irritum, & quo jure? 542
Petes 1. *Quæ mala debeant timeri, ut cenſeatur gravis metus?* ibid.
Petes 2. *An ſi minora mala timeantur, ſed timens ſit puſillanimis & timidus, cenſeatur etiam metus gravis irritans Matrimonium.* ibid.
Petes 3. *An metus reverentialis cenſeatur gravis?* ibid.
Solvuntur Objectiones. ibid.
Petes 1. *Utrum Matrimonium ex metu gravi initum & jure poſitivo nullum firmetur?* 543
Petes 2. *Utrum ſi coactus ad contrahendum Matrimonium ſimiliter cogatur ad conſummandum, poſſit licite?* ibid.
Petes 3. *Quæ ſint pœna cogentium ad Matrimonium?* ibid.
Petes 4. *Utrum proles natæ ex Matrimonio defectu conſenſus, aut ratione alicujus impedimenti nullo, ſint legitimæ?* ibid.
Art. IV. De Matrimonio conditionato. ibid.
Art. V. De Objecto conſenſus matrimonialis. 544
Solvuntur Objectiones. ibid.
Art. VI. Utrum ad Matrimonium requiratur neceſſario conſenſus Parentum. 545
Solvuntur Objectiones. ibid.
Art. VII. Quomodo Matrimonium invalide contractum ratum effici poſſit & debeat? 546
Petes, utrum ſaltem ille novus conſenſus unius partis non debeat aliquo ſigno exteriori exprimi? 547
Petes an ſi in reſcripto diſpenſationis ponantur hæc, vel ſimilia verba: diſpenſo ut inter ſe publice & ſervata forma Tridentina contrahant: *poſſint nihilominus renovare conſenſum inter ſe ſine Parocho & teſtibus, ſi jam prius contraxerant coram illis?* 548
DIGRESSIO HISTORICA. *Utrum inter B. Virginem & S. Joſephum fuerit verum Matrimonium?* ibid.
DISSERTATIO IV. De Bonis & Actu Matrimonii. 549
Art. I. De bonis Matrimonii. ibid.
Art. II. De actu Matrimonii. ibid.
§. I. Utrum actus conjugalis excuſetur per bona Matrimonii? ibid.
§. II. Utrum actus conjugalis excuſari poſſit ſine bonis matrimonii, atque adeo exerceri ob ſolam voluptatem, aut fornicationem in ſe vitandam? 550
Solvuntur Objectiones. ibid.
Art. III. De aliis peccatis conjugum in uſu matrimonii 553
Quoad modum & ſitum copulæ. ibid.
Conſectaria. ibid.
Quantum ad circumſtantias loci & temporis. ibid.
Quantum ad acceſſoria copulæ, oſcula, tactus, amplexus, aſpectus, delectationes moroſas, &c. ibid.
Art. IV. De obligatione reddendi debitum. 553
§. I. Utrum conjux teneatur petenti reddere debitum? ibid.
§. II. Utrum ſit reddendum debitum illicite petenti? ibid.
Petes 1. *Quid ſit cenſendum, ſi uterque conjux habeat impedimentum affinitatis aut voti?* 554
Petes 2. *Utrum ſi mulier violenter opprimatur a conſanguineo viri ſui impediatur petere debitum?* ibid.
Petes 3. *Utrum conjux conſentiens concubitui inceſtuoſo ſuæ compartis contrahat inde impedimentum petendi debitum?* ibid.
Petes 4. *Utrum contrahant hoc impedimentum qui ignorant legem?* ibid.
Petes 5. *Quid in dubio de valore matrimonii, quantum ad petitionem & redditionem debiti.* ibid.
Petes 6. *Utrum adulter privetur jure petendi debitum?* ibid.
DISSERTATIO V. De unitate & indiſſolubilitate Matrimonii. ibid.
Art. I. De Unitate Matrimonii. ibid.
§. I. Utrum Polygamia ſit jure naturæ prohibita? ibid.
§. II. Utrum Polygamia fuerit aliquando licita? 555
Petes 1. *Quandonam facta ſit hæc diſpenſatio?* 556
Petes 2. *Quomodo facta ſit hæc diſpenſatio?* ibid.
Petes 3. *Quibus de cauſis fuerit diſpenſatum in lege Monogamiæ?* ibid.
Petes 4. *Utrum hæc diſpenſatio etiam pertineret ad Gentiles?* ibid.
§. III. Utrum Bigamia ſit licita? ibid.
Petes 1. *Utrum ſufficiat probabilitas de morte prioris conjugis ad contrahendum ſecundum Matrimonium?* 557
Petes 2. *Utrum conjux dubitans de morte conjugis, vel etiam putans eum eſſe vivum, valide contrahat, ſi revera obiret prior conjux?* ibid.
Art. II. De indiſſolubilitate Matrimonii, ibid.

§. I.

Digitized by Google

§. I. *An & quo jure Matrimonium ſit indiſſolubile?* 558
§. II. *An & quo jure Matrimonium infidelium conſummatum dirimi poſſit?* ibid.
Petes 1. Quandonam Matrimonium in caſu cenſeatur ſolutum? 559
Petes 2. Utrum conjuge fideli tranſeunte ad alias nuptias, infidelis poſſit pariter inire aliud Matrimonium? ibid.
Petes 3. Utrum fidelis converſus poſſit aut debeat cohabitare cum Infideli nolente converti, volente tamen pacifice & legitime cohabitare? ibid.
Petes 4. Utrum Matrimonium fidelium ſolvatur per unius hæreſim? ibid.
§. III. *Utrum Matrimonium diſſolvi poſſit propter adulterium unius Conjugis,* ibid.
§. IV. *Utrum & quo jure Matrimonium ratum per Profeſſionem Religioſam diſſolvatur?* 560
Petes 1. An elapſo bimeſtri, ſed non conſummato Matrimonio, adhuc conjux poſſit ingredi Religionem? ibid.
Petes 2. Utrum conjux, qui non intendit ingredi Religionem, poſſit intra bimeſtre negare debitum? ibid.
Petes 3. An uxor vi oppreſſa a marito bimeſtre poſſit adhuc ingredi & profiteri Religionem. ibid.
§. V. *Utrum ſummus Pontifex poſſit diſpenſare in Matrimonio rato?* ibid.
§. VI. *De Divortio.* 561
Petes 1. Utrum poſſit fieri divortium propter adulterium alterius conjugis? ibid.
Petes 2. Utrum non ſolum liceat, ſed etiam debeat ex præcepto fieri divortium propter adulterium alterius conjugis? ibid.
Petes 3. Utrum præter adulterium ſint aliæ cauſæ divortii? ibid.
Petes 4. Qua authoritate poſſit & debeat fieri divortium? ibid.
Petes 5. Utrum conjux innocens teneatur nocentem emendatum, redire petentem, recipere? ibid.
Petes 6. Utrum Conjux nocens teneatur, divortio etiam juridice facto, ad conjugem innocentem eum revocantem redire abſque nova Judicis Sententia?
DIGRERSSIO HISTORICA. *De Libello Repudii apud Judæos.* ibid.

DISSERTATIO VI. De Impedimentis Matrimonii in communi. 563
Art. I. Quot & quæ ſint impedimenta Matrimonii in communi? ibid.
Art. II. Quis poſſit ſtatuere impedimenta dirimentia Matrimonium? 564
Art. III. Quis poſſit diſpenſare in impedimentis dirimentibus Matrimonium? 565
DISSERTATIO VII. De Impedimentibus dirimentibus in particulari. 566
Art. I. De Impedimento erroris & conditionis ibid.
Petes 1. Utrum Servus vel Serva poſſit licite & valide contrahere Matrimonium ſine conſenſu Domini? 567
Petes 2. Cujus conditionem proles ſequi debeat, an Patris, an Matris? ibid.
Art. II. De Impedimento voti. ibid.
§. I. *Utrum Votum ſimplex impediat & dirimat Matrimonium ſubſequens?* ibid.
§. II. *Quo jure Votum ſolemne Religionis dirimat Matrimonium ſubſequens?* 568
Solvuntur Objectiones. ibid.
Art. III. De Impedimento Ordinis. 569
Art. IV. De Impedimento Conſanguinitatis. ibid.
§. I. *Quid ſit Conſanguinitas?* 570
§. II. *Utrum Conſanguinitas convenienter diſtinguatur per gradus & lineas?* ibid.
Regulæ ad dignoſcendos gradus Conſanguinitatis. ibid.
Arbor Conſanguinitatis. 571
§. III. *Utrum Conſanguinitas impediat & dirimat Matrimonium? Quo gradu, & quo jure?* 572
Solvuntur Objectiones. 573
Art. V. De Impedimento Affinitatis. 574
§. I. *Quid ſit Affinitas, & ex quo cauſetur?* ibid.
§. II. *Utrum Affinitas habeat per ſe gradus?* 575
Regula generalis dignoſcendi gradus Affinitatis. ibid.
§. III. *Utrum Affinitas impediat & dirimat Matrimonium? Quo gradu, & quo jure?* 576
Petes, Utrum manentibus perſonis, inter quas contracta eſt affinitas, ipſa deſinat, ſi moriatur perſona, ratione cujus contracta eſt? 577
Art. VI. De Impedimento juſtitiæ publicæ honeſtatis. ibid.
Petes 1. Quid ſit Juſtitia publicæ honeſtatis? ibid.
Petes 2. Ex quibus Sponſalibus oriatur iſtud impedimentum? ibid.
Petes 3. Quo gradu iſtud impedimentum dirimat Matrimon. ibid.
Petes 4. Utrum iſtud impedimentum duret poſt mortem alterutrius Sponſæ aut Sponſi? ibid.
Petes 5. An etiam duret etſi ſponſalia mutuo conſenſu, vel ex alia juſta cauſa diſſolvantur? ibdi.
Obſervanda circa Conſtitutionem Bonifacii VIII. ibid.
Art. VII. De Impedimento Cognationis ſpiritualis. 578
Petes 1. Utrum Cognatio ſpiritualis oriatur tantum ex Baptiſmo & Confirmatione? ibid.
Petes 2. Inter quos contrahatur cognatio ſpiritualis? ibid.
Petes 3. Utrum Cognatio ſpiritualis impediat & dirimat Matrimonium? ibid.
Petes 4. Utrum & quæ conditiones requirantur ut hæc cognatio & impedimentum contrahantur? ibid.
Petes 5. Si plures quam unus & una deſignati & a Parocho admiſſi, infantem tangant & ſuſcipiant, quinam contrahant cognationem? ibid.
Petes 6. Utrum requiratur, quod Suſceptores tangant corporaliter baptizatum? 579
Art. VIII. De Impedimento cognationis legalis. ibid.
Petes 1. Quid & quotuplex ſit adoptio? ibid.
Petes 2. Quinam generaliter poſſint adoptari & adoptare? ibid.
Petes 3. Utrum legalis cognatio impediat & dirimat Matrimonium? ibid.
Petes 4. Inter quos contrahatur cognatio legalis? ibid.
Art. IX. De Impedimento impotentiæ. ibid.
Conſectaria præcedentis Doctrinæ. 580
Petes 1. Quid facto opus, ſi dubitetur an impotentia ſit perpetua vel temporalis? ibid.
Petes, Quid ſi poſt judicium Eccleſiæ & ſeparationem factam, contingat impotentiam tolli? ibid.
Petes 3. Quibus ſignis poterit dignoſci eſſe impotentiam ex maleficio? 581
Petes 4. Quibus remediis occurri poſſit impotentiæ ex maleficio? ibid.
Petes 5. Utrum detur impotentia naturalis perpetua reſpectiva? ibid.
Petes 6. Quid agendum in dubio utrimque æquali, an impotentia præceſſerit vel ſubſecuta fuerit Matrimonium. ibid.
Petes 7. An Matrimonium ante annos pubertatis contractum ſit nullum. ibid.
Art. X. De impedimento diſparitatis cultus. ibid.
Petes 1. Quid ſit cenſendum de Matrimoniis Catholicorum cum Hæreticis? 582
Petes 2. Quare potius Eccleſia irritaverit Matrimonium inter fidelem & non baptizatum, quam inter fidelem & hæreticum. ibid.
Art. XI. De impedimento criminis. ibid.
Art. XII. De impedimento clandeſtinitatis. ibid.
§. I. *Utrum Matrimonia clandeſtina fuerint olim, & ſint etiam nunc valida?* ibid.
§. II. *Variæ difficultates circa Matrimonia clandeſtina & præfatum Tridentini Decretum reſolvuntur, per quæſtiunculas.* 583
Specialis difficultas de Matrimoniis in Hollandia celebratis. 585
Obſervanda circa præfatam conſtitutionem. 586

SUPPLEMENTUM

TRACTATUS DE OPERE SEX DIERUM.

DISSERTATIO I. De Proceſſione creaturarum a Deo. 587
Art. I. Utrum omne ens ſit effective a Deo? Ubi de Carteſianiſmo. ibid.
Art. II. Utrum Deum ſit cauſa exemplaris & finalis omnium rerum. ibid.
Art. III. De modo emanationis rerum a Deo, qui dicitur creatio. 588
Art. IV. Utrum ſit ſolius Dei creare? ibid.
Art. V. Utrum mundus ſit unicus & perfectus? 589
Art. VI. Utrum mundus ſit aut potuerit eſſe ab æterno? ibid.
Solvuntur Objectiones contra ſecundam Concluſionem. 590
Solvuntur Objectiones contra primam Concluſionem. 591
Art. VII. Quo anni tempore mundus fuerit creatus. ibid.
DISSERTATIO II. De ſex diebus creationis mundi, necnon de rebus quæ unoquoque die creatæ ſunt. 592
Art. I. Utrum ſex dies creationis ſint reales. ibid.
Solvuntur Objectiones. 593
Art. II. De opere primæ diei. ibid.
Art. III. De opere ſecundæ diei. 594
Art. IV. De opere tertiæ diei. ibid.
Art. V. De opere quartæ diei. 595
Art. V. De opere quintæ diei. ibid.
Art. VII. De opere ſextæ diei. ibid.
DISSERTATIO III. De homine quantum ad animam. ibid.
Art. I. Utrum anima hominis ſit materialis ſeu corporea, an ſpiritualis? ibid.
Art. II. Utrum anima rationalis ſit incorruptibilis & immortalis 597
Solvuntur Objectiones. 598
Art. III. Utrum anima rationalis creetur, vel traducatur a parentibus? ibid.
Solvuntur Objectiones, 599
Art. IV. Utrum animæ fuerint creatæ ante corpora? 600
Art. V. An & qua ratione homo ſit factus ad imaginem Dei? ibid.

DISSERTATIO IV. De conditione primi hominis, quantum ad intellectum & voluntatem. 601
Art. I. Utrum primus homo in ſtatu innocentiæ viderit Deum & Angelos per eſſentiam? ibid.
Art. II. Quarum rerum cognitionem habuerit primus homo. ibid.
Art. III. Utrum primus homo creatus fuerit in gratia ſanctificante? 602
Art. IV. De dominio quod habuit primus homo in ſtatu innocentiæ ſuper alias creaturas. 603
DISSERTATIO V. De conditione primorum parentum quantum ad corpus. 604
Art. I. De formatione corporis Adæ. ibid.
Art. II. De formatione corporis Evæ. ibid.
§. I. *Quo ſenſu intelligenda ſit formatio Evæ ex viro & coſta viri, an litterali vel metaphorico?* 605
Solvuntur Objectiones. ibid.
§. II. *Quandonam Eva producta fuerit?* 606
§. III. *An fuerit conveniens Evam formari ex viro & coſta viri?* ibid.
Art. III. De conditione primorum parentum in ſtatu innocentiæ quantum ad conſervationem individui. ibid.
§. I. *Utrum homo in ſtatu innocentiæ fuerit immortalis?* ibid.
§. II. *Unde primo homini in ſtatu innocentiæ proveniebat immortalitas.* 607
Art. IV. De conditione primorum parentum in ſtatu innocentiæ quantum ad multiplicationem hominum. 608
§. I. *Utrum in ſtatu innocentiæ fuiſſet generatio ad multiplicationem hominum.* ibid.
§. II. *Utrum in ſtatu innocentiæ generatio fuiſſet per coitum?* ibid.

DISSERTATIO VI. De conditione prolis generandæ in ſtatu innocentiæ. ibid.
Art. I. De conditione prolis generandæ in ſtatu innocentiæ quantum ad corpus. ibid.
§. I. *Utrum ſi perſeveraſſet ſtatus innocentiæ, iidem numero homines in eo nati fuiſſent, qui in ſtatu naturæ lapſæ nati ſunt, naſcuntur, & naſcentur?* ibid.
§. II. *Utrum pueri in ſtatu innocentiæ mox nati virtutem perfectam habuiſſent ad quemlibet motum membrorum.* 610
§. III. *Quibus cibis uſi fuiſſent homines in ſtatu innocentiæ?* 611

§. IV.

Digitized by Google

§. IV. *Utrum in ſtatu innocentiæ natæ fuiſſent fœminæ,* ibid.
Art. II. De conditione prolis generandæ in ſtatu innocentiæ quantum ad inſtitiam. ibid.
Art. III. De conditione prolis generandæ in ſtatu innocentiæ quantum ad ſcientiam. 612
DISSERTATIO VII. De loco hominis qui eſt Paradiſus ibid.
Art. I. Utrum Paradiſus ſit locus corporeus? ibid.
Art. II. Utrum Paradiſus Terreſtris ſit locus particularis, & ubi ſitus ſit? 613
Art. III. Utrum etiam nunc exiſtat Paradiſus Terreſtris? ibid.
Art. IV. De Ligno Scientiæ boni & mali. 614
Art. V. A quo tentata fuit Eva, ut manducaret de ligno petito? ibid.
DISSERTATIO VIII. De Peccato primorum Parentum & ejus pœna. 615
Art. I. Quodnam fuerit primum peccatum primorum Parentum ibid.
Solvuntur Objectiones. ibid.
Art. II. De gravitate peccati primorum Parentum. ibid.
Art. III. De pœnis peccati primorum Parentum. ibid.
Art. IV. De pœnitentia & ſalute primorum Parentum. 618

TRACTATUS DE STATU RELIGIOSO.

DISSERTATIO I. De his in quibus principaliter conſiſtit ſtatus Religioſus. ibid.
Art. I. Quid ſit ſtatus in communi? Quid ſtatus perfectionis? ib.
Art. II. In quibus principaliter conſiſtat ſtatus Religioſus? 619
Art. III. Utrum tria Vota Paupertatis, Continentiæ, & Obedientiæ ſint eſſentialia ſtatus Religioſo? 620
Art. IV. Ad quid teneatur Religioſus vi voti paupertatis? 621
Art. V. Ad quid teneatur Religioſus vi voti Caſtitatis? 623
Art. VI. Ad quid teneatur Religioſus vi voti Obedientiæ? ibid.
Art. VII. An & quando peccet Religioſus transgrediens Regulam? ibid.
DISSERTATIO II. De clauſura tam Religioſorum, quam Monialium. 625
Art. I. De Clauſura Religioſorum quoad egreſſum. ibid.
Art. II. De Clauſura Religioſorum, quoad ingreſſum. 626
Art. III. De Clauſura Monialium quoad egreſſum. 628
Art. IV. De Clauſura Monialium quoad ingreſſum. ibid.
Obſervatio neceſſaria ad totam Diſſertationem. 629
DISSERTATIO III. De iis quæ competunt Religioſis, necnon de Religionum diſtinctione. ibid.
Art. I. De his quæ competunt Religioſis. ibid.
Art. II. De Religionum diſtinctione. 630
§. II. *Utrum ſit una tantum Religio, an plures?* ibid.
§. II. *Ad quid poſſit inſtitui Religio?* ibid.
§. III. *Utrum habere aliquid in communi minuat perfectionem Religionis?* ibid.
§. IV. *Utrum perfectior ſit Religio in ſocietate viventium quam agentium ſolitariam vitam?* 632
DISSERTATIO IV. De Religionis ingreſſu, Novitiatu, & Profeſſione. ibid.
Art. I. De conditionibus recipiendorum ad Religionem. ibid.
Impedimenta dirimentia. 633
Impedimenta impedientia tantum. ibid.
Art. II. De Novitiatu, 634
§. I. *In quo habitu debeat peragi Novitiatus.* ibid.
§. II. *Qua ætate ſit inchoandus & perficiendus Novitiatus;* ibid.
§. III. *In quo loco ſit perficiendus Novitiatus?* ibid.
§. IV. *Quanto tempore debeat durare Novitiatus?* ibid.
§. V. *Utrum annus Novitiatus debeat eſſe continuus.* 635
§. IV. *Variæ quæſtiones circa præcedentem materiam,* 636
Art. III. De Profeſſione Religioſa. 637
§. I. *Quid & quotuplex ſit Profeſſio Religioſa?* ibid.
§. II. *De effectibus Profeſſionis validæ.* 638
Art. IV. De Profeſſione invalida. 639
§. I. *Utrum Profeſſio invalida habeat aliquem effectum?* ibid.
§. II. *De Reclamatione contra Profeſſionem invalidam.* ibid.

TRACTATUS DE MYSTERIIS CHRISTI.

DISSERTATIO I. De Beatiſſima Virgine Maria Matre Chriſti. ibid.
Art. I. De Sanctificatione B. M. Virginis. ibid.
Art. II. De B. Virginis Parentibus, ortu, educatione, & oblatione in Templo. 641
Art. III. De Virginitate B. Mariæ. ibid.
Art. IV. De Voto virginitatis a Deipara emiſſo. 642
Art. V. De Matrimonio B. Virginis cum S. Joſeph, 644
Art. VI. De Annuntiatione B. Virginis. ibid.
DISSERTATIO II. De Conceptione Chriſti. 645
Art. I. De Conceptione Chriſti ſecundum ſe. ibid.
Art. II. Ex qua Tribu & Familia ortus ſit Chriſtus. 646
Art. III. De Genealogia Chriſti. 647
§. I. *Conciliantur inter ſe binæ Chriſti genealogiæ.* ibid.
§. II. *Conciliantur binæ Chriſti genealogiæ cum veteri Teſtamento.* ibid.
Art. IV. De Modo & Ordine Conceptionis Chriſti, nec non de perfectione prolis conceptæ. 648
Art. V. De Peregrinatione B. Virginis in Montana Judææ ad viſitandam cognatam ſuam Eliſabeth. 649
DISSERTATIO III. De Nativitate Chriſti. ibid.
Art. I. De Nativitate Chriſti ſecundum ſe conſiderata. ibid.
Art. II. De circumſtantiis Nativitatis Chriſti. 650
§. I. *De loco Chriſti naſcentis.* ibid.
§. II. *De tempore Chriſti naſcentis.* 651
DISSERTATIO IV. De Manifeſtatione Chriſti nati. ibid.
Art. I. Utrum manifeſtatio Chriſti nati convenienter facta fuerit? ibid.
Art. II. De Magis Chriſti naſcentis adoratoribus. 652
Art. III. De tempore adventus Magorum. 653
DISSERTATIO V. De Legalibus circa Puerum Jeſum ſervatis, de fuga in Ægyptum, de cæde Infantium, necnon de reſiduo vitæ Chriſti uſque ad ſuum Baptiſma. 654
Art. I. De Chriſti Circumciſione. ibid.
Art. II. De Purificatione B. Virginis & oblatione Pueri Jeſu in Templo. 655
Art. III. De fuga in Ægyptum. 656
Art. IV. An & quæ miracula patrata ſint ingrediente Jeſu in Ægyptum? 657
Art. V. De cæde infantium, & vita Chriſti inſtituta uſque ad ſuum Baptiſma. 658
DISSERTATIO VI. De Joanne baptizante & Chriſto Baptizato. ibid.
Art. I. De Joanne Baptizante. ibid.
Art. II. De Chriſto baptizato. 659
DISSERTATIO VII. De modo converſationis Chriſti, necnon de ejus tentatione in Deſerto. 660
Art. I. Quæ fuerit humanæ faciei & corporis Chriſti forma? ibid.
Art. II. Utrum Chriſtus debuerit agere vitam ſolitariam & auſteram? ibid.
Art. III. Utrum conveniens fuerit Chriſtum pauperem vitam ducere, & ſecundum legem converſari? 661
Art. IV. De tentatione Chriſti in deſerto. ibid.
DISSERTATIO VIII. De Doctrina & Miraculis Chriſti, necnon de ejus Transfiguratione. 662
Art. I. De Doctrina Chriſti. ibid.
Art. II. Utrum Chriſtus ſuam Doctrinam ſcripto tradiderit? Ubi de mutuis Abgari ad Jeſum & Jeſu ad Abgarum Epiſtolis ibid.
Epiſtola Abgari ad Jeſum. ibid.
Epiſtola Jeſu ad Abgarum. ibid.
Art. III. De Miraculis Chriſti. 663
Art. IV. De Chriſti Transfiguratione. 664
DISSERTATIO IX. De Paſſione Chriſti. ibid.
Art. I. De neceſſitate, convenientia, & acerbitate Paſſionis Chriſti. ibid.
Art. II. Variæ Paſſionis Chriſti circumſtantiæ breviter expenduntur. De Juda proditore. 665
De flagellatione. ibid.
De Corona ſpinea. 666
De ſententia mortis in Chriſtum lata. ibid.
De Crucis bajulatione & Veronica. ibid.
De Crucis magnitudine & forma. ibid.
De crucifixione. 667
De Latronibus cum Chriſto crucifixis. ibid.
De loco & tempore Crucifixionis. ibid.
De apertione Lateris. 668
De Maria Matre Jeſu juxta Crucem ſtante. ibid.
De Tortoribus Chriſti. ibid.
De prodigiis a Chriſto in cruce pendente factis, & 1, de tenebris. ibid.
De ſciſſione Veli. 669
De motu terræ. ibid.
De magno Pane. ibid.
DISSERTATIO X. De cauſa efficiente Paſſionis Chriſti, de ejus cauſalitate, & effectibus. 670
Art. I. De cauſa efficiente Paſſionis Chriſti. ibid.
Art. II. Quomodo Paſſio Chriſti operata ſit noſtram ſalutem. ibid.
Art. III. De effectibus Paſſionis Chriſti. 671
DISSERTATIO XI. De Morte, Sepultura, & Deſcenſu Chriſti ad Inferos. ibid.
Art. I. De Morte Chriſti. ibid.
Art. II. De Sepultura Chriſti. 672
Art. III. De Deſcenſu Chriſti ad inferos. ibid.
DISSERTATIO XII. De Reſurrectione Chriſti. 674
Art. I. Utrum neceſſarium fuerit Chriſtum reſurgere? ibid.
Art. II. De die & hora qua Chriſtus reſurrexit. ibid.
Art. III. De Chriſto primo omnium reſurgente. 675
Art. IV. De qualitate Chriſti reſurgentis. ibid.
Art. V. De manifeſtatione Reſurrectionis. 676
Art. VI. De veritate Reſurrectionis Dominicæ. 677
DISSERTATIO XIII. De Aſcenſione Chriſti & Miſſione Spiritus ſancti. 678
Art. I. De Aſcenſione Chriſti ſecundum ſe. ibid.
Art. II. De tempore & loco Aſcenſionis, necnon de ejus ſeſſione ad dexteram Patris. 679
Art. III. De Miſſione Spiritus ſancti. ibid.
Appendix de Actis Pilati circa geſta & miracula Chriſti ad Tiberium Imperatorem miſſis. 680
DISSERTATIO XIV. De Morte & Aſſumptione Deiparæ Virginis. 681
Art. I. De Morte Deiparæ. ibid.
Art. II. De Aſſumptione B. Virginis. 682

ALTERUM SUPPLEMENTUM.

SYSTEMA NOVUM R. P. Billuart *de relatione operum in Deum* Refutatum a R. D. Hagens. 683
Monitum ad Lectorem. ibid.
Refutatio. ibid.
Reflexio. 685
QUÆSTIO THEOLOGICA R. P. Billuart *de relatione operum in Deum* adverſus Opuſculum ſub nomine R. D. Hagens Licentiati &c. typis Leodienſibus editum vindicata. 690
Proludium. ibid.
Quæſtio Theologica, An & quomodo homo deliberate agens teneatur omnia & ſingula ſua opera referre in Deum! 692
EADEM QUÆSTIO THEOLOGICA *de relatione operum in Deum* adverſus opuſculum R. P. Meugis Doct. Reg. Loven. iterum pugnata. 699
An & quomodo homo deliberate agens teneatur omnia & ſingula ſua opera referre in Deum. ibid.
Convelluntur fundamenta Adverſarii. 702
Solvuntur Objectiones ex S. Thoma. ibid.
Solvuntur Objectiones ex S. Auguſtino. 704
DISSERTATIO De motivis credibilitatis adverſus incredulos, vulgo Deiſtas. 707
Art. I. Vaticinia Prophetarum de Religione Chriſtiana & ejus Auctore. ibid.

Art. II.

Art. II. Miracula Christi & Apoſtolorum, item promiſſiones Chriſti adimpleta in confirmationem Religionis Chriſtianæ. 708
§. I. Quædam Quæſtiones circa miracula breviter reſolvuntur. ib.
§. II. Facta ſunt vera miracula in confirmationem Religionis Chriſtianæ. 709
Primum aſſertum. Libri Novi Teſtamenti non ſunt ſuppoſiti. ibid.
Secundum. Facta quæ narrant ſunt vera. ibid.
Tertium. Iſta facta ſunt vera miracula. ibid.
§. III. Prophetia & promiſſiones Chriſti adimpleta. 710
Art. III. Modus mirabilis & plane divinus quo Chriſtiana Religio fuit fundata & propagata. ibid.
EXCUTIUNTUR Cujuſdam Scrupuli circa ea, quæ docui in Tractatu de Deo. 711
PROTESTATIO AUCTORIS. ibid.
VITA AUCTORIS a F. Deodato Labye Ord. FF. Prædicat. &c. ſcripta. 712

FINIS,

Totum hoc Opus quatuor tomis in fol. comprehenditur, ejuſque pretium eſt librarum Venetarum octogintaquatuor.

NOI

NOI RIFORMATORI
DELLO STUDIO DI PADOVA

COncediamo Licenza a *Pietro Savioni* Stampator di *Venezia* di poter riſtampare il Libro intitolato *Summa S. THOMÆ &c., ſive Curſus Theologiæ &c. Opera & Studio F. Caroli Renati Billuart &c. Tom. IV. Riſtampa*, oſſervando gli ordini ſoliti in materia di Stampe, e preſentando le Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 24. Marzo 1786.

{ *Andrea Querini Riformator*.

{ *Piero Barbarigo Riformator*.

{ *Franceſco Moroſini 2do Cav. Proc. Riform.*

Regiſtrato in Libro a Carte 14 al Num. 1673.

Giuſeppe Gradenigo Segr.